..ex Past: Blas: Quedl: 1766 alt jur
13 gl 6 d
..er Gelehrten P. II p. 214.
..dungen des Jahrs 1689 p. 4. et 197
..ii p. 106 ubi vor 2 rl. 8 g
..ork: cf. Clarmunds Leben der Gel.
..m p. .17.
..n den büchern der bibl. P. II p. 110.
..ens. cur. bibl. p. 1. et 144
..t Lubecae 1732. cui praefationem, noti-
..n litterariorum praemisit J. Alb. Fabricius
..itib: Part: poster: bibl. Latin: p. 334.

K
T.XV
7/m
37642/B
DR. ERNST DARMSTAEDTER
No. 1028
COLLECTION

*) Qui, scil: Morhoffius ipse, si ad umbilicum perduxisset hoc opus, parem non habuisset Polyhistor in orbe litterario: tres priores libros ipse tantum absolvere potuit. v. Reimanni bibl: litter. p. 114.

Materia 2 Thl 12 gl
ligat. 8 gl


DANIEL GEORG
MORHOF.
D. Lenkÿs fec:

10770

DANIELIS GEORGI MORHOFI

POLYHISTOR LITERARIVS PHILOSOPHICVS ET PRACTICVS.

MAXIMAM PARTEM

OPVS POSTHVMVM,

Accuratè reviſum, emendatum, ex Autoris Annotationibus ἀυτογράφοις, & MSS. aliis, ſuppletum paſſim atqve auctum, in Paragraphos diſtinctum, Librorum Capitumqve Summariis, Hypomnematis quibusdam Hiſtorico-Criticis, duabusqve Præfationibus, ſive Diatribis Iſagogicis prolixioribus, T. I. atqve II. præfixis, quarum prior

MORHOFII VITAM ET SCRIPTA,

partim edita, partim inedita atqve affecta,

POLYHIST. ITEM HISTORIAM, ET ERVDITORVM DE ILLIS JVDICIA

exhibet,

illuſtratum

à

JOHANNE MOLLERO, Flensb.

Et ſic integrum Orbi Literato exhibitum.

Accedunt Indices Neceſſarij.

EDITIO SECVNDA, priori multò correctior.

Cum Privilegio Sacræ Cæſareæ Majeſtatis.

LVBECAE,
Sumtibus PETRI BÖCKMANNI, Anno MDCCXIV.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

JOSEPHUS Divina favente Clementia electus Romanorum Imperator ſemper-Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex ArchiDux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, Comes Tyrolis, &c. Agnoſcimus & notum facimus tenore præſentium Univerſis, qvod cum Nobis noſter & Sacrii Imperii fidelis dilectus *Petrus Böckmannus*, Bibliopola Lubecenſis, humillime expoſuerit, ſe Morhofii Polyhiſtorem denuo ſuis ſumtibus Typis excudendum curaſſe, vereri autem, ne quod ſæpius contingat, æmulorum fraude, qui editionem iſtam doloſe imitentur, impendii ſui fructu deſtituatur, ac propterea demiſſe ſupplicaverit, ut ſe contra defraudationem aut imitationem decennali Privilegio noſtro Clementiſſime munire dignaremur. Nos ejuſdem precibus benigne annuerimus, ac proinde omnibus & ſingulis Bibliopolis, Typographis, coeteriſque omnibus negotium Librorum exercentibus ſerio idque ſub poena decem marcarum Auri puri inhibuerimus, prout hiſce inhibemus, ne eorum quiſpiam intra decem annos proximos ab hoc die computandos præfatum Librum, Morhofii Polyhiſtor, ſine impetrantis hæredumvè conſenſu intra Sacri Romani, Regnorumq; ac Dominiorum Noſtrorum Hæreditariorum fines in ſimili vel alio typo, modo vel forma, ſive in toto, ſive in parte, mutatisve titulis recudere, vel aliô recudendum dare, impreſſum invehere, venundare, aut clam vel palam diſtrahere quovis modo præſumat, hac quidem lege, ut præfati Libri Morhofii Polyhiſtoris, ut in more poſitum eſt, conſueta quinque Exemplaria ad Imperialem noſtram Cancellariam deferantur, iidemque Privilegium hoc noſtrum (ne quis ignorantiæ prætextu ſe excuſare poſſit) in fronte exhibeant: quisquis autem mandatum hoc noſtrum non obſervaverit, is non modo ejusmodi Libris perperam impreſſis privetur, verum etiam dicta poena Fiſco noſtro Imperiali fraudis vindici numeranda mulctetur. Qnare mandamus Omnibus & Singulis Noſtris & Sacri Imperii, Regnorumq; & Provinciarum Noſtrarum Hæreditariarum Subditis cujuscunque ſtatus ac dignitatis, ne quenquam Privilegium hoc noſtrum Cæſareum temere & impune transgredi aut violare patiantur, quin potius præſcripta poena reos plecti curent. Harum teſtimonio Literarum manu noſtra ſubſcriptarum & Sigilli noſtri Cæſarei appreſſione munitarum, quæ dabantur in Civitate noſtra Vienna die quinta Septembris Anno Domini Milleſimo, Septingenteſimo ſeptimo, Regnorum Noſtrorum Romani Decimo Octavo, Hungarici Vigeſimo, Bohemici vero Tertio.

JOSEPHUS.
Mppria.

L.S.

Ad Mandatum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis proprium.

UL. FRIDLAR, Com. de Schönborn.

FRANCISCUS VINANDUS de BERTRAM.

BENEVOLO LECTORI
S. P.

UT hunc tibi ſiſterem Polyhiſtora, Benevole Lector, expugnarunt amici: extorſit illum ipſa neceſſitas potius, quam ipſe meo conſilio publicæ luci deſtinavi. Duodeviginti anni ſunt, ex quo privatis ſcholis Notitiam Scriptorum, optimorum juvenum rogatu, propoſui. Quem laborem, aliis urgentibus, poſt aliqvot annos reſumpſi, ita tamen, ut aliâ ratione commutarem & pertexerem. Non credidi qvidem fore, ut illa, qvæ mihi ſubitâ & fortuitâ oratione è memoriâ exciderant (optimè enim id nôrunt, qvi mihi tum auditores adfuerunt) ad qvemqvam extra diſcipulorum ſubſellia emanarent. Verum contra voluntatem meam & præter opinionem accidit, ut, qvæ ego ad privatos paucorum juvenum uſus inſtitueram, non in hac ſolùm Academia, ſed & alibi deſcripta per multorum manus ita impolita & inculta vagarentur: neqve deeſſent qvi publicos de editione tergiverſanti typos minarentur. Qvod cum intelligerem, metueremqve, ne vel mutilum mancumqve opus, erroribus & gloſſis peregrinæ manus præterea fœdum, in lucem meis ingratiis protruderetur, vel in aliena incude à novo qvodam fabro refingeretur; eò adductus ſum, ut laborem, qvi propemodum infinitus eſt, & nova ab annis incrementa capit, per partes recenſens, prælo ſubjicerem. Qvod ut eò felicius procederet, effecit Vir mihi amiciſſimus, D. ACHILLES DANIEL LEOPOLDI, JCtus apud Lubecenſes nobiliſſimus, cujus hortatu conſilioqve potiſſimum impulſus eſt, qvi ſuis ſumptibus librum in lucem edidit. Non ignotum mihi eſt, qvantæ molis opus humeris meis incumbat. Oceanum enim ingreſſus ſum, in qvo portum invenire difficile eſt, naufragii periculum à ſyrtibus & ſcopulis imminet. Qvis enim in tanta multitudine rerum & librorum omnia exhauriret? Qvis non alicubi impingeret? Qvis ſalvum ab invidiâ caput retraheret, ac malignitatis dentes in liberiore cenſura evitaret? Præterea ut palato & guſtu differunt convivæ; ita judiciis diſſident Lectores, neqve omnium idem de rebus ſenſus eſt, hoc præſertim tempore, qvô plures ſunt librorum judices, qvàm lectores, & è lectoribus in lictores, ubiqve virgas & ſecures expedituros, multi degenerant. Deterrere etiam ab inſtituto poſſet, qvi nunc in ſimili argumento vaſtum molitur opus Bailletus, qvem multa eorum, qvæ jam pridem in privatis lectionibus adduxeram, occupaſſe non diffiteor: à me tamen hic ſuo loco notanda, ne qvis à me ſcrinia ejus compilata ſuſpicetur. Verum cum mei non eſſet res arbitrii, neqꝫ ab opere incepto manum retrahere mihi amplius eſſet integrum: telam hanc, qvam ſemel orſus fueram, pertexui; ita tamen, ut novum planè & multis modis auctius opus prodiret. Qvod etſi multo elaboratius enucleatiusqve dari poterat: neqve enim, qvam debebam poteramqve, aliis ſæpe

rebus

rebus diſtentus, impendi curam: erunt tamen in illis, utut ſubito calore effuſis, non pauca, qvæ juvare juventutis ſtudia poſſunt, in qvibus ſi non accuratiſſimi judicis, ſaltem boni judicis munere defungar. Scripta ſunt hæc planè eo, qvo Joachimus Fortius libros ſcribi volebat, modo. Qvæ hîc chartis illevi, vix interdum relecta, tabellario deportanda dedi; exſcripſit illa, ut à calamo venerant, Typographus. His ſæpè Academica & domeſtica negotia, curæ familiares ex obitu cariſſimæ Uxoris, valetudo non ſemper commoda, moras injecerunt; ut jam præcipitati, jam interrupti labores rigidiori examini & ulteriori limæ locum non reliqverint. Qvò factum etiam, ut non pauca vel à deſcribentis manu, vel mea etiam feſtinatione σφάλματα, fortaſſe etiam ἁμαρτήματα μνημονικά, qvibusdam in locis irrepſerint: qvæ nunc, extremam manum poſcentibus nundinis, non ſollicite adeò à me conſignari potuerunt. Totum Opus à me in *tres Tomos* tribuetur, qvorum primus Polyhiſtoris *Literarij*, ſecundus *Philoſophici*, tertius *Practici* titulo appellabitur. Nunc prima pars tomi primi, atq; adeò duo libri, Bibliothecarius & Methodicus in lucem prodeunt, qvos ceteri ſuo ordine & tempore ſeqventur; & qvidem in Polyhiſtore Literario liber Grammaticus, Criticus, Oratorius & Poëticus, in ceteris tomis reliqvæ Philoſophiæ partes. Scribendi, ut jam dixi, rationem ſecutus ſum non anxiam & ſcrupuloſam, judicio ad qvælibet verba ſuſpenſo, ſed ſua qvadam libertate vagam, nec certis vinculis adſtrictam. Sunt qvi etiam in rebus, qvæ ornari negant, doceri contentæ, ſingula verba periodosqve ad amuſſim vocant, numeroſa omnia & exaſciata volunt, nullam, qvæ Romanam civitatem non ſapiat, vocem admittunt, nihil alieni Scriptoris verbis, ſed ſuis exprimunt: ut ita libellum, tanqvam omnibus numeris abſolutam Paſicompſen, lectoribus ſuis ſiſtant, & velut in ſcenam aut orcheſtram producant. Has Ego formas earumqve ſpectatores non ſperno, qvin potius laudo, iisqve aſſurgo: eſt tamen, ubi vel incomptæ Veneres & paſſo capillo horridulæ ipsâ ſe negligentiâ commendant. Eſt ubi præ fucatâ Phryne, aliqva decoro vultu decolor

Sabina qvalis, aut peruſta Solibus
Pernicis uxor Appuli

non diſplicuerit. Malim & ego in didactico argumento ſermonem pulvere, ſed erudito oblitum, qvam ceruſsâ & pigmentis incruſtatum. Qvi majorem hîc à me ornatum deſideraverit, horrea me hîc ſtruere meminerit, in qvibus nemo marmoreas varioqve opere elaboratas columnas, nemo periſtylia & porticus, nemo parietes aulæis ſuperbos, ſed pro congerendis frugibus apta ſpatia reqvirat. Excurſus interdum tentavi, nec a ſcopo alienos, neqve viris doctis, ut puto, ingratos. Loca Scriptorum ſæpe integra adduxi, non ut chartas implerem; ſed iis ſubvenirem, qvi libris deſtituuntur, & pleniorem ex ipſorum Scriptorum verbis ſenſum excuterent lectores: Obſervavi, cum mea hæc relegi, nonnulla, qvæ fugerem ipſe vel carmen, vel orationem, ſcripturus. Nunc in

his ſubitis commentationibus æſtus meditantis & ſcribentis, addo & properantis, ſæpe abripuit verbis minus, qvam rebus intentum. Adeò in omnibus oculatum eſſe non licet; neqve, ut eſſem, multum laboravi. Vel ipſa libri inſcriptio *Manutij* cenſuram non effugerit, qvi auctoris vocem pro ſcriptore uſurpatam non probat. *Dubitanter* qvoqve eâ de re cenſet diligentiſſimus caſtigatæ latinitatis vindex *Cellarius*, qvi non niſi teſtis ſignificationem admittit. Sed dubitare nos vetat Livii locus l.2. c.8. qvi ita habet: *Apud qvosdam veteres Auctores non invenio Lucretium Conſulem :* ubi nullo alio qvam Scriptoris ſenſu vox illa accipi poteſt. Hugo Grotius (at qvantus Vir!) cum carmen ſcriberet, omnium poëtarum genium præclarus imitator exprimebat; Cum hiſtoriam conderet, cum Tacito in arenam deſcendiſſe viſus eſt. Idem tamen in Philoſophorum & JCtorum ſcholis omnia miſcuit, nec ſordidis verbis minusqve Latinis, ſed uſu ſcholaſtico receptis abſtinuit, ut planius loqveretur. Porrò & cum hiſtoriâ Scriptorum res ipſas junxi, qvarum cognitionem præ ceteris juventuti utilem credidi. Nam cum multa in his eſſent, qvæ ad integrorum librorum & diſſertationum argumenta deſignaveram; & vitæ ſumma brevis ſpes inchoare longas vetaret, rectius me facturum exiſtimavi, ſi in compendium hæc contraherem, qvæ profutura juventuti arbitrarer, qvam ſi incertæ elaborationis ſpe & me ipſum & alios fallerem, aut aliis illa, ut fieri ſolet, in prædam cederent. Ubi de exercitationibus ago, copioſior in exemplis fui, qvoniam è re juventutis, cui omnis mea opera dicata eſt, fore credidi, ſi illa paulo plenius proponerem. Qvâ in re à peritis & æqvis æſtimatoribus veniam me facilè impetraturum confido. In ceteris, ſi qvæ forte ſint, qvæ meam fugerint diligentiam, aut in qvibus, ut homines ſumus, & in re tam varia facillimum eſt, lapſus fuero, eos mihi judices velim, qvos ipſi eadem in trutina poſiti non recuſent. Mihi in omni hac commentatione prora puppisqve fuit juventutis Academicæ commodum, in qvo mihi, hâc in palæſtrâ conſtituto, advigilandum ſemper duxi. Qvod ſi & alii hanc induſtriam meam non adſpernati fuerint, & ad ſe qvoqve ejus fructus redundaturos exiſtimaverint, tanqvam ἕρμαιον arripiam, totumqve in lucro deputabo. Unum eſt, de qvo monitos eos velim, qvi aliorum damnis ſuas ædificare fortunas conſveverunt, ne Bibliopolæ, viro optimo, honeſtum qvod ex impenſis in hunc librum factis ſperat lucrum, novâ impreſſione per malam fraudem intervertant. Præterqvam enim, qvod â flagitio non abſit, falcem in meſſem alienam mittere, ampliſſimè cum facti, ſi auſus fuerit, pœnitebit, cum jam id agat, ut S. Cæſ. Maj. Privilegio adverſus hominum illorum ſe injurias muniat, damnumqve avertat. Vale Benevole Lector, conatibus noſtris fave, & ſi Deus vitam valetudinemqve largitur, ceteras etiam partes ſuo tempore exſpecta.

JOHANNIS MOLLERI,
FLENSBURGENSIS,
Scholæ Patriæ Rectoris,
In
DANIELIS GEORGII MORHOFII,
Viri Summi,
POLYHISTORIS
Tomos duos Poſtriores,
PHILOSOPHICUM ET PRACTICUM,
PRÆFATIO.

§. I.

Diu me, L. B., an duo hi *Polyhiſtoris* Morhofiani Tomi Poſteriores publico Orbis Literati, mea qualicunque opera, ſiſtendi eſſent conſpectui, ac *Polyhiſtori*, qui primum Operis Tomum conſtituit, *Literario* ſubjungendi, hæſiſſe ancipitem, & invitum ferme, aſſiduisque Bibliopolæ flagitationibus ægre exoratum, laborem hunc ſuſcepiſſe, haud diffiteor. Cum enim Muneris Scholaſtici Occupationes ne tantum quidem ſucciſivi mihi relinquant temporis, quod Scriptis propriis elucubrandis ſufficiat, ab alienorum publicatione merito abhorreo, talium præſertim, quale Opus hoc Morhofii eſt poſthumum, Editioni nec ab Autoribus ſuis initio deſtinatorum, nec idoneorum ſatis atque maturorum. Certe, quod ipſe Morhofius (*T. I. Polyhiſt., Lib. I., c. 2., §. 27., & c. 16. §. 5.*) de Commentariolo *de Univerſæ Eruditionis à N. C. propagatione* Conringiano, in argumento verſante haud diſſimili, ac Uratislaviæ nuper edito, tulit Judicum, eum *plane eſſe compendiarium, extemporalibus Autori ſuo natum Diſſertationibus, & multis acceſſionibus augendum*, in hunc etiam quadrat Polyhiſtorem, ac Tomos præſertim illius poſteriores. Primi enim Libros III. priores, a ſuperſtite editos, quatuor item reliquos, Lipſiæ, auſpiciis Carpzovianis, a Viro Docto ita, licet contra Voluntatem autoris ultimam, reformatos & interpolatos, ut novam plane faciem induerint, iſtis & accuratiores longe eſſe, & pleniores, αὐτοψία demonſtrat. Totum ſcil. hoc Opus natales ſuos Prælectionibus debet Academicis, privatim Kilonii, in Studii hiſtoriæ Literario-Librariæ Tyronum gratiam, aliquoties inſtitutis, quas ipſummet nunquam in chartam conjeciſſe, ſed omnia e penu Memoriæ, Librorum, ſecum allatorum, ſubſidio interdum ſublevatæ, depromſiſſe, & Auditoribus, ſermone, ob impares horum in Linguæ etiam Latinæ cognitione profectus, humili ac intellectu facili, ad calamum dictaſſe, quotquot iſtis interfuere, poterunt teſtari. Qualibus in Acroaſibus, ſive Collegiis, quæ

 vocant

vocant, Academicis, cum à docentibus ad captum potius Auditorum, quam doctrinæ accurationem, ſoleat reſpici, & *Principium* inſuper plerumque *ferveat*, *medium tepeat*, *ultima frigeant*, in Morhofianis etiam hiſce Recitationibus, præſertim, ubi ad finem paulatim declinant, & ad σωματοποίησιν ac perfectionem Operis complura deeſſe, & ubique, nec parem obſervari accurationem, nec ſtylum ſatis eſſe caſtigatum, nemo mirabitur, vel Autori vitio poterit vertere. Poſthuma enim ille hæc ſua manum & limam non experta ultimam, iisdem facile verbis excuſabit, quibus Diſſertationes ſuas *de Orbis univerſi Rebuspublicis* Academicas, per Phil. Andr. Oldenburgerum, ſub *Theſauri Rerump.* Titulo, ignaro ſe atque invito, editas, adverſus Cenſuras easdem, in *Admonitione* de iis peculiari, Herm. Conringius, Germanorum ſuæ ætatis doctiſſimus, A. 1675. vindicavit: *Nihil horum calamo a me fuit conceptum, - - omnia ex tempore, & ſolius memoriæ beneficio, diſſertata ſunt. Quoniam vero Captus Auditorum, tanto in promiſcuo numero, multum diverſus, univerſi autem juvenilis ætatis eſſent, & ſatis induſtrii quidem, tyrones tamen: hinc officii mei eſſe duxi, ita temperare ſemper ſermonem, ne vel illi audiendo, vel ego verba faciendo, operam perderemus. Itaque ego quidem ſemper continere me coactus fui infra rerum ſublimitatem, interque anguſtos limites, ad prolixiora autem & majora quæque digitum duntaxat intendere. Quotiescunque vero, ut fieri ſolet, ne ſic quidem omnes me ſatis aſſequi obſervabam, repetenda mihi eadem ſubinde fuerunt, idque aliis atque aliis verbis, pro meo in docendo nunquam non uſitato more. Nec enim licuit in extemporaneis illis Diſſertationibus elegantiam Latini ſermonis affectare, quinimo exiſtimavi, ſufficere, ſi perſpicue omnia auribus juvenilibus proponerentur. - - Enimvero cruda iſthæc omnia erant, non abs me ipſo calamo tradita, ſed ad captum & uſum eorum tantum, qui præſentes me audiebant, quorum nemo non juvenis, & hactenus ejusmodi rerum rudis, compoſita & accomodata. Qualia ſua nemo ſani cordis ſolet publicare.* Sed nec Conringiano Operi huic opus eſt patrocinio, ad cujus nævos palliandos atque excuſandos Lectores cordatos vel ſola illa, quæ Autor ipſe *Tomi I.* inſeruit Procemio, Apologemata facile permovebunt.

§.II. At, inquies, ſi poſthuma hæc talia erant, Editionem illorum Autorem moribundum non debuiſſe permittere, ſed haud eadem, quæ Tyronibus, Orbi etiam Erudito & Poſteritati convenire, poſthumasque Scriptorum ſimilium, à J. Henr. Bœclero, Aug. Buchnero, aliisque Viris doctis, relictorum, Publicationes, in ipſo etiam hoc *Polyhiſtore*, a ſe paſſim eſſe improbatas, memorem, ſerio potius, cum Conringio, impedire atque prohibere, imo Maronis exemplo, Labores hujusmodi affectos, nec limam ullam paſſos, igni addicere. Verum enimvero, Autori, ſi vel maxime in Fœtum hunc ſuum, immaturum quidem, nec ſatis exaſciatum, ſed ob plurimas tamen Obſervationes in Scientiis ſingulis præclaras, & vel ſola Judicia de Autoribus omnis generis accurata, ſummo in pretio habendum, rigidiori ſævire ſententia, in Voluntatis ultimæ Tabulis, voluiſſet, neutiquam illud fuiſſe integrum, ſi in Operis conditionem ac Fata accuratius inquires, facile obſervabis. Libri Tomi Primi priores,

res, ab Autore recenſiti, caſtigati ac locupletati, ipſo ſuperſtite, jam prodierant. Horum, ſummo cum applauſu ab Orbe Literato exceptorum, Continuationem, etſi haud æque accuratam, cum ſperari talis ab Autore valetudinario vix poſſet, non Bibliopola ſolum, quocum de toto Opere publicando erat tranſactum, jure velut ſuo exigebat, ſed Lectores etiam numeroſi, & hos inter Viri complures Eruditiſſimi, quibus ſalivam illi moverant, velut Ἐϱγοδιώκται aſſidui, cupide, & tantum non importune, efflagitabant. Quibus etſi Autor, rigidus certe ſuorum Cenſor, cum triennio poſt Primitias Operis luce donatas publica, Lubecæ morbo decumberet fatali, morem gerere noluiſſet, verendum tamen erat, ne, quod Conringio ſuperſtiti, ipſi poſt fata accideret, Sociique Lucripetæ, aut alii Prælectionum ſuarum MSStarum, per omnem jampridem divagantium Germaniam, Poſſeſſores imperiti, è mendoſo eas exemplo, *erratis plurimis & vitiis, tam rerum ipſarum, quam ſermonis, haud tolerandis, fœdatas* imo mancas quoque forſan ac mutilas, aut centonibus alienis interpolatas, vel ſuis in Orbis Eruditi conſpectum protruderent ingratiis. Quale fatum ſiniſtrum ejus *de Epiſtolis conſcribendis*, *Argutiarum diſciplina*, aliisque Argumentis, Commentationes, ob importunitatem Tenebrionum quorundam temerariam, effugere non potuiſſe, nemo ignorat. His ille cauſis, & amicorum precibus, adductus, Bibliopolæ Lubecenſi moribundus, Partes Operis reſiduas, ab Homine Erudito accurate prius reviſas atque emendatas, è MSStis evulgandi poteſtatem quidem conceſſit, ſed diſerte ſimul ceu Amici, qui morienti adfuerunt, teſtantur Lubecenſes, ne quid alienum Laboribus ſuis admiſceretur, interdixit. Quod mandatum ejus ultimum, cur à Viro docto, qui, Frid. Bened. Carpzovii, Peireſcii Germanici, auſpiciis, *Libros IV. Tomi I.* poſteriores, ſatis alioquin dextre & accurate, futuræ præparavit Editioni, ſit neglectum, & plurima Autoris Textui Additamenta, imo integra Capita, egregia quidem omnia & luculenta, ſed ſeorſim tamen rectius adjicienda, absque ullo ſigno διακϱιτικῷ, quid Morhofio, quidve ipſi debeatur, edocente, temere immiſta, cauſam me juſtam videre nullam, in Operis totius *Prolegomenis* jam monui.

§. III. Ego, cui religio fuit, hac in parte à Voluntate Autoris ultima diſcedere, cum à Bibliopola, ut curam novæ hujus Operis integri Editionis in me ſuſciperem, ægre licet, eſſem perſuaſus, *Tomum Primum Literarium*, dimidia ſui parte jam ante editum, reliqua autem hactenus ἀνέκδοτον, qua par erat accuratione, perlegi, a mendis, partim Typographicis, partim Graphicis, repurgavi, & in Paragraphos diſtinctum Capitum Summariis (quæ ſoli Libri IV. poſteriores exigebant) inſtruxi, *Hypomnematisque* pauculis *Hiſtorico Criticis*, ac Prolegomenis de Autoris Vita, in Literas Meritis, Scriptisque omnibus, & hoc praſertim Comm. Polyhiſtorico, prolixioribus, illuſtravi. In Tomis duobus, qui primum jam ſequuntur, Poſterioribus, *Philoſophico & Practico*, recenſendis, longe plus laboris fuit exantlandum, moleſtiæque devorandum. Cum enim Apographum Lectionum *de Autorum Notitia* Academicarum, quod Morhofius (cujus nullum ſupereſſe Αὐτόγϱαφον jam monui) in ſuos de-

ſcribi uſus a Studioſo curaverat, & non niſi paucis in locis ἰδιόχειρι correxerat, mihi transmiſſum, longe eſſet mendoſiſſimum, ter quaterve illud mihi quam accuratiſſime fuit perlegendum, & tam cum Codicibus MSStis earundem aliis, quam cum *Prælectionibus* Autoris *Polyhiſtoricis*, in eodem verſantibus argumento, ſedulo conferendum. In hac collatione occupatus, Sphalmata Scribæ innumera, tum alia, tum Orthographica præcipue in Nominibus Autorum propriis, turpiter depravatis, quæ ceteris erant crebriora, ſuſtuli, Solœciſmos, qui incuria ejusdem paſſim irrepſerant, Syntacticos emendavi, Lacunas aliquot e MSS. aliis ſupplevi, & Cognominibus Scriptorum, quæ ſæpiſſime ſola allegabantur, Prænomina adjeci. Textum deinde Librorum, Sectionum Capitumque ſingulorum, in Paragraphos diſtinxi, brevibusque inſtruxi Lemmatis ſive Summariis, & Additamenta Autoris propria (mea enim nulla Textui ſunt admiſta,) quæ vel in Margine manu ejus inveniebam annotata, ac præ ceteris minoris pretii Obſervationibus (in MSSta hæc, ceu Locos quosdam Communes, congeſtis) luce digna judicabam, vel e *Prælectionibus*, uti ipſemet juſſerat, ſeligi poterant *Polyhiſtoricis*, locis ſuis inſerui. Quæ non pauca eſſe, totumque *Librum Tomi II. Tertium* Ματαιότεχνον, de Artibus Divinatoriis ac Magia (quarum nulla in *Lectionibus de Notitia Autorum* occurrit Hiſtoria, in ſolis obvia *Polyhiſtoricis*) breviter diſſerentem, his accenſendum, MSti utriusque Poſſeſſores Αὐτοψία docebit. In Locum *Libri Secundi* Tomi ejusdem, ſive *Polyhiſtoris Phyſici*, qui, Ματαιότεχνον præcedens, CampumDiſciplinæ hujus, Philoſophicarum omnium præſtantiſſimæ & jucundiſſimæ, ampliſſimum, præcipuis tantum aliquot illius Scriptoribus obiter recenſitis, Judiciisque de iſtis e *Naturali* excerptis ac repetitis *Hiſtoria*, paucis emetiri velle videbatur paſſibus ipſam illam, Bibliopola ſic volente (ego enim ſeorſim edi maluiſſem) ſubſtitui *Hiſtoriam Naturalem*, Opus bipertitum prolixum, nec eruditum ſolum, ſed &, in Cauſis Phænomenorum Naturalium veſtigandis, perquam ingenioſum. Quod, ab Autore duobus diverſis, ſolius itidem memoriæ beneficio, propoſitum Collegiis, eodem, quo reliqua, ſtudio revidi, contuli, emendavi, Autorum Prænominibus auxi, in Paragraphos diſtinxi, Summariis exornavi & e *Prælectionibus de Notitia Autorum* ac *Polyhiſtoricis* pauculisque Morhofii ipſius Notis marginalibus ἀυτογράφοις, hinc inde ſupplevi & locupletavi. Exhibentur tibi proinde, L. B., unico hoc Volumine, τοῦ πάνυ Morhofii, tum *Polyhiſtor* integer, aliis ad Πολυϊςορίαν Viam oſtenſurus regiam, tum *Hiſtoria Naturalis*, Methodo Eclectica, genioque Seculi noſtri, in Phyſicis perquam curioſa, ſed in Magiſtri nullius verba juranti, congrua, dexteritate ſingulari concinnata, Opera, non quidem omnibus numeris abſoluta, & juſta, quam ſuperſtes adhibiturus fuiſſet, accuratione exaſciata, ſed publica tamen luce, ob plurima, quibus ſcatent, praclare monita, & ſolerter obſervata, nihilominus digniſſima. Quibus uti meum nihil immiſcui, ita privata aliquot Dogmata, Phyſica præcipue (de Anima ſc. Mundi, Transmutatione Metallorum, &c.) & ſingularia de Scriptoribus nonnullis Judicia, paucorum forte applauſum meritura, magnamque partem nimio, quo flagrabat,

grabat, Chymiæ Secretioris ſtudio imputanda, Autori me ſuo relinquere, nec patrocinium illorum ſuſcipere, profiteor. Quæ, in Bibliopolæ ac Tyronum Hiſt. Lit. gratiam, ſeorſim adjeci *Hypomnemata* paucula *Hiſtorico-Critica*, partim lapſus Autoris Hiſtoricos modeſte emendant, ac ea, de quibus dubitavit, confirmant aut refellunt, partim Librorum aliquot Hiſtoriam, ubi neceſſum id videbatur, uberiorem, novasque & præſtantiores Editiones, ac adverſarios recentiores, ſuggerunt, quos velut ἀνεκδότους, ille laudavit, in lucem poſtea prodiiſſe oſtendunt, atque ἀνωνύμων, aut ſine Autorum nominibus allegatorum, Parentes veros detegunt, partim denique alias ſiſtunt Obſervationes, Locis quibusdam lucis nonnihil fœneraturas. Uberiora totius Operis Supplementa, ipſum illud, ſi Autorum allegatorum Hiſtoriam accuratius perſequantur, ceterosque mentione dignos adjungant, mole ſuperatura, quæ mihi, ob temporis penuriam, cauſasque alias, addere nec libuit, nec licuit, unicuique, cui neceſſaria ea videbuntur, attexere per me eſto integrum. Exſtant Scriptores, e quibus magnam ea partem depromi poterunt, in quolibet Scientiarum & Literarum genere Iſagogici & Bibliothecarii non pauci, partim ab ipſo jam laudati Morhofio, partim vero præteriti, aut poſt fata demum illius ſua edere aggreſſi, e quibus, Recentiſſimis inprimis, potiores, aliisque præferendos, Tyronibus obiter commendari, forſitan haud erit inutile.

§. IV. *Sic Polyhiſtoris Literarii Libro I. Bibliothecario* augendo atque illuſtrando, præter X. Indices, Phil. Labbei *Bibliotheca Bibliothecarum*, ab Ant. Teiſſierio auctæ, ſubjunctos, inſervient, quæ, de omni re & Hiſtoria Literaria, Val. Henr. Voglerus, *in Introd. in Scriptorum omnis generis bonorum notitiam*, Henr. Meibomius Jun., in *Acceſſionibus* illi A. 1691. adjectis, & cum novo Augmento A. 1700. recuſis, Adr. Bailetus in *Judiciorum de Eruditis* Gallicorum *Tomis II.* prioribus, & noviſſime, hoc ipſo Anno 1704. Burch. Gotthelfius Struvius, in *Introd. ad Notitiam rei Literariæ*, in ſupplementum Libri hujus Morhofiani ſcripta, congeſſerunt. Bibliothecarum Hiſtoriam, poſt Scriptores Autori laudatos, & cum aliis, a J. Joach. Madero ac J. Andr. Schmidio in unum Syntagma congeſtos, luce aliqua Caſp. Sagittarius in *Notitia Bibliothecarum* ἀνεκδότῳ, & Struvius, tum *in Ep. ad Chriſtoph. Cellarium* peculiari, An. 1696. edita, tum *Introductionis Capite I.*, perfuderunt. MSStorum notitiam accuratiorem, oſtenſa Scripturæ illorum Seculis diverſis diverſitate, Joh. Mabillonius in eximio *de re Diplomatica* dedit Opere, &, qui in eodem jam verſari Argumento traditur, Joh. Burch. Menkenius, Hiſt. in Acad. Lipſ. Profeſſor, pari diligentia porro excolet. MSStorum Ævi veteres Catalogos, poſt Poſſevinum, Thomaſinum, Labbeum, Lambecium, Spizelium, aliosque Cap. VII. recenſitos, è Biblioth. Cæſarea Dan. Neſſelius, Lambecii Succeſſor, ex Anglicis & Hybernicis omnibus Edu. Bernhardus, e Cantabrigienſi & Oxonienſi Thom. Jameſius, e Cottoniana Londinenſi Thom. Smithus, e Belgicis Aub. Miræus, Ant. Sanderus & Franc. Swertius, ſimiles autem ἀνεκδότων recentiorum Theod. Janſonius hujusque *Bibliothecæ Latentis & Promiſſæ* Continuator, Rud. Mart. Meelführerus, publicarunt.

De Libris damnatis ac prohibitis, illorumque Indicibus, præter Th. Raynaudum & Gabr. Putherbeum (*c. 16. §. 28.* allegatos,) conſulendi Jac. Gretſerus, Jeſuita, Indicum illorum Patronus, in *Tr. de Jure & more Libros Hæreticos & noxios prohibendi, expurgandi & abolendi* (Ingolſt 1703. *in 4.*,) eorundemque è Proteſtantibus Adverſarii, Dan. Francus in *Tr. de Indicibus Libr. prohibitorum & expurgandorum Papiſticis* erudito (Lipſ. 1684. *in 4.*) & Caſp. Löſcherus *in Schediaſm. de Hæreticorum in Scriptores Publicos, præcipue Patres, Latrociniis* (Martisb. 1674. *in 4.*) Anonymis & Pſeudonymis larvam detraxerunt J. Rhodius, Pet. Scavenius, Frid. Geislerus, & Vinc. Placcius, qui trium illorum Schedas breviores Tractatui ſuo, Hamburgi A. 1647. edito, adjunxit & immiſcuit, Curasque hujus argumenti ſecundas, ingenti comprehenſas Volumine, Gerhardo a Maſtricht, Syndico Bremenſi (quem ipſummet tale Opus moliri à Struvio, *c. 4. Introd. p. 168.*, perperam traditur,) publicandas moribundus reliquit. Spicilegia poſt meſſem Placcii, aut Symbolas, Operi ejus majori augendo inſervituras, dedere poſtmodum Joh. Deckherus (in *Conjecturis de Scriptis Adeſpotis, Pſeudepigraphis & Suppoſititiis*, tertia vice Amſt. A. 1686. recuſis,) Paulus Vindingius & Pet. Bælius (in Epiſtolis Libello Deckheriano adjectis,) J. Frid. Mayerus (in *Diſſ.* ad Placcium *Epiſtolica*, Hamb. 1689. *in 4.*,) Joh. Pet. Jac. Villanius, ſive Angelicus Aproſius, Italus (*en la Viſiera Alzata*, Parmæ 1689. *in 12.*,) Joh. Alb. Fabricius (in *Decade Decadum, ſive Plagiariorum, & Pſeudonymorum Centuria*, Halæ 1689. *in 4.*,) & noviſſime Adr. Bailetus (in Tr. Gallico *des Auteurs Deguiſez*, &c., Pariſ. 1690. *in 12.*,) Rob. Coci, Andr. Riveti & Joh. Dallæi, de Patrum Pſeudepigraphis Labores taceo. Scriptorum Homonymorum, & Confuſionis illorum, Hiſtoriæ Specimen aliquod, una cum Autorum, qui certorum quorundam Prænominum aut Cognominum Viros Eruditos celebrarunt, Indice, mea A. 1697. exhibuit *Homonymoſcopia Hiſtorico-Critica*. *De Impoſtoribus doctis* Diatriba exſtat B. G. Struvii, Jenæ A. 1703. edita, Plagiarios complures, poſt Steph. Forcatulum & Jac. Thomaſium, Furti coram Orbe Erudito Literarii Theod. Janſonius (*in Opuſculis* Miſcellis, Amſt. 1686. *in 8.*) & J. Alb. Fabricius, modo laudatus, inſimularunt, excuſare autem quodammodo, ſed haud feliciter, in *Tentamine de Plagio Literario*, Halæ Sax. A. 1701. aggreſſus eſt Joh. Conr. Schwartzius. Libros Ethnicorum Myſticos, de quibus ſeorſim nemo egit, Hiſtoriæ ſingularum Gentium Philoſophicæ Scriptores *T. II. L. I.* enumerati, Judaicos, ſive Cabaliſticos, J. Franc. Buddeus, in eleganti *ad Philoſ. Hebr. Introductione* (Halæ 1702. *in 8.*,) Chriſtianos autem Gothofr. Arnoldus, in *Theologiæ Myſticæ Hiſtoria* (Francof. eod. A. 1702. *in 8.*) Gallusque Anonymus (Pet. Poiretus, ni fallor) in *Ep. de Scriptorum Myſticorum præcipuorum Principiis & Characteribus*, iſti ſubjuncta, recenſuerunt. Chymicorum notitia, non è Pet. Borelli *Bibliotheca* illorum, Heidelbergæ A. 1656. recuſa, futili plane & Rhapſodica, ſed ex Ol. Borrichii *de Ortu & Progreſſu Chemiæ Diatriba, Sapientia Hermetis & Ægyptiorum Vindicata*, & *Conſpectu Scriptorum Chemicorum*, Morhofii *de Transmut. Metall* Epiſtola Herm. Conringii *de Medicina Hermetica Libris*, Mich. Mayeri *Symbolis Menſæ XII. Nationum*

num Aureis, Thomæ Reineſii *Chymiatria*, & noviſſimo Celebriorum Scriptorum Chymicorum Syntagmate Genevenſi (Borrichii etiam *Diatribam* & *Conſpectum*; cum *Epiſtola*, exhibente, Morhofiana,) quod, ſub *Bibliothecæ Chemicæ Curioſæ* titulo, J. Jac. Mangetus A. 1702. (*in fol.*) edidit, eſt haurienda.

§ V. Hiſtoriam Societatum Literariarum omnium Gotfr. Vockerodius, Gymn. Gothani Rector, A. 1687. eſt aggreſſus, ſed præter *Introductionem* eruditam, & *Sect. I. de Societatibus Antediluvianis*, Jenæ excuſas, nihil hactenus edidit. Solam jam Europæarum, trecentis plurium, Hiſtoriam Chriſt. Junckerus, Athenæi Schleüſingenſis Conrector, a ſe jubet expectari. Scriptores plerique, de Academiis, tum univerſis in genere, tum ſingulis ſpeciatim, commentati, a Caſp. Thurmanno in *Bibliotheca* enumerantur *Academica*, Halæ A. 1700. edita, ſed haud ſatis accurata, & Spicilegium aliis relinquente non exiguum. *De Ephemeridibus Eruditorum* modernis lectu dignum eſt *Schediasma Hiſtoricum* Chriſt. Junckeri, Lipſiæ A. 1692.(*in 12.*) excuſum, cujus donec Editio locupletior prodeat, de Diariis Anno 1692. recentioribus Henr. Meibomii *Additamenta ad* Vogleri *Introd.*, A. 1700. recuſa, & B. G. Struvii *Cap. III. Introd. ad Notit. Rei Lit.*, conſuli poterunt. Quorum poſtremus de Judiciis etiam & Fragmentis Virorum Celebrium Poſthumis, ad *Scaligerianorum, Thuanæorum* & *Perronianorum*, exemplar catervatim nuper edi cœptis, nec non de Bibliothecis Univerſalibus, & Hiſtoriæ ſingularum Gentium, Regionum ac Urbium, Literario-Librariæ Scriptoribus (in *Apparatu* noſtro *ad Notitiam Rëip. Lit. Geographicam* plenius atque accuratius olim recenſendis,) *Capite IV.*, complura Morhofio, vel præterita, vel ignota, congesſit. Biographorum, qui in Vitis ſingulorum Virorum Doctorum deſcribendis fuere occupati, indicem, in *Catalogo Catalogorum*, dedit Ant. Teiſſierius, ſed imperfectum valde, & neutiquam accuratum. Fœminas Eruditas, præter J. C. Capaccium, Jac. Thomaſium, J. Bapt. Fregoſum, & Ott. Sperlingium (cujus MStum, mihi lectum, luce digniſſimum eſt publica), a Morhofio laudatos, Veteres item, Philochorum Athenienſem, Appollonium Stoicum & Charonem Carthaginenſem, jamdudum deperditos, e Recentioribus celebrarunt Joh. Boccatius, Jac. Phil. Bergomenſis, Andr. Tiraquellus, Paulus de Ribera, Franc. Auguſt. de Chieſa, Joh. Beverovicius Hilarion de Coſte, Franc. de Grenailles, Joh. Fronto, Joh. Herbinius, Joh. Paſchius, Chriſt. Junckerus, ſpeciatim autem Germanicas Magnus Dan. Omeiſius, & Chriſt. Franc. Paulinus, Danicas Matth. Henr. Schachtius, Hiſpanicas Joh. Pereſius Moya, Theologas Joh. Andr. Schmidius, Hæreticas & Fanaticas idem Schmidius ac Joh. Henr. Feuſtkingius, Medicas Joh. Ulr. Meurerus, Philoſophas Æg. Menagius & Joh. Esbergius, Poetrias Laur. Legatus & Seb. Kortholtus. De quibus, ſicut & Marci Zuerii Boxhornii, Lud. Jacobi a S. Carolo, Vinc. Placcii, Er. Franciſci, Georg. Matth. Königii, Corn. a Beughem & Guyoneti, Operibus ejusdem argumenti ineditis aut promiſſis, locus dicendi ſe alibi forte offeret commodior. Sic & Juvenes Puerique Ingenii præcocis Eruditi Adr. Bailetum, in Tr. Gallico *des Enfans devenus celebres par leurs études ou écrits* (Pariſ. 1688. *in 8.*), Seb. Kortholtum, in

Tr. de

Tr. de Eruditis Præcocibus, a Baileto, omiſſis, brevi prodituro, ὀψιμαθεῖς eundem Kortholtum in *Diſſ.* Kilonienſi *de Studio Senili*, A. 1701. edita, Principes autem Eruditi, (quorum, ſicut & Cardanalium, Bibliothecas Lud. Jocobus a S. Carolo, Labbeo teſte, moliebatur integras, *Pontificiæ*, a ſe editæ, geminas) Val. Ern. Löſchernm in *Bibliotheca Purpurata*, ſeu Specimine ejus brevi Academico (Witeb. 1698.,) Geörg. Henr. Götzium in Triga Schediasmatum *de Principibus Concionatoribus*, *Græceque & Hebraice doctis*, nuperorum, & Sam. Reyherum *in Diſſ. de Rege Mathematico* (Kil. 1674.), nacti ſunt Encomiaſtas. De fructu Hiſtoriæ Bibliothecariæ Henr. Meibomius, in *Proleg.* Acceſſionum ſuarum ad Vogleri *Introduct.*, eleganter diſſeruit. Inventa Seculi noſtri, præter J. Joach. Becherum, collegerunt, & magnam partem antiquioribus poſtliminio vindicarunt, Theod. Janſonius in *Tr. de Inventis Medicis Novantiquis* (Amſt. 1684. *in 8.*), & in *Rerum Inventarum Onomaſtico*, *Opuſculis*, A. 1686. publicatis, inſerto, Chriſtoph. Wegleiterus, Theol. Altorfinus, in *Or. de palmariis Seculi noſtri Inventis*, Ann. 1679. habita, Georg. Paſchius, Philoſophus Kilonienſis, in *Tr. de Curioſis hujus Seculi Inventis*, *quorum cultui accuratiori facem prætulit Antiquitas*, Editione ſecunda auctiori Lipſiæ Anno 1700. publicato, & Corn. à Beüghem in *Syllabo recens in re Medica*, *Phyſica & Chymica*, *exploratorum*, Amſt. A. 1696. (*in 12.*) edito, ſed ex Ephemeridibus tantum modernis Medico-Phyſicis, Indicis inſtar, ſine delectu, congeſto. De Epiſtolographis tandem, quos Ultima *Libri I.* Capita recenſent, conferri cum hiſce poſſunt Rol. Mareſii *Epiſtola I. Libri Secundi*, Henr. Meibomii *Additt. ad Introd. Vogleri*, *p. 145-155. 179. 180.*, Magni Dan. Omeiſii *Commentatio de Scriptoribus Epiſtolicis Latinis*, *Proluſionibus Academicis*, Altorfii A. 1677. (*in 12.*) editis, adjecta, Ad. Rechenbergii *Schediasma de Epiſtolarum Virorum Clar. & illuſtrium Uſu*, Lipſiæ A. 1693. publicatum, Joh. Franc. Buddei *Diſſ. de aucta, per recentiſſimas Epiſtolarum Collectiones, Re Literaria & Eccleſiaſtica Præliminaris* nupero *Epiſtolarum Lutheri Supplemento* A. 1703. præfixa, B. G. Struvii *Introd. ad Notit. Rei Lit.*, *c. 4 p. 184-190.*, ipſiusque Morhofii *Cap. I. Libri 1. de conſcribendarum Epiſtolarum ratione.*

§. VI. *Libro Tomi I. Secundo*, ſive *Methodico*, Supplemata ſuggerent Struvii, toties jam laudati, Prolegomena *de formandorum Studiorum Scriptoribus*, Bapt. Gvarini *de ordine docendi & ſtudendi Libello*, Jenæ A. 1704. a ſe nuper recenſito, præfixa; *Tertio* autem, ſeu *Paraſcevaſtico*, Vinc. Placcii Caput *Libri de Arte Excerpendi*, A. 1689. editi, Primum, Scriptores hujus Argumenti univerſos, Judicio de ſingulis adjecto, enumerans. Linguarum, ac Scriptorum in ſingulis Grammaticorum, Claſſicorum, aliorumque, Hiſtoria, *Libro IV.* propoſita, ſuos itidem habet, è quibus ulterius illuſtrari poſſit, Autores. E quibus, Orientalium Amaſiis J. Henr. Hottingeri *Bibliotheca Orientalis*, Heidelb. A. 1658., & Aug. Pfeifferi *Introductio in Orientem*, Witeb. A. 1670. edita (cui & *Criticam* ejusdem *Sacram*, ac *Conſultationem de Lexici Biblici Ebræo-Chaldaici novi editione Epiſtolicam*, Dresdæ A. 1679. excuſam, jungere licebit,) commendari præſertim merentur. De Linguæ Græcæ Scriptoribus antiquis,

Antiquis, in IV. Ætates, totidem Anni temporibus comparatas, digeſtis, Paulus Vindingius, Helleniſimi in Acad. Hafnienſi Stator, in *Vere & Æſtate Linguæ Græcæ*, A. 1693. & 1699. publicatis, cœpit commentari, *Autumnum* iſtis & *Hyemem* haud dubie ſubjuncturus, uberius autem diſſeret *Bibliotheca Græca* Joh. Alb. Fabricii, Polyhiſtoris Eximii, quam, poſt Joh. Meurſium, Leonem Allatium, Joh. Conr. Dietericum, Phil. Labbeum, Humphr. Hodium & Henr. Chr. Henninium, ſimile quid, ſed absque ſucceſſu, molitos, a ſe jubet expectari. Editionem hujus accelerari optant, quotquot Muſas mecum depereunt Argolicas, & e politiſſima *de Lexicis Græcis Diſſertatione*, *Decadi Decadum* A. 1689. ſubjuncta (quam in Librum itidem transformabit integrum), quid ab eo in hiſce Literis expectandum, jampridem cognoverunt. Grammaticorum & Didacticorum Græcorum Joh. Conr. Dietericus, in *Specillo Chreſtomathiæ Græcæ*, A. 1649. edito, agit Cenſorem. Sermonis Latini Grammaticorum & Philologorum Notitia uberior e G. Joh. Voſſii *Ariſtarchi Libro I.*, & *Tr. de Philologia*, Lexicographorum ex Ol. Borrichii de iſtis Diatriba, Scriptorum autem Claſſicorum e Caſp. Barthii Commentatione, *Lib. 50. Adverſ. c. 9.* obvia, & *Apparatui* quoq; *Philologico* Joh. Mich. Dilherri inſerta, Caſp. Scoppii *de Scholarum & Studiorum ratione Conſultationibus*, Henr. Jul. Scheurlii *Statua Mercuriali*, Ol. Borrichii *Cogitationibus de Ætatibus L. Lat.*, & *Præſtantiorum ejus Scriptorum Conſpectu*, ac Joh. Alb. Fabricii *Biblioth. Latina*, in ipſo jam, ni fallor, *Polyhiſtore* commendatis, iis item Autoribus, qui de Hiſtoricis, Oratoribus, Epiſtolographis Poetisque Latinis, ſeorſim ſunt commentati, eſt haurienda. Phil. Caroli *Bibliotheca Romana*, cujus Editionem Chriſtoph. Arnoldus A. 1663. in *Præfat. Animadverſionum* ejusdem *in A. Gellium.*, promiſit, Altorfii etiamnum, teſte Meelführero, in Biblioth. Omeiſiana latet ἀνέκδοτος. In Criticos, *Lib. V.* ſibi vindicantes, Caſp. Scioppius, in *Diſſ.* de iis *Commentariolo de Arte Critica* præfixa, in horum vero Comites, Antiquarios (quorum Phil. Labbeus, in *Mantiſſa Antiquaria*, tantum egit Nomenclatorem), Romanos præſertim, Joh. Georg. Gravius, in Tomorum ſui *Antiquitatum Romanarum Theſauri* ſingulorum Prolegomenis, & B. G. Struvius, in *Syntagmatis Antiqq. Rom. Quadripartiti* (cujus ſola hactenus *Pars I. de Ritibus Sacris* Jenæ A. 1701. prodiit) Prooemio, Criſin dextre ſatis exercuerunt. Nec contemnenda eſt ejusdem Struvii *Bibliotheca Numiſmatum Antiquorum*, ibidem A. 1693. (*in 12mo*) excuſa, in qua Studii hujus Cultoribus, poſt Phil. Labbeum (*in Biblioth. Nummaria*) & Car. Patinum (*in Introd. ad Hiſtoriam Numiſmatum*), viam ad Adyta ejus commonſtravit regiam. Quæ *Liber VI.* de Oratoribus ac Rhetoribus habet profanis, e Lud. Creſollii *Theatro Veterum Rhetorum ac Oratorum*, & Gerh. Joh. Voſſii *Lib. de Rhetoricæ Natura*, *deque antiquis Sophiſtis, Rhetoribus & Oratoribus*, Autori jam laudatis, lucem ulteriorem deſiderant. Inſcriptionum modernarum Artifices Chriſt. Weiſius *Libro I.* ſui de iſtis Syntagmatis, Jenæ A. 1688. (*in 8.*) impreſſi, Oratores autem Sacros Lud. Bailius, in *Bibliotheca Concionatorum*, Paraſiis A. 1666. publicata, celebrarunt. Poetæ, quorum Recenſui Critico *Liber VII.* eſt dicatus, tot invenere Nomenclatores, Encomiaſtas, Cenſores,

ut vel ſola horum nomina brevitatis ſtudioſo recitare vix liceat. Ne quid enim dicam de Scriptoribus hujus argumenti Vetuſtioribus, Tricenarium excedentibus numerum, jam deperditis, e Recentioribus Poetas Græcos Antiquiores celebrarunt Pomp. Gauricus, Lil. Greg. Gyraldus, G. Joh. Voſſius J. Pet. Lotichius, Tanaqu. Faber, Laur. Craſſius, Baſil. Kennetus, Ren. Rapinus, Ol. Borrichius, Adr. Bailetus, Joſ. Barberius & Georg. Matth. Königius, Latinos autem Veteres, præter Gyraldum, Voſſium, Lotichium, Rapinum, Borrichium, Bailetum, & Königum, jam laudatos, Pet. Crinitus, Cæſ. Scaliger., Honor. Domin. Caramella & Phil. Brietius. De Poetis Latinis Recentioribus in univerſum commentati ſunt iidem, qui de Antiquis, Gyraldus, Lotichius, Caramella, Rapinus, Borrichius & Königius, de Vernaculis autem Linguarum Europæ Vulgarium, præter Borrichium ac Bailetum, Morhofius noſter Parte Scripti *de Lingua & Poeſi Germanorum* Germanici Secunda. Solos Italos Recentiores, vel Latinos, vel Vernaculos, vel utrosque, celebrandos ſibi ſumſerunt Alex. Ziliolus, Hartm. Scopperus, Nicol. Francus, Apoſtolus Zenus, Joh. Franc. Lauredanus, Laur. Craſſus, Laur. Legatus, nuperrimusque Poeſeos Vulgaris Hetruſcæ Vindex, Joh. Marius Creſcimbenus, ac, qui circa Dramaticos occupatus tantum fuit, Leo Allatius. Simili inſtituto Poetas deprædicarunt Hiſpanos Lupus Felix de Vega; Arragonicos Joh. Franc. Andr. Uztarrozzius; Gallicos Henr. de Mesmes, Gvilh. Colletetus, & Anoymi duo, qui Selectiorum Poematum atque Epigrammatum Vernaculorum Collectiones Lutetiæ A. 1692. & 1698. publicarunt; Provinciales Ævi Medii (præter Hugonem de S. Cæſario, Hermanterum Monachum Lirinenſem, Hilarium de Martinis Monachum Maſſilienſem, Roſtagnum Brincolienſem, duosque Anonymos, Labbeo memoratos, ſed non viſos) Joh. Noſtradamus, Joh. Judex, Claud. Falcetus, & Pet. Caſanova; Germaniæ Latinos Georg. Fabricius, Joh. Bocerus, Barthol. Bilovius, Vernaculos autem Morhofius (*in Lib. cit.*,) Car. Ortlobius, Georg. Neumarkius, Chriſt. Grübelius, Erdm. Neümeiſterus, aliique inter modernos complures; Rythmopoeos ævi Inferioris Teutonicos (die Meiſter-Sånger) Cyr. Spangenbergius, J. Chr. Wagenſeilius, & W. E. Tenzelius; Vates Thuringos Joh. Weitzius; Anglos Edu. Philips & Wilh. Winſtanley, Dramaticos autem Angliæ Langbainius & Car. Gildonus; Scaldros Veteres Arctoos Autor Catalogi illorum antiqui Anonymus, Ol. Wormius, Magnus Olavius & Thom. Bartholinus Jun.; Poetas Daniæ modernos Joh. Olavius; Arabes Abulcaſem & Abunazar, ac Letifus tandem Turcicos. Taceo And. Chr. Eſchenbachium, qui Poetas Chriſtianos Sacros, Henr. Muhlium, qui Poetas Epiſcopos, Thom. Bartholinum, qui Poetas Medicos, & Laur. Legatum, qui Poetrias, Scriptis peculiaribus recenſuerunt.

§. VII. TOMI POLYHISTORIS SECUNDI, ſive PHILOSOPHICI, *Liber I.* Philoſophiæ, Sectarumque ſingularum Philoſophicarum, Hiſtoriam, & hujus Scriptores, exhibens, e Thomæ præcipue Stanleji *Hiſtoria* illuſtrandus eſt *Philoſophica*, omnium, quæ hactenus prodierunt, abſolutiſſima, Anglice Londini A. 1655. 1687. & 1701. Belgico autem Idiomate (in quod Salom. Borrius eam transfudit)

Lugd.

Lugd. Bat. A. 1702. (*in fol.*), edita. Latine tantum Ἀποσπασμάτιον ejus prodiit, *Hiſtoria* ſc. *Philoſophiæ Orientalis*, a Joh. Clerico translata, &, cum Additt. quibusdam, ſeorſim Amſtelod. A. 1690., *Tomo* autem *II. Operum* ibidem A. 1698. (*in 8.*) publicata. Jungi huic, præter Scriptores ab Autore jam allegatos, poſſunt J. Jac. Friſii *Bibliotheca Philoſophorum Claſſicorum Chronologica* (Tig. 1592. *in 4.*), Ant. Poſſevini *Apparatus ad Philoſophiam*, ſeorſim Vicentiæ A. 1599. (*in 8.*) editus, & *Tomo* deinde *Biblioth. Selectæ Secundo* (Ven. 1603. *in fol.*) præmiſſus, Abr. Gravii *Hiſtoriæ Philoſophicæ Libri IV.* (Franequ. 1674. *in 8.*), Leonh. Cozzandi, Servitæ Brixiani, *de Magiſterio Antiquorum Philoſophorum Libri VI.* (Genev. 1684. *in 12.*) Burch. Gotth. Struvii *Biblioth. Philoſophica* (Jenæ 1704. *in 8.*), & Jac. Thomaſii *Schediasma*, breve quidem, ſed accuratiſſimum, *de Originibus Hiſtoriæ Philoſophicæ & Eccleſiaſticæ*, Lipſiæ A. 1665. (*in 4.*), auctiusque Halæ A. 1699. (*in 8.*) excuſum. Scriptores hujus argumenti minutiores, Opera item Majora, a Phil. Labbeo & Æg. Menagio promiſſa, ac *Bibliothecas* Iſr. Spachii, Pauli Bolduani, Georg. Draudii & Mart. Lipenii, *Philoſophicas Reales*, prætereo. Omnes hos ſuperabunt, quas J. Franc. Buddeus expectari a ſe jubet, de ſingulis Philoſophorum Sectis Commentationes, ſi eadem Hiſtoriam illarum ubertate & accuratione, qua Hebræorum Philoſophiam illuſtravit, proponere Viro Doctiſſimo vaſtitas argumenti permiſerit. De *Philoſophia Sectaria & Electiva* in genere lectu digna eſt Diſſ. Joh. Chriſtoph. Sturmii elegans, Altorfii A. 1679. publicata. Philoſophiæ Hebræorum, non Moſaicæ tantum, ſed & Cabaliſticæ atque Rabbinicæ, Hiſtoriam & Scriptores luculentius nemo enarravit, quam Buddeus, modo laudatus, in nupera *ad Hiſt. Philoſ. Hebr. Introductione*, Halæ Sax. A. 1702. (*in 8.*) edita. De Philoſophia Barbarica Chr. Kortholti *de ejus Origine & Progreſſu Tractatus* (Jenæ 1660. *in 4.*) de Chinenſi autem Theoph. Spizelii *de re Sinenſium Literaria* Libellus (Lugd. Bat. 1660. *in 12.*,) Proſp. Intorcettæ *Lib. de Sinarum Scientia Politico-Morali* ad mentem Confutii, Sinice Gōæ A. 1669., Latine autem *Tomo VII. Comm.* Pet. Lambecii *de Biblioth. Vindobon.*, editus, Confutii ipſius *Scientia Sinica*, ejusd. Intorcettæ, Phil. Coupletii, Chriſt. Herdtrichii & Franc. Rougemontii, Jeſuitarum, ſtudio Latine expoſita, &, cum luculenta *Declaratione Proœmiali*, Pariſiis A. 1687. *in fol.* publicata, Athan. Kircheri *China, Monumentis, qua Sacris, qua Profanis, illuſtrata* (Amſt. 1666. *in fol.*) Iſ. Voſſii *Caput XIV. Libri Variarum Obſervationum*, & Dav. Algoueri *Exerc. de Matheſi Sinica* (Helmſt. 1702.,) conſulantur. Ægyptiacæ Cognitioni Herm. Conringii & Ol. Borrichii Scripta *de Medicina & Sapientia Hermetis Ægyptiorumque* contraria, Athan. Kircheri *Oedipus Ægyptiacus Quadripartitus* (Romæ 1652-1654. *in fol.*,) & Abenephii, Medici Hebræi, *Lib. de Veterum Ægyptiorum Diſciplinis* Arabicus ἀνέκδοτος (quem Kircherus, Welſchio *in Exerc. de Vena Medicin. p. 97.*, & Alegambio *in Bibl. Jeſ. p. 49.*, teſtibus, habuit & Latine tranſtulit,) Perſicæ autem Chaldaicæ & Indicæ (de quibus & Conringius, in *Supplem. Antiqq. Acad. p. 214.*, ſua promiſit Meletemata) Thom. Hydii Hiſtoria Religionis Veterum Perſarum (Oxon. A. 1700. *in 4.*,) & Joh. Schmidii

Diſſ. de Gymnoſophiſtis Indorum (Lipſ. 1683.) inſervient. Celticæ Germanorum Gallorumque Veterum Philoſophiæ Hiſtoriam & λείψανα Joh. Picardus, *in Libris V. de priſca Celtopœdia*, inepte doctrinæ omnis origines Galliæ vindicantibus (Pariſ. 1556. *in* 4.,) Steph. Forcatulus *in Libris VII. de Gallorum Imperio & Philoſophia* (Pariſ. 1579. *in* 4.,) Janus Cæcil. Frey *in Philoſophia Druidum*, *Opuſculis Variis* inſerta (Pariſ. 1646. *in* 8.,) Cæſ. Egaſſius de Boulay *in Hiſtoria Veterum Academicarum Galliæ Druidicarum*, *hiſtoriæ Acad. Pariſienſis*, ſex Voluminibus Anno 1665. publicatæ, præmiſſa, Thom. Smith *in Syntagm. de Druidarum Moribus & Inſtitutis* (Lond. 1664. *in* 8.,) Ulr. Obrechtus *in Exerc. de Philoſophia Celtica* (Arg. 1676. *in* 4,) Eſ. Pufendorfius, Conr. Sam. Schurtzfleiſchius & Pet. Lagerloſius, in Diatribis *de Druidis*, Lipſ. A. 1650. Witeb. A. 1697. & Upſaliæ A. 1689. evulgatis, & neſcio quis Marſilius (a G. Naudæo, *in Diſſ. de inſtruenda Biblioth p.m.* 117., commendatus,) in Tr. de iisdem inedito, exhibuerunt. Sectæ Philoſophorum Græcorum diverſæ Scriptores itidem plures, præter eos, quos Morhofius recenſuit, invenere Iſagogicos, Hiſtoricos & Bibliothecarios, Pythagoræa ſc. J. Schilterum, JC. Doctiſſ., in *Diſſ. de Diſciplina Pythagoræa* Lipſienſi, & M. Joh. Jac. Syrbium, *in Pythagora intra Sindonem noſcendo*, *ſive Introd. in Phyſicam Pythagoræam Hiſtorica* (Jen. 1702. *in* 8.,) Heraclitica Gotfr. Olearium, Prof. Lipſ., Epicurea Nicol. Hillium in *Hiſt. Philoſ. Epicureæ*, A. 1605., uti fertur, edita, & Trog. Arnkielium, in *IV. Diſſertt.* Kilonienſibus, A. 1671. publicatis, Sceptica Mart. Schookium in *Scepticiſmo* (Gron. 1652. *in* 8.,) & Joh. Ulr. Wildium in Pentade Diſputationum, *quod aliquid ſcitur*, Lipſienſium, A. 1664. & ſeqq. propoſitarum, Platonica pariter atque Ariſtotelica Ant. Poſſevinum *P. II. III. & IV. Apparatus Philoſophici*, ſola autem Platonica Foucherium, Canonicum Divionenſem, cujus *Diſſertationum de Philoſophia Academica* Gallicarum *Libri IV.* Pariſiis, ab A. 1690. ad 1693. (*in* 12) prodierunt, & plures exſpectantur. De Doctoribus Scholaſticis Jac. Thomaſii *Diſſ.* perbrevis, Lipſ. A. 1676. edita, & *Or. XII. de Secta Nominalium*, *de* Carteſianis Adr. Baileti, Valent. Alberti, Pet. Dan. Huetii, & hujus Adverſariorum, Scripta, in *Hypomn ad T. II. L. 1. c. 15. §. 5. & 6.* jam allegata, de Philoſophia Paracelſico-Chymica Conringii & Borrichii Amoebæa, aliaque de Chymicis jam ante laudata, de Sectarum denique in Philoſophia diverſarum Conciliatoribus Jac. Thomaſii *Or. XV. de Syncretiſmo Peripatetico*, J. Bapt. Röſchelii, Prof. Phyſ. Witeb., *Diſſ.* de Philoſophia Conciliatrice, A. 1692. propoſita, conferantur.

§. VIII. Hiſtoria Phyſices, ejusque Scriptorum, Literaria Univerſalis, culturam licet, præ ceteris diſciplinis, merita diligentiorem, turpiter hactenus eſt neglecta, ſolusque ferme Morhofius, in hac ipſa, quæ *Librum II. Tomi II.* ſibi vindicavit, *Hiſtoria Naturali*, minus quamvis, ubi ad finem vergit, plena atque accurata, aliquod Operæ pretium feciſſe videtur. Quæ enim Herm. Conringius, *Introd. ad Philoſ. Naturalem* (Helmſt. A. 1657. *in* 4. edita, attulit) licet haud contemnenda, juſto tamen ſunt pauciora, & quia Ævi Recentioris Dogmata, Scripta atque Inventa, parcius delibant,

libant, imperfecta. Cornelii vero a Beüghem *Bibliographia Medico-Phyſica*, quæ Amſtelod. A. 1681. (*in 12.*) prodiit, Alphabetica ſolos Librorum, poſt A. 1650. editorum, Titulos, absque ullo ſelectu, enumerat, ac in Librariorum tantum Indicum claſſem eſt referenda.

§. IX. Scientiarum, de quibus *Tomi II. Lib. IVtus* diſſerit, Mathematicarum Libris Iſagogicis & Bibliothecariis, præter Mart. Hortenſii *Conſilium de Studiis Mathematicis*, Elzevirianæ Scriptorum *de Studiis inſtituendis* Syllogæ Amſtel. A. 1645. incertum, J. Chriſtoph. Sturmii Diatriben *de Mathematis & Mathematicis* Altorfinam, A. 1678. publicatam, brevem quidem, ſed lectu dignam, & Corn. a Beüghem *Bibliographiam Mathematicam & Artificioſam* Librorum, qui poſt A. 1650. prodierunt, Alphabeticorum, Amſtelod. A. 1688. (*in 12.*) editam, quos adjungam, non habeo. De Cosmographis, & diverſis illorum Syſtematis Mundanis, Sam. Reyheri *Diſſ. de Mundo* (Kil. 1673.) de Geographis J. Bapt. Riccioli *Geographiæ & Hydrographiæ Reformatæ* (quæ Bononiæ A. 1661. auctiorque Venet. A. 1672. *in fol.* prodiit) *Lib. III. Periegeticus & Lib. XI. Onomaſticus*, G. J. Voſſii *Libri de Philologia Partis II. Cap. XI.*, J. Chriſtoph. Becmanni *Hiſtoria Orbis Terrarum Geographica & Civilis* (*P. I. Cap. 1., & ſub reliquorum initium*) & B. G. Struvii *Biblioth. Hiſtoricæ Cap. XXXI.* de Pnevmaticis Sam. Reyheri *Diſſ. de Aere* (Kil. 1668. & 1673.,) de Acuſticis Ejusdem *Exerc. de Natura & Jure Auditus ac Soni* (Kil. 1693.,) de Muſicis J. Alb. Bannii *Diſſ. de Muſices Natura & Studio*, in Syntagm. Scriptorum *de Stud. Inſtit.* Elzeviriano obvia, Joh. Andr. Angelini Bontempi, Peruſini, *Hiſtoria Muſica*, Peruſiæ A. 1695. *in fol.* Italice edita, & in *Actis Erud. M. Majo Anno 1696.*, commendata, Scriptumque ejusdem Tituli Germanicum, a Wolfg. Caſp. Prinzio Dresdæ A. 1690. (*in 4.*) publicatum, conferri cum his, quos Autor allegavit, poterunt. Hiſtoria Computi variarum Gentium ab Æg. Strauchio, in Diatribis hujus Argumenti Witebergenſibus, IV. vero Artium Popularium, Scriptoriæ, Muſicæ, Gymnaſticæ & Pictoriæ, a Gerh. Joh. Voſſio Lib. peculiari, eleganter eſt tradita.

§. X. De Logices Hiſtoria & Scriptoribus, poſt Keckermannum & Voſſium, Jac. Frid. Reimannus in Scripto Germanico, ſub Titulo des Critiſirenden Geſchichts-Calenders von der Logica ridiculo atque abſono, Francof. A. 1699. (*in 8.*) publicato cœpit commentari. Diſſertationes hujus Argumenti breviores Academicas (quas inter J. Alb. Fabricii *Specimen Hiſtoriæ Logicæ Elenchticum*, Hamburgi eod. A. 1699. editum, præcipue arridet) prætereo. Uberius illud poſthac illuſtrabunt Joh. Pet. Ludovicus, Prof. Hallenſis, *in Polyhiſtore Logico Libris IX.* comprehenſo, cujus σκιαγραφίαν *Diſſertationi de Rationalis Philoſophiæ apud Arabes & Turcas Hiſtoria*, Speciminis inſtar A. 1699. præmiſſæ, adjecit, & Philoſophus Acad. Hafnienſis Doctiſſimus, Sever. Lintrupius, præter *Hiſtoriæ Logicæ Breviarium*, *Schediaſma* quoque *de Fatis Metaphyſicæ Hiſtoricum*, in *Reliquiis Incendii Bergenſis p. 47.* nuper pollicitus.

§. XI. Univerſæ Philoſophiæ Practicæ, cujus Partem *Tomi Polyhiſtor, Tertii*, ſi-

ve PRACTICI, *Libri III priores*, ſed minori, quam par erat, ſtudio, pervagantur, Scriptores recenſet Vinc. Placcius. *in Epitome Conſilii de Studio Philoſ. Pract. optime inſtituendo* (Hamb. 1695. *in 8.*,) & Georg. Schubartus, in *Bibliotheca* (quam ἀνέκδοτον, teſte Struvio, *c. 6. Biblioth. Philoſ. p. 102.*, reliquit) *Philoſophiæ Practicæ Selecta*; ſolius autem Ethicæ (poſt Scheurlium & Rachelium) Pet. Reſenius, in Prolegomenis de Quatuor Scriptorum hujus Generibus, Gnomicorum ſc., Paradigmaticorum, Apodicticorum & Characteriſticorum, Editioni ſuæ; *Eddæ* Snorronis Sturleſonii *Islandicæ* Hafnienſi A. 1665. præmiſſis. Specimen hæc eſſe voluit Operis, *de Ethices, usque ad noſtra tempora, per Scriptores Hebræos, Arabicos, Græcos, Latinos, Italicos, Hiſpanicos, Gallicos, Germanicos, Anglicos, Danicos, & Islandicos, propagatione*, majoris, cujus jacturam ſolari poterit Georg. Paſchii, Profeſſoris Kilon., *Liber*, quem eadem Methodo diſpoſitum eſſe obſervo, *de variis Moralia tradendi formis modisque*, Diſputationibus biennio jam proximo ventilari cœptus Academicis. Politices, Scientiæ illius Regiæ, cultoribus longe plures Viam ad Adyta illius, & Scriptorum notitiam, præter Naudæum (cujus *Bibliographiam* Georg. Hier. Welſchius auctiorem edere, teſte Schröckio *in Memor. Welſch. p. 69.*, voluit) Conringium (cujus huc quoque ſpectat *Diſſ. de Civili Philoſophia, ejusque optimis ac præcipuis Scriptoribus*, Helmſtadii A. 1673. publicata,) Caſelium, Scioppium, Colerum, cæterosque a Morhofio allegatos commonſtrarunt Hodegi. J. Henr. Boecleri *Bibliographia Hiſtorico-Politico-Philologica Curioſa*, ἀνωνύμως Germanopoli A. 1677. & 1696. (*in 8.*) excuſa, Fœtus eſt poſthumus, affectus potius quam perfectus, atque idcirco informis ac mendoſus, ob judicia tamen de variis Scriptoribus haud plane contemnendus, ſed cum Libello ejusdem *de Eloquentia Politici*, Argent. A. 1654. edito, ſociandus. Accuratiores ſunt J. Andr. Boſii, Polyhiſtoris eximii, *Introd. Generalis ad Notitiam Rerump. Orbis Univerſi* A. 1676. & *Diſſertt. duæ de comparanda Prudentia & Eloquentia Civili Iſagogicæ*, A. ſequ. 1677., Jenæ, poſt obitum Autoris, a Georg. Schubarto publicatæ, & A. 1698. recuſæ. Quarum uti poſterior, in ſecunda hac Editione (ſub nova *Rationis legendi tractandique Hiſtoricos, Civilis Vitæ Scopo accommodatæ*, Titulo,) auctior comparuit, ita prior *Bibliographiæ* Bœclerianæ, velut Appendix, ſed manca, inepte interpolata, & mendis, non minus quam illa, deformis, omiſſo Autoris nomine, jam ante acceſſerat. Diatribas quoque de Scriptoribus Politicis Academicas Helmſtadii Gebh. Theod. Meierus, & Jenæ, J. Georg. Jochius, evulgaſſe perhibentur. Recentiores, qui, ab A. 1651. ad 1680, ſua publicarunt, Alphabetico enumerat ordine Cornelii a Beüghem *Bibliographia*, quæ Amſt. A. 1680. (*in 12.*) prodiit, *Juridico-Politica*, potiores autem ex his nonnullos Cenſura, rigidiori quidem, ſed ſatis plerumque accurata, ſub ficto Eubuli Theosdoti Sarcmaſii nomine, A. 1699., *in Judiciis de XV. noviſſimis prudentiæ Civilis Scriptoribus*, perſtrinxit κριτικώτατος Conr. Sam. Schurtzfleiſchius, quo minus Continuationem iis promisſam ſubjungeret, Crabronum, quos irritaverat, tumultuantium multitudine prohibitus

tus. In Argumentis Politicis ſpecialibus, ſatis tamen diffuſis verſantur Caſp. Thurmanni *Bibliotheca*, quam vocat, *Statiſtica*, Autorum, qui de Ratione Status, Principumque Miniſtris, Conſiliariis, Legatis & Bonis Domanialibus, ſcripſere, recenſum inſtituens, Halæ A. 1701. (*in 4*) edita, & Gabr. Naudæi *Bibliographia Militaris* e luculento *de Re Militari Syntagmate* per Georg. Schubartum, Auctaria quoque pollicitum, decerpta, & ſeorſim Jenæ Anno 1683. (*in 12.*) evulgata. Qui de Oeconomicis Scriptoribus in univerſum egerit, nemo mihi innotuit. *Ruſticæ* tamen *Rei Autorum, quorum Scripta, tam extant, quam deſiderantur, Græcorum, Latinorum, Arabum, Germanorum, Italorum, Gallorum &c. Catalogum* a Joach. Camerario Jun., Poliatro Norib., Opuſculis hujus Argumenti nonnullis Norib. A. 1570. (*in 4.*) a ſe publicatis, eſſe ſubjunctum, Labbeus (*in B. B. p. 174.*) teſtatur.

§. XII. Ad Hiſtoriæ Tractationem, juſto breviorem, *Libri IV.* ductu, delati, Scriptoribus hujus Iſagogicis & Bibliothecariis, Voſſio (*Libri* etiam *de Philologia Parte II.* paucis de illa commentato), ejus illuſtratoribus ac Cenſoribus (quos *Hypomnemata* ad hunc Lib. noſtra plenius enumerant) Whეario item, Reineccio, Bodino, Mothæo, cæteriſque ab Autore laudatis, addi itidem haud paucos poſſe, cum Generales, tum Speciales, obſervamus. E Generalibus mentionem, præ cæteris, merentur Scripta J. H. Boecleri & J. A. Boſii, paulo ante memorata, Joach. Paſtorii duæ *de præcipuis Hiſtoriæ Auctoribus Orationes* (Dant. 1656. *in 4.*), Burch. Gotth. Struvii *Bibliotheca*, quæ Jenæ hoc ipſo A. 1704. lucem aſpexit, *Hiſtorica*, & Corn. a Beügheim *Bibliographia Hiſtorica, Chronologica & Geographica noviſſima*, ab A. 1651. ad 1685. (quo Amſtelod. *in 12.* prodiit) ordine perducta Alphabetico. De Hiſtoriæ Univerſalis Scriptoribus plenius Boeclero. ab Autore commendato, diſſeruit Joh. Andr. Boſius, in *Notitia* illorum, *Diſſertationibus de Prud. & Eloqu. Civili*, in Editione Anni 1698. Noviſſima Jenenſi, ſubjuncta, de Lexicis vero Hiſtoricis Struvius, *in Introd. ad Notit. Rei Lit., c. 4. §. 17.*, & *in Biblioth. Hiſtor. c. 13. §. 28.*, meretur conſuli. Hiſtoricorum, qui ſuperſtites ſunt, Græcorum omnium, tam Gentilium, quam Chriſtianorum, Notitiam, ab Herodoto ad Metrophanem usque Smyrnæum pertextam, Caſp. Sagittarius, teſte Schmidiano Scriptorum ejus *Catalogo*, reliquit ineditam. Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ Imperatorum, tum junctim omnium, tum ſingulorum, Mich. Hertzius *Parte III. Biblioth. Germanicæ*, Caſp. Sagittarius *in Introd. ad Hiſt. Eccl. c. 23. & 24.*, ac Struvius *in Biblioth. Hiſtor. c. 5. 6. & 7.*, Sacro-profanæ autem Pontificum Lud. Jacobus a S. Carolo, Carmelita Gallus, *Libro Poſteriori Bibliothecæ Pontificiæ*, Lugd. Gall. A. 1643. (*in 4.*) editæ, hujusque veſtigiis inſiſtens C. Sagittarius, *l. c. c. 25. 26. & 27.*, fuſe ſatis enumerarunt. Ex Hiſtoricis, cuivis Regno, Genti ac Regioni propriis, potiores a Joh. Bodino, *in Methodo Hiſtorica, c. 10.*, H. Conringio *in Lib. de Prud. Civ. c. 14.* Boeclero *in Bibliographia.* Boſio *in Introd. ad Not. Rerump. & Diſſertationum de Prud. & Eloqv. Civili*, J. Chriſtoph. Becmanno in *Hiſtoria Orbis Terrarum Geographica & Civili*, aliisque, breviter, a Struvio autem *in Bibliotheca*

Hiſtorica

Hiſtorica paulo fuſius, ſunt recenſiti. Imo nec deſunt, qui univerſos ſingulorum Regnorum, Populorum, Regionumque, Hiſtoriam, ac res cæteras, perſecutos, diligentia curioſiori, ſollicite congeſſerunt, & ſeorſim, Librisque peculiaribus, accuratius celebrarunt. Quorum cum Recenſum pleniorem *Apparatui ad Notitiam Reip. Lit. Geographicam* reſervemus, Indicem autem Compendiarium in *Iſagoges ad Hiſtoriam Cherſoneſi Cimbricæ*, circa Rerum Cimbricarum Scriptores ſimili Inſtituto occupatæ, A. 1691. jam dederimus Prolegomenis, breve jam ſaltem in hoc præteritorum inſtituemus Spicilegium. Addantur ergo iſtic enumeratis Encomiaſtis ac Nomenclatoribus.

HISTORICORUM ROMANORUM Pet. Angelius Bargæus & Adr. Politus in ſuis *de Ordine Hiſtoriæ Romanæ legendæ* Libellis, ac Burch. Gotth. Struvius in *Syntagmatis Antiqq. Rom. Prolegomenis*.

GALLICORUM Herm. Diet. Meibomius, Hiſt. Prof. Helmſt., in *Programmate* de iis prolixo & erudito, A. 1703. edito.

GERMANICORUM idem Meibomius in *Or. Auſpic. de genuinis Hiſtoriæ German. fontibus*.

MISNICORUM Joh. Conr. Knauthius in *Bibliographia Hiſtoricorum Misniæ*, ac *Prodromo Misniæ Illuſtratæ Latino*, in *Prodromo* ejusdem Vernaculo; Dresdæ Anno 1692. edito, promiſſis.

SILESIACORUM Frid. Lucæ in *Præfat. Memorabilium Sileſiæ*, Germanice Francof. Anno 1688. (*in 4.*) editorum, Godfr. Rohnius *in Epiſtolis III. de Ineditis quibusdam Hiſtoriæ Sileſiacæ Scriptoribus*, Uratisl. Anno 1693. & 1694. (*in 4.*) publicatis, Autorque *Præfationis Sileſiographiæ* Nicol. Henelii, quæ hoc ipſo Anno 1704. prodiit, *Renovatæ*, Mich. Joſ. Fibigerus.

ANGLICORUM Rich. Smitheus in Elogiis Scriptorum de Rebus Anglicis, *Floribus Hiſt. Eccl. Gentis Anglorum* (Pariſ. 1654. *in fol.*) præfixis, Guilh. Nicholſon, Epiſc. Carlcolenſis, *in Bibliotheca Angliæ Hiſtorica* (*English Hiſtorical Library*,) Tomis II. Londini Anno 1696. & 1697. (*in 8*) edita Herm. Diet. Meibomius in *Programmate de Hiſtoriæ Anglicæ Periodis & præcipuis Scriptoribus* Helmſtadienſi, Anno 1702. publicato, & Gilb. Burnetus (de potioribus tantum Hiſt. Eccl. Scriptoribus judicans) *in Præf. P. I. Hiſt. Reform. Angl.*

SCOTICORUM Guilh. Nicholſonus *en the Scottish Hiſtorical Library* (Londin. 1702. *in 8.*)

ARCTOORUM Hiſtoriæ Eccleſiaſtico-Literariæ Danicæ, Norwegicæ ac Suedicæ, Prolegomena noſtra ad Bibliothecam Septentrionis Eruditi, A. 1699. editam.

ISLANDICORUM Thormodus Torfæus *Capp. VI. prioribus Libri I. Serici Dynaſtarum & Regum Daniæ, e Monumentis Islandicis*, Hafniæ Ann. 1702. (*in 4.*) evulgatæ.

De Scriptoribus Genealogicis Jac. Frid. Reimannus, Rect. Scholæ Halberſt. *in*

Hiſtoria de fatis ſtudii Genealogici Literaria (Quedlinb. 1702. *in 8.*,) de Heraldicis Thom. Gore in *Catalogo* illorum *Alphabetico* (Oxon. 1675. *in 4.*,) & Pet. Palliot, Typogr. Divionenſis, in Prolegomenis *Indicis Armorialis*, Divione Anno 1660. (*in fol.*) Gallico Serm. excuſi, uterque a Labbeo & Teiſerio laudatus, de Fabulis autem Romanenſibus Pet. Dan. Huetius & Georg. Paſchius ſingularibus commentati ſunt Diatribis. Scriptoribus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Bibliothecariis, J. Andr. Boſio & Sev. Walth. Slutero (cujus *Propyleum Hiſt. Chriſtianæ* Lüneburgi Anno 1696. *in 4.* triplo auctius eſt recuſum,) ab Autore laudatis, jungendi ſunt J. Chriſtoph. Rumetſchius, qui *Schediasma de Hiſtoria Theologorum Evangelicorum* Spiræ A. 1679. (*in 4.*) publicavit *Univerſali*, de Eccleſiaſticæ etiam reliquæ ac Patrologicæ Scriptoribus priſcis ac modernis differens, ceterisque omnibus præferendus, Caſp. Sagittarius. Cujus *Introductionis ad Hiſt. Eccl, & ſingulas ejus partes, poſthumæ* Tomus prior, a Joh. Andr. Schmidio, Theologo πλυμαθεςάτῳ, Jenæ A. 1694. (*in 4.*) editus, Scriptis quotquot in iſto proſtant argumento, univerſis uberior, Poſterioris, a Schmidio ſuppleti ac continuati, deſiderium eo vehementius in nobis accendit. Hiſtoriam Reformationis (de cujus ſcribendæ modo & ratione digna eſt lectu J. Henr. Hottingeri *Diſſ. Epiſtolica*, Tiguri Anno 1664. (*in 8.*) excuſa) Eccleſiaſticam Vito Lud. Seckendorfio & Gilb. Burneto debemus, Literariam autem ab Herm. ab Hardt, Prof. Acad. Juliæ Celeberrimo, expectamus. Patrologos Bellarmino & Labbeo, quos Autor memoraſſe fuit contentus, longe præſtantiores noſtra protulerunt tempora, e Pontificiis ſcil. Ludov. Ellies du Pin, *Novæ Scriptorum Eccleſiaſticorum Biblioth. Gallicæ*, a Matthæo Petitdier *Obſervationibus* impugnatæ contrariis, Caſim. Oudinum *Supplementi Bellarminiani*, & Nicol. Nourrium *Apparatus ad Bibliothecam Patrum Maximam Lugdunenſem*, e Reformatis Guilh. Cavium & Henr. Whartonum, *Hiſtoriæ Scriptorum Eccleſiaſticorum Literariæ*, e Lutheranis autem J. Gotfr. Olearium *Abaci Patrologici*, & Thom. Ittigium *Bibliothecæ Patrum Seculi I. Apoſtolicorum*, Autores candidos pariter atque eruditos. Conciliorum Editores ac Illuſtratores J. Georg. Dorſcheus Roſtochii A. 1654. Programmate recenſuit Academico, ſimulque *Iſagogen* pollicitus eſt *Synodologicam*. Scriptorum Judaicorum, quos Chriſtianis Hottingerus aliique Syntagmatum H. E. Conditores, admiſcent, Notitia plenior ex Bibliothecis Rabbinicis Joh. Buxtorfii & Joh. Plantevitii & J. Franc. Buddei, *ad Philoſ. Hebr. Hiſtoriam Introductione*, præſertim vero e Jul. Bartoloccii IV. *Bibliothecæ Magnæ Rabbinicæ* Voluminibus, Romæ A. 1675. 1678. 1683. & 1693. *in fol.* excuſis, quintoque *Bibliothecæ Latino-Hebraicæ*, A. 1694. per Car. Joſ. Imbonatum his adjecto, nec non R. Schabthai Ben. Joſeph. שפתי ישנים (*Labiis Dormientium*,) Opere Hebraico, Amſt. A. 1681. (*in 4.*) edito (cujus Verſionem fruſtra hactenus e Septentrione, a Chr. Wormio & Guſt. Peringero, expectavimus Latinam,) eſt haurienda.

§. XIII. *Polyhiſtor Theologicus*, *Libro V. Tomi III.* exhibitus, cum nonniſi de Theologia Naturali, Biblico-Exegetica, Thetica & Polemica, nec de his ipſis plene

ſatis aut accurate, diſſerat, plurimis indiget Supplementis, quæ Scriptores Iſagogici ac Bibliothecarii ab Autore laudati, Sixtus Senenſis, Ant. Poſſevinus, Paulus Bolduanus, Gisb. Voetius, Gerh. Meierus, S. W. Sluterus, Mart. Lipenius, & quos merito cæteris prætulit, G. Calixtus ac J. Henr. Hottingerus, haud parce ſuppeditabunt. E Recentiſſimis, quos his jungam, non habeo, niſi referre quis huc velit Pet. Annatum, Scriptorem Pontificium, Dogmatum cœtus ſui tenacem, de cujus *Apparatus ad Theologiam Poſitivam Methodici Libris VII.*, Lutetiæ Anno 1700. (*in 4.*) editis, *Acta Erud. Lipſienſia A. 1700., p. 537. & ſeqq.*, conſulantur. Non indigna tamen mentione eſt, quam Mart. Kempius, *Hiſtoriogr.* Brandeb., e ſolis Britannorum Scriptis congeſſit, & Regiom. A. 1677. (*in 4.*) publicavit, *Chariſmatum Sacrorum Trias, ſive Bibliotheca Anglorum Theologica*, Libris ſe Tribus in omnes Theologiæ partes diffundens, cujus Continuationem ab Henr. Ludolpho Benthemio, Antiſtite Bardovicenſi doctiſſimo, in *Præf. Libri de Statu Eccleſiæ Anglicæ* Germanici elegantis, promiſſam, cupide expectamus. *Bibliothecam S. Scripturæ* Longius, Oratorii Pariſienſis Presb. eruditus, jam molitur ampliſſimam, quicquid de Libb. Biblicorum Hiſtoria Codd. MStis, Editionibus, Verſionibus, Commentatoribus, & aliis quibusvis Illuſtratoribus, imo & LL. Or. Grammaticis & Lexicographis, undecunque congeri poterit, junctim exhibituram, cujus σκιαγραφίαν pleriſque Germaniæ Ephemeridibus Literariis nuper curavit inſeri. Quæ ad Hiſtoriam Librorum ſpectant Biblicorum, e Pontificiis Sixtus Sinenſis *in Biblioth. S.*, Pet. Dan. Huetius *in Demonſtr. Evangelica* Rich. Simon in *Hiſt. V. & N. T. Critica*, & Lud. Ellies du Pin *in Diſſ. Præliminari ad S. Biblia*, Gallice, Tomis II., Pariſ. Anno 1699. (*in 8.*) publicata, e Reformatis Andr. Rivetus *in Iſagoge in S. Script.* (Lugd. B. 1627. *in 4.*), & Joh. Henr. Heideggerus in *Enchiridio Biblico* ἱερομνημονικῷ, (Tig. 1681. *in 8.*,) e Noſtratibus autem Georg. Calixtus *in Tr. de Autoritate S. Scr., & Libb. Canon. V. T. numero* (Helmſt. 1654. *in 4.*,) Mich. Waltherus in *Officina Biblica*, Chr. Kortholtus *in Tr. de S. Scr. Canone*, Henr. Kippingius *in Exercc. de S. Scr. V. & N. T.* (Francof. 1665. *in 12.*,) Aug. Pfeifferus *in Critica Sacra*, Laur. Fabricius *in Partitionibus V. T. Biblicis*, aliique plures, ſunt perſecuti. De Apocryphis, præter horum pleroſque, Joh. Rainoldi *Cenſura Libb. V. T. Apocryphorum*, & ſingulorum Editiones, a J. Alb. Fabricio curatæ, de ceteris vero, quæ Sacris, N. T. præcipue, Scriptoribus ſuppoſita ſunt, ψευδεπιγράφοις, Sixti Senenſis *Lib. II. Bibl. S.*, And. Riveti *Lib. I. Critic. Sacri*, Rob. Coci *Cenſura Scriptorum quorund. Eccleſiaſticorum* (Sec. I.,) Thomæ Ittigi *Diſſ. I. Heptadis Diſſertationum*, *Appendici ad Tr. de Hæreſiarchis* A. 1696. adjectæ, J. Andr. Schmidii *Diſſ. de Pſeudo-Novo Teſtamento* (*Helmſt. 1699.*,) & Joh. Alb. Fabricii *Codex N. T. Apocryphus*, ὑποβολιμαῖα iſta Notis illuſtrata ſiſtens eruditis (Hamb. 1703. *in 8.*,) conſulantur. Editionum Biblicarum (quarum *Bibliothecam* quoque Lud. Jacobus a S. Carolo eſt molitus) Catalogos Rich. Simon (Cenſuram ſubinde addens,) *in Appendicibus Hiſtoriæ V. & N. T. Criticæ*, J. Henr. Hottingerus *L. 2. Biblioth. Quadrip. c. 1. & 2.*, Guilh.

Crowæus

Crowæus ſub initium *Elenchi Scriptorum in S. Scr. Alphabetici* (Lond. 1672. *in 8.*) & Pet. Terpagrius *in Prodromo Biblioth. Sacræ* (Hafn. 1680. *in 8.*) texuerunt, ſolam autem Operum Biblicorum πολυγλώττων Hiſtoriam Chr. Kortholtus *Libri de Variis S. Scr. Editionibus* (ſeu Verſionibus potius) *cap. ultimo*, & Wilh. Ern. Tenzelius Diatriba peculiari (Witeb. 1686.) fuſius expoſuere. Verſionum Biblicarum Recenſus Hiſtorico-Criticos, præter Hottingerum & Huetium ab Autore laudatos, Joh. Wouwerius *in Syntagm. de Græca & Latina Bibliorum Interpretatione*, Mich. Waltherus *in Officina Bibl.* Brianus Waltonus *in Apparatu Biblico*, Chr. Kortholtus *in Tr. de variis S. Scr. Editionibus* (in Ed. ſecunda Kilon. A. 1686. auctiore, quam in prima A. 1668.,) & Rich. Simon *Lib. 2. Hiſt. Crit. V. T.*, ac *in Hiſtoria Verſionum N. T. Critica*, Gallice Roterod. A. 1690. publicata, exhibuerunt. Quibus utinam accedat Syntagma, quod ſe de iisdem molitum olim eſſe, Celeb. Tenzelius nuper (*Sect. X. Biblioth. Curioſæ p. 1008.*) ſignificavit. De Chaldaicis Paraphraſibus Scripta exſtant Chriſtoph. Helvici & Aug. Pfeifferi peculiaria, de Verſionibus Syriacis Diatribæ And. Mülleri (*in Symbolis Syriacis* Col. Brand. 1673.) & Bernh. Pet. Karlii, de Gothica (IV. Evangeliorum) Diſſ Georg. Frid. Heupelii (Witeb. 1693.,) de Germanicis, tum ſequioris ævi Vetuſtioribus, tum Lutherana, Joh. Frid. Mayeri, Joh. Reiskii & Georg. Frid. Magni, Commentationes, *in Hypomn. ad §. 14.* Libri hujus commendatæ, de Gallicis Anonymi *Hiſtoire des Traductions Françoiſes de l' Eſcriture Sainte, tant Manuſcrites, qu' imprimées, ſoit par les Catholiques ſoit par les Proteſtans* (Pariſ. 1692. *in 12.*) de Danicis Epiſtola Joh. Wandalini Jun., in *Tr. de Verſ. Luth. Germ.* Mayeriano (*c. 6. p. 68-72*) obvia, de Suedicis Prolegomena, nuperrimæ Bibliorum Suedicorum Editioni Holmienſi, An. 1703. *in fol.* excuſæ, ab Erico Benzelio, Archiep. Upſalienſi, præfixa. Metaphraſtarum S. Codicis Metricorum, e quibus Biblia facile congeri poterunt Poetica, Recenſum exhibent Dan. Guilh. Molleri *Laterculus* illorum imperfectus, Joh. Calfhilli, Angli, Translationi *Libri Sapientiæ* Heroicæ, Altorfii A. 1699. (*in 8.*) editæ, præfixus, & J. Georg. Neumanni *Diſſ. de Metaphraſtis, qui N. T. Græco Carmine expreſſerunt*, Witeb. Anno 1686. publicata. Commentatorum in S. Cod., Librosque ejus, & horum Capita ac Loca illuſtriora, Nomenclatores (præter Poſſevinum, Bolduanum, Draudium, Voetium, Hottingerum, Gerh. Meierum, Lipenium, aliquos Bibliothecarum, in quibus & hi enumerantur, Theologicarum Architectos) habemus haud paucos, ſeorſim Indices illorum ſcribere aggreſſos, Fabianum ſcil. Juſtinianum, Jac. Pamelium, Ang. Roccham, Andr. Schottum, Jac. Zannachium, J. Georg. Dorſcheum, ejusque Generum, Joh. Grambſium (*Bibliorum Numeratorum* Collectores), ac nuperrimum *Repertorii Biblici* Compilatorem, Henn. Wittenium. Solos Exegetas Britannos, ſed prolixe ſatis, Mart. Kempius, *Lib. I. & II. Bibl.othecæ Anlorum Theologicæ*, & cui multa hic debere perhibetur, Vernevillius, Catalogi eorundem Vernaculi, Lond. A. 1668. (*in 8.*) excuſi, Autor, enumerarunt. Hiſce tamen, ſola Autorum ac Librorum nomenclatura contentis, ego, qui Hiſtoriam

aut Criſin aliquam de ſingulis, aut potioribus, adjungunt, prætulerim, Sixti ſc. Senenſis *Biblioth. S. Lib. III. & IV.*, Rich. Simonis *Lib. III. Hiſt. V.T. Criticæ*, & *Hiſtoriam Criticam Commentatorum N. T. præcipuorum*, Gallice Roterod. A. 1693. evulgatam, Gvilh. Crowæi, Ludimag. in Anglia Croydonienſis, circa Exteros ſubinde ceſpitantis, *Elenchum Scriptorum in S. Script. Alphabeticum*, Lond. A. 1672. excuſum, & J. Frid. Mayeri *Bibliothecam*, quæ, per aliquot jam Annos, publicis in Athenæo Gryphico ventilata Diſputationibus, integra nondum prodiit, *Biblicam.* De Concordantiarum Hiſtoria & Uſu, poſt Conr. Kircherum, Scriptorem illarum eximium, Andr. Glauchius Libellum edidit ſingularem, Lipſiæ A. 1694. (*in 8.*) impreſſum.

§. XIV. Ab Exegetis Biblicis ad Theologos pergimus Polemicos. Hos inter, ex Atheiſmi Antagoniſtis, Hiſtoriam ejus, poſt Voëtium, Spizelium & Ant. Reiſerum, Autori laudatos, dilegentius ceteris perſecuti ſunt Tob. Wagnerus in *Examine Atheismi Speculativi Elenchtico* (Tub. 1677. *in 4.*), &, qui Zelotis quibusdam moderatior, ab iſtis Atheiſmi falſo inſimulatos, contra Cenſuram hanc præcipitem, defendit, Imman. Weberus, Prof. Gieſſenſis, in Libello Vernaculo: Beurtheilung der Atheiſterey/wie auch der mehreſten deshalben berüchtigſten Schrifften/ (Francof. 1697. *in 8.*). De Naturaliſmo conſulantur Ad. Tribbechovii *Hiſtoria* illius, poſthuma licet & valde imperfecta, Jenæ A. 1700. (*in 4.*) a Filio edita, &, quod huic acceſſit, ſeorſim antea (Kil. 1683. *in 4.*) & Lipſ. 1684. *in 12.*) excuſum, Joh. Diecmanni, Theologi πολυΐστορος, *Sched. de Naturaliſmo, cum aliorum, tum Joh. Bodini*, elegantiſſimum, de Indifferentismo autem, cum Hiſtoria accuratior nondum prodierit, Caſp. Löſcheri, Conr. Tyb. Rangonis & Val. Velthemii, Diſputt. Academicæ, parce quamvis Hiſtorica delibantes. Scriptorum de Religionibus, Sectisque variis, ingens eſt numerus. Anti-Judaicos, aut de Religione Rebusque Judæorum commentatos, Car. Joſ. Imbonati *Bibliotheca Latino-Hebraica*, Romæ A. 1694 (*in fol.*) edita, plenius aliis enumerat. Hæreſeologorum, qui de Hæreſibus, vel univerſis, vel nonnullis, vel ſingulis, ſunt commentati, Seculo XVI. antiquiorum, Notitia e Thomæ IttigiiProlegomenis, quæ Tractatui ſuo *de Ævi Apoſtolici, & Apoſtolico proximi Hæreſiarchis*, A. 1690. & 1703. præmiſit, eruditis, Antiquiorum vero pariter atque modernorum, e Caſp. Sagittarii *Introd. ad Hiſt. Eccl. Cap. 32. & 33.*, ac Sev. Walth. Sluteri *Propyleo Hiſt. Chriſtianæ*, (*p. 191 242. Edit. Sec.*) poterit parari. Inter Scriptores de Religionibus Sectisque Chriſtianiſmi modernis, Hiſtoriam illarum Eccleſiaſticam pariter atque Literariam plenius aliis proponunt Conr. Schlüſſelburgius in *Catalogo Hæreticorum*, Libris XIII. Francof. Ann. 1597. & ſeqq. (*in 8.*) edito, Joh. Hornbeckius *in Summa Controverſiarum*, & Gottfr. Arnoldus in grandi *Hiſtoriæ Eccleſiaſtico-Hæreſiologicæ* Opere Germanico, Tomis IV. haud ita pridem publicato, ille Zelotarum Lutheranorum, iſte Reformatorum, hic vero Separatiſtarum, partibus addictior, ac ὑποθέσει ſæpe ὀκλεύων. Sunt quoque haud pauci, qui Sectarum ævi noſtri ſingularum Hiſtoriam, vel ſolam, vel Diſceptationibus Polemicis miſtam,

accuratius

accuratius propoſuerunt, e quibus conſuli merentur: I. de PONTIFICIA Mart. Chemnitii *Examen Concil. Trident.*, Joh. Gerhardi *Confeſſio Catholica*, Phil. Mornæi *Myſterium Iniquitatis* (Salmur. 1611. *in fol.*,) Pet Molinæi Opus *de Novitate Papiſmi* (de quo in *Hypomn.* dictum eſt) Gallicum, J. Henr. Heideggeri *Hiſtoria Papatus*, *Lud. Maimburgi Hiſtoriæ Lutheraniſmi & Calviniſmi* (ſub larva Nicandri ab Hohenegg) κατὰ βίαιον repoſita (Amſt. 1684. *in 4.*) & G. Calixti Scripta de Controvv. ſpecialibus luculenta. II. De JANSENISTICO in ea Schiſmate, e Pontificiis Phil. Labbei *Biblioth. Anti-Janſeniana* (Pariſ. 1655. *in 4.*) & Abbatis du Mas *Hiſtoire des cinq Propoſitions de Janſenius* (Leod. 1699. *in 12.*;) e Lutheranis Joh. Ad. Oſiandri *Specimen Janſeniſmi* (Tub. 1666. *in 4*,) & Ægid. Strauchii *Jus Tertii Orthodoxi circa Cauſam Jeſuitico-Janſenianam* (Witt. 1663. *in 4.*;) e Reformatis Joh. Henr. Ottii *Or. de cauſa Janſenitica* (Tig. 1653 *in 8.*,) & Melch. Leydeckeri *de Hiſtoria Janſeniſmi Libri IV.* (Ultraj. 1695. *in 8.*) e Janſeniſtis autem ipſis Anonymi *Hiſtoire abregée du Janſeniſme* (Col. 1697. *in 8.*,) & alterius itidem Anonymi (ob diligentiſſimum Scriptorum utriusque Partis recenſum ceteris præferendi) *Hiſtoire Generale du Janſeniſme*, Amſtelod. Anno 1700. (*in 8.*) Tomis III. edita. III. De Schiſmate ejusd. QUIETISTICO Gilb. Burneti *Iter Italicum*, & Anonymi Epiſtolæ III. Gallicæ *de Statu Italiæ præſenti*, in ſupplementum iſtius editæ (Col. 1688. *in 12.*,) Incerti *Recueil de diverſes Pieces, concernant le Quietisme* (Amſt. 1688. *in 8.*,) Anonymi *Traité Hiſtoriqve, contenant le Jugement d'un Proteſtant ſur la Theologie Myſtiqve, ſur le Quietisme, & ſur les Demelez de l'Eveque de Meaux avec l'Archeveque de Cambray* (Amſt. 1699. *in 12.*,) Joh. Frid. Mayeri *Diſſ. de Quietiſtarum Perſecutionibus* (Hamb. 1688. *in 8.*,) & J. Andr. Schmidii *Diſſ. de Quietismi Revolutione in Quietiſtis XVIti & hujus Seculi* (Helmſt. 1697. *in 4.*). IV. De Eccleſia REFORMATA Conr. Schlüſſelburgii *Libri IV. Theologiæ Calviniſticæ* (Francof. 1592. & 1610. *in 4.*) Lud. Maimburgii, Jeſuitæ, *Hiſtoria Calvinismi* Gallica (Pariſ. 1682. *in 12.*,) variique hujus e Reformatis Adverſarii, in Sluteri *Propylæo p. 205. 206.* enumerati, Jac. Basnagii *Hiſtoria Relig. Reformatæ* Gallica, Boſſvetiano *de Variationibus Eccleſiarum Proteſtantium* Operi oppoſita (Tomis II. Roterod. 1690. *in 12.*,) ac Henr. Ludolphi Benthemii Scripta de Eccleſiarum Scholarumque Angliæ & Belgii Fœderati ſtatu moderno Germanica (Lüneb. 1694. & Martisb. 1698. *in 8.*;) de ſolo autem Certamine Euchariſtico, e Lutheranis *Hiſtoria Auguſtanæ Confeſſionis*, Ambr. Wolfii Scripto ejusd. Tituli, per Theologos aliquot, Germanice oppoſita (Erfurti 1584. *in 4.*,) & Anonymi Hiſtorie des Sacramentſtreits (A. 1591. *in 4.*,) e Reformatis autem Edm. Albertini *Libri III. de Euchariſtia* (Daventr. 1654. *in fol.*,) Lud. Lavateri *Hiſtoria de Orig. & Progr. Controv. Sacramentariæ*, ab Anno 1523. ad 1563. deducta (Tig. 1672. *in 8.*,) Rudolphique Hoſpiniani *Hiſtoria Sacramentaria* (Tig. 1598. *in fol.*). V. De REMONSTRANTIBUS *Epiſtolæ* illorum *Eccleſiaſticæ & Theologicæ*, a Phil. Limburgio & Chriſt. Hartſœkero Amſt. A. 1660. (*in 4.*,) longe vero auctiores a ſolo Lim-

burgio ibid. A. 1684. (*in fol.*) publicatæ, Ejusd. Limburgii *Hiſtoria Vitæ Sim. Epiſcopij* (Amſt. 1701. *in 8.*) Joh. Utenbogardi *Hiſtoria Eccleſiæ Belgii Fœderati*, ad finem usq; Synodi Dordracenæ, vernacula, a Jac. Triglandio, Prof. Leid., opere impugnata contrario, & Gerh. Brandii *Hiſtor. Eccleſ. Belgicæ*, itidem vernacula, cujus Pars I. (ab A. C. 712. ad 1573.) Amſt. Anno 1663., Continuatio hujus (ad A. 1600. ib. An. 1671., Pars II. (ab A. 1600. ad 1618.) ib. 1674. Tertia autem & Quarta, metu Reformatorum diutius ſuppreſſæ, Roterodami nuper Anno 1704. (*in 4.*) prodierunt. VI. de SOCINIANIS, & Unitariis reliquis, Chriſtoph. Sandii *Biblioth. Anti Trinitariorum*, cum Joh. Stoinii Georg. Schomanni & Andr. Wiſſowatii Opuſculis, ad eorundem ſpectantibus Hiſtoriam (Freiſtadii, ſeu Amſt. 1684. *in 8.*) Stanisl. Lubienicii *Hiſtoria Reformationis Polonicæ* (ibid. 1685. *in 8.*,) & Mart. Ruari *duæ Epiſtolarum Centuriæ* (ib. 1677. & 1681. *in 8.*,). VII. De ANABAPTISTIS, præter J. Henr. Otii *Annales Anabaptiſticos* (Baſ. 1672. *in 4.*) merito ab Autore commendatos, Frid. Spanhemii Sen. *Diatribe de Origine, progreſſu & Sectis Anabaptiſtarum*, J. Cloppenburgii Gangrænæ Theologiæ Anabaptiſticæ (Franequ. 1656. *in 4*) ſubjuncta, Anonymi *Hiſtoire des Anabaptiſtes* (Pariſ. 1695. *in 12.*,) E. M. P. *Επίδειγμα Hiſtoriæ Anabaptiſticæ* (A. 1701. *in 8.*) J. H. V. P. N., Mennonitæ Batavi, ob candorem in Vitis ſuorum etiam Gregalium detegendis laude digniſſimi, Beginſel en Voortganck der Geſchillen/ Schnürringen en verdeeltheden / onder de doopgeſinden / tot A. 1615. (Amſtel. 1658. *in 4.*,) junctaque eidem Ubb. Philippi *Confeſſio ultima*, ob parem φιλαλήθειαν commendanda. VIII. De DAV. GEORGIO, ejusque Aſſeclis, præter Frid. Jeſſenii *Larvam*, quam Autor laudavit, *Davidi detractam*, Vitaque ejus auctam, Germanice Kil. Ann 1670. (*in 4.*) editam, Acad. Baſileenſis *de Vita illius & Doctrina Narratio* (Witeb. 1559. (*in 8.*,) Nicol. Blesdikii, Generi Davidis, ſed Sectæ Deſertoris, *Hiſtoria* illius (Daventr. 1642. *in 8.*,) ac Jac. Stolterfohtii Biographia ejusd. Germanica, Lub. A. 1635. (*in 4.*) edita, & in Chr. Thomaſii *Tomo I. Hiſtoriæ Sapientiæ & Stultitiæ* Vernaculo A. 1693. recuſa. IX. De ENTHUSIASTIS (quorum Hiſtoriam Morhofius quoque & Mart. Schookius olim promiſerunt) Nicol. Hunnii *Conſideratio Novæ Theologiæ Paracelſicæ & Weigelianæ* Germanica (Witeb. 1622. *in 8.*) Aug. Pfeifferi *Anti-Enthuſiasmus* (Lub. 1692. *in 8.*,) Joh. Hornebekii Opuſculum *de Paradoxis & Heterodoxis Weigelianis* (Ultraj 1646. *in 12*) & *Pantheon Anabatiſticum atque Enthuſiaſticum*, plurimos de illis Scriptores, ſed diſparis pretii ac fidei, junctim exhibens (Halberſt. 1702. *in folio*,) X. De FANATICIS Angliæ præſertim Quakeris, Thom. Eduardi, Eccleſiaſtæ Gospelenſis, *Gangræna Errorum, Hæreſium ac Blaſphemiarum illorum*, (Lond 1646. *in 4. Ed. 3.*) Honorii Reggii (ſive Georg. Hornii) *Tr. de Statu Eccleſiæ Britannicæ hodierno* (Amſt. 1646. *in 4.*) Pet. Gartzii Puritaniſcher Glaubens- und Regiments-Spiegel (Lipſ. 1650. *in 12.*) J. Conr. Danhaueri *Cullluvies Quackerorum* (Argent. 1665. *in 4.*) Anonymi *Hiſtoire Abrée du Quackeriſme* (Col. 1692. *in 12.*,) Gerh. Croeſii, Paſt. Alblaſienſis (cæterorum omnium de Tremulis Scriptorum

ptorum accuratiſſimi & moderatiſſimi) *Hiſtoriæ Quackerianæ Libri III.* (An. 1696. *in 8.* Latine Amſtelodami, Berolini autem Germ. editi,) Philalethæ (ſive Kolhanſii Med. Amſtelod Quakeriani) *Neceſſariæ* in Croeſii Lib. *Dilucidationes*, in quibus Errores ejus deteguntur (Amſtelod. 1696. *in 8.*,) Joh. item Laſſenii, aliorumque, Scripta varia contra Quakeros Germanica, in *Pantheo*, paulo ante memorato, junctim recuſa. XI. De JOH. LABADIO, ejusque Cœtu Schismatico, Petri Yvon, Doctoris illius, *Fidelle Narrée des dernieres Paroles & diſpoſitions de diverſes perſones de l'Egliſe de Wiewert* (Amſtelod. 1681. *in 12.*) Anonymi aſſeclæ Labadiani, *Abrege ſincere de la Vie, de la conduite & les vrais ſentimens de feu Mr. de Labadie*, ad An. usque 1666. pertexta, & a Gotofr. Arnolodo An. 1703., *in Supplem. Hiſt. Eccl.* Germanicis (*p. 199-297.*,) publicata, Anonymi ejus adverſarii *Hiſtoire Curieuſe de la Vie de Jean de Labadie* (Hagæ 1670. *in 12.*,) Chriſt. Niſanii *Mataeologia Labadiana*, Mindæ Anno 1673. (*in 8.*) Germanice edita, aliique Scriptores contra Separatiſtas hoſce, *P. II Iſag. ad Hiſt. Cimbr., c. 5., p. 121-127.*, fuſius enumerati. XII. De ANTONIA BOURIGNONIA, ejusque Aſſeclis, Vitæ ejus Hiſtoria Gallica prolixa, ab ipſa ſcribi cœpta, & ab Anonymo (qui Pet. eſt Poiretus) continuata, Galliceque ſeorſim Amſtelod. A. 1683., *ac T. I. & II. Operum* Anno 1686. Belgice vero ibid. Anno 1684. (*in 8.*) excuſa, *Teſtimonia Veritatis de Vita, Moribus ac Scriptis ſuis*, ab ipſamet collecta & Joh. Berkendalio Germanice oppoſita, Huſæque Anno 1673. (*in 4.*) edita, deinde vero Gallice translata, & *Parte II.*, cæteris Adverſariis Sacri Ordinis repoſita Holſaticis, aucta, Pet. Poireti Epiſt. de Vita, Doctrina ac Scriptis Magiſtræ Gallica, in Bælianis *Reip. Lit. Novellis*, (*M. Apr. & Majo A. 1685.*) publicatæ, ejusdemque *Monitum*, Relationi de Operibus Antoniæ, *in Actis Erud. Lipſ.* (*M. Jan. A. 1686.*) obviæ Amſt. A. 1686. ἀνωνύμως repoſitum, ex Adverſariis autem Viti Lud. Seckendorfii *Defenſio* Relationis iſtius, a ſe conſcriptæ, contra Poiretum (Lipſ. 1686. *in 4.*,) Georg. Henr. Burgardum *Animadverſiones in Errores Bourignonianos Germanicæ*, A. 1674. Sleſv. *in 4.* & Hamb. *in 8.* publicatæ, & *in Iterata Narratione*, adverſus *Lapidē* Bourignoniæ *Lydium*, A. 1677. (Sleſv. *in 8.*) defenſæ, Cockburnii Angli *Bourignianiism Detected*, circa A. 1698. evulgatus, aliaque, tum Aſſeclarum, tum Adverſariorum, Scripta, in *Iſag.* noſtra, *P. II.*, *c. 6.*, *p. 151-164.*, recenſita. XIII. De aliis Mulieribus Hæreticis ac Fanaticis, J. And. Schmidii *Diſſ. de Muliere Heterodoxa* (Helmſt. 1697. *in 4.*), & J. Henr. Feuſtkingii *Gynecæum Hæretico-Fanaticum*, Germanice A. 1704. (Francof. *in 8.*) editum. XIV. De CHILIASTIS Promachi illorum, J. Wilh. Petræi, *Nubes Teſtium Veritatis de Regno Chriſti Glorioſo, Libris III.* exhibita (Francof. 1696. *in 4.*), ex Adverſariis autem Diſſertt. Academicæ Gisb. Voëtii (*T. II. Diſputt. Select.*), Ad. Tribbechovii (Kil. 1667. *in 4.*), Chriſtoph. Laur. Meelführeri (Gieſſæ 1678.), & Joh. Gvilh. Baieri, Tr. Anonymi (qui Dan. Brenius fuit) pro Chiliaſmo Belgicum adorti (Jenæ 1678.), Auguſtique Pfeifferi *Anti-Chiliaſmus* Germanicus (Ratzeb. 1691. *in 8.*) XV. De Certaminibus modernis SYNCRETISTICIS Abr. Calovii *Hiſtoria Syncretiſmi* Germa-

nica

nica Ratzeb. 1658. *in 4.*), & Conr. Tyb. Rangonis Scriptum ejusd. Tituli Vernaculum bipertitum (1674. & 1680. *in 12.*,) cujus Continuationem reliquiſſe perhibetur. XVI. De certaminibus PIETISTICIS, e Pietiſtarum Adverſariis, Anonymi Unfug der Pietiſten/ Scriptum autoritate publica ſuppreſſum, & Sam. Schelvigii *Intinerarium Antipietiſticum* (Holm. 1695. *in 4.*), ex adverſa autem parte Phil. Jac. Speneri, aliorumque, Apologiæ, Duumviris hisce oppoſitæ, Viti Lud. Seckendorfii *Reſponſio ad Imaginem Pietiſmi* Vernacula, cum *Præfat.* Hiſtorica Speneri A. 1692. ἀνωνύμως publicata, ipſiusque Speneri Erzehlung/ was wegen des Pietiſmi in Deutſchland vorgegangen (Francof. 1697. *in 12.*).

§. XV. Scriptores Theologiæ Moralis Gebh. Theod. Meierus in *Introd.* ſua *ad ſtudium ejus univerſum* (Helmſt. 1671. *in 4.*,) Aſceticos autem Myſticosque Gotfr. Arnoldus & Pet. Poiretus A. 1702., ille in *Hiſt. Theol. Myſticæ*, hic in *Ep. de Scriptoribus Myſticis*, ei adjecta, recenſuerunt. *Opusculorum Aſceticorum, quæ inter Patrum reperiuntur Opera, Indiculum* Lucas d' Achery, Mon. Bened., teſte Teiſerio (*in C. C. p. 219.*) Pariſiis A. 1648. (*in 4.*) edidit. Ad Oratoriæ tandem Sacræ Hiſtoriam ſpectant, Lud. Bailii, Theol. Pariſ., *Bibliotheca Concionatorum, illuſtriorum Vitas continens* (Paris. 1666. *in 4.*,) nec non Catalogi Scriptorum Homileticorum Reales, ab Henn. Wittenio *in Repertorio Homiletico*, & Ephr. Prætorio, in *Biblioth. Homiletica* Vernacula (Lipſ. 1698. *in 4.*) ſed absque juſto ſelectu, exhibiti. De *Poſtillis*, quæ barbara voce ſic appellantur, *Eccleſiaſticis* Diatribe Gotfr. Wegneri nuper Regiomonti prodiit. Qualium Librorum, quibus nihil frequentius aut vendibilibus, neminem adhuc Bibliothecam, in Plagiariorum tot Sacrorum, quibus in deliciis ſunt, gratiam, miror congeſſiſſe, labore exiguo plures illorum, non Centurias tantum, ſed & Chiliades, conquiri poſſe, perſvaſus.

§. XVI. Theologiam *Libro VI. Tomi III.* excipit Jurisprudentia. Hujus Hodegos, & Scriptores Bibliothecarios, cum haud vacet recenſere univerſos, ſolos ex recentiſſimis commendo Gotfr. Gvilh. Leibnitium *Methodi diſcendæ docendæque Jurisprudentiæ* (Francof. A. 1668. *in 12.*) Nic. Chriſtoph. Lynckerum *Inſtructorii forenſis* (Jen. *in fol.*,) Pet. Müllerum *Tr. de Studio Juris tractando* (Duderſt. 1670. *in 4.*,) & Burch. Gotth. Struvium *Biblioth. Juris Selectæ*, Jenæ A. 1703., (*in 8.*) editæ, (quæ *c. 1. §. 1. & c. 4. §. 2.* alios fuſe enumerat,) Autores. Addo, cum a Struvio omittantur, licet ipſe non viderim, ſed in Ephemeridibus ſaltem memorari obſervaverim, Auguſtini Fontanæ *Amphitheatrum Legale Alphabeticum, ſeu Bibliothecam Legalem omnium Autorum ampliſſimam*, IV. Tomis *in fol.* Parmæ A. 1681. editam, & Dion. Simonis *Nouvelle Bibliotheque Hiſtorique & Chronologique des principaux Auteurs & interpretes en Droit Civil, Canonique, & particulier de pluſieurs Etats & Provinces, depuis Irnerius, avec les Characteres de leurs eſprits, & les jugemens de leurs Ouvrages* (Pariſ. 1692. *in 12.*) Henr. Ern. Keſtneri *Polyhiſtor Juridicus* (Francof. 1699. *in 4.*) Tituli magnificentiæ non reſpondet. Cui an Joh. Gröningius, *Polyhiſtorem* itidem *Juridicum*, in Morhofiani Supple-

Supplementum, pollicitus, accuratius ſit ſatisfacturus, Struvius dubitat, nec ipſe definire auſim. Georg. Beieri *Specimina IV. Notitiæ Autorum Juridicorum*, Lipſiæ quinquennio edita proximo, circa Libros tantum paucos, nullo ordine obſervato, occupantur, Caſp. autem Thurmanni *Bibliothecæ Canonica & Duellica* A. 1700. *Metallicaq; & Salinaria* A. 1702., Halæ Sax. editæ, in Argumentis verſantur ſpecialibus, & ob laborem potius, quam Judicium, ſunt commendandæ. Juris Nat. & Gentium Univerſalis Scriptorum Notitia, ex Er. Mauritii *Specimine Diſſertt. de Principiis J. Publ.*, eximio, ſed imperfecto (Tub. 1665. *in 4.*,) Vinc. Placcii *Epitome Conſilii de ſtudio Philoſ. Pract.* (Hamb. 1695. *in 8.*,) Jac. Frid. Ludovici *Delineatione Hiſtoriæ J. Div., Nat., & Poſitivi Univerſalis* (Halæ 1701. *in 4.*,) Joh. Gröningii *Biblioth. J. Gent. Exotica & Europæa.* (Hamb. 1703. *in 8.*,) & J. Franc. Buddei *Hiſtoria J. Nat.*, quæ, Halæ nuper A. 1704., inter *Selecta J Nat. & Gent.*, auctior recuſa, cæteris ob κρίσιν de ſingulis accuratam, merito præfertur, eſt haurienda. Juris Civ. Rom., ejusque Librorum, Hiſtoriam & Fata, poſt Gentilem, Seldenum, Duckium, Gothofredum, Mauritium & Riccium, Autori memoratos, expoſuere Sim. a Leuwen *in Narratione de J. Civ. Rom. Origine, Progreſſu, Uſu, Autorit., & varia Editione atque Emendatione*, Jenæ A. 1697. (*in 8.*) recuſa; Joh. Douſatius *in Hiſtoria J. Rom. Civ.* (Pariſ. 1678. *in 12.*,) Georg. Schubartus in Triade *Exercc. de Fatis Jurisprud. Romanæ, ab U. C. ad primos usq; Impp.* Jenæ 1696. *in 8.*,) & Joh. Vinc. Gravina *in Lib. de ortu & progreſſu J. Civ.* (Neap. 1701. *in 12.*, Lipſ. 1704. *in 8.*). Plures Struvius *c. 4. §. 1.* ſuppeditabit. In autoritatem illius in Germania, poſt Conringium (*in Lib. de Orig. J. Germ.*,) in Biga *Diſputt. de Juris Juſtinianei receptione atq; Autoritate in Germania*, Altorfii Anno 1679. inquiſivit Henr. Linckius, Conringio ei longe addictior. Commentatorum in *Inſtitt.* Indicem, in *Subſidio Juris* (Roſt. 1659. *in 4.*,) dedit Chr. Woldenbergius. JCtorum Vett. Biographis, hoc Lib., & *T. I. L. I. c. 19. p. 248.*, commendatis, jungendi præ aliis Nic. Henelius in *Comm.* de illis peculiari (Lipſ. 1641. & 1654. *in 8.*,) & Gvilh. Grotius, qui *Vitas* itidem *JCtorum, quorum in Pandectis exſtant nomina*, reliquit, ſex luſtris poſt obitum ejus elapſis, a Filio Lugd. Bat. A. 1690. (*in 4.*) publicatas. Juris Canonici Studioſis, præter Gentilem, Duckium & Rittershuſium, adjumento erunt Gerh. a Maſtricht *Hiſtoria J. Can., ſive de illius Ortu, Progreſſu, Incrementis, Collectionibus Autoribusq;, Tractatio* (Duisb. 1677. *in 8.*,) Joh. Douſatii *Hiſtoire du Droit Canoniqve* (Pariſ. 1676. *in 12.*,) & *Prænotionum Canonicarum Libri V., quibus Sacri Juris, atque univerſi ſtudii Eccleſiaſtici, principia & adminicula enucleantur* (Pariſ. 1687. *in 4.*,) Joach. Clutenii *Hiſtoria J. Can.* (Arg. 1609. *in 4.*,) Georgiique Wernerii & Huld. Eybenii Diſputt. hujus argumenti Helmſtadienſes, A. 1669. & 1672. publicatæ. Ad. Jur. Can. Orientalis cognitionem Hiſtoricam Chriſtoph. Juſtelli & Gebh. Theod. Meieri duæ Præfatt., *Codici Canonum Eccleſiæ univerſæ*, in Edit. A. 1663, Helmſtadienſi, præmiſſæ, & Petri de Marca *de Veteribus Canonum Collectionibus Diatriba*, *Opuſculis* ejus *Poſthumis* (Pariſ. 1681. *in 8.*) a Steph. Baluzio inſerta, manuducent. De Juris Feudalis Scri-

ptoribus Er Mauritii *Nomenclator* illorum conſulatur poſthumus, e ſchedis defuncti, ordine Alphab., a Joh. Nic. Hertio congeſtus, & in *Diſſertt.* ejusd. Volumine (Franc. 1692. *in 4.*) publicatus, ſingulorum Hiſtoriæ Judicia ſubjungens. In Juris Publici Germanici Hiſt. Literaria omnes haud dubie idem ſuperaſſet Mauritius, ſi Opus ei *de hujus Principiis* affectum, amplum atque diffuſum, eadem, qua *Specimen* illius, de J. Nat., ſeu primo agens principio, ac lectiſſimas de Argumentis J. Publ. variis Diſſertationes, doctrinæ copia & ἀκρίβεια perficere licuiſſet. Jacturam hanc ſolantur Sam. Rachelii *Introd. ad Jus Publ. Germ., præcipuos ejus Scriptores exhibens* (Amſt. 1680. & 1685. *in 12.*,) & J. G. Sulpicii (ſive Joh. Georg. Kulpiſii) *Diſſ. de ſtudio J. Publ. recte inſtituendo, & Scriptoribus eo pertinentibus*, cum *Epiſt. de Studiis Juvenis Nobilis Academicis*, A. 1688. & 1700. (*in 8.*) edita, quam Scripto etiam Racheliano Struvius merito prætulit. Addatur his J. Henr. Bœcleri *Conſignatio de Scriptoribus J. Publ. præcipuis* poſthuma, *Notis in Dan. Ottonis Jus Publ.* præmiſſa, & deinde a Phil. Reinh. Vitriario ſuis *Inſtitt. J. Publ.* ſubjuncta, a Kulpiſio pariter atque Struvio laudata. De Juribus Statutariis Germaniæ Herm. Conringius in *Comm. de Origine Juris Germanici Hiſtorico*, perquam luculento, tertia vice (poſt Editt. A. 1643. & 1649. priores) Helmſt. An. 1665., cum augmento inſigni, publicato, de Danicis Andr. Sev. Vellejus, Pet Galthius, Pet. Reſenius & Otto Sperlingius Jun., in Scriptis, (quæ *Prolegomena* noſtra ad *Biblioth. Septentr. Erud.*, §. 45., fuſius enumerant) ineditis, de Cimbricis, Lubecenſi item & Hamburgenſi, Tr., quo *Iſagogen ad Hiſt. Cimbr.* exhibuimus, quadripartitus, de Svedicis Joh. Olai Stierenhök, JC. Aboënſis, *in Libb. II. de Jure Sveonum & Gothorum Vetuſto* (Holm. 1672. *in 4.*,) Car. Lundius in *Hiſtoria Juris Sveo-Gothici*, & *Collatione LL. Sveo-Gothicarum & Atticarum*, prælo maturis, & Laur. Ludenius in duobus, quæ Wittenius memorat (*T. I. D. B., ad A. 1654.*) hujus argumenti Schediaſmatis, Hiſtorice ſunt commentati. Circa Anglica eodem inſtituto occupati fuere Joh. Seldenus *in Diſſ. ad Fletam*, & *Notis ad Joh. Forteſcue Lib. de laudibus Legum Angliæ* (Lond. 1616. *in 8.*,) Morhofio laudatis, Matthæusque Haleus *in Hiſtoria & Analyſi Legum Angliæ* ἀνέκδοτῳ (cujus, e Jac. Tyrellii *Hiſt. Anglica*, Lipſienſes, *in Act. Erud. A. 1703. p. 315.*, injecere mentionem,) circa Hiſpanica autem Gerh. Ern. de Franckenau, Secret. Danicus, in *Sacris Themidis Hiſpanæ Arcanis, Jurium Legumq; Ortus, Progreſſus, Varietates & Obſervantiam, cum præcipuis Gloſſarum Commentariorumq; Auctoribus, & Fori Hiſpanici Praxi hodierna, complexis*, (Hannov. 1703. *in 4.*) ac quem is laudat, Joh. Lucas Corteſius, Regii Caſtellæ Senatus Conſiliarius, *in Hiſtoria Juris Hiſpanici* inedita. Gallicorum Hiſtoriam qui tradiderit, nondum inveni, niſi referendus huc ſit Joh. Douſatius, qui, in *Hiſtoria J. Civ. Rom.*, Gallici etiam originem teſte Titulo, perſtrinxit. *Introductiones ad Praxin forenſem*, de Scriptoribus diſſerentes Practicis, Er. Mauritius, ab Autore commendatus, &, poſt hunc (A. 1694.,) Sam. Strykius, Struvio (*c. 7. p. 250.*) laudatus, dedere, JCti ambo illuſtres, quibusque peritiores nemo Hodegos deſiderabit.

§. XVII. Diſſertatio de Arte Medica perbrevis, quæ toti finem imponit *Polyhiſtori*,

hiſtori, adeo, fateor, imperfecta eſt & jejuna, ut vel ſola, Acroaſibus, quarum *ultima* plerumque *frigent*, Academicis totum hoc Opus deberi, teſtetur, & niſi lacuna iſta mancum illud reddidiſſet atqve mutilum, luce indigna haud immerito potuiſſet videri. Supplementa, qvibus præ ceteris indiget partibus, longe plurima, præter Herm. Conringii *Introductionem in Artem Medicam*, laudibus, qvas à Noſtro reportavit, eximiis digniſſimam, ſed cum Acceſſionibus præclaris, qvibus, in noviſſima Anni 1688. Editione, Gener eam Autoris haud degener, G. C. Schelhammerus, dexterrime illuſtravit & continuavit, ſociandam, Scriptoresque Bibliothecarios & Biographicos, *h.l.* & *T.I.*, *Lib.I.*, *c.18.p.228.ſeq.*, memoratos, alii etiam, Opere hoc tum Antiqviores, tum Recentiores, ſuppeditare poterunt. De illis, præſertim Biographis, & Laboribus qvoqve hujus generis affectis Th. Reineſii, Æg. Menagii & Phil. Labbei (qvibus J. Bapt. Capponus e *T. I. L. I p. 228.* addi poterit), conſuletur Henr. Meibomii Jun. *Epiſt. de Medicorum Hiſtoria Scribenda*, Helmſt. 1669. (*in 4.*) edita; Operis inprimis *de Vitis Medicorum*, a Parente πολυμαθεστάτῳ, J. Henr. Meibomio, Libris IV., ab O. C. ad A. C. 1450., perducti, a ſe vero aucti & emendati (qvod, poſt ſemiſeculi ab Autoris obitu intervallum, nondum prodiiſſe miramur), σκιαγραφίαν proponens. Pleroſqve etiam, tum Biographos, tum Bibliograppos Medicos, recenſuit, & accurata ſimul de iis tulit Judicia, Val. Henr. Voglerus *Cap. 8. Introd. in Notit. Bonor. Scriptorum.* Inter Recentiſſimos, Bibliothecarum Medicarum auxit numerum Georg. Abr. Merclinus *Lindenio* ſuo *Renovato* (Norib. 1686. *in 4.*) in qvo Lindani *Libros II. de Scriptis Medicis* augere ac continuare (poſt Conr. ab Hove, Med. Brem., El. Pilulandum Danum, & D. Becherum Saxonem, qvorum ipſe Labores *in præfat.* memorat affectos) aggreſſus, e ſuis eos Annott., & Georg. Hier. Welſchii Schedis, non ſolum emendavit, ſed & dimidia fere parte amplificatos, Libris plusqvam 1700., Vitisqve Medicorum brevioribus pene 300., locupletavit. Autoribus de Studio Medico Jſagogicis, præter Joh. Rhodium, & alios, *Introd.* Conringianæ a Schelhammero adjectos, Rod. a Caſtro *Medicus Politicus, ſive de Officiis Medico-Politicis Libri IV.* (Hamb. 1614. *in 4.*), Pet. a Caſtro, Poliatri Veron., *Bibliotheca*, qvæ Patavii A. 1654. (*in 12.*) prodiit, *Medici Eruditi* (cujus Tituli Scriptum, Caſtriano lucupletius & accuratius, τὸν πάνυ G. H. Welſchium molitum qvoqve eſſe, Schröckiana ejus *p.56.* teſtatur *Memoria*), & Caſp. Höfmanni *Iſagoge Medica*, *Oratt. 2. de ratione Medicinam, tum diſcendi, tum exercendi*, propoſita & a Collega Jac. Pancr. Brunone Curiæ Variſc. A. 1661. (*in 12.*), cum Supplemento, edita, jungi merentur. Peregrinationis Medicæ Hodegos ſe Thom. Bartholinus, in Diatr. eleganti, Hafn. A. 1674. edita, & Joach. Vitus Wigandus (ſive Joh. Val. Willius) in *Triga Diſſertt. de Philiatrorum Germanorum Itineribus* (Frib. 1678. *in 12.*), præbuere peritiſſimos, *Deſiderata Medicinæ* a Georg. Hier. Welſchio *in Somnio Vindiciani* (Aug. A. 1676. *in 4.*) ſunt recenſita. Oblitus pene eſſem *Hiſtoriæ Artis Medicæ*, qvæ principem inter Modernorum Scripta hujus argumenti locum meretur, Gallice, Amſtelod. A. 1702. (*in 4.*) a Dan. Clerico, Med.

Genev., editæ, Tribusqve Partibus (qvarum Prima ſeorſim Genevæ A. 1699. *in 12.* prodierat) ad Galeni usqve ævum perductæ. Inqva cum Autor Celeberrimus Medicinæ Univerſæ Antiquioris, ejusqve Sectarum, Autorum & Propagatorum, Dogmatum item & Scriptorum, ſingulis propriorum, Hiſtoriam ſumma eruditione, & judicio accurato, propoſuerit, præclare utiqve, ſi qvisqvam modernorum, de Arte ſua meruiſſe eſt cenſendus, præclarius vero adhuc meriturus, ſi telam inchoatam, a Galenicis temporibus, ad noſtram usqve ætatem, pari dexteritate pertexet. E Scriptoribus de ſingulis Medicinæ Partibus Iſagogico-Hiſtoricis, Chymicos jam ſupra recenſuimus. Phyſiologiæ Hiſtoriam, & Scriptorum Cenſuram, in ſua ad illam *Introduct.* (Helmſt. 1681.) exhibuit G. C. Schelhammerus, *Anatomes* vero *Origines* A. 1683. Regiomonti, *Diſſertt. IV.*, ab antiqvïſſimis repetiit temporibus & ad noſtra deduxit, Phil. Jac. Hartmannus. Thom. Bartholini *Biblioth. Anatomica*, qua Profectorum omnium, tam Vett., qvam Recentiorum, Vitas, Inventa, Scripta, & multorum etiam effigies, erat complexus, in Biblioth. ipſius periit incendio, Rei Lit. & Medicæ admodum funeſto. Quæ Genevæ A. 1685. *in fol.* ſub eod. Titulo, prodiit, *Biblioth. Anatomica*, a Dan. Clerico & J. Jac. Mangeto in *Tomos II.* digeſta, Celebriorum recentioris ævi Anatomicorum Tractatus ſelectiores, junctim recuſos, exhibet. *Biblioth. Botanicam*, ſub larva Joh. Ant. Bumaldi Bonon. A. 1657. (*in 24.*) editam, Ovidio debemus Montalbano, Prof. Acad. Bonon. Medico, in Placcii *Tr. de Scr. Anon. & Pſeudon. p. 170.* detecto. Praxeos tandem Medicæ Cultoribus Autores, de morbis commentatos ſingulis, ſuggeſſere Matthias Moronus *in Directorio Medico-Practico*, Lugd. Gall. A. 1647. & 1650 (*in 8.*) publicato, &, qui iſtud, a ſe auctum, Francof. A. 1663. (*in 4.*) denuo recenſuit, Seb. Schefferus, Poliater Francofurtanus. Sed finis aliquando Recenſui huic Scriptorum de Arte Medica Hiſtoricorum eſt imponendus, ne in majorem is, quam Autoris noſtri de eadem, Commentatio juſto brevior, molem excreſcat. Vale ergo, L. B., & Morhofii, Viri de Re Literaria præclare meriti, Labores juſto mecum æſtimans pretio, de poſthumis hiſce, illorumque imperfectione, ac nævis aliis, quos *emendaturus, ſi licuiſſet, erat*, benignius judica, memor illorum, quæ ipſe, de Operibus ejusmodi affectis, T. I. *Polyhiſt.* hujus, *Lib. I. c. 7. p. 66.*, inculcavit: *Qui imperfecti ſunt Libri, neque extremam limam ſenſerunt, & vel ruditer tantum deſigati, cum Orbe tamen erudito communicandi eſſent, etiam contra Autorum morentium Vota, qui ſibi ipſis interdum iniquiores ſunt, quam alii, Judices. Apellis tabulæ, etiam imperfectæ, in pretio fuere: Ita Virorum ingenioſorum opera imperfecta ſuis Autoribus dedecori non ſunt. Ac ſint in illis nævi, facile hos exſat non adhibita operi ἀκρίβεια, tegunt illos, & quodammodo pulchriores faciunt, opera perfectiora.*

Scribebam Flensburgi Cimbrorum,
M. Decembri Anni
Æra Chriſtianæ. M. DCC. IV.

JOHANNIS MOLLERI

Flensburgo Cimbri,

Scholæ Patriæ Rectoris,

in

DANIELIS GEORGII MORHOFII,

Polyhiſtoris inclyti,

POLYHISTOREM LITERARIUM PROLEGOMENA,

Autoris Vitæ ac Scriptorum, non Editorum modo, ſed & Ineditorum atque Affectorum, præſertim vero POLYHISTORIS hujus, Hiſtoriam exhibentia, ac plurimis Virorum Eruditorum Judiciis, quibus & Autorem, & ſingulas ejus Lucubrationes, publice commendarunt, Honorificis illuſtrantia.

§. I.

POLYHISTORIS (h. e. *Multiscii*) Agnomen Honorificum ſolis olim iis, quos Eruditio multiplex pariter atque ſolida præ aliis nobilitabat, & ſupra Literatorum Ævi ſui Vulgus longisſime evehebat, nec tamen omnibus, fuiſſe tributum, nemo, in Veterum Monumentis, & Hiſtoria Literaria Antiquiori, vel mediocri verſatus diligentia, ignorat. Tales utique fuere, quos coævorum illud, aut Poſterorum, Judicio reportaſſe, Joh. Wouwerius noſtras, in eleganti *de Polymathia* Libello (1.), annotavit, ALEXANDER CORNELIUS (quem Svidas Mileſium, Stephanus, aliique, Cotyæum fuiſſe perhibent), Cornelii Lentuli ex Pædagogo Libertus, & Grammaticus Syllanis temporibus Romanus, ac M. TERENTIUS VARRO, Equeſtri Romæ natus familia, ſuæque a C. Julio Cæſare Bibliothecæ, cum dignitatibus, quibus in toga pariter atque ſago functus ecat, ampliſſimis valedixiſſet, præfectus. Tales etiam extitere, quos Idem Alexandro & Varroni adjungit, C. JULIUS HYGINUS, Hiſpanus, Auguſti Imperatoris Libertus & Bibliothecæ Palatinæ Cuſtos, APIONq; Ægyptius, Tiberio σύγχρονος, & Alexandrinorum ad Succeſſorem ejus, C.

Caligu-

(1.) *cap.* 15., *num*: 8., *p.* 152.

Caligulam, Legatus. Scriptis ſinguli, in omni ferme Literarum genere, inclaruere quamplurimis, quæ, licet pleraque dudum perierint, ab aliis tamen Autoribus Vetuſtis, non ſine luculentis illorum Elogiis, frequenter allegantur. Quæ fuſe recenſere, Voſſiique, Jonſii, Hanckii, ac aliorum, de iis Analecta exſcribere, cum inſtituti noſtri ratio haud permittat, paucisſimis erimus contenti. ALEXANDER CORNELIUS, Cognomen hoc a Lentulo Patrono mutuatus, Vir fuit, Euſebio (2.) teſte, πολύνους καὶ πολυμαθὴς, τοῖς τε μὴ πάρεργον τὸν ἀπὸ παιδείας καρπὸν πεποιημένοις Ἑλλησι γνωριμώτατος. De VARRONE ſilere propemodum præſtat, quam pauca dicere, cum Merita ejus in Literas immortalia, & Laudes, quas iſtis promeruit, Ciceronis, Quintiliani, Auguſtini, aliorumque Ordinis Literarii Principum, invidendæ, vel Libro integro exponi digne vix posſint. *Nemo* certe, ſi Lactantium (3.) audias, *unquam, ne apud Græcos quidem, nedum apud Latinos, illo vixit doctior.* APIONEM, qui a συγχρόνοις πλειστονίκης jam (*Plurimorum Victor*) ac Μόχθος (*Labor*), a Tiberio autem Imperatore *Cymbalum Mundi*, ob Dotium Ingenii præſtantiam, Diligentiam incredibilem, & Famæ magnitudinem, ſalutabatur, Aulus quoque Gellius (4.), propter *Literas multas, rerumque imprimis Græcarum plurimam atque variam ſcientiam*, extollit. HYGINO eundem Polyhiſtoris Titulum a coævis fuiſſe delatum, Wouwerius (5.) & Gerh. Joh. Voſſius (Hieronymi etiam *Chronicon Euſebianum*, ad A. M. VIII., hunc in finem allegans) (6.), ex hiſce Suetoniani de *Illuſtribus Grammaticis Libelli*, verbis *c.*, 20. in Vita illius, obviis, evincere allaborant: *C. Julius Hyginus, Auguſti Libertus, natione Hiſpanus, etſi nonnulli Alexandrinum putant, & a Cæſare Romam affectum, Alexandria capta. Studioſe & avide imitatus eſt Cornelium Alexandrum, Grammaticum Græcum, quem, propter Antiquitatis notitiam, Polyhiſtorem multi, quidam Hiſtoriam vocabant.* Verum, ne quid diſſimulem, iſte Svetonii Locus pro Hygino, a Duum viris πολυμαθεστάτοις, perperam videtur allegari, & Alexandro potius Cornelio quem ille imitatus eſt, paulo antea nobis laudato, Polyhiſtoris agnomen aſſerere. Quod Tobiæ etiam Magiro (7.), quanto Alexander apud Romanos habitus fuerit in pretio, ex illo probanti, video jam eſſe obſervatum. Non indignum interim eodem Titulo Hyginum fuiſſe lubentes fatemur, & duo Ingenii ipſius Monumenta, quæ ſola e tot injuria temporum amiſſis ſuperſunt, Literaria, *Poëticon* nempe *Aſtronomicum* & *Fabularum Liber*, haud obſcure teſtantur.

II. Verum eidem Fato ac mutationi Titulus hic Polyhiſtoris, aliique ejusdem generis Literarii, fuere obnoxii, cui Politici, Auguſtis olim, Principibus, aliisque Viris illuſtribus, ceu tanto faſtigio proprii, honoris gratia, a Veteribus attributi. Hos enim nemo ignorat, Seculis poſterioribus, & præſer-

(2.) *Lib. 9. de Præparat. Evang.* 17. (3.) *L.* 1. *Inſtit. Divin., c. 6. p. m.* 23. (4.) *L. 5. Noct. Att., c.* 14. (5.) *l. c.* (6.) *Lib. I. de Hiſt. Lat., c.* 20., *p.* 102. (7.) *in Eponymologio Critico. p* 11

præſertim XVIImo nuperrime elapſo, laxiore admiſſo ſignificatu, Hominibus ſubſellii longe inferioris delatos, ita paulatim degeneraſſe, ut Monarchis, Supremique Ordinis Magnatibus, de novis, quibus ipſi ſoli gauderent, in iſtorum locum adſciſcendis, hactenus ſæpe fuerit & in poſterum quoque ſit cogitandum. In Republica Literaria, uti dictum, partim ſtolidæ ambitionis, partim vero *φιλαργυρίας* ſordidæ & turpiſſimæ adulationis vitio, non minor, quod Titulos attinet, invaluit *ἀταξία*. Graduum certe, quos vocant, Academicorum, ſolis olim vere Eruditis deſtinatorum, Appellationes, honorificæ ſane ac plauſibiles, poſtquam pretio iſti venales eſſe, & dignis atque indignis promiſcue conferri, cœperunt, adeo jam eviluerunt, ut Illiterati eas rideant ac contemnant, Eruditiſſimi quique faſtidiant, multique ex ipſis Profeſſoribus ac Brabevtis, iisdem olim donati, nominibus ſuis, tanquam parum ſibi decoras, adjicere dedignentur. *Clariſſimi* Titulus, tantæ olim dignationis, ut Viris Conſularibus, Provinciarumque Præſidibus, Romæ eſſet proprius, Seculo autem XVIto ſolis ferme Literarii Ordinis Proceribus cœperit tribui, multis jam Literatoribus Umbraticis, illo ob famæ & Doctrinæ obſcuritatem ne quidem dignis, itidem ſordet; faſtuoſæ autem contra, & Magnatibus merito relinquendæ, *Excellentiſſimorum* ac *Magnificorum* Appellationes etiam ab iis ambitione nonnunquam ſibi vindicantur ridicula, in quibus, ſi dotes ſpectes ingenii, nil niſi exile & vulgare, nedum magnum aliquid, aut τῶν ἄλλων ἔξοχον, deprehendes. Non eſt igitur quod miremur, Polyhiſtoras etiam, imo πανσόφους nonnunquam & πανεπιστήμονας, noſtra ætate, ab Aſſentatoribus imperitis, &, quid æra lupinis diſtent, ignaris, ſalutari, qui ad Polymathiæ veræ Adyta nunquam penetrarunt, ſed vel in uno tantum Literarum, ſive Elegantiorum, ſive Sublimiorum, genere diligentius aliis ſunt verſati, vel, ſi pluribus vacare libuit, ſtudio illa fugitivo & deſultorio, Canis inſtar e Nilo bibentis, obiter tantum delibarunt, nullius autem accuratam atque ſolidam adepti ſunt peritiam. *Vera* nimirum, in Republica etiam Literaria, quod Salluſtius Romanæ indignabundus olim exprobravit, *rerum Vocabula jampridem amiſimus*, nec Studiorum ſaltem præmia, ſed ipſum etiam Eruditionis Nomen, & Titulos huic ſoli debitos, Indocti cum Doctis partiuntur, ac ſæpiſſime illis præripiunt.

III. Non tamen tanta eſt noſtrorum temporum Infelicitas, ut nullos amplius habeant, quibus gloriari, quosve Priſcis opponere queant, vere Polyhiſtoras. Decreſcit, fateor, ob quotidiana Barbariei, & turpiſſimi Doctrinæ ſolidioris Contemptus, incrementa, paulatim illorum numerus, ſed nondum tamen omnino diſparuit. Inclaruere, noſtra etiam ætate, inter Germanos, Batavos, Italos, Gallos, Britannos, imo in Cimbria etiam, ac vicino ei Septentrione, & etiamnum, numero licet imminuto, ſuperſunt, Heroes nonnulli Literarii, qui accurata totius Polymathiæ peritia, & immortalibus in omne

Literarum genus meritis, Seculi ſe eſſe Ornamenta ſatis ſuperque demonſtrarunt, ac Polyhiſtores, non priſco ſolum illo ac genuino Vocis ſignificatu, ſed & κατ᾽ ἐξοχὴν, appellari meruerunt. Indicem τῶν ἐξοχωτέρων ſiſterem, niſi brevitatis ſtudium, & Timor Indignationis Pſeudo Polyhiſtorum quorundam, in Republica φιλοπρωτευόντων Literaria, ob mentionem ſui in illo forte omiſſam, gravisſimæ, calamum ſufflaminarent. Unus ergo, ceterorum omnium loco, in ſcenam prodeat Polyhiſtor, quem Cherſoneſus hæc Cimbrica Ornamentis Chori ſui Literarii adoptivis potioribus accenſet, plane eximius, & Titulo iſto, præ aliis, extra omnem Controverſiam, longe dignisſimus,

DANIEL GEORGIUS MORHOFIUS.

Polyhiſtorem hunc Viri jam Eruditi quamplurimi, & hos inter, Polyhiſtores etiam ætatis noſtræ Celeberrimi, ſuo paulo poſt loco enumerandi, in Monumentis ſuis Literariis, publice ſalutarunt. Polyhiſtorem Auditores Academici in Cathedra publica, & Muſeo domeſtico, Amici autem, in Colloquiis Familiaribus, & Commercio Epiſtolico, ſunt experti. Polyhiſtorem Scripta tot, quibus omnes ferme Polymathiæ Elegantioris partes inſigniter illuſtravit, exaſciatisſima, nemine Lectorum diffidente, oſtendunt, & Poſthuma, quæ, Manum ac Limam Autoris ſui ultimam experta, luce publica digna Cenſoribus videbuntur accuratis (delectu enim hic opus, hactenus forte interdum neglecto), itidem demonſtrabunt. Polyhiſtorem denique fuiſſe, vel ſolus hic *Polyhiſtor Literarius*, qui tertia nunc vice, & integer quidem, dimidiaque parte jam redditus auctior, Orbi erudito ſiſtitur, cum *Philoſophico* & *Practico*, eum ſecuturis, Teſtis eſt omni exceptione major. Longe potiori utique Jure ἐπιγραφὴν iſtam ſibi vindicat, quam C. JULII SOLINI, Scriptoris, a quo Noſter mutuatus eam eſſe videtur, Vetuſti equidem ſed Eruditioribus minus probati, *Polyhiſtor*, ex *Hiſtoria Naturali* Pliniana, aliisque Veterum Laboribus, nec fideliter ſatis, nec Judicioſe, compilatus, aut ANT. GVIBERTI COSTANI, Toloſatis, JCti, *Polyhiſtor* miſcellæ doctrinæ, ſed ſex tantum octernionum, exiguus, cum ejuſdem *Quæſtionibus Juris Memorabilibus* A. 1557. editus, ac Hanoviæ A. 1598. (8.) recuſus.

IV. Verum de Opere hoc Illuſtri, totiusque Rei Literariæ exhibente Pandectas, ac ceteris Morhofii noſtri Laboribus, Editis, Ineditis atque Affectis, fuſius dicendi, ſuasque ſingulis laudes, allegatis hunc in finem Eruditorum Judiciis, admetiendi, commodior poſtea recurret occaſio, ubi Vitæ Viri Summi Hiſtoriam brevem atque Synopticam præmiſerimus. Prolixiorem equidem, & ſtudio accuratiori (quali Phil. Melanchtonem Joach. Camerarius, & Tychonem Braheum, ac Mecænatem Galliæ, Nicol. Fabricium Peireſcium, Pet. Gaſſendus, celebrarunt) concinnatam, Wilh. Ern. Tenzelius, Hiſtoriographus Ducum Saxoniæ πολυμαθέστατος, ante decen-

nium,

(8.) *in 8vo.*

nium, publice (9.) a me efflagitavit. Verum ignoſcet mihi, qua eſt humanitate, haud gravate, ni fallor, Vir Celeberrimus, quod deſiderio iſti ſuo ab aliis diſtracto laboribus, nec hactenus ſit ſatisfactum, nec jam ſatisfiat, ſed Palma iſta Theologo in Literatura elegantiori verſatisſimo, HENRICO MUHLIO, communi utriusque Amico, ac Morhofii non Diſcipulo ſolum γνησίω, interiorisque admisſionis domeſtico, ſed & in Profesſione Kilonienſi Poëtica Succeſſori, quem Vitæ Laborumque Præceptoris moliri Hiſtoriam, ipſemet paulo poſt (10.) ex Epiſtola ejus ad ſe A. 1692. exarata, ſignificavit, relinquatur. Cujus Meletematis ſui Editionem ut Vir Summe Reverendus, de Manibus jam ante Morhofianis venuſto Poëmate Elegiaco, iis ſacro, (quod Lipſiæ An. 1691. (11.) ſeorſim prodiit, deinde vero, ſub *Libri III. Polyhiſtoris Literarii* initium, Lubecæ Anno 1692., & in *Diſſertationum Academicarum atque Epiſtolicarum* Noſtri Appendice (12.) Hamburgi A. 1699. eſt recuſum), præclare meritus, maturet, ſerio eum obteſtor. Lenient interim ejus expectationem Schediasmata breviora, partim Biographica, partim Encomiaſtica, Viri Summi memoriæ a Tanti Nominis Cultoribus, intra Undecennium hoc, a morte ipſius elapſum, conſecrata. Hos inter agmen ducit ipſe Cl. TENZELIUS, cujus Narratio de Morhofii Vita, & in Literas Meritis, compendiaria, ex Henr. Muhlii Epicedio modo laudato, & Epiſtola ad ſe Familiari, ſermone collecta Germanico, bimeſtri poſt obitum τȢ μακαρίτȢ tempore vix elapſo, *in Dialogis Anni* 1691. *Menſtruis*, M. Septembri, (13.), lucem aſpexit publicam. Anno ſequenti 1692., MATTHIAS HENRICUS BURCHARDUS, Slesvicenſis, Georgii Henrici, Antiſtitis Regii Segebergenſis, Viri eleganter docti, nobisque olim amicisſimi, Filius haud degener, ſed morte immatura ante quinquennium extinctus, in Nundinarum, ſive (uti ipſe, ad Nomen Vernaculum Umbſchlag alludens, has appellat) *Vertumnalium* Kilonienſium Panegyri Anniverſaria, XIV. Kal. Febr., Oratiuncula Præceptorem defunctum Panegyrica celebravit haud ineleganti, iſtique, triennio poſt (A. 1695.), Lubecæ, & ſeorſim (14.) excuſæ, & Secundæ Trium priorum *Polyhiſtoris Literarii* Librorum Editioni adjectæ, *Laurus Cimbricæ Areſcentis, ad Buſta Morhofii ſparſæ*, Titulum præfixit. Noviſſime, A. 1699., in Voluminis *Diſſertationum* Noſtri *Academicarum atque Epiſtolicarum*, Junctim Hamburgi publicatarum, Appendice (15.), Vitæ Morhofii prodiit Hiſtoria, ab ipſomet MORHOFIO, continua narratione, ab Anno Natali 1639. ad 1671., ſive ætatis triceſimum ſecundum, perducta, ſed Editioni, uti credo, haud deſtinata. Adjecit iſti Amicus Autoris Ἀνώνυμος (quem *Bibliothecæ Morhofianæ forulos ac ſchedas fere omnes diligenter excusſiſſe*, Joh. Burch. Maji teſtatur *Præfatio*, Studioſum autem Juris fuiſſe Veteranum, &

(9.) *In Dialogis Menſtruis Germanicis, M. Jan. A. 1692., p. 63.* (10.) *M. Jul. A. 1692. p. 603.* 604. (11.) *in fol.* (12.) *p. 138 - 143.* (13.) *p. 801 - 808.* (14) *in 4to.* (15.) *p. 1 - 48.*

τῦ Μακαρίτυ per annos complures domeſticum, (ab aliis accepi) Continuationem ſuam, ad A. usque 1691. (qui Noſtro fuit Emortualis) laudabili pertextam diligentia, niſi quod Ordinem ſubinde magis concinnum, & delectum accuratiorem, deſideres. Subjunctus eſt utrique (16.) CASPAR. THURMANNI, Roſtochienſis, J. U. D. & Conſiliarii olim Saxo-Lauenburgici, Recenſus Scriptorum Morhofii, ac Judiciorum, quæ de Autore pariter atque iſtis Viri Docti tulerunt, honorificorum, laudabili ſane inſtituto, ſed parce nimis, quod Elogia attinet, ex ſolis ferme Actis Eruditorum Lipſienſibus, Dialogisque Tenzelianis, ac paucis aliorum Scriptis, deprompta, congeſtus, cuique, e prolegomenis hiſce noſtris, haud exiguum forte accedere poterit Auctarium. Mentionem etiam aliquam meretur, quæ eidem *Diſſertationum Academicarum* inſerta eſt *Appendici* (17.), Sylloge locuples Carminum Adoptivorum, quibus Collegæ Roſtochienſes ac Kilonienſes, Amicique alii, vel de Titulis ac Dignitatibus Academicis Noſtro ſunt gratulati, vel in Nuptiis ejus, ac Filiorum Natalibus, Applauſum, in Uxoris autem funere συμπάθειαν ſuam, teſtati, vel Scriptis, ab illo editis, hederam ſuſpenderunt, vel obitum tandem ipſius, Orbi Literato luctuoſum, deplorarunt. Suggerit enim & iſta, quæ Hiſtoriam Vitæ Noſtri illuſtrant, cujus σκιαγραφίαν brevem, ex hac *Diſſertationum Appendice*, eodem, quo illa prodiit, Anno 1699. LIPSIENSES quoque *in Actis Eruditorum* (18.), Literatis exhibuerunt. Horum nos exemplo, in Vita eadem exponenda, ipſius potiſſimum Morhofii Biographiam, ejusque Continuationem ſequemur ἀδέσποτον, ac utriusque narrationes obſervationibus ſubinde noſtris augebimus atque illuſtrabimus.

V. Natus eſt MORHOFIUS Wismariæ, Urbe Ducatus Megapolitani vetuſta ac munitiſſima, Portuque inſuper egregio & Commerciis maritimis præſigni, Anno Æræ Chriſtianæ Vulgaris 1639. (non 1636, quem Celeb. Tenzelius (19) perperam ſubſtituit), diemque Sextum Februarii, Romanis olim nefaſtum atque inauſpicatum, ortu ſuo, & Patriæ, & Orbi Literato, fauſtiſſimum reddidit atque auſpicatiſſimum. Natalem hunc, cum Socrate, Alexandro Magno (cui idem Emortualis etiam fuiſſe traditur), Friderico Wilhelmo, Electore Brandeburgico, hujusque Primogenito, Carolo Æmilio, ſibi communem, Heroumque proinde, & Bellicorum, & Literariorum, fœtura jam olim illuſtrem, ac ab Athenienſibus præterea, Græcisque ceteris, ob victorias crebras a Perſis eodem reportatas, inter fortunatiſſimos relatum, Ipſemet, ductu Æliani (20.), quatuor celebravit Carminibus, ad Principes Brandeburgicos, paulo ante laudatos, Genethliacis. Quæ cum prolixiora ſint, quam ut huc poſſint a brevitatis Studioſo trans-

(16.) *p.* 49.-60. (17) *p.* 61-143. (18.) *M. Jul. p.* 291. 292. 293. (19.) *in Dial. Menſtr.* 1. *Sept. A.* 1691. *p.* 805. (20.) *L.* 2. *Var. Hiſt. c.* 26.

tranſcribi, in *Operibus* Autoris ſui *Poëticis* (21.), ab Elegantiarum hujusmodi Amaſiis, evolvi merentur ac perlegi. Patrem habuit *Joachimum Morhofium*, Notarium Publicum, Senatuique Urbano a Judicii Inferioris Secretis, tenuioris quidem ſortis Parentibus in Marchia procreatum Brandeburgica, ſed probitate pariter atque doctrina conſpicuum; Matrem vero *Agnetem*, Danielis Hintzii, Mercatoris honeſti, Filiam. Quæ in hujus, Noſtro in tenera fato præmaturo ereptæ infantia, locum ſucceſſit, *Anna Tabberta*, Friderici Petræi Vidua, Noverca licet eſſet, affectu tamen vere materno Privignum eſt proſecuta, & Bona ſua, Marito omnium Hærede nuncupato, ad ipſum pervenire voluit.

VI. A teneris Ungviculis, ductu Parentis (cujus ſe Cura, Conſilio & Informatione, ſolida variorum Studiorum jeciſſe fundamenta, Ipſe, in Vitæ propriæ Hiſtoria, grato agnoſcit animo), tum Pietatis Exercitiis, & Lectioni S. Codicis quotidianæ, tum Hiſtoriarum etiam, e Verſione *Chronici* Carionis Germanica, Cognitioni mature asſvevit, Muſica autem, in qua progreſſus deinceps, fecit inſignes, ipſemet, etiam adhuc ἀναλφάβητος, ſummopere eſt delectatus. Primis Latinitatis rudimentis ab eodem imbutus eſt Parente ſuo, qui e Ludo eum, in quem miſſus erat, Literario, quod Caput Pueri, per Orbilium quendam, fuſte ita læſum eſſet, ut tubera inde orta, ac præ pudore disſimulata, in febrim illum periculoſam conjiceret, domum revocavit, trienniocꝫ ipſe informavit integro. Iſto elapſo, Athanæi Wismarienſis Urbani (nec enim, vel Scholam Civitatis Roſtochienſis Trivialem Anno eum ætatis nono accesſiſſe, a Matth. Henr. Burchardo (22.), nec Lubecenſem deinceps frequentaſſe, a Lipſienſibus (23.), perſvaderi, cum ipſe neutrius, in Vitæ ſuæ Hiſtoria, mentionem injiciat, patior) cómmiſſus Præceptoribus, Rectoris ejus, Joh. Poltzii (Scholæ poſtea Lubecenſis Subrectoris ac tandem Conrectoris), auſpiciis, ita, & in ſoluta, & ligata Oratione, profecit, ut 14. natus annos ea utriusque daret ſpecimina, quæ ab ipſis Ludi Doctoribus extollebantur. Poltzium hunc non in Vitæ ſolum Hiſtoria, *unicum* ſe *ad Bonos Autores, & Selectiorem Latinitatem, Ductorem* habuiſſe, grata mente eſt profeſſus, ſed & jam ante, A. 1683., in Programmate, Studioſi cujusdam Kilonienſis dicato Exequiis (24.), ſequenti dignatus Elogio: *Erat Viro illi ſingularis, in bonis Autoribus enucleandis, Induſtria, Judicium de iis acerrimum, Græcarum & Latinarum Literarum accurata peritia. Nec præpoſtera, ut nunc plerumque fit, Juvenes via ducebat, ſed λεωφόρον Bonarum Literarum Viam ad Artes ſternebat.* Non autem ſatis habuit Noſter Lingvas, Hiſtoriam, Artesque dicendi ac diſſerendi, in prima hac ætate familiares ſibi reddidiſſe, ſed Mathematica-

(21.) *Libro ſecundo Charitum p. 52-56.* (22.) *in Or. Fun. p. 7.* (23.) *in Actis Erud. M. Jul. A.* 1699. *, p. 291.* (24.) *V. Programmata, Orationum ſubjuncta Faſciculo: num. 56., p. 775.*

maticarum etiam, Arithmeticæ imprimis, Sphæricæ, Geometriæ & Geographiæ, ab Andrea Pauli, Wismarienſi, Scholæ Patriæ Subrectore (cujus *Thematorologiam N. T., Radicum & Derivationis Terminationem uſum exhibentem*, Lubecæque A. 1661. editam, Prælectiones ipſius *de Notitia Autorum* Academicæ MSStæ, *c. 11.* honorifice commendant), non minus feliciter hauſit principia.

VII. Ex Urbe Natali, ſedecim natus Annos, d. 7. Mart. A. 1655. Stettinum abiit, & in Pædagogium iſtic admiſſus Regium, in Philoſophia Joh. Micrælium, hujus Rectorem (cujus in ſe merita nec publice diſſimulavit (25.)), in Lingva Hebræa Joach. Fabricium, Superintendentem, in Jurisprudentia autem (cujus jam Tyrocinia, Parentis ductu, abſolverat) Joh. Sithmannum, ejus Profeſſorem, fideles habuit Hodegos. Nulli tamen Præceptorum Stettinenſium plus debuit, aut familiarius ſe applicuit, quam Henrico Schævio, Kilonia Holſato, Med. Doctori, Literarumque Humaniorum & Poëſeos Interpreti Publico, ac Gymnaſii tandem Thorunienſis (cui morte immatura A. 1661., æt. 37., eſt ereptus) Rectori, *Viro*, prout ipſe teſtatur, *ad omnes elegantias facto*, *Poëtæque*, *Muſico*, *Mathematico*, *Mechanico*, *& Philoſopho Sectæ Carteſianæ* eximio, cujus Scriptis ſuis paſſim mentionem inſeruit perquam honorificam (26.) Hujus Doctoris, cui ipſe viciſſim in deliciis fuit, χειραγωγίαν fidelem ſecutus, univerſæ Matheſeos Curriculum abſolvit, Phyſicam doctrinam eſt ingreſſus, & in Poëticis diligenter ſe exercuit. Acres tamen illos primæ ætatis ad Poëſin impetus, Schævii exemplo in ſe excitatos, poſtea freno indiguiſſe, Judiciique accuratioris lima fuiſſe emendandos, ipſe, in Vitæ ſuæ Hiſtoria, verbis hiſce ingenue fatetur: *Quoniam Vir ille* (Schævius) *Statium imitandum ſibi unice propoſuerat, Ingenio olim ſuo plus juſto indulgens, ſolam tum ſcribendi carminis vim ſequebar; a qua tandem me ipſum revocabam, judicio maturiore, & Poëtarum antiquorum lectione, monitus. Nam, ut impetus ad Poëticam facultatem illius Viri exemplo magis, quam præceptis, excitati ſunt; ita poſtea felicior Carminis cultura ab Ingenio, Exercitatione & Lectione, ſuccrevit. Scribebam XVI. annorum Adoleſcens alicui Carmen de dignitate Conſulari Gratulatorium juſtæ magnitudinis, cujus dictio Statii, & aliorum arduorum Poëtarum, floſculis tota erat concinnata. Mirifice id nonnullis placebat. Verum ipſe & conatus meos poſtea ridebam, & illos, qui tantopere Carmen illud celebraverant.*

VIII. Biennio (non autem, uti Tenzelio (27.) relatum eſt, qvadriennio) Stettini exacto, & Schævio ſuo (cui *Poculum boni Dæmonis*, ſive Carmen hnjus Tituli Apobaterium elegans (28.) diſceſſurus obtulit), & ceteris valedixit

ledixit

(25.) *in Comm. de Lingva & Poeſi German. Vernaculo, P. III., c. 2., p. 482.* (26.) V. *Miſcell. Poet. p. 73., Polyhiſt. Lit. Lib. 2. c. 6., p. 37 . 375., & L. 3., c. 10., p. 66. 67., Orat. VIII. p. 243., & Comm. de Lingva ac Poeſi German. P. III. p. 620.* (27.) *in Dialog. Menſtr. M. Sept. A. 1691., p. 806.* (28.) V. illud in *Operibus* Noſtri *Poëticis, p. 909-914.*

ledixit Profeſſoribus, ac, annos natus XIIX., d. 29. Maji A. 1657., Roſtochium commigravit, Studioque Juridico ductu Henr. Rud. Redekeri, Jac. Seb. Laurembergii, Henricique imprimis Rahnii (quem Præſidem A. 1658. elegit ſuæ *de Jure Morborum* Diſputationis, proprio Marte conſcriptæ, nec vel leviſſimam ab illo paſſæ mutationem), incumbere feliciter perrexit. Non tamen iſti ſoli vacabat, ſed Polymathiæ etiam reliquæ, & Poëſi, ad quam naturæ vehementiori ferebatur inſtinctu, haud minimam temporis ſui partem invidendo admetiebatur ſucceſſu, nec exiguo cum famæ, Carminibus argutis atque venuſtis quamplurimis, Latinis ac vernaculis, in Amicorum gratiam, magnamque partem ſub Nominibus etiam illorum, publicatis, acquiſitæ incremento. Alacriter ſponte jam ſua, in Stadio hoc Poëtico ad palmam contendenti calcar exemplis atque hortatibus ſuis addebant Andr. Tſcherningius, Poëſeos Profeſſor, Ἐργοδιώκτης hujus Auditorum ſuorum Primicerii, nec multo poſt Succeſſoris, perpetuus, & Commilitonum, uti olim Scholaſticorum Stettinenſium, ita nunc Academicorum Roſtochienſium intimo, Joh. Rölingius, Lütkenburgo Holſatus. De quo ipſius Pylade, in *Cimbria* fuſius celebrando *Literata*, hic tantum notamus, eodem illum, quo Noſter Tſcherningio Roſtochii ſucceſſit, Anno 1660. Regiomonti Simoni Dachio, in Profeſſione itidem Poëtica, eſſe ſubrogatum, eodemque cum ipſo die, ante diſceſſum, Roſtochii ſupremos Philoſophiæ Honores, applaudente, uti poſtea dicetur, communi utriusque Præceptore, Henr. Schævio, adeptum (29.)

IX. Profeſſionem Poëſeos in Academia Roſtochienſi, antehac á Nathane Chytræo, Eilhardo Lubino, Joh. Kirchmanno, Pet. Laurembergio, Viris magni in Rep. Literaria nominis, &, quem paulo ante laudavimus, ipſe autem accuratius celebravit (30.), Andrea Tſcherningio, ornatam, A. 1660., cum Luſtrum ætatis quartum vix impleviſſet, raro præcocitatis Literariæ exemplo, Epicedii in Ciconiam Jocularis occaſione, obtinuit. Alebat iſtam, *Adriani* á ſe nomine donatam, domi ſuæ Laur. Bodockius, J. U. D. & Rhetor Academicus, qui, cum, d. 25. Oct. A. 1659., creatos a ſe novos Magiſtros, aliosque Hoſpites, ſolenni excepiſſet convivio, ab horum uno, ſub noctem, Avis innocua telo eſt transfoſſa. Noſter, fatum illius triſte miſeratus, accedentibus Amicorum monitis, Leſſu ei Heroico, adjectaque huic Inſcriptione pereleganti, parentavit, & utrumque iſtud Poëmation joculare, eodem Anno editum, Bodockio inſcripſit. Quod cum Joſuæ Arndio, Guſtaphi Adolphi, Ducis Megapolitani, Protecclesiaſtæ Aulico, Theologo peritia Literarum

(29.) V. Morhofii Carmen ad Rölingium, Regiomontum diſcedentem, Propemticum, *in Poematis Germanicis p.* 111. - 119., & *Comm. de Lingua ac Poeſi German., P. II., c. 9., p.* 432.
(30.) *V. Scazontes in Natalem Tſcherningii in Miſcell. Poet. p.* 47-50., Anagrammata bina, & Scazontes iſtorum Interpretes, in ejusdem Obitum, *in Funeribus p.* 12. 13., nec non Elogium Poematum illius Germanicorum inſigne, *in Comm. de Lingua & Poeſi Germanica, P. II., c. 9., p.* 428. 429.

Elegantiorum ſingulari conſpicuo, Poëtæque haud vulgari ; eſſet lectum; adeo placuit, ut Principi ſuo iſtud, ſimulque Autorem ejus, antehac ſibi ignotum, de nota meliore commendaret (31.) Permotus iſta Commendatione Princeps Eruditorum amantisſimus, Morhofium, poſthabita Palæſtra, cui Parens eum deſtinaverat, forenſi, disſvadentibus incaſſum Dav. Mevio, JCto patriæ percelebri, Martinoque Böckelio, Syndico Lubecenſi (Filii ſimul natu majoris, in Academias abituri, offerente Ephoriam), Professionem, quæ Tſcherningii obitu vacabat, Poëticam modeſte ambeuntem, Voti confeſtim A. 1660. fecit compotem. Quam Muſagetæ hujus Illuſtrisſimi, Panegyri in Natalem ipſius (d. 26. Febr.) Heroica, Paulo ante in Acroaterio recitata Academico, prolixius a ſe celebrati, benignitatem Oda ille Euchariſtica, Sermone ſcripta Germanico (32.), deprædicavit. Munus deinde ſibi commiſſum, cum Magiſtri ante Titulum, una cum Rölingio ſuo, d. 26. Jul., Brabevta Aug. Varenio, Collega, reportaſſet, Oratione *de Genio & Spiritu Poëtico* ſolenni d. 17. Oct. A. 1660., eſt auſpicatus, applaudentibus gemino huic honori, tum Academiæ Roſtochienſis Profeſſoribus plerisque, tum Amicis ac Fautoribus aliis (33.). Quos inter Henr. Schævius, ejus olim in Gymnaſio Stettinenſi Præceptor, in prolixo *Epiphonemate* ad ipſum & Rölingium, Auditores ſuos, & Magiſterii, & Spartæ Profeſſoriæ, Honoribus eodem tempore potitos, *Heroico*, Caſtorem & Pollucem Duumviros hoſce Doctiſſimos atque amiciſſimos ſalutavit (34.). Quoniam vero annuo, antequam publice doceret, ſpatio peregrinandi poteſtatem a Principe ſuo Noſter obtinuerat, exeunte eodem A. 1660. in Bataviam & Angliam abiit, Viros utriusque celebres ſalutavit, Caroli II., Britanniæ Regis, inaugurationi interfuit, ſuumque applauſum Carmine illi teſtatus eſt Gratulatorio, & in Academia Oxonienſi, ut Bibliotheca hujus Illuſtri uteretur, aliquamdiu ſubſtitit. In reditu, Franequeræ Friſiorum, Supremos Juris utriusque Honores Academicos, a Joh. Jac. Wiſſenbachio, Athenæi illius Anteceſſore Primario, ſibi collatos, habita d. 26. Sept. A. 1661. Diſputatione *de Jure ſilentii* Inaugurali, Laur. Banckii, Sueci, JCti Franequerani, & ſui ibidem Hoſpitis, Collegarumque & Amicorum Roſtochienſium, Elogiis compluribus ornata Metricis (35.), haud difficulter exambiit.

X. Roſtochium redux, quam nactus erat, Spartam egregie ornavit, non Prælectionibus ſolum in Claudiani *de Raptu Proſerpinæ Libros*, aliosque melioris notæ Poëtas, Publicis, ſed privatis etiam Acroaſibus Juridicis, Oratoriis atque Poëticis, menſaque & hoſpitio, quod cœlebs eſſet, primum Henr. Rahnii,

(31.) V. Epiſtolas duas ad Bodockium & Arndium, Leſſui iſti A. 1667., in Editione ſecunda Kilonienſi, præfixas. (32.) V. eam *in Poematis Germanicis*, P. I. p. 39-42. (33.) Carmina illorum Gratulatoria una cum Alb. Willebrandi, JCti Roſtoch., programmate ad Orat. Auſpic. Invitatorio, leguntur in *Appendice Diſſertt. Acad. p.* 68. 77. (34) *ibid. p.* 69-72. (35.) V. illa *in Append. Diſſertt. Acad. p.* 78-83.

nii, JCti (cui, A. 1661. defuncto, Oratione parentavit publica) eximii, & Caſparis deinde Marchii, Profeſſoris Medici, integro uſus eſt quadriennio. Hoc elapſo, cum fama Doctrinæ ejus multiplicis, ceterarumque Ingenii dotium, longe lateque ſparſa, in Cimbriam etiam noſtram penetraſſet, a Chriſtiano Alberto, Duce Holſatico, A. 1665., una cum tribus Collegis, *Chriſt. Kortholto*, Theologo, *Caſp. Marchio*, Medico, & *Matthia Waſmuhtio*, Philologo, in Academiam Kilonienſem recens a ſe conditam, eſt evocatus, &, poſt miſſionem a Principibus Megapolitanis ægre impetratam, Doctor in illa publicus eloquentiæ ac Poëſeos conſtitutus. Inaugurationi Athenæi hujus Cimbrici, d. 5. Oct. A. 1665., non interfuit ſolum, ſed & Odis ſuis in laudem Ferdinandi III. ac Leopoldi, Imperatorum, Fridericique & Chriſtiani Alberti, Holſatiæ Principum, per Muſicos Ducales decantatis, & Oratione ſolenni, die ſequenti recitata, illuſtriorem eandem reddidit. Anno, qui hunc excepit, 1666., d. 22. Jan., quo Gradus Academici Quatuor, quas vocant, Facultatum Candidatis prima vice, ſumtu Principis, conferebantur, ipſe, Prodecanus Ordinis Philoſophici, in locum Mich. Watſoni, Decani, paulo ante defuncti, electus, habita *de Cauſis, ob quas multi ad minus ſolidam perveniant ſapientiam*, Oratione eximia, ſeptem Philoſophiæ creavit Magiſtros, Actorumque primæ iſtius Promotionis Academicæ Hiſtoriam, â ſe conſcriptam, una cum Strenis, ſub novi Anni initium, Principi, Patronisq; & Profeſſoribus Academiæ, diſtributis, ceterisque *Primitiis Parnaſſi Kilonienſis Poëticis*, juris fecit publici. Sex Annos Vitæ Kilonienſis priores cœlebs, in convictu Caſp. Marchii, Profeſſoris Medicæ Artis Primarii, quem Roſtochii etiam Hoſpitem habuerat, exegit. Rectoris Academici Officium, d. 5. April. Anno 1669. prima ſibi vice demandatum, Oratione *de Intemperantia in ſtudiis* eleganti eſt auſpicatus, & Semeſtribus poſtea Annorum 1677. 1685. 1690. æſtivis denuo adminiſtravit; Philoſophici vero Ordinis Decanatu Anno jam 1667., & ſæpius deinde functus, laurea ejus ſuprema Juvenes ſubinde haud paucos exornavit.

XI. Anno 1670., media æſtate, ſub initium Feriarum Canicularium, iter denuo, Principis permiſſu, in Bataviam & Angliam, maximo ſuo fructu, ſuſcepit Literarium, & cum Viris illarum Doctisſimis, partim ante duo jam luſtra ſalutatis, partim nunc demum viſis, amicitiam vel contraxit, vel renovavit. Ultrajecti Joh. Georgio Grävio familiariter innotuit, magni nominis Critico ac Philologo, Amſtelodami autem Theod. Kerckringio, Joh. Swammerdammio (Hiſtoriæ Inſectorum, quibus Muſæum ejus Inſtructiſſimum abundabat, Scrutatori induſtrio), Mart. Birrio, Matthiæ Slado, ac Juſto Schradero, Medicis atque Chymicis celeberrimis. Quibus addi etiam meretur, illiteratus licet, Nicol. Petterus, Oenopola, quem certo & æquali vocis ſuæ ſono Vaſa vitrea diverſa disrumpentem coram ſpectavit, iſtudque Experimentum Societati dein Regiæ Anglicanæ præſens expoſuit, ac, Kilonium

 rever-

reverſus, Diatriba Epiſtolica peculiari luculenter illuſtravit. Leidæ cum Joh. Frid. Gronovio eſt converſatus, Hagæ Comitum vero cum Nicol. Heinſio, Conſtant. Hugenio, Conſiliario Principis Arauſionenſis Intimo (cui, multiplicem ejus expertus favorem, *Horas* poſtea inſcripſit *Subſecivas Poëticas*) ac Franc. Junio, quo duce Iſaaci Voſſii, in Anglia abſentis, Bibliothecam ac Codices MSStos perluſtravit. In prædio Sam. Schasſii, Hagæ vicino, Marquardum Gudium noſtratem ſalutavit, Schasſii tunc Ephorum, poſtea vero Duci Holſatico, & tandem Regi Daniæ a Conſiliis, inſpectisque in Bibliotheca ejus locupletisſima MSStis plurimis rarioribus, Operibusque Poſſeſſoris ἀνεκδότοις atque affectis, arctiorem cum illo contraxit familiaritatem, in Cimbria deinceps ab utroque, ad fata usque ſuprema, continuatam. E Batavia in Angliam iterum transgreſſus, Londini diutius hæſit, conſuetudine potisſimum Rob. Boylæi, Philoſophorum modernorum facile Principis, Iſaaci Vosſii, Polyhiſtoris eximii (cujus beneficio Bibliothecam ipſi videre licuit Regiam), & Henr. Oldenburgii, Societatis Illuſtris Anglicanæ (in cujus Conſeſſum, hoc Proxeneta, admiſſus eſt Philoſophicum) Secretarii, delectatus. Cum ex Anglia in Bataviam maritimo remearet itinere, præſentiſſimum naufragii, prope Brielam, vix evaſit periculum, quod Rumori de ipſius in Undis æquoreis morte, Holſatiam tunc pervagato, & Epigraphis, quibus inter Amicos, huic credulos, Chriſtianus a Stöcken, Protecclesiaſtes Aulicus Eutinenſis, Germanico, Johannes autem Georgius Pellicerus, Collegii Canonicorum Lubecenſium Secretarius, Latino Idiomate, ſuperſtiti parentarunt, Feralibus (36.), præbuit occaſionem. In Batavia Veteres Amicos denuo ſalutavit, Pauli Würtzii, Archiſtrategi Ordinum Fœderatorum Eruditi, Huſæ Cimbrorum in lucem editi, prolixum expertus eſt favorem, & Amſtelodami tandem ingens, ope divina, Vitæ diſcrimen iterum ſuperavit. Cum enim in Bibliopolio Eltzeviriano Libris perluſtrandis eſſet intentus, magna Librorum atque Chartarum moles, quæ trochleis in ſuprema attrahebatur tabulata, in aream decidit, & tergum ei laterali motu concuſſit, ſi vertici incidiſſet, certiſſime enecatura.

XII. Cum, finita altera hac peregrinatione, Anno 1671. (ad quem Vitæ ſuæ Hiſtoriam ipſemet perduxit) Kilonium rediiſſet, Vitæ cœlibis pertæſus, Uxorem d. 23. Oct. duxit *Margaretam*, Caſpari a Degingk, Tremonia Weſtphali, Lubecenſis Reipublicæ Senatoris (quem ad Conſularem ejusdem evectum tandem eſſe dignitatem, Scriptor, qui vitam Noſtri, ab ipſo inchoatam, pertexuit, Anonymus (37.), & hunc ſecuti Lipſienſes (38.), falſo perhibent), Fili-

(36) Pelliceri Inſcriptionem in obitum Morhofii, falſo creditum, recuſam invenies in *Append. Diſſertt. Acad. p.* 91-94. (37.) *in Append. Diſſertt. Acad. p.* 12. (38.) *in Actis Erud., M. Jul. A.* 1699., *p.* 291, 292, 293.

Filiam (39). Cujus Virtutes cum Maritus ipſe, in Programmate, quo Exequias defunctæ, M. Jun. A. 1687., Rectoris Academici nomine, indixit, Funebri (in Programmatum, Orationibus Anno 1698. ſubjunctorum, Sylloge perperam omiſſo) (40.), & Collegæ Kilonienſes, in Epicediis, memoriæ ejus conſecratis (41.), debitis ornaverint laudibus, mentione illarum prolixiori, brevitatis ſtudio, ſuperſedemus. Quatuor ex illa ſuſcepit Filios, Caſparum nempe Danielem, Primogenitum (eodem, quo Avus paternus Wismariæ efferebatur, die octavo Aprilis A. 1675. in lucem Kilonii editum (42.)), Georgium Marquardum, Fridericum, & Ericum Georgium. Quos inter Secundus atque Quartus in ætate deceſſerunt tenera, Primus vero ac Tertius Patri fuerunt ſuperſtites, & Poſthuma ejus nonnulla Juris fecerunt publici.

XIII. Ceterum, ut, a rei Domeſticæ facie, ad munera, quibus Kilonii functus eſt, revertamur Academica, Profeſſioni geminæ, quam ab A. 1665. ornaverat, Oratorio-Poëticæ, poſt reditum ex Secundo Itinere Literario, aliæ Dignitates, fama ejus ſubitis progreſſibus accreſcente, ſunt adjectæ. Anno enim 1673. Adamo Tribbechovio, Theologo inſigni ſibique amiciſſimo, in Aulam evocato Saxo-Gothanam, in Profeſſione ſucceſſit Hiſtorica. Sequenti autem 1674, Cura ſcribendorum publico Academiæ nomine Programmatum, & ſexennio poſt, A. 1680., Bibliothecæ, cui Sam. Rachelius, JCtus percelebris, hactenus præfuerat, Academicæ Ephoria, a Principe ipſi eſt commiſſa. Hiſtoriographi etiam Ducalis Officium eodem, quo Hiſtorias docere juſſus eſt, Anno 1673. ei fuiſſe deſtinatum, Joh. Adolphi Kielmanni, Aulæ Holſaticæ Præſidis, omniumque Miniſtrorum Ducalium ea tempeſtate Principis, quem Summum Noſter habuit Patronum atque Evergetam, Literæ, Slesviga d. 13. Nov. Anno jam dicto, ad eum exaratæ, & inter Schedas defuncti repertæ, oſtendunt. Intervenit tamen aliquid, quod Conſilia iſta irrita redderet.

XIV. Quanta fide, qua item dexteritate & diligentia, ſingulis, quæ in novellis Cimbriæ Athenis commiſſa ipſi ſunt, inſigni cum famæ harum Incremento, & ſtudioſæ Juventutis emolumento, functus ſit officiis, ſatis ſuperque, ne Collegarum & Auditorum allegem teſtimonia, Prælectiones, quibus, per quinque Luſtra, Cives Academicos, non in Oratoria ſolum, Poëſi & Hiſtoria, ſed reliqua etiam Polymathia Elegantiori univerſa, præclare admodum erudiit, Publicæ pariter atque Privatæ, demonſtrant. Syllabum illarum, e Catalogis Operarum Academicarum Semeſtribus, Continuator Vitæ ejus Anonymus

(39.) V. Epithalamia Erici Mauritii, Joſuæ Arndii, Pet. Muſæi, Chr. Kortholti, Pauli Sperlingii, Sam. Rachelii, Ad. Tribbechovii, Mich. Kirſtenii, & aliorum, in *Appendice Differtt. Acad. p.* 94. 97. (40) Recuſum iſtud eſt in eadem *Append. p.* 113-119. (41) Leguntur hæc Epicedia in eadem *Apendice, p.* 119-126. (42) V. Carmina Genethliaco-Epicedia Ad. Tribbechovii & Pauli Sperlingii in ejus Natalem, in *Appendice* ſæpius laudata, p. 107-112.

nymus operoſe congeſſit. Nos prolixo ſingularum Recenſu, cum pleræque infra in Ἀνεκδότων Noſtri indice denuo ſint memorandæ, ſtudio brevitatis h. l. ſuperſedemus. Addemus tamen, quæ de earum ſcopo atque inſtituto in illo ipſemet diſſeruit Programmate, quo, d. 2. Sept. A. 1683., Juventutem Studioſam ad audiendas Lectiones de Argumentis Selectioribus (Patavinitate ſcil. Liviana, Germanorum in literas Meritis, Juris Romani Hiſtoria, τῷ θείῳ in Diſciplinis, aliisque ſimilibus) Acroamaticas & Extraordinarias, ſemel hebdomadatim habendas, invitabat (43.): *Cum Eloquentiæ, ait, & Hiſtoriæ geminæ atque ſororiæ, ut ita dicam, Partes mihi ſint injunctæ, id ſemper operam dedi, ut earum diſciplinarum interiora pro virili excuterem, eaque Auditoribus meis inculcarem. Publicis enim privatisque Lectionibus, toto hoc, quo docui, tempore, Eloquentiæ, tam Solutæ, quam Ligatæ, Partes ita explicui, ut, quæ aliis omiſſa, vel leviter tractata, mihi præ cæteris excolenda ſumerem. Nam vel Oratorem Civilem præceptis exemplisque lectiſſimis exhibui, vel totam Characterographiam, ſive de Stylo doctrinam, vel Pathologiam Oratoriam, vel de Arguta dictione, de Excerpendi ratione, de Argutis Thematibus ſacris eruendis, de Epiſtolis ſcribendis, Inventionibus Poeticis, de omni tam Latina quam Germanica Poeſi, ea propoſui, quæ publicam aliquando lucem, ſi ultima illis lima acceſſerit, non ſpernendo, ut puto, juventutis fructu, videbunt.* Interjectis deinde quibusdam, de Hiſtoricis ſuis Laboribus ita diſſerit: *In Hiſtoria, ex quo Eloquentiæ Profeſſioni illa juncta fuit, ea præ cæteris ſpectavi, quæ & Civilis uſus eſſent, & ab horum temporum Viris doctiſſimis nove obſervata, vel etiam prætermiſſa, aut mea induſtria, ut ſe interdum aliqua obtulerunt, notata. Hiſtoriam itaque vel univerſam propoſui, vel eam, quæ a Caroli Magni imperio ad noſtra ſe tempora extendit, vel Taciti quædam Commentationibus illuſtravi; unde nonnulla ſuo quoque tempore ad Editionem ſeligentur. Neque Literariam Hiſtoriam prætermiſimus, cujus bonam partem Lectionibus Publicis de re Bibliothecaria, privatis de Notitia Autorum, expedivimus. Et hunc campum, vaſtum ſane & diffuſum, intra tres annos proximos, operoſo ſane labore bis decurrimus. Naturalem quoque Hiſtoriam, ut hodie illa tot Obſervationum foecunda meſſe ditata eſt, tentavimus. Quæ omnia, ubi paulo diligentius tractata, & continuis acceſſionibus perculta fuerint, prælo, Deo ita volente, ſubjicientur; præſertim, cum non deſint, qui ad editionem eorum maturandam impellunt, Viri Doctiſſimi.*

XV. Prælectionibus ſubinde miſcebantur Diſputationes, nec non Orationes, tum publico Academiæ nomine, tum alias ob cauſas, habitæ. In quibus, uti & Recitationibus Ordinariis, etſi extemporanea dicendi facultate haud pollebat, eorum tamen, quæ præmeditatus erat, elegantia, ſoliditate, multiplicique eruditione, ac obſervationum, quas Lectionibus ſuis, e Libris præſtantioribus atque rarioribus, in Auditorium a Famulo deportatis, immiſcebat, egregiarum copia, iſtam Linguæ tarditatem abunde compenſavit. Ta-

(43) Recuſum eſt Programma iſtud in Sylloge *Programmatum* reliquorum, *Orationibus* adjecta, *n.* 93. *p*, 961-965., & in *Appendice Diſſertationum Academicarum*, *p.* 28-31.

Taceo Programmata, quæ nomine publico frequenter ſcripſit, & *Orationum* Faſciculus, in adjecta his Appendice, junctim recuſa exhibet, non ob rerum minus pondera ac varietatem, quam Styli nitorem, commendanda. Taceo item ingentem illam Carminum varii generis, Latinorum pariter atque Vernaculorum, quæ vel Ingenio obſequens proprio, vel Amicorum precibus adactus, quotidie propemodum pangebat, multitudinem. Quæ ſane, ſive Inventionis acumen & crebras ſpectes argutias, ſive Numerum facilem & Dictionis Poëticæ venuſtatem, ad Veterum præſtantiam proxime accedunt, modernis autem, & Germanorum, & Exterorum, palmam vel dubiam reddunt, vel extorquent. Laboribus his Academicis, quibus Athenæo Cimbrico famam paravit ingentem, imo Cherſoneſum hanc univerſam, Lumine ipſius Adoptivo inſigniter illuſtratam, æternum ſibi devinxit, haud contentus, totum etiam Orbem Literatum Scriptis tot exaſciatiſſimis atque eruditiſſimis, in omni ferme Literarum genere editis (ut de affectis atque ἀνεκδότοις, quorum ſumma ubivis fuit expectatio, ſileam), demeruit, & in ſui rapuit admirationem. Verum de iſtis uberius diſſerendi infra commodior ſe offeret occaſio.

XVI. Miretur forſan aliquis, quomodo tot laboribus Academico-Literariis exantlandis, tot Libris & Operibus, non niſi infinita congeſtis Lectione, elucubrandis, Homo unus, nec longævus admodum, nec firmæ valetudinis ſuffecerit. Mirarer & ipſe, niſi ſtupenda & incomparabilis Morhofii Diligentia ex familiari cum illo mihi innotuiſſet converſatione. *Totus ille*, uti Biographiæ, ab ipſo inchoatæ, Continuator vere affirmat, *in Literis erat & Libris, continuaque Lectioni ſic deditus, ut ne cibum quidem caperet, vel iter faceret, quin Librum ſimul legeret, vel evolutum penes ſe haberet.* Bibliotheca gaudebat locuplete, & Libellis præcipue ac Schediaſmatis minutioribus notæ melioris inſtructiſſima. His enim, quod cito diſtrahi ſoleant, & ſæpe nullo poſtea, ob raritatem, parari pretio poſſint, coëmendis magis, nec ſane immerito, ſtudebat, quam Libris grandioribus, Vaſtisque Voluminibus, quorum uſum vel Bibliothecæ Publicæ, Bibliopolarum Tabernæ, nunquam non hominibus Eruditis concedent. Bibliothecæ hujus (cui, ſelectum Librorum quod attinet, paucas pares fuiſſe, Wilh. Ern. Tenzelius (44.), fidem licet tantum alienam, & rumorem ſecutus publicum, vere perhibet) Catalogus, poſt obitum Poſſeſſoris concinnatus, in eam excrevit molem, ut Plagularum numerus Centenarium excederet. Ipſe ſuperſtes Autores, quorum aliqua poſſidebat, in Indicem, Cognominum ſerie obſervata, digeſſerat Alphabeticum, Materiarum vero, ſive Argumentorum, circa quæ Libri occupabantur ſinguli, nullum, præter Memoriam, habebat.

XVII. Hujus tenacitati confiſus, ſtudio etiam lecta excerpendi, magno

(44) *in Dial. Menſtr. German. M. Jan. A. 1692. p. 63.*

gno utique temporis compendio, parcius vacavit, ſed iſtam ob cauſam, ceu ipſemet fatetur, *ἁμαρτήματα* ſubinde *μνημονικὰ* evitare haud potuit, in Scriptis, & Prælectionibus imprimis Academicis *ἀνεκδότοις*, paſſim obvia. Verba ipſius hac de re adjicio (45.): *Ego certe Excerptis congerendis non multum operæ me impendiſſe fateor, etſi aliorum diligentiam laudo, meæque in his negligentiæ ſuccenſeo, magno tamen in lucro reputaturus, ſi aliorum mihi opera uti conceſſum fuerit. Nunc ego, memoria promiconda contentus, ſcribo multa, quæ fallat quidem nonnunquam, & res ſuas repetenti raro reſpondeat, plerumque tamen, cum argumenti occaſio ſollicitat, ultro offerat, & quaſi ex capſula depromat.* In Carmine etiam condendo, primas Meditationes & Inventiones, ſponte ſibi, in Enthuſiaſmum abrepto Poëticum, a ſolo ingenii ſuggeſtas impetu, longe plerumque præſtantiores iis eſſe eſt expertus, quas Artis Poëticæ ſecutus præcepta, e Locis Fontibusque Inventionum, huic uſitatis, ſtudio conquirebat laborioſo. Quam ob cauſam *Φροντίδας* illas *προτέρας, τῶν δευτέρων,* ſecus ac in Græcorum traditur proverbio, *σοφωτέρας*, in chartam confeſtim ne ſibi perirent, tumultuaria ſcriptione antequam de Diſpoſitione & ornamentis cogitaret ulterioribus, conjicere aſſueverat (46.).

XVIII. Mores Morhofii quod attinet, Ideam illi Viri vere Boni exprimebant, & Symbolo, quod ſibi elegerat, familiari (PIETATE, CANDORE, PRUDENTIA) exacte reſpondebant. Animo enim in Deum erat religioſo, &, Hypocriſin omnem exoſus, Pietati vitæque probitati infucatæ ſerio ſtudebat. Candor, res licet hoc ævo pene intermortua, in Verbis pariter ac Factis illius omnibus, illuſtres adeo ſpargebat radios, ut Ætatis priſcæ, ſive Aureæ, non noſtrorum temporum, ferreis pejorum,

quorum ſceleri vix invenit ipſa
Nomen, & a nullo poſuit Natura metallo,

Hominem eſſe crederes. In ipſo certe, ſi in quoquam alio, Perſiani illi Viri boni Characteres ſpectabantur:

Compoſitum Jus Fasque Animi, Sanctique receſſus
Mentis, & incoctum generoſo Pectus Honeſto.

In Converſatione cum aliis modeſtus erat, comis, & ad officia Humanitatis paratiſſimus. Sermone quidem, præſertim, ſi ab ignotis ſalutaretur, utebatur parcius, Homo quippe natura nec *πολύλογος*, nec *περιαυτόλογος*, ſed, absque ulla tamen moroſitate, ad quæſtiones ſingulorum ea regerebat, quæ conſummatam ſolidamque & Eruditionem prodebant, & Prudentiam. Cum Amicis vero etiam jocari, & Salibus Argutiisque lepidis, quæ & ſcribenti, & ſermones cædenti, nunquam non in promptu erant, certare, quotiescunque res poſceret, aſſueverat.

XIX.

(45.) *e Lib. III. Polyhiſtor. Lit., cap. 1., §. 21.* (46.) *V. Partem III. Commentarii de Lingua & Poëſi Germanica, c. 15., p. 725. 726. 727.*

XIX. Tantæ Ingenii dotes, tot Virtutum Decora, uti omnibus Reip. Literariæ Civibus merito eum reddiderunt venerabilem, ita Optimates ejusdem, paris gloriæ vel jam compotes, vel cupidos, ad amorem ejus non potuerunt non provocare. Natæ hinc ipſi tot cum Viris, & Germaniæ, & Regionum Europæ exterarum, Summis, & ob doctrinam omnigenam inclytis, Amicitiæ, & cum plerisque Literarum etiam Commercia. Batavos atque Anglos ſupra, in Secundi Itineris Literarii Hiſtoria (§. 11.), jam recenſui, ſed Gisbertum tamen Cuperum, Summæ in patria dignationis, nec minoris doctrinæ, Virum, ac Jac. Tollium, magni nominis Philologum ac Chymicum, illis, Thomam autem Williſium, Medicum atque Anatomicum Regiæ Londinenſis incomparabilem, & Eduardum Bernhardum, Polyhiſtora Academiæ Oxonienſis Inclytum, his jungendos, præterii. Ex Italis, ſuis Noſter Amicis annumeravit Ant. Magliabechium & Joh. Ciampinum; e Gallis Pet. Dan. Huetium, Ægid. Menagium & Pet. Petitum; e Danis Thomam Bartholinum, Vitum Beringium, Ol. Borrichium, Wilh. Wormium, Pet. Reſenium & Hildebrandum ab Horn, Kilonienſem, Regium ex Auditore quondam ſuo ad Moschos Legatum; in Suecia Ol. Rudbeckium, Ol. Vereſium, Laur. Normannum, & Ornamentum Regni hujus Adoptivum inſigne, Joh. Schefferum; in Livonia Nicolaum & Henningum Wittenios; in Boruſſia Joh. Röllingium Noſtratem & Joh. Pet. Titium. E Germanis, quorum longe major eſt numerus, brevitatis ſtudio non niſi paucos, & τῶν ἄλλων ἐξόχυς, allegabo, Vitum ſcil. Ludovicum Seckendorffium, Ezech. Spanhemium, Jobum Ludolfum, Gotfr. Guilh. Leibnitium, Frid. Rappoltum, Joh. Andr. Boſium, Frid. Bened. Carpzovium, Henr. Meibomium Juniorem, Ott. Menckenium, Joach. Fellerum, Caſp. Vogtium (Wismariæ, Patriæ utrique communis, Conſulem), & Heroinam Illuſtrem atque Eruditiſſimam, Henriettam Catharinam Gersdorfiam.

XX. Cherſoneſus hæc noſtra, uti Patronos ei dedit Principes ſuos Sereniſſimos, Magnatesque in horum Aulis præcipuos, Joh. ſcil. Adolphum Kielmannum, Parentem, ejusque tres Filios, Joachimum Alefeldium & Mart. Böckelium in Gottorpienſi, & in Eutinenſi Chriſtianum Caſſium, ac haud paucos præterea alios ex Ordine Equeſtri Proceres, ita Amicos etiam, ex Eruditorum Coetu, conciliavit plurimos. Quos inter e Slesvicenſibus haud prætereundi Marqu. Gudius, ceterorum omnium facile Princeps, Joel Langellottus, Archiater Ducalis, Ad. Olearius, Bibliothecæ Præfectus, Joach. Rachelius, Scholæ Moderator, & Pet. Axenius, JCtus, ceteris jam defunctis ſuperſtes; ex Hamburgenſibus, Mich. Kirſtenius, Mart. Fogelius & Vinc. Placcius, Gymnaſii Profeſſores; e Lubecenſibus, Henr. Bangertus ac Abrah. Hinckelmannus, Athenæi publici Rectores, & Achilles Daniel Leopoldus, JCtus; e Tonningenſibus denique (cum alios, qui diverſis in locis vixerunt, fuſe jam

enumerare non liceat), Jac. Holſtius, doctrinæ majoris, quam famæ, Poliater. E Collegis tandem Kilonienſibus, Muſæum, Chriſt. Kortholtum, Paulum Sperlingium & Chriſtoph. Franckium, Theologos, Ericum Mauritium, Sam. Rachelium & Sam. Reyherum, JCtos, Caſp. Marchium, Joh. Dan. Majorem & Joh. Nicol. Pechlinum, Medicos, & e Philoſophis Ad. Tribbechovium, præ ceteris æſtimabat, Kortholtiq; imprimis, Franckii, Mauritii, Marchii Hoſpitis, Pechlini (Convictoris ſui per annos cumplures ac Domeſtici), Tribbechovii, atque Georg. Ern. Heldbergii, Logices Ethicesq; Profeſſoris (cui Uxoris Soror erat nupta), familiari ac frequentiori delectabatur Conſvetudine.

XXI. Tot Amicorum, imo Cimbriæ totius atque Orbis Literati, Votis ſi Fata annuiſſent, diuturniore haud dubie lucis uſura Noſter eſſet gaviſus. Sed eadem, quæ tantam illi Gloriam Literariam, tantumque in Orbe Erudito nomen, conciliaverat, nimia pene in ſtudiis aſſiduitas Corpuſculi ejus Vires paulatim proſtravit, & καχεξία iſtud lethali afflictum exanime tandem reddidit. Haud parum iſtam auxit Invaletudinem Luctus, quo obitum Conjugis, M. Jun. An. 1687. ſibi ereptæ, proſequebatur, immodicus. Ab eo enim tempore cum langvore conflictatus eſt pene aſſiduo, qui in morbum An. 1690. degeneravit periculoſum, & lecto aliquamdiu ipſum affixit. Hoc ægre ſuperato, Medici cujusdam intempeſtivo ac præcipiti conſilio obſecutus, ad Acidulas, quarum ope vires ſe priſtinas ſperabat recuperaturum, Pyrmontanas Iter A. 1691. ſuſcepit inauſpicatum, ſpretis Amicorum, & hos inter Joh. Dan. Majoris, Medici itidem Experientiſſimi, cum indignatione & lacrymis iſtud diſſvadentis, precibus contrariis. Verum, uti æger illas adibat, ita tantum non exanimis relinquebat, &, cum, in reditu, Hamburgi fores Andræ Leſeri, Mercatoris Literati ſibique amici, pulſaret, his illum vocibus compellabat extremis: *Unde alii Vitam, ego Mortem hauſi. Ibo igitur Lubecam ad Socrum ocyus, ut domi ejus moriar. Valeteo mei! Nunquam enim huc redire dabitur.* Lubecam delatus, paucis poſt diebus, triceſimo Julii An. C. 1691., æt. 53., Cachexia totius Corporis inſanabili, deceſſit. Exuviæ defuncti Monumento Socrus, Margaretæ Degingiæ, Sepulchrali, in Æde Lubecenſi Catharinæa, ante Chorum extructo, d. 5. Aug. funere illatæ ſunt ampliſſimo, quod, præter Aug. Pfeifferum, Eccleſiarum Lubecenſium Antiſtitem, & Enochum Svantenium, Scholæ Rectorem, aliosque in Civitate hac Amicos, plerique etiam Collegæ Kilonienſes ſuis decorarunt Epicediis (47.). Kilonii, in Profeſſione gemina Hiſtorico-Oratoria, Joh. Burchardus Majus, Pfortzenſis, eodem in Gymnaſio Marchionatus Badenſis Durlaceno antea functus munere, in Poëtica autem Henr. Muhlius, Bremenſis, Auditor ipſius, Theologiam etiam ſimul, Linguasque Græcam & Orientales, docere paulo poſt juſſus, Succeſſor ei obtigit.

XXII.

(47) Leguntur illa in *Appendice Diſſertt. Acad. p. 127-137.*

XXII. Eccum habes, Lector Benevole, Hiſtoriam Vitæ atque Exceſſus DANIELIS GEORGII MORHOFII, Polyhiſtoris noſtrorum temporum plane eximii, compendioſam, quem uti Polymathiæ univerſæ, Sublimioris pariter atque Elegantioris, peritia inſigni excelluiſſe ſupra jam aſſeruimus, ita, haud temere, aut aſſentandi ſtudio, a nobis id eſſe factum brevi jam ſingularum utriusque partium, & Meritorum τῦ Μακαρίτυ in has plurimorum, Recenſu, oſtendemus. Theologiæ ſincerioris quam ſolida inſtructus fuerit ſcientia, vel ſolæ oſtendunt profundæ de rebus divinis Meditationes, in Carminibus ac Programmatis Sacris obviæ, non ſoli inhærentes Theoriæ, ſed Praxin etiam Chriſtianam, uti par eſt, ubique ſerio inculcantes. Inter Affecta ipſius, ſuo infra loco enumeranda, Commentaria & Schediaſmata Argumenti Theologico-Philoſophici, Theologico-Hiſtorici ac Theologico-Politici, quæ molitus aliquando eſt, tibi ſe offerent complura. Sed conſilium de iſtis perficiendis maturiori ætate abjecit, tum quod ſacrum iſtud multorum aſſidue de Myſteriis litigandi Cacoethes, cujus vitio Theologia in Matæologiam non raro degenerat, averſaretur, tum ne πολυπραγμοσύνης, in meſſem alienam falcem immittentis, a Zelotis accuſaretur immodeſtioribus. Suos ergo in Doctrina Sacra profectus Vitæ ac Morum pietate exprimere, quam Scriptis ambitioſe oſtentare, maluit, Joh. Frid. Gronovium imitatus, Polyhiſtorem magni itidem nominis e Cimbria Batavicum, qui a Chriſtophoro Arnoldo, Theologo Noribergenſi, de Periocha Joſephi, quæ Jeſum Servatorem ſummis decorat laudibus, controverſa, rogatus ſententiam, ita An. 1651. illi reſpondit (48.): *De loco τῦ ἑλληνίζοντος Ἑβραίυ noli me in palæſtram iſtam vocare.* Τοῖς μαθῦσι γράμματα *res expeditiſſima eſt. Sophiſtis non poteſt perſuaderi, qui ſtatim ad impietatem Bonis Viris objiciendam, & Grammaticos eſſe Theologiæ (quam iſti in Sophiſticen converterunt) ignaros, decurrunt. Hoc Scaligero, Caſaubono, Salmaſio, accidit. Itaque conſtitui anſas iſtas calumniaturis non dare, & Vita potius ac ſententiis pietatem, ac ſi quid in ſacris profeci, oſtendere, quam quæſtiones, quas ſui fori eſſe putant, tangendo oſtentare.*

XXIII. Juris eum Conſultisſimum fuiſſe nemo inficiabatur, qui illius potiſſimum ſtudio juvenem incubuiſſe, Praxi ejusdem in Palæſtra forenſi a Parente fuiſſe deſtinatum, Doctorisque Titulo mature ſatis reportato, Scholas, tam Roſtochii, quam Kilonii, Juridicas privatim ſubinde aperuiſſe, imo & de Morborum ac Silentii Jure Diatribas edidiſſe eruditas, integros autem, una cum Juris Romani Ἱςορημένοις, promiſiſſe Commentarios, cognoverit. Medicinæ peritiam haud contemnendam, præter Schediaſma *de Morbis, eorumque Remediis*, Juridicum, modo laudatum, tot egregii, quibus Philoſophiam Naturalem, hujus Matrem, illuſtravit, Labores, Editi atque Inediti, Autori ſuo vindicant. Præ ceteris tamen ejus partibus, Chymiam, & imprimis qui-

 dem

(48.) in Epiſtola ad Arnoldum, quam in hujus *Teſtimonio Flaviano p.* 204, 205. invenies.

dem Arcaniorem illam χρυσοποιητικὴν, deperiit, cujus ſicut Junior, in *Epiſtola de transmutatione Metallorum*, egit Hyperaſpiſten, ita, accreſcente ætate, longe adhuc majori flagravit ſtudio, Operationibus etiam, ſi diutius vixiſſet, manum forſitan admoturus. Quod ab eo factum non eſſe, Joh. Ludov. Hannemannus, Collega, uti video, dolet, (49.), cum *ſub tali fuerit natus conſtellatione, quæ felicem iſtis exitum prommittat, ea præterea pietate, candore & amore in pauperes, qui beneficium hoc ipſi a Deo potuiſſent impetrare.* Verum iſtam Chymicorum Ἀϛρομάντειαν, & vanas pollicitationes, parum moramur, nec diſſimulamus Nævum Morhofii, ex quo ſtudiis hiſce Hermeticis animum applicuit, in nimiam ac ſuperſtitioſam quandam prolapſi credulitatem, Chymicis pleriſque familiarem, cujus vitio Vir cetera Κριτικώτατος Narrationes de his rebus falſas aut incertas pro veris, Scriptaque iſtius argumenti ſpuria, Veteribus ſuppoſita, pro genuinis, juſto audacius ſubinde venditavit. Qua de re infra, ubi de *Epiſtola de Transmutatione Metallorum*, *Libroque Primo Polyhiſtoris Literarii*, erit dicendum, plura forte monebuntur.

XXIV. Inter Diſciplinas Philoſophicas, Metaphyſicam & Logicam haud quidem neglexit, ſed difficilibus tamen, quibus Scholaſticorum culpa hodie ſcatent, Nugis, facete a ſe in Poëmate de Ente Rationis Satyrico exploſis, immorari ingenio ſuo merito putavit indignum. Naturalem contra Philoſophiam ſumma excoluit atque illuſtravit diligentia, Eclecticum ubique agens, *nullius in Magiſtri verba jurare addictum*, ſed Veteres Recentioribus jungentem, & ex illorum Ratiociniis, horumque Experimentis, ſedulo ex Hiſtoria Philoſophica Novantiqua collectis, ac judicioſe inter ſe collatis, vero propiora ſolerter ſeligentem. Quod Inſtitutum perpetuo ei arriſiſſe, præter *Stentorem* Ὑαλοκλάϛην, ſive ingenioſum de Vitro, certo vocis humanæ ſono diſrupto, Commentarium (peritiæ etiam ipſius Diſciplinarum Mathematicarum, Muſicæ imprimis & Acuſticæ, Teſtem omni exceptione majorem), quas *de Sole Igneo*, *Metallorum Transmutatione & Senſuum Paradoxis*, publicavit, Diatribæ oſtendunt, & *Hiſtoria* integra *Naturalis* Bipartita, luculentius confirmabit. Nec minus de Practica illum Philoſophia bene eſſe meritum, licet nihil propemodum hujus Argumenti a ſuperſtite, præter prima *Theologiæ Gentilis Politicæ* lineamenta, ſit editum, patebit, ſi, quæ *de Heroibus*, *Bono Viro*, *Fatoque Politico*, una cum *Polyhiſtore & Polypragmone Civili*, eſt pollicitus, aut in Tacitum jam olim commentatus, ultimam Autoris ſui manum ſunt experta, & in lucem proferri poterunt.

XXV. E Linguis, Hebræam eum Stettini jam familiarem ſibi reddidiſſe, ſupra eſt monitum. Græcæ (qua Carmina etiam ſubinde haud infeliciter exaravit) Cognitione paucis, Latinæ autem (cujus dictionis puræ atque Urbanæ genium quam accurate perſpexerit, vel ſolus *de Patavinitate Liviana* Commenta-

(49.) *in Ovo Hermetico-Paracelſico, ſive Tr. de Auro p. 283.*

mentarius teſtabitur) peritia interiori nemini coævorum fuit ſecundus. Quid quod primus ferme veras utriusque in Germanica Veteri veſtigavit Origines, in Scripto, cujus jacturam merito dolemus, *de Linguarum Græcæ ac Latinæ Novitate*, ſi diutius vixiſſet, detegendas. Specimen iſtius, uti & *Originum*, quas expectari a ſe itidem juſſit, *Germanicarum*, perquam luculentum exhibet Commentarius *de Lingva & Poëſi Germanorum* Germanicus, An. 1682. juris factus publici. E quo etiam, quantum Vernaculæ ſibi Teutonum Lingvæ ornandæ atque illuſtrandæ ſtudium impenderit, nec minus, quantam Belgicæ, Anglicæ (cujus notitia etiam Tyrones Academicos Kilonii aliquoties imbuit), Danicæ, Svedicæ, Gallicæ, Italicæ, & aliarum Europæarum Vulgarium, peritiam ſibi comparaverit, perſpicies. Quantus Rhetor fuerit, Opuſcula *de Arguta & Copioſa Dictione, ſcribendisque Epiſtolis*, Poſthuma, etſi limam nondum & manum experta ultimam, una cum aliis hujus generis etiamnum ἀνεκδότοις; Quantus autem Orator ac Poëta, *Orationum* & *Programmatum* Academicorum, nec non *Carminum* Latinorum atque Germanicorum, integra, quæ in luce publica verſantur, & applauſum Eruditorum omnium meruerunt unanimem, Syntagmata, ſuis jam §. 15. ornata laudibus, ſatis ſuperque evincunt.

XXVI. In Hiſtoria tandem, quam publice Kilonii docuit, & Re Antiquaria, verſatiſſimum Polyhiſtorem noſtrum fuiſſe, Schediasmata, quæ de *Theologia Politica*, *Novo Anno*, *ejusque Ritibus*, *ac Principe Medico*, evulgavit, paucula quidem, ſed eximia, Lectoribus ſuis facile perſuadebunt, & ut *Hiſtoriæ Cimbricæ, Myſterii Septentrionis*, ceterorumque affectorum, jacturam eo vehementius doleant, eosdem incitabunt. Nullo tamen Noſter Ingenii Monumento Doctrinam ſuam multiplicem, inſignemque ſimul judicii accurationem, Orbi Literato magis approbavit, quam poſtremo omnium, *Polyhiſtore* ſcilicet triplici, *Literario*, *Philoſophico & Practico*. Quo non ſolum Hiſtoriam, cujus ſcientiſſimus erat, Literariam pene univerſam perſequi, ſed ſuas etiam de omni Literarum genere Obſervationes, ac Judicia de Scriptoribus Lingvarum, Scientiarum & Artium ſingularum, ἐξοχωτέροις, e Lectionibus 30. Annorum Academicis, ceterisque Laboribus, quos abſolvi a ſe non poſſe prævidebat, Affectis, exhibere, eſt aggreſſus. Quod Opus, Pandectarum titulo dignum Panſophicarum, etſi Partis tantum Primæ, ſive *Polyhiſtoris Literarii*, tres Libri priores, qui ſoli manum Autoris ſui ultimam, mortis immaturæ ceteris ſubtractam violentia, ſunt experti, hactenus prodierunt, adeo tamen Eruditis ferme omnibus, ceu Phidiæ quoddam Signum, placuit, ut reliquorum, e Schedis defuncti & Acroaſibus Academicis, tumultuariis licet, & minus perfectis atque accuratis, Editionem flagitare, per aliquot jam luſtra, non ceſſaverint. Quibus illorum Votis quatenus jam ſatisfiat, infra, in *Polyhiſtoris* hujus Hiſtoria, fuſius exponetur.

XXVII. Sed erunt forſan, qui hactenus a nobis de Eruditione Morhofii, in omni Lrterarum genere, multiplici & præclara, ad Titulum Veri Polyhiſtoris ei vindicandum, in medium allata, aliorum ævi noſtri Polyhiſtorum ac Hominum Eruditorum Suffragiis, Elogiisque eidem paſſim tributis, ut fidem eo facilius mereantur, deſiderent confirmari. Horum Votis, licet a CASP. THURMANNO, JCto erudito, & Morhofii ipſius laudes (50.) merito, in Sylloge Elogiorum τȣ̃ Μακαρίτȣ, §. 4. jam commendata, aliquatenus iis ſit ſatisfactum, morem lubentes geremus, præſertim cum juſto pauciora ſint, quæ ille congeſſit, & pleraque nobismet etiam obſervata. Nec tamen omnia promiſcue, ex Analectis noſtris, copiam Judiciorum iſtiusmodi Honorificorum ſuppeditantibus ingentem, huc transſcribemus, ſed potiora tantum, & a Scriptoribus ſingularum ferme Europæ cultioris gentium ἐξοχωτέροις, aut famam ſaltem aliquam doctrina haud vulgari jam aſſecutis, profecta, ceteros obſcuriores haud morati, brevitatis ſtudio, ſeligemus.

XXVIII. Agmen ducant ITALI, & hos inter, Jeſuitæ duo Romani, doctrina multiplici, Sacra atque Profana, nomen jamdudum celebre ubique terrarum conſecuti. Alter horum, ATHANASIUS KIRCHERUS, gente Germanus, in *Phonurgia Nova*, A. 1673. edita, *Virum Eruditum*, alter autem DANIEL BARTOLUS, Ferrarienſis, *in Libro de Sono & Tremoribus Harmonicis*, Sermone Italico Bononiæ A. 1681. excuſo (51.), *Autorem Doctum*, Morhofium noſtrum ſalutat. Loca utriusque integra §. 63. in *Epiſtolæ de Scypho Vitreo ſono Vocis humanæ diſrupto*, honorifice ab ipſis allegatæ, Hiſtoria, αὐτολέξει recitabuntur. Accedat his tertius BENEDICTUS BACCHINUS, Caſinenſis, & Ducis Mutinenſis Hiſtoriographo Theologiæ in Acad. Bononienſi A. 1693. factus Profeſſor, qui, in Ephemeridibus ſuis Literariis Anni 1692. Parmenſibus, Italice exaratis (52.), Epiſtolæ Viri Illuſtris, Godfr. Gvilh. Leibnitii ad Ant. Magliabecchium Excerpta, &, in iſtis, hoc de Morhofio, ejusque *Polyhiſtore*, Judicium exhibet, ab Achille Daniele Leopoldo, JCto Lubecenſi eximio, mihi communicatum: *Havendo il Sig. Magliabechi, con ſue Lettere al ſolito dottiſſime, relevato alcuni ſbagli preſidal Morhofio nel ſuo Poliſtore, il Sig. Leibnitio gli accorda proceduti dell' imperfetta notitia delle coſe, e delle Lingue ad' eſſo eſtranee, quantumqne foſſe il* Morhofio huomo di gran lettione, di vaſta eruditione, Poeta egregio e Filoſofo buono, *e ſia deſiderabili il vedere aſcita la continuatione dell' opera ſodetta, un Tomo di cui manoſcrittto ſi dice in iſtato da uſcit poſthumo alla luce.*

XXIX. Italos GALLI ſequantur. E quibus AUTOR *Continuationis Europæ modernæ* (Suite de l' Europe Vivent), quæ Genevæ A. 1671. prodiit, ANONYMUS, in Profeſſorum Academiæ Kilonienſis ἐξοχωτέρων Recenſu (53.), ſe-

(50.) *Lib. I. Polyhiſt. Lit., c. 18., p. 211.* (51.) *Tract. III., c. 8.* (52.) *pag. 67.*

(53.), ſequenti Noſtrum dignatus eſt Elogio: *G. D. Morhof, Profeſſeur en Philoſophie, outre ſa profonde Erudition, eſt admirable dans la Poeſie, & pour le beau fair de il, & pour la netteté de l' expreſſion.* ÆGID. MENAGIUS, Vatum Galliæ modernorum Celeberrimus, Poëmata Morhofiana tanta proſecutus eſt admiratione, ut Poëtarum eum Germaniæ Principem (*Le Premier Poete de l' Allemagne*), in *Anti-Bailleto* ſuo (54.), appellare non dubitaverit. Nec minus honorificum eſt GENR. BASNAGII, JCti πολυμαθεστάτου, ob religionem patria extorris, in Diario Gallico Anni 1688. Literario (*l' Hiſtoire des Ouvrages des Sçavans*), de Scriptis Noſtri omnibus Judicium (55.), quæ ſuo ille Idiomate vocat *Ouvrages remplis d' une Literature, ſi agreable, & ſi curieuſe.*

XXX. Inter BATAVOS, JANUS BROUKHUSIUS, Vates & Elegiarum præſertim Artifex cultiſſimus, cum Anno ſuperiori (1701.) Sebaſt. Kortholto, Viro Clariſſimo, de Profeſſione Academiæ Kilonienſis gratularerur Poëtica, a Morhofio antehac ornata, ſequenti Prædeceſſorem hunc ipſius celebravit Diſticho:

Scilicet his Ingens quondam Morhofius orſis
Ingenii cœpit promere ditis opes.

THOMAS CREENIUS, Philologus, quem Germania Belgio largita eſt Fœderato, plurimæ lectionis Doctisſimus, in *Animadverſionibus* ſuis, quarum lectione haud parum delector, *Philologicis ac Hiſtoricis*, *Virum* eundem ſalutat (56.) *Eruditiſſimum, harumque rerum* (ad Hiſtoriam ſpectantium Literariam) *apprime prudentem*, ac (57.) *Polyhiſtorem Celeberrimum*; PETRUS vero RABUS, cui Batavi Ephemerides debent Literarias, patrio ſcriptas Idiomate (58.), Eenen Hoofdmann van't gilde der Boeckwijzen.

XXXI. Nec minus Dotes Ingenii Morhofiani eximias, & Venæ imprimis Poëticæ præſtantiam, Noſter admiratus eſt Septentrio. Teſtem e DANIS allego Cenſorem Poëtarum, quos inter ipſe eminuit, dexterrimum, OLAUM BORRICHIUM, ita (59.) de Noſtri Latinis judicantem Poëmatis: *D. G. Morhofii Poëmata ipſæ Gratiæ finxiſſe videntur, ita, in omni Carminum genere, in omni argumento, lecta ei dictio eſt, ſubtile judicium, inaffectata jucunditas, clauſulæ argutiſſimæ. Quam fœcundam & verſatilem venam declaravit in Pontici & Accæ nuptiis? Sed &, ſi Autoſchediasmata conſulantur, ſi Miſcellanea Poëtica, Veneres, Funera, Epigramata, ubique cura, nitor, lepos & beata ubertas occurrunt.* Germanica JOH. OLAVIUS, Parochus in Jutia Randruſienſis, Poeta & ipſe venuſtisſimus, in Elegia de Poetis ſingularum gentium Vernaculis potioribus, quam Petri Sylvii *Grammaticæ* A. 1685. præmiſit *Danicæ*, verſu hoc commendavit Pentametro:

Morhofii purgat Muſa beata Sliam.

OTTO-

(53.) *p.* 498. (54.) *Tom. II., p.* 71. (55.) *M. Jun. A.* 1688., *p.* 158. (56.) *P. I., c.* 1. *p.* 9. (57.) *P. II., c.* 1., *p.* 18. (58.) *in Bibliotheca Europæa* (dem Boeckzaal van Europa), Batavice edita, *M. Sep. & Oct. A.* 1699., *p.* 252. (59.) *Diſſ. IV. de Poetis Latinis*, §. 162., *p.* 133.

OTTONI SPERLINGIO Juniori, JCto multiplici doctrina conſpicuo, & Auguſtiſſimi Danorum Regis Conſiliario, in Opere (quod beneficio Autoris penes me habui), de *Fœminis doctis*, ἀνεκδοτῳ, ſed luce publica digniſſimo (60.), *Princeps fere* audit *Seculi noſtri Poëta*; FRID. ROSTGARDO autem, Archivi Regii Ephoro (61.), *Celeberrimus Academiæ Kilonienſis Polyhiſtor.*

XXXII. E SVECIS, LAUR. NORMANNUS, Theologus Academiæ Upſalienſis πολυμαθέστατος, in Epiſt. ad Sam. Reyherum de Noſtri Obitu falſo credito, M. Apr. A. 1683. ſcripta (62.), Virum eum ſalutat, cujus *Famæ celebritas, pulcherrimis elegantiſſimi Ingenii monumentis, maxime Poeticis, dudum parta, quo inpoſterum aſſurgeret, vix habebat, & qui ſolida certaque nominis immortalitate vivus valensque fruebatur*; in Carmine autem, quo *Hebraismum* Matthiæ Waſmuthi *Reſtitutum* celebravit, Panegyrico, Holmiæ A. 1673. edito, *Muſam* ejusdem *Phœbeæ* judicat eſſe *proximam*. Collegæ Normanni, JOH. BILBERGIO, Mathematico inſigni (63.), *Vir* itidem audit *Celeberrimus, & verum Seculi ornamentum.*

XXXIII. BORUSSORUM de Morhofio Judicium exponant MART. KEMPIUS, Bibliothecæ olim Academicæ Regiomontanæ Præfectus (64.), *Elegantiſſimum Oratorem & Poëtam*, SAMUEL SCHELGVIGIUS, Profeſſor Gymnaſii Gedanenſis Theologus (65.), *Virum ſummum, & jam pridem Orbis Eruditi admirationem meritum*, ac CHRISTOPH. BEHRIUS, ejusdem Gymnaſii Rhetor (66.), *Virum Incomparabilem*, eum appellantes. LIVONORUM autem HENNINGUS WITTENIUS, Athenæi patrii Rigenſis Profeſſor, ſcriptis compluribus de Hiſtoria Literaria Recentiori non male meritus, a quo in *Decadis III. Memoriæ Philoſophorum Renovatæ*, ipſius An. 1677. inſcriptæ Nomini, Frontiſpicio, *ICtus exactiſſimus, Vir Virtute, prudentia, pietate, Myſteriorum Naturæ maximorum penitiori ſcientia, perquam inclytus, Seculi Ornamentum, Poëtarum Princeps, Svaviſſimum omnis Eruditionis Delicium, Amoeniarumque Literarum Aſſertor ac Vindex ſtrenuus*, alibi autem (67.) *Polyhiſtor Ingenioſiſſimus*, vocatur.

XXXIV. GERMANIAM Noſter Matrem agnovit, &, Scriptis ſuis ac Laboribus omnis generis Literariis, a Contemptu Exterorum ſupercilioſo, cum paucis aliis, vindicavit, magis etiam vindicaturus, ſi, quam toties promiſit, *de Meritis Germanorum in Literas* Commentationem perficere, lucique ſiſtere publicæ, per fata ipſi licuiſſet. Quis ergo miretur, longe eum plures quam alibi & propemodum innumeros, ſuorum hic in Literas Merito-

rum

(60.) *num.* 195. (61.) *in Præf. Deliciarum Poetarum Danicorum.* (62) Ejus Fragmentum Continuator vitæ Morhofii huic, *in Append. Diſſertt. Acad. p.* 44. 45., inſeruit (63) *in Aphorismis Miſcellaneis*, Upſaliæ A. 1688. editis (quos Thurmannus *in Elog. Morh. p.* 52. allegat.), *p.* 4. (64.) *in Tr. de Oſculis p.* 91?. (65.) *in Programmate Joh. Pet. Titii, Eloqv. Profeſſoris, A.* 1689. *conſecrato Exequiis.* (66.) *in Programmate Profeſſionis ſuæ Auſpicali, A.* 1688. *publicato.* (67.) *in Præfat. Tomi I. Diarii Biograph. Sec. XVII.*

rum Præcones, Dotiumque Ingenii Admiratores, inveniſſe? Nos, inſtituti memores, potiores ſeligemus, primumque hos inter locum tribuemus ACTORUM ORBIS ERUDITI, quæ Lipſiæ, per quatuor jam Luſtra, quotannis prodiere, COLLECTORIBUS celeberrimis. Ab his, *M. Sept. A. 1682.* (68.), Vir vocatur *Doctiſſimus, Germanicorum, Latinorum Græcorumque Carminum venuſtate nulli Poëtarum ſecundus*, M. Majo autem A. 1683, (69.) in *Stentoris* Ὑαλοκλάστου Recenſu, verbis extollitur ſequentibus: *Inter ævi hujus Panepiſtemonas referendus vel maxime venit D. G. Morhofius, Profeſſor Academiæ Kilonienſis, celeberrime jamdudum florens. Neque enim intra Themidis, cujus ſumma Axiomata jamdudum obtinuit, ſeſe continere poteſt cancellos, quin libero & excelſo animo per latiſſimos ſcientiarum lingvarumque omnium campos fertur, Poëſeos quippe & Eloquentiæ, quas publice profitetur, Antiquitatis item omnis, atque uti Philoſophiæ univerſæ, ita Naturæ imprimis Arcanorum, & olim & recens inventorum, conſultiſſimus.* Quibus, ſub finem Recenſus iſtius, hæc adduntur: *Sed Autorem inſpicere ipſum pretium erit operæ. Is enim, uti Cornu Copiæ quoddam eſt Eruditionum non trivialium, ita legentes quoque ſic delectabit, ut ardentiſſimum in ipſis reliquorum Ingenii fœtuum, quos affectos perfectosque domi fovet, deſiderium accendat.* M. Aug. A. 1686. (70.), *Præfulgidum* ab iisdem *Academiæ Chriſtian Albertinæ Lumen* eſt appellatus, &, biennio poſt, M. Oct. A. 1688. (71.), in Summorum Capitum *Partis Polyhiſtoris Literarii prioris* Enarratione, hoc mactatus Elogio: *Hanc Eruditionis partem, quæ omnes omnium Scientiarum ac Artium Scriptores ſcrutatur & explorat, commonſtrare ſatagit doctiſſimus & in omni literarum ac diſciplinarum genere probe verſatus Autor; qui, cum nihil ferme ignoret, infinitos Libros legerit, & res omnes mente complexus de iisdem eleganter & ornate ſcribere valeat, uni quaſi Syſtemati univerſæ Eruditionis Apparatum includere, &, ſub Polyhiſtoris Elogio, omnem ſcientiarum complexum, aut Polymathiam, exhibere, inſtituit. - - Quam provinciam quin Vir omnigena eruditione inſtructus inſigniter exornaturus, & vaſtum licet argumentum, pro doctrina, qua ingenti valet, digne executurus ſit, dubitare nos non ſinunt, quos jam dedit, priores duo Libri.*

XXXV. A. 1691., M. Sept. (72.), Mors ejus Literatis hiſce verbis eſt annunciata: *Diſſimulare non poſſumus Celeberrimi & ſæpius nobis in his Actis ex merito laudati Polyhiſtoris, lugendum univerſo Orbi Literato obitum, quippe qui Lubecæ, d. 30. M. Julii proximi, ex diuturno langvore & Cachexia, A. æt. 55., expiravit.* A. 1697., M. Jun. (73.) ſequens de Poëmatis ipſius, ac Autore ſimul illorum, Judicium legitur honorificum: *Inter cæteras feliciſſimi Ingenii Morhofiani dotes, quibus Vir Doctiſſimus rem Literariam ornavit, &, præclaris variisque editis Ingenii induſtriæque Monumentis, æternam nominis famam ſibi acquiſivit, non poſtrema fuit Carminis pangendi, & ſcientia, & facultas. Rei quidem Poëticæ quæ fuerit in eo ſcientia, quamque recondita divinæ hujus Artis cognitio, ex eruditiſſimo ejus de Germanorum Lingva*

(68.) *p.* 271. (69.) *p.* 194. 197. (70.) *p.* 418. (71.) *p.* 564. 565. (72.) *p.* 448. (73.) *p.* 261.

& Poëſi diſcimus Commentario. Quæ vero polluerit carminis etiam ſcribendi facultate, & quam dextrum in hac ſenſerit Apollinem, argumento eſſe poterunt, cum Germanica Carmina, memorato Libro ſubnexa, tum Latina cumprimis longe plurima diverſis temporibus ab eo compoſita atque edita Poemata, nunc ab Hæredibus optimo conſilio in unum Corpus collecta. An. 1698., M. Jul. (74.), *Orationum* ejus, junctim editarum, Recenſus ita inchoatur: *Qui dicendi artes, legesque Carminis, magna, dum viveret, laude profeſſus eſt, D. G. Morhofius, æternum Kilonienſis Academiæ Ornamentum, idem & Oratoris, & Poetæ, nomen decusque raro exemplo egregie ſuſtinuit; quod nec Ciceroni, nec Virgilio, contigiſſe ſcimus &c.* Anno tandem 1699., M. Jul. (75.), ubi Voluminis *Diſſertationum* ſiſtitur σκιαγραφία, Elogium hoc plauſibile, cum Autore illis commune, obſervabis: *Qui toti Erudito Orbi invidendis Ingenii Monumentis dudum innotuit, Vir Celeberrimus, D. G. Morhofius, Diſſertationibus quoque Academicis, exquiſitiſſimis iis, & admodum ſolerter elaboratis, famām haud mediocrem aſſecutus eſt.*

XXXVI. Lipſienſibus ſubjungimus Scriptores reliquos Literariarum, quæ Germanico in Germania prodierunt Idiomate, Ephemeridum ἐξοχωτέρως. Hos inter, CHRISTIANUS THOMASIUS, JCtus novellæ Academiæ Saxo-Halenſis Celeberrimus, cujus παῤῥησία in Cenſuris Literariis ἀπροσωπόληπτος, & adulari neſcia, nemini non innotuit, Morhofium, in *Cogitatis*, quibus Libros vario recenſuit, *Menſtruis Jocoſeriis* (76.) *Virum* ſalutavit *Doctum, multæque lectionis* (Einen gelahrten und vielbeleſenen Mann) / imo *admirandam* agnovit (77.) ejus eſſe *Eruditionem*, & ſingulis Germaniæ Academiis Morhofium aliquem exoptavit, a quo ſolidioris doctrinæ, veræque πολυμαθείας, Studia in iis reſuſcitentur. WILHELMI ERNESTI TENZELII, Ducum Saxonicorum Hiſtoriographi, Scriptoris πολλῶν ἄλλων, ob variam atque reconditam Eruditionem, ἀνταξίȣ (cui alibi etiam (78.) Noſter *Lumen* audit *Academiæ Kilonienſis Clariſſimum*), *Dialogi Menſtrui de Libris Recentioribus Vernaculi* plurimis, & admodum luculentis, Polyhiſtorem hunc Cimbricum paſſim ornant Elogiis. Recenſu *Polyhiſtoris* ejus *Literarii* illos A. 1689. eſt exorſus, Noſtrumque ad ſcribendum Syſtema Hiſtoriæ Literariæ, præ aliis omnibus eſſe idoneum, dotibusque neceſſariis univerſis, Ingenio ſc., Judicio & Doctrina, inſtructisſimum, ad Orbis Literati totius conſenſum provocans, judicavit (79.), ſub finem vero Anni ejusdem (80.) *Virum* ſalutavit *Præſtantem, quem non Germani ſolum, ſed & Galli, Angli & Batavi, certatim venerantur.* A. 1690., M. Dec. (81.), unum eum ſibi inſtar omnium Academiæ Kilonienſis Profeſſorum eſſe eſt profeſſus, & A. ſequ. 1691., M. Ap. (82.), peculiarem ipſi optavit addici Bibliopolam, cura ſumptuque ſuo ſola illius Scripta ἀνέκδοτα atque Affecta luci expo-

(74.) *p.* 329. (75). p. 219. (76.) *M. Nov. A.* 1689., p. 968, (77.) *M. Aug.* 1688., *p.* 275. 288 (78.) in *Præfat. Judiciorum de Symbolo Athanaſiano*, A. 1687. editorum. (79.) *M. Jan. A.* 1689. p. 10. (80.) *M. Dec.*, *p.* 1277. (81.) *p.* 1139. (82.) *p.* 307.

expoſiturum publicæ. M. Sept. ejusdem Anni 1691. prolixus admodum eſt in obitu ejus deplorando, & Dotibus Meritisque defuncti in Acad. Cimbricam, totamque Remp. Literariam, fuſe, Epicedii Muhliani ductu, celebratis, Voto Editionis Poſthumorum ejusdem ſerio Digreſſioni huic finem imponit (83.). Menſe Februario Anni 1692. (84.), Virtutes illius deprædicat Homileticas, ipſumque, Virum licet extra controverſiam πολυμαθέςατον, nihilo tamen minus, Gerh. Joh. Voſſii & Herm. Conringii prementem veſtigia, ab omni faſtu atque arrogantia fuiſſe alieniſſimum, &, in converſatione, cum Doctiſſimis pariter ac ſemidoctis, affabilem & humanum, obſervat. Plur eorundem Dialogorum loca coacervare ſuperſedeo. Clar. ECCARDUS tandem (id enim Scriptoris hujus Ἀνωνύμȣ Doctiſſimi verum eſſe Cognomen perhibent), Menſtrua Librorum Recentiorum Excerpta, Hannoverana, Illuſtris Leibnitii, ante biennium, concinnare aggreſſus auſpiciis, quanti Morhofiana omnia faciat, ſatis ſuperque oſtendit, dum Voto ſuo Editionis Reliquiarum Polyhiſtoris ſequentia ſubjunxit, Latine a nobis translata (85.): *Quæcunque e Calamo Doctiſſimi profluxere Morhofii, imperfecta licet ſint, non poſſunt tamen non erudita eſſe atque utilia.*

XXXVII. E Ducatu Brunsvicenſi Teſtes πολυμαθείας Morhofianæ, præter Muſagetam (quem modo laudabamus, cujusque de Noſtro Judicium §. 28. jam eſt exhibitum) illius, ac Germaniæ reliquæ, Incomparabilem, GOTHOFREDUM GUILH. LEIBNITIUM, allegamus Polyhiſtoras duos Academiæ Juliæ Inclytos, JOH. ANDR. SCHMIDIUM, Theologum, & HENRICUM MEIBOMIUM, Medicum, utrumque magni merito ſuo nominis. Quorum prior *Splendidiſſimum Orbis Literarii Sidus* (86.), & *Magnum Polyhiſtorem* (87.), poſterior autem *Eruditi Orbis & Amicitiæ ſuæ Decus* (88.), *Poetamque inſignem, & varia Eruditione conſpicuum* (89.), τὸν Μακαρίτην appellare non dubitavit.

XXXVIII. Quanta in Ducatu Megapolitano, & Academia Roſtochienſi, quibus prima Famæ ſuæ Noſter auſpicia debuit atque incrementa, de illius, admodum adhuc Juvenis, Ingenio ac Doctrina fuerit Expectatio, præter ANDR. TSCHERNINGII, Anteceſſoris, Choriambos *Diſputationi de Jure Morborum*, A. æt. 19. publicatæ, adjectos (90.), Programma docet LAUR. BODOCKII, Rhetoris Academici, quo publicam Poëmatis in Guſtavi Adolphi, Principis ſui, Natalem ab eo conditi, recitationem A. 1660. indixit (91.), In iſto enim *Juvenis* appellatur *indolis inſignis, egregiæ eruditionis, magnæ ſpei, atque exaggeratæ virtutis & doctrinæ, gloriam Virorum, qui Monumen-*

(83.) p. 801-808. (84.) *p.* 231. (85.) im monathlichen Auszuge aus allerhand Büchern / *M. Majo A.* 1701., *p.* 60. (86) *in Diſſ. de Muris Hierichuntis collapſis p.* 23. (87.) *in Diſſ. de Pſeudo-Novo Teſtamento p.* 6. (88) *in Præfat. Additamentorum ad V. H. Vogleri Introduct. in Notit. Bon. Scriptorum*, p. 122. (89.) *in iisdem Addit. p.* 186. (90.) V. eos in *Append. Diſſert. Acad.* Morhofii p. 62, 63. (91. *ibid.* p. 63. 64. 65.

ta Ingenii & Doctrinæ per Orbem Literatum diſſeminarunt, Deo Auſpice, æquaturus. Quanto Vena ejus Poetica ibidem fuerit in pretio, AUG. VARENII, Theologi Roſtochienſis, oſtendit Judicium juſto benignius (92.), quod, *Maronem* a Morhofio *ingenio cantuque ſuperari*, audacter contendit. Oſtendunt JOSUÆ ARNDII, Aulæ Güſtrovienſis Protecclefiaſtæ, Elegi, tum illi, quibus de Magiſtri titulo An. 1660. ei eſt gratulatus, Diſticho (93.) Noſtrum compellantes ſequenti:

> *Nam, poſt quæſitas HeinsI Grotiique Camœnas,*
> *Dignior ingenio non erat Urna tuo;*

tum Nuptialis, in quibus hoc celebratur Tetraſticho (94.):

> *Ille ſolet Tiberis quiddam teſtudine majus,*
> *Et canere ad Grajos Carmina docta ſonos.*
> *Ille movet, quicquid Germania poſſidet artis,*
> *Et palmam Batavis reddidit ambiguam.*

Nec minoris eum a modernis Roſeti Varniaci Profeſſoribus fieri, vel ſolus teſtimonio ſuo evincet JOH. FECHTIUS, Theologus illius Primarius, a quo, in *Præfatione Hiſtoriæ Univerſalis* Joh. Henr. Boecleri (95.), *Polyhiſtor* ſalutatur *Admirabilis.*

XXXIX. In Superiori Saxonia, e Scholæ Leucoreæ Profeſſoribus, GEORG. CASP. KIRCHMAIERUS, Rhetor Seniorque Academicus, *Virum* eum appellavit *ingenii admirandi, ad Phyſin & Poëſin maxime ornandum peridoneum* (96.), *Virum ad ingenioſa & recondita ſcrutanda natum, cujusque nihil inacceſſum eſt ingenio* (97.), ac *Vatem, cui principem locum Pater Phœbus inter Seculi noſtri dedit Poetas* (98.) E Novellæ Academiæ Saxo Halenſis Luminibus, plures Morhofianorum in Literas Meritorum allegari merentur Admiratores, VITUS LUDOV. SECKENDORFIUS ſcilicet, primus ejus Cancellarius, & Decus Nobilitatis Eruditæ Æternum, cui (99.) Noſter *Vir* audit *merito ſuo longe ſibi chariſſimus, & æſtimatiſſimus, in quo habet Germania, quo Genti noſtræ gloriam omnigenæ & exquiſitæ Eruditiones, qua ingenii viribus & indefeſſo ſtudio eniti licet, aſſerat,* SAM. item STRYKIUS, ICtus (100.), *Virum meritis in rem Literariam Illuſtrem,* FRID. HOFMANNUS, Medicus (1.), *Virum ſupra Seculi genium Doctum,* & CHRISTOPHORUS CELLARIUS, Philologus excellens (2.), *Decus Academiæ Kilonienſis inſigne,* eundem ſalutantes.

XL. Sed dudum nos in Tempe ſua revocat Misnia, hujusque Ocellus

(92.) *in Epithalamio, A.* 1671. *ſcripto. V. Append. cit. p.* 96. (93.) *in ead. Append. p.* 69. (94.) *ibid. p.* 95. (95.) *p.* 10. *apud Thurmannum in Elog. Morh. p.* 51. (96.) *in Ep. de Noctiluca conſtante p.* 20. (97.) *in Comm.* de *Phosphoris, Natura Lucis & Igne, p.* 31. & 69. (98.) in Jambis ad Morhofium, in *Appendice Poematum* hujus *Latinorum Adoptiva p.* 938. obviis. (99.) *in Commm. Hiſt. de Lutheranismo, L.* 3., *Sect.* 21., §. 84. (100.) *in Præfat. Biblioth. Academicæ Caſp. Thurmanni.* (1.) *in Exerc. de Cinnabari Antimonii, c.* 6., *p.* 25. (2.) *Programm.* 50., *p.* 357.

lus, Lipſia, Morhofianum nomen jampridem venerari aſſveta. Sub primum mox in Athenas Cimbricas Adventum, naſcenti ejus famæ FRID. RAPPOLTUS, Poëta ac poſt Theologus Philureæ eximius, applauſum ſuum, tum aliis Epigrammatis compluribus, tum ſequenti teſtatus eſt Tetraſticho:

Principis Auſpiciis Parnaſſus in æthera ſurgit:
Carmine Morhofi perſonat ille gravi.
Pace tua liceat mihi dicere, maxime Princeps:
Parnaſſi Vates alter Apollo tui eſt.

Gener Rappolti non degener, & in Pötica Profeſſione Succeſſor, JOACH. FELLERUS, in Poëmate, quo Magiſtrorum Promotionem, Lipſiæ A. 1673. factam, celebravit, Heroico, Morhofium Virum ſalutavit,

Quem noſtra Aureolum mirantur Secula Phœbum;

in Poëmate *de Brabeis Philoſophicis* ſimili, An. 1691. edito (3.), *Aſtrum Poli Arctoi rutilum*, *Polyhiſtorem magnum*, &

Nobile Depoſitum Cœli, quo Cimbria gaudet,
Quique hodie cluit Anoi Pan magnus in Orbe,

alibi autem (4.), *Polyhiſtorem Kilonienſem incomparabilem.* Noviſſime etiam *Orationi de Auro* Morhofianæ, Lipſiæ A. 1690., auſpiciis Carpzovianis, recuſæ, Epigramma ad Autorem ſubjecit, in quo *Polyhiſtor* is vocatur *maximus & ſine pari*, *Svadaque Cimbrica*, & in ultimo tandem Diſticho hac compellatur προσφωνήσει:

Nec mirum, docti cum ſis Sol Aureus Orbis,
Aurum ſi promas efficiasque merum.

Par Meritis ipſus pretium ſtatuit AD. RECHENBERGIUS, etiamnum Lipſiæ ſuperſtes, qui non in aliis ſolum Scriptis *Summum Polyhiſtorem* (5.), *Polyhiſtorem Excellentisſimum* (6.), *Virumque longe doctiſſimum, & nunquam ſine laude nominandum* (7.), appellat, ſed & in Jambis, quos Henr. Muhlii Honoribus dicavit philoſophicis, ita alloquitur (8.):

Salve erudita, quæ ſub Axe Cimbrico
Hodieque floret, Gentis illuſtre o Decus.

Ultimum inter Lipſienſes locum occupet, qui primum merebatur, FRID. BENED. CARPZOVIUS, Inclytus ille ætatis noſtræ Peireſcius, in Germania redivivus, omniumque vere eruditorum, ac, hos inter, Morhofii imprimis, amantiſſimus, cujus obitum, in Literis ad me Non. Oct. An. 1691. exaratis, hiſce verbis deploravit: *Morhofium, Virum Doctiſſimum, Cimbriæ ſubtractum eſſe morte inopinata, nemo non dolet Literis bene cupiens.*

 XLI. Ex

(3.) *p. 2. 30. & 42.* (4.) *in Præf. ſcil. ad Tobiæ Richteri Metaphraſin German. Meditationum Sacrarum Joh. Gerhardi, Metrice A. 1690. evulgatam, & in Or. de Fratribus Kalendariis p. 19.* (5.) *in Præf. Obſtetricis Animorum Edm. Richerii.* (6.) *in Lib. de Studiis Academicis, Sect. II., c. 1., p. 15. 16.* (7.) *ibid. p 98.* (8.) *V. Append. Diſſertt. Acad. Morhofii p. 46.*

XLI. Ex Haſſia prodeant Profeſſores duo Academiæ Gieſſenæ Celeberrimi JOH. NICOL. HERTIUS, JCtus, cui Morhofius *Summus* audit *temporibus noſtris Poeta* (9.), & MICH. BERNH. VALENTINUS, Medicus, a quo, in *Declamatione de Phyſicæ Experimentalis Origine & Progreſſu* (10.), præcipuis hujus in Germania Illuſtratoribus merito annumeratur. E Franconia autem JOH. CHRISTOPH. WAGENSEILIUS, Polyhiſtor Altorfinus, *multæ* Noſtrum *Lectionis Virum* ſalutans, *cujus Mortalitas potius, quam Vita, finem ſuum attigit* (Einen vielbeleſenen Mann / deſſen Sterblichkeit ſich mehr / als das Leben / nunmehr geendet (11.)), & ERASMUS FRANCISCI Ornamentum illud Noribergæ e Cimbria adoptivum, quo (12.) Judice *Vir* fuit *longe doctiſſimus, Philologis principibus accenſendus, totumque Eruditionis omnigenæ Orbem pervagatus* (Ein Haupteruditer Mann und Haupt-Philologus, der den gantzen Kreiß gelehrter Welt durchlauffen / und derowegen nirgends ſich lange verweilen wollen). Sed non vacat nobis omnem Germaniam diutius pervagari, & Morhoſii Encomiaſtas in ſingulis ejus veſtigare Provinciis & Civitatibus. Quæ reſtant ergo Germanorum Elogia, mentione digna, junctim ordine exhibemus Alphabetico:

XLII. TRAJANO BOCCALINO, Scriptori ψευδωνύμῳ *Judicii ex Parnaſſo de Triga Scriptorum Recentiorum* (ipſo ſcil., Matth. Waſmuhto & Chr. Thomaſio), Coſmopoli A. 1689. editi (13.), *Germanorum* audit *Decus, Singulare hujus Seculi Ornamentum, Reip. Literariæ Præſidium, &, ob variam Eruditionem, alter Eleus Hippias.*

MART. DIFENBACHIO, Eccleſiaſtæ Mœno-Francofurtano (14.), *Decus Virorum Germaniæ, qui jam vivunt, Eruditorum.*

JOH. GRöNINGIO, JCto Wiſmarienſi (15.), *Vir, cujus in Poëſi, Philologicis, Hiſtoricis & Phyſicis, Scripta vaſtiſſimum ipſius ingenium, & per omnes Literas diffuſum, arguunt*: *Princeps* item (16.) *Polyhiſtorum populi ſuffragio, quo nemo majori ſtudio, doctrina & ingenio, ad ſcribendam Hiſtoriam Literariam acceſſit.*

CHRIST. GRüBELIO, Gymnaſii Mindenſis Rectori (17.), *Vir de Re Literaria optime meritus, & Lumen Academiæ Chriſtian Albertinæ præfulgidum.*

CHRIST. JUNCKERO, Athenæi Schleuſingenſis Conrectori (18.), *Vir poſt fata immortalis.*

JOH.

(9.) *in Vita Erici Mauricii, Diſſertt.* hujus præfixa *Academicis.* (10.) *Octava inter Declamationes reliquas, p.* 82. (11.) im Berichte von der Meiſter-Singer-Kunſt/Libello Vernaculo, *Commentationi Latinæ de Civitate Noribergenſi* A. 1697. adjecto, c. 1., p. 452. (12) in Scripto Vernaculo contra M. Joh Matthæum, Jac. Böhmii Hyperaſpiſten, Apologetico (gebrochene Spott-und Läſter-Pfeile)/p. 427. 429. (13.) *in 4to.* (14.) in Scripto *de Officiis Præceptorum Chriſtianorum* Vernacula (in Thurmanni *Elog. Morhof.* p. 53. allegato) p. 365. (15.) *in Cogitatis de Hiſtoria Wismarienſi, M. Apr. Nov. Lit. Lubec. A.* 1698., p. 50. (16.) *in Præfat Tom I., Relationum Reip. Lit., A.* 1702. *editi.* (17.) *in Diſſ. de Lingua Germanica Veteri & Moderna, c.* 1., p. 4. & 13. (18.) *in Præfat. Tr. de Ephemeridibus Eruditorum.*

JOH.WILH.PETRÆO, Theologo & Præſuli olim Lüneburgenſi (19.), *Magnus ille Polyhiſtor.*

JULIO PFLUGIO (20.) *Vir Clariſſimus, deque Re Literaria optime meritus.*

JOH.CHRISTOPH.RUMESTCHIO, Gymnaſii Spirenſis Rectori (22.), *Muſarum Delicium & Holſatiæ Martialis.*

JOH.HADR.SLEEVOGTIO, Profeſſori Acad. Jenenſis Medico (22.), *Vir Ingenioſiſſimus.*

SEV.WALTHERO SLUTERO, præſuli Lauenburgico (23.), *Vir inſignis.*

CHRIST. WEISIO, Gymnaſiarchæ Zittavienſi (22.), *Vir Magnæ Exiſtimationis* (ein vornehmer Mann).

JAC. WOLFIO, Prof. Medico Jenenſi (23.), *Summus Polyhiſtor, & Vir Sapiens ac Prudens.*

GOTFR. ZEUNERO (24.), *Vir, cui, quod ad πολυαναγνωσίαν attinet ineffabilem, Judiciique acrimoniam, paucos jam pares Orbis habet.*

ANONYMO poëmatum Heliconis Sileſiaci Selectiorum (der auserleſenſten Gedichte des Schleſiſchen Helicons), quæ Francofurti A. 1699. prodierunt, Editori (25.), *Vir in omnibus admirandus & portentoſæ indolis* (unſer in allem zum Wunder gewordene Morhof).

XLIII. Ex itinere per Europam ferme univerſam, quod, Famæ Morhofianæ, longe lateque diffuſæ, ſecuti Veſtigia, confecimus, Literario, in CIMBRIAM noſtram revertimur, Tanti Viri Lumine, adoptivo licet, per quinque Luſtra eximie illuſtratam, Dotesque illius ac Merita, quod *Bona hæc ſua noſſet*, non minus quam Gentes Exteræ, veneratam. Teſtes allego, ex LUBECENSIBUS, Celeberrimos NOVORUM MARIS BALTHICI & SEPTENTRIONIS LITERARIORUM Collectores, a quibus cum aliis paſſim laudibus ornatus eſt, tum *Celeberrimi Academiæ Kilonienſis Polyhiſtoris* (26.), & *Delitiarum, imo Oraculi & Miraculi Septentrionis noſtri* (27.), invidenda reportavit Elogia. Ab AUG. PFEIFFERO, ſupremo haud ita pridem Eccleſiarum Lubecenſium Antiſtite (28.), *Claræ ſalutatur ſpes magna Juventæ, magna Muſarum Gloria, vatesque, cujus pectore ſe vetuſtas cuncta condidit, parem non habiturus*, a GEORG. HENR. GOETZIO, Theologo, qui Pfeifferi locum nuper occupavit, multæ doctrinæ & lectionis (29.), *Polyhiſtor Clariſſimus ac Eruditorum facile hodie Princeps*, &, alio in loco (30.), *Magnus & Incomparabilis Polyhiſtor,*

(19.) *in Monumento Wasmuhtiano p.* 18. (20.) *in Ep. de Bibliotheca Budenſi* p. 111. (21.) *in Aquila Leopoldina p.* 103. (2..) *in Diſp, Inaug. de Anthrace peſtilenti*, §. 33, *p.*12. (23.) *in Præfat. Edit. poſterioris Propylæi Hiſt. Chriſtianæ.* (22.) *in Oratore Politico, Germanice edito, c.* 22. (23.) *in Progr. Auſpicali de* Αὐτοδιδάκτοις, *A.* 1690. *edito, p.* 6. & 10. (24.) *in Parnaſſo Anni* 1692. *Autumnali Vernaculo, p.* 53. (25.) *in Præfat. p.*25. (26.) *M. Jun. A.* 1699, *p.* 184. (27.) *M. Jul. A.* 1700., *p.* 170. (28.) *in Epicedio.* (29.) *in Diſſ. de Scriptorum Ciceronis Lectione*, Lipſiæ A. 1689. edita, §. 3. p. 9. (30) *in Principe Hebraice docto p.* 4.

ſtor, ab ENOCHO autem SVANTENIO, Athenæi Scholaſtici Moderatore Eximio (31.), *Mare Scientiarum Grande*, *& inſigne Chori docti Præſidium.* Nec ſilendus *h. l.* JOH. GEORG. PELLICERUS, JCtus & Collegii Canonicorum Lubecenſium Secretarius, Poëta venuſtisſimus, qui, uti §. 11. jam narratum, falſo de obitu ejus rumore deceptus, ſuperſtiti Inſcriptione Latina ἀμέτρῳ A. 1671. parentavit, &, in hac, *Principem* illum *Po... rum*, *Poetamque Principum*, *Vatem divinum*, *Solem Muſarum*, *Cimbriæque Maronem*, appellare haud eſt veritus (32.).

XLIV. Quanto a Viris Civitatis HAMBURGENSIS Eruditis habitus fuerit in pretio, Teſtis omni exceptione major eſt VINC. PLACCIUS, omnigenæ Eruditionis gloria plerisque, cum viveret, ſuperior. Is non *Decus* ſolum *Academiæ Kilonienſis Elegantiſſimum* (33.), *Doctiſſimum Academiæ Kilonienſis Profeſſorem* (34.), *& Virum rei Librariæ peritisſimum* (35.) in aliis eum Scriptis vocavit publicis, ſed in *Juriſconſulto* etiam *Perfecto* (36.) his verbis eſt uſus: *Morhoſius unus eruditæ caveæ magnæ mihi inſtar eſſe poteſt.* ὁμόψηφος huic eſt Succeſſor longe digniſſimus, JOH. ALB. FABRICIUS, *in Decade Scriptorum Recentiorum* ἀνωνύμως Hamburgi An. 1688. edita (37.), ſequenti Noſtrum dignatus Elogio: *Hunc & Eloquentiæ, & Poeſeos, & Elegantioris omnis Literaturæ, Magiſtrum merito appellaverim. Quæ Laus ipſi adeo propria eſt, ut cum Naturalis Scientiæ exquiſita Cognitione, accurataque Juris Scientia, ſit communis. Gratulamur Patriæ noſtræ, quod in hoc Viro invenerit, quem Exteris opponere poſſit. Ejus Polyhiſtore nihil noſtra memoria prodiit eruditius. Levia illa, quæ notari forte in illo poterant, ne memoranda quidem eſſe arbitramur.* Succinit Fabricio, qui Lubecæ A. 1689. *Epiſtolam* de ejus *Decade* ad *Candidum Philalethen* edidit, SINCERUS VERIDICUS, Scriptor ψευδώνυμος, *Virum qui Scientiarum exhauſit Oceanum*, Κειμήλιον *Germaniæ in Seculi Decus pariter ac ſtuporem natum*, *Magnumque Polyhiſtorem*, *ſupra Bonorum laudem*, *ſupra Malorum Invidiam*, *poſitum*, eundem appellare (38.) haud veritus. Succinunt etiam JOH. FRID. MAYERUS (39.) & DETHL. CLUVERUS (40.), Theologus alter, alter Philoſophus Civitatis Hamburgenſis Adoptivus percelebris, quorum utrique *Vir* audit *Incomparabilis*, illi vero etiam (41.), *Vir laude ſua major*, *& præmaturo fato*, *non ſibi tantum & Kilonienſi Academiæ*, *ſed Muſis ipſis*, *& Literis*, *quas mirifice ornabat*, *ereptus.*

XLV. Sed nec in ipſa, cui per tot Annos docendo inſerviit, ACADEMIA Cherſoneſi hujus KILONIENSI *Præſentia*, quod ſæpe admodum fieri nemo ignorat, *famam* ejus potuit *minuere*. Ne quid enim de Studioſis dicam, præſtan-

(31.) *in Leſſu Alcaico in obitum ejus.* (32.) *V. Append. Diſſertationum Academicarum Morhoſii p.* 91-94. (33.) *in Notis ad J. Rhodii Catal. Scriptt. Suppoſit. p.* 40, (34.) *in Tr de Script. Anon. detectis p.* 41. (35.) *in Invitat. ad Anonymos ſuos augendos p.* 7. 8. (36.) *c.* 4., *p.* 141. (37.) *num.* 1. (38.) p. 5. (39.) *in Præf. Muſæi Miniſtrorum Eccleſiæ.* (40.) *T. I.*, *Novæ Criſeos Temporum* p. 104. (41.) *in Diſp. de Codice ſuo Bibliorum Germanico MSto* (quam *in Appendice Hiſtoriæ Verſionis Lutheri* invenies) p. 165.

Præſtantiſſimi quique inter omnium Ordinum Profeſſores, tantum abeſt, ut hanc ipſi inviderint, ut potius pro virili Laudibus non privatis tantum, ſed & publicis, auxerint. E Theologis, CHRIST. KORTHOLTUS *Vatem* eum ſalutavit (42.),

Qualem non ullum doctior Orbis habet,

& (43.) *Lycæi Kilonienſis Decus immortale*; PAULUS autem SPERLINGIUS (44.) *Poetam Divinum, Carmina toties, æterna cedro merito digna, canentem*; *Dulce* item (45.) *Seculi Nectar, Ocellumque, Lumen & Decus Poetarum, cujus Vena Caſtalin Permeſſiasque Muſarum Undas, & Favos vincit Hymettios.* HENR. MUHLII Poëma, quod §. 4. jam laudavimus, Elegiacum, Manibus ejus Sacrum, totum in Dotibus ac Meritis ipſius in Literas eximiis celebrandis occupatur, &, una cum *Præfatione* ſimilis Argumenti in *Opera* Noſtri *Poëtica*, Lubecæ A. 1697. junctim recuſa, integrum a Tanti Nominis Cultoribus legi meretur ac relegi. E Collegis Ordinis Juridici, ERICUS MAURITIUS (46.) *Poetam Ingenioſiſſimum* & (47.) *Seculi Noſtri Gloriam*, SAM. RACHELIUS (48.) *Decus Academiæ Holſaticæ eximium*, NICOL. MARTINI (49.) *Decus Sororum Aonidum immortale, Carmine Maronem, Ore Tullium*; e Medicis JOH. DAN. MAJOR (50.) *Vatem Ingenioſiſſimum*, & (51.) *Magnum Polyhiſtorem*, e Philoſophis denique AD. TRIBBECHOVIUS (52.) *Vatum maximum*, appellavit.

XLVI. Plura accumulare Elogia, quibus Homines Eruditi Polyhiſtorem hunc Cimbricum ſuo ornarunt merito, ſuperſedemus. Quæ enim hactenus ſunt recitata, & Titulum hunc ipſi jure deberi, imo communi ferme Literatorum conſenſu decretum eſſe, oſtendunt, & in multiplici ejus Eruditione celebranda, defectu potius, ſi cum aliorum Judiciis noſtra conferantur, quam Exceſſu, peccatum ſupra a nobis fuiſſe, ſatis ſuperque demonſtrant. Si quis plura deſiderat, præter Biographos, §. 4. *enumeratos*, Appendices Carminum Adoptivorum, *Diſſertationum Academicarum atque Epiſtolicarum, Poematumque Latinorum*, Collectionibus ſubjectas, Præfationes iisdem, ceterisque Scriptis Poſthumis, a Succeſſoribus præmiſſas, aliosque Autores, paſſim deinceps, in Monumentorum ipſius Literariorum Recenſu, allegandos, conſulat. Nos, alienis eum laudibus haud indigere perſuaſi, qui, tot Scriptis, omnium conſenſu præſtantiſſimis, has dudum ſupergreſſus, æternatura in Templo Famæ Monumenta ſibi ipſemet erexit, ad horum pergimus Hiſtoriam, Edita initio, Temporum, quibus prodierunt, ordine, enumeraturam, iſtisque ἀνέκδοτα & Affecta ſubjuncturam.

(E) XLVII.

(42.) *in Epithalamio, ei ſcripto.* (43.) *in Epicedio* (44.) *in Carmine de primo Academiæ Kilonienſis Rectoratu Gratulatorio.* (45.) *in Genethliaco in Natalem Primogeniti ejus.* (46.) *in Epigrammate, Veneribus Noſtri præfixo.* (47.) *in Epithalamio.* (48.) *in Introd. ad Jus Publicum* p. 95. (49.) *in Epicediis, ipſi atque Uxori ſcriptis.* (50.) *in Deliciis Hybernis* p. 17. (51.) *in Epiſtola Diſputationi de Aurea Jovis Catena ſubjecta.* (52.) *in Epithalamio.*

XLVII. Primum, inter Edita, cum Temporum ſequi decreverimus ordinem, Locum ſibi vindicant Poëmatia, quæ Anno 1657., octodecim natus Annos, publicavit, Juvenilia,

1. *Poculum* ſcil. *Boni Dæmonis*, ſive Carmen, quo, Gymnaſium Stettinenſe relinquens, Henrico Schævio, Præceptori, valedixit, Apobaterium, in *Operibus Poëticis p.* 909-914. recuſum;

&

2. *Lanx Satura*, ſive Cento in *χρισογονίαν*, e Virgilio, Statio & Claudiano, contextus, Andreæque Tſcherningio, ſuo in Profeſſione Poëtica Anteceſſori, Roſtochii inſcriptus, quem *Liber Prætermiſſorum*, in iisdem *Operibus Latinis Poëticis*, A. 1697. legendum denuo exhibuit.

Quibus addi etiam poteſt, quod biennio ante, A. æt 16., Patroni cujusdam novis conſecravit Honoribus, Carmen *de Dignitate Conſulari* Gratulatorium Juſtæ magnitudinis, de cujus in Stylo Poëtico κακοζηλία Judicium Autoris ipſius, iſtam damnantis, parum benignum, maturiori latum ætate, §. 7. jam recitavimus, Minuta iſta ſunt, fateor, nec tanto Poëta, ſi cum Virili ætate ſcriptis comparentur, ſatis digna, ac proinde nonnullis mentione forſitan etiam indigna videbuntur. Verum alia Noſtro mens fuit, qui Puerilia ac Juvenilia Magnorum Poëtarum ſtudioſe conquiſivit, & de Grotianis Heinſianisque hujus generis, inter Poëmata reliqua, in eorum Editionibus plerisque, haud recuſis, *Lib VII. Polyhiſt. Lit.* (53.) judicavit, *ſervari & iſta poſſe, quod multa bona in illis reperiantur, & deprehendi in iisdem ſuccreſcens* Heroum hujusmodi Literariorum *poſſit perfectio.*

XLVIII. A. 1658. prodiit *Diatriba de Morbis, & eorum Remediis, Juridica*, quam Præſide Henrico Rahnio, Anteceſſore, publicæ Commilitonum Diſquiſitioni Roſtochii expoſuit, in Volumine *Diſſertationum Academicarum* (54.) Hamburgi An. 1699. recuſa. A ſeipſo hanc eſſe elaboratam, & a Rahnio Præſide ne apicem quidem in illa mutatum, Ipſe in Vitæ propriæ teſtatur Hiſtoria (55.), pleniorem, ſimul monens, ejusdam Argumenti tractationem, ſub juſti Voluminis magnitudine, inter Schedas ſuas deliteſcere, *Tractatum* nempe *de Jure & Privilegiis Morboſorum* integram, publice etiam, Anno jam 1664., *in Catalogo Nundinarum Vernalium Lipſienſi* (56.), promiſſum. Et inventus ſane ille eſt in Muſæo defuncti, ſed charactere ita minuto & fugiente, tamque intricata ſcribendi ratione, exaratus, ut edi non posſit. *Vid. Anonymi Continuationem Vitæ ipſius*, in *Appendice Diſſertt. Acad. p.* 25., ubi etiam *p.* 61. 62. 63. Joh. Georgii Dorſchei, Theologi Celeberrimi, Henr. Rahnii, Præſidis, & Andr. Tſcherningii, in hanc Diſputationem Carmina leguntur.

XLIX.

(53.) *Cap. III.*, §. 15. Confer *Lib. I.* ejusdem c. 7., §. 42., ubi ita de Heinſianis ac Grotianis hiſce judicat: *Etſi a Virilibus multum diſcrepant, delectat tamen Florum illa Luxuries, quos tam præclari fructus poſtea ſecuti ſunt.* (54.) *p.* 2.-50. (55.) *in Append. Diſſertt. Acad. p.* 7. (56.) p. 37.

XLIX. A. 1659. lucem viderunt publicam:

1. *Epigrammatum & Jocorum Centuria Prima, Popularibus dicata*, Roſtochii *in 8vo.* Quam Autor poſtea, potioribus inde in *Epigrammata Selecta* translatis, abolevit, recudique noluit. Vid. *Anonymi Continuationem* Vitæ *ipſius, in Appendice modo laudata p. 25.*

2. *Leſſus in Ciconiam ADRIANIUM D. Laur. Bodockii*, Carmen Juvenile & Ludicrum ad Bodockium, Roſtochii *in 4to.* Tertia autem vice recuſum in *Operibus Poëticis*, junctim Lubecæ A. 1697. editis, *in Libro Jocorum, p.* 857-873. De Occaſione, qua Leſſum hunc Heroicum, junctamque illi Inſcriptionem venuſtam atque argutiſſimam, concinnavit, & quo pacto Carmina iſta jocularia Viam ipſi, ad Cathedram Academiæ Roſtochienſis Poëticam ſtraverint, ſupra, in Vitæ Hiſtoria, §. 9., jam eſt dictum. D. Frid. Rappoltus, Poëta ac Theologus Academiæ Lipſienſis eximius, in Ciconiam hanc ita luſit:

Morhofio triſti ſic dicta Ciconia Leſſu,
Ut Paſſer Vati, Lesbia pulchra, tuo.
Auguror, hoc major manſura eſt gloria noſtrum,
Paſſere quo melior eſt Avis illa levi.

Non ineleganter etiam, ſermone licet ſoluto, Matth. Henr. Burchardus (57.) argutatur, Morhofium, *Ciconiæ funus cantu vere olorino celebrando, quantus Poëtarum futurus eſſet Phœnix, Vatem non falſum portendiſſe.* Leſſum hunc cum Plagiarius quidam compilaſſet, & ex eo in *Pirrulæ ſuæ Encomion*, e *Cupidine* autem Noſtri *Argo* in Epithalamion aliquod, pleraque audacter, velut propria tranſtuliſſet, caſtigatus ob Furtum iſtud Literarium eſt peculiari Epiſtola, a Noſtro ad Jacobum Henricum Pauli, Conſiliarum Danicum, exarata, ſeorſim ab hoc, ignaro Autore, edita, & ad calcem *Collegii Epiſtolici*, in Editione Anni 1693. Lipſienſi, recuſa.

L. A. 1660. publice a Noſtro Roſtochii, d. 26. Febr., recitatum eſt Poëma in Natalem hunc *Guſtavi Adolphi*, Ducis Megapolitani, Heroicum. Quod ſeorſim prodiiſſe, licet primæ hujus Editionis nullum hactenus viderim exemplum, Aug. Varenii & Joſuæ Arndii Carmina in illud mihi perſvadent Encomiaſtica, una cum Laur. Bodockii, Rhetoris Academici, Programmate, quo ejusdem recitationem indixit, *in Diſſertationum Academicarum Appendice* (57.) obvia. Recuſum eſt Lubecæ A. 1697. in *Operum Poëticorum Latinorum* Syntagmate, *Libro Charitum Secundo*, duosque in iſto Octerniones occupat integros.

LI. A. 1661., d. 26. Sept., in Itinere Literario priori, Franequeræ Friſiorum Supremos Juris Utriusque Honores Academicos, ſive Doctoris Titulum, Diſputatione *de Jure Silentii* exambiit Inaugurali, cujus hic eſt Titulus:

(57.) *p.* 63-68.

Τὰ πρῶτα Tractationis Juridicæ de Jure Silentii, Synopticis Theſibus ſummarie delineata. Franequeræ 1661. *in 4to.* Recuſa Hamburgi A. 1699. in *Volumine Diſſertationum Academicarum, p. 51-70.*

Elogia Metrica, quibus D. Laur. Banckius, JCtus Franequeranus, Aug. Varenius, Henr. Müllerus, Henr. Rahnius & Chriſt. Kleinius, Academiæ Roſtochienſis Theologi & JCti, Theod. Suterus, Urbis Conſul, Michaelque Kirſtenius & Caſp. Vogtius, illam ornarunt, in Voluminis ejusdem *Appendice, p. 78-83.*, leguntur. Curas ſecundas, *πρώτοις* hiſce ſubjungendas, ſive Tractatum Argumenti ejusdem integrum, ſub finem illorum, uti & in *Prælectionibus de Notitia Autorum MSStis, c. 26.*, promiſſum, vix unquam videbit Orbis Literatus. Inter Schedas enim Autoris defuncti (teſte Vitæ Continuatore *p. 25.*), multa quidem Auctaria Diſputationis *αὐτόγραφα*, Tractatui deſtinata prolixiori, ſuperfuerunt, ſed ita miſere disjecta, ut edi vix poſſint.

LII. Eodem A. 1661., cum Roſtochium rediiſſet, Lectionibus in Claudiani *de Raptu Proſerpinæ Libros* publicis, M. Novembri inchoatis, præmiſſa ab ipſo eſt *Diſſertatio de Enthuſiaſmo ſeu Furore Poëtico*, ibidem, A. eodem 1661. in 4to, teſte Caſp. Thurmanno (58.), impreſſa, & in *Volumine Diſſertt. Acad. p. 71-82.*, recuſa.

Programma, quo Studioſos ad audiendam eam invitavit, Elegiacum *in Miſcellaneis Poëticis, p. 18. 19. 20.*, occurrit. Non video igitur, cur Henr. Muhlius, in ſua de eodem *Enthuſiaſmo Poëtico* Exercitatione (59.), Diſſertatiunculæ hujus, quæ publice legitur, bis deploret jacturam. Confudiſſe certe eam videtur cum Diatriba ſive Commentario Argumenti ejusdem prolixiori, quem, non ſub hujus ſolum finem *p. 81.*, & in *αὐτογράφοις* Scriptorum ſuorum Affectorum Indicibus, per Vitæ Continuatorem evulgatis, ſed *Parte* etiam II. Operis *de Lingva ac Poëſi Germanica* Vernaculi (60.), imo & in *Catalogo Nundinarum Anni* 1664. *Vernalium Lipſienſi* (61.), pollicitus Noſter quidem eſt, ſed nunquam abſolvit.

LIII. A. 1662. prodierunt.

1. *Theologiæ Gentilis Politicæ Diſſertatio Prima, de Divinitate Principum.* Roſtochii *in 4to.* Recuſa A. 1699. in *Volumine Diſſertationum Academicarum, p. 82-112.*, una cum Diſſertatione (quam in Priori *p. 14.* promiſit) Secunda *de Titulis Principum Divinis*, e MSto tunc primum edita, ſed ſub finem mutila.

Reliqua Pars *Theologiæ hujus Gentilis Politicæ* (qua Principum viventium Cultum Divinum atque Idololatricum percenſere Autor conſtituerat) nec lucem vidit, nec abſoluta a Noſtro eſſe videtur.

2. *Memoria Henrici Rahnii, Academiæ Roſtochienſis JCti, public Oratione, celebrata.* Roſtochii *in 4to.* Miror, hanc in Orationum Noſtri Syntagmate, Hamburgi A. 1698. excuſo, locum non inveniſſe.

3. *Que-*

(58) *in Elog. Morhof. p. 55.* (59.) *in Proœmio p. 7.*, & §. 12., *p. 21. 22.* (60.) *cap. 1., p. 201.* (61.) *pag. 37.*

3. *Querela Halecis ad Neptuni Tribunal, Carmen Joculare.* Roſtochii in 4to. Recuſa inter *Opera* Noſtri *Poëtica*, in *Libro Jocorum, p. 873-880.*

LIV. A. 1663. lucem viderunt publicam:

1. *Proſphonema in Chriſtiani Kortholti* (Profeſſoris tunc Roſtochienſis, & dein Kilonienſis) *Summos in Theologia Honores* (in quo de Philoſophiæ ac Theologiæ Concordia, Promotionumque in Academiis Theologicarum Ritibus, diſſeritur), Roſtochii impreſſum, & Hamburgi A. 1699., *in Volum. Diſſertt. Acad. p.* 117-126., recuſum.

2. *Diatribe Philologica de Novo Anno, ejusque Ritibus*, a Joh. Gothardo a Böckeln, Ratzeburgenſi, Auditore ipſius, & Acad. Juliæ deinceps Juriſconſulto, Roſtochii A. 1663. *in 4to.* edita, quam ſibi Noſter, e Lectionibus quippe ſuis privatis a Böckelio congeſtam, *in Prælectionibus Polyhiſtoricis MSS.*, *c.* 15., poſtliminio vindicavit.

LV. Eodem An. 1663., vel ſequenti 1664., prodiiſſe videtur: *Carmen de Ente Rationis Heroicum Joculare*, Matthiæ Waſmutho, Logices in Acad. Roſtochienſi, Lingvarumque poſtea Orientalium ac Theologiæ in Kilonienſi Patria, Profeſſori, inſcriptum, quod Roſtochii primo, & deinde Kilonii, utrobique ſine Anni mentione, *in 4to* eſt editum, tertiaque vice Lubecæ An. 1697. inter *Opera Poëtica* reliqua, in *Libro Jocorum, p.* 881-900., recuſum. In Editionis Secundæ Kilonienſis *Præfatione* refert Autor, ſe, quæ, in hoc Poëmatio, Jaculariter de Entium Rationis in Cerebro, per αἰδοῖα illa, quorum ſpeciem Anatomici iſtic deprehenderunt, propagatione finxerit, ſerio deinde a Roberto Fluddio, Angliæ Philoſopho, in *Myſtica Cerebri Anatome*, aſſerta, Arcaniſque annumerata, reperiſſe.

LVI. Ultimum Scriptorum Noſtri Roſtochienſium eſt: *Princeps Medicus*, ſive Diſſertatio Hiſtorico-Medica de Curatione Strumarum, quæ a Regibus Angliæ & Galliæ fit, eruditiſſima, Roſtochii An. 1665. *in 4to* edita, & Hamburgi An. 1699., *in Volumine Diſſertt. Acad.*, *p.* 127-160., denuo impreſſa, cujus Editionem auctiorem; *in Hiſtoria Naturali MS.*, *P. II.*, *c.* 8., & Scriptorum Affectorum Indicibus, promiſit.

Sententiam Autoris, miraculoſas eſſe has Regum Angliæ & Galliæ Curationes perſvaſi, refellere aggreſſus eſt Joh. Joach. Zentgravius, Argentinenſis, Theologus jam Academiæ patriæ Primarius, in *Biga Diſputationum de Tactu Strumoſorum Regis Franciæ*, Wittebergæ A. 1669. & 1675. editarum, *Diſp II.*, § 2. *& ſeqq.*

LVII. Inter Scripta Kilonienſia, Roſtochienſibus, ut numero, & dignitate, ſuperiora, primus illis Locus debetur, quæ Novellæ Academiæ Cimbriæ Inaugurationi, An. 1665. exeunte, & ſequenti 1666. ineunte, Soluta pariter atque Ligata Oratione, inſigni cum Applauſu, conſecravit. Ad Claſſem τῶν ἀμέτρων pertinent:

1. *Oratio Panegyrica, in laudem Chriſtiani Alberti, Ducis Holſatiæ*, Kilonienſis Academiæ Fundatoris, in hujus Inauguratione, d. 6. Oct. An. 1665., recitata, in Alex. Julii Torquati, Chiliarchæ Svedici, *Hiſtoriæ Inaugurationis* iſtius, quæ Slesvigæ A. 1666. *in fol.* prodiit, *Appendice* primum evulgata, ac inter *Orationes* deinde Noſtri reliquas, in earum Syntagmate, An. 1698. Hamburgi edito, *num.* 1., *p.* 1.-33., recuſa.
2. *Deſcriptio Actorum Promotionis, in omnibus Facultatibus Academiæ Kilonienſis, Principalibus Auſpiciis & Sumptibus, d.* 22. *Jan. An.* 1666. *inſtitutæ, omniumque, quæ cum iis ſunt connexa.* Accedunt, præter alia, *Vota* illius *Pythagorica ſeu Luſus Extemporaneus, de Numero Candidatorum Primæ Promotionis, in tribus Facultatibus Superioribus Ternario, in Philoſophica autem Septenario*, Petrique Muſæi, Theologi, Erici Mauritii, ICti, Caſp. Marchii, Medici, ac ipſius Morhofii, Orationes in eadem Promotione recitatæ. Prodierunt hæc omnia, & ſeorſim Kilonii An. 1666. *in fol.*, & in Alex. Jul. Torquati *Appendice* modo laudata, Slesvigæ eodem An. 1666. edita, noviſſimeque Hamburgi An. 1699., in *Volumine Diſſertt. Acad. p.* 161-234., tertia vice ſunt recuſa.
3. Oratio *de tribus Cauſis, ob quas multi ad minus ſolidam aliquam Sapientiam perveniant* (Ignavia ſcil., Philavtia & Diſcordia), in Promotionis Magiſtrorum Primæ Actu, d. 22. Jan. A. 1666. ab eo, Ordinis Philoſophici Pro-Decano, recitata, quæ non ſolum in *Deſcriptionis Actorum Promotionis* iſtius Editionibus duabus prioribus, An. 1666. impreſſis, ac modo laudatis, comparet, ſed & in *Orationum* Syntagmate (*num.* 2., *p.* 33-61.) lucem denuo An. 1693. vidit publicam.

Numeris adſtricto Sermone Natales Academiæ hujus celebrant:

1. *Epigrammata Sex* in Academiæ Kilonienſis, & Quatuor ejus Facultatum, Inſignia, in Torquati *Hiſtoria inaugurationis p.* 110. *111.* obvia.
2. *IV. Odæ Concertantes* in laudem Ferdinandi III. & Leopoldi, Imperatorum, Fridericique & Chriſtiani Alberti, Ducum Holſato-Gottorpienſium, ſcriptæ, ab Auguſtino Pflegero, Chori Ducalis Præfecto, Modis ornatæ Muſicis, & in Academiæ Inauguratione d. 5. Oct. A. 1665. decantatæ, quæ in *Hiſtoriæ* Torquati *Appendice* comparent.
3. *Strenæ Poëticæ*, ſub initium Anni 1666., Principi, Patronis & Profeſſoribus Academiæ, diſtributæ, & a Torquato in eadem publicatæ *Appendice*, in *Volumine* autem *Diſſertt. Acad.* (*p.* 182-188.) Hamburgi An. 1699. recuſæ.

Et, quæ hæc omnia Junctim (ſed Odas tamen absque Modis Muſicis Pflegerianis) exhibent, aliaque inſuper Carmina complura, eodem tempore ſcripta, complectuntur:

4. *Primitiæ Parnaſſi Kilonienſis*, Joh. Adolpho Kielmanno, Miniſtro Aulæ Holſaticæ Primario, inſcriptæ, ac Kilonii An. 1666. (licet nulla hujus in Titulo occurrat mentio) *in 8vo*, impreſſæ, An. 1697. in Syntagmate *Operum Poëti-*

Poëticorum Lubecenſi (*p.581-620.*) denuo publicatæ, quas Frid. Rappoltus, Prof. Lipſienſis, eleganti commendavit Epigrammate Encomiaſtico, ſupra §. *40.* jam recitato.

LVIII. Proximo Quinquennio (ab An.1666. ad 1671.) ſex alii Poëmatum Noſtri Latinorum Faſciculi lucem viderunt publicam, omnes, in eadem Collectione *Operum Poëticorum* Lubecenſi, An. 1697. recuſi:

1. *Miſcellanea Poëtica*, &, quæ iſtis acceſſerunt, *Epigrammata Selecta*, utraque Bibliothecæ Ducum Holſaticorum Gottorpienſi inſcripta. Kilonii A. 1666. in 8vo. In *Miſcellanea* Frid. Rappoltus, modo laudatus, ita luſit:

Singula quæ condis, cur Miſcellanea ponis?
Lauta an congeſtis ſecla imitare cibis?
Viſa meo certe eſt Olla hæc Miſcella palato,
Coenari ſolis digna ſed Olla Diis.

Epigrammata autem *Selecta* hoc commendavit Tetraſticho:

Quæ ſelecta tibi, mihi ſunt Epigrammata lecta,
Et jucunda bonis, & piperata malis.
Nempe Epigrammaticos ætas non una lepores,
Nec vendit mordax Bibilis una piper.

2. *Venerum*, ſive Epithalamiorum, *Liber* Joh. Adolpho Kielmanno inſcriptus, Elogiisque Collegarum, Erici Mauritii & Ad. Tribbechovii, ornatus Metricis. Kilonii 1667. in 8vo.
Veneres Novæ, ſive Epithalamia Recentiora, Auguſto Friderico, Epiſcopo Lubecenſi, Ducique Holſatico, dedicata, ibidem Anno demum 1675. (licet in Titulo non exprimatur) *in 8vo.* prodierunt.
3. *Funerum Liber*, ſive Epicedia, Chriſtiano Caſſio, Miniſtrorum Epiſcopi Lubecenſis, modo laudati, Primicerio, inſcripta. Kilonii 1667. *in 8vo.* Adjecta eſt Elegia Ad. Tribbechii Encomiaſtica.
4. *Avtoſchediaſmata Poëtica*, ſine Titulo, aut Anni (qui 1668. fuiſſe videtur) indicio, *in 8vo* excuſa.
5. *Epigrammatum Libri II.*, prior Joeli Langellotto, Archiatro Holſato-Gottorpienſi, poſterior Caſp. Vogtio, Civitatis patriæ Wiſmarienſis Conſuli, inſcriptus. Kilonii, ſine Anni mentione, *in 8vo.*
6. *Horæ Subſecivæ Poëticæ*, ad Conſtant. Hugenium, Conſiliarum Principis Auriaci Intimum. Kilonii 1671. *in 8vo.*

Judicia Eruditorum de Poëmatis hiſce Latinis honorifica Recenſui Syntagmatis omnium Lubecenſis, qui infra ſuo loco exhibetur, reſervamus.

LIX. A. 1667. exeunte, Principi ſuo, Chriſtiano Alberto, Duci Holſato-Gottorpienſi, nuptias cum Friderica Amalia, Friderici III., Danorum Monarchæ Auguſtiſſimi, Filia, celebranti, publico Academiæ Kilonienſis nomine, Oratione ſoluta pariter atque ligata, gratulabatur, iſtaque occaſione edebantur.

1. *Venus*

1. *Venus Cimbrica*, ſeu Poëma Heroicum in Nuptias iſtas Ducales, Academiæ ſcriptum nomine, adjectaque huic Epigrammata aliquot, eidem Feſtivitati dicata. Kilonii 1667. in fol. Recuſa An. 1675. *in Veneribus Novis*, ac A. 1697. in *Operibus Poëticis*.

2. *Panegyricus in Nuptiis Auguſtiſſimis Chriſt. Alberti, Ducis Slesvici & Holſatiæ, ac Fridericæ Amaliæ, Friderici III., Dan. & Norw. Regis, Filiæ, M. Dec. A. 1667., publico Univerſitatis* Kilonienſis nomine, dictus. Kilonii 1667. in fol. Recuſus in Syntagmate *Orationum*, Hamburgi A. 1698. edito, *num. 3., p. 61-106.*

Vincentii Fabricii noſtratis, Conſulis Gedanenſis, non JCti ſolum, ſed Philologi etiam & Poëtæ imprimis ἐξοχωτάτȣ, eodem A. 1667. Warſoviæ, in Regni Polonici Comitiis, extincti, Memoriæ, hortante Chriſt. Caſſio, Conſiliario Epiſcopi Lubecenſis Intimo, Communi utriusque Amico, conſecravit.

Manes Fabricianos, ſeu Poëma prolixum Elegiacum, & Epigrammata quædam, in Obitum ejus, Kilonii An. 1667. *in fol.*, excuſa, recuſa autem, tum ſub finem *Operum* Fabricii, Lipſiæ A. 1685. *in 8vo* junctim editorum (*inter Adoptiva p. 805-818.*), tum in Morhofii ipſius *Operibus Poëticis*, Lubecæ An. 1697. impreſſis, *Libro III. Manium.*

LX. Anno ſequenti 1668. ipſimet Inſcriptione parentavit duarum plagularum elegantiſſima, cujus hic eſt Titulus:

Nænia Funeralis in Annum 1668. expirantem, Luſus Epigraphicus. Kil. *in fol.* A. 1669. prodiit ipſius

Venus Alphabetaria in Nuptias Laur. Gutzmeri, Paſtoris Ratzeburgenſis, & Helenæ a Nedden, Ratzeburgi in fol. excuſa, & in *Veneribus* deinde *Novis* An. 1675., in *Operibus* autem *Poëticis* An. 1697., recuſa; Poëma Elegiacum, omnium, quæ in Amicorum ſcripſit gratiam, prolixiſſimum, Literarumq; Alphabeti ordine Cogitata varia Erotica, per integras quinque plagulas, coacervans argutiſſima, de quo, in Jambis ad Sponſæ Fratrem, Adolphum Fridericum a Nedden, J. U. Lic. & Principis Megapolitani Secretarium, ita eſt præfatus:

En, quod petebas, Carmen! en ipſum Librum!
Inuſitata quem mihi fæcunditas,
Et mira quædam Luſuum felicitas,
Et profluentis ingeni velocitas,
Et iſta nominis tui jucunditas,
Et iſta lucis optimæ feſtivitas,
Et oris iſta pervicax dicacitas,
Calamique non ſiſtentis improbus furor,
Et excitatæ mentis efferus calor,
Tot ampliarunt verſibus, tot paginis.

LXI. An-

LXI. Anni 1670. partem maximam Itineri ſecundo ad Anglos & Batavos Literario Noſter impendit. Ex iſto Kilonium A. 1671. redux, Opuſcula quædam Roberti Boylii, Naturæ Scrutatoris feliciſſimi & incomparabilis, quocum in Anglia familiariter erat converſatus, Phyſica Latino donavit Idiomate, iſtamque verſionem, nomine ſuo diſſimulato, ſub hoc edidit Titulo:

Rob. Boylii Introductio ad Hiſtoriam Qualitatum Particularium: Cui ſubnectuntur Tractatus de Coſmicis Rerum Qualitatibus, de Coſmicis ſuſpicionibus, de Temperie Subterranearum Regionum, de Temperie Submarinarum Regionum, de Fundo Maris; ex Anglico in Latinum Sermonem converſi. Hamburgi A. 1671. *in* 12o.

Bina ipſiusmet in Verſionem hanc ſuam ἀνώνυμον Epigrammata in *Horis ſubſecivis Poëticis*, *p. 3. 4.*, leguntur.

LXII. Ipſe deinde, in Scrutinio Naturæ Arcanorum Curioſiori, Boylium, aliosque Philoſophiæ Experimentalis Inſtauratores feliciter æmulatus Lynceos, complura, & luculenta quidem ac præſtantiſſima, illius ſubinde publicavit Specimina. Quorum primum, breve quidem, ſed neutiquam pœnitendum, fuit

Diſputatio de Sole Igneo Academica, Kilonii A. 1672. in 4to edita, & Hamburgi A. 1699., in *Volumine Diſſertt. Acad.* (*p. 235-244.*), recuſa, quam Georg. Caſp. Kirchmayerus (*62.*), aliique honorifice paſſim commendant.

LXIII. Excepit hanc, eodem A. 1662.,

Epiſtola de Scypho Vitreo, per certum Vocis Humanæ ſonum rupto, ad Johannem Danielem Majorem; Profeſſorem Medicum Kilonienſem, ſcripta, & ultra ſex excurrens Quaterniones, quæ Kilonii, An. jam dicto 1662. *in 4to*, prodiit.

Iſtam, Scyphorum Vitreorum, a Nicolao Pettero, Oenopola Amſtelodamenſi, certo & æquali Vocis ſuæ ſono, An. 1670., ſe præſente, disruptorum, Hiſtoriam proponentem, & Ratiociniis Phyſico Mathematicis ingenioſe illuſtrantem, Autor *Ephemeridibus* Curioſorum Germaniæ *Phyſico-Medicis Miſcellaneis* inſerere primum parabat, ſed deinde, cum in molem ſpe majorem excreviſſet, ſeorſim edere maluit. Quam vendibilis fuerit, quantoque excepta ſit applauſu, Exemplorum illius intra breve admodum tempus diſtractio, & hinc orta raritas, abunde teſtantur. De utraque, præter Lipſienſes (63.) & Eraſmum Franciſci (64.), iſtumque allegantem Cl. Tentzelium (65.), Joh. Chriſtianus Frommannus, Medicus & Profeſſor Coburgenſis, An. jam 1675., *in Tr. de Faſcinatione* (66.); ſequentia annotavit: *Vocum Verborumque efficaciam naturalem primo limine confirmare videtur elegans Experimentum*

(62.) *in Commentatione de Phosphoris, Natura Lucis & Igne p.* 31. (36.) *in Actis Erud., M. Majo An.* 1683., *p.* 195. (64.) *in Annott. ad Baronis a Valvaſor Gloriam Ducatus Carniolæ Vernaculam Germanicis, L.* 4., *c.* 50. (65.) *in Dialog. Menſtr. German., M. Dec. A.* 1689., *p.* 1277. (66.) *Lib. III., Parte III. Sect.* 2., *c.* 3, *§.* 4., *p.* 985. 986.

tum Excell. & Clariſſimi Dn. D. Danielis Georgii Morhofii, Prof. Kilon. Celeberrimi in Epiſtola, quam inſcripſit de Scypho Vitreo, per certum humanæ vocis ſonum rupto, Kilonii A. 1672. edita. Argumenti raritate Angli, ſua natura curioſi, ducti, propera Exemplarium, Hamburgi venalium, coemptione, & in Angliam transportatione, iſtorum raritatem in Germania pepererunt, ut rara ſit inter Literatos Germanos Epiſtola iſta. Nec defuit, qui vix editam in Belgicum transfunderet Idioma, iſtoque luci publicæ, Amſtelodami A. 1673. *in 8vo*, ſub hoc exponeret Titulo: D. G. Morhoffs Brieff over het Breken van een Glaſeromer door ſeker menſchelik Geluyt. De qua Anonymi Verſione, Notulisque paſſim interſperſis, Noſter (*in Præfatione Stentoris Ὑαλοκλάςȣ*) judicat, ſatis quidem illum concinne in labore hoc eſſe verſatum, niſi quod in nonnullis mentem ſuam non ſatis ſit aſſecutus, &, in ipſa Experimenti Hiſtoria, de fracto per ſonum Diapaſon Vitro, diſſentiat. E Germanis, præter Joh. Chriſt. Frommannum (cujus verba paulo ante exhibuimus), publice Epiſtolam hanc commendarunt Chriſtophorus Wegleiterus, Theologus Altorfinus (67.), & M. Theod. Kirchmayerus, Ordinis Philoſophici Wittebergenſis Aſſeſſor, qui *Schediasmate de Viribus Toni Conſoni admirandis Academico*, Wittebergæ eodem, quo illa, An. 1672. edito (68.), hoc de ea tulit Judicium: *In hac videas multa rara ac curioſa, quæ famam Viri amplificant, quanquam ipſe de ſe fateatur, quod magnam partem acceperit ab Anglis.* E Danis, Eraſmus Bartholinus, Medicus & Mathematicus Acad. Hafnienſis Eximius, in *Diſp.* (quam Caſp. Thurmannus (69.) allegat) *de Problematibus Geometricis*, eodem A. 1672. publicata (70.). Ex Italis autem, præter Joh. Cinellum, *Bibliothecæ Volantis* Scriptorem (71.), Athanaſius Kircherus & Daniel Bartolus, Jeſuitæ duo longe doctiſſimi, & in Philoſophia Naturali præ aliis egregie verſati. Quos inter Ille, in *Phonurgia Nova, de prodigioſis Tonorum Effectibus*, Campidonæ A. 1673. in fol. edita, facta experimenti hujus de Vitro per vocem Petteri rupto mentione, ſequentia adjecit: *Cauſam hujus rei anxie ſane inquirere conatus eſt Eruditus Vir, Dan. Georg. Morhofius, in Opuſculo ſupra citato. Sed adhuc ſub Judice lis eſt, compluribus id tentantibus quidem, ſed non cum eo, quem ſperabant, ſucceſſu.* Alter, Dan. Bartolus in Libro Italico *de Sono & Tremoribus Harmonicis*, Bononiæ A. 1681. evulgato (72.), omnes in partes idem Experimentum verſat, &, magna Obſervationum Noſtri parte adducta, compluribus aliis, tum ratiociniis, tum Experimentis, illuſtrat, ſed Argumenta Epiſtolæ Morhofianæ, e Philoſophiæ Democriteæ Principiis deducta, faſtidit, his, inter alia, Verbis utens, Noſtro (*non parum ſe iis affici, in Præfat. Stentoris Ὑαλοκλάςȣ, faſſo*) perquam honorificis: *Jo havea ſcritto fin qui, ne altro*

(67.) *in Or. de palmariis Seculi noſtri Inventis p. 43.* (68.) *cap. 2., §. 3.* (69.) *in Elog. Morhof. p. 56.* (70.) *p. 5.* (71.) *Parte illius Prima*, Florentiæ A. 1676. edita, & in Morhofii ipſius *Stentore* Ὑαλοκλάςῃ *p. 19.* laudata. (72.) *Tr. III. c. 8.*

altro mi rimaneva che aggiugnere : quando mi ſi die', dopo lugnamente cercatolo, a vedere un trattato, ſotto nome di lettera di Daniel Georgi Morhof de Scypho vitreo per certum humanæ vocis ſonum rupto. Lettolo avidamente, ne giudicai dotto l' Autore, e l' opera piena d' eruditione e d' ingegno. Vidi in eſſa havervi del favorevole, e del contrario a me, oltre al filoſofare, ch' egli adopera, didotto dà principi d' un tal moderno Siſtema Democritico riformato, che a me non va punto pel verſo.

LXIV. Noſter, partim tot Eruditorum Encomiis, & de raritate Epiſtolæ querelis, partim vero Scrupulis, a Kirchero (cui, *in Diſſ. de Paradoxis Senſuum* (73.), nonnulla jam A. 1676. regeſſit) circa experimenti Certitudinem, ab interprete Belgico circa nonnullas ejusdem circumſtantias, & a Bartolo circa Philoſophemata Democritea, ſibi motis, inſtigatus, Laborem ſuum, ut & iſtis, & his, ſatisfaceret, revidere, decennio a prima Editione jam elapſo, decrevit. Reviſionem aggreſſus, plurimis eundem Acceſſionibus ita locupletavit, ut Editionis prioris magnitudinem ſextuplo excederet, atque ex Epiſtola in Tractatum prolixiorem, 18. diſtinctum Capitibus, eſſet mutandus, qui A. 1683. ſub hoc prodiit Titulo :

Stentor Ὑαλοκλάστης ; ſeu Diſſertatio Epiſtolica de Scypho Vitreo per ſonum vocis humanæ rupto, ad D. Joh. Dan Majorem, in qua imprimis natura Soni non parum illuſtratur. Editio Secunda, Emendatior & Auctior. Kilonii 1683. in 4to (1½ *Alphab.*).

Sentoris iſtius (Hambnrgi An. 1699., *in Volum. Diſſertt. Acad., p.* 329-445., recuſi) Recenſum prolixiorem Lipſienſes (74.), Ephemerides Eruditorum Gallicæ (75.) & Chriſt Franc. Paulinus (76.) exhibuerunt, quos conſuli a curioſis jubemus. Lipſienſes hoc eum ornant Elogio : *Naturæ Myſtagogum eſſe Morhofium, vel ſolus hic Libellus locupletiſſimus poteſt eſſe Teſtis. Omnia enim in illo allegationibus rariſſimorum Autorum, omnia Experimentis recentiſſimis ſunt plena, nec ullum eorum ſine acuta atque accurata diſquiſitione a perſpicaciſſimo hoc Viro dimittitur. - - Autorem inſpicere ipſum pretium erit operæ. Is enim, uti Cornu Copiæ quoddam eſt eruditionum non trivialium, ita legentes quoque ſic delectabit, ut ardentiſſimum in ipſis reliquorum Ingenii fœtuum, quos affectos perfectosque domi fovet, deſiderium accendat.* Commendant præterea eundem Sam. Reyherus, Autoris Collega, *Acuſticam* hunc *maxime illuſtraſſe* judicans (77.), Chr. Franc. Paulinus (78.) & Joh. Hadr. Sleevogtius, Profeſſor Acad. Jenenſis Medicus (79.), cui *Tractatus* audit *Eruditiſſimus.*

LXV. Sed ad Annum 1672. revertamur, quo, præter Phyſica iſta, jam recenſita, in lucem etiam prodiit

Oratio de Intemperantia in Studiis, & Eruditorum, qui ex ea oriuntur, Morbis,

(73.) *p.* 18. (74.) *in Actis Erud., M. Majo A.* 1683., *p.* 194-197. (75.) im Philoſophiſchen Feyerabend *c.* 99., *p.* 874-878. (77.) *in Diſſ. de Natura & Jure Auditus, c.* 3., *p.* 7. (78.) *loco citato.* (79.) *in Diſp. Inaug. de Antrace Peſtilenti*, §. 33., *p.* 12.

bis, triennio ante ; M.Apr. A.1669., ſub auſpicio Rectoratus Academici, habita Kilonii in 4to, Hamburgi deinde A. 1698., in *Orationum* Syntagmate (p. 106 - 143.), recuſa.

Commendari hujus Lectio omnibus meretur Literatis, non ob doctrinam ſolum & Styli Oratorii Elegantiam haud vulgarem, ſed etiam, & potiſſimum quidem, ob ſapientiam, qua Vitia Eruditorum Epidemica nonnulla, horumque cauſas, cordate detegit, Literariam rariorem. Cujus intuitu Jac. Thomaſii, Polyhiſtoris Athenarum Misniæ Celeberrimi (80.), & Ant. Itteri (81.) albos jam reportavit calculos.

LXVI. Anno 1673. Orbis Eruditi conſpectum ſubiit *Epiſtola de Transmutatione Metallorum*, *ad Joelem Langelottum*, Sereniſſimi Cimbrorum Principis Archiatrum, Hamburgi *in 8vo* publicata, & 10. conſtans octernionibus, quæ in Volumine etiam *Diſſertationum Academicarum atque Epiſtolicarum*, ibidem A. 1699. excuſo, locum ſuum *pag. 245-302.* invenit, & a D. Joh. Jac. Mangeto *Libro Bibliothecæ Chemicæ Curioſæ*, Genevæ hoc ipſo A. 1702. editæ, *Primo*, uti Lipſienſes narrant, itidem eſt inſerta.

Scripta eſt illa rogatu Langellotti, cum hujus argumenti nonnulla Noſter, in Colloquio de ipſius *Epiſtola ad Naturæ Curioſos*, cum eo communicaſſet. Hiſtoriam perſequitur non Scriptorum ſolum Chymicorum ἐξοχωτέρων, ſed Adeptorum etiam, quos vocant, Celebriorum, factarumque per iſtos Transmutationum Metallicarum, & ſubinde ad alia quædam Secreta Chymicæ Artis digreditur. Auctiorem longe illius Editionem Autorem eſſe meditatum, & Scriptorum ipſius Affectorum Index Αὐτόγραφος, in Vitæ Continuatione ab Anonymo publicatus, teſtatur, & Joh. Ludov. Hannemannus (82.) confirmat, ſimulque, ultimis Vitæ Annis, tum quoad Hiſtoriarum Circumſtantias, tum quoad experimenta & Principia, multa melius edoctum, mentem in non paucis, refert, mutaſſe. *Laciniæ*, quas ſe aliquando *purpuræ huic eſſe aſſuturum*, idem Hannemannus pollicetur, jacturam Supplementorum Autoris ipſius vix reſarcient. Quorum ſi ſpes nulla supereſt, Epiſtola hæc, tot Obſervationibus referta eximiis, Lectori cuivis Erudito, vel ſine illis, uti hactenus, ita porro etiam, ſeſe approbabit. Merito enim illa a Vinc. Placcio vocatur *Doctiſſima* (83.), *Elegantiſſima* (84.), *Lectuque jucundiſſima*, *& multa ſcitu non inutilia continens* (85.) ab Henn. autem Wittenio (86.) & Chr. Wilh. Eybenio (87.) *Libellus perlegans*, & a Chriſtoph. præterea Wegleitero (88.) Phil.

(80.) *in Tr. de Plagio Literario*, §. 285. 288. 334. 634. (81.) *in Synopſi Philoſophiæ Moralis*, *L.* 3., *c.* 3., *p.* 158. (82.) *in Ovo Hermetico-Paracelſico p.* 133. (83.) *in Notis ad Joh. Rhodii Catal. Scriptorum Suppoſititiorum p.* 41. (84.) *in Tr. de Scriptt. Anon. & Pſeudon. p.* 159. (85.) *in eod. Tractat. p.* 42. (86.) *Dec. IX. Memor. Philoſ. Renov. p.* 628. (87.) *in Eponomologio Cirtico Tob. Magiri Aucto p.* 743.

(88.), Phil. Jac. Hartmanno, Acad. Regiomontanæ Medico percelebri (circa Succini licet Phyſiologiam modeſte a Noſtro diſſentiente, ſuique diſſenſus rationes adjungente) (89.), Mich. Bernh. Valentino (90.), aliisque pluribus, commendatur. Unum hunc, in Libello, cetera pulcherrimo, nævum obſerves, quod Autor, nimio in Chymiam indulgens affectui, juſtum, circa Transmutationum Metallicarum Narrationes, non ubique adhibuerit delectum, nec a Credulitatis vitio, in iſta χρυσοποιΐας & Adeptorum Hiſtoria, plane ſit immunis. Id quod Viro etiam Illuſtri, Godofredo Gvilhelmo Leibnitio, eſt notatum, qui, teſte Celeb. Tenzelio (91.), pleraque Transmutationum, quas illa exhibet, Hiſtorias ſuſpectas eſſe, nonnullas etiam manifeſto falſas, Autori ipſi, paulo antequam obiret, ſignificavit.

LXVII. Anno 1675. Juris Noſter publici fecit

Veneres Novas, de quibus §. 58. jam dictum;

Sequenti autem 1676.

Diſſertationem de Paradoxis Senſuum Academicam, ſeorſim Kilonii, & hoc Anno, &, novennio poſt, A. 1686., *in 4to* impreſſam, A. 1699. autem, in Volumine Diſſertt. Acad. (*p. 303-328.*), tertia vice Hamburgi recuſam, *elegantiſſimam* utique (ceu vere Chriſtoph. Wegleiterus (92.) judicavit), & Obſervationibus Experimentisque Phyſicis Selectioribus ſcatentem.

Digna itaque eſt, quam doleamus, Jactura *Libri*, in quem Diatriben hanc transformare, Acceſſionibus plurimis adjectis, voluit, *de Paradoxis Senſuum* integri, non in Scriptorum tantum Affectorum Indice, ſed *Stentore* etiam ὑαλοκλάστῃ (93.), a ſuperſtite promiſſi.

LXVIII. Sexennio ſequenti, quo Nubeculæ quædam Turbarum Bellicarum Cimbriæ Ducalis, & Muſarum Kilonienſium, Tranquillitati ſubinde erant infeſtæ, nihil Morhofianum, præter Programmata, Carmina & Schediasmata hujusmodi, quæ recenſere haud vacat, minutiora, lucem vidit publicam. Reddita autem Cherſoneſo huic Pace & Principum ſuorum Concordia, ad Scriptiones etiam Noſter Eruditas rediit, & A. 1682. junctim, ob Argumenti cognationem, Sermone Germanico, duo, quæ ſola iſto elucubravit, Ingenii Monumenta Typis (*in 8vo*) evulgavit Kilonienſibus, junctim etiam ab Hæredibus (qui ex Autoris illa Codice emendarunt, paſſimque auxerunt, ac nova inſuper Præfatione inſtruxerunt) Lubecæ A. 1700. *in 8vo* denuo recenſita. Primum iſtorum eſt:

Der Unterricht von der Deutſchen Sprache und Poeſie, deren Uhrſprunge/ Fortgange und Lehrſätzen / wobey auch von der reimenden Poeterey

 der

(88) *in Or. de palmariis Seculi noſtri Inventis p. 42.* (89.) *Libro II. Hiſtoriæ Succini Pruſſici*, Francofurti A. 1677. editæ, locis compluribus. (90.) *Diſſ. V. Epiſtolica de Luſu & Erroribus Naturæ p. 173.* (91.) *in Dial. Menſtr. German., M. Oct. A. 1692., p. 837.* (92.) *in Orat. cit. p. 42.* (93.) *p. 142.*

der Ausländer mit mehrerm gehandelt wird. (h. e. *Commentarius de Germanorum Lingva ac Poëſi, hujusqne Ortu Progreſſu & Præceptis, in quo etiam de Poëſi Exterorum Rythmica fuſius.* diſſeritur.)

Tractatus hic Vernaculus, Operis de Lingva & Poëſi Germanica Latini plenioris, ſed (affecti tantum, nec unquam ſperandi) Prodromus, qui e Prolegomenis, Poëmatum Germanicorum præmittendis Syntagmati, in Librum ipſis Poëmatis duplo majorem, teſte Præfatione, excrevit, tribus abſolvitur Partibus. Harum Prima, de Lingva agens Germanica, eamque, & Boreales illi cognatas, antiquitate, & Græcam, & Latinam, ſuperare, imo has Germanicæ eſſe Originis, luculenter (etſi longe compendioſius, quam in affecto *Originum Germanicarum* Opere, idem argumentum fuſius perſecuturo, facere decreverat) oſtendit. Eo fine Autor Capite I. de Lingvæ Germanicæ Præſtantia & Vetuſtate generatim diſſerit, Cap. II. Græcam & Latinam illa eſſe recentiores, III*io* autem voces Græcas & Latinas quamplurimas a Scythico-Germanicis Veteribus ortum traxiſſe, oſtendit, Cap. IV. V. & VI. Fontes Derivationis Vocum cujuslibet Lingvæ genuinos commonſtrat, & VII*mo* tandem Cognationem Vocum Græcarum & Latinarum, Hominem ejusque Partes & Membra, denotantium, cum Germanicis ejusdem ſignificationis exponit. Partis Secundæ, de Poëſeos Germanicæ commentantis Origine & Progreſſu, Capita Quinque priora Poëſeos Gentium Europæ aliarum, Gallorum ſcilicet, Italorum, Hiſpanorum, Anglorum & Belgarum, Rythmicæ ſiſtunt Hiſtoriam & Faciem Antiquam pariter atque modernam, VI*tum* & VII*mum* Poëſeos Germanicæ Ætatem Primam, ad Caroli Magni usque Imperium, ac Secundam, ad Mart. Opitii porrectam tempora, VIII*vum* Gentium Arctoarum Poëſin, & Nonum denique Tertiam Germanicæ, Ætatem, quæ in noſtra incidit tempora, conſiderant. Partis Tertiæ, Germanorum Artem ipſam proponentis Poëticam, Caput I. de Lingvæ Germanicæ ad Poëſin agit aptitudine, II, III. IV. & V. de ejusdem Orthographia, Etymologia, Syntaxi & Proſodia, VI. de Numero Poëtico, VII. VIII. IX. & X. de Rythmis, eorumque Neceſſitate, Origine & Qualitatibus, XI. & XII. de variis Verſuum, Stropharum Carminumque, Generibus, XIII. de Inventionibus Poëticis, XIV. de Poëmatis Heroicis, XV. de Odis, XVI. de Comœdiis & Tragœdiis, ac XVII. tandem de Epigrammatis. Sub finem totius Commentarii adjectæ ſunt Henrici Schævii (quem Noſter in Gymnaſio Stettinenſi, uti ſupra, in Vitæ Hiſtoria, §. 7., jam eſt relatum, habuit Præceptorem) Metaphraſes XVII. priorum Odarum Libri Primi Horatianarum Metrico-Germanicæ, variis Carminum generibus elaboratæ. Pleniorem Operis cedro digniſſimi deſiderantem notitiam ad Recenſum illius ablegamus prolixum, & perquam honorificum, *in Actis Eruditorum Lipſienſibus*, *M. Sept.* A. 1682. (94.), obvium,

(94.) *pag.* 271-277.

obvium, & qui iſti ſua debet, Adr. Bailetum, Scriptorem Judiciorum de Eruditis Gallicum(95.). Lipſienſes(96.) his illud verbis extollunt: *Cum de Latinorum Lingva & Poëſi multi Commentarios ſcripſerint, Poëſin etiam Germanicam quidam in Artem redegerint, ac certis legibus aſtrinxerint, deque Lingva Germanorum diverſorum Autorum extent Monumenta: nullum tamen præſtantiori ingenio, ac majori eruditionis rariorisque doctrinæ copia, conditum fuit hoc Opuſculo, quod, vernaculo Idiomate ſcriptum, Germanicis ſuis Poëmatibus, in unum collectis Faſcem, & Kilonii hoc anno editis, præmiſit Doctiſſimus Morhofius, Latinorum etiam Græcorumque Carminum Venuſtate nulli Poëtarum ſecundus.* Alibi iidem *Libellum aureolum* (97.), & *Commentarium Eruditiſſimum* (98.), ſalutant. Quanti Eraſmus Franciſci, plurimæ Lectionis, ac ſingularis in Sermone Germanico Eloquentiæ pariter atque Elegantiæ, Scriptor, iſtud fecerit, Verba Epiſtolæ ejus ad Wilh. Ern. Tenzelium Vernaculæ docent ſequentia (99.), Latine a nobis translata: *Dn. Morhofium valde admiror, diverſisque Viris Illuſtribus pulcherrimum ejus de Lingva & Poëſi Germanica Commentarium, præ aliis hujus generis Scriptis, de nota meliore commendavi.* Joh. Chriſtoph. Wagenſeilio (1000.) *Liber* audit *laude digniſſimus.* (Ein Preißwürdigſtes Buch) / Joh. Frid. Mayero (1.) *Præſtantiſſimus*, Joach. Fellero (2.) *Opuſculum Aureum*, & Chriſt. Grübelio (3.) *Tractatus Eruditus*, Henr. Meibomium Juniorem (4.), aliosque plures, non minus honorifica Laborem hunc Noſtri mentione dignatos, brevitatis ſtudio, allegare ſuperſedeo.

LXIX. Commentario huic de Lingva & Poëſi Germanica eximio, in utraque Editione, & Kilonienſi Anni 1682., & Lubecenſi Anni 1700., iſta paulo auctiori, ob Argumenti, uti jam monitum, affinitatem, ſubjungitur alterum Noſtri Scriptum Vernaculum, ſive Poëmatum Germanicorum Sylloge, pari applauſu excepta:

Die Teutſche Gedichte.

Pleraque ſeorſim jam ante prodierunt, omnia autem junctim excuſa Eruditis in hoc ſiſtuntur Syntagmate, Trium, in quas diſpeſcitur, Partium. Prima quæ Argumenti ſunt Gratulatorii, Secunda Funebria, & Tertia denique Miſcellanea non unius generis, Sacra atque Profana, cum Odis atque Epigrammatis plurimis, legenda exhibente. Encomiaſtas ea invenere pluſimos, e quibus ſolos jam allegabo Collectores Actorum Orbis Eruditi Li-
pſien-

(95.) *T. IV. des Jugements des Scavans P. I. p.* 117. 118. (96.) *p. l. c. p.* 271. (97.) *M. Febr. A.* 1691. *p.* 55. (98.) *M. Jun. A.* 1697. *p.* 261. (99.) recitat ea Teuzelius *in Dial. Menſtr. German., M. Jun. A.* 1690., *p.* 518. (100.) im Berichte von der Meiſter Singer-Kunſt (*ſub finem Commentationis de Civitate Noriberg.*), *c.* 1. *p.* 452. (1.) *in Diſp. de Codice ſuo Bibl. Germ. MSto* (*in Append. Hiſt. Verſ. Bibl. Lutheri*) *p.* 168. (2.) *in Præf. Catalogi MSS. Biblioth. Lipſ., nec non in Præf. Metaphraſeos Meditatt. Joh. Gerhardi Richteriana, Metrico-Germanica, A.* 1690. *edita.* (3.) *in Diſſ. de Lingva Germ. Veteri & moderne, c.* 1. *p.* 4. (4.) *in Additt. ad Val. Henr. Vogleri Introd. p.* 186. 189.

pſienſium Celeberrimos, *Venuſtatem* illorum *plane eximiam, nativamque, quam præ ſe ferunt, elegantiam, minus affectatam anxieque quæſitam*, commendantes (5.). Non diſſimulo tamen, inter Encomiaſtas hos non deeſſe, qui laudibus Cenſuras, ſed ab affectuum forte contagio haud immunes, admiſceant, Sileſios imprimis, ob prælatum Mart. Opitio ſuo, Poëſeos Vernaculæ Inſtauratori, Paulum Flemmingium, Noſtro ſubinde minus æquos. Hos inter B. N. (quem Bened. Neukirchium, Sileſium, eſſe, Anonymus alter M. M. (6.) perhibet) ſvavitatem in illis videtur deſiderare, in *Partis Poëmatum* Chriſtiani ab Hofmannswaldau *Germanicorum Secundæ*, Lipſiæ An. 1696. editæ, ita ſcribens Prolegomenis: Morhof ſchreibet zwar ſo lieblich nicht / als gelehrt: Er hat aber ſehr wol verſtanden / was zu einem Gedichte erfordert wird (7.). M. M. modo allegatus, Licentiam eorundem, in Conſtructione verborum turbanda, juſto interdum majorem verbis hiſce accuſat ſimul & excuſat (8.): Die Freyheit deren er ſich bey der Conſtruction, und anderweit / bedienet / iſt bey einem Mann von ſolcher Autorität mehr zu verwundern / als nachzuahmen. Er pfleget auch dergleichen nicht leichtlich zu gebrauchen / es wäre denn daß eine artige meditation hinfallen müſte / wo man der Sprache nicht eine kleine Gewalt anthun wolte. Riſum autem Lingvæ noſtræ Cimbricæ gnaris Cenſura ſua haud dubie extorquebit M. Joh. Chriſtianus Kunkelius, Uratiſlavienſis, qui, *in Diſputatione de Sileſiorum in Germanica Poëſi præſtantia*, Lipſiæ An. 1698. edita (9.), Flemmingio, ejusque Imitatori Morhofio (cujus tamen Carmina ſe Germanica ſubinde admiratione proſequi, non diffitetur (10.)), præter duritiæ quoddam genus, *Holſatismos* etiam, neſcio quos, exprobrat.

LXX. Anno 1683. in lucem prodiit

Stentor ὑαλοκλάστης, Tractatus, cujus Hiſtoria §. 64. jam eſt expoſita, Phyſicus,

Sequenti autem 1684.

Liber de Patavinitate Liviana, ubi & de Urbanitate & Peregrinitate Sermonis Latini univerſe agitur, Vito Ludovico Seckendorfio, Electoris tunc Saxonici, Ducisque Saxo-Numburgenſis, Conſiliario Intimo, ad eandem poſtea in Aula Brandenburgica dignitatem, cum Cancellarii Novæ Academiæ Halenſis conjunctam Officio, ob merita in Rempublicam & Literas Immortalia, evecto, Heroi Eruditiſſimo, omniumque vere Eruditorum amantiſſimo, inſcriptus, ac Kilonii in 4to excuſus, in *Volumine* autem *Diſſertationum Academicarum* (p. 471-592.), tribus poſt luſtris, Hamburgi An. 1699. denuo publicatus.

Scripti

(5.) M. *Sept. A.* 1682., *p.* 276. 277. (6.) in den unvorgreifflichen Gedancken von deutſchen Epigrammatis (quæ Lipſiæ A. 1698. prodierunt), *c.* 2. *p.* 54. (7.) *lit. b. 5. b.* (8.) *l. c., c.* 2., *p.* 60. 61. (9.) §. 8., *p.* 11, 12. (10.) §. 6., *p.* 10.

Scripti hujus exaſciatiſſimi Recenſus Hiſtorico-Encomiaſtici prolixiores exhibentur in *Actis Eruditorum Lipſienſibus, M. Dec. 1684.* (11.), Abbatis Roquii *Ephemeridibus Eruditorum Anni 1685. Gallicis* (12.), & Pet. Bælii *Novellis Reip. Literariæ*, eodem An. 1685. Gallice publicatis (13.) Hos conſulat Autores, qui pleniorem Argumenti ejus deſiderat notitiam. Lipſienſes (14.) hanc Libro, per ſe vendibili, hederam ſuſpendunt: *De Sermonis Romani, qui Conſulum, qui Patriciorum, qui Equitum erat, nitore, quam Urbanitatem dixere, docte graviterque diſſerere; ætatis Aureæ Scriptores ab iniquis obtrectantium Cenſuris, Livium præſertim, Hiſtoricorum Romanorum Principem, & ipſum Equitem, adverſus Aſinium Pollionem, Patavinitatis inſimulantem, acriter defendere, ſic ut in animo legentis ſuſpicio impolitæ dictionis ne minima relinquatnr, illuſtris non minus eſt ingenii, quam artis exquiſitæ. Quod cum, in præſenti Scripto, egregie, uti propoſuerat, Clariſſimus Autor præſtiterit, non eſt dubium, quin de bonis ille Literis tanto præclarius mereatur, quanto majori illis ſolent eſſe detrimento, quorum pravum detrahendi ſtudium id agit, ut quacunque ratione Scriptores Claſſicos erudito Seculo ſuſpectos reddat, primamque adeo dicendi regulam corruptam.* Interjectis deinde compluribus, eundem *Opus* appellant *nitidum, ac profundioris doctrinæ plenum*, in quo multa inveniuntur, *quæ cum Antiquitati, Romanæ æque ac Græcæ, tum rerum Hiſpanicarum, Gallicarum & Italicarum notitiæ, plurimum accendunt lucis, judicium de Scriptoribus cujuscunque generis ac ætatis acuunt, diſcernere Lingvarum Idiotismos docent, politiorisque Literaturæ ſtudio excitando, augendo & ornando, apprime ſerviunt.* Abbatis Roquii (15.) hoc de illo eſt Judicium: *On trouvé icy des Recherches fort curieuſes ſur ce defaut de Tite Live, & ſur la veritable Urbanité du ſtile Latin.* Ægid. Menagius (uti in *Menagianis* Poſthumis, Amſtelodami A. 1694. editis (16.), refertur) ſequenti eundem dignatus eſt Elogio: *J' ai vu nu Traité de Morhoffius, imprimé depuis peu, ſur la Patavinité de Tite Live, ou il expliqué tres ſavamment ce que c' eſt que l' Urbanité & la Peregrinitè de la Langve Latine. Cet Ouvrage eſt plein d' Erudition, & de mille choſes curieuſes, ſur cette matiere.* Petro Bælio (17.) audit *Un Ouvrage Infinité des Recherches tres curieuſes*, Thomæ autem Crenio (18.) *Liber non inelegans.* Aliorum Laudes prætereo, ſolumque adjungo Chriſtophori Cellarii, peritiſſimi atque accuratiſſimi Dictionis Latinæ Cenſoris, Judicium de eodem honorificum (19.): *Voſſius, Bonifacius, Sigonius, & cumprimis Morhofius, Kilonienſis Academiæ inſigne Decus, certatim congeſſerunt, quæ ad tuendam tanti Scriptoris* (Livii ſc.) *famam & ornamentum faciunt; noviſſimus etiam a moroſi Cenſoris, Aſinii Pollionis, iniquitate fortiſſime nuper defendit, & Patavini hominis Latinitatem vindicavit puriſſimam.*

(11.) *p.* 570-576. (12.) *num.* 20., *ad d.* 25. *Jun.*, *p.* 318. (13.) *M. Apr. A.* 1685., *p.* 444. 445., *ac M. Jun.*, *Art. III.*, *p.* 609-625. (14.) *l. c.* (15.) *l. c.* (16.) *p.* 190. (17.) *l. c. p.* 445. (18.) *in Notis ad Tractatus Variorum de Eruditione comparanda p.* 294. (19.) *Programm. L. p.* 357.

LXXI. Sed nec tacenda nobis eſt, tacere quamvis Oratorem jubeat, *Diſputatio* elegantiſſima *de Eloquentia in Tacendo*, Kilonii eodem An. 1684. *in 4to* edita, & Hamburgi A. 1699., *in Volumine Diſſertationum Academicarum (p. 446-470.)*, recuſa;

In qua (uti ſcite Lipſienſes (20.) obſervarunt) *ea* commendatur *Oratoris Prudentia, qua id ſolum, quod in Oratione ἐνεργητικόν eſt, exprimit, cetera vero, quæ vel circa Inventionem, vel circa Elocutionem, περίεργα ſunt, aut ſuperflua, ab Argumento, Perſonis, Loco, Tempore, Re, aliena, aut quovis modo inepta, omittit, aut indicta eſſe cupit.* Hujus, præter Gottl. Frid. Seligmannum, Theologum Lipſienſem (21.), Vinc. etiam Placcius noſter honorificam fecit mentionem, & *Doctiſſimam* publice, nec immerito, vocavit (22.).

Recudi etiam Noſter, eodem An. 1684., Kilonii in 4to, cum ſua ad Pet. Axenium, ICtum & Advocatum Slesvicenſem, Virum Doctiſſimum, ſibique amiciſſimum, Præfatione curavit.

Joh. Laurembergii, Roſtochienſis, Mathematum in Academia Daniæ Sorana Profeſſoris, tum ob Eruditionem in reliquis Polymathiæ Elegantioris Partibus eximiam, tum Venam etiam Poëticam admirabilem, in Orbe Literato Celeberrimi (23.), *Satyram Elegantiſſimam, qua Rerum Bonarum Abuſus, & Vitia quædam Seculi, perſtringuntur*, A. 1636. ab ipſo editam, una cum ejusdem *Querimonia Daphnorini* (i. e. Laurembergii) *de ſuo & Academiæ Soranæ ſtatu.*

Utrumque hoc Poëmation in Appendice etiam Adoptiva *Operum* Noſtri *Poeticorum*, Lubecæ An. 1697. junctim impreſſorum, locum poſtea invenit.

LXXII. Anno ſequenti 1685. in lucem ab eo itidem denuo ſunt protractæ:

Nicaſii Baxii, Monachi Auguſtiniani; Medullæ Eloquentiæ & Figuræ aliquot Rhetoricæ, ex M. T. Cicerone concinnatæ, Quibus ipſius præmiſſa eſt *Præfatio, qua de omni in Eloquentia excerpendi ratione agitur.* Kilonii 1685. in 8vo

Quem Libellum quatuor octernionum exiguum uti in Juventutis ſe uſum recudi curaſſe, in Titulo profitetur, ita eidem etiam *L. 3. Polyhiſt. Lit., c. 7., §. 27., de nota meliore commendavit.*

LXXIII. An. 1686. Lubecæ in 8vo prodiit

Otiorum Divinorum, ſeu Carminum Sacrorum Liber, Programmata complectens Poëtica, ſeu ἔμμετρα, Feſtis IV. Anni Solennioribus, publico nomine, in Academia Kilonienſi propoſita, integer poſtea ibidem A. 1697., in Operum Poëticorum omnium Syntagmate, *Libro I. Charitum, p. 2-40.*, recu-

(20.) *in Actis Erud., M. Jul. A. 1699., p. 290.* (21.) *in Idea Studioſi* πολυμαθεςέρε, Roſtochii A. 1685. edita, §. 15. (22.) *in Excerptis Binis Rhetoricarum Acceſſionum p. 175.* (23.) V. de illo *Hypomnemata* noſtra ad Alb. Bartholini *Lib. de Scriptoribus Danis, p. 279-283.*

recuſus. Quatuor Programmata priora, Feſto τῆς χειροτονίας dicata, Joach. Fellerus, Th. Lic. & Poëſeos in Acad. Lipſienſi Profeſſor, ſeorſim An. 1689. Lipſiæ, teſte Continuatore Vitæ Morhofianæ Anonymo, edidit, & Prælectionibus publicis illuſtravit.

LXXIV. A. 1687., quod in Polyhiſtore ſuo revidendo ac Editioni apparando longe eſſet occupatiſſimus, nihil præter Carmina & Programmata aliquot minutiora, juris fecit publici. Ex iſtis mentione haud indignum nobis videtur;

Programma de eo, quod in Diſciplinis eſt divinum, Feſto Pentecoſtes A. 1687. dicatum, quod non Hamburgi ſolum An. 1698., inter Programmata reliqua, *Orationum* ſubjuncta Syntagmati (*p. 551-571.*). denuo prodiit, ſed totum etiam ab ipſo Autore (integrum hujus Argumenti Commentarium, uti, in Affectorum Recenſu, infra §. 87. monebitur, molito ac politico) *Polyhiſtoris Literarii Libro I.*, paucis ſaltem mutatis, inſertum, *Caput* hujus *XII.* ſibi vindicavit.

De ipſo *Polyhiſtore* Polyhiſtoris noſtri, in *Tomos III.* diviſo, *Tomique* præſertim *Primi*, ſive *Literarii*, duobus Libris prioribus, *Bibliothecario* & *Methodico*, qui lucem An. ſeqv. 1688. viderunt publicam, quæ hoc loco eſſent dicenda, cum prolixiorem exigant παρέκβασιν, προλεγομένων horum Epilogo commodius reſervabuntur.

LXXV. Anno 1690. Lubecæ *in 8vo* ὁ Μακαρίτης edidit

Philochryſum, ſeu de Laudibus Auri Orationes duas, omnis generis Hominum, præcipue Eccleſiaſticorum, Vitia ſalſe traducentes; Alteram M. Ant. Majoragii, Rhetoris Seculo Superiore Mediolanenſis Inclyti, in Orationum ipſius Syntagmate, ob παῤῥησίαν haud dubie adverſus Clericos, omiſſam, a Marquardo Gudio noſtrate, Viro Summo, inter Ἀνέκδοτα ejus, una cum altera *contra Gaudentium Merulam Apologetica*, Mediolani repertam, & Ultrajecti An. 1666. in 4to publicatam, nunc autem, in uſum Prælectionum Publicarum, cum Præfatione ſua, recuſam; Alteram propriam de eodem Argumento, Kal. Sept. An. 1699. Kilonii recitatam. Ambæ, eodem An. 1690., Kilonii (ſive Lipſiæ potius, quam Titulus quidem diſſimulat, ſed Typi produnt) *in 4to*, curante Frid. Bened. Carpzovio, Senatore ac Muſageta Lipſienſi (cui ab Autore erant inſcriptæ), iterum prodierunt, & in Morhofianarum etiam Orationum Sylloge, Hamburgi An. 1698. impreſſa, *num. 9. & 10.*, *p. 249-366.*, leguntur.

Utriusque Recenſum Vir Celeberr., Wilh. Ern. Tenzelius, *in Dialogis Menſtruis Vernaculis* (24.), prolixum ſatis exhibuit, Morhofianam autem (cujus adverſus Clericorum Avaritiam Invectivas & Dicteria Autor, ne Crabrones irritaret, Pontificios tantum Majoragii notare exemplo, in Præfatione finxit),

 Præter

(24.) *M. Apr. A. 1691.*, *p. 307-326.*

Præter eundem (25.), Vitus Ludov. Seckendorfius (26.), Joach. Fellerus (27.), aliique, inſignibus ornarunt Elogiis.

LXXVI. Anno tandem Emortuali 1691. recudi Kilonii *in 8vo*, juxta Exemplar A. 1688. Antwerpienſe, cum Præfatione ſua, curavit

Johannis Dekeni, Jeſuitæ, *Obſervationes Poëticas, Exemplis Illuſtratas*, quarum recenſum prolixiorem, laudes illis ſuas large admetientem, ſed nonnulla tamen etiam in iisdem deſiderantem, *Libro* jam *Polyhiſtoris Literarii Tertio Cap. X.* (28.), exhibuerat. Præter iſtas, & Rob. Boylii, Joh. Laurembergii, Nicaſii Baxii ac M. Ant. Majoragii, Opuſcula, *§. 61. 71. 72. & 75.* jam laudata, Franciſci item Quarleſii *Enchiridion Morale*, Anglice ſcriptum, cujus novam Kilonii, incertum quo Anno, in gratiam Auditorum, ſe in Lingva iſta utentium Magiſtro, Editionem (*in 12mo.*) publicavit, Periochasque deinceps haud paucas argutiores, Metris a ſe redditas Germanicis, *Poëmatum Vernaculorum* An. 1682. inſeruit Syntagmati, & Joh. Wallifii *Grammaticam Anglicanam*, eodem fine, niſi memoria mihi imponit, denuo vulgatam, nihil Scriptorum Alienorum atque Adoptivorum ipſius cura in lucem revocatum eſt publicam. Accenſeri tamen Adoptivis iſtis forſan etiam meretur Edmundi Richerii, Theologi Sorbonæ Pariſienſis Inclyti ac πολυμαθεστάτου, *Obſtetrix Animorum*, Morhofii hortatu, & ex ipſius Bibliotheca, per Adamum Rechenbergium, Literarum tunc Elegantiorum, nunc autem Sacrarum, in Acad. Lipſienſi Interpretem, Lipſiæ A. 1693, *in 12o*, verum mortuo jam Ergodiocta, luci iterum expoſita.

LXXVII. Recenſum hactenus exhibuimus Hiſtoricum Scriptorum Polyhiſtoris Noſtri, quæ ſuperſtes ille edidit, omnium, in quo tamen minutiora pleraque, Carmina ſcil. & Programmata ſigillatim excuſa (quorum nonnulla, Roſtochienſia imprimis, in Syntagmate iſtorum deſiderantur), Epiſtolas quasdam (qualis eſt illa, quam, ad Olaum Rudbeckium d. 23. Jun. An. 1681. de ipſius exaratam Atlantica, in Elogiorum Operis hujus Sylloge, Upſaliæ ſine Anni mentione in fol. publicata, reperies,) aliaque iſtius generis Schediasmata, brevitatis ſtudio omiſſa eſſe, haud diffitemur. E quorum numero uti Programmata & Carmina, Latina pariter atque Germanica, junctim jam ſunt recuſa, ita, ut Epiſtolæ etiam τοῦ Μακαρίτου, omnes ferme, ſi paucas excipias, Ineditæ, ab Hæredibus primo quoque tempore colligantur, & cum Adoptivis ad Noſtrum, Joh. Frid. Gronovii, Joh. Schefferi, J. Georg. Grävii, Nic. Heinſii, Henr. Oldenburgii, Joh. Andr. Boſii, Frid. Rappolti, Ott. Menkenii, aliorumque Hominum Doctiſſimorum, per illos, Interprete Vitæ Parentis Continuatore (29.), jam promiſſis, &, præter unicam Grävianam, duasque Oldenburgianas, itidem etiam-

(25.) *l. c.* §. 43. (26.) *in Comm. de Lutheranismo, Lib. III., Sect. 21.*, §. 84. (27.) *in Epigrammate peculiari Editioni Lipſienſi ſubjuncto*, e quo §. 40. nonnulla attulimus. (28.) *p.* 73. 74. (29.) *in Appendice Voluminis Diſſertationum Academicarum p.* 42.

etiamnum ἀνεκδότοις, lucem propediem videant publicam, ſerio optamus. Graviana, quam dixi, Hamburgo d. 22. Jul. A. 1678. ſcripta, in Biographiæ Noſtri propriæ Continuatione legitur ἀδεσπότῳ (30.), duæ autem Henr. Oldenburgii, Societatis Regiæ Anglicanæ Secretarii, Londini A. 1672. & 1673. exarata, in *Epiſtolarum* Viri Illuſtris, Marqu. Gudii, a Petro Burmanno Ultrajecti A. 1697. editarum, Adoptiva jam prodierunt Appendice (31.).

LXXVIII. Inter Monumenta Ingenii Morhofiani Poſthuma, quorum enumerationem, ordine Scriptionis ſic exigente, jam aggredimur, primum ſibi locum vindicat:

Polyhiſtoris Literarii Liber Tertius, ſive παρασκευαστικὸς, de Excerpendi ratione,

Lubecæ, Anno ab Autoris Obitu proximo 1692., *in 4to* excuſus, cujus mentio prolixior, in totius Operis Polyhiſtorici Hiſtoria, paulo poſt recurret. Hunc Anno ſequenti 1693. excepit:

Commentatio de Diſciplina Argutiarum, ſine Loci mentione *in 12mo* edita. Conſtat ea Tribus Sectionibus, & *Lectiones* Noſtri *de Arguta Dictione Academicas*, quas ille publice quidem, in *Commentario de Lingua & Poëſi Germanica* Vernaculo (32.), Literatis jam erat pollicitus, ſed facie haud dubie, ſi vixiſſet, longe cultiori, ac limam expertas accuratam, dediſſet, in lucem, inſciis Hæredibus, incertum a quo, protruſas, multisque Sphalmatis Graphicis & Typographicis (uti in *Homonymoſcopia* jam noſtra (33.) eſt monitum) fœdatas, exhibet. Recenſum ejus ſiſtunt Lipſienſes, *in Actis Eruditorum, M. Sept.* A. 1693. (34.), inque iſto (35.), *Opuſculum hoc, ut ſolent, quæ Morhofium agnoſcunt Parentem, eruditione plane ſingulari, egregiisque Animadverſionibus, maximè Oratoriis, eſſe refertum*, pronunciant. Thomas Crenius (36.) *Commentationem* vocat *Doctiſſimam*, M. M. autem, Scriptor κρυπτώνυμος, de Epigrammatis commentatus Germanicis (37.), *Libellum brevem quidem, ſed luculentum* (Eine zwar kurtze/ doch wol ausgearbeitete Schrifft.)

LXXXIX. Eodem A. 1693., Lipſiæ in 12o. prodiit:

Collegium Epiſtolicum, ab Autore, cum in vivis eſſet Studiis tantum privatis Auditorum ſuorum deſtinatum, jam vero, ob ſummum variumque uſum, publica luce donatum. Acceſſit *Epiſtola ejusdem* (de qua §. 49. jam dictum) *in Plagiarium quendam ſuum Invectiva.*

Primam hanc editionem, furtim factam, cujus Menda fœdiſſima & admodum numeroſa, præter me (38.), Celeberr. Tenzelius, complura illorum enumerans & corrigens (39.), & Vitæ Morhofii Continuator (40.), obelo no-

 tarunt

(30.) *in eadem Append. Diſſertt. Acad. p.* 43. 44. (31.) *num.* 39. & 40., *p.* 73. 74. (32.) *P III., c.* 5. *p.* 541., & c. 17. *p.* 757. (33.) *Sect. I., c.* 1., §. 7., *p.* 16 (34.) *p.* 399-402. (35.) *p.* 400. (36.) *P. I. Animadverſ. c.* 7., §. 4., *p.* 122. (37.) in den unvorgreifflichen Gedancken von deutſchen Epigrammatis, quæ Lipſiæ A. 1698. prodieruut, *c.* 3., *p.* 97. 98. (38.) *in Homonymoſ. l. c.* (39.) *in Dialogis Menſtruis Germanicis, M. Aug. A.* 1693., *pag.* 680-683. (40.) *in Append. Diſſertt. Acad, p.* 27.

tarunt, excepit altera Lubecenſis, a Joh. Burch. Majo, Succeſſore Autoris, Anno ſequ. 1694., curata, Præfatione nova ac Indicibus inſtructa, & auctior pariter atque emendatior, *in 8vo*, ſub novo hoc evulgata Titulo:

Libellus de ratione conſcribendarum Epiſtolarum, a mendis Editionis Lipſienſis innumeris a J. B. Majo repurgatus. Acceſſerunt nova quædam Exempla.

Recenſum Libelli, ex Editione priori, invenies *in Actis Eruditorum Lipſienſibus, M. Apr. A. 1693.* (41.), & Tenzelii *Dialogis Menſtruis Vernaculis*, M. Auguſto Anni ejusdem (42.), Qui, ob nervoſam Præceptorum brevitatem, & Exemplorum Obſervationumque egregiarum copiam, magni illum, a Chriſtiano etiam Weiſio de nota meliore, antequam ederetur, commendatum (43.), merito æſtimat.

LXXX. A. 1694. publice comparuerunt

D. G. Morhofii CVIII. Quæſtiones Chymicæ, ex variis Autoribus Chymicis collectæ, cum Reſponſionibus & Solutionibus (Ænigmata Chymicorum magis plerumque intricantibus, quam explicantibus) Joh. Ludov. Hannemanni, Prof. Phyſici Kilonienſis, *Ovo* hujus *Hermetico-Paracelſico*, quod vocat, ſive *de Auro Tractatui*, Francofurti A. 1694. *in 8vo* excuſo, inſertæ (44.)

Quæ, nusquam a Noſtro promiſſæ, nec in Scriptorum Affectorum Indicibus memoratæ, ſi vel maxime Parentem eum agnoſcant in privatos tamen ſolum uſus, ſubitaneo conſilio, uti Cordati Lectores facile perſpicient, absque juſta cura, in chartam ſunt conjectæ, nunquam vero publicæ luci deſtinatæ, nec proinde in eam ab Editore, temere ſuerunt protrudendæ. Ἐκτρώματα certe potius iſtæ ſunt, quam fætus juſtæ maturitatis γνήσιος, ac nova proinde earum, ſe ita locupletandarum, ut tres abſolvant Centurias, juſtoque præterea illuſtrandarum Commentario, quam *p.* 283. pollicetur, Editione Exegetes modo dictus, absque ulla Orbis Eruditi Indignatione ſuperſedere poterit.

LXXXI. Triennio poſt lucem publicam, uni incluſa Syntagmati, junctim denuo viderunt, quæ antea, vel ſingulatim excuſa, vel, in Faſciculos minores congeſta, diverſis ipſemet evulgarat temporibus,

Opera Poëtica Latina omnia, in unum collata, ad Autoris mentem diſpoſita, & ab Hæredibus, cum Caſp. Dan. Morhofii, Filii, Elegia ad Fridericum, Ducem Holſatiæ, Dedicatoria, Henricique Muhlii, Supremi Eccleſiarum Cimbriæ Ducalium Antiſtitis, Præfatione de Poëſi ac Poëtis Latinis, edita, Lubecæ A. 1697. in 8vo.

Editio hæc Carminum Latinorum omnium Poſthuma (qualem ipſe etiam Autor, adhuc ſuperſtes, Anno jam 1683., in *Programmate ad Lectiones Acroamaticas Invitatorio*, eſt pollicitus) exhibet:

1. *Cha-*

(41.) *p.* 164. 165. (42.) *p.* 680.-683. (43.) *in Oratore Politico, Germanice edito, p.* 22. (44.) *p.* 281-284.

1. *Charitum Libros III.* (quorum *Primus Otia Divina*, *§. 73.* memorata, *Secundus* Carmina Gratulatoria ad Leopoldum Imperatorem, Carolum II. & Wilhelmum III., Reges Angliæ, Frid. Wilhelmum, Electorem Brandenburgicum, Chriſt. Albertnm, Ducem Holſatiæ, Guſtavum Adolphum, Principem Megapolitanum, Ferd. Fürſtenbergium, Epiſc. Monaſterienſem, Chriſtianum, Comitem a Ranzou, Henriettamque Catharinam Gersdorfiam, Heroinam Gentis Friſiæ doctiſſimam, *Tertius* autem Poëmatia ejusdem generis ad Joh. Adolphum Kielmannum Aulæ Gottorpienſis Præſidem, aliosque Viros Nobiles, Doctos & Indoctos, complectitur), *p. 1-252.*
2. *Veneres Antiquas*, *p. 253-336.*
3. *Veneres Novas*, *p. 337-438.*
4. *Manium, ſeu Epicediorum Libros III.* (quorum Primus, ſub *Funerum* titulo A. 1667. jam prodierat, reliqui duo ex Epicediis, ſingulatim antea publicatis, nunc demum ſunt congeſti), *p. 439-580.*
5. *Primitias Parnaſſi Kilonienſis*, *p. 581-620.*
6. *Autoſchediasmata Poëtica*, *p. 261-652.*
7. *Horas Subſecivas Poëticas*, *p. 653-688.*
8. *Miſcellanea Poëtica, & Epigrammata Selecta*, *p. 689-826.*
9. *Epigrammatum Libros II.*, *p. 827-856.*
10. *Jocorum Librum* (quo *Leſſus in Ciconiam Adrianum*, *Querela Halecis*, & *Carmen de Ente Rationis*, continentur), *p. 857-900.*
11. *Prætermiſſa*, *p. 901-931.*
12. *Adoptiva quædam*, partim Honori Autoris ſacra, partim ab eo edita (&, hæc inter Joh. Laurembergii *Satyram & Querimoniam Daphnorini*, A. 1685. ſeorſim publicatas), *p. 931-967.*

Prolixioris Syntagmatis hujus (cujus Faſciculorum plerorumque Editiones, hanc antegreſſæ, §. 49. 50. 53. 55. 57. 58. 59. 60. 67. 71. & 73. a nobis ſunt enumeratæ), Præfationisque ſimul Muhlianæ, Recenſus ſiſtunt Lipſienſes *in Actis Eruditorum*, *M. Jun. A.* 1697. (46.), & Pet. Rabus *in Bibliotheca Europæ Belgica* (dem Boockzaal van Europa), M. Sept. & Oct. An. 1699. (47.). Ceterum, quanta Venam Morhofii Poëticam, & Carmina imprimis hæc Latina, admiratione proſecuti ſint Eruditiſſimi Temporum noſtrorum, & in Poëſi etiam Exercitatiſſimi Scriptores, Lipſienſium, Godofr. Gvilh. Leibnitii, Æg. Menagii, Ol. Borrichii, Henr. Meibomii, Aug. Varenii, Joſuæ Arndii, Frid. Rappolti, Er. Mauritii, Chr. Kortholti, Ott. Sperlingii, Laur. Normanni, Georg. Caſp. Kirchmayeri, Joach. Felleri, Joh. Nicol. Hertii, Pauli Sperlingii, Ad. Tribbechovii, Henr. Muhlii, aliorumque præterea complurium, Judicia de illa pariter atque hiſce perquam honorifica, imo pene invidenda, quæ, in

(45.) *p.* 261-264. (46.) *p.* 530-536. (47.) *p.* 252-259.

in Elogiorum Autoris ipſius recenſu, §. 28-46., longa cumulavimus ſerie, abunde, imo ἀναντιῤῥήτως, evincunt. Pauca jam iſtis, quæ denuo huc tranſcribere non vacat, addemus, quibus ipſam hanc Poëmatum Latinorum omnium Collectionem Viri Eruditi commendarunt. Henr. Muhlius, in *Præfatione* illius, Carmina Morhofiana omnium quidem præſtantiſſimis accenſeri non poſſe, cum ab Erroribus ſuis ac nævis non ſint immunia, agnoſcit, imo nonnulla e Syntagmate hoc merito eliminari debuiſſe judicat, pleraque tamen, ob Verborum Curam, Numerorum ſollicitudinem, Sententiarum Acumen, Argutiarum Lumina ac Gemmas, Laborem Studiumque incredibile iis impenſum, & accuratam imprimis Veterum Imitationem, prolixe deprædicat. Sed, quid vetat Verba ejus nonnulla αὐτολεξεὶ adjicere, a Celeb. etiam Tenzelio repetita? *Licet*, ait, *fortaſſe in id, quod optavit, faſtigium non aſcenderit, licet tanta elegantia & puritas, vel ſobrietas quoque & facilitas, in hiſce ejus Carminibus ubique non adſit, uberem tamen quandam a natura venam, & divinum quoddam Ingenium, & Bonorum lectionem Scriptorum, usque quaque perſpicietis. - - Licet nonnulla ei exciderint, a quibus mallem abſtinuiſſet, Carminibus tamen ſuis ſemper aliquid argutum, quod Lectorem alliciat, aut eruditum, & quod* διδασκαλίαν *habet, aut morale, aut Politicum, interſerit. Et ad invenienda venuſta Argumenta Ingenium nusquam deeſt, nec ad ordinanda Judicium. Sed nec Eloquentiæ facultas abeſt, nec Sermonis puritas & ſuavitas. Vis & elegantia in clauſula fere arguta & aculeata, quam Noſter ſummopere captabat, nec lepores detrectabat ac Sales, aut alios Ingenii luſus, ſed doctos, ſed urbanos, & qui ab Antiquorum elegantiis non recedunt.* Lipſienſes (48.) Muhlianum hoc Judicium ſuo approbarunt calculo, Carmina Morhofii *cultiſſima, & Argumenti, Metri atque Inventionis varietate cum paucis comparanda*, vocarunt, *Jocorumque* imprimis *Librum* Poëmata *eruditis acutiſſimisque Salibus reſperſa* complecti judicarunt. Tenzelius denique (49.) optime eadem cenſet eſſe elaborata, & ingenioſas præſertim Epigrammatum Inventiones admiratur, in quibus *eum, Conſt. Hugenium & Pet. Francium, ſed alium aliter, excellere*, Mich. etiam Filizius, Luſatus, haud ita pridem pronunciavit (50.).

LXXXII. Poëmatum Syntagma, Anno mox ſequenti 1698., excepit haud diſſimilis eorum Ingenii Morhofiani Monumentorum, quæ Solutæ etiam Eloquentiæ Palmam Autori ſuo vindicant, Collectio.

Orationes ſcilicet & *Programmata, in Celeberrima Holſatorum Academia Kilonienſi publice propoſita, utraque nunc cura Filiorum collecta & publicata, cum Jndicibus neceſſariis.* Hamburgi 1698. in 8vo.

Decem

(48.) *l. c. p. 264.* (49.) *l. c. p. 535.* (50.) *Corollario V. Speciminis Analectorum ad Ol. Borrichii Diſſertationes de Poëtis.*

Decem in Syntagmate hoc exhibentur Orationes (quas inter Quinta, Sexta, Septima & Octava, in iſto demum prodierunt, reliquæ autem jam ante ſingulatim, uti ſuis dictum eſt locis, erant editæ):

1. Or. in Academiæ Kilonienſis Inauguratione, d. 6. Oct. An. 1665. habita, *p.* 1. 33.
2. Or. de Cauſis, ob quas multi ad minus ſolidam aliquam Sapientiam perveniant, d. 22. Jan. An. 1666., in primæ Magiſtrorum Promotionis Actu recitata, *p. 33-61.*
3. Panegyricus in Nuptias Chriſtiani Alberti, Ducis Holſatiæ, M. Dec. A. 1667. dictus, *p. 61-106.*
4. Or. de Intemperantia in Studiis, & Eruditorum, qui ex ea oriuntur; Morbis, in aditu Rectoratus Academici, M. Apr. A. 1669., habita, p. 106-143.
5. Or. de Viro Bono, ad mentem Philoſophorum Gentilium, in promotione Magiſtrorum, M. Oct. A. 1669., habita, *p. 144-164.*
6. Or. de Otio Sapientibus dando, in Rectoratus aditu, M. Apr. A. 1677. dicta, *p. 164-188.*
7. Or. de Literarum in Republica Utilitate, in aditu tertii Rectoratus, d. 5. Oct. A. 1684., habita, *p. 188-213.*
8. Or. de Fructibus in Holſatiam, Urbemque Kilonium, ex Academia redundantibus, in aditu Quarti Rectoratus, M. Apr. A. 1690., habita, *p. 213-249.*
9. Or. de Auro, Kal. Sept. A. 1690. recitata, *p. 249-304.*
10. M. Ant. Majoragii *Philochryſus, ſeu Or. de Auro, a Noſtro edita, p. 304-366.*

Orationibus Programmatum (quorum, publico Academiæ nomine, ſcribendorum cura, Anno demum 1674., mandato Ducali, Noſtro eſt commiſſa; quibusque paucula forte aliena a ſe inſciis eſſe immiſta, Filii in Præfatione fatentur) integra ſubjungitur Centuria, Octo ſiſtens Feſto χριςογονίας conſecrata, Undecim Paſchalia, totidem Pentecoſtalia, totidem quoque de Angelis Michaelitica, XXXI. Exequialia, & XXIX. alia variorum Argumentorum Academica, publico partim, partim privato nomine, evulgata, pleraque erudita pariter atque elegantiſſima, ac ab Autore jam ipſo (teſte Matth. Henr. Burchardo (51.) Editioni, quod luce ei digna viderentur, deſtinata. Σκιαγραφίαν totius hujus Sylloges, *in Actis* quoque *Eruditorum*, M. Jul. A. 1698. (52.), ſiſtunt Lipſienſes, qui Programmata *multa eleganterque* cenſent eſſe *eruditione referta*, de Orationibus autem hoc ferunt Judicium: *Orationibus, cum in Genere Demonſtrativo, vel Loco Communi, verſentur nec tam ad perſvadendum, quam ad delectandum, ſint compoſitæ, exquiſitiorem Autor adhibuit cultum, genusque dicendi ſectatus eſt argutius, auribusque horum temporum*

(51.) *in Or. Iun. ei habita p.* 11. (52.) *p.* 329. 330. 331.

porum accomodatum, in quo Poëticum nonnunquam decorem relucere voluit, ex interiorum Literarum Myrothecio petita quædam ſubinde aſpergens ornamenta, quibus doctas aures teneret caperetque.

LXXXIII. Poſt edita Poëmatum, Orationumque & Programmatum, quæ modo recenſuimus, Syntagmata, pari inſtituto, reliqua etiam Noſtri Scripta Latina, præter *Polyhiſtorem*, Libelloſque *de Diſciplina Argutiarum, ſcribendis Epiſtolis & Dilatatione Oratoria*, Poſthumos, omnia, quæ ſuperſtes ipſe diverſis ſeorſim publicaverat temporibus, in Volumen redacta unicum, junctim Anno 1699. ſub hoc prodierunt Titulo:

Diſſertationes Academicæ & Epiſtolicæ, quibus rariora quædam Argumenta erudite tractantur, in unum omnes Volumen collatæ, & Conſenſu Filiorum editæ. Acceſſit Autoris Vita, quæ tum Lectiones ejus Academicas, tum Scripta Edita & Edenda, Elogia item ac Judicia Clarorum Virorum, exhibet. Additi quoque ſunt, præter Joh. Burch. Maji Præfationem, Indices accurati & locupletiſſimi. Hamburgi An. 1699. *in 4to.*

Continentur hoc Volumine (quale Celeberr. Tenzelius (53.), Anno jam 1692. (53.), ob Diſſertationum Morhofianarum, *elegantiſſimis*, uti vere judicat, *Obſervationibus ſcatentium*, raritatem, congeri optavit) Scripta Noſtri ſequentia, ſeorſim ante excuſa, ſuisque jam locis fuſius ſupra recenſita ac celebrata:

1. Diatriba Juridica de Morbis, & eorum Remediis, *p.* 2.-50.
2. Diſp. Jurid. Inaug. de Jure Silentii, *p.* 51-70.
3. Diſſ. de Enthuſiaſmo ſeu Furore Poëtico, *p.* 71-82.
4. Theologiæ Gentilis Politicæ Diſſert. Prima de Divinitate Principum, cui nunc demum e MSto adjecta aſt Secunda de Titulis Principum Divinis, hactenus ἀνέκδοτος, ſed ſub finem mutila, *p.* 82-117.
5. Proſphonema in Summos honores Theologicos Chriſt. Kortholti, *p.* 117-126.
6. Diſſ. de Principe Medico, *p.* 127-160.
7. Deſcriptio Actorum primæ Promotionis Academicæ Kilonienſis, *p.* 161-234.
8. Diſp. de Sole Igneo, *p.* 235-244.
9. *Epiſtola de Metallorum Transmutatione*, *p.* 245-302.
10. Diſp. de Paradoxis Senſuum, *p.* 303-328.
11. Stentor ὑαλοκλάστης, ſeu Tr. de Scypho Vitreo, per certum Vocis Humanæ Sonum rupto, *p.* 329-445.

Undecim hæc, jam ante edita, & Annorum, quibus primam viderant lucem, ordine diſpoſita, Tria ſequuntur Meletemata, hactenus ἀνέκδοτα:

1. *Diſſ. de Quinta Eſſentia, Catholico Morborum Remedio*, adverſus Morbos quosvis,

(53.) *in Dial. Menſtr. Germ., M. Jul. A. 1692., p.* 604.

quosvis, cum omnes a Spirituum prava Diſpoſitione proficiſcantur, non niſi Spiritualia Remedia, ſive Quintas Eſſentias, adhiberi debere, oſtendens, quam Dethlevus Cruſius, J. U. C., Autoris in Civitate Hamburgenſi Amicus, privatim ab hoc olim ſibi communicatam, ut ederetur, Bibliopolæ tradidit. (*595-605.*)

2. *Epiſtola*, qua juvenem, in Academia viventem, hortatus eſt ad Diſputationem de Latinitate Digeſtorum, de qua ipſi, eam culpanti, cum Profeſſoribus lis erat Juridicis, abrumpendam (*p.606-611.*)

3. *Diſſertationis de Meritis Germanorum in Literas* (cujus paulo poſt, inter Affecta, prolixior fiet mentio) Fragmentum, & ſolum ferme Exordium, inter Schedas Studioſi cujusdam, qui ex ore dictantis publice id exceperat, repertum (*p.* 612-616.)

Accedit tandem Appendix, Vitam Morhofii, ab ipſomet inchoatam, & ad An. 1671. pertextam (*p. 1-48.*), Elogia Morhofii, & Scriptorum ejus nonnulla, a Caſp. Thurmanno collecta (*p. 49-60.*), & Carminum tandem Adoptivorum, in Honorem Noſtri ſcriptorum, Syllogen copioſam (*p. 61-143.*), exhibens. De quibus Voluminis hujus Acceſſionibus cum ſupra, §. 4. & 27., fuſius jam ſit dictum, *h. l.* ulterius quicquam addi non videtur neceſſarium. Conſuli cetera de Diſſertationibus hiſce Morhofianis etiam merentur Lipſienſes (quibus *Exquiſitiſſimæ* audiunt & *admodum ſolerter elaboratæ*), *in Actis Eruditorum*, *M. Jul. A.* 1699. (54.), prolixiorem, & Lubecenſes, *in Novis Septentrionis & Maris Balthici Literariis*, *M. Jun. Anni ejusdem* (55.), breviorem illarum ſiſtentes Recenſum.

LXXXIV. Ultimum inter omnia Polyhiſtoris Noſtri Monumenta Literaria, hactenus & ab illo ſuperſtite, & a defuncti Hæredibus, Juris facta publici, occupant, quæ, ſuperiore demum An. 1701., Lubecæ *in 8vo* prodierunt.

Deliciæ Oratatoriæ Intimioris, ſive Liber de Dilatatione & Amplificatione Oratoria; Opuſculum e Lectionibus de hoc Argumento Academicis, An. 1683. & 1691. habitis, enatum, & in tres Partes diviſum, cujus Σκιαγραφίαν accuratiorem Laudesque, in *Actis Eruditorum Lipſienſibus*, *M. Aug. A.* 1701. (56.), *Novis Septentrionis & Maris Balthici Literariis Lubecenſibus*, *M. Apr. A.* 1701. (57.), & Cl. Eccardi *Excerptis Librorum Recentiorum*, quæ Hannoveræ prodeunt, *Menſtruis Germanicis*, *M. Majo* Anni ejusdem, invenies (58.).

LXXXV. Enumeratis hactenus ſatis fuſe Scriptis Morhofianis, quæ lucem jam aſpexere, publiceque leguntur, omnibus, ad Ἀνέκδοτα atque Affecta nobis eſt pergendum. Horum Catalogum prolixum, quo LXXI. hujus generis recenſentur Meletemata, ex aliquot Indicibus Autoris ipſius αὐτογράφοις congeſtum, Vitæ ejus Continuator Anonymus, in *Voluminis Diſſertationum*

(54.) p. 289-293. (55.) p. 184. (56.) p. 371-377. (57.) p. 126. 127. (58.) p. 51-60.

tationum Academicarum Appendice, exhibuit (59.). Verum tumultuarius ille eſt, nulloque, vel Argumentorum, vel Annorum ac temporum, ordine collectus, haud pauca, paſſim a τῷ Μαχχαρίτῃ, tam in Lucubrationibus Editis, quam Prælectionibus Academicis ἀνεκδότοις, promiſſa, omittit, nec quænam illorum, vel Editioni ſint matura, vel imperfecta aut inchoata, vel Calamo ſaltem, nunquam iis admoto, deſtinata, verbulo ullo ſignificat. Id quod Continuatorem illum, qui, teſte Joh. Burch. Maji *Præfatione. Bibliothecæ Morhofianæ Forulos ac Schedas fere omnes diligenter excuſſit*, facere omnino decuiſſet, præſertim cum Literæ ad Celeb. Tenzelium Muhlianæ (60.), *multa ſupereſſe, quorum prima ſaltem lineamenta Autor duxerit, plura, quæ inter chartas confuſa turbataque reperiuntur, nos edocuerint.* His Catalogi iſtius defectibus ut pro Virili medeamur, alium Monumentorum Noſtri Ineditorum atque Affectorum Indicem Tripartitum ſubſtituemus, Claſſe prima Ἀνέκδοτα, quæ adhuc ſuperſunt, vel ſi periere, ab Autore tamen ſunt elucubrata, Secunda autem, quæ ab eodem in Scriptis quidem ſuis, Catalogisque Nundinalibus publicis, ſunt promiſſa, ſed vel plane derelicta deinceps, vel ſaltem inchoata, enumeraturum, & Aſteriſci Notam ſingulis, quorum nulla apud Vitæ Continuatorem occurrit mentio præfixurum, Tertiaque tandem Claſſe, quæ e ſolo illius nobis innotuere Catalogo, prioribus ſubjuncturum. Potiorum Titulis aliæ ſubinde etiam Obſervationes Miſcellæ adjicientur, quas Lectoribus non ingratas fore ſperamus.

LXXXVI. Ad Claſſem ergo Primam τῶν Ἀνεκδότων, quæ etiamnum ſuperſunt, vel ſi forte periere, ab Autore, uti certò conſtant, elucubrata fuerunt, Limam tamen pleraque accuratiorem deſiderant, referantur:

1. *Polyhiſtoris* Tomi Primi, ſive *Literarii*, Libri IV. Poſteriores (Quartus ſcilicet, Quintus, Sextus atque Septimus), Editioni jam parati, Tomi item duo reliqui, Secundus & Tertius, ſive *Philoſophicus & Practicus*, e *Prælectionibus de Notitia Autorum* atque *Polyhiſtoricis* congerendi atque excerpendi, congruoque ordine digerendi, ſubinde etiam Notis ac Emendationibus illuſtrandi. Plura de iis, in totius Operis Hiſtoria accuratiori, paulo poſt dicentur.

* 2. *Prælectiones Polyhiſtoricæ*, An. 1672. habitæ, & XVII. Capitibus (quorum Indicem infra, §. 90., in *Polyhiſtoris*, ex iis congeſti, ſiſtemus Recenſu) comprehenſæ, haud diverſæ, ni fallor, a *Lectionibus de Re Bibliothecaria Publicis*, quarum A. 1683., in *Programmate ad Acroamaticas Invitatorio*, & mentionem ipſemet fecit, & Editionem promiſit.

3. *Prælectiones de Notitia Autorum*, e *Polyhiſtoricis*, alio diſpoſitis ordine, paſſimque auctis ac interpolatis, enatæ, bisque, ab A. 1680. ad 1683., Auditori-

(59.) *p.* 39 41. (60.) V. Fragmentum earum, in Tenzelii *Dial. Menſtr. Germ., M. Jul. A.* 1692., *p.* 603.

ditoribus propoſitæ. Hiſtoriam illarum, & Capitum, quibus conſtant, XXVII. Indicem (ab Anonymo etiam Vitæ Morhofianæ Continuatore (60.), & Chriſt. Thomaſio (61.) publice jam exhibitum), §. 90., in mox ſecuturo *Polyhiſtoris* offendes Recenſu.

* 4. *ἱστορούμενα Jurisprudentiæ Romanæ*, A. 1675. privatim Auditoribus propoſita, quæ Editioni parata eſſe, A. 1683., *in Programmate ad Lectiones Acroamaticas Invitatorio*, ſignificavit.

* 5 *Mnemonica Juris*, Voces exhibens Mnemonicas, ſingulis Inſtitutionum & Decretalium Titulis accommodatas, quarum ope iſti, earumque numeri, memoriæ poſſunt imprimi. De Artificio ejus Vid. *Lib.2.Polyhiſt. Lit., c.6.*, §. 55. 56.

6. *Comm. de Jure & Privilegiis Morboſorum*, e Diſp. hujus Argumenti Academica, paulatim aucta, enatus, de quo §. 48. fuſius jam eſt dictum.

7. *Tr. de Jure Silentii*, de quo conſulenda ſunt, quæ in Hiſtoria Diſputationis Noſtri de eodem Argumento Inauguralis, hujus Prodromi, §. 51., monuimus.

8. *Hiſtoria Naturalis, prout hodie fœcunda tot Obſervationum meſſe eſt ditata*, in Collegio Bipartito privatim A. 1675. & 1676. propoſita, ſive *Polyhiſtor* (quo Titulo in Continuatoris Vitæ Morhofianæ gaudet Catalogo) *Phyſicus, Veterum & Recentiorum Sectarum Placita proponens & conferens, & Vetera Novaque Inventa, per omnes Corporum Naturalium Species, recenſens.* Pars Prima Phyſicam generatim conſiderat, diverſasque Hypotheſes Phyſicas Philoſophorum, tum Veterum (Hebræorum ſc., Moſis & Μωσαϊζόντων, Ægyptiorum, Chinenſium, Pythagoræorum, Democriteorum, Epicureorum, Platonicorum, Stoicorum, Peripateticorum, Jonicorum, Scepticorum), tum Recentiorum (Bernh. Teleſii, Franc. Patricii, Hier. Cardani, Thomæ Campanellæ, Rob. Fluddii, Thomæ Hobbeſii, Theophraſti Paracelſi & Chymicorum, Ren. Carteſii & Aſſeclarum ejus, aliorumque Novatorum), una cum Sectarum ſingularum Hiſtoria, & ſubjuncta Veteres Modernosque conciliandi Methodo, proponit. Poſterior, de ſingulis Phyſicæ Specialis Capitibus, Philoſophorum Veteris atque noſtri ævi Sententias diverſas, potisſimum autem Recentiorum Experimenta & Obſervationes, exponit, Methodoque Eclectica, nec Autoritati Veterum, nec Affectui in Modernos, obnoxia, ſolerter & judicioſe examinat. Prolixum ſingulorum Capitum utriusque Partis Indicem Continuator Vitæ Morhofianæ Anonymus (62.) exhibuit, Editionem vero Autor ipſe A. quidem 1683., *in*

(60.) *in Append. Diſſertt. Acad. Morhofii p.* 32. 33. 34. (61.) *in Cogitatis Menſtruis de Libris varii generis Jocoſeriis, M. Aug. A.* 1688., *p.* 275-279. (62.) *in Append. Diſſertt. Acad. p.* 34-37.

Programmate ad Lect. Acroam. Invitatorio, promiſit, ſed dein, mente mutata, nucleum ejus *Polyhiſtori* inſerere maluit *Philoſophico*. Verum, nec hoc effectum ipſi dare, per mortem immaturam, licuit. Nos luce illam publica, accurate tamen prius reviſam atque emendatam, dignisſimam eſſe, cum Eraſmo Franciſci (63.), cenſemus, a quo Elogium Eines trefflichen und Lichtwürdigen Werckes / ſo verhoffentlich noch in Druck kommen wird (h. e. *Operis egregii, & , Editionem, cujus nec ſpes deſit, meriti*), reportavit.

* 9. *Collegium Hiſtoricum.*

* 10. *Introductio ad Hiſtoriam*, ſive Lectiones Academicæ de Scriptoribus, quorum ad Prudentiam Civilem Uſus eſt, Hiſtoricis, A. 1673. 1677. & 1683. Auditoribus propoſitæ.

* 11. Lectiones in Taciti Annales, & Vitam Agricolæ, A. 1674. & 1675. publice habitæ, e quibus nonnulla ad Editionem a ſe ſelectum iri, *in Programm. ad Lect. Acroam. Invitatorio*, A. 1683. promiſit.

* 12. *Genealogia Familiæ Broktorfiorum Equeſtris Holſaticæ*, Piſcium etiam Volantium (qualem hujus oſtentant Inſignia) Hiſtoriam perſequens, quam a Noſtro, poſtulatu Caji Laurentii, Comitis a Brocktorf, Anno circiter 1687., eſſe conſcriptam, & ἀνέκδοτον ab hoc aſſervari, e Joh. Lud. Hannemanni Literis, *in Additt. ad Partem II. Iſagoges in Hiſt. Cimbr. p. 215.*, eſt indicatum.

* 13. *Lectiones Methodico-Practicæ de legendis, imitandis & excerpendis Linguæ Latinæ Autoribus*, A. 1675. publice, & A. 1685. privatim, habitæ.

14. *Tr. de Pura Dictione*, Lectionibus Publicis A. 1688. 1689. & 1690. propoſitus, ab Autore A. 1684. (*in Lib. de Patavinitate Liviana*), & ab Hæredibus decennio poſt (*in Catal. Nund. Vern. Lipſ. A. 1694. p. 13.*), Orbi Literato promisſus, cujus Editionis deſiderium Lipſienſes, *in Actis Erud.* (64.) dudum ſunt profeſſi.

15. *Characterographia, ſeu Commentatio de Stylo, ejusque Exercitiis*, in *Catal. Nund. Autumn. A. 1668. Lipſ. p. 26., & Programmate ad Lect. Acroam. Invitatorio*, A. 1683. publicato, promiſſa.

16. *Prælectiones de Differentia Styli Poëtici & Oratorii*, A. 1670. & 1682. habitæ.

17. *Periodologia, ſive Tr. de Periodo Oratoria & Poëtica*, quem publicis A. 1686. & 1687. Lectionibus propoſuit, cujusque Editionem Hæredes, in *Catalogis Nundinalibus, Vernali A. 1694., p. 13., & Autumnali A. 1696. p. 40.*, expectari a ſe *juſſerunt*.

18. *Prælectiones Publicæ Oratoriæ*, A. 1669. habitæ.

* 19. *Collegium Oratorium Theoretico-Practicum.*

20. *Manu-*

(62.) *in Append. Diſſertt. Acad. p. 34-37.* (63.) in den gebrochenen Spott- und Läſter-Pfeilen M. Joh. Matthæi, *p.* 430. (64.) *M. Dec. A.* 1684., *p.* 575.

20. *Manuductio ad Eloquentiam Civilem, ſive Orator, & Præceptis, & Exemplis perpetuis lectiſſimisque, adornatus*, cujus ſpem fecit A. 1683., *Progr. Invit. ad Lect. Acroamaticas.*

*21. *Nova Rhetorices Elementa, in Tyronum & Adultiorum gratiam concinnata, in quibus ductu Ariſtotelis & Chriſtoph. Schraderi, de præcipua Rhetoricæ Parte, in reliquis Compendiis hactenus omiſſa, Enthymematum ſc. Inventione, diligentius agitur, ac Figuræ, ceteraque ad Ornatum Orationis ſpectantia, in concinniorem rediguntur Ordinem.* Promiſſa ſunt A. 1683., ſub finem *Programmatis* modo laudati, & A. 1684. publicis propoſita Lectionibus.

22. *Collegium Oratorium Sacrum, de Methodo Themata arguta, e Sacro Textu eruendi*, Exemplis ſingularum Periocharum Evangelicarum, Diebus Dominicis ac Feſtis propriarum, illuſtratum, cujus ſpem A. 1683. in eodem fecit *Programmate.* Haud diverſæ ab hoc ſunt, uti credo, quas Vitæ Continuator in ſuo memorat Catalogo, *Sacræ in Dies Dominicos Meditationes, Diſſertatione de Eloquentia Eccleſiaſtica ſtipatæ,*

*23. *Logica Oratoria*, A. 1677. privatis propoſita Auditoribus.

24. *Pathologia Oratoria*, XVI. Capitibus comprehenſa, & A. 1667. Auditoribus dictata Publicis, cujus Editionem A. 1683., *in Progr. ad Lect. Acroam. Invitatorio*, promiſit.

*25. *Collegium Poëticum Theoretico-Practicum*, Roſtochii A. 1662., & dein Kilonii etiam aliquoties, habitum, hujus σκιαγραφίαν ſiſtit Autoris *Programma 83.* (Roſtochii A. 1661. publicatum), *p. 930-935.* Editionem optant Lipſienſes *in Actis Erud., M. Dec. A.* 1684., *p. 575.*

26. *Hermathena Poëtica, ſeu Lib. de Inventionibus Poëticis*, Lectionibus Academicis A. 1667. propoſitus, & *Parte III. Commentarii de Lingva & Poeſi Germanica, c. 13., p. 650.*, ac *in Progr. Invit. ad Lect. Acroam.*, promiſſus.

27. *Lexicon Latinitatis Poeticæ magni in ſcribendo Carmine uſus*, Auditoribus A. 1670. dictatum. Specimen ejus, ſive Idea de Translatis, *Libri III. Polyhiſtoris Literarii, c. 11. p. 74-111.*, legitur.

* 28. *Oratio de Genio & Spiritu Poetico*, qua, d. 17. Oct. A. 1660., Profeſſionem Poëticam Roſtochii eſt auſpicatus, ab ipſomet *in Diſſ. de Enthuſiaſmo Poetico* allegata (65.)

* 29. *Manuductio ad Excerpendum*, Auditoribus propoſita privatis, cujus Editionem A. 1683., *in Progr. Invit. ad Lect. Acroam.*, promiſit, Nucleumque poſtea *Libro Polyhiſtoris Literarii Tertio* inſeruit.

Hæc ſunt, quæ abſoluta ab Autore eſſe, & inedita adhuc latere, vel certò mihi conſtat, vel probabili ſuſpicor conjectura. Monendum tamen denuo, pleraque Lectionibus Academicis abſolvi extemporaneis, limam accuratiorem

(65.) *V. Volumen Diſſertt. Acad. p.* 81. & Conf. Alb. Willebrandi ICti Roſtoch. Programma ad Or. illam Invitatorium *in Append. ejusd. Voluminis p.* 74.

rem & manum ultimam Autoris ſui non expertis, nec proinde omnia promiſcue luce publica eſſe digna.

LXXXVII. Claſſi Secundæ Affectorum, ab Autore, in Scriptis ſuis, Catalogisque publicis, promiſſorum quidem, ſed deinceps, vel plane derelictorum, vel adfinem haud perductorum, a nobis vindicantur:

1. *Tr. de eo, quod Divinum eſt in Diſciplinis*, in *Progr. Invit. ad Lectt. Acroam.* A. 1683. promiſſus. Primas illius Lineas *Programma* exhibet ejusdem Argumenti Pentecoſtale, A. 1687. publicatum, & A. 1689. *Libro I. Polyhiſtoris Literarii, c. 12.*, An. 1698. autem in *Programmatum* Sylloge, recuſum, de quo §. 74. jam nonnulla diximus.

* 2. *Comm. de Infelice Eruditionis hoc noſtro tempore ſtatu*, quem meditatus eſſe a Joh. Ludov. Hannemanno, *in Præf. Ovi Hermetico-Paracelſici* (66.), perhibetur.

3. *Tractatus de Germanorum in Rem Literariam Meritis*, ſuperciliоſo Exterorum opponendus Contemptui, quem non ſolum *Parte II. Commentarii de Lingva & Poëſi Germanica, c. 2. p. 248.*, *in Programm. ad Lectt. Acroam. Invitatorio*, *Lib. I. Polyhiſt. Lit., c. 13. §. 33. c. 16. §. 56., ac c. 18. §. 50.*, publice eſt pollicitus, ſed Lectionibus etiam Academicis A. 1686. cœpit proponere, & *Polyhiſtori* ſuo, uti Schema illius, eodem A. 1686. publicatum, oſtendit, Appendicis inſtar voluit adjungere. Sed pertexere illi telam inchoatam, Opusque tot Eruditorum Votis expetitum (cujus ſolum ſupereſt Exordium, inter Schedas Studioſi, qui e dictantis ore in Auditorio exceperat publico, repertum, & *in Diſſertationum Academicarum Volumine* (67.) A. 1699. excuſum) feliciter abſolvere, non licuit. Teſtem allego Henr. Muhlium, Succeſſorem, qui, in Epiſtola ad Wilh. Ern. Tenzelium, A. 1692., d. 30. Martii, ita de illo ſcripſit: (67.): *De Meritis Germanorum ſpes votumque plane decollabit. Non enim niſi paucula, quæ Conſilium Inſtitutumque hujus Argumenti aperiunt raptim, & ſine cura, in chartam conjecit.* Argumentum ejus idem Muhlius, in *Poëmate Manibus* Noſtri *Sacro*, hiſce Elegis eleganter exponit:

Invideat nobis Batavus, ſint Gallus & Anglus,
Nomina Teutonicis non ſatis æqua Viris:
Hic noſtris adſtat meritis, parat ille Theatrum,
Quo proſtent titulis conſpicienda ſuis.
Civibus ille ſtudet doctis, ne fama laboret,
Et patriæ Laudis gloria priſca cadat.

Quanta

(65.) *lit. B. 2. a.* (67.) *p. 612-6 6.* Conf. de illo §. 83. (63.) V. Tenzelii *Dial. Menſtr. Germ.*, *M. Jul. A. 1692.*, *p. 603.*

Quanta ejus fuerit inter Eruditos Exſpectatio, Celeb. Tenzelius (69.), Theod. Janſonius (70.), & Bernh. Pet. Karlius (71.), vel ſoli, ut alios taceam, docebunt. Jacturam ejusdem Lipſienſes (quibus *Opus* audit *Utiliſſimum, totique Genti Teutonicæ maxime glorioſum*) (72.), Henr. Muhlius (73.), Caſp. Thurmannus (74.), Georg. Henr. Götzius (75.), Joh. Burch. Majus (76.), aliique, ſerio deplorant.

4. *Diſſ. de Chriſtianiſmo Veteri, quid ille e Philoſophorum Gentilium docendi modo, Moribus & Dogmatibus, traxerit,* in *Catalogo Lectionum Kilonienſium Academicarum Semeſtri* A. 1673. promiſſa.

5. *Opus plenum & accuratum de ortu & progreſſu Theologiæ Enthuſiaſticæ*, quod A. 1662., *Diſſ. I. Theologiæ Gentilis Politicæ p.* 48., a ſe juſſit expectari.

* 6. *Comm. de Principiis Naturæ Incognitis*, de quo ita Ipſemet, *in Stentore Ὑαλοκλάϛῃ p. 44.* ſcripſit: *Fatendum ſane eſt, in Cauſarum inveſtigatione plus ſæpe ſubeſſe difficultatis, etiam in minimis, quam credant Lyncei illi minutiarum Speculatores. Quæ me cauſa aliquando impellebat, ut de Principiis Naturæ incognitis Commentarium meditarer, per omnia Naturalis Scientiæ Capita demonſtraturus, ſine Principii alicujus incogniti ſubſidio extricari nos his difficultatibus non poſſe, ac nullam, hunc usque in diem, Sectam ſatis validos his nodis cuneos admovere.*

7. *Epiſtola de Transmutatione Metallorum* Editio nova, longeque auctior, quam molitum eum eſſe, præter Vitæ Continuatorem, teſtis eſt J. Lud. Hannemannus, *in Ovo Hermetico-Paracelſico p.* 133. In cujus Libri *Appendice, p.* 12., edi etiam optat *Chronicon Chemiæ Adeptæ, quod quidam Colonellus ſtudio & opera Magni Morhofii concinnavit & collegit.* Confer, quæ §. 66. de hac Epiſtola jam diximus.

8. *Diſſertationis de Principe Medico*, Roſtochii A. 1665. publicatæ (de qua §. 56. conſulenda), Editio nova auctior, *P. II. Hiſt. Nat. MS., c. 8.* promiſſa.

9. *Diſſertationis de Paradoxis Senſuum*, A. 1676. Kilonii evulgatæ, Editio nova longe auctior, ſive Liber hujus Argumenti integer, *in Stentore Ὑαλοκλάϛῃ p.* 142. promiſſus, uti §. 67. jam eſt monitum.

10. *Commentatio πολυΐϛωρ de Ungve, in Catal. Nund. Vern. A. 1664. Lipſ., p. 37.* promiſſa, ſed nunquam (licet factum illud eſſe Georg. Matth. Königius *in Biblioth. Veteri & Nova*, falſo tradat) edita.

11. *Idea Viri Boni, ad Theologiam ſeu Philoſophiam Veterem Gentilem adumbrata*, quam *in Catal. Nund. Vern. A. 1664. Lipſ., p. 37.*, promiſit. Nucleum ejus

(69.) *l. c., M. Sept. A.* 1691., *p.* 757. 758. 801., & *M. Mart.* 1692. *p.* 207. (70.) *in Biblioth. Promiſſa & Latente p.* 37. (71.) *in Diſſ.* de *Germania Literis Artibusque nulli regioni ſecunda*, Roſtochii A. 1698. edita, *p.* 2. 6. 7. 58. (72.) *in Actis Erud., M. Jul. A* 1699., *p.* 291. (73.) *in Poem. cit. p.* 7. (74.) *in Biblioth. Acad. p.* 61. (75.) *in Diſſ. de Principe Hebraice docto p.* 4. (76.) *in Præfat. Diſſertt. Academicarum Morhofii.*

ſiſtit *Oratio V. de Viro Bono, ad mentem Philoſophorum Gentilium*, A. 1669. habita, de qua §. 82. conſulenda.

12. *Commentatio de Heroibus*, promiſſa *Diſſ. I. Theol. Politicæ p.* 24.

* 13. *Homiletica Erudita*, Præcepta Converſationis Eruditæ exhibitura, quam ſe ſcribere aliquando voluiſſe, ſed dein Conſilium iſtud abjeciſſe, *Libri I. Polyhiſtoris Literarii Cap. XV.* (quod totum in Sciagraphia Laboris hujus ſiſtenda occupatur) ſignificavit. Jacturam Operis iſtius Morhofiani Chriſt. Dav. Funccius, Görlicenſis (Autorem *Eruditorum, dum viveret, facile Principem* ſalutans), prolixe, *in Vindiciis Seculi Noſtri*, Francofurti A. 1696. editis, *p.* 331. 332., deplorat.

14. *Polyhiſtor Civilis*, de ſingulis Diſciplinis, quatenus ex Viro Civili addiſcendæ, promiſſus *in Catal. Nund. Lipſ. A.* 1664. *Vernal. p.* 37.

* 15. *Polypragmon Civilis*, quem in eodem *Catalogo p. 37.* eſt pollicitus, & Georg. Matth. Königius, *in Biblioth. Vet. & Nova*, perperam Scriptis Noſtri Editis accenſuit.

* 16. *Theologia Gentilis Politica*, de cultu Principum Idololatrico & genuino, cujus duæ priores tantum lucem viderunt Diſſertationes, §. 53. memoratæ, plena autem Tractatio, in *Catalogo* eodem, *p.37.*, eſt promiſſa.

17. *Diſſ. de Fato Politico*, quam *Diſſ. I. Theol. Gent. Polit. p. 19.* a ſe juſſit expectari.

18. *Myſterium Septentrionis, ſeu Diſſ. Theologica, Phyſica & Politica de Terra Septentrionali*, promiſſa non ſolum *in Catal. cit. A.* 1664., *p.* 37., ſed etiam *P. II. Hiſt. Nat. MS.*, *c.* 21. Cauſam derelicti Laboris iſtius, in *Ep. ad Ol. Rudbeckium de ejus Atlantica*, §. 77. jam laudata, hiſce verbis expoſuit: *Ego, jam in juventute mea, non abſimilis argumenti colligere quædam cœpi, Librum aliquando concinnaturus, cujus iſte Titulus:* Myſterium Septentrionis. *Sed jacuit per bene multos Annos Labor iſte. Ego vero nunc in ſinu gaudeo, confirmari in multis meas iſtas ſuſpiciones tuis, pene dixerim, Demonſtrationibus. Multa enim domi habes Argumenta, quæ lucem his Cogitatis adferre poſſunt, Exteris incognita. Omnia itaque mea abjicio: omnino enim, poſt Roſcium hunc, ſaltare ſtultum foret atque temerarium.* Confer de Labore hoc affecto Wilh. Ern. Tenzelium *in Dial. Menſtr. Germ.*, *M. Febr. A.* 1690. *p.* 174., & Henr. Muhlium *in Poëmate Manibus Morhofianis Sacro p. 6.* honorifica illum dignatos mentione.

* 19 *Liber de Cimbrorum Coloniis in Italiam, ante Urbem Conditam, miſſis*, de quo ita ipſe *Orat. VIII.*, *p.* 221. 222.: *Neque ſane, quo præ Cimbris multum glorientur, habent Romani, quos ego noſtris, & nobilitate gentis, & antiquitate, minores judico, ſi non omnino falſa ſunt, quæ de noſtrorum Hominum in Italiam Coloniis, jam ante ipſam Urbem Conditam eo miſſis, non obſcura hariolatione obſervavi. Tanta eſt, & Populorum, & Urbium, & Fluminum, & Nominum,*

cum

cum Cimbricæ Gentis Nominibus affinitas, ut hæc mihi attentius contemplanti ſæpe admirationem excuſſerit, nemo vero, caſu ac forte fortuna contigiſſe, perſvaſurus ſit. Quas meas Conjecturas etſi forte quidam ſupercilioſi Cenſores contemſerint, ego tamen aliquo numero habendas, minimeque contemnendas, eſſe exiſtimo; cum, non tenui aut jejuna aliqua Diſſertatiuncula, ſed vel integro Libro, ejus rei veritatem me aſſerturum confidam.

* 20. *Hiſtoria Holſatica*, quam Literis mandare, a Joh. Adolpho Kielmanno, Seniore, Miniſtro Ducis Holſatici Primario (Hiſtorici etiam Ducalis pollicito dignitatem), aliisque Aulicis Gottorpienſibus, perſvaſus, aliquando decreverat. Verum, cum Σκιαγραφίαν ejus jam concinnaſſet, mentem mutavit, Monitis adductus Friderici, Comitis ab Alefeld, Proregis tunc Cimbrici, Summique poſtea Aulæ Danicæ Cancellarii, quam periculoſæ plenum opus aleæ, Diſſidia Regum Danicorum & Ducum Holſaticorum perpetua tradituros, aggrederetur, quantamque Danorum, ſi Principis ſui cauſam tuendam ſuſciperet, adverſus ſe concitaturus eſſet indignationem, prudenter inculcantis. Confer, quæ hanc in rem a nobis jam ſunt dicta *P. I. Iſagoges ad Hiſt. Cimb., c. 7., §. 15., p. 135.*

21. *Syntagma Antiquarium de Pileo*, a Matth. Henr. Burchardo etiam, *in Or. Fun. Morhofio habita p. 15.*, memoratum.

22. *Commentatio de Enthuſiasmo Poëtico plenior & prolixior*, de qua ſupra §. 52., in Diſſertatiunculæ ejusdem Argumenti brevioris Recenſu, abunde jam eſt dictum.

23. *Philoſophia Alphabetaria*, in qua de Literarum natura, & varia apud varias gentes pronunciatione, agere conſtituerat. Vid. *Lib. 2. Polyhiſt. Literarii, c. 3., §. 31.*, Theod. Janſonii *Biblioth. Promiſſam & Latentem p. 37., & Catal. Nund. Vern. A. 1664. Lipſ. p. 37.*

24. *Diſſ. de Characteribus Linguarum*, ſub finem *Diſſertationis de Enthuſiasmo (in Volum. Diſſertt. Acad. p. 81.)* promiſſa.

* 25. *Tr. de Particularum Linguæ Latinæ Uſu & Senſu inveſtigando*, cujus ſpem fecit *L. 3. Polyhiſt. Lit., c. 2. §. 18.*, ubi Argumentum hoc minime, prout debebat, eſſe excultum, queritur.

* 26. *Diſſ. de Linguarum Græcæ & Latinæ Novitate*, qua Germanicam illis eſſe antiquiorem, imo utriusque Matrem, oſtendere voluit. Vid. *P. I. Commentarii de Lingua & Poëſi Germanica, c. 1. p. 4.* De hac ita Sam. Rachelius *in Introd. in Jus Publ. p. 95.: Quod ſi Morhofius noſter, eximium Academiæ Holſaticæ Decus, de Græcæ & Latinæ Linguarum novitate, & Originibus Germanicis, ſcribendi conſilium perſecutus fuiſſet, reconditæ Eruditionis Opus ab illo expectandum fuiſſet: Nunc, cum Amico hanc operam ſe commendaſſe nunciet, eumque procul dubio ope & conſilio adjuvet, vel ſic etiam bene merebitur.*

27. *Origines Germanicæ*, Opus ejusdem cum Diſſertatione præcedenti Argumenti plenius, ad cujus elaborationem materiam ſe copioſam jam conquiſiviſſe, ſed vereri, ut vita ſua illi ſufficiat, in *Præfatione Commentarij de Lingua & Poëſi Germanica Vernaculi* (cujus Pars Prima Lineamenta ejusdem ſiſtit atque Specimen,) A. 1682. ſignificavit. Editionem illarum, præter Sam. Rachelium (cujus Judicium de iis honorificum modo recitavimus), Joh. Ludov. Praſchius (ſuam Noſtri ſuffragio confirmans ſententiam) *in Diſſ. altera de Origine Lingvæ Latinæ Germanica*, Ratisbonæ A. 1689. edita, M. Chriſt. Grübelius, *in Diſſ. de Lingva Germanica Veteri & Moderna, c. 1., p. 13.* Ludolphus Neocorus *in Biblioth. Librorum Novorum, M. Aug. & Sept. A. 1697., p. 323.*, aliique, cupide efflagitarunt. Imo & ante iſtos Ad. Tribbechovius, Autoris Collega, *Exerc. II. Anti-Baroniana, Sect. V., p. 60.*, ita ſcribens: *Quod ſi Viri Clariſſimi, D. G. Morhofi, Collegæ ac Amici noſtri conjunctiſſimi, Philologemata Teutonica, quæ parat, lucem aliquando aſpexerint, de cognatione Linguarum Occidentalium nemo amplius dubitabit.*

28. *Diſſ. de Mannis Germanorum*, promiſſa *Parte I. Comm. de Lingva & Poëſi Germanica c. 7., p. 131.*

* 29. *Ars Poëtica Germanorum*, peculiari Opere Latino tradenda, quam, in *Commentarij* ejusdem *de Lingva & Poëſi Germanica* Vernaculi (*Parte Tertia* hujus Prægustum exhibentis) *Præfatione*, a ſe juſſit expectari.

LXXXVIII. E ſolo tandem Continuatoris Vitæ Morhofianæ ἀνωνύμου Indice Scriptorum τοῦ Μακαρίτου Affectorum, ut ad Claſſem horum Tertiam pergamus, nobis innotuerunt:

1. Bibliotheca, ſeu de Libris Autorum Elogia politica.
2. Ariſtarchus Librarius, ſeu Tr. de Titulis Librorum.
3. Tr. de Arcanis Dominationis in Re Literaria.
4. Tr. de Imagine Dei ex Gentilium Doctrina.
5. Henr. Mori Tr. de Immortalitate Animæ, e Lingua Anglica Latine verſus, cum Diſſ. Præliminari.
6. Kenelmi Digbæi Obſervationes in Thomæ Brownii *Religionem Medici*, e Lingva Anglica Latine verſæ, Notisque illuſtratæ.
7. Tr. de Religione Politici.
8. Proluſiones Juridicæ de Studio Juris, ejusque Principiis.
9. Tr. de Soloeciſmis Juridicis.
10. De Conſenſu Gentium.
11. De Phyſiognomiæ Uſu in Jurisprudentia.
12. De Pœna Furti, ex Jure Naturæ & Gentium.
13. De Arreſto Cadaverum.
14. De Falſationibus Relationum & Celatione Mortis.
15. Exercitationes Phyſicæ.
16. De Faſcino Oculorum.

17. De

17. De Arte Oblivionis.
18. De Rerum omnium Circulatione.
19. Theſaurus Politicus Univerſalis.
20. Juſti Lipſii Politica, cum Annotationibus Herculis Catti, e L. Italica Latine verſis.
21. De Magia Politica.
22. De Triumpho ante Victoriam.
23. Diſſ. de Veſtitu Civili.
24. Diſſ. de Novo Anno (diverſa ab illa, quam ſub nomine Joh. Goth. Böckelii prodiiſſe §. 54. diximus.)
25. De Hydrolatria.
26. Syntagma de Poculo.
27. Volumen Orationum panegyricarum, a Viris Clariſſimis ſparſim antehac editarum (quarum plerasque *Libro VI. Polyhiſtoris Literarii Oratorio c. 3., §. 6.*, fuſe enumeravit).
28. *Vervecum Patria*, Satyra.
29. De Virtutibus & Vitiis Carminis Germanici.
30. Lib. de Arte Epigrammatica & Epigraphica, cum Exemplis.
31. Liber Epitaphiorum Jocularium.
32. Veſtiarium Epigrammaticum.
33. De Varia Poëtarum Fortuna.
34. Diſſ. παϱάδοξος de Aquæ Potu Poëtis præſcribendo.
35. Vindiciæ Statii contra Alex. Roſſæum.
36. Theſaurus Adagiorum Univerſalis.
37. Diſſ. de Lingua Univerſali.
38. Specimen Philologiæ Teutonicæ.
39. Diſſertationes variæ Philologicæ Germanicæ.
40. Die Nohtwendige Thorheit (Stultitia Neceſſaria), Satyra in ineptos Amantium mores Vernacula.

LXXXIX. Locum inter Scripta, quæ hactenus recenſuimus, Morhofiana, Edita pariter atque inedita & Affecta, ultimum, uti plus ſemel jam ſignificatum eſt, Viri Summi deſtinavimus.

POLYHISTORI, *ſive de Notitia Autorum & Rerum Commentariis, quibus præterea Varia ad omnes Diſciplinas Conſilia & Subſidia proponuntur.*

Factum id a nobis, non ſolum, quod mole pariter atque Argumenti dignitate cetera omnia ſuperat, & πολυϊςορίαν Autoris ſui longe iſtis luculentius, ac plane ἀναντιῤῥήτως, demonſtrat, ſed etiam, quod illi, ac Novæ plenioriq́, Tomi ejusdem Primi, ſive Literarii, Editioni, commendandis Prolegomena hæc, Bibliopolæ, cujus ſumtu is denuo prodit, Lubecenſis rogatu, potiſſimum ſunt deſtinata. Accedit, quod Opus hoc grande Scri-

ptis tam Editis, quam ineditis Affectisque, jure queat accenſeri; illis quidem ob Libros Tres priores, ante duo jam Luſtra, & quod excedit, excuſos, his autem ob Partes reſiduas, Luce publica, vel nunc demum, vel nondum, donatas.

XC. In POLYHISTOREM hunc (quem eundem eſſe credo cum *Encyclopædia Bibliothecaria, de re Bibliothecaria in univerſum & de præſtantiſſimis in omni Doctrina Autoribus*, a Noſtro in ἀυτογράφῳ Scriptorum Affectorum Indice promiſſa) Autor, tanquam in Pandectas Literario-Philoſophicas, omnium ſuarum per luſtra ferme ſex Lectionum Academicarum (quas ſigillatim, uti olim conſtituerat, publicare, per adverſam ſibi valetudinem, fataque imminentia, haud fore integrum, facile prævidebat) Nucleum, aliasque in Hiſtoria Literario-Libraria, & Polymathia univerſa, Obſervationes, conſtipare in animum, quinquennio ante obitum circiter, induxit. Fundum tamen ejus præcipuum eſſe voluit *Lectiones Polyhiſtoricas*, Anno jam 1671, habitas, &, quæ ex hiſce, paſſim auctis, interpolatis atque immutatis, natæ ipſi ſunt, *de Notitia Autorum* Acroaſes privatas prolixiores, bis ab Anno 1680 ad 1683., in Auditorum gratiam, inſtitutas. *Polyhiſtoricæ* XVII. abſolvuntur Capitibus, quorum I. de Re agit Bibliothecaria, & LLCC. Bibliothecariis, II. de LLCC. Scriptoribus in genere, III. de Diſciplinis in univerſum, easque tractandi Methodo, IV. de Linguis in genere, & Scriptura, V. de Lingua Græca, VI. de Lingua Latina, VII. de Eloquentia, VIII. de Eloquentia Sacra, IX. de Poëſi, X. de Philoſophia Naturali, XI. de Artibus Divinatoriis & Magia, XII. de Philoſophia Morali, XIII. de Oeconomica, XIV. de Politica, XV. de Hiſtoria, XVI. de Artibus Mathematicis, ac XVII. tandem de Logica atque Metaphyſica. *Lectiones* autem *de Notitia Autorum*, *Polyhiſtoricis* & poſteriores, & uberiores, XXVII. conſtant Capitibus, quorum I. de Scriptoribus differit, in genere de re Literaria commentatis, II. de Scriptoribus Hiſtoriæ Literariæ, III. de Scriptoribus Bibliothecariis, IV. de Catalogorum Scriptoribus, V. de Vitarum Scriptoribus, VI. de Fructu Hiſtoriæ Bibliothecariæ, VII. de Locorum Communium Scriptoribus, VIII. de Epiſtolographis, IX. de Hiſtoriæ Philoſophicæ Scriptoribus, ipſisque Philoſophis Sectarum omnium, Antiquis pariter atque Modernis, X. de Linguarum Scriptoribus, XI. de Lexicographis, XII. de Grammaticis, XIII. de Lingvæ Latinæ Scriptoribus, XIV. de Criticis, XV. de Antiquariis, XVI. de Rhetoribus Oratoribusque Profanis, XVII. de Oratoribus Sacris, XVIII. de Poëtis, XIX. de Scriptoribus Phyſicis, XX. de Mathematicis, XXI. de Ethicis, XXII. de Politicis & Oeconomicis, XXIII. de Hiſtoricis, XXIV. de Logicis & Metaphyſicis, XXV. de Theologicis, XXVI. de Juridicis, XXVII. vero, ſive ultimum, de Medicis.

XCI, Has *de Notitia Autorum* Lectiones, iisdem pene Verbis, quibus Auditoribus olim erant propoſitæ, in *Polyhiſtore* ſuo exhibere, ſed per ſingulas tamen partes prius refingere, & Obſervationibus ſuis atque Auctariis,

ctariis, tum Diſciplinas atque Res ipſas illuſtraturis, tum Scriptores illarum potiores, addita de ſingulis Κρίσει accurata, enarraturis, ex *Hiſtoria* (de qua §. 86. dictum) *Naturali* Ἀνεκδότῳ, ceteriſque Acroaſibus Academicis, Publicis ac Privatis, locupletare, decreverat. Quem Laborem etſi ſerio, ſummaque Animi contentione, rogatu Amicorum ſit aggreſſus, & per Annos aliquot, ſatis feſtinanter, quod haud procul a Vitæ ſe fine abeſſe ſentiret, ſuaque ab aliis, poſt obitum, inculta atque impolita nollet evulgari, continuaverit, perficere tamen non potuit, ſed Octo tantum Prioribus Capitibus (quæ *Libros Polyhiſtoris Literarij Primum, Secundum Tertiumque*, ſibi vindicarunt) abſolutis, illi eſt immortuus. Schema totius Operis hoc A. 1686. publicavit, a Vitæ Continuatore Anonymo (77.) & Caſp. Thurmanno (78.) repetitum:

POLYHISTOR,
ſeu
De Notitia Scriptorum & Rerum Libri XII., quorum.

I. *Bibliothecarius*, de Re Bibliothecaria in univerſum, de Subſidiis ad Notitiam Autorum & Hiſtoriæ Literariæ parandam, Epiſtolarum, Vitarum, Locorum Communium, Scriptoribus.

II. *Methodicus*, de Pædagogia Regia & Vulgari, variis parandarum Scientiarum Methodis, tum legitimis, tum illegitimis, variis item Compendiis & Subſidiis Mnemonicis, Excerptis inſtituendis, &c.

III. *Grammaticus*, de Linguis variis, & illarum Scriptoribus Grammaticis.

IV. *Criticus*, de Critice in genere, Linguarum Græcæ ac Latinæ Autoribus, & Scriptoribus Criticis.

V. *Rhetoricus*, de Rhetoricis Scriptoribus, Oratoribus Antiquis ac Novis, Rhetorica Sacra & Civili, Pura & Arguta Dictione, Periodo, Epiſtolis, varioque ad omnem Eloquentiam Apparatu.

VI. *Poëticus*, de Poëtis Græcis ac Latinis, in quo etiam varia ad Poëſin Adminicula, & Latinitatis Poëticæ Inventionumque Poëticarum Lexica, ac plurima alia, nova quadam ratione, proponuntur.

VII. *Philoſophicus*, de Scriptoribus Philoſophicis, Antiquis & Recentioribus, Scholaſticis imprimis, pro Sectarum varietate, Metaphyſicis, Logicis.

VIII. *Phyſicus*, de Sectis Phyſicorum, Antiquis & Recentioribus, Specialium item Argumentorum Scriptoribus, & noſtrorum Temporum Inventis.

IX. Ματαιότεχνος, de Artibus Vanis, Superſtitioſis & Dæmoniacis, earumque Propagatoribus & Scriptoribus.

X. *Mathe-*

(77.) *In Append. Diſſertt. Acad. p. 31-32.* (78.) *in Elogiis Morhof., ibid. p. 58. 59.*

X. Mathematicus, de Matheſeos Diſciplinæ Scriptoribus, præcipue iis, qui poſt Voſſii & Riccioli tempora innotuerunt, variisque noſtrorum temporum Inventis.

XI. Practicus, de Philoſophiæ Moralis, Civilis, Oeconomicæ, Scriptoribus, variisque ad Societatem Civilem felicius tuendam Adminiculis.

XII. Hiſtoricus, de Scriptoribus Hiſtoricis, illisque cum fructu tractandis.

Opus e *XX.* Annorum Laboribus Academicis collectum,
& ad omnes Artes ac Diſciplinas accuratius noſcendas
ac tractandas utiliſſimum.

Appendicis loco addetur *Diſſertatio de Germanorum
in Rem Literariam Meritis.*

XCII. Ab hoc Schematiſmo, quoad Ordinem, uti a Vitæ Continuatore (79.) jam eſt monitum, paululum deinde Noſtrum receſſiſſe, oſtendit Sciagraphia Operis, in tres Tomos dividendi, Recentior, quam *Præfationi* duorum priorum *Polyhiſtoris Literarij* Librorum A. 1688. hiſce verbis inſeruit: *Totum Opus a me in Tres Tomos tribuetur, quorum Primus Polyhiſtoris Literarij, Secundus Philoſophici, Tertius Practici Titulo appellabitur. Nunc Prima Pars Tomi Primi, atque adeo duo Libri, Bibliothecarius & Methodicus, in lucem prodeunt, quos ceteri ſuo ordine & tempore ſequentur, & quidem in Polyhiſtore Literario Liber Grammaticus, Criticus, Oratorius & Poeticus, in ceteris Tomis reliquæ Philoſophiæ Partes.* Sed nec iſti Sciagraphiæ ita arcte inhæſit, quin Excerptorum Doctrinæ, *Libro Polyhiſtoris Literarij Secundo* tradendæ, peculiarem deinde tribueret, Tertium ſcil., ſive *παρασκευαστικὸν*, poſt Fata Autoris A. 1692. editum, atque ita Tomum Primum Libro Septimo augeret. An Capita Tria Commentationis *de Notitia Autorum ἀνεκδότου* ultima, de Scriptoribus agentia Theologicis, Juridicis & Medicis, *Polyhiſtoris* ſui partem eſſe voluerit, haud immerito dubites, cum nullam plane illorum, in Schematismis modo laudatis, fecerit mentionem.

XCIII. Lucem hactenus publicam vidit Pars tantum Operis hujus Tripartiti perexigua, Tomi ſc. Primi, ſive *Polyhiſtoris Literarij*, Libri III. Priores. Quos inter *Primus* atque *Secundus*, *Bibliothecarius* nempe ac *Methodicus*, ab Autore ſuperſtite Lubecæ A. 1688. *in 4to* ſunt editi, &, adjecto Tertio (de quo mox dicetur), præfixaque Joh. Burch. Maji, Profeſſoris Kilonienſis, Præfatione nova breviori (in qua ſuos in Opus Morhofianum Indices, ſeorſim edendos, promiſit), ſubjuncta vero Matthiæ Henr. Burchardi *Or. Funebri*, Autori habita, auctiores (uti Titulus jactat) ibidem A. 1695. *in 4to* recuſi. Bibliothecarius *XXV.* abſolvitur Capitibus, quorum I. agi de Polymathia, II. de Hiſtoria Literaria, III. de Bibliothecis, earumque erigendarum cauſis, IV. de Bibliothecarum erigendarum Mediis atque Ornatu, V. de earundem

(79.) *l. c. p.* 37, 38.

earundem Ordine atque Everſionibus, *VI.* de Bibliothecariis, & Notitia Bibliothecaria paranda, *VII.* de MSStis, *VIII.* de Libris Damnatis, *IX.* de Pſevdonymis, Anonymis & Plagiariis, *X.* de Libris Myſticis & Secretis, *XI.* de Libris Phyſicis Secretioribus, præcipue Chymicis, *XII.* (de quo §.74. dicta conferantur) de eo, quod in Diſciplinis eſt divinum, *XIII.* de Collegiis Secretis, *XIV.* de aliis Eruditorum Societatibus, *XV.* de Converſatione Erudita, *XVI.* de Scriptoribus ad Rem Librariam & Hiſtoriam Literariam pertinentibus, *XVII.* de Scriptoribus Bibliothecariis, *XVIII.* de Catalogorum Scriptoribus, *XIX.* de Vitarum Scriptoribus, *XX.* de Fructu Hiſtoriæ Literariæ, XXI. & XXII. de Locorum Communium Scriptoribus & Polygraphis, XXIII. & XXIV. de Epiſtolarum Scriptoribus, XXV. de Epiſtolis Eruditorum Ineditis. *Liber II., ſive Methodicus,* Capita XVI. complectitur, quorum I. de Ingeniorum commentatur Delectu, II. de Scholis, Bonarum Mentium Officinis, III. de Facultatum Animi Subſidiis, IV. de Subſidiis dirigendi Judicii, V. de Arte Lulliana, ſimilibusque Inventis, VI. de Memoriæ Subſidiis, VII. de Methodis Studiorum variis, VIII. de variis in doctrina paranda Compendiis, IX. de Methodo Linguas, Latinam præcipue ac Græcam, diſcendi, X. de Curriculo Scholaſtico, XI. de Curriculo Academico, XII. de Pædagogia Regia, XIII. XIV. & XV. de Exercitationibus in Oratione Soluta, quarum Exempla Imitatione expreſſa adjiciuntur, XVI. de Exercitationibus in Oratione Ligata. Pleniorem Argumentorum Libri Utriusque Recenſum, & aliquam ſimul Operis totius affecti, e Præfatione, σκιαγραφίαν, plerique Scriptores Ephemeridum Literariarum Moderni in Penſis ſuis exhibuerunt Menſtruis, Lipſienſes ſc. *in Actis Eruditorum*, *M. Oct. A.* 1688., *p.* 564-568., Pariſienſes *in Diario Erud.* Gallico *A.* 1691., *num.* 38. & 39., *p.* 671-692., Parmenſes (a Pariſienſibus laudati) *in Diario Eruditorum Italico* (*Le Giornal de Letterati*) *An.* 1689., *num.* 9. Pet. Bælius *in Novellis Reip. Literariæ Gallicis*, *M. Majo A.* 1688., *p.* 575. 576., Henr. Basnagius *en l'Hiſtoire des Ouvrages des Sçavans*, *M. Jun. A.* 1688., *p.* 158-178., Joh. Clericus *T. XIII. de la Bibliotheque Univerſelle & Hiſtoriq.*, *M. Apr. A.* 1689., *p.* 1-39., Chr. Thomaſius *in Cogitatis de Libris Recentioribus Joco-ſeriis Menſtruis*, Germanice editis, *M. Aug. A.* 1688., *p.* 275-289., & *M. Nov. ejusd. Anni ferme integro*, *p.* 583. & *ſeqq.*, Wilh. Ern. Tenzelius in *Dialogis Menſtruis*, itidem Germanicis, *Anni* 1689., *M. Jan. p.* 4-115., & *M. Mart. p.* 254-303., ac Joh. Gröningius (ſi jungi is, præter Capitum Indicem vix quicquam ſuggerens, modo enumeratis meretur), *Tomo I. Relationum Reip. Literariæ*, A. 1702. edito, Sect. I., *Relat. II. & III. p.* 11. 12. 13. 14. Quos, ὁμοθυμαδὸν de Libris his Morhofianis honorifice differentes ac judicantes, quibus plura de illorum Inſtituto ac Methodo addiſcere volupe eſt, conſulant.

XCIV. Duobus hiſce Libris, ab ipſo Autore luce donatis publica, Anno ab obitu ejus proximo acceſſit *Tertius* ejusdem *Tomi Primi*, *vel Polyhiſtoris Literarij*, ſive παρασκευαστικός, XIII. is Capitibus, non de Exerpendi ſolum

ratione in genere, ſed Specialibus etiam Excerptis, Phraſeologicis, Lexicis, Criticis, Exegeticis, Antiquariis, Oratoriis quadruplicibus, Poëticis, & ad Diſciplinas pertinentibus, adjectis plerorumque Exemplis, commentatur, ac, ſub *Partis Secundæ Polyhiſtoris* Titulo minus accurato, Lubecæ, A. 1692. in 4to, cum Henr. Muhlii Epicedio, Manibus Morhofianis Sacro, eſt excuſus, ibidemque, una cum Libris II. præcedentibus, A. 1695., ſeorſim autem A. 1698., recuſus.

XCV. Partes *Polyhiſtoris* reſiduas, Tomi ſcilicet Primi Libros IV. Poſteriores (Grammaticum, Criticum, Oratorium & Poëticum), Tomosque Secundum & Tertium integros, Philoſophiæ, ejusque Diſciplinis, Theoreticis pariter atque Practicis, Logicæ item, Artibus Divinatoriis Magicisque, & Hiſtoriæ, dicatos, quod attinet, in lucem quidem illæ, cum Autor moribundus fieri id permiſerit, e *Prælectionibus* de *Notitia Autorum* &, quæ jungendæ his ſunt, *Polyhiſtoricis*, proferentur, verum (ſi Reliquias *Tomi I.*, prælo jam a Lipſienſibus, uti mox indicabitur, paratas, excipias) neutiquam ea, quam & Argumenti Dignitas exigit, & ab Autore Orbis Eruditus expectavit, vel ἀκριβείᾳ, vel perfectione, Lectoribus ſe commendabunt. Cum enim Prælectiones iſtæ Academicæ extemporaneæ maximam partem fuerint, nec eo ſtudio, quod Monumenta Literaria, publicæ luci deſtinata, exigunt, elaboratæ, ſed minore, uti fieri ſolet, cura e ſolius ferme memoriæ penu depromptæ, & Auditoribus dictitatæ, Autor vero moribundus, in Colloquio cum D. Achille Daniele Leopoldo familiari, inſeri atque addi ſuis quicquam, quod ſuum non eſſet, ab Editoribus vetuerit, non poterit ſane ab his (niſi Lipſienſium exemplo, Voluntatis illius ultimæ ſint incurioſi) ullo evitari pacto, quo minus juſta paſſim accuratio, ſæpiſſime autem plenior de Argumentis nobilioribus, nec mutila adeo ἐργασία, a Cenſoribus rigidis, in iſtis, & Jure quidem, deſideretur. Non tamen, ob nævos iſtos, luce publica cenſendæ ſunt indignæ, ſed Opus potius utiliſſimum, morte Autoris immatura interruptum, a Viris Eruditis ea, quam Voluntas hujus Ultima permittit, diligentia, emendatis Lapſibus, & Autoris Mnemonicis, & Auditorum (quorum ſolæ ſuperſunt Scriptiones, Hypomnematis paſſim Marginalibus a τῷ Μακαρίτῃ auctæ atque illuſtratæ, nullum autem ipſius Αὐτόγραφον) Graphicis, ſatis numeroſis, Supplementisque neceſſariis ſeorſim, ſub finem paginarum ſingularum, Scholiorum inſtar, adjectis, pertexi meretur & continuari.

XCVI. Exantlare hunc Laborem, in Orbis Literati gratiam, Henr. Muhlius initio decreverat, Morhofii & Diſcipulus, & in Profeſſione Poëtica Kilonienſi Succeſſor, uti, præter Celeberr. Tenzelium, Literis ipſiusmet ea de re certiorem redditum (80.), ac Bibliopolam, qui ſuis A. 1692. ſumptibus *Librum Tertium Polyhiſtoris* edidit *Literarii*, Lubecenſem (81.), Frid. Bened. Carp-

(80.) *in Dialog. Menſtr. Germ., M. Sept. A. 1691. p. 807. 808., & M. Jul. A. 1692. p. 603.* (81.) *in iſtius Præfatione.*

Carpzovii,Senatoris Lipſienſis, de Literis optime meriti, ac mihi, dum viveret,amiciſſimi,Epiſtola, Non.Oct. A.1691.exarata, hiſce me verbis edocuit: *De Polyhiſtoris continuatione ſollicitus erit Henr. Muhlius, qui me certum eſſe juſſit, in Literas jam ab Autore integrum hunc Librum eſſe miſſum.* Poſt Muhlium,quem Occupationes Munerum diverſorum multiplices, aliæque inſuper cauſæ, promiſſis ſatisfacere non patiebantur,Continuationis iſtius curam,ab Hæredibus Autoris Anno circiter 1694. ſibi commiſſam, Joh.Burch.Majus in ſe ſuſcepit, Athenæi Cimbrici Rhetor atque Hiſtoricus, & in gemina hac Profeſſione Morhofii itidem Succeſſor. Cum vero & ille,nova Librorum, jam antehac excuſorum, Editione, A.1695. cum ſuo publicata Prooemio, contentus, Partem reſiduam ἀνέκδοτον, ob cauſas mihi ignotas,negligeret, itum eſt tandem a Bibliopola ad Polyhiſtorem Lipſienſem modo laudatum, Frid.Bened.Carpzovium, Virum de Commodis Reip. Literariæ promovendis aſſidue ſollicitum, & Morhofii Morhofianorumque omnium amantiſſimum. Is, qua erat humanitate, ut pertexendi Operis curam gereret,facile ſe paſſus exorari,cum ipſemet Labori huic vacare non poſſet, Juveni Erudito (quem M.Joh.Frickium, Ulmenſem, Collegii Lipſienſis Philoſophici Aſſeſſorem, e Diatribis aliquot Academicis, luculentis variæ Autoris ſui Doctrinæ Teſtibus, mihi cognitum, fuiſſe, ab Amico ſum edoctus)eum ſuis exantlandum auſpiciis demandavit. Factum hoc Annis 1698. & 1699., quibus publice etiam *Novorum Literariorum Lubecenſium* Collectores (82.), & Vitæ Morhofianæ Continuator (83.), *Polyhiſtoris* Partium reliquarum Editionem a Lipſienſibus, & *Viro* hos inter *Magno*, *deque Re Literaria dudum meritiſſimo*,expectandam eſſe ſignificarunt. Et dextre ſane atque præclare Frickius,ductum ſecutus Carpzovianum,ſuo functus eſt officio, Libroſque *Polyhiſtoris Literarii* Quatuor Poſteriores (ulterius enim, ſive ob mortem Carpzovii, Eruditis omnibus luctuoſam, ſive alias ob cauſas, telam Continuationis cœptæ haud pertexuit, ac perperam proinde a τῷ δεῖνα, meam de *Helmoldo Diatriben*, cum Lubecæ haud ita pridem excuderetur,temere interpolare aggreſſo, §.1., *Morhofiana omnia ſtudio Carpzovii in ordinem eſſe redacta*,traditum), e Schedis ſive Prælectionibus defuncti Academicis, ſedulò pariter atque judicioſe congeſſit, & in congruum redactos ordinem Bibliopolæ Lubecenſi transmiſit. Primus horum, qui *Polyhiſtoris Literarij* eſt Quartus, & *Grammatici* Titulo ab Autore donatus, Capitibus conſtat XIV., quorum I. de Linguis agit & Scriptura in genere, II. de variis Scripturæ modis, III. de Lingua Univerſali & Primæva, IV. de Vulgaribus Europæis, V. de Orientalibus, VI. de Græca, VII. de Lexicographis & Gloſſariis Græcæ Antiquioribus, VIII. de Lexicographis ejusdem Recentioribus, IX. de Lingua Latina, X. de illius Grammaticis, *XI.* autem, *XII. XIII.* & *XIV.* de Latinis Ætatum Aureæ, Argenteæ, Æneæ & Ferreæ, Autoribus. Liber V., ſive *Criticus*, duo tantum Capita

(82.) *M. Mart. 1698. p. 47.* (83.) *in Append. Differtt. Acad. p. 28.*

de Scriptoribus Criticis & Antiquariis continet. Sextus, ſive *Oratorius*, IV. Capitibus, 1. Scriptores Rhetoricos, 2. Oratores antiquos, & ſolos quidem ferme Græcos (quod Latinorum Hiſtoria Lib. IVto, inter hujus Linguæ Scriptores, jam eſſet propoſita), 3. Oratores Recentiores, 4. Rhetores & Oratores Sacros; Septimus autem, ſive *Poëticus* tribus Capitibus, 1. Scriptores Artis poëticæ, 2. Poëtas Veteres Græcos, 3. Poëtas Recentiores, partim celebrat juſtisque ornat laudibus, partim Virgula perſtringit Cenſoria. Unum iſtud forte haud immerito deſideres, quod Continuationis hujus Collector, ultimæ Morhofii Voluntatis, ſive ignarus, ſive immemor & incurioſus, Textui Autoris Auctaria atque Supplementa, vel ſua, vel Carpzoviana, eaque crebra ſatis & copioſa, ubique ita immiſcuerit, ut Lectorum, qui Prælectiones Autoris non viderunt MSStas, nemo hæc ab iſto queat diſcernere, & ſuum cuique vindicare. Libri ſane Sexti Caput Secundum de Græciæ Oratoribus, & Septimi Alterum de ejusdem Poëtis, tota Continuatori Lipſienſi debentur, cum nihil ferme de utrisque, in Prælectionibus Morhofianis, mancis hic atque imperfectis, ſit annotatum. In ceteris autem Capitibus Libri imprimis Quarti, *Grammatici* (in ſequentibus enim parcior talium occurrit ſeges), Supplementa iſta tantundem ſæpe ſpatii, quantum ipſe Textus, imo plus interdum, occupant. Erudita omnia eſſe fateor, & Nomine Morhofiano adeo haud indigna, ut Autoris ipſius Commentationibus extemporaneis præferri ſæpe mereantur, imo & ad Notitiam Autorum, de quibus agitur, plenam atque accuratam neceſſaria. Præſtitiſſet tamen, me Judice, ſeorſim illa Textui ſubjungi, tum ut Morhofii ſatisfieret deſiderio, tum ut a Lectore quovis, quid huic, quid item Continuatori, debeatur, accurate poſſet dignoſci. Lucem iſta Continuatio, a me, Bibliopolæ Lubecenſis rogatu, reviſa, paſſim emendata, in Paragraphos diſtincta, Capitum ſingulorum instructa Summariis, & Hypomnematis Hiſtorico-Criticis ſubitaneis ſubinde illuſtrata, una cum Libris Tribus *Polyhiſtoris Literarij* prioribus, ſimul tertia vice recudendis, & Hypomnematum aliquot meorum acceſſione itidem locupletandis, propediem videbit publicam. Accedent mea hæc in Opus totum Prolegomena, Vitæ ſimul & Scriptorum Autoris Hiſtoriam cum Judiciis Eruditorum de illo pariter atque hiſce honorificis, complexa. Quatuor hos Tomi I. Libros reſiduos Tomi duo *Polyhiſtoris* Poſteriores, *Philoſophicus* (in Quinque Libros, Philoſophico-Hiſtoricum, Metaphyſico-Logicum, Phyſicum, Mathematicum & Ματαιότεχνον commode diſpeſcendus) & *Practicus* (Libris Sex vel Septem quæ Ethicam, Politicam, Oeconomicam, Hiſtoriam, Theologiam, Jurisprudentiam & Medicinam, illuſtrant, exhibiturus), reviſi quidem accurate atque emendati, nullibi autem (ut voluntati Autoris ultimæ ſatis fiat) interpolati, ſuo tempore ſequentur.

XCVII. *Morhofium Illuſtratum, ſeu Commentarium in ejus Polyhiſtorem*, Chriſt. Matthæus Kneſebeckius, JCtus, in *Prodromo Juris Publici Univerſalis*, A 1700.

A. 1700. Roſtochii edito (84.), *Polyhiſtorem* autem *Bibliothecarium*, ſive *Theſauri Polyhiſtorico-Legalis Librum I., ea Methodo adornatum, ut ſimul vice Supplementi in Morhofii Polyhiſtorem commode eſſe queat*, Joh. Gröningius, Wismarienſis, J. U. D. Regiique in Urbe Patria Protodicaſterii Advocatus & Referendarius, in Catalogo ejusdem Anni 1700. Nundinali (85.), promiſit. De Kneſebeckii Opere, ubi Lucem illud viderit, ferri poterit Judicium. Gröningius, promiſſis ſatisfacturus, Anno 1702. Hamburgi *in 8vo* edere cœpit *Tomum I. Relationum* ſuarum *Reip. Literariæ, ſive Apparatus ad Hiſtoriam Scientiarum & Artium Notitiam Univerſalem Celebriorum Autorum, Epiſtolas, Diplomata & Obſervationes, maxime Antiquarias & Phyſico-Mathematicas, cum Figuris Æneis, ea exhibituri Methodo ac Inſtituto, ut ſimul vice Supplementi in D. G. Morhofii Polyhiſtorem eſſe poſſit.* Inſtituti ſui rationem, in Proœmio, hiſce Verbis exponit: *Promiſi jam ante biennium, in Catalogo Lipſienſi, Faſtos Rei Literariæ ſeu Continuationem Polyhiſtoris Morhofiani. Quo ipſo neceſſitas quædam mihi impoſita datam fidem Specimine quodam liberare. Verum, ne Varietate & Multitudine rerum quod aliis accidit, forte obruar, rectius me facturum credidi, ſi omnia in compendium contraherem, & primo quidem Relationes ſeu Apparatum, diverſis Tomis, ſtatisque temporibus, divulgarem, & ex eo poſtea Hiſtoriam ipſam, in brevi quaſi tabula pictam (quæ ad Relationes iſtas perpetuo ſe referet, tanquam Referens ad Relatum), Methodo Styloque Hiſtorico deſcriberem.* Adeo autem præclare de labore hoc ſuo ipſemet judicat, ut Relationes iſtas σποραδικὰς, exiguo licet ſelectu congeſtas, ac in plerisque Scientiis nihil novi in medium afferentes, ſed ab aliis dudum occupata, & ne quidem plene ſatis aut accurate, iterantes, Lectori ſe Varietate, Utilitate & Novitate Rerum, magis quam Polyhiſtorem Morhofianum, eſſe commendaturas, ſperare audeat. Quo tanto hiatu an dignum aliquid Promiſſor hic, Morhofio Cive, ni fallor, quod ad ingenium, Judicium, Styli nitorem, & Eruditionem variam atque elegantem, attinet, paulo inferior, attulerit, aliorum eſto judicium.

XCVIII. Expoſita hactenus ſatis prolixe *Polyhiſtoris* Morhofiani Hiſtoria, Judicia etiam Virorum Eruditorum de eodem, ac Libris imprimis Tribus jam editis ſubjungemus, ſed, brevitatis ſtudio, pauca tantum ex plurimis. Elogium, quo LIPSIENSES, in Recenſu illius, Actis Eruditorum Anni 1688. (86.) inſerto, eum dignati ſunt, perquam honorificum, §. 34. maximam partem jam recitavimus. Addi tamen *h. l.* merentur, quæ ſub finem Recenſus ejusdem (87.) occurrunt: *Omnia, quæ affert* Autor, *ea Sermonis elegantia, & multijugæ Eruditionis Apparatu, inſtruit ac exornat, ut a Lectione hujus Libri nemo adeo ſatur receſſurus ſit, quin reliquas partes Operis univerſi, quod animo Auctor doctiſſimus deſtinavit, quamprimum conſpicere avide expetat.* CHRIST. THOMASIUS, in Cogitatis de Libris Recentioribus Jocoſeriis, Germanice publicatis (88.), ſuam de eodem ſententiam verbis expromſit ſequentibus: Ich

 muß

(84.) *pag. 66.* (85.) *V. Catal. Nund. Lipſ. A.* 1700. *Vernalium p. 66.* (86.) *M. Oct. p. 564. 565.* (87.) *p. 568.* (88.) *M. Aug. A. 1688. p. 275.*

muß bekennen / daß mich des Herrn Morhofs ſein Polyhiſtor unvergleichlich afficiret hat / daß ich/ bey deſſen Leſung öffters geſeufftzet und beklaget habe / daß nicht jede von unſern Teutſchen Academien zum wenigſten einen Morhof hat. Et paulo poſt (89.): GOtt laſſe dieſen gelehrten Mann ſo lange leben / bis er die höchſtlöbliche und nützliche Arbeit vollendet hat. Vielleicht wird dadurch der Weg gebahnet / durch welchen die Pedanterey und Unwiſſenheit / die ſich bißher / unter der Larve einer anſehnlichen und graviträtiſchen Gelahrtigkeit / in die Academien eingeſchlichen / und das Directorium geführet / ihren Abzug hinwiederum zu nehmen gezwungen wird. Ich habe nur den tauſendſten Theil / oder / ſo zu ſagen / die kleineſten Atomos / von dem / was gut und gelehrt in dieſem Polyhiſtore iſt / angemercket. Es iſt keine Seite / ja faſt keine Zeile nicht / im gantzen erſten Buche / daraus nicht eine verwunderſame Gelahrtheit dieſes Mannes hervorleuchtet. Wann ſein Polyhiſtor fertig iſt / ſo dürffen wir den Frantzoſen mit ihrem Baillet die Spitze bieten / &c. Wilh. Ern. Tenzelius his Opus iſtud laudibus, in Dialogis Vernaculis Menſtruis, dignatur (90.): Ich habe ſolches Buch ſchon mehr als einmahl durchgeleſen / und gefällt mir je länger je mehr / ſo daß ich glaube / der bekandte Vers / wenn er jemahls wahr geweſen iſt / wird hier am gewiſſeſten erfüllet: *Lectio lecta placet, decies repetita placebit.* Denn ſo offt ich den Polyhiſtorem anſehe / ſo offt lerne ich etwas mehr daraus. *Et p.*153.: Dis Buch iſt von ſolcher Importanz, daß man unter tauſenden nicht eines finden würde / daß demſelben gleich käme. Hiſce Ephemeridum Germaniæ Literariarum Scriptoribus Belgicarum Autor, Pet. Rabus (91.), eſt ὁμόψηφος ita inquiens: Zijn (Morhofii) Boock / *Polyhiſtor Literatus*, waarin hy van Schrijvers en Boockzaken berigt gaf / tot behülp van een volslage Letterkünde / was alleen magtig hem tot Hoofdmann van't Gilde der Boockwijzen te verhelpen; als ziinde een wiſſe Proef von ziin Bedrevenheid in allerley Oude en nieuwe Schriften / waarnit men kan komen tot de Kenniſſe van al / wat in't gemeen beſt der Geletterden omgant / en vor wetgierige Zielen noodig iß te weten. Veel heb ick ut dat Werck geleert / buiten Twiifel oock zeer veele met my: en gedenck ick dickwils an de Woorden von zeker geleerd Profeſſor, dat he de beſte Anlegging von ziine Boockoffeningen het gezeide Boeck van Morhof alleen danck wiſt. Similia Ephemeridum, quibus Polyhiſtoris Morhofiani Recenſus inſertus eſt, Exoticarum, §. 93. enumeratarum, de illo Judicia, prolixitatis tædio, non vacat exſcribere. Sed nec alii Viri Eruditi, a quibus obiter is tantum in Scriptis ſuis eſt allegatus, quanti illum facerent, diſſimularunt. Vicentio Placcio (92.) *Eruditiſſimus* ille audit, *Doctiſſimus*, *Curioſiſſimus*, *Elegantiſſimus & ſummo Reip. Literariæ bono editus*, *Lectu digniſſimus*, ac (93.) *curioſæ raræque doctrinæ pleniſſimus*, Henn. Wittenio (94.) *Opus Incomparabile*, Jac. Wolfio, Prof. Medico Jenenſi (95.), *Limatiſſimus*, Joh. Bilbergo, Mathematico Upſalienſi (96.), *Elegantiſſimus*, Georg. Henr. Götzio (97.) *Scriptum Eruditum, & ab Eruditis hactenus, ut meretur, magnificis celebratum laudibus*, Joh. Alb. Fabricio (98.) *Liber, quo nihil noſtra memoria prodiit eruditius.* Commendatur præterea honorifice (ut Encomiaſtas obſcuriores taceamus) ab Henr. Meibomio Jun., *locis Additamentorum ad Val. Henr. Vogleri Introd. in Notit. Bon. Scriptt. compluribus*, Nicol. Chriſtoph. Linckero, JCto Jenenſi, imperfectum eum eſſe, ob mortem Autoris, dolente, in *Inſtructorii Forenſis Introitu* (99.), Eraſmo Franciſci, *in Scripto contra M. Joh. Mat-*

(89.) *p.*288.289. (90.) *M. Jan. A.*1689. *p.* 4. (91.) im Boockzaal van Europa, *M. Sept. & Oct. A.* 1699., *p.*252.253. (92.) *in Lib. de Arte Excerpendi p.*3.11.17.19.20. (93.) *in Invitatione ad Anonymos ſuos augendos p.* 7.8. (94.) *in Præf. Tom. I. Diarii Biograph. Sec. XVI.* (95.) *in Progr.* Αὐτοδίδ. *p.* 6. (96. *in Aphor.* Miſcell., *A.* 688., editis (quos C. Thurm. *in Elog. Morh. p.* 52. allegat) *p* 4. (97. *in Diſſ. de Lect. Cic.*, §. 3., *p.* 9. (98.) *in Dec. Scriptt. Recent. n.* I. (99.) *lit. D.* 1. *b.*

Matthæum Vernaculo (100.), aliiſque pluribus, partim jam a Caſp. Thurmanno, in *Elogiorum Morhofianorum Sylloge* ac *Bibliotheca Academica* (1.), allegatis, quos illaudatos præterire, ad finem Schediasmatis hujus adſpirantes, cogimur.

XCIX Nec tamen Operi, tot nacto Admiratores, ut nullum ejusdem generis aliud majori, noſtris temporibus, exceptum fuerit applauſu, ſui defuere Cenſores. Ipſi Duumviri, quorum laudes illius invidendas §. præcedenti recitavimus, Celeleberrimi, Chriſt. Thomaſius & Wilh. Ern. Tenzelius, in ſuis ejusdem Recenſibus, §. 93. allegatis, paſſim ab Autore, εὐκαίρως ἀκαίρως, diſſentiunt, nonnulloſque ſimul Errores ipſius Hiſtoricos detexerunt. Qualia παροράματα, in Hypomnematis etiam ad iſtud noſtris Hiſtorico-Criticis, quorum ſupra facta eſt mentio, ſubinde ſunt notata. Sed Nævi adeo exiles, a quibus nemo immunem ſe, quantacunque accuratione adhibita, in illius molis atq; Argumenti Opere, præſtabit, Faciei illius pulcherrimæ nullam conciliant deformitatem, faſſusque eſt, in Præfatione, ipſe Morhofius, *non pauca, vel a deſcribentis manu, vel ſua etiam feſtinatione, Sphalmata; fortaſſe etiam ἁμαρτήματα μνημονικὰ, quibusdam in locis irrepſiſſe, quæ, manum extremam poſcentibus Nundinis, non ſollicite adeo a ſe conſignari potuerint.* Majoris momenti eſt Ἔγκλημα, quo nonnulli nimiam Autori feſtinationem objiciunt, &, hujus vitio accurationem atq; concinnitatem debitam *Polyhiſtori* deeſſe arbitrantur, Celeberr. Tenzelius ſcilicet, qui (2) *miram* eum, ſcribit, *arguere properantiam*, & Nicol. Chriſt. Lynckerus, Anteceſſor Jenenſis, cui (3.) Liber Primus, ſive Bibliothecarius, *ſatis disjecta & inæqualis diſciplinæ eſſe* videtur. Ipſemet ſane haud diffiteor, Autorem, ſi otio abundaſſet neceſſario, Prælectionibus illis *de Notitia Autorum*, e quibus hoc Opus enatum eſt, extemporaneis limam paſſim adhibere potuiſſe accuratiorem, multaq; in *Polyhiſtore* plenius, multa exactius, multa dilucidius & ordine meliori, quam factum eſt, in Scriptorum præſertim & Argumentorum, de quibus diſſeruit, Hiſtoria, proponere. Verum enim vero, ut taceam, non fuiſſe ei propoſitum, omnia, quæ de ſingulis, vel Argumentis, vel Autoribus afferri poſſent, undecunq; corradere, ſed ſuas ipſius potisſimum, in quolibet Literaturæ genere, promere Obſervationes, propriaq; de Scriptoribus iſtorum, quos legiſſet, exhibere judicia, tot, cum Laborem hunc aggrederetur, curis premebatur atq; negotiis, tam afflicta ac dubia erat valetudine, tamq; exiguum ſibi videbat reſtare Vitæ ſpatium, ut Oceano adeo vaſto ſeſe committere, cupido etiam atq; volenti, haud fuerit integrum, imo hac quoque Methodo, quam elegit, compendiaria & minus exacta, vix tres priores Libros, ſtrenue licet opus cœptum urgenti, abſolvere licuerit. Ipſe cauſam ſuam, in *Præfatione*, verbis jam dixit ſequentibus: *Etſi multo elaboratius enucleatiusque Opus hoc dari poterat; neque enim, quam debebam, poteramq, aliis ſæpe rebus diſtentus, impendi curam; erunt tamen in illis, utut ſubito calore effuſis, non pauca, quæ juvare Juventutis ſtudia poſſunt, in quibus, ſi non accuratisſimi Judicis, ſaltem boni Judicis, munere defungar. Scripta ſunt hæc plane eo, quo Joach. Fortius libros ſcribi voluit, modo. Quæ hic chartis illevi, vix interdum relecta, Tabellario deportanda dedi, exſcripſit illa, ut a calamo venerant, Typographus. His ſæpe Academica & Domeſtica Negotia, Curæ familiares ex obitu cariſſimæ Uxoris, Valetudo non ſemper commoda, moras injecerunt, ut jam præcipitati, jam interrupti labores, rigidiori Examini & ulteriori limæ, locum non reliquerint.* Spectat huc & alterum Apologema, *Lib. I. c. 16. §. 1. ſeq. Nunc ad Autores ipſos perveniemus, quorum recenſionem non magno Apparatu & Pompa inſtituemus, ſed præcipua quædam de iis monebimus, quæ τῆς πολυμαθείας Studioſis imprimis profutura exiſtimamus.*

Neque

(100.) V. die gebrochene Spott-und Läſterpfeile M. Joh. Matthæi *p.* 429. (1.) *p.* 71. 72. (2) *in Dial. Menſtr. Germ. M. Febr. A.* 1689., *p.* 198. (3.) *in Inſtruct. Forenſis Introitu* §. 7., *lit. E.* 1.

Neque enim Nomenclatoris hic partibus fungimur, qui & Vitas, & tempora, & Libros Autorum, juſta ſerie recenſeat, quo labore alii defunguntur, ſed ad ſolum nos uſum reſpicimus, quem in cognitione rerum præfixum ſibi habere bonarum Literarum Cultores debent. Cum primum Scholis privatis illa proponeremus, pleraque, quæ in ſequentibus de Autoribus dicemus, ex memoria, ſine ullo Libro Commentario, aut operoſa meditatione, nobis depromta ſunt, ut optime norunt, qui tum illis interfuere. Non diſplicuit ille Viris Eruditis, utut extemporalis, Labor, qui ejus editionem ſæpiſſime urſere, & nunc quidem Juventutis præcipue commodo illa publici juris facimus, interjectis nonnullis, quæ ſub manu, cum illa concinnaremus, nata ſunt. Profeſſori Academiæ Batavicæ, qui, in Colloquio cum Henr. Muhlio, Belgium perluſtrante, familiari, tum multa alia in *Polyhiſtore* reprehendit, tum Methodum imprimis Veteres, in ſoluta pariter atque ligata oratione imitandi, *Lib. II.*, *c.* 13. 14. 15. & 16., commonſtratam, tanquam operam minutiorem, putidam ac ad pueros ablegandam, ſuperciliose notavit, a Celeberrimo Muhlio, in Præfatione *Operum* Morhofii *Poëticorum*, A. 1697. jam eſt reſponſum. Sed & ipſe Morhofius παρέκβασιν hanc ſuam (quam ſeorſim forte edi præſtitiſſet, niſi Autor omnium ſuarum Lectionum Academicarum Nucleum in *Polyhiſtorem*, mortem propinquam præſagiens, decreviſſet conſtipare) in *Præfatione* ita excuſat: *Ubi de Exercitationibus ago, copioſior in exemplis fui, quoniam e re juventutis, cui omnis mea Opera dicata eſt, fore credidi, ſi illa paulo plenius proponerem. Qua in re a peritis & æquis æſtimatoribus veniam me facile impetraturum confido.*

C. Studium Chymiæ nimium, quod *Libri I. Capita X. & XI.*, de Scriptoribus agentia Myſticis ac Chimicis ubiq; produnt, non à Tenzelio ſolum (4.), ſed & me ipſo, in *Homonymoſcopia*, quod, hujus vitio, in Scriptorum Veterum Chymicorum ψευδεπιγράφων adverſus Reineſium, Conringium, aliosq; Vindiciis, ſubinde cœcutierit, paſſim (5.) oſtendente, notatum, cum aliis Viris Magnis, Errore eodem amabili, ſive delectatis, ſive dementatis, Noſtro fuit commune, & vel hoc nomine excuſationem admittit. Huic Chymiæ Amori imputandum eſt etiam mitius, non de Paracelſo ſolum, aliisque in numerum Fanaticorum vulgo relatis, ſed Jacobo etiam imprimis Böhmio, Sutore famæ inter Theologos ambiguæ illiterato, ejusq; Scriptis Sacris, Judicium, *Lib. 1. c.* 10. §. 28., obvium, quod ab hujus Patronis, Frid. Breclingio (6.), Andr. Stübelio (7.), aliisque, honorifice paſſim allegatur, ab Eraſmo autem Franciſci, Adverſario ejusdem (8.), operoſe, partim in ſenſum detorquetur commodiorem, partim vero impugnatur. Verum hos aliosq; nævos, in Opere tantæ molis, Argumentiq; adeo diffuſi ac multiplicis, nemo Cordatus morabitur, aut in partem interpretabitur pejorem, ſed, *Homerum* etiam *quandoq; dormitare*, imo *fas eſſe in Opere longo ſomnum obrepere*, a Vate Venuſino edoctus, ſuum Autori πολυμαθεϛάτῳ, ſuum Volumini eximio, & tot Eruditiſſimorum quorumvis candidos promerito calculos, nihilominus ſtatuet pretium.

- - Ubi plura nitent in LIBRO, non ego paucis
Offendar maculis, quas non incuria fudit,
Verum humana parum cavit natura.

Quod ejusdem Lyrici Romani Judicium ſapiens te, L. B., mecum eſſe approbaturum, & grata mente poſthumos, qui in lucem jam prodeunt, Morhofii τῦ Μακαρίτυ Labores Polyhiſtoricos, etſi ultimam Autoris limam non expertos, perlecturum, nullus dubito. Scripſi Flensburgi Cimbrorum, exeunte Anno Æræ Chriſt. MDCCII.

(4) *in Dial. Menſtr. Germ. M Jan. A.* 1689, *p.* 45. & *ſq. ac M. Febr. p.* 197. 198. (5) *Sect. II. c.* 2., §. 17., *p.* 264., §. 18. *p.* 269 *c.* 3. §. 79. *p.* 351., *c.* 5. §. 35. *p.* 475. §. 70. *p.* 520., & *c.* 6. §. 83. *p.* 611. 612. (6) *in Anti-Calov.* (7) *in Append Jud. de Aug. Pfeifferi Scepticiſmo Spener. Germ. p.* 157. (8) in den gebrochenen Spott- und Läſterpfeilen M. Joh. Matthæi, Scripto A. 1692. edito, *p.* 427-431.

D. G. MORHOFI
POLYHISTOR LITERARIUS.
LIB. I.
BIBLIOTHECARIUS.

CAP. I.
DE POLYMATHIA.

§. 1. PRæfatio adhortatoria ad polymathiam. 2. Hominis animus πολυμαθείας *capax. 3. Artium liberalium omnium inter ſe cognatio. 4. Stoici mechanicas etiam eò referebant. 5. Hippias omnes artes callebat, 6. ut & J. C. Bottifanga. 7. Thevenotius Pandectas mechanicarum artium meditatus. 8. Artes liberales omnes perdiſcendæ. 9. Univerſalis ad illas* εὐφυία *datur, 10. quæ adverſus Bonnæum & Huartum aſſeritur eorumque objectionibus respondetur. 11. Una diſciplina, cui præ ceteris immoremur, ſeligenda eſt. 12. Intelligentia omnes diſciplinas peragrare, non autem opere ipſo exercere permittit humanæ mentis anguſtia. 13. Mediocria ingenia* πολυμαθείας *ſtudiô ſæpè abutuntur. 14.* Πολυμαθεῖς αὐτοδίδακτοι. *15. 16.* Αὐτοδίδακτοι *plerumque novatores, 14. in opinionibus pervicaces, 16. amœnitates in diſciplinis i. e. id potius, quod delectat, quam quod prodeſt, quærunt. 17.* Πολυμαθεῖς *iniquis calumniis impetiti. 18. Wouwerij Hamburgenſis laus, genus, 19. vindicatio à plagii crimine. 20. Budæi pro* πολυμαθείᾳ *& philologiâ ſtudium. 21. Creſollii inſana in Melanchthonem calumnia refellitur. 22. Scriptores* τῆς ἐγκυκλοπαιδείας. *23.* Πάνσοφοι *Academici muſtei an* πολυμαθεῖς. *24. Horum pernicioſiſſimus furor publicè meritò coërcendus.*

CUm divinam & humanam ſapientiam omnem veterum monumentis traditam ac ad poſteros propagatam habeamus, quorum præceptis ac doctrinâ intellectus noſter imbutus rerum aliquam notitiam ac prudentiæ ſibi vim acquirit: in id incumbendum omnibus eſt, ut natales ejus inveſtigent altius: primos illius autores magiſtrosque, ſuis quosque ætatibus, ſuâ docendi ratione diſtinctos exquirant; in bibliothecis latitantes in lucem 1

proferant: ſimilia quædam vel ad eorum ingenium, vel nova etiam à ſe excogitata ſcribant, & aliquem ſcientiarum complexum aut POLYMATHIAM animo com-
2 prehendant. * Neque enim ita in arctum compingendus eſt animus noſter, ut intra unam aliquam artem ſubſiſtat. Qui enim illud faciunt, iniqui profectò Judices, non perſpiciunt, quantum natura humani ingenii valeat: quæ ita agilis eſt & velox, ut ne poſſit quidem aliquid agere tantum unum, ſi Fabium audimus. Non audiendi ſunt homines imperiti, qui humanô ingeniô majorem, vel inutilem, & rebus
3 gerendis adverſam πολυμάθειαν criminantur. * Eſt ſcilicet quædam ſcientiarum cognatio & conciliatio, unde & ἐγκυκλοπαιδείαν vocant Græci, ut in unâ perfectus dici nequeat, qui ceteras non attigerit. Sellulariarum, vilium & ſordidarum artium alia ratio eſt, quibus nulla inter ſe eſt conjunctio; ex quarum ingenio liberales illæ cenſendæ non ſunt. Fabrilia qui tractat, impunè ignorare ſutoriam poteſt: At in liberalibus illis conſpirant omnes, manusque jungunt. In Architecto ſuo quid requirat Vitruvius, novimus. Nulla penè diſciplina eſt, quam ille non attingi velit. In Oratoribus & Poëtis, perfectis ſcilicet, ea omnia, quæ in Architecto ſuo
4 Vitruvius, requirunt earum diſciplinarum Magiſtri. * Et has quidem ſcientias artesque omnes ita congerendas in Philoſophum ſuum judicarunt *Stoici*, ut nec mechanicarum artium rudem eſſe voluerint, ac indignum eo crediderint, ſi aliorum miniſteriis ad vitæ civilis neceſſitates uteretur. Ut enim ille & dives, & Rex, &
5 nobilis; ita & Sutor, & Faber, & Piſtor ſibi erat. * Cujus elegans & feſtivum ab Apulejo in HIPPIA producitur exemplum, qui præter eximiam artium omnium ingenuarum cognitionem omnium opificiorum erat callentiſſimus. Nam quæ ſecum habebat, omnia ſua manu confecerat, & veſtes, & calceos, & annulum, & ſigna-
6 culum in gemmâ fabricatum. * Simile, imò majus, in JULIO CÆSARE BOTTIFANGA exemplum propoſuit Erythræus *Pinacoth. II. n. 17.*, qui præter ſingularem in omnibus artibus liberalibus peritiam femoralia, thoraces, ſibi ipſe formabat ſuebatque; omni inſtrumento Muſico non canebat ſolùm egregiè, ſed & illa melius quàm quivis alius artifex conficiebat; penicillo Pictores; acu pingendo Arachnen ipſam provocabat, ut mulierculis, quæ artem illam profitebantur, pudorem incuteret. Hos ſuo abundare ſenſu haud ægrè patimur, facilè virum ſapientem excuſaturi, ſi in opere fabricando corpus non fatiget, qui ingenio tamen operationum illarum rationes explora-
7 tas habere poteſt. * Sunt enim & Mechanicæ artes quaſi quædam naturalis ſcientiæ & diſciplinarum Mathematicarum propagines, quæ ornari, augeri earum beneficio poſſunt, omnesque ab hominibus ſapientiſſimis inventæ. Quarum accuratior hiſtoria & notitia Philoſopho non eſt indigna, magnis & præclaris contemplationibus occaſionem datura. Neque defuere, qui hunc quoque fundum ſibi excolendum ſumerent. Vir illuſtris & Itinerariis ſcriptis celeberrimus inter Gallos THEVENOTIUS vaſtum aliquod *de opificiis omnibus* Opus, velut quaſdam Naturæ & artis pandectas, moliebatur. Sed fata his laboribus interceſſerunt.

8 Veniamus ad diſciplinas elegantiores: ad quas junctim excolendas naturâ duce incitamur, ut extremo Viris pudori ſit in unâ aliquâ conſeneſcere. Autor non ignobi-

lis

lis Joach. Fortius Ringelbergius in *Encyclopædiâ* ſuâ illos in unâ tantùm arte excellere velle judicat, quibus major corporis quam animi cura. *Nullæ*, inquit, *fæminæ tàm ſunt à Muſis alienæ, quæ non unam diſcere queant: imò picas id efficere poſſe intra annos viginti, quos hæc hominum monſtra uni impendunt ſtudio, arbitror.* Veriſſimè ſanè ille: nam revocat ab iis ſtudiis corporis cura, quæſtus & parandarum opum ſtudium: cui qui ſunt immerſi, ad hunc omnia ſcopum dirigunt, & illos in ſe igniculos extinguunt. Quam cum doctiſſimus vitæ Pinellianæ Scriptor *Gualdus* cauſam adducit, quâ tam multi à ſolidis veriſque ſtudiis avocentur, Vincentium illum Pinellum ſuum, at quem virum! immenſis in cœlum extollit laudibus, qui ſpretâ omni illâ nundinatione & inanibus titulis, iis ſe dederit totum ſtudiis, unde immortalis illum gloria conſecuta eſt. Illud ſcilicet eſt, quod Lactantius lib. 1. de falsâ religione cap. 1. notat: *Magno & excellenti ingenio viri cùm ſe doctrinæ penitus dediſſent, quicquid laborum poterat impendi, contemptis omnibus & publicis & privatis actionibus, ad inquirendæ veritatis ſtudium contulerunt: exiſtimantes, multò eſſe præclarius divinarum humanarumque rerum inveſtigare ac ſcire rationem, quàm opibus aut honoribus cumulandis inhærere.*

Non dubium eſt, mediocribus etiam ingeniis hìc licere eſſe felicibus; multo- 9
rum etiam conatus in ipsâ herbâ ſupprimi, vel paupertate vel invidiâ: Sunt verò non rari, qui inter omnia illa obſtacula lacertos tamen erigunt, ſuô quodam geniô incitati, ſuis abrepti alis. Ineſt ſcilicet illis ὁρμὴ πρὸς πάντα μαθήματα, qualis ingenio magno convenit, & quale nobis Plato *lib. III. de republicâ* deſcribit. Eſt animorum noſtrorum, ſi ita loqui liceat, ὕψος, quo illi vel per naturam vel aſſuefactionem apti ſunt multa ſimul complecti, abſtrahere à ſingularibus, ſeque ab illo humili ſtatu in ſublimem perducere. Itaque ſe exerit in illo, quod ἀρχιτεκτονικὸν appellare poſſumus, aut ex Stoicorum diſciplinâ τὸ ἡγεμονικὸν, regio quaſi ſpiritu, & fulminis inſtar omnia penetrans, & ſuâ quâdam luce omnia perluſtrans. * Iſtam ad uni- 10
verſalia propenſionem Græcus Topicorum Interpres, qui Alexander Aphrodiſienſis vulgò habetur in *lib. 8.* vocat εὐφυΐαν ὅλως. Optimè quidem, ſed male illud: quod poſtponat propenſioni ad certam diſciplinam. Quâ in re tamen ὁμόψηφον ſibi *Huartum* habet, qui *in Scrutiniô illô ſuô ingeniorum*, unum hominem ad unam diſciplinam habere propenſionem naturalem exiſtimat: Cùm tamen & ratio ipſa totque exempla præclariſſimorum virorum oſtendant, poſſe dari tales, qui ad omnes artes ex æquô excolendas pari fuerint ingenio. Quod enim *Franciſcus Bonnæus in Tractatu de Ratione diſcendi* cauſam hujus ſententiæ illam dederit: quaſi ſcilicet in iis, qui ſint ὅλως εὐφυεῖς deficiat τὸ κριτικὸν, quod tamen planè neceſſarium, ne in varios errores labantur: id falſum eſſe demonſtrari facilè poteſt. Qui enim diſtinctas rerum ideas animo tenent; modo ſibi ſubordinatas, nec confuſas; illis non imminui, ſed augeri τὸ κριτικὸν, neceſſe eſt, quod ex conciliatione omnium partium reſultat. Major enim profectò ἀκρισίας metus eſt ab illis, qui circa ὡρισμένον μάθημα verſantur: qui plerumque ex illius indole, cùm ceterarum rudes ſint, omnia alia metiantur: ut ille apud Ciceronem Muſicus, qui animæ naturam demonſtraturus, Harmoniam eſſe di-

cebat, extra artis ſuæ limites non abiturus. Quod de Origene ille exemplum ad ſententiam ſuam ſtabiliendam proponit, nihil quidem probat: cum ingenii illius è Platoniſmo pullulantes errores imputari τῇ φύσει nequeant. Magnum profectò diſcrimen eſt, vel Ariſtotele autore 1. Met. extr. inter παιδείαν, quæ eſt περὶ πᾶν, & inter eam, quæ καθ' ἕκαστον, quæ neutiquam confundenda eſt. Fit plerumque ut ad dijudicanda multa aptos nos eſſe credamus, ſi in uno forte vel altero ingenium & induſtriam exercuerimus: vel ſi ad multa πεφυκότες aptique ſimus, ſingula nos bene tractare poſſe exiſtimemus. Sed in earum rerum contemperatione ingenii indoles ſemper inſpicienda eſt: quæ ubi ſe firmaverit, ita in illis verſabitur, ut à ratione & judicio, quod ex ipſâ rerum penſitatione reſultat, non facilè diſcedat.

11 Neque tamen id volo, ut qui omni incubuit diſciplinarum generi, in illis omnibus ſimul habitet; nam & tempore & negotiis, aliisque impedimentis excludimur, ut fieri à nobis non poſſit. Qvare occupabimus quidem totum hunc fundum animo, affectu, impetu: ſed convenientisſimam ejus partem quaſi limitibus quibusdam circumſcribemus, quam excolamus, & in quâ induſtriam noſtram exerceamus. Nam ſi Plutarchum περὶ παίδων ἀγωγῆς audimus, περιπλεῦσαι μὲν πολλὰς πόλεις καλὸν, ἐνοικῆσαι δὲ τῇ κρατίστῃ χρήσιμον. *Pulchrum quidem eſt circa multas urbes navigare, utile autem præſtantisſimam inhabitare.* Cui geminum eſt, quod habetur apud Nicolaum Damaſcenum in *Excerptis Peireſcianis pag. 416.*, & apud Suidam in voce Νικόλαος Δαμασκηνός: *Diſciplinarum orbem ſimilem,* ille ait, *eſſe peregrinationi. Nam quemadmodum iis, qui longam peregrinationem ſuſceperunt, uſu venit, ut in quibusdam diverſoriis prandendi cauſâ commorentur, in aliis pernoctent, & in nonnullis quidem locis pluſculos dies conſiſtant, alia verò obiter tantùm ac prætergredientes adſpiciant, tandem autem reverſi in ſuis penatibus degant: ita etiam eos, qui literis operam navant, in quibusdam brevius, in aliis immorari diutiùs oportere, & has quidem integras perdiſcere, illas verò duntaxat delibare, tandem ad unam, tanquam ad patriam ac lares, reverſos conſidere.*

12 Vidimus magnos Viros, qui magnos ex unâ ſcientiâ fructus referre potuiſſent, dum omnes ſectantur, ne unam quidem ita aſſecutos, ut inſignem ſibi ex illâ gloriam reportarint. Ut prudentiùs omninò faciant, qui ſingulis exploratis & depromtis è communi pharetrâ telis, ad unum aliquem ſcopum contendant. Excludit ipſa ſcientiarum vaſtitas hoſpites ſuos: qui nusquam habitabunt, nusquam domi erunt, ſi ubique habitare volent, aut levi tantùm percurſatione plurima attingent. Cùm enim duobus illis omnes contineantur diſciplinæ, *exercitio* & *intelligentia*; hæc quidem communicari cum aliis poteſt; ſed illud, cum in opere ipſo verſetur, totum ſibi hominem vindicabit. Intelligentiâ peragrare omnes diſciplinas ingenioſi homines poſſunt: ſed operari æquâ ratione in omnibus, mentis humanæ anguſtia non permittit: cum vel excellentisſima ingenia nunquam ita plures complexa ſint ſcientias, ut non in aliquibus defecerint: quod M. Varronis, J. Cæſaris, Plinii, Origenis, Clementis Alexandrini, Hieronymi, Auguſtini, Pici Mirandulæ, Matthæi Aquavivii, Scaligeri, Fracaſtorii, J. Baptiſtæ Mantuani exemplis *in doctiſſimâ de Encyclopædiâ Oratione* Tarquinius Gallucius probavit. Et hæc quidem omnia veriora erunt, ſi quis certo fine ſtudia ſua circum-

circumſcribat, ut vitæ neceſſitatibus conſulat: Illis enim ex utilitate definienda ſunt omnia. Quod ſi cui beatior vivendi ſors contigit, ut ad illa reſpicere non debeat, & illa ingenii efficacitas ſit ac ἐνέργεια, ut multitudine rerum ſe non obtundat, nihil prohibet in omnes partes verſare illam animi vim liberosque ſpiritus.

Mediocribus ingeniis, neque ad tàm magna natis, autor potiùs eſſem, ut ſecum 13
habitent, neque ea ſequantur, quæ adſequi per imbecillitatem ſuam nequeunt. Meminerint illa, infeliciter cum Gigantibus contendere Pygmeos. Illis enim affectata πολυμάθεια plerumque in inanem & ſtultam cedere loquacitatem ſolet. De illis verum eſt illud *Benedicti Menzini Florentini*, Viri doctiſſimi, in libello de literatorum hominum invidia c. 6. *Ego*, inquit ille, *ſi de recentioribus, iisque, qui altero ab hoc ſeculo ſcriptores floruere, ſententiam feram, adſirmare auſim, illos pauciora, ſed melius; hos verò plura, ſed deteriùs noſſe. Et verò ſic ſe habere etiam comperi, cum congerrones novi ſcribunt tantùm farragines, quas variæ literaturæ nomine cohoneſtare didicerunt. Scribunt imò potius exſcribunt, & Phorcidum is oculus eſt, quem mutuò accipiunt, atque omnes clariſſimæ aciei eſſe credunt, quos unius tantùm luminis uſus æquis viribus & diſpertito adjuvat beneficio.* Quò pertinet *Rolandi Mareſii*, Clariſſimi Viri, *in Epiſt. 46. lib. 1. & nonâ lib. 2.* querela, ubi multa de πολυμαθείας illo abuſu ſtolidâque oſtentatione diſſeruntur. Cujus doctæ frugis plenæ ſunt Epiſtolæ, & de omni re literariâ utiliſſima quæque tradunt.

Accedit, quod qui πολυμαθείας ſtudio primum ſe dederunt, ſi cerebroſiores 14
paululum ſunt & opinioſi, non facilè ad aliorum ſe conſilia in diſcendis artibus accommodant, ſed ſibi plerumque ſemitam ſapiunt. Accidit enim illis, quod plantis ſpontè provenientibus, quæ in ſylveſtrem naturam abeunt, cum nullâ culturâ coërcentur. Quô fit, ut dum aliorum contemnunt judicia αὐτοδίδακτοι, è pervicaciâ erroribus patrocinium quærant. Negare equidem nolim fuiſſe feliciſſimi adeò ingenii nonnullos, ut ſine Duce viam ad ſummum eruditionis faſtigium ingreſſi ſint, quemadmodum Citharædus ille Homericus *Odyſſ. 22. v. 347.* qui de ſe:

> Αὐτοδίδακτος δ' εἰμὶ: Θεὸς δέ μοι ἐν φρεσὶν οἴμας
> Παντοίας ἐνέφυσεν.
> *Ipſe autem à me ſum doctus. Deus enim in mentibus cantilenas*
> *Omnigenas inſevit.*

Nam & Heraclitus Epheſius, narrante Plutarcho, philoſophiam omnem, inter veteres, nullo doctore percepit; idemque de Manlio Equite Plinius, de ſe ipſo Auguſtinus gloriatur. E recentioribus Cujacio in Juriſprudentiâ, Budæo in humanioribus literis, Mureto in arte Oratoriâ, at quibus viris! ſummam ſine Præceptoris operâ perfectionem obtigiſſe, referente in diſſertatione *de ſtudio literali* Gabriele Naudæo, miraculo propius eſt. De ſe ipſo narrat Jovianus Pontanus, magnus & Poëta & Philoſophus, quod verſus facere, cœli curſum metiri, deſtitutus Præceptoribus didicerit, teſtante Paganino Gaudentio in ſuo *Inſt. Acad. Tit. de Promptitudine Profeſſoriâ.* Guilielmum quoque Poſtellum in linguarum penè omnium cognitione, Petrum Ramum in Philo-

ſophiæ ſtudiis, ſine Magiſtri adjumento rem omnem confeciſſe accepimus. Qui tamen & ſuâ quâdam intemperie acti fuerunt. Tanaquil Faber *part. 1. Epiſt. 49.* in Græcis ſe αὐτοδίδακτον eſſe, & ex eo curtam ſibi eſſe Helleniſmi ſupellectilem queritur.

15 Hærere tamen plerumque illis αὐτοδιδάκτοις ſolet, in philoſophicis præcipuè, inanis perſuaſio: dum veterum dogmata non ſatis aſſecuti κυρίας δόξας, pro Junone nu-
16 bem, amplectuntur. * Solet & illud his plerumque obeſſe ſtudiis, quod ſolidas integrasque diſciplinas haurire moleſtum ſibi ducentes οἱ πολυμαθεῖς, amœnitates illarum, quod ligurientium eſt, quærere tantùm conſueverunt; de quo jam ſuô tempore Plinius. Ab illo enim amœnitates ſtudiorum vocantur, quæ ornant potius illa & comunt, quam quæ ad naturam conſtitutionemque eorum pertinent. In quibus qui hærent, illud potiùs, quod delectat, quàm quod prodeſt, in diſciplinis reſpiciunt, quæ tamen conjungenda eſſe ipſa ratio dictitat.

17 Ponamus ergò reprehendendos eſſe, qui ſuo quodam genio ducti hæc πολυμαθείας ſtudia infeliciter tractant: non committendum tamen eſt, ut impunè convitiis ſuis graſſentur homines barbari, inertes, ac faſtum inanemque doctrinæ ſpeciem pro verâ ſolidâque ſapientiâ oſtentantes, in divina pulcherrimaque ſtudia eorumque cultores. Hi cum bonæ menti optimisque literis bellum indixerint, ſuæ ruditatis conſcii, non æquis oculis adſpiciunt, quos variarum rerum cognitione interiore locupletatos eſſe vident. Quare & ipſum πολυμαθείας nomen ipſis pro convicio eſt, pro Grammaticis raptantibus conſummatiſſimæ eruditionis Viros. Quod non facerent, ſi, qui ſub ampliſſimis iſtis titulis latitant rerum theſauri, cognitum haberent.

18 Impugnabatur his calumniis illuſtris maximique ingenii JOHANNES WOUVVERIUS, qui elegantiſſimo *de Polymathia* libro & ſuam famam ultus eſt, ejusque ſtudii dignitatem aſſeruit: de quo duo monenda nobis ſunt, in quibus erratum à Viris doctis eſt. Primum eſt, quod duo confundantur ejus nominis, Antvverpianus & Hamburgenſis Polymathiæ Autor. (*a*) Andreas Schottus hunc Belgam facit in *notis ad proverbia Græca p. 68.*, ſed falsò. Lipſius in Epiſtolâ 8. Kal. Novembr. 1599. ad Antvverpianum illum ſcriptâ, utrumque probè diſtinguit: *Janus Wouvverius,* inquit, *cognominis tuus, ſi non Gentilis, quam bona tecum fœderatio! Optimum par, nec vel Dii dederint magis ex uſu aut Voto. Modeſtiam & probitatem in eo adoleſcente ſemper amavi, & ut vidi primùm (Hamburgi id fuit, ante annos novem) unà laudatum illam indolem ivi. Vivat, creſcat, & lampada à nobis in hoc curſu jam feſſis accipiat: me libenter & judicio tradente.* Fuit verò noſter ille Hamburgi natus, Patre Nicolao, ob perſecutiones in Religione è Belgio profugo, Antvverpiani illius, ut rectè putat Lipſius, Gentilis, illuſtri Baronum ſtirpe oriundus. Antvverpianus verò ille eſt, apud quem Lipſius Bibliothecam & ſcripta ſua teſtamento, usque dum adoleſceret heres,
19 deponi juſſit, teſte Auberto Miræo in Elogio Lipſii. * Alterum, quod monendum duxi,

(*a*) De neceſſaria duorum VVouvveriorum Cognominum, Hamburgenſis ſcil. & Antvverpienſis, non à Schotto ſolum, ſed aliis etiam pluribus, confuſorum, Diſtinctione fuſius diſſerui in *Homonymoſcopia, Sect. II., c. 7.,* §. 142., *p.* 733. 734. 735. 736. 970.

duxi, eſt, de plagii ſuſpicione, qua per ſummam injuriam & invidiam oneratus vir optimus à Mauſſaco, Germanus à Gallo, eſt: qui &, cum ejusdem argumenti librum editurus eſſet, Caſaubono omnem hunc laborem ſubreptum ait: quem tamen ipſe Caſaubonus, non diſſimulaturus hanc ſibi factam injuriam, ab iſtô crimine liberat. Teſtimonia illa innocentiæ ejus legas apud Cl. Thomaſium licet in præfatione repetitæ Editionis. Ex invidiâ profectum hoc Mauſſaci judicium Martinus Schockius *Confutatione Fab. Hamel. p. 2. c. 4.* exiſtimat. Ex ipſo autem Wouvverio multa cepiſſe, ſuppreſſo ejus nomine, Voſſium etiam Schockius loco laudato, & Joannes Jonſſius *lib. 1. de ſcript. Hiſt. Phil. c. 10. p. 49.* teſtatur.

Multa hic à nobis de vaſtitate πολυμαθείας dici poterant, verùm cum illud toto libro à Wouvverio actum ſit, illuc Lectorem remittimus. Legi & ſuper hoc argumento poteſt, imò debet, GUILIELMUS BUDÆUS, Vir illuſtris, Conſiliarius regius, & libellorum ſupplicum Magiſter, in libris *de Philologiâ*, quos Henrico Aurelienſi & Carolo Angoliſmenſi, Regis filiis, inſcribit: ubi de ſtudii hujus amplitudine & dignitate multa agit, & inſtituto quaſi cum Rege colloquio illum hortatur, ut ſtudia hæc, Regno ſuo ſplendorem conciliatura, ornanda ſuſcipiat, Viros illa profitentes præmiis afficiat, magiſtratum, honores ac ſacerdotia illis tribuat. Non deſtituit facundum ac illuſtrem Patronum, ipſumque libellorum ſupplicum Magiſtrum, Philologiæ cauſam agentem optatus ſucceſſus. Apud nullam enim nationem honoratiore loco illi fuere, quæ exempla hodieque perdurant. Excitata hinc optima fuere ſemper ingenia, quorum tam uberem meſſem nulla gens alia dedit. 20

Agit hanc inter ceteros πολυμαθείας cauſam LUDOVICUS CRESOLLIUS Jeſuita, 21
Vir alioquin doctiſſimus, in *Gratiarum actione* pro Collegio Societatis Jeſu inſtaurato, quæ Vacationibus autumnalibus ſubnectitur; ſed ita agit, ut inſanam in Melanchthonem, ut πολυμαθείας hoſtem, calumniam ſpargat (*b*). Quâ nihil inſulſius ac impudentius fingi poteſt, cùm nemo inter eruditos ſit, qui Melanchthonem Germaniæ Præceptorem & verum πολυμαθείας parentem ignorare poſſit. Vocat *pag. 46. duos muſteæ factionis anteſignanos, & veluti par gladiatorum Caroloſtadium & Melanchthonem, qui primùm ſpargere in circulis atque in cœtu adoleſcentum cœperint doctrinarum cognitionem plus obeſſe, quam commodi afferre ad religionem tuendam. Ex his*, ait porrò, *ut exemplum potentius foret ad perſuadendum, quam Oratio, derepentè, tanquam Circcô poculô ebibitô, alterum factum eſſe colonum, alterum piſtorem, ut ejusdem eſſe farinæ cognoſcerentur.* Manifeſta hæc hominis phreneſis eſt de Melanchthone, qui in luce Germaniæ, in florentiſſimâ Academiâ, cum magnâ nominis ſui famâ & gloriâ vivebat, tàm horribilia & riſu digna mendacia ſpargentis. Quid Melanchthoni

(*b*) Calumniam hanc in famam Melanchthonis injuriam, ante Ludov. Creſollium à Laurentio etiam Surio, Nicol. Serario, Caſp. Ulenbergio, Florim. Ræmundo, aliisque Scriptoribus Pontificiis, ſparſam, ſolide & ex profeſſo confutavit, totiusqve ſimul figmenti originem ſolerter detexit, Jac. Thomaſius in Programmate peculiari, Lipſiæ A. 1678. evulgato, & A. 1693., in *Diſſertationum Academicarum* Syntagmate, Halæ Saxonum recuſo.

thoni cum Caroloſtadio; qui nunquam in partes ejus conceſſit? Quis Melanchthonem unquam piſtorem ſomniavit, niſi Creſollius cum hâc ſuâ calumniâ in piſtrinum relegandus? Id verò ſummè ſtultum eſt, quod ſubjungit: magnam hinc in pleriſque Academiis ſolitudinem conſecutam, & ſcholas penè omnes textu aranearum oppletas & vacuas ſiluiſſe, cum illô tempore per Melanchthonis doctrinam verè florere ſcholæ Germaniæ cœperint.

22 Huc aliqui etiam τῆς ἐγκυκλοπαιδείας Scriptores referrent. Nam cùm illi complexum ſcientiarum uno libro proponant, πολυμάθειαν vel ſolo illo titulo ſibi vindicare poſſe videbuntur. Magna illorum librorum ſeges eſt, ab Autoribus profecta, quibus, quà principia, quà ordinem, quot capita tot ſenſus ſunt. De his in *Polyhiſtore Philoſophico* agetur pluribus. Sed & illi in vaſto, quod moliuntur, regno nimis arctè habitant, à verâ πολυμαθείας gloria omninò arcendi. Quemadmodum enim eorum, qui maria & terras ſpatioſis itineribus pervagati ſunt, longè major eſt peritia, quàm eorum, qui in chartis delineatas conſpexerunt: Ita qui verè πολυμαθεῖς iis, qui non niſi ex illis ſcriptorculis ſapiunt, minimè ſunt comparandi.

23 Multò minùs nomen hoc merentur, qui in Academiis, peſſimo more, invento ad quæſtum & decipiendam juventutem titulô, πανσοφίαν profitentur. Πάνσοφοι illi ſunt, aliosque πανσοφίαν docere volunt, qui per tres quatuorve diſciplinas (nam mathematicæ ſcientiæ, Eloquentia, Poëſis, Hiſtoria, rerum naturalium accuratior notitia in hunc cenſum non referuntur) volaticâ aliquâ percurſatione ſtolidos tirones circumducunt:
24 qui ſe totum ſapientiæ Oceanum his Doctoribus exhauſiſſe opinantur. * Publicâ coërceri lege hominum ille furor deberet; quibus magiſtris patentiſſima ad ignorantiam via ſternitur; omnis ſolida doctrina evertitur; in cathedras, in forum, cruda ſtudia propelluntur; pro Philoſophis jejuni & ſtrigoſi terminorum Nomenclatores; pro Mercuriis ſtipites & trunci ubique in ſeculi noſtri infamiam triumphant.

CAP. II.
DE HISTORIA LITERARIA.

§. 1. *Hiſtoriæ literariæ latior, quàm Polymathiæ, vaſtitas.* 2. *Conſilia Boſii,* 3. *Baconis Verulamii de illa inſtituendâ.* 4. *Chriſtophori Mylæi univerſitatis rerum hiſtoria nimis generalis & confuſa.* 5. *Petrus Lambecius Hiſtoriæ literariæ Prodromum ſcripſit.* 6. *Promittit Syntagma univerſæ Hiſtoriæ literariæ.* 7. *Ordo in librorum catalogis à Naudæo obſervatus.* 8. *Typus Syntagmatis Lambeciani, tàm Philoſophici, quàm Hiſtorici, recenſetur.* 9. *Ex Hiſtoriâ literariâ ſtatus literarum perdiſci poteſt.* 10. *Secula barbara.* 11. *Philoſophi in illis acuti recentioribus facem præferunt.* 12. *Rogerus Baco.* 13. *Richardus Suiſſet.* 14. *Scaligeri de hoc teſtimonium.* 15. παλιγγενεσία *literarum.* 16. *Magnatum ſtudium & liberalitas artes & literatos excitat.* 17. *Quorum incuria hominumque prava indole res literaria penè concidit.* 18. *Dogmatum vices & periodi ex Hiſtoria literariâ notandæ.* 19. *Carteſii philoſophia à priſcis Philoſophis hauſta.* 20. *Parallc-*

liſmi

liſmi ſcientiarum è ſerie temporum inſtituendi. 21. Idem artium, ut hominum, eſt ortus & occaſus. 22. Arcana & inventa veterum cum recentioribus conferenda. 23. Alexandri Taſſoni liber diverſarum cogitationum. 24. Bibliothecæ omnium artium ſunt quaſi promicondæ. 25. Multa inventa nova etiam antiquis cognita fuêre. 26. Magni Pegelii inventa. 27. quædam horum cum hodiernis conferuntur. 28. Hiſtoria literaria eruditorum ſtudiis commendatur. 29. neque enim ab ingenio quovis tractari poteſt.

VAſtum Polymathiæ nomen eſt, ac longè lateque extenditur, ſuis tamen ſpatiis limitibusque definitum: Latius verò patet HISTORIA LITERARIA, quæ non ipſam tantùm Polymathiam, ſed & ſingularum ſcientiarum primos natales ac progreſſus ad noſtra usque tempora complectitur. Nemo eſt, qui Oceanum hunc transmiſerit; non pauci, qui littus legerunt. Hiſtoriam Philoſophicam è veteribus & recentioribus per partes aggreſſi ſunt multi; ſed omnem à natalibus ſuis Hiſtoriam literariam nemo. * Queritur de tàm inſigni defectu Cl. Bosius *Introduct. in Notitiam Rerump.* c. 30. §. 92. *Rei literariæ, quæ magnam partem à religione pendet, hiſtoria juſta adhuc deſideratur. Facturusque operæ pretium eſſet, qui in unum volumen colligeret, quæ ſtudia in quibus locis maximè floreant, quique viri doctrinâ & ſcriptis illuſtres ſingulas provincias hoc ſeculo exornarint, atque etiamnum exornent: tùm quibus præcipuè locis literarum ſtudia eorumque cultores ſingulari adfectu foveantur, & magnis impenſis ſuſtententur.* Non contemnenda ſunt Hiſtoriæ literariæ illa argumenta, in quorum enarratione exerceri noſtram induſtriam cupit. Sed arctiora illa paululum ſunt, & ad pauca capita reducta, in quibus jam tùm operam poſuêre laudabilem nonnulli, neque multum tamen Hiſtoria locupletata eſt. 1 2

Majus animo Opus conceperat maximi vir ingenii Baco Verulamius, qui inter 3
conſilia de ampliandis ſcientiarum terminis, hujus quoque Operis ideam propoſuit, *lib. 2. de Augm. Sc. cap.* 4. Absque hâc Hiſtoriam mundi ſtatuæ Polyphemi eruto oculo non abſimilem facit, cùm ea pars imaginis deſit, quæ ingenium & indolem perſonæ maximè referat. Hujus verò Hiſtoriæ argumenta ſunt 1. Scientiarum antiquitates ad mundi ætates & regiones collatæ. 2. Migrationes per diverſas orbis partes. 3. Declinationes. 4. Jacturæ. 5. Reſtaurationes. 6. Occaſiones inventionis ſingularum diſciplinarum. 7. Methodi, quibus tractatæ. 8. Exercitii rationes. 9. Sectæ celebres. 10. Controverſiæ circa illas earumque ortus & occaſus. 11. Laudes, convitia, quibus exceptæ. 12. Autores præcipui. 13. Libri præſtantiores. 14. Academiæ, Societates, Collegia, Scholæ, ſucceſſiones, ordines. Addit illis porrò 15. aliqua de Populorum ac Regionum indole ad artes aptâ vel ineptâ. 16. De temporum variâ fortunâ artibus propitiâ vel adversâ. 17. de Religionum miſturâ. 18. de Legum vel favore vel malitiâ. 19. de Virorum illuſtrium patrocinio, qui vel opibus vel conſiliis artes juvârunt. Singulorum illorum, & ſi quæ alia his addi poſſunt, meram puramque hiſtoriam ſuis temporibus accuratè connexam deſiderat. Hæc illa palæſtra eſt, in quâ vel Hercules inveniet, quod agat. Sed facilius eſt, primas iſtius Operis lineas du-

 cere,

cere, quàm ipſum perficere. Quod ubi quis aggreſſus fuerit, tot illum obſtacula circumvenient, ut exitum vix inventurus ſit; utut adjumento eſſe poſſint, quæ per partes aliqui ſibi tractanda propoſuerunt: quorum labores non tamen vilipendendi erant à Bacone, ac fortaſſis tùm non editi omnes fuerunt, quos tempora poſteriora in lucem produxerunt.

4 Non facilè dixerim, an hæc animo agitaverit olim conſilia CHRISTOPHORUS MYLÆUS, cujus extant *quinque libri de ſcribendâ univerſitatis rerum hiſtoriâ.* (*c*) In præfatione iſtius Operis multa magnifica tibi promitti videas, & quædam his, quæ diximus, affinia. Sed longiſſimè ab illo abeſt inſtituto; nam nihil aliud, quàm Encyclopædiam continuo orationis, elegantis tamen & concinnæ, filo deductam velut in compendio proponit: nec tamen omnem illam, nec methodo illâ ordinatam, quæ capi à quoquam poſſit. In quinque libros illam diſpeſcit hiſtoriam, quorum 1. de Naturâ. 2. de Prudentiâ. 3. de Principatu. 4. de Sapientiâ. 5. de Literaturâ agit: Sub quibus quaſi ſummis capitibus omnium ſcientiarum & artium comprehendit argumenta. Non placet iſta methodus, quam ex ſuo Autor ingenio confinxit, ut quæ nimis generalis ac confuſa, & velut per lancem ſaturam omnia congerit, melius per ſeries ac ordines regularum ac principiorum deducenda.

5 Tentavit & noſtrâ ætate circa Hiſtoriam literariam aliqua PETRUS LAMBECIUS, (*d*) cujus in lucem quoque prodiit hoc titulo liber Hamburgi editus: *Prodromus Hiſtoriæ literariæ, quâ continetur partim quidem generalis narratio, origo, incrementa, mutationes, interitus & inſtaurationes omnium linguarum, ſcientiarum, Facultatum & artium liberalium, ſecundum Chronologicam ſucceſſionem ſeculorum omnis ævi; partim autem ſpecialis recenſio virorum & fœminarum illuſtrium.* Sed primordia iſtius Operis procul dubio utiliſſimi tantum jacta ſunt, quibus ſi Opus plenum & perfectum ſuperſtruxiſſet, benè de re literariâ mereri potuiſſet: quanquam tamen neque ad omnia

6 Verulamii placita reſpexerit, aut illo ordine methodoque tractaturus fuiſſet. * Promiſſi tamen ſui memor, ſub finem lib. V. Commentariorum de Bibliothecâ Vindobonenſi, denuò ſperare nos jubet Syntagma univerſæ Hiſtoriæ literariæ diviſum in 40. ſecula ante Chriſtum, & in 17. ſecula poſt Chriſtum natum: quod XXIV. Commentariorum de Bibl. Vindeb. libris loco Indicis Chronologici Univerſalis ſubjungendum, ac ſimul Prodromum antea editum innumeris locis augendum. Sed fata huic labori interceſſerunt. Quanquam ea fuit librorum, quos promittebat, moles, ut ſpes illi inchoare longas non licuerit. Optimè verò ab illo inſtitutum hoc fuit, quod Syntagma illud magni Operis de Bibliothecâ Vindobonenſi complementum voluerit: dimidium enim iſtius Operis penè confecit, qui Bibliothecam juſto ſuo ordine concinnatam, eamque non modicam, ſed ferè univerſalem habet; qualis iſta Vindobonenſis, quæ locupletiſſima eſt, & ab Autore librorum deficientium titulis aucta.

Vel

(*c*) Chriſtoph. Mylæi Libri V. prodiere Baſileæ A. 1551. in fol., & denuo, ſub Titulo *Hermetis Academici*, curante Joh. Georgiô Müllero, Noribergenſi, J. U. D. & Conſiliario Saxo-Coburgico, Jenæ 1624. in 8vo.

(*d*) Pet. Lambecii *Prodromus Hiſtoriæ Literariæ* Hamburg. A. 1659. in fol. eſt excuſus.

Vel ex ſolo illo ordine, quem in libris collocandis obſervare jubet GABRIEL NAUDÆUS in libro *de inſtruendâ Bibliothecâ* Gallicè ſcripto, hiſtoria aliqua educi poteſt. Notari autem iſta vult, ut 1. libri Facultatum & artium ponantur. 2. Veteres & novi Autores in linguâ, quâ ſcripſere, & hinc verſiones omnes. 3. Qui partes ſcientiarum tractant. 4. Commentatores. 5. Scriptores particularium rerum. 6. Qui adverſus ſcientias ſcripſerunt, ut Sextus Empiricus è veteribus, & Agrippa inter recentiores. 7. Novatores in artibus. 8. Primi certarum rerum Scriptores. 9. Scriptores rerum variarum. 10. Præcipui Hæretici. 11. Collectores ſpecialium voluminum & Autorum. 12. Celeberrimorum Virorum laciniæ & fragmenta. 13. Locorum communium Scriptores, Lexicographi &c. 14. Scriptores, qui ex communi ſeculi genio ſcripsêre. 15. Etiam minima, & quæ parvi aliis æſtimantur. Ad has Claſſes redacti Autores notiones aliquas animo ſuggerere poſſunt, ad quas Idea alicujus hiſtoriæ concipi poſſit. 7

Sed perfectior illa longeque ordinatior eſt ſeries, quam in *Philoſophicâ Bibliothecâ* concinnandâ ſibi præfixit LAMBECIUS; cujus ille typum Operi ſecuturo præmiſit. Quem ut hic proponam, quoniam in paucorum manibus liber eſt, non eſt fortè ab inſtituto noſtro alienum. Primò enarrantur Philoſophorum antiquiſſimorum Barbaricorum, Zoroaſtris, Hermetis &c. opuſcula quædam & fragmenta ſuppoſititia, cum veterum & recentiorum translationibus & Commentariis 2. Philoſophorum antiquiſſimorum Græcorum, Jonicorum & Italicorum, qui ante Platonem & Ariſtotelem floruerunt, & inprimis Pythagoræ ac Pythagoræorum opuſcula & fragmenta, cum veterum & recentiorum translationibus & Commentariis. 3. Philoſophia Academica, Opera Platonis, editiones & translationes variæ, Interpretes, Commentatores, Græci, Latini, aliarumque linguarum, antiqui & novi. 4. Philoſophia Peripatetica, Ariſtotelis operum editiones, translationes, Interpretes, Commentatores Græci, Latini, aliarumque linguarum, antiqui & novi. 5. Philoſophia Stoica, Stoicorum Græcorum & Latinorum opera, cum variorum veterum & recentiorum translationibus & Commentariis. 6. Philoſophia Pyrrhonia ſive Sceptica, variis operum Sexti Empirici editionibus & eò pertinentibus variorum Autorum Commentariis comprehenſa atque illuſtrata. 7. Philoſophia Epicuréa, variis veterum & recentiorum Autorum Commentariis atque expoſitionibus illuſtrata. 8. Philoſophiæ Eclecticæ ſive Miſcellaneæ varii Autores Græci & Latini. 9. Hiſtoria Philoſophica, ſive de origine, incremento & diviſione Philoſophiæ, ejusque multiplici ratione & uſu apud diverſos populos, ut de Vitis, Scriptis, Inventionibus & Sectis veterum & recentiorum Philoſophorum, varii variorum Autorum tractatus, partim generales, partim ſpeciales. 10. Inſtitutiones & Syntagmata generalia Philoſophiæ univerſæ, item Regulæ & Axiomata, nec non de ſtudio Philoſophico rectè inſtituendo conſilia varia & novæ methodi. 11. Lexica Philoſophica variique verborum & rerum ad Philoſophiam pertinentium indices, definitiones & expoſitiones ordine Alphabetico. 12. Philoſophiæ Theoreticæ univerſalis varia variorum Autorum Syntagmata, Enchiridia, Analyſes & ejus generis alia. 13. Logicæ Inſtitutiones generales, aliique variorum Autorum ad Logicam pertinentes Tractatus 8

ſpeciales. 14. Phyſicæ inſtitutiones generales, & tractatus ſpeciales ſecundum differentiam materiarum & linguarum in varias minores claſſes diſtributi: 15. Metaphyſicæ Inſtitutiones generales, & tractatus ſpeciales. 16. Philoſophiæ Practicæ univerſalis variorum Autorum Syntagmata, Enchiridia, Analyſes &c. 17. Ethicæ, Politicæ, Oeconomicæ inſtitutiones generales, & tractatus ſpeciales ſecundum differentiam materiarum & linguarum in minores claſſes diſtributi. 18. de Re militari Græci & Latini Autores cum variorum translationibus, Commentariis & notis: Recentiorum item Latinorum, Italorum, Hiſpanorum, Gallorum, Germanorum &c. Syntagmata univerſalia, tractatus ſpeciales, ut de Jure Belli, de regimine & diſciplinâ militari, de militiâ pedeſtri, equeſtri, navali, ordinationibus caſtrorum & acierum, de obſidionibus, oppugnationibus, defenſionibus urbium, Architecturâ militari, Pyrotechnicâ. 19. de Re Athleticâ antiquâ & novâ tractatus generales & ſpeciales, Torneamentis, Monomachiis &c. 20. de Arte equitandi & curâ equorum, variarum linguarum tractatus, 21. de Venatione Autores Græci, Latini, ſecundum diverſa venationum genera in varias claſſes diſtributi. 22. de Saltatione, ludo latrunculorum, aleâ, variisque aliis ludis, varii variarum linguarum tractatus. Sequuntur 23. Mathematici antiqui Græci, Arabes, Latini, ſecundum Alphabeti ordinem & librorum formam, editionum ætatem cum Commentariis & translationibus, varia item opuſcula illorum collectitiis Syſtematibus edita. 24. Hiſtoria Mathematica, de ortu & progreſſu diſciplinarum Mathematicarum, de Vitis, Inventionibus, Sectis veterum & recentiorum Mathematicorum, tractatus tàm generales quàm ſpeciales. 25. Lexica, Iſagogæ, Synopſes, Syntagmata Matheſeos generalia, Axiomata, ſtudii Mathematicii inſtituendi Conſilia, novæ Inventiones, Methodi, Inſtrumenta. 26. Matheſis ſpecialis ſecundum varia Mathematicarum ſcientiarum genera ſpeciesque in varias claſſes minores diviſa & ſubdiviſa, quæ illic ordine enarrata brevitatis causâ hic omittimus. Hi ad Philoſophiam omnes pertinent tituli; Sequuntur jam, qui ad *Hiſtoriam* referuntur, magnâ induſtriâ notati. Recenſentur 1. Autores de Hiſtoriæ Origine, Incremento, Utilitate, Dignitate & Diviſione: de Veterum & Recentiorum apud varios populos Hiſtoricorum illuſtrium Vitis & Scriptis: de ſtudio Hiſtorico ſecundum tempora, materiam & Autores ordinando: de arte Hiſtoricâ Conſilia, Regulæ & Methodi. 2. Hiſtoria Geographica, comprehendens Geographos antiquos, Græcos, Latinos, ordine Chronologico ſecundum librorum formam & editionum ætatem diſpoſitos. 3. Recentiores Coſmographiæ Hiſtoricæ univerſales, ſecundum linguas diſtinctæ. 4. Recentiorum Geographiæ Hiſtoricæ Univerſalis, Atlantes, Theatra, Specula, aliaque magna Syntagmata & eorum Epitomæ & minores Iſagogæ. 5. Hydrographia Hiſtorica de Orbe Maritimo, Inſulis, Re navali. 6. Singularum Orbis partium majorum generales deſcriptiones cum ſubjunctis Chorographiis & Topographiis. 7. De arte peregrinandi varii tractatus. 8. Varia Hodœporica ſive Itineraria tàm ſparſim quàm junctim publico & privato nomine edita. 9. Hiſtoria temporum, ſive Chronologia, comprehendens Chronologos antiquos Græcos, Latinos recentiores ſecundum ordinem temporum, formam li-

brorum & editionum ætatem diſpoſitos, univerſales & particulares. 10. Autores de menſurâ temporum, ratione anni apud varios populos, Calendaria, Ephemerides Hiſtoricæ. 11. Hiſtoria Generationum, ſive Genealogia Univerſalis, particularis. 12. De notis gentilitiis naturalibus & inſignibus varii Autores. 13. Variorum tractatus de iis, qui per mendacium & fraudes in alienas familias ſe inſeruerunt. Sequitur jam 13. Hiſtoria rerum geſtarum, ſive Hiſtoria propriè dicta, & quidem univerſalis tàm reſpectu loci, quàm reſpectu temporis, tum univerſalis reſpectu loci, ſed particularis reſpectu temporis. Quò pertinent relationes hiſtoricæ certi alicujus temporis miſcellaneæ. 14. Hiſtoriæ ſacræ Teſt. Vet. & Antiquitatum Judaicarum Autores, Græci, Latini, antiqui, recentiores, ordine Chronologico poſiti, cum Commentariis eorum & translationibus. 15. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Novi Teſt. Autores, antiqui Græci, Latini, cum Commentariis &c. 16. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ univerſalis & Annalium Eccleſiaſticorum Autores diverſarum linguarum & religionum. 17. De Vitâ Chriſti tractatus Hiſtorici univerſales & particulares, ut ſunt diſſertationes de Genealogiâ ipſius, tempore nativitatis, Hiſtoriâ paſſionis, crucis, de linteis ſepulchralibus &c. 18. Tractatus de Antichriſto. 19. Hiſtoriæ Marianæ generales & ſpeciales Scriptores. 20. Martyrologia, Syntagmata antiqua Græca de Vitis Sanctorum ſecundum ordinem Menſium & uſum Eccleſiæ Orientalis. 21. Martyrologia & Calendaria Sanctorum antiqua Latina, ſecundum menſes & uſum Eccleſiæ Occidentalis, cum Commentariis & translationibus. Accedunt varii Tractatus de Martyrio in genere, de Martyrum cruciatibus. 22. Vitæ Sanctorum Miſcellaneæ ab antiquis Autoribus Græcis & Latinis ſcriptæ & collectitiis quibusdam ſchematibus junctim editæ. 23. Vitæ Sanctorum miſcellaneæ & ſingulares à Græcis & Latinis ſcriptæ cum Commentariis & translationibus. 24. Autorum recentiorum Syntagmata de Vitis Sanctorum, ſecundum menſes, & Vitæ ſingulares ab iis ſcriptæ. 25. Exempla Hiſtoriæ Sacræ & Eccleſiæ miſcellanea antiquorum & recentiorum. 26. Autores antiqui & recentiores de Vitis Pontificum Romanorum. 27. Variorum tractatus ſpeciales, de Electione, autoritate Pontificis, donationibus Pontificibus factis, de Joannâ Papiſsâ, variisque ad Hiſtoriam Pontificiam pertinentibus. 28. Hiſtoria Cardinalium, variique tractatus de eorum origine, electione, ordine, officiis, autoritate, poteſtate, privilegiis. 29. Conciliorum omnium generalium & provincialium Græcorum & Latinorum acta & monumenta antiqua à recentioribus Collectoribus junctim edita cum Commentariis, notis & translationibus. 30. Conciliorum quorundam generalium & provincialium Græcorum & Latinorum acta & monumenta ſeparatim & ſingulatim edita, cum Commentariis & translationibus ordine Chronologico diſpoſita 31. Conciliorum omnium generalium & provincialium Iſagogæ & Synopſes. 32. Tractatus ſpeciales, de origine, autoritate Conciliorum, aliaque varia ad Hiſtoriam Conciliorum pertinentia opuſcula. 33. Hiſtoria Antiquitatum Liturgicarum Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis. 34. Hiſtoria Miſcellanea variarum Ceremoniarum, rituum, aliarumque Antiquitatum & obſervationum Eccleſiaſticarum ſecundum differentiam materiarum in varias minores claſſes diſtributa. 35. Hiſtoria Monaſtica gene-

ralis, de Vitæ monaſticæ origine, incrementis, diviſione, regulis, & propagatione usque ad noſtram ætatem 36. Hiſtoria Monaſtica ſpecialis, ſive diverſorum ordinum Monaſticorum Hiſtoriæ ac Regulæ ſingulares ordine Chronologico diſpoſitæ. 37. Hiſtoria variorum ordinum equeſtrium generalis & ſpecialis ordine Chronologico. 38. Hiſtoria Hæreſium generalis & ſpecialis ordine Chronologico, Vitæ Hæreſiarcharum &c. 39. Autores de Scriptorum Eccleſiaſticorum vitis, ſucceſsionibus & ſcriptis generales junctim, ſpeciales ſeparatim editi. 40. Diſſertationes de Expurgatione & Prohibitione librorum, Indices expurgatorii ſpeciales.

Atque hic τύπος eſt, ad quem Philoſophicam ſuam & Hiſtoricam Bibliothecam diſpoſiturus erat Lambecius, in quo tamen aliqua, ſi ordinem & argumenta ſpectes, vel mutari vel augeri poſſunt, præſertim in Hiſtoriâ Civili & Eccleſiaſtica; Facultatum enim Bibliotheca alibi proponitur, ac puto, ubi in rem ipſam veniſſet, multa ipſi

9 nova δευτέραι φροντίδες ſuggeſsiſſent. * In hunc tamen campum immiſſis quaſi per σύνοψιν & velut in tabulâ patet Hiſtoriæ literariæ ſumma delineatio: Nam & ὕλη, quæ potuit, integra congeritur, nec illa tamen indegeſta, ſed ſuis locis ſedibusque diſtincta, unde per prudentiam aliquam ἀρχιτεκτονικὴν pulcherrimum illud, quod volebat Verulamius, ſtrui ædificium poſſit. Ex ipsâ illâ congeſtione & repræſentatione ſimultaneâ naſcitur illud περιςατικὸν & πραγματικόν, ex quo judicandi illa vis ſe exerit. Quæ ſi in perpetuum continuumque Hiſtoriæ corpus compingerentur, maximi in ſocietatem civilem & rem literariam fructus inde redundarent. Non alia ipſe Verulamius ſubſidia præſcripſit: nam materiam & copiam Hiſtoriæ ejus non tantùm ab Hiſtoricis & Criticis petere, verùm etiam per ſingulas annorum centurias, aut etiam minora intervalla, libros præcipuos in conſilium adhibere jubet, ut ex eorum non perlectione (id enim infinitum foret) ſed deguſtatione & obſervatione argumenti, ſtyli, methodi, genius illius temporis literarius veluti incantatione quâdam à mortuis evocetur. Hujus inſtituti uſus multò maximus foret. Verulamius illud intendit, ut virorum doctorum augeatur in doctrinæ uſu & adminiſtratione ſolertia, rerumque intellectualium non minus quàm civilium motus & perturbationes, vitiaque & virtutes notari poſſint, & regimen inde optimum educi, quemadmodum ex Hiſtoriæ Civilis vel Eccleſiaſticæ diligenti inſpectione prudentia illa vel civilis vel ſacra parari poſſit.

Tam verò longè lateque ſe ejus prudentiæ utilitas diffundit, ut nulla tàm ſit exigua diſciplina, cui illa non faces præferat: ne quid dicam de ipſo intellectu, qui in contemplatione τοῦ ὅλου magis perficitur. Videmus hic quaſi ante oculos poſitam il-

10 lam per ſecula ſtudiorum ſucceſſionem. * Nam, ut de temporibus poſt Chriſtum natum dicam tantùm, regnavit in Philoſophorum ſcholis Plato, ejusque Philoſophia cum Chriſtianâ Religione commiſta, vel errores vel ſingulares quosdam ſenſus dogmatibus Theologicis invexit; Patres plerique huic ſcholæ addicti, duravitque ille rei literariæ & eccleſiaſticæ ſtatus, usque dum Alexander Aphrodiſienſis doctrinam Peripateticam reſuſcitavit; quæ per ſex integra ſecula ſtetit, variè tamen ab Interpretibus interpolata, ut ſibi ipſi eſſet diſſimillima, variis etiam caſibus ac litibus agitata, de quo

Lano-

Lanovius videri poteſt in libro de *variâ Ariſtotelis fortunâ.* Traxit ex ejus etiam affinitate labem aliquam Theologia, quæ Scholaſticorum commentationibus in aliam planè formam ſpeciemque mutata erat. Audiuntur paſſim Virorum doctiſſimorum de his corruptelis querelæ, de quibus legi poſſunt Eraſmus paſſim, Ludovicus Vives in aureis de cauſſis corruptarum diſciplinarum libris: cujus Viri diligentia ad Hiſtoriam literariam recentioris temporis conferre non pauca poſſit. Adeò ad Græcas literas & Ariſtotelis Philoſophiam tùm nauſeabant omnes, ut, teſte Alexandro Nekan libro *de naturis rerum*, Ariſtotelis libros à nemine, quàm ab Antichriſto legendos & intelligendos crederent. Joann. Sarisber: lib. 1. Metalogic. cap. 2. ita de his temporibus: *Sufficiebat ad victoriam verboſus clamor, & qui undecunque aliquid inferebant, ad propoſiti perveniebant metam: Poëtæ & Hiſtoriographi habebantur infames, & ſi quis incumbebat laboribus antiquorum, notabatur, & non modò aſello Arcadiæ tardior, ſed obtuſior plumbo omnibus erat inviſus.*

Latitabant tamen nonnunquam in Scriptoribus illis, horridi ceteroquin & inficeti ſtyli, velut in ſterquilinio quodam pretioſi uniones, quibus illi, qui è recentioribus magno ſupercilio multoque orationis fuco rerum argumenta incruſtant, ſua illa commenta ornare didicerunt. Multi delicatuli nimis & faſtidioſi, cùm ſuo ingenio tantùm nituntur, ex ſe ut araneæ pariunt, cùm longè ſolidiora invenire in Veterum illorum Commentariis poſſint. In notionum illâ contemplatione, in morali ſapientiâ, quàm præclara ex altis eruta receſſibus traduntur! Ipſa Mathematica ſtudia & naturalia, quæ ſollicitè adeò nunc à notionalibus iſtis conceptibus purgantur, per illa ipſa principia eò usque profligarunt, ut majora naturæ arcana horum miniſterio fuerint eruta, quàm nunc, cum omnes particularum particulas lynceis oculis intuemur, & naturam ipſam ad vivum reſecare nos credimus * Cujus vel unicus teſtis, inſtar multorum, erit ROGERUS BACO, Vir ſubtiliſſimo ingenio divinam humanamque ſapientiam complexus; ne quid de aliis dicam, magnis itidem & celebratiſſimis iſtorum temporum nominibus. *Gabriel Naudæus* in ſuâ illâ doctiſſimâ *de inſtruendâ Bibliothecâ* diſſertatione de nauſeabundis iſtis noſtrorum temporum ingeniis c. 4. p. 84. conqueritur, quæ fontes illos relinquunt & rivulos recentiorum ſectantur: *Sequimur*, inquit ille, *& laudamus Collegium Conimbricenſe, & Suarezium, & negligimus opera Alberti Magni, Niphi, Ægidii, Saxoniæ, Pomponatii, Achillini, Durandi, Zimaræ, Buccaferrei & multorum aliorum, unde omnes illi grandes & decumani, quos volvimus & verſamus libri αὐτολεξεὶ ſunt transſcripti. Æſtimamus noſtri ſeculi Medicos, Amatum, Capivaccium, Montanum, & pudori nobis ducimus, ſi Hugoni Senenſi, Gordono &c. locum in Bibliothecâ concedamus, & Avicenniſtis, qui rudi linguâ ſeculi vitio ſcripſere, ſed fundum tamen Medicinæ, judice Cardano, penetrarunt. Noſtri recentiores, cùm non ſatis virium, ingenii, conſtantiæque habeant in iis imitandis, ſolent nonnunquam illorum rationibus, ſed ad hujus ſeculi habitum reformatis, ſua incruſtare, in verborum tamen plerumque pompâ & ſuperficie linguæ hærentes, decerpunt flores & ſumma cacumina captant.* Miratur ille, adeoque indignè fert, non celari tantùm & compilari, ſed planè ignorari

gnorari tùm locupletiſſimis Bibliothecis, tùm Viris doctis, iſta nomina, quorum tamen eandem, quæ Manuſcriptorum ſolet, rationem haberi ob raritatem & utilitatem æquum eſſet.

13 Unius ille RICHARDI (quem alii Johannem, ipſe in Additionibus ad Hiſt. Lud. XI. Rogerium vocat) SUISSET (quod ex Anglic. *Svvinshead, os porci* corruptum) cui cognomen Calculatoris datum erat, mentionem facit: cujus Opera celeberrimis etiam Bibliothecis ſunt ignota. In cœlum propè extollunt illum hominem laudibus
14 tùm Cardanus, tùm Scaliger. * Et hic quidem Exercitat. 324. *Virum* vocat, *qui modum ingenii humani exceſſerit*, & Exercitat. 340. *tàm acutè ſcripſiſſe judicat, ut à paucis plenè ac pro meritis intelligatur. Tàm doctè*, inquit, *ſibi ille viſus eſt, ut cùm ſenex legeret, quæ juvenis in literas retuliſſet, ubertim fleviſſe dicatur, ſive, quod equidem puto, quia quaſi recenter frueretur veteri diligentiâ, ſive, quod paulò iniquius alii ſunt interpretati, quia quæ olim ſcripſiſſet in ætate florenti, in effœtâ minus aſſequi poſſit intelligendo. Dignus profectò, quem neque ſenem ſenium faceret, neque naturæ lex vitâ privaret, niſi meliorem vitam apparaſſet. Hæc licentius ſcribo, quia viro illo maximo multa debeo: plura debiturus, ſi per ingenii mei imbecillitatem licuiſſet. Non enim leviter in ejus campo nos exercuimus.* Nos de illo in *Polyhiſtore Philoſophico* pluribus agemus. Tàm invidendo elogio, & à tanto quidem Viro profecto, quis non impetu aliquo raptus omnes Bibliothecarum angulos perreptaret, omnes forulos excuteret, ut theſaurum ſibi illum erueret, tot Viris doctiſſimis ignoratum & inviſum? Sed ea eſt vel animi ſocordia, vel novitatis prurigo, ut nullam eorum curam habeamus.

15 Cùm floreret jam paſſim per Academias illa philoſophandi ratio, & ad illius ſenſum tàm Theologia quàm Medicina temperaretur, reducta in lucem Jurisprudentum veterum fragmenta, eorumque Doctores novam tàm Theologiæ quàm Philoſophiæ ſtudio faciem circumpoſuerunt: Ex illo enim tempore eorum ſtudium & dignitas quanquam non ſtatim conciderit, paulatim tamen ſequentibus temporibus evileſcere cœpit. Accidit tamen poſtea, ut partim Jurisprudentiæ beneficio, Legibus Romanis Antiquitatum ſimul & Hiſtoriæ Romanæ, cumque illis aliqua veteris elegantiæ cura reduceretur; partim occaſione litium, quæ Theologiæ tùm publicè receptæ movebantur, & Biblia ſacra legerentur, & Hebrææ ac Græcæ linguæ ſtudia excitarentur, Patres è clauſtris Monachorum, ubi velut in ſepulchris hactenus delituerant, in muſèa doctorum velut in vitam & lucem revocarentur.

16 Acceſſit magnum novæ huic literariæ periodo momentum, reſtaurata in Occidente è Græcorum exulum, captâ Conſtantinopoli, reliquiis Græcarum rerum notitia. Scholæ tùm publicæ illâ in linguâ habebantur. Vertebantur in Latinam Hiſtorici, Patres, Latini MS. codices è Bibliothecis promebantur, inuſitatâ Mediceæ familiæ liberalitate, cui primos illa παλιγγενεσία literaria ſpiritus debet; Cui accedebat Alphonſus Rex Neapolitanus, Matthias Corvinus Rex Hungariæ, Ludovicus XI. Rex Galliæ, de cujus in literis promovendis ſtudio legi Gabrielis Naudæi Additio ad Hiſtoriam Ludoxici XI. poteſt; Obſtetricias adhibebat manus, quod labores doctorum, Bibliopolarum

polarum Φιλαργυρίαν provocabat divinum Typographiæ inventum. Hinc quaſi genio quodam impellente intra paucos annos è veterno excitata ſunt doctorum ingenia: Philoſophia partim ex ipſis Ariſtotelis limpidis fontibus reſtaurata; partim nova à Novatoribus ſuper Empedoclis, Epicuri, Philolai, Pythagoræ, Democriti principiis exſtructa: Jurisprudentia veteri ſplendori, per viros antiquis illis Papinianis, Modeſtinis comparandos, aſſerta; Philologia omnis Hebræa, Græca, Latina ſuperſtitioſè & ad invidiam reliquarum diſciplinarum exculta; Omnis denique divinarum humanarumque rerum ſapientia ſibi ipſi reſtituta. Quo beneficio utinam diu frui nobis contingat!

Sed magnatum partim imperitiâ, ſocordiâ & amentiâ; partim hominum pravâ 17
indole, non niſi quæſtum reſpicientium, culpâ factum eſt; ut de veteri illâ, verâque & ſolidâ doctrinæ gloriâ excidant Academiæ & Scholæ, dum illa veteris doctrinæ ſenſim ſubrepit oblivio; & ipſa tandem barbaries cum corruptiſſimis ſimul moribus & flagitioſâ profanorum hominum ſapientiâ reducitur. Quo de argumento Bœcleri elegans diſſertatiuncula de fatis literariis noſtri temporis legi poterit; & paſſim aliorum querelæ habentur. Dependet plerumque à magnatibus omnis literarum fortuna: Quod Plutarchus Oratione poſteriore de fortunâ & virtute Alexandri eleganter Alexandri M. exemplo expreſſit: *Exiſtimo*, inquit ille, *eos, qui tùm fuerunt artifices, non tàm ætate Alexandri, quàm propter Alexandrum extitiſſe. Ut enim frugum copiam bona temperies ac tenuitas aëris gignit; ita artium & bonorum ingeniorum incrementa benignitas, honor, & humanitas Regis efficit; & contra Principum invidia, ſordes, aut ſtudium contendendi iſta omnia extinguit & perdit.* Quos non Auguſti ætas Viros doctos peperit? Quos non M. Antonini Philoſophi exemplo ſapientia progreſſus fecit? nam Herodianô teſte, *magnum ſapientum Virorum proventum ætas illa extulit.* Notat & Gabriel Naudæus in Addit. ad Hiſt. Lud. XI. p. 76. ſub Caroli Magni, Ludovici XI. & Franciſci I. auſpiciis, plus, quàm integris olim ſeculis, profeciſſe literas. Ubi verò vel bello vel ignaviæ ſe mancipant Principes, tota concidit res literaria, nullum doctis pretium ſtatuitur, optima ingeniorum monumenta peſſum eunt. Quâ de re vide elegantem in Principes invectivam, Trochaico Carmine ſcriptam à J. Grutero, quod ille occaſione Commentarii Hofmanniani in Galenum fecerat. Reperitur inter Epiſtolas Richterianas p. 534. * Quam gratum hoc animo accidat, illas rei literariæ periodos, 18
nexum, momenta, mutationes noſſe, facilè omnes intelligunt. Sed & alius Hiſtoriæ illius fructus eſt longè uberrimus; ut non facilè ſpecie novitatis nos fallant, quæ vel in ſacris, vel in quibuscunque doctrinis, oriantur ſententiarum divortia, quæve à novis Doctoribus ſcholæ inſtituuntur. Redeunt omnia humana in orbem, & cum negotiis civilibus ingenii commenta reviviſcunt. Annon hoc ſeculo omnes veterum vel errores, vel bona etiam dogmata, novis Autoribus incruſtata vidimus? Qualia nemo miratur, aut in iis pando ore hiat & ſtupet, qui ex Hiſtoriâ ſectarum ſucceſſiones & doctrinam habet cognitam. Plerique omnes ita animati ſunt, ut cum uni ſe addixere Magiſtro, nulla aliorum dogmata attingant, & ne illa quidem Magiſtri ſui rectè perquirant. Quotus eſt ex Peripateticorum tribu, qui habitantem in Græciâ Magiſtrum

quærat? Vel ex Interpretum ore pendent plerique, vel ex Doctoris jejuni miſerâ &
compendiariâ informatione hujus Philoſophiæ campum metiuntur: de Platone aliis-
19 que Ariſtotelis anteceſſoribus & ſecuri & incurioſi. * Carteſium, qui novum Phi-
loſophiæ Syſtema hoc ſeculo coagmentavit, quàm multi doctorum venerantur? & fon-
tem tamen ignorant, unde Philoſophia illa profluxerit. Illi verò, qui Hiſtoriam phi-
loſophicam, veterumque Philoſophorum dogmata deguſtavit, facilimum erit omnium
Carteſianorum principiorum veſtigia in priſcis illis Philoſophis oſtendere. Nimirum
de Philoſophis illis heri ac nudius tertius natis idem, quod olim in proverbio de Ora-
toribus Athenienſibus dicere poſſis: ὄφις ἂν μὴ φάγῃ ὄφιν, μὴ γενήσεται δράκων.
Serpens niſi devoret ſerpentem, nunquam erit Draco. Niſi habeant, quos ſequantur,
quos, ubi maximè diſſimulant, quaſi devorent, & in ſuccum ſanguinemque vertant,
nunquam fiunt Dracones vel magna nomina & novarum ſectarum Fabri.
20 Multa præterea quaſi ex abdito ſubminiſtrat veterum recentiorumque tempo-
rum paralleliſmus ſcientiarum arcana, quorum vix ſumma rudiſque notitia ad ἀνίστορας
illos pervenit: quæ ſi exſculpi è latebris tota nequeunt, vel ſolâ ſuſpicione induſtriam
Philoſophi juvant, & in memoriæ larario repoſita, δευτέρας poſteritatis φροντίδας
feliciori ſucceſſu excitabunt. Demonſtravit elegantiſſimâ de Arcanis ſcientiarum diſ-
ſertatione *Eraſmus Bartholinus*, quantâ ſollicitudine ſcientiarum ſacra texerint, qui ex
iis gloriam quæſiverunt populi, & quàm illa eviluerint propalata: Enarrat rerum
deperditarum jacturam integro libro *Pancirollus*; Quorum omnium memoriam no-
bis Hiſtoria conſervat, ut reſiduas è triſti naufragio tabulas, quas tamen collegiſſe non
jucundum tantum, ſed & utiliſſimum eſt.
21 Patet ex Hiſtoriâ literariâ, eundem eſſe artium, qui hominum, qui Imperiorum
eſt, genium: Ortum illis adoleſcentiam eſſe, & denique occaſum. Naſcuntur artes
interdum ſubitò, ſubitò extinguuntur. Elegantiſſimè hunc doctrinarum orbem de-
pinxit Vellejus: *Aliis æmulatio ingenia, & nunc invidia, nunc admiratio, incitationem
accendit, naturaque, quod ſummo ſtudio petitum eſt aſcendit in ſummum, difficiliſque in
perfecto mora eſt, naturaliterque quod procedere non poteſt, recedit. Et ut primò ad
conſequendum, quò priores ducimus, accendimur, ita ubi præteriri aut æquari eos poſſe
deſperavimus, ſtudium cum ſpe ſeneſcit, & quod aſſequi non poteſt, ſequi deſinit, & velut
occupatam relinquens materiam quærit novam: præteritoque eo, in quo eminere non
poſſumus, aliquid in quo nitamur, conquirimus, ſequiturque ut frequens ac mobilis tran-
ſitus maximum perfecti operis impedimentum ſit.* De his omnibus ſingulatim agere
22 nimis hic prolixum foret. * Multa dici notarique poſſent, ſi recentiora cum veteri-
bus illis in theatrum & in contentionem deducamus. In Hiſtoriâ literariâ velut in
ſpeculo utriusque temporis faciem ante oculos poſitam videre poſſumus. Obſerva-
bimus, in quibus antiqui ſuperent novorum temporum ingenia, in quibus illi ab his
ſuperentur. Sua eſt ſingulis ætatibus ingeniorum fœtura, ſunt artium temporarii pro-
ventus, quarum meſſem Hiſtoria velut in horreo quodam congerit, ne ſpicilegium qui-
23 dem illarum rerum omiſſura. * Qui ὡς ἐν κεφαλαίῳ illa cognoſcere deſiderat,
adeat

adeat ALEXANDRI TASSONI librum decimum, Voluminis iſtius, quod Italicâ linguâ ſub titulô *Penſieri diverſi* ſ. diverſarum cogitationum ſcriptum eſt: Ubi ille omnia diſciplinarum genera pervagando, illarum antiqua novaque oſtendit incrementa. * Eorum 24
autem omnium vel nulla ſupereſſet vel exigua cognitio, ſi libros & Bibliothecas tot theſaurorum promicondas non excuſſerimus. Non potuiſſet Plinius tàm divitem nobis rerum naturalium penum relinquere, niſi in ſubſidium Bibliothecas Romanas adhibuiſſet. Non ipſe Ariſtoteles tàm diverſa, in omni ſtudiorum, in omni philoſophiæ genere, nobis reliquiſſet, niſi à veteribus Bibliothecis adjutus, quem primum è Græcis Bibliothecam inſtituiſſe & collegiſſe volunt. Cui inter tot theſauros verſanti, ingenio illo & judicio propemodum divino, facile erat, ditare poſtera ſecula.

Multum ſcil. conducit vel ſola veterum arcanorum nomenclatura: quæ cum animo noſtro objicitur, ſtatim ad idearum talium contemplationes diſponit, ut vel eadem vel alia ad eorum ἀναλογίαν velut ex ſemine quodam producat. * Equidem 25
exiſtimo, multa illarum novitatum, in quibus ſecula noſtra triumphant, jam tùm antiquitus cognita fuiſſe, iterumque deperdita. Infinita enim ſunt, quæ ex rerum mutuis applicationibus vel per ingenium vel per caſum produci poſſunt. Sæpè unius ſeculi, imò unius anni, diverſis & gentibus & hominibus eadem in mentem venire poſſunt artificia, quæ celata primum, vel ad alios devolvuntur poſſeſſores, vel ex ingeniorum ſimili quaſi concentu & tacitâ conſpiratione formantur. * Vivebat ſeculo hoc in- 26
eunte MAGNUS PEGELIUS, Roſtochienſis primùm, hinc Helmſtadienſis Academiæ Profeſſor, cujus variorum experimentorum ſyllabus ſingulari libro prodiit hoc titulo: *Theſaurus rerum ſelectarum, magnarum, dignarum, utilium, ſuavium, pro generis humani ſalute oblatus.* Multa illic Autor notat ab ſe excogitata in omni ſtudiorum genere, Mechanicis, Mathematicis, Naturalibus, arcana, quorum aliqua annis inſequentibus magno cum apparatu & pompâ in lucem edita vidimus, & in quibus hodiè inveniendis laborat multorum induſtria. Non facilè tamen dixerim, quomodo factum ſit, ut à Pegelio ipſo nil eorum artificiorum in effectum deductum fuerit, vel tàm exigua ac pene nulla ejus apud alios mentio fiat. Fortaſſis & ipſi, quæ omnibus rerum novarum inventoribus, Invidia & Incredulitas obfuit.

Varia illic occurrunt memorabilia. Cum *p. 111.* proponitur ratio Chirurgica 27
inſignis & rara homini communicans extera, quæ ipſi bona, & interna multa quæ noxia avertens: cui non Chirurgiæ alicujus infuſoriæ ſuſpicio oriatur? *Paginâ* 125. de navigii aërei fabrica agit: de illo *Franciſcus Lana* in prodromo *all' argente maëſtra* operosè egit, & ante illum quoque *Petrus Mormius* in arcanis collegii Roſiani detectis p. 14. & 15. quædam propoſuit. *Paginâ 125.* de machinâ aliquâ memorat, quam tempore quocunque quivis ſeu fortior ſeu debilior agitare poſſit: Simile quid in Actis Anglicis & Gallicis deprehendimus. Ibidem de ratione, quâ ex vaſe uno liquores quotcunque diverſi effundantur, habetur; ita ut quivis inde vinum, nunc rubrum, nunc candidum, nunc aquam, nunc aliud atque aliud liquoris quodcunque velit genus, imò calidos & ferventes, ſi velit, liquores depromat. Cui verò non idem hoc artificium

 videbi-

videbitur? quo aliquis ore evomere varii generis liquores poteſt, quod à circumforaneis quibusdam, ante annos non ita multos, cum maximâ omnium admiratione factum fuit. Quæ *pag.* 126. proponuntur artificia Archimedæa, quibus liquorum bonitas vel pravitas exploretur, illa noſtrâ ætate ſpectata fuere, & à Kirchero in *Mundo Subterraneo* exhibentur. Navigium ſubmaritimum, de quo *pag.* 127. agit, & cujus uſum prolixè recenſet, novum poſt illa tempora vel Autorem vel propagatorem in Belgio invenit. Quomodo ex fundo maris & naves & res aliæ graves educi poſſint, de quo ille *pag.* 137., noſtro quoque tempore ſingularibus machinis tentatum fuit. Inſtrumentum quoque Pantographicum, de quo ille *pag.* 168. poſtea à Scheinero Mathematico ſingulari libro delineatum. Pauca illa ſunt, quæ è numero illo excerpſi: cetera pleraque inter noſtræ ætatis inventa nunc comparent, quibus recenſendis nunc ſuperſedebimus. Et fortaſſis ante Pegelium jam tùm alii fuere, qui de iisdem vel ſimilibus cogitârunt.

28 Hos ac multò plures uſus præſtare poterit Hiſtoria literaria, ad quam diligentiùs excolendam meritò eruditorum ſtudia conſpirare debebant. Multa illo in genere JOH. GERH. VOSSIUS præſtitit, ac plura præſtare potuiſſet, ſi, quæ affecta habuit, abſolvere potuiſſet. Noſtro tempore vel Conringio vel Bœclero labor ille demandari potuiſſet. Conringius certè jam tùm inſignem ejus partem in *Antiquitatibus Academicis* abſolvit. Verſatur & in nonnullorum manibus ejusdem liber *ἀνέκδοτος de Scriptoribus*; quam tamen extemporalem ego operam crediderim. Bœclerus non attigit hoc doctrinæ genus, niſi quod exiguus ejus liber in commodum tironum de Scriptoribus prodiit, qui præter Nomenclaturam Autorum & editionum nihil habet.

29 * Ceteri, qui ad hoc argumentum acceſſerunt, non iſtâ ἐμπειρίᾳ literariâ inſtructi, planè ineptè in hoc negotio verſantur, & paupertinam eruditionem oſtentant. Quid enim efficiant, *qui aliena negotia curant, Excuſſi propriis?* Suſcipi illa res debet ab ingenio non jejuno & imperito, ſed operi huic ſoli intento, ſed cujus magna ſit judicandi ſolertia, quodque è τύπῳ illo περιςατικῷ indagare rerum occultarum nexum poſſit.

CAP. III.
DE RE BIBLIOTHECARIA,
Et quidem I. de Cauſis erigendarum Bibliothecarum.

§. 1. Bibliotheca ἔμψυχος & mortua. 2. Bibliothecæ nomen πολύσημον. 3. Bibliothecæ publicæ, privatæ, 4. Hæ cum delectu & ſine diſpendio rei familiaris inſtituendæ. 5. Aldi Manutii & Joannis Cordeſii ſtudium Bibliothecarium. 6. 7. Pinelli de ſtudio nummario judicium. 8. Bibliotheca Principum. 9. Ludovici Jacobi de Bibliothecis Pariſinis gloriatio. 10. Bibliothecarum inſtitutio maximè ad curam Principum & Magiſtratuum ſpectat. 11. Prima Bibliothecæ erigendæ occaſio & cauſa ab ACTORUM PUBLICORUM CUSTODIA. 12. Exemplo Ægyptiorum, Phœniciorum, Sinenſium, probatum. 13. Archiva olim dicebantur Athenaica vel Athenica. 14. Athenæum celebre Romæ auditorium. 15.

MSti

MSti Codices, qui ad ſtatum Reipublicæ pertinent, plurimi in Bibliothecâ Vaticanâ, 16. Auguſtâ, 17. Mazarinianâ, 18. Putcanæâ, 19. Pinellianâ. 20. Secunda cauſa STUDIORUM AMOR. 21. Principes Bibliothecarii. 22. Ducis Brunſuicenſis Auguſti laus. 23. Privatorum βιβλομανία non omninò reprehendenda. 24. Librorum uſu mulctari pœna maxima. 25. Tertia cauſa UTILITAS PUBLICA. 26. Bibliothecæ ad uſum publicum pateant. 27. Viri docti magnos è MStorum præcipuè lectione fructus capiunt. 28. Id exemplo Sirmondi & Salmaſii oſtenditur. 29. 30. Bibliotheca optima magnum ad eruditionem parandam eſt præſidium. 31. Principum vanitas in congerendis Bibliothecis etiam literatis prodeſt.

QUi Hiſtoriæ literariæ penetralia perreptavit, verè quod de Longino olim dicebatur βιβλιοθήκη ἔμψυχος dici poteſt: Quem nemo ſibi titulum acquirit, niſi è mortuis Bibliothecis ſe ipſum Bibliothecam vivam fecerit. Utriusque Bibliothecæ quidam nexus eſt. Bibliotheca ἔμψυχος dici non poteſt, niſi qui mortuas probè excuſſerit. Bibliotheca verò mortua erit, cujus rectioni non præficiatur βιβλιοθήκη aliqua ἔμψυχος. Elegans ille luſus eſt Leonis de S. Joanne, qui ſcripſit Ideam Bibliothecæ viventis & mortuæ ad Henricum Memmium, cujus libri vel titulo tàm præclaram Memmii Bibliothecam, quàm ipſum laudabat, teſte Ludovico Jacob. *Tr. de Biblioth. p. 544.* 1

Ut ad BIBLIOTHECARIAM *rem* tandem accedamus, ſciendum eſt, Bibliothecæ nomen eſſe πολύσημον, nam vel numerum librorum ſignificat, vel ipſum illum locum, in quo libri ponuntur, qui & Apotheca JCtis dicitur *l.* 12. §. *33. ff. de inſtructo vel inſtrumento legato.* Solent & tituli librorum, uno aliquo libro congeſti, Bibliothecæ nomine ſalutari, quales Catalogi ſunt, vel libri multarum rerum copiâ inſtructi, ut Diodori & Apollodori Bibliotheca; vel multi Autores in unum aliquod ſyſtema collecti, ut Bibliotheca Patrum. Huc referri debet, quod à Monachis, aliisque ævi infimi Scriptoribus Bibliothecæ nomine Vetus & Novum Teſtamentum vocetur. Ita Durandus lib. 6. Rational. cap. 1. n. 27. *Bibliotheca à Græco nomen accepit, & eſt nomen æquivocum, ſcil. locus, in quo libri reponuntur, & volumen ex omnibus libris V. & N. Teſtamenti ab Hieronymo compoſitum.* Vid. du Freſne in Gloſſario, hâc voce. Ridicula erat Calviſii Sabini è ſervis Bibliotheca, de quo Seneca *ep. 27.* 2

Sed illa ad rem adeò non pertinent: Veniamus ad Bibliothecas ipſas, quales 3
vel privatæ ſunt vel publicæ. * Illæ, quanquam in molem tantam non excreſcant 4
ut publicæ: ſunt tamen etiam inter privatos viri illuſtres & opulenti, qui in libris omnis generis coëmendis nullis parcunt ſumtibus. Quorum βιβλομανίαν reprehendit Seneca *Ep. 2. & 45. & de Tranquill. animi c. 9.*, ridet Lucianus in libello πρὸς ἀπαίδευτον καὶ πολλὰ βιβλία ὠνούμενον, & Auſon. *epigr. 43.* Sunt ita animati nonnulli ut

- - - - - magno de flumine malint

Quàm de fonticulo tantundem ſumere:

cum vaſtioris Bibliothecæ minor interdum uſus ſit, quàm ejus, quæ ſelectis paucioribus

 bus

bus libris conſtat. Quo de argumento legatur elegans Rolandi Mareſii nona libri
primi epiſtola. Ita ille eo in loco: *Ad doctrinam quidem comparandam quin lectio-
ne opus ſit, nemini dubium eſt: ſed & attenta meditatio & accurata naturæ & rerum,
quæ ob oculos verſantur, quotidianorumque eventuum conſideratio non minoris fortè eſt
utilitatis: modò prima diſciplinarum elementa hauſeris, & optimos ſcriptores ſaltem
deguſtaris: quâ in re tamen multùm peccari video: Non ſatis enim apud nos medi-
tamur, quod nihilominus facile & ubivis exercere licet: ſed omne noſtrum ſtudium in
libris legendis impendimus, memoriamque variâ rerum ſupellectile ornamus, judicii
nulla ferè cura: & ſolum quod quis dixerit retinemus, non quare dixerit judicamus.*
Coëmendi ſunt à privatis libri, non quibus opus habent, ſed potiùs neceſſarii. Pre-
tioſi illi, magna Volumina, ad ornatum interdum Bibliothecarum potiùs ſpectantia, ad
Bibliothecas publicas referendi: minutiores verò libri, rariores, ſingularis argumenti,
5 qui ſe oculis emptorum facilè ſubducunt, præ ceteris comparandi. * Ultra privati
ſanè ſortem ALDI MANUTII junioris Bibliotheca æſtimanda eſt, qui octoginta millia
librorum Piſanæ Academiæ legaſſe memoratur Franciſco Schotto in *Itinerario Italico
lib. 2. cap. 10.* Sed ille rem familiarem omnem in Bibliothecam imprudenter conſum-
pſit. Refert enim in Pinacothecâ ſuâ Janus Nicius Erythræus, adeò modicis Aldum
illum fuiſſe facultatibus, ut illi neceſſum fuerit aliquot centum aureorum ad transfe-
rendam familiam fœnori ſumere; quo ex ære alieno vix unquam liberari potuit.
6 * JOANNI CORDESIO, Eccleſiæ Lemovicenſis Canonico, magna quoque in cumulan-
dis libris fuit cupiditas, quam tamen ita temperavit, ut in ſtatu Eccleſiaſtico vivens,
plus tamen non impenderet, quàm accepti rationes paterentur. Genium tamen ſuum
defraudavit ſæpè, ne hâc voluptate excideret. Legi de eo Gabrielis Naudæi elogium
7 debet, quod Bibliothecæ ejus Pariſiis editæ præmiſit. * PINELLUS quoque, ut Gual-
dus in ejus vitâ teſtatur, non ferebat privatorum in coacervandis nummis, gemmis,
naturæ rarioribus, inſaniam, opes ſuas, in fortunarum ſuarum detrimentum, exhaurien-
8 tium. * Principi & nobilibus vel centum librorum Bibliothecam ſufficere poſſe,
ad omnes artes & ſcientias, quantum ſatis eſt, addiſcendas, oſtendit MATTÆUS VAYE-
RUS in *Epiſtolâ* ſingulari *Scholæ ſuæ Principum* Gallicâ linguâ ſcriptæ ſubjunctâ, in
9 quâ de titulis rerum & legendi ratione prolixè diſſerit. * In ſolâ Galliâ, imò in
Pariſinâ urbe ſolâ, plus Bibliothecarum privatarum eſſe, quàm in Germaniâ aliiſque
regnis LUDOVICUS JACOBUS dicere non veretur in tractatu ſuo *de Bibliothecis*, quem
tamen paulo jactantius hic loqui crediderim; nam numerus illarum minor eſt
ceterarum illarum numero, quas indiligenter tamen & ſegniter congeſſit: rudis
enim illarum nomenclatura eſt; & aliorum fide transſumpta, cum in Gallicis Biblio-
thecis ornandis magno cum apparatu elogiorum & verborum, teſtis præterea oculatus,
verſetur. Sed condonandum hoc affectui in Patriam eſt. Multi in Galliâ inter pri-
vatos ſunt regiis penè opibus, quibus facilè eſt theſauros illos librarios colligere. *
10 Sola pertinet hæc ad generoſos & beatos gloria: Inter quos cum familiam ducant
Principes & Magiſtratus, illis cura hæc incumbit rei proſpicere publicæ. Etenim ſi
armamen-

armamentaria exſtruimus, quibus belli tempore ſe defendant adverſus injuriam cives; ſi penus & promptuaria inſtruimus, ut vitæ neceſſitatibus ſubveniatur; quidni & Bibliothecas colligamus, quibus animos paſcamus, & ad ſapientiam excolamus: quemadmodum armis ad fortitudinem corpus & nervos firmamus. Ejus inſtituti ac conſilii cauſæ cum & multæ ſint & graviſſimæ, eas hic quaſi per σύνοψιν diſpiciamus.

Ac prima quidem & antiquiſſima librorum colligendorum occaſio fuit ab ACTORUM REIPUBLICÆ COLLECTIONE *ac* CONSERVATIONE, quæ certo quodam in loco cuſtodiri debebant. Etenim cùm publicè intereſſet, conſervari rerum geſtarum memoriam, primum quidem negligentius in gente adhuc rudi, majori deinde cura in illam incubuerunt. Nam ſculpturis, picturis, ſaxorum inſcriptionibus, antiquiſſimâ illâ & primævâ maximeque naturali communicandi res ſuas viâ, omnia, vel denique rudibus quibusdam elogiis & hymnis ad poſteros transmiſerunt. Quod de Germanis noſtris teſtatur Tacitus, quorum carminum inquiſitionem diligentiſſimam promiſerat in Germaniæ Antiquitatibus Aventinus, ut ex ſyllabo argumentorum Operis prodromo patet. Sed nihil penè & valdè exigua eorum veſtigia in Annalibus Bojaricis deprehendas, quibus uberiora ſperare nos vetat Ciſnerus eorum editor. 11
* Apud Ægyptios Sacerdotibus hoc negotium dabatur, ut referrent omnia in literas. 12
Apud Chaldæos itidem hoc fiebat, imò apud ipſos Hebræos, de quo videatur Joſephus libro contra Apionem, & Maſcardus *dell' arte hiſtorica trattato* 1. *cap.* 1. & 2. Unica certè illa apud Chinenſium populum & prima cura fuit: nam referente Martinio lib. 1. *Fuit & eſt etiamnum genti huic uſitatum, ut doctiſſimis aliquot Philoſophis Imperatoris defuncti res geſtæ conſcribendæ à ſucceſſore mandentur: Quod munus apud ipſum cum primis eſt honorificum, & à ſummis quibusque viris expetitum. Hinc Hiſtoria Sinica ita ſibi ſemper ſimilis continuatur, ut, quanquam ab alio ſit atque alio ſuccedentibus annis adaucta, unius tamen autoris eſſe opus videatur. Prima & antiquiſſima hiſtoria ſtylo ferreo foliis inciſa: poſteà verò chartis inſcripta vel impreſſa typis. Lieupangus Imperator cum Ingum viciſſet, referente eodem Martinio lib. 7. Siachous vir conſultiſſimus, ſpretis divitiis omnibus, quæ in manu ejus erant, muſeum ſummi magiſtratus ingreſſus, inde tabulas imperii geographicas & libros, in quibus particulatim omnia provinciarum peculiaria & munitiora loca, reditus & hominum numerus accuratiſſimè repræſentabantur, ſecum abſtulit atque ſervavit. Ex his deinde Lieupangum omnem imperii ſtatum adeò ſcienter edocuit, ut omnes, & præcipuè Lieupangus admiraretur, undè tanta rerum ei notitia: Quem proin Imperator honoribus ac divitiis auxit amplioribus, quam ſi civitatis unius gazam omnem ſolus acquiſiviſſet, ditior è libris unius, quàm milites omnes à prædiis.* Vel ex hoc illuſtri videmus exemplo, his præcipuè ſcriptis, quæ ad Rempublicam pertinent, primùm fuiſſe inſtructas Bibliothecas, quæ *Archivorum* nomine poſteà dictæ fuerunt, cùm ſepararentur publica illa ab aliis
rebus. * *Chartarium* ſequioribus temporibus dictum eſt, ubi ſervabantur Epiſtolæ. 13
Olim *Athenaica*, vel, ut Salmaſio emendatori placet, *Athenica* dicebantur, in quibus reponebantur literaria monumenta, ut Epiſtolæ & Orationes Ducum Imperatorumque,

que, Ephemerides Principum & Senatus conſulta de Principibus facta, & alia ejus ge-
neris, ut docet nos Salmaſius in notis ad illa Trebellii Pollionis in triginta Tyrannis,
vitâ Regiliani, ubi de Epiſtolâ quâdam Claudii loquitur, *quam ego*, inquit, *repertam in
Archivis inſerendam putavi, ſuit enim publica.* Atque ita emendatum ab ineptis li-
brariis erat, cum MSti Codices pro *Archivis* habeant *Athenicis*, nam Athenica in Ar-
chiva mutaſſe videntur, inquit Salmaſius, quibus Archiva notiora, quàm Athenica;
14 quam iſtius ſeculi vocem genuinam eſſe ille judicat. * Athenæum aliàs Romæ fu-
it celebre auditorium, in quo Oratores, Rhetores, Poëtæ publicè recitarent, ubi viden-
tur illa acta fuiſſe recondita. Unde vel Athenæis, vel Athenaicis, id eſt, armariis
iſtius Athenæi, vel Athenicis legendum; quod ultimum ut genuinum probat Salma-
ſius. Mihi equidem non diſplicet Athenaicis: cum hoc nomine apud Græcos multa
dicantur, quæ ad Athenas pertinent, ut feſta Ἀθηναϊκά, quibus poculum circumfereba-
tur, quod παναθηναϊκὸν dicebatur. Ita & Ulpia Bibliotheca libros habebat, quibus
Aureliani Imperatoris quotidiana erant perſcripta, teſte Vopiſco in ejus Imperatoris
vitâ. Hoc conſilio olim Ariſtotelem Bibliothecam inſtituiſſe Conringius de Biblio-
thec. Auguſt. probat pag. 84. & de Apellicone Teio Peripatetico ex Athenæo lib. 5.
cap. 14. patet, omne illum ex civitatibus, ſi quid eſſet antiquum vel reconditum, cor-
15 raſiſſe. * Eadem & Bibliothecæ Vaticanæ fuiſſe initia ex Onuphrii Panvinii libel-
lo, quem de Bibliothecâ Vaticanâ ſcripſit, diſcimus; Hilarius Papa primus, quod le-
gerim, Bibliothecas duas Romæ juxta fontem Lateran. ædificavit, in quibus Eccleſiæ
Romanæ ſcripta & Epiſtolas decretales Romanorum Pontificum, Conciliorum actio-
nes, hæreticorum palinodias & hæreſes, ſanctorumque Patrum libros publico uſui
Chriſtianorum conſervaret: cum eo tempore libri, ob paucitatem & librariorum ra-
16 ritatem, difficulter admodum invenirentur. * In Bibliothecâ Auguſtâ 200. MSti
Codices de *arcanis negotiis Germaniæ & aliorum regnorum*, teſte Conringio, aſſervan-
tur. Ad hunc finem reſpexiſſe cum illo Chinenſium Imperatorum Conſiliario Sia-
choo Viros quoque illuſtres Reipublicæ gubernandæ admotos, è Bibliothecarum Scri-
17 ptoribus diſcimus. * Magnum earum rerum theſaurum in incomparabili illâ Ma-
18 zarinianâ fuiſſe notius eſt, quàm ut hîc commemorari â nobis debeat. * Incredi-
bile eſt, quot quantaque rerum Gallicarum arcana congeſſerit Petrus Puteanus, Regis
Chriſtianiſſimi Conſiliarius, de quibus volupe eſt legere in vitæ ejus deſcriptione Ni-
colaum Rigaltium. Vide illum p. 50. 51. Habuit Memorialium ſeptingenta & ſexa-
ginta quinque Volumina Puteanus, ſuâ pleraque manu ſcripta. Titulos aliquot illo-
rum recenſet à pag. 64. ad. p. 71. Rigaltius, qui Catalogo hæc verba ſubjungit: *Indi-
cavi titulos tantum & lemmata. Qui volumina conſpexerit, mirabitur talia tanta
19 ſcripſiſſe hominem tot amicis quotidiè vacantem, & valetudinarium.* * Quàm di-
ligens eorum aſſervator fuerit Vincentius Pinellus, in vitâ ejus Gualdus refert: nam quic-
quid arcanorum, relationum ad ſtatum Venetum pertinentium corradere potuit, con-
geſſit, ac per vaſtos libros digeſſit. Quod cum ſciret Senatus Venetus, cùm poſt mor-
tem ejus libri Neapolin tranſportandi eſſent, manum MStis illis injecit, ac in Biblio-
thecæ

thecæ publicæ peculiari conclavi repoſuit cum hâc inſcriptione: *Decerpta hæc imperio Senatus è Bibliothecâ Pinellianâ.* Sua enim intereſſe exiſtimabant, ne illa ſtatûs arcana in peregrinas manus venirent. Fuere autem CCC. commentarii. Facit & Ludovicus Jacobus, Tr. de Biblioth. pag. 498., mentionem Jacobi Amelotii, qui magnam vim tractatuum Politicorum & Memoriarum MStarum ad ſtatum Regni Gallici pertinentium congeſſerit. Hanc ob cauſam credo & Bibliothecæ cura iis, quibus Hiſtoriæ vel ſcribendæ vel legendæ munus dabatur, data eſt, ut de Academiis quibusdam obſervat Hotting. *in Biblioth. quadripartit. cap. 1. n. 1.*

Poſt cauſam, quæ ex neceſſitate videtur nata, ad Bibliothecas erigendas incita- 20
runt ipſe STUDIORUM mentisque excolendæ AMOR, & φιλοβιβλία, qualis in Re-
gibus nonnullis deprædicari ſatis nequit. * Inprimis verò Ptolomæorum familiæ 21
proprium id ſtudium fuit, & aliis quoque Imperatoribus, Regibus, Principibus noſtri
ſeculi, quorum hic magnum dare Catalogum poteramus. * Vel unius AUGUSTI, glo- 22
rioſæ memoriæ, Brunſuicenſium Ducis, ſingularis ac incredibilis ille ardor deprædicari
ſatis nequit, qui digniſſimum virtutis præconem nactus, τὸν πάνυ Conringium in E-
piſtolâ *de Bibliothecâ Auguſtâ* ad Illuſtriſſimum Boineburgium ſcripta, quâ ille, nec
ſine ratione, ſupra omnes Regum Principumque ſimiles impetus hos labores extollit.
Septem enim illic argumenta recenſet, quæ admiranda vocat, unde Bibliothecæ illius
dignitas & Autoris ſimul æſtimari debeat. Verè ille Bibliotheca mortuæ ſuæ ἔμψυ-
χος, imò ipſa ejus anima; verusque, quod in magnâ laude ponendum eſt, Bibliothe-
carius. Ipſe, quod mireris, tot librorum indices, ſpiſſa volumina, ut eò cognitiora
haberet omnia, ſuâ manu ſcripſit; ipſe pulcherrimâ ſerie diſpoſuit, quæ vel privati
hominis fatigare patientiam poſſint. Continuos ejus pro Bibliothecâ augendâ labo-
res, vigiles per omnia terrarum oculos, ſtudia indefeſſa ſummis elata laudibus vide:
neque enim illa nobis recoquenda. * Ignoſci privatis debet, ſi hâc diſcendi cupi- 23
ditate abrepti cum rei ſuæ familiaris jacturâ hîc inſaniant. * Etenim ſi unquam, 24
hoc cum ratione inſanire eſt: Quâ multos ita abductos vidimus, ut vel genium fraudarent, quo animum his deliciis paſcerent: * Aliqui vel vitam ſibi acerbam exiſtimarunt, ſi libris ſibi carendum foret, ut igne & aquâ ſibi interdici tolerabilius habuerint, quam librorum facere jacturam. Quod pœnæ genus non ignoravit Tiberius, qui, referente Suetonio, *in Tib. cap. 61.* quibusdam cuſtodiæ traditis, non modò ſermonis & colloquii uſum, verùm etiam ſtudendi ſuſtulit poteſtatem. Alphonſus Rex, teſte Sylvio *in libro de dict. Alphonſi*, ſolâ lectione recreatus è morbo convaluit. Coraſius, JCtus magni nominis, in *Epiſt. quæſt. c. 18.* omne vitæ ſolamen, vivendi deſiderium ſibi ablaturum dicit, qui libros veteres ſibi amicos adimeret. Eleganter & planè ſupra illius, quo ſcribebat, ſeculi genium, Lucas de Penna in Rubr. C. de navicular. *Liber eſt lumen cordis, ſpeculum corporis, virtutum magiſter, vitiorum depulſor, corona prudentum, diadema ſapientum, gloria honorum, decus eruditorum, comes itineris, domeſticus amicus, collocutor & congerro tacentis, collega & conſiliarius præſidentis, vas plenum ſapientiæ, myrothecium eloquentiæ, hortus plenus fructibus, pratum floribus diſtin-*

ctum, principium intelligentiæ, memoriæ penus, mors oblivionis, vita recordationis; vocatus properat, juſſus feſtinat, ſemper præſto eſt, nunquam non morigerus; rogatus confeſtim reſpondet; ſincerus conſultor, non aſſentatur, non loquitur ad gratiam, nemini parcens, quia neminem timet; nihil mentitur, quia nihil poſcit: te nunquam faſtidit, etiamſi tu illum faſtidio habeas: arcana revelat, obſcura illuſtrat, ambigua certiorat, perplexa reſolvit, contra adverſam fortunam defenſor, ſecundæ moderator, opes adauget, jacturam propulſat; puteus inexhauſtus, theſaurus immenſus, ærarium inconſumptile, paradiſus, unde ejici non potes, niſi cum volueris: amœnitas frugifera, quâ frui poſſis, quamdiu velis; doctor gratuitus, faciens te gnarum, ſi reperit ignarum. Ceterùm Elogiorum illorum magnam ſilvam vide in Richardi Bury *Philobiblio cap. 1. & 2.*

25 Præter hæc UTILITAS quoque PUBLICA eſt, quæ librorum collectionem ſuadet. Quemadmodum enim proventus & agrorum fructus congerere ſolemus; ita ingeniorum veluti meſſes in his cuſtodire horreis debemus. Qui ſunt tàm ſtolidi populi, ut patriæ ſuæ fruges reditusque perire ſinant, & ingeniorum opes reſcindant,
26 unde maxima genti gloria, civibus commoda? * At amplas aliqui poſſident Bibliothecas, publicæ quoque inſtitutæ ſunt, ſed non in aliorum uſum. Nimirum quaſi ſcenæ tot libri inſerviunt, oculos tantùm moraturi, non animos ſaturaturi. Cui bono theſaurus abſconditus? Ergò in tinearum & blattarum gratiam tot opes impenduntur, tot libri colliguntur. Galli in eo liberales, apud quos vel privatæ Bibliothecæ ad publicos uſus conceduntur. Bodleiana Oxonienſis ſingulis diebus patet. Quæ
27 tamen ſecretiores ſunt, commendatione Patronorum expugnari poſſunt. * Manuſcriptorum non adeo facile copia dari ſolet. Eſt ubi invidia illam negat; eſt ubi furti metus peregrinos arcet. Nullos ea in re præter Anglos difficiliores ſe ſenſiſſe queritur in præfatione ad Polybium Gronovius. Solet verò uſus tam Manuſcriptorum, quam impreſſorum, certis quibusdam legibus concedi, quæ Bibliothecis ſingulis ſingulares eſſe ſolent; quarum aliquæ à nonnullis notatæ ſunt. Utilitatem hanc commendatum iverunt viri doctiſſimi. Extat Anton. Sanderi diſſertatio parænetica pro inſtituendâ Bibliothecâ publicâ Gandavenſi ad Magiſtratum & proceres ejusdem urbis, ubi argumentis omnibus rem agit. Quibus cautelis legibusque uſus Bibliothecæ ſit circumſcribendus, docuit Naudæus in librô ſæpius laudatô, de Bibliotheca inſtruenda cap. 9. Fructus verò hinc redundare uberrimi ad viros doctos poſſunt.
28 * Non potuiſſet tam varia, tam vaſta Opera ſcribere Sirmondus, niſi Petavianam Bibliothecam ad manus habuiſſet, & rariſſimos, qui in eâ ſervantur, MStos codicès
29 excutere potuiſſet, teſte Ludovico Jacobi, Tr. de Bibl. p. 552. * Quantum Salmaſio profuerit Bibliotheca Heidelbergenſis, legas in vitâ Salmaſianâ, Epiſtolis ejus præfixa; Hæc enim prima tam vaſtæ eruditionis jecit fundamenta. Operæ pretium eſt verba Autoris ipſius in medium proferre: *Salmaſius admiſſus in interiorem Jani Gruteri amicitiam, & liberrimus ei ad locupletiſſimam Bibliothecam patuit aditus. In eam itaque ſe condit, & evolvendos partim, partim conferendos cum editis, aut ſi editi non eſſent, & majoris momenti viderentur, ad transſcribendos Græcos Latinosque codices MStos ſe*

accinxit

accinxit: Atque eâ quidem pertinaciâ, ut non diem tantum, ſed & noctem, huic curæ impenderet, & ex tribus unam ſemper inſomnem duceret. Toto mane ferè una ſemper cum Grutero operam hanc navabat: à meridie per aliquot horas ambulationibus ſe invicem atque eruditis ſermonibus recreabant, ne quod otium ſine negotio abire ſibi Claudius noſter permitteret. Tum iterum Salmaſius ad penſum ſuum, Gruterus domum reverti ſolitus. Quia etiam id juris in Bibliothecam jam acquiſiverat Heros noſter, ut in Muſéis quoque, quos vellet codices, ſecum perlegendos aut deſcribendos adduceret; ita factum pauciſſimis menſibus, ut eruditionem acquireret plane incredibilem, & famæ nominis ejus non Germaniam tantùm univerſam, ſed & Belgium noſtrum & Gallias pervagaretur, & pro Grutero jam Salmaſius undique de dubiis ac conclamatis apud omnis generis autores locis conſuleretur. Ille vero, jam tum eruditionis variæ admodum & diffuſæ copiis inſtructus, nunquam non pleniſſimè iis ſatisfecit, & ſupra exſpectationem quoque lautiſſimis doctrinæ & polymathiæ ſuæ epulis ſatiavit. Superſunt tùm in ipſius Muſéo, tùm apud amicos maximorum virorum literæ, quibus ſuper variis admodum & difficillimis locis in Stephani dictionario, Floro, Callimacho, Theocrito, Athenæo, Heſichio, aliisque graviſſimis Autoribus, ſententiam rogatur. * Vel unicô hoc exemplô luce 30
meridianâ clarius patet, nullum eſſe ad meliorem eruditionem parandam præſidium, quam optimam Bibliothecam.

Ille quanquam ſemper reſpici uſus debet, ſæpe tamen potius in pompam & ad 31
magnificentiam oſtendendam inſtituuntur Bibliothecæ. Domitianus ipſe, hoſtis alias bonarum mentium & virorum ſapientum, Bibliothecas tamen incendio abſumptas impenſiſſime reparari curavit, exemplaribus undique petitis, miſſisque Alexandriam, qui deſcriberent emendarentque. Eadem cauſa Cleopatram ad reparandam Bibliothecam Alexandrinam impulit. Sed ignoſcendum huic morbo eſt, per quem aliorum ſaluti proſpicitur. Longè enim honeſtius, ſi inſerviendum eſt magnatibus, in Bibliothecarum inſtructionibus, quam in magnificis ſubſtructionibus, ſpectaculis, epulis, & innumeris aliis perdendarum opum inſtrumentis, inſanire. Quicquid hîc impenditur, in reipublicæ bonum cedit, cum cetera, vel perituræ voluptati, vel inutili vanitati, cum civium detrimento impendi ſoleant.

CAP. IV.
DE MEDIIS ERIGENDARUM BIBLIOTHECARUM, deque earum ornatu.

§. 1. Integræ Bibliothecæ primùm pro Fundamento amplioris Bibl. coëmendæ. 2. Tabernæ viſitandæ. 3. Familiaritates cum Bibliothecarum poſſeſſoribus eorumque heredibus contrahendæ. 4. Catalogi excutiendi, & vitarum ſcriptores, unde Operum ineditorum notitia habetur. 5. Pinelli mira ſagacitas. 6. Emiſſarii alendi. 7. Officinæ opificum chartis & membranis utentium perluſtrandæ. 8.9. Indices Librorum publici, Francofurtenſes & alii, perquirendi. 10. Autoritas

publicorum munerum libris parandis ſubſidio eſt. 11. Exemplum Richardi de Bury. 12. Amicitiis virorum doctorum augentur Bibliothecæ. 13. Ornatui Bibliothecæ detrahendum in Bibliothecæ augmentum. 14. Bibliothecæ è legatis ditantur. 15. Oxonienſis Bibliotheca legatis magnificentiſſimis erevit. 16. Theatrum Scheldonianum. 17. Fuggeri in Heidelbergenſem liberalitas. 18. Veneta Cardinalis Beſſarionis legato inſigniter locupletata. 19. Luctuoſi & inhoneſti Bibliothecas augendi modi, per ſpolia bellica, 20. exemplo Vaticanæ, quæ Heidelbergenſis, 21. Vindobonenſis, quæ Budenſis jacturâ creverunt, 22. per furta, exemplo Didaci Mendozæ Venetam compilantis. 23. De facto illo disquiritur. 24. Furta Bibliothecaria nonnullorum in uſum publicum. 25. Typographiæ beneficio Bibliothecæ noſtri temporis longè auctiores redditæ ſunt. 26. Ornatus Bibliothecarum. 27. Imagines & ſtatuæ in illis. 28. Optimus à chartâ & typis ornatus. 29. Chartæ & typorum ornatu Germania à Belgio & Italia ſuperatur. 39. Nimius librorum nitor non arguit librorum heluones. 31. Librorum nitor in Bibliothecis publicis non negligendus.

1 VIdimus de cauſis, ob quas Bibliothecæ inſtitui ſolent: diſpiciamus jam *de* MODIS, quibus ad earum exſtructionem perveniri ſoleat. Comparantur Bibliothecæ *per emptionem*, cum vel integræ emuntur, vel ſingulares libri. Præſtat verò integras, ut fundamentum, ſubſternere noſtræ, quam ſparſos hinc illinc libros colligere. His initiis Illuſtriſſimæ Bibliothecæ ad eam magnitudinem excreverunt. Ita Franciſcus de Joyeuſe ex tribus aliis, inter quas Pithæana, ſuam collegit & confecit, teſte Ludovico Jacobi p. 524. Idem de Bibl. Auguſtâ teſtatur Conringius.
2 E Simeonis Boſii Bibliothecâ ſuam inſtauravit Cordeſius. * Ut vero cum lucro & commodo noſtro coëmantur libri, variæ artes obſervari debent: nam vel viliſſimæ tabernæ viſitandæ interdum ſunt; è quibus ipſe ſæpe, quæ non credideram, extraxi.
3 * Familiaritas contrahenda cum heredibus hominum doctorum, præcipue indoctis; à quibus vel libri manuſcripti, vel ab ipſis ſcripti, ſed propter ſingulares cauſas ſuppreſſi,
4 ſæpe comparari poſſunt. * Tales libri multi notati ſunt in vitis virorum illuſtrium, qui latitant paſſim apud heredes, ſed in lucem rarò protrahuntur, ac ſæpe in rapaces aliorum manus incidunt. Ubi jam nobilium exercitationum Libri I. C. Scaligeri, quos Robertus Conſtantinus editurus erat, teſte Michaële Neandro in præfatione luculentâ, Græcæ Linguæ erotematibus præmiſsâ, pag. 222.? Ubi ſunt libri familiarium exercitationum, quos integros dare ſe poſſe teſtatur Mauſſacus in præfatione Commentariorum Scaligerianorum in Hiſtoriam animalium Ariſtotelis ab ſe editorum? Ubi Opus ejus in Officia Ciceronis, quod editurum ſe illic promiſit? Ubi ſunt Originum libri CXX, quos ipſe Scaliger ob molem edi poſſe deſperavit? & plura alia, quæ illic à Mauſſaco recenſentur. PINELLUS mirè in libris illis conquirendis ſagax fuit, de
5 quô in vitâ ejus Gualdus p. 41. hæc habet: * *Ut Bibliothecam ſuam, quam in oculis ferebat, quotidie locupletaret, hanc ſibi inter alias rationem propoſuerat, ut à literatorum, qui diem nuper obiiſſent, heredibus librorum indices compararet, è quibus omnia ea perdiſceret,*

diſceret, quæ ſibi in Bibliothecam eſſent transferenda: Quod tamen rarò admodum accidit, cùm haud æquè dominis ac ipſi nota eſſent, quæ in cujusque Bibliothecâ latitabant. In his verò perquirendis quàm fuerit accuratus, declaratum volumus unico hoc exemplo. Vir Clariſſimus Venetus vitâ functus eſt. Libros aliquot magni nominis MStos ille diu in deliciis habuerat, quos Pinellus divenditos redemit, & cum ejusdem Bibliothecæ reliquias bibliopola neſcio quis, ſchedas videlicet, atque alia hujus generis coëmiſſet in gratiam ſalſamentariorum, re compertâ illico hic noſter nobiles illuſtrium virorum epiſtolas perire non eſt paſſus. * *Emiſſarios ille habebat, quorum induſtriâ ex Orci* 6
faucibus ſæpe ſæpius eripuit inſignium virorum literales labores. * *Cribrorum, Cym-* 7
balorum & Cithararum artifices, quod non modicam vim membranarum in artificium ſuum abſumerent, ſingulis ſaltem menſibus à ſuis conveniri volebat, & id optimo, ut plurimum eventu. Novi Viros doctos, qui magnam MStorum Codicum ſupellectilem eodem artificio congeſſerunt, exiguis nummis; qui ſi à peritis æſtimandi, magno pretio venirent. Notum enim eſt, quanta MStorum Codicum ſit æſtimatio, de quorum caritate legi Gabr. Naudæus addit: ad Hiſtoriam Ludov. XI. p. 86. & ſqq. poteſt. Ita Sirmondus pro 50. Imperialibus magnam copiam MStorum à Bibliopego redemit, ut videre eſt apud Ludovicum Jacobum Tr. de Biblioth. p. 525.

Notitia eſto præcipuorum per totam Europam librariorum, aut hominum, qui 8
noſtri cauſa omnia Bibliopolia & Typographéa perreptent; qua ſagacitate nemo eundem Pinellum ſuperavit, de quo hæc in vita ejus Gualdus: *Inſtruxerat ille præclaram hanc diſcendi cupiditatem, ope multorum, qui eadem voluptate afficerentur. Hos non in Italiæ Europæque urbibus modo, ſed & in oppidis vicisque ſelegerat, quorum induſtria continenter uteretur, ad quos Epiſtolas ſchedulasque oportune miſſitaret:* Catalogi omnium nationum, omnium Bibliopolarum, evolvendi & inquirendi. De la Croix du Maine à primâ juventute vaſtiſſimos catalogos, ut librorum notitiam haberet, congeſſit, ut teſtatur ipſe in præfatione Bibliothecæ ſuæ Gallicæ, & Ludovicus Jacobi pag. 673. & 674. Ita de Pinello Gualdus: *Nundinarum Francofurtenſium Venetorumque Bibliopolarum librarios, quotquot erant, indices ſedulo perluſtrabat, & ab amicis, qua Italicis, qua Transalpinis omnia diligenter in Bibliothecæ ornamentum percunctabatur. Si quid Romæ, Florentiæ, Pariſiis, Antvverpiæ, Auguſtæ Vindelicorum, Venetiis & alibi Pinellianâ Bibliothecâ dignum prodiret, non deerant, qui vix dum edita volumina & quaterniones aliquando è prælo recentes Pinello miſſitarent.*

Non parum etiam juvare ſolet illum librorum cumulandorum ardorem, ſi ſigni- 9
ficemus aliis noſtra Bibliothecæ erigendæ conſilia, præſertim, ſi in autoritate aliqua conſtituti ob munus publicum, vel officiis ac humanitate noſtra multos nobis devinxerimus. * Talibus ſæpe ultro offeruntur aut donantur, quæ aliis magno labore pre- 10
tioque conſtant, quod exemplo RICHARDI DE BURY probat Naudæus. * Is cum 11
fuerit Cancellarius & Theſaurarius Angliæ, brevi temporis ſpatio rariſſimos ſibi libros collegit. Ita ipſe Richardus in Philobiblio, quod appendicis loco epiſtolis philologicis Goldaſti additum eſt, cap. 8. *Succedentibus proſperis Regiæ Majeſtatis conſecuti*

 notitiam,

notitiam, & in ipſius acceptati familiam, facultatem ſuſcepimus ampliorem ubilibet viſitandi pro lubitu & venandi quaſi ſaltus quosdam luculentiſſimos, tum privatos, tum communes, tum regularium, tum ſecularium librarios. Præſtabatur nobis aditus facilis, Regalis favoris intuitu, ad librorum latebras liberè perſcrutandas; amoris quippe noſtri fama volatilis jam ubique percrebuit, tantumque librorum & maxime veterum ferebamur cupiditate langueſcere, poſſe vero quemlibet per quaternos facilius, quam per pecuniam, adipiſci favorem. Quam ob rem ſuprà dicti Principis autoritate ſuffulti poſſemus & obeſſe & prodeſſe, proficere & officere; vehementer tam majoribus quam puſillis affluxerunt loco encæniorum & munerum locoque donorum & jocalium cœnulenti quaterni, ac decrepiti codices noſtris tam aſpectibus quam affectibus pretioſi; tunc nobiliſſimorum monaſteriorum aperiebantur armaria, reſerabantur ſcrinia & ciſtulæ ſolvebantur. Operæ pretium eſt legere, quæ illic plura habentur rei literariæ ſtrategemata, non nitido quidem ſtylo, ſed erudite tamen ſcripta.
12 * Quo ſpectat converſatio quotidiana cum diverſarum artium profeſſoribus, quos beneficio ſibi devinxerat: *Tales*, inquit, *in noſtro tirocinio commilitones elegimus: tales in thalamo collaterales habuimus: tales in itinere comites, tales in hoſpitio commenſales: & tales penitùs in omni fortunâ ſodales.* Pinelli quoque Bibliotheca vehementer augebatur libris, quos mittebant ii, quibuscum amicitia illi intercedebat: *Vidimus*, inquit Gualdus, *doctorum hominum pleroſque, egregios dico & nominis magni, ad ſuam dignitatem pertinere arbitratos Muſéum Pinelli exornari commentario quoquam è ſuis.*
13 * Facilius quoque ementur libri, ſi detrahatur ſumptibus neceſſariis, qui ad ornatum librorum ſpectant, & ſi libri rariores, quales pretio immani ſolent vendi, non ſtatim coëmantur, ſed occaſioni commodiori reſerventur; ea quoque, quæ minus utilia ſunt relinquantur, quod pulchrè monet Naudæus pag. 112. 113.

14 Ut non ſine onere ad Bibliothecas pervenimus per emptionem, ita gratius & lucroſius eſt *per legata & donationes* bibliothecas obtinere; quomodo multæ publicæ creverunt.
15 * Bibliotheca Oxonienſis penè tota ex legatis & donationibus ampliſſimis congeſta eſt, certatim liberalitatem ſuam teſtantibus Viris totius Angliæ nobiliſſimis, quorum memoria hôc beneficiô immortalis. Conſignata illa ſunt omnia ab ANTONIO WOOD in *Hiſtoria & antiquitatibus Oxonienſibus*, ubi de Collegiis omnibus eorumque Bibliothecis agit, præcipuè lib. 2. p. 48. & ſqq. Varia illic Bibliothecæ Humphredianæ fata recenſet, quæ partim compilationibus doctorum, partim occaſione motuum in Religione, tota extirpata eſt, ut reliquiæ ejus vel in foro publico combuſtæ, vel Bibliopegis, Chirothecariis, Sartoribus ad uſus ſordidos divenderentur. Cui tandem ſucceſſit THOMÆ BODLÆI Armigeri ſplendidiſſimâ liberalitate Bibliotheca, quæ ab ipſo nomen hodieque obtinet, maximis aliorum acceſſionibus locupletata.
16 * Fidem verò omnem ſuperat inuſitata Archi-Epiſcopi Cantuarienſis GILBERTI SCHELDONI magnificentia, qui ſumptu planè regio Theatro novo, quod ab ejus nomine *Scheldonianum* dicitur, Academiam hanc ornavit, cujus memorabilem hiſtoriam ibidem lib. 2. p. 25. proponit.
17 * Bibliothecæ Heidelbergenſis pretium ab ULRICI

FUG-

Fuggeri liberalitate crevit: Quæ cum primum ab Ottone Henrico Electore dedica-
ta fuerit, aucta eſt egregie ſub Friderico quarto hujus viri acceſſionibus, ut facilè li-
bris manuſcriptis, Hebraicis, Græcis, Latinis, & quidem potiſſima ſui parte authenticis,
omnem provocaret Europam, teſte Jano Grutero (is enim ſub nomine Gualteri lati-
tat) Chronici Chronicorum Politici lib. 2. ubi Academias recenſet pag. 1257. Idem
lib. 2. Chronici Eccleſiaſtici pag. 1316. *Ulricus Fuggerus, Raimundi filius, literarum
literatorumq; admirator unicus; qui Palatinatui præter inſignem Bibliothecam, mille ali-
quot voluminibus MStis Græcis, Latinis, Hebraicis ſpectatiſſimam, quindecim aureorum
Rhenenſium legavit millia, inſtruendis quinque ſtudioſis.* Proceſſit hujus viri inſignis
liberalitas ex inexhauſto illo ſummi arcani phyſici fundo, cujus poſſeſſorem monumen-
ta quædam ab illo ſcripta teſtantur. * Veneta Bibliotheca legato Cardinalis Beſſa- 18
rionis anno 1468. inſigniter locupletata eſt acceſſionibus Franciſci Petrarchæ & Hieron.
Alexandri, Ludov. Jacob. pag. 133.

Atque hi omnes parandorum librorum modi legitimi: luctuoſi ſunt aut inho- 19
neſti, cum è manibus hoſtium, vel *ſpoliis*, aut *furtis* illi comparantur, è quibus non
paucæ Bibliothecæ creverunt. * Ipſa Vaticana Heidelbergenſis Bibliothecæ inte- 20
græ, ut fama eſt, direptione aucta eſt. Quanquam aliqui, qui in notitiam ſecretiorum
Bibliothecariorum penetrarunt, negant ejus quicquam ad Bibliothecam publicam per-
veniſſe, ſed per Cardinalium privatas Bibliothecas fuiſſe diviſam; ac oſtendi quidem
capſas clauſas, in quibus libri reconditi dicuntur, eas tamen eſſe vacuas. * Non va- 21
cat recenſere Bibliothecas, quæ bello interierunt, vel ad alios Dominos pervenerunt:
Sola illa Matthiæ Hunniadis incomparabilis Bibliotheca, incomparabili univerſæ Eu-
ropæ damno, partim â Turcis diſtracta, partim ad Cæſaream Vindobonenſem & Au-
guſtam Guelferbitanam translata luctuoſiſſimum ejus exemplum præbet: Niſi fortè
damnum hoc ſolantur Budæ nuper recuperatæ literaria ſpolia, (e) de quibus publicis
relationibus nunciatum fuit. Vix tamen perſuadere mihi poſſum, veterem illic Bi-
bliothecam reſiduam; cum de ejus jacturâ Braſſicani Epiſtola Salviano ab ipſo edito
præfixa abundè teſtetur. Magna exquiſitiſſimæ Bibliothecæ Pinellianæ pars in Pira-
tarum Turcicorum manus incidit, qui cum prædæ opulentioris ſpe fruſtratos ſe vide-
rent, omnes libros mari ſubmerſerunt.

Ut Bibliothecæ integræ in ſpolia cedunt, ita per furta inſidiæ MStis codicibus 22
ſtrui ſolent, qui vel planè ſubducuntur, vel mutilantur etiam à viris doctis. Quare
præ

(e) De Spoliis Literariis Budenſibus conſuli meretur Julii Pflugii, Eqv. Saxonici, *Epiſto-
la ad Vitum Ludov. Seckendorfium, præter fata Bibliothecæ Budenſis, Librorum quoque,
in ultima Urbis expugnatione repertorum, Catalogum exhibens.* Cujus, in Catalogis
Nundinalibus promiſſa, cum mentionem *h. l.*, nec non *Cap. VII.* §. 29., ac *Cap. XVII.* §.
34. à Morhofio factam eſſe Autor obſervaſſet, incentivis iſtis Viri Summi animatus, Jenæ
illam in 8vo, eodem, quo *Polyhiſtor* Morhofianus lucem videre cœpit, Anno 1688, edidit.
Refert autem ille, Jacobum etiam Tollium, Profeſſorem Academiæ Duisburgenſis In-
clytum, de eadem Bibliotheca, ejusque Reliquiis, Scriptum aliquod Juris facere voluiſſe
publici.

præ ceteris à rapacibus unguibus ſecretius cuſtodiri ſolent, nec facile ad eos admitti, niſi quorum explorata fides eſt. Onerat hoc crimine Didacum Mendozam, Caroli V. apud Venetos Oratorem, Schockius in *oratione quarta de libris & Bibliothecis*, cujus illic ingenioſum furtum recenſet: *Ut ornare poſſet Bibliothecam, quam animo moliebatur, legatos à Beſſarione Theſauros expilavit, & quidem tam ſubtiliter, ut jurare auſim, nunquam furem aliquem doctius furtum perpetraſſe. Ad ſuos jam redierat gratus hoſpes, antequam aut perſentiſceret Reſpublica, aut quis ex Bibliothecæ procuratoribus. Nam armaria, ex quibus MStos & membranaceos codices abſtulerat, aliis vulgaribus & ejusdem propemolis libris replevit, ne ante deprehenderetur furtum, quam ſpecioſa ejus*
23 *ejurandi foret ratio.* * Hæc ille, neſcio cujus autoris fide, tradit: quæ tamen apud alios legere me non memini. Neſcio, an & in nomine erratum ſit (*f*): nam Didacum ille vocat, quem alii Jacobum Hurtadum de Mendoza, qui in Beſſarionis illis MStis, Venetæ Reipublicæ donatis, deſcribendis operam ſumtusque impendit, teſte Claudio Clemente in Hiſtoria Bibliothecæ Scorialenſis; cujus hæc verba: *Græcis Exemplaribus partim conquirendis in mediâ Græciâ, partim è Beſſarionis Cardinalis Nicæni Bibliothecâ deſcribendis, operam ſumtusque impendit. Navem præterea Græcis calamo exaratis libris onuſtam à Turcarum Imperatore obtinuit: moriens legavit Regi ſuam Bibliothecam, refertam plurimis & vetuſtis illis codicibus Græcis, Latinis, Arabicis, tàm impreſſis, quam Manuſcriptis.* Franciſcus tamen Schottus part. 2. Itinerarii Ital. cap. 10., Didacum Hurtadum Mendozam vocat, Cæſaris olim apud Venetos Legatum, qui nave quâdam libris MStis plenâ Bibliothecam Scorialenſem auxit.
24 * Minùs reprehendendi tamen videntur, qui publico bono interdum compilarunt Bibliothecas ab invidis celatas & ad uſum denegatas. Fecit hoc Matthias Flacius Illyricus, qui, teſte Melchiore Adami in ejus vitâ, diſſimulatâ perſonâ & habitu in Germaniâ Monaſteriorum Bibliothecas perluſtravit: quos commodè potuit, hiſtoricos clam abſtulit, atque iſto adminiculo librum, qui Catalogus teſtium veritatis inſcribitur, confecit.

25 Hactenus de modis, quibus congeri Bibliothecæ poſſunt, qui nunc hoc ſeculo feliciores ſunt & faciliores, quam olim fuerunt. Magnis enim impenſis pauca volumina deſcribebantur: At nunc Typographiæ beneficio vaſta volumina, & numero longe majore, modicis etiam ſumtibus, comparari poſſunt, ſi cum antiquis illis comparentur. Nam quanquam librorum in veteribus Bibliothecis ad aliquot centum millia excreſcat numerus; ſciendum tamen eſt, eorum molem cum noſtris minimè eſſe comparandam, quod & in Epiſtola *de Bibliotheca Auguſta* docuit *Conringius.*

26 Ut DE ORNATU aliqua dicamus; quandoquidem & illa ad rem Bibliothecariam pertinent; notandum eſt, nimium vel loci, ubi conduntur libri, vel ipſorum libro-

(*f*) Scrupulus de Mendozæ prænomine, ab Autore motus, neminem turbabit, qui cogitaverit Nomen *Jacobi* Latinum, & *Didaci* Hiſpanicum, unum idemque eſſe, uti recte jam à Celeb. Tenzelio, *in Dialogis Menſtruis Germanicis, M. Jan. A.* 1689, *p.* 15. 16. ad *h. l.* eſt monitum.

librorum ornatum eſſe ſupervacuum; vel quod inutiles impenſæ ſint, meliùs in ipſos
libros impendendæ, vel quod ſpecioſior ille librorum habitus non ſit ad durationem
& perennitatem inſtitutus. Quod ad locum illum attinet, ubi conduntur libri, de ejus
culturâ & ornatu apud veteres multa Lipſius & Conringius in laudatâ ſæpius Epiſtolâ
pag. 141. & ſequentibus. * Optimus ille imaginum ornatus fuit: ſolebant enim 27
Virorum doctorum effigies vel ſculptæ, vel gypſatæ, vel pictæ in parietibus repræſen-
tari, ut corporum ſimulacra in ſtatuis & picturis, quemadmodum animorum imagines
in libris, oculis obſervarentur: Quod vel Marci Varronis vel Aſinii Pollionis inven-
tum meritò laudat Plinius l. 35. c. 2. Videri quoque ad hanc rem Edmundus Figrelius,
de ſtatuis in Bibliothecis poſitis, poteſt cap. 24. libri de ſtatuis. Ineſt vel imagini &
umbræ aliqua ingenii ſuperſtitis lux, quæ excitare ſpectantium oculos & animos poſ-
ſit: Quos ſumptus aliqua ex parte levant, qui hodie integra volumina talium
imaginum æri inciſarum in lucem dederunt. Qui vero aliis picturis ad rem
literariam non pertinentibus ornatus impenſas augent, inepti ſunt; Quod in Biblio-
thecâ Vaticanâ factum videmus, in cujus picturis enarrandis & deſcribendis Angelus
Roccha & Mutius Panſa inanem operam poſuere. Qui ornatiſſimæ externo illo cultu
Bibliothecæ ideam deſcriptam volet, legat luculentam illam Bibliothecæ *μυριοβίβλου*
omni apparatu inſtructæ expreſſionem apud Creſollium *Vacat. Autum. libr.* 1. *cap.* 6.,
ubi inter alia de lucernis Bibliothecariis âgit. De librorum ornatu apud veteres le-
gendus eſt Hermannus Hugo in librô de primâ ſcribendi origine, & Bartholinus libro
de legendis libris diſſertat. 4. * Apud nos eorum elegantia vel à typo & chartis 28
eſt, vel ab externo ornatu. Ac verum quidem eſt, amplitudinem chartarum & ele-
gantiam typorum multum facere ad commendationem libri, quod Eraſmus quoque
notavit Chryſoſtomi edens Opera l. 28. Epiſt. 4. *Non parum conciliant gratiæ, &
lectorem alioqui faſtidioſum ceu lenocinio quodam invitant. Externa ſunt iſta fateor,
ſed ea tùm demum fatebor pro nihilo ducenda, ſi ſordida veſtis, illota facies, impexus
capillus, nihil obſcurant bonæ formæ gratiam, ſique nihil eam commendant cultus & ho-
neſta mundities.*

In his Germania olim noſtra curioſiſſima, quæ cum typos prima inveniſſet, 29
eos dedit quàm ornatiſſimos; cum hodie multis in locis adeò ſordida excudat volu-
mina, ut, ſi ad chartam ſpectes, ſterquilinio videantur effoſſa; ſi typos, non impreſſa,
ſed atro colore oblita credas. Dedit Italia, Belgium, & nunc Gallia, venuſtos admo-
dum & concinnè formatos libros, quorum etiam exterior ſpecies legentis oculos oble-
ctat. * Alioqui librorum nitor nimius poſſeſſori pudorem excuſſerit. Rectè enim 30
Eraſmus lib. 31. Ep. 29. *Non hi mihi libros amare videntur, qui eos intactos ac ſcriniis abdi-
tos ſervant, ſed qui nocturnâ juxtà ac diurnâ contrectatione ſordidant, corrugant, con-
terunt, qui margines paſſim notulis, hiſque variis, oblinunt.* * In Bibliothecis tamen 31
publicis nitide ac à ſordibus immunes ſervandi ſunt, non tamen ita ornandi, ut vide-
antur quaſi in ſcenam & theatrum producti, nec ad uſum quotidianum comparati.
Optimus rei literariæ conſultor Rol. Mareſius *lib.* 1. *Ep.* 34. vehementer nimium iſtum

E cultum

cultum improbat. *Non valdè*, inquit, *afficiunt me ornamenta, nec magnoperè curo, ut volumina pellibus pretioſiſſimis & nitidiſſimis etiam magnâ ex parte unicoloribus veſtiantur, aliisque rebus exornentur, quæ cornuum, umbilicorum & bullarum vice ſint, quæ antiquitas uſurpavit; quod equidem non culpo in opulentis & principibus viris, qui ad pompam & oſtentationem omnia ferè agunt.* Inter Bibliothecas ornatas refert Ludovic. Jacobi Bibliothecam Domini de Longueil pag. 529. it. Domini de Urfe pag. 671.

CAP. V.

DE ORDINE BIBLIOTHECARUM, deque earum Everſionibus.

§. 1. Nulla ſine ordine Bibliotheca eſt, aut eſſe debet. 2. Croix de la Maine ordo improbatur, ut confuſus & inconcinnus. 3. Mabuni inepta Bibliothecæ diſtinctio. 4. 5. 6. Hottingeri, Friſii, Pinelli methodus. 7. Naudæi ordo in Bibliothecâ Cordeſianâ laudatur. 8. Bœcleri Bibliotheca Politica. 9. Fogelii ordo in Bibliothecâ phyſicâ. 10. Bibliotheca Auguſta à bono Catalogorum ordine laudatur. 11. Bibliothecæ Thuanæ inſignis diſtributio. 12. Syſtema Bibliothecæ Collegii Pariſienſis Soc. Jeſu laudatur. 13. Dn. Bailleti induſtria ſingularis in Bibliothecâ Lamonianâ ceteris præfertur. 14. Angelici Aproſii Bibliothecâ. 15. 16. Spizelii & Reiſeri deſignatio Bibliothecæ univerſalis. 17. Idea Petri Blanchot. 18. Bibliotheca Principum & pauperum univerſalis. 19. Everſio Bibliothecarum à furore militari. 20. 21. Exempla Bibliothecæ Fuldenſis, Chinenſis. 22. A barbarie & ruditate hominum. 23. A ſuperſtitione. 24. Hinc Peruvianorum Hieroglyphica monumenta combuſta. 25. Aliqua ex iis de Origine Americanorum conjectura. 26. Exempla plurium Bibliothecarum per ſuperſtitionem & motus in Religione exſtirpatarum. 27. Magna vis Poëtarum Lyricorum à Græcis Monachis Chriſtianis combuſta. 28. Bibliothecæ incendio fortuito ſublatæ. 29. Michaël Neander de Bibliothecis deperditis. 30. Ferretius amplum de iis librum promittit. 31. Julius Pflug librum de fatis Bibliothecarum molitur. 32. Meurſii Bibliotheca Græca & Attica.

1 Non juvat Theſaurus temerè congeſtus. Nam *quid habet pulchri conſtructus acervus*? Non prodeſt libros cumulare, ſi illis idoneè uti non poſſumus. Plus è cumeris modicis multi, quàm è granariis alii, depromant. Rudis indigeſtaque moles corporum nec ad ornatum, nec ad uſum eſt. Quò mihi cæmenta, tigni & lapides, ſi ex iis non ſtruatur ædificium? Quorſum incondita hominum turba, niſi in ordines ſuos diviſa ad aciem rectè inſtruatur? Series librorum ut ſcrupuloſa nimis eſſe non debet, & in portiunculas exiguas diviſa: ſic enim memoriam non juvat, ſed diſſipat, cui unicè tamen inſervire ORDO debet; ita nec rudis & ad quamcunque deſignationem inſtitui debet. Rei, ut naturæ ipſius, communem ordi-
2 nem ſequamur oportet. * Laborioſum nihilque profuturum opus eſt, cum CROIX

DE

DE LA MAINE in Bibliothecâ ſuâ ideam rerum ſecutus pluteos velut Locos quoſdam
communes, ſed malè ordinatos, diſponit, ſub quibus velut ſub ſuis titulis libri de ma-
teriâ iſtâ ſcribentes comparent. Hujus ille Conſilii ſui luculentam deſcriptionem
Regi Chriſtianiſſimo obtulit epiſtolâ ſingulari, quâ hortatur, ut Bibliothecam publicam
ad eum modum inſtruat, quod Exemplum privatorum Bibliothecæ ſequerentur. Hanc
ille ut Bibliothecam univerſalem venditat, unde unô obtutu ſolaque inſpectione com-
prehendi poſſint omnia, ſingulaque rerum ſcriptarum argumenta velut in ſedibus ſuis
habitent, & tanquam ex fodinis aurum, erui poſſint. Sed vehementer ille fallitur.
Nam quot ille pluteorum titulos confinxit, ſuo quodam ordine digeſſit, non ad con-
ſtitutionem artium & ſcientiarum inſtituto, quod memoriam gravat potiùs quàm juvat.
Deinde ſpeciales illi tituli vel anguſti nimis ſunt, vel nimis ampli, ſub quibus librorum
inæqualis eſſet & planè deformis diſtributio. Quàm enim indecorum eſſet, majores
minoribus libris interſperſos, ut greges compelli ſolent, ſimul conjungi. Si vel ſolas
ſeptem claſſes ſummas, ſub quibus ſpeciales tituli ponuntur, inſpicias, inepta omnia
ſtatim deprehendes. Primus ordo eſt de rebus ſacris & ad illas pertinentibus. Se-
cundus eſt de Artibus & ſcientiis. Tertius de deſcriptione Univerſi tàm generali,
quàm particulari. Quartus de rebus, quæ pertinent ad genus humanum. Quintus
de viris, qui bellicâ virtute inclaruerunt. Sextus de operibus divinis. Septimus de
diverſis memoriis. Quo ordine nil ineptius dari poteſt. Omnes artes &
ſcientiæ in unam Claſſem compinguntur, & quæ ad artes pertinent, ar-
gumenta temerario & inadæquato ordine ponuntur. Alibi ampla & univerſalia in
arctum compinguntur, alibi particularia per minores titulos & exiguos quaſi lanci-
nantur. Fuere & alii, qui ſuo quodam peculiari ſenſu libros diſtinxere. * *Johan-* 3
nes quidam *Mabunus*, cujus mentionem facit Naudæus, in tres claſſes Bibliothecam di-
viſit, ex verbis illis Davidicis: *Diſciplinam, bonitatem & ſcientiam docere*, quorum illa
Moralia, iſta Theoretica, hæc Aſcetica proponeret. * Diſtinguebat & *Hottinge-* 4
rus aliquando Bibliothecam in ὀνοματολογικὴν Linguarum, & πραγματικὴν rerum,
& ſub duabus illis claſſibus comprehendebat omnia. * Eſt & *Jacobi Friſii* metho- 5
dus aliqua, qui ad ordinem Alphabeticum revocat Autores, ſed tamen illos ratione ar-
tium & ſcientiarum diviſos, quem recenſet Hottingerus in Bibliothecâ quadripartitâ
part. 1. c. 5. * Eadem ratio à *Pinello* in Bibliothecâ ſuâ ordinandâ ſervata fuit, 6
quam Gualdus in vitâ *ejus pag. 27.* prolixè deſcripſit. Subnectit & ſuam peculiarem
Hottingerus, illis ceteris quidem longè accuratiorem, ſed ad minuta & ſpecialiſſima ſe
ultrà, quam par eſt, diffundentem, qualis in ordine librorum concinnando & operoſus
nimis eſt, & labores inquirentis auget. Faciliùs enim eſt in paucis patentioribus viis
aliquid inveſtigare, quàm in multis diverticulis. * Meâ quidem ſententiâ ordo in 7
libris collocandis obſervari debet, ſed non nimis anxius, & ſecundum ſeriem faculta-
tum & artium, parteſque majores illarum utcunque inſtitutus, ita tamen, ut ratio etiam
habeatur magnitudinis librorum. Cujus ordinis typum ſanè optimum & accommo-
datiſſimum dedit NAUDÆUS *in concinnatione Catalogi Bibliothecæ Cordeſianæ.* Exci-

piunt ergò juſtô ſe ordine 1. Biblici Scriptores Orthodoxi, Heterodoxi, primùm in folio, deinde in quarto, hinc in octavo. 2. Theologi Scholaſtici, Heterodoxi, itidem ſecundum magnitudinem librorum diviſi, ut & in ſequentibus claſſibus omnibus. 3. Bibliothecarii Scriptores. 4. Chronologi. 5. Geographi. 6. Scriptores Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. 7. Hiſtoriæ generalis. 8. Hiſtoriæ Græcæ, Barbaræ & Orientalis. 9. Hiſtoriæ Romanæ. 10. Hiſtoriæ Italicæ. 11. Francicæ. 12. Belgicæ. 13. Germanicæ. 14. Anglicæ. 15. Hiſpanicæ. 16. Africanæ. 17. Americanæ. 18. Virorum illuſtrium vitæ. 19. Rei militaris Scriptores. 20. Juris Civilis Scriptores. 21. Concilia, Juris Canonici & Politiæ Eccleſiaſticæ Scriptores. 22. Philoſophi, Mathematici & Medici. 23. Politici. 24. Literatores, Oratores & Poëtæ. Ex Bibliothecæ conditione ita ille diſtinxit librorum titulos, qui ſubdiviſiones aliquas pati poſſent, ſi vaſtior ipſa Bibliotheca eſſet. Quoniam Hiſtoricorum in illa copia fuit, ideo accuratior quoque earum diſtributio. Confer cum his ejusdem Naudæi Tractat. de inſtruendâ Bibliothecâ, cap. 7. pag. 132. Si Philoſophici & Facultatum libri plures ſint, in illis ordo ille obſervari poteſt, ut Generales ſemper præcedant particularibus, ſecundum ipſum doctrinæ ordinem. Sed nollem tamen ex iſtâ miſturâ deformem librorum ratione
8 magnitudinis poſitum. * BOECLERUS *Inſt. Polit. lib. 7. cap.* 4. ordinem Bibliothecæ Politicæ inſtituendæ exhibet, ad cujus imitationem inſtitui in aliis ſcientiis Bibliothe-
9 cæ poſſunt. * *Cl.* FOGELIUS parvamquidem ſed ſelectiſſimam rerum naturalium Bibliothecam, à Sereniſſimo Duce Hannoverano poſt mortem ejus comparatam, ſecundum materiarum ordinem, non habitâ magnitudinis ratione ſollicitè ordinaverat; (*g*) Quam ob cauſam Catalogus ille commendari poteſt. Sed melius tamen eſt, ſi ordinem, quem ratione formæ habent, libri ſervent, ratione materiæ utcunque habitâ. Nam catalogus Bibliothecæ realis ſeorſim conficiendus omnia facilè compenſabit, quæ ſunt errata. Quem ſi accuratum habeamus, non refert, quô ordine poſiti ſint libri,
10 modò ita ſecundum pluteos diſtincti, ut inveniri facilè poſſint. * Vehementer laudat Auguſtam Bibliothecam ob ordinem, non tam ex certo quodam poſitu, ſed
11 beneficio Catalogi alicujus realis ab ipſo Sereniſſimo Principe confecti. * Elegans illa Bibliothecæ Thuanæ diſtributio eſt à Clariſſ. Viris, Petro & Jacobo Puteanis, ordine Alphabetico primùm inſtituta, tùm ſecundum ſcientias & artes ab Iſmaële Bullialdo digeſta, & Pariſiis Anno 1679. à Joſepho Queſnel, Bibliothecario, edita, quæ exemplum abſoluti dare indicis poſſit: nam accuratiſſimâ ſerie in quâlibet parte libri diſpoſiti ſunt, ita ut in Theologis, Hiſtoricis & Patribus præcipuè & magnitudinis & ſeculorum, nationum quoque, habeatur ratio; quanquam & in ceteris idem, quoad fieri
12 poteſt, ordo obſervatur. * Mihi quidem ob eam cauſam accuratior videtur, quàm eſt illud Bibliothecæ Collegii Pariſienſis Societat. Jeſu Syſtema, Pariſiis, Anno 1678., in quarto editum. Etſi enim illud pluribus titulis ſpecialibus copioſius ſit, tamen

ſeries

(*g*) Eundem cum Mart. Fogelio Materiarum ſive Argumentorum Ordinem, magnitudinis Librorum incurioſum, in Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi diſponenda, ſecutus eſſe fertur Pet. Lambecius. Verum a Succeſſore ipſius, Dan. Neſſelio, is eſt immutatus.

ſeries illa Bibliothecæ Thuanæ multò mihi ordinatior viſa eſt. * Superare tamen 13
omnes induſtria DN. BAILLETI, Bibliothecarii Bibliothecæ Lamonianæ, videtur, qui judiciis de Autoribus Anno 1685. Pariſ. editis, Epiſtolam de Indice hujus Bibliothecæ priore à ſe confecto ſubjunxit, quâ univerſam ordinis ſui rationem luculentè exponit: Primum ordine alphabetico omnes libros digeſſit, non omiſſis etiam illis, qui in vaſtioribus voluminibus aliis commiſti continentur. Deinde in titulis ordinem Chronologicum & Geographicum obſervavit: Titulorum materias uberiores capitibus, capita paragraphis, paragraphos numeris, numeros articulis, & hos ſectionibus diſtinxit. In Titulis Regionum primo locorum Chorographiam ac Topographiam, deinde Religionem ac mores, tùm Eccleſiaſticam Hiſtoriam, poſteà Heterodoxiæ hiſtoriam obſervavit. Sequuntur rerum ſecularium in Republicâ geſtarum, Negotiorum civilium, Statutorum Scriptores, Hiſtoria literaria, ac denique Miſcellanea. Accuratiorem in Gallicis Scriptoribus ordinem ſecutus eſt, de quo illic plura unà cum aliis quibusdam monitis legi poſſunt. Jam alterum Indicem realem meditatur, quem quàm accuratiſſimum procul dubio daturus Autor eſt. * Quomodo Bibliothecam ſuam ANGELICUS 14
APROSIUS, Auguſtinianus, inſtituerit, non liquet: nam nihil ejus, quod ſciam, editum eſt. Magnifica ejus & planè invidenda elogia adferuntur à Gregorio Leti Italiâ regnante *part. 4. lib. 3. p.* 377, ubi plura ejus ſcripta memorabilis ſanè argumenti, mihi nunquam viſa, è Soprano de Scriptoribus Liguriæ recenſentur. Scioppius illum librorum helluonem vocat in fine animadverſionis in Voſſium de Vitiis Latini ſermonis. Producit idem Leti ex Abbate Libanoro pag. 379. locum, quo tomus ſecundus Bibliothecæ Aproſianæ citatur, quo multi continentur ab Hieron. Savanorolâ MSti libri; Quam ob cauſam aliasque ſupprimi illi libri hactenus videntur. * Deſignarat & SPIZELIUS 15
Bibliothecam quandam univerſalem, de cujus ordine ille in præfatione libri, cui titulus: *Bibliothecarum illuſtrium arcana retecta.* Addidit quoque hujus Bibliothecæ univerſalis ſpecimen. Sed ſolum ille Alphabeticum ordinem in Autoribus recenſendis ſecutus eſt; qui quidem non improbandus, ſed non ad uſum univerſalem ſatis inſtructus eſt, quod præcipuè requiri ſolet, & in quo ab aliis laboratum eſt: neque adèo deſperatus ille, ut Spizelio quidem viſum eſt, labor eſt, ubi jam ab aliis hujus Operis fundamenta jacta ſunt. * ANTONIUS quoque REISERUS *Hiſtoriam literariam & li-* 16
brariam, ſed patriam, meditatus eſt, *(b)* cui indicem MStorum Bibliothecæ Auguſtanæ præmiſit. Sed de deſignatione hujus Operis nihil quicquam edidit, & nunc unà cum Autore ſpes illa exſpiravit. * Edidit & PETRUS BLANCHOT Pariſiis Anno 17
1631. *Ideam Bibliothecæ univerſalis* tribus foliis ad mapparum geographicarum magni-

(b) Ant. Reiſerus non meditatus eſt Hiſtoriam Literariam & Librariam Univerſalem, ſed Civitatis tantum patriæ Auguſtanæ, ſicut ab ipſo Morhofio infra, *Cap. VII.* §. 26. recte traditur. Specimen illius eſt Catalogus Librorum, a Civibus Auguſtanis, ſive e Bibliotheca Auguſtana, Typiſve Auguſtanis, editorum, quem *Indici MStorum Bibliothecæ Auguſtanæ*, Auguſtæ A. 1675. in 4to edito, Appendicis inſtar ſubjunxit.

tudinem, quàm hactenus videre non contigit. De Ludovici Jacobi Bibliothecâ Univerſali infrà dicetur.

18 Qui Bibliothecam univerſalem in compendium trahere velint, duobus tribusque libris ex aliquorum Conſilio illam abſolverent. *Mattæus Vayerus*, ut cap. præced. 3. §. 8. diximus, centum librorum Bibliothecam Principi commendavit. At Agrippa non niſi duos commendat. Ita enim ille lib. 3. Epiſt. 31. *Duos tibi præcipuè legendos dabo; unum Latinum Plinium, alterum Græcum Plutarchum. Hi duo (crede mihi) præ ceteris ſufficiunt ad reddendum hominem in omni ſcientiarum genere utrâque linguâ doctiſſimum.* Guido Patinus, Vir lepidisſimus ſimul & doctisſimus, duos adjungit: Ita enim in Epiſtolarum Gallicâ linguâ ſcriptarum ſextâ: *l' Hiſtoire de Pline eſt un des plus beaux livres du monde: c' eſt pourquoy il à eſté nommé la Bibliotheque des pauvres. Si l' on met Ariſtote avec luy, c' eſt une Bibliotheque preſque complete. Si l' on ajoute Plutarque & Seneque, toute la famille des bons livres y ſera, pere & mere, ainé & cadet.*

19 CAUSÆ EVERTENTES *Bibliothecas* vel ex hominum *malitiâ*, vel ex *ſimplicitate* & *barbarie*, vel ex *ſuperſtitione*, vel ex *caſibus fortuitis* proveniunt. Non facilè credat aliquis, adeò *malitioſos* eſſe nonnullos, ut in Bibliothecas graſſari velint. Quod fieri tamen ſæpè vidimus vel ab hoſtium barbarie, vel militum inconſulto furore. Quot non ex antiquis Bibliothecis profanorum manibus direptæ perierunt?
20 Quæ non in ipsâ Germaniâ noſtrâ pasſim librorum ſtrages? * Non alio fato Fuldenſis monaſterii amplisſima veterumque librorum ad miraculum plenisſima, ac totius Europæ celeberrima, ut Melchior Adamus illam in Vitâ Franciſci Modii deſcri-
21 bit, periit. * Fuit inter *Chinenſes* tàm flagitioſæ ambitionis Tyrannus *Xius*, qui ut ſibi uni & ſoli laudem quæreret, omnes libros Sinicos exuri jusſit, ut priorum Imperatorum omnium exſtinguerentur memoriæ. Hujus tamen infamis facti aliam cauſam prætexuit, quam ſcitè expresſit Oratione *Liſuas*, Miniſter ejus primarius, ut videre eſt apud Martinum Martini *lib. 6. pag. 239.*, ubi hiſtoriam omnem recenſet, & artificium, quo aliqui vetuſtisſimorum librorum fuêre ſervati. Anus enim quædam libros diviſis paginis ad domus parietes agglutinavit, unde poſteà, velut Hippolyti membra, laciniæ illæ in libros collectæ, atque ita fatali flammæ ereptæ. Vidimus & apud Romanos in libros optimos ita ſævitum fuiſſe. Hoc ſcilicet Ariſtoteles, cum de optimâ politiâ diſputat, ait proprium eſſe Principum, qui animi ſui libidine potentiâ abutuntur ſuâ: μήτε χολὰς, μήτε ἄλλους συλλόγους ἐπιτρέπειν γίνεσθαι
22 χολαςικοὺς, *neque ſcholas neque conventus aliquos ſcholaſticos fieri concedere.* * Sæpè & *barbaries* & *ruditas* hominum evertit Bibliothecas. Quando enim gentes nullis literis & artibus aſſuetæ in libros incidunt, vel ſpernunt, vel ut inutilem ſarcinam
23 abjiciunt; quod ſæpè factum hiſtoriæ teſtantur. * Ex illâ ruditate, ſi Pietatis colore tincta ſit, *ſuperſtitio* oritur, quæ libris ob malarum artium aut corruptelæ metum
24 internecioni fuit. * Ea Peruvianorum vetuſtisſima monumenta literis Hieroglyphicis ſcripta, cum occuparent terras illas Hiſpani, quod Monachi imperiti pro characteribus

racteribus Magicis haberent, perdidit, teſte *Ynca Garcillaſſo della Vega*, qui Yncarum hiſtoriam, ipſe ex Regiâ familiâ oriundus, ſcripſit. Vehementer ille horum monumentorum jacturam deplorat, unde omnis gentis hujus origo peti potuiſſet. * Ego 25
in illam ſum opinionem adductus, ut ex Hieroglyphicorum uſu de origine totius Americanæ gentis judicari poſſe exiſtimem. Peruvianorum in Americâ Auſtrali, Mexicanorum in Septrentrionali, potentisſima gens eſt. Utraque Hieroglyphicis literis uſa eſt. Illa ab Ægyptiis vicinioribus, olim fortè in has terras delatis, illas habuit, quod cultus Solis utrique genti communis ſimiliter confirmare videtur. Hæc vicinos Chinenſes & Japonenſes habet, qui & ipſi hodieque Hieroglyphicis literis utuntur. Ut ergò ex his orbis noſtri partibus totus ille novus Orbis propagatus videatur. Accedit optimus politici regiminis utrobique ſtatus, qualis à cultioribus gentibus derivatus videtur, quodque illæ ipſæ Americanæ gentes externam originem antiquâ traditione profiteantur. Quæ barbaræ & ſylveſtres illic nationes ſuperſunt, incertis ab illis ſedibus jam olim divagatas credibile eſt. Sed nos alieno loco allatam conjecturam ulteriùs expendendam ſeponimus. Eam ob ſuperſtitionis cauſam libri Græci Latinique ſermonis per omnem Africam ſuperſtitioſi alicujus Caliphæ juſſu aboliti, narrante Joanne Leone lib. 1. Hiſtor. Africanæ. * Quot non Religionis disſidia 26
Bibliothecas & libros peſſum dedere! Rem enim DEO gratam facere ſe putarunt, qui hæreticorum inſtrumenta, libros extirparent. Selectisſima Bibliotheca Londinenſis, Carmelitarum meris MStis conſtans, à Reformatorum tumultu periit, referente Pitſeo. Idem Zelus optimam Franciſcanorum Bibliothecam in Angliâ, & in illâ incomparabiles Rogeri Baconis libros abolevit, teſte Antonio Wood in Hiſtoriâ & Antiquitatibus Oxonienſis Academiæ. In Galliâ periit per Reformatos Bibliotheca Abbatiæ de S. Dionyſio, ut refert Autor antiquitatum Pariſienſium, Anno 1640. editarum. Rami Bibliotheca in tumultu illo Lanienæ Pariſienſis miſerè disſipata, de quo extat querela Nancelii. In Ducatu Burgundico celebris Bibliotheca Ordinis Cluniacenſis, MStis libris plenisſima, per Calvinianos periit, teſte Lundorpio in Continuatione Hiſtoriæ Sleidani: item Petri Montaurei Bibliotheca præcipuè Mathematicis Græcis, majorem partem manuſcriptis, & ipſius Montaurei ſtudio emendatis, de quâ Thuan. ad Ann. 1572. * Su- 27
perſtitio nobis invidit pulcherrimos illos Lyricos Græcos, quorum ſingulare fatum notavit Paulus Colomeſius *in Cimeliis ſuis literariis, cap.* 15. ex Petro Alcyonio. Is enim in libro de Exilio, quem majori ex parte transſcriptum ferunt (quod obiter indicat) è M. Tullii libris de Gloriâ: *Audiebam Puer* (ita loquitur apud Alcyonium Joannes Medices, poſteà Leo X.) *ex Demetrio Chalcondyla, Græcarum rerum peritiſſimo, Sacerdotes Græcos tantâ floruiſſe autoritate apud Cæſares Byzantinos, ut integra illorum in gratiam, complura de veteribus Græcis Poëmata combuſſerint, inprimisque ea, ubi amores, turpes luſus & nequitiæ amantum continebantur, atque ita Menandri, Diphili, Apollodori, Philemonis Alexis fabellas, & Sapphus, Erynnæ, Anacreontis, Mimnermi, Bionis, Alcmanis, Alcæi carmina intercidiſſe: tùm pro his ſubſtitutæ noſtri Nazianzeni Poëmata, quæ etſi excitant animos noſtrorum hominum ad flagrantiorem Re-*

ligionis

ligionis cultum, non tamen verborum Atticorum proprietatem & Græcæ linguæ elegan-
tiam edocent. Turpiter quidem Sacerdotes iſti in veteres Græcos malevoli fuerunt,
ſed integritatis, probitatis & Religionis maximum dedere teſtimonium. Hæc ex illo
adducere prolixius viſum eſt, cum de cauſâ jacturæ illius non conſtet omnibus.
28 * Quæ non hominum culpâ, *caſibus* ſæpè *fortuitis,* incendiis, aquis, peſſum ivere Bi-
bliothecæ? quarum Catalogum nectere poſſemus, ſi juvet infandos renovare dolores.
Recentia ſunt & noviſſima exempla Bibliothecarum inſignium, quæ incendio Londi-
nenſi perierunt, Bibliothecæ Scorialenſis, in quâ MStorum copia maxima, privatarum
etiam, ut Cl. Thomæ Bartholini, qui jacturam ejus ſingulari libello de incendio Biblio-
thecæ ſuæ deploravit, damnaque tàm ſua quàm publica illic detexit; & noviſſimè He-
velii, cújus tot lucubrationes & machinæ cum incomparabili rei mathematicæ damno
perierunt. Recenſet & Ludovicus Jacobi in libro ſuo de Bibliothecis, p. 606. 629.
630. 631. 664. aliquas, quæ incendio abſumptæ: Ne quid nunc de veteri illâ Alexan-
drinâ, de Conſtantinopolitanâ, aliisque dicam, quarum in omne ævum jactura deplo-
29 randa eſt. * Si quem juvat etiam amiſſorum theſaurorum infelix memo-
ria, legat Michaëlem Neandrum, in doctiſſimâ illâ Præfatione, Grammaticæ
Græcæ Erotematibus præmiſſâ, ubi inter multa alia ad rem literariam ſpectantia agit
30 de Bibliothecis deperditis & noviter inſtructis. * Solari etiam deſiderium noſtrum
utcunque poterit, ſi in lucem aliquando prodibit JOANNIS BAPTISTÆ FERRETII, qui
Muſam lapidariam antiquorum publicavit, *Bibliothecarum deperditarum Opus,* quod
molitur, ut ex præfat. ad Lectorem in Muſam lapidariam diſcimus. Proponit illic,
ut promittit, non Bibliothecas tantùm, ſed & perdita Opera tàm Græcorum quàm La-
31 tinorum, in quô numerus ad centum millia aſcendit. * Fortaſſis etiam JULIUS
PFLUG, quem de *fatis Bibliothecarum* librum moliri Catalogus Francofurtenſis de an-
32 no 87. memorat, aliqua hujus argumenti proponet. * Meurſius jam olim *Bibliothe-*
cam Græcam, aliamque *Atticam* ſcripſerat, (*i*) ut ille in lectionibus Theophraſteis
cap. 1. & lib. de fortunâ Athenienſ. cap. 3. & 8., & præfatione Græciæ ludibundæ te-
ſtatur; quibus Græcorum & Athenienſium ſcripta etiam deperdita recenſuit, quæ
nunquam in lucem edita Opuſcula memini, neque eorum in Bibliotheca Belgica me-
minit Valerius Andreæ. De Bibliothecis deperditis videri etiam Spizelius poteſt in
diſſertat. præliminari Arcan. Biblioth. §. 12.

CAP. VI.
DE BIBLIOTHECARIIS ET NOTITIA BIBLIOTHECARIA PARANDA.

§. 1. *Bibliothecariorum olim ampliſſimum munus.* 2. *Sacerdotes apud Hebræos.* 3. *Demetrius Phalereus, Alexandrinæ Bibliothecæ præfectus.* 4. *Ejus ſucceſſores.* 5. *Bibliothecarii*

(*i*) De Joh. Meurſii Senioris *Bibliothecis Græca & Attica,* utrâque ἀνεκδότῳ, plura ſuggeret *Homonymoſcopia* noſtra, *Sect. IV, c. 3, §. 6, p. 909. 910.*

bliothecarii apud Romanos. 6. Bibliothecarii apud Francos. 7. 8. 9. Cancellarii, Notarii, Secretarii, Chartophylaces. 10. Magiſtri Bibliothecarum & Bibliothecarii differunt in Galliâ. 11. Cimeliothecæ, Gazophylacia nummorum addi Bibliothecis ſolent, quæ hodiè Muſéa vocantur. 12. Notitia Bibliothecaria quomodo paranda. 13. Notatur Verdierus, qui ſtudium Bibliothecarium improbat. 14. Autores de Bibliothecis. 15. Libri & monumenta antediluviana. 16. Columnæ Sethi. 17. Liber Enochi. 18. Poſtelli de eo magnificum judicium. 19. De ipſo omnia incerta. 20. Liber in Peireſcii Bibliothecâ hoc titulô non eſt Enochi, ſed alterius autoris. 21. Ludolphi de eo judicium. 22. Boulduci temeraria aſſerta. 23. Libri antiquiores poſtdiluviani. 24. Pentateuchus, an & libri ante illum. 25. Benjaminis Tudelenſis de Bibliothecâ primi & ſecundi templi traditio. 26. Bibliotheca Abyſſina X. mille librorum fabuloſa. 27. Salomonis libri abſconditi. 28. LXX. de Cabala commentarii Eſdræ. 29. Bibliothecæ Rabbinicæ. 30. Ægyptiorum magnificæ Bibliothecæ & ſtructuræ. 31. Chaldæorum antiquiſſima monumenta. 32. De Pſeudo-Beroſi antiquitatibus disquiritur. 33. Annius Viterbienſis defenſus à Thomâ Mazza & Fr. Macedo. 34. Bibliothecæ Perſarum aliarumque gentium. 35. Excerpta Bibliothecaria quibusvis literatis ſuadentur. 36. Excerpta Bibliothecarum quomodo inſtituenda. 37. Collectanea de Judiciis Autorum. 38. Laus Hieronymi Welſchii. 39. Ejus libri ad rem Bibliothecariam pertinentes.

SUbnectemus aliqua de BIBLIOTHECARIIS, qui Bibliothecæ vel curam habent, 1
vel illi operâ ſuâ inſerviunt: Quorum ampliſſima olim dignitas fuit. Deſtinabantur enim huic muneri rerum omnium interiore ſcientiâ præditi, qui & judicare bonos libros, & ex iſtis theſauris, velut è quibusdam horreis in publica commoda multa depromere poterant, & ſui etiam ingenii locupletare divitias, reipublicæ feliciter impendendas. * Apud *Hebræos* Sacerdotibus librorum ſacrorum 2
cura commiſſa fuit. Erant in Synagogis ὑπηρέται, qui librum legis cuſtodiebant, & ex eo prælegebant; quod in Eccleſiâ Chriſtianâ faciebant ἀναγνῶσται, qui erant è Diaconorum ordine, de quibus Grotius ad Lucam cap. 4. verſ. 20. * Præfuit *Alexan-* 3
drinæ Philadelphi Bibliothecæ Demetrius Phalereus, Vir doctiſſimus, Philoſophus, Orator præſtantiſſimus, Theophraſti etiam diſcipulus, (*k*) cujus hodiè aureus extat περὶ ἑρμηνείας liber, qui cum malè haberetur in patriâ: nam ſummâ apud Athenienſes florenti gratiâ, ut CCCLX ſtatuæ virtutis & meritorum ergò poſitæ ipſi fuerint, fortuna ita mutata fuit, ut in Ægyptum exulandum illi fuerit: Ubi amicis Regis Ptolomæi adſcriptus Bibliothecæ curam geſſit, & omni rerum copiâ abundavit. Huic incomparabili Bibliothecæ ut vivus quidem præfuit, ita plures tamen admiſſi ex omni-

(*k*) An Demetrius Phalereus Bibliothecæ Alexandrinæ præfuerit, verusque Libri περὶ ἑρμηνείας ſit Autor, adhuc ſub Judice lis eſt. Negant utrumque Philologi inter modernos plurimi atque ἐξοχώτατοι, quorum Indicem, & Argumenta haud contemnenda, *Homonymoſcopia* noſtra, *Sect. II, c. 3, §. 22. & 23, p. 297-303*, exhibet.

bus terris Viri docti, qui illic communi victu alebantur. Præfuerunt huic muneri olim in *Ægypto* Sacerdotes.
4 * Inſecuti poſtea Demetrium in iſto munere Viri doctiſſimi, è quibus fuit Zenodotus Epheſius, cujus mentio fit apud Auſon. *carm. 13. de Profeſſoribus Burdigalenſibus & præfat. in ludum 7. ſapientum.* Callimachus Cyrenæus, Poëta inter Græcos nobilis, cujus præclarum Opus de origine & migrationibus populorum, conditoribus & legibus urbium intercidit, quique libros penè infinitos ſcripſerat. Quemadmodum ſcilicet inter pecunias & theſauros verſanti facilè ex ipsâ adminiſtratione congeruntur nummi: ita inter libros ætatem conſumenti Viro Docto libros non ſcribere difficile eſt, cùm tot ante oculos poſitæ ſegetes ad meſſes & ſpicilegia invitare videantur. Hic à Jonſſio *de ſcript. Hiſt. Phil. lib.* 1. *c.* 18., ubi ſeriem præfectorum Bibliothecæ Alexandrinæ recenſet, omiſſus eſt. Statim enim ille Zenodoto Eratoſthenem ſubjicit. Etiam ille Cyrenæus fuit, Callimachi diſcipulus, à variâ doctrinâ πένταθλος dictus, & Philologi ſibi nomen vindicavit, teſte Suetonio *de illuſtribus Grammaticis, cap.* 10. Præfuit & huic Bibliothecæ Apollonius Rhodius, Vir ob Argonauticum carmen celeberrimus.

5 Fuere apud *Romanos*, etiam antequam Bibliothecæ ſtruerentur, quidam actorum publicorum & legum cuſtodes: aſſervabantur in æde Cereris plebiſcita ab Ædilibus plebis, à Quæſtoribus urbanis poſteà in ærario repoſita. Librorum, tabularum cenſura committebatur Ædilibus Curulibus, Triumviris executio in libros damnatos data, Cenſoribus quoque arbitrium in libros erat. Duumviri à Tarquinio creati libros Sibyllinos cuſtodiebant. Mutatâ Republicâ M. Varroni à J. Cæſare Bibliothecarum colligendarum negotium datum eſt, & Pompejus Macer ad ordinandas deſignatus. C. Julius Hyginus, ob antiquitatis notitiam Polyhiſtor vocatus, ab Auguſto Bibliothecæ Palatinæ præfectus. Videmus ergò jam ab omni ævo doctiſſimis, & qui erant ὑπείροχοι ἄλλων, Bibliothecas, ingeniorum, animorum & ſapientiæ theſauros, fuiſſe commiſſas.
6 * Apud *Reges Franciæ* dignitas illa non exigua erat, quam ſub Carolo M. obtinuit Gernandus. In Synodo Ticinenſi Anno 876. ſubſcribit Hilduinus, Abbas S. Dionyſii & Bibliothecarius Caroli Calvi. Fuit & Ebo, Archiepiſcopus Remenſis, Bibliothecarius, ut patet ex Caroli C. Epiſtolâ ad Nicolaum PP., ubi ait, illum à Parente Ludovico Pio, adhuc Aquitanico rege, fuiſſe conſtitutum.

7 Qui in *Eccleſiâ Romanâ* Bibliothecæ præerat, teſte Onuphrio Panvinio tractatu de Bibliothecâ Vaticanâ, *Cancellarius* vocabatur; cujus ille munus deſcribit: Bibliothecam & omnia ejus volumina accuratiſſimè cuſtodire; Bullas ſive diplomata, vel Epiſtolas decretales Pontificum, ſcribere, & ſi opus erat, dictare; Acta Conciliorum & Synodalia exſcribere & conſervare; tandemque apud Romanum Pontificem omnia præſtare, quæ ſedis Apoſtolicæ Cancellarii noſtro tempore faciunt. Erat verò olim Cancellariorum non iſta dignitas, quæ poſtea fuit; De cujus nominis primâ origine, variâque acceptione, dignitatis incrementô, legendi omninò ſunt Caſaubonus in Flavii Vopiſci Carinum loco illo: *Præfectum urbi unum ex Cancellariis ſuis fecit, quo fœdius nec cogitari potuit aliquid, nec dici;* Et Salmaſius, qui luculentius omnia excuſſit,

excuſſit, & in nonnullis à Caſaubono diſſentit. Comparari poſſunt, qui honeſtiore
ex iis loco erant, cum Scribis noſtratibus, aut qui à ſecretis ſunt. * Tum verò, cùm 8
Bibliothecæ præerant, *Archivariis* noſtratibus ſimiles erant: nam curæ actorum publi-
corum Bibliothecæ cura acceſſit, cum illa ab uno commodè ordinari potuerit. Adea-
tur Onuphrius Panvinius ipſo illo ſæpiùs citato loco, ubi ait: *Conveniens viſum fuit,
ut is potiſſimum eſſet Papæ amanuenſis, ſcilicet ſcribarum Princeps, vel à ſecretis, qui
etiam Pontificiam Bibliothecariam, quæ tunc erat, velut Cancellaria quædam, ſive ut
nunc loquimur, ſecretaria, tractaret: noſtris verò temporibus hæc munia ſunt diviſa.*
Idem Panvinius libro de Rebus Lateranenſibus Vice-Cancellarium Eccleſiæ Romanæ
ejusdem ſemper fuiſſe Bibliothecarium, & poſtremum, qui functus eſt utroque officio
ſub Bonifacio VIII. Benedicto II. & Clemente V, fuiſſe Papinianum, Epiſcopum Par-
menſem. Nam *Notarii* & *Secretarii* olim illi fuerunt cum Epiſcopis pari dignitate,
de quibus Leonardus Aretinus Epiſt. *lib. 5. pag. 225.*, ubi Secretarios honore & di-
gnitate excellentiores Advocatis eſſe contendit. Poſt hunc ait nullum Vice-Cancel-
larium præfuiſſe Eccleſiæ Lateranenſi, ſed Romanâ curiâ trans Alpes in Gallias à
Clemente traductâ, novâque Bibliothecâ Pontificiâ Avenione conſtitutâ, Vice-Cancel-
larii munus à Bibliothecario diſtinctum fuiſſe. Demum Sixtum IV. novâ in Vatica-
nô Bibliothecâ conſtructâ, officium Bibliothecarii à Sacriſtæ munere, cui adjunctum
fuerat, diſtinxiſſe.

Fuere & ſui Eccleſiis Cathedralibus Bibliothecarii, qui libros Eccleſiaſticos
cuſtodiebant, & literas & diplomata Epiſcoporum deſcribebant. Extat Valentiniani,
Valentis & Gratiani AAA. conſtitutio *lib. 14. tit. 9. Cod. Theod. de ſtudiis liberalibus
Urbis & Romanæ & Conſtantinopolitanæ*, quâ Bibliothecæ cura idoneis hominibus de
Clero committitur. Sed fuit chartarum & publicarum literarum cura & olim & po-
ſtea diſtincta. Qui Romæ fuerint Actorum publicorum cuſtodes, notum eſt. Le-
gendus eſt Bonifacius de Archivis c. 8. * Vocabantur in Eccleſiâ orientali *Char-* 9
tophylaces, qui & Bibliothecæ ſimul & Archivis præerant, de quibus legi poſſunt,
quæ Carolus de Freſne in Gloſſario ſuo congeſſit.

Apud *Gallos* diſtinguebantur nomina illorum, qui Bibliothecæ præerant; Sunt 10
enim in Regiâ Bibliothecâ *Maiſtres de la librarie*, & Magiſtri Bibliothecæ, Viri in illu-
ſtri dignitate conſtituti, & Bibliothecarii minores, de quibus Ludovicus Jacobi, *Tr. de
Biblioth., cap. 83.*, videri poteſt. Magiſtri Bibliothecæ fuerunt Guilielmus Budæus,
qui præterea libellorum ſupplicum Magiſter fuit, Petrus Caſtellanus, Petrus Montau-
reus, Jacobus Amiotus, Thuani, Pater & Filius, Hieron. Bignonius, celeberrima nomi-
na. Apud antiquos etiam ſervis hæc cura demandata fuit, deque illis Pignorius in
libro *de Servis p. 108. ſqq.* pluribus egit. De Bibliothecarii officio multa Hottinge-
rus in Bibliothecario quadripartito.

Solet quoque Bibliothecariæ curæ addi nummorum, marmorum vetuſtiorum 11
& rariorum naturæ collectio, ut omnia illa, quæ ad ingenii culturam pertinent, uno
loco congerantur. Quicquid enim vel rerum natura ſinu ſuo recondit, quicquid

temporum & ſeculorum characterem exhibet, ut marmora & nummi, illud cum ſcientiarum arcanis, quæ libris continentur, rectè conjungitur. De nummis, cimeliis, naturæ arcanis, catalogi non pauci extant. Qui naturæ rariora collegerunt, ſub nomine *Muſeorum* illa publicarunt, quorum enarrationem nniverſalem inſtituere voluit *Croix de la Maine,* teſte Ludovico Jacobi, Tr. de Biblioth. p. 674., quæ ut puto unà cum ejus Bibliothecâ univerſali, quam moliebatur, periit. Extant integri de naturæ rarioribus libri Calceolarii, Septalii, Aldrovandi, de quibus in phyſicis plura. Multa talia muſéa notavit Ludovicus Jacobi in Tractatu de Bibliothecis, & in Itinerario ſuo Monconiſius. Eſt & Italus aliquis, qui Muſeorum & Cimeliothecarum integram hiſtoriam promiſit. Sed de his ſuo loco.

12 Procedimus ad Bibliothecas ipſas, quas accuratiùs noſſe Bibliothecarius, id eſt literatus ac Polyhiſtor, debet. Cùm enim omnis doctrina vel per mortuos, vel per vivos magiſtros, propagetur, vivi facilè intereant, mortui immortales ſint, nec niſi per ipſos vivos magiſtros habeámus, neceſſaria illarum cognitio eſt Polyhiſtori. *Tenenda* ergo eſt omnis *Hiſtoria Bibliothecaria*, quæ his præcipuè abſolvitur capitibus: (1.) Cognitione Bibliothecarum priſci novique temporis, quæ olim extiterunt, hodieque ſuperſunt, publicarum, privatarum. (2.) Autorum, qui libros recenſent, collectione

13 & collatione diligenti: * Et quidem quod ad primum attinet, præmonendum eſt, inſanire illos, qui rei Bibliothecariæ ſtudium vituperant & diſſuadent, è quibus *Claudium Verdierum* nomino, Antonii filium, hominem propemodùm inſanum, qui in cenſione Autorum, audaci, ridiculâ & ſtultâ [nam in omnibus etiam optimis quærit, quæ notare poſſit] p. 168., miſerâ planè & jejunâ declamatione, omnem curam Bibliothecariam, ut rem inutilem, ſtolidis ac ineptis rationibus damnat. Non eſt operæ pretium nugis illis immorari: ſunt enim non ſani hominis verba, ſed furentis *μεμεθυσμένα ῥήματα.* Extremum dementiæ argumentum eſt, omnia quæ exquiſitioris judicii Viri aut invenerunt aut approbarunt, improbare. Ex hoc libro, ut ex ungue Leo, æſtimari voluit, æſtimanda ex unguiculis felis literaria.

14 Sed mittamus hominem, & quod res eſt, agamus. * *De Bibliothecis* antiqui novique temporis in univerſum aliqui *ſcripſere,* ſed ita ſcripſere, ut multa aliis poſt ſe commemoranda relinquerent. Sumſit ſibi argumentum hoc tractandum Ludovicus Jacobi, Carmelita, cujus jam ſæpiùs mentionem fecimus. Poſt illum Lomeierus, Galleſius, de quibus ſingulis peculiari capite judicium noſtrum exponemus. Propoſuerat quoque idem ſibi argumentum Joſephus Maria Suareſius, Vir doctiſſimus, cujus illa *τῶν βασιλικῶν* notitia hiſtorica extat, referente Ludovico Jacobi, Tr. *de Biblioth. c. 87. p. 613.,* cum quo ille communicaturum ſe promiſerat, quæ in Opere illo affecta habebat. Verum negotiorum mole oppreſſus non potuit extremam huic labori manum admovere, neque quicquam earum chartarum ad Ludovicum Jacobi pervenit.

15 Qui ab ovo Bibliothecarum hiſtoriam ordiuntur, cum ipſis mundi natalibus, cumque ipſo Adamo natam librorum ſcribendorum originem ajunt. Certum eſt jam ante diluvium fuiſſe aliquam rationem conſervandæ rerum memoriæ. Nolo hic adduce-

ducere, quæ de Adamicis literis ac monumentis nobis narrant Rabbini. * Columnas 16
à Setho fuiſſe poſitas ajunt, quibus artium principia fuerunt exſculpta, quarum alteram ſuo tempore in Syriâ ſuperſtitem fuiſſe Joſephus Autor eſt, *lib. 1. Antiqu. Judaic. c. 4.* Quod enim ab Adamo ipſo duas tabulas confectas quidam exiſtimant, quibus ſcripſerit initia creationis, lapſum hominum & promiſſionem divinam, atque has tabulas exiſtiment tanquam templum fuiſſe, certi loci ſignum, in quem ſolitus eſſet convocare ſuam Eccleſiam, & ubi ſacrificia facta ſunt, & recitata doctrina, illa, cum nullo autore certo dicantur, meritò inter conjecturas refert Cl. Bœclerus Exercitat. in Joſeph. Antiq. Judaic., ubi de Inventoribus primis artium, quorum apud Joſephum mentio fit, disquiritur. Jam ante diluvium in Reſpublicas coaluerunt hominum ſocietates: nam agnoverunt antediluviana Imperia Chaldæi vetuſtiſſimi, & recenſentur eorum nomina à Beroſo & Apollodoro, quod fragmentum Euſebio inſeruit Scaliger. Sunt & Ægyptiorum & Arabum Monarchæ ante-diluviani, de quibus vide Rupert. Obſ. in Beſold. Synopſ. c. 2. p. 16. & Marsham. in Can. Chronologici προκατασκευῇ. Ac diſtinguitur totum illud tempus εἰς χρόνον ἀβασίλευτον καὶ εἰς χρόνον βασιλέων, tempus ſc. illud, quo nulli erant Reges, cum inter familias adhuc ſubſiſteret Imperium, & illud, quo regnatum fuit. Non ergò veroſimile eſt, per tantum temporis ſpatium, totque annorum decurſum, ſine memoriis rerum actarum fuiſſe homines. Fuiſſe libros vel ex Judâ, Enochi librum citante, diſcimus. Ideoque & libri in unum collecti fuere.

Quod Enochi *librum* attinet, varia ſunt incertaque omnia, quæ de eo memorant: nam quæ hodiè ſuperſunt fragmenta, nemo facilè genuina credet, de quibus legi poſſunt, quæ habentur apud Bangium in *Cælo Orientis Exercit. 1.* Cun. *lib. 3. de Republ. Hebr. c. 1.* Druſium *in Henocho.* Dorſcheum *in diſſertatione de Prophetiâ Enochi.* Hackſpan. Diſp. *de Dæmonum Angelorumque nominibus.* Maderum *de ſcriptis & Bibliothecis Antediluvian.* Schotanum *in Bibliothecâ Hiſt. Sacræ de prim. mund. ætat. p. 83. & ſqq.* Heideggerum *in Hiſtoriâ Patriarcharum Exerc. 10.* ubi νοθεία fragmenti, quod Scaliger ad Euſebium produxit, undecim argumentis oſtenditur. Memorantur autem libri ab Enocho ſcripti diverſorum argumentorum. Eſt *Propheticus*, eſt & *Phyſicus*, quem apud Æthiopes in Regno Reginæ Sabæ extare Abyſſinâ linguâ teſtatur Genebrardus Chronol. p. 14. * Guilielmus Poſtellus, *in libro* 18
de Originibus, ſeu de variâ & potiſſimùm Orbi Latino incognitâ aut inconſideratâ hiſtoriâ, in quo totius ſe Orientis myſteria proditurum minatur, ſuper Noachi & Henochi libris, ſed ipſi non inſpectis, ex interpret. Sacerdotis Æthiopis, novas & inauditas ſententias fundat. * Non deſunt, qui mirabilem in illo ingenii vim per omnia diffuſam 19
agnoſcant; nam Florimundus Remondus *lib. 2. de Origine hæreſium c. 15.* Virum maximum omnium vocat, quos ſeculum noſtrum produxit; multa quoque in ejus laudes adducit Joann. Steph. Menochius in libro Italicâ linguâ ſcripto, cui titulus *Trattenimenti eruditi part. 3. c. 91.* * Refert & in Peireſcii, magni illius librorum 20
venatoris, vitâ Gaſſendus: Illi ab Ægidio Lochienſi è Capuccinorum familiâ ex Ægy-

pto redeunte narratum fuiſſe *de Mazapha Einock* ſeu Prophetiâ Enochi, idiomate Æthiopico ſcriptâ, declarante ea quæ ad finem usque ſeculi eventura ſunt, in Bibliothecâ quâdam Orientis latitante. Ideoque Peireſcium accenſum ejus parandi ſtudio, ut nullis parcens ſumtibus ipſum ſui faceret juris. Ejusdem libri exemplum fortè fuiſſe
21 quis credat, quo uſus eſt, ſed alio interpretante, Poſtellus. * Quanquam Ludolphus, Vir celeberrimus, *in Hiſtoriâ ſuâ Æthiopicâ lib. 3. c. 5.*, omnem illius libri fidem funditùs evertit. Namque è Bibliothecâ Cardinalis Mazarini, in quam ille è Peireſcianâ Bibliothecâ translatus, ejus libri exordium, medium & finem per amicum exſcribi curavit, quæ nihil de Enocho, neque prædictionibus futurorum, ſed quendam Abba-Bahaila-Michaëlem autorem habuerunt, de myſteriis Cœli & terræ, & de SS. Trinitate, diſſerentem. Gregorium Habeſſinum, cujus fidem in relationibus ſuis ſecutus eſt Ludolphus, Precationem Magicam vocaſſe ait, ac planè negaſſe in Æthiopiâ receptum; *Tantâ vecordiâ*, inquit Ludolphus, *ſcriptus eſt, ut ſacratiſſimæ Virgini Mariæ Orationes ad filium ſuum θεάνθρωπον affingantur monſtrificis nominibus plenæ, quibus plus quàm divinæ Virtutes adſcribuntur :* Quare à Judæis confictum exiſtimat. Vellem tamen, quicunque demum ſit, à Viro clariſſimo in lucem protractum, ad quem forte reſpexerunt, qui phyſicum ab Enocho librum ſcriptum crediderunt: Phy-
22 ſicum enim de myſteriis Cœli & terræ argumentum videtur. * Mireris ſanè quâ fronte, quâ fide Boulducus Capuccinus, *lib. 1. de ſtatu Eccleſiæ ante-Moſaicæ c. 14.*, pronunciare auſit: *Noa ſcripta Enochi diligenter conſervabat, ac illa repoſuit in arcâ diluvii non minore ſollicitudine, quàm Patris Adami & quorundam aliorum oſſa, ut qui ejus, quem Deus rapuerat, oſſa, quæ ſervarentur, habere non poſſit, ſcripta tanquam ſacratiſſimum pignus ac depoſitum ſibi & poſteritati cuſtodiret, quorum lectione, vel ſolo intuitu, ad tanti autoris merita divina jugiter conſpectui præſentanda moveretur, quibus juſtè irati Numinis in mortales miſericordiam facilius impetraret.*

23 Sed relinquamus ſua cuique commenta. * Poſt diluvium Pentateucho nihil antiquius eſſe plerorumque eſt ſententia, quanquam de *Abrahami* quodam *libro*, qui *Liber Creationis* inſcribatur, & fundamenta Cabalæ obſcurè doceat, Judæi multa tradunt. Unde de Abrahami in Ægypto & Indiâ Scholis, ex quibus *Bramines* quaſi *Abramines* dicti, multa Poſtellus, qui, neſcio quâ fide, *cap. 15. lib. cit.* pronunciat: *Apud Indos latent infiniti hiſtoriarum & librorum antediluvianorum theſauri, quos nos expectare unà cum Enochianis opus eſt, antequam claritatem abſolutam rerum Moſaicarum cernamus.* Et tamen in titulo libri origines ſuas ſe ex libris Noachi & He-
24 nochi eruiſſe venditat, quæ ἀντιφητικῶς ἀντικείμενα eſſe nemo non videt. * In *Pentateucho* libri allegantur nonnulli illo, ut videtur, antiquiores, ut liber bellorum Domini Num. 21. v. 14. Liber pacti Exod. 24. v. 7. de quibus variæ adferuntur ſententiæ, quas recenſet Lomeierus, c. 2. Quod in ſceleratæ calumniæ occaſionem trahit infamis Atheiſmi propugnator Spinoſa in *Tractatu Theologico-Politico cap. 8.*, ubi pluribus argumentis contendit, Pentateuchum non eſſe à Moyſe ſcriptum, ſed ab alio Autore, qui laudat illic libros bellorum Domini & Librum pacti à Moyſe conſcriptos,

quibus reſponderunt veritatis divinæ Hyperaſpiſtæ. Videmus in ſacri Codicis libris
multos alios paſſim laudari, quorum memoria nunc planè ac ipſis Judæis periit, de
quibus Lomeierus cap. 3., Neander Præfat. Erot. Græc. linguæ. * Meminit & 25
Benjamin Tudelenſis *in itinerario ſuo* Bibliothecæ librorum primi & ſecundi templi,
quam extare in ripâ Euphratis apud ſepulchrum Ezechielis Prophetæ ait. Fabuloſum
hunc Autorem omnes habent. Sed tamen Petrus della Valle *in Itinerario ſuo* hujus
ſepulchri meminit, quod adire, neſcio quibus obſtaculis impeditus, neglexit; licet de
Bibliothecâ nihil. * Magnifica multa de numeroſiſſimâ X. millium librorum Bi- 26
bliothecâ, apud Æthiopiæ Imperatorem, nonnullis narrantur. Sed Ludolphus in Hi-
ſtoriâ ſuâ Æthiopicâ, *lib.* 4. *c. 1.,* ſuaviter ea ſomnia ridet, qui familiari cum Grego-
rii Abyſſini converſatione omnia ejus regni arcana perſcrutatus eſt; Pauciſſimos illic
libros nominat, è quibus 1. Gloria Regum, in quô Hiſtoria Reginæ Sabæ aliæque plu-
res leguntur. 2. Chronicon. 3. Liber Philoſophiæ, cujus aliquod in Æthiopiâ pre-
tium eſt. 4. Scala vocabularium. Nulla verò ex illis myſteria ſperanda Ludolphus,
ex inſigni hominum in philoſophiâ ac medicinâ ruditate, probat, cujus aliquot ille do-
cumenta adducit. Non equidem negaverim, omnia ignota pro magnificis ſæpè ha-
beri, & à multis myſteria fingi, ut mirabilia dixiſſe videantur: ſed tamen & multa in
abſcondito etiam ultra hominum ſuſpiciones latere, certum eſt. * De *Salomonis li-* 27
bris alicubi eos extare fama eſt. Suidas in Ezechia illum librum ἰαμάτων παντὸς πά-
θȣς ſcripſiſſe perhibet. Joannes Picus, Comes Mirandulanus, teſtatur, ſcriptum eſſe à
Salomone librum, cui titulus *Sapientia* ſit, non qui nunc in manibus ſit, Philonis Opus,
ſed alterum Hieroſolymitanâ ſacratiore linguâ compoſitum, in quo ipſe Salomon, na-
turæ rerum interpres, omnem ſe illiusmodi diſciplinam fateatur de Moſaicæ legis pe-
netralibus accepiſſe. Salomonis *Herbarium* Arabicâ linguâ in pauciſſimorum quo-
rundam manibus eſſe nonnulli volunt, unde magna in arte medicâ miracula patraverint.
* Quanto non deſiderio multi in libros illos *LXX. Esdræ de Caballiſticis ſecretis* fe- 28
runtur? quos alicubi tamen extare credibile eſt. Multa ſunt in his ſcriptis Judaicis
myſteria rerum naturalium ac ſecretioris Metaphyſicæ recondita, quæ imperitis ho-
minibus ut nugatoria videntur. * De Rabbinicis ſcriptis legendus eſt Buxtorffius, 29
Plantavicius, Hottingerus, & qui nondum omnibus innotuit Julius Bartoloccius, Ab-
bas Congregat. S. Bernard. Ord. Ciſterc., Romæ in Monaſterio S. Prudentianæ, qui
edidit *Bibliothecam Rabbinicam,* Opus trium voluminum, in quo maximam partem,
MSta Bibliothecæ Vaticanæ Hebraica cum catalogo editorum librorum recenſet, &
multa de ætate Autorum, genere ſcribendi & materiâ annotat.

Apud *Ægyptios,* quorum antiquitates non cum Græcis tantum, ſed & cum 30
Hebræis ipſis, ultrà, quàm per religionem permitti poterat, contendit Marshamus in
doctiſſimo Canone ſuo Chronologico, jam tùm ab omni ævo Bibliothecas fuiſſe non
temerè aliquis negaverit. Præterquam enim, quod Joſephi teſtimonio maximam ſem-
per curam Actorum publicorum habuerint, quibus cura librorum ſemper conjuncta
fuit, illud non obſcuro argumento eſt, quod Græcorum Philoſophi, qui præ reliquis
ſapuerunt,

ſapuerunt, ex Ægypto, à Socerdotibus rei literariæ ac librorum perpetuis cuſtodibus, arcaniores hauſerint ſcientias. Videndus de Ægyptiis Bibliothecis & re literariâ eſt Diodorus Siculus *lib. 1.*, ubi de Oſmandyæ Bibliothecâ & magnificâ operum ſtructurâ, quæ non immeritò Kircherum *in Turri Babel. lib. 2. ſect. 3. c. 3.* in admirationem rapit: *Hæc ego opera*, inquit ille, *ſi paulò penitius conſidero, auſim ſanctè affirmare, hoſce ſummi ingenii homines, uti nihil eos humanarum ſcientiarum latuit, ita earum ope humanis quoque operibus majora præſtitiſſe, cùm vel in unâ fabricâ efformandâ omnes artes & ſcientias Phyſicam & Mathematicam conſpiraſſe videam. Quis hodiè ſimile quid attentare audeat, niſi totius naturæ conſultus, niſi totius Arithmeticæ, Geometriæ, Opticæ, Aſtronomiæ, Mechanicæ, Staticæ, ceterarumque artium doctrinis eruditus!* Quod ſi ergò tanta artis perfectio in illis operibus fuit; quos non in tàm ſplendido domicilio ſapientiæ theſauros latitaſſe credibile eſt? Opera enim de magiſtris & doctrinâ, quæ libris illis continebantur, teſtabantur.

31 Apud *Chaldæos* quoque, rerum omnium curioſiſſimos homines, magnam rei literariæ & librariæ, ac antiquiſſimorum monumentorum curam fuiſſe, certius eſt quàm ut à quoquam negari poſſit. Quæ ex illis fragmenta habemus, ceterorum hiſto-
32 ricorum tempora longè antecedunt. * Berosus, Sacerdos Chaldæus, (cujus filiam Sibyllam, quæ poſtea Cumas venit, Juſtinus Martyr in Paræneſ. ad Græcos pag. 34. lit. E. facit; quo tamen inſigni Anachroniſmo Montacutius in Analect. Eccleſiaſt. exercit. 4. illum liberat, ab Gloſſatore inepto illa verba interjecta judicans) paulò ante principatum Alexandri Magni *libros III. rerum Chaldaico-Aſſyriacarum* ſcripſit, quem antiqui Autores paſſim laudant. Joſephus in Antiquitatibus Judaicis paſſim ejus meminit: cui pares ſunt Manetho & Metaſthenes, vel potius Megaſthenes, Ægyptiacarum, Perſicarum, aliarumque rerum ſcriptores, quorum omnium fragmenta diligenter
33 collegit Scaliger in Opere ſuo Chronologico. * Qui libri cùm ab omnibus deſiderarentur, L. Joh. Annius Viterbiensis, Ordinis prædicatorum, Anno 1437. natus, Vir linguæ Latinæ, Græcæ, Chaldaicæ, Arabicæ eruditus, & antiquitatis ſtudioſiſſimus, quibus elogiis Neander in Italiâ ſuâ eum effert, Beroſi quinque libros cum aliis quibusdam in lucem produxit, commentariisque illuſtravit. Sed jam dudum ab eruditis adverſus hunc Annium, ut veteratorem & falſarium, conclamatum eſt, & illa producuntur argumenta, quæ elidi nulla ratione poſſunt, de quibus legendus Tilemannus *in Diſc. Philolog. de Hiſtoricorum delectu p. 76.*, & Voſſius *de Hiſtoricis Græcis lib. 1. cap. 22.* Non deſunt tamen, qui modeſtius de hoc ſcripto ejusque autore cenſendum eſſe exiſtimant, & aliquid tamen in illo veri ſibi deprehendere videntur. (*l*) In quibus

(*l*) De Beroſo Annii notari etiam meretur Judicium Thomæ Reineſii, Medici & Polyſtiſtoris *κριτικωτατȣ*, in Epiſtola ad Joſ. Clauderum A. 1646. exarata, quam Ejusdem Epiſtolis ad ſe ſcriptis Joh. Vorſtius præfixit, *p. 1. 2. 3.* obvium. Statuit is, *non omnia, quæ in Beroſo, licet Annius eum interpolaverit, hinc inde leguntur, eſſe conficta, ſed quamplurima conſentire cum profunda antiquitate: Beroſum verum & genuinum cum Anniano pariter incedere, & ab eo eſſe ſegregandum: Latere in iſto ſterquilinio pretioſas gemmas, quas alibi*

quibus David Chytræus *lib. de lect. Hiſt.* Munſterus *lib. 5. Coſmograph. cap. 8.*, qui temerarium quendam genuinis & veris Beroſi laboribus aliquid lolii immiſcuiſſe judicat, Annium verò à falſi ſuſpicione excuſat. Dionyſii quoque Gothofredi, in *præfat. Hiſtoricor. antiquor. Rom.*, benignior de illis Annii Beroſianis ſententia eſt. Quæ etſi nonnullis contemnenda videntur, ac deſperatiſſima Annii cauſa plerisque habetur, acerrima tamen inter eruditos Viros ante aliquot annos ſuper hoc argumento excitata contentio eſt. Nam ex oſſibus Annii ultor ſurrexit, ex eodem ſcil. ordine *Thomas Mazza*, qui Apologiam pro illo ſcripſit, quem tamen & alius Anonymus Nobilis, alio libro, ſed hactenus inedito, refutavit, ut ex Gregor. Leti *Italiâ regnant. part. 4. lib. 3. pag. 329.* conſtat. Quod Mazzæ ſcriptum, quanquam ſummo ſtudio quæſitum, videre nondum mihi contigit: neque magnoperè æſtimandum videretur, niſi me *Macedi*, incomparabilis omni doctrinarum genere, maximoque judicio præditi Viri, de quo alibi plura dicturus ſum, autoritas moveret. Ille enim adverſus Nobilis Anonymi Invectivam ſingulari ſcripto Thomam Mazzam ſtrenuè defendit, non aliâ quam veritatis causâ inductus, ut ex præfatione illâ Macedi, quam Gregor. Leti eo in loco appoſuit, patet. *Suſcepi*, inquit, *defenſionem tùm ſtudio tuendi Patris Inquiſitoris Mazzæ innocentiam, tùm veritatem, quæ mihi ſemper cordi eſt, vindicandi.* De ipſo vero opere Mazzæ ita judicat: *Difficile aggreſſus eſt opus, quod Apologiam ſcripſit pro Annio Viterbienſi, ſui ordinis fratre, magni nominis viro, ut ejus fidem à plerisque Autoribus in dubium vocatam aſſereret, & ab objectis calumniis vindicaret. In quo certè mirum eſt, quantum ſtudii & operæ poſuerit, quàm ſe ingenioſum & eruditum oſtendat, ut propè miraculo legentibus videatur, potuiſſe in re tàm ſpinoſâ floride, tàm obſcura nitidè, tàm ſterili facunde, tàm jejunâ erudite ſe gerere: Quod ego opus cum legiſſem, magnoperè ſum admiratus.* Eodem in loco hæc habet: *Legeram anteà hunc Apologeticum vernaculâ linguâ ſcriptum, qui mihi vehementer placuerat, tùm propter novitatem operis, tùm propter ſtyli granditatem, tùm propter dictionis elegantiam, tùm præcipuè propter copiam eruditionis, eumque judicavi omnibus numeris abſolutum.* De Nobili verò illo Anonymo ait: *illum ſæpe à ſcopo & veritate aberrare, & multa carpere & ſugillare, quæ vera tamen eſſent, nec ullâ poſſent ratione impugnari:* Vix credi poteſt, quanto exarſerim illa legendi ſcripta deſiderio, rei novitate motus; neque hactenus tamen voti mei compos factus ſum. Multa certè magnifica de illo Viro nos ſperare jubet Macedus, *quem ingens præterea opus de Hiſtoriâ veterum Gothorum moliri*, ait, *ſic ab illo explicandam, ut non mediocrem ab illius calamo ſplendorem acceptura ſit.*

Redimus ad Bibliothecas noſtras: Et quidem apud *Perſas* Bibliotheca Suſiana 34
magni nominis fuit, de quâ legatur Diodor. Sic. *lib. 2. cap. 32.* De recentiore illâ apud Perſas Coſrois Regis legendus eſt Schickardus *in Tarich. pag. 146.* De ceterarum [illegible] G [illegible] gentium,

alibi fruſtra quæremus; inventurum autem eas eſſe, qui judicio valet, & omne genus Antiquitatum eſt emenſus. Addit tandem ſe in Beroſo Anniano *venerandæ Antiquitatis veſtigia, & genuini Beroſi Fragmenta, deprehendere, quibus ſua Annius, vel alius ante hunc addiderit & inſerſerit.*

gentium, Afrorum, Chinenſium, Græcorum, Romanorum, antiquis ac deperditis, ac de recentioribus Bibliothecis, integris libris egerunt Autores ſuprà memorati, etſi magna nobis ſpicilegia, penè dixerim meſſes, reliquerint. Quoniam verò de Bibliothecis ſingula-
35 tim agere non eſt noſtri inſtituti, ideoque illa prætermittimus. * Id verò, antequam hoc de re Bibliothecàriâ argumentum dimittamus, monemus, de notitiâ Bibliothecariâ ſingularibus excerptis Bibliothecariis parandâ, omnibus non Bibliothecariis tantùm, ſed quibusvis literatis, laborandum eſſe. Latiùs eorum patet utilitas, quam excerptorum ſpecialium, quæ ſub illis continentur; eorumque defectum facilè ſarcire poſſunt.

36 Excerpta in Re Bibliothecaria vel unô volumine, vel diverſis, inſtitui poſſunt. Hottingerus in Bibliothecario, *part. 1. cap. 7.*, quatuor indices pro Bibliothecis fieri jubet. 1. Chronologicum, quo Autores ſecundum ſeriem ſeculorum diſtinguuntur. 2. Logicum, qui ſecundum materiarum ſibi ſubordinatarum nexum diſponendus. 3. Theologicum [nam ad Theologiam ille primariò reſpicit], qui nominibus ſuis omnes Theologos cujuscunque Religionis exhibeat. 4. Grammaticum ſ. Alphabeticum, quem duplicem iterum eſſe voluit, realem & perſonalem, & illum quidem latiorem vel ſtrictiorem, latiorem pro integris tractatibus, ſtrictiorem pro tractatuum partibus. In perſonali non nomina ſimpliciter, ſed & vitam, perſonam, actiones &c. ſtrictim deſcribi vult. His indicibus adjungit ulterius Topographicum, qui ſecundum orbis partes Autores diſponit & Syncriticum ſive Comparativum Autorum, editionum. Sed quantus ille labor futurus, quam etiam in multis non neceſſarius! Mihi quidem indices Hottingeriani non inutiles pro Bibliothecario, & qui commentationes Bibliothecarias parat, videntur, ſed pro Viro, qui alia habet agenda, nimis operoſi. Quanquam enim Chronologicus index ſit utiliſſimus, eumque ordinem præ ceteris amplexus ſit Voſſius in libris ſuis, Topographicus etiam non exigui uſus ſit, quô labore aliquâ ex parte nos Quenſtedius levavit; exiſtimo tamen, cùm propter res ipſas omnia diſcantur, conſultius fore, ſi indices reales habeamus, non anxie ſecundum rerum ſeriem, ſed alphabetico ordine diſpoſitas, in quibus titulis ſubjiciamus ſuos Autores, connotatis ſemper variis editionibus, patriâ, tempore, ceterisque ſcitu neceſſariis, ubi ſe ultrò ingerunt. Ac poterunt memoriæ etiam gratiâ ſine magnâ difficultate Autores claſſici & hiſtorici ſeorſim locari notarique in iis variæ editiones, ne ſemper in vaſto quærere acervo illos neceſſum ſit. Hinc Criticos potiùs quàm Syncriticos Indices ſuper Autores parari velim, quibus colligantur judicia de Autoribus, quæ vel in lectione apud Autores occurrunt, vel quæ inter colloquia cum Viris doctis ipſi notamus. Non credat facilè aliquis, quantam utilitatem res illa ha-
37 bitura ſit. * Eorum exemplum nobis præbent Judicia de Autoribus ab Anonymo, quem tamen ſupra nominavimus, in Galliâ inſtituta. Nunc quoque talia Matthiæ Zimmermanni ſub prælo de Autoribus judicia eſſe narratur, quæ nondum vidi. Rudimentum talium excerptorum præbet Magirus in Eponymologio Critico, qui nunc

auctior prodiit liber. Ex converſatione notata judicia Excerpta Scaligeriana & Thuanæa continent.

Omnium ut puto induſtriam facilè ſuperare in hoc genere potuiſſet Vir nun- 38
quam ſatis laudandus GEORGIUS HIERONYMUS WELSCHIUS, Auguſtanus Medicus, verum Germaniæ noſtræ decus, ſi præclara iſta Opera ſua in lucem edere potuiſſet. Mihi certè ingenium hujus Viri admirabile ſemper viſum eſt. Quas enim ille non diſciplinas, linguas, etiam Orientales, conatibus pene Herculeis exhauſit? Quod in illo judicium? quam ſanum & elegans? quantus humanioris literaturæ apparatus? Ego certè quoties triſtes illas è naufragio tabulas, affectorum Operum Indicem, perſpicio, toties ſanè hanc eruditi orbis jacturam deploro, & nunc publicè omnes, qui hujus Viri ſupellectilem literariam poſſident, obteſtor, ne quicquam illarum chartarum perire ſinant; typographos verò, ut tineis & blattis, quicquid earum ſupereſt, eripiant, neque publico bono invideant. * Habuit ille affectum Opus, ut Schrockius in vitâ ejus 39
teſtatur, *Notitiam Autorum Panglottam,* quo in ſingulis linguarum generibus veteres & probatos Autores, in ceteris meliores, non tantum nominare, ſed & præſtantiores editiones indicare, & de ſcriptis ipſis judicia ferre voluit: Cujus facti initium ipſi Gerh. Joh. Voſſius ſuggeſſerat, qui tale quid olim cœperat, amicisque & auditoribus diſtribuerat; A quibus ipſe acceptum plurimùm deinde auxit, Græcis nempe & Latinis Orientales quoque addendo. Idem *Hiſtoriam Literariam Turcarum* ex MSto Conſtantinopolitano exhibiturus erat. Idem *Lipſii Bibliothecam, Naudæi Bibliographiam Politicam, Diſſertationem de ſtudio liberali, Lindanum de ſcriptis Medicis notis auctiores, Bibliothecam Medici eruditi, Hiſtoriam Medicorum Orientalium & Ideam Chronologiæ Medicorum* edere voluit. Sed illorum omnium ſpes cum ipſo exſpiravit.

CAP. VII.

DE MANUSCRIPTIS.

§. 1. *MStorum Codicum pretium. 2. Uſus eorum, qui jam typis vulgati ſunt eximius. 3. Exemplo Codicis Rigaltiani Fabularum Phædri oſtenditur. 4. Codicum antiquitas ex characteribus deprehenditur. 5. Quod nondum præceptis comprehenſum. 6. Robortelli, Scioppii, Welſchii Ars critica. 7. Henr. Stephani de Criticis. 8. Caſaubonus de Criticis librum affectum habuit. 9. Salmaſii epiſtola de notis antiquitatis in MStis Codicibus integra adducitur. 10. Græci Codices antiqui, quemadmodum & Latini, ſine ullo vocum interſtitio ſcripti, ſine ullo accentu. 11. Solo verſu ſive periodo finiebatur oratio. 12. Ariſtophanes primus diſtinctiones & accentus invenit. 13. Quos poſtea Grammatici antiquioribus Codicibus addiderunt. 14. Diphthongus Æ una litera notis recentiorum MStorum. 15. Eraſmi in MStis indagandis ſingularis induſtria. 16. Leonardi Aretini de Quintiliani MSto exultatio. 17. Monachi MStorum cuſtodes. 18. MSta in lucem protrahenda. 19. Poſſevini, 20. Labbei, 21. Spitzelii,*

lii, 22. Ludovici Jacobi, 23. Caponi, 24. Welſchii eâ in re conatus laudantur. 25. Senatus Auguſtani ſingulare ſtudium in oblatione MStorum ad editionem. 26. Ant. Reiſeri Index MStorum Bibl. Aug. 27. Hulder. Fuggeri Liberalitas. 28. Petr. Lambecii cura in MStis Bibliothecæ Vindobonenſis. 29. Julius Pflug de Bibl. Budenſi librum promiſit. 30. Thomaſinus, Angelicus Aproſius, Ludov. Jacobus laudantur. 31. Cl. Felleri utiliſſima opera in MStis Academiæ Lipſienſis. 32. Multa in illâ notabilia. 33. MSta Orientalia. 34. Laur. Pignorii παραίνεσις ad libros MStos edendos. 35. Autores veteres manu illuſtrium Criticorum notati MStis accenſentur. 36. Nicolai Heinſii & Gœſii Bibliothecæ à copiâ illorum laudantur. 37. Libri è MStis primum in lucem editi MStorum fidem habent. 38. Libri virorum doctorum inediti ac affecti ad MStos quoque referendi. 39. Varia illorum Fortuna. 40. Quomodo indagandi. 41. Exempla ineditorum librorum. 42. Etiam imperfecti eruditorum libri in lucem protrahendi. 43. Martini Fogelii ſcripta inedita recenſentur. 44. Andreæ Boſii opera affecta. 45. Epiſtolæ virorum doctorum MStæ inter κειμήλια Bibliothecarum. 46. Hottingeri, Marquardi Gudii, Bibliothecæ Noribergenſis in iis coacervandis induſtria. 47. Reineſianæ Epiſtolæ MStæ in Bibliothecâ Boſianâ. 48. MSta politici argumenti colligenda in Bibliothecis. 49. Bibliotheca Auguſta & Maximiliani zum Jungen *ab eorum copia laudatur. 50. MSCtorum copia in Bibliothecis publicis præprimis colligenda. 51. MSta antiquiſſima, utut aliquâ parte vitioſa, pretium non amittunt. 52. Iis tanquam oraculis utimur in emendandis autoribus & mutilationibus Patrum detegendis. 53. MStorum nunquam editorum raritas rem ſæpè inæſtimabilem facit. 54. MStorum librorum catalogi an celandi, nec in publicum proferendi? 55. MStis locupletes ſunt Bibliothecæ publicæ, Vaticana, 56. Vindobonenſis, 57. Hiſpanicæ, 58. Anglicæ, 59. de quibus Chriſt. Arnoldi teſtimonium producitur, 60. Gallicæ Bibliothecæ non regiæ tantum, ſed & privatæ. 61. Thuana, 62. Italicæ, 63, Auguſtana, Leidenſis, Norimbergenſis, Gottorpienſis, 64. cujus aliqua recenſentur, 65. privatarum Bibliothecarum manuſcripta. 66. Lucæ Holſtenii MSta ad Philoſophiam Pythagoricam & Platonicam pertinentia enarrantur. 67. Illuſtris Viri MARQUARDI GUDII Laus, ejus inſignis MStorum Bibliotheca, & opera ἀνέκδοτα.*

1 IN Bibliothecis principem merito locum obtinent MSti CODICES, quorum ſin-
2 gularis haberi cura debet. * Poſtquam enim per typos vulgari cœperunt veterum Scriptorum libri, illi quidem qui vulgati ſunt, Typographiæ beneficio, pretio ſuo aliquatenus imminuti ſunt: olim enim multo ære comparabantur veteres illi libri, Monachorum manu deſcripti, quibus non exiguum inde lucrum accrevit; de quo videri Naud. *Add. ad Hiſt. Lud. XI. p. 87.* poteſt. Sed ſuo tamen etiamnum pretio cenſentur, qui ſunt antiquiores, ad quos velut ad oracula confugiunt, qui emendationes locorum in Autoribus quærunt. Non enim elevandus etiam illorum MStorum

uſus

uſus eſt, ut Conringio in *Epiſt. de Bibl. Aug. pag.* 108. viſum. Semper enim in vetu-
ſtis codicibus aliquid à Criticis ſagacioribus obſervari poteſt, quod illis, qui primum
ex iis libros typis promulgarunt, in mentem non venit, ut editione fabularum Phæ-
dri mihi conſtat. * Cum enim Rigaltius ex vetuſto codice MSto has fabulas edi- 3
derat, innumera tamen in illis menda relicta ſunt, quæ ex illo ipſo codice, qui in ma-
nus Marquardi Gudii incidit, mirabili ſolertiâ Vir ſummus reſtituit, modo exorari poſ-
ſit, ut limatiſſimas illas notas ſuas in publicam proferre lucem velit. (*m*) Scilicet
ut ingenio alii aliis feliciores ſunt, ita & in στοχασμῷ Critico alii aliis oculatiores,
qui in apicum illo ductu & flexu aliqua velut divinâ virgula deprehendunt, in quo
fruſtra alii ſudarent.

Neque enim leve aliquid & exiguum quis exiſtimet, cum è veteri codice MSt. 4
emendatur Autor. Plures ſunt in illa re nodi, quam quis forte crediderit. MStorum
codicum fides ex antiquitate, antiquitas ex ipsâ ejus facie, characterum ductu, flexu,
magnitudine, poſitu, colligenda eſt; ne quid de mutatione, transpoſitione, omiſſione,
interpoſitione literarum, abbreviatione verborum &c. dicam. Nam ut ipſæ linguæ
gliſcunt, ſingulisque pene ſeculis aliquid in illis mutatur; ita nec ipſa ſcribendi ratio
ſibi conſtat. Hoc è Germanicâ, Gallicâ, Italicâ linguâ patet. (*n*) Quanta hic in
verbis, phraſi, accentu, dictione, ſcriptura, diverſitas ſucceſſu ſeculorum fuit! Stulti
plane ſunt & pueriliter judicant, qui ceterarum linguarum non eadem fuiſſe fata exi-
ſtimant. * Subſiſtit illa res hactenus in ſolâ ἐμπειρίᾳ neque ad artis regulas voca- 5
ta; * nam paucula illa, quæ ROBORTELLUS & SCIOPPIUS *de arte criticâ* ſcripſere, 6
tumultuaria ſunt, & hujus rei fundum omnem non emetiuntur. De characteriſmis illis
temporum in codicibus deprehendendis non ſatis accuratæ præceptiones habentur; cum
certum tamen ſit, ita de illarum ætate judicia inſtitui poſſe, ut ex quibusdam ſignis de
hominum & brutorum ætate judicare poſſumus. Qui à Monachis & Græculis fugiti-
vis ab excidio Conſtantinopolitano lucelli gratiâ deſcripti, illam fidem non meren-
tur, quam antiqui. Plura nos fortaſſis docuiſſet omnium literarum Vir, HIERONYMUS
WELSCHIUS, ſi edidiſſet *Artem ſuam Criticam*, Scioppianâ, ut titulus habet, brevio-
rem, auctiorem & accuratiorem, quæ per omne Scriptorum genus & linguas omnes
ſe diffundat, & *Honores Calligraphiæ*, ſive commentariolum de varietate chartarum,
ſcripturarum & typorum, in quo multa rariora & vulgo incognita recenſere & reve-
lare voluit. * Scripſerat & HENRICUS STEPHANI quædam *de Criticis*, in quibus 7

 tamen

(*m*) Viri Illuſtris, Marqv. Gudii, in Phædrum Notæ, ſive Commentaria Poſthuma, in Editione Mythographi hujus noviſſima, Variorum Notis aucta, quam Pet. Burmannus Amſtelodami A. 1698. *in 8vo* evulgavit, prodierunt.

(*n*) Quam inter Deſiderata Literaria hic retulit Morhofius, de Scripturæ in Codicibus Seculorum diverſorum MStis diverſitate Doctrinam, magna ex parte, quod Linguam imprimis Latinam attinet, ſatis accurate eſt perſecutus, & Tabulis LX, varia Scripturarum Veterum Specimina, æri inſculpta, exhibentibus, illuſtravit, Joh. Mabillonius, Theologus Ord. Benedictini Gallus πολυμαθέςατος, in *Libris VI. de Re Diplomatica*, Lutetiæ A. 1681. *in fol.* editis.

8 tamen fruſtra illa, quæ ad artem ipſam ſpectant, quæſiveris; *Niſi fortaſſis hoc ſup-
pleturus fuiſſet CASAUBONUS, qui *Epiſtola XXI.* ad Bongarſium hæc ſcribit: *Nos de
Criticis veteribus ea parata habemus, ex antiquis Hebræis, Græcis & Latinis, quæ non
promit in ſuo de Criticis libello Stephanus.* Sed illa lucem non viderunt, cum aliis ne-
gotiis occupatum in *Epiſt. 266. ad Elmenhorſtium,* ſe de poliendo Commentario, quem
de Criticâ ſcripſerat, ne cogitare quidem poſſe fateatur.

Sæpius ego miratus ſum, adeo neminem ex omni Criticorum familiâ operi huic
9 manus admoviſſe. * Extat de hoc argumento SALMASII *epiſtola ad Sarravium*, in-
ter Sarravianas illas Arauſioni An. 1654. editas, p. 235. quæ aliquid plenius meliusque
tradere videtur, quanquam ab illo aliis negotiis occupato ſcripta eſt. Rogarat illum
10 Sarravius, ut notas antiquitatis Codicum MStorum aliquas ſibi panderet. * *Video,*
ſcribit ad illum, *antiquiſſimos Codices Manuſcriptos Latinos & Græcos, ita exaratos
eſſe, ut nullo interſtitio voces diſtinguantur, ſed uno literarum ductu invicem cohæreant.
Et hæc eſt ſummæ vetuſtatis nota. Velim autem ſcire, quo ævo diſtingui cœptum ſit,
quod antea confuſè habebatur. Hoc enim κριτήριον mirum in modum conduceret diju-
dicandæ ætati Manuſcriptorum. Si quid juvare potes Tu, qui plures iſtiusmodi libros
verſaviſti, quam mortalium quiſpiam, fer opem & inſigni beneficio literas affeceris.* Er-
go reſcribit illi Salmaſius teſtis omni exceptione major, εἷς μύριοι. Nam qui ejus
elevare fidem hac in re velit, hunc ego inſanire dixerim. Regnabat in his ſtudiis
Salmaſius, ac præcipuas eruditi orbis Bibliothecas perreptaverat, libros manuſcriptos
deſcripſerat, ex iis excerpſerat, ut quaſi viva MStorum Bibliotheca videri poſſet. Quam
epiſtolam, cum in paucorum manibus ſint Sarravianæ, hic integram ſubjungere volui,
cum magnam rei criticæ facem accendat: *Quod petis de diſtinctione librorum vete-
rum, vellem tempore opportuniore eam mihi quæſtionem proponere inſtituiſſes. Si otio
quippe majori abundarem, neque anguſtis ſpatiis excluderer, plenius hac de re poſſem tibi
ſatisfacere. Nunc quæ in mentem venient huic chartæ absque ullâ meditatione illinam.
Quod ad Græca exemplaria attinet, de quibus primum hic agendum eſt, ante Ariſtopha-
nem, qui primus προσωδίαν excogitavit & accentus invenit, nulla fuit literarum diſtin-*
11 *ctio, neque ſubdiſtinctio.* * *Uno ac perpetuo ductu ſine ullo interſtitio voces omnes exarari
ſolebant & ſententiæ etiam continuari: niſi quod ubi perfecta fuerat, non in eadem lineâ
alteram auſpicabantur: ſed principium alterius lineæ, ſive verſus inchoabant. Inde nata
diſtinctio per verſus, qui majores aut minores erant, prout ſententia pluribus aut paucio-
ribus verbis abſolvebatur. Interdum quippe duas, interdum tres aut plures lineas ſinguli
verſus occupabant. Græci στίχους appellant. Opera autem ipſa numerabantur per verſus;
quorum ſumma in fine libri ſubducta notabatur. Inde πολύστιχον βιβλίον de grandi vo-
lumine dicebant. Diu duravit hæc ratio. In veteri codice Epiſtolarum Pauli, qui penes
Puteanos eſt, ad finem totius ſcripturæ ſacræ librorum στιχομετρίαν notatam invenies.
Quæſtiones Tuſculanas in antiquiſſimo exemplari B. R. ita per verſus diſtinctas reperis.*
12 * *At in eodem verſu quomodo περίοδοι & κῶλα diſtinguerentur, Ariſtophanes invenit, &
notas ad hæc intervalla ſignanda commentus eſt. Tres fuere:* τελεία στιγμὴ, ὑποστιγμὴ
&

& μέση. *Primam propriè vocarunt DISTINCTIONEM Latini, ſecundam SUBDISTINCTOINEM, tertiam MEDIANAM.* Τελεία στιγμὴ *punctum erat, quod collocabatur in capite vel apice ultimi elementi, in quo periodus deſinebat.* ὑποστιγμὴ *in imâ literæ parte ponebatur,* ἡ μέση στιγμὴ *ad mediam partem. Totidem igitur fuere puncta: ſed pro ſitu aliter atque aliter valentia. Puncta igitur noſtra ſingularia & virgulæ, & duo puncta veteribus prorſus ignorata fuere. Punctis ſingulis tota diſtinctio & ſubdiſtinctio librorum conſtabat, tam apud Latinos, quam apud Græcos. Nam illi ab iſtis ſumſere.* Τελεία στιγμὴ *id eſt punctum in apice literæ collocatum abſolvebat ſententiam,* ἐπαρτίζει ἀεὶ τὴν διάνοιαν; *& reſpondet planè noſtro puncto. Reliquæ duæ ſubdiſtinctiones punctis etiam ſingulis notabantur, uno ad literam mediam ultimæ dictionis, altero ad imam partem locato. Hæ oſtendebant non integratam eſſe ſententiam, ſed adhuc manere ſuſpenſam, cum aliquâ tamen differentiâ* τῆς μέσης στιγμῆς & ὑποστιγμῆς, *quam etiam alicubi,* ὑποτελείαν στιγμὴν *vocatam oſtendi. De* μέση *tradunt Technologi Græci* οὐκ ἀπαρτίζειν τὴν διάνοιαν, ἀλλ' ἀναπαύειν ἐν καιρῷ τὸ πνεῦμα. *De* ὑποστιγμῇ *ſive ſubdiſtinctione notant* οὐκ ἀπαρτίζειν *eam* τὴν διάνοιαν, *ſed oſtendere* τοῦ μέλλοντος εἰρῆσθαι ἀφιέναι ἤρεμον τοῦ πνεύματος ὡς ὀξὺ τὸ λοιπὸν ὅπερ τοῦ λόγου τηρεῖν. *In veteri inſcriptione Smyrneorum Arundelliani marmoris ſine ulla diſtinctione & ſubdiſtinctione, una ac perpetuâ ſerie dictiones omnes inter ſe cohærent: quod & in aliis antiquis Græcis inſcriptionibus paſſim invenire eſt, quæ & ſine accentibus ſcribuntur. Et certum eſt ad hunc planè modum etiam libros ipſos ſcribi ſolitos, idque diu obſervatum poſt repertos accentus & diſtinctiones. Ab antiquariis ſecundum antiquas rationes ſcribebantur, nempe ſine accentu ullo & ſine ullâ diſtinctione. * Poſtea Grammatici, qui eos emendabant & con-* 13
ferebant cum antiquioribus & emendatioribus codicibus, non ſolùm ſi quid erat titubatum à librariis, corrigebant, ſed etiam accentus apponebant, & diſtinctiones. Vidi libros vetuſtiſſimos, in quibus apparebat planè ſcripturam eſſe ab antiquiore manu, quam accentus. Nec ſecus fuit apud Latinos; Quod colligere poſſumus ex vitâ Valerii Probi Grammatici apud Suetonium, qui de eo ita ſcribit: Multaque exemplaria contracta emendare ac diſtinguere & adnotare curavit, huic ſoli nec alii præterea Grammatices parti deditus: *Ubi vides eos Grammaticos, qui libros autorum emendabant, etiam diſtinguere eosdem ſolitos, id eſt diſtinctiones apponere. Quod Græci dicunt Critici* στίξαι. *Græcis Criticis hunc eundem fuiſſe morem poſſem probare Epigrammate Græco, quod nunc non occurrit, nec etiam quærendo eſt. Duplex, ut in pauca rem contraham, diſtinguendi ratio fuit, quâ voces ſingulæ invicem ſeparabantur, & quâ periodi & cola. Antiquiſſima exemplaria neutram habent, neque apud Græcos, neque apud Latinos. Tales hodie pauciſſimi reperiuntur. Nam plurimi qui uncialibus & capitalibus literis ſcripti ſunt, voces invicem habent diſtinctas. Quoſdam tamen vidi, qui nullam fermè vocum diſtinctionem oſtendebant. Et niſi fallor talis eſt MS. Livius Puteanorum. At in illis qui rotundiore & minutiore charactere exarati reperiuntur, ferè ſemper dictiones omnes diſtinctæ inter ſe apparent: ſententiæ verò abſolutæ ſolis punctis, hoc eſt* τελείαις στιγμαῖς, *raræ in iis occurrunt ſubdiſtinctiones, quas tamen adhibere antiquitus ſolitos,*

& Ci-

& Ciceronis quidem ævo, patet ex Aſconii Pediani in Verrinas notis. Orientales, ut Hebræi, Syri & Arabes, voces diſtinguere ſoliti ſunt, quia literas habent vocum finales, aliâ formâ, quam quibus principia & prima notata ſunt. Addo nonnulla quibus dignoſci
14 *poſſit antiquitas exemplarium manu exaratorum. * Si quibus in libris MSS. diphthongus reperiatur Æ duabus literis, non in unam coalitis, ſed ſeparatis, expreſſa ad hunc modum AE, aut* ae, *ſcias codices illos & vetuſtos eſſe inprimis & fideli manu confectos. Si aliter efficta occurrat, aut per unam literam ex duabus conflatam, aut per unicum E, cui nota ſuppoſita ſit, hoc modo ę. qui primo modo ſcripti ſunt, paulo majorem vetuſtatem redolent: qui ſecundo, ad infimum ſeculum relegari debent. Literæ capitales non ſemper indicium habent majoris vetuſtatis. Nam & minores characteres & verè Romani, rotundiore formâ expreſſi, ſæpe ſummam præ ſe ferunt ἀρχαιότητα. Sunt & literæ quæ vocantur LONGOBARDICÆ, quarum uſus fuit circa Juſtiniani ævum, quibus libros olim vidi conſcriptos eosque emendatiſſimos.*

Hæc ego plenius hic adducere volui, cum ad MStorum antiquitatem depre-
15 hendendam facerent. * Fuit vero illa ſingularis MStorum indagandorum cura, tempore παλιγγενεσίας literariæ, ut nanciſcerentur codices emendatiſſimos, è quibus Typographiæ beneficio in lucem ederent. ERASMUS in his omnem lapidem movit, qui in vetuſtis libris producendis, nec ſumptui pepercit, nec ſtudio. Quare ad Collegium Canonicorum Metenſium, qui inſtructiſſimam tum omnis generis Manuſcriptis Bibliothecam habuerunt, *lib. 10. Epiſtolâ* 4. ſcribit; *Quoniam ex evangelicâ lege jubemur ſuum quisque talentum ſic in uſum publicum conferre, ut uſuram approbet, qui ſortem credidit, ego ſtudium meum ad hoc appuli, ut vetuſtiſſimos autores aut in lucem eruam, & à blattis tineisque vindicem, aut depravatos emendem. Etenim ut gravis eſt jactura nobis interire, quod tantis vigiliis ſummi viri prodiderunt: ita non exſtare videtur, quod extat ſic mendis undique conſpurcatum, ut nec legi poſſit, nec intelligi. Nec dubito, quin Veſtra quoque Pietas publicæ faveat utilitati, nihilque minus probet, quam canem illam præſepi incubantem, de quo eſt in Græcorum proverbiis, præſertim cum ita liceat illam utilitatem aliis communem facere, ut nobis nihil deteratur.*
16 * Extat & LEONARDI ARETINI ad Poggium epiſtola, quâ illum invitat ad libros MStos indagandos. Hic cum Quintilianum illi integrum promiſiſſet, exclamat: *O lucrum ingens, inſperatum gaudium. Ego Te Marce Fabi, totum integrum quando aſpiciam! & quantus Tu mihi tunc eris! quem ego quamvis lacerum crudeliter ora, manusque ambas populataque tempora, raptis auribus & truncas inhoneſto vulnere nares, tamen in deliciis habebam. Oro Te, Poggi, fac me quam citò hujus deſiderii compotem, ut ſi quid humanitus impendeat, hunc prius viderim, quam è vitâ diſcedam. Quintilianus Rhetoricæ pater & oratoriæ magiſter ejusmodi eſt, cum Tu illum diuturno ac ferreo barbarorum carcere liberatum huc miſeris, omnes Hetruriæ populi gratulatum concurrere debeant.* Hos ille triumphos agit in unius Quintiliani MSto codice, atque iſte temporum illorum ardor fuit, ut per omnes Bibliothecarum receſſus antiqui iſti
17 Autores conquirerentur, etſi non ſine magnâ difficultate & moleſtiis. * Nam, qui

eos

eos cuſtodiebant, Monachi ut theſauros ſibi ſervabant, quod non parum lucri ex eorum deſcriptione haberent; ut variis artibus ad extrahendos è clauſtris ſuis captivos opus fuerit. Videatur de his copioſe Lomeierus *Tr. de Bibliothecis cap. 9. ſect. 2.*, ubi multa de libris antiquis, quomodo illi Virorum doctorum induſtriâ in lucem protracti fuerint. Exſtant etiam de difficultate Typographorum graves Virorum doctorum querelæ. Videatur Petri Victorii ad Camerarium eâ de re epiſtola, quæ prima eſt libri primi epiſtolarum ad Germanos ſcriptarum. Non eſt tamen, quod ſuccenſeamus Monachis, quorum beneficio ſervati fuerunt Codices. Etſi enim illi barbari, & quibusdam ob male tractatos codices & moroſitatem vapulent, tamen vel ideo ignoſcendum illis eſt, quod absque eorum ſuperſtitioſâ cuſtodiâ tot antiqui Autores peſſum iviſſent.

Utinam ad communem utilitatem conſpirarent, qui MSta poſſident, vel Prin- 18
cipes & Respublicæ, vel privati, & vel notitiam eorum publico bono non inviderent. Multæ latitant ignoratæ ſæpè ipſis poſſeſſoribus opes, quarum obtinendarum nulla ſpes ſupereſt. Qui in Bibliothecis publicis habentur codices, illi à quibusdam ſingularibus libris notati ſunt. * Laudabilem eâ in re operam poſuit *Poſſevinus*, qui 19
Catalogos MStorum Græcorum & Latinorum, ad res ſacras pertinentium, Apparatui ſacro ſubjecit: utinam & ceterorum titulos conſignaſſet. * *Labbeus* ſimili ratione 20
Novam Bibliothecam MStorum librorum, ſive ſpecimen antiquarum lectionum Latinarum & Græcarum Pariſiis An. 1653. edidit, quâ non Theologi ſolùm, ſed & aliarum diſciplinarum Scriptores inediti continentur. Sed ille Bibliothecam Regiam ceterasque Gallicas præcipuè in hunc uſum adhibuit. * Manuſcriptorum hiſtoriam, qua- 21
tenus illa ex Catalogis patet, *Theophilus Spizelius* in diſſertatione præliminari, quam præmiſit ſacris Bibliothecarum illuſtrium arcanis retectis, libro Aug. Vindelic. An. 1668. edito, diligenter perſequitur. Hic oſtendit, quomodo ex omnibus Catalogis cognitis Manuſcripta Theologica, paſſim in Bibliothecis Europæ latitantia, congerenda, ejusque ſpecimen aliquod affert. Similem laborem in ceteris ſcientiis & Facultatibus promittit. Sed nec omnes Catalogos ad manum habuit, nec Bibliothecas vidit, quod neceſſarium eſt illi, qui tale Opus molitur. * *Ludovicus* quoque *Jacobus* mul- 22
tos in Collegiis & Cœnobiis reſtare MStos Codices teſtatur, qui omnes perluſtrandi eſſent, & in hunc cenſum referendi. * *Johannes Baptiſtæ Caponus*, referente Gre- 23
gorio Leti, notitiam MStorum Medicorum totius Orbis, in quocunque idiomate, promiſit. * Suſceperat & *Hieronymus Welſchius*, teſte Schröckio, hunc de Manu- 24
ſcriptis Medicis ex Catalogis Bibliothecarum editis & ineditis laborem; Cui ille quidem manum admovit, ſed & hunc fata intercepere.

Laudandus inprimis *Senatus Auguſtanus*, qui Bibliothecæ ſuæ celebratiſſimæ 25
Catalogum non edi tantùm aliquoties curavit; ſed & MStos Codices, præcipuè Theologicos, accuratè notari juſſit, hàc ratione additâ, ut Codices in eâ contentos, vel cum Viris doctis interpretandos, vel diligentibus Typographis conferendos (modò de iis ſartis tectis ſuo tempore reſtituendis caveant) ad augenda rei literariæ commoda

communicaret. Edidit & eundem poſtea Catalogum auctiorem *David Höſche-*
lius juſſu Marci Velſeri, Reip. Auguſtanæ Duumviri, qui hanc ob cauſam ejus cu-
rari editionem voluit, ut tàm, quæ in Bibliothecâ hac κειμήλια, quî notæ probæ Au-
tores, ſervarentur, conſtaret, quàm quicunque Codex in rei literariæ commodum pe-
tenti εἰς χρῆσιν daretur, aliique βιβλιοτάφοι ad idem bene de literis merendi ſtudium
incitarentur, ad cujus confirmationem hæc charactere majuſculo verba præfixa.
Quisquis Reipublicæ literariæ faves, ſive Lector, ſive Typographe, horum omnium Codi-
cum ſive interpretandi, ſive conferendi, ſive edendi, ita tibi futura eſt copia, ſi de iis
26 *incolumibus reſtituendis caveris.* * Edidit poſteà & *Antonius Reiſerus* hujus
Bibliothecæ Catalogum MStorum uberiorem, nam præter Theologicos etiam
aliarum ſcientiarum MStos Codices adjecit, ad exemplum & imitationem Biblio-
thecæ Manuſcriptorum Labbeanæ; quem poſtea indicem ſequeretur Hiſtoria Litera-
27 ria & Libraria Auguſtana. Sed & illa jam ſpes periit. * Neque inſigni ſuâ lau-
de privandus *Uldar. Fuggerus* eſt, qui Henric. Stephani annuo ſtipendio aluit, ut libros
Græcos ederet.
28 In Bibliothecæ Vindobonenſis MStis recenſendis ſollicitisſimus quoque fuit *Pe-*
trus Lambecius, qui in Commentariis ſuis, præcipuè l. 3. & 4., accuratam eorum enar-
rationem ubique immiſcet, ſed abruptum hunc laborem utilisſimum fato Autoris, do-
29 lendum ſanè eſt. * Bibliothecæ Budenſis MSta, quæ nuperâ expugnatione barba-
rorum unguibus erepta, indicem nuper in Francofurtenſi Catalogo *Julius Pflug* pro-
30 miſit. * Italicarum Bibliothecarum theſauros MStos prodidere, *Thomaſinus* in
variis illis Bibliothecarum, tàm publicarum quàm privatarum, Catalogis, *Angelicus*
Aproſius de Vintimiglia in Bibliothecâ ſuâ, quæ tamen nondum edita eſt, tùm & alii
Vitarum & Elogiorum Scriptores. De ceteris Europæ Bibliothecis, quæ MStis abun-
31 dant, legendus eſt Ludovicus Jacobus, Lomeierus & alii. * Edidit ſuperiore anno
celeberrimæ Academiæ Lipſienſis Catalogum Codicum MStorum Cl. *Fellerus*, optimè
hâc operâ de Academiâ non ſolùm, ſed & orbe literato meritus, qui in præfatione Ca-
32 talogi ſingularia quædam & notabilia ſummatim exponit. * Reperiuntur illic libri
partim planè incogniti, partim perquam rari, Patres & Hiſtorici Græci. Habetur in
illis *Theophili* Monachi liber *de arte colorandi ac coquendi vitra,* quem intercidiſſe pla-
nè nonnulli exiſtimant, meritò conferendus cum illis, qui hodie de eodem argumento
ſcripti ſunt. Latitant in illis plurimi veterum Germanorum libri Rhythmici, non
immeritò eodem, ſi non majori, à nobis pretio habendi, quo haberi ſolent aliarum gen-
tium venerandæ antiquitatis rudera. Nam & hic Dii habitant, & in antiquo illo ha-
33 bitu ingenium reconditur. * Orientalium librorum gazas, quarum aliquam partem
tùm Bibliothecæ Leidenſis Catalogus, tùm Chriſtianus Ravius in ſpolio Orientis exhi-
bet, elevare videtur Conringius in doctiſſimâ illâ ad Boineburgum de *Bibl. Auguſtâ*
Epiſtolâ p. 111. & ſequentibus, quem tamen hic ſuâ ſententiâ non audiendum exiſtimem.
Neceſſitatem MStorum Orientalium in Theologiâ oſtendit Hottingerus *Biblioth. quadr.*
p. 96. in quibus magnam habuiſſe notitiam Burdelotium Ludovicus Jacobus, *Tr. de Bi-*
blioth.

blioth. pag. 502., teſtatur, quosque magno numero in ſuâ Bibliothecâ Peireſcius habuit, & plures etiam inter barbarorum manus tenentur theſauri, quàm nos credimus.

Hic ego hanc omnibus Bibliothecarum poſſeſſoribus mentem optem, quam habuit *Laurentius Pignorius*, Vir ingenio & ſcriptis illuſtris, qui ut ipſe in Bibliothecâ ſuâ multos habuit MStos Codices, quos recenſet Thomaſinus, Epiſcopus Æmonienſis, in diſſertatione *de vita, Bibliotheca & Muſeo Laur. Pignorii,* ita omnibus illos obtulit, ſi quis vellet proferre in publicum: ita enim in Symbolarum Epiſtolicarum *lib. 1. Epiſt. 33.* ad Johannem Thuilium ſcribit: *Non omninò inſcitè hirundines olim cygnos arguebant, propterea quod canendi artem nollent in publicum proferre, ſed pratis ſolùm fluminibus & Zephyro canerent. Occultæ Muſicæ, vetus eſt dictum, nullum eſſe alicubi commodum, cujus ego præcepti memor, ſi quid in arculis meis pluteisve latet, id omne conſilium eſt transſcribere publico bono, ut docti homines, quos editionis fortuna deſtituit, volitent aliquando per ora virûm, & poſtuma hac fama perfruantur merito jure. Utinam verò, quod ego tenuitati meæ impero, id exequantur alii copioſi & locupletes, qui Bibliothecas (niſi Bibliotaphia malimus appellare) refertiſſimas habent ineditis bonorum autorum fœtibus, eô conſiliò, ut in compedibus habeant immortalia monumenta ingeniorum, donec illa ignis fortuitus redigat in favillas, vel vis major hoſtilitatis aliò avertat. Hiſce nos precamur bonam mentem.* 34

MStis accenſeri poſſunt *veterum Autorum libri editi, manu Virorum doctorum ac Criticorum illuſtrium notati.* Cùm enim ideo in pretio ſint MSti Codices, quod illorum beneficio loca corrupta emendari poſſint, meritò æſtimari debent illi libri, in quibus jam tùm illæ emendationes à Viris doctis ſunt inſtitutæ: ac ſi verum fateri velimus, plus ſæpè in illis utilitatis eſt, cum labore illo tædioſo inquirendi & conferendi ſublevemur, ac præterea judicium Critici accedat, qui ſuæ cenſuræ rem jam fecerit, quod potiſſimum eſt. Si enim vel Scaliger vel Salmaſius fuerit, non ſunt à tali manu ineptiæ expectandæ. Ac fuere in Belgio hoc conſilio uſi, ut ſibi compararent Autores, manu Scaligeri notatos, è quibus adeo profecere, ut magnam ſibi è ſcriptis Criticis famam, alieno tamen ingenio fulti, acquiſiverint: Quorum ego nomina intacta relinquo. Meritò ergò talibus libris idem, quod MStis ipſis pretium ſtatuitur, ac vidimus, plerumque illuſtrium Criticorum Bibliothecas eam ob cauſam, majore, quàm ſperari poterat, lucro venditas. 35

* Magnus talium librorum numerus in exquiſitiſſimâ illâ Nicolai Heinſii Bibliothecâ fuit, cujus Catalogus vel ideo æſtimari Viris doctis debet, quanquam & aliis optimis Scriptoribus affluat. Sunt & in Catalogo Bibliothecæ Goëſianæ, nuperrimè venditæ, ejusdem generis libri non pauci. 36

Tertium à veris illis Manuſcriptis Codicibus locum occupant illi *libri, qui primum è MStis emendatis antiquioribus, à peritiſſimis Typographis, curantibus Viris doctis, ſunt editi,* qui magnam proinde fidem in variis lectionibus decidendis, & emendationibus corruptorum locorum habent. In his numerantur Autores, qui Romæ ab Aldo Pio Manutio, Florentiæ à Juniis, in Galliis à Stephanis, quorum vitæ & res à Theodoro Janſonio ab Ameloveen deſcriptæ, à Sebaſtiano Gryphio, cui Scaliger libros 37

de cauſis latinæ linguæ dedicavit, in Germaniâ à Frobenio, Oporino, Commelino &c.
in lucem dati ſunt. Nam celebrium Typographorum eadem eſſe notitia debet, quæ
Virorum doctorum. Diligentisſimus in horum Typographorum notitia delineandâ
fuit Bailletus in Judiciis doctorum part. 1. tom. 2. ubi multa de illis occurrunt, non
adeo vulgo cognita.
38 Solent & à *Viris doctis ſcribi libri,* quibus illi per totum vitæ ſuæ ſpatium in-
ſudarunt, *qui, cum Editores nanciſci non potuerint, ſæpè aliis fœtus ſuos relinquunt,*
qui ſuam alieno fundo famam inædificant, modò non cum muribus & blattis illis cer-
tandum, aut ad ſalſamentarios & myropolas relegentur. MSta recentiora vocari poſ-
39 ſunt. * Dici non poteſt, quanta bonis literis calamitas ex eo naſcatur, ac ſunt pro-
fectò infelices vocandi illi Viri docti, qui non ſibi ſerunt, ſed aliis, ac nullos è ſuis la-
boribus fructus capiunt. Eorum aliqui jam abſoluti ſunt, aliqui imperfecti. Hi
plerumque, vel aliis in prædam cedunt, vel ut inutiles chartæ abjiciuntur. Illi non-
nunquam hâc fortunâ fruuntur, ut Bibliothecis opulentiorum recepti, quaſi in tumulo
recondantur, aut altero demum ſeculo in lucem mittantur. Qui jam anteà famam
ſcriptis editis occuparunt, in poſtumis quoque illam retinent, ut aliquando Typogra-
phum ad editionem provocent, ſi in peritos heredes inciderint. Quanquam &, quæ
præſidio fama eſt, interdum impedimento eſt: allicit enim prædones & plagiarios,
vel ſaltem cupiditatem inſani poſſeſſoris auget, ut ſuum ſibi theſaurum ſanctiùs ſervet.
Habent & illi in MStis locum, & à rei Bibliothecariæ peritis magno conquiri ſtudio
40 debent. * Ac publicè ſanè intereſſet, ſi ipſe Magiſtratus τῶν ἀνεκδότων curam in
Viris doctis ſuſciperet, ut orbæ prolis: Ita non interciderent & ab oblivione vindica-
rentur præſtantiſſimarum rerum theſauri, & plagiarii ab illis arcerentur. Legi de il-
lis Vitarum & Elogiorum Scriptores debent, qui plerumque cum editis inedita quo-
que notare ſolent. Excerpenda illa ſunt & ſeorſim notanda: Fieri enim interdum
poteſt, ut in heredes eorum primos, ſecundos, tertios, vel caſu aliquo, vel diligenti in-
41 quiſitione incidamus, unde acquirere nobis illa poſſimus. * Integram deperdito-
rum librorum hiſtoriam promiſit Ferretus, ut ſupra à nobis dictum eſt; ſed vereor, ne
& ipſa olim inter deperditos libros recenſeatur. Vide, quæ de poſtumis libris habet
Bailletus in libro *de Judic. doctor. tom. 1. part. 2. cap. 9. pag. 390. & ſqq.* Bibliothe-
cam penè integram ſola Welſchii ſcripta inedita & affecta conficerent. Libri Sciop-
piani ἀνέκδοτοι multi, atque inter illos ejus *Theſaurus, ſive abſolutiſſimi de linguâ lati-
nâ Commentarii,* apud Joh. Michaelem Pieruccium, Profeſſorem Patavinum, latitant,
neque hunc in diem lucem, cum indignatione eruditorum, vident; de quibus legen-
dus eſt Gregor. Leti *Ital. regnante part. 3. pag.* 325. Magna hujus libri expectatio
apud literatos eſt, & qui viderunt, ita commendant, ut in illo genere nil ſimile à quo-
quam ſcriptum illis eſſe videatur. Apud Carolum Dati, teſte Boccone in ſuis Obſer-
vationibus naturalibus, latitat MICHAELIS MERCATI *Theatrum Metallicum.* Hoc ille
42 velut theſaurum aliquem cuſtodit, & orbi literato invideri Bocco indignatur. * Qui
imperfecti ſunt libri, neque extremam limam ſenſerunt, & vel ruditer tantùm deſigna-
ti,

ti, cum orbe tamen erudito communicandi eſſent, etiam contra Autorum morientium vota, qui ſibi ipſis interdum iniquiores ſunt quàm alii judices. Apellis tabulæ etiam imperfectæ in pretio fuere: Ita Virorum ingenioſorum Opera imperfecta ſuis autoribus dedecori non ſunt. Ac ſint in illis nævi, facilè hos excuſat non adhibita Operi ἀκρίβεια, tegunt illa & quodammodo pulchriora faciunt Opera perfectiora. Videmus enim ac obſervamus in illis tacitos mentis humanæ in judicando progreſſus. Ego cum voluptate ſæpè legere ſoleo maximorum Virorum Hugonis Grotii & Danielis Heinſii puerilia carmina, quæ initio hujus ſeculi edita, poſtea Operibus ipſis non ſunt inſerta. Quæ etſi à virilibus illis multum diſcrepant, delectat tamen florum illa luxuries, quos tàm præclari fructus poſtea ſecuti ſunt.

Magnum hic texere Catalogum poſſem *librorum ineditorum* vel *imperfectorum*, quorum memoria lectoribus ingrata non eſſet: Sed paucos tantùm producam è vaſto
illo numero. * Deceſſerat Hamburgi MARTINUS FOGELIUS, Gymnaſii ibidem 43
Profeſſor, Vir doctiſſimus mihique amicus, qui multa in lucem edere meditabatur, quorum jam ipſe ſpem fecerat, ſed nunc illa cum ipſo tenebris demerſa jacent, quorum tamen titulos ſaltem in lucem nunc protraham, ſi ipſos libros non licet. Notabo verò, ut ipſe, cùm viveret, ad me miſit. In PHYSICIS erant. *Hiſtoria Naturalis ſelecta & hactenus præterita, cujus 1. pars agit de Similaribus. 2. de Plantis. 3. de Animalibus: Didactica Phyſicæ, cujus pars eſt præcipua de Experientiâ Phyſicâ: Hiſtoria Phyſicorum: Attributa corporum naturalium.* In MEDICINA *Noſoſcopicæ Obſervationes: de Simpliciorum operationibus, cujus* ἀπόσπασμα *eſt, Commentarius editioni paratus de Turcarum Nepenthe: Diæteticæ Obſervationes: Therapeuticæ Obſervationes: Didactica Medicinæ, cujus pars præcipua jam effecta eſt, de Experientia Medica: Hiſtoria Medicorum præterita.* In GEOGRAPHICIS *Hiſtoria Geographorum, cujus pars 1. fere abſoluta eſt, de Geographicis totalibus, qui totum fere orbem terrarum deſcripſere. Hujus etiam pars eſt Hiſtoria Mapparum: Iter per Germaniam, Italiam, Galliam, Hiſpaniam & Belgium: Caſtigationes in Atlantes; item in Philippi Cliveri Compendium Geographicum: Item Compendium Geographicum ſitu omnium locorum diſtincto auctum: Hiſtoriæ Geographicæ ſelectæ: Didactica Geographiæ.* In LOGICIS *Præſtantia Logicæ Hamburgenſis ſupra ceteras hactenus editas, aliquot demonſtrationum Euclidearum exemplis oſtenſa: Eadem præſtantia aliis argumentis aſſerta: Logicæ Obſervationes.* In DIDACTICIS *Didactica: Didactica Didacticæ: Hiſtoria Didactica & Logica præterita: Lexicon Philoſophicum generale, editioni paratum.* In HISTORICIS *præter jam dictas: Hiſtoria Philoſophica, cujus pars eſt, Hiſtoria Lyncea à nemine hactenus edita, quæ duobus conſtat voluminibus: Primum continet Hiſtoriam generalem, ſecundum Hiſtoriam cujuslibet Lyncei.* Hanc ipſe vidi jam editioni deſtinatam, Opus elegans & curioſum: *Hiſtoria Mathematicorum præterita: Hiſtoria Heureticæ: Hiſtoria Philologorum: Opificiorum variorum Hiſtoria.* In GRAMMATICIS *De Linguâ Finnicâ Obſervationes ad Magnum Ducem Etruriæ pridem transmiſſæ: De Germanorum literæ* 𝔅. *Germanicæ Linguæ Etymoſcopia: Germani-*

manicæ Linguæ Orthographia: Latinæ Linguæ Obſervationes: Definitiones Grammaticæ: Etymoſcopia Philoſophica, quâ oſtenditur cognatio totius fere telluris Linguarum: Linguarum varietates.

Hæc de Fogelio ſperari poterant, in ſingulare hiſtoriæ literariæ commodum; quorum nunc an ſpes ulla ad editionem ſuperſit, vix dixerim. Sunt in illis eleganter
44 excogitata & laborioſè collecta, pleraque jam ad prælum parata. * Multa quoque celeberrimus JOH. ANDREAS BOSIUS ſibi edenda propoſuit, quæ nunc cum ipſo intercidere: Eorum Catalogus ab amico ad me miſſus, è quo cum publicatum illum non meminerim, excerpam aliqua lectoris notitiâ non indigna. (o) In his primum locum obtinent: *Emendationes & notæ in Joſephum, quæ, ut puto, cum editione Joſephi Anglicâ conjungentur.* Porro ſunt: *Theſauri Politici continuatio: Varia ſcripta ad hiſtoriam hujus & ſuperioris ſeculi pertinentia: Georgii Syncelli & Theophanis Chronographica cum continuatione Geneſii hactenus inedita, Græcè & Latinè cum notis Jac. Goar & J. Andr. Boſii: Nicephori Chronographia Græc. & Lat. è MStis Codicibus aucta & correcta, notisque illuſtrata: Nova editio Politicorum Ariſtotelis cum prolegomenis de comparandâ prudentia civili: Vigerii libellus de Idiotiſmis Græcæ dictionis cum præfatione Boſii: Liber de natura & varietate hiſtoriæ, ſeu Introductionis in hiſtoriam univerſalem liber primus: Introductio in Chronologiam Hiſtoricam: Introductio in Geographiam Hiſtoricam: Accedit ſpecimen Geographiæ Hiſtoricæ, continens deſcriptionem ditionum Hiſtoricam in Hiſpania & Italia, ita adornatum, ut ſupplementi loco eſſe poſſit ad Geographiam Cluvero-Bunonianam: Diſſertatio de Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudio, noſtro præſertim tempore diligentiùs colendo, cum ſcholiis: Diſſertationes de prima librorum ſcribendique origine; de variis partitionibus temporis univerſi; de Rep. Theocratica; de Origine Imperiorum: de incrementis & decrementis imperiorum: de dignoſcenda Republica; de Scriptoribus hiſtoriæ univerſalis: de Hiſtoria pragmatica: de variis diviſionibus librorum Biblicorum: de inventione crucis Dominicæ: de vita, geſtis & ſcriptis Moyſis: de Numiſmatibus Hebræorum cum brevi explicatione: de Numiſmatibus familiarum Romanarum: de Tetracty Pythagorica: de Numiſmatibus Othonis aureis, argenteis, æneis. Accedit liber Chifletii de Othonibus æneis: de Pontificatu maximo Imperatorum Romanorum: Introductio in hiſtoriam rei nummariæ veteris: Adolphi Occonis Numiſmata cum novis additamentis: Diſſertationes in Agricolam Taciti: in ejusdem principatum Galbæ: Varia obſervata in Scriptoribus Eccleſiaſticis, Græcis & Latinis: Ratio tractandi Hiſtoricos ad uſum prudentiæ & eloquentiæ civilis: Anonymi Chronicon primum è MStis Codicibus edendum: Scholia Græca in Sophoclem adhuc inedita: Marci Pauli, Veneti, Itinerarium, ab edito plurimum diſcrepans, cum notis Boſii: Petri Heliæ Vocabularium, carmine conſcriptum notisque illuſtratum: Orationes & Sermones Academici: Taciti, Senecæ, Plinii nova editio cum notis variorum.* An ex iis quic-

(o) Boſiana pleraque, *h.l.* recenſita, vix affecta fuere, nedum perfecta, uti Succeſſor ipſius atque Hæres, Caſp. Sagittarius, Amicos edocuit. Vid. Tenzelii *Dialogos Menſtruos Germanicos, M. Jan. A.* 1689, *p.* 31.

quicquam in lucem proditurum ſit, incertum, niſi forte Academiæ Jenenſis Theologus & Polyhiſtor celebratiſſimus Sagittarius obſtetricias iis manus aliquando admoverit.

His Virorum doctorum Scriptis ineditis accenſeri etiam poſſunt EPISTOLÆ, quæ 45
ſollicitè cuſtodiendæ ſunt. Continentur enim in illis plerumque arcaniora quædam rei literariæ, quæ fruſtra alibi quæras. Quoniam enim commercia iſta liberè exercentur, judicia in illis ſæpe ingenua de rebus eruditorum ſcribuntur: præcipue ſi non in eum finem ſcriptæ ſint, ut typis promulgentur. * In Bibliothecâ Norimber- 46
genſi multas Virorum illuſtrium MStas Epiſtolas aſſervari autor eſt Saubertus Orat. 2. de Biblioth. Nor. *Non deſunt,* inquit, *epiſtolæ MStæ Virorum longe lateque celebrium, Principum, Comitum, Baronum, Pircameri, Baumgartneri, Lutheri, Philippi maximo numero, Spalatini, Camerarii, Scheurlii, Hectoris, Pomeri, Hornburgii, Caſp. Nüzelii, Ulrici Hutteni, Georgii Pesleri, Pauli Eberi, Viti Theodori, Johannis Mattheſii totis faſcibus, Cratonis, Lazari Spengleri, Andr. Oſiandri, Bezæ, Rudolphi Gvalteri, P. Meliſſi, Joh. Sturmii, Flacii Illyrici, Strigelii, Friſchlini, Fr. Raphaëlis, Carlſtadii, Joh. Agricolæ Islebienſis, Thomæ Müntzeri, Samuelis Huberi & plurium.* Hottingerus Epiſtolarum, à Theologis ſub tempora reformationis ſcriptarum, ingens volumen habuit, ut ipſe in Bibliothecario ſuo memorat, quod ille inter maximos theſauros ſuos literarios numeravit. Vidi ipſe apud Virum illuſtrem, Marquardum Gudium, ſpiſſum talium literarum à Viris doctiſſimis, & quidem eorum manu ſcriptarum, volumen, inter pretioſa ſupellectilis literariæ, quam habet ampliſſimam, cimelia referendum. Sunt in illis Lutheri, Melanchthonis, Eraſmi, ſi recte memini, 50. Caſauboni, Sarravii, Wouvverii, Manutii &c. epiſtolæ omnes ineditæ. Hujus Manutii una in illis eſt prolixa, ipſius manu ſcripta, quam Reginam epiſtolarum Manutianarum vocabat, quæ in editis non habetur. * Epiſtolarum ineditarum Reineſianarum multos quoque faſciculos in Bi- 47
bliothecâ ſuâ ſervavit Boſius (*p*); Habuit eas, quas ad Bernh. Bertramum, Cancellarium in Aulâ Altenburg. Theologos Jenenſes ſcripſerat: Epiſtolas Reineſii & Majoris, Vorſtii, Medicorum Germanorum, Hofmanni, Sennerti, Mœbii, Volcameri, Schneideri, Schenckii, Volckii, Horſtii, tum aliorum Profeſſorum, Birnſtilii, Snellii, Löſcheri, Friſchmuthi, Henr. Gebhardi, Grævii, Boſii, Thomaſii, Strauchii, Conringii, Slevogtii, tum aliorum Virorum doctorum, Langermanni, Gueinzii, Weitzii, Parei aliorumque mutuas: in quibus multa eſſe, quibus res ornari literaria poſſit, dubium nullum eſt, & ex editis augurari poſſumus. Sed vix erit, ut in publica aliquando luce illas videamus.

Quemadmodum hæ in eruditorum uſum Epiſtolæ colligi debent: ita Scripta 48
politica, quæ ad ſtatum Reip. pertinent, meritò ad uſum publicum ſervanda, ſuumque ſibi in Bibliothecis, præcipue publicis, locum vindicant. * Magnopere commen- 49
dat eorum accuratam cuſtodiam Conringius in Epiſtolâ de Bibliothecâ Auguſtâ pag. 114., ac eo nomine Guelferbytanam prædicat, quod in ea magnus illorum de ſtatu Germa-

(*p*) Epiſtolæ Joh. Andr. Boſii & Thomæ Reineſii mutuæ, curante Joh. Andr. Schmidio, Theologo Helmſtadienſi, Jenæ A. 1700. *in* 12o prodierunt.

Germanico MStorum numerus ſervetur. Excell. Dn. Rachelius *cap. extremo Introduct. ad jus publicum Germanicum*, de eâdem Bibliothecâ teſtatur, tantam in illa rerum Germanicarum omnis generis copiam exhiberi, quantam vix ullum Germaniæ totius Archivum. Præſertim poſtquam MSti Codices Joh. Schvvartzkopfii, Cancellarii, ejus partem conſtituerunt. Eodem in loco mentionem facit Bibliothecæ Maximiliani zum Jungen/ Patricii quondam & Viri Conſularis Francofurti ad Mœnum, in quâ CXVI. volumina rerum Germanicarum collecta fuerint: Quo theſauro præcipue motum Cardinalem Mazarinium exiſtimat, ut ſedecim mille florenos pro illâ obtulerit, neque tamen pro illo pretio eam impetrare potuerit. De eorum ſcriptorum copiâ in Bibliothecâ Puteani & Pinelli jam ſuprà diximus.

50 Enumeravimus hactenus ſcripta illa, quæ MStis veris accenſeri ſolent, quorum
utilitas quibusdam major eſſe videtur, quam ipſorum Manuſcriptorum. Conringius
certè, ut jam ſupra diximus, non vult inter perfectiſſimæ Bibliothecæ notas haberi, ſi
numero Manuſcriptorum vincat. Neque negari ſanè poteſt, ex cujusque ſcopo &
fine ſpectandam Bibliothecam. Privatus ſibi pro ſuo genio & indole eam format.
Publica ad uſum communem inſtitui debet. Etſi verò & editi libri optimi hic abeſſe
non debent, tamen & facilior eorum copia, quam MStorum eſt: & vero in eô maxime Bi-
bliothecas publicas proſpicere privatorum indigentiæ æquum eſt, ut ſubminiſtrent illa,
quæ ipſi aliunde non facilè deproment. In his ergo rarioribus principem locum ſibi ven-
dicant Manuſcripta, quæ, quò antiquiora, eo ſunt meliora, ſive jam tum typis illa
vulgata ſint; ſive hactenus *ἀνέκδοτα*, quæ majoris pretii ſunt. Sed tamen nec illorum
51 nullus uſus eſt, ut jam ſupra exemplo declaravimus. * Etſi enim Conringius cum
Toleto Fulvium Urſinum ridet, immane pretium MSto antiquiſſimo Terentii, ſed ta-
men alicubi vitioſè ſcripto, ſtatuentem, de quo locum è Jan. Nic. Erythræo producit:
non tamen adeo abſurdè hâc in re ſenſit Urſinus. Quanquam enim accuratiùs nunc
in nonnulla Terentii loca inquiſitum ſit, aliorum Codicum collatione; tamen, ſi anti-
quitas ſua Codici conſtat, plura è tali codice, tum, quæ ad intellectum Autoris, tum,
quæ ad ſcripturam pertinent, diſci poſſunt, quæ in aliorum Codicum lectione magnam
52 nobis lucem accendent. * Multum enim in ſe reconditi habet ille antiquitatis ge-
nius, atque ubi minimè credis, ex ipſis ſuis tenebris lucem aliquam ſpargit. Quod ſi
levior ille quibusdam uſus videatur in Autorum emendatione; longè tamen major
ille eſt, qui è MStis Patrum libris, utut jam impreſſis, in Eccleſias & Academias pro-
manat. Nemini ignotum eſt, quorundam fraudibus id agi, ut ea in Patribus loca,
quæ minus favere receptæ apud ſuos ſententiæ videntur, aut mutilentur aut corrum-
pantur: Quo caſu magnum in MStis Codicibus præſidium qui non agnoſcit, is pro-
fectò ſtupidus atque amens eſt. Jamdudum oſtenſum à Theologis celeberrimis ac
Philologis eſt, multa talia paſſim in Patribus inveniri. Extat & ſingularis *de Latro-
ciniis in Scriptores Publicos, præcipuè Patres*, L. Caſp. Löſcheri diſſertatio, qua exem-
pla ejus rei proferuntur; ſed longè dari uberiora poterant. Si mutilationes illæ non
ſint, vel Typorum ſphalmata, quæ repetitis editionibus creſcunt, medicam à MStis ma-
num

num reqvirunt. Commendat hunc uſum qvoqve Reiſerus in præfatione Indicis MStorum Bibl. Auguſtanæ. * Manuſcriptorum nunqvam editorum uſus ex utilitate 53
argumenti dependet, & ipſa raritas rem ſæpè inæſtimabilem faciet. Qui Livii & Taciti libros omnes, Plinii libros de bellis Germanicis, ac ſimiles Autores poſſideret, de pretioſiſſimo ille theſauro ſibi merito gratulari poſſet. Latitare adhuc in aliqvo orbis angulo, non eſt fortè incredibile, præſertim cum mirabilia MStorum ſæpe eſſe fata ſoleant, ut nos de ipſo Livii codice aliisqve in diſſertatione noſtrâ de Patavinitate Livianâ notavimus.

Jam ſupra monui, excutiendas eſſe omnes Bibliothecas, publicas, privatas, ut 54
MStorum notitiam, qvoad ejus fieri pôteſt, uberrimam habeamus: Qvanqvam hic obſtinatum Bibliothecarum ſilentium eſſe ſolet. Solent illa κειμήλια nonnullis ita recondi, ut vix inſpectioni locus relinqvatur: neqve patientur, ut qvis de illis catalogus in lucem edatur, cujus qvidem taciturnitatis cauſas non omnino nullas habent. Solent enim theſauri incogniti ab ipsâ obſcuritate aliqvod ſecuritati ſuæ præſidium petere. Qui in omnium oculis verſantur, facile prædones belli tempore alliciunt, ut triſtia ejus rei exempla ſuperſunt in Germaniâ, ubi vel fama & ſuſpicio cum periculo conjuncta fuit. Sed tamen cui bono theſaurus abſconditus? In uſum tamen hominum illi libri congeſti ſunt, &, ut eorum notitiam nobis conqviramus, cum Bibliothecariis familiaritas contrahenda, ut ad ſecretiores Bibliothecæ receſſus nos admittant, qvo artificio Salmaſius in Bibliothecâ Heidelbergenſi uſus eſt, cui plurimam in Criticis cognitionem debet.

Inſtructiſſima, ſine dubio, omnis generis Manuſcriptis *Bibliotheca Vaticana* eſt, 55
præſertim poſtqvam Heidelbergenſis Bibliothecæ ſpolia acceſſerunt. (Si ulla unqvam acceſſerunt; ſunt enim, qvi de eo dubitant: neque ipſe etiam Joſeph. Scaliger magnificè adeo de illâ ſentit.) Aproſius Vaticanæ Bibliothecæ & Barbarinæ MSta conſignavit, teſte Gregor. Leti Ital. regn. part. 4. p. 399. * Huic *Vindobonenſis* ſubjungi de- 56
bet, præſertim poſtqvam Budenſis Bibliothecæ reliqviæ in illam collatæ. Vixiſſet Lambecius, illius Bibliothecæ MSta in publicam lucem protuliſſet. * In *Hiſpani-* 57
cis Bibliothecis multa ſuperſunt MSta; ſed ut Dracones opibus ſuis incubant, neqve tamen iis uti vel poſſunt vel volunt. Incendio Bibliothecæ Scorialenſis plurima, ut puto, perierunt. * De *Angliæ Bibliothecis* Georg. Richterus in Epiſtolâ ad Arnol- 58
dum ſcribit: *Novi & expertus ſum ipſe, qvales & qvantos viros in re literariâ, qvales Bibliothecas, qvalia Manuſcripta natio iſta habeat.* * Chriſtophorus vero Arnoldi 59
ita ad Richterum (in Epiſtolis Richterianis p. 485.) ſcribit: *In Academia Cantabrigienſi Abr. Whelocus, Arab. atqve Anglo-Saxon. linguæ Profeſſor & Bibliothecarius publicus, codices Manuſcriptos, cumprimis Græcos, perlubenter mihi impertit, ex eadem Bibliothecâ publicâ aliqvot Epiſcoporum Bibliothecis mirificè auctâ. Hujus commendatione gratiam adeptus ſum inſpiciendi illuſtres in domo Petri, Collegio Reginæ, & Collegio Joannitico, Bibliothecas, theſauris Manuſcriptorum refertiſſimas. Obſtupui in Johanniticâ, cum mihi magnam ſacrorum librorum Græco-Barbarorum copiam oſtenderent, à bene-*

factore

*factore qvodam Anonymo, ſuaſione Richardi Sybbes, S. Theol. Profeſſoris, & hujus Collegii
qvondam Socii Senioris, A. D. 1628. dono oblatorum. Hîc etiam libros Chinenſes vi-
dere licet, imaginibus hiſtoricisqve lineamentis pulchrè diſtinctos; item Maimonidis
Sophone Torah Voll. qvatuor Venetiis in chartâ cœruleâ impreſſis, ubi plurimas inſpexi
περικοπὰς, nefariâ recutitorum manu leviter deletas. In Bibliotheca publica ipſius Aca-
demiæ Lexicon eſt Syro-Arabicum Manuſcriptum Bar Bahlull. Omnia hoc in opere
Syriaco charactere deſcripta ſunt: niſi qvod minoribus Arabica, majoribus verò Syriaca.
Celebris ille apud Anglos Philologus ſacer Bedwellus eidem Bibliothecæ Lexici Arabici
volumina ſeptem, conſcripta manu ſua, una cum Typographiâ Arabicâ, legavit.* In
60 *Oxonienſi Bibliotheca* multa haberi Manuſcripta Jameſii Catalogus teſtatur. * *Gal-
licæ Bibliothecæ*, Regiæ, privatæ, Manuſcriptis variis pleniſſimæ, de quibus Ludovicus
61 Jacobi legi poteſt. * *Bibliothecæ Thuanæ* MStos Codices antiqviores, recentiores,
quorum non exiguus numerus eſt, qvi vel cum publicis nonnullis Bibliothecis certet,
62 Joſephus de Qveſnel ab impreſſis ſeparatos edidit. * *Italicarum*, publicarum, pri-
vatarum *Bibliothecarum* Manuſcripta Tomaſinus, pauca tamen è vaſto numero, in
publicum protraxit; qvi tamen indices, ut novi, multum illis profuere, qvi in Italiâ
Manuſcriptos Codices indagarunt, ac feliciter iſto indicio è privatis Bibliothecis ſibi
compararunt. Jacob. Gaddius in libro ſuo de Scriptoribus paſſim citat Manuſcripta
critica & poëtica, qvæ in Italicis Bibliothecis habentur. Vide & Gregor. Leti *Ital.
63 regnante part. 3. l. 4. p. 346. p. 383.* * De *Auguſtanæ Bibliothecæ* Manuſcriptis ſu-
pra vidimus. *Norimbergenſem Bibliothecam* Joannes Saubertus ob Manuſcripta, qvæ
recenſet, laudat, & cum ipſis Italicis contendit, peculiaribus de illa ſcriptis orationibus.
Leidenſis Bibliothecæ Manuſcripta etiam Catalogo illius Bibliothecæ notata ſunt. Sunt
& in *Gottorpienſi* noſtrâ Libri MSti, præcipuè Orientales & Arabici, qvibus ſe adju-
tos tum Cl. Salmaſius tum Bochartus profitentur. Eorum mentionem, ut puto, etiam
64 Huetus facit in lepidiſſimo illo carmine, quo Iter Svecicum deſcribit. * Sunt præ-
terea in illis, qvantum nunc ſchedæ mihi meæ ſuggerunt: *Plinii Hiſtoria Naturalis, qvo
uſus Salmaſius: Corpus Juris Civilis: Hippocratis Opera Græcè. Vegetius de re milita-
ri. Martianus Capella. Virgilii & Ovidii aliqva. Papinius Statius. Lucanus de Bello
Civili. Ciceronis Rhethorica nonnulla. Saluſtius.* Ἥρων@ εἰσαγωγὴ τῶν γεωμετρȣ-
μένων. *Heronis Geodæſia. Theocriti Idyllia. Cyrilli Lexicon Græcum. Macrobius in
Somnium Scipionis. Boëtius de Conſolatione. Hiſtoria ſacra Perſarum, Perſicè &
Latinè. Libanii Characteres. Michaëlis Glycæ Annales. Sidonii Apollinaris Epiſtolæ.
Fragmenta veterum Mathematicorum, Græcè. Perſii Satyræ. Heliodori Lariſſæi Opti-
ca. Xenocrates de Piſcibus. Vita Heſiodi, Theocriti & Oppiani, Græcè. Leontii Baſilii*
Ναυμαχικὰ, *Græcè. Pſelli Expoſitio in Zoroaſtr. Oracula: Ejusdem expoſitio Dogma-
tum Chaldaicorum. Demetrii Phalerei Apophthegmata. Glycæ Orationes, Græcè. Gemi-
ſtius de dignitatibus & officiis regiis tempore Romanorum. Caſſiodori tripartita Hiſtoria
Eccleſiaſtica. Papiæ Gloſſarium. Homiliæ diverſorum, quas juſſu Caroli M. collegit Al-
cuinus. Senecæ Epiſtolæ. Demetrii Dialogus. Warnfridi Hiſtoria Longobardorum.*

Cypriani

Cypriani Epiſtolæ. Conſtantini Manaſſis Chronicon. Leonis Papæ Epiſtolæ. Fulgentii Mythologia. Alexi vita, Græcè. Methodius de Mundi excidio. Chimica multa & Chronica ad res Germanicas, Hiſtorica ad res Holſaticas pertinentia.

Privatarum quoque *Bibliothecarum* magna eſt à MStis æſtimatio. ISAACI VOSSII, qvam ipſe Hagæ-Comitis vidi ac perluſtravi, Bibliotheca laudari ob multos Codices antiqviſſimos meretur. 65 * LUCÆ HOLSTENII Bibliotheca multa habuit Græca, præcipuè in Philoſophiâ Pythagoricâ & Platonicâ, qvorum pleraqve in hunc diem ſunt ἀνέκδοτα. 66 (q) Eorum Indicem, qvem ab amico habeo, hîc ſubjungam. *Damaſcii, Philoſophi Platonici, περὶ ἀρχῶν, ſive de principiis qvæſtionum & ſolutionum, magnum & præclarum Opus, fol., Græcè: Hermii Philoſophi in Phæd. Platonis Scholiorum libri 3. Græcè, fol. Eadem Hermiæ co͞mentaria, Latinè, Marſilio Ficino interprete, hactenus non edita, fol. Olympiodori Philoſophi commentaria in Phæd. Platonis, qvi eſt de immortalitate animæ, Græcè fol. Platonis Compendium ſive ſelecta, Græcè fol. Procli lib. 6. de Theologia Platonis, Græcè fol. Ejusdem Procli ϛοιχείωσις Θεολογική, ſive Elementorum Platonicæ Theologiæ liber, CCXI. propoſitiones continens, Græcè fol. Eadem Procli Elementatio Theologica, Latinè, ex veteri verſione Fr. Guilielmi de Morbeka, Archiepiſcopi Corinthii, cum ejusdem Demonſtrationibus, fol. Nicolai, Epiſcopi Methonenſis, animadverſiones in eadem Procli elementa Theologica, ne qvis eorum probabilitate ad Arrianiſmum ſeducatur, fol. Procli Lycii Philoſophi libri 3. ſingulares, ſive μονόβιβλος I. de decem dubitationibus circa providentiam. II. de Providentia & fato, & eo, qvod in nobis, ad Theodorum Mechanicum. III. de malorum ſubſiſtentiâ, Latinè, interprete Guilielmo de Morbeka Archiep. Corinth. fol. Procli Commentarius in Alcibiadem priorem Platonis, Græcè, & in eodem volumine Olympiodori Philoſophi in Alcibiadem Platonis Scholia, Græcè, fol. Joann. Baptiſtæ Camotii in Platonis Alcibiadem majorem Comm. libb. III., Latinè, fol. Procli Commentariorum in Parmenidem Platonis Libri VII. Græcè, fol. Procli in Cratylum Platonis Scholia ſelecta, Græcè, 4to. Procli Diſſertationes aliqvot in Remp. Platonis, hactenus non editæ, Græcè, fol. Procli vita, Autore Marino, integra, Græcè, 8vo. Syrianus Platonicus in Metaphyſica Ariſtotelis, cujus objectionibus contra Platonem & Pythagoram reſpondet; Græcè, fol. Herenni Philoſophi Metaphyſica, qvod eſt elegans Theologiæ Platonicæ compendium, Græcè, fol. Nicomachi Geraſini Pythagorici Arithmetica, cum ſcholiis marginalibus antiquis, Græcè, 4to. Joannis Grammatici Philoponi commentarius in Nicomachi Arithmeticam, Græcè, fol. Jamblichi Chalcidenſis de vitâ & doctrinâ Pythagoræ libri IV., qvorum duos tantum priores infeliciſſimè edidit Arcerius: Græcè, fol. Jamblichi de Myſticâ Ægyptiorum Theologiâ liber, qvæ eſt reſponſio ad Mammonis ſive Porphyrii eadem de re epiſtolam, Græcè, fol. Claudii Ptolomæi liber περὶ κριτηρίου καὶ ἡγεμονικοῦ, ſive de principe animi parte, qvâ verum falſumqve dijudicamus. Albini Philoſophi Introductio ad libros Platonis. Incerti Autoris Hermippus, ſive de Aſtrologiâ libri II., Græcè, & liber dictus Græcis Ichnolates, Græcè, fol.*

(q) Multi ex Codicibus iſtis Lucæ Holſtenii MStis, *h. l.* enumeratis, in Bibliotheca jam Civitatis Hamburgenſis, cui Profeſſor moribundus eos legavit, Publica aſſervantur.

Porphyrii Philoſophi & Pappi Alexandrini Commentaria in Harmonica Claudii Ptolomæi, Græcè, fol. Sphærici aliqvot autores veteres, Græcè, ſcilicet Autolicus de Sphærâ, qvæ movetur, it. de ortu & occaſu. Theodoſius Tripolita de Habitationibus: item de diebus & noctibus, & Euclidis Phænomena, Græcè, fol. Heronis Geometræ Introductio ad Geometriam, Græcè, fol., cum Anatolii, Damiani & aliorum opuſculis ad Mathematicam pertinentibus, Græcè, fol. Manethonis Ægyptii Apoteleſmatica libris VI. carmine Græco, cum Introductione Maximi, 4to. Chalcidii expoſitio in Timæum Platonis, exemplaria duo perantiqva, 4to. Ægidii, Cardinalis Viterbienſis, commentaria in primum librum ſententiarum ad mentem Platonis, qvibus univerſa Theologia Platonica luculenter exponitur, latinè, fol. Lexicon vetus Theologicum & Philoſophicum, Græcè, fol. Serapion Thmüenſis, Titus Boſtrenſis & Photius P. C. P. nus contra Manichæos, Græcè, fol. Joannis Philadelphienſis Lydi de Menſibus liber, à Photio P. C. P. no, ut videtur, in compendium contractus. S. Methodii Patarenſis Epiſcopi & Martyris Sympoſium X. Virginum, ſive de Virginitate, liber. Vita S. Syncleticæ, autore, ut creditur, S. Athanaſio, Græcè, 4to. Oppiani de Aucupio libri III. Eutemii Sophiſtæ ecphraſi in proſam orationem transformati, Græcè, fol. Simplicii Philoſophi Commentarius in Epicteti Enchiridion, Græcè, 4to. Evagrii Monachi diverſa opuſcula aſcetica, Græcè, fol. Fl. Arriani Nicodemienſis Tactica, ſive de acie militari rectè inſtituenda liber, in qvo accurate de veterum Romanorum exercitiis eqveſtribus agitur; & ejusdem Arriani expeditio Pontica contra Alanos deſcribitur, Græcè, fol. Julii Africani Geſtorum liber VII., qvi eſt de re militari, Græcè, fol. Aſclepiodori Philoſophi τέχνη τακτική, ſive, de acie arte inſtruenda liber, Græcè, fol. Incerti autoris de tolerandâ propulſandâqve obſidione liber: item exempla de ordinibus militaribus, Græcè, fol. Mauritii, ſive Urbicii, de re militari libri XII. ex accurata IV. Codicum antiqvorum collatione, Græcè, fol. Incerti Autoris de re militari liber, & alius de orationibus militaribus, Græcè, fol. Polyæni Strategematum libri, Græcè, fol. Phlegontis Tralliani, ut videtur, libellus de mulieribus, bellicâ laude illuſtribus, Græcè, 4to. Theodori Metochitæ συμμίκτων, ſive Miſcellaneorum capita CXX. 11. voll., Græè, 4to. Dionyſii Periegeſis cum paraphraſi incerti Autoris, Græcè, 4to. Euſtathii commentarius in Dionyſium, græcè, 4to. Joannis Tzetzæ Ante-Homerica, Homerica, & Poſt-Homerica, carmine Græco, cum ejusdem Tzetzæ ſcholiis Græcè, 4to. Orphei Hymni & Argonautica, Græcè, 4to. Michaël Pſellus de generatione animæ in Platonis Timæo, Græcè, 4to. Ejusdem Pſelli libellus de Dæmonibus & generibus incantationum liber, Græcè, 8vo. Origenis Philoſophumena, ſive de variis veterum Philoſophorum ſectis & opinionibus liber, Græcè, 4to. Moſchionis Hypothecæ, ſive monita ſententioſa, 4to. Plutarchi collectio proverbiorum, qvibus Alexandrini utuntur, Græcè, 4to. Philoſtorgii Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ compendium, transſcriptum ex regiâ Scorialenſi Bibliothecâ, Græcè, 4to. Joannis Diaconi Pediaſimi declaratio aliqvot difficilium locorum Cleomedis, Græcè, 8vo., & Latinè 4to. Zenonis ac reliqvorum Stoicorum Philoſophiæ moralis compendium, Græcè, 4to. Didymus Alexandrinus & Alexander Lycopolita contra Manichæos, Græcè, 4to.

67 Prodeat nunc ultimo, ſed principe profectò loco nominanda Illuſtris & Excel-

lentiſſimi

lentiſſimi Viri MARQVARDI GUDII, Reg. Maj. Dan. Conſiliarii Status, celebratiſſima Bibliotheca; qvam ſi privatarum omnium ego Reginam dixero, nihil ultra veritatem aut jactantiùs loqvi videbor. Tanta eſt in illa Manuſcriptorum Codicum & antiqviſſimorum & rariſſimorum copia, is ſelectus, ut vel cum Regiis contendere Bibliothecis poſſit. Sunt in illa libri Græci, Latini, nusqvam in luce viſi, toto orbe literato, præcipuè in Italiâ, ſummo ſtudio conqviſiti, qvos vel non extare amplius multi, aut jamdudum periiſſe crediderunt. Hos emaculatos in lucem edere non annorum aliqvot, ſed ſeculi labor eſſet. Cum hoc primum mihi ingredi ſacrarium daretur, in Latium & Athenas veteres reductus, & in iſta rerum varietate totus mihi ſtupere videbar. Verum cum viderem, qvam ipſa illa copia votis eruditorum, & labori etiam Herculeo obſiſtat, nullos ex ubertate iſtâ fructus ad orbem literatum perventuros indolui, præſertim cum illuſtris ejus Bibliothecæ poſſeſſor negotiis civilibus oppreſſus vacare eruditis curis non poſſet. Mihi tamen loco non alieno tantæ rei commemoratio minimè prætermittenda videbatur; tum qvoniam publicè intereſt, non ignorari has Holſatiæ noſtræ opes; tum ut venerationem, qvâ ſingulare hoc ſeculi noſtri decus proſeqvor, publicè teſtarer, ſimulqve illum obteſtarer, ne, qvæ habet in vetuſtis autoribus admirabili planè εὐστοχίᾳ obſervata, ne poëmata, qvæ cum antiqvis de palma contendant, ne incomparabile illud Inſcriptionum Opus, tot annos illi perpolitum, luci publicæ, poſteritati, ſuæqve amplius invidere gloriæ velit.

CAP. VIII.

DE LIBRIS DAMNATIS.

§. 1. Libri prohibiti majùs deſiderium excitant. 2. Athei. 3. Liber de tribus impoſtoribus. 4. Qvis ejus autor, disqviritur. 5. Claudius Berigardus ex illo qvædam excerpere videtur. 6. Notatur Cardanus, qvi ex illo libro, aut ſimili, qvædam in ſuos uſus transtulit. 7. Bodini Dialogus de abditis rerum ſublimium arcanis. 8. Ejus Hiſtoria prolixius proponitur. 9. Diecmanni ſuper eo argumento Diſſertatio laudatur. 10. Collegium qvorundam Venetiis ſuper religionis negotio inſtitutum. 11. Poſtellum nec Atheum nec Deiſtam fuiſſe adverſus Rainaudum & alios probatur. 12. Heterodoxus ille tamen in multis fuit. 13. Galeni ἀθεότης à Caſaubono vindicatur. 14. Familiaris multis Atheiſmi calumnia. 15. Benedicti Spinoſæ peſſima pro Atheiſmo ſtabiliendo ſcripta. 16. Complura minuta Atheorum ſcripta recenſentur. 17. Vaninus. 18. Pomponatius. 19. Ochinus. 20. Campanellæ Atheiſmus triumphatus. 21. Porcius: Antonius Roccus. 22. Jordanus Brunus. 23. Judicium de autore libri, qvi hiſtoriam populorum Sevarambes ſcripſit. 24. Libri Magici. 25. Multi falsò crediti. 26. Hæreticorum libri. 27. Indices expurgatorii. 28. Libri obſcœni. 29. Satyra Sotadica Aloyſiæ Sygææ adſcripta; 30. ejus nomen, ut & Meurſii mentitum. 31. Aloyſia Sygæa magnum feminæ pudicæ & eruditæ exemplum. 32. Caſtratores librorum veterum notantur. 33. Satyrici ſcriptores. 34. Regibus ipſis metuendi. 35. Iſ. Caſauboni Corona Regia.

 Qvemad-

1 QVemadmodum in officinis ea, qvæ rariora & pretioſiora ſunt, ſeponere ſole-
mus, ne vel furaci manu rapiantur aut contaminentur: ita venena qvoqve
ſuo loco cuſtodiri ſolent, ne illa, cum incautiùs tractantur, nocere poſſint.
Similiter in re literariâ libri MSti ut cimelia aſſervantur, LIBRI DAMNA-
TI peculiari cenſura notantur, neqve omnium oculis manibusqve exponuntur: Qvan-
qvam fieri ſæpe ſolet, ut, qvi arctius cuſtodiuntur libri, cupiditatem & deſideria curioſo-
rum provocent, qvi majore attentione & curâ malos tum libros legunt; cum obvii
& à Viris doctis refutati vileſcerent. Nunc verò cum illi anxiâ diligentiâ in ſecreto
tenentur, deſperatæ cauſæ ſuſpicio qvibusdam pravis ingeniis ſuboriri ſolet.

Inter damnatos primo loco numerantur *Scriptores Athei*, qvi doctrinam de Deo,
2 de Chriſto, de immortalitate animæ exſtirpatum eunt. * Princeps in his liber ille
3 famoſus eſt *de tribus Impoſtoribus*. Illum Grotius nunqvam ſcriptum eſſe exiſtimat,
qvod ego nunc ſuo loco relinqvo. Novi ego Viros, qvorum fides minimè ſuſpecta
eſt, qvi ſe vidiſſe teſtantur. Dicitur & in Germanicam linguam converſus, impres-
ſusqve in folio latitare apud ſceleſtos Atheiſmi propugnatores. * Autor Religio-
4 nis Medici *Bernardinum Ochinum* Autorem libri hujus habet, de cujus vitâ & mori-
bus legatur Antonius Maria Gratianus, in *vitâ Cardinalis Commendoni*, *l. 2. cap. 9.*
Thomas Campanella, referente Ernſtio, *Muretum* ejus Autorem habuit; Merſennus
Comm. in Geneſin, *Petrum Aretinum*. Videantur Vinc. Placcii *annotata in Joh. Rho-
dii Autores ſuppoſititios n. 50.* * Hunc librum legiſſe, & ex eo qvædam excerpſiſ-
5 ſe videtur Claudius Berigardus *in Circ. Piſani, part. 3. Circ. 3. p. 230.*, ubi de calumniis
in Moſen agit, ad qvas ita reſpondet: *Tot Viri ſancti & Chriſtus ipſe Moſen ſecuti ſatis
eum vindicant ab hac calumniâ, qvicqvid effutiat contrà liber impius de tribus impoſto-
ribus, omnia refundens in dæmonem potentiorem, cujus ope Magi alii aliis videntur præ-
ſtantiores: qvò etiam refertur illud fictum à Boccacio de tribus annulis.* Fuere & Au-
guſtini tempore, qvi circumferrent librum de Chriſti magia, de qvibus Auguſtinus,
de conſenſu Evang. cap. 8. Utinam ejus farinæ libri extarent, & legi ab omnibus poſ-
ſent! Certus ſum, ex ipſis tela, qvibus eorum calumnia juguletur, nos deprompturos.

Argumento certè hoc non exiguo eſt, extitiſſe ſimiles olim libros, ſive Aretinus
6 ſive Ochinus illorum Autor ſit, cum Cardanus in lib. 11. de Subtilitate recitet qvædam
variarum ſectarum pro ſe pugnantium argumenta, qvæ ex his lacunis hauſta videntur.
Introducit in illo loco Pagani, Judæi, Mahumetani & Chriſtiani argumenta, atqve ita
proponit ſingula, ut Chriſtianiſmi partes ſegniùs agantur. * Planè illâ ratione JOH.
7 BODINUS poſtea librum ſcripſit *de ſublimibus & admirandis rerum arcanis*, ubi per-
petuo inter ſectas & religiones dialogo inſtituto eadem argumenta atqve eandem cram-
ben recoxiſſe videtur; Qvod indicio eſt, utrumqve ex iisdem fontibus ſua depromſiſ-
ſe. Merſennus certè commentario in Geneſin Cardanum ut Atheum reprehendit, mo-
netqve in vetuſtis editionibus librorum de Subtilitate, eo in loco multa haberi, qvæ
poſtea ſint in ſeqventibus editionibus vel omiſſa, vel immutata. Atqve ita ſe rem ha-
bere è Scaligeri Exercitationibus probari poteſt, qvi *Exercitatione* 258. pereuntem

Carda-

Cardanum ſecutus, hæc ejus ulcera tangit, non ſine mordaci, ut debebat, ἐπικρίσει.
Arguunt præterea illa verba, qvæ formulam tranſitionis conſtituunt in veteri editione:
Igitur his arbitrio victoriæ relictis &c. qvaſi dubitaret Cardanus, cui parti victoria
adſignanda ſit: pro qvibus verbis in poſteriori editione legitur: *Sed hæc parum Phi-
loſophos attinent, pro qvibus inſtitutus eſt ſermo:* qvæ & ipſa aliqvid profani ſenſus
habere videntur. Sed omnia illa arguunt, diſcrepare vetera exemplaria à recentio-
ribus.

Ut ad Bodini librum revertar, ille in ipſâ olim Galliâ rarus, nunc tamen etiam 8
in Germania in qvorundam Bibliothecis latitat. Levis ejus libri hactenus fuit notitia
& ſubobſcura. In Grotii & Sarravii epiſtolis paſſim ejus mentio fit. Illius extat de
eo judicium in *epiſtolâ ad Gallos 146. & in altera 170.* Hic omnem lapidem movit,
ut, ſollicitante Iſaaco Voſſio, pro Reginâ Chriſtinâ exemplar aliqvod obtineret. Le-
gi loca illa in Epiſtolis ejus poſſunt, p. 322. 325. 326. 335. 350. * Nunc verò plenio- 9
rem ejus libri notitiam orbi erudito ſuppeditavit Vir reverendâ dignitate & variâ eru-
ditione conſpicuus, JOHANNES DIECMANNUS, per Ducatus Bremenſem & Verdenſem
Superintendens Generalis, qvi in hac Kilonienſi Academiâ elegans hoc & eruditum diſpu-
tationis ſuæ inauguralis argumentum extare voluit: *de Naturaliſmo cum aliorum, tum
maxime Joh. Bodini, ex opere ejus MSto & usqve adhuc ἀνεκδότῳ de abditis rerum ſub-
limium arcanis.* Ille hanc εὐτυχίαν habuit, ut, qvod alii tot laboribus & ſumptibus
qvæſiverunt, illi ultrò in manus incideret. Nam duplex horum Dialogorum exem-
plar obtigit; qvorum alterum eas antiqvitatis notas habuit, ut ex primis Bodiniani
operis apographis eſſe nullus ipſe ambigat, olim ex Bibliothecâ Guilielmi Laud Ar-
chiepiſcopi Cantuarienſis magno ære redemptum; Alterum verò recentius ante XX.,
cum hæc ſcriberet, annos è codice Patini feſtinanti manu deſcriptum: qvod tamen
non rarò lacunis Anglici Codicis ſupplendis, & emaculandis librarii vitiis, utiliter ad-
hiberi potuit. Liber autem ita inſcribitur: *Colloqvium Heptaplomeres de abditis re-
rum ſublimium arcanis.* Ἑπταπλομερὲς inſcriptum eſt, non, qvod in ſeptem libros
diſtributus eſſet, ut Sarravius exiſtimavit; ſed, qvod ſeptem viros, Paulum Coronæum,
Frid. Podamicum, Hier. Senamum, Diegum Toralbam, Ant. Curtium, Salomon. Bar-
caſſiam, & Octav. Fagnolam, operis inter ſe partitis, perpetuò confabulantes introdu-
ceret. Primo Pontificiorum, ſecundo Lutheranorum, tertio omnium ſectarum, qvar-
to Naturaliſtarum, qvinto Calvinianorum, ſexto Judæorum, extremo deniqve Muham-
medanorum cauſam tutandam commiſit: Qvi omnes ita de fidei controverſiis συζη-
τοῦσιν, ut Chriſtiani, ſive Pontificii, ſive Lutherani, ſive Calviniani, ſuccumbant ſemper;
reliqvi verò, inprimis Judæi & Naturaliſtæ triumphent. Hæc ex ipſa illa Diſſerta-
tione adducere volui, cum accuratior ejus dari notitia neqveat.

Memorabile & hoc eſt, qvod ipſe notavit ex ſchedâ qvâdam manuſcriptâ, qvæ 10
Guidonem Patinum ex Gabr. Naudæo audiviſſe commemorabat, fuiſſe Venetiis qva-
tuor homines, qvi ſingulis hebdomadis inſtituendarum ſuper variis religionibus diſſer-
tationum philoſophicarum cauſâ hic convenerint; in iis Coronæum Rothomagenſem,

&

& Guilielmum Poſtellum Notarii vices ſuſtinentem, cujus chartæ poſteà ad manus
11 Bodini pervenerint, & huic ſcripto conficiendo fuerint adhibitæ. * De Poſtello Henr. Stephani narrat in Introductione tractatus *de conformitate miraculorum antiqvorum & novorum c. 14. p. 100.* illum publicè dixiſſe, qvod, qvi bonæ religionis ſpeciem efformare velit, eam ex tribus iſtis, Chriſtianâ, Judaicâ & Turcicâ, conflare debeat. Henr. Ernſtius, *Obſervat. variar. lib. 2. c. 36.*, *Poſtellum* à qvibusdam libri de tribus Impoſtoribus autorem haberi ait. Sed ſumma ipſi hâc imputatione injuria infertur: Ego enim hunc inter Atheos vel Deiſtas referre nolim, qvod & Theophilus Rainaudus facit, qvi Deiſtarum parentem vocat, qvi Deum unum admittere contenti cetera Chriſtiana myſteria pro fabulis haberent. Nam omnia alia teſtatur liber ejus de *Nativitate Mediatoris ultimâ*, qvem inter anonymos relatum miror apud Vinc. Placcium, cum ejus nomen in fronte libelli exſtet. Hunc qvi legerit, illum à Chriſto & Chri-
12 ſtianis myſteriis univerſam rerum naturam qvaſi ſuſpendiſſe deprehendet. * Multa alioqvin habet, qvæ cum receptis in Eccleſiâ ſententiis pugnant, errores qvoqve multos in religione: paradoxæ in illo multæ ſunt doctrinæ, qvarum intuitu potius ad Hæreticos & Enthuſiaſtas, qvàm ad Atheos referendus videbatur. Qvod de formandâ religione ex Chriſtianiſmo, Turciſmo & Judaiſmo dixit, forte eò pertinet, qvod multa Chriſtianorum monumentorum λείψανα in ipſo Alcorano, aliisqve, qvi apud Orientales & Judæos extant, libris deprehenderet. In Judæorum qvoqve vetuſtioribus libris, qvos ſuppoſititios aliqvi exiſtimant, multa ille myſteria venatur, non ad infringendam, ſed potius ſtabiliendam religionem Chriſtianam. Ille, qvem *de Etrùriæ Originibus* ſcripſit, liber integra capita pro veritate Religionis Chriſtianæ inſerta habet; ut mirari ſatis non poſſim, qvid in mentem venerit Rainaudo, qvi illum Chriſtianæ religioni adverſum faciat. Sed multa ſunt in Rainaudo inepta & falſa de Scriptoribus judicia, de qvo ſuo loco. De Poſtello legi amplius poteſt Popeliniere in libro Gallico *l' Hiſtoire des Hiſtoires libr. 8. p.* 443. Ego, etſi in illo aliqva damnanda & heterodoxa, aliqva ſuperſtitioni propiora, agnoſcam; multa tamen acutè excogitata, & profundam doctrinam ſpirantia, deprehendo. Facile alioqvin eſt, apud homines imperitos & indoctos in Atheiſmi ſuſpicionem vel ex leviſſimâ causâ
13 incurrere. * In Galeno qvoqve aliqvi ἀθεότητα notarunt. Sed de his Caſaubonus, *Epiſt. 258., Galenum vocari ἄθεον miror, virum tam aſſiduum in ſapientiâ DEI prædicandâ. Ego illum eo maxime nomine dignum laude & æternâ prædicatione ſem-*
14 *per judicavi.* * Nunc ſanè qvotidie hanc multis inuri notam videmus ab illis, qvi innoxiis ſententiis, ubi licitum eſſe poteſt divortium, Atheos ſtatim & Naturaliſtas crepant: Qvâ calumniâ ut nulla eſt atrocior; ita Chriſtianam charitatem in his, qvi temerè illam admittunt, planè extingvit.

Fuere qvidem tales libri inter τὰ μυστήρια τῆς ἀσεβείας & ἀνομίας publicâ cenſurâ relati, neqve in publicum prodierunt; ſed nunc libri æqvè mali, pene dixerim
15 pejores, impunè in publicâ luce comparent, & ab omnibus leguntur. * Qvid eſt BENEDICTI SPINOSÆ libris peſtilentius? & hi tamen ubiqve triumphant. Annon

Tractatus

Tractatus ejus *Theologico-Politicus* omnem elevat librorum ſacrorum divinam fidem? annon miracula omnia explodit & exſibilat? Ejus *Ethica* illa Atheiſmi principia tam nudè exponit, qvanqvam ſubtiliter & argutè, ut imbecillos animos facilè capere poſſit: Duobus enim fulcris, Religionis & providentiæ divinæ, ſublatis, univerſum cultum divinum evertit. Tollit libertatem agendi, inductâ Mathematicâ aliqvâ neceſſitate: Qvâ poſitâ nullam eſſe, qvæ de rebus noſtris diſponat, providentiam, neceſſe eſt, omniaqve mutuâ cauſalitate à ſe invicem dependente agunt. Tollit præterea cauſam finalem, ut humani ingenii commentum: qvâ ſublatâ, nihil nobis amplius ſperandum metuendumve eſt. Plus ergo in illo neqvitiæ & inſaniæ eſt, qvàm in ipſo illo de tribus Impoſtoribus libro, qvi tamen non omnem divinitatem evertit. In Chriſtum Salvatorem ejusqve hiſtoriam, etſi timidiuſculè, multa tamen effundit, qvæ illam labefactent: qvæ illi è Judaiſmo fortè adhuc hæſerunt, in qvo multa ejus generis ſunt, ut ex iis libris, qvos ſub titulo Telorum igneorum Satanæ in lucem edidit Cl. Wagenſeilius, apparet. Non defuere tamen, qvi hujus hominis inſana dogmata retuderint, Henricus Morus, Manſveldus, &, qvi ceteris præferendi videntur, Blyenbergius & Pojeretus, eâdem, qvâ ipſe triumphos ducere voluit, mathematicâ methodo uſi. Cuperus in arcanis Atheiſmi retectis paullum languidior eſt.

Hujus generis plures alii ſunt libri, ut: *Ars nihil credendi*, qvi adſcribitur GOTHOFREDO à VALLE, cujus mentio fit apud Voëtium Diſp. de Atheiſmo: & alius, cui titulus, *Cymbalum mundi*, cujus itidem Voëtius mentionem facit, & autorem ejus nominat Bonaventuram de Periers. Henricus Stephani in *Tract. præparatorio ad Apol. Herod. c. 26.* Merſennus *Commentario in Geneſin p. 689.* vocat eum de Perez. Qvi ipſe Merſennus ſuo illo in Geneſin Commentario omnia illa, qvæ ab Atheis & Naturaliſtis proponi argumenta ſolent, ſummâ diligentiâ, collatis etiam amicorum aliorumqve Virorum doctorum operis, coacervavit. Pandectas hunc librum multarum rerum curioſiſſimarum, mathematicarum, naturalium, dixeris. Extat alius liber nefarius, cui titulus: *Cur receptum ſit Evangelium*, qvi Valeo tribuitur. * VANINI *Dialogi* illud Atheiſmi virus ſub dialogorum formâ tegunt, in qvorum titulo diſertis verbis Natura Dea & Regina dicitur, qvæ in priviligio Regio, qvod mirum, repetuntur. *Amphitheatrum* ejus ſanum eſt, ac ſubtiliter pro animæ immortalitate diſputat. In illo, ut hoc obiter memorem, legi, qvod ſibi violentam mortem ex Marte in octavâ collocato prædixerit: Vivicomburio enim ob Atheiſmum affectus eſt. * Præceptorem ille habuit *Pomponatium*, ejusdem genii hominem, ſed acutiſſimum diſputatorem, cujus extat adverſus *immortalitatem animæ liber*, ab Antonio Sirmondo ex ipſis Ariſtotelis principiis, qvibus ille abuſus fuerat, refutatus. Liber ejus de *Incantationibus* multa qvoqve profana continet, ut ſcripta ejus omnia. * OCHINI *Dialogi* præter Polygamiam, qvam propugnant, nihil ex Atheiſmo trahere videntur. Arrianum alii potius qvàm Atheum habent. * CAMPANELLA in *Atheiſmo triumphato* plures nodos texuit, qvàm ſolvit. * PORCIUS in libro *de Mente humanâ*, ANTONIUS ROCCUS libro de *Immortalitate animæ* in eodem Pomponatii ludo inſtituti. * JORDANUM tamen BRUNUM huic claſſi non adnumerarem; Qvanqvam enim plura-

16 17 18 19 20 21 22

ſitatem terrarum & ſolium ſtatuit in libro *de innumerabilibus, ſive de Univerſo & Mundis*, qvod aliis qvoqve factum; manifeſta tamen in illo Atheiſmi veſtigia non deprehendo. Is tamen ignis ſupplicio, teſte Sorello, affectus fuit.

32 Pertinere & ad hanc Atheorum & Naturaliſtarum tribum videtur, qvisqvis eſt, Autor libri, qvi primùm Anglicâ, hinc Gallicâ, poſtremùm Belgicâ linguâ prodiit, de populis Terræ auſtralis incognitæ, qvos *Severambes* nominat. (r) Titulus Belgicus ita habet: *Hiſtorie der Severambes, behelzende een Beſchryving van het onbekend Zuidland.* Elegantiſſimè confictus eſt liber, eaqve ſpecie, ut primâ fronte incautis imponat. Ingenium Autori illi fuit, qvem κυρίαι qvædam δόξαι facilè produnt. Toto verò hoc libro nihil ille aliud agit, qvàm ut oſtendat, unam eſſe Religionem naturæ rerum conformem, qvæ Deum ſupremum, atqve ejus qvaſi vices in orbe hoc inferiori repræſentantem Solem, veneretur: Qvare datâ occaſione adverſus Trinitatem & Chriſtianiſmum diſputat. In adminiſtratione Reipublicæ Ideam qvandam non contemnendam exhibet, qvâ, ſublato pecuniæ uſu, unde omnia in Rempublicam vitia, Cives per magnas qvaſi familias diſtincti, è publico alantur & veſtiantur. Illud verò ingenium hominis in extremâ parte prodit, qvod ſtrategemata ſacerdotum gentis ejus, qvam *Stroukaros* vocat, ad miraculorum, qvæ in Pentateucho habentur, formam confinxerit: Qvo manifeſtè patet, illum hiſtoriæ ſacræ illudere. Ceterum ille liber doctus eſt, magnâ curâ ſcriptus.

24 Solent & inter damnatos libros MAGICI referri: Qvi qvidem omnino atro carbone notandi ſunt, ſi pactum illud cum Dæmone ac malis angelis profiteantur.
25 * Sed multa hic ab ignorantiâ peccari certum eſt. Graviſſima ſæpe Viris optimis injuria illata, qvorum ſcripta hoc crimine in ſuſpicionem venere. De Alberto M., Trithemio, & aliis, qvi non ſunt ſtultorum hominum clamores! Et hi tamen naturæ ſecretioribus adminiculis inſtructi multa vulgo miracula viſa perpetrarunt. Vidi & indolui hujus criminis reos peractos Viros innocentiſſimos, qvi de pulvere ſympathetico aliisqve occultioribus naturæ operationibus idealibus, qvales infinitæ ſunt illis ſemper pueris nunqvam animadvertendæ, qvædam liberiùs ſcripſerunt. Multos ab hoc crimine defendit peculiari libro *Gabriel Naudæus*. Nos de illis ſuo loco.

26 Damnari qvoqve ſacrâ cenſurâ ſolent HÆRETICORUM LIBRI, aut qvæ in
27 libris heterodoxa & hæretica videntur. * Inprimis hîc Romanis addicti ſacris operoſi ſunt: Tot enim Indices expurgatorios & librorum prohibitorum Catalogos habent, ut ſibi ipſis obſtent tricasqve nectant; Nam & in ſuos animadvertunt ſine cauſâ, ſi qvi fortè Pontificiæ poteſtatis prærogativam, aut ejus infallibilitatem leviter tangant, aut Eccleſiæ Gallicanæ libertatem tueantur, de qvo præcipuè Bailletus in *Judic. Doctor. tom. 2. part. 1. n. 77.* qveritur: Ubi Catalogos illos, qvi jam à Concilio, jam à Pontificibus, jam à Rege Hiſpaniæ aliisqve, confecti ſunt, ordine recenſet. Scilicet, ut partium ſtudia ubiqve regnant, ita & in his rebus, in qvibus non eadem omnibus

(r) *Hiſtoriæ Sevarambum* Autorem ſibi videri Iſaacum Voſſium, Morhoſius Amicis ſæpe *eſt* faſſus.

bus mens & ſenſus eſt, prout affectu aliqvo ducuntur Cenſores, decretoria aliqva ſententia pronunciatur. Ipſe tamen Bailletus non multum hâc ſuâ operâ proficere Cenſores fatetur. E noſtris errores & defectus horum Catalogorum nuper ſingulari libro detexit *Daniel Francus*, qvem ſuper hoc argumento legere operæ pretium erit.

Poſt illa, qvæ adverſus fidem ſunt, meritò cenſuræ ſubjiciuntur, *qvæ contra bo-* 28
nos mores. In his primò ſunt *obſcœna*, qvæ lædere teneros animos ac veneno inficere
poſſunt: Qvo nomine omnes illi flagitioſi libri præcipuè notantur, qvi ſacra Aphro-
diſia impudico calamo depingunt, qvales Græcia olim libros magno numero dedit,
qvorum tamen facilis felixqve jactura eſt. * Inter obſcœnos noſtri temporis fami- 29
liam ducit *Satyra Sotadica*, Aloysiæ Sygææ adſcripta. (*s*) Peſſimus & flammis di-
gnus liber, niſi qvod elegantiâ latinæ linguæ ſordes ſuas ornet. * Moneo hîc, ne- 30
qvam fuiſſe hominem, qvi *Aloyſiæ Sygææ* & *Meurſio* illum librum adſcripſit: omnia
illa conficta eſſe puto. Liber ille, me judice, plane novus eſt, & ab impuro homine
ſcriptus, qvi, ut à ſe amoliretur crimen, feminæ innocentiſſimæ & caſtiſſimæ illud im-
poſuit, & Meurſium hominem doctum in criminis ſocietatem perduxit. * Aloyſia 31
Sygæa nobilis fuit femina, & illuſtri ex gente apud Hiſpanos, cujus cum ſingulari caſtitatis laude meminit Nicolaus Antonius in pulcherrimo *opere Bibliothecæ Hiſpanicæ:* ubi cum omnia diligentiſſimè recenſet, ne γρῦ qvidem de hoc ſcripto memorat, ut certè memorare debuiſſet, ſi extitiſſet tum libellus ille, ſeu vero ſeu falſo ejus nomine cognitus: Famam enim ejus procul dubio vindicaſſet; & perqviruntur ab ipſo MSti libri omnes Autorum Hiſpanorum magnâ diligentiâ. Eruditiſſima illa fuit, ac ampliſſimum ejus elogium habet Joannes Vaſæus in *Chronico Hiſpanico cap. 9.* Andreas Reſendius in Epiſtola ad Mariam Pincipem ita de illa:

Altera Sygæa eſt, Virgo admirabilis, unam
Qvam natura potens ideo produxit, ut eſſet
Femina, qvæ maribus vitam opprobrare ſupinam
Poſſet, & ignavos magno adfeciſſe rubore.
Nam cum ſeptenæ vix dum trieteridis annos
Computat, indefeſſa dies noctesqve Latinas
Volvere non ceſſat chartas, non ceſſat Achæas,
Moſeaqve & Solymos rimatur ſedula Vates.
Qvin per Achemenios ſcopulos Arabumqve ſalebras
Currit inoffensè linguarum qvinqve perita.

Joannes Merulus, nobilis Toletanus, vocat ſeculi ſui Minervam. Scripſit *Epiſtolas*

K 2 *Latinas:*

(*s*) Autor *Satyræ Sotadicæ*, qvæ Aloyſiæ Sigææ nomen falsò præfert, verus fuit D. Joh. VVeſtrene, JCtus in Batavia Hagienſis, à Chr. Thomaſio (*in Cogitatis circa Libros Recentiores Menſtruis, Germanice A.* 1688. *editis, p.* 586.) Literis nominis Initialibus ſubobſcure indicatus, à Cl. Tenzelio autem (*in Dial. Menſtr. Germ. M. Febr. A.* 1693, *p.* 166, 169,), ex Hadr. Beverlandi Schedis, detectus. Conf. *Homonymoſcopiam* noſtram, *Sect. I, c. 2, p.* 35.

Latinas: Dialogum de differentiâ vitæ ruſticæ & urbanæ: *Poëtica qvædam*, de qvibus nihil editum. Prolixè illa omnia recenſet Antonius, ſed de infami hoc ſcripto nec vola nec veſtigium apparet. Alfonſus Madritenſis Archidiaconus de Alcor in Palentinâ eccleſiâ, magnæ exiſtimationis fideiqve ſcriptor, in Hiſtoriâ Palentinæ urbis ſummum honorificentiſſimumqve Sygææ elogium ſcripſit, qvod Hiſpanicâ linguâ producit Antonius: ubi omnes illas linguas peregrinas tam promptè, ut Caſtellanam, tenuiſſe, easqve expeditiſſimè & loqvi & ſcribere potuiſſe refert. Nupſit illa Alphonſo à Cuevas. Immaturè obiit, hocqve illi epitaphium poſitum: *Loiſiæ Sygææ Feminæ incomparabili, cujus pudicitia cum eruditione linguarum, qvæ in eâ ad miraculum usqve fuit, ex æqvo certabat &c.* Qvæ omnia ſatis arguunt, injuriam magnam optimæ feminæ illatam à nebulone illo, qvi infame hoc ſcriptum illi adſcribere voluit. Sed nec de Meurſio fando auditum eſt, convertiſſe illum ex Hiſpanicâ linguâ tale aliqvod ſcriptum in Latinam. Sed ipſe ſermonis textus habitusqve totus oſtendit, in Latio
32 potius qvam Hiſpaniâ natum eſſe hunc fœtum. * Talia ut ipſa honeſtas proſcribere aut flammis addicere jubet; ita non probo moroſulos illos cenſores, qvi in latinæ linguæ Autoribus caſtrandis malè ſeduli ſunt, bonosqve Autores mutilant, ſi qvæ in illis paulo liberiora aut parum pudica deprehenduntur: Qvæ in converſatione ipsâ evitari non poſſunt. Arceri ab illorum qvidem lectione pueri poſſunt, ſed ubi bonis moribus ſatis firmati fuerint, parum ab illis periculi eſt. Homines ſumus, atqve in humanâ ſocietate vivimus, ubi talia qvotidie occurrunt. Sed ſcholam iſtarum neqvitiarum, qvalis in Satyrâ Sotadicâ aperitur, nemo bonus feret. Sunt, qvi Terentii Comœdias, librum optimum, juventuti è manibus excutiunt, &, neſcio qvem, illi Terentium Chriſtianum ſupponunt: Qvi cum illo ſuo conſilio explodendi ſunt. Satis caſtus eſt Terentius, niſi, cum ex ingenio & moribus hominum qvædam ipſi dicenda ſunt; qvos noſſe characteres juventuti ſummè utile eſt. Ceterum omnium obſcœnorum librorum hîc inire numerum nolumus. Sudet in illo ſterqvilinio alius Hercules Coprophorus. Fortè diligentiſſimus Priapeorum Commentator Scioppius, ſi viveret, hîc ſuam in Aphrodiſiâ Bibliothecâ congerendâ induſtriam exercere poſſet.

33 Sunt & *Satyrici Scriptores* in bonos mores injurii; qvo nomine hic non intelligo, qvi innocentes illas in vitia Satyras ſcribunt, ſed qvi libellos famoſos. Non
34 patitur noſtri inſtituti ratio, ut eorum hic indicem texamus. * Qvi ſe adverſus tela & arma munire poſſunt Principes, à calami tamen inſultu ſæpe non ſunt immunes. Habent certè, qvos Reges metuant, cum vivunt, Satyricos; cum fatis conceſſerunt, Hiſtoricos. Utriqve acerrimi vitiorum obſervatores ſunt: qvi velut Cenſores publici impunè in illos ſententiam dicunt. Paſqvini ſtatua ſæpe plus qvam Dodo-
35 næa fudit oracula. Qvæ non in potentiſſimos Reges Satyræ ſcriptæ ſunt! * Non potuit Satyricorum manus effugere Jacobus Britanniæ Rex, utut doctiſſimus & laudatiſſimus Princeps: Cui ſub ſpecie Panegyrici Poſthumi à Caſaubono ſcripti, cujus qvaſi fragmenta inter ſchedas ejus reperta, per inſignem neqvitiam, continuo mycteriſmo horrenda flagitia objiciuntur. Lepidè alioqvin ſcriptus liber eſt; cui titulus:

Caſau-

Caſauboni Corona Regia i. e. Panegyrici cujusdam verè aurei, qvem Jacobo I. Magnæ Britanniæ &c. Regi, Fidei defenſori, delinearat, Fragmenta ab Euphormione inter ſchedas τῦ μακαρίτυ inventa, collecta, & in lucem edita: (t) Refertur in Georgii Richteri vitâ Epiſtolis ejus præfixâ pag. 21. è Colloqvio cum Erycio Puteano accepiſſe Richterum, qvod Puteanus ejus libelli autor habitus fuerit: cujus rei verò famam ille enixè declinans velut Apologiæ loco ſcriptum qvoddam exhibuerit, cui nomen, Perjurium RUFFI & GIBBOSI, præfatus, qvo delatorum ſuorum virulentiæ ac ſiniſteritati ſatis fuiſſe obviatum exiſtimaverit. Sed nos de Satyris alibi plura.

CAP. IX.
DE PSEUDONYMIS, ANONYMIS, &c.

§. 1. *Cauſæ librorum ſuppoſitorum.* 2. *Libri antiqvis autoribus ſuppoſiti.* 3. *Antiqvitates Etruſcæ Proſperi.* 4. *Leonis Allatii refutatio illarum commendatur.* 5. *Ὁμόνυμοι Autores multum turbarunt.* 6. *Curtius ſcriptor Pſeudonymus ab aliqvo habitus.* 7. *Conſolatio Ciceroni à Sigonio ſuppoſita.* 8. *Hæreticis id olim familiare.* 9. *Piæ fraudes.* 10. *Sibyllini verſus.* 11. *Peregrina nomina ſtudio aſſumpta.* 12. *Pſeudonymi libri ridiculi.* 13. *Pedanterie Cavalliere.* 14. *Faceta Joh. Donne Epiſtola producitur,* 15. *cum Catalogo Autorum Ridiculorum.* 16. *Pſeudonymi per plagium.* 17. *Plagia in Roberti Stephani Theſaurum L. Latinæ commiſſa.* 18. *Liber de jure Eccleſiaſtico Barboſæ ab alio ſcriptus fuit.* 19. *Illius à ſalſamentario redempti hiſtoria.* 20. *Villaſani Carmina furtiva.* 21. *Lauri Strena è Paſſeratii poëmatibus deſumpta.* 22. *Minutiora plagia notantur.* 23. *Scaligeri ob eam cauſam ſtomachatio.* 24. *Pſeudonymi non ſunt, qvi cauſas legitimas celandi nominis habent.* 25. *Baſilii Valentini Chymici nomen verumne an fictum ſit, disqviritur.* 26. *Nomina adſcititia & immutata, ſi dolus abſit, Pſeudonymos non faciunt.* 27. *Anonymi Libri.* 28. *Eorum indagatio commendatur.* 29. *Verſionum magnus uſus eſt.*

SUnt & in re literariâ Falſarii, qvos noſſe ê re literariâ eſt, ne illi falsâ ſpecie imponant. PSEUDONYMI ſunt, qvi nomen mentiuntur, ſive ſuos fœtus aliis vel mortuis vel vivis ſupponant; ſive, ut lateant, aliud nomen vel verum, vel fictum, vel ſuum aliter immutatum, aſſumant; ſive, qvod per errorem nomina ſint turbata; ſive qvod aliorum nominibus abolitis ſubſtituant, aut alienos fœtus non invitis Autoribus pro ſuis venditent. Ac primò qvidem multi ſunt, qvi libros ſuos aliis ſuppoſuerunt, vel ut fidem aliqvam ſcriptis ſuis conciliarent, vel ſententiam ſuam ſtabilirent, vel ut vanam gloriam aliqvam affectarent, aliosqve fallerent. * Multi 1
circumferuntur tales *libri ſuppoſititii*, qvi ſub nomine antiqvorum Hiſtoricorum, Philoſopho- 2

(t) Satyram contra Jacobum I. Britanniæ Regem, Iſaaco Caſaubono affictam, recudi Halæ Saxonum A. 1693, in ſua *Sapientiæ & Stultitiæ Hiſtoria*, curavit Chriſt. Thomaſius.

loſophorum, Patrum, comparent, qvorum aliqvem catalogum dedit Rhodius, ac notis ſuis illuſtravit Vinc. Placcius. De fragmentis illis Beroſii, Manethonis, aliorumqve antiqvorum Hiſtoricorum, qvæ in lucem edidit Annius Viterbienſis, jam ſuprà egimus, ac plura de illis judicia Vinc. Placcius notavit in Rhod. Aut. ſuppoſit. n. 18.

3 * Antiqvitates Etruſcæ, qvæ Proſpero cuidam adſcribuntur, & in qvas Paganinus Gaudentius obſervationes ſcripſit, ab H. Ernſtio editas, ſuſpectæ etiam eruditis ſunt,

4 de qvibus videri poteſt Voſſius de *Hiſtoricis Latinis lib.* 1. *c.* 9. * Scripſit & Leo Allatius doctiſſimas ad has Antiqvitates annotationes, Pariſ. 1640., & deinde Romæ iterum excuſas: qvibus de notis falſitatis in adulteratâ ſcripturâ etiam generatim agit, eſtqve liber ille utiliſſimus ad Codicum ſcripturam vitiatam deprehendendam. Protulit vero Curtius Inghiramus hæc fragmenta è terrâ effoſſa primus in lucem, qvem hujus ſuppoſiti figmenti parentem eſſe prolixè Leo Allatius probat. Habemus Ariſtoteli, Platoni, Hippocrati, Galeno, aliisqve ſuppoſita ſcripta. Multa etiam Homero ſuppoſita; in qvibus dignoſcendis olim Criticorum verſabatur induſtria: ac fuere, qvi ex ſtylo, dictione, phraſi, certis qvibusdam idiotiſmis, accuratum de autoribus judicium inire poterant, ut vel *νοθείαν*, vel *γνησιότητα* decretoriâ ſuâ ſententiâ confirmarent.

5 Accedunt *nomina multis communia*, unde ſæpe permutati Scriptorum tituli. (*u*) Ariſtoteles fuere plures, qvorum vel triginta ac duos numeravit Jonſſius. Qvam facile eſt hîc in errorem incidere, præſertim ſi poſt tot ſecula demum ſcripta in lucem protrahuntur, & pluribus ejus nominis qvædam ſuperſint monumenta. Sunt in antiqvâ hiſtoriâ 28. Pythagoræ, 20. Hippocrates, totidemqve Socrates, 16. Platones, 50. Dionyſii. Qvo fine inter antiqvos Demetrius Magnus peculiari Opere *περὶ ὁμονύμων de ſcriptoribus homonymis* agere voluit, qvo Opere uſum Laertium putat Jonſſius *l.* 1. *c.* 2., qvi plerumqve homonymos notare ſolet. Laudatur & eo nomine Meurſius, qvod diligenter homonymos recenſeat. Magnam qvoqve occaſionem falſi dederunt corrupta nomina, cognomina nominis vice uſurpata, qvæ deinde novo Scriptori fingendo anſam dederunt: Ellipſis nominativi, ſub genitivo latentis, cum ſubintelligitur non modo Filius, ſed & Pater, Mater, Uxor, Amicus, Diſcipulus, Magiſter: Diverſa topica nomina diverſos ſæpe Scriptores ex uno facientia: de qvibus ſingulis operosè doctèqve egit Joannes Jonſſius loco illo, qvem modo laudavimus.

6 Fuit nonnemo, qvod mireris, qvi Q. Curtii Rufi hiſtoriam Alexandri M. à tot oculatiſſimis Criticis pro genuinâ habitam, à nemine unqvam in ſuſpicionem vel minimam vocatam, pro ſuppoſitâ, & ante CCC annos ab ingenioſo qvodam Italo confictâ habuerit. Indicium ejus fecit Guido Patinus *Epiſt.* 27., cujus ipſa verba, ut Gallicâ linguâ ſonant, producam: *Il diſoit, qve ſon livre n' etoit qv' un Romain, qve le Latin veritablement en etoit beau: mais qv' il y avoit de grandes fautes de Geographie.*

(*u*) De Scriptoribus Homonymis, illorumqve Nomenclatoribus, ac Confuſione freqventi, hujusqve Cauſis & Remediis, fuſe, & ex profeſſo, actum à nobis eſt, *in Homonymoſcopia Hiſtorico-Philologico-Critica*, Hamb. A. 1697. in 8vo excuſa.

phic. Il y en a une enorme entr' autres, dans le 7 Livre, lors qv' il parle de ces Scythes, qvi vinrent prier Alexandre le Grand de ne point paſſer le Tanais, qvi vient de la Moſcovie Occidentale, ſe jetter dans le marais Meotide, ſeparant l' Europe de l' Aſie & la Scythie Europeenne de l' Aſiatiqve. Pour prouver cette conjecture, Alexandre le Grand n' ayant pas trouvé ſon compte aprés avoir paſſe cette riviere, revint incontinent in REGIONEM SACARUM, & de la entra dans les Indes, & tout cela eſt trés-éloigné du vray Tanäis. Le même Maitre nous diſoit, qve l' Auteur de ce Livre étoit un ſavant Italien, qvi le fit, il y a environ 300 ans. Qve nul Ancien n' avoit cité Qvinte Curce, & qve c' etoit un nom ſuppoſé. Qv' il etoit la-dedans parle du fleuve Indus du Gange, & autres parties des Indes, qvi etoint inconnuës à ces Anciens, qvi ont vecu devant. Ptolomée, qvi eſt le premier & le plus ancien Auteur, qvi ait fait mention de la Chine ſous le nom de SINÆ. Juvenal qvi vivoit tant ſoit peu devant a dit. QVID SERES, QVID THRACES AGANT; & Pline parle de l' Ocean Seriqve, Ces SERES ſont les habitans du Cathay, qvi eſt une tres grande Province de l' Aſie dans la Tartarie au deſſus de la Chine. An jam ex his argumentis confici παϱάδοξον illud poſſit, Critici viderint: Nos eâ de re amplius videbimus, ubi de Autoribus Linguæ Latinæ agemus. * Fue- 7
re, qui ipſi Eloqventiæ Parenti ſuos fœtus ſuppoſuerunt. Inter eos eſt *Conſolatio* illa, qvæ Sigonium autorem habet, cenſuris eruditorum multùm vexata. Multæ extant ſuper hoc negotio Epiſtolæ in Riccoboni Hiſtoriâ Gymnaſii Patavini. Aliqvi Vianello adſcribunt. Videantur notæ Placcii *in Rhodii Autor. ſuppoſit. num.* 22. Hofman. in Apol. pro Gal. l. 1. c. 16. de Hotomanno JCto, teſte Scherbio refert, eum, cum offerretur illi Conſolatio illa, lectis pauculis, ſtatim indignabundum his verbis abjeciſſe: *Non eſt Ciceronis.* Adeò ſtatim illis, qvi lectioni Autoris adſueti ſunt, ſubolet, qvod non genuinum eſt. Scilicet ut è veſtigiis judicare de feris Venatores ſolent: ita vel è paucis verſiculis verum Autorem Critici agnoſcunt. Certum tamen eſt, hâc voluptate mirificè affici nonnullos, qvi ſua veteribus ſupponunt. De hac ipſa Sigonii Conſolatione Menzinus libr. de invid. erudit. c. 9. *Nec laude caruit,* inqvit, *Sigonius, qvi, dum Conſolationem exhibet ſuam, illud aſſecutus eſt, ut brevi in opuſculo, velut faciei lineamentis, Tullianam indolem ineſſe faterentur eruditi: Qvin & magnâ illum voluptate perfuſum credo; qvi vivus adhuc plurimos viderit de literis benè meritos, ad illud ſyntagma defendendum, certamina & contentiones hilari libentiqve animo ſubeuntes.* Muretus Joſ. Scaligero impoſuit Epigrammate, qvod ipſe ſcripſerat, pro antiqvo venditato. (*x*) Hoſpitalii qvoqve Carmina à nonnullis pro antiqvis accepta. (*y*)

In

(*x*) M. Ant. Mureti Impoſturam, qva proprium Epigramma, velut antiqvum, ſibi obtruſerat, Joſ. Scaliger Diſticho hoc ultus eſt aculeato, fugam ob Pæderaſtiæ Crimen e Regno Gallico illi exprobrante:

Qvi fumos rigidæ vitaverat ante Toloſæ,
Muretus, fumos vendidit ille mihi.

(*y*) Mich. Hoſpitalii, Cancellarii Gallici, *Satyram de Lite* Marcus Zuerius Boxhornius, tanqvam Poëmation Ævi Veteris, in ſuo *Satyricorum Antiqvorum Minorum* Syntagmate, Lugd. Bat. A. 1633. in 12. excuſo, edidit, & Notis illuſtravit.

8 In ſacris & olim hæc fabula acta fuit. Nunqvam defuere hæretici, qvi, ut fidem erroribus ſuis facerent, ſub antiqvorum Patrum nomine ſua commenta publicarent.

9 * Ipſæ qvoqve piæ fraudes bonorum hominum acceſſerunt, qvi ſcripta qvædam antiqvis nominibus incruſtarunt, ut ſimpliciores in ſuas ſententias pertraherent: Qvi malè profecto de re Chriſtianâ meriti bonam cauſam in ſuſpicionem falſi adduxerunt. Verſatur qvadantenus in hoc argumento Joannes Dallæus, qvi de Pſeudepigraphis Apoſtolicis libros tres conſcripſit.

10 * Notum eſt, qvid verſibus Sibyllinis factum ſit, qvibus tam præclara de Chriſto vaticinia continentur, qvæ ſuppoſititia Viri ſagaces habent; etſi non deſunt Viri docti, qvi eorum autoritatem tuentur, atqve Sibyllinis illis de Chriſto oraculis penè eandem, qvam ipſi Sacro Codici, fidem adſtruunt. Multus eſt hoc in argumento Iſaacus Voſſius, cujus extat præclarus *de Sibyllinis Oraculis liber.*

11 Non deſunt, qvi datâ operâ libros ſuos *ſub aliorum nomine* exire in vulgus patiuntur, ut vel latere poſſint, ſi periculoſa ſcriptio ſit, vel aliorum judicia ſecuriùs ſcrutari poſſint. De *Trajani Boccalini Relationibus* hoc aliqvi affirmant: Nam Cardinalem Cajetanum earum Autorem venditant, qvi Trajani Boccalini nomine abuſus fuerit, ne ſibi fraudi eſſet, qvod ſcriberet; Teſtaturqve Laurent. Craſſ. *Elog. Hom. literat. part.* 1. *pag.* 160. *ac pag.* 162., librum hunc mortem Boccalino paraviſſe: nam à qvatuor armatis hominibus ſaccis arenâ repletis vulneratus eſt, usqve dum animam efflavit. Refert & Erythr. *Pinac. III. p.* 131., J. Franciſcum Perandam ejus adjutorem fuiſſe. Ac facilè apparet è commentario Boccalini, in Tacitum Italicâ linguâ ſcripto, ab ingenio humiliore illum eſſe profectum. Circumferuntur nunc libri, qvi interiora ſtatus in Regnis qvibusdam & Rebuspublicis deſcribunt, à multis in pretio habiti, qvibus nomen tantùm & fortaſſe etiam ſtylum commodavit, qvi in titulo libri legitur, Autor; aliis materiam ſuggerentibus, qvi periculoſo hoc labore defungi nolunt. Aliqvi opulentioribus, qvi ſcripti alicujus famâ celebritatem nominis ſibi parare geſtiunt, ingenii ſui fœtus non raro vendunt, cujus multa produci poſſent exempla. Sæpe fictum nomen, vel aliqvâ ratione immutatum, vendibiliorem & gratiorem librum facit, qvàm ſi verum nomen adſcriptum eſſet. Qvomodo *Philippi de Terra nera Loci communes Theologici* omnium plauſus abſtulerunt, rejecti cum Melanchthonis ſub illo nomen agnoſceretur. Odia enim, qvibus Autores proſeqvimur, ipſius libri, utut optimi pretium imminuunt.

12 Non diſſimulandum etiam hoc loco eſt, *fictos* tum *autores*, tum *libros* in ignorantiæ velamentum ab Aretalogis & Thraſonibus literariis adhiberi. Aliqvi, ut docti videantur, inauditos librorum titulos nominumqve monſtra crepant, temeraria de Autoribus judicia pronunciant, qvod Viris nobilibus, & qvi ſui opinionem apud vulgum excitarunt, familiare eſſe conſuevit.

13 * Ineptæ hoc affectationis, qvam Galli *pedantiſmum* vocant, ſpecimen notat Bailletus in *Judic. Doct. tom.* 1. *part.* 1. *c.* 14. *pag.* 99. Lepida ejus verba ſunt: *On peut dire, qve c' eſt une PEDANTERIE CAVALIERE de juger cavallierement des Livres, & de faire le procés à un Auteur dans le*

le temps même, qv' on proteſte, qv' on n' eſt pas ſon juge, &, qv' on n' eſt point connoiſ-
ſeur dans les matieres, qv' il a tractées, &c. * Præclarè hujus indolis homines exa- 14
gitavit feſtivisſimi ingenii juvenis *Johannes Donne*, poſtea Decanus Eccleſiæ Paulinæ
Londinenſis, qvi epiſtolam latinam Poëmatibus ſuis Anglicis inſeruit, qvâ conſilium
ſuppeditat aulico indocto, qvomodo docti ſpecie fallere alios poſſit. Excerpemus ex
illâ aliqva, qvæ valde faceta. *Qvia per occupationes aulæ*, inqvit, *vacare literis non*
licet: (nam poſt ſomnum non niſi poſt decimam ex more excutiendum, poſt veſtes diei
loco affectibus proprias indutas, poſt faciem ſpeculo compoſitam, poſt epulas luſusqve, qvota
pars literis, animoqve excolendo relinqvitur?) & tamen doctus videri non dedignaris,
ut aliqvando habeas, qvo eleganter & appoſitè canes Regios, conſervos tuos, poſſis lau-
dare, & qvamvis ſcire, qvæ alii ſciunt, non poteris, ſaltem ſcire valeas, qvæ illi neſciunt:
hâc ex conſilio meo viâ progrediaris: Relictis autoribus, qvos vocant Claſſicos, Acade-
micis & Pædagogis terendis, enitere per omnes, qvibus ignorantiam ſecurè fateri pot-
eris, libros, aliis inventu difficiles, exqvirere. Nec in colloqviis qvid ex autoribus vul-
gò notis afferas, ſed ex iſtis: ut ita, qvæ dicis, aut tua videri poſſint, ſi nomina taceas,
aut ſi minus digna ſint, & autoritate egeant, novos autores cum reverentiâ tuì audiant
illi, qvi omnia ſcire ſibi ante viſi ſunt. Hunc ergo Catalogum ad uſum tuum exaravi,
ut his paratis libris, in omni penè ſcientiâ, ſi non magis ſaltem aliter, doctus qvam ce-
teri ſubitò proſilias. * Subjungit huic epiſtolæ Catalogum lepidiſſimum, unde hæc 15
in guſtum dabo: *Nicolai Hill Angli, de ſexu & Hermaphroditate dignoſcendâ in ato-*
mis: item de eorum anatomiâ & obſtetricatione in partubus humatis: Æmulus Moi-
ſis, ars conſervandi veſtimenta ultra 40 annos, autore Topoliſſo: Librum Tobiæ eſſe ca-
nonicum: Ibi ex Rabbinis & ſecretioribus Theologis numerantur pili caudæ ejus canis,
ex qvorum variâ retortione & invicem conjunctione, conficiuntur literæ, ex qvibus mi-
rifica verba conſiſtunt, autore Franciſco Georgio Veneto: Pax in Hieruſalem, ſive Con-
ciliatio flagrantisſimi diſſidii inter Rabbi Simeon Kimchi, & Onkelos, utrum caro hu-
mana ex carne ſuillâ comeſtâ concreta in reſurrectione removebitur, annihilabitur aut
purificabitur, per illuminatiſſimum Doctorem Reuchlinum: Pythagoras Judæo-Chriſtia-
nus, numerum 99 & 66 verſo folio eſſe eundem per ſuper-ſeraphicum Io. Picum: Joh.
Harringtoni Hercules, ſive de modo, qvo evacuabatur à fæcibus Arca Noæ: Subſalvator,
in qvo illuminatus, ſed parum illuminans Hugo Broughton incredibiliter docet, linguam
Hebraicam eſſe de eſſentiâ ſalutis, & ſua præcepta de eſſentiâ: Manipulus qvercuum,
ſive ars comprehendendi tranſcendentia autore Raim. Secundo: Bonaventura de par-
ticulâ non *à Decalogo adimenda, & Symbolo Apoſtolorum adjicienda: De navigabili-*
tate aqvarum ſupercœleſtium, & utrum ibi ac apud nos navis in firmamento in judicio
ſit appulſura, Jo. Dee autore: Edmundi Hobæi Eructationes promeridianæ, ſive de uni-
vocis, utpote de prærogativâ Regum & chimæris, morbo Regio, & morbo Gallico: Ars ſpiri-
tualis ineſcandi mulieres, ſive conciones ſubcingulares Egertoni: Cæpe advocatorum,
ſive ars plorandi in judiciis, per Fran. Bacon: De gurgite diametrali à Polo ad Polum,
per centrum navigabile ſine pixide, per Andr. Thevet. Qvis non ſuaviter in his inge-

nii feſtivi commentis rideat? Et certum tamen eſt, adeo vanos eſſe nonnullos, ut his larvis indoctos fallere, ac ſibi nomen qvomodocunqve parare geſtiant. Solent & librorum Tituli Satyrici ab otioſis & acutis ingeniis confingi, qvi ad hanc falſi ſpeciem qvodammodo etiam referendi ſunt.

16 Pſeudonymis annumerandi & illi ſunt, qvi *aliena ſibi per plagium* attribuunt.
17 * Sunt in illis adeo impudentes qvidam, ut excuſſo veri Autoris nomine ſuum reponant; qvod in ROBERTI STEPHANI *Theſauro Latinæ Linguæ* factum, ad qvem plagiarii velut ad cadaver aliqvod vultures convolârunt. Toties hoc Opus ſub peregrinis nominibus recuſum eſt. Doletus ſubtiliore furto in aliam formam Opus redegit in Commentariis ſuis Latinæ Linguæ: Qvemadmodum & Scapula, Henrici Stephani theſaurum Græcum in aliam formam redigens, à plagii & doli crimine non poteſt abſolvi, etſi utilem Scholis aliqvâ ex parte operam præſtitit. Sed omnia illa perſeqvi exempla infinitum eſſet; qvorum magnam partem jam tum collegit Thomaſius in libro *de plagio literario*, moralitatem qvoqve ejus ad minutias usqve perveſtigans.

Cautiores illi plagiarii ſunt, qvi poſthumis Virorum doctorum ſcriptis inſidias ſtruunt. Sæpè enim contingit, ut præmaturâ illorum morte vel non edi, vel non abſolvi poſſint eorum opera: Ad qvorum pabula fuci alieni qvi accedunt, non ſibi facta mella deprædantur. Vix credi poteſt, qvàm freqvens illa fallendi ratio ſit. Vidi non ita pridem ipſe editum alieno nomine librum, qvem Vir doctiſſi-
18 mus privatis ſcholis olim propoſuerat. * Pertinet huc, qvod de BARBOSA notavit Erythræus *Pinacoth. II. num. 18*. Scripſit is *de jure Eccleſiaſtico univerſo* volumen, qvod Opus magno alieno labore partum in ſe ille tranſtulit, cujus hiſtoria ita ha-
19 bet: * *Die qvodam Barboſæ famulus ſalſa qvædam muriatica in prandium coëmerat, qvæ ne manus digitosqve inficerent, tetroqve odore imbuerent, cetarius chartis qvibusdam, ut moris eſt, amiciebat: qvem poſtea amictum famulus, domum reverſus, cum præſente Domino ac vidente muriatica illa exuiſſet, qvò in aqvam injecta macerarentur, & in terram abjeciſſet, Dominus, curioſus inſpiciendi, qvid chartis illis contineretur, eas ſuſtulit ac luſtrare oculis cæpit; viditqve elegantiſſimi doctiſſimiqve cujusdam operis initium eſſe; ſtatimqve ſuſpicatus eſt, id qvod erat, autore, anteqvam potuiſſet illud impreſſum typis emittere, è vivis erepto, heredes, ignaros qvantum in eo boni eſſet, tanqvam ineptas, neſcio qvas, chartas & inutiles, cetario vendidiſſe; & ſtatim magnam in ſpem venit, autore è medio ſublato, ſi librum illum qvoqvo modo nactus eſſet, pro ſuo edendo, maximam ſibi ex eo gloriam poſſe contingere: ac percontari diligenter è famulo cæpit, in qvonam macello, & à quo cetario, muriatica illa coëmiſſet; qui aperuit illi omnia, & ſimul ſigna & notas oſtendit, quibus ad cetarii illius tabernam ſine ullo errore perveniret. Abiit ille curriculo, quo mittebatur, librum invenit, cui paucæ quædam chartæ fuere detractæ; ac vili eum pretio redemit: tum ſubrogatis iis, quæ deerant, ac pluribus etiam aliis adjectis, imprimendum pro ſuo curavit. Hæc*, ſubjungit Erythræus, *ab homine Barboſæ amiciſſimo ejusque arcanorum omnium conſcio accepimus.*

20 Alii ex variis Scriptoribus qvædam furantur, ne ſtatim deprehendi in furto poſſint, qvorum maxima qvidem pars eſt. Non poſſum, qvin inſigne hîc exemplum

afferam

afferam Thomaſio non notatum, ut multa qvidem adjungi poſſent. Edidit P. STEPHANUS LAMBERTUS VILLAFANUS, Burgundo-Seqvanus, è Soc. Jeſu, & in Cæſareo Madritenſi Collegio Eloqventiæ Profeſſor, *Opera Poëtica*, in qvibus pleraqve ex aliis optimæ notæ poëtis ſunt congeſta, ſed ita, ut per lacinias hinc illinc petitas carmina ſua qvaſi conſueret. Ex levi eorum inſpectione ſtatim apparuit illa fraus. Nam ex Auguſtini Maſcardi, elegantisſimi Poëtæ, ſylvis, Paſſeratii poëmatibus, & Emanuelis Theſauri Inſcriptionibus pleraqve compilata notavi: Qvod argumento eſt, etiam cetera, qvorum non illa notitia nunc eſt, furto alicunde ſubrepta. In epicediis Reg. Iſabellæ Borboniæ pleraqve excerpta ſunt è Maſcardi *Sylvarum lib.* 3. de Rebus triſtibus & è Deliciis Poëtarum Gallorum. Epicedia in funere Principis Hiſpaniæ, Balthaſaris Caroli, pleraqve, imò omnia, è Maſcardo conſarcinata. Illud verò Epitaphium elegans, qvod in Villafano p. 289. legitur, totidem verbis in Maſcardo p. 135. legitur; niſi qvod unam vocem mutaverit:

Vix matutinum ſurgebat Cæſaris aſtrum
Lumine promittens uberiore diem:
Aſt immaturam obnubit mors pallida lucem,
Nec ſinit è medio vibret ut axe facem.
O lucem ſine luce brevem! vix Lucifer ortus
Solem præveniens Heſperus emoritur.

Qvæ *p.* 286. 287. apud Villafanum leguntur, è Paſſeratii poëmatibus, qvæ in Deliciis
Poëtarum Gallorum habentur, *part.* 3. *p.* 156. *& p.* 171., aliqvâ ex parte transſcripta.
Vafrities hujus hominis ex eo etiam apparet, qvod in titulo libri impreſſionis annum
non appoſuerit, qvem tamen Cenſores libri produnt. Confuſo enim tempore incer-
tum, qvis verè plagiarius. Inſcriptiones in Principem ſuum ex Emanuelis Theſauri
Inſcriptionibus compilavit: * In J. Bapt. Lauri, Viri docti & poëtæ qvoqve ele- 21
gantis, qvem magni fecit Urbanus VIII., epiſtolis, *cent.* 1. *Ep.* 75. legitur totidem ver-
bis Strena illa Paſſeratii *de Nihilo*, qvæ habetur in ejusdem poëmatibus, *part.* 3. *Delic.*
Gall. Poët. p. 31. Qvod mirum mihi ſemper viſum eſt, cum Laurus ipſe non conte-
mnendus poëta fuerit, ut patet ex poëmate ejus *de fabricatione calcis* libris tribus
ſcripto, & elogio, qvod illi ſuſpendit Erythr. *Pinac. I. n.* 141. Scripſit & Theatri Ro-
mani Orcheſtram de Viris illuſtribus. * Extant Orationes cujusdam non ignoti 22
Jeſuitæ, qvæ multam partem ex Italicis Panegyricis Emanuelis Theſauri deprompitæ
ſunt. Dum enim acutum dicendi genus, qvi morbus qvorundam eſt, nimis affectat,
etiam ne ſententiolæ deſint, aliunde furatur. Extat cujusdam *de Opinione* Oratio,
qvæ præcipuâ parte è Barlæi Oratione de Ente Rationis deſcripta eſt. Bertilii Canu-
ti multæ ſunt in Epiſtolis è Lipſio, in Poëmatibus è Lotichio, laciniæ. Novimus &
è Vincentii Fabricii Poëmatibus nobili Poëtæ Gallico aliqva acumina ſublecta. (z)

 Sed

(z) Autor *Orationis de Opinione*, qvi plagii in Barlæum *h. l.* inſimulatur, eſt Joh. Balth. Schuppius, Theologus Hamburgenſis; Poëta autem Gallus, qvi, e Vinc. Fabricii Poëmatis, aliqva ſublegiſſe perhibetur Acumina, ipſe Æg. Menagius, qui de Furtis Poëtarum voluit ſcribere.

Sed illa minutiora ſunt, qvàm ut attendi debeant. Et caſu interdum talia eveniunt, qvod ſingulari diſſertatione *de furtis Poëtarum* oſtendere voluit Menagius. Legi etiam poteſt ſuper hoc argumento Stephani Forcatuli Dialogus feſtiviſſimus, cui titulus *Prometheus*, *ſive de raptu animorum*, ubi alienæ inventionis prædones & ineptos
23 imitatores reprehendit. * Malè tamen habere Viros doctos illæ deprædationes ſolent, ſi rerum ſuarum ſint tenaciores. J. C. Scaliger, cum à meretriculâ CCC nummis emungeretur, eiqve illos vindicaturo amicus Judex, qvem Atticum vocat, indignâ ſententiâ illuſerat, ſtomachoſiorem & acerbam in eum epiſtolam ſcripſit; qvæ eſt inter editas 63, qvâ inter alia ſcriptorum ſuorum compilationes objicit: *Quare favetis furibus, niſi quia fures? quare impudicis, niſi quia ex impudicis aliquot veſtrum nati ſunt? Quid vos evexit ad illud tribunal, niſi ſororum impudicitia? Quid ad altiora provexit, niſi ea pecunia, quæ iisdem artibus comparata erat? Emiſtis magiſtratum, vendidiſtis judicia. Redde mihi Præfationes meas, dicta acuta ex infinitis epiſtolis &c. & ingratus eſto.*

24 Non accenſendi ſunt Pſeudonymis, *qui vel fictum vel immutatum nomen aſſumunt, ſi forte ſua intereſſe exiſtiment illud celari, cum à dolo abſint.* Illud plerumqve faciunt, qvi arcaniora ſcribunt, vel in rebus civilibus, vel naturalibus, vel qvi novas ſententias defendunt, & ſibi ipſis diffidunt, judicia hominum doctorum, ut ſtantes poſt tabulam Apelles, exploraturi. In Politicis argumentis qvotidie videmus larvatos in ſcenam procedere. In rebus naturalibus, arcanis ſcilicet, Chimicis præcipuè, pleraqve ficta habemus nomina, paucis exceptis. Ut enim myſteria illa Harpocratis ſigillo recondi volunt, ita eorum Scriptores, qvi ἐν αἰνύγματι omnia proponunt, ipſi
25 latitare qvàm in publicum prodire malunt. * In his BASILIUS VALENTINUS, magnus hujus artis antiſtes, (ut hoc ὡς ἐν παρόδῳ moneam) qvibusdam numeratur. Ego ipſe qvondam in illâ fui ſententiâ, ac confirmat Raſchii teſtimonio Placcius, in *Pſeudonymorum Catalogo p. 159.*, qvi nec in Catalogo Benedictinorum Provinciali Erfurti, neqve in Generali Romæ, nomen hoc invenerit. Raſchius aliqvem ex familiâ Johann. Tholdeni, Heſſi, ſub hoc nomine latitare voluiſſe exiſtimavit. Sed in aliam nunc ſententiam penè impellit Gudenus ipſe Erfurdienſis, qvi in *Hiſtor. Erfurdienſi lib. 2. pag. 129.* ita ſcribit: *Eadem ætate*, ſc. An. 1413., *Baſilius Valentinus in Divi Petri monaſterio vixit, arte medicâ & naturali indagatione admirabilis.* Addit qvidem Gudenus, ipſe ab his ſacris alienior: *Inſuper iis accenſetur, quos in augmentum ſpei nominant aurum confeciſſe. Sic alienâ dementiâ poſt ſecula fallit, ideo minus culpabilis, quod non niſi decipi amantes facultatibus exuat.* Verùm ut iis verbis demonſtrat, illum rerum, qvas proponit Baſilius, notitiam non habuiſſe; Ita ſuffragium tamen idoneum præbet, qvendam ejus nominis vixiſſe in Divi Petri monaſterio. Librum tamen illum *de Incrementis & Decrementis metallorum*, qvi Baſilio Valentino vulgò tribuitur, ſub cujusdam *de Solea* nomine apud amicum editum vidi, & qvidem in 4to. Suſpicionem hoc *de Solea* nomen mihi movit, qvoniam de Tholdeno aliorum opinio eſt, annon forte in illo Johannis Tholdeni nomine lateat: Et ſanè integrum illud

nomen

nomen *de Solea* in nomine *Joannes Tholdenus* occultatur : qvæ vero ſuperſunt literæ, nullum formare prænomen poſſunt, atqve nunc memoriâ mihi excidit, qvale in libro illo edito fuerit. Fortaſſis aliud qvoddam aſſumpſit, eo contentus, qvod nomen qvodcunqve è ſuo exſtruxerit.

Multo minùs inter Pſeudonymos referendi ſunt, *qui certa quædam nomina è Collegiis*, qvalia in Italiâ, nunc qvoqve in Germaniâ plura ſunt, *ſortiti*. Turbat tamen illa res & nebulas lectoribus offundit, qvibus cognomina incognita ſunt: Multi ſunt à membris ſocietatis fructiferæ ſcripti libri, qvòrum Autores ſub aſcititiis illis titulis ignorantur. Cui autem vacat in illos adeò anxiè inqvirere? Certè illi Collegiorum tituli vehementer diſplicuerunt Vincentio Pinello, de qvo in ejus vitâ refertur: *Cum Patavii plures clarorum Virorum cœtus cogerentur, quas Academias appellamus, Elevatorum, Occultorum, Æthereorum, nulli unquam nomen dedit, ab ambitione & theatrali quâdam oſtentatione procul abhorrens.* Rolandus qvoqve Mareſius, *lib. 2. Ep. 43.*, Collegia ipſa qvidem laudat, ſed diſplicent ipſi cognomina planè abſurda & ridicula. Apud Græcos tamen cognomina qvoqve peregrina ab Autoribus uſurpata videmus, qvæ res hiſtoriam literariam intricatiorem reddit. Noſtro tempore qvoqve videmus Germanica Gallica in Latina & Græca mutata, qvod moleſtum ſæpè eſt, & ipſis Autoribus officit. Multum in Hiſtoriâ Thuanâ Gallicorum nominum in Latina commutatio turbat. Et in omni Hiſtoriâ illa res tricas & nodos nectit. 26

Procedimus ad *Anonymos libros*, qvi vel autorem certum non habent, vel nullum profitentur. Copioſè hîc de cauſis celandi nominis agit Bailletus in *Judic. Doctor. Tom. 1. part. 2. cap. 12.*, qvi ſuper illo argumento legi poteſt. * Eorum indicem dedit Vincentius Placcius, qvem ſupplementis porrò augebit. Deckerus qvoqve in libello de ſcriptis adeſpotis qvædam hujus argumenti tangit. Ac vellem ſane majore ſtudio in rem illam incumberent eruditi: Nam utiliſſimus profectò labor eſt; non tàm in recentiorum ſcriptis, qvàm vetuſtis. Idem, ut puto, argumentum in Commentario de *Autoribus dubiis* tractavit Vir vaſtiſſimi ingenii Caſpar Barthius, qvem aliqvoties ipſe in Adverſariis ſuis citat. Sed nuſqvam ille poſt mortem autoris, etſi jam abſolutus, comparuit; Qvod argumento eſt, ab improbâ manu ſurreptum. De Joh. Gerh. Voſſii ſimili libro deperdito dolet qvoqve Placcius libri ſui præfatione. 27 28

De Autorum verſionibus qvædam adderem, niſi in veterum Autorum verſionibus recenſendis iſto labore nos ſublevaſſet Vir πολυμαθέστατος PETRUS DANIEL HUETUS, cujus extat *de Claris interpretibus* ὁλοπόρφυρος *liber*, in qvo tamen erga Germanos paululum iniqvior viſus eſt. De Gallicis veterum Autorum verſionibus legendi ſunt Sorellus & Bailletus. Et hic qvidem Latinos qvoqve interpretes, Italos, Hiſpanos, Germanos recenſuit *libro de judic. Doct. Tom. 3. part. 2. totâ*, qvi potiſſima ex Hueto excerpſit. Ceterum & verſionum cura eruditis eſſe debet. Qvæ ex Orientalibus, Hebraicis, Arabicis convertuntur, peritiſſimos ſanè earum linguarum reqvirunt: Qvi cum rariſſimi ſint, fit inde, ut non ſatis ſibi conſtent illæ verſiones. Pleriqve Orien- 29

Orientales literas diſcunt, non ut linguam vel ſcribant vel loqvantur; ſed ut Grammatici ſint. Neqve mediocris linguæ cognitio hîc ſufficit, ſed accuratiſſima, & ex uſu ipſius gentis firmata. Magnum qvoqve in Codicis ſacri interpretatione verſiones cujuscunqve linguæ uſum habent, easqve ad exegeſin Theologi celeberrimi cum magno ſuo fructu adhibent. Ex collatione enim illarum ſenſus ſæpe verus elicitur vel firmatur. Earum utilitatem qvoqve in Hiſtoricis, & qvidem Taciti interpretatione oſtendit Freinshemius in illo *ſuo ſpecimine Paraphraſeos Cornelianæ*, ubi è Gallicæ, Italicæ, Anglicæ, Germanicæ, Hiſpanicæ verſionis collatione veros Taciti ſenſus indagavit.

CAP. X.
DE LIBRIS MYSTICIS ET SECRETIS.

§.1. Libri myſtici quinam ſint variaque de iis judicia. 2. Non omnia contemnenda. 3. Ob incredulitatem multa ignorantur. 4. Libri Myſtici, Theoſophici, Prophetici & Magici. 5. Theurgici Gentilium libri multa ſecretioris naturæ myſteria continent. 6. Jamblichi de Myſteriis Ægyptiorum libri, 7. ex Hermetis libris congeſti. 8. Libri ſacri apud Ægyptios cuſtoditi. 9. Zoroaſtri hiſtoria & ſcripta. 10. Eorum aliqua Picus habuit. 11. Oracula Zoroaſtri. 12. Beroſus Annii à Poſtello defenſus. 13. Indi Bramines. 14. Orpheus & ejus ſcripta. 15. Etruſcorum Razi Hinui antiquiſſimam ſapientiam profeſſi. 16. Tarquitiani libri. 17. Sibyllina Oracula Romæ cuſtodita. 18. Sibyllina ſcripta à Noachi nuru Poſtellus deducit. 19. Eorum diverſitas. 20. Petito una Sibylla defenditur. 21. Druides. 22. Gentilium ſacra ſincera paulatim adulterata. 23. Hebræorum Libri Cabaliſtici. 24. Chriſtianorum myſtici libri. 25. Dionyſius Areopagita. 26. Theophr. Paracelſi. 27. Jacobi Böhmii Theologica. 28. De his judicia. 29. Prophetici libri in omnibus gentibus. 30. Pignora imperii ominoſa. 31. Vaſa cuprea Chinenſium. 32. Noſtradamus Gallorum Propheta & Poëta. 33. Varia de ipſo & ſcriptis ejus narrantur. 34. Speculis quidam uſum exiſtimant. 35. Vaticinium de Calviniſmo in Galliâ exſtirpando nunc impletum. 36. Multa alia de magnis revolutionibus prædixit.

1 MYSTICOS & SECRETOS LIBROS dicimus, qvi de rebus ſublimibus, arcanis, mirabilibus ſcripti, ſuos ſibi lectores poſtulant, neqve omnibus ad lectionem concedi ſolent, neqve ab omnibus intelligi poſſunt. Non idem omnibus eſt horum librorum guſtus: *laudantur ab his, culpantur ab illis.* Sunt, qvi iſta ſcripta χρυσῦ χρυσώτερα habent. Sunt, qvi inania, ſuperſtitioſa μετέωρα, & ab otioſis ingeniis, ad fucum ſimplicioribus faciendum, inventa aſpernentur.
2 * Sed mediâ in illis viâ procedendum eſt. Ut enim nullus liber tam malus eſt, in qvo non ſit aliqvid boni; ita & in illis, qvi myſteria & arcana ſe tradere venditant,

ditant, invenies aliqvando, qvæ vix credideris. * Non negaverim eqvidem, multa 3
à multis fingi, eſſe, qvi aliorum credulitati imponant, & ad inanes contemplationes
homines, qvibus omnia ignota magnifica ſunt, abducant. Sed de omnibus eandem
pronunciare ſententiam nefas eſto. Neqve ita ſuſpicionibus indulgendum eſt, ut
omnia ſine diſcrimine pro fabulis & mendaciis habeamus. Quin potius creſcat cum
bonâ ſegete infelix lolium & ſteriles avenæ: Veniet, qvæ illa judicet, ætas & rerum
magiſter uſus. Etiam hîc profectò verum eſt, qvod Heraclitus, Plutarcho teſte in
Coriolano, ſolitus eſt dicere τῶν θείων τὰ πολλὰ δι' ἀπιςίαν μὴ γινώσκεται, *multas di-
vinas & præclaras res ab hominibus ignorari, ob eorum incredulitatem:* ac Plutarchus
alibi vocat ἀσθένειαν ἀπιςίας, *morbum incredulitatis.* In eundem ſenſum qvoqve
Theophraſtus dixit, *res mundi pulcherrimas ab arrogantia hominum ignorari, dum
nihil ſtatuunt credere, niſi humana mens rationem illius perceperit.* Qvod ſi Ariſtote-
lem I. *Metaphyſic.* audimus, ea eſt humanæ mentis imbecillitas, ut cognoſcere neqveat
veritatem, eoqve pacto καθόλȣ cernit ignorantiam omnium, nec vidit ἐν μέρει ſuam.
In plerisqve naturæ rebus plus videmus fidei qvam demonſtrationi relinqvi. Niſi
potiſſima pars cognitionis naturalis ab Hiſtoriâ Naturali nobis eſſet, à philoſophiâ
parum noſceremus. Et tamen is hominum morbus eſt, ut res ipſas negare malint,
qvam ſuam ignorantiam profiteri. Qvoniam verò nec milleſimam partem rerum
naturalium cognoſcimus, ne qvid de νοητοῖς dicam, potius credulitate qvàm incredu-
litate hic peccandum exiſtimem, ne falsâ falſitatis ſuſpicione pulcherrimarum rerum
ſcientiam amittamus.

Myſticorum librorum tres qvaſi conſtituere poſſumus *claſſes, Theoſophicos,* 4
Propheticos & *Magicos.* THEOSOPHICOS nunc eos vocant, qvi de rebus divinis ab-
ſtruſiora qvædam docent, qvales apud Gentiles Theurgici dicebantur, qvibus Doctri-
na de Deo, Dæmonibus, Geniis, deqve Ceremoniis, qvibus illi colendi, tradebatur.
Alii Magiam divinam hanc Theurgiam vocant. Hæc Metaphyſica fuit. * De 5
Gentilium religione etſi magna volumina conſcripta ſunt, tamen dicere non vereor,
è tam vaſto numero paucos eſſe, qvi iſtius θεογονίας & θεολογίας ethnicæ fundum
rectè penetrarint. Non exiſtimandum eſt, adeo ſtolidos & ineptos fuiſſe ſagaciſſi-
mos populos, ut, qvæ vulgo de eorum ſacris traduntur, eo ſenſu accipi velint, qvo ſe
nobis exhibent, ii præcipuè, qvi eorum fingendorum autores fuere. Alii ſub hoc
ænigmate ſenſus latent, myſteria ſcilicet naturæ ſecretioris, qvod, ut ſuſpicione atti-
gerunt multi, ita fuit inter tot interpretes Davos, unus alterqve hodie Oedipus, qvi
aliqvid de iis prodiderit: De qvibus in ſeqventibus plura.

Theurgiæ gentilium arcana, non volaticis narrationibus ſparſa, ſed ſuis ratio- 6
nibus deducta, apud JAMBLICHUM in libro *de Myſteriis Ægyptiorum* operosè propoſita
ſunt: qvô ad Porphyrii qvæſtiones reſpondet, qvem Thomas Gale Oxonii 1678. cum
notis edidit. Nam Ægyptiorum doctrina in his præcipui aliqvid habere videtur,
unde in Græcos & ab his in Romanos multa derivata, ſed multis falſationibus incru-
ſtata. * Nil verò in hoc argumento ab ullo gentilium philoſophorum huic ſimile 7
ſcriptum

ſcriptum eſt, qvod autor ille ſe ex Mercurii columnis, qvas Pythagoras & Plato in ſuam philoſophiam tranſtulerint, ex innumeris antiqvorum ſcriptis, & ex certo aliqvo libro, in qvem veteres totam de rebus divinis ſcientiam congeſſerint, item è Chaldæorum ac Aſſyriorum monimentis excerpſiſſe ait: ut proinde qvaſi compendium Theurgiæ gentilis dici poſſit. Duos verò Mercurios celebrabant Ægyptii. Primus, qvem illi *Thoth* vocant, ille eſt, qvi columnas reliqvit, qvas interpretatus eſt *Mercurius ſecundus*, qvam ille interpretationem multis libris complexus eſt, ut ipſe Jamblichus docet. Notat verò Thomas Gale *ad cap.* 1. librorum illum numerum Mercurio tributorum ortum ex eo eſſe, qvod omnia ſua inventa uni Mercurio ex communi ſapientum concluſo inſcriberent, & in columnis & adytis ſacris reponerent: ut Pythagoræi omnia ſua inventa Pythagoræ nomine inſigniebant. Ex iis Mercurii libris unus fuit, qvi continebat *τὰ περὶ Θεῶν, καὶ τῆς ὅλης παιδείας τῶν ἱερέων*, cujus meminere Diodor. Sic. *lib. 1. c.* 16., Strabo *lib.* 15. Et eandem ob cauſam credo tot libros Hermetis ſive Mercurii nomine circumferri, qvod ſua ſcripta ſub Mercurii nomine publicare maluerint: Qvanqvam & Chriſtianorum piis fraudibus aliqva, aut certè qvædam in illis laciniæ, adſcribi poſſe videntur. Opuſcula medica & aſtrologica Hermetis in Bibliothecâ Vindobonenſi exſtantia Lambecius notavit, *lib. 6. Commentarior. part.* 2., in qvibus, *compendium medicinæ, de mathematicâ ſcientiâ, influxibus aſtrorum, de arcanis duodecim ſignorum Zodiaci, de animalibus volatilibus, qvadrupedibus, aqvatilibus, gemmis ſeu lapidibus pretioſis, characteribus ſive notis ponderum & menſurarum, de Melomantia ſive divinatione ex membris humani corporis: Arithmomantia ſive divinatione ex numeris.* De Hermetis Trismegiſti vitâ & ſcriptis videri amplius poteſt Lambecii *prodromus hiſtoriæ literariæ c.* 1. *§. 6. à pag.* 134. *usque ad pag.* 443., *& Borrichius in*
8 *Hermetis ſapient. c.* 1, 2. *&* 3. * Ceterum & integras habebant Bibliothecas ſacras Ægyptii, in qvibus repoſita, qvæ occultari volebant; cum pœnâ gravi afficerent, qvi aliqva ex iis in vulgus efferrent. Calaſiris Sacerdos Ægyptius, apud Heliodorum his verbis teſtatur: *Me dicente ea, quæ ſciebam, & quæ de hoc flumine* (Nilo) *ſacris libris perſcripta, ſolis antiſtitibus cognoſcere ac legere licet.* Poſtellus in Alcorano multas veteris Ægyptiorum Theologiæ reliqvias, ac plura de Chriſto ipſo teſtimonia, qvàm in Judæorum libris, agnoſcit. Videri alioqvin ſuper multis doctiſſimus Sapientiæ Ægyptiorum vindex Borrichius poteſt.

9 Inter antiqviſſimos in hoc genere Gentilium Scriptores ZOROASTER recenſetur. Ejus hiſtoriam ex Albufeda aliisqve collegit Edoardus Pocockius, ubi inter alia nominatur ejus liber, qvo religionis præcepta Magis tradiderit, ac XII. voluminibus conſtiterit, qvorum ſingula corium taurinum integrum implerent. Scripſit de *pretioſis lapidibus libros V.*; *de aſtrorum effectis ex eorū inſpectione prædicandis ac judicandis unum; de Agriculturâ V. Plin. lib.* 30. *cap.* 1. ait, vicies centena millia verſuum à Zoroaſtre condita, qvæ indicibus explanavit Hermippus, qvi de Deorum ſacris, cultu & ritibus egerunt; item *περὶ Φύσεως*, qvos Suidas ait fuiſſe qvatuor; qvi longum ipſius ſcriptorum enumerat Catalogum. Pythagoræ iſtos prælegiſſe Zabratum memorat Porphyrius, qvi

qvi Zabratus Pythagoram edocuerit, τίνες αἱ τῶν ὅλων ἀρχαὶ, * Horum librorum 10
aliqvot Joannes Picus habuit, qvi ipſe ita ad Ficinum ſcribit: *Chaldaici hi libri ſunt,
ſi libri ſunt, non theſauri. Audi inſcriptiones. Patris Ezræ, Zoroaſtri & Melchior,
Magorum oracula. In quibus & illa quoque, quæ apud Græcos mendoſa & mutila,
integra & abſoluta leguntur. Eſt in illa oracula Chaldæorum ſapientum brevis quidem
& ſalebroſa, ſed plena myſteriis, interpretatio. Eſt itidem & libellus de dogmatis Chal-
daicæ Theologiæ, ac in illum Perſarum, Græcorum, Chaldæorumque divina & locuple-
tiſſima enarratio.* Hos Ficinus poſt obitum Pici inter ejus ſcriptorum reliqvias com-
perit, ſed adeo depravatè exaratos, ut vix ab ipſo Pico legi poſſent. * Syrianus Ma- 11
gnus libros X. in Logia ſive Oracula Zoroaſtri ſcripſit. Notavit Thomas Gale *ad c.2.
ſect. 1.* libri Jamblichiani: magnam eſſe convenientiam inter hæc & ea, qvæ tradebant
Ægyptiorum ſapientes ex libris Mercurialibus; nec non inter ea, qvæ fuiſſe Zabiorum
placita & ſcripta prodit Maimonides Doctoris l. 3. ubi hos à Magis propagatos fuiſſe
notat. Legi de hoc Zoroaſtre ejusqve ſcriptis ampliùs poteſt Otto Heurnius in Bar-
baricæ Philoſophiæ antiqvitatibus *l. 1. Chaldaico p. 28. & in lib. 2. Indico cap. 1.* Ubi
Oracula Zoroaſtri recenſet, qvæ Ludovicus Tiletanus cum Plethonis Gemiſti commen-
tariis *Pariſiis*, ac poſtea Franciſcus Patricius auctiora ex Proclo, Hermia, Simplicio,
Damaſcio, Syneſio, Olympiodoro, Nicephoro, *Anno 1591. Ferrariæ,* in novâ de Univer-
ſis Philoſophiâ edidit, ſapientiæ divinæ pleniſſima. Adeò enim iis, qvæ ſacris literis
tradita ſunt, conſonant, ut Johannes Jeſſenius à Jeſſen ab Abrahamo illum edoctum
exiſtimet: qvi qvaſi compendio qvodam hanc Zoroaſtri Philoſophiam tradidit libro,
qvem *Zoroaſter* inſcribit, Witteb. An. 1593. edito. Videndus de illo eſt Girald. *de Poët.
Dial. 2. p. 59.* Ex horum familia procul dubio fuere, qvi ad adorandum Chriſtum ve-
nere. * Verum de Chaldæorum antiqvitatibus exigua nobis ſupereſt notitia, niſi 12
qvis ad Beroſiana illa fragmenta confugere velit, qvæ plurimi ſuppoſititia habent, etſi
illis ſui qvoqve defenſores, ut ſupra vidimus, & *Poſtell. libr. de Etruriæ origine,* eadem
vera agnoſcat; neqve ab Annio Viterbienſi demum conficta; qvod in Germaniâ &
Galliâ extiterint, anteqvam in manus Annii inciderint: Qvi & apologiam pro illo
ad Petrum Franciſcum Giambularium, Canonicum D. Laurentii, & Academicum Flo-
rentinum, autorem libri de priſca Etruſcæ lingve origine, ſcripſit, qvam & Operi
ſubjungit; ubi ex ipſa Armenia allatum hunc librum, & à Georgio, Apoſtolicæ pro-
feſſionis homine, Latinum Annio datum fuiſſe ait: qvæ velim nobis paulò accuratio-
ra aliisqve documentis firmata dediſſet: Hactenus enim nil illorum innotuit. De
Ægyptiorum Thoologiâ, Philoſophiâ, Hieroglyphicis, Otto Heurnius qvoqve non-
nulla eodem libro adduxit.

Indorum, & in his Philoſophorum Braminum, qvaſi Abraminum ab Abrahamo 13
oriundorum, ut Poſtellus judicat, Theologia & Philoſophia ab illis Chaldæorum dog-
matibus non multum diverſa fuit. Sed nulli de iis ſuperſunt libri, niſi exigua Palla-
dii relatio, & nos infra de his plura dicemus. * ORPHEUS, Thracius, antiqviſſi- 14
mæ ſapientiæ dogmata tradidit, è qvo Græci Aſtrologiam acceperunt, ut teſtatur Lu-

cianus *in Dialogo de Aſtrologia.* Illum ajunt primùm Deorum initia, univerſamqve Theologiam, recluſiſſe, nefariorum facinorum expiationes ac plurima morborum remedia docuiſſe. Scripſiſſe dicitur *de elementorum transmutatione, de rerum naturalium amoris efficaciâ, de Gigantum cum Jove pugnâ, de raptu & luctu Proſerpinæ, de erroribus Cereris, de laboribus Herculis, de ritibus ſacrorum Idæorum & Corybantum, de gemmis, de occultis oraculorum reſponſis, de Veneris & Minervæ ſacrificiis, de Ægyptiorum luctu ob mortem Oſiridis, illorumqve luſtrationibus, de vaticiniis, de auſpiciis, de fibrarum ſitu, de ſomniorum interpretatione eorumqve averruncatione, de expiatione inferorum, de ratione & motu aſtrorum*; Qvæ tamen omnia perierunt. Nam, qvæ ejus nomine etiam olim circumlata, fortè ex reliqviis ejus ab aliis concinnata, unde & Ariſtoteles non Orphei, ſed Orphica ſcripta vocavit. Qvi & Ciceroni liber, Orphei titulo, tribuitur, ſine dubio fictus eſt. Vide de illo, aliisqve ejus nominis, plura apud Gyrald. *Dial. 2. de Poëtis Latinis, p. m. 52. & ſeqq.*

15 Qvæ veteris Theologiæ in Europam ac primùm in Italiam venerunt, ceteris omnium gentium ſacris præferenda eſſent, ſi veritate niterentur, qvæ Poſtellus, libro *de Etruriæ Originibus*, magno apparatu propoſuit. Noam enim in Italiam primùm veniſſe, ibiqve Orbis antediluviani ſacra, ritus & ſcientias reſtauraſſe ait. Fuiſſe autem illi, ut apud omnes populos, popularem inſtitutionem, & inter ſapientiæ alumnos ſecretiorem qvandam & ab uſu vulgarium remotiſſimam, à qvâ vis prædictionum Magiæ & divinioris ſapientiæ pendebat. Ab eo, ait, conſtitutos illos *Razi Hinuos* (qvod nomen Halicarnaſſeus conſervavit) id eſt, ut interpretatur, ſecretorum propagatores, qvi ſint iidem, qvi *Ethruſci*, ſeu *Eturi Tuſci*, qvorum idem officium fuerit, qvod Etruriæ ſacerdotibus Cicero adſcribit. Ii præerant inſtituendæ juventuti, principum potiſſimùm, ii habebant ſcientiam ſecretiorem evocandorum geniorum, álligandorumqve prodigiorum & ſignorum cœleſtium interpretandorum, qvam ſcientiam noſtro deſiderari ſeculo ait. De qvibus omnibus multa illic nova, & qvæ παϱάδοξα plurimis habebun-
16 tur, ſed tamen non ineptè deducta, legi poſſunt. * Laudantur & ab Ammiano Marcellino *lib. 25. c. 2.* Tarqvitiani libri, inqve iis titulus *de rebus divinis.* Nam Plinio & Macrobio *in lib. 3. Sat. c. 7.* teſtibus, TARQVITIUS libros tres *de Etruſcâ diſciplinâ, & Oſtentarium Tuſcum* conſcripſit: ut inde appareat, plures ejus generis libros fuiſſe.
17 * An ex Noachi diſciplina Sibyllina illa Romæ cuſtodita carmina fluxerint, non eſt
18 adeò certum. * Poſtellus in libro *de Originibus, ſive de variâ, & potiſſimum orbi latino ad hanc diem incognitâ aut inconſiderata, hiſtoriâ cap. 16.*, Sibyllinam doctrinam ortum habuiſſe credit à femina principe totius Orientis, proximâ ſangvine ipſi Noacho. Primam ille Sibyllam facit *Nimrodi uxorem, dictam Sabbathen ſive Sembethen, nurum Noachi, unde totus Oriens acceperit ſacra, donec ſenſim ſanctitate & enthuſiaſmis pleræque Græci ſermonis peritæ feminæ eadem tradiderint Græcis, & demum Latinis; ita, ut principio publicati nominis Romæ, id eſt, ſub Regibus, delata ſint magna volumina, quæ tantæ fuiſſe veritatis comperta ſunt, ut illis inconſultis nihil publicæ functionis ſuſciperetur.* Earum Sibyllarum complures fuiſſe omnium eſt ſententia,

tia, qvas ab illa primâ inſtitutas fuiſſe, ſed incertâ fide, refert Poſtellus. *Certiſſi-*
mum eſt, inquit ille, *fuiſſe innumeras in univerſo, ſed ſcripta eò fuere communiora. Quis*
enim non admiretur illas Alirunas Francorum, Gothorum & totius Septentrionis, quæ tan-
tâ erant non ſolum prædicendi, ſed evocandi potentiâ, ut non ſolùm clarè de futuris prædice-
rent, ſed ſpirituales ſubſtantias cujuscunque generis ita cogerent, ut in quâcunque formâ
ſe repræſentare omnium oculis adigerent. Ejusdem generis fuere vates & ſacræ virgi-
nes ubivis gentium, tam in verâ religione optimè primum ab uxore Noachi & filiabus nu-
ribusque & poſteris inſtituti, ad divinæ ſapientiæ laudem, quàm in iisdem religionibus
ſenſim depravatis & à diabolo corruptis. Verùm de numero illarum Sibyllarum nun-
qvam ſatis inter eruditos convenit, neqve de origine qvicqvam certi eſt. Qvæ enim
Poſtellus hîc qvaſi ex Apollinis tripode pronunciat, nullâ certâ fide nituntur. Iſaacus
Voſſius, qvi *de oraculis Sibyllinis* doctiſſimam commentationem ſcripſit, nihil de nu-
mero & origine certi habet; ſaltem oracula Sibyllina fuiſſe, qvâ clariſſima de Chriſto
vaticinia continentur, probat; qvæ à Judæis ex Prophetarum ſuorum oraculis ſub no-
mine fatidicarum mulierum, qvarum apud gentes magna eſſet autoritas, congeſta fue-
rint. * Ceterum magna illorum *Sibyllinorum ſcriptorum* fuit *diverſitas.* Qvæ 19
Tarqvinii regis temporibus in uſu apud Romanos fuerunt, abſumpta fuiſſe incendio
Capitolino conſtat; poſtea ex Erythris & aliis Aſiæ urbibus (ubi qvædam Sibyllina ſer-
vabantur) illa utcunqve congeſta, à prioribus tamen diverſa. Qvæ vero nunc ſuper-
ſunt Sibyllina, ea à Chriſtianis interpolata dubium nullum eſt. * In iis tamen tam 20
variis Sibyllinis monumentis, qvicqvid fluctuent alii, Petrus Petitus peculiari de Si-
bylla libro, non niſi unam fuiſſe ſtatuit, à qvâ omnis illa fama, omnia illa oracula, re-
motis ſuppoſititiis, promanârint; qvæ à variis locis, ubi illa vixerit, varium nomen ſor-
tita fuerit. * *Druidum*, qvi apud Celtas & Germanos Theologi & Philoſophi fue- 21
runt, etiam cum antiqvis illis conveniunt dogmata, qvi tamen nihil ſcripturâ eorum,
qvæ docebant, comprehendi voluerunt. Illorum etiam Pythagoras diſcipulus fuit.
* Verùm dubium nullum eſt, illa gentilis Theologiæ initio qvidem ſatis ſincera, tra- 22
ctu temporis fuiſſe variis ſuperſtitionibus & damnandis ritibus incruſtata. Cum enim
Sacerdotes inter ſe ſecretiores haberent Magiæ diſciplinas, populum falſo cultu in
diverſa actum non cohibuerunt tantùm, ſed & ultrò permiſerunt, ne in ſacra illa ab-
ſcondita involarent. Paulatim & ipſi Sacerdotes in deteriora prolapſi, occultas Dia-
bolo inſidias ſtruente, à viâ regiâ, imò divinâ, deviarunt. Jamblichianus ille liber,
qvem ſuprà laudavi, etſi multa habet ſublimia, qvæqve ex ſinceris fontibus hauſta
videntur; tamen qvæ de Dæmonum cultu & conciliatione habet, illa ab iis ſegregan-
da ſunt. Illud verò memorabile eſt, qvod *ſectione V. cap.* 22. unum ait eſſe perfectiſ-
ſimum cultum, in qvo uno omnes ſimul colamus eſſentias & principatus: Hunc ſerò
admodum advenire ait, & oppido paucis; ac benè nobiscum agi, ſi in vitæ occaſu con-
tingat. Alibi diſertis verbis ait, non opus nos habere Geniorum amicitiâ, ſi unum
illum Deum ſummum, qvi omnibus imperat, amicum habeamus.

Hebræorum Theoſophici libri, qvos illi CABALÆ nomine vocarunt, longè plu- 23
M 2 rimi

rimi fuerunt, qvorum Eſdras ultra 70. collegit, non niſi ſapientibus legendos. Hos Joann. Picus ſe habuiſſe ait, unde concluſiones illas Cabaliſticas ſuas excerpſit. Neſcio, an ex illis libris ſit, vel alius qvispiam, qvô ſe Poſtellus uſum profitetur. Ita enim ille libro *de Etruriæ Origine p.* 82., *Apud Hebræos ſic fuit uſitatum interpretationis genus, ut altiſſimis referta myſteriis non niſi ore in aures transfunderentur diſcipuli, quamdiu res eorum floruerent; paulo poſt in unum volumen, quod ad manus noſtras pervenit, ſecreta illa diſciplina, quam eò quod recipiatur auditu, & non lectione, Cabalam vocarunt, ſummum genus ſapientiæ divinæ.* Circumfertur & apud Judæos, Abrahami Patriarchæ, cui tribuitur, liber *Sépher jetzira*, id eſt, *Liber formationis.* Bartoloccius, qvi Romæ Bibliothecam magnam Rabbinicam edidit, ex illo ait, qvotqvot de Cabala ſcripſerunt, tanqvam ex turbido fonte bibiſſe, & hauſiſſe totam illam tam ſublimem & reconditam Judæorum Theologiam, qvam myſticam vocant, & de qva mira jactitant. Editus eſt ille cum notis Rittangelii: extant & aliorum in illum Rabbinorum commentarii, ac clavis in illum librum à *Schephtel Horwitz*, Pragenſi Judæo, edita, ſub titulo *Schepha Tal, abundantia Roris;* neqve in hunc ſolum librum, ſed in *Torah, Tikkunim & Pardes rimmonim,* qvi libri fundamentum univerſæ Cabalæ continent, Hanov. 1612. Extat & *Maajen hachochma, Fons ſapientiæ*, liber antiqviſſimus, Amſtelod. 4. 1651. editus. Legendi de Cabaliſticis Libri III. Reuchlini, & illi omnes, qvos aliqvot voluminibus in folio J. Piſtorius Baſileæ 1587. edidit. Conferri qvoqve Henrici Mori Cabala Philoſophica poteſt, cujus examen Sam. Andr. ſcripſit.

24 Chriſtianorum jam à primis temporibus myſtici qvidam in Theoſophiâ libri
25 fuerunt. * Principem in his locum ſibi vendicant decantata illa DIONYSII AREOPAGITÆ Opera *de Hierarchia Eccleſiaſtica, de divinis nominibus, de Theologiâ myſticâ,* qvem S. Pauli diſcipulum eſſe volunt, multoqve rationum conqviſitarum apparatu, ut genuinum, defendit Petr. Halloix in *vitâ S. Dionyſii, & quæſtionibus de vitâ & operibus ejus.* Nos illam aliis litem dirimendam relinqvimus. Liber verò ille, à qvocunqve demum ſcriptus ſit, rerum divinarum profundiſſimis meditationibus plenus eſt. Fuere omni tempore, qvi hujus generis libros ſcripſere; nullum verò eorum ſcripto-
26 rum feracius eſt, qvàm hoc & ſuperius ſeculum. * Inter illos numerari præ aliis debet Vir ſummi ingenii & maximorum meritorum, THEOPHRASTUS PARACELSUS, qvi & magnam rei Medicæ & Phyſicæ facem prætulit. Nam uti plerumqve ſecretioris naturæ & Theologiæ conjunctæ rationes iſtis ſcriptoribus fuere; ita datâ occaſione in Theologicas diſſertationes dilabitur. Fuere verò poſt mortem pleraqve ejus ab aliis edita, qvæ, ſi ipſe vivus edidiſſet, fortaſſe alio habitu ſe exhibuiſſent. Qvare nec omnia illa, qvæ è ſchedis ejus publicarunt alii, â moroſis Cenſoribus ad vivum reſecanda ſunt. Plures etiam ab illo in Theologicis libri ſunt poſthumi, qvam in Medicis & Phyſicis editi ſunt. Nam in Bibliotheca Iſaaci Voſſii penè in omnes Novi
27 Fœderis libros commentarios prolixos ab eo ſcriptos inveni. * Similis generis ſcri-
28 ptor noſtrâ ætate JACOBUS BÖHMIUS fuit, Philoſophus Teutonicus dictus. * Mirabile profectò viro huic, utut plebejo, ingenium fuit, & ſingulari animi impulſu

agitatum.

agitatum. Ineptè ſuſpicioſi ſunt, qvi Pontificii cujusdem technas ſubfuiſſe ſcriptis ejus crediderunt. Ab uno homine & qvidem ab ipſo profecta omnia, arguunt idem ſtyli tenor, eadem in omnibus rerum conformitas. Si exceperis nonnulla, qvæ *μυστικώτερα* & intricatiora videntur, in plurimis Pythagoræa dogmata *λείψανον χρυσοῦ γένους* ſpirare videtur. Ejus Pſychologiam in linguam latinam convertit, notisqve illuſtravit Joh. Angelius Werdenhagen, JCtus. Henricus qvoqve Morus judicium de illo mitius, qvam aſperiores nonnulli Cenſores, tulit. Pietatem Viri iſtius nemo hactenus in dubium vocavit. Scripta illa ab homine literarum omnium rudi adornari potuiſſe, penè prodigio ſimilis res eſt. (*aa*)

PROPHETICOS libros dico, qvi Rerumpubl. mutationes variosqve caſus prædi- 29
cunt, qvales in præcipuis Rebuspublicis qvidam ſervari ſolent. Sunt enim homines,
qvi vel ex artis Aſtrologicæ arcanis, vel ſingulari ingenii impulſu, talia prædicere ſo-
lent. * Cuſtodiuntur qvædam imperii pignora, è qvibus conjici futura ſolent. De 30
Urim & Thumim apud Hebræos è ſacris conſtat. Apud Romanos erant libri Sibyl-
lini, & illi Etruſci aruſpices; * apud Chinenſes vaſa cuprea novem, pro numero 31
provinciarum, tremore ſuo varios Reip. caſus ſignificantia, de qvibus Martinus Mar-
tin. *lib. 2. Sin. Hiſtoriæ pag.* 50. Cui ſimilia ſunt duodecim vaſa pro totidem anni
menſium numero; qvorum unumqvodqve aliqvo pulvere oppletum, ejus indolis, ut
ſub finem menſis vaſi ſuo attributi in ipsâ luminarium conjunctione ſponte ſuâ in
nihilum vaneſcerent. Ex motu ejus pulveris de futurâ totius anni tempeſtate vati-
cinabantur, de qvo Mart. Martin. lib. 1. Sed talia perſeqvi infinitum eſſet. * In 32
Gallia celebre nomen MICH. NOSTRADAMI eſt, cujus mirabiles fuere non de Galliâ
tantùm, ſed ceterorum qvoqve regnorum fatis prædictiones, qvæ ſub forma tetraſti-
chorum editæ. Scripſit autem illas Anno 1555. Nominat in illis monachum, qvi
Henricum III., & carnificem, qvi Momorancium ſub Ludovico XIII. percuſſurus ſit:
qvæ vix ullâ arte divinatrice indagari poſſunt, & intelligentiæ alicujus afflatum reqvi-
rere videntur. De incendio Londinenſi, de Regis Caroli I. ſupplicio in illis qvoqve
vaticinatus eſt. * Multæ fuerunt Virorum doctorum ſuper eo diſputationes: Qvi- 33
dam enim pro Impoſtore, qvidam pro Mago habuerunt. Aliqvi virtutem in illo propheticam deprehendere ſibi viſi ſunt. J. C. Scaliger acerbas qvasdam in Hipponacteis ſuis invectivas in eum ſcripſit, cum antea ipſi amicus eſſet: Qva de causâ incertum; nam prædictionum ejus veritas magnum illi apud Principes nomen acqviſivit, qvæ tanta eſſe videtur, ut ne Diabolum qvidem ea prædicere potuiſſe crediderim. Qvod ſi ille è naturalibus ſignis hæc capere potuiſſet; qvid vetat Noſtradamum ex

 iisdem

(*aa*) Judicium Morhofii de Jac. Böhmio, ejusqve Scriptis, mitius atqve honorificum, qvod illius Fautores & Aſſeclæ, Frid. Breclingins (*in Anti-Calovio*), M. Andr. Stübelius (*in Appendice Judicii Vernaculi de Scepticiſmo Speneriano Aug. Pfeifferi p.* 157.), aliiqve, certatim Adverſariis oppoſuere, partim impugnat, partim commodius explicare nititur, Eraſmus Franciſci, in den gebrochnen Spott- und Läſterpfeilen Joh. Matthæi (ed. A. 1692.) *p.* 427-431.

iisdem ſcire potuiſſe? Fuiſſe enim probum piumqve virum omnes fatentur. De la Croix du Maine in Bibliothecâ ſua Gallicâ, Joannem Auratum, Poëtam non vulgarem, ejus prognoſtica notis illuſtraſſe teſtatur, eâqve fide, qvaſi ab ipſo Noſtradami genio afflatus fuerit. De illo legi poteſt Petrus Petitus *lib. 3. de Sibyll. cap. 9.* Ubi plura de ejus rebus narrat vulgo parum cognita, omnia tamen excerpta ex Apologiâ Anonymi, qvi Gallicâ linguâ ſcripſit librum, cui titulus: *Eclairciſſement des veritables Qvatrains de Maiſtre Noſtradamy, Docteur & Profeſſeur en Medicine &c.* Hic §. 6. recenſet varia ab illo prædicta, qvæ à ſolo humano arbitrio dependent, & proinde non niſi ad divinam qvandam inſpirationem referri poſſe judicat. Multa à Typographis lucripetis ipſi ſuppoſita fuiſſe narrat, qvæ occaſionem calumniæ dederunt, cum deſtitueret ea eventus. Majores habuit, Aſtrologiæ & prædictionibus omnes addictos. Aſtrologiâ autem dixit ſe uti tantùm pro medio excitandi impetus illos vaticinandi, qvi ipſi in Aſtrologicis ſpeculationibus ſupervenirent. Scripſit multa alia medica, & in linguam Gallicam multa convertit. Medicinam ſine Aſtrologiæ cognitione parum prodeſſe judicavit. Infinita de illo narrari ait Anonymus, qvæ cum incerto teſte dicantur, ille omiſerit. Miram ille hiſtoriam narrat, qvam à viro nobili Florinvilla ejusqve conjuge comperit. Cum apud eum eſſet aliqvando Noſtradamus, deambulantibus occurrunt duo porcelli, candidus alter, alter niger. Animi gratiâ interrogat Noſtradamum Florinvilla, qvid fieret illis; ille ſtatim: nigro, inqvit, veſcemur nos: album lupus vorabit. Forinvilla, ut prædictionem eluderet, ſecretò album porcellum pro cœnâ curandum mandat. Paret coqvus, ſed dum præparat cibum, lupæ catulus domeſticus, abſente coqvo, porcellum adrodit. Ideoqve coqvus nigrum illi ſuccedaneum dat, ac in mensâ apponit. Ita eventus prædictionem Noſtradami comprobavit. Autor ille in hoc ſpecimine ſuo primo de rebus Henrici II. tantum agit. In præfatione ejus hæc præcipuè tractat. 1. Qvæ vera ſint Autoris tetraſticha. 2. Qvâ de re prædictiones agant. 3. Unde incipiant. 4. Qvousqve ſe extendant. 5. de origine errorum, qvi irrepſerint in hæc tetraſticha, & qvomodo corrigendi. 6. Qvâ ratione clavis & intelligentia tetraſtichorum indaganda ſit. 7. De ordine, qvo proceſſurus ſit. Promiſit autem 20. tales libros, qvi in hunc usqve diem tamen non ſunt editi. Qvinqve ſecuturis voluminibus acturum ſe de rebus Galliæ ſub Regibus Henr. II. ſeqventibus promiſit, 8. & 9. de rebus Italiæ: 10. de negotiis Imperii & Regum Septentrionalium: 11. De Hiſpaniæ & Luſitaniæ Regibus. 12. De rebus ad Oceani accolas pertinentibus, & de regno Angliæ, de qvo multa notabilia prædicit autor. 13. De rebus Orientis, Turcis, Græcis, Perſis. 14. De Africa & Æthiopia. 15. De miraculoſis Regis Franciæ progreſſibus in propagandâ per Orientem fide Chriſtianâ. 16. de Antichriſti machinationibus adverſus Imperium Chriſtianum Gallorum in Hieroſolymis. 17. de iis, qvæ poſt annum 1655. per Europam accident, usqve ad deſtructionem Romæ per decem Reges, Antichriſti vaſallos. 18. De 7. primis centuriis, cum explicatione reliqvorum tetraſtichorum, & paraphraſi epiſtolæ ejus ad Cæſarem filium. 19. de Explicatione centuriæ 8. 9. 10. cum paraphraſi epiſtolæ ad

Henr.

Henr. II., qvæ continet clavem rerum futurarum poſt nativitatem Regis Lud. XIV. 20. de aliis ſcriptis propheticis, verſibus Sibyllinis, qvi tangunt res 14. & 15. libri: tabulis Imperatoris Leonis, prophetis Merlini & Paracelſi. Poſſent hi libri qvaſi Pandectæ qvidam rerum futurarum videri, ſi in lucem ederentur. Sed nec ipſa Noſtradami Tetraſticha integra habemus. Noviſſima editio An. 1668. Amſtelodami in 12. à Waesbergiis edita. Centuriæ in illis tantnm XII. ſed non omnes integræ. Multa in ſcriniis Regiis de iis celari audio. Ex mille verò tetraſtichis & ſuprà, qvæ ille reliqvit, nullum eſſe Anonymus ait, qvod non duas aut tres prædictiones veras contineat, rerum in Oriente & Occidente geſtarum, per omnia regna omnesqve gentes. Allegat Anonymus *Tetraſt. 2. Cent. 13.*, qvô agat de magno Opere Philoſophorum, prædicitqve magnum Theologum, qvem vocat *verbum divinum* vertendo Græcam vocem in Latinam, illud perfecturum; cum tamen ipſe manus nunqvam huic operi admoverit. Sed illa centuria in editione Amſtelodamenſi non comparet. * Fuit, 34
qvi narravit, ſpeculis qvibusdam Aſtrologicis Noſtradamum ad has prædictiones uſum. Nam, qvi arcaniora Phyſica & Aſtrologica cognita habent, ajunt è metallis, tanqvam Planetis terreſtribus, eâdem configuratione, qva Planetæ in Thematibus Natalitiis ponuntur, ſub certis conſtellationibus ſpecula fieri poſſe, in qvibus futura cernantur. Talia ſpecula non pro hominibus tantum, ſed & nationibus, urbibus, ſeculis, ut illi ajunt, fabricari poſſunt. Sed de iis in vita ejus nulla vel ſuſpicio apparet.
* Id qvoqve memorabile eſt, qvod hoc in loco minimè prætereundum. Adduxit 35
Vir Cl. Borrichius in *Diſſert. ſuâ IV. de Poëtis*, Anno circiter 81. ſcriptâ, è Noſtradamo duo vaticinia, qvorum alterum proximis annis impletum eſt. *Hodie*, inqvit, *in Narbonenſi Gallia & Provinciâ nil freqventiùs occentatur auribus, qvam Noſtradami vaticinia, qvæ &, cum ad tumulum nominatiſſimi vatis Salone adſtarem, pleno ore laudavit monſtrator ſacrificulus. Ego optarim, duo ejus fulmina vana eſſe: qvorum alterum Calvinianis minatur, & hoc eſt:*

En grande citò, qvi n'a pain, qv'a dimy,
Encor un couple ſainct Barthelemy.

alterum Septentrioni:

Beaucoup, Beaucoup avant telles menees,
Ceux d'orient par la vertu Lunaire,
L'an mil Sept cens, feront grands emmenees
Subjugans presqve le coing Aqvilonaire.

Cum hæc ſcriberet Borrichius, nulla de Calvinianiſmi exſtirpatione ſuſpicio erat. Sed proximi anni veritatem hujus oraculi abundè confirmarunt. Ac concepta jam ſanguinaria, ut qvidam narrarunt, in Calvinianos fuerat ſententia, qvæ poſtea ita immutata, ut qvâvis cæde eſſet atrocior. Qvid de altero futurum ſit, Deus novit.
* Multa ille in epiſt. ad Henr. II. prædicit, magnasqve imperiorum revolutiones usqve 36
ad ſeptimum millenarium, ubi univerſalis in Eccleſia & omnibus regnis pax futura ſit. Multa de amplificatione Imperii Gallici, ejusqve victoriis in Oriente. Habet

his

his ſimilia Poſtellus in libro *de vera configuratione ſignorum cœleſtium*, ubi ex illis imperium orbis Galliæ ſuæ promittit. Multa etiam in Germaniâ talia de futuris prognoſtica ſecreto aſſervantur, de qvibus hîc non eſt dicendi locus.

CAP. XI.

DE LIBRIS PHYSICIS SECRETIORIBUS PRÆCIPUE CHEMICIS.

§. 1. *Metaphyſica veterum.* 2. *De Campanellæ Metaphyſicis.* 3. *Cuſani, Agrippæ, Ficini, Pici,* 4. *Scalichii ſcripta.* 5. *Libri de Magnetiſmis, Sympathiis, Antipathiis.* 6. *Liber Kyranidum Hermeti adſcriptus.* 7. *Vera hujus libri inſcriptio,* 8. *& antiqvitas.* 9. *Liber mutilatus.* 10. *Democriti* χειρόκμητα. 11. *Petri Arlenſis de Scudalupis liber ejusq; clavis.* 12. *Quædam ex illo arcana proponuntur.* 13. *Maxveldii Medicina Magnetica.* 14. *Wirdigii Medicina ſpirituum.* 15. *Paracelſi Manuſcripta in Bibliothecâ Scorialenſi Chemica.* 16. *Chemiæ ſcientia.* 17. *Mythologia veterum ad Chemicam artem pertinet.* 18. *Vetuſti ejus Autores Græci, valde laceri & mutili.* 19. *Codex Altenburgenſis à Reineſio emendatus.* 20. *Reineſii de iis judicium.* 21. *Stephanus Alexandrinus.* 22. *Heliodori poëma.* 23. *Pappus Alexandrinus.* 24. *Qvis Heliodorus?* 25. *Theophraſtus, Hierotheus, Archelaus, Pelagius.* 26. *Zoſimus.* 27. *Oſtanis fragmentum.* 28. 29. *De eo disqviritur.* 30. 31. *Democriti liber antiqvitatem ſapit.* 32. *De Democrito inſignis è Cedreno locus.* 33. *Qvid ſit* ἐννεαγράμματον. 34. *Democritæa, an genuina, an ſuppoſititia?* 35. 36. 37. *Epiſtolæ à Syneſio ſcriptæ.* γνησιότης *defenditur* 38. *Dubia circa Zoſimi ſcripta, à Reineſio mota.* 39. *Ad ea reſpondetur.* 40. *Zoſimus Chriſtianus ab hiſtoriarum ſcriptore diverſus.* 41. *Diſſenſus ab ipſo Photio & Lambecio.* 42. *Anonymi liber de teſtimonio pro Chriſtianâ religione ex Ethnicis ſcriptoribus laudatur.* 43. *Zoſimus adverſus Reineſium defenditur.* 44. *Manuelis memorabile ſomnium, qvod ad artem Chimicam referendum.* 45. *In Zoſimi ſcriptis qvædam diverſitas.* 46. *Olympiodorus Commentator Zoſimi, ejusq; ætas.* 47. 48. *Labbei & Lambecij dubia.* 49. *Cleopatræ ſcripta Chimica,* 50. *& Epiſtolæ à Scioppio Priapejis adjunctæ.* 51. *Pſellus.* 52. 53. *Pſeudonyma & Anonyma ſcripta recenſentur.* 54. *Leo Allatius Corpus Chimicorum edere voluit.* 55. *Qverela Borrichij votumq; noſtrum.* 56. *Chimica ſcripta plurima* ἀνέκδοτα. 57. *Aliqvot autores recentiores Rabbinici & alij.*

1 VEnio ad libros, qvos MAGICOS appellavi, non eos, qvi de Dæmoniacis artibus ſcripti ſunt, de qvibus alio loco dicetur; ſed, qvi de Magiâ naturali, & arcanas naturæ operationes tradunt. His qvaſi viam ſternunt Cabaliſtici autores, de qvibus ſupra egi; nam amicè conſpirant, mutuasqve operas præſtant. Meta-
2 phyſica illa veterum fuit, qvæ hodie tota in terminorum doctrinam abiit. * Hanc tamen ad mentem veterum qvodammodo inſtituere mihi viſus eſt Campanella, qvi in

vaſto

vaſto opere multa de mundis, de ſeculis, de ordinibus mentalibus, de ſigillis & ideis,
de vitâ divinitùs comparandâ, de actionibus mundorum ſecundum ſeriem & collatio-
nem illorum, de gradibus poteſtatum & poſſibilium, de amore, ſapientiâ & poteſtate,
omnium rerum affectionibus, de maximo & minimo, de paſſionibus rerum ratione
materiæ & formæ, de mutationibus earum & transformationibus, de propenſionibus
corporum vel ad Syſtematis unionem, vel ad certos ſitus in corpore, (*Robertus Boilius
libro de ſyſtematicis corporum affectionibus ſimilia animo concepiſſe videtur*) de confi-
gurationibus rerum & infinitis aliis agit: Qvæ mihi accuratius conſideranti mate-
riam profundiſſimis ſpeculationibus ſubminiſtrare apta videntur. Non qvidem omnia
illa ſimpliciter probaverim; ſed ſunt profectò in illis cogitata, qvæ certè ſummam
ingenii vim arguunt. Illis jungi poteſt liber ejus *de ſenſu rerum*, ubi libro extremo
Magiæ fundamenta jacere videtur. * Multi ſunt à multis ad hunc ſcopum libri 3
conſcripti. Nicolai Cardinalis de Cuſa opera plena ſunt reconditorum ſenſuum.
Cornelius Agrippa in libris, *de occultâ Philoſophiâ,* ad Trithemium Abbatem ſcriptis,
ſi qvædam ſuperſtitioſa abſint, multa ad hanc rem ſubminiſtrat. Marſilii Ficini
ſcripta, ut penè omnium Platonicorum, hæc argumenta tangunt. Joannis & Joannis
Franciſci Picorum opera tota in abſtruſis occupantur. * Paulus de Scala ſive 4
Scalichius, qvi è priſcâ Scaligeræ gentis familiâ originem ſuam venditabat, atqve
Genealogiam Scaligeræ gentis ſcripſit, (qvanqvam illi controverſia ab adverſariis de
eo mota eſt,) hujus generis varia edidit. Olim ille Ferdinando Cæſari à ſacrificio
Miſſæ fuit, poſt in Boruſſia, profeſſionem Evangelicæ religionis ſimulans, intimis
Principis Alberti conſiliis admotus fuit, ubi res novas moliens alios è Principis gra-
tiâ deturbavit ipſe iterum deturbatus: Qvare ad Pontificiorum partes rediens tandem
Gedani mortuus fuit, de qvo legi poteſt Boiſſardus in *Iconibus virorum illuſtrium,
part. 3. imag. 9.*, & Hartknoch. *in Hiſt. Boruſſ. part. 2. c. 2* Edidit ille *Encyclopædiam,
ſive orbem diſciplinarum, tam ſacrarum, quam profanarum, quem Epiſtemona inſcripſit,
Anno 1559. Baſileæ impreſſum,* cum noſtrarum ille partium eſſet: cui adduntur *Theſes
Myſticæ philoſophiæ: Eulogus, ſeu de animâ ſeparatâ ejusq; paſſione, Concluſiones in
omni ſcientiarum genere 1553., olim Bononiæ, hinc Romæ propoſitæ, quas 21. annorum
juvenis ſcripſerat: Revolutionem alphabetariam, ſive perfectiſſimam ad omne genus ſcien-
tiarum methodum: Encomium Scientiarum,* & multa alia adverſus Romanam Eccle-
ſiam. Sed Anno 1571. in aliud qvaſi Syſtema hæc omnia, qvibus Eccleſiæ Romanæ
ſe commendavit, compegit. In Epiſtemone Catholico, ut tum appellavit, omnium
ſcientiarum omnisqve Philoſophiæ, Orphicæ, Pythagoricæ, Platonicæ &c. brevem
deſcriptionem pollicetur. De myſteriis myſticæ Philoſophiæ & variis involucris,
ænigmatibus, Hebræorum, Chaldæorum, Ægyptiorum, Perſarum, Arabum, Græco-
rum & Latinorum, de animâ ſeparatâ, de rerum ſympathiâ & antipathiâ, ſe acturum
promittit. Scripſit & *libros ſeptem de rerum cauſis & ſucceſſibus, & de ſecretiore quâ-
dam methodo, quâ everſiones omnium regnorum univerſi orbis, & futurorum ſeries erui*

poſſint; item Epiſtolam, quâ omnes abditæ artes & ſcientiæ perſtringuntur, & perfectiſſima ratio prophetandi, & miracula operandi traditur.

5 In occultis naturæ operibus, qvæ in *Magnetiſmis*, *Sympathiis* & *Antipathiis*
conſiſtunt, arcani ſunt qvorundam libri. Ex antiqvioribus eſt liber ille Hermeti adſcriptus, cujus meminit Barthius *Adverſar. l. 11. c. 17.* Hunc Gerhardus Medicus, qvem Johannes Trithemius Gerardum Fulginatem, Raphaël Volaterranus Gerardum Suclonetam, Geſnerus & Simlerus Gerardum Cremonenſem vocat, ante qvadringentos propemodum annos è Græco in Linguam Latinam convertit, cui titulus: *Liber phyſicalium virtutum, compaſſionum & certationum, collectus ex libris duobus, experientiâ, videlicet Kyranidarum, Kyranni Regis Perſarum, & ex libro Harpocrationis Alexan-*
6 *drini ad propriam filiam.* * Addit, pleraqve ejus libri, qvi Kyranni illius fuerat,
eſſe Hermetis Trismegiſti, & Syriacis characteribus ſculptum fuiſſe in columnâ fer-
7 reâ. * Græcus libri titulus à Gaulmino *notis ad Theodorum Prodromum, c. 15.*
producitur: Βίβλος Κοίρανις φυσικῶν σωμπαθειῶν καὶ δυσπαθειῶν λαοῖς. σύνταγμα Κοιράνου βασιλέως Περσῶν. Liber Latinus MStus extat in Bibliothecâ Paulinâ Academiæ Lipſienſis, qvem referente Fellero, in præfat. Catalogi MStorum Lipſienſium, illuſtriſſima Dn. Eleonora, Haſſiæ Landgravia, Henr. Ellenbergero, Med. D. Anno 1609. dono dederat, qvemqve Rivinus ab Ellenbergeri filio acceptum Paulinæ intulit, & Lipſiæ An. 1637. excudi fecit. Hanc ego non vidi editionem, ſed aliam, qvæ Francofurti Anno 1681. in 12. &, ut titulus habet, iterata vice è membranis Latinis edita eſt. Nulla illic prioris editionis mentio, qvæ vel ignoratur, vel diſſimulatur. Qvod ad Græcum codicem attinet, fortè idem ille eſt, qvem in Vaticana περὶ φυσικῶν δυνάμεων extare è Pamelio Barthius ait. In eo tamen & Gerhardus Cremonenſis & Barthius ipſe falluntur: ille, qvod A. C. 1168. Conſtantinopoli ex Arabicâ & Perſicâ in linguam Græcam converſam ait: hic, qvod à Græculo qvodam Monacho compilatore congeſtam exiſtimat, qvi, ut fidem aliqvam libro conciliaret, nomina Arabum, Ægyptiorum Perſarumqve accerſiverit, Regemqve Kyrannum Opuſculo autorem de-
8 derit. * Verùm longè antiqviorem eſſe librum Græcum ex eo patet, qvod Olympiodorus, ſcriptor Chimicus, cujus ætatem ultra Conſtantini M. tempora producit in Vindic. Hermet. Borrichius, in commentario ſuo ſuper Zoſimi ſcripta chimica, Hermetem ἐν τῇ Κυρανίδι βίβλῳ, ac Zoſimus, ipſo Olympiodoro antiqvior, *l. 9. de Chymiâ ad Theoſebiam*, Hermetem in Phyſicis, qvi idem liber eſt, alleget. Titulus libri qvid ſibi velit, non ſatis vel Græcus, vel Latinus interpres, cepit. Nullus enim vel *Kyranides* vel *Kyrannus* Rex fuit, à qvo liber ille ſcriptus. Verùm, qvod Reineſius in variis lectionibus ſuis alicubi ſatis demonſtrat, Κοίρανις vox, qvam ex Arabico, vel Perſico, retinuit interpres Græcus, nihil aliud ſignificat, qvam *collectionem*, συλλογὴν, σύνταγμα. Qvoniam enim Perſæ & Arabes ex ſuorum aliorumqve Philoſophorum magiâ hæc collegerunt, *Curanon* vocarunt: qvemadmodum & Alcoranus, qvi recentioribus Græcis κοιράνιον dicitur, nihil aliud ſignificat, qvàm collectionem
9 præceptionum divinarum. * Vehementer verò dubito, an Latina illa verſio inte-
gra

gra ex omni parte ſit: Multa enim in illis vel omiſſa, vel mutata ſupicor. Nam ut ex Gaulmini notis in Theodorum Prodromum, eô locô, qvem ſupra nominavi, apparet, hymnus ille, qvem ſingulis herbis ſubjicit, qvisqvis eſt ſcriptor vel collector, qvo illius vires, numinisqve, cui ſacra eſt, celebrat, hîc planè non invenitur. Qvod ex veterum illo ritu promanat, qvorum mos fuit in colligendis herbis hymnum in laudem illarum, vel numinis, cui ſacræ erant, recitare. ἐνθεσιῶντες μαινομένοι καὶ παιανίζοντες herbas colligebant: Qvod de Druidibus, viſcum qvercinum colligentibus, etiam memoratur. De illis Andreas & Pamphilus, antiqviſſimi Medici, Gaulmino notante, librum ſcripſerunt. ἱερὰς Θεῶν βοτανὰς Galenus vocat. Gaulminus tales aliqvos hymnos ſe editurum promiſit. Sed neqve illi editi, neqve hîc in libro illo Hermeti tributo comparent. Multa qvoqve Barthius loco citato illo contineri narrat, qvæ in edito non inveni. * Hujus generis qvoqve illa Democriti χειρόκμητα, vel qvicun- 10
qve alius titulus fuit, cenſenda ſunt, de qvibus prolixè Salmaſius in Solinum & Borrichius.

Eſt inter recentiores Petri Arlensis de Scudalupis Opus de *ſympathiâ ſe-* 11
ptem metallorum, ſeptem lapidum & ſeptem planetarum, Madriti primùm, hinc Romæ in folio, ſub initium hujus ſeculi editum: qvo ſingularia continentur ſecreta, à filio per incogitantiam publicata; Qvi poſteá exemplaria omnia coëmiſſe dicitur, ut nullum jam ampliùs compareat. Eſt qvidem in Galliâ illud recuſum minori formâ, ſed totum mutilum, nulliusqve pretii. Exiit tamen Pariſiis P. Conſtantii Albini Villanovenſis *Magia Aſtrologica, ſive clavis Sympathiæ ſeptem Metallorum, ſeptem ſelectorum lapidum ad Planetas, pro majore illius elucidatione editum, Anno 1611. in 8.* Sed ſine arcâ ipsâ clavis illa nulli uſui eſt. Qvi legerunt, affirmarunt mihi, tot tantáqve libro illo contineri, ut omni auro ſit præſtantior. * Inter cetera unum ſuccurrit, 12
qvod ille in eo legerat, de vitro è cineribus cadaverum ſtrangulatorum certiqve mineralis conflando, cui lotium ægri immiſſum affectas corporis partes in ipsâ urinâ oſtendat. Aliud ex eo libro adduxit Joh. Petr. Faber in ſuo *Palladio Chimico cap. 5.* de certo pulvere tormentario. Ejus hæc verba ſunt. *Vidi aurum naturâ ipsâ incombuſtibile in pulverem pulvere ipſo tormentario ſeu bellico combuſtibiliorem redactum, ſpiritu ſulphureo combuſtibili, terrâ ipſius auri fœtâ, quô nefanda ſcelera committi poſſunt, in hominum inevitabile malum: terræ motus prægrandes effici queunt, quo domus, imò civitas integra, etſi populoſa ſit, ſusque deque ſubverti poſſint. Arcanum certè pulveris bellici inventi multò pejus & crudelius, cujus proclamatorem in ſuperiorem mundum beatum iri non exiſtimo, tanquam inexhauſti malorum fontis demonſtratorem. Unde hic Harpocratis ſilentium commendatum habere licet.* Et hunc qvidem ego pulverem pyrium Sympatheticum eſſe exiſtimo, qvi in remotô etiam locô poſitus altero ſimilis generis accenſo ſimul accendatur. Multa alia ſparſim à nonnullis ſcripta, qvalia in *Theatro Sympathetico*, Norimbergæ edito, comparent, ſed nullis certis fundamentis inædificata. * Nuper Guilhelmi Maxvelli, Scoti Scriptoris, in lucem à Clariſſ. 13
Georg. Franco edita eſt *Medicina Magnetica*, cujus pars Theoretica non malè de iis

rebus philoſophatur, præcipuè vero Aphoriſmi, libro ſecundo adjecti, interiorem cognitionem arguunt. Liber III. Practicus, ſine qvo ceteri ſteriles & inanes, nondum
14 editus eſt: qvem multi anxiè efflagitant. * Commendari & in hoc genere Viri Cl. qvondam Collegæ mei honoratiſſimi, Sebaſtiani Wirdigii *Medicina Spirituum*, pot-
15 eſt. Sed de his in *Polyhiſtore Phyſico* plenius agemus. * Multa, & qvidem longè plura qvàm edita ſunt, à Paracelſo ſcripta ſunt, qvæ hinc illinc à curioſioribus aſſervantur. Meminit in *Exercitationibus ſuis, nuper editis*, Clariſſ. Wagenſeilius Manuſcripti alicujus Paracelſici, qvod illi in Bibliothecâ Scorialenſi monſtravit Bibliothecarius, unde ille arcanum illud Steganographicum, è ſanguine humano parandum, deſcripſit: cujus ope amici toto orbe ſejuncti omnia animi ſenſa plenè planèqve invicem communicare poſſunt. Sed ille liber cum ceteris fortè in cineres nupero incendio redactus eſt.

16 De *Chemiæ* SCRIPTORIBUS, qvandoqvidem Chemiæ ſcientia qvaſi ſolum aliqvod omnibus occultioribus operationibus naturæ ſubſternit, nunc aliqva adnectenda videbantur: De qvibus cum ſingulari olim diſſertatione egerimus, nunc paucula *ὡς ἐν παρόδῳ* tangemus. (*bb*) Sunt, qvi totam hanc artem ideò ſuſpectam habent, qvod vel nulli ſint antiqvi Autores, vel pleriqve Pſeudonymi. Fuit illa jam ab antiqviſſimo tempore per ſapientes, non tàm ſcriptis, qvàm vivâ informatione, propa-
17 gata, & ipſius rei ſublimitas facilè à nominis ſui profeſſione autores excuſat. *Tota illa gentilium *Mythologia* hunc ſibi ſcopum præfixum habet, qvod à Viris doctiſſimis, Michaële Mejero in Arcanis arcaniſſimis, Blaſio Vigenerio in Commentario in Philoſtrati tabulas, Joh. Petr. Fabro in Panchimico oſtenſum eſt. Commendat Nicolaus Antonius, Autor Bibliothecæ Hiſpanicæ, eo in genere Johannis Baptiſtæ Suarez de Salazar Gaditani Mythiſtoricum Aſtronomicum, ſive de Mythologiâ terreſtri & cœleſti librum, qvo arcana omnia Phyſiologiæ myſteria confictis numinum appellationibus olim apud Ethnicos adumbrata revelavit. Sed imperfectum illud Opus relictum eſt. Nuper verò egregium ejus ſpecimen Jacobus Tollius, elegantis Vir ingenii omniumqve literarum, in Fortuitis ſuis Criticis dedit: Qvi ſi pleniorem illam Mythologiæ explicationem adornaverit, omnes illi concedant neceſſe eſt, qvò pleniorem ad phyſicam experientiam eruditionem affert. * Falſum eſt, deeſſe huic arti
18 *antiqvos autores*. Nam pro Hermetis aliorumqve ſcriptis ita militavit Borrichius, ut ſuperior ex illâ pugnâ diſceſſerit. Superſunt GRÆCI qvidem AUTORES περὶ χρυσοποιίας, qvorum Salmaſius aliqvoties in ſuis *in Solinum exercitationibus* mentionem facit, & Caſaubonus ad Baron. *Anal. Exc.* 1. *c.* 10. de qvibus aliqva hic notabimus. Extat Codex ille in Bibliothecâ Regiâ, unde ſua excerpſit Salmaſius. Delrius *tom.* 1. *diſq. Magic. c.* 5. *p.* 1. *ſect.* 1. in Bibliothecâ Fontis belli haberi teſtatur. Dicitur & Johannes Dee, qvi *Monada Hieroglyphicam* ſcripſit, Democriti Phyſica habuiſſe, cum ſcholiis Syneſii, Pelagii, & Stephani Manuſcriptis. Geſnerus in Italiâ alicubi latere tradit.

(*bb*) Conferri merentur, qvæ Sententiæ Morhofianæ, de Chimia Secretiori ſub Fabularum Ethnicarum involucris abſcondita, *h. l.* propoſitæ, oppoſuit Celeb. Tenzelius, *in Dial. Menſtr. Germ. M. Jan. A.* 1689, *p.* 45. 46. 47.

tradit. * Eſt & Codex Altenburgenſis, qvem illuſtr. Dux Saxoniæ Johannes 19
Wilhelmus b. m. è Cod. Bibl. Auguſtanæ fecit deſcribi Anno 1623. qvem Thomas Reineſius perluſtravit, ſuâqve manu emendavit, mutila in illis notavit, additâ de ipſis Autoribus diſſertatione; Cujus mihi ab amico copia facta eſt. Iidem qvoqve Autores in Bibliothecâ Vindobonenſi reperiuntur, qvos operosè recenſet Lambecius, *Comment. de hâc Biblioth. lib. 6. part. 2. p. 168. & ſqq.*, cum qvibusdam ex iis excerptis. Dignus ille Criticis, ſed tamen argumenti iſtius non ignaris, profectò labor eſt, in qvo illi ingenii nervos intendant, potius qvàm in aliis. Tanta rei ſublimitas dignitasqve eſt, ut non ſuperficiaria opera impendenda ſit. Conferendi hîc eſſent omnium Bibliothecarum Codices: Nam multa in Autoribus illis per dolum ſunt mutilata, vitiosè deſcripta. Deſunt in Altenburgenſi Codice, qvæ de unionibus magnis è minutis conficiendis ex Pariſienſi citat Salmaſius, qvi & vitioſiſſimè ſæpe ſcriptus medicam Reineſii manum omnibus in paginis ſenſit, etſi non cum curâ illi perlectus. Ita ipſe in præfatiunculâ libro præfixâ: *Emendationes, qvas hîc marginibus illitas vides, è curſoriâ qvidem lectione natæ ſunt, ſed qvarum rationes reddere cuivis poſſum: elueremqve etiam reliqva* ψευδογραφήματα, *ſi id nunc agerem; Neqve enim adeò deſperata res eſſet: Qvanqvam, ſi conferre liceret codicem alium, multò facilius in viâ intritâ progredi eſſet. Sunt hîc, qvæ* πῖνον *aliqvem antiqvitatis redolent; ſunt & ineptorum infimæ Græciæ magiſtellorum aliqva; ſed qvæ tamen ab illis, qvi ſe Chymiatros ceu aliis medicis multò præſtantiores appellari volunt, & è furnis miracula curationum promittunt, ſcil. qvod à verâ arte & ſolidâ cognitione ejus non ſunt inſtructi, non debebant ignorari.* * De ſcriptis iſtis ita judicat Reineſius, primùm per aliqvos mo- 20
nachos aliosqve eruditos in Alexandriâ, & hinc in Conſtantinopoli, in unum qvoddam Syſtema congeſta, unde in Italiam & Regiam Bibliothecam eo tempore pervenerint, qvo exules Conſtantinopolitani in Italiâ recepti: Ubi multa alia hactenus ignota de Græcis Autoribus primùm innoteſcere Occidenti cœperunt. Autores ipſi, Reineſio judice, partim Ethnici, partim Chriſtiani fuerunt, qvi Athenis circa annum Chriſti 400., & deinceps vixerunt Alexandriæ, qvæ Philoſophorum nutrix præ ipſis Athenis fuit, ut Camerarius in vitâ Syneſii probat. Magno enim ſtudio huic arti ſub Imperatore Diocletiano, in Ægypto & Perſiâ, tum Judæi, tum Chriſtiani, tum Ethnici incubuerunt, ut ex Suida notum eſt. * Stephani Alexandrini, qvi univerſalis Philo- 21
ſophus vocatus ac ſub Heraclio vixit, cui ipſe aliqva inſcripſit, primus hic liber eſt, περὶ τῆς μεγάλης καὶ ἱερᾶς τέχνης, Cardan. *l. 17. de var. rer.* in Bibliotheca Diegi Hurtadi de Mendoza, Orat. Cæſarei, extitiſſe ait. Chriſtianus fuit. Verum eſſe hujus libri autorem confirmat Salmaſius *in Solin. p. 1097.* Scripſit πράξεις, qvas hodie Proceſſus vocamus, novem. * Poſt illum Heliodori nomen legitur, cujus extat Jambus ad 22
Theodoſium Imperatorem, qvem tamen minimè genuinum agnoſcit Reineſius: *Sunt*, inqvit, *ineptiſſimi Græculi, qvi inter ducenteſimum annum vixit, nihilqve aliud egit, qvàm qvod Stephani ſcriptum de eâdem arte oratione ſolutâ ligavit.* Heliodorum, Hermiæ filium, Alexandriâ oriundum, Reineſius Chimicæ artis non ignarum facit,

qvi cum fratre ſuo Ammonio Proclo in diſciplinam datus eſt, neqve verò alienum exiſtimat, illum Theodoſio M. qvædam hujus generis inſcripſiſſe, qvi & ipſe huic arti fortè addictus fuerit, qvoniam & Eugenius, qvi plurimum gratiâ apud Imperatorem valuit, qvâ tamen poſtea excidit, arti huic operam dedit, ſub cujus nomine aliqva ope-
23 ratio Chimica in Codice illo Altenburgenſi f. 190. extat. * Vixit & Pappus Alexandrinus Philoſophus & Mathematicus ſub hoc Imperatore, Reineſio judice, cujus operatio Chimica ibidem fol. 189. reperitur, qvem tamen alium facit Lambecius, eâ ratione motus, qvod Pappus Stephanum Alexandrinum allegat, qvi ſub Heraclio vixit.
24 * Carminum verò horum autorem planè non agnoſcit Heliodorum Reineſius, qvia non illam ſpirant, ſed infimæ ætatis barbariem, ubi verſibus, qvos politicos vocant, multa talia ſcribebantur. Hunc qvoqve Chriſtianum eſſe apparet, cum alter Ethnicus fuerit. Fuit & illo vetuſtior Heliodorus Æthiopicorum ſcriptor Chriſtianus, Emeſæ in Phœniciâ natus, hujus artis non omnino ignarus, ut ex ſcriptô illô patet, ubi plurima occurrunt, qvæ occultos habere ſenſus videntur, qvod abolere etiam cum jacturâ Epiſcopatus noluit. Ut fortaſſis illo nomine abuſus fuerit ille, qvisqvis fuit, Poëtaſter. Sed tamen eundem illum Carminum fabrum facit Lambecius: cui calculum adjicere meum ob anteà adductas rationes non poſſum. Refert qvidem Lexici Hiſtorici Univerſalis compilator Hofmannus è Cedreno, obtuliſſe Heliodorum Theodoſio M. librum de arte auri faciendi; ſed fruſtrà locus ille in Cedreno à me hactenus qvæſitus. Ac ſi vel maximè exſtaret, de qvo dubito, non tantæ fidei Cedrenus eſt Scriptor, paulum futilior, & longè junior, ut ſuâ autoritate confirmare poſſit.
25 Fluctuat & in Heliodori ætate definiendâ & in ipſis illis Autoribus Voſſius. * Ejusdem commatis Reineſio habentur illa, qvæ ſeqvuntur in Codice Altenburgenſi, carmina Theophraſti, Hierothei, Archelai, de divinâ & ſacrâ arte, omnia ex Stephano transſcripta. Dixerit qvis, Archelai veteris Philoſophi aut Oratoris iſtius nomine ſe ornaſſe, qvi περὶ τῶν θαυμασίων ſcripſit Antigono Hiſt. Mir. c. 96. & 23. citati; qvem ille Ægyptium fuiſſe & Ptolomæo miraculoſa qvædam per epigrammata narraſſe ait. De Hierotheo in eodem libro alia extat brevis commentatiuncula, characteribus Chimicis ſcripta, in proſa, qvam Lambecius adſcribit Hierotheo Monacho, cujus Iſagoge qvædam in Scalam Paradiſii in Bibl. Vindobonenſi extat: nam alterum Hierotheum Philoſophum Platonicum, Dionyſii Areopagitæ Præceptorem eſſe veroſimile non fit. Pelagii, cujus ejusdem argumenti ſchediaſma ſubjicitur, nomen & tempus incertum. Duos ejus nominis reperio. Anaſtaſius Bibliothecarius *in Hiſtoriâ ſuâ Eccleſiaſticâ* circa A. C. 366. qvendam Pelagium Laodicéæ Epiſcopum Orthodoxum nominat. Cedrenus *in Compendio Hiſtoriarum. p. 354. edit. Pariſ. in Corp. Hiſt. Bizantin.*, Pelagium Patricium laudat, qvem Zeno interfecit, virum θαυμαςὸν καὶ περὶ ποίησιν ἐπῶν ἀξιόλογον. Nam hiſtoriam Auguſti Cæſaris verſibus ſcripſit, & Homero-centra, atqve
26 multa alia. * Interfecit & idem Zeno cum hoc Pelagio Zoſimum, ex qvo qvis conjecerit, eundem eſſe Chemicum illum Zoſimum, cujus opuſcula in eodem Codice habentur. Sed Rhetor hic eſt Gazæus, cum alter ille longè antiqvior ſit, qvi qvorundam

rundam Zoſimo adſcriptorum opuſculorum Chemicorum autor eſt, etſi non omnium. Qvædam enim ex illis Zoſimianis juniorem ætatem loqvuntur, ut obſervat Reineſius: Ideoqve vel alium eorum cognominem autorem, vel veteri ſuppoſita eſſe oportet. Sed de Zoſimo illo poſtea plura. Incerta ergò de Pelagio omnia ſunt.

Qvod in Codice Altenburgenſi habetur, *fragmentum Oſtanis* Philoſophi ad Pe- 27
taſium de eàdem diviná arte, ſuppoſititium Lambecio & Reineſio videtur, ſi Oſtanem primum Magum, aut Oſtanem ſecundum, eo intelligere velimus. * Tertium er- 28
gò qvendam nobis Oſtanem fingit Reineſius, cum Oſtanis nomen omnibus Magis Perſarum commune factum Scaliger fateatur: qvi circa A. C. 300. in Ægypto vixerit, alterius etiam Democriti, non Abderitæ iſtius, præceptorem. * Nam Democri- 29
tum ab Oſtane edoctum etiam antiqvi Scriptores teſtantur. Ad hanc ſententiam ipſum impellit primùm, qvod tempore Regis Perſici Saporis, qvi A. C. 270. imperavit, in Perſiam iverit Democritus, artis addiſcendæ causâ, qvod ex Syneſio aliisqve locis hujus Codicis probare vult; cum tamen illic nullius Regis, ſed philoſophi Sophar mentio fiat, cujus cum Rege Sapore confundendi cauſam nullam video: Deinde qvod tamen Græca illa tùm Oſtanis tùm Democriti antiqviorem indolem, qvam cetera ejus libri, ſpirent, licet ad ætatem Democriti Abderitæ non aſcendant. Eadem eſt Salmaſii ſententia, qvi *comm. in Solin. pag. 1162.* ita: *Democritus qvamvis ſubdititius ſit, antiqvum tamen eſſe oportet; qvippe qvem citari videam Syneſio, Stephano, ac Zoſimo, ſcriptoribus Chimicis, ac inter principes & veteres artis illius autores laudari.* Hæc, ut verum fatear, pro Democrito & Oſtane vindicando, magis militare videntur. Nam, ſi ſimili licentiâ in aliis Autoribus uti velimus, novos Amphitruones & Soſias in ſcenâ criticâ formabimus. * Eſto verò, non eſſe hæc Græca Oſtanis tempore 30
ſcripta, potuerunt illa longo tempore poſt in Græcam linguam eſſe converſa; ac fortè illa ultima verba, unde non ab antiqvo Oſtane, ſed à Chriſtiano aliqvo ſcriptum hoc fragmentum conjiciebat Reineſius, qvibus *gloria Deo & Filio & Spiritui Sancto* acclamatur, Chriſtiani cujusdam manu prioribus pietatis causâ adjecta. Rectè vero Reineſius Scaligerum reprehendit, qvi Oſtanem Democriti Myſtagogum ex eo neget, qvod Oſtanem Xerxes in Græciam comitem, (de qvo *Plin. lib. 30. c. 1.*) noſcere per ætatem non potuerit, cum ex Herodoto Laërtius teſtetur, Xerxem in Græciam transeuntem cum exercitu apud Democriti Patrem divertiſſe. Ceterum ad Perſas victores illam in Ægypto cuſtoditam Smaragdi tabulam, qvæ ignoratam univerſi orbis concordiam deſcripſit, & maximam Magiæ partem abſolvit, tranſiiſſe qveritur Gaulminus præfatione ad Theodorum Prodromum: Cum Græcorum Medici divam Medicinam plebi proſtituerent, cujus interiora olim Reges & Sacerdotes ſibi vindicabant.

Seqvuntur Oſtanis fragmentum in Codice illo *Democriti Phyſica & myſtica* ſeu 31
arcana, Reineſio, ut vidimus, pro ſuppoſititiis habita. Nolo hîc poſt Roſcium ſaltare: nam, qvæ Reineſius hic pro νοθεία affert argumenta, qvæ omnia cum plurimis aliis à Conringio, in libro de Hermeticâ medicinâ, allata ſunt, à doctiſſimo Borrichio ingenioſiſſimis rationibus in Vindicatione Hermetis eliduntur. In ſcriptorum Democriti

mocriti titulis colligendis ſollicitiſſimi fuere Borrichius d. l., & in ſuâ *Hiſtoriâ Phi-*
32 *loſophicâ* Abr. Gravius *lib. 3. cap. 1.*, qvi illic legatur. * Memorabilis præterea ille locus è Cedreni *Comp. Hiſt. pag. 121. Ed. Pariſ.* adduci Democrito meretur, qvi ex antiqvioribus Scriptoribus omnia accepit, ſi qvis fortè de Cedreno cavillari velit. Τότε καὶ Δημόκριτος ἐγνωρίζετο Φιλόσοφος, ὅς ἐδίδασκε πρὸ τοῖς ἄλλοις, ὅτι δεῖ τόν Φιλοσοφεῖν ἐθέλοντα, πάντων ἀπέχεσθαι κακῶν, σωφροσύνην ἀσκεῖν, καὶ πάντα ὀρθῶς νοεῖν καὶ πράττειν, καὶ οὕτως ἔστι τὸ ἐννεαγράμματον μαθεῖν. καὶ οὕτως (Φησὶν) ὄψει τὸν υἱόν τοῦ Θεοῦ λόγον, τὸν ἀπαθῆ, παθητὸν νεοφανῆ. Vertit ita Xylander: *Eâ ætate Democritus innotuit, Philoſophus: qvi præter alia docuit, eum qvi velit philoſophari, debere omnibus abſtinere vitiis, temperantiæ ſtudere, omnia recte agere & facere: ita demum licere cognitione eorum, qvæ novem literis notata ſunt, potiri. Sic (inqvit) videbis filium* Dei *verbum omnis perpeſſionis expers, qvod ipſum denuò perpeſſionibus obnoxium apparuit.* Hîc verba illa οὕτως ἔστι τὸ ἐννεαγράμματον μαθεῖν, qvæ περιφράζει Xylander, aliqvid myſtici continere videntur, ut poſtrema illa de filio Dei, denuò perpeſſionibus obnoxio, vel à Cedreno, vel aliundè, aſſuta videntur: qvod inter Democriti dogmata fuiſſe nemo credit, niſi per mirabilem vel προφητείαν, vel πρόληψιν.
33 * Alludit verò nomen illud ἐννεαγράμματον ad illud naturale corpus, qvod, qvanqvam metaphorico ſenſu, caput χρυσοποιΐας habetur, verſibus Sibyllinis expreſſum: qvorum initium eſt, ἐννεαγράμματ' ἔχω, τετρασύλλαβον εἰμὶ. νόει με. &c. *Novem literas habeo, qvatuor ſyllabas: intellige me.* &c. Sunt autem ſex verſus, & habentur *lib. 2. Carm. Sibyll. p. 171. edit. Obſopæi.* Aymarus Ranconetus non malè expoſuit de Arſenico. Norunt enim artis ejus vel tirones, qvam venerabile Arſenici, neqve ſine causâ, apud Chimicos nomen ſit, ſed ſuo tamen ſenſu. De hoc τετρασυλλάβῳ ἐννεαγραμμάτῳ egit qvoqve Olympiodorus, *fol. 167. Cod. Alt.*, & Stephanus Philoſophus in πράξει V., qvi vocat τῆς σοφωτάτης ἐννοίας τὸ πρόβλημα, & ſuper hoc ænigmate
34 longam commentationem inſtituit. * Diſcrepat Græcum exemplar in multis à Latinâ verſione Dominici Pizimentii: multa etiam in Græco trajecta & mutilata. Hiſtoriola, qvam Democritus ipſe de ſe narrat, qvomodo Magiſtrum ſuum jam mortuum conſuluerit, in Græco Codice non ſuo, ac valde alieno loco, poſita eſt, ut qvaſi adſuta videatur. In Latinâ verſione planè omiſſa eſt. In lectione verborum Græcorum magna eſt diſcrepantia iis in fragmentis, qvæ paſſim adducit Lambecius, ut vel inde pateat, multum hic laboris iſtis eſſe relictum, qvi hos Autores fortè aliqvando emendaturi ſint: & qvid de Latinâ verſione judicandum? qvæ in his variationibus lectionum ſibi conſtare non poteſt. Lambecius in illam inclinare ſententiam videtur, ut ea, qvæ hîc Democrito adſcribuntur, ejus eſſe generis dicere malit, qvæ à Diogene Laërtio hîc nuncupantur τὰ ἐκ τῶν Δημοκρίτου διασκευασμένα, ex Democriti libris
35 compoſita. * Non contemnendum tamen & hoc ad γνησιότητα probandam argumentum eſt, qvod Zoſimo & Syneſio aliqva ex his citentur, qvem cur Pſeudo-Syneſium vocet Reineſius, non video: Nam Salmaſio ille genuinus habetur, cui & teſtimonium ejus pro antiqvitate Democritæi ſcripti non improbatur: Ait enim Syneſius,

Democritum

Democritum in Perſiam profectum eſſe, ut ab Oſtane artem edoceretur: qvæ & apud Euſebium in Chronico leguntur, Scaligero ſuſpecta viſa; qvaſi à Panodoro Monacho aut Syncello conficta. Cum tamen, ut rectè reſpondet Borrichius, etiam Euſebius ea de Democrito legere potuerit, qvæ ante illum Seneca, & Zoſimus, & Syneſius, qvi Euſebio non ſunt poſteriores. * Qvæ enim idonea ratio afferri poteſt, qvod hæ 36
præcipuè laciniæ de Democrito aliisqve Chimicis aſſutæ ſint Chronico Euſebiano, cum tamen Zoſimus, qvem antiqviſſimum Scriptorem Chimicorum Conringius habet, & Syneſius de illis ſcribant? qvi Syneſius etiam Zoſimo ipſi ex eo præferendus Borrichio videtur, qvod inſcripſerit Syneſius Scholia ſua Dioſcoro, magno Sacerdoti Serapidos, florente adhuc Serapidos in Ægypto cultu, qvod fuit ante Theodoſium primum, qvi Serapidos fanum evertit.

Sed & ipſis illis Syneſii Scholiis, frivolis ductus, ut ego exiſtimo, argumentis, 37
litem movit Reineſius. Qvidni enim Syneſius, qvem annos aliqvot juniorem facit Epiſcopus Cyrenæus, autor horum ſcholiorum ſit? Primò enim puerilis ille, qvem vocat, error de Oſtane Democrito, qviqve illi præcipuum νοθείας argumentum facit, ne error qvidem eſt, neqve in dubium vocari debet ob argumenta, tam à Borrichio, qvèm à me hîc adducta. Deinde telum imbelle ſine ictu eſt, cum ita colligit: In toto Opere Syneſii, neqve in Epiſtola 57, qvâ omnem vitæ hiſtoriam, genus, familiam, variosqve caſus deſcribit, ulla fit mentio vel Dioſcori, vel hujus artis: ergo falſum eſt, ejus ſcripti autorem eſſe Syneſium. Qvaſi vero, qvi illa ſacra tractant, nomen ſuum omnes furno redeuntes lacuqve ſcire geſtiant. Videmus in Villanovani ſcriptis medicis, in Alberti M. operibus, Chimica omnia ab editoribus ſecludi, qvod ſtultis qvibusdam hominibus etiam ad νοθείαν horum ſcriptorum magnum argumentum eſt, cum tamen nihil certius ſit, ab ipſis eſſe ſcripta, ſed dum vixerunt, diſſimulata. Ita enim plerumqve fieri ſolet, ut viventes autores illa celent, nec, niſi paucis qvibusdam amicis, ſcribant: qvæ poſt mortem editores, ne ſcilicet contagium aliqvod cetera ab iis ſcripta trahant, omittunt, vel etiam ut μυστικώτερα ſeponunt. Non deſunt tamen aliqva hujus artis veſtigia in Epiſtolis Syneſii, ut in epiſtolâ 142. ad Herculeanum, cui qvædam propalata Philoſophiæ myſteria exprobrat. Extat & in Gallicâ, & nuper in Germanicâ linguâ, tractatus, nomen Syneſiii Abbatis præpoſitum habens, qviqve è Cæſareâ Bibliothecâ editus fuerit. Sed Lambecius nullum alium Abbatem, qvam hunc Epiſcopum, novit, ac præterea ille tractatus planè alius videtur. Epiſtola verò ad Dioſcorum à nondum Chriſtiano ſcripta videtur, qvod ex inſcriprione colligit Lambecius.

De *Zoſimi ſcriptis Chemicis*, qvæ non Salmaſius, ac ne ipſe qvidem Conrin- 38
gius in dubium vocat, Reineſius tamen ſcrupulos aliqvos injecit. Dicit non omnes illi libros adſcribi poſſe, qvia in illis mentio qvorundam ſimplicium fiat, qvæ veteribus Græcis ignota, & à Perſis & Arabibus demum inventa, ut Βελιλὲν, Νατήφ, Θένακαρ, Τοθία, Τάλκ, Χάλκ &c. Unde colligit, demum poſt Perſarum & Arabum tempora, 900. annis circiter à nato Chriſto, cum Græci artem perditam â Perſis & Arabibus reducere in Græciam vellent, hos libros eſſe ſcriptos: qvod ſi attendiſſet

Salmaſius, caput illud περὶ ποιήσεως χαλκοῦ ξανθοῦ, qvod in Codice Altenburgenſi
39 βαφὴ τοῦ ἰνδικοῦ σιδήρου inſcribitur, Zoſimo non adſcripſiſſet. * Verum unde novit Reineſius, illa ſimplicium nomina Græcis fuiſſe ignota ante hæc tempora? Metallica illa pleraqve nomina ſunt, de qvibus Græcorum Medici vulgares parum ſolliciti: Unde novit à Perſis & Arabibus illa eſſe profecta? In ſtudiis peregrinis peregrinæ etiam voces freqventari ſolent. Qvomodo tempus perditæ & recuperatæ apud Græcos artis definiet? Qvomodo caput unum ex toto libro alii autori adſcriberet Salmaſius? Nam qvod illic allegatur Zoſimi nomen, non inſolitum in illis libris eſt, qvorum celari autores ſolent. Ne qvid dicam de gloſſis marginalibus, qvæ in textum ipſum librariorum culpâ trânſire ſolent. Majoris momenti objectio illa eſt, qvod capitulo hujus libri, qvod βαφὴ σμαράγδου inſcribitur, ac Zoſimo Salmaſius tribuit, Arabici & Muhammedici Philoſophi σοφοὶ ἰσμαηλιτῶν laudentur: Unde appareat, non veteris Zoſimi, ſed junioris alicujus Opus eſſe: Cum Saraceni primum A. C. 640. Ægyptum ſubjugarint, ac per Caliphas ſuos 600. annis ſub imperio tenuerint, urbemqve opulentam Alcair circa A. C. 970. ædificarint. Hi Medicinam, Aſtronomiam, Chimiam, poſtqvam Perſicas opes omnes in ſe derivarunt, multis impenſis, magnaqve induſtriâ excoluerunt: præcipuè illi potentiſſimi Dynaſtæ, *Almanſor, Hazon, Raſchydus, Alaminus, & Almaimon*, ipſi doctiſſimi, qviqve doctos viros è Judæis, Chriſtianis, omnibusqve gentibus evocarunt, Græcorumqve libros præcipuos in Arabicam linguam converti curarunt: ut florerent tum in Ægypto omnes doctrinæ, cum craſſiſſima barbaries Græciam, Italiam, Galliam, Germaniam obſideret. Neqve tamen tunc perdita apud Græcos Chimica ſtudia, ut fortè Reineſius exiſtimat, fuerunt: ſed, qvod in Germaniâ, Italiâ, Galliâ vidimus, ſub ipſa barbarie clanculum illa diſſeminata. Neqve enim ex eo, qvod ſcriptores deficiunt, artis interitus inferri debet, qvæ ab antiqviſſimis temporibus, non ſcriptis, ſed potiùs per inſtitutionem vivi præceptoris, propagata fuit. Latuerunt illa in monaſteriis apud Chriſtianos ſtudia, unde, ſi qva in publicum prodierunt ſcripta, ut ſanè non pauca etiamnum ex iis ſuperſunt, ob barbariem & impolitiam dictionis contempta fuerunt. Verùm, ut ad objectionem Reineſianam revertamur, non illa adeo firmo talo ſtat, qvin elidi poſſit. Illud Iſmaëlitarum nomen non tum demum, ſed dudum ante illa tempora, uſurpatum; nam & Hieronymus in vitâ Malchi Iſmaëlitarum Arabum meminit. Et verò de Arabum veterum peritiâ in ſecretis doctrinis res notiſſima eſt. Fuiſſeqve apud illos Magorum nomen priùs qvam apud Perſas auditum, Conringius *de Antiq. Acad. in Suppl. 5.* teſtatur. Unde verò certiſſimis documentis oſtendet Reineſius, ſcriptorem hos tantùm Ægyptios Sophos, non alios intellexiſſe? Cum ergo in conjecturis tantum vis argumenti ſubſiſtat, nil facit ad infringendam hujus ſcripti γνησιότητα. Neqve poſſunt ſpeciales illi Zoſimi, qvi de variis metallicis agunt, tractatus adeò diſcèrpi, ut variis autoribus aſſignentur. Ideo enim vel maximè Oecumenici nomen obtinuit, qvod ad varios artis hujus receſſus ſe diffuderit: qvemadmodum ille titulus primùm

Herme-

Hermeti, deinde Johanni Sacerdoti, tum Democrito, & Stephano ab Anonymo, in libro de ratione dealbandi, tribuitur.

Fuit ergo horum librorum ſcriptor Zoſimus, ex Reineſii ſententia, Comes & 40
Exadvocatus Fiſci, & Hiſtoricus, qvi Theodoſiorum tempore vixit; ut Borrichius vero opinatur, ætatem Conſtantini M. longè ſuperat. Reineſii verò ſententia vel ex eo rejicienda eſt, qvod hiſtoriæ ſcriptor Ethnicus, hic vero Chriſtianus ſit, qvem antea Philoſophum Alexandrinum dixerat, qvem à ceteris ejus nominis diſtinguere Suidas videtur. Et Pelagius, qvi Zoſimum citat, vocat *τὸν ἀρχαῖον Ζώσιμον*. Magnam hîc diſputationi de Chriſtianiſmo Zoſimi anſam præbet Photius, qvi Cod. 98., in recenſione Hiſtoriæ Zoſimi, illum paganorum religionem ſecutum ait; & in recenſione codicis 170. librorum ſc. 15., qvibus proponuntur ab Anonymo teſtimonia de Chriſtianâ religione è gentium ſcriptis, eum Autorem *ἀπὸ τῶν χημευτικῶν Ζωσίμȣ λόγων (è frigidis Zoſimi libris, vertit Andreas Schottus)* multa deſumſiſſe ait. Hîc vero intelliguntur nulli alii Zoſimi libri, qvam *χημευτικοὶ λόγοι*, Chimici ſermones: de qvibus Suidas. Malè enim vertit illa Schottus, qvæ non intellexit, & vitioſa apud Photium lectio eſt. * Ex eo tamen apparet, Zoſimum *τῶν χημευτικῶν* autorem 41
& hiſtoriarum pro uno eodemqve Photio habitum eſſe: niſi fortè & ille in eo erraverit. Lambecius, ut hæc conciliet, ait, Platonicis Philoſophis *χρυσοποιΐας* arti deditis in multis conveniſſe cum Chriſtianis. Sed iſta frigida conciliatio dubium omne non tollit. Ego tamen in illâ perſevero ſententiâ, ut hunc Zoſimum Chimicum Alexandrinum à Thebano Panopolita diſtinguendum exiſtimem. * Anonymum 42
verò illum, cujus codicem recenſuit Photius, ego qvoqve Chimicæ arti addictum fuiſſe exiſtimaverim, & hujus ductu præcipuè ad illa de Chriſtianâ è Gentilibus religione teſtimonia colligenda impulſum fuiſſe: qvæ Photius, ut hujus rei omnino ignarus, pro fabulis & ſuperſtitioſis habuit. Nam & hodie ſunt, qvi *τύπον* rerum divinarum in his naturæ myſteriis qværunt. Fuere in his libris, Photio memorante, teſtimonia locaqve integrorum etiam librorum, non modo Græca, verum etiam Perſica, Thracica, Ægyptia, Babylonica, Chaldaica, qvin & Italica, ex iis, qvi apud ſingulas harum gentium doctrinâ clari haberentur. Qvi liber, ſi hodie extaret, cum magno rei Chriſtianæ fructu legeretur. * Ille tamen Zoſimus, qvicunqve tandem fuerit, 43
qvod in ipſo reprehendit Reineſius, ſuperſtitionibus Ægyptiacis & Platonicis ſpeculationibus ſupra modum fuit deditus, & multa prophetica in Sacro Codice loca ad miſeram hanc artem, ut vocat Reineſius, applicuit. Sed illa nunc qvidem excutienda non ſumam; neqve qvivis idoneus, ut opinor, de iis judex erit, qvæ ſuperſtitiones & fabulæ, qvæ verò pro myſteriis habenda; cum externa ſpecies in his rebus minus exercitatum facilè fallat; Reineſius tamen miſeram artem vocat, qvam divinam & ſanctam omnes, qvotqvot ſunt veri ejus poſſeſſores, dicunt; qvæqve ſi illa, qvæ dicuntur, præſtiterit, (nam omnium gentium hiſtoricam fidem labefactare extremæ impudentiæ res eſſet) illo titulo meritò appellanda eſt. Qvare non tam ſuperſtitionis, qvam abſconditæ pietatis argumentum eſt eorum, qvi arcanis rerum naturalium, qvaſi typis

 qvibus-

qvibusdam, rerum divinarum myſteria adumbrari ſentiunt: Qvod multis ad Chriſtianiſmi ſacra amplectenda profuit. Deinde non ignotum eſt, perpetuum myſticæ Theologiæ cum arcaniori ſcientiâ naturali ab ejus doctoribus ſtatui conſenſum: Qvod omnia ſcripta Cabaliſtica loqvuntur: ut Zoſimus non adeo eam ob cauſam reprehen-
44 di debeat. * Qvâ occaſione venit in mentem memorabilis illius *ſomnii Manuelis*, qvod *lib. 3. Hiſtoriæ Johann. Cantacuzen. c. 81.*, legitur, ubi per variorum animalium apparitionem & dictorum è Prophetâ Eſaia ad illa applicationem, nihil aliud, qvam varia Operis philoſophici *Φαινόμενα* ſignificantur, qvod iis, qvi in lectione illorum librorum exercitati ſunt, facile judicatu erit. Gretſerus verò commentator, ut facilè credo, obſcura ſibi hæc eſſe omnia, neqve, qvo tendant, perſpicere poſſe, fatetur;
45 * Occurrunt in hoc Zoſimo noſtro qvædam etiam memorabilia, qvæ *ὡς ἐν παρόδῳ* hic etiam monet Reineſius, qvod antiqvi Prophetæ Chemmis, unde ars ipſa dicta eſt, mentionem faciat, qvod Codicem Ebræum non à multis, ſed ab uno interprete in Græcam & vulgarem Ægyptiacam linguam translatum dicat, de qvo nihil apud alios dicitur, niſi fortè locum è Philonis libro de Vita Moiſis huc pertrahas, qvi de feſto die à Judæis & Ethnicis in memoriam Verſionis Bibliorum Græcæ celebrato aliqva memorat. Scriptorum ejus tituli plures apud Photium in Cod. 170., & in his ipſis libris citantur. Legi & de Zoſimi ſcriptis Borrichius in libro ſæpius laudato poteſt. In codice hoc Altenburgenſi aliter qvidam librorum tituli formantur, qvàm in codice Pariſienſi. Et in ipſo illo codice aliter illi citantur. Eſt & inter Zoſimi ſcripta liber *περὶ ὀργάνων καὶ καμίνων*, cum iconibus adjectis, qvarum aliqvas Borrichius exhibuit.

46 In Zoſimi ſcripta *Olympiodorus* commentatus eſt, cujus liber etiam in codice Altenburgenſi habetur; in cujus tamen ætate definiendâ magna ſententiarum varietas eſt. Salmaſius hunc extremis Græciæ temporibus vixiſſe ait, qvem ex eo refellit Reineſius, qvia nullam Stephani, ſcriptoris anno 620. florentis, ſed Zoſimi & Syneſii, qvi proximè illum præceſſerint, mentionem faciat, more illorum ſcriptorum, qvi in arte ſuâ anteceſſores ſemper in ore habent. Reineſius & Lambecius, uti & Conringius, Olympiodorum Thebanum Hiſtoricum, & Olympiodorum Philoſophum Alexandrinum, pro uno eodemqve agnoſcunt. Planè in eo demonſtrando operoſus eſt Lambecius. Suidas de Olympiodoro Philoſopho Alexandrino memorat, ad qvem audiendum Proclus Lycus ſe contulerit. Peripateticus ille fuit, ſed tamen & in Platonis libros commentatus eſt. De Olympiodoro, qvi rerum civilium ſtudio ſe addixit, & libros Hiſtoriarum ſcripſit, Photius Cod. 80., qvem Thebanum facit & profeſſione Poëtam, ubi per nomen Poëtæ Reineſius & Lambecius Chimicum intelligunt: illum enim Poëtæ nomen hoc tempore notabat, & *ποιήσεις* dicebantur operationes Chimicæ. Qvod tamen, ut incertum argumentum, rejecit Borrichius. Hiſtoriam ille ſuam ab Honorii Rom. Imperat. Conſulatu ſeptimo, & Theodoſii ſecundo, ad id tempus, qvo Valentinianus Romanus Imperator declaratus (nempe ab A. C. 407. ad A. C. 425.) deduxit. Idem Photius codice 214. de Olympiodoro agit, cui Hierocles librum de Providentia & Fato inſcripſerit. Illic profeſſione Philoſophum, philoſo-

phiæ

phiæ non vulgaris amatorem vocat, qvem veluti Cenſorem conſtituerit Hierocles, non civilis ſapientiæ omninò rudem, qvi legationibus Romanis clarus, ac barbaras gentes Romano imperio adjunxerit; unde maximos ſibi magiſtratus acqviſiverit. Qvibus poſtremis verbis Photium ad Hiſtoriarum libros Olympiodori, Photio Cod. 80. recenſitos, reſpicere non abſurdâ conjecturâ exiſtimat Lambecius; cum & tempora ipſa reſpondeant, & ipſe Olympiodorus illic ſe legatum ad Hunnos miſſum ſcribat. Verùm planè aliâ in ſententiâ eſt Borrichius, qvi Philoſophum Alexandrinum Chemicum alium à Thebano illo facit. Illum eſſe Chriſtianum ait; hunc Ethnicum; nam gentili religioni addictum vocat Photius; ſed Chimicum illum Chriſtianum eſſe, loco ex ejus ſcriptis adducto, probat Borrichius: qvem ante Conſtantini M. tempora vixiſſe non contemnendis ſuſpicionibus oſtendit.

Nihil ergo certi definiri poteſt, qvo tempore vixerit Olympiodorus. Certum tamen eſt, non vixiſſe extremis Græciæ temporibus, qvod volebat Salmaſius: poſt Zoſimum tamen, Chimicum ſcilicet illum. * Nam, qvod attinet ad illum locum, 47
qvem Philippus Labbeus, notis ad Eclogas Photii de Olympiodoro, qvæ Corpori Hiſtoriæ Bizantinæ inſertæ ſunt, è Zoſimi hiſtoriarum libro 5. profert, qvo Zoſimus Olympiodori hiſtoriam citat, is ſatis benè expediri poteſt. Locus ita habet, Leunclavio interprete: *Hinc ad Ravennam (ea metropolis eſt Flaminiæ, priſca ſanè civitas, colonia Theſſalorum, Rhene dicta, qvod eam aqvæ ab omni parte circumfluant; non autem propterea, velut Olympiodorus ille Thebanus ait, qvod Remus Romuli frater hujus urbis conditor fuerit: Hoc enim Qvadrato relinqvere debuerat, qvi de hâc urbe in hiſtoriâ Imperatoris Marci id commemoravit) ad Ravennam igitur hanc &c.* Non probo Lambecii ſententiam, qvi non ſolvit hunc nodum, ſed Alexandri 48
gladio ſecat. Operosè enim probare nititur, totam hanc parentheſin ſcholion eſſe anonymi cujusdam Grammatici, ideoqve delendum. Non opus, me qvidem judice, tanto apparatu erat, & fruſtra hic in ſimpulo fluctus movet Lambecius. Qvare enim Zoſimus Olympiodorum teſtem vocare non poſſit, qvi eodem tempore vixerit & ſcripſerit? Nam ſanè Olympiodori librum legere vivus Zoſimus potuit, atqve ex eo qvædam adducere; Qvod ab aliis ſæpè factum vidimus.

Qvæ *Cleopatræ* tribuuntur, ars auri faciendi, ænigmaticis characteribus ſcripta, 49
& de ponderibus & menſuris excerpta, incertæ fidei viſa ſunt: cetera libri hujus poſtremi è Geoponicorum veterum libro deſcripta: extremum ejus ſchediaſmatis à recentiori aliqvo Græculo aſſutum, ut oſtendunt voculæ illæ *μόδης, κȣμȣλος,* qvas vetus Græcia ignorat. Stephanus tamen Cleopatræ cum Oſtane colloqvium adducit: Qvæ per temporum rationem conſiſtere non poſſunt; niſi fortè qvemvis alium ejus nominis, qvam Oſtanem, vel primum vel ſecundum, fingamus, aut fortè Oſtanes ſecundus arte ſuâ tam longævum ſe fecerit. Extat tamen in Regia Bibliotheca Pariſ. liber Comarii Philoſophi Sacerdotis, qvi docuit Cleopatram divinam artem. De qvo nihil omnino dicere poſſumus, genuinus, an ſuppoſititius liber ſit.
* Similis farinæ ſunt, qvas è Bibliotheca Goldaſti in inſigne Priapejorum ſuorum 50

ornamentum, digniſſimum ſanè hac patellâ operculum, Scioppius producit; Cleopatræ, Antonii, & Q. Sorani Medici epiſtolæ mutuæ, qvibus de libidine Cleopatræ, eâqve per artem medicam frenandâ, agitur. Franciſcus Philelphus *lib. 6. Epiſt. ad Philippum Medicum*, easdem ſubinnuere epiſtolas videtur, cum ſcribit: *Memini, cum nuper eſſes Mediolani, vidiſſe apud te vetuſtiſſimum qvendam codicem, qvi Medicorum plurium ſcripta complecteretur, ut Cornelii Celſi, & utriusqve Somni, & Apulei & Democriti, & qvarundam etiam mulierum.* Extat & Heraclii Imperatoris epiſtola, *qvâ ad Sophoclem vel Saphoclum Philoſophum ſcribit pro expoſitione libri inventi ad caput Cleopatræ Reginæ in ſuo ſepulchro.* Hæc enim elegans eſt Epiſtolæ inſcriptio, ab homine barbaro fortaſſis addita; ac reſpondet illi Sophocles Sophiſta, characteres occultæ ſcripturæ interpretans de fœcunditate parandâ: niſi fefellerit Heraclium Chemicos Characteres de rebus vulgaribus exponens; modo vera ſint, qvæ in epiſtolâ illâ ſcribuntur. Habet & Moriſotus *Cent.* 1. *Epiſt.* 34. illas epiſtolas, qvi tamen alias hic affert explicationes. Antonii epiſtolæ adeo nihil ætatis illius ſapiunt: Commendat tamen Scioppius, neqve invidere tam egregium κειμήλιον viris doctis voluit, *Fictitiorum licet ſint illa*, ait, *autorum, multum tamen facere ad veterum qvorundam loca intelligenda, Petronii, Martialis & aliorum, domi doctus, didici.* Ille ſcilicet magiſter didicit, diſcant jam *virtutem ex illo pueri verumqve laborem.*

51 Extat in codice Altenburgenſi amplius *Michaelis Pſelli*, notiſſimi Philoſophi, qvi A. C. 1080. vixit, *epiſtola* ad Patriarcham Xiphilinum de eodem argumento, qvæ & in Latinam linguam converſa extat. Fuit vir doctiſſimus Pſellus, ejusqve multa ſunt ἀνέκδοτα, notavitqve in Bibliothecis paſſim latitantia Poſſevinus. Illum reconditis artibus fuiſſe deditum, arguit liber ejus de Dæmonibus, qvem cum commentario

52 doctiſſimo edidit Gaulminus. * Sunt porro in codice Altenb. Agathodæmonis & Hermetis Trismegiſti fragmenta, Philippi cujusdam tinctura æris Perſici, qvem Lambecius exiſtimat Chryſoſtomi presbyterum, Moyſis Prophetæ & Legislatoris Judæorum ſcriptum ſuppoſititium. Non enim negari poteſt, impoſturas etiam in hoc argumento fuiſſe, ut autores celebres & antiqvi ſcriptis lucri cauſa præponerentur: Qvod, notante Reineſio, tùm freqventatum maximè fuit, cum inter Reges Ægypti, Alexandriæ & Pergami, ſtudium & æmulatio conqvirendorum librorum maximè ferveret. Cum enim antiqviorum ſcripta præ aliis expeterentur, eorum nominibus librarii abuſi fuerunt, ut eò cariùs venderent: Qvod & Galenus ſibi vivo accidiſſe conqveritur.

53 *Anonymi* plures ſunt tum in codice Altenburgenſi, tum Vindobonenſi & Pariſienſi, ut, de aqvâ divinâ dealbationis Anonymi Chriſtiani experimenta Chimica: Anonymi Chriſtiani varia capita Chimica: Anonymi capita duo de aqvâ divinâ. Anonymi Chriſtiani Myſteria Chimica: Anonymi veteris arcana duo Chimica: Anonymi varia ſecreta Chimica: Anonymi Chriſtiani liber Chimicus ad Sergium de aqvâ divinâ. Ubi notandum eſt, nulla ſcripta magis eſſe mutilata, qvam qvæ de divinâ aqvâ agunt, cum illa inter μυςικώτατα hujus artis ſit. In Pariſienſi codice, qvæ notavit Labbeus in Novâ Bibliothecâ MStorum

rum librorum, hæc ſunt. In codice Altenburgenſi non exſtantia ſunt, Comarii de Lap. Phil. ad Cleopatram: Orphei fragmenta qvædam: Coſmæ Hieromonachi de Chryſopœia: Nicephori Blemmidæ de auro conficiendo: Petri Theodorici de methodo alchymiæ: Joannis Archiſacerdotis liber: Sopharis in Perſide Tractatus; Platonis, Ariſtotelis, Porphyrii, Claudiani, Sergii libelli. * Eos libros omnes edere 54
in animo habuit Leo Allatius, una cum ſuis eâ de re tractatulis, referente Labbeo, votumqve hoc addente: *Utinam tandem aliqvando, tam ſæpe promiſſus, tamdiu exſpectatus, nobiliſſimus tanti viri fœtus faventem ſentiat alicubi Lucinam!* Lexicon qvoqve Chimicum codici Altenburgenſi additur, ſed recentius, ante 270. circiter annos ſcriptum, in qvo multa corrupta & confuſa. Sed de his omnibus ſcriptis ita Labbeus part. 4. MStorum, p. 129. *Eorum operum pleraqve perierunt, nonnulla adhuc cum blattis tineisqve in ſitu ac pulvere luctantur in veteribus membranis Francicarum Italicarumqve Bibliothecarum, qvemadmodum de Pariſienſibus ipſi nos oculati teſtes ſumus.* Hoc eſt, qvod Heraclitus & Theophraſtus dixerunt, per ἀπιςίαν, arrogantiam & contemptum multas res præclaras ignorari. * Annon ſatius eſſet, his potius naturæ theſauris 55
operam impendere, qvam rebus frivolis? Juſta hæc eſt Borrichii qverela: *Si mediam partem illius temporis, qvod Solino impendit Salmaſius, ſcriptori in pluribus fabuloſo, ut qvo ſine jacturâ inſigni carere res literaria potuit, impendiſſet reſtituendis emendandisqve Chemicis antiqvis Græcis; ſi Scioppius bonas horas Priapejis corrigendis inſumptas; ſi alii otium, qvod in neqvitiis Martialis Petroniiqve expiſcandis collocavere, huc vertiſſent, jam Græca illa Chemicorum dictio venuſtâ & à maculis liberâ facie orbem eruditorum illuſtraret.* Vellem ego hunc laborem nunc ſuſciperet ipſe πολυμαθέςατος Borrichius, vel qvi nuper præclaro aliqvo ſpecimine præluſit Jacobus Tollius, non variâ tantum doctrinâ, ſed & ipſis Chemiæ experimentis ſpectatus. (cc)

Longum ac propemodum infinitum eſſet, ſi ejus generis Scriptores recentiores 56
hic recenſeremus. De multis in diſſertatione peculiari egi, qvæ ſuper hoc argumento legi poteſt. Vidi apud amicum ultra 1500. Autores veteres & recentiores. Extant in Bibliothecâ Iſaaci Voſſii multa ejus argumenti. In Bibliothecâ Cæſarea libri Chimici à Lullio ſcripti ἀνέκδοτοι ultra C. latitant. Rogeri Baconis in Bibliothecis Franciſcanis per Angliam multi ἀνέκδοτοι Chimici & mathematici, teſte Antonio Wood *in Hiſt. Acad. Oxon.*, incomparabili naturalis ſcientiæ damno perierunt. * Rabbinorum 57
antiqvorum magnum in his rebus ſtudium fuit, qvorum præclara monumenta Illuſtris Cabalæ denudatæ Editor, Vir in omni non civili tantùm doctrina, qvam non in umbra, ſed in luce ipſa conſiliis & actionibus profitetur; ſed & humaniori & ſolidiſſima rerum naturalium ſcientiâ ſubactus & exercitatiſſimus nuper publicavit. Venit & ad manus meas, Collegæ honoratiſſimi, I. L. Hannemanni, beneficio, *Mezahab* Epiſtola *de variis*

(cc) Poëtarum Græcorum Chymicorum Editionem, & Ol. Borrichius (narrante Thoma Bartholino *in Diſſ. de Medicis Poëtis p.* 103.) & Jac. Tollius (*teſtibus Pet. Balii Novellis Reip. Liter. M. Nov. A.* 1688. *p.* 1279.) eſt molitus, neuter autem, ob fata immatura, in lucem proferre potuit.

variis auri generibus, ex ſenſu artis ſcripta. (*dd*) Imaginum Hieroglyphicarum, per varia Orbis Europæi monaſteria, Templa, magna eſt copia. Et qvis hæc omnia aliqvot pagellis percenſeat? Erit fortaſſis plenior alibi de his dicendi locus.

CAP. XII.

DE EO, QVOD IN DISCIPLINIS DIVINUM EST, EXCURSUS.

§. 1. *Occaſio hujus Excurſus.* 2. *In Methodo ipſa diſcendi aliqvid* θεῖον. 3. *Singularis ars* ὠκυμαθείας *ab Agrippa propoſita.* 4. *Periodi artium & inventorum.* 5. Τὸ θεῖον *in literis,* 6. *nominibus.* 7. *Linguarum concentus.* 8. *Linguæ peregrinæ Hominum ſpiritu obſeſſorum.* 9. Τὸ θεῖον *oratorium.* 10. *Singularis impetus.* 11. *Exemplum Franciſcani.* 12. *Furor Poëtarum.* 13. *Poëtæ illiterati & extemporalis memorabilia exempla.* 14. *Divinum in Muſicâ & Poëſi.* 15. 16. Τὸ θεῖον *in Philoſophia, Phyſicis.* 17. *Ad res viliſſimas cæcutimus.* 18. *Principium aliqvod in naturâ* ἄγνωστον. 19. Τὸ θεῖον *in Numeris.* 20. 21. *Vaticinatio per numerum Septenarium.* 22. Θεῖον *in Geometria,* 23. *Optica.* 24. *In ſingulis diſciplinis qvædam* θαυμαστά. 25. *Dei reſervata.* 26. *Prænotio futurorum,* 27. *Arcanum Phyſicum, & Cognitio temporum.* 28. Τὸ θεῖον *in Medicina, Medicis & morbis.* 29. Τὸ θεῖον *in Moralibus.* 30. *Virtus Heroica.* 31. *Impulſus divini.* 32. Τὸ θεῖον *in Politicis, in Rebuspublicis.* 33. *Fata imperiorum.* 34. *Principum miracula.* 35. *Dei directio circa eorum actiones, variosqve caſus.* 36. Τὸ θεῖον *Geographicum in detegendis regionibus.* 37. Τὸ θεῖον *Hiſtoriæ.* 38. *Providentiæ divinæ ſpeculum.*

Cum

(*dd*) Circa ***Mezahabi*** ætatem, nimius Chymiæ Amor (uti ***P. II. Iſagoges ad Hiſt. Cimbr. c. 5, §. 2, p. 96,*** jam eſt monitum) Morhofio impoſuit. Scriptor enim iſte ***Epiſtolæ de Auro Potabili*** ψευδώνυμος, Larvam Nominis Proprii ***Mezahab*** (& Cognomini ſuo affinis, & Argumento Epiſtolæ, ſi Etymon ſpectes Hebræum, congrui) e Gen. XXXVI. 39. mutuatus, non Rabbinus fuit Antiqvus, ſed Medicus noſtræ ætatis Judæus, ***Benjamin Muſſaphia***, Med. D. & Practicus Hamburgenſis, Glückſtadienſis atqve Amſtelodamenſis, A. 1674, æt. 69, defunctus. Is Epiſtolam hanc Hebræo-Latinam (qva Veteribus Hebræis, æviqve Seqvioris Rabbinis, Auri Potabilis Cognitionem, & Chymiæ arcanioris peritiam, ê S. Lit., aliisqve Gentis ſuæ Monumentis, aſſerere conatur), ſeorſim initio, ſub Larva iſta, deinde autem, vero nomine præfixo, una cum ***Sententiis Sacro-Medicis, ex toto V. T. collectis***, Hamburgi A. 1640. in 8vo edidit. Solus Textus ejusdem Latinus, prolixo & verboſo Joh. Lud. Hannemanni oneratus Commentario, hujus ***Ovo***, qvod vocat, ***Hermetico-Paracelſico-Triſmegiſto***, ſive ***Tractatui de Auro***. Francof. A. 1694. ***in 8vo*** excuſo, eſt præfixus, adjecta etiam Appendice pro Loco hoc Morhofiano Apologetica, ſed tali, qvæ nihil ſolidi affert, ac proinde, in re præſertim adeo manifeſta, reſponſum haud meretur.

Cum hæc ſcriberemus de Philoſophiæ myſteriis, celebrabamus ejus diei in Eccle- 1
ſiâ anniverſaria ſacra, qvo ſupremus omnis ſapientiæ diſpenſator, optimus maxi-
mus artium Magiſter Spiritus S., ut ſemper per totum terrarum orbem opes ſuas
diſſeminavit, ita tunc viſibili ſpecie univerſas in Apoſtolos effudit. Unde in
ſacram hanc meditationem abrepti ſumus: ut nulla eſt, qvæ non ex hoc fonte inexhau-
ſto promanat ſcientia, ita nullam eſſe ex toto diſciplinarum orbe, qvæ non divinum il-
lum characterem circumferat. Qvare *τὸ θεῖον*, qvod in diſciplinis eſt, *ἀκρόαμα* hoc
loco non indignum, hîc proponemus. (*ee*) Nemo paulum ſagacior eſt, cui illud non
ſuboleat; qvi non ſuſpicione ſaltem & conjecturâ aliqvâ attingat. Scilicet, ut Vulpes
in fabulis, ſcientias tractamus. Illa pultem vitro incluſam cum ligurire non poſſet, ſu-
perficiem tamen lambit. Pellucet ilud, qvod in ſcientiis divinum eſt: ſed qvoniam in
ſuperficie ſemper hæremus; qvoniam inani illo ac vitreo opinionum ſplendore nos
oblectamus, nunqvam pectus ſaturamus, nunqvam ad fundum rerum penetrare poſſu-
mus. Nimis immerſi ſumus nobis ipſis & turbæ opinionum variarum. Qvod ſi ani-
mum paululùm in ſe revocaremus, Deoqve permitteremus, & ſimpliciſſimos naturæ in-
tueremur progreſſus, expeditior eſſet ad veritatem via, & divinæ menti noſtram arctius
jungeremus.

In ipſo illo *τῆς ἐπιστήμης τρόπῳ*, in rerum apprehenſione, qvæ non divina ſæpe 2
animadvertimus veſtigia! Sunt, qvi fulmineâ ingenii vi omnia perrumpunt, qvorum
animus in ſpecula poſitus uno qvaſi intuitu omnia ſimul comprehendit: Qvaſi non ſen-
ſuum miniſterio, non Syllogiſmorum apparatu ad intelligendas res indigerent, ſed ge-
niorum inſtar omnia pervaderent qvaſi & abſorberent. Ita qvæ tardiùs aſſeqvuntur
alii, longisqve præceptionibus circumducti, illi qvaſi volatu uno transmittunt, omniaqve
præcipere ipſi videntur. Vidimus ad certas diſciplinas qvosdam qvaſi divinitus inci-
tatos, ea in his confeciſſe ſpatia, ut in prodigium illa res traheretur. Fuere ad varias
artes liberales, mechanicas, ſtatuariam, graphicam, poëſin, matheſin, chirurgiam, qvaſi à
natura facti: ut nullis uſi doctoribus, ipſi aliàs ſimplices, plebeji ruſtici, non rarò etiam
oculorum ac linguæ uſu deſtituti, ipſos in illis rebus artifices ſuperarent. Qvin & va-
ticinandi qvibusdam inſtinctum adeò efficacem fuiſſe accepimus, ut mera oracula fun-
dere viderentur: Qvæ omnia poteſtatem humanâ majorem & *τὸ θεῖον* in ipſa etiam di-
ſcendi methodo declarant. * Teſtatur qvidem alicubi Cornelius Agrippa: *eſſe ar-* 3
*tem qvandam ſed pauciſſimis cognitam, ita informandi exornandi & illuſtrandi fidelem
& purum hominis animum, ut ex ignorantiæ tenebris repentè ad ſapientiæ & doctrina-
rum lumen evehatur: è contrario vero aliam facultatem immundos atqve incredulos,
reconditis qvibusdam arcanis, eodem ſapientiæ & doctrinarum dono rurſus exuendi, &
priſtinæ ſuæ ignorantiæ reſtituendi.* Qvam ſi ille alios artem docere potuiſſet, magnus
ille nobis Apollo fuiſſet. Nos eam rectiùs ab ipſo illo artium omnium Parente Pan-

(*ee*) Παρέκβασις hæc de τῷ θείῳ in Scientiis ſingulis, Feſto Pentecoſtes A. 1687, Kilonii, peculiari Programmate Academico, publico nomine conſcripto, ab Autore eſt propoſita, & inde, Verbis iisdem, huc tranſlata.

ſopho, Sancto Spiritu, qvi ſuper Apoſtolorum capita ſe effudit, veri illo Duce ὠκυμαθεῖς &
4 θεοδίδακτοι, didicerimus. * Cui non deprehenduntur certæ in artibus inventis perio-
di & revolutiones? Noſtra ſecula divinum Typographiæ beneficium habuerunt, qvod
ab omni ævo fatali qvodam ſigillo abſconditum fuit. Illa pulveris pyrii ars qvoqve
nunc in lucem prodiit, qvaſi orbis extremo incendio præluderet.
5 Veniamus ad ipſas *artes & ſcientias*, & qvid in illis θεῖον videri poſſit, rime-
mur. Conſideamus primùm in puerorum ſubſelliis, atqve inter ipſos ἀναλφαβήτους
nos teneamus, ibiqve literas ſyllabasqve aucupemur. Magnum in his miraculum eſt.
Qvot habemus artes, diſciplinas, volumina, ex paucis his elementis nata omnia vide-
mus. Eſt præterea philoſophia qvædam Alphabetaria, qvæ non pueros, ſed magnos
profectò doctores exerceat. Notas literarum, ſingulis gentibus familiares, videamus;
ſcribendi rationem modumqve perpendamus; & primas illis animi, indolis, ideas im-
preſſas deprehendemus. Ac optandum ſanè eſſet, omnium populorum nobis characte-
res fuiſſe ſervatos: ita vel ex eorum collatione mutuâ multa abſtruſa inveſtigaremus.
Qvemadmodum ex punctis, lineis, circulis omnis producitur qvantitas, atqve ipſa cor-
porum habitudo in iis fundatur: ita ex his characteribus, eorum ſimplicitate, poſitu,
ductu, animi qvædam indoles, è convenientia qvædam qvaſi migrationes elucent.
Prima mentis porta verbum & ſcriptura eſt, qvâ ſe in aurium oculorumqve ſenſus in-
gerit. In ipſis literis divinum qvid latere vel ex eo agnoſcimus, qvod acceſſione literæ
6 *He* Abramo divina virtus inſpirata videbatur. * Qvanta ſunt in nomine Tetra-
grammato myſteria! qvæ integris libris non evolvunt Cabaliſtæ. Multa de ſacris no-
minibus Judæi nobis narrant, qvibus mirificam illi potentiam tribuunt. Ipſe Dei Fi-
lius, æternus ille λόγος, verbi nomine vocatur, de qvo Reuchlinus mira è Cabaliſticis
libris nos docet. Qvanta Cabalæ illius literariæ myſteria ſint, ii norunt, qvi ſacris
illis ſunt initiati: qvibus magna volumina qvidam impleverunt. Longa eſt Jambli-
chi in libro *de myſteriis Ægyptiorum, ſect. 7. c. 4. & 5.* de divinis nominibus, eorum
ſignificationibus, diſputatio. Mentionem facit Jacobus Sponius in accuratiſſimo ſuo
Itinerario lib. 2. pag. 53. cujusdam Ægyptii *Check-Bouni*, qvi *de virtute Verbi divini &
humani* mirabilem librum ſcripſerit, in qvo per varias linearum vocumqve figuras,
perqve literarum μεταθέσιν multa curioſa deducat. Sunt qvi è nominibus & litera-
rum numeris ita vaticinantur, ut raro fallant. Notarunt nonnulli infauſtorum nomi-
num impoſitione fortunam hominum labefactari, eorum immutatione qvoqve immu-
tari. Qvidam è tetriticis nominibus, qvos reos criminis ſuſpicati ſunt, tales quæſtione
inſtituta deprehenderunt. Ne qvid de iis dicamus, qvi verbis morbos curant, *Saluta-
tores* dicti. Qvæ omnia cum ad ſuperſtitionem ſpectare videantur, procul ab his ſa-
7 cris abeſſe jubemus. * Mirabilis eſt ille linguarum diverſarum concentus, per
qvas ſparſa primæ linguæ veſtigia, ut θεῖον aliqvid, non vanâ hariolatione venari poſ-
8 ſumus. * Vidimus ſpiritu aliqvo agitatos ignotas ſibi linguas loqvi: qvod qvan-
qvam Huartus ad ſingulare temperamentum; alii ad morbum melancholicum; Pom-
ponatius, ne qvid potentiæ ultra naturam debere videatur, more ſuo, in libro *de In-*
cantat.

tantat. ad ſiderum influxus refert; abſurda tamen illa & παράδοξα ſunt, cum impu-
rus ille & κακόζηλος Spiritus in illis hominibus agat, qvod in Apoſtolis Spiritus San-
ctus, qvi omnibus linguis τὰ μεγαλεῖα τοῦ θεοῦ deprædicabant. In illis aliqvid δαι-
μόνιον, ut in his θεῖον fuit.

E *Grammaticorum* Ludo ad *Oratores* tranſeamus. Qvis non in illis aliqvid 9
divini agnoſcat? Neqve enim artem hanc è Sophiſtarum palæſtris natam exiſtimemus.
Majus qvid in illâ elucet, erectum, glorioſum, qvod ipſos animos expugnet, præcla-
rumqve rebus divinis ſuppeditet inſtrumentum. Non ſunt è Magiſtris hominibus
æſtimandæ artes: divinæ illæ ſunt, æternæ, atqve ex eodem fonte derivatæ, unde olim
in Apoſtolorum animos effundebantur: etſi hæ omnibus numeris abſolutæ. Præce-
pta qvæ à Magiſtris ſucceſſu ſeculorum congeſta ſunt, veritati & naturæ conformia,
hos natales loqvuntur. Qvare ad divinos uſus adhibeamus, qvæ divina ſunt, & qvæ
è veritatis qvaſi utero obſtetricias manus admoventes Magiſtri in lucem protulere.
* Verum illud eloqventiæ ὕψος in ſpiritu & impetu eſt. Agnovit hoc è gentilibus 10
philoſophis Seneca, qvi in libro de tranqvillitate cap. ult. *Non poteſt grande aliqvid
& ſupra ceteros loqvi, niſi mota mens. Cum vulgaria & ſolita contemſit, inſtinctuqve
ſacro ſurrexit excelſior; tunc demum aliqvid cecinit grandius ore mortali. Non poteſt
ſublime qvicqvam & in arduo poſitum contingere, qvam diu apud ſe eſt. Deſciſcat
oportet à ſolito, & efferatur, & mordeat frenos, & rectorem rapiat ſuum, eoqve ferat, qvo
per ſe timuiſſet aſcendere.* Hoc eſt illud in Oratione, qvod Ariſtides vocat τὸ πῦρ:
λόγων αὐτὴ πηγὴ μία, τὸ ὡς ἀληθῶς ἱερὸν καὶ θεῖον πῦρ, τὸ ἐκ Διός ἐστιν. Hippocra-
tes, cui Deus ipſe τὸ θερμὸν ἀθάνατον, illud qvod in homine ἡγεμονικὸν eſt, vocat τὸ
θερμότατον καὶ ἰσχυρότατον πῦρ. Cicero ſic latinè exprimit: *Nulla me ingenii, ſed
magna vis animi inflammat, ut me ipſe non teneam.* Iſtud in Joanne θερμὸν, iſtud
Θεῖον πῦρ antiqvi Theologi obſervarunt: qvibus ille υἱὸς βροντῆς, βροντόφωνος &
βροντόπαις, ob incomparabilem & ſublimem eloqventiam, dictus fuit. Ex hoc impetu
viſi ſunt Oratores, citra ullam meditationem, ad dicendum proſilire, in extremis peri-
culis, in Reipublicæ neceſſitatibus. Vidimus Oratores ſacros, divino qvaſi ſpiritu du-
ctos, extemporali eloqventiâ plus præſtitiſſe, qvam elaboratis orationibus alios.
* Talem nobis Franciſcanum illum Eraſmus *lib.* 14. *Epiſt.* 15. depingit, cujus memo- 11
rabile exemplum ab omnibus legi meretur. *Rogatus*, inqvit Eraſmus, *à me familia-
riter, qvibus modis præpararet animum ſuum iturus ad concionandum: Reſpondit, ſe ſo-
litum in manus ſumere Paulum, & in ejus lectione tam diu commorari, donec ſentiret in-
caleſcere pectus. Illic hærebat addens igneas ad Deum preces, donec admoneretur eſſe
tempus incipiendi. Nonnunqvam ſepties concionabatur uno die, nec unqvam illi deerat
ſermonis eruditi copia.* Digniſſima lectu eſt tota hæc de illo Viro Epiſtola, qvæ Ide-
am prudentis piiqve Theologi in ejus vitâ depingit. Miraculum aliqvod iſtius tem-
poris dixeris.

Poëtas qvi non humanâ, ſed Deorum linguâ, loqvi dixit, aliqvid homine majus 12
in illis agnovit: ſcilicet τό θεῖον, qvod adeo in his ſtudiis dominatur, ut ſine ἐνθουσια-

σμῷ illa jaceant frigeantqve: Qvare & Vates dicuntur, ſeqve ipſos ἐνθουσιαζομένους profitentur. Qvis non de furore Poëtarum tàm apud Poëtas ipſos, qvàm alios legit? Sed illum divinum nominabat Plato, ſuntqve qvi peculiaribus eâ de re libris agunt. Divinus ille maximè furor, cum in hymnos divinos fertur. Plato in Dialogo, qvi inſcribitur Ἴων ſive περὶ Ἰλιάδος, Poëſin omnem ab inſpiratione eſſe contendit. ὁ θεὸς inqvit, αὐτός ἐστιν ὁ λέγων, διὰ τούτων δὲ φθέγγεται πρὸς ἡμᾶς. *Deus ipſe eſt, qvi per illos loqvitur, & nos inclamat.* Et ibidem: ἐν τούτῳ γὰρ δὲ μάλιστα δοκεῖ ὁ θεός ἐνδείξασθαι ἡμῖν, ἵνα μὴ διστάζωμεν, ὅτι οὐκ ἀνθρώπινά ἐστι. *In hoc maximè Deus oſtendiſſe videtur, nobis diſputandum non eſſe, qvia divina potius qvam humana ſint hæc poëmata.* Hoc, inqvit, Deus eo indicare voluit, cum de induſtria per ineptiſſimum poëtam pulcherrimam cecinit melodiam. Qvare non ineptè hic Plato annulorum magnetis contactu cohærentium exemplo hunc, à divino ſpiritu per alios poëtas propa-
13 gatum, afflatum nobis ob oculos poſuit. * Memorabile in homine ruſtico Italo exemplum ætas noſtra tulit, qvi nullis præceptis imbutus, cum legeret Torqvati Taſſi carmina, qvaſi ſpiritu qvodam afflatus elegantiſſima ſine morâ fudit carmina, qvæ vel ipſos artifices in pudorem conjicerent. *Joannes Dominicus Perus* ille vocabatur, qvi nullis promiſſis, utut ampliſſimis, à Principibus permoveri potuit, ut ruſticis ſordibus relictis in aulas & urbes concederet: beneficiis tamen plurimis affectus à multis fuit. Vivis illum coloribus J. N. Erythræus deſcribit *Pinacothec. II. n.* 27. Vidit Patavina cathedra ante non multos annos Fr. Macedum, Virum omnibus doctrinis & ſcientiis conſummatum, ex tempore de argumentis propoſitis latina recitantem Carmina, eaqve elegantiſſima, atq; omni apparatu poëtico inſtructa: qvæ cultiſſimi alii Poëtæ longâ me-
14 ditatione vix extunderent. * Poëſi affinis eſt *Muſica*, qvæ ſonos moderatur, affectus incutit, incuſſos mulcet, animosqve qvo vult rapit. Eſt ſane in ſonis aliqvid θεῖον, ut ad illorum contemperationem, mirabilem ſanè & myſteriis plenam, totius univerſi menſuram veteres Philoſophi inierint: Qvos ubi numeris ſuis Poëta ſcitè & rectè illigaverit, penè ad Orphica miracula patranda aptum dixeris. De divino illo, qvod in Muſica eſt, præclarè Jamblich. *Libr. de Myſteriis Ægypt. ſect.* 3. *c.* 9. philoſophatur.

15 *Philoſophia*, qvæ in contemplatione rerum conſiſtit, eo ipſo nomine divini qvid inferre videtur: qvid enim eſt θεωρεῖν, niſi à ſenſibilibus animum ad τὰ ἀόρατα abdu-
16 cere? * Hìc principem locum naturalis philoſophia tenet; In qvâ omnia à ſublimiore principio arceſſenda ſunt, qvam vulgo fit. Pecora ſunt & fungi, qvi in naturæ operibus ubiqve præſentem DEI manum non ſentiunt. Stupida eſt atqve iners natura, ſi ab illo diſceſſerit. Nullo vinculo illa continetur, niſi ille nodos ſtrinxerit. Qvod cum agnoſcerent gentium Philoſophi & Poëtæ, qvi *Jovis omnia plena* ajebant; qvis credat nunc reperiri homines, qvi rectore deſtitutam ſibi ipſi hanc machinam permittant? Plus eſt miraculorum in naturâ qvàm vulgò credimus. Qvò oculos
17 vertimus, qvò pedem movemus, in illa incurrimus. * Vel in minimo inſecto divinam manum deprehendimus. Omnis illa corporum membrorumqve compoſitio, illa

illa univerſi omniumqve animalium admirabilis fabrica, intelligentiam & mentem operatricem arguit. Providentia ex omnibus elucet. Vel Talpam videas: omnia in illa ad ſuos uſus comparata, oculi, aures, ungues, membra omnia. Qvod cum perpenderet Cardanus, mirè alioqvin miſereqve in illis, *qvæ Spiritus ſunt* fluctuans, ac Talpâ ipsâ interdum cæcior, hic tamen vel à Talpâ oculos viſumqve recipit, cum in hunc qvaſi ἐνθουσιασμὸν prorumpit: *Palam eſt igitur, naturam in cunctis ſollicitam mirum in modum fuiſſe, nec obiter, ſed ex ſententia, omnia prævidiſſe, hominesqve, qvibus hoc beneficium Deus largitus eſt, ut cauſam rerum primam inveniant, participes eſſe illius primæ naturæ: neqve alterius eſſe generis naturam, qvæ hæc conſtituit, ab illorum mente, qvi cauſam eorum, cur ita facta ſint, plenè aſſeqvi potuerunt.* Felices igitur meritò vocat Virgilius, qvi rerum cognoſcere cauſas potuerunt. Sed qvot illorum ſunt, qvi cognoſcunt? In nebulis toti verſamur. Cum Athenienſes verum Dei cultum ignorarent, τῷ ἀγνώστῳ θεῷ aram poſuere. * Nil temerè nos dicemus, ſi omnia 18
ignorare nos dicamus. Expedire in ipſis principiis nihil poſſumus, niſi ad ἄγνωστον aliqvod & incognitum refugiamus. Rident Lyncei noſtri eos, qvi ad Qvalitates occultas confugiunt. O boni, neſcitis qvam vos in ipſis demonſtratiunculis veſtris nihil ſciatis! At vero, dicitis, in ipſis minutiis naturam recognoſcimus, in particulas oblongas, ramoſas, globoſas reſolvimus: nihil oculos noſtros perſpicillis armatos effugiet. Sed nihilo tamen ſapientiores per vos facti ſumus. Qvamdiu rerum miſtiones ignoramus, nihil omninò novimus. Propiora illa potius prenſanda ſunt, qvàm remotiora. In illis habitat natura, moratur, palpatur: In his diſperſa eſt, & à ſenſibus recedit. Ita plerumqve comparatus eſt hominum animus: *Transfugit in medio poſita & fugientia captat.* Si culta aliqva & elaborata cui offeratur oratio, isqve in illâ artificium indagaturus ſit; Qvis propiùs ſcopum feriret? illene qvi literas & ſyllabas numeraret; an verò qvi in partes ſuas, qvibus proximè componitur, in enthymemata, in ſchemata, diſſolveret? Nullum eſt in rerum natura Φαινόμενον, qvod expedire feliciter poſſumus. Vertamus in omnes partes, ſecemus in particulas, plusqvam κυμινοπρίσται, hærebimus ſemper, & tandem in incognito aliqvo nobis ſubſiſtendum erit. Qvod cum videret Henricus Morus, Philoſophus Anglus, Principium aliqvod Hylarchicum commentus eſt; alii alia κρησφύγετα qvæſiverunt. Ac ſane θεῖον hîc aliqvod ſubeſt, verum illud ἡγεμονικὸν, qvod impellit, movet, dirigit, jungit, format corpora: qvo ignorato, omnia nobis ignorari neceſſe eſt. Videamus admirabilem illam rerum γένεσιν. Omnia myſteriis plena ſunt. Ipſa illa rerum ſemina divina manu in puncto aliqvo & centro obſignata videntur, unde qvaſi ex nihili utero procedunt corpora. Nam qvod in ſemine ἐνεργητικὸν eſt, non niſi intelligentiâ comprehenditur: cetera, qvæ oculis videmus, manibusqve palpamus, parum ad corporis compoſitionem conferunt. In Vegetabilibus, ubi è punctulo frutex germinare incipit, cetera concidunt atqve ut rejectanea ſeparantur. Qvæ in formandâ porro corporis machinâ eſt naturæ ſolertia! qvi progreſſus: Qvos ubi attenta mente reſpexerimus, attoniti manus ſæpe tollemus, & mirabilem in operibus ſuis Deum deprædicabimus.

mus. Vidit hoc, qvi tamen omnia in fortuitis poſuit, & ſuis ratiunculis explorare tentavit, cum hos, qvaſi ἐνθουσιασμῷ abreptus, verſus funderet:

Multa tegit ſacro involucro natura, nec ullis
Fas eſt ſcire qvidem mortalibus omnia; multa
Admirare modò, nec non venerare: nec illa
Inqvires, qvæ ſunt arcanis proxima: namqve
In manibus qvæ ſunt, hæc nos vix ſcire putandum eſt.
Eſt procul à nobis adeo præſentia veri.

Nihil nunc de iis dicemus, qvi corporum μεταμορφώσεις, qvi infinitas propemodum multiplicationes inſtituunt; qvod in metallis à naturæ myſtis factum eſt; nihil de corporum magnetiſmis & ſympatheticis affectionibus, qvæ innumeræ in naturâ ſunt, unde omnis illa magia oritur. Sed arcanior illa ſcientia, in omnibus penè gentibus, à ſapientioribus qvibusdam cuſtodita eſt, ne in vulgus efferretur. Huc omnis illa Mythologia, omnia Ægyptiorum Hieroglyphica, tendunt. His enim involucris divini illi theſauri teguntur.

19 In *Mathematicis* porrò ſcientiis qvid non divini eſt? Hîc Numerorum doctrina primùm ſe offert, tota merito divina vocanda. Qvantæ, qvam arcanæ numerorum poteſtates ſint, ne in hunc qvidem diem ſatis cognitum eſt. Qvod cum bene noſſet Pythagoras, non invenit commodiorem rationem, qvâ Philoſophiæ ſuæ ſecreta celaret, & intelligentibus tamen omnia panderet, qvàm ſi numeris ſuis, qvos formales rectè dixeris, abſconderet. Cum enim Numeri nominantur, non intelliguntur niſi naturæ occultæ proportiones, progreſſus, operationes, revolutiones à Deo ipſo definitæ. Qvomodo non difficile admodum eſt omnia divinæ humanæqve ſapientiæ myſteria illis adumbrare. Non credat qvis temerè fieri, ſonos ſeptenario, numeros novenario abſolvi; Atqve hinc per easdem ἀνακυκλώσεις in centenariis & millenariis reduci. Illic abſtruſarum rerum typi latent, atqve iis qvaſi præfigurantur. In qvibus, velut in tenebris palpitant, qvi tamen qvaſi per nebulas vident, Autores, qvorum de numerorum myſteriis integra extant volumina. Ἱστορούμενα tantum illa ſunt, non φιλοσοφούμενα. Radix & qvaſi Pater omnium numerorum Monas eſt. Prima ex illa ſurgit Dyas, qvæ per Triada qvaſi in conſonantiam & unitatem reducitur. Hinc illa Τετράκτυς per qvam, ut rem ſacram, non ſine causâ jurabant Pythagoræi. Qvinarius iisdem τροφὸς, item γάμος dicitur, qvod ex binario & ternario, qvaſi ex femina & mare conflatus ſit. Divinus aliis dicitur. Hinc illa πέμπτη φύσις Ariſtoteli, imo & Platoni & Platonicis celebrata. Alii πέμπτον στοιχεῖον, πέμπτον κόσμον, σχῆμα
20 πέμπτον, ἄριστον στοιχεῖον appellant. * Septenarium omnium μυστικώτατον eſſe
21 nemo neſcit. * Mirabile eſt, qvod de ejus virtute Fluddius in libro de *Microcoſmi hiſtoriâ tr. 1. ſect. 1. lib. 1.* conſignavit: *Ego*, inqvit, *hominem doctiſſimum novi, qvi virtute hujus numeri Septenarii, cujusdam qvaſi oraculi adſiſtentiâ, qvæſtiones dubias atqve ancipites reſolvere non dubitavit, atqve etiam de occultis, tàm præſentibus qvàm fu-*
22 *turis, qvodammodo divinare pollicitus eſt.* * De *Geometria* idem nobis dicendum eſt;

eſt; nam & numerorum rationes lineæ & corpora ſeqvuntur. Qvare & Plato Deo dignum opus habuit, qvem ille ajebat perpetuo γεωμετρεῖν. Circuli & trianguli arcana ne nunc qvidem omnia exhauſta. Qvas non cruces mathematicis illa Circuli qvadratura figit! Et tamen illàm rerum hæc univerſitas qvotidiè nobis ob oculos ponit. Nimirum ut Deus ſummus omnium rerum Architectus eſt, qvi numero pondere & menſura omnia fecit: ita illud ἀρχιτεκτονικὸν rebus inſeruit, qvod iisdem progreſſibus, eàdem motus ſucceſſione, ſemper operatur. Hoc perpetuum illud movens, perpetuumqve mobile eſt: In qvo inveniendo qvàm ſudant Mathematici! * *Optica*, qvæ radium metitur, in ipſa qvidem luce tota occupatur. Sed qvamqvam illa 23
oculis omnium patet, qvamqvam ejus beneficio omnia apprehendimus, ejus tamen naturam, nemo tam oculatus eſt, qvi verè indaget. Annon miraculo propius, & propemodum divinum eſt, per unum punctum omnium rerum ideas cum coloribus ipſis transmitti. Nihil de ſpeculis & teleſcopiis dicemus, qvæ omnia etiam remotiſſima exhibeant: ſunt enim qvi dari illa poſſe exiſtimant: nihil de iis Baptiſtæ Portæ ſpeculis, qvæ rectâ lineâ in infinitum urant. * Nam etſi impugnant illa multi, ratio- 24
nibus qvidem non contemnendis: tamen ut ſunt in omnibus propemodum diſciplinis qvædam θαύμαστὰ, qvæ non capiunt omnes, neqve ſcire intereſt; ita & hîc fortaſſis aliqva ſibi ſummus ille Magiſter reſervavit. * Habet Deus qvædam, ut ita dica- 25
mus, reſervata, ad qvæ non admittuntur, niſi pauci illi, qvos *ardens evexit ad æthera virtus.* * Sunt in illis præcipua: Futurorum prænotio, ſive illa à ſiderum confi- 26
gurationibus, ſive aliunde deducatur: * Summi arcani phyſici cognitio, ac Tempo- 27
rum accuratæ rationes, qvas ille antiqvus dierum ac Pater temporum, arcano conſilio, hominibus voluit eſſe abſconditas; Etſi ſunt nonnunqvam, qvi παρακύψαι in illa, illo connivente, arcana conati ſunt. Verſamur in magnâ illâ Dei familiâ, infantes alii & pueri; alii maturiore in ætate conſtituti: Ubi illis nonnulla ſcire inutile non ſolùm, ſed & periculoſum eſt; Hi verò in domeſtici regiminis ſocietatem nonnunqvam admittuntur, ita tamen, ut occultæ rerum diſpenſationes ad ſolum Patremfamilias ſpectent. Ille è ſingulis ſcientiis aliqvod δαίδαλμα, τέχνημα, magiſterium ſibi ſepoſuit, qvo beat interdum filios; cum cetera illa etiam τοῖς ἔξω concedat.

Qvi *Medicam* artem profitentur, qvotidie illud ſibi Θεῖον propoſitum habent. 28
Sive enim corporis ſtructuram oculis rimantur; nihil in illâ eſt, qvod non opificis ſapientiam loqvatur: ſive cum morbis illis res eſt; tot ſunt illorum formæ & figuræ, tot in illorum cauſis receſſus, ut ſæpè illis in τῷ θείῳ ſubſiſtendum: Qvod & Hippocrates vidit, & integrô librô *Hieron. Jordanus* expoſuit. Teſtantur hoc prodigioſæ, qvas aliqvi congeſſerunt, Hiſtoriæ, & ſuper qvibus Mericus Caſaubonus in libro Anglicâ linguâ ſcripto, *de credulitate & incredulitate in rebus naturalibus, moralibus & civilibus* multa, ipſe tamen ὀλιγόπιστος, disqvirit. Eſt in ipſis remediis θεῖον aliqvid, qvibus, utut efficaciſſimis, ſæpe manum injiciunt fata. Qvædam ab imperitâ & plebeiâ manu exhibita ultra fidem operantur. Vilia ſæpe & contempta graviſſimos & lethales morbos avertunt. Eſt ubi cœli ſiderumqve influxus vires medicamenti auget, ſuſpendit, tollit.

tollit. In medico qvoqve ipſo τὸ θεῖον ſingularis qvædam felicitas adjuncta teſtatur. Eſt in mediocriter doctis illa in indagandis morbis remediisqve applicandis ἐυστοχία, qvæ doctiſſimos interdum deſtituit. Sunt qvi medicâ vi pollent in morbis per tactum curandis. Qvod cum Regibus Galliæ & Angliæ hereditarium credatur munus, fuit tamen in Angliâ *Valentinus Greatreak,* qvi idem felici ſucceſſu fecit, ut ſunt de eâ re multorum fide dignorum hominum perſcripta teſtimonia. Ne qvid de Viris dicamus, qvi precibus à Deo ſalutem ægrotorum impetrarunt.

29 Procedimus ad *Moralem* & *Civilem* doctrinam: Qvæ qvanqvam in negotiis, ab arbitrio hominum pendentibus, conſiſtere videntur, inqve eorum principiis nunc adeò fluctuant nonnulli, ut pleraqve ἐυρίπιστα illis ſint, qvæ ſancta omnibus eſſe debebant; ſunt tamen in illis æterna, divina, inconcuſſa, ad qvæ hominum actiones ordinandæ ſunt, vel ſi illæ evagantur, in ordinem rediguntur, aut eò diriguntur, potentiore manu, qvò divina tendit providentia. Qvoniam verò non niſi agendo virtutes no-

30 bis paramus, in ipſa illa actione τὸ θεῖον ſe maximè oſtendit. * Virtus qvæ Heroica dicitur, divino impulſu excitatur: ac fato ſæpe fieri ſolet, ut ad res magnas gerendas, ad regna firmanda, hoſtes ſubigendos, divinitus animenter homines, incredi-

31 bilia viribusqve humanis majora tentantes. * Hinc illæ apud Hiſtoricos, cum memorabilia facta deſcribunt, voces: *Deo qvodam aſſiduè incitante: qvodam qvaſi inſtinctu Deorum concitatus fecit:* οὐκ ἄνευ θεοῦ, *non ſine* Deo. Ipſas in nobis inclinationes qvas ſentimus, bono aliqvo genio nobis incuſſas credere poſſumus: Qvare nec obniti illis debemus, ſed illorum ductum ſeqvi. Eleganter in hanc rem Plutarchus in vitâ Coriolani: *Homerus in arduis inuſitatisqve rebus, & ad qvas impetu qvodam animi ac furore qvaſi divino opus eſt, Deum proponit: non qvi conſilium noſtrum tollat, ſed moveat, neqve impetus animo indat, ſed viſa & imaginationes objiciat, qvæ impetuum duces ſint; atqve ita ſanè non involuntariam efficit actionem, ſed voluntati initium præbet, eamqve ſpe & confidentiâ confirmat: Aut enim omnino excludendus eſt ab omni principio cauſaqve actionum noſtrarum Deus: aut qvisnam tandem alius ſit modus, qvo hominum ille actiones adjuvet? non enim corpora noſtra effingit, manusqve ad id, qvod facto opus eſt, aut pedes applicat: ſed eam animi partem, qvæ ad agendum eſt deligendumqve nata, principiis qvibusdam & viſis, cogitationibusqve objectis excitat, aut contra avertit & inhibet.* Has in Socrate occultas propenſiones, qvas ille in rerum agendarum conſilium adhibuit, genium illum, de qvo multa Plato aliiqve nobis narrant, fuiſſe Carteſius *part. 1. ep. 15.* exiſtimat. Qvæ non malè dicerentur, niſi ipſa apud Platonem Socratis verba, qvibus vocem emiſiſſe Dæmonium ſignificat, aliud teſtentur. Qvod & Strozzius Cigogna, vel potius Thomas Garzonius (is enim verus autor eſt) in *Magiæ Theatro part. 1. l. 2. c. 2.* adverſus illos affert, qvi dæ-

32 monium Socratis de mente ejus interpretantur. * In Rebuspublicis illæ Politicis celebratæ ἀνακυκλώσεις ab uno ad unum redeunt, pulcherrimâ hujus univerſi & naturæ imagine: Qvod in Rep. Romanâ eleganter demonſtravit Machiavellus. Eas mutationum cauſas rationibus Muſicis & Mathematicis Plato *lib. 8. de LL.* deducit.

* Qvic-

* Qvicqvid in civilibus negotiis etiam moliuntur δωδεκαμήχανοι, & verſuti homines; 33
intercedit eorum conſiliis, ubi minimè exiſtimes, Deus, & ad ſuum arbitrium omnia
componit. Non eſt, qvod hîc ancilia, ampullas, ſecures, palladia cœlitus lapſa, vaſa
Chinenſium ænea Reip. mutationes tinnitu, nullo externo motu incuſſo, prodentia, in
divinitatis probandæ ſubſidium vocemus. De Geniis tutelaribus, præſagiis, prodigiis,
oſtentis, non omnia vana ſunt Hiſtoricorum documenta, qvibus divini aliqvid ſubeſſe
res ipſa loqvitur. In auſpicio Regio qvæ non myſteria qvæſivit Böclerus! De annulo
ex auro, qvod Chriſto Magi obtulerunt, fabrefacto, qvi inter antiqva domus Auſtriacæ
cimelia fuit, Lambecius *Comm. de Bibl. Vindobonenſi Tom. 1. part. 1. lib. 1. pag. 25.*
prodidit, qvod tempore belli inſolito fulgore victoriam portendere viſus ſit: Qvâ de
re ſententiam cuiqve liberam eſſe volumus. * Miracula Principum, qvi deſperato 34
corporis vitio laborantes ſanitati reſtituerunt, an vera an ficta, narrant Hiſtorici: Qvi-
bus etſi fraudes nonnunqvam immiſtæ; tamen vel affectata illa à Principibus divina
ἀξιώματα illius θείου opinionem abeſſe à Republicâ non debere declarant. Legimus
rem Romanam in præcipitio ſtantem fatorum manu ab interitu ſæpe revocatam;
qvoniam orbis imperium Romæ deſtinabatur: Cui Romulus, vel arcano conſilio, vel
magica arte, ut qvibusdam creditur, prælusit, cum in meditullio urbis foſſam, cui
mundi nomen, faciendam curaret, inqve eam à peregrinis particulam terræ patriæ inji-
ciendam imperaret. * Qvoties ab extremo periculo Reges divino qvaſi monitu 35
revocati! victoriæ tempeſtatum & procellarum ſubſidio obtentæ! Genii ipſi in ho-
ſtes pugnare viſi ſunt! Qvibus in rebus qvi nullas Fato partes tribuit, næ is ad omnes
rerum ſenſus obſurduit, aut omnem bonam mentem ejuravit. Infinita cumulare ex
omnium temporum gentiumqve annalibus poteramus, ſi nunc rem illam ageremus.
Utinam Vir rerum Civilium peritiſſimus, Böclerus, qvi *Theatrum Fati* ſcribere voluit,
librum illum abſolviſſet, magnam huic argumento facem accenſam videremus. In
cauſis judicandis ſingularis Principum nonnullorum εὐστοχία, qvæ vel ſapientiſſimorum
JCtorum peritiam antevertit, θεῖον juridicum nobis ob oculos ponit. Ne qvid de di-
vinis in omni gente etiam barbara judiciis hîc dicamus, qvibus explorari reorum, de-
ficientibus teſtimoniis, vel innocentia, vel culpa conſuevit. * In terrarum ac re- 36
gionum cognitione, qvod θεῖον geographicum vocabimus, illud deprehendimus: Certis
temporum periodis, ac fatali qvâdem lege earum notitiam mortalibus recludi, atqve
iterum inſuperabiles navigantibus obices poni, ut vel improbo labore fruſtra qværant.
Anteqvam Hiſpani in Americam Peruvianam venirent, audita è fodinis ad barbaros
operarios vox fuit, qvæ intactos pro peregrino populo theſauros relinqvere juſſit.
Viſæ è longinqvo terræ qvædam, repellentibus ſemper ventis, adiri non poſſunt.
Qvædam etiam, ſi fides itinerariis habenda eſt, detectæ, oculos hominum fugere viden-
tur. * Illius in rebus civilibus θείου ſtatua Mercurialis eſt, & filum qvaſi Ariad- 37
næum præbet *Hiſtoria.* Pulchrè S. Auguſtinus lib. de vera religione cap. 25 *Qvo-
niam divina Providentia non ſolum ſingulis hominibus qvaſi privatim, ſed univerſo ge-
neri humano tanqvam publicè, conſulit: qvid cum ſingulis agatur, Deus ſcit, atqve ipſi,*

cum qvibus agitur, ſciunt; qvid autem agatur in genere humano, per Hiſtoriam commendari voluit & Prophetiam. Verùm, de qvo non ſine cauſa Conringius *lib. de Civ. prudent. cap.* 14. qveritur: *perqvam pauci hiſtorici illam diviniorem cauſam juſta commemoratione proſeqvi ſolent: qvidam de induſtria hoc videntur agere, ut excutiant lectorum animis τοῦ θείου curam: qvod tamen Machiavellus, minimè omnium cetero-*
38 *qvin religioſus, advertere potuerit.* * Sed nos tandem manum de hàc tabulà, ad illum DEI digitum, qvi flammeis characteribus ſapientiam ſuam Apoſtolorum animis inſcripſit, intendimus. Inde nos ardentiſſimis precibus θεῖον illud, ſine qvo ἐντελέχεια ſua deeſt ſcientiis, arceſſemus. *Sedibus æthereis Spiritus ille venit*, qvi nos ducet in omnem veritatem & per orbium cœleſtium ἐγκυκλοπαιδείαν aliqvando circumducet. Ille nos Philoſophos faciet, ſapientiam, qvæ hominibus Stultitia eſt, profeſſos: Mathematicos, qvi longitudinem, latitudinem, altitudinem amoris divini metiantur: Politicos, qvi πολίτευμα ſuum in cœlis qværant: Grammaticos & Oratores, qvi aliqvando ῥήματα ἄῤῥητα intelligant: Poëtas & Muſicos, qvi τρισάγιον ſuum cum omnibus beatarum mentium choris inſonare nunqvam deſiſtant.

CAP. XIII.
DE COLLEGIIS SECRETIS.

§. 1. *Continuatio ad præcedentia.* 2. *In gentibus moratioribus collegia occulta fuere.* 3. *Prima in Ægypto talia collegia.* 4. *Illic literæ Hieroglyphicæ, Fabulæ.* 5. *Menſa Iſiaca.* 6. *Orpheus ex Ægypto in Græciam occultiorem doctrinam intulit.* 7. *Lapponum incantationes, an ſylvas & feras moveant?* 8. *Qvi de Orphei doctrina egerint?* 9. *Sacra Eleuſinia.* 10. *Eumolpidarum Collegium.* 11. *Leges hujus collegii.* 12. *Samothracum collegium.* 13. *Collegium Magorum in Perſiâ.* 14. *Zoroaſter.* 15. *Ejus nomen.* 16. *Collegium Brachmanum apud Indos.* 17. *Apollonii Tyanæi cum illis converſatio.* 18. 19. *Honorifica de illo teſtimonia.* 20. *Photii præceps de Philoſtrato judicium.* 21. *An dolia ventorum & imbrium apud Brachmanes fabuloſa ſint, neqve ullâ arte fieri poſſint.* 22. *Tempeſtates per naturalia media an induci poſſint.* 23. *Exemplis & rationibus affirmatur.* 24. *Tempeſtates ſuperſtitioſis artibus diſcuſſæ.* 25. *Translatio corporum an naturali modo poſſibilis.* 26. *Mira de fulgidiſſimo lapide Bononienſi hiſtoria.* 27. *Recentiores de Brachmanibus Scriptores.* 28. *Collegium Gymnoſophiſtarum,* 29. *Pythagoræorum,* 30. *Arabum,* 31. *Maurorum.* 32. *Collegium Druidum à Meiero malè omiſſum.* 33. *Illorum doctrina.* 34. *Collegium Fraternitatis Roſeæ Crucis.* 35. *Collegii Roſiani hiſtoria.* 36. *Roſii arcana recenſentur.* 37. *Arcana majora.* 38. *Motus perpetuus rectus,* 39. *circularis, igneus, aëreus, aqveus, terreus.* 40. *Ars transmutatoria* (1.) *citra gradum aureum.* 41. (2.) *Seminaria.* 42. (3.) *Projectiva.* 43. *Medicina univerſalis varia.* 44. *Arcana varia naturalia.* 45. *Arcana Mathematica.* 46. *Motus terreus deſcri-*

*deſcribitur. 47. Machina cœleſtis per ſe mobilis. 48. Arcana circa rem ruſti-
cam. 49. Arca Piſcis. 50. Varia mechanica. 51. Occulta collegia naturæ arca-
nis indagandis occupata.*

POſt Bibliothecas & libros *de* COLLEGIIS & MUSEIS qvædam diſſertabimus. 1
Illa enim Bibliothecis celebrioribus plerumqve juncta fuere. Cui bono horrea
& meſſes ſine colonis? Collegia Bibliothecis indigent. Hæ qvoqve ſine lecto-
ribus inutiles. Fuere in omnibus gentibus moratioribus publici virorum ſapi-
entum conventus, qvi in commune de rebus naturalibus, artibus, omniqve ſtudiorum
genere, conferrent. Ac qvoniam in doctrinis qvædam ad popularem uſum referen-
da, qvædam etiam ſecretiora ſunt, non omnibus, ob eorum abuſum aliasqve rationes,
propalanda, ideoqve & *publica* & *ſecreta* qvædam *Collegia* fuere. De his primum
dicemus.

Secretior Philoſophia in nationibus plerisqve moratioribus ſuas ſibi res habuit, 2
magnâqve ſollicitudine hinc profanum vulgus arcebatur: Qvare ænigmatibus, fabu-
lis, hieroglyphicis, Deorum nominibus tota involuta eſt, unde poſtea Idololatria ad po-
pulum derivata, qvi rerum ſacrarum non intelligens in ſuperficie hærebat. * MI- 3
CHAEL MEIERUS, Holſatus, Vir doctiſſimus, in Tractatu Apologetico pro Fratribus Ro-
ſeæ Crucis, c. 5. variarum nationum Collegia ſecreta recenſet, inqve his primum locum
meritò *Ægyptiis* tribuit: Hîc enim omnium fabularum patria fuit, qvibus Græci *ἀεὶ
παῖδες*, ut pueri nucibus luſitantes, ſe delectabant; nucleum verò pauci invenerunt.
Major verò hîc antiqvioribus Collegiis reverentia, ubi in naturæ ſecreta magis inqvi-
ſitum eſt, qvàm in recentioribus illis. Qvanqvam tamen & illi de iis rebus ſolliciti
fuerunt. Antiqviſſima illa fuere, qvibus Moiſes ad omnem ſapientiam imbutus fuit.
Celeberrimum & antiqviſſimum collegium fuit *Thebis*, ubi Strabo obſervat, Sacerdo-
tes plurimùm vacaſſe Aſtronomiæ & Philoſophiæ. Habuit & *Memphis* collegium.
Qvi in his rei literariæ præerant, vocabantur ἱερογραμματεῖς, qvi & libros Mercurii
interpretabantur, & Hieroglyphicas literas, Coſmographiam, Geographiam, res cœle-
ſtes. De his Sacerdotibus legendus eſt Clemens Alexandrinus *Strom. l. 6.* Chæremon
apud Porphyr. *l. 4. de abſtinentiâ* ait, *τὸ μὲν κατ᾽ ἀλήθειαν φιλοσοφεῖν ἔν τε προφή-
ταις ἢ καὶ ἱεροστολισταῖς καὶ ἱερογραμματεῦσι.* * De occultis Ægyptiorum doctri- 4
næ ſub fabulis & hieroglyphicis reconditæ, legendus eſt libro citato Meierus, & in
altero de arcanis arcaniſſimis. * Illa *Menſæ Iſiacæ* ſymbola aliaqve hieroglyphi- 5
ca ſatis teſtantur de occultis ſenſibus, etſi, qvi hactenus immanibus libris indagare vo-
luerunt, operæ pretium non fecerunt. De Privilegiis Collegii Sacerdotum Diodorus
Siculus, & ex eo præcipuè Otto Heurnius in Chaldaico ſuo p. 42. & ſeqq. De variis
Ægyptiorum doctrinis earumqve perfectione legendus Borrichius in Vindic. Herme-
tis: ubi illa plenâ manu feruntur.

Ex Ægypto *Orpheus* myſteria in Græciam intulit, ut Diodorus Sic. *lib. 4. te-* 6
ſtatur: Orpheus in Ægyptum profectus multa ibi didicit, ita ut tam initiationibus &

Theologia, qvam Poëſi & Melodia eſſet Græcorum præſtantiſſimus. Idem *lib.* 1. refert, qvod ex Ægypto aſportarit plerosqve myſteriorum ritus, & Orgia Bacchi, & Mythologiam de inferis. Et, ut ex ipſo Diodoro diſcimus, Initia Oſiridis eadem ſunt, qvæ
7 Bacchi; & Iſidis ſimillima ſunt iſtis Cereris, nominibus tantum differentibus. * Circa Orphei operationes magicas, qvæ de illo circumferuntur, in ferarum & arborum tractu per cantum, mihi incidit, qvod apud Balbin. *in Miſcellaneis Hiſtoricis regni Bohemiæ l. 13. c. 12. §. 3.* legi; Jacobum Typotium, dum in Finlandiâ verſaretur, comperiſſe: incantationibus Lapponum feras cicurari, terram & arbuſta moveri, rerum naturam univerſam percelli. Qvæ qvidem de Lapponibus in hujus gentis hiſtoria legere me non memini: etſi non negem, multas eſſe apud hanc gentem etiam Magiæ
8 Orientalis reliqvias. * De Orphei antiqviſſima Philoſophiâ & Theologiâ Johannes Franciſcus Grandis, Vir eruditiſſimus, integrum tractatum conſcripſit, qvo accuratiſſimè veterum illam doctrinam complexum ſe eſſe dicit: Franciſcum Patricium & Auguſtinum Steuchum primoribus tantum labris deguſtaſſe ait, in Præfatione Diſſertationum ſuarum Philologicarum. Sed librum illum non editum fuiſſe ſuſpicor:
9 Hactenus enim videre non licuit. * Verùm & ante Orphei adventum in Græciam fuere coloniæ Ægyptiorum in Græcos deductæ. Venit Athenas Erichtheus, Ægyptius, qvem regem fecerunt Athenienſes ob frugum copiam famis tempore illatam. Atqve ab illo *Eleuſinia ſacra* inſtituta, in honorem Cereris, ut illa apud Ægyptios in honorem Iſidis, qvæ non differre ritibus ait Diodorus Siculus *lib.* 1. *c.* 29.
10 * Nam, referente Pauſania in *Arcad.*, cum Eumolpus Thrax Eleuſiniis auxilia attulit contra Erichtheum, pax tandem inita, ut Eumolpus ſacra faceret Cereri & Proſerpinæ. Hinc Eumolpidæ poſtea ſacrorum præſides fuere. Sed Androtion Scholiaſtes *in Sophocl. Oedip.* ſcripſit, Eumolpum tertium primùm myſteria obiviſſe & fuiſſe antiſtitem; cui tamen contrarium tradit Homerus & marmor antiqvum à Marshamo *in Can. Chron. Ægypt. p. 252. & p. 261.* productum. Hoc illud EUMOLPIDARUM celeberrimum COLLEGIUM; de cujus Myſteriis Clem. Alexandr. *Strom. l.* 5. Naturæ arcana hîc doceri teſtatur Seneca, *Nat. qvæſtion. lib. 7. c. 31. Eleuſis ſervat, qvod oſtendat reviſentibus. Rerum Natura ſacra ſua non ſimul tradit.* & Epiſt. 90. *Hæc ejus initiamenta ſunt, per qvæ non municipale ſacrum, ſed ingens omnium Deorum templum Mundus iſte, reſeratur: cujus vera ſimulacra veraſqve facies cernendas mentibus protulit.* Nam ad ſpectacula tàm magna hebes viſus eſt. Multa per autores ſparſa de hujus Collegii ſacris in unum collegit Marshamus, libro laudato, *pag. 259., & multis ſeqventibus.* Unde facilè apparet intelligentibus, qvænam hic naturæ myſteria recon-
11 dantur. * *Leges hujus collegii* complexus eſt loc. cit. Michael Meierus. 1. ut ſingulis annis certo die conventus fieret initiatorum. 2. Ut Eumolpidæ ſemper ibi ſacerdotes haberentur & ſacrorum præſides. 3. Ut caſtiſſimæ vitæ, vitiis immaculatæ reciperentur in ſocietatem illam, tam feminæ qvam viri. Hinc nec Imperatores poſtea initiari volentes admiſſi ſunt, ſi vitiis eſſent contaminati. 4. Ut perpetuo ſilentio arcana ibi celebrata involverentur, juramentis præſtitis. Hinc nihil in orbe

ſecre-

ſecretius, qvam Eleuſinia ſacra habitum fuit. 5. Ut die conventus ſacro qvatuor figuræ pro ceremoniis portarentur, nempe; Dei creatoris ab Antiſtite Hierophante; Solis à facifero; Lunæ à miniſtro ad aram, & Mercurii à præcone ſacrorum. Habuit autem Antiſtes Eumolpida auream clavem linguæ adaptatam, ſilentii notam. E qvatuor figuris & ex cantilena illa allegorica, de Dracone Tauri parente, & Tauro Draconis parente, aliisqve, qvæ hîc prolixè adducit Mejerus, facilè de arcanis ipſis inſtitui conjectura intelligentibus poteſt.

Nominatur inter ſacra illa collegia à Meiero qvoqve SAMOTHRACUM COLLEGIUM, qvi Cabirorum Deorum myſteriis celeberrimi fuerunt, de qvibus Diodorus Sic. *lib.* 5., qvi ipſum Cadmum Samothraciam appuliſſe refert, & perceptis myſteriis uxorem duxiſſe Harmoniam, Jaſonis ſororem. Initiati ex illis credebantur Deos habere in periculis præſentisſimos, & ipſos fieri ſanctiores & juſtiores. Ideo Heroes veteres & Semidei illuſtriſſimi ritibus iſtis imbuti ſunt, Jaſon, Caſtor & Pollux, Hercules, Orpheus. Tarqvinus Demarathi Corinthii filius Samothraciis religionibus myſticè imbutus eſt, teſte Macrobio Saturnal. l. 3. c. 4. *Cabiros*, ut Meierus hoc explicat, abſtruſum ſonat, & *Sathrax* ſeu *Samothrax* Deum incognitum apud Hebræos. Deorum nomina, qvos initiatis nominare nefas erat, hæc fuere, Axioerus, Axiocerſa, Axiocerſus. Axioerus autem Ceres, Axiocerſa Proſerpina, Axiocerſus Pluto dicebatur; qvibus qvartus addebatur, Caſmilus, qvi Mercurius erat: Qvæ omnia, qvomodo ad ſacrum opus applicari debeant, oſtendit Meierus. 12

COLLEGIUM MAGORUM in Perſia per omnem antiqvitatem celebratiſſimum eſt. Ab illis Magiæ nomen omnis occulta ſapientia adepta eſt: Ad qvam cognoſcendam Pythagoras, Empedocles, Plato & alii navigarunt; qvam reverſi, ut Plin. lib. 30. ait, in arcanis habuere. 13
* Ejus autor Zoroaſter habetur, de qvo jam antea ejusqve ſcriptis aliqva dicta ſunt. 14
* De Zoroaſtri nomine eleganter Menagius in Laërtii procemium commentatur. Significat Aſtrorum contemplatorem. *Eſter* enim Perſis ſignificat aſtrum; *Schur* Hebræis eſt contemplari: unde Zoroaſter componitur. Illud verò Perſarum *Eſter* nihil aliud eſt, qvam Germanorum, Belgarum, Anglorum, *Stern, Sterr, Starr*. Diogenes Laertius ἀϛροθύτην aſtrorum ſacrificulum interpretatus eſt; Bochartus *Geograph. ſacr. lib.* 4. *c.* 1. ingenioſè ἀϛροθεάτην legendum eſſe ſuſpicatur. Illa doctrina poſtea ſemper apud Perſas viguit, potiſſimumqve Aſſyrios, qvi Chaldæi dicuntur, qvorum Babyloniæ per multa ſecula collegium fuit, cum qvibus Apollonius qvoqve Thyanæus converſatus fuit. 15

Fuit & apud Indos BRACHMANUM COLLEGIUM toto orbe decantatiſſimum. De Brachmanibus, vel Braminibus, qvos ab Abrahamo deducit Poſtellus, ſuprà plura diximus. Eos occultæ doctrinæ cuſtodes fuiſſe, omnia, qvæ de illis dicuntur, declarant. In his, qvanqvam multa fabuloſa habentur, non ſunt tamen omnia illa mendaciis accenſenda. Ita fieri in rebus arcanis ſolet, ut, qvæ ignota ſunt, multis additamentis à credulis exaggerentur, à contemptoribus aliis commentis ultrà fidem in riſum vertantur. In his media via ſemper tenenda ſapientioribus eſt: ſemper cogitandum, 16

17 multa eſſe naturæ arcana, qvæ vel ſapientiſſimis incredibilia videbuntur. * Sola illa *Apollonii Thyanéi vita*, qvam Philoſtratus reliqvit, multa nobis mirabilia de his Indiæ ſapientibus tradidit. Qvæ etſi ſciam à Gabriele Naudæo in *Apologia hominum Magiæ inſimulatorum* pro confictis haberi, neqve adeò in omnibus ab illo diſſentiam, non ſatis tamen ab illo probari putaverim, in invidiam Salvatori noſtro conflandam
18 hæc excogitata. * Superſunt Patrum ipſorum teſtimonia, qvi honorificè de Apollonio ſentiunt; & è ſimili olim ſcholâ veniſſe primos illos Chriſti cultores novimus, occulto impulſu motos, & tanti myſterii, ſi fas ita loqvi eſt, conſcios. Qvod ſi aliqvi calumniatores his ſimilibusqve exemplis abuſi fuerunt, ad divinam Chriſti majeſtatem imminuendam, id ad illorum potius malitiam, qvam ad innocentes referendum eſt. Mirificè in Apollonii laudes effunditur Flavius Vopiſcus *in vitâ Divi Aureliani cap. 24.*, ubi de apparitione Apollonii Aureliano civitatem Thyanam everſuro factâ narrat: Vocat eum celeberrimæ famæ autoritatisqve ſapientem, veterem philoſophum, amicum verum Deorum, ſubjicitqve hæc ſuæ narrationi. *Hæc ego à gravioribus viris comperi, & in Ulpiæ bibliothecæ libris relegi, & pro majeſtate Apollonii magis reddidi. Qvid enim illo viro ſanctius, venerabilius, antiqvius, diviniusqve inter homines fuit? mortuis vitam reddidit: ille multa ultra homines & fecit & dixit: qvæ qvi velit noſſe, Græcos legat libros, qvi de ejus vitâ conſcripti ſunt. Ipſe autem, ſi vita ſuppetat, atqve ipſius viri favori usqve qvaq; placuerit, breviter ſaltem tanta viri facta in literas mittam: non, qvo illius viri geſta munere mei ſermonis indigeant; ſed ut ea, qvæ miranda ſunt, omnium voce prædicentur.* De Alexandro Severo Lampridius memorat, illum in larario privato coluiſſe ſanctiores animas, Chriſtum, Abrahamum,
19 Orphea, Apollonium. * Photius vitam ejus à Philoſtrato deſcriptam recenſet *Cod. 44.*, & uberiùs *Cod. 241.*, Philoſtratus ipſe moratam ipſi vitam tribuit. Mirificum ait fuiſſe contemptorem divitiarum, ut & ſuas ipſe poſſeſſiones germano fatri aliisqve ſponte conceſſerit, & à nemine potentiorum pecunias acceperit, qvantumvis illi multa merenti obtruderent. Negat Philoſtratus fuiſſe præſtigiatorem, ſed per
20 vitæ puritatem & per philoſophiam omnia dicit præſtitiſſe. * Ridet verò, ut abſurda, Photius, qvæ de Indis Philoſophis narrat Philoſtratus: dolia apud iſtos plena imbrium & ventorum, qvibus datum ſit regionem compluere in imbrium penuria, iterumqve diſcuſſis imbribus ſiccare, dum alternis aqvam ventumqve è doliis ſuppeditent. *His ſimilia*, ait Photius, *dementiæ plena & alia plurima prodigioſè confingit.*
21 * Sed mallem ego in iſtis ſuſpendiſſet judicium Photius, cui nulla qvidem ſuſpicio occultiorum naturæ operationum fuit. Qvi in his nullum guſtum habent, facilè
22 omnia pro præſtigiis & impoſturis habent. * Ego qvidem temerè falſitatis arguere nolim, qvæ hîc tradit Philoſtratus. Non eſt adeò abſurdum, dari poſſe naturas ſummè humidas, ſummeqve flatulentas, qvæ fortaſſis arte ſecretiore chemica ita præparari poſſint, ut fermentum aliqvod magnæ maſſæ elementari præſtare qveant. Atqve hæ aliqvo ſubjecto naturali concludi poſſunt, aliis qvibusdam appoſitis eliciendæ. Multæ latent in corporibus affectiones mirabiles, qvæ non niſi per συζυγίαν inde
23 educuntur. * Acus ferrea ſe ad ſeptentrionem convertit; ſed tum demum, ſi

magnete

magnete illinatur: Qvod, etſi tritum eſt, eſt tamen admirabile, nec ullo humano ingenio indagandum. Qvas non effervescentias ſalium & ſulphurum miſtiones parant? An non nitri ſulphurisqve conjunctione excitari immanes concuſſiones & plus qvam tempeſtates poſſunt? Hæc ſuo tempore Photius non credidiſſet. Videmus concluſos lacus, mineralibus ſine dubio turgidos, ſi lapide injecto moveantur, fermentatione momentanea in vapores, hos in imbres, tonitrua, ventos reſolvi. Nilo circa ſolſtitium æſtivum nubecula tenuis nitroſa roſcida incumbit, ut Chambræus obſervat, qvæ æſtuare totum & per omnes agros diffluere facit. De fluvio Bohemiæ Wodolanka obſervat Balbinus *in Miſcellaneis Hiſtoricis regni Bohemiæ lib. 1. c. 28.*, ruſticos, qvoties ſideratio aliqva agris ſiccitatem invexerit, aqvam hanc haurire certatim, ac in fontes & puteos ſuos, qvi exaruiſſent, infundere, certamqve eo pacto ſperare pluviam, nec ſpe falli. Addit judicium ſuum Balbinus: *Poſſunt obcœcatæ ariditate fontium venæ qvodammodo reparari, poſſunt halitus & humida qvædam effluvia concitari, poſſunt aqveo magnetiſmo nubes attrahi.* Qvodſi ergo ſpiritoſa qvædam talis ſubſtantia in naturâ latitat, ut illa exempla innuunt, qvid vetat, illam vaſe per artificium concludere, & fermenti inſtar in aërem immittere? qvemadmodum ex tenui nubecula, qvæ monti *Tafelberg* dicto in Promontorio bonæ ſpei imminet, & ob exiguitatem & ſimilitudinem *oculus tauri* dici ſolet, in fermentum & inſanas tempeſtates totius aëris vicinia conjicitur. Narravit mihi amicus, Italum ab Hungaro qvodam edoctum procellas, cum vellet, excitaſſe. De Empedocle etiam memoratur, illum magiâ naturali adeo polluiſſe, ut ventos, qvoties vellet, excitaret ſalubres, diſpelleret peſtilentes. Memorabile eſt, qvod de vorticibus illis aëris ex mari provenientibus memoratur, illos cultro in crucem ſecto diffindi poſſe, ſed additis ſacris ex Joannis Evangelio verbis, qvi abuſus tamen inſignis eſt. Teſtatur hoc Thevenotius in *Itinerarii ſui parte 2. lib. 4. c. 3.* Stephanus Luſignanus in deſcriptione Cypri memorat, à Famaguſta interitum hoc modo qvosdam Batavos avertiſſe. De eo Helmontius in Tractatu, qvi inſcribitur *Blas meteorum.* * Henricus Mundt in libro *de aëre vitali cap.* 13. aliâ ſuperſti- 24
tione tempeſtates compreſſas narrat. * Porrò, qvod in pluribus locis uno tempo- 25
re viſus ſit Apollonius, in memoriam mihi revocant Trithemii Abbatis, magni in arte Chemicâ myſtæ, verba, qvi in qvodam ſcripto Germanico expreſsè teſtatur, beneficio arcani ſummi Phyſici, ſed in cœleſtem planè naturam redacti, fieri illam translatio-
nem corporum poſſe: * Ubi ſimul mirabilis iſtius lapidis, qvem ego arte factum & 26
hunc ipſum fuiſſe ſuſpicor, hiſtoria animo obverſatur, Regi Galliæ Henrico II. per ignotum aliqvem Barbarum oblati. Illam qvidem narrat Thuanus, in primâ illâ editione minori Pariſinâ *part. 1. lib. 5. pag. 453.* reperitur & in Francofurtenſi primâ in fol. alteraqve octavæ formæ *lib. 6. pag. ibi 117. hîc 286.*, ſed in ceteris editionibus verba illa, neſcio qvam ob cauſam, ſublata. Pipinus, ad cujus teſtimonium provocat Thuanus, de eo ita ad Mizaldum ſcribit: *Nuper ex Indiâ Orientali Regi noſtro allatum hîc vidimus lapidem, lumine & fulgore mirabiliter coruſcantem; qviqve totus veluti ardens & incenſus incredibili lucis ſplendore præfulget micatqve. Is jactis qvoqvo verſus*

ſus radiis ambientem circumqvaqve aërem luce, nullis oculis ferè tolerabili, latiſſimè complet. Eſt etiam, (qvod bene notari velim,) terræ impatientiſſimus: ſi cooperiri coneris, ſuâ ſponte & vi, facto impetu, confeſtim evolat in ſublime. Contineri vero includive loco nullo anguſto nulla poteſt hominum arte, ſed ampla liberaqve loca duntaxat amare videtur. Summa in eo puritas, ſummus nitor: nulla ſorde aut labe coinqvinatur. Figuræ ſpecies nulla ei certa, ſed inconſtans & momento commutabilis: cumqve ſit aſpectu longè pulcherrimus, contrectari ſeſe tamen non ſinit, & ſi diutiùs adnitaris, vel obſtinatius agas, incommodum affert: ſicuti multi ſuo non levi malo, me præſente, ſunt experti. Qvod ſi qvid fortaſſis ex eo enixiùs conando adimitur, aut detrahitur: nam durus admodum non eſt; ſit, dictu mirum, nihilô minor. Hæc Pipinus, qvæ miranda ſunt; & ſi rem accuratiùs penſitare velimus, nulli ſubjecto in naturâ rectiùs, qvam ſummo huic arcano, conveniunt. Dixit Barbarus, ad plurimas res ſummè eſſe utilem, qvod tamen non, niſi ingenti pretio, manifeſtare voluit. Inprimis illa evolatio in ſublime memorabilis eſt, & hoc translationis arcanum, ſi qvod in naturâ eſt, continere videtur. Qvod beneficio ſagittæ aureæ Abaridis Pythagoras idem effecerit, in hiſtoria vitæ ejus refertur. In perpetuo mobili inveniendo multæ ſunt Chimicorum curæ, qvo invento non admodum difficilis illa corporum translatio foret, ut
27 Johan. Wilkins *in Magiâ ſuâ Mathematica lib. 2. c. 9.* qvoqve colligit. * Sed nos miſſis illis, qvæ ſuavibus ſomniis ſimillima nonnullis videbuntur, ad Brachmanes noſtros redimus: qvorum antiqvitus ut multa fama fuit, ita noſtro tempore planè eviluit. Palladii de iis relatio, qvam cum Ambroſii & Anonymi cujusdam ex Bibliothecâ Regiâ in lucem edidit Edoardus Biſſæus Londin. 1665., nihil adeò memorabile continet, nec Abrahami Rogeri Janua aperta ad Gentiliſmum occultum, primùm Belgicâ, nunc Germanicâ lingvâ, cum notis Chriſtophori Arnoldi, edita: ubi monſtroſis & ineptis fabulis referta omnia, niſi qvod interdum veteris Philoſophiæ ſcintillæ perluceant. Veterum Brachmanum doctrinæ, & de qvibus illi cum Apollonio colloqvia inſtituerunt, aqva auri, lapis Pantaurea, Gryphi aurum effodientes, Phœnix, & ſimilia alia, ſatis per ſe produnt, qvid intelligi his velint.

28 Collegium Gymnosophistarum qvoqve arcanum in Æthiopia fuit, qvi ultra Memnonis regionem in eminentiore colle habitabant. Etiam hos adiit Apollonius, cum illis de rerum natura & arcanis diſputans, qvibus tamen Indos potiores in omni philoſophiæ genere habuit. Cetera, qvæ fortè fuere Collegia, Ægyptiis tamen & Perſis vel Chaldæis ſuam doctrinam debent: Ab Ægyptiis enim propagata omnia
29 fuere. * Collegium Pythagoræorum in magnâ Græciâ, ſive Italiâ ulteriore, fuit, de cujus philoſophia in hunc usqve diem non omnia ſatis explorata. Qvantum tamen ex reliqviis ejus conſtat, collegit Jamblichus in *libro de vita Pythagoræ*, cujus aliqvos libros, ſed vitioſè, edidit Arcerius; plures libri in Bibliothecâ Holſtenianâ reſtabant, ut ſuprà memoravimus: Omnium, ſi rectè memini, plenam & emendatam editionem, cumqve notis, pollicitus eſt Thomas Gale. Illud Pythagoræ aureum femur, ſilentium qvinqvennale, myſteria ſingularia hic latuiſſe oſtendunt. Verum de illis

illis plura dicemus in *Polyhiſtore Philoſophico*, qvæ nunc prætermittimus. * Col- 30
legia Arabum, qvæ antiqvitus fuerint, non ſatis conſtat. Illud ex confeſſione Fra-
trum Roſeæ Crucis conſtat, civitatem apud Arabas *Damear* fuiſſe, ſolis ſapientibus ha-
bitatam; à qvibus primus autor fraternitatis Roſeæ Crucis honorificè acceptus fuerit.
* Ibidem qvoqve de Collegio Maurorum, qvod Feſſæ eſt, mentio fit, ubi diligen- 31
tiſſima inſtituatur arcanorum naturæ indagatio. Legi de eo poteſt Joannes Leo
Africanus in deſcriptione Africæ: cujus & de ſcriptoribus Arabicis manuſcriptus li-
ber eſt, unde aliqva excerpſit Hottingerus in Bibliothecar. qvadripartito.

Qvæ modò enumeravimus ſecretiora collegia, etiam à Michaële Meiero in 32
libro ſuprà notato recenſentur; miror tamen, ab eo prætermiſſum Druidum Colle-
gium, qvod ad Germanos propius pertinet, & ceteros etiam, ſi Poſtellum audimus,
antiqvitate vincit. * Non hîc rem omnem proponemus, ſed potiora ad Diſſerta- 33
tionem *de Germanorum meritis literariis* referemus. Illud tantum dicturi ſumus,
ejusdem generis fuiſſe doctrinas, qvas docuerunt Druides, & qvas veteres Ægyptii,
Magi, Chaldæi. Pari certè cum illis ætate ſunt, ſi non majori. Poſtello ſanè judi-
ce *libr. de Etrur. Origine p. 233.*, Druidarum doctrina in toto Occidente floruit, ante
ullam inter Babylonios ac Græcos publicam literarum memoriam. Multa hanc an-
tiqvitatem confirmare videntur, de qvibus in dictâ diſſertatione plenius. Fuere Drui-
des Celtarum, qvibus tàm Galli qvàm Germani continebantur, Philoſophi, unde qvaſi
coloniæ etiam in alias gentes miſſæ. Capita ejus Philoſophiæ eadem, qvæ veterum
collegiorum, fuerunt, Theologia & Philoſophia occultior. Theologia illis conſiſte-
bat in rerum divinarum contemplatione, & in voluntatis divinæ interpretatione, per
varia ſigna, cœleſtia, aëerea. Diodorus Siculus *lib. 5. cap.* 31. vocat illos θεολόγȣς
καὶ τῆς θείας φύσεως ἐμπείρȣς, *Theologos & divinæ naturæ conſcios.* Sacer illis cul-
tus puriſſimus fuit ſub dio, nullum illis vel templum, vel idolum, animæ immortales
habebantur: atqve ex eorum ſcholâ fluxiſſe videtur, qvod de Marcomannis ait Appia-
nus in Celticis, habuiſſe illos ſpem reſurrectionis. Pietatis qvoqve indicium eſt, ſum-
mum apud eos pœnæ genus fuiſſe, ſacris interdicere. Naturæ ſecretioris fuit illis cogni-
tio, unde Plinius Hiſt. nat. *lib.* 30. *cap.* 1. eos vocat Vates Medicosqve. Ammianus
Marcellinus *lib. 15.* ſumma & ſublimia naturæ pandere ait: Mela *lib.* 3. *cap. 1.* mo-
tuum cœli ac ſiderum peritos ait. Aqvam ſtatuerunt omnium rerum principium.
Hinc eam ſponſæ in nuptiis ſponſis tradebant. Aurea ipſis erant geſtamina, collo tor-
qves, manibus & brachiis murenulæ. Viſcum è qvercu prognatum ſumma religione
colligebant, non ſine ſacrificiis & hymnis, qvi mos vetuſtiſſimus. Ac præterea ſym-
bolica illa magni operis philoſophici effigies eſt, cujus illos fuiſſe conſcios, vel ex eo
colligas, qvod doctrinam ſuam literis comprehendi vetuerunt, ne in vulgus efferretur.
In omnibus enim collegiis Harpocratis ſigillo arcana eorum doctrina obſignata fuit.
Dogmata eorum è variis Hiſtoricis collegit Otto Heurnius in Antiqvitatibus Philoſo-
phiæ Barbaricæ, *lib. 2. cap. 33.* Fortaſſis & Janus Cæcilius Frey in libro, cui titulus *Philo-
ſophia Druidum*, qvi in 8. Pariſ. 1646. prodiit, hiſtoriam eorum pleniùs propoſuit, qvem
tamen videre hactenus non licuit.

34 Fuere non priſcis tantum ſeculis collegia talia occulta; ſed & ſuperiori ſeculo de FRATERNITATE ROSEÆ CRUCIS fama percrebuit. Editi ſunt de illorum dogmatibus & doctrinâ Theologicâ libelli Germanicâ linguâ, qvi multum ſtrepitus ubiqve excitarunt. Fuere, qvi totam rem pro impoſturâ habuere, aliqvi ſcriptis Apologeticis in lucem miſſis defenderunt. Literæ à multis ad illos ſcriptæ, publicisqve typis impreſſæ, ſub ſpe arcani alicujus indagandi. In Germaniâ Vir doctiſſimus Michaël Meierus cauſam illorum publico ſcripto egit, cui titulus: *Silentium poſt clamores, h.e. Tractatus Apologeticus, qvo cauſæ non ſolum clamorum ſeu Revelationum Fraternitatis Germanicæ de R. C. ſed & ſilentii, ſeu non redditæ ad ſingulorum vota reſponſionis, unà cum malevolorum refutatione, traduntur & demonſtrantur.* Ubi multa etiam hiſtorica de hac ſocietate occurrunt. Scripſit & Robertus Fluddius defenſionem hujus ſocietatis, & Johannes Heidon Anglicâ lingvâ varios de Fratrum Roſeæ Crucis doctrinâ tractatus edidit, inter qvos hoc titulo unus eſt: *Infallibilia axiomata Fratrum Roſeæ Crucis, cognoſcendi præterita, præſentia & futura.* Non agitur hoc libro, niſi de mirabili vi & poteſtate Numerorum, qvibus evocentur genii, & alia occulta in naturâ perficiantur. Sed pleraqve ex illis ſunt è ſcriptoribus de myſteriis numerorum congeſta.

35 Anno hujus ſeculi trigeſimo Fama qvoqve COLLEGII cujusdam ROSIANI, per qvendam *Petrum Mormium* divulgata, libello Lugd. Batav. impreſſo, cui titulus: *Arcana totius naturæ ſecretiſſima, nec hactenus unqvam detecta, à Collegio Roſiano in lucem produntur, operâ Petri Mormii.* Occaſionem hujus libelli & notitiam Collegii hujus in libello ipſo tradit Autor: Collegium hoc inſtitutum fuit circa Delphinatus confinia à viro qvodam ROSIO, cui ſe parem ingenio ſub ſole nec vidiſſe, nec audiviſſe, ait Mormius, qvi ex Hiſpaniâ in Galliam rediens, qvanqvam ſacræ Theologiæ Doctor Philoſophiæqve publicus Profeſſor, nec obſcurâ proſapiâ oriundus, obſcuro hujus Collegii rumore incitatus, ad locum illum pertendit, ſupplexqve ſenem ROSIUM rogavit, ut ſe ſocietati ſuæ adſcribere dignaretur. Sed fruſtra: Collegium enim ejus cum tribus tantùm conſtaret diſcipulis, viris nobiliſſimis, noluit qvarto arcana ſua
36 revelare, eiqve extero. * Exoravit tandem Mormius, ut, ſi non ut diſcipulum, ſaltem ut famulum ſe ſuſciperet, qvod tandem impetravit, atqve illo tempore multa ex eo arcana didicit. Conceſſerat qvoqve illi Roſius, ut in utilitatem provinciarum fœderatarum converteret; Qvare Hagam conceſſit, ac illuſtriſſimis Ordinibus multa propoſuit, à qvibus non auditus, pecuniâ interim deficiente, arcanorum titulos publico hoc libello divulgavit, ſi qvis eſſet è Magnatibus aut Ordinibus, qvi autori ſum-
37 ptus ad experimenta facienda ſuppeditaret. * *Tria* ſunt *arcana* majora Roſii, qvibus homo nil majus deſiderare poſſet, videlicet *motus perpetuus, ars transmutato-*
38 *ria, medicina univerſalis.* * *Motus perpetuus* aut eſt rectus, aut circularis, aut compoſitus ex ambobus. Motum perpetuum rectum, etſi per ſeptuaginta annos illi inſudaverit, Roſius non perfecit, fortè qvod noluerit Deus, judicio Mormii, hominem mortalem in arcâ, etiam decem hominum millia continente, ſine ullo labore aſcendere ſupra corpus lunæ, ſolem, ſtellasqve fixas, ac qvatuor plus minus ſpatio dierum ab ori-

ente.

ente ad occaſum pervolare, aut utrumqve polum mundi permeare, & velocius ave rapidiſſimè volante in contrarios ventos pervehi: Qvo motu recto homo qvatuor dierum ſpatio utrosqve permeare polos poſſit. Nam,cum in illo vacuo nulla detur corporis objectio,qvæ curſum retardet; tantâ talem arcam velocitate ferri poſſe exiſtimat, qvâ flammulas æthereas æſtate ſerenâ rapi videmus. Hoc ſuo conatu qvanqvam excidit Roſius, ut ſanè ipſa ratio vix admittere videtur; artem tamen ipſam celavit, ſecundum qvam procedere debet, qvi tali arcæ fabricandæ operam dare vellet; ne fortaſſe aliqvis, ipſo ingenio felicior, eâ mediante efficeret, qvod hactenus ipſe non potuit, qvi omne genus hominum per univerſum orbem torqvere, leges juraqve immutare aut evertere poſſet: Qvale malum qvoqve à ſuo invento metuit Franciſcus Lana in libro Italico, cui titulus *Prodromo all' arte maëſtra cap. 6.*, qvo per globos cupreos, aëre evacuato, naviculam velis & remis inſtructam in altum tolli poſſe exiſtimat, inductus falſo qvodam de aëris & aqvæ analogicâ gravitate præjudicio; Cujus inventi poſſibilitatem tamen ingenioſiſſimus Sturmius concedere viſus eſt. Motus ex recto & circulari compoſitus, qvo tamen in altitudinem tantum montium tolli poſſet homo, Roſio negatus fuit. * Motum tamen perpetuum circularem qvadruplicem Roſius 39
invenit, qvi corpora annexa moveat lateraliter aut circulariter, non tamen eis tollat gravitatem: ut 1. motum igneum, qvo fax accenſa, ac rotæ impoſita, ſe ipſam, & rotam, & omne impoſitum, movet. 2. Motum aëreum, per molendinum veliferum, qvo vel intra domeſticos parietes, aër ſe ipſum exagitans, etſi clauſus, rotas trahat & circumagat, æterno ordine: qvo uti poſſunt, qvi terras ſubmerſas aqvis ſiccari, aut agros fertilitatis gratiâ aqvis rigare, aut frumentum molere volent. 3. Motum aqveum, qvo aqva aſcendens & deſcendens non ſolum ſeipſam ſurſum refert, ſed & corpora annexa circumducit. 4. Motum terreum, qvem ceteris excellentiorem docet Mormius, qvo naves in mari grandes & onuſtæ in contrarios ventos cogi poſſint, tantâ celeritate, ut triremes ventis ſecundis curſu longè prævertant, nullâ hominis operâ, dummodo gubernaculo regantur. Ejusdem qvoqve in curribus ſuper terram uſus eſt. * Se- 40
cundum arcanum Roſianum eſt *ars transmutatoria*, & qvidem I. *citra gradum aureum*, ubi eſt 1. transmutatio metallorum primi gradus, ſub qvo tria, mercurius, ſtibium, bismutum; & ſecundi, ſub qvo plumbum, ſtannum, ferrum; & tertii, ſub qvo chalybs, cuprum, argentum: qvas artes Roſius Mormium non docuit. 2. Mercurium coagulare trium horarum ſpatio in metallũ nobiliſſimum, colore inferius qvidem auro, ſed accedens ei tamen, pondere æqvali, ignibus reſiſtens, malleabile atqve ductile: ex qvo aurum perfectiſſimum poſtmodum, aqvis fortibus mediantibus, Roſius dividit. 3. Stibium in regulum mutare, etiam ſine ſale petræ, ita, ut qvadrantis horæ ſpatio tertia pars reguli ex unâ librâ dividatur. 4. Ex ferro chalybem facere; ita, ut per ſingulas hebdomadas decem mille libræ ferri in optimum chalybem convertantur, unius viri operâ, qvi uno die omnes neceſſarias exſtruit fornaces, trium florenorum expenſis, ac pretio qvatuor florenorum cum dimidio mille pondo vertit. 5. Ex cupro non exiguam qvantitatem optimi argenti ſale qvodam examinato producere. * II. *Ars transmutatoria ſeminaria* eſt. 1. Seminaria 41
imperfecti metalli in perfectius, qvæ inutilis eſt, ſoli ſerviens curioſitati. 2. Seminaria

perfectioris in imperfectius, tam citra gradum aureum, qvam intra, e. g. ſi ſeminetur aurum, vegetabile factum, ſeu elevatum arte ſpagiricâ, in naturam ſeminis ſolaris, convertit terram, ſeu metallum inferius, terram factum, per decoctionem ſpagiricam, in qvam ſeminatum eſt, in ſuam naturam auream. 3. Seminaria ejusdem in ſeipſum, ut, cum ſol, factus vegetabilis, ſeminatur in ſolem, aut imbibitur ſole, ut augeatur virtus ejus à decimo gradu fortitudinis ſeminariæ ad centeſimum: ita, ut granum unum, qvod prius pollebat poteſtate tantùm in unicum granum terræ, jam polleat, potentius factum, in decem. Ad hanc ſeminariam tria reqvirit: terram ſemen, vinculum, ſeu inſtrumentum, qvo terra impinguatur, ut ſit pingue pabulum ſemini ſeminando, & ſemen virtutem accipiat vegetandi. De his tribus arcana tenet Roſius 1. De vinculo & Mercurio, ſex hebdomadarum tempore minimis expenſis dividit tria elementa: qvorum primum aëreum, qvo nil dulcius, ſecundum terreum ſummè amarum, qvo nil amarius; tertium aqveum, qvo nil inſipidius: ut mirum ſit, corpus unum tam diſcrepantibus componi corporibus, qvæ paucis hebdomadibus iterum fiunt unum, dum dicta dulcedo, qvæ ſpiritus eſt philoſophorum, & amaritudo, qvæ anima, in corpus inſipidum regredientes, ipſum potentiùs animant, qvàm antea: ut ſicut antea unum erant, jam redeant in unum. Hunc ſpiritum & animam vocat Mormius rorem Maji, acetum philoſophorum, lac virginis, ſuccum lunariæ: his ſolvi, ait, corpora in ſuam materiam primam, ut fiant metalla pulvis impalpabilis ſine igne flammeo. v. g. dum ſol ita ſolvitur, ut fiat ignibile violentius pulvere ſulphureo. 3. De ſemine hoc arcanum eſt, qvod
42 ex eodem pulvere conficiatur ipſum. * III. *Transmutatoria projectiva* eſt plenior & perfectior, cum in momento faciat, qvod ſeminaria temporis ſucceſſu; differt à ſeminaria, qvod hæc transmutat per modum vegetationis, veluti dum ſemen frumenti transmutat terram, aqvam, aërem in ſe: projectiva verò transmutat vel per vim medicam, ſi agatur de perfectiori metallo in imperfectius projiciendo; vel per vim infectivam, ſi contrà agatur. Qvod ſi metallum perfectum projiciatur in imperfectius, ſanat illius lepram & morbum, & facit illud perfectius, id eſt, magis ſanum. Facit & aliam
43 Transmutatoriam projectivam, cum unum aliqvod projicitur in ſemetipſum. * Tertium arcanum eſt *Medicina Univerſalis*. Cujus tres gradus facit. 1. Eam, qvæ univerſaliter omnes curat morbos. 2. qvæ ab omnibus eis tuetur. 3. qvæ vitam longam efficit. E ſingulis tres aliæ oriuntur. Prima, qvæ morbos ex traduce profligat; ſecunda, qvæ morbos animi: tertia, qvæ morbos corporis. Præſervans vel perditas vires reparat, vel ab animi & corporis ægritudinibus ſervat. Frorogans vitam vel producit eam, qvæ ſenectutem præcedit, vel vitam profert in plura ſecula, vel in æternum: qvam ultimam prorſus ignoravit Roſius: In ceteris vero omnibus mirè profecit. Adduxi hæc plenius, ac ipſis Autoris verbis; cum non in omnium manibus ille libellus ſit, &, ut eò rectiùs de ſingulis judicium inſtitui poſſit. Mihi qvidem cum præſtantioribus ac præcipuis magiſtris conferenti illa de Transmutatoriâ arte philoſophemata in multis nova & à viá illâ λεωφόρῳ ac regiâ aberrare videntur; qvâ de re peritiorum eſto judicium. Ego tamen, ut rem paucis cognitam, minimè hoc in loco prætermittendam duxi. Seqvun-

Seqvuntur jam *arcana minora*, è qvibus præcipua hic memorabimus. Poſſunt 44
Roſiani ex omnibus corporibus lapideis, mineralibus, vegetabilibus, elicere tria elementa, id eſt, corpora; qvorum unum reſpondet terræ, alterum aqvæ, tertium aëri: ex illis ternis ſingulis ulterius alia terna, ut fiant jam novem; & ex illis novenis ſingulis alia terna, ut fiant viginti-ſeptem: miro ordine, arteqve nova, qvæ ſingula etiam ſuis maxime differentibus proprietatibus conſtant, ut v. g. ex roſâ viginti-ſeptem corpora diſtincta ſeparentur, qvo evidentiſſimè trinitatem elementorum probare volunt: Elementum enim ignis, qvod vocant, nihil differre ajunt ab aëreo, qvam qvod ſit ſpecies ejus, aër ſc. magis excultus: qvi nihilominus in ventre ſuo tria iterum diviſibilia contineat elementa. Solvunt antimonium totum in aqvam fontanam & clariſſimam, qvæ leviter vomitum ciet & alvum movet; flores ex eo faciunt ſingulari methodo copioſiſſimos: amuleta contra peſtem & qvævis contagia, ſomnum conciliantia. Arcana habent adverſus mortem violentam: Unum defendit ab aqvis, qvo uti poſſunt tempore naufragii: à ſubmerſione enim cuſtodit. De tali arcano etiam Pegelius in ſuo ſuprà citato libro mentionem facit: Alterum ab armis ſecurum præſtat, lorica ſcil. ſingulari modo fabricata, qvæ vel ſclopeti ictum repellit: Tertium adverſus famem eſt; Si qvod ſupereſt ſeminis vel leguminis, maturè ſeminetur in terram etiam intra parietes domeſticos, cujus vis vegetandi in decuplum augeatur, unde tamen pro extrema neceſſitate præſidium ſit. Poſſunt & ligna, paleas, ſtramina, ad concoctionem apta reddere, ut pultes ex iis confectæ ſufficienter nutriant. Eodem libro p. 58. agitur qvoqve de arborum foliis, oſſibus, lanâ, cornibus ita parandis, ut eis nutriri qvodvis animal qveat. Qvod convenire cum illo Papiniano invento videtur, qvo oſſa ſingulari coctione, in clauſo inſtrumento, intra exiguum tempus in Gelatinam reſolvuntur, de qvo ſingularis in Angliâ liber prodiit. In ſalis communis defectu ſalem, qvi continebatur in ſanguine humano, arte ſpagiricâ reparatum in ſuam priſtinam naturam redigunt: qvod pauciſſimo labore, commodo autem maximo, effici poſſit. Oleum Talci conficiunt, qvod vehementer commendat Mormius, ut medicinam univerſalem, tam intus, qvam extus, ut ſpatio trium horarum ex libra talci qvinqve uncias olei eliciant. Commendat autem Mormius præ Talco Veneto, qvod vino ardenti non cedat, illud qvod reperitur in Aqvitaniâ.

Pergit Mormius ad *arcana Mathematica*; ubi primò motum perpetuum ter- 45
reum, cujus antea mentionem fecerat, deſcribit, qvem hic apponam: * Lamina lon- 46
giqr decuplo qvàm lata, plumbea, tenuiſſima, ſtylo transverſo, in formam novaculæ acutæ, pro axe, transfixa in duarum rotularum circumferentiam, pendula conſtituatur; ut minimo tactu agitari valeat; brachium ejus, tàm ſupernum, qvàm infernum, in duas partes æqvales notatum, excipiat in medio laminulam tenuem, longam digitum, itidem transverſam; ſic tamen ut dexterum latus laminæ muniatur una, ſiniſtrum altera. Illis ex oppoſito in extremis brachiorum ſimiles eodemqve ordine affigantur aliæ. Item decuplices qvatuor fabricentur arcus; ita, ut arcus ſimplex alligetur medio funi alterius; & ipſe alter alteri priori; ut ex decem arcubus fiat unicus. Unusqvis-

qviſqve horum figatur affabrè è regione alicujus dictarum laminularum digitalium: hinc fit, ut lamina ſuſpenſa agitata ſemel, infringens in duos eorundem arcuum, ſupernum & infernum, eâdem & majori violentiâ refringatur in alios arcus oppoſitos. Qvapropter & ab eisdem remiſſa velocitate eâdem redit ad arcus, à qvibus diſceſſerat; & ab eis excepta, uti prius, viciſſitudine æternâ reciprocatur in exitus & reditus nunqvam qvieturos. Hinc binas fabricas addit, qvarum prima eſt balliſta, qvæ non minori virtute projicit globum ferreum, qvàm tormentum bellicum. Ita autem eam inſtituit. Fiat magna balliſta, more communi, cui loco ſagittæ aptetur alia balliſta minor; & huic eodem modo alia minor, toties multiplicando balliſtas, qvoties ejus duplicare vim ejaculatoriam voles. Sic vero inſtituantur, ut, cum major laxata eſt, confeſtim, dum ejaculata minor procurrit, clavo obvio itidem laxetur; & ſic de ſeqventibus; globus vero inſideat ultimæ; fit igitur, ut velocitas harum omnium balliſtarum, in unum ex multis coiens, in globum unita ſupra fidem eum deturbet in re-
47 mota. * Secunda machina planetarum curſus ceterosqve mundi effectus imitatur: Qvalem Drebelius qvidem invenit per lampadem ardentem arcæ incluſam, cui inſidebat globus. Sed Roſius per funem pendulum repræſentavit omnes cœlorum motus, pluvias, tonitrua, ventos, & ipſam cœlorum muſicam, innumerabiles deniqve
48 mugitus, ſibilos, vagitus, clangores, latratus, nemine tangente aut juvante. * Plura hinc ſunt circa rem ruſticam, hortenſem, campeſtrem &c. arcana. In ſingulis ſunt alienarum qvalitatum inſertiones, transformationes. In qvalitatis alienæ inſertione obſervavit Roſius, plantas vel Ambræ, vel Zibetæ, vel cujuſcunqve rei, odore ita imbui poſſe, ut tota herba ſemper illum odorem ſpiret, & pro vero moſco &c. in uſum venire poſſit. Cum hæc experiretur, ſeqventium paradoxorum veritatem probatam invenit, qvorum primum: Omne vegetans nec ex aqvâ, nec terrâ, nec aëre ſumit ſui incrementi materiam, & per conſeqvens, elementa non ſunt elementa rerum. Secundum: Omnis res, qvatenus talis naturâ, eſt indiviſibilis: ergo, qvando res creſcit, in ſeipſam repetitur & ejus perire nil aliud eſt, qvam iſtius repetitionis annihilatio. Tertium: Ex nihilo fit aliqvid: cum omnia, qvæ fiunt, ex nihilo fiant. Hoc infertur ex præcedentibus. Ad hujus rei confirmationem vidiſſe ſe ait Mormius ſemina plantarum projecta in vacuum qvoddam, in qvo nec aër, nec aqva, nec terra, à qvibus augeri potuerint, longè latèqve radices circumvolvere, adoleſcere, frondere, florere & ſementurire. Niſi ſuis oculis vidiſſet, nunqvam talia ſe credidiſſe ait. In Exemplum adducit J. Bapt. Portam, *Mag. nat. lib.* 4. *cap.* 19. (qvem autorem veridicum ſe in multis probaſſe ait), qvi docet, farinam triticeam portentoſo proventu in infinitum excreſcere, obſervatis
49 paucis, qvæ nullam evidentem creſcendi materiam ſuppeditant. * Proponuntur alia de aggeribus & vallibus diſſipandis, de terræ ejaculatione ad foſſas implendas, de meſſibus opimis ex agris exhauſtis & ſterilibus ſine fimo vulgari & aliâ culturâ producendis, de organis aqvam ſurſum levantibus, de ſingulari qvadam machinâ, qvæ *Arca piſcis* vocatur, qvia ſub aqvis non ſecus ac piſcis natat, ſurſum, deorſum, dextrorſum, & prout vult, qvi regit eam. Hanc ita deſcribit Mormius: Hæc curſu inſeqvi poteſt qvamvis navem, etiam ſecundo vento pulſam; maris abyſſos luſtrare, indeqve

corallia,

corallia, perlas, aurum, naves merſas, qværere & exportare; & pro magnitudine ſuâ
centum & mille viros deportare. Idem Mormius illic ait, ſe aqvis merſum ambulare
poſſe, qvocunqve placuerit, metâ poſitâ, & in chartâ ſub gurgite ſcribere, qvicqvid vo-
let, & de fundo extrahere, qvod injicitur, & tormentum pulvere nitroſo gravidum
ſuccendere, & tandem ſiccum emergere. * Ad ligna dividenda Roſius ſerram in- 50
venit, qvæ minori faſtidio & labore plus efficit uno die, qvam qvælibet alia diebus
ſex. Ad ſaxa dividenda machinam invenit, qvâ qvæqve ſaxa ſub aqvis latitantia, in
qvæ naves alliduntur, breviſſimo tempore diſſiliant. Invenit inſtrumentum, qvod
camino impoſitum fumum omnem de loco ſurſum trahit, & unà veru carnibus aſſan-
dis onuſtum optimè volvit, beneficio ignis, qvi à ſe ipſo movetur ſurſum: item fur-
num portatilem, qvi ſolâ lampade ſuppoſitâ breviori tempore carnes duriſſimas per-
coqvit, magno lignorum, laboris & temporis compendio: Cujus & uſus inſignis in
deſtillationibus eſt. Agit porro de linguis breviore methodo docendis, de qvo nos
alio loco. Hæc ſunt illa collegii Roſiani arcana, in qvibus recenſendis fortè prolixi-
or, qvàm par erat, fui. Putavi tamen, non ingrata lectoribus fore ob inſignem rerum
& artium varietatem; Qvarum vel titulos noſſe, Hiſtoriæ naturalis cultoribus jucun-
dum non ſolùm, ſed & fructuoſum eſt. * Ego vel in hunc diem latitare per or- 51
bem variis in locis talia occulta collegia crediderim, ut olim ſingulares ordines in ar-
canorum naturæ memoriam ſunt inſtituti, qvorum omne ſtudium in abditis naturæ
cauſis indagandis verſatur, de qvibus hoc loco plura non dicemus. Felices animæ,
qvæ divino beneficio ad hæc arcana admiſſæ! Qvod & Seneca agnoſcit, qvi lib. 6.
Nat. qvæſt. *Magni*, inqvit, *animi res fuit, Naturæ latebras dimovere, & in Deorum
ſecreta deſcendere.* Nos jam ad cetera tranſimus.

CAP. XIV.
DE ALIIS ERUDITORUM SOCIETATIBUS.

§. 1. *Muſeorum cura ad Principes pertinet.* 2. *Hebræorum Scholæ,* 3. *Synagogæ.* 4. *Græcorum Muſea.* 5. *Prytanea.* 6. *Muſeum Alexandrinum.* 7. *Honores eorum, qvi Muſeo Alexandrino recipiebantur.* 8. *Omnis generis literati in illo.* 9. *Canonicorum collegia.* 10. *Univerſitates.* 11. *Qvare in Academiis exigui ſint rerum naturalium progreſſus.* 12. 13. *Judicium Verulamii & Tſchirnhauſii.* 14. *Academiæ Italicæ.* 15. *Qvando inſtitutæ.* 16. *Academia Humoriſtarum.* 17. *Mancini elogium.* 18. *Lynceorum.* 19. *Cæſii elogium.* 20. *Origo hujus Academiæ.* 21. *Doctrinæ in illa propoſitæ.* 22. *Aliæ Academiæ Romanæ.* 23. *Venetæ Academiæ.* 24. *Veneta & Vinitiana differt.* 25. *Incogniti.* 26. 27. *Plures Academici Veneti & Patavini enarrantur.* 28. *Academia Furfurariorum Florentina.* 29. *Strozzæ elogium.* 30. *Academiæ plures Florentinæ.* 31. *Academiæ*

mia Otioſorum. 32. Manſi elogium. 33. Academiæ Neapolitanæ. 34. Plures Academiæ recenſentur. 35. Academia della Leſina. 36. Scriptum della Leſina ridiculum. 37. Inepti Academicorum tituli reprehenſi. 38. Earum Academiarum utilitas. 39. Fata. 40. Forma & inſtitutio. 41. Academie Francoiſe Pariſiis à Richelio inſtituta. 42. Plures Academiæ Pariſinæ recenſentur. 43. Fructus pro augendis ſcientiis, cur ex illis exiguus? 44. Societas Regia Anglica. 45. Abrahami Cowlei Idea collegii experimentalis. 46. Collegium Pſychoſophicum. 47. Hieroſophicum. 48. Samaritanum. 49. Tſchirnhauſii pro inſtituendo Collegio indagandæ veritatis conſilium.

1 UBiqve gentium ſua fuere ſtudiis qvaſi emporia, Muséa, Collegia, ubi convenirent eruditi, deqve variis rebus literariis inter ſe conferrent, unde divinarum humanarumqve rerum ſcientia in populos mitteretur, ac in Reipublicæ utilitatem præclara ingenia educarentur. Fuit illa Principum jam ab omni ævo cura, eſſeqve in omne ævum debet, ut artes liberales foveant, earum doctoribus & cultoribus omni ope conſilioqve ſubveniant, cœtus virorum doctorum publicos cogant. Hæc ſunt vera illa opera πολυχρόνια in longum tempus duratura, qvalia eſſe volebat Ariſtoteles munificentiæ opera. Eumenius Rhetor in Panegyrico rectè vocat talia Collegia ac Gymnaſia *templa Imperatoriarum gloriarum:* In eo enim verè Deum imitantur Principes, cum bonorum fontes populis ſuis recludunt. Ab illis, ſi ipſi boni, docti, pii, virorum eruditorum amantes ſunt, naſcitur illa ſeculorum felicitas; excoluntur artes humano generi utiles: ipſiqve immortales erunt, cum inſtrumenta immortalitatis tuentur. In hunc usqve diem fruimur maximorum Heroum, Caroli Magni, Fridericorum, beneficiis; neqve ulla unqvam ætas illorum memoriam oblitebit. Durat illa literarum & Collegiorum per Italiam, Galliam, Germaniam, reſtauratoribus gloria, qvorum munificentiâ fructus ad omnem poſteritatem propagantur. Hi ſunt illi portus, in qvos ſe referunt fluctibus negotiorum agitati, nunqvam minus otioſi, qvam cum ſic otioſi.

2 Antiqviſſima illa Collegiorum cura eſt, & cum ipſa humanitate nata. In *Hebræorum* politia à Prophetis *ſcholæ* ſunt divino inſtinctu conſtitutæ. Illæ qvadraginta & octo urbes, domicilio ac uſui Levitarum conceſſæ, *Numeror. c. 35. & Joſ. c. 21.* ſcholæ fuere populi Iſraëlitici, in qvibus juventutem diligenter educatam, ex eo colligi poteſt, qvod Nabuchodonoſor è captivis filiis Iſraël deligi jubet pueros omni ſapientia eruditos. Erat Ieroſolymæ in monte Sion nobiliſſimum Gymnaſium, à primis Regibus magnificè ornatum. Chryſoſtomus illud vocat διδασκαλεῖον τῆς γῆς, *ſcholam communem orbis terrarum*, qvæ diu floruit, usqve dum ſuperſtitionibus gentium ejus gloria contaminaretur. In hiſtoriâ Regum mentio fit ſcholæ, qvam aperuit Heli Sacerdos, cujus diſciplinâ primogeniti Deo conſecrati erudiebantur. Schola Samuelis Prophetæ in Galgala, Ramatha, Najoth. Schola Heli-
3 ſei formata ab Heliâ. * Synagogæ apud Judæos, poſt labefactatam diſciplinam Levitarum inſtitutæ, qvibus præerant Phariſæi & Scribæ in varias ſectas diſtincti, in

qvibus

qvibus Paulus Apoſtolus ad pedes Gamalielis profecit. Erant in illis Synagogis
qvoqve Bibliothecæ ad earum uſum paratæ. Videatur Lomeierus, *libro de Bibliothe-
cis, cap. 3.*

In *Græciâ*, ut omnium artium qvaſi patria erat, ita *varia* in honorem artium & 4
virorum literatorum *Muſéa* inſtituta. Ipſæ Athenæ apud *Athenæum lib. V. cap. 2.*
τὸ τῆς ἑλλάδος μουσεῖον, Græciæ Muſeum dicitur. Fuit & Athenis Μουσεῖον, teſte
Pauſan. in Att. & Lacon. de qvo videatur Meurſius *Athen. Att. II. 9.* Trœzene iti-
dem erat Muſeum, teſte *Pauſaniâ in Corinth.* & Stagiris, teſte Plin. *Hiſt. Nat. l. 16.
cap.* 32. De Muſéo in Helicone egit Amphion, teſte *Athenæo lib. XIV. cap. 6.* Magno
ſcil. in honore apud Græcos erant non ſolùm viri docti, ſed & benè de Republicâ
meriti. * Hi in Prytanéis publico victu alebantur, qvod præcipuum qvidem Athe- 5
nis fuit, ſed & in ceteris omnibus Græcorum urbibus *Prytanéa* fuerunt. Habebant
Tarentini, Corinthii, Rhodii, Mileſii, Tenedii, Argivi, Thaſii, Ereſii, Mitylenæi, Cyzi-
ceni, Elei, Naxii, Epheſii, Naucratitæ, ſua Prytanéa. In his Veſta culta fuit, perpetui-
qve ignes magnâ religione cuſtoditi, cujus occulta qvædam ratio fuit. Sed Athe-
narum fama fecit, ut ejus urbis prytanéum cetera omnia ſplendore ſuo obfuſcaret.
Vide de his Prytaneis Caſaub. Animadverſion. in Athenæum, *lib. 15. cap. 19.*

Præ ceteris omnibus toto orbe ſuo tempore celeberrimum fuit *Muſeum Alexan-* 6
drinum. Deſcribit illud Strabo lib. 17. *Pars Baſilicarum ſive ædificiorum regiorum
eſt Muſeum, qvod ambulacrum & exedram habet, magnamqve inſuper domum, in qvâ
cœnaculum eſt ſive convictorium iis commune, qvi ad Muſeum pertinent, & literis hu-
manioribus operam navant. Hoc collegium publicas pecunias habet, & ſacerdotem, qvi
Muſeo præeſt, olim à Regibus, nunc à Cæſare, conſtitutum.* Floruiſſe hoc Muſeum jam
tum Ptolomæi Philadelphi tempore, docet Athenæus *lib. 5. cap. 8.* * Non leve 7
erat hoc honore dignum haberi: Nam inter eqveſtres dignitates referebatur, ait Phi-
loſtratus *lib. 1. de Sophiſtis* in Dionyſio. *Adrianus Dionyſium Satrapam deſignavit,
non humilium gentium, ſed inter viros ordinis eqveſtris cenſeri voluit & eos, qvi in
Muſeo alebantur. Muſeum autem erat Menſa Ægyptia, qvæ ex omni terrarum orbe
celeberrimos qvosqve convocabat.* Illorum honorum præcipua qvaſi capita fuere δω-
ρεαὶ καὶ δῶρα. Ita in Adriano Tyrio Philoſtratus: *Marcus*, inqvit, *Imperator Sophi-
ſtam Adrianum miratus eum magnis affecit* δωρεαῖς καὶ δώροις. Tum ſubjungit: *Voco
autem* δωρεὰς, *publici victus honorarium, prærogativas, immunitates, Pontificatus & ce-
tera, qvæ viros illuſtrant;* Δῶρα *verò aurum, argentum, eqvos, mancipia, & qvæcunqve
divitiarum nomine cenſentur.* Qvibus addere poſſumus liberam & immunem terra
mariqve vehiculationem, qvam donavit Polemoni Trajanus Imperator, ut in ejus vitâ
habet Philoſtratus. Ipſi illi maximi Imperatores Sophiſtarum auditorium præſentiâ
ſuâ & muneribus cohoneſtabant. Pompejus, teſte Plutarch. in ejus vitâ, cum Rhodum
veniſſet, ſingulis Sophiſtis talentum largitus eſt. Ad Hermogenem, 15. annos natum,
facundiâ celebrem, Marcus Imperator ſumma cupiditate acceſſit; & ut Suidas ait, δω-
ρεὰς λαμπρὰς ἔδωκεν. * Erant vero omnis generis viri docti in Muſeo Alexan- 8

 drino,

drino, Rhetores, Mathematici, Poëtæ, Philoſophi. De Philoſophis eſt illud apud Athenæũ *lib. 1. cap. 19.* ſcomma: *Timon Philiaſius Sillographus Muſeum caveam dixit, irridens Philoſophos, qvi ibi alebantur, & tanqvam aves maximi pretii, incluſæ reti ſaginabantur.*

Permulti paſcuntur in Ægypto populoſâ,
Pugnantes libris ac ſemper digladiantes
Muſarum in cavea.

Ut de verbis rixari nunqvam ceſſent. De hoc Muſeo ejusqve Viris illuſtribus ſcripſit Ariſtonicus, teſte Strabone lib. 1. Scripſit & Callimachus Μȣσεῖον, teſte Suida. Erat inter honoris titulos, *Alexandrinos* dici, qvi aliâ gente erant oriundi. Qvi enim Alexandriæ literas docuerant, vel jus civitatis erant adepti, Alexandrini dicebantur. Vide plura ejus appellationis exempla apud Jonſſium, *Hiſtor. Phil. l. 1. c. 2.* Multa hic de Byzantino, Antiocheno, Berytenſi &c. Collegiis dici poſſent, qvæ conſulto omitti-
9 mus. * Vetuſtiſſima *Canonicorum collegia*, nihil niſi ſcholæ fuerunt, & in hunc finem inſtitutæ, ut arguunt, qvæ hodieqve mutato & profanato eorum uſu ſuperſunt, officiorum nomina.

10 Succeſſerunt, mutato per Carolum Magnum publico ſtatu, omniqve re ſacrâ & literariâ reſtauratâ, Academiæ, de qvarum origine, juribus, multa dici poſſent. Sed occupavit illud argumentum Conringius in præclaro *de Antiqvitatibus Academicis* libro. Moliebatur etiam Leo Allatius opus *de totius orbis Academiis*, ſed illud vel affectum tantùm, vel ἀνέκδοτον eſt. Scripſit & Joh. Bapt. Alberti tractatum Italicâ linguâ: *Diſcorſo dell' origine delle Academie publiche & private*, teſte Ghilino *in Theatr. Ho-*
11 *minum literator. vol. 2. pag. 137.*, qvem tamen non vidi. * In his etſi univerſa doctrina & rerum humanarum divinarumqve ſcientia proponitur, nam in illum finem ſunt inſtitutæ, ac *Univerſitatum* nomen ſunt adeptæ; parum tamen hactenus in rerum
12 naturalium ſtudiis ac mathematicis effectum eſt: * Cujus rei cauſam Franciſcus Baco Verulamius indagat *in Cogitatis & Viſis ſuis de inventione naturæ*, ſive *Inventione rerum & operum: Cogitavit & illud*, inqvit, *in moribus & inſtitutis Academiarum, Collegiorum & ſimilium Conventuum, qvæ ad doctorum hominum ſedes & operas mutuas deſtinata ſunt, omnia progreſſui ſcientiarum in ulterius adverſa inveniri. Freqventiam enim multò maximam profeſſoriam primò, ac ſubinde meritoriam eſſe. Lectiones autem & exercitia ita diſpoſita, ut aliud à conſuetis non facilè cuiqvam in mentem veniat cogitare. Sin autem alicui inqviſitionis & judicii libertate uti contigerit, is ſe in magnâ ſollicitudine verſari ſtatim ſentiet. Sin & hoc toleraverit, tamen in capeſſendâ fortunâ induſtriam hanc & magnanimitatem ſibi non levi impedimento fore experietur. Studia enim hominum in ejusmodi locis in qvorundam Autorum ſcripta veluti relegata eſſe: à qvibus, ſi qvis diſſentiat, aut controverſiam moveat, continuò ut homo turbidus & rerum novarum cupidus corripitur: cum tamen, (ſi qvis verus æſtimator ſit) magnum diſcrimen inter rerum civilium ac artium adminiſtrationem reperiatur. In artibus autem & ſcientiis, tanqvam in metallifodinis omnia novis operibus & ulterioribus pro-*
13 *greſſibus ſtrepere debent.* * Eadem eſt qverela Ehrenfriedi Waltheri von Tſchirnhaus

haus in eleganti libro, cui titulus: *Medicina mentis & corporis, lib. 1. part. 3.* qvi in cauſas inqvirens, qvare in indagandâ veritate adeò exigui ſint progreſſus, præcipuè in Academiis, eandem adducit, qvod pleriqve homines non ſui animi inclinationes & ductus ſeqvantur, præcipuè illi, qvi in Collegiis vivunt. Ita enim ille: *Qvi ſuas inclinationes ſecuti ſunt, vel ex inſtituto, vel fortunâ ſic diſponente, magni certè viri ſunt habiti, mundoqve exhibuere ſingularia. Hæc, qvi magnorum virorum vitas perlegerit, optimè firmata inveniet: cum contrà tot Academiæ, tot annorum abſumpto tempore, & tot collegia virorum ſtudiis qvam enixiſſimè incumbentium, pauciſſima tantum nobis, aliorum plerumqve inventa, alio ordine, aut commentariis illuſtrata, ad diſcentium uſum diſpoſita tradiderint; nihil autem, qvod cum inventis illuſtriſſimorum virorum comparetur, ne dicam æqvipolleat, multò minus palmam præripiat. Certe hujus rei ratio non eſt alia, qvam qvod pleriq; proprias inclinationes ob neceſſariam vitæ ſuſtentationem vix potuerunt ſeqvi, utut optarint maximè, vel, qvod unà cum ſtudiis certo adſtricti fuerunt vitæ generi, ad qvod unicè propter temporis penuriam coacti fuerunt attendere; aut qvod ad ſtudia attinet, ea tantùm tractare coacti ſunt, qvæ ipſorum genio directè adverſabantur. Qvod adeò verum eſt, ut ex alterâ parte viderim homines admodum rudes, qvi ſemper propriam animi inclinationem ab ineunte ætate ſecuti ſunt, eò perfectionis evaſiſſe, ut, qvod oculis inſpicerent, id manibus feliciter efficere ſcirent; licet fuerint deſtituti ſpeciali magiſtri manuductione, non ſine omnium hæc non attendentium miratione.*

Hos defectus ut evitarent, in Collegia liberiora viri docti coivere, opes & ſub- 14
ſidia ſuppeditantibus viris Principibus & Magnatibus, præcipuè in Italiâ. Magnus illic pro omni genere ſtudiorum, Collegiorum & Academiarum, qvas vocant, numerus, inqve præcipuis Italiæ urbibus, qvæ, ut certo fine fuere inſtitutæ, ita variis titulis nominibusqve inſignitæ fuerunt. Sunt verò ex his qvædam celebriores, qvædam Autoribus ſuis ſuperfuerunt; qvædam cum ipſis, & ante ipſos, exſtinctæ. Nos Academiarum Academicorumqve nomina hîc, qvoad notitia eorum haberi poteſt, congeremus, qvam partim Gregorio Leti, in *Itàliæ regnantis part. 3. lib. 1.* partim Joanni Ferro in *Theatro Emblematum*, Italicâ linguâ ſcripto, debemus. * Si Conringium in 15
Antiqvitat. Academ. ſupplemento 1. audimus, primò omnium in Italia Romæ videtur *Academiæ* vox reducta in uſum Paulo II. Pontifice, ita tamen, ut non ſignificaret ſcholam ipſam, ſed collegium illo tempore Romæ commorantium, & priſcæ doctrinæ collapſæ reſtitutionem aliqvam inſtituentium; probatqve hoc, loco ex Bartholomæo Platina in vitâ hujus Pontificis adducto, ubi memoratur, Paulum hæreticos eos pronunciaſſe, qvi nomem Academiæ, vel ſerio vel joco, deinceps commemorarent. Sed poſt illa tempora & freqventius & gratius talium Academiarum nomen fuit: de qvibus nunc agemus.

Romæ (ut ab illa incipiamus) celebres Academiæ fuerunt, 1. HUMORISTARUM, 16
qvorum Symbolum eſt, decidens è nubibus pluvia, cum hoc lemmate: *Redit agmine dulci.* * Autor hujus Academiæ Paulus Mancinus fuit, ex ſtirpe Romana veteri ac 17
nobili

nobili proſapia creatus. Originem nominis in Hiſtoria Academiæ Francicæ ſub initium ejus Dn. de Peliſſon recenſet,& Galliſius in *Converſations de l' Academie de Bourdelot*, Diſcurſu illo, qvi appendicis loco additur. De Mancino Erythræus *Pinacoth. I. num.* 13. *Humoriſtarum Academiam inſtituit præſtantiſſimis hominum ingeniis refertam, cujus nominis fama brevi totam Italiam pervaſit, atqve Alpes conſcendens & maria transmittens, apud omnes eas nationes, permanavit, ubi aliqvis bonis literis honos habetur, adeò ut hodie apud doctos viros nihil ferè ſit Academiâ illâ celebrius. Ad hanc Academiam inſtituendam impulit Mancinum Gaſpar Salvianus, homo ad amicitias & familiaritates eruditorum factus.* Hujus characterem graphicè depinxit Erythræus Pinacoth. I. num. 14. *Huic ab ineunte ætate nihil fuit antiquius, quam univerſos notitiâ comprehendere, ſingulorum genus, patriam, opes, divitias, virtutes ac vitia, noſſe, quam plurimos uſu amicitiâque ſibi conjungere, quos ita junctos haberet, opera, conſilio, labore juvare, cum eis communicare, quod habebat; adeo ut, cum pro nonnullis eorum interceſſiſſet, penè ad egeſtatem redactus ſit; ſed maximè eorum familiaritates appetebat, qui ingenii, eruditionis, doctrinæ, aut artificii cujuspiam fama præſtarent; hos colere, diligere, tueri obſequio, horum ſtudia, utilitates & commoda ſuis anteponere. Neq; alterius cujuspiam opera uſus eſt Paulus Mancinus ad Academiam Humoriſtarum congregandam, niſi illius. Nam quod erat apud omnes eruditos viros gratiâ & amore, non fuit illi magnopere elaborandum, quo unumquemque illorum in illum cœtum attraheret, &, quoties conventus ille honeſtiſſimus cogendus erat, ſolus ille ſingulos adire, hortari, rogare ut venirent, quæque domi tanquam in umbra commentati eſſent, foras educerent, & in eam clariorum hominum lucem conſpectumque proferrent; adeuntibus obviam ire, ſalutem impertiri, locum in ſubſelliis tribuere.* De hoc Paulo Mancino legi ampliùs poteſt Erythræus. *lib. 5. epiſt. 6.* Hujus Humoriſtarum Academiæ Princeps ſuo tempore factus eſt Joh. Bapt. Marinus Poëta Italus celebratiſſimus. Vide Erythræum, *Pinacoth. I. num. 16.* Fuit & in eadem Academiâ Princeps Auguſtinus Maſcardus, Ur-
18 bani VIII. cubicularius, Poëta inſignis, teſte Erythr. *Pinac. num. 36.* * Fuit &. Romæ celebris LYNCEORUM Academia, ut Erythræus refert, ab Angelo Cæſio, Federici filio, Duce Aqvæ Spartæ Romano inſtituta, cujus meritò plenior hîc hiſtoria proponi debet, qvò illa ceteris omnibus Italiæ Academiis majorem promerita famam eſt. Lynceorum ſibi nomen à Symbolo Lyncis ſumſerunt, ut perſpicacitatem in operibus
19 naturæ eo titulo innuerent. * Hujus Cæſii characteriſmum Erythræus nobis depingit Pinacoth. III. num. 23. *Mathematicas præ aliis diſciplinas coluit, in eisque, qua erat ingenii ſublimitate atque acumine, progreſſus maximos fecit, ut videre licet ex libris, quos edidit; & in Geometricis ac Mechanicis pleraque à nemine excogitata invenit. Præſtantiſſimum etiam ingenium contulit ad rerum philoſophicarum ſcientiam, in quibus ſummus evaſit. Ex quo excellenti ſtudio omnia egregia illa opera emanarunt, quæ cum ſumma ſingularis ejusdem ingenii admiratione leguntur. Primum, volumen illud ingens, quod Naturæ theatrum inſcribitur, unde Apiarium etiam ſuum depromſit: Tum liber de cœlo, in quo ex ſanctorum Patrum ſententia probare contendit, Cœlum eſſe*

fluidum,

fluidum, non autem ſolidum, ut univerſa Philoſophorum ſchola defendit: Deinde prodigioſorum omnium Phyſica expoſitio, pluribus libris comprehenſa; tum cœleſtis natura, non minus multis libris expoſita; tabulæ etiam Philoſophicæ, in quibus omnium vis & natura plantarum, Mexicanarum quoque, luculenta oratione narratur. His additur Metallophytum, Urbano VIII. & Card. Barberino dicatum; Phyſica Matheſis, & univerſale rationis ſpeculum, ubi ſcientiarum ars omnium copioſe tractatur. Neque his tantum, quantumvis latiſſimis, doctrinarum finibus ſe illa vis ingenii continuit, ſed tantum flumen, extra ripas diffluens, in alias etiam diſciplinas & ad eam Philoſophiam, quæ eſt de vita & moribus, exiit, atque Moralia, Paradoxa, Monita, & his ſimilia quam plura, in vulgus emiſit. Ad ſui aliorumque exercitationem publicam domi ſuæ Academiam inſtituit, quam Lynceorum nomine appellavit; in qua & ipſe, quoad vixit, principatum obtinuit. Autor erat Academicis ſuis, ut aliquid ſcriberent; cujus autoritas eo majus apud eos pondus habebat, quod ſuum ad illam exemplum accedebat, qui nullum ſcribendi finem faciebat. Ac, ne ad ea, quæ doctè eruditèque compoſuiſſent, in lucem edenda, ſumtuum faciendorum metu deterrerentur, pecuniam ipſe de ſuo largiebatur. Cujus honeſtiſſimæ glorioſiſſimæque liberalitatis exemplum ſi viri principes imitarentur, non tàm multis egregiis ac doctis operibus egeremus, quæ nunc, autorum inopia, in aliqvem pauperculæ domus angulum rejecta, pulvere obruta ſituque corrupta, in magnum bonarum artium detrimentum, eruditorum manibus eripiuntur: præterea eum illi ſuæ liberalitatis fructum ferrent, quo nullus, neque major, neque præſtantior, expectari poteſt ab iis, qui nihil eſſe in vita magnopere expetendum, niſi laudem & honeſtatem, exiſtimant; videlicet, ut nomen ipſorum clarum & æternum apud poſteros eſſet. Quid multis opus eſt? Eò Angeli Cæſii, in operibus eruditorum typis mandandis, liberalis ac regius progreſſus eſt animus, ut nulli neque ſumtui, neque labori pepercerit, quo Nardi Antonii Recchi novæ Hiſpaniæ rerum medicarum liber, qui antea latitabat, in hominum conſpectum exiret. Nam & ſumtus ad id neceſſarios præbuit, ac doctiſſimis ſuis Lynceorumque ſuorum commentariis illuſtravit atque auxit. Laudata eſt viri hujus principis eruditio, ac mentis acies, qua rerum omnium vim & naturam inſpexit, à Jo. Baptiſta Porta, in præfatione libri, quem de diſtillatione conſcripſit. Hæc de Principe illo Erythræus.
* Verùm ſi Auguſtinum Favoritum in Vitâ Virginii Cæſarini, qvæ Poëmatibus ſeptem 20
virorum illuſtrium additur, audimus, non Angelus Cæſius, ſed Federicus, hujus Academiæ Autor fuit; Ita enim Favoritus: *Hæc Academia Lynceorum autorem habuit Federicum Principem Cæſium, literarum amatorem potiùs, quàm peritum; manſitque tamdiu, quamdiu vixit autor ſuus, qui illam quaſi ſatam à ſe arborem omni officio induſtriâque colebat. Verùm eo mortuo, cum Academici nullas haberent certas ſedes, nec ceterarum Academiarum morem ſequerentur, ſtatis diebus in unum conveniendi: ſed unico nominis ſplendore, & annuli myſterio, omnis eorum diſciplina contineretur, brevi Lynceorum memoria ita exſtincta eſt, ut eorum ad ætatem hanc noſtram vix tenuis aura pervenerit.* Incertum ergo è tàm diverſis ſententiis, cui Academiæ hujus origo, Patrine an filio, tribuenda. * Fuit verò hujus Academiæ inſtitutum, eodem Favo- 21

rito teſte, inuſitata rerum eventa, qvæ terris, qvæ cœlo acciderent, in diſputationem vocare, cauſas ſedulo indagare, & eorum obſervationibus aliisqve experimentis veterem omnem Philoſophiam, Ariſtotelicam inprimis, evertere. Præcipuè Chimica omnia excolebant, qvibus convelli doctrinam Ariſtotelis putabant: Qvod Virginium feciſſe, ſedulò huic operi intentum, autor eſt Favoritus. Præclari ex hâc Academiâ Viri orti: Galilæus à Galilæis, Fabius Columna, ac plures alii, qvorum hiſtoriam pleno opere, ſed inedito, deduxit Martinus Fogelius, cujus ſuprà mentionem fecimus.
22 * Plura fuere in eâdem urbe collegia: Academiam ORDINATORUM Cardinalis Detus in ſuis ædibus fundandam curavit, in qvâ eruditis exercitationibus accedebat ſuaviſſimus v cum & chordarum cantus. In illâ magnam ſibi famam Octavius Tronſarellus acqviſivit; ſed in magnam cum Margarita Scarrochia, poëtria nobili, contentionem venit ſuper ſymbolo hujus Academiæ, qvod erat, ſalinum plenum ſalis, cum hoc dicto: *à Sole;* de qvâ liticulâ legi poteſt Erythræus *Pinacoth. III. num. 36.* Plures Romæ memorantur Academiæ, à J. Ferro, *Deiſicorum, Incitatorum, Intricatorum, Partheniorum, Renovatorum, Uniformium;* à Gregorio Leti *Phantaſticorum,* de qvibus omnibus, qvæ dicam, non habeo.

23 In Venetorum urbe multæ inſtitutæ fuere Academiæ: ubi primum occurrunt
24 Academia VENETA & VINITIANA κατ᾽ ἐξοχὴν ita dictæ, * qvæ voces non unum idemqve ſignificant. Teſtis Joh. Ferrus Theatr. d' Impreſe part. 1. cap. 31. *Ne creda il Lettore eſſere la medeſima la Veneta e la Vinitiana. Perciochè ſe bene queſte due voci in altro ſignificando ſono ſinonime e ſignificano l' iſteſſo, qui però preſe in ſignificatione d' Academia fanno diverſità: poiche la Veneta hà per corpo una Palificata à modo di quelle che ſi fanno in Vinegia, qvando ſi vuol fabricare col motto.* Hinc attollere moles, *& la*
25 *Vinitiana ha la fama col verſo:* Coſi dal baſſo me ne volo al cielo. * Fuit illic Academia INCOGNITORUM, qvam inſtituiſſe dicitur Joh. Franciſcus Loredanus, Senator Venetus, variis ſcriptis celebratiſſimus. Ejusdem Academiæ Collega fuit Angelicus Aproſius Vintimilienſis Auguſtinianus, cujus multi ſunt elegantiſſimi, pleriqve tamen ἀνέκδοτοι, libri, qvorum catalogum recenſet Gregor. Leti *Ital. regnant. part. 4. l. 3. à p. 358. ad p. 410.* ubi & multa in illum cumulat elogia. Ejus viri *Athenas Italicas, Bibliothecam Aproſianam,* ita exſpectant viri docti, ut deſiderium amplius non ferant. Horum Academicorum vitæ ſunt peculiari libro Italico congeſtæ, cui titulus: *Le glorie de gli Incogniti, overe gli huomini illuſtri dell' Academia dei Signori Incogniti di Venetia. Venet. 1647. in 4to.,* cujus tamen libri verus autor ignoratur. Sunt, qvi Loredanum ipſum autorem volunt, ut Philippus Labbe in Bibliotheca Bibliothecarum: Qvod meritò in dubium vocat Placcius libro de Anonym. ſcriptoribus, cum ii, qvi vitam ejus ſcripſerunt, ac libros recenſuerunt, nullam ejus mentionem faciant, neqve
26 veroſimile ſit, ipſum ſui Panegyriſten futurum Loredanum. * Fuerunt porrò in illa urbe Academici. *Allettati, Approvati, Corteſi, della calza, disgiunti Diſingannati, Fileleuteri, Immaturi, Intricati, Maritimi, Securi, Aſſecurati, Svegliati, Peregrini, Dis-*
27 *cordanti, Inſtancabili, Guſſoni, Acceſi.* * Patavii illuſtris primùm Academia eſt,

cujus

cujus hiſtoriam Riccobonus ſingulari libro deſcripſit. Hinc ſunt Academici ÆTHEREI à Scipione Gonzaga inſtituti, cujus elogium vide apud Erythræum *Pinacoth. II. n. 11.* ANIMOSI ab Aſcanio Martinengo Abbate inſtituti, de qvibus exſtant duæ doctæ orationes Antonii Riccoboni, qvarum prima eſt *de primordiis Academiæ Animoſorum*, altera *de inſigni eorum*; illa octava, hæc nona *in Volumine primo Orationum Riccoboni*, Petavii editarum. Fuerunt illic *Anhelantes* ſive *Aſpirantes, Orditi, Incogniti, Conſtantes, Elevati, Immaturi, Inflammati, Ricoverati, Sitientes, Sperantes, Affettuoſi, Hoploſophiſti, Delii, Rinaſcenti, Stabili.*

Florentiæ FURFURARIORUM ſ. DELLA CRUSCA Academiæ fama orbi literato 28
innotuit, eruditiſſimis ex ea ſocietate libris. Nomen & ſymbolum à furfure ideò datum, qvod diſputationibus ſuis farinam puriorem, animorum cibum, à furfuribus, erroribus ſcilicet, ſecernerent. Præcipuè verò ad puritatem linguæ Italicæ illa inſtituta fuit. Prodiit ex illa *Vocabularium Italicum della Cruſca*, cui ſimile hactenus nulla vulgarium linguarum habet. Collegium hoc deſcribit Monconiſius in Itinerario part. I. p. 125. *Elle eſt* (inqvit) *toute pleine de diviſes fuiſant alluſion an mot & chasque eſcolier prend un nom auſſis reſpondane au ſuiet. Les ſieges ſon faits en hottes on l' on porte le pain, le doſſier en péles dont on remüe le bled, les chaiſes en facon de grandes cuves d' oſcer ou paille, où l' on tient le bled, les couſſins des chaiſes des Princes, ſont de ſatin gris en forme de ſacs, & l' on met les flambeaux dans des eſtuis, qui ſemblent des ſacs de farine.* * Academia Florentiæ qvoqve fuit in Joh. Baptiſtæ Strozzæ ædibus, qvi 29
omnes ſuas opes in literas impendit, qvod ut illuſtre exemplum prædicat Erythræus *Pinacoth. II. num. 2.* ac meritò hic commemorari debet. *Præclara*, inqvit, *adoleſcentum ingenia, quæ natura ad omnes egregias artes tanquam inchoaverat atque dolaverat, excipiebat, ut expoliret atque perficeret. Erat ille Philoſophicis ac Theologicis doctrinis inſtructus, Græcis ac Latinis literis doctus, poëticæ facultatis ita peritus, ut non cum æqualibus ſuis ſolùm, ſed cum majoribus etiam natu poëtis, compararetur. Has ille diſciplinas, in inſtituendo docendoque prudentiſſimus, juventutem edocebat, & quotidianis domi ſuæ diſputationibus exercebat, ac ſæpius, quod umbratili illâ inſtitutione didicerat, in pulverem & ſolem cogebat educere: cujus rei magnam illi facultatem dabat inſignis Academia, quæ ſuis in ædibus, magno literatorum omnium, qui eſſent Florentiæ, concurſu celebrabatur. Quæ verò ingenia fortunæ culpâ, ne emergerent, oppreſſa cernebat, ſuis ipſe opibus ac facultatibus, quibus erat affluens, ſublevabat; libros, veſtem, cibos, habitationem, omniaque ad neceſſarium uſum illis præbendo.* Hæc de præclaro hoc viro Erythræus, qvi in exemplum omnibus opulentis proponi debet. Nomen verò ejus Academiæ non prodidit Erythræus. * Fuere illic APATHISTÆ, qvorum 30
ſocius fuit Joh. Nardius: *Ætherei, Ineguali, Peregrini, Immobili, Infocati, Alterati, Rinovati.*

Neapoli Academici OTIOSI à Joh. Baptiſta Manſo Villæ marchione inſtituti, 31
qvi generis ſplendore & artium ſtudiis clariſſimus ſummam laudem in eo ponebat, ut honeſtis adoleſcentibus ſe ducem præberet, qvem proinde cum Strozza comparat Erythræus

32 thræus, *Pinacoth. III. num.* 13. ita tamen, ut hunc longè præferat. * *Strozzæ in-*
ſtitutio, teſte illo, *iis tantum diſciplinis continebatur, quæ animum adoleſcentis quadam*
humanitate expoliunt; at Manſi in juventute erudienda induſtria multò progreſſa eſt
longius: etenim non ſolum iis excultos diſciplinis efficiebat, quas diximus, eos, qui ſe
ipſi commiſerant, verum etiam aliis prope centum artibus inſtructos ornatosque redde-
bat; equos frenis regere, ſibi dicto audientes facere, in gyrum compellere, in curſus co-
gere: tum ad ludendum arma ſuſcipere, ut ludicra illa armorum tractatione edocti,
diſcerent, quemadmodum iis uti deberent, cum ea ad pugnandum eſſent ſumpturi; tum,
ſaltare, citharizare, ad chordarum ſonum pſallere, atque ea omnia facere, quæ ſine re-
prehenſione à viri nobilis perſona abeſſe non poſſunt: & ideo præcipuus fuit autor, Nea-
poli collegium Nobilium inſtituendi, ubi adoleſcentes nobiles iis ſtudiis operam darent,
quibus eos æquum erat impertiri: præterea, in eadem urbe, Otioſorum Academiæ unà
cum aliquot aliis initium dedit. Erat præterea vitæ integer, voluptatum & illecebra-
rum fugiens, humilis, officioſus. Qvibusdam ad rem attentior viſus eſt, ſed honeſto
tamen fine: nam heredem omnium bonorum ſuorum Seminarium Nobilium reliqvit,
ac qvantum in ſe fuit, cavit, ne inopiâ qvis à ſtudiis avocaretur. De hâc Otioſorum
33 Academia legendus & Craſſ. *Elog. Hominum literatorum part.* 1. *p.* 310. * Fuere
hic *Ardentes, Errantes, Sirenes, Intronati, Aſſetati, Suegliati.*
34 Fuere & ceteris Italiæ partibus ſuæ Academiæ. SENÆ; *Acceſi, Auvalorati,*
Corteſi, Deſidioſi, Intronati, Travagliati. VERONÆ: *Conſtantes, Olympici, Refloridi,*
Temperati, Filarmonici. RAVENNÆ: *Excitati, Informes.* BONONIÆ: *Indomi-*
ti, Nobiles, Obtuſi, de la Notte, Gelati, Sonnachioſi. FERRARIÆ: *Intrepidi, Elevati.*
In aliis Italiæ locis: *Illuſtres, Uniti, Invaghiti, Occulti, della Penna, Solliciti, Freddi, Ad-*
dormentati, Innominati, Adagiati, Offuſcati, Caliginoſi, Inſenſati, Oſtinati, Raffrontati,
Catenati, Immobili, Aſſorditi, Filoponi, Naſcoſti, Affilati, Aggiuſtati, Agitati, Ariſophi,
Auvolti, Concordi, Confuſi, Coſpiranti, della Chiave, Eſtravaganti, Fenici, Filareti, Filoma-
ti, Filomeli, Gjoviali, Grandi, Hortolani, Illuminati, Incitati, Induſtrioſi, Ingenui, Intenti,
Partenii, Pianigiani, Puliti, Secreti, Racchiuſi, Ripoſti, Riſchiarati, Riſvegliati, Rozzi,
Sabei, Schiumati, Sicuri, Spenſierati, Sventati, Trapaſſati, Transformati, Unanimi, Uni-
formi, Uranii. Inſtituit qvoqve Mediolani Academiam, exqviſitiſſimâ Bibliothecâ
Ambroſianâ inſtructam Cardinalis Fridericus Borromeus, de qva Stephan. Menoch.
35 *Trattenement. erudite. part.* 3. *cap.* 5. * Refert etiam inter Italiæ & qvidem Flo-
rentinas Academias Johann. Ferr. *Theatr. d' Impreſe part.* 2. *pag.* 444. Academiam
della *Leſina*, ſive *ſubulâ*; non dixerim, an verè, an per jocum, an per errorem: neqve
36 enim ex verbis ejus hoc colligi poteſt. * Prodiit alioqvin apud Italos elegans &
facetus liber, cui titulus: *la famoſiſſima compagnia della Leſina*, ubi proponuntur varii
modi, qvibus qvis per ſordidam parſimoniam diteſcere poſſit, inſtrumento hoc pro in-
ſigni Euclionibus applicato, qvo familiari etiam ſermone tales notare ſolemus. Illic
qvaſi Collegium aliqvod fingitur: dantur certa præcepta pro novitiis & initiandis,
inſtituuntur conſultationes ſuper hoc argumento. In Linguam Gallicam liber ille
converſus,

converſus, ac Pariſ. 1618. in 12. editus; unà cum altero, cui titulus, *la Contra-Leſine, ou Compagnie de la marmite graſſe*, addita comœdiâ, *les Nopces d' Antileſine*, ubi præcepta prioribus contraria de munificentiâ exercendâ habentur. Nihil ſanè lepidius fingi poteſt. * Ridiculum alioqvin pro vera Academia inſigne, etſi æqvè inepta nomi- 37
na & ſymbola multi ſibi ſumſerunt. Multa eſt Johann. Ferri *Theatr. d' impreſe part. 1. c. 22.* circa horum ſymbolorum convenientiam vel inconvenientiam oſtendendam induſtria. Sollicitè enim intentiones Academicorum diſtinguit. Sumuntur enim ab actione, paſſione, principio, conditione, imperfectione, perfectione, fine, loco, affectu, exercitio. Disqvirit ulteriùs, qvomodo inſignia & cognomina Academicorum ſub generali qvodam conceptu inſtituenda, ut qvivis ſocius ſibi inſigne & nomen ſumere poſſit, qvod ſub generali contineatur. Nam habent & ſua ſinguli ſocii nomina & inſignia. Verum illæ difficiles nugæ videntur, & ſapientioribus in riſum illa cognomina ceſſere. Pinellum certè, Patavii viventem, ut jam ſuprà diximus, deterruerunt, ne cuiqvam nomen Academiæ daret, qvi ab omni oſtentatione & pompâ erat alieniſſimus. * Ro- 38
landus qvoqve Mareſius *lib. 2. ep.* 43. cum conſilium Academiarum Italicarum probat maximè, ac Capellanum laudat, qvod Cardinali Richelio autor fuerit ad ſimilia Collegia in Galliâ inſtruenda, titulos tamen illos, ut ineptos, rejicit. *Nihil,* inqvit, *in iis mihi diſplicet, præter cognomina planè abſurda & ridicula, quæ ſibi aſſumunt Itali; quod cur faciant, prorſus ignoro: ſed utilitas ex eo manifeſta eſt, primùm, quod declamando, & orationes habendo, veterum Sophiſtarum morem renovant, varia, unde libet, argumenta deſumentes, quæ pro viribus ingenii tractent. Qva exercitatione ad dicendum ſe comparant, & eloquentiam non parùm alunt: deinde Poëtarum ſuorum aliorumque ſcriptorum opera ſeverâ lance examinant, & quid in iis laudandum, quid vituperandum, collatis ſententiis judicant. Quod ad benè de literis judicandum plurimùm confert. Sed incomparabile cōmodum in eo eſt, quod illuc ſcripta ſua in medium afferunt, ea omnium examini ſubjiciunt, quæ quisq; liberè reprehendendi jus habet. Hæc verò emendatio eſt optima, tot eruditorum virorum judicio facta: ex qua etiam conſequuntur, ut poſteà emendatius ſcribant. Nec verò quis hæc tanquam parva contemnat, quod in linguâ vulgari fiant. Quamvis enim Latina eruditorum lingua exiſtimetur, tamen ipſi eruditi, patrii quisque ſermonis non minimam curam habere; ſed in eo ſcriptis elegantibus amplificando & exornando, multam operam ponere debent, Romanorum exemplo & æmulatione, qui, licet ſermo Græcus uberior eſſet, tamen linguam ſuam, ut inferiorem, deſpectui non habuerunt; ſed locupletiorem & comtiorem omni ope efficere contenderunt. Quanquam, quid prohibet ejusmodi cœtus etiam ab eruditis viris, qui Latinè tantum ſcribunt, inſtitui? Imò, ſi inſtituantur, utiliſſimum fore arbitror ſaltem ad operum emendationem, quæ aliquando præcipitatâ editione, tanquam nullum amicum doctum habeant, cujus conſilio utantur, inemendata emittunt.*

De iſtis Italiæ Collegiis porrò tenendum eſt, idem eorum, qvod vocabulorum 39
ait Horatius, fatum eſſe: [illegible]

T [illegible] *Multa*

Multa renaſcuntur, quæ jam cecidere, cadentque
Quæ nunc ſunt in honore.

40 Bononiæ è 24. Academiis non niſi tres hodie ſuperſunt. * Academicorum numerus alibi certus, alibi pro arbitrio. Sunt, in qvibus non admittuntur, niſi Nobiles; Electiones inſtituuntur ſuffragiis ſecretis. Admittuntur Cardinales, & Exteri qvoqve interdum invitantur, qvi meritis illuſtres. Qvælibet Academia Directorem habet, principemqve ſuum, ſimulqve Protectorem, qvi vel fundator ejus eſt, vel ex illius familiâ. Locus certus ſolet aſſignari pro conventibus, vel in ædibus fundatorum, vel alibi. Etiam matronæ larvatæ interdum accedunt: nam & illæ in poëſi ſe exercent, ſcripſitqve Laurentius Legatus Muſeum Poëtriarum cum Iconibus, teſte Gregor. Leti, *Ital. regn. part. 3. lib. 2. pag. 185.* Admittuntur auditores acceptâ certâ teſſerâ. Unus Academicus in multis Academiis admitti poteſt. Suntqve qvi vel 15. Academiarum membra ſunt, ſolentqve viri doctrinâ inſignes ad hos honores invitari: Qvo enim doctiores ſocii ſunt, eo majoris famæ eſt Academia.

41 Excitarunt hæc Italorum exempla etiam Gallos, ut & ipſi Academias erigerent. Capellanus Richelio earum autor fuit. Ipſo ergo dirigente inſtituta eſt hoc titulo: *Academie Françoiſe.* Ceteri enim tituli, qvi aliis placuerant, *l' Academie des beaux eſprits, l' Academie de l' Eloquence, l' Academie Eminente*, per alluſionem ad Cardinalitiam Richelii dignitatem, à Richelio ipſo rejecti ſunt. Diſplicuit illa titulorum affectatio, qvæ Italis familiaris eſt, qvod & innuit, qvi ejus Academiæ hiſtoriam ſcripſit, Dn. de Peliſſon. Ita enim de hoc titulo: *Au choix de ce nom qui n' a rien ni de ſuperbe, ni d' etrange, elle à tégmoigné peut-eſtre moins de galanterie; mais peut-eſtre auſſi plus de jugement & plus de ſolidité que les academies dedelà les monts, qui ſe ſont piquées d' en prendre ou de myſterieux, ou d' ambitieux, ou de biſarres, tels q' on les prendroit en un carrouſel, ou en une maſcarade: comme ſi ces exercices d' eſprit eſtoient plûtoſt des debauches & des jeux, que des occupations ſerieuſes.* Laudat proinde Academiam Florentinam, qvæ ceteris omnibus antiqvior eſt ac ſimplex, qvod ſine ullâ affectatione nomen aſſumpſerit. Idem autor eodem in loco promittit, ſe aliqvando de Italiæ Academiis earumqve cognominibus ſcripturum. De illo qvoqve Gabriel Naudæus, qvem ille citat in Dialogo ſuo, de Maſcurat agere videtur. In hac verò Gallicæ Academiæ hiſtoria habetur 1. Origo ejus. 2. Literæ ad Richelium pro impetranda protectione cum διατυπώσει Academiæ. 3. Privilegium Regium. 4. Statuta, dies, locus, forma, conventus. 5. Inſtitutio ipſa & qvæ poſt illam contigerunt. 6. Memorabilia qvædam, qvæ circa hoc negotium evenerunt. 7. Academicorum ſingulorum hiſtoria. Præ ceteris in hac ſocietate definitum fuit, ut elegantia & nitor Gallicæ linguæ illuſtraretur. Cui fini Lexicon ad exemplum Vocabularii della Cruſca conficiendum proponebatur. Ideam ejus Lexici adornavit Capellanus, qvæ habetur *pag. 98.* ejus libri. Vaugelas & Faret huic labori deſtinati; ſed cum tardè res illa procederet, uti ſanè non eſt ille anni unius ſed plurium labor (Vocabularium enim della Cruſca qvadrageſimo demum anno abſolutum eſt) ſæpè incitatus eſt à Richelio Vaugelas, cui penſio eam ob cauſam

ſam certa conſtituta fuit. Aliqvando Richelius eum his verbis compellavit, *Monſieur, vous n' oblirez pas du moins dans le Dictionaire le mot de Penſion ;* Cui argutè ſtatim reſpondit Vaugelas: *Non Monſeigneur, & moins encore celuy de reconnoiſſance.* Sed irritus poſtea ille labor fuit, neqve unqvam lucem aſpexit. Multæ ſuper Comœdia Cid in illa velitationes inſtitutæ: editum eſt ſingulari libro de illa ab hac Academiâ judicium, ab aliis iterum impugnatum. Non defuere etiam in optimum hoc Academiæ conſilium malevolorum Satyræ. Inter alios Abbas de S. Germain, qvi omnia Richelii conſilia reprehendit, publicè eam impugnavit. Scripta qvoqve adverſus illam Comœdia eſt, de qvibus omnibus legi poteſt Autor ille p. 46. * Plures & ante 42
& poſt illa tempora Pariſiis conventus eruditorum inſtituti ſunt, qvibus de variis rebus actum eſt, de moralibus, civilibus, naturalibus. Sed ea diſſertationibus meris tantum abſolvebantur. Hujus generis eſt illa Academia *de Primaudaye, & Recueil General des queſtions traittées és conferences du Bureau d' Addreſſe, ſur toutes ſortes de matieres, par les plus beaux eſprits de ce temps,* qvi liber An. 1660. editus. Celebrantur hodieqve tales conventus, qvibus de variis rebus phyſiologicis, philologicis &c. diſſeritur. Qvæ ſub Directore Bourdelotio acta ſunt, à Galleſio ſunt edita ſub titulo: *Converſations de l' Academie de Monſieur l' Abbe Bourdelot, contenant diverſes recherches obſervations, experiences & raiſonnemens de Phyſique, Medicine, Chymie & Mathematique. Pariſ. 1673. in* 12. Addit pro appendice diſſertationem, qvæ qvaſi Præfationis loco eſſe poſſit, qvâ agit de origine Academiarum, earum utilitate, ac ſpeciatim de Academiis Pariſienſibus. Sunt Pariſiis Academiæ pro ſcientiis, (*ff*) artibus, omnis generis argumentis, ſunt publicæ, ſunt privatæ; ſunt, qvæ multis; ſunt, qvæ paucis ſociis conſtant. Rex è doctiſſimis totius gentis aliqvam conſtituit, qvâ de rebus Phyſicis, Medicis, Chimicis, Mathematicis agitur: Secretarius ejus Galleſius. Laudatur alia primi Præſidis eâ diſſertatione, alia, qvæ titulo Delphini inſignita eſt; ſed qvæ nunc diſſipata: cui Viri præſtantiſſimi interfuerunt, vehementerqve Galleſius eam ſublatam dolet, conſiliumqve perfectæ Rhetorices, qvod ex illo Collegio ſperabatur, interverſum. Laudantur illi apud Juſtellum, virum doctiſſimum, apud Thuanum, Dn. de Brach, Dn. Marion, Patinum, Turnierum, Rohautium, Dn. de Laubnay, Dn. Denis, Dn. de Fontenay, conventus. Qvid in ſingulis laudari debeat, prolixè illic legi poteſt. Præ ceteris tamen omnibus Bourdelotianam Acade-

(*ff*) De Academia Scientiarum Regia Pariſienſi conſulenda omnino eſt Joh. Baptiſtæ du Hamel, Socii ejus & antehac Secretarii, Hiſtoria illius Latina, in qva Libris IV., præter ipſius Academiæ Originem & Progreſſus ab A. 1666. ad 1697, variasqve Diſſertationes, & Obſervationes, 30. Annis factas, qvamplurima Inventa & Experimenta Phyſica & Mathematica in certum Ordinem digeruntur, ſatisqve accurate exponuntur. Prodiit ea Pariſiis A. 1698. & Lipſiæ A. 1700. *in 4to*, & in Tertia Editione, Pariſiis A. 1701. excuſa, Libris Qvinto & Sexto, Annorum 1697. 1698. 1699. & 1700. Geſta complectentibus, auctior comparuit. Continuare illam, qvotannis, ſed Gallico Idiomate, Juſſu Regio, cœpit Dn. de Fontenelles, modernus Academiæ Secretarius, cujus Penſa Annorum 1699. & 1700. Pariſiis A. 1702. & 1703. *in 4to* lucem jam viderunt publicam.

miam commendat, cujus inſtituta, argumenta, de qvibus diſſeritur, omniaqve qvæ illuc pertinent, magnâ diligentiâ recenſet. Cadomi qvoqve præter Univerſitatem celebrem, duas Academias commemorat Galleſius, qvarum altera Phyſica & Mathematica tractat, à Rege ipſo inſtituta; altera humaniora. Hæc à Dn. de Brieux curata fuit; illius, jam ante Regiam confirmationem, ab Hueto, Delphini Informatore, Viro celeberrimo, fundamenta jacta ſunt.

43 Magnus ex his Collegiis ſperatus ſemper fuit pro augendis ſcientiis fructus, qvod qvidem verum eſt; neqve enim credi poteſt, qvis ex ſermonibus ultro citroqve habitis, & ex converſatione eruditâ fructus redundet. Verùm, qvoniam non unius auſpiciis res illa agitur, ſed omnia in commune conferuntur, ex ipsâ tamen illâ collatione *σύγχυσις* qvædam oritur, qvæ magis implicat opiniones & judicia de rebus: ne qvid dicam de diſputationibus, qvæ per ſe veritati indagandæ obſiſtunt. Eqvidem non nego, magnam lucem in veritate explorandâ ſuboriri poſſe illi, qvi profundo ingenio eoqve perſpicace & *ἀρχιτεκτονικῷ* præditus eſt, ſi multorum ille cogitata & experimenta ſolus audiat, illa ad judicii normam exigat, atqve ex illis concluſiones ſibi formet. Ille per *ἀναλογισμὸν* & combinationem rerum & experimentorum ad illa perveniet ingenii ſui *ϛοχασμῷ*, in qvibus alii ſtupebunt. Officit enim in Collegiis illa multitudo ſententiarum uniformi conceptui, neqve ad certam adeò metam dirigi poteſt, niſi fortè id ſagaciorum auditorum vel lectorum ſingulari tacitoqve judicio relinqvatur; Qvi ſibi ſolis ſapient, neqve in publicum illa conferent. Nunqvam, ubi communibus ſuffragiis res agetur, aliqvid boni ſolidiqve extundetur; unius Viri non cerebroſi ac opinatoris aut pervicacis ingenium qvaſi lumine qvodam omnia pervadet.

44 Qvare aliter rem in Phyſiologiæ & Matheſeos ſtudiis inſtituerunt Angli, qvi novam Societatem pro excolendâ philoſophiâ naturali inſtituerunt auſpiciis Regiis, certis qvibusdam rationibus & legibus, qvæ apud Thomam Spraat in Hiſtoriâ ejus Societatis Regiæ habentur, Anglicâ & Gallicâ linguâ edita. Jamdudum talis Collegii ideam aliqvam dederat Baco Verulamius, in elegantiſſimâ illâ fabulâ novi Atlantis, ac hiſtoriæ naturalis certam methodum in novo Organo aliisqve ſuis libris præſcripſerat. Origo Societatis ejus ex eo eſt, qvod in Academiâ Oxonienſi primùm Viri qvidam ingenioſi privatum aliqvod experimentale ſtudium ſuſceperûnt; inter qvos fuere Sethus Wardus, Boylius, Wilckins, Chriſtophorus & Matthæus Wrenii, Walliſius, Williſius &c. Viri ingenio & ſcriptis omnes celebres. Illa cum veniret ad Gallos fama, ipſi Academiam Pariſienſem, qvæ in linguæ Gallicæ culturam inſtituta erat, ad ſtudium rerùm naturalium transtulerunt. Oxonio Londinum rerum naturalium ſtudium deductum eſt, cum Viris iſtis Londinum abeuntibus, ad qvorùm numerum acceſſio facta à multis Londinenſibus, tàm Proceribus qvàm Philoſophis & Medicis, usqve dum Regiis auſpiciis illa Societas Ann. 1660. excitata eſt, teſte Diplomate Regio, qvod privilegia, inſignia, ſceptra, ſigillum iis tribuit.

45 * Anteqvam illa omnia adornabantur, prodiit ſcriptum aliqvod ab Abrahamo Covvleo, Poëta inſigni, & in ceteris

philo-

philoſophiæ & medicinæ partibus inſigniter erudito, qvo ſuppeditabat conſilia pro philoſophiâ experimentali propagandâ: (Reperitur inter poëmata ejus Anglica. p. 43.) Benè hîc qvidem omnia comparata habebantur: Sed qvoniam is ſumtus nimios impendi volebat in ſingulos Officiales, eorumqve numerum nimis auxerat; præterea onus informationis illis impoſuerat, inconveniens illis videbatur ejus conſilium ſeqvi. Neqve enim certos reditus habet illa Societas, niſi aliqva donaria ex liberalitate Procerum, & qvæ à ſingulis ſociis, cum primùm recipiuntur, & deinde in ſingulas hebdomadas conferuntur. Qvare dubito, an illa deſignatio Officialium & impenſarum, qvam dedit in *Gammarologiâ ſuâ cap.* 3., Sachſius ſatis ſibi conſtet. Ex illo tempore certatim aliæ nationes in eadem ſtudia conſpirarunt, Florentini, Germani, Dani &c. de qvibus in *Polyhiſtore Phyſico* pluribus agetur.

Multorum etiam extant de variis Collegiis conſilia. * Collegium Pſychoſophicum propoſuit ſingulari libro *de Pſychoſophiâ* Johannes Joachimus Beccherus, ad commodam & tranqvillam vitam agendam. * Collegium Hieroſophicum Spizelius *in ſuo Felice Literato* pro piâ & beatâ vita delineavit. * Academiam Univerſalem Philadelphicam ſeu Collegium Samaritanorum pro officiis charitatis ergà pauperes & afflictos præſtandis adornare voluit Juſtinianus Traulöu, in qvod conſilium annotationes qvasdam paratas habuit Hieronymus Welſchius. * Ad veritatis in Philoſophiâ naturali & matheſi inqviſitionem ut multa Ehrenfried Walther von Tſchirnhaus proponit, ita Collegium aliqvod pro indaganda veritate ſingulari modo inſtituendum ſvadet, in *Medicinâ mentis part. 2. p. 203.* qvem huc ex illo adducam. *Si quinquaginta pluresve curioſorum veritatis amatorum, initâ concordiâ contribuerent, haud magni ſingulis eorum annuatim conſtaret, ut tantum conferant, quantum ſufficeret, ut quis, qui ſibi habitum ſeu facilitatem acqvirendi veritatem, nova & nova ſemper inveniendi comparavit, plus brevi tempore præſtet, quam multis ſeculis alii: proſtant quippe doctorum Virorum exempla, qui à nemine adjuti tanta etiam proprio marte ediderunt ſpecimina, quanta de noſtris anteceſſoribus fruſtra per multa retro ſecula huc usque fuerunt ſperata. Atque ita alii vitæ ſuæ negotia poſſent proſequi, & ſibi absque labore veritatem acquirere, ac ſummâ frui voluptate, quâ mens in ejus acquiſitione afficitur. Quò vero hoc negotium faciliùs procedat, poſſet lege ſancitâ in hoc collegio caveri, ut, ſi aliquod ejus ſocietatis membrum absque libris & conſanguineis ad ſtudia aptis è vivis exceſſerit, definita hereditatis portio cederet bonarum artium cultoribus, pro ſocietatis arbitrio diſtribuenda. Hujusmodi plura poſſent conſtitui utiliſſima: adde, quod deſiderium illud ſciendi doctorum noſtri temporis non mediocre ob tot ſingularia hoc ævo detecta in ſuſpicionem adducit, fore, ut eorum plurimi, quia otio veritatem per ſe ipſos inveſtigandi carent, id munus iis ſint neceſſariò delaturi, quos ſcient aliquid hac in re poſſe facere, haud ita à quovis alio præſtandum, tandemque ad hæc hisque ſimilia ſalutaria conſilia, acti ſciendi ardore, confugere cogentur. Si autem hac quoque ſpe fruſtraremur, non deſunt ſapienti, ſiquidem tale quid appeteret, tot aliæ viæ ſatis opum ad iſthæc neceſſariarum colligendi, etiam ab ignorantibus, ſi placet, & vulgi*

turbâ. Veluti ſi is, qui primus Teleſcopia invenit, operam dediſſet, ut in celeberrimâ urbe, in qua multi habitant novitatis avidi, cuivis objecta è longinquo per teleſcopium conſpecta, ſub tam ſenſibili apparere ſpecie, celato artificio, oſtendiſſet, idque vili accepto à ſingulis pretio, haud difficulter ingentes hoc invento pecuniæ ſummas potuiſſet lucrari. Sic haud difficile foret artis inveniendi perito plurima comminiſci, quæ, tecto artificio, magis admiranda apparerent, quam omnia ea, quibus multa ſæpe lucrari videmus. Ita variis inſuper modis (quos de induſtria ſubticeo, cum viro ingenioſo, ſi ad ea ſe velit applicare, nequeant eſſe ignota) majorem opum copiam per alios poſſent colligere, quam ad eorum inſtitutum requireretur. Plura hîc de Collegiis variorum Ordinum ſacrorum & ſimilibus cumulari poſſunt. Sed illa nunc extra inſtitutum noſtrum ſunt.

CAP. XV.
DE CONVERSATIONE ERUDITA.

§. 1. *Doctrina de Converſatione in re civili & literariâ utilis. 2. Ejus quædam diſciplina datur; 3. hactenus non exculta: 4. 5. Homiletice Erudita Autoris. 6. Ejus lineamenta prima ex Ariſtot. Rhetor. II. 7. Notitia ſui præmitti debet. 8. 9. 10. 11. Ingenioſorum multæ παρεκβάσεις recenſentur. 12. Ambitioſi, 13. Contentioſi. 14. Nugatores. 15. Fuci, Crabrones, Apes. 16. Notitia aliorum ratione temperamenti, ætatis, fortunæ, gentis, conditionis, virtutum, morum, affectuum &c. conſideratæ. 17. Regulæ in converſatione Eruditorum, I. ratione opinionis excitandæ: 18. (1.) Honeſtatem vultu, verbis, facto exprime. 19. (2.) Eruditi famam aucupare, & eſto. 20. Eremitæ literarii. 21. (3.) Viros magnos venerare, mortuos & vivos. 22. Ciampoli inſania. 23. Principes eruditos honore proſequamur. 24. (4.) Oſtentator modeſtus eſto. 25. Ridicula δοξομανίας exempla. 26. (5.) Defectus tuos abſconde. 27. 28. Declaratur è Verulamio & Ficheto. 29. (6.) Arcana tibi ſerva. 30. (7.) Cave contemni. 31. II. proponuntur Regulæ ratione impedimentorum in converſatione tollendorum: 32. quarum generaliſſima eſt: Ne ſis moleſtus. 33. Reg. (1.) Ut homo eſt, ita morem geras. 34. Declaratur exemplis. 35. (2.) Obſequioſus eſto. 36. Diſputaces & contentioſi intolerabiles. 37. Exempla horum. 38. (3.) Affabilis eſto. 39. Triſtes & moroſi à converſatione alieni. 40. H. Cardani ridicula exceptio peregrini. 41. Exempla humanitatis in Pinello, Grutero & Budæo. 42. (4.) Garrulus ne eſto. 43. Ridiculum Garruli exemplum. 44. (5.) Curioſior, quam decet, ne eſto. 45. (6.) In Judicando præceps ne eſto. 46. Modus converſandi. 47. Converſatio magnum informationis ſubſidium. 48. Barboſæ converſatio cum Bibliopolis. 49. Colloquia Literatorum. 50. Perturbationes ſtudio excitatæ interdum utiles. 51. Pinelli modus indagandi inclinationes hominum. 52. 53. Ejuſdem & Pauli Sarpii modus notandi è colloquiis obſervata. 54. Peregrinatoribus magna è Collo-*

Colloquio doctorum utilitas. 55. Certum interrogandi artificium etiam arcana detegit. 56. Critice Socratica. 57. Converſatio per epiſtolas, 58. 59. Pinelli & Maliabecci ſtudium eâ in re laudatur. 60. Finis Homiletices Eruditæ, Scientia & Fama.

MUſea & Collegia, de qvibus ſuperiore capite egimus, eam ob cauſam inſtitui 1
ſolent, ut ex converſatione eruditorum mutuâ res literaria augmentum capiat. Converſandi ergo ratio qvædam habenda eſt, qvæ ut in omni hominum ſocietate, ita & literatorum illa, omnia moderatur, & ut in rebus civilibus indigentiam, ita in doctrinis ignorantiam noſtram ſolatur. * Operæ ſane 2
pretium fecerit, optimeqve de orbe erudito mereretur, qvi artem converſandi cum hominibus ad certas regulas revocaret, & in qvoddam ſuis vinculis connexum ſyſtema compingeret: * Hactenus enim inter deſiderata referendus eſt ille labor. Etſi 3
enim habemus, qvi de officiis ſcripſere, tamen non tam latè patet illa tractatio, & ad juſtitiam actionum tantùm refertur, non vel ad utile, vel ad decorum. In his converſandi ars conſiſtit, prudentiæqve civili ad latus jungi debet, qvæ ſine illâ rudis futura eſt ac ingrata, & nonnunqvam ſine ſuo fruſtrabitur. * Sed illa in ſolo στοχασμῷ 4
conſiſtere plerisqve creditur, ac infinitè vagari, ut in ordinem redigi non poſſit: Qvi tamen errare mihi videntur; cum ipſa negotia civilia accuratè ſatis præceptis comprehendi poſſint. Qvam diligentiſſimè hic excutiendum τὸ φυσικὸν & ἠθικὸν Morum ac Affectuum, in qvibus omnis rerum cardo verſatur, ex qvorum affectionibus ad perſonas, negotia, loca, tempora, applicatis, illæ concluſiones formandæ ſunt. In conſilium adhibendi Phyſiognomici Scriptores, Porta, Camillus Baldus *in Phyſiognomica Ariſtotelis*, libro *de propenſionibus hominum*, libro Italico *de Converſatione*, Scipio Claramontius *de conjectandis latentibus animi affectionibus*, & plures alii, qvi vel incertis, vel fugitivis diſſertationibus de hoc argumento ſcripsere: ita feliciori pede hâc in re progredi poſſemus, & tandem artem certis conſtantem principiis hinc efformare. Qvæ cum ſæpe mecum perpenderem, non inglorium aut inutile opus credidi, ſi qvis, qvæ in univerſum de converſatione dicuntur, ad rem literariam applicet; in qvâ poſt meditationem noſtram omne punctum fert Converſatio, qvæ & ipſa novis meditationibus viam ſternit. Pro mente excolenda laboramus; illi ut benè ſit, etſi divinâ gratiâ & nobis ipſis præcipuè indigeamus; tamen aliorum etiam opera reqviritur, ut ſapere rectè poſſimus; qvemadmodum ad corpus hoc ſuſtentandum ope & auxilio aliorum carere non poſſumus. * Qvare titulo HOMILETICES ERU- 5
DITÆ librum mihi ſcribendum aliqvando propoſui. Verùm cum ſpes mihi inchoare longas in hâc varietate & multitudine rerum, qvibus diſtringor, atqve lubricâ hâc meâ valetudine, non liceat; integri libri materiam in paucas pagellas contraham, ſi fortaſſis illa ſtudioſa juventus, cui omnis meus labor ſervit, ſibi profutura arbitretur.

Primùm qvaſi ſolum omni huic contemplationi ſubſternendum eſt, qvod ſum- 6
mus

mus rerum civilium Magiſter Ariſtoteles libro ſecundo Rhetoricorum nos docuit, qvi Oratorem civilem formaturus ea ipſi præcepta in moribus & affectibus hominum explorandis dedit, ut non auditoribus ſuis tantùm, ſed omnibus, cum qvibus converſatur, placere, eorumqve, qvod in ſocietate civili potiſſimum eſt, gratiam ſibi conciliare poſſit. Imprimenda ergo ſunt animo penitus, & altis qvaſi radicibus defigi debent, illa de moribus & affectibus axiomata: qvæ qvaſi *ῥιζώματα* ſunt, unde omnis hæc tractatio velut in ramos ſuos diſpeſcitur. Elegantiſſimam in ſummâ brevitate horum axiomatum *διατύπωσιν* dedit Vir Cl. Vincentius Placcius in Excerpto ſuo Rhetorico de Inventione Affectuoſæ probationis Oratoriæ; Cujus ille pleniorem *ἐξεργασίαν* pollicitus eſt. Addi his poſſunt Theophraſti characteres, & qvicqvid in Hiſtoricis, Comicis, Satyricis *χαρακτηριστικὸν* eſt, & ad mores vel affectus pertinet. Præterea & ii, qvi vitas eruditorum ſcripſerunt, ſedulò legendi, qvæqve in illis occurrunt exempla, cum his præceptis conferenda ſunt. Qvorum aliqva in ſuo Felice literato aliisqve ſcriptis collegit Spitzelius. Cui jungi poſſunt, qvæ de Infelicitate literatorum Tollius, Valerianus, Canonherrius ſcripſerunt. Nam ex converſatione non rectè inſtitutâ omnis illa eruditorum infelicitas oritur, ut proinde ex alieno periculo præcepta & regulas, ut ſæpe fieri ſolet, nobis ipſis formare poſſimus.

7 Ut aliqvam hujus HOMILETICES ERUDITÆ delineationem demus, prima ac præcipua in Notitia ſui opera poni debet. Nunqvam cum aliis rectè converſabitur, qvi ſeipſum non ſatis exploraverit: qvod, ut difficultatis pleniſſimum eſt; ita, ne hac in parte nos ipſos fallamus, omni ſtudio providendum eſt. Omnis inter duos minimum converſatio vertitur, qvorum alter ita comparatus eſſe debet, ut gratiæ aliorum capax eſſe poſſit; ne qvid ſit, qvod animos avertat, ſed qvod alliciat, & in favorem noſtrum rapere videatur. Qvare non ſolum virtutibus omnibus inſtructus eſſe debet, qvi familiaritatem virorum doctorum qværit; ſed illos naturæ in ſe inſtinctus ita temperabit, ut nemini moleſtus, omnibus ſuavis deprehendatur. Omnes ergo ingeniorum morbos & defectus illum priùs exploratos habere oportet, ne ſuâ culpâ impingat; & ſicubi in aliis deprehendat, moderatiùs ferat, iisqve bonis obviam ire rationibus in ſe ipſo diſcat. Ingeniorum ut vultuum variæ ſunt figuræ, qvæ, niſi frenis coërceantur, ac judicii cenſurâ in ordines redigantur, in ſylveſtrem naturam abeunt, ut arbores ſibi relictæ, ſi cultura nulla acceſſerit. Hic verò in ſeipſos deſcendere debent omnes, ſeqve ipſos explorare, ex Stoicorum ſententiâ, qvali genio utantur. Præcipuum hîc in ſui ignorantiâ erratum eſt, ſi ingenii noſtri vires vel defectus non rectè expendamus, ſi nimiâ noſtri fiduciâ viribus majora aut incongrua affectemus, ſi non in certo vitæ inſtituto acqvieſcamus.

8 Eſt ſane qvidem magna ingenii vis, ſi ſingulares qvosdam inſtinctus, qvos natura nobis inſeminavit, ſeqvamur. Illa qvibusdam intelligentiæ amplitudo eſt, ut nihil tam excelſum & eximium ſit, qvo non pertingat. Sed rara admodum in illâ felicitate conſtantia eſt: nam vel malè ſubductas vitæ rationes habent, vel in ſcopulum aliqvem ex improviſo impingent ingenioſi homines, qvi illos fortunis omnibus evertet,

evertet, aut per totam vitam miſeros reddet. Qvare niſi prudentia ad clavum inge-
nii ſedeat, μετέωρα omnia erunt & evanida. * Aliqvi, qvi ineptæ Polymathiæ 9
morbo laborant, in ſylvas & in horrida tesqva dilapſi, ſemper in labyrinthis hærebunt,
nunqvam in viam λεωφόρον, nunqvam ad metam pervenient, ſimiles illis, qvi ingur-
gitando negotium qvidem ventriculo faceſſunt, nihil verò in ſuccum ſanguinemqve
convertunt. * Aliqvi ad abſtruſa & recondita feruntur magno qvidem conatu, 10
ſed robore impari, in qvibus poſtea fatiſcunt & hebetantur. * Alii nimis vaſta 11
moliuntur, de qvibus illud Horatianum dixeris: *Conantur tenues grandia, cælum ipſum*
ſtultitiâ petunt, cum vel ipſo animi, vel fortunæ pondere in terram deprimantur, aut
Phaëtontæo ſupplicio inſanas ſpes luant. * Nulla eſt tetrior ingenii peſtis qvam 12
ſi philautiâ vitiosâ inficiatur. Illa in omnes vertigines & ſcopulos abripiet, ac ipſum
exitium ſtruet. Etſi enim honeſta ſui fiducia non improbanda eſt, neqve ſine illâ
qvicqvam præclari ſuſcipi poteſt; tamen eſſe in illâ modus debet, & ne infinitè vage-
tur, coërcenda eſt. Eò nonnullorum excreſcit è fiduciâ nimiâ ambitio, ut ſiniſtro
aliorum judicio in extremam incidant inſaniam: qvod Barlæo accidit, qvi ob præla-
tum ſibi Spanhemium in maniam incidit, ſeqve ipſum in puteo ſuffocavit, qvod de eo
Sorbierius refert *epiſt. 64.*, extatqve apud Duportum *Muſarum Subſecivarum lib.* 1. de
eo epigramma. Spectat & huc Vincentii Gramignæ exemplum, qvi ex pudore &
verecundia, qvod ad difficile argumentum non reſpondiſſet, totius triennii ſilentium
ſibi ipſi indixit, teſte Erythræo, *Pinacoth. I. num.* 44. * Infeliciſſima ſemper in- 13
genia exiſtimavi, qvæ ſibi ſolis ſapere volunt, atqve omnia antiqva, tot ſeculorum &
ſapientum ſuffragiis probata, è ſedibus ſuis convellunt: Qvæ qvidem ſtrepitus movent,
ſed perennes famæ plauſus non referunt; Qvemadmodum Cometæ oculos qvidem
omnium in ſe convertunt, ſed poſt aliqvot dies vel menſes corporum ſuorum lumen
abſumunt. Illis accenſeas, qvi non niſi per aliorum contemptum emergere laborant,
cum magna nomina impugnant, atqve ex Heroſtratæis conatibus palmam ſibi acqvi-
runt. * Qvidam ita animati ſunt, ut non Junonem, ſed nubem, amplecti malint, 14
qvorum ſtudium omne non in diſciplinas ipſas earumqve verum ἔργον, ſed in περίεργα
fertur. Qvicqvid illi vel in maximè ſeriis rebus ſuſcipiunt, omne ludicrum & in-
eptum eſt, & vel in ſubtiles, vel eruditas, vel difficiles nugas reſolvitur. Qvi Hiſto-
riæ ſtudium colunt, cum maximus ex ea in rem civilem fructus redundet, in inanes
qvasdam rituum obſervatiunculas dilabuntur. Qvi Phyſica tractant, pro utiliſſimis
& præſtantiſſimis doctrinis, in florum, concharum ſimiliumqve rerum inanes ſpecula-
tiones abripiuntur: qvorum Anthomanian & Conchomanian ridet Welſchius *He-
catoſth. I. Obſ.* 84. reduviam potiùs, qvam caput curantium. Sunt qvædam in ſin-
gulis diſciplinis ineptiæ, ac, ut ita dicam, præſtigiæ, qvibus vaniſſima capi ingenia ſo-
lent, cordatis prudentibusqve viris ſemper exploſæ. Sed qvi illis delectantur, doctiſſi-
mi Fabulatoris dictum audiant: *Niſi utile eſt, qvod facimus, ſtulta eſt gloria.* Qvot
ſunt, qvi incerta omnia ſeqvuntur! cum, ſi in uno ſolo habitarent, omnium ferre ſuf-
fragia potuiſſent. Nunc verò, ſi non omnibus ridendos ſe præbent, mediocrem

15 aliqvam vel tenuem doctrinam ridiculâ pompâ oſtentant. * Non incommodè omne ſtudiis incumbentium genus cum tribus comparaveris, Fucis, Crabronibus, Apibus. Fuci ſunt homines ignavâ operâ, philoſopha ſententiâ, compilatores vel doloſi vel inepti, vani ſcientiarum oſtentatores, agyrtæ, aretalogi. Crabrones ſunt feroculi illi, qvi ut docti videantur, aliis inſultant; cumqve prodeſſe nullâ re poſſint, ſtrepitu tantùm moleſti ſunt. Apes ſunt, qvi illud doctrinæ & ſapientiæ mel è variis floribus congerunt, & bonæ famæ fragrantia orbem eruditum implent. Hîc ſe ergo ipſum qvis examinet, an inter fucos & crabrones, an verò inter apes locum ſibi eſſe velit.

16 Notitiam ſui Notitia aliorum ſeqvitur; Nam qvi ſe ipſum rectè exploraverit, & ad Lydium lapidem virtutum & decori examinaverit, rectiùs de aliis judicare poterit. Conſiderari ergo illi Eruditi, cum qvibus converſari cupimus, debent, 1. ratione temperamenti, ſunt enim melancholici, ſanguinei, bilioſi, phlegmatici. Ratione ætatis, ut juvenes, ſenes. 3. Ratione ſexus, ut viri, virgines, feminæ. 4. Ratione fortunæ, ut divites, nobiles, potentes, ſcriptis clari, pauperes, miſeri, exules, inventores novarum rerum, ſecretorum poſſeſſores. 5. Ratione gentis & patriæ, ut Galli, Itali, Germani, Septentrionales &c. 6. Ratione conditionis, ſtatus, officiorum, ut Eruditi, Principes, in autoritate poſiti, Heroës, Literarii, Politici, Aulici, Academici, Milites, Privati, Mercatores, Eremitæ literarii & ſolitarii, Sacri Ordinis homines, Monachi, JCti, Advocati, Medici, Philoſophi, ὁμότεχνοι, Peregrini, Cives. 7. Ratione virtutum, vitiorumqve his oppoſitorum, morum, item affectuum; ubi Ariſtotelis illa tria capita ſpectari debent: *Qvi, erga qvos, qvibus ex cauſis.* Spectabimus hîc religioſos, atheos, ſuperſtitioſos, hypocritas, ambitioſos, magnificos, ſuperbos, maledicos, contemptores, adverſarios, feroces & ingenii tyrannici, luxurioſos, voluptuarios, affabiles, urbanos, moroſos, triſtes, avaros, liberales, veraces, mendaces, doloſos, aſſentatores, ſeveros, crudeles, injuſtos, invidos, calumniatores, imprudentes, intempeſtivos, garrulos, inconſtantes, moleſtos, credulos, ſuſpicioſos, diffidentes, temerarios, vindictæ cupidos, meticuloſos, obſtinatos, puſillanimes, curioſos, extemporales, ἐνεργητικȣ̀ς, qvos activos dicere ſolemus, induſtrios, incurioſos, laborioſos, beneficos, hoſpitales, gratos, ingratos, qverulos, manſuetos, ebrioſos, cavillatores, κενοδόξȣς, gloriatores, modeſtos, occupatos, iracundos, Φιλονείκȣς, varios, mirabiles, admirantes omnia, inſociabiles, gloriæ contemptores, ruſticè verecundos, in diem viventes, tergiverſatores, σκοτεινȣ̀ς, perplexos ſubtilitatum affectatores, & ſi qvi præterea ſunt: qvorum ſingulorum ingenia ad converſandi rationem expendenda. Poſſunt enim illi mores & affectus conſiderari, vel ut per ſe tales, vel cum reſpectu ad perſonarum conditionem, unde certum qvaſi temperamentum omnis converſationis eſt. Sed nos hîc ſumma tantùm rerum veſtigia ſeqvimur, & qvoniam exhaurire argumentum hoc totum non licet, paucis tantùm axiomatibus præcipua complectemur.

17 Summum hoc in omni converſatione tenendum eſt, ut aliqvam de nobis opinionem excitemus, & nemini moleſti ſimus: qvorum alterum animos erga nos inclinat, alterum impedimenta tollit; Unde tandem favor & amor conſeqvitur, cujus

excitandi

excitandi varii qvoqve aliàs modi ſunt generales, qvi ad omnem, non ſolius eruditi, converſationem pertinent,& hîc qvaſi præſupponi debent. Ut opinionem aliorum de nobis excitemus,hæc præcepta obſervanda ſunt. * I. HONESTATEM VULTU, 18
VERBIS, FACTO, EXPRIME. Nihil magis allicit animos, qvam bona mens, qvæ per ſe virtute ſuâ, qvaſi qvodam magnetiſmo,trahitur. Qvi verſuti ſunt,callidi ſimulatores, tricatores, litium ſeminatores, qvorum vitæ genus in iſtis rebus verſatur, qvæ multum fallaciæ conjunctum habent, eos ſuſpectos plerumqve habemus, cum ſemper ab illis inſidias metuamus. Præterea homines omnes ad fucum & ad ſpeciem compoſiti, ad qvæſtum intenti, peſſimæ vitæ & morum, abalienant à ſe omnium bonorum hominum animos; qvibus accenſendi ſunt Athei, qvi cum Deum non venerantur, nihil in humanis ſanctum habebunt, atqve ab omni converſatione meritò removendi ſunt. Pietas verò & honeſtas contrà mirificè hominum favorem excitant,& ampliſſima ſæpe beneficia etiam ab ignotis extorqvent. Qvi magnorum arcanorum poſſeſſores ſunt, ad familiaritatem non admittent, niſi homines probos. Amabunt tales Diſcipulos Præceptores, promptioresqve illi in erudiendis bonis erunt,qvàm in diſtortis & pravis ingeniis. Qvis non laudat illam in Salmaſio generoſitatem, qvi vel ampliſſimi ſtipendii ſpe adduci non potuit, ut Richelii hiſtoriam ſcriberet, qvod ipſi multa eſſent adverſus animi ſententiam & in veritatis præjudicium ſcribenda, de qvo apud Patin. *Epiſt.* 2. Honeſtas illa non ex factis tantùm, ſed ex ipſo etiam vultu, geſtu & verbis elucere debet: ex his enim ſtatim de animo judicatur. Non poſſumus niſi cum faſtidio excipere illos homines, qvos σοβαρȣ̀ς, ὑψηλȣ̀ς, μετεώρȣς, ὑψαύχενας, ὑποτιάζοντας Græci appellant. Autor eſt Ælian. *l.* 3. *var. hiſt.* Platonem cavillationem & irriſionem qvandam in vultu Ariſtotelis notaſſe, unde ad impudentiam natum cenſuit. Eam vultus honeſtatem vel ab oratore ſuo Rhetores reqvirunt, Cic. l. 2. de Orat. *Ad conciliandam benevolentiam hæc adjuvant in Oratore, lenitas vocis, vultus, pudoris ſignificatio, verborum comitas.* In Pompejo Plutarchus laudat τὴν ὄψιν ȣ̓ μετρίως συνδημαγωγȣ̃σαν καὶ προεντυγχάνȣσαν αὐτȣ̃ τῆς φωνῆς, *vultum non mediocriter gratioſum, qviqve tacitis neſcio qvibus illecebris hominum ſtudia benevolentiamq; pelliceret, atqve adeo præveniret ejus orationem.* Chryſoſtomus de S. Meletio loqvens τρυφὴ ἦν μεγίςη τὸ τῆς ἁγίας ὄψεως ἀπολαύειν ἐκείνης. *Erat ſumma voluptas frui illo ſancto vultu.* Vidimus nonnunqvam ſolo aſpectu perſuaſiſſe Oratores: Habitat enim in vultu animus, qvi, ſi bonus ac honeſtus eſt, radios ex ipsâ illâ vultus compoſitione ſpargit, qvi ſe aliorum animis ingerunt. Qvidni ergo in converſatione erudita idem fieri poſſit, ubi mutuis modeſtisqve colloqviis animi ipſi inter ſe coëunt & miſcentur. *Omnis enim,* ut Cic. de Orat. l. 3. ait, *motus animi ſuum qvendam à natura vultum habet, & ſonum, & geſtum: totumqve corpus hominis, & ejus omnis vultus, omnesque voces, ut nervi in fidibus, ita ſonant, ut à motu animi qvoqve ſunt pulſæ.*

II. Axioma nobis ſit: ERUDITI FAMAM AUCUPARE, ET ESTO. Qvi 19
eruditorum amicitiam ambit, ipſe eruditus eſſe debet: Qvemadmodum enim, ut Græco

 proverbio

proverbio dicitur, τέττιξ μὲν τέττιγι φιλὸς, μύρμηκι δὲ μύρμηξ, ita qvoqve ſunt eruditis commercia & conſortia, qvæ non niſi vario doctrinæ ſapientiæqve coagulo coaleſcunt. Non ſufficit inanis aliqva eruditionis ſpecies, qvibus imperitis qvidem imponi poteſt, viris prudentibus & doctis non item. Ipſa qvoqve eruditio theſauro abſcondito ſimilis; qvæ niſi in publicum proferatur, ut aliis qvoqve de eruditione noſtrâ
20 conſtet, nos ipſi ab eruditorum orbe qvaſi diviſi vivemus. * Ac ſunt nonnunqvam homines, qvi vel ſui diffidentiâ vel generoſitate qvâdam nimiâqve fiduciâ & aliorum contemptu, ſeceſſus qvosdam amant, ut ſibi ſapere poſſint; ſive vanâ aliqvâ philautiâ inducti id faciant, ſive qvod ad arcanorum ſapientiam admiſſi cetera vulgaria aſpernentur: Qvos ego Eremitas literatos dicere ſoleo, qvi cum ſe ipſos ab omni hominum vel eruditorum ſocietate ſejungent, ad converſationem eruditam animum nunqvam applicabunt, neqve aliis, qvi amicitiam eorum ambiunt, facilè aures dabunt; niſi forte iisdem moribus ſint, & ad easdem artes & ſcientias eodem inſtinctu ferantur. Ut ergo conſtet eſſe te eruditum, vel ſpecimine aliqvo, qvod alii tibi potius extorqveant, qvàm tu aliis obtrudas, vel erudito colloqvio oſtende. Sæpe uno arguto & eleganti epigrammate plus famæ qvidam ſibi pararunt, qvam vaſtis alii libris, in qvibus multum laboris, parum ingenii eſt & judicii.

21 III. Præceptum eſt: VIROS MAGNOS ET DOCTRINA ILLUSTRES VENERARE. Non de vivis tantum, ſed & de mortuis hoc dictum puta. Infeliciſſimi ingenii ſignum eſt, ſi qvis viros totius orbis eruditi & multorum ſeculorum ſuffragio probatos ſuo judicio de famæ poſſeſſione deturbare velit. Sunt, qvi, ut famam aliqvam aucupentur, magnis & illuſtribus viris bellum indicant, Gigantum fraterculi, vel potius Pygmæi. Averſabuntur omnes hominem talem, licet interdum eruditionem non damnent, perpetuaqve infamiæ macula etiam poſt fata illos comitabitur. Præterea non magnæ tantum arrogantiæ ac malitiæ hoc ſignum eſt, ſed & inſcitiæ: Solent enim plerumqve tales homines præcipiti aliqvo judicio ferri, cum accuratè non legerint & expenderint omnia. Multos vidi, qvi juventâ audaces impugnarunt homines illuſtres, qvos
22 poſtea, etiam meliora monitos, mutare ſententiam puduit. * Erat his moribus JOANN. CIAMPOLUS Florentinus, qvem Erythræus *Pinacoth. II. n. 19.* deſcribit, qvi cum ab ineunte ætate magnus eſſet æſtimator ſui ipſius, & contemptor aliorum; cum multam ſibi invidiam pararet ob nimiam loqvendi libertatem; ob intimas atqve apertas cum iis amicitias, qvorum voluntates ab iis, qvorum ipſe tempori inſervire debebat, alienæ exiſtimabantur; & ob mimicam ſcurrilitatem, qvâ aliorum vultus moresqve exprimeret; mortuis qvoqve & tot ſeculorum plauſu æſtimatis viris acerbè inſultavit. *Virgilium & Petrarcham eo nomine felices appellabat, quod tot ſeculis principes Poëtarum habiti eſſent, cum nihil in eis niſi humile atque vulgare inveniretur, nec comparandi quidem eſſent ad eos, qui ſuâ ætate florerent. Die quodam cum per urbem rhedâ veheretur unà cum Gaudentio Paganino, aliisq; eruditis hominibus, occaſione arrepta, cœpit ita in Virgilium & Horatium invehere, ut diceret, nemini unquam iniqviùs Poëtæ nomen fuiſſe comparatum, quam illis; etenim nullo eſſe homines ingenio, nulla eruditione, nullis*

nullis literis, &, quod rem attinet, nullâ inventione, ſed puerorum ſimiles, qui tum primùm in ſcholis verſus facere diſcerent: contra ſe divino quodam munere omnes poëtæ numeros fuiſſe adeptum, in quo omnes eæ virtutes conſpicerentur, quarum alii eſſent expertes: Quod cum Paganinus ferre non poſſet, ſtomachans è rhedâ ſe ejecit, neque deinde auſus eſt eò, ubi ipſe eſſet, accedere. Plures ejus viri, utut aliàs ingenioſi, ſed obſtinati, tumidi & affectatoris, ineptias illic recenſet Erythræus. Teſtis tamen idem eſt, paulum ante ſuum è vita diſceſſum totam ſuæ ſententiæ rationem mutaſſe, eosqve Poëtas in veterem dignitatis locum, unde opinione ſua deturbaverat, repoſuiſſe. Solet enim idem hujus indolis hominibus fatum eſſe, qvod Phrygibus, qvi ſerò demum ſapiunt, per totam vitam ἀεὶ παῖδες, qvi non niſi μετεώροις & inanibus rebus ac ineptis delectantur. Quod ſi idem faciant in vivis, pro fœnore inimicitias omnium reportabunt. Omnes ad viri talis conſpectum, velut ad rabidi canis occurſum, horrebunt, & cane pejus & angue vitabunt. Novi virum egregiè doctum, ſed in omnes penè hujus ſeculi illuſtres viros maledicentiſſimum: Qvam ob cauſam nemo illum reſpicit, neqve amicitiam ejus ambit. Nam cum nemini parcat, easdem ab illo injurias omnes metuunt. Præterea inſcitiæ ac imprudentiæ opinionem excitat: Cum enim reprehendi aliqvem vident, qvi omnium judicio in cœlum extollitur, prudentiores hominem indoctum habebunt, qvi id fecerit. Ut enim de pictore, ſculptore, fictore niſi artifex judicare; ita niſi ſapiens perſpicere non poteſt ſapientem. Inſipiens ergo, indoctus & homo malus eſt, qvi bonos & doctos reprehendit. * Qvod ſi ad doctrinam inſi- 23
gnem illuſtris qvoqve dignitas acceſſerit, major illis reverentia debetur, qvo magis illi fortunas doctorum augere poſſunt. Principes eruditi enim, ſiqvidem verè eruditione excellant, aut prudentes ſint, ὁμοτέχνȣς ſemper amabunt, eosqve ut ſuæ laudis præcones venerabuntur. Qvi eruditioni ſuæ diffidunt, alios, qvi ſe ingenio & eruditione ſuperant, odiſſe ſolent, ut Nero Poëtas ſui temporis. Verum Urbanus VIII. & Alexander VII. Pontifices, Poëtæ ipſi præſtantiſſimi, ad optima munera viros ingenioſos & Poëtas vocarunt, ac cum ipſis familiariter converſati ſunt. Legimus in præfatione Epiſtolarum Patini, Magnates Patino aureum nummum (*Louys d' or*) obtuliſſe, ſingulis vicibus orbiculo ſupponendum, qvoties ille cibum unà capere vellet: Qvam ille tamen conditionem faſtus aulici impatiens reſpuit.

IV. Axioma hoc eſt: OSTENTATOR MODESTUS ESTO. Qvemadmo- 24
dum ſuperbia & faſtus nos ab aliis ſejungit, ut conſortium noſtrum fugiant, ita cum nimis abjectè de nobis ſentimus, per noſtram negligentiam aliis qvoqve negligimur. Qvare non adeò improbanda eſt decora oſtentatio, ſed qvæ ab omni jactantia, ab ineptiis remota ac plena modeſtiâ ſit. Qvod ſi famam expertus faventem fueris, eamqve fueris promeritus, non tuo tantum, ſed & virorum bonorum judicio, ſecundum Horatii ſententiam, *quæſitam meritis ſume ſuperbiam.* Eſt enim qvædam honeſta philautia, qvæ in ſui fiduciâ conſiſtit. Magna vero famæ in alliciendis animis prærogativa eſt: Qvare famam non tantùm honeſtè aucupari debet, ut præcepto primo diximus, ſed & modeſtè oſtentare. Eſt qvædam in omnibus negotiis, civilibus inpri-

mis, oſtentatio, qvam ut in Mutiano laudavit Tacitus, & ab illo reqviritur, ita & erudito qvædam ſui oſtentatio neceſſaria erit. Egregia planè ſunt, qvæ de omni etiam virtutis oſtentatione agit Verulamius *l. 8. de Augm. ſcient. c.* 2. etiam nobis hoc in loco
25 profutura; qvæ illic legi poſſunt. * Abeſſe verò omnis faſtus & ineptiæ debent, ne vel odioſi fiamus vel ridiculi. Faſtum talem cum aſperitate conjunctum in Mottæo Vayero deprehendit Patinus, qvi de eo epiſt. 15., *autant Stoiq; q' homme du monde, homme qui veut étre loüé & ne loüe jamais perſonne, fantasq; & capricieux, & ſoupçonne d' un vice d' eſprit dont etoient atteints Diagoras & Protagoras.* Ineptam illam δοξομανίαν aliqvot exemplis nobis Erythræus, optimus characterum in viris literatis obſervator, depinxit. In eorum genere qvi eſſe primi omnium rerum volunt, nec ſunt, Belmontes Cagnolus fuit, de qvo ille *Pinacoth. I. n. 8.* ridiculam plane hiſtoriam recenſet. *Homo gloriarum pleniſſimus ſibi perſuadebat, in toto orbe terrarum celebratum ſuum nomen eſſe; ac ſi literatus quiſpiam ipſi advenienti continuo non aſſurrexiſſet, elatus iracundiâ, hiſce hominem verbis accipiebat: Itane? Abbas Cagnolus everſæ Aquilejæ & tantorum carminum autor, tuam potuit notitiam effugere? non ſit veroſimile. Et quo tempore Cardinalis à Balneo aulæ ludus erat, cum die quodam in Humoriſtarum cœtum ſe intuliſſet, & amatoria quædam carmina ab alio, ut ipſe dicebat, confecta, qui in ejus diſciplina educatus eſſet, ſenex candidiſſimus recitaſſet, omnium in ſe riſus excitavit. Quamobrem ille inflammatus irâ: Quid ridetis, inquit, inſani? ego ſum ille Abbas Cagnolus, omnium qui ſunt ex hoc numero multò antiquiſſimus, quique ex dirutæ Aquilejæ poëmate tantam mihi gloriam famamq; collegi, ut nullus in terra vivat, cujus nomen ſit apud omnes illuſtrius & clarius. Quibus auditis omnes ita voces, ita palmarum intentus, ſibilos profuderunt, ut ad eos compeſcendos nihil Auguſtini Maſcardi, qui tum Academiam Princeps regebat, juſſus atque autoritas planè valeret.* Ridicula planè & miſera fuit Jacobi Claveri δοξομανία, qvam idem Erythræus Pinacoth. I. n. 3. deſcribit: *Suo tempore ſacris initiatus, mittebatur quotannis feriis eſurialibus in aliquem pagum, divinarum rerum interpres; atque etiam excipiendarum confeſſionum provinciam accepit; quæ res illi conjungendæ cum multis amicitiæ cauſa fuit, utque cupiditatem laudis & gloriæ, quâ æſtuabat, expleret. Nam tribunal, unde confeſſiones excipiebat, oſtiolo templi propinqvum habebat, qua diſcipulis à ſcholis redeuntibus transeundum neceſſario erat; ibi tanquam in ſtatione manebat, & quemcunque adoleſcentem ingenio præſtare audiviſſet, humaniſſimis verbis excipiebat, laudibus efferebat, ſuam illi operam pollicebatur, ac poſtea in cellulam deductum juglande, melle condita, reficiebat: quibus blanditiis eò hominem adducebat, ut promitteret, ſe ejus laudes, quas ipſe ſigillatim enarrabat, vel proſa oratione vel carmine, celebraturum, ac per hanc rationem à multis, qui poſtea in literis clari & magni extiterunt, non inelegantes verſus ſuam in laudem expreſſit: nec minus audacter poëtarum hujus ac ſuperioris ævi principes eſt aggreſſus, videlicet Annibalem Carum, Torquatum Taſſum, Benedictum Varchium, Julium Cæſarem Stellam, Porphyrium Felicianum; quorum ſcripta in ipſum carmina leguntur, hæc ille poſtea in duo volumina collecta edidit, quorum alterum Latina, alterum Hetruſca*

Hetruſca

truſca poëmatia continet; & utrisque præfixa eſt ejus vita, oppidò ridicula. At voluit homo cupidus laudis vivens gloriola ſua frui: quibus rebus perfecerat, ut tota urbe celebratum ſuum nomen eſſet. Induxit etiam, neſcio quem, Religioſæ ejusdem familiæ rerum geſtarum ſcriptorem, ut ſuæ ipſum hiſtoriæ ſummis laudibus ornatum inſereret. Longè ſubtilior illorum δοξομανία eſt, qvi gloriam de ſpretâ gloriâ aucupari ſolent, de qvo Antonin. Imperat. τῶν εἰς ἑαυτόν. lib. 12. §. 27. ὁ γὰρ ὑπὸ ἀτυφίᾳ τύφος ϛυφόμενος πάντων χαλεπώτατος, *faſtus de faſtus contemptu inflatus omnium eſt maximè intolerabilis*; ubi præclaras Gatakeri notas vide. Omnis ab oſtentatione & laudis cupidine affectatio abeſſe debet, qvæ in erudito omnia corrumpit. In verbis, factis, ſcriptis, converſatione & ubiqve ſe exerere ſolet: Qvam ut effugiat, omni prudentiâ providendum eſt. Vir eruditus erat Alexander Burgius, ſed unum illi objiciebatur vitium, referente Erythræo *Pinac. I. n. 67.*, qvod nimis eruditi famam affectaret: nam obvios in viâ amicos ſententiâ aliqvâ, aut verbis ex Ciceronis epiſtolis deſumptis, ſalvere jubebat: unde apud eos, qvi eum non noſſent, pædagogi ſpeciem non poterat effugere. De hoc affectationis vitio, qvod Gallis *pedanterie* dicitur, multa eruditè Autor artis cogitandi in Diſc. primô: Recenſet nonnullos hujus vitii in eruditis characteriſmos Bailletus in libro *de Judiciis doctorum, tom.* 1. *part.* 1. §. 2. De variis in parandâ famâ artibus & præſtigiis extat elegans Johann. Comirii Oratio, Poëmatibus ejus annexa, qvæ hoc noſtrum axioma mirificè illuſtrabit.

V. Axioma eſt: DEFECTUS TUOS ABSCONDE. Ut oſtentare in tempo- 26
re virtutes, ita defectus ſuos occultare, Viri prudentis eſt. Ut ille Politicus omnium optimus eſt, qvi imprudentiæ ſuæ errores tegere novit; ita ille vir Eruditus præ ceteris habebitur, qvi defectus ſuos callidiùs celare novit. * Tres defectuum late- 27
bras, ut vocat, Verulamius conſtituit: qvarum prima illi eſt *Cautio*, qvando iis rebus abſtinemus, qvibus pares non ſumus, cum audaces ſe omnibus rebus ingerant, ac prudentiorum riſui ſe exponant. Secunda eſt *Prætextus*, cum defectibus noſtris benignâ aliqvâ interpretatione viam ſternimus, qvaſi aliunde provenientibus, aut aliò tendentibus. Tertia *Confidentia*, cum illa contemnimus, qvæ ipſi aſſeqvi non poſſumus: ut mercatores, qvi ſuas merces, licet ignobiliores, extollunt, aliarum pretium imminuunt. Singula hæc, ab illo prudentiſſimè obſervata, etiam in re literaria atqve converſatione erudita uſum inſignem habent, qvæ ſatis per ſe ſine ulteriori elucidatione intelligi poſ-
ſunt. * Idem in *arcanâ ſuâ ſtudiorum methodo cap.* 14. diligentiſſimè inculcavit 28
Alexander Fichetus, qvi inter alia ſtudiorum myſteria etiam hoc proponit: *Defectus majori ſtudio tacendi ſunt. Etſi enim faſces præ modeſtiâ ſummittendi ſunt, prodenda tamen non ſunt apud alios, quæ videntur nocitura: notitiam enim defectuum illico fama malum velociſſimum centum ſpargit linguis; ac ut ſunt ita comparati à naturâ mortales, ut aliorum ſic malis & inopiâ gaudeant, ut curioſitate geſtiunt ea cognoſcendi, magnâ famam credulitate excipiunt, magnâque deſpicientia notatos proſeqvuntur & contemptu. Neque ergo memoriæ defectus, nec difficultas componendi, nec ſtudendi moleſtia, nec capitis aut oculorum imbecillitas, nec ingenii tenuitas in medium eſt proferenda.*

Qui

Qui non habet facultatem Orationis extemporaneæ, quam in Oratore exigit Quintilianus, ille converſatione crebrâ debet abſtinere, aut domo paratas efferre in medium materias, quod etiam illi præſtant, qui pedanea in cœtibus valent eloquentiâ; ſatius tamen eſt, ut pulpito & roſtris contenti ſint, ne decreſcant, ſeque ipſis minores eſſe videantur. Cæterum nunquam in publicum prodeat diſputaturus, peroraturus, aut aliud quidpiam præſtiturus, niſi paratus eximiè, & ad concitandam admirationem inſtructiſſimus. Vel unica minus ornata minusq; compta diſputatio hominem capite minuit & famâ: omnium autem maximè elaborata ſit oportet, quæ prima eſt, quia ab eâ ſucceſſus & opinio pendet. Conſeqvitur ergo ex his, qvoniam opinionem bonam imminuit defectuum imprudens revelatio, illam converſationi impedimento eſſe, ac proin ſedulò viro docto evitandam.

29 VI. Axioma eſt: ARCANA STUDIORUM TUORUM TIBI SERVA. Etiam hoc ad prudentiam in converſatione literatorum neceſſarium maximè eſt. Majori admirationi ſunt, qvorum modi & cauſſæ ignorantur. In omnibus negotiis, commerciis, artibus, aliqva arcana ſunt & recondita, qvæ ſibi ſervant, qvi iſta tractant: propalatis enim illis evileſcit illorum pretium, & ſimul vel lucrum, vel honos, vel qvodcunqve illis commodum decedit. Qvare ſi tibi ſingulares in aliqvâ ſcientiâ profectus ſint, & occultâ qvadam arte parati, qvam alii ignorent, eveniet, ut eâ manifeſtatâ levem rem æſtiment, qvi antea mirati ſunt, cum ſe eâdem id efficere ratione poſſe credant. Huc pertinet illud Alexandri Ficheti præceptum in arcan. method. cap. 10. *Magnâ arte fama ſuſtinenda, ſervandumque arcanum ſilentiariorum ope Geniorum: Nam etſi ſpecimen eruditionis ſemper ſit dandum in publico, remotâ ambitione præſtitâque humanitate; illud tamen, quo præſtas aliis, aperiendum non eſt, ne coronam tibi tuam præripiant, tuisque graculorum more plumis ſe conveſtiant: ſit tamen aliquid, quo emineas; ſit aliquid, quod ſuggeras & proferas inauditum, parcè & modeſtè, ne prodigas tua, tuisque te ſpolies: ſat eſt, ſi agnoſcant ex ungue Leonem. De Hebraicis, Arabicis, de Jurisprudentia, Medicina, Hiſtoria, & aliis arcanis, ſalis modo inſperſis, quanta lateant, ſuſpicentur. Tu verò & laudibus & argutis interrogationibus, & blanditiis erue arcana eorum, ſi potes: ſapientiæ genus eſt hoc genus doli boni. Huc etiam pertinet arcanum illud maximum, ne cuiquam adverſaria, notas & dictata tua pervolvenda permittas: ne cuiquam dixeris, quo ſtudeas modo, quâ dicas aut conſcribas arte, quos habeas arcanos libros. Nam ea, quæ latent, ſuſpicione ſemper & curioſitate inſitâ mortalibus majoris fiunt. Vidi ego virum doctum, habitum contemptui, quia feneſtris apertis ſcribebat, habendum alioquin in pretio & admiratione maximâ, ſi ſtudendi modum arcani majeſtate obvelaſſet.* Hæc Fichetus, & me qvidem judice rectè, præcipit: nam qvod de ſcriptis celandis ait, veriſſimum eſt, ac novi ego hâc ratione viris doctis multos laborum ſuorum periiſſe fructus, cum alii eorum ſylvas pro lubitu cæderent, atqve ex paratâ materiâ, qvæ vellent, ædificarent. Qvam enim facile eſt, in varias rem figuras convertere? ut eorum videatur, qvòd aliis manifeſtâ fraude ſubductum eſt. In ſcientiis ipſis aut earum methodo arcana diſſimulata majorem laudem conciliant.

Qvæ

Qvæ non Mnemonices beneficio prodigioſa præſtita ſunt tàm apud veteres, qvàm
apud recentiores? qvæ admirationi omnibus fuere, anteqvam illa ars propalata: Nunc
verò poſt manifeſtata ejus artis arcana, æſtimatio qvoqve ejus rei periit.

VII. Axioma eſt: CAVE CONTEMNI. Generaliſſimum hoc eſt præceptum, 30
qvod priora continet, & ſi qvæ alia ſunt, qvæ ſuperioribus non comprehenduntur.
Qvi enim opinionem de ſe excitaturus eſt, is omnia illa fugere debet, qvæ in contemptum adducere poſſunt. Contemptibiles autem nos reddunt omnia illa vitia, qvæ in oculos incurrunt; ſive illa ab animo, ſive à corpore, ſive à fortuna, aut ipsâ converſatione oriantur. Qvi intellectu peccant & ideò contemni ſolent, ſunt homines ſimplices & ſtulti: Reperiuntur enim etiam in eruditis, qvi non in ipſa rerum luce & actione verſantur, cetera non indocti, multi homines imprudentes & ſimplices, qvalis ille fuit Marcellus Marcheſius, apud Erythræum *Pinac. I. n. 69.*, Cui nauta qvidam de campanis è templo Franciſcanorum furto ſublatis impoſuerat. Ubi tamen id notandum, homines ſimplices uſui interdum ſagacioribus eſſe in rebus curandis, qvibus ipſi operam commodare nolunt. Contemptum etiam provocant illi, qvi omnia admirantur, in ſermone affectatores, imprudentes, rerum ſuarum imperiti, homines in nugis occupati, voluptuarii, ridiculè ambitioſi, ruſticè verecundi, audaces & temerarii, homines glorioſi, aſſentatores, ſuperciliosè graves, in diem viventes, & his ſimiles, de qvibus videatur ulteriùs Vinc. Placcius *Excerpto II. Rhetor. Tit. 2. §. 6.* Plura hominum eruditorum ob ſtultitiam contemptorum exempla vide apud Erythræum *Pinacoth. II. n. 65.* in Fortunato Scaccho, & eadem *Pinacoth. n. 45.* in Antonio Maraffa, & *ibid. n.* 4. in Franciſco Balduccio. Ubi jam ergo hæc præcepta ſedulò obſervaverimus, facilè per converſationem nobis amicos parabimus: qvi multis qvoqve aliis modis parari poſſunt, qvos in libro ſuprà laudato notavit Placcius. Ita *Tit. 2. §. 20. num. 2.* deſcribuntur perſonæ jucundæ & delectabiles, *ibid. §. 16. num. 2.* Perſonæ venerabiles. *Ibid. §. 14.* de Benevolentia paranda canones proponuntur, qvi optimè ad præſens applicari negotium poſſunt.

Ad alterum caput procedimus, qvo impedimenta opinionis de nobis excitandæ 31
removemus, * cujus ſumma hæc eſt: NE SIS, VEL VERBIS VEL FACTIS, MO- 32
LESTUS. Moleſtiæ verò cum multæ poſſint eſſe cauſæ, qvas enucleatè ſatis propoſuit Vinc. Placcius *Excerpt. I. Rhetor. Tit. 14.*, nos illa præcipuè noſtro ſcopo applica-
bimus. * I. Canon ſit: UT HOMO EST, ITA MOREM GERAS. Explorandi 33
ſunt omnium animi, cum qvibus converſari cupimus, ne illis diſſimilitudine morum moleſti ſimus, ſed noſtros ad eorum genium temperemus. Qvemadmodum in ſonis non concinunt chordæ, niſi certis proportionibus ſint temperatæ; ita & in animis fieri ſolet. Nihil dici, nihil fieri debet, ex qvo offendatur, qvisqvis ille ſit, cum qvo converſationem qværimus. Id verò artis eſt, ut modeſtâ qvâdam & circumſpectâ colloqvendi ratione animum tuis moribus adverſum paulatim inclines. Rectè præcepit Verulamius; animum occaſionibus & oportunitatibus obſeqvi debere. Ingenium
verſatile, ut politico ita & erudito, eſſe debet. * Si cum ambitioſo & ſuperbo 34

homine tibi res eſt, acerbis reprehenſionibus in furorem conjicies, ſed molliore ſermonis circumductione paulatim ejus animum compones. Memorabile eſt illud Socratis exemplum, qvi Glauconem juvenem tumidum, ad civitatis regimen aſpirantem, multis argumentis & tricis & interrogationibus eò tandem redegit, ut ſuam in illa re imperitiam agnoſceret: deſcribitur à Xenophonte *lib. 3. Memorab. pag. 133.* & à Schradero *Comm. in Ariſt. Rhet. lib. 1. cap.* 4. ut inſigne artificii Oratorii ſpecimen proponitur. Cum Politico & qvidem in rebus civilium negotiorum converſaberis; alia ſumenda perſona eſt. Hîc *ἀλωπηκίζειν πρὸς ἀλώπηκας* interdum opus eſt: Ceremoniis & ritibus indulgendum, de qvibus alii ſolliciti non ſunt. Elegantia enim moris civilis & aulici, de qvâ Böclerus ſingularem diſſertationem ſcripſit, hîc omne fert punctum. Qvomodo cum invidis agendum, id eleganti libello nos docet Benedictus Menzinus Florentinus libro de literatorum hominum invidiâ. Præclarum extat Budæi exemplum in ejus vitâ à Ludovico Regio ſcriptâ, qvomodo is cum adverſario ſuo Leonardo Portio aliisqve rem ſuam inſtituerit. Ferocium hominum mores utcunqve ferendi, ac illi ſibi ipſis relinqvendi ſunt. Erit, cum ſui illos mores ulciſcentur. Habent & populi ſuos mores, ad qvos peregrinus ſe componere debet, ſi illorum velit gratiam aucupari. Ita Italorum & Gallorum eruditorum mores proponit Gregor. Leti in *Italiâ regnant. part. 3. lib. 3. p. 228. & ſqq.*, qvorum diſcrepantiam obſervare eruditus converſator debet. Galli non adeò omnia ad animum admittunt, & faciles in amicitiis ſunt, ducente illos civilitate qvadam & libertate naturali, ſine ceremoniarum affectatione. Itali verò ad amicitiam tardiores, arctiorem ineunt amicitiam. Galli ex levi occaſione eam ſolvunt, facilè reſumpturi. Itali tardiùs ab illa diſcedunt, ita ut vel nunqvam, vel ſerò & rarò, ad eam redeant. Infinita propemodum ſunt, qvæ notari ad hoc axioma poſſint: ac inprimis vir eruditus ſibi hoc commendatum habeat, ut commendavit ſanè qvàm maximè Verulamius libro ſuprà citato. *Intereſt inprimis,* inqvit, *honoris literarum, ut homines iſti pragmatici ſciant, eruditionem haud quaquam aviculæ, qualis eſt alauda, ſimilem eſſe, quæ in ſublime ferri & cantillando ſe oblectare ſoleat, at nihil aliud: quinimò ex accipitris potius genere eſſe, ut qui in alto volare, ac ſubinde, cum viſum fuerit, deſcendere, & prædam rapere novit.*

35 II. Præceptum eſt: OBSEQVIOSUS ESTO. Obſeqvium ſemper amicos parit. Pulchrè deſcribit hominem obſeqvioſum Terentius *Andriâ Act. I. Sc. 1. v. 35.* Ho-
36 mo commodus ille aliàs dicitur. * Reſpuit converſatio omnes, qvi ſunt contentioſo & diſputaci ingenio, & qvi cenſuram ſibi in alios ſumunt. Pulchrè Qvintilianus lib. II. cap. 1: *Habet mens noſtra ſublime quiddam & erectum & impatiens ſuperioris: ideoque abjectos aut ſubmittentes ſe libenter allevamus, quia hoc facere tanquam majores videmur, & quoties diſceſſit æmulatio, ſuccedit humanitas. At qui ſe ſupra modum extollit, premere ac deſpicere creditur, nec tam ſe majorem, quam minores cæteros facere.* Qvàm ſit in rebus civilibus neceſſarium obſeqvium minorum erga majores, & qvidnam illâ arte obſeqvii effici poſſit, pulchrè docet Böclerus *diſſert. polit.* 3. Inſtitutionibus politicis additâ, & *commentar. ad lib. I. Annal. Taciti ad cap. 2. annotat. 11.*

Fichetus

Fichetus inter arcana ſua etiam hoc proponit cap. 10. *Adſit comitas & ingenuitas,*
blanda conciliatrix animorum, quæ tamen vulneri non pateat, neque latus nudet alio-
rum ſimulationi & calliditati, horum peſti temporum venenoque converſationis. Sit
ſilentium ſermone potius, niſi de ignorantiæ ſuſpicione periclitemur. Sit in audiendo
patiens animus, auris benevola, laus liberaliſſima; nec vultu aut nutu lædatur ami-
citia, quæ etiam pietate condiri debet. Moroſa non ſit, neque contentioſa converſatio,
ſed blanda veritati aſſentiens: moleſtiſſimi ſunt enim odioſiſſimique mortalium, qui con-
tradicunt ſemper, ut Ariſtoteles eſt effatus. * Hanc in Petavio diſputacitatem damnat 37
Patinus Epiſt. 2., qvem moleſtum, maledicum & mordacem hominem vocat, qvi
nunqvam ſcripſerit, niſi alium refutaturus. Campanellæ cum Theologo diſputatio
acrior omne malum accerſivit, ut prolixè recenſet Erythræus *Pinacoth. I. n.* 21. Abſit
à literatis omnis ferocia, qvæ Muſas earumqve cultores non decet. Singulare hujus
ferociæ exemplum in Thoma Dempſtero fuit, cujus mores graphicè Erythræus *Pina-*
coth. I. num. 9. deſcribit. Sunt etiam in eruditorum genere, qvi metui malint, qvam
amari. Adverſus hos feroces, opinioſos, moroſos, diſputatores, qvi contendet, ex in-
ſanis plerumqve inſaniores reddet. Sed ſunt tamen & in illis, qvi cedendo aſperiores
fiunt; ubi animos & lacertos illis objeceris, miteſcunt.

III. Præceptum eſt: AFFABILIS ESTO. Nihil magis animos allicit, qvàm 38
ſi qvis ſe omnibus placidum exhibuerit. Qvi in Græcis epigrammatis Θηροζυγοκαμ-
ψιμέτωπος appellatur, h. e. *feræ & flexijugæ frontis*, ut Themiſtius Orat. 9. Procopium
deſcribit *ἀεὶ συγκεκυφὼς, ἀεὶ συνεφὴς, ἐφελκόμενος τὰς ὀφρῦς, demiſſo ſemper in*
terram vultu, ſemper tetricus, & contractum ſupercilium habens, is ut ab omni conver-
ſatione, ita ab eruditâ, removendus. * Sunt tamen interdum homines, præſertim 39
profundis ſpeculationibus immerſi, Theologi ſeveriores, Pædagogi; moroſiores & ſuper-
cilioſi. Qvidam etſi per ſe triſtioris ingenii, adſcititiam tamen humanitatem in con-
verſatione habent. Qvidam triſtiores videntur, qvàm re verâ ſunt, qvod de Vincen-
tio Gramigna notat Erythræus Pinacoth. I. n. 44. *Triſtitia atque ſeveritas, quam*
præ ſe ferebat in vultu, dabat iis, qui non eſſent experti, occaſionem ſuſpicandi, eum eſſe
amicum minus ſuavem & commodum; ſed expertis nihil eo videbatur humaniùs &
jucundius: atque amicitias, quas ſemel cum aliquo ſuſceperat, quippe quas non lucrum,
non ambitio, non vitiorum ſocietas conciliaverat, ſed virtutis amor ſtudiumque conjun-
xerat, usque ad extremum ſpiritum integras illibatasque conſervavit. * Singulare 40
moroſitatis, imò ſtultitiæ, exemplum Cardanus dedit; de qvo Hilarius Pyrckhaimerus
in libro de ratione peregrinandi refert, cum illum ſalutandi gratiâ adiret, interrogatum
ab illo fuiſſe, num pecuniam afferret; Cum ille ſe præter neceſſarios ad iter nummos
qvicqvam attuliſſe negaret, reſpondit Cardanus; ſe non curare transalpinos, niſi num-
mos adferrent. Ex eo tempore, inqvit ille, non Cardanum ampliùs, ſed Κερδαῖνον,
vocabam. Sed condonandum hujus hominis ingenio quicqvam fuit, qvi, utut doctiſſi-
mus, multa tamen alia ſtultitiæ ſuæ ſpecimina dedit. * Summa contrà fuit Pi- 41
nelli humanitas, qvâ ille viros doctos excepit: Ita enim vitæ ejus ſcriptor Gualdus de
illo: *Moris ipſius fuit, omnes, qui eum venerant ſalutatum, ad infimos usque ſcalarum*

gradus comitari, domeſticos ut libet atque familiares. Iraſcebatur quippe ineptis quibusdam, qui, neſcio cujus exiſtimationis magis quàm amicorum rationem habentes, ſanctiſſimum amicitiæ nomen inani verborum geſticulationumq; obſervatione polluunt. Addi huic debet Jani Gruteri exemplum, cujus ſingularis humanitas atqve hoſpitalitas à Balthaſare Venatore, in Panegyrico illi ſcripto, omnibus in exemplum proponitur. De Budæi facilitate, qvi ne injurias qvidem ad animum admiſit, videndus eſt Ludovicus Regius in ejus vitâ.

42 IV. Præceptum eſt: GARRULUS NE ESTO. Qvam gravis in converſatione garrulitas ſit, Horatius *Satyrâ lib.* 1. *ſecundâ* feſtiviſſime depinxit. Moleſtiſſima eſt viro docto temporis jactura, qvod cum ſine fructu ſibi per garruli alicujus ineptias
43 perire videt, indignè illud feret. * Adſcribam hîc hominis garrulitate, qvamvis non indoctâ, moleſti imaginem ex *Pinacothecâ Erythræi prima*, *num.* 158. Erat is Angelus Angelotus ita loqvax, ut, qvibuscum una eſſet, nullam ſermonis partem relinqveret. *Imitabatur*, inqvit Erythræus, *homo Camers veteres Græculos; nam quocunque in loco, quoscunque inter homines, ſive cum uno ſive cum pluribus verſaretur, ſciſcitabatur ab eis, qua de re vellent audire; neque fas erat illis recuſare, quin rem aliquam in percunctando ponerent, de qua argutiſſime diſputaret: & ubi quempiam in via convenerat, quem inter & ipſum vel levis ſaltem aliqua notitia intercederet, ſe illi invito atque aliud agenti comitem addebat, ac vim prope imponebat, ut aliquid ab ipſo percontaretur, de quo maximè vellet audire; neque antea divelli ejus à latere poterat, quam inchoatam diſputationem peroraſſet concluſiſſetque: atque olim me admodum adoleſcentem, quem ſemel cum amico colloquentem ſuo viderat, atq; eadem opera, ut mos eſt urbanorum, ſalutaverat, cum feriis Bacchanalibus ſolum euntem aſpexiſſet, eſt audacter aggreſſus, atque, ô te, inquit, volebam, ut vales? quid agis? quo is? Ego, neque quid agam, reſpondi, nec, quo me conferam, ſcio: nam cum pigeret otioſum domi manere, ejeci me foras, ut ſaltem oculos hominibus perſonatis, tota debacchantibus urbe, delectarem, ac moleſtas ab animo cogitationes ejicerem; neque decretum aliquem locum habeo, quo me præſertim ire expediat. O te felicem, inquit ille, auſpicatò domo foras pedem extuliſti; non poteras, ſi totam urbem perreptaſſes, oportuniorem hominem invenire, qui ſuavibus alloquiis, atque eruditis diſputationibus, omnem tuo ab animo moleſtiam abſtergeret. Sed quoniam advenienti mihi ad ſiniſtram ſors eum obtulerat, id quod ego non animadverteram, advolavit illico ad dexteram, atque, Demus primum, ait, operam, ne merito in ſermones hominum vituperationemque veniamus; nam quos de nobis ſermones dabimus, quos populo riſus præbebimus, ſi me, te tanto ætate majorem, &, quod refert, tanto literis doctrinaque ſuperiorem, tecum in via ad lævam incedentem adſpexerit? age vero, mihi quæſtiunculam, de qua tuo arbitratu loquar, impone; ſed illud quære, quod ſit amœnum, lepidum, jucundum, Bacchoque dignum, cui ſunt hodie Dionyſia. Ego, qui in eas me tricas deveniſſe conſpicerem, unde quemadmodum expedirer, non inveniebam, demitto auriculas, & quo aliquid reſponderem, Dic, ajo, de amore, ex Platone præſertim, quem tibi præ cæteris Philoſophis audio eſſe in amore atq; deliciis.*

O ſa-

O ſapiens, inquit ille, poſtulatum, & ætatula iſta, quam obtines, dignum: nam fit vero-ſimile, tibi, ut ceteris adoleſcentibus, amorem in corde verſari, tuumque animum apud aliquam lepidam, venuſtam, tuiq; ſimilem adoleſcentulam, cupidinis clavo defixum hære-re; age dum, Amor ſit noſtri ſermonis materia, ſed ille purus, defæcatus, nobilis, melliſque fœcundiſſimus, ad quam faciem cupio eſſe eum, quo ardes, non ille impurus, inhoneſtus, quiq; amarum ad ſatietatem usque aggerit. Ac cœpit primum definitionibus explicare, quid eſſet amor; tum cauſas enumeravit, unde amor ortum haberet, quos vel conferebat in aſtrum, cujus imperio, ut Plato voluit, duo ſubjicerentur, vel ad ſtatum cœli ſyderumq; revocabat, in quo illi nati eſſent, vel ſimilitudini geniorum aſſignabat, vel ad eandem temperationem corporum aut morum convenientiam, aut ad formarum ſimile in utriuſq; exemplar referebat, deinde alia non parum multa ſubjiciebat, plena illa quidem doctrina, & quadam prope admirabili varietate rerum ac copia, ſed quæ mihi, tum in variis nugis occupato, odium & faſtidium crearent. Neque is tantum garrulitate moleſtus, ſed in ædes per beneficium admiſſus, ut ipſi gratuita eſſet habitatio, non niſi per lites aut per vim ejici potuit: qvam ille hiſtoriam prolixè ibidem deſcribit.

V. Præceptum eſt: CURIOSIOR, QVAM DECET, NE ESTO. Oderunt 44
nimis curioſos viri prudentes, obeſt qvoqve converſationi, & fructu, qvem ex illâ percipere poteramus, nos defraudat. Qvò enim curioſius qvis omnia inqvirit, eò magis animi ſenſa celat alter, qvi ſibi inſidias ſtrui videt. Occultis hoc rationibus, non apertis, agendum eſt. Deſcribit hoc hominum genus Phædrus lib. 2. fab. 5.

Eſt Ardelionum quædam Romæ natio,
Trepidè concurſans, occupata in otio,
Gratis anhelans, multa agendo nil agens,
Sibi moleſta & aliis odioſiſſima.

VI. Præceptum eſt: IN JUDICANDO PRÆCEPS NE ESTO. Qvàm mul- 45
ti in hunc ſcopulum impingunt! Cenſurâ nihil odioſius eſt, qvâ maximè, etiam cum non putamus, offendimus. Si qvæ ſunt inter viros doctos lites, rectius faciet, qvi in neutram partem inclinet, aut omnibus deniqve rerum momentis benè perpenſis, judicium aliqvod modeſte & dubitanter interponat. Accidit ſæpe, ut liberum ac temerarium de re aliqvâ vel homine judicium injuriam ſuam alius interpretetur. Etiam à laudatione qvorundam nobis temperabimus; & à reprehenſione, niſi accuratè nobis de ejus judicio conſtet, cujus converſationem qværimus. Atqve hæc de altero capite dicta ſunto: Verùm rerum magiſter uſus plura nobis ſuppeditabit.

Procedimus nunc ad Converſandi modum, qvâ ratione ſcilicet converſatio in- 46
ſtituenda. Converſamur verò cum præſentibus per colloqvia, cum abſentibus per
epiſtolas. * Nihil verò ad informationem commodius eſt, qvam freqvens cum 47
viris doctis converſatio, qvæ eſt diſciplina omnium optima, & in ſenſus magis incurrit, qvam tædioſa illa per lectiones & meditationes via. Conſilium illud præclarum Ficheti eſt in Arcanâ ſtudiorum methodô cap. 3. *Compendium ſcientiæ unicum eſt*

Vir aliquis eruditus ad unguem, quem ſubinde conſulas ut magiſtrum; qui viam velit compendioſam, quam ſerò invenit, ut ait Seneca, tibi demonſtrare, pretioſos indicare libros, fontes aperire: ſed rarus eſt, qui hoc velit, quia plena faſtidii opera eſt; aut qui poſſit, magnis enim impenſis fit. Certè ſi quem offenderemus hujusmodi meliore metallo formatum myſtam, qui fores templi clauſas aperire velit, næ paucis menſium flexibus multorum annorum ſpatia conficeremus. Hoc de maximis arcanis eſt unum. Hunc tu hominem de meridie vel accenſâ face quære & perveſtiga; hunc eme vel aureo mundo, ſi potes. Veriſſimè hæc Fichetus; nam, ut demonſtrat Campanella *Metaphyſ. part. 3. lib. 17. cap.* 1., homines eam conſeqvuntur vitam, qvam per educationem habent; & oſtendit Tſchirnhauſius in *Medicinâ mentis, part. 2. pag. 79. & ſqq.*, per converſationem in omni vitæ genere plura diſci, qvam per lectionem librorum. Lectio tamen librorum non inutilis, ſi non habemus, cum qvo converſemur. Ideoqve vel ſola illa cum Bibliopolis & Bibliothecariis converſatio inſignem nobis uſum præſtabit.

48 * Narrat Erythræus *Pinacoth. II. n.* 18. qvàm Auguſtino Barboſæ converſatio cum Bibliopolis utilis fuerit ad vaſtos libros ſcribendos, cum nullos ipſe haberet. Clenardus qvoqve præclarum in Informatione Grammaticâ per converſationem ſpecimen dedit, de qvo *libro ſecundo* plura. Ac propoſuit Montaigne olim conſilium, qvomodo civitas aliqva eruditorum inſtitui poſſit, ubi ſolo uſu & converſatione lingua latina addiſceretur.

49 Colloqvia & συζητήσεις literatorum ad ſcientiam multum conferunt. Ac poſſunt illæ per interrogationes bene ordinatas ita inſtitui, ut arcana interdum explorentur. Verulamius hîc prudens temperamentum & mediocritatem qvandam præſcribit, in libertate ſermonis & in taciturnitate. Freqventiùs libertatem uſurpabimus, at, cum res poſtulat, ſilentium: Libertas ſiqvidem in ſermone etiam alios invitat & provocat, ut pari libertate erga nos utantur; ut taciturnitas fidem conciliat efficit-
50 que, ut velint homines ſecreta ſua apud nos tanqvam in ſinu deponere. * Non-
nunqvam præter libertatem oportuna qvædam importunitas aliqva extorqvet, ſi nimirum vel contentione noſtra, vel ſimulatione & fictione, perturbationem in alterius animo moveamus. *Ipſa teſtatur experientia*, inqvit Verulamius, *paucos admodum reperiri, qui erga arcana ſua tam fidi ſint, quin interdum ex iracundiâ, interdum ex jactantia, interdum ex intimâ erga amicum benevolentiâ, interdum ex animi imbecillitate, qui ſe mole cogitationum onerari ampliùs non ſuſtineat, interdum deniq; ex alio quopiam affectu intimas animi cogitationes revelent & communicent. Ac ante omnia ſinus animi excutit, ſi ſimulatio ſimulationem impulerit, juxta adagium illud Hiſpanorum: Dic*
51 *mendacium & erues veritatem.* * Ille toties nobis laudatus Vincentius Pinellus
ſingularem habuit modum indagandi hominum inclinationes ex variatione narrationis. *Si quid novi accidiſſet*, refert Gualdus, *rei ſeriem amabat ab omnibus, quotquot eum inviſebant, cognoſcere, quaſi tum primùm inaudiviſſet. Afficiebatur enim varietate illâ narrationis, quam ipſe callidus verborum æſtimator in ſermonis autore, cui amoris odiive cauſæ adeſſent, deprehendebat. Neq; hoc ſine fructu. Eruebat namq; latitantem*

ſæpenu-

ſæpenumero veritatem, eventusq́ue cauſas acu, ſolerti ſcil. ratione, tangebat. Eodem conſilio rumorum, ſi qui percrebuiſſent, autores inveſtigare conſueverat, quod hâc ratione disquirere ſe poſſe confideret, verine an falſi quidquam continerent. * Idem Pinellus, ne fructus, qvos ex amicorum congreſſu perceperat, ulla abriperet oblivio, cum illi abiiſſent, ſecedebat in cubiculum interius, ubi, qvæ præclara in colloqvendo animadverterat, in commentarium manu ſua referebat. Imò & cum amici adeſſent, nunqvam non illi ad manus fuit calamaria theca, ut ſumma rerum, qvæ placuiſſent, capita, ne exciderent, annotaret. 52
* Idem de Paulo Sarpio refert Fulgentius, qvi vitam ejus ſcripſit p. 86. edit. Gallicæ. *Quand il ſe trouvoit avec un homme eminent en quelq́ue ſcience ou art particulier, il l' interrogoit de tous les points d' icelles avec tant de douceur, qu' il apprenoit tout ce qu' il en ſcavoit, ſans pourtant, que ce rare perſonage ſe trouvaſt importuné de ſes demandes, ny qu' il ſe pleigniſt de ſon trop de curioſité.* Qvantum ex illa cum literatis converſatione utilitatis redundet, exaggerat *epiſtola ad Nicol. Heinſium 43. lib. 1.* Mareſius. 53
* Illic de Peregrinatorum ex his colloqviis commodo pluribus agit, atqve Heinſio eo nomine gratulatur. *Morem*, ita ſcribit, *illum veſtrum valdè comprobo, qui Belgis omnibus & Germanis communis eſt, per cultiores Europæ regiones peregrinandi, priusquam certo in loco pedem figatis, officioq́ue aliquo, vel grata matrimonii compede vos illigetis. Nam præter externarum linguarum notitiam, & prudentiam, quæ ex illo per varias provincias diſcurſu acquiruntur, aliud etiam commodum vos φιλομαθεῖς conſequimini: doctos nimirum viros, qui ubicunq́ue degunt, ſalutando, cum illis amicitiam contrahendo, eorumq́ue conſvetudine & colloquio fruendo, ex quo nonnunquam plus utilitatis hauritur, quam ex librorum lectione. Qva in re tu tibi non defuiſti: ſed quicquid eſt apud nos hominum eruditorum, dum in Italiam is redisque, videre, alloqui, quin & eorum benevolentiam conciliare, cura tibi fuit non poſtrema. Cui commodo aliud addendum eſt, vobis quodam modo peculiare, ſcilicet Bibliothecarum excuſſio, librorumq́ue rariorum, præſertim verò manuſcriptorum ſedula conquiſitio: Fatendum eſt enim, vos & Germanos indefeſſo præ ceteris labore in literarum ſtudiis verſari, & in emendandis reſtituendisq́ue ope veterum codicum bonis autoribus diligentem operam inſumere; Quo nomine omnium ubiq́ue ſtudioſorum gratiam demeremini.* Qvanti ex colloqvio in peregrinatione fructus capiantur, docuit Monconiſius, in cujus Itinerario multa habentur in re naturali, mathematica & aliis, elegantiſſima obſervata. In rerum ſane naturalium cognitione multum illa converſatio lucis accendet, cum ex plurium colloqviis, per artem, qvam vocant combinatoriam, elicere multa poſſimus: Athenis olim & Romæ hujusmodi συζητήσεις freqventabantur, ut ex Gellio & Plutarcho conſtat. Refert Petrus Crinitus Politianum Savanorolam, Picum Mirandulam & alios celebres viros, qvi Florentiæ tum degebant, hujusmodi συζητήσεις freqventaſſe. 54.
* Scipio qvoqve Claramontius in libro *de conjectandis latentibus animi affectibus libr. 9. c. 8. §. 5.* de vi interrogationum in ſecretis extundendis agit, qvâ arte qvoqve judices utuntur. Ita Chremes apud Terentium repetita interrogatione Menedemum inclinavit ad cauſam ærumnæ ſuæ aperiendam. Sunt aliqvi interrogandi 55

terrogandi arte adeò excellentes, ut reos interrogationibus ad confitendum adigant, qvod Tranqvillus Ambroſius de *proceſſu informativo libr. 1. cap. 2. n.* 5. teſtatur. Illa vetus per interrogationes diſputandi ratio fuit, qvibus ita teneri & conſtringi potuit adverſarius, ut nullo ψευδοθύρῳ elabi potuerit. Ac tradit Ariſtoteles VIII. Topicorum Dialecticam nos docere πῶς δεῖ ἐρωτᾷν. Laudabat hanc in Laurentio ſuo interrogandi ſolertiam Athenæus lib. 1. οὐκ ἀβασανίστως οὐκ ἐκ τοῦ παρατυχόντος τὰς ζητήσεις ποιούμενος, ἀλλ᾽ ὡς ἔνι μάλιστα μετὰ κριτικῆς τινος καὶ Σωκρατικῆς ἐπιστήμης, ὡς πάντας θαυμάζειν τῶν ζητήσεων τὴν τήρησιν. *Neque viles neque abjectas ſane quæſtiones objiciens, aut quæcunque accidiſſent, ſed quemadmodum maximè convenit cum critica quadam & Socraticâ ſcientiâ, ita, ut omnes quæſtionum illarum ſeriem*

56 *admirarentur.* * Critica Socratica hîc ab Athenæo appellatur, qvæ in argutis interrogationibus conſiſtebat. Qvare & Demetrius Phalereus genus orationis vocat εἶδος Σωκρατικὸν, qvod eſſet per interrogationes conceptum. Hujus Critices ſpecimen in Glaucone Socrates dedit, de qvo ſuprà §. 34. diximus. De hâc Critice multa ſe in libro de Criticâ dicturum promiſit Caſaub. *Animad. in Athenæum lib. 1. cap. 2. p.* 5. qvi tamen lucem non vidit. Qvicqvid ergo ex his colloqviis nobis notatum fuerit, id ad uſus noſtros ſeponendum, qvod magnorum auſuum eſſe rudimentum poteſt. Nata illinc ſunt Scaligeriana, Perroniana, Thuanæa, Colomeſiii illa opuſcula literaria, Ultrajecti apud Petr. Elzevirium An. 1669. edita; qvibus adjicitur libellus Gallico ſermone, cui titulus: *Recueil de particularités*, in qvibus multa de eruditis familiariter à Voſſio aliisqve ſuppeditata, laudato ſemper autore, vir ille effutivit, qvæ inſignis ſanè temeritas fuit. Multa tamen in his ſunt mendacia, qvale illud de Caſparo Barthio horrendum, qvi concubinam ſuam Rheno ſuffocaverit, qvod ejus cum Scriverio amores deprehenderit, & plurima alia.

57 Cum abſentibus converſamur per epiſtolas. Illa homines converſatio ſola ingenii ſimilitudine conjungit, cum ſe nunqvam viderint, qvo affectus ſæpe plus qvam præſentium converſatione incendi ſolet. Tegit epiſtola & celat omnes illos defectus, qvi fortè in moribus aut formâ colloqventis apparent; ſolus hic animus loqvitur, ſeqve nudum exhibet. Fuit Scaligero & Caſaubono, Heroibus literariis, freqventiſſimum literarum commercium, neqve tamen unqvam ſe viderunt. Narrat Patinus *Epiſt. 136.* Caſaubonum ſæpius iter Batavum meditatum, jamqve ducentos aureos huic itineri deſtinaſſe; verùm ſemper impedimenta qvædam objecta fuiſſe. Scaliger illum ſæpè exſpectavit, atqve hæc ad illum ſcribit: *Tui erit arbitrii in mediâ hyeme venire, quam luculento foco expugnabimus, qui nunquam deficiet in cubiculo, quod tibi*

58 *adornabo: quod tamen nullum præter te ornamentum habebit.* * Diligentiſſimus in hoc commercio literarum fuit Pinellus, cujus inſigne ſtudium, qvod exemplo omnibus eſſe poſſit, ipſis illius autoris verbis, qvi vitam ejus ſcripſit, apponam: *Inſtruxerat ille præclaram hanc diſcendi cupiditatem ope multorum, qui eâdem voluptate afficerentur. Hos non in Italiæ Europæq; urbibus modo, ſed & in oppidis vicisq; ſelegerat, quorum induſtriâ continenter uteretur, ad quos epiſtolas ſchedulasve oportunè miſſitaret. Illud*

ſanè

ſanè in Pinello mirandum, quânam ratione ipſi per imbecillam valetudinem liceret tot rerum meminiſſe, tot negotiis ſufficere. Et verò hanc ille ſibi præter cæteras methodum præſcripſerat, ut perlectis amicorum literis earum capita compendiaria via in codicem referret. Hunc ſibi proponebat reſponſurus ſepoſitis epiſtolis, in quarum mox tergo adnotabat nomen ejus, qui ſcripſiſſet, annum, diem, locum & negotiorum indiculum. Harum faſciculos ſingulis hebdomadis in ciſtulas transferebat. Ad literas cum demum reſponderat, ſelectas in manipulos cogi, annorum, menſium, ſeptimanarum, dierum habitâ ratione digeri, & in unum ſecludi imperabat. Conſueverat inſuper tabulas ſibi quasdam conficere, in quas referret ea omnia, quæ ipſe ab amicis, quæ ipſi ab eo viciſſim poſtularent; deſcriptisque ſummis negotiorum petentiumque nominibus, uno 59
intuitu diſcernebat, quid actum eſſet, quid agendum reſtaret: ac confecta nomina inducebat, poſtquam reſcripta cum codice contuliſſet. * Noſtro tempore Antonius Maliabeccus foris multis per totum orbem literatum virorum doctorum amicitiis innotuit; domi ex omni gente virorum doctorum concurſus eſt: De cujus inſigni hu- 60
manitate, admirabili eruditione Gregor. Leti *Ital. regnant. part.* 3. *libr.* 4. *pag.* 423. * Inſignis eſt ex omni illa converſatione, vel per colloqvia vel per literas, omni ex parte utilitas, atqve adeò hic de Fine converſationis eruditæ tractatio ſuſcipi poſſit. Ille vero duplex eſt; nam vel ſcientiam ſolam, vel famam, venamur. Qvi ſcientiâ ſolâ contentus eſt, minori apparatu indiget; qvi famam etiam ambit, qvædam τεχνήματα in ſubſidium vocat. Etſi veram virtutem, &, qvæ illa fundatur, converſationem fama ultrò ſeqvitur. Multis ſola cum eruditis converſatio ad famam prodeſt, qvemadmodum Pompejo Garigliano, de qvo hæc Erythræus Pinacoth. I. n. 39. *Dicebat ſæpe in Academia Humoriſtarum, more ſuo, ex tempore, ſummâ Academicorum aliorumque frequentiâ: inde emanavit ejus nominis fama in totam civitatem. Nemo erat Cardinalis, nemo vir princeps, nemo paulùm literarum cupidior, quin eum videre cuperet, alloqui, adire, quin domum ſuam invitaret.* Adeò ampliſſimum virtutis præmium ipſa virtus, & ſua ſapientiam & doctrinam fama ſemper comitatur.

CAP. XVI.
DE SCRIPTORIBUS AD REM LIBRARIAM ET HISTORIAM LITERARIAM PERTINENTIBUS.

§. 1. *Tranſitus ad Autorum enarrationem.* 2. *Ejus occaſio.* 3. *Vogleri Introductio in notitiam Autorum.* 4. *V. Placcius ejus ſupplementum promiſit.* 5. *H. Conringii Opuſcula.* 6. *MStum de eruditionis à C. N. propagatione & de Scriptoribus.* 7. *Bartholini comm. de libris legendis.* 8. *Autor Gallicus Anonymus de cognitione bonorum librorum.* 9. *Cenſura ejus.* 10. *Periculoſa de Autoribus judicia.* 11. 12. *Benjaminis Prioli aliorumque conatus audaciores.* 13. *Photii Bibliotheca μυριόβιβλον.* 14. *Varia de eâ judicia.* 15. *Bibliothecæ hujus ſcribendæ occaſio.* 16. *Ejusdem Photii Nomocanon.* 17. *Gloſſarium MStum.* 18.

Jacobus Gaddius 19. libro de Scriptoribus non-Eccleſiaſticis majora viribus audet. 20. Labbei de eo judicium. 21. Antonii Poſſevini Bibliotheca ſelecta, 22. & apparatus ſacer. 23. Claudii Verdierii Cenſio Autorum ſtulta & temeraria. 24. In patrem ſuum ille maledicus. 25. Scioppii cenſura adverſus illum. 26. Leo Allatius ex illo multa cepit libro de Erroribus magnorum Virorum in dicendo. 27. Recenſentur aliqua judiciorum ſtultorum de Virgilio præcipuè & Horatio ſpecimina. 28. Theophili Raynaudi Erotemata de bonis ac malis libris. 29. Bailleti, 30. & Patini de eo judicia. 31. Patinus illum malè Conringio præfert. 32. Scriptores Ephemeridum literariarum. 33. Autoris conſilium. 34. Anglorum; 35. Gallorum Ephemerides. 36. Tanaq. Fabri Cenſura Ephemeridum Gallicarum. 37. Dionyſii Medici Memoria & Galleſii continuatio Ephemeridum. 38. Romanæ, Florentinæ, Ephemerides. 39. Nazarii laus. 40. Venetæ Ephemerides. 41. Acta Philoſophica Germanorum & Danorum. 42. Acta Eruditorum Lipſienſia laudantur. 43. Menckenii & Carpzovii encomia. 44. Mercurii librarii. 45. Cornelii à Beughem Indices. 46. P. Bælii Excerpta Reip. Literariæ. 47. Mercure ſçavant. 48. Bibliotheca Univerſalis Hiſtorica. 49. Ephemerides Parmenſes; 50. Hamburgenſes. 51. Georgii Richteri Criſes Melanchthonianæ commendantur. 52. Elogia Thuanæa, 53. cum notis Antonii Teiſſieri. 54. Tobiæ Magiri Eponymologium criticum. 55. Bailleti judicia doctorum de præcipuis libris laudantur. 56. Ejus de judicio ferendo cautiones. 57. Excerpta Scaligeriana & Perroniana. 58. Prima Scaligeriana. 59. Quibus autoribus congeſta & digeſta, 60. excerpta Perroniana. 61. Judicia & ſermones doctorum familiares, invitis autoribus, non temerè edendi. 62. Collectio dicteriorum Ciceronis à Quintiliano, 63. 64. Melanchthonianorum dictorum à Camerario & Sibero reprehenſa. 65. Trajani Boccalini, 66. Adami Eberti, Relationes è Parnaſſo. 67. Danielis Bartoli Character hominis literati. 68. Theophili Spizelii libri. 69. Franc. Ridderi hiſtoria eruditionis. 70. Vinc. Placcii de Anonymis, 71. Deckeri de ſcriptis adeſpotis liber. 72. Conringii liber de Antiquitatibus Academicis laudatur. 73. Hiſtoriam Univerſalem Academicam inter deſiderata ponit Autor. 74. Du Boulay Hiſtoria Academiæ Pariſienſis. 75. Antonii Wood Academiæ Oxonienſis Hiſtoria, 76. commendatur ad Philoſophiæ & Theologiæ Scholaſticæ hiſtoriam. 77. Lambecii Comentarii de Bibliotheca Vindobonenſi. 78. Gabr. Naudæi Additio ad Hiſtoriam Ludovici XI. 79. Typographia Germanis à Naudæo vindicata.

1 QVæ hactenus diſſertavimus, qvaſi veſtibula & aditus ad totam hanc tractationem faciunt. Nunc ad AUTORES ipſos perveniemus, qvorum recenſionem non magnô apparatu & pompâ inſtituemus; ſed præcipua qvædam de iis monebimus, qvæ τῆς πολυμαθείας ſtudioſis inprimis profutura exiſtimamus. Neqve enim Nomenclatoris hîc partibus fungimur, qvi & vitas, & tempora, & li-

& libros Autorum juſtâ ſerie recenſeat, qvô labore alii defunguntur; ſed ad ſolum
nos uſum reſpicimus, qvem in cognitione rerum ſibi præfixum habere bonarum lite-
rarum cultores debent. * Cum primùm ſcholis privatis illa proponeremus, ple- 2
raqve, qvæ in ſeqventibus de Autoribus dicemus, ex memoriâ, ſine ullo libro, com-
mentario aut operoſâ meditatione, nobis deprompta ſunt, ut optimè norunt, qvi tùm
illis interfuere. Non diſplicuit ille viris eruditis, utut extemporalis, labor, qvi ejus edi-
tionem ſæpiſſimè urſere, & nunc qvidem juventutis præcipuè commodo illa publici
juris facimus; interjectis nonnullis, qvæ ſub manu, cum illa concinnaremus, nata
ſunt. Præcipuos igitur tantùm Autores enumerabimus, neglectis illis, qvi levioris
momenti viſi ſunt. Qvi enim omnem ſcriptorculorum iſtorum ſaburram colligere
velit, Heliogabalum imitari videretur, qvi, ut Romæ vaſtitatem oſtenderet, omnes è
tota urbe aranearum telas coacervari juſſit. Ampliſſimum certè negotium per tàm
vaſta Autorum ſpatia diffundi: prudentiæ præterea res eſt, ex illo numero ſeligere
optimos. Viæ deniqve compendium eſt, pro illis, qvi hæc ſtudiorum ſpatia decur-
runt, ut Hodegetas inveniant, qvi digitum intendant. Nos jam primùm de Autori-
bus, qvi ad rem librariam & literariam in genere conſideratam pertinent, agemus.
Præmittemus verò Autores compendiarios: nam ut compendia nobis faciamus, pro-
deſt aliorum compendia noſſe; & qvidem primô locô hîc ponemus

VALENTINUM HENRICUM VOGLERUM, Profeſſorem Medicum Helm- 3
ſtadienſem, cujus extat *univerſalis in notitiam cujusque generis bonorum Scriptorum
Introductio*, Helmſtadii An. 1670. in 4. edita. (*gg*) Vir fuit ille doctiſſimus, & vaſtum
hoc argumentum ὡς ἐν τύπῳ propoſuit. Rudimentum ergo non ſpernendum eſt,
& qvaſi ichnographia magni operis. Generatim agit de modis, qvibus Scriptorum
notitia poſſit acqviri, & omnes inde Autores illos recenſet, qvi de Scriptoribus certa-
rum diſciplinarum, nationum, ſummariam recenſionem inſtituerunt, Sed multa ta-
men in illo deſideres. Nam in generali illâ Synopſi non omnia complexus eſt, qvæ
dici poterant. * Ejus ſupplementum meditatur VINCENTIUS PLACCIUS, Gymna- 4
ſii Hamburgenſis Profeſſor, vir clariſſimus. * Id qvoqve è Voglero diſcimus è 5
cap. 5. iſtius libri, extare HERMANNI CONRINGII Opus eruditum *de univerſâ erudi-
tionis à nato Chriſto propagatione*, ejusdemqve *de Scriptoribus* commentarium privatis
lectionibus ab illo conceptum, qvi multorum commoda adjuturus eſſet, eô judice, ſi
lucem viderit. * Verùm compendiarius planè libellus ejus eſt, qvem vidi, *de* 6
eruditionis propagatione, commentariolus Chronologicus, in qvo per ſingula ſecula
qvinqve illa capita proponit. 1. De Scriptoribus Eccleſiaſticis & Judaicis. 2. De

Y 2 Scripto-

(*gg*) Voglerianæ *Introductionis* primæ, qvæ h. l. commendatur, & A. 1670. prodiit, Edi-
tioni, præferendæ ſunt duæ poſteriores, Helmſtadii A. 1691. & 1700. *in 4to* excuſæ,
ob luculentas, qvæ his acceſſerunt, Viri Summi, Henr. Meibomii Junioris, tum Præ-
fationes, tum Notas & Acceſſiones. Qvæ & ipſæ, in Tertia Editione, poſt Meibomii
obitum, Filii patriſſantis, Herm. Dieterici, cura, A. 1700. publicata, auctiores ſunt,
qvam in Secunda.

Scriptoribus Philoſophicis. 3. De Juriſconſultis. 4. De Medicis. 5. De Hiſtoricis, Oratoribus & Poëtis: Qvem ego qvidem extemporalibus ipſi diſſertationibus natum ſuſpicor, multis acceſſionibus augendum, ut eſt ipſe Vogleri liber longè locupletior. Verum de Scriptoribus commentarium nullum hactenus vidi.

7 THOMAS BARTHOLINUS alterum ab illo locum occupet, magni Vir nominis, non inter Medicos tantùm, ſed inter Polyhiſtoras & Philologos. Is ſub extremam ætatem Bibliothecæ Academicæ Hafnienſi admotus occaſionem nactus eſt, Commentarium *de libris legendis* ſcribendi, editum Hafniæ A. 1676. in 8vo, Diſſertationibus ſeptem. Parvæ qvidem molis liber eſt, ſed in qvô qvaſi conſtipata ſunt utiliſſima de libris monita & notitiæ ad multas diſciplinas utiles. Diſſertatione *primâ* multa habet de Academiæ & Bibliothecarum Hafnienſium incrementis: *ſecundâ* de Autoribus ſuppoſititiis, anonymis, plagiariis, de autorum patriâ & ætate, ſingularum nationum & autorum genio, vitis autorum: *tertiâ*, de linguis Scriptorum, Scriptoribus Mileſiorum & verſionibus: *quartâ*, de ſcribendi ratione veteri & novâ, MStis antiquis Romanis, Danicis, Islandicis, Editionum meliorum notis, Typographis, voluminum formâ: *quintâ*, de titulis librorum, variis librorum argumentis, methodis &c.: *ſextâ*, de lectione librorum, de arte mnemonicâ, de Excerptis inſtituendis, Indicibus variis, Lexicis: *ſeptimâ*, de electione librorum, & judicio circa Scriptores, notis & ſiglis &c. Opus tamen hunc librum lecturo aliqvâ Autorum notitiâ: nuda enim nomina velut per lancem ſaturam congeſta tirones facilè morantur. Prodeat tertio loco

8 AUTOR GALLICUS ANONYMUS, *de la connoiſſance des bons livres, ou examen de pluſieurs Auteurs.* Liber ille ſine autoris nomine prodiit in 12mo Amſtelo-

9 dami 1672. * Magnifica multa promittit titulus, cum pompâ & apparatu inſtitutus; ſed exigua ſunt, qvæ in illo libro tractantur, & in cenſuram qvorundam Autorum Gallicorum deſinunt; cui fini deſtinatus ille liber videtur, eamqve ob cauſam nomen Autoris omiſſum, ut invidiam à ſe declinaret. Prolixus eſt in judiciis de fabulis & Romantiis Gallorum: qvæ potiſſimam libri partem occupant. Regulæ, qvas ponit de bonis Autoribus cognoſcendis, admodum ſunt generales. Judicium ille de libris inſtituendum dicit, ratione autorum, tituli, argumenti: eâqve occaſione de qvibusdam Gallicis Scriptoribus, eorumqve virtutibus & vitiis agit, de Comœdiis, de Poëſi Gallicâ, de eloqventiâ Gallicanâ in ſtylo ſoluto & ligato. Qvibus totus ille liber abſolvitur, atqve ita in urceum exit, cum amphoram titulus promiſerit. Qvare rectè de eo judicat Bailletus in Judic. Doctor. tom. 2. part. 1. p. 169. *cet ouvrage n' a point augmente l' eſtime, que le Public a conçüe de ſon habilitè, ce ne ſont quæ des diſcours vagues, dans lesquels il ſemble battre l' air, ſans ſçavoir à quoy ſ' en tenir.* Autorem hujus ſcripti nominant *Memoriæ Gallicæ*, à Dionyſio Medico ſcriptæ, *Sorellum*, qvi Bibliothecam Gallicam ſcripſit, de qvo in ſeqventibus; & veroſimile videtur. Videor enim mihi in utroqve ſcripto parem judicandi ſolertiam deprehendere, & ipſe liber ſtatim in initio mentionem Bibliothecæ Gallicæ facit.

10 Præmiſſis Autoribus illis, qvi generatim de judicio circa libros inſtituendo

agunt,

agunt, ad ipſos illos procedimus, qvi judicia de Autoribus ſcripſerunt. Hîc qvidem ex antiqvioribus occurrunt Cicero, Dionyſius Halicarnaſſæus, Qvintilianus, Longinus, qvi datâ occaſione Autorum veterum nomina recenſent, deqve iis judicant. Periculoſæ plenum opus aleæ ſuſcipiunt, Qvintiliano judice, qvi de Autoribus judicia in publicum edunt, qvod & Rolando Mareſio *lib.* 1. *ep.* 41. viſum eſt. Meminit illic Eraſmi, qvi in Ciceroniano de ſui & ſuperioris ævi Scriptoribus judicia dedit, non ſine ſummâ ſui invidiâ: Item Juſti Lipſii, qvi Bembum aliosqve ſevero examine expendit. Hoc deniqve ejus de his cenſuris judicium eſt: *Omni certè laude hoc proſequendum eſt, modò cum modeſtia fiat & in pridem functis, ſine odio & gratia: quorum cauſæ procul habentur, cum de iis judicatur, quos videre, quibusque proinde invidere non licuit. Sed id in juſto opere & ex profeſſo facere, fortaſſe nimis invidioſum ſit: nimirum ſummorum virorum quaſi cenſorem agere. Tantum epiſtolis aut Criticis operibus illas cenſuras admiſceri vellem. Quanquam ejusmodi judicia ſic, ut dixi, exercita non tam cenſuræ, quam laudationes dici debent: quibus, quid in unoquoque egregium videatur ac laudabile, ingenuè adnotatur, obiter verò tantùm, ſi quid aliquan-* 11 *do iidem peccaverint.* * BENJAMIN PRIOLUS, qvi *Hiſtoriam Gallicam ab exceſſu Ludovici XIII.* ſcripſit, in appendice iſtius libri promiſit *judicia de Scriptoribus Græcis & Latinis.* Verùm qvæ judicia exſpectanda ab homine, qvi ipſe exiguo judicio præditus, in ampliſſimo ſuo argumento ineptè verſatur? Nihil eſt enim iſtâ hiſtoriâ, ſi dictionem, ſi argumentum videas, qvod placere doctis poſſit. Ridicula planè illa operi ſubjuncta epiſtola vel excuſatoria, vel defenſoria. Qvàm ſtulta illa Lipſiani ſtyli affectatio: ac paſſim occurrunt è Lipſii Politicis ac aliunde conſuti centones. * De JOHAN- 12 NE BAPTISTA CAPONO refert Gregor. Leti *Ital. regn. part.* 3. *lib.* 2. *p.* 97. moliri illum libros XII. *de erroribus clarorum Scriptorum Latinorum, & alios de erroribus clarorum Scriptorum Tuſcorum,* ſed poſt mortem demum edendos. Refert & Bailletus *de Judic. doctorum, tom.* 7. *part.* 1. *p.* 172. eſſe à Dn. *Deſ-preaux Boileau* judicia de Viris doctis conſcripta, qvæ tamen hactenus non vidi. Idem eodem loco, *pag.* 293. mentionem cujusdam ſocietatis facit *le port Royal*, qvæ variorum librorum cenſuram, ſed audaciorem, inſtituerit, de qvâ hactenus nil mihi conſtat. Inter illos cenſores, qvi aliqvam ætatis prærogativam habent, ponendus nobis primus eſt

PHOTIUS, Patriarcha Conſtantinopolitanus. Hujus Viri magna fuit erudi- 13 tio. Vixit ſeculô poſt Chriſtum natum nonô. Ejus extat *Bibliotheca* μυριόβιβλος, ſive lectorum à Photiô librorum recenſio; ſed non ſuperſunt, niſi 279. codices, qvos recenſuit. Caſaubonus tamen epiſt. 164. meminit, MStum integrum extare apud Henricum Stephani. Habentur in hôc Opere Excerpta ex Autoribus illuſtria, inter qvæ ſunt multa deperditorum autorum fragmenta. Adjicit qvoqve judicium de Autoribus, qvod genus ſcribendi primus ille ſuo tempore inſtituiſſe videtur. In Latinam linguam converſum eſt hoc Opus ab Andreâ Schotto, editumqve Auguſtæ Vindelicorum 1606. in fol. Græcus Textus ſolus cum Emendationibus Höſchelii 1607. prodierat, ſuaſu Marci Velſeri; Græcè verò ac Latinè excuſum fuit Genevæ apud Paulum

14 Stephanum An. 1611., tum deinde Rotomagi. Utraqve editio in folio. * Fuiſſe Virum hunc ſuo tempore doctiſſimum nemo Hiſtoriarum peritus ignorat: qvanqvam ab Henrico Spondanô, aliisqve Pontificiis Scriptoribus, ut homo ſacrarum literarum rudis traducatur, qvod ab invidia profectum eſt. Antonius Poſſevinus in Bibliothecâ ſuâ ſelectâ lib. 5. cap. 16. contemptim de Photio judicat: *De Bibliotheca Photii, quam multi, & ii etiam perdocti, aut Græcam aut Latinam optarunt, nolim quenquam admodum angi;* & in Apparatu Sacro, ſub voce Photii, multos in illo errores notat. Notum enim eſt ex Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ, qvæ tum lites fuerint inter Eccleſiam Orientalem & Occidentalem agitatæ. Qvoties librum illum legimus, toties inſignes periiſſe libros, qvorum ille argumenta recenſet, dolemus. Honorificè de hoc libro ſentit Lipſius *Cent. 5. Miſc. Epiſt. 89.* Heinſ. *prolegom. in Ariſtarch. ſacr.* Voſſ. *l. 2. Hiſt. Græc. cap.* 25. Calixtus in *apparatu Theologico*, immenſæ qvidem lectionis & variæ eruditionis virum vocat, ſed vitæ minus probatæ. Multa in ejus laudem Schottus *in*
15 *præfatione*, ubi Photium Hermogenis Ideas in Critice Autorum ſeqvi ait. * Occaſio hujus Bibliothecæ ſcribendæ hæc fuit: Dum in Aſſyriâ legationis munere fungeretur pro Baſilio, Taraſius amicus ejus per literas à Photio petiit, ut, qvæ ſubſecivis horis legeret, ſecum communicaret: Qvare in hunc Commentarium omnia illa, qvæ legit, retulit, & ad amicum ſuum transmiſit. De Photio vide Elogium apud Capaccium *lib. 2. Elogior. p.* 330. Editus qvoqve ab illo Photio eſt liber adverſus tyrannidem Pontificis Romani. Hujus Viri utinam omnia haberemus, multa nobis ſupereſſent
16 vetuſtorum Autorum Fragmenta. * Extat tamen præter hanc Bibliothecam ſcriptus *Nomocanon*, cum notis Theodori Balſamonis, & Johannis Zonaræ, editus à Jacobo Gothofredo & Bevereggio in Synodico illo magnô. Extant & *Epiſtolæ* ejus cum
17 verſione & notis Richardi Montacutii. * Scripſit qvoqve *Gloſſarium Græcum*, qvod hactenus MStum eſt, latetqve in Biblothecâ Viri illuſtris Marqvardi Gudii, cujus editionem multi hactenus fruſtra urſerunt. Eſt & alterum MStum in Bibliothecâ Oxonienſi, cujus editionem moliuntur illic Viri docti. Magno commodo foret hoc Gloſſarium literatoribus & Hiſtoricis; multa enim ex Autoribus deperditis depromſit, qvorum laciniæ etiam venerationi eſſe debent. Qvod ad notitiam ſingularem hujus Viri attinet, legantur Andreæ Schotti in Bibliothecam ejus Prolegomena. Aliqva etiam ſummatim recitat de Hiſtoriâ ejus Böclerus, in libro *de rebus ſeculi noni & decimi, ſub Ludovico II. p.* 157. Verum Gloſſarii illius nulla apud eos fit mentio. Hactenus enim non niſi duo illa cognita ſunt exemplaria. Subjungo Photio, velut ejus ſimiam,

18 JACOBUM GADDIUM, Florentinum, Virum Nobiliſſimum, è Familiâ illuſtri
19 Italicâ. * Is Opus edidit *de Scriptoribus non-Eccleſiaſticis*, Tomis duobus comprehenſum, ſed qvi non unô tempore, nec integri, prodierunt. Tomus enim primus Florentiæ 1648. in fol. editus; Tomus II. à litera L. ad literam S. Lugduni Anno 1649. eâdem formâ editus, unde difficulter illi libri junctim poſſunt comparari. Magnificus librorum illorum titulus eſt, ut ſolent plerumqve eſſe verborum prodigi, qvi rerum ſunt

ſunt parci. Judicia interponit de Autoribus ſæpè temeraria & futilia, ne qvid de maledicentiâ ejus dicam, qvâ viros doctiſſimos ſæpè impugnat, præcipuè Germanos; ipſi qvoqve Photio non parcit, in qvo taxat nimiam Plutarchi recenſionem, cum illud ſtudio fecerit autor ille. Qvæ enim non ſunt in Plutarcho notatu digna? in qvibus prolixitatem ejus nunc qvidem damnari ineptum eſt: nam ſi periiſſet ille Autor, ut multi alii, nemo non ipſi egiſſet magnas gratias. * Abbas Ghilinus *in Theatro* 20
ſuo hominum literatorum, invidenda illi Elogia ſuſpendit: ſed Philippus Labbæus rectius de eo format judicium, vocando Sciolum Florentinum in libro ejus *de Scriptoribus Eccleſiaſticis p. 878.,* qvi de rebus ſibi penitus ignotis judicium, qvo ferè ſemper caruit, ferre voluit; in qvisqviliis undeqvaqve corradendis operoſum: qvi, qvot verba habeat, tot propemodum mendacia. Idem integrum librum de Gaddianis aberrationibus ſe ſcripturum promiſerat. Scripſit Gaddius penè Bibliothecam librorum in variô doctrinæ genere, ut ſolent homines, qvò ineptiores ſunt, eò magis eſſe πολύγραφοι, qvi chartis illinunt, qvicqvid in buccam venit. Ejus Opera recenſet Gregorius Leti, *Ital. regn. part. 3. lib. 4.* Occurrunt tamen in his nonnulla ſæpe è MStis notata, aliaqve curioſiora ſuperſtitioſâ diligentiâ congeſta, qvæ inter tot alias ineptias ad uſus noſtros ſeponere poſſumus: ut nullus liber tam malus eſt, in qvo non ſit aliqvid boni. Fuiſſe aliqvando mente captum Gregor. Leti refert. Extat &

ANTONII POSSEVINI, è Soc. Jeſu, *Bibliotheca ſelecta & Apparatus ſacer:* 21
cujus Viri non eſt æqva apud doctos æſtimatio. Sunt, qvi illum in cœlum ferunt laudibus; ſunt, qvi illum compilatorem, non multæ curæ & judicii habent. Bibliotheca ſelecta 18. libris conſtat. Multa hîc pertinentia ad rationem ſtudiorum, & rei literariæ in univerſum, interponit judicia, in qvibus multa reprehendit Jacobus Gaddius: Sed non magni faciendum eſt ejus judicium, ut qvi ſæpiſſime ineptus Autorum cenſor eſt. Verum tamen eſt, vagis & longè qvæſitis excurſibus fatigare illum lectores. Sixti Senenſis Bibliothecam ſanctam paſſim vellicat, qvæ tamen viris doctiſſimis in pretio eſt, de qvo nos alio loco. * *Apparatus* ejus *ſacer* majore in pretio nonnullis 22
habetur, multaqve habet de Scriptoribus veteribus & novis judicia, ex aliorum ſæpe ſenſu formata. Utiliſſimum tamen ille laborem ſuſcepit, in qvo aliqva condonari debent. Bailletus ſuadet, ut correctio errorum ab aliqvo viro docto ſuſcipiatur. Annectit Catalogos MStorum, qvæ ad res Eccleſiaſticas pertinent, magnô ſtudiô ex omnibus eruditi orbis Bibliothecis conqviſitos; cui ſi ſimiles in ceteris diſciplinis collectiones haberemus, magno profectò uſui eſſet. Judicia ejus de Machiavello magnam ipſius oſcitantiam & imprudentiam arguunt, ut oſtendit in Præfatione Principis Machiavellici Conringius. Ultima editio Bibliothecæ ſelectæ prodiit An. 1607. Coloniæ, in folio. Apparatus ſacer ibidem 1608. Referendus itaqve hic autor eſt ad Scriptores rei literariæ Criticos, qvalis Photius eſt, & qvi è recentioribus Photii methodum ſeqvuntur Ephemeridum Scriptores. Inter illos Criticos nomen qvoqve, ſed invitâ planè Minervâ, profiteri voluit.

CLAUDIUS VERDIERIUS, Filius Antonii Verdierii, cujus extat *ſupplementum* 23

in

in Bibliothecam Geſneri, & plurima alia linguâ Gallicâ. Is librum ſcripſit exiguum
magnificô hôc Titulô: *Cenſio autorum omnium veterum & recentiorum.* Qvis non de
locuplete penu hujus Pantoſophiſtæ præclara omnia, & tanti promiſſoris hiatu digna,
ſibi ſponderet? Sed miſerè ille corvos deludit hiantes: Nam ubi cenſuram ſuam exer-
cet, manifeſtam hominis phreneſin facilè deprehendas. Vel ex ipſâ libelli fronte non
falsâ metopoſcopiâ conjeceris hominis dementiam, qvi triginta circiter foliis tàm va-
24 ſtum argumentum exhaurire voluit, * Si non aliundè, vel ex eo colligas inſaniam,
qvod ipſi parenti ſuo, Viro docto, in laudes filii ſui tam prolixo, non parcat. Nam
in Bibliothecâ ſuâ Gallicâ Antonius Verdierius Pater *ſub voce Claudii* filii ſui varia
carmina Gallica etiam cum elogio recenſet, & ille tamen ingratus & maledicus filius
de Patre ſuo pag. 171. ita: *Erravit fortaſſe Antonius Verdierius pater meus, qui Geſnerum
ſecutus Bibliothecæ ſupplementum fecit &c.* Porrò de eo: *Laboris hâc in re ineſſe*
25 *ſatis, quamvis induſtriæ parum, nemo eſt, qui neget.* * Adverſus illum cenſuram
ſcripſit Caſpar Scioppius, qvi & ipſe certare cum aliis poteſt maledicentiâ; non vero
ſeorſim excuſus libellus ille, ſed additur libro, cui titulus: *Catulli caſta carmina*, ſele-
cta à Raphaële Eglino Iconio, cum ejusdem Vindiciis adverſus Joſephum Scaligerum.
26 Editus eſt liber Francofurti Ann. 1606. in 12mo. * Neſcio tamen, qvi factum ſit,
ut Leo Allatius diſcepatione ſuâ *de Erroribus magnorum virorum in dicendo*, Romæ
1636. editâ, non exiguas ex hujus Verdierii cenſione lacinias in hunc ſuum libellum
tranſtulerit, laudato interdum, ſed diſſimulanter, autore, interdum præterito. Nam
certè majori judicio ingenioqve Leo Allatius erat, qvam ut è miſerâ iſtâ Verdierii cen-
27 ſione judicia illa emendicaret. * Si qvis aliqva ejus ſtultitiæ ſpecimina velit, dabi-
mus illa in guſtum: Statim in initio operis, 18. paginis multa ſunt inepta de Gramma-
ticis veteribus judicia. P. 43. *Romans* Gallorum ex voce Gallicâ *Normans* ſtultâ plane
derivatione deducit. Pag. 50. & ſqq. in Virgilio reprehendit voces barbaras, qvod-
qve utatur phraſi non latinâ, ut Æn. 3., cum Poëta ait: *Anchiſen facio certum*; cum
dicere debuiſſet: facio certiorem. *Sceleratum* qvoqve *frigus*, & *ſceleratas faces* more
Mantuano dixiſſe Virgilium, unde in eo deprehenſa ſit Mantuanitas. O acumen omni
piſtillo obtuſius! Qvam ridiculum eſt ejus de Horatio judicium p. 57. qvod in Hexa-
metris duriuſculus ſit, & verſus plurimum inexculte per monoſyllaba deſinere faciat,
qvo nihil ſit abſurdius, qvod de poëtica arte multa præcipiat, qvæ ipſe non obſervet;
qvod Satyras ſuas Sermonum appellatione minùs idoneâ depreſſerit: Satyram enim eâ
gravitate & majeſtate, qvâ concionator in pulpito adverſus hominum vitia, prorumpe-
re debere; cum ſermo familiaris qvædam loqvela ſit. Non novit bonus ille vir ge-
nium Satyræ, qvem nemo unqvam feliciùs Horatio expreſſit, ac de induſtriâ hoc illi
Carminis genus qvæſitum; neqve aliam Satyris eſſe indolem, qvam qvæ ridendo & fami-
liari ſermone verum dicat, non gravitate concionatoriâ, qvæ cum Satyrarum Scripto-
ribus ſtultiſſimè componitur. Ejusdem commatis eſt, qvod pag. 100. artem omnem
oratoriam, ut generi humano pernicioſam, damnat, & pag. 103. & 104. præclaros illos
Ariſtotelis Rhetoricorum libros cavillatur. Nihil dicam de inſanâ ejus in Leges &
JCtos

JCtos cenſurâ à pag. 110. usqve ad pag. 132. Verum de eo judicium qvoqve tulit Bailletus *de Judic. Doctor. tom.* 1. *pag.* 2. & *pag.* 517.

THEOPHILUS RAYNAUDUS, Vir multæ lectionis & ſcriptionis, Jeſuita: 28
nam omnes ejus libri 20. tomos in fol. complent, qvi ante aliqvot annos junctim editi in Galliâ, teſtibus Ephemeridum Scriptoribus. Is librum inter alios ſcripſit, cui titulus: *Erotemata de malis ac bonis libris, deque juſta aut injuſta eorum conditione*, editum in 4to, Lugduni Ann. 1653., qvod argumentum ipſi integrum volumen parere potuit, qvanqvam non aliter, niſi morali ratione, tractaverit. Magna ſcilicet horum hominum ſollicitudo eſt de admittendis ſive tollendis & expurgandis libris. Multæ in hôc Opere ab ipſo afferuntur minutæ qvæſtiones, unde parum fructus pro literariâ notitiâ, niſi qvod obiter nonnulla inſpergat. Verum ſcilicet hîc Horatianum illud eſt:

Cum flueret lutulentus, erat, quod tollere velles.

Eandem materiam ante ipſum tractavit Gabriel Puhtherbeus, cujus extat liber *Theotimi* titulo, ſeu, *de tollendis & expurgandis malis libris*, *Pariſiis* An. 1549. in 8vo editus. Sed noſter ille pleniùs tractat hoc Argumentum. Inſtituit certas librorum claſſes, ut Hæreticorum, Atheorum, Magicorum, Superſtitioſorum, Obſcœnorum, Infamium, Suppoſititiorum, Furtivorum. De ſingulis multa habet, qvæ disqvirat. Sed ille, dum ſuâ in alios libertate cenſendi utitur, ipſe in cenſuram Eccleſiaſticam incurrit, atqve in Indicem illum Prohibitorum qvædam ejus Opera relata ſunt. * Et fuit 29
ſanè intolerabilis illa audacia, qvâ referente Bailleto in *Judic. Doctor. tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 13. *pag.* 102. cenſuram libertinam & impiam in Symbolum Apoſtolorum ſcripſit, aliosqve in religionem Chriſtianam injurios planè libros: Qvare inter illos, qvos Gallicâ voce *Chicaneurs* dicimus, refert. * Guido Patinus magnis illum elogiis 30
ornat. In epiſtola 92. vocat illum hominem prodigioſæ ſcientiæ, qvi omnia norit: nunqvam ſe, ait, aperire ejus libros, qvin aliqvid ex eo diſcat. *Epiſtolâ* 122. Rainaudum cum Martino Schoockio & Hermanno Conringio confert, ita tamen, ut utrumqve à Rainaudo eruditione vinci contendat. * Qva in re Viri ejus judicium mi- 31
nimè amplecti poſſum. Longè enim profundior eruditio, & limatius in Conringio, qvàm in Rainaudo, judicium. Qvod qvi diſcernere non novit, næ is vel parum judicandi ſolertiâ valet, vel partium ſtudio ducitur. Parum qvoqve aptè cum Schoockio confertur Conringius in hâc trigâ principe loco nominandus.

Referendi huc qvoqve ſunt SCRIPTORES EPHEMERIDUM LITERARIA- 32
RUM in variis Nationibus, qvatenus non nudos tantum Nomenclatores, ſed & Enarratores & Judices ſe exhibent. (*hh*) * Jam XX. propemodum anni ſunt, cum con- 33
ſilium nonnemini ſuppeditarem, ut ſingulis ſaltem menſibus, (ut in rebus politicis fieri ſolet)

(*hh*) Ephemeridum Literariarum, ſolis, qvæ decennio proximo lucem videre cœperunt, Recentisſimis exceptis, omnium Hiſtoriam fuſius, diligentia ſatis curioſa, perſecutus eſt Chriſt. Junckerus, Dresdenſis, Gymnaſii jam Schleuſingenſis Conrector, peculiari, qvod Lipſiæ A. 1692. *in* 12. edidit, & Continuatione, ad hæc usqve tempora pertexenda, auctius nuper promiſit, Schediasmate.

ri ſolet) varias de rebus literariis ex totâ Europâ conqviſitas relationes publicaret, uſus eorum operâ, qvibus magnum eſt cum Viris celebribus literarum commercium: Qvod non ad libros tantùm, ſed & ad omnia cogitata & inventa aliasqve hiſtorias literarias
34 extendi vellem. * Ac factum nunc eſt, ut ſingulari qvodam impulſu animi eruditorum in hoc rei literariæ ſtudium acti fuerint. Sed ſcopos ſibi diverſos propoſuerunt. Angli enim ad res Phyſicas ſe totos converterunt, nova experimenta & Autores Philoſophiæ naturalis enarrando, cui fini apud illos inſtituta fuit *Societas Regia*, cujus auſpiciis Henricus Oldenburg, ejus Secretarius, in publicam lucem protulit, qvæ illâ in Societate proponebantur. Eorum pars in Latinam linguam converſa eſt: promiſerat & ipſe Autor integram verſionem, cujus nunc laboribus fata interceſſerunt;
35 illam telam nunc pertexit Hoockius. * Galli non intra naturæ fines ſe continent,
36 ſed latiùs evagantur; omnis enim generis Autores novos recenſent. * Primus è Galliâ illam operam ſumpſit Hedovillius, cujus liberiora judicia bilem moverunt eruditis, ut Tanaqvil Faber ſingularem librum ſcripſerit adverſus illos Ephemeridum Scriptores, cui Titulus *Journal du Journal, ou cenſure de la cenſure*, in qvo falsè exagitat novos illos Criticos. Qvare circumſpectè magis rem ſuam inſtituerunt, & judicio
37 omni abſtinuerunt, ſolâ recenſione contenti. * Poſtea res illa ad Dominum Galleſium, ad Abbatem Roqvium, ad Dominum Dionyſium, Regium Medicum, delata eſt, qvorum labores unô faſciculô comprehenſi ſub titulo *Journals des ſcavans* prodierunt. Recuſi illi libri in Belgio fuerunt; ſed acceſſiſſe hîc qvædam à falſariâ manu qveruntur Galli. Qvæ ab aliis notata in his Ephemeridibus fuerunt, legi poſſunt apud Baillet. libro toties laudato, *tom. 2. pag. 57. & ſqq.* Pars aliqva iſtarum
38 Ephemeridum in linguam Latinam converſa eſt à Nitſchio. * Cœperunt qvoqve Itali Gallicas convertere in ſuam linguam, & ipſi Gallorum exemplo tales ſcribere Ephemerides, & qvidem Florentini ſe exercuerunt præcipuè in Phyſicis & Mathematicis. De libris apud illos nihil habetur. Sed ii jamdudum laborem hunc abru-
39 perunt; * Romæ verò FRANCISCUS NAZARIUS, Vir doctiſſimus, eandem qvoqve palæſtram ingreſſus eſt, de qvo multa præclara ſcribunt Autores, qvi ejus librum legerunt. Prodiit verò etiam ille ſub Titulo: *Giornali de Letterati.* Raró tales libri ad nos perveniunt. Caſpar Bartholinus in Præfatione libri ſui de Tibiis veterum hoc illis elogium ſuſpendit: *Franciſci Nazarii Ephemerides tantam librorum cujuscunque ſcientiæ & linguæ varietatem, tamque diſtinctam notitiam complectuntur, ut ſingularia eorundem, quæ ipſe laborioſè ſolus perſtringit, clarius & ſolidius ab ipſis ſeorſim Autoribus haberi nequeant.* Ex illis Ephemeridibus multa transſcribunt Galli, nonnun-
40 qvam etiam Angli. * Veneti qvoqve Ephemerides tales inſtituerunt: Sed & hæ
41 cum Romanis jam diem ſuum obierunt. * Harum nationum exemplo incitati etiam Germani & Dani, acta qvædam Philoſophica & Medica inſtituerunt, ſed intra
42 Phyſicæ & Medicinæ limites ſe continent. * Anno 1682. in Academia Lipſienſi Viri aliqvot docti laudabili conſilio negotium hoc ſuſceperunt, ut *Acta Eruditorum* publicarent, qvibus non libros ſolùm in omni doctrinæ genere, ex omni gente, novos

recenſe-

recenſerent, ſed & inventa nova phyſica & mathematica undiqve conqviſita proponerent. Optimè illa res hactenus cum eruditi orbis applauſu ſuccesſit, eſtqve ejus rei fructus longè maximus. Ego certè Germaniæ atqve illuſtri huic Academiæ de illo conſilio gratulor, qvod exteris qvoqve, qvibus noſtra rarò ad palatum ſunt, nunc placere incipit, ut jam in Gallicam qvoqve linguam acta illa convertantur. * In or- 43
dinem illa redigit vir non literarum tantùm famâ, ſed & ſingulari in his induſtriâ ſpectatisſimus OTTO MENCKENIUS, manum jungentibus aliis inclutæ Academiæ Profeſſoribus, præcipueqve Viro omni eruditionis apparatu inſtructisſimo, Dn. CARPZOVIO, urbis Senatore amplisſimo. * Nolo hîc dicere de Mercuriis librariis, 44
qvi ſingulis menſibus in Angliâ, ſingulis ſemeſtribus in Belgio, prodeunt; qvem morem etiam Galli imitantur, qvi ſingulis Ephemeridibus Catalogos aliqvos librorum ſubnectunt, qvibus continentur digna indigna relatu. * Neqve illud ſilentio hôc 45
locô prætereundum eſt, Batavum qvendam CORNELIUM à BEUGHEM pollicitum eſſe *Univerſale* aliqvod *ex omnibus Ephemeridū Scriptoribus Compendium*, (*ii*) qvo continebuntur & nova inventa, & libri varii generis: Qvod ubi prodierit, judicium de illo labore formari poterit; qvi profectò non â jejuno ac proletariô ingenio, ſed à viro rerum omnium, qvæ ibi tractantur, perito, ſuſcipi debet. Specimen aliqvod ejus rei in libro dedit, cui titulus: *la France ſçavante, Gallia erudita*, Amſtelodami 1683. in 12. impreſſo. Sed nec ille vel titulo, vel exſpectationi aliorum, labor ſatisfecit: titulos tantùm Ephemeridum, non materiarum ſpecialium ponens, qvos ſecundum tres claſſes, temporis, alphabeticæ ſeriei, & generalium materiarum diſtinxit. Vide de illo Bailleti judicium loc. cit. Scripſit de Phyſicis, Medicis, Hiſtoricis ac Politicis libris Catalogos, ſed qvi ab anno 50. ad noſtra tempora prodierunt, de qvibus ſeqventi capite. * Plu- 46
res hinc ad eadem rei literariæ augendæ conſilia dilapſi ſunt: nam Roterodami vir Clarisſimus PETRUS BÆLIUS, Hiſtoriarum ac Philoſophiæ Profeſſor, edidit Gallicâ linguâ librum, cui titulus: *Novelles de la Republique des Lettres*, qvem Latinâ linguâ ita ipſe effert: *Excerpta Reipublicæ Literariæ*. * Magno illa ſtudio ac 47
induſtria congeſta fuerunt; ſed ſine aliqvâ cenſendi audaciâ: qvâ laborat, qvi antea ejusdem generis librum ſcripſerat cum titulo: *le Mercure Scavant*, cujus duo tantum vel tres menſes prodierunt, qviqve cum illis Bælii Excerptis vendi ſolet.
* Nunc qvoqve Amſtelodami, ne hac qvoqve gloriâ excideret urbs celeberrima, viri 48
eruditi novum genus Ephemeridum inſtituerunt, ſub titulo *Bibliothecæ Univer-*

(*ii*) Univerſale illud ex omnibus Ephemeridum Scriptoribus modernis Compendium ſive Indices Librorum & Inventorum, de qvibus in iſtis eſt actum, Generales, publicæ jam luci ſtitit Corn. a Beüghem, Bibliopola & Senator in Cliviæ Ducatu Embricenſis, ob induſtriam laborioſam, & bene de Hiſtoria Literaria Recentiori merendi ſtudium, laude ſua haud defraudandus: Librorum qvidem in Qvatuor *Apparatus* ſui *ad Hiſtoriam Literariam Noviſſimam Conſpectibus*, Amſtelodami A. 1689. 1694. 1699. & 1701. *in* 12. editis, Inventorum vero in *Syllabo recens in Re Medica Phyſica & Chymica, exploratorum*, ibidem A. 1696. excuſo. Verum ſolos tantum Titulos Nomenclatoris inſtar, recitat, neqve ſic tamen ab omni Errore immunis.

ſalis Hiſtoricæ. *Univerſalem* vocant, qvod qvoscunqve libros, cujusqve gentis, diſciplinæ & linguæ recenſent; *Hiſtoricam*, qvod ſola narratione contenti omni judicio abſtinent. Acta Lipſienſium ejus præcipuum autorem aliàs incognitum nomi-
49 nant, *Johannem Clericum.* * In iisdem qvoqve Actis Lipſienſium, Menſe Jan. Ann. 1687. *Ephemerides Eruditorum Parmenſes*, exhibentur, è qvibus excerpta qvædam ſpeciminis loco proponuntur. Nuper admodum prodierunt qvoqve Ephe-
50 merides, qvæ Politicam & Literariam hiſtoriam conjungunt. * Hamburgi qvoqve à curioſioribus ejus loci viris doctis nuper inſtitutæ *Ephemerides Literariæ* in ipſo ortu ſuo ſuppreſſæ, à qvibus illud memorabile præ ceteris omnibus viſum eſt, qvod Londino nunciabatur, experimentum de liqvore αὐτοκινήτῳ, ſeu de Aqvâ vorticosâ, qvæ ſe ipſam in gyrum torqvet, à R. B. Societati Regiæ expoſitum, occaſionem maximis ſuppeditare meditationibus poſſit, multumqve arcani recondere videtur.

51 Egimus de iis, qvi id ſibi propoſuerunt, ut judicia de Autoribus ſcriberent. Sunt, qvi nonnunqvam judicia de Autoribus ſcriptis ſuis immiſcent, è qvibus alii excerpſêre. E ſcriptis Melanchthonis GEORGIUS RICHTERUS, Sacerdos Gorlicenſis, collectionem talium judiciorum inſtituit, libro Islebiæ 1597. in 8. edito, cui titulus: *Criſes Melanchthonianæ de eligendis optimis quibusque in omni diſciplinarum genere autoribus.* Erat ſuo tempore Melanchthon communis Germaniæ Præceptor, ejusqve doctrinæ longè lateqve diſſeminabantur. Qvare qvæ in illius ſcriptis de Autoribus bonis habentur judicia, magno uſui eſſe diſcentibus poterunt: nam non ſolùm de Oratoribus, Poëtis, Hiſtoricis, ſed & omnium qvoqve diſciplinarum Scriptoribus ſana & ſolida hîc colliguntur judicia, tironibus non ſolùm, ſed & Doctoribus ipſis profutura. Venerabile meritò Melanchthonis omnibus eruditis nomen eſſe debet, in qvo uno viro plùs doctrinæ & ſapientiæ fuit, qvam in toto ſciolorum multa & magna crepantium grege.

52 Habentur in THUANI hiſtoriâ, ducente ita temporum ac annorum ſerie, varia de viris doctis judicia & elogia, qvæ in unum aliqvod volumen cum ceteris memorabilibus Gerhardus von Stöcken in *Thuano ſuo enucleato* collegit. Illa qvoqve de viris doctis judicia ſeorſim ſub titulo *Elogiorum Thuanæorum* Londini 1671. in 8. edita. Multum illis tribui debet ob ſingularem hujus viri candorem, qvi procul ab omni par-
53 tium ſtudio fuit, & perſpicaciſſimam ejus in judicando ſolertiam. * Noviſſimè hæc judicia in Gallicam linguam convertit Teiſſierus, ſuaqve additamenta adjecit, qvibus de vitis Virorum doctorum multa monentur, & aliorum etiam de ſcriptis judicia, è variis hujus generis Autoribus, colliguntur. Editus eſt liber ille duobus tomis in 12., Genevæ An. 1683., ſed idoneis indicibus deſtitutus.

54 TOBIÆ MAGIRI, Profeſſoris Francofurtani, Viri docti, extat qvoqve *Eponymologium Criticum*, ut vocat, qvò habentur Elogia & Cenſuræ Virorum celebrium è variis Autoribus collectæ. Tenuis primùm is labor erat, & qvaſi rudimentum qvoddam, Polymnemoni ejus, libro optimo, præmiſſum, poſtea ſeorſim in 4to editum auctumve Francof. A. 1644. Noviſſimè, Anno ſcilicet 1687., curâ Chriſtiani Wilhelmi

Eybenii

Eybenii duplo, qvam antè, auctius in lucem miſſus eſt. Hoc qvaſi Indice uti poſſumus, ad qvem plura ejus generis, qvæ ſparſim apud Viros doctos legimus, judicia conferri poſſunt: ſed ſeparanda ſunt Encomiaſtica à veris judiciis.

Talia cum apud omnes Autores de Viris doctis judicia magno ſtudio collegiſſet ANDR. BAILLETUS, Bibliothecæ Lamonianæ Præfectus, in vaſtum aliqvod Opus labor ille ipſi ſuccrevit: nam aliqvot jam Tomi prodierunt Operis iſtius, cujus titulus; *Jugemens des ſcavans ſur les principaux ouvrages des Auteurs.* Tres primùm Tomi Pariſ. 1685. in 12. prodiêre, & nunc qvartus de Poëtis acceſſit, cujus qvinqve ſunt partes, An. 1686. editus. Omnium ille, qvi hactenus de hoc argumento prodiêre, abſolutiſſimus dici Commentarius poteſt: nam non aliorum tantùm judicia Vir doctiſſimus magnô ſtudiô congeſſit; ſed ſua qvoqve paſſim immiſcuit, in qvibus multa ſunt egregia. Multæ qvoqve de Autoribus, Gallis præcipuè, illic habentur notitiæ, qvas fruſtra alibi qværiveris. 55

* Totus ille primus Tomus in præliminaribus occupatur, ubi de inſtituto ſuo & omni ratione judicandi multa & utilia & erudita proponit. Hic de libertate, neceſſitate cenſendi, de virtutibus boni judicis literarii, judicandi ſolertiâ, ſcientiâ, perſpicacitate, modeſtiâ; de vitiis in judicando, præcipitantiâ, affectatione ſive Pedantiſmo, (ut vocat,) cavillatione *(chicanerie)* malignitate, amore & odio, philautiâ, agitur, in qvibus ſingulis ad ſpecialia deſcendit. Agit deinde de præjudiciis librorum ab antiqvitate, à charactere ſacro vel profano, à dignitate Autoris, ab autoritate ejus, à titulis honorum, (qvos ſingulatim recenſet,) ab inclinationibus Autoris, à natione & patriâ: ubi de ſingulis gentibus, atq; inter alios de Germanis, de qvibus ſiniſteriùs judicat. Qvam enim invidioſum hoc! *les Allemans ſont tousjours Allemans.* Qvaſi non & apud ceteras gentes homines inepti eſſent, neqve apud Germanos Viri docti. Sed de his in Germanos convitiis alio loco pleniùs à me dicetur. Agitur porrò de præjudiciis, ab Autoris temperamento & moribus, ab ætate, à præcipitantiâ & lenitudine, à titulis libri, ubi multos veteres & recentiores in Cenſuram, aliqvando tamen aſperiorem, vocat; à circumſtantiis, pretio & raritate, freqventi editione, remuneratione librorum. Immiſcentur variæ diſſertationes de libris poſthumis, anonymis, vaſtitate & exilitate librorum, de compendiis, de Polygraphis: Qvæ omnia multum ad variam doctrinam conducunt. Recenſet hinc Typographos, Criticos, Hiſtoricos, Interpretes, Grammaticos, & tandem Poëtas magno multoqve apparatu. Sed in his adjumento illi fuêre integri, qvi de Poëtis prodierunt, à Gyraldo, Voſſio, Craſſo, Borrichio &c. libri; in qvibus nos ita procedemus, ut, qvæ aliis dicta ſunt, ſuis Autoribus relinqvamus, & digitum tantùm in illa intendamus: ea verò, qvæ à nobis ipſis notata ſunt, diligentiùs proponamus. Ubi ceteri prioribus Tomi acceſſerint, in magnam molem excreſcet liber: ſed tamen ob ſummam utilitatem commendari præ ceteris omnibus debet; etſi Autor, qvâ eſt modeſtiâ, ipſe tantùm pro rudimento perfecti Operis haberi velit. 56

Enarravimus judicia de Viris doctis ab aliis collecta, ſubjungemus his judicia Virorum doctorum illis ſublecta: inter qvæ referri debent *Excerpta Scaligeriana* 57

& Perroniana. Libelli hi prodierunt è Bibliothecâ Iſaaci Voſſii: fuerunt verò illa olim conſignata à fratribus Puteanis, cum in Belgio apud Scaligerum viverent, in bonos viros ac integras nationes ſæpe injurioſa. Multa illic ſunt congeſta de libris & viris doctis judicia, per ordinem Alphabeticum diſpoſita, digna atqve indigna relatu, nonnunqvam maledica & falſa: qvæ poſtea deſcripſit Claudius Sarravius, curiæ Pariſienſis Senator. Neqve enim dubito, illis qvicqvam acceſſiſſe à malignâ manu. Multa tamen illic habentur ad rem literariam Hiſtoriamqve ejus temporis noſcendam
58 utilia. * Poſtqvam primùm edita fuerunt hæc Scaligeriana Hagæ Comitis An. 1666. in 8vo, Gröningæ poſtea in lucem venerunt alia Scaligeriana, An. 1669. in 12., qvæ prima vocantur, cnm præfatione Tanaqvilis Fabri, & ex ejusdem Bibliothecâ: omnia verò Latinâ linguâ afferuntur, cum altera illa intermiſta ſint multis Gallicis Diſſertationibus, prout ex ore loqventis exciderunt. Multa illic conqveritur de miſero ſuo ſtatu Faber, hiſtoriamqve primorum Scaligerianorum hanc recenſet: *Sex ſeptemve menſes ſunt, ex quo Fr. Sigonius Juriſconſultus apud Auguſtoritenſes celeberrimus, hæc Scaligeriana manu deſcripta ad Bibliopolam miſit, ut ederentur & publicarentur. Rogavit porrò, ut inſpicerem: inſpexi; & quædam ſanè ad ea parabam ſcribere, quæ non omnibus fortaſſe nota ſunt; ſed totum id conſilii, ut abjicerem, multa fecere. Cur autem Prima vocaverim (nam hunc eis titulum feci) ubi libellum legeris, facilè intelliges; Scilicet altera illa Scaligeriana, quæ abhinc duobus tribusve annis prodiere, recentiora ſunt. Doctrina autem in his tanta eſt interdum, tamque recondita, ut qui meliorum literarum ſtudioſi ſunt, nullam ſatis magnam CL. Sigonio gratiam referre poſſint, qui nec operæ ſuæ pepercit, nec ſumptibus, ut ſchedas & adverſaria Vertuniani ſibi compararet & deſcriberet.* Gröningenſi editioni adduntur altera, ut vocantur, Sca-
59 ligeriana, qvæ priùs prodierant; Sed illa in non paucis interpolata. * Plenior horum Scaligerianorum hiſtoria habetur apud Guid. Patin. *Epiſt. 154.*, qvi non à Puteanis Fratribus, ſed à qvodam Vaſſano hæc conſignata tradit: qvam hîc integram Gallicis, ut ibi habetur, verbis apponam: *J' en ai céans un manuſcrit. C' eſt un Livre fort curieux, mais un peu dangereux. Je le fis tranſcrire il y a 30. ans ſur l' orignal que m' en prétérent Meſſieurs du Puy, qui étonient mes bons Amis & de fort honnêtes-gens. Voici de la maniére que le Livre a été fait. Un jeune homme qui n' avoit pas 20. ans, nomme Jean de Vaſſan, de Champagne, Huguenot qui avoit tudie à Geneve prit a Paris des Lettres de recommendation du grand Caſaubon pour Joſeph Scaliger, & ſ' en alla en Hollande. Ce Jean de Vaſſan êtoit néveu de Mrs. Pithou grans amis de Scaliger, qui étoit viſite toutes les ſemaines par toute ſorte de gens ſavans. Jean de Vaſſan ècutoit tout ce que diſoit Scaliger & l' ecrivoit. Dela vint ce Livre qui eſt aujourdui dans la Bibliothéque du Roi. Jean de Vaſſan étant de retour de ſon voyage, fut fait miniſtre, puis par le moin du Cardinal du Perron & d' une bonne penſion, ſe fit Catholique, mais la penſion n' allant pas bien, il ſe fit Moine Feüillan, & avant que d'*
60 *y aller fit préſent de ce manuſcrit à Mr. du Poy.* * *Perroniana* per eosdem fratres Puteanos, vel per eundem forte Vaſſanum, è Cardinalis Perronii qvotidianis ſermonibus

monibus congeſta ſunt, in qvibus nonnulla ejusdem argumenti, qvæ meliùs inter ſe cohærent, ut Scaligeriana. Sunt in illis multa eximia, etſi de Cardinali Perronio contemptim judicet Patin. epiſt. 10. Eadem à Cl. Sarravio deſcripta edita Genevæ apud Petr. Colomeſium Ann. 1666. Sunt & per eosdem fratres Puteanos Thuanæa qvædam Excerpta conſignata, ſed minoris momenti; in qvibus nulla de Autoribus judicia, ſed mera Hiſtorica occurrunt. Ad hoc exemplum memini ab Amicô meô fuiſſe conſignata Conringiana judicia, qvæ ille ex familiari cum ipsô converſatione notaverat.
* Malè profectò de Virorum illuſtrium famâ merentur, qvi omnia eorum dicta fa- 61
ctaqve ſine ullo delectu in publicum protrudunt: ut fecit Colomeſius in Opuſculis ſuis literariis; ubi habentur qvædam relationes Gallicæ de variis doctorum rebus & inſtitutis ſecretioribus, minimè propalandæ * Qvintilianus jam olim *lib. 6. c. 3.* 62
eos reprehendebat, qvi de jocis Ciceronis tres libros collegerant, inqve iis qvædam frigidiuſcula retulerant, qvæ tantum virum non decebant. *Utinam,* inqvit, *Quintus & libertus ejus Tyro, aut alius, quisquis fuit, qui hos hâc de re libros edidit, parciùs dictorum numero indulſiſſent, & plus judicii in eligendis, quam in congerendis ſtudii, adhibuiſſent: minus objectus calumniantibus foret.* * Ita Adamus Siberus *in epiſto-* 63
lis p. 475. indignè fert, Manlium qvendam omnes ſermones Melanchthonis congeſſiſſe, qvos vel in menſâ, vel in ſcholâ, vel in viâ effutivit: cum delectus ei fuiſſet habendus optimorum. * Idem conqveritur in vitâ Melanchthonis Camerarius: *De iis,* 64
qui etiam dicta & ſermones quotidianos atque familiares ipſius collegerunt, & auſi ſunt cum ſuis Commentationibus divulgare, quid dicam? Iſti verò neque ſtudio, neque judicio, neque omnino conſideratione aliquâ congerentes, quæ ne audiiſſent ipſi quidem, ſed ex aliis fortuitò cognoviſſent, ſtolida ſua temeritate ſeſe quidem infamarunt inprimis; Sed & Philippi Melanchthonis nomini maculæ aliquid aſperſerunt, & multorum bonorum virorum futilem atque nugatoriam, vel indecoram quoque & indignam, mentionem inculcantes, indignationem illa offenſione concitarunt. Verùm in hujus ſeculi impudente licentia hoc ſcilicet ad alia innumerabilia mala apponendum, & dandum eſt inſulſæ hominum vanitati, & exiſtimationis ſeu lucelli quoque aucupio, cum permittantur fiantque impunè alia, cum flagitioſiora, tum ſceleratiora. Idem de Lutheri ſermonibus judicium eſto, qvos illo invito & neſciente ediderunt nonnulli. * Fue- 65
re qvoqve, qvi Satyricâ qvâdem ratione judicia de Viris doctis eorumqve actionibus propoſuêre, ut TRAJANUS BOCCALINUS in *Relationibus ſuis è Parnaſſo;* qvem tamen verum autorem multi non habent, ut ſuprà vidimus. * Hunc imitatus eſt ADA- 66
MUS EBERTUS, cujus extant L. *Relationes è Parnaſſo*, Hamburgi 1683. in 8vo editæ, ubi de rebus literatis & civilibus nonnulla per fictas illas narratiunculas proponuntur.

DANIEL BARTOLUS, Italus, Vir ingenioſiſſimus, varios libellos ſcripſit Ita- 67
licâ linguâ, cultu orationis penè nimios. Inter illos eſt liber de Literatis eorumqve virtutibus, & vitiis, qvi in Germanicam linguam qvoqve translatus eſt. Converſus eſt etiam in Linguam latinam, cum hôc titulô: *Character hominis literati.* Multa in illo arguta ſunt de ſcriptis Satyricis obſcœnis, plagiis &c. ſed ad eloqventiam magis, qvam

ad

ad Hiſtoriam ſpectant: nam belli elegantisqve ingenii luſus circa ſingula capita apud illum habentur. Scripſit & alios libros, qvorum in eloqventiâ Eccleſiaſticâ uſus eſt,
68 de qvibus infrà plura. * De eodem argumento THEOPHILUS SPIZELIUS egit: aliqvot enim libros de virtutibus & vitiis eruditorum ſcripſit, qvos undiqve è vitarum Scriptoribus & Encomiaſticis collegit. Tituli ſunt: *Literatus, felix & infelix.*
69 * Similiter qvoqve FRANCISCUS RIDDERUS ſcripſit Hiſtoriam de Eruditione, ſcriptione, libris, & Bibliothecis; ſed non niſi mera illa Collectanea ſunt undiqve congeſta.

70 VINCENTIUS PLACCIUS *de Scriptoribus Anonymis & Pſeudonymis* egit; (*kk*) optimum fuit conſilium Viri doctiſſimi, cum hoc ſibi eligeret argumentum, qvod ante eum nemo occupaverat. Extabat tenuis qvædam ſcheda FRIDER. GAISLERI *de mutatione nominis*, cujus poſterior pars agit de ſcriptis Anonymis, ſed parum eſt pro hujus argumenti vaſtitate. Suſcepit idem conſilium jamdudum Bibliothecarius Bibliothecæ Oxonienſis THOMAS HIDE, à qvo tamen nihil hactenus in lucem editum eſt. Nemo igitur operæ pretium fecit, præter Placcium; qvanqvam, ut ipſe non diffitetur, feſtinatus ille labor ſit & imperfectus, nam ipſe nunc Supplementum altero tanto majus promiſit. Augeri ſanè ille labor multis modis poteſt, & magnum habet in totâ Hiſtoriâ literariâ fructum. Multa latent ſub larvâ falſi Autoris volumina, qvorum interdum tenuis notitia eſt. Admittuntur enim qvandoqve libri in lu-
71 cem, qvorum Autores longè alii ſunt. * Referendus qvoqve hîc eſt JOH. DECKHERI liber *de ſcriptis adeſpotis*, jam tertium An. 1686. Amſterodami editus.

72 Ad Hiſtoriam literariam pertinent & illi, qvi de Academiis ſcripſere. Hîc primô loco meritò poni debet HERMANNUS CONRINGIUS, Vir πολυμαθέστατος, qvi, ut jam ſuprà indicavi, *de Antiquitatibus Academicis* librum ſingularem ſcripſit. Ejus poſtrema editio multa habet additamenta, qvæ penè altero tanto ſuperant priorem editionem. Liber eſt doctus, & in hôc argumentô penè unicus: nam, qvi aliàs in hoc negotio verſati ſunt, jejunam tantùm operam præſtiterunt, & in generalioribus occupati, aut in iis, qvæ ad jura Academica ſpectant, præcipua tamen Hiſtorica, primasqve origines ne attigerunt qvidem. Hornius qvidem in diſſertationum ſuarum Hiſtoricarum & politicarum 31. agit de Academiarum per occidentem inſtauratione: ſed levia illa ſunt & ſuperficiaria. Conringius qvoqve ipſe in ſpecialioribus deficit: Hiſto-

(*kk*) Vinc. Placcii δευτέραι de Scriptoribus Anonymis & Pſeudonymis Detectis φροντίδες, qvæ in Volumen ingens, labore ipſius improbo, & Amicorum Symbolis, excreverunt, prælo paratæ apud JCtum πολυμαθέστατον, Gerhardum a Maſtricht, Reip. Bremenſis Syndicum, cui Autor moribundus eas commendavit, deliteſcunt, & a Bibliopola, Boni Rei Literariæ Publicæ Studioſo, in lucem protrahi deſiderant. Inſtitutum Operis, 5000. circiter Autoribus larvam detracturi, exponit *Invitatio* Autoris *ad Ant. Magliabechium, aliosque Eruditos, ſuper Symbolis ad illud conferendis, Amica,* Libro *de Arte Excerpendi*, Hamburgi A. 1689. in 8vo edito, ſubjuncta. Non parum etiam Argnmentum hoc illuſtravit Adr. Bailleti Tr. Gallicus, Pariſiis A. 1690. in 12 publicatus: *Auteurs Degviſez ſous des Noms Etrangers, empruntez, ſuppoſez, feints a plaiſir, chiffrez, renverſez, retournez, ou changez d' une langve en une autre.*

Hiſtoria enim ſpecialior Academiarum ab aliqvo deducenda hactenus deſideratur: Nam, qvanqvam Franciſcus Junius Müddendorpius de Academiis Germaniæ, alii de Academiis ſpecialibus, e. g. de Pariſienſi, Oxonienſi, Patavina, ſingularibus libris egerint; qvanqvam & Gregorius Leti de Academiis *Italiæ in Italia ſua regn.* non modica inſpergat, reverà tamen omnis ille labor mancus eſt & ſterilis. * Optan- 73
dum eſſet, ut hanc operam ſibi depoſceret Vir prudens & doctus, & qvemadmodum Conringius generalia Academiarum, ita ſpecialiora tùm è variis de hoc Argumento Scriptoribus, tùm ex ſuâ experientiâ concinnaret. Et ſanè, qvemadmodum olim Ariſtoteles Rerump. hiſtoriam contexuit; qvidni ſimili ratione liceret Academiarum, qvæ ſunt literatorum Resp. Hiſtoriam tùm è Politicis, tùm ex Hiſtoria literaria, principia contexere? Præclarum ſanè hoc & illuſtre Argumentum, de qvô nemini hactenus in mentem qvicqvam incidit; cui operi tamen exædificando multa poſſint ſuppeditari hinc illinc ſubſidia, modò qvis prudentiam & peritiam huic rei commodet. De his Academiarum juribus & privilegiis in univerſum Autor qvidam Hiſpanus ſcripſit vaſtum Volumen. * De Academiis Galliæ, ac ſpeciatim de Pariſienſi qvi- 74
dem *Cæſar Egaſſius du Boulay* hiſtoriam ſcripſit, Bailleto *tom. 2. p. 170.* nominatam, ſex ſpiſſis in folio Voluminibus, mihi verò nunqvam viſam. Ita verò de iis judicat Autor ille, multa qvidem in illis haberi impertinentia, ſed utiliſſimum eſſe librum ad notitiam ſcriptorum, qvæ publicarunt Viri docti in Gallia; exterorum qvoqve, qvi in hâc Academiâ vixerunt. Multa qvoqve illic memorabilia coacervari ait, qvæ alibi fruſtra qværantur. De Belgii Academiis ſingulares etiam libri conſcripti ſunt, linguâ & latinâ & vernaculâ, qvorum tituli in Catalogo Thuanæo videri poſſunt. Edmundus Richerius, Vir inter Gallos doctiſſimus, *de optimo Academiarum ſtatu* librum elegantem ſcripſit, in 8vo Pariſiis Ann. 1603. editum. Ex his ſimilibusqve Autoribus confici idoneum corpus poſſit.

ANTONIUS WOOD, Anglus, ſcripſit *Hiſtoriam & Antiqvitates Univerſitatis Oxonienſis.* Liber editus eſt in folio 1674., Oxoniæ. 75 * Qvi, cum diligentiſſi- 76
mè recenſet antiqviſſimæ Academiæ Oxonienſis originem & progreſſum, operoſus eſt in Theologiæ & Philoſophiæ Scholaſticæ hiſtoriâ percenſendâ. Cum enim in antiqviſſimâ Academiâ Pariſienſi hæc caput extulerit, indeqve in Academias Britannicas propagata, ejus hîc hiſtoria pleniùs proponitur. Magni itaqve uſus ad hunc ſcopum liber ille eſt, ex qvo præterea cognoſcas Academiarum tum temporis in Europâ ſtatum, qvæ ad Pariſienſis Britannicarumqve Academiarum formam inſtitutæ videntur. Inſignis ex illo notitia haberi poteſt Virorum doctorum, qvi vel in hâc Academiâ vixerunt, vel ex illâ prodierunt, qvorum aliàs notitia haberi non poteſt. Magna potuiſſet Conringii libro ex hoc Opere acceſſio fieri; ſed ille librum iſto tempore nondum impreſſum ad hos uſus applicare non potuit. Poteſt & his addi Bœclerus in Commentario *de Seculi 9. & 10. rebus*, qvi ſub ſingulis Imperatoribus breviſſimè recenſet ſtatum literarium.

PETRUS LAMBECIUS, Vir doctus & Polyhiſtor clariſſimus, Hamburgenſis 77

olim Gymnaſiii Rector, poſtea Conſiliarius & Bibliothecarius Imperatoris, ad Hiſtoriam literariam non parum ſubſidii attulit; de qvo jam ſuprà multa diximus. *Prodromum* ille qvidem *Hiſtoriæ literariæ* ſcripſit, ſed vel ex titulo ipſo apparet, non niſi partem ab ipſo tractari: neqve enim ſufficiebat Vir unus tam immenſo Operi, cujus concinnatio non unum aut alterum annum, ſed totam ferè hominis vitam, reqvirit, ideoqve poſt primam illam Prodromi editionem nihil ulteriùs edidit; ſed ad *Bibliothecæ Vindobonenſis hiſtoriam*, & *Catalogos* ſcribendos, vaſtos & laborioſos, accesſit; cujus Operis magna jam tum prodierunt Volumina, docta qvidem & operoſa, ſed multis illuc non pertinentibus rebus referta, cum in excurſus abit Autor, non qvidem inutiles & indoctos, ſed alii loco & tempori opportuniores. Rectisſimè de eo judicat Bailletus *Tom. 2. p. 250.*, Autorem hunc vaſtos illos Commentarios in arctius contrahere ſpatium potuiſſe, ſi majorem ſumptuum qvam magnificentiæ rationem habere voluiſſet. Non diſplicet tamen ejus conſilii ratio, qvod manum Hiſtoriæ literariæ ultimam imponere noluerit, qvàm completô Bibliothecæ Vindobonenſis Catalogô. Sed ipſe ſpe ſuâ excidit, cùm fata tam longinqvo Operi intercesſerint.

78 GABRIEL NAUDÆUS, Gallus, Vir doctisſimus, Bibliothecarius Cardinalis Mazarini, inter Scriptores Hiſtoriæ literariæ recenſendus eſt, cujus extant ſcripta, magnô ingeniô & doctrinâ elaborata. Is Gallicâ linguâ librum ſcripſit, cui titulus: *Addition a l'Hiſtoire de Louys XI.*, Pariſiis editum An. 1630. in 8vo, oppidò rarum, qvô continetur præcipua pars Hiſtoriæ literariæ illorum temporum, non per Galliam ſolùm, ſed & per alias Europæ partes. Vocat *Additionem*, qvoniam illic pertractat
79 partem à reliqvis Hiſtoricis intactam. * Incidit autem hujus Regis hiſtoria in illa tempora, qvibus incepit παλιγγενεσία literarum per totam Europam: occaſione illà disqvirit in originem artis Typographicæ, candidèqve Germanis vindicat divinam artem, qvam Batavi ſibi tribuere voluêre per ſummam erga Germanos invidiam; qvorum argumenta illic refutat: legendus eſt *cap. 7.* Fruſtra itaqve eſt *Boxhornius* cum omnibus ſuis argumentis, qvi peculiarem *de artis Typographicæ origine* librum pro Batavis ſuis ſcripſit. Idem Vir clariſſimus *Bibliographiam Politicam* ſcripſit; ubi de Politicis Scriptoribus judicat; aliumqve, cui titulus *Maſcurat*, ubi de iis ſcriptis judicat, qvæ ſub Cardinale Mazarino edita ſunt.

CAP. XVII.
DE SCRIPTORIBUS BIBLIOTHECARIIS.

§. 1. *Scriptores Bibliothecarii 2. vel de methodo Bibliothecæ inſtituendæ agunt, vel hiſtoriam Bibliothecarum proponunt. 3. Richardi Buri Philobiblion. 4. Beſſarionis epiſtola. 5. Gabr. Naudæi diſſertatio de inſtruendâ Bibliothecâ. 6. Hottingeri Bibliothecarius quadripartitus. 7. Ejus Indices librarii. 8. Claudii Clementis Muſeum. 9. Juſti Lipſii de Bibliothecis Syntagma. 10. Ludovici Jacobi Tractatus*

Tractatus de Bibliothecis. 11. *Judicia de illo;* 12. *Gallicæ Bibliothecæ non ceterarum nationum Bibliothecis præferendæ.* 13. *Ludovici Jacobi plures libri Bibliothecarii recenſentur.* 14. *Lomeier de* Bibliothecis, 15. *in vetuſtis diligentior, quam in recentioribus.* 16. *Ludovicus Jacobus indiligentiâ notatur.* 17. *Jodocus à Dudinck.* 18. 25. *Mutius Panſa.* 19. *Galleſii Tractatus de Bibliothecis exiguus.* 20. *Spizelii Diſſertatio de re Bibliothecariâ.* 21. *Cardonæ*, 22. *Puteani*, 23. *Majoragii, Heinſii de Bibliothecis ſcripta.* 24. *ſqq. Bibliotheca Vaticana.* 25. *Mutius Panſa.* 26. *Angelus Rocha.* 27. *Zoilus Ardelio de Bibliothecâ Vaticanâ.* 28. *Vindobonenſis Bibliotheca à Lambecio deſcripta.* 29. *Bibliotheca Oxonienſis* 30. 31. *Catalogus ejus à Jameſio & Hidano ſcriptus.* 32. *Quid in hoc deſiderandum.* 33. *Anglicæ Bibliothecæ ceteræ.* 34. *Bibliotheca Guelferbytana ab H. Conringio laudata.* 35. *Bibliothecæ Regiæ Gallicæ nova & pleniſſima deſcriptio laudatur.* 36. *Qui de variis Bibliothecis ſparſim egerunt.* 37. *Collegii Pariſienſis Societ. Jeſu Bibliotheca laudatur.*

CUm ſuprà *cap. 3. de Re Bibliothecariâ* egerimus, ac plurima ejus argumenti tetigerimus; nunc hoc loco SCRIPTORES BIBLIOTHECARIOS recenſebimus: Nam, qvoniam Bibliothecæ locupletis ordinata cognitio non parùm facit ad Hiſtoriam literariam cognoſcendam; non immeritò Scriptores Bibliothecarios iis, qvi ad Hiſtoriam literariam pertinent, ſubjungimus. 1
* Qvidam ex illis Scriptoribus vel de methodo inſtituendæ Bibliothecæ agunt, vel Hiſtoriam Bibliothecarum, ſeu univerſalem ſeu particularem, proponunt. De illis primùm agemus, etſi jam tum *cap.* 3. eorum qvoqve mentionem fecerimus. 2

RICHARDUS à BURI, Epiſcopus Dunelmenſis, & Eduardi III., Anglorum Regis, Cancellarius, & Theſaurarius Regni, librum ſcripſit, cui titulum fecit: *Philobiblion*, qvi rariſſimus eſt, & in paucorum manibus verſatur *(ll)*, in qvo ille rem Bibliothecariam commendat, & modos oſtendit, qvibus adornari Bibliotheca poſſit. Seorſum ille editus non facilè comparet in Bibliothecis; ſed iteravit editionem ejus Melchior Goldaſtus, addiditqve *Centurias Epiſtolarum Philologicarum*, qvas ille collectas junctim edidit Francofurti in 8vo, Ann. 1610., qvibus multa continentur notabilia. 3
* Additur qvoqve Beſſarionis, Patriarchæ Conſtantinopolitani, & Cardinalis Tuſculani *Epiſtola*, ad Principem Senatumqve Venetorum miſſa Ann. 1469., qvâ Bibliothecam ſuam omnis generis libris inſtructiſſimam eidem Senatui defert ac donat. Richardi verò illius liber, etſi dictio genium iſtorum temporum ſapit, tamen eleganter ſcriptus eſt, ac multa proponit rei Bibliothecariæ arcana. 4

GABRIELE NAUDÆO nemo vixit ſuo tempore ἐμπειρίας Bibliothecariæ peritior; cujus extat libellus ad Præſidem Memmium, ſcriptus hôc titulô: *Advis pour dreſſer* 5

(*ll*) Recuſum eſt Richardi de Buri *Philobiblion*, cum eadem Centuria Epiſtolarum Philologicarum, a Melch. Goldaſto collectarum, Unicâ (nec enim plures, ut Morhofius opinatur, edidit), Lipſiæ A. 1674. in 8vo.

dreſſer une Bibliotheque. Multa ſunt in hoc tenui libello notabilia, tùm qvod ad erectionem, tùm qvod ad conſervationem Bibliothecæ attinet. Richardum de Buri ſæpiſſimè in exemplum proponit. Multa illic de officio Bibliothecariorum, qvalitate librorum, & ſimilia, qvæ recentiores qvidam de hoc argumento Scriptores ſtrenuè exſcribunt. Prolixus in ejus laudes eſt Mareſius *lib. 2. Epiſt.* 32.

6 JOHANNES HENRICUS HOTTINGERUS, Theologus Reformatorum πολυμαθέστατος, Orientali literaturâ præcipuè celebris, librum ſcripſit titulo *Bibliothecarii quadripartiti.* Qvatuor partes hujus Operis fecit: prima agit de Bibliothecarum inſtructione, & officio Bibliothecarii, aliisqve nonnullis, qvæ ſpectant ad modum contexendi Catalogos Bibliothecarios, qvorum potiſſima pars excerpta ex Naudæi ſcripto ſuprà dicto. Notanda ſunt inprimis, qvæ de Locis Communibus Bibliothecariis inſtruendis proponit. Ita enim Bibliothecam ſuam inſtitui jubet, ut ipſe ejus ordo poſſit eſſe inſtar Locorum Communium. Illic varias recenſet variorum Autorum methodos, qvibus tandem ſuam addit ἐπίκρισιν p. 79. Qvæ omnia ſic ſatis bona ſunt, niſi qvod ordo nimium laborioſus videatur, & in ipsâ Topotheſiâ li-

7 brariâ difficulter ſemper obſervari poſſit. * Præſtat itaqve, ſi Bibliothecæ eâ fermè methodô, qvâ utuntur Collegii Jeſuitici Pariſienſis Patres, in Syſtemate Bibliothecæ ab illis editô, aut qvalis habetur in Catalogo Bibliothecæ Thuanæ, diſpoſitæ bonos Indices ſubjeceris. De ejus *Indicibus librariis* plura diximus *cap. 6.* qvò lectorem remittimus. Reliqvis tribus partibus ſcripta Theologorum ſecundum certas claſſes disponit, qvæ omnia utiliter & cum fructu legent Theologiæ Studioſi. Utilis qvoqve eſſe poteſt in primâ ejus libri parte cap. 3. Bibliotheca Anglorum Theologica contracta.

8 CLAUDIUS CLEMENS, Jeſuita, ſcripſit librum, cui titulus eſt: *Muſeum ſ. Inſtructio Bibliothecæ, tam publicæ, quam privatæ.* Editus eſt Lugduni An. 1636. in 4to. Multa coacervat hic Autor ad hoc argumentum: eſt in alienis potiùs occupatus & generalibus, in externis, qvæ ſpectant ad ornatum Bibliothecæ, in picturis & ſimilibus. Scilicet ille phaleras tantùm, non Pegaſum ipſum curat: Rectè de illo Bailletus tom. 2. p. 273. *Il y a quelque erudition, mais il y a trop de babil & trop de ce que nous appellons fatras & ſ'il avoit eu plus de jugement, il auroit renfermè tout ce qu'il y a de bon dans cet ouvrage, en un fort petit livre.* Additur qvoqve deſcriptio Bibliothecæ Hiſpanicæ Scorialenſis, & ad ſtudia lectionemqve librorum paræneſis.

9 JUSTI LIPSII primô locô debebat fieri mentio, ſed qvoniam in re Bibliothecariâ potiùs ungues & reduviam curat, qvàm caput, vel planè etiam omitti poterat, & ad Scriptores antiqvarios rejici. (†) Scripſit *Syntagma de Bibliothecis*, in qvô de ritibus variis

(†) Syntagma Libellorum & Commentationum de Bibliothecis atqve Archivis, a Joh. Joach. Madero Helmſtadii A. 1666. in 4to publicatum, præter Editoris de Scriptis & Bibliothecis Antediluvianis Præfationem, Juſti Lipſii de Bibliothecis Syntagma, Fulvii

variis & antiqvitatibus circa rem Bibliothecariam agitur. Hunc librum poſtea unà cum aliis ejusdem argumenti excerptis antiqvariis edidit Maderus, præmiſsâ de antediluvianis Bibliothecis Diſſertatione. Eundem Lipſii librum cum inſigni auctario editurus erat maximi nominis Medicus Hieronymus Welſchius, ut teſtatur in ejus vitâ Schröckius. Sed hujus & multorum aliorum ſpes præmaturâ hujus viri morte intercidit.

LUDOVICUS JACOBUS primus eſt, qvantum memini, qvi de Bibliothecis, 10
antiqvi noviqve temporis, aliqvid ſcripſit. Fuit Carmelita: Gallicâ linguâ librum, Pariſiis Ann. 1644. editum, ſcripſit, cui titulus: *Traitè de plus belles Bibliotheques publiques & particulieres, qui ont eſté, & qui ſont à preſent dans le monde*, id eſt, *Tractatio de optimis Bibliothecis, publicis, privatis, quæ fuerunt, hodieque ſuperſunt in orbe.*
* Magnam hîc rem agi credideris: ſed ſi, qvod res eſt, dicendum, amphoram titulus 11
inſtituit, liber exit in urceum. Qvod ad veteres attinet Bibliothecas, plura ab aliis jam tum dicta ſunt; In novis recenſendis ultra notitias, qvas è paucis Autoribus hauſit, nihil novi affert. In Italicis Thomaſini, in Anglicis Pitſei, in Belgicis Sanderi, in Germanicis Melchioris Adami vineta cædit. Qvi Autores, ſi Thomaſinum & Sanderum excipias, ἐν παρέργῳ illa attingunt, & caſu in eorum mentionem incidunt. Nam, qvi è Melchioris Adami Vitis omnem rei Bibliothecariæ Germanicæ notitiam metitur, ut facit Ludovicus Jacobus, è turri Achivos judicat. * Ex qvâ rerum peregrina- 12
rum incuriâ vel deſpicientâ natum hoc ipſi judicium eſt, plures Bibliothecas in unâ Lutetiæ urbe, qvam in Angliâ, Hiſpaniâ ac Germaniâ integrâ reperiri. Scilicet & hîc verum eſt, qvod veteri verbo dicitur: τῆς Πατρίδος καπνὸς λαμπρότερος τοῦ παρ᾽ ἄλλοις πυρός. Neqve tamen Patriæ ſuæ Bibliothecas illâ, qvâ poterat, diligentiâ recenſet, qvanqvam majorem illis curam impenderit. Joſephus Scaliger in Excerptis refert, ſuo tempore 80. perfectas Pariſiis fuiſſe Bibliothecas, cum Londini tantum 12. fuerint. Memorat & de eo Bailletus *tom. 2. p. 273.*, qvod parum diligentiæ & judicii

vii Urſini, Guid. Pancirolli, Bartholom. Chaſſanæi, Franc. Patricii, Mich. Neandri & Jac. Phil. Tomaſini de iisdem, Laur. autem Pignorii de Servis Veterum Bibliothecariis, & Emundi Figrelii de Statuis Doctorum, Ἀποσπασμάτια, Balth. Bonifacii Lib. de Archivis, Franc. Schotti, Onuphr. Panvinii & Ant. Cicarellæ de Biblioth. Vaticana, Balth. Corderii & Alex. Barvoetii de Scorialenſi, ac Joh. Alex. Braſſicani de Budenſi, Schediaſmata, uno Faſce complectitur. Secundæ illius Editioni, a Joh. Andr. Schmidio, Theologo Acad. Juliæ πολυμαθεστάτῳ, Helmſtadii A. 1702. cum Præfat. ſua, publicatæ, Herm. Conringii de Bibliotheca Auguſta Gvelpherbytana Diſſertatio acceſſit Epiſtolica. Hanc, curante eodem Polyhiſtore, ulteriorem etiam Collectionis hujus pollicito continuationem, A. 1703. ſecuta eſt *Nova de Bibliothecis Acceſſio*, Syntagmati Maderiano adjuncta, in qva Rich. de Buri Philobiblion, Gabr. Naudæi & Theoph. Spizelii de Bibliothecis Diatribæ, & Chriſtoph. Heidmanni de Bibliothec. Acad. Juliæ Vetuſtiori, Herm. ab Hardt de Nova ejusdem Rudolphea, Caſp. Sagittarii de Jenenſi, ac Jul. Pflugii de Budenſi, Commentationes, lucem denuò junctim aſpexerunt publicam.

in Opere hoc adhibuerit; multa incerta aliorum fide credulus ipſe adducat. Inde factum, ut numerum Bibliothecarum auxerit, qvas ille pro locupletibus venditat, qvæ vix inter mediocres locum inveniunt. Bibliothecam S. Victoris ille ob MStorum copiam in cœlum extollit laudibus; Sed Scaliger in Excerptis qvicqvam in illâ boni eſſe negat, neqve ſine cauſa Rabeleſium ſatyrico illam ſale defricuiſſe. Sed dici tamen in ejus defenſionem poteſt, qvod ipſe in præfatione ad lectorem Autor pro imperfecto Opere habeat. Condonandum affectui ejus in patriam eſt, qvod Pariſinas Bibliothecas ceterarum gentium vincere exiſtimet. Etſi enim illic locupletes illæ ſunt, comparari tamen cùm tot nationum Bibliothecis neqveunt, ubi non fungi & verveces habitant. Laudat tamen ejus curioſitatem Bailletus, ibid. *p. 98.* & accuratiora ab illo
13 ſperare nos potuiſſe ait, ſi ſupervixiſſet. * Edidit Idem *Bibliothecam Pontificiam*, in cujus primâ parte agit de libris, qvos Pontifices ſcripsêre; alterâ de iis, qvi vitas & elogia Pontificum ſcripsêre. *Bibliothecam* qvoqve *Cardinalitiam* & *Carmeliticam* promiſit, eodem modo inſtructam: qvæ an lucem viderint, non conſtat. Idem *Bibliothecam Feminarum*, qvæ literis & libris inclaruerunt, an abſolverit, incertum. Extat qvidem in illum librum inter Epigrammata Naudæi aliqvod, qvod *pag. 53.* legitur; ſed fortaſſis illud in librum, vel affectum vel ineditum, ſcriptum eſt. Præmitti huic ſolet libro Naudæi *diſſertatio de Bibliothecâ inſtruendâ*; qvam ob cauſam factum eſt, ut totum de Bibliothecis librum Naudæo adſcripſerit Lambecius, *Comment. de Bibl. Vindob. lib. 1. p. 115.*, qvi tum optimi amici fuerunt, ut ex vitâ Naudæi, Epiſtolis ejus præfixâ, patet.

14 Poſt illum *de Bibliothecis* in univerſum ſingularem librum publicavit, jam ſecundùm editum, JOHANNES LOMEIER, Eccleſiæ Deutechomienſis Paſtor, Vir doctus qvidem, ſed cui tamen non iſte ad manum fuit apparatus, qvo opus erat de hoc tam vaſto argumento aliqva ſcripturo; qvod ille limatius ornatiusqve nobis, qvam Carmelita ille, dediſſet, ſi ſylvam Operi educendo inſtructiorem habuiſſet. Nam & in ſumma illius percurſatione etiam curam qvandam & ἀγχίνοιαν oſtendit, ne Ludovici qvidem Jacobi ſubſidiis adjutus, cujus ille librum apud Bibliopolas Amſtelodamenſes & Francofurtenſes fruſtra qvæſitum, nusqvam reperire potuit, ut ipſe teſtatur.
15 In vetuſtioribus accuratior eſt Lomeierus, Gallus verò ille indiligentior. * At verò in recentioribus recenſendis parcior eſt Lomeierus: qvanqvam interdum aliqva,
16 qvæ Galli iſtius manum fugerunt, & illic apparent. * Gallus ille, ut in Bibliothecis, qvà publicis, qvà privatis, recenſendis diligentior eſt, illis præcipuè, qvæ in Collegiis Monachorum latitant, multas tamen, tàm publicas qvàm privatas, prætermiſit, easqve celebratiſſimas, e qvibus nunc tantùm viciniores nomino, Auguſtam illam *Wolfferbytanam*, *Sleſvicenſem* noſtram, & *Hamburgenſem*, qvæ profectò inter tot alias recenſeri debebant: ne qvid de remotioribus dicam, & de privatis. Qvanqvam enim hæ non ſunt perpetuæ; nam vel ad alios poſſeſſores transeunt, vel venditionibus diſtrahuntur, earum tamen notitia propter ipſos libros habenda eſt. Gallus, ut indiligentiam ſuam in Germanis Bibliothecis excuſare poſſit, ad fontes ſibi nobisqve incognitos

ablegat.

ablegat. *Non dubito,* inqvit pag. 226. *plures eſſe easque bonas in Germaniâ Bibliothecas, verum cum illarum nulla mihi hactenus notitia ſit, remitto lectorem ad librum Jodoci Dudingii de Bibliothecis: qui, cum ad manus meas hactenus non pervenerit, ad rei Bibliothecariæ cognitionem nullum nobis uſum præbere poteſt.* Et ille tamen in hâc rerum ſuarum tenuitate & anguſtiâ, Germaniæ, Hiſpaniæ, Belgiiqve opes contemnere audet præ Galliæ ſuæ theſauris. * Illum verò Jodocum à Duding non niſi 17
à Catalogis & Indicibus novi, fruſtra à me hactenus, utut maximâ diligentiâ, qvæſitum. Fuit verò iſte JODOCUS à DUDINCK, Canonicus Reſenſis, & Paſtor Virenſis ad Rhenum, cujus liber Coloniæ apud Jodocum Kalckofen, An. 1643. in 8., magnifico ſanè titulo prodiit: *Palatium Apollinis & Palladis, ſive, Deſignatio præcipuarum Bibliothecarum mundi, veteris novique ſeculi.* Non habuit ipſum, neqve vidit Labbeus, qvi in Bibliothecâ Bibliothecarum p. 109. è Valerii Andreæ Bibliothecâ Belgicâ libri titulum cum aliis ejus Autoris recenſet. Ne mentionem qvidem ejus facit Lomeierus, ut vel ex eo, ignotum ipſi hujus viri fuiſſe nomen, appareat. Teſtatur verò Bailletus *tom. 2. pag. 272.* dediſſe illum Dudingium ideam Bibliothecarum præcipuarum ſuperficiariam, ut vel ex eo appareat, non viſum fuiſſe Jacobo librum, ad cujus pleniores opes nos ille ablegat. * Addi ſuperioribus poteſt MUTIUS PANSA in 18
libro Italicè ſcripto de *Bibliothecâ Vaticanâ* Ann. 1590. Romæ in 4to edito, qvi ſuo in argumento hoſpes alibi ſemper vagatur, & reliqvarum gentium librariam & literariam rem recenſet, neutri horum, qvos recenſui, qvantum ego qvidem animadvertere potui, cognitus.

GALLESIUS, Autor Gallicus, An. 1680. librum edidit, cui titulus: *Traite de* 19
plus belles Bibliotheques du monde. Magnos ille titulus ſtrepitus facit; ſed pro theſauris carbones. Exiguus liber eſt, novem ſcilicet foliis conſtans in 12. Pleraqve exſcripſit è Lomeiero, qvem vix nominat: qvo in judicio ὁμόψηφον mihi video Bailletum, qvi errores qvoqve Lomeieri retinuiſſe notat. Ludovici Jacobi nomen in illo non deprehendi. Hiſtoria de impreſſis primis libris jejuna eſt & tenuis, ac longè plenior apud Naudæum in Additione ad hiſtoriam Ludovici XI. Epiſtola ejus de inſtituendâ Bibliothecâ nihil novi habet, qvod non plenius Naudæi diſſertatio proponat. In Pariſienſium Bibliothecarum recenſione fortè aliqva nova habet.

THEOPHILI SPIZELII extat liber, cui titulus: *Sacra Bibliothecarum illu-* 20
ſtrium arcana detecta: editus Auguſtæ Vindelicorum Ann. 1668. in 8vo. De hujus conſilio alibi plura dico: Hôc locô tantum ejus mentio fit, qvia Diſſertationem præliminarem libro ſuo præmiſit, qvâ in univerſum de Bibliothecis agit, qvæ continet notabiliora qvædam, ex ſuprà memoratis Autoribus excerpta; qvibus addidit nonnulla, qvæ ipſe vel in peregrinationibus obſervavit, vel aliàs notavit.

Ex Nicolai Antonii Bibliothecâ Hiſpanicâ diſcimus: JOHANNEM BAPTISTAM 21
CARDONAM, Valentinum, multiplici divinarum & humanarum rerum prudentiâ celebrem, in Patribus ope Manuſcriptorum reſtituendis occupatum, libellum *de Regia Sancti Laurentii Bibliothecâ* ſcripſiſſe, ubi conſilium cogendi omnis generis utiles libros,

&

& per idoneos miniſtros fructuoſè callideqve cuſtodiendi proponit: cui adnexa ſunt qvædam *de Bibliothecis* ex Fulvio Urſino, *deque Vaticanâ* ex Onuphrii ſchedis: Qvi libellus junctus eſt ejus *de expurgandis hæreticorum propriis nominibus, & de Dipthycis*, Commentariolis, qvi omnes ſimul editi Tarraconæ 1587. apud Philipp. Mey in 4to.
22 * Scripſit & ERICIUS PUTEANUS librum *de uſu Bibliothecæ*, & qvidem ſpeciatim Bibliothecæ *Ambroſinæ*, Mediol. in 8. 1606. editum, aliumqve, cui titulus: *Auſpicia Bibliothecæ Lovanienſis* An. 1639. in 4to. De Petri Blanchot ideâ Bibliothecæ Univer-
23 ſalis jam ſuprà diximus. * Habentur apud *Majoragium* & *Heinſium* Orationes hujus argumenti. Extat & hujus generis Epiſtola à P. Bertio ſcripta, & Catalogo Leidenſi addita.

Subjicimus generalibus illis de Bibliothecis Scriptoribus ſpeciales aliqvos, qvi
24 ſcilicet ſingularium Bibliothecarum Hiſtoriam ſcripſerunt. * Inter Bibliothecas Chriſtiani orbis principatum obtinet VATICANA, cujus Hiſtoria à Scriptoribus aliqvot tradita eſt; ſed ſecretiora ejus & MSti Codices nunqvam patuerunt. Joſephus Scaliger, tùm in Epiſtolâ ad Gruterum ſcriptâ, tùm in Excerptis illis, qvæ Fratres Puteani congeſſerunt, non magnoperè æſtimat Bibliothecam Vaticanam, illiqve præfert Florentinam & Pariſinam Regiam; qvâ de re plenius agit Conringius in *Biblioth. Aug. pag.* 37. 38. 39. Illius opes creviſſe dicuntur è ſpoliis Bibliothecæ Electoralis Palatinæ: ſed alii hoc in dubium vocant, qvi exiſtimant, inter Cardinales qvosdam direpta fuiſſe arcaniora ejus Bibliothecæ.

25 MUTIUS PANSA, cujus jam ſuprà mentionem fecimus, Italicâ linguâ librum ſcripſit, cui titulus: *Ragionamenti Della Libraria Vaticana*, qvô in librô agitur de Origine & Renovatione Bibliothecæ Vaticanæ: ubi & vetus illa fabula recoqvitur de Bibliothecæ primordiis à D. Petrô inſtitutis, qvam operosè refutavit Conringius in libro de Bibliothecâ Auguſtâ. Qvod ad ipſam Bibliothecam attinet, parum ab Autore illo adfertur, qvod memoratu dignum: nam in Digreſſionibus totus eſt, qvæ planè ad hoc argumentum non pertinebant. Immiſcet multa de picturis hujus Bibliothecæ, de literis & Alphabetis, de literarum artiumqve Autoribus, de Bibliothecis alia-
26 rum gentium; qvibus non erat hîc opus. * Qvi ejusdem Bibliothecæ Hiſtoriam ſcripſit, ANGELUS ROCHA, cujus extat eâ de re Commentarius, Romæ Ann. 1591. in 4to editus, eodem modo procedit, totus in excurſibus & diſſertationibus, ad rem,
27 qvam tractat, non pertinentibus. * Qvis verò ille ſit ZOILUS ARDELIO, cujus meminit Janus Nicius Erythræus in *Pinacoth. I. n.* 133. dicere non poſſum: nam nomen illud fictum eſt, & teſtatur Erythræus, ipſum ſcripſiſſe *de Bibliothecâ Vaticanâ*, ceterùm hominem fuiſſe maledicum & neqvam. Operæ pretium profectò fuerit, legere hujus hominis characterem; qvi doctus qvidem fuit, ſed ob ſummum faſtum & maledicentiam, cujus illic ridicula ſpecimina narrantur, omnibus inviſus. Adeò parum ornant literæ, niſi virtutibus ipſæ ornentur. Referri hoc exemplum ad *caput noſtrum 15. de Converſatione eruditâ* poteſt.

28 Alterum à Vaticanâ locum meritò VINDOBONENSIS BIBLIOTHECA tenet,

cujus magna olim fama fuit; & major nunc excitata eſt à LAMBECIO, laborioſis
de illâ Bibliothecâ Commentariis. Nam ipſe penè Bibliothecam de Bibliothecâ
ſcripſit, ac jam tùm prodiit, ſi rectè memini, Tomus vel 8. vel 9. & vix ad mediam
ejus partem pervenit, cum fata ipſius laboribus injecerunt manus. Qvousqve hacte-
nus Lambecius pervenerit, compendio recitat Spizelius in *Diſſertatione præliminari*
Sacr. Bibl. arcan. §. 13. Prolixus nimis eſt in Digreſſionibus, in Delineationibus re-
rum ſupervacanearum, in alienis multis ingerendis; qvæ, ut molem, ita pretium libri
citra neceſſitatem augent. Ceterùm de MStis Codicibus multorum Autorum longa
illic eſt disqviſitio, qvæ prodeſſe interdum poſſunt ad notitias Autorum; interdum
lectorem ultrà, qvàm par eſt, fatigant.

BIBLIOTHECA OXONIENSIS, ſive BODLEANA, à primô ejus fundatore 29
ita dicta, magni nominis eſt, & meritò qvidem, libris qvà impreſſis qvà MStis opulenta.
Ejus Hiſtoria cum aliis nonnullis hujus Academiæ Bibliothecis tradita eſt ab Antonio
Wood *lib. 2. de Hiſtoriâ & Antiquitatibus Bibliothecæ Oxonienſis, p. 45.* * Ejus Ca- 30
talogum dedit *Thomas Jameſius* geminum, alterum ſecundum ſeriem Bibliothecæ, alterum
ſecundum ſeriem rerum diſpoſitum. Sed magnis poſtea acceſſionibus locupletata, ultra
veteres ſuos indices excrevit; nam præter alias Seldeniana Bibliotheca, Orientalibus ſcri-
ptis & Manuſcriptis referta, addita eſt. * Qvare novus nunc A. 1674. prodiit Catalo- 31
gus in folio à *Thomâ Hide*, Bibliothecario, confectus, novem annorum Opus; * ſed in 32
illô nulli habentur MSti Codices, & præterea Catalogus tantùm ſecundum ſeriem Auto-
rum, non ſecundum ſeriem materiarum, formatus, ut erat vetus ille Jameſii. Reſtaret ita-
qve altera hæc pars Indicis materialis, qvi mole æqvaret priorem illum Catalogum;
ſed tamen magni uſus eſſet. Rectè judicat Bailletus in Præfatione Indicis Bibliothe-
cæ Lamonianæ: *Illa ipſa, quæ Thomæ Hidano arriſit, methodus, ut ad ſtudiorum utili-*
tatem minus neceſſaria, ita nec ſola debuit adeſſe, ſed poſterior, cui priorem argumento-
rum ſive rerum ordinem, utpote longè utiliorem, præmitti oportere, nemo non intelliget:
plerique enim mortalium ad rerum ſtudia animum adjungere ſolent, ad Autorum vix
unus & alter. Qvare in confectione Indicis Bibliothecæ Lamonianæ potiùs ad ar-
gumenta ipſa, qvam ad Autores reſpexiſſe ſe ait Bailletus. MSti Codices Bibliothecæ
Oxonienſis numero penè æqvare dicuntur impreſſos; an illorum Catalogus aliqvando
edendus ſit, incertum eſt. (*mm*) De forma hujus Indicis plura habet Thomas Hide in
Præfatione hujus Catalogi. De ſingularibus ac memorabilibus hujus Bibliothecæ le-
gatur Monconiſiùs *in Itinerario*, *part. 2. pag. 51.* * Londinenſem Regiam ego 33
olim ipſe vidi, ſed qvæ & tùm & olim negligentiùs habita. Vide Arnoldi ad Rich-

Bb terum

(*mm*) MStorum Bibliothecæ Bodlejanæ Oxonienſis omnium Notitiam ſuggerit pleniſſimam Edv. Bernhardi, Profeſſoris Scholæ iſtius Inclyti, *Catalogus Librorum MStorum Academiarum Oxonienſis & Cantabrigienſis, & Celebrium per Angliam Hyberniamq; Bibliothecarum, cum Indice Alphabetico*, Tomis II. (qvorum Prior ſola Oxonienſia recenſet) Oxoniæ A. 1697. in fol. editus, Opus eximium, & vix cuiqvam in iſto Scriptionis genere ſecundum.

terum epiſtolam, inter Richterianas *pag.* 483. Scaliger in Excerptis ſuis vehementer laudat omnes Anglicas Bibliothecas à MStorum copiâ; præſertim in Hiſtoriâ; ſed eorum negligentiam accuſat, qvi, cum Catalogos publicarint, decies tamen iis plura omiſerint: imò qvi nunqvam excudant bonos libros veteres, ſed tantùm vulgares. Qvanqvam nunc illi in vetuſtis Autoribus edendis cum Gallis aliisqve gentibus certare velle videntur.

34 BIBLIOTHECÆ GVELFERBYTANÆ Hiſtoriam ſingulari libro perſecutus eſt HERMANNUS CONRINGIUS, ad illuſtrem Boineburgium ſcripto, ſub titulo *Bibliothecæ Auguſtæ.* Scripſerat ad Auguſtum Ducem Boineburgius, petieratqve editionem Catalogi, & ad hoc negotium Hermannum Conringium depoſcebat. Hâc occaſione inductus libellum hunc ad ipſum miſit Conringius, in qvô oſtendit Bibliothecæ illius Singularia, ad ſeptem ejus, ut vocat, admiranda, de qvibus legi ipſe poteſt. Bis mille in eâ adſervantur MSti Codices, & centena ſedecim millia aliorum Voluminum. Illi è ruderibus Bibliothecæ Budenſis collecti. Multa admiſcentur ad rem Bibliothecariam in univerſum pertinentia, tàm vetera qvàm recentiora.

35 Sperare nos Bailletus *tom.* 2. *pag.* 251. jubet pleniorem aliqvam Regiæ Bibliothecæ Hiſtoriam, qvæ è Bibliotheca Medicéa in Galliam translata primùm crevit, de qvô Conring. *Biblioth. Auguſt. pag.* 24. Primùm enim novus Catalogus MStorum Codicum conficietur, longè Labbeano plenior & accuratior, atqve ſingulorum exactum rigidumqve examen Criticum inſtituetur. Addentur brevia eorum ſummaria, cum recenſione hiſtoricâ de cujuscunqve MSti Codicis fortunâ & conditione. Spondet ille maximum ex hoc labore fructum, cum nullus hactenus illi ſimilis labor ullà in gente viſus fuerit, ſive magnitudinem Operis, ſive excellentiam ejus ſpectemus. Qvod cum ab unô perfici Opus non poſſit, duodecim vel tredecim Viris, doctrinâ & judicio ſingulari præditis, totum committetur negotium, ut illi partitis inter ſe operis agant. In tria illi diſpeſcentur Collegia, qvorum unum in Manuſcriptis Hebraicis aliisqve Orientalibus; alterum in MStis Græcis, tertium in MStis Latinis verſabitur. Scilicet ille verus eſt aliqvo Hercule Muſageta ac maximo Rege dignus labor.

36 Bibliothecarum aliarum publicarum integræ non prodierunt, qvod ſciam, Hiſtoriæ, niſi qvòd à Scriptoribus alia tractantibus ὡς ἐν παρόδῳ inſpergantur aliqva, qvæ ad Hiſtoriam hujus vel illius Bibliothecæ pertinent. Ita de Bibliothecâ Vaticanâ in *Itinerariô ſuô parte ſecundâ*, *capite* 10. agit Franciſcus Schottus. Eſt & Onuphrii Panvinii de eâdem Bibliothecâ Fragmentum. Item Antonii Cicarellæ de eâdem Bibliothecâ deſcriptio, qvæ habetur in vitâ Sixti V., hiſtoriæ Platinæ ſubnexâ, editionis Colonienſis 1662. De Bibliothecâ Regiâ Hiſpanicâ S. Laurentii extant Balthaſaris Corderi Epiſtolæ duæ, præfixæ Cyrilli Alexandrini Homiliis XIX. in Jeremiam Prophetam, Antverpiæ editis A. 1648. Eſt & Claudii Clementis ejusdem Bibliothecæ deſcriptio, addita ejusdem Muſeo in 4to, An. 1635. edito Lugduni. Extat ejusdem Bibliothecæ Catalogus ſcriptorum ineditorum, & Manuſcriptorum Alexandri Barvoëtii:

qvi

qvi cum rarior ſit, Labbeus in Novæ ſuæ MStorum Bibliothecæ ſupplemento tertio in-
ſeruit, cum aliarum Bibliothecarum Catalogis Manuſcriptis. Recudi qvoqve Maderus
cum ceteris curavit Bibliothecæ ipſius ſtructuram, ac omnia ornamenta graphicè deſcri-
bit Monconiſius *Itinerarii ſui part. 3. p. 46.* De libris tenuiter judicat Scaliger in Excer-
ptis, *pag. 61.* Videri qvoqve de eâ poteſt Spizelius *in Diſſertatione præliminari Sacr.
Biblioth. Arcan. §. 14. & Conring. Bibl. Aug. pag.* 140. Alexandri Braſſicani de Regiâ
Budenſi Bibliothecâ MStis locupletiſſimâ, miſerè à Turcis direptâ, extat Epiſtola, præ-
fixa Salviano ab ipſô edito. Sed nuperâ Budæ recuperatione aliqvæ ejus reliqviæ re-
ceptæ, qvarum Catalogum Pflugius promiſit. De Bibliothecâ Florentinâ Monconi-
ſius *Itinerar. part. 2. p. 480.* Idem *ibid. pag.* 443. de Bibliothecâ Vaticanâ, & *pag. 291.*
de Bibliothecâ Electoris Palatini, ubi de Cimeliis & nummis, qvi in iſtâ Bibliothecâ
aſſerventur. Bibliotheca Medicea à Sigismundo Regali, à Sylverio Florentino & Petro
Franciſco Minozzio Epigrammatibus celebrata, qvæ Lugduni prodierunt 1673. Priva-
tarum Bibliothecarum Hiſtoriæ, qvod ſciam, non extant: referas fortè huc Epiſtolam
Naudæi, qvam ſcripſit, dehortatoriam, de non diſtrahendâ Bibliothecâ Mazarinianâ,
cujus ſingularia recenſet Conring. *Bibl. Aug. pag. 118.* * Extat Collegii Pariſien- 37
ſis Societatis Jeſu Bibliothecæ Syſtema, qvô traditur Bibliothecæ ejus Hiſtoria, Ortus,
& Incrementum; eſt diſpoſitio elegantiſſima, ut ideæ loco eſſe poſſit Bibliothecam
aliqvam adornaturo, vel Hiſtoriam literariam ὡς ἐν τύπῳ & per Synopſin conſide-
ranti. Certè ſola Bibliotheca illum in modum diſpoſita Locorum Communium inſtar
eſſe poſſit. Qvem in uſum Bailletus qvoqve commendat, *tom. 2. pag. 275.* qvi illic
Garnierum ejus Syſtematis Autorem vocat.

CAP. XVIII.
DE CATALOGORUM SCRIPTORIBUS.

§. 1. *Catalogorum notitia neceſſaria. 2. Variæ Catalogorum formæ. 3. Philippus Labbeus 4. & Teiſſierus Indices Catalogorum ſcripſerunt. 5. Conradi Geſneri Bibliotheca & Pandectæ laudantur. 6. Adverſus acriorem quorundam cenſuram defenditur. 7. Æquior de eo cenſura Jonſii & Bailleti. 8. Scaliger illum magni fecit. 9. ut & Thuanus. 10. Varia ejus librorum compendia & ſupplementa recenſentur.* 11. *Michaëlis Neandri Pandectæ & Præfatio.* 12. *Bolduani Catalogus Hiſtoricus præ ceteris laudatur. 12. 13. Ejus, ut & Draudii, labores imperfecti. 14. Methodus Draudii laudatur. 15. Königii Bibliotheca non præſtat, quæ titulus promittit. 16. Martini Lipenii Bibliothecæ reales omnium Facultatum. 17. Quenſtedtii Dialogus de patriis illuſtrium virorum. 18. Gallorum cura in libris ſuæ gentis conſignandis. 19. Claud. Fauchet. 20. Dn. de Caſa nova. 21. Antonius Verdierus. 22. Crucimanius. 23. Hic à primâ juventute Hiſtoriæ Bibliothecariæ Gallicæ ſe totum impendit. 24. Andr. du Cheſne ſ. Quercetani Catalogus ſcriptorum Galliæ Hiſtoricorum & Typographicorum. 25. Sorelli* Bibliothe-

ca Gallica. 26. Ludovicus Jacobus Univerſalem Bibliothecam *Gallicam moliebatur. 27. Labbei Chiliades Hiſtorico-Chronographicæ. 28. Italorum imperfecta in Scriptoribus ſuis recenſendis opera. 29. Hiſtoria Lyncæorum Fogelii. 30. Gregor. Leti de Scriptoribus Italis collectanea. 31. Hiſpanorum Scriptorum Catalogi. 32. Nicolai Antonii inſignia de gente ſuâ merita prædicantur, 33. ceterisq; in exemplum proponuntur. 34.* Batavorum *negligentia notatur. 35. Scriptores quidam, Sanderus, 36. Deſſelius, 37. Swertius, 38. 39. Meurſius, Miræus, recenſentur. 40. Mercurii Officinales Waesbergiani. 41. Anglorum magna in his negligentia. 42.* Balei*, Pitſei, Leighi, 43. Lilii, 44. Woodii imperfectus labor. 45. Dempſteri Scotorum Scriptorum recenſio. 46. Albertus* Bartholinus *Danicorum Scriptorum Catalogum dedit. 47. Joannis Molleri Cimbria literata laudatur. 48. Johannis Schefferi Suecia literata. 49. Staravolſcius de Polonorum ſcriptis: 50. Germanæ gentis Hiſtoria literaria deſideratur. 51. Melchioris Adami, 52. Wittenii, Spitzelii labores, de vitis Germanorum. 53.* Bibliothecarum *Scriptores reſpectu certi ordinis. 54.* Bibliotheca *Ordinis Jeſuitici 55. & Ciſtercienſis laudatur. 56. Joh. Caramuelis Lobkowitz opera. 57. Certi nominis Scriptores à multis collecti. 58. Spachii Nomenclator Philoſophicus. 59. Voſſii indefeſſa in autorum recenſionibus opera. 60. Supplementa Voſſiana à variis ſcripta. 61. Scripta ſcientiarum Mathematicarum, 62. Scriptores librorum Theologicorum, 63. Juridicorum, 64. Thurmanni, 65. Cornelii à* Beughem *labores promiſſi. 66. Medicorum Scriptorum Catalogi. 67. Varii* Bibliothecarum *publicarum 69. 70. & privatarum indices recenſentur 68. Laurentii Legati ſcripta ἀνέκδοτα. 71. Catalogi Officinales. 72. Scriptorum certi temporis. 73. Catalogi Miſcelli. 74. Cinelli* B*ibliotheca Volante 75. Mercurii literarii.*

1 POſt Bibliothecarios Scriptores veniunt CATALOGORUM SCRIPTORES, qvorum accuratior notitia ita neceſſaria eſt Polyhiſtori, ut mapparum Geographicarum cognitio peregrinaturo. De eorum utilitate & jucunditate multa Conringius ſub initium epiſtolæ de *Bibliothecâ Auguſtâ* differit, qvibus hoc argumentum
2 præcipuè illuſtratur: & Spizelius *Diſſ. præliminari Sacr.* Biblioth. §. 11. 12. 13. * Diſponi verò ſolent Catalogi vel ſecundum perſonas, vel ſecundum materiarum ordinem. Utriqve vel ſunt perpetui, qvi omnes omnium diſciplinarum Autores indicant; vel temporales, qvi certi alicujus temporis Autores tradunt. Perpetui vel ſunt univerſales, qvales modo diximus, omnium ſcilicet ſcientiarum & temporum; vel particulares, reſpectu vel nationum certarum, vel ordinum, vel ſcientiarum, vel Bibliothecarum, earumqve vel publicarum, vel privatarum, qvæ vel ſpectant ad Viros doctos, vel ſunt officinales, vel reſpectum certi nominis habent &c. Scriptores temporarii ſcribunt de certi temporis libris, vel ordine aliqvo, vel ſine illo.

3 Veſtibulum ante ipſum nobis hîc qvaſi Hodegeta & Janus Patulcius excubat PHILIPPUS LABBEUS, Vir, qvi in texendis Catalogis totam penè vitam conſumpſit.

Is

Is *Bibliothecam Bibliothecarum*, cujus ideam ad calcem novæ Bibliothecæ Manuſcriptorum adjecerat, ſcripſit, librum olim rarum, Pariſiis 1664. in 8. editum, deinde auctiorem Rotomagi, noviſſimè Anno 1682. Lipſiæ in 12. recuſum, editione qvartâ, ut titulus habet, juxta exemplar Rotomagenſe. Vocat autem *Bibliothecam Bibliothecarum*, qvod recenſeat omnes Autores, qvi Catalogos Catalogorum ediderunt, & de Bibliothecis, Vitis & Elogiis ſcripſerunt. Adjecit Bibliothecam nummariam & Mantiſſam antiqvariæ ſupellectilis, qvæ continet Autores antiqvarios & nummarios. Huic poſtremæ editioni additus eſt Seldeni liber exiguus de nummis. Primùm Autores omnes confusè ponit, hinc ſubjicit Indices diſtinctiores eâ ſerie; Primus repræſentat Autores ſecundum artes & ſcientias diſpoſitos: Secundus Autores, qvi de libris per nationes distributis ſcripſere: Tertius enumerat Bibliothecas ſodalitatum & collegiorum: Qvartus Miſcellaneos de variis argumentis: Qvintus Scriptores de homonymis: Sextus Polygraphos enumerat: Septimus recenſet nomina & cognomina Bibliopolarum & Typographorum: Octavus agit de Bibliothecis ſecundum varia cognomina. Adduntur Indices Nominum & Cognominum. Imperfectus ille labor eſt, & augeri multis modis poteſt. Illum altero tanto auctiorem ſe editurum Vincentius Placcius jamdudum promiſit. * Nunc verò *Antonius Teiſſierus*, idem ſcilicet, qvi Elogia 4
Thuanæa cum commentario edidit, auctiorem hunc librum dedit ſub titulo Catalogi Autorum, qvi librorum Catalogos, Indices, Bibliothecas, Elogia, Vitas, Orationes funebres, ſcriptis conſignarunt, Genevæ An. 1686. in 4to. impreſſum, cui ſeqventi anno aliud auctarium acceſſit. Ille verò, cum Labbeus Autores plusqvam 800. non recenſeat, Autores plusqvam 2050. & Vitarum & Orationum funebrium Scriptores 1200. enumeravit: patriam & profeſſionem, ubi Labbeus omiſerat, addidit; ac duos præterea Indices, omiſſis tantùm injuriis, qvibus ille optimis Autoribus inſultat.

CONRADUS GESNERUS inter univerſales & perpetuos Catalogorum Scriptores principatum obtinet, Vir maximis ſuis laboribus optimè de Rep. literaria meritus. Fuit enim & vertendo & colligendo omnium diligentiſſimus. * Injurii ſunt 5 6
& ingrati in bonum virum exteri qvidam, qvi ejus ſcripta paſſim traducunt ut non ſatis accurata, & ſolô labore, nullô verò ingeniô, ſpectanda. Qvod familiare ſolet eſſe in Germanos convitium omnium exterorum; qvi, ſi non haberent à Germanis congeſtas rei literariæ opes, anguſtiùs certè ſecum habitarent. *Adeò* (qvæ Voſſii præfat. in Theolog. Gentil. qverela eſt) *laudis nihil ſperandum, quocunque etiam judicio adhibito, propter ambitioſulos iſtos in ſtrenua inertiâ & ingenii & facundiæ laudem ſolis ſibi vindicantes, aliis relinquentes duntaxat laboris gloriam, cum Arcadico, ut loqvuntur, pecore communis.* Etiam Gaddius, tenuis & jejunus Scriptor, minutam diligentiam in illo reprehendit, qvi ipſe montes parturiendo non niſi mures parit. Rolandus qvoqve Mareſius in Epiſtolis ſuis Philologicis, Opere docto, Gesnerum alicubi ut Locorum Communium Scriptorem exagitat, cum Gesnerus & Gesnero ſimiles inter eos ſint, qvi ſylvas ſerunt, ut habeant alii, qvas cædant & excidant. Non nego qvidem, nævos ineſſe & errores ejus Autoris ſcriptis, ſed illos facilè abſorbet

 impro-

7 improbus labor ac inſignis ejus utilitas. * Æqviùs de Viro iſto Jonſius *Hiſtor.*
Philoſ. lib. 3. cap. 20. & Bailletus *tom. 2. pag. 15.* judicant. Conſiderandum enim, qvot
qvantisqve laboribus unus Vir diſtrictus fuerit, Phyſicis, Medicis, Philologicis; qvanta
ſeculi iſtius ob meliorum editionum defectum imperfectio. Qvin potiùs tota ipſi
poſteritas ob ſumma illa & Herculea in re literariâ merita obſtricta eſt. Infinita pro-
pemodum ſunt & incredibilia, qvæ Vir ille nondum L. annos natus, cum moreretur,
8 in omni ſtudiorum genere perfecit. Unus penè Bibliothecam ſcripſit. * Qvam
honorificum Jul. Cæſaris Scaligeri de Geſnero fuerit judicium, ex iis literis Sylvii, J.
C. filii, Scaligeri colligas, qvæ in *Siberianis Epiſtolis pag. 459.* habentur, qvibus ille
Geſneri amicitiam ambit, eumqve rogat, ut ſuo teſtimonio paternorum ſcriptorum
ſplendorem gloriamqve augeat. *Tuam*, ſcribit ille, *autoritatem tanti facio, ut nullius*
9 *amicitiam magis petam, alium magis colam neminem.* * Addi his poteſt præcla-
rum candidiſſimi Scriptoris Thuani elogium *Hiſtor. lib. 38.*, qvi mortem ejus omnibus
ſeculis deplorandam, ob inſignia in univerſam rem literariam merita, vocat; præterea-
qve incredibilem ardorem in rei literariæ ſtudio juvando deprædicat: qvi ſub extre-
mum vitæ ſpiritum è lectulo ſurrexerit, ut, qvæ vivus publicare non poterat, poſt mor-
10 tem ſuam edenda deſignaret. * Edidit ille *Bibliothecam ſive Catalogum Univer-
ſalem*, Tiguri apud Froſchoverum Ann. 1545. in folio, ſecundum Alphabetum & no-
mina Autorum. Illum Catalogum in epitomen redactum, aliis verò Autoribus locu-
pletatum, edidit *Joſias Simlerus*, apud eundem Froſchoverum bis editum. Ante Simle-
rum qvoqve *Conradus Lycoſthenes* in Compendium traxerat, qvod mancum omninò
eſt, & exigui uſus; neqve enim notat vel formam librorum, vel locum & annum edi-
tionis, vel nomen Typographorum, qvod in Catalogorum concinnatione neceſſarium
eſt. Hinc editus eſt cum majori auctariô, ſed Operis Geſneriani Compendio, per
Johannem Jacobum Friſium, Tiguri Ann. 1583. Scripſerat & auctarium aliqvod, ſed
breve ANTONIUS VERDIERIUS, Bibliothecæ Gallicæ Scriptor, qvô continentur Auto-
res, qvos præteriit Geſnerus, qviqve poſt ejus tempora editi, cum Bibliothecâ Conſtan-
tinopolitanâ. In hunc notulas MStas BONAVENTURÆ VULCANI apud amicum qven-
dam meum extare novi. (*nn*) Jam olim qvoqve Geſnerus eundem hunc ſuum Cata-
logum ſecundum ordinem artium & ſcientiarum diſpoſuerat: qvi liber majori uſui
eſt, & Locorum Communium inſtar eſſe poteſt. Qvi itaqve rei literariæ & librariæ
cognitionem perfectam habere cupit, binos illos libros habeat, alterum illum ſecun-
dum Alphabetum perſonarum diſpoſitum, à *Johanne Jacobo Friſio* editum An. 1583.,
& alterum ab ipſo Geſnero ſub titulo *Pandectarum* publicatum An. 1548., qvem in
compendium qvoqve redegit Friſius. ROBERTUS etiam CONSTANTINUS *Indicem* fe-
cit *ſuper* Bibliothecam *& Pandectas Geſneri*: *Guilielmus Canterus* fecit *notas ſuper* Biblio-
thecam Geſneri per Simlerum contractam. JOH. HALLERVORDI *Bibliotheca curioſa*
nihil

(*nn*) Notarum Bonav. Vulcanii in Verdierii Supplem. Biblioth. Geſnerianæ Poſſeſſor fuit Vir Illuſtris, Marqv. Gudius.

nihil aliud, qvam ſupplementum Gesneri eſt, huncqve titulum in Typographi gratiam aſſumpſit.

MICHAEL NEANDER, Vir doctiſſimus, & communis Germaniæ Præceptor, 11
Philippo Melanchthoni coævus, qvi multa tùm in linguis tùm in artibus ſcripſit, in Catalogo lucubrationum ſuarum, Erotematibus linguæ Græcæ addito, promiſit *Pandectas variorum Autorum & Scriptorum*, qvod Opus ab illo editum non eſt. Ipſe argumentum illorum hoc recenſet: *Referuntur primò* Bibliothecæ *inſigniores ac inſtructiores, quæ ab initio in mundo fuerunt, & ſi quæ adhuc hodie maximè celebratæ ſunt, omneque genus ſcriptorum publicatorum, ac in* Bibliothecis *etiamnum ubicunque terrarum latentium, temporis etiam injuria deperditorum: eorum etiam, quorum vel nomina ſolummodo apud veteres reperiuntur. Horum omnium ſcripta ac libri referuntur ſecundum materias ac argumenta, quæ tractarunt ſecundum artes, ſcientias, profeſſiones ac facultates: indicato etiam tempore, quando floruerint: ſimul etiam, quando & ubi locorum cujusque ſcripta ſint excuſa: numero quoque chartarum in plerisque indicato, quo faciliùs de pretio fiat judicium; Cenſuris etiam doctorum virorum additis, ut ſciatur, quo loco cujusque ſcripta ſint habenda, omnibus ordine ſuoque loco poſitis ac diſtributis, ut in quacunq; arte ac quacunque materia ſcriptorem requiras, mox quæſito loco pro uno innumeros reperias, ut adhibito judicio potiorem, ac quem ſeu ipſe maxime probes, ſeu aliis præcipuè probatum fuiſſe intelligas, poſtea deligas.* Vel ex illa recenſione apparet, qvam præclaro Opere, qvod ipſo Gesneriano præſtantius fuiſſet, exciderimus. Rudimentum tamen ejus videtur doctiſſima illa & prolixa Præfatio editioni Erotematum Græcæ linguæ poſteriori præmiſſa, ubi per Synopſin & perpetuam diſſertationem omnium artium & ſcientiarum Scriptores, qvà antiqvos, qvà ſui temporis, recenſet. *In hac enim*, ut ipſe Autor in titulo promittit, *tum multa alia copiosè dicuntur, tum præcipuè narratio copioſa ac longa inſtituitur de* Bibliothecis *vetuſtis, temporum varia injuria vaſtatis & conſumtis: de libris deperditis innumeris ac optimis, in omnibus linguis, artibus, diſciplinis ac facultatibus. Commemorantur etiam* Bibliothecæ, *hac etiamnum ætate rara librorum MStorum ſupellectile in variis orbis terræ locis inſtructæ, ac hoc nomine celebratæ: cum indicatione autorum & librorum præcipuorum Græcorum & Latinorum, veterum ac recentium, extantium adhuc & publicatorum, diſtributis ſingulis optimo ordine ſecundum linguarum, artium, diſciplinarum ac facultatum genera: ubi de autore & argumento & orationis genere, ac quo loco quilibet autor habendus ſit, plerumque adoleſcentes admonentur.* Edita ſunt hæc Erotemata Baſileæ 1565. in 8. Invenies illic nonnunqvam judicia memoratu digna.

Poſt Gesnerum non adeò feliciter hanc telam pertexuêre nonnulli. PAULUS 12
BOLDEANUS, Paſtor aliqvis Pomeranus, *Bibliothecam librorum, ſuô tempore editorum*, confecit; ſed deſtitutus ad illam rem neceſſariis ſubſidiis, habitans qvoqve loco incommodo, & ad notitiam librorum ſibi parandam non ſatis apto, è Catalogis Francofurtenſibus excerpſit, qvi nonnunqvam mendaces, & non niſi titulos oſtentant. Præ ceteris tamen eminet ejus Autoris *Bibliotheca Hiſtorica*, bono ordine digeſta, cujus

cujus ordinis & digeſtionis ratio ab ipſo Autore in Præfatione prolixè proponitur. Rudimentum non ſanè ſpernendum notitiæ Hiſtoricæ præbere poterit, qvod ſuppleri è Bibliothecæ Thuanæ & Cordeſianæ Catalogo poteſt, de qvibus infrà dicitur.

13 Ejusdem commatis Autor GEORGIUS DRAUDIUS eſt cenſendus, cujus extat *Bibliotheca claſſica per omnes Facultates*, itidem è Catalogis Francofurtenſibus congeſta. Solum ille Nomenclatorem, & ne qvidem fide dignum, agit, in qvô reperias nonnulla planè falſa; libros, qvi nunqvam editi, & in ipſo conceptu parturienti cerebri ſuffocati. Inepti ſunt, qvi librorum Catalogos ſcribunt è Catalogis. Oculata

14 hic fides & judicium præſens reqviritur. * Laudanda tamen methodus eſt, qvâ utitur: qvam ob cauſam majori eſſe uſui poteſt, qvam ceteri Indices, etſi accuratiùs inſtituti.

15 GEORG. MATTHIÆ KONIGII *Bibliotheca Vetus & Recens* edita eſt Norimbergæ ab Enteris in folio, Ann. 1678. Non facilè memini, majori apparatu venditatum eſſe ullum librum, qvam hunc; qvia, ut titulus præfert, totius orbis literati opes, ab ipſis incunabulis ad noſtra usqve tempora, pollicetur. Sed totus ille liber exiguâ planè induſtriâ congeſtus, è Catalogis variis undiqvaqve & undiqve corraſus. Hiſtoria, qvæ breviter annectitur, nonnunqvam de viris doctis falſa eſt: libri affinguntur qvibusdam, de qvibus nunqvam fortè illi cogitarunt: Omnia manca ſunt & mutila. Nam de viris celeberrimis, qvi hodiè vivunt, vel nuper deſierunt vivere, leviora qvædam ſcripta referuntur, prætermiſſis dignioribus.

16 MARTINUS LIPENIUS, Scholæ Lubecenſis Conrector, ſcriptis qvibusdam in lucem editis clarus, *Catalogos librorum in Jurisprudentiâ, Medicinâ, Theologiâ, Philoſophiâ*, congeſſit, ſecundum materias diſtinctos, qvod à multis hactenus deſideratum. Libri omnes per intervalla in folio editi, typoqve grandiore, unde moles & pretium qvidem librorum augetur, ſed commoditas notandi prætermiſſa relinqvitur. Reliqvis tamen præſtare Bibliotheca Philoſophica & Theologica videntur. Indices Autorum Alphabetici adjecti. Utiliſſimus labor eſſet, ſi omnes Autores, veteres & novos, ſecundum materiarum titulos accurate diſpoſitos haberemus. Sed fieri vix poteſt, ut in iſtis argumentis omnibus abſolutum numeris haberi Opus poſſit: nam *δευτέραι φροντίδες* noviqve labores ſemper hîc locum inveniunt.

17 Hæc de Scriptoribus univerſalium Catalogorum dicta ſunto. * Veniamus nunc ad Scriptores Catalogorum particularium; inter qvos primum locum tribuamus iis, qvi certæ alicujus nationis Autores & libros recenſent. Sunt verò inter illos nonnulli, qvi perſonis contenti omittunt ſcriptorum accuratam enarrationem, inter qvos eſt JOHANNES ANDREAS QVENSTEDT, cujus extat *Dialogus de patriis illuſtrium virorum*, omnium ordinum ac facultatum, qvi ab initio mundi per univerſum terrarum orbem usqve ad annum 1660. claruere. Non contemnendus liber eſt, qvanqvam non ſatis plenus, nec in recenſendis ſcriptis accuratus. Errores Geographicos aliosqve in illo notat Bailletus *tom. 2. p. 25.*

Incipie-

Incipiemus à *Gallis*, qvæ gens, ut præ ceteris ad oſtentationem facta eſt, non 18
omiſit hanc qvoqve nominis ſui gloriam, exemplo Græcorum & Romanorum, apud
qvos non defuerunt, qvi gentis ſuæ Scriptorum elogia editis libris celebrarint. Valdè
enim ad exiſtimationem nationis pertinet ingenii gloria, qvæ libris & inventis æſti-
matur, ut patriæ ſpecimina victoriis & factorum hiſtoriis. * Provincialium Poë- 19
tarum Gallorum Hiſtoriam CLAUDIUS FAUCHETUS, Vir illuſtris, recenſuit peculiari li-
bro. Nam poëticâ gloriâ præ ceteris nationibus, penè in ipſa barbarie, excelluerunt
Galli; unde didicerunt & exemplum ſumpſerunt Itali. Certè apud Gallos ſingulares
ludi poëtici fuerunt inſtituti, qvibus ipſe Rex præſidebat, & victores in hoc certamine
coronabat. * Horum ludorum memoriam ex ipſis Antiqvitatis ruderibus pro- 20
duxit DOMINUS DE CASA NOVA, Vir illuſtris & doctiſſimus, cujus extat ſingularis
de hoc argumento liber, in 4to editus: De qvibus pluribus etiam egimus in Diſſerta-
tione *noſtrâ de Germanicâ Poëſi, capite de Gallorum Poëſi.* Franciſcus Petrarcha, ar-
gutiſſimus Italorum Poëta, multum Provincialibus iſtis debet. * Hujus Faucheti 21
Hiſtoriam ſuo libro inſeruit ANTONIUS VERDIERIUS, Claudii Verdierii, de qvo
nos ſuprà, Pater. Summâ hic curâ recenſentur libri, Gallico non ſolum idiomate
ſcripti, ſed & Latino à Gallis: qvanqvam parcior in his fuerit, & diligentiorem tracta-
tionem labor ille reqvirat. Editus eſt ille liber, titulo *Bibliothecæ*, Gallicâ linguâ,
Lugduni Anno 1585. in folio. Præfatio libri pleniùs conſilium ejus exponit. Eſt
omninò in pretio habendus; qvanqvam Bailletus multos in illo defectus notet.

FRANCISCUS GRUDÆUS CRUCIMANIUS, ut illum Nicolaus Antonius 22
vocat, ſive SIEUR DE LA CROIX DU MAINE, idem argumentum tractavit poſt
Verdierium, cui tamen nihil ſe debere profitetur. Habuit qvidem in animo hic Au-
tor vaſtum Opus Bibliothecæ univerſalis condere, ut patet ex Epiſtolâ ad Regem ſcri-
ptâ, qvâ ideam proponit perfectæ alicujus Bibliothecæ, per pluteos ſuos inſtar Loco-
rum Communium diſponendæ; ſed methodus ejus eſt planè ἀμέθοδος, neqve certa
ſcientiarum capita ſeqvitur: titulos enim variè inter ſe miſcet. Habuit qvoqve affe-
ctos alios libros Bibliothecarios de Gallicis Scriptoribus aliisqve; ſed qvi nunqvam
ſunt editi, & poſt mortem ejus diſtracti fuerunt, teſte Ludovico Jacobi in Tractatu ſuo
de Bibliothecis; ubi de Bibliothecis Gallicis agit. Fuit verò inter duos illos contro-
verſia, de ſublectis ſibi per plagium notatis ſuis: nam uno penè eodemqve tempore li-
bri illi prodierunt. Crucimanius tantùm Gallicos recenſet iſto libro, qvi eodem ti-
tulo editus Pariſ. in fol. 1584. Latinos peculiari libro reſervaverat, qvi tamen nun-
qvam editus. * Memorabile omnino eſt, qvod ipſe de ſe Crucimanius in Præfat. 23
Bibliothecæ Gallicæ. *Ie diray que des l' an de mon âge dix-ſeptieſme, ſçavoir eſt, en
l' an de ſalut 1569. eſtant enuoye en l' Univerſité de-Paris, pour faire profit aux lettres,
l' eſtois ſi curieux d' avoir toutes ſortes de livres non ſeulement en Grec, Latin & autres
langues, & ſur tout en François, qu' en fin l' amas que j' en fais eſtoit ſi grand, que le
Catalogue d' iceux ſe moinſtroit tenir plus d' un juſte volume. De façon qu' il me prit
dés-lors une enuie de mettre à part les Grecs & les Latins, & d' un autre coſté les*

François, où Autheur qui auoyent eſcrit en noſtre langue, ſans parler des Italiens, Eſpagnols & autres. Alibi dicit, ſe Commentariorum ſeptingenta vel octingenta Volumina anno ætatis 27. in omni genere ſcientiarum collegiſſe. Promittit qvoqve librum Gallicâ linguâ, cui titulus: *La Recherche des Bibliotheques ou Cabinets les plus renommez de France avec la declaration des livres rares, medailles, pourtraits, Statues ou effigies, pierreries, ou autres gentileſſes, ou gentilles curioſitez, qui ſe voyent és maiſons des Princes & autres, qui ſont amas de telles magnificences.* Sed nihil poſt mortem ejus eorum apparuiſſe, teſtis eſt Lud. Jacob. p. 675. qvæ fortè deſtructa & diſſipata fuere.

24 ANDREAS DU CHESNE, ſive QVERCETANUS, ſcripſit Gallicâ linguâ *Bibliothecam Autorum*, qvi ſcripſerunt Hiſtoriam & Topographiam Franciæ ſecundum ordinem temporum & materiarum. Editus eſt ille liber in 8vo, Pariſiis A. 1627., &, ſi rectè memini, poſt illud tempus auctior in lucem venit. Sed apud illum nihil invenias præter Gallicos Autores, & qvidem Hiſtoricos & Geographos: Poterit tamen inſervire Hiſtoriam Gallicam ſecundum tempora & Autores noſſe cupientibus.

25 CLAUD. SORELLUS, Hiſtoriographus Regius, Vir doctus, cujus extant multi libelli ab ipſo editi, Gallicâ omnes linguâ, ut *Scientia Univerſalis*, de qvâ infrà dicemus, & alius liber *de perfectione hominis*, qvi in linguam Germanicam converſus eſt à Barone de Stubenberg: ſcripſit librum, cui titulus: *La Bibliotheque Françoiſe*, qvô comprehendit Autores, qvi Gallicâ linguâ ſcripſerunt, aut è Latinâ & Græcâ in Gallicam linguam verterunt varios Autores. Sed eorum, qvi linguâ Latinâ ſcripſerunt, nulla hîc mentio, nec omnium, qvi linguâ Gallicâ. Præcipuè illos tantùm Scriptores recenſet, qvi agunt de Eloqventiâ, Philoſophiâ morali, Poëtas, Oratores, Grammaticos & Hiſtoricos Gallicos. Ita autem verſatur in illorum Autorum recenſione, ut judicia ſua paſſim interponat. Habuit vero ille in animo, ut ex Bailleto *tom. 2. pag. 168.* patet, Encyclopædiam aliqvam ex Gallicis tantùm Autoribus concinnatam dare, cum ſine Græcæ Latinæqve linguæ ſubſidiis ad perfectam rerum cognitionem pervenire nos poſſe crediderit, qvod vanum ejus merito conſilium Bailletus vocat. Ejus characterem deſcribit Patinus *epiſtola 45.*, ubi multa ejus ſcripta recenſet, & pene 20 ha-
26 bere inedita volumina narrat. * Ceterùm, qvi inter Gallos de omnibus Autoribus ſcripſerit, nemo hactenus repertus eſt. In animo hoc habuit LUDOVICUS JACOBUS, uti diximus, qvi vaſtum Opus qvatuor in folio Voluminum meditatus eſt; qvorum duo eos, qvi Latinâ linguâ, cetera, qvi Gallicâ ſcripſerant, comprehendere debebant. Ille verò Titulus Operis: *La Bibliotheque univerſelle de tous les Autheurs de France qui ont eſcrits en quelque ſorte de ſciences & de langues*, qvod ille Ann. 1638. inchoaverat. Jam verò eo mortuo, qvid huic Operi factum ſit, non conſtat. Edidit ille qvidem ſingulis annis, ab Anno 43, niſi fallor, incipiens, libros Pariſiis editos, ſub titulo *Bibliographiæ Pariſinæ*, & finit Anno 1662., qvo ſcripſit *Bibliothecam Gallicam univerſalem*, id eſt Catalogum omnium librorum per univerſum Galliæ regnum ab an-

ab anno 50 excuſorum. (*oo*) Videatur Labbeus *in Bibl. Bibliothecarum.* Sed nulla illic talis Bibliothecæ, qvam promiſit, & qvæ verè ita vocari poterat, mentio fit. Extat & qvarundam regionum apud Gallos, Virorumqve in illis illuſtrium, enarratio. De qvibusdam Bailletus *tom. 2. p. 184.* * Habuit qvoqve in animo *Univerſale aliqvod Opus* PHILIPPUS LABBEUS, homo ad Lexica & Catalogos conficiendos à naturâ factus, teſtaturqve de illo Nicolaus Antonius in Præfatione Bibliothecæ Hiſpanicæ his verbis: *Vixiſſet hujusmodi natus laboribus Labbeus, haberemus abſolutiſſimam hujus gentis ad miraculum doctæ, è Chiliadibus Hiſtorico-Chronographicis notitiam.* Qvod ſi continuus Scriptorum illorum Catalogus dari posſit, non dubito, illum mole ſuperaturum ceteros omnes. Ut enim ingenioſa gens eſt, & ſcribax; ita magna, ut puto, illorum Autorum apud illos meſſis erit. 27

28 Gallos excipiant *Itali*; magna apud illos Virorum doctorum ſemper copia, tum præcipuè, cum evigilarent iterum ex profundô multorum ſeculorum lethargô. Multæ apud illos à præcipuis Viris inſtitutæ Academiæ & Collegia, de qvibus ſuprà *cap. 14.* Singulis Collegiis certæ erant leges. Scribuntur à ſingulis membris libri, qvorum omnium Hiſtoriam ſi haberemus, non parum prodeſſet ad rem literariam. * Solam *Lynceorum hiſtoriam* adornabat MARTINUS FOGELIUS, Profeſſor Hamburgenſis, Vir doctiſſimus; ſed ille immaturâ morte abreptus ineditum Opus reliqvit. Multi è Collegiis illis prodierunt egregii libri, qvorum exigua, & plane nulla, apud nos eſt notitia. Extant nihilominus particulares ſingularium urbium Bibliothecæ & Catalogi, qvi ſi conferantur omnes, integrum fortaſſis aliqvod corpus conſtituere posſint. Nolo in illis recenſendis prolixus eſſe, præſertim cum Labbeus in ſuâ *Bibliothecâ Bibliothecarum*, & Teiſſierus plurimos jam tum recenſuerint, ubi illorum nomina & librorum tituli legi poſſunt: nam ſingularia, qvæ in illis moneamus, non habemus. Videndus qvoqve de iis eſt Bailletus *Tom. II. à pag. 138. ad pag. 146.*, ubi nonnulla virorum doctorum de iis judicia habentur. * Facit & Academiarum illarum & Academicorum mentionem GREGORIUS LETUS, *in 3. part. Italiæ ſuæ regnantis*, non qvidem perfectam planè & abſolutam, ſed tamen, qvod ad noſtra tempora ſpectat, ſic ſatis accuratam. Ipſe verò, ut videtur, potiùs aliunde doctus qvam ſuâ experientiâ omnia ſcribit, ac pleraqve excerpit è notitiis privatis. Neqve enim omnia Italiæ loca eâ, qvâ fieri debebat, curâ indagavit, in qvibusdam locupletior, in plerisqve ſtrictior & parcior. Prodeſſe tamen extero poteſt labor ille, utut imperfectus, Italiam ſtudiorum gratiâ adituro. Nam in Autorum, qvi hodiè vivunt, nominibus recenſendis ſatis diligens eſt. Mallem illum omnes illas notitias & memorias, unde ipſe hauſerat, notaſſe.

Veniemus ad *Hiſpanos*, apud qvos olim exigua fuit ſcribendorum librorum cura, niſi qvod ANDREAS SCHOTTUS in libro *de Bibliothecis & claris Hiſpaniæ viris*, 31

 Franco-

(*oo*) Ludov. Jacobus Bibliographias Annorum ſingulorum, partim Pariſinas, partim Gallicas Univerſales, edere qvidem cœpit qvotannis A. 1643., ſed ad Annum tantum 1653. (non 1662) continuavit.

Francofurti in 4to, An. 1608. edito ; & VALERIUS ANDREAS TAXANDER in *Catalogo*
clarorum Hiſpaniæ Scriptorum, Moguntiæ An. 1607. in 4to editô , aliqvam in illô ar-
gumentô operam poſuerunt, ſed minus accuratam. De illis videatur Bailletus *tom. 2.*
32 *pag. 150. 151. 152.* * Poſt illos tandem prodiit NICOLAUS ANTONIUS, Hiſpa-
lenſis, JCtus, Ordinis S. Jacobi Eques, Canonicus, Regiorum negotiorum in urbe &
curiâ Romanâ Procurator generalis. Is maximis laboribus congeſſit, tùm è Catalo-
gorum univerſalium Scriptoribus, tùm è gentis ſuæ Nomenclatoribus, qvi tamen per-
pauci ſunt & planè non accurati, Bibliothecam, cui titulum facit. *Bibliotheca Hiſpa-*
na, ſive, Hiſpanorum, qui usquam unquamve, ſive Latinô, ſive populari, ſive aliâ quâvis
linguâ ſcripto aliquid conſignarunt, notitia, his, quæ præceſſerunt, locupletior & certior,
brevia elogia, editorum atque ineditorum librorum Catalogum duabus partibus conti-
nens, quarum hæc ordine quidem rei poſterior, conceptu vero prior, duobus Tomis de his
agit, qui poſt annum ſecularem 1500. usque ad præſentem diem floruere; prodiit Romæ,
Anno 1672. in folio. (*pp*) Præmiſſa eſt luculentiſſima Præfatio , qvæ agit de totô
hôc colligendi Autores negotiô, exponit ſua & aliorum conſilia , & qvaſi per lancem
faturam recenſet magnâ diligentiâ Autores omnium nationum Bibliothecarios. Li-
ber ille omnes, qvotqvot ſunt hujus argumenti, Scriptores accuratione & diligentiâ
vincit; nam & elogia addit, & libros editos adſignatô tempore & loco, unà cum in-
editis, ſollicitè recenſet. Multa enim in illô librô invenias maximè memorabilia, ex
ipſis Bibliothecarum receſſibus producta. Adjecit Indices, pulcherrimô ordine, ſe-
cundum diſciplinas congeſtos. Primus eſt Index Cognominum. II. Patriarum. III.
Ordinum Eccleſiaſticorum. IV. Munerum Eccleſiaſticorum. V. Munerum Secu-
33 larium VI. Materiarum, qvi ceteris amplior, & in XXIII. Claſſes dividitur. * Li-
ber ille Ideam ſubminiſtrare poteſt omnibus in aliis ſimile qvippiam tentaturis. An-
tiqviores Hiſpaniæ Scriptores peculiari libro reſervavit.
34 Dolendum eſt, adeò incurioſos eſſe in rerum ſuarum notitiâ *Batavos*, cum
apud illos plurima lucem videant, tam Latinâ qvam Belgicâ linguâ ſcripta, qvorum
35 Catalogum locupletiorem texi, intereſſet publicè. * ANT. SANDERUS *de Scri-*
ptoribus Flandriæ 3. libros, *de Scriptoribus Gandavenſibus* alios tres, duos *de Brugenſi-*
bus ſcripſit. Idem *de MStis* qvoqve egit. Elogia uberiora Virorum doctorum ſunt
36 in *Flandriâ ejus illuſtratâ*, vaſto Opere. * VALERII ANDREÆ DESSELII *Bi-*
bliotheca ceteris omnibus in hoc genere Scriptoribus præferenda eſt, etſi in multis de-
37 ficit ; * ac FRANCISCUS SWERTIUS in *Athenis ſuis Belgicis*, qvædam ſibi
ſubrepta qveritur: qvi hoc ſuo libro de Academiis & Bibliothecis Belgii agit. Sed
38 Valerii Andreæ liber multo accuratior eſt. * JOH. MEURSIUS eodem titulo
Athena-

(*pp*) Nicol. Antonii *Bibliotheca Hiſpana Vetus* Romæ A. 1696. in fol. curante Joſepho d' Aguirre, Cardinali Hiſpano, itidem jam prodiit. In Tomos diviſa eſt duos, qvorum Priore Scriptores, qvi ab Auguſti Imperio ad A. C. Milleſimum, poſteriore autem, qvi ab A. C. 1000. ad 1500. floruerunt, fuſe, induſtria ſimul & judicii accuratione incomparabili, celebrantur.

Athenarum Batavarum uſus ſolam Academiam Leidenſem deſcribit, ejusqve Profeſſo-
rum elogia & Opera recenſet. * AUBERTUS MIRÆUS, Panegyriſtes potiùs 39
qvam Bibliothecarius Scriptor, in ſolis elogiis hæret: Qvare & *Elogiorum Belgico-*
rum titulo liber ejus prodiit. Valerius Andreas in Præfat. Bibliothecæ ſuæ duos alios
librorum Belgicorum conſignatores nominat. Sed imperfecti eorum labores indu-
ſtriâ Valerii Andreæ obliterantur. * Nunc qvidem prodeunt *Mercurii* aliqvi *Of-* 40
ficinales librorum, ſingulis ſemeſtribus, non in Belgio tantum ſed & alibi, editorum,
curantibus Waesbergiis, qvorum diligentia merito laudanda eſt, non enim nudos tan-
tum titulos, ſed & argumenta ſimul exhibent. Sed ſera eſt illorum opera, & à pau-
cis tantum annis inchoata.

Anglica gens Batavis longè fuit negligentior in conſignandis ingeniorum mo- 41
numentis; nihil enim ab illis prodiit, qvod mereatur nominari, cùm tamen ſint ex-
tentqve penè innumera ingenioſiſſimæ gentis in omnibus doctrinis ſcripta, prodeant-
qve qvotidie, tam Latinâ qvam Vernaculâ linguâ, plura. * Qvod ad vetera atti- 42
net, præter JOH. BALEUM, cujus extant *Centuriæ Virorum illuſtrium Anglicorum*;
& compilatorem ejus JOH. PITSEUM, qvi de ſimili argumento & de iisdem Auto-
ribus ſcripſit, pleraqve deſcribendo & interpolando; & qvendam EDUARDUM
LEIGH, qvi populari linguâ *de recentioribus Autoribus* aliqva ſcripſit; neminem habe-
mus, niſi paucula illa velimus his addere, qvæ in Actis Philoſophicis habentur. Sed
ea tantùm Phyſica ſunt & Mathematica. Baleum pleriqve non bonâ fide in recen-
ſione ſuâ verſatum judicant. In Pitſeo compilatore multi notantur errores: Burto-
nus in *Græcæ linguæ hiſtoriâ p. 55.* impudentem plagiarium nominat. * Qvæ 43
GEORGIUS LILIUS *elogia Anglica* ſcripſit, exigua ſunt, & memoratu vix digna.
Fuit ille filius Guilhelmi Lilii, qvi teſte Burtono p. 56., ut Græcis literis commodiùs
operam daret, in Rhodo inſulâ qvinqve annos degit. Prodeunt & ſingulis menſibus
Mercurii Officinales, qvi defectu aliorum colligi & notari poſſunt. Extat etiam Ca-
talogus librorum, qvi incendio Londinenſi perierunt, ex qvo hunc defectum utcunqve
reſarcire poſſumus. * Subſidio etiam eſſe poteſt ANTONIUS WOOD, qvi in 44
Hiſtoriâ Oxonienſi commemorat libros à Profeſſoribus Oxonienſibus, omnibusqve hu-
jus Academiæ alumnis, qvi poſtea ad celebritatem nominis pervenerunt, editos. Ca-
talogus qvoqve Oxonienſis Bibliothecæ jungi his poteſt: Sed nulla tamen in omni-
bus eſt plena & ordinata Autorum Anglicorum recenſio. * Qvi doctorum Sco- 45
ticæ gentis hiſtoriam deſcripſit in *Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ Scotiæ* THOMAS DEMPSTE-
RUS, non ſatis bonâ fide eâ in re verſari exiſtimatur à multis, qvorum judicia collegit
Bailletus *tom. 2. pag. 188.* Et ſanè hominem fuiſſe præferocis & perverſi animi, ex
iis apparet, qvæ de ipſo narrat Erythræus *Pinacoth. I. num. 9.*

Danorum ſcripta, ſed per Catalogum tantùm digeſta, breviter conſignavit 46
ALBERTUS BARTHOLINUS, cui auctarium acceſſit à THOMA fratre. Rudes
ſunt illi labores, qvi per Catalogos tantùm ordinati ſunt. Meliùs mererentur de pu-

blico, qvi ſecundum ſeculorum ſeriem omnia conſignarent, & accuratam ſimul Proſopographiam ederent. (*qq*)

47 Nunc qvoqve *Holſatorum*, *Hamburgenſium* & *Lubecenſium* Scriptorum hiſtoriam laudabili profectò conatu molitur JOANNES MOLLERUS, Flensburgenſis, cujus Operis deſignatio habetur in *Cimbriæ literatæ prodromo*, qvi An. 1687. Slesvvigæ editus eſt. Opus autem ipſi in 4. partes dividetur. I. ſerie Chronologica exhibebit Elogia fuſiora Scriptorum indigenarum. II. elogia Scriptorum exterorum, qvi apud Cimbros inclaruerunt. III. Alphabetico ordine recenſebit Scriptores minorum meritorum. IV. aliqvot ſectionibus complectetur 1. Scriptores anonymos & pſeudonymos, 2. Viros doctos, ſed nullis libris editis claros, ceteris tamen nihilo inferiores. 3. Indicem exterorum muneribus publicis non admotorum, qvorum monumentis Hiſtoria Cimbrica eſt illuſtrata. Præmittet V. Prolegomena, qvibus continebuntur tum Scriptores Hiſtoriæ particularis literariæ, ſingularum totius orbis nationum, ordine Geographico, qvorum jam numerus octuplo ſuperat Labbeanum & Voglerianum, tum Cimbrorum in rem literariam merita inſignia ὡς ἐν συνόψει adumbrata. Subjiciuntur VI. Indices, ex qvibus primus Alphabetico; ſecundus vero Chronologico ordine nomina Scriptorum ſiſtet; tertius Topographicus ſuis ſingulis tùm Cimbriæ locis, tùm regionibus exteris ſingulos Viros doctos aſſignabit; qvartus Tacticus Autores ratione munerum & ſcientiarum diſtinguet: qvintus Realis, ſub materiarum claſſes ſcripta Cimbrorum revocabit, non generalibus tantùm titulis contentus, ſed & partes ſcientiarum complexus: ſextus memorabilia qvævis continebit. Eâ verò ἀκριβείᾳ, fide, induſtriâ, in hoc Opere verſabitur, ut ceteris in hoc genere Scriptoribus palmam facilè prærepturus ſit.

48 *Sueci* qvoqve nuper ſuas opes in publicum produxerunt, qvorum ſcripta hactenus ignorata fuerunt. Fuerunt tamen apud illos nonnulla edita, qvæ magnam ſanè laudem merentur. Prodiit Anno 1680. Holmiæ JOHANNIS SCHEFFERI *Svecia literata*, (*qq*) ſive de ſcriptis & Scriptoribus gentis Sveciæ liber, cui accedit Appendix de Scriptoribus Finnicæ gentis, Opus poſthumum: ſed facilè apparet, Autoris ultimam manum operi non acceſſiſſe. Novi enim Svecos, qvi ipſi hunc vilipendunt laborem. Qvæ præmittitur ad Lectorem Præfatio, affert non pauca, qvæ ad notitiam rei literariæ Svecanæ pertinent, qveriturqve de iniqvitate hujus loci in libris coëmendis & imprimendis.

49 * SIMON STARAVOLSCIUS qvoqve *illuſtrium Polonorum Centuriam* edidit.

50 Utinam in *Germanâ* gente eſſet, qvi hoc patriæ ſuæ pietatis officium præſtaret, colligeretqve accuratam Scriptorum & Autorum ſuæ gentis hiſtoriam; certè numero

(*qq*) Alb. Bartholini *Librum de Scriptis Danorum*, a ſe plurimis in locis emendatum atqve auctum, & Joh. Schefferi *Sveciam Literatam*, cum Hypomnematis ſuis in utrumqve Scriptorem Hiſtorico-Criticis prolixioribus, & Prolegomenis de Gentium Borealium in Literas Meritis, Hiſtoriæqve Literariæ & Eccleſiaſticæ Scriptoribus, junctim denuo publicavit Jo. Mollerus, Flensburgo Cimber, Scholæ Patriæ Rector, *in Bibliotheca Septentrionis Eruditi*, Lipſiæ A. 1669. *in* 8*vo* edita.

mero vinceremus omnes, non æqvè dicam pretio. Scribunt enim multi, imò vomunt libros; qvibus ut excuteretur è manu calamus, publicâ autoritate provideri deberet. Hinc contemptus noſtræ gentis apud gentes naſutiores, qvæ tamen, ſi rem accuratiùs penſitaveris, multum Germanorum diligentiæ debent. Id certè vel ipſe livor fatebitur, absqve Germanis vix tantos in re literariâ progreſſus facturas ceteras nationes, qvæ Germanos qvadantenus Pædagogos nactæ ſunt: qvod aliqvando oſtendam Diſſertatione ſingulari *de meritis Germanorum in rem literariam.* Superſunt multi libri, tam Latinâ qvam Vernaculâ linguâ ſcripti, qvi in pretio haberi merentur; qvi ſi notarentur accuratiùs, non parum hoc tum ad gloriam, tum ad utilitatem faceret.
* Cœpit qvidem MELCHIOR ADAMI aliqva *de vitis Theologorum, JCtorum, Medi-* 51
corum & Philoſophorum commentari, qvi in noſtrâ gente aliqvod tamen operæ pretium fecit; qvanqvam longè à perfectâ Hiſtoriâ abſit: in elogiis prolixior eſt, in
ſcriptorum recenſione non adeò accuratus. * Eandem telam continuavit HEN- 52
NINGUS WITTE, Gymnaſii Rigenſis Profeſſor celeberrimus, Vir doctus & amicus noſter, qvi e Programmatibus Academicis elogia & ſcripta collegit; addidit & exterorum nonnullorum *Vitas,* laudabili qvidem operâ. Sed vix uni homini tam vaſtum argumentum exhaurire licet, qvod adeò operoſum eſt, & literarum commercia penè infinita poſtulat. Nunc ille *Diarium Biographicum* inſtituit, (*rr*) in qvo Scriptores ſeculi XVII. præcipui conciſè deſcripti. Poſtea REISERUS (*ss*) Theologorum aliqvot & Philologorum è noſtratibus *Vitas* & *ſcripta* recenſuit.

Vidimus de Bibliothecarum Scriptoribus ſecundum nationes conſideratis; locum 53
ab his occupent, qvi agunt de Bibliothecarum Scriptoribus reſpectu certi ordinis. Eorum poſſet vaſtus Catalogus texi; ſed nolumus operoſi eſſe, cum jam tum illos recenſuerit Philippus Labbeus in Bibliotheca Bibliothecarum, Indice tertio, & Teiſſierius.
Legendus eſt Bailletus *tom. 2. à pag. 118. ad pag. 138.* * Præ ceteris omnibus lau- 54
danda eſt *ordinis Jeſuitici Bibliotheca,* qvæ plenè & copioſè ſcripta eſt poſt Petrum Ribadeneira, à Philippo Alegambe Bruxellenſi, qvæ edita eſt Antverpiæ in folio, Anno 1653. Prodiit denuò auctior illa Bibliotheca *Nathanaelis Sotwelli* operâ, Anno 1676.

(*rr*) Henn. VVittenii *Diarii Biographici Seculi XVII,* Scriptores illius, Annorum & Dierum Emortualium ordine, ſed ſæpius, qvoad Scripta imprimis, parum accurate, recenſentis, Tomus I, ab A. 1600. ad 1688, perductus Gedani A. 1688, Tomus autem II, prioris παραλειπόμενα & Continuationem ad A. 1690. exhibens, Rigæ A. 1691. in 4to prodiit. Tertium Autor addere conſtituerat, telam eandem ad finem usqve Seculi pertexturum, ſed promiſſis, morte immatura d. 22. Jan. A. 1696. extinctus, ſtare non potuit.

(*ss*) Theologorum atqve Philologorum Lutheranorum Qvinqvaginta Imagines æri inſculptas, Vitas & Scripta, exhibuit, non Ant. Reiſerus, ſed Theophilus Spizelius, Eccleſiaſtes Auguſtanus, in *Templo Honoris,* qvod Auguſtæ A. 1673. in 4to prodiit, *Reſerato.* Subjuncta tamen illi eſt Reiſeri, Gymnaſii tunc patrii Auguſtani Rectoris, & Theologi deinde Hamburgenſis, Epiſtola ad Spizelium erudita, Obſervationes qvasdam de Theologis ac Philologis iisdem ſelectiores, in Libro ipſo prætermiſſas, illi communicans.

1676. Romæ: plura de illo libro ſingularia notavit Bailletus, qvæ hîc non repetam.
55 * Commendari qvoqve debet *Bibliotheca Scriptorum ſacri ordinis Ciſtercienſis*, à Carolo de Viſch adornata, cujus editio ſecunda plenior Coloniæ Agrippinæ 1656. in 4to
56 prodiit. * In hac memorabilis omnino eſt illa *Johannis Caramuelis Lobkowitz* Operum, tam editorum qvam ineditorum, recenſio, ab ipſo Autore conſignata, & hîc inſerta à pag. 178. ad p. 200. ubi multa occurrunt notatu digniſſima. Incredibile eſt, qvantum Autor ille librorum ſcripſerit unus in omni ſcientiarum genere: in qvibus ſecretiora etiam qvædam, & vulgò non animadverſa, & ſingularia qvædam cogitata continentur. De ceteris legi Bailletus poteſt.

57 Certi nominis Scriptores, neſcio qvâ minutâ diligentiâ, in unum corpus collecti à multis. In Græcorum Hiſtoriâ tùm *Johannes Meurſius*, tùm *Leo Allatius* diligentes fuerunt. Ille de Alypiis, Antigonis, Ariſtoxenis, Philoſtratis, Ptolomæis, Pythagoris ſcripſit: hic de Simeonibus, Pſellis, Philonibus, Nicétis, Methodiis, & Georgiis: qvi ultimus liber in corpore Bizantinæ Hiſtoriæ Georgio Acropolitæ additur, continetqve multa memorabilia de libris ab iis autoribus ſcriptis, qvi nomen Georgii habuere. Non pauca habet ille liber ad notitiam hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, præcipuè Orientalis, pertinentia. Ita de claris Jacobis ſcripſit Ludovicus Jacobi: de claris Philippis Philippus Labbeus: de claris Theophilis Theophilus Rainaudus: de claris Antoniis Sanderus.

58 Inter Catalogorum particularium Scriptores recenſendi & hi ſunt, qvi de Scriptoribus, reſpectu ad ſcientias habito, ſcripſerunt. Inter eos primô locô numerabimus ISRAELEM SPACHIUM. Ejus extat *Nomenclator Scriptorum Philoſophicorum atque Philologicorum*, qvo habetur ſuccincta recenſio eorum, qvi Philoſophiam, omnesqve ejus partes, qvôvis tempore aut idiomate usqve ad annum 1597. deſcripſerunt & illuſtrarunt, methodo ſecundum locos communes ipſius Philoſophiæ inſtitutâ, cum duplici Indice, unô rerum, alterô Autorum, collectus & digeſtus. Laudanda eſt Viri hujus induſtria, qvam in ſeqventibus temporibus adhibuit nemo. Ordo ſecundum Philoſophiæ partes commodus eſt, & magni uſus. Idem Autor ſcripſit & *Nomenclatorem Medicum*, ſimili ratione digeſtum; qvi rudimentum præbuit illis, qvi poſteà majores de re Medicâ Catalogos ſcripſerunt.

59 GERHARDI JOHANNIS VOSSII indefeſſa diligentia in his argumentis præferri omnibus debet. Extant ejus Opera *de Hiſtoricis Græcis & Latinis*, nunc mendosè recuſa, qvem diligenter exſcripſit *Martinus Zeilerus*, qvi ſecundum Alphabeti
60 ordinem Autores diſpoſuit, & aliqva de recentioribus Hiſtoricis addidit. * *Supplementa Voſſiana* ſcripſit BERNHARD. à MALLINCROT, qvi prætermiſſos à Voſſio Hiſtoricos Græcos ſingulari diſſertatione adjecit: ſed in alterâ editione Voſſii pleraqve, qvæ notaverat Mallincrotius, addita fuerunt. Scripſit & ſupplementum Hallervordius, & noviſſimè Chriſtophorus Sandius, libellô in Bataviâ editô in 12. Reineſius qvoqve ſupplementa ad Hiſtoricos Græcos molitus eſt, ut tradit Rupertus *in Epiſtolis Richterianis, pag.* 424. Teſtis qvoqve eſt Sarravius *in Epiſtolis pag.* 267. Ludovicum Jacobi

Jacobi tale ſupplementum ſcripſiſſe: nam in epiſtolâ ad Iſaacum Voſſium ſcribit, ſe ipſi partem eorum transmiſiſſe, & nunc reliqva, qvæ ad Hiſtoricos Græcos ſpectent, transmittere; librum enim ad umbilicum vergere: Sed nihil eorum publicè comparuit. * Idem Voſſius *de Poëtis Græcis & Latinis* libellum edidit, ſed ad recen- 61
tiores ſe non demittit; editus eſt Amſtelodami Anno 1654. in 4to. Poëtas recentiorum temporum Gyraldus Dialogis duobus perſecutus eſt. De ſcientiis Mathematicis ac Autoribus veteribus & recentioribus idem Voſſius ſcripſit. Voluit ſcribere de ſcientiis & artibus, cujus ἀποσπασμάτιον eſt liber de 4. artibus popularibus. Qvæ ut omnia doctiſſima ſunt, ita optandum fuiſſet, ultimam iis acceſſiſſe manum. Non pauca prætervidit: recentiorum illi & exoticorum cura parcior, qvæ verò ab illô ſcripta memorantur, ſollicitè ſatis examinantur.

Aſtrologorum Elenchum ſpecialem & ſecundum Chronologiam inſtitutum dedit Ricciolus in Almageſtô ſuô novô. * Qvi perfectas ſingularum Facultatum 62
& ſcientiarum Bibliothecas & Catalogos ſcripſerint, non habemus: qvanqvam multi qvidpiam tentarint penè in omnibus diſciplinarum generibus. Qvod ad Theologiam attinet, ſunt qvidam, qvi Theologorum Scholaſticorum ac Moralium nomina conſignarunt; qvidam, qvi Interpretum Scripturæ; aliqvi generatim de rerum Theologicarum Scriptoribus egerunt, tum è Pontificiis, tum è Noſtris & Reformatis. *Poſſevinus & Molanus* è Pontificiis *Theologicam Bibliothecam* ſcripſerunt, & præterea nonnulli alii. E Reformatis *Voëtius*, qvi multa immiſcet falſa; libri non rectè citati; interdum affingitur multis, qvod ab ipſis ſcriptum non eſt, nomina pervertuntur. E Noſtris, qvi ſcripſerint, vix memini, præter *Bolduanum* & *Draudium:* in qvibus tamen id laudandum eſt, qvod tàm in Theologicis, qvàm in Philoſophicis, ſecundum locos materiarum collectanea ſua inſtituerint. Nunc acceſſit illis *Lipenii* Bibliotheca Realis Theologica. *Calixti* Apparatus magnâ rei Theologicæ jacturâ in ipſo penè initio defecit. Ideam Bibliothecæ Theologicæ ſecundum ſeriem Autorum commodè diſpeſcere docuit *Hottingerus* in Bibliothecariô ſuô qvadripartitô, ubi Autores in ordinem redigit, & potiores in ordine illô recenſet.

JCtorum libros qvi in ordinem redegerit accuratum, ab ipsâ Jurisprudentiæ 63
παλιγγενεσία nullum habemus. Sunt qvidem, qvi Vitas nonnullorum deſcripſerunt, & libros qvoqve recenſent, ut *Baldus, Rutilius, Pancirollus, Fichardus, Bechtholdus*, qvi ſecundum materias juris Autores diſpoſuit, qvibus ultimò *Martini Lipenii* Bibl. Juridica Realis acceſſit; ſed nondum ſatisfactum eſt huic negotio. * *Bibliothe-* 64
cam univerſalem Juridicam molitur CASPARUS THURMANNUS, qvi multâ cum curâ & induſtriâ hoc in argumento verſatus eſt: nam ſecundum materias & partes Juris generaliores eam inſtruet: Bibliothecam proceſſualem, criminalem, teſtamentariam, contractuum &c. ſingularibus voluminibus comprehendet, in qvibus ordinem rerum ſeqvetur. Qvi, ſi aliqvando prodierit, liber omnium ſuperabit labores.
* Promiſit & CORNELIUS à BEUGHEM *Bibliothecam Univerſalem Juridicam*, ſed re- 65
centiorum Scriptorum, cujus ille ſpecimen dedit, publicatâ hoc anno *Bibliographiâ*

 Juridi-

Juridicâ & Politicâ, qvâ continentur JCti & Politici, qvi ab anno 51. usqve ad annum 78. in omnibus linguis ſcripſerunt. Prodiit Amſtelodami An. 1678. in 12., diſpoſitus eſt ſecundum Autores liber; hunc ille laborem per ſeqventia tempora continuabit, & aliqvâ parte juvabitur res Bibliothecaria hujus Viri ſtudiô, ſi aliqvando in lucem producet, qvos editioni ſe paratos habere libros ſcribit. Habebimus ab illo Bibliographiam Univerſalem omnium Facultatum & artium; Bibliothecam Belgicam omnium Scriptorum, qvi unqvam prodierunt in Belgio; Bibliothecam materiarum univerſalem; Bibliothecam Mathematicam, Hiſtoricam, & Chronologicam orbis imperantis & literati, & præterea plurima alia. Videatur Syllabus libro ejus præfixus.

66 Medicorum Scriptorum itidem accuratum Catalogum non habemus. *De Vitis antiqvorum Medicorum* in animo habebat ſcribere Clariſſimus Vir *Johannes Heinricus Meibomius,* & eandem telam texere dicitur *Ægidius Menagius.* Meibomii liber apud filium ejus, Profeſſorem Helmſtadienſem, Virum Clariſſimum, latet, qvi de hôc Opere, ſi rectè memini, publicavit epiſtolam. (*tt*) Eſt & in Italiâ qvidam *Johannes Baptiſta Caponus,* qvi *Hiſtoriam Medicam univerſalem* præ manibus habere dicitur, referente Gregorio Leto. Hujus Hiſtoriæ Univerſalis libros qvinqve molitur, qvorum primus eſt de veteri Medicinâ; ſecundus de recentiori Medicinæ uſu apud omnes nationes; tertius de ſectis; qvartus de Medicis; qvintus de Bibliothecâ Medicâ cum notitia MStorum totius orbis in qvocunqve idiomate. Verùm vix hominis unius induſtria iſti labori ſufficere videtur. Qvod ad veterem Medicinam attinet, *Conringius* in Introductione ſuâ Medicâ ſtrenuè partes ſuas exſecutus eſt, qvam ſupplemento ſuo auxit nunc Cl. *Schelhammerus.* Sed nos hîc non tam de hiſtoriâ, qvam de Catalogis librorum ſolliciti ſumus. Eorum aliqvos dederunt *Iſraël Spachius, Brunsfelſius, Schenckius, Robertus Conſtantinus, Paſchalis Gallus,* & poſt illos *van der Linde,* Profeſſor Leidenſis, qvi omnium anteceſſorum labores in unum corpus congesſit, additis ſuis augmentis. Diſpoſitus autem liber eſt ſecundum Autores, ſuntqve multi in eo errores & defectus, qvorum aliqvos notat Voglerus *Introductione in notitiam ſcriptorum pag. 42. 43. 44.,* qvi cum Autoribus prioribus, Schenckio, Conſtantino & aliis, multis in locis ipſum contulit, & non ſatis accuratum invenit. Poſt illum ſecundum materias diſponit Catalogum *Lipenius;* ſed magna ſeges reſtat recentiorum Scriptorum, qvorum nulla in illo librô mentio. Scripſit & Cornelius à Beughem Catalogum noviſſimorum Scriptorum Phyſicorum & Medicorum, ſub titulo *Bibliographiæ Phyſico-Medicæ,* qvæ anno 80. prodiit in 12. De ceteris, qvi ratione ſcientiarum

(*tt*) Henr. Meibomii Junioris *Epiſtola* ad Georg. Hier. VVelſchium *de Hiſtoria Medicorum ſcribenda,* qva paterni Operis faciem & Methodum adumbrat, ſimulqve ceteros iſtius argumenti Scriptores recenſet, Helmſtadii A. 1669. in 4to eſt edita. Joh. Antonidæ a Linden, Prof. Medici Leidenſis, *Libri II. de Scriptis Medicis,* in noviſſima Editione a Georg. Abr. Merclino, Poliatro Noribergenſi, continuati, & dimidia pene parte amplificati, ſub *Lindenii Renovati* Titulo, Noribergæ An. 1686. *in 4to* prodierunt.

rum habitâ Catalogos ſcripſere, plura habentur apud Bailletum *tom. II. à pag. 189. ad pag.* 237. & nos ſuo de illis loco plura commentabimur.

Catalogi Bibliothecarum publicarum aliqvot publicati ſunt, ut *Bibliothecæ Oxonienſis*, de qvâ ſuprà. In Belgiô qvoqve prodierunt Bibliothecarum qvarundam Catalogi, ut *Ultrajectinæ*, qvi in folio editus eſt, & *Lugdunenſis*, qvi in qvarto; qvales vix haberi poſſunt in Bibliopoliis. In hoc MSta Orientalia enumerantur. In Germaniâ extat *Catalogus Bavaricæ & Auguſtanæ*, qvi rariores ſunt. Catalogi Auguſtanæ Bibliothecæ non niſi centum exemplaria impreſſa ſunt. In illa Bibliothecâ latent multi MSti Codices, adhuc inediti, qvorum non pauci prodierunt, curante *Marco Velſero*, ejus Reip. Duumviro, cujus magna apud eruditos eſt celebritas. De his & Bavaricis Monachii ac Ingolſtadii Bibliothecis videatur Bailletus *tom. 2. pag.* 243. 244. 245. De Vindobonenſi Bibliothecâ Lambecius non Catalogos, ſed Commentarios ſcripſit. Gvelferbytanus Catalogus ut ederetur, urſit olim Boineburgius, ſed fruſtra; cujus cauſas tradit Conringius in *Epiſtolâ de Bibliotheca Auguſta*, ubi multa de Catalogis Bibliothecæ ipſius Principis manu, ſingulari planè curâ & induſtriâ, conſcriptis. Non memini plures unqvam prodiiſſe publicarum Bibliothecarum Catalogos. Prodierunt qvidem Excerpta Catalogorum de MStis Codicibus, à Bibliothecariis vel aliis Autoribus publicata. Habemus à Thomaſino editos Catalogos MStorum, qvi reperiuntur in Bibliothecis Patavinis, tam publicis qvam privatis. Qvales Catalogi utinam plures ederentur per omnes provincias & regiones! Mirè enim proſunt ad MStos Codices indagandos, qvi aliàs facilè pereunt in privatorum Bibliothecis, ſi illæ distrahuntur, vel ad alios poſſeſſores indoctos perveniunt; unde ſæpe ad Bibliopegos & ſalſamentarios deferuntur. Hafnienſium Bibliothecarum ortus & incrementa recenſet Thom. Bartholinus in *diſſertationum de libris legendis prima*, *p. 16.* 17. 18. 19. 20. Bibliothecæ Mediceæ Florentinæ Catalogus ab Henrico Ernſtio Amſterodami A. 1641. in 8. publicatus. De ceteris nos ſuprà plura diximus. * Scriptores Catalogorum de Viris doctis Italicis habet Gregor. Leti *Ital. regnant. part.* 4. *p.* 195. Parte 3. ubi Laurentii Legati libros recenſet, notat ejus Autoris *Lyceum Herculis, ſive ſcriptores Cremonenſes*: item *librum de Pictoribus, Sculptoribus & Cælatoribus Cremonenſibus*: ejusdem *Athenæum Poëtarum* tom. 4. & *Muſeum Poëtriarum* cum Iconibus; qvi tamen omnes ἀνέκδοτοι.

67

68

Hæc de publicis Bibliothecis earumqve Catalogis in hâc ſummariâ recenſione ſufficiant. * Venimus ad Bibliothecas privatas: Earum Catalogi plures ſunt, 69
qvam ut recenſeri poſſint, neqve omnes ad manus meas pervenerunt: ex iis tamen celebriores primùm enarrabo, reliqvos qvaſi per lancem ſaturam exhibiturus. Præcipuus inter illos eſt *Catalogus Bibliothecæ Cordeſianæ*, qvam inſtituerat *Johannes Cordeſius*, Canonicus Eccleſiæ Lemovicenſis, qvi omnes ſuas opes, & qvicqvid corradere poterat, in Bibliothecam hanc impenderat, Vir doctiſſimus & humaniſſimus; cujus plenius elogium deſcripſit Gabriel Naudæus, qvi Bibliothecæ hujus Catalogum ipſe confecit, & accurato ordine digeſſit Autores, ſecundum materias & formam librorum

illos diſpeſcens. Præcipuè hic commendari Catalogus debet ob inſignem Hiſtoricorum, præſertim exoticorum, copiam, qvorum rarior apud nos eſt notitia; editus eſt Pariſiis in 4to, An. 1643. Hinc commendo *Catalogum Bibliothecæ Thuanæ*, cujus jam ſuprà cap. 5. num. 11. facta mentio eſt; & mirificè mihi placet ordo: non enim contentus ſummis tantum capitibus Autor ſub ſpecialibus titulis locavit Autores, ut ſtatim occurrant, qvi de eodem argumento ſcripſerunt, qvod Locorum Communium inſtar eſſe poteſt: & hujus ideam, notante Bailleto, Draudio debet. Additi qvoqve ſunt MSti Codices, tàm antiqvi qvàm recentiores. Qvâ diligentiâ Bibliotheca hæc compoſita ſit, Præfatio ejus libri docebit. Addendus qvoqve melioribus Catalogis eſt *Raphaëlis Tricheti du Freſne Bibliothecæ Catalogus Pariſ. 1662. in 4to* editus, ob librorum raritatem & ſelectum præcipuè commendandus. Obſervavi in illo Catalogo Scriptores fruſtra in aliis qvæſitos. Sed infinita ſunt in illo menda Typographica. Theologorum, JCtorum, Medicorum parcior hîc numerus, ſed in omni hiſtoriâ, antiqvitate, varia literaturâ, rebus naturalibus, libris, qvorum nomina nunqvam penè audita, inſtructiſſimus ille eſt, libri interdum non conveniente loco poſiti. Bibliothecæ ipſa Regiæ acceſſit pretio 24000. librarum Gallicarum vendita, poſtqvam ab alio 33000. libras oblatas vidua recuſaviſſet. Anni impreſſionis diligenter notati magnum habent in libris ipſis eorumqve variis editionibus conferendis uſum. Qvi vitam Pinelli ſcripſit Gualdus, diligentiſſimum iteratarum editionum examinatorem eum fuiſſe prodidit.

70 Qvi jam ſeqvuntur Catalogi, ſine ordine nobis recenſebuntur. Pleriqve illorum formati ſunt de Bibliothecis, qvæ publicè per auctionem diſtractæ ſunt; eorum magnus eſt numerus, ſeligendi tamen ſunt meliores de Bibliothecis, qvas poſſederunt Viri celebres, *Scaliger*, *Salmaſius*, *Heinſius* & alii, ſi haberi poſſunt. Ex inſpectione enim talis Catalogi ſtatim patet Viri induſtria & judicium in bonorum Autorum ſelectu inſtituendo. Deinde vel eam ob cauſam aſſervandi ſunt Catalogi iſti, ut ſciamus, ubi lateant Autores, qvos Viri illi manu ſuâ notarint. Sæpe enim notulæ optimis Autoribus à Viris iſtis in margine adjectæ, multum lucis ad Autorum ſenſum adferunt. Hinc in Bataviâ tales libri Scaligeri, Salmaſii, aut alterius Viri docti manu notati, magno pretio coëmuntur. In Amſtelodamenſi Bibliothecâ habentur *Baronii Annales*, manu *Davidis Blondelli* notati, qvos Resp. illa magnis ſumptibus emit; Qvæ notæ, ſi rectè memini, nuper ſunt publicatæ. Vidi ipſe olim in Bibliopolio Sanſonii Geographiam ſacram Capelli cum ejuſdem Blondelli notis MStis. *Bibliothecæ Scriverianæ* Catalogus, qvi Amſtelodami An. 1663. in 4. prodiit, exqviſitiſſimus eſt: conſtat enim ſelectiſſimis omnium Facultatum & artium Autoribus. *Scavenianæ Bibliothecæ* Catalogus, (*uu*) qvi Hafniæ prodiit, itidem commendandus eſt; ut & *Mulenianæ*.

(*uu*) Scavenianæ Bibliothecæ Catalogus perperam hîc vocatur Index Regiæ Hafnienſis, a Pet. Scavenio, JCto, illi præfecto, concinnatus, & Hafniæ A. 1665. in 4to excuſus. Georg. Calixti Bibliothecæ nullus prodiit Catalogus, ſed Index tantum Scriptorum ejus

Muleniana. Scaveniana Bibliotheca Regiæ acceſſit, Muleniana Academicæ: hujus Catalogum cum Præfatione & Oratione edidit Bartholinus, Hafniæ 1670., ubi multos Catalogos recenſet. Optimi Autores Græcæ & Latinæ linguæ, optimæqve ejus editiones habentur in Catalogo *Pauli Junii*, qvi publicatus eſt Lugduni Batav. 1670. Commendo ideo hunc Catalogum, qvod tantùm Autoribus illis conſtet, & paucos alios admiſtos habeat. Si qvi Chimicorum, Theoſophicorum, Myſticorum, imò & Fanaticorum qvoqve Scriptorum acervum velit, is inveniet in Catalogo librorum *Serrarii & Babuſii*, qvi prodiit Amſtelodami 1670. Non vacat nunc omnes recenſere Catalogos. In ſolâ Bataviâ pene integram Catalogorum Bibliothecam reperies, qvos omnes coacervare, ſuperſtitioſa eſſet diligentia & crambe millies cocta. Ad id tamen prodeſt Catalogorum multitudo, ut in vaſtâ aliqvâ ſylvâ deprehendantur nonnunqvam aliqva, qvæ vel in inſtructiſſimis Bibliothecis non habentur. An. 1682. *Nicolai Heinſii Bibliothecæ Catalogus* prodiit, Viris doctis in pretio habendus, ob exqviſitos, qvi illic recenſentur, libros, tam editos qvàm ineditos & MStos, ac manibus Scaligeri, Salmaſii aliorumqve Criticorum notatos: Cui jungi poteſt *Bibliothecæ Goëſianæ Catalogus* Anno 1687. Leidæ editus; in qvo non rariorum tantùm librorum, ſed & magnus nummorum apparatus eſt. Notari qvoqve poſſunt & comparari, ubi incideris in illos, *Calixti, Reineccii, Pawii, Gothofredi JCti* &c. Catalogi. *Adriani Pavven Catalogus* Hagæ Comitis Anno 1654. & ibidem Anno 1656. editus: in qvo multitudo librorum cum ſelectu certat.

Etiam Catalogi Officinales non ſpernendi, ut *Catalogus Bibliopolii Elzeviriani*, 71
qvi Amſtelodami prodiit Anno 1681. in qvo multi exotici autores. Sunt & ab aliis Typographis & Bibliopolis alii publicati Catalogi, in qvibus recenſendis non ero prolixus. Ii qvoqve, qvi libros impreſſerunt, typographi certos conſignare librorum à ſe editorum Catalogos ſolent. Extant Catalogi librorum, qvi à prelo *Manuciorum, Stephanorum, Plantinorum, Morelli, Cramoiſii* &c. prodierunt.

Sunt præterea, qvi certi temporis Bibliothecas ſcripſerunt, qvo referendus eſt 72
Leo Allatius *in Apibus urbanis*, librô, qvô deſcribit Viros eruditos, Romæ tempore Urbani VIII. viventes, & eorum ſcripta recenſet. Pertinent & huc Ephemeridum Scriptores apud varias nationes, de qvibus ſuprà diximus. Sunt qvi ſuorum librorum Catalogos ſcripſerunt, ut *Campanella, Gaddius, Cardanus aliique.*

Sunt, qvi laborem ſusceperunt colligendi libros qvoscunqve rariores, ſine tem- 73
pore certo & ordine, prout ſe inter peregrinandum vel in Bibliothecis obtulerunt.
* Aliud inſtitutum fuit Johannis Cinelli, qvi ex conſilio Viri illuſtris Magliabechi 74
congerere cœpit libellos & ſchedas ſingulares, in qvibus nonnulla rariora continentur, varii argumenti, qvorum facilis aliàs jactura eſt. Ejus ſpecimen unum prodiit Florentiæ 1677. in 8vo, ſub titulo *Della Bibliotheca Volante*, qvi titulus ingenioſus eſt,

 per

ejus propriorum, a Filio Helmſtadii A. 1658. in 4to publicatus. Hunc, in Mulenianæ Bibliothecæ Indice Catalogis Bibliothecarum immiſtum, Morhofius, illum ſecutus, incaute iisdem accenſet.

per qvem intelligit minutos & hinc illinc errantes libros. Continuavit illum laborem ſeqventibus temporibus Cinellus. Non eſt ſpernenda hæc opera, nec nullius uſus: Sæpè enim excidunt è memoria eruditorum, pereuntqve vulgò non animadverſa. Velim tamen de contentis & ſummariis librorum accuratiùs egiſſet. Retulit & illic nonnullas disputationes de materiis rarioribus in Germaniæ Academiis ſcriptas.

75 * Referri huc qvoqve debent Catalogi Francofurtenſes ſemeſtres, ſed qvi multis imaginariis titulis referti; Mercurii Anglorum, Gallorum & Belgarum menſtrui. Qvod optimum certè inventum eſt ad librorum notitiam parandam; Tales ego Mercurios inſtitui velim in præcipuis Europæ urbibus & Academiis, in qvibus libri non tantùm editi recenſeantur, ſed omnia nova, vel inventa vel cogitata, in re literariâ: Eorum enim collectio vehementer prodeſſet ad omnis doctrinæ incrementum.

CAP. XIX.
DE VITARUM SCRIPTORIBUS.

§. 1. *A Vitarum Scriptoribus magna in hiſtoriâ literariâ utilitas.* 2. *Ne minima quidem hic omittenda,* 3. *quod adverſus Mareſium aſſeritur.* 4. *Peregrinationes doctorum diligenter notandæ.* 5. *Character animi è minimis cognoſcitur.* 6. *Joachimi Camerarii diligentia in vitâ Melanchthonis laudatur.* 7. *Tria in literatorum vitis conſideranda.* 8. *Exemplo Philiberti de la Mare oſtenditur, ne omina quidem & ſomnia eſſe negligenda.* 9. *Memorabilis de Quarræo hiſtoria.* 10. *Vitarum Scriptores antiqui recenſentur.* 11. *Vitæ virorum Reipubl. negotiis admotorum multum conferunt ad prudentiam civilem.* 12. *Eorum aliquæ recenſentur.* 13. *Vitas ſuas qui ipſi ſcripſerint.* 14. *Commentarii, Memoires.* 15. *Scriptores vitarum veterum.* 16. *Biographos recentiores qui enarraverint.* 17. *Vita Peireſcii à Gaſſendo,* 18. *Tychonis Brahæi &c. ab eodem.* 19. *J. Vincentii Pinelli à Gualdo,* 20. *Recuſa cum adjectis vitis Budæi, Hugonis Grotii & aliorum.* 21. 23. *Pauli Sarpii à Fulgentio ſcripta* 22. 23. *ad rem literariam multum conferunt.* 24. *De Pauli Sarpii eruditione & prudentiâ multa narrantur.* 25. *Ejusd. literæ Italica lingua ſcriptæ.* 26. *Vita Petri Puteani à Rigaltio ſcripta multa habet ad rem literariam & civilem profutura.* 27. *Actorum publicorum collectanea.* 28. *Vita Ducis Valentini ſpeculum fraudum politicarum & artium Machiavellicarum.* 29. *Malorum hominum vitas explorare prodeſt.* 30. *Vita Henrici VII. à Verulamio ſcripta* 31. *ad prudentiam civilem commendatur.* 32. 34. *Vita Melanchthonis à Camerario pleniſſimè & eleganter conſignata eſt.* 33. *Melanchthonis encomium.* 35. *Camerarii Narratio de Eobano Heſſo.* 36. *Reuchlini laudes,* 37. *ejus Vita à Johanne Henrico Majo ſcripta.* 38. *Lotichii Poëtæ Vita laudatur.* 39. *Poëtarum Germanorum princeps.* 40. *Judicia de illo.* 41. *Ejus vaticinium poëticum de expugnatione Magdeburgenſi.* 42. *Forſtneri Elogium à Böclero ſcriptum.* 43. *Ameloti de Huſſaje indigna in illum cenſura.* 44. *Singularis de Thomâ Campanella*

nella & Forſtnero hiſtoria producitur. 45. Wallenſteinii, 46. Bembi, Contareni Vita. 47. Gratiani liber de vitâ Commendoni & caſibus virorum illuſtrium. 48. Scriptores vitarum ſingularium. 49. Boiſſardi Vitæ & Icones. 50. Hanckii, 51. Imperialis, 52. Craſſi, 53. Gualdi, 54. Ghilini, 55. Theveti, 56. Bullarti 57. Maſſoni, 58. Capaccii in hoc genere ſcripta. 59. Qui de feminis doctis ſcripſerunt. 60. Erythræi Pinacotheca 61. adverſus Mareſii calumnias defenditur. 62. Sammarthanorum Elogia. 63. Mareſii de illis judicia. 64. Patini Elogia Virorum Gallicorum promiſſa. 65. Vita JCtorum. 66. Bertrandi, Pancirolli & aliorum ſcripta de vita JCtorum. 67. Leickheri opera in iis colligendis laudatur. 68. Peliſſonii Recenſio Doctorum Academiæ Gallicæ. 69. Architectorum, Pictorum Vitæ colligendæ. 70. Georgii Vaſari de iis liber. 71. Deſcriptio ejusmodi pluribus gentibus neglecta. 72. Franciſci Junii liber ἀνέκδοτ☉ de iis. 73. Carolus Dati idem ſibi propoſuit.

PRæcipuam Hiſtoriæ literariæ partem VITARUM SCRIPTORES conſtituunt: 1
Cum enim duplex proficiendi in literis via ſit, altera per præcepta, altera per exempla; hæc poſterior priori præferenda omnino eſt, qvo magis ipſe uſus in rem præſentem deducit. Prout enim incidimus in Vitam vel Philoſophi, vel JCti, vel Medici, vel Politici; ita multa diſcimus, qvæ ad ſcientias illas ſpectant, è τύπῳ illo περιςατικῷ, ſingularia, de qvibus nunqvam cogitarunt, qvi præcepta tantùm proponunt. Ex illis arcana qvædam colligi poſſunt, qvæ non ſcientiam tantùm, ſed & prudentiam hominis literati augent. Ut enim in Vitâ Civili, ita qvoqve in vitâ hominis literati, prudentiâ qvâdam opus eſt in omni negotio. Converſationis ſanè eruditæ ratio è Vitis Virorum doctorum formari qvam maxime poteſt:
* Qvam ob cauſam ego Vitas Virorum doctorum & illuſtrium, qvi vel ad literas 2
vel ad Rempublicam adhibentur, non ſuperficiariâ aliqvâ & jejunâ operâ, ſed qvam pleniſſimè, deſcribi velim, ut vel ipſa μικρολογία in his mihi placeat. Nam vel ex minimis rerum circumſtantiis aliqva, qvæ in uſum tuum erunt, capies. * Non 3
placet ſententia Mareſii, qvi *lib.* 2. *Epiſt.* 5. in Hiſtoricis minimorum recenſionem indulget, in Vitarum ſcriptione illam damnat: qvâ in re totus ab illo diſſentio. Ille qvidem Suetonii & Nepotis exempla obtendit; at illi compendia tantùm rerum ſectantur, & ab iis diſtinguendi, qvi unius Vitam deſcribunt. Ipſa enim methodi ratio reqvirit majorem in unius Vitæ ſcriptione diligentiam, qvam in plurium veluti conglobatione: & vel Attici Vitâ oſtendit Nepos, qvid ſummariâ aliqvâ percurſatione locupletior ac copioſior narratio præſtet. Non probat ille, ſi qvis Ducis alicujus Vitam ſcribendam ſuſcipiat, & univerſam rerum illius tempore geſtarum, qvibus ex parte tantùm interfuerit, hiſtoriam admiſceat. Germanam verò eodem libro *Epiſt.* 25. gentem laborioſiſſimam, ut per contemptum vocat, reprehendit, qvod in ejusmodi elogiis multi ſint, & in eâ materiâ, ut in aliis ferè, περίεργοι. *Ex his quidam eorum,* inqvit, *parentes referunt, diem, & aliqvando horam, qva nati ſunt, & talia, qvæ in Regibus ſolùm & in viris maximè illuſtribus reqviruntur.* Qvaſi ſcilicet

Virorum

Virorum celebrium conditio idem non mereatur, & qvæ ille prætermittenda judicat, etiam inter memorabilia referri non debeant. Cum enim, qvi panegyricos Virorum illuſtrium ſcribunt, vel ex artis præſcripto non parentes tantùm & nativitatem, ſed & majores, ac omne id, ſi memorabile eſt, qvod vitam anteceſſit, oratione complecti debeant; annon ineptum eſt, eos, qvi Vitam alicujus ſingulatim recenſent, qvorum longè uberior tractandi ratio eſſe debet, præterire ipſa Vitæ auſpicia? * Idem *Epiſtolâ*
4 44. ejusdem libri eandem cantilenam canit: *Si is*, inquit, *de quo ſcribunt, peregrinationem aliquam ſuſceperit: omne illud ita ſingulatim deſcribunt, & quos quoque loco convenerit, quosque cum quoque ſermones habuerit, cum faſtidio legentium commemorant: cum præcipua tantùm, quæ in vitâ contigerunt, referre ſufficiat, & quales hominis fuerint mores, qualia ſcripta. Cui vitio etiam obnoxios eſſe* ait *plerosque, qui vitas Ducum rebus geſtis illuſtrium hodie ſcribunt.* Ita ille ſuo ex ingenio judicat, qvi Atticiſmi etiam in dictione affectator, in rebus qvoqve ipſis ſterilitatem amare videtur. Sed ego, tantum abeſt, ut cum illo reprehendam hos Vitarum Scriptores, ut laude potius dignos æſtimem, qvi eam negotio, qvod tractant, præſtare diligentiam volunt, qvam qvilibet paulo prudentior ab illis reqvirat. Qvid enim? an vitio vertam illi, qvi viri eruditi vitam deſcribit, ſi peregrinationes ejus & cum Viris doctis inſtituta colloqvia recenſeat? unde plus ſapientiæ ac utilitatis lectori, qvam ex qvâvis aliâ narratione, acceſſerit. Ego, ſi omiſerit, ne excuſandum qvidem exiſtimaverim.
5 * In Vitis verò Ducum ac Virorum rerum civilium adminiſtrationi admotorum, eo ſollicitiùs omnia recenſenda ſunt, qvo magis è minimis ſæpe circumſtantiis inopinata qvædam conſilia & eventus emergunt. Sed nec illa tantùm, qvæ præcipua alicui videantur; ſed & περίεργα minimè prætereunda eſſe exiſtimo, ſi qvid in illis notatu non indignum videatur. Nam levia illa, qvæ *Junius Cordus* in Vitis Imperatorum commemorare ſolitus eſt; qvoties proceſſerint, qvando cibos variaverint, qvando veſtem mutaverint, ac in ipſo Julius Capitolinus reprehendit, nemo cordatus Scriptor temerè notabit. Plutarchus optimus Vitarum Scriptor in Alexandro ſuo non ſemper clariſſimas qvasqve res, virtutes vel vitia repræſentanda ait, ſed exiguum ſubinde factum dictumqve & jocum aliqvem, qvi citiùs ſpecimen edat morum, qvam funeſtiſſima prælia. *Concedendum nobis eſt*, inqvit ille, *animi indicia ut ſcrutemur, ac cujusque per hæc informemus vitam: aliis molem rerum & certamina permittamus.* Auguſtin. Maſcard. de arte hiſtoricâ tract. 1. c. 3. in eâdem ſententiâ eſt. *Quoniam*, inqvit ille, *indoles & inclinationes naturæ cognoſcuntur è rebus minutiſſimis, è reſponſione inopinatâ, ex actione aliquâ, quæ aliis parum ad rem pertinere videatur, ex operationibus quotidianis & ordinariis, non hoc indecens Vitarum Scriptor exiſtimet, ſi accuratam eorum rationem habeat; præcipuè in ſanctorum hiſtoriâ, reſpiciendo ad factum non ſolum, ſed & ad modum, tempus, occaſionem aliasque circumſtantias.* Qvæ, ſi in Sanctorum rebus è Maſcardi ſententiâ attendenda ſunt, in Vitâ Ducis, Principis, Miniſtri Regii, præ ceteris obſervanda ſunt, cum in iis verè τὸ πραγματικὸν lateat. Ego certè eam ob cauſam magni facio Vitam Peireſcii à Gaſſendo ſcriptam, qvod in omnes

partes

partes excurrat & ſe diffundat, qvam noſter ille forte in eo *μικρολογίαν* damnavit. * Laudandus eſt JOACHIMUS CAMERARIUS, Heros eruditus inter Germanos, qvod in 6
Vitâ Melanchthonis ne qvidem ſomnia ejus notabilia, ac minima qvædam præſagia, oſtenta, omina omiſerit. Etſi enim levia hæc habiturus nonnemo ſit, tamen non ſunt diſſimulanda illa providentiæ divinæ ſpecimina, qvæ viris bonis & doctis in vitâ ſæpè occurrunt; ad qvæ reſpicere omnino debet, qvi vitæ hiſtoriam ſcribit: ac optarim ego, exemplorum talium meſſem extare qvam uberrimam. * Tria ego in omni- 7
bus literatorum Vitis conſideranda eſſe exiſtimo, 1. illud, qvod ad ſcientias ſive doctrinas pertinet, vel *θεωρητικὸν*, vel *πρακτικὸν*, in qvo ego ne cogitata qvidem eorum prætermiſerim. 2. Qvod ad mores & converſationem. 3. Qvod ad totum illum vitæ curſum, qvatenus ille divinâ manu regitur: qvæ pars vitæ minimè contemnenda eſt, aut leviter tractanda, ac mirificè lectores afficit. * Cum PHILIBERTUS DE LA 8
MARE, Senator Divionenſis, Vitam *Jacobi Guionii* deſcriberet, non indignum ſuâ narratione exiſtimavit, qvod non Guionio ipſi, ſed *Quarræo* Collegæ monitum, neſcio cujus genii, nocturnum acciderat. * Qvam cum mihi hiſtoriam reci- 9
tarit vir Clariſſimus, *Petrus Axenius*, Amicus noſter optimus, antea mihi non obſervatam, qvi in commentario ſuo doctiſſimo in Phædri fabulas ad illuſtrandam libri 4. fabulam 23. de Simonide per Caſtorem & Pollucem à ruinâ ædium ſervato adduxerat, hûc apponere, ut rem memoratu digniſſimam, volui. *Sed me locus admonet, ne rem inauditam hactenus, & ideo ſeculorum omnium memoriâ digniſſimam prætaream; quam, etſi haud pertinere videatur ad Guionios, non abs re tamen hoc loco referre mihi viſum eſt: ſeu, quia conſcius illius fuit ac interpres Jacobus Guionius; ſeu, quod vix apud poſteros fidem inveniet, niſi teſtium omni exceptione majorum, & illius inter alios, cui illa contigit, teſtimoniis & ſubſcriptionibus probata fuiſſet; ea tamen fuit: Fœderatorum factione plus juſto in* Burgundia *valente Regiarum partium Præſides ac Senatores Semurium, primarium Mandutiorum oppidum Regis nomine jus dicturi ſeceſſerant, cum Divione non liceret; ac inter eos Joannes Quarræus, qui feliciter miſcuerat ornamenta togæ artibus belli: Is IV. Calendas Auguſti MDXCIV circa ſecundam diei horam matutinam ſibi viſus eſt motu ſubito expergefieri, & verba quædam ignota pronunciare, cum famulo propius decumbenti ſurgere, & lampadem accendere juſſo præcepit, ut eademmet verba, quæ, ne ſibi elaberentur, dentibus quaſi retinere videbatur, ſcripto conſignaret in hunc modum:* Oug apoſondes ton endon diſtiguion. *Quod famulus confeſtim exſecutus eſt, neutro eorum, Græcane illa eſſent, an Arabica, aut alia, ſciente. Quarræus quidem, quamvis abunde iis artibus excultus, quæ Viro Senatorio conveniunt, in ſuis Profeſſionum tabulis, ex quibus hæc hiſtoria à me excerpta eſt, ſcribit ingenuè, ſe Græci ſermonis planè fuiſſe inſcium. Summo demum mane pergens in Senatum Quarræus Jacobo Guionio, quicum illi conſuetudo intercedebat, obvius fit, & vix ſalutatum rogat, ut ille verba, quæ ex ſola eorum aſperitate Græca eſſe conjectabat, interpretari vellet; quæ à Guionio lecta, Græca ſtatim eſſe deprehendit, ſed minimè ex Homero excerpta, quod putavit novus quidam Philoſophus; hæc*

autem ratione deſcribenda: οὐκ ἀπώσοντες τῶν ἔνδον δυστυχίων. *Quibus & interpretationem addidit verbis totidem:* Non repulſuri, quod intus infortunium. *Horum verò cum diu ſenſum ſimul perpendiſſent, & ſi quid triſtius in iis lateret, deprehendere conati fuiſſent, autor fuit Quarræo Guionius, ut, quia jam ex illa domo, quam Semurii incolebat, migrare conſtituerat, quod illius fœtori recurrentem iterum iterumque cœliacum dolorem, quem paſſus fuerat, tribueret, non longiorem in illa moram traheret. Sed longè gravius exitium illa verba portendebant: ſiquidem poſt dies octo, cum Quarræus Reipublicæ cauſa Flaviniacum, Regiarum partium oppidum, perrexiſſet, domus illa à fundamentis convulſa de nocte repente concidit, fatalique, nec penitus impræviſâ Guionio ruina ſuos incolas oppreſſit: cujus rei hiſtoriam eleganti carmine (ut audio) Guionius poſtea cecinit, quo tam charum Regi & Reipublicæ caput jure merito è tanta clade ereptum fuiſſe ſibi & bonis omnibus gratulabatur, minimè omiſſa, ut decuit, Socratis & Bruti geniorum mentione.* Memorabilis hæc ſanè hiſtoria eſt, qvæ, etſi ad Guionii perſonam non pertineret, occaſione tamen à Guionio data inductus, minimè prætermittendam exiſtimavit Philibertus de la Mare: atqve exemplo aliis fuit, qvomodo in hoc argumento ſit verſandum. De Guidone Patino refert, qvi epiſtolas Gallicas edidit, in præfatione earum, adeò illum in Vitis eruditorum ſagacem fuiſſe, ut ne minima qvidem inexplorata reliqverit.

10 Fuere jam tum apud antiqvos, qvi in hoc genere laudabilem operam poſuere; qvorum pauci ad noſtra tempora pervenerunt. Philoſophorum Vitas aliqvi, aliqvi dogmata, aliqvi cum Vitis ſimul dogmata ſcripſere: ac fuere plures ſæpe, qvi unius Philoſophi Hiſtoriam tradidere. Ita Gellus *Noct. Atticar. lib.* 14. *cap.* 3. multos nominat, qvi de Xenophontis Platonisqve Vitâ & moribus exqviſitiſſimè ſcripſerunt. Juſtinus Martyr in Παραινέσει Scriptores Pythagoricæ Vitæ & Hiſtoriæ citat. Philo Byblius Grammaticus triginta libros περὶ πόλεων καὶ οὓς ἑκάστη αὐτῶν ἐνδόξους ἤνεγκε, *de urbibus, & qvos earum qvæqve celebres genuerit*, teſte Suida, de qvo Jonſſius *Hiſtor. Philoſ. lib. 3. cap.* 7. qvi, ſi hodie extarent, illo judice, multis jam rixis de patriâ Virorum illuſtrium facile remedium foret. Plures è veteribus Biographis, tàm Græcis qvàm Latinis, recenſet Voſſius in *Arte Hiſtoricâ cap. 7. p. 40.* & Wouvverius *Polymath. c.* 12., qvi omnes temporum injuriâ interierunt. De Agatharchide, an Biographis accenſendus ſit, videatur Jonſſius, *lib. 2. cap.* 12. Qvi Biographi Philoſophici ſuperſint, notum omnibus eſt. Habemus Diogenem Laërtium, Eunapium, Heſychium Illuſtrium, de qvibus in *Polyhiſtore Philoſophico* plura. Imperatorum, Cæſarum, Principum in Republicâ Virorum Vitas recenſuerunt ex antiqvis Plutarchus, Corne-
11 lius Nepos, Svetonius, Hiſt. Aug. Scriptores. * Cum ergò Hiſtoria nihil aliud ſit, qvam Philoſophia exemplis utens: Vitæ verò deſcriptio ſingularis hiſtoria ſit, qvæ unius hominis actiones in Republicâ deſcribit, ideo accuratius inſtituenda eſt, qvod τύπον illum πρακτικὸν, qvi ex ipſis rerum circumſtantiis emergit, evidentiùs ob oculos ponat; ac ſimul nexum rerum, qvæ ab uno illuſtri viro, ſi is inter præcipuos ſit, geſtæ ſunt, apertiùs demonſtrat. Tales ergo Scriptores neceſſe eſt πραγματικοὺς vel

πραγμα-

πραγματομαθεῖς eſſe, qvi uſum rerum magnum habent, qviqve φιλοσοφεῖν πραγματικῶς didicerunt; qvâ de re tam multa præcipit in præfatione ſuâ Polybius, in qvam legi aureus ille Caſauboni Commentarius poteſt. Eſt præterea prudentiæ non levis argumentum in iis Scriptoribus, qvi ex aliorum hominum Vitâ, qvid ex uſu præſenti ſit, oſtendunt, aliosqve officii ſui admonent. Præclarè Böclerus *in Commentar. ad Cornel. Nepotem* medium illud iter vocat, qvo inter potentiorum ambitiones mediâ licet viâ pergere, nec abruptâ per ſuavitatem inceſſendi, qvâ accenditur dominandi cupido; nec declivi per adulationem & ſilentium, qvo Reip. ſtudium negligitur: *Obviâ,* inqvit, *morum ſimilitudine, dum alios legunt, ſibi occurrunt ipſi, & in cenſurâ exterorum, nec opinantes, ſua judicari facta intelligunt: nec timenda eſt indignatio. Vident enim vera narrari, non ludi fabularum colore: neque odio hic locus; ſciunt enim ex officio Hiſtorici fieri, quod demimus: ſolus pudor ſupereſt, & tacita conſcientiæ admonitio, quæ ut non ſemper ab incepto revocat audacia conſilia; ita cautione nonnunquam temperat.* Hæc Böclerus rectè qvidem: ſed incidunt interdum tempora, ubi hujusmodi inſtitutum Scriptori odium & obtrectationem & vel exitium parit, ut Tacitus in *Vita Agricolæ c.* 1. 2. teſtatur. Scilicet ſchola qvædam civilis prudentiæ proponitur in ejus, cujus vitam deſcribimus, exemplo, ut nulla dari plenior informatio poſſit.
* Qvid non in *Vitâ Attici*, à Nepote ſcripta, civilis prudentiæ latitat, qvi privatus 12
qvidem fuit, ſed multum potuit in Republica? Qvo conſilio militi ſuo diligenter legendos ſuadet Naudæus *lib. 2. de ſtudio militari, p. 510.* eos Biographos, qvi Ducum & Imperatorum bellicorum Vitas ſcriptis conſignarunt. Ex *Agricolæ Vitâ*, à Tacito ſcriptâ, qvid non diſcat Vir rebus civilibus vel bellicis admotus: Si *Vitam Agrippæ* vel *Mæcenatis* haberemus ab Hiſtorico veteri conſignatam, utiliſſimum eſſet ad ſtudium civile: nunc eorum res geſtas hinc illinc ſparſim collegerunt Böclerus in commentationibus de Mæcenate, & Agrippâ. *J. Cæſarem*, qvem Svetonius nobis in Vitâ ſuâ expreſſit, Zevecotius eleganti commentario illuſtravit, & Stephanus Ambroſius Schiappalaria in Vitâ Cæſaris Italicâ linguâ ſcriptâ, Antverp. 1578. in 4to editâ, pulcherrimè & uberrimè ſuo ſeculo ob oculos poſuit, qvid juvent aut obſint in Republ. Cives potentes & locupletes, & obſtinati. Qvot non habemus inter recentiores Vitarum Scriptores, unde multa diſci Politico poſſunt? *Ex Vitâ Catharinæ Medicæ*, qvam multa ad res Gallicas pertinentia notari poſſunt? *Vita Villaregii* à Paſtorio in linguam Latinam converſa Miniſtro Principis proderit. Multi ſunt inter Gallos Biographi, de qvibus legendus in Bibliothecâ Gallicâ Sorellus. Sunt & antiqvorum à recentioribus Vitæ ſcriptæ: qvi ex fragmentis corpus aliqvod hiſtoriæ, ſed imperfectæ neqve ſatis connexæ, concinnant: qvi Philologi potius, qvam veri Politici & Hiſtorici, partibus funguntur. Qvi Ciceronis Hiſtoriam ſcripſerunt, Corradus, Fabricius, aliiqve, ad intelligenda Ciceronis ſcripta utilem operam inſtituerunt. * Sunt, qvi ipſi ſuæ 13
vitæ Hiſtoriam texuerunt: nam, Tacito teſte, in Vita Agric. cap. 1. apud Romanos *plerique ſuam ipſi vitam narrare fiduciam potius morum, qvam arrogantiam arbitrati ſunt. Nec id Rutilio & Scauro citra fidem & obtrectationi fuit.* Noſtro tempore

Thuanus, magnæ Vir autoritatis, candidiſſimus Hiſtoricus, de ſuâ vitâ hiſtoriam ſcri-
14 pſit, in qvâ multa, qvæ ad ſtatum publicum pertinent: * ac referendi eò ſunt li-
bri Commentariorum [*Memoires* Galli vocant] qvos Viri negotiis publicis admoti
de rebus ſuis geſtis, qvales olim Cæſar, noſtro tempore Galli multi, ſcripſerunt; in
15 qvibus enarrandis diligentiſſimus eſt Sorellus. * Sunt & alii, qvi non tam ad
civilem prudentiæ uſum, qvam ad Hiſtoriam ipſam reſpiciunt: Qvales ſunt, qvi in
Familiis veterum Romanorum enarrandis operam poſuere, laudabilem illam qvidem,
ſed qvæ ad rem noſtram non facit. Hiſtoriæ illi antiqvæ magnam lucem accendunt:
cujus generis Scriptores cum curâ & cenſurâ ſuâ enarravit Rupertus in literis ad Al-
bert. Richterum, qvæ habentur in *Epiſtolis Richterianis à pag. 465. ad pag. 470.* Elo-
giorum qvoqve Scriptores propriè huc non pertinent: aliâ enim ratione rem ſuam in-
ſtituunt. Qvomodo hi à Vitarum Scriptoribus differant, pluribus oſtendit Maſcar-
16 dus *de arte hiſtoricâ, tract. 5. p. 528. 529.* * Nos jam ad Biographos recentiores
accedimus, qvorum vaſtiſſima ſylva eſt. Tot enim ſunt Vitarum Scriptores, ut inte-
gram penè efficere Bibliothecam poſſint: qvorum Indicem congeſſit Labbeus *in Bi-
bliotheca Bibliothecarum*, uberiorem dedit *Teiſſierius*; Optimo ordine digeſtæ illæ ſunt
in *Indice Bibliothecæ Thuanæ.* Magnum hoc ad ſolidiorem doctrinam arcanum eſt,
Biographos benè habere cognitos, unde non in re literariâ tantùm, ſed & civili opti-
ma formari prudentia poteſt. Nos ex iſtâ ſylvâ aliqvas, qvæ majori eſſe uſui poſſunt,
decerpemus.

17 Primo hîc loco à nobis ponetur VITA PEIRESCII à GASSENDO ſcripta.
Magnâ diligentiâ conſcriptus eſt liber iſte, continetqve varia memorabilia antiqvaria,
Philologica, Phyſica, Politica, qvaſi per cumulum congeſta. Dum enim perſeqvitur
omnes Viri iſtius labores, occaſione iſtâ ad multa curioſa, ab illo vel inventa vel no-
tata, dilabitur. Planè in hoc labore exercuit ingenium ſuum Gaſſendus; & dum va-
ria Philoſophemata proponit & judicia, pulcherrimis ſubinde contemplationibus to-
tam Viri hujus Hiſtoriam illuſtrat, & ſub illâ rei literariæ tum temporis in Galliâ ſta-
tum. Optandum eſſet, ut ſimili diligentia illuſtrium Virorum memorabilia conſigna-
rentur, qvod fieri non poteſt, niſi ab amicis & familiaribus, vel niſi ipſi Autores vivi
rerum ſuarum Commentarios ſcripſerint, ut fecit Thuanus & alii nonnulli, vel ſaltem
lineamenta ejus duxerint, unde perfectum deducere Opus Viri harum rerum periti poſ-
18 ſint. * Idem Gaſſendus etiam *Tychonis Brahæi, Peurbachii, Regiomontani*, & *Co-
pernici vitas* deſcripſit, in qvibus multa ſingularia ad rem Mathematicam & Aſtrono-
micam ſpectantia.

19 JOHANNIS VINCENTII PINELLI VITA ſcripta eſt per *Paulum Gualdum*
Patricium Vicetinum. Fuit vero Pinellus Patricius Genuenſis, Vir maximi nominis,
Philologus, Polyhiſtor eximius, magnorum in literas & literatos meritorum, qvos fo-
vit, ornavit, ope conſilioqve juvit. Continentur in ejus vitæ deſcriptione multa me-
morabilia & rara. Magnam habuit Vir ille ſupellectilem antiqvariam, ut prope-
modum factus fuerit ad rem librariam & literariam. Multa ſunt in illo libro arcana
de

de parandis libris & MStis. Multa habuit Vir ille inſtrumenta publica & collectanea, qvæ ad ſtatum Venetorum ſpectabant. Qvare poſt mortem Pinelli [nam vivebat Patavii] Senatus Venetus manum injecit MStis Politicis, arcana ſtatus ſui continentibus, Bibliothecæqve ſuæ publicæ addixit, ne in manus peregrinas devenirent.
* Prodiit Vita hæc Auguſtæ Vindelicorum in 4to Anno 1607. poſtea recuſa eſt in 20
Angliâ, curante *Guilielmo Batheſio*, inter ceteras Virorum aliqvot illuſtrium Vitas, *pag.* 314. Qvod Opus Londini prodiit Anno 1681, & præter Pinelli hanc Vitam, *Budæi, Hugonis Grotii, Pithæi, Camdeni, Walæi, Petavii, Sirmondi, Petri Molinæi, Henrici Valeſii, Jacobi Uſſerii Armachani* aliorumqve continet.

VITA PAULI SARPII à Patre *Fulgentio* ſcripta hîc nominari meretur. Qvan- 21
tus Vir *Paulus Sarpius* fuerit, non ignotum eſſe poteſt illis, qvi interiorem rei literariæ notitiam habent. * Fuit ille ſacri ordinis homo, Monachus, Minorita, (*xx*) 22
ſed ſummi ingenii. Ejus extat *Hiſtoria Concilii Tridentini*, magnâ prudentiâ & ingenuitate ſcripta, ſub nomine *Suavis Polani*, qvam inter abſolutiſſima hiſtoriæ ſpecimina numerat Guido Patinus *Epiſt.* 170. Totum Reip. Venetæ ſtatum moderatus fuit conſiliis ſuis. Vindicavit jura ejus adverſus Pontificem, qvâ de cauſâ ſummè inviſus fuit Pontificiis, & in mortem ejus aliqvoties conſpiratum, ut ſicariorum manibus per vim vix extorqveretur. Illum enim omnibus hæreticis pejorem habuerunt, ut qvi arcanorum Pontificii ſtatus proditor erat. Spargebatur de ipſo fama, qvod abitum ad Reformatos meditaretur, qvæ non omnino de nihilo eſt: ſcio enim ſupereſſe epiſtolas manu ejus ſcriptas, ad Iſaacum Caſaubonum, qvibus ſollicitat ipſum de gratiâ Regis Angliæ ſibi conciliandâ; ſi fortè illic fortuna iniqvior ipſum abigeret. * Vi- 23
ta ejus conſcripta eſt *Italicâ* linguâ, poſtea in linguam Gallicam converſa prodiit Lugduni Bat. in 12. An. 1661. ſub titulo *La vie du Pere Paul.* Multa ſunt in hac deſcriptione memorabilia ad omnem rem literariam: habuit enim excellentiſſimum ingenium, qvod per omnes ſcientias, artes, & linguas ſe diffuderat. * Promptus 24
erat conſiliô, animô ſemper præſens, extrema vitæ pericula ſummâ generoſitate contemnens, &, ut breviter dicam, ſui temporis Phœnix. Multa enim ille in Phyſicis & Mathematicis demonſtravit extemporali penè ſolertiâ, qvæ deſperata aliis videbantur. Celebratam apud Medicos circulationem primus ille ante Harvei tempora oſtendit, qvod cùm objiceret Bartholinus Anglis, ægrè admodum tulerunt, ejus inventionis gloriam dubiam ſibi reddi. Sed dolendum eſt, omnes illius Viri chartas periiſſe, ac diſtractas poſt mortem ejus fuiſſe: nihil enim horum ſeriò ſcripſit, & datâ operâ; ſed qvaſi aliud agendo, cum vacatio eſſet à publicis negotiis. Illa omnia prolixiùs recenſentur in hôc libellô, ac notanda ſunt, ut videamus, qvàm multæ & vulgo ignoratæ opes lateant ſæpe in ingeniis, qvorum vix notitia publica eſt. Qvo magis illorum induſtria incitanda eſt, qvi in peregrinationibus ſuis ad talium Virorum amicitias admittuntur, ut omnibus artibus è ſcriniis illorum extrahere conentur, qvicqvid fortè illic deliteſcit. Qvalia multa ſunt per Italiam Galliamqve ingenia, de qvibus nulla

(*xx*) Paulus Sarpius non fuit Minorita, ſed Ordinis Servitarum Monachus.

25 ad nos defertur notitia. * Prodierunt Ann. 1673. ejus qvædam literæ Italicâ lin-
guâ ſcriptæ, propoſitô Veronæ fictô, ut patet, nomine; qvibus continentur intimiora
illa Politica ſuperiorum temporum in aulâ Cæſareâ, Pontificiâ, & Venetâ, qvibus im-
miſcentur nonnunqvam qvædam literata.

26 VITA PETRI PUTEANI à RIGALTIO ſcripta, multa habet præclara. Magna
fuit Puteanorum olim celebritas. Illi ſunt, per qvos Excerpta Scaligeriana congeſta ſunt.
Petrus Puteanus fuit Regi Galliæ à Conſiliis & Bibliothecis. Qvi ejus Vitam deſcripſit
Rigaltius, ad multa reſpexit, tum qvæ ad rem literariam ſpectant, tum qvæ ad res Civiles;
qvanqvam intimioribus adeò conſiliis admotus ille non fuerit. Non fuit tamen facilè il-
27 lo peritior Juris publici Gallicani aliorumq; Statuum. * Præcipuè magna ejus cura
fuit in colligendis actis publicis. Gallica ſola qvinqvaginta vaſtis libris collegit, qvo-
rum titulos hic recenſet Rigaltius, unde exemplum capere Politicus poſſit, qvid ipſi agen-
dum ſit in ſcriptis talibus colligendis. Si qvis enim illo modo diſpoſita habeat Impe-
rii Romani Principum jura, qvantum ille theſaurum poſſideret! Maturè itaqve, atqve
adeò ab ipsâ juventute inſtituendi ſunt tales libri Politices Studioſo, in qvos vel acta
ipſa referat, vel ſi haberi non poſſunt, ex ipſis potiora excerpat. Pinellus, de qvô
ſuprà mentionem fecimus, Status Veneti arcana penetravit: Puteanus noſter Gallica-
na. Ita omnium aliorum ſtatuum res & jura exqviri poſſunt, ſi qvis cum curâ illud
agat. Ille labor præcipuè in Germanis Conringium exercuit, qvibus ille initiis, vel
ipſo non diffitente, tantam ſibi experientiam & prudentiam conciliavit. Recuſa eſt
hujus Vitæ hiſtoria, inveniturqve inter ceteros Vitarum Scriptores à Batheſio colle-
ctos p. 660.

28 VITA DUCIS VALENTINI deſcripta eſt à *Thomaſo Thomaſi* linguâ Italicâ,
editaqve Anno 1655. Claramontii in 4to. Panditur hîc ſcelerum & neqvitiarum offi-
cina: continentur enim in hôc librô omnes illæ fraudes & artes, qvibus uſus eſt *Cæſar
Borgias*, Dux Valentinus, Alexandri VI. Pontificis patris neqvior filius, homo aſtutiſ-
ſimus & tyrannicus, ad imperium Galliæ Cisalpinæ ſibi parandum, qvo tamen ille
conſilio excidit, fatis obſtantibus. Hujus Principis ideam Machiavellus deſcripſit.
Liber enim ejus de Principe eo fine ſcriptus, ut hoc exemplo illum depingeret omni-
busqve ob oculos poneret. Prodiit & in Gallicam linguam converſus ille liber ante
novem annos, editus in Batavis in 12. Inſpicere & in malorum hominum Vitas, tan-
qvam in ſpeculum, poſſumns: non ut diſcamus ab illis fraudes; ſed ut evitare illas
ſciamus, ne planè ſimus in technis illis hoſpites. Videas hîc machinationes machina-
tionibus, dolos dolis oppoſitos, & variè inter ſe miſtos pro ſcopô obtinendô. Hoc
legenti jucundum erit, characteres cauſarum & ingeniorum noſſe, unde regulas ſibi
qvisqve ſuas pro prudentiâ formare poterit, & vitæ rationes ſubducere, qvi in aulâ
conſiliis præeſt, & aliorum evertere dolos, qvi res novas moliuntur, & tyrannidem
29 affectant. * Sunt qvidam, qvi malorum hominum Vitas non putant ſcribendas,
eoqve nomine reprehendunt Tacitum, qvod narrando facta malorum Principum pa-
rum abſit à docente: cum bonorum exempla non ſolum cognitione boni nos inſtruant,
ſed

ſed etiam ad imitandum excitent. Verùm cum major hominum pars mala ſit, etiam eorum ingenium noſſe debent boni.

VITAM HENRICI VII, REGIS ANGLIÆ à Bacone Verulamio ſcri- 30
ptam, priori ſubjungimus. Ut enim peſſimi tyranni vitam deſcriptam dedimus ſub perſonâ Cæſaris Borgiæ, ita optimi Principis hiſtoriam πολιτικωτάτῳ libro complexus eſt Verulamius; qvam ideo ſcribendam ſuſcepit, ut reſponderet calumniatoribus ſuis, qvi ſcholæ illum & contemplationibus aptiorem exiſtimabant, qvàm rebus gerendis, ac ut ſingularem etiam his peritiam oſtenderet. * Ple- 31
num hoc omnis civilis & architectonicæ artis opus; qvô interiora tum regni ipſius Angliæ, tum omnis in univerſum prudentiæ continentur. Invenies hîc pacis & belli artes, in praxin ipſam deductas: nam è typo illô περιστατικῷ plus intelligitur, qvàm ex infinitis præceptis. Maximi facit hunc librum paſſim in ſcriptis ſuis Böclerus, omnibusqve commendat, ut ſanè commendari hi libri omnibus debent, in qvibus qvisqve deſcribitur, qvalis in imperio fuerit, & qvalis interior ac familiarior vita. Nam τὸ ἠθικὸν & τὸ πολιτικὸν hîc utrumqve ſpectandum eſt.

VITA PHILIPPI MELANCHTHONIS ſcripta à *Joachimo Camerario*, in re 32
Eccleſiaſticâ & literariâ non exigui momenti eſt. * Qvantus Vir fuerit Philippus 33
Melanchthon, nemo ignorat; pluris ſanè æſtimandus, qvam vulgò fit. Primus ille in Germaniâ diſciplinarum omnium & purioris Theologiæ cum Luthero reſtitutor, nullum eruditionis genus intactum reliqvit, ut in ſingulis habitare, non peregrinari, videretur. Nervos in illo & impetum reqvirunt nonnulli, ſed tamen nec illud extra laudem eſt. Ut enim habuit ingenium compoſitum & moderatum, & ab affectione omni alienum; ita talem ſe qvoqve in omnibus vitæ actionibus & ſcriptis exhibuit. Stylus ipſi purus & limpidus, nonnunqvam humilis, nonnunqvam aſſurgens: plena tamen ingenii & prudentiæ omnia. * Ejus Viri Vitam deſcripſit *Joachimus Ca-* 34
merarius, Vir ſuô tempore doctiſſimus, & intimioribus literis præ omnibus in Germaniâ exculſus. Multa diſces ex illô, qvæ pertinent ad ſtatum literarium & eccleſiaſticum: omni enim ſcenæ, qvæ tum adornabatur, vel præfuit vel interfuit Melanchthon, nomen omnibus Germanis meritò venerabile. His addi poſſunt aliorum Theologorum Proteſtantium Vitæ, tum, qvi ſingulatim prodiere, tum qvæ ex iis excerpſit Melchior Adami, è qvibus ſic inter ſe junctis multa addiſci poſſunt, qvæ ad ſtatum Eccleſiæ proteſtantium pertinent, ut Melanchthonis Hiſtoria multa continet hiſtoriæ literariæ. Ejus judicia de optimis Autoribus, Patribus, Oratoribus, Poëtis, ex omnibus ejus ſcriptis collegit unô volumine Georgius Richterus, ſub titulo: *Criſes Melanchthonianæ*, de qvô ſuprà diximus. * Ejus Camerarii *Narratio* extat *de Eobanô Heſ-* 35
sô, qvi fuit ſuô tempore inter Poëtas præcipuus; qvæ de compluribus aliis ejus ætatis doctis & eruditis Viris aliqva memorat. Adjectæ ſunt Epiſtolæ Camerarii & Eobani Heſſi mutuæ, omnes eruditæ, & rebus literariis refertæ.

Ad res illorum temporum ſacras & literarias pleniùs noſcendas omnino JOHAN- 36
NIS REUCHLINI, Phorcenſis Legg. D. qvi ſe Capnionem vocabat, qviqve Melanchthonis Præceptor fuit, VITA pertinet. Ille enim, excitatis Hebraicis & Græcis literis,

adverſus,

adverſus rabioſam Monachorum pertinaciam & Judæorum qvorundam perfidiam ja-
nuam aperire elegantioribus & purioribus ſtudiis viſus eſt. Ab hoc qvaſi aurora eru-
ditionis illuceſcere cœpit, unde potiùs à luce Phosphorus, qvam à fumo Capnio di-
37 cendus. * Ejus Vitam Georgius Pflugerus, Joannes Murmelius, Paulus Merula,
ſcripſiſſe dicuntur Teiſſiero, qvos tamen non vidi. Strictim enarravit Melchior Ada-
mi: ſed nunc pleniſſimam & uberrimam dedit *Joannes Henricus Majus*, itidem Phor-
cenſis, & in Gymnaſio Durlacenſi Profeſſ. P. & in templo primario Paſtor: qvi pri-
mùm Orationem Inauguralem de eo habuit, ſed poſtea prolixis & utiliſſimis notis
illuſtravit, optime de cive ſuo bonisqve literis meritus. Editus eſt liber Durlaci
Anno 1687. in 8., ac multa memorabilia continet.

38 VITA PETRI LOTICHII SECUNDI per Johannem Hagium ſcripta, non
39 pauca erudita continet. * Fuit Phœnix Poëtarum Germaniæ Lotichius, omnibus
40 exteris ſi non ſuperior, certè æqvalis. * Hujus tamen vel ipſis Germanis penè
ignotum nomen eſt: exteri nullam ejus mentionem faciunt. J.C. Scaliger, cum cen-
ſuram Poëtarum Germanorum inſtituit in Hypercriticô ſuô, ne verbulum qvidem de
hôc noſtrô, qvi tamen omnibus ceteris erat anteferendus. Mira in illo ſuavitas &
concinnitas carminis, & vix imitabilis, ut mihi ſuperare interdum ipſum Ovidium,
ac Virgilianam in Eclogis ſuavitatem unus exprimere videatur. Multa habet Vita ejus
memorabilia, qvæ ipſi per Italiam Galliamqve peregrinanti obtigerunt; multæ in illâ
de Viris doctis notitiæ. Dolendum, immaturo fato & in ipſo flore ætatis, anno ſci-
licet 32. obiiſſe è philtri reliqviis, qvod ipſi in Italiâ propinatum fuit. Solus inter
Batavos Heinſius tam candidus fuit, ut æſtimaret ipſius ingenium *lib.* 2. *Eleg.* 2. qvam
in obitum Taubmanni ſcripſerat. Ita enim ille non minus honorificè, qvam verè:

Hîc ſedet & priſcos Lotichius ardet amores.
Hoc nullum majus gens tua nomen habet.
Nec negat hoc Naſo, lateri cui proximus hæret,
Nec negat hoc Nemeſi nunc qvoqve junctus amans.
Nec negat hoc Veneris puer & Cytherëia mater,
In terris alium vix habitura parem.

Non ſatis pro dignitate viri judicavit Thuanus, qvi illi Eobanum Heſſum præpo-
nit; qvo ille non ſolùm, ſed & omnibus ceteris eſt ſuperior: Qvod oſtendit cognatus
ejus JOHANNES PETRUS LOTICHIUS *in Promulſide Criticâ*, ſive Cenſurâ ſuper Poëtis
novantiqvis, Francofurti Anno 1645., editâ: ubi multis argumentis oſtendit, non
Eobano tantum Heſſo, ſed & ceteris omnibus ſuperiorem eſſe Lotichium Secundum.
Qvâ in re, etſi nihil à vero alienum dixit, non deerunt tamen, qvi vel immodeſtiam,
vel affectum ejus nimium, hic reprehendant. Videndum etiam eſt Lipſii de Lotichio
41 Elogium, qvod legitur *tom.* 2. *operum p.* 74. *lit. B.* * Illud ſingulare in hoc viro
& propemodum divinum eſt, ac plus qvam Poëticum ἐνθȣσιασμὸν arguit, qvod in
Elogia 4. *lib.* 2. ad Joachimum Camerarium ſcriptâ triſtiſſima obſidionis & expugna-
tionis Magdeburgenſis fata integro ſeculo prædixerit. Res omnino notatu digna, ac

Elegia illa pulcherrima eſt. Hæc ille aurea carmina, qvod mireris, inter armorum ſtrepitus ipſe miles ſcribebat.

CHRISTOPHORI FORSTNERI VITAM, vel potius Elogium, ſcripſit Böcle- 42
rus. Dignus certè tanto Viro Panegyriſtes. Nam non tantùm in elegantiſſimis ſuis in Tacitum Commentariis, qvantus Vir fuerit, oſtendit; ſed & in luce ipsâ atqve actione prudentiam ſuam declaravit. * Malignè de tanto Viro judicat AMELOT DE 43
HUSSAJE in judiciis *de Taciti Commentatoribus*, qvæ Moralibus ſuis præmiſit, cum dicit, familiari illo in Germanos convicio, Forſtneri Commentarium nihil eſſe, niſi Locos Communes, exempla malè ſæpe adduci, neqve qvicqvam conferre ad Politicam. Longè ſanius Böcleri de eo judicium eſt, peritioris in iſto negotio arbitri, qvam eſt iſte Amelotius. * Ex hâc ejus Vitâ unum hoc memorabile de Thomâ Campanellâ 44
hîc adducam. *Non prætereundum eſt*, inqvit Böclerus, *quod in Italia, cum Campanellam inviſeret, ei uſu venit. Tenebatur ille in cuſtodia, nec ad videndum niſi cuſtodibus arbitris quisquam admittebatur. Plures unà acceſſerant, & de more ævi libellos colligendis illuſtribus nominibus deſtinatos Campanellæ in cubiculo tradi juſſerant. Poſtquam inſcripſerat is, quæ voluit, admiſſos contemplatus, ſine hæſitatione Forſtnerum nunquam antea viſum nomine compellavit, manuque prehenſum de futuris honoribus & quibusdam aliis eventibus edocuit. Extitit fides prædictis: ſive ex liberali & multarum bonarum rerum indice facie feliciter conjecturam facere contigit; ſive veterem de divinatione prudentum ſententiam, ad hoc quoque præſagiorum genus, monitu exemploque Cardani referre, fas eſt. Quanquam tutius eſt in his facta ſcire, cauſam ignorare.*

WALLENSTEINII VITA à GUALDO ſcripta lingua Italica, & poſtea in La- 45
tinam converſa à Joſua Arndio, ejusqve notis politicis illuſtrata, multa continet præter hiſtoriam, qvæ ad officium Ducis bellici pertinent. * BEMBI Cardinalis & 46
CONTARENI VITA à JOHANNE CASA ſcripta, præter ſingularem Latinæ linguæ nitorem, qvâ ejus monumenta latina commendantur, multa ad rem literariam & civilem pertinentia tradit. * ANTONII MARIÆ GRATIANI libri de Caſibus Virorum 47
illuſtrium & de Vitâ Commendoni ad res civiles commendari debent, qvorum ſingularis etiam in linguâ Latinâ nitor eſt.

Multa poſſent de Vitis ſingularibus, qvas Autores certi ſcripſere, dici; ſed 48
omnes illas recenſere & operoſum nimis eſſet & ſupervacuum: ſufficiet potiores aliqvas notaſſe. Si qvis nomina aliorum, qvi Vitas ſcripſerunt, noſſe velit, adeat Bibliothecam Thuanam, Cordeſianam, & Teiſſierii Indicem. Seqvuntur jam illi, qvi vitas multorum autorum ſcripſerunt, uno volumine comprehenſas, plerumqve in Elogiis ſubſiſtunt, & rarò ad ſpecialia deſcendunt. * Habemus collectas à JOH. JACO- 49
BO BOISSARDO *Vitas Virorum illuſtrium* cum iconibus, qvi liber editus eſt qvatuor partibus Francof. Ann. 1597. Imagines adjecit *Theodorus de Bry*. Breviter omnia & ſatis nervoſè inde excerpſit *Melchior Adami*, ut carere, qvantum ad Germanos, hôc Boiſſardô poſſint, qvi Melchioris Adami Vitas habent; niſi qvis iconibus delectetur, qvæ tamen planè non ſunt ad vivum factæ.

50 MARTINUS HANCKIUS ſcripſit libros duos *de Romanarum rerum Scriptoribus, tam veteribus qvam novis;* atqve ita ordinavit, ut primò vitam recenſeat, ſecundò ſcripta, tertiò judicia variorum Autorum. Idem *de Byzantinarum rerum Scriptoribus* librum eâdem methodô confecit, Lipſiæ editum Ann. 1677. Multa qvidem debet Voſſio; ſed labor tamen non inutilis eſt, cum ſic ordinatè procedat, & varia tamen alia miſceat. Indices adjecti ſecundum ſeriem temporum & nominum.

51 JOHANNES IMPERIALIS ſcripſit *Muſeum Hiſtoricum & Phyſicum*, ſive *Elogia Virorum literis illuſtrium* in 4to Venetiis apud Juntas 1640. impreſſa. Bonus ille liber eſt; multa continet de Viris doctis memorabilia, qvorum Elogia non ſolùm deſcripſit, ſed & ſingularia ſæpe immiſcet. Alioqvin Elogiorum Scriptores non tam plenam fidem merentur, qvam Vitarum Scriptores: aliqvid hîc interdum affectibus datur; ſed ſi citra partium ſtudium ſcripta ſint, breviter & velut in typô characterem viri literati ob oculum ponunt.

52 LAURENTIUS CRASSUS ſcripſit *Elogia hominum literatorum* Italicâ linguâ in 4to. Editus ille liber Venetiis eſt, duabus partibus 1668. in 4., continetqve varios per orbem terrarum literatos, de qvibus ille interdum nonnulla refert, qvæ alibi non facilè invenias. Neſcio tamen, an ſincerâ omnia fide: credo enim multa illum ex aliorum relationibus hauſiſſe. Recenſet ille libros Autorum editos ac ineditos, & nonnulla de utriſqve judicia ſæpius inſperſit. Notat etiam, ubi inveniri poſſint MSti qvorundam Autorum labores; qvod utile multis modis eſſe poteſt. De Scaligerianis & Salmaſianis ſcriptis multi illic nominantur inediti, de qvibus nullam apud alios mentionem fieri vidi. Non pauca ex hoc Autore didici, qvæ faciant ad hiſtoriam Virorum doctorum. Adjunctæ etiam ſunt imagines. Scripſit idem Italicâ linguâ *Hiſtoriam Poëtarum Græcorum*, & qvi in Græcâ linguâ carmina ſcripſere: qvæ in folio edita eſt Neapoli 1678. Alius Nicolaus Craſſus Venetorum Patriciorum Elogia ſcripſiſſe perhibetur.

53 GALEAZIUS GUALDUS PRIORATUS ſcripſit linguâ Italicâ librum, cui titulus *Scena d' huomini illuſtri d' Italia*, qvi editus eſt Venetiis 1659. in 4., qvô continentur varii Viri illuſtres ex Italicâ gente, & doctrinâ & fortibus factis celebres: Hos enim viris doctis miſcet.

54 HIERONYMUS GHILINUS ſcripſit *Theatrum hominum literatorum* Italicâ linguâ, qvod Venet. Ann. 1647. in 4. editum eſt; ac penè eôdem modô ac formâ, qvâ Laur. Craſſus ſuos Viros doctos deſcripſit, libros editos ac ineditos diligenter recenſet. Hujus rei magnus uſus eſt in notitia exoticorum Autorum, qvi rariores ſunt apud nos.

55 ANDREAS THEVETUS ſcripſit *Imagines & Vitas Virorum illuſtrium Gallorum* in fol. Pariſ. An. 1648. Gallicâ linguâ. Longè plenior eſt illic narratio, qvàm apud ceteros Autores Gallos, qvi Vitas popularium ſuorum deſcripſerunt: Qvorum omnium Elenchum vide apud Sorellum in *Bibliothecâ Gallicâ pag.* 150. ubi & judicia de iis.

56 * Simili ratione ISAACUS BULLART librum ſcripſit Gallicâ linguâ, magnifico titulo:

titulo: *Academia Scientiarum,* qvâ Vitæ, Elogia, Hiſtorica & Imagines hominum illuſtrium, qvi aliqvot à ſeculis inclaruerunt, continentur. Liber editus eſt Amſtelodami in folio Ann. 1683. duobus Voluminibus.

JOHANNES PAPIRIUS MASSONIUS in Senatu Pariſienſi & in regiâ Ad- 57
vocatus, edidit Pariſ. 1656. in 8. *Elogia* ſua, inſcripta Petro Segvierio, Franciæ Cancellario. Partes duas elogiorum fecit: prima Regum, Ducum & Heroum Vitas recenſet; altera Virorum eruditorum, ſed qvos Gallia protulit; breviter omnia, nec ſine panegyricis coloribus. Invenies tamen nonnunqvam, qvæ ad rem ſeu notitiam literariam prodeſſe poſſunt.

JULIUS CÆSAR CAPACCIUS ſcripſit *Elogia illuſtrium mulierum ac Virorum* 58
in 4to Neapoli 1608. * Ne mulierum qvidem laudes celari debent, qvas & olim 59
habuimus, & nunc habemus doctiſſimas. Non invidioſum Viris eſſet, has ſibi adjungi Veneres. Habuimus Philoſophas, Poëtrias. Ante aliqvot annos in Academiâ Patavinâ publicam Facultatis Philoſophicæ lauream reportavit cujusdam Procuratoris S. Marci filia *Elena Cornara Piſcopia;* De illâ habetur in Ephemeridibus Gallicis, & apud Gregorium Letum *in Ital. regnant. part.* 4. *lib.* 1. *p.* 43. *& ſqq.* In Theologiâ eandem petitura erat, niſi obſtitiſſet Cleri autoritas; Indignum enim credebant, mulieri docendi in Eccleſiâ munus conferri, cum ſacris literis hoc repugnet. Conſilium hoc in animo habuit Capaccius, ut feminarum qvoqve illuſtrium memoriam celebraret; qvod noſtro tempore fecit *Thomaſius:* cujus extant de eruditione feminarum aliqvot diſſertationes Lipſiæ habitæ. Vir doctiſſimus *Otho Sperlingius* integrum in Mulierum doctarum gratiam Opus molitur, à primis temporibus ad noſtra usqve productum. *Capaccius* gentis ſuæ Feminas recenſuit & Viros. *J. B. Fregoſus* ſcripſit de Feminis, qvi doctrinâ excelluerunt, teſte Ghilino *part.* 1. *Theatr. p.* 96. *Vincentius Placcius* de ſcriptis & Scriptoribus juvenilibus ac muliebribus librum promiſit.

JANI NICII ERYTHRÆI fictum nomen eſt; verum, Johannes Victorius 60
Roſſius, ſive Johannes Vincentius de Rubris. Magnæ dignitatis Vir in aulâ Romanâ *Pinacothecas Virorum illuſtrium* ſcripſit in 8., qvæ nomen qvidem Coloniæ præferunt; ſed in Batavis impreſſæ ſunt An. 1643. & 1645. Exqviſitus Latinæ linguæ nitor in hôc Opere eſt. Multa memorabilia habet circa rationes vivendi & ſtudendi Viris eruditis ſingulares. Multa de eorum controverſiis & diſputationibus, artibus, technis, libris; qvæ omnia illic magnâ cum utilitate & voluptate legi poſſunt. Ut enim erat Vir & doctus & prudens, ita multa obſervat in Vitis doctorum Virorum, qvæ non obſervarunt alii. * De illo videtur loqvi Mareſius *Ep.* 27. *lib.* 2. *Nuper Italus tres* 61
libros de viris illuſtribus edidit, fermè omnibus Italis, qui his 50 annis vixerunt. Inter hos vix quinque ſunt in literis latinis tolerabiles. Sed maligna hæc cenſura eſt: Eſt enim optimus labor, &, qvod potiſſimum eſt, characteres ἠθικοὺς Virorum doctorum magnâ curâ proponit. Qvod ſi omnes æqvè fama celebres non ſunt, tamen & vulgo ignoratos noſſe intereſt, in qvibus plus interdum ſapientiæ, qvam in aliis, latitat.

SCÆVOLÆ ſeu GAUCHERII SAMMARTHANI & ABELII illius filii 62

 extant

extant *Elogia, Vitæ* & alia Opera edita in 4. Pariſ. Ann. 1633. Fuere Viri eruditiſſimi, judicio ſolido, & ab omni adulatione remoti. Verùm Oratoris potiùs, qvam Hiſtorici partibus funguntur. Nihil enim de ſcriptis illorum habent, qvod tamen potiſſimum hic erat. Characteres & lineamenta potiùs ducunt. Scævola ob Poëmata ſua Virgilianum aliqvid ſpirantia notiſſimus eruditis. Qvidam illum omnibus ſui ſeculi Poëtis præferunt. Varia de iis & Abelii Sammarthani Poëmatibus judicia collegit
63 Bailletus *part. 3. tom.* 4. *de Poëtis p.* 166. *& ſqq.* * De his Elogiis ita Mareſius lib. 2. Epiſt. 25. *Noſtrorum vitas Sammarthanus ſcripſit verſu, quam proſâ, melior, cujus ſoluta oratio etiam poëſin redolet. Eæ fere ſunt uniusmodi, & in doctorum Catalogum multos è Senatu & alios refert: qui multa ſcripta reliquerunt, quique alioquin non magni fuerunt in literis nominis.* Laudat eo loco Michaëlem Marolium Villa Lupen-
64 ſem Abbatem, qvi Vitas ſcribendas ſusceperit, de qvo nihil hactenus vidi. * Promiſit & Guido Patinus Epiſt. 133. ad imitationem Sammarthani, Elogia Gallica: *J' ay autrefois ramaſſé bien de mémoires pour faire des Eloges Latins des François illuſtres en Science, à l' imitation de Mr. Scevola de Ste. Marthe, à quoi je pourrai travailler l' Hiver prochain pendant les ſoirées mais le nombre des malades me fait peur, c' eſt ce qui fait que je n' oſe le promettre abſolument.* Et in fine Epiſtolæ hæc habet: *Si Dieu me fait la grace d' en venir la, je ferai mes éloges plusbeaux, plus curieux, & plus hiſtorique qué ceux de Monſieur de Sainte Marthe, auſquels ils ne céderont que pour l' expreſſion. Ie n' y mettrai que d' honnêtes gens & dont le mérite fera la dignité.*

65 VITÆ JURECONSULTORUM non ſunt plenè tractatæ. Si veterum haberemus Vitas diligenter deſcriptas, multum hinc lucis accederet Jurisprudentiæ: imprimis ſi Commentationes illorum ad leges cum curâ recenſerentur, qvantum de iis haberi poſſit è fragmentis JCtorum, qvæ in Pandectis habentur, & ex Oratoribus & Hiſto-
66 ricis. * Si non omnibus numeris abſolutum, ſaltem non inutilem præſtitit laborem JOHANNES BERTRANDUS, Præſes Toloſanus, cujus extant *de Jurisperitis libri duo*, Lugduni Batav. recuſi An. 1675. in 8vo. Promiſit plenius *de JCtis veteribus* Opus Vir doctiſſimus ÆGIDIUS MENAGIUS, ut videre eſt in Præfatione illâ, qvam præmiſit amœnitatibus Juris civilis, qvæ nunc auctiores editæ ſunt. Qvod ſi illud Opus ad finem perducturus ſit, gratulabimur orbi erudito. Cura circa recentiores JCtos qvorundam exigua eſt, ut *Joh. Fichardi, Rutilii, & Guidonis Pancirolli*, qvi poſtremus diligentiùs rem ſuam inſtituit. Ejus de claris legum interpretibus libri qvatuor prodierunt Venetiis in 4to Ann. 1637. & denuo ibidem Ann. 1655. *Germanorum JCtorum Vitas* usqve ad ſua tempora dedit MELCHIOR ADAMI. *Speciales quorundam JCtorum Vitas* deſcripſerunt CUJACIUS & BALDUINUS: qvanqvam hic *Antonio Matthæi* ut plagiarius vapulat; nam elogio Maſſonii indignatur, qvi ipſum Cujacio comparave-
67 rat. Sed de his plura aliô locô. * Nuper adeò laudabile conſilium ſuscepit FRIDERICUS JACOBUS LEICKHERUS, qvi Lipſiæ Anno 1686. *Decadem Vitarum integrarum*, non in Compendium contractarum, edidit, ut *N. Boërii, A. Auguſtini, F. Hotomanni, B. Briſſonii, Pithæi, G. Budæi, A. Goveani, J. Cujacii, J. Bertrandi, G. Pancirolli*,

qvæ

qvæ à Viris doctis ſcriptæ, & ab illo notis eruditis illuſtratæ ſunt. Promiſit plures ſe ita junctim editurum, qvo non Juriſconſultos tantum, ſed viros doctos omnes, ſibi obſtringet. In Theologorum qvoqve Medicorum & Philoſophorum Vitis nihil perfectum & abſolutum eſt.

Enarravit qvoqve PAULUS PELISSONIUS Vitas eorum & ſcripta, qvi Aca- 68
demiæ Gallicæ interfuerunt, de qvâ ſingularem ille librum ſcripſit ſupra nobis memoratum. De hujus Academiæ conſiliis & cenſendi ratione multa monet Bailletus *Tom. II. p. 163. 164. 165.* Idem cujusdam *du Sauſſay* Epiſcopi mentionem facit, qvi collectionem Scriptorum Myſticorum, qvi primo ſeculo vixerunt, inſtituerit. Vocat multæ lectionis virum, ſed ſimpliciorem & exigui judicii. Eodem loco *pag. 171.* recenſetur *Lanovii Hiſtoria Collegii Navarræi.* Bonciario delata fuit provincia ſcribendi de Viris illuſtribus Peruſinis, teſte *Eryth. Pinacoth. I. pag. 99.* Anglorum, Virorum tam illuſtrium qvam doctorum, aliqvot Vitas deſcripſit WILLIAM WINSTANLEUS libro, cui titulus: *England's Worthies.* Proponuntur hîc Vitæ à Conſtantino M. usqve ad mortem Cromvvelli. Liber Anglicâ linguâ editus eſt Londini Anno 1660. in 8vo.

Non omittendi qvoqve ſunt inſignes artifices, Statuarii, Pictores, Muſici, Ar- 69
chitecti, qvorum Vitæ etiam notandæ ſunt. Disputatur qvidem à nonnullis, an eorum Vitæ ſcribi mereantur, præcipuè à Patricio *dialogo de Hiſtoriâ octavo.* Sed
rectè contrariam ſententiam defendit Voſſius de *arte hiſtoricâ Cap.* 17. * GEOR- 70
GIUS VASARUS, tam pennâ qvam penicillo celebris, ſcripſit Italicâ linguâ tomis aliqvot *Vitas pictorum & ſtatuariorum, & architectorum illuſtrium*: qvi liber editus eſt Florentiæ apud Juntas An. 1568. in 4to. De illo videatur Ghilin. *Theatr. part. 2. p.* 117. Adeò ſolliciti etiam Itali fuerunt, ut excellentium artificum Vitas deſcriptione
dignas judicarint: * Qvod utinam aliis qvoqve gentibus perſuaderi poſſet. Facit 71
enim hoc ad conſervationem ipſarum artium & inventorum ſingularium. Habent enim plerumqve ſinguli artifices aliqva, qvæ ipſorum ingenio debentur: qvæ ſi cum delectu & bonâ fide notarentur, magnum in vitâ civili uſum haberent. Ne qvid dicam de commodis, qvæ inde ad Mathematica & Phyſica ſtudia perveniunt. Turpe eſt, Germanos noſtros non eſſe eâ de re ſollicitos, inter qvos magna eſt artificum induſtriorum & ſolertiſſimorum copia, qvorum ipſa ſæpe cum Autoribus pereunt inventa. De Pictoribus qvibusdam in Germanicâ linguâ memoriæ qvædam apud Sandratum
extant: ſed infinita alia poſſent colligi. * Ingens aliqvod corpus & Syſtema, 72
qvô omnium Pictorum, veterum & recentiorum, Vitas comprehendit, moliebatur FRANCISCUS JUNIUS, qvi olim ipſe *de picturâ* librum edidit. Oſtendit mihi ipſi, cum eſſem in Batavis, librum à ſe ſcriptum, ſatis copioſum & vaſtum; qvi an unqvam edendus ſit, ambigo: Typographum enim, qvi ſumptus erogare vellet, invenire non potuit. (*yy*) Nunc fortè vivere deſiit Vir ille tum temporis octogenarius.

 * No-

(*yy*) Franc. Junii Labor iſte de Pictoribus una cum Libris ejus III. de Pictura auctoribus, Roterodami

73 * Noſtrâ ætate CAROLUS DATI ſcripſit *Vitas Pictorum Antiqvorum*, Florent. editas Anno 1667. in 4to.

CAP. XX.
DE FRUCTU OMNIS HISTORIÆ BIBLIOTHECARIÆ.

§. 1. *Tranſitio.* 2. *Magna Hiſtoriæ Bibliothecariæ utilitas.* 3. *Hinc univerſalis aliqua Scientia ſperanda.* 4. *Conſilia ejus adornandæ proponuntur.* 5. *Quirini Kulmanni* 6. *& aliorum promiſſi labores.* 7. *Librorum ineditorum inveſtigatio publicè utilis.* 8. *Eorum multi veris autoribus per plagium ſurrepti.* 9. *Catalogi omnium autorum conficiendi methodus.* 10. *Inventorum & experimentorum commemoratio.* 11. *Ejusdem utilitas.* 12. *Nova Machina Urinatoria, cujus ope per aquas ambulare poſſumus.* 13. *Ea jam tum à Pegelio* 14. *& Petro Mormio publicè propoſita.* 15. *Magna ex inventorum hiſtoria utilitas.* 16. *Inventorum ſcriptores ex antiquis.* 17. *Beccheri liber Germanicus, cui titulus Stulta Sapientia, & Sapiens Stultitia laudatur.* 18. *Itineraria Monconiſii, Thevenotii, Ogerii laudantur.* 19. *Et epiſtolarum nonnulli Scriptores.* 20. *Ex Patini Epiſtolâ inventum ſingulare pro calefaciendis conclavibus producitur.* 21. *Joannis Pellii conſilium pro ſcientia Mathematica univerſali adornanda.* 22. *Idem fieri in ceteris diſciplinis poteſt.* 23. *Summa inde eventura utilitas.* 24. *Placcio aliqui in hoc argumento libri promiſſi.*

1 PErcenſuimus hactenus Autores Bibliothecarios, qvi vel de Bibliothecis in univerſum, vel de Bibliothecis ſingularum Facultatum ac omni re literariâ egerunt; ita tamen, ut non omnes minutias perſecuti ſimus, indicium tamen dederimus, unde illæ petendæ: Nunc dicemus aliqvid de fructu hujus laboris, ne qvis exi-
2 ſtimet, intra ſolam nomenclaturam rem illam conſiſtere. * Monuimus jam in ingreſſu Operis, qvantum momenti ſit in Hiſtoriâ literariâ, & qvam difficile ſit illius fundum emetiri, qvam difficultatem utilitas infinita ſolari poterit; Qvare fuerunt non pauci, qvi conatus qvosdam ad rem illam attulerunt, ſed irritos hactenus & ſpe ſuâ deſtitutos. Non verò adeò deſperata res eſſet, ſi certô ordine & probè dispertitis
3 operis inſtitueretur. * Fuerunt, qvi univerſales ſcientias methodô ſecretâ & ſingulari excogitarunt, cum crederent, ſe ſummas omnium rerum rationes animô complecti poſſe, atqve ita univerſali qvôdam typô omnis doctrinæ abdita ſe comprehenſuros.

Roterodami A. 1694. in fol. ſub hoc prodiit Titulo: *De Pictura Veterum Libri III, tot in locis emendati, & tam multis Acceſſionibus aucti, ut plane novi poſſint videri. Acceſſit Catalogus adhuc ineditus Architectorum, Mechanicorum, ſed præcipue Pictorum, Statuariorum, Cælatorum, Tornatorum, aliorumque Artificum, & Operum, quæ fecerunt, ſecundum ſeriem Literarum digeſtus.* Debetur hæc Editio Viro Celeberrimo, Joh. Georg. Grävio, qvi Vitam etiam Junii præfixit.

ſuros. Sed ſteriles fuiſſe hos labores jamdudum compertum eſt: Sola perfectæ omnium rerum cognitioni viam ſternit Bibliothecaria notitia; qvæ, qvamdiu non eſt tota exculta, non ſperari poterit perfecta & univerſalis omnium ſeculorum & artium doctrina. At verò rem infinitam poſtulas, dixerit aliqvis: Imò non eſt infinita, & ſatis commodè finibus ſuis coërcebitur, modò in promptu ſint ſubſidia ad illam rem idonea. * Sunt verò ad illa ſumptus neceſſarii à Magnatibus ſubminiſtrandi, qvod palmarium 4
in hôc negotiô eſt; Privatorum enim ſortem & conditionem conatus illi excedunt: deinde Doctorum ad eundem ſcopum conſpirantium æqvalis propenſio, unius prudentis & docti viri auſpiciis ordinata; qvi ſi laborem illum per diſciplinas diſtinctum ſuſceperint, à pluribus aliqvot annorum curſu faciliùs hoc expedietur negotium, qvam ab unô homine integrô ſeculô.

Seligantur ergò homines ſinguli in arte ſuâ & diſciplinâ, qvam profitentur, excellentiſſimi, qvi laborem hunc aggrediantur. Diſtinguantur primùm diſciplinæ notionales à realibus; in illis intricatior proficiendi ratio eſt, ob multitudinem ſectarum & opinionum, non tamen omninò impoſſibilis: in realibus diſciplinis, ut Phyſica & Matheſi, qvæqve illis ſubordinantur, promptiùs procedere poſſumus; in ſingulis verò peculiares qvædam rationes ineundæ ſunt, ſecundum qvas inſtitui hæc tractatio debeat. * Fuit ante aliqvot annos QVIRINUS KULMANNUS, juvenis ingenio non 5
deſtitutus, qvi in *Prodromô ſuô qvinqvennii mirabilis*, & in epiſtolis *de arte magnâ ſciendi*, ſeu *de combinatoria*, magnô apparatu promiſit artes magnas, ut vocat, artem nempe magnam eloqventiæ ſolutæ & ligatæ, artem magnam ſciendi, artem magnam ſcribendi, linguas diſcendi, commentandi, Critices & multa alia: qvæ ille, qvaſi divinô ſpiritu edoctus, proponere hominibus voluit, ut eſſent prodigiorum ac miraculorum inſtar. Verùm hactenus præter titulos non vidimus: & fuit ille homo, utut ingenioſus, neſcio qvibus fanaticis opinionibus imbutus, qvæ infringunt omnem hujus doctrinæ apparatum. Erat verò illa non tam ſpeculatione inani, qvam lectione diligenti & attentâ veterum ac recentiorum ſcriptorum autorum abſolvenda: qvam viam homo ille ſpernit in ſolis ingenii, alioqvin non vulgaris, commentis ſubſiſtens. Pleraqve enim illa, qvæ ut nova ac divinitus qvaſi inſpirata venditat, vel ab aliis jam tum deſignata fuere, vel ex re ipſâ facilè ſe produnt. * Fuerunt & alii, ut *Lullius*, *Paulus Scalichius*, qvi ſingulares rationes commenti ſunt novæ ac univerſalis doctrinæ. 6
Sed, cum vetera omnia ſpreverint, non potuerunt rectô ordine incedere. Commentitia enim omnia fuerunt, & illi αὐτοδίδακτοι, de qvibus *lib.* 2. plura.

Ut itaqve rectiore viâ incedatur, conficiatur Catalogus omnium Autorum in 7
ſingulis diſciplinis, atqve ille exhibeat Synopſin omnium librorum ejus diſciplinæ, qvi vel jam publicati ſunt, vel adhuc MSti in Bibliothecis deliteſcunt. De MStis publicâ Magiſtratus curâ indagandis jam *ſuprà cap.* 7. dixi, & nunc denuo moneo: * multæ enim ſunt de ſurreptis per plagium ineditis libris Virorum doctorum qverelæ. 8
Legatur de hoc argumento Rittershuſii ad Richterum Epiſtola, qvæ habetur in Richterianis p. 204. *Equidem mirari ſatis non potui*, ille ait, *tam apud veteres Græcos & La-*

& Latinos, quàm ſuperioris ſeculi, viros magni nominis aliena ſcripta tota transſcripſiſ-
ſe, & ſine ulla immutatione aut mentione autorum pro ſuis edidiſſe. Bodinus lectiones
Turnebi in Oppianum pro ſuis vulgavit. Quid Scioppius Gi[illegible]anio harpagârit, notum
eſt doctis. Hoc non æque omnibus, Davidem Origanum Mathematicum libros Georgii
Rollenhagii de Prognoſtico Calendariorum & Nativitatum pro ſuis edidiſſe. Arnoldus
Clapmarius hoc nomine accuſatur ab Eberhardo à Wethe. Optimi Piccarti noſtri p. m.
ſcripta in furaces hujusmodi manus incidiſſe, nemini hîc ignoratur: ut nec illud, ejus
9 *lectiones in Tragœd. Senecæ hanc ipſam ob cauſam publicam lucem fugere.* * Ii-
dem Autores ſecundum tempora & ordinem annorum, qvibus Opera eorum primùm
excuſa, diſpeſcantur; tertiò Catalogus exhibeatur ipſorum Operum, Catalogus ſecun-
dum ordinem annorum, atqve in ſingulis ſummaria & lemmata non capitum tantùm,
ſed & eorum, qvæ in capitibus continentur, annotentur. Tales Catalogi ſi inſtituan-
tur, exempli gratia in Phyſicis, primùm Autores veteres ſecundum ordinem & ſeriem
annorum eſſent numerandi: ſi illorum integra extent Opera, ea in compendium con-
10 trahenda breviſſimum; ſi fragmenta, illa etiam ſuô locô ponenda. * Hinc ad
generalem Phyſicam progreſſus fieri deberet, & ſecundum ordinem rerum notandæ
eſſent variorum Autorum ſententiæ: qvi veteres conſentiunt cum recentioribus, ad
unum ordinem referendi. In ſpeciali Phyſicâ notari iſta deberent ſingula, qvæ ad
praxin ipſam ſunt deducta, qvæqve in naturâ ipsâ ita inveniuntur, notatis ſemper Au-
toribus & annis, qvibus ſinguli vel libri, vel inventa lucem viderunt: qvæ ſi accuratè
ſint omnia notata, atqve Indices plenè omnia repræſentent, magna inde naſcetur uti-
litas. Statim enim patebit, qvid cuiqve vel veterum vel recentiorum circa principia
phyſica in mentem venerit, ſive nova conſtituendo, ſive vetera illuſtrando.
11 Hinc ſtatim pateret, ſi nova dogmata ab aliqvo protrudantur in publicum, an
illa recocta ſint, vel per plagium alicui ſurrepta, vel novâ qvâdam ratione interpolata.
Specialia qvoqve inventa unà innoteſcerent, ſiqve illa ſimul proponerentur, ex illô
analogiſmô homini ſolerti plura inveniendi ſubminiſtraretur occaſio: Dici enim non
poteſt, qvanta ſit conceptuum fertilitas. Sola enim commemoratio illorum experimen-
torum, & perpetua è principiis deductio ſimilia moliendi, & ex iisdem principiis dedu-
12 cendi, occaſionem ſuppeditat. * Fuere nunc, cum hæc ſcribo, qvi Machinæ alicujus
inventionem propoſuere, qvâ non unus tantum homo, ſed integri exercitus, ſine pon-
tibus impunè per aqvas ambulare, gladiis pugnare, ignes & tela jaculari poſſent. Pu-
blicis relationibus in omnium notitiam res illa venit, ferebaturqve Cl. Dn. WAGEN-
SEILIUS hujus inventi artifex, de qvo tamen alii ante ipſum jam dudum cogitarunt.
Qvod clariſſimo huic Viro forte ignotum: neqve enim illius inventum in dubium
13 voco, & poſſunt pluribus eadem ſæpe in mentem incidere. * Idem tamen, qvod
nemo animadvertit, jam ſub hujus ſeculi initium Principibus & Rebuspublicis, inter
cetera ſua arcana obtulit MAGNUS PEGELIUS, cujus jam ſuprà mentionem fecimus.
Ex enarratione autem circumſtantiarum utrinqve collatarum idem patet eſſe inven-
tum. Unde manifeſto exemplo videre poſſumus, qvam multa in ſeculis prioribus

per

per ſocordiam hominum neglecta, qvæ alio tempore iterum in conſpectum producuntur. Ita verò apud Pegelium verba habent p. 126. *Quomodo in Naufragio quocunque ſubmerſionis ſeu interitus discrimen omne ſemper & ubique certo vitare liceat. Qui item ſine ſanitatis ſeu valetudinis aut alio notabili corporis incommodo, adeoque ſine aquarum, fluctuum, procellarum, pluviarum, frigoris pernicioſo aliquo impedimento ſeu noxa ibidem interea dormire, jacere, ſedere, ſtare, cibum capere, & quocunque velis, te ipſum promovere ſeu viam dirigere valeas. Res etiam tuas, quæ mole ſeu quantitate non nimia fuerint, vel ex his, quæ tibi cariora ſunt, unà tecum ſalvare poteris: imò hominem, quem velis, alium vel plures etiam, ſi ſic efformaveris, absque ullo ullius hinc incommodo, ſimul tibi cohærentes gratos & ſuaves ſic ſocios, tibique vitam ſuam & quicquid una ſalvarint debentes, æque liberabis. Præterea medio hoc eodem, quocunque etiam extra naufragium, pro rerum tuarum firma & tuta conſervatione, & pro quiete noctu & aliàs & in navi & in curru & domi uti & frui licebit, ſeu conjunctim toto ſimul, ſeu parte illius una, duabus vel quotcunque volueris. Hæc omnia & ſingula omnino ſunt & perdurantia & ſumptuum faciliorum. Alias ſi capite ſeu ore ſolo aquarum immunis eſſe cupis, media occurrunt exigua & levia.* Illa Anno 1604. ſcribebat Pegelius, ſurdis narrans fabulas, neqve qvisqvam ad illius oblata arcana, ut fieri plerumqve ſolet, reſpexit.

Anno 1630. PETRUS MORMIUS in *arcanis Collegii Roſiani detectis* p. 42. Ordinibus Belgicis ſimile inventum, qvod tamen minoris videtur effectus eſſe, qvam ſuperius illud, obtulit. Ita verò illic: *Arcanum mortem arcens violentam triplex eſt: unum defendit ab aquis, alterum ab armis, à fame tertium. Primum horum non eſt tantæ difficultatis, quin poſſit excogitari etiam ab obtuſo & præpingui ingenio: at quia non eſt apud incolas hujus patriæ uſitatum, ubi tot diſcrimina mortis ab aquis graſſantur, maritimis tempeſtatibus, aliisque fortuitis caſibus, judicavimus, nobis indecorum haud fore, ſi illud publico uſui communicandum offerremus. Facillimè inſtrumentum hoc & portari & admoveri poteſt; quo quisque mare aditurus muniri debebat; ut, ſi tempeſtas, vel nox obſcura inter ſcopulos, aut aliud periculum à nave ſubmergendâ, aut ab hoſtibus perfringendâ ingruat, eo munitus mergi in gurgitem nequeat; ſed ſaltem fluitando ſuper aquis animam Deo commendandi tempus ſuperſit; aut venti vel manuum remigantium beneficio atque pedum circa littus aliquod ferri queat, aut amicâ nave excipi, aut alio quopiam fortunato eventu ſervari.* 14

Magna profectò hæc eſt Principum & opulentorum hominum ignavia, qvi pulcherrima inventa, ſolâ avaritiâ ducti, perire ſinunt; cum tamen, ſi vel maximè illa non ſuccederent, comparari tamen qvolibet pretio & in publicos uſus reponi deberent. Haberent fortè ſecula futura, qvod ſibi elaborarent, ſi noſtrorum ſtupor illa non caperet. In tam multis unum experimentum multis congerendis opibus forte inſerviret, & impenſas largiſſimo fœnore reſarciret. Qvam multi in res voluptuarias & vanas exhauriuntur theſauri, unde mera in Rempublicam & cives damna redundant, cum modicis ſumptibus immenſæ parari utilitates poſſint. Non exiguum 15

profectò hoc Reipublicæ arcanum eſſet, ſi qvis Princeps vel aliqva Reſpublica, certos
pro novis inventorum præmiis reditus conſtitueret, qvod & ingenia excitaret, & ma-
gno fructu Rempublicam bearet. Qvanta hujus, de qvo agimus, inventi utilitas ſit,
qvis non videt? Sed nemo tamen hactenus, qvod ſciam, inventus eſt, qvi inventorem
allicere aliqvo præmio velit. Deniqve & hoc utile erit, inventorum Hiſtoriam con-
16 ſignare, qvod olim multi fecerunt: * nam de inventis ſcripſere ex antiqvis Scamon,
Cydippus Mantinenſis, Antiphanes, Ariſtodemus, Ariſtoteles, Philoſtephanus, Strato
peripateticus, Heraclides Ponticus, Ephorus, Theophraſtus, Philochorus &c. de qvibus
Jonſſ. Hiſtor. Philoſ. lib. 1. cap. 12.
17 Hoc JOANNIS JOACHIMI BECCHERI conſilium fuit, qvi in libello Gemanico
variorum inventorum Hiſtoriam recenſuit. Titulus eſt *Stulta Sapientia*, & *Sapiens
Stultitia:* duas ergo libri partes facit, qvarum prima, cui Stultæ Sapientiæ titulus, ea
continet noſtri temporis inventa, qvæ ſtulta viſa omnibus fuere, & feliciter tamen ſuc-
ceſſerunt; altera pars, cui Sapientis Stultitiæ titulus, de illis inventis agit, qvæ magno
molimine & conſilio excogitata, in irritum ceciderunt. Elegans liber eſt, multaqve
ſcitu digna continet, alioſqve invitare poteſt, ut ſimilem inventorum recenſum inſti-
18 tuant. * Nunqvam expeditior ad illa perveniendi via eſt, qvam in peregrinatio-
nibus. Si qvis ergo in itineribus diligenter obſervationes inſtituat, eas aliqvando
editurus, is bene profectò de re literariâ merebitur. Suprà laudavi MONCONISIUM,
cui addi poteſt THEVENOTIUS, qvi multa apud varias gentes vel mechanica vel natu-
ralia inventa conſignavit. Laudandus qvoqve hâc in re CAROLUS OGERIUS eſt, cu-
jus extat Iter Danicum, Svecicum & Polonicum, qvod ille Legato Memmio additus Se-
cretarius dictione latinâ nitidâ deſcripſit. Habentur illic variarum rerum civilium,
naturalium, fortuitarum, lepidæ narrationes, qvæ legentem mirificè delectant. Ple-
rumqve & illi, qvi ſuam ſcripſere vitam, ſilentio præterire non ſolent, qvæ illi me-
19 morabilia in vitâ obſervarunt. * Ex Epiſtolis nonnunqvam talia colligi poſſunt,
præcipuè talibus, qvæ Phyſici ſunt argumenti, qvales Bartholinus, Licetus, Sorbierius,
20 ſcripſere. Nonnunqvam etiam in aliis talia deprehendas. * Ita in Guidonis Pa-
tini Epiſtolâ 153. recenſetur inventum Itali cujusdam pro componendâ ex terrâ qvâ-
dam compoſitâ maſſâ inflammabili, citra tamen odorem & fumum, qvâ calefieri qvaſi
in momento conclave aliqvod poſſit. Verba ipſa adducere ab hôc locô alienum non
eſt. *Il y a ici un Italien qui dit avoir été mandé exprés pour un certain ſecret, qui eſt
d' une terre compoſée qui echauffe incontinent une chambre, ſans odeur & ſans fumée.
Pluſieurs ont étè nommés pour en voir l' epreuve, dont il y a eu deux Medicins, ſavoir
Monſieur Matthieu & moi Mr. Blondel, Guenaut, Brayer & Moriſſet s' y ſont auſſi trou-
vés. Nous avons ſigné que ces boules de terre faiſoient un feu beau & clair ſans fumée
& ſans aucune mauvaiſe odeur. Il nous dit qu' il en donnera un cent pour 10. ſous.
Chaque boule eſt plus groſſe qu' une bale de tripot.* Hæc & ſimilia colligenda omni
ſtudio ſunt, inſigni aliqvando uſui futura.
21 In Mathematicis idem conſilium dari poteſt, & dedit jampridem JOH. PELLIUS,
Anglus,

Anglus, in ſuâ *Matheſeos ideâ*, epiſtolâ ſcilicet de meliorando ſtudio Mathematico, qvæ reperitur in collectionum philoſophicarum Anglicarum qvintâ, qvæ Anno 1682. prodiit. Conſilia illic ſuppeditat, qvomodo Pandectæ univerſales Mathematicæ confici poſſint, qvibus colligantur ex Mathematicis libris & inventis, qvæ ante nos fuere; & veluti conſectaria inde deducantur, citatis ſub finem cujusqve periodi aut propoſitionis Autoribus antiqviſſimis ſeqventibusqve; omnibus nota inuſta, ubi vel in furtô deprehenſi fuerint, vel mutuati ſuppreſſo autoris nomine fuerint, vel aliorum inventa ſibi audacter arrogaverint. His Pandectis ita concinnatis pateret omnibus, qvantum ordinis, ſoliditatis, & perſpicuitatis ſingulis ineſſet, qvid artifex artifici præſtaret. Magno porrò lucro cederet notitia Autorum in unum conſpectum producta, neqve anxiâ eſſet circa libros inqviſitione opus: tolleretur qvoqve inordinata illorum lectio: qvicqvid peccatur diverſis methodis, confuſionibus, tautologiis, paralogiſmis, id ſimul omne pateret, & conſtaret omnibus, in qvos lapides offendere qvis poſſit. Verum enim eſt, qvod Autor ille aït, etiam paralogiſmorum debere eſſe notitiam, & errorum, qvi à Viris celeberrimis non ſolùm, ſed & hominibus ineptis & indoctis commiſſi ſunt. Nam & ex errorum notitia veritatis patet via, & plus interdum ex illo, qvod paradoxon videtur, diſcitur, qvam ex ipſis præceptis, verâqve illa & accuratâ methodo. Fiet enim ita, ut errores ipſi vitemus, & qvid ex uſu noſtro reqve ipsâ ſit, rectius percipiamus. Id non in Mathematicis tantùm, ſed etiam omni adeò doctrinâ prodeſt.
22 * In ceteris diſciplinis idem præſtari poſſe, qvod in Phyſicis & Mathematicis, dubium nullum eſt, modò res ita inſtituatur, ut veterum recentiorumqve Autorum accurata inter ſe conſtituatur σύγκρισις: qvod ut fiat, primum Autores omnes diligenter notari, tùm excerpta accurata ſecundum ordinem capitum diſciplinæ inſtitui debent: in iis verò excerptis ordo ille adhibendus, ut omnes opiniones veterum recentiorumqve Autorum qvaſi per Indicem notentur, præcipua & palmaria argumenta illis ſubjiciantur.
23 * Qvi labor, ſi per aliqvot annos continuetur, eò tandem rem redigere poterimus, ut ſingularum diſciplinarum perfectiſſima Syſtemata habeamus, qvæ in unum corpus compingi deinde poſſint, atqve ita mirificè augeri poſſit res literaria cum maximô, tàm docentium qvàm diſcentium, emolumento: imò auſim ego vel datô pignore certare, ſi curæ iſti ſeriò inſiſterent Magnates, ſumptusqve & Bibliothecas ſuppeditarent, viros deinde doctos, & ſuis ſingulos laboribus aptos huic negotio præficerent, vel uno decennio rem omnem in ſingulis diſciplinis abſolvi poſſe. Qvod ſi fieret, unus liber in ſingulis diſciplinis pro Bibliothecâ eſſet, ceſſarentqve omnia illa impedimenta, qvæ naſcuntur è confusâ tot Autorum lectione.
24 * Fortè aliqvid hujus rei molitur Placcius, qvi in librorum ſuorum Catalogo promiſit *Hiſtoriæ literariæ Compendium Univerſale*, migrationes artium & ſcientiarum varias ſummatim exhibens. Idem de ratione ſtatus Reip. literariæ hodiernæ, corruptela atqve remediis illius, librum, & varia in Verulamii egregios de augmentis ſcientiarum libros augmenta, promiſit.

CAP. XXI.

DE LOCORUM COMMUNIUM SCRIPTORIBUS.

§. 1. *Bibliothecarum notitia inſtar Locorum Communium eſt.* 2. *Bibliotheca Thuana Locorum Communium ideam proponit.* 3. *Daſſiliandri & Johannis Ray peregrinantium diligentia in notandis Viris doctis eorumque ſcriptis.* 4. *Locorum Communium ſtudium nonnullis malè contemnitur.* 5. *Mareſii* 6. *& Sorelli iniquior cenſura refellitur.* 7. *In Locis Communibus concinnandis aliquis etiam judicio locus eſt.* 8. *Ipſorum Autorum interitus à Locorum Communium Scriptoribus quibusdam creditur.* 9. *Conſtantini Porphyrogennetæ excerpta.* 10. *Defectus è nimio Locorum Communium ſtudio.* 11. *Modus in illis colligendis tenendus.* 12. *Illi per amanuenſes colligendi.* 13. *Virorum doctorum* παρεκβάσεις *non contemnendæ ſunt.* 14. *Salmaſii Opus in Solinum laudatur.* 13. *Quidam datâ operâ in unum argumentum omnes Locos Communes exhauriunt.* 15. *Eo nomine notatur Cauſinus in Aulâ ſanctâ, & Cornelius à Lapide.* 16. *Martinengi gloſſa in cap.* 1. *Geneſ.* 17. *Roſſelii Comm. in Pimandrum.* 18. *Merſenni Commentarius in Geneſin.* 19. *Veteres magnam excerptorum curam habuerunt.* 20. *Referuntur antiquorum excerptorum compilatores.* 21. *Medii & recentiores excerptorum Scriptores.* 22. *Vincentii Specula.* 23. *Zwingeri & Beyerlingii Theatra Vitæ humanæ.* 24. *Polyanthearum Scriptores,* 25. *Langius,* 26. *Gruterus.* 27. *Magirus ceteris præfertur.* 28. *J. B. Bernardi Seminarium Philoſophiæ Platonicæ & Ariſtotelicæ.* 29. *G. J. Voſſii liber de Idololatria & Phyſiologiâ laudatur.* 30. *Voëtii Diſputationes ſelectæ.* 31. *Diſputationes & diſſertationes argumenti rarioris diligenter colligendæ.* 32. *Taſſoni Penſieri diverſi.* 33. *Idem Carnificis panegyriſtes.* 34. *Bonifacii Hiſtoria Ludicra.* 35. *Pontani Attica Bellaria* 36. *& Progymnaſmata.* 37. *Raviſii Officina.* 38. *Laurentii Polymathia.* 39. *Welſchii Ideæ antiquitatum.* 40. *Ejusdem opera affecta.* 41. *Jac. Gothofredi Corpus Antiquitatum Juridicarum.* 42. *Galleotti Martii de doctrinâ promiſcuâ liber.* 43. *Ejusdem alter de rebus vulgo incognitis deperditus.* 44. *Sorbieri Epiſtolæ.* 45. *Caſparis Dornavii Amphitheatrum.* 46. *Biſciolæ Horæ ſucciſivæ.* 47. *Majoli Dies Caniculares.* 48. *Locorum Communium Scriptores titulis adſcititiis luxuriant.* 49. *Menochii Trattenimenti Eruditi.* 50. *Cælii Rhodigini Antiquæ lectiones.* 51. *Pancirolli libri Memorabilium.* 52. *Watſoni Supplementum.* 53. *Ejusdem Unio ſapientiæ.* 54. *Conradi Lycoſthenis Apophthegmata.* 55. *Eraſmi Apophthegmata.* 56. *Lycoſthenis Similia.* 57. *Ejusdem Auctaria in Officinam Raviſii.* 58. *Idem facetias Bruſonii edidit.* 59. *Emblematum Collectanea.* 60. *Giovanni Ferro Theatre d' Impreſe.* 61. *Philippi Picinelli Mundus Symbolicus.* 62. *Adagiorum Scriptores.* 63. *Adagia à gnomis differunt.* 64. *Welſchii Opus Adagiorum panglottum.* 65. *Kuhlmanni Opus Adagiorum Univerſale.* 66. *Adagialium Collectio utilis.*

utilis. 67. Eraſmi Opus de Adagiis, 68. defenditur adverſus Rhodiginum. 69. & Verdierum. 70. Jani Gruteri Florilegium Ethico-Politicum. 71. Bibliotheca Exulum. 72. Berlucii Adagia ſelecta. 73. Joſephi Langii Adagia, 74. in certos locos diſtributa. 75. Jac. Duporti Gnomologia Homeri. 76. Bogani Homerus Hebraizon. 77. Michaëlis Neandri LL. CC. 78. Philoſophici Græci, 79. Ariſtologia Pindarica Euripidis. 80. LL. CC. Philoſophici Latini, 81. Rottmari 82. & Barlandi Proverbia Virgiliana. 83. Acutè dicta veterum Poëtarum, nullius momenti. 84. Hayneccii medulla Terentiana, Tulliana. 85. Adagia Græcorum, Zenodoti, Diogeniani, Svidæ. 86. Adagia in aliam linguam an transferri poſſint? 87. Apoſtolii proverbia. 88. Adagiorum ſacrorum Scriptores. 89. Hebraica Plantavitii, Druſii & Buxtorffii. 90. Vorſtii adagia Græca N. Teſtamenti. 91. Zehneri Adagia ſacra, 92. ſimilitudines, 93. & paralipomena. 94. Detrii 95. & Novarini Adagia ſacra. 96. Italica adagia. 97. Angeli Monoſini liber de Italicâ linguâ & adagiis laudatur. 98. Julii Varini Schola vulgi. 99. Optima adagii diſponendi methodus. 100. Alii adagiographi Itali recenſentur. 101. Gallicorum adagiorum Scriptores pauci. 102. Belgica adagia, 103. Hiſpanica Nunneſii. 104. Mal Lara. 105. Commentarius in adagia Medica Hiſpanica de Rieros. 106. Anglicorum adagiorum Scriptores. 107. Jac. Howel. 108. Dictionarium Powels. 109. Sermones ex adagiis concinnati. 110. Germanicorum adagiorum Scriptores, Franck, Agricola, Friderici, Heniſchius, Eyering, Lehmannus, Tappius, Winckler. 111. Langſtous Poëſeos Græcæ Medulla. 112. Draxii Bibliotheca Scholaſtica. 113. Plures Proverbiorum Scriptores recenſentur. 114. Freigii Ciceronianus. 115. Rivii Loci Communes Philoſophici. 116. Schielen, 117. Zimmermanni, 118. Ficheti, 119. 120. Benzii & aliorum Loci Communes.

INter præcipuos Hiſtoriæ Bibliothecariæ fructus eſt, qvod jam ſupra diximus, ut 1
habeamus qvaſi univerſales qvosdam Locos Communes: atqve ita optimæ & à præſtantiſſimis Autoribus congeſtæ Bibliothecæ inſtructæ ſunt, ut Locorum Communium qvaſi imaginem qvandam exhibeant. * Qvales jam ſuprà Bibliothe- 2
cas plures commendavimus, atqve inter illas præcipuè Thuanam illam. Fuit in illa ingens MStorum indubiæ vetuſtatis copia, & in magnâ Autorum ſylvâ operoſus ſelectus, ad cujus ſolam librorum compactionem viginti millia ſcutatorum nummorum & amplius conſumpta ſunt. Collecta hæc Bibliotheca eſt Scaligeri, Caſauboni, Puteanorum fratrum, Salmaſii, Grotii, Sammarthanorum fratrum, Sirmondi conſilio. In peregrinationibus ſuis Thuanus apud omnes gentes Bibliopolarum angulos excuſſit, ut optimos ſecum libros adduceret, qvod à Joſepho Qveſnel in præfatione hujus Indicis prolixiùs recenſetur. Id enim in peregrinationibus eruditus præcipuè attendere debet, ut Viros doctos eorumqve Opera inqvirat. * Ita *Theophilus Daſſiliander* in 3
Commentario ſuo Itinerario an. 1585. edito urbes Italiæ non deſcribit tantùm, ſed & viros doctos eorumqve Opera recenſet. Ita *Johannes Ray* in Itinere per Germaniam, Italiam, Galliam, cujus hiſtoria Londini An. 1673. Anglica lingua edita eſt, præter

 Obſer-

Obſervationes Topographicas, Morales & Phyſiologicas, qvicqvid ad Viros doctos,
4 rem literariam, ſcripta doctorum pertinet, diligentiſſimè recenſuit. * Qvoniam ergo ipſæ Bibliothecæ Locos Communes præſtant, ideoqve & LOCORUM COMMUNIUM SCRIPTORES ac COLLECTORES Bibliothecariis à nobis accenſebuntur. Sunt enim variæ doctrinæ qvaſi promi-condi, neqve tam contemtim habendi, ut vulgò à ſciolis qvibusdam habentur; qvi, niſi ipſi ex aliorum Locis Communibus profeciſſent, arctè profectò ſecum habitarent.

5 Sunt inter Gallos aliqvi, qvi omne illud Locorum Communium ſtudium ad ignavos homines ablegandum putant, è qvibus *Mareſius lib.* 1. *Epiſtola* 2. alto ſupercilio nonnullos è Germanis deſpicit. Hos enim illic tangit, etſi non nominet, Plinium illis opponens, qvi non ingentia Volumina ex variis Autorum locis conſuta dederit, ſed qvi de universâ rerum naturâ ſcribere aggreſſus rem omnem, qvæ propè infinita videbatur, paucis libris & ordine præclaro complexus ſit: cum ex recentibus qvidam minimas ejusdem Hiſtoriæ Naturalis partes tot ſint Voluminibus perſecuti. *Nimirum*, inqvit ille, *Plinius autorum, qvos ſeqvitur, verba, non niſi rarò, idqve breviter, cum opus eſt, adducit: ſed ab illis deſumptæ materiæ ſtylum tantum ſuum accommodat, & opus qvaſi ſuo Marte, non hians neqve interruptum, conficit. Longe aliter iſti: qvam plurimos ſiqvidem & prolixos locos in libros ſuos conferre ſtudent: plerumqve etiam gravibus rebus, qvæ minutias omnes reſpuunt, ſpinoſas & importunas Criticæ disqviſitiones, & Grammaticas, ſi Deo placet, qvisqvilias inſpergunt: à qvibus ſplendida materies refugit, & non aliter contaminatur, Ac Arretinæ violant cryſtallina teſtæ.* Sed futilis hæc profectò moroſi Cenſoris qverela eſt: Alia eſt Plinii ſcriptio, alia eorum, qvi Locorum Communium collectanea congerunt. Plinius Hiſtoriam Naturalem continuo filo deductam ſibi propoſuerat; ſed ceteri illi Locorum Communium ſcriptores, ſi qvidem partibus ſuis rectè fungi vellent, diligentiùs, & ut rei fides ex relatione accurata conſtare poſſit, omnia conqvirere, & lectori judicanda relinqvere debebant. Qvod ſi feciſſet qvoqve Plinius, non laboraret in multis ejus
6 fides. Stulta eſt verborum parſimonia, ubi rerum qværitur evidentia. * Nimis in Locorum Communium Scriptores iniqvus eſt *Sorellus* libro *de Cognitione bonorum librorum cap.* 2. *p.* 61. minimè idoneus arbiter, Huarti qvandam ſententiam adverſus illos pronuncians. Ille ſcilicet in Examine ingeniorum publica lege coërcendos putabat homines, magis memoriâ qvam judicio pollentes, ne illi libros ſcribant: qvales
7 ipſe Locorum Communium Scriptores interpretatur. * Qvaſi ſcilicet nullo illis in libris congerendis judicio opus ſit; cum in ſelectu tamen rerum illud maxime reqviratur, ac interdum eodem judicio præditus eſſe debeat, qvi pro uſu aliorum qvædam ſeligit, qvàm qvi ipſe ſelectis utitur. Prævenit enim aliorum induſtriam, & qvaſi ideam omnium animo præcipit, qvi materiam tot rerum argumentis miniſtrat.

8 Parata & alia in Locorum Communium Scriptores calumnia eſt. Ajunt aliqvi eorum culpa tot bonos nobis periiſſe Autores: ſive enim diffuſi Autores in compendium trahantur, pro uſu vel publico vel privato; ſive centones conſarcinentur

tur ex pluribus; ſive pro arbitrio in Codicem ſingularem aliqva memorabilia excer-
pantur; illa *ἀποσπασμάτια* in lucem interdum mittuntur, cum paulatim è memoria
hominum dilabuntur vera illa & genuina Opera. De ſingulis illis egit Lomeierus *libro
de Bibliothecis cap.* 8. circa finem, & pleniùs illa exemplis illuſtravit Bailletus *de Judiciis
doctorum tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 11. *à pag.* 449. *ad pag.* 469. * *Conſtantinus Por-* 9
phyrogennata ex Autorum multorum ſcriptis Politicis & Phyſicis in certas claſſes, qvæ
maximè utilia, colligenda curavit, ut de re omni in promptu eſſent exempla, è qvibus
paucula aliqva Peireſcius ſervavit, cujus beneficio in publicum illa edita ſunt. Qvas
ſi eclogas omnes haberemus, utiliſſima multa ex Autoribus excerpta ſupereſſent, qvæ
nunc cum ipſis Autoribus interierunt. Præſtat ſaltem aliqva nobis antiqvorum Au-
torum relinqvi fragmenta, qvæ tamen horum Collectorum induſtriâ ſervantur, qvam
ut omnis illorum pereat memoria.

Negari id qvidem neqvit, eſſe qvendam etiam Locorum Communium abuſum. 10
Nam qvò qvis Locos Communes magis inſtructos habet, eò minus chartæ parcit,
omnia corradit, conſcribit, ut magnum librum, magnum malum, pariat. Qvo nomi-
ne Germani ſæpe exteris ridentur, qvi in omnes crimen illud conſvetâ ſibi maledicen-
tiâ diffundunt. Plurimos ſanè nominare poſſem, qvi eo modo libros conſcripſerunt,
qvi qvidem gloriæ parum inveniunt apud eruditos, idqve præmii loco conſeqvuntur,
ut exſcribi ſine plagii ſuſpicione poſſint; & eatenus commendandi ſunt, qvatenus illo-
rum inſaniâ frui prudentior aliqvis poſſit. Scribunt illi, non qvod ſcribi debet, ſed
qvod poteſt; imò qvod nec debet, nec poteſt. Si ad uſum transferre velint ſtudia,
plerumqve hîc talia ingenia deprehendas, qvalia deſcribit Gabriel Naudæus in *Synta-
gmate de ſtudio liberali*, ſub initium. * Qvare multi Viri prudentes omne ſtu- 11
dium, qvod in Locos Communes impenditur, ut bonæ mentis & judicii corruptelam
damnant, qvorum tamen ſententia probari mihi nunqvam potuit. Separandus enim
uſus ab abuſu eſt. Eſt etiam modus in illâ re tenendus, ac parciùs in illo colligendi
labore verſandum eſſe ſuaſerim, ne labore inſano judicii vis atteratur. Rectiùs ali-
qvis fecerit, ſi ſæpius ad exercitium & uſum, cui fini omnia congeruntur, transferat,
qvam ſi magnas inter opes inops eis uti ignoret. * Qvare, qvicqvid inter 12
legendum ſine incommodo tuo breviterqve tanqvam per lemma (diffuſas enim deſcri-
ptiones nihili facio) notare potes, notes velim: vel ſi opibus non deſtituaris, ama-
nuenſes alas non ineruditos, qvibus rem illam committas; ſed, qvi tuo judicio in col-
ligendo utantur. Id Salmaſius aliiqve Viri præſtantiſſimi fecerunt.

Evenit tamen nonnunqvam, ut & Viri eruditi & principe inter literatos loco, 13
in Locos illos Communes uberiùs ſe diffundant, vaſtisqve digreſſionibus ſcripta ſua
extendant: Qvibus ego ignoſcendum omnino arbitror, qvod utilitas ſumma eam, ſi
qva eſt, culpam rependat. Multum intereſt inter indoctorum hominum & doctorum
παρεκβάσεις. Hi enim ſemper utilia promunt; & lectoribus ſuis commodant, etiam
cum extra oleas vagantur. * Qvam ob cauſam vaſtum illud *Salmaſii in Solinum* 14
Opus, qvod ego Oceanum eruditionis Philologicæ vocare ſoleo, mirificè mihi placet:

non,

non, qvod non multis abſtinere potuiſſe in illo Commentario, ac per leges methodi
debuiſſe Salmaſium judicem; ſed, qvod ex locuplete penu, velut ex horreo qvodam,
liberali manu tot tantasqve opes promat, magno uſui omnibus futuras. Magnus
enim in illo ſcripto theſaurus & velut aurifodina latet, atqve unicè penè nunc pro-
fuit illi, qvi vaſtum Lexicon Philologicum nuper concinnavit, relatis ad literarum
15 claſſes commentationibus, qvæ primùm ad Solini verba alligatæ erant. * Repre-
hendit Guido Patinus *Epiſt.* 17. hanc in *Cauſſino* & *Cornelio à Lapide* ſcribendi ratio-
nem, qvi omnia cum pulviſculo converrant, & in unum librum conſtipent. Cujus
hæc verba: *Celui de la Cour ſainte eſt veritablement plein de rapſodies & principale-
ment au 3. & 4. Tome. Ce fut l' avarice du Libraire qui preſſa ce bon Pere d' au-
gmenter le nombre de ces volumes, afin de gagner davantage, & neanmoins le bon hom-
me êtoit épuiſé. Il avoit mis tout ce qu' il ſavoit de bon dans les deux premieres To-
mes. Un autre Jeſuite nomme Cornelius à Lapide en a fait de même. Il a com-
menté presque toute la Bible en 12. Tomes: mais il a mis plus d' erudition dans ſes
deux premiers ſur les livres de Moiſe & ſur les Epitres de S. Paul, qu' il n' y en a dans
les dix autres. Il eſt d' un homme Savant comme d' un ſac; quelque plein qu' il
16 ſoit il s' epuiſe, & enfin demeure vuide, à for ce d' en tirer.* * Eodem modo in
unum librum omnia conſtiparunt *Aſcanius Martinengius* gloſſa magna in cap. 1. Gen.,
17 ubi penè omnia, qvæ ad totam rerum naturam pertinent, congeſſit; * ſimiliter *Roſ-
ſelius* Commentario in Hermetis Triſmegiſti Pimandrum, omnes diſciplinas ineptè
18 conſarcinavit. * *Marſennus* qvoqve Comment. in Geneſ. ſylvam variarum re-
rum, ſed eruditam, complexus eſt.

Nos jam ad enarrationem illorum Autorum, qvi collectanea & Locos Com-
19 munes ſcripſere, procedimus. * Fuere ejus generis Scriptores apud antiqvos non
pauci, qvi in certo genere collectanea qvædam ſcripſere; etſi univerſalia ab illis non
20 habeamus. * Hujus exempla in utroqve Plinio, Gellio aliisqve habemus, & argu-
mento ſunt librorum Excerptorum apud veteres nomina. Huc ſpectant libri com-
mentarii, ita dicti à commentando, qvod in memoriam nobis revocent, qvæ lecta ſunt;
Straboni Hypomnemata dicti. Gellius etiam memorias & conjectanea, qvod multa
in unum aggerantur, vocari teſtatur. Qvæ JCti digeſta vocant, Loci Communes ſunt.
Habent & Græci ſuas χρηστομαθείας, de qvibus Mauſſacus in præloqvio notarum ad
Harpocrationis Lexicon, qvod nomen Böclerus excerptis ſuis Terentianis impoſuit,
ἐκλογὰς, qvas Latini electa vocant. Tales ſunt Stobæi Eclogæ, Electorum librum
Plinium ſcripſiſſe accepimus, de qvibus libris fuſiùs agunt Hermannus Hugo *libro de
primâ ſcribendi origine cap.* 31. & Clariſſ. Schefferus *libro de Stylo*, *cap.* 12. Græci
excerpta epigrammatum Ἀνθολογίας nomine appellabant, de qvorum Autoribus, col-
ligendi modo multa doctiſſimus Vavaſſor *libro de epigrammatibus*, *cap.* 16. commen-
21 tatur. * Nunc ad recentiores Scriptores deſcendemus, è qvibus generaliores illos
ſeligemus: nam omnium, qvi qvâcunqve in arte & diſciplinâ collectanea ſcripſerunt,
rationunc haberi neqvit; habebitur, cum ad diſciplinas illas pervenerimus. Fuere
jam

jam tum barbarô illô ſeculô ante παλιγγενεσίαν literarum nonnulli, qvi in omni genere collectanea ſcripſerunt, ſed cellarum fœtores ſpirantia. Hinc tot illorum ſunt ſpecula, repertoria, qvodlibeta, deflorationes, qvæ vel ipſo nomine ſuô produnt elegantias ſuas, de qvibus non eſt ut ſolliciti nunc ſimus.

VINCENTIUS BELLOVACENSIS EPISCOPUS primus è luto aliqvantu- 22
lum emerſit. Fuit ille ordinis Dominicani, natione Burgundus. Ejus extant qvatuor Specula, videlicet Doctrinale, Naturale, Morale & Hiſtoriale. Vaſti illi libri ſunt, & non contemnendâ diligentiâ congeſti; ſed ubiqve perlucet iſtius ſeculi ruditas. Sub Doctrinali Speculo comprehendit dogmata Methaphyſica, Logica, Theologica: ſub Speculô Naturali comprehendit Phyſica & Mathematica; totum penè Plinium exſcripſit, & omnes Autores Geoponicos: in Speculo Hiſtoriali incipit hiſtorias ab initio mundi, usqve ad annum Chriſti 1244., qvas alius usqve ad annum 1444. continuavit. Atqve hæc cauſa eſſe videtur, qvod Vindingius in Additionibus illis ad Dekeri librum de Scriptoribus Anonymis putat, hoc Speculum Hiſtoriale totum ab alio qvodam Vincentio eſſe confectum. Ejus in hiſtoriâ non magna fides eſt; nota enim eſt Monachorum in illô genere induſtria. Eſt tamen nonnunqvam, ubi in ſterqvilinio hôc auri aliqvid apparet. Habuere illi nonnunqvam libros, aut deſcripſere, qvi ad noſtras manus non pervenerunt. In Speculo Morali habentur omnes illæ materiæ, qvæ ad philoſophiam moralem & civilem ſpectant. Variæ qvæſtiones circa hoc negotium, qvaſi per lancem ſaturam, ê Scholaſticis congeſtæ, aliqvô tamen ordine: ſed de omnibus illis libris hoc pronunciandum, qvod Horatius de cujusdam Poëtæ carminibus:

Cum flueret lutulentus, erat qvod tollere velles.

Profuerunt tamen hi labores illis, qvi poſtea libros ejus generis ediderunt.

THEATRUM VITÆ HUMANÆ THEOD. ZWINGERI & LAUR. BEI- 23
ERLINGII vaſta exhibent Volumina, per omnes rerum titulos deducta, magis tamen ad eloqventiam qvam philoſophiam inſtructa: qvæ enim ad ſcientias pertinent, modico apparatu proponuntur, materiæ morales & civiles, qvarum uſus in eloqventiâ præcipuus eſt, majori curâ ſunt congeſtæ. Meliùs faciunt, qvi excerpta ad diſciplinas, qvà diſciplinas, ſpectantia ſejungunt, qvarum ſingulis ſingularem ego librum deſtinari vellem. Zvvingeri Theatrum Vitæ humanæ aliqvoties editum eſt, cujus ille primus autor non fuit, nam à Conrado Lycoſthene, Virô eruditô, ab apophtegmatum & ſimilium collectaneis celebri, initia ſua accepit. Inprimis moleſta eſt tam anxia & ſollicita rerum diviſio, qvæ neſcio qvam μικρολογίαν ſapit, in hôc Scriptorum genere inutilem; diſtrahit enim animum & oculos inqvirentis. Sub eôdem titulô à Beierlingio Antverpiæ liber ille prodiit, ſed accommodatiore ordine alphabetico, & longè auctior. Ille itaqve poſterior labor præferendus eſt Zvvingeri laboribus.

Theatris illis Vitæ humanæ ſubjungendi ſunt POLYANTHEARUM SCRI- 24
PTORES, quorum uſus præcipuus eſt in eloquentiâ & in Diſſertationibus ſcribendis. Continent enim gnomas, apophthegmata, ſimilia, exempla: * ſecundum qvem 25

ordinem Polyantheam ſuam congeſſit JOSEPHUS LANGIUS, cujus extat ſub illô titulô liber in foliô editus, non qvidem inutilis, ſed ordine illo non ſatis ad uſum accommodatus.

26 * Hunc laborem poſtea continuavit JANUS GRUTERUS, Vir in colligendo diligentiſſimus, ut teſtantur tot ejus libri: ſeqvitur eandem methodum, qvâ uſus eſt Langius; ſuperat vero mole Langii librum, qvi gravatur nimis exſcriptione integrarum penè Orationum, qvibus integra folia complentur, qvod tamen in Catalogis τῶν γνωμικῶν fieri non debebat. Utriusqve libri extat Epitome in uſum tyronum.

27 * Illos vero utriusqve labores longè ſuperavit TOBIAS MAGIRUS, cujus extat liber ſimilis ſub titulo *Polymnemonis*, elegans & concinnus, ac pulcherrimo ordine digeſtus, qvi per ſe aptus ſit enthymemata ſubminiſtrare Orationem aut Diſſertationem aliqvam ſcripturo. Magnô ſane tædiô ac labore ſublevat ille qværentes, dum ſub ſpecialibus titulis adferuntur ſententiæ ejusdem argumenti. Qvo labore ſuo pene videtur aliqvâ ex parte præſtitiſſe, qvod volebat *Schraderus*, qvi peculiarem Theſium & Enthymematum Rhetoricorum librum conficiendum ſuadet, cui conficiendo vel ſupplendo mirificè prodeſſe poteſt. Id dolendum eſt, non adjecta fuiſſe poſtremæ editioni auctaria illa, qvæ Autor ille, dum viveret, libro ſuo adjecerat. Noluerunt ſcilicet Bibliopolæ ære illo redimere, qvod poſtulabant hæredes, atqve ita in lucem ediderunt nullâ additâ ſyllabâ.

28 JOH. BAPTISTA BERNARDUS ſcripſit *Seminarium totius Philoſophiæ Ariſtotelicæ & Platonicæ*, editum Lugd. an. 1599. in fol. Si titulô illius libri fides habenda eſt, Opus eſt admirabile, qvod Philoſophorum Græcorum, Latinorum, Arabum, qvæſtiones, concluſiones, ſententiasqve omnes integras & abſolutas, perſpicuâ methodô congeſtas, complectitur. Non qvidem præſtat, qvod promittit titulus; eſt tamen non contemnendi uſus liber in evolvendis ſententiis Philoſophorum, tam Peripateticorum qvam Platonicorum, atqve adeò Indicis potius alicujus vicem tenet, & de aliqvà re ſcripturo ſubſidia ſuppeditat. Judicio tamen illum oportet uti ſuo, qvi ejus operâ utitur, neqve temerè illi ſoli fidere ſine collatione ipſorum locorum. Namqve in ſententiarum congeſtione ſæpe nimius eſt & tautologus, ſæpe etiam deficit. Laudandus tamen liber eſt, qvod nullus ipſi ſimilis ſcriptus eſt, ideoqve in pretio habendus. Et mihi qvidem videtur liber ille non ex lectione ipſorum Autorum, qvod fieri debebat, ſed ex eorum Indicibus compaginatus.

29 GERHARDI JOHANNIS VOSSII liber *de Idololatriâ & Phyſiologiâ Chriſtianâ* inter Locorum Communium Scriptores laudari debet. Penus hic panditur variarum rerum, ut LL. CC. titulo inſigniri omninò debeat, non tamen temerè ſcriptorum, ſed optimo judicio digeſtorum, qvos ſuâ induſtriâ ex rerum univerſitate collegerit. Nam cum de Idololatriâ inſcribit, videtur argumentum huic libro qvæſiviſſe, ne ſub collectaneorum titulo nomen ejus vileſceret. Qvod certè ad phyſica illa attinet, illa non aliâ occaſione ipſi nata, nec diffitetur in Præfatione Operis. Qvare noctium Leidenſium titulo inſignire voluit exemplo A. Gelli, qvod tamen conſilium poſtea mutavit, atqve ſuo de Idololatriâ Operi velut appendicem adjecit, qvæſito utcunqve connexio-

connexionis argumento. Liber eſt profectò totus aureus, & magnò apparatu rerum refertus. Theologiæ Gentilis primordia qvanqvam jecerit Gyraldus, & alii ante ipſum, ipſe tamen longè locupletiora & accuratiora dedit illa omnia, ſuo interpoſito ubiqve judicio. Utinam poſtremam ejus partem de rebus naturalibus ita elaboraſſet, certè complexum totius univerſi liber iſte ſiſteret. De hoc libro ita Grotius judicat; Aliis qvidem titulos plus, qvam præſtat, promittere; hunc vero librum plus præſtare, qvam titulus promittit. (Penè idem habuiſſe conſilium videtur hujus libri argumento, qvod habuit *Commentario ſuo in Solinum Salmaſius*, in qvem omnes ſuos Locos Communes exhauſit. Eſt enim ille Commentarius de omnium rerum nomenclatura Criticus. Optima editio prodiit Amſtelodami 1668. in fol. Simile argumentum tractant, qvod ad phyſica illa attinet, rerum naturalium Scriptores, ut *Geſnerus* in omni animalium genere, & *Aldrovandus*, qvi poſt Geſnerum ampliore theatro illa omnia propoſuit, qvanqvam plura ex ipſo Geſnero ceperit; ne qvid dicam de aliis, qvi in re metallicâ, gemmariâ ſimilibusqve ſcripſerunt, de qvibus ſuo loco.

GISBERTUS VOETIUS *in Diſputationibus ſelectis* inter Locorum Commu- 30
nium Scriptores referri potiùs debet, qvam inter Dogmaticos accuratos. Ut enim Vir fuit multæ lectionis potiùs, qvam judicii, ita magnô ſtudiô cumulavit Autores in doctrinâ, qvam proponit. Habentur verò varia in iſtis libris Theologica, Phyſica, Moralia, Civilia, Hiſtorica: Qvo nomine prodeſſe ad omne ſtudiorum genus poſſunt. Selegit materias non vulgares, Autorumqve locos diligenter congeſſit. Notandi ſcil. ſunt tales Autores, qvi, velint nolint, largiuntur de ſuo citra aliqvod plagii crimen: ſimiles qvippe iis, qvi aurifodinas oſtendunt, qvæ deinde ab aliis occupatæ juſtos efficiunt & bonæ fidei poſſeſſores. Qvanqvam enim, qvi paulò peritior eſt illarum rerum, facilè ſubolfacere poſſit, qvibus indiciis profecerint aliqvi, objici tamen illis crimen non poteſt, qvod in communes fontes facilè ſit unicuiqve incidere. * At- 31
qve hîc in univerſum de omnibus Diſputationibus & Diſſertationibus monere velim, eas diligenter collectas Locorum Communium vicem præſtare poſſe: Solent enim plerumqve Autores earum in omnibus congerendis, qvæ qvacunqve ratione ad argumentum pertinent, eſſe operoſi, & maximè ſingularia congerere. Seligendæ verò ſunt, qvæ de argumentis rarioribus ſcriptæ ſunt: qvarum vaſtum numerum, ſi qvis agat, facilè qvis congerat; ac velim eas accuratiùs notari, qvod conſilium Cinelli fuit in Bibliotheca volante. In Jurisprudentiâ multæ ſunt exqviſitiſſimorum argumentorum Diſputationes, qvæ prodeſſe JCtis variis in rebus poſſunt.

ALEXANDER TASSONUS mirabilis ingenii homo fuit, Italus, ſingularem 32
ex eo laudem qværens, qvod optima ſcripta veterum ac recentiorum communi omnium ſeculorum & hominum judicio approbata, moleſtiſſimâ & invidioſâ cenſurâ vexaret, ſemper in illis qværens, qvod carperet & reprehenderet, & nodum nonnunqvam in ſcirpô. Scripſit Italicâ linguâ librum, cui titulus: *Penſieri diverſi*, i. e. variæ cogitationes, in qvo multa notabilia & vexata problemata proponuntur, Phyſica, Moralia, Civilia, Hiſtorica, qvorum rationem indagat. Dignus liber lectu eſt.

Prodiit Venet. A. 1646. in 4to. Credo verò hunc librum natum eſſe primùm Autori ex Excerptis. Non immunis ab illius cavillis fuit *Homerus* è veteribus, cujus ineptias 500. ſententiis voluit oſtendere; Non *Franciſcus Petrarcha* è recentioribus, qvem integro libro caſtigavit, ab aliis viciſſim convitiis, ut par erat, exceptus. Integras in
33 Italia Academias ſcriptis contumelioſis provocavit. * Ut oſtenderet ingenium ad paradoxa natum edito libello Carnificis ſe panegyriſten præſtitit, qvo aliqvorum riſum, aliqvorum indignationem incurrit, in aliqvam certè infamiæ partem ipſe venit. Eriſticorum ejus ſcriptorum Catalogus habetur apud Leonem Allatium in apibus urbanis, unde deſumptus præfigitur huic libro. Inter illos libros præcipuè nominari debet, qvem de *hiſtoriâ Eccleſiaſticâ* ſcripſit, in qvâ paſſim Baronii Annales examinat, & eorum fidem labefactat.

34 BALTHASAR BONIFACIUS *Hiſtoriam ludicram* edidit. Vir ille penè infinita ſcripſit, ut ſolus Bibliothecam facere poſſit, diffuſæ lectionis, nec tamen nullo judicio. Scriptorum ejus Catalogus habetur in ultimô capite Hiſtoriæ ludicræ. Ipſa verò Hiſtoria ludicra varia habet ex hiſtoriis collectanea, & qvidem ſelecta, de qvibus non facilè cogitarint alii. Occurrunt non pauca ex naturalibus, ac multa ſubminiſtrantur de argumentis ſelectis aliqvid dicturo. Prodiit Bruxell. anno 1656. in 4to.

35 JACOBUS PONTANUS, Jeſuita doctus, *Attica bellaria*, ut vocat ſcripſit, i. e. varia collectanea hiſtoriarum, rituum, ſalium, facetiarum, in qvibus multa occurrunt notatu digna, qvanqvam argumenta tamen vulgaria interdum immiſcentur. Poſtre-
36 ma editio prodiit Francof. 1644. in 8. * Idem *Progymnaſmata* in lucem edidit, in qvibus per rationem Colloqviorum, varia proponit in uſum linguam latinam addiſcere cupientium, ac eorum, qvi antiqvitatum aliarumqve rerum notitiam ſibi parare velint. Simili modo per Colloqviorum *formam* alii collectanea varia dedere, ut *Torqvemada* in Hexaëmero ſuo, *Eraſmus Franciſci*, *Harsdorfferus* in variis ſcriptis, *Martinus Zeilerus* in Dialogis ſuis Germanicis.

37 JOHANNIS RAVISII *Officina* liber utiliſſimus eſt ad omnem doctrinam. Nam exempla vera, fabuloſa ſub titulis ſuis collegit; ſed breviter admodum, ne nimiâ mole Opus gravaretur. Ad carmen ſcribendum non parum conducit, ubi exempla fabuloſa utramqve paginam faciunt. Horum autem magna ac benè digeſta ibi farrago eſt, & ita compendioſè inſtituta, ut carere illo non poſſint, qvi exercitia oratoria & poëtica tractant. Exiguo illo libro feliciùs uti poſſumus, qvam diffuſis Zvvingeri & Beierlingii libris. Ipſa illa Officina dudum non ampliùs comparuit in officinis librariis. Ejus epitome aliqvoties impreſſa eſt. Prodiit Genevæ 1626. in 8vo. Hoc librô tanqvam Locis Communibus in hôc genere uti qvis poteſt, adjectis vel in margine, vel mundâ chartâ interpoſita, qvæ illic non notantur.

38 JOSEPHUS LAURENTIUS, Lucenſis, ſcripſit *Polymathiam*, ſive variæ antiqvæ eruditionis libros ſex, qvos ille voluit eſſe tanqvam Pandectas antiqvitatum, tam Romanarum qvam aliarum. Placet ſanè conſilium iſtius Viri: qvanqvam imperfectum Opus, & infinitis modis poſſit ampliari. Editus primùm eſt in 4to liber, ſed

poſtea

poſtea plenior in fol. prodiit Lugduni A. 1666. Collectanea illa inſtituta ſunt ſub formâ Diſſertationum de materiis antiqvariis, Viris doctis, tam in qvam extra Italiam, inſcriptarum: editio illa in 4to præfationes habet præmiſſas, in qvibus moleſtâ κακοζηλία ſemper Lipſianizat, qvas omiſit in ſeqventi editione, qvæ loco illarum rebus auctior eſt. Præter collectanea nihil præſtat ille Autor; rara judicii apparet vis; qvintus & ſextus liber per indices & lemmata varias antiqvitates congerit; adjectis Autoribus, qvi de iis fuſiùs tractarunt. Atqve hîc hactenus intra conatus ſubſtitit Autor, qvos ſi perficere aliqvis velit aut poſſit, qvô ille bonô mactaret rem literariam! Hactenus enim mutila & inania ſunt omnia, & ipſum illud Roſino-Dempſterianum corpus, qvod in hôc genere tamen unicum penè eſt. * Habuit, cum viveret, tale 39
Opus in animo GEORG. HIERON. WELSCHIUS, Medicus Auguſtanus, mirabilis doctrinæ Vir, elegantis ingenii & judicii, & linguarum penè omnium Orientalium & Europæarum peritiſſimus, cujus ille ſpécimina dedit inſignia libris in lucem editis, de qvo nos ſuprà plura diximus. Opera ejus per omnes propemodum diſciplinas diffuſa, Hiſtorica, Medica, Phyſica fuere ſingularia. * Dolendum eſt, intercidiſſe mor- 40
te ejus præclara conſilia, qvæ nunc æſtimare pleniùs è ſcriptis jam tum editis poſſumus, in qvibus omnia eleganti ſermone ſcripta, nihil jejunum, & qvod Locos Communes ſapiat, aut eô filô contextum, qvô texere ſua plerumqve ſolent, qvi nunc ſcribunt in Germaniâ, qvi tamen apud plebem doctorum ut lumina & ſidera habentur. Operis illius, qvod *Ideam antiqvitatum* inſcribere volebat, mentionem facit, qvi ejus vitam deſcripſit *Lucas Schrökius*, ſub titulo *Memoriæ Welſchianæ p. 71. & 72.* Si qvis hoc in genere doctrinæ apparatum aliqvem inſtituere velit, ille maturè ineunte ætate librum Excerptorum Antiqvariorum conficiat, & per meros indices & lemmata excerpat adjectis Autoribus. Qvod ſi qvis conſtanti operâ continuaverit, magnum ſibi theſaurum comparare poterit, unde ſucceſſu temporis Opus aliqvod univerſale prodire poſſit. * *Corpus antiqvitatum juridicarum* olim in animo habuit JACOBUS GO- 41
THOFREDUS, JCtus conſummatiſſimus, & noſtrorum temporum Cujacius; ſed præter ideam hujus Operis nihil vidimus.

GALEOTTUS MARTIUS, Philoſophus & Medicus Italus, ſcripſit librum de 42
doctrinâ promiſcuâ elegantem Francof. editum in 12. An. 1602. Exiguus liber eſt, ſed continet multa memorabilia, Medica, Phyſica, Philologica, Mathematica. * Do- 43
lendum eſt, intercidiſſe libros ejus tres de *rebus vulgo incognitis*, qvos Matthiæ, Hungarorum Regi, inſcripſerat, à cujus Bibliothecario Braſſicanô cum excudendos accepiſſet Oporinus Typographus, ab Italô qvodam furtim ſubrepti ſunt, teſte Neandro in præfatione illâ, qvam de re Bibliothecáriâ agentem præmiſit Græcæ linguæ Erotematibus pag. 219.

SAMUEL SORBIERIUS Hiſtoriographus Regis Galliæ, Vir variæ doctrinæ, 44
Gallicâ linguâ *epiſtolas* ſcripſit varii argumenti, in qvibus occurrunt Philologica, Philoſophica, Mathematica, Medica, Hiſtorica, Poëtica, ad varios Galliæ Viros doctos perſcripta. Multos habemus Autores, qvi in epiſtolis collectanea ſcribunt: ad evi-

tandum enim Locorum Communium titulum, talem aliqvam formam libri commiſcuntur Autores, ut tamen cum aliqvô apparatu videantur tradere collectanea ſua. Multa habentur in illis, qvæ ſpectant ad Hiſtoriam literariam recentiorum temporum. Ceterùm de epiſtolarum Scriptoribus, ſunt enim longè plures, qvi ſub hôc titulo collectanea congeſſerunt, integrô capite agemus. Liber ille prodiit Pariſiis an. 1660. in 4to. Plura ab illô Virô prodierunt, de qvibus ſuô locô dicendi erit occaſio.

45 CASPAR DORNAVIUS, Philoſophus & Medicus, diligens fuit in nugis, ſed eruditis. Aliàs qvidem, Catullo dicente, *turpe eſt difficiles habere nugas*, ſed pulchrum eſt habere doctas. Collegit ille ridicula rerum encomia, tam è veteribus qvam è recentioribus Autoribus, Græca, Latina, Germanica. Editus liber ille eſt Hanoviæ an. 1619. in fol. hoc titulo: *Amphitheatrum Sapientiæ Socraticæ Joco-ſeriæ*. Multa illic habentur, qvæ ad honeſtam animi relaxationem faciunt, & cum voluptate legi poſſunt. Scilicet juvant etiam mimi in eruditorum theatro: mallem tamen omiſiſſet qvædam ſcurrilia Germanica. Ejus exemplo in Batavis prodierunt talium argumentorum Scriptores uno volumine collecti.

46 LÆLIUS BISCIOLA Hiſpanus fuit. (zz) Scripſit *horarum ſucciſivarum* duo volumina in fol., qvæ edita ſunt Ingolſtadii, typis Adami Sartorii an. 1611. Varia continet ille liber Naturalia, Moralia, Hiſtorica; typis mendosè exſcriptus eſt; pleraqve ex Plinio & ejus compilatoribus, Solino & Vincentio, deſumpta. Incidunt tamen nonnunqvam, qvæ notari merentur. Referendus eſt ad Locorum Communium Scriptores gregarios: nam non iſta judicii vis & induſtria è collectaneis illis relucet, qvæ adhiberi poterat & debebat. Multos tales habemus libros, qvi cramben eandem centies recoqvunt, & de chartâ in papyrum ſcribunt: E qvibus omnibus ſi unum aliqvod conficiatur cum judiciô volumen, per me qvidem ſcriptorculorum illorum πᾶν ἀπώλοιτο γένος.

47 SIMON MAJOLUS ſcripſit *Dies caniculares*, ut vitaret Locorum Communi-
48 um ſimplicitatem. * Mirè ingenioſi ſunt Autores in titulis Locorum Communium excogitandis, per omnia ſcientiarum genera: qvemadmodum Poſtillarum Scriptores, qvorum facilè qvis integrum Lexicon confecerit. Ita CASPAR DE REIES librum inſcripſit *Campum Elyſium jucundarum qvæſtionum*, cum collectanea tantum varia contineat; LAUR. RAMIREZ DE PRADO librum miſcelli argumenti Philologici inſcripſit *Pentecontarchum, ſive, qvinqvaginta militum ductorem, ſtipendiis Ramirezii de Prado conductum, cujus auſpiciis varia in omni literarum ditione monſtra profligentur, abdita pandantur, latebræ ac tenebræ perveſtigentur & illuſtrentur*; Qvo nil ſtultius excogitari poteſt. Qvia 50. libro capita ſunt, ideo pentecontarchum inſcribit. Sunt autem omnia Philologica, non quidem indocta, (nam Sanctium aliqvi Autorem volunt) ſed titulus credo ab ipſo Autore additus Thraſoniſmum Hiſpanicum ſapit. Noſter Majolus per modum Dialogi tractat argumenta, in qvæ ſe diffundit. Olim aliqvot

(zz) Lælius Biſciola, Jeſuita, non fuit Hiſpanus (uti *h. l.* traditur), ſed Mutinenſis Italus. V. Nathan Sothyvelli *Biblioth. Jeſuiticam p.* 537.

aliqvot tomis in 4to editus erat ille liber, noviſſima editio Francofurti in fol. prodiit tomis II. Totus liber eſt qvaſi cinnus rerum variarum, filo tamen meliore textus, qvam Lælii Biſciolæ liber.

JOH. STEPHANUS MENOCHIUS edidit Italicâ lingvâ, tomis ſex, *varia Col-* 49
lectanea, Hiſtorica, Phyſica, Sacra, Moralia. Primum Volumen ſub ficto nomine Johannis Coronæ prodierat Romæ in 4to. An. 1646. Titulus eſt, *le Stuore*, ad imitationem Stromatum Clementis Alexandrini conceptus. Alter tomus ibidem A. 1648. prodiit; uti & ſeqventes annis ſeqventibus ſub Titulo *Trattenimenti Eruditi.* Selectiora ſunt, qvæ in his libris habentur, penè eo modo adornata, qvo *Philippus Camerarius* horas ſuas ſucciſivas adornavit, & *Petrus Mexias* varias ſuas lectiones, qvi liber ex Hiſpanicâ linguâ nunc in Germanicam converſus eſt; qvales adhuc plures habentur, qvos recenſere omnes non patitur inſtituti noſtri ratio. Sufficiat præcipuos enumeraſſe. Cum ad diſciplinas peculiares ventum eſt, non obliviſcemur illorum, qvi ſuæ diſciplinæ Locos Communes ſcripſere.

LUDOVICUS CÆLIUS RHODIGINUS Vir fuit doctiſſimus, rerum natura- 50
lium & humanioris doctrinæ peritiſſimus, &, qvod non parum ad laudes ejus facit, J. Cæſaris Scaligeri Præceptor. Extat ejus liber *lectionum antiqvarum* titulo, qvô continentur multa memorabilia, tam in naturali philoſophiâ, qvam in Medicinâ, præcipuè verò in humaniori doctrinâ. Eſt inter præcipuos Bibliothecarum theſauros, & vario modo utilis: Qvæ enim per totam ille vitam collegit, vel obſervavit, in hunc unum librum videntur congeſta, ut non immeritò *Cornucopiæ* vocari debeat. Extremam editionem procuravit Beckenſteinius, Bibliopola. Prodiit verò Francof. & Lipſiæ An. 1666. in folio.

GUIDO PANCIROLLUS *Memorabilium* libros duos ſcripſit, qvorum prior de- 51
perditarum, poſterior noviter inventarum rerum eſt. Eos notis illuſtravit Henricus Salmuht. Multa continentur in illis memorabilia. * Eorum ſupplementum ſcri- 52
pſit MICHAEL WATSONUS, Collega qvondam noſter in hâc Academiâ, in libro, cui Titulus: *Theatrum variarum rerum, exhibens Excerpta & Annotata in libb. de rebus memorabilibus*, Bremæ 1663. in 8vo editum. Illic in proœmio varia referuntur, qvæ ad hiſtoriam hujus libri pertinent, & ad res, qvæ illô librô continentur. * Scri- 53
pſit & Watſonus alium librum, cui titulus: *Unio Sapientiæ*, Bremæ An. 1658. in 12. editum, qvo habetur Synopſis totius Philoſophiæ. Eſt & ille inter Locorum Communium Scriptores referendus; nam coacervat potiùs memorabilia ſingularum diſciplinarum, qvàm dogmaticâ methodô procedit.

CONRADUS LYCOSTHENES Vir fuit magnæ diligentiæ in variis Locis 54
Communibus digerendis, qvibus penè immortuus fuit. Operi ejus poſthumo, ut dixi, manus injecit *Zvvingerus*, & ſub titulo *Theatri vitæ humanæ* publicavit, qvibusdam de ſuis additis. Congeſſit Lycoſthenes ſub titulis *Apophthegmata Virorum illuſtrium & ſapientum*, qvi profectò utiliſſimus labor eſt, optandumqve, ut aliqvis ſolidum corpus conficeret ex omnibus illis Scriptoribus, qvorum permultos in omnibus habemus nationibus,

tionibus, Germanis, Belgis, Gallis, Hiſpanis, qvod non eſt hujus loci: pleriqve autem ſic ſcripſerunt, ut ſecundum perſonas diſponerent, non ſecundum locos, vel nullo plа-
55 nè ordine congererent. * Præclarus eſt liber *Eraſmi*, qvi *Apophthegmata* collegit ſecundum perſonas diſpoſita, adjectô aliqvô indice, tum locorum gnomicorum, tum characterum, qvi reperiuntur in apophthegmatibus; qvem librum Pontificii per invidiam tribuerant Paulo Manutio, eraſo Eraſmi nomine. Ille enim Autor legitur in editione Colonienſi, qvæ An. 1666. in 12. prodiit. Lycoſthenis autem Collectanea
56 copioſiora ſunt, & ſub titulis ordinatiùs poſita * Idem *Similia* optimâ methodô digeſſit ſub Locorum Communium titulis, qvæ edita poſtea ſunt à Zvvingero, unà cum additâ præfatione de methodô Similium inveniendorum. Liber utilis eſſe poteſt ad Orationes, tam civiles qvam ſacras: ac operæ pretium eſſet plurima talia colligere, qvæ qvaſi ſemina ſunt argutarum inventionum. Primùm metaphoræ ſunt, deinde ſimilia, qvæ qvaſi metaphorarum evolutiones. Hinc naſcitur ſæpe toti alicui, vel carmini vel orationi, inventio: qvarum rerum ſi magnam ſylvam collegimus, dici non
57 poteſt, qvantum hoc ſit ad ornatum omnem in eloqventia ſubſidium. * Idem, ut hoc obiter memorem, *Raviſii* Officinam auxit, & in ordinem commodiorem redegit, qvod
58 Opus editum eſt An. 1552. in 4to., cujus altera deinde editio prodiit in 8vo. * Idem ille *Lucii Domitii Bruſonii* Facetiarum & Exemplorum libros in [illegible]em produxit. Italus ille fuit, qvi ſub hoc titulo aliqva collegit, qvæ faceta videri poterant, ſed tamen pauca: prodiit Baſileæ in 4to, An. 1559.

59 Refero huc qvoqve EMBLEMATUM COLLECTORES; Sunt enim & illi, qvi Similium Locos Communes nobis ſuppeditant: Nihil enim aliud eſt Emblema, qvam, qvod picturâ repræſentatur, ſimile. Cum enim Simile conſtet duabus partibus, *προτάσει* & *ἀποδόσει*; ita pictura exhibet *πρότασιν*, lemma autem argutum, qvod ipſi imponitur, *ἀπόδοσιν*. De ratione Emblematum conficiendorum Autores infrà nominabimus, neqve hîc omnes Emblematum Scriptores nominare animus eſt, qvorum vaſta ſylva eſt; illos tamen recenſebimus, qvi in unum aliqvod corpus Emblemata collegerunt: qvibus qvi rectè uti norit, multum ſubſidii inde accipiet ad poëmatum inventiones, imò ad qvamcunqve Orationem, præcipuè ſacram. Non, qvod velim, Orationes ſacras ſemper incruſtari apparatu hôc qvaſi theatricô, ut fecerunt nonnulli, qvi integras Poſtillas emblematicas ſcripſerunt; aut, qvi omnia orationis membra picturis illis emblematicis exornant: hoc enim, neſcio qvomodo, videtur affectatum & comicum. Melius erit, ſi illis utamur tanqvam Similibus, qvæ apta ſunt parare argutas inventiones, cum in meditationes ſacras ſuper aliqvot argu-
60 menta incidimus. * E talibus Scriptoribus nominandus eſt GIOVANNI FERRO, qvi omnes Italorum *de Emblematibus* labores uno volumine congeſſit, adjectis qvorundam Emblematum iconibus: procedit autem ſecundum ordinem rerum. Prodiit ille liber Venetiis An. 1623. in fol. ſub titulo: *Teatro d' Impreſe*. Illud vero utiliſſimum eſt in hôc librô, qvod Indices varios adjecerit, qvibus tanqvam Locis Communibus uti poſſumus. Primus eſt omnium Emblematum cum imaginibus & lemmatibus: primùm ponitur imago, res ſcilicet, qvæ depicta eſt, & illi ſubjiciuntur

omnia

omnia lemmata qvâcunqve ratione, per totum librum, huic ſubjecto applicata; ideoqve ſtatim videre licet, qvô in tertiô illa inter ſe conveniant. Alter Index, qvi ſubjicitur, eſt locorum, ſub qvibus ponenda ſunt Emblemata, ſecundum ordinem alphabeticum diſpoſitorum, & ſub illis titulis, vel virtutum, vel vitiorum, vel aliarum rerum. Primò ponuntur lemmata, lemmatibus ſubjicitur imago, unde ſtatim patet uno intuitu, qvæ qvalesqve imagines ac ſimilia uni alicui loco qvadrent. Si jam in Oratione ſacrâ in talem Locum Communem incidas, qvaſi ſylva qvædam dabitur Similium, qvæ novis conceptibus (ut omnis analogiſmus fœcundus eſt) anſam præbere poſſunt, qvalia Similia conglobata mirificè ornant Orationem ſacram. Legi poteſt præfatio huic Indici præmiſſa ab Autore. Addidit deinde tertium Indicem ſolorum lemmatum, ſecundum alphabetum diſpoſitorum: adjecta ſingula lemmata ſubjecto ipſi, qvi Index in inveniendis lemmatibus Emblematum uſui eſſe poteſt. Qvæ, ut argutè ſonent, & nervosè proponantur, meditationem ſæpe longam reqvirunt; Valde enim facit ad Emblematum venuſtatem. Qvartò adjecit Indicem Autorum, qvi certis Emblematibus uſi fuerunt, tanqvam charactere qvodam gentilitio. Qvintò addidit Indicem generaliſſimum, tam Rerum omnium, qvam Emblematum & Perſonarum. Altera pars ejus libri, vel potiùs novus aliqvis liber, qvi inſcribitur *Umbræ apparentes*, ab eôdem Autore eſt. Continuat idem argumentum, in qvô multa de uſu Emblematum.
* Hunc laborem hujus Autoris, qvanqvam utiliſſimum, ſuperat tamen alius Italicâ 61
linguâ ad exemplum ejus ſcriptus, qvi nunc in linguam Latinam converſus eſt. Ejus Autor eſt Abbas PHILIPPUS PICINELLUS, Liber itidem Italicus prodiit Venetiis An. 1678. in fol. Latina verſio Coloniæ A. 1681. iterumqve A. 1687. curante *Auguſtino Erath*. Singulare hoc habetur in illo Autore, qvod Emblematum plerorumqve lemmata, è qvibus illa Poëtis deducta ſint, oſtendat. Solent enim lemmata à Poëtis deſumi ſub hemiſtichii alicujus ſpecie. Elegantiſſimus liber, & maximè utilis, atqve alteri illi præferendus: Omnium autem rerum claſſes ordine perſeqvitur, qvam ob cauſam *Mundum ſymbolicum* vocat Autor. Indices adjiciuntur qvatuor copioſiſſimi, Lemmatum, Applicationum, rerum notabilium, & locorum S. Scripturæ. Continentur verò hic non ſolum Johannis Ferri, ſed multorum aliorum, Emblemata, qvorum index præfigitur.

Qvandoqvidem ſuprà de Similium Collectoribus diximus, nunc non erit in- 62
commodum etiam de ADAGIORUM SCRIPTORIBUS dicere. Eſt enim ille labor pe neceſſarius & maximi uſus. Non eſt hujus loci de Adagiorum naturâ & reqviſitis dicere: id enim pleriqve præmittunt Scriptores Adagiorum ſuorum collectioni.
* At verum eſt, multa vocari Adagia, qvæ non ſunt, ſed gnomæ, ſententiæ breves: 63
contrà verò longè plura latitare apud Poëtas, Comicos præcipuè & Satyricos, qvæ vel Adagia, vel Adagiorum loco eſſe poſſunt. Horum abſolutum corpus hactenus nullum habemus. * Promiſerat is, qvem ſuprà laudavi, WELSCHIUS *Opus Adagiorum* 64
Panglottum, qvod cum ipſo intercidit. * QVIRINUS KUHLMANNUS promiſerat 65
in *Prodromo qvinqvennii ſui mirabilis*, ut vocat, tale aliqvod *Adagiorum corpus univerſale*;

verſale; ſed illa fortaſſis in fumum cum aliis ejus promiſſis abiere. Meo conſilio ſi ſtandum hîc eſſet, nollem adeò ſollicitè diſtingui Adagia à ceteris ſententiis argutis:
66 ratione enim uſus & finis conveniunt. * Suaſerim ego, ut qvis ab ineunte ætate Locos Communes conficiat Adagialium, qvo referat non tam Adagia, qvam illa παροιμιώδη adagialia, qvæ inveniuntur in Poëtis, Comicis, Satyricis, ſcriptis eriſticis, qvod hactenus nemo fecit. Qvanti verò uſus res illa ſit, deprehendent, qvi ſtylum aliqvando operi eleganti admoturi ſunt. Qvi promptuarium habent iſtis collectaneis refertum, illis qvaſi ſub manu creſcent raræ inventiones, argutæ meditationes, & ſimilia.

67 ERASMUS ROTERODAMUS primus fuit inter Adagiorum Collectores, qvod opus ipſi ſuo tempore profectò fuit difficillimum: Nam credo, illum plus laboris ope-
68 ræqve huic ſcripto impendiſſe, qvam multis aliis. * Liticulam illi aliqvando movit *Cœlius Rhodiginus*, qvaſi ſurripuerit ſibi aliqva circa Adagia meditata; ſed non habet, qvo jactet ſe Rhodiginus, qvod guttulâ unâ vel alterâ hunc fontem auxerit: paucula enim ſunt, qvæ in Opere ipſius *antiqvarum lectionum* habentur de qvibusdam
69 Adagiis. * Etiam *Verdierius* nugaciſſimus ille veterum & recentiorum cenſor p. 158. ungues ſuos in hoc opere figit, cui ſimilem ille ne paginam qvidem ſcribere poterat. Multæ ſunt Operis ejus editiones, Frobeniana eſt emendatiſſima. Edidit & Henricus Stephani è typographeo ſuo. Nova editio omnium eſt corruptiſſima, licet ceteris locupletior: nam adjecta ſunt Eraſmi Chiliadibus Cognati, Junii, & aliorum Autorum Adagia. Liber eſt, qvô nemo carere poteſt Latinæ linguæ ſtudioſior. Sufficere tamen tyroni epitome ejus poteſt, & in Germania & Amſtelodami nitidior edita. In qvâ præterea laudandum eſt, qvod Adagia ſuîs ſub titulis ponantur, qvod non fit in magnô Opere, ubi index ſupplet locorum communium titulos.

70 JANI GRUTERI *Florilegium Ethico-politicum* aliqvot tomis multarum gentium Adagia complectitur. Colliguntur in hôc librô ſine ordine breves ſententiæ, & Adagia Græcorum, Latinorum, Germanorum, Italorum, Belgarum, Hiſpanorum, Gallorum, Anglorum: ſed confuſum chaos eſt, & planè non ad uſum: eſſet verò maximè, ſi ſub titulos redigerentur. Uti tamen hôc librô vel ſic poſſumus, & ſi tantum temporis ipſi impendere velimus, redigere poſſumus in ordinem. Sed multa hîc habentur, qvæ vix argutæ ſententiæ laudem merentur: nam effata omnia, vel moralia vel civilia, in Adagiorum cenſum venire non debent. Notulas aliqvas breves adjecit, ubi ſententiarum ſenſus obſcurior, præſertim in Publii Mimi ſententiis, qvæ omni-
71 um ſunt argutiſſimæ. * Neqve gnomæ & jambi, qvos ipſe confecit, ſunt contemnendi, qvi & in *Polyantheâ* ejus leguntur, & ſeorſim in libro, cui titulus *Bibliotheca Exulum*, habentur. Tres ejus libri partes conſtituuntur. Editus eſt Francofurti 1610. in 8vo.

72 JOH. ANTONIUS BERLUCIUS *Adagia ſelecta* An. 1632. edidit in 8vo, cum eleganti præfatione, in qvâ exhibetur methodus uſurpandi, imitandi ac inveniendi Adagia. Continentur in illo libro Adagia Græca, Latina, tum & hemiſtichia adagialia,

gialia, apud Poëtas occurrentia; ſed nimium brevis eſt in colligendis iis: multa enim obſcuriora ſunt, qvam ut ſic ſtatim intelligi poſſint. Sed ab illis fortè ad Eraſmi Chiliades remitti poſſumus: tituli ſunt magnâ curâ diſpoſiti, qvod optimum in hôc librô eſt. Ceterum omnia illa referuntur Adagia & Adagialia ſine Autore & teſte, qvod fieri tamen non debebat: niſi enim apud Autores rectum eorum uſum inqvirere poſſimus, fruſtraneus ille labor eſt, deinde dubius ſemper qvis hæret, an verum ſit Adagium, qvôve ſenſu uſurpandum. Multa qvoqve afferuntur, qvæ Adagiorum nomine non digna ſunt: Liber interim non contemnendus, cujus telam ſi qvis pertexat, atqve illa, in qvibus deficit, ſuppleat, præclarum ille Opus concinnare poſſit.

Collegit & Eraſmi Adagia, aliasqve ſententias proverbiales, Græcas, Latinas, 73
Germanicas ſub certis Locorum Communium titulis JOSEPHUS LANGIUS, qvæ Argentorati Anno 1596. in 8vo impreſſa ſunt. * Loci verò illi concepti ſunt ſecun- 74
dum ſeriem illam, qvam Sturmius olim excogitavit, & in Compendio ſuo Latinæ linguæ ac Theſauro Elocutionis Græcæ ſecutus eſt *Joannes Benzius*. Qvorum locorum inſignis ſanè uſus eſt, ſi illa methodus in omnibus adhibeatur. Proponitur animo idea rerum inter ſe connexarum. Sed Adagia, cum ad varias actiones ſpeciales referri ſoleant, iſtis generalibus titulis non poſſunt omnia comprehendi. Subjungendi itaqve generalibus illis titulis ſunt ſpecialiores, ut fecit qvidem Langius: Sed illi pauciores ſunt, longèqve plures reqviruntur.

Dixi ſuprà, hemiſtichia aut verſus integros Poëtarum Adagiis æqviparari. Si qvis iis commodè utatur, magnam elegantiam conciliat ſermoni, inprimis Epiſtolis, ac iſti dicendi generi, qvod numerô & periodis non moroſè nimis adſtringitur: nam in oratione ſeriâ vel nullus, vel rarus earum uſus. * Eſt verò *Homerus* omnium 75
Poëtarum Pater & Princeps, adeoqve Adagia aliqva ex illo collecta venuſtiora præ ceteris ſunt. Edidit itaqve JACOBUS DUPORTUS, Cantabrigienſis, Græcæ linguæ in Academiâ illâ Profeſſor, *Gnomologiam Homeri*, Cantabrigiæ An. 1660. in 4to. Illô in librô ſub titulis certis collegit ſententias Homericas, qvarum aliqvæ Adagiorum titulum merentur; aliqvæ tantùm ſententiarum nomen. Laudabilis qvoqve ille labor eſt eam ob cauſam, qvod duplicem paralleliſmum adjecerit, unum è locis S. Scripturæ, qvibus Gnomæ Homericæ vel affines, vel non abſimiles, alterum è gentilibus Scriptoribus, Poëtis, Oratoribus: addidit paſſim Notas Criticas. Subjecit triplicem Indicem, ſententiarum, locorum Scripturæ, & vocabulorum, ideoqve non ſolùm in eloqventiæ uſum, ſed & ad exegeſin commendari labor ille poteſt. * Qvo argu- 76
mento ſe ZACHARIAS BOGANUS, Anglus, exhibere voluit, cujus extat *Homerus Hebraizon*, qvô in librô collegit phraſeos Homericæ textusqve Hebraici & Græci in S. Codice paralleliſmos. * Imitatus videtur MICHAELEM NEANDRUM Duportus in hoc 77
Opere, cujus extant ſuper varios Poëtas Græcos *Excerpta ſententioſa*, non ſcholarum tantùm bono publicata, ſed & viris uſui futura. * Habemus ab illo *Locos* 78
Communes Philoſophicos Græcos, Lipſiæ 1588. à diſcipulo ejus Johanne Vollando editos, in qvibus ſententiæ & verſus ad moralem doctrinam pertinentes habentur;

 * item

79 * item *Ariſtologiam Pindaricam, Ariſtologiam Euripidis, aliorumqve Poëtarum Græcorum.* Certè viro illo nemo diligentior in informanda optimis præceptis juventu-
80 te, cui multum tum temporis debuit Germania noſtra. * Idem qvoqve Locos Communes Philoſophicos Latinos ſub titulo: *Ethice vetus & ſapiens veterum Latinorum Sapientum & Poëtarum* An. 1585. edidit, qvibus adjiciuntur Verſus proverbiales Leonini & Germanorum ſapientum ſententiæ proverbiales.

81 Qvod in Homero fecit Duportus, id ante illum in *Virgilio* fecerat VALENTINUS ROTMARUS, qvanqvam diſſimili ingeniô & judiciô, addo & labore; nam imperfectum Opus eſt, & longè plura nobis dare poterat. Scripſit *Centurias V. & Decurias tres verſuum proverbialium.* Liber editus eſt Ingolſtadii ann. 1570. in 8vo, qvi raro reperitur: ſed tamen ſperni non debet, cum ad ejus exemplum inſtitui plura talia poſſint. Aliqva ex illo excerpſit RUDOLPHUS GOCLENIUS in *praxi artium generalium*, ubi agit de analyſi affectionum troporum, & ex Eclogis Virgilianis Rotma-
82 riana Adagialia in hunc locum conjecit. * Idem qvoqve in Virgilio BARLANDUS fecit, cujus extant *Verſus proverbiales*, Baſil. A. 1539. in 8. editi. Spachius in *Nomenclatore Philoſophico* qvoqve nominat HIERONYMI CLOCII *Verſus proverbiales ex Virgilio*, Cremonæ apud Vincentium Conctum 1562. in 8. editos, qvos ego non vidi. Si qvis in *Juvenalem* & *Horatium* ſimilem laborem ſuſcepturus eſſet, vel omnes eorum Verſus adagiales ſub titulos redigere vellet, qvod neminem hactenus feciſſe memini, Promptuarium aliqvod hôc in genere habituri eſſemus. Sed pauci ſunt, qvi Veneres illas intelligunt. Qvi Flores Poëtarum collegerunt, non pertinent ad hanc claſſem; nam illi ſimplices ſententias & deſcriptiones tantùm exhibent.

83 Prodiit & liber cum illo titulô: *Acutè dicta omnium veterum Poëtarum*, Pariſiis An. 1664. in 12, cujus Autor non adjicitur, niſi fortè PHILIPPI BRIETII ſit, cujus *Syntagma de Poëtis*, miſerum certè & jejunum, præfigitur. Magnificum aliqvid ſpirat titulus: nam, ut frons libri promittit, Opus editum eſt ad uſum Sereniſſ. Ducis Gviſii: Sed tenuis labor eſt, &, ut verè dicam, ineptus, qvamqvam titulus faciles emptores allicere poſſet. Certè, cum nucleos deberet colligere, non niſi cortices collegit, & præterea ex omnibus Poëtis pauciſſima, qvæ nec gnomæ ſunt, nec adagia, nec
84 phraſes, nec deſcriptiones. Totus inanis ſupervacuusqve labor eſt. * HAYNECCII *Medulla Terentiana, Tulliana*, ſententias tantùm continet. Ita CHRISTOPH. DIBUADIUS *flores & ſententioſè dicta è Senecæ Tragœdiis* collegit.

85 *Adagia Græcorum* è Zenobiô ſeu Zenodoto, Diogeniano & Suidæ collectaneis partim edita, partim Latinè reddita, publicavit ANDR. SCHOTTUS, Antverpianus, è Societate Jeſu, qvæ edita ſunt Antverpiæ an. 1612. in 4to: liber eſt optimus & rarus, omninò noſcendus elegantioris literaturæ ſtudioſis: collecta ſunt non ſecundum Locos Communes, ſed ſecundum initiales literas Adagiorum, Notas eruditas adjecit Schottus, qvibus partim obſcuriora, qvæ non ſatis ab Autoribus explicata, expoſuit, partim locis parallelis illuſtravit: pleraqve certè illorum jam tum in chiliadas ſuas re-
86 tulit Eraſmus, ſed ſuavius eſt & utilius ex ipſis fontibus haurire. * Ac reperiuntur tamen

tamen multa ab Eraſmo non notata, fortè qvod non attenderet, vel qvod civitate Latinâ nondum donata; Neqve enim omnium gentium Adagia omnibus conveniunt; ſed eſt qvidam lepor linguæ, qvædam occaſio inveniendi Adagia, non ſtatim aliis nationibus cognita. Uſus omnium magiſter eſt; qvanqvam tamen per *συμβολισμὸν* ceterarum gentium effici formariqve in aliâ linguâ Adagia poſſunt. Sed delectu & judicio hîc opus eſt. Imò ſi Adagiorum loco non erunt, vel ſimile aliqvod aut argutam phraſin ſuppeditabunt. Adjiciuntur proverbiis illis Græca proverbia metrica, qvorum loca in margine notavit Schottus, & Paralleliſmis, tùm Græcis tùm Latinis, illuſtravit. Adjecti ſunt Indices locupletes, tàm Latinus qvàm Græcus. * MICHAELIS APOSTOLII *Proverbia Græco-Latina* à Petro Pantino cum notis ejusdem & 87
aliorum in 4to Lugd. Batav. An. 1619., & in 8vo antea Baſileæ An. 1538. edita.

Adagiorum ſacrorum Scriptores ſegregari à plebejis & civilibus debent; ple- 88
raqve enim illorum ita ſunt comparata, ut communis illa oratio reſpuat & profanum aliqvod ſonent, ſi profanô ſermone temerentur: latitant illa permulta in Codice V. & N. Teſtamenti, nondum dignè ſatis excuſſa. * *Hebraica Adagia* collegerunt PLAN- 89
TAVITIUS, DRUSIUS, & BUXTORFFIUS, qvi è Rabbinis ſub titulis illa collegit, arguta profecto & in qvibus multum eſt ſapientiæ reconditæ. * *De Adagiis N. Teſta-* 90
menti Diatriben ſcripſit JOH. VORSTIUS, qvæ edita eſt Coloniæ Brandenburgicæ in 4to an. 1686. Latitant in ſcriptis Patrum antiqvioribus inſignia Adagia, qvorum collectio utiliſſima eſt; ſed pauci ſunt, qvi in hôc genere ſuam exercuerunt induſtriam.
* E noſtratibus Theologis JOACHIMUS ZEHNERUS *Adagiorum ſacrorum Centu-* 91
rias V. ſcripſit, qvas ex univerſo Bibliorum Codice collegit. Editus eſt liber Lipſiæ in 4to, An. 1601. Adagia illa paralleliſmis illuſtravit, tum Patrum, tum gentilium qvoqve Scriptorum, qvæ prodeſſe magnopere poſſunt ad orationes ſacras. * Scripſit 92
& *Similitudines Biblicas*, qvæ Adagiis accenſeri optimè poſſunt, & ad eundem uſum transferri. * Ultimo loco ſcripſit *Similitudinum Biblicarum παραλειπόμενα*, 93
pro ratione materiarum convenientium in Locos Communes digeſta. Addidit deinde Indicem, qvo diſponit Similia ſecundum Scripturam, qvæ prodierunt Lipſiæ anno 1604. in 4to. * Scripſit & *Adagia ſacra* MARTINUS DELRIO Hiſpanus, autor 94
ſatis notus è Disqviſitionibus ſuis magicis aliisqve ſcriptis. * Habentur verò il- 95
lic Adagia è Patribus excerpta; ſed imperfectus ille labor eſt, qvem qvidem *Aloyſius Novarinus* ampliorem ſuſcepit, publicato ejusdem argumenti libro, qvi tomum ultimum conſtituit Lectionum ſuarum. Prodierunt Novarini etiam ſcripta duobus tomis in folio, qvibus multa continentur curioſa ex antiqvitate ſacrâ collecta, inprimis qvod ad ritus nuptiales ſacros & hoſtias euchariſticas attinet.

Non negligendæ ſunt vernaculæ exterarum gentium deliciæ. * Habet 96
Italica lingua miras Veneres, omniumqve argutiſſima eſt in explicandis animi ſenſibus; qvod docent tum poëmata, tum diſſertationes ab illâ natione ſcriptæ, apud qvam qvaſi in legem abiit, ut non niſi argutè efferant animi ſenſa; in qvibus ita verſantur, ut faſtidium excitent nimiâ argutiarum copiâ. * Qvod ad proverbia illorum

 attinet,

attinet, primô locô recenſebo ANGELI MONOSINII *florem Italicæ linguæ* libris 9. comprehenſum: in qvorum qvinqve prioribus agit de congruentiá Florentini ſermonis cum Græco Romanoqve; ubi præter phraſin & Syntaxin plus mille proverbia conferuntur & explicantur. Prima itaqve pars illius libri Adagiorum eſt συγκριτικὴ comparativa, qvæ demonſtrat, qvæ Adagia Italis cum Græcis & Latinis ſint communia. In ultimis 4. recenſet peculiaria & propria Adagia, tresqve illorum chiliades. Addidit Indices Adagiorum & rerum notabilium uberrimos; ſed locos communes vel titulos non adjecit. Elegans eſt & doctus liber, editus Venetiis An. 1604, in 4to. Prodiit, ſi recte memini, altera ejus locupletior editio.

98 JULIUS VARINUS edidit elegantem librum, cui titulus: *Scuola del Volgo*, qvi editus eſt Veronæ An. 1642. in 12. Habentur in illó libellô proverbia Italica, ſecundum actiones humanas diſpoſita, qvibus ſimul per connexionem aliqvam prudentia qvædam moralis & civilis ex iſtis Adagiis eſſloreſcens inculcata, qvam ego metho-
99 dum omnibus proverbiis applicatam vellem. * Cum enim illa naſcantur ex actionibus hominum, earumqve circumſtantiis, è qvibus has ſententias velut univerſalia colligit populus, elegantiſſimè eò referuntur. Ideoqve elegans titulus eſt, qvem Autor propoſuit huic libro, qvod vocet illum *Scholam vulgi*: nam vulgi hæc ſapientia eſt, ejusdemqve ſchola non ſolum, ſed & ſapientum. Nam de his qvoqve interdum verum eſt: *Vox Populi, Vox Dei.* Non ineleganter Draxe in Præfat. Bibliothec. ſuæ ſcholaſticæ: *Veteris Philoſophiæ reliquias nobis prægustandas propinant, ſunt ingenii cotes, dotes, & indices: ſunt vitæ ordinandæ norma & amuſſis: vitia humana non tam falſe & ſcitè quam cum autoritate quadam exagitant: ſunt memoriæ ſubſidia & promptuaria: declamaturis & ſubito dicturis amplum & aptum è re nata ſermonis apparatum auditoribus accommodatum ſubminiſtrant: orationem noſtram allegoricè, ironicè,*
100 *metaphoricè, & hyperbolice enunciatis voculis decorant & exornant.* * Eſt & alius qvispiam ORLANDUS PESQVETUS, qvi *proverbia Italica* congeſſit ordine alphabeticô, & in theſauro Gruteri habetur; ſed ceteri illi præferendi. Mentio etiam fit, ſi rectè memini, in poſtremis Ephemeridibus Gallicis novi cujusdam Autoris, qvi proverbia Italica congeſſerit, cujus mihi nunc nomen excidit. Alii nominant *Thomaſi Buoni* Proverbia Italica, Venet. in 8. 1604. & 1606. duobus tomis edita, qvæ non vidi.

101 *Gallicorum Adagiorum* Scriptores pauci ſunt, qvantum ego qvidem memini: Bibliotheca certè Thuana, qvæ illos memorare deberet, paucos habet de hôc argumentô Scriptores, qvem tamen ex gente ſuâ collegiſſe, veroſimile eſt, qvos nanciſci potuit. Solùm illic habentur proverbia Gallica à *Joh. Ægidio Nucerienſi* edita, & liber qvidam proverbiorum Gallicorum ſine autore. Eorum aliqva collegit Gruterus, & Florilegio ſuo adjecit. Extant qvædam de proverbiis Gallicis diſſertationes, à qvodam *Fleury de Belingen* Hagæ Comitis Ann. 1653. editæ, hoc titulo: *Eſſays des Proverbes & autres queſtions curieuſes propoſee & expoſee en forme de Dialoge.* Gallus aliqvis *le Duc* ſcripſit librum: *Proverbes en Rimes, ou rimes en proverbes,* Pariſ. 12. 1665.

Belgica Adagia collegit ſingulari libellô SAMUEL BRUN: inprimis autem illa, 102
qvæ metrica ſunt. Habentur & apud Gruterum alii Autores; Sed parcior fuit in il-
lis colligendis gens illa. * *Hiſpanica* FERNANDUS NUNNEZ, Profeſſor Eloqven- 103
tiæ & Græcæ linguæ in Academiâ Salamanticenſi collegit. * Addidit JUAN DE 104
MAL LARA Proverbiorum Hiſpanicorum Centurias X. cum titulo: *La Filoſofia vul-
gar*, ubi proverbiorum explicationem prolixam ſubjungit. (*aaa*) Editus eſt liber An.
1621. in 4to. * Scripſit & alius JUAN SOROPAN DE RIEROS librum Medicum, e 105
proverbiis Hiſpanicis concinnatum, ubi proverbia Medica examinat & commentario
illuſtrat. Titulus libri eſt: *Medicina Eſpannola conténida en proverbios vulgares
ennra lengua.* Singularis ille proverbiorum uſus eſt, qvi nemini aliàs in mentem ve-
nit, qvo in artis medicæ doctrinam illa adhibentur. Eſt vero elegans liber, ac multa
habet ad eam rem pulchrè aptata Adagia. Aliqvot Adagia Hiſpanica in rhythmos Bel-
gicos convertit *Conſtantinus Hugenius*, qvæ inter poëmata Belgica reperiuntur.

Anglica Adagia variis Autoribus collecta ſunt, primùm à CAMBDENO in *Re-* 106
liqviis Antiqvitatum Britannicarum, Anglicâ linguâ ſcriptis, (vocantur *Romains*).
Poſt illum alii qvidam Autores non ſatis cogniti. * Tandem JACOBUS HOVVEL 107
παροιμιογραφίαν *Anglicam* edidit, ceteris omnibus locupletiorem. Ex omnibus
poſtea qvidam anonymus I. R. inſtituit collectionem Anglicorum proverbiorum, hâc
methodô, ut primùm ponat ſententias proverbiales, ordine Alphabeticô diſpoſitas,
deinde phraſes proverbiales, tunc ſimilia proverbialia, tum rhythmos proverbiales, qvos
ſeqvuntur proverbia ruſtica, & tandem proverbia ſingulis in Angliâ regionibus verna-
cula. Si qvis attentè illa perlegerit, tum Italicorum & Gallicorum magnam conve-
nientiam cum Germanicis Adagiis animadvertet. Liber editus eſt Cantabrigiæ An.
1670. in 8vo. * Extat inter Anglos cujusdam POVVELS *Dictionarium Anglico-* 108
Italico-Gallicum in fol. Adjiciuntur illi Dictionario *proverbia Anglica*, *Gallica &*
Italica, non exiguâ curâ congeſta. * Eorum peritiam ut oſtendat Autor, Epiſto- 109
las aliqvas & Oratiunculas ex meris proverbiis in tribus his linguis concinnavit; qvod
in Latinâ linguâ fecit ingenii oſtentandi gratia FAUSTUS ANDRELINUS, cujus *epiſtolæ*
proverbiales Helmſtadii recuſæ An. 1662. ſecundum exemplar Colonienſe, qvod An.
1509. prodiit. Qvod & in Germanicâ linguâ tentavit integrâ aliqvâ Comœdiâ,
(cujus tamen exemplum ab Italo ſumſerat) Harstorfferus in parte 2. ſeiner Geſpräch-
Spiele in fine.

Germanicorum Adagiorum Scriptores aliqvos etiam habemus: inter illos ſunt 110
SEBASTIANUS FRANCK, Autor variis in Germanicâ linguâ ſcriptis hiſtoricis notiſſi-
mus, cujus *Adagia* prodierunt Francof. An. 1541. in 8vo. non utiqve contemnenda.
Edidit poſtea AGRICOLA *proverbia Germanica* cum explicatione, & FRIDERICUS PE-
TRI ſingulari librô cui tit: Der Teutſchen Weißheit/ qvi ceteris omnibus locupletior
videtur, verùm omnes ſine ordine inſtituunt: Hamburgi prodiit An. 1605. Prodiit &
[illegible] à GEOR-

(*aaa*) Proverbia XXI. Hiſpanica Rhythmis Germanicis expreſſit ipſe Morhofius, ſub finem
Poëmatum ſuorum Germanicorum, *p.* 467-471.

à GEORGIO HENISCHIO *Theſaurus linguæ Germanicæ*, qvem Lexici inſtar eſſe voluit, in qvo ſub ſingulis vocibus Adagia diligenter notavit. Verùm non fuit abſolutus ille liber; pervenit enim tantùm usqve ad literam H. Collegit Proverbia Germanica tribus tomis adjectâ explicatione rhythmicâ EUCHARIUS EYERING, Islebiæ in 8vo An. 1601. edita. Titulus libri eſt *Copia Proverbiorum.* Habentur in illo ſelecta proverbia, notatu digna: licet explicatio rhythmica ad modum rudis poëſeos germanicæ ſit inſtituta. Sed tamen & in illâ multa ſunt non adeò inepta. Ex his Autoribus, adjectis qvibusdam aliis, collegit poſtea CHRISTOPHORUS LEHMANNUS *Florilegium ſuum Politicum*, cujus extant tres partes in 12. editæ An. 1643. Multa illic habentur arguta; qvæ, qvoniam ſub titulis ſunt diſpoſita, interdum argutos conceptus epigrammatibus præbere poſſunt. Exemplô ſuô hoc demonſtravit *Kindermannus* in aliqvô carmine nuptiali, & *Joh. Heywood* Anglicâ linguâ 300. Epigrammata ſuper 300. Proverbia ſcripſit. Schuppius aliqvô locô librum hunc adeò commendat, ut poſt S. Biblia illum legi velit. Collationem Latinorum Adagiorum cum Germanicis inſtituit ſingulari librô TAPPIUS, qvi labor non contemnendus. Ante aliqvot annos PAULUS WINCKLER, Conſiliarius Brandenburgicus, tres Chiliades Sententiarum Germanicarum adagialium collegit, ſub titulo gute Gedancken/ Gorlitzii An. 1685. in 12. editas, qvæ ſunt elegantes & argutæ.

111 Mentio ſuprà facta eſt de Verſibus ſententioſis & adagialibus, eos colligi unum in volumen intereſt. Non ita pridem JOHANNES LANGSTON in lucem edidit *Poëſeos Græcæ Medullam*, Londini ann. 1679. in 8vo., qvo collegit ſecundum Alphabeti literas initiales verſus Græcos, vel Adagii aliqvid vel gnomas habentes, & eum qvidem in finem, ut memoriæ mandari poſſit à tironibus, penè eodem modô, qvo *Seidelius* portulam ſuam Græcæ linguæ edidit: Melior autem hîc ſelectus eſt. Idem jam antea ediderat ſimilem in Latinâ linguâ laborem, ſub titulô: *Luſus Poëtici Latino-Anglicani*, qvi poſtea auctior prodiit: de qvo, cum hactenus non viderim, judicare
112 haud poſſum. * Alius Londini 1616. in 8vo. liber prodiit ſub titulo: *Bibliothecæ Scholaſticæ* inſtructiſſimæ per THOMAM DRAXE congeſtus, & Principi regio Carolo inſcriptus; ubi Latina, Græca, Gallica, Anglica Adagia & Verſus ſub titulis aptis reponuntur. Utilis qvidem ille liber eſt, verùm longè plenior dari apparatus poterat, ideam tamen aliqvam ſimilia tentaturo ſubminiſtrabit.

113 Atqve hæc dicta ſufficiant de Proverbiorum Scriptoribus, qvorum adhuc alii ſunt, qvos non nominavi, ac datâ operâ omiſi. Adjici etiam his poſſunt *Proverbiorum Arabicorum* Centuriæ II. cum interpretatione Latinâ & ſcholiis *Joſephi Scaligeri*, & *Thomæ Erpenii*, qvorum locupletiſſima editio prodiit in 8vo., Lugd. Batav. ann. 1623. Edidit qvoqve *Andreas Tſcherningius*, Profeſſor Poëſeos in Academiâ Roſtochienſi, ex Erpenianâ editione proverbia Arabica, qvæ in Germanicam linguam convertit, ſcholiis qvibusdam adjectis. Edita qvoqve eſt *Perſicorum Proverbiorum* centuria, collecta & verſione notisqve illuſtrata à *Levino Warnero*, Lugd. Batav. in 4to. ann. 1644. Recenſentur ab aliis Parœmiographi, qvos videre mihi non contigit. Eraſmus *lib. 17.*

epiſt.

epiſt. 3. de omnibus Adagiorum Scriptoribus ſui temporis agit. Iſraël Spachius nominat *Hub. Suſannæi* proverbiorum Ciceronianorum Connubium, qvi error eſt, & à Martino Lipenio qvoqve transſumptus: non enim de proverbiis, ſed adverbiis liber ille agit. Laudantur qvibusdam *Ferrieri collectanea proverbiorum*, Colon. 1612. *Fungeri Proverbiorum Farrago* Lugd. Batav. in 8vo 1585. & 1595. *Germbergii Proverbiorum Centuriæ XV.* Baſil. 8vo 1583. *Gerſchovii Centuria Locmannica* Proverbiorum Arabicorum Diſtichis Latinis expreſſorum, Gryphisvv. 8vo 1635. *Henrici Stephani* Proverbia Epigrammatica, vel Epigrammata proverbialia. Scripſit & *Aloyſ. Cynthius* de Origine vulgarium Proverbiorum, Venet. 1526. Eſt *Jac. Mejeri* Hortulus Adagiorum, Baſil. 12. 1677. & plura alia à Lipenio diligenter congeſta: Qvæ cum non viderim, nihil de illis pronuncio. *Seiboldi Adagia Latino-Germanica* multa habent lutulenta & plebeja.

JOH. THOMÆ FREIGII *Ciceronianus*, Baſileæ ann. 1669. editus, etiam inter 114
Locorum Communium Scriptores referendus eſt, cujus liber hôc titulô prodiit, uſui eloqventiæ inſerviens. Concinnavit ille è ſcriptis Ciceronis qvaſi Encyclopædiam aliqvam, omnia verbis Ciceronianis aptè inter ſe connexis exprimens; in ordine inſtituendô, ut ſolent Ramiſtæ, ſatis diligens, cujus ille typum & ſchematiſmum præmiſit. Ad Deum verò & hominem omnia retulit: hominis locos dividit ſecundum partes, cauſas, adjuncta. Sub adjunctis comprehendit omnes artes virtutesqve. De rebus moralibus & civilibus diſſertaturo Loci Ciceroniani ſtatim patent, qvibus exornari oratio, vel rerum argumentis vel verborum delectu, poteſt. Nunqvam enim penè oratio ſcribitur, qvin vel tota, vel qvâdam ſuì parte in Loco aliqvo Communi verſetur: atqve ſic proderit Oratori liber ille, qvemadmodum ſacro Oratori prodeſſe posſunt libri de virtutibus & vitiis ſcripti, ut *Peraldi ſumma virtutum & vitiorum*, *Creſollii Anthologia de ſelectis piorum hominum virtutibus*, de qvibus infrà dicendi locus erit, cum ad Eloqventiæ ſacræ Scriptores perventum. Idem Thomas Freigius in iſtô librô ſuô p. 508. uberiores Locos Communes promiſit. *Hæc*, inqvit, *hactenus ex Ciceronis monumentis, locorum communium demonſtratio fuit: vix juſtâ unius aut alterius menſis meditatione ſic nobis conſcripta, memoriâ locos ex aliis alios ſuppeditante. Equidem pleniores illos juſtioresque locos mentis quadam deſignatione jam delineatos, ex omnibus omnium temporum ſcriptoribus, poëtis, hiſtoricis, philoſophis, oratoribus, medicis, jureconſultis, theologis congeſtos, aliquando pleniùs editurum me confido. Ubi enim melius aut vitæ humanæ utilius hoc literarum otium, quamdiu mihi eo uti licet, collocabo? Interim ejus majoris operis ac laboris ſpecimen hic noſter Ciceronianus eſto, qui, qualia cetera futura ſint, æſtimanda benevolis lectoribus relinqvat.* Sed nihil ex illis, qvod ego memini, lucem vidit, magnopere in multis profuturum. Eodem modo è Poëtis moralis doctrinæ locos communes *Henricus Stephani* congeſſit.

Edidit & JOHANNES RIVIUS Athendorienſis *Locos Communes Philoſophicos*, qvorum tomus tantùm primus Glauchæ, ſuburbio Salinarum Saxonicarum An. 115
1580. in fol. editus eſt; Qvi qvanqvam liber utiliſſimus eſt, continet enim multa ſin-

gularia, ad Grammatices, Dialectices & Rhetorices cognitionem: generaliſſima tamen illa διατύπωσις eſt per tabulas, ut vulgo vocant, analyticas. Ideoqve ad Encyclopædiarum Scriptores potiùs, qvam ad Locorum Communium Scriptores referendus eſt:
116 Proponuntur enim integræ illic diſciplinæ. * Eſt J. G. SCHIELEN *Bibliotheca enucleata*, ſive Aurifodina artium & ſcientiarum, Ulmæ an. 1679. in 4to. magnifico hoc titulo edita, in qvâ tamen per merum Indicem citra ſummariam rerum comme-
117 morationem varia coacervantur, qvæ uſui interdum eſſe poſſunt. * Sunt ZIM-
118 MERMANNI *Analecta*, in qvibus varia philologica & critica colliguntur. * Generalem aliqvam Locorum Communium ideam ſic ſatis commodè inſtructam, non tamen omnino ſterilem, ſed Autoribus & materiis utcunqve differtam, ſubjecit ALEXANDER FICHETUS *Arcanæ ſtudiorum methodo* Lugduni, an. 1649. editæ, de qvâ
119 nos ſuprà. * JOHANNES BENZIUS ſolos tantùm titulos Locorum Communium comparandæ rerum & exemplorum copiæ accommodatorum edidit, bonâ ratione ex Sturmii doctrinâ diſpoſitos, qvam Sturmius è Mylæi de ſcribenda rerum uni-
120 verſitatis hiſtoriâ cepiſſe nonnullis creditur; de qva nos libro ſeqventi plura. * Sunt in Theologicis, Moralibus, Hiſtoricis, Politicis, varia promptuaria, adverſaria, ut Caniſii, Hondorffii, Dinothi & aliorum. In Gallicâ linguâ multi libri ſub titulo Collectaneorum (*Recueil*) & diſcurſuum prodierunt, ut *Montaigne* & plurium aliorum, de qvibus *Sorellus* in Bibliothecâ Gallicâ legatur. Nos illa hîc omittimus, & qvoniam pleriqve ad certas diſciplinas pertinent, datâ occaſione de iis dicemus.

CAP. XXII.

DE EODEM ARGUMENTO ET DE POLYGRAPHIS.

§. 1. *Locorum communium Scriptores plures recenſentur.* 2. *Antoninus Imperator.* 3. *Proclus in* χρηςομαθεία *Poëtica.* 4. *Macrobius,* 5. *Plutarchus, Athenæus,* 6. *Seneca,* 7. *Licetus, Parrhaſius, Pignorius, &c.* 8. *Referuntur varia Mellificia, Promptuaria &c.* 9. *Indicum Scriptores.* 10. *Qui allegationibus multis utuntur.* 11. *Quo abuſu JCti potiſſimum notantur.* 12. *Petrarchæ de his judicium.* 13. *Alii circa allegationes abuſus notantur.* 14. *Eraſmus, Melanchthon, Gesnerus, à Scaligero malè, ut Locorum Communium Scriptores ſugillantur.* 15. *Cardanus Gesnerum reprehendit.* 16. *De Vadiano iniqvum judicium Voſſianum.* 17. 18. *De Montano & Voëtio judicia.* 19. *Conſilium de colligendo in unum librum, quicquid eximii in aliis omnibus ſparſim reperitur.* 20. *Carteſii de eo judicium.* 21. *Polygraphi.* 22. *Oligographi vel Bradygraphi.* 23. *Multorum ſeculorum labores ab uno Polygrapho in Compendium trahi ſolent.* 24. *Exempla in Ariſtotele, Hippocrate, Galeno, Theophraſto, Plinio, Varrone.* 25. *Librorum fata ex imperiis pendent.* 26. *Etiam ab ingeniorum diverſitate.* 27. *Varii ſcientiarum gradus ratione*

hominum & ſeculorum à Cardano ingenioſè deducti. 28. *Polygraphi multi apud veteres & recentiores.* 29. *Cardanus Polygraphus.* 30. *Scaligeri de Polygraphis judicium.* 31. *Campanella*, 32. *Caramuel, Polygraphi.* 33. *Joach. Fortii conſilium de multis libris ſcribendis.* 34. 35. *De Henrico Stephani polygrapho judicium Vavaſſoris.* 36. *Mareſii querela de vitiis polygraphorum.* 37. *Franciſci Macedo incomparabile ingenium.* 38. *Fuit πολυγραφώτατος.* 39. *Elogia ejus invidenda.* 40. *Opera & vaſta & multa recenſentur.* 41. *Collectores librorum in hiſtoriis & diſciplinis.*

MUlta ſuperiore capite de *Locorum Communium Scriptoribus* diximus, ſed lon-
gè plura reſtant, qvam ut paucis pagellis illa enarrari poſſint. * In an- 1
tiqvis ut multi ſunt, ita *Antoninus* qvoqve Imperator eò referendus eſt, in 2
libris τῶν εἰς ἑαυτὸν, ſive, de vitâ ſuâ ad ſe ipſum, qvos excerptorum nomine
vocat Barthius *Adverſar. lib. 51. cap. 16. & lib. 1. cap. 11.* ac uberioribus collectaneis
illuſtravit Thomas Gatakerus, ut moralium ſententiarum theſaurus eſſe poſſit.
* *Procli χρηστομαθεία poëtica* ad hanc qvoqve claſſem pertinet, qvam edidit Schot-
tus Hanoviæ 1615. in 4to. * Fuere vel per dialogos inſtituta talia Collectanea, 3
qvod feciſſe videmus *Macrobium* in Saturnal. libris, * vel methodo erotematicâ, 4
ut *Plutarchus* in qvæſtionibus convivalibus, *Athenæus* in Deipnoſophiſtis; * vel 5
per Epiſtolas, ut fecit *Seneca*, cujus Epiſtolæ non ſunt niſi ſententiæ congeſtæ, * ac 6
multi è recentioribus, qvi qvæſita per epiſtolam ſcripſerunt, ut *Fortunius Licetus*, cu- 7
jus extant multi hoc titulo libri, *Janus Parrhaſius*, *Laurentius Pignorius*. * Et
qvis recenſeat omnia noſtro tempore Mellificia, Promptuaria, Calligraphias, Æraria, 8
Apparatus, Parnaſſos, Scintillas, Flaviſſas, Flores, Florilegia, Miſcellanea, Semeſtria,
Otia, Promulſides, Conjectanea, Varias Lectiones, Obſervationes, Dies Caniculares, Sylvas, Adverſaria, Singularia, Præcidanea, Analecta, Dies geniales (qvô titulô Alexander ab Alexandro optimum librum edidit, à Tiraqvello commentario illuſtratum), Stricturas, Exercitationes, Florum Sparſiones, Spicilegia, Memorabilia, Benedicta, Laudabilia, Cinnos, Politias literarias, qvo titulo Angelus Decembrius librum edidit, homo doctior qvam eloqventior, qvod Barthii *Adverſar. lib. 1. c. 2.* judicium eſt.

Referendi etiam huc Indicum Scriptores ſunt, qvi & ipſi Locorum Com- 9
munium Scriptores, niſi qvod titulos ſolos ponunt, & lectores ad libros ipſos remittunt; qvales ſunt in Codice ſacro omnium linguarum, ut vocantur, Concordantiæ; in Jurisprudentiâ Brederodii & Bertachini repertoria, Doringii Bibliotheca, qvi tamen ne primam qvidem Alphabeti literam abſolvit; in Medicinâ Antonii Muſæ Index ſuper Galenum; in Philoſophicis is, qvem ſupra laudavi, Bernhardus.

Omnes deniqve illi Scriptores huc pertinent, qvi *digreſſionibus, allegationi-* 10
bus crebris in ſcriptis ſuis utuntur: qvanqvam ii ineptè plerumqve rem ſuam inſtituant.
* In iis malè plerumqve audiunt JCti, qvi notiſſima qvæqve infinitis teſtimoniis con- 11
firmant. Ridebat hunc morem Paulus Sarpius: Videatur Fulgentius in ejus Vitâ
p. 151. Gall. edit. * Qvidam in vanam ac inutilem pompam iſtis allegationibus 12

paginas complent, qvod in Thoma Meſſanenſi reprehendit Franciſcus Petrarcha ſingulari epiſtolâ, qvæ inter epiſtolas Philologicas à Goldaſto collectas prima eſt: *Animadverti*, ſcribit ad illum, *te in ſcriptis tuis omni ſtudio, ut appareas, niti. Hinc ille diſcurſus per ignota volumina, ut ex ſingulis aliquid decerpens rebus tuis interſeras. Plaudunt tibi diſcipuli, & omniſcium vocant, innumerabilium autorum nominibus attoniti, quaſi omnium, quorum titulos tenes, etiam notitiam ſis adeptus. Docti autem facilè diſcernunt, quid cujusque proprium, quid alienum ſit: & rurſus, quid mutuum, quid precarium, quid furtivum, quid è medio hauſtum, quid à prætereunte delibatum. Memoriam oſtentare puerilis eſt gloria; Viro, ut ait Seneca, captare floſculos turpe eſt: quippe quem fructu deceat gaudere, non floribus. Tu verò in hâc ætatis parte venerabilis, & in tuâ profeſſione clariſſimus, imò, ut non ſemper pungam, ſed interdum ungam, ſolus ſine exemplo noſtri temporis earum, quibus es deditus, literarum princeps, neſcio quo juvenili animo, dimiſſis finibus tuis, in alienis pratis otioſus & vagans, inclinata jam die, interlegendis floſculis tempus teris. Placet ignota tentare, ubi ſæpe viam non inveniens aut vageris, aut corruas: placet illorum ſequi veſtigia, qui ſcientiam quaſi mercimonium aliquod ante fores explicant, cum interim vacua domus ſit. Certè tuum eſt, ad id potius niti, ut ſis aliquid plus, quam videris. Operoſa ſemper & periculoſa jactantia eſt. Adde quod, cum magnus videri voles, innumerabilia incident, quæ te non modo veram ad menſuram redigent, ſed infra etiam contrahent.*

13 Huc illi qvoqve pertinent, qvi *Autores deperditos citant*, ſuppreſſis iis, unde hauſerunt, hâc ambitione ducti, ut ipſi poſtea pro veris Autoribus laudentur: de qvo artificio Thomaſius *lib. de plagio* §. *260.* & §. *573.* eodem à Petrarcha ſale defricandi. Defendit tamen eos Thomaſius, qvi multos eosqve ſæpe minutos Autores allegant, qvi ex aliis deprompſerunt ſua, qvàm ipſos fontes, qvi fortè non ſunt ad manus. Vide eum *libro de plagio* §. *173*, Et hoc vel ideò debere fieri ille putat, ne in plagii ſuſpicionem incidamus: etſi non deſunt è Scholaſticis & Melanchthonis ſcholâ, qvi hanc inter ſe *κοινωνίαν* habuere, ut citra plagii crimen verba, ſententias, mutuò transſcriberent, înqve uſum ſuum verterent, qvâ de re idem videatur *eodem libro* §. *192. 193. 194*. Obtinuit & in allegationibus multorum morbus, qvi ipſi qvosvis Autores, modò ignotos, etiam cum elogiis nominant; ac ſunt alii, qvi miſerè ambiunt aliorum in ſcriptis magna de ſe elogia. Hos notat Menzinus in libro de literatorum hominum invidiâ cap. 8. cujus hîc verba apponemus: *Cum curioſitate non bonâ laborent invidi, altera quoque addatur nota, gloriæ ſcilicet enormis quædam cupido; literatorum enim plerosque is intus alit ſpiritus, & eò feruntur, quò ducit, imo jubet, ambitio. Hinc ſpecioſis librorum titulis eruditiſſimos legimus, & doctiſſimos, quibus nec puerorum fabellas, aut ſi quid levius eſt, intelligendum conceſſeris. Atque illud ſedulò curant alieno in ſcripto, cum ipſi interim deſides ſedeant, & falſo gaudeant teſtimonio. Nec longè diverſo, & quidem ridendo, utuntur artificio, qui obnixè & illud curant, ut in aliorum monumentis nomen ſuum grandioribus deformatum literis inſpiciant omnes, & majoris auxilio characteris tacitum non prætermittant. Exiliunt itaque gaudio, & penè deſipiunt;*

piant; atque eos tantummodo libros non oderunt, qui ejusmodi adulationis ſtigmate notentur; alios omnes, qui de illis ne verbum quidem fecerunt, utpote inſulſos & illepidos, damnandos prorſus & abjiciendos pronunciant. Hunc igitur morem, qui nuper apud noſtros inolevit, probare vix poſſum, cum, nulla habita perſonarum ratione, eos promiſcuè doctos inter & eruditos inſcribi video, qui bonas artes vix à limine ſalutarunt. Dijudicandum enim eſt, quo quis encomio dignus, imo tacendum potius, quam ridiculæ adulationis nota ſubeunda.

Negari non poteſt, hoc allegandi cacoëthes à Germanis plus, qvam neceſſe eſt, 14 freqventari, unde ſiniſtra exterorum de iis judicia. Hinc Scaliger in Excerptis à Fabro editis p. 80. ubi de Eraſmo, Melanchthone, Gesnero judicia fert, ita de iis: *Hi tamen tres ſimul componendi magni locorum collectores fuerunt potius, quam ſuum aliquod in medium proferentes; quod vitium cum omnibus Germanis familiare habent. Duos tantum excipio, Georgium Agricolam & Beatum Rhenanum.* Hæc illic, ſed manifeſtâ maledicentiâ in bonos viros, jactantur. De Eraſmo improba hæc calumnia eſt, nec minus de Melanchthone & Gesnero. Non reprehendendi ſunt, qvod Locos Communes ſcribere voluerunt rei literariæ juvandæ gratiâ, qvorum tum temporis, cum renaſcerentur literæ, magnus erat uſus. Et gratiæ illis agendæ erant. Id verò Germanorum eſſe fatum ſolet, ut eorum operâ & induſtriâ exteri feliciter utantur, qvod ut diſſimulare tutiùs poſſint, convitiis & contemptu eam à ſe ſuſpicionem amoliri conantur. Ceterùm Eraſmi divinum judicium tot ſcripta loqvuntur, nec ipſa invidia diffitebitur. Ipſe qvoqve Scaliger alibi adverſus Patris ſui acerbiſſimas invectivas Eraſmum tuetur. Sunt & Melanchthonis & Gesneri ſcripta maturo ſatis judicio & ſtylo rei accommodato adornata, de qvibus jam ſuprà diximus. * In Gesnero 15 Cardanus *lib. 10. Paralipomenon in Hiſtoria Lapid. & Metallor. p. 525.* reprehendit qvidem, qvod Plinio nimium addictus qvædam falſa ſuis admiſcuerit, rejectis Georgii Agricolæ verioribus ſententiis; ſed magnis tamen elogiis ornat. *Cogor*, inqvit, *aliquid dicere adverſus præſtantiſſimum virum & amiciſſimum, ſimulque de bonis literis & de me benè meritum; quam invitus, Dii nôrunt.* Videmus hîc, qvam diſcrepent interdum hominum judicia: Ipſe enim Scaliger alibi de tribus illis honorificè judicat. * Non diſſimile exemplum eſt de Vadiano, qvem inter omnes Germanos penè uni- 16 cum commendat Scaliger in alteris Scaligerianis ſub titulo: *Les Allemans.* Sed de hujus Commentariis ſuper Melam Iſaacus Voſſius dicit, qvod rus & ſtivam oleant: qvod ruſticum judicium ille, qvi notas alteris Scaligerianis adjecit, meritò reprehendit. * Ita Montani diſſertationes laudibus effert Mareſius *lib. 1. Epiſt. 30.*, con- 17 temnit Malebranche *lib. 2. de inquirendâ Veritate cap. 5.*, ut inter ſtultos & vanos [*les pedans*] numeret: qvi qvidem, ut Diogenes Platonis faſtum alio faſtu, ita Montani vanitatem & arrogantiam aliâ vanitate calcare videtur. * In Voëtio Sarravius 18 *in Epiſt. pag. 158.* ut & nos ſuprà, tumultuarium ſcribendi modum notat: *Nonnulla iſtius Viri*, inqvit, *olim legeram, in quibus ſatìs multa congerere per πολυαναγνωσίαν videbatur; ſed parvo aut nullo judicio congeſta.*

19 Jam præcedente Capite aliqva de Locis Communibus per certos *Anagnoſtas*
colligendis monueram, ac ſanè magna ejus rei utilitas eſſet. Ipſi Anagnoſtæ multum
in ſtudiis eos juvant, qvo ſunt audita lectis jucundiora & tenaciùs hærent: qvâ de re
Scaliger *Exerc. 308.* Et hæc qvidem collectanea in hiſtoricis, politicis, moralibus,
magnum uſum habebunt, non æqvè in Philoſophicis, qvantum ad doctrinas & con-
20 cluſiones; niſi fortè ad hiſtoriam reſpexeris. * Qvam ob cauſam probare neqve
ego conſilium illud poſſum, qvod Carteſio non nemo proponebat, de qvo habetur in
Epiſtolarum ejus parte 2. Epiſt. 100; conſilio ſcilicet de colligendo in unum librum,
qvicqvid eximii in aliis omnibus ſparſim reperitur. Eâ de re verum ille judicium inter-
ponit: *Vereor,* inqvit, *ut poſſibile hoc ſit conſilium: nam præterquam, quod ſæpè difficil-
limum eſt de alienis ſcriptis judicare, & utilia ex illis deſumere, relictis inutilibus, ve-
ritates in libris huc atque illuc ſparſæ tam inconnexæ ſunt, & ab invicèm independen-
tes, ut plus induſtriæ & ingenii requiri putarem ad illas in corpus unum concinnâ pro-
portione & ordine juxta conſilium autoris componendas, quam ad tale corpus propriâ
arte fabricandum: Non quod propterea ſint ſpernenda aliena, ſiquidem utilia reperi-
antur; ſed nequaquam puto, tempus præcipue adhibendum eſſe illis colligendis. De-
nique ſi quispiam Scientiarum fundamento inveſtigando par eſſet, is eſſet culpandus, ſi
vitam tereret in illorum particulis per Bibliothecarum angulos latentibus disquirendis:
qui verò ad hunc tantùm laborem idonei fuerint, neque ſcient ſagaciter eligere, neque
electa ſapienter disponere.* Reprehendit eum porrò, qvod religionem cum ſcientiis
miſceat, & qvod ex his conficere velit ſcientiam aliqvam univerſalem, qvam poſſint
adoleſcentes ante viceſimum qvartum ætatis annum intelligere & addiſcere. Rectè
hæc à Carteſio cogitata improbantur: Nam qvod in Politicis Lipſius è Centonibus
ac variis Autorum ſententiis doctrinam *de principatu* congeſſerit, & in artis & præce-
ptorum formam redegerit, non tam ex Autoribus ea præcepta & regulas collegit,
qvàm antea ſibi cognita his velut emblematibus illuſtrare voluit. Atqve in his feli-
ciùs illa tentari poſſunt, qvam in ceteris ſcientiis.

21 Ad Locorum Communium Scriptores referri qvoqve debent POLYGRAPHI;
nam & hi, cum in multa ſe diffundant, multa ipſi ex aliis coacervant, ut ſoli Biblio-
22 thecam ſcribant. Non idem eruditis ſenſus eſt. * Aliqvi annos integros trahunt
in libris ſcribendis, & in eorum expolitione penè vitam omnem impendunt: Aliis
una nocte velut fungi naſcuntur libri. Utrinqve peccatur: Nam & nimia cura ſæ-
pe obeſt perfectioni Operis; eſt, ubi impetus pulchriora cogitata extundit, cum illi,
qvi manum de tabula tollere neſciunt, nimiâ diligentiâ rem perdant. Media eſt in-
ter præcipitantiam & procraſtinationem via. Qvidam Cunctatores ſunt & Lentuli,
qvidam Celeres & Fulminei: utriqve, prout ingenium hominum eſt, rem vel perdunt
vel reſtituunt. Judicii effectus eſt cunctatio, & qvi magna moliuntur, cunctari ſolent.
Sunt tamen & torpida ingenia & teſtudinea, qvi tardo greſſu eò procedunt, qvò Aqvi-
læ uno volatu. De utrisqve operosè egit Bailletus libro *de Judiciis doctorum, tom. 1.
part. 2. c. 11.,* ac multa tam ex antiqvis, qvam recentioribus produxit exempla. Nos
illos

illos Oligographos vel Bradygraphos mittimus, & de Polygraphis, tanqvam qvi ad Bibliothecarios Scriptores propius accedunt, pauca monebimus. * Scribendorum 23
librorum nullum eſſe finem jam tum ſapientiſſimus Salomon dicebat; Ac eſt reverâ res infinita: Ut enim cogitationibus hominum nullus ſtatui finis poteſt, ita nec libris, qvi cogitationum partus ſunt: qvibus lectores tandem deerunt, redeuntibus ſemper novis, qvi ad temporis ſui genium accommodatiores ſunt, & antiqvorum luminibus officiunt. Ita, qvod prudenter notavit Cardanus *Paralipomenon lib. 1. cap. 13.* fieri ſolet, ut ſingulis temporibus collectis in unum multorum laboribus unus pro multis legatur, in cujus ſcriptis omnium præcedentium ſententiæ & ſplendidiùs comprehendantur, ut ſeculo magis florido & à viro ſapientiore deſcriptæ. * Ita Hippocra- 24
tes majorum ſuorum ſcripta collegit, ita Ariſtoteles & Galenus. Reliqvum Ariſtotelis collegit Theophraſtus; Plinius Romanorum & Græcorum ſcita coacervavit; antea feliciùs multo, ſed prolixiori ſermone, tentatum à Marco Varrone. Et hi deniqve ſuperſtites ſunt, qvos æqvare non licet ingenio aut felicitate ſeu ornatu. * In Hi- 25
ſtoria præſentia non neceſſaria multis habentur, obſoleta ſpernuntur mutatis locis, nominibus, moribus. Prima ætas hiſtoriarum eſt in imperio naſcente rudis & fabuloſa; ſecunda, dum viget & fluctuat imperium, atqve tum hiſtoriæ vigent. Ubi deciderit, & ſeneſcit imperium, linguæ mutantur, & hiſtoriæ & ſcripta ſeneſcunt. Poëtica ob figuras & numerum diutius durant, præſertim in lingua elegante. Mathematica, qvia ad rerum uſum pertinent, ac ſimul jucunda ſunt, & ſub ſenſum cadunt, durabiliora ſunt, ſemperqve per gentes & ſecula, inſtigante uſu & neceſſitate, reſuſcitantur. Qvæ verò è naturalibus & medicis diſputationi ſubjacent, ut ambiguæ fidei, ita non ab omnibus æſtimantur, aut diu in pretio ſunt. Hinc eſt, qvod tam multa Philoſophorum & ipſius Ariſtotelis ſcripta periere. Ciceronis opera cum linguæ Latinæ cultu efflor eſcere cœperunt, ſiqve illa decidet, ea qvoqve intercident.

Accedit ingeniorum diverſitas, eorum vel ſublimitas vel humilitas, unde ſua 26
qvoqve fata libri habent, ſi temporum & hominum ſimul conditio expendatur.
* Extat elegans Cardani Obſervatio *lib. 2. Paralipom. cap. 5.*, qvod hominum cogni- 27
tio circulo qvodam redeat, nec longiùs progrediatur. Humana cognitio, ſeu ad unumqvemqve, ſeu ad gentem unam, ſeu ætatem, ſeu ad univerſum genus referatur, non in infinitum procedit; ſed nec longiùs digreditur ab inſcitia, aut, ut honeſtiùs loqvar, à primis principiis: unde Philoſophi decepti ſunt latè, aut nugantur, ſi non erraverint. Omnes gentes & ſecula & ætates circa ſuam ſapientiam aut eruditionem revolvuntur, & iidem etiam homines. Parum autem diſtat hæc ſapientia à cognitione principiorum, & eorum, qvæ ſenſu acqviſita ſunt. Neqve enim tota humana natura longiùs recedit, etiamſi non impediretur calamitatibus, qvia non poteſt ulteriùs procedere, qvam ſinguli homines: qvi etſi adjuti longa plurium ſeculorum ſeriei ſapientia, non tamen ſine prioribus poſteriora intelligere poſſunt; qvæ, dum colligunt, meditantur, mors obrepit: & ob id qvaſi neſcientibus nobis, qværitur homo ſpectatæ fidei ac ſapientiæ, cui credere poſſumus, ut poſteriùs intellecta pro principiis habere

liceat,

liceat, atqve ulterius diſcendo progredi. Ob hæc felici ſeculo natus illi Ariſtoteles dicitur, cum eam doctrinam amplexus ſit, qvæ inter ſapientiam mediam & exactam humanam repoſita ſit. Hic ergo diagramma octo circulorum ob oculos ponit Cardanus. Centrum eorum eſt omnium iſtorum, qvæ intelligi poſſunt, ignorantia, qvalis in infantibus ac belluis. Qvi hoc ambit circulus, eſt cognitio principiorum, velut à ſeptimo anno ad qvartum decimum. Secundus circulus eſt eruditionis juxta ætatem, à qvarto ad vigeſimum primum. Tertius circulus eſt eruditorum ſimpliciter; qvartus eſt Sapientum regionis ſuæ: qvintus Sapientum ſeculi ſui: ſextus ſapientum ſimpliciter: ſeptimus ſapientiſſimorum, in qvorum ordine ille poſuit Hippocratem, Ariſtotelem, Theophraſtum, Plotinum, Euclidem, Archimedem, Apollonium &c. Octavus eſt divinorum; cujus exceſſus eſt juxta rationem centri in circulo: unde, qvi habuerit in primo, parum melior erit ſapientiſſimo: ſi qvis autem in ultimo erit, velut immortalis; qvod forſan vix contingere poteſt. Qvælibet tamen hujusmodi melior eſt abſolutiſſimâ ſapientiâ humanâ. Qværunt tamen homines fructum exceſſus ſui circuli, & ob id manent adhuc monumenta clariſſimorum virorum: non ergo infinitum eſt hoc noſtrum humanum ſcire, ut à centro ignorantiæ recedit, ſed in ſe ipſum circulo revolvitur & maximè juxta mundi ætates. Id qvod qvaſi demonſtratione aliqvâ ingenioſus & ἐυφαντασίωτος Cardanus ob oculos ponere voluit. Alibi *libro* 16. *Paralipom. cap.* 1. tria hominum illuſtrium genera conſtituit, qvi ex actionibus præclaris famam ſibi acqvirunt. Sunt verò illi immodici, fortunati, ſapientes: qvi iterum vel bifariam vel trifariam jungi poſſunt, atqve ex horum conjunctione omnem illuſtrium hominum differentiam fingit exemplis ubiqve adductis. Ex his, qvæ diximus, apparet, omnes illos, qvi maximè ſunt πολύγραφοι, atqve omnia complecti animo volunt, nihil ad perfectionem ſcientiæ humanæ conferre poſſe; ſed, cum omnia in orbem redeant, ſuis finibus ſubſiſtere, & ad ipſos carceres relabi.

28 Fuiſſe multos inter veteres polygraphos ex hiſtoriâ diſcimus; ſed & ex errore titulorum multi Autoribus adſcripti, qvos illi non ſcripſerunt, ut notat Jonſſius in *Hiſt. Philoſoph. lib.* 1. *cap.* 2. *pag.* 17. Idem *lib.* 2. *cap.* 8. de Stoicis nonnullis Philoſophis aliisqve agit, qvorum multi vaſtiqve extiterunt libri. Magnum eorum Catalogum texuit Bailletus loco ſuprà citato. In his ſunt Interpretes Sacri Codicis, librorum Juris, apud qvos penè in legem abiit ſe mutuò exſcribere, & molem augere librorum. Agit hic de Triſmegiſti libris, qvos 36529. nonnulli numerant, de Callimacho Cyrenæo, Ariſtarcho, Zenone, Epicuro, Chryſippo, Theophraſto, Didymo, Servio Sulpicio, Varrone, Galeno, Esdra, S. Auguſtino, Alberto Magno, Thoma, Raimundo Lullio, Wiclefo, Alphonſo Toſtato, Johanne ab Indagine, Paracelſo, Luthero, Zvvinglio, Melanchthone, Calvino, Bulingero, Musculo, Rudolpho Gualtero, Moyſe Amiraldo, Salmerone, Bellarmino, Cardinale de Lugo, Gretſero, Schotto, Suareſio, Vasqvez, Lorino, Cornelio à Lapide, Sanchez, Hazarto, Nirembergio, Petavio, Theôphilo Raynaudo, Labbeo, Eſcobaro, Kirchero, Antonio Diana, Petro d' Alva & Aſtorga, Caramuele, Joſepho Pellizero de Salas, Lope de Vega, Baronio, Raynaldo, Ughello,

Cardano,

Cardano, Aldrovando, Liceto, Bartolo, Cujacio, Fabro, Barboſa, Farinaceo,
Vincentio Mariniero, & qvibusdam aliis, de qvibus ille ſingularia qvædam memorat.

CARDANUS inter polygraphos à Bailleto numeratur, & meritò: nam ipſe in- 29
ter illos numerari gaudet. Etenim *Paralipomenon lib. 2.* diſertè ait: *Atque hâc par-
te hisque duobus ſatis felix tum editis jam 126. libris, conſcriptis aliis penè 200. & 60.
propè autores jam de nobis in ſuis libris mentionem faciunt.* Qvæ, cum puerili qvâ-
dam ambitione ab illo dicantur, mirum non eſt, à Scaligero illum ob πολυγραφίας
affectationem exagitari, præſertim, cum & in libris de Subtilitate dixerit: *Generaliter
quis non habendus eſt in pretio in aliqua arte, qui non multum ſcripſerit, præterquam
in Poëſi & Mathematicis*; qvæ vellicat Scaliger *Exerc.* 341. ac adverſus illum ſuſtinet,
temeritate atqve inſcitiâ compelli nos ad multa ſcribendum. * Sed ille iniqvior 30
in Cardanum eſt, qvæqve in contemptum ejus Operum adducit, meras calumnias ſpi-
rant. Fuit Cardanus ſanè magni ingenii homo, ac in pretio habendus eſt, qvicqvid
etiam Scaligero videatur. Etſi enim non pauca in illo ſunt, qvæ neſcio qvas ineptias
ſapere videntur, multa tamen in illo ſunt egregia atqve admiratione omnino digna.

THOMAS CAMPANELLA, qvem à Bailleto omiſſum miror, inter præcipuos no- 31
ſtri temporis polygraphos etiam numerandus eſt. Portentum ingenii fuit, & omnes
ferè diſciplinas ad ſenſum ſuum reformavit. Qvæ edidit ipſe, non multa qvidem
ſunt, etſi ſatis illa operoſa & ſpiſſa volumina. Ineditorum longè major numerus eſt,
ut ipſe de libris ſuis librum ſcripſerit, ubi illorum hiſtoriam recenſet. Plura de illo
in *Polyhiſtore Philoſophico.* * CARAMUELIS à LOBKOVVITZ ut multi, ita ſingula- 32
ris ingenii ſunt labores, de qvibus peculiaris Index ab ipſo Autore editus eſt, additus-
qve Bibliothecæ Ordinis Ciſtercienſis, qvam Carolus de Viſch publicavit: verum plu-
rimi ſunt inediti. * Etiam JOACHIMUS FORTIUS RINGELBERGIUS, Vir inexhau- 33
ſtæ diligentiæ, ut inter polygraphos compareret, omnem operam impendit. Notatu
digna ſunt, qvæ ex ejus libro de ratione ſtudiorum narrat Melchior Adami in ejus vi-
tâ. *Fuit ipſi in animo, ſi vita daretur mediocriter longa, opuſcula conſcribere millena,
quorum corpori univerſo inde titulus eſſet Chilias. Nullum perfecit librum, niſi, dum à
typographo excuderetur, in quo hunc obſervavit modum: Antè omnino animo concipie-
bat totum corpus operis futuri; deinde in tabulâ ligneâ maximæ amplitudinis rubricâ
titulos ſolùm capitum delineabat. Circumſpiciebat hîc diligenter, num cuncta benè co-
hærerent: ubi res viſa exigere, alios auferebat, alios addebat, mutabat, transponebat.
Titulorum capita, dum excogitatio recens eſſet, rudi oratione leviter ſingula in ſingulis
chartis depingebat: quos ordine ponebat in tabulâ, ubi titulos prius collocarat. Hos
poſtremo magnis ſcribebat typis, quò libri ordo univerſus aſpectu uno poſſet comprehendi.
Tum ſingulis diebus capita aliquot ad prælum abſolvebat: primum illis leviter deſcri-
ptis aliquid addendo vel adimendo, deinde decorè, ſuaviter, numeroſè omnia eloquendô.*
* Inter polygraphos cenſeri etiam HENRICUS STEPHANI poteſt, Vir, ſi qvis alius, ad 34
juvandas bonas literas promptiſſimus. * Sed in illo, qvod multorum polygrapho- 35
rum vitium eſſe ſolet, μικρολογίαν & multarum rerum inutilium conſtipationem

 damnat

damnat Vavaſſor in librò de Epigrammate cap. 17. *Ex Petro Puteano,* narrat ille, *accepi quondam, Jac. Aug. Thuanum & ſæpe Stephano & vehementer autorem fuiſſe, ut libros edere veterum pergeret ſanè, quoad vellet, & quamdiu ſuſceptæ operæ non pœniteret; ſcribere ipſe libros deſineret prorſus: iſta ratione multò rei literariæ magis profuturum, magis ſibi: quod illi conſilium, ut audio, dederat antea Petrus Pithæus, vir eruditus in primis valdeque prudens. Sed quæ cauſa utrique hominem ſic admonendi? Non una, opinor: Quod facilis quidem & ſolutus in ſcribendo, ſed parum caſtigatus eſſet; quod ad minuta & frivola laberetur ſæpe & adhæreſceret; nimium præcipiens, nimium emendans; omnia loqueretur de omnibus, aſſiduè de ſe; cum ſcriptorem præterire multa, & reticere, & diſſimulare oporteat, de rebus vero ſuis verbum facere nul-*
36 *lum, niſi neceſſario, ſit pars aliqua non tantum modeſtiæ, ſed etiam prudentiæ.* * Eadem qvoqve de vitiis polygraphorum qverela eſt Mareſii *libr. 2. epiſt. 9.* ubi è polygraphiæ inſano ſtudio in hæc & ſimilia Scriptores abire vitia judicat, ut rarum omnino ſit, ſi qvis in πολυγραφίᾳ rationem judicii & prudentiæ habeat.

37 Reperiuntur tamen nonnunqvam (neqve enim negari poteſt) Heroës qvidam literarii, ut appellare ſanè poſſumus, qvi qvaſi in Oceanos librorum & ſcientiarum ſe diffundere poſſunt, ſine aliqva ἀκρισίας notâ, & cum omnium etiam doctorum ſtupore & applauſu. Non poſſum hîc præterire maximi profectò viri & planè θαυμαστοῦ, P. Francisci à S. Augustino Macedo, Luſitani, olim membri Soc. Jeſu, poſtea Minoritæ, Lectoris Jubilati, Publici Profeſſoris Patavini, inſignia Opera. Non adeò in vulgus nota eſt Viri hujus hiſtoria, nec à qvoqvam plenius, qvam Gregorio Leti in
38 Italia regnante, parte 3. & 4. tradita: * Qvare hoc loco, ubi de polygraphis agimus, inter ſingularia ævi noſtri miracula recenſeri omnino hoc exemplum debet. Ita de eo parte 3. lib. 3. Leti: *E' un ingegno traſcendentiſſimo, è moſtroſo, e ſenza di alcun dubbio uno maggiori Letterati che ſien viventi. In Roma l' anno 1658. per tre interi giorni tenne publiche Concluſioni di quaſi tutto lo Scibile, e l' iſteſſo qualche tempo doppo, fece perotto in Venetia. Diſcorre all' improviſo dottiſſimamente ſopra di qualſivoglia materia, ſi in proſa come in verſi Latini, ed hâ dato in luce fino ad hora piu di quaranta ſuoi Libri, molti de' quali ſono anche in foglio. Hâ poco meno di ottanta anni, ed in una età coſi grave, continuamente, ò ſtudia, ò ſcrive. E pure, vergogna del noſtro Secolo, quando morrà, ſi potrà di lui dire quello che eſſo medeſimo ſcriſſe à carte 12. del dottiſſimo Abate Ilarione Raneati. Et tamen, tantus hic vir domeſticis duntaxat inſignitus honoribus occubuit, & Monaſtico indutus habitu ſepelitur.* Cumulat inde plu-
39 ra elogia, qvæ hîc præterimus. * Pag. 209. adducit Patr. Archangeli de Parma teſtimonium, qvo nihil admirabilius, qvam qvod de poëmate extemporali plane portento ſimile ſcripſit, atqve ita habet: *interrogarunt & probarunt hominem innumeris quæſitis & argumentis Doctores ac Magiſtri omnium ordinum, quibus ipſe ad votum reſpondit, ac ſi præmeditata omnia habuiſſet, tanta felicitate, ut nunquam titubârit, nunquam dubitârit, nunquam hæſerit, nunquam cunctatus fuerit. Imò ſæpe accidit, ut arguentibus, quæ objiciebant, aut obliviſcentibus, aut male recitantibus, ipſe dicenda ſubmini-*

ſubminiſtraret & corrigeret: Inter quos fuit unus, qui S. Scripturæ locum malè citarat; & alter, cui locus Virgilii memoriâ exciderat; & tertius, qui nonnullos autores ſuſpectos pro ſuâ ſententiâ allegaverat. Primo igitur teſtimonium S. Scripturæ correxit: ſecundo verſus Virgilii ſuggeſſit: tertio ſubtraxit ſuſpectos autores, & idoneos ſubminiſtravit. Jam verò actio noviſſima de carmine extemporali admirabilis viſa eſt omnibus. Is fuit enthuſiaſmus hominis, ut plusquam duo millia verſuum repente effuderit, & argumenta ſibi propoſita extemporali carmine reddiderit: inter quæ fuerunt duo, Gigantomachia & Furor Medeæ filios occidentis. Hæc ille vix audita ſuſcepit, & verſibus ornavit ingenti plauſu & admiratione. Faſſi ſunt omnes, nunquam ſe ſimile quidquam vel vidiſſe, vel audiſſe: nec ſibi perſuadere potuiſſe, unum hominem tot tamque diverſa genera ſcientiarum complexurum fuiſſe. Mirati & acumen, & eruditionem, & eloquentiam, & venæ poëticæ ubertatem. Terminavit actionem Epigrammate in laudem urbis Venetiarum pari omnino illi celeberrimo, ab inſigni Poëta Jacobo Sannazario compoſito: Quod, quia excellens habitum fuit, in Bibliotheca Publica S. Marci Autoris manu ſcriptum affigi juſſum, & præterea ad uſum communem typis mandatum. Itaque eum virum dignum Senatus judicavit, qui civitate Venetâ donaretur, & cui cathedra Patavina, quæ tunc vacabat, liberali ſtipendio præter conſuetudinem aucto aſſignaretur. Depingi vero eum ſuis ſumptibus curavit Illuſtriſſ. ac Excellentiſſ. Dominus Antonius Grimanus, tunc Orator ad ſummum Pontificem deſtinatus, & hodie apud ipſum Legatus. Sed pictura opus non erat ei, cujus fama futura erit immortalis. Qvis non cum ſtupore legat, qvæ alii cum ſtupore audierunt. * Neqve ſane levia & vul- 40
garia ejus carmina fuere, qvalia qvis ab homine Scholaſticis, Philoſophicis tricis immerſo exſpectaret, ſed excelſa, ſublimia, erecta; dictione, inventione & acumine admirabili: qvale illud eſt, qvod in Reginam Chriſtinam ab illo ſcriptum habeo. Elegans in Helenam Piſcopiam, Virginem doctam, Epigramma extat apud eundem Leti *part.* 4. *lib. 1. p.* 71. & inſcriptio argutiſſima in Bibliothecam Baptiſtæ Nanni *p. III.* Operum ejus Catalogus integer neqve apud Nicolaum Antonium, neqve apud Alegambium extat. Ipſe verò Catalogum ad Magliabechium ſcripſit, qvem hîc è Gregorio Leti *part. 4. lib. 5.* apponam, ut & ingenii ſummi & inexhauſtorum laborum hic ſpecimen ſit. Scripſit in Societate Jeſu conſtitutus *Apotheoſin S. Franciſci Xaverii Epico carmine, Oliſipone ann.* 1621. *Apotheoſin S. Eliſabethæ Reginæ Luſitaniæ Epico carmine, Conimbricæ ann.* 1624. *Theſes Rhetoricas in unum volumen conjectas, Madriti ann. 1628. Epitomen Chronologiæ ab orbe condito ad Chriſtum natum an.* 1634. *Artem Poëticam juſto volumine. Hæc non vidit lucem. Elegias VII. Has in libris non numero. Typis mandatæ ſunt Lugduni an. 1626. Vitam Domini D. Ludovici de Ataide, Lingua Hiſpanica in 4. Madriti ann. 1633. Hiſtoriam recentium Martyrum Japonenſium, eâdem linguâ in 4. Madriti ann. 1632.* In ordine S. Franciſci hi ab illo libri prodierunt: *Apologeticus pro Luſitania vindicata, Pariſ. ann. 1641. in 4. Jus ſuccedendi in Regnum Luſitaniæ cum Hiſtoria Luſitaniæ literatæ, & Schemate Genealogico Competitorum de Regno Luſitaniæ, Pariſ. eodem anno*

 in

in fol. Elogia Gallorum, Aquis Sextiis eodem ann. 1641. in 4. Deſcriptio Villæ Juquii, & Sanctæ Baumes, i.e. Speluncæ S. Magdalenæ, Aquis Sextiis eodem ann. 1641. verſibus in 8. Panegyricus Urbano VIII. Apes Barbarinæ, Lyra Barbarina. Roma Vetus & Nova, carmine Heroico in unum volumen conjecta, Romæ anno 1642. in 4. Honor vindicatus, Rupellæ an. 1642. in 8. Philippica Portugeſa Hiſpanice, Oliſipone 1643. in fol. Propugnaculum Luſitano Gallicum Pariſ. an. 1646. in fol. Laurus Harcourtica, Pariſiis an. 1647. in 4. Cortina Auguſtini Pariſ. an. 1648. in 4. Teſſera Pontificia pro dignitate & autoritate Papæ, Londini an. 1652. in 4. Controverſia Eccleſiaſtica inter fratres Minores, Londini 1653. in 8. Lituus Luſitanicus contra Tubam Anglicanam, Londini 1652. in 4. Mens divinitus inſpirata Pontifici Innocentio X. ſuper quinque Propoſitiones Janſenii, Londini 1654. in 4. Scrinium Auguſtini, Londin. 1654. in 4. Domus Sadica, id eſt, Familia Nobilium Luſitanorum cum eorum geſtis deſcripta Londini an. 1654. in fol. Roſæ Alexandrinæ, id eſt, Electio Pontificis Alexandri VII. cum Panegyrico & Poëmatis omnis generis, Romæ an. 1655. in 4. Pallas Togata, id eſt, Regina Sveciæ ad fidem converſa, Romæ an. 1656. in 4. Encyclopædia, Romæ an. 1657. in fol. Vita S. Jo. de Matha, & Felicis de Valois, Fundatorum Ordinis Redemptorum SS. Trinitatis, Romæ an. 1660. in 8. De Clavibus Petri, Romæ an. 1660. in fol. Archigymnaſii Romanæ Sapientiæ Deſcriptio, Romæ 1661. in 8. Theatrum Meteorologicum, Romæ 1660. in 12. Diatriba de Adventu S. Jacobi in Hiſpaniam, Romæ an. 1662. in 8. Controverſiæ ſelectæ, Romæ an. 1663. in 12. Scholæ Theologicæ Poſitivæ, Romæ an. 1664. in fol. Aſſertor Romanus, ſive Vindiciæ Romani Pontificis, & Pontificatus, Romæ an. 1666. in fol. Vitæ Thereſiæ & Sanciæ Reginarum Luſitanarum, Romæ an. 1667. in 8. Concentus Eu hologicus Ven. 1668. in fol. Vita S. Turibii Archiepiſcopi Limani, Venetiis 1668. in 4. Pictura Veneta, Venetiis 1669. in 4. Collationes S. Thomæ & Scoti ad 2. Sententiarum, Patavii in fol. Azymus Euchariſticus, Veronæ an. 1673. in 8. Disquiſitio Eccleſiaſtica ſuper Azymo Euchariſtico, Veronæ 1673. in 4. Commentationes duæ Polemicæ pro S. Auguſtino &c. Veronæ 1674. in 4. Reſponſio ad Notas Critici, Veronæ an. 1674. in 4. Myrothecium ex documentis Moralibus, Patavii 1675. in 4. Libri, qvi perierunt: *Hiſtoria expeditionis Braſilicæ ad Bahiam recuperandam, An. 1625. in 4. Liber de generibus & differentiis ſtyli, tùm Rhetorici, tùm Poëtici, tùm Hiſtorici, tùm Epiſtolaris, Conimbricæ 1626. in 8. Vita Pii Viri Domini Joannis Laici Jeſuitæ, tùm Latinè, tùm Luſitanicè in 8. Scientia Rhetorica, Madriti ſcripta in fol. caſu amiſſa. Scientia Poëtica, Opus accuratiſſimum, Madriti in fol., Æmulorum fraude interverſa. Bella Hiſpanorum cum Gallis, linguâ Hiſpanicâ, Madriti in 4. Invenietur apud Ducem de Villa hermoſa. Deſcriptio Poëtica Heroico carmine Palatii Madritenſis ruſticani. Reperietur in Bibliotheca Comitis de Olivares 3. millia verſuum Epicorum. Adverſaria collecta ex omnibus operibus S. Auguſtini. Ingens tomus. Hunc Guardianus mei ordinis, quod erat interpunctus, & ex chartis ſolutis malè compoſitus, putans eſſe aliquod opus inutile, combuſſit, magno meo dolore, & aliqua, opinor, doctrinæ Auguſtinianæ jactura. Vita S. Roſæ Limenſis Dominicanæ, quæ prima omnium*

ſcripta

ſcripta fuit, ſervatur ad Mineru, Romæ in 4. Libri confecti & in lucem edendi: *Hiſtoria de Bello Luſitanico, dudum, ex quo fui in Angliam miſſus, interrupta: cujus libri duo, ad ideam Titi Livii, ſunt confecti; & meam adhuc exſpectat perfectricem manum. Liber de Conciliis univerſalibus, & particularibus in fol. Liber Apologeticus contra Caronem & Valſium, Romanæ Eccleſiæ Adverſarios in 4. Calamitas erudita in 4. Diatriba de Opinione probabili in 4. Lucerna Macedi in 8. Diſſertatio de validitate Matrimonii Ethnicorum, præſertim Tunchinenſium Barbarorum in 4. Traductio Ludovici Camonii Principis Poëtarum Luſitaniæ in Latinam linguam Heroico item carmine, Opus magni laboris & accurationis, in* 4. *Continet Myriadem fermè verſuum totidem Poëtæ verſibus reſpondentium. Subdit prælo tertium tomum Collationum in 3. Sentent. S. Thomæ & Scoti. Habet præ manibus librum inſcriptum, Proſper redivivus contra Narratorem* [hoc eſt, contra Patrem Noris]. *Urget alium, cujus titulus eſt: Accipiter, ſive Sparaverius, Rafrerii plumis veſtitus, deplumatus, & viginti quinque errorum convictus* [Rafrerii per anagramma Ferrarii]. Subjungit huic ſuo catalogo illa: *Erit, qui velit noſſe opera vaga & ſolitaria. Hæc, quod ſunt plurima, ægrè numerari poſſunt, & ægrius inveniri. Verum obiter attingam. Panegyricos dixi quinquaginta tres. Orationes Latinas habui ſexaginta. Laudationes, ſive Funebres Orationes, triginta duas. Poëmata Epica recitavi publicè quadraginta octo. Elegias compoſui centum viginti tres. Epitaphia centum quindecim. Epiſtolas dedicatorias ducentas duodecim. Familiares ſeptingentas. Poëmata Epica juſta his mille ſexcenta. Elegias quingentas. Odas centum decem. Epigrammata, & id genus alia plusquam tria millia. Comœdias Latinas quatuor. Satyram unam Hiſpanicè. Carmina, quantum recolendo præterita conſequi poſſum, omnis generis, quæ ſcripſi, ac ex tempore fudi, ea opinor centum & quinquaginta myriades poſſe conficere. Tandem animadverto, de multis me quæſtionibus fuiſſe conſultum: Earum Reſponſa, quæ ſunt diſperſa, ſi colligantur, ingentem Tomum efficient.* Accenſet alios Gregor. Leti *Panegirico ſagro, del Serafico Padre San Franceſco, Diſcorſo Academico, qual goda con più diletto la Rappreſentatione Comica ò Tragica, ò miſſa di un Palco; ſe un Cieco che ſenta, ò un Sordo che veda. In Padoua per il Cadorino* 1676. *in* 4. *L' Academico Umoriſta Romano, Ricourato Padouano*, & nonnulla alia.

Accenſendi ſunt & Locorum Communium & Bibliothecariis Scriptoribus illi, 41
qvi minutos, vel unius vel multorum Autorum labores in Volumina colligunt, ne illi intereant, ſed publico bono ſerventur. Rectè ergo etiam illos BIBLIOTHECARIOS vocabimus, cum multa Volumina colligendo Bibliothecam faciant, & Bibliothecis inſerviant. Ita in libris ſacris habemus Bibliothecas Patrum, Biblia Critica: in Jurisprudentia Oceanum Juris, ſeu Tractatum Tractatum. In Hiſtoricis medii ævi in Volumina colligendis, qvam diligentes fuere Goldaſtus, Freherus, Lindebrogius, Schardius, Urſtiſius, Reuberus, Piſtorius, Reineccius, Meibomius, cujus nepos novum nunc corpus promittit, Bangarſius, Pithœus. Laurentius Strauſſius in Theatro Sympathetico multos, qvi de Sympathia & Antipathia rerum ſcripſere, congeſſit. Gruterus

rus in Face Criticâ omnes Scriptores Criticos ſuorum & præcedentium temporum collegit; ſub nomine Rhanutii Gheri Poëtas Gallos & Germanos. Elzevirii & Blauii in Rebuspublicis & Atlantibus edendis operoſi fuere. Hortlederus, Lundorpius ſcripta ad res Germanorum pertinentia Voluminibus certis complexi ſunt. Sunt, qvi Concilia & Synodos, univerſales ac particulares, Hiſtoricos Hiſpaniæ, Galliæ, earumqve gentium, in unum corpus compegerunt. Habemus Theatra Chymica, artem auriferam, in qvibus Chymici Scriptores continentur. De qvibus ſingulis nunc non eſt dicendi locus.

CAP. XXIII.

DE EPISTOLARUM SCRIPTORIBUS.

§.1. EPiſtolarum Scriptores ad rem & hiſtoriam literariam multum conferunt. 2. Hi quid à Biographis differant. 3. Magna eſt in commercio epiſtolari jucunditas. 4. Difficultates in ſcribendis Epiſtolis ex Eraſmo producuntur. 5. Cum Reſponſoriis edendæ. 6. Epiſtolæ ſecundum ſeriem temporum ordinandæ. 7. Lacunæ in illis indagandæ. 8. Indices addendi. 9. Doctorum hominum literæ in unum corpus colligendæ. 10. Rolandi Mareſii Epiſtolæ Philologicæ laudantur. 11. Græcorum Autorum Epiſtolæ. 12. Ciceronis Epiſtolæ ad eloquentiam & cognitionem ſtatus Romani maximoperè commendantur. 13. Illarum præſtantia defenditur. 14. Ciceroniani κακόζηλοι ab Eraſmo aliisque notati. 15. Eraſmus inclementius Ciceronem tractavit. 16. Jul. Cæſ. Scaligeri Declamationes adverſus illum. 17. Sed & illæ in Eraſmum injuriæ. 18. Multi fuere inepti Ciceronis Cenſores. 19. Ejus Epiſtolæ ad Atticum ob prudentiam politicam laudandæ. 20. Plinii Epiſtolæ à quibusdam Ciceronianis malè præferuntur. 21. Michaelis Neandri Elogium de illis. 22. Seneca Locorum Comm. Scriptor. 23. Ejus & Pliniorum latinitas impugnata. 24. Patrum quorundam Epiſtolæ. 25. Sidonii Apollinaris Epiſtolæ ob hiſtoriam commendandæ. 26. Caſſiodori Epiſtolæ. 27. Petrarchæ, 28. Gaſparini, 29. Aretini, Philelphorum &c. Epiſtolæ. 30. Angeli Politiani Epiſtolæ. 31. Magnum Barthii de eo elogium. 32. Diverſum Manutii judicium. 33. Hermolai Barbari epiſtolæ. 34. Scaligeri, 35. Eraſmi, 36. Scioppii, 37. Floridi Sabini, Pauli Corteſii, Capaccii de Politiano judicia. 38. Petr. Bembi, Joh. Caſæ aliorumque Italorum Epiſtolæ. 39. Rudolphi Agricolæ, 40. Marſilii Ficini, 41. Joh. Pici Mirandulani. 42. Thomæ Mori Epiſtolæ. 43. Epiſtolarum obſcurorum virorum autor Uldaricus Huttenus. 44. Eraſmi Epiſtolarum Opus commendatur. 45. De ſtylo ejus judicia. 46. De ſtylo Barthii & Grotii judicium. 47. Comparatur ſtylus Eraſmi cum ſtylo Budæano. 48. Multa in illo Hiſtorica ſacra & civilia. 49. Vincentii Fabricii, 50. & aliorum de his Epiſtolis elogia. 51. Melanchthonis Epiſtolæ earumque variæ partes. 52. Statum illorum temporum in ſacris exhibent. 53. Stylus Melanchthonis. 54. Camerarii Epiſtolæ laudantur. 55. Aonii Palearii Epiſtolæ ad indolem Ciceronis ſcriptæ. 56. Goldaſti Epiſtolæ Philologicæ. 57. De

Manutii Epiſtolis varia elogia & judicia. 58. Quid Muretus de Italis in univerſum ſenſerit. 59. Bunelli Epiſtolæ. 60. Mureti Epiſtolæ. 61. De iis judicium Erythræi & Scaligeri. 62. Rogeri Aſchami Epiſtolæ. 63. Joh. Sturmi elogium. 64. Bonciarii, 65. Reineſii Epiſtolæ. 66. Chriſtiani Daumii Lexicon vocum medii ævi. 67. Caſauboni Epiſtolæ. 68. Earum dictio. 69. Compoſitio varia aliam indolem ſtylo largitur. 70. Julii Cæſ. Scaligeri, 71. Joſephi Scaligeri Epiſtolæ ab ipſo, & Gallicæ ad hunc ſcriptæ commendantur.

EPISTOLARUM SCRIPTORES ad Bibliothecarios omninò referendi ſunt: Ex illis enim multa hauriri poſſunt, qvæ ad omnem rem & Hiſtoriam literariam pertinent, ubi à Vitarum Scriptoribus diſceſſerimus. 1
* Biographi multa exponunt Scriptorum conſilia & arcana; Elogiorum qvoqve Scriptores: qvanqvam hi in laudem proniores ſunt, ut Sammarthani, Craſſus, Ghilinus aliiqve, de qvibus ſuprà; qvibus addi poſſunt Monumenta illuſtrium Virorum & Elogia Trajecti ad Rhenum à Zylio publicata, ac picturis Tobiæ Fendtii illuſtrata ann. 1671. in fol. Sed omnes illi teſtimonium de aliis perhibent: in Epiſtolis verò ſui characterem ipſe Autor depingit. Qvod ſi enim è colloqviis eruditorum proficimus, etiam ex epiſtolis, qvæ colloqvia abſentium ſunt, magni ad nos fructus redundabunt; præſertim cum ſecretiora in illis tractari ſoleant. 2
* Hiſtoria vel civilis vel literaria, præteritorum temporum nobis jucunda erit, qvam ex epiſtolis Virorum illuſtrium nobis eò pleniùs ob oculos ponere poſſumus, qvò evidentior eſt in illis typus rerum & perſonarum practicus, unde perſpicaci aliqvâ ſolertiâ multa eruent, qvi Hiſtoriæ illorum temporum non ſunt omninò ignari. Commendat hoc Vincentius Fabricius epiſtolâ, qvæ eſt inter eas, qvæ cum ceteris ejus Poëmatibus noviſſimè prodierunt, ſecunda: *Quem non delectent*, inqvit, *familiares iſti, & quaſi à præſentibus habiti virorum magnorum ſermones: quorum imago eſt Epiſtola? quantum ibi jocorum; quantum etiam querelarum; &, quatenus per ludum inter amicos licet, conviciorum? Annon te felicem crederes, ſi licuiſſet annos aliquot converſari cum Politianis, Manutiis, Eraſmis, Caſeliis, Scaligeris, Lipſiis, Muretis; eorum mores, vitam, etiam cum in lætis rebus, cum in triſtibus eſſent, cum ſerio aut per remiſſionem agerent aliquid vel ſcriberent, inſpicere? Jam verò talium Epiſtolæ cum omnibus te conjungunt quodam, & dulciſſimo contubernio.* Hæc qvidem rectè Vincentius. 3
* Sed varia ſunt in Epiſtolarum Scriptoribus conſideranda; variæ ipſis Scriptoribus difficultates in Epiſtolis edendis proponuntur, de qvibus nemo pleniùs, qvam Eraſmus in Epiſtolâ 1. unde hic adducemus nonnulla: *Ad Epiſtolas ſcribendas fortaſſe non ita valde videri poteram ineptus; verum alioqui multæ res erant, quæ me ab hoc genere deterrebant. Primùm, ſi epiſtolæ carent veris affectibus, neque vitam ipſam hominis repræſentant, jam Epiſtolæ nomen non merentur: Quales ſunt Senecæ ad Lucilium, atque adeò inter eas, quas olim ſcripſit Plato, quasque ad Apoſtolorum (ut apparet) imitationem ſcripſerunt Cyprianus, Baſilius, Hieronymus, Auguſtinus, perpaucæ ſunt, quas libros rectiùs appellaris, quàm Epiſtolas. Porrò, quos nobis reliquit, neſcio quis Bruti nomine, nomine Phalaridis, nomine* 4

Senecæ

Senecæ & Pauli, quid aliud cenſeri poſſunt, quam declamatiunculæ? Verum autem illud Epiſtolarum genus, quod mores, quod fortunam, quod affectus, quod publicum ſimul & privatum temporis ſtatum, velut in tabula repræſentat, cujus generis ferè ſunt Epiſtolæ Ciceronis, Plinii, & inter recentiores Æneæ Pii, aliquanto plus habet periculi, quam hiſtoria rerum nuper geſtarum; periculoſæ (ut inquit Flaccus) plenum opus aleæ. Proinde, ſi quid edendum ſit in hoc genere, nulli velim autor eſſe, ut ipſe vivus edat, ſed Tyroni cuipiam hoc det negotii. Quanquam hic in edendis patroni ſui monumentis plus ſtudii, quam judicii creditur adhibuiſſe. Sive laudes, ſive vituperes aliquem, non deerunt, qui offendantur. Ut ne commemorem eſſe quosdam, qui ne laudari quidem ſuſtineant libris editis: ſive, quod dedignentur à quovis nominari, ſive quod vereantur, ne cui veniant in ſuſpicionem φιλοκολακίας. *Quo magis admiror divum Bernardum Epiſtolas ſuas evulgaſſe, in quibus tot nomina carbone notantur. Nunc ſi quis Jacobitæ aut Carmelitæ meminerit, vel ſuppreſſo nomine, niſi multa cum honoris præfatione, res videtur digna lapidatione. Jam & illud eſt incommodi, quod, ut ſunt res mortalium, ex amiciſſimis nonnunquam redduntur inimiciſſimi: & contra, ut & illos laudatos, & hos doleas attactos. Poſtremò ne famæ quidem Autoris ſatis conſulitur, quod plerique ex una quapiam Epiſtolâ totum æſtimant hominis ingenium, cum aliquoties ſcribamus uvidi, nonnunquam dormitantes, interim laſſi, interim etiam ægroti, aut aliud agentes, nonnunquam alieno ſtomacho, frequenter ad ejus, cui ſcribimus, vel captum, vel judicium, orationis habitum attemperantes. Unde fit, ut imperitis veniamus in ſuſpicionem inconſtantiæ, cum ea varietas, ætati, affectui, perſonis & rebus in diverſum mutatis, ſit imputanda. Hæc cum alium quamlibet felicem ab edendis epiſtolis meritò deterreant, me tamen illud peculiariter dehortabatur, quod, cum mihi ſemper fortuna non ſolum humilis fuerit, verum etiam conſtanter iniqua, neque is vitæ tenor, ut eam velim aut poſſim ab omni crimine vindicare, non erat, cur vellem utriusque multa veſtigia ſupereſſe. Atque hæc ratio fortaſſis & illos moveret, ad quos ſcribimus, qui, quod per literas velut in ſinum effutiunt amiculi, nolint omnibus prodi; cum ſint, qui nati Gratiis iratis nihil non interpretentur in pejorem partem. Sæpenumero fit, ut, quod in convivio aut inter candidos homunculos dictum gratiam habet, ſi idem loco non ſuo dicatur, atroces excitet tragœdias. Hac quidem de cauſa pauciores admiſcuimus ex his, quibus reſpondemus, & tamen aliquot adjecimus, præſertim eruditorum: partim, quod me piguerit laboris, quem Angelus Politianus ferè ſumit, in repetendo argumento Epiſtolæ, cui reſcribit; partim quod, ut addas argumentum, tamen aliquid lucis ac vitæ videtur deeſſe, ni prius legas eam, ad quam reſpondetur.* Hæc ex Eraſmo prolixiùs
5 adducere placuit. * Illud tamen ego velim, in Epiſtolarum Scriptoribus ſemper
6 reſponſorias adjungi; ita rectius de omnibus judicaremus. * Velim & tempora Epiſtolarum ſollicitè adnotari. Qvæ duo non ſine causâ deſiderat in Epiſtoliographis Thomaſius præfatione illâ, qvam Boxhornii Epiſtolis à ſe recuſis præmiſit. Qvare laudanda eſt Manutii, Siberi, in ordinandis Ciceronis epiſtolis opera, unde multum lucis hiſtoriæ accedit. Idem Johannes Aurifaber in Lutheri, Joachimus Camerarius

in Me-

in Melanchthonis Epiſtolis fecit. Commendat eo qvoqve nomine Boxhornianas Thomaſius. * Reperiuntur & in nonnullis Epiſtolis lacunæ vel ænigmatica & pe- 7
regrina nomina, qvorum in Scaligerianis & Caſaubonianis Epiſtolis clavem dedit Colomeſius, opuſculis ſuis literariis adjectam: qvalia in Philippi Melanchthonis Epiſtolis paſſim qvoqve reperiuntur. Sed talia facilè è freqventi lectione detegi poſſunt, qvod de ſe ait Vincentius Fabricius Epiſtolâ modò laudatâ: unde Thomaſius qvoqve loco citato adduxit: *Memini me non indiligenter legiſſe antehac, quæ extant, eruditorum literas, nec vero nunc, quoties otium ad eam rem fert, intermitto. Unde tantum, præter alia, profeci, ut nihil ferè occultè in Lipſii, Scaligeri, Baudii, talium epiſtolis notetur, nullus carpatur, (nomen enim nunquam ferè, ut ſcis, exprimitur) qvem ego non, quis fuerit, vel divinem, vel ſciam.* * Illud deniqve magnopere reprehendendum eſt in 8
plerisqve Epiſtolarum Scriptoribus, nullum illis adjici Indicem, qvi de potiſſimis literarum contentis docere poſſit. Pauci admodum Epiſtolarum libri ſunt, qvi hoc nomine commendari poſſunt Eraſmi, Richteri, Boxhornii, (edit. Lipſ.) * Illud qvo- 9
qve ego ſuaſerim, ſi qvis hanc operam ſumere velit, ut eruditorum literas, hinc illinc in ſcriniis nonnullorum latitantes, perqvirat, atqve in unum corpus compingat, alioqvin, niſi hoc fiat, perituras. Næ is optimè de re literariâ mereretur. Nos jam Epiſtoliographos recenſebimus, potiſſimùm eos, qvorum ad hiſtoriam literariam uſus eſt. Primô ergo locô nobis nominabuntur

ROLANDI MARESII *Epiſtolæ Philologicæ.* Qvoniam enim ille in Epiſtolis 10
ſuis de rebus agit, qvæ ad rem & Hiſtoriam literariam pertinent, meritò primô locô nobis ponitur. Gallus fuit ille, Vir doctus, cujus extant duo libri Epiſtolarum Philologicarum, ad varios, tum in Galliâ tum extra Galliam, Viros ſcriptarum: Singulæ epiſtolæ continent argumentum aliqvod de ratione ſtudiorum inſtituenda. Jam enim de Grammaticis Scriptoribus, jam de Poëtis, jam de Loc. Comm. Collectoribus, de Verſionibus, de Jurisprudentiâ, Theologiâ Scholaſticâ, Antiqvariis eloqventiæ ſingularibus, Hiſtoricis agit. In ſingulis multa habentur de Viris doctis judicia. Prima editio primi libri prodiit Pariſiis ann. 1650. in 12. Altera prodiit poſt mortem Autoris auctior: nam Launoius & Valeſii fratres omnes Epiſtolas in ordinem collegerunt, & ſingulis breviaria ſua præfixerunt, in duos libros diſpeſcendo. Prodiit Pariſiis in 8. Ejus Elogium habet Petrus Hallæus, qvod adjunctum legitur Vitæ Henrici Valeſii, ubi ſimul habentur Epiſtolæ Mareſianæ ad Valeſios ſcriptæ. Noviſſimè ann. 1687. Cl. Rechenbergius Lipſiæ & Francofurti recudi fecit. Rationes hujus ſui libri reddit *Epiſtol. 1. lib. 2.* Idem *Epiſt. 19. lib. 1.* de eo agit, cur Epiſtolæ noſtrorum ab Epiſtolis veterum tantopere differant degenerentqve, cujus hanc rationem dat, nos non ſecundum artem & ἀνάλυσιν Dialecticam procedere, qvod Cicero aliiqve faciebant; ii præterea inter publica negotia ſtudia tamen ſua non omittebant, ſed ſemper aliqvid ſcribebant. De Epiſtolarum variis generibus idem *lib. 1. Epiſt. 1.*

E Græcis Aldus olim Venetiis duobus tomis *Autorum 177. Epiſtolas* excudit. 11
SOCRATIS, ANTISTHENIS, ARISTIPPI, XENOPHONTIS, ÆSCHINIS, PHI-

 LONIS,

LONIS, PHÆDRI & aliorum Socraticorum Epiſtolas edidit Leo Allatius. Cujacius *Epiſtolas Græcas* uno Volumine collegit cum interpretatione Latinâ: qvâ verſione nullam futiliorem habet Barthius *Adverſ. lib.* 40. *c.* 19., putatqve illam Cujacio affingi. De ARISTÆNETI *Epiſtolis* earumqve interprete vide Barthium *Adverſ. lib.* 45. *cap.* 6. De verô earum autore idem disqvirit *lib.* 55. *cap.* 8. LIBANII 40. ſunt editæ Cracoviæ: qvasdam ineditas Epiſtolas Holſtenius miſit Lambecio, multaqve de Ariſtæneto habet in iis Epiſtolis, qvas ad ſe ſcriptas Commentariis ſuis de Bibliothecâ Vindobonenſi inſeruit Lambecius. Inter recentiores habemus Budæi *Epiſtolas*
12 *Atticas*, ſingulari venuſtate ſcriptas. * Inter Latinos principem locum CICERO, diſertiſſimus ille Romuli nepotum, tenet, cujus habemus *Epiſtolas ad Familiares, ad Atticum, ad Q. Fratrem, Brutum*, tùm civili ſapientia pleniſſimas, tùm ad amuſſim genuinæ Eloqventiæ factas: è qvibus eas, qvæ ad Atticum miſſæ ſunt, Viri doctiſſimi rectiùs *familiares* fuiſſe nominandas cenſent, cum earum pleræqve videantur genere ſermonis abrupto & extemporali ſcriptæ. CASELIUS *Libello de Ludo Literario rectè aperiendo* in Tironum gratiam familiares Epiſtolas deligendas ſuadet ex omnibus Ci-
13 ceronis Epiſtolis, qvæ familiari filo ac Epiſtolis proprio ſcriptæ ſunt. * Nam certè Epiſtolæ ad Familiares, ut Ludovicus Vives putat, non eo ſermonis genere conſcriptæ ſunt, qvo domi utebatur Cicero; in multis ſunt lectiſſima argumenta, ſelectis etiam verbis tractata: Scribuntur ad Reip. Romanæ Viros principes: ac indicat facilè ipſe numerus ac periodorum menſura curam illam, qvæ non adeò reperitur in Epiſtolis ad Atticum, ubi multa ſunt abrupta & hiantia. *De præſtantiâ Epiſtolarum Ciceronis* ſingularem Diſſertationem JAC. PONTANUS ſcripſit, qvâ Ciceronis eloqventiam contra novatores nonnullos, Eraſmum Politianum & Belgam qvendam Anonymum, defendit, monſtratqve, qvam in omni Epiſtolarum genere, qvod adeò multiplex & varium eſt, unicè triumphet Cicero. Nam & rebus accommodare argumenta, argumentis elocutionem, elocutioni numeros & decentem illam copiam novit; ut, qvi ſimile præſtiterit, è totâ antiqvitate inveniatur nemo, ipſo Senecâ teſte: *Compoſitio Ciceronis una eſt; pedem ſervat curata, lenta & ſine infamia mollis.* Sed ipſe in ſtylo interdum varius eſt: Scripſit enim nonnulla juvenis, qvæ ſenex improbavit; cujus exempla affert Sebaſtianus Corradus in *Quæſtura ſuâ*, libro elegantiſſimo, in qvo tota Ciceronis vita refertur. De *vario Epiſtolarum Ciceronianarum genere* commentarium
14 Henricus Stephani edidit laborioſum, nec indoctum. * ERASMUS, adverſus qvem diſſerit Pontanus in laudata diſſertatione, junior adhuc qvædam ſcripſit, non tàm contra Ciceronem, qvàm contra malos Ciceronis imitatores in Dialogo, cui *Ciceroniani* nomen fecit. Non potuit enim ferre homo perſpicaciſſimus, Longolium aliosqve ſe efferre Ciceronianorum nomine, qvaſi illi ſoli Latine loqvi ſcirent, reliqvi omnes barbaro ore creparent, cum illi vim imitationis Ciceronianæ neutiqvam intelligerent, Centonum potiùs fartores, qvam veri imitatores; qvorum fœtus, ut judicat Vir do-
15 ctus, Ciceroni, non ut homo homini, ſed ut ſimia, ſimilis eſſet. * Sed fervore diſputationis abreptus qvædam licentiùs in Ciceronem dixit, qvorum tamén poſtea pœnituit.

nituit. Nam ipſe non ſemel temeritatem ſuam accuſat. * Cauſa tamen nulla 16
erat, qvæ commovere JULIUM CÆSAREM SCALIGERUM ad tam acerbas *Declamationes* potuerit, qvas *Eloquentiæ Romanæ Vindices* appellat, in qvibus miris modis lacerat Eraſmum. * Sed & ipſum poſtea ſuæ acerbitatis pœnituit, qvam invidendo 17
elogio in mortem ipſius conſcripto expiavit; & filio ejus teſte in Excerptis Scaligerianis ſuppreſſæ ſunt illæ Orationes, aliaqve, qvæ contra Eraſmum ſcripſerat Pater.
* Sed vetus ille error eſt, qvod olim Qvintilianus de Scholaſticis dicebat: *Neminem* 18
inter illos fuiſſe, qui non ſibi perſuaderet, ſe ante Ciceronem numerari debere. Id & hodie hominibus nonnullis accidit, Scholaſticis præcipuè, parum in uſu dicendi exercitatis. Viri etiam docti, ingenioſi, ſi aliam viam ingreſſi fuerint, ut ſunt hominum ingenia varia, facile abripiunt in ſuum errorem alios; qvi, cum gloria ſua capiantur, non obloqvuntur aliorum judicio. LIPSIUS qvoqve Ciceronem magnificis laudibus evehit, paſſim tamen in Ciceronis imitatores declamat. Non injuriâ itaqve Franciſcus Vavaſſor *lib. de Epigr. p. 163.* Robertum Conſtantinum reprehendit, qvi in Lexico ſuo Græco-Latino Budæi Epiſtolas ad lectionem commendat, ac Juſtum Lipſium, qvod in Epiſtolis Angelum Politianum Ciceroni & Plinio ſocium adjungere voluit. De variis *Epiſtolarum Ciceronianarum Commentatoribus* legi poteſt SPACHIUS in *Nomenclatore Philoſophico.* Legi etiam poteſt *Oratio* MURETI *XVI. lib. 2.* qvâ Vir ipſe eloqventiſſimus oſtendit Epiſtolarum Ciceronianarum præſtantiam. * Ciceronis 19
Epiſtolæ ad Atticum ob prudentiam politicam inprimis commendari debent: ſtatum enim Reipublicæ, qvalis tum erat, deſcribunt; ita, ut qvemadmodum Cornelius Nepos ait, eas qvi legat, non multum illorum temporum Hiſtoriam deſideret. E Ciceronis Epiſtolis extemporalem ſe facundiam nactum fatetur Hermannus Buſchius, teſte Freinshemio, *Orat. 4. p. m. 46.* De Ciceronis Epiſtolis extat Sidonii judicium ambiguum, qvod examinatum vide à Barthio *Adverſ. lib. 47. cap. 9.*

Poſt Ciceronem in Latina lingua PLINII JUNIORIS *Epiſtolæ* adeò nonnullis 20
placuerunt, ut vel ipſi Ciceroni anteponant: In qvo tamen errare illos certum eſt. Rectè de illo Ludovicus Vives: *Plinius ſuccinctus & feſtivus, facetus & acutus, & frequens concinnis ſententiis, doctis atque acutis ingeniis mirificè eſt aptus, qui ſcholaſticas inter ſe mittunt epiſtolas & umbraticas, quibus oportet plus ornatus & condimenti adjungi, quando rebus non perinde nituntur.* Nam certè non elucet in illis tanta rerum varietas, tantus orationis ſplendor, qvi in Ciceronianis Epiſtolis de rebus gravioribus ad Viros principes ſcriptis. Sed noſtro tempore adeò delectavit dictio Pliniana nonnullos, ut normam illam dicendi ſibi proponant: A plerorumqve enim ſcriptis exulat ille numerus ac juſta illa ſermonis copia, qvam in Cicerone deprehendimus; argutiæ vero, breves periodi, numerus non valde qvæſitus, ſententiis hinc inde & dicteriis Græcis & Latinis conſperſa ac penè obruta dictio delectant. Etenim cum Epiſtolæ ad Familiares & Viros eruditos de rebus ſcholaſticis ſcriberentur, non adeò fortaſſis abſurda erat hæc ſtyli affectatio; qvæ tamen in vitium incurrit, ſi ad Viros graves principesve in re ſeriâ & deliberanda argumentis hoc modo ſcripſeris. * Mirè 1

prolixus in ejus laudes eſt Michaël Neander in præfatione Erotematum ſuorum p. m. 241. *Plinius*, ſcribens, *in Epiſtolis ſuis ita petit & commendat, ut extorqueat: ita gratias agit, ut referat: ita offert, ut largiatur: quâ modeſtiâ laudat? quo ardore invehitur, quibus rationibus ſe alterumve purgat & tuetur? quam feſtivè, quam verè gratulatur? quàm breviter, quàm lucidè narrat? quam aptè, quam lepide jocatur? flentem, ſi lamentatur, videas, unàque collacrymabis; movet nemo benignius, nullus hortatur blandius: quæ omnia Vir emunctus, acutus, acer, ea verborum puritate, varietate, compoſitione veſtivit, iis luminibus, ſententiis, ſalibus adſperſit, ut nihil terſius, floridius, concinnius, nitidius, ſucculentius, acutius aut dici aut excogitari poſſe videatur.*

22 SENECA in *Epiſtolis* Locos Communes ſcripſit: Ejus enim Epiſtolæ nihil aliud ſunt, qvàm farrago variarum ſententiarum in unitatem argumenti redactarum. Tota Philoſophia moralis Stoica qvaſi per lancem ſaturam in iis exhibetur: qvam, cum comprehendere non poterat Seneca juſtô aliqvô Syſtemate, aut unius libri argumento, in Epiſtolas conjecit vagi argumenti materias, qvia ſic commodiùs illa proponi poterant. Nihil eſt ejus ſcriptis argutius & ſententioſius; qvæ ego volvenda & revolvenda ſuaſerim, ut promptitudinem habeamus variarum rerum & argumentorum in moralibus & civilibus; addo & in ſacris ad populum Orationibus, qvibus illa mi-
23 rificè ſubvenire poſſunt. * Ad orationis corpus formandum legi non debent: nam ſic inſtituta orationis forma extra hoc argumentum laudari non poteſt. Eraſmus in Seneca ſordidas voces reprehendit, ſed defenditur à Buchnero *lib. de Com. dic. ratione cap.* 15. Sanctius qvoqve in *Minerva lib.* 3. latinitatem Senecæ multis in locis claudicare ait, qvi tamen eo deteriorem in latinitate utrumqve Plinium facit.

24 TERTULLIANUS multum Africitatis habet, judice Ludovico Vive: aſper enim eſt, & verbis monſtroſus. CYPRIANUS mollior aliqvanto, qvanqvam ejus gentilis, uti & AUGUSTINUS; ſed minus terſus ac comtus. HIERONYMUS ardens & vehemens, ut videatur ſemper ad judices dicere de causâ capitali. AMBROSIUS lenior & placidior. SYMMACHUS ſui ſeculi penè Cicero habitus eſt; ſed mirum qvantum diſtet ab Arpinate iſto. Ejus Epiſtolæ editæ ſunt ex recenſione Le-
25 ctii & Jureti. Extant & in eundem Scioppii Obſervationes. * SIDONIUS APOLLINARIS Giraldo Gallicum & Barbaricum aliqvid redolere videtur *Dialogo* 5. *de Poëtis*, qvem tamen Barthius poſt Claudianum pro optimo Poëta habet, ipſe non ſatis accuratus eorum Cenſor. Epiſtolas ſcripſit ſtylo obſcuro & perplexo, multùm trahentes ab infectione illorum temporum, in qvas tamen extant Commentarii doctiſſimi Savarronis & Sirmondi. Ceterùm in Carmine, qvod & obſervavit Vives de tradendis diſciplinis, non adeò deprehenditur orationis ſcabrities, qvam in Proſâ: numerus enim illam vel operit vel ſuſtinet. De hoc ſimilibusqve Autoribus rectè judicat Mareſius lib. 2. ep. 1. *Sidonius, quanquam ſcabri & moleſti ſermonis affectator, ob multa, quæ epiſtolis inſerit, ſuorum temporum acta nusquam alibi invenienda, ſatis in pretio eſt. Quantumvis enim barbari ſcriptores, quorum libri viventibus ipſis propter verborum ſqualorem, vel quod aliud vitium, fortaſſe negligebantur, ſi hiſtoriam ſuorum*

tempo-

temporum ſcripſerint, vel quid hiſtoricum ſuis ſcriptis admiſcuerint, poſtea tamen recipiuntur. Hiſtoria enim quoquo modo ſcripta delectat, & licet inſulsè ſcriptam, tamen quoniam notitiam temporum habere deſideramus, & nos quidquam, quod usquam geſtum ſit latere dolemus, ambabus ulnis amplectimur. * CASSIODORUS Gothica ſtri- 26
bligine totus plenus eſt: Qvi omnes elegantiæ ſtudioſo ab imitatione excludendi ſunt.

Poſt illa tempora magnô intervallô, velut ſtella inter denſiſſimas tenebras, 27
emicuit FRANCISCUS PETRARCHA, qvi tamen multum trahit ex rubigine ac ſitu temporum ſuorum. * Multo pòſt primus in Italiâ aliqvid Latinè balbutire cœpit 28
GASPARINUS, cujus Epiſtolas Ludovicus Vives laudat, qvod in ſeculo doctorum primæ. * Huic ſuccedunt LEONHARDUS BRUNUS ARETINUS, parum 29
etiam cultus, & PHILELPHI duo, Pater & filius, ſententiis inanes & ſubfrigidi, POGGIUS, qvem garrulum & nugatorem vocat Lud. Vives, *Æneas Pius II. Pontifex, Silvius, Campanus, Sabellicus, Pomponius Lætus*, de qvibus judicia vide Ludovici Vivis Inſtit. Epiſt. Ceterum Leonhardus Aretinus *lib. 8. Epiſt., Baſil. 1535.* in 8. editis, ſingularia argumenta Philologica & Hiſtorica comprehendit, qvæ pertinent ad ſtatum illorum temporum. Nam non pauca occurrunt de artibus aulæ Romanæ; ut lib. 3. Epiſtolam habet de infelici ſtatu Romanæ curiæ; item de artibus, qvibus oporteat uti illos, qvi Epiſcopatus ambiunt à Pontifice Romano, & plura alia. Notiſſimus alioqvin ille Autor eſt: Fuit enim & ille inter primos reſuſcitatores literarum in Italiâ, ac multa ex Autoribus Græcis in linguam Latinam convertit.

ANGELUS POLITIANUS, qvem Scaliger in Excerptis dicebat primum ſui 30
temporis caput extuliſſe in literis, Ludovico Vivi acumine & feſtivitate amabilis, niſi qvod laudis nimiâ cupiditate ſupra Epiſtolæ limites aſſurgit. Ludit ille non rarò, & laſcivit; multus eſt in materiâ minutâ ſui oſtentator; & dum ſelectas qvasdam voculas qværit, circumducit lectorem pluribus, tum verbis tum ſenſis, orationem onerans, qvàm erat opus. Qvod judicium Ludovico Vivi Claudius Verdierius in *Cenſione ſuâ pag. 156.* ſublegit. * Magnus eſt Politiani Panegyriſtes Barthius *Adverſ. lib. 47.* 31
cap. 5. Inter ea, inquit, *ingenia, quæ reſtaurandis literis cum favente fato præfuerunt, vel cum primis, neſcio etiam an nullo pari ſemper ego æſtimavi Angelum Politianum: tanta in eo viro dexteritas, quocunque literarum ſe verteret, fuit, ut nec nunc ſatis admirari dotes incomparabiles poſſit, licet nonnunquam tanto Heroi iniquior, Poſteritas. Nec admiratus ego ſolùm hunc hominem ſemper ſum, ſed quæ ejus in ſcribendo ſingulares Gratiæ ſunt, amavi etiam, affectu ſanè tenero; Quare minus etiam patienter tuli ſordida pædagogorum judicia, qui ne quid minus in hoc, quam aliis ſcriptis divinitati jam conſenſu docti Orbis transſcriptis, ſapere videantur, neſcio quas vernilitatis notas inuſſerunt, vel inurere certè conati ſunt, longè doctiſſimis ejus monumentis.* Idem lib. 19. Adverſ. cap. 17. de eo: *Stylus latinitate Romanos ipſos adit, Atticas Athenas, ſi ita fari licet, Græcitate. Inventionum verò acumine, lectionis varietate, judicii dexteritate, ſingularis illius hominis felicitas fuit, eaque quo rarior in utroque genere orationis pari laude cui contingere ſolet, eo in iſto gratior. Adde, quod pueritia incidit in ſecu-*

lum Sophiſtis dominantibus plusquam barbarum, quorum dogmata etiam tamen ita valuit, ut non minimum laboraſſe dicatur ad elegantiam Latinam traducendis. His velut cumulus accedit in vulgari quoque Italorum nunc Idiomate rotunditas ſuaviſſima, qua plures etiam nulli alii rei ſtudentes longè poſt ſe reliquit. Etiam Mareſio *lib.* 2.
32 *cap.* 1. Politianus valde politus & elegans videtur. * Qvam ab his diverſum
Manutii judicium! qvi ſe cum Politianis & Eraſmis miſerè errantem in viam reductum à Bunello ait, ob hoc judicium reprehenſus à Mareſio *lib. 2. epiſt. 4.* qvi cum iſtis viris errare mavult, qvàm cum Bunello & Manutio ſapere, qvorum Epiſtolæ rerum ſint inopes, verbis canoræ. Sed non deſunt, qvæ & huic reſponderi poſſunt, de
33 qvo alio loco plura. * HERMOLAUS BARBARUS, cujus *Epiſtolæ* Politianis Epi-
ſtolis miſtæ, durus eſſe videtur, qvi qvoddam ſtyli genus affectavit ex obſoletis & re-
34 centibus vocabulis miſtum. * Utrumqve multis laudibus effert Germanus Brixius
Epiſtola ad Eraſmum, qvæ eſt inter Eraſmianas libri qvarti octava. Scaliger ipſe in primis illis excerptis à Fabro editis ait, ſe tribus inter omnes literarum ſuſcitatores invidiſſe, Gazæ, Angelo Politiano & Pico Mirandulano. Politianum Poëtam excellentem vocat, & in omnibus aliis, præterqvam in Epiſtolis, qvarum ſtylum imitari nolit nimis elatum & oratorium, ſed potiùs Cæſaris, Caſſii, Planci, Bruti & aliorum apud Ciceronem; maximè verò Mutii & Cincinnæ & Plinii ſecundi, qvi tamen non ſit ſuperioribus conferendus, uti nec Cicero, qvi non ſimplici ſtylo ſæpiſſimè utatur.
35 * Eraſmus *lib.* 12. *epiſt.* 7. in Zaſio laudat Politianicam Venerem ac delicias, cujus Viri
ingenio ſemper ita ſit delectatus, ut nullo æqvè, in qvo ſumma ſit eloqventia.
36 * Reprehendit & Scioppius in lib. *de Rhetoricarum Exercitationum generibus pag.*
25. in Politiano, aliqvem κοινισμὸν, qvod ſcil. utatur verbis è variæ ætatis Scriptoribus diſſimillimis petitis. Ita enim: *Ab hoc vitio non ſatis Politianus cavet, etſi id eum ingentibus virtutibus aliis redimere fatendum eſt.* Atqve hoc vitium ille omnes Transalpinos affectare nimis licenter ait, qvi non tam judicii & elegantiæ, qvam variæ eruditionis laudem ferant. Excipit tamen è Germanis *Rudolphum Agricolam, Joh. Rivium, Anton. Schorum, Franciſcum Fabricium*: ex Gallis *Muretum, Hotomannum* &c. Ex Britannis *Thomam Morum*, *Buchananum*, qvem ille omnibus Italis
37 præfert. * Floridus Sabinus *pag.* 10. *Apolog.* Politiani Epiſtolas Plinianis præ-
fert. Paulus Corteſius Ep. de imitatione in Politiano reprehendit, qvod nullum imitetur, atqve ita vitioſam & diſſimilem ſcriptionem inſtituat. De Politiano videatur & Capaccius *Elog. lib.* 2. *pag.* 350.
38 PETRUS BEMBUS Italus, ſi credimus Joh. Caſæ in Vita ejus ab illo ſcripta,
ad verum Romani ſermonis genium aliqvid ſcribere cœpit. Jacebat tùm Cicero, & Autores illi ætatis aureæ. Solus ille illorum pretium reduxit, atqve Ciceronianum qvid ſtylo expreſſit. Præter enim Politianum, qvem Joh. Caſa minus dulcem ac minus elegantem vocat, nemo erat, etiam ex illis, qvos nominavimus, laude aliqva ſtyli dignus. Magnifaciendus itaqve is Autor eſt ob honorificum adeò teſtimonium Joh. Caſæ, qvi Romanæ linguæ peritiſſimus fuit, ut hodieqve ejus ſcripta, utut pauca, magni
æſtimentur

æſtimentur Italis. De Longolio Caſa, Bembo, Sadoleto, Lazaro Bonamico, Romulo
Amuſæo Muretus agit *volum.* 2. *oratione* 16. deqve iis judicat. Legendus de Bembo
Capaccius *Elog. part.* 2. *p.* 263. De Sadoleto idem *ibid. pag.* 265. De Victorii Epi-
ſtolis *ibid. p.* 267. Cujus Epiſtolas utut Latinas, ob nimias tamen ambages non pro-
bat Scaliger. Joh. Sturmius lib. Acad. ad Lipp. ita de Italis: *Bembus & Sadoletus
ſcribere maluerunt Latine quam loqui. Et quanquam Sadoletus facilior, quam Bem-
bus; tamen Bembus plus voluiſſe, Sadoletus non plus potuiſſe videbatur.* * RU- 39
DOLPHUS AGRICOLA Vir doctiſſimus paucas ſcripſit *Epiſtolas*, qvæ Operi ejus
inſeruntur, non illas qvidem indoctas, ſed Ludovici Vivis judicio in multis emendan-
das. Nam ſi ipſe ſua emendaſſet, maximis qvoqve Veterum potuiſſet compara-
ri. * MARSILII FICINI *Epiſtolæ* rudi ſtylo de rebus philoſophicis agunt. 40
* JOHANNIS PICI MIRANDULÆ *Epiſtolæ* non deſtituuntur flore eloqventiæ pu- 41
rioris Latinæ, qvarum aliqvæ tenerâ ætate ſcriptæ, aliqvæ provectiore, refertæ rebus
myſticis, ut erat ille ſui temporis prodigium. Eas epiſtolas Chriſtophorus Cellarius
Cizæ ann. 1682. recudi fecit, notulis qvibusdam atqve indice adjectis. * THO- 42
MAS MORUS, magnæ Vir autoritatis ac magnæ eruditionis, *Epiſtolas* aliqvas ſcripſit,
qvæ inter Opera ejus reperiuntur, non qvidem adeò accuratè ad genium Linguæ La-
tinæ ſcriptæ, ſed, qvæ tamen laudem nitidi ſermonis affectabant, eo præſertim tem-
pore, qvo ſuperatâ barbarie, nova lux literarum effulgere cœpit. Tum exagitati fuere
Scriptores barbari, ac perpetua inter illos & eruditos bella, qvorum feliciſſimus pro-
pugnator fuit Eraſmus Roterodamus. * Barbarorum hominum ſtribliginem ele- 43
ganter depinxit ULDARICUS HUTTENus, Eqves Nobiliſſ., in *Epiſtolis obſcurorum Viro-
rum:* Is enim verus earum Autor eſt; De qvibus Eraſmus *lib.* 22. *ep.* 31. lepidiſſimas
narrat fabulas, qvàm ſcilicet illæ primùm magno à Monachis plauſu fuerint exceptæ,
tanqvam in honorem Monachorum ſcriptæ.

ERASMI *Epiſtolis* nihil eſt ſuavius & acutius. * Latinitas in illis non ma- 44
la; non qvidem talis, qvam ad imitandum aliqvis proponere ſibi debeat, (hîc enim 45
antiqvi Scriptores omne ferunt punctum) ſed nativa, extemporalis & interdum ali-
qvem ex rebus colorem trahens, qvod accidit interdum Scriptoribus doctiſſimis, Gro-
tio, Salmaſio ac aliis. Illi enim Autores, prout res ſunt, qvas tractant, prout in Au-
tores ſcribunt, à qvorum lectione recentiores diſcedunt, ſtylum ſuum formare ſolent.
Id enim velim notet hîc aliqvis, Viros doctos, qvi multos Autores legunt, cum curâ
eos emendant, aut multam Scriptoribus philoſophicis impendunt operam, vel medii ævi
Autores diligentiùs legunt, plerumqve ab illis aliqvid vitii trahere, nec accuratè adeò
ſcribere, qvàm eos, qvi unum, & qvidem optimum, Ciceronem ſcilicet ſibi imitandum
proponunt. Qvemadmodum, qvibus cum variis gentibus commercium eſt, lingua
nonnunqvam inclinari ſolet, ita & hîc fieri conſuevit cum Scriptoribus barbaris, vel
non accuratè latinis, familiariùs converſantibus. * Eam cauſam exiſtimo, qvod 46
Barthius, diligentiſſimus medii ævi Scriptor Lector & Emendator, nihil tàm in ſolutâ,
qvam in ligatâ oratione ſcripſerit, qvod elaboratum eſſet. Grotius qvoqve, ut ipſe
in

in præfat. Poëmatum ſuorum fatetur, in ſtylo varius eſt. Jam enim Virgilianum ali-
qvid, jam Statianum aut Claudianæum aliqvod Carmen ſcribit. In proſâ vehemen-
ter etiam variat. In libris Philoſophicis interdum barbariſmos admittit, & Philoſo-
phorum Scholaſticorum linguâ loqvitur. In Hiſtoriâ Tacitum non infeliciter exprimit;
47 in Epiſtolis Plinium. Salmaſio nonnunqvam σόλοικα exciderunt. * Ipſe qvo-
qve Eraſmus ſtylum ſuum excuſare mavult, qvam prædicare, ut in *epiſt. 20. lib. 24.*,
ubi Budæana præ ſuis extollit, ductus modeſtiâ, in qvo longè aliter ego ſentio. Qvàm
enim Budæana dictio ab Eraſmianâ differat, nemo rectiùs oſtendit, qvàm Longolius
in Epiſtolâ qvâdam, qvam Ludovicus Regius in Vitâ Budæi adducit. Vide & in
Eraſmi *lib. 1. ep. 11. & 12.* Scaliger in Excerptis ſuis Budæum ait nihil niſi imitando
ſcribere potuiſſe, ſemperqve Locos Communes Phraſium conſuluiſſe, cum qvippiam
ſcriberet. Joh. Sturmius in libro Academico ad Philippum Lipp. Eraſmum qvoqve
Budæo præfert, atqve ita de Eraſmo: *Eraſmus copiâ & varietate contentus Italorum*
48 *ſpernebat in ſcribendo ſollicitudinem.* * Ceterum Eraſmi Epiſtolæ propter rei li-
terariæ multiplicem cognitionem legendæ, & velut ad Locos Communes redigendæ
ſunt. Vaſtum hoc Opus eſt variarum ejus Epiſtolarum, non qvidem omnium; nam
multæ etiamnum ineditæ ſunt, & earum multæ MStæ in Bibliothecâ Gudianâ aſſer-
vantur. Ipſe Eraſmus *lib. 27. Epiſt. 42.* non diffitetur, multas ſibi eſſe Epiſtolas ex
tempore ſcriptas & dictatas, qvarum nullum ille exemplum ſervaverat; doletqve mul-
tas ex illis in vulgus emanaſſe. Cornucopiæ meritò dixeris variarum rerum. Con-
tinentur in illô librô arcana Status Civilis, Eccleſiaſtici, Literarii illorum temporum,
faceta nonnunqvam & jocoſa, ut ipſe fuit ingenio mirè feſtivô, e. g. cum morem oſcu-
landi in Britanniâ deſcribit *lib. 5. ep. 10.*, & jurgium ancillæ cum herâ *lib. 5. ep. 6.*
Editio Epiſtolarum illarum Frobeniana editione Londinenſi & ceteris longè melior
eſt & correctior: multis enim mendis hæc poſtrema ſcatet, qvanqvam aliqvâ parte
locupletior. Index huic Operi ſubjectus utiliſſimus eſt. Lites in Theologorum pa-
læſtris tum ventilatas, & qvicqvid ad illarum Hiſtoriam pertinet, illic deprehendes.
Qvanqvam Eraſmus ſe medium ſemper geſſerit, ſtudium tamen partium non rarò de-
prehendes. Magna fuit ejus Viri veneratio, & meritò qvidem, ingenium excellens,
vaſtum, diffuſum, fœcundum, acre, promptum, ad omnia paratum, in decus & miracu-
lum ſeculi natum. Triumphare duobus his civibus Batavia poteſt, *Eraſmo* & *Grotio*,
49 qvibus pares poſtera ſecula non facilè datura ſunt. * De his Eraſmi Epiſtolis ita
Vincentius Fabricius epiſt. 2. *Unius Eraſmi epiſtolas cum lego, præter quandam re-
naſcentium diſciplinarum quaſi hiſtoriam, inprimis legentem tenent, quas circa exortum
purioris doctrinæ ſcripſit. Quippe qui medius & neutrius partis, nihil gratiæ (quis
enim in Epiſtola ad amicum?) nihil det odio, quid autem in iſtis ſibi placeat, in illis
diſpliceat, generoſo candore exponat. In quibus tamen nihil magis, quam ſingularem
viri verſutiam, qui hos ita ſibi demereri potuit, ut illos non offenderet, mirari ego ſoleo.*
50 * Multa in Eraſmi laudem Baudius *lib. 2. Epiſt. 27.* Multa Germanus Brixius in

Eraſmi

Eraſmi Epiſtolis *lib. 4. epiſt. 8.* Editio ultima prodiit Londini ann. 1642. in fol. cum
Melanchthonis, Thom. Mori & Ludovici Vivis Epiſtolis.

MELANCHTHONIS *Epiſtolas* illis ſubjungimus. Jam ſuprà in laudem iſti- 51
us Viri multa dicta ſunt, cum de Vitâ ejus ageremus. Faciunt verò ejus Epiſtolæ non
parum ad ſtatum rei Literariæ & Eccleſiaſticæ. * Ut candidum illi Viro pectus 52
fuit; ita ſine fuco & ornatu ſcribit in Epiſtolis, in qvibus nonnunqvam multas depre-
hendes ejus qverelas de turbato Eccleſiæ ſtatu, de pravis & ſeditioſis qvorundam
conſiliis Theologorum, multa qvoqve ſuppreſſis nominibus & per ænigmata ſcribit.
Ejus Epiſtolæ prodierunt in fol., & dehinc ſparſim alia qvædam Volumina Epiſtola-
rum ad Joach. Camerarium & alios ſcriptarum; in qvibus tam candidus, ut nec ne-
ceſſitates ſuas domeſticas diſſimulet. Diverſis temporibus eas ediderunt Manlius,
Peucerus, Pezelius, Saubertus, & Anonymus qvidam partem earum ſextam, ut vocat,
Lugd. Batav. Ann. 1647. Optat verò Thomaſius *in præfatione Boxhornianarum Epi-
ſtolarum*, ut qvis in ordinatum corpus illas congerere velit: qvi ſanè labor utiliſſimus
foret. Non dubito plures adhuc Melanchthonis latitare Epiſtolas: Vir enim in iſto
negotio poſitus plures procul dubio ſcripſit; qvæ, ut omnes edantur, rei Theologicæ
& Literariæ intereſt. * Stylus in eo planus, liqvidus, nec ſuis deſtitutus elegan- 53
tiis: qvanqvam non impetus ille ac fervor ſit, qvalis in Eraſmianis, non tamen ideò
culpandus: animi enim eſt character ſermo, & ex illo idem in dictionem transfertur,
huic ingenio domeſticam & vernaculam. Ut enim ipſe animus moratus eſt, ita vel
ἤθη paſſim elucent, vel ex ſententia, aut affectus vehementiores. Unde non fallun-
tur, qvi ſingulare aliqvod divinationis epiſtolaris genus commenti ſunt, tum ex ipſo
charactere ſermonis, tum literarum, qvod argumentum ſingulari libro tractavit *Camil-
lus Baldus.*

JOACHIMI CAMERARII *Epiſtolæ* elegantiſſimæ ſunt. Fuit ille illuſtre Ger- 54
manorum nomen, ac ſuperioris ſeculi Phœnix, cujus elogia conglobata videas à Tho-
maſio in *Præfatione 75. de laudibus Joach. Camerarii.* Tot tantaqve in lucem edi-
dit ſcripta limatiſſima, ut inter Germaniæ Heroas literarios meritò referendus ſit.
Hujus extat Libellus novus, Epiſtolas Virorum doctorum ad ſe & alios ſuasqve conti-
nens, ab ipſo vivo editus Lipſiæ An. 1568. *in* 8. Promiſerat in præfatione plures do-
ctorum Epiſtolas, qvas collecturus undiqve erat. Vehementer enim commendan-
dum, & hujus Viri exemplo etiam nunc à nobis faciendum eſſet. Poſt mortem ejus
prodierunt Francof. Ann. 1583. libri 6. Epiſtolarum familiarium venuſtarum & deli-
catularum; qvæ, ut ſunt eleganti ſtylo ſcriptæ, ita multa continent rerum literariarum
illius temporis. Hinc Anno 1595. ibidem qvinqve libri poſteriores Epiſtolarum à
filiis editi. Fuêre ipſi commercia literaria cum pleriſqve totius Europæ Viris erudi-
tis, de negotiis talibus ſcriptæ, qvibus delectantur literati.

Vixit circa id tempus AONIUS PALEARIUS, cujus editæ ſunt *Orationes &* 55
Epiſtolæ, qvæ feliciter adeò exprimunt Ciceronem, tùm qva dictionem, tùm qva nume-
ros, ut dubitem, an præferendus illi aliqvis ſit. Prima editio *Baſil. in 8vo* prodiit,

altera *Bremæ*, qvam procuravit Matthias Martinius in uſum Scholæ Bremenſis. (*bbb*) Paucis, qvod miror, etiam Viris doctis & acerrimis latinitatis Cenſoribus cognitus iſte Autor fuit; ſed meretur profectò inter præcipuos numerari. Hîc mihi qvis diſcrimen imitationis videat: Nam longè aliter ſonat, qvod Palearius ſcribit, qvam Longolius & alii inepti Ciceronis imitatores. De Longolio videatur judicium Ludov. Vivis in Inſtit. ſuâ Epiſtolicâ. *Nimia cura imitationis*, inqvit ille, *bonam naturam corrumpit:*
56 *Verba habet Ciceroniana mira religionisne an ſuperſtitionis obſervatione, &c.* * MELCHIORIS GOLDASTI *Epiſtolas Philologicas* jam ſuprà memoravimus. Nunc, cum de Epiſtolis agimus, cenſeri etiam inter illarum Scriptores debet. Non vero ſcripſit ipſe Epiſtolas, ſed collegit tantùm à Viris doctis ſui temporis ſcriptas, varii argumenti, ſed philologici: centuria integra eſt, prodiitqve Francof. ann. 1610. Operæ pretium faceret, qvi talem laborem continuaret.

57 PAULUS MANUTIUS magnam aſſecutus eſt in exprimendo ſtylo Ciceroniano felicitatem, cujus *Epiſtolæ* magnâ diligentiâ ac curâ conſcriptæ ſunt, atqve, ut Scioppius nobis narrat, tanto labore, ut menſes aliqvot uni Epiſtolæ interdum impenderit. Scilicet, qvem antea laudaverat, qvod nemo, qvi ſanus ſit, ad puritatis & elegantiæ Latinæ ſummam qvicqvam Manutio defuiſſe dixerit; mox tamen colaphum illi impingens, ex nimiâ illâ curâ factum eſſe judicat, ut Manutii Epiſtolis, qvamvis elegantiſſimis, neqvaqvam ea ſit gratia, qvæ hominem, niſi valde otioſum, ad iteratam lectionem invitet. Puriſſimus ſanè Autor eſt, ac penè unicus è recentioribus, qvem ego Ciceroni jungi poſſe arbitror. Qvod Scioppius dicit, tædium lectionis repetitæ inde oriri, ſi qvid veri judicat, ex illo fortè eſt, qvod plerumqve de negotiis familiaribus ſcribat. Sed nos hîc de rebus non ſolliciti, dictionis præſtantiam commendamus. Aliqvot ejus Epiſtolarum editiones ſunt, qvas recenſet examinatqve Thomaſius in præfatione noviſſimæ editionis Lipſienſis, cui, ſi verum fateri velimus, non multum diligentiæ acceſſit. Extant adhuc aliqvæ ejus Epiſtolæ ineditæ apud Viros doctos, atqve unam ejus benè longam ſervat *Cl. Gudius*, ipſius Manutii manu ſcriptam, qvam ipſe Epiſtolarum Manutii Reginam vocare ſolet. Muretus ſe Manutio minorem fatetur, & Mareſius Muretum eo majorem facit. Scaliger certè in Excerptis illis primis, à Tanaq. Fabro editis, neminem magis Romanè loqvi ait. Capaccius *lib. 2. Elogiorum*, bonæ latinitatis amatorem nominat, qvi tamen à ſplendido & magnifico Orationis genere abeſſe viſus ſit, dum ab humili Epiſtolarum ſtylo non diſceſſit.
58 * Muretus cum in *Orat. 16. volum. 2.* omnes Italos, inqve his Johannem Caſam in ſcribendo omnium politisſimum maximeqve limatum, & ab omnibus ineptiis remotisſimum, Manutium, Virum in ſcribendis Latinis Epiſtolis ſingulari lepore ac venuſtate præditum laudaſſet, ita tamen de iis in univerſum judicat: *Et tamen in tanto ardore animorum, tanta ingeniorum contentione atque æmulatione, tantis præpoſitis præmiis, nemo adhuc extitit, cui ſimpliciter & ſine ullâ exceptione ea laus tribui poſſit, ut bene*

(*bbb*) Noviſſima ac Nitidiſſima, imo novis etiam Acceſſionibus locupletata, Orationum, Epiſtolarum ac Poëmatum Aonii Palearii Editio prodiit Amſtelod. A. 1695. *in 8vo.*

bene latinè ſcripſiſſe dicatur. De Caſa & Manutio ita judicat: *Hi quemadmodum illud conſecuti ſunt, ut hæc laus verè ac meritò propria Italiæ haberetur, eique ceteræ omnes nationes ſcribendi elegantia facilè cederent: ita illud negari non poteſt, multos nævos multasque maculas, quod bonâ omnium veniâ dictum ſit, illorum omnium ſcriptis aſperſas eſſe, quæ planum faciant, illos vidiſſe quidem, quid optimum eſſet, & viam, quæ ad illud ferret, ingreſſos longè proceſſiſſe: ſed longè tamen ab eo, quo intendebant, ſubſtitiſſe.* Octavianus Ferrarius in libro de Sermonibus Exotericis *pag. 42. Edit. Venet.* magnô Manutium elogiô ornat. Vocat eum *virum acerrimi & elegantiſſimi judicii, qui Romanæ laudem eloquentiæ nobis ita veſtiat hoc tempore, ut priſcos illius autores, quorum habentur in honore ſcripta, partim exæquet, partim vincat orationis genere ipſo flexibili, nitido, & ſine ſatietate dulci.* * Manutii Epiſtolis jungi ſolent BUNELLI 59
Epiſtolæ in editione illâ Pariſienſi, qvam Henricus Stephani edidit. Sunt & ſeorſim editæ. Ejus exemplô Manutius Epiſtolas ſuas ſcripſit, ut ipſe fatetur. Nam mirus in illis eſt Latini ſermonis nitor.

MURETI *Epiſtolæ* plus vigoris & ſpiritus habere videntur: Neqve enim ſolli- 60
citâ adeò imitatione ſcriptæ apparent ut Manutianæ, qvæ dejicere qvodammodo & ſupprimere animum videntur. Cum enim in formulas & phraſes intenti ſumus (in his ſcilicet mirè fœcundus Manutius eſt, atqve ex earum variatione continuâ prima, ut ipſe fatetur, eloqventiæ fundamenta jecit,) minor rerum cura eſt, unde efflorеſcere ſuâ ſponte nativa qvædam, & argumento magis conveniens, facundia ſolet. Multa in Mureti Epiſtolis occurrunt ad rem literariam pertinentia. * De Mureto Ery- 61
thræus *Pinacoth. I. num. 5.*, ut ipſe peritiſſimus artifex, verè judicat: *Quis noſtrâ ætate ſermonis genere uſus eſt, adeo gravitatis, doctrinæ prudentiæque referto, & in quo præterea omnes verborum, omnes ſententiarum illigentur lepores, præter hunc? quis magis Latinè, purè, dilucidè ſuaviterque locutus eſt unquam, &, quod refert, qui oris preſſu & ſuavitate appellandarum literarum ſe magis hujus civem urbis, non peregrinum, ſignificaret?* Scaliger in Excerptis laudat, ut numeri ac periodorum ſingularem artificem.

ROGERUS ASCHAMUS, Anglus, Reginæ Eliſabethæ fuit à Latinis Epiſtolis, 62
cujus *Epiſtolas* Thuanus elegantiſſimè ſcriptas judicat. Penè unus è gente Anglica eſt, cujus ſtylus veterem latinitatem ſapit. Cum Joh. Sturmio ſingularem coluit amicitiam; cujus exemplo erectus, elegans dicendi genus ſectatus eſt. * Ac fuit ipſe 63
Sturmius Vir eruditiſſimus, non Rhetor tantùm optimus, ſed & qvi feliciter ſtylo exprimeret veteres Autores minimè fucato, ac puro, cujus & Epiſtolæ in pretio haberi merentur. Epiſtolæ ejus prodierunt Hanoviæ in 12. ann. 1610. Idem & Anglicâ linguâ libellum *de informandâ juventute ſcripſit.*

M. ANTONIUS BONCIARIUS Peruſinus, Academicus Inſenſatus atqve Mu- 64
reti diſcipulus fuit, è cujus diſciplinâ profectus totum vitæ tempus in inſtituendâ juventute conſumpſit, cujus ille ſpecimen in Patre dedit; qvi, cum annos ſeptem & qvadraginta natus, uxore amiſſâ, ſe Societati Jeſu vellet adjungere, ne ob Latinæ linguæ

 ignoran-

ignorantiam repelleretur, brevi temporis ſpatio ab illô Latinis literis imbutus eſt. Edidit ille *Epiſtolas* elegantes & terſas, aliqvoties recuſas. Editio ſecunda Marpurgi Cattorum Ann. 1604. prodiit. In Epiſtola Dominici Paſſionæi, qvæ *p. 396.* editionis hujus habetur, narratur omnis illa methodus, qvâ in Parente informandô uſus eſt Bonciarius.

65 THOMAS REINESIUS, Medicus & Conſul Altenburgenſis, tàm in ſuâ arte, qvàm in omni literaturâ fuit doctiſſimus, & ſcriptis editis omnibus ſatis notus. Ejus extant variæ *Epiſtolæ* in 4. editæ, una cum reſponſoriis inter Hoffmannum, Chriſtophorum Adamum Rupertum, Chriſtianum Daumium, Viros doctiſſimos & celeberrimos: (*ccc*) plures extiterunt ineditæ in Bibliothecâ Boſianâ, qvas ille ad Viros doctos per Galliam, Italiam & Germaniam ſcripſerat. Ejus Epiſtolæ ad Hoffmannum & Rupertum editæ ſunt Lipſiæ anno 1660., & in illis ad Hoffmannum multa habentur de re Medicâ & Phyſicâ philologemata: in iis, quæ ad Rupertum, multa qvæ pertinent ad interiorem Hiſtoriam Romanam, ad familiarum Romanarum genealogiam, & ſimilia: in iis deniqve, qvæ ad Chriſtianum Daumium, multa ſunt, qvæ ad Latini-
66 tatem medii ævi pertinent, & ad Autores vulgò incognitos. * Nam CHRISTIANUS DAUMIUS jam à multis annis hoc volvit ſaxum, ut conficiat aliqvod *Lexicon copioſum*, qvod exhibeat voces Latinæ linguæ corruptas & medii ævi. Omnium ille labores ſuperabit in hoc argumento. Eſt & diligentiæ ſpecimen ſordes collegiſſe, ut ſecuriores eſſe poſſimus de elegantiis. Magnum Reineſianarum Epiſtolarum ad ſe ſcriptarum Volumen in Bibliothecâ ſuâ ſervat illuſtris *Dn. Gudius.* Qvod ad ſtylum attinet, familiaris iſte, argutus, ſententioſus, compoſitioni non adeò ſtudens, aut anxiè affectans Tullianam grandiloqventiam.

67 CASAUBONI *Epiſtolæ* ultimâ editione prodierunt, curante Grævio, ut prima earum editio prodiit operâ Gronovii; ſed poſtrema longè auctior eſt in 4to. edita
68 ex officinâ Beckenſteinianâ, Francofurti. (*ddd*) * Multa ſunt in illo libro ſingularia, qvæ tam ad Hiſtoriam literariam, qvam civilem illius temporis pertinent: ſtylus familiaribus ſcatens elegantiis & argutiis; Græcæ linguæ flores, adagia ubiqve appa-
69 rent. * Compoſitio qvidem Ciceroniana non eſt, neqve, ut ipſe fatetur, ſe multum cruciavit in verborum delectu; ſed tamen miram omnia elegantiam ſpirant. Etenim compoſitio interdum omnem ſermonis faciem commutat, cujus exemplum habemus in *Camerario*, de cujus ſtylo Philipp. Melanchthon *lib.* 4. *epiſt.* 206. ita judicat:

(*ccc*) Exſtant etiam Thomæ Reineſii Epiſtolæ ad Joh. Vorſtium Philologico-Theologicæ, Coloniæ ad Svevum A. 1667, ad Neſteros, Patrem ac Filium, Archiatros Saxonicos, Medicæ, Lipſ. A. 1670. in 4to, & ad Joh. Andr. Boſium Critico-Philologicæ, cum Boſianis ad ipſum, a Joh. Andr. Schmidio Jenæ A. 1700. in 12. publicatæ.

(*ddd*) Novam Epiſtolarum Iſaaci Caſauboni Editionem, Grævianâ etiam auctiorem, una cum Vitis illius, Filiiqve Merici, prolixioribus, iſti jungendis, ante Annos jam plures, expectari a ſe, in Epiſtolis ad me diverſis, juſſit Vir Doctiſſ., Theod. Janſonius ab Almeloveen, Med. D. & Acad. Hardervicenæ Profeſſor.

cat: Qvod, cum antea Ciceronis verbis & phraſibus uteretur, compoſitionem verò periodorum aliam haberet, poſtea, cum etiam hanc ad Ciceronis normam inſtitueret, ſeipſum qvaſi ſuperarit. Qvi græcis formulis in ſcribendis Epiſtolis delectantur, multas tùm ex Caſauboni, tùm ex Reineſii Epiſtolis colligere poſſunt. Recenſentur hîc qvoqve ſæpe arcana qvorundam eruditorum, qvorum nomina non ſunt edita, qvæ detexit aliqvâ ex parte Colomeſius in *Clave Epiſtolarum Scaligeri & Caſauboni*, qvæ addita eſt opuſculis ejus literariis. Non tamen ille omnia notavit. Rittershuſius in Epiſtolâ ad Richterum ſcribit, ſe plures habere Caſauboni Epiſtolas, p. 201. *Ipſe jamdudum conſilium cepi colligendi magni Caſauboni literas, ad Germanos ſcriptas, εἰς ἓν σῶμα ἤγȣν σύνταγμα, qvarum eſſe tantum numerum ſcis, ut juſtum corpus facilè qveant efficere.* Ab eo credo impetravit plurimas Gronovius, qvas editioni ſuæ adjecit. Extat ad Richterum ejus de illâ re Epiſtola. Ejus Epiſtolas Richterus qvâdam ad Gronovium Epiſtolâ Romæ combuſtas nunciat p. 240. Latitant & in Bibliothecâ Gudianâ multæ Caſauboni Epiſtolæ.

JUL. CÆSARIS SCALIGERI *Epiſtolæ*, ut omnia, ſummo ingenio & judicio 70
ſcriptæ. Totus nervoſus eſt & rerum plenus, vehemens ipſi ingenium, audax, acre, judicium penetrans; nonnunqvam etiam cavillatorium, ut ſolent Viri etiam ſummi aliqvâ in re labi. Adverſus Cardanum & Eraſmum virulentum ſcribendi genus inſtituit; nonnunqvam in illos ſummè injurius: ſed hæc nunc extra inſtitutum noſtrum. Ejus extant *Epiſtolæ* & *Orationes*, in qvibus multa continentur, qvæ in Hiſtoriâ literariâ tunc temporis agitabantur: multa ex illis diſcas, qvæ ad ipſius conditionem & vitæ genus pertinent, multa de ejus libris, ſtudiis: amarulentæ illîc multæ & rixoſæ ad alios Epiſtolæ, qvibus beneficia ſua exprobrat. Duplex illarum Epiſtolarum, vel potius triplex editio eſt; una Toloſæ prodiit in 4. cum Orationibus adverſus Eraſmi Ciceronianum: altera editio in 8vo prodiit Lugd. Batav.: alia editio Hanoviæ ann. 1612. in 12., ubi plures, qvam in ceteris editionibus habentur epiſtolæ. Adjectæ ſunt Orationes elegantiſſimæ ab illo conſcriptæ, qvæ non habentur in ceteris editionibus, ut Oratio in luctu filii, magnorum affectuum plena: item Oratio, qvâ parentat illis, qvi in bello Turcico ad Viennam ceciderunt; fragmentum de laudibus anſeris, & luculenta de verbo *Inepti* Oratio; qvâ totâ oratione illud agit, ut demonſtret Latinæ linguæ aptitudinem in rebus efferendis præ Græca: plena eſt optimis Obſervationibus. Sunt & ejus duæ epiſtolæ à Joach. Morſio Leidæ anno 1619. in 4to editæ, qvæ non extant inter ceteras Epiſtolas.

Non minor Parente filius JOSEPHUS SCALIGER, cujus & extant *Epiſtolæ*. 71
Ejus Viri maxima ſunt in rem literariam merita, qvi velut Pater qvidam literarum per univerſam Europam ſalutandus eſt. Ex ejus ludo prodierunt, qvos Batavia habuit, Viri illuſtres. Ejus Epiſtolæ eruditione omnigenâ pleniſſimæ ſunt; præter dictionem enim terſam & argutam proponuntur illic Philologica, Medica, Mathematica, Chronologica, & qvæ ad Orientalem literaturam pertinent: judicia multa de Viris doctis, de libris, qvæ legere, qvæ excerpere debent harum rerum curioſi. Ejus Epi-

 ſtolarum

ſtolarum aliqvâ παραλειπόμενα in 12. à *Jac. Revio*, ſi rectè memini, publicata ſunt. Sunt & Epiſtolæ Gallicâ linguâ ad Scaligèrum ſcriptæ. Liber ille rariſſimus, atqve multa continet ſingularia de libris & Viris eruditis: editus autem eſt poſt mortem Scaligeri à Jac. Revio, Hardevici ann. 1624. in 8vo, hôc titulô: *Epiſtres Françoiſes des perſonnages illuſtres & doctes à Monſ. Joſeph. Juſt della Scola.* Habentur hîc explicationes multorum locorum in Autoribus claſſicis, conſultatur cum Scaligero de rebus plurimis. Si hæ Epiſtolæ conferantur cum ceteris, facient ad intelligentiam plurimarum rerum, qvæ obſcuræ aliàs videbuntur. Ceterum & intelligendis difficilioribus Epiſtolarum Latinorum locis proderit *Clavis Colomeſiana*, de qvâ ſuperiùs diximus.

CAP. XXIV.
CONTINUATIO PRIORIS ARGUMENTI.

§. 1. *Continuatio. 2. Claud. Sarravii Epiſtolæ laudantur. 3. Earum ſupplementa cum multis aliis ejus Viri Epiſtolis latitant in Bibliothecâ Gudianâ. 4. In ineditis multa habentur de liticulis eruditorum. 5. Latini Latinii Epiſtolæ. 6. Fortunius Licetus polygraphus. 7. Summus hic Ariſtotelis Encomiaſtes. 8. Ejus qvæſita per Epiſtolam. 9. Erythræi Epiſtolæ. 10. Naudæi 11. & Reineſii diverſa de illo judicia. 12. Contra Reineſium defenditur ab Autore. 13. Salmaſii Epiſtolæ. 14. Pauca earum ſunt editæ. 15. Moriſotti Epiſtolæ lutulentæ. 16. In Bartholini Epiſtolis Phyſicæ & Philologicæ Obſervationes. 17. Epiſtolarum pretium plerumque neglectum. 18. Eobani Heſſi Epiſtolæ. 19. Pauli Sarpii Epiſtolæ. 20. Iniqvum de illo Cardinalis Perronii judicium. 21. Hugonis Grotii Opus Epiſtolicum* πολιτικώτατον. *22. Quo ſtylo ſint conſcriptæ. 23. Qui ex illo fructus haberi poſſint. 24. Balzaci Literæ ſelectæ Gallicæ, 25. Latinæ. 26. Howelii iniquius de Gallicis & Balzacianis literis judicium. 27. Gallica grandiloquentia. 28. Diverſa judicia de eloquentia Balzaci. 29. Lis Poëtica de præſtantia Vini & Cereviſiæ inter Guietum & Grotium. 30. Pignorii Symbolæ Epiſtolicæ. 31. Carteſii Epiſtolæ. 32. Conringii* σύνταγμα *Epiſtolicum è præfationibus congeſtum. 33. Puteani Pompa Proſphonetica. 34. Collectiones Dedicatoriarum ſuadentur. 35. Sturmii Prolegomena. 36. Tanaquilis Fabri Epiſtolæ. 37. Emendantur in illis Autorum loca. 38. Fabri audacia. 39. Ejusd. liber de unione religionum. 40. Calamitates domeſticæ. 41. Caſelii Epiſtolæ ſparſim editæ. 42. Ejus elogium. 43. Operum ejus Collectio à multis inſtituta. 44. Ejus epiſtolæ ad viros Principes. 45. Epiſtolarum ineditarum à Dransfeldio volumen procuratum. 46. Epiſtolæ ineditæ in Bibliothecâ Gudianâ. 47. Joſephi Scaligeri elogium de Caſelio. 48. Petri Martyris Angleri Epiſtolæ Politicæ. 49. Aliæ à Puteano collectæ, 50. Item Foxii & Oſſati &c. laudantur. 51. Stylus Epiſtolarum Civilium. 52. Naudæi, 53. Sepulvedæ, 54. 56. Barlæi Epiſtolæ. 55. De hujus Poëſi judicia. 57. 69. Petri Gruteri* κακοζηλία *Lipſiana. 58. Fr. Mar-*

Fr. Martini facetæ Epiſtolæ. 59. Lauri Epiſtolæ, 60. Poëmata, & cetera ſcripta. 61. Strena de Nihilo Paſſeratio ſubrepta. 62. Ejus liber de annulo pronubo B. Mariæ virginis. 63. Lipſii ſtylus. 64. De Lipſii Epiſtolis Mareſii 65. & Nicolai Heinſii judicia. 66. De imitatione ſtyli Lipſiani judicium Autoris. 67. Bertilius Canutus, 68. Puteanus, 69. Petrus Gruterus, 70. Cælius imitatores Lipſiani. 71. Centuriæ V. Epiſtolarum Lipſianarum novarum è Gudianâ Bibliothecâ edi poſſunt. 72. Zeileri Epiſtolæ Germanicæ ad LL. CC. Scriptores referendæ. 73. Coppini, 74. Philalthæi, 75. Laurentii Epiſtolæ. 76. Wouwerii Epiſtolæ 77. magnis auctariis è Bibliotheca Gudianâ amplificari poſſunt. 78. Lindenbrogii in Wouwerium maledicentia. 79. Plagii accuſat ob Tractat. de Umbrâ Jano Guilielmo ſubreptum. 80. Miltoni Epiſtolæ familiares. 81. Ejus ſolœciſmi, 82. poëmata Anglica ſine rhythmis. 83. Schickhardi & Berneggeri Epiſtolæ mutuæ mathematicæ. 84. Georgii Richteri Epiſtolæ adverſus Patinum defenduntur. 85. Quædam rariora earum argumenta recenſentur. 86. Baudii Epiſtolæ. 87. quo ſtylo ſcriptæ. 88. Baudii amores, 89. à Petro Scriverio deſcripti. 90. Bongarſii & Lingelheimi Epiſtolæ. 91. Jacobi Vectiani Epiſtolæ. 92. Italici libri raro ex Italia exportantur. 93. Joh. Nic. Saulii Carregæ, 94. Henckelii, 95. Boxhornii, 96. Patini Epiſtolæ. 97. Jacobi Howeli Epiſtolæ Anglicæ 98. cornu copiæ variarum rerum exhibent. 99. Buchneri, 100. Calvini, 101. Theologorum Remonſtrantium, 102. Martini Ruari, 103. Chriſtiani Liberii Epiſtolæ. 104. Le Secretaire Critique du Sieur B. P. dit du Jonquier. 105. Varii Epiſtoliographi recenſentur, Calcagninus, 106. Sacratus, 107. Rycquius, 108. Cæſonius, 109. Ferrarius, 110. Cabeliavius, 111. Ramus, Becmannus, Omphalius, 112. Perpinianus, 113. Languetus, 114. Fabricius, 115. Heinſius, 116. Turnerus, Robortellus, Siberus, 117. Feminæ etiam, Olympia Fulvia Morata, 118. Weſtonia Laura, 119. Aloiſia Sigæa. 120. Principum Luneburgenſium & Joh. Val. Andreæ literaria commercia. 121. Collectores variarum Epiſtolarum, Michael Brutus, Melchior Junius. 122. Epiſtolæ Indicæ & Japponicæ. 123. Nienhoffii Itinerarium Chinenſe ex his Epiſtolis excerptum. 124. Epiſtolæ Italicæ ab Aldo Manutio, 125. à Bartholomæo Zuchi, 126. Antonio Buleſone collectæ. 127. Aloyſii Groti cæci Epiſtolæ Italicæ, 128. Johannis Donnæ Anglicæ. 129. Medicæ variorum Epiſtolæ. 130. Epiſtolæ Eccleſiaſtaſticæ antiquorum. 131. it. de negotiis ſocietatis Jeſu. 132. Peregrinatorum Epiſtolæ Busbequii, 133. Sorbieri. 134. Politicæ Perezii, 135. Paſquierii, 136. Viglii Zwichemii ab Aytta. 137. Petri de Vineis.

VAſtius hoc eſt, qvod ſuſcepimus, argumentum, qvàm ut unâ tractatione abſolvi poſſit. Tantus enim Epiſtoliographorum eſt numerus, ut, ſi omnes recenſere animus ſit, Voluminis integri, non aliqvot paginarum, res ſit. Neqve inſtituti noſtri eſt, omnia cum pulviſculo hîc congerere: præcipuos ex illis tantùm enumeramus, inprimisqve illos, qvi Hiſtoriæ literariæ inſerviunt; Qvam 1

telam,

telam, qvandoqvidem ſemel orſi ſumus, nunc eô, qvô cœpimus, filô continuabimus. Prodeat itaqve nunc poſt ſuperiores à nobis enumeratos

2 CLAUDIUS SARRAVIUS Senator Pariſienſis, genere & doctrinâ Vir illuſtris, magnam habuit cum eruditis ſui temporis familiaritatem; hinc freqvens ipſi Epiſtolarum cum ipſis commercium ſuper varii generis argumentis. Miſcentur illic Hiſtorica, Philoſophica, Philologica, Theologica, neqve ulla illic Epiſtola eſt, qvæ rerum ſterilis ſit, & ſolâ mutuâ civilitate abſolvatur. Judicia illic habentur de Viris doctis, de editionibus librorum, de locis Autorum corruptis, & plura alia; neqve ſtylô incultô, ſed eleganti planè & tersô. Inprimis id laudandum eſt, qvod plerumqve ſubjiciantur Virorum doctorum reſponſoriæ: qvod non ita fit in aliis, qvodqve deſideravit Vir Clariſſ. Thomaſius in *Præfat. Epiſtolarum Boxhornii*. Obſervatur etiam accuratè ordo temporis, qvod non ita in aliis. Viri autem, à qvibus ad Sarravium, & ad qvos Sarravius ſcribit, longè ſunt celeberrimi, Salmaſius, Grotius, (qvorum plures illic reperiuntur), Heinſii, Alexander Morus, Gronovius, Blondellus, Voſſii, qvanta nomina! Ut duo memorem notabilia è magnô illorum numerô; unum eſt, qvod de Bodini Dialogo habet aliqvot in locis, cujus jam ſuprà facta eſt mentio; alterum de fragmento ex Anaſtaſio Bibliothecario, de Johanna Papiſſa. Liber modicus eſt in 8vo
3 editus ann. 1654, Arauſione in Galliâ. * In editis multæ ſunt lacunæ, qvibus habebantur nonnulla, qvæ tunc temporis non poterant publicari. Illa nunc omnia è Bibliothecâ Gudianâ ſuppleri poterunt: poteritqve Vir illuſtris tertiâ parte auctiores
4 dare has epiſtolas. * In illis occurrunt multa de literatis arcana, qvæ non niſi in aurem dici poterant; multa de Heinſio, ejusqve controverſiâ cum Salmaſio habentur. Heinſium vocat doctorem monoſyllabum; pleræqve ad Salmaſium ſcriptæ. Gallicæ latinis miſtæ. Ut aliqva memorem: Tenuiter de Zuerio Boxhornio judicat, qvem multa ſcribere ait, at parum conſideratè, adducendo Autorum loca ſibi non ſatis perpenſa. Theodoreti editionem à Sirmondo procuratam imperfectam vocat, qvod 16. vel 17. libros, qvi ſunt Theodoreti, & Athanaſio vulgò adſcribuntur, verum ſub nomine Theodoreti à Photio citantur, omiſerit. Grotii de Salmaſii libris de Uſuris ac Mutuô judicia recenſentur; ac inter alia damnat Salmaſii ſententiam Grotius, qvâ *rem alienam teſtamento relinqui poſſe* negaverat. Multa hîc de eruditorum liticulis, ſtudiis, judicia. Optimè mereretur de literatis Vir illuſtris, ſi epiſtolas impreſſas cum ſupplementis recudi, atqve ineditas addi curaret. (*eee*)

5 LATINUS LATINIUS Viterbienſis, Vir doctiſſimus, magni apud Pontificios nominis, cujus elogium videas apud Lipſium *Cent. 2. Miſcell. Epiſtolarum 39. & 75*, magnæ peritiæ in Conciliorum hiſtoriis & in Canonibus veteris Eccleſiæ. Scripſit *Epiſtolas*

(*eee*) Claudii Sarravii, & Amicorum, Epiſtolæ 275, e Voto Morhofii, ſuppletis Lacunis, auctiores e Biblioth. Gudiana jam prodierunt, adjectæ Gudii ipſius, & Amicorum ad eum, aliorumqve Virorum Doctorum, Epiſtolis, a Gudio conqviſitis, in Editione, qvam Pet. Burmannus, Joh. Georg Grævii Auſpiciis. A. 1697. *in 4to maj.* curavit, Ultrajectina.

Epiſtolas multas tùm Cardinalium tùm ipſius Pontificis nomine, cui ab Epiſtolis fuit; in qvibus multa ſunt, qvæ pertinent ad ſtatum Eccleſiaſticum & Civilem, multa qvoqve de Autoribus judicia, & locorum qvorundam emendationes. Editus liber eſt Romæ ann. 1639. in 4to. Poſt mortem ejus ante annos aliqvot prodiit ejusdem Autoris *Sylloge* aliqva *variarum Obſervationum*, in varios Autores ſacros & profanos, Poëtas, Conciliorum & Canonum Scriptores, qvæ publicata è ſchediaſmatibus ejus Romæ, ſub titulô *Bibliothecæ*, in folio.

FORTUNII LICETI, Medici & Philoſophi Patavini extant multi libri magnâ mole congeſti & ſcripti. Jure optimô inter Polygraphos hic numerandus, qvo fit, ut non usqve adeò ſelecta ſemper ſcribat. Laudari tamen ob variam eruditionem meretur, qvam in Medicis, Philoſophicis, & Philologicis habuit. 7

* Totus Ariſtotelicus ad ſuperſtitionem usqve, qvod vel ex eo patet: nam ſententiam de viâ lacteâ ut meteoro defendens maluit in gratiam Ariſtotelis duplicem fingere γαλαξίαν, unam æthercam, alteram ſublunarem adverſus omnem rationem & veritatem, ne ullâ in re falſus videri poſſet Ariſtoteles. Ejus extat qvoqve liber cum titulo: de *pietate Ariſtotelis adverſus Deum & homines*, totus in laudem Ariſtotelis ſcriptus, & vel æternam ipſi ſalutem pollicetur. 8

* Miſit ille in lucem *quæſita per epiſtolam* ſex, ſeptem, in 4. ſpiſſis Voluminibus, qvibus tractantur argumenta Medica, Philoſophica, Philologica, de qvibus ipſum conſuluerant Viri eruditi. Sed tamen & inter Locorum Communium Scriptores tueri nomen ſuum poteſt. Janus Parrhaſius Philologus ante Licetum ſimili titulô de argumentis Philologicis ſcripſerat. Ejus extant *quæſita per Epiſtolam* in Theſaurô ſeu Face Criticâ Gruteri. 9

JANI NICII ERYTHRÆI, cujus jam ſuprà toties mentio facta eſt, elegantes 10
extant *Epiſtolæ*, ſtylô cultiſſimô ſcriptæ, rebusqve refertæ, qvæ ad hiſtoriam illorum temporum pertinent. Multa ex illis diſcas, qvid Romæ, qvid in Italiâ totâ rerum geſtum ſit; qvi Viri literati vixerint, qvid præclari in lucem ediderint: de qvibus judicia hinc illinc interſperſit. Nemo hoc tempore Ciceronem magis æqvavit, & auream illam Romanorum Scriptorum eloqventiam, qvam Vir ille: qvare & ratione ſtyli & rerum legi poteſt. Ejus Epiſtolæ editæ ſunt Coloniæ Ubiorum, (vel potius Amſterodami; locus enim falſus) ann. 1645. in 8vo.

* Ejus dictionem vehementer extollit Gabriel Naudæus *epiſt. 93.* Ita enim ad illum ſcribit: *Quæcunque proſâ & verſâ oratione ſcribis, ita me capiunt & delectant omnia, ut præ te uno veteres meæ deliciæ Bembi & Politiani videantur mihi illiberales eſſe & infaceti.* 11

* Iniqvius eſt Reineſii de illo Viro judicium, qvi *epiſt.* 66. ad Rupertum, ut ex locô illô apparet, ſibi habet ὁμόψηφον. Ita enim; *Nicii Romani, quæ prodiere, omnia nunc habeo, & lego; judicium in eo deſidero & ipſe; itemque majorem Græcæ literaturæ cognitionem, à qua imparatior eſt. Ejus epiſtolis delector ideo, quod res urbanas & doctos hâc ætate homines ex iis poſſim cognoſcere. Videtur hoc ſolum quæſiſſe iſtô ſcribendi genere, ut, quantum Latina lingua valeat, experiretur. In Vitis multa memorabilia obſervo in Exemplis τὸ ἐπίφορον εἰς μυθάρια ſuæ ſuperſtitioni accommoda.* 12

* Velim

illa judicii παϱοϱάματα detexiſſet Reineſius, qvæ ego, niſi fortè in Exemplorum libro, non deprehendo. Sed ea ipſe excuſat. Græcæ linguæ imperitiam ubi prodat Nicius, non inveni, Latinè enim ſcripta ſunt omnia. Si ita graſſari judiciis velimus, eſſent fortè & in Reineſianis ſcriptis, qvæ ad cenſuram vocari poſſent.

13 SALMASII *Epiſtolæ* prodierunt poſt mortem iſtius Viri, doctrinâ variâ plenæ, ut fuit ille Vir diffuſæ lectionis & ingenii; ſed paucæ illæ ſunt, qvarum ego longè plu-
14 res ab illo ſcriptas eſſe exiſtimo. * In tantâ enim celebritate hominum viventi penè qvotidianum fuit Epiſtolarum commercium, qvarum αὐτοσχεδιάσματα ipſi perierunt, & in angulo apud Viros doctos ſparſim latent. Ut enim extemporalis fuit in omni lectione ſuâ, omniaqve, prout ſemel conceperat, in typographiam miſerat, ita vix credibile eſt, Epiſtolas illum deſcripſiſſe: dolendum tamen eſt, intercidiſſe illas, in qvibus fortaſſe multa fuerunt, qvæ prodeſſe orbi literato potuerint. Apud Sarravium non paucæ ejus Epiſtolæ leguntur, qvas in Opere illo Epiſtolarum non deprehendas. Reperiuntur & in Bibliothecâ Gudianâ nonnullæ.

15 CLAUDIUS MORISOTTUS, Vir doctus apud Gallos, ſcripſit *Epiſtolas* varii argumenti. Ejus Opus eſt, qvod inſcribitur *Orbis Maritimus*, ſed, qvod profectò ſpei & voto Virorum eruditorum non reſpondet. Multa illic debuiſſet agere de commerciis maritimis, de bellis maritimis, & ſimilibus argumentis, de qvibus pauca admodum & ſatis jejuna. Ejus Epiſtolæ varia continent Philologica; ſed triti & obvii argumenti. Tituli & capita Epiſtolarum nonnunqvam magnifici aliqvid minantur; ſed tamen accidit illis, qvod Horatius ait:

turpiter atrum
Deſinit in piſcem mulier formoſa ſupernè.

Nonnunqvam ineptâ aliqvâ declamatiunculâ totam Epiſtolam abſolvit. Nonnulla etiam Carmina ſua & Elegias adjecit, ut ſingulares in tædioſô & prolixô opere delicias; ſed qvibus parum ineſt delicati, modò ſordibus & vitiis proſodicis immunes eſſent. Editæ ſunt in 4to. Scripſit etiam *libros Faſtorum Chriſtianorum*, ad exemplum Ovidii, ſed nihil eſt in illis poëtici ſpiritus.

16 THOMAS BARTHOLINUS *Epiſtolarum Centurias* aliqvot edidit, tùm qvas ipſe ad alios ſcripſit, tùm qvas alii ad ipſum ſcripſerunt: in quibus agitur de argumentis Medicis, Phyſicis & Philologicis. Bene meritus eſt Vir ille de omni doctrinæ genere, nec in ipſâ ſenectute ſuâ deſiit benè mereri, nec Epiſtolas ſuas bono publi-
17 co invidit: * Qvod ejus inſtitutum utinam & ſequerentur Viri docti; multa enim ex Epiſtolarum commercio diſci poſſunt, qvæ tamen plerumqve negligenter habentur à Viris doctis; tùm, qvod ſibi nota ſcribant & familiaria, & facilem illorum jacturam habent, cum tamen illa omnia pretium ab annis capiant, & apud poſteritatem demum illô, qvô merentur, numerô habeantur. Qvod ſiqvis in Epiſtolas tales incidere poſſit, cum diſtrahuntur Bibliothecæ Virorum doctorum, is tanqvam theſaurum comparet: plerumqve enim ſpernuntur ut leviora.

18 EOBANI HESSI *Epiſtolæ* ſperni non debent. Fuit ille ſuô tempore Poëta magni

mågni nominis, magnis Virorum doctorum familiaritatibus implicitus. Illius Epiſtolæ à *Joach. Camerario* collectæ, vel ideò in pretio habendæ, qvod tanti Viri nomen præferant: nam ad illum pleræqve ſcriptæ faceti quidem argumenti plerumqve; ſed tamen in qvibus multa etiam reperiantur notatu digniſſima. Ejus libri jam ſuprà à nobis facta eſt mentio in *Cap. de Vitar. Scriptor.*, deſcriptio qvippe Vitæ ejus præmiſſa eſt his Epiſtolis. Prodiit liber Norimbergæ ann. 1553. in 8vo.

PAULI SARPII *Epiſtolæ* jam ſuprà à nobis commendatæ, cum ageremus *de Vitarum Scriptoribus.* Sunt verò illæ Italicâ linguâ ſcriptæ, qvæ anno 1673. in 12. demum publicatæ ſunt; in qvibus omnia penè ſunt politici argumenti. Nam ferè de omnibus Europæ rebus, ut tùm erant, judicia inſtituit: inprimis de Statu Venetô, Pontificiô & reliqvorum Italiæ Principum. * Ineptum eſt & malignum Cardinalis Perronii de eo judicium in Excerptis illis ſuis; qvi de illo ita: *Ie ne remarquay rien d' eminent en cet homme; il a un bon jugement & bon ſens, mais de grand ſçavoir point, je ne vis rien que de commun, & un peu plus que Moine.* Adverſus ſolem hoc loqvi eſt. Qvi norunt, qvantas, qvalesqve res geſſerit Sarpius, qvibus ille doctrinis excelluerit, illi non ſupra Monachum, ſed & ſupra Cardinalem, ac ipſum hunc Perronium, ſapuiſſe largientur. 19 20

HUGONIS GROTII *Epiſtolæ* à Viro maximo profectæ ſummô in pretiô eſſe omnibus debent. Tot certè tantaqve Vir ille ſcripſit, ut ſeculi noſtri Phœnix meritò dicendus ſit. Paucæ ejus Epiſtolæ editæ primùm fuerunt, qvarum ipſum tamen magnum ſcripſiſſe numerum veroſimile eſt, tantâ negotiorum civilium mole, in tantô eruditionis apparatu. Ejus Epiſtolæ ad Gallos aliqvoties editæ, ultimaqve editio Lipſiæ prodiit curante Geſſenio anno 1674. in 12, in qvâ id laudandum, qvod Indicem iis adjecerit, qvem ego omnibus Epiſtolis adjectum vellem: Nam & utiliſſimus eſt, & multô labore levat legentes. Nunc tandem *Opus vaſtum Epiſtolarum Grotianarum* prodiit, qvod hactenus in Bibliothecis Virorum illuſtrium delituerat, qvodqve Iſaacus Gruterus à Blauio jam dudum typis deſtinatum teſtatur in qvâdam ſuper Opera nonnulla Verulamii Latina præfatione. Continentur in illis varia, ut fuit ipſi ingenium ad omnia natum, Politica, Eccleſiaſtica, Theologica, Juridica, Philologica, judicia de libris. * Nec deeſt illi orationis cultus, qvanqvam ſtylus ipſi interdum ex argumentô ſordes aliqvas trahat, & ſe ad hominum, qvibus ſcribit, indolem componat. Reperiuntur enim interdum Epiſtolæ ſimplici planè humiliqve dictione ſcriptæ, ac ſine ullâ moroſâ meditatione. Sed cum rem aliqvam unicè agit, nemo ipſô vel dulcior eſt Poëta, vel elegantior Orator, aut nervoſior Hiſtoriographus. Adeò ubiqve Vir ille domi eſt, & velut in fundô ſuô dominatur. Qvam in Politicis Epiſtolis ingeniô rerum attemperare calamum debeat earum Scriptor, ille novit, qvi in hoc negotiô verſatur; ubi verborum cura ſuperſtitioſa qvidem non eſt, ſed debent illa ad rei expreſſionem ſingulari ratione eſſe accommodata; Qvod Erythræus *Pinacoth. III. n.* 27. in Franciſco Visdomino notavit. In his Grotii Epiſtolis multa ſunt, qvæ Statum univerſæ Europæ ſuo tempore denudant, qvæ aliunde difficulter petuntur. 21 22

 * Rectè

23 * Rectè ergo, qvi præfationem ad Lectorem ſcripſit, de his Epiſtolis judicat: *Ut Theologica, Philologica, & quæ ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam, ac Jurisprudentiam pertinent, miſſa faciamus, non pauca hinc hauriri poterint ad illuſtrationem hujus noſtri ſeculi hiſtoriæ mirè conducentia. Dum enim magnô Sueciæ Cancellario Axeliô Oxenſtiernæ res in Galliâ geſtas refert, multa ſuppeditat, ex quibus de Galliæ tum temporis conſiliis artibusque ac conatibus Cardinalis Richelii, certius aliquando ferri poterit judicium, quam ex iis, qui ejus ævi hiſtoriam datâ operâ ſcripſerunt. Uti enim ex Ciceronis epiſtolis multa diſcimus, quæ fruſtra in temporum illorum Hiſtoricis requiramus, quippe quibus multa ignota fuerunt, quæ Ciceroni patuerunt, qui & Virorum in Rep. Romana Principum facta, dicta, ſuſpiciones, ſuaque ipſius cogitata ſine fuco aperit: ita ex Grotianis Epiſtolis, quæ inter Suecos & Gallos agitata ſint, quæ poſt ſiparium acta, utriusque gentis artes, timores, peccata, tutius ſæpe cognoſcemus, quam ex ſcriptis, quæ eo animo edita ſunt, ut honori alterutrius Gentis conſuleretur. In hiſtoriis cavent plerumque ſcriptores eorum partibus officere, inter quos vivunt, eorum peccata diſſimulant, hoſtium vero commiſſa augent, & vividis coloribus pingunt. At in Epiſtolis candidiùs agitur, liberè notantur, qui aliquid vituperio dignum admiſerunt, laudatur virtus ubicunque reperiatur. Præterea hic multa occurrent, quæ ſolent negligi ab hiſtoriarum ſcriptoribus, at ſine quibus de Principum rebus geſtis vix ſatis tutò judicari poteſt. Notum eſt nimirum, Legatos ad Principes, à quibus ſunt miſſi, vel ad eorum Miniſtros, teneri, quam ſæpiſſime poſſunt, Commentarios rerum, quæ aguntur ac dicuntur in Aulis, in quibus verſantur, mittere, etiamſi nihil habeant, quod ſcribant, præter rumores: quia ex rumoribus iſtis ſæpe, quid ſint acturi hoſtes, aut etiam, quod aliquando minoris non eſt momenti, quid de rebus judicent Principes, & ad quas inclinent partes, optimè colligitur. Imperitè ii judicant de ejusmodi Commentariis Legatorum, qui eos contemnunt, quod falſos rumores in iis annotatos aliquando deprehendant. Inter artes politicas, quibus ducuntur populi, terrentur hoſtes, animi alliciuntur vel alieniores fiunt, rumores eſſe cautè atque in tempore ſparſos, ii demum ignorant, qui ſunt omnium hiſtoriarum, imò vitæ communis, ignari. Itaque & talia noſci, & hiſtoricorum & omnium eorum, qui hiſtoriam amant, multum intereſt; id autem aliunde reſciri nequit, quam ex Epiſtolis eo ipſo tempore ſcriptis, quo evanidi rumores ſpargebantur.* Verè hæc de Opere illô Epiſtolicô prædicant, qvi ediderunt; Qvi ſi Indicem rerum qvoqve adjeciſſent, optimè ſanè de nobis meriti fuiſſent: Nunc in illo vaſto Opere multa latent, qvæ non niſi magnô labore erui poſſunt. Sunt tamen & ſecundum temporum ſeriem Epiſtolæ diſpoſitæ, qvod ad hiſtoriam magnoperè conducit. Putaverim ego ſanè plures etiamnum editas eſſe Viri hujus Epiſtolas: ac vidi ego non paucas in Bibliothecâ Gudianâ, qvas ego in illo Opere extare non credo.

24 JOH. LUDOVIC. BALZACI *Literæ ſelectæ*, Gallicô ſermone ſcriptæ, Amſtelodami apud Elzevirios editæ ann. 1656. in 12. Apud populares ſuos varia expertus eſt judicia ob novum aliqvod dictionis genus in Gallico ſermone: Eſt enim argutus, floridus, metaphoris aliqvantulum indulgens; qvæ ſcribendi ratio qvibusdam, qvi

caſtiga-

caſtigatiores videri volebant, diſplicuit. Nam Satyræ adverſus illum ſcriptæ & integri libri, qvos ipſe tamen validè ſatis excepit & retulit. * *Latinas Epiſtolas* ſcri- 25
pſit, qvæ raræ ſunt, in qvibus ſingularis qvidam linguæ Latinæ nitor, & Gallica qvædam facundia, optimè ad ſermonis Latini genium applicata. In Gallicis epiſtolis habentur ſingularia de rebus literariis & Autoribus judicia. * Non has tantum, 26
ſed & aliorum Gallorum, Epiſtolas perſtringit JACOB. HOVVELIUS *in literis ſuis familiaribus*, Anglicâ linguâ ſcriptis; Nam epiſtola 1. dicit, Vicinos ſuos transmarinos, vernaculâ linguâ ſcribentes, ſtylô uti marcidô, qvi ſimilis ſit corpori carnosô ſine juncturâ & arteriis. Vocat eorum expreſſiones hecticas & meris verbis flatulentas, aranearum telas, qvæ non ſtringant Lectores. Elegantiſſimè ſonant Anglica verba: *Others there are among our next transmarin neighbours Eaſtward who write in their own language, but their ſtile is ſo ſoft ano eaſia, that their Letters maybe ſaid to be like bodies of looſe fleſh Without ſinews, they have neitheir Joynts of art, nor arter es in them; they have a Kind of ſimpering and lanck hectic expreſſions made up off a bombaſt of words and finical affected complements only: Icannot wel away with ſuch ſleay ſtuff, with ſuch cobweb-compoſitions, where there is noſtrength of matter, nothing forthe Reader to carry away with him, that may inlarge the notions off his foul: One ſhal hardly find an apogthegm, example, ſimile or any thing of Philoſophy, Hiſtory, or ſolid Knowledge, os as much as one new created phraſe, in a hundred of them; and to draw any obſervations out of them, Were as if one went about to diſtil cream out of froth; Inſomuch that it may be ſaid of them, whad was faid of the Eccho, That ſhe is a meer ſound, and nothting elſe.* De Balzaci literis ita judicat: *I return you your Balzac, by this bearer, and when I found thoſe Letters, wherein he is ſo familiar with his King ſo flat, and thoſe ſo Richelieu, ſo peſſ d' with prophane hyperboles, and larded up aud down down with ſuch groß flatteries, with others beſides which he ſends as Urinals up aud down the world to look into his water, for diſcovery of the crazy condition of his boydy. I forbore him further.* Verum gentili illi odio paululum hic indulgere nobis videtur bonus Hovvelius. Qvæ enim ille in literis reqvirit, ad literas qvà literas propriè non pertinent, ac poſſunt vel ſine his elegantes ſcribi literæ. Qvis enim apophthegmata, exempla, ſimilia, in Epiſtolis, qvà talibus, qværat? Neqve enim Declamatores ſunt Epiſtoliographi. Ac vereor, ne Galli Anglis, ac ipſi Hovvelio, qvi prodigi in his & ſimilibus ſunt, affectationem, etſi ingenioſam, exprobrent. * Illæ Epiſtolæ, qvas junior edidit, turgent 27
metaphoris, & aliqvid Aſiatici ſonant. Maturiore ætate temperavit ſibi paululum, & qvod tumidum antea videbatur, in mollius dicendi genus commutavit. Si qvid ego judico, Gallicæ illius eloqventiæ, vel potius grandiloqventiæ, qvam genti illi familiarem in Sulpitio Severo, Eucherio aliqvi, in Budæo Eraſmus notavit, ſpecimen in illo qvoqve obſervare mihi videor. * Magna interim partium ſtudia fuerunt in Gal- 28
lia adverſus hujus Viri eloqventiam, aliis ut novam integris libris damnantibus; aliis ut perfectiſſimi ſermonis exemplum imitantibus. Hiſtoriam omnem ejus rei prolixâ diſſertatione complexus eſt Sorellus in Bibliotheca Gallicâ. * In Balzaci Epiſto- 29

lis notari merentur, qvæ habet de lite inter Guietum & Grotium ſuper præſtantiâ vini & cereviſiæ p. 313. Franciſci Guieti ruſticum epigramma pro vino adverſus Batavos cereviſiæ potores illic legatur. Grotii verò Phaleucus pro cereviſiâ inter poëmata ejus reperitur.

30 LAURENTII PIGNORII *Symbolæ Epiſtolicæ* plenæ ſunt bonæ frugis. L. Pignorius, Profeſſor Patavinus, varia in lucem miſit docta & laborioſa. Is Symbolarum Epiſtolicarum librum primum edidit Patavii an. 1629. *in 8vo*, qvem plures non ſunt ſecuti; in qvibus varii argumenti multa cumulantur, præcipuè verò antiqvaria. Multa illic ſunt, qvæ ad Jurisprudentiam & Hiſtoriam pertinent. Elucidantur Autorum varia loca, explicantur Inſcriptiones veteres. Optimus eſt pro Criticis & Antiqvariis liber.

31 RENATI CARTESII *Epiſtolæ* pleræqve Phyſici argumenti ſunt. Novæ Philoſophiæ autor fuit Carteſius, qvæ tamen non ita nova eſt, ut non apud antiqvos ejus dogmata appareant, ut per ſingula capita facilè demonſtrari poſſet. Fuit qvi illa ex Moſe deducere voluit, primis ſcilicet Geneſeos capitibus, qvod ipſi Carteſio ne qvidem per ſomnium in mentem veniſſe opinor. Ejus hypotheſes vix per ſe ſunt intelligibiles, niſi illuſtrentur vivâ doctrinâ. Mathematicas certè corporum affectiones, & qvicqvid ab iis operationum dependet in naturâ, ut ſunt permultæ, nemo profundiùs & exqviſitiùs demonſtravit, qvam Carteſius. Poſt mortem ejus editæ ſunt Epiſtolæ in 4to, Lugd. Batav., qvæ ad Viros doctos ſcriptæ ſunt ſuper dubiis Philoſophiæ ſuæ locis. Nullô itaqve ex Commentariô meliùs intelligi poteſt doctrina Carteſiana, qvàm ex iſtô, qvem præbent Epiſtolæ. Multa illic proponuntur rariora naturæ Φαινόμενα, in qvibus explicandis illic ſuum exercuit ingenium. Gallicâ etiam linguâ plures ſcriptæ.

32 HERM. CONRINGII *Epiſtolæ* prodierunt Helmſtadii *in 4to*, junctim editæ, qvæ prius ſparſim editæ fuerunt, & librorum frontiſpiciis præfixæ. (*fff*) Ejus enim Viri celebritate commoti multi, qvi monumenta ingenii publicarunt, ipſius operam ſollicitaverunt in præfationibus Operibus ſuis præmittendis; Eas in unum corpus redegit, qvo continentur multa Theologica, Hiſtorica, Phyſica, Politica, Philologica,
33 prout argumenta librorum ſe ipſi obtulerunt. * Adjecit qvoqve librorum ſuorum præfationes, qvod olim qvoqve fecit ERICIUS PUTEANUS, qvi è Præfationibus & Dedicationibus librorum, qvos ipſe confecerat, peculiare Syntagma collegit, ſub titulo, *Pompæ Proſphoneticæ*, uſui fortè futurum ſingulari illis, qvi dedicatorias Epiſtolas
34 ſcribunt. * Conſilium non adeò ſpernendum, ſi qvis corpus aliqvod ſelectiorum Dedicationum ex variis Autoribus collectum conficeret. Solent enim in iis cumulari

floridi

(*fff*) Herm. Conringii Epiſtolis addenda ſunt duo illarum, ad Ferd. Fürſtenbergium, Epiſc. Monaſterienſem, & Steph. Baluzium Syntagmata poſthuma, ob variam Eruditionem, Antiqvariam imprimis & Hiſtoricam commendanda, qvæ, cum Utriusqve Reſponſoriis, Helmſtadii *A.* 1694. *in 4to*, edidit Caſp. Cörberus, Eloqv. in Acad. Julia Profeſſor, plurium ad Eruditos alios, qvæ has ſint ſecuturæ, ſpem ſimul injiciens.

floridi ſtyli argumenta, enthymemata encomiaſtica, qvorum præcipuus in Orationibus Panegyricis uſus eſt; ne qvid dicam de uſu illo in argumentis librorum qvaſi
ſummariâ notitiâ cognoſcendis. * Eo modo JOHANNIS STURMII qvoqve 35
Præfationes ſub titulo *Prolegomenorum* in unum corpus collectæ ſunt, Tiguriqve editæ, in qvibus, ut editor Toxites rectè ſentit, ſunt multarum artium rerumqve optimarum inſignes loci, qvarum uſus non minori cum utilitate, qvam judiciô explicatur. Hic de Dialecticis, de viâ intelligendi Platonis Dialogos, de imitando Cicerone, contentione inter Eraſmum & Longolium ortâ, de verborum ἀναλύσει ac delectu, de lectione Ciceronis, de Demoſthenis atqve Æſchinis discrimine, de dicendi artibus, de Hiſtoriæ utilitate, multa proponuntur.

TANAQVILIS FABRI *Epiſtolæ* Philologici argumenti ſunt. Vir doctiſſimus 36
fuit, Philologus, Græcarum literarum peritiſſimus, velocis, ſed & audacioris ingenii,
Salmurienſis Academiæ Profeſſor: * Multa ex ingenio ſuo in Autoribus repoſuit, 37
etſi MStis libris deſtitutus; qvæ tamen ipſi temeritas nonnunqvam feliciter ceſſit ingenii ſolertiâ ſæpè percipienti, qvod alii magnô labore in MStis reqvirunt. * Non 38
ſemel tamen aliis ob audaciam ſuam vapulat Scriptoribus: nam corrigit ſæpè pro lubitu mendoſa loca, *deſtruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.* Multa ſuarum conjecturarum complexus eſt his Epiſtolis, qvarum libri duo ſunt, qvibus Autorum veterum loca adverſus omnium ſententias explicat, ob feſtivitatem ingenii & acumen magnô in pretiô habendus. Aliqvem Epiſtolarum illarum locum, ubi Livium reprehendit, ut qvi qvondam Latinæ linguæ vocem non ſatis intellexiſſet, ſugillarunt Ephemeridum Scriptores Gallici, qvi tamen ab ipſo probè depexi libro qvodam Gallico, cui titulus: *Journal du Journal.* * Scripſit, ut hoc obiter memorem, *de Religionum* 39
Unione librum Gallicâ linguâ, qvô nec Pontificiis nec Reformatis placuit; illorum vitia in nuditate ſuâ ſiſtens, horum verò invidiam incurrens, qvod jungere Gryphes
eqvis laboraret: qvi liber & in Belgicam linguam converſus eſt. * Ceterum ma- 40
gnæ fuerunt iſtius Viri calamitates domeſticæ, de qvibus ſæpe conqveritur: filiam doctam habuit, qvæ hodiè libros ſcribit in gratiam Delphini; qvæ & ipſa dicitur imitari Patrem. Edidit qvoqve prima Scaligeriana, qvibus præfationem præmittit, in qvâ de fatis ſuis qveritur. De hoc Viro Patin. Epiſt. 77. legatur.

JOH. CASELII *Epiſtolæ* inter Germaniæ noſtræ κειμήλια literaria, ut omnia 41
iſtius Viri, meritò referendæ. * Lumen ille Germaniæ fuit, Græcè & Latinè do- 42
ctiſſimus, Orator, Philoſophus & omnium literarum Vir, Roſtochienſis primum Academiæ, hinc Helmſtadienſis, Profeſſor, ſuô exemplô, conſiliis, præceptis totam tum temporis Germaniam penè informavit; à Principibus in conſilia, tàm literaria qvàm civilia, adhibitus. Huic Helmſtadienſis Academia illos progreſſus debet, qvos in ſolidioribus & elegantioribus ſtudiis fecit. Ex ejus ſcholâ prodierunt Viri doctiſſimi, ad genium antiqvitatis & veræ ſapientiæ formati. * Ejus Opera utinam ha- 43
beremus omnia uno Volumine comprehenſa. Jam diu laboratum id fuit Sereniſſimis Ducibus Luneburgicis, ut omnia ejus Opera prodirent undecunqve collecta, ſed

hacte-

hactenus res non præſtita fuit. Habuit in animo olim *Henricus Ernſtius* Opus Caſelianum conſtituere, qvi Indicem ſcriptorum ejus imprimi curavit, cui tamen multa deſunt. Beatus qvoqve noſter *Sperlingius* idem conſilium agitavit, in cujus Bibliotheca pleraqve ejus ſcripta aſſervata fuerunt. Magnô illum elogio Grotius in epiſto-
44 lâ ad Gallos 154. ornat. * Præcipuæ autem ejus Epiſtolæ editæ ad Viros Principes, in qvibus multa de iſtorum temporum ſtatu civili & literario, multa de Viris doctis judicia. Illa tunc temporis Principum cura erat, qvæ nunc (nam iſta ſeculi noſtri perverſitas eſt) ad Pædagogos ablegatur. Editus ille liber Helmſtadii ann. 1619, curante Fuchtio. Editæ & aliæ qvædam ejus ſunt Epiſtolæ, Vagetio curante, Hamburgi, & iterum aliæ ejusdem ad Victorium cum ejus reſponſoriis, qvæ aliqvoties editæ ſunt, in Victorii autem Epiſtolis omiſſæ, qvod, ut Böclerus qveritur, tantum decus
45 Germaniæ aliqvi inviderent. * Nunc verò Anno 1687. *Opus Epiſtolicum Caſelianum* per JUSTUM à DRANSFELD, Pædagogii Göttingenſis Rectorem, Francofurti editum eſt, exhibens Epiſtolas ad Principes nobiles, Viros celebres, propinqvos, cives ac familiares, qvæ in Fuchtianâ & Vagetianâ Editione non comparent, ac in XVI. libros ex ipſius Autoris Adverſariis & MStis tributum. Præmittitur Conringii ad illum Epiſtola, in qvâ de reliqvis ſcriptis Caſelianis nonnulla narrantur, isqve Autor ad cetera qvoqve, qvæ collegit, edenda impellitur: Qvod ut facere velit, etiam nos obteſta-
46 mur. * Eſt & in ſcriniis Gudianis integra Epiſtolarum Caſelianarum centuria, hactenus non editarum, niſi fortè in novâ illâ collectione Dransfeldianâ qvædam ex iis habentur. Caſellii 37. Epiſtolæ reperiuntur in volumine Epiſtolarum αὐτογράφων Blocii, de qvo Lambecius *lib. 1. de Bibliotheca Vindobonenſi p. 55.* in qvo multæ
47 aliæ ſunt *Gruteri, Camerarii, Giphanii, Rittershuſii, Sturmii &c.* Epiſtolæ. * Magnificum ſtylo Caſelii elogium tribuit Joſ. Scaliger lib. 3. Ep. 270. *Multi*, inqvit, *Latinè, pauci Romanè loqvuntur: & ſi qui forte Romanè; at rarò illum Ciceroniani ſeculi genium aſſeqvuntur. Qui hunc leporem in tuâ oratione non agnoſcit* (ſcribit ad Caſelium) *is quid ſit Latine ſcribere, neſcit. Quid de verſiculis tuis dicam? Qui quantum ab omni fuco & ambitione remoti ſunt, tantum Romanæ illius priſcæ ſimplicitatis & amœnitatis habent Catullianæ.* De Caſelii Epiſtolis legi poteſt Epiſtola Vincentii Fabricii 7. ad Henr. Vagetium.

48 PETRI MARTYRIS ANGLERI, Mediolanenſis, *Epiſtolæ* Politici argumenti ſunt. Fuit ille Protonotarius Apoſtolicus & prior Archiepiſcopus Granadenſis, & Regi Hiſpaniæ à rerum Indicarum conſiliis. Editæ ſunt in fol. an. 1630., & Amſtelodami in fol. an. 1670, apud Elzevirios, cum Epiſtolis Ferdinandi de Pulgar. Totum Opus politicum eſt, & Theſauri inſtar, continet enim arcaniora ſtatus conſilia, tàm Germanica qvàm Gallica & Hiſpanica; multa qvoqve, qvæ ad res Indicas & Commercia pertinent: qvæ etiam cauſa fuit, qvod Elzevirii recuderent librum tam utilem. Magnifaciendæ ſunt Epiſtolæ talis argumenti, qvæ mirificè proſunt ad notitiam Rerumpublicarum. Vehementer illas commendat Boſius *Introductione in notitiam Rerump. cap. 5. §. 11.* qvi tamen, qvod miror, hujus Martyris mentionem non facit.

* *Politicas* tales *Epiſtolas* magnâ curâ inqviſivit PETRUS PUTEANUS, & ejusdem laboris ſocios habuit *Peireſcium, Antonium Lomenium,* è qvibus integrorum Voluminum Bibliothecam, amplius qvadringinta, confecit (connumeratis præter Epiſtolas aliis inſtructionibus & memoriis). Illa qvadraginta librarum millibus empta Regio Archivo inſerta ſunt. * Ejusdem Viri curâ ſervatæ ſunt epiſtolæ *Foxii* & *Oſſati,* de qvibus ita judicat Rigaltius in *vitâ Petri Puteani* poſt Pauli Sarpii Tridentinam Hiſtoriam nihil extare, unde qveant Aulæ Romanæ artes pernoſci clariùs & certiùs. Collegit & ille multas Scaligeri Epiſtolas hactenus ineditas, & Peireſcii Epiſtolarum Volumina duo grandia, qvibus continentur ad naturalis Hiſtoriæ totiusqve literaturæ notitiam Obſervationes elegantiſſimæ, teſte eodem Rigaltio *in ejus vitâ pag. 50.* Ut obiter hæc memoremus, extant Politici argumenti Epiſtolæ Æneæ Silvii, Forſtneri de negotio Pacificationis Oſnabrugenſis. * In his Epiſtolis non tàm doctrina multa, qvàm rerum uſus reqviritur, ut de Lanfranco Margotio Erythræus *Pinacoth. I. n. 71.* teſtatur, qvi ſine multis literis in ſcribendis Epiſtolis longè doctiſſimorum hominum induſtriæ anteivit. Etenim rem, de qva ſcribendum eſſet, *videbat acutè, explicabat dilucidè, ſententias adhibebat illuſtres, quæque non tam haberent venuſtatem, quam dignitatem & pondus. Verba erant non illa quidem elegantiſſimo ſermone, ſed quæ rem maximè explicarent. Omnia ſcribendi genera noverat, eoque utebatur, quod cum ejus, qui ſcriberet, eorumque, ad quos ſcribebatur, perſonis congrueret.* Qvæ de Epiſtolis Grotianis magnam qvoqve partem dici poſſunt. 49 50 51

GABRIEL NAUDÆUS *Epiſtolas* aliqvas ſcripſit. Doctiſſimus Vir fuit, & magnæ ἐμπειρίας Bibliothecariæ, ipſe Bibliothecarius Cardinalis Mazarini, & poſtmodum Reginæ Chriſtinæ, olim Cardinalium Franciſci à Balneo & Franc. Barbarini. Epiſtolæ poſt mortem ejus editæ Genevæ ann. 1667, in qvibus extat rerum literariarum ſui temporis non exigua notitia. Multa ejus ſunt de Viris doctis judicia, in qvo tamen partium ſtudiis interdum aliqvid tribuit. Vide Epiſtolam ejus 65, in qvâ Fortunium Licetum penè in cœlum extollit laudibus, & reliqvis ſuorum temporum Philoſophis præponit, amore Peripateticiſmi ductus. Ceterum rariora aliqva ab ejus eruditione qvis exſpectaverit, qvàm illic habentur. 52

JOHANNIS GENESII SEPULVEDÆ *Epiſtolæ* multa continent memorabilia. Fuit ille Cordubenſis, Caroli V. Hiſtoriographus, Græcè & Latinè doctiſſimus, cujus ſunt præclara in rem literariam merita. Latinè vertit Ariſtotelem & Alexandrum Aphrodiſæum in libros Metaphyſicorum. Genus orationis ipſi fuſum, tractum, & cum lenitate qvâdam profluens. Fuerunt ipſi cum Eraſmo qvædam liticulæ: ſcripſit Epiſtolarum libros 7. in qvibus multa varii argumenti, Theologici, Philoſophici, Philologici, Hiſtorici, Mathematici. Habentur judicia de Autoribus. Editæ ſunt illæ cum ceteris ejus Autoris Operibus Coloniæ Agrippinæ Anno 1602. in 4to. 53

CASP. BARLÆI *Epiſtolæ* facetiis & ſalibus perſperſæ multa iſtius temporis notabilia ſæpe memorant. * Fuit Barlæus Philoſophus & Poëta præſtantiſſimus, qvanqvam à Batavis ipſis non magni æſtimatus; ingenium fœcundiſſimum & feſti- 54 55

viſſimum habuit, in Elegia, Scazonte & Phaleucis mirè ſuavis & argutus, in Epicô carmine luxuriâ nimiâ penè moleſtus: Qvam ejus loqvacitatem contemptim habuêre Heinſius aliiqve caſtigatiores Poëtæ. Id certè verum eſt, in delectu verborum non multum ſe cruciaſſe, ſed primos impetus plerumqve eſſe ſecutum & ingenii ſui ubertatem. Miſero fato periit, puteo ſubmerſus; an ſponte an caſu, incertum. De mor-
56 te ejus jam ſuprà diximus. * Ejus extant Epiſtolæ, qvas non adeò ob dictionem legi velim, qvam ob argutias & urbanitatem: Facetiarum pleniſſimus eſt, ubiqve jocis circumfluens; ac incidunt nonnunqvam, qvæ ad Hiſtoriam literariam ſui tempo-
57 ris, præcipuè in Bataviâ, pertinent. * Lepida inter alias Epiſtola eſt 71. qvam ad *Petrum Gruterum*, Ludimagiſtrum, ſcripſit, hominem in ſtylô κακόζηλον & antiqvarium, ubi per mimeſin perpetuam eum cum ſtylo ſuo exagitat. Eſt verò Gruterus etiam inter ſimias Lipſianas; ſed qvi præter κακοζηλίαν Lipſianam mirè ineptus eſt in frigidis alluſionibus & verbis antiqvatis.

58 FRANCISCI MARTINI *Epiſtolæ* Barlæanis jungi poſſunt; idem enim planè character in illis eſt, & penè feſtivitate ſuperat Barlæum. Fuit Concionator Epenſis; editæ ſunt Hardervici anno 1653. in 12. Dictio non contemnenda, nitida planè & florida; elegantes in illâ occurrunt joci, ut de rebus vulgaribus ita ingenio illis ſuperiore concepti. Recenſentur interdum aliqva inter Profeſſores Leidenſes friguſcula, & aliqva de eorum ſcriptis judicia.

59 JOH. BAPT. LAURUS, Urbani VIII. Cubicularius, Vir doctus, inter alia ſcripta *Epiſtolarum Centurias* 2. edidit, qvæ Coloniæ Agripp. anno 1624. in 8. impreſſæ. Continentur in illo libro multa, ad Hiſtoriam literariam ſui temporis pertinentia. Dictio in illo mediocris: magnum certè illi elogium ſuſpendit Erythræus *Pinacoth. I. n.* 141. Magni habitus fuit à Pontifice Urbano VIII, qvi in deligendis ingeniis magnam curam adhibuit. Edidit Autor ille, teſte eodem Erythræo, *Theatri Romani Orcheſtram*, in qvâ de Viris illuſtribus, Romæ verſantibus, agit, qvam nondum
60 vidi. * Edita ſunt ab illo poëmata, & inter illa unum, qvod inſcribitur de *fabricatione calcis*, ingenioſum, qvod cum *Sylvis* ejus prodiit. Habentur qvoqve illic *lib.* 2. *Ægyptiados*, qvibus agit *de Mariæ in Ægyptum fugâ.* Adjiciuntur *Epigrammata*
61 non ſpernenda. * Reperitur inter Epiſtolas ejus *p.* 174. & inter Sylvas *lib.* 3. Strena in Calendas Januarias, qvâ *Nihil* donat Amico in Epiſtolis ejus, de qvô Carmine, qvid judicare debeam, non habeo; Totidem enim verbis in Paſſeratii Strenis legitur, in qvibus multa alia habentur Carmina ejusdem commatis. De illô nos jam ſuprà *cap.* 9. §. 21. qvædam diximus. Et mirum ſane eſt, in Sylvis Poëmatum Lauri idem Carmen poni. Laurum è Paſſeratio id habuiſſe, tempus & omnia arguunt.
62 * Idem Autor *de annulô pronubo D. Mariæ Virginis* ſcripſit, in qvô mirabiles hiſtoriæ de annuli iſtius miraculis, qvi cæcis viſum reſtituerit, qvô temerè tacto ab homine profano digitus exaruerit, cujus goſſypium circumpoſitum tangentis temerè manus aduſſerit, & infinita alia ſuis autoribus relinqvenda.

63 De JUSTI LIPSII *Epiſtolis* dici hîc multa poſſunt. Conſiderari illæ vel ratio-

ne dictionis, vel ratione rerum poſſunt. Vehementer ſenex à juvene diſcrepat. Cum enim in juventute ſuâ Ciceronianam dictionem ſeqveretur, maturioribus annis penè novum eloqventiæ genus ſibi finxit, in qvo argutiæ, adagia, hemiſtichia, græcæ ſententiæ, qvorum in familiaribus inter eruditos Epiſtolis uſus eſſe poteſt; Tales enim Epiſtolas illa ornant, in ceteris locum non habent, ubi enthymematibus agendum, & ſermo πεπλασμένος reqviritur. * Mareſius *lib. 1. ep. 7.* Sermonem poëticum 64
in illo agnoſcit, qvi Statium referat ſibi pro ſummo Poëta habitum, cujus ſcriptio valde ſit adſtricta, & crebrâ parentheſi interrupta. Idem ibid. *ep. 49. ad Heinſium* in illo reprehendit antiqvorum verborum nimium uſum, audaciam in ſcribendo, dictionem parentheſibus & interrogatiunculis interruptam. * Reſpondet illi N. Hein- 65
ſius: *Non deſunt Lipſio ſuæ Veneres. Habet neſcio quid, quô lectorem trahat, & quod prorſus improbare non poſſis. Ut non tam illi ſuccenſeam, quam ineptiſſimis mortalibus, qui imitandum ſibi illum proponunt, idque tam præpoſtere, ut vitia ejus exprimant plerumque, virtutes non aſſequantur. Imitatus neminem Lipſius, ac proinde nemini imitandus. Memoriam ego tanti Viri ſanctè veneror. Nec negarim tamen, magna illi ex parte labem eam deberi, quam tu Belgis noſtris non immerito adſcribis. Quod niſi ὁ θαυμάσιος Scaliger juventuti noſtræ peſſum eunti ſalubribus ſuccurriſſet monitis, in Lipſii locum à Curatoribus hujus Academiæ opportunè ſubrogatus, futurum vix erat, ut tantam tot præclarorum ingeniorum, quæ annis quinquaginta proximis in Batavia noſtra eluxerunt, meſſem mirarentur exteri. Nec labes tamen illa ſolos Belgas & Germanos, ſed etiam veſtros, infeciſſe videri poteſt.* Magnam partem de illo vera ſunt, qvæ in Excerptis Scaligerianis dicuntur. Henricus Stephani Latinitatem Lipſii ſingulari libro notavit. * Neqve unqvam ego ſuaſerim, ut, anteqvam aliqvis robur in 66
ſtylo acqviſiverit, inexercitatus adhuc Lipſianæ lectioni adſveſcat, aut ejus floſculos in uſus ſuos excerpat. Qvi illum imitati ſunt, infeliciter rem ſuam geſſerunt: Nam vel exſcripſerunt nonnulla, ac ſententias qvaſdam compilarunt, vel planè inepti fiunt, dum dictionem ejus exprimere tentant, per ſe non laudabilem. * BERTILIUS 67
CANUTUS in ſuis *Epiſtolis* omnem in imitatione Lipſianà gloriam qvæſivit, ut vel in ipsô libri titulô illam jactet: Sed ille periodos Lipſianas tantum congerit, & lacinias ex illo conſuit: * ERYCIUS PUTEANUS, Lipſii ſucceſſor, felicior qvidem 68
ejus imitator fuit, ac evitavit qvidem abruptam illam brevitatem, tot ſententiarum hiatus & præcipitia, freqventatas interrogatiunculas, alliterationes exiles & ſimilia, qvæ Lipſio familiaria vitia ſunt: ſed, dum illa vitavit, in vitium περισσολογίας & ταυτολογίας incidit. Cum enim brevitatem affectaret, id effecit, ut tribus qvatuorve periodis abſolveret, qvæ Cicero unâ periodo mediocri abſolvere potuiſſet. Scripſit Puteanus aliqvot Centurias, qvæ vivo illo editæ ſunt, earumqve plena editio Francof. 1663. prodiit. Poſt mortem ejus Epiſtolarum apparatus poſthumus, in 7. Centurias diſtributus, Lovanii Ann. 1663. editus eſt. * PETRUS GRUTERUS, 69
cujus ſuprà mentionem fecimus, λειψιανίζειν in *Epiſtolis* ſuis voluit, cui à Barlæo illuſum eſt. * Longè eô ineptior eſt, qvi Lipſium imitatus, COELIUS in ſuâ *Inſti-* 70
tutione Epiſtolicâ, κακοζηλίαν Lipſianam docet, ipſe vehementer ridiculus. De his

71 Simiis Lipſianis lege præfationem Thomaſii in Epiſtolas Manutii. * Lipsii plures ſuperſunt *Epiſtolæ ineditæ*, qvæ in Chiliade illâ non habentur. Jam tùm Meurſius, Boxhornius aliiqve ſparſim qvasdam edidêre. Teſtatur Monconiſius in *Itinerario ſuo part. 2. pag. 150.*, Hugenium omnes habere literas Lipſii ad ſe ſcriptas, ac Sorbierius in literis ſuis alicubi refert, Chriſtianum Hugenium oſtendiſſe ſibi aliqvot Volumina Epiſtolarum à Viris doctis ad Lipſium ſcriptarum. Vir illuſtris Marq. Gudius tot habet ejus ineditas, ut Chiliada jam editam qvinqve augere Centuriis poſſit.

72 MARTINI ZEILERI *Epiſtolæ Germanicæ* ad Locorum Communium Scriptores potius referendæ ſunt. Vir ille fuit Πολύγραφος noſtrô ſeculô, non indoctus, certè rerum multarum compilator. Scripſit autem plura Germanicâ linguâ, qvam Latinâ. Solum illud, cujus ſuprà memini, de Geographis & Hiſtoricis, Latinâ linguâ prodiit, è libris Voſſianis maximam partem compilatum. Ut linguâ Germanicâ varia Itineraria ſcripſit, qvibus multa memorabilia continentur, ita ſub Dialogorum & Epiſtolarum habitu complexus eſt varia argumenta naturalia, moralia, civilia, hiſtorica. Scripſit ultra ſexcentas Epiſtolas, qvæ junctim prodierunt in 4to, anno 1657. Ulmæ.

73 AQVILINUS COPPINUS, Eloqventiæ Profeſſor in Ticinenſi Gymnaſio, *Epiſtolarum libros 6.* ſcripſit, in qvibus occurrunt non pauca de Viris doctis in Italiâ judicia, multa qvoqve rerum naturalium, qvæ ipſi in diverſis Italiæ itineribus obvenerunt. Elegans inter alia eſt deſcriptio illa *lib. 1. p.* 29. itineris Taurinenſis. Inter alia hic meminit, ſibi viſum in montibus illis multorum gigantum mortuum efferentium imaginem, adeò expreſſam phantaſmate qvodam vel nube, ut nullus pictor imitari illam potuiſſet. Qvod, an ſimile fuerit *Morgana φαινομένῳ*, an vero ita ipſi viſum per ſenſuum aliqvam fallaciam, nunc non disqviram. Ille alioqvin in nubibus his ſpeculandis mire ingenioſus & verboſus eſt. Editæ ſunt epiſtolæ illæ Mediolani ann. 1613. in 8vo.

74 LUCILLII PHILALTHÆI *Epiſtolæ* ſcriptæ ſunt ad varios in Italiâ Viros doctos diverſi argumenti. Continentur in illis multa illorum temporum à Viris doctis acta & edita. Fuit vero ille Medicinæ Profeſſor; juvenisqve has Epiſtolas ſcripſit, editas Papiæ ann. 1564.

75 JOSEPHI LAURENTII jam ſuprà mentionem fecimus, ubi de polymathiâ ejus egimus. Ejus extant *Epiſtolarum Centuriæ 2.* editæ Lucæ anno 1638. Stylus in illis κακόζηλος: nam & ille Autor inter Simias Lipſianas. Apparent nonnunqvam ſtricturæ aliqvæ ingenii, qvæ tamen iterum ineptiis deturpantur. Scriptæ verò ſunt ad Viros illorum temporum celeberrimos; & in eis interdum aliqvid latet, qvod notatu dignum ſit. Judicia in illo multa de Viris doctis & Operibus eorum; qvibus tamen fides haberi non poteſt, cum Panegyriſten potius, qvam ſincerum Cenſorem agat.

76 JOHANNES WOUWERIUS, Vir doctiſſimus, è Brabantiâ oriundus illuſtri ê familiâ, tandem in Holſatiam venit, magnis admotus muneribus, Conſiliarius Principis

cipis & Præfectus Gottorpienſis, cujus extant varia ſcripta, inter qvæ præcipuum eſt *de Polymathiâ*. Ejus *Epiſtolæ* editæ ſunt Hamburgi anno 1608. *(ggg)* *in 8vo*, cum *Syntagmate de Græcâ & Latinâ Bibliorum interpretatione*. Variæ hîc inſtitutæ ſunt de multis rebus literariis conſultationes & judicia: nam multa, qvæ agitabantur illo tempore inter Viros literatos, his in Epiſtolis recenſentur. Scriptæ illæ ſunt ad illuſtres ejus temporis Viros, Scaligerum, Meurſium, Heinſium, Gruterum, Scriverium & plures alios, cum qvibus non niſi erudita tractari poterant. * Epiſtolas ejus mul- 77
tas ineditas ſervat illuſtris Gudius: latitant & aliqvæ inter MSta Bibliothecæ Hamburgenſis. * FRIDER. LINDENBROGIUM tamen neſcio qvomodo is ſemper infen- 78
ſum habuit: ſuperſunt enim Lindenbrogii tùm in Bibliothecâ Hamburgenſi, tùm in Gudianâ, Epiſtolæ, qvibus illi acerbè inſultat. Vocat illum hominem cum latrante nomine (à baubando). * Multa in illo plagia notat, ac in aliqvâ Epiſtolâ hæc de 79
illo habet, ejus *de Umbrâ* Tractatum inter plagia recenſens: *Quem noviſſimè edidit librum tenebricoſum umbratilis ille, inter doctiſſimi optimique viri Jani Gulielmi ſchedas repertum ajunt: in quo id tamen præſtitit, quod aliam illi veſtem induit, & ſuo more uſurpavit. Nam & carmina, quæ paſſim intermixta, non adulteri hujus fuerunt, ſed Scholæ Schleſwicenſis Rectoris, viri eruditi & probi, qui etiam nunc vivit, & id apertè fatetur.* Epiſtola hæc ſcripta eſt Hamburgi ann. 1613. Gravis hæc in illum Virum injuria eſt, & neſcio qvid acerbitatis ſapit. In aliis Epiſtolis paſſim in eum invehitur, ac plura ejus plagia notat. Nos lites illas in medio relinqvimus. De *Polymathiâ* ejus, per plagium Caſaubono ſubreptâ, ſuprà diximus. Idem Lindenbrogius, ut ex Epiſtolâ illâ apparet, Vitam ejus integro ſcripto divulgare in animo habuit, qvæ certè in laudem ejus minimè concepta videtur. Ceteroqvin Vitam ejus Clariſſ. Dn. *Adamus Olearius* peculiari oratione deſcripſit.

JOH. MILTONI *Epiſtolæ Familiares* extant libello exiguo. *(hhh)* Non igno- 80
bilis fuit Autor Miltonus, qvod è ſcripto Anti-Salmaſiano conſtat, qvem ille exagitarat, argutiis & ſalibus cauſam commendans, à Salmaſio non iis, qvibus poterat, argumentis defenſam. * Id ſingulare in illo notari poteſt, freqventem illum eſſe 81
in Solœciſmis & Barbariſmis Salmaſio objiciendis, cum tamen & ipſe ſit σόλοικος ſæpe & barbarus, ut qvadret hîc illud Juvenalis, Sat. II.

Loripidem rectus derideat, Æthiopem albus.

(ggg) Epiſtolarum Joh. Wouwerii Centuriæ II. Hamburgi, non An. 1608. (licet hunc exempla qvædam Titulo indicent, qvæ Morhofio Sphalmate iſto Typographico impoſuere), ſed 1618, ſexennio poſt Autoris, A. 1612. defuncti, obitum a Geverhardo Elmenhorſtio ſunt editæ, Centuriam etiam Tertiam in præfatione pollicito. In Bibliotheca Hamburgenſi plures ducentis ſuperſunt, omnes αὐτόγραφοι, & ad ſolum Sebaſtianum à Bergem, JCtum ac Urbis iſtius Conſulem, exaratæ.

(hhh) Joh. Miltoni Epiſtolæ etiam exſtant Politicæ, publico Parlamenti, ſive Senatus Anglicani (cui à Secretis fuit), nomine ſcriptæ, & à Joh. Georgio Pritio Lipſiæ A. 1690. *in* 12. denuo recenſitæ, qvæ lectionem, ob ſtylum pariter atqve Argumenta, merentur.

Ejus commatis ſunt illa in præfatione: *Iuis Grammatiſtis te vapulandum propino*, & pag. 11. *populus aſſentitus eſt*, & pag. 142. *res noſtras hallucinante.* Sed talia Viris doctis interdum præter intentionem excidunt, qvalia in Scaligero & Caſaubono non pauca notavit Scioppius, delicatus illarum ſordium collector, qvi ingens domi ſterqvilinium talium Obſervationum habuit, qvod publicare voluit cum titulo Herculis
82 κοπροφόρυ. * Qvicqvid tamen ejus ſit, oſtendunt Miltoni ſcripta Virum vel in ipsâ juventute: qvæ enim ille adoleſcens ſcripſit carmina Latina, unà cum Anglicis edita, ætatem illam longè ſuperant, qvâ ille Vir ſcripſit poëmata Anglica ſed ſine rhythmis, qvos ut peſtes carminum vernaculorum abeſſe volebat, qvale illud 13. libris conſtans, *the paradiſe loſt.* Plena ingenii & acuminis ſunt, ſed inſuavia tamen videntur ob rhythmi defectum, qvem ego abeſſe à tali carminum genere non poſſe exiſtimo, qvicqvid etiam illi, & Italis nonnullis, & nuper Iſaaco Voſſio in libro *de poëmatum cantu*, videatur. Epiſtolæ ejus paucæ ſunt, in qvibus tamen non pauca de Autoribus veteribus, recentioribus, domeſticis, exteris judicia, qvæ legere & noſſe operæ pretium eſt. Editæ ſunt Londini an. 1647. in 8.

83 WILHELMI SCHICKARDI & MATTHIÆ BERNEGGERI *Epiſtolæ* mutuæ hoc in loco præteriri non debent. Præclari Viri ambo fuerunt: magna Schickardi rerum Hebraicarum & Antiqvitatum Judaicarum peritia, literis his propemodum immerſi & innutriti. Teſtantur illud doctiſſima ejus ſcripta *de jure Regio Hebræorum*, qvod nunc Commentario Carpzoviano prodiit; & alii ejus libri, exteris omnes magno in pretio habiti. Salmaſius certè in defenſione cauſæ Anglicanæ multa ex ejus fontibus hauſit, qvod & Bœclero in primo Muſei ſui ſpecimine notatum eſt. Qvis *Berneggerus* fuerit, notum omnibus eſt è Commentariis in Hiſtoricos optimos. Uterqve Mathematicis ſtudiis impensè deditus fuit, ideoqve Epiſtolæ illæ, qvæ publicatæ ſunt Argentorati ann. 1673. in 12., pleraqve Mathematici argumenti continent: Peireſcii de Schickardo ſubnectitur judicium huic libello.

84 GEORGII RICHTERI *Epiſtolæ* planè non ſunt illo loco habendæ, qvo habet Patin. *Epiſt. 106.* Meledicum eſt & falſum, qvod de illis ait: *I' ai vû les Epitres de Richterus, il y a quelques bonnes choſes, quelques-unes de mediocres, & tout l' ouvrage eſt aſſee mal fagoté.* Non facilè memini pleniores bonæ frugis Epiſtolas, qvam hæ ſunt. Fuit Richterus JCtus, Conſiliarius Reip. Norimbergenſis, ac Academiæ Altorfinæ Procancellarius, Vir undeqvaqve doctiſſimus, ut patet è paucis illis ſchediaſmatibus, qvæ edidit: neqve enim ob molem negotiorum in tam amplâ civitate vacare totus literis potuit. Magni habitus à Batavis, Gallis & Anglis, qvod teſtantur literæ ad ipſum ſcriptæ. Ipſi Heinſius diſſertationem inſcripſit *de ſervis naturâ*, qvæ adjicitur Orationibus Heinſianis, in qvâ agitur de eo, *an JCti Philoſophis contrarientur, quando illi ſervos naturâ eſſe negant, Ariſtoteles autem aliquos naturâ ſervos ſtatuit.* Ejus Epiſtolæ ſelectiores editæ ſunt uno volumine in 4to. Norimbergæ an. 1662. Ubi habentur non ipſius ſolùm, ſed & illorum, qvæ ad ipſum ſcriptæ Epiſtolæ, plenæ argumentis Theologicis, Juridicis, Politicis, Medicis, Philoſophicis, Hiſtoricis, Geographicis,

phicis, Philologicis, Criticis. * Qvod titulus promittit, præſtat liber uberrimè: 85
Sunt enim multa notatu digniſſima, qvæ ad Hiſtoriam literariam noviſſimi temporis pertinent, in illis datâ occaſione notata. Multa ſanè diſci ex illis poſſunt: addita ſunt præterea literarum qvarundam ſpicilegia, à Profeſſoribus Altorfinis, Hoffmanno, Ruperto, Rittershuſio, Dinnero, (*habuit enim Academia hac viros ſemper inſignes,*) & aliis viris doctis ſcripta. Sunt hîc aliqvot *Gruteri Epiſtolæ*, in qvibus multa notabilia: eſt prolixa Epiſtola *Chriſtophori Arnoldi* ad Georg. Richterum p. 496. & ſqq. ubi multa egregia habentur de Originibus Germanicæ linguæ. Additur Index rerum & argumentorum in ſingulis Epiſtolis: judicium de Barclai Argenide prolixè habetur p. 783. ubi tota illius fabulæ compages examinatur. Habetur elegans *carmen Gruteri* trochaicum in Galenum Caſp. Hoffmanni, editioni qvidem paratum & ſummis curis & moleſtiis elaboratum, ſed hactenus, qvæ invidia noſtrorum temporum eſt, nondum editum, non ſine magno rei Medicæ & Philologicæ damno: Fuit enim Hoffmannus Vir longè doctiſſimus, Medicus, Philologus conſummatiſſimus. Reperitur illud carmen p. 534. & ſqq., qvô graphicè depingit *Magnatum deſidiam in procurandis optimis artibus.* Videas & illic p. 539. miſerum Gruteri ſtatum.

DOMIN. BAUDII *Epiſtolæ* etiam in tironum manibus ſunt. Nemini ignotus Baudius, ſalibus & facetiis ubiqve diffluens. Vir fuit doctiſſimus, Poëta inprimis in Jambis feliciſſimus. 86
* Dictio ejus, ſi judicium Scaligeri in Excerptis Puteanæis audimus, ſapit phraſin Neroniani temporis. Eſt enim in illo qvidam flos ſermonis ad poëtiſmum aliqvantum accedens, & colorem aliqvem è Plauti argutiis trahens, qvi ipſi Scriptor familiaris fuit, qvem imitaretur, & ita imitatus eſt, ut non eſſet κακόζηλος. Epiſtolare enim argumentum inprimis inter familiares non reſpuit jocos & ſales. 87
* Vir fuit meliore fortuna dignus, ſi ipſe faber ejus eſſe potuiſſet. Habuit familiaria vitia, qvæ vehementer ipſi obſtiterunt ad altiora tendenti, Venerem & Bacchum; amoribus enim paulo plus, qvam licebat per honeſtatem & ordinem, deditus fuit: Qvod occaſionem dedit eleganti illi *Centoni Virgiliano*, qvem Dan. Heinſius in ipſum diſſimulatô nomine ſcripſit, qvi reperitur inter poëmata ejus p. 426. 88
* Acceſſit poſtea, vel in famam vel in infamiam Baudii, qvod Petrus Scriverius ederet librum cum titulo: *Dominici Baudii Amores*, in qvo ille congeſſit omnes, qvæ de hôc argumento habentur in Baudio, Epiſtolas; adjectis aliis ſimilis argumenti, non omiſſo etiam Centone illo Heinſiano, cui Dom. Baudii nomen ipſi præſcripſit, qvod diſſimulârat in poëmatibus ſuis Heinſius. Omnia in illo libro lepida, grata futura iis, qvos trahit illa voluptas; amatoribus ſcilicet, ſed eruditis. Nec mirum eſt, delectatum fuiſſe hôc labore P. Scriverium, qvi & ipſe totus ad has delicias compoſitus fuit, ſi fides habenda eſt illis, qvæ narrat Colomeſius in Opuſculis ſuis; illic enim mirabilis hiſtoria de illo habetur p. 101. qvam illic vide. 89

JACOBI BONGARSII & GEORGII MICH. LINGELSHEIMII *Epiſtolæ* editæ ſunt Argentor. an. 1660. in 12. Erat Bongarſius Vir ſuo tempore magni nominis, ſub Henrico IV. negotiis publicis ſæpe admotus, præcipuè in legationibus ad 90

Germaniæ

Germaniæ Principes. In iis tamen negotiis multa ſcripſit erudita, & qvidem juvenis notas doctiſſimas in Juſtinum; ſenex publicavit ingens volumen *Geſtorum Dei per Francos*. Poſt mortem ejus editæ fuerunt tum hæ Latinæ epiſtolæ, tum aliæ Gallicâ linguâ, qvæ nuper admodum Pariſiis lucem viderunt. Lingelsheimius itidem Vir in publicâ dignitate conſtitutus, & ad Helvetios Legatus, olim Bongarſio ab epiſtolis, literas Bongarſianas unà cum ſuis publicavit: fuit enim inter illos commercium literarum mutuum. Habentur in his multa, qvæ pertinent ad ſtatum Germaniæ ſuperiorum temporum, ad aulas Principum, tum temporis inteſtinis malis turbatiſſimas; habentur & de rebus literariis notitiæ non contemnendæ.

91 JACOBI VECTIANI Itali *Epiſtolæ* ad varios Viros doctos, Italos præcipuè, ſcriptæ. Scripſere & ad ipſum multi literas, in qvibus non pauca reperias rerum Romanarum & Italicarum, tàm in literis qvàm in ſtatu civili. Qvis ille fuerit, aut cujus conditionis, dicere non poſſum, cum liber ille, qvi ad manus meas pervenit, & titulo & præfatione careat: neqve locus impreſſionis conſtat. Rarum tamen Autorem eſſe oportet, cum nusqvam invenerim in Indicibus & Catalogis. Notandus itaqve, ſi fortè ad manus aliqvando veniat.

92 * Ac ſunt ſanè multi tales libri, qvi in Italiâ editi in lucem à membris Societatum & Collegiorum, qvæ illic plurima ſunt, ſed nunqvam ex Italiâ exportantur. Vidi ego interdum Autores & Commentatores cultiſſimos in veteres Autores, qvos ego nunqvam nanciſci potui, qvacunqve etiam diligentia qvæſitos. In hoc Autore noſtro multa obſervavi Italorum ſcripta paſſim laudata, de qvibus nec vola nec veſtigium apud nos apparet.

93 JOH. NICOLAI SAULII CARREGÆ *Libri* 3. *Epiſtolarum* editi ſunt Genuæ anno 1603. & inſcripti Joh. Vincentio Imperiali, de cujus Muſeo ſuprà mentionem fecimus *in Vitarum Scriptoribus*. Editi ſunt poſtea alii libri 3. ibid. an. 1619., qvos tamen non vidi. Tractantur hîc ſingularia nonnunqvam argumenta, in qvibus totæ verſantur Epiſtolæ: Magis enim ad eloqventiam ostentandam ſcripſit Autor ille, qvam negotiorum cauſa, ideoqve non adeò multa ex illo diſci poſſunt de rebus, qvæ ad Hiſtoriam literariam pertinent. Luculenta illa eſt *lib.* 2. *pag.* 129. qvâ reprehendit populares ſuos, qvi linguâ Hetruſcâ qvam Latinâ ſcribere malunt. Manutius aliqvas ad ipſum ſcripſit epiſtolas, in qvibus illum laudat à nitore ſtyli, ut laudari reveta debet.

94 BALTHAS. HENCKELII *Epiſtolæ carcerales* raræ ſunt, qvas ſemel tantum vidi. Prodierunt Holmiæ ann. 1640. in 8. Fuit Henckelius Suecicus Conſiliarius & negotiorum Geſtor per Germaniam, durante bello Germanico-Suecico. Inciderat is in manus Pontificiorum & Jeſuitarum, qvi illum carcere incluſum diu tenuerunt. Epiſtolæ ejus varia habent Suecorum conſilia, Jeſuitarum machinationes, & arcaniora qvædam iſtius belli, qvæ alibi expreſſa non facilè inveneris: ſtylus non contemnendus.

95 M. ZUERII BOXHORNII *Epiſtolæ* non carent venuſtate, qvanqvam pleræqve familiares & extemporales. Sarravii enim judicium, qvod ſuprà adduximus, paulo aſperius in illum eſt. Occurrunt multa in illis Philologica argumenta. Sunt vero

omnes poſthumæ. Poëmata, qvæ adjiciuntur, acumine & elegantiâ non deſtituuntur. Recudi illas curavit Thomaſius cum luculenta præfatione.

GUIDONIS PATINI, Medici Regii, *Epiſtolæ Gallicæ ſelectæ* Pariſ. 1685. in 12. 96
editæ ſunt. Non fuit temerè, qvi audaciora & liberiora de libris & Viris publicis, privatis, doctis, indoctis, judicia conſignaret. Non putârim illum editioni vivum deſtinaſſe has Epiſtolas: nam poſt mortem ejus editæ ſunt. Perpetua hîc in Chymicos & Pharmacopolas cavilla. De negotiis ſtatus & religionis, de rebus ſacris ſummâ παῤῥησίᾳ judicatur. Ne qvid de facetiis dicam, qvibus condiuntur Epiſtolæ. Infinita in illis obſervari poſſunt, qvorum maximus in Hiſtoriâ literariâ non ſolùm, ſed & medicâ & civili, uſus eſt.

Non debent hîc qvoqve omitti JACOBI HOWEL, Eqvitis Angli & Secreta- 97
rii Regii, *Epiſtolæ familiares,* Anglicâ linguâ ſcriptæ. Publicata earum qvarta editio eſt Londini in 8. 1673. hoc titulo: *Epiſtolæ Ho-Elianæ, familiar letters domeſtic and*
forren Hiſtorical, political, philoſophical. * Mixta hîc ſunt negotiis civilibus lite- 98
raria, magnaqve illa rariſſimarum rerum varietas mirificè legentem delectat. Agitur hîc de rebus Anglicis, Gallicis, Italicis, Germanicis, Hiſpanicis, Belgicis, Danicis, Suecicis, unde multa ad hiſtoriam eorum temporum obſervari poſſunt. Inſperguntur nonnunqvam Poëtici ſales & facetiæ. Phyſica & medica non omittuntur. De rebus literariis disqviritur. Hiſtoriæ rariores narrantur. Characteres & lineamenta Virorum illuſtrium & doctorum, tàm in Angliâ qvàm in aliis locis, ab illo proponuntur. Elucet deniqve ex ſtylo varia & elegans eruditio. Ut pauca recenſeamus: docta eſt illa de Linguis totius orbis diſſertatio, *Volum.* 2. *epiſtolis* 56. 57. 58. 59. 60. 61. propoſita. Qvam memorabilis eſt illa *Volum.* 3. *Sect.* 6. *ep.* 9. hiſtoria de columbæ in Johannis Oxenhami omniumqve ex ejus familia morientium agone apparitione, *Vol.* 4. *ep.* 30. recenſet Epitaphium Principis Britannici in America ante 600. annos ſepulti. *Vol.* 3. *ep.* 9. prolixè agit de habitatoribus orbium cœleſtium, *Ep.* 22. agit de vaticiniis Noſtradami & ſimilibus. Illud qvoqve notabile eſt, qvod *Vol.* 1. *ſect.* 5. *ep.* 5. obſervat inſignem ſimilitudinem vultuum Nobilitatis Holſaticæ & Anglicæ, unde colonias hinc in Angliam iviſſe auguratur. Infinita propemodum hîc occurrunt obſervatione digniſſima. Qvare operæ pretium faceret, qvi has Epiſtolas in Linguam vel Latinam vel Germanicam converteret.

AUGUSTI BUCHNERI *Epiſtolæ* tomis 2. prodierunt Dreſdæ ann. 1679. & 80. 99
in 8vo. Erat Vir ille ad omnem nitorem literarum factus, Orator optimus & Poëta certè inter Germanos ſuo tempore princeps. Benè meriti fuerunt de orbe literato, qvi has ejus Epiſtolas publicârunt, in qvibus multa ſunt de rebus literariis judicia. Emendatur nonnunqvam aliqvid in Autoribus: ſtylus elegans, qvanqvam conciſus. Formata tamen ipſi è Cicerone dictio eſt: qvantum verò ad τὸ περιοδικὸν attinet, ab illo diverſa. Qvantus ille Ciceronis æſtimator fuerit, videas ex Epiſtola illa luculentiſſima, qvæ eſt *partis* 2. 32. ad *Schneiderum,* Ducis Holſatiæ Conſiliarium, qvi ipſius conſilium rogaverat de Curtio, an ſcilicet illius ſtylus ad eloqventiam Romanam

ſufficere poſſet. Sed totus in aliam partem inclinat Buchnerus, qvi Curtii declamatoriam indolem multum abeſſe judicat à puritate nitoris Romani. Solum itaqve Ciceronem illic ad omne ſcribendi genus, epiſtolare, oratorium, hiſtoricum unicè commendat. Ne qvid dicam de variis rebus & judiciis, qvæ habet de Autoribus, tam veteribus qvam recentioribus. Inprimis elegans eſt illa ſcripti cujusdam Czarncoviani refutatio, qvæ habetur *part. 2. ep. 129.*

100 Inter Theologos JOH. CALVINUS *Epiſtolas* nitidiſſimas ſcripſit. Extant illæ ſeorſim editæ Lauſannæ ann. 1576. in qvibus continentur multa ad ſtatum religionis illorum temporum pertinentia. Stylus in illo non contemnendus: id enim operam dabat Calvinus, ut caſtigatè ſcriberet. Sunt verò tales Epiſtolæ magnifaciendæ; & jam ſupra monuimus, Hottingerum inſtar theſauri habuiſſe Epiſtolas Theologorum,
101 qvarum ille magnum volumen congeſſerat. * Habemus ita qvoqve Epiſtolas
102 Theologorum, inprimis Remonſtrantium, qvæ in Belgio editæ ſunt. (*iii*) * MARTINI RUARI Dithmarſi (*kkk*) *Epiſtolæ*, Viri qvidem doctiſſimi ſed Sociniani, in Bataviâ editæ ſunt in 8vo; in qvibus multa habentur, qvæ ad hiſtoriam Socinianiſmi pertinent. Multæ illic ſunt ad Grotium Epiſtolæ, qvæ ipſum Sociniaſmi ſuſpectum faciunt: multæ etiam ad alios Theologos, qvas illi fortè abeſſe inde velint. Erat verò ille Vir doctus, Græcæ Latinæqve linguæ ſcientiſſimus, ac præterea omnium illarum controverſiarum, qvæ Socinianis intercedunt cum Orthodoxis, præ aliis gnarus, diſputator acutus, cui accedebat notitia antiqvitatum ſacrarum. Primus certe fuiſſe creditur, qvi Grotium in partes Socinianorum traxerit, ut vel inde ingenium hujus Viri conjicere poſſimus, cui tantus Vir potuerit ſuccumbere. Miſerè tamen vixit, &
103 paternâ in Holſatiâ hæreditate excidit, ob religionem legibus Imperii vetitam. * Similis mihi commatis videntur neſcio cujus CHRISTIANI LIBERII *Epiſtolæ*, qvas nuper editas deprehendi: nam, qvantum ex ſuperficiariâ lectione patet, itidem Socinianus videtur. Nomen, ut qvilibet videt, fictum eſt; ſed tamen acumen ingenii cum Ruaro non comparandum. Qvod ſi idem ille eſt, qvi nuper de ſcribendis, legendis & æſtimandis libris exercitationem Paræneticam ſcripſit, ſatis arguit ipſe liber, minoris ingenii eſſe. Inſeruit qvædam in illo libello de plagio literario & Thraſoniſmo Theologorum, aliisque hodiernæ μισοβιβλίας cauſis.

104 LE SECRETAIRE CRITIQVE DU SIEUR, B. P. *dit du Jonqvier*, in ſcenam [illegible] etiam

(*iii*) Epiſtolæ Remonſtrantium (Jac. Arminii, Joh. Utenbogardi, Conr. Vorſtii, Hug. Grotii, Gerh. Joh. Voſſii, Sim. Epiſcopii, Caſp. Barlæi, & aliorum) Eccleſiaſticæ ac Theologicæ bis ſunt editæ, primum qvidem a Phil. Limburgio & Chriſt. Hartſoekero, Theologis Arminianis, Amſtelod. A. 1660. in 4to (qvæ Editio prior, in Idioma etiam Belgicum transfuſa, ibidem A. 1662. in 8vo prodiit), deinde autem, longe emendatiores, & plusqvam 300. Epiſtolis auctiores, a ſolo Limburgio, Amſtelod. A. 1684. in fol. Hæc poſterior Editio, 645. in univerſum complectens Epiſtolas, merito ſuo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ atqve Literariæ Studioſis, non minus qvam ipſis Theologis, ob multiplicem uſum, eſt commendatiſſima.

(*kkk*) Mart. Ruarus non Dithmarſus fuit, ſed Crempa, Stormariæ Oppido, Holſatus.

etiam Epiſtoliographorum, ut mimus, prodeat. Autor ille has Epiſtolas Criticas ſcripſit, ut inſultaret vitiis eruditorum. Multa hîc habentur arguta & ſatyrica de literatis, de libris, & de perversâ ſtudendi methodo, qvæ legiſſe delectat & prodeſt. Habent ſcilicet omnes penè eruditi & omnes penè artes aliqvid, in qvo deliciari amant. Eſt amabilis qvædam in multis etiam artibus inſania ac intemperantia, Cenſoribus eruditis nunqvam non notata, majori cum fructu ſtudiis utilioribus impendenda, qvam ille ſale Satyrico defricat. Præcipuè Medicos & Chimicos exagitat. Prodiit ille libellus Amſterod. 1680. in 12.

Vaſtiſſimus Epiſtoliographorum numerus eſt, qvos recenſere omnes non poſſu- 105
mus. * CÆLII CALCAGNINI *Epiſtolæ* doctiſſimæ & optimè ſcriptæ. PAU- 106
LUS SACRATUS, Canonicus Ferrarienſis, ſcripſit *libros 6. Epiſtolarum*, Ferrariæ impreſſos, de qvibus Joachimi Camerarii extat judicium, qvod is ſuâ manu ad exemplum ſuum adſcripſit: *Conſanguineus fuit, ſororis filius Sadoleti, hic Autor, à quo ad hoc elaboratum ſcribendi genus fuit adſuefactus: cujus exemplum utinam noſtri quoque homines ſequerentur.* * JUSTUS RYCQVIUS *Epiſtolarum* duas Centurias ſcripſit, 107
qvibus continentur multa Philologici argumenti. De Epiſtoliographis ævi ſeqvioris agit Barthius *Adverſar. lib. 9. cap. 19.* Idem de Salesburienſis Epiſtolis, *Adverſar. lib. 13. cap. 12.* * DOMINICI CÆSONII *Epiſtolarum ſelectarum* centuriæ 5. Bo- 108
non. Ann. 1613. editæ non planè contemnendæ. Sed neſcio qvâ affectatione laborant, ac leviculas verborum alluſiones qværunt, cujus exemplum *ep. 19. Cent. 3.* * OCTA- 109
VIUS FERRARIUS, humaniorum literarum Profeſſor in Academiâ Patavinâ, *Epiſtolas* qvasdam ſcripſit, Proluſionibus ejus additas, qvi compoſitioni non adeò ſtudere videtur. * In CABELLIAVII Literis reperias qvoqve nonnunqvam, qvæ tollere velis. 110
* P. RAMI *Epiſtolæ* nonnulla illorum temporum hiſtorica tangunt, & in CHRISTIA- 111
NI BECMANNI *Epiſtolis* notatu digna occurrunt. JACOBI OMPHALII paucæ ſunt ad familiares *Epiſtolæ*, qvas ſubjecit libro ſuo de elocutionis imitatione & apparatu.
* PERPINIANI optimi Oratoris *Epiſtolæ* collectæ ſunt, ac nuper cum Vavaſſoris Poë- 112
matibus editæ, qvibus multa de locis Rhetoricæ communibus, deqve erudiendâ in Græcis Latinisqve literis juventute habentur. * LANGUETI, (*lll*) cujus elo- 113
gium ampliſſimum habet Thuanus, *Epiſtolæ* multa habent rerum civilium ſui temporis. * In VINCENTII FABRICII *Epiſtolis* nativa qvædam elegantia eſt, qvam 114
ejus qvoqve elaboratiſſima Carmina oſtendunt. * NICOLAI HEINSII multæ 115
procul dubio erunt *Epiſtolæ* ineditæ, ſed paucæ ejus in Theatro Cometico Lubienitzii exhibentur. * TOB. TURNERI *Epiſtolæ* aliqvem antiqvæ dictionis genium ha- 116
bent. FR. ROBORTELLI *Epiſtolæ* de rebus philologicis nonnulla habent. SI-

(*lll*) Huberti Langueti, Conſiliarii & Legati Saxonici, Volumen ingens Epiſtolarum, de rebus ævi ſui, ſive Seculi XVIti declinantis, Hiſtorico-Politicarum, ad Auguſtum, Saxoniæ Electorem, ejusqve Miniſtros interioris admiſſionis, Secretiorum, ſub titulo *Hiſtoriæ Arcanæ Seculi XVI*, Halæ Saxonum A. 1699. *in 4to*, a Joh. Petro Ludovico, Profeſſore Halenſi, ex Archivo, ni fallor, Electorali, eſt publicatum.

BERI *Epiſtolæ* elegantes & non pauca ad rem literariam pertinentia notant. Inprimis
117 illa obſervanda, qvæ in Henrici Decimatoris Sylva reprehendit. * Veniunt & in
hunc cenſum feminæ eruditæ: OLYMPIÆ FULVIÆ MORATÆ, cujus præclarum
eſt apud Thuanum encomium, *Cælii Curionis* Epiſtolis miſtæ, non ſunt omnino elo-
118 qventiæ Latinæ gloriâ privandæ. * Habemus & ELISABETÆ JOHANNÆ
WESTONIÆ *Epiſtolas*. LAURÆ BRIXIANÆ *Epiſtolas* edidit Patavii Jac. Phil.
119 Thomaſinus. * Superſunt & ALOISIÆ SIGÆÆ *Epiſtolæ MStæ*, Nicolao Anto-
nio teſte. Hiſpanorum Autorum, qvi vulgò ignoti ſunt, varias *Epiſtolas* peculiari in-
dice notavit Nicolaus Antonius *p. 600. Biblioth. Hiſpanæ*. Epiſtolarum, qvibus Itine-
ra Indica & Æthiopica deſcribuntur, Autores Hiſpanicos idem *pag. 631.* eodem loco
120 recenſet. * Etiam Principum *Epiſtolæ* de rebus eruditis laudari hîc merentur, qva-
les Luneburg. Principum dedit *Joh. Val. Andreas in Selenianis Auguſtalibus*.
121 Non deſunt miſcellarum EPISTOLARUM COLLECTANEA à variis inſti-
tuta, ac optandum eſſet, ut plures haberemus, qvi hanc operam orbi literato navarent.
Extant *Epiſtolæ Principum, Rerumpublicarum & ſapientum Virorum*, ſimul editæ Ve-
netiis apud Jordanum Zilettum an. 1575. Extat & aliud qvoddam Volumen, qvod
JOH. MICHAEL BRUTUS collegit, qvo habentur potiſſimum Philologica: ſunt & editæ
Epiſtolæ clarorum Virorum Lugduni in 8vo typis Elzevirianis, ann. 1617. Iisdem El-
zeviriis curantibus prodierunt *Principum & illuſtrium Virorum Epiſtolæ*, Amſtelo-
dam. ann. 1644. qvo continentur Epiſtolæ, qvæ inveniuntur in Hiſtoricis Græcis &
Latinis. Ante illos qvoqve MELCHIOR JUNIUS ſingulare Volumen talium Epiſtola-
122 rum collegerat. * Editæ ſunt *Epiſtolæ Indicæ & Japponicæ* à Patribus Soc. Jeſu,
Lovanii ann. 1570. qvibus continentur variæ relationes de rebus naturalibus, commer-
ciis Indicis, negotio Religionis per Jeſuitas promoto, & plurima alia memorabilia; è
qvibus multa excerpſerunt, qvi poſtea Itineraria illa Chinenſia & Japponica conſcri-
123 pſerunt. * *Itinerarium* certè *Chinenſe Nienhoffii*, qvod Latinâ Belgicâ & Germa-
nicâ linguâ prodiit, penè omnia capit ex his Epiſtolis, Trigautii expeditione Sinenſi,
124 aliisqve ejus argumenti Scriptoribus, addito tantùm ſuo Itinerario. * Sunt &
variæ literæ Italicâ linguâ ad Viros illuſtres ſcriptæ. Epiſtolæ illæ collectæ ſunt ab
ALDO MANUTIO tribus tomis in 8vo. Habentur in illo variæ *Pauli Manutii* & *ad
Manutium* ſcriptæ Epiſtolæ, & longè plures *illuſtrium Italorum*, qvi tum temporis
præcipuum inter Italos nomen habuerunt. Nolo illorum Catalogum hîc texere.
Sunt verò illæ rebus illorum temporum literariis refertæ, qvarum notitia homini eru-
dito prodeſſe multis modis poteſt. Eſt & civilium rerum interdum aliqva illic no-
titia. Stylus Italicus pro ratione illorum temporum cultus. Nimirum ſunt tales
Autores magnô in pretiô habendi: Qvædam in illis nonnunqvam deprehendas, qvæ
fruſtra alibi qvæſiveris. Commendat talia ipſa raritas. Prodiit ille liber apud Al-
125 dum Venetiis, ann. 1554. in 8. * Editæ ſunt & Italicâ linguâ literæ ex optimis
Scriptoribus collectæ à BARTHOLOMÆO ZUCCHI Academico Inſenſato Perufino, Ve-
netiis 1606. in 4to ſub titulo: *L' Idea del Segretario*. Verùm hæ in Eloqventiæ tan-
tum

tum uſum collectæ ſunt ſub titulis variorum generum Epiſtolarum, commendatoriarum, gratulatoriarum, petitoriarum &c. * Congeſtæ etiam editæqve Puteolis ſunt 126
in 12. ann. 1685. *Literæ Hiſtoricæ, Politicæ* & eruditæ variorum Autorum ab ANTONIO BULEFONE, Bibliopola Puteolano, de qvibus agitur in *Actis Lipſienſibus* ann. 1686. Menſ. Decemb. p. 610. Promiſit & Lambecius Comm. de Biblioth. Vindob. lib. 1. ſub finem, *Syntagma Epiſtolarum clarorum Virorum.*

Solent & in exoticis linguis elegantes ſcribi literæ, qvarum & ad eloqventiam 127
uſus eſt: In qvibus merito recenſeri debent acutiſſimi autoris ALOYSII GROTI *Epiſtolæ*, qvi vocatur *Cieco d' Adria*, Venet. 1601. in 4to editæ. Notiſſimus ille apud Italos eſt, qvi qvanqvam oculorum uſu privatus, in utrâqve oratione elegantiſſimè ſcripſit: Qvod præter ejus Epiſtolas *Orationes* qvoqve & *Carmina* teſtantur. * In 128
Anglicis JOHANNES DONNE, Decanus Eccleſiæ Paulinæ, Poëmatibus Anglicis & Sermonibus ſacris celebris, *Epiſtolas* Anglicâ linguâ ſcripſit, Londini editas 1651. in 4to, qvæ elegantiſſimæ & argutiſſimæ ſunt. Sed illi Scriptores huc propriè non pertinent.

Qvi certa argumenta Epiſtolis accommodarunt, longè ſunt plurimi, ac jam ſuprà eorum Scriptorum aliqvos ſparſim recenſuimus. * *Medicas Epiſtolas* ſcri- 129
pſerunt J. CÆSAR BENEDICTUS, LANGIUS, HORSTIUS, ROSSÆUS, MATTHIOLUS aliiqve. * De Epiſtolis Eccleſiaſticis antiqvorum egit FRANCISCUS BERNARDINUS 130
FERRARIUS libro *de Antiquo Eccleſiaſticarum Epiſtolarum Genere*, qvi liber Helmſtadii à Mejero recuſus, Ann. 1678. * P. OLIVÆ, Generalis in Soc. Jeſu ordine, 131
extant Epiſtolarum tomi aliqvot, *de negotiis Soc. Jeſu*, qvorum prior Romæ in 4to, Bononiæ in 8. 1668. prodiit, poſterior Venetiis 1683. in 4to. Integra eſt Epiſtolarum chilias, ac maximoperè commendatur in Actis Lipſienſibus Anno 83. Menſ. April. & Auguſt. * MONCONISIUS & DELLA VALLE *Epiſtolis Itineraria* ſcripſerunt. Ha- 132
bemus & BUSBEQVII *Epiſtolas*. Peregrinatorum eruditorum Epiſtolæ magnam utilitatem in re literariâ præſtant; Nam συλλήβδην repræſentant ea, qvæ ſerò, vel nunqvam in hominum notitiam veniunt. * Laudanda in his eſt SORBIERI diligen- 133
tia, qvi in *Relatione itineris Anglici*, Gallica linguâ ſcripta, multa de eruditis Angliæ, libris, inventis, memorabilia notavit, ſed liberiore cenſura in Anglorum invidiam incurrit: Adverſus illum enim ſingularem librum THOMAS SPRAAT ſcripſit linguâ Anglicâ ſub Epiſtolæ formâ ad Dn. Wren. Titulus eſt: *Obſervations upen Sorbiers voyage.*
* ANTONIUS PEREZIUS *Hiſpanicas Epiſtolas* ſcripſit, omnes Politici argumenti. 134
* In Gallicâ linguâ PASQVIERII *Epiſtolæ* ſcriptæ, qvibus tumultus Pariſienſes deſcri- 135
buntur. Sunt & alii Autores, qvos vide apud Sorellum. * VIGLII ZVVICHEMI 136
ab AYTTA *Epiſtolæ Politicæ & Hiſtoricæ* ad Joachimum Hopperum ſcriptæ, & Leovardiæ an. 1661. editæ, multa rerum Friſicarum habent. * Sunt & PETRI *de* VINEIS 137
libb. 6. Epiſtolarum Hiſtorico-Politicarum Ambergæ 1609. editi.

CAP. XXV.

DE EPISTOLIS INEDITIS ERUDITORUM.

§. 1. INeditarum Epiſtolarum præ ceteris ratio habenda eſt: 2. præcipuè familiarium. 3. Tria Epiſtolarum genera, officioſæ, negotioſæ & familiares. 4. Syntagmata talium literarum conficienda. 5. Joh. Piſtorii, 6. & Pauli Cypræi Epiſtolæ MStæ. 7. Epiſtolæ à Zacharia Lundio, & ad ipſum, 8. & Virorum celebrium ad Meurſium ſcriptæ. 9. Quorum Virorum nomina recenſentur. 10. Friderici Lindenbrogii Epiſtolæ MStæ. 11. Fellerus & Daumius editionem Epiſtolarum nonnullarum promiſerunt. 12. Harduici Smidenſtädtii Epiſtolæ. 13. Ejusdem Loci Comm. Oratorii, 14. & Tractatus de imitatione Ciceronianâ. 15. Magnus Epiſtolarum ineditarum theſaurus in Bibliotheca Gudianâ. 16. Epiſtolæ Germanorum & Belgarum apud illum ἀυτόγραφοι ſuperſtites recenſentur. 17. Lepida hiſtoriola de Latino Hegingenſi ex Epiſtola Melanchthoniana. 18. Syſtema integrum novum Melanchthonianarum Epiſtolarum ad bis mille confici poteſt. 19. 20. Gallorum Epiſtolia ἀυτόγραφα recenſentnr. 20. Comitis Avauxii ſingularis erga Gronovium liberalitas & humanitas. 21. Ex Italorum autographis Epiſtolis recenſentur complurium Epiſtolæ Alciati, 22. Cæſaris Trivulcii. 22. 23. Locus Plinii ex eâ illuſtratus. 24. Auguſti Valdi Epiſtolæ. 25. Ejus in Plinium notæ militari furore perierunt. 26. Nizolii ad Majoragium Epiſtola reprehenſoria. 27. Majoragii in Nizolium libri Reprehenſionum. 28. Sebaſt. Corradi, 29. Calcagnini, 30. Macigni, Majoragii Epiſtolæ. 31. Ejus duæ Orationes, olim è Bibliotheca Gudiana editæ, quæ in Orationum volumine non inveniuntur. 32. Commentarius ejusdem in Virgilii Georgica MStus. 33. Pyrrhi Ligorii, 34. Bernardi Baldi, 35. Thomæ Phædri, 36. Cardani, Palearii, Cælii Rhodigini, 37. Jani Parrhaſii, 38. Franciſci Ciceræi &c. Epiſtolæ. 39. Pauli Manutii elegans Epiſtola, 40. cujus ſcribendæ occaſio refertur, 41. & quia inter ceteras ejus non comparet, hic adjicitur.

1 EGimus hactenus de Epiſtoliographis, ac præcipuos eorum enumeravimus, qvi
in lucem miſerunt Epiſtolas ſuas. Sed INEDITARUM EPISTOLARUM, qvæ hinc
2 illinc in Bibliothecis latitant, major nobis cura eſſe debet. * Qvoniam enim
illæ divulgatæ typis non ſunt, multa hîc abſcondi ad Hiſtoriam literariam per-
3 tinentia credibile eſt, præcipuè ſi maximè familiares literæ ſint. * Sunt enim
Epiſtolæ varii generis: Qvædam officioſæ tantum, & in ſolâ civilitate ſubſiſtunt; earum non eſt, niſi in eloqventiâ uſus. Neqve illæ ad nos hoc loco pertinent, etſi illarum Scriptores hic miſcuerimus, ne poſtea alio loco multa repetenda eſſent. Sunt, qvæ de negotiis domeſticis & vulgaribus agunt; qvarum exiguus hîc nobis uſus eſt. Civilia negotia, relationes hiſtoricæ ad civiles uſus pertinent. Maximè verò hîc prodeſſe poſſunt literæ ſecretæ & familiares, qvas vel vivi Autores edi inter ceteras noluerunt, vel qvæ in ſcriniis Virorum doctorum deliteſcentes, non eâ fine ſcriptæ ſunt, ut publicarentur. In his enim plurima latent rei literariæ arcana.

* Illas

* Illas præcipuè indagare debemus in Virorum illuſtrium Bibliothecis; atqve inde 4
conficere Syntagmata: Qvod ſi ab omnibus pari induſtriâ inſtitueretur, bono id publi-
co foret. Saltem in publicis Bibliothecis ad tempus cuſtodiri tales chartæ deberent, ne
intercideren: Nam creſcit illis cum tempore pretium, & ab antiqvitate major erit
æſtimatio; ac impunè tum in lucem mitti poterunt, poſtqvam invidiæ locus ampliùs
non eſt.

Multa qvoqve diſcere è talibus Epiſtolis interdum poſſumus ad Hiſtoriam pa-
triæ pertinentia, qvorum nulla in publicis monumentis ſupereſt memoria. * Com- 5
municavit mecum Vir Clariſſimus & amiciſſimus PETRUS AXENIUS *Epiſtolas Lati-
nas* ſuperiore ſeculo in Holſatia ad JOHANNEM PISTORIUM, Præpoſitum Eyderſtäten-
ſem, & ab eodem ſcriptas, qvibus non pauca habentur hiſtorica de ſtatu provinciæ
Civili & Eccleſiaſtico. * Venerunt ad manus BALTHASARIS HELDI, amici no- 6
ſtri optimi, & diligentiſſimi veterum monumentorum indagatoris, PAULI CYPRÆI
Epiſtolæ MStæ, qvibus multa de patriæ rebus memorantur. * Ejus qvoqve indi- 7
cio mihi innotuit, ſupereſſe apud Secretarium & Archivarium Regium DN. MOTHIUM
Epiſtolas multas à ZACHARIA LUNDIO, Viro docto & inſigni Poëta, & ad eundem ſcri-
ptas: * Item magnum volumen Epiſtolarum, à viris Celeberrimis ad JOH. MEUR- 8
SIUM Seniorem ſcriptarum, qvod ex Bibliothecâ Seelfeldianâ ab eodem Lundiô de-
ſcriptum; Nec ille, ut audio, Orbi erudito invidebit, ſi erunt, qvi typis promulgare ve-
lint. * Nomina eorum, qvi has literas ſcripſerunt, mecum communicavit *Jo-* 9
hannes Möllerus, Flensburgenſis, qvi totum volumen 730. Epiſtolas continere teſtatur,
& omnigenæ eruditionis Theſaurum, ac rei literariæ qvoddam Archivum in literis ad
me datis vocat. Continentur verò hîc Epiſtolæ *Adolphi Vorſtii, Alph. Miniati, Andr.
Riveti, Andr. Schotti, Ant. Fayi, Balth. Bonifacii, Balthaſ. Lydii, Ben. Aub. Maurerii,
Bonav. Vulcanii, Car. Paſchalii, Caſp. Barthii, Caſp. Bartholini, Caſp. Er. Brochmanni,
Caſp. Hofmanni, Gevartii, Chriſt. Friſii, Ravii, Thomæi, Chriſtoph. Coleri, Bulæi, Chr. Sig.
Donaueri, Corn. Pynaskeri, Corn. van der Myle, Conr. Rittersh. Cyr. Herdeſiani, Dan.
Heinſii, Dav. Hœſchelii, Dion. Gothofredi, Domin. Molini, Erycii Puteani, Everh. Vorſtii,
Euſtath. Swartii, Franc. Duoſæ, Frid. Lindenbrogii, Taubmanni, Georgii Epiſcopi Can-
tuar. Georg. Lud. Frobenii, Georg. Mich. Lingelshemii, Georg. Remi, Georg. Queccii,
Gerh. Joh. Voſſii, Geverh. Elmenhorſtii, Guilh. Coddæi, Hadr. van der Burchii, Herib.
Rosweydii, Henr. Ernſtii, Henr. Spelmanni, Hug. Grotii, Jac. Aug. Thuani, Jac. Bon-
garſii, Gilloti, Gruteri, Lectii, Monavii, Jani Gruteri, Rutgerſii, Joh. Bapt. Lauri, Joh.
Bedecheri, Joh. Brantii, Joh. Cabeliavii, Joh. Cluveri, Joh. Druſii, J. F. Gronovii, Joh.
Georg. Herwarti, Joh. Heurnii, Joh. Loccenii, Joh. Kirchmanni, Joh. Lydii, Joh. Phil.
Parei, Joh. Polyandri, Joh. Ravii, Joh. Wowerii Hamb. Joh. Wowerii Antw. Joh. Uten-
bogardi, Joſ. Scaligeri, Iſaaci Caſauboni, Juſti Lipſii, Lamb. van der Burchii, Lamp.
Alardi, Lucæ Holſtenii, Ludov. Contareni, Marci Velſeri, Marquardi Freheri, Mart.
Lydii, Maxim. Urientii, Melch. Goldaſti, Metroph. Critopuli, Mich. Piccarti, Nic. Fabr.
Peireſcii, Nic. Rigalti, Ol. Wormii, Olig. Roſækranzii, Otton. Heurnii, Pauli Merulæ,*

Pauli

Pauli Petavii, P. Sarpii, Patritii Junii, Pet. Bertii, Pet. Caſtellani, Pet. Cunæi, Pet. Denaiſii, P. Gruteri, Pet. Pantini, Pet. Scriverii, Phil. Jac. Mauſſaci, Reg. Brederodii, Sixt. Arceri, Steph. Joh. Stephanii, Theod. Canteri, Theod. Douſæ, Ubb. Emmii, Vinc. Marmerii.

10 * FRIDERICI LINDENBROGII, cujus jam ſuperiori capite mentio facta eſt, *Epiſtolæ MStæ* ad aliqvot Centurias in Viri Illuſtris & Excellentiſſimi Domini REINOLDI BLUMII, in aulâ Electorali Palatinâ qvondam Præſidis & Cancellarii, Bibliotheca latitant, ut à Filio ejus *Arnoldo Blumio*, Illuſtriſſ. Comitis, Domini CHRISTIANI DETHLEFI RANTZOVII Ephoro digniſſimo, Amico & Convictore meo honoratiſſimo, narratum eſt: qvibus ego publicam lucem optarem, ſi exorari poſſet Vir Excellentiſſimus, ut illas prælo ſubjiceret. Nam ex ceteris Lindenbrogianis, qvæ in Bibliotheca Hamburgenſi latitant, patet, multa in illis haberi notitiâ Orbis literati non indigna. Jam qvædam ſuperiori capite ex illis adduxi de plagiis Wouvverianis: Ac communicavit nuper mecum (ut ὡς παρόδῳ memorem) de eodem argumento nonnulla *Joh. Möllerus*, qvi ex epiſtolâ ejus ad *Pet. Puteanum* die 23. Jul. an. 1618. ſcriptâ, hæc de *Wouwerio* excerpſit: *Amo te ob communicatas Wouwerii literas: Quamvis tanti non erat, tabellarium iis portandis oneraſſe, quarum lectione nemo quisquam vel doctior vel melior redditur: ſed nec aliud ferè quicquam ex iis diſcitur, præter hominis vaniſſimi futile ingenium & mores, ad ambitionem ac arrogantiæ typhum factos. Nam de eruditione nunc dicere ſuperſedeo, quæ ſanè parum ſupra vulgum erat, adeo ut, ni illam alienis coloribus, velut Æſopi cornicula plumis, ornaſſet, ſæpe nuda deſtituta fuiſſet; Velut in Italiâ contigit, cum Carmen ab illo in laudes horti cujusdam Nobilis Florentini exigeretur: Miratique ſunt docti, quâ ratione factum eſſet, ut qui paulò ante ob verſionem Pſalmi Davidici cujusdam, valde eleganter atque concinne numeris comprehenſi, ſummum Pontificem in admirationem rapuerat, ejus nunc vena adeò exaruiſſet, ut ne Hexaſtichon quidem ſatis dignum, horti parietibus quod adſcriberetur, extrudere potuerit. Sed ignorabant boni illi viri hujus hunc noſtrum autorem eſſe, illius verò Carminis Baudium. Hanc ille artem norat, aliena exſcribere & interpolare, ſchema illis novum induere, & ſic pro ſuis venditare. Idcirco non magis credas, librum, quem expetis de Cognitione Veterum Novi Orbis illius fuiſſe, quàm certo tibi perſuadere potes, quos de Bibliorum Interpretibus compoſuit, Caſauboni & Gelaſini eſſe. Nihil enim in Hebraicis intelligebat, imo ne autores quidem legerat, quos laudat. Geographiæ autem planè ignarus erat. Itaque aut vanidica jactantiâ fumum amicis vendidit, aut ſi quid hujus argumenti penes ſeſe habuit, id absque dubio in Italiâ nactus fuit, ubi totos menſes Jac. Mazzonii aliorumque virorum doctorum variis Obſervationibus deſcribendis impendit, uti Aurelius Blondus Florentiæ mihi narravit. Non minus vera de aliis ejus Syntagmatibus referre poſſem, quæ tibi quoque & fratribus tuis in partem notiſſima ſunt, ad quos ſcis, quid de colligendis transmittendisque Marcilii viri doctiſſimi commentariis ſcribere ſolebat.*

11 * Narravit, neſcio qvis, etiam Cl. FELLERUM ad editionem paratas habere multorum *Virorum celebrium Epiſtolas.* Scribit & ad me Amicus, CHISTIANUM DAUMIUM, Virum doctiſſimum, *Epiſtolarum* à Camerario,

merario, Barthio, Reineſio, Caſaubono, Heinſio ſcriptarum, unam propediem *Centuriam* editurum.

Invenimus paſſim in Vitarum Scriptoribus notatas Virorum doctorum Epiſtolas ineditas, qvæ cum blattis & tineis pugnant, qvas nemo reſpicit, aut in lucem educere laborat. Ita in Elogio HARTVICI SMIDENSTÆDTI, Oratoris & Poëtæ in Academiâ Helmſtadienſi, apud Boiſſardum *in Iconibus Virorum Illuſtrium, part. 3. p. 88.* memoratur, qvod prematur in Bibliothecâ ejus relictâ præſtans *volumen Epiſtolarum illuſtrium & Scholaſticarum.* Fuiſſe Virum illum doctiſſimum, ex elogio Henrici Meibomii patet, aliisqve ejus ſcriptis ineditis. * Nam & eodem loco refertur, premi in ejus Bibliothecâ *Opus abſolutiſſimum, in quo totam Cyclopædiam ita in Locos Communes digeſſerit, omniumque ſcientiarum rerumque capita & tractationem ita diſpoſuerit, ut futuro Oratori, ſive cuiquam etiam ex tempore dicturo, veluti locupletiſſima Eloquentiæ Bibliotheca, quovis loco & tempore in promptu, atque in infinitum expedita eſſe queat.* Malè profectò agunt, qvi publico uſui talia ſcripta invident. Nam in eloqventiæ apparatu vehementer laboramus; neqve hactenus fuit, qvi Locos Communes idoneos in lucem dederit. Qvod ſi hujus operis ſupereſt hodie memoria, id agere deberent Viri eruditi, ut ab interitu hoc ſcriptum vindicaretur, & in publicum uſum protraheretur. * Ejus qvoqve *de Imitatione Ciceronianâ* Tractatus editus, qvi exqviſitiſſimus ibidem vocatur, nunqvam mihi viſus eſt. Inter Opera Autorum, à Melchiore Adami, Laur. Craſſo, Ghilino aliisqve notata, multæ reperiuntur ineditæ epiſtolæ, qvarum omnium recenſere Catalogum nunc non poſſumus.

12 13 14

Non poſſum, qvin hîc qvaſi in publico theatro Orbi literato magnum illum *Epiſtolarum Theſaurum*, qvem in incomparabili ſuâ Bibliothecâ ſervat Illuſtris MARQVARDUS GUDIUS proponam. *(mmm)* Integra ille volumina facilè complebit Epiſtolarum, ab omnium Gentium Viris doctis ſcriptarum, qvorum αὐτόγραφα ſingulari felicitate in ejus manus inciderunt. Dixi præcedente capite, integras illum habere Centurias, Wouvverianarum, Caſelianarum, Sarravianarum, Eraſmianarum, Caſaubonianarum, Lipſianarum. Ex his Lipſianis conficere poteſt, ad Germanos Centuriam unam, aliam ad Gallos, tres ad Batavos. * Habet è Germanis & Belgis αὐτόγραφα Epiſtolarum, *Barthii, Baudii, Calixti, Cabeliavii, Chriſtophori Cöleri, Dilherri, Elmenhorſtii, Gebhardi, Gruteri, Gronovii, Höſchelii, Heinſii, Hofmanni, Laurenbergii, Meurſii, Piccarti, Remi, Rhodomanni, Rittershuſii, Ruari, Rutgerſii, Sizmanni, Taubmanni, Velſeri, Calviſii, Foppii & Leonis ab Aizema, Starckii, Bauhini, Beati Rhenani, Böcleri,*

15 16

Rr

(mmm) Multæ jam ex Epiſtolis Eruditorum, qvas Vir Illuſtris, Marqv. Gudius, aſſervabat ἀνεκδότοις lucem aſpexerunt publicam, in Appendice ſatis vaſta, pauculis ipſius Gudii, Amicorumqve ad illum, Epiſtolis, Ultrajecti A. 1697. *in 4to* excuſis, à Pet. Burmanno, Editore, auſpiciis Gravianis, adjecta. Plures tamen, ni fallor, edendæ ſuperſunt.

Böcleri, Tychonis Brahei, Joachimi Camerarii, ſenioris & junioris, Theodori Canteri, Julii Pflugii, Cluverii, Ubbonis Emmii, *Flemmingii, Caſparis Gevartii, Huberti Giphanii, Melchioris Goldaſti, Hug. Grotii, Lucæ Holſtenii, Joannis Secundi, Athanaſii Kircheri, Joh. Kirchmanni* (qvarum magna copia eſt), *Johann. Kirſtenii, Friderici Lindenbrogii, Lingelsheimii, Lutheri, Mallincrotii,* (cujus extat epiſtola prolixa, qvâ inter Eraſmi & Jeſuitarum merita comparationem inſtituit) *Meurſii, Joachimi Morſii, Ludovici Nonnii, Johannis Oporini, Johann. Rhodii, Joannis Rivii, Heriberti Rosvveidi, Iſaaci Voſſii,*
17 *Jungermanni.* * Eſt in illis lepida ad *Joachimum Rungium* Calend. Febr. A. 1560. manu *Melanchthonis* ſcripta epiſtola, qvâ bella de *Latino Hegingenſi* narratur fabula: Cum Gallicus Legatus coram Maximiliano in Conventu Conſtantienſi luculentam haberet Orationem, Maximiliani filius Philippus ad Fridericum Saxoniæ Ducem dixit: *Friderice, hic Vir eſt eloquens.* Tum Comes Hohenzollerenſis horrendo ſono inqvit: *Domine Legate, vos debetis iterum venire poſt carnis privium.* Diſplicuit ſonus & Stentorea vox Philippo, qvi ad Fridericum inqvit: *Quale eſt hoc Latinum?* facetè tum à ſe derivat Fridericus reſponſionem in Gregorium Lamparterum, Cancellarium Wurtenbergicum; Is interrogatus ait, *Vos Principes ſcitote, hoc Latinum eſſe Hegingenſe.* Ubi, inqvit Philippus, hoc diſcitur? Oppidum eſt, reſpondet Cancellarius, hujus Comitis *Hegingen*, ubi lineæ telæ horridiſſimæ texuntur; ibi & hoc Comitis Latinum textum eſt. Abiit ex illo tempore hoc in proverbium, & *Hegingenſe Latinum* pro barbaro & ſolœco ſermone Latino uſurpatum eſt, ac ſæpe in aliis Epiſtolis
18 hoc joco utitur Philippus. * Melanchthonianarum Epiſtolarum, tam editarum qvam ineditarum, bis mille ad Collectionem Londinenſem ex hoc illuſtri promptuario adjici poſſunt. Obſervavi etiam inter illos *Salvii*, Legati Suecici celeberrimi, literas ad Medicum Judæum de Caſtro, qvibus illum rogat, ut librum de tribus impoſtoribus qvovis pretio ſibi comparet.

19 E Gallorum autographis Epiſtolis primum locum merentur *Comitis* Avauxii,
20 Legati Regii, *Epiſtolæ.* * Magnus erat ille literarum ac literatorum Patronus, qvi pro dedicatione Livii Gronovio mille imperiales donavit. Hoc de illo memorabile narratur: Cum is Daventriam tranſiret, pedes ad Gronovium, tum ibi eloqventiam docentem, ac nihil tale expectantem, ivit; Cujus inuſitatam comitatem cum miraretur Gronovius, ita ad illum Legatus: *Tu eam artem doces, quam ego exerceo.* Sunt porrò *Bongarſii, Bourdelotii, Chanuti,* (ejus, qvi Vitam Carteſii ſcripſit, & librum Memoriarum) *Stephani Claverii, Colladonii, Frontonis Ducæi, Sebaſtiani Gryphii, Ludovic. Jacobi, Caroli Labbei, Peliſonii, Perraultii, Salmaſii, Joſephi Scaligeri,* Epiſtolæ.

21 Ex Italis Andreæ Alciati manu XXX. ſcriptæ *Epiſtolæ* ſunt, qvibus multa
22 habentur ſingularia. * Eſt Cæsaris Trivultii ad Pomp. fratrem elegans Epiſtola, qvâ Obſervatio aliqva proponitur circa locum *Plinii, lib. 36. c. 5. de ſtatuâ Laocoontis, & liberorum ejus à Dracone interfectorum.* Inventa verò fuit illa ſtatua in

ruinis

ruinis Titi Imperatoris, à Cive, qvi pro 700. nummis aureis vendere noluit Nobili Romano, à Pontifice poſtea vindicatam. Hanc ſtatuam cum liberis & ſerpentibus Plinius ex uno lapide factam eſſe prodidit. Sed ille de eâ ita in hâc epiſtolâ: *Statuam ipſam, quam Plinius cum liberis ex uno lapide factam prodidit, Johannes Chriſtophorus, Romanus, & Michael Angelus, Florentinus, in urbe Roma primi nominis ſtatuarii, negant ex uno lapide confectam: oſtendunt compagines plus minus quatuor, ſed eas tam occulto loco conjunctas, tam appoſitè ferruminatas circumlitasque, ut non niſi ab ejus artificii peritiſſimis id facilè intelligi poſſit. Quare aut Plinium deceptum affirmant, aut alios voluiſſe decipere, ut opus fieret admirabilius. Neque enim tres ſtatuas magnitudinis juſtæ tot tamque mirabilibus Draconum nexibus complexas in uno tantum lapide ullis inſtrumentis potuiſſe formari. Magna eſt Plinii autoritas, & noſtri artifices ſuis nituntur rationibus; nec vetus eſt verbum contemnendum, felices fore artes, ſi de iis ſoli artifices judicarent. Sadòletus raro judicio non minus eleganter Laocoontem cum liberis calamo deſcripſit, quam illos ipſi opifices celo expoliverunt.* * Elegans hæc eſt 23
ex illâ Epiſtolâ ad locum Plinii Obſervatio, celeberrimorum artificum judicio firmata. Nam de *Michaële Angelo de Bonâ rotâ*, cujus Vita vaſto volumine deſcripta eſt, conſtat, adeò illum artis ſuæ peritum fuiſſe, ut Veneris ſtatuam in terram à ſe defoſſam pro antiqvâ vendiderit. * Sunt in illis AUGUSTI VALDI *Epiſtolæ*, Viri doctiſſimi, 24
cujus pluribus fama innotuiſſet, ſi Notæ ejus in Plinium, magnâ curâ ſcriptæ, in lucem miſſæ fuiſſent. * Nam ut de eo Pierius Valerianus libro de *Infelicitate lite-* 25
ratorum I. p. 44. ipſe cum ſuo Plinio à militibus Hiſpanis Germanisqve Romam aggreſſis, miſerè cruciatus interiit. *Non minus*, ait, *crudeliter occubuit Auguſtus Valdus, Patavinus civis, qui Romæ per tot annos bonas literas tantis ab eo vigiliis, ſudoribus, & peregrinationibus acquiſitas profeſſus erat, qui non ſolum voce, verum etiam ſcriptis eruditionem omnifariam ab interitu vindicabat; quàm autem miſerabili mortis genere vitam finiit! Incidit enim in Romanam cladem, Hiſpanorum illam & Germanorum prædonum ſævitiam acerbiſſimam, cujus ante oculos direptâ domo, in vinculis habitus, pretioſiſſimam librorum ſupellectilem, laboresque illos ſuos, quos præſertim in Plinium elucubrarat, coram dilacerari, & in uſum culinæ incendi conſpexit, & in eo mærore omnibus aliis incommodis conflictatus, propter arrogantem eorum crudelitatem, quibus nihil unquam fuit improbius, dum modicæ fortunæ vir inſatiabilem barbarorum ſitim tributis explere nequit, qui omne ſenectutis ſuæ viaticum jam excuſſerant, è loculis, poſt cruciatus varios fame demum conſumptus perhibetur.* * Extat inter MARII NI- 26
ZOLII nonnullas prolixa *Epiſtola*, manu ejus ſcripta, ſed erudita, ad Majoragium, qvâ ipſum reprehendit ob *Antiparadoxa*, qvæ adverſus Ciceronis Paradoxa ſcripſerat. Comminatoria illa eſt Nizolii Epiſtola, qvâ ipſi acerbam refutationem minatur, niſi ab his ſuis in Ciceronem invectivis abſiſtat & παλινῳδίαν cantet. Sciendum eſt, Calcagninum adverſus Ciceronem ſcripſiſſe Disqviſitiones in ejus Officia. Ciceronem vero Majoragius defendit, eam ob cauſam vehementer à Nizolio laudatus. * Poſt- 27

ea verò, cum ipſe Majoragius Anti paradoxa adverſus eundem ſcriberet, acerbiſſimam ad illum Epiſtolam, qvam modò nominavimus, ſcripſit Nizolius; qvâ irritatus Majo-
28 ragius *duos libros Reprehenſionum* adverſus Nizolium edidit, ſatis dentatos. * Cui liti tandem interceſſit SEBASTIANUS CORRADUS, Vir politiſſimæ latinitatis, cujus illic qvoqve reperitur *Epiſtola αὐτόγραφος*, qvâ conciliationem inter illos tentat. Sunt
29 & plures ejusdem Autoris. * CALCAGNINI, Viri ſummi, cujus alioqvin XVI. extant libri Epiſtolarum Criticarum & familiarium, etiam illic habentur *Epiſtolæ in-*
30 *editæ.* * Ad illum habetur ibidem qvoqve MATTHÆI MACIGNI, Veneti, *Epiſtola reſponſoria,* qvi Macignus in ſcientiis Mathematicis excellentiſſimus fuit, multos vetuſtorum Græcorum Mathematicorum MStos Codices habuit, qvorum qvam multi hodieqve in Bibliothecâ Gudianâ comparent. MAJORAGII qvoqve non paucæ ibi in-
31 veniuntur *Epiſtolæ* terſæ, ut omnia ejus Viri, & elegantes; * Editæqve jam olim ex ipſius Bibliothecâ ejusdem nitidiſſimæ Orationes duæ, altera de *laudibus auri,* qvâ Eccleſiaſticorum vitia ſalsè traducuntur; altera *Apologetica contra Gaudentium Merulam,* in qvâ plurimæ ejus vitioſæ lectiones notantur & caſtigantur. Hæ inter veteres Autoris ſchedas Mediolani primùm repertæ, & Ultrajecti Anno 1666. in 4to typis de-
32 ſcriptæ. * Latet & ibidem *MStus* Majoragii *in Virgilii Georgica Commentarius.*
33 * PYRREI LIGORII, Neapolitani, ibidem ſunt *Epiſtolæ*, Viri doctiſſimi, à qvo
34 XXIV. vaſta antiqvitatum Volumina inedita ſupereſſe perhibentur. * BERNARDI BALDI, ejus ſcilicet, qvi in Vitruvium notas & Lexicon ſcripſit, illic vidi *Epiſtolas.* Ejus in Catalogis vidi qvoqve notatas Epiſtolas, in qvibus cum aliarum artium præcepta, tum philoſophiæ, illuſtrare contendit, Mediolani 8. 1558. editas: ſed
35 librum ipſum non vidi. * Non deſunt THOMÆ PHÆDRI *Epiſtolæ*, qvem Pierius de *Literat. Infelic. lib. 1. p. 47.* vocat affluentiſſimum eloqventiæ flumen, qvô non alius ſuo tempore clarior, neqve vehementior fuit, Romanæ cathedræ decus & orna-
36 mentum: ſed qvi miſerabili fato interiit, ut ibi prolixè deſcribit Pierius: * HIERONYMI CARDANI *Epiſtolæ* ſunt, qvæ in Operibus ejus non comparent, etiam AONII PALEARII, eloqventiſſimi Viri, *aliquæ,* qvarum nullum in editis veſtigium eſt. COE-
37 LII RHODIGINI ad Eraſmum *Epiſtolæ* habentur. * Inter JANI PARRHASII *Epiſtolas* una eſt, qvâ de arcanis familiæ, inceſtis cognatæ cujusdam amoribus ſcribit ad Laſcarem, qvem rogat, ut à Pontifice veniam earum nuptiarum impetret. Scribit autem literas Latinas, qvibus Græca verba, & nonnunqvam periodos immiſcet, ne ſecre-
38 ta ſcilicet proderentur. * FR. CICERÆI illic qvoqve *Epiſtolæ* ſunt, item BEMBI, LAZARI BONAMICI, ROMULI AMUSÆI, qvorum magna ſuo tempore in Latinis literis gloria fuit: Horum enim cura & induſtria res literaria crevit; eorum exemplis, & præceptionibus præcipuè ad eloqventiæ ſtudia incitati ſunt, qvi poſtea ad hæc animum applicuerunt. Sunt OCTAVII PLATI, M. ANTONII REGIENSIS ad Majoragium, BENEDICTI THEOCRENI ad P. Juvium Epiſtolæ; DOMINICI MOLINI ad Meurſium; BALTHASARIS BONIFACII etiam *Epiſtolæ* ſunt; ſi illæ hoc loco dignæ & his principi-

principibus miſcendæ videntur: Fluit enim lutulentus illi ſermo; etſi rerum copiâ non deſtituatur. * Pauli Manutii cum plures ſint, una eſt longa, & valde ele- 39
gans ad *Cratonem à Crafftheim*, Medicum Cæſareum, ſcripta, cum Româ diſceſſum pararet, plena qverelarum. * Vocatus ille Romam erat, ut illic Curæ Typogra- 40
phicæ præeſſet in editionibus SS. Patrum procurandis, cui rei argentei typi deſtinati erant, & ſtipendia adſignata. Verum, cum res illæ non ex voto procederent, & in rei familiaris anguſtiam eam ob cauſam veniret Manutius, Crato à Crafftheim illi Cæſareæ munificentiæ ſubſidia obtulit: Ad qvæ ſplendida promiſſa erectus Manutius, elegantiſſimam hanc & ſvaviſſimam Epiſtolam euchariſticam ſcripſit, qvâ vix elegantior in toto Opere reperitur: Nam meras Charites ſpirat, omnesqve animi receſſus effundit. Scriptam autem à Manutio hanc eo tempore fuiſſe Epiſtolam, ex Epiſtolâ *5. libri 9.* ad eundem Cratonem ſcriptâ probari poteſt; His enim verbis finit Epiſtolam: *Ad illam ſuperiorem epiſtolam, Romæ ſcriptam pluribus verbis, exſpecto, quid reſpondeas.* Hæc vero ſcripta erat Venetiis. X. Kalend. Nov. Ann. 1570. Sed altera illa inedita ſcripta eſt Romæ Idibus Juniis ejusdem anni, unde apparet, eandem illam eſſe, qvam Manutius extremis illis verbis deſignat. * Non erit hoc, ut puto, Lectoribus in- 41
gratum, ſi illam ipſam Epiſtolam, in Manutii Epiſtolis ob certas fortè cauſas omiſſam, qvam mecum Vir Excellentiſſimus communicavit, appendicis loco huic Capiti, atqve toti libro primo Bibliothecario, qvi in argumento de Epiſtolarum Scriptoribus finitur, ſubnectam, purpuramqve hanc panno noſtro aſſuam.

PAULI MANUTII EPISTOLA lib. IX. Epiſtolarum ejus poſt epiſtolam IV. inſerenda.

Paulus Manutius Aldi filius Johanni Cratoni S. D. Viennam.

Nihil minus placet, quam ut, nullâ propoſitâ re, nullâ certâ ſententia, ad te ſcribam. Occurrit enim mihi tua dignitas, occurrit autoritas; cogito, qvam tibi perſonam tua virtus imponat, quæ te premant onera, quæ negotia diſtrahant: nimirum, cum tuæ ſcientiæ tuoque conſilio ſalus & incolumitas commiſſa ſit ejus Imperatoris, qui multa regna, multas provincias imperio, omnes virtutes animo complectitur, graviſſimam Chriſtianæ Reip. partem ſuſtines. Cur igitur ita ſim ineptus, atque adeò tam adverſus communibus commodis, ut inani te literarum genere interpellem; & quem ſalutares illæ curæ detinent fixæ & locatæ pro publica Majeſtate tuenda, ad privatæ rei cogitationem ac ſtudium vocem? Verum

tamen, quia nec res ipſa, ut ego interpretor, privatim ad me unum pertinet, ſed aliquâ ex parte cum publica utilitate conjungitur, & ex tuis literis velle te meâ cauſâ multum, ex omnium ſermone, poſſe plurimum intelligo, male prorſus mereri videar de ſtudiis meis, ac de me ipſo, niſi opportunitatem iſtam nactus amoris officiique tui, agam tecum de ſtatu meo, quantum res ipſa poſtulat, & quantum mihi per humanitatem tuam licet; per quam licere video plurimum. Etſi enim jaceo, nec recenti, nec levi, ſed inveterato jam difficilique morbo; tamen ſi Tu, tantus Vir, ad me erigendum ac recreandum accingeris; ſi iſtam ſcientiam, iſtam artem adhibes, quæ ſæpe bonis viris in calamitate opem ac ſalutem attulit, cur dubitem, quin voluntatem atque induſtriam meam felicitas illa utrique noſtrum pariter exoptata, conſequatur? Quod ſi ſecus acciderit, ſuum tamen humanitas tua fructum non amittet: ego enîm, quod volueris conatusque ſis, in tua laude ponam; quod non perfeceris, ad meam fortaſſe culpam, vel ut æquius de me ipſo ſentiam, ad meam certè fortunam transferam. Nam & præclarus artifex perfectam animo ſpeciem intuens, cum ipſe nihil in arte poſſit, opus tamen imperfectum ſubjectæ materiæ vitio relinquit. Nec tamen is ego ſum, cujus animum immoderata quædam opum honorumve cupiditas angat. Habeo magnam gratiam naturæ meæ, quæ me ad hanc inſaniam nunquam impulit, majorem etiam iis Viris, quorum præceptis eruditus ad hanc diem ita vixi, itaque poſthac, ut ſpero, vivam, ut neque ſumma cupiam, nec ſumma adeptis invideam. Sed quia virtus, licet à ſe ipsâ pendeat, externa tamen quædam non recuſat, propterea mediocritatem earum rerum, quæ fortunæ bona quidam vocant, nunquam contempſi, elaboravi etiam, ut conſequerer: & planè me conſecutum credidi, cum decem abhinc annis Romam veni. Quis enim aliter crederet, cum à Pontifice maximo vocarer, cum hic vigere dicerentur, ac ſemper antea viguiſſent artes illæ, quibus ab ineunte ætate meum ſtudium dederam: cum ipſum denique nomen urbis Romæ nihil tenue, nihil anguſtum, ſed ampla & magna polliceri omnia videretur? Hoc loco non faciam, ut aut de meis ipſe meritis detraham, quod certè non debeo, non enim commiſi, ut meam in re mandatâ diligentiam, operam, fidem requirere quisquam jure poſſit; aut alios carpam, quod ab inſtitutis meis longisſime diſtat; tantum dicam, & id ipſum invitus: Neſcio quo fato mihi fontes aruiſſe, qui profluere ſolebant; benignitatem, quæ antea patebat, ita clauſam in me eſſe, non modo, ut nihil ejusmodi, in quo vel copia vel ſplendor ineſſet, ſed ne mediocritas illa quidem, quæ repellit incommoda, quæ honeſtatem ex parte ſaltem aliquâ tuetur, mihi adhuc obtigerit. Ac vide tamen æquitatem animi mei: rei domeſticæ jacturam, quæcunque eſt, facilè fero, libenter disſimulo, do operam, ut obliviſcar; quod antiquam colere frugalitatem, quod illam parvo contentam, omnium laudandarum artium parentem altricemque, diſciplinam retinere cogar, non iraſcor; & hanc ipſam fore crederem liberis meis non contemnendam hæreditatem; At multa deſunt! Ego deeſſe mihi quidquam nego, abeſſe multa confiteor,

quæ

quæ tamen ipſa, ni fallor, ejusmodi ſunt, ut ſi largè ſuppetant, nihilo fiam melior, ſi abſint penitus, aut ſi minima ſint, ſicuti ſunt, nihilo deterior. Ergo, quod ad hanc jacturam attinet, tranquillo ſatis animo ſum: illa me dies noctesque vexat, illa mihi penitus inſidet hæretque cura, quod, ſi quem ſtudia mea fructum ferre, ſi quid poſteris induſtria mea prodeſſe poterit, id periiſſe totum ac perire quotidiè magis intelligo. Hæc ſunt mea detrimenta, optime Crato; atque utinam mea tantum eſſent, ferrem facilius, & quoquo modo quaſi foverem ac mollirem dolores meos. Nunc quod publico tamdiu commodo defuerim, quod jacere ſtudia mea per annos decem, quod ingenium languere ſim paſſus, quod denique fundamentis adoleſcentiæ præclare jactis, ætas gravior exſpectationi non reſponderit, id cum recordor, penè totus ipſe mihi diſpliceo: & quanquam culpa vacem, me tamen culpâ non libero, ſed quaſi communis cauſæ deſertorem accuſo. Una relinquitur in amore tuo conſolatio: etſi nihil præſtares aliud, hoc ipſo tamen conſolaris, quod ægritudini meæ ſociam ſe adjungat ægritudo tua, & dum tu æque doles atque ego, id efficis, ut ego non æque doleam atque ſoleo. Sed illa pars literarum tuarum, in quâ de Maximiliani Imperatoris admodum propenſa ad liberales diſciplinas voluntate ſignificas, & addis, opem ab eo ſi petam, fore, ne fruſtra petam, ea verò pars animo meo tanquam labanti quiddam, quod conſiſteret, inſtillavit. Aliis alia cara ſunt: non eodem ſenſu, non eodem omnes ingenio natura finxit: ego, quarum rerum illecebris capiuntur multi, ita pleraſque non amo, ut averſer penitus ac fugiam. Literis paſcor, his voluptatem nullam præfero, ac ne confero quidem; harum conſuetudine nihil ſuavius experior, nihil dulcius. Et quemadmodum, ſi Solem è mundo Deus auferat, ſtatim in hoc orbis terræ communi domicilio ſummus horror, ſumma ſequatur incommoditas; ſic adempto mihi literarum uſu, plena tenebris omnia, plena moleſtiis, otium injucundum, negotium perdifficile videtur. O mi Crato! O mi, inquam, ſuaviſſime Crato! (jam enim audeo, tuâ fretus facilitate, familiariter ac planè blandè tecum agere) Tune is es, qui mihi me ipſum longo intervallo reſtituas? qui has aliquando tenebras tuo lumine expellas? cujus munere excolantur, & rurſus florere incipiant ſtudia mea? Confer huc, obſecro, opes tuas, quas intelligo eſſe maximas, ingenii, prudentiæ, autoritatis. Digna prorſus tuis officiis, digna tuo patrocinio cauſa eſt: nam ſi pro literis agitur, cur humilis & obſcura videatur? Si apud Imperat. ſapientiſſimum, veræ ſolidæque gloriæ cupidum; cur difficilis aut dubia? Merces autem recte factorum nulla præſtantior aut uberior, quam ut uſuram vitæ quam brevisſimam æternâ nominis memoriâ compenſet, poſteriſque tradita, literarum beneficio, pulcherrimæ virtutis effigies amorem conciliet, laudandi voluntatem commoveat, imitandi ſtudium excitet. Præclarum ducitur quàm plurimis imperare mortalibus, gentes nationesque ſubigere, dare leges, jura præſcribere: hæc magna videntur, & expetenda inprimis; ſed hæc ipſa ſæpe motus temporum labefactat, ſæpe vis hominum convellit, ſæpe ad alienam fortuna poteſtatem transfert:

urbes

urbes & oppida intereunt: veſtigia vix apparent: nomina ſimul interire, & cum aſpectu memoriam quoque tolli ſcriptorum virtus & induſtria non eſt paſſa. Decet igitur, cum tu Maximilianum vehementer ames, cum illius gloriæ maxime ſervias, id curare te inprimis, quod & maximum eſt amoris argumentum, & ad ejus gloriam maxime pertinet. Bonis enim viris, quorum excludi numero me non arbitror, & ita doctrinarum in ſtudio verſantibus, non ut ſibi tantum vivant, privata delectatione contenti, ſed ut ingenii monumenta relinquere, & poſteritati patere ſuam induſtriam velint, quæ mihi ſemper ſtudiorum ratio probata vehementer eſt, iis tu ſi otium das, &, quâ vales apud Imperatorem gratiâ, conficias; vide quot bona conſequantur. Ipſum Imp. ornabis immortali gloriâ, probitati & virtuti amisſam prope dignitatem reſtitues, fueris tu quoque magna laude; quanquam Te quidem hoc ſpectare non oportet, (ad eam enim laudem, quam adeptus jam es, propemodum accedere nihil poteſt) ſed tamen frueris eorum amore & obſervantia, quos tibi tua merita, tua benignitas adjunxerit. Equidem, ſi hoc per Te aſſequar, ut ex turbulento negotii genere emerſus, ad tranquillitatem perveniam, & quod reliquum vitæ contigerit, in optato literarum portu, interpellatore nullo, vacuus omni cura degam nulla res erit tanta, quam non & me tibi debere confitear, & libenter tua cauſa ſuscipiam. Iſtam quidem virtutem, quæ me à moleſtisſimis occupationibus ad ſuaviſſimam quietem & aptisſima naturæ meæ ſtudia traduxerit, feram in oculis aſſidue, colam animo ſemper, fortaſſe etiam futuris gentibus ignotam eſſe non ſinam, Vale. Romæ, Id. Jun. M. D. LXX.

FINIS LIBRI PRIMI.

POLY-

POLYHISTORIS LITERARII LIB. II. METHODICUS.

CAP. I. DE DELECTU INGENIORUM.

§. 1. TRanſitio ad librum ſecundum. 2. Ingeniorum delectus habendus. 3. Magiſtratuum hîc cura deſideratur. 4. Animorum notitia maxima ſcientia. 5. Sui cognitio difficilis. 6. An detur ars ſapientes gignendi liberos? 7. Ingeniorum vis ex corporis temperamento. 8. Huarti & Quilleti conſilia recenſentur. 9. Ingenia, qualiacunque ſint, excolenda. 10. Εὐφυΐα, εὐμαθία, 11. Ingenium. 12. Εὐφυΐα theoretica & practica. 13. Quæ diſtinctio defenditur. 14. Quatuor Stoicorum perſonæ, quibus homines induuntur. 15. Hoc ipſum ad præſens negotium accommodatur. 16. Εὐμαθία in quibus conſiſtat. 17. Ingenia quædam ſine diſciplina ſumma. 18. Rara tamen ſunt. 19. Judicii & imaginationis ratio in ingeniis habenda. 20. Judicium theoreticum & practicum. 21. Imaginationis deſcriptio. 22. Ejus operatio. 23. Ad imaginationem Eloquentia & Poëſis præcipuè referri ſolent. 24. Orator & Poëta εὐφαντασίωτος. 25. Excellentiſſimi illi, qui Phantaſmata ſua judicio moderantur. 26. Virgilius hâc parte prævalet Ovidio & aliis Poëtis. 27. Idem in Panegyriſtis, Cauſidicis & Hiſtoricis requiritur. 28. Rejicitur ſententia Huarti, qui imaginationem & intellectum ſibi contrariari ſtatuit. 29. Falſum eſt, eos qui linguis, calligraphiâ, eloquentiâ excellunt, intellectu ſingulari deſtitui. 30. Pueri Grammaticæ artis capaces non ſunt. 31. Notantur Grammaticarum tricarum architecti. 32. Quidam absque Grammaticis præceptis Latinam linguam percalluerunt. 33. An Pueri illi intellectu ſingulari præditi, qui Grammatices præcepta non ſatis capiunt? 34. Poëtæ & Oratores ad omnia apti. 35. 36. De eorum ſingulari aptitudine ad Jurisprudentiæ ſtudia, Goëſii Tuldeni & Grotii ſententia. 37. An Concionatores eximii ſingulari intellectu deſtituantur? 38. Phantaſiæ uſus frenandus. 39. Phantaſia pollent ingenia inventiva. 40. Illa φορτικά. 41. Hetruſcis quare capricioſa dicantur. 42. Ingeniorum quinque formæ. 43. AGILIA, ad res arduas non ſatis apta. 44. TARDA, quæ ad ſolida ſtudia magis

apta, 45. *Exempla horum recenſentur.* 46. *Sunt hæc illis præſtantiora* 47. *ACUTA ET MEDIOCRIA, & ÆQUALI QUADAM RATIONE MISTA*, 48. *ac tandem HEROICA.* 49. *Ingenia ſecundum metalla æſtimata.* 50. *Signa ingeniorum accuratè dignoſcenda.* 51. *Sex præſtantis ingenii ſigna è Tuldeno.* 52. *Quæ ad quatuor partes revocantur.* 53. *Ingeniorum varii affectus & defectus.* 54. *Hinc pari ratione diverſa ingenia haud tractanda.*

1 POſtqvam libro primo de re Bibliothecariâ & Literariâ, deqve Scriptoribus illis, qvi ad eam pertinent, generatim egimus, nunc ſecundo hôc libro de METHODO in doctrinis inſtituendâ acturi ſumus. Qvemadmodum ſcilicet, qvi ædificium aliqvod parant, primum res operi neceſſarias comportant, hinc ideam ſibi aliqvam præfigunt, qvam in exſtruendâ domo ſeqvantur; ita in libris ac literis non veluti in rudi ac indigeſtâ mole verſandum eſt. Nam qvanqvam illa ſubſterni menti noſtræ operatrici, velut chaos aliqvod, debet, tamen certâ ratione omnia tractanda ac digerenda ſunt, & methodus aliqva nobis præfigenda eſt, qvam ſeqvamur.
2 * Qvoniam verò ſtatuario non ſufficit ad artem, officinam habere omni genere inſtrumentorum apparatiſſimam, niſi materiam, in qvâ operationem inſtituit, habilem nactus fuerit; neqve enim è qvovis ligno, ut in proverbio dicitur, fit Mercurius: ideoqve primùm DE INGENIIS EORUMQVE DELECTU inſtituendo ſolliciti erimus.
3 * Nam magno hoc literis totiqve Reipublicæ damno eſt, nullam hîc planè eſſe Magiſtratus curam; cum in eo Reipublicæ maximè felicitas ſita ſit.

4 Felices vocabant eos Stoici, qvi noſſent, qvo genio uterentur, ac εὐδαίμονες dicebantur, qvibus bonus obtigerat Genius. Verum cum eâ ſolertiâ pauci ſint, ut ſuum deprehendere ipſi ingenium poſſint; nam certè aliqvid vulgari ingenio majus eſt illi, qvo pauci fruuntur, qvi ſe ipſum ſatis explorare poſſit, ac plerumqve comparatione ad alios inſtitutâ, boniqve Præceptoris ope id addiſcitur.
5 * Nobis enim obſiſtit φιλαυτία, & inſita qvædam de rebus noſtris opinio, qvæ mentis illud lumen in nobis non rarò extinguit. Aliorum ergo conſilia & judicia incorrupta ſeqvi oportet, dandaqve opera nobis eſt, ut aliorum ingenia animi noſtri ἀκριβεία (qvod facilius eſt) diſcernere diſcamus, ac videamus, qvænam qvibus doctrinis aptiora ingenia
6 à naturâ ipsâ formata ſint. * Non defuerunt, qvod mireris, qvi ſingularis ſapientiæ humanæ rem habuerint, *ſapientes gignere liberos*; ut de Democrito narratur, divinum illum & cœleſte pharmacum inveniſſe, qvod fortunatos & ſapientes homines efficeret. Qvid Democritus hoc ſuô pharmacô intellexerit, altioris indaginis eſt. Qvi de liberis conſilio qvodam & arte gignendis præcepta ſcripsêre, qvaſi Promethei inſtar novos ſibi homines è meliore limo fabricaturi, illi ultra naturæ opificem ſapere,
7 ac fata ipſa in ordinem redigere mihi velle videntur; * Nam, qvanqvam qvidem negari neqvit, magnam ineſſe animis è corporis temperamento vim, ac Galenus ſingulari libro, *quod mores temperamentum corporis ſequantur*, id propugnat; corpus enim ex alimento craſſiori compactum plerumqve ſpiritus ſtupidiores in liberos à ſe genitos

genitos tranſmittit; magna qvoqve ingeniorum è mundi plagis, loco nativitatis, educationis, nutritione ipsâ varietas eſt; tamen extrinſecus pleraqve accidunt, & à ſublimiori principio animarum origo arceſſenda eſt.

Igneus eſt illis vigor, & cœleſtis origo,

atqve ex humili casâ & ſordido rure ſublimia ingenia prodierunt, multaqve teſtantur exempla,

Magnos poſſe viros, & magna exempla daturos
Vervecum in patria craſſoque ſub aëre naſci.

* Qvare fruſtra eſt cum omnibus ſuis artificiis HUARTUS, Hiſpanus, qui in *Scrutinio ingeniorum* modum tradit, qvo parentes generare poſſint filios ſapientes, ac tali præditos ingenio, qvale id reqvirunt literarum ſtudia. Hunc præcipuè Autorem ſecutus mihi videtur is, qvi ſe *Calvidium Lætum* appellat, cujus genuinum nomen eſt CLAUDE QVILLET, unde hoc per anagramma formatum eſt, ut nos docet Bailletus *libr. de Judic. doctorum tom. 4. part. 5. de Poëtis, num. 1511.* Ille, qvi Abbas fuit, ſcripſit poëma non inelegans, cui titulus: *Callipædia*, ſive *de pulchræ prolis habendæ ratione.* Poëma in libros 4. diſpeſcitur; qvorum primô de ſponſorum ad pulchram prolem deligendorum conditionibus; ſecundô de legibus in concubitu ſervandis, aſtrologicis cautelis; tertiô de curâ prægnantum, viribus imaginationis; qvartô de promiſcuis ad pulchritudinem parandam præceptis agitur. Sed, ut rectè judicat Bailletus, plusqvam decet Abbatem, & ultra, qvàm honeſtas patitur, argumento huic indulſit Autor: magis enim in illâ arte ſe Abbas, qvam Laicorum exercitatiſſimus ſe profeciſſe oſtendit, ut vel ipſi ſe Naturæ magiſtrum præbuerit. Dictio qvoqve non ſatis caſtigata, & vulgaria pleraqve in carmine, longeqve à Sammarthani judicio abſunt, qvi de *Pædotrophia* poëma libris tribus diſtinctum ſcripſit, ſed elegans, in qvo genium poëticum Virgiliano proximum agnoſcas. 8

Verum mittamus illos animarum fabros, atqve illud mirabilis παιδείας genus: 9
& potius, cum exſpectare alia non poſſimus, qvam

Qualia nunc hominum producit corpora tellus,

ita qvoqve, qvales invenimus in pueris *partes divinæ mentis & hauſtus æthereos*, præceptis & doctrinis, ut fundum aliqvem, excolamus. Atqve hîc primùm illa ingeniorum varietas nobis conſideranda eſt, de qvâ non immeritò illud dixeris: *Quot capita, tot ſenſus.* Nam ut infinita propemodum vultuum, ita animorum, diverſitas eſſe videtur. * Neqve noſtrum hîc inſtitutum eſt, omnes animorum characteres perſe- 10
qvi: illam tantùm animi facultatem indagabimus, qvæ ad diſciplinas diſcendas apta eſt, ſive εὐφυΐαν apellemus, ſive εὐμαθίαν. Sed illud latius patet nomen, & ad omnes qvoqve virtutes morales & actionem ſe extendit; hoc verò propiùs ad noſtrum ſenſum pertinet; in cognitione enim verſatur: Qvanqvam nec εὐφυΐα ab εὐμαθίᾳ ſejungi debeat, ac boni mores cum omni diſciplinâ conjungendi. De εὐφυΐᾳ pulchre Ariſtoteles 3. Nic. 5. §. 41. & 42. *Appetitionem finis nemo ſibi ſuo arbitratu optare poteſt; ſed ita natum unumquemque eſſe oportet, ut quaſi lumen mentis habeat, quô &*

judicare rectè, & id, quod verè bonum eſt, ſumere atque optare poſſit. Ille item benè
informatus eſt à Naturâ, cui hoc illius beneficio benè conſtitutum eſt: eò quod maxi-
ma ſit ac pulcherrima iſthæc res, quamque ab alio neque conſequi neque diſcere aliquis
poſſit; ſed talem obtineat quisque, qualis ipſi à naturâ data eſt, adeòque quod ipſum
illud, benè & pulchrè à naturâ factam compoſitamque eſſe hanc partem, ſit perfecta &
vera naturæ bonitas. Qvod Ariſtoteles de naturæ bonitate ad mores & virtutes apta
11 dicit, idem in qvâcunqve doctrinâ præſupponimus. * Niſi enim qvis εὐφυὴς ſit,
& ingenium commodum habeat, fruſtra omnia erunt: Ingenium reqvirimus, qvæ vox
ab aliqvibus pro ipsâ εὐφυΐα accipitur: qvanqvam in eo Piccolomineus diſſentit, cum
ingenium de omni ingenio, qvocunqve ſe habeat modo, dicatur; εὐφυΐα verò de bo-
12 no tantum intelligatur. * Alexander Aphrodiſ. duplicem conſtituit εὐφυΐαν, *theo-*
reticam alteram, alteram *practicam*; atqve ex ſuo hôc ſenſu Ariſtotelem in variis
13 locis interpretatur. * Qvam diſtinctionem, etſi ſunt, qvi impugnant, res tamen
ipſa loqvitur, eam ſummè eſſe neceſſariam, atqve in ingeniis ſe ſtatim oſtendere. Ut
ego qvidem exiſtimem, jam tum in ipſis παιδαγωγείας primordiis probè hæc eſſe per-
pendenda, atqve ex illis propenſionibus omnem futuræ doctrinæ menſuram ineundam.
Ex eo enim fines ſtudiorum ponendi ſunt; ac infelices omnino erunt, qvi ab hôc ſco-
pô, qvem natura illis præfixit, dilabuntur.

14 Scitè admodum ex Stoicorum mente à Cicerone *lib. 1. de Officiis* qvatuor con-
ſtituuntur Perſonæ, qvibus homines induuntur. Duæ ab ipsâ naturâ; una commu-
nis, qvâ ſumus omnes & rationis participes & præcellentes beſtiis; altera propria,
qvæ ipſa eſt indoles cujusqve privata. Tertia Fortuna eſt, qvam caſus aliqvis, vel
tempus, vel naſcendi conditio imponit, ut ſi qvis ſit Rex, nobilis, dives: Qvarta eſt,
qvam nobismet ipſis judicio noſtro accommodamus, ut ſi vel ad Philoſophiam, vel jus
Civile, vel Eloqventiam nos applicamus. Qvæ omnes, cum in unam perſonam coa-
15 leſcunt, ita ſe gerere qvisqve debet, ut nihil in ſingulis peccet. * Ex illis qvatuor
perſonis ſecunda, qvam propriam dicunt, illa eſt, qvam hîc conſideramus; Nam ter-
tia & qvarta huic demum ſuperveniunt, qvamvis perſona illa ſecunda ex illarum coa-
litione aliâ qvâdam ratione temperetur. Nam εὐφυΐα illa vel εὐμαθία generalis, qvæ
in homine eſt, qvandam ab his limitationem capit: aliter enim illa dirigenda eſt in
Rege & nobili, qvàm in privato, aliâ qvoqve ratione inſtituenda eſt, cum ad certum
ſcopum ſtudia noſtra tendunt. Et tertiæ qvidem perſonæ certi præterea Characteres
morum inhærent, qvi maturè in illâ ducendi ſunt, & ad εὐφυΐαν accommodandi;
Qvales Hiſtoriæ penicillo qvam optimè exprimuntur, & ex his qvaſi præfigurari à
bonis Doctoribus debent. Lineamenta illa generalia *lib. 2. Rhetoricorum* Ariſtoteles
duxit; ſed è lectione Hiſtoricorum, Satyricorum, Comicorum, atqve ex ipsâ obſerva-
tione vitæ longè notari plura poſſunt. De qvibus nos in ſeqventibus plura.

16 Εὐμαθία his tribus abſolvi videtur, 1. *Celeritate apprehendendi*, 2. *Sagacitate*,
3. *Memoriâ*; adeò ut qvi tria illa conjuncta habeant, ad diſcendum ſint aptiſſimi.
Sed tamen nec omnes illæ partes omnibus inſunt ingeniis. Qvosdam deſtituit me-

moria,

moriâ, cum & apprehenſione & ſagacitate valeant, Qvidam memoriâ præcellunt, ſed in apprehendendo tardi ſunt, neqve ſagacitate multum pollent. * Sunt, qvi 17
ab artibus & doctrinâ averſo animo ſunt, qvibus tamen ingenii gloria denegenda non eſt: Nam, etſi per regulas & præcepta illis non fulciatur ingenium, ſuô tamen qvôdam inſtinctu ad magna procedit. Teſtatur id Cicero in Orat. pro Archiâ: *Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuiſſe, & ſine doctrinâ naturæ ipſius habitu propè divino per ſe ipſos & moderatos & graves extitiſſe fateor: & illud adjungo, ſæpiùs ad laudem atque virtutem naturam ſine doctrinâ, quàm ſine naturâ valuiſſe doctrinam.* * Qvæ etſi qvidem interdum occurrant exempla, tamen non omnes ita comparati 18
ſunt, ut ſoli naturæ relinqvi poſſint, ideòqve εὐμαθία in illis adjuvari informatione alicujus magiſtri debet.

Intellectus hominis præcipuè rectitudine judicii & imaginationis æſtimari ſolet. 19
Illud actum mentis notat, qvo illa inter res diſcernit, atq; plures inter ſe ideas componit, vel affirmando & eligendo, vel negando & rejiciendo. Utriusq; in ſingulis diſciplinis habenda ratio eſt, ſed ita, ut in qvibusdam imaginatio primas, ſecundas judicium teneat; in qvibusdam contrario ſe hæc modo habeant. Sine judicio certè omnis inanis phantaſia & imaginatio eſt, nullaqve omnino ars & ſcientia rectè vel diſcitur, vel exercetur: nam ab illo qvaſi in ordinem rediguntur phantaſmata. * Judicium hoc, ſi circa diſci- 20
plinas intellectu eminentes verſetur, judicium Theoreticum voces licet, vel Ariſtotelicâ voce εὐσυνεσίαν; nam & in illis maximè judicio locus eſt: ſi ad actionem refertur, prudentiæ nomen invenit, qvâ ſenes præ ceteris, ut multitudine eventuum eorumqve collatione exercitati, excellunt. * Imaginatio illa actus mentis eſt, cum ſeſe ad 21
phantaſma qvoddam ſeu veſtigium, cerebro impreſſum, applicat, ſuper qvibus ſimulacris intellectus deinde ratiocinatur; Qvalis à ſenſibus plerumqve impreſſio oritur.
* Imaginatione ad inferiora dilabitur mens, & ex ſpeculatione Phantaſmatum uni- 22
verſalia colligit, cum intellectus rationes puras, ac nullis coloribus veſtitas, res divinas ſpiritualesqve comprehendit. Potentiâ hâc imaginante, ut rerum imagines, ita & ſimilitudinem earum concipimus. * Qvare ad omne genus diſciplinarum in qvi- 23
bus imaginatio regnat, extenditur. Inter eas principatum tenet Oratoria & Poëſis. Præcipua elocutionis vis in imaginatione conſiſtit: ut enim voces ipſæ & ſententiæ ſunt imagines rerum; ita ipſarum inter ſe ſunt imagines in metaphoris, tropis, ſimilibus, allegoriis, figuris Rhetoricis, ceterisqve ſermonis ornamentis. Ipſa illa ἤθη & πάθη ubiqve hîc regnant, qvibus perpetua eſt characterum & actionum expreſſio, adeò ut, qvod pictor ſuis, id Orator & Poëta ſuis qvaſi coloribus exprimat. * Qva- 24
re ex monitu Qvintiliani & Orator & Poëta debet eſſe εὐφαντασίωτος, *qui ſibi res, voces, actus ſecundum verum optimè fingat.* * Habet & illa ſuos gradus imagi- 25
natio, neqve in omnibus æqvali ſe modo habet. Qvidam celerius imaginantur, & velociori ex imaginatione diſciplina auditores imbuunt; ut de iis, qvi translatis benè utuntur, loqvitur Ariſtoteles. Nam cum ingenii ſolertia ſe phantaſmatibus miſcet, in omnes partes ſe imaginatio extendit, atqve ex ſe ipsâ parit plura, nectens è ſimula-

cris ſimulacra, illaqve ſibi qvaſi ſubordinans, ut copiâ ipſâ ſæpè laborent, qvi tali phantaſiâ pollent; Qvales ad Poëſin ſunt aptiſſimi, ut hâc ſuâ facultate ſæpè abutan-
26 tur, ſi rationem & judicium non ſeqvuntur. * Qvo nomine Ovidius qvibusdam notatur, qvi laxiores phantaſiæ habenas datâ operâ ſæpè mittit: neqve enim ignoravit ſua vitia, ſed amavit; cum Virgilius ita phantaſiæ indulgeat, ne qvid nimis: ſummum enim ubiqve judicium apparet. Non deerat etiam Virgilio ille impetus, & concipiendi celeritas, neqve eam neglectui habebat; ut nunqvam habere debent, qvi laudabile aliqvid ſcripturi ſunt: ſed poſterioribus cogitationibus ita expoliebat, ut
27 de 50. verſibus, uno calore profuſis, vix decem retineret. * Oratores, Declamatores, Panegyriſtæ, Satyrici, Cauſidici, omnesqve qvi ſimulatione qvâdam opus habent, imaginatione præſtare aliis debent; ita tamen, ne extra orbitam illa feratur: ſic vel ſtultitiæ, vel tandem amentiæ, propior futura eſt. Hiſtorici, etſi in deſcriptionibus, orationibus, phantaſiæ indulgent, in ipſâ tamen Hiſtoriâ ſecundum optimi judicii normam inſtituere omnia debent.

28 Non poſſum hîc laudare Huarti ſententiam, qvi imaginativam & intellectum ita ſibi contrariari exiſtimat, ut, qvi imaginativâ prævalet, intellectu valere non poſſit; Nam planè aliter ego colligo: Cum enim omnis noſtra cognitio procedat à ſenſibus, atqve tantum ſciamus, qvantum illis nobis demonſtratum ſit; ſeqvitur hinc, eum, qvi in concipiendis rerum imaginibus felix & fœcundus eſt, eò magis qvoqve intellectu valere, cum ille, his qvaſi fundatus, in varios ſe cogitationum orbes diſpergat, ſiqvidem organa ipſa non ſunt vitiata, omniaqve rectè ſe habent. Occultis illæ inter ſe nexibus facultates junguntur, neqve altera alterius operam facile deſtituit: Imaginatio qvaſi viam ſternit, & cuniculos agit, qvibus ſe non ingerere non poteſt intellectus, eâdem promtitudine hunc qvaſi typum & indicem ſuum ſecuturus.
29 * Qvare falſæ ſunt illæ opiniones, eos, qvi Latinam linguam egregiè noverint, vel Calligraphiâ vel Poëticâ excellant, inhabiles eſſe ad ſpeculativas ſcientias: qvas abundè refutatas vide ab Antonio Poſſevino *lib. 1. de Culturâ ingeniorum, cap. 15.* 16. 17. 18. Nam ſanè in Grammaticis & Linguis judicio plurima relicta ſunt, neqve phantaſiæ tantum hæc res & memoriæ eſt. Ego qvidem ſic exiſtimo, eandem eſſe Grammatices difficultatem, qvæ eſt vel Metaphyſices & Logices, atqve adeò ineptos illos
30 eſſe, qvi illius minutiis puerorum ingenia torqveant. * Nunqvam ego tam felicis qvenqvam puerum ingenii fuiſſe arbitror, qvi Grammatices artem illâ ætate apprehendere potuerit: nam uſus & maturior ætas, qvæ ad philoſophiam apta eſt, illa
31 demum docebit. * Qvo magis miror eſſe homines, qvi tricas tricis augent, ac novas Grammaticas Philoſophicas comminiſcuntur, qvibus expeditiùs, ſi Diis placet,
32 informentur pueri. * Ipſe Grammaticæ Philoſophicæ faber *Scioppius* ſtatim in initio Grammaticæ ſuæ fatetur, ſe nullam didiciſſe Grammaticam Latinam, ſed poſt nominum verborumqve Declinationes memoriæ mandatas ex qvotidianô Latinè loqventis uſu & lectione Autorum, ſex menſium intervallô, Latinæ linguæ intelligentiam conſecutum. Idem de *Covvlæo,* Anglorum Poëta egregio, teſtatur in ejus Vitâ,

Operibus

Operibus Poëticis Covvlæi præmiſsâ, Thomas Spraat, nullâ ratione inculcari ipſi po-
tuiſſe præcepta Grammatices & Proſodiæ, cum tamen in ſolutâ & in ligatâ oratione
optimè, etiam primâ ætate, ſcriberet. * Malè tamen colligit Huartus, puer ſi in 33
Grammaticis non proficiat, eſſe hoc argumentum boni intellectus; qvia in imaginativâ
& memoriâ debili eò præſtantior intelligendi vis ſit: Non enim hæc idonea ratio eſt;
ſed qvia intellectus puerilis nondum capax eſt diſciplinæ Philoſophicæ per modum Sy-
ſtematis ordinatæ. Qvoniam verò in linguâ ipsâ & Poëſi ſine artis præceptis proficit,
præclari hoc intellectus documentum, cujus ſe aliqvando vis in aliis diſciplinis exeret: 34
* Id enim certum eſt, multisqve exemplis conſtat, poëticâ & oratoriâ facultate præ ce-
teris inſignes omnibus ſtudiis ad miraculum usq; fuiſſe aptiſſimos. * Incidit hîc, 35
qvod in Viri clariſſ. W. Goëſii Præfatione in Rei Agrariæ Autores, qvos ille notis illu-
ſtravit, legere memini. Ita verò ille: *Cum rogabar, ne favere vellem multæ eruditio-
nis Candidato, quod & Poëta & Criticus eſſet, non adeò me res ea non deterruit, ut exinde
propenſiori in eum, quàm anteà, ferrer ſtudio. Atq; is ad eam, quam exoptabat, dignitatem
promotus vel ſolus documento eſſe poſſet, quam vani ſint, qui tam ſtultis præjudiciis hæc da-
mnant & proſcribunt.* * Diodorus qvoqve Tuldenus, JCtus egregius, in aureo il- 36
lo, qvem de *Cognitione ſui* libro ſcripſit, *lib. 3. c.* 1. ita de Oratore: *Quamvis Juris-
prudentia altiorem ſpiret prudentiam, quàm eloquentia; verus tamen Orator non ingenii
tantum vi, ſed & ſcientiæ amplitudine Legulejum antecellit.* Grotius qvoqve in epi-
ſtola 179. ad Gallos: *Juriſconſulti munus,* ait, *virum magnum non faciet, niſi eloquen-
tia accedat, cujus & præcepta & exercitatio magnam diligentiam exigunt: præſer-
tim cum, ut veteres nos docent, orbem quendam diſciplinæ ea res in ſe complectatur.*
* Qvare nec illud ſimpliciter probaverim, qvod Huartus ſtatuit, *Concionatores exi-* 37
mios rarò ſingulari intellectu præditos: Etſi enim in multis, qvos vulgus præſtantiſſi-
mos judicat, hoc contingit; ii tamen, qvi veræ eloqventiæ rationes ſeqvuntur, non
deſtituuntur ſingulari rerum intelligentiâ. Non enim eloqventis titulum merebitur,
qvi intelligentiæ ſuæ documenta etiam in ipsâ Oratione non oſtendat; neqve hæc ſe-
jungi poſſunt. Et ſane illi, qvos antiqvis noſtrisqve temporibus eloqventiâ præ ce-
teris excelluiſſe vidimus, incomparabili intellectu præditi fuerunt, ejusqve multa ſpe-
cimina dederunt. Vel unus Cicero abſolutiſſimum in hoc genere exemplum dabit:
nam ſi judicium eâ de re ferendum eſt, non *οἱ τυχόντες*, ſed præſtantiſſimi in iſtis do-
ctrinis producendi ſunt. * Id tamen negari non debet, magnos accidere ingeniis 38
ob phantaſiæ exorbitantiam abuſus; Qvæ niſi judicii freno coërceatur, in omnes ſe
diſciplinas diffundit. Tractari tamen hæc ingenia ita à prudentioribus debent, ut,
remotis inanibus, illa qvæ ſolida ſunt, in illis exqvirantur. * Plerumqve enim in- 39
genia phantaſiâ uberiore peccantia aliqvid ſapientiæ recondunt, qvæ in uſum cedere
publicum poſſit: Qvalia ſunt, qvæ ad inventionem variarum rerum naturæ qvodam
inſtinctu feruntur. * Qvæ, etſi in ſpeculationes inanes ſæpè abripiuntur, & *φοϱ-* 40
τικὰ eſſe ſolent, atqve ut Huarti verbo hâc in re utar, *capricioſa;* indulgendum ta-
men illis paululum à prudentioribus eſt, ne fructu illo careamus, qvi vel è volaticis

illorum

illorum cogitationibus haberi poteſt. Ac verum profectò eſt in hominibus illis, qvorum ingenia dementiæ aliqvam ſpeciem præ ſe ferre videbantur, latuiſſe nonnun-
41 qvam qvædam, qvæ in iis non qvæſiviſſes, arcana. * *Ingenia inventiva*, inqvit Huartus, *Hetruſcâ linguâ capricioſa appellantur, ob ſimilitudinem, quam in eundo inveſtigandoque cum capris habent.* Atqve hæc aliis ingeniis jungenda ille ſuadet. *Ut providi bonique paſtores magno ovium gregi quandoque dodecadem caprarum ſolent adjungere, quæ breviore viâ ac gradu promtiore ad nova quædam paſcua, & ad gramen nec dum tritum depaſtumve oves conducant: haud ſecus convenit eſſe inter literatos quædam hujusmodi capreæ velut ingenia, quæ ovili aliorum intellectui nova naturæ ſecreta ac contemplationes nondum ante cognitas atque exploratas pandant, quibus exerceantur.*

42 Patet ex illis, qvæ diximus, pro variâ judicii, phantaſiæ, affectuum temperie, varias eſſe ingeniorum formas, qvæ probè examinandæ ſunt. Nos illas ad qvinqve
43 reducimus. * Ac primo qvidem loco à nobis ponuntur *Celeria excitata & agilia ingenia*, qvalia ab imaginationis promptitudine naſci ſolent; de qvibus jam multa diximus. In vulgi oculos illa incurrunt, atqve ab iis præcipuè æſtimari ſolent. Non deeſt illis acumen & extemporalis oratio, ſed qvæ aures potius impleat, qvam pectus ſaturet. Joci illis in promptu & ſales: ſed, cum res ſeria agitur, cum argumenta in medium proferenda de Republicâ ſalutari conſilio gubernandâ, omnis illa ſubtilitas ingenii retunditur, & velocitas illa ob inconſtantiam nulli uſui eſt. Solent tali ingenio plerumqve eſſe prædití, qvos *præcoces* appellamus: nam rara eſt in illis conſtantia, niſi ſingulari ratione & divinitùs excitatum ingenium ſit. In illis nihil æſtimandum, niſi qvod primum omnium excidit, id enim ingenium redolet. Si la-
44 bor & cura acceſſerit, omnia corrumpentur & in nihilum redigentur. * His ex adverſo opponuntur *Tarda ingenia*, qvæ qvidem non celeriter comprehendunt, ſed judiciô pertinaci rebus immorantur, atqve adeò aſſiduitate ſuâ, præcipuè ſi qvædam illis ſagacitas juncta ſit, iſtorum celeritatem ſæpe antevertunt: Nam plures ex maturitate juſtâ fructus colligunt. Et illa qvidem ad Rempublicam regendam peridonea ingenia ſunt: Omnia enim in ſtatu ſuo conſervare potiùs, qvàm res novas mo-
45 liri laborant; ceterum in rebus novis excogitandis ſegniores ſunt. * Vidi ingenia, qvæ ſtupida qvis credidiſſet, ſed ſubitò poſtea qvaſi è veternô qvodam evigilantia omnium in ſe oculos converterunt: nam qvaſi ex cellâ promtuariâ, qvæ ante per ſilentium collegerant, depromere & ſumma judicii vi rerum intima penetrare videbantur. Ex hoc genere inter antiqvos Demoſthenes, Virgilius, Thomas Aqvinas fuere: atqve hic poſterior eam ob cauſam *Bovis* nomine appellatus fuit. Solent illi profunda diſciplinarum omnium penetrare, in civilibus ſolidâ inſtructi eſſe prudentiâ. In ſermone ſemper hæſitant, ut oratio illis non fluere, ſed ſtillare, videatur. Extemporales non ſunt in inveniendo, ſed ubi rem attentè contemplantur, ad fundum omnia perſpiciunt. Verba illorum plena ſenſuum ſunt & emphatica. Qvicqvid agunt, ſeriò agunt; atqve ubi aſſiduitas vel exercitatio acceſſerint, in omni doctrinâ palmam ferent.

Mode-

Modeſtiam ſemper præ ſe ferunt; nunqvam Φορτικοὶ & ſupercilioſi. Unde Huartus rectè inter ingenii excellentiſſimi notas retulit, *ſi natura humilis ſit, ſi ſua non æſtimet.* Hinc fit, ut, qvi latitant eruditi, plus interdum ſapientiæ recondant, qvàm qvi illam in publicâ luce jactant. * Tot mihi exemplis hujus rei veritas conſtat, ut ego in 46
puero malim aliqvam tarditatem, qvam celeres & præcipites animi motus: Hos enim ab illis ſuperari ſemper obſervavi. Qvare & Aſtrologi, ſi qva illis fides eſt, Mercurii, qvi ingeniorum director habetur, & agilitatem illis parare creditur, feliciſſimum poſitum non adeò laudant, cum Saturni benè locati tarditas profunditatem intellectus largiatur. Qvod ſi cum corporibus mentes comparare fas eſt, hi de naturâ fixi participant, cum illi ad volatilium indolem accedant. Qvo magis autem illa, qvæ fixa ſunt, conſtantia ſunt & ἐνεργητικὰ, ita & plus roboris tales animi habent.

Medio inter hæc ingenia loco ſunt duæ eorum formæ, qvarum altera *ex utrâque illâ formâ miſta,* altera *aliquid præter hæc excellentius habere videtur.* Nam cum 47
agilia ingenia naturæ magis inſtinctu agant, tarda arte & labore proficiant, illa temperata ita ex utrâqve illâ indole ſunt, ut exiguo labore multa præſtent, cum ingenita vis in illis arte major ſit. Ad qvasvis illa ſcientias apta ſunt, ſed tamen ultra mediocritatem non aſſurgent. In his vero & ingenii præſtantia ac agilitas cum labore maximo conjunguntur, ac natura cum arte æqvaliter certat: Qvare inter ordinaria ingenia principatum tenent. * His deniqve *qvintam* aliqvam *formam* omnium 48
præſtantiſſimam addiderim, qvæ, ut inter elementa, qvaſi qvintæ alicujus eſſentiæ loco ſit: qvâ notabuntur illi ſeculorum Phœnices, *Heroës, divinô qvôdam inſtinctu* ad omnium rerum cognitionem, ad novarum artium inventionem animati. Tales fuere artium & diſciplinarum inventores, imperiorum Statores, Imperatores, Eccleſiæ reformatores ſimilesqve, qvales vix multi uno ſeculo naſcuntur. * Comirius in ele- 49
ganti oratione *de arte parandæ famæ*, Platonem ut puto eâ in re ſecutus, hominum ingenia cum metallis comparat. Sunt in illis plumbea, ſunt aurea, ſunt vitrea, ſunt è variis metallis miſta, qvorum ſingulorum ille artes & rationes in famâ parandâ recenſet. His ego adderem illa plusqvam aurea, qvæ etiam plumbeos homines ſuâ virtute & luce in aureos mutare poſſint.

Pro variis his claſſibus facilè à qvôvis ſigna vel præſtantium vel ſtupidorum 50
ingeniorum colligi poſſunt, in qvibus tamen nihil temerè definiendum: ſæpè enim, qvæ tarda videntur, ſucceſſu temporis, pro mutatione temperamenti in meliorem ſtatum immutabuntur, ut non paucis exemplis conſtat eorum, qvi ex morbo ſingularem ingenii felicitatem conſecuti ſunt: ſæpe qvoqve certo naturæ impulſu ad peculiares qvasdam artes feruntur, in qvibus ſupra fidem proficiant, cum in ceteris planè deſipiant, ut multis exemplis Huartus probavit *lib.* 1. *cap.* 3. Sæpè à ſtudiis & lectione abhorrere qvosdam videmus, qvi tamen ſibi relicti plus præſtent ſolius naturæ beneficio. * Sex præſtantis ingenii ſigna Diodorus Tuldenus, JCtus doctiſſimus, in 51
præclarô illô *de Cognitione ſui* Opere *lib.* 3. *c.* 3. poſuit, qvæ hic notabimus: I. eſt juſtus ad res ſublimes inſtinctus, ut cum in Philoſophiâ ad Dei & Naturæ contempla-

tionem feruntur, à cavillatiunculis & tricis abhorrent; in hiſtoriâ ad factorum illuſtria documenta reſpiciunt, non ad ritus vel fabulas, aut otioſas philologias: unô verbô, qvæ nolunt difficiles habere nugas. II. eſt ubertas claritasqve principiorum, cum ad illa potius, qvàm auctoritates feruntur. III. felicitas in conjecturâ, qvando ingenium tenuiſſimâ curâ adjutum extendit & dilatat ſe ipſum, qvod partim ad docilitatem, partim ad imitationem pertinet: cum qvo conjungi poteſt illud, qvod IVto loco poſuit: ſagacitas conjectantium dextrè rerum eventuumqve proximas cauſas. V. eſt celeriter unum ex alio colligere & aptè connectere. VI. eſt facilè & aptè imagines con-
52 cipere. * Hæc Tuldenus ſigna conſtituit, qvæ tamen ad illas qvatuor τῆς εὐμαθείας partes à veteribus traditas μνήμην, μίμησιν, ἀγχίνοιαν καὶ ὀξύτητα revocari pos-
53 ſunt. * Sed longè plura in ingeniorum delectu conſideranda ſunt. Sui ſunt ſingulis affectus, ſui defectus, in qvibus prudenter dijudicandis præcipua magiſtri cura eſſe debet; qvod non tàm præceptis & regulis, qvàm ipſo uſu diſcitur. Multa de his Autor Anglicus diſſeruit in libello *of the different Wits of men*, *i. e. de diverſis ho-*
54 *minum ingeniis.* * Qvare in informatione ad ſingula illa perito doctori attendendum eſt: & conſeqvitur hinc, diverſæ indolis ingenia ab uno magiſtro pari ratione tractari non poſſe, qvæ tamen unâ vulgò diſciplinâ conjungi ſolent. Undè fit, ut tardiores in Scholis publicis ſint ſtudiorum progreſſus, qvàm in privatis, ubi ab homine & doctrinâ & prudentiâ, tàm communi qvàm didacticâ, inſtructo, qvod profectò non leve aliqvid & exiguum eſt, longè felicior ingeniorum cultura exercetur. Sed de his in ſeqventibus plura.

CAP. II.

DE OFFICINIS BONARUM MENTIUM.

§. 1. *Educatio Juventutis præcipua Magiſtratus cura. 2. Ægyptii, Spartani, eo nomine laudantur. 3. 5. Magiſtratuum incuria notatur. 4. Chinenſium hac in re induſtria. 5. Ludimagiſtri officium non vilipendendum. 6. 7. Seligendi ad id munus peritiâ & bonô judiciô præditi. 8. Scholaſticum munus cur optimi quique defugiant. 9. Impp. Valentiniani, Valentis & Gratiani de Academicæ juventutis diſciplinâ conſtitutio. 10. Ad horum imitationem excitantur Magiſtratus. 11. Præcepta* Παιδαγωγίας *à vetuſtis Philoſophis ſcripta. 12. 13. Melanchthon & Eraſmus præcipui literarum & Scholarum emendatores. 14. Weſtphali primòs elegantiorum literarum ludos inſtituerunt, operâ Rudolphi Agricolæ & Langii. 15. Hinc illæ in Belgium & Germaniam diſſeminatæ. 16. Alexander Hegius laudatur. 17. Elogium Weſtphalæ Nationis. 18. Autores de Scholis inſtituendis. 19. Inter eos præcipuum locum meritò tenet Joannes Sturmius. 20. Malè ab ejus methodo Scholæ Germanicæ abierunt. 21. Enarrantur ejus ſcripta Scholaſtica, 22. & ab iis receſſiſſe Scholas dolet Autor. 23. Sunt illa ſcripta ab Henrico Strobandio in unum volumen collecta. 24. ſqq. Volumina III. Inſtitutionis literatæ laudantur. 24. 25. 26. Eorum recenſio generalis. 27. Diſſertationes Belgicæ de ſtudiorum ratione. 28.*

Schrevelii

Schrevelii Palæmon, 29. *Guilielmi Mechovii Hermathene.* 30. *Emundi Richerii Obſtetrix animorum.* 31. *Molinari Sylleƈta Scholoſtica ,* 32. *Joannis Henrici Heideggeri Opuſcula de ratione Studiorum.* 33. *Et de corruptelis ſtudiorum diſpiciendum eſt.* 34. *Ludovici Vivis de tradendis diſciplinis earumque corruptelis libri.* 35. *Vogleri diſſertationes de ingeniorum delectu & hodiernis ſtudiorum corruptelis laudantur.* 36. *Cura de tollendis hiſce obſtaculis.*

DElectu ingeniorum benè inſtituto, excolenda illa probè ſunt: nam ut terra 1
etiam inhabilis culturâ perfici poteſt, ita & ingenia animiqve facultates certis qvibusdam ſubſidiis ornari & adjuvari poſſunt, ejusqve rei cura ad eos, qvi Reipublicæ præſunt, pertinet, neqve perfunctoriè, ut nunc fit, res illa agi debet. Neqve enim ad Parentes tantùm, qvanqvam præcipue qvidem ad illos, ſed & ad Magiſtratus educationis cura referri debet; qviqve boni Legislatoris munere olim functi ſunt, juventutis educandæ rationem etiam habuerunt. * Apud Ægyptios 2
& Spartanos, præ ceteris gentibus, formandis puerorum animis multum operæ impendebatur. Illi in Principibus erudiendis, & ad mores, qvales voluerunt, componendis, diligentiſſimi fuere: Hi, cum ad militiam Rempublicam inſtituiſſent, iis moribus & ſtudiis Pueritiam & Juventutem imbuerunt, qvibus ad Patriæ defenſionem & rem ſtrenuè gerendam opus eſſet. * Sed de moribus populi per diſciplinam publicam 3
formandis nemo nunc cogitat; & hæc cura ad ſolos parentes remitti ſolet; cum publicè tamen & ad diuturnitatem & ad ordinationem Reipublicæ interſit, benè moratos eſſe cives. * Soli Chinenſes hîc præ ceteris gentibus nunc ſapiunt, qvi præcipuam 4
morum curam habent. * In artibus qvoqve & ſcientiis addiſcendis non ea Magiſtratus induſtria eſt, qvalem eſſe conveniebat, & Reipublicæ intererat. Nulla eſt publica ingeniorum & ſtudiorum cenſura, & ſi qva eſt, exigua eſt, & hominibus incurioſis ac indoctis ſæpe permittitur. Qvâ de re juſtiſſima qverela eſt illuſtris Viri Seckendorffii de *Statu Chriſtianiſmi libr. 3. cap. 9.* §. 3. qvi & pietatis morumqve ſtudia à linguis ſejungenda, & majore curâ tractanda rectè exiſtimat. * Neqve ta- 6
men nullâ hîc prudentia opus eſt in ingeniis dijudicandis, in admovendis informationi hominibus idoneis, in doctrinis ordinandis, in defectibus corrigendis. * Pro 7
vili officiô habetur pueritiam moderari; deliguntur ad hoc opus homines nullâ propemodum peritiâ & nullô judiciô præditi, cum ad primam etiam puerorum informationem eximiô judiciô opus ſit. Sub talibus enim magiſtris & melius proficiunt pueri, & ſibi profutura diſcunt: ſub imperitis & fatuis verò animus ſtatim primâ illâ tincturâ corrumpitur, qvo nihil eſt pernicioſius; ut deinde vel per totam vitam imperiti maneant, vel majore operâ dediſcenda illis ſint, ſi dediſci poſſunt, qvæ in juventute perperam didicerunt. Videmus, ſub unius præſtantis Viri diſciplinâ paucis annis eò progredi pueros, qvò nunqvam aliàs fortè perveniſſent, ut provocare etiam viros poſſint. * Nemo præterea eſt, qvi muneri Scholaſtico admoveri cupiat, ob contem- 8
ptum, qvi illud vitæ genus comitatur, & ob exiguum ſtipendium; cum & luculenta

illis conſtituenda ſint præmia,& honore etiam afficiendi. E Scholis poſtea mali mores protruduntur in Academias,qvi illîc in ſummâ libertate ferociam ſumunt. Doctrinæ olim malè inſtitutæ hic ſub optimis etiam doctoribus raro corriguntur. Hinc
9 in Republicâ & Eccleſiâ malitia & ignorantia triumphabit. * Memorabilis eſt *Imperatorum, Valentiniani, Valentis & Gratiani, l. 1, Cod. Theod. de Studiis liberalibus Urbis Romæ & Conſtantinopolis* Conſtitutio, luculentô ab H. Conringio Commentariô illuſtrata; ex qvâ apparet, curâ Imperatoriâ dignum fuiſſe habitum negotium, ut juventus ſtudiis idoneis informaretur, neqve malos mores inferret in Rempublicam. Qvare, qvicunqve ad urbem diſcendi cupiditate veniebant, jubebantur ad Magiſtrum Cenſus provincialium Judicum, qvibus copia erat danda veniundi, ejusmodi literas proferre, ut oppida & natales, & merita expreſſa tenerentur: deinde primo ſtatim introitu profiteri illa ſtudia, qvibus incubituri eſſent. Jubebantur Cenſuales inqvirere in hoſpitia eorum, tùm adventantium tùm commorantium, ut ſcirent, num Studioſus illis ſtudiis vacaret, qvæ ſectaturum ſe promiſerat; adeoqve perpetuo Cenſualium judicio committebatur totum hoc ſtudiorum ad reditum in patriam tempus, qvod ad XX. ætatis annum definitum erat. Iidem Cenſuales providere debebant, ut ſinguli eorum tales ſe in conventibus præberent, qvales eſſe debent, qvi turpem inhoneſtamqve famam & conſociationes, qvæ criminibus ſunt proximæ, fugiendas æſtimârint: ne ſpectacula freqventius adirent, aut vulgi intempeſtiva convivia appeterent. Illud vero duriusculum erat, (qvod ab Impp. freqventiora juvenilis petulantiæ exempla fortè extorſerunt) eos qvi non ita in urbe ſe geſſerunt, qvemadmodum liberalium rerum dignitas poſcat, publicè verberibus afficiendos, ſtatimqve navigio ſuperpoſitos abjiciendos urbe domumqve remittendos. Additur porrò huic Conſtitutioni clauſula, qvâ ſe ſollicitiſſimos hoc in negotio oſtendunt Impp. *Verum ne hæc perfunctoriè fortaſſe curentur, præcelſa Sinceritas tua officium cenſuale commoneat, ut per ſingulos menſes, qui vel unde veniant, quive ſint, pro ratione temporis ad Africam vel ad ceteras*
10 *provincias remittendi, brevibus comprehendat.* * Utinam has curas nunc imitarentur Principes atqve Magiſtratus, atqve in unum hoc opus ſedulò incumberent, optime illi de genere humano atqve de omni poſteritate mererentur. Si honeſta doctoribus illi conſtituerent ſtipendia, in mores juventutis pravos ſeverè animadverterent, præmiis ad virtutes & ſtudia allicerent, induſtrios & ingenioſos honoribus ornarent, egeſtate preſſa ingenia ſtipendiis ſublevarent, novis & ſalutaribus inventis favore & opibus ſuis ſubvenirent; rectius illi Reipublicæ providerent, eamqve in omne ævum ſtabilirent.

11 In præceptis bonæ παιδαγωγίας ſuppeditandis jam tùm ab antiqvis Autoribus laboratum eſt. Si Laërtio in Vitis Philoſophorum fides habenda eſt, Ariſto Chius περὶ σχολῶν ſex libros compoſuit, tum & Cleomenes Παιδαγωγικὸν ſcripſit. Ipſe qvoqve Pythagoras παιδευτικὸν ſcripſiſſe dicitur, & Ariſtoteles, Theophraſtus, Ariſtippus περὶ παιδείας, tum & Plato & Chryſippus: qvæ omnia temporum injuriâ perierunt. Supereſt è veteribus aureolus Plutarchi περὶ παίδων ἀγωγῆς libellus,

qvo

qvo utiliſſima de hôc negotio præcepta continentur. * Superiori ſeculo, cum re- 12
floreſcere inciperent literæ, multi fuere è Viris doctis, qvi hâc qvoqve parte laboranti Reipublicæ conſiliis ſuccurrerunt: in qvibus præcipuè *Melanchthon* & *Eraſmus* mihi nominandi, qvorum ille communis Germaniæ Præceptor de omnibus per Germaniam Scholis benè meritus fuit, tùm qvod de inſtituendis illis præcepta daret, tùm qvod omnes diſciplinas recenſeret, & in luculentum ordinem redigeret, in ipſis qvoqve optimis latinitatis Autoribus enucleandis multum temporis inſumeret: Unde hodieqve ſuperſunt tot in Ciceronis Epiſtolas, Orationes, Virgilium aliosqve Autores notulæ non profectò contemnendæ, & in qvibus multùm eruditionis latet, qvas ex ore ejus nonnulli exceperunt. * Eraſmus utiliſſimos qvoqve de inſtituendâ juventute libel- 13
los edidit. * Sed tamen & ante hos Duumviros in Germaniâ, & qvidem apud 14
Weſtphalos, qvibus illa præcipuè laus debetur, bonarum literarum & linguarum celebres ludi fuere inſtituti, cum exemplô ſuô incitaret ex Italiâ in rura Weſtphala deducens Muſas *Rudolphus Agricola*, & hæc conſilia *Rudolphus Langen*, Eqves Weſtphalus doctiſſimus, urgeret. * Tùm in urbe Monaſterienſi ludi elegantiorum litera- 15
rum, barbaris illis magiſtris repudiatis inſtituti, ſtatimqve per totam Weſtphaliam plures apertæ fuerunt Scholæ, qvibus formata ingenia: hinc per totam Germaniam bonas doctrinas diſſeminarunt. * Daventriæ tum verſabatur *Alexander Hegius*, 16
homo Weſtphalus, Langii qvondam condiſcipulus: è cujus diſciplinâ magnus ille Eraſmus prodiit, & ad Belgas æqve ac Germanos bonæ artes propagatæ ſunt.
* Scilicet ut ab hâc qvondam gente Germaniæ virtutis gloria adverſus Romanos aſ- 17
ſerta fuit, cum illorum victricia arma non ſine inſigni clade repellerent; ita primi humaniorum literarum tropæa in Germaniâ erexere. Majoribus poſtea paſſibus & animis hæc ſtadia decurrerunt in Germania Viri docti, ut vel cum ipſis Italis de principatu contenderent, & magnâ cum curâ in Scholis rectè adornandis certatim à Viris doctis laboratum fuit.

Non enumerabo hîc omnes, qvotqvot de Scholis earumqve inſtitutione hoc 18
tempore ſcripſerunt. Multi enim ſunt multorum libelli & diſſertationes de hoc argumento *Camerarii, Chytræi, Neandri, Burenii, Maphæi Vegii, Vitruvii, Roſcii, Vergerii, Moſellani, Friſchlini, Bilſtenii, Alſtedii* & aliorum. * Inter eos omnes meritò prin- 19
cipe loco nominandus eſt JOANNES STURMIUS, Argentoratenſis Academiæ Profeſſor, cujus extant varia de Oeconomiâ Scholarum ſcripta; ejusqve conſilia Scholaſtica non Germaniæ tantum urbes, ſed & peregrinæ ſecutæ ſunt. * A cujus methodo uti- 20
nam non abiiſſent Scholæ Germanicæ, ſubſtitutis variis obſcurorum hominum compendiis: ita verum linguæ Latinæ nitorem non corrupiſſent, nec à Regiâ viâ aberraſſent. Nunc cum qvilibet barbarus & incultus ſub ingenii aliqvâ & compendii ſpecie novas ſibi rationes docendi diſcendiqve condit, protruduntur primùm in Academias, hinc in Rempublicam, homines & orationis & rationis uſu non ſatis inſtructi; unde certiſſima aliqvandò barbaries exſpectanda. * Scripſit ſuô tempore Sturmius li- 21
brum de *literarum ludis rectè aperiendis*, qvô de ordinibus & progreſſionibus ſtudio-

rum, de horis, ratione docendi, de reſolvendis orationibus, de interpretationibus Autorum, publicis lectionibus, privatis ſtudiis, exercitiis ſcholaſticis, multa habentur. Scripſit *Epiſtolarum Claſſicarum* libros tres, qvos *Claſſicos* ideò vocat, qvia ad Claſſium Scholaſticarum Argentoratenſium præfectos eos dedit, qvibus rationem in ſingulas illas informandi adoleſcentiam præſcribit. Illic qvaſi ἀνακεφαλαίωσις, deſignatio & partitio operum habetur, qvam ille in ſuperiori libro ὡς ἐν τύπῳ delineaverat. Diligenter illa legere debent, qvi Scholis præſunt; multa enim ex illis diſcent, qvæ ad ἐμπειρίαν Scholaſticam pertinent. Scripſit *Epiſtolarum Academicarum* librum ad Scholarchas, & ſingularum diſciplinarum Profeſſores, qvibus de universâ in Academiis docendi ratione agit. Scripſit *Scholæ Lavinganæ Oeconomiam* ad Philippum Ludovicum & Joannem, Comites Palatinos Rheni, Illuſtriſſimi Principis Wolffgangi Filios. Agitur hîc de officiis ſingulorum Præceptorum, de Legibus Scholæ, de lectionibus per curias & claſſes inſtituendis: ex qvo veluti typo Scholæ inſtituendæ idea peti poteſt. Scripſit de *Educatione Principis* libellum ad Illuſtriſſimum Principem Guilielmum, Ducem Juliacenſium, & de Nobilium puerorum informatione librum, titulô *Nobilitatis Literatæ* ad Werteros fratres. De *Exercitationibus Rhetoricis* librum Academicum ad Philippum, Comitem Lippiarum, ſcripſit; item alium *de amiſsâ dicendi ratione*, & qvomodo ea recuperanda ſit, ac de *Linguæ Latinæ reſolvendæ ratione*, qvibus præclara habentur ad Linguæ Latinæ facultatem parandam præcepta, variaqve afferuntur conſilia de copiâ rerum & verborum obtinendâ.

22 * Sæpe ego miratus ſum, qvare à tam ſalutaribus conſiliis receſſerint, qvæ hoc ſeculo inſtitutæ ſunt, Scholæ; cum nemo qvidpiam ſanius rectiusqve docere eo in genere poſſit, qvàm docuit Sturmius: in cujus ſcriptis, qvæ apud recentiores Scriptores habentur, egregia penè omnia deliteſcunt. Scripſit ille varios ad eloqventiam omnem rectè excolendam egregios libros, ut de *Imitatione, Elocutione*; ſcripſit *commentarios in Ariſtotelem, Hermogenem & Ciceronis libros*, & plurima alia.

23 * Sed illi, qvos modò enumeravi, libri, qvoniam ad rem Scholaſticam & Juventutis accuratam informationem propiùs pertinent, uno Volumine collecti ſunt, & Torunii Boruſſorum editi Anno 1586. curante *Henrico Strobandio*, Conſule & Scholarcha Torunenſi, Viro literato, deqve literis benè merito; qvi in ſuæ non tantum Scholæ, ſed & in omnium uſum, hæc ſcripta Sturmiana ſuis ſumptibus, laudabili profectò exemplo, recudi fecit, ut in Inſcriptione hujus Operis Joanni Sturmio facta Rector & Pro-Rector ac Collegæ Scholæ Torunenſis teſtantur, qvi & præfationem ad Lectorem addiderunt de ſcholis & libris Sturmianis, qvi illo Volumine continentur, qvod illi *Inſtitutionis Literatæ Tomum primum*, & à Sturmii nomine Sturmianum inſcripſerunt

24 * Subjecerunt Scholæ Argentinenſis, ſive Epiſtolarum Joannis Sturmii Claſſicarum & Academicarum σχηματισμοὺς à *Joanne Ludovico Havenreutero* confectos, qvibus qvaſi qvædam omnium librorum Sturmianorum ἀνακεφαλαίωσις continetur. Hinc & alios, qvi de Scholarum inſtituendarum, docendi diſcendiqve ratione ſcripſerunt, invitarunt, ut ſua ad editionem tranſmitterent.

25 * Qvare ſeqventi anno prodiit, hôc ipsô Strobandiô curante,

Inſtitutionis

Inſtitutionis Literatæ Tomus ſecundus, cum præfatione ampliſſimâ ejusdem Scholæ Torunenſis, qvâ agitur de Miniſtris Eccleſiæ, cur Scholas, politias atqve œconomias ſibi commendatas habere debeant, qvæqve illis officia præſtare teneantur. Hôc Tomô continentur Actus tres Academiæ Argentoratenſis, 1. Claſſicorum, 2. Baccalaureorum, 3. Magiſtrorum, ſub Melchiore Junio habiti. Et in primo illo Actu de ratione examinandi & viſitandi Scholas inferiores agitur: adjiciuntur lectiones tum in Academiâ, tum in Scholis inſtitutæ, cum Orationibus nonnullis. Cetera ad ritus & ſolennia Academica in gradibus conferendis potiùs pertinent, qvàm ad rem Scholaſticam. Habentur in illô Tomô porrò Introductio novæ Scholæ Altorffinæ Norimbergenſium, expoſita aliqvot doctorum Virorum Orationibus; Auguſtani Gymnaſii ad D. Annæ conſtitutio ac docendi diſcendiqve ratio ab *Hieronymo Wolffio* delineata; & ejusdem Autoris de expeditâ utriusqve linguæ, vel privato ſtudio diſcendæ ratione, & aliæ qvædam commonefactiones. His additur ejusdem *Wolffii* de Auguſtani Gymnaſii inſtauratione deliberatio, & Somnium de expeditâ in bonis Autoribus interpretandis progreſſione. Seqvitur *Joannis Rivii* de ratione docendi libellus, & Ludi literarii Magdeburgenſis ordo, leges ac ſtatuta, autore *Godeſcalco Prætorio*. * Addiderunt ſeqventi Anno 1588. *Tomum tertium*, cum præfatione de Magiſtratus Politici titulis & officiis in reliqva tria vitæ genera conferendis. Continentur illo docta variorum ſcripta: *Jodoci Willichi* conſilium de formando ſtudio in qvolibet artium & ſacrarum & prophanarum genere, duobus commentariis diſtinctum; qvorum prior de Verborum, poſterior de Rerum copiâ agit: Harmonia de ratione Inſtitutionis Scholaſticæ à *Joanne Garcæo* conſcripta, in uſum Ludi literarii Brandenburgenſis in Marchiâ: Inſtitutio Joannis Friderici, Ducis Pomeraniæ, ſcripta per *Philippum Melanchthonem*: Ratio ſtudendi generalis *Pauli Eberi*: *Victorini Strigelii* de ratione docendi *καθόλικα θεωρήματα*: *Petri Vincentii* diſciplina & doctrina Gymnaſii Gorlicenſis: Curriculum hibernum ſtudiorum Scholæ Gorlicenſis; Oratio *Laurentii Ludovici* de ratione docendi diſcendiqve puerilia Grammatices elementa, qvæ Methodicæ appellatione continentur: Ratio adminiſtrandi Scholas triviales, propoſita à *Friderico Widebramo, Joanne Stöſſelio, Maximiliano Morlino, Martino Miro, Laur. Lindemanno, Luca Tangel,* Viſitatoribus Eccleſiarum & Scholarum in Ducatu juniorum Principum Saxoniæ: Ordo ſtudiorum, qvalem ſibi Adoleſcentes, qvi ad Academias acceſſerunt, vel jamjam acceſſuri ſunt, præſcribi expetere ſoleant, autore *M. Stephano Prætorio*: *Σκιαγραφία* Scholæ trivialis rectè aperiendæ, conſcripta pro Gymnaſio Jutrebocenſi, & edita à *M. Joanne Grunio*, Norimbergenſi, ejus Gymnaſii Rectore: Scholæ Cremſenſis in Auſtriâ deſcripta formula, edita à *Joanne Matthæo*, Theologo & Profeſſore Wittenbergenſi: Pædagogii illuſtris Gandershemii inauguratio, conſtitutio, claſſes, leges: De optimâ ſtudiorum ratione in omni ſtudiorum genere Methodus, autore *Leopoldo Dickio* JCto: *Ejusdem* Chriſtianæ & Civilis vitæ Compendium. Promiſerunt iidem *quartum Tomum*; ſed ille, qvantum mihi conſtat, nunqvam prodiit. * Fuere qvidem in Belgio variæ diſſertationes *de ſtudiorum ratione in ſingulis diſciplinis*

26 · 27

nis editæ, duobus in 12. libris, in qvorum altero Hugonis Grotii; altero Johannis Gerhardi Voſſii Diſſertatio primas tenet. Ille ex officina Elzeviriorum Amſtelodami Anno 1643., hic Trajecti ad Rhenum Anno 1658. prodiit. Verum illi de Scholarum œconomiâ in univerſum non agunt, ſed de ſingulis tantùm diſciplinis: Qvanqvam & hi ad Autores iſtos referendi; partem enim eorum conſtituunt. Iis vero enarrandis nunc ſuperſedebimus. Erit de iis commodior in ſeqventibus dicendi locus.

De Scholis earumqve inſtitutione qvi generatim egerunt, præter eos, qvos modò enumeravi, non adeò multi ſunt. Ex illis, qvod è re ſuâ erit, petere poterunt, qvi
28 bonarum mentium officinas inſtituent. * Laudari tamen etiam meretur SCHREVELII *Palæmon*, ſive *Diatribæ Scholaſticæ*, continentes tùm qvæ ad laudem & commendationem Scholarum ſpectant, tùm qvæ ad εὐταξίαν earum & œconomiam. Agit hic de Natura, Educatione & diſciplinâ: de tribus, qvæ ſub diſciplinam cadunt, corpore, appetitu, ratione: de iis, qvæ tùm reſpiciunt appetitum, tùm rationem: de Inſtitutione publicâ & privatâ: de officiô boni Præceptoris: de officiô diſcipulorum: de Inſtitutione gratuitâ & mercenariâ: de diſciplinâ Scholaſticâ: de præconiis lite-
29 rariis ſeu ſcholaſticis. Ad ipſam verò docendi rationem non deſcendit. * Extat Viri doctiſſimi, & Amici, dum viveret, optimi GVILIELMI MECHOVII *Hermathene*, elegans liber de rectâ inſtitutione juventutis Scholaſticæ, Francofurti 1673. editus, qvô graviſſima & ſalutaria de illis rebus monita habet, maximo illis, qvi Scholis ordinandis præſunt, uſui futura. Multa hîc copiosè & accuratè disqvirit de officiis Magiſtratus, Inſpectoris, Parentum, Præceptoris, Diſcipulorum; de præceptis diſciplinarum eorumqve uſu, de Exercitatione, Auditione, Lectione & Interpretatione, Colloqvio, Scriptione, Verſione, Imitatione, Exercitatione proprio Marte inſtituenda, Paraphraſi, Amplificatione, Variatione, Exercitiis Oratoriis, Meditatione, Ediſcendis, Retractatione, Collatione, Emendatione, Repetitione & Interrogatione, Concertatione Juventutis, Studio excerpendi, Loco ſtudiis apto, Tempore diſcendi, Ante-Scholanis, qvi Scholas nondum freqventant, Amphithalamio Encycliorum, Palatio Humanitatis, Legibus Juventutis, præmiis & pœnis Scholaſticis, morbis Scholarum, Bibliothecâ literariâ,
30 Exercitiis corporis: * Qvæ omnia ad Methodum & rationem docendi pertinent, de qvâ ſpeciatim nos dicturi ſumus: qvanqvam & huc omnes illi Autores pertinent; è qvorum tamen numero unum, qvi penè inſtar omnium eſt, præterire hic non poſſum, EMUNDUM RICHERIUM in doctiſſimô librô, cui titulum *obſtetricis animorum* fecit, qvi Ambergæ 1608. in 12. editus eſt, ac uberrimè de omnibus illis, qvæ ad informan-
31 dam juventutem pertinent, agit. * Collegit & ALBERTUS MOLLNAR varios eâ de
32 re tractatus ſub titulo *Syllectorum Scholaſticorum*, Heidelbergæ 1621. editorum; * uti & JOANN. HENRICUS HEIDEGGERUS, Tiguri Ann. 1670. De Studiis inſtituendis ſeorſim ſcripta plurima ſunt, nondum in volumina collecta, ut *Hegendorphini*, *Fungeri*, *Oſiandri*, *Freigii*, *Nathan. Chytræi* &c. qvæ ego Voluminibus certis colligenda ſuaſerim.

33 Ad hanc claſſem referendi qvoqve illi Scriptores ſunt, qvi de defectibus in

informan-

informandâ juventute, & corruptelis ſtudiorum, agunt. Ut enim ad ſanitatem intereſt, non ſanitatis tantum regulas præſcribere, ſed & morbos omnes noſſe & avertere; ita & hîc corruptelis ſtudiorum cognitis rectiùs de ipſis doctrinis judicabimus. * Hâc in re laudabilem operam præſtitit LUDOVICUS VIVES, qvi non ſolùm *de tradendis diſciplinis*, ſed & *de cauſis corruptarum diſciplinarum* aureolos planè ſcripſit libellos, plenos bonæ frugis ac diligentiſſimè omnibus doctis legendos. 34 * In eodem argumento verſatur VALENTINUS HENRICUS VOGLERUS, qvi doctiſſimas *de delectu ingeniorum & hodiernis ſtudiorum corruptelis* diſſertationes ſcripſit, in qvibus de cauſis agit, qvæ profectus ſtudiorum in Scholaſticâ & Academicâ informatione morantur. 35 * Digniſſima hæc conſideratione res eſt, omnibusqve, qvi Reipublicæ 36 curam habent, providendum, ut, ſublatis his obſtaculis, majores in mente excolendâ & in ſtudiis progreſſus faciamus.

CAP. III.
DE FACULTATUM ANIMI SUBSIDIIS.

§. 1. *Facultates animi certis quibusdam adminiculis excitari debent.* 2. *Quæ excitatio malè communiter negligitur.* 3. *Exemplo corporis & corporearum actionum.* 4. *Per aſſuefactionem inſolita in Motibus,* 5. *affectibus,* 6. *appetitu fieri poſſunt.* 7. *Qua ratione voluntati, affectibus, appetitui frena injicienda.* 8. *Exercitatio rectè ordinata præcipuum in facultatibus animi augendis ſubſidium.* 9. *Ejus quædam prudentia eſt.* 10. *Per eam varia in Scholis Sophiſtarum ad oſtentationem ſpecimina inſtituta.* 11. *Memoriæ narrativæ præprimis adſueſcendum.* 12. *Eraſmi Bartholini Diſſertatio de Conſuetudine laudatur.* 13. *Per aſſuefactionem & exercitationem crebram orta ars, quâ à nativitate ſurdi, ac per conſequens muti, ad loquendum inſtitui poſſunt.* 14. *Walliſii ſpecimen.* 15. *Holderi, Sibſcotæ eâ de re liber.* 16. *De illâ arte Rudolphi Agricolæ teſtimonium.* 17. *Exemplum in Sabaudiæ quodam Principe.* 18. *Aliud è Digbæo prolatum.* 19. *Quidam ſolâ naturâ duce loquentes intellexêre.* 20. *Ejus exempla.* 21. *Bonneti liber Hiſpanicus de hôc argumentô laudatur.* 22. *Quis ille fuerit?* 23. *Petrus Pontius hujus artis inventor;* 24. *quod multis teſtimoniis probatur.* 25. *Nicolaus Antonius Emanuelem Rameſium de Carrion artis hujus inventorem conſtituere videtur,* 26. *à ſe ipſo diſſentiens.* 27. *Refellitur ejus opinio de Rameſio iſto.* 28. *Helmontius Filius aliqua de hâc arte ſcripſit.* 29. *Specimen hac in re à Walliſio datum.* 30. 32. *Bonneti methodus recenſetur.* 31. *De arte pronunciandi qui ſcripſerint.* 33. *Autores de hôc argumentô ad ſingularem in negotiis civilibus uſum uno volumine colligendi.* 34. *Ariſtotelis, Scaligeri & Molinæi contraria ſententia refellitur.*

1 QVemadmodum ad fruges è terrâ producendas ſubſidiis qvibusdam, tàm naturalibus qvàm artificialibus, indigemus; ita ad ſcientias addiſcendas adminiculis qvibusdam opus eſt. Ut ager fructus ferat, excitanda illa naturæ vis eſt, qvæ terræ fœcunditatem augeat; ita ut mens in rerum apprehenſione & dijudicatione expeditior ſit, illæ animæ facultates, qvibus illa intelligit & dijudicat,
2 erigendæ rectis qvibusdam rationibus & acuendæ ſunt. * Videmus, educatione juvenum animos ita formari poſſe, ut labores tolerent, à voluptatibus abſtineant: ſed ad animi facultates firmandas & augendas, ut qvis rectè meditetur, ut in inveniendis rebus celer ſit, ut memoriâ & judicio polleat, pauciſſimi præcepta ſuppeditant; cum id fieri tamen multis modis poſſit. Nam vel ſolô exercitiô rectâqve applicatione illas augeri poſſe qvotidiè videmus; qvemadmodum, qvi ſcopum ferire diſcunt, continuô uſu propiùs accedunt, roburqve lacertorum intendunt. Solet qvidem vulgatô verbô dici, *quemlibet eſſe fortunæ ſuæ fabrum*; ſed longè hoc rectiùs de ingeniô dicetur, *quemlibet eſſe ingenii ſui fabrum*: Magis enim in poteſtate hominis eſt flectere, in qvamcunqve velit partem, ingenium, & qvi fortè ſunt ejus defectus emendare, ut appetitus & affectus ſuos domare qvis conſtanter perpetuâqve voluntate poteſt.

3 Qvod ſi corpora noſtra videamus, ad miraculum illa per conſuetudinem &
4 exercitationem qvotidianam in motus inſolitos impelli poſſunt: * Qvod in funambulis patet, qvi ſuper fune extenſo ſine ullo metu ambulant, ſaltant, in gyros ſe torqvent, de turribus delabuntur, ad qvæ hiant & ſtupent earum rerum ignari, & in iis
5 inexercitati. * In doloribus perferendis videmus qvosdam adſuefactione ſtipitibus & truncis ſimiles, ut Spartanorum qvondam pueri adverſus omnes dolores obſtinati erant, qvi ad ſanguinem, imo ad necem, cædebantur, neqve voce tamen ullâ aliqvem ſenſum oſtendebant. Novimus vel ipſum aëris uſum, ſine qvo vivere alii non poſſunt, diuturnâ conſuetudine ad benè longum tempus inhiberi poſſe, qvod in uri-
6 natoribus videmus. Qvidam rebus ignitis verſandis habiles manus fecere. * Sunt, qvi abſtinentiâ à cibis inediam ad aliqvot annos tolerarunt: qvi ingurgitatione crebrâ helluones tricongii fiunt; continuâ voracitate ita proficiunt, ut vel ſoli, qvod decem hominibus ſufficiat, unâ cœnâ abſumant: qvi frigora intenſiſſima, qvi ſitim ad ſtuporem usqve perferre poſſint. Cumqve hæ fieri in corporibus mutationes poſſint, non ſecretâ qvâdam, ſed maximè naturali ratione, qvis non multò magis animos variarum figurationum capaces crediderit? modò ſibi ipſis non diffidant homines, atqve ea ſe præſtare poſſe credant, qvæ alios præſtare vident, atqve illud ſibi præfigant, qvod la-
7 bor improbus omnia vincat. * Voluntati noſtræ, affectibus, appetitui noſtro leges vel ipſi ponimus, vel alii illis ponunt: nam vel religione, vel opinione validâ, ſive illa ex inſtitutione, ſive aliâ perſuaſione oriatur, vel exemplo ſimili, qvod illuſtre ſit, & in oculos incurrat, vel affectu contrario frena illis injicimus; ſive verè hoc fiat, ſive ſimulatè. Illud Philoſophia moralis urget; hoc vero in civili converſatione fieri videmus: Sunt enim, qvi voluntatem ſuam adeò tegere poſſunt, ut ne exigua qvidem ejus nota vix ullô vultus charactere deprehendi poſſit. Ut ergo ſimili ratione

tione facultates intellectus in nobis ad expeditiorem apprehenſionem & uſum formen-
tur, nobis laborandum eſt.

In his mediis Exercitatio rectè ordinata præcipuum ſibi locum vindicat. Ex 8
eâ enim habitus formatur. * Eſt verò & in illâ prudentia qvædam obſervanda, 9
ut attemperetur ingeniis & finibus, ac rectô ordine inſtituatur. Per gradus illa ſuos
ducenda eſt & partes, nonnunqvam obliqvè, & per qvandam, ut ita dicam, conſe-
qventiam: Eſt enim, ubi Exercitatio plena ac perpetua magis turbat & impedit, qvàm
promovet, ſtudia; Qvare interdum qvibusdam adminiculis illi ſubveniendum eſt.
Ac primò qvidem, ut omnia rectè fiant, opera danda eſt; hinc ut promptè & expeditè
& cum qvâdam alacritate ac animi jucunditate. * Fuerunt in veterum Sophiſta- 10
rum Scholis, qvi in utramqve partem de omni argumentô dicere potuerunt, qvod non
niſi continuô exercitiô factum eſt. Sunt, qvi freqventi uſu omnia in ridiculos ſenſus
detorqvent. Qvantum memoriæ, vel exercitatione vel peculiari aliqva arte, ſuccur-
ratur, notum eſt, & de eo nos infrà plura. * Multum prodeſt ad res magnas & nego- 11
tia gerenda, ſi qvis maturè adſueſcat memoriæ narrativæ, ut cum circumſtantiis tem-
porum, perſonarum, locorum, omnia memoret & deſcribat, & qvæ ab aliis narrantur,
ex lectione vel auditione in ſummam aliqvam contrahat. * Incredibilis Exerci- 12
tationis & conſuetudinis vis, per qvam non in educatione tantùm, ſed & in qvibuscun-
qve aliis rebus ſtupenda fieri poſſunt, de qvo legatur doctiſſima illa *Eraſmi Bartholini*
Diſſertatio, qvæ eſt inter *quæſtiones* ejus *Academicas* nona.

Qvanta Exercitationis rectè ordinatæ vis ſit, vel ex eô patet, qvod in illo, qvi 13
ob naturalem ſurditatem vocis & linguæ uſum non habet, adeò intendi vis imagina-
tiva & apprehenſiva poſſit, ut è motu labiorum, qvem viſu obſervat, literas, è literis
verba incredibili celeritate intelligat, & ad illa reſpondere ſciat; qvod arte ſingulari
& certis præceptis à qvibusdam cum ſtupore audientium effectum eſt. Dixi alibi eâ
de re prolixiùs, ſed nec locô hôc prætermittendum id videbatur, qvoniam vel ſolo illo
exemplo mirifica phantaſiæ & ingenii vis arte adjuta oſtendi poteſt. * Suſcepta 14
fuit ab Anglis qvibusdam illa mutorum inſtitutio, ejusqve ſpecimen *Walliſius* dedit;
cujus extat prolixa eâ de re epiſtola ad *Dn. Boilium* ſcripta, in *Actis Philoſophicis An-
glicis*, Num. 61. * Fuerunt & alii inter Anglos, qvi integris eâ de re libris ege- 15
runt: HOLDERUS in libro *de Elementis loquendi*, cui additur Tractatio *de Informatio-
ne muti & ſurdi:* (liber editus eſt Anglicâ linguâ Londin. 1669.) GEORG. SIBSCOTA
in libro Anglico, cui titulus: *Deaf and Dumb mans Diſcourſe, or concerning thoſe,
Who are born Deaf and Dumb*, edito Lond. 1670. cum additione libri *de ratione lo-
quelæ creaturarum inanimatarum.* * Non recens natam illam artem è Rudolpho 16
Agricolâ conjicere poſſumus, qvi *lib. 9. de Invent. cap. ult.* vidiſſe ſe teſtatur ſur-
dum à primis vitæ annis &, qvod conſeqvens eſt, mutum; didiciſſe tamen, ut qvæ-
cunqve ſcriberet, aliqvis intelligeret, & ipſe qvoqve, tanqvam loqvi ſciret, omnia
mentis ſuæ cogitata perſcribere poſſet. Qvod etſi in dubium vocare videtur Ludov.
Vives *lib. 2. de animâ, cap. de diſcendi ratione*, nullam tamen ejus cauſam habuit,

 præſertim

præſertim cum fide dignus teſtis & *αὐτόπτης* fuerit Agricola; nunc verò tot experi-
17 mentis res illa probata eſt: * Nam non in Angliâ tantùm Holderus & Walliſius
experimenta inſtituerunt, ſed & in Sabaudiæ qvodam Principe ingenioſiſſimus Comes
18 *Emanuel Theſaurus* ſpecimen aliqvod exhibuit: * ac meminit Digbæus tract. *de na-
turâ corporum cap. 28.* Sacerdotis cujusdam Hiſpani, qvi fratrem natu minorem Co-
mitis ſtabuli Caſtellæ, à nativitate ſurdum, improbô labore ita erudiverit, ut modò lu-
men non abeſſet, aut tergum non obverteretur, è motu oris, labiorum aliarumqve par-
tium, perfectè intelligere voces loqventium, ad interrogata reſpondere, vocabulorum
vel in incognitâ ſibi linguâ ſonum & accentum accuratè ad alterius pronunciationem
19 reddere potuerit; niſi qvod tonum vocis eundem ſervare non poterat. * Refert
& Schottus in *Phyſicâ Curioſâ lib. 3. cap. 33.* noviſſe ſe in Siciliâ qvendam è Soc. Jeſu,
qvi ſurdus erat penitus, & tamen promptiſſimè de qvâvis re tàm cum ſuis, qvàm cum
exteris egerit, tametſi nullum perciperet verbum, dummodò labiorum motum loqven-
tium videret. Atqve id non tàm per diſciplinam, qvàm inſtinctu naturæ bonitate-
20 qve ingenii factum eſt. * Nam & alius P. Layman ſingulari qvodam caſu ſur-
dus factus, ut illic teſtatur, aſſiduâ oris loqventium obſervatione didicit viſu percipere,
qvod non poterat auditu. Refert & Zvvingerus in *Phyſiol. Med. cap. 25.* Jacobum
Oecolampadium, cum Sacerdos Baſileæ eſſet, inter alios habuiſſe auditorem plebejum,
ſed ſurdum, qvi tamen verba illius intellexerit ex eo, qvod intentis & inconnivis il-
lum oculis intueretur. Qvoniam ergo naturam & ingenii indolem hîc præſtare ta-
21 lia videmus, qvidni certis qvibusdam regulis adjuvari natura poſſet? * Librum in
hâc arte dudum, ante, qvàm Angli eâ de re cogitarunt, ſcripſit aliqvis JOHANNES PAU-
LUS BONNETUS, ediditqve Madriti in 4. An. 1620. ac Regi ipſi inſcripſit. Titulus
eſt: *Reduction de las lettras y arte para enſenar a ablar los mudos*, i. e. *Reductio lite-
rarum & ars informandi mutos.* Non dubitat huic Autori inventionem hujus artis
adſcribere Caramuel in *apparatu ſuo philoſophico lib. 1. diſp. 2. n. 16.* qvi epigramma
22 qvoddam in eam artem illic ſcripſit. * De Autore vero, qvem Sacerdotem, credo
per errorem, Digbæus vocat, non ſatis certa omnia: nam ipſe ſe *Barletſervant* vocat.
Qvid autem muneris hoc ſit, Nicolaus Antonius in *Bibliothecâ ſuâ Hiſpanâ* ſub hujus
Viri nomine doceat: *Joannes Paulus Bonet Arragonius Regi noſtro à munere quodam,
quod Burgundiæ domus vocabulo BARLETSERVANT apud nos audit, & à tormenta-
riæ rei miniſterio* (entratenido cerca de la perſona del General de la Artilleria) *magno-
23 que Caſtellæ Conneſtabili à ſecretis.* * Ante tamen Bonnetum PETRUS PONTIUS,
Benedictinus Monachus, hanc artem exercuit, ut conſtat è Valeſio *lib. de Sacr. Philoſ.
cap. 3. Petrus Pontius*, inqvit ille, *Monachus S. Benedicti, Amicus meus, natos ſurdos
docebat loqui, non aliâ arte, quàm docens primum ſcribere, res ipſas digito indicando,
quæ characteribus illis ſignificarentur; deinde ad motus linguæ, qui characteribus reſpon-
derent, provocando.* Unde patet, pro informationis hujus fundamento ſcripturam
fuiſſe adhibitam, qvod in exemplo ſui temporis etiam notarat Rudolphus Agricola.
24 * Meminit & ejusdem artis in Hiſpaniâ inventæ Stephanus Roderic. Caſtrenſis *Comm.*
in

in libr. Hippocratis de Aliment. Sect. 2. p. 247. ut mirer, Franciſcum Lanam in *Pro-
dromo all' arte maëſtra c. 4.* negare, qvicqvam de arte iſtâ præceptis traditum, ut ſolus
ille ac primus eâ de re forte videatur cogitaſſe; ac aliqva præcepta, ſed qvæ exigua
ſunt & nullius momenti, ſuppeditaſſe. Pontius verò ille, qvantum ſcitur, nihil edi-
dit, ac videtur Bonnetus illam Pontii, qvi ætate Valeſii An. 1590. vixit, artem hactenus
occultatam, ſuo tempore Ann. 1620. publicaſſe. Ita enim Nicolaus Antonius loco
ſuprà citato: *Nempe mira hæc res, ut muti verba efferrent, in artem ivit apud nos egre-
giâ induſtriâ Viri perſpicaciſſimi Petri Pontii Benedictini Monachi, quam videtur Bonetus
publicaſſe.* Idem de eo teſtatur Nicolaus Antonius ſub nomine Petri Pontii, ubi præ-
terea Fr. Joannis de Caſtanniza Benedictini teſtimonium ex Hiſtoriâ de Vitâ S. Bene-
dicti adducit, qvi & ipſe Dn. Gaſparum de Gurrea, filium Gubernatoris Arragoniæ,
diſcipulum ejus, hujus rei teſtem affert. Legi qvoqve de eo poteſt Ambroſius Mora-
les *in deſcriptione Hiſpaniæ fol.* 38. qvi teſtatur, eum loqvi docuiſſe fratres duos & ſo-
rorem Caſtellæ Conneſtabilis, de qvorum altero, Petro à Velaſco nuncupato, mirum
eſſe ait, qvæ & qvanta intra vigeſimum ætatis annum, ad qvam vixit ætatem, dedice-
rit, qvoniam ultra vernaculam ſuam linguam locutus fuerit, ſcripſeritqve Latinam
ferè absqve ſolœciſmo, qvandoqve & eleganter, tum etiam Græcos characteres ſcri-
pſerit. Adducit & Morales ſchedulam manu illius ſcriptam, qva reſpondet roganti
per manualia ſigna de arte iſtâ & formâ, qvam ſibi adeò utilem expertus fuerat. Ex
iis, qvæ adduximus, patet, Digbæum, cum Sacerdotis meminit, qvi librum talem ſcri-
pſerit, Pontium intellexiſſe, cum ars ab illo profecta fuerit, qvæ à Boneeto eſt publi-
cata. * Hîc vero iterum turbat Nicolaus Antonius, qvi immemor eorum, qvæ de 25
Petro Pontio dixerat, Emanuelem Ramireſium de Carrion, Prieguenſi Marchioni Hi-
ſpanorum Magnati à ſecretis & à curâ formandi eloqvii, qvia mutus natus erat, In-
ventorem vel Doctorem hujus artis facit. Ita enim de illo: *Hic apud nos artem in-
venit, aut certè ſolus exercuit ætate ſuâ literas & aliqualem uſum docendi mutos, quod
quidem in eodem Marchione, atque item in D. Ludovico à Velaſco, Fraxini Marchione,
Conneſtabilis Caſtellæ fratre, & in aliis præſtitit.* * Hoc vero antè de Petro Pon- 26
tio dixerat, tùm Nicolaus Antonius, tùm Ambroſius Morales, qvod Petrum de Velaſco
fratrem Caſtellæ Conneſtabilis ſuperiore ſeculo in loqvendô informaverit, cum Ema-
nuel Ramirez de Carrion hoc ſeculo vixerit, & poſt Bonnetum, qvi An. 1620. librum
ſuum edidit, librum Hiſpanicâ linguâ primum 1622. hinc 1629. publicavit cum hoc
titulo: *Maravillas de naturaleza, en que ſe contienen dos mil ſecretos de coſas natura-
les.* Planè hæc inter ſe non conveniunt, neqve expediri à me hic nodus poteſt. Ab
iſto ſanè Ramireſio ſcriptum fuiſſe de arte illâ librum, non meminit Nicolaus Anto-
nius, & tamen qvaſi ſubdubitans vel inventorem, vel certè ſolum hujus artis ſuâ ætate
Magiſtrum conſtituit; qvæ manifeſtè cum ceteris pugnant. * Imò vero expres- 27
ſis verbis legitur in judicio illo, qvod Antonius Perez Abbas Benedictinus Bonneti
libro præfigit, Petrum Pontium Monachum Benedictinum principium huic arti de-
diſſe. Qvare omnino illa, qvæ de inventione Ramireſii ait, falſa ſunt. * Noſtro 28

qvoqve tempore Helmontius Filius in *Alphabeto ſuo vero Naturali Hebraico* qvandam de ſurdi & muti in linguis informatione diſſertationem inſtituit; ſed horum au-
29 torum mentionem nullam fecit. * Teſtis eſt qvoqve Monconiſius *in Itinerario ſuo Anglico p. 50.* ſe apud Walliſium vidiſſe nobilem Anglum mutum & ſurdum, qvi Doctore illo tantum in legendo profecerit, ut librum Anglicum expeditè legeret, atqve jam tum alterum hoc exhibuiſſe ſpecimen Walliſium, qvi præterea exiguam illi differentiam in pronunciatione τȣ̃ B & τȣ̃ P oſtenderit, exilem ſcilicet naſi motum,
30 cum litera B pronunciatur. * Bonnetus ad certam artem regulas revocavit: Nam in primo libro agit de literarum naturâ & variâ apud varias gentes pronuncia-
31 tione, qvæ erudita ſunt. * Sed tamen & ante illum de hoc argumento egerat Hieronymus Fabricius ab Aqvapendente libro *de locutione ac ejus inſtrumentis*, Scaliger in libro *de cauſis Latinæ linguæ:* poſt illum Mallincrotius *tractatu de libris*, & Petrus Montanus in ſingulari libro Belgico, ſed erudito, *de arte pronunciandi*, qvo neminem hactenus accuratiorem vidi. Mihi qvoqve aliqvando *de Philoſophia Alpha-*
32 *betaria* qvædam ſcribere propoſitum fuit. * Librô ſecundô ad rem ipſam propiùs accedit, ac oſtendit, qvomodo mutus figuram & pronunciationem literariam per manualem demonſtrationem & motum oris ac labiorum doceri poſſit: hinc procedit ad reliqvas Grammaticæ partes, & orationis conſtructionem integram. Aliqva
33 etiam de cifris & linguâ Græcâ adjecit. * Ego omninò ſvaderem, ut non Hiſpanicus tantùm ille liber, ſed & ceteri, qvi in Anglicâ linguâ ſcripti ſunt in Latinam linguam converſi uno Volumine colligerentur; non in mutorum tantum uſum, ſed & illorum, qvi in aulis Principum, forô, atqve adeò in omni vitæ genere verſantes, muſſitantes etiam intelligere velint, atqve ſecreta è longinqvo rimari colloqvia; Cu-
34 jus rei qvantus uſus eſſe poſſit, facilè quivis intelligit. * Nos inſigne hoc exemplum, qvo exercitationis crebræ vis in intellectu augendo confirmatur, omittere noluimus, qvo falſitas ſententiæ Ariſtotelis oſtendatur, qvi libr. *de Hiſt. Animal. 4. c. 9.* ſurdos natos vocem qvidem emittere ait, ſed ſermonem nullum: cui accedit etiam Scaliger in commentario, cum ait: *Arte & voluntate fit ſermo, itaque docemur: Surdi autem non docentur, ideò non loqvuntur.* In Ariſtotelis qvoqve verbis argutatur, qvod vocem emittere dicat. Malè qvoqve Molinæus *Phyſic. lib. 8. c. 24.* judicat: *Cæcus natus poteſt per auditum erudiri; at quicunque eſt ſurdus à nativitate, eſt mutus & planè indiſciplinabilis.* Et Ariſtoteles primo Metaphyſicorum auditum diſciplinæ ſenſum vocat, cum per viſum, atqve ut ita loqvar, intuitivè procedere poſſe videamus.

CAP. IV.
DE SUBSIDIIS DIRIGENDI JUDICII.

§. 1. Judicium ac memoria præcipuæ ingenii partes. 2. Memoriæ ſumma neceſſitas & utilitas.

utilitas. 3. Attamen memoria ſine judicio manca & mutila. 4. Judicium ſummam omnibus diſciplinis manum imponit. 5. In judicio dirigendo præcipuum ſtudium adhibendum eſt. 6. Logica dirigendo judicio ſubſidia miniſtrat. 7. Illius uſum multi parùm curant. 8. Illius uſus latius patet, quàm vulgo creditur. 9. Logica eſt clavis reliquarum ſcientiarum. 10. Verulamius quatuor artes Logicæ ſubordinat. 11. Quarum poſteriores è prioribus fluunt. 12. Quibus & Didactica eſt addenda. 13. Ars inventiva artium, & examinis ſeu judicii principia ſua è Logica deducit. 14. Quæ ex parte hactenus neglecta. 15. Generalis inveniendi & ratiocinandi regula traditur. 16. Pueri in primâ ætate rerum ordinatâ cognitione imbuendi. 17. Böcleri eâ de re ſententia: 18. Batei Janua. 19. Comenii Janua ad informandam juventutem non rectè adhibetur. 20. Ad periodorum cognitionem pueri maturè ducendi. 21. Scioppii Mercurius bilinguis. 22. Schola latinitatis Gothæ edita. 23. Böcleri deſiderium. 24. Autores, qui de Polymathiâ ſcripſere, ad hanc rem inepti. 25. Mechovii propoſitum. 26. Mylæi univerſitatis Hiſtoria. 27. Διατύπωσις generalis rerum. 28. Comenii orbis ſenſualium pictus. 29. Quædam in illo deſiderantur. 30. Sturmii & Joh. Benzii Loci. 31. H. Weitzii Via regia ad linguam Latinam. 32. Joh. Joachimi Beccheri Novum Organum laudatur. 33. Ejus uſus in inventione ac meditatione. 34. Beccheri Methodus didactica. 35. Ejus Methodi pars I. & II. edita. 36. Tertia lucem non vidit. 37. De eodem Becchero judicium. 38. Schola Naturæ, Artis & Actionum humanarum, quomodo inſtituenda. 39. Quid per ſcholas iſtas intelligatur. 40. Beccheri Theatrum Naturæ & Artis. 41. Theatrum tale Principis ſumtibus inſtruendum magno foret uſui. 42. Methodus Mechanica practica. 43. Exercitationes Theatricæ in juventute non omittendæ. 44. De Comenii Ludis Comicis quid ſentiendum. 45. Verulamii de Theatrica actione judicium.

DUæ ſunt præcipuæ Ingenii, ut ita dicam, partes, *Judicium* & *memoria*. 1
* Hæc qvidem plurimùm æſtimatur, nec immeritò, qvod in omnibus diſci- 2
plinis maximus ejus uſus ſit: Tot enim in ſingulis ſunt præcepta, tot variæ res
memoriâ comprehendendæ, ſine qvibus nihil omnino effici poteſt. Philoſo-
phus univerſam rerum naturam, tot corporum, tot artium nomenclaturas & regulas
animo tenere debet; Theologus Veteris Noviqve Codicis libros, ac Patrum decreta;
JCtus leges ac reſponſa veterum prudentum; Medicus herbarum, morborum, medica-
mentorum nomina in promptu habere debet: * Qvæ omnia & multa & magna 3
eſſe qvidem fateor; verùm niſi illa eximii judicii vis comitatur, nulli humano generi
uſui illa omnia erunt. * Primùm qvidem memoria inſtruenda eſt variis in omni 4
diſciplina præceptis: ut ad uſum illa transferamus, judicio opus eſt. Qvamdiu in
Scholis jura legesqve diſcimus, memoriæ illa res eſt; in foro ac per uſum accedit ju-
dicium. Morborum nomina & medicinas multi accuratè ſatis cognoſcunt ope me-
moriæ, judicio multis annis & caſibus ſubacto Medici demum fiunt. * Præcipuum 5
ergo

ergo ſtudium in JUDICIO DIRIGENDO adhiberi debet, videndumqve, qvæ ad illud firmandum SUBSIDIA advocari poſſint.

6 Perluſtremus omnem illum Philoſophiæ orbem, inveniemus illic diſciplinam, qvæ rationem ipſam in ordinem redigit, Logices vel Dialectices nomine ſalutatam. Qvod ſi ergo verum eſt, in illis, qvæ rationis ſunt, occupari hanc diſciplinam; præcipuam illam rationis partem, qvæ in judicio conſiſtit, omnino illa comprehendere debet, ac inſtrumenta omni ſcientiarum generi apta fabricare. Qvare & meritò ὄργανον & τρόπος ἐπιστήμης appellatur, & qvantâ fieri poteſt curâ, non leviter ac

7 perfunctoriè diſciplina illa excolenda eſt. * Verum, ſi qvod res eſt, dicendum eſt, pleriqve ita in his ſtudiis verſantur, ut, cui fini inventa ſint, parum curent. Nam contenti rerum & notionum ſummis generibus & Syllogiſmorum tenui artificio, parum de uſu ipſo ſolliciti ſunt: ut

Si quis emat citharas, emptas comportet in unum
Nec ſtudio citharæ, nec Muſæ deditus ulli.

8 * Cum enim ad uſum pertineat tota hæc diſciplina, atqve ideo inſtrumentum vocetur, longè major ejus uſus eſt, latiusqve ſe diffundit, qvàm multi opinantur: ut proinde in contemplatione hujus inſtrumenti ſubſiſtere ineptum ſit, niſi & ipſi applicemus rebus, qvibus applicari poteſt ac debet.

9 Qvem uſum cum multi viderent, ac à Philoſophis vulgò negligi animadverterent, reperti fuerunt, qvi ſingulares aliqvas artes Inventivas, Combinatorias, commenti ſunt, qvi cum his conſiliis ſuis reprehendendi nullatenus ſunt, niſi qvod à Logices diſciplinâ illa ſua inventa ſejuncta velint, qvæ ex hoc tamen fonte unicè oriuntur. Rectè qvidem Verulamius *libr. de Augm. Scientiarum V. cap.* I. *Rationales ſcientiæ reliquarum omnium claves ſunt. Et quemadmodum manus inſtrumentum inſtrumentorum, anima forma formarum; ita & illæ artes artium ponendæ ſunt. Neque ſolum dirigunt, ſed & roborant; ſicut ſagittandi uſus & habitus non tantum facit, ut melius*

10 *quis collineet, ſed ut arcum tendat fortiorem.* * Artium Logicarum qvatuor Verulamius facit, diviſas ex finibus ſuis, in qvos tendunt. Id enim agit homo in Rationalibus, ut aut inveniat qvod qvæſiverit, aut judicet, qvod invenerit, aut retineat qvod judicaverit, aut tradat, qvod retinuerit: Totidem ergò artes conſtituit. Artem *Inquiſitionis* ſeu *Inventionis*; artem *Examinis*, ſeu *judicii*; artem *Cuſtodiæ*, ſive *memoriæ*;

11 & artem *Elocutionis*, ſive *traditionis*. * Sed hæ poſteriores quaſi per conſeqventiam aliqvam è prioribus procedunt, qvatenus nimirum judicium conducit ad memoriam: Nam & memoria per ſe ineſſe multis poteſt, & ſine his adminiculis excoli; elocutio, etſi ſuis qvibusdam præceptis contineatur, tamen referri etiam ad Logicam debet, qvatenus benè ordinatis conceptibus formæ argumentorum, ſchematiſmi & verba

12 ipſa ſubſerviunt. * Addenda his eſt Didactica, aliqva doctrinæ de Methodo propago, qvæ ſuo qvodam peculiari modo & ſecundum ſua principia conſideranda eſt.

13 Inter has artes, qvas vocat Verulamius rationales, artem inventivam, qvatenus ad

ad artem refertur, deſiderari ait: *Inventiva*, inqvit, *ars eſt, altera artium & ſcientiarum, altera argumentorum & ſermonum*: hanc eſſe obviam ait, illam à nemine excultam. * Non nego qvidem, ſed id factum neſcio per qvam hominum illa ſtudia 14
tractantium ſocordiam: qvanqvam & non pauci etiam barbarâ illâ ætate fuerint, qvibus his ſimilia, qvæ Verulamius proponit, in mentem venerunt. Ac ſanè principia eadem Dialectica ad tales concluſiones formandas deducere poſſe, qvilibet videt. Deinde & ars illa Judicii & directionis ſive Examinis, qvâ de experimentorum ratione agitur, ex iisdem principiis promanat. Qvanqvam enim Verulamius ſpeciales qvosdam modos enarrat, qvibus tale examen inſtitui poſſit, poſſunt tamen omnes illi e doctrinâ cauſarum atqve è Locis Dialecticis deduci, qvod Topica illa particularia, qvæ vocat, ſive Articuli Inqviſitionis ſatis oſtendunt: In omnibus enim illis experimentorum inventionibus occulta qvædam argumentandi ratio reconditur, ex aliqvo Locorum Dialecticorum deprompta; qvâ de re pluribus nunc agere non poſſumus.

Generalis in meditando ac inveniendo & in omni ratiocinationis actu regula 15
eſt, qvam & Spinoſa in tractatu *de Emendatione Intellectus* poſuit, ut rerum differentias, convenientias & oppugnantias, rectè colligamus, qvò ideas nobis claras & diſtinctas formemus, & ex earum progreſſu, qvi ab exiguis principiis ad majora ſe axiomata & concluſiones dilatat, qvicqvid argumento noſtro conveniens eſt, deducamus.
* Qvare non malè faciunt, qvi jam in primâ ætate pueros rerum cognitione benè 16
ordinatâ imbuendos judicant, ut rerum univerſitatis ideæ illorum animis obverſentur.
* Præter alios præcipit hoc Vir Clariſſimus Böclerus in *Diſſertatione MStâ de Studiis*, qvæ amici operâ ad manus meas pervenit, ſed imperfecta, & intercedente Viri Clariſſimi obitu non abſoluta. Ita ille: *Nunc illud monebimus, maturè ſeu poſt vulgares & primas literas perceptas dandam eſſe operam, ut ingenia ipſam rerum univerſitatem, quo fieri commodiſſimè poteſt modo, cognitam & in obvio conſpectu poſitam habeant. In hoc enim conſilio facilè omnes convenire & congruere videmus; quanquam viam ingrediantur non unam. Dolendum ſanè eſt, non eſſe in hunc diem libellum huic propoſito idoneâ ratione inſervientem. Anniſi ſunt complures Viri eruditi Dialogis rem conficere: quibus ut aliàs ſuus non denegatur uſus; ita ad hunc finem nondum profecerunt. Illud autem per ſe intelligitur, in libris, quibus univerſitas rerum quæritur, rationem verborum & linguæ eatenus habendam eſſe, ut e. g. in latinis non niſi latina & autoritatem habentia, & ſic in aliis linguis, adhibeantur.* * Hæc Böclerus, qvi eâ 18
occaſione de Januâ Comenii judicium ſuum interponit, atqve ejus loco commendat *Batei Januam*, duodecim centuriis auctam.

De *Comenii Januâ* habendum eſt, illam planè è Scholis illis, ubi Latinitatis 19
genuinæ, ut æqvum eſt, cura habetur, eliminandam. Nam ut rerum aliqva notitia ex illâ haberi poſſit; tamen exigua illa eſt, nec ſatis convenienti ordine, qvod præcipuum eâ in re eſt, propoſita, & vocibus ac phraſibus barbaris paſſim ſcatens, qvæ corrumpere bonam juventutis latinitatem poſſint: Qvicqvid etiam Apologiâ pro ſuæ Januæ latinitate ſcriptâ contendat Comenius; nam & ipſa alterâ Apologiâ indigeret.

20 * Ne qvid nunc dicam de eo, ad Latinitatem tales libros planè commendari non poſſe, qvoniam per mera axiomata proponuntur, in qvibus nulla eſt periodica conſeqventia ſuis particulis connexa, cui maturè adſueſcere pueri debent. Ut eum in finem Sturmius ſententias ex Autoribus ſecundum ordinem & qvantitatem periodorum collegerit, qvas ubi legerit didiceritqve puer, & numeri & conſecutionis idea in animo hærebit; qvod magno poſtea ad numeroſè ſcribendum ſubſidio erit; Nam talia è veteribus diſci Autoribus conſultius eſt, qvi concinniorem vocum poſitum & accura-
21 tius aurium judicium habuere. * Exhibuit etiam Scioppius *Mercurium bilinguem*, de cujus methodo ille in præfatione Grammaticæ & Mercurii ſui pleniùs agit.
22 * Commendare etiam Böclerus *Scholam Latinitatis Gothæ editam* in hunc uſum videtur; qvæ, ut ille ait, *univerſitatem rerum cordato quodam judicio ac contextu com-*
23 *plectatur.* * Sed pleniorem tamen ille laborem & accuratiorem deſiderat, ſuadetqve ut è centonibus Ciceronianis tale Opus conficiatur, in memoriam ſibi fortaſſis non revocans, qvod Freigius in Ciceroniano ſuo aliqvâ ex parte effectum hoc dede-
24 rit. * Garzoni tamen liber, cui Titulus: *Piaza univerſale*, qvi ex Italico in Germanicum ſermonem converſus eſt, & alii Miſcelli Scriptores, *Alexander ab Alexandro*, *Cœlius Rhodiginus*, ad hos uſus non referendi: qvemadmodum nec *Polydorus Virgilius*
25 *libro de Inventoribus rerum*, qvod Lambecio viſum eſt. * De defectu Inſtitutionis in rerum cognitione etiam Mechovius in *Hermathene* ſuâ conqveritur *tract.* 3. *cap.* 4. *Neſcio, an deeſſe hîc querar juventuti libellum de rerum naturâ, in quo ex optimis ſcriptoribus nonnihil de mundo, de cœlo, de elementis & de ceteris rebus, quantum ad hanc ætatem ſatis foret, conſcripta tenerentur, ne plane inſtar hoſpitis ac peregrini in hâc patriâ ſuâ tempus tranſigeret. Mihi id ſæpius in animo fuit, κοσμοπολίτας meos conſulere, ſed hora ruit, ac tempus nec opinanti elabitur.* Unde tale aliqvod Opuſculum in animo habuiſſe Virum doctiſſimum conjecerim, qvale è centonibus veterum Scriptorum concinnandum ſuadebat Böclerus, & qvale ille ſpecimen Ethicum in Pa-
26 rænetice ſuâ, optimo ſanè conſilio, dedit. * Non venit etiam Böclero in mentem *Chriſtophorus Mylæus*, qvi Univerſitatis hiſtoriam non contemnendo ordine & opera in lucem edidit.

27 Verùm illa omnia majori apparatu inſtituuntur, qvàm in illâ ætate neceſſe eſt. Sufficit generalis illa rerum διατύπωσις, per ſola vocabula ac phraſes argumento convenientes determinanda: cetera enim ſupplere docendo doctus magiſter poteſt:
28 * Qvo conſilio COMENIUS, qvanqvam latinitate non ſatis caſtigatâ, prudentia tamen didacticâ minimè deſtitutus, ut patet è vaſtis ab illo conſcriptis Voluminibus, illum *Orbem ſuum ſenſualium pictum*, ut in ipſa inſcriptione βαρβαρίζει, edidit. Res minimè contemnenda: Nam ſic per imagines res ipſa oculis ſiſtitur, & vocabula ac verba
29 eò pertinentia eâdem operâ diſcuntur. * Sed mallem ego elegantioribus picturis talem libellum illuſtrari, atqve omnia nitidiùs & accuratiori ordine ob oculos poni. Ordo enim præcipuè hîc attendendus, ponenda omnia connexa, affinia, contraria ſub eâdem ſerie, ut ea conjunctim memoriæ infigantur. Ita animo inhærebunt ſimul

fontes

fontes illi, unde vel argumenta inveniri, vel ſententiæ amplificari poſſint, eritqve hoc
qvaſi univerſale pro copiâ rerum & verborum inſtrumentum. * Hoc in animo 30
olim habuit *Sturmius* ejusqve diſcipulus *Joh. Benzius*, qvi omnem latinitatem locis
LXXVI. complexi ſunt; ſecundum qvem ordinem primò vocabula memoriæ impri-
mebant pueri, collectanea phraſium inſtituebant adultiores, ut in Latinâ & Græcâ
linguâ peculiaribus libris *Joannes Benzius* oſtendit. Poterant & ſententiæ ac theſes,
vel politicæ vel ethicæ, ſub titulis eodem modô ordinatis colligi. Ita ad omnem
palæſtram dicendi diſſerendiqve inſtructus fieret, qvi huic viæ inſiſteret. Nam in
methodo nihil magis turbat qvàm varietas, ac conſtantia facit, ut firmiores omnia
radices agant. * Huc qvoqve reſpexit H. WEIZIUS, qvi aliqvot foliis *Viam Re-* 31
giam ad linguam Latinam Hafniæ Ann. 1661. edidit. In cap. 1. de rebus agit, qvas
ſecundum claſſes ſuas, ſerie non male ordinatâ, diviſit. Cap. 2. agit de modis rerum,
qvo omnia in ordinem redigit, qvæ ad qvalitatum, relationum &c. claſſes pertinent.
Cap. 3. agit de motibus rerum, ubi actiones, paſſiones, durationes earum dispeſcit.
Cap. 4. agit de actionibus hominis per certa objecta, diverſos ſtatus, circumſtantias
variatis. Cap. 5. de modis motuum, actionum & paſſionum. Cap. 6. de circum-
ſtantiis rerum motus aut qvietis. Cap. 7. de cohærentiis rerum & actionum. Cap.
8. de multiplicatione rerum & verborum. Atqve ſic ille ſub 500. generalibus titulis
omnem vocabulorum, qvibus res & actiones continentur, ſeriem non ineleganti ordi-
ne dispoſuit: qvibus uti poterunt, qvi vel meditantur aliqvid, vel phraſeologiam col-
ligent, aut ſimilia inſtituunt.

Simile conſilium JOH. JOACHIMUS BECCHERUS *in Novo Organo pro verborum* 32
copiâ in quâvis materiâ expeditè acquirendâ propoſuit, Latinâ Germanicâqve linguâ
nunc edito; in qvo pars 1. rerum actiones & paſſiones, ſeu verba continet: pars 2. re-
rum prædicata & qvalitates, ſeu adjectiva: pars 3. actionum & qvalitatum circumſtan-
tias & modos, ſeu adverbia, præpoſitiones, conjunctiones & interjectiones: pars 4.
habet ſermonis ſubjecta, ſeu ſubſtantias. Singulas partes ſecundum 15. titulos genera-
les phyſicos pro generaliſſimâ partium combinatione diſponit. 1. Subſtantiam. 2.
Qvalitatem. 3. Qvantitatem. 4. Locum. 5. Tempus. 6. Guſtum. 7. Odorem. 8.
Viſum. 9. Auditum. 10. Tactum. 11. Potentiam agendi. 12. Voluntatem. 13. Ratio-
nem. 14. Virtutem & vitium. 15. Theologica & qvalitates promiſcuas. Singulos
titulos iterum dividit, atqve hâc ratione Syſtema integrum omnium vocum in linguâ
occurrentium, philoſophicâ qvâdam ratione ordinatum exſtruit; * Qvod non co- 33
piæ tantum verborum, ſed & meditationi ac inventioni rerum inſervire poteſt. Eſt
enim inventio nil aliud, qvam ut meditando conjungamus, qvæ cum re conveniunt;
ſejungamus, qvod repugnat: Qvi analogiſmus licet hîc in vocibus disjunctis conſi-
ſtat, operatio intellectus & ratiocinatio facile ſociabit, qvæ de ſe prædicare vel ſimpli-
ci vel argutâ & enthymematicâ oratione poſſunt. Ac profectò non omnino vana
ſunt, qvæ ipſe Autor in præfatione de hoc ſuô Organô prædicat: *Ut ad ſecundarium*
hujus Organi uſum veniam, qui revera primarius eſt, & ipſum ἔργον dici poſſet, im-

menſum illum eſſe ſcias, & ita comparatum, ut infallibili articulatione & conſequentia te ad tertiam connexionem deducat, quæ pariter in omnium rerum cogitationumque humanarum ſtructuris locum obtinet, & ex cujus vero, claro & diſtincto intellectu
34 *totum humanæ ſapientiæ lumen exurgit.* * Propoſuerat ſibi Beccherus tribus libris ſuccurrere juventutis informationi, & hoc ſuum conſilium prolixè enarrat in
35 *Methodò ſuâ didacticâ & appendice ejus,* libris Germanicâ lingâ editis. * Primâ parte Methodi practicæ continebatur Vocabulorum à primitivis ordinata deductio: cujus laboris etiam alios jam ante ſocios habuit. Pars ſecunda illo, qvod jam recenſemus, continetur Organo, habetqve Vocabula omnia ſub illis, qvos enarravimus, con-
36 cordantiarum titulis, ſecundum ſignificationes ſuas poſita. * Tertia pars ab illo promiſſa, ſed nunqvam in lucem edita, dediſſet nobis concordantiarum titulos de ſubjectis prædicatos, iisdemqve alligatos & combinatos. Ita enim ipſe: *In tertiâ parte combinabuntur notiones, prædicabunt omnes partes orationis & ſignificationum tituli de ſe invicem: ita, ut omnium ſubjectorum naturam per quindecim titulos, e. g. quæ dura, quæ levia, quæ alba, quæ ſonora omnia ſint &c. in quo corpora conveniant, in quo averſentur, ſcias, ita totam phyſicam practicam & omnes comparationes proprias habebis; ex quibus omnes definitiones & hypotheſes omnium ſcientiarum fluunt.* Sed hujus partis tertiæ defectum nunc utcunqve ſupplet pars ſecunda, qvæ, ut diximus, ad
37 hos uſus ab homine mediocriter ingenioſô commodè adhiberi poteſt. * Fuit illi Viro verſatile ingenium, qvod in omnia ſe diffunderet, ac ſingulari perſpicacitate comprehenderet. Ideoqve Virorum doctorum conſideratione digna ſunt, qvæ ille in Methodo ſuâ Didacticâ propoſuit; in qva multa reperiuntur, ſummo in re literariâ uſui futura. Plura etiam nos docuiſſet, ſi *Methodus* ejus *Gnoſtica de acuendâ ratione & formando judicio*, qvam promiſit, in lucem prodiiſſet. Sed de ejus Methodo Didacticâ nos infrà plura dicemus: nunc tantùm de Novo ejus Organo verba fecimus, qvatenus illud directioni intellectus in apprehenſione, collatione, illatione rerum, inſervire poſſit. Neqve enim hactenus habemus, qvi prædicata omnia accuratiore ordine digeſſerit; ac profectò dolendum, tertiâ illâ parte, qvâ applicationem prædicatorum ad ſubjecta docet, per ejus obitum nos fuiſſe fraudatos. Et ceteri illi libri, ut *Polyhiſtor Jonſtoni*, *Pexfelderi apparatus*, omnesqve Nomenclatores & Januæ hunc uſum nobis non præſtant, qvorum defectus accuratè ille in Methodo ſuâ denudavit. Multa qvoqve in Orbe iſto Picto Comenii non ſine ratione improbat, etſi imaginum ille uſus, qvi ipſi non placet, non omninò eſt improbandus.

38 Sæpe ego in votis habui, ut *Schola* qvædam *Naturæ*, *Artis* & *Actionum hu-*
39 *manarum* publica in juventute inſtituatur. * Per *Scholam Naturæ* intellectam velim Syſtema aliqvod corporum naturalium benè ordinatum; ubi per vivam corporum demonſtrationem & vocabula meliùs memoriæ inhærerent, & ideæ de rebus intellectui ſiſterentur. Nulla enim efficacior ars mnemonica eſt, qvam cum in rem præſentem veniunt diſcipuli. Per *Scholam Artis* intelligo omnia opificum & artificum inſtrumenta, qvæ certis qvibusdam receptaculis omnia aſſervarentur, & pueris

explica-

explicarentur. * Ac poſtea in easdem cogitationes dilapſum qvoqve Beccherum 40
deprehendi, qvi in Methodo ſuâ Didacticâ part. 2. circa finem Ideam aliqvam *Thea-
tri Naturæ & Artis* propoſuit, atqve in epilogo Appendicis ſuæ inter alia talis Thea-
tri inſtitutionem promiſit. Sed ampliſſima illa promiſſa irrita fuere, neqve talia
privatorum ſumptibus effici poſſunt. * Id verò certum eſt, ſi Princeps aliqvis 41
tale Theatrum inſtrueret, aut in Academiis, qvemadmodum Bibliothecæ publicæ, in-
veniretur, major confluxus Studioſorum has impenſas facilè reſarciret: Immenſos
enim fructus illa res præſtaret, multisqve laboribus, moleſtiis & impenſis ſtudioſam
juventutem ſublevaret. Alios qvoqve etiam illiteratos curioſiores alliceret, unde mul-
tis acceſſionibus tale Theatrum augeri poſſit, & tota rerum univerſitas in unam do-
mum compacta ſpectatoribus exhiberi. * Sed in mechanicis artibus conſultius 42
fortaſſis eſſet ipſos adire opifices. Cum enim inſtrumentorum natura ex uſu ipſo re-
ctius diſcatur, ipſa illa applicationis αὐτοψία plus informabit. Promiſerat & Bec-
cherus *Methodum Mechanicam practicam*, qva ope decem Axiomatum Mechanicorum
omnium opificiorum praxin docere velit, & brevi qvidem tempore; ita ut accuratiùs
ipſis opificibus ſciant, ac intra anni tempus multas artes mechanicas ſimul diſcant Stu-
dioſi; de qvibus tamen nihil comparuit. Et talis Theatri intuitu improbabat Co-
menii Orbem Pictum Beccherus, qvi tamen Theatri hujus defectu ſuum qvoqve
uſum habet.

Atqve hæc Schola Naturæ & Artis intellectui perficiendo in ſcientiis & apprehen- 43
ſione ac dijudicatione inſerviret. *Actionum humanarum Schola* ad prudentiam for-
mandam ſubſidia ſubminiſtraret, eaqve per actiones theatricas inſtituenda. Moroſi enim
ſunt & inepti homines, qvi juventutem ab his exercitiis arcent, aut omnem Theatri uſum,
cultioribus gentibus familiarem, è Republicâ tollunt. Ut in Republicâ Comœdia ſchola
populi eſt; ita in ſcholaſticâ juventute Schola actionum per Theatricas actiones propo-
ni poteſt. Longè firmius hærent in animo exempla virtutum per actionum ſimulachra
propoſita, atqve illa ipſa actio characterum moralium & civilium lineamenta in ani-
mis teneræ juventutis ducet, ne poſtea in converſatione ſtipites ſint, aut in alium ſibi
orbem delati videantur. Poſſet in his ordo qvidam obſervari, ut qvæ Philoſophiæ
moralis & civilis præceptis velut theoreticè exhibentur, ex hiſtoria per actiones exem-
plares in theatro proponantur. * Comenius Philoſophorum hiſtoriam hâc ratio- 44
ne diſcipulis inculcari volebat: qvi & pro ſpecimine Diogenem Cynicum in theatrum
produxit. Idem qvoqve Januam ſuam in ludos Comicos communicavit, meritò hôc
ſuô conſiliô exploſus à Becchero: Nam in rerum apprehenſione ſimplex & benè or-
dinata doctrina reqviritur, ad qvam Comœdia, qvæ non niſi actiones repræſentare
apta eſt, nihil planè per ſe conferre poteſt. Qvare prudentes Scholarchæ inter ope-
ras Scholaſticas, exercitationes illas Theatricas non tantùm non improbarunt, ſed ipſi
præceperunt. * Ipſe qvoqve Verulamius, Vir autoritate ſuâ & ſapientiâ πολλῶν 45
ἀντάξιος ἄλλων cum in libro de Augmentis ſcientiarum, de arte Pædagogicâ agit,
Actionem illam Theatralem *lib. 8. cap. 4.* vehementer commendat.

CAP. V.

DE ARTE LULLIANA SIMILIBUSQVE INVENTIS.

§. 1. *Continuationis ſeries. 2. Cardani ars Inventiva ex Logicâ petita. 3. Ariſtoteles uſum Categoriarum primus oſtendit. 4. Raimundi Lullii ſtudia. 5. Lullianæ artis inventio. 6. An ex Arabico libro illa deſcripta? 7. Petri Montui teſtimonium examinatur. 8. Verulamius eam artem contemnit. 9. Berneggeri, 10. Keckermanni, 11. Hamelii, 12. Sorelli judicium. 13. Quænam arti iſti objiciantur. 14. Autor artis hujus olim contemtor nunc mitius de ea judicat. 15. Poteſt ea in quibusdam emendari. 16. Reſpondetur ad objecta. 17. In quibus ars hæc verſetur. 18. Artis abuſus non tollit uſum genuinum. 19. Artem negligere magna quandoque ars eſt. 20. Loci Oratorii non rarò Oratorem monent. 21. Suo exemplo id probat Autor. 22. Cardani monitum de inventione. 23. Typus artis Lullianæ recenſetur. 24. Conſiſtit in circulis variè inter ſe converſis. 25. Autores, qui eam defenderunt ac Commentariis illuſtrarunt, recenſentur, Alſtedius, 26. Joh. de Riera, 27. Bernhardus de Lavinheta, 28. Paulus Scalichius, 29. Jordanus Brunus, 30. Petrus Gregorius Tholoſanus, 31. Cornelius Agrippa, 32. Julius Pacius, 33. Claudius Clemens, 34. Sebaſtianus Izquierdo, 35. Petrus Hieronymus Sanchez de Lizaraco. 36. Aug. Nunnez Delgadillo, Petrus de Gvevarra, 37. J[illegible]imus Januarius, Franciſcus Marzal, Petrus Cirvelo, 38. Nicolaus de Hauteville, Ivo Capuccinus, 39. Cornelius Gemma, Ægidius Moncurtius, Joh. Henricus Biſterfeldius, Petrus Moreſtellus, Chriſt. Kriegsmannus. 40. Joh. Henricus Alſtedius. 41. Athanaſius Kircherus, 42. Defectus Lullianæ artis ab illo notati. 43. Caſpar Knittelius. 44. Variæ praxes ab illo propoſitæ. 45. Ejusdem Analogica. 46. Emanuelis Theſauri Index categoricus. 47. Defectus ſeptem artis Lullianæ notati. 48. Ars Lulliana à Kirchero emendata perfectior. 49. Knittelii tabula combinatoria ejusque uſus. 50. Ejusd. variæ artes & arcana. 51. Jani Cæcilii Frey Via ad artes. 52. Uldarici Staudigl Logica Practica. 53. Lulliana prædicata quomodo ad prædicamenta reduci poſſint. 54. Jordani Bruni Artificium perorandi commendatum. 55. Alſtedii conſilium de copia rerum & verborum. 56. Pluribus recenſetur. 57. Nova Eloquentiæ methodus Anonymi. 58. l'Oeuure des Oeuures de Jean Belot. 59. Vinc. Placcii Excerpta Rhetorica. 60. Ejus de inventione oratoria judicium. 61. Leibnizii Diſſertatio de arte combinatoriâ laudatur & recenſetur. 62. Breiſſaci rota pro conſilio militari. 63. Quirini Kuhlmanni ingenium jactabundum. 64. Portentoſæ artes & libri à Kuhlmanno beneficio artis ſuæ novæ Combinatoriæ elaborandi recenſentur. 65. Idem Pandectarum juris civilis methodum artificioſam, ſubtilem, promittit. 66. Ejusd. de Kircheri arte Combinatoria judicium, 67. it. de arca artium Kircheriana. 68. Magna de rotis ſuis Combinatoriis*

natoriis jactat. 69. Arcanum Steganographicum rejicit. 70. ſqq. Lexicon univerſale harmonicum, & alia plura promittit. 78. De illis omnibus quid tandem judicandum ſit. 79. Lullianos terminos ut ſibi quis familiares reddat, non diſſuadetur. 80. Franciſci Pomey artificia Inventionum. 81. Alexandri Ficheti Conſilium de arte Lullianâ. 82. Quando illa utiliter adhibenda.

DIximus ſuperiori capite multa de Logices ad judicium dirigendum ſubſidio, 1
qvodqve ex ejus fontibus qvidam generalem rerum διατύπωσιν pro uſu tali
moliti fuerint. Produximus è Verulamio, qvæ ille de arte inventiva, tùm
argumentorum tùm artium ipſarum, veræ Logices propagine, ſed hactenus
deſiderata, propoſuit; * De qvâ tamen jam tum Cardanum animô qvædam agitaſſe 2
accepimus: Nam *Fr. Bonnæus* in præfatione Tractatus *de ratione docendi* hæc habet:
*Non me fugit, Cardanum de artis cujuspiam inventione, quam ille Logicam appellabat,
gloriatum ſæpius fuiſſe, quâ poſſent omnes artes jam inventæ addiſci, ac nondum inventæ
excogitari.* Ubi hæc jactet Cardanus, eqvidem non memini. In libro unico *de Secretis
cap. 9.* ubi plurimos ſecretorum libros recenſet, ſecundum librum eorum agere
ait de ſpecialibus modis libros conficiendi, & de propria cujusqve diſciplinæ Logica.
Confectus eſt, inqvit, *hic à me & vocatur Dialectica.* Ea, ſed admodum brevis, extat
in tomo I. Operum à Naudæo editorum. Agit hîc qvidem de inventionibus artium,
& qvidem ad ductum Galeni, qvi de eodem argumento aliqva ſcripſit; ſed exigua
illa ſunt. De libris conficiendis pauca qvædam monet. Oſtendit etiam, qvomodo
è Logica orta ſit ratio profitendi extemporanea, cujus exemplum oſtendit in textuum
Hippocratis explicatione, gloriaturqve, ſe hoc munus non ſolum rectè, ſed & cum
non parva admiratione præſtitiſſe. Concludit deniqve, nullam diſciplinam eſſe, qvæ
non ex communibus Dialectices præceptis tota poſſit reſolvi, & qvod multa ejus beneficio
indagari ſecreta poſſint. *Liquet*, inqvit, *ab hoc libro* (Dialecticam intelligit)
*neque pauciora neque minus inſignia reſponſa petere licere, quam à præſtanti aliquo Dæmone.
Nam homines ex ſenſibus, ſpeciebus cognoſcunt: Dæmones ex concurſu generalium
affectuum, ut quod hoc tempore, loco, conditione, qualitate, ætate, temperaturâ, moribus,
hac contingunt, quæ nulli alii evenire poterunt. Unde fœcunda eorum cognitio.
Sic & ex hâc arte ad ſpeciales ſubſtantias & individuas vocatas, tum effectus & eventus
deſcendere licebit.* Conjungi cum hoc ejus libro Tractatus ejus *de Inventione* poteſt,
qvi in tom. 10. habetur.

Ad meditandi, diſſerendi, amplificandi, uſum jamdudum qvidam aliqva excogitârunt, 3
qvæ è Logicorum fontibus hauſta; etſi ut novas aliqvi artes propoſuerunt.
Fallor an ipſe Ariſtoteles occaſionem illis inventis dederit, cum Rhetoricor. *lib. 2. cap.
7. §. 11.* agit de amplificandi beneficio, cum ita ait: καὶ περὶ ἁπάσας τὰς κατηγορίας
σκεπτέον. ἢ γὰρ χάρις ἐστιν, ἢ ὅτι τοδὶ, ἢ τοσονδὶ, πότε, ἢ τοιονδὶ ἢ ποῦ. *Ac perluſtrandæ
ſunt animo omnes categoriæ: Spectatur enim beneficium re ipsâ, magnitudine,
qualitate, tempore, loco.* Ex prædicamentorum enim fontibus illa διατύπωσις depromitur.

promitur. Qvare non tàm ipſius *Emanuelis Theſauri*, in libro ſuo Italicâ linguâ ſcripto *Canocchiale Ariſtotelico, ſeu de Ingenioſâ elocutione,* inventum eſt tantopere illi prædicatus Index Categoricus, qvàm ipſius Ariſtotelis. De hoc prædicamentorum uſu videatur Sturmius in librô *de reſolvendâ linguâ Latinâ*, Jodocus Willichius *libro de copiâ verborum & rerum*, Winckelmannus in *Horto & Arbore Philoſophicâ* pag. 135. Sed de hoc Prædicamentorum uſu in ſeqventibus plura.

4 Videbat hos defectus in indagatione rerum Vir ſuo tempore ingenioſiſſimus
variisqve occultioribus ſcientiis magnum nomen promeritus RAIMUNDUS LULLIUS, è
nobili apud Majoricanos familiâ oriundus: Cumqve philoſophica ſtudia eo tempore
non adeò eſſent exculta, ac in Latinâ Græcâqve linguâ mera barbaries regnaret, ma-
gnam tamen ille rem auſus eſt, cum hæc conſilia animo agitaret, qvæ nemini iſto
5 tempore facilè in mentem veniſſent; * Nam in eremum, ut ipſe ait, ſeceſſit, ut eò
melius his ſpeculationibus vacaret, divinam etiam revelationem, ut pretium rei con-
6 ciliaret, jactans. * Qvæ etſi conficta videntur, non induci tamen poſſum ut cre-
dam, qvæ è Petri Montui libro de *unius legis autoritate lib. 5. cap.* 5. adducit Ga-
briel Naudæus in *Apologia Hominum Magiæ inſimulatorum cap.* 14. ex Arabe Abeze-
bron manifeſto plagio omnia cepiſſe Lullium: Nam Naudæus in Lullium eô in locô
7 præter rationem iniqvior eſt, ac alia manifeſtò falſa de illo refert. * Qvid vero
Petrum Montuum, ut hæc ſcriberet, impulerit, ignoro. Nam hujus ſententiæ ratio-
nes nullas adductas video, neqve unius Viri fide recipi illa poſſunt, qvi fortè Arabica
non legit vel intellexit, vel planè talia confinxit; cum & ipſe Lullium totamqve il-
8 lam artem contemptui habeat. * Acerbior qvoqve in Lullium ejusqve artem Ve-
rulamii cenſura eſt, qvi *de Augm. Scientiar. lib. 6. cap.* 2. circa finem, vocat *Metho-*
dum Impoſturæ, qvæ qvibusdam Ardelionibus procul dubio acceptiſſima fuerit. *Me-*
thodus, inqvit ille, *ſcientiæ alicujus guttulas aſpergit, ut quis ſciolus ſpecie nonnulla eru-*
ditionis ad oſtentationem poſſit abuti. Talis typocoſmia nihil aliud fuerit, quam vocabu-
lorum artis cujusque maſſa & acervus ad hoc, ut, qui voces artis habeant in promptu,
etiam artes ipſas perdidiciſſe exiſtimentur. Hujus generis collectanea officinam refe-
runt veteramentariam, ubi præſegmina multa reperiuntur, ſed nihil, quod alicujus ſit
9 *pretii.* * Extat & prolixa in illam artem Berneggeri declamatio, Oratione *de pa-*
10 *randæ doctrinæ modis illegitimis,* qvæ eſt inter Orationes ejus ſecunda. * Parum
qvoqve honorificè de eâ judicat Keckermannus in *Præcognitis Logicis tractat.* 2. ubi
de variis ſuæ & ſuperiorum ætatum Scriptoribus Logices judicat, unde pleraqve illa,
qvæ adverſus eam artem dixerat Berneggerus, *αὐτολεξεὶ*, qvod in Viro doctiſſimo
11 miratus ſum, deſcripſit. * Hamelius in *lib.* 3. *de mente humanâ cap.* 2. §. 3. idem
in illis locis Lullianis vitium agnoſcit, qvod in Dialecticis; qvod fontes nimis genera-
les præbeant, in qvos qvi animum intendat, non corpori proſpicere, ex Fabri judicio,
12 ait, ſed abrupta qvædam, ut fortè ad manum venere, jaculari. * Sorellus in libro
de perfectione hominis tractat. 4. multa de hâc arte, cujus ille ſummam recenſet, ſed
ſimul demonſtrare laborat, mancam eam eſſe & mutilam, neqve illa, qvæ ſibi

propoſuit,

propoſuit, exhaurire omnia. * Qvod ſi omnium iſtorum, qvæ adverſus illam 13
artem dicuntur, ſummam colligas, ad hæc capita facilè reducuntur. 1. Qvod omni-
um ſcientiarum principia miſceantur, qvæ ad illam generalitatem non poſſunt reduci.
2. Qvod loci communiſſimi ſint, qvorum non ſit adæqvatus in dicendo uſus; cum
in qvâlibet oratione ea rem conficiant, qvæ è propioribus argumentis petuntur. 3.
Qvod ordo non ſit accuratus, & in multis ille concinnior dari poſſit.

Primùm qvidem non nego fuiſſe & me inter illos qvondam, qvi hanc artem 14
contempſerunt, ac pro levi & futili commento habuerunt. Verum cùm poſtea non
ſpernendum ejus uſum animadverterem, multosqve, qvi Lullianam artem inſectantur, de
aliqvâ arte inventivâ generali tamen ſollicitos viderem, atqve adeò non tàm rem ipſam,
qvàm Lullium, contemnere, honeſtiùs de illâ arte mihi judicandum duxi. Præſertim
cum Viri magni nominis, ac Philoſophiæ etiam Peripateticæ addicti, non ſolum ſum-
mè commendarent, ſed etiam Commentariis uberrimis illuſtrarent. * Ac primùm 15
qvidem non contendam cum aliqvo ſuper eo, annon fortè in qvibusdam emendari
illa Lulliana commenta poſſint, & accuratiore ordine deduci: neqve barbarum ejus
dicendi genus negabo; non enim in elegantioribus literis illi ultra ætatem ſuam ſape-
re licuit. Qvare & Scioppius libro de ſtylo hiſtorico illum vocat *lutulentum & in-
eptum Scriptorem, ſed tamen portentoſi acuminis.* * Sed illa nunc ſeponenda ſunt, 16
neqve ubi de rebus ipſis agitur attendenda. Ea verò, qvæ adverſus rem totam affe-
runtur, minimè ejus momenti ſunt, ut illius inventi rationes evertant: Nam principia
ſcientiarum in unum qvaſi chaos confundi, inepta qverela eſt; qvod fieri oportet, cum
tale aliqvod *ὄργανον* generale qværitur. Neqve confunduntur illa, ſed ſuis genera-
libus terminis ſatis diſtingvuntur. Atqve ita fieri ſanè debet, ſi ad praxin deſcendit
Logica, atqve ſuum inſtrumentum ceteris ſcientiis applicabit. Non enim inſtrumen-
tum à ſuâ materiâ divelli poteſt. Qvare & nuper recentior aliqvis Scriptor ſub *Lo-
gices Practicæ* titulo hanc artem propoſuit. * Tota hæc ars verſatur in Subjecto- 17
rum & Prædicatorum connexione. Ut verò ſubjecta per omnes diſciplinas, ita &
prædicata per illas vagari debent. Interim tamen ſuas ſibi res ſalvas habent ceteræ
diſciplinæ, qvæ ſuis qvaſi tribubus diſtinctæ, *οἰκεῖα* retinent principia. Neqve is hu-
jus artis ſcopus eſt, qvem nonnulli, ac fortaſſe ipſe Lullius, ineptè jactat, qvaſi una illa
Encyclopædia omnium ſit, illisqve rejectis una hæc inſtar omnium eſſe poſſit: Præci-
puus enim artis hujus uſus in dicendo ſe exerit. * Eſto & hoc, ineptè in illius ar- 18
tis applicatione verſari nonnullos, qvi communiſſimis & forte fortuna oblatis utun-
tur, qvod Hamelius aliiqve objiciunt, atqve ita temerariam aliqvam loqvacitatem,
non veram eloqventiam formari; tamen nec hoc genuinum ejus artis uſum tollit.
Qvemadmodum neqve Locorum Dialecticorum uſus rejiciendus eſt, qvod illis aliqvi
non rectè uti nôrint. Ipſa illa Enthymemata Rhetorica Ariſtotelis, qvæ maximè
οἰκεῖα ſunt, & magno numero ab illo proponuntur, niſi incidant in benè ſubactum ju-
dicium, qvod delectum in illis inſtituere novit, in futilem aliqvam loqvacitatem ce-
dent. Artifex verò ea, qvæ rebus inſunt, qvæqve *ὑπάρχοντα* cauſæ ſunt, minimè ne-

 gligen-

gligenda ſibi & qvàm pleniſſimè proponenda exiſtimat. Iis nugatoribus, qvi ad extemporalem loqvacitatem bonis præceptis abutuntur, bonam mentem precor. De
19 cetero non aliter hæc doctrina comparata eſt, ac multæ aliæ. * Multa ſunt, qvæ ad artis regulas revocari poſſe, dubium nullum eſt: ſi tamen arti nimis inhæreas, inſuavia omnia fient, & nonnunqvam inepta. Argutiarum aliqva ars eſt; ſed ſi ſecundum illam ſemper dirigantur, frigidus interdum videberis. Habet aliqvid naturæ impetus imperveſtigabile, qvod neſcio qvomodo ad regulas alligari ſe non patitur; ipſum tamen, etiamſi non obſervaveris, ad artis regulas qvam optimè factum deprehendetur. Sed natura ipſa qvaſi omni arte ſuperior per exempla & ſpecimina ſua arti regulas ſubminiſtrat. Prolixus eſt in hoc demonſtrando Autor *artis cogitandi part. 3. cap. 17.* qvi tamen eâ re ad locorum vel Dialecticorum vel Lullianorum inutilitatem probandam abuſus eſt. Etſi enim non ſemper ad tales locos recurrant Oratores, etſi qvidam etiam ineptè iis utantur; tamen in illis eloqventiæ perfectio efficit, ut
20 non attendant; hi inſcitiâ ſuâ artis autoritatem non evertunt. * Eſto, non cogitare Oratorem de his locis, qvemadmodum illi, qvi ambulant, non ſolliciti ſunt, qvomodo motus in articulis excitetur: eſt tamen ſæpè, ubi locus Oratorem monet, ſi forte alicubi hæreat, ut in Bibliotheca plures ſecundum ordinem rerum diſpoſiti Scriptores ſuggerunt, qvæ ſine hoc ſubſidio in mentem non veniſſent. Sed judicii boni
21 eſt ſeligere ex illo acervo, qvæ ſunt optima. * Sæpe hoc mihi evenit vel carmen vel orationem ſcribenti, ut dum ὑπάρχοντα ejus animo perpendo, infinita propemodum per omnes κατηγοριῶν & generalium attributorum claſſes eunti ſub manu naſcantur, unde pauciſſima in uſus meos excerpo: Plerumqve tamen ſine operosâ cogitatione mentisqve deductione illa mihi ſuccurrunt, ſuntqve in iis optima, qvæ prima, & inge-
22 nii prævenientis ϛοχασμῷ citra notabilem locorum ἀναγωγὴν ſuggeruntur. * Unde verum deprehendo, qvod Cardanus libro *de Inventione* dicebat, inventionem potentiâ eſſe infinitam, actu finitam. Nam ſubſiſtendum in aliqvo præcipuo eſt, ne infinitè mens noſtra vagetur, qvod interdum ſtatim illa occupat, interdum anxiâ indagine qværit ac inveſtigat.

23 Typus hujus artis in eo conſiſtit: Primùm duos circulos ſubjectorum ponit Lullius, majorem & minorem. Ille continens & immobilis dicitur domicilium ſubſtantiarum, & generalia hæc ſubjecta ordinat, *1. Deum. 2. Angelum. 3. Cœlum. 4. Hominem. 5. Imaginativum. 6. Senſitivum. 7. Vegetativum. 8. Elementativum. 9. Inſtrumentativum.* Subjectum inſtrumentativum conſideratur vel naturaliter, vel moraliter. Naturaliter conſideratum habet in ſe novem prædicamenta accidentis: Unde efficitur alter circulus ſubjectorum, minor contentus & interdum mobilis, ſedes accidentium, in qvo 1. *Quantitas.* 2. *Qualitas.* 3. *Relatio.* 4. *Actio.* 5. *Paſſio.* 6. *Habitus.* 7. *Situs.* 8. *Tempus.* 9. *Locus.* Inſtrumentum moraliter conſideratum, prout conjunctum eſt vel cum virtute vel cum vitio, novem numerat virtutes totidemqve vitia. His terminis πάντα νοητὰ καὶ ὄντα ſubſunt. Hos ſubjectorum circulos excipiunt circuli Prædicatorum. Prædicata verò vel ſunt abſoluta, vel reſpectiva. Illa ſunt

ſunt 1. *Bonitas.* 2. *Magnitudo.* 3. *Duratio.* 4. *Poteſtas.* 5. *Appetitus.* 7. *Virtus.* 8. *Veritas.* 9. *Gloria.* Habet verò hic circulus in pleno triangulum, in qvo reſident termini generaliores, *Eſſentia, Unitas, Perfectio.* Illis prædicatis generalibus ſpecialia longo ordine, tàm cognata, qvàm repugnantia ſubſterni poſſunt, qvæ leguntur apud Petrum Gregor. *lib.* 3. *Syntax. artis mirabilis*, & Alſtedium *in Clave artis Lullianæ.* Reſpectiva prædicata ſunt, 1. *Differentia.* 2. *Oppoſitio.* 3. *Concordantia.* 4. *Principium.* 5. *Medium.* 6. *Finis.* 7. *Majoritas.* 8. *Minoritas.* 9. *Æqualitas.* Qvæ & ipſa ſpeciales terminos continent, qvorum non contemnendus in amplificationibus uſus eſt, qvâ de re ſuo loco. Additur circulus compoſitus ex qvæſtionum formis, qvarum beneficio ſubjecta prædicatis ſuis copulantur, ut formari ex iis concluſiones poſſint, ſuntqve hæ. 1. *Utrum*, referens ſe ad Poſſibile. 2. *Quid*, ad Qvidditatem. 3. *De quo*, ad materialitatem. 4. *Quare* ad Cauſalitatem. 5. *Quantum* ad Qvantitatem. 6. *Quale* ad Qvalitatem. 7. *Quando* ad Tempus. 8. *Ubi* ad Localitatem. 9. *Cum quo*, ad inſtrumentum vel modum. * Atqve ex his circulis variè per rotas inter ſe converſis 24
omnia illa, qvæ vel diſputando vel dicendo qværimus, eruuntur: ut in ipſis illis Autoribus, qvi artem Lullianam Commentariis illuſtrarunt, prolixiùs legi poteſt. Lullius ipſe ſcripſit *Artem brevem & magnam Inventivam, Demonſtrativam, Artem mixtionis principiorum*, librum *de Auditu Cabaliſtico*, *Arborem ſcientiæ.*

Non defuerunt inter Philoſophos, qvi artem illam ambabus, qvod ajunt, ma- 25
nibus amplexi fuerunt, operoſosqve in eam Commentarios ſcripſerunt, non pauci tamen ut rem anxiæ & obſcuræ diligentiæ damnarunt: è qvibus Keckermannus ſuprà nobis nominatus fuit, qvem diligentiſſimè refutavit Alſtedius in *Clave Artis Lullianæ cap.* 4. * Extat & JOH. DE RIERA Tractatus, in qvo reſpondet omnibus, qvæ 26
hucusqve objecta ſunt Doctrinæ Raimundi. Artis Lullianæ uſum per omnia diſciplinarum genera, Logicam, Rhetoricam, Phyſicam, Mathematicam, Mechanicam, Medicinam, Metaphyſicam, Theologiam, Ethicam, Jurisprudentiam, barbarâ qvidem dictione pro ſui ſeculi genio, ſed magnâ tamen curâ, nec ſpernendo ingenii acumine, ostendit * BERNHARDUS DE LAVINHETA, cujus Opera, rejectis illis, qvæ ipſi aliena 27
à ſcopo hoc videbantur, Coloniæ Ann. 1612. recudi fecit Joh. Henricus Alſtedius. Variè autem à multis & interpolata & illuſtrata ſunt illa Lulliana. * PAULUS 28
SCALICHIUS DE LIKA Comes Hunnorum, S. Theod. Doctor, ac poſtea Electoris Brandenburgici primarius Conſiliarius, inter cetera Opera *Epiſtemonis Catholici libros* edidit: ubi libro 11. agit *de revolutione Alphabetariâ ſive perfectiſſimâ ad omne genus ſcientiarum methodo*; hanc qvoqve Lullianam doctrinam explicare laborat, ſed plus intricare videtur, dum Cabaliſticis ſubtilitatibus miſcet, in terminis etiam reducilibus eorumqve oppoſitis diſcrepare à Lullio aliisqve videtur. * JORDANUS BRUNUS 29
Nolanus, Vir ingenioſus, ut ex ejus librô de *Univerſo & Mundis* patet, & meliore fato dignus, aliqva ad hujus artis dilucidationem ſcripſit; qvæ inter eſt ejus liber de *progreſſu & lampade venatoriâ Logicorum* Ann. 1587. editus, & alius de *Specierum ſcrutinio & Lampade Combinatoriâ Lullii Doctoris Eremitæ omniſcii propemodumque divini*,

Pragæ 1588. editus: In cujus præfatione promittit, ſe propediem ſub titulo *Lampadis*
Cabaliſticæ aliqvid permagni momenti in lucem producturum, qvod Vir ille divinus
ſub inſcriptionibus Auditus Cabaliſtici & Septemplicis arboris occuluerit & ob-
30 ſignârit: qvod an lucem viderit, ignoro. * PETRUS GREGORIUS THOLOSANUS
JCtus & Academiæ Pontimuſſanæ Profeſſor, *Syntaxin artis mirabilis* ad Lullii metho-
31 dum qvidem ſcripſit, ſed de arte ipsâ nihil apud illum habetur. * CORNELIUS
AGRIPPA *Commentarios* uberrimos in eam artem ſcripſit, ita tamen, ut magis intricare
videatur, & in libro *de vanitate ſcientiarum* eodem cum ceteris omnibus loco habeat.
32 * JUL. PACIUS, optimus ille Organi Ariſtotelici editor, libris qvatuor artem Lullia-
33 nam emendavit, qvi Valentiæ Ann. 1618. in 8. editi ſunt. * CLAUDIUS CLEMENS,
Burgundus, *Prodromum Scientiarum Artiumque liberalium ſcripſit, ad Peripateticæ*
Scholæ & Cabaliſticæ doctrinæ [ut titulus habet] *puriſſimos fontes revocatum, Venetiis*
Ann. 1651. editum, qvi tamen eô in librô intra Logicæ ſe terminos tenet. An illum
Prodromum alii ſint ſecuti, ignoro. Sed hâc ratione tricarum nullus finis erit, ſi ſcho-
34 laſticæ minutiæ cum Lullianis illis miſceantur. * SEBASTIANUS IZQVIERDO *Pha-*
rum qvoqve *Scientiarum*, vaſtum librum, edidit, in qvô artis hujus campum latiſſi-
mum oſtendit, in qvô *de combinatione* aliqva addidit, qvæ ingenio non deſtituuntur.
35 * Ex Hiſpanis Ann. 1613. & 1619. Turiaſone in 4to edidit PETRUS HIERONYMUS
SANCHEZ DE LIZARACO, Arragonius, Decanus & Canonicus Eccleſiæ Turiaſonenſis
Methodum generalem & admirabilem, ad omnes ſcientias facilius & citius addiſcendas,
in quâ Raimundi Lullii ars brevis explicatur, & multis exemplis variisque quæſtionibus
ad praxin, quod nunquam factum legitur [ſic enim titulus habet] *apertiſſimè reducitur.*
Idem, teſte Nicolao Antonio, *Artem magnam* ſimiliter *explicatam*, aliosqve plusqvam
triginta diverſarum rerum tractatus, prælo, qvod propriis ſumptibus domi inſtruxe-
36 rat, propediem ſubjecturus erat, niſi mors editioni curæqve interceſſiſſet. * Hi-
ſpanicâ linguâ de hâc arte ſcripſerunt *Auguſtinus Nunnez Delgadillo, Petrus de Gve-*
37 *vara*, & *Joannes Arce de Herrera* Apologiam pro Raimundo ſcripſit. * *Jaimus*
Januarius ſuperiore ſeculo *Artem Artium Raimundi, & Franciſcus Marzal Artem*
generalem illuſtratam, Petrus Cirvelo itidem Artem Raimundi ſcripſerunt. Raimundi
Lullii libri ipſi cum Jordani Bruni, Agrippæ & Valerii de Valeriis *illuſtrationibus* jun-
38 ctim editi Argentorati in 8. 1617. * Gallicâ linguâ hanc artem qvoqve propoſuit
Nicolaus de Hautville libro, cui titulus *Art de Diſcourir*. Pariſ. in 12. Ann. 1666. Ex-
39 tat & *Ivonis Capuccini*, Pariſienſis, *Digeſtum Sapientiæ* tomis 3. in folio. * Ab
aliis laudatos libros, *Cornelii Gemmæ Cyclognomica* tribus tomis Antv. 1659. edita;
Ægidii Moncurtii Typum omnium ſcientiarum in 8. Lugd. 1591. editum; *Biſterfeldii*
Phosphorum Catholicum ſeu Epitomen artis meditandi; *Petri Moreſtelli* Encyclopæ-
diam ad Artem magnam Lullii, Lugd. in 8. 1646. editam; *Chriſt. Kriegsmanni* Pan-
toſophiæ ſacro-prophanæ, à Raymundo Lullio in artem redactæ, ab ipſo elimatæ ac
40 locupletatæ Tabulam, Spiræ in 8. 1671. editam; nec vidi, nec legi. * *Alſtedii*
Clavem Artis Lullianæ & veræ Logices, Argent. 1610. in 8. editam, jam ſuprà nomi-
navi,

navi, qvi magnus Lullii Hyperaſpiſtes eſt. Idem qvoqve *Criticum* ſcripſit de *Harmoniâ Philoſophiæ Ariſtotelico-Lullianæ & Rameæ*, Herbornæ in 8. 1610. editum.
* Saltavit & in hoc theatro ATHANASIUS KIRCHERUS, centum ille doctor artium, 41
qui artem magnam ſciendi ſeu combinatoriam ſcripſit, Amſtelodami 1669. in fol. editam.
Opere hoc artem illam Lullianam reconcinnare voluit, qvæ & inde *Kirchero-Lulliana*
dicitur. * Defectus aliqvos in illo emendare, noviſqve exemplis illuſtrare labo- 42
rat, multa alia extemporalis eloqventiæ & poëſeos parandæ τεχνήματα venditans;
qvâ de re etiam alii ante illum cogitarunt. Raro enim in viâ ab aliis non tritâ ambulat: ſed hæc inepta ſunt, & ad futilem ac inanem pompam commenta, de qvibus
nos ſuo loco. * Compendium aliqvod artis Lullio-Kircherianæ CASPAR KNIT- 43
TELIUS e Soc. Jeſu propoſuit in libro, cui titulus: *Via Regia ad omnes ſcientias & artes, h. e. Ars univerſalis ſcientiarum omnium artiumque arcana faciliùs penetrandi.* Liber Pragæ editus in 8. An. 1682. & An. 87. recuſus. Multa in illô librô promittun-
tur ſingularia arcana. * Primùm de arte combinatoria agit, monſtratqve qvoties 44
inter ſe numeri, literæ, res, propoſitiones combinari, & ipſarum combinationum combinationes inveniri poſſint: qvod ille inventionis artificioſæ in ſcientiis humanis unicum inſtrumentum vocat. Hâc arte omnes figuras earumqve modos in Logicâ, omnes primarum qvalitatum combinationes in phyſicis inventas ait. Eô beneficiô Kircherus *Muſarithmicam ſuam*, qvâ qvilibet Muſicæ imperitus ad componendi notitiam pervenire poſſit; item *Polygraphicam Univerſalem*, qvâ qvis uno tantùm idiomate inſtructus cum omnibus totius orbis nationibus literarum commercium inſtituere poſſit; tùm *Arcam mathematicam*, qvâ imperitus ad qvævis recondita mathematica reſpondere poſſit; deinde *Artificium linguarum, palmari arculâ incluſum*, in qvô omnes totius mundi linguæ ad unam reducuntur; nec non *Artificium rhetoricum & poëticum*, qvo qvisqve etiam Oratoriæ & Proſodiæ rudis Orationem & Carmina ex tempore ſcribere poſſit, & plurima alia, inveniſſe dicitur. Verùm, qvod ad linguarum artificium attinet, hujus inventi primus *Beccherus* autor fuit, qvi ante Kircherum *Characterographiam Univerſalem* ſcripſit, ac artificium illud poëticum aliqvis *Webbius*,
Anglus, dudum ante Kircherum expoſuit; de qvo nos ſuo loco. * Agit porrò 45
de arte Analogicâ, qvæ ſanè non ſpernendum uſum habet. Comprehenditur illâ verò arte ea intellectus operatio, qvâ, qvod Subjecto convenit uni, per analogiam tribuitur alteri, ac fundamentum omni inventioni argutæ ſubminiſtrat. Izqvierdo Translationem vocat. Ejus uſus magnus in artibus ac experimentis inveniendis eſt; qvod & Verulamius multis exemplis in *Novo ſuo Organo* & libro *de augmentis ſcien-*
tiarum notavit. * Pro uſu poëtico & oratorio in meditando & argutiis adhiberi 46
commodiſſimè præcepta Emanuelis Theſauri poſſunt, ejusqve Index Categoricus. Agit de Hebræorum Cabala, ac Pythagoræorum prædicamentis, qvæ ut obſcura ac
inutilia rejecit. * Hinc de Categoriarum ſeu Prædicamentorum & Locorum Dia- 47
lecticorum uſu agit, & ad artem Lullianam procedit, cujus defectus VII. notat. 1. qvod per unam literam plura ſignificet Lullius (qvod ego illum, nec ſine ratione, conſultò

 feciſſe

feciſſe autumo) 2. qvod memoriâ excellentiſſimâ illa vix teneri poſſint. 3. qvod impoſſibile ſit in hâc arte qvidpiam præſtare, niſi qvis jam antè in ſcientiis verſatus ſit. (Et hoc ego non pro defectu habeo, ſed pro neceſſario reqviſito præſuppono, ut ipſe Autor in ſeqventibus p. 90. præſupponit: Ad diſputandi enim & dicendi finem illæ artes primariò inventæ ſunt.) 4. qvod ars Lulliana non demonſtret, qvot ſint combinationes ſeu conjunctiones poſſibiles ex terminis datis; (qvod ut ſupervacuum ego conſultò prætermiſiſſe puto.) 5. qvod non agat de qvaternariis ac de qvinariis combinandis. 6. qvod non rejiciat combinationes inutiles. 7. qvod ſtylus Lullii bar-
48 barus. * Tandem Artem Lullianam à Kirchero emendatam ut perfectiorem proponit. Illa verò conſiſtit in eo emendatio, qvod nova comminiſcatur Alphabeta, aliis literarum formis alioqve ordine, qvæ mihi res exigua videtur. Deinde terminos enumerat, ad prædicata tàm abſoluta qvàm reſpectiva, reducibiles: ſed ad certum numerum non reduxit; qvod tamen ante ipſum fecit *Petrus Gregorius Tholoſanus*, qvi ſub unaqvaqve litera & cognata & repugnantia collocavit. Differit porrò Knittelius de hujus artis uſu, qvi major ſit in libris ſcribendis, qvàm in argumentatione ſubitâ inveniendâ, qvæ multam exercitationem reqvirat; in probandis & oppugnandis qvi-
49 buscunqve propoſitionibus qvarumcunqve ſcientiarum. * Subjungit Tabulam Combinatoriam, in qvâ per artem combinatoriam principia tàm abſoluta qvàm reſpectiva Lulliano-Kircheriana ita diſponuntur, ut eâ, qvicqvid in humanarum divinarumqve rerum ſcientiâ lateat abſconditum, erui poſſit. Ejus uſum per definitiones, diviſiones, probationes, oppugnationes deducit, variisqve exemplis, Theologicis, Juridicis, Medicis, Mathematicis, Chymicis, Metaphyſicis, Politicis, Moralibus, Rhetoricis,
50 Poëticis, Mechanicis illuſtrat. * Addit ultimò varias praxes & arcana, ut vocat, qvomodo de qvâcunqve re propoſitâ ſtatim librum concipere & in capita dividere, de qvâcunqve re ex tempore diſſerere, argumentari, librum facilè memoriâ retinere, de qvocunqve themate orationem formare, orationem mentalem per horam, dies & ſeptimanas protrahere, rem qvamcumqve deſcribere, per apologos & fabulas proponere, Emblemata & Hieroglyphica invenire, cum Grammaticis primordiis philoſophiæ naturalis & moralis myſteria addiſcere, ingenioſè ex libris furari, de qvâcunqve re hiſtorias expeditè ſcribere, adverſaria de qvâcunqve re facere, majorem librum expeditè in compendium redigere, Locos Communes, tùm pro diſſerendo, tùm pro memorando, qvôcunqve propoſito themate in corpore noſtro velut ſtigmata circumferre, de qvâcunqve materiâ conſilia dare, omnes argutias ad unam regulam reducere, aſſumptum thema in infinitum multiplicare, ex falſo rem demonſtrare, qvidlibet per qvidlibet
51 probare, poſſimus. * Qvædam ex illis arcanis jam tum JANUS CÆCILIUS FREY in *Via ad ſcientias, linguas, ſermones extemporaneos novâ & expeditiſſimâ*, libro Pariſiis primò edito, & Jenæ ac Arnſtadiæ recuſo Ann. 1674. docuit, qvi & titulum libro Knitteliano commodaſſe videtur. Ejus tamen mentionem à Knittelio factam non
52 memini. * Superiore Ann. 1686. qvidam UDALRICUS STAUDIGL Benedictinus, Romæ edidit *Logicam Practicam*, qvam & Nobilium Logicam vocat, ſeu omnium

ſcientiarum ac artium organum univerſale, cui in multis cum Knittelio convenit: Nam & de arte combinatoriâ & arte Analogicâ agit, & præterea multa immiſcet, qvæ etiam à Knittelio adducuntur. Partes duas hujus ſuæ Logicæ facit, primam Theoreticam, alteram Practicam. In prima de prædicabilibus, prædicamentis, eorumqve tabulis & diviſionibus; item de enunciationibus & ſyllogiſmo agit. Parte alterâ agit 1. de Qvæſtionibus. 2. de Methodo. 3. de Terminis Reducibilibus ad ſua prædicamenta. 4. de Dialecticâ, 5. de arte Analogicâ, qvam explicatius Knittelio proponere videtur: conſiderat enim Analogiam per comparationem Subſtantiæ ad Subſtantiam, Subſtantiæ ad Accidens, Accidentis ad Accidens. 6. de arte Combinatoriâ. In eo tamen differt hîc à Knittelio, qvod pleraqve, qvæ Knittelius ad Locos Lullianos, ille ad uſitata illa Prædicamenta deducat, atqve ſecundum eorum ordinem praxes ſuas inſtituat: Qvod feliciter ſanè illi ſuccedit, & ſuprà nos ex ipſius Ariſtotelis conſiliô commendavimus, & ſuô locô pluribus eorum uſum oſtendemus.
* Ac poſſunt ſanè omnia illa prædicata Lulliana ad prædicamenta reduci, niſi qvod in 53
iis prædicamentis, ut in Qvalitate, Actione & Relatione, qvorum uſus in diſſertando latiùs patet, ſpecialiores tituli ponantur; Qvi ſi per ſubdiviſiones generalibus titulis ſuis ſubordinentur, eodem res redit.

Artem hanc Lullianam, qvatenus ad Rhetoricam refertur, operoſiùs, etſi obſcu- 54
riusculè perſecutus eſt, ac nova qvædam amplificandæ orationis alphabeta invenit, Jordanus Brunus ingenioſô certè neqve ſpernendô conatu, cujus non exiguus eſſe uſus poſſit. Prodiit liber hoc titulo: *Artificium perorandi* traditum à Jordano Bruno, Nolano Italo. * Edidit Alſtedius Francofurti Ann. 161. qvi in *Conſilio ſuo* 55
de copiâ rerum & verborum, qvod cum *Sadileti* (Alſtedii) *omnium Facultatum & Studiorum Cenſurâ* Argentorati Ann. 1664. prodiit; ubi de orationis variatione per Alphabeta Lulliana agit; Schematiſmum qvoqve Alphabetorum Jordani Bruni cum aliqvot exemplis proponit. * Primùm ille loca Enthymematum ad certa genera 56
applicata ex Ariſtotele aliisqve Rhetoribus, ſed novô qvodam modô interpolata, proponit. Patre ſecundâ de copia verborum agit, illiusqve artificium per ſex Alphabeta tradit. *Primum continet terminos generales* ſub locis 26. diſpoſitos, qvorſum omnia propemodum referri poſſunt, qvæ dici de re aliqvâ ſolent. *Secundum eſt Alphabetum Indumentorum*, qvæ vocat Autor, qvod non ſpectant ad orationis materiam, ſed tantùm ad externam formam. *Tertium eſt modorum*, qvi ſunt velut colores, qvibus indumenta imbui & exornari poſſunt. Atqve iſta duo Alphabeta, ſecundum & tertium, combinantur. *Quartum eſt Complicationis*, qvod certâ qvâdam tabulâ combinatoriâ proponit, qvæ notis per longitudinem & latitudinem ductis omnem variandi rationem ob oculos ponit: Alſtedius ſe hanc variationis meſſem ſæpe attonitum adſpicere ait. Subjungit hîc duo *Alphabeta Practica*, qvorum *primum* ſecundum ſuos locos & titulos contineat formulas oratorias, *alterum* contineat terminos accidentales, ut notas interjectionis, ſubjunctionis, graduationis, relationis, differentiæ, continuationis, qvæ ex prædicatis Lullii abſolutis & reſpectivis ſuppleri poſſunt. * Et hæc 57

qvidem

qvidem Rhetorica praxis non eſt ſpernenda profectò, ac multum habet uſum, & *novæ eloquentiæ methodo, Rhetòricam Ariſtotelicam & Lullianam complectenti, ſimulque ſcientiarum generale ſeminarium aperienti* (ita enim titulus habet) *ab Anonymo Pariſiis Ann.* 1663. *in* 12. *editæ* præferenda videtur: Nam hîc tantùm præcepta Lulliana recoqvuntur leviter mutata, & qvaſi in συνόψει exhibentur, ipſa verò praxis & applicatio
58 ad artem Rhetoricam omittitur. * Fuit & Gallus aliqvis JEAN BELOT, qvi in libro, cui titulus: *l' Oeuure des Oeuures ou le plus parfaict des ſciences Steganographiques, Paulines, Armedelles & Lulliſtes*, Lugduni An. 1654. in 8. edito, Dialecticum & Rhetoricum artificium ſecundum artem Lullianam, aliâ qvâdam ratione interpolatam, cum mirificis elogiis propoſuit. Ejus beneficio ille orationes, conciones, citiùs qvam
59 pyrum vulpes comeſt, confici, îmo ex tempore haberi poſſe, gloriatur. * Ceterum argumentorum & enthymematum omnium, qvibus ad diſſerendum uti poſſumus, fontes & locos feliciſſimè atqve uberrimè digeſſit Vir Clariſſ. VINCENTIUS PLACCIUS in *Excerptis illis Rhetoricarum Acceſſionum*, integrè olim edendarum, unâ perpetuâqve διατυπώσει delineans, qvicqvid vel è locis Dialecticis ad Oratorem pertinet, vel Loci Communes & proprii Rhetorici Ariſtotelis, ac deniqve ipſa illa rerum ſeries ac ingenium illi ſuggeſſerunt: ut profectò meritò gloriari poſſit, nihil apud ceteros inventionum fabros, qvantum ad argumenta, novi eſſe, qvod non ſuis illis axioma-
60 tibus contineatur: * Et rectè ſane judicat, cum ait, *ad ſcientias non tàm multitudinem quaſtionum aut probationum, quàm ſoliditatem definitionum, accuratiorum diviſionum & membrorum ſingulorum ſuis eſſentialibus & propriis attributis inſigniendorum ſubordinationem juſtam requiri: è tanto vero numero inventorum* (ut latitant multa) *utilia ſeligere ſummæ difficultatis rem fore, niſi peculiari arte utilia ab inutilibus ſecernantur.*

61 Sollicitum ea res qvoqve habuit Virum ingenioſiſſimum & præ ceteris omnibus tam intricato negotio parem GOTHOFREDUM GUILIELMUM LEIBNIZIUM, qvi in diſſertatione *de arte combinatoriâ* Lipſ. Ann. 1666. in 4to editâ, ſubtiliſſimas de hâc arte obſervationes inſtituit. De arte Lullianâ judicat p. 33. qvod tota ejus methodus potius dirigatur ad artem ex tempore diſſerendi, qvam plenam de re datâ ſcientiam conſeqvendi. Defectus multos illìc, tum in terminorum numero, nominibus, combinationibus, oſtendit; qvorum medelam fruſtra à Kirchero ſperavit. Titulos ſubjectorum rectè ordinatos ait. Laudat Joh. Henrici Biſterfeldi *Phosphorum Catholicum*, ſuprà nobis memoratum; doletqve ingenioſi Viri *Joh. Hoſpiniani* Steinani Prof. Organi Baſileenſis, qvem promiſerat libellum *de inveniendi & judicandi facultatibus*, in qvô emendationem doctrinæ Topicæ paraverat, locosqve recenſuerat 180. maximas 2796. inſigni rei Logicæ damno interiiſſe. In arte combinatoria ejusqve novis regulis ac præceptis inveniendis multum laborat, uſumqve complicationum ac transpoſitionum per univerſum ſcientiarum orbem oſtendit: nova qvoqve Artis Meditandi ſeu Logicæ Inventionis ſemina ſpargit. Nam in modis figurisqve Syllogiſmi indagandis, diſcernendis, miram ille ſolertiam adhibuit. Inter alia qvoqve in Beccheri

Polygra-

Polygraphias artificio, ſuprà nobis memorato, defectus notavit; hocqve qvondam ab Hiſpano illo, cujus meminit Digbæus *cap. 28. n. 8. de Nat. Cap.* & Caſpar Schottus in *Technicâ Curioſâ lib.* 7. conſilium fuiſſe agitatum ait: qvâ de re tamen apud Digbæum nihil extat. * Elegans qvoqve eſt illud Dn. de Breiſſac inventum, 62
qvod ex Harsdörfferi *Supplementis Schwenterianis part. 2. ſect. 10. prop. 25.* recenſet; qvi omnia, qvæ in re bellicâ attendere bonus Imperator debet, ita complexus eſt, ut novem rotis ex papyro concentricis & ſe invicem circumdantibus, promotâ qvâcunqve leviter rotâ, nova qvæſtio novaqve complexio prodeat.

Multa nova, mirabilia, ſtupenda nobis inventa promiſerat QVIRINUS KUHLMANNUS, Juvenis ingenioſus, ſed ἐνθουσιαζόμενος, & neſcio qvô impetu agitatus, mirificus rerum ſuarum præco: qvæ è longè accuratiore, qvàm vel Lullianâ, vel Kircherianâ, methodo, ac divinitus inſpiratâ, profluxiſſe venditat: & extant qvoqve *peculiares* ejus *ad Kircherum de novâ illâ arte combinatoriâ Epiſtolæ.* De Lullio tamen magnificè ille ſentit. *Legimus*, inqvit, *Lullium & relegimus, Lulliumque in ipſo Lullio raro in Lulliſtis legimus. Nec mirabamur, tàm paucos Lullium vix ac ne vix quidem cepiſſe, multos etiam ſanctiſſimum hominem ſeverioribus obeliſcis pupugiſſe, quia illius lectionem interpretationemq; ſine afflatu lumineq; divino fuere aggreſſi.* * Ceterum in illis Epiſtolis mirifica jactat, ac in *Prodromo Quinquennii ſui mirabilis* hos librorum titulos enarrat, è qvibus ſunt: *Ars magna eloquentiæ ſolutæ & ligatæ*, univerſali methodo ad omnes Europæ populos directa, qvæ *capitis* loco Kircherianæ Combinatoriæ poſſet inſervire; in qvâ innumerabilis & propè infinita verborum copia per luſum ingenii comparatur, ut qvilibet de qvâvis re vel extemporalia carmina poſſit fundere, vel copioſè, ornatè, promptè ad ſtuporem usqve diſſerere: *Ars magna ſciendi*, in qvâ methodo planè admirandâ omnes ſcientiæ proponuntur, ut aliqvis hoc unico ſcripto confiſus de omnibus rebus diſſerere poſſit; qvod ſcriptum Artis Lullio-Kircherianæ *pedes* eſſe poſſet, & pro materia habebit Theologiam, Jurisprudentiam, Medicinam, Philoſophiam, Philologiam cum artibus Mechanicis: *Ars magna ſcribendi*, qvâ via docebitur ſcientias augendi, & methodus facilis librorum, inanium exceſſum, utilium defectum cognoſcendi, illum vitandi, hunc emendanda, tantâ perfectione, ut nullus mortalium librum edere poſſet, qvem non iſta ars ſcribendi comprehenderet; nec ullus hominum tàm inſulſo judicio præditus ſit, qvi hâc inſtitutione libros doctos, novos, utiles, omni rerum ſcientiâ plenos, leviſſimâ operâ edere non poſſet: *Ars magna linguas diſcendi*, qvâ feliciſſima inſtituendi methodus in Tomis duobus docebitur: *Ars magna commentandi*, ſive commentarius, omnibus Criticis palmam gloriæ præripiens; & ad omne genus ſcriptorum Romanorum perfectiſſimus; qvod unicum opus tot mille Criticos Philologosqve ad unitatem reducet: *Ars magna Critices*, viam accuratam oſtendens de omnibus omnis generis Scriptoribus judicium formandi & firmandi: *Ars magna, ſeu Harmonia Adagiorum* omnium populorum, Ebræorum, Arabum, Græcorum, Latinorum, Anglorum, Italorum, Hiſpanorum, Gallorum, Belgarum, Germanorum &c. univerſali methodo ad gloriam uſumqve

omnium gentium eruta: *Ars magna Hiſtoriæ ſpecialis Hominis*, Status Politici, Eccleſiaſtici, Oeconomici Regnatoris. Tomus I. debet continere totius vitæ, h. e. ingreſſi, progreſſi, egreſſi Synopſin, arte univerſali elaboratam, omniumqve vitarum & rerum geſtarum ſuarum Scriptores & imagines Cæſarum, Regum, Electorum, Ducum, Principum, Pontificum, Cardinalium, Comitum, Baronum, Nobilium, togatâ ſagatâqve hiſtoriâ illuſtrium, omnium populorum Europæorum, antiqvorum, neotericorum, mortuorum, viventium, ordine Alphabetico concinnatorum, cum tot ſpecialibus indicibus, qvot populi, ſi indices Ethico-Politico-Chronologicos excipias. In hoc autem Opere omnes Hiſtorici ad unitatem reducuntur. Tomus II. poſſidere debet compendium Eruditorum Europæorum, h. e. omnium Theologorum, JCtorum, Medicorum, Philoſophorum, Philologorum, ſcriptis Græcis, Latinis, Germanicis, Italicis, Gallicis, Hiſpanicis, Belgicis, Anglicis, Hebraicis, &c. illuſtrium, antiqvorum, neotericorum orthodoxorum, mortuorum, viventium vitam, accurata brevitate narratam, libros & nominatos & judicatos, ordine etiam Alphabetico. Indices adduntur juxta materias librorum, ut unô qvaſi oculô unusqvisqve perſpici poſſit, qvâ de materiâ qvilibet ſcripſerit. Mirandum etiam hoc eſt, qvod alii magnis Voluminibus deſcripſerunt, hoc unico indice longè perfectiùs hîc abſolvitur, & ad unitatem reducuntur Scriptores qvales qvales. Tomus III. enarrat nomina, inventa, Scriptores Artificum Opificumqve, in universâ hiſtoriâ ſcriptisqve eruditi orbis notorum, neotericorum, antiqvorum, omnium populorum, inventis egregiis ad generis humani ſalutem clarorum, methodo ante dictâ. Promittit porrò *Bibliothecam Bibliothecarum*, cui cedent omnes Bibliothecæ terrarum, cum omnes in unico Volumine comprehenduntur. Nam Scriptores Theologici, Juridici, Medici, Philoſophici, Philologici omnium linguarum, gentium, populorum ex ingenti ſuâ multitudine ad unitatem deperditam virtute methodi univerſalis reducuntur, generali diſpoſitione: nec de Opere illo (inqvit Autor hic) perficiendo deſperaſſem, tantâ judicii acrimoniâ à Deo inſtructus, niſi Omnipotens conſummatione ſeculi laborem abſumeret. Revocamus enim omne ſcibile ad corpus ſuum, ſingulis ſcientiis proprium, qvod univerſali artificio tàm concinnè eſt conceptum, ut cunctos diſciplinæ ſuæ Scriptores poſſideat, ſolis indicibus, nedum ipſo opere, ſcriptoribus optimis præſtans. Inſtruitur ſimul ex corporibus ſingularum ſcientiarum ſpecialibus *corpus univerſale*, iterumqve ex iſtis *corpus corporum Univerſaliſſimum*. Addit ad hujus libri commendationem: *Nullus noſtratium eſſet tantæ lectionis Philologus, Philoſophus, Medicus, JCtus, Theologus, qui denegare auderet, quod innumera in hoc Corpore Corporum ſibi ignorata non legiſſet; nec aliquod legiſſet antea, cujus copia hîc deeſſet. Et quanquam Corpus Corporum omnium eruditorum diligentiam provocaret, tantæ tamen facilitatis eſſet, ut adoleſcentis judicii indu-*
65 *ſtriæque mediocris captus illud caperet.* * In Epiſtolâ I. ad Kircherum ſub manu ſe habere dicit *Corpus Juris Civilis Romani*, cui reſtituet Pandectarum methodum, per tot ſecula deperditam, artificioſam, ſubtilem, ſimplicem, leges maximè illuſtrantem, &
66 infinitas rixas exortas finientem. * In Epiſtolâ alterâ ad Kircherum ejus artem

combinato-

combinatoriam imperfectionis arguit: *Si oretenus tecum agere poſſem de arte tuâ Combinatoriâ, ad oculum oſtenderem, quæ tu nondum credis, in eâ Lullianæ doctrinæ contraria, imperfecta, nimis operoſa, ſimulque tui amore paucis innuerem methodum facilem ſimplicemque, in quâ ſi Combinatorium tuum volumen ſcripſiſſes, operâ longe minore & artem diſputatoriam, quam te præcipuè intendiſse perſpicio, generaliſſimè abſolviſſes, & alienæ induſtriæ mille volumina diſputatoria ejusdem magnitudinis ex tua digeſta materia elaboranda reliquiſſes, Inventoris laude in millenis his operibus te manente. Nam cum arte magnâ univerſali ita comparatum eſt, ut cum numeris. Sicuti enim ab unitate omnis numerus profluit, ipſaque omnium finis iterum exiſtit; ſic ab arte methodicâ centrali omnes ceteræ artes pendent, & iterum in matrem ſuam ſe filiæ reſolvunt.* * De Arca Artium Kircherianâ non ineptum fert judicium: *Video, te ciſtam confeciſſe, in varia receptacula diſtinctam, in quà omnium ſcientiarum rationes univerſales & demonſtrativæ ad reſpondendum exhibentur. Veriſſimum eſt, puerum, impuberem, idiotamque ciſtæ tuæ aſſuetum, poſſe ex iſtâ ad tot quæſtiones reſpondere, ad quot reſponſiones ſuggeruntur. Hæc inventio prorſus ejusdem eſt notæ, cujus illa, qua Gallus quidam Pariſiis Arithmeticam in unâ rotâ 37. circulis conſtante docuit, & Germanus quidam ad 6441. quæſtiones de diſtantiâ urbium inter ſe, unâ tabulâ juxta modum Pythagoreum reſpondit. Fateris enim ipſe, hanc tuam methodum eodem modo, quo Polygraphia & Muſurgia tua, conſtare, in quibus eandem inventionem deprehendo. Sed luſûs eſt ingenioſus, Ingenioſe Kirchere, non methodus, primâ fronte aliquid promittens, in receſſu nihil ſolvens. Sine ciſtâ enim puer nihil poteſt reſpondere, & in ciſtâ nihil præter verba intelligit; tot profert, quot audit, ſine intellectu, ad inſtar pſittaci; & de illo jure dicitur, quod Lacon de Philomela: Sunt verba, prætereaque nihil. Datur autem methodus tam facilis, tam ſimplex, tam expedita, cujus ope pueri, impuberes, idiotæ viâ facillimâ in eruditos evadunt, h. e. in ſcientes, nunquam autem ingenio deſtituti in prudentes & ſapientes.* * Multa paſſim *de Rotis* ſuis *Combinatoriis* jactat, qvibus ordinatis unus homo millies mille, imò millies millies mille ſcribas vincat, qvi tamen primarius rotarum ſcopus non eſt, ſed grandior longè reſtat: nempe notitia providentiæ æternæ, orbisqve terrarum motus. * De Arcano Steganographico Kircheri & Beccheri ita judicat: *Omnes ſuo voto exciderunt, linguarum harmoniam naturalem minimè attendentes, maximamque confuſionem in linguas introducentes. Scias, vir ſagaciſſime, linguæ univerſali omne Alphabetum linguarum ex aſſe contrariari, ejusdemque farinæ eſſe proverbiales linguarumque propriiſſimas formulas. His de cauſis omnes Steganographi, Alphabeti ordinem ſervantes, proverbialesque dictiones novo artificio ſuperare neſcientes, littus arant, univerſali ſimplicique harmonia amiſſa.* * Hanc artificialem linguam, naturalem, univerſalem in *Lexico Univerſali Harmonico & Corpore Adagiorum Harmonico* ſe traditurum promittit. * In Rhetoricis inaudita nobis narrat: *Non pauca artificia Rhetorica deprehendi, à quibus tantâ rerum copiâ dicens impletur, ut ſingulis diebus ex tempore Orationem realem, ſingulis diebus Solis propriam habere, & per aliquot mille annos, imo in infinitum ſic poſſet continua-*

Margin numbers: 67 (at "ſolvunt. * De Arca Artium"), 68 (at "* Multa paſſim"), 69 (at "* De Arcano Stegano-"), 70 (at "* Hanc artificialem"), 71 (at "* In Rhetoricis")

continuare. Artificium Poëticum Kircherianum, qvod ille artificio Latinitatis Tri-
themiano ſuppar exiſtimat, ego jam ſuprà ab Anglo Webbio propoſitum demonſtra-
72 vi, rectè contemnit: nam *in nullis ſe ſpeciem, in omnibus rem quærere* ait. * De
Rhetoricâ ſuâ variatione in Prodromo ait: *O Tulli, Tulli: nullus Roſcius geſtibus ſuis
tecum certare auſus fuiſſet, ſi hanc Varietatem ſermonis calluiſſes: non auſus fuiſſet, ſi
modo unicum noſtrum Pinacem Naturalem ſeu Phyſicum tentaſſes.* Unde patet, eâ-
dem ſcilicet viâ, fortaſſe tamen accuratiori, qvâ Emanuel Theſaurus, eum uſum eſſe,
indice ſcil. Categorico. De hâc ſuâ arte amplius ait: *Artem magnam noſtram di-
cendi ſeu combinatoriam auſpicamur, quâ ad Eloquentiæ cognitionem brevi adquiren-
dam methodus oſtenditur; quod uti inventum novum eſt, ita quoque ejus ſubſidio in-
ſtructus quilibet, de quavis re propoſita, infinitis penè verborum Combinationibus diſſe-
rere poterit.* Kircheri *Ars magna ſciendi eſt Ars Artium; noſtra Ars magna Dicen-
di Porta illius eſt. Quod viatori eſt Herma, ſcribæ calamus, Geometræ circulus, infanti
ſerperaſtra; id toti Encyclopædiæ Polypædiæque circulo verborum Combinatio ſive Ars
noſtra Dicendi. Video illam (niſi fallor) cum Veſpaſiano exclamare: ego Nilus ſum,
73 haurite.* * Promittit Artem Apophthegmaticam, *in quâ methodus quædam mira-
bilis ex Apophthegmatibus Imperatorum, Regum, Electorum, Principum, Comitum, No-
bilium, & omnis generis ordinum Eruditorum eruenda, cujus ope homo Germanicæ
74 linguæ ſolùm peritus, de omni ſcibili copiosè poſſit diſſerere:* * Artem Tragicam, *quæ
XII. Tragœdias contineat, præcipuam Romanorum, Græcorum, Germanorum, Gallorum,
Italorum, Anglorum, imo Ebræorum &c. antiquitatem Ethicam Politicamque Aulico-
practicam concludens; Græcos, Latinos, Belgicos, Italicos Gallicosque Poëtas Tragicos
Germanorum linguâ exprimens: In qua ſimul Tragica artificia, è centro Tragœdiæ in-
75 venta, nunquam viſa monſtrentur:* * Artem Comicam, *quæ XII. Comœdias poſſideat,
omnium gentium amœnitates, virtutes, deliciasque docens, quæ Comœdiam veram Ger-
76 manicam admirandâ methodo prima erit monſtratura.* * Artem magnam Poë-
ticam, Verſificatoriam, Rhythmicam, *in quâ porta ad Germanicam triplicem Poëſin
aperienda, multa millia carminum genera docenda, epitheta plusquam 100000. Poëtica,
virtute inventorum novorum Artis alphabetorum eruenda; verbo: in paucis quibus-
dam tabellis methodus demonſtranda tantæ perfectitudinis, ut Teutonica lingua cum
omnibus aliis non de copiâ ſolùm, ſed de ipſo principatu elaborationis poſſit contendere
77 facillimè.* * Prætereo clavem ejus Æternitatis, Æviternitatis, Temporis, Tracta-
tum de Homine Microcoſmo, de Homine Deo, Homine Diabolo, Reſurrectione è
Naturâ demonſtratâ; Tractatum de illuſtribus ſeculi hujus Centumviris, Artem ma-
gnam Antiqvitatis, omnes antiqvitates omnium urbium, gentium, populorum univer-
ſali methodo continentem: Tacitum Politicum, Theoretico-Practicum, novâ, ſtu-
pendâ, inauditâ methodo deſcriptum, cujus Tomus prior monita, poſterior exempla
78 contineat. * An crediderit aliqvis, unum hominem & qvidem juvenem tot labo-
ribus parem, ſi cetera omnia ſibi ſatis conſtarent? Hactenus præter titulos illos nil
videmus, qvi ingenium qvidem oſtendunt; ſed an eventus promiſſis reſpondere

potuerit,

potuerit, ambigo. Multa ſunt illic, qvæ etiam aliis in mentem venerunt, ac humano etiam ingenio ſibi relicto præſtari poſſunt, qvæ tamen ille qvaſi divinitus inſpirata venditat. In arte illâ Combinatoriâ & artificio Rhetorico an aliorum labores ſuperarit, vix dixerim. Eosdem tamen fontes adire debuit, ac verum eſt de illis infinitis variationibus, plurimas illarum inanes eſſe, ac ad temerariam loqvacitatem potius, qvàm ad veram eloqventiam ducere, niſi qvis optimô conſiliô & judiciô moderetur, qvod nullis comprehendi tabulis, etiam accuratiſſimis, & ἐκ Διὸς δέλτων excerptis poteſt; ſed ſuo qvodam arcano ductu optima qvæqve & aptiſſima præcipit, ac argumento ſuo applicat. Qvamcunqve deniqve in partem verſes omnem illam artem Lullianam & Combinatoriam, nihil eſt niſi Logices qvædam propago, qvâ continetur ars diſſerendi, ſeu inqvirendi ac reſpondendi de rebus omnibus, qvæ & Gaſſendi ſententia eſt in libro de *Logicæ Origine & varietate cap. 8.* ubi omnem illam doctrinam Lullianam per compendium proponit, ac nihil in illâ agnoſcit, qvod non etiam Logicæ tribui poſſit. * Verùm cum uſus ille ſit multo maximus, & ad inventio- 79
nem & verborum & rerum Hodegetæ inſtar eſſe poſſit, non diſſuaſerim, ut familiares ſibi terminos Lullianos qvis reddat: non ut operoſas ſecundum illam ſeriem diſſertationes datâ operâ inſtituat, ſed ut in memoriam ſibi revocet, ſi qva non ſtatim ocurrant: qvemadmodum in Bucelleni *officinâ Epithetorum*, vocabulorum ſylva, ſub pedibus Poëticis ordinata, non commodas tantum voces, ſed & novas interdum per tacitam mentis combinationem meditationes ſuppeditat. * Ex iisdem Analogiæ & artis Com- 80
binatoriæ fontibus procedit illud *Fr. Pomey* artificium in *Candidato ſuo Rhetorices*, qvo ex forte fortuna objectis ac ſubſtantivis & adjectivis, laudem, vituperium ſignificantibus, & medio modo ſe habentibus, argumenta educit.

Hoc qvoqve monitum non ſpernendum eſt ALEXANDRI FICHETI, qvi in *arcana Studiorum methodo* cap. 5. hæc habet: *Utere etiam Lulliano ſecreto; omnia de omnibus dicito, communem locum habeto, quem mutato nomine omnibus ut cothurnum tragicum aptes. Naturæ & Artis & Politicæ partes omnes ut ſpeculum habe præ oculis, & materiæ, de qua diſſerendum eſt, adſcribe illa omnia. Ita fiet, ut locupletiſſima redundet oratio. Ita Oratores Græci in Panegyricis Deiparæ, Crucis, jejunii & rerum aliarum elogia, definitiones conglobatas coacervant, Cælum, Solem, Lunam, Aſtra, Paradiſum, ignem, aërem, pluviam, manna, fontem, mare, terram, gemmam, aurum, arborem, phœnicem, Reginam, aulam, thronum, ſceptrum, coronam, ducem, vexillum, aciem caſtrorum, arma, victoriam, theſaurum &c. vocitantes: percurrunt ætates, puerorum, virorum, ſenum; ſtatus Regum, Sacerdotum, militum &c. provincias enumerant. Ita Juſtitiam in cœlo, in terris, & ubique rimabatur orator Auſpicalibus curiæ feriis. Ita Piſeus in ſuis concionibus aliquid ex ſingulis diſciplinis & linguis in prata ſua ut rivos aquarum & ſalientes derivat. De qualibet virtute dicere licebit ea omnia, quæ ſuprà dicta ſunt, eſſe fontem bonorum, Reginam rerum, Solem orbis terrarum, virorum robur, ornamentum matronarum. De Rege dices eadem, Deum, Dei Vicarium in terris, baſim & columnam ſtatus, caput, oculos & cor imperii &c. Sic enim etiam percurruntur* 81

 partes

partes humani corporis & templorum, aræ, ſacra, victimæ, &c. Varietate tamen erit utendum ut larva, ne ars pateat oculis: Loci interni & externi, argumenta, refutationes, motus adhibendi erunt, & figuræ; eâque induſtriâ magnum dicturis viæ compendium erit complanatum: Cyprianus & Tertullianus oratione de patientia locos omnes percurrunt oratorios, efformantque in animis dicendi modum optimum. Præter has ſerva tibi arcanam artem, quam nulli pandas æmulo: vendita & extolle more myſteriorum merces tuas; eas tamen ne vende, ſed abſconde & ſecretum prodere noli. Hæc Fi-
82 chetus, qvi Oratori, præſertim ſacro, non malum hîc conſilium ſuppeditat. * Incredibile enim eſt, qvanta incidere meditationum ac rerum varietas poſſit, ſi qvis in Themate ſacro & verbis Textus præcipuè metaphoricis per artem illam analogicam procedat, qvod feliciſſimè ſæpè à nobis tentatum eſt. Illud verò in his artibus qvis dictum ſibi velit, nullum earum uſum fore, niſi ſufficienti diſciplinarum notitiâ inſtructus qvis prius fuerit, & promptâ Latinæ linguæ facultate; qvod & Alſtedius in clave ſuâ monuit his verbis: *Nil emolumenti ad te redibit ex hâc arte, niſi jam antè ſis paulo verſatus in ſtudio linguæ Latinæ. Verba ex Lullio non addiſces, ſed modum diſſerendi. Diligenter igitur excole linguam Latinam, ut eleganti paraphraſi & periphraſi poſſis tegere barbariem terminorum Lullianorum.*

CAP. VI.

DE MEMORIÆ SUBSIDIIS.

§. 1. *Memoriæ in omni vitæ genere uſus eximius.* 2. *Illa vel eſt naturalis vel artificialis.* 3. *Memoriæ ſingularis Exempla in Mazonio, puero Cantabrigienſi.* 4. *Phantaſia admirabilis in puero Italo.* 5. *Ut & in infante* 6. *annorum.* 6. *Memoria artificialis primi natales à Græcis arceſſendi ſunt.* 7. *An Cicero illa uſus fuerit.* 8. *Talis memoriæ exempla memorabilia recenſentur.* 9. *Inſigne ejus exemplum refertur in puero Corſico.* 10. *Id quod ad Dæmonis ſuggeſtionem refert Voëtius.* 11. *Mnemonica Artis Lullianæ propago.* 12. *Jordani Bruni in hâc arte libri obſcuri & ænigmatici.* 13. *De libro clavis magna dicto judicium.* 14. *Obſcuritas principiorum artis hujus,* 15. *E libris Jordani Bruni monſtratur,* 16. *maximè è tractatu de arte memoriæ.* 17. *Hujus partis primæ exemplum.* 18. 19. *Pars ſecunda recenſetur. it.* 20. *pars tertia. it.* 21. *recenſetur liber ejus de compoſitione imaginum, ubi novis tricis omnia permiſcentur.* 22. *Joannes Belot.* 23. *Ars hæc olim non niſi vivis præceptoribus tradita, ut tantò magis celaretur.* 24. *Roſſelii liber.* 25. *ſqq. Julii Camilli theatrum,* 26. 30. *Sturmii,* 27. 32. *Maraſioti de eo judicia.* 28. *Summis laudibus effert illud theatrum Riccius.* 29. *quod contrà Lilius Gyraldus aſpernatur.* 31. *multa cura in theatro ſtruendo adhibita, nec tamen perfici potuit.* 33. *Petri Ravennatis, Rombergii, Ludovici Dulcis, Laurentii Gulielmi, Matheoli Peruſini, Monlei, Bavelini, Alberti, Meyſſoneri, Menzingeri libri.* 34. *Alſtedii hac de arte ſcripta.* 35. *de Azevedo, Geſvaldi libri.* 36. *Hujus Cornucopiæ.*

copiæ. 37. Pegelii artificium. 38. Schenckelii ars Mnemonica, 39. à Ravellino, 40. Curiot interpolata. 41. Joannis Auſtriaci, Maraſcoti, Spangenbergii, 42. Autoris Anonymi, 43. Adami Bruxii libri. 44. In quo conſiſtat ars Mnemonica. 45. Variæ variorum methodi recenſentur. 46. Schenckelii novem lectiones hujus artis. 47. 49. In Philoſophicis diſciplinis rarior ejus uſus. 48. Winckelmanni Logica Mnemonica improbatur. 50. Königii Mnemonica Geographica per aleæ luſum rejicitur. 51. In iis, quæ ad phantaſiam potius, quàm ad judicium pertinent, ars hæc etiam in diſciplinis Philoſophicis adhibetur. 52. In Codicis ſacri, 55. 56. librorum juris, 57. Medicina 58. 59. hiſtoriâ & in ipſa univerſali hiſtoria Mnemonices uſus. 53. 55. 60. Joh. Bunonis, 54. 60. Winckelmanni, 56. ac aliorum in hoc genere labores 60. Dieterici 61. & Heinlii Specimina Hiſtorico-Mnemonica. 62. Uſus in linguis addiſcendis contra Beccherum adſtruitur. 63. Henrici Schævii imagines pro Hebræâ & Græcâ linguâ. 64. Ejusdem vocabularium mnemonicum in lingua Latina. 65. Schickhardi & Wasmuthi Lexica Mnemonica pro Hebræâ linguâ. 66. Idem in aliis linguis fieri poteſt. 67. Rogeri Baconi triduana in linguis informatio. 68. De qua plura refert & judicat Anton. Wood. 69. Uſus in orationibus recitandis. 70. Mnemonica non ſolùm per imagines, ſed & alia artificia expediri poteſt. 71. Expeditiſſimè fit numerorum per verba & literas. 72. quod per exempla monſtratur. 73. Quâ inventione ſe jactat Winckelmann. 74. Varia artificia in Orationibus extemporalibus. 75. Quorum ratio exponitur à Jan. Cæcil. Frey. 76. Aliud ſubſidium in caſu neceſſitatis refertur. 77. Mnemonica Notaria Marcelli in Chronologicis, 78. 80. ejusque opera inedita. 79. Uppendorffii Schematiſmus Geographicus. 81. Ars notaria quid ſit. 82. Tironis liber de ſignis. 83. Ars ſignorum & Character univerſalis Dalgarni, 81. Caramuelis, 84. Friſchii, 85. Beccheri & Kircheri. 86. Wilkinſii. 87. Ars Tachygraphica. 88. Chartiludia Mnemonica 89. De iis judicia Berneggeri, 90. Autoris. 91. Sorelli. 92. Caramuelis informatio compendiaria in linguis, 93. 95. & ars Mnemonica. 94. Berneggeri de tali informatione judicium. 96. Moderatus Mnemonices uſus laudatur. 97. Memoria naturalis exercitatione crebra acuitur. 98. Siniſtra quorundam de hâc arte judicia. 99. De Berneggeri orationibus judicium.

MEmoriæ qvanta in diſciplinarum apprehenſione vis ſit, qvantus in omni vitæ 1
genere uſus, nemo ignorat: Illa enim promiconda omnis ſcientiæ eſt, ac niſi illa benè conſtituta ſit, materiamqve judicio ſubminiſtret, qvam ſubigat, diſpenſet, ordinet, ſterilia omnia erunt & inania, ceteræqve animi dotes claudicabunt. Qvi civilibus ac divinis ſtudiis, qvi etiam naturalibus animum applicuere, memoriâ opus habent, ut totum illud diſciplinarum vaſtiſſimarum latifundium animo
comprehendant, * Illa vero duplex eſt, *naturalis* alia, alia *artificialis*. Qvi- 2
buſdam naturæ beneficio ea ad miraculum & ſtuporem promptiſſima obtigit: cujus
exempla multa, tàm vetuſta qvàm recentiora, à multis ſunt notata. * E recentio- 3
ribus

ribus memoratu digniſſimum exemplum Mazonii eſt, cujus laudes in Latinii *Epiſtolis part.* 2. à Camillo Palæotto exaggerantur: qvanqvam dubitat, utrum per naturam, an per artem, talis illi memoria obtigerit. *Quis eſt,* ſcribit ille in Epiſtola ad Latinium, *qui vel Etruſci poëtæ Dantis vel Eurentis, quem vocant, Orlandi non pagellas modo, ſed libros integros, memoriter repetentem audiat, non ſummopere admiretur, illique primas eâ in re non tribuat? Idem is quoque facit in Virgilio, idem in Lucretio, idem aliis in gravisſimis Latinis ſcriptoribus atque Poëtis, quorum nomen ferè nunquam audivi. Ubinam igitur quæſo ſunt, qui hæc audeant, aut ab aliis audiant?*

4 * Ejusdem rei teſtis eſt Erythræus Pinacoth. I. n. 38. *Ad omnia,* inqvit ille, *quæ ponerentur in percontando, homo abundanti doctrina copiosè reſpondebat ex tempore, Gorgiæ Leontini more, non eâdem elatione animi, quâ ille; qui princeps ex omnibus, ut traditur, auſus eſt in conventu poſcere, qua de re quisque vellet audire, ſed ingenio ſtudioque majore. Nullam enim rem defendit, quam non probârit; nullam oppugnavit, quam non everterit. Neque id incredibile videri debet in eo, cui nihil uspiam conſignatum eſt literis, quod non legiſſet; nihil legiſſet, quod comprehenſum memoria non contineret, unde tanquam ex promptuario aliquo, cum eſſet opus, ſingula proferret, & ſuo quæque loco collocaret. Quamobrem fiebat, ut in diſputationibus, cum autoritatibus decertandum eſſet, integras ex ſanctorum Patrum, Platonis, Ariſtotelis, aliorumque doctorum hominum libris, paginas ita memoriter referret, ut ne unam quidem ſyllabam peccaret.* Videmus in pueris interdum ſtupendæ memoriæ qvaſi præludia, ut in illo qvadrimo Cantabrigienſi puero, de qvo Arnoldus ad Richterum in Epiſtolis Richterianis pag. 496. ſcribit: *Cantabrigiæ in Collegio Reginæ quadrimum & vidi & audivi puerum, lotricis paupereculæ filium, qui confabulantium cum eo ſtudioſorum operâ centena aliquot vocabula Græca & caſuum formationes promptâ voce & alacri recitabat,*

5 *breviores quasdam locutiones facilè conſtruebat.* * Simile exemplum in infante prodigioſæ phantaſiæ narrat *Monconiſius in Itinerario Italiæ* pag. 482. Sex ille annos natus, qvi nec legere nec ſcribere noverat, difficillimas Arithmeticæ artis regulas reſolvere, etiam radicem qvadratam & cubicam in ipſo, qvo illi proponebantur, momento extrahere poterat. Qvod adeò prodigioſum à multis habitum fuit, ut in ſpiritus familiaris ſuſpicionem nonnullis venerit.

6 Memoriæ naturali juvandæ artificialis inventa eſt, ac, qvantum conſtat, à Græcis primi ejus artis natales arceſſendi ſunt. Simonides, Hippias, Metrodorus, Theodectes, eam excoluêre, ejusqve veſtigia apud Tullium qvoqve videmus, qvâ ille feli-

7 ciſſimè in Orationibus habendis uſus eſt. * Prolixè de arte eâ *lib.* 3. *ad Herenn.* & *libr.* 2. *de Orat.* agitur; meminitqve aliorum fide Jacobus Lectius, JCtus cultiſſimus in Oratione *de Memoriâ,* qvæ eſt inter ejus Orationes uno volumine editas octava, extare apud Florentinos Ciceronis Opus, *de memoriâ artificiali* inſcriptum, qvod ipſi tamen fabuloſum videtur. Exempla eorum, qui beneficio hujus artis prodigioſa

8 memoriæ ſpecimina exhibuerint, à teſtibus fidè dignis narrantur. * *Carneades* omnia, qvæ legit, volumina, memoriter recitare potuit. Idem in verſibus, qvos ſemel audivit,

audivit, fecit *Theodectes.* *Julius Cæſar* legere, audire, qvaternas de rebus maximis
epiſtolas dictare, qvintam ipſe ſcribere, ac ſi calamum poneret, ſeptenas pariter dicti-
tare ſolitus fuit. *Seneca* 2000. nomina ſemel audita è memoria reddere potuit. D.
Auguſtinus *de Animâ & ejus Orig. lib. 4. cap.* 7. inſignem refert de qvodam ſuo ami-
co *Simplicio* hiſtoriam, qvi qvoscunqve Virgilii verſus interrogatus recitare potuit,
ac integras Ciceronis Orationes. Amicus qvidam Franciſcæ Petrarchæ omnium, qvæ
legit & audivit, ita memor fuit, ut & tempus & locum, qvo illa legerit, vel audiverit,
poſt multos annos ſignificare potuerit. *Joannes Picus Mirandula* audita ſemel à re-
citante carmina & directo & retrogrado ordine recitare potuit. Bernardus Lavinhe-
ta refert, ſe qvendam JCtum docuiſſe hanc artem, qvâ unâ nocte omnes rubricas de-
cretalium memoriæ mandaverit. * Id verò omnem fidem ſuperat, qvod de juvene 9
qvodam Corſico refert teſtis fide digniſſimus & πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων Muretus
Variar. Lection. lib. 3. *cap.* 1., cui cum magnam vocabulorum copiam, ſignificantium,
nihil ſignificantium, barbarorum, non cohærentium, Muretus propoſuiſſet, ut ille di-
ctando, puer, qvi illa excipiebat, ſcribendo feſſi eſſent, juvenis verò unus alacer ac re-
cens aſſiduè plura, & vel 36000. poſceret; ὁ δαιμόνιος ἐκεῖνος (hoc elogio illum
ornat Muretus) fixo in terram vultu planè omnia eodem ordine, nusqvam prope in-
ſiſtens, nusqvam hæſitans, auditoribus ſtupentibus, reddidit: deinde ab ultimo inci-
piens ſurſum verſus pervenit ad primum; rurſus ita ut primum, tertium, qvintum, ac
ſic deinceps omnia diceret, & qvo qvisqve voluerat ordine, ſine ullo errore omnia
referret; Atqve hæc ita animo hæſerunt, ut vel poſt annum ea recitare potuerit.
Eam artem Franciſcus Molinus Patricius Venetus ab eo didicit, qvi intra ſex ſeptem
dies nomina amplius qvinqvaginta ſine ulla difficultate, aut eodem, aut qvocunqve
alio libuiſſet, ordine recitavit. Addit Muretus: *Hæc ego vix auderem literis prodere,
mendacii ſuſpicionem reverens, niſi res adhuc eſſet recens, & Nicolaum Lippomannum,
Petri Alexandri filium; Lazarum Mocenicum, Franciſci filium; Georgium Contare-
num, Laurentii filium, Patricios Venetos optimos & nobiliſſimos adoleſcentes, aliosque
præterea innumerabiles ejus rei teſtes haberem: à quibus, ſi mentirer, vanitatem meam
coargui nollem.* * Voëtio planè non adſtipulor, qvi hæc ad Dæmonis ſuggeſtio- 10
nem refert.

Qvandoqvidem ergo tot teſtibus & ſpeciminibus ars illa nitatur, minimè illa
ſpernenda videtur, qvicqvid etiam alii, qvi eam non intelligunt, judicent. * Ha- 11
betur illa artis Lullianæ qvaſi propago qvædam, atqve iisdem ſuperſtructa principiis
creditur. Nam cum ordinem rerum præſupponat memoria, ars verò Lulliana de
rebus omnibus ad certos ordines & claſſes redigendis ſollicita ſit, ea qvaſi per ſe ex
iis conſeqvi videtur, niſi qvod alius applicandi modus forte adhibetur. Ipſe Lullius
expreſſis verbis hoc innuit, ſuntqve qvi vel puerum ſeptennem eâ methodo per omnia
ſcientiarum adyta ſe circumducturum cum feliciſſimo ſucceſſu promittunt, & qvæ-
dam ejus rei laudari exempla ſolent: Verùm tantis nebulis omnem illam artem, qva-
tenus ex Lullio deducitur, involvunt ejus magiſtri, ut nec Oedipus ipſe conjectando

 aſſeqvi

12 aſſeqvi poſſit. * JORDANUS BRUNUS ſummi ac profundi ingenii Vir, peculiaribus libris multa de hâc arte promittit. Edidit enim libros tres Francofurti An. 1591, in 8. *de Imaginum, Signorum, & Idearum compoſitione, ad omnia inventionum, diſpoſitionum & memoriæ genera:* & Pariſiis An. 1582. librum *de Umbris Idearum,* implicantibûs artem qværendi, inveniendi, judicandi, ordinandi & applicandi ad internam
13 ſcripturam, & non vulgares per memoriam operationes explicatis. * Refert vero in illis ſe ad alium librum, *Clavem* qvam vocat *magnam*, qvâ omnis inveniendi ratio contineatur; qvæ an edita ſit, ignoro. Sed fortè & illa Clavis, ſi edita eſt, aliâ clave indigere videbitur; Nam ita de eâ ipſe Jordanus aït: *Qui ex Clavi magna poterit elicere, eliciat: non enim omnibus dabitur adire hanc Corinthum.* Ille vero ſe hanc artem ad ſummum perduxiſſe gradum venditat; *Nobis,* inqvit, *ita ſucceſſiſſe præſumimus, ut quicquid ab antiquioribus hâc de re fuit conſideratum, præceptum & ordinatum (quatenus per eorum ſcripta, quæ ad noſtras devenere manus, extat explicatum) non ſit conveniens pars inventionis noſtræ, quæ eſt inventio ſupra modum prægnans, cui appropriatus eſt liber Clavis magnæ.* Rationem addit: *Nobis cum datum eſt illam inveniſſe & perfeciſſe, nec locis materialibus (verificatis ſeu per ſenſus exteriores) ultra non indiguimus, nec ordini locorum memorandorum ordinem adſtrinximus; ſed puro phantaſiæ architecto innixi, ordini rerum memorandarum locorum ordinem adligavimus.* Idem in arte memoriæ, libro de Umbris addita, p. 10. *Committe communia communibus; minus communia minus communibus; propria propriis; proprioribus atque propriisſimis propriora atque propriisſima. Hic habes conſiderandi locum, quo non modo ab omni oblivionis formidine exemptus fias; verum quoque ad perfectiores effigiandi & inſcribendi uſus, item in ordinando & methodum methodorum inveniendo promptior atque ſecurior efficiaris. Et habes iſtud modo ſuo in radicibus primis Clavis magnæ.* Idem pag. 33. ibid. de Clave ſuâ: *Modorum quoque, quibus termini adjiciuntur, plurimi & innumeri tibi occurrere potuerunt, dummodo fueris in agitatione Clavis magnæ peritus: illa quippe fons eſt omnium inventionum.*

14 Qvod ad principia attinet, ea obſcuriſſimis qvibusdam notionibus ita involvuntur, ut meris in tenebris verſari videatur, qvi in illis methodi lucem qværit: pleraqve enim allegorica, ac typici termini ſunt, unde per longinqvam hariolationem mens autoris indagari debet, cum tamen nexus in illis nullus deprehendi poſſit ob defectum eorum, qvæ viam apprehenſioni & combinationi ſternant, ordinem turbatum, & occultatas convenientiæ rationes. Qvare in libro de Compoſ. Imaginum 2. c. 20. ita de ſe aït: *Nos quamvis non ita ſcribamus, ut ab omnibus & per omnia intelligi velimus, vel posſimus etiam, nullus tamen eſt, cui (ſi attentâ fide & fideli aderit attentione) juxta ſufficientiam cujuscunque, in quâ verſatus eſt, diſciplinæ plurimum juvare &*
15 *aliquâ placere ſorte non posſimus.* * Triplex ille *Ens* conſtituit, *Metaphyſicum, Phyſicum, Logicum.* In divinis ſeu metaphyſicis eſt Idea; in naturalibus forma ſive veſtigium Idearum; in poſtnaturalibus ratio, qvæ in primam atqve ſecundam intentionem diſtinguitur, qvam ille Idearum umbram appellat. In his umbris triginta

intentiones qværit libro de Umbris Idearum, ac rotam conſtituit 30. elementis & ſignis in circumferentiâ notatam, cujus centrum eſt terra umbram conicam ſpargens. Hinc progreditur ad triginta Idearum conceptus, primo ſimpliciter, ſecundo cum intentionibus umbrarum complexè concipiendis. Illis ſubjungit rotam idealium intentionum, iisdem elementis ac ſignis notatam, cujus centrum eſt Sol. Pauciſſima verba addit de complexione, qvæ fit concurſu primæ rotæ cum ſecundâ. *Oportebit*, ait, *volentem per ſe ipſum artem generalem ad habitus intellectus, voluntatis & memoriæ captare (licet eam inpræſentiarum ad memoriæ perceptionem contrahamus) primò callere elementarium primum cum ſuis ſignificationibus: ſecundò ſecundum: tertiò ſecundum deducere per primum. Prima duo nos præſtitimus; tertium ipſius induſtriæ committimus.* * Illis ſubnectit Artem memoriæ, qva applicatio & intentionis univerſa- 16
lis contractio contineatur. * Verum illa axiomatibus proponitur adeò obſcuris, 17
ut ænigmata omnia eſſe videantur. Parte I. Axiomate XII. allegat librum Clavis magnæ, in qvo habeantur duodecim Indumentorum ſubjecta; Species, Formæ, Simulachra, Imagines, Spectra, Exemplaria, Indicia, Signa, Notæ, Characteres & Sigilla; ſed duodecimum omittit: in qvibus omnibus parum ego diſcriminis deprehendo.
* Parte II. agit de ſubjectis; ubi primum ſubjectum ex principiis Clavis magnæ con- 18
ſtituit phantaſticum chaos, qvod ſe habere videatur qvam nubes ab externis impulſa ventis, qvæ pro impulſuum differentiis atqve rationibus, infinitas omnesqve ſubire valeat ſpecierum figuras; ita tamen, ut immaterialia ſubjecta non admittantur, de qvibus ſe in *arte artium & facultate facultatum* acturum promittit. Agit porrò de varietate ſubjectorum, eorum extenſione, diſtantia (conſtipatio enim & confuſio fugienda, ut in omni ſcriptura & ſignatura non literæ ſuper literas, non ſigilla ſuper ſigilla apponi debent) de ſubjectorum repetitâ excurſione, qvomodo ex conſuetudine habitus acqviratur; ut qvemadmodum legentes & cytharizantes de literis & tactu chordarum non cogitant; ita ſine magnâ animi intentione è characteribus illi impreſſis, qvi artem hanc callent, memorare poſſint. Inveniſſe enim, ait, viam committendi ſingulis qvibuscunqve ſubjectis integros qvosqve terminos retinendos, & majora longeqve plura, ut ex arcanis magnæ Clavis videri poſſit. Conſiderat in ſubjectis affectivitatem, facultatem ſcilicet afficiendi cum aliqva varietate, qvæ vel ab externâ vel internâ causâ venit, qvæ per appoſititia ſubjecta exprimenda ſit. Agit deinde de Adjectis, per qvæ intelligit ea, qvæ ſunt ſubjecto ſive phyſico, ſive technico, ſive phantaſtico appoſita, ad aliqvid per ſolertem cogitationis apparatum præſentando, effigiando, notando, vel indicando, ad picturæ ſcripturæqve ſimilitudinem exprimendam vel ſignificandam. Figuram hîc, ſine tamen typo, deſignat verbis obſcuriſſimis, de qvâ tamen miracula nos exſpectare jubet: *Excellentisſima pleraque alia per hanc figuram pertractari poſſunt: ſed minimè hîc locus eſt. Hoc unum dixerim, quod ſi attentius eam contemplabere cum rationibus hic explicitis, artem figurativam talem poteris adipiſci, qvalis non ſolùm memoriæ, ſed & ceteris omnibus animæ potentiis, mirum in modum ſubveniendo conferet.* Illa adjecta ulteriùs explicat, & per decem categorias deducit.
* Succedit de Organo tractatio, qvâ modum exponit, qvô anima utitur in recolligen- 19

dis ſuis ideis, habetqve multa abſtruſa Φιλοσοφȣ́μενα, ad actum imaginationis & memoriæ declarandum: ubi hoc notabile proponit, qvod mora longior non faciat ad rei apprehenſionem, ſed formæ activitas; qvæ, qvo celerior eſt, eo magis ap-
20 prehendere faciat rem ſibi objectam. * Tertiâ parte conſiderat operandi formam, ubi ſuam præ antiqvis praxin extollit. Duplicem autem habet Praxin, Verborum & Rerum, qvam per varias rotas mobiles ac immobiles proponit; qvas nemo, ut nec ipſe diffitetur, ſuo ductu intelligere poterit, niſi à vivo præceptore
21 doctus. Mirè tamen hoc invento ſibi plaudit. * Ex altero illo de Compoſitione Imaginum libro nulla huic inferri lux poteſt: nam novis illic tricis omnia permiſcentur. In prima ejus parte agit de Subjectorum variationibus, conditionibus, qvibus ſubjecta parantur ac diſponuntur: de atriis diverſorum generum atqve campis. Atria habet, ſecundum ordinem 24. literarum, viginti qvatuor, (qvæ alii loca appellant) ſingula atriorum nomina ab alphabeti literâ in ordine incipiunt: ut Altare, Baſilica, Carcer, Domus, Eqvuleus, Fons, Gladius &c. Habet duodecim Adcinentium Cubilia: habet 15. campos. Parte ſecundâ enarrat imagines duodecim principum, qvi rerum omnium ſecundi mediiqve ſunt effectores. Tertiâ parte tractat de triginta ſigillis. Verum hæc omnia labyrintho ſimillima videntur, unde ſine Ariadnes filo te nunqvam extricaveris; Summo enim ſtudio Vir ille omnia implicuit & involvit; Nos tamen recenſere qvædam ex iis, etiam non ſatis intellecta, voluimus, ſi qvi ſint, qvi hæc *μετέωρα* captare, & in ſenſum ac ordinem redigere velint: qvi ſi erui ex collatione librorum horum poſſet, improbus certè labor nec tamen inutilis
22 ſubeundus eſſet. * Proponit & JOHANNES BELOT, Gallicus Autor, cujus in ſuperiore capite mentionem fecimus, *artem* ex Lullio *memorativam*: ſed & illa eſt manca & mutila, neqve rectè ſecundum certa principia ordinata videtur, qvemadmodum Mnemonica illa Bruniana: Satis enim patent ejus generaliſſima principia, ſed qvæ ex iis deducit, miris inter ſe nodis contorqventur.

23 Sed mittemus viam hanc confragoſam & aſperam, qvam alii planiorem nec iſtis terminorum ſentibus & ſcrupis obſitam, nobis ſternunt. Diu hæc ars non niſi vivis præceptoribus tradita, nec certis comprehenſa regulis fuit, ne ſcilicet divulgato arcano illa vileſceret; vel ita involuta fuit, ut nullus inde fructus ad lectores promanaret. Non ignorarunt illam è Scholaſticis multi. D. Thomas eâ uſus fuit. Sed pleriqve eam celârunt. Superiore ſeculo exeunte multi hujus artis præcepta in publi-
24 cum ediderunt. * Extat COSMI ROSSELII *Theſaurus artificioſæ memoriæ*, Venetiis An. 1574. in 4. editus. Præcipua vero ejus tractatio verſatur in Locorum diſtributione, figuris rerum, applicatione figurarum ad memoranda, & memorandorum ad figuras, Locorum ſcilicet ſollicita debet eſſe diſquiſitio, in qvibus aſſumendis magna autorum eſt variatio; aliqvi naturales, aliqvi artificiales præferunt. Metrodorus ex antiqvis in iis ſignis, per qvæ Sol permeat, trecentos ſexaginta locos poſuit, è qvibus munimenta memoriæ qværantur, & rerum imagines animis hominum inferantur.
25 * JULIUS CAMILLUS non ad artem reminiſcendi ſolùm, ſed & generalem uſum locos

univer-

univerſales commentus eſt. * Mentionem artis ejus reminiſcendi facit *Hierony-* 26
mus Maraſiotus in ſuô *de arte Reminiſcentiæ* libro ſtatim ſub initium. *Joannes Stur-*
mius in libro *de linguæ Latinæ reſolvendæ ratione* de locis, in qvos eam reſolveret, ſol-
licitus cap. 1. de hoc Julio Camillo narrat, qvod primus cœperit ſolvere lingvam La-
tinam, eamqve dividere partibus ipſius hominis : putavit enim, ſe in homine poſſe in-
venire omnem ordinem univerſitatis ; & in dividendo homine diſſolvere & dividere
poſſe omnem copiam & varietatem vocabulorum : In hominis oſſibus ſiqvidem na-
tura inveniatur terræ ; in ſanguine natura caloris & ignis ; in ſpiritu aër ; in urinâ
aqva &c. Poſtea tamen ipſe hanc rationem improbavit, & *theatrum* inſtituit, in qvo
univerſitas naturæ poſſit videri, digeri, diſtingui, cumulari. * Theatrum illud 27
diviſit ſeptem Planetis. In Planetis obſervavit uniuscujusqve proprietates, qvod &
feciſſe Jordanum Brunum in libro de *Compoſitionibus imaginum* videmus. Editus
verò eſt liber illius de hac re linguâ Italicâ, ut Sturmius loco citato teſtatur. * Im- 28
menſæ illius laudes ſunt apud Riccium in *præfatione Apparatus Latinæ locutionis*, qvi
ſuos defectus ſuppleri poſſe credidit hoc theatro, qvod tum non editum erat. *Id à*
Julio Camillo, inqvit, *Viro in hâc unâ præcipiendi facultate facilè principe cumulatè*
abſolutum exſpectare licebit, qui in ſuo theatro ita ad ſua capita, vel unumquodque
quod homini in mentem dicere venire poſſit, ex ordine digeſtum habet, ut inde vel in-
fanti Latina oratio, in calamum ſcribenti, quam uberrimè confluere poſſit. Quod qui-
dem divinum opus, ne aliquo maligno fato nobis intercipiatur (nam aliquot annos ad
regiam voluntatem nobis proferri, æquo animo perferri poteſt) ſummis precibus à Diis
immortalibus contendendum eſt. * Sed tamen totum hoc divinum opus Lilius 29
Gyraldus *Dialog.* 2. *de Poëtis noſtri temporis* contra Riccii judicium aſpernari audet:
Fuit, inqvit ille, *Julius Camillus Forojulienſis Polyhiſtor, qui in diſciplinis novas quaſdam*
methodos ſe inveniſſe gloriabatur, ut theatrum illud ſuum, quo miraculosè concluſas di-
ſciplinas prædicabat, ad oſtentationem & quæſtum potius, quam ad erudiendos credulos
adoleſcentes : unde non modo ab amicis, ſed & à principibus viris grandem pecuniam
interdum extorquebat. Qvare tacitè pungit Riccium, Virum alioqvin latinè doctiſ-
ſimum, qvi in epitaphio ipſi ſcripto vocavit *virum ad omnia ſcientiarum omnium ſenſa*
mirificè eruenda, & ſcientias ipſas in ſuum ordinem aptè conſtituendas naturæ mirè fa-
ctum, de Latinis literis inprimis optimè meritum ; Cum tamen carmina ejus invitis
Muſis & Minervâ compoſita Gyraldus, & rectè qvidem, judicet ; * Sturmius verò 30
optimi judicii in linguâ Latinâ Camillum fuiſſe fateatur. * In hoc Opere ver- 31
ſatus ille fuit annos qvadraginta, nec profecit ; nam tanqvam myſterium qvoddam
celavit, ac tandem ab amicis ejus, non ab ipſo, hæc edita eſt theatrica ratio. Illam
exponere aliqvatenus ipſe Camillus in Carmine ad Petrum Bembum videtur, qvod in
delitiis Poëtarum Italorum reperitur. Totam ſibi diſplicuiſſe ait Sturmius, qvi ſatiùs
putabat eſſe ſeqvi ordinem naturæ, aliosqve locos commentus eſt, ad qvos ille linguæ
Latinæ phraſes referret. * Verum Julius Camillus ad artem memoriæ ſimul re- 32
ſpexit, ut expreſsè teſtatur Maraſiotus. *Julius Camillus,* inqvit, *ſuæ arti reminiſcendi*
 locum

locum quærens, delectabilem illam omnibus curioſis intellectibus theatri ſui ideam re-
perit, quam pro univerſali loco memoriæ habens particularibus diſtinxit mediis, variisq́;
Deorum imaginibus exornavit, ut eo promptior memoria fieret, quo diſtinctior ſit loco-
rum & imaginum apparentia.

33 Non eſt exiguus eorum numerus, qui hanc artem præceptis ſuis illuſtrarunt:
Nam præter memoratos ſunt PETRUS RAVENNAS, qui ſcripſit librum hoc titulo:
Phœnix ſeu introductio ad artificioſam memoriam comparandam. Vincent. 4. 1600. &
Colon. 8. 1608. editum. ROMBERGIUS *in Congeſtorio artificioſæ memoriæ*, cujus do-
ctrinam *Ludovicus Dulcis* ſub forma Dialogi Italicâ linguâ Venetiis in 8. 1562. edidit.
Laurentius Gulielmus, *Matheolus Peruſinus*, *Franciſcus Monleus* in libris de arte Rhe-
toricâ, FRANC. MARTINUS RAVELIN *in Arte Memoriæ* exemplis auctâ, Franc. in 8. 1615.
editâ. JOAN. MICH. ALBERTI *in libro de omnibus ingeniis augendæ memoriæ*, Bonon.
4. 1591. edito. MEYSSONERUS *in Pentagono Philoſophico-Medico*, *ſive Arte novæ re-*
miniſcentiæ, Lugd. 4. 1639. editâ. MENTZINGERUS *in præceptis de naturali memoriâ*
34 *confirmanda*, Argent. 1568. editis. * JOH. HENRICUS ALSTEDIUS tot artium &
diſciplinarum faber hanc quoque partem intactam non reliquit. Scripſit enim *Thea-*
trum Scholaſticum, in quo cum aliis proponitur *Gymnaſium Mnemonicum* de perfe-
ctione memoriæ & reminiſcentiæ, Herborniæ in 8. 1610. editum. Scripſit & *Syſtema*
Mnemonicum, Francof. 8. 1610. *Trigas Canonicas*, quarum 1. eſt Artis Mnemologi-
35 cæ Explicatio, Francof. 8. 1611. editas. * Extat Hiſpanicâ linguâ ſcriptus liber
D. JOANNIS VELASQUEZ de AZEVEDO *Fenix de Minerva y arte de Memoria que en-*
ſenna ſin maëſtro a aprender y retiner, Madrit An. 1620. 4. Italicâ linguâ Patavii edi-
tus eſt F. PHILIPPI GESVALDI liber, cum titulo *Plutoſofia*, qui plenius illam artem
36 proponit, & eorum, qui ante ſe de hac arte ſcripſerunt, methodum examinat. * Idem
in Lectione IX. ubi agit de locis per Circulationem, quâ intelligitur color Rhetori-
cus, ſingularem *artem & methodum de multiplicandis conceptibus*, ſub titulo *Cor-*
nucopiæ promiſit, quæ convenire cum totis illis combinatoriis Lullianis videtur.
37 * Promiſerat & MAGNUS PEGELIUS, ſuprà nobis laudatus, in illo ſuo Theſauro
rerum ſelectarum pag. 115. *Efformationem perquam puſillam, quam dum certo modo*
apud te recondis, reddere ſive repetere & ſic meminiſſe potes ſummas rerum, quas ſeu
legis, ſeu audis, ſeu animo intentus concipis, ſic ut ſine morâ interjectâ ullâ è veſtigio,
vel quando velis & quidem ordine eodem tum &, ut velis, inverſo ſeu retrogrado or-
dine easdem repetere valeas, etiamſi dicta rerum capita centena vel plura, eaque vel
ſimilia, vel utcunque diverſa, ſuo ordine, quocunque oblata fuerint. Quod an à ce-
teris Mnemonices doctoribus intactum fuerit artificium, dicere equidem non poſſum.
38 * Prodierunt Lipſiæ & Francof. 1678. in 8. *variorum de arte memoriæ tractatus ſele-*
cti, quibus perſpicuà methodo doctrina illa traditur. In iis primo loco habetur
Gazophylacium artis memoriæ, illuſtratum per LAMBERTUM SCHENCKELIUM DU-
SILVIUM: quod ſub *Martini Sommeri* nomine Venetiis editum eſt. Et iſte quidem
Schenckelius artem hanc paſſim magnô cum ſucceſſu nec ſine inſigni ſuô lucrô exer-
cuit.

cuit. Edidit quidem nonnulla, verùm omiſſione vocalium literarum præcipua artificia obſcuravit, quæ tamen ab oculatis deprehendi facile potuerunt. Et extat *Arn. Backhuſii* quædam ſuper illa Clavicula. * Eam quoque artem Schenckelianam 39
Fr. Martinus Ravellinus explicatiorem dedit, cujus jam ſuprà mentionem fecimus, eſtque & illa Collectioni Lipſienſi addita. Sunt & libelli exigui, titulo *Schenckelii detecti & redivivi*, editi, quibus Methodus & Praxis Schenckeliana oſtenditur.
* Hanc Schenckelianam methodum, ſed multis acceſſionibus auctam, Gallicâ lin- 40
guâ propoſuit *Adrian. le Cuirot*, ſub titulo, *Magazin des ſciences*; Pariſ. 1623. in 12. editam. Ejusdem *Schenckelii Methodus de Latinâ linguâ intra 6. menſes docendâ*, edita eſt Argent. in 8. An. 1609. * Continentur in collectione illâ Lipſienſi porrò Jo- 41
HANNIS AUSTRIACI, tum & HIERONYMI MARAFIOTI libri optimè ordinati, JOHANNIS SPANGENBERGII *Erotemata* etiam illic habentur, minimè contemnenda, qvi melioris intelligentiæ gratiâ in hanc methodum ſimpliciorem artem redegit.
* Cæteris tamen omnibus, qvos modo enumeravi, præferendus videtur perſpicui- 42
tate & methodo Anonymus ſcriptor in libro, cui titulus: *Ars memoriæ localis, plenius & luculentius expoſita, quam antehac nunquam, unà cum applicatione ejusdem ad ſingulas diſciplinas & facultates*, Lipſiæ 1620. in 8. edita, qvi in Academiâ Lipſienſi hanc artem docuit, ut ex præfatione apparet, in qvâ & Terrentium in eâdem arte magiſtrum laudat, alterum ævi noſtri Simonidem, qvem Academia Lipſienſis non ſemel cum ſtupore audiverit, aliena, qvantum vellet qvis, recitantem ut ſua. Adhibet in qvibusdam locis notas & characteres græcos, ac verba trajecta; ſed facile illa detegi poſſunt: Et adjecta eſt qvædam pro eorum explicatione clavicula. Ingenua ejus confeſſio hæc eſt: *neminem tam ineptum eſſe debere, ut ex hâc arte ſibi ſperet omnis ſcibilis notitiam: quod artis quidem reſpectu non impoſſibile eſſe judicat; ſed vel negligentiam noſtram, vel occaſionem, vel vitæ brevitatem impedimento eſſe, quo minus ad omnium rerum cognitionem pervenire queamus; ſufficere, hâc arte ſibi comparare poſſe diſciplinarum neceſſariarum abſolutiſſimam notitiam, non neceſſariarum ſuperficiariam.* * Non parum lucis huic arti attulit ADAMUS BRUXIUS *in Si-* 43
monide ſuo redivivo, ſeu *Arte memoriæ & oblivionis*, Lipſ. An. 1640. in 4. editâ, tabulis comprehenſâ. Nam omnia figuranda, voces, ſententias, tempora ad certum ordinem revocat, certasqve ſingulis qvaſi per indicem imagines adſignat, magno uſui futuras, qvi ad praxin hujus artis ſe applicabunt. Subjecit *Nomenclatorem Mnemonicum*, qvem externâ ſpecie puerilem, magno tamen uſui futurum dicit. Sed diſſimulavit ejus uſum, qvem paulo ſagacior facilè deprehendet.

Tota artis hujus ratio in eo conſiſtit, ut Locorum, rerum formandarum, 44
imaginum, connexionis, certa & bene ordinata methodus obſervetur. * In Lo- 45
cis diſpeſcendis magnâ ſollicitudine verſantur multi. Loci ſunt vel naturales, vel artificiales, de qvibus eorumqve conditionibus Roſcellius, Ludovicus Dulcis multa tradiderunt; ſed ſcrupuloſa admodum, neqve magno uſui futura; in qvibus examinandis operoſus eſt *Philippus Geſvaldas*, qvi, me qvidem judice, omnium accu-

ratiſſimè hanc doctrinam perſeqvitur. Multa enim contra Roſcellium & alios de Locorum delectu non ſine ratione diſputat: Locos imaginarios planè rejecit, Locorum etiam naturalium parciorem eſſe uſum vult, ſed artificiales omnibus præfert. Multa hîc de ſenſibilitate, immobilitate, invariabilitate, diſtinctione, numero, diverſitate, lumine, qvantitate, diſtantiâ, ſucceſſione, ſolitudine, altitudine, ſitu, ſignatione numericâ, proportione locorum ordine motus, perſonis immobilibus in locis, de locis numerabilibus, locis directis & transverſis, locis alternatis, locis in progreſſu, & regreſſu, locis per circulationem diſqvirit, de qvibus aliis ne cogitatum quidem vidi. Multa qvoqve habet de Imaginibus, earumqve collocatione, rebusqve per imagines collocandis. *Johannis Auſtriaci* qvoqve in iis laudanda eſt diligentia.
46 * *Schenckelius* novem lectionibus univerſam artem includebat. Prima erat in vocabulis apprehendendis, ſecunda in ſententiis memoriæ mandandis: tertia in librorum ac orationum ſummariis argumentis recenſendis: qvarta in vocabulorum non intellectorum apprehenſione: qvinta in Oratione memoriter recitanda, & ab auditore memoriâ excipienda: ſexta in diſputatione & Syllogiſmis proponendis: ſeptima in collocatione librorum, citatione autorum, dictatione & ſcriptione diverſarum literarum: octava in applicatione artis ad omnes facultates: nona & ultima in regulis circa hanc artem in univerſum obſervandis. Sed omnia pleniùs ab Anonymo ſuprà laudato explicantur.

47 De Arte omni Mnemonicâ ita ego judico, in iis diſciplinis, in qvibus è benè ordinatis & connexis principiis omnia deducuntur, ſupervacuum eſſe ejus uſum: Qvi enim hîc imaginibus juvare velit memoriam, duplici onerabit conceptu, cum ſimplex cognitio è rectè deductis principiis proveniens, per ipſum illum ordinem memoriæ ſe ingerat. Per imagines autem verus rerum nexus confunditur, ac qvaſi nebulis qvibusdam involvitur.
48 * Qvare nullatenus probo *Stanislai Mink von Weinsheun*, vel, qvi ſub illo nomine latet, *Winckelmanni* inſtitutum, qvi *Logicam Mnemonicam ſive memorativam* conſcripſit Halæ Saxonum Anno 1659. in 12. editam. Cum enim judicii vim potiſſimùm talis diſciplina reqvirat, neqve ideò à pueris apprehendi ſatis poſſit, ejus per Phantaſiam novis imaginibus imprægnatam turbabuntur Circuli.
49 * Idem de Metaphyſicâ, Phyſicâ, Ethicâ, Politicâ dico. Studia Mathematica, qvoniam in figuris jam tùm verſantur, ſtultum eſſet novis onerare imaginibus: nam figuræ ipſæ in ſenſus incurrunt, & imaginem intellectui ſiſtunt.
50 * Ineptum itaqve eſt conſilium *Königii*, qvi *Geographiam* & qvidem *Mathematicam* per aleæ luſum pueris proponendam ſuaſit, edito eum in uſum cum operoſis figuris libro, qvem Imperatori magnô apparatu inſcripſit. Ipſæ illæ chartæ Geographicæ coloribus ſuis diſtinctæ Mnemonicum artificium oculis exhibent, in qvibus pueros ſeptennes ita exercitatos vidi, ut objectâ chartâ nominibus nudâ, qvalem *Joannes Strubius* in hunc finem edidit, ſine ullâ hæſitatione loca urbium & regionum digitis ſignarent. De illis generalioribus imaginibus, qvibus Europa Virgini, Draconi volanti, Africa Leoni, Italia pedi &c. comparari ſolet, nunc non dicam: nam illæ phantaſiam juvant in regionum finibus

finibus imprimendis, ut ſtellæ in cœlo per certas qvasdam imagines ſignari ſolent. Neqve de nominibus urbium dicam, qvæ per imaginum figuras memoriæ commodius inſigi poſſunt. * Ceterum ad omnia, qvæ in diſciplinis occurrunt, qva- 51
tenus in facto conſiſtunt, vel ad memoriam & phantaſiam potius, qvàm ad judicium, referuntur, utiliter adhiberi imagines Mnemonicæ poſſunt.

Sic in facultatibus, qvas vocant, Theologiâ, Jurisprudentiâ, Medicinâ, illæ 52
non ſpernendæ ſunt. Cum enim Theologus in ſacro Codice præcipuè occupetur, ad Hiſtoriam ſacram & argumenta capitum memoriæ imprimenda non parum conferent ſubſidia Mnemonica; * Cujus ſpecimen eximium oſtendit his ſtudiis ce- 53
lebratiſſimus JOHANNES BUNO libro Germanicâ lingvâ edito, Anno 1680. ſub titulo: Bilder-Bibel. * Ante illum WINCKELMANNUS generali aliqva tabula 54
ideam Veteris Noviqve Teſtamenti complexus eſt, libellô Germanicô, Bremæ Ann. 1679. edito, cui titulus Sontags-Arbeit. In illis tamen tabulis, præcipuè Bunonianis, fortè nimiam imaginum conſtipationem & exilitatem improbaveris. * Sed 55
labore improbo, non in his tantum, ſed & in aliis, Vir optimus defunctus eſt. In Jurisprudentiâ enim, ubi pleraqve conſtant autoritate librorum juris, ſimilem ille laborem ſuſcepit, qvo per omnes juris Civilis, Canonici & Feudalis libros non ſolùm titulos & eorum nexum, ſed & ſingularum legum & paragraphorum argumenta per imagines magna & ſollicitiſſimâ curâ expreſſit. * Antea qvoqve Ano- 56
nymus aliqvis *Introductionem Mnemonicam*, cujus beneficio rubricæ Inſtitutionum & Pandectarum corporis Juris Civilis ſpatio breviſſimi temporis memoriæ mandari poſſint, ſed ſine loco impreſſionis & tempore addito, publicavit. Imagines hîc ſatis eleganter depictæ & benè ordinatæ, ſed ad ſolos ille titulos tantum reſpexit, non habitâ numerorum ratione. Alius qvoqve NICOLAUS BULACHERUS Lipſiæ tabulas Inſtitutionum ſummarias additis imaginibus mnemonicis edidit. Sed & ille imperfectus labor eſt. * In Medicinâ etiam ad Nomenclaturam ſimplicium prodeſ- 57
ſe Ars Mnemonica poſſet. In Hiſtoricis præcipuè uſus ejus artis ſe exerit. Habemus in illis Tabulas de IV. Monarchiis, variè interpolatas & recoctas. Qvæ enim primum ſine Autore circumferebantur, ab *Henrico Schævio*, *Winckelmanno*, *Bunone* reformatæ fuere. * *Winckelmanni* extat *Cæſareologia* cum Tabulâ Mnemonicâ, 58
qvâ Cæſarum nomina & tempora exhibentur. * *Buno* multa de rebus geſtis 59
adjecit, per omnes Monarchias & regna, additâ prolixâ explicatione. Idem *Hiſtoriæ Univerſalis Ideam Mnemonicam* alio labore per millenarios & ſecula deductam in juventutis uſum edidit, connotatis iis, qvæ ad revolutiones & mutationes imperiorum & regnorum pertinent; Qvi labor profectò laudem ſuam meretur. Uſus verò hic eſt locis naturalibus, non caſtris. Qvæ cum in omnium manibus ſint, illis immorari nolumus. * Extat in hiſtoriâ artis Mnemonicæ ſpecimen à *Johanne Theo-* 60
doro Dieterico puero undecimum agente annum exhibitum, qvi Hiſtorico-Chronologicam ſeriem à Julio Cæſare usqve ad regimen Ferdinandi III. memoriter in publico conſeſſu recitavit, ductu *Winckelmanni*, qvod editum eſt Gieſſæ Haſſorum Anno

 1657.

1653. Aliud ſpecimen hujus artis è Scholâ *Bunonis* exhibitum narrat *Frommannus de*
61 *Faſcinatione lib. 3. part. 4. ſect. 1. cap. 4.* * Tale ſpecimen Hiſtoricum à conditu orbis usqve ad excifionem Hieroſolymorum, per Titum Veſpaſianum factam, in Academiâ Roſtochienſi *Johannes Heinl*, Holmiâ Svecus, beneficio hujus artis, & ductu *Caſpari Cloſen*, qvi & in præfat. ejus ſpeciminis laudat *Petri Laurenbergii* inſtitutiones Mnemonicas nondum editas, dedit, qvod editum eſt Roſtochii Anno 1660.

62 In Linguis addiſcendis non contemnenda ſunt Mnemonica ſubſidia. Beccherus qvidem in Methodo ſuâ didacticâ nullam hîc Mnemonices rationem habet, ac laborem Bunonis aſpernatur: Putat enim, radicibus cognitis derivata facili negotio addiſci poſſe, ſi literas initiales & terminationes qvis in ordinem redigat. Syntaxin qvoqve levi negotio in compendium reduci poſſe. Qvod aliqvâ qvidem ex parte verum eſt. Neqve ego in Syntaxi, qvæ ex naturali qvâdam combinatione dependet, aut in derivatis, magnopere Mnemonica artificia qvæſiverim. Sed in radicibus tamen
63 cujuscunqve lingvæ ediſcendis illa uſui eſſe poſſunt. * Hebraicarum Radicum & Græcorum primitivorum ſeriem benè inventis & ordinatis imaginibus olim *Henricus Schævius*, meus qvondam Præceptor, Vir ingenioſiſſimus deduxit, qvas etiamnum poſſidet *Ægidius Neudorffius*, Scholæ Heidenſis in Dithmarſiâ Rector, vetus
64 è condiſcipulatu amicus. * Idem Schævius in lingvâ Latinâ *Vocabularium mnemonicum* edidit, characteribus rubris nigris & mixtis diſtinctum pro trium generum
65 cognitione. Alii aliis artificiis mnemonicis extra imagines feliciter uſi ſunt. * Ita *Schickhardus* in Horologiô Hebraicô artificio alluſionum uſus eſt, ac Collega noſter honoratiſſimus, *Matthias Wasmuthus*, Hebraicarum radicum Lexicon perpetuis alluſionibus ex aliis linguis adornavit, qvibus tirones cum optimo ſucceſſu eas apprehendunt.
66 * Idem in aliis Græcâ ac Latinâ linguâ fieri poteſt; & notavi ego voces è Germanicâ & vulgaribus linguis adeò Græcis & Latinis eſſe affines, ut facillimô negotiô ex earum ſimilitudine addiſci poſſint. Qvæ res non ludicrum tantum, ſed & maximè ſerium uſum habet: Nam illa affinitas è ſecretis, atqve maximè philoſophicis ac na-
67 turalibus, cauſis orta eſt; de qvo alio loco plura. * Incidit hîc, qvod *Antonius Wood* in Hiſtoriâ & Antiqvitatibus Univerſitatis Oxonienſis *lib. 1. ad Ann.* 1292. memorat è MSto libro conſummatiſſimi ſuo tempore philoſophi *Rogeri Baconi*, qvo Joannem Londinenſem, diſcipulum ſuum, Clementi IV. commendat, qvi hæc de ſe ipſo narrat, qvod, *ex qvo Alphabetum didicerit, annos qvadraginta in ſcientiis linguisqve acquirendis poſuerit, totoqve illo tempore, exceptis duobus quibusdam annis, & labores infinitos exantlaverit, & impenſas tamen haud minores fecerit: poſſet tamen quadrante vel ad ſummum dimidio anni virum ſedulum & literarum tenacem totâ ſuâ eruditione imbuere; modò ipſi tabulas aliquot analyticas conficere liceret; quas diſcipulus ille ſuus & in initio ſeqveretur, & ſubinde conſuleret. Imò in dubio non ponebat, qvin aſſiduæ diligentiæ viro præmonſtraret, quâ ratione vel trium dierum ſpatio tàm perfectam linguæ Hebraicæ cognitionem nanciſceretur, ut exactè comprehenderet,*

quic-

quicquid ſancti Patres virique olim ſapientes in dilucidando ſacro Textu ſcripſerint. * Addit Antonius Wood: *Adeò non Horologii Hebræi primus inventor Schickhardus.* 68 *Porrò autem & quicquid ad ſacrum eundem textum emendandum pertinet, ſe promiſit oſtenſurum. Quin etiam ſpopondit, tres tantum ſe dies depoſcere ad aliquem in linguâ Græcâ ſic erudiendum, ut quæcunque non tantùm de materiâ Theologicâ, ſed & Philoſophicâ conſcripta ſunt, clarè innoteſcant. Profitetur inſuper, unicâ ſe hebdomadâ Geometriam, alterâ verò Arithmeticam penitus aperturum.* De iis promiſſis verò Autor ita judicat: *Hæc an viis vulgaribus præſtiturus eſſet, an verò methodo Trithemianâ, hoc eſt, Steganographiâ & Polygraphiâ, neque mihi ſatis conſtat, neque ipſe explicat Baconus.* Fortè & in hoc Baconus ad artem Mnemonicam reſpicit, qvæ iſto tempore inter myſteria cuſtodiebatur. Qvomodo linguæ vulgares facili viâ per Latinam addiſci poſſint, monſtrat Winckelmannus in *Proteo ſuo*, Oldenburg. 1657. linguâ Germanicâ edito, pag. 121.

In Orationibus, qvæ ad Principes & ad populum habentur, magno illa ars 69 uſui eſt. Sive enim memoriter à nobis aliqva recitanda ſunt, adjumento erit in iis retinendis; ſive reſpondendum ad illa ſit, qvæ alii propoſuerunt, etiam hîc illa locis & imaginibus ſuis, veluti qvibusdam characteribus, ſuccurret: Qvam ob cauſam Oratori Eccleſiaſtico & Civili vehementer prodeſſe poterit. Et ſanè obtineri poteſt continuô exercitiô, ut in hâc arte exercendâ adeò promptus qvis ſit, ut perinde ipſi ſit, an legat orationem, an è characteribus ac imaginibus animo impreſſis recitet. Qvod in lectione literæ præſtant de verbis, hoc in recitatione imagines præſtant de ſenſibus: Unâ enim imagine integra periodus comprehendi poteſt. Ergò qvo qvis felicior ac promptior in imaginibus concipiendis de re memorandâ erit, (qvod exercitio modico facilè ab homine, qvi εὐφαντασίωτος eſt, impetrari poteſt) eò expeditius ſine ullâ hæſitatione, qvaſi ex chartâ legeret, recitabit.

Sunt præter imagines & loca, qvæ aliqvam curam & moleſtiam reqvirunt, 70 alia qvædam artificia Mnemonica non ſanè contemnenda: Neqve enim refert, utrum imaginibus, an aliis characteribus, connexio illa rerum concipiatur. * Expedi- 71 tiſſima eſt numerorum per literas exprimendorum ratio, qvæ literæ verbo aliqvo memoriali comprehendi poſſunt, qvod connexionem cum re, cujus reminiſcentia qværitur, habeat; Qvod inventum centum boum mactatione dignum vocat Winckelmannus in *ſuo Horto & Arbore Philoſophiæ* pag. 118. * Ita in Hiſtoricis ſolent anni 72 mundi vel æræ Chriſtianæ, vel ætatis Imperatorum, certô aliqvô verbô memoriali exprimi, qvod valde commodum eſt. Eâ ratione *Henricus Schævius* per appoſitionem verborum memorialium Titulos Digeſtorum & Codicis eorumqve numerum memoriæ imprimit: ego illud in Inſtitutionum & Decretalium titulis tentavi. Qvis enim, cum audit titulum *Locati conducti*, non facilè reminiſcatur vocis *Paſcha?* qvia à Paſchatis tempore illi contractus iniri ſolent. Et hîc PS ſignificat numerum libri, litera C numerum tituli. Titulo de termino moto jungitur vox SyNCoPe. Syncope de medio tollit, ita & lapis qvi terminum notat, de medio tollitur, & in illâ voce

73 literæ SN ſignificant librum, literæ CP titulum. * Hâc inventione adeò ſe felicem prædicat Winckelmannus, ut in hæc verba erumpat: *Maximè à te peto, ut ſi hoc omnium ſcientiarum ſecretum intellexeris, perpetuò ſerves occultum, nec myſterium tàm mirandum transfundas in indignos. Porci enim non ſunt unionibus exornandi, nec pretioſis onerandi margaritis.* Remittit qvoqve ad *Relationes ſuas ex Parnaſſo*, *de Arte Reminiſcentiæ*, Gieſſæ in 12. Anno 1661. editas, ubi plura de uſu Alphabeti numerici habet. Aliam qvoqve & expeditiorem per literas numerandi rationem idem pag. 220. *Horti ſui Philoſophici* proponit, de qvâ ita ille: *Modum habeo, quo numerum omnem ſufficienter & literis paucis conſignare potero & ſcribere; latent in ſingulis paſſibus plura myſteria, ut quanto ex his majora inveneris, tanto reſtent ampliora invenienda. Via paratur tibi incipienti, in quâ proficienti non eſt difficile ſucceſſu temporis invenire multa rara & maxima.* Non explicat verò ille, ad qvos præterea uſus numeri illi literarii applicari poſſint, qvod fortè ſibi ſecretum ſervavit: Niſi forte etiam res illis numeris per hypotheſin aliqvam notatæ revocari ſimul in memoriam poſſint; qvod fortè in circulis illis Lullianis Subjectorum, Prædicatorum, Qvæſtionum, qvæ novenario numero, ut numeri ipſi, comprehenduntur, obſervari poſſet. In lectione librorum, ſi paginas aut capita memoriæ imprimere velis, fortè etiam uſus illorum eſſe poterit. *Johannes Buno* in variis qvoqve libris ſuis Mnemonicis feliciter talibus

74 literis uſus eſt. * In extemporali Oratione memoriter recitandâ literis & vocibus qvaſi ſignis & characteribus uti docet *Janus Cæcilius Frey* in Viâ ad Scientias, cap. 1. *Sume*, inqvit, *tibi verſus aliquos, aut orationem noviſſimam; v. g. verſus Virgilii*: Arma virumqve cano &c. *vel aliquem pſalmum notiſſimum, aut orationem Dominicam* Pater noſter, &c. *Jam igitur prima periodus incipiat à primo vocabulo* Pater; *ſecunda periodus à vocabulo* noſter; *tertia â vocabulo* qvi es; *quarta à voce* in cœlis; *& ſic deinceps. Oportet autem tales voces materiæ, de qua dicturus es, applicare, ſimilitudine aliqua aut diſſimilitudine inſtituta, v. g. ſit loquendum de Pythagora, ita fieri poteſt:* Pater *omnis ſapientiæ humanæ & divinæ meritiſſimo jure cenſendus eſt Ariſtoteles.* Noſter *Orbis noſtraque monumenta, noſtrique auctores hujus rei & veritatis amplum ubique dant teſtimonium, & referre facilè foret.* Qvi es *inter Græcos eloquentiſſimus æſtimatus Demoſthenes, Iſocrates, & tu, Marce Tulli, qui es diſertiſſimus Romuli nepotum, annon ubique id fatemini?* In cœlis *non tot micant ſtellæ, quot honorificis teſtimoniis de Pythagora libri ſunt referti. Quo facto impoſſibile eſt, humanitus loquendo, memoriam fallere, quamvis in longiſſima oratione. Imò breviſſimo momento repeti poteſt longiſſima quamvis oratio.* Cap. 2. proponit literalem & ſyllabicam memoriam: *Vocabulum aliquod finge, aut potius vocabulum notum accipe, cujus literæ aut ſyllabæ tibi repræſentent primas literas aut primas ſyllabas materiæ, quam proferre tibi conſtitutum eſt; v. g. ſit mihi loquendum de* Alexandro, Romulo, Mercurio, Orpheo, *ſumam hoc vocabulum* armo. *Ergo A. ſignificat Alexandrum, R. Romulum, & ſic deinceps; Vel ſit mihi loquendum de* Argonautis, *de* Mari, *ſumam hoc vocabulum,* Arma. *Itaque prima ſyllaba refert vocabulum primum, ſecunda ſecundum.* Idem

qvoqve

qvoqve à Schenckelio & aliis Mnemonicis Scriptoribus notatum vidi. * Qvod 75
part. II. cap. 9. Jan. Cæcil. Frey proponit, præter reminiſcentiam verborum, inventionis rationem exponit: nam qvia perpetuus rerum analogiſmus eſt, ideo è certis cujusdam verſus verbis meditata ſua perpetuâ applicatione depromet ad dicendum planè imparatus. Ut de mente autoris conſtet, locum totum apponam: *Præceptum hoc apprimè utile concionatoribus, Advocatis aut aliis, quibus ex tempore aliqua habenda oratio, non præmeditatis: & quo præcepto habitus admirabilis eſt jam regnanti ſummo Pontifici Religioſus quidam, à quo coram collegio Cardinalium concionaturus, in ipsâ cathedrâ, petiit ut thema daret concionis; quo dato, ex tempore omnibus admirantibus concionatus eſt. Præceptum autem hoc eſt per duo inſtrumenta dialectica, ſcilicet ſimilitudinem & diſſimilitudinem omnium rerum. Omnes enim res aliis ſunt ſimiles & diſſimiles propter analogiam. Itaque de quâcunque re ſive termino ſimplici ſive propoſitione, discurrendum eſt, accipe aliquem verſum notum, v. g. Arma virumque cano, Trojæ qui primus ab oris &c. Jam ſit mihi discurrendum de Deo, de femina, de diabolo, de literis; ſtatim, præſertim ſi aliquis habet aliquam cognitionem rerum, ſeſe offerunt ſimilia, v. g. per* arma, *gravia bella fermè ſunt pro Religione & Deo. Item maximorum bellorum cauſæ fuerunt mulieres, ut Helena & Penelope &c. Jam ſimilitudo eſt inter virum & Deum. Servire enim Deo regnare eſt. Jam de feminis conſtat; Vinum enim & mulieres faciunt apoſtatare ſapientes viros. Per* cano, *Muſica, hymni Deo gratisſimi. De femina, Sirenes quot & quales deceperunt? Per* Trojæ, *Respublicas & regna Deus aufert, delet pro libitu, ut Trojam, Babylonem. De femina, Helena, ruina Trojæ: Penelope Procorum &c. Et ſic ordine per omnia licet diſſerere de omnibus. Debent autem ſimilitudines iſtæ conſiderari, quod Vetus Teſtamentum nil aliud ſit, quam ſimilitudo & figura Novi: & hodie ſunt, qui totum Plinium in morali ſuunt. In hoc tota ars fuit Advocati illius* ALARI: *& hodie fermè omnes conciones in iſtis conſiſtunt.* * Novi, qvi hoc artificio utantur, ut periodos periodis ſemper 76
connectant, tranſitum commodum ſuppeditante ultima periodi voce, ſive illa ſubjecti ſive prædicati vicem ſubeat. Qvoniam enim nulla vox eſt, qvæ non alia vel ſuo ambitu comprehendat, vel ab alio comprehendatur, ſub notione generis, ſpeciei, totius, partis, cauſæ, adjuncti &c. aut alio qvodam modo affinitatem, ſimilitudinem ac diſſimilitudinem cum aliis habeat, facilè ab aliqvo verborum promptu coagmentari periodi periodis poſſunt, atqve ita qvalecunqve orationis filum texi, modò id attendat talis Declamator, ut, qvoad fieri poſſit, enthymematicis tranſitionibus utatur, qvæ ratiocinationis aliqvam ſpeciem præ ſe ferant. Sed illa inter præſtigias artis oratoriæ referenda, neqve à Viro cordato adhibenda, niſi aliqvo neceſſitatis caſu.

Signis & characteribus qvidam etiam feliciter utuntur in conceptibus expri- 77
mendis loco imaginum; Cujus rei exemplum elegans nuper dedit in Chronologicis *Marcellus*, Parlamenti Pariſienſis Advocatus. Edidit ille libellum exiguum, Amſtelodami 1686. recuſum, ſed in qvo multæ tamen hiſtoricæ notitiæ per ſigna exponantur. Titulus eſt: *Tablettes Chronologiques*; in qvibus à nativitate Chriſti ad noſtra tempora

per ſeriem ſeculorum Chronologia deducitur ; ita ut qvælibet pagina ſeculum abſol
vat, eademqve ſecundum regna lineis diſtributa ſit, cum numero annorum regiminis.
Ab altera parte nomina ſecundum Alphabeti ſeriem poſita, ſignis qvibusdam notata
ſunt, qvæ mortem naturalem vel violentam, potentiam, tyrannidem, imperii novi
conſtitutionem, ſapientiam, crudelitatem, fortitudinem, mollitiem, eruditionem &c.
indicant; qvæ omnia uno qvaſi intuitu patent. Eodem modo *Tabulas ille Chrono-*
logicas Eccleſiaſticas edidit Amſterodami Anno 87. recuſas in 8. qvibus ille notis, qva-
rum numerus ultra 40. excurrit, ſignificat valorem Conciliorum, eorum rejectionem,
dignitates Cardinalitias, Archiepiſcopatus &c. Fundatores Ordinum, Religioſos, In-
terpretes Scripturæ, Hæreticos, Prædicatores, Caſuiſtas, Juris Canonici Scriptores, Hi-
ſtoricos, Philoſophos, Mathematicos, Oratores, Poëtas, Scriptores dubios &c. ut ita
paucis pagellis multa omnino hoc Compendio comprehendat. Scriptæ ſunt illæ
78 Tabulæ linguâ Gallicâ. * Promiſit & alia, qvæ ad artis Mnemonicæ ſpecimina
referri poſſunt, *Tabulas ſcilicet Coſmographicas*, continentes deſcriptionem exactam
79 omnium mundi partium, cum particularibus illarum. * Aliqvam hujus conſilii
partem jam tùm ante executus eſt *Johannes Uppendorffius* in *Schematiſmô ſuô Geogra-*
phicô, Rigæ edito, in qvô certis ſignis ſedes Impp. Regum, Electorum, Ducum, Ar-
chiepiſcopatus, Academiæ, Parlamenta, Urbes Imperiales, Hanſeaticæ, Emporia &c.
80 notantur. * Promiſit idem *Mundum Arithmeticum, in quo triplex humano generi,*
commodum proponitur. 1. Literarum & vocum ſuâ cuilibet auxiliante patriâ linguâ
terrarum ubique facilis & enucleata communio. (De illo invento jam tum Beccherus &
Kircherus cogitarunt.) 2. *Ordo cenſendi populos, exercitus, imò regna, quantumvis numero-*
ſiſſima, brevi tempore. 3. Citatæ per aëra decurſiones, ab antiquis fruſtra vel levi com-
modo pro ſignis duntaxat militaribus tentatæ, nunc claſſiariorum ignium, tintinnabulo-
rum & ceterorum id genus operâ pro quolibet juſſu, tam politico quàm militari, perfectæ.
Scribet Tractatum de *ſimilitudinibus, ex quibus efficiuntur notitiæ rerum. Quid ſit*
illud, quo meminimus, & quam habeat vim? Literarios Prodromos, ſive jucundiſſimam
memoriæ vel judicii, tàm in pueris quàm in adoleſcentibus, præparationem, luſibus &
exercitiis juxta mentem D. Hieronymi in epiſtolâ ad Lætam viduam illuſtratam. Opus
cum machinis. Gallicâ linguâ promiſit libros: *Amphitheatrum Principum, in quo*
per machinas informatio magnatum proponitur: Tractatum *de notis & figuris, qui re-*
ducuntur in quinarium, & quibus modo breviori, diſtinctiori, quam per literas, repræ-
ſentari poſſunt omnes cogitationes etiam arcanæ & abſtractæ. Ubi in lucem illa mit-
81 tentur, judicari de illis poterit. * Talia artificia etiamſi ad artem Mnemonicam
referenda, tamen peculiari nomine *ars Notaria* vel *Notatoria* dici ſolet, qvâ per notas
breves multa ſignificantur. Apud Sinenſes viget illa ars, qvâ verba & ſenſus uno
aliqvo charactere exprimuntur. Talem *Notariam artem* promiſit *Caramuel à Lobko-*
82 *witz.* * Romanis qvoqve talis in uſu ars fuit, qvi per ſigla ſua dicentis verba
83 aſſeqvi poterant, extatqve *Tironis* de Signis illis liber. * Apud Anglos GEORGIUS
DALGARN *Artem Signorum* ſcripſit, Londini An. 1661. editam, in qvâ characterem
univer-

univerſalem, ſive linguam Philoſophicam, fundavit, qvâ homines diverſiſſimorum idiomatum, ſpatio duarum ſeptimanarum omnia animi ſui ſenſa non minus intelligibiliter, ſive ſcribendo ſive loqvendo, cum aliis communicare poſſint: præterea etiam juvenes Philoſophiæ principia & veram Logicæ praxin citiùs & faciliùs multo imbibere, qvam ex vulgaribus Philoſophorum ſcriptis. Adjecit & Lexicon Grammatico-Philoſophicum unâ in tabulâ repræſentatum, qvo Methodo Prædicamentali omnes res exhibentur cum adjectis vocibus & ſignis confictis. * Cum hâc intentione 84
convenire videtur *Ludovicéa illa Lingua*, qvam auſpiciis Potentiſſimi Galliæ Regis Ludovici XIV. moliebatur JOACHIMUS FRISICHIUS, Gymnaſii Rigenſis Profeſſor, cujus ideam aliqvot ille foliis Thorunii Ann. 1681. edidit. Principia, ut ipſe in titulo habet, è Theologiâ, Matheſi, ceterâqve Philoſophiâ, nec non arte mnemonicâ ſunt petita, & in claſſes Entium diſtributa, non modò linguarum jam exiſtentium voces in ſuâ formalitate eſſentiali aut accidentali, proximâqve cum rebus convenientiâ & differentiâ dijudicantur; ſed & nova lingua naturalis, rationalis, univerſalis & qvaſi primæva omniumqve facillima concinnatur. Sed huic labori fata interceſſere. * Com- 85
mune aliqvod in omni linguâ literarum commercium per numeros inſtituit *Beccherus in ſuo charactere pro notitiâ linguarum univerſali* Francof. Anno 1661. edito, & *Kircherus in ſuâ Polygraphiâ*. * Multum huic ſtudio laboris qvoqve impendit 86
JOHANNES WILCKINS in vaſto libro, qvem de *Reali Charactere & Philoſophicâ linguâ* Londini Anno 1668. in folio edidit. Magnâ ille curâ rerum claſſes diſtribuit. Qvâ ratione etiam illis prodeſſe poterit, qvi rerum illâ ordinatione inventioni aliqvod ſubſidium ex analogiſmo petunt. * Pertinent & ad hanc claſſem, *qui* 87
artem Tachygraphicam vel Brachygraphicam docuerunt, de qvâ aliqvot libri apud Anglos & Belgas prodiere.

Solent & à qvibusdam commendari pro Memoriæ ſubſidio certa *Chartiludia*. 88
* Meminit Berneggerus *Orat. 2. de parandæ doctrinæ modis illegitimis* ſuprà laudatâ, 89
alicujus *Chartiludii Logici* ante centum annos ſuo tempore confecti. *Hujus farinæ*, inqvit, *videri queat Monachi cujusdam, Ordinis Minorum, Thomæ Murneri Argentoratenſis, Doctoris Theologiæ, chartiludium, ſcriptum annis abhinc centum, & quod excurrit: cujus ope intra ſpatium unius menſis etiam indoctos ac rudes artis Logicæ ad miraculum usque peritos effeciſſe ſe jactat, ut ſuſpicio ſuboriretur, aliquid magicarum artium interveniſſe, Pollicitus etiam eſt, ſe daturum quatuor libros Inſtitutionum Juſtinianearum in ſimilem chartularum luſoriarum formam redactos. Quo præclaro munere an Studioſos Juris beaverit, mihi non conſtat; Nec enim vidi. Logicum chartiludium, ſtoliditatem artis vaniſſimæ deteſtatus.* Rectè hâc qvidem in re Berneggerus judicat. * Ineptus talium mechanicorum inventorum in diſcipli- 90
nis uſus eſt, præſertim in Logicis. Nullus enim rerum nexus eſt. In ſententiis vel vocabulis aliqvibus addiſcendis, pueris fortè utilia eſſe poterunt. Ergo non demum à Gallis hæc chartiludia noſtro tempore inventa, qvalia ego *Geographica* vidi, * Il- 91
li enim hæc pro informatione Principum commendarunt, à qvibus rectè diſſentit Sorellus

rellus in Scientiâ ſuâ Univerſali Gallicè ſcriptâ tractat. ultimo illius libri, cujus verba hîc apponam: *On peut dire le meſme de quelques Methodes que l'on a trouvées pour reduire la Coſmographie, la Geographie, la Chronologie & l'Hiſtoire, meſmes la Logique & autres Diſciplines, en des jeux de Cartes. Si l'on ſe ſervoit ſeulement d'abord de ces ſortes d'inventions, on ne ſervit qu'embrouiller l'eſprit des enfans; Lors que l'on voudroit apres les inſtruire tout de bon, ils croiroient tousjours joüer, & parleroient pluſtoſt de Ieu que de Science. On ne ſçauroit auſſi apprendre beaucoup de choſes par une maniere ſi contrainte, dautant qu' une Carte ne peut porter qu' un nom, & quelques qualitez ſans rien approfondir davantage; D'ailleurs, il ſemble indigne de la majeſtè des Sciences de les traitter ſi baſſement. Que ſi la Methode en eſt eſtimée ingenieuſe, & ſi elle fert de recreation ceux qui ont reçeu d'autre part une inſtruction plus forte, il ne faut point eſperer que ce ſoit de la vraye erudition procede.*

92 Multa qvoqve memoriæ ſubſidia promiſit JOANNES CARAMUEL LOBKOWITZ, mirificarum diſciplinarum Architectus. Nam in Catalogo operum ſuorum, qvem ipſe publicavit, qviqve in *Bibliothecâ Scriptorum ordinis Ciſtercienſis* reperitur p. 179. ubi Grammaticam ſuam Latinam nominat, ait: *Puto formam totius Linguæ Latinæ à clari ingenii juvene poſſe horâ intelligi, & menſe addiſci, ſi iſtæ novæ inſtitutiones admittantur. Puto materiam felicius acquirendam, ſi etiam ante tradetur.*
93 * *Tradatur prius lingua materna ex arte & regulis, quam unusquisque addiſcere poſſe videtur unâ hebdomade; & ſi hanc ſemel altè percalleat, poterit quodcunque aliud idioma acquirere uno aut altero menſe.* Hæc ille qvidem magno hiatu pro-
94 mittit, & ſupra Rogerus Baco non niſi triduum poſtulaverat. * Sed Berneggerus in laudatâ oratione fallacem hujus rei eventum notavit, *Non ita multis abhinc annis talem quendam ſubitæ doctrinæ magiſtrum in hac urbe vixiſſe noſtis, qui ut poſſet jejunæ ſupplicium vitæ tolerare, famemque ſolari ſuam, auſus eſt Græcæ linguæ unius alteriusque ſeptimanæ ſpatio parandæ notitiam pacto certo pretio promittere. Et invenit ille quidem aliquot adoleſcentes credulos, peneque dixero ſtultos, qui ſe ei dederunt in diſciplinam & exploraturi, quid ferat hic dignum tanto promiſſor hiatu; Quos poſtea tamen emunctis loculis, veluti corvos hiantes, egregiè deluſit, &, cum carnem*
95 *peterent, ne carnis quidem umbram oſtendit.* * Idem tamen Caramuel de arte memoriæ ita judicat eo in loco, qvo novam ſe memoriæ artem traditurum promittit: *Puto artem memoriæ alterâ indigere memoriâ; interim quid alii dixerunt & docuerunt, examino & methodum commodiſſimam trado, quâ poſſit juvari memoria.*

96 Ut tandem hanc de Memoriæ ſubſidiis tractationem concludamus, tenendum eſt, in rebus, qvæ ad memoriam propriè pertinent, hiſtoriis, factis, lectione librorum, orationum recitatione, inſignem poſſe eſſe hujus artis uſum (qvam ob cauſam non ineptè ſuadet *Schefferus in Graphice pag. 23.* pueros in pingendo maturè erudiendos;), in diſciplinis verò firmiorem ab ipſo rerum nexu & ordine, memoriam exſpe-
97 ctandam. * Deniqve non deſunt, qvi etiam naturali memoriæ plus virium accedere qvotidianâ exercitatione poſſe exiſtimant, qvemadmodum è palæſtra ſemper

habi-

habitiores pugiles recedunt, & continuô uſu etiam membra novum robur acqvirunt; præſertim ſi non obruatur confuſa multorum lectione, qvæ nulla certa poſt ſe ducit veſtigia, & firmiora & altius imprimenda, ſi eædem ſemper ducuntur eodem tenore in diſciplinis lineæ. Extat eâ de re paræneſis memoratica in *Paganini Gaudentii Inſtar Academic. pag.* 129. cum epigrammate de Lullianâ Memoriæ arte contemnendâ. * Legi & in illo argumento proſit illa jam ſuprà nobis memorata JACOBI LECTII, JCti doctiſſimi, *de memoria Oratio*, qvi etſi non hanc artem aſpernatur, tamen in eâ plus oſtentationis, quam frugis, eſſe judicat: qvâ in ſententiâ plane illi ὁμόψηφος eſt in Oratione editâ *Berneggerus*, ut ipſa ejus verba transſcribat, ſcriniorum ejus hâc qvidem in parte compilator. * Sed ille has forſan extemporales, & inter negotia deproperatas, Orationes typis non deſtinavit. Nam filius illas poſt mortem Viri citra controverſiam doctiſſimi, & qvi magnum, dum viveret, Germaniæ ornamentum fuit, edidit.

98 99

CAP. VII.
DE METHODIS VARIIS.

§. 1. Methodus eſt genuina Logicæ propago. 2. vel generatim vel ſpeciatim accipitur. 3. quid ſit. 4. Oweni Guntheri Tractatus de Methodo laudantur; 5. qui poſt Ariſtotelem 6. & Galenum eam doctrinam propoſuit. 7. Methodi utilitas. 8. Methodus univerſalis. 9. Particularis. 10. Hac obſervata nullis opus eſt gnoſtologiis. &c. 11. Erhardi Weigelii Analyſis Ariſtotelica ex Euclide reſtituta laudatur. 12. In illa novaturire quibusdam dicitur. 13. Ariſtotelis interpretes in hâc arte tradendi ſegnes. 14. Ariſtotelis Analyticam male impugnat Nizolius. 15. Adverſus quem diſputatur. 16. Nizolii cum Majoragio diſſenſio. 17. Ramus in Methodo Ariſtotelica novator. 18. Verulamii de illo judicium. 19. Ejus perpetuas dichotomias carpit. 20. Ramus multa debet Agricolæ & Ludovico Vivi. 21. Ejus methodum refutavit Digbæus. 22. Carteſii doctrina de Methodo. 23. Ab Autore artis cogitandi in compendium redacta. 24. Peripateticorum in tractanda methodo incuria. 25. Autor Medicinæ mentis in hâc doctrinâ laudatur. 26. Ejus liber recenſetur. 27. Autor is mathematicis ſtudiis ſe totum applicuit. 28. Algebræ ſtudio primus in has cogitationes incidit. 29. Summa ejus doctrinæ capita recenſentur. 30. 33. Artis inveniendi præcepta generalia. 31. Definitiones, 34. Axiomata, Theoremata quomodo formari debeant. 33. Imaginabilium, Mathematicorum, & Phyſicorum certæ claſſes, quorum rationes indagandæ. 35. 37. 38. 41. Impedimenta ſex indagandæ veritatis. 36. ſqq. quorum remedia ſimul docentur. 39. Baudelotii de Dairval liber de uſu Peregrinationum. 40. Muſeum Italicum Joannis Mabillon & Michaëlis Germain laudantur. 43. Methodus veritates incognitas indagandi. 44. Artis inveniendi ſpecialiora præcepta nondum edita. 45. Verulamii de Methodo cogitata. 46. Variæ Methodi diſtinctiones. 47. quæ parum utilitatis promittunt. 48. Methodus

thodus Exoterica & Acroamatica. 49. Pythagorica Methodus per numeros. 50. à Theodoto Oſio reſtaurata. 51. Chinenſium methodus philoſophandi per lineas. 52. quæ ex ipſis Confucii fontibus recenſetur. 53. Eorum mirum acumen. 54. Philoſophia eorum myſteria habet non omnibus intelligenda. 55. Methodus Cabaliſtica. 56. à multis delineata. 57. à Scalichio recocta. 58. Quâ methodo multi egregiè profecerunt. 59. Quatenus conveniat cum arte Lulliana. 60. Renaudotii Specimina. 61. Budæi judicium de talibus methodis. 62. Scaligeri deſiderium de barbarorum doctrinâ diſcenda. 63. Autores recentiores Cabaliſtici. 64. 66. Roberti Fluddii ſcripta. 65. & Philoſophandi ratio. 67. Methodi particulares. 68. Non niſi unam agnoſcit Autor Medicinæ Mentis. 69. quod re ipſa refellitur. 70. Autores qui ἐγκυκλοπαιδείαν ſcripſerunt. 71. Sorelli ſcientia univerſalis. 72. Martianus Capella. 73. Euphues. 74. Alſtedius. 75. Judicium de ejus ἐγκυκλοπαιδεία. 76. In artibus Mechanicis ejus diligentia. 77. ut & Thevenoti. 78. Velſchii. 79. Alſtedii ἐγκυκλοπαιδεία Biblica. 80. Velſchii Pædia in Cycliſco. 81. J. Fortii Ringelbergii Encyclopædia. 82. Ejus vitæ mirabilis conditio. 83. Antonius Zara. 84. Voſſii opus artium. 85. Havemanni Methodus. 86. Claude Fleurus. 87. 88. 89. 90. Autores, qui de Methodo ſtudiorum ſcripſere, recenſentur. 91. quid de illis ſtatuendum ſit. 92. Leichneri Apodictica Scholarum reformandarum ratio. 93. Baco Verulamius. 94. Bayeri Lux mentium. 95. Velſchii Somnium Vindiciani. 96. Leibnitzii Methodus Jurisprudentiæ. 97. Anonymi deſideria literaria. 98. Thomæ Broun Pſeudodoxia Epidemica. 99. Schookii judicium de Methodiſtis. 100. Univerſalis Methodus vix ſperanda. 101. Quædam datâ operâ occultantur. 102. Sermones Exoterici & Acroamatici. 103. Octaviani Ferrarii liber de ſermonibus Exotericis. 104. Παιδεία quæ. 105. Ἐγκύκλια μαθήματα. 106. Ἀκρίβεια mathematica in omnibus obſervari nequit. 107. quâ tamen quidam feliciſſimè in ſcriptis ſuis uſi ſunt.

1 DE METHODO ipſâ, genuinâ illâ ac primariâ Logices propagine, dici etiam hîc qvædam debebant: Qvoniam enim *Methodici* titulo totus ille liber in-
2 ſcribitur, de Methodo præcipuè hîc agi debere ratio ipſa dictitat. * De Methodo itaqve agi poteſt, qvatenus generatim ea vox accipitur, atqve univerſam illam inveniendi demonſtrandiqve rationem ſignificat, & qvatenus illa omnibus applicari diſciplinis ac meditationibus noſtris poteſt; Cujus propaginem eſ-
3 ſe diximus omnes illas artes, qvas Inventivarum titulo aliqvi ſalutant. * Eſt vero *Methodus nihil aliud, quam Ordo, quo ex principiis ac nobis cognitis deducuntur*
4 *incognita; ſive id in ipſis ſcientiis ſive in Syllogiſmis fiat.* * OWENUS GUNTHERUS, Philoſophiæ Ariſtotelicæ qvondam in Academiâ Juliâ Profeſſor, Vir doctiſſimus, & cui multa ſe debere ait in præcognitis ſuis Logicis Keckermannus, *Methodorum tractatus duos* ſcripſit, *continentes totius artis Logicæ medullam, facultatem omnium ſcientiarum ac demonſtrationum principia inveniendi, dijudicandique rationem,*

nem, Helmſtadii 1586. in 8. editos: qvi mihi in hoc genere ità ſemper placuerunt,
ut parum à novatoribus hâc in re novi præſtitum exiſtimem, niſi qvod applicatione
ad Mathematica ac Phyſica exempla negotium hoc optime illuſtrarint. * Hæc 5
eſt illa, qvæ libris τῶν Ἀναλυτικῶν Ariſtotelis doctrinæ continetur; qvorum duæ par-
tes ſunt. Priores duo Analyticorum libri docent ratiocinationis formas conſtruere:
Poſteriores duo libri παιδείαν ſeu eruditionem complectuntur indagandi dijudicandi-
qve materias in ſingulis diſciplinis. * Hanc ſcilicet partem Logices εὑρετικὴν & 6
κριτικὴν ab uſu non modo populari remotam, ſed multis etiam parum eruditè uſur-
patam, ſuis Methodorum libris illuſtrare conatus eſt Guntherus, junctis illis, qvæ
apud Platonem & Galenum (cujus extat de optimo genere docendi liber) occurrunt.
* De hâc Methodo Plato in Phædro & paſſim pluribus agit, eamqve ut divinum in- 7
ventum commendat: Eſt enim intellectui, tam theorico qvàm practico, inſtrumen-
tum paratiſſimum, ut & acutè intelligamus, & rectè agamus: Qvare & per habi-
tum organicum Methodum definivit Guntherus. * Ille vero habitus Methodicus 8
vel in integrâ ſcientiâ tractandâ, vel in aliqvâ ejus parte, exercetur. Methodum
Univerſalem διδασκαλίαν vocavit Galenus, à qvo tamen diſſentit Guntherus: nam
διδασκαλία ad unam aliqvam tantùm diſciplinam pertinet; Methodus au-
tem eſt communis qvædam ſcientiarum norma nulli propriæ mancipata diſci-
plinæ: cum non ſingularum diſciplinarum ἐπιςητα cognoſcat, ſed ipſas
ſcientias, qvarum ſingulæ ſua ἐπίςητα perſpiciunt, dijudicet examinetqve. * Me- 9
thodi particulares pro ratione duorum ſummorum generum, Subſtantiæ & Acciden-
tis, duo habent inſtrumenta, definitionem & demonſtrationem. * Qvibus pa- 10
tet, nullis nos opus habere vel Gnoſtologiis, vel Hexologiis & Intelligentiis, qvas
muſtei illi Diſciplinarum fabri nobis extuderunt: nam ſolâ Logices & Methodi do-
ctrinâ illud abſolvitur, qvod ad diſciplinas ordinandas pertinet. * Hujus doctri- 11
næ ſummum uſum cum perpenderet Erhardus Weigelius, Matheſeos Profeſſor
in Academiâ Jenenſi celebratiſſimus, Vir ob egregia & ſingularia in arte ſuâ inventa
ſummam laudem promeritus, atqve demonſtrandi artem è Mathematicis principiis
qvaſi è fundô aliqvô peti debere rectè judicaret, *Analyſin Ariſtotelicam ex Euclide
reſtitutam* ſcripſit, qvæ *genuinum ſciendi modum & nativam reſtauratæ philoſophiæ
faciem per omnes diſciplinas ichnographicè depingeret*; editaqve eſt Jenæ Anno 1658.
* Eruditionem ille eximiam in doctiſſimô hoc Opere oſtendit, non omnibus qvi- 12
dem fortè probatus, qvod in aliqvibus vel rebus, vel terminis nonnullis novaturire
videatur; ſed ingenium tamen & ἀκρίβειαν non vulgarem in Commentario illo de-
prehendas. * Hujus ſui conſilii rationes prolixius in Inſcriptione libri oſtendit, 13
cum in tot Ariſtotelis Interpretibus & Scholaſticis nihil planè inveniret, qvod pul-
cherrimum ipſius opus Ἀναλυτικῶν rectè explicaret, eorumqve verum uſum demon-
ſtraret. *Deprehendebam homines iſtos*, inqvit, *totâ die non niſi de mente Præcepto-
ris, conſiliorumqve ipſius ſenſu ad ravim usque & nauſeam decertare: alios hoc, alios
iſtud ſuppeditare conſilii: omnes tandem, veræ quippe & priſcæ Architectonicæ (quam*

 obſcu-

obſcuris aliquantum regulis, obſervatione & reſolutione Mathematicarum, quas ipſis videre non contigit, fundatis, Præceptor tradiderat) ignaros in ſolis liminibus & ſuperliminaribus conclavium hærere, eaque, neſcio quo ruinæ metu, labore non neceſſario quidem, immenſo tamen & tantum non Herculeo, ſtatuminare operoſè ſatagentes: tectorio inſuper gypſoqve quam pulcherrimè incruſtantes: illigatisque emblematibus, quam fieri poſſet, elegantiſſimè conveſtientes, tempus omne conſumere: ſubſtructionibus interim intimioribus ob inſtaurationis & cultus defectum omnimodè corruentibus. Quos quidem hominum iſtorum errores, ut primum diu & diligenter attendens, ex mera veræ & priſcæ Architectonicæ, quam à Mathematicis diſcendam Ariſtoteles non neſciebat, ignorantiâ, indeque regulis Ariſtotelicis non intellectis, ſed pro placito uniuscujusque perverſiſſime explicatis, ortum ſuum traxiſſe & originem deprehendi; ex eo nihil in optatis magis habui, quam videre tandem aliquando, qui omnimodam Philoſophici iſtius ædificii ruinam præventurus, Ariſtotelicam illam Architectonicam, hactenus ſatis perverſam, è Mathematicarum machinarum inſpectione & reſolutione, quibus tota nititur, reſtitueret, modumque poſtea, collapſam ferè pretioſiſſimam ſtructuram ab interitu vindicandi, exinde oſtenderet.

14 Et hæc qvidem, qvæ de Methodo ac demonſtrandi ratione ab Ariſtotele dicta
ſunt, ſatis ſibi conſtant, ut mirer, qvomodo NIZOLIUS in libris *de rerum principiis &*
verâ ratione philoſophandi omnem demonſtrandi rationem, ab Ariſtotele luculenter
adeo traditam, de medio tollere conatus fuerit. Extat enim *libro quarto cap. 3.* de
falsâ demonſtratione & ſcientiâ Pſeudophiloſophorum, & ſimul de inutili falſoqve
15 poſteriorum Analyticorum libro. * Adverſus illum peculiari operâ ſe diſputatu-
rum promiſit Vir ingenioſiſſimus *Leibnizius in præfatione*, qvam iteratæ libri Nizo-
liani editioni præmiſit. Qvanta illa ſunt παράδοξα, qvum univerſalia in rerum na-
tura negat? qvibus ſublatis, demonſtrationis etiam magnam partem tolli neceſſum
eſt. Qvis ferret Logicam diſciplinam Oratoriæ, Metaphyſicam Phyſicæ ſubordina-
16 ri? qvas ſeparandas eſſe ratio ipſa dictitat. * Verùm ille ſtudio partium abreptus
multa diſputavit adverſus ipſam veritatis rationem, per occaſionem litis cum Majora-
gio inſtitutæ. Cum enim Majoragius adverſus Ciceronem qvædam ſcripſiſſet, Ni-
zolius prolixam, ſed acerbam, ad ipſum epiſtolam ſcripſit, qvam in Bibliothecâ Gu-
dianâ MStam, ſervari ſuprà dixi. Ergo Majoragius *duos Reprehenſionum libros* in
Nizolium ſcripſit, qvi hos de verâ philoſophandi ratione Nizolio extorſerunt. Ma-
luit Nizolius elegantiorem aliqvam philoſophandi rationem, abjectis terminis phi-
17 loſophicis ac barbaris, qvibus tamen major ſubeſt rerum expreſſio. * Et fuit in
multis Nizolio ὁμόψηφος RAMUS, magnus in re Dialecticâ non tantùm, ſed & in
omni Philoſophiæ parte, Novator: Novam etenim, ut in ſingulis diſciplinis, ita uni-
18 verſam Methodum inſtituit, * de qvo tamen ita judicat Verulamius de Augm.
Scientiar. lib. 6. cap. 2. *Methodus veluti ſcientiarum architectura eſt. Atque hac in*
parte melius meruit Ramus, in optimis illis regulis (καθόλου πρῶτον, κατὰ παντὸς, κατ'
αὐτὸ, &c.) *renovandis, quam in unica ſua Methodo & Dichotomiis obtrudendis.*
Verun-

*Veruntamen neſcio quo fato fit, ut humanis (ſicut ſæpius fingunt Poëtæ) rebus pretioſiſſi-
mis ſemper adhibeantur pernicioſiſſimi quique cuſtodes. Certè conatus Rami, circa
illam propoſitionum limam, conjecit eum in epitomas illas & ſcientiarum vada, auſpi-
cato & felicis cujusdam genii ductu proceſſerit oportet, qui Axiomata ſcientiarum Con-
vertibilia facere attentaverit, & non ſimul ea reddiderit Circularia, aut in ſemet recur-
rentia. Conatum nihilo ſecius Rami in hac parte utilem fuiſſe non inficiamur.* Ergo
tamen, qvæ bona in Ramo habentur, ab Ariſtotele potius transſcripta, Verulamio ju-
dice, qvàm ab ipſo excogitata ſunt. * Methodum qvoqve Ramæam perpetuis 19
dichotomiis incedentem carpit ibidem in initio capitis Verulamius: *De unica Metho-
do & Dichotomiis nil attinet dicere: fuit enim nubecula quædam doctrinæ, quæ cito
tranſit: res certe ſimul & levis & ſcientiis damnoſiſſima. Etenim hujusmodi homines,
cum Methodi ſuæ legibus res torqueant, & quæcunque in dichotomias illas non apte ca-
dunt, aut omittant, aut præter naturam inflectant, hoc efficiunt, ut quaſi nuclei & gra-
na ſcientiarum exiliant, ipſi aridas tantùm & deſertas ſiliquas ſtringant. Itaque in-
ania compendia parit hoc genus Methodi, ſolida ſcientiarum deſtruit.* * De Ramo 20
& Ramæorum doctrina legi Caſelius poteſt in ſuo Νέῳ & *Prodidaſcalo.* Ceterum
ille jam tum Agricolæ & Ludovico Vivi ſuorum philoſophematum originem in mul-
tis debuit, de qvo nos alio loco plura. * Methodum Rami refutavit duobus li- 21
bris *Everh. Digbæus* Lond. 8. An. 1580. editis: qvi & *Theoriam Analyticam viam ad
Monarchiam ſcientiarum monſtrantem* Londin. in 4. Anno 1579. edidit.

Doctrinam de Methodo peculiari qvâdam curâ ſibi explicandam ſumpſit 22
Cartesius, vir ad Philoſophiam animo acerrimo inſtructus. Totam hanc artem ad
qvatuor Regulas vocavit, qvæ tamen, ſi verum fateri velimus, Ariſtotelis jam tum
præceptis continentur. * In compendium traxit *Autor Artis Cogitandi* parte 23
qvartâ. Methodum duplicem facit: vel enim veritatem inqvirit, eſtqve Analyſis,
ſive Methodus reſolutionis, qvæ dici poterat methodus inventionis: vel inventam do-
cet, & eſt Syntheſis, ſive methodus compoſitionis, qvæ & appellari poteſt methodus
doctrinæ tradendæ. Integrum corpus ſcientiæ raro analyticè tradi ait, cum Analyſis
in uſu tantùm ſit ad qvæſtiones ſolvendas. Atqve hîc varia qvæſtionum exempla
proponit, monſtraturus, qvomodo in his procedendum: qvorum maximam partem
excerpſit è ſchedis MStis Carteſianis, qvas à *Dn. Clerceliero* habuerat. Multa tùm è
mathematicis tùm è phyſicis adducit pro illuſtratione hujus doctrinæ, qvæ ibi cum
fructu legi poſſunt. * Nam ceteri Autores Peripatetici, qvi de methodo tracta- 24
runt, parci admodum ſunt in exemplis diſtinctè proponendis. Qvoniam enim ple-
riqve ex illis mathematicæ artis & ſolidioris phyſicæ, & præcipuè *ἐμπειρίας* natura-
lis rudes fuere, qvæ firmiorem *ἀποδείξεων* fundum huic doctrinæ ſubſternunt, mirum
videri non debet, ſi mutilam illam & in multis erroneam dederint. Ceterùm nihil
penè novi ab illis, qvi tamen nova ſe dixiſſe putant, dictum eſt, qvod non commodâ
deductione è principiis Ariſtotelicis arceſſi poſſit.

Nuperrimè eandem doctrinam Tschirnhausius, Academiæ Scientiarum 25
 Pari-

Pariſienſis membrum, viâ, qvoad fieri poterat, expeditâ & accuratâ propoſuit, niſi qvod veterum præcepta planè ſeponat, ſuumqve omnino ductum ſeqvatur: cujus tamen Regulæ Generales & cum Carteſianis & cum ipſis Ariſtotelicis, qvas Guntherus expreſſit, in multis conveniunt. Libri titulus eſt: *Medicina mentis, ſive tentamen genuinæ Logicæ, in quâ diſſeritur de Methodo detegendi incognitas veritates.* Editus
26 verò eſt Amſtelodami 1687. ac Regi Galliæ inſcriptus. * Prima parte agit de cauſis, qvæ nos in varios errores deducunt; qvid propriè nos delectet, & qvam variæ ſint circa illa, qvæ delectant, deceptiones; qvod ſit omnium conſtantiſſima delectatio veritatis detectio, atqve hujus via per nos ipſos indagari poſſit. Parte ſecundâ artis inveniendi generalia præcepta proponit, qvibus adjuti nunqvam in falſa incidamus, ſed potiùs veritatem ſemper certò aſſeqvamur; adeò, ut hiſce mediis absqve illo errore ulterius progredi poſſimus, continuò & qvantum nobis libuerit, ſemper nova detegendo, ſi modo adſit animus & ſatis temporis nobis ſuperſit ad nosmet ipſos ad id ſtudium applicandos, idqve exiguo labore. Excludit hîc primò cognitionem illam, qvalis ex Locis Communibus, arte Lullianâ, Prædicamentis, Locis Topicis, Florilegiis, de re aliqvâ in pompam potius & admirationem ignorantium hauriri & proponi ſolet: qvâ nihil ſolidæ veritatis indagabitur, ſed millies ab aliis dicta recoqventur,
27 variis etiam dubiis & controverſiis incerta. * Cum ergo ſolos Mathematicos nullas fovere controverſias videret, aut eas, ſi qvæ exurgerent, ſtatim componi, hoc indicio judicabat, hos ſolos exoptatam methodum attigiſſe. Illis ergo ſtudiis ſe applicuit, ut videret, num idem mutatis mutandis in aliis poſſit obtineri; qvod
28 ipſi feliciſſimè ſucceſſit. * Algebram igitur primùm adiit, de qvâ ita: *Cum ego, quam veteres Algebram, recentiores verò Analyſin ſpecioſam vocant, mihi comparaſſem, magnâ meâ delectatione obſervabam, & quod ibi promittitur, non falſò jactari, & reverâ plus in eâ præſtari, quam antehac ullâ ſpe conceperam. Licet verò ſtatim non potuerim perſpicere, quomodo idem in omnibus aliis ſcientiis poſſit effici; quia tamen me hactenus præſtantior latebat methodus, in hac ingenium meum colendo vehementer fui occupatus. Ubi eò denique progreſſus eram, ut quendam adverterem habitum, tàm in ſolvendis iis difficultatibus ab aliis mihi propoſitis, quàm præcipuè in iis, quas mihi ipſe formaveram, intimiùs ſecretam hujus methodi naturam perluſtrando notavi, quicquid ignotum eſt eâdem prorſus ratione non ſolum in Mathematicis, ſed & in omnibus*
29 *aliis ſcientiis, poſſe detegi.* * Primò ergo ponit certitudinis humanæ fundamentum illa, in qvibus præcipuè intellectus operatio manifeſtatur; nimirum qvæ à mente noſtra ſtatim ſine contradictione (à cujus ſtudio remotiſſimum jubet eſſe veritatis indagatorem) concipi poſſunt, e. g. Totum parte ſuâ majus eſſe, In circulo omnes radios abſolutè eſſe æqvales &c. unde infinitæ aliæ veritates educi poſſunt, ac vice versâ ſeqvitur, ea qvæ concipi non poſſunt, falſa eſſe. Sed in fundamentô illô rectè ponendô, ne ab imaginatione decipiamur, præcipit: Multa enim tantùm imaginatione percipi ait, qvorum tamen conceptus certus dari non poſſit, ut in ſonis, coloribus, aqvâ, aëre, metallis &c. Qvare duo criteria discernendi intellectus & imaginationis com-

men-

mendat. 1. Multâ experientiâ & freqventi utriusqve differentiam indagare, qvod
tamen difficile admodum eſt, nec à qvolibet præſtari poteſt. 2. Ut æqvalitatem in-
telligendi reſpiciamus: nam qvæ verè concipimus, ea etiam aliis, ut nobiscum conci-
pere poſſint, explicare poſſumus, ut in demonſtrationibus Mathematicis fieri videmus,
qvas omnes æqvè bene intelligunt; cum ea, qvæ imaginatione percipiamus, variis va-
riè, non æqvaliter, percipiantur. Neceſſe proinde erit ſigna dari, qvibus certiores fia-
mus, utrum rem concipiamus, an imaginemur: nam ex confuſione duarum faculta-
tum illarum maximi naſcuntur errores. Format deinde ſibi ipſi varias objectiones,
qvibus impugnari illa ſua veritatis criteria poſſunt, ad qvas operosè ac eruditè reſpon-
det. * Hinc disqvirit, qvâ qvis ratione ſemper absqve errore poſſit progredi nova 30
continuò detegendo: ubi primo omnes poſſibiles conceptus, qvos mentem obſervare
poſſe videmus, nobis magno acqvirendos ſtudio ſuadet: ex iis definitiones primum
fabricandas docet, è definitionibus proprietates educit, qvæ appellat Axiomata: ex
definitionibus inter ſe omnibus modis junctis veritates derivatas exſtruit, qvas Theo-
remata vocat. * Definitiones à nobis formari poſſe demonſtrat, & ut definitio 31
aliqva bona ſit, primum rei, qvæ concipitur, formationis modum, qvam generatio-
nem vocat, conſiderare nos jubet, atqve ex ea definitionem adornare. * Qvod ut 32
eò promptiùs fiat, tres Regulas generales ponit; qvarum *prima* eſt de rebus cogita-
tione ad ſua ſumma genera deducendis, cum qvibus cuncta entia diverſam naturam,
h. e. nihil commune ac diverſam generationem habere obſervantur vel concipiuntur.
* Conſtituit autem tria cogitationum genera circa Imaginabilia, Mathematica, Phy- 33
ſica, ad qvas claſſes omnia entia reduci poſſint. *Secunda* regula eſt: Omnibus ad
ultima genera reductis obſervandum eſſe, vel ratione vel experientiâ, qvæ in qvolibet
genere ea ſint, qvæ omnibus ſingularibus concipiendis ſemper adſint. *Tertia* regula
eſt: Omnes conceptus formatos ſic eſſe ordinandos, ut ſibi ſuccedant juxta numerum,
qvo plura poſſibilia ſeu elementa ſuccedere expoſcunt. Prima elementa Imagina-
bilium, qvæ ſenſu percipiuntur, conſtituit fluida & dura, Rationalium puncta, rectas
atqve curvas, Realium, materiam, motum & qvietem, ſine qvibus nihil amplius conci-
pi poſſit. * Hinc ad Axiomata & Theoremata fabricanda procedit, ac magnam 34
exemplorum è Geometricis petitorum copiam ſubjungit, qvibus præcepta ac magnam
exemplorum è Geometricis petitorum copiam ſubjungit, qvibus præcepta ac regulas
ſuas illuſtrat, adjectis nonnullis phyſicis demonſtrationibus de Montibus ardentibus,
qvæ ex eodem fonte promanant, qvam methodum ex Algebra primùm deductam ve-
hementer extollit. *Hæc eſt*, inqvit, *nec ulla alia exiſtit methodus, qua omnes, qui Al-*
gebræ ſtudent, utuntur, & cujus ope talia ſolvuntur problemata, qua cuivis humano
ingenio indiſſolubilia primo intuitu videntur: Propoſito enim problemate, res integra
quaſi jam inventa ob oculos ponitur, ut ita clarè appareat, quænam res hic ſibi invicem
conjungantur: harum naturæ ſeu definitiones vel jam notæ ſunt, vel re ipsâ exhiben-
tur: deinde unaquæque diverſarum naturarum ſeorſim expenditur, & per diverſam
æquationem ſimplicisſimis, quantum fieri poteſt, characteribus exprimitur: tandem ſin-

gulæ

gulæ harum æquationum variè inter ſe tamdiu comparantur ſeu junguntur, donec unica
inde oriatur æquatio, cui hæ naturæ quæ antè diverſis æquationibus exprimebantur, in-
cluſæ, hoc eſt, omnes ſimul junctæ ſint; & quæ proinde clarè oſtendit, quo pacto propoſita
quæſtio ſit ſolvenda. De hâc Algebra ſpecioſa *Carteſius, Beaumontius, Vieta, Schoote-*
35 *nius* pluribus agunt. * Hinc procedit ad illam tractationem, qvâ ratione verita-
tis acqviſitio exiguô labore perficiatur: qvod ut fiat, omnia impedimenta primùm re-
movet, in qvibus *primum* locum tenent errores, in qvorum originem inqvirit, ac qvæ-
dam ejus rei in imaginabilibus, rationalibus, ac realibus enumerat. In realibus ſub-
tiliſſimos errores vocat, qvando cum realibus imaginabilia confunduntur, qvod in
principiis naturæ ponendis à ſubtiliſſimis noſtri temporis Philoſophis factum; atqve
36 inde varias enatas ſectas, & multa dominari etiamnum præjudicia oſtendit; * Qvo-
rum remedium qværit 1. in accuratâ operationum intellectus ab imaginationis opera-
tionibus diſtinctione. 2. In eo, ut intellectus in veritate inveſtigandâ adjuvetur ab
imaginatione directâ à bonâ indagandæ veritatis methodo. Inſigne enim, & ſupra
qvam credi poteſt, utile adjumentum in indagandâ veritate intellectui adferre ait imagi-
nationem benè gubernatam. Adjumentum autem hoc eſſe 1. à vocibus. 2. à characte-
ribus. 3. à motu. 4. ab externis experimentis. Hôc modô imaginationem hoſtem
intellectus, & noxiam ei, conciliari poſſe contendit, ut impoſterum ad eundem poſſit
37 collineare ſcopum. * *Secundum* impedimentum eſt, qvod, qvæ cognita ſunt, non
magnifaciamus, nec attentè meditemur; cujus remedia qvoqve proponit. *Tertium*
impedimentum illi eſt, qvod nimis ad utilitatem alicujus notitiæ reſpiciamus: Con-
tentos enim nos eo ſolo eſſe jubet, qvod novam qvandam veritatem detexerimus:
niſi enim ita faceremus, viam ad utiliſſima qvæqve nobis occluſuros. Præclaris hîc
exemplis demonſtrat exiguam naturæ potentiam, qvæ in abſtractione ſua parum utilis
videtur, in progreſſu & applicatione infiniti uſus eſſe, qvod pateat magnetis, vitri, nitri
& ſulphuris uſu, qvorum ſubjectorum variâ applicatione ſtupendæ operationes ſuc-
ceſſu temporis ſint productæ. Qvis enim credidiſſet, ſola aciculæ magneticæ dire-
ctione ad Septentrionem multorum aureorum milliones lucrari, Orbem novum detegi
potuiſſe? Ac talia infinita excogitari è leviſſimis & contemtis vulgò experimentis
38 poſſe certum eſt. * *Quartum* impedimentum Indiſpoſitionem noſtri facit, qva
non ſemper apti ſumus ad veritatem inqvirendam; cujus varia remedia recenſet.
Quintum impedimentum illi eſt eruendarum veritatum nimis longa ſeries; cui re-
medium è partitione operis bonoqve ordine & numero qværit. Ejus exempla recen-
ſet, & elegantiſſima diſſertatione oſtendit, qvomodo imaginatio extendi poſſit, ut unô
foliô comprehendere poſſimus integro libro materiam præbitura. Imaginationem
verò extendi converſatione cum doctis, & colloqviis mutuis, ubi tum omnia, qvæ
inciderunt, ſtatim conſignanda ſunt; lectione eorum, qvæ in illo genere ſcripta ſunt
39 à Viris doctis. * Et ſanè qvantum converſationi tùm cum Viris doctis, tùm pe-
regrinis, tribuendum ſit, *ſuperiore libro ſingulari capite* diximus, & ſingulari libro
Gallicè ſcripto de *l' utilitè des voyages Baudelotius de Dairval*, Pariſ. Ann. 1686. edito
prolixè

prolixè declarat: ubi de uſu & commodis peregrinationis in antiqvitatum indagandarum ſtudio multa diſſerit, ac exempla varia novarum in iis obſervationum congerit.
* Eandem operam in variis literariis monumentis per Italiam conqvirendis impenderunt *Joannes Mabillon & Michaël Germain*, Presbyteri, qvi illa libro ſingulari, cui titulum *Muſei Italici*, Pariſ. Ann. 1687. editi, fecerunt, collegerunt. Hinc in formatione prudentis magiſtri, qvomodo imaginatio noſtra ab ipsâ pueritiâ augeatur, copiosâ & eruditâ diſſertatione exponit; qvâ de re in ſeqventibus plura. * *Sextum* 41
impedimentum ponit, qvod commoditate ſæpe deſtituamur ad effectum deducendi ea, qvæ ad executionem in veritatis acqviſitione reqviruntur, certis vitæ negotiis adſtricti. * Cui remedium hoc opponit, ut ſemper noſtram in ſtudiis inclinatio- 42
nem ſeqvamur, ita qvicqvid aggrediemur, facillimum fore, ac multa nos effecturos ait. * Parte tertiâ de methodo detegendi incognitas veritates agit, qvam inſtituit 43
1. reſpectu noſtri, ſi noſtras inclinationes, ut jam antè dixit, ſeqvamur. 2. reſpectu ſcientiarum, qvarum cognitio magis neceſſaria eſt qvam aliarum, qvibus magis delectamur: ut ſtudia mathematica, qvorum cognitione ad methodum diſcendam magis indigemus, licet aliis magis delectemur: hæc enim viam omnibus ceteris ſternunt. 3. reſpectu ſcientiæ, qvæ ſummam delectationem omnibus afferret, modo ipſis eſſet nota. Per qvam Phyſicam intelligit, qvam vocat ſcientiam univerſi accuratâ mathematicorum methodo à priori demonſtratam, & evidentiſſimis experientiis ipſam imaginationem convincentibus à poſteriori roboratam. * Ita librum hunc ſuum conclu- 44
dit, & ſpecialiora de arte inveniendi præcepta promittit, qvæ ut in lucem Vir ingenioſiſſimus proferat, vehementer optamus.

In doctrinâ de Methodo multa qvoqve magnus ſcientiarum amplificator BACO VERULAMIUS inveniſſe ſibi nova viſus eſt; ſed non ſatis illa diſtincta atqve ad benè ordinatas regulas revocata. Qvare obſcura pleraqve ſunt, & planiorem explicationem reqvirunt. * Diſtinguit ille *lib. 6. de augm. Scient. cap. 2.* Methodum in 46
initiativam & magiſtralem: illam dicit, qvæ ipſa ſcientiarum myſteria recludat & denudet; altera illi eſt, qvæ uti iis docet, & ulteriorem progreſſum ſibi propoſitum habet, atqve telam à priori traditam pertexendam docet. Vocat eam Traditionem Lampadis, ſive Methodum ad filios, qvam eleganter his verbis deſcribit: *Artibus idem uſu venit quod plantis: ſi plantâ aliquâ uti in animo habeas, de radice quid fiat, nil refert; ſi vero transferre cupias in aliud ſolum, tutius eſt radicibus uti, quam ſurculis. Sic traditio (quæ nunc in uſu eſt) exhibet planè tanquam truncos (pulchros illos quidem) ſcientiarum, ſed tamen absque radicibus, fabro lignario certe commodos, at plantatori inutiles. Quod ſi, diſciplinæ ut creſcant, tibi cordi ſit, de truncis minus ſis ſollicitus; ad id curam adhibe, ut radices illæſæ etiam cum aliquantulo terræ adhærentis extrahantur. Cujus quidem generis traditionis, Methodus Mathematicorum in eo ſubjecto ſimilitudinem quandam habet; generatim autem non video quid aut in uſu ſit, aut quid quis inquiſitioni ejus dederit operam; proinde etiam inter deſiderata numeravimus.* Discrimen porro facit inter Traditionem per Aphoriſmos & Methodi-

cam. Illam laudat, qvæ multa ſæpe in receſſu habeat: Aphoriſmi enim ex medullis
& interioribus ſcientiarum conficiuntur, & magnam notitiam præſupponunt; nam
abſcinditur illuſtratio & excurſio, deductio, connexio, varietas, exemplorum deſcri-
ptio practicæ. Traditio Methodica ſæpe ſpecimen artis oſtendit; ſed ſi ſolvantur,
ſegregentur & denudentur pleraqve, ad nihilum recident. Narrat aliud Methodi
diſcrimen, cum ſcientiæ traduntur per aſſertiones adjectis probationibus, aut per qvæ-
ſtiones unà cum determinationibus. Diſtinguit inter Methodum univerſalem & par-
ticularem, ſubjectæ materiæ, qvæ tractatur, accommodam. Nam ut Topicas particu-
lares ad inveniendum excogitavit Verulamius, ita methodos particulares ad traden-
dum adhiberi vult. *Videmus enim*, inqvit, *nimium generalia (niſi deducantur) parum
informare; quin potius hominum practicorum ludibrio ſcientias exponere, cum nihilo
magis ad Practicam faciant, quam Chorographia Ortelii univerſalis ad viam monſtran-*
47 *dam, quæ Londino ducit Eboracum.* * Hæc qvaſi nova qvædam de Methodo propo-
nit Verulamius, qvæ ab aliis notata non fuerunt. Verùm in iis non video, qvid
magnopere adjuvare vel docentes vel diſcentes poſſint: Nihil enim hîc ex ſtabilibus
ſolidisqve principiis deductum eſt.

48 Illud è veterum inſtitutô commodè notavit, eſſe qvandam Methodum Exote-
ricam & Acroamaticam, ut illi libros ſcripſerint alios Exotericos, alios Acroamaticos.
Acroamatica Methodus ſive Ænigmatica veteribus in uſu fuit, cum ſecretiora ſelectis
auditoribus proponerent. Illa Pythagoræ, illa veterum Cabaliſtarum, informandi
ratio fuit, qvi per numeros ac ſymbola occultarum ſcientiarum myſteria tradebant.
49 * Qvod Pythagoras numeris multas occultas doctrinas complexus fuerit, nunc eò
minus dubitabimus, cum videamus hodie numerorum figuratorum beneficiô intrica-
tiſſima problemata ſolvi poſſe. Nihil enim refert, qvibus notis animi ſenſa explicen-
50 tur, an literis, an aliis qvibusdam characteribus. * Et fuit ſanè, teſte *Ghilino* in
Theatro hominum literatorum p. 219. THEODOTUS OSIUS, qvi librum ſcripſit, cui
titulus: *Meditationes Rhythmicæ in duas partes diſtinctæ, quarum una theoricam, al-
teram practicam facultatis ſciendi per numeros, ſive reſtitutam Pythagoræorum doctrinam
pollicetur;* Qvi an editus liber nunc ſit, ignoro: Nam ex præfatione libri ejusdem
Autoris, qvi inſcribitur *Novarum opinionum & Sententiarum Sylva*, qvo multa con-
tinentur nova de rebus nonnullis & abſtruſiora cogitata, apparet, tum, cum liber ille
ederetur, nondum fuiſſe publicatum. In iſto verò libro aliqva hujus commatis ſæpe
habentur, ut in capite 6. Autoris iſtius ſenſum & doctrinam Typographus in illa præ-
fatione ad Lectorem pluribus expoſuit: *Obſervabit Lector, eum in his ſcrutiniis non
uſum ſcholaſticis argumentis, neque vulgaribus ratiociniis, attamen nec etiam ſimplici-
ter opinatum fuiſſe, neque ex ſolo mentis diſcurrentis impulſu ſenſiſſe, ſed mathematicis
aliquando, & ſæpe metaphyſicis argutiis, quæ melius ad demonſtrationes impellunt, ſi
bene à ſenſibilibus abſtractæ transferuntur ad intellectualia ſua. Ad quæ dedit ani-
mum diuturnum ferme & longi temporis ſtudium, quo indulgens applicuit naturæ &
proprietati numerorum abſtractorum à corporibus, & qui ſolo intellectu percipiuntur.*

Quorum

Quorum doctrinam habemus profeſſos fuiſſe Pythagoreos, at non poſteris tradidiſſe, ſive exaltatione famæ ſuæ, ſive potius veneratione doctrinæ, quam tanquam ſuper humanitatem excellentem ab aliis humanis ſtudiis cenſerent ſeparandam. Quod tamen de hac rimatus autor ſcripturis conſignavit, nondum prodiit in lucem; unde cum aliqua ab ipſis eruta legantur in hoc libro pro fulcro aliquot ſenſuum ſuorum, poterit lector vel eis fidem impartiri, vel præterire, judiciove ſuo probare reprobareve, dum unicuique homini quodlibet ſibi opinari licet.

Ab hâc Pythagoræorum philoſophandi ratione non aliena illa Chinenſium vi- 51
detur, qvi per lineas certo modo figuratas non phyſica tantùm, ſed & moralia, politica & omnium ſuperſtitioſarum artium principia, complexi ſunt, certâ & immotâ aliqvâ ſerie, in numeris tamen & proportionibus fundatâ. Propoſuit illa MARTINUS MARTINIUS in *Hiſtoriâ Sinenſi libro 1.* & nunc ex ipſis Confucii fontibus eam doctrinam in Europâ juſſu Regis Galliæ qvatuor Societatis Jeſu Patres Ann. 687. publicarunt. Videatur *Confucii iſtius Proœmialis declaratio. Part. 1. paragraph. 6.*
* Omnium rerum duplex materiale conſtituunt; Perfectum, qvod notant lineâ 52
longâ continuâ; Imperfectum, qvod lineâ interruptâ exprimitur, qvæ ex Chao proveniunt, (agnoſce hic formam & materiam.) Hæc principiorum qvaſi duo maria in alia duo minora diviſa cum eadem ſecretione perfecti & imperfecti, qvæ qvaſi qvatuor elementa ſunt. Ex his porro octo pari modo diviſa extitere, octo abiere in ſedecim, illa in 32. hæc in 64. & tandem in multa minuta qvaſi fluentia rivulosqve, ſervatâ ſemper primæ diviſionis atqve ſecretionis norma. Illa duo principia, qvatuor imagines ex duobus principiis natæ; octo figuræ ex qvatuor imaginibus promanantes; 64. figuræ qvibus liber mutationum comprehenditur, illic in tabula exhibentur, adjectis nominibus ſubjectorum naturalium. In his figuris ac lineis ad Philoſophicum ſenſum explicandis, mirum eſt, qvam ſolertes ſint Chinenſium philoſophi. Moralis illa atqve politica explicatio Confucii, qvam illic adducunt hujus libri concinnatores, plena profecto pulcherrimorum ſenſuum eſt, qvæ perpetua ſerie ex illorum ductu ac nexu evolvitur. Imaginibus illi & numeris Πυθαγορίζειν ante ipſum Pythagoram videntur. Mirum certè videri poſſit, qvomodo in illas ſpeculationes primi devenerint Chinenſes; nam Confucius, qvi annos 551. ante Chriſtum natum vixit, hæc ex antiqviſſimis Autoribus ſe conſignaſſe ſcribit. In omni penè gente talia obſerves, cum rerum cauſas indagant, præcipuè in Orientalibus, qvibus omnis Philoſophia ænigmatica eſt. Indagatione ſcilicet ducuntur ad neſcio qvæ abſtracta, qvæ vel per numeros vel figuras utcunqve exprimunt. Cum enim videat mens humana, qvædam eſſe illis corporeis altiora, ac poteſtates qvasdam hæc inferiora ſub ſe continentes, nihilqve in natura norit magis abſtractum à rebus, Spirituum verò nullam habeat notionem, ad numeros & figuras dilabitur, easqve vel ut cauſas, vel ut ſigna qvædam rerum archetypa pro veris cauſis venditat. In qvibus omnibus non qvidem adeò certi quid deprehendimus, ut pectus ſaturare poſſimus, aut aliqva ſuper hoc fundamento exſtruere; Sed arguunt tamen illud, ferri naturâ ſuâ animos ad generales

qvosdam conceptus & naturas rerum ſpirituales ſeu æternas; qvas etſi explicare conceptibus idoneis non poſſunt, ſufficit tamen, eorum conceptuum umbras qvaſi inhærere
53 menti. * Laudari certè ex eo Chinenſium ingenia debent, qvi dudum ante Pythagoram & Platonem neſcio qvid illi Philoſophiæ ſimile animo ſpeculati ſunt. Pythagoræi enim & Platonici ab Ægyptiis, ut puto, edocti, ad efficientem cauſam potiſſimum reſpiciunt, & Phyſicam qvandam Metaphyſicam, ut Verulamius vocat, profeſſi ſunt. Si verò accuratius rem penſitaverimus, non videntur hæc temerariâ aliqvâ ratione, ſed ſummô conſiliò, à principibus Chinenſium philoſophis excogitata. Vix enim in umbraticis illis conceptibus rectus obſervari ordo poſſet, ni clariores Ideæ illos primùm produxiſſent, ut pro ſignis & notis inſervirent iis, qvi ad occul-
54 tam hanc Philoſophiam admittendi aliqvando erant. * Occultiorem autem fuiſſe illis in phyſicis doctrinam, qvalem Ægyptii olim profeſſi ſunt, ac mille fabulis involverunt, ut tot Viri doctiſſimi & nuper Cl. Tollius luce meridiana clarius oſtenderunt, totus ille iſtius philoſophiæ nexus oſtendit, in cujus explicatione mirè ſe torqvent, qvi ad omnia alia dilabuntur, interpretes. Si enim illud univerſale principium, qvod illi *Li* appellant, & de qvo tam intricata illi proponunt, rectè penſitaveris, nil in illo aliud notatum obſervabis, qvam illud univerſæ naturæ πρῶτον ἐνεργητικὸν, qvod omnia miſta ſolvit, vinculisqve ſuis ligat; de qvô tot miracula prædicant occultioris Phyſicæ magiſtri. Conferatur proœmialis declaratio *partis ſecundæ paragraph. 1.* libri citati, & miraberis, qvam hæc cum Chimicorum doctrinâ conveniant. Illorum ſenſum non ceperunt, qvi illa interpretati ſunt. Eſt illud Chinenſium *Li* nihil aliud, qvam illa Cabaliſtarum linea viridis, qvæ ubiqve gyrat. Fuiſſe verò apud illos Chemiæ ſcientiam vetuſtiſſimam notius eſt, qvam ut in dubium vocari debeat.

55 Ad Ænigmaticam illam Methodum Cabaliſtarum Hebræorum doctrina referenda eſt, de qvâ nos *lib. 1. cap. 10.* De tali Methodo univerſali Cabaliſtica, qvâ *Picus Mirandula* uſus ſit, & ad faſtigium ſcientiarum omnium pervenerit, multa qvoqve mirifica narrat *Fichetus* in libro de arcanâ ſtudiorum methodo p. 27. *Hujus myſterii*, inqvit, *ea vis eſt, quam in Cabala triginta & quinquaginta portis intelligentiæ ex arcanis Hebræorum eruit Reuchlinus, ut ſcientiam rerum omnium & mundum doctrinarum univerſum quaſi vivâ in tabellâ depictum ſubjiciat oculis, ordine planè admirabili. Denique continet omnia, & ſingula, ſingulaque ut omnia & omnia ut ſingula ad amuſſim explicat, efformatque illum, quem deſideramus, hominem, ex omnibus conflatum compoſitumquè diſciplinis.* An ad illam methodum qvoqve reſpexerit Agrippa, an ſubtiliorem & diviniorem velit, & qvæ ex afflatu doctos formare poſſit,
56 de qvâ nos *lib. 1. cap. 12. §. 3.* aliis conjiciendum relinqvo. * De Cabala veteri notiſſimi ſunt præter ipſos Hebræos, *Reuchlini*, *Joannis Pici*, *Hackſpanni*, *Buxtorffii*, *Hottingeri*, aliorumqve labores. *Gaffarellus* Indicem Codicum MStorum Cabaliſti-
57 corum, qvibus uſus eſt Picus, edidit Pariſ. 1651. * Hujus Hebraicæ methodi reliqvias ſe dare venditat PAULUS SCALICHIUS in *Epiſtemonis Catholici* libro 12. qvi inſcribitur:

ſcribitur: de *Revolutione Alphabetariâ, ſive perfectiſſimâ ad omne genus ſcientiarum methodo*, qvam ante 12. annos ad Carolum Auſtriæ Archiducem ſcripſerat, ſed aliâ planè ratione inſtitutam, ut conferenti patebit: etſi hanc poſteriorem ſuam ipſe ut perſpicaciorem priori præferat in recentiori illa editione; In qvâ perpetuo dialogo omnia tractat, cum in priori per capita procedat, ac pluribus exemplis ſuam doctrinam illuſtret. * Hanc ille artem miris modis illic extollit: laudat ibi Petrum Daguinum Mediatum, Virum totâ Italiâ celebratiſſimum, qvi 37. ætatis anno, cum vix prima hauſiſſet literarum elementa, ſeptem tantùm menſibus huic artificio incumbens, omnibus doctiſſimis viris miraculo habitus ſit; Jacobum Januarium, qvi cum ſeptem egiſſet luſtra à literis penitus alienus, in tantum hâc arte profecerit, ut nulli doctorum hominum ſit poſtponendus. Laudat Ferdinandum Cordubam Hiſpanum, Raimundum de Sabunde, Jacobum Fabrum Stapulenſem, Carolum Bovillum, qvi omnes hâc arte profecerint; Andream, Petrum, Jacobum, Fratres Canterios, qvi unicâ cum ſorore primi adhuc decennes in omni diſciplinarum genere egregiè diſſeruêre; è qvibus alter Cornelii Agrippæ præceptor fuerit, cujus eruditionem nemo ignorat. * Hanc artem corrupiſſe ille ait *Raimundum Lullium*, ab Hebræis acceptam: Qvod ſi verum eſt, fortaſſis non de nihilo eſt, qvod ab Arabibus eam deſcripſiſſe qvidam opinati ſunt, qvâ de re ſuprà diximus. Hujus artis corruptæ Lullianæ imitatores omnes fuisſe dicit, excepto Pico Mirandulano & Capnione Phorcenſi, ex qvorum monumentis ſe illam reſtauraturum promittit. *Niſi quisqvam*, inqvit, *inde jecerit fundamenta, fruſtra in illa Lullianâ diſpoſitione laborabit: quam & nos ad Hebraicam veritatem dum eniteremur ante luſtra tria reducere: ſicut etiam publicis typis Oporini excuſa proſtat: parum plus effecimus, quam vel Lullius ipſe, vel Agrippa. Reliqui enim, ut Lavinheta & his ſimiles nedum barbari vocibus, ſed re ipſa quoque ſunt: licet ſuâ ætate ſummæ admirationi fuerint, & aliquid in ſpeciem præſtiterint*; ſed qvod ad ſolidam eruditionem pertinet, nihil in illis ingeniis deprehendes. * Hujus artis procul dubio præceptis aliqvis *Theophraſtus Renaudotius* Medicinæ Doctor in Galliâ pueros inſtituit, ut intra annum & in Latina lingua & in artibus liberalibus ad omnia interrogata reſponderent, cujus rei hiſtoria exiguô libellô cum ipſo examinis actu ac ſubſcriptione teſtium Anno 1636. publicata eſt. * De hâc, utut ſecreta, ſciendi & diſſerendi methodo, ſive Lullianâ, ſive Cabaliſticâ reformatâ, ego tamen illud Budæi libro de Philologia fol. 63. dixerim: *Artis ad naturam eſt quædam imitatio, non æquiparatio. Sunt enim longe uberiores venæ naturæ atque capaciores, quam loculatæ illæ ſedes artificis inventionis, magisque eſt ars naturæ felicis & beatæ accurata adjutrix ad delectum, ſi qvid hâc in re mei judicii eſt, quam ad copiam prolixa, ſuppeditatrix & magnifica.* Excutiant illa Hebræorum ſacra, qvi eas literas rectius intelligunt; certè plura in Cabalæ myſteriis latent, qvam ſola illa Scalichio adeò celebrata Methodus: Rerum enim occultarum in iis theſauri ſunt, unde in ceterarum gentium fundos tot rivi defluxerunt. In Orientalibus ſupereſſe in hunc usqve diem plurima abſtruſæ ſapientiæ monumenta, non ego dubitârim. * Ad

58 59 60 61 62

 illa

illa forte reſpexit *J. Caſ. Scaliger*, cum *in Hipponacte ſuo* pag. 403. qverelam illam de
ſuis ſtudiis inſtituit:

Plus pœnitet me temporis, quod impendi
In Grammatiſtas & leves locutores,
Vanas poëtarum atque perditas nugas,
Quam barbarorum quæ leguntur in libris.
Hæc eſt mearum tota ſumma ſummarum,
Stultum ac ſupinum, plumbeique delirii,
Rebus relictis conſeneſcere in verbis.

63 Hujus Cabaliſticæ doctrinæ recentiores Scriptores aliqvot in folio voluminibus col-
lecti ſunt; in qvibus eſt *Ricii de Agriculturâ cœleſti*, *Franciſci Georgii Harmonia mun-
di*, qvibus multa è naturâ ſonorum ad Philoſophiam & Theologiam applicantur. Sed
de iis verum eſt, qvod Verulamius ait loco ſuprà citato. *Hoc Acroamaticum ſive*
Ænigmaticum docendi genus poſterioribus temporibus dehoneſtatum eſt à plurimis, qui
eo tanquam lumine ambiguo & fallaci abuſi ſunt ad merces ſuas adulterinas extruden-
das. Intentio autem ejus videtur, ut traditionis involucro vulgus, profanum licet, à
ſecretis ſcientiarum ſummoveretur, atque illi tantùm admitterentur, qui per manus
Magiſtrorum parabolarum interpretationem nacti ſint, aut proprii ingenii acumine &
ſubtilitate intra velum penetrare poſſint. Qvandam ex Cabalâ Theo-philoſophicâ mi-
ſtam doctrinam profitentur, qvæ è Paracelſi, Weigelii, Guthmanni, Böhmii, Fra-
64 trum Roſeæ Crucis ſcholâ ſcripta prodierunt. * Eſt his qvoqve annumerandus
ROBERTUS FLUDDIUS, Anglus, mirabilis ingenii homo: Multa enim è Cabaliſtis,
ex numerorum doctrinâ, Tetragrammati admirabili poteſtate, atqve è ſacris literis,
ad rem naturalem applicat, & ſui ſenſus qvoddam Syſtema Phyſicum ex illis confi-
65 cit. * In mathematicis multa egregia invenit, in qvibus admodum operoſus fuit:
Nulla enim Matheſeos pars eſt, qvam ille non attigerit in libris ſuis, Mechanices pe-
ritiſſimus, ſuperſtitioſas etiam artes diligenter excoluit, qvarum Hyperaſpiſtes eſt,
qvas ipſe etiam exercuit per omnia divinationum genera. E thermoſcopio, ſeu vi-
tro, ut vocat, Calendario omnium phænomenorum naturalium rationes, & totius
mundi conſtitutionem, explicare laborat; qvod inſtrumentum ex ipſo Moyſe de-
ducere vult, aitqve ſe inveniſſe illud in Codice qvodam ante 500. annos ſcripto, gra-
phicè delineatum. Spiritum huic vitro incluſum illi, qvi mundi magnâ machinâ
concluditur, proportione reſpondere ait. Qvare & omnes circulos cœleſtes & pla-
gas in illo præfigurat. Ex eo qvoqve de naturâ morborum judicat: hominem enim
ut microcoſmum cum macrocoſmo & hoc inſtrumento, ac ſpiritum vitro incluſum
cum ſpiritu corporis noſtri comparat. Hieroglyphicum morborum corporis & ani-
mi typum eo in inſtrumento ob oculos ponit: ſimiliter & urinarum borealium & au-
ſtralium ſcalam in eo repræſentat, uroſcopiam convertens in uranoſcopiam. Qvare
mirabiles morborum definitiones extruit in libro ſuo de *eſſentia Morbi*. Morbi au-
tem illi inter meteora referuntur, atqve à ventis (qvos Spiritus & Angelos facit) or-
tum

tum habere tradit. Qvam ſuam ſententiam ut ſtabiliat, SS. literarum, Galeni & Hippocratis autoritate ſæpè abutitur. Ratione itaqve totius macrocoſmi morbos dividit in empyreos, æthereos, elementares, in plaga ſeptentrionali procreatos, tenebroſos ex plaga occidentali ortos, præternaturales, æſtuoſos, ad plagam meridionalem ſpectantes. Cauſas morborum plerasqve externas facit, à ſeminario meteororum & à victus ratione. Tu mihi vide lepidum illud ſanitatis munimentum, qvod *libr. 4. Myſter. Morbor. extruit*, ubi & dæmones morborum architectos unà cum ipſis morbis depingit; qvibus adjunguntur etiam Angeli ἀλεξίκακοι, omnes nominibus ſuis
appellati. * Scripſit etiam librum, cui titulus: *Utriusque Coſmi, majoris & mi-* 66
noris, Metaphyſica, Phyſica & Technica, ubi poſitis ob oculos ſchematibus ipſum opus creationis demonſtrare laborat. Multa qvoqve de Muſica mundanâ è Monochordi contemplatione philoſophatur. De qvibus omnibus alibi plura.

Sed mittamus illam methodum, qvæ admirationi potius excitandæ, qvam 67
veritati inqvirendæ inſervit, ac procedamus ad methodos particulares ſcientiarum, in qvibus non convenire poſſe earum doctores, mirum non eſt, cum in univerſali non conveniant: qvâ ſemel rectè ſtabilitâ, non multum erat de particularibus laboran-
dum. * Certè Autor Medicinæ Mentis ut rem inutilem habet ipſarum ſcientia- 68
rum & methodorum multiplicationem; cujus hæc verba part. 2. p. 23. *Veri Philoſophi Philoſophia ſive unicum ſtudium eſt ars inveniendi. Si hæc, de qvibus modo ſum locutus, animadvertiſſent, ſimul vidiſſent non tot dari diſciplinas, quot ipſi profitendo enumerant, ſed tantummodo unicam, unde omnia, quæ ſciri datum eſt, derivantur; quæ eſt ars ſæpius memorata, inveniendi per nos ipſos. Hanc qui ſibi comparavit, omnes alias bonas ſcientias unà cum eâ ſibi acquiſivit, aut ea absque alterius adjumento ſemper ſibi acquirendi potentiam habet: quin omnes utiles ſcientiæ, quæ ab aliis præter hanc ſtatuuntur, non niſi hujus artis ſpecimina ſunt. Ab hâc ſcientiâ vulgares philoſophi longius remoti ſunt, quàm vulgus exiſtimat. Qui de ſcientiarum vanitate ſcripſerunt, non in eo errarunt, quod iſtorum philoſophorum ſcientias ad catalogum vanarum ſive inutilium relegarunt; ſed in eo, quod ex merâ ignorantiâ (uti perfacilè quis videbit, modo eos autores vel paululum perluſtraverit) omnes omnium philoſo-*
phorum ſcientias ſine ullo diſcrimine eâdem cenſurâ notarunt. * Verùm tantum 69
abeſt, ut convenientia in methodis particularibus ſit, ac eâdem viâ omnes incedant, ut penè ſinguli ſibi ſemitam ſapiant, & quot capita penè tot ſenſus ſint, magnô argumentô, etiam illâ ab Ariſtotele traditâ analyticâ parum inſtructos eſſe plerosqve. Non eſt hujus loci, omnes illos recenſere Autores, qvi diverſâ in diſciplinis metho-
do uſi ſunt; de eo enim in *Polyhiſtore Philoſophico* pleniùs agetur. * Qvidam 70
Encyclopædiam uno complexu & ſub unâ qvaſi ſcientiâ generali tradiderunt, ut fecit SORELLUS in libro Gallicâ linguâ ſcripto, cui titulum Scientiæ univerſalis (*Science*
univerſelle) fecit. * Sub generali & corporalium & ſpiritualium rerum diviſio- 71
ne omnem philoſophiam comprehendit. In qvatuor tomos dividit. In *primo* agit de Terra, Aqva, Aëre, Cœlo & Aſtris: *ſecundo* de Meteoris, Lapidibus, Metallis, Plan-

Plantis, Animalibus, Animâ hominis, Angelis & DEO : *tertio* de uſu, melioratione, perfectione & imitatione rerum in mundo : *quarto* de uſu idearum, qvæ producunt ſcientias & artes, de linguis, ſcripturâ, numeris. Addidit his refutationem errorum vulgarium tractatumqve, in qvo examen Encyclopædiarum inſtituit, ſuiqve conſilii rationes in concinnatione hujus ſcientiæ univerſalis exponit. Verùm præcipuos aliqvos tantùm recenſet, ac non paucos omittit. Sciagraphiam ac rationem ſui Operis in fine Bibliothecæ Gallicæ tradit. Ceterum & alia, qvæ pro ſubſidiis ſcientiæ univerſalis inſervire poſſunt, in tractatu Gallico de *perfectione hominis*, qvem in Germanicam linguam Baro de Stubenberg convertit, Noribergæ Ann. 1660. editum.

72 * Sunt, qvi ſub ſchemate fabulæ amatoriæ univerſam philoſophiam tractant, qvod fecit *Martianus Capella libro de nuptiis Philologiæ & Mercurii & ſeptem artibus liberalibus*, in qvem autorem Grotius annos 14. natus ſcripſit.

73 * Non multum diſſimilis argumenti eſt fabula illa ab Anglo qvodam inventa, & in linguam Belgicam translata, ac Amſterodami 1668. edita. Titulus eſt: *De vermaakelcke Hiſtorie Zee en landt-Reyze van Euphues, ofte een Ontleedinge des Vernufts.* Proponitur hîc ſub ſpecie Hiſtoriæ fictæ ratio converſandi ac educatio nobilitatis eruditæ methodusqve ſtudiorum inſtituendorum. Voluerunt illi Autores utile dulci miſcere; cumqve præcepta nuda ſeveritate ſuâ ingrata ſint, hâc novâ ſpecie veſtita illa magis fortè arridebunt. Verùm ut illa Sorelliana Methodus hiſtorica, ita hæc Poëtica & comica eſt.

74 * Scientias & diſciplinas particulari methodo tractatas uno volumine congeſſit JOH. HENRICUS ALSTEDIUS.

75 * Operoſa fuit illius Viri diligentia, non tantum in conſuetis diſciplinis in compendium redigendis; ſed etiam in novis inveniendis. Valdè enim largus eſt in titulis novarum artium, qvos effinxit interdum, ut nova res videretur, qvæ in aliis diſciplinis jam tum pertractata erat, & pertractari debebat. Nam ſi qvis de partibus omnium diſciplinarum ſingulares diſciplinas conficere velit, ut faciunt ejus exemplo nunc multi, non dividere accuratè & methodice, ſed diſcerpere diſciplinas videretur. In uno objecto multa nova formalia conſiderari poſſunt, neqve ſtatim nova inde diſciplina formanda eſt. Atqve hinc factum eſt, ut, cum Alſtedius nimiam diligentiam affectaret, negligentior fieret. *Gatakerus in præfatione Cinni ſui* parum magnificè de hoc Opere ſentit. Neqve ego ſuaſerim inde qvis Philoſophiam diſcat: Suam enim quandam methodum ſeqvitur à publicâ & uſitatâ diverſam, & uni diſciplinæ detrahit ſæpe, ut eò locupletiorem diſciplinarum orbem habeat. Hinc qvas ſucciplenas habere poterat, reddit ſuâ curaturâ junceas.

76 * In nonnullis tamen laudanda ejus eſt diligentia, qvi primus tentavit artes mechanicas ad ſua redigere principia, & ſub formâ diſciplinæ proponere; non plenè qvidem, prout rei conditio poſtulabat: ſed laudabile tamen erat prima ejus rei lineamenta duxiſſe; qvæ an rectè ducta ſint, nunc qvidem non diſputo. Solet per canones procedere. Iſtarum verò artium principia more mathematico eſſent proponenda. Sunt enim mathematicæ propagines; Ac optandum eſſet, ut aliqvis emunctioris naris Philoſophus, Phyſicus præcipuè ac Mathematicus, hoc argumentum ſibi ſumeret tractandum;

dum; Præter enim ſpeculationem non pauci inde fructus redundarent in Rempublicam. * *Thevenotius* illud in animo habuit, qvi ad hoc opus perficiendum omnes 77
ſuper hoc argumento ſcriptos libros conqviſivit, ut ſuperiore libro jam tum diximus. Architecturæ Navalis ſpecimen præclarum dedit *Witſenius*, qvi vaſtum de eâ arte volumen Belgicâ linguâ ſcripſit. * *Velſchius* qvoqve *digreſſiones autumnales in offi-* 78
cinas variorum Artificum, qvibus nonnulla arcana illorum minusqve cognita enarrantur, promiſerat. * Ut ad Alſtedium redeamus fœcundum encyclopædias ſcri- 79
ptorem, idem qvoqve *Encyclopædiam Biblicam* ſcripſit ſub titulo *Triumphi Biblici*, in qvo omnium diſciplinarum Syſtema è S. Scripturâ concinnat. Qvâ ratione ego è libris Juris, aut ex Hippocrate & Galeno ſimilem Encyclopædiam conficere velim.
* Velſchius qvoqve *Pædiam in Cycliſco* occaſione Encyclopædiæ Alſtedianæ medita- 80
tus fuit, cujus conſilium *Schröckius* in ejus vitâ fuſius exponit: *Proficuum maximè reputavit, ſi quis ejusmodi inſtitutum, reſectis inutilibus omnibus, & prolixis exſcriptionibus omiſſis, proſequeretur, Orbique literato aliquando non latius diffuſam ἐν κύκλῳ παιδείαν repræſentaret, ſed nervoſius contractam atque exaſciatam exhiberet παιδείαν ἐν κυκλίσκῳ, non tam novè, quam modeſtè inſcriptam. Hinc ipſe multa etiam hâc de re meditari cœpit. Aliquando igitur hanc daturus erat, conſilium in longè minori opere multo majus Alſtediano ſibi fuiſſe, ipſo opere demonſtraturus. Nec enim artes populares omittere animus erat, nec inſtitutiones Grammatices omnium linguarum, maxime orientalium, Pangrammatices nomine eas complectens; Pantechnices quoque nomine artes omnino omnes comprehenſurus, cum iſtarum omnium commoda, arcana & ἐγχειρήσεις, quantum poterat, explorare conatus fuerit. Quibus etiam Emporeticen, Alſtedio neglectam, aliasque ſimiles, Politices non minus, quam Oeconomices ſoboles ac ſocias adjungere conſtituerat; non minus etiam Stratioticen ejusque partes, & ſimiles quasdam alias. Sed Opus hoc imperfectum reliquit. Keckermanni* Encyclopædia majori ἀκριβείᾳ ſcripta eſt. * Joachimus Fortius Ringelbergius exi- 81
gvo qvodam libro Encyclopædiam complexus eſt, nec operosâ methodo, ſed potius ἐν συνόψει omnia propoſuit. Ingenium tamen illa ſapiunt. Mathematicis ſtudiis fuit addictus: nam tres libros Aſtrologicarum Inſtitutionum ſcripſit. Terſam perſpicuamqve dictionem ſectatur. Laudavit illum Eraſmus ſingulari qvodam epigrammate. * Mirabilis vitæ ejus conditio fuit. Primùm enim in aulâ Maximi- 82
liani Pictorem, Cælatorem ac Calligraphum egit. Anno decimo ſeptimo Lovanii linguæ Latinæ elementa diſcere cœpit, ac brevi multum profecit. Qvæ ille in Encyclopædiâ ſuâ de diſciplinis attingit, pauca ſunt, ſed occurrunt tamen in illâ brevitate obſervatu digna. Suave illi dicendi genus eſt, neqve terminorum ſcabritie involutum. Vitam ſuam ipſe deſcripſit in libro de ratione ſtudii, qvi *Cyclopædiæ* ejus Baſil. Ann. 1541. in 8. editæ annexus eſt; ac plurima rei literariæ ſuppeditat non ſpernenda conſilia; etſi in nonnullis ea ridicula ac non imitanda, omnia ejus Opera edita ſunt apud Sebaſtianum Gryphium, cum Encomiaſticâ Hyperii oratione. Hunc librum ita amavit Thomas Erpenius, teſte *Voſſio de ſcientiis Mathematicis cap.* 36. §.

10. ut recudi curaret Lugduni: Huic enim libro ille adſcribebat, ſe iſtos in literis
83 feciſſe progreſſus. * Aliqvi generatim tantùm agunt de omnibus diſciplinis, ea-
rum naturâ, conſtitutione, ut fecit ANTONIUS ZARA in ſua *Ingeniorum & ſcientia-*
84 *rum Anatome.* * Tale fuit fortaſſis Opus, qvod meditabatur VOSSIUS, qvod-
qve in libro de *Theologiâ Gentili lib. 6. cap. 8.* ipſe citat eo titulo: *Opus artium, &*
Conſtitutio omnium artium & ſcientiarum; qvod vel ineditum hactenus eſt, vel im-
perfectum ab Autore relictum. *Ἀποσπασμάτιον* ejus videtur liber *de quatuor arti-*
bus popularibus, Philologiâ & ſcientiis Mathematicis.
85 Ad hanc claſſem qvoqve pertinent illi Scriptores, qvi conſilia in ſingulis di-
ſciplinis addiſcendis ſuppeditarunt. Fecit id HAVEMANNUS *in Methodo* ſuâ, Ham-
86 burgi Ann. 1673. editâ: * CLAUDE FLEURY in libro Gallicè ſcripto, cui titulus:
Traité du Choix & la methode des etudes, i. e. de ſelectu & methodo ſtudiorum,
87 Bruxellis Ann. 1687. edito. * Ceterùm Autorum, qvi conſilia & methodos pro
inſtituendis ſtudiis, vel generatim vel ſpeciatim, ſcripſere, vaſtus eſt numerus, qvorum
aliqvi ſingularibus Voluminibus collecti, de qvibus *hoc libro cap. 2.* egimus. Pro-
diêre in Belgio qvoqve aliqvot Voluminibus tales Diſſertationes. Amſterodami An.
1645. prodiit libellus, ubi congeruntur *H. Grotii Epiſtola de hoc argumento ad Benja-*
minum Maurerium; Gabrielis Naudæi Bibliographia Politica & Syntagma de Studio
liberali; Clapmarii Nobilis Adoleſcentis Triennium; Coleri de ordinando ſtudio politico
Epiſtola; Additamentum ex Joh. Caſelii Νέῳ; *Jacobi Focani Diſſertatio de Studiis;*
Joachimi Fortii de ratione ſtudii liber; Eraſmi Roterodami tractatus ejusdem argu-
menti; Caſparis Barclai Methodus ſtudiorum præſcripta Ducibus Megapolenſibus; Ejus-
dem Methodus Morum, præſcripta Ducibus Luneburgenſibus; Thomæ Campanellæ de
libris propriis & rectâ ratione ſtudendi Syntagma; Leonardus Aretinus de ſtudio &
literis; Scioppii Conſultationes de Scholarum & ſtudiorum ratione, prudentiæ & elo-
quentiæ parandæ modis; Ludovici Crocii Inſtructio de ratione ſtudii Theologici; Jo-
annis Loccenii de ſtudio Juris Diſſertatiuncula epiſtolica, cum excerpto ex Epiſtolâ Hu-
gonis Grotii; Johannis Heurnii de ſtudio Medicinæ bene inſtituendo Diſſertatio; M.
Hortenſii Diſſertatio de ſtudiis Mathematicis rectè inſtituendis; Sebaſtiani Foxii Mor-
ſelii de ſtudii philoſophici ratione Epiſtola; Petri Angeli Bargæi, quo ordine ſcriptorum
hiſtoriæ Romanæ monumenta ſint legenda, libellus; Joannis Caſelii Epiſtola de ſtudio
liberalis doctrinæ decente equeſtri loco natos, de peregrinatione nobili, de oratione civili
perſpicua; Scioppii Diatribe de compendioſa & facili linguam Hebræam condiſcendi
ratione; Joannis Alberti Bannii Diſſertatio epiſtolica de Muſicæ naturâ, origine, pro-
88 *greſſu & denique ſtudio benè inſtituendo.* * Prodiit alter talium ſcriptorum to-
mus Trajecti ad Rhenum An. 1658. in qvo habentur *Gerh. Joh. Voſſii Diſſertatio bipar-*
tita, cujus pars prior agit, quibus diſciplinis perfecta conſtat eruditio, altera, quomodo
variæ diſciplinæ optimè addiſcuntur; Ejusdem Introductio in Chronologiam; Ejusdem
Appendix de Imperiis, quæ potiſſimum in hiſtoriis celebrantur; Ejusdem de ratione
univerſam legendi Hiſtoriam Diſſertatio; Ejusdem de imitatione oratoriâ & poëticâ;
Lipſii

Lipſii de ratione legendi Hiſtoriam Epiſtola, de recitatione in conventu publico & privato, de notis & notariis veterum, Inſtitutio epiſtolica de diſtinctione & interpunctione, de bibliothecis libelli; Hermanni Vulteji de ſtudio juris; Ægidii Mommerii de ratione legendi diſcendique jura; Jacobi Acontii de inveſtigandarum tradendarumque artium ac ſcientiarum methodo; Johannis Hoornbeckii brevis Inſtitutio ſtudii Theologici; Henrici Morreiſe Diſſertatio de Manuductione Studioſi juris per Academiam & Rempublicam; Joannis de Raei Diſſertatio de ſubſidiis, gradibus ac vitiis notitiæ vulgaris in naturæ contemplatione & officio Philoſophi circa eandem; Regulæ Vitæ Sapientis, Harmonicæ, tranquillæ, actuoſæ, negotiis obrutæ, liberaliter otioſæ, peregrinantis denique.
* Sunt & Diſſertationes aliorum in hoc tomo, qvæ jam in Amſtelodamenſi habentur, 89
qvibus denuò recenſendis ſuperſedeo. Collegit & Heideggerus hujus generis libellos nonnullos, libro Tiguri An. 1670. edito; in qvo *Henrici Bullingeri de ratione ſtudiorum; J. Jacobi Breitingeri Hypomnemata ſubitanea; Franciſci Junii F. F. Paræneſis; Henrici Bullingeri Inſtitutio pro peregrinaturis.* Cetera, qvæ hîc habentur, ab aliis jam in cenſum relata ſunt. * Verum longè plures illis addi poſſunt, è qvi- 90
bus præcipui, prout memoriæ illi ſuccurrunt, à me conſignabuntur. *Amphilochii Epiſtola græca de ſtudiis rectè formandis, cum notis Joach. Zechneri; Alſtedii Cynoſura Studioſorum; Caſelii Academicus, Νέ@ν, Propoliticus, Rhetor, & plures alii; Arndius de ſtudio linguæ Latinæ; Ruperti Methodus ſtudii Philologici; Mitternachts Pædia; Pomarii Conſiliarius Scholaſticus; Hyperius de ratione ſtudii Theologici; L. Kepleri Methodus conciliandarum ſectarum Medicarum; Veridici de Juſtiniano Ratio corporis juris reconcinnandi; Leibnitzii Methodus nova Jurisprudentiæ; Scheurlii Statua Mercurialis; Budæus de ſtudio literarum commodè inſtituendo; Bïœmertii de Nobilis Inſtitutione; Joach. Paſtorii Palæſtra Nobilium; Schefferus de Nobilium informatione; Blumii Orator reformatus de Eloquentiæ in Scholis reſtauratione; Böcleri Manuductio ad autores claſſicos, Germanicâ linguâ; Bonnæus de ratione diſcendi; Burenii de ſtatu Scholæ philoſophicæ in Academiâ Roſtochienſi; Bodini Methodus Hiſtoriarum; Reineccii Methodus legendi Hiſtoricos; Henelii Statua Mercurialis ad Jurisprudentiam; Hobokenius de Politices ſtudio; Kilembergii Statua Mercurialis Theologica; Goclenii Praxis Artium generalis; Latomi de trium linguarum & ſtudii Theologici ratione; Puteanus de Collegio trilingui; Nunneſius de ſtudio Philoſophico; Oſiander de ſtudiis inſtituendis; Puteani Methodus literarum; Friſchlini Methodus inſtitutionis puerilis; Dreſſerus de ordine diſcendi; Ernſtii Methodus docendi juris; Fabricii Meditationes circa ſcientiarum ideam atque principia; Freigii Pædagogus; Fungerus de puerorum diſciplina; Gallucii Oratio de doctrinæ fuco; Auſonius de ſtudiis, cum commentario Minois; Mureti Inſtitutio puerilis; Philippi Cattieri Exercitationes de ſtudiis; Gribaldi Methodus ſtudendi in jure; Academicus Somnians Lepidi Philalethæ Sannionis Utopienſis Satyra in perverſam ſtudendi methodum An. 1659. in 12. edita; Miſonis Erythræi Ludicra & Satyrica, quæ ad ſtudia literarum atque literatos maxime ſpectant, excitandis ingeniis, erudiendæ juventuti, Salisburgi An. 1687. in 12. edita. Rolandus Ma-*

reſius in ſuis Epiſtolis, ac præcipuè lib. 2. ep. 30. Cornucopiæ quoddam talium conſiliorum exhibet. *Promiſit etiam Ferretus, qui Muſam Lapidariam ſcripſit, tales epiſtolas conſultationibus literariis refertas.* Infinita hîc adduci poſſent ejus generis. Sed de iis
91 ſuo loco plura, cum ad ipſas diſciplinas perventum eſt. * Hîc qvoqve illud verum eſt, multos eſſe conſiliarios & parum conſilii, atqve à pluribus coqvis raró ad palatum cibos apparari. In tot Viis difficile eſt veram invenire ſemitam, dum ſuo
92 qvisqve ſenſu abundat. * Propoſuerat ante multos annos Vir doctus, ac Profeſſor in Academia Erffurtenſi clariſſimus, *Eckhardus Leichnerus de Apodictica Scholarum reformatione* conſilia, ſingulari eam in rem edito libro. Sed nihil tamen effectum
93 eſt. * Huc qvoqve pertinent, qvi augmenta ſcientiarum varia propoſuerunt; in qvibus primum locum meritò occupat magnus ille *Baco Verulamius*, qvi inter Anglos primus ſignum ſuſtulit ad amplificandos ſcientiarum terminos; cujus poſtea veſtigia ſecuti ſunt, & hodie qvoqve ſeqvuntur, tot in Angliâ Viri docti, qvi in Phyſices &
94 Matheſeos ſtudio illuſtrando omni conatu conſpirant. * Ex mente Verulamii qvædam in ſuâ Univerſali Methodo inſtituere voluit *Johannes Bayerus* libro, cui titulus: *Filum Labyrinthi vel Cynoſura, ſive Lux mentium univerſalis, cognoſcendis, expendendis & communicandis univerſis rebus accenſa*, Caſſoviæ in Hungariâ 1663. edito. Verùm obſcurat potius Verulamii ſenſus omnemqve philoſophiam, qvam ut lumen
95 aliqvod accendat. * *Velſchius* etiam noſter multa talia in animo habuit: cujus extat *Somnium Vindiciani ſive Deſiderata Medicinæ*, Auguſtæ Vindelicorum Ann. 1676. edita, ubi multa proponuntur, qvibus non Medicinam tantùm, ſed & omnem rem
96 literariam augere voluit. Magna ſane ejus obitu jactura facta eſt. * *Leibnitzius in ſuâ Jurisprudentiæ Methodo* conſilia, qvibus augeri diſciplinæ poſſint, ſuppedita-
97 vit. * Eſt & *Anonymus*, qvi libellum *deſideriis literariis* plenum publicavit.
98 * Qvi de erroribus & defectibus in doctrinis agunt, etiam hùc referendi: ad viam enim ipſam iter ſternunt, qvi de via deflectere docent. Ut ſunt, qvi de corruptis artibus, qvemadmodum *Vives*, egerunt; aut de erroribus vulgi ſcripſerunt, ut *Thomas Broun* in ſua *Pſeudodoxia Epidemica*, qvo titulo ille librum Anglicâ linguâ ſcripſit, in Belgicam linguam converſum hoc titulo: *van de allgemeene dwaelingen des Volcks*; ſed nunc ille auctior Anglicâ linguâ prodiit. Multa ſunt in illo libro notatu digniſſima. Aliqvi per Lexica univerſam philoſophiam tradunt, Hippolyti lacera potius membra, qvam integrum corpus, exhibituri, ad qvæ ſedibus ſuis reſtituenda Æſculapio aliqvo opus ſit.

99 Inter tot tamen Methodos ſemper nova deſideratur Methodus. Adeò nunqvam nobis ſatisfacimus; ac juſta ſanè eſt *Martini Schoockii* in præfatione libri *de Scepticiſmo* qverela: *Non inficias eundum, multos occurrere Viros egregios, quos fatendum eſt, in ordinanda ſive univerſali, ſive particulari methodo, plurima cum ratione monuiſſe; quæ ſi obſervarentur, & labor compendioſior redderetur, nec periculum foret à variis erroribus, quos veritatis inſignibus velatos, vix ipſi ſenes exuere poſſint, quod à teneris eos imbiberint, diuque in ſinu ſuo quam arctiſſimè foverint; ſed dum adverſa*

fronte

fronte inter ſe concurrunt, & unusquisque ex aſſe ſuæ methodo, licet aliorum quoque obſervationibus ſubſtructæ, omnem laudem & gloriam vindicare contendit, ultra methodum vix proceditur, diſciplinæque non ſolum ſperato deſtituuntur ornamento, ſed ipſi quoque diſcipuli in veſtibulo ſolo detinentur. Laudare poſſem ultra viginti Viros celeberrimos, qui intra ſeculum varia evulgarunt ſcripta, aut de perficiendis diſciplinis, aut de augmento eorundem; qui tamen parum aut nihil in unaquaq; diſciplina pro illius perfectione præſtiterunt. * Et ſanè fieri vix poſſe videtur, ut ea in re convenire poſſint 100
Sapientes: nam ex qvo Sapientia præceptis tradi cœpit, ſtudio qvædam obſcurata ſunt, ne paterent omnibus arcana: neqve etiamnum utile eſt, omnia in vulgus ferri ſcientiarum myſteria. * Qvare nec conſultum eſt, nec fieri poterit, ut unâ aliqvâ clarâ & 101
diſtinctâ methodo omnia proponantur. * Ex hâc diversâ docendi ratione diverſi 102
libri apud veteres orti ſunt, qvorum aliqvi exoterici, mathematici, hypomnematici & uſuales; aliqvi exoterici, acroamatici. Lectiones exotericæ publicè inſtituebantur: Acroamaticæ paucis eisqve dignis auditoribus habebantur. * Videndus eſt de 103
illa re *Octavianus Ferrarius in libro de Sermonibus Exotericis*, ac in libro de *Diſciplina Encyclio*; qvos è Bibliothecâ Goldaſti Francofurti recudi fecit Goclenius Ann. 1606, cui præfixa eſt elegans *Goldaſti* epiſtola *de Crypticâ veterum Philoſophorum diſciplinâ.* * Multa hîc de παιδεία Ferrarius, qvam ille ſingularem vult eſſe vel 104
facultatem vel habitum, qvâ qvis recte de rebus omnibusqve ſcientiis judicat. Definit enim per experientiam; atqve ille παιδείαν habere dicitur, qvi in rerum tractatione diutinâ exercitatus collecta ad uſum principia ſcientiis atqve artibus cunctis ſuppeditat, ſimulqve illa eſſe cognoſcit, ac analyticâ ſcientiâ inſtructo velut miniſter ejus offert. Verùm in illis de παιδεία & diſciplinâ Encyclio à Ferrario diſſentit Goldaſtus: * Neqve enim per diſciplinam Encyclion ἐγκυκλοπαιδείαν intelligit Gol- 105
daſtus, qvi περὶ ἐγκυκλοπαιδείας ſingularem librum moliebatur, in qvo probare voluit, ἐγκύκλια veteribus μαθήματα propriè dicta, qvibus primum etiam pueri informabantur: mathematicæ enim artes populares erant, atqve iis primum inſtituebantur ingenui pueri, neqve ad acroamaticos ſermones admittebantur, qvi in his rudes erant. Qvod qvidem in noſtris Scholis qvoqve fieri deberet: illæ enim qvaſi anſæ Philoſophiæ ſunt, ac mirificè acuunt ingenium. Non poteſt etiam eam ob cauſam Methodus aliqva univerſalis inſtitui, qvod omnium rerum, imaginabilium præſertim, accurata non poſſit dari ſcientia, ac multa in problematicâ incertitudine ſubſiſtant, etiam in naturalibus. * Qvare ſi vel maximè velis mathematica incedere ἀκριβείᾳ, non 106
licebit in omnibus. Hâc ergo parte ſuccumbimus, ac fit ſæpè, ut illâ methodi ἀκριβείᾳ confiſi temerè de rebus, qvas non apprehendimus, judicemus, eaqve ut ficta & falſa repudiemus. * *Borellus* in libro *de motu animalium* aliisqve ſcriptis felicis- 107
ſimè mathematicâ methodo in veritates inqviſivit. Etiam *Spinoſa* hujus methodi fuco *Ethicam* ſuam *profanam* incruſtavit, cui eâdem methodo à *Blienburgio* reſponſum eſt.

CAP. VIII.
DE VARIIS IN DOCTRINA PARANDA COMPENDIIS.

§. 1. Methodorum ſcriptores quidam recenſentur, & quidem Ariſtotelici. 2. Scherbius, Neldelius, Zeidlerus. 3. Alii via mathematica incedunt. 4. 7. de quibus judicium. 5. Thomæ Angli Euclides Metaphyſicus. 6. Malebranchii liber de inquirenda veritate. 8. Hobbeſius in pleriſque cum Ariſtotelis doctrina conſentit. 9. Compendia & præcepta quædam ſtudiorum è Ficheto & Fortio propoſita. 10. Noſſe facultates omnes, unam profiteri. 11. Certum ſibi ſcopum præfigi debere. 12. Incertus Ficheti ſcopus non eſt ſcopus. 13. Triplex ſcopus à Fortio conſtituitur. 14. Amandos eſſe labores, luxum contemnendum. 15. Opes contemnendas. 16. Affectandas laudes. 17. Peritiam legendo, audiendo, docendo, ſcribendo comparandam. 18. Solitariam lectionem improbat Fortius. 19. Peritia per Anagnoſtas paranda. 20. Lectionis præcepta è Bacone Verulamio 21. & è Ficheto. 22. In libris vaſtis ſufficit ſummariorum lectio, quæ capitibus præmitti ſolent. 23. Libri dogmatici ſummo cum ſtudio legendi. 24. Periti doctrinarum Profeſſores audiendi & Percontationibus crebris utendum. 25. Vivæ vocis magna commoda. 26. In prælectionibus publicis minus aſſiduum ſuum Tironem vult eſſe Fortius, ſed minus rectè. 27. Docendi occaſiones ſemper quærendæ. 28. Quomodo docendum. 29. Quæ ejus utilitas. 30. Præcepta in ſcribendo obſervanda, è Fortio & Ficheto. 31. Remedia pro tædio pellendo. 36. 37. Peregrinationes. 32. 33. ſqq. Fortii conſilia quædam παράδοξα. 38. Cultus eloquentiæ in ſcribendo adhibendus. 39. Extemporales impetus non negligendi. 36. 40. ſqq. Exercitia corporis aliaque conſilia παράδοξα Fortii. 43. de quibus ipſe Fortius judicium profert. 34. 44. Conſilia ſtudiorum variant ratione perſonarum & finium. 45. Piccolomini liber de inſtitutione hominis nobilis. 47. ſeq. it. libri ejusdem argumenti. 50. Nimia feſtinatio in ſtudiis vitanda. 51. Petavii Oratio in hoc argumento commendatur. 52. Sorellus eandem feſtinationem damnat. 53. 55. Præcocium ingeniorum exempla recenſentur. 54. Raro illa felicia. 56. & prudentibus viris meritò ſuſpecta. 57. Ingenia talia lentè tractanda, nec obruenda. 58. Feliciores ὀψιμαθεῖς.

1 DE methodo ſuperiore capite egimus, de qvâ multa dicenda ſupereſſent. Multos de eâ rectè ordinandâ ſollicitiſſimos vidimus, ſed nemo tamen hactenus ad illorum monita reſpexit. Qvi Ariſtotelis doctrinam ſeqvuntur, ita eam amplexantur, ut neminem ex alia tribu vel hiſcere adverſus illam patiantur:
2 * Qvam præter illos, qvos ſuprà enumeravimus, Altorffini qvondam, & in his *Scherbius* in variis ſcriptis, præcipuè *Diſſertatione adverſus Ramiſtas*; apud Lipſienſes

ſes *Neldelius* libro *de Uſu organi Ariſtotelis*; & hodie qvoqve Regiomontani, & ex illis *Zeidlerus* ſingulari libro, cui titulus, *Analyſis Poſterior, ſive de variis ſciendi generibus & mediis eò perveniendi, Regiomonti An. 1675. edito*, plane ad mentem Magiſtri ſui expoſuerunt. * Qvi viâ Mathematicâ incedunt; ita ſuo ſenſu ducuntur, 3
ut Ariſtotelicam illam in conſilium admittere nolint: Cum tamen id potius agendum, ut utraqve Methodus, qvæ convenire debent, ſi qvid veri habent, in conſonantiam reducatur. Sed utrobiqve fortè peccatur. * Hi, qvi mathematicâ viâ uni- 4
cè incedunt, ad ſenſuum evidentiam omnia redigunt & mechanicam qvandam certitudinem, cui ita indulgent, ut in iis, qvæ ſenſibus nullâ ratione ſubjacent, ne latum qvidem unguem ab illâ ſibi diſcedendum exiſtiment, ſimiles, ut opinor, illis, qvi rerum menſuras confundunt. Imponit tamen hæc ſpecies ſæpe incautis imaginariâ qvadam certitudine; & *fallit pede regula varo*, ut in Ethices illo Fabro videmus.
* Qvi ſimilem methodum in rebus notionalibus & ſpiritualibus ſeqvitur *Thomas* 5
Anglus, ex Albiis Eaſt Saxonum, libro cui titulus *Euclides Metaphyſicus*, Londini An. 1658. edito, vix ſua omnibus probaverit, etſi in præfatione ejus libri de triumphatâ Principiorum Sapientiæ ignorantiâ tropæa ſe moliri jactet. * Noviſſimè qvoqve 6
Malebranchius in libris de *inqvirenda veritate* prolixe Mathematicam hanc methodum commendat, ac operosè ſatis Carteſianam de methodo doctrinam cum Ariſtotelicâ confert; Nam parte ſecunda lib. 6. ubi Carteſianas regulas propoſuerat, aliqvot capitibus demonſtrare laborat, *Ariſtotelem in Phyſicis ſuis nihil demonſtraſſe, cum nullam harum Regularum partem obſervârit.* Ipſe qvoqve Arithmeticam & Algebram duas conſtituit ſcientias, qvæ ſint fundamenta ceterarum omnium. *Non credam*, inqvit, *eſſe qvicquam utile, quodque accuratè ab hominibus ſciri poſſit, ad cujus cognitionem Arithmeticæ & Algebræ ope pervenire non poſſint.* Sed de eo alii viderint. * Ego 7
certè miror, qvi factum, ut Lyncei iſti homines ſuâ iſtâ methodo velut divinâ aliqvâ virgulâ ſecreta veterum, nemini in dubium vocanda, non penetraverint; cum tamen veteres illi Philoſophi ſuis ſuffulti principiis, qvæ in analogiſmis potius & conjecturis interdum ſubſiſtebant, tàm prodigioſa extuderint, in qvibus hodieqve ſtupemus, ac vel ignorantiam noſtram profitemur, vel, qvia nihil ſcire ſine hâc methodo nos poſſe credimus, iſtâ pervicaciâ armati pro mendaciis ac fabulis habemus. *Hob- 8
beſius tamen in ſuâ Computatione ſeu Logicâ cap. 6. methodum illam mathematicam omnibus non convenire judicat, & in plerisqve cum Ariſtotelis doctrina conſentit.

Subjungo nunc, qvæ aliqvi ſpeciatim conſilia in ſtudiis ac doctrinis diſcendis 9
tradidere, qvæ hîc qvoqve referri debent. Qvalia præcepta etſi magno numero dari poſſunt, & inprimis è Vitis Virorum doctorum formari: nam ut regulæ exempla producunt, ita ab exemplis regulæ peti poſſunt: etſi qvoqve in *libro primo*, ubi *de converſatione eruditâ* agimus, non pauca adduximus, & ex ipſô ſtudiorum ſcopô conſilia variant; tamen illa, qvæ nunc occurrunt, præcipuè ex *J. Fortio Ringelbergio & Alexandro Ficheto*, qvorum ille in libro *de ratione ſtudiorum*, hic *in arcanâ ſtudiorum methodo* qvædam notavit, apponemus. * Primum Ficheti præceptum 10

eſt: *Noſſe Facultates omnes, unam profiteri*: Vir enim eruditus, qvi ex omnibus arti-
bus exiſtit, nullâ in re hoſpes eſſe debet. Uni tamen & propriæ incumbendum eſt
Facultati; de reliqvis, qvod in rem noſtram facit, delibandum. Qvi ſimùl & in-
tempeſtivè adoriuntur omnia, Ardeliones vocantur, riſuqve & ſibilo excipiuntur:
qvi propoſitum mutant, qvotidiè tirones ſunt, nunqvam Magiſtri. *Summus non*
erit, inqvit Fortius, *qui non ex unâquâque diſciplinâ decerpſerit, quod ad ſcopum*
ſuum conferat. Id citra laborem effeceris, ſi nihil attigeris, niſi locos communes; de
11 *quibus, cum dabitur occaſio, libellum conſcribemus.* * Secundum, qvod primo
loco J. Fortio ponitur, eſt: *Certum ſibi ſcopum præfigi debere.* Nam pauci comple-
ctuntur animo bonarum artium curricula omnia: Amici hîc in conſilium adhibendi,
ingenium noſtrum explorandum, qvid valeant humeri, qvid ferre recuſent: periti
Magiſtri conſulendi ſunt: difficultas, diuturnitas ſtudiorum expendenda: humanio-
rum literarum & philoſophiæ loci communes, & claſſicorum autorum lectio nun-
12 qvam omittenda. * Incertus ſcopus, qvem Fichetus hîc nominat, non eſt ſco-
pus; atqve ut ad illum nulla linea tendit, ita nulla conſilia pro illo ſuppeditari poſ-
13 ſunt. * Triplicem ſcopum conſtituit Fortius. Nam vel in tertiis, vel in ſecun-
dis, vel in primis conſiſtere cupimus. Erecta ingenia ſemper ſibi ſummum locum
præfigunt. *Humilis, pavidi & abjecti eſt animi*, inqvit Fortius, *mediocrem eſſe vel-*
le. Equidem me in mille partes diſcerpi malim (dispeream ſi ſecus loquor ac ſentio)
14 *quam remittere animum ad ſumma evadendi*: * Tertium eſt J. Fortii: *Aman-*
dos ſemper labores & contemni luxum debere. Non poteſt eſſe magnum, qvod ſine
15 pulvere & ſudore continget; neqve unqvam deſperandum. * Idem Fortius inter
regulas ſuas etiam hanc ponit: *Opes debere contemni: nihil enim videtur*, inqvit,
accommodatius, nihil magis neceſſarium penuriâ, cujus beneficio omnes artes inventæ
ſunt: Equidem eo ingenio ſum, ſemper fui & ſemper ero, ut ſummam inopiam, quam
ſummas opes malim. Metuerem enim, ne pernicioſa eſca mentem occuparet meam.
16 Sed hoc inter cetera ejus paradoxa referendum. * Qvartum eſt: *Affectandas eſſe*
ſtudioſo laudes. Nihil enim poteſt eruditio ſine laudum cupiditate; laudum cupi-
17 ditas ſine eruditione. Alterum alterius præſidio ſemper innititur. * Qvintum
eſt: *Peritia comparetur legendo, audiendo, docendo, ſcribendo.* In ſingulis multa
18 ſpecialia obſervanda. * Solitariam lectionem omnino damnat Fortius: *Ea maxi-*
mum, inqvit, *faſtidium affert & vehementer obtundit ingenii vires. Si autorem le-*
gere libeat, cum alio id fieri velim. Mirabile enim ex alterius præſentiâ oritur judi-
cium. Adeò ut ſi adſit quispiam tanquam apertis oculis res ipſas introſpicere te; ſi ne-
mo, ſomniare duntaxat exiſtimes. Adhæc cum proferenda ſunt ſtudia, caligant in lu-
ce & omnia nova offendunt, ut qui ſoli didicerunt, quod inter multos faciendum eſt.
19 * Fichetus hîc inter arcana divitibus commendat, ut aliorum oculis legant, alienis
manibus ſcribant, alienis ſtudiis proficiant, Anagnoſtas habeant, qvi Autores indicent,
compendio referant verbo vel ſcripto, qvicqvid eſt in optimis libris ſcitu dignum, au-
ditu jucundum, æſtimatione pretioſum. *Hâc arte*, inqvit, *quamplurimi hodie paucis*
nummis

nummis & ſportulis exhauriunt omnes virorum doctiſſimorum Bibliothecas. Pauper-
tas eruditiſſima divitum auro ſuſtentata: ſtudet illis, ſcribit illis, ſuas illis refundit opes
inæſtimabili fænore, & majori eos ſolatio remuneratur, maximè cum gratis pro optima-
tibus elaborat lucubrationes, quod Religioſorum eruditorum eſt negotium perpetuum.
Hic modus affinis eſt Regum felicitati, qui ad menſam inter epularum illecebras paſcun-
tur eſcâ doctrinarum, & in ipsâ lectuli quiete, auditione rerum optimarum acquieſcunt.
Hanc etiam induſtriam magnâ ex parte imitantur, qui collatâ cum aliis ſtudiorum
operâ ſpolia dividunt militiæ: juvant enim ſeſe mutuo eruditi, & doctus doctum acuit,
commilitique jura tuenda putat. Simili arte nundinantur ingreſſum Bibliothecarum
alii, librariorum officinas frequentes adeunt, indices eorum percurrunt, & Geſneri &
aliorum Dictionariûm ſcriptorum: ſcruta librorum ſcrutantur & coëmunt. Biblio-
thecas hominum doctorum licitantur. De Papyrii Maſſoni Muſæo quanta & quam
pretioſa venierint, ſcio. Hæ ſunt lucroſiſſimæ omnium nundinæ, noſtra maximè tempe-
ſtate, cum apud Bibliopolas ſumma eſt veterum eruditorumque autorum inopia, omni-
bus lucro inhiantibus, & vulgares duntaxat libros, qui uſu teruntur & conſuetudine
quotidianâ, excudentibus. * Baco Verulamius Sermone fideli 48. illa non con- 20
temnenda præcepta ſuppeditat. Temporis nimium in lectione & ſtudiis terere, ſpecioſa
quædam ſocordia eſt; Iisdem ad ornatum mollius abuti affectatio mera eſt, quæ ſe ipſam
prodit. Libros non legas animo contradicendi & diſputationum præliis concertandi;
neque rurſus omnia pro conceſſis accipiendi, aut in verba autoris jurandi; neque deni-
que in ſermonibus te venditandi; ſed ut addiſcas, ponderes, & judicio tuo aliquatenus
utaris. Sunt libri, quos leviter tantum deguſtare convenit; ſunt quos deglutire, cur-
ſimque legere oportet; ſunt denique, ſed pauci admodum, quos ruminare & digerere
par eſt; hoc eſt, libri quidam per partes tantum inſpiciendi; alii perlegendi qui-
dem, ſed non multum temporis in iisdem evolvendis inſumendum; alii autem pauci
diligenter evolvendi, & adhibita attentione ſingulari. Invenies etiam libros haud pau-
cos, quos per alios & vicaria opera legere ſufficiat, eorumque compendia tantum deſu-
mere. Verùm hoc fieri nolim, præterquam in argumentis humilioribus, & autoribus
minoris pretii. Lectio copioſum reddit & bene inſtructum; Diſputationes & Colloquia
promptum & facilem; Scriptio autem & Notarum collectio perlecta in animo impri-
mit, & altius figit. Itaque ſi quis in notando ſegnis ſit aut faſtidioſus, memoria illi
opus eſt bona: ſi Colloquiis ſe non exerceat, requiritur ei ingenium promptum; ſin in
legendo parcus ſit, hoc ſolum relinquitur, ut artificio quodam utatur, quo videatur ea
ſcire, quæ neſcit. Hiſtoriarum lectio prudentes efficit; Poetarum ingenioſos, artes
Mathematicæ ſubtilitatem donant; Naturalis Philoſophia judicium profundum parit;
Moralis gravitatem quandam morum conciliat; Dialectica & Rhetorica pugnacem
reddunt & ad contentiones alacrem; abeunt (ut ait ille) ſtudia in mores. Quin &
vix occurrit in intellectu impedimentum aliquod inſitum, aut naturale, quod non ſtudio
quopiam idoneo emendari & edolari poſſit. * Ad lectionis commodum hæc Fi- 21
cheti præcepta inſerviunt. Multum legamus, non multa. Feſtinemus lente: obrui-

 tur

tur enim memoria multitudine, feſtinatione judicium ingeniumque corrumpitur. Convivas imitemur oportet, qui cibis non ingurgitant ſeſe, quos non concoquerent, ſed ſedatâ fame & lento dente veſcuntur, eâque menſurâ & modo, ut digerere & in ſuccum ſuum demutare queant dapes illatas. Valebit hoc, ſi ea legamus, in qvibus magnâ attentione opus: utpote diſciplinarum ſcriptores, qvorum argumenta connexa ſunt, qvi fundamenti loco ſubſternendi ceteris ſunt.

22 * Alioqvin in libris vaſtis, qvales ſcribere JCti ſolent, Hiſtoricis & ſimilis generis ſummariorum lectio, qvæ præmitti capitibus ſolent, ſufficiet. Multa enim in illis ſunt aliena, qvæ ſine diſpendio prætermitti poſſunt.

23 * Pertinet ad tales qvoqve libros dogmaticos & cum cultu ſcriptos hoc præceptum Ficheti: *Non eſt interrumpenda lectio notis exſcribendis, ſed ad finem à capite ad calcem pertexenda atque reguſtanda denuo, ut ars dicendi judiciumque combibatur, tum notæ per otium ſignis poſitis indicatæ excerpentur. Bis & ter quod pulchrum eſt, imo libri præcipui terendi & præ manibus habendi ſunt ſemper: eam ob rem ille ut Amaſium ſuum circumferebat Homerum ſemper, Heſiodum alius, hic Tullii familiares Epiſtolas. Quare in omnibus fontes quærendi ſunt, qui enim fontes invenit, multum & multa legit, cum principiis inſint omnia: qui rivulis irretitur, licet multis, legendo multa parum aut nihil legit: mea æterna erunt, ajebat ille apud Valerium Maximum, tua horaria. Fontes autem dicuntur autores ſcientiarum, & in facultatibus principes. Rivuli interpretes, Analectæ, Murileguli, Minorum gentium libri. Fons eloquentiæ Cicero, Hiſtoriæ Livius, Poëſeos Homerus, & magna ingenia fontibus capiuntur, mediocria rivulis.* De illis qvoqve libris verum hoc eſt Ficheti præceptum: *Sic legendi libri, quaſi non ſimus amplius lecturi, ſic hauriendæ in ſcholis ſententiæ, quaſi repetituri non ſimus: ſic de fonte aureo & torrente hauriendum, quaſi deinceps haurire non liceat. Ita fiet, ut accuratiſſime ſtudia obeamus: etſi enim nonnulla crebro retractanda ſint, quæ in uſum veniunt occupationum, omnia tamen repetenda non ſunt.* Accidit ſæpe, ut qvædam ſtudia Genio noſtro adverſentur, qvibus tamen neceſſario vacandum eſt. In his utiliter ſuadet Baco Verulamius ſermone fideli 36. *In ſtudiis quicquid à naturâ alienum repereris, ſtata tempora tibi præfigas ad ejusdem exercitationes & meditationes. Sin autem cum Genio tuo convenerit, de ſtatis horis ne ſis ſollicitus: cogitationes enim tuæ ſponte illuc convolabunt, prout negotia & cetera ſtudia permittent.*

24 In audiendo & percontando diligentiſſimum vult eſſe ſuum Tironem Fortius. *Accedant,* inqvit, *ad Profeſſorem, interrogent liberè, ſed paucis quæſtionem abſolvant: nam mora viris doctis ſemper infeſta eſt. Si is dedignabitur reſpondere, currendum ad alios. Nihil refert, quisnam ille ſit, cujus ope opes noſtræ augeantur.* Fioravantus in libro Italicâ linguâ ſcripto *Dello Specchio di ſcientia univerſale lib. 3. cap.* 20. ad diſcenda omnia hoc ſecretum, qvod ipſe ſummum habet, præſcribit, ut Virorum doctorum converſationem qværamus, atqve in omnibus negativam ſententiam arripiamus, ita hâc occaſione à Viris doctis elici omnem doctrinam ſine noſtro labore poſſe. Qvod tamen non ubiqve nec apud omnes bene procedit. Plerumqve contradictio-

nibus

nibus offenditur animus. Qvare niſi certâ moderatione id fiat, non probaverim.
* Fichetus docet cap. 10. audiendos ſæpe eſſe Viros doctos de pulpito dicentes. *Uno,* 25
inqvit, *momento temporis effundunt in ſinum noſtrum, quod longiſſimo plurimorum
annorum labore coacervarunt, atque hoc nullo noſtro labore magnaque cum animi no-
ſtri voluptate contingit. Velint nolint, cum videri docti appetant, ſua prodant arca-
na omnia neceſſum eſt, quæ etiam neceſſitas ut Tantali ſaxum nobis incumbit: itaque
mutui fures doctrinarum ſumus, dum audimus & ſpectamus invicem: ſunt enim oculi
& aures ſcientiarum omnium adminiſtri & proxenetæ. Eſt & aliud commodum in lu-
cro reponendum maximo, quod ex hominum eruditæ lectionis ore audiuntur autorum
citationes ignotorum, & diſcuntur pretioſa rerum reconditarum nomina. Idem judi-
cium de conſuetudine & converſatione doctiſſimorum eſto. Eadem enim ab illis elicia
familiaritate & arte blandiſſime ſuffuraberis, eadem diſces & forte docebis. Mutua
enim hæc eſt inter eruditos & ingenuos opera, nam callidi noſtra furantur, & ſua non
depromunt, abſit ſupercilium vincendique ſtudium ab hujuſmodi familiaritate, adſit
diſcendi docendique benevola modeſtia, quam in Nepotiano dilaudat Hieronymus, quam-* 26
que in veterum libris exploratam habemus atque perſpectam. * In audiendis præ-
lectionibus publicis non usqve adeò aſſiduum ſuum vult eſſe tironem Fortius, meo
qvidem judicio minus rectè: nam ſi Doctores in illâ arte excellunt, qvam profitentur, 27
vivâ voce plus docebunt, qvàm è multis libris capias. * In docendo maximum
profectus præſidium, nec immeritò, collocat Fortius: *Simul atque* (inqvit) *in litera-
rum judicio promoveris nonnihil, enitere, ut per totum diem, ſi fieri poſſit, doceas; ea do-
ce, quæ noveris, ſi non omnia noſti. Sedulo curandum, ut vel prece vel pretio habeas
unum, cui ea, quæ velis, poſſis recitare. Si pro horis ſingulis exiguam pecuniam dede-
ris auditori, atque hoc modo quatuor aut qvinqve aureos expenderis, tantum compe-
ries te profeciſſe tùm in literis tùm in formâ docendi, ut vel palam ea audeas profiteri.* 28
* Porrò nunqvam docendi munus etiam ab imparato omittendum ſuadet: *Reli-
ctâ oſtentandi libidine quoquo modo affectum te eſſe ſenſeris, ſive per totam noctem
vigilaris, ſive altior cogitatio te impedierit, ad exercitium velut ad meſſem currito.*
In Prælegendo omnem ſuperſtitionem vitandam ſuadet. Si qvis locus occurrat ob-
ſcurus, eum intactum potius relinqvere ſuadet. Nam è prælectione magis fructum
qvàm gloriam qværendam eſſe judicat. Sæpe mihi, ut hoc meô firmem exemplô,
cum ad docendum maximè imparatus acceſſi, in extemporali prælectione neceſſitas
ipſa extudit, qvæ longâ meditatione non incidiſſent. A docendo omnem abeſſe vult
invidiam. *Si literatus me inviſat*, inqvit, *non occultabo ea, quæ aſſidua peperit con-
ſuetudo: verum ultrò ipſa prodam tradamque alteri ferrum, quo me ſuperare poſ-
ſit, ſi velit. Sic enim aliis indicando ſæpe ſtudii modum ipſe meliorem ſemper inve-
niam, quem exercitatio illa ſuggeret docenti.* Qvod Fortii conſilium non erga omnes
æqvè laudandum: diſſimulanda enim aliqva erga illos eſſe, qvæ ingenuitate noſtrâ
abuti volent, ipſæ communis prudentiæ regulæ dictabunt. In docendo omnes cavil-
lationes & ſophiſmata abeſſe jubet, qvæ chartarum luſibus comparat, in qvibus omnia

 ficta

29 ficta ſunt. * Suadet porrò, ut etiam pueri ea, qvæ didicere, ſtatim doceant alios, propoſito ſingulis menſibus aut prœmio aut honore aliqvo illi, qvi viciſſet; qvod in declamando ſuaſerat Fabius. Sic enim uberiorem relaturos fructum, & juventuti rectius conſultum fore exiſtimat. Novi ego, qvi in numeroſâ prole rem optimô cum ſucceſſu ita inſtituerunt, ut natu majores minores ſemper docerent; qvâ mutuâ æmulatione excitati fratres feliciter in ſtudiis progreſſi ſunt. Fichetus qvoqve inter arcana ſua etiam τὴν διδασκαλίαν commendat. *Ad comparandam*, inqvit, *ſolidam doctrinam via tritiſſima certiſſimaque eſt docere. Signum enim ſcientis eſt poſſe docere, imò & gradus ad ſcientiam firmiſſimus.* Fortius magnifaciebat hoc docendi exercitium: *Hoc exercitio miram tibi rerum copiam comparaveris. Ubi decies rem eandem docueris, plus te ſenties profeciſſe, quam ſi fugiens lucem magno te domi labore confeciſſes. Per ſingulos dies duodecim docere horis ſolebam; præterque ipſas ſemel interim declamare, vel de Deo, vel de mundo, aut thematibus aliis exercitationis cauſa. Nonnulli inſanire me vociferabantur, ſed utinam ſic ab in eunte ætate contigiſſet inſanire. Tanti ego facultatem iſtam facio, ut malim judicium adoleſcentis, qui perpetuò docuiſſet, etiam res humillimas, quam ejus, qui ſolitaria domi lectione autores optimos perlegiſſet. Multa ſæpe legi, ſed menſis unius intercapedo memoriam ita deleverat omnem, ut vix dum ſcirem, quos legiſſem. At quæ alios docui, ea tàm mihi perſpecta ſunt, quàm corporis membra ipſa. Ea non aliter quam ſolis ſplendorem ante oculos hærere ſentio. Horum cognitionem firmam eſſe, certam eſſe, frugemq; proferre ampliſſimam experimento comperi. Horum memoriam vix morte credam extingui poſſe. Quoties me* (idem in Annotationibus ait) *inſanum vocarunt, cum per integrum menſem quotidiè docerem ab ortu ſolis ad occaſum? quoties dixerunt fieri non poſſe, quin ante finem menſis inter labores exſpirarem? Fatigor quidem, id non nego, etiam pene usque ad ſpiritus defectionem; ſed fatigatio ea dulcis eſt.*

30 In ſcribendo tùm Fortius tùm Fichetus utilia præcepta ſuppeditarunt. Ille ſcribendo omnem operam impendere jubet, cetera omnia floccipendere: *Ubi perveneris ad provectiora, puta te tantum profeciſſe, quantum quotidie ſcripſeris. Etiam ſi naturâ facundus es, deditâ operâ loquaris incompoſitè. Nam ferè fit, ut, qui loqvuntur accuratè, minus eruditè ſcribant. Dum enim rerum illarum voluptate afficiuntur, imperfectiores oportet ſint in alterò. Nemo pari cura res duas unqvam tractaverit. Nulla prælectio mihi tanti eſt, ut cogitationis aliquid illi velim tribuere. Id namque me à ſcopo meo averteret. Ea ſolum profero, quæ primum veniunt in mentem, quæ exercitatio longa mihi comparavit. Et ſi loquendum eſſet cum viris ſummis, etiam in cœtu maximo, ne verbum quidem unum præmeditarer, tàm libens ineptè, quàm aptè ſententiam exprimerem. Quod ſi res majorem curam poſtularet, talem rem, talem cœtum veluti peſtem fugerem, ac ſtili amorem continerem in pectore. Certe neminem unquam vidi (niſi me memoria fallat) docte ſcribentem, cui valde in promptu fuit colloquendi diſſerendique ratio.*

31 * In ſcribendo tædium hâc ratione evitare docet. *Statue ac vòve voluntate firmâ, te eo die non cœnaturum, quo non*

non tot paginas, non tot verſus, ut decreveras, ſcripſeris. Quod ſi acciderit delin-
quere, tu tibi ignoſcere noli, volo cœnâ careas. Abſtinere à cibo non parùm quando-
que ad corporis valetudinem facit, & alacriorem reddit animum. * Si librum 32
editurus es, hoc conſilium ſuppeditat. _Dic chalcographis parent ſeſe, librum te da-_
re velle excudendum, etiamſi ne paginam quidem paraveris. Tùm facile totam volu-
minis ſpeciem animô concipere, inde ſingulas parteis leviter in comœdiarum argumen-
ti modum deſcribere, denique quotidie, quantum illis ſatis erit, abſolvere poteris. Cum
ſic inceperis aliquid, perficere debes, velis, nolis. Id ego in omnibus pene libris feci,
ac etiam in iſto. Qvod conſilium autoris non ſane in omnibus, qvæ ſcribimus, pla-
ceret. Qvædam levi negotio etiam ab otioſis ſcribi poſſunt; qvædam attentiorem
meditationem reqvirunt, qvalia ſunt dogmatica, in qvibus certa principia ponenda,
& è principiis multa deducenda ſunt. Ac ipſe Fortius non tanqvam præceptum, ſed
tanqvam conſilium commendat: nam in ſeqventibus ita: _Non diſplicet editionem pre-_
mi, quo commendatior liber exeat. Mora tamen aliquid habet incommodi. Homi-
nem facit tranquillum, deſidem, otioſum, ignavum, ſomnolentum. Et neſcio quam
adferat ſuperſtitionem, dum diſſimulat quædam, dum rogari vult, ut librum emittat.
Quare animus, qui graſſari velit, nuſquam patiens moræ ſit. Sæpe etiam accidit,
ut ipſe notavit Fortius, qvod ad ſtylum aptiores ſimus, ac omnia nobis ſponte pro-
fluant; ſæpe non niſi labore atqve longâ cogitatione qvicqvam poſſimus compara-
re. Unde aliqvi minus rectè colligunt, non eſſe ejusdem Autoris, qvæ non pari curâ
perſcripta ſunt. * Idem ne noctis qvidem tempus à ſcribendo vacuum eſſe vult: 33
Noctu ad manum tabulas ceratas vel lapideas habe, aut membranas, quas oſſibus adu-
ſtis in uſum eum præparant. In his ſomno intermiſſo notare poteris, quæ libebit, ac luce
diurna melioribus typis reſcribere. Eaſdem tecum circumfer ſemper, ut cum in mentem
aut venuſta verborum connexio, aut rerum obſervatio ulla inciderit, ſcribere ipſam in iis
queas. Bonam partem libri hujus in tenebris ſcripſi, quando ſomnus me ob calculi dolo-
rem reliquerat, idque cum Sol adverſa nobis figeret veſtigia nocte vagante in medio cœ-
_lo._ Qvod Fortius hîc præcipit, jamdudum, anteqvam Fortiana illa legerem, feci.
Multa ego carmina in tenebris, cum ſomnus me deſtitueret, palimpſeſto illevi, qvæ
inſeqventi die elaboravi. Diligenter notari qvoqve vult Fortius, qvod per ſingulos
dies profeceris, ejusqve ſuadet ephemeridas inſtituendas. * In his tamen omnibus 34
pro ratione ætatis ac ingeniorum temperies qvædam adhibenda eſt. _Ratio in his_
habenda eſt, ut præcipit Fichetus, _nationum & ætatum: alia Gallis, alia Italis, Hiſpanis,_
Germanis ſunt ingenia; aliæ juvenum & ſenum vires, alia pericula. Alii diutius ſtu-
dendo, meditandoque perdurare poſſunt, alii non item: temperamentum quoque expen-
dendum. Bilioſi alacriores promptioresque ſunt; ſed difficilius & laborioſius ſtudent.
Pituita qui concreti ſunt, tardiores ſunt, at non ita fatigantur. Melancholici obſtina-
tiores laborando habentur. Sanguinei medii ſunt. Illorum omnium caloribus æſtivis
pomeridianis periculoſa eſt contentio. Eſt quædam in ſtudiis literarum ingluvies &
avaritia, quæ nocet animo, non concoquenti, ſicut cibus avidius ingeſtus ſtomacho. Ne

 mihi

mihi ſis Helluo librorum, ſed Amicus. Modus ergo adhibendus eſt, qui rebus omnibus eſt ſalutaris. Illi enim diutius & felicius ſtudent, qui valent diutius. Valent autem illi diutius, qui ſtudiis moderantur ſapientius; qui autem effrænatâ ſciendi cupiditate procurrunt immoderatè, auferrique ſe ſinunt, in ipſo limine corruunt, ut Claudii cantherius,
35 *fractis momento corporis & animi viribus.* * Temporis qvoqve ratio habenda. *Illud nempe, quod eſt ab otio, à recreatione diuturniore, à deambulatione & corporis exercitatione ludicra proximum, maxime opportunum eſt. Dici enim vix poteſt, quantos animus, corporis motu concitatus, impetus habeat, ait Plinius Junior, quantóve curſu*
36 *calamus fluat, otii intercapedine recreatus.* * Ut gratiora illa ſtudiorum intervalla ſint, duo remedia præſcribit Fortius: *Alterum ut bene nutrias corpus, ambules, ludas, conviveris, corpus vino impleas, ac aliis modis recrees mentem. Idcirco nonnulli ante concionem integros vini cantharos ſpiritu uno exhauriunt. Alterum ut multum dormias. Incredibile enim, quantum lucis, quantum alacritatis, res ea adferat animo.* In hunc finem ſubinde qvoqve locum mutandum eſſe ſuadet Fortius: *Meâ ſententiâ ſenis ferè menſibus aut ſingulis annis urbem quæres aliam. Curas omnes, quæ hunc impedire morem poſſint, abdicabis. Equidem infeliciſſimos voco, ſemperque vocabo, dies illos, quibus usquam ultra menſem deſederim. Quod ſi profecturos metus inanis periculorum terreat, cum Cæſare dicant: nunc te Fortuna ſequamur. Peregrinatio præcipue confert ad exercitationem. Poſtquam enim in unâ urbe continua lectione eos, qui te audiunt, fatigaveris, tranſire licebit in aliam, ubi rurſus novos habiturus ſis. Sunt præterea res complures, tùm in campis, quos peragramus, tùm in civitatibus, ad quas venimus, quæ nos impellunt ad altiora. Nam animus & varietate mirè excitatur, & ſæpenumero rerum conſpectu novarum permotus efficit ea, quæ domi nunquam agitaſſet.* Qvod tamen conſilium omnibus placere ad omnem ſtudiorum rationem non poterit. Eſt enim, ubi continuæ locorum mutationes ſtudia potius turbant,
37 qvàm juvant. * Cui jungendum etiam hoc παράδοξον eſt de libris, qvos ſecum vehere debeat Studioſus: *Qui alium petere locum decrevit, & longam ingredi viam, libros ſecum conferat ſolùm, in quibus diligenter res aliquas notaverit. Quod ſi in volumine duæ tantum tresve paginæ notatæ ſint, eas è libro eximat, reliqvum vendat. Nec ſit adeo ſordidus, ut exigua jactura rei conatum remoretur. Cogitet ſemper, ſi ad ſummá pervenerit, non defuturas opes. Superiore anno Baſileam profecturus è novo opere Plinii ſecundum librum à me notatum excidebam, ut mecum ferrem. Amicus interveniens me mentis eſſe parum ſanæ opinabatur. Sic tractavi libros complures, ſemperque faciam, cum id poſtularit occaſio. Tametſi mihi eſſent novi codices Ciceronis, Platonis, Demoſthenis, grandi comparati ære, omnes tamen paginas erumperem, in quibus ſcitu dignum aliquid ſcripſiſſem, quando eſſet proficiſcendum.* Et hâc qvidem
38 ratione verè Excerpta adornarent ſtudioſi: qvæ mihi tamen diſpliceret. * Qvibus animus non eſt, ut ſcribant, ſuadet Fortius, ut politè loqvi diſcant: *Diſcant hi, quemadmodum res omnes memorare eleganter poſſint. Illorum tamen gloria*, inqvit, *à noſtrâ laude diſtat, quantum momentum ab æternitate.* Præcipuè verò in ſcriptione eloqven-

eloqventiæ curam adhiberi vult: *Adhæc do operam*, inqvit, *ut numerorum gratia ſit,*
ſive concentus cohæreat, aut per omnes periodi partes, ſi terſius quicquam ſcribere coner,
aut ſaltem in fine. Ubi oratio deſinet, quæro ſpondæos, trochæos, epitritos quartos,
παιῶνας ſecundos, tertiosve; ſed per viciſſitudinem. Poſtrema cura eſt, ne multi ſint
fines ſententiarum, qui pedes eosdem habeant. Inſuave enim quiddam, periodos tres
ſeu qvatuor eundem habere παιῶνα, epitritum, aut alium quempiam orationis exi-
tum. In pedum concentu omnem propemodum elegantiam pono. Sed maxima heic
varietas exquiritur. Quocirca majorem multo tùm laudem tùm occaſionem oſtentan-
dæ doctrinæ conſequeris, ſi ita occulto nexu orationem vinxeris, quàm ſi ſcripſeris car-
men. Illic namque varietatem, quâ ipſa inprimis natura gaudet; heic unum dun-
taxat florum genus proferre potes. Numeros equidem vitam vocaverim orationis; quod
haud obſcure apparebit, ſi ſententiam numeroſam ſolveris iisdem ſervatis ac tranſpoſitis
verbis. Quippe quæ ante efficax erat, ea ſoluta ridicula videbitur. Quamobrem in
omni opere prima curarum eſſe debet, ut res ſive membra cohæreant; proxima ut ver-
ba ſeu modulatio numerorum. In libris excudendis, inqvit ille, *cum ſpecioſum ali-*
quem vocum contextum, aut verba duo ornata invenio, lætitia exulto majore, quam ſi
aureum reperiſſem. Tum mirus ſplendor pectus illuſtrat, hâc ἀμβροσίᾳ vivimus, hoc
dulci gaudio mens tranquilla fruitur. Ea mihi ſententia eſt, atque uti ſpero, ad vitæ
exitum permanebit, ut pro ſingulis vocibus nitidis, ſignificantibus, appoſitis, ſingulos reci-
pere aureos nolim, etiam ſi ſumma me premeret inopia. Malo dictionem eſſe decoram,
aut voces duas commiſſas apte, aut ſplendide dictum aliquid in opuſculis meis, quam
aureum in manibus. * In ſcribendô duplicem qvoqve modum tradebat Qvinti- 39
lianus; Aut enim profunduntur impetu ſubito omnia, ut occurrunt, ac deinde ſecer-
nuntur & limantur accuratâ diligentiâ; qvi modus eſt eorum, qvi promptô & celeri
ſunt ingenio; nam alioqvi dum moratur mens in elaborando, cogitationes optimæ
prætervolant: Aut nihil chartæ committitur, niſi diu expenſum; qvæ ratio moroſior
eſt ac tardiorum ingeniorum. In his prior illa ratio mihi placet, qvam ego plerum-
qve ſeqvi ſoleo. Qvæ ſubito ingenii calore inciderunt, qvæcunqve illa demum fue-
rint, ſive argumenta ſive ornamenta rerum, in carminibus hemiſtichia, ſine modo ac
ordine, modò ad rem faciant, diligenter chartis conſignare ſoleo. Hinc commodio-
ri tempore elaboratio eas meditationes perficit, qvæ niſi notatæ primum fuiſſent, peri-
iiſſent omnes, è qvibus δευτέραι φροντίδες plura animo ſuggerunt. * Ad con- 40
ſervationem ſanitatis, qvò eô melius ſtudiis vacare poſſis, παραδοξώτερα qvædam
Fortii conſilia ſunt; E qvibus illud de exercendo corpore: *Longa quies enervat cor-*
pus, & calculum parit; ideo præcepere, ut ſtudioſi quandoque æreum globum manu agi-
tent, torqueantq; ad fatigationem. Verum hoc exercitium nonnihil aufert temporis,
Modum igitur alium excogitavi. In veſtibus interioribus aliquando conſuo plumbum
diſſectum in minutas laminas tanti ponderis, ut utraq; manu univerſam levare molem
vix poſſim. Has induo mane, has robur corporis commodè ſuſtentat. Caveo tamen,
ne inferior ſpinæ pars plus æquo prematur. Id facio ad octo ferè dies, donec æſtu labo-

ris

ris nimium membra accenduntur. Sed pondus dictum ſenſim augetur ac minuitur: Repentina namq; mutatio lædere non parum naturam ſolet. Milonem ſequor, qui quotidie vitulum ferre ſolitus, tandem geſtavit taurum. Hâc ratione tempore eodem
41 *& ſcribo & firmo valetudinem.* * Ne nimio ſomno indulgeat, ſaxa ſeu ligna per transverſum lateri ſupponit. Ea namqve principio non ſenties, & poſt horas ali-
42 qvot duritie magis, qvàm prius, premente membra ſpontè excitaberis. * Illud qvoqve in converſatione moroſum nunc videri poſſit, cum temporis parſimoniam hâc ratione habendam ſcribit: *Si qui ad te acceſſerint, qui res vanas, quæ nihil ad artes facere videntur, proferant; fuge repentè ad ſtudia tua. Satius eſt, ut illi tuam mirentur impudentiam, quàm tibi pereat tempus. Illud enim unus aut alter, hoc tota ſentiat poſteritas. Quot volumina poſſent ſcribi intra horas illas, quæ per annum pereunt?* Cui ſimile illud eſt: *Accitus ad convivium, ubi fore putabis eos, quorum audire nugas deberes, ne accedas. Satius eſſet corporis membrum amittere, quam co-*
43 *gitationem per horas duas tàm inanibus fabulis impediri.* * Hæc Vir ille pluraqve alia in diſcendo docendoqve compendia ſuppeditavit, de qvibus ipſe ita judicavit: *Scio me ſcripſiſſe in hoc libro multa, quæ otioſorum hominum fabulas non effugient: nec me ſcripſiſſe pœnitet. Nam parvipendo judicium eorum, quibus diverſum inſtitutum eſt, hoc eſt, qui decreverunt lentè omnia aggredi, quæ ad mentis decorem faciunt, ac vigilantius quærere, quæ ad corpus pertinent.* Pleraqve ex illis non ſunt ſpernenda, è qvibus, qvæ commoda videbuntur, in uſum noſtrum vertemus.

44 Magnus hîc nobis panderetur campus, ſi doctrinæ & methodi conſilia pro ratione perſonarum, & ſcopo eorum, qvi ſtudiis incumbunt, expendere vellemus. Si qvis reipublicæ aliqvando habenas tractabit, is ad ſuum finem omnia diriget, ac cuilibet ſua facilè prudentia dictabit, qvos intra limites continere ſe debeat. Secerni hîc debent τὰ ὑπάρχοντα à ſupervacuis, rerum momenta ab ornatu & cultu, & hujus in pompam & decoram ſui oſtentationem multa aſſumi debent. Sapienter Baco Verulamius ſermone fideli 52. *Non volitabit alicujus fama per ora virûm, neque benè alata erit ſine plumis aliquibus oſtentationis: In actionibus magnis ingenia jactabunda vivacius negotia impellunt. In Ducibus & viris militaribusglorioſum eſſe non inutile eſt, Jactantia inſtar vernicis videtur eſſe, quæ ligna non ſolum ſplendere facit,*
45 *verum etiam durare.* * In hunc ſcopum integri à multis libri ſcripti ſunt, è qvibus nominabo nunc *Alexandri Piccolomini* librum Italicâ lingvâ, *della Inſtitutione di tutta la vita de l' Huomo nato nobile & in Citta libera*, in gratiam Alexandri Colombini ſcriptum, & loco muneris Luſtrici donatum, editumqve Venet. Ann. 1552. in 8. Hîc è Peripateticâ & Platonicâ Philoſophiâ traduntur omnia, qvæ in Moralibus, Politicis, Oeconomicis ad felicitatem Viri nobilis faciunt: de exercitiis qvoqve corporis rectè inſtituendis inſtituitur diſſertatio, deqve ceteris diſciplinis omnibus, qvatenus illis uti Juvenes nobiles debent. A tertiô ad qvartum ætatis annum in matris ſinu puerum nobilem bonis moribus, pietate & lingvæ rudimentis imbui jubet, à qvinto ad decimum inſtitutione grammaticâ & humanioribus literis; à decimo

ad

ad decimum qvartum Dialecticâ, Rhetoricâ, Poëtica, Picturâ, exercitiis muſicis & corporis informari vult, meô qvidem judiciô immaturè nimis. Non enim illa ætas Dialectices & Rhetorices capax eſt. Poſt annum decimum qvartum ad Mathematica ſtudia nobilem ſuum ablegat, qvorum vel ante Rhetoricam & Dialecticam puerile ingenium capax eſſe poteſt. Hinc illi totum illum Ethices & Politices campum aperit. * Verùm in iis ad ingenia reſpiciendum eſt: Neqve enim, ut non omnis fert 46
omnia tellus, ita qvodlibet ingenium, qvâ qvis reqvirat ætate, his vel illis ſtudiis aptum eſt. * Conferri cum his Piccolominianis poſſunt, qvæ *Bloemertius* in libro 47
de Nobilis informatione, *Paſtorius* in palæſtrâ Nobilium, & *Schefferus* in libello de Informatione Nobilis, conſilia ſuppeditarunt; de qvibus *capite de Pædagogiâ regiâ* pluribus agemus. * Ducis belli ſtudia aliâ ratione debent eſſe comparata. In his 48
utiliſſimâ conſilia ſubminiſtrat *Gabriel Naudæus*, cujus extat eruditiſſimum Syntagma de *ſtudio militari*, Romæ in 4to An. 1637. editum, & Illuſtriſſimo Juveni Ludovico ex Comitibus Guidiis à Balneo inſcriptum. Nullam ſcientiarum partem, qvæ qvidem prodeſſe Duci militari poterat, intactam in accuratiſſimô Opere reliqvit, pulcherrimis præterea digreſſionibus commentationem hanc ornans. * Diriguntur 49
etiam ad uſum Eccleſiaſticum ac Academicum Studia. In ſingulis ratio peculiaris habenda eſt: Præferendæ enim hîc diſciplinæ huic ſcopo inſervientes ceteris. In feminis qvoqve aliam ſtudiorum rationem qvæſiverim, qvam in Viris, ſi forte & illæ ſtudiis animum excolere vellent.

In omni tamen ſtudiorum genere velocitas & nimia feſtinatio vitanda eſt, 50
qvicqvid etiam qvibusdam volaticis ingeniis videatur. Canes feſtinantes, ut in veteri verbo eſt, cœcos pariunt catulos, nihilqve ſolidi in ſcientiis diſci poteſt, ubi omnia ſuperficiariâ operâ tractantur. Niſi forte qvis ad pompam uti ſtudiorum qvorundam ſimulachris malit, ut ſolent qvidam genere nobiles, qvi ad ſumma in Republica munia gerenda non ſatis apti, ſolis titulorum phaleris exiſtimationem apud plebem ſuſtentant. * Legenda eſt ſuper hoc argumento elegans, omnibus eloqven- 51
tiæ luminibus picta, *Dionyſii Petavii* de diſcendi ratione, oratio, qvæ inter ceteras ejus nona eſt, ubi Craſſi dictum lib. 3. de Oratore: *Niſi quod quisque cito potuerit, nunquam omnino poſſe perdiſcere*, ſolidiſſimis optimisqve rationibus refutat. Omnem ergo ille præcipitatam diſcendi rationem ut ſtudiorum peſtem à bonarum mentium officinis eliminat. Stultum enim eſſe oſtendit, cum in corporis illis exercitiis non niſi diuturnitate temporis ac multo uſu proficiamus, in literarum ſtudiis, ac operoſiſſimâ eloqventiæ doctrinâ, ſubitò nos velle uno qvaſi ſpiritu haurire omnia, cui totam vitam optimi qvoqve Oratores impenderunt. * *Sorellus* itidem in ſcientiâ 52
ſuâ Univerſali circa finem ſingulari capite de magnâ & perfectâ methodo agit; Ubi omnem illam docendi rationem, qvæ exiguo tempore fit, damnat, enumeratqve varia exempla talis inſtitutionis, qvæ malè ceſſerunt. Ac ſanè rariſſimè adeò felicibus eſſe ingeniis licet, ut exiguo tempore, ac primâ ſtatim ætate, multa magnaqve comprehendant. * Fuere interdum ſingulari qvodam fato ad res magnas deſtinati, 53

 qvi

qvi maturè admirabilia in literis ſpecimina dederunt. (*a*) Talia in *Torquato Taſſo, Mazonio*, exempla recenſet Erythræus. Noſtro ſeculo *Grotium* & *Heinſium* habuimus, in ipsâ puerili ætate & libris & carminibus editis celebres. Prodigio ſimilia ſunt, qvæ de *Marta Marchina*, virgine Neapolitana, penè infante, memorat *Erythræ. Pinac. III. n.* 75. qvæ à nemine, niſi fortaſſis divinitus, edocta egregiè Græcam, Latinam & Hebraicam linguam noverat, tum Philoſophicis, Philologicis ac Liberalibus omnibus diſciplinis non leviter erat, ſed literatè perita; deinde Epigrammata Græca, ſed Latina inprimis, eleganter argutèqve concluſa fundebat ex tempore. Singulare qvoqve *de Jacobo Martino Modoneſio* exemplum ibi memoratur, qvi ſeptennis puer à *Joh. Bapt. Mezetto* Servita omnibus ſcientiis imbutus, adverſus omnes ac-
54 curatè diſputare potuit. * Sed infelix hujus rei eventus fuit, teſtaturqve *Athanaſius Kircherus in Epiſtolâ ad Qvirinum Kuhlmannum*, Modoneſium illum ab omni poſtea ingenio deſtitutum, ſtupidumqve & nulli rei aptum fuiſſe. Qvod & *Jacobo Marchiſetto* Piſaurenſi contigit, qvi tredecim annos natus totam Ariſtotelis Philoſophiam complexus eſt, ut omnes in examen provocare auſus ſit, poſtea illam admirabilem ingenii vim amiſit; epiſtolis tamen ſcribendis à Pontifice admotus: de qvo videatur *Erythræus Pinacoth. I. n.* 72. De omnibus Romanis ingeniis judicat Favoritus in Virginii Cæſarini vitâ, qvæ inter Poëmata ſeptem illuſtrium Poëtarum habetur, illa primâ ætate ſtatim ſapere, ſed raro eſſe vitalia, ac à vigore illa concidere. Multa ejus generis exempla collegit *Balthaſar Bonifacius in Hiſtoriâ ludicrâ lib.* 19. *c.*
55 10. qvi talia etiam apud veteres non rara fuiſſe oſtendit. * Recentiora multa exempla collegit *Colomeſius* in notis ad Qvintiliani Inſtitutiones, qvæ in *Opuſculis* ejus *literariis* habentur, *proœmio lib.* 6. ad illa verba, qvibus filii ſui decennis, jam præclara ingenii ſpecimina edentis, obitum deplorat, *Non floſculus fuit ut prior, ſed jam decimum ætatis ingreſſus annum deformatos fructus oſtenderat.* In his ſunt *Plinius Junior*, qvi decimo qvarto anno Tragœdiam Græcam ſcripſit; *Avicenna*, qvi decennis literas humaniores calluiſſe, & totam Encyclopædiam ante annum ætatis decimum octavum abſolviſſe dicitur; *Philippus Beroaldus*, qvi adhuc puer Servii in Virgilium errores proſecutus eſt; *Ludovicus Stella* qvindecim annorum adoleſcens, qvi Aureliæ Lucianum, Ariſtophanem, Theodori Gazæ Grammaticam freqventiſſimo auditorio explicuit, cujus memoria à Joachimo Fortio literarum monumentis eſt conſignata; *Nicolaus Borbonius*, qvi Ferrariam carmen ſcripſit anno decimo qvarto; *Stephanus Boëtianus*, qvi de ſervitute voluntaria anno decimo ſexto ſcripſit; *Aldus Manutius* Pauli filius, qvi anno decimo qvarto Commentarium de Orthographia ſcripſit; *Claudius*

(*a*) Ingeniorum præcocium Hiſtoriam diligentiſſime omnium Gallico ſermone eſt perſecutus Adr. Bailetus, Biblioth. Lamonianæ Præfectus, in Tractatu, Pariſiis A. 1688. *in* 12. edito, *des Enfans devenus Celebres par leurs études, ou par leurs écrits;* cui Appendix etiam peculiaris περὶ τῶν ὀψιμαθῶν (*les Eſprits tardives*) eſt adjecta. Utriusqve (Libri pariter atqve Appendicis) Supplementum promittit Sebaſt. Kortholtus, Poëſeos Profeſſor Kilonienſis.

dius Salmaſius, qvi Nilium & Barlaamum de primatu Papæ recenſuit ac emendavit nondum qvatuordecim annos natus, (cujus laboris ne ſenem qvidem pœnituit) & anno ætatis decimo qvinto Florum cum notis edidit. Plura exempla recenſent Tiraqvellus in *Opere de Nobilitate & Jure primogenitorum pag. 435.* 448. Leo Allatius in *Apibus Urbanis p. 144. & ſeqq.* * Sed prudentibus Viris ſemper prodigioſa illa 56
præcocium ingeniorum maturitas ſuſpecta, qvæ ſucco tandem ſuo deſtituta extinguitur. Qvintilianus eôdem, qvem ſupra laudavimus, locô filii ſui exemplo teſtatur, qvod obſervatum ſit *celerius occidere feſtinatam maturitatem, & eſſe neſcio quam, quæ ſpes tantas decerpat, invidiam, ne videlicet ultra, quam homini datum eſt, noſtra provehantur.* Ipſe Ariſtoteles in Rhetoricis ex vetere Poëta reprehendere videtur magiſtros nimis anxios & ſedulos, qvi pueros nituntur triduo Philoſophos efficere. * Ego 57
cum ingeniis iſtis præcocibus lentè feſtinandum, neqve obruenda doctrinæ mole, ſuaderem, etiamſi illi ſuſtinendæ pares fortè viderentur. Et ſanè, qvod Erythræus qvoqve *Pinacoth. III. n. 36.* notat, ſæpe acerrimis ingeniis deeſt idonea informatio ac opes ad doctrinam parandam neceſſariæ. Nec deſunt, qvi Magiſtrorum etiam induſtriam vincant, ac per ludum & jocum plus præſtent, qvàm ſummâ alii diligentiâ; qvale exemplum in Carolo a Servâ notavit *Erythræus Pinacoth. I. n. 88.* * Ex 58
adverſo fuere ὀψιμαθεῖς, qvi ceteris omnibus ſuperiores ſummam ac immortalem gloriam ſunt conſecuti, ut *Jul. C. Scaliger* ac *Iſaacus Caſaubonus*, qvi ſera ſua ſtudia cum Danielis Heinſii præmaturis confert *Epiſtola* 198. felicitatem Danielis Heinſii adoleſcentis, cum ad Caſaubonum literas has ſcriberet, prædicans. *Sanè*, inqvit, *cum eâ ætate eſſem, quâ te nunc eſſe ex magni Scaligeri literis conjicio, bonorum autorum nomina paucis admodum exceptis, ne fando quidem audiveram unquam.* Legimus, ſenes ipſos feliciores ſæpe pueris progreſſus in ſtudiis feciſſe. Exemplum ejus rei dedit *Bonciarius*, qvi patrem ſuum, ſeptimum & qvadrageſimum annum agentem, hominem illiteratum, niſi qvod legere ſcribereqve ſciret, ſemeſtri ſpatio linguam Latinam docuit, ut in Ordinem Patrum Societatis Jeſu ſacerdotis munere functurus cooptaretur, ad qvam ſine linguæ Latinæ peritiâ, nullus ipſi acceſſus fuiſſet. Methodum, qvâ uſus eſt, deſcribit *Dominicus Paſſionæus Epiſtolâ ad Scipionem Barnabæum,* qvæ inter Bonciarii epiſtolas reperitur pag. 396. Videatur & *Erythræus Pinacoth. I. n. 53.*

CAP. IX.
DE METHODO IN LINGUIS, LATINA PRÆCIPUE ET GRÆCA, DISCENDIS TENENDA.

§. 1. Linguæ, ſcientiarum vehicula, ante omnia addiſcendæ. 2. ſqq. Lingua Latina an è converſatione & uſu diſci poſſit? 3. Roberti Gentilis, pueri ſeptennis, exemplum, 4. qui anno ætatis undecimo lectiones Virgilianas edidit. 5. Ejus liber de

Methodo brevi. 6. Sermo Latinus per colloquia non ſatis purus obtinetur. 7. Italorum ſuperſtitioſa in loquendo abſtinentia, 8. & in ſcribendo induſtria. 9. quæ moroſa induſtria reprobatur. 10. Montanus à primâ infantia linguam Latinam ex uſu didicit. 11. Memorabile exemplum pueri quadrimi, 12. 17. ſeqq. ejusque hiſtoria prolixius recenſetur, 13. 18. cum commodis hujus novæ methodi 14. 16. & incommodis vulgaris illius. 15. multa nondum inventa, difficilia; inventa facillima videntur. 19. Reſpondetur contrariis. 20. Grammatices præcepta non minus difficilia, quam ulla alia ſcientia. 21. Methodus hæc nova cogitanda relinquitur. 22. Civitas aliqua Latina an inſtitui poſſit? 23. quod affirmatur. 24. ejusq́; inſtitutio præſcribitur. 25. Obſtantibus reſpondetur. 26. Magni Pegelii conſilium de Schola pro linguis erigenda. 27. An naturali diſpoſitione ad repentinam linguarum notitiam detur aditus. 28. Hiſtoria è Mottæo Vayero de Gallo aliquo, qui dormiens linguas omnes loquebatur, quarum ipſe erat ignariſſimus. 29. Via per inſtitutionem brevis eſſe debet. 30. Ficheti conſilium. 31. Beccheri compendium. 32. Autoris Medicinæ Mentis conſilium pro linguis addiſcendis affertur. 33. Beccheri Compendia Grammatica, 34. Kuhlmanni. 35. Roſii Methodus à Mormio propoſita. 36. Schenckelii liber. 37. 38. Tuningii & Grunandi exemplum de linguâ Latinâ intra ſex menſes diſcendâ. 39. Sorelii iniqvum judicium de Montani informatione. 40. quod refellitur. 41. Methodus le Maire, qui Hebræam, Græcam & Latinam puerum octennem eodem tempore docuit. 42. quâ viâ inceſſerit. 43. Sorello eam improbanti occurritur. 44. Tanaquilis Fabri Methodus, quâ filium ſuum à 10. ad 14. annum in Græca & Latina lingua informavit, 45. Calligraphiâ an puer neceſſariò inſtruendus, 46. illa methodus per aliquot paginas latè recenſetur. 47. Homeri lectio cur puerili ætati præ ceteris conveniat, 48. comica ſtudia pueris non negligenda, 49. Virgilius cur Homero ſit difficilior, 50. Livii Hiſtoria pro pueris difficilior. 51. Tanaqu. Fabri filia doctiſſima. 52. filius 14. annorum autoribus optimis legendis occupatus. 53. ſeqq. cenſura methodi à Tan. Fabro in informando adhibitæ. 55. Poëtarum lectio ſuadetur. 56. Periodica connexio pueris ante omnia inculcanda, 57. Gnomæ morales. 58. Stylus ſedulò formandus, 59. Plauti fabulæ à puero nondum legendæ.

1 PRima, qvæ diſci debent, Linguæ ſunt, ſcientiarum vehicula, in qvibus multum temporis conſumimus, anteqvam eo perfectionis perveniamus, ut noſtro Marte qvicqvam agere poſſimus. Vernaculæ ſine magno negotio addiſci poſſunt, modò parentes, præceptores, famuli, & alii, cum qvibus converſamur, incorru-
2 ptè loqvantur. * Qvod ſi Græca ac Latina lingua eâ etiamnum methodo addiſci poſſent, non tanto nunc apparatu opus eſſet, citiusqve ad ipſas diſciplinas tranſire poſſemus. Qvam ob cauſam in eam cogitationem multi venerunt, ut linguam Latinam è converſatione cum latinè loqventibus potiùs, qvam è Grammaticis præceptis &
3 lectione, addiſcendam ſuaſerint. * Ejus experimentum in filio *Roberto* Pater

Albericus

Albericus Gentilis cepit, qvi ſeptennis puer Latinè, Gallicè, Anglicèqve locutus dicitur;
qvod Pater ad illum non niſi Latino, Mater Gallico, qvi ei proprius erat, & Anglica-
no ſermone (Oxonii enim vivebat) familia reliqva uteretur. * Nondum octavum 4
attigit annum, cum Virgilium illi Pater præiegeret; ut patet ex Commentariis, qvos
lectionum Virgilianarum titulo filius ſub ingreſſu undecimi anni edidit. Ut felicior
ergò fuerit Tanaq. Fabri filio, de qvo poſtea dicemus, qvi 14. demum anno Græcæ ac
Latinæ linguæ autores optimè intelligere potuit. * Vidi ab ipſo illo *Roberto* ti- 5
tulum libri Anglicâ linguâ ſcripti ſuper hoc argumento, in Bibliotheca Oxonienſis
catalogo extantis, qvi ita habet: *Roberti Gentilis le chemin abregè or à Methode for
attaining of ſciences in a ſhort time*, i. e. *Via brevis, ſive Methodus brevi tempore di-
ſcendi ſcientias, Londin. 1654. in 8.* Sed hactenus librum ipſum videre mihi non li-
cuit. Et fateor ſanè, Patris tam docti colloqviis proficere qvadantenus in linguâ
Latinâ potuiſſe puerum. * Ceterum colloqvia cum iis, qvi linguam Latinam ac- 6
curatiſſimè loqvi neqveunt, magis turbant ſermonem Latinum, qvam juvant; * ut 7
& Itali nonnulli de induſtriâ ſermonibus Latinis, etiam cum Viris doctis, abſtinendum
exiſtiment, ne dictio aliqvid ex idiotiſmo trahat, qvem in colloqviis Viri etiam docti
vix evitant, licet eleganter aliàs ſcribant. * Qvam ob cauſam Scioppius Manutio 8
inſultat, qvi qvadrimeſtre tempus in unâ epiſtola ſcribendâ exegerit. Ac vidi ſanè
Viri alicujus celebris (nec gentem nunc nec nomen Viri memorabo) αὐτόγραφον
epiſtolæ in Bibliothecâ Gudianâ, qvi mirabili & anxiâ diligentiâ eam ſcripſerat: nam
4. vel 5. chartæ folia in formâ majore compegerat, ſingulis paginis tres qvatuorve
ad ſummum periodos inſcripſerat, ſpatiô interlineari ampliſſimô; ſingulis penè ver-
bis & phraſibus variationes ſuperſcripſerat, atqve ipſa loca, unde illæ deſumptæ, nota-
verat; neqve illas tantùm, ſed & poſitus & juncturas verborum, adverbiorum, epi-
thetorum, ſynonymorum è Nizoliano Lexico adjecerat; numero qvoqve & pedibus
clauſularum connotatis. Hanc ille rationem in ſingulis periodis ad finem usqve te-
nuerat, atqve in hoc labore 4. menſes exegerat. Inceperat enim (qvod manu ſuâ
annotaverat) corrigere has literas die 6. Aprilis, finierat Kal. Auguſti, Ann. 1596.
* Non probârim ego moroſam adeò & ſcrupuloſam diligentiam; etſi hoc exem- 9
plo oſtendi poſſit, qvantâ accurratione uſi ſint Viri docti in ſermone Latino & puro
acqvirendo. Sed ita potiſſima vitæ pars in ſolâ linguæ Latinæ cognitione ela-
beretur.

Non omittenda hîc videbantur memorabilia eorum exempla, qvi à primâ in- 10
fantiâ ſolo uſu & colloqvio mirabilem loqvendi latinè promptitudinem nacti fue-
runt. In his eſt *Montanus*, Vir apud Gallos celebratiſſimus, qvi in diſſertationibus
(*Eſſays*) qvas Gallicâ linguâ ſcripſit, *lib. 1. cap. 25.* ſuo hoc exemplo probat. Verba
ejus in Latinum converſa ita habent: *Pater meus in diſciplinam me dedit Germano
homini in Gallicâ linguâ rudi, ſed in Latinâ verſatiſſimo, cujus ille operam amplisſimo
ſtipendio conduxit. Hærebam illi ſemper in amplexibus, aderantque alii etiam pueri
linguæ Latinæ non ignari. Nihil in ædibus niſi Latinum audiebatur; non mater,*

 non

non famuli niſi Latinis verbis, quæ è converſatione ceperant, ad me præſentem utebantur: unde & mater & famuli tantum in linguâ Latinâ profecere, ut mea verba intelligerent, & in rebus quotidianis mecum ſermones breviores inſtituere poſſent. Sex annos natus eram, cum de Gallicâ linguâ nil amplius, quam de Perſicâ aut Arabicâ ſcirem, atque ita ſine Grammatica, ſine præceptis, & plagosâ inſtitutione Latinam linguam didici, ut tantum ſcirem, quantum ipſi in illâ linguâ Pædagogi, qui me miſcere ſuis diſcipulis non poterant. Nam cum ceteris diſcipulis thema daretur in linguam Latinam convertendum, mihi dabatur Latinum, barbariſmis & ſolœciſmis defœdatum, quod ego in elegantiorem ſermonem converterem. Nicolaus Gruchius, qui de Comitiis Romanorum ſcripſit, Gulielmus Gerentus, qui commentatus eſt in Ariſtotelem, Buchananus Poëta Scotus, Antonius Muretus, præceptores mei domeſtici, ſæpe ad me dicebant, me linguâ Latinâ in primâ ætate puerili adeò promptè locutum, ut mecum confabulari vix auderent. Buchananus de Inſtitutione puerorum ſe aliquid ſcripturum ſuſceperat, quâ in re meo potiſſimum exemplo uti ſe velle ſignificabat.

11 Aliud exemplum ante hos 19. annos Pariſiis Regi ipſi propoſitum fuit, qvod
fidem ſuperare videtur; ſed tamen tot teſtibus confirmatum dubitare de rei veritate
nos non ſinit. Erat infans 4. annorum, qvi adeò expeditè loqvebatur Latinam lin-
gvam, ut Regi omnibusqve prodigio propemodum fuerit. Illam intra duos annos,
ex qvo à matris uberibus primùm amotus fuit, apprehenderat. Nullum committebat
errorem vel in flexione, vel in Syntaxi, adeo ut qvosdam de induſtria ſolœcizantes
correxerit. Cum aliqvi dicerent: *Ubi ibis à prandio?* ille emendavit: *Quo ibis.*
12 Aliis dicentibus, *conſcendere in equo*; ille regeſſit: *conſcendere in eqvum.* * Ejus
hiſtoriæ relatio, cum ratione iſtius informationis, ſingulari libello Gallicâ linguâ
tradita eſt, atqve ex eâ in Anglicam converſa prodiit Londini Ann. 1669. hoc titulo:
An Examen of the Way of teaching the latin tongue to little children by uſe alone, Lon-
don. 1669. in 12. Operæ pretium profectò eſt, ejus libri ſummam hoc in loco recen-
ſere, cum libellus ille fortè in paucorum manibus ſit. Pater hujus infantis duos ha-
buit amicos, latinè accuratè doctos, qvibus in hâc informatione uſus eſt, qvorum præ-
cipua cura fuit, ut, qvæ cum puero fabularentur, ſelecta eſſent, tum qvà voces, tum
qva argumenta, eosqve reprehenderent, qvi minus rectè loqverentur; Adeò ut non
tàm promiſcua collocutio, qvàm methodus colloqvendi, illi intellectum habiliorem
redderet, qvàm aliàs eſt in pueris ejus ætatis: Poterat enim puer aptè de rebus plurimis
judicare, atqve eandem rem variatis verbis & phraſibus efferre. Cum aliqvi illum,
qvi eqvis præeſt, *Agaſonem* vocarent, ille *Equiſonem* ſubſtituit. Hanc informandi
methodum Autor ejus libelli, qvicunqve ille eſt, antiqvam & infallibilem eſſe oſten-
13 dit, miraturqve non imitari hoc exemplum etiam alios. * Omnes vernaculas, &
exoticas linguas uſu continuo ad ſummam perfectionem perducimus, qvare & linguâ
Latinâ idem fieri poſſe rectè exiſtimat, neqve ad hanc reqviri ingenia ceteris excellen-
tiora, ſed judicium etiam è converſatione cum magiſtris latinè loqventibus acui.
Duo huic ſimilia exempla adducit puerorum eôdem modo informatorum, in qvibus
nihil

nihil puerile deprehenſum fuit, exceptis motibus & geſticulationibus, qvæ ab illâ
ætate ſeparari neqveunt. * Præterea metus ille, qvô cohibentur in ludis pueri, & 14
impedita illa naturæ libertas multum detrahunt ſolertiæ naturali, qvæ hâc ratione ma-
gis excitatur. * Multa qvidem dubia circa hanc rem moveri poſſe fatetur Autor; 15
verum multa ille ait difficilia videri, qvæ nondum inventa ſunt; inventa verò facilli-
ma videri, qvod exemplo Typographiæ, acus magneticæ, & circulationis ſanguinis
probat. Linguæ Latinæ autem tantam eſſe utilitatem, ut qvævis difficultates ſupe-
randæ ſint, qvò hunc finem tam cito aſſeqvamur. * Prolixè oſtendit è defectibus 16
communis illius Methodi in linguâ Latinâ diſcenda, in qvâ tantum temporis verbis
impendendum, qvo ad diſciplinas ipſas expeditiùs iri poſſit, utilitates hujus viæ bre-
vioris. Primum, inqvit, à 6 vel 7 anno ad 17 vel 18 in collegiô detinetur puer, intra
qvod tempus qvot ambagibus circumducitur? Diſcendæ omnes inflexiones, acciden-
tia vocum, connexio ſententiarum, diſtinguendæ ſignificationes, proprietates, Syn-
taxeos regulæ: Qvæ omnia tædioſiſſima pueris ſunt, & pœnas ſcholaſticas provocant,
qvibus efferatur animus, & ad odium literarum inducitur. Hic Declinationum, Con-
jugationum, perſonarum, articulorum, Heteroclitorum, Conſtructionum perplexita-
tes notandæ ſunt, qvibus velut eqvuleis & fidiculis torqvetur illorum animus. Qvi
in ſcribendo, vertendo, phraſeologiis, exercitiis Rhetoricis labores ſuſcipiendi? Poſſet
compendium per lectiones qvidem inſtitui, ut non ſit opus prolixitate illâ regularum;
ſed in loqvendo & ſcribendo deficiet, atqve tum ad priorem viam recurrendum eſt.
Qvod ſi ad Philoſophicas diſciplinas admoventur, penè nitorem linguæ Latinæ dedi-
ſcunt. Ideoqve exigua qvædam & imperfecta ſummo labore & impenſis in ſcholis
diſcuntur, ne qvid de temporis irreparabili jacturâ dicamus; cum alterâ illa methodo
omnia ſimul comprehendi poſſint. * Accuratiùs ergo in illam novam metho- 17
dum inqvirit. Infans 22. menſium erat, cum primùm informationi illi traderetur.
Pauca illa vocabula vernacula, qvæ à nutrice & matre hæſerant, ſtatim oblivioni tra-
dita fuêre. Iisdem magiſtris alius datus 31 menſium, qvi multa jam vernacula loqve-
batur, intra 2, vel 3. hebdomadas omnia abolita, eorumqve loco tantum de Latinâ
linguâ intra menſem hauſerat, qvantum de vernaculâ antea ſciret. Ex iis pueris ma-
jor natu ceterorum qvaſi magiſter eſt. Famuli qvoqve tantum de linguâ Latinâ
ſciunt, qvantum opus eſt ad qvotidiana illa exprimenda. Atqve ita Latinam præ
vernaculâ didicerunt: qvam methodum Qvintilianus qvoqve Romanos ſecutos teſta-
tur, qvi primùm Græcâ, tùm Latinâ linguâ pueros informarunt. Facilè autem poſſe
pueros plures linguas ſimul ſine confuſione diſcere; qvod exemplo Conſtantinopo-
litanorum & Brabantorum probat, conſtatqve è ſuperiore exemplo Roberti Gentilis.
Qvare & pueri jam vernaculam loqventes è converſatione cum latinè loqventibus fa-
cilius, qvàm per præcepta, latinam diſcere poſſunt. Hanc viam facillimam eſſe
oſtendit Autor cap. 6. Qvoniam enim de diſcendâ linguâ ne cogitant qvidem, ideo-
qve eò facilius diſcunt, & expeditiùs ludis jocisqve illa inculcatur, ſumma cum ju-
cunditate, citra Orbilii alicujus plagas, procul ab omni metu & dolore, qvi affectus

puerorum animos dejiciunt, & ſerviles reddunt ex ingenuis, neqve pravorum affectuum, iræ, indignationis ſemina inſperguntur, qvæ cum magiſtrorum ferulis implantari ſolent. Nunqvam enim pœnæ in pueros ſtatui debent, niſi ob actiones honeſtati & juſtitiæ repugnantes; qvam ob cauſam eo attentiores in converſatione tam innoxiâ & humaniſſimâ erunt pueri. Neqve opus eſt, nobis ipſis neceſſitatem caſtigandi hâc viâ imponere ob negligentiam, cujus pœnæ in communi methodo interdum vix evitari poſſunt. Seligenda ſunt in colloqviis non ſeria tantum, ſed & maximè ludicra, in qvibus nil agunt vulgares Scholæ. Argumenta qvoqve de artibus, de hiſtoriis variisqve rebus immiſcenda ſunt, in qvæ qvotidiano ſermone non facilè deducimur. Atqve hinc occaſiones de induſtriâ captandæ & ſapienti conſilio dirigendæ. Cap. 7. agit de brevitate hujus methodi, qvâ intra novem annorum ſpatium pleraqve diſci poſſint, particularibus artium & ſcientiarum exceptis, cum vulgari viâ ne unam qvidem Latinam linguam eo temporis ſpatio diſcamus. Per uſum ergo, ut cap. 8. fuſius deducit, accuratior qvam per præcepta & regulas cognitio habetur, conſtructiones, proprietates verborum ſimul apprehenduntur; copia, promptitudo loqvendi acqviritur, qvam vix totâ vitâ vulgari illa viâ nobis paramus. Major qvoqve linguæ ipſius extenſio eſt: nam plura in familiari colloqvio incidunt, de qvibus ſilent libri & Scholæ. Ad lectionem qvoqve longè paratior accedet, ut itaqve è lectione poſtea ſupplere poſſit, qvæ in converſatione defecerunt. Puer ex illis nova methodo inſtitutis ſexto ætatis anno Phædri fabulas intellexit, qvas alii vix duodecimo intelligerent. Qvare omne illud tempus, qvod alii Grammaticæ impendunt & verſionibus, ille impendere lectioni poteſt, Autores omnes qvatuor annis citius leget, decem annis citius intelliget, & duplo longius tempus illis, qvam alii faciunt, qvi ſerò ad bonos Autores accedunt, inſumere poterit. Fieri deniqve non poteſt, qvin habitus ille à prima nativitate per 8. & 9. annos continuatus alterum ſuperet, qvi à 14. & 15. anno incipit, & per tres qvatuorve annos tantùm continuatur, & acceſſione Rhetorices & Philoſophiæ vel interrumpitur, vel conſtringitur. Qvod ſi verò illis loqvendi latinè neceſſitatem impones, crucem illis figere videberis; inviti enim ad loqvelam latinam adigentur, eamqve multis ſolœciſmis corrumpent, ut itaqve omne hoc ſcholaſticum
18 exercitium non linguæ, ſed ſcriptioni, inſervire videatur. * Hujus utilitatis ſecundum hanc novam methodum hæc porrò conſectaria educit. I. Profeſſionis ſelectum inſtituendum: capacitas enim filiorum, inclinationes ex ipsâ illa matura repræſentatione artium & principiorum rectiùs dijudicantur, tùm à parentibus tùm ab ipſis filiis, unde magna in ſocietatem civilem commoda promanant. Artes deniqve ipſæ melius excolentur, ſi illæ à non invitis ſuſcipiantur, & facile ad ſummam perfectionem deduci poſſunt. II. Bonorum morum perfectionem. Illa enim è matura illa per lectionem bonorum Autorum & artium informatione ſperanda, cum ceteroqvin vel ineptiis vel voluptatibus tempus tranſigatur, ſi extra parentum conſuetudinem alibi illi educentur. Hæc enim informatio Parentum inſpectioni & obedientiæ illos magis adſtringet, neqve facilè contagium è converſatione malorum in prima pueritia trahent.

In

In firmiore ætate poſiti, & rectiore habitu adverſus malitiam armati ipſi pravos mores faciliùs emendabunt.

Non omittit idem Autor incommoda, qvæ comitari hanc methodum videntur; 19
ſed qvæ leviuscula ſunt. 1. Qvod Matres à conſuetudine filiorum per aliqvot annos removeantur. 2. qvod peregrinam linguam rectiùs norint ipsâ vernaculâ. 3. qvod tempus à 7. usqve ad 16. annum vacuum ſterile ac otioſum videatur. Sed facilè illa removet obſtacula Autor. Primum vix attendendum eſt. Qvæ enim mater duorum annorum jacturâ nolit totius vitæ commoda redimere? Secundum facilè tollitur: nam vernacula lingua, poſtqvam Latinam didicerit puer, ſe ipſam non advertendo ingerit. Tertium planè ridiculum eſt. Qvæ enim cauſa otioſum intra illud tempus eſſe jubeat puerum? Qvot ſunt Autores, Hiſtorici, Oratores, Poëtæ, in qvibus legendis occupabitur ejus induſtria. Mathematicæ multæ artes etiam in illâ pueritiâ rectè addiſci poſſent, ac aliæ etiam ſcientiæ, qvâ de re fusè Autor noſter agit
cap. 11. * Oſtendit enim, Grammatices præcepta, qvæ primùm proponi ſolent, 20
æqve difficilia eſſe, qvam ullam aliam vel artem vel ſcientiam. Qvâ ille ſententiâ planè non fallitur. Abſtractiones in Grammaticis æqvè ſunt ut in Metaphyſicis. Infinitivum importat abſtractionem ab omnibus perſonis. Modi, Caſus etiam ſub abſtractione & qvaſi in ideâ aliqvâ intelligendi. Regula aliqva Syntaxeos plus difficultatis interdum habet, qvàm Theorema Mathematicum. Genealogiæ Principum eâdem facilitate addiſcuntur, qvàm derivationes nominum. Porrò ſunt & Mechanicæ artes, qvarum principia noſſe valdè acuit puerorum ingenium, qvarum demonſtrationes jam ſuprà inter conſilia acuendi ingenii propoſui. Neqve enim ineptè Socrates judicavit, cum ſolos artifices & mechanicos, ut Hortulanos, Textores, Statuarios, Pictores, Piſtores, Piſcatores, Tinctores &c. veram rerum cognitionem habere dixit: hi enim homines Philoſophiæ fundamenta jaciunt.

Illa ex Autore hoc anonymo copioſius adducere volui. Res enim attentâ 21
conſideratione ac imitatione digna eſt. Ac velim ipſe Autor eſſe iis, qvi de emendandâ juventutis informatione curas ſuſcipiunt, ut ſeriò de hâc methodo cogitent.
* Non ineptè Autor ille Regi Galliæ ſuadet, ut talem aliqvam Civitatem Latinam 22
inſtituat, qvâ ſolâ converſatione Latinam linguam doceantur pueri; fore hanc curam tanto Rege dignam, atqve inter cetera magna opera fortè primo loco ponendam, &
facili negotio opus hoc conficiendum. * Ego ſanè ipſi planè adſtipulor, & credo, 23
intra 20. annos extrui talem ſocietatem poſſe, qvâ omnes etiam opifices latinè loqvan-
tur. * Seligantur ad hoc opus 6. vel 7. homines, accuratam linguæ Latinæ noti- 24
tiam habentes, in qvibus tamen ſi qvid forte deſideraveris, lectio autorum facile poſtea emendabit leves defectus; illi hâc methodo informent pauperum hominum liberos utriusqve ſexus aliqvo numero. Hi poſtea linguâ Latinâ firmati opificium aliqvod diſcant, qvi locum huic exercitio deſtinatum incolant; ita fiet, ut brevi tempore
talis ſocietas adornetur. * Facilè quivis intelliget, ſumptus hos immenſa utilita- 25
te ita reſarciri poſſe, ut maximo etiam lucro eſſe qveant. Poſſet & à privatis locu-

 pletioribus,

pletioribus, qvi magnam ſæpe pecuniæ vim in ludicra & voluptuaria impendunt, collatis impenſis res illa inſtitui. Poſſet & Græca, & qvævis alia, lingua unà cum Latina eâdem ratione addiſci: Non enim confunduntur pueri pluribus linguis, ut jam antè aliqvot exemplis oſtenſum eſt. Fortaſſis Scholarum pretium qvibusdam vileſcere videretur. Sed qvid tum poſtea? Illæ pro artibus & diſciplinis ſatis, qvod agant, habebunt. Sed vix erunt, qvi ad hæc conſilia reſpiciant: ac miror ſanè Regem Galliæ, qvi qvam facillimè hæc effecta daret, eâ de re non cogitaſſe, præſertim cum tam luculento exemplo incitaretur.

26 Non facilè dixerim, an huc fortè etiam reſpexerit *Magnus Pegelius*, cujus ſæpe mentionem fecimus, qvi in *Theſauro rerum ſelectarum* ſtatim in principio novam Scholarum inſtitutionem proponit. Ejus deſignationem hîc adducere non inconveniens erit. *Schola ſive docendi & diſcendi ratio puerilis, qua juniores inprimis & alii quicunque etiam adultiores linguas quascunq; , Latinam, Græcam, Hebraicam, & quasvis alias hodie in mundo uſurpatas, ſeu populares & vernaculas, imò binas vel ternas ſimul, &, quantum rerum humanarum fert conditio, integrè addiſcunt; Sic ut linguis hujusmodi & audita & lecta mox & plenè percipiant, & quicquid obvenerit ſeu conceptum fuerit, expeditè eloquantur. Id quod communiter hactenus, præſertim in Græca & Hebræa lingua, cum aliis, tum ipſis etiam hæc docentibus, & in hiſce conſeneſcentibus denegatum fuit; qui quaſi ſcribendo tantùm hinc inde hæc compilant, & ſic fœtum aliquem undique tandem efformant. Qua item ratione rerum omnis generis in Philoſophicis & Politicis occurrentium optimarum & ſelectarum, earum præſertim, quæ uſui communi ſine futilibus & phantaſticis figmentis ſunt accommodæ, & ſcientia, & prudentia, & uſus acquiritur. Idque cum linguis, ſive dum de rebus hiſce ſermo confertur, eodem planè & modo & tempore. Inſuper hinc vita communis, affectio & animus hominis, & interea dum ſic diſcit & deinceps, ſuavior, moderatior, & ad omnia quæcunque obeunda habilior & excitatior redditur. Præterea ad perſpicuam, claram & expeditam rerum undecunque occurrentium Enunciationem, ad Affabilitatem & ad corporis totius & vultus convenientes, & rebus quibuscunque ex propoſito accommodatos, geſtus & mores, quotidiana auditione, intuitu & uſu proprio diſcentes perducuntur. Quin etiam præter verba in ſeſe ipſa, & in ſeſe compoſitiones eorum ſeu locutiones ſive phraſes, Rerum quoque undecunque cognitarum ſeu oblatarum juſtam conceptionem ſeu apprehenſionem, ſive recordationem & convenientem applicationem, ſeu ad ſe diſtributionem, ſive ut res aptæ ordine ſuo & debito animo occurrunt, & hinc extemporali oratione proferantur (idem de ſcriptione, ut par eſt, accipe) ſuppeditat, adeoque hoc modo propoſitionum plurium & ſic orationis totius conformationem elargitur. Et hæc quidem, ut cetera omnia, ſine præſcriptionibus & regulis ſeu Grammaticis ſeu Dialecticis ſeu Rhetoricis perhibitis ullis, ſine pernicioſa, & contra orationis & veritatis finem fictitia extenſione, circumductione, affectatione, pompa, fuco &c. ex naturali & rebus quibusvis dato accommodato uſu certo & inſigni, omnia tam magnatibus, quam inferioribus quibuscunque, ex voto convenientia. Ex quibus etiam quot numero ſunt, iique*

indolis

indolis præclaræ, & ad ſumma adeoque ad omnia quaſi nati, qui linguam Latinam, & hinc ea quoque, quæ hanc comitantur, non ſine gravamine & hinc inde quandoque deſiderio & affectione diſcunt: idque ex maceratione dicta, quam ingenia eximia multa non ferunt. Et hoc totum tempore brevi & ſine moleſtia, adeoque cum docentium priſtinorum etiam, ſi ſic vere velint, & diſcentium ſingulari delectatione, & varia ſubinde recreatione, ex ſingulari hîc primum aperto, monſtrato & convicto uſu, & mediis hinc natis & hic præſcriptis conſimilibus; Sine ullis Grammaticis aut aliis hujusmodi ab autoribus & ſcriptoribus effictis, peregrinis, coactis, moleſtis, moratoriis hucusque introductis regulis, præceptis, hinc inde circumductionibus & ſolitariis quaſi tormentis. Unde ſimul judicii & rationis communis uſu poſthabito, ſingularis quædam imaginatio, perſuaſio & animi phantaſia exoritur. Modus quoque ſingularis & perinde facilis, quo legere benè & ſcribere commodè tirones & alii diſcunt: item ut ex ipsâ lectione ſeu mox ex literarum aſpectu linguam quamcunque vel ex uſu præſente, vel ut cupis veterum hactenus latente more, pronunciare & conſimiliter ſcribere conſueſcant. Quomodo & ſyllabarum quarumcunque quantitas dicta, etiam earum, quæ regulis vel autoritate tantum patent, ex ipsâ & pronunciatione & ſcriptione mox & per ſeſe cognoſcitur. Qua prolatione non adhibita & exaudita quantitas quoque talis in vanum hactenus uſurpata fuit. Uti alias etiam, & quomodocunque eadem momenti eſt minoris. Poſſunt item ſuo quodam hinc modo alii quicunque homines linguam aliquam ignorantes, cujuscunque ætatis fuerint, quibus miniſtri vel unici ſeu hominis cujusvis linguam talem ignotam cum alia vernacula ſeu cognita una quacunque promptè eloquentis converſatio aſſidua vel crebra contingere poteſt: etiam extra hunc ſcholaſticum conventum, & apud ſuos & ubique terrarum, & inter negotia, linguam quamcunque ſine omni impedimento & moleſtia, tantum ex aliquo aliàs parvi æſtimato, attamen ſingulari uſu, & jam prima vice diſcendo inchoare, & tempore exiguo intellectum & uſum mediocriter inibi acquirere, & ſic vitæ prioris neglectum parte non contemnenda reſtituere. Unde & urbes quædam, eæque inprimis aliàs minus potentes, incolis, ædificiis, mercimoniis, quæſtu & alimentis augmentum capere, & celebritatem acquirere poterunt. Imò & hinc hominum congregatio & cohabitatio, adeoque urbis novæ & Reipub. primordia conſtitui & ſenſim perfici valebunt. Magis minusve, ut plura & perfectiora media oblata & uſurpata ſeu impenſa fuerint. Additur hiſce contrariorum pro larva veterana undecunque conquiſitorum demonſtrativa, item refutatio. Licet ex veritate ſeu re ipsâ tradita & in ſe præſertim confirmatâ, fucus priſtinus quoque ſe ipſum omnino detegat & palpandum offerat.

Propoſuimus hactenus linguarum cognitionem viâ Converſationis parandam; cui jam ſubnectimus alteram illam Inſtitutionis viam: Neqve enim credibile eſt, viâ aliqva extraordinariâ derepentè alicui linguæ intelligentiam oriri poſſe, niſi modô fortè miraculoſô, qvalem nemo ſibi nunc facilè promittere poterit. Niſi forte etiam naturali aliqvâ diſpoſitione ad linguarum notitiam repentinam aliqvos ferri poſſe credamus, qvod de qvibusdam maniacis affirmare non veretur *Huartus*, qvi lin- 27

guam incognitam neqve antea notam loqvuntur, cujus ille exempla aliqva, & *Pomponatius* in libro *de incantationibus* adducit, qvi aſtrorum diſpoſitionem hîc qvoqve
28 in ſubſidium vocat. * Non poſſum hoc loco præterire inſigne ac memorabile exemplum hominis Galli, cujus mentionem facit *Mottæus Vayerus tomo 2. Operum Gallicorum, epiſt.61.p.657.* qvi qvacunqve linguâ interrogatus, eâdem in ſomnis reſpondere potuit, cum præter Gallicam non niſi rudem Italicæ & Hiſpanicæ notitiam haberet. Vocabatur is *le Fevre*, habitabatqve Rotomagi. Vino aduſto aut Hippocratico plenus felicior in linguis per ſomnum loqvendis fuit, qvàm aliàs. Fuit, qvi illum appellavit Candanenſi linguâ, cui eâdem ille reſpondit. Alius Anglico ſermone aggreſſus eſt, & eôdem reſpondere audivit. Fuit qvi Tupinambarum voces, qvas in itinerario legerat, recitabat, cum ille peregrinas voces regereret, qvas adſtans forte nauta Tupinambicas eſſe intellexit. Recitavit aliqva Græca verba ex oratione Dominica, Thema natalitium. Præfecto navis in ſomno clarâ voce deſignavit prædixitqve morte violentâ obiturum, qvod caput Algol in aſcendente haberet, qvi & poſtea duello periit. Vigilans ille dormire videbatur, nam obtuſi aliqvid & ſtupidi præ ſe ferebat, cum dormiens multo alacrior ac vigilantior videretur. Cum evigilaret, nihil de actis ſuis reminiſci poterat, niſi qvod ex intenſo capitis dolore ipſe judicaret, multis ſe qvæſtionibus & reſponſionibus vexatum fuiſſe. Monſtroſum hoc omninò videtur ac altioris indaginis. Sollicitiſſimus illo loco in cauſis hujus rei indagandis eſt Vayerus. Sed non ſolvit omnes nodos, neqve nos hîc iis recenſendis immorabimur.

29 Ad viam Inſtitutionis in Linguis procedimus. Eam oportet eſſe qvam breviſſimam. Non enim probo illos, qvi multitudine Regularum & Exceptionum
30 onerant animos juveniles. * Verum ego deprehendo, qvod Fichetus in Arcanâ ſuâ Methodo cap. 12. monere voluit: *Unum admoneo in linguis perdiſcendis, quas eruditas vocamus, Hebraicis, Arabicis, Græcis, omiſſis tricis minutarum obſervationum, tribus lectionibus tradenda legendi, declinandi atqve conjugandi principia; quartam, rationem inveſtigandi Thematis ac Radicis: tum ad legendos & interpretandos autores progrediendum & componendum; hoc probavi in viris ingenioſis: pueri diuturniore paulo indigent labore & ſtudio. Vernaculæ porrò linguæ, Italica, Hiſpanica, Germanica, Anglica, uſu & ſimilitudine cum Latina & Gallica percipiuntur, & lectione ac verſionibus, ut vocant, columnis hinc inde oppoſitis. Quanti porrò ſit linguarum peritia, pretio ipſarum ſcientiarum penſitandum eſt & fama doctrinæ.* Pleriqve nunc ita linguas tractant, non ut linguam doceant, ſed ut Grammaticos fa-
31 ciant, qvæ res omnium abſurdiſſima eſt. * Beccherus in ſuo *Opere didactico* magnum ſe compendium docuiſſe nos exiſtimat, qvod viâ derivationis pueros magnam vocabulorum copiam diſcere poſſe oſtenderit; cum ego tamen hoc ut ſupervacuum ſeponendum eſſe exiſtimem. Hoc labore annos ille tranſigit. Hæc ſuâ ſponte in legendis Autoribus occurrent citra ullam memoriæ fatigationem. Pauca ſunt vocabula, qvorum uſus in ſermone civili eſt, cetera qvis curet? Artium ſcilicet &

Opificio-

Opificiorum vocabula, qvæ in ipſâ Româ vix omnes noverunt. Variè in addiſcendis linguis peccatur: qvidam nimium ſuperſtitioſi & operoſi ſunt in regulis & præceptis; qvidam exiguo tempore addiſci poſſe volunt. E qvibus tamen hi ceteris tolerabilius peccant. * Autor Medicinæ Mentis *part. 2. p. 192.* rectè de linguis addi- 32
ſcendis judicat. Etſi ea, qvæ de compoſitione ſermonis dicit, cum moderatione qvâdam intelligenda ſint; è qvo locum paulò prolixiorem adducam, cum hoc argumentum optimè illuſtret. *Tres dantur in qualibet lingua perfectionis gradus. Horum primus eſt linguam tantùm intelligere, non item loqui poſſe, id quod in quâvis linguâ omnium facillimè contingit. Etenim videmus peregrinantes incolas ejus regionis, quam adeunt, multo citius poſſe intelligere, quam eos alloqui. Secundus eſt præter intelligentiam loquentium aut librorum omnia etiam ordinaria ſine hæſitatione poſſe eloqui, & hic gradus priore eſt difficilior. Tertius eſt difficillimus, ut eâdem linguâ de quavis materiâ exactè & quodcunque libuerit, diſſerere, ſcriptumque poſſit componere. Cum itaque ſemper à facillimis ſit exordiendum, non ſatis quis poterit mirari, quare contra manifeſtam rationem vulgò à re difficillimâ, hoc eſt, ab ultimo gradu in puerorum inſtitutione initium fiat. Eſt autem hujus rei ratio in promptu: quia omnes conſuetudine ducimur, non ſanâ ratione, & commiſſos hâc in re errores, utut quis palpârit, vix tamen emendârit. Præceptor quippe hâc ratione ſuperſedere multo labore poteſt, nec aliud facit, quam ut exercitia latinè reddenda diſcipulo proponat, reliqvum quod eſt temporis ipſe in otio transigit, ſudante interim diſcipulo ſibi ſoli relicto, ſeſeque in omnem miſerè torquente formam; ubi è contrario ſecundum methodum à me hîc tradendam diſcipulo parum, præceptori multùm, imò omnis ferè incumbat labor: quâ methodo ſi vulgares uterentur pædagogi, non tàm multos ſimul diſcipulos, ut jam fit, præ nimiò labore poſſent informare. Veruntamen, quia in his ad puerorum utilitatem tantùm eſt reſpiciendum, ultimi autem duo gradus ſeu utilitates in tradendâ quâvis linguâ, videlicet ut ſciamus aut ore aut ſcripto omnia animi ſenſa cum aliis communicare, multo difficilius acquiruntur, nec tantum ſemper, quantum primus gradus, habent uſum, imò ſi vel maximè eos tibi reddideris familiares, temporis tamen tractu, ni exercitium quaſi continuum adſit, abeunt in oblivionem. Acquiritur verò multo facilius primus gradus ſeu utilitas bonos intelligendi autores, continuum ſemper habet uſum, nec adeò oblivioni eſt obnoxius; quin & hoc acquiſito gradu, reliqui duo multo etiam faciliori negotio obtineri poterunt. Neminem ſanè credo exiſtimare, me hic ſanæ rationi contraria tradere, licet conſuetudini quàm maximè adverſetur, me primum ſolum hîc amplecti gradum. Si verò non alius tibi fuerit ſcopus, quam ut puer autores e. g. Latinos quosvis diſcat intelligere, eò eum licebit hâc, quam traditurus ſum, methodo adeò facilè pervenire, ac tàm brevi, ut, licet à decimo aut duodecimo ætatis anno demum fecerit diſcendi initium, id non impediturum ſit, quo minus ſat adhuc temporis ſuperſit ad æque magnos deinceps, ac quivis alius, qui vulgari ducitur viâ, progreſſus faciendos in ſtudiis, nec dicam majores. Etenim hîc non erit neceſſe, ut puer multas Grammatices regulas magno labore ediſcat tædioſiſſimas, & ne quidem benè intellectas, ullamque*

ſyntaxin, quæ tam ſubitò oblivioni ac memoriæ traditur; nec quoque, ſi ita placet, neceſſe erit, ut ulla vocabula technica, quæ monſtra pueris videntur, in rationem veniant: ſed ſola hic poſt neceſſariam lectionem requiretur declinatio & conjugatio cum verborum copiâ. Ne verò hîc denuò multas fingas difficultates, hæ declinationes & conjugationes juxta ordinem tradi ſolitum à puero, ut vulgò fit, memoriæ non ſunt mandandæ, ſed primò tantum ſcripturâ conſignandæ, tùm plurima vocabula, ad ſe in illâ ſcripturâ exercendum, ſæpè ſecundum hunc ordinem varianda erunt; ſi denique ſatis tibi in hiſce exercitatus videbitur, extra ordinem variè interrogando diſcipulum, & quidem vernaculè, efficiendum eſt, ut tandem latinè abſque ullâ hæſitatione reſpondere ſciat, aut vice verſâ, ſi tu latinè quæſiveris, ipſe vernaculè reſpondeat: id quod breviori, ac quis opinatus fuerit, tempore obtinetur. Sono enim ſæpè audito, quia ſic per reſponſionem certi in noſtra imaginatione motus frequenter ſe invicem ſubſeqvuntur, puero adeò, continuatâ aliquantulum hâc repetitione, facilia evadunt, ut, in ipſo præter attentionem rogato, iſti fere motus tandem excitentur, & ita leviſſimo negotio reſpondere ſciat. Sed hoc ipſum, ſi magnâ ideò facilitate, majori certe quam vulgò utilitate efficitur; quandoquidem vocabulorum variationes non occurrunt in libris ſecundum ordinem regularum Grammatices; unde fit, ut pueri grammatico ordini aſſveti ſoleant hîc hærere; id quod in hâc noſtrâ methodo non accidit, quâ turbato quomodo libet ordine æque promptè reſpondere didicerint. Verùm hæc levia ſunt. Maxima tibi fortè videbitur difficultas, unde haurienda ſit vocabulorum copia? Fortè ex Lexico, Janua quadam linguarum, ſimilibusque libris? Verùm, quia multa hîc ſæpe diſcuntur vocabula, quæ tam parum ex uſu ſunt, ut, priusquam aliquando in autorum lectione occurrunt, eorum aliquoties potuerimus oblivisci, colliges facilè hæc magno tædio, exiguoque è contrario fructu perdiſci. Dices fortè, quia is, qui multæ fuerit lectionis, ſuſpicari facilè poteſt, an aliquod occurrens vocabulum multi fuerit uſus nec ne; indicem idcircò multorum vocabulorum ei fore tali percurrendum cautelâ, ut puero ediſcenda ſeligat vocabula, quæ judicarit frequentioris eſſe usûs, reliquis poſthabitis. Conſilium utique bonum, quod etiam, ſi ſequentia addideris, ſuum poterit habere uſum: quin auſim ſpondere tam pauca numero tunc collectum iri vocabula ad multos autores intelligendos ſufficientia, ut ſi primum hæc alicui narraveris, vix tibi hâc in re fidem ſit adhibiturus. Verùm hic communicabo unà cum tota procedendi methodo, quod magis profuerit, ut puer quosvis autores Latinos brevi intelligere diſcat. Sumatur liber, quem aut puer jam tum ſatis in vernaculâ linguâ cognoverit, aut talia continuerit, quibus eum quàm maximè delectari ſciveris; in hujus libri qualibet parte explicandà operam dabis, ut omnia in eo occurrentia vocabula, te continuo rogante, ipſo autem reſpondente, memoriæ mandet: ſecundo, jubeas eadem vocabula omnia ipſum declinare vel conjugare, extra ordinem, ut ſuprà docui, ipſum indeſinenter interrogando: tertio, his peractis, ipſi ipſum explices textum. Non video, quid hic obſtet, quin, ſi vel ſtupidiſſimus fuerit, longè minori opus habeat labore ad interpretationem Latinorum autorum addiſcendam, quam ſi aliquid ex vernaculo in Latinum transferat ſermonem, vel, ut fieri vulgò ſolet, componat. Quanto autem hæc

omnia

omnia ſucceſſu, ſi ſæpe diu continuentur, quantâque porrò fiant utilitate, facilè tibi apparebit, quia hæc ita continuando per totos autorum tractatus plurima vocabula ſæpiſſime repetuntur. Continuato aliquantisper hoc negotio, ſenſus etiam trium quatuorve vocabulorum detectus faciet, ut reliquorum ſenſum facilè divinet. Si tandem multum hoc continuetur exercitium, quæ ratio loquendi apud Latinos ſit conſueta, quæve inuſitata, quidque bonam ſapiat latinitatem & quid non, multaque ejusmodi alia, vel ex ipſo phraſium audito ſono levi negotio dijudicabitur. Memini equidem, me vidiſſe puerum annorum circiter decem, qui duorum annorum ſpatio omnes Latinos autores vulgatos benè intelligendi ſibi habitum compararat, tantùm inde quod varios autores interpretandi conſuetudinem ſibi habuit commendatam: quanquam, ut hoc efficeret, multa ipſi erant imprimenda haudquaquam neceſſaria. Quid itaque hic ſperandum ſit, ipſe judicaveris. Ubi autem eum eò perduxeris, ut libros vulgares Latinos absque ulla difficultate capiat, nec non, ſecundum ea, quæ ſupra dicta ſunt, ardorem in ipſo excitaveris varios evolvendi libros, eos ipſi exhibendo, oſtendet tibi luculenter experientia, quàm incredibiles brevi in linguæ notitiâ progreſſus ſit facturus; adeò ut, ſiquidem é re ſuâ fuerit, ac poſtulaverit neceſſitas, ut ſibi acquirat reliquos duos gradus circa profectionem in eâ linguâ, facili quoq; conatu eò pertingere queat; tum demùm fuerit operæ pretium bonam, ſi placuerit, Grammaticam, nec non aliquem in Latina lingua exercitatiſſimum adhibere, quocum de rebus variis frequenter & doctè ſermones habeat, arreptoque calamo de rebus diverſimodè ſe ſcribendo exercere, aliaque compluria exercitia: hæc ille ſibi acquiret minore difficultate, quàm alii in Scholis, ſed æquali perfectione. Hæc ergo ad benè intelligendum, quæ adminicula, ut imaginatio circa veri & falſi notiones quàm latiſſimè extendatur, quò difficultatem habeat minorem, ſufficiant.

* Proponit etiam *Beccherus* qvædam Grammatices & Syntaxeos compendia, qvæ 33
Praxi Didacticæ ſuæ ſubnectit; ubi ſub typis Declinationum & Conjugationum re-
gularium & irregularium, regularum variarum moleſtiam evitat; qvâ de re etiam
Autor Medicinæ Mentis loco citato. * *Quirinus Kuhlmannus* qvoqve inter 34
ſumma ſua arcana divinitus inſpirata methodum hanc novam Grammaticam refert,
qvæ planè cum Beccherianâ convenit. Ita enim ille in Epiſtola de arte Combinato-
riâ pag. 22. *Si puerum docerem Grammaticam, uno opere cum Declinationibus Con-
jugationibusque docerem illum caſuum, numerorum, temporum, perſonarum applicatio-
nem ſimpliciſſimam ad omnia, hactenus maximos viros latentem.* Sed non latere
etiam alios admirabile hoc ſecretum, ſex annis ante hanc Epiſtolam Kuhlmanni edi-
tam Beccherus in Methodo ſuâ didacticâ oſtendit. * *Mormius* qvoqve in Arca- 35
nis Collegii ſui Roſiani ſingularem in linguarum cognitione informationem memo-
rat p. 68. *Roſius Doctor noſter, condolens ærumnis & impenſis, quas faciunt parentes,
qui filios ſuos Latinis literis imbuendos tradunt; ſudoribus item, quibus juvenes pluri-
bus annis anhelant, unicæ linguæ hujus gratia, tum & adultis, qui propter diuturnitatem
& difficultatem à tanto gentium vinculo arcentur; excogitavit methodum familiariſſi-
mam & facilem, quâ ad ſummum anni ſpatio Latinam linguam intelligere & eloqui*

quilibet

quilibet poſſit, cujuscunq; ſit ſtatus, ætatis & conditionis. Imò ſi quis diligentius incumbat, menſe ſexto re deſideratâ potietur. Regulæ ad id ſunt faciles intellectu, & ita nobiles, ut etiam linguæ cujuslibet vernaculæ rationes & proprietates edoceant. Noſtri vero diſcipuli cum aliis, qui vulgari methodo dant operam, diſputando congredi amant; qui cum hanc methodum ignorent, noſtri vero norint utramq;, ut nil perfectius deſiderari queat, ad ſingula illi obmuteſcunt. Hac etiam methodo omnes aliæ linguæ doceri poſſent, ſi nobis vacaret eam illis accommodare. Regulæ enim illæ ex naturâ omnium linguarum & proportione ſecretâ, quâ omnes inter ſe conferuntur, ſunt erutæ. De hoc arcano librum conſcripſimus, cum tabulis rem ad oculos demonſtrantibus, quem amici in lucem edi ſæpius petunt: verùm hæc temporum malignitas periculum eſt ne ſolidam
36 *literarum culturam minus dignè ſit habitura.* * De linguâ Latinâ intra ſex menſes docendâ *Schenckelius* ille Mnemonices Magiſter ſingularem librum ſcripſit.
37 * Extat qvoqve *Jani Rutgerſii* Epigramma inter Poëmata ejus in Gerhardum Tuningium, qvi ſex menſibus accuratiſſimè linguam Latinam didicerit, unoqve triennio to-
38 tum ſtudiorum curſum abſolverit. * Geinandi qvoqve pueri ſingulare exemplum eſt, de qvo Grotius in Poëmatibus, pag. 196.

Linguas in ipſis doctus incunabulis
Quas poſcit uſus, exuiſti infantiam,
Reptaſti ad artes inde properatus puer,
Et imbibiſti, quicquid eſt ſapientiæ,
Cum lacte primo.

Invidendum eſt elogium, qvod ipſi tribuit p. 184, atqve his verbis concludit:

Inferiora tuis Epinicia ſume tropæis,
Nam qvi digna dares, ipſe, ſed unus, eras,
Artifices naſci tecum non poſſumus omnes:
Hoc eſt Naturæ ſe ſuperantis opus.

39 * Sorellus libro de *Scientia Univerſali*, capite de *perfecta methodo tom. 4. p. 539.* non multum favet methodis illis, qvibus infantes celerem Latinæ linguæ cognitionem acqvirunt, etſi non negat, compendia qvædam adhiberi poſſe. Qvare Montani illam informationem elevare videtur, qvod ipſe Montanus non multum ſe ex eâ fructum habuiſſe qveratur, loco ſupra citato: qvodqve linguæ vernaculæ uſus plus ad vitam civilem conferat. Methodum illam porrò ait potius Ludimagiſtro formando inſer-
40 vire, qvam homini eleganti, & ad vitæ civilis uſum admovendo. * Sed frivolum hoc eſſe judicium qvis non videt? Nam qvod Montanus poſtea in Collegiis corruptam ſibi latinitatem primam puriorem qveritur, hominum indoctorum colloqviis factum eſt. Qvod ſi prudens illa manuductio Parentis ſemper adfuiſſet, & converſatio hominum literatorum, aut ipſe in legendis Autoribus ſedulus fuiſſet, non amiſiſſet illam elegantiorem latinitatem: fuere & alii, qvi plures eodem tempore linguas docere voluerunt, per ſubſidium unius linguæ generalis, cui qvaſi inædificarent ceteras,

cujus

cujus rei autorem nominat aliqvem *des Vallées*. Sed parum ait hoc conſilio effectum fuiſſe. * Fuit & alius *le Maire*, qvi re ipſâ præſtitit, qvod alter ille promiſerat. Informavit 41
enim infantem octo vel novem annorum, ut Hebraicam, Græcam & Latinam mediocriter ſciret. Poterat enim vertere in eas linguas themata propoſita, & libros oblatos in vulgarem linguam transferre. * Proceſſit autem illâ methodo, ut ſi- 42
mul cum lectione Autorum præcepta Grammaticæ traderet, prœmia proponendo pro certo vocabulorum numero, qvæ è lectione memoriæ infixerat. * Improbat 43
hanc docendi linguas methodum ſine ulla ratione Sorellus. Eſt enim illa primæ illi, qvæ per conſuetudinem & converſationem inſtituitur, ſimilis, & poſt illam præcipuo loco habenda. Qvod enim objicit Sorellus, facilè oblivioni tradi poſſe, qvæ hâc ratione docentur, nullius momenti eſt. De eo viderint, qvi informationi præſunt; viderit ipſe puer, & continuo exercitio facultatem illam alat & ſuſtentet. Deinde, qvod ad ceteras artes & ſcientias qvaſi ſtupidus viſus ſit puer, ut idem objicit, non tàm methodo huic, qvàm inhabilitati peculiari tribuendum eſt. Nulla enim cauſa in illâ methodo eſt, qvæ talem effectum producere poſſit. Voluit ille ludum aperire, ſed non paucioribus, qvam 50. Diſcipulis, qvorum ſinguli mille libras Gallicas pro Minervali darent; vel paucioribus etiam, ſi pretium, qvod pro 50. poſceret, ſolverent. Verùm cum nemo inventus ſit, qvi ſummam illam impendere voluerit, irriti hi conatus fuêre.

Illuſtre exemplum ſimilis penè informationis in linguâ Græcâ & Latinâ, ac 44
in præcipuis ejus linguæ Autoribus prælegendis dedit *Tanaquil Faber*, qvi filium ſuum ab anno 10. ad 14. qvo ille immaturâ morte ſibi ereptus, utrâqve linguâ plenè expolivit, ut cum Viris certare poſſet. Edidit Gallicâ lingvâ hanc methodum ſuam exiguô libellô, cui titulus: *Methode pour commencer les humanités Grecques & Latines à Saumur 1672. in 12.* Ipſe in epiſtolâ ad illuſtriſſimum Virum de *Morangy* Conſiliar. Regium de hâc ſuâ methodo teſtatur. *Hoc certè liquido affirmem, intra pauculorum annorum ſpatium ita inſtitui & informari poſſe, ut, qui viâ pervulgatâ deducti fuerint, puerulos dicas, illos autem viros eſſe, & ad ſplendorem literarum natos dejeres.* Eò magis autem prodeſſe hæc methodus aliis poterit, cum non inanem ideam Autor ille exhibuerit, ſed ipſa illa praxi deduxerit, ut eò major fides hiſtoriam recitanti, quam conſilium ſuppeditanti, haberi debeat. Scripſerat ille jam Anno 1652. ad *Claudium Sarravium* epiſtolam, qvâ de pueris humanioribus literis imbuendis agit, qvæ Operi Epiſtolarum Sarraviano additur; ſed tum, cum ille hæc ſcriberet, ejus experimentum nondum in filio fecerat, qvanqvam in Autorum prælectione ſpecimen amicis dederat nondum προπαιδίᾳ neceſſariâ inſtructis. Qvâ de causâ magnâ hujus ſui conſilii fiduciâ ſcribit: *Iam id equidem ſcio perfici poſſe, quam me ſcio vivere.* Optimam in linguis & rebus ipſis informationem in accuratâ veterum Autorum lectione collocat. Dum enim alii altius hoc negotium repetentes πλατωνικώτερα θεωρῦσιν, dum delectum ingeniorum haberi vellent à principibus, qvi non ſunt eâ ſapientiâ inſtructi, aut veterum temporum mores & diſciplinam reduci, aut novos qvosdam cœlo

lapſos Doctores dari, tempus & ætas labitur, atqve iis ſtudiis tenera ingenia mancipari qveritur, qvibus inſulſa barbaries hominum animis implantatur. Sed absqve veterum Autorum lectione Faber ſuos malit liberos opiliones eſſe & merum rus, qvam iis dare literis operam, qvas hodie doceri videmus. In Autorum ergo lectione prima & linguæ utriusqve & philoſophiæ veſtigia ponere jubet, Methodum vero, qvam præſcribit, paucorum ait hominum eſſe & eorum præcipuè, qvi opibus idoneis inſtructi. Conduci peritorum Magiſtrorum operam; & in Scholas fortè induci autoritate Magiſtratus talem methodum poſſe exiſtimat.
45 * Hanc methodum conſilio Viri alicujus illuſtris publicô hoc libellô expoſuit Faber, unde nos pleraqve excerpta hîc dabimus, cum non ſit in omnium manibus, isqve non exiguo multis eſſe uſui poſſit.

Primùm filium ſuum ante decimum ætatis annum non niſi legendo & pingendis literis dare operam voluit; neqve calligraphiam multum qvæſivit, qvoniam illa, ſi à teneris ingeniis affectatur, ſollicitos magis qvam incitatos oſtendat, neglectior verò ſcriptura plus ardoris & Phantaſiæ arguat: Qvo qvidem judicio ab Huarto diſcedit, qvi calligraphiam ad vim imaginationis nimiam referebat, qvam ille à puero abeſſe volebat. Ante ſextum annum fruſtraneam in ſcribendo operam impendi judicat; Primùm, ut legat accurate, curandum eſt.
46 * Decimo anno (Pater autem duodecimo demum anno rudimentis ſtudiorum admotus eſt) Latinæ linguæ elementa ingreſſus eſt, ſtatimqve cum Latinis nominibus Græca qvoqve legere incepit, qvem laborem per qvinqve dies continuavit, ob illas, qvas vocant, in Græcâ lingvâ abbreviaturas. Eum in finem illi magnum Alphabetum Roberti Stephani dedit, unde ſingulis diebus paginam deſcripſit, ac poſtea, cum ab hâc operâ ceſſaret, ſingulis tum hebdomadibus, qvæ ſemel didicerat, repetiit. In Latinâ linguâ ita rem inſtituit. Deſcripſit illi primùm Nomina, Pronomina, Verba, Præpoſitiones, & magnum numerum Adverbiorum, unà cum eorum ſignificationibus, chartâ grandiusculâ in 4to complicatâ. Et ſic ille omnes Grammatices libellos adornari vellet, cum imaginativam puerorum vim & memoriam adjuvent. Paradigmata qvoqve non in alteram lineam, ſi fieri poſſit, trahi volebat. Qvare & Autorum editiones majusculas, grandiore typo impreſſas, minutis illis præfert, ſeqve ex illis citius centum, qvam ex his ſexaginta, verſus memoriæ mandare eodem temporis ſpatio potuiſſe teſtatur.

Ante nomina ipſa clarè & accuratè explicabat rationem Generis, Caſus, Numeri & Declinationis, qvæ repetenda ipſi crebro fuere, ita tamen, ut paucis verbis ad interrogata reſponderet. Damnat enim magiſtrorum morem, qvi multâ ac inordinatâ loqvacitate aures & animos puerorum obtundunt. Idem in Pronominibus & Verbis fecit, atqve ei ſedulo inculcavit, ſi primum verbum accuratè ſciret, etiam reliqva intra 5. dies non ignoraturum, qvod & res ipſa comprobavit. Ne vero, dum Verba tractat, memoriam fugiant Nomina, ſingulis diebus illa, cum cubitum it, ac lecto ſurgit repetenda. Ex omnibus vero Orationis partibus mobilibus nulla difficilior eſt, qvàm Verbum. Ideoqve diutius ſe in his, qvam in Nominibus tenere voluit,

luit, usqve dum accuratè ad has qvæſtiunculas reſponderet: Qvid eſt *audire*? Qvid Gallicè ſignificat? *Audire*, an non pluribus locis reperitur? Qvid *amatum iri* &c. In ſingulis Conjugationibus tria paradigmata dari vult, ut Activum *amo*, Paſſivum *amor*, Deponens *contemplor*. Nam deponentia qvodammodo turbabunt, anteqvam continuo exercitio uſum & differentiam deprehendat. Et hoc qvidem modo plus effici unâ hebdomade poſſe, Faber ait, qvam ab aliis qvatuor menſibus.

Menſe uno & dimidio exacto, ſingulis diebus tres qvatuorve lineas Latinâ lingvâ exhibuit, e. g. *Neque enim datum eſt cuilibet homini, imperare cupiditatibus ſuis, & virtutum Chriſtianarum exempla conſtanter ſequi.* Ex his bene inſtructus reſpondet: *Datum eſt*, eſt præteritum paſſivum neutrum; *cuilibet* eſt dativus ſingularis pronominis compoſiti; & ſic in ceteris: in Verbis numeros, tempora, modos; in nominibus caſus nominavit, etſi Syntaxeos nondum peritus. Objicit hîc ſibi Faber, puerum, qvi vocum ſignificationem non noſſet, in flexionibus illarum hæſitaturum: cui verò ille experientiam contrariam opponit: Hîc enim non agi ait, niſi de terminationibus Nominum & Verborum, qvod accuratè memoria comprehenſurus ſit puer, ſi rectè interrogationes durante illo Declinationum & Conjugationum curſu inſtituantur. Ejusdem rei ſe in Græcâ lingua periculum ait feciſſe: Cum enim eam doceret aliqvando adoleſcentem, perfectè illam didiciſſe, licet ſignificationem ignoraverit: qvæſitum enim, utrum nomen, an verbum; cujus caſus nomen; cujus modi, temporis, verbum ſit, in nullo erraſſe. Idem in Hebræâ, Italicâ, Hiſpanicâ & omnibus linguis fieri poſſe, neqve qvenqvam linguarum informationem hactenus rectè inſtituiſſe exiſtimat.

Interea ne tædium, ut aliqvando fieri ſolet, ſuboriretur puero, fabulas de Diis Deabusqve gentilium narravit, totaqve hebdomade in his narratiunculis detinuit; qvæ ita oblectarunt pueri animum, ut qvatuor integras horas de die interdum impenderit: Qvas poſtridie manè repetens firmiter memoriæ inhæſiſſe Pater comperit: Qvoniam enim ludicra in his multa ſunt, ea per ſe tenacius hæſerunt, ut poſtea Æneida, Metamorphoſium libros, & Iliada prælegenti illa denuò explicanda non fuerint.

In Conjugationibus ſatis exercitato doctrinam Præteritorum è Grammaticâ alterâ Voſſii, qvæ in margine ſignificationes cujusqve verbi cum caſu, qvem regit, adſcriptas habet, propoſuit. Omiſit hîc Compoſita, exceptis iis, qvorum ſignificatio remotior erat; qvod multum temporis & laboris imminuit. Paululum ultra menſem durabat hoc exercitium, & interrogabat puerum ſimul de regimine Verborum, cum de Præteritis & Supinis illum interrogaret, magno ſane emolumento: Nam eâ ratione ne advertens qvidem prolixam & difficilem Grammatices partem didicit, Syntaxin ſcilicet, qvæ vehementer fatigare ſolet puerorum animos. Qvare nec tempus illi peculiare deſtinavit. Et qvoniam magna verborum copia in linguâ Latinâ eſt, qvorum ſignificatio cum Gallica lingua convenit, in his leviter, in ceteris accuratius verſatus eſt. Qvô conſiliô numerum Verborum quarta parte, magno in-

 formatio-

formationis compendio, imminuit. Præterea ſingulis diebus, cum cubitum iret, has interrogatiunculas ſuas repetiit: Qvod ille vehementer ad memoriam exercendam omniaqve firmius illi imprimenda commendat. Miſcebat illis laudes & blandimenta, qvæ animum pueri erigebant, ut ad qvævis ſubeunda promptiſſimus eſſet.

His Grammaticæ rudimentis noluit praxin & ipſam compoſitionem ſubjungere. Abſurdum enim exiſtimat à compoſitione initium in lingua addiſcenda facere. Cum enim tres gradus linguæ conſtituat, primum intelligere, ſecundum componere, tertium loqvi, qvos gradus etiam natura ipſa ſervet; eam nos ſeqvi debere exiſtimat. Qvemadmodum enim ad ædificium exſtruendum materiâ indigemus, ſine qvá nec ipſe Archimedes qvicqvam effecerit: ita verbis eorumqve ſenſu nos primum vult eſſe inſtructos. Ad lectionem ergo puerum ſuum ducit, proponendo ipſi librum, cujus dictio & facilis & perſpicua ſit, materia hiſtorica vel fabuloſa. Ubi uſus illum paululum firmaverit, in vernaculam linguam convertere jubet, qvam primùm ipſi magiſter ſuppeditet puram & ſimplicem, ſine ullis circumlocutionibus, qvæ pueri intellectum turbant. Initium hîc factum parvis lineis, qvæ ſingulis diebus augebantur; taliqve progreſſu plus præſtabatur tribus menſibus, qvàm tribus annis vulgari via; Qvod ſuâ experientiâ didiciſſe Faber fatetur.

Seligi ergo vult primò librum, cujus conſtructio ſit facilis, minimè implicata & figurata, voces & meditationes non abſtruſæ, argumenta fabuloſa vel hiſtorica. Moralibus enim meditationibus fatigari pueros, neqve illis delectari exiſtimat. Phædri fabulas difficiliores pro tironibus habet. Qvoniam verò non ſit talis hiſtoricus, qvi reſpondeat primo puerorum captui, duo vel tria capita hiſtorica è S. *Johanne* ſecundum verſionem vulgatam, qvæ ſummè ſimplex eſt, ut omnis Syrorum & cæterorum Orientalium ſtilus, atqve ideo huic ſcopo maximè conveniens delegit: cum præterea notitiam argumenti è lectione qvatuor Evangeliſtarum in Gallicâ linguâ haberet. Qvæ ſingulis diebus lecta fuerunt (fuere autem pauciſſima) accuratè fuerunt explicata, & veſpertino ac matutino tempore repetita, ſingulisqve novis lectionibus initium ab illa, qvæ præceſſerat, captum fuit. Ita intra qvindecim dies, ſingulis diebus duas minutas in duodecimo paginas prælegendo, tria capita abſolvit.

Hæc inter, ut ad ulteriorem Autorum cognitionem puerum manuduceret, mappas illi Geographicas explicuit, ſine qvibus Hiſtorici intelligi non poſſunt. Hîc primùm docuit ſitum partium principalium, plagarum & ventorum nomina in linguâ Latinâ, hinc partes Europæ antiqvæ, nihil de urbibus, fluviis & montibus monens. Monſtravit promontoria, ſinus, freta & ſimilia. Monſtravit poſtea partes Europæ antiqvæ ſecundum qvatuor plagas. Qværebat de ſitu Hiſpaniæ, Galliæ, Germaniæ, Italiæ. Ubi erraverat, in mappâ errores oſtendebat: Qvi labor adeò benè ſucceſſit, ut in chartâ inani notare ſitus locorum potuerit. Europæ ſubjungebat Aſiam & Africam notando tantùm loca generaliora.

Poſtea

Poſtea Eutropium legendum dedit; & primum qvidem exiguam Epiſtolam ad Imperatorem Valentem, & primam libri periodum: Qvæ, etſi initio difficiliora viſa ſunt, iteratâ lectione & veſpertinâ ac matutinâ repetitione firmas in animo radices egerunt. Interpoſuit his rudem cognitionem mapparum Italiæ, Græciæ & Siciliæ; ut ſciret tantùm præcipuos populos, urbes, fontes, montes &c. Sed repetitâ Eutropii lectione monſtravit Hetruriam & Latium antiqvum Ortelii & circuitum maris Mediterranei, ab Ægypto ad Pontum Euxinum &c. Qvæ tenuis cognitio Geographica vehementer poſtea profuit Hiſtoricos, Homerum, Virgilium explicanti. Hoc inſtitutum, ut ſanè æqvum eſt, mirificè Faber commendat.

Eutropio ſubjunxit Aurelii Victoris libellum de Viris illuſtribus, ejusdem cum Eutropio argumenti, ſed ſtyli cultioris; qvem exiguo tempore abſolvit. Commendat ejus uſum Faber pro adoleſcentibus, ſed ſeriem temporum à magiſtro vult oſtendi, qvo qvisqve tempore vixerit. Laudat ſententiam Scaligeri, qvi minutos illos Hiſtoricos plus utilitatis ad hiſtoriam Reipublicæ, qvàm majores illos, afferre judicavit. Hinc Juſtinum aggreſſus eſt, qvi valde placuit puero ob magnam eventuum varietatem & novitatem argumenti; in qvo ille tres de die paginas editionis Elzevirianæ abſolvit, præteritis locis difficilioribus e. g. de antiqvitate Scytharum & Ægyptiorum, de Sicilia, orationem Mithridatis, qvæ poſtea tamen reaſſumpſit. Adhibitæ fuere ſemper in ſubſidium mappæ Geographicæ. Hanc Juſtini lectionem ter magna cum voluptate abſolvit.

His hactenus ita abſolutis, ad Græcam linguam acceſſit, cujus Grammaticam eâdem ratione, ut antea Latinam, concepit. Habebantur in illa tantum paradigmata ſimplicia Nominum & Verborum, & copia Adverbiorum uſitatorum cum numeris; qvi primò omnium in linguâ aliqvâ addiſci debent: qvod & antea in linguâ Latinâ factum. His enim non rectè apprehenſis, ſemper in Verſionibus ad Dictionaria cum magno diſpendio temporis recurrendum eſt. Addidit exiguum diagramma Præpoſitionum, cum earum regimine & ſignificationibus communioribus, ceteris ad uſum ipſum rejectis: Qvam Præpoſitionum doctrinam eò diligentiùs in lingvâ Græcâ, qvàm Latinâ excolendam vult Faber, qvod majoris in eâ uſus ſit. Solet enim verbum ex hâc vel illâ Præpoſitione compoſitum tres diverſos interdum regere caſus, & diverſas habere ſignificationes. Hoc diagramma ſpatio ſex horarum didicit, ſed ne obliviſceretur, qvotidie repetendum fuit. Docuit hinc Nomina, Pronomina, & primum Verbum vivâ voce, ac relegendo repetere juſſit, usqve dum perfectè ſciret. Ad primæ Conjugationis normam & ceteras flectere docuit, ita, ut ſingulis diebus novam proponeret, ad primam applicando, & per cognitionem, qvam de figurativis habebat, exercendo. Atqve ita methodô facillima ſex Conjugationes ad unam reduci poſſe oſtendebat. Hinc proceſſit ad Verba circumflexa, qvæ non aliâ ratione conjugari monſtravit, qvam ultimum illud Verbum. Excepto enim Indicativo in qvovis Modo, non habere niſi unum tempus, qvod contractionem recipiat. Qvod ut verum eſſe oſtenderet, conjugare juſſit verbum φιλέω ſine contractione, & appli-

care ad verbum *τύπτω*: qvod optimè, etſi primum qvibusdam in locis hæreret, ſucceſſit. Sollicitiſſimus fuit in explicanda proprietate novem *mutarum*, qvæ ſuis converſionibus & mutationibus omne in Etymologia & Conjugatione Græcæ linguæ punctum ferunt. Ad hæc qvoniam pauci attendant, hinc fieri judicat Faber tam paucos eſſe, qvi genium admirabilis hujus linguæ rectè intelligant. Multum etiam in augmentis puerum ſuum exercuit.

Reſtabant jam Verba in *Mi*, qvæ negotium faceſſere videbantur, neqve ſine causâ. Hanc terminationem, ut plures alias, è Scythicâ linguâ deſcendere obſervat Faber; cujus rei veritas è Scholiaſtis, qvi ſuperſint, pateat. Ille hæc Verba à ſextâ Conjugatione deſcendere oſtendit, qvodqve Perfectum, Plusqvamperfectum, Aoriſtus primus & Futurum eâdem ratione conjugentur. Tria ergo tempora reſtant in Indicativo, ſcilicet Præſens, Imperfectum & Aoriſtus ſecundus. Jam Imperfectum & Aoriſtus ſecundus eandem terminationem & flexionem habent. De tribus temporibus non niſi duo ſuperſunt, qvæ facilis ſunt Conjugationis, præterqvam qvod Aoriſti paſſivi Verborum Barytonorum omnem illam difficultatem tollant. Probat hoc exemplo verbi *τίθημι*; non enim niſi figurativam vel terminationem cujuscunqve Aoriſti reſpicere nos jubet. Qvando enim Aoriſt. 2. Paſſiv. ita conjugatur, ἐτύπην, ἐτύπης, ἐτύπη, annon eâdem ratione in primo verbo Anomalo, Aoriſtus 2. Indicativ. conjugatur ἔθην, ἔθης, ἔθη; & in ſecundo verbo ἔστην, ἔστης, ἔστη; & in tertio ἔδων, ἔδως, ἔδω. Nulla hîc mutatio niſi figurativæ. In qvarto ἔφυν, ἔφυς, ἔφυ eadem ratio conjugationis eſt, qvæ in primo; niſi qvod figurativa qvartæ Conjugationis appareat loco figurativæ primi Verbi. Qvæ cum non ita diſtinctè & ſecundum analogiam vulgo doceantur, fruſtra hæc memoriæ inculcari qveritur Faber. Cum hæc memoriâ firmiter teneret filius, in diverſis reduplicationis generibus exercuit; veſpertino ac matutino tempore verba in *Mi* & contracta, omnemqve Grammaticam repetiit, qvæ adeo ad unguem nôrat omnia, ut ſæpè inter luſus cantillando illa profunderet. Oblectabat ſe puer ſono linguæ Græcæ, qvem ille ſvaviorem in hâc, qvàm in Latinâ linguâ jam tum eâ ætate ſentiebat. Qvod pueri judicium miratus Pater, confirmavit ejus ſententiam. Non eſt, inqvit ille, in Græcâ linguâ vel *ſtrat*, vel *crat*, vel *quit*, vel *brant*, vel *trant*, vel *mit*, vel *put*, vel *git*, qvæ terminationes in verbis Latinis occurrunt. Hoc qvoqve utiliter inſtituit Faber, ut filius omnia genera Verborum ſine argumentis conjugaret, qvò maturè diſceret, non eſſe illa ad Verbi tempora noſcenda neceſſaria: Sufficere enim hanc notitiam, qvalis ſit figurativa Futuri & Præteriti. Fecit verò hoc eam ob cauſam, qvod Poëtæ augmenta plerumqve rejiciant, qvorum lectio morari poſtea potuiſſet puerum, Verba ipſi nova fuiſſent viſa, ni ſatis maturè Conjugatione tali huic rei adſueviſſet. Hinc olim Græcis Verbis augmenta defuiſſe Faber exiſtimat.

Magno ducebatur deſiderio legendi Puer Græcos Autores. Pater ut exploraret ejus profectus, librum Græcum impreſſum oſtendit, cujus ne unicam qvidem vocem intellexit, niſi qvod ad has interrogationes: *Eſtne hoc nomen, verbum? quis caſus?*

quod

qvod tempus? mediocriter reſpondit. Interea Ovidii Metamorphôſeon librum, ut fabulis recrearet, oſtendit, ſeqve prælecturum promiſit; poſtqvam Græcum S. Matthæi Evangelium inceperit. Qvâ ſpe ille animatus, in Græcis lectionibus diligentiorem ſe præſtitit. Pater primùm pauca propoſuit, ac Verba difficiliora ad marginem notare juſſit, ſtatimqve Metamorphoſes incepit, qvarum liber primus & ſecundus difficiliores ob argumenti gravitatem illi viſi ſunt. Sed, cum ad illa, qvæ captui ejus accommodatiora erant, accederet, adeò lectione Metamorpheſeon delectari viſus eſt, ut illis abſolutis, novos ſibi Metamorphoſeon libros poſceret. Cui Pater: faciemus ex uno repetendo duos, qvod ipſi ſtatim placuit. Interim Matthæum & Marcum in Græcâ linguâ levi opera percurrit, ſimul Latinæ linguæ fundamenta repetens. Hæc lectio Evangeliſtarum adeò benè ceſſit puero, ut, cum non difficilis viſa ſit, ad alia alacrior redderetur. A Verborum conjugationibus repetendis nunqvam tamen ceſſavit, adeò ut tædium puero è freqventi repetione rerum, qvas optimè noſſet, ſuboriretur. Poſtea S. Lucam, & S. Johannem opinione celeriùs abſolvit.

His abſolutis, Dialectorum doctrinam propoſuit, ita ut ad duas reduceret, Jonicam & Doricam: cum plerumqve horrere hanc doctrinam ſoleant Tirones ob prolixitatem. Sed facilem illam fore promittit, ſi qvis rectè rem inſtituat: Ceteris enim Grammaticis rudimentis cognitis, non multum hanc doctrinam pueros turbaturam judicat. Ut hoc filio ob oculos poneret, declinare juſſit Nomina Græca ſecundum duas Dialectos, & ad marginem Nominis notavit caſus dialecti capaces. Idem in Verbis fecit; atqve hoc exercitium per ſex dies repetendo ſemper continuavit, Nam totum hoc Dialectorum negotium pro nudâ repetitione habet; qvæ varietas non tàm moleſta, qvàm grata puero viſa eſt. Satietatem in omni informatione fugiendam jubet Faber, atqve hoc magnum arcanum commendat, ut varietate tædium fallamus.

Dum his intentus erat puer, aliqvas Æſopi fabulas Græcas interpoſuit, repetitis ſemper Dialectis; Qvarum praxin ut oſtenderet, duo exigua poëmata Græca, alterum de pugnâ murium & ranarum, alterum de Leandri amoribus, explicuit. Fabulas & hiſtorias modô, qvàm potuit, ridiculô expoſuit, ut ei firmiùs in memoriâ hærerent. In Mappâ Helleſpontum ac urbes Seſtum & Abydum oſtendit, ac interea Metamorphoſeon libros levi percurſatione iterum abſolvit. Poſtea Homeri Iliada puero non ſine Autoris elogio, qvod ſemper fecit, propoſuit. * Hîc Faber *παράδοξον*, ſed rem obſervatione digniſſimam, commendat, Homeri lectionem puerili ætati præ ceteris convenire. Provocat ad ſuam experientiam & Virorum illuſtrium exempla. Ipſe anno ætatis 14. Homerum legere incepit, cum annô duodecimô primum Muſæ nomen declinare incepiſſet. Joſephus Scaliger ſtudium Græcæ linguæ in Homero & tribus Tragicis Poëtis incepit. Idem fecere antiqvi Græci: Se tamen ideo à Novo Teſtamento initium feciſſe ait, qvod Communis Grammaticæ lineamenta primùm ſibi ducenda videbantur, anteqvam ad Poëtas accederet, qvæ in antiqvis cum materno lacte imbibebantur. Rationes, qvare Homerum vel Hiſtoricis vel

47

Ora-

Oratoribus præferat, has affert: Proſaicos ſermonum circuitus vaſtiores eſſe pro pueris, multas eſſe in illis inverſiones, trajectiones, hyperbata, verba à ſuo regimine nimis remota, adeò ut, qvanqvam pueri omnem periodi compoſitionem intelligant, hîc tamen ſe expedire neqveant. Multa qvidem in Homero ſublimia, ſed compoſitionem facilem ac perſpicuam, & rationem ejus concipiendi maximè naturæ conformem. His addit alias rationes, non minoris momenti, 1. qvod Homerus qvaſi Commentarii inſtar ſit pro omnibns Poëtis, Oratoribus, Philoſophis, Epicuro excepto. 2. qvod ex illo verum particularum uſum, unde elegantiſſima Helleniſmi pars dependet, diſcere poſſimus, in qvibus regnat Homerus; niſi fortè Herodotum illi jungere velimus. Ejus rei rationem diſcere nos jubet è Rhetore Caſſio Longino. Præterea Puer citius verſus Homeri 50. memoriâ tenebit, qvàm 15. lineas elegantis orationis Proſaicæ. Ac ſi verſus benè memoriæ mandaverit, non facilè animo illi excident: menſuræ enim & numerorum ratio voces ſemper in memoriam revocabit, qvæ ſine labore inſigni puerorum animis ultro ſe ingerit. *Ego*, inqvit Faber, *unâ horâ citius 100. verſus Homeri memoriâ comprehendam ſine hæſitatione, qvam ſex majores periodos Ciceronis, qvin alicubi impingam.* Hanc Homeri Iliada usqve ad 12. librum continuavit, ac interea, ne exercitium Latinum deeſſet, Saluſtium explicuit, in qvo primò bellum Jugurthinum præ Catilinario, nec ſine causâ, placuit.

Duodecimô Iliados librô abſolutô ſatietas puerum ejus ceperat; Ideoqve ſtatim Pater: Qvieſcat ille per qvinqve hebdomadas, poſtea ejus nova cupido inceſſet; ac Phædri fabulas prælegit magnâ cum pueri voluptate. Vehementer delectabatur Legatione Canum ceterisqve fabulis. Et hoc Phædro qvaſi viam illi ſternere voluit ad Terentium; cum in tota Latinitate non ſit Autor, qvi cum Terentio comparari rectiùs poſſit, qvàm Phædrus. Ne Græcam linguam negligeret, primam Ariſtophanis Comœdiam, locis qvibusdam omiſſis, expoſuit.
48 * Hujus lectionis magnam voluptatem cepit puer, ut ſemper illam repoſceret, cumqve in eâ eſſet, ſibi in theatro inter hiſtriones verſari videretur. Comœdiæ, Ludiones, Hiſtriones mirificè acuunt puerorum ingenium, multasqve ideas amœnas phantaſiæ ſiſtunt. Non tollendæ à ſtudiis ſunt amœnitates, alioqvin ipſe eorum amor peribit.

Jam libros Æneidos Virgilianæ illi oſtendit, argumenta ſingulorum librorum ſtrictim priùs enarrans, & in mappa Geographica Æneæ iter oſtendens. Adjunxit etiam mappam Italiæ antiqvæ, repetiitqve Eutropium & Victorem usqve ad Tiberium, qvoniam nominum multorum 6. Æneidos mentio recurrit. Qvæ cum qvaſi per ludum jocumqve fierent, & Ariſtophanis Fabula Plutus abſoluta, Fabulam Nubes incepit, omnemqve Theatri veteris faciem illi ante oculos poſuit.
49 * Hinc ad Virgilii Æneida acceſſit, qvæ puero longè difficilior Iliade viſa eſt; nam verſus Homerici fluere ipſi naturali qvâdam facilitate præ Virgilianis videbantur. Qvod pueri judicium Pater miratus, exhortabatur tamen illum ad lectionem Virgilianæ Æneidos, cujus verſus duriores tantùm ob duritiem linguæ Latinæ viderentur. In prælectione ipsâ ſe notaturum loca promiſit, qvæ magis minusve placerent, unde poſtea

ipſe

ipſe judicium formaret, qvare Virgilius difficilior videretur. Poſt lectam Ariſtophanis Comœdiam Nomina & Verba Græca ſecundum Dialectos repetiit: Qvâ repetitione ſemper opus eſſe ait, ne memoriâ excidant, qvæ ſemel didicimus. Interea Iliada Homeri ad librum vigeſimum ſine ullâ notabili difficultate continuavit.

Varietatis gratiâ Terentii Fabulas his ſubjunxit, omiſſis Prologis, qvi difficiliores ſunt; & pauliſper ſepoſitis Græcis Autoribus, ut adeò brevi temporis ſpatio abſolverit Terentium & Amphitruonem Plauti: ex qvâ unâ Comœdiâ plus ſe voluptatis, qvam ex omnibus Terentii, accepiſſe ajebat. Brevem qvoqve Chronologiam à Trojæ expugnatione ad finem Imperii Tiberiani in ejus uſum delineavit, unde qvæſtiunculas minutas ad Eutropium & Juſtinum ipſe formavit, Paterqve illi propoſuit: e. g. *Quot anni intercedunt inter Darium & pugnam Marathonicam, usque ad natum Chriſtum? Quot à pugna navali Salaminiâ ad Alexandrum? Quot ab Epaminonda ad Jul. Cæſarem?* Præ ceteris memoriam illi fixam eſſe voluit in ſexta Olympiade & Urbe condita, primo, ſecundo, tertio bello Punico, tribus magnis bellis Civilibus, Nativitate Chriſti. Propoſuit ſeriem Regum Perſicorum & Ægyptiorum, cujus magnum in Hiſtoria uſum eſſe ait.

Voluit his ſubnectere Livii Hiſtoriam, qvem in finem illi oſtendit Chartam 50
Urbis Romæ à Pyrrho Ligorio delineatam; ſed autorem hunc difficiliorem pro pue-
ris deprehendit: Periodos enim habere longiores, qvam ut duabus abſolvi reſpiratio-
nibus poſſint; qvarum ſe non exiguum numerum notaſſe ait, & gigantes præ ceteris
periodis nominat. Qvare poſt abſolutum tertium primæ decadis librum, hoc Autore
relicto, ad Iliada Homeri ſe recepit, qvam puer expeditiſſimè ſine ullâ remorâ intelli-
gere potuit. In tota hac informandi ratione facetias & ridicula qvædam inſperſit,
qvod optimum ille deprehendit, pro tædiô evitandô, animô alacri conſervandô, &
memoria firmanda. Verùm, cum in eo eſſet, ut Iliada repeteret, & qvatuor ultimos
Æneidos libros, qvi faciliores viſi ſunt, abſolveret, immaturo obitu circa finem anni
14. patri ereptus elegantiſſimus puer fuit; * cujus jacturam filia, qvam reliqvit T. 51
Faber, doctiſſima, Commentariis in bonos Autores editis celebris, ſupplevit. Pater
verò hoc filio affectûs ſui & præclaræ indolis monumentum extare voluit, qvod
exemplo etiam aliis eſſe poſſit. * Ac ſanè memorabile eſt, puerum 14. annorum 52
bis abſolviſſe Iliada, Æneida Virgilii, Terentium, Metamorphoſes Ovidii, Saluſtium,
primam Comœdiam Plauti, primam & ſecundam Ariſtophanis, tres primos libros
Livii, præter Eutropium, Aurelium Victorem, Juſtinum, Fabulas Æſopi, qvinqve li-
bros Novi Teſtamenti. Qvid non his fundamentis ſuperſtrui potuiſſet usqve ad
annum ætatis vigeſimum? Qvare miſeram bonæ juventutis ſortem deplorat Faber,
qvæ ineptorum magiſtrorum culpa plerumqve perditur, beſtias potius qvam homines
diſciplina ſua efficientium. Primùm Magiſtrum reqvirit doctum; neqve id tan-
tùm, ſed & qvi paterno affectu amet diſcipulum, omniaqve accùratè exigat, procul
ab omni faſtu, tœdio, iracundia, qvæ omnia corrumpunt, remotus, non plagoſus, non

moleſtus, ſed patientiſſimus, & humanitate pueros & qvaſi qvibusdam deliciis in officio retinens.

Mihi ab hoc loco non alienum viſum eſt, ſi inſigne hoc ſpecimen, qvod feliciter in rem ipſam deductum eſt, fuſiùs hîc exponerem: nam qvi conſilia ſcholaſtica aliàs ſuppeditant, magno ſe offerunt numero. Sed intra ideam pleriqve ſubſiſtunt.
53 Hîc vivo exemplo plus docetur. * Non miror præſtare hoc in puero decenni Patrem potuiſſe, & credo ſane, vel citius hoc fieri potuiſſe. Benè ſucceſſit illa informatio, qvia Pater fuit, qvi ſeriò atqve ex animo omnia egit, qvi ipſum urgere continuis exhortationibus potuit, qvalem operam à conductis magiſtris nunqvam exſpe-
54 ctes. Unus fuit, atqve in unum omnem ſuam induſtriam convertit. * In Methodo nihil magnoperè deſidero, niſi qvod omnem ab hac ætate praxin in componendo ſermone ceſſare voluit, cujus leve exercitium, & velut προγύμνασμα, tàm in proſa qvàm in ligata, inſtituendum arbitror. Pro lectione prima vulgatæ verſionis Latinæ Biblicæ ego elegiſſem minuta qvædam Colloqvia, qvalia à multis ſcripta habemus: Eſt enim Vulgatæ dictio qvodammodo à genio emendatæ latinitatis alienior.
55 * Poëtarum lectionem ceteris Autoribus præferendam non improbo, qvin potius multis ex cauſis ſuadeo, præcipuè qvod animus ſublimiore qvodam ſpiritu excitetur, & numeroſo dicendi generi maturè adſueſcat, & concinnitati ſermonis hæc lectio viam
56 ſternat. * Velim tamen à ſermone ſoluto enthymematico & periodico non omnino arceri tironem. Non parum in illo ſitum eſt, ut maturè conſecutionem periodicam per particulas cauſales, conditionales, exceptivas, adverſativas &c. cognoſcat. In qvem uſum breviores Epiſtolas Ciceronis, & maxime familiares ſelegit *Sturmius*, item ſententias ſecundum diverſitatem periodorum ordinatas. Alia eſt ſermonis in Hiſtoria ordinatio, qvi perpetuâ narratione, & qvaſi per membra fuſius
57 decurrit. * Neqve ego gnomas morales breves & alicujus momenti in hoc primô ſtudiorum curriculô damnaverim. Hærent animo earum rerum ideæ, etſi non ſatis illa ætate intellectæ. Deinde pro Juſtino, qvanqvam in hiſtoria elegans compendium præſtat, malim alium aureæ ætatis Scriptorem, Cornelium Nepotem. Sat
58 maturè hiſtoria diſcitur. * Ad ſtyli formationem major opera inſumenda eſt. Habet illa Romana aureæ ætatis dictio aliqvid ſingulare in vocum delectu, poſitu, concinnitate, ſignificatione phraſium, cum alii Autores à Romanâ illâ puritate multum diſcedant. Et me qvidem judice præſtat è lectione optimæ dictionis prima ducere lineamenta ſermonis, qvàm è variarum ætatum miſturâ pravo illum ſucco imbuere, non facilè poſtea eluendo. Hærent animo ac recurrunt primi illi Autorum circuitus, formulæ, particularum nexus, ac poſtea non animadvertentibus ſe ingerunt. Faber verò, ut videtur, literatorem potius è filio, qvàm Oratorem ad puræ antiqvitatis guſtum, formare voluit. Ac videmus ſanè plerisqve Criticis, qvò doctiores illi ſunt, ineſſe peculiarem aliqvam dictionis ideam, qvam non è genio Claſſicorum Autorum, ſed eorum, in qvorum lectione freqventes ſunt, vel à qvorum lectione recentes venerunt, ipſi ſibi formant. Nimirum ſi in Eloqventiâ formandâ, qvod fieri

primâ

primâ debet ætate, à Cicerone paucisqve aliis diſceſſeris, turbabuntur omnia. * Qvare 59
nec Plauti fabulas miſcerem cum ceteris illâ ætate, qvod fecit Faber, etſi puero illæ præ Terentianis placuere, cum à civili & uſitato ſermone longiùs diſcedat ejus dictio, neqve pueri ſatis diſtinguere Comici ac ridiculi ſermonis ideam norint, qvam præ ceteris affectavit Plautus; ne qvid de Archaiſmis & confictis phraſibus dicam. Qvanqvam enim optimæ notæ latinitas in illo ſit, magno tamen cum judicio, cujus capax tenera ætas nondum eſt, legi debet. Si ſermonem purum & aureum velis, omne ſubæratum removeas neceſſe eſt, usqve dum maturioris ætatis uſuqve firmatæ judicio ſeqviorum ætatum ſcripta ſecurè tractari poſſint. Præterea labore continuo tenerum pueri ingenium nimis obrutum videtur, qvod ipſi exitio fuiſſe crediderim. Etſi enim omnia per ludum jocumqve agantur, tamen cum ſemper in cogitationibus imperatis detinetur animus puerilis, labefactare teneros ſpiritus illa aſſiduitas cum violentiâ qvâdam conjuncta videtur; qvi ex intervallo, qvo ſibi relinqvuntur, majores impetus reſumunt.

CAP. X.
DE CURRICULO SCHOLASTICO.

§.1. *IN privata inſtitutione nonnunquam felicior via, 2. in ſcholis publicis ſecurior illa eſt. 3. Præcocium ingeniorum privatâ informatione educatorum ſcopuli. 4. Philautia ſcilicet, 5. & voluptates. 6. cur communi potius viâ cum aliis incedendum ſit. 7. Scholaſticæ informationi magna cura à magiſtratu debet impendi. 8. Defectus in illo. 9. Maximè in ingeniorum cenſura. 10. Curriculi ſcholaſtici tempora varia. 11. Ramus nimis anguſtum conſtituit. 12. Michaëlis Neandri conſilium enarratur. 13. & de eo judicium interponitur. 14. 16. Jeremiæ Hölzlini Hexaëtia ſcholica recenſentur. 15. & in uno malè ſentire oſtenditur. 17. ejus conſilium privatæ informationi aptius videtur. 18. 20. Sturmii Methodus ſcholaſtica proponitur & laudatur. 19. breves & argutas ſtyli ſententias is rectè improbat. 21. Ejusdem Sturmii epiſtolæ claſſicæ plenius hanc deducunt. 22. Cum quâ conſpirat Caſeliana. 23. quæ methodus proponitur. 24. qua Logices ſtudium ad Academias rejicitur. 25. Nicod. Friſchlini conſilium 6 annos præſcribit. 26. Caſpar Scioppius quatuor. 27. id quod, præſertim in pueris, vix procedit. 28. Wolffgangi Ratichii methodus non omninò improbanda. 29. quæ recenſetur. 30. & contra objectiones defenditur. 31. Latinitas è Januis ac Portulis malè formatur. 32. quæ nec emendatæ in ſcholis admittendæ ſunt. 33. Vogelii Ephemerides linguæ Latinæ rejiciuntur. 34. Clenardi ſingularis quædam methodus exponitur. 35. feſtiva ejus docendi ratio deſcribitur. 35. 36. ejusd. epiſtolæ utiliſſimæ. 37. ad grammaticam informationem prudentia opus eſt. 38. Rhenii labores ſcholaſtici utiles. 39. Beccheri methodus in puerorum informatione primâ non ſuadenda. 40. Conſultius medium indicatur, 41. Wendelini inſtitutum. 42. Beccheriana praxis inſufficiens*

ciens. 43. Mechovii curriculum ſcholaſticum laudatur. 44. Anteſcholanorum informatio. 45. Scholaſticorum inſtitutio. 46. Lenta ad Academias feſtinatio ſuadetur. 47. Uberior docendi methodus è libris deſuper ſcriptis inveſtiganda. 48. Monita quædam compendio proponuntur.

1 IN privatâ inſtitutione feliciùs qvidem citiusqve omnia procedunt ad præcocem
aliqvam maturitatem; qvemadmodum arbores, qvas ſingulari curâ ab aëris in-
juriâ cuſtodiri ac curare culturâ noſtrâ ſolemus, ceteras, qvæ è communi fundo
2 ſuccum trahunt, tempore vincunt. * Sed ſecurior in ſcholis benè inſtitutis
via eſt, in qvibus etſi tardiores ſint progreſſus, firmiora tamen illic ponuntur veſtigia,
& cum ipſo judicio practico, qvod cum annis accreſcit, qvaſi ſolidatur doctrina.
3 * Rara eſt præcocium ingeniorum felicitas, geminiqve ſcopuli ſunt, ad qvos naufra-
gium facere ſolent, capitales ſcilicet animi corporisqve peſtes: illa philautia; hæc
4 voluptates. * Debet cupidine laudis accendi animus puerilis; ſed oritur hinc
qvædam primùm ambitio, qvæ extinguenda non eſt, niſi à curſu ipſo revocare pro-
perantes velimus. Sed ſuccedit hinc contemptus aliorum, qvos infra ſe poſitos vi-
dent, & vana qvædam perſuaſio, qva ſe plus præſtare poſſe, qvàm per ætatem licet,
exiſtimant. Linguis, hiſtoriis, ſcientiis ad miraculum excoli multi poſſunt, judicio
tamen practico, qvod demum ab annis & uſu venit, deſtituuntur. Hinc fit, ut ſibi
ſapere contenti ſeniorum monita negligant, neqve fructum ex converſatione eruditâ,
5 qvi maximus eſt, reportent. * Ab alterâ parte voluptatum ſtimuli illos ſollici-
tant, ad qvas eò ingenioſiores, qvò doctiores ſunt, unde facilè in ignaviam & ſocor-
diam prolapſi, à priſtinâ illâ virtute degenerare videntur, ut à teſtudinibus ſæpe ipſæ
Aqvilæ vincantur. Qvi in his vel per naturæ ductum modum tenere norunt, aut
prudentis magiſtri monita ſeqvuntur, illi ad maxima eluctari poſſunt.

6 Verum cum paucorum tantùm, qvos æqvus amavit Jupiter, illa fortuna ſit,
communi potius viâ ad ſtudia cum aliis contendamus. Nam & in ſocietate puerili
& juvenili ſemina qvædam ſparguntur officiorum civilium, qvorum in Republicâ
olim uſus erit. Qvis non hîc præcepta ſuppeditavit? Qvis non novam aliqvam me-
thodum confinxit? aut potius in devia abduxit: Nam non tam multis ducibus, qvàm
7 peritis & prudentibus, hic utendum eſt. * Qvemadmodum verò, ut Respubli-
cæ perennes ſint, vel prudente Legislatore formari debent, vel ſalutaribus legibus con-
ſervari; ita in Scholâ inſtituendâ optimis peritiſſimisqve Cenſoribus opus eſt. Non
ſufficit, idoneos admovere juventuti Magiſtros, ſed conſtitui debent, qvi totius rei
8 ſcholaſticæ curam habeant, idonei Ephori; in qvibus plerumqve peccatur: * So-
let enim hæc cura Sacri Ordinis Viris demandari, qvi non omnes æqve iis ſunt do-
ctrinis exculti, ut de re ſcholaſticâ rectè ſtatuere poſſint. Etſi enim pietatis præci-
pua qvidem ratio habenda eſt, tamen & lingvæ, & artes, qvæ in Scholis tractari de-
9 bent, non minori curâ excolendæ ſunt. * De Cenſurâ ingeniorum nihil dicam:
vix enim à noſtri ſeculi moribus impetrari illa poteſt: qvanqvam multæ ſunt Viro-
rum

rum graviſſimorum de hoc defectu qverelæ, multorum deſideriis illud qværatur. Videatur Calixtus Oratione *de rectâ juventutis inſtitutione & Præceptorum officio*, Mechovius *Hermath. tract. 1. cap. 3. n. 13.* Legi qvoqve eâ de re poteſt Jeremias Höltzlin, Holſatus, (*b*) doctiſſimus ille Apollonii Commentator, in eleganti diſſertatione, cui titulus, *Hexaëtica Scholica*, Dörtmündæ Ann. 1625. impreſſa, ubi curam hanc Republica dignam eſſe oſtendit, & emendationem Scholarum feriò optat,

Curriculum Scholaſticum non æqvis intervallis definitur. Ac ſunt ſanè ejus 10
laxiores & ampliores termini conſtituendi, qvoniam ingeniorum non eſt æqvalis conditio. Tempora ergo ita ponenda ſunt, ut tardiora ingenia cum ceteris eodem ſtadio ad metam pertingere poſſint. Sunt, qvi nimis ampla ſpatia; ſunt qvi brevia nimis & anguſta præſcribunt. * Ramus, Freigio teſte, Philoſophiam cum Elo- 11
qventia ita conjungendam cenſuit, ut cum puerum ſeptimo anno acceperit, anno decimo qvinto ætatis perfectus Philoſophus ſit, & jam aptus ad Rempublicam: Qvod nec privatâ nec publicâ informatione effici poteſt. Etſi enim id ſcientiis addiſcendis tempus ſufficere videatur in ingenio excellentiore, non erit tamen ad Rempublicam & publicam functionem aptus, judicio practico, qvod in illam ætatem non cadit, deſtitutus, niſi forte in ſpeciem & pompam aliqva ſuſcipiantur. Qvod ſi enim moralis & civilis doctrinæ non eſt idoneus auditor Juvenis, è ſententia Ariſtotelis, qvomodo ille in vita exercebit?

Michael Neander, Vir doctiſſimus, & multæ in informanda juventute 12
ἐμπειρίας, Germanicâ linguâ *conſilium de informandâ juventute* edidit, Islebi Anno 1583. in octavo editum, in qvo ille monſtrat, qvomodo puer à ſexto ætatis anno ad 18. pietate, lingva Latina, Græca, Hebraica, Artibus & universâ Philoſophia inſtitui poſſit. A ſextô annô usqve ad initium noni puerum exerceri vult legendo in utraqve lingva, Germanica & Latina: cui uſui adhibendum ſuadet Compendium Grammaticæ Philippi, ut ſimul cum literis ejus libri uſum familiarem ſibi faciat. Annô nonô ad Compendium Grammatices & regularum ac exemplorum explicationem manuduci, in vocabulis ſententiisqve brevibus de virtutibus & moribus, dictis ſcripturæ, ediſcendis exerceri vult, interjectis aliqvot pro Muſica & Calligraphia horis. Decimô annô Melanchtonis Grammaticam parvam unà cum Syntaxi puero explicat, in Declinationibus, Conjugationibus, formationibus, caſuum, temporum, per continuas interrogationes ac reſponſiones exercet, expoſitionem locutionum Latinarum & formularum orditur, qvas è Cicerone, Plauto & Terentio in hunc uſum collegit, qvibus erudita lingua Latina, adeoqve omnia argumenta, de qvibus in communi ho-

(*b*) Jeremias Höltzlinus (qvi Alumnorum initio in Acad. Altorfina Noricorum fuit Ephorus, hinc Gymn. Ambergenſis Conrector, Hammonenſis autem, & Scholæ poſtea in Batavia Brielanæ, Rector, tandem vero Linguæ Græcæ Profeſſioni Leidæ An. 1632. admotus, illic An. 1641. deceſſit) patriam agnovit, non Holſatiam, uti *h. l.* traditur, ſed Civitatem Noribergenſem. V. Ant. Thyſii *Or. Fun.*, illi habitam, Franc. Martinii *Epiſtolas p. 31.*, & Wittenii *T. I. Diar. Biogr.*, *ad An.* 1641.

minum vita ſermo inſtitui ſolet, non ſpernendo invento continentur, ac ſeorſim à
Neandro editæ ſunt: atqve ex iis, ubi memoriæ mandavit, Themata pro verſione
proponit. E Grammatica & Nomenclatore repetitiones crebras inſtituit, & hanc
telam undecimo qvoqve anno pertexit: Duodecimô annô Autores Latinos, Cicero-
nem, Terentium, Virgilium, Ovidium illi exponit, hinc phraſium ſententiarumqve
excerpta colligere jubet, & ad Proſodiam & verſus ſcribendos manuducit. Tribus
ſeqventibus annis Græcæ lingvæ rudimenta & Autores prioribus jungit, eâdem ferè
methodo procedendo, ut in lingva Latina: Cui fini etiam locutiones Græcas eodem
qvoqve ordine, ſecundum tria cauſarum genera, ut in lingva Latina, collegit, alium-
qve libellum de re poëtica Græcorum, ad exercitationes poëticas in Græca lingva in-
ſtituendas edidit. Anno 16. Hebrææ linguæ rudimenta ſuperioribus addit, & de-
mum 17. & 18. anno per Dialectices, Rhetorices, Phyſices, Chronologiæ, Ethices,
Geographiæ compendia circumducit, atqve ita ad Academias illum ſuum diſcipulum
13 ablegat. * Qvâ in methodo tempora, qvæ ſtudio Grammatico impenduntur,
nimis protrahuntur, anteqvam ad lectionem Autorum admittatur puer; nam ex uſu
& lectione ſuppleri defectus Grammatices majori cum fructu poſſunt. Deinde in
exercitationibus Rhetoricis parcior eſt, qvam velim: cui plus ego temporis impen-
dendum exiſtimaverim.

14 Jeremias Holtzlin, cujus ſuprà mentio facta eſt, curriculum paululum
anguſtius diſcipulo ſuo definivit, ſex ſcilicet annos, à ſeptimô ætatis annô usqve ad
decimum tertium, unde & *Hexaëtia Scholica* inſcripſit. Ac qvoniam tota infor-
matio tribus actibus continetur, qvorum primo via ad Grammaticam munitur; ſe-
cundo ipſa Grammatica cum orationis illius Autoribus traditur; tertio his Græci ſer-
monis, nec non Dialecticæ & Rhetorices ſtudium adjungitur; idcircò de his ipſis
ordine agit, præmittens tres qvaſi canones generales, qvorum primus eſt, in tradendis
artibus progreſſum eſſe inſtituendum à facilioribus & notioribus, ita ut ſemper prio-
ra poſterioribus facem præferant: Secundus eſt, Plus diligentiæ & temporis confe-
rendum ad finem, qvam ad ea, qvæ ad finem: Tertius, cum finis ſit menſura eo-
rum, qvæ ad finem, qvicqvid ad eum non pertinet, omittendum eſſe. Poſterius
verò cum priore comparatum ſemper finis rationem induere, atqve ita non ſolùm ar-
tes totas alias aliis eſſe ὑπηρετικὰς, ut tradidit Ariſtoteles, ſed artium etiam partes
alias aliis inſervire, & proinde alias qvodammodo ὑπηρετεῖν, alias ἀρχιτεκτονικὰς
eſſe. Primùm ergo hic diligentiam in ſyllabis rectè colligendis impendi, ac ſimul
ad pingendas literas pueros manuduci vult: Calligraphiam enim vehementer laudat.
Grammaticam ſuccinctam & ſemitariam adhibendam primùm judicat, & abſtinen-
dum à Grammaticis definitionibus & regulis intricatioribus, qvarum ſenſum non
capiunt pueri; rem ipſam qvàm ſimpliciſſimè proponendam; Latina, qvæ non in-
telligant pueri, non diſcenda, nec ipſa qvidem præcepta Grammatica, nec Syntaxin,
cujus regulæ per numeros diſtinctæ. Verſionis materiam ex probato Autore pro
exemplo regulis applicandam ſuadet. His jam præmunitis ad ipſam Grammaticam,
qvi

qvi ſecundus totius πραγματείας actus eſt, progreditur: in qvâ tamen nimis ſcrupuloſum tironem ſuum eſſe vetat; ita ut ex uſu potius & lectione ſibi Grammaticas obſervationes formet; qvam è Grammaticis Autores explicet. *Utile*, inqvit, *eſt*, *ſibi Grammaticam coagmentare hunc in modum. Prima illa rudimenta jam apprehenſa in libro hos ad uſus qvæſito per intervalla & late diducantur; tituli exceptionum, heteroclitarum, ellipſeon, figurarum, ordinibus à magiſtro monſtratis diſponantur, & poſtea depromptis ex autore ad declarandum ſumpto exemplis compleantur. Qvod ubi fiet, multo minore cum tædio ars iſta à qvocunqve non tam diſcetur, qvam invenietur, & perbrevi temporis ſpatio res Grammatica felicius parabitur, & firmius tenebitur; ejusqve fructus cumulatior ipſo in opere capietur. Nec adeò refert omnia ibi exempla, aut aliqva reponat: qvod è nonnullis poſitis reliqva facilè poſſint æſtimari.* Phraſeologias ab aliis concinnatas non multùm ad uſum puerorum commendat, utut bonas, & à Viris doctis congeſtas. Cum enim formulæ & phraſes illic infinitæ ponantur, qvæ tamen plerumqve κατά τι dicuntur, & conſideratione ſeu σχέσει certâ; non poſſe à pueris earum uſum dijudicari. Qvare phraſes & formulas ex iis, qvos legit Autoribus colligendas potius ſuadet, qvàm ut alieno labore collectis utatur.
* In qvibus Autoribus Plautum Ciceroni prætuliſſe miror, nam Rami erroribus etiam 15
hâc in re male adſtipulatur, ac planè ineptè judicat, cum Ciceronis qvàm Plauti ſcripta faciliore cum latinitatis jactura aboleri poſſe exiſtimat. Neqve enim latinitas tàm è vocabulis, qvorum amplior ſeges in Plauto eſt, qvam ex decente illo & civili cultu cenſenda. Cum hoc labore aliqvid Ovidiani carminis jungendum eſſe exiſtimat. * Tertiò actu, qvi Græcæ linguæ & Dialectices Rhetoricesqve cognitione 16
illi abſolvitur, ſimiliter Græcam Grammaticam rudem & inchoatam primùm reqvirit, qvam altera excipit poſtea plenior. Eam duplicem qvoqve ille habet, unam proſaicam, alteram metricam. Illa communem linguam tradet; hæc dialectos, qvibus poëtæ utuntur, de qvibus multa immiſcet erudita: Fuit enim Græcæ literaturæ peritiſſimus, ut Commentario in Apollonium oſtendit. Qvæ de Dialecticis porro apud illum habentur, Rami Scholam ſapiunt, cujus ille partibus addictior fuit. In Rhetoricis variationem per figuras & Aphthoniana progymnaſmata commendat; atqve ita diſcipulum ſuum anno decimo tertio ad ἐγκυκλοπαιδείαν totam aliasqve ſcientias ablegat.

Verùm præſtat, ut jam ante dixi, in Scholis publicis non tam breve ſpatium 17
præſtituere, qvò pertingere omnes ſcopum ſibi præfixum poſſint: Nam Höltzlini conſilium privatæ, qvam publicæ informationi, aptius videtur. * In tota hâc 18
Scholarum Oeconomiâ adornandâ miram induſtriam, ut jam ſuprà diximus, JOHANNES STURMIUS oſtendit, cujus conſiliis pleræqve per Germaniam Scholæ inſtitutæ. Scripſit is primo librum de *Ludo literario rectè aperiendo*, qvo generatim de re ſcholaſticâ egit, & in certos ordines labores ſcholaſticos diſtinguit. Incipit à poſtremo ordine, qvi ipſi nonus eſt. Ad illum ſub qvintum ſextumve annum duci jubet puerulum, ut legere ſcribereqve diſcat, breviore Catechiſmo, flexionibus nominum &

ver-

verborum exerceatur, & breviores Ciceronis Epiſtolas, ad Terentiam & Tironem, exponere incipiat. Qvod unô annô melioris ingenii puerum abſolvere poſſe exiſtimat: de qvo tamen ego dubitaverim. In ordine octavo, anno ſcilicet ſeptimo, primis ſex menſibus tradit duabus qvotidie horis Grammaticam breviorem, & reliqvum temporis duas itidem horas, Eclogis Virgilii & Epiſtolis Ciceronis tribuit. Diſſolvere jubet Epiſtolas, flectere ac variare verba ſingula, eaqve rurſus conjungere. Rationem conſtruendæ orationis in poſteriores ſex menſes differt, jungendo Epiſtolas Ciceronis & Virgilii Eclogas, ut alternatim hæ tractentur, & qvatuor horæ lectionibus de die impendantur. Proponere tum Magiſtrum jubet ſententias germanicâ linguâ, qvas puer formis Latinis commutet: carminum qvoqve modulationem, ſed exercitio potius qvam regulis, ſuſcipiendam ſuadet. In ſeptimô ordine annô octavô & ſingula prioris anni acta ſemper repetenda, & verſuum modos & ſyllabarum qvantitates perdiſcendas monet; cui una de die hora ſufficerit. Ciceronis libris *de Amicitiâ & ſenectute* aliam horam tribuit. Tertiam Æneidi Virgilianæ, vel Catullianis & Tibullianis carminibus caſtioribus in hunc uſum ſelectis. Qvartam horam ſtylo, propoſitis ex explicatis Ciceronis locis thematibus, & verſibus in ordinem redigendis aſſignat. Interim & memoriam exercere, & ſemel memoriæ mandata repetere jubet. Atqve ita tribus annis conſeqvi poſſe putat puerum, ut Latinæ atqve dilucidæ orationis præcepta teneat. In ſexto ordine, annô ſcilicet nonô vel decimô præcepta primùm in memoriam revocanda, qvàm tradenda nova. Hîc horam unam deſtinat Æneidos & Catullianorum Horatianorumqve carminum lectioni; ſecundam explicationi inſignium locorum communium, argumentationum, periodorum benè ordinatarum, figuratorum exemplorum, è Cicerone depromptorum, qvæ memo-
19 riæ etiam mandanda, & ad imitationem proponenda, tribuit. * Nam breves illas & argutas ſententias ideò damnat, qvod memoriam vaſtent, aciem ſtyli diſtrahant, ſæpèqve illæ ineptè ſcriptis interponantur. Qvod ſapienter ſanè ab illo mo-
20 nitum eſt. * Ex Terentio poſtea & Plauto, interpoſitâ his Cæſaris hiſtoriâ, qvi qvotidiani ſermonis verbis hiſtoriam conſcribere maluit, qvædam proponit. Tertiâ horâ iterare jubet, & ad ſtylum accommodare, qvod eſt utilius; ſive in proſâ, ſive in carmine hoc fiat. Qvartam horam emendationi compoſitionis tribuit. In Ordine qvinto, Anno vel 10. vel 11. ſex primis menſibus ſemel qvotidie ex Græcæ lingvæ præceptis Grammaticis qvid proponere jubet: ſeqventibus tribus menſibus paucas facilesqve Æſopi fabellas Græcas; & poſtremo trimeſtri Demoſthenis Orationes Olynthiacas. Secundâ horâ in Officiis Ciceronis, ſi priores libri ſunt ſuperiore anno abſoluti, verſabitur. Tertiâ vel Georgica Virgilii, vel Oratio aliqva Ciceronis explicabitur. Qvarta ſcripturæ & compoſitioni relinqvitur, ita tamen, ut libri de ornamentis orationis ſcripti, qvæ è Ciceronis libris Rhetoricis ſunt petenda, conjungantur. De Elocutione enim prius, qvam de inventione laborandum. Verborum copia tum comparanda, & ſententiarum formulæ cumulandæ. In ordine quarto anno vel 11. vel 12. informationis qvinto horis duabus alternatim cum Cicerone Demoſthe-

moſthenem, cum Virgilio Homerum jungit. Tertiam primis ſex menſibus Grammaticæ Græcæ impendit. Qvartâ cum ſtyli exercitiis præcepta Herenniana & partitiones Ciceronis jungit. Neqve ſine ratione Ciceronis libros ceteris compendiariis libellis præfert. Addit illis Saluſtium & Plautum, ubi tempus ſupererit. Atqve hîc prolixe de ratione reſolvendi orationes, & colligendis phraſibus agit; qvâ de re ſingularem qvoqve librum conſcripſit, & nos alibi plenius. Interſerit etiam qvædam de commentationibus, qvibus adſueſcere pueros maturè vult. Argumentum illis ad narrandum, aut probandum, aut amplificandum proponit, ſpatium dat, eâdem horâ, qvâ docendum erat, ad cogitandum, ut, qvod antea ſcriptum adferre conſueverant, id jam meditatione atqve cogitatione comprehenſum pronuncient. Qvod exercitium ſanè præclarum eſt, & promptitudinem aliqvam in dicendo & cogitando efficit, magno poſtea uſui futurum, ubi ad rem ipſam & negotia vitæ civilis ventum eſt. In Ordine tertio, Anno vel 12. vel 13. præcepta Rhetoricæ Dialecticis jungenda ſuadet, Ciceronis Topica & Ariſtotelis Dialectica, Demoſthenis & Æſchinis adverſarias orationes explicandas: Commentationes continuandas, & partes integras ſumpto ad cogitandum tempore, oratione Latinâ memoriter dilatandas, tum ſcilicet, cum domo reverſi fuerint. Ad Livium etiam nunc progredi in Hiſtoriis vult. In Ordine ſecundo, Anno 13. vel 14. Demoſthenis orationem pro Cteſiphonte explicari, dialectica præcepta ex Ariſtotele continuari, eâdemqve horâ dialogum è Platone & Cicerone velut in exemplum proponi ſuadet. Partitionibus Oratoriis ſcribendo & commentando inſiſtendum, & ad firmius judicium omnia exigenda. In Ordine primo, anno ſcilicet 14. vel 15. viam ad primas artes maximasqve diſciplinas aperit adoleſcentibus, repetitis tamen prioribus, atqve ſic benè præparatos ad Academica ſtudia transmittit. * Explicatius ſingula poſtea deducit in 21
Epiſtolis illis Claſſicis, qvas ad ſingulorum Ordinum vel Curiarum præfectos ſcripſit, additis tum novis præceptionibus, tum exemplis. Multa hîc de ordine in vocabulis diſcendis ſervando, de volumine ſententiarum per periodos digeſtarum, de Ephemeridibus faciendis, de modo explicandi epiſtolas Ciceronis, de formulis ſententiarum pro ſtylo exercendo, de carminum, exemplorum volumine, & pluribus aliis utilia monentur. Praxin ulteriorem in *Scholâ Laringanâ* exhibet. Qvæ omnia egregia ſunt, optimoqve conſilio inſtituta.

Sturmianis conſiliis meritò accenſeri debent Caſeliana. Nam in variis ſcriptis 22
rem ſcholaſticam Caſelius, qvâ potuit diligentiâ, emendandam ornandamqve ſuſcepit. Extat ejus libellus ſimilis cum Sturmiano tituli *de ludo literario rectè aperiendo*, in qvo pleraqve cum Sturmianis conveniunt, niſi qvod Sturmius majori ἀκριβείᾳ in operarum ſcholaſticarum partitionibus uſus ſit. * Primum in infantibus pro- 23
nunciationem literarum & calligraphiam majori, qvàm fieri ſolet, curâ tractandam ſuadet. Grammaticam ille ſimplicem, qvæ in ſolis nominum & verborum inflexionibus & exiguis regulis ſyntacticis conſiſtat, reqvirit, cetera ab uſu & lectione diſcenda ſuadet, adhibitis tum in conſilium uberioribus commentariis Grammaticis. In-

 ter-

terpretationem planam & perſpicuam præſcribit, ſermone germanico Latino, pro puerorum capacitate, citra commentariorum prolixitatem, qvos tamen veteres & novos perſpectos Magiſter ipſe habeat. In interpretatione moralia immiſceri vult, ut eorum idea animis teneris maturè hæreat: Qvam ad rem Terentium ac præcipuè Horatium laudat. A Cicerone prima ſermonis lineamenta potius, qvam à qvopiam alio ducenda præcipit, à loqvendo tamen abſtinere tirones jubet, ne purum ſermonem corrumpant. Sermones qvosdam & Dialogos, ſed ductu præceptoris, Latinâ linguâ inſtituendos; Declamationes intempeſtivas fugiendas ſuadet. Carminum modulatio ex uſu potius & lectione, qvam præceptis operoſis, illo judice, diſcitur. Ad Græcam linguam hinc tironem ſuum vocat, è lectione potius, qvam præceptis multis, hauriendam. Scriptionem non ſuadet, ob magiſtrorum imperitiam & nullum ejus linguæ uſum publicum: Tanti enim non eſſe, ut qvis impuro ſermone Græco
24 ſcribere diſcat, cum de puro deſperandum ſit. * Hebræam ad Academias rejicit, Logices & Dialectices præcepta vel ad Academias differt, vel ſumma tantùm eorum rudimenta proponi vult. Neqve enim in hoc ſuo ludo Disputatores vel Sophiſtas formabit diſcipulos, neqve vitio hoc magiſtris vertendum eſſe judicat, ſi non magnam Logices ſcientiam habeant, qvæ maturius judicium reqvirat. Eventurum, ut vel, qvæ prima jacta ſunt in his fundamenta, hinc in Academiis ſint abjicienda, & majore moleſtiâ dediſcenda, vel nunc humanitatis ſtudia ſegnius tractentur. In Rhetoricis compendia primùm proponit, & ex Aphthonii progymnaſmatibus aliqvid. In Muſicis exerceri pueros vult; in Mathematicis qvoqve qvibusdam, ut Arithmeticâ & Geometriâ, primâ ſtatim ætate, etiam lingvâ Germanicâ, ſi haberi poſſit, qvi pueros illa doceat. Nam his ſtudiis qvoqve apud veteres pueri exercebantur.

25 Eſt & Nicodemi Frischlini conſilium non ſpernendum de ratione inſtituendi puerum ab anno ætatis ſexto & ſeptimo ad annum usqve decimum qvartum; ita ut præter duas aut tres maternas linguas etiam Latinam diſcat rectè loqvi & ſcribere, Græcam verò mediocriter intelligere: inſuperqve rudimenta Dialecticæ & Rhetoricæ ad uſum ſcribendi conferre, & primô qvidem annô puerum docet, ut rectè literas legat & pingat; ſecundô initia Etymologiæ, & è ſuo Nomenclatore uſitatiora nomina non ſolùm inflectere, ſed etiam intelligere, & præcipuas loqvendi formulas docet, ſimulqve ad Syntaxin præparat. Tertiô & qvartô annô reliqva Etymologiæ præcepta & præcipuas regulas Syntaxeos, unà cum Declinationibus & Conjugationibus Græcis ſimplicioribus tradit, uſum qvoqve mediocrem Latinæ linguæ è Dialogis ſacris & ſelectioribus epiſtolis Ciceronis comparandum docet. Qvintô annô reliqva præcepta Latinæ, & præcipua Græcæ Syntaxeos (qvæ conjungi ſemper ob affinitatem vult) tradit, unà cum reliqvis Declinationibus & Conjugationibus Græcis, & ex breviſſimis Proſodiæ regulis carmen retexere docet, & inſuper ex Cicerone & Terentio laudabile ſcriptum conficere. Sextô annô præter exercitationem Græcæ & Latinæ linguæ ad rudimenta Dialecticæ & Rhetoricæ manuducit, & ad perfectam iſtarum artium cognitionem præparat. Qvæ Friſchliniana informandi ratio cum

Höltz-

Höltzlini methodô qvodammodo convenire videtur, qvi & ipſe ſex annis ſcholaſtica abſolvit ſtudia.

Minori annorum numero CASPAR SCIOPPIUS contentus eſt. Is enim in *Conſult.* 3. *de Scholar. & Studiorum ratione* qvatuor tantum annos reqvirit, qvibus non modò Latinam linguam probè intelligant, & cum Grammaticæ regulis tum doctorum conſuetudini congruenter Latinè ſcribant, ſed etiam Logicam, Rhetoricam, Phyſicam, Metaphyſicam, hoc amplius autem Ethicæ & Politicæ elementa addiſcant; ſic, ut idonei ſint, qvi Profeſſoribus Academicis, Philoſophiam, Theologiam, Jurisprudentiam & Medicinam docentibus, multò, qvam alii, melius & fructuoſius operam dare poſſint. * Verum iſta in homine provectioris ætatis vel ſaltem adoleſcente effici qvodammodo poſſe non negaverim; in pueris, qvorum ingenium iis ſtudiis aptum non eſt, ut fieri poſſit, vix conceſſerim. Ut enim in linguis forte compendia qvædam cum pueris inſtitui poſſint, in ſcientiis verò maturiore judicio opus eſt; præſertim in Ethicis & Politicis, qvorum idoneos auditores eſſe juvenes negavit Ariſtoteles. 26 27

In linguâ Latinâ addiſcendâ compendioſiorem ſibi viam inveniſſe viſus eſt WOLFFGANGUS RATICHIUS, qvæ non contemnenda qvidem videtur, modo ejus peritiæ & patientiæ Præceptorem qvis nanciſci poſſit, qvam ille reqvirit. * Primùm vernaculam aliqvam Linguam præſupponit, qvâ animi ſui ſenſa commodè exprimere puer poſſit, hinc in linguâ Latinâ puerum informaturus literas docet tùm ſcriptione, tùm vivâ voce, earumqve poteſtatem explicat, pronunciationemqve exprimit, earum poſtea connexionem & Syllabyſationem tùm vivâ voce, tùm ſcripto oſtendit: Qvibus peractis, ſtatim in manum Autorem idoneum ſumit, ſed unicum, e. g. Terentii Comœdias. Ab initio 4 vel 5 lectionibus voce tardiſſimâ & qvaſi ſemifractâ diſcipulo præit, qvi oculis & animo præeuntem ſeqvitur, atqve ita inconcinna pronunciatio ſilentio devitatur, donec crebrâ Præceptoris iteratione concinna reddatur. Nam Præceptore abſente omnis privata repetitio diſcenti interdicta eſt. Poſtmodum ipſa prælectio hâc methodo procedit, ut 1. ſumma futuræ lectionis luculenter linguâ notiori proponatur. 2. Lectio ſeqvatur diſtincta & perſpicua, probè obſervatis commatis & punctis. 3. Expoſitio ſeu interpretatio ipſius textus. 4. Textus relectio & repetita interpretatio. Terentii ſex ſunt Comœdiæ: ſingulis hebdomadibus unam Præceptor abſolvit, ſingulis diebus, imò ſingulis unius diei horis actum totum, ut fabulæ tractatus cohæreat, & intellectui ſiſtatur. Præceptor primò legit periodum integram, deinde commata iſtius periodi denuò legit, & germanicè interpretatur, ad ſenſum ſolum, non ad conſtructionem reſpiciens, atqve ita ad finem actus. Qvæ prima Terentii prælectio nihil aliud præſtat, qvàm ut diſcipulus 1. Latinè legere diſcat, 2. ſummam & ſenſum totius Autoris imbibat. Atqve ita ſex hebdomadibus totus Terentius abſolvitur, bis terve in unâ horâ uno actu repetito, & die Saturni, pluribus horis, tota Comœdia. Nihil verò hactenus de Grammaticâ diſcipulus audivit. Alteris ſex hebdomadibus Terentius denuò ab initio ad finem eôdem modô 28 29

 expo-

exponitur; ſed circa finem matutinæ aſſumit Præceptor libellum Paradigmatum, & primò ad Conjugationes ſe confert, prælegit Conjugationem primam activam, unà cum interpretatione ſingularum perſonarum ſæpiſſimè, ſeqventibus diebus ceteras Conjugationes, depromptis ex Autore exemplis, qvæ ſimiliter flectit, additâ ſingulis germanicâ ſignificatione. Tum paſſivæ Conjugationes præleguntur eâ cautelâ, ut paſſiva non ex analogiâ formentur, ſed è ſolo Autore petantur. Hinc prælegit paradigmata Declinationum per intervalla ſecundum earum ordinem, exempla ex Autore adduntur ad ſingulas Declinationes, prout ſe obtulèrint, citra interpretationem caſuum germanicam. Interim ad finem tendentibus hebdomadibus, diſcipulos tentat Præceptor, num in Conjugationibus & Declinationibus prompti ſint? reſpondebit verò diſcipulus omnia è libro. Tertiâ vice aliis ſex hebdómadibus, dum Terentium repetit eôdem modô horis matutinis, pomeridianis Grammaticam proponit, exemplis ex Autore deſumptis, ita tamen, ut ad Syntaxin nondum accedat. Dehinc applicationem præceptorum Grammaticæ hôc modô inſtituit. Horâ primâ diei ſcenam unam Terentii integram exponit, ſparſim faciliora nomina & verba explicat. In ceteris horis ſcena examinatur accuratiùs, qvoad Verba ſolùm, diductis exemplis per Verbi accidentia: ubi diſcipuli ipſi libros Grammaticos unà cum Præceptore inſpiciunt. Alterâ die ſeqvens ſcena hôc modô examinatur, qvoad Nomina obſervato ordine Subſtantivorum & Adjectivorum. Tertiâ die Pronomina, inde Adverbia &c. cum ſuis accidentibus, ut Grammatici vocant. Hinc Præceptor incipit conjungere Verba & Nomina, & integras phraſes ex Autore deducit per Conjugationes, Subſtantiva cum Subſtantivis, Adjectiva cum Subſtantivis &c. ut, *Facio illi injuriam, facis illi injuriam, facit illi injuriam &c.* idqve exercitium per aliqvot hebdomadas continuatur. Hâc ratione Comœdia una intra menſem circiter abſolvitur, ut horâ matutinâ Autoris textus exponatur, in ceteris Grammatica potiſſimum tractentur. In tali exercitio Declinandi & Conjugandi detinet diſcipulum usqve ad qvartum menſem, à tempore tertiùm inchoati Terentii, ſeu inchoatæ Grammaticæ in ceteris qvoqve Comœdiis. Tùm ad genuinam vocum ſignificationem, ſpeciem & figuram deducitur, ad Præterita & Supina &c. exceptiones in Grammaticis. Poſtqvam jam Etymologiam univerſam cum præcipuis exceptionibus tenet, ad Syntaxin accedit, qvæ ipſi jam qvaſi ſponte fluit è copiâ vocum, phraſium, ſcientiâ flectendi, conjugandi, declinandi, derivandi, componendi. Tùm jubetur ipſe diſcipulus Terentium legere & interpretari, auſcultante Præceptore & monente, ſi qvid erraverit; tùm è Latinâ in Germanicam transferre, atqve ita totum in ſuccum & ſanguinem convertere. Qvod intra anni ſpatium commodè effici poſſe, Autor ille teſtatur.

30 Sed erunt fortaſſis, qvi leve qvid exiſtimabunt, intra anni tempus eò usqve in Latinâ linguâ progredi: præſertim cum Scioppius in *Præfat. Grammaticæ Philoſophicæ* tantùm poſt Nominum Verborumqve declinationes memoriæ mandatas, ſe è qvotidianâ Latinè loqventium conſuetudine, ſex menſium intervallo profeciſſe dicat, ut, qvicqvid uſus ejus ætatis poſceret, enunciaverit; cum hi Terentiani auditores latinè

tinè tamen loqvi totô annô non didicerint. Qvi hoc objiciunt, meminerint, plus eſſe in qvotidianis colloqviis ad linguam diſcendam efficaciæ, qvàm in qvâcunqve informatione aliâ: ſecundas tamen à primâ hâc maximèqve naturali methodô tenet illa, qvæ è lectione Autorum procedit. Et in Ratichianâ tamen illâ methodô, primis illis lineamentis benè è Terentio ductis, juncta ſimul arte Grammaticâ, facillimus deinde ad cetera progreſſus fuit. * Illi certè longè præferenda eſt, qvæ vel è Ja- 31
nuâ Comenii, Patrum Hibernorum, Mercuriô Scioppii, Portulis, Atriis ſimile qvid promittit. Nihil ſolidi è ſcopis illis diſſolutis diſcitur, in qvibus nulla eſt compoſitio, plena barbariſmis omnia. Sermoni ſtudendum eſt, qvi non meris enunciationibus, ſed nexu periodico decurrere debet: qvi, etſi à puero primùm non capitur, per conſuetudinem tamen animo auribusqve inhæret. E ſermone ergo ſimplici qvidem, ſed rectè ſuis particulis juncto, potiùs nomina verbaqve diſcenda ſunt, ſi illa ſic nuda pueris proponere nolumus, qvod primâ ætate ſufficere poſſit. * Qvâcunqve ergo 32
ratione emendentur vel *Comenii* vel *alterius Januæ* (nam in illius Januâ multa talia emendari voluit Vir Cl. & amicus noſter optimus *J. P. Titius*) non poſſum à me impetrare, ut earum uſum in Scholis probare poſſim. Qvorſum enim opus, ad lacunas confugere, cum puriſſimos habeamus fontes? Si vocabulorum res agitur, illorum cognitio vel ultro è lectione nobis occurret, ut non ſit magnopere de iis laborandum. Deniqve ut vel culinæ, vel opificiorum gratiâ iſtâ farragine pueros maceremus, nulla nos neceſſitas jubet. Talium rarus in ſermone civili uſus eſt. Legatur tamen eâ de re Vir Clariſſ. *J. P. Titius in Diſſertatione de Adminiculis Linguæ Latinæ primâ*, ubi Hiſtoria libellorum didacticorum Comenii plenior proponitur, & operosè de eorum uſu & correctione agitur. * Nihilo meliores illis Januis ſunt 33
Ephemerides linguæ Latinæ ab EZECHIELE VOGELIO, Pædagogii Göttingenſis Con-Rectore, ſcriptæ, qvibus unius anni ſpatio, duabus ſingulorum dierum profeſtorum horis, totam linguam Latinam, omniaqve ejus vocabula docere vult. Conſtant verò Ephemerides variis ſententiis, vel confictis, vel à veteribus Autoribus petitis, ſecundum dierum & alphabeti ordinem, obſervatâ neſcio qvâ ineptâ alliteratione in vocibus. Has memoriæ mandare pueros jubet, ex iis Grammaticam & Syntaxin diſci, themata latinè ſcribendi conformari, ex iis colloqvia inſtitui vult. Verùm non opus eſt, ut labori inutili immoremur. Legatur prolixa earum Ephemeridum didactica, Lipſ. Ann. 1621. edita.

Simile qvidpiam Ephemeridibus illis ante ipſum commentus videtur CLENARDUS, ad cujus ego imitationem Vogelium inſtituiſſe ſuas exiſtimo, ſed longe diſſimili profectò ingenii acumine, induſtriâ & judicio. Ille pueros analphabetos, poſtqvam primò literas oſtendit, & publicâ voce pronunciavit, omnia docet, minutis dialogis, ſed Latinâ linguâ factis, qvibus Grammatica, & qvæcunqve alia qvotidiana, argumenta comprehendit, ſententias etiam & adagia, ſecundum Alphabetum ordinata, vocis alicujus occaſione, qvæ legat ſemper relegatqve puer. Ille tamen, qvod mireris, ipſe Grammatica rudimenta non niſi Latinâ linguâ proponit, unde qvoti- 34

35 diano iſto ſono & Grammaticam, & linguam ipſam diſcunt pueri. * Inſtituit ille aliqvando ludum talem Braccaræ, qvem ipſe feſtivè, ut valdè facetæ ſunt omnes ejus Epiſtolæ, deſcribit. Non puto ingratum Lectoribus erit, ſi qvædam de illis, ſunt enim rariores hæ Epiſtolæ, adducam. Ita verò ille *lib. 2.* ſub finem prolixæ illius & elegantiſſimæ Epiſtolæ, qvam ad Chriſtianos de profeſſione Arabicâ militiâqve conſtituendâ adverſus Mahometum ſcripſit; *Periculum facturus de ingenio puerorum, civium aliquot liberos publico dono docere cœpi, tam expertes linguæ Latinæ, ut ante eum diem ne literam quidem audiſſent. Et primâ ſtatim horâ, cum res jam vulgata fuiſſet, concurrebant complurimi, commoti, ut fit, novitate, adeò, ut creſcente indies multitudine locus auditores non caperet. Nulla enim ætas novo Gymnaſio deſiderabatur, & omne genus mortalium confluebat. Non deerant, qui vix annum quintum agerent, non ſacerdotes, non ſervi etiam Æthiopes, & quidem natu grandes. Quin & parentes unà ludum frequentabant cum filiis, nec minus præceptori morem gerebant, quam obedientes diſcipuli. Cumque ſolus verſarer in tam diſparibus ingeniis, & apud rudes ne verbulum quidem ſonarem niſi Latinum, ſic ſenſim aſſiduo uſu proceſſit negotium, ut intra paucos menſes, & loquentem ſatis omnes intelligerent, & minimi etiam utcunque Latine balbutirent, cum vix noſſent Alphabetum. Neque enim tenellam ætatem eo trahebam, quod aliquid haberet moleſtiæ, nec per antiphraſin interpretabar ludum, ſed revera ludebam in Scholis. Erant mihi ſervuli tres; quos ſuprà nominavi, non ſanè periti Grammaticæ, verum domeſtica conſuetudine tantum conſecuti, ut me perciperent, quicquid dicerem, & contra Latinè reſponderent, licet identidem peccantes in Priſcianum. Hos in ludum productos dialogos agere juſſi, ſpectantibus diſcipulis, & cum eis multis de rebus ſermonem miſcebam, attentiſſimo auditorio, adeò miraculi loco fuit, quod Æthiopes loquerentur latinè. Heus Dento, inquam, ſalta: mox unum atque alterum edebat ſaltum, ridentibus ſpectatoribus. Tu Nigrine, repe nobis per pavimentum: ſine mora quadrupedem agebat, magis etiam in cachinnos ſolutis, quotquot aderant. Carbo juſſus currere curſum ſtatim expediebat. Sic & alia multa non tam voce docebam, quam geſtu, ut per jocum vocabula puerorum animos ſubirent; Minimaque cura fuit, ut initio canones objicerem Grammaticos, rem non ſatis amœnam: Sed omnem adhibebam artem, ut quemadmodum mercatores in variis regionibus uſu perdiſcunt idiomata, ſic in tanta frequentia omnibus in locis ſtreperent voces Latinæ. Quin & illud piaculum erat, primis diebus quippiam ſcribere, ſed oculis in præceptorem intentis, aures aſſveſcebant audiendis vocibus. Et ſi quando ſeſe offerret vel ſententia, vel adagium pauculis verbis comprehenſum, per diſcipulos in orbem ibat, & totâ Scholâ jactabatur, velut, Manus manum fricat, me interim rem geſtu declarante. Nam & hoc decretum erat, non ſolenni pompâ docere, & aliquid meditatum afferre; ſed, quicquid obiter ac primum occurrebat, de eo fabulabar. Si quem conſpicerem inſigni naſo, ridendo & contrectando naſo fungebar docentis officio, & obiter mungebat Dento nares. Inde juſſi adferre candelam, &, tu Nigrine, inquam, munge candelam: quam ſi imprudens extingueret, irato vultu objurgantis ſpeciem præbebam, & ſimul videbant, quid eſſet cande-*

candelam accendere, quid extinguere: hinc labimur ad ſevum, & candelas ſevaceas,
inde ad cereum, ceram, ellychnium, & cetera quæ oculis arbitrari poterant, ut utar verbo
Gelliano. Dum ſic nugamur, & quamvis ſermocinandi anſam temerè raperemus, ſæ-
penumero ſine omni tædio tres horæ nobis imprudentibus abibant, cum ſumma puero-
rum voluptate. Quibus rebus factum eſt, ut à parentibus pueri contineri non poſſent,
quin ſummo diluculo pergerent ad Scholas, velut geſtientes audire præceptorem: adeo
ut horam quandoque unam anteverterent, & noctu nihil aliud ſomniarent, quam comœ-
dias noſtras ſcholaſticas. Poſtqvam ſermo Latinus familiarior factus, tandem inſtil-
lavit Grammaticam, nominumqve Declinationes majuſculis characteribus in pa-
rietibus ſuspendit; è qvibus, qvi noſſent ſcribere, deſcriberent, diligenter
cavens, ne cuiqvam codex typis excuſus eſſet, ut eò accuratiùs memoriæ imprime-
rent. * Deficit hîc qvidem Epiſtola, & editor Cluſius notat, morte præventum 36
non abſolviſſe: verum tota illa praxis Grammatica prolixè ſatis recenſetur eodem
libro ſecundo, *Epiſtolâ prolixâ ad Joannem Vaſeum ſcripta pag.* 187. Edit. Hanovia-
næ. Declinationes & Conjugationes docet, anteqvam vel terminationes nominum
& verborum, vel caſus & tempora nominat; qvæ poſtea eò firmius inhærent. Ni-
hil de Paſſivis & Deponentibus agit, niſi omnibus Activis Conjugationibus abſolutis.
Procedunt hæc omnia per dialogos, qvibus qvotidiana Grammaticis miſcentur.
Sententiis potius ex bonis Autoribus, qvam aliis exemplis, illuſtrari vult: qvod con-
ſilium feliciter executus eſt in Grammaticâ ſuâ Latinâ *Cl. Bütnerus.* Verùm ea ple-
nius ex ipsâ Epiſtolâ haurientur, qvæ profectò lectu digna eſt; ac vidi in Catalogis
vel hanc Clenardi Epiſtolam, vel aliam de hoc argumento diſſertationem ſeorſim
editam. * Certum eſt, eſſe qvandam in illa re ἐμπειρίαν, & qvandam etiam in 37
ipsâ praxi grammaticæ informationis prudentiam, ad qvam non omnes apti ſunt.
Qvare non ſpernendi ſunt Autores, qvi in his minutiis laborârunt; qvales qvidem
multos habemus: Sed non omnes thyrſigeri Bacchi ſunt, omnes laurigeri Phœbi.
* Superiorum temporum memoriâ JOHANNES RHENIUS variis libellis non malè de 38
re Scholaſticâ meritus fuit, cujus *Pædagogia ſeu Methodus Inſtitutionis puerilis* conſi-
lia non pauca exhibet.

Qvi novam methodum, de qvâ nos qvoqve ſuprà, excogitavit JOH. JOACHI- 39
MUS BECCHERUS, ab iſto invento ſuo non tàm amplos ſperare fructus poteſt. Etſi
enim ingenium illi non deeſt, & ad linguæ notitiam grammaticam, ac diſſertationes
extemporales inſtituendas, non inutilis labor eſt, latinè tamen, nec grammaticè ſolùm
ſed & eleganter, dicere ſcribereqve cupientibus parum proderit. Non juvat ſola
verborum & rerum copia, niſi adſit prudentia, qvæ delectum inſtituere doceat, qvod
ex iſtâ vocabulorum farragine, utut bellè ordinatâ, non facilè diſci poteſt, niſi maturè
ex Autoribus idoneis illam facultatem hauriamus. Qvin potiùs dato pignore certa-
re auſim, puerum methodo Beccherianâ informatum, totum ſiccum & enervum in
omni compoſitione ſuâ fore, plusqve ex illo invento utilitatis ad viros vel juvenes
jam tum omni genere ſcholaſticarum exercitationum ſubactos perventurum, qvam
pue-

pueros hâc primùm arte erudiendos. Vocabula per derivationem & terminationes diſci citiùs poſſe, uti Beccherus vult, nemo qvidem negaverit. Sed ego potius Ora-
40 torem qvàm Grammaticum formare malim. * Conſultius ergò erit, Vocabula ſub locis generalibus, qvales *Benzius* præſcribit, diſpoſita ſecundum cognationem, differentiam, contrarietatem, adjuncta &c. puerum diſcere, magno poſteà uſui in amplificatione futura, ubi qvædam ſcribenda ſunt; ductu tamen antiqvi Autoris.
41 * Etſi enim hunc uſum in phraſibus bonis, alphabetico ordine congeſtis, qværat MARC. FRID. WENDELINUS in memoriâ Rudolphi filii, neqve ejus cauſæ nullæ ſint; tamen à boni Autoris verbis benè ordinatis ſolidiora ejus rei ponuntur fundamenta. Ex ipſis tamen vocabulis & phraſibus feliciùs ego rem illam, qvàm è clavibus & januis confici poſſe, Wendelino libens conceſſerim. Neqve malè judicat Wendelinus, cum ait: *Vocabulorum ſylvam citius ego totam memoriæ & ingenii mediocris adoleſcentulo me impreſſurum puto ſingulari quodam puerili, & penè ridiculo, memoriæ adminiculo* (qvod velim prodidiſſet), *quam clavis integræ partem mediam aſſiduo ſoloque interpretationis labore. Auſim depoſito pignore cum quovis contendere, & hoc addo, vocabulorum notitiam è Lexico paratam longè certiorem & expeditiorem fore al-*
42 *terâ, qvam aſſidua clavis dederit interpretatio.* * Et nihil ſane Beccheriana Praxis Anni ſecundi & tertii in opere iſto tironem juvabit, conjuncturum iſto ſuo artificio nomina & verba, qvæ Latinæ linguæ indoli refragantur: qvod è ſolâ & aſſiduâ Autorum antiqvorum lectione & imitatione demum obſervandum eſt; ne qvid de numero & concinno poſitu dicam, qvi aliunde, qvàm ex iisdem fontibus, diſci non poteſt.

43 Amplius ſtudiis Scholaſticis ſpatium indulſit Vir, dum viveret, harum rerum peritiſſimus optimusqve Mercuriorum ſculptor, MECHOVIUS. Nam in doctiſſimâ ſuâ *Hermathenâ tractat. 3. cap. 2. 3. 4. 5.* hoc argumentum copioſiſſimè tractavit, ut nil qvicqvam addi poſſe videatur. Primos ille ſeptem annos Anteſcholanis concedit, qvi intra contubernium parentum educati nondum ad publicas ſcholas accedunt; Scholaſticis totos 14. annos, ut itaqve ante annum 21. è Scholis non exeant, ſuæ ſententiæ ſuffragantem laudans Sturmium, qvi tamen anno 15. ſcholaſtica ſtudia abſolvit, & altero loco ſub illo annorum numero Academica forte ſtudia comprehendit.
44 * In Anteſcholanorum informatione veterum mores à noſtris diſcrepant; qvibus, cum in linguis non multùm laborandum, ſtatim ad rerum cognitionem convertere ſe potuerunt. De his multa Qvintilianus, qvi ne infantiam qvidem ipſam ceſſare à literis vult. Noſtri in formandâ voce, legendo, ſcribendo, primis pietatis rudimentis, vocabulis Donati, qvæ vocant, tirociniis tempus hoc conſumunt, qvibus rectè qvidem Mechovius Tabulas Geographicas jungi poſſe exiſtimat. Voſſius Hiſtoriam ſa-
45 cram & civilem per imagines illis qvoqve inculcari ſuadet. * In Scholaſticis primum ſeptennium in παιδείᾳ τῶν ἐγκυκλίων & in ταῖς λογικαῖς τέχναις, alterum in humanitatis, Dialecticæ ſtudio ac initiis Philoſophiæ transigi vult. Hìc primùm de Grammaticæ informationis ratione tenendâ, de exercitiis Grammaticis, de Græcæ linguæ

linguæ rudimentis, Muſicâ, Geographiâ, Poëticâ, Hiſtoriâ univerſali, Chronologia, qvantum ſatis eſt, poſterioribus annis diſcenda præcipit. In alterô ſeptenniô Grammaticæ elegantioris cultum, Terentii & Epiſtolarum Ciceronis lectionem, exercitia tàm Latina qvàm Græca ex Autoribus optimis Latinis & Græcis, Poëtarum non lectionem ſolum, ſed & imitationem accuratiorem, per varias metaphraſes aliaqve exercitia, Eloqventiæ themata ad orationum Ciceronis ductum adornanda, Hiſtoriæ plenioris ſtudium, Mathematicarum diſciplinarum elementa, deniqve Dialecticam compendiariam commendat; atqve ſic è ludo ſuo emancipatum Academiæ tradit.
* Qvàm benè cum Republica ageretur, ſi lentis illis modeſtisqve gradibus primùm 46
ad Academias, & ab illis ad cathedras, tribunalia & ſubſellia procederemus. Sed volatica hodie omnia ſunt & ſuperficiaria, cum plurima pars juvenum ſolam oſtentare ſpeciem, qvam ſolidam præſtare eruditionem, malit; Qvò fit, ut propediem barbaries omnia occupet, & ubiqve improbitas & ignorantia triumphet.

Si qvis in his rebus paululum curioſior eſt, is ceteros, qvi ſuper hoc argumento 47
ſcripti ſunt, libros adeat, diligenterqve, in qvibus conveniant vel diſcrepent, notet. Sua enim cuiqve inventa & cogitata ſunt; qvæ inter ſe comparata, utilitatem non exiguam afferent. Legi poſſunt, qvæ aliqvot tomis cum Sturmianis illis junctim prodierunt, aliiqve ſeorſim editi, de qvibus jam ſuprà plura diximus. Hîc de ſtudiorum non ſolùm, ſed & morum regimine, de legibus ſcholaſticæ ſocietatis, pluribusqve aliis explicatè agitur, qvæ ab inſtituto noſtro ſunt aliena. Eorum qvaſi compendium Mechovius in libro ſuprà laudato exhibet. * Nos ſumma qvædam hujus 48
tractationis capiti velut in compendio ſub finem proponemus, qvæ in ſcholaſticâ informatione commodiùs inſtituendâ attendi merentur. 1. Compendia lectionis & ſcriptionis unô labore conjungenda, ut utilia, cum legimus, ſimul ſcribamus. 2. Grammaticæ rudimenta breviſſimè proponenda. Ea Emund. Richerius in *Obſtetric. Animorum c.3.n.8.* ſex menſium ſpatio à pueris percipi poſſe affirmat, qvi & *Grammaticam Obſtetriceam* ſcripſit, cujus tantùm titulum in Catalogis hactenus legi, ipſam verò non vidi. Grammaticæ Philoſophicæ, (qvicqvid Scioppius magno hiatu de illis promittat) à Scholis omnino proſcribendæ. 3. Latinæ linguæ Græca ſtatim in primordiis jungenda, qvod facili negotio fieri poteſt, & in hunc finem unam pro utrâqve linguâ Grammaticam Cl. Dn. Bütnerus ſcripturus eſt. 4. In tenerrimâ ætate Mathematicarum qvarundam diſciplinarum prima lineamenta magnâ utilitate duci poſſunt, ut Arithmetices, Geometriæ, Picturæ, Geographiæ. 5. Abſit ab omni propoſito præcipitantia. Qvæ hîc peccantur, ea multô temporis diſpendiô poſtea luuntur. Multa citiùs ad ſcopum perveniſſent, ſi tardiùs incedere voluiſſent. 6. Qvamprimùm orationis ſolutæ exiguam facultatem habuerit puer, Poëtas legat, carmina memoriæ mandet: Magnum hoc ad ingenii exaltationem, ad concinnitatem in ſermone omni ſoluto adjumentum eſt. 7. Sententiæ partim periodicæ, partim breves & acutæ, ſecundum virtutum capita memoriæ mandentur, uti & dicta præcipua biblica ſecundum locorum ordinem. 8. Omnia nova meritò debent eſſe ſuſpecta: varietas

confuſionem, ſimplicitas conſtantiam ſtudiorum parit. 9. Qvi ſublimes ſcientias pueris proponunt, ante ſolidam linguarum cognitionem, cum ratione ipſâ inſaniunt, illosqve inſanire docent. Qvi in Scholis incipiunt fieri magiſtri, in Academiis denuò, fiunt pueri, & poſtea ad omnes res inepti. 10. Locutionem, Declamationes extemporales, ut peſtem puræ latinitatis, fugiant: Illa tamen cum peritis, & qvi emendare è veſtigio errores velint, inſtitui poteſt. 11. Qvi pro antiqvis Autoribus recentiores vel religionis vel alius cauſæ prætentu ſubſtituunt, intempeſtivâ pietate puerorum ſtudia corrumpunt: qvô nomine religioſulos & ſemidoctos Scholarum Inſpectores Jacobus Martini reprehendit. Legendus ſuper hoc argumento præ ceteris Mechovius in Antiph. 12. Qvi Diſputationes tironum inſtituunt, eos Caſelius facetè acies gruum & pygmæorum inſtruere, minusqve ſapere, qvàm qvi hiſtoriam ſomniorum conſcribere jubent, judicat; Hofmannus, Medicus Altorffinus, ludum impudentiæ vocat, in qvo ad duritiem frontis erudiantur adoleſcentes. 13. Præceptores etiam in primâ infantiâ optimi deligantur: non eruditi ſolum, ſed & optimô judiciô practicô præditi, cujus prima lineamenta impreſſa per totam vitam diſcipulum comitabuntur; plusqve exiguo tempore ſub magiſtro tali proficiet puer, qvàm cum à ſtulto homine, utut non indocto, pravos mores induet, totâ vitâ vix exuendos. Plura hîc de Exercitationibus Scholaſticis dici poſſent: ſed illa ſuo loco reſervamus.

CAP. XI.
DE CURRICULO ACADEMICO.

§. 1. 5. *ſeq.* *ACademiam acceſſurus doctrinam moresque idoneos afferat.* 2. *Cenſuræ morum Academicorum à nonnullis acerbior inſtituitur.* 3. *Iis reſpondetur.* 4. *Lineamenta in prima officina male ducta, vix in altera rectius formantur.* 6. *Quod iis remedium.* 7. *Scholaſtica ſtudia in Academiis non deſerenda, ſed perficienda.* 8. *Cujus rei utilitas indicatur.* 9. *Græcæ Latinæque linguæ ſtudium ſummè neceſſarium.* 10. *penè in Academiis elanguit.* 11. *Eloquentia ferè negligitur.* 12. *Logica doctrina præ ceteris commendatur.* 13. *Analyticæ & Hermeneuticæ utilitas.* 14. *Ars hermeneutica nondum ſatis exculta.* 15. *Diſputationes tironum non permittendæ.* 16. *Caſelii ſententia.* 17. *Arithmetica & Geometria diligenter excolendæ.* 18. *Hiſtoricæ cognitionis utilitas.* 19. *Hæc ſtudia, utpote fundamenta, præprimis tractanda.* 20. *Panſophiæ titulo inſtituta compendia ad ſolidam doctrinam noxia.* 21. *Crudis ſtudiis imbuti maximo cum damno Eccleſiis & Rebuspp. præficiuntur.* 22. *Honorum Academicorum gradus in indignos collati.* 23. *Studiis* παρασκευαςικοῖς *imbutus expeditius in reliquis progreditur.* 24. *Juvenes docendo ſe ipſos informant.* 25. *Non cuivis tamen permittendum, ut doceat.* 26. Φιλονεικία *in Academiis noxia* 27. *& omni ratione prohibenda.* 28. *Peripateticæ philoſophiæ termini meritò moveri prohibentur.*

E Scholis

E Scholis in Academias tironem noſtrum, velut in alterum orbem, deduci- 1
mus. Miſerè jam cum illo agitur, niſi doctrinam illo ordine dignam mo-
resqve idoneos afferat. Hîc enim prima & ingenii & judicii ipſi experi-
menta capienda; qvibus ubi ſuccubuerit, & fortuna & ſalus ejus periclita-
bitur. * Non deſunt, qvi integris libris malos, qvi in Academiis vigent, juve- 2
num mores acerbiùs inſectantur. * Horum ego cenſuram eqvidem non reprehen- 3
do: ſunt enim eorum qverelæ veriſſimæ, & qvotidianâ experientiâ confirmantur.
Verùm meminerint tamen illi, non generari in Academiâ pravos mores, ſed propa-
gari. Si in puerorum recta educatione domi officium facerent Parentes, in Republi-
câ Magiſtratus, in Scholis Magiſtri; non eſſet fortè, qvare Academias accuſaremus.
* Nunc verò, cum è primâ officinâ, tùm qvà eruditionem tum qvà mores, mala linea- 4
menta ducta ſunt, an ſperari poteſt, ut ex alterâ illâ officinâ novi & rectiùs formati
Mercurii prodeant? præſertim cum libertas, qvam durioribus coërcere legibus non
licet nec expedit, plenius aliqvod bonæ mentis arbitrium reqvirat. Valet hîc, ſi
usqvam, illud Lucretii:

- - - in fabricâ ſi falſa eſt regula prima,
Normaque ſi fallax rectis regionibus exit,
Et libella aliquâ ſi ex parte claudicat hilum:
Omnia mendosè fieri, atque obſtipa neceſſum eſt,
Prava, cubantia, prona, ſupina atque abſona tecta,
Jam ruere ut quædam videantur velle, ruantque
Prodita judiciis fallacibus omnia primis.

Multo rectius ergo ſibi ſuisqve conſulunt, qvi vel domi ſuæ ſub bono magiſtro, vel 5
in Scholis publicis benè inſtitutis ad eos ætatis annos adoleſcentes detinent, ut & eru-
ditione & judicio firmati, non facilè vel pravis malorum ſuggeſtionibus vel ſuâ igna-
viâ ſe abduci patiantur. Niſi forte iis ſint opibus inſtructi Parentes, ut prudentis
ephori uti operâ poſſint. Qvô ii, qvi excellentioris ingenii ſunt (ii enim ad lapſus
proni) maximè indigere videntur.

Adeat ergô Academiam Adoleſcens, ſed tum demum, ubi ſtudium Scholaſti- 6
cum feliciter emenſus fuerit. Niſi enim hæc ſtudia in Academiam intulerit, rudis
hinc ſtipesqve redibit, qvibuscunqve etiam phaleris titulisqve ornatus. Nam ſa-
ne, qvi

Olim truncus erat ficulnus, inutile lignum,

nunc non repentè fiet Mercurius. * Et verò ipſa ſtudia ſcholaſtica ne nunc qvi- 7
dem ſeponere debet, ſed ſummâ perficere diligentiâ, cum iis per totam vitam præſi-
diis qvocunqve in genere niti poſſit. Nemo enim unqvam fuit, qvem his ſtudiis
operam dediſſe pœnituerit; plures fuêre, qvi neglectum eorum nimis ſerò dolue-
runt. * Ac videmus ſanè omnes illos, qvi philoſophiæ humanitatisqve ſtudia in 8
Facultates intulerunt, maximos feciſſe in iis progreſſus, atqve primas occupaſſe, cum
eorum rudes ne qvidem in tertiis ſubſiſterent. Eſt qvoqve per ſe ſtultum ad metam

tendere ſine viâ, qvâm illa ſtudia currenti ſubſternunt: neqve qvicqvam ſani veriqve vel in Juriſprudentiâ, vel in Medicinâ, addo & in Theologiâ, qvatenus rationi ſubjicitur, ſciri poteſt, niſi ex iis fontibus, è qvibus illi rivi defluunt, hauriamus.

9 Primùm qvidem Græcæ Latinæqve linguæ diligentior cultura, ſine qvibus muta ac elinguis penè eſt omnis doctrina, cum primô annô inſtitui in Academiis deberet, nemo eſt, vel pauciſſimi, qvi ad eas reſpiciat. Et his tamen fulcris niti, 10 his qvaſi pedibus ingredi, plus dicam, his alis volare debemus. * Qverebatur jam ſuo tempore *Johannes Caſelius*, magnus in ſolidâ doctrinâ ſuo tempore Hercules, de hâc in Academiis ſocordiâ & negligentiâ: Nam in eleganti illô libellô, qvi Νέος καὶ Πρὸδιδάσκαλος ab illo inſcribitur, narrat, qvomodo ſe Juvene in Wittebergenſi Academia *Vitus Vinſemius, Georgius Cracovius, Philippus Melanchthon*; in Lipſienſi *Joachimus Camerarius*, *Gregorius Bersmannus* Hiſtoricos ac Poëtas Græcos magna ingenii ubertate interpretati fuerint. Viveret ille & veniret nunc in Germaniæ Academias, & in Græcâ linguâ pleroſqve obmutuiſſe, in Latinâ balbutire, ſecu-
11 line dicam an magiſtrorum vitio, deprehenderet. * Donarem Græcam; ſed in Latinâ linguâ & eloqventiâ tantam paſſim regnare ignorantiam, qvis non indignetur? Et verò omnis illa Eloqventiæ facultas ſaltem ex Latinis Autoribus, ſi Græcos faſtidias, haurienda eſt. Qvid enim vel Germanicâ linguâ loqvetur Orator ſacer? qvid in ſubſelliis Senator? in aulis Legatus? niſi eloqventiæ lineamenta ex optimo magiſtro diſertiſſimo illo Romuli nepotum duxerit. Conſultus aliqvando, qva via ad eloqventiam ſacram iretur; rectius reſpondi, ſi qvis Ciceronis Orationes legeret relegeretqve ſæpius: Illi me albis dentibus riſerunt, ut indigna & abſurda locutum; Sed Viri docti ſatis intelligunt, qvid ego ſenſerim: non poſſe ſcilicet artificia etiam in Oratione ſacra meliùs, qvàm è ſummo in eloqventiâ magiſtro diſci. Nunc verò, ut qvisqve ſibi ſapit, ita ſibi loqvitur, non Auditori; qvi, ut in Satyrâ Horatianâ Druſonis debitor

Porrecto jugulo hiſtorias captivus ut audit.

Qvod alumno ſuo nutricula vovet, *& ſapere & fari rectè, qvæ ſentiat*, id
12 alumno qvoqve Academico noſtro nos voveamus. * Qvomodo fari recte debeat vidimus; nunc etiam ut ſapere diſcat monemus. Ad ſapientiam verò omnem viam ſternit τῶν λογικῶν doctrina, qvæ τρόπος ἐπιστήμης dicitur & ὄργανον, ſine qvâ minus efficere poſſumus, qvàm ſine malleo & incude faber ferrarius, ſine amuſſi & normâ architectus, ſine ſerrâ & dolabrâ ſcriniarius, ſine penicillo pictor. Ideo ſcilicet in Academiis vivimus, ideò ſtudiis incumbimus, ut rationem excolamus: & rationis tamen ac ratiocinationis artem pleriqve aſpernantur: Qvo qvid ſtultius fingi poſſit non video. Fundum bene ſubactum volumus, ſemina illi inſpergemus, neqve vomere & aratro, neqve marculo uſuri. Nil ſciri in ſcientiis ſolidi poteſt, niſi hâc duce, digitumqve intendente. Hæc illa divina virgula eſt, qvæ theſauros ſcientiarum indagat; hâc bolide profundum doctrinæ Oceanum exploramus: hâc acu magneticâ incognitas ἐγκυκλοπαιδείας terras venamur. Latè patet divinæ hujus ſcien-

tiæ

tiæ uſus; neqve categoriarum numero, vel nudâ ſyllogiſmorum fabricâ tantum de-
finitur. Sine illâ enervis omnis oratio, veritatis lux in opaco eſt, ſcientiarum defi-
nitiones claudicant, methodus omnis à viâ regiâ aberrat. Sæpius ſupra dixi, & nunc
repetens iterum iterumqve monebo, non eſſe ſuperficiariam huic diſciplinæ operam
impendendam. * Neqve ſententiæ meæ refragabitur, qvi perpendet qvanta Ana- 13
lyticæ, qvanta Hermeneuticæ utilitas ſit, qvæ geminæ Logicæ propagines per omnem
diſciplinarum fundum graſſantur, & individuæ ſcientiis omnibus comites adhærent;
In qvibus hodieqve, qvæ deſiderent, docti habent. * Nam ars Hermeneutica, 14
qvam ſingulari libro ſe deducturum promiſerat *Conringius*, & ante illum *Caſelius* in
libro ſuprà laudato, nondum exculta eſt. Neuter verò promiſſa ſua explevit. Ca-
ſelius in Νέῳ ſuo qvidem ſe teſtatur jam dudum ΕΡΜΗΝΕΥΤΗΝ ſuum animo deſignaſ-
ſe, ac debere juventæ, qvi alios erudiet, alios confirmabit. Sed ejus nec vola nec
veſtigium in Catalogis Operum Caſelianorum vel editorum vel ineditorum repe-
ritur.

Ne verò qvis exiſtimet, dum Logicam adeò Tironi Academico commendo, 15
me illum in Cathedras novum Sophiſtam detrudere, qvi perverſo nunc in Academiis
more, prius de rebus diſputationes miſeras & jejunas inſtituat, qvarum ille ignariſ-
ſimus eſt. Peſtis illa juventutis eſt, & tamen ille mos nunc ita invaluit, ut ſuum
officium facere non credantur Doctores, niſi diſputatiunculis nugatoriis omnia ſub-
ſellia perſtrepant. Sunt, qvi loco lectionum, qvibus principia ipſa explicari debe-
bant, diſputationes inſtituant inter tirones, ridiculo profectò ac inutili conſilio.
* Qvi mihi fidem non habebunt, habeant Caſelio, præclaro his in rebus judici. Ita 16
ille in ſuo Νέῳ καὶ Προδιδασκάλῳ: *Hoc ſtudium divinum* (Logicum intelligit) *ma-
gna diligentia colendum judico; nec minus verò privatim, qvàm publicè: Sed diſputa-
tiones tironum non minus mihi ridiculæ ſunt, quàm inſtructa acies gruum & Pygmæo-
rum, de qua Poëtæ fabulantur; ac male novitiis conſulunt, qui eos in acie diſputatio-
num collocant, quaſi egregia facinora deſignaturos, qui nec clypeum tenere, nec haſtam
vibrare, ac ne pedibus quidem firmiter conſiſtere valeant; quin ii diſputationum ſpe-
ctatores, diſputantium auditores fruſtra ferè opinor ſint. Ut ſine materiâ & inſtru-
mento ne tuguriolum ædifices, ita ſine doctrina & certo de rebus conferendi modo eru-
ditum ſermonem nullum inſtituas, atque inſtitutum ab aliis ne quidem ſatis intelligas.
Non eſt enim, ut vel in ſutoria puer momento magiſtrum æquet: nec hic ferat illum
ſibi obloquentem in arte tam vili: quin dicto ſibi audientem eſſe jubet; interrogandi
fortè ei poteſtatem faciat, ſi humanior ſit. In paulò honeſtioribus diu docent, diu exer-
cent alumnos; nec iis judicii partes infimas permittunt. Sunt profectò adoleſcentum
opiniones nihil aliud, quam vigilantum ſomnia. Res enim ipſas nec oculis nec animo
viderunt; mens in ea ætate imbecilla, uſus rerum nullus. Hoc igitur efficitur, ut ab
initio de rebus non cognitis, nulla explorata ratione controvertentes, ad veritatem nun-
quam perveniant; ſed vel ſemper, quicquid ſit, de quo agitur, animo hæreant, & à
quovis facilè huc illuc, non jam rationibus, ſed verborum flabellis impellantur, aut opi-*

 niones,

niones, vel ab aliis acceptas, vel à ſe excogitatas, ita mordicus teneant, ut nullis rationibus, quantumvis certis & evidentibus, ab iis ſe dimoveri patiantur, ſed valeant etiam volubilitate linguæ tueri. Dum enim non tacent, etiamſi ad rem nihil dicant, ſe ſuperiores eſſe & ipſi exiſtimant, & habent ſui ſimiles, qui aſſentiantur.

17 Debet & inter ſtudia *παρασκευαστικὰ* ſuus mathematicis nonnullis diſciplinis locus aſſignari, præcipuè Arithmeticæ & Geometriæ, qvæ ingenium ita acuunt, ut cos ferrum: Logicæ doctrinæ vel ideo ſubſidio eſt, qvod ars demonſtrandi nullis aliis exemplis qvam geometricis pleniùs declarari atqve ob oculos poni poſſit. Animum qvoqve in rebus apprehendendis certiore viâ ducit, ut non facilè ad falſa declinet. Sunt enim in multis rebus neſcio qvomodo *ἀπαίδευτοι* & *ἀναίτιοι*, qvi planè *ἀγεωμέτρητοι* ſunt, ut pueriles ſæpe errores & cuivis palpabiles prodant. Qvantam hæc ſtudia efficaciam in ingeniis excitandis habeant, teſtatur Caſelius in librô modô laudatô; *Vidi*, inqvit, *quos ſtupidos diceres, tanquam è profundâ voragine emerſiſſe, præſidio Geometriæ.* Numeris qvantum tribuerint veteres, nemini incognitum eſt, & eo in loco pluribus perſeqvitur Caſelius.

18 Hiſtoriæ tanta ad omnem doctrinam utilitas eſt, ut ſine illâ nihil planè effici poſſit. Ejus plenior cognitio habenda eſt, non tantum illius, qvæ Politicæ fundamenta ſubſternit, ſed & illius, qvæ ad Theologiam, & ad omnes ſcientias manuducit. Hiſtoriæ omnia penè debemus, qvæ ſciri poſſunt: nam qvi *ἱστορούμενα* cujuscunqve doctrinæ accuratè novit, plus omnibus in illa magiſtris ſapit. Eâ de re pluribus egimus *lib. 1.* ubi *de fructu Hiſtoriæ literariæ* diſſeruimus.
19 * In his ſe diſciplinis exerceant juvenes, his illi ſtudiis incumbant, atqve ita incumbant, ut ex earum fontibus non tanqvam canes è Nilo hauſiſſe videantur. Et illæ qvidem omnibus, ad qvodcunqve ſe vitæ genus verterint, exhauriendæ ſunt. Qvi Theologiæ, qvi Jurisprudentiæ, qvi Medicinæ operam daturi ſunt, præter hæc, in Methaphyſicis, Ethicis & Politicis, Phyſicis, non levi induſtriâ verſari debent; Sunt enim illæ, qvaſi radices, è qvibus ceteræ propullulant, ac in ramos fructusqve diffunduntur. Eſt verò in illâ palæſtrâ aliqvot annos ſudandum, donec firmo latere lacertisqve validis in majori te theatro athletam ſiſtere poſſis.

20 Non poſſum probare illum, qvî paſſim in Academiis viget, morem, qvo tres qvatuorve diſciplinæ intra anni tempus levi aliqvâ percurſatione abſolvuntur, ſpecioſo *Panſophiæ* titulo. In qvibus ſuſcepta tumultuaria opera ſufficere videtur ad Facultates, ad qvas illico tranſitus fit. Et hi qvidem omninò præmeditati ad eas accedere ſibi videntur, ſatis ſe jam Philoſophiæ præſidiis inſtructos rati, cum aliqvot in ſingulis diſciplinis vocabula memoriâ comprehenderint.
21 * Nam ſunt, qvi & hanc operam nimis ſibi moleſtam aſpernantur, & ſtatim ſupervacaneô hoc ac inutili ſtudiô relictô ad metam properant, ne qvid temporis ſibi pereat, vel cathedram ſacram vel Reipublicæ ſubſellia occupaturis. Qvo fit, ut, cum imperiti vel ſemidocti ubiqve primas teneant, verè doctis ac prudentibus vix in tertiis ſubſiſtere liceat, aut illi æternùm exulare jubeantur. Qvid hinc Scholis, qvid Eccleſiis, qvid Aulis expectandum

ctandum ſit, facilè prudentes intelligunt; nam barbaries tandem, exclusâ in perpetuum verâ ſapientiâ, dominabitur.

Paulatim etiam in hos mores publicâ & regiâ viâ itur, dum honorum gradus, 22
qvondam adeò ſanctè habiti, & in eos tantum collati, qvos ardens ad æthera virtus evexerat, nunc qvibusvis, qvi vix prioribus labris deguſtarunt doctrinam, qvam profitentur, ut has oſtentent ad populum phaleras, ſuſpenduntur. De Gallicarum Academiarum moribus vide, qvæ Menagius ſcribat epiſtolâ illâ, qvam Amœnitatibus ſuis Juris præmiſit: *Bene hodie*, inqvit ille, *cum Jurisprudentiâ ageretur, ſi ejus ſtudio triennium, ut ætate Cujacii, impenderetur. Sed, ô tempora! ô mores! non triennium, non trimeſtre tempus, vix triduum ei impenditur. Citatis equis uno die urbem Aureliam petunt Juris Candidati: altero, Licentiatus, quod vocant, ibi gradum ſumunt: tertio, Juris Conſulti Lutetiam redeunt; ut, quod joco olim de ſe Marcus Tullius, triduo ſe Juris Conſultos profiteri ſeriò velle videantur: Advocati quarto die fiunt: quinto, veniâ ætatis à Principe impetratâ, (quâ indulgentiâ nihil perniciosius eſſe contendo) Judices ſine legitimo examine facti, de fortunis, de vitis hominum judicant. Reipublicæ tam noxium morem à Petro Seguerio, Franciæ Cancellario, Guillelmo Lamonione Senatus Principe, Dionyſio Talonio, Achille Harlæo, Hieronymo Bignonio, Regiis Triumviris, pro eo, quo in Rempublicam flagrant, amore, brevi emendatum iri ſperamus, quotquot ſumus, qui notitiam boni & æqui profitemur. Imo emendare jam cœperunt: Audio enim Principis decreto & conſulto Senatus ſtatutum nuper fuiſſe, ne quis inpoſterum ad Licentiatus gradum, ſine qvo nemo Advocatus fieri poteſt, certè non debet, pervenire poſſit: niſi qui annum integrum in Academia celebri Juris ſtudio poſuerit: utqve nemo, niſi qvi qvadriennium in foro verſatus, voce aut ſcripto juverit Clientes, (eſt enim Ordo Advocatorum ſeminarium omnium Magiſtratuum) Judicum conſortio adjungatur.*

Benè fecerit Tiro noſter, ſi aliâ ac ſecuriori viâ inceſſerit, ſi ſtudia illa *παρασκευαστικὰ* majore diligentiâ tractaverit: in qvibus & ipſis ſæpe inveniet, qvod 23
vitæ civili magis idoneum reddat, & expeditius ad gloriam, honores, nominisqve immortalitatem iter ſternat: ad Facultates verò ſe applicans dimidium facti, qvi tam benè cœperit, habebit; cumqve alii in luto pulvereqve repent, hi alis per ſublime ferri videbuntur. De Doctorum officiis hîc ſolliciti non erimus. Si præficiuntur muneri Profeſſorio Viri omni doctrinâ inſtructi, omnibusqve eo nomine ſpectati ſatis, illi videbunt, ne qvid detrimenti capiat res literaria. Quæ ſint in Academiis profeſſiones conſtituendæ, qvid in ſingulis publicè privatimqve docendum, de eo prolixè egit Joannes Sturmius *in Epiſtolis ſuis Academicis*, qvas Claſſicis ſuis ſubjunxit. Sed in illis & locorum & auditorum ratio habenda eſt.

Non parum & hoc in Academiis viventi proderit, qvod & Fortius Ringel- 24
bergius præcepit, ut, qvi aliqvos in diſciplinâ progreſſus fecerit, alios ſuorum commilitonum, hâc parte philoſophiæ minus exercitatorum, erudiat, numerato etiam pretio, ut habeat, qvibus prælegere poſſit. Oratores, Hiſtoricos, Poëtas, (Caſelii

idem

idem hoc conſilium eſt) viciſſim legant, ita ut qui qvo die interpretis munus gerat,
25 meditatus accedat, ceteri ejus diligentiâ erudiantur. * Sapienter tamen idem addit: *Hic adoleſcentulos moneo, ut non temerè, nec de æqualium puerili ſuaſu aut inſuſurratione, ſed de conſilio docti viri audiant, quem audituri cunque ſunt. Si qui ab iis, quæ publicè docentur, abhorrentia, ſive cum iis pugnantia promittunt, ad eos ne ſe applicent, ac perplexis & inſulſis opinionibus, quam veritate imbui, & apud imperitos videri quam eſſe docti malint. Hoc enim agunt Sophiſtæ, ut ex inanibus doctrinæ*
26 *umbris & ſapientes videantur, & compendiis ſuis conſulant.* * Id verò eò diligentius cavendum eſt, qvò proniores in Φιλονεικίαν eſſe juvenes ſolent, qvi ſolâ novitatis ſpecie inducti nubem pro Junone ſæpe amplectuntur. Qvanta è talium magiſtrorum, qvanta è ſtudioſorum Φιλονεικίᾳ mala in Eccleſiam, Rempublicam totamqve rem literariam incommoda promanârint ſæpe, dici vix poteſt. Vide *Voglerum*
27 *in Diſſertatione de ſtudiorum hodiernis corruptelis.* * Qvare mihi potius placeret, ſalutaribus legibus huic obviam ire licentiæ, omnemqve illam novaturiendi libidinem enſe reſecare, ne pars ſincera in eundem pruritum trahatur. Convenit enim doctoribus prudentibus, ut omnes in partes vigiles oculos circumferant, ne qvid ſtolidioris vel peſtiferæ doctrinæ ſerpat ac paulatim animos inficiat; Neqve Magiſtra-
28 tus hîc ceſſare officium debet. * Non malè ſuis rebus qvædam Academiæ conſuluerunt, qvæ veteres Peripateticæ Philoſophiæ terminos movere prudenti inſtituto prohibuerunt. Qvod etſi qvibusdam aſperum nimis & durum videtur, qvi libertatem philoſophicam ſemper crepant, ſciant tamen illi, publicam philoſophandi formam neceſſario tenendam eſſe, qvæ in præcipuis partibus ita ab Ariſtotele adaptata eſt in Logicis, Ethicis, Politicis, Rhetoricis, ut non facilè emendari poſſit. Neqvidem in Phyſicis principiis ejus doctrinam publicam repudiandam exiſtimem, ſupplendam tamen novis illis inventis, cumqve iis qvodammodo conformandam: Qvod feliciter à nonnullis tentatum eſt.

CAP. XII.
DE PÆDAGOGIA REGIA.

§. 1. *Methodus Principis informandi à vulgari differt.* 2. *In quem finem Principis ſtudia dirigenda.* 3. *In principe etiam doctrina requiritur.* 4. *Autores qvi de principum inſtitutione ſcripſerunt.* 5. *Mores præ ceteris in principe ſpectari debent.* 6. *Ipſi etiam in puerili ætate virtutes inſtillandæ.* 7. *Conſilium Autoris Anonymi Galli.* 8. *Ephori prudentes ſeligendi.* 9. *Ingenia principum conſiderandæ.* 10. *Linguæ ex uſu & converſatione diſcendæ,* 11. *An linguæ & ſcientiæ ſimul diſcendæ.* 12. *Grammaticis minutiis non eſt macerandus Princeps.* 13. *Ab Autorum interpretatione abeſſe quoque debent Grammaticorum tricæ.* 14. *Fabulæ Æſopicæ, ſententiæ, adagia politici uſus proponenda.* 15. *Styli exercitium in moralibus & hiſtoricis occupetur.* 16. *Hiſtorici prælegendi.* 17. *Politica*

litica ex illis diligenter notanda. 18. Difficiliora prætereunda. 19. Hiſtoria patria iis jungenda. 20. Sententiæ Politicæ Lipſianæ commendantur. 21. Chronologia. 22. Methodus in diſciplinis Theoreticis per compendia inſtituenda. 23. Quòd ſi velit, per ampliora ſpatia duci poteſt. 24. inter mathematica potiſſimum militaria & navalia inculcanda. 25. In Phyſicis è Muſeis & Gazophylaciis informandus. 26. Naturalium ſecretorum ſcientia Principem maximè ornat. 27. imò ad prudentiam civilem facem accendit. 28. In Practicis diſciplinis quæ ratio tenenda. 29. Nec Poëtarum, Comicorum lectio Principi negligenda. 30. Theologia in quantum ad fidem neceſſaria, addiſcenda. 31. Subſidia à converſatione, 32. Anagnoſtis, 33. Bibliothecis. 34. Nobilium Pædagogia operoſior eſſe debet, quàm Principum. 35. nec milites literarum expertes eſſe decet.

A Communi didacticâ ſejungenda eſt illa, qvæ cum Principibus inſtituitur. 1
Nam, cum illi, qvi ſtudiis operam dant, ſinguli certos ſibi fines propoſitos
habeant, ita in Principibus maximè ille ſpectandus, qvi ſtudia omnia eò dirigere debent, ut populo ſuo benè imperent, ut ſuam non ſolùm ſalutem,
ſed & populi curent & attendant. * Cum ergo privati eas ſtudiorum partes ſe- 2
ctantur, qvibus ſibi benè ſit, & ſe in ſtatu privato felices fore exiſtimant, Principes ἀρχιτεκτονικὸν illud, qvod in ſapientiâ omni eſt, & ἡγεμονικὸν ſibi ſervare debent,
qvo illi omnia, etiam civium ſtudia, in Reipublicæ bonum ordinent. * Ideoqve 3
ita omnibus imbutus eſſe literis debet Princeps, ut non qvidem ad omnes minutias deſcendat, ut illi faciunt, qvi hæc in Republicâ particularia tractanda ſuſcipiunt; ſed generatim tamen atqve universè de iis judicare, & ex ſapientiorum ingenio illa ordinare poſſit. Inepti ſunt & ſtolidi, qvi infra Principis dignitatem eſſe exiſtimant, linguis & diſciplinis applicare animum: Ii enim non Principes ſe formare meminerunt. Si qvi ſunt in Republicâ cives ceteris & doctiores & moratiores, ut eſſe ſanè debent; nam incondita turba regitur à prudentioribus; omnium & prudentiſſimum, & ſi fieri poteſt, doctiſſimum eſſe Principem, qvi ceteris etiam doctioribus & melioribus imperet, neceſſe eſt: ſi non in minutiſſimis doctrinarum partibus, ſaltem in eo, qvod ad ἡγεμονικὸν propiùs pertinet. Graviter in illorum opinionem invehitur, qvi à Principibus abeſſe omnem doctrinam volunt, Caſelius in eâ epiſtolâ, qvam Cyri pædiæ Xenophontis ſubjunxit.

Magnus eſt eorum numerus, qvi de Principe inſtituendo ſcripſerunt, tàm inter 4
veteres, qvàm inter recentiores, qvorum pleriqve mutuò ſe exſcribunt. Xenophontis Cyri pædia nemini ignota eſt, & Plutarchi libelli de eo argumento. E recentioribus multi ſunt, qvi dum de inſtitutione principum agerent, omnia penè Philoſophiæ moralis & civilis præcepta in eo argumento exhauſerunt. CONRADI HERESBACHII extat liber *de educandis erudiendisque principum liberis*, *Francof. ad Mœn.* 1592. editus; qvem *Joannes Sturmius* in libello *de Educatione principis* ad Illuſtriſſimum Principem Gulielmum, Ducem Juliacenſem ſcripto, à pietate, prudentiâ, do-

ctrinâ commendat. Erat verò illi Principi à Conſiliis Heresbachius. Marci Antonii *de Principum doctrinâ* extant libri novem, ſub formâ dialogi ſcripti, Francofurti recenſente Zacharia Palthemio Ann. 1603. editi. Erasmi *quoque* Roterodami eâ de re extat *epiſtola: Caſelii* etiam *Oratio* Xenophontis Cyri pædiæ à ſe editæ addita. Sunt porrò Hier. Cagnoli liber *de rectâ Principis Inſtitutione*, Colon. 1577. in octavo editus: Farnesii *Diphtera Jovis*, ſeu *de antiqvâ principis gloriâ & inſtitutione* libri tres, Mediolani Ann. 1607. in 4. editi: Heroaldus *de Inſtitutione Principis*, Pariſ. Ann. 1617. Marnixii de eodem argumento libellus: Leonis Bacovii *Delphinus* ſeu *de primâ Principis inſtitutione*, Pariſ. 1671. in 4to editi. Eſt & Regum Principumqve Inſtitutio ab incerto autore Gentis Sueticæ, ante ſecula non nulla Sveticô ſermone conſcripta, qvam ex mandato Illuſtriſſimi Regii Cancellarii Comitis Magni Gabrielis de la Gardie in ſermonem Latinum convertit, notisqve acceſſoriis illuſtravit Johannes Schefferus, ediditqve Holmiæ Svecorum Ann. 1669. in folio. Pleriqve tamen & penè omnes ad mores potius hîc, qvàm ad doctrinam, reſpiciunt, de qvâ nos hoc loco potiùs ſumus ſolliciti.

5 Negari id qvidem neqvit, eſſe in Principum diſciplinâ præ ceteris omnibus mores & officia conſideranda, & judicium practicum omni curâ excolendum: Hoc enim illi, qvi imperio præeſt, præcipuè exercendum. Debet tamen & intellectus perfici bonis literis, qvarum uſus & exiſtimatio in Republicâ à Principis judiciô pra-
6 cticô dependere debet. * Earum cognitio præcedere in ætate Principis puerili debet, ut ſemper fieri æqvum eſt. Major tamen in virtutum lineamentis mature ducendis etiam hîc diligentia impendi debet & poteſt: Etſi enim privatæ ſortis homines talia ad muturiorem ætatem referunt, Principes tamen, qvi in juventute ſæpe Reipublicæ clavo admoventur, earum ſimulacra animo infixa habere debent; Qvi qvanqvam per ætatem abſolutam moralium cognitionem habere vix poſſint, eorum tamen ſemina è converſatione Virorum ſapientum in tenerrimâ etiam ætate non infeliciter
7 ſparguntur. * Operoſus eſt in ejus rei declaratione Anonymus qvidam Gallus, qvi elegantem ſcripſit hoc titulo librum, Amſtelodami apud Danielem Elzevirium Ann. 1679. in 8. editum, *de l'education des enfans & particulierement de celle des princes où il eſt montrè de quelle importance ſont les ſept premieres annees de la vie.* Toto libro nihil aliud agit, qvàm ut monſtret, qvomodo ſingulæ virtutes implantari animis tenellis poſſint, præſertim iis, qvi operâ ſapientum uti poſſunt; qvod feliciùs in principibus, qvàm in privatæ ſortis hominibus, fieri poteſt. In illâ enim ætate, ait, exiguô labore ſpiritus imbecilles flecti poſſe, vel per metum levis pœnæ, vel per ſpem exiguæ & innocuæ voluptatis. Pudor, Metus, Curioſitas, Credulitas qvatuor illi anſæ ſunt, qvibus animi ipſorum tenelli prenſari, & ad certum finem duci poſſint. De ſingulis ille multa utilia præcepit, qvæ velim ego Principum informatoribus vel informatricibus (nam & graves matronæ in illâ ætate plus viris poſſunt) eſſe commendatiſſima.

8 Ut ad doctrinam veniamus, eam ego Principis dignitati & genio attemperandam

randam

randam omnino ſvaſerim. Præcipua hîc cura eſt in Viro & doctrina & virtutibus etiam civilibus ornatiſſimo, teneræ Principum ætati præficiendo: Niſi forte alium informationi, alium moribus Parentes præfectum velint. Sed tamen & in illo, qvi ſtudiis præeſt, omnia illa morum reqviſita abeſſe minimè debent: Amicè enim illa conſpirant, & mutuas ſibi operas tradunt. Characterem talis Ephori optimè deſcribit *Joannes Schefferus* in libello de *Generoſi nobilisq; informatione literariâ.* * Diligentiſſimè 9
hîc diſcernenda ſunt Principum ingenia, ſintne φορτικά, tardiora vel obſtinata. Singulorum indoli attemperandæ ſunt doctrinæ methodi. Pernicia enim & agilia ſummaria cognitione per intervalla ſine moroſâ aſſiduitate informanda & velut in curſu per luſum jocumqve propellenda ſunt; tardiora & moderatiora planiore via per doctrinarum adyta circumduci poſſunt, ita tamen, ut tædium omne evitetur.

Primum eſt linguarum ſtudium. Hîc ſi velint Principes, cum deeſſe illis 10
opes & ſubſidia non poſſint, compendioſiore via qvàm privatæ ſortis homines procedere poſſunt. Converſatio & colloqvia crebra hîc facilè, qvam velint linguam qvam commodiſſimè illis inſtillaverint. *Equidem*, inqvit J. Paſtorius in Palæſtra Nobilium cap. 2. *quod de collegiis, in quibus domeſtici omnes non aliâ linguâ quam Latinâ uterentur, & ego alibi, & alii ante me monuere, id à nemine citius, quam à nobilibus* (qvanto magis à Principibus?) *dari poſſet effectui: quippe qui facillimè omnium ſumptum eum facere ac ſuſtinere queant. Et miror de tali inſtituto in locis ad rem eam oportunis non cogitari diligentius, neque inter tot viros magnificos & ad pia alioquin opera propenſos, reperiri aliquos, qui tale velut Latium extra Italiam fundare, ſi non pro vulgo, ſaltem pro nobilibus pueris, aggrediantur.* Diſſeruimus ea de re ſuprà *Cap. 9.* è mente Gallici autoris prolixiùs. Nunc verò ubi illa deſunt ſubſidia, vulgari via etiam Principibus incedendum eſt: Qva vix tamen tantum proficient, ut vel loqvi vel ſcribere expeditè Latinam linguam poſſint. Neqve ego id valde reqviram, cum & temporis multum hîc impendendum ſit, & Principi ſufficere poſſit, ſi linguam accuratè intelligat, qvod multa Autorum lectione impetrari facilè poteſt. Nam ſtyli exercitio, ut qvis emendatè ſcribat, triplo majùs tempus impendi debet, qvàm ſi ſola linguæ intelligentia qvis contentus eſſe velit.

Fortaſſis & hîc audiendos qvis exiſtimet, qvi linguam & ſcientiam ſimul diſci 11
volunt, qvo ſibi invento plaudere præ aliis *Comenius* viſus eſt: Compendia enim, ſi usqvam, in Principibus ſectari volent, non per multas ambages circumducendis. Verùm Comeniana illa methodus non præſtat, qvæ illa magno hiatu promittit. Mallem ego in nudis nominibus & verbis, ſecundum ordinem rerum diſpoſitis qvamcunqve διατύπωσιν, qvalem Beccherus inſtituit, qvàm iſtam Comenianam farraginem: etſi illo conſilio parum in tenera illa ætate proficeretur. * Nugantur, qvi per 12
chartularum luſum vel bella grammaticalia regularum Syntacticarum uſum efformari poſſe credunt, nam laborem potius duplicant, animosqve novis imaginibus onerant. Non alia, qvàm per uſum, lectionem & colloqvia, compendia linguæ etiam hîc haberi poſſunt. Grammaticis enim præceptis qvi macerare Principem velit, aliàs in tenera

iſta ætate inutilibus, næ is delirus eſſet: Neqve enim Grammaticus è Principe for-
mandus eſt, ſatis & absqve minutiis regularum, etiam ipſâ in linguâ doctum & diſer-
tum. Linguæ vulgares, Gallica, Italica, per luſum jocumqve ſolâ diſci converſatione
Magiſtrorum poſſunt.

13 In Autorum lectione ac interpretatione, ſed eorum, qvi Principi conveniunt,
multum poni diligentiæ debet. Procul hinc eſſe debent Grammaticorum & Critico-
rum tricæ. Ne in puerili qvidem ætate negligenda ſunt, qvæ virtutem prudentiam-
14 qve augere poſſunt. * Seligendæ e. g. ſunt fabellæ Æſopicæ, Apologi civilis
uſus, qvales multi ſunt, eorumqve uſus in vitâ civili declarandus. Jungi poſſunt Adagia
πολιτικώτερα, Emblemata, Symbola, Sententiæ breves & acutæ, qvorum omnium
exempla qvædam collegit, & velut in guſtum dedit Joachimus Paſtorius in ſuâ *Palæ-*
15 *ſtrâ Nobilium cap. 5. 6.* * Si ſtyli exercitium placuerit, moralia, civilia argu-
menta & hiſtorica, qvibus πρακτικὸν aliqvid ſubſit, ſeligenda. Si epiſtolas malis,
fingantur occaſiones ſcribendi ſuper negotio aliqvo morali vel civili. Continua ea-
rum rerum tractatio, accedente ſplendore illo externo, animos puerorum etiam in
ſublimem qvendam ſtatum extollit, ut ideas ſibi earum rerum formare incipiant, qvæ
in humiliore fortunâ conſtitutis, & anguſtiâ rerum preſſis, non facilè etiam per ope-
16 roſa præcepta ſe ingerunt. * Hiſtorici omne punctum ferant, præcipuè illi, qvi
Principum ac Imperatorum vitas ſcripſere, ac Reipublicæ Romanæ originem & pro-
17 greſſum. * In his Præceptoris induſtria omnes ſe in partes verſabit, ut illud, qvod
18 verè πολιτικὸν eſt, ex iis exprimat, Principiqve inſtillet. * Si qvæ non ſatis pla-
na videntur & obſcura, neqve valdè ad rem pertinent, ea præterire ſecure poteſt.
Memini, inqvit Sturmius, *me hoc conſilium dediſſe meis, ut in hujusmodi ſcopulis face-
rent, quod boni aratores in ſemente & meſſe faciunt, qui ſpineta & radices arborum
altas, & ſaxa prærupta, arando & metendo prætereunt, ſi impenſa fructum ſuperet: ſic
etiam illi notent ea loca, quæ utiliter in præſenti cognoſci non poſſint. Veruntamen ut
illi, qvæ cum emolumento poſſunt, ſaxa evertunt, & truncatas arbores effodiunt, & ſpinas
evellunt; ſic etiam illis operæ pretium eſſet in iis ſententiis ſubſiſtere, quæ intelligi poſ-
ſunt, etiamſi ſint difficiles, & ſi absque iis lumen ceterorum obſcuretur.* Monſtravit
Böclerus in peculiari diſſertatione, cui titulus: *Hiſtoria Schola Principum*, qvanta
19 ejus doctrinæ utilitas ſit. * His demum Hiſtoriæ patriæ accuratior notitia ſub-
jungi deberet, omnisqve domeſtici ſtatus rationes & arcana, accreſcente ingenio & ju-
dicio, explicatiùs proponi. Romani qvondam etiam in Senatum pueros induxerunt,
ut qvaſi in rem præſentem venirent, & ipſam rerum civilium ſcenam intuerentur.
20 * Politicorum præceptis, niſi generaliſſimis, macerari illum nolim. Firmiùs hæret,
jucundiorqve eſt, qvæ in Hiſtoriâ invenitur veriùs, qvàm diſcitur, civilis prudentia.
Non diſplicebunt etiam hic ſententiæ, è bonis Autoribus excerptæ, & ordine ſyſtema-
tico nexæ, qvales dedit in aureo Politices ſuæ Opere Lipſius, in qvod, ut hoc ὡς ἐν
παρόδῳ memorem, Böcleri utiliſſimas notas è privatis ejus prælectionibus collectas,
publico Orbis Literati bono non invidebit Illuſtriſſimi Comitis RANZOVII Conſi-
liarius,

liarius, *Nobiliſſ. Dn. Friſius*, qvi ſuo conſilio prima latinitatis lineamenta à juniore Comite Friderico b. m. feliciter ex iis ſententiis ducta teſtatur, ut has poſtea ſententias firmiter memoriæ infixas habuerit. * Chronologia Hiſtoriæ brevior adnecti 21 debet, eaqve duplex, qvarum altera ſub titulis ſeculorum & annorum præcipuas Rerumpubl. mutationes ſignet; altera ſub titulo Rerumpublicarum annos mutationum notet. Qvibus jungi qvoqve Geographicarum tabularum explanatio debet.

In ſcientiis & diſciplinis non omnia cum pulviſculo converrenda ſunt. Ne- 22
qve enim ad minutias ſingulas, in qvibus Profeſſores earum ſatis, qvod agant, habent, deſcendendum eſt. Seligenda ſunt compendia breviora, qvale fortaſſis non ſpernendum eſt, qvod *Joachimus Fortius Ringelbergius* dedit: nam mira brevitate multa complexus eſt, nec ſordido ſermone: Continuus enim ille ſermo hîc magis arriſerit, qvàm ſchematiſmi tabularum, qvibus res minutatim diſcerpuntur. * Qvod ſi ve- 23
rò ingeniô præditi ſint Principes, eamqve adhibere diligentiam velint, circumducantur per ampliora ſcientiarum ſpatia. Neqve enim dedecori illis erit ad fundum usqve haurire omnia, modò in uno ſtudio immodici intemperantesqve non fuerint. Abſtruſior eruditio non obtundit civilem prudentiam, ut multi exiſtimant. Ac fuere olim & noſtro tempore Principes erudititiſſimi, qvi feliciſſimè imperarunt: Fuêre qvi pro uſu Principum ſingulas penè diſciplinas in compendium traxerint, ut *Mottæus Vayerus* & *Philippus Labbeus*, qvorum extant, Geographia, Logica, Rhetorica, Phyſica &c. Principum, de qvibus viderint, qvibus ea conferendi otium eſt. * Mathema- 24
ticas diſciplinas ita tractari velim, ut nullius rudis ſit; militarem verò accuratiùs intelligat, & navalem: Magnus enim earum uſus in Republicâ eſt. * Phyſicam 25
potius ex ipsâ naturâ, qvam è libris, diſcat. Si Muſea & Gazophylacia rariorum naturalium, naturali ſerie ordinatorum, illi exhibeantur, ſi domus illi Salomonia, qvalem optabat *Verulamius in ſua Atlantide*, exſtrui poſſit, ut ille rariora naturæ & artis contemplari qveat, hîc ſub unum conſpectum reduci poſſet tota rerum natura; Qvâ de re etiam nos ſuprà diximus. * Nihil magis ornat Principem, addo & vene- 26
rabilem facit, qvam iſta ſtudia, præſertim, ſi & naturæ qvædam ſecreta teneat. Ea olim Regum cura fuit, qvi arcaniſſima naturæ ſibi ſervarunt, neqve in vulgus elabi paſſi ſunt. De Chinenſium Regibus notum eſt, qvam illi Aſtrologiæ cognitionem affectent, qvaſi & Rex, qvi inſigni orbis parti præeſt, conſcius qvoqve univerſi iſtius regiminis eſſe debeat. Taceo de utilitatibus, qvæ ex iſtis ſtudiis in Rempublicam ratione redituum è commerciis, ex opificiis, è fodinis & ſimilibus promanant. * Poteſt 27
& ipſa naturalium rerum cognitio ad prudentiam civilem facem accendere, ſi earum imagines ad politicam transferantur; qvod ſagaci Doctori facillimum erit. Ejus pulcherrimam ideam ſubminiſtravit *Joach. Paſtorius libri ſæpius laudati cap.* 26. & totum illud agit in ſua Philoſophiâ Chinenſium celebratiſſimus Philoſophus Confucius, qvæ nunc Regis Galliæ juſſu in lucem edita eſt. Elegantiſſima planè illa ſunt & perpetuâ allegoriâ Phyſica Principia civili doctrinæ hîc accommodantur, ut jam ſuprà qvoqve diximus.

28 In Practicis habitare totus debet. Moralis philoſophia potius per exempla
qvàm ſubtilia præcepta inculcanda eſt: Nam qvi illam ſub caſtelli ſpecie repræſen-
tavit, inqve eo munimenta ſingula virtutum nomine ſignavit, contrario vitiorum ca-
ſtello oppugnata, neſcio qvam ſcenicam doctrinæ ſpeciem oſtendere voluit, qvæ mihi
ſanè probari non poteſt. Videatur de eâ *Sorellus in ſcientia Univerſali Tom.* 4. *cap.
ultimo.* In Politicis Loci Communes, qvi apud hiſtoricos occurrunt illuſtriores,
qvalesqve notavit Paſtorius *cap. 15.* proponi, vel ad exercitia Rhetorica, ſi eò usqve
deſcendere velit Princeps, vel ad lectiones poſſunt. Nam excerpta minutiora Princi-
29 pi non conveniunt. * Lectionem Poëtarum, Comicorum, Tragicorum, Satyri-
corum, Principi qvoqve commendat Caſelius. In his vitæ omnis character ob ocu-
los ponitur, & plenior qvædam vel Ethica vel Politica, qvàm in Chryſippi & Cran-
toris præceptis, continetur. Corporis exercitia, qvia ad rem literariam non perti-
30 nent, mittimus. Illa non ſegniter Principi tractanda. * Qvæ ad Theologiam
pertinent, ita ſunt exhibenda, ut, qvantum illi ſatis ad ſalutem, fidem ac civilem dire-
ctionem ſit nôrit. Rectè enim Caſelius: *Ut exquiſita linguæ ratio ad Grammaticum,
ut cauſæ forenſes ad Juriſconſultum: ita quæ in Eccleſia moventur de religione ad
31 Collegia Sacerdotum referenda ſunt.* * Deniqve in tot Viris doctis, qvorum con-
ſortio pro lubitu uti poteſt, ſcientias vivas habet Princeps. Horum ex converſatione
plus, qvàm multâ lectione, diſcitur. Non parum etiam hoc juvabit, ſi ejusdem di-
ſciplinæ ſocios excellentis ingenii pueros habeat, qvorum exemplo ille incitetur, ac
ſimul erudiatur.

32 Multa præterea Principibus ſubſidia ſunt ad ſcientias & bonas artes, modò
ipſi intelligant, & opibus ſuis parare ſibi longè meliores theſauros non omittant.
Poſſunt illi Anagnoſtas alere, qvorum oculis legant, qvorum manibus ex-
33 cerpant, qvorum ore qvotidie ſine moleſtiâ ſuâ & labore erudiantur. * Qvan-
tum deniqve commodi capient è Bibliothecâ, qvam ſapientis viri conſilio adornare
poſſunt inſtructiſſimam? Hîc intra muſeum ſuum compingere poſſunt omnem orbis
doctrinam, & qvid ſingulis ſeculis in literis omnibusqve diſciplinis præſtitum ſit, re-
cognoſcere. Qvi per hæc ſubſellia Principem circumduxerit magiſter, plus illum
brevi tempore docuerit, qvàm multis annis è qvotidianis capere lectionibus poſſit.
Verum in illis eſt, &, ſi qvis recte uti noverit, ampliſſimum compendium, qvod &
brevitate ſua placere, & vaſtitate ſaturare pectus poſſit. Rectè Schefferus in libello
de Informatione Nobilis p. 24. *Scire*, inqvit, *unde quid peti debeat, cum inquiren-
dum eſt, ejusque ratio perſpicienda, eſt penè dimidium ipſius didiciſſe.* Imò plus qvàm
dimidium & totum ego dixerim: Nam cum felicitatis ejus participes eſſe neqveant
tenuioris conditionis homines, illis, qvæ à magiſtris didicêre, contenti eſſe debent, &
hi, qvi Bibliothecarum fontes adire poſſunt, ab ipſis magiſtrorum magiſtris omnium
ſeculorum diſciplinam haurire poſſunt.

34 Qvi è Nobilium ordine literis operam dant, ſiqvidem ex illis ſe commendare
Principi & Reip. velint, ultra privatorum diligentiam procedere debent. Etſi enim

in

in Principe modica interdum doctrina ſufficere videtur, horum tamen induſtria ſupplere debet, qvod illic deficit. Cum privati iis ſe diſciplinis mancipant, qvibus vitam ſuſtentent, hi complecti omnes debent, ut de iis judicare ſaltem poſſint, cum idonei ſunt muneribus homines præficiendi. Juris ſcientia accuratior in illis reqviritur, qvam in Principe qvis non adeo deſideraverit. Architectonicam deniqve Politices ſcientiam totam in uſus ſuos verterint neceſſe eſt. Et hæc tamen ſtudia, qvibus Reip. prodeſſe poſſunt, intra nobile illud triennium facile abſolvent, qvod illis Joannes Sturmius in libro *de Nobilitate literatâ* ad Werteros fratres præſcripſit. Ac mihi ſanè Principum ſubſelliis dignus videbitur, qviqve in Reip. gubernaculis ſecundas teneat, ſi hoc ille curriculum bene confecerit. Ab illis ſejungendi ſunt omnes, qvi ſtudiis in ſpeciem & pompam abutuntur, & ſi inter imperitos docti tueri nomen poſſint, ſatis ſe officiô ſuô functos exiſtimant; Qvales ad ſumma in Republica munera ſuſtinenda inepti ſunt. * Ne milites qvidem carere literarum præſidiis velim; 35
Mathematicis enim ac Hiſtoricis ſtudiis militaris peritia verè perficitur, de qvo doctiſſimus *Naudæus* in libro de *Studio militari* omnino legendus eſt.

CAP. XIII.
DE EXERCITATIONIBUS IN SOLUTA ORATIONE INSTITUENDIS.

§. 1. Exercitatio ad ſcriptionem neceſſaria eſt. 2. Compoſitio ſermonis Latini non differenda ad maturiorem ætatem. 3. Quinam ex eo defectus oriantur. 4. Exercitia per gradus in pueris inſtituenda. 5. Periodica junctura ſtatim pueris inculcanda. 6. Verſionis reciprocæ utilitas. 7. Themata verſionum per imitationem puerilem primum è Cicerone & Terentio depromenda. 8. Ediſci etiam claſſici Autores nonnulli debent. 9. Böcleri conſilium pro inſtituenda pueritiâ expenditur. 10. Exercitationes ab illo inſtitutæ non probantur. 11. Autorum varii generis & ætatis miſtura ſtylum turbat. 12. Themata Hiſtorica & Epiſtolaria primùm ſuppeditanda pro formandâ utraque periodo, narratoriâ & Enthymematicâ. 13. Imitationis maximus uſus & præcipuus. 14. 16. Qui de eâ ſcripſerint. 15. Sturmius ceteris præfertur. 17. Aſchamus exemplorum copiam in imitatione docendâ deſideravit. 18. Ejusdem Aſchami liber, titulo: Præceptor, Anglicâ linguâ ſcriptus, laudatur. 19. J. C. Scaligeri opus de Exemplis Eloquentiæ. 20. Rapini Comparationes. 21. Smidenſtäts Obſervationes Oratoriæ. 22. Noſtra exempla quare addita ſint. 23. Non contemnenda talia, & ut minutiæ ſcholaſticæ rejicienda. 24. Studium imitationis male plerumque negligitur. 25. Imitationis ratio, quâ in re conſiſtat. 26. Manutiana imitatio. 27. Contra Aſchamum defenditur. 28. Ex conſilio Hermogenis per χωρισμὸν & πρόσληψιν inſtituenda. 29. Variationes per figuras Rhetoricas.

1 PArum conſiliis omnibus efficitur, niſi ad rem ipſam accedamus, & fabricando fabri fieri diſcamus. Exercitatio omne in ſtylo punctum feret. Niſi manum admoveamus operi, mentem in partes omnes verſemus, & ad certum qvoddam exemplar ſermonem noſtrum exigamus, nunqvam vel ad mediocre loqvendi genus perveniemus. Qvemadmodum Pictores primum rudia lineamenta ſignant, & imagines ante oculos habent, qvas intueantur, & earum ductu ſuas formant, hinc corpora ipſa ſibi delineanda proponunt, ac coloribus ornant; ita orationi poſt prima illa Grammatices lineamenta plenior qvidam habitus ex optimo aliqvo
2 Autore circumponendus. * Non deſunt, qvi omnem compoſitionem ſermonis Latini in puero damnant, & ad maturiores annos ſeponunt; qvibus ego nunqvam aſ-
3 ſentire potui: * Eveniet enim, ut, qvod primis annis neglexêre, ſerò diſcant, & vel Viri titubent. Cum enim jam tum accuratè Autores intelligunt diſcipuli, neſcio qvæ ſocordia & ignavia imitationem corrumpit. Nam alterâ parte tarditas qvædam detinet, & faſtidium ex morâ illâ, qvam intellectus in compoſitione habere debet, cui gratior accedit è lectione novorum Autorum oblectatio; alterâ parte, dum rigor exigentis magiſtri abeſt, remiſſio qvædam obſtat. Ac novi ſane Viros, in omnium Autorum lectione, in diſciplinis omnibus verſatiſſimos, cum ad ſcriptionem ventum eſt, aſperos, hiulcos, omniqve elegantiâ deſtitutos. Adeò etiam in compoſitione à
4 teneris aſſueſcere multum eſt. * Fruſtra hîc aliqvi imbecille puerorum judicium cauſantur, compoſitionem, qvæ ſine judicio inſtitui neqveat, naturâ ipsâ intelligentiâ poſteriorem eſſe. Nam ſanè non ſtatim ad Epiſtolas vel Orationes ſcribendas accedimus. Per gradus procedendum eſt. Primùm per ſimplices propoſitiones Regulis Syntacticis accommodandas, ut in Tirocinio ſuo fecit Rhenius. Ubi lectione firmatus puer eſt, qvis tàm ſtupidus eſſet, ut non unam alteramqve periodum ſuis membris & particulis nexam capere poſſit, præſertim ſi è phraſibus Epiſtolæ Ciceronianæ
5 ſimplicioris formetur. * Nam periodicam illam juncturam etiam pueris, qvàm primùm fieri poteſt, inculcandam cum Sturmio ob eximum ejus uſum ſuaſerim. Et hinc ſanè fieri exiſtimo, qvod è multis etiam doctiſſimorum Virorum ſcriptis abſit vera vocum & periodorum concinnitas, qvoniam nulla illi rei cura maturè ſatis impenditur. Hæret verò in teneris animis illa à prudente ac perito doctore ſæpiùs oſtenſa atqve repetita concinnitas.

6 Primum tamen inter hæc exercitamenta locum tenet verſio è Latinâ in vulgarem linguam, atqve ubi maturius judicium eſt, reciproco labore in Latinam linguam repetita converſio. Præterqvam enim, qvod in memoriam ipſa Autoris verba revocat, diverſitatem utriusqve linguæ evidentiùs ob oculos ponit, & ad concinnum verborum poſitum Romanis atqve Latinis auribus familiarem manu ducit. Sed tamen aliqvo judicio opus hîc eſt, ac difficilior labor ille eſt, qvàm ſi periodos aliqvas Ger-
7 manicas in Latinam linguam tiro converterit. * Verſionem Thematis Germanici in Latinam ego pro lubitu non inſtituendam ſuaſerim. Non probo illos, qvi Hiſtorias qvascunqve vertendas proponunt, inter qvos eſt, qvi univerſalem aliqvam hiſtoriam,

hiſtoriam, per certas pericopas diſtinctam, phraſibus in margine adjectis, huic fini
publicavit. Nunqvam aliqvod Thema detur, niſi qvod è qvadam Ciceronis Epiſto-
lâ, vel Terentii ſcenâ, per imitationem confictum. Imitatio illa prima puerilis vel
Epiſtolam vel Hiſtoriolam fingat, è phraſibus Ciceronianis vel Terentianis totam
concinnatam: cujus exempla ſuppeditavit Schorus in aureolô ſuô libellô de *Methodo
docendæ diſcendæque Latinæ & Græcæ linguæ*; cujus veſtigia Magiſtrum noſtrum ſe-
qvi velim; Eo enim modo phraſes in uſum converti primùm debent. * Suadet 8
Mareſius *Epiſtolâ Philologicâ 29. lib. 2.* ediſcendos Autores Claſſicos nonnullos, Teren-
tium, aliqva Ciceronis. *Nam*, inqvit, *ſi exempli causâ quinque aut ſex Ciceronis li-
bros firmiter in mente habeant, nullibi in eo deinceps hærebunt: raroque quid in Lati-
nis ſcriptoribus occurret, quod non intelligant; nec forte quicquam erit, quod Latino
ſermone purè & eleganter exprimere non poſſint.* De qvo poſtremô tamen, ſi uſus &
exercitium non acceſſerit, ego dubitaverim. Autor eſt Sturmius in libro de *Exercita-
tionibus Rhetoricis*, ut Ciceronis Orationes per diſcipulos dividantur, publicè è cathe-
drâ memoriter recitentur. Ita aliqvos memoriâ comprehenſuros, aliqvos ex ipsâ re-
citatione & continuâ auditione fructum ex omnibus illis Orationibus habituros.

Scripſit poſt multos alios, qvos ſuprà laudavimus, Germanicâ linguâ conſi- 9
lium de Inſtitutione puerorum Vir nunqvam ſatis laudatus, & maximum Germaniæ
noſtræ decus BÖCLERUS, qvod editum eſt Argentorati An. 1679. in 12. & ſeqvente
anno 1680. alius liber ibidem editus eſt, cum titulo: *Minervæ Tirocinium, ſive Praxis
Bœclerianæ Inſtitutionis.* Multi in his libellis de Autorum explicatione, interpreta-
tione, Regulis Grammaticis, elegantiis, deteguntur vulgarium Magiſtrorum errores.
Comeniana qvoqve ſub examen vocantur, ac meritò è Scholis relegantur. * Ve- 10
rùm in ſtyli exercitiis ipſi aſſentire non poſſum. Qvæ ille vult ex Hiſtoriâ deſumi,
collatis ſemper ejusdem hiſtoriæ apud ceteros Autores, Hiſtoricos, Oratores, Poëtas,
aurei, argentei, ænei ſeculi parallelis, qvæ tiro noſter legat, & è qvibus orationem va-
riet. * Ego verò malim puriſſimos, & nullâ ſeculi ſui labe infectos, ut nihil de 11
variâ orationis formâ dicam, in uſum adhiberi; ne qvid è poſteriorum temporum
ſcoreis purioris latinitatis auro adhæreat: Cur enim tot Autores miſceret puer? an
ad orationis copiam? ea aliunde, qvàm ex illâ Autorum miſturâ purior haberi pot-
eſt, & potius ex unô, qvàm è multis qværenda. An forte ob hiſtoriæ notitiam?
illa verò hîc non valde attendenda videtur. Minuta enim omnia ſunt & diſcerpta.
Neqve velim ego in primâ ætate Hiſtoriam cum Latinitatis diſpendio diſci, cujus
potior tunc ratio habenda eſt. Nam

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu,

neqve ullâ arte poſtea eluentur ſordes, qvas ſemel oratio contraxit. Non dicam de
varietate numeri, periodorum, poſitu verborum, qvæ & ratione Autorum, characte-
ris & ætatum vehementer diſcrepant; in qvâ poſitus tiro, qvid ſeqvi, qvid fugere
debeat, omnino ignorat, & inæqvalem ſtylum, aſperum, confragoſum formabit.

Qvantum in dictione ipsâ diſcriminis ſit, facile discerni poteſt, ſiqvis inter ſe contulerit. Lege apud Virgilium hiſtoriam de Trojæ *ἁλώσει*. Huic ſi qvis Petronii, non multum ætate minoris, de eadem hiſtoriâ jambos jungi atqve in unum chaos confundi imitatione poſſe exiſtimaverit, næ ille vehementer falletur: Etſi non deerit fortè, cui Petroniana ſatis pulchra & minimè contemnenda videbuntur. Sed aliter judicabit, cui naris non obeſa eſt, ſi legerit, qvæ doctiſſima illa cenſione ſua in iis notavit elegantis ingenii Vir Jacobus Tollius, *Cap.3. Fortuitorum Criticorum.*

12 Argumenta ergo pro Thematibus ſeligi velim; non ex ſcientiis & Hiſtoricis, ut vult Sorellus; niſi fortè imitatio qvædam è Ciceronis libris philoſophicis, aut è Cæſaris ac Nepotis hiſtoriis inſtituatur, ſed præcipuè ex Epiſtolis Ciceronis ſimiles fingendo, ita tamen, ut & Themata Hiſtorica vel potius narratoria eis jungi velim. Diſcat formare Tiro periodum, qvalis in narratione adhiberi ſolet, & Enthymematicam, qvali in Epiſtolâ & Oratione utimur: Hæc enim præcipua ſunt, in qvibus dictio exercenda; Decurrit enim vel per narrationes Oratio, ut in ſtylo Hiſtorico; vel per enthymemata, ut in Epiſtola & in elaboratâ Oratione. Habet illa narrantis dictio ſuos qvosdam particularum nexus, membrorum locationem & proportionem, ſermonem pendulum, à reliqva oratione diſtinctum. Oratoria per particulas illativas, conditionales, exceptivas, adverſativas ſemper in orbem redit, & magis ſe ſucciplenam & copioſam oſtendit. Utriusqve dictionis exemplar in antiqvis Autoribus qværendum.

13 Omne ergo punctum, me qvidem judice, in exercitatione omni Rhetoricâ feret IMITATIO, ſive illa *Puerilis* ſit, ſive *Virilis & Oratoria.* Qvicqvid ſapimus, qvicqvid diſcimus, qvicqvid agimus, omne ab imitatione eſt, & excellens ſibi archetypum proponit. Qvidni ergo & in Oratione formandâ eâdem methodo
14 ducamur? * De Imitatione multa ſunt Rhetorum præcepta, ſed nondum idoneis exemplis omnia exhauſta. E veteribus *Dion. Halicarnaſſæus* præclara de imitatione Hiſtoricâ ſcripſit, pollicitus etiam qvædam de Oratoriâ & Demoſthenicâ, qvæ
15 per injuriam temporis interciderunt. * Sed inter recentiores nemo eſt JOHANNI STURMIO, peritiſſimo Rhetori præferendus. Multa ille variis in libris: *Exercitationibus Rhetorices: De amiſſâ ratione diſcendi: Nobilitate literatâ, totoque libro de hoc argumento* docet, qvæ aurea & egregia tota ſunt, omnibusqve eloqventiæ cul-
16 toribus nocturnâ diurnâqve manu verſanda. * Ex Italis, ſed illo longè inferiores, multi hoc argumentum ſibi qvoqve tractandum ſumſerunt, è qvibus præ ceteris *Bartholomæus Riccius* eminet. Sunt alioqvin *Cœlii Calcagnini, Gilberti Cognati, Foxii, Gyraldi, Joh. Pici Mirandulani, Petri Bembi, Jacobi Omphalii, Joannis Sambuci, Gerardi Joannis Voſſii*, de eodem argumento libri: de Terentianâ imitatione *Michael Ferrerus*; de Ciceronianâ *Stephanus Doletus, Henricus Farneſius; Andreas Schottus in Tullianis Quæſtionibus, Chriſtophorus Mylæus, Laur. Palmurenus*, & noſtro tempore *Cl. Sagittarius* ſcripſerunt. Sed noſtri inſtituti ratio non patitur, ut hîc præ-
17 cepta cumulemus, qvorum copiâ forte laboramus. * Plus in exemplis eſt, ſine qvibus

qvibus omnia languent, nihilqve proficimus. Qvam ob cauſam ROGERUS ASCHAMUS, Reginæ Eliſabethæ à ſecretis, magnus Sturmii amicus, & penè ſolus in gente Anglâ Ciceroniani guſtus, in Epiſtolâ ad Sturmium, qvæ inter Mareſianas appendices *pag. 589.* habetur, de exemplorum defectu in omni illâ præceptorum ſylva conqveritur; qvi locus, ut hîc legatur, dignus eſt. *Docere perſpicuè & perfectè, quâ ratione Cicero vel Demoſthenem vel Platonem imitatur, ſingularis, fateor, doctrinæ, ſummi judicii & raræ laudis exiſtit. Sed hæc laus adhuc præceptionis tota propria eſt. Aliud volo; plus requiro. Opifex nobis & Architectus opus eſt, qui ſeparata conjungere, rudia perpolire, & totum opus conſtruere artificioſa ratione nòverit. Et illud, meâ certè opinione, hoc modo. Hinc Demoſthenis locum, illinc Ciceronis produci cupio. Tum, digito Artificis, me primum duci volo ad ea, quæ in utroque ſunt aut eadem aut ſimilima: Deinde, quæ ſunt in hoc addita, & quo conſilio, tum, quæ ſunt commutata, & quo, ac qvam vario artificio, ſed id in verborum delectu ſive in ſententiarum forma, ſive in membrorum circumductione, ſive in argumentorum ratione conſiſtat. Nec uno aut altero exemplo contentus ero. Numeris multa, genere varia, ex Platone, ex Iſocrate, ex Demoſthene, & ex Ariſtotele in libris Rhetoricis, exempla expeto. Patior præceptorem parcum eſſe in præceptorum traditione, modo liberalem ſe & largum in exemplorum non ſolum productione, quòd laboris eſt & diligentiæ, verum etiam tractatione, quod eſt doctrinæ & judicii, oſtendat. Horum volumen, illorum paginam ipſam requiro. Nec mihi moleſtum erit, ſi eâdem viâ & ratione Cæſarem cum Xenophonte, Saluſtium cum Thucydide, Livium cum Polybio, Virgilium cum Homero, Horatium cum Pindaro, & Senecam etiam cum Sophocle & Euripide conjungat: niſi forſan ſatius erit facere, quod hi prudenter faciunt, qui perfecte ſcribere volunt: hærent enim hi, & defigunt ſe totos in uno, & eo perfectiſſimo exemplo, nec ſe vel diſtrahi ad varia, vel deduci ad deteriora exempla libenter patiuntur. Tamen ſi carmen pangere vellem, nihil Virgilio divinius, nihil Horatio doctius, nihil poſſum proponere. Sed ad dicendi facultatem ipſum Ciceronem, ſi non ſolùm certè potiſſimum volo. Et dari mihi exemplum cupio, Ciceronem Imitatorem, non Imitatorem Ciceronis. Equidem amplector unicè Ciceronis imitationem: ſed eam dico & primam ordine, & præcipuam dignitate, quâ Cicero ipſe Græcos, non qua Lactantius olim, Omphalius nuper, aut qua multò felicius quidam Itali, Galli, Luſitani & Angli Ciceronem, ſunt ſecuti. Nam quisquis fuerit non ſolum diligens, ſed etiam cum peritus doctrina, tum prudens judicio obſervator, quibus veſtigiis inſtitit, & quos gradus facit ipſe Cicero, dum Græcos ſequitur, aſſequitur aut præcurrit, & ſcienter animadvertit, quibus in locis, & quâ ratione hic noſter ipſis Græcis plerumque par, ſæpiſſime ſuperior evadit, is demum tutò & rectâ viâ ad imitandum ipſum Ciceronem perveniet. Qui enim intelligenter videt, quomodo Cicero ſecutus eſt alios, perſpiciet ille longè feliciſſime, quomodo ipſe Cicero ſit ſequendus.* Hæc ad Sturmium tum Aſchamus ſcripſerat, ſed nondum editus erat integer Sturmii de Imitatione liber, in qvo ille magnam undiqve exemplorum farraginem congerit. * Fortaſſis & ipſe in libro Anglicâ lingvâ ſcripto pluri- 18

bus exemplis illam de Imitatione doctrinam perſecutus eſt. Titulus libri ita habet in Catalogo Bibliothecæ Oxonienſis mihi lectus (nam librum ipſum non vidi) *The Schoolmaſter*, or *the plaan Way of teaching children to underſtand the Latin tongue. Lond.* 1571. Ille verò à Sturmio ſubſidia exſpectat pro hoc libro ſuo. Ita enim ſcribit in ſupra laudatâ Epiſtolâ; *Mitte igitur, & quam primum mitte: ut Præceptor meus, qui nunc eſt ferè nudus & planè deformis, iſtinc aliquem elegantiorem mutuans amictum, nonnihil cultius veſtitus, & inde ſuperbior factus, in lucem audacius pro-*
19 *deat.* * Supereſſet nobis *Opus de Exemplis Eloquentiæ* J. C. Scaligeri, in qvo ille Autores Latinos cum Græcis contulit, qvodqve ipſi à Pædagogio Petrocorio ſubreptum eſt; ut ipſe Scaliger in Epiſtolâ ad Boëtium libro commentarii in Hiſtor. Ani-
20 mal. Ariſtotelis præfixâ, qveritur; minus nunc in illâ re laboraremus. * Niſi fortè qvis nunc *Rapinum* in *Comparationibus ſuis* aliqvâ ex parte hoc confeciſſe exiſtimet. Sed ille generali qvadam cenſione contentus, ad ſingularia non adeò deſcen-
21 dit. * Memini & videre me in neſcio qvô librorum Catalogô notatas HARTVIGI SMIDENSTÂTHI *Obſervationes Oratorias ad Ciceronis dilatatam copiam refertas, & exemplis adjectis imitationi in dicendi uſum utrumqve notatas, Helmſtadii Ann.* 1594. *in 4. editas*; ſed librum ipſum non vidi. Autor ille magni ſuo tempore nominis, &
22 ab Henrico Meibomio eleganti encomiaſtico carmine ornatus. * Qvam exemplorum utilitatem cum & ipſe viderem, pro juventutis ſtudiis eorum aliqvam farraginem huic capiti ſubjungere volui: qvæ, etſi non vetera, ſed mea ſunt, neqve ego ut omnibus numeris abſoluta vendito (ſunt enim qvædam ex illis datâ occaſione ſine operoſâ meditatione, ac interdum extemporali labore, à me ad calamum dictata) non erit tamen, ut puto, tironibus inutilis opera, qvibus potiſſimum toto hoc opere
23 meo inſervire volui. * Qvod ſi fortè erunt, qvi has minutias contemnendas exiſtimaverint, illi ſciant, nihil minutum aut leve eſſe, qvod cum juventutis commodo conjunctum eſt. Eraſmus (at qvantus vir!) qvi cavillatorum voculas, ob ſcholaſticos labores μικρόλογον vocantium, effugere non potuit, illorum judicium vilipendebat. Ego qvoqve utilitatem, qvæcunqve etiam ſit, omni pompæ vanæqve glo-
24 riæ præferendam, ac illam præcipuè ſectandam mihi propoſui. * Sæpe ego vicem juventutis dolere ſoleo, qvæ in his primordiis deſtitui à magiſtris ſolet. In Scholis rari ſunt præceptores, qvi veram imitandi rationem ipſi didicerunt. In Academia plerumqve illa ſtudia ſpernuntur, tum à Studioſis, qvi ad alia properantes ſtudia illa ut minutiora faſtidiunt. Non rarò etiam ipſi Doctores talia deſpicatui habent. Cum Autores lingvæ Latinæ eduntur, variæ lectiones, rituum antiqvorum obſervationes, emendationes vocum utramqve implent paginam. Pulchra hæc qvidem omnia, neqve reprehendenda, ſi illud μηδὲν ἄγαν obſervetur. Sed orationis & carminis artificium, imitationes veterum, in qvibus ego præcipuam Critices partem conſiſtere puto, nemo reſpicit, pleriqve alto ſupercilio, ut res ſcholaſticas & ad pueros ablegandas, aſpernantur. Sturmii, Erythræi aliorumqve utiliſſimi in Ciceronis Orationes Commentarii

vel

vel ignorantur vel contemnuntur. Qvò fit, ut pauci è Criticis veram Romani ge-
nii eloquentiam in oratione exprimant. Nam & gloſſematibus interſperſum, & di-
verſarum ætatum phraſi commiſtum, & tùm doctrinâ ipsâ, tùm ejus menſurâ varium
& inæqvalem ſtylum in plerisqve deprehendes.

Conſiſtit imitandi ratio non in eo, ut conſuantur paſſim è Cicerone ſenten- 25
tiæ, qvod Itali nonnulli κακόζηλοι fecere; ſed ut ſimilitudine aliqva omnis Autoris
dictionem, formam, phraſin, ſententiam, numeros exprimas; Qvæ non niſi à per-
fecto Oratore demum præſtari poſſunt. Nobis hîc ſuffecerit, ſi dictionem aliqvâ ra-
tione expreſſerimus. * Primum inter imitandi exercitia hoc nobis eſt, ſi perio- 26
dos dilatatione membrorum & variatione ſententiarum, figurarum qvoqve adje-
ctione, in aliam formam compegerimus; Qvam imitandi rationem Manutius ſecu-
tus, eos in oratione Latinâ progreſſus fecit, ut ab hâc unâ exercitatione omnem ſibi
eloqventiam profluxiſſe fateatur. Ita vero ille lib. 1. ep. 4. *Exquiſitas ſententias de Ci-
cerone excerptas, aut de Terentio, tacitus in animo verſabam, eas ornabam verbis
quam poteram lectiſſimis, ut quaſi veſtitu orationis mutato, cum eædem eſſent, aliæ ta-
men viderentur. Erat non diſſimilis in verborum figuris commentatio. Si qvas no-
taveram illuſtriores, ad alias ſcientias ita traducebam, ut interdum eandem locutio-
nem ad res prope innumerabiles accommodans, quaſi ex unâ cerâ plures imagines, nec
tamen ejusdem generis, effingerem. In hac exercitatione quantum eſſet, utinam aut
mature cognoviſſem, aut ſerò cognitum avideqve arreptum vis occupationum non extor-
ſiſſet. Equidem, ſi quis me neget in ſcribendo quicquam eſſe, non pugnabo: ſed ſi
quid ſum, ab hac una eſſe contendam.* * Non video cauſam, qvare Aſchamus 27
eam Manutii rationem in Epiſtolâ ſuprà laudatâ inſectetur; Hâc enim ratione Imita-
tio inſtitui præcipuè debet: ac ſanè juvenis, qvi hâc viâ ductus fuerit, ad ceteras
qvoqve orationis virtutes exprimendas non ineptus invenietur. Neqve ſanè in mul-
torum præceptorum ſubtilitate illa res conſiſtit; continua exercitatio, qvæ periti Do-
ctoris auſpiciis inſtituitur, omnia efficiet. Non nego qvidem, neqve negaverit fortè
ipſe Manutius, plura eſſe in imitatione attendenda, verùm non omnia ſimul diſci
poſſunt, ſed per gradus eundum. Primum certa ſignare veſtigia diſcimus; hinc qvo-
modo decorè eamus; poſtea qvomodo ſaltemus. Si qvis ad Manutii ſenſum varia-
re primùm ſententias didicit, cetera accreſcente judicio & continuata lectione ultro
ſeqventur. * Inter veteres Hermogenes hunc modum præſcripſit, ut 1. per χω- 28
ρισμὸν ſive ſeparationem, 2. per πρόσληψιν ſeu aſſumptionem procedamus. Per χω-
ρισμὸν periodum in aliqvot ſententias dividemus, has ſententias deinde per πρόσλη-
ψιν augebimus. Unaqvæqve ſententia conſtat ſubjecto & prædicato: ſubjectum eſt
vel totum vel pars, vel genus, vel ſpecies; ex aſſumptione ergo generis augebimus
ſpeciem, totius partem, & vice versâ. Prædicatum vel actionem vel paſſionem no-
tat. Actio habet cauſas vel efficientes, vel inſtrumentales, vel adjuncta, vel effecta.
Paſſio itidem ſuos modos & circumſtantias. Amplificari ergo tota Oratio variè pot-
eſt ex aſſumptione generis ad ſpeciem, totius ad partem, finiti ad infinitum, confuſi

ad diſtinctum, antecedentis ad conſeqvens, è propoſitionum conditionalium, comparatarum, crypticarum, in plures ſimplices reſolutione &c. de qvibus ſingulis plenius *lib. V.* dicetur. Horum exempla non pauca *Cap. ſequenti* adducuntur planè eo modo inſtituta, ut volebat Manutius, & Qvintilianus *lib. 16. cap. 5.* ut item Hermogenes,
29 & ex Hermogene Sturmius præſcripſit. * Qvoniam etiam ſententiarum variæ figurationes ſunt & σχηματισμοὶ, ideo ſententiam Ciceronianam per illas figuras, qvales Emanuel Theſaurus ordinem rerum ſecutus in Opere ſuo *de ingenioſâ elocutione cap. 5. pag. 190.* deſignavit, expreſſam dedimus: Qvem ordinem nunc ſeqvi maluimus, etiamſi nec ille usqve adeo placeat, neqve à qvoqvam hactenus recte ſint è mentis apprehenſione & motibus, unde deduci debent, deductæ. Adjicimus & enthymematicæ dilatationis exemplum, qvæ à prioribus parum differt, niſi qvod Rhetorum artificia preſſiùs ſeqvatur. Plures alias Exercitationis ſpecies *Schefferus in Gymnaſio Styli* enumeravit, qvas vel ad Rhetoricam tractationem remittimus, vel hîc etiam prætereundas duximus, utpote qvæ ex hoc fonte deriventur. De Commentatione, neceſſariâ qvoqve exercitatione, jam ſuprà diximus.

CAP. XIV.
EXEMPLA IMITATIONUM.

§. 1. Exempla imitationum apponuntur. 2. Et quidem dilatationis periodicæ Imum ex ep. Cic. II. lib. 5. ad Fam. periodo prima. 3. quæ in propoſitiones reſolvitur. 4. & deducitur. 5. II. ex ep. 4. lib. 6. ad Fam. per. ult. 6. quæ reſolvitur. 7. & deducitur. 8. III. ex epiſt. 21. lib. 10. Fam. in fin. 9. 10. quæ reſolvitur & deducitur. 10. 11. 12. 13. ex ep. 29. lib. 10. init. quæ reſolvitur & deducitur. 14. V. formulæ ex ep. 17. lib. 12. Fam. 15. quæ decies variatur. 16. VI. formulæ ex ep. 8. lib. 1. Fam. 17. per 77. figuras oratorias variatæ. 18. VII. epiſt. 17. lib. 11. 19. quæ per periodos amplificatur. 20. VIII. dilatationis periodicæ ex ep. 3. lib. 10. Fam. 21. 22. IX. it. X. imitationis compendioſæ. 23. XI. dilatationis enthymematicæ, ex ep. 3. lib. 13. Fam. 24. cujus argumenta recenſentur. 25. & dilatatio ſubnectitur. 26. ſvadetur exercitium ligatam orationem in ſermonem ſolutum convertendi. 27. cujus exemplum XII. datur ex epiſt. 9. lib. 1. Horatii.

1 QVoniam *ſuperiore capite* §. 22. EXEMPLA qvædam IMITATIONUM nos daturos promiſimus, ideo illa hîc apponere voluimus, qvæ vel diſcipulis, vel etiam Magiſtris ſpeciminis loco eſſe poſſint, qvô in illâ palæſtra modô exerceri debeant. Ego certè, qvoties privatis illa exercitia Scholis inſtitui, magnum ex iis fructum deprehendi.

2 Exemplum dilatationis periodicæ I. ex periodo 1. Ep. 2. lib. 5. Fam. Cic.

GRata tibi eſſe officia mea non miror: cognovi enim te gratiſſimum omnium: idqve

idqve nunqvam deſtiti prædicare , nec enim tu mihi gratiam modo habuiſti , verùm etiam cumulatiſſimè retuliſti. Qvamobrem reliqvis tuis rebus omnibus pari
me ſtudio erga te & eadem voluntate cognoſces. * Reſolvitur in has propoſitio- 3
nes. 1. Grata tibi fuerunt officia mea. 2. Id ego non miror. 3. Es enim homo gratus. 4. Qvod multis rebus cognovi. 5. Illud ſemper prædicavi. 6. Non enim tantùm gratiam habuiſti. 7. Sed & retuliſti. 8. Invenies me eundem erga te. 9. In officiis atqve rebus omnibus.

Deductio. 1. *Tam effuſa in me tua eſt humanitas, longèque excelſior, quam in* 4
te mea, ut omnia, quæ à me proficiſcuntur officia, utut parva ſint & exigua, non modo verbis in majus extollas, ſed omni genere officiorum non exæquare tantùm, ſed omni opera ſuperare contendas.

2. *Tu quidem illud ſolenne tuum ſervas, qui, quos induiſti à tenerâ ætate ab optimis Doctoribus mores, ita ſemper excoluiſti, ut nunquam ab illis deſciſceres: quo minus mirum mihi viſum eſt nunc, cum planè non exſpectarem, & nulla mea in te tanti eſſent merita, tantum gratiarum reponi.*

3. *Tantum apud te grati animi fidelis memoria valet, ut vitam tibi ipſam acerbam putes, niſi pietate, comitate, fide ſtudiisque omnibus erga amicos, notos, ignotos illuſtraveris.*

4. *Annales quosdam virtutum rerumque tuarum texere mihi viderer, ſi, quæ tu dediſti grati animi documenta maxima, percenſere numerando velim: Nam profecto infinitum hoc eſſet, neque exiguâ poſſet epiſtolâ comprehendi.*

5. *Nulla mihi dies abit, quin ob oculos illa mihi verſentur, in animis hæreant; idque beneficiorum tuorum memoria efficit, ut cum te in oculis etiam abſentem feram, illa mihi ſemper in ore ſint & ſermonibus, & erga omnes illa deprædicem & extollam.*

6. *Longè tu ſemper abfuiſti ab illorum moribus, qui cum opere ipſo ſtrigoſi ſunt & parci, verbis tamen copioſi gratias, quas re ipsâ non præſtant, linguâ ſemper circumferunt, vel etiam muſſitant illas & ſilentio ſepultas conſervant.*

7. *Tantum verò abeſt, ut in amicorum officiis quicquam tibi exiſtimes diſſimulandum, ut potius non verbis tantùm illa omnia mirificè ornes & augeas, ſed pro plumbeis & æneis beneficiis plusquam Diomedæa permutatione aurea reponas.*

8. *Quæ tua tam præclara & aurea beneficia ſi ferreâ fronte exciperem, homo eſſem omnium ignariſſimus & ingratiſſimus. Ego verò illa non ſolum liberè agnoſco & deprædico, ſed &, quoad ejus fieri poteſt, paria paribus reſpondebo.*

9. *Quare ne minimam quidem cauſam & occaſionem prætermittam, quâ tibi inſerviam, omnemque vel officii umbram & ſpeciem, quæ mihi oſtenditur, arripiam: imò omnia, quæ in poteſtate meâ ſunt, & me ipſum cum omnibus, quæ à me proficiſci poſſunt, officiis, ſtudiis, beneficiis tibi tradam.*

Exemplum II. ex periodo ultima Epiſtolæ 4. libri 6. Fam.

Verba ſic habent; Ego, qvæ te velle, qvæqve ad te & ad tuos pertinere arbi- 5
trabor,

trabor, omnia ſtudioſè diligenterqve curabo: qvæ cum faciam, benevolentiam tuam
6 erga me imitabor, merita non aſſeqvar. * Periodus hæc in ſeqventes propoſitiones reſolvi poteſt. 1. Ego omnia ſtudioſè diligenterqve curabo. 2. Qvæ te velle intellexero. 3. Qvæ ad te & tuos pertinere arbitrabor. 4. Qvod, cum facio, parum tamen mihi feciſſe videor. 5. Nam benevolentiam tuam tantùm imitor. 6. Merita non aſſeqvor.

7 Deductio 1. *Cum tot obſidearis negotiis, ut earum te penè moles opprìmat, me autem ſtrenua nunc exerceat inertia, nihil tam grave arduumque mihi erit, quod tuâ causâ non confecturus ſim, qui otia negotiaque mea tuis utilitatibus poſtpono.*

2. *Quicquid enim tu voles, legis mihi inſtar erit, qui omnes tuos nutus obſervo: quicquid me rogabis, imperatum mihi exiſtimabo: quicquid juſſeris, velut ex Apollinis tripode prolatum oraculum venerabor.*

3. *Nihil erit, quod ego in tuam gratiam non ſuſcepturus ſum: nullæ me revocabunt moleſtiæ,* — neqve fervidus æſtus Dimoveat ſtudio, neqve hiems, ignis, mare, ferrum: Nil obſtet mihi, *dummodo tuis commodis inſerviam, & ex meâ operâ tu aliquem fructum perſentiſcas.*

4. *Quæ etſi omni conatu agam, etſi Herculeos tibi labores impendam, tanti tamen illi mihi non erunt, ut illis virtuti tuæ ſatisfactum exiſtimem.*

5. *Quoties enim tuum intueor exemplum (ejus autem ſpecies quotidie mihi ob oculos verſatur) toties in me omnem illam facultatem exſtinguit; ut, dum te in officiorum certamine ſuperior eſſe laboro, vix paribus aſſequi paſſibus præeuntem poſſim.*

6. *Quare te potius à tergo ſequar, tuisque veſtigiis inſiſtam, cui umbra hæc Amici circumducenda eſt: beneficiorum enim tuorum luce mea exigua officia ita abſorbentur, ut non niſi vel umbris vel obſcuris coloribus illuſtrari à me poſſint.*

8 Exemplum III. ex fine Epiſt. 21. lib. 10. ad Fam.

Verba Autoris ſunt; Meam dignitatem commendatam habeas rogo. Concupiſcere me nihil oportet: habeo te & amantiſſimum mei, & qvod optavi, ſummæ
9 autoritatis. Tu videris, qvantum & qvando tuum munus apud me velis eſſe. * Reſolvuntur hæc in has propoſitiones: 1. Meam dignitatem tibi commendatam habeas, rogo. 2. Nihil ego nimium deſidero. 3. Tu es mei amantiſſimus. 4. Tu es ſummæ autoritatis. 5. Qvod ego ſemper optavi. 6. Qvantum mihi inſervire poſſis & qvando. 7. Hoc tuæ prudentiæ committo.

10 Deductio. I. (1.) *Ea inter nos ſemper viguit, quæ ab ineuntibus annis excrevit amicitia, ut ſubruſtici pudoris ſit, ſi in te rogando cunctari velim. Meam enim dignitatem cum tibi commendatum ivero, tu timidiuſculum me & in amicitia nimium verecundum reprehendere jure poſſis.*

(2.) *Id tamen nunc facio, & quoniam mos ita rogandi eſt, te rogo, ut, quæ ad honorem ac fortunam meam tuendam pertinent, tibi curæ cordique eſſe patiaris.*

II. (1.) Non ego ex illis ſum, qui & multa & vehementer deſiderant, ut facere

pueri

pueri & muliercula ſolent, qui rerum obtinendarum cupiditate ita flagrant, ut nullum ſibi modum finemque ſtatuant.

(2.) *Ego verò ita cupio, ut non inſaniam; neque quicquam ambitioſius facere conſuevi, ut voti mei compos fiam; nihil à te, quam quod communia amicitiæ jura poſtulant, requiro.*

III. (1.) *Jam dudum illam tibi legem ipſi dixiſti, ut in amore non ſolùm amicis reſpondeas, ſed etiam deſideria illorum antevertas.*

(2.) *Etſi enim multi ſunt, quibus ego utor familiariter; etſi non deſunt, qui officia mihi ſua & ſtudia non ſine pompa & apparatu obtrudunt; nemo tamen unus eſt, qui te affectu vincat, adeò omnibus tu palmam præripis, ut de principatu certamen quoddam iniiſſe videaris.*

IV. (1.) *Nec tantùm inane amicitiæ nomen mihi oſtendis, ſed magnum illi autoritas tua robur circumponit; quâcum illa munita eſt, omnia mea cauſa perrumpit obſtacula, ut nihil in fortunis negotiisque meis curandis impervium & inexpugnabile eſſe videatur.*

(2.) *Pendet ab ore & conſiliis tuis Senatus, omnes te venerantur & ſuſpiciunt; officiis te ſibi conciliant, ut in omnium, ſuperiorum, mediorum, inferiorum animis regnum aliquod tibi exſtruxeris.*

V. (1.) *Quam in poſſeſſionem cum te ipſum jam dudum virtute, prudentia, affabilitate miſeris, ita evenit, & eveniſſe gaudeo, ut ſemper animo meo præcepi.*

(2.) *Quæ ut diuturna tibi ſint propriaque bona, eo nunc magis omnibus votis exopto, quo majores ex illis amicitiæ fructus perſentiſco.*

VI. (1.) *Itaque tui arbitrii res erit (tibi enim me totum & trado & debeo) quid velis poſſisve in me meisq; fortunis augendis, quem ego ut voluntate & propenſione mihi addictum, ita facultate ſuâ omnia exhauſturum confido.*

(2.) *Nulla in re tibi moleſtus ero, neque tempora modosque præfigam; quod importuni facere flagitatores ſolent; à quorum ego moribus planè abhorreo.*

VII. (1.) *Ego modeſtia tibi mea probari malo, quàm obtundendo injucundus videri; ut gratiam favoremque tuum, ne in faſtidium degeneret, integrum conſervem.*

(2.) *Meum eſt providere, ne imprudentia mea prudentiam tuam, quam in rebus meis ſemper oſtendiſti, intervertam, plus enim tu mihi ſapis atque proſpicis, quam ego ipſe intelligo, aut à me poterat exſpectari.*

Exemplum IV. ex initio Epiſt. 29. lib. 10. ad Fam. 11

De meo ſtudio erga ſalutem & incolumitatem tuam, credo te cognoſcere ex
literis tuorum, qvibus me cumulatiſſimè ſatisfeciſſe certò ſcio: nec his concedo,
qvanqvam ſunt ſingulari in te benevolentia, ut te ſalvum malint, qvam ego. * Re- 1
ſolvitur in has propoſitiones. 1. Vehementer faveo ſaluti incolumitatiqve tuæ. 2.
Id cognoſces ex literis amicorum. 3. Illi contenti erunt meis erga te officiis. 4.

Illi qvidem vehementer tibi favent. 5. Sed ego operam dabo, ut illos ſtudiis meis vincam.

13 Deductio *1. Adeò mihi ſalus tua ſemper cordi fuit, ut in rebus atque negotiis tuis curandis hanc mihi legem dixerim, ne qua in re vel ſegnis vel minus officioſus viderer.*

2. Quæ cum mea quotidiana ſtudia fuerint, ſemper enim tu in animo hæſiſti, ſemper tua mihi imago ob oculos verſari viſa eſt, non defuiſſe exiſtimo quotidianos obſervatores amicos tuos, qui hæc ad te accuratè perſcriberent.

3. Ideoque vel illorum teſtimonio vincam, qui de officiis meis teſtari poſſunt; atque ut puto etiam volent; nam & illorum utilitatibus non modò defui, ſed & omnino eorum cauſa, quæ potui, feci; tàm officiis operoſus, quàm opere officioſus.

4. Certum eſt, te illos habere tibì amicos, quos meritis reddidiſti tibi obnoxios, quis enim tàm vecordis eſſet animi, quis adeò bonæ mentis bonique ſenſus expers, ut beneficia ſibi præſtita non agnoſcat, ea apud alios commemoret, atque ſuis compenſare allaboret.

5. (1.) Verùm ſint illì amici tui; prædicent illi te, atque in cœlum efferant; officiis te proſequantur, colant, obſervent; ut illi te unum ſibi vindicent, non patiar, nam deſcendam cum illis in pulchrum de principatu inter amicos tuos certamen; qui (quæ Dei Termini formula fuit) nemini concedo. (2.) *Non ego quidem fidem illorum in dubium voco: Quam enim verbis promittunt, credere nolle ſumma eſſet diffidentia. Ego tamen re ipsâ præſtabo verborum parcum quidem, ſed opere effuſum, ut majores meos in ſalute tuâ curanda conatus, quam illorum, deprehendas.*

14 Exemplum V.

Formula Ciceronis hæc eſt ex Epiſt. 17. lib. 12. F. Grata vehementer eſt memoria noſtri tua, quam literis ſignificaſti; quam ut conſerves, non quod de tua conſtantia dubitem, ſed quia mos eſt ita rogandi, rogo.

15 *Variatio* 1. Nihil eſt noſtri memoriâ jucundius, qvam literæ tuæ nuper mihi declararunt; illam ut propriam perpetuamqve eſſe velis, penitus te rogo, non qvod de voluntate conſtantiâqve tuâ dubitandum mihi eſſe exiſtimem, ſed qvia ſolenne illud noſtrum in Epiſtolis ſervandum eſt.

Variatio 2. Invaluit illa increbuitqve ſcribendi conſuetudo, ut amicis noſtri memoriam ubiqve cantemus: hunc itaqve morem potius ſecutus, à te contendo, ut, qvi fuiſti, noſter eſſe velis; non ut fidem tuam ac amorem, qvem literis tuis mihi repræſentatum eſſe gaudeo, inexploratum aut incognitum mihi credam.

Variatio 3. Multum te ob literas tuas amo, qvibus te nominis mei cupidiſſimum ſtudioſiſſimumqve cognovi: hunc ut animum mihi ſerves, à te majorem in modum peto; non qvod te tam volaticum mobilemqve in affectibus eſſe exiſtimem, ſed qvoniam ille mos eſt, ut mutuis verborum lenociniis, qvi literas ſcribunt, ſe invitent.

Variatio

Variatio 4. Eo libentiùs tuas complexus ſum literas, qvo illæ in memoria noſtri pleniores uberioresqve fuêre. Huic amori tuo ut conſtantiam adderes, rogarem, ſi ullam in te inconſtantiam diſſimilitudinemqve rerum & conſiliorum unqvam deprehenderem. Hanc cum de te vel cogitaſſe piaculum foret, qvo verborum tamen pompæ ſatisfiat, ut me porro ames, rogatum volo.

Variatio 5. Magna affectus tui vis ex epiſtola tua elucet; multa illic eſt noſtri memoria, ut nihil fieri potuerit honoratius, nihil mihi acciderit jucundius. Non levi fortaſſis te affecerim injuriâ, ſi rogarim, ut in iſto amore perſeveres: levitatem enim in te amantiſſimo mei viro accuſari viderer. Rogo te tamen, atqve ideo rogo, ne qvicqvam ab amore conſueto alienum admiſiſſe videar.

Variatio 6. Mirificam è literis tuis accepi voluptatem, qvod in memoriâ tuâ penitus nomen noſtrum inſediſſe intelligam. Nihil igitur tota cogitatione mea vehementiusqve optaverim, qvam ut, qvalem te hactenus oſtendiſti, ſemper nobis præſtes, & amori noſtro inſeneſcas. Qvo etſi te arguere, ut vagum inſtabilemqve videar, tu tamen benigniùs amicorum vota interpretaberis, qvi in iſto literarum commercio ambitioſius in officiis ſe provocare conſueverunt.

Variatio 7. O nos felices, qvi literis tuis non ſolùm honorati, ſed ſtudiis officiisqve tuis ornati ſumus! Qvod ſi ad hunc officiorum cumulum perennitas acceſſerit, omnia à te habebo: ſed parum circumſpectè habiturum me dico, qvi jamdudum in pleniſſimam animi tui poſſeſſionem miſſus, nunqvam, niſi temeritatis te accuſem, inde ejici poſſim. Dabis tamen veniam, ſi ex more literarum iterumqve te, ut in amore perſeveres, rogaverim. Paulo enim meticuloſior & λογοδαίδαλος amor eſſe ſolet.

Variatio 8. Si qvid rerum mearum gratum mihi unqvam fuit, ut ἔπαινος ἥδιστον ἄκουσμα eſſe ſolet, nihil ſanè magis me movit, qvàm honorifica iſta noſtri memoria, qvæ in literis tuis paginam utramqve facit. Qvid mihi optabilius, qvid ſuavius, qvam ut firmiſſimam hanc habeam tuam benevolentiam. Rogarem te, ut hanc mihi ſerves, niſi levitatis ſuſpicione tam præclaram opinionem tuam ferirem. Qvoniam verò vulgò ita fieri ſolet, ut, qvi officiis certant, etiam verborum prodigi eſſe ſoleant, te, ut favere mihi porrò velis, non rogo ſolùm, verum etiam obſecro.

Variatio 9. Vide qvanta in te ſit ſuavitas, qvi non literas tantùm humaniſſimas mihi dediſti, ſed tot laudibus præterea ignobile nomen noſtrum cumulas, ut mihi nunc ipſi placere incipiam, poſtqvam apud te tam gratioſum me eſſe intelligo. Serva mihi hunc animum ſartum integrumqve, vir maxime. Sed parum ego catus orator ad te venio, qvi, cum ita rogo, læſæ amicitiæ reus videri poteram, dum ſuſpicioni levitatis aut inconſtantiæ locum apud me reliqvum eſſe oſtendo. Eris tu vel non rogatus noſter. Neqve tamen has preces noſtras, ſi te rogavero, in ſiniſtram partem rapies: Facio enim, qvod ii, qvi amicitias ambiunt, facere ſolent, ut precibus verbisqve obtundant, ſtudiisqve omnibus amorem eblandiantur.

Variatio 10. Non mediocrem animo voluptatem cepi, cum tuas legi, tot amicitiæ tuæ cumulatus documentis. Qvàm his favoris tui tropæis triumpho? Rogarem

te denuò, ne hunc favorem noſtri ulla obliterari oblivione ſinas, neqve te aliorum inſuſurrationes mihi auferant, ſi propenſiſſimam voluntatem tuam ulla diffidentis ſpecie tentare fas videretur. Scio me memorem monere & currenti calcar addere; Nam vel ſuſpiciones meas tuis officiis vinces: Oro tamen, ut amare nos pergas, potius ut officioſo meo pudori conſulam, qvam ut fidem tuam ulla ſuſpicione adſpergam.

16 Exemplum VI. Variatio Formulæ per Figuras.

Formula Ciceronis hæc eſt ep. 8. lib. 1. ad Familiares: Tu velim tibi ita perſuadeas, nullam rem eſſe vel minimam, quæ ad te pertineat, quæ mihi non charior ſit, quàm mea res omnes.

1. *Eſt Cognitio.* Qvod rerum tuarum major mihi cura ſit, qvàm mearum, id tibi puto certis ſpeciminibus eſſe cognitiſſimum. Dubitare certè te nunqvam ſinam.

2. *Ignoratio.* Qvanti tibi mea fides ſit, ignoro eqvidem. Eam mihi eſſe ſcias velim, ut vehementiùs de ſalute tua laborem, qvàm meâ.

3. *Oſtenſio.* En dextram cum hoc calamo! En fidem cum hôc animô, qvi non tàm ſuus, qvàm tuus! & qvem nullæ tangunt curæ niſi tuæ.

4. *Narratio.* Qvid alii de fide ſuâ tibi narrent aut jactent, parum tu ad animum revoca. Id ſcio, ſurdis ſæpe narrari fabulas, cum amicorum fidem imploramus. At hæc ego tibi narro, non fabulas, ſed amici oracula: Nihil mihi amicitia tua eſſe jucundius, qvi fortunas tuas inter meas reputo: ſalute tuâ meam contineri exiſtimo, cujus ego majorem, qvàm meæ ipſius, rationem ſum habiturus.

5. *Didaſcalia.* Qvi nihil neſcis, id unum à me docebere, vel reclamantibus Philoſophorum Scholis, ne numero qvidem differre amicos, ac nos præcipuè; cum te in mei velut poſſeſſionem dudum vocaverim. Qvicqvid tu volueris, id ita volo, ut nec mea voluiſſe cupidius; qvicqvid juſſeris, ita exeqvar, ut nec mea exeqvi promptius poſſim.

6. *Affirmatio.* Crede mihi, nihil eſt, qvod tuâ cauſâ non velim. Vel me ipſum, ſi juſſeris, odero, ut amem tua.

7. *Negatio.* Nunqvam fiet, ut à meo animo tuus vel latum unguem dimoveatur. Pereant, qvi inter nos divortium volunt. An unqvam per me deſertæ jacuerunt res tuæ? Nunqvam. Citius mihi oculos, os, manus negaverim, qvàm ut illos ad nutus tuos cæcutire, hoc ad juſſa tua obmuteſcere, has tibi compreſſas atqve deſides eſſe patiar, qvi tuo ſpiritu magis vivo, qvàm meo; tuis oculis magis mihi proſpicio, qvàm meis; tuo ab ore pendeo; tuis manibus fulcior atqve ſuſtentor.

8. *Ironia.* Qvi ſuis utilitatibus ducuntur, ſuis in rebus gerendis, opibus corradendis, centimani Briarei in aliorum auxiliis vix Scævolæ, eos amicos appelles, iis committas, ſi qvid rectè curatum velis. Sint procul à nobis iſtæ virtutum & amicitiæ peſtes! A me nihil eorum metues. Patet tibi cum animo fides, hominis magis tibi qvam ſibi obnoxii, magis tuis rebus, qvam ſuis rebus invigilantis.

9. *Re-*

9. *Reticentia.* De rebus tuis angeris? Me vide; in me recipio. Sapienti ſatis.

10. *Præteritio.* Non dicam jam, qvanta in me tua ſemper fuerint merita; vivunt tamen illa, ob oculos verſantur, manibus palpantur, aures vellicant, animo inſident, ut mearum citiùs rerum, adeoqve mei ipſius, qvàm tui tuarumque rerum, me capiat oblivio.

11. *Jusjurandum.* Ne vivam, niſi vivo tuus. Hos ego oculos tango, qvibus te fero. Hanc ego dextram teſtor, fidei meæ pignus, nihil me omiſſurum diligentiæ, in rebus, qvæ ad te pertinent, vel cum diſpendio mearum, rectè curandis.

12. *Teſtatio.* Qvid tui cauſa fecerim, tuæ magis deprædicant, qvàm teſtantur literæ. Qvid porrò facturus ſim, faxo, ut re potius ipsâ, qvam meo tibi teſtimonio conſtet. Ubi enim in rem præſentem venero, ita ad ea, qvæ ſunt è re tuâ, animum advertam, ac ſi nullo in momento res meas ſim poſiturus.

13. *Animadverſio ſeu Epitaſis.* Accedam ad res tuas curandas. Nam meæ ſunt: meæ ſunt, qvia tuæ. Tu amicum me habeas, ſed inertem, ſed ſuarum rerum ſatagentem, ſed amici rebus ſecurum? Adeone tua tibi vel diffidentia vel modeſtia imponit, ut fidei amici nihil committas, nullum humeris onus ejus imponas?

14. *Parentheſis.* Si me amas, (amas autem, qvàm qvi maximè) non committes, ut ab alio (alii enim alia magis & ſua, qvàm tua curabunt) res tuæ curentur; qvi non ut alienas (nihil enim inter amicos alienum eſt) ſed ut meas, & plus qvàm meas, planeqve ut tuas curabo.

15. *Correctio.* Tantum mihi non eſt à rebus meis otii, aliena ut curem; ſed curo tamen tua. Imo hæc non ſunt aliena, ſed mea. Sed ego illa curo, plus qvàm mea, qvo tu plus oculis iſtis ac me ipſo mihi charior.

16. *Repetitio.* Qvoties tuas mihi literas mittis, toties præconis cujusdam voces audire videor, qvi mihi ſuum *hoc age* inculcet. *Hoc* ſcilicet *age*, non qvod tuum eſt, ſed amici tui negotium. Qvod ideo magis tuum eſt, qvia non eſt tuum, ſed amici negotium.

17. *Admiratio.* Papæ qvàm tu mirabilis homo! Novum hoc mihi monſtrum eſt; nova in amico, in familiari, verecundia, tàm intempeſtiva modeſtia. Non audes in me rejicere tua negotia, cui nihil magis eſt in votis, qvàm tua ut impleat vota, & in tuis ſua.

18. *Exclamatio.* O fortunatum illum felicemqve diem, qvo negotiorum tuorum me facis participem. Jam demum te verè amo, qvia te me amare video, ut fidei meæ aliqvod ſpecimen reqviras, qvam ita tibi totam cum animo ipſo addico, ut nec ipſe in aliqvam ejus partem admitti velim.

19. *Exaggeratio.* Qvis credat, tanti tibi nomen meum eſſe, ut negotio tuo arduo conficiendo homuncionem hunc præficere non dedigneris. Ego verò tanti beneficii memor, omnem ei rei curam, operam, diligentiam, nervos, vires, vitam ſpiritumqve ipſum impendam.

20. *Extenuatio.* Res tuas benè ut curem rogas. Qvàm hoc rogare ridiculum eſt. Hominem tui amantiſſimum ſtudioſiſſimumqve, qvi qvá polles autoritate, imperare potes, qvo flagras amore, debes. Jube, impera, tuus ſum, mancupii tibi jure aeqviſitus; qvanqvam & tuæ mihi preces, qvemadmodum magnatum, ſunt imperia. Nunc cum me rogas, currentem incitas; qvi, tui ut maximam habeo reverentiam, ita majorem rerum tuarum curam gero, qvàm mearum.

21. *Memoratio.* Memorem mones amice. Et nunc hærent mihi in animo tua juſſa, ac, dum ipſe mei memor ero, hærebunt. Citiùs enim mei ipſius, qvam tui tuarumve rerum, qvàs diligentiſſimè curabo, mihi oblivio obrepet.

22. *Præſagitio.* Qvæ mihi in mandatis dediſti, ea, qvâ debeo, fide exſeqvor: & jam neſcio, qvid mihi animus præſagit boni, fore, ut qvàm primum ad vota tua, imò ſupra illa, expediantur. In me, qvod accredas mihi velim, mora non erit ulla: Id enim prædico tibi, habiturum te qvidem aliqvos, qvi res tuas eâ, qvâ ſuas, diligentiâ, neminem, qvi majori qvàm ſuis impendit, curaturus ſit.

23. *Dubitatio.* Tene audiam potius, an me, dubito. Tu rebus tuis rectè curandis me præficere vel non vis, vel non audes. Ego verò volo, & ſi me audis, tibi, ut mihi, qvæ vis, imperes, impero. Res enim tuas diligentiùs, qvam meas, curabo. Amici non ſumus, ſi tu, an imperes, ego, an faciam, dubitemus. Neqve tu fidem meam in dubium, ſcio, vocabis, nec tuam ego fiduciam.

24. *Inqviſitio.* Nunc ego qværo abs te, qvare alii potiùs, qvàm mihi res tuas curandas commiſeris: qvando me vel infidum vel negligentem in rebus tuis inveneris, qvi plerumqve à meis, qvàm à tuis, ſum omiſſior. Juſtas certe conqverendi adverſus te cauſas habeo. Actio conſtituetur. Tu mihi & reus & judex eris, niſi te ipſum condemnaveris, cave ne te condemnem. Centum enim epiſtolarum numerum ſolves, anteqvam te abſolvam.

25. *Interrogatio.* Ain vero? Non te mihi gravem fore tuis negotiis? An hæ amico, an te, an me dignæ voces ſunt? Qvâ tu mihi fronte id occinis? qvo animo? an mea tibi fides ſuſpecta? An tua ego unqvam ſegnius curavi? An meæ ſunt tot occupationes, ut tuis excludar? fuitne ſemper major apud me in tuis, qvàm in meis rebus, ſollicitudo? Qvis obſeqvio, officiis, induſtria promtior? reſponde, ſi vir es; defende te, ſi amicus.

26. *Reſponſio.* Visne ut in me negotii hujus moles recumbat? En Atlantem, qvi ferat animo intrepido, nec latere infirmo. Vis hominem induſtrium, diligentem? En tibi, qvi tua omnia ita geret, reget, gubernabit, ut nihil à te ipſo amplius expectes.

27. *Interpretatio.* Amicus tuus ſum, id eſt, res tua. Utere illâ, prout libet: verbo innue, occultos interpretabor ſenſus. Optimus amicus amici interpres eſt, i. e. omnia qvæ vult, ille volet alter. Manus alter alteri commodabit; ora, animos, res amici curabit, plus qvam ſuas.

28. *Occupatio.* Ergone nullum fuit è tot negotiis, qvæ inter amicos quaſi dividis, cui me admoveres. Jam ſcio, iterum veterem mihi cantilenam occines:

Tot

Tot negotiis circumſideris, ac penè opprimeris, ac nova qværis. Nolo tuâ facilitate abuti, nolo publicis detrahi, qvæ meis impendis tempora. Tu verò aufer mihi iſtas excuſatiunculas. Non ita aulæ ſervio, ut inſervire amicis vel nolim, vel non poſſim. Totas citiùs dies, omnes, qvæ ſuperſunt, horas, omnia momenta aulæ & mihi eripiam, ut tibi tuiqve rebus impendam. Aulam deniqve res ſuas ſibi habere malim, qvam, ut à tuarum mihi rerum cura ſit diſcedendum.

29. *Fictio.* Qvod rerum tuarum curam mihi imponis, gaudeo: committe huic homini omnia. Finge ex tuo ingenio promptum, alacrem, officioſum. Argum me finge, qvi centenis oculis invigilet. Briareum finge, qvi centum manus ad opus tuum adferat: non fallam ſpes tuas & vota, mea etiam vota meumque genium fraudaturus, ut tua impleam deſideria, tuæ me accommodem voluntati. Finge deniqve novam aliqvam mei in Te μεταμόρφωσιν: Sic idem tecum & plus, qvàm tu ipſe, & cupiam & exequar.

30. *Imaginatio.* Jam videor mihi te videre moroſum, meditabundum, circumſpicientem omnes angulos. circumcurſitantem omnes plateas, prenſantem amicos, qvos in negotio tuo expediendo conſulas. Ad me non reſpicis. Qvin dic, qvid velis. Illud mihi Pythagoreum: αὐτὸς ἔφα, tibi erit αὐτὸς ἐποίησε. Ni enim ego, qvicqvid tu dixeris, ita effectum dederim, ut ipſe non poſſis accuratius, omnem apud te fidem decoxero.

31. *Expreſſio.* Ego tuas res non curem? Plus qvàm meas. Si Jovis qvadrigas inſcenderis; aut Diogenis accenderis lucernam, parem in alio fidem fruſtra qværas. Manibus pedibusque ſaxum hoc tuum volvo. Si mihi centum linguæ eſſent, centies hæc tibi inculcarem; nihil eſſe, qvod non tui cauſa cupiam. Si centimanus eſſem Briareus, vel centies effecta darem, qvæ ſemel tu facta cupis.

32. *Proſopopœia.* Si charta hæc conſiliorum meorum particeps loqvi tecum poſſet, qvæ vellem, candorem tibi noſtrum vel ipſo colore ſuo confeſſa deſideria noſtra panderet, qvibus in obſeqvia tua rapimur. Si ipſa fides hæc ſcriberet, me puto rebus tuis unicè commendaret.

33. *Apoſtrophe.* Agite ergo. Ite literæ noſtræ ad virum noſtri amantiſſimum. Ite atqve hæc ei in aurem: Heus tu, ſi qvid curatum velis, huic homini curandum da.

34. *Ratiocinatio.* Nulla mei tibi cura eſt. Qvid ita? Rogas? Qvia nullam mihi vis eſſe tui tuarumqve rerum curam. Ego vero rogo te non ſolùm; ſed & pro jure meo contendo, ut in earum partem me admittas. Debes enim, qvia amicus: velle debes, qvia fidei meæ certus. Ejus puto non pauca habes ſpecimina. Qvid enim? Annon ſemper ita curavi res tuas, ut nec tu ipſe diligentiùs?

35. *Concluſio.* Amicus meus es. Ergo fac, ut te videam, non nomine, ſed opere ipſo talem. Feci, inqvies, juvi, qvibus potui, re, opera, conſilio. Sed tuo bono, mutuus amicorum amor eſt. Ergo & reciproca ſunt officia. Niſi enim reſpondere

ſpondere officiis me velis (cupio certè, qvam qvi maxime) cum omnia mei cauſa agis, nihil agis, ac ipſo beneficio es ingratus.

36. *Epiphonema.* Cum in omnibus & conſilia & operam tuam reqviro, ita omnia agis mea, ut nec ipſe diligentiam meam reqviram. Ego vero cum tui cauſa omnia agere velim, ne minimâ qvidem in re noſtrum deſideras officium. Iſta qvidem vis, aut, ut mollius dicam, fraus eſt. Heu qvàm eſt miſerum, ita vivere, ut, ſi vel maxime nolis, vivas tamen ingratus! Qvam eſt hoc in amicitia ambitioſum! addo, qvam callidum! Ut ſolus bene mereri videaris, amici excludere officia.

37. *Compendium.* Nihil eſt, qvod tibi tuarumqve rerum commodo impendere nolim: Nihil adeò mihi dulce eſt & ſuave, qvorum ego jacturam non facere malim, qvàm ut tuæ amicitiæ per negligentiam meam vim inferam. Plenum tibi in operas, res, conſilia, fortunas, ſalutem, vitam deniqve meam, jus transſcribo, atqve ut paucis multa dicam, tibi toti me totum.

38. *Perplexitas.* Qvid agam? Hinc animum timor diſtrahit: hinc amor: illinc mea etiam commoda. Hujus ego Jovis in me fulmina temerè concitare nolim. Te ut iratum mihi habeam! Sancta amicitiæ lex prohibet. Commoda mea ut negligam? Amici, uxor, liberi intercedunt. Qvid velim ego nolimve neſcio. At certe tui causâ vel cum ſalutis meæ diſpendio velle omnia debeo.

39. *Approbatio.* Hem iſtud eſt amicum eſſe! O factum bene! Beaſti me tuis literis, qvibus rerum tuarum curam mihi imponis. Jam te amicum eſſe ſentio, tuqve me eum eſſe, faxo ſentias, cui ſtatutum eſt omnia ferre atqve pati, qvàm ut in te aut in fortunas tuas iniqvius aliquid conſtituatur.

40. *Imperium.* Hoc tibi edico, ſeveritate plus qvàm prætoria, ne cuiqvam alii, qvam mihi res tuas commendes. Eam tibi legem jus amicitiæ ponit, ſanctum, inviolabile; ut parendi mihi neceſſitatem impoſuit, plus in rebus tuis, qvàm meis laboraturo.

41. *Admonitio.* Qvidvis impera. Dictum factum. Visne curem res tuas? Meæ erunt.

Unum illud repetens, iterumque iterumque monebo,

ne mihi magis, qvàm tibi ipſi diffidas.

42. *Obſeqvium.* Non ero, ut ille in fabulâ ad mandata claudus, cæcus, mutus, mancus, debilis. Qvæ enim apud Maronem ventorum Deus, mihi tibi liceat, non fumos vel ventos vendenti.

Tuus eſt ò Amice, quid optes,
Explorare labor, mihi juſſa capeſſere fas eſt.

43. *Blanditiæ.* Nunc amo te, anime mi, ocelle jucundiſſime, cum in negotiorum tuorum conſortium me admittis, qvi tuis immori malim, qvàm meis immorari.

44. *Salutatio.* Salvete mihi vel centies, qvæ ſalvum mihi nunciaſtis amicum noſtriqve memorem: ut vos exoſculor; ut lego lubens! Nihil enim iſta memoriâ

moriâ mihi accidit ſuavius: præſertim, cum ea obſeqviis officiisqve mutuis fovetur. Qvæcunqve etiam juſſa feratis, ferte, mea ſemper reportaturæ obſeqvia.

45. *Apprecatio.* Dii te ament, Amicorum optime, pro amore in me tuo. Jam enim (qvod bonum fauſtumqve tibi mihiqve ſit) totum expedivi negotium: tam benè proceſſiſſe primum hujus amicitiæ ſpecimen, tui causâ gaudeo, mei causâ triumpho, qvi omnia moliturus ſum, ne pœnitere te amicitiæ meæ poſſit.

46. *Veneratio.* Graviſſimum eſt, qvod fidei meæ commiſiſti, negotium, ac periculoſæ plenum opus aleæ: videbo tamen, ut illis difficultatibus te eripiam, nulla etiam ſupplicia formidaturus. Deum veneror, ne tàm præclaram bene de te merendi occaſionem mihi è manibus elabi ſinam.

47. *Abominatio.* O factum male! Annon pluris tibi ſum quàm homo ille mercenarius, cujus tu fidei res tam arduas commiſiſti? Aufer lucellum illi, & abierit fides, qvæ non excedit loculorum amplitudinem. Certiora à me, qvam ab illo homine, rei tuæ præſidia expectare potuiſſes, debuiſſes. Ut tuas enim erigerem res, vel meas paterer deſertas.

48. *Objurgatio.* Verberavi te hactenus cogitationis tacito duntaxat convitio, nunc te palàm objurgo, Euclionem temporum, prædonem literarium, helluonem librorum, amicitiæ deſertorem, cauſæ tuæ proditorem: qvi in tàm arduo tuo negotio non tantum tibi otii ſumis, ut amico res tuas commendes, qvi certè diligentius qvàm ſuas, aut tu ipſe tuas, geſturus eſſet. Dicam ego hanc tuam vel ſocordiam, vel ſuperbiam, vel aſtutiam? Nam certe vel ſalutis tuæ curam abjeciſti, vel me huic rei ineptum exiſtimas, vel deniqve hoc tàm pertinaci ſilentio artes qvasdam, qvibus diſſui amicitia ſolet, alere mihi videris. Vel mores tuos muta, vel amici nomen abjice.

49. *Irriſio.* Vis ſcire qvid agam? Albis, qvod ajunt, dentibus te rideo, qvi dignum abstuliſti diffidentiæ tuæ prœmium: cum amicum haberes, cui ſecurè crederes omnia, qvæſiviſti alios, qvorum vel malitia, vel negligentiâ res in ſummum diſcrimen tuæ deductæ. Nunc, cum nemini obtrudi poſſunt, ad me itur.

Diſce fidem noſtram, monite, & non temnere Amicos.

I nunc, & impone illis negotia, qvi tàm pulchrè tibi imponunt.

50. *Execratio.* Malè ſit morbo illi, qvi me hactenus rebus & meis & tuis ſubtraxit. Nunc poſtqvam ille à me receſſit, ad me redeo, & ad te, & ad tua negotia, qvantus ſum, omni fide, officio, ſervitio, tuus.

51. *Optatio.* En erit unqvam

Ille dies, mihi cum liceat tua noſcere juſſa!

Totos ego menſes compreſſis manibus ſedeo, totos ego annos expecto, nec quicqvam in literis tuis comparet, in qvo fidem periclitari velis, qvam tibi propriam perpetuamqve ſpondet amicus.

52. *Vocatio.* Ubi jam ſunt illi Aretalogi, philoſophâ ſuâ ſententiâ, ignavâ operâ? Jam veniant, & viros ſe præſtent, verbis adeò ſplendidi. Nunc illi delite-

ſcunt, nec qviſqvam eorum domi eſt. Tu, ſi ſapis, veteribus amicis, qvorum tibi ſpectata fides eſt, utere. Inter eos me habes ſemper tuum, & ὄργανον ἔμψυχον. In tuâ ſum poteſtate, & qvæ de tuis in meâ eſſe vis, in tuâ eſſe non deſinent.

53. *Votum.* Si qvid habes, in qvo amici fidem reqviris; en! tuus ſum; ad aram enim fidei me tibi nunc ſiſto. Tibi victimam me voveo: Tibi me totum omniaqve mea conſecro.

54. *Obſecratio.* Non deſinam te fatigare precibus, ut meâ tandem utaris amicitiâ, niſi ipſe habeas inutilem: qvâ ne me afficias injuriâ, tibi ſupplico. Qvanqvam vulgus, ut vetus habet verbum, amicitias utilitate probet; vinculo tamen aliqvo amicitiæ illæ contineri debent, ne collabaſcant.

55. *Commendatio.* Qvi multos commendare tibi ſoleo, nova apud te commendatione ipſe egere mihi videor. Adeò enim oblitus mei es, ut operam noſtram nullâ in re deſiderare videaris; cum nullis libentius qvàm tuis rebus curam intendam.

56. *Conceſſio.* Scribe modò: tuis ego deſideriis ſubſcribam. Nihil ita meæ poteſtatis erit, ut non ipſe velim tuæ. Omnibus, qvibus potero, officiis tibi commodaturus.

57. *Gratiarum Actio.* Gratias tibi ago, qvod magno me beaveris beneficio. Qvod enim majus contingere amico beneficium poſſit, qvam ad officia beneficiaqve invitari? Utinam eorum aliqvam partem implere poſſem, qvæ ad Te ornandum pertinent.

58. *Recuſatio.* Odi aulicos illos verborum apparatus, qvibus adverſus Amicum uteris. Annon noſti Græcum illud: ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ. Nolo blanditias, juſſa volo; qvæ, qvò ſeveriora, eò mihi blandiora: qvò tu me minus rogas, eò promptiora tibi mea erunt officia.

59. *Exultatio.* Cum meâ diligentiâ effectum tibi viderem, qvod tu efflagitabas cupidiſſimè, exultare lætitiâ & triumphare gaudio cœpi. Et hunc ego à negotiis tuis fructum primus capio, primum hoc mihi qvod ſit gaudium, tuum vero ſecundum. Qvam affectui meo prærogativam non invidebis, ut, qvi ſtudio ac efficiendi deſiderio me ipſum & induſtria præveni, tua qvoqve gaudia prævenirem.

60. *Jactantia.* Nunc ego de rebus tuis benè à me geſtis gaudeo: Hanc enim mihi gloriolam in hoc amicitiæ certamine vindico; nulli fide, diligentiâ conceſſurus. Tu modò cave, ne tuâ vel diffidentiâ vel ſocordiâ gloriæ huic noſtræ qvicqvam detrahatur; qvam ita cuſtodire cupio, ut, ſi idem mecum velis, res tuæ jaceant nunqvam.

61. *Gratulatio.* Jam licet acclamem tibi *feliciter* & mihi, de feliciter expedito negotio; nec potes tàm tibi ipſi, aut alii tibi ita gratulari, ut ego mihi gratulor, atqve in ſinu de hac felicitate tuâ, qvæ & mea eſt, gaudeo. Nihil enim mihi gratius unqvam accidet, qvàm ſi per meam operam grati aliqvid tibi accidere poſſit.

62. *Plauſus.* Plaude, jam peracta tua eſt fabula. Ego Roſcius in hâc ſcenâ perſonam tuam perbellè tractavi. Succeſſit è voto res. Qvid vis amplius? Tibi plaudo

& mihi plaudo

Ipſe domi, ſimulac numos contemplor in arca,

qvos tibi induſtria mea extorſit. Plura tui cauſâ, ſi velles, vellem.

63. *Ejulatio.* Heu mihi! Adeone me à bonâ fortunâ derelictum, ut tui cauſa efficere nihil valeam, qvi velim omnia. Non eqvidem omnia poſſumus omnes, in aulis præſertim, in qvibus ab unius Jovis nutu pendent omnia. Sed & hîc interdum Semideis & Diis Tutelaribus & Satyris aliqvid licet.

64. *Exprobratio.* Satisne tibi cauſæ eſſe ingrato putas, qvod omne inter nos amicitiæ commercium ſublatum velis. Nam certè amicitiam ſuſtuliſſe mihi videris, qvi fomenta ejus tollis, ac iſta mutuorum officiorum ſolatia. Qvænam hæc ſatietas eſt? qvod faſtidium te à nobis abalienavit? Omnes alii etiam, qvos non ſatis noſti, à Te habent, qvod agant; ego nihil, qvi & animo tibi ſum conjunctiſſimus, & rerum tuarum gerendarum cupidiſſimus.

65. *Pœnitentia.* Jam penè promiſſorum meorum me pœnitet, cum tam ſegniter res tuæ mihi procedant; non meâ qvidem, ſed unius moratoris culpâ. Hæc mihi penè qvotidiana ſunt ſupplicia. Ipſa itaqve neceſſitas mihi manum injecit. Ubi removero hæc obſtacula, ita res expeditas dabo, ut nec me pœnitere laboris, & hujus ipſius tædii poſſit, nec te meæ amicitiæ.

66. *Spes.* Benè te ſperare jubeo: In portu enim tua cauſa navigat, jamqve ad optatum finem res omnes ſpectant. Jam gaudeo impletas Tibi eſſe à me ſpes tuas, qvas de me conceperis. Atqve ut ita ſemper ſperes, rogo. Ego illud operam dabo, ne ſpes tuas fides noſtra deſtituat.

67. *Deſperatio.* Qvanta ſpe decidi; Actum de amicitia noſtra eſt! animam agit, niſi tu ſuccurras. Ne qvid enim diſſimulem, non mediocriter animi angor, qvod ab alio qvàm à me, cujus tamen fidei olim credebas omnia, negotia tua velis curari. Ego verò ad inſaniam cupio. Tu vide, ne hoc mœrore & deſideriô contabeſcam. Jam iſtæ res meæ mihi ſordent, ipſe mihi diſpliceo, cum diſplicere tibi ſtudia mea video.

68. *Timor.* Metue, ô bone, qvem non metuis. Habemus interdum amicos, qvi blandi ſunt oris, amari verò pectoris. Ego profecto non parum tibi tuæqve cauſæ metuo, qvi parum adeo tibi ipſi metuis. Mirâ alacritate omnia obſervo, omnia etiam tuta timens. Notæ enim mihi ſunt hominum inſidiæ. Atqvi ita, ſpero, lento & ſuſpenſo gradu ipſam cauſæ arcem invadam.

69. *Verecundia.* Pudore confectus penè ſum, cum à rerum tuarum curâ excluſum me eſſe ſentio, qvem unum atqve unicum amicum appellare toties conſueviſti; qvi tuis rebus eam ſemper adhibuit diligentiam, qvam non adhiberet vel ſuis vel aliorum negotiis. Nunc itaqve verecundiâ deterritus, pluribus te verbis non rogabo, ut qvicqvam mihi oneris imponas: Metuo enim, ne ſi repulſam feram, ſecundo pudori animus ipſe ſuccumbat.

70. *Audacia.* Magnum in me facinus tui cauſâ ſuſcepi: jacta jam eſt alea

Atqve utinam videre poſſes, qvo vultu, qvâ confidentiâ, qvibus cervicibus, qvo ſpiritu, negotia tua ſubeam. Nulli cedere paratus, nec ipſos eqvuleos formidaturus, ut rem tuam tibi conficiam, qvæ meis omnibus meâqve ſalute mihi eſt charior.

71. *Impudentia.* Jam ergo os ferreum & perfrictam tibi frontem opponam, qvi nullis moveri precibus potes. Ingeram me negotiis tuis vel te invito. Velis, nolis, morem te mihi gerere oportet, homini, qvi eâdem, qvâ hæc à te audaciâ petit, (animos enim addit amicitia) effecta daturus eſt. Si me importunius hæc flagitare miraberis, cogita non erubeſcere amici literas.

72. *Excandeſcentia.* Totus in fermento ſum, neqve cui ſuccenſeam ſcio. Non mihi: Nihil enim eorum, qvæ ad rerum tuarum curam ſpectant, e manibus dimitto. Indignor tamen, ac propemodum ringor, me nihil adeò promovere. An itaqve cum fatô meô expoſtulem? Sed & hoc ſtultum eſt, & homine prudenti indignum tibi videbitur. Ego potius impatienti deſiderio tempus illud, qvo tua mihi vota implere liceat, expectabo.

73. *Minæ.* Qvæ (malum!) iſta cunctatio? Hæc tua mihi verba aures circumſonant: Væ illi, qvi has mihi moras nectit, & cujus ego culpâ iſtam apud te ſuſpicionem incurro: Si non fecero ignavo huic homini mala aliqvo pacto, me eſſe dicito ignaviſſimum. Habebis etiam in me vel Fabium aliqvem, qvi cunctando etiam res tuas ſit reſtituturus.

74. *Nemeſis.* Non ergo impunè tibi abiit iſta nunc injuria. Jam par ego pari. Tu me à tuis excluſiſti negotiis, ego te à meis. Jam diſce impoſterum, ſuo pretio amici æſtimare fidem.

75. *Miſeratio.* Miſeret me tui, qvi adeò cum difficultatibus rerum tuarum conflictaris, nec ex iis eluctari anguſtiis potes. Ergone amici tui ita tibi excidit memoria, ut in earum partem eum admittere nolis, qvi eâ fide tua curat, ut fideliùs non poſſit ſua?

76. *Confeſſio.* Nullæ mihi magis curæ, qvàm res tuæ, ſunt. Eâ enim me, fateor, ambitione teneri, ut inter amicos tuos, & qvi plurimum tui cauſâ cupiunt, principatum qvendam affectem.

77. *Deprecatio.* Parce, precor, ô Amice: ſatis pœnarum jam luimus. Citiùs enim aqvâ & igni mihi interdixeris, qvàm officiorum communioni, qvæ ex amicitiâ oritur; ſine qvâ vel ipſa mihi vita acerba eſt.

Certum eſt in ſylvis inter ſpelæa ferarum
Malle pati,

qvàm iis carere utilitatibus, qvas tua mihi parit amicitia, qvæqve in eo præcipuè conſiſtunt, ſi tibi ullâ ratione utilis eſſe obſeqvio ac operâ meâ poſſim. Qvâ in re omnem pono diligentiam.

18 Exemplum VII. exhibet Imitationem qvandam
Epiſtolæ 17. lib. II.

1. *Cum tot tantisque beneficiis à Te cumulatus ſim, neque adhuc ad manus ſe dederit*

derit

derit occaſio, quâ dignam meritis tuis gratiam referrem, pudor me, neque, ut arbitror, reprehendendus, deterret, ne novis tibi moleſtisque literis aures obtundam.

2. *Quibus me beneficiis ornaris, quibus laudibus cohoneſtâris Agapetus, tibi non eſt incognitum: omnes certè ut virum bonum integrumque mirabili benevolentiâ proſeqvuntur.*

3. *Hic vacuam Senatoriam dignitatem ambit: quo in propoſito, ſi quis auram illi aliquam afflare poterit, id effecerit, ut in portu ſalus ejus navigatura ſit, ipſeque ſummum hoc beneficium interpretabitur.*

4. *Jam ante perpenſum & exploratum habeo, neminem fore ex ampliſſimo veſtro ordine, qui plus ad illum juvandum facultatis, ad ornandum autoritatis, ad negotium conficiendum voluntatis, allaturus ſit, quam Tu, qui in Senatu regnas, omniumque conſiliorum princeps es & architectus; atque præterea hominem ita complecteris, ut vel ſpontè ceteris, qui valde petituriunt, prenſatoribus anteponas.*

5. *Ideoque de manu, ut ajunt, in manum tibi trado hominem, rogoque, ut eum, quibus potes modis, ornes ac tuearis: quâ ex re magnam perpetuamque voluptatem me capturum, ſcias velim.*

6. *Præterea non mihi tantùm id gratum, ſed & Reip. rationibus accommodatum eſſe non ignoras, neque tibi quicquam majori fructui gloriæque eſſe poterit, quàm, ſi de unâ, quod ajunt, fideliâ duos parietes dealbaveris: Commodi publici ſervantiſſimus, & amicorum non incurioſus. Vale!*

Amplificatio prioris exempli. 19

Periodus. I.

1. Tantis ego à Te beneficiis ornatus auctusqve ſum, ut nulla mihi dies eorum memoriam exſtinguere poſſit, nullo qvantocunqve officio vel partem tuorum meritorum aſſeqvi me poſſe confidam.

2. Nam qvanqvam diu multumqve in omnes occaſiones intentus, omnibus votis qvæſiverim, qvâ in re parem, non dicam, gratiam tibi referrem, ſed gratum ſaltem animum & beneficii memorem oſtenderem; de ſpe tamen illa conatuqve adhuc ſum depulſus.

3. Itaqve tot meritis tuis obrutus, tot nominibus tibi obſtrictus, verecundè dubitanterqve tibi ſcribo, cum grave ſit viro prudenti, novum nomen facere, qvi in veteri penè conturbet.

4. Perfricabo tamen frontem, neqve nunc humanitate tua abuti grave mihi erit, poſtqvam ſemel verecundiæ fines ſum transgreſſus.

II.

1. Non, ut arbitror, animo tuo excidit, cui nihil mearum rerum ignotum eſt, & cujus in ſinu omnia deponere conſuevi: qvibus me beneficiis ornarit Agapetus, qvibus præſidiis, conſiliis, opibus, cum fortunæ iniqvitate colluctanti ſubvenerit, qvam fidenti animo partes ille meas ſemper ſuſceperit.

2. Accedit commune omnium hominum ſuffragium, qvi ut integritate ſpectatum, civilis officii non ignarum, notæqve & expertæ fidei hominem, in cœlum laudibus extollunt, omnibusqve in exemplum proponunt.

III.

1. Senatoris locum fato affinis tui non ita pridem vacuum cum multi affectent, nemo unus, me qvidem judice, eſt præter Agapetum, qvi in locum demortui ſurrogari mereatur.

2. In ampliſſimum hunc ordinem ut cooptetur ille, cupiditate ardet incredibili; etſi nihil ambitioſius more prenſatorum facturus ſit, qvi ſatis in virtute ſuâ præſidii ad Spartam illam ornandam ſe habere exiſtimet; niſi fortè futuri ſint, qvi modeſtiam ejus ſuam putârint occaſionem.

3. Qvare amicis illi opus eſt, qvi dextram porrigant, qui ſuis nervis rem agant, ſuis conſiliis viam muniant, ut totum ex ſententiâ ejus negotium conficiatur.

4. Qvod niſi fiat, ne ille cum omni ſolertiâ ſuâ jaceat vereor, & nunc qvidem illa ſine exitu deliberatio futura ſit.

5. Qvâ in re ſi juvare ipſum, ut ſane potes, volueris, omni obſervantiâ, omnibusqve officiis te proſeqvetur, & ut parem referre gratiam poſſit, omni conatu enitetur.

IV.

1. Nam ſi per ordinem veſtrum oculos circumfero, ſingulorumqve rationes, & conſilia perpendo, Tu ſolus eris, qvi & me & illius cogitationes officiis vicerit. atqve adeò omne deſiderium noſtrum exhauſerit.

2. Novi enim tuum ingenium, qui, quicquid facere ſtatuiſti, prolixè cumulatèque facis, proque amicis omni contentione tibi dimicandum exiſtimas.

3. Multum præterea in Senatu nomen tuum eſt, qui omnia prudentiâ tuâ gubernas & moderaris, ut gravìus futurum ſit verbum tuum ad illam rem unum, quàm aliorum ſexcenta;

4. Nec metus nobis ullus erit, ne æmulorum auferant conſilia: amas enim hominem, atque ita amas, ut omnia, dummodo cupiditati illius ſatisfacias, ſis poſtpoſiturus.

V.

1. Qvare, etſi in hoc negotio apud Te Virum prudentiſſimum proficere poſſumus ſuadendo, gratia tamen nunc contendimus & rogando ut Agapeti noſtri cauſam omnem ſuſcipias, & ad eam voluntatem, qvâ ipſi cupis, meâ qvoqve commendatione tantus cumulus accedat, qvantum me abs te amari mihi perſpectum exploratumqve eſt.

2. Sic enim tibi perſvadeas velim, ſi ex noſtrâ ſententiâ rem confeceris, omnium tuorum officiorum, qvæ & multa & magna ſunt, unum hoc optimum maximumqve me exiſtimaturum.

VI.

VI.

1. Verum de me, ut tibi videbitur; tacita enim hæc relinqvam; tametſi officium neceſſitudinis minime videtur repudiandum.

2. Neqve enim in Reip. negotiis amicitiæ jura vel planè abjicienda vel diſſimulanda ſunt: neqve omnino peccabimus, ſi utriusqve rationes, cum à decoro & honeſtate non diſcedunt, cum doli utilitatisqve noſtræ abeſt ſuſpicio, conjunctas habeamus.

3. Magni vero hoc ad Remp. intereſt, ſi ad graviſſima conſilia hoc præcipuè tempore acceſſerit, & ampliſſimo ordini adjungatur homo non opibus tantùm & amicitiis florens, ſed peritiâ & uſu rerum inſigni ad omnia inſtructus, ut qvi in qvascunqve partes verſatus ſemper τετράγωνος ſibique ſimilis exiſtat.

4. Non diſſimulabo & illud, qvam ob privatas rationes te in eo eſſe conſilio expediat, qvi publicam utilitatem, cum oportuniſſimam ſe tibi jam occaſio præbeat, in tuum commodum convertes.

5. Magnus qvoqve ad honorem gloriamqve tuam cumulus accedet, qvem omnes Reipublicæ bono invigilantem, de ſalute civium ſollicitiſſimum, in oculis ferent, & in cœlum laudibus extollent.

6. Qvare è manibus tibi tàm ſplendidam occaſionem labi non patieris: In qvamcunqve enim partem agitaveris negotium, omnes Viri, amici boni, addo & Senatoris numeros implebis. Senatus in te fidem & honeſtatem, Agapetus noſter favorem, ego amorem, omnes in Te officium ſtudiumqve prædicabimus.

Exemplum VIII. ex Epiſt. 3. lib. 10. ad Famil.

1. Etſi rarus ad nos hoſpes venit Agapetus, ita tamen attemperatè hodiè venit, ut qvaſi Deus è machinâ advolaſſe videretur. Magnæ mihi voluptati fuit, variis de rebus miſcuiſſe ſermones, qvi ne momentum qvidem horæ perire mihi paſſus ſum, qvo non ab ore ejus pependerim. Erat enim vel eam ob cauſam jucundior hæc confabulatio, qvod conſilia, animum, mores, atqve adeo vultum mihi tuum in ſuaviſſimis ſermonibus ſuis qvodammodo repræſentaret: nam vel ex oculis ejus legere poteram, qvæ literis committere non es auſus.

2. Mirificè ille mihi tuam in re bellica peritiam ſingularem prædicavit, qvæ qvotidie magis eniteſcit, & nunc majoribus qvaſi theatris proponitur. Nihil dicam de juſtitiâ tuâ, qvâ provinciam tuam gubernas, ſagaciſſimus conſiliorum omnium moderator, in qvâ ille efferenda copioſus & freqvens fuit. In rebus verò gerendis neminem te conſideratiorem, & ad omnia momenta circumſpectiſſimum, & præſenti animo eſſe affirmabat. Accedunt virtutibus tuis tàm variis tot rerum experimentis ſpectatis mira conſuetudinis ſuavitas, facillimi mores, aditus molles, minimè triſte ingenium, qvo qvaſi coagulo & vinculo familiaritates contrahuntur & retinentur. Qvæ ut ille in cœlum extollebat laudibus ita è converſatione freqventi mihi non ignota, adhæc commemorabat mihi inuſitatam tuam liberalitatem, qvi non, ut qvidam ſolent, inanibus te promiſſis amicos tuos tractare, ſed reipſa juvare dicebat, tum demum, ubi omne ad rem auxilium emortuum eſt, vel ſolâ oratione beneficus. Libenter

benter amplector tales amicos, apud qvos ſi nomen noſtrum in gratia ſit, in cœlo mihi verſari videor.

3. Qvod vinculum, qvæ res deeſt noſtræ conjunctioni? Nam à pueris & à majoribus vetuſtus amor, conſuetudo, ſtudia paria, excreverunt, & qvantum memoriâ præterita repetere poſſum, mutuis ſemper officiis parentes, filii, affines, cognati, certavimus. Te jam inde à puero delegi, qvem amarem, qvem in ſinu foverem, omnibusqve deliciis provocarem, & coaluit cum ipſis annis noſtra familiaritas; ut ab ætate, ita à virtute qvotidiana ſumens incrementa, cum ſtudio meo, tum judicio tuo confirmata.

4. Hinc eſt, qvod mirabiliter tibi favemus, te tuâ virtute frui cupimus, dignitatis tuæ amplificatores. Cujus eò majorem rationem habere debemus, qvo arctior mei tuiqve honoris eſt conjunctio, ut de ſalute meâ ſollicitus mihi eſſe videar, cum in tua laboro.

5. Vide verò, qvantum tibi decoris, qvantum dignitatis adjunxeris, qvi ſummis ornatus honoribus in illud aſcendiſti faſtigium, qvo abjecti aliorum animi non pertingunt. Ipſa tibi virtus hanc gloriæ viam patefecit, illa facem prætulit, illa ſignum ſuſtulit, illa ſolida honoribus tuis fundamenta ſubjecit. Comitata verò res tuas eſt inuſitata qvædam felicitas, & qvædam commoditas, proſperitasqve vitæ. Nam cum omnibus opibus circumflueres, facilè moleſtias omnes avertiſti, contentiones malevolorum ſuperaſti, ut nullæ jam amplius tempeſtates tibi ſint metuendæ. Atqve illa omnia conſecutus primo ætatis tuæ gradu, eaqve adoleſcens ornamenta habuiſti, qvæ viri demum magnis laboribus molitionibusqve vel exblandiri ſolent, vel extorqvere. Expugnaſti æmulorum machinationes, qvas vel ingenii tui acie præviſas ſummoviſti, vel animi tui conſtantia oppreſſiſti.

6. Nihil eqvidem cognitione complecti poſſum, qvod tuæ dignitati accedere poſſit, niſi unum illud, qvo per omnium annalium memoriam triumphare poteris, ac immortalem tibi lauream ſuſpendere. Vides miſera hæc & calamitoſa Reip. tempora, qvæ jam aliqvot procellis ſubmerſa pene fuit. Illi te totum impende, ruituram & propemodum jacentem erige, libertatem exſtinctam in vitam revoca, cives ſibi ipſis redde, conſiliis, ope, omnibus illis præſidiis, qvæ vel prudentia tibi ſuggeſſit, vel fortuna commodavit. Nam ſi quis mihi rerum illarum ſenſus eſt, hanc ego palæſtram nulli, niſi tibi, deſignare poſſum, in qvâ ingenii robur exerceas. Hanc viam ut ineas, ipſa te Reip. luctuoſa facies invitare videtur: ipſe ſvadeo, hortor, impello, vel ſocius, vel miniſter conſiliorum tuorum futurus; ne ſit, qvo mihi diffidas. Cujus tantum abeſt ut cauſam vel ſuſpicionem habeas, ut de nullius hominis amore certior eſſe poſſis: qvi, ut tuâ cauſâ omnia cupio & volo, ita Reip. cauſa, cum in tuam incidit, cupere & velle debeo: ut itaqve cauſam communem habere videamur.

7. Solet tibi etiamnum, ut puto, in mentem venire illius temporis (neqve enim ulla te præteritarum rerum cepit oblivio) cum occultæ qvædam de te jactarentur voculæ, ad temporum genium & indolem compoſuiſſe te mores animiqve ſententiam,

tentiam, & timidiorem in nutibus aliorum obſervandis fuiſſe: Ac penè mihi perſuaſum fuiſſet, qvod populi rumore ſpargebatur, niſi Te animumqve tuum & mores rectiùs noviſſem, ut rumorem hunc, qvi jam per ſe raucus factus eſt, contemnendum arbitrer. Multa ſæpe ſilentio transmittimus & diſſimulamus, autoritate & potentiâ æmulorum territi ac ſuppreſſi, cum alia omnia intus ſentiamus, neqve in publicum conſilia noſtra proferamus, ne qvid diſſenſione noſtrâ & immaturo conatu turbetur, qvod idoneo tempore prolatam rem feliciùs ad exitum perducet. Idem te feciſſe nulla dubitandi cauſa eſt, præſertim cum poſteriorum temporum eventis mihi conſtet, non fuiſſe illum animi tui ſenſum, qvem frons, vultus, verba atqve externa illa ſpecies tua, præ ſe ferebat.

8. Qvandoqvidem verò facta nunc eſt aliqva rerum commutatio, nihilqve jam obſtat, qvo minus publicæ tuæ voces audiantur, illaqve in luce omnium proponantur, qvæ muſſitanda tibi antea fuerunt, nunc vel me non monente, qvæ tua prudentia eſt, intelligis, qvid tuorum ſit nervorum, qvidve tuâ autoritate accedere rebus noſtris momenti poſſit. Qvi aliorum vereri judicia antea debebas, & timidiusculè in nonnullorum voluntatibus hærebas, nunc non ſingula digitis dimetiri opus habes, cum tuum ad arbitrium ceteri libentiſſimè omnia conferant, diſſenſionesqve malevolorum obmuteſcant. Exſpectat te celſiſſima dignitatis ſedes, qvi ad conſulatum propediem vocaberis. Vivis in illâ ætate, qvæ vires, nervos, efficacitatem, animum vigilem & ad omnia momenta circumſpectum, commodare rebus gerendis poteſt. Tanta præterea ſunt in te naturæ & doctrinæ præſidia, tanta virtutis ornamenta, ut nemo lingua, nemo manu promtior in ſenatu habeatur, & ad eloqventiam tuam Reſpublica tota quaſi attonita videatur. Circumſpice Senatum omnem, & qvam habeamus Reipublicæ ſpeciem, animis oculisqve verſa, nemo eſt, qvi ruenti libertati lacertos lateraqve ſupponat: unus ſolus inventus es, in cujus prudentiâ poſitas omnes noſtras ſpes habemus.

9. Qvare niſi in te ipſum velis eſſe injurius, tuamqve dignitatem vilipendere, qvæ ut rectè factorum comes à viris bonis repudianda non eſt, & cujus amor honeſtis ingenitus animis eſſe ſolet: Illa tibi cura nunc unicè ſuſcipienda eſt, ut gloria tibi cumulatior veniat, omniumqve annalium memoria celebretur.

10. Ac ſanè, ſi qvid ego rectè judico, nulla tibi firmiora eſſe poſſunt ad famam parandam ſubſidia, hoc tempore, qvo Reſp. undiqve tempeſtatibus obſeſſa præſens exſpectat naufragium, qvàm ſi tu peritus gubernator à ſcopulis, ſyrtibus in qvietum libertatis portum deduxeris.

11. Scribo hæc ad Te, ſed verecundè & dubitanter: vehementer enim animi pendebam, utrum has ad te literas darem, an has cogitationes meas in obſcuritate & ſilentio reponerem. Sed vicit tandem atqve expugnavit titubantem animum amor, qvem Reip. qvem tibi ipſi debeo: cujus geminis incitatus ſtimulis, nihil habeo, qvod excuſem. Neqve enim, qvâ es humanitate, in ſiniſtram partem interpretaberis, qvæ bono à me animo ſcripta vel res ipſa teſtari poteſt. Tantum autem abeſt, ut pædagogiam in te exercere animum induxerim, qvaſi meo tibi conſilio demum diſcendum,

qvid ex re tuâ ſit, ut à te ſapientiæ prudentiæqve monita ipſe exſpectem, tuæqve ſententiæ (neqve enim diverſa à me ſentire potes) ſubſcribam.

12. In eodem prudentiæ civilis ludo inſtituti ſumus, atqve eò uterqve conſilia noſtra dirigimus, ut ſalus populi ſuprema Reip. lex, ejusqve gloria & libertas integra ſit & illibata. Finem itaqve ſcribendi faciam, ne, qvæ epiſtola mihi ſcribi cæpta eſt, in librum exire videatur.

13. Tu verò ita exiſtimes velim, ſolo amore, non inani aliqvâ in rebus civilibus σοφιστεία me inductum hæc ſcribere. Interea perſuaſiſſimum habe, nullam in animum altiùs curam deſcenſuram, qvam qvæ in ſalutem dignitatemqve tuam impenditur. Qvantum enim me ipſum diligo, tantum in te adhibeo diligentiæ, qvi pro amici rebus tanqvam meis, omni, non modo contentione, ſed & dimicatione, elaborabo.

21 Exemplum IX. ex Epiſtola 74. lib. 13. Cic. ad Fam.

Non puto te fugere, qvæ & præſens tecum egerim, & per literas de Lucii Oppii familiaris mei & L. Egnatii negotiis. Et novi ſanè tuum in me amorem & obſervantiam, ut non facilè crediderim, te rerum mearum & amicorum oblivиſci velle, niſi & mei ipſius obliviſcaris. Ne vero ipſe & literis in te parcior, & in cauſis amicorum ſegnior videri poſſim, iterum de amicorum ſalute ago per literas; qvorum tu cauſam agas, etiam atqve etiam rogo; cavebisqve qvantum in te erit, ne mihi iteratâ hac commendatione acta ſint agenda. De L. Egnatii negotiis inprimis velim cogites: noſti enim, qvanti hominem amem, qvanta ſit noſtra familiaritas; ut vel eo ſolo, ſi me ames, ad deſideria mea implenda poſſis debeasqve permoveri. Puta eundem eſſe eum, qvi petit, & eum pro qvo petit: nec tàm illi tu hoc officium crede, qvam mihi, exhibiturum; qvi in re meâ non magis laborarem, dum laboro in re amici, qvæ etiam eſt è re meâ. Fac ergo, ne inter ſolos nos dispereat amor noſter & illaudato perimatur ſilentio, qvod profectò fiet, niſi etiam aliis amoris noſtri conſtantia ſummusqve animorum conſenſus innoteſcat. Sit ergo L. Egnatius qvoqve inter illos, qvi è facili tuo aſſenſu cognoſcat, qvanti tu me æſtimes: ne ille dubitet, ſe à me æſtimari. Triplicem itaqve amicitiam uno qvaſi ſolidabis & conſervabis officio, tuam erga me, meam erga te, tuam atqve meam erga L. Egnatium. Vide ne tam ſplendidam bene merendi occaſionem prætermittas; qvod te vehementer rogo.

22 Exemplum X. ex epiſt. 75. lib. ejusdem.

Perſcripſi ante hos octo dies ad te de negotio amici, qvód multis tibi nominibus ivi commendatum: qvamvis propter ſilentium hactenus tuum vix, qvid ſperare habeam, conſtet. Peccare in amicitiam noſtram qvodammodo viderer, ſi bis peterem à te, qvi vel ad nutum ſolebas eſſe promptus. Cum vero ſciam, tantis te diſtineri implicariqve negotiis, ut facilè non qvidem amicitiæ officia, ſed illorum maturationem, memoriæ poſſint ſubripere, iterum mitto has meas, qvæ aurem tibi vellicent; præſerim cum C. Aviani Flacci amor me ad ſcribendum adegerit, cujus cauſâ nihil non tenta-

tentaverim, & mehercule debeo, Qvod ſi in memoriam hæc tibi revocare attinet, qvæ neſcire te recens tempus non ſinit, noſti qvid præſens ego non ſolum tecum egerim, ſed & qvàm tu mihi humaniſſimè reſponderis. Nec poteram facilè credere, abiiſſe tibi ex animo argumentum Epiſtolæ, qvàm de eo accuratè ſcripſeram. Sed putavi tamen, me ejus commodis non vigilaturum, ſi aliqvam ſcribendi occaſionem prætermitterem, freqventiam literarum vocans in ſubſidium commendationis. Non poteram deeſſe amico, cujus preces mihi ſunt imperia: qvamvis in ſuſpicionem me à te adduci poſſe videar, qvaſi in dubium vocem eam, qvam ſemper hactenus tàm erga me, qvàm erga alios, exhibuiſti, conſtantiam. Ignoſcas tamen, ſi deſideriis amici occupatus, vehementius flagitem: qvæ & ſemper æqviſſima eſſe credidi, & tibi non ingrata.

Exemplum XI. Dilatationis enthymematicæ ex Ep. 3. lib. 13. ad Fam. 23

In hâc multa enthymemata & argumenta coarctantur, ob qvæ commendari debeat Fuſius Memmio. Epiſtola ita habet: *A. Fuſium, unum ex meis intimis, obſervantiſſimum ſtudioſiſſimumque noſtri, eruditum hominem & ſumma humanitate tuaque amicitia digniſſimum, velim ita tractes, ut mihi coram recepiſti. Tam mihi gratum id erit, quàm quod gratiſſimum. Ipſum præterea ſummo officio & ſumma obſervantia tibi in perpetuum devinxeris.*

Habet illa Epiſtola octo argumenta, duo à perſona Ciceronis, duo à perſona 24
Fuſii, qvatuor à perſona Memmii deſumpta. Illa ſi ſingula Syllogiſticâ formâ proponantur, magnus apparatus argumentorum naſcetur: ſi per ſuas partes, qvas Rhetores tradunt, dilatetur, longè major apparatus erit. *Primum* argumentum eſt, qvod ſit unus ex intimis Ciceronis. Hinc talis Syllogiſmus: Qvicunqve ex intimis meis eſt, illum præ ceteris debeo commendare. Atqvi Fuſius &c. E. Majori propoſitioni poteſt addi alia ratio; Nam amicorum commoda ſunt mutua. Minori addatur ratio per comparationem: nemo eſt inter amicos meos, cui plus fidam. Illuſtretur aliâ ſimilitudine vel proverbio. Concluſio hîc omitti poteſt, & ceteris omnibus argumentis ſubjici. *Alterum* argumentum eſt: Qvi ſtudioſiſſimus noſtri eſt, debet commendari, &c. Majoris ratio eſt: amor enim amorem provocat. Minoris: nullum officium, qvod amicus amico præſtare potuit, prætermiſit. Addi poteſt illuſtrationis loco enumeratio. *Tertium* à perſona Fuſii: Qvi eruditus eſt, debet commendari. Majoris ratio eſt: eruditio enim omnium bonorum complexum habet, & per ſe jucunda eſt & honor illi debetur. Minoris ratio addi poteſt, qvia omnibus eruditis ſe talem probavit. *Quartum* eſt: Qvi ſumme humanus eſt, commendari meretur. Majoris ratio hæc: humanitas enim vinculum eſt, qvo homines inter ſe colligantur. Minoris: qvod plurimos Viros inſignes ſibi hâc ratione devinxerit. Seqvuntur argumenta à Perſona Memmii. *Quintum* eſt: Qvi amicitiâ tuâ dignus eſt, ille debet tibi commendari. Ratio Maj: delectum enim inter amicos habes. Min:

Virtutes enim in illo ſunt, qvæ tibi in pretio, honeſtas & fides. *Sextum* eſt: Qvi promiſit, ſe amicum ſuſcepturum, ille ſervare debet. Majoris ratio; nam in eo verſatur boni viri & amici fides. Min: noſti, qvid nuper inter nos de illo actum fuerit. *Septimum* argumentum: Qvodcunqve gratum amico amicus eſſe novit, præſtare debet. Atqvi Memmium ſibi Fuſium habere commendatum, gratum eſt Ciceroni amico, E. Majoris ratio hæc eſt à contrario: Si ignotos nobis conciliamus qvâcunqve re, multo magis amicorum benevolentia conſervanda eſt. Minoris ratio: Niſi id gratum eſſet, non tam operoſè tantoqve ſtudio id à te contenderem. *Octavum* argumentum: Qvi novum amicum ſibi parare poteſt, occaſionem non debet prætermittere. Majoris ratio: aucto amicorum numero, fortunas noſtras augemus; nihil eſt ad vitam ſuaviter ducendam commodius: oblata occaſio arripienda eſt. Illuſtretur ſimili: nemo theſaurum ſibi ſponte oblatum reſpuit. Minoris ratio: ipſe ambit; ego illi me proxenetam fore pollicitus fui. Nos exemplum dilatationis ex hâc epiſtolâ proponemus.

25 *Etſi non temerè amicorum negotia turbare ſoleo, nunc tamen hanc mihi epiſtolam imperavit amor, quem virorum optimo, uni ex meis intimis, debeo, qui me parario tuam ſe exorare poſſe amicitiam ſperat. Et ſunt ſanè multa, quæ me inducunt, ut hoc ipſi officium denegandum non eſſe exiſtimem. Nam cum meâ causâ ipſi cupio, tum tuâ; neqve ipſius virtus contemptim habenda eſt, quæ vel majoribus theatris proponenda videbatur. Ac primo quidem ipſo intimo amico fruor, quales tenerrime amare ſolemus, inter quos præ ceteris mutua illa florere debent officia. Unus inter omnes amicos meos eſt, quem conſiliorum ſocium omnique cogitatione conjunctum habeo. Ac noſti, etiam inter amicos valere, quod vulgato verbo dicitur: Multos eſſe laurigeros, paucos Phœbos: multos thyrſigeros, paucos Bacchos. Multos quidem habui & nunc habeo, qui mecum loquuntur ſuaviſſimè, quotidianas apud me ſalutes deponunt, verbis magnifici, linguâ factioſi, inertes operâ: Neminem unquam, qui majori me obſervatione coluit, plusque beneficiorum in me cumulavit. Cui ſanè niſi memorem animum præſtitero (provocat enim amorem amor, & trahuntur beneficia beneficiis) ingratum me hominem ac inofficioſum omnes, tuque ipſe, cum tibi illa non ſint incognita, dixeris. Verum non meo ſolum nomine ejusque in me meritis veſtram metiri amicitiam volo. Satis in ipſo virtutum eſt, quibus omnium hominum ſibi favorem facilè attraxerit. Nihil ipſo fieri poteſt eruditius. Literis omnibus artibusque eſt inſtructus, quibus & per ſe honos debetur, & omnium honorum complexus ac conſociatio continetur. Omnibus ſane viris doctis dudum ſe talem probavit, qualem mea tibi commendatione ornatum propono. Si ſuavitatem noſſes hominis ſummamque humanitatem (quo nullum efficacius in hominum conciliatione vinculum eſt) nullum ad cuſtodienda vitæ civilis munia præſidium paratius, rueres in amplexus hominis, qui omnes ſibi cives officiis, obſequiis, ſtudiis mirificè devinxit. Amabis itaque hunc hominem, quem amore dignum ſuæ virtutes declarant, quem tuæ ſibi conciliare laborent. Si enim conſilia tua ſequi vis in delectu, quem inter amicos conſtituere ſoles, nemo erit tuis moribus accommo-*

commodatior, & te ipſum tuasque virtutes, & quicquid tibi charum amplumque eſt, ſummam deniqve honeſtatem & fidem, quâ nihil acceptius in amicitia eſt, in ipſo deprehendes. Meminiſti ipſe, quos inter nos ſermones de illo miſcuerimus; quæ tu ipſe mihi pollicitus fueris. Nihil verò tu etiam primoribus labris polliceri ſoles, quin promiſſo fidem ſubdas. Neque inter illos es, qui amicorum de amicis ſpernere judicia ſolent: tuorum etiam voluntati obſequi honeſtas interdum jubet, ſi illi non honeſta tantum, ſed & utilia ſuaſerint. Non ignoras, quàm in prenſandis ignotorum hominum amicitiis ſeduli eſſe aliqvi ſoleant & ambitioſi. Quo minus dubito, æque te ſollicitum fore, cum in mea conſervanda, tum in illius, qui favorem tuum ambit, benevolentia arripienda, ut ille in tuâ ſibi gratiâ parandâ ſummopere laborat. Niſi enim hoc mihi gratum eſſet, niſi ille tanto amicitiæ tuæ deſiderio flagraret; non ego tam operoſe id à te contenderem, nec ille tam ſollicitè & quaſi cum convicio commendationem ſui flagitaret. Denique ſi nihil te movet, illud moveat, quod amicum tibi novum paras, etiam antiquis illis antiquiorem tibi futurum. Noſti vero, quàm amicorum acceſſionibus fortunas etiam noſtras augere ſoleamus, quam nihil ſit ad vitam ſuaviter ducendam commodius, ſi amicis quaſi fulcris quibusdam & præſidiis res noſtras muniamus. Quo te beatum fore minimè dubito, ſi occaſionem, quæ tibi me parario offertur, ut theſaurum divinâ virgulâ oblatum, accipere non detrectaveris.

Exemplum XII. qvo è ligato in ſermonem ſolutum convertitur Epiſtola. 26

Eſt & hoc dignum Tirone exercitium, ut poëticam orationem vinculis ſolvat, & ad orationis liberæ habitum efformet. Facillimè hoc fit in Epiſtolis Horatianis, qvæ verſu qvidem ſcriptæ, ita tamen, ut ſermonibus videantur propiores. Si enim periodos aliter formes, atqve illa immutes, quæ qvodammodo numerum & dictionem poëticam ſapiunt, nullo negotio elegantem Epiſtolam in ſolutâ lingvâ conficies: cui uſui accommodatius erit, ſi aliqvando formulas ex Cicerone parallelas congeras, qvibus ſenſum eorum, qvæ in Ciceronis Epiſtolis occurrunt, eleganter varies. Idem qvoqve tentare poteris in Ovidianis Epiſtolis, qvæ plus habent poëtici, formularum tamen elegantiâ etiam cum Cicerone certant: qvem parallelismum notavit *Henricus Stephani in Diſſert. de Vario Epiſtolarum genere.* Ac poſſunt tales formulæ ex Epiſtolis poëticis inter reliqva etiam colligi, uſui futuræ illi, qvi cum judicio & delectu illis utetur. In Horatianis Epiſtolis præire nobis poteſt Lubinus, qvi perpetuam paraphraſin in Horatii Poëmata edidit. Sed is, qvia ſenſus verborum inveſtigat, multaqve circumſcribere opus habet, qvoniam paraphraſis eſt, & commentarii vice fungitur, non eam habet ſermonis compoſitionem, qvæ convenit Epiſtolæ. * Nos 27
exemplum proponemus *ex Epiſt. 9. lib. 1.* qvæ eſt commendatoria, ſed qvæ mira brevitate omnia iſta comprehendit enthymemata, qvæ poterant afferri ad aliqvem commendandum, qvem potius coacti, qvam ſponte, commendamus.

 Quan-

Quanti tu me facias, Claudi Nero, Septimius unus intelligit. Vehementer enim rogavit, precibusque ſuis quaſi coëgit, ut commendare ſe tibi ac tradere vellem, hominem nec ingenio tuo, nec domo tuâ, qui optimos eligere ſoles, indignum. Nam quoniam me propiori tibi junctum amicitia cenſet, facile quid apud te efficere valeam, ac me ipſo quidem novit accuratius. Multa quidem cauſabar; ſed cum verendum mihi eſſet, ne datâ me operâ extenuare amicitiam noſtram putaret, tui favoris meæque potentiæ diſſimulatorem, aut utilitatum amici incurioſum, ut ſequi meas rectius poſſem, atque ita apud amicum in culpam incurrerem; perfricare frontem apud te malui, urbanorum more hominum, per impudentiam extorquens à te, quod modeſtiâ vel non poteram, vel non audebam. Quod ſi apud te violatæ modeſtiæ, amici cauſâ, reus non tamen vituperor, rogatum te peramanter velim, ut in domeſticorum tuorum numerum hominem bonum tibique, ut ſpero, ad omnia obſequia promptiſſimum recipere ne dedigneris.

CAP. XV.

SYLLOGE EXEMPLORUM,

Strictiore imitatione ex Epiſtolis Ciceronis, quas Melchior Junius ſecundum omnia genera collegit, expreſſorum.

§.1. Exempla imitationis ſtrictioris ex Epiſtolis Ciceronianis, & quidem commendatoria. 2. cum alia ejus argumenti. 3. eadem variata. 4. 5. duæ aliæ ejus argumenti. 6. 7. cum reſponſoriis. 8. 9. petitoria. 10. eadem variata. 11. cum reſponſoria. 12. adhortatoria. 13. & reſponſoria. 14. 15. ſuaſoria cum reſponſione. 16. 17. conſultatoria cum reſponſ. 18. 19. officioſa cum reſponſ. 20. 21. conciliatoria cum reſponſ. 22. conſolatoria. 23. eadem amplius deducta. 24. 25. alia cum reſponſione. 26. gratulatoria. 27. 28. 29. eadem variata cum reſponſ. 30. 31. euchariſtica cum reſponſ. 32. laudatoria. 33. reprehenſoria. 34. 35. expoſtulatoria cum reſponſ. 36. 37. querula cum reſponſ. 38. 39. nunciatoria cum reſponſ. 40. Imitatio quomodo inſtituenda. 41. eſt triplex. 42. puerilis imitationis ratio. 43. phraſium collectio. 44. earumque connexio, juncto exemplo.

Epiſtola Commendatoria ex Epiſt. 9. lib. 6.

NIhil poteſt Agapeto noſtro fieri jucundius, nihil noſtri amantius. Qvare ab ineunte ætate illum omnibus horis in oculis fero, complexu teneo, non ipſius tantùm, ſed & patris favore officiisqve ad hominem illum arctiùs mihi jungendum incitatus. Mira in illo eſt eloqventiæ vis; abundat præterea doctrinæ incredibili varietate & copia; ut non tàm meâ commendatione, qvàm ſuis niti virtutibus poſſit, ac animis non irrepere tantùm, ſed & blanditiis ſtudiisqve ſuis rapere

rapere poſſe videatur. Nihil ergo attinet, argumenta circumſpicere ſolicitiùs, qvibus favore tuo dignum eſſe oſtendam. Plenam, ut puto, apud te merebitur fidem noſtra de illo homine, non opinio, ſed exiſtimatio: Cui accedit impoſita mihi qvædam neceſſitas, ut ipſi benè cupere debeam, & res ejus, qvoad fieri poteſt, ornare, ac ſalutem ejus tueri. Idem tibi apud omnes animus & eadem voluntas, qvi amore tuo ſemper complecti ſoles notæ & expertæ fidei homines, artibus variis inſtructos, & ad Reip. munia tractanda adhibere. Qvo magis etiam hunc Agapetum noſtrum inter clientes tuos numerabis, qvi non ſuis ſolùm moribus ſuisqve virtutibus commendatur, ſed noſtro præterea ſuffragio adjutus, apud te aliqvo numero & loco haberi meretur. Curabis igitur hoc negotium, non ut alienum, ſed ut meum, itaqve tuum: qvoniam ut mihi te cupere non ignoro, ita ejus hominis cauſa omnia, qvæ potes, (potes autem omnia) te velle confido. De tuis omnibus officiis id mihi gratiſſimum fore credas velim, cui officia mea ſtudiaqve ad omnes bene merendi occaſiones intenta, ipſeqve me, qvantus qvantus ſum, & omnia mea obſeqvia commendo. Vale.

Alia commendatoria ex Epiſtola 16. lib. 11. Cic. ad Famil. 2

Adeò te qvidem impeditum tenent civilia officia, perpetuisqve clientum incurſationibus, ſtudiis, ſermonibusqve obſideris, ut non niſi per cuniculos obrepere tibi auſit hæc Epiſtola. Qvare negotium hoc dedi fratri meo, ut molles aditus & mollia fandi tempora obſervans, attemperatè tibi traderet has literas. Qvemadmodum enim ſalutatores crebri & importuni obturbare ſolent; ita Epiſtolæ non loco redditæ vires, oculos, voluntatemqve hominum occupatorum violant. Si vero ab rebus tuis graviſſimis tantum eſt otii tibi, ut Epiſtolam hanc legere non dedigneris, ſi frater meus te nunc inficientem & vacuum deprehendit, facilè me animum tuum expugnaturum confido. Agapetus noſter ſacro ordini initiari cupit, & Spartam Sacerdotis ambit; In ejus conſvetudinem me penitus immerſi, non blanditiis aſſentationibusqve illectus, ſed virtute, doctrinâ, optimisqve moribus. Qvare illum in familiariſſimis meis eſſe volui, ac multos jam eo utor annos. Nihil ergo mirum, ſi ejus cauſa & cupio & volo, qvem exiſtimationis meæ ſtudioſiſſimum cupidiſſimumqve eſſe ſcio. Illud etiam me non parum commovet, qvod homo ad omnia officia factus, difficillimo plane rerum noſtrarum ſtatu, eis ſibi me beneficiis obſtrinxit, ut, niſi apud me grati animi & fidelis memoria ſupereſſet, ἀχαριστίας mihi crimen ſubeundum ſit, qvod ego toto animo deteſtor & abhorreo. Qvæ, cum in civium noſtrorum ſermonibus ac mentibus hæreant, an unqvam ex animo meo diſcedat illorum memoria? Ita ergo exiſtimes velim, me petere munus ſacrum. Qvanqvam enim Agapetum noſtrum virtus ſua commendat, & divinæ humanæqve ſcientiæ cognitio profundior, tamen, qvaſi hæc non ita eſſent, meo potiſſimum impulſu, hoc negotium gerendum ſuſcepi; ut ſi fortaſſe ipſi non eſt, à meâ procuratione aliqvod cauſæ æqviſſimæ accedat momentum. Firmiter enim mihi perſvadeo, habituras apud te aliqvid ponderis preces meas: qvanqvam ratum penſumqve nihil habes, niſi qvod

juſtum ſanctumqve eſt. Id tamen magis nunc curabis, cum à me tibi commendari videas: qvem ut inter amicos tuos repones, ita deſideria explere, qvoad poteris, non gravaberis. Qvoniam ergo in ſenatu & populo regnas, operam dabis, ut illorum plurimos Agapeto noſtro conficias. Loqvaciores, qvàm velim, ſunt literæ meæ; ut ſolent eſſe, qvæ in deſideria & affectus ſe diffundunt. Finem igitur ſcribendi faciam, ubi hoc unum tibi ingeſſero, de innumerabilibus tuis in me officiis nullum mihi unqvam fore gratius. Vale.

3 *Eadem variata.*

Cum tu ſemper ſis occupatiſſimus, diesqve omnes & horas in Reip. negotia impendas, in Reipublicæ commoda peccare videbor, ſi te gravioribus intentum rebus literis meis avocare auſus fuerim. Ideo in mandatis illi dedi, qvi has tibi traditurus eſt literas, ne te ex improviſo aggrediatur, ſed mollia fandi tempora diſpiciat, qvibus te & alloqvatur, & literas legendas exhibeat. Si enim rectè te novi, non committes, ut conqveri de ſtudiis officiisqve tuis amici poſſint, qvi totus ad officia factus, nullâ in re illorum deſideriis deeſſe ſoles. Non fallar ergo ſpe & opinione meâ, ſi literas meas attentè perlegeris, atqve omnia illa, qvæ à te peto, facillimè impetraturum me confido. Spartam Sacerdotis ambit atqve petit noſter. Habes rem totam, qvæ me ad ſcribendum impulit, cujus mihi cauſæ nec leves, nec paucæ ſunt. Non ignoras ipſe, qvàm ſanctum amici nomen ſit, cujus cauſa cupere velleqve omnia debemus, qvæ qvidem noſtræ facultatis ſunt. Fuit mihi verò cum hoc homine atqve per longum uſum qvaſi inveterata amicitia atqve familiaritas, ut injuriam ille gravem interpretari poſſit, ſi in re, qvæ maxime ad illum pertinet, deſtituerem. Converſatio mihi cum illo penè qvotidiana eſt, qvâ ita oblector, ut omne mihi tempus acerbum exiſtimem, qvod ſine illo tranſigendum eſt. Non attinet nunc memorare, qvàm ille in rebus meis curandis, ornandis ac juvandis, fuerit ſollicitus, ut beneficiis ejus obſtrictus, atqve illi propemodum obnoxius vivam. Qvæ me cauſa præ ceteris omnibus impellit, ut, qvibus poſſum officiis, ipſi voluntatem meam declarem, ne tantorum beneficiorum memoriam planè exuiſſe videar, ac ingratorum hominum numero, qvi rectè de rebus judicant, me adſcribant. Tu ergo Tibi non rem ipſam tantùm, non Agapetum noſtrum, ſed & me ipſum Tibi propone, qvaſi ipſe Spartam illam ambirem, teqve ut mei causâ ſollicitus ſis, rogarem. Nam, qvanqvam Agapetus noſter aliena commendatione non indiget, iis ornatus virtutibus, qvæ omnium facilè ferire oculos poſſunt, qvæqve à nemine ignorantur; tamen, ut nunc ſunt tempora, qvibus ipſa qvoqve probitas Patrono indiget, ego omnem rem auſpiciis meis agendam eſſe decrevi. Qvod ſi ergo meus Tibi amor cordi eſt, de qvo ego qvoqve minimè dubitandum eſſe exiſtimo, illum nunc erga me affectum oſtende, ut deſiderio Agapeti per tuum & auxilium & conſilium ſatisfiat. Qvod ſi te eâ in re difficilem non præbueris, omnemqve tuam induſtriam, fidem, curam in hoc negotio rectè curando impenderis,

deris, non Agapetum tantùm æternum tibi devincies; ſed & illam, qvæ inter nos eſt, amicitiam novo qvaſi fulcimento firmabis.

Alia commendatoria, ex Ep. 17. lib. 13. quâ Principi erudito Studioſus ad munus Scholaſticum ab Academiâ commendatur. 4

Philomuſum optimæ indolis, præclaræ ſpei, ſingularis induſtriæ juvenem, ſinu noſtro fovimus, atqve omni operâ noſtrâ, monitis, conſiliis, præceptis ita percoluimus & expolivimus, ut neqve nos laboris noſtri, neqve illum pœnitere fructuum poſſit, qvos ex converſatione ac familiaritate noſtra percepit. Qvare è multis, qvos Academia hæc alit, civibus unum hunc deſignavimus, qvem amore noſtro complecteremur, & conſiliis commendationeqve noſtrâ ornaremus. Itaqve cum ſpes illum teneret, fore, ut & apud Te, Princeps Sereniſſime, aliqvo numero eſſet, ſi nobis in pretio fuiſſe intelligeres, ſinceris virtutum in officinâ noſtrâ educatarum teſtibus, ad Te viam affectavit, & Tuâ motus clementiâ & ſuo ductus conſilio, qvod ipſi probatur maximè; cum nobis non diſplicere intelligeret; qvi ita ipſi cupimus, ut rem literariam in patriâ ab ipſius eruditione ornari magis cupiamus. Non ergo ſollicitiùs argumenta circumſpicimus, qvæ apud Te in gratiam illum ponant, cum ipſum per tot annos ſpectata probitas & eruditio oſtendat omnibus, neqve Virtus ejus tàm ſit obſcura, ut noſtrâ illâ declaratione demum illuceſcat. Non ipſi hederam ſuſpendimus, non laudibus illum cumulamus, qvod aſſentatorum eſt, aut qvi gratiam aliqvam blanditiis ſuis aucupari volunt: ſed, qvod virorum bonorum eſt, & à nobis reqviri poterat, vitæ eruditionisqve luculentiſſimum ipſi teſtimonium perhibemus: Qvo plus apud Te prudentiſſimum rerum æſtimatorem perficiet, qvàm elogiorum emendicatis lenociniis. Cupit ille palæſtræ Scholaſticæ admoveri, non impar huic congreſſui Achilles: Imo, ſi rem rectè putare velimus, πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων ſuam ipſe cauſam aget ſuis virtutibus. Qvam nos de eo opinionem habeamus, qvod judicium, his literis teſtamur. Non ille majora viribus affectat, magna in illo ingenii vis, lacertos affert & latera, jam pridem ad hoc ſtudiorum genus præparata. Tu verò, Princeps maxime, pro ingenii tui perſpicacitate ſummâ ita hæc definies, ut non tàm noſtro, qvàm tuo ſtetiſſe judicio videaris: Qvi, qvod in Principe rarum eſt, penetrare iſta animi tui ſolertiâ potes. Cui ſi ille cauſam ſuam probaverit (probaturum autem auguramur) nullam ille vel rigidiſſimi cenſoris de ſe ſententiam ſubterfugiet.

Alia commendatoria ex lib. 2. Epiſtolâ 6. 5

Nondum conſtante famâ atqve omnium ſermone celebratum erat, te iter tuum ad urbem directurum, cum negotium villico dedi, ut has ad te perferret literas: ſed tamen, cum propiùs te abeſſe ab urbe non incertis rumoribus ſpargeretur, compertum

tum vero haberem, dudum te commoviſſe Aſiâ, tantæ mihi molis res illa viſa eſt, ut præmaturè factum dici non poſſet, ſi literæ ad te mitterentur, qvas primo qvoqve tempore mitti rei neceſſitas efflagitabat, & ipſe vehementer cupiebam. Qvod ſi mea in te ſtudia ac officia eo loco numeroqve habentur, qvo tu ſemper habes; ſoles enim ſummis ad cœlum efferre laudibus, qvæ ego vix humi repere contendo; pudentius à te, ſi qvæ magna negotia depoſcenda eſſent, aliqvid per literas flagitarem. Perincommodè enim accidit illis, ac non parum ſollicitos habet, qvi eos, ad qvos ſcribunt, à ſe beneficiis affectos exiſtimant. Armatæ enim illæ preces ſunt, & qvi ita petunt, vim potius inferre modeſtiæ ac pudori alterius, qvàm precariò, & leniter, & bonis verbis petere videntur. Nam remunerationem officiorum exſpectant, & merita meritis compenſari volunt. Qvoniam verò beneficia in me tua nemini ſunt obſcura, adeoqve in ipsâ luce in oculis omnium verſantur, eſtqve liberalis ingenii, illi, cui accepta multa fers, ferre plura, non habui ambiguum, à te per literas contendere, in qvo omnia experiri neceſſitas qvædam cogit. Maximè qvidem illuſtria atqve inſignia tua ſunt merita, qvibus à te devinctus ornatusqve immoderatâ qvâdam profuſione ſum: qvo enim non ſtudio magnificentiæ prolaberis ſupra ſortis tuæ menſuram? ſic tamen mea fert opinio, ſuperari me beneficiis tuis, utut innumerabilibus, utut ampliſſimis, non poſſe, humerosqve noſtros oneri tuo ferendo pares futuros. Sed non parum certè facultate meâ confiſus, omnia favoris tui argumenta in me cumulari patior, qvorum velut ſemina voluntas mea concipiat, largiore aliqvando proventu refundenda. Qvocunqve me animo & cogitatione converto, Reipublicæ noſtræ meeum commentor ſtatum: & qvoniam inſtat conſulatus mutatio, in eam deductus ſum cogitationem, neminem digniùs, qvàm Milonem, Remp. ſuſtinere poſſe. Exiſtimo enim, nullam meam operam eſſe tantam, qvæ ipſi non debeat impendi, aliqvam etiam pietatis rationem habendam eſſe. Nemo unus eſt, qvi vehementiùs de eo laboret, aut honori ejus inſerviat magis, qvàm ego; neqve unqvam mihi penſi qvicqvam erit, qvàm ſi toto pectore ad illum ornandum incumbere poſſim. Magni enim tùm ad decus, tùm ad fortunas meas, intereſt. Hujus tamen totius negotii conditor, ut intelligo, eſſe poteris, modo id præſtare in animum induxeris. Qvoniam enim unus illa potes, in te omnes noſtras ſpes habemus; neqve qvenqvam miniſtrum, ſocium, adjutorem habebimus. Multa ſe nobis dant ad manum argumenta, qvæ qvaſi prora ſunt & puppis ſpei noſtræ obtinendæ. Firmiſſimâ benevolentiâ bonorum hominum muniti ſumus, in qvorum animos influxit, me ex Tribunatu illi januam qvaſi patefaciente; ut ſpero, te habere cognitum. Non deſunt nobis benignitates plebis, in qvam ille ſe penè totum profudit, benignô alloqviô, comitate, invitando, beneficiisqve, qvos poterat, ſibi conciliando. Habet juvenes genere nobiles, ingeniô promptos, gratiâ florentiſſimos, ſibi devinctos. In omni enim officiorum genere eminet ac præfulget in ipſo decori ac honeſti dignitas. Adeſt ipſi præter aliorum parata mea qvoqve ſuffragatio: nec deerunt forte, qvi autoritatem meam ſeqventur. Qvanqvam enim ipſe habeo exiguam efficiendi facultatem; tamen, qvia optima atqve

qvæ æqviſſima ſuadeo, & publicæ rationes poſtulant, ut qvædam neceſſitas rei ſit impoſita, credo omnes libenter ſententiam meam amplexuros. Deeſt conſiliorum noſtrorum architectus qvidam & machinator, qvem te deſignavimus, in qvo qvaſi prærogativam ſuffragiorum omnem eſſe exiſtimavimus. Nemo unus eſt, qvi tecum æqvari conferriqve poſſit, ut in te qvaſi corpus unum & conſilium totius Senatus eſſe videatur. Qvod ſi memoria hæc referendâ gratiâ jucunda eſt, ſi me bonum, ſapientem, & civilis officii non ignarum, atqve ex eo dignum judicas, apud qvem beneficium ponas, juſtam rem & facilè oratam à te eſſe volo, ut hâc me ſollicitudine liberes, hujus gloriæ cupidum foveas atqve ſuſtentes, & conſpiratione conſenſuqve tuo ad eum decorandum incumbas. De ipſo amico affirmatè tibi promitto, ſi ad ejus amicitiam aggregare te dignatus fueris, non temerè habiturum, in qvo major eniteat virtus, modeſtia, æqvitas, altitudo animi, qviqve honoris tui ſtudioſior cupidiorqve futurus ſit. In me verò non parum honorum cumulaveris, ut tum demum cognitiſſimum habiturus ſim, eundem te fuiſſe in laude meâ prorogandâ & extendendâ, qvi fueris in ſalute conſervandâ. Ego niſi teſtatum tibi ſciviſſem, cum has ad te literas darem, qvàm maximis beneficii vinculis obſtrictus Miloni ſim, qvàm mihi omnes machinæ ſint adhibendæ, qvàm mihi præfulcienda atqve præmunienda ſint amico ſtudia, qvàm omni operâ, curâ, diligentiâ in hoc incumbendum ſit; crebrioribus te literis appellaſſem. Nunc tibi negotium omne & totum hunc hominem trado de manu in manum, omniaqve, qvæ nobis chara atqve ampla ſunt, in fidem & patrocinium tuum collata volo. Unum hoc tibi declaro, ſi à tuâ virtute perfectum hoc ſit negotium, majoribus beneficii vinculis tibi, qvàm Miloni, obſtrictus ero. Non enim mihi tàm incolumitas mea ac ſalutis conſervatio cordi eſt, qvàm me referendæ gratiæ voluntas delectat; cujus mihi grata æſtimatio animo reſidet. Cujus ut voti compos fiam, tu ex omnibus unus facile præſtabis. Vale.

Reſponſoria ad commendatoriam Studioſi ex Ep. II. lib. 5. 6

1. Mirificus tu ſemper officiorum meorum præco es, atqve in ipſis ornandis adeo effuſus, ut jam placere mihi iſta incipiant, poſtqvam tuâ interpretatione ſtudioqve ſemper fiunt ampliora. Itaqve nihil miror, pro nuperrimo beneficio meo, qvantulum illud etiam eſt, tantum mihi gratiarum reponi. Gratiſſimum enim te ſemper fuiſſe comperi, eamqve animi virtutem, qvàm tu cumulatiſſimè ſemper præſtitiſti, qvibus poſſum, laudibus efferre non deſiſtam. Ferream mihi frontem oportet eſſe, niſi amoris illius ſtimulis moverer, animumqve in te pronum ſummisqve ſtudiis propenſum oſtenderem. Qvod ut faciam, nullam patiar elabi è manibus occaſionem, omnes ipſe circumſpiciam. Qvare τοῖν ἀμφοῖν amplexus fui, qvod mihi ſuppeditaſti bene de amico tuo merendi documentum. Vix deguſtaveram literas tuas, ac ſtatim miſi ad hominem, ſi qvid eſſet, qvâ in re commodare ipſi poſſem, nihil me omiſſurum in rebus ipſius & negotiis tractandis; ſed omnem induſtriam, omnes animi vires impenſurum. Qvare ad ipſum ſcribas velim, moneasqve, ut ille mihi

adſit freqvens ſalutator, ſollicitet, interpellet, nullamqve rem adeo gravem exiſtimet, qvam ego non ipſius cauſa confecturus ſim, ſi virium illa mearum ſit & facultatis. Voluntatem certè meam ſemper ſibi habebit obnoxiam: neqve enim mihi qvicqvam gratius eſſe poterit, qvam ſi (qvod vulgari verbo ajunt) de unâ fideliâ duos poſſim dealbare parietes, uno ſcilicet officio & novum parare, & veterem confirmare amicum. Vale.

7 *Reſponſoria ad Commendatoriam, ſub primarii Senatoris perſonâ, modeſtè ſe excuſantis, quod in petitione magiſtratus juvare illum nequeat, ex Ep. 2. lib. 10. ad Famil.*

Malè ſit morbo illi, qvi me lecto affixum tenuit, prohibuitqve, ne in Senatum venirem, cum tua ageretur cauſa: Cui ego me totum impendere ut voluerim, ita non licuiſſe, ægrè fero: neqve tàm malè habuit ipſe morbus meus, qvàm qvod ſegnior nunc in amici negotiis tractandis videor. Neqve ſanè res vel me præſente omnino confecta fuiſſet: ſcis enim, qvam ſuſpectæ æmulis voces meæ, qvam illi mea judicia non tacitè tantum convellant, ac libidine qvadam in transverſum rapti, vim veritatis negligant; modo in alia omnia abeant, & ægrè mihi faciant, cujus honeſtior videri poterat oratio. Nemo ſecum reputat, qvid tua vel aliorum virtus mereatur; vel favoribus omnia patent vel nummis; virtus omnis poſt favorem & nummos eſt. Et religio mihi fortè fuiſſet, tot hominum perversè ſentientium judicio te exponere; à qvibus ſi repulſus fuiſſes, exiſtimationi tuæ labes meo jumento adducta fuiſſet. Vitio itaqve mihi non vertes, ſi in tuâ re expediunda omnia adjecerim conſilia, vel ad publica conſilia vocatus. Si qvæ res ſunt privatæ, qvibus operam meam deſtinaſti, impera qvidvis, in tuâ me poteſtate fore confirmo. Neqve in publicis tibi unqvam deero, modo ipſe non turbem negotium, cujus conficiendi ſecurior per alios via eſt: Ad tuam enim utilitatem omnia refero, eoqve conſilia mea dirigo, ne ſaluti tuæ obſiſtant, cum tu profutura exiſtimas, de meâ vel dignitate vel commodo parum ſollicitus. Rectius itaqve, me judice, facies, ſi cogitationem omnem de Spartâ hâc obtinendâ abjeceris, & in aliam, qvæ ultrò tibi offertur, animum tuum converteris. Vale.

8 *Petitoria, quâ à Patrono commendationem petimus ad Principem, pro Spartâ aliquâ obtinendâ, ex Ep. 30. lib. 7.*

Ut nullam diem ſine linea abire Apelles volebat; ita tu nullum ſine literis perſcriptis tabellarium. Multæ inter nos magnæqve intercedunt officiorum rationes, qvas nunqvam adeò accuratè ſubduxeris, qvin potiſſima in acceptis meis referre ſit neceſſe: qvibus ego ſolvendis ſi par non ſum, addico me tibi ex ære tuo mancipium, qvo utaris fruarisqve, prout commodum tibi viſum fuerit. Tui enim beneficii res eſt, qvod aliqvo loco ſumus, qvod in luce hominum ſermonibusqve verſamur. Qvod placere Viris doctis, & qvidem eorum principibus poſſumus, à tuâ autoritate procedit. Qvando ergo nos ſemel reddidiſti tibi obnoxios, adde ſuperioribus tuis beneficiis unum

unum hoc maximumqve, ut tua commendatione innoteſcamus Viro illi magno, qvem omnes ſuſpiciunt, admirantur, in cœlum evehunt laudibus, ſi qva tibi ulla homuncionis hujus cura eſt. Hâc me ambitione laborare non diffiteor, ut Viro illi placere incredibiliter cupiam. Qvæ ſi in me non reprehendenda eſt penitus, tu facies commendatione tuâ, ut voto hoc noſtro fruamur, qvi & apud illum in gratiam me ponere potes, & qvod ab amico ſperare licet, cupis. Nullum mihi beneficiô tuô majus obtingere poteſt, gratulabimurqve nobis, ſi per te impetraverimus, qvod tàm anxiè à nobis qvæſitum eſt. Dabimus viciſſim operam, ne in ingratum hominem tot merita tua collata eſſe videantur.

Alia petitoria, ex Epiſt. 20. lib. 15. quâ quis Amicum per Galliam & Italiam peregrinantem petit, ut ſæpius ſcribat. 9

Etſi juxta cum ignariſſimis ſcio, qvo in loco te deprehenſuræ ſint meæ literæ, jam κοσμοπολίτην, totoqve cœlo, totqve terris à me disjunctum, dedi tamen Agapeto noſtro, ut non illas tantùm tibi afferret, ſed & librum, qvem nuper in lucem miſimus. Qvod ſi ergo ipſi tam felici eſſe licet, ut in te incidat, habe hoc amoris noſtri monumentum, lege, cenſe, & qvid tibi ſuper hoc argumento videbitur, reſcribe. Tuas enim literas, ut diuturnam explere ſitim cupiens, exſpecto, qvas cum tu promiſeris freqventiſſimas, adeò malum nunc nomen es, ut totus obmuteſcas. Sunt verò cauſæ & graves & multæ, qvæ te potiùs ad ſcribendum laceſſant, qvàm me, qvi excuſatus ero, ſi freqventiùs etiam ſcribenti tardius reſpondeam. Nusqvam tu certô locô conſiſtis, atqve eò, qvorſum te impellunt vel repentina vota & deſideria, vel occaſiones temporum & locorum, itinera tua dirigis; cum hîc ego patriæ, domui, imo parietibus affixus & libris, exſpectare ſemper poſſim, unde unde tuæ ad me advolent literæ. Qvod ſi hoc tibi contemnendum videtur, tantine apud te patriæ amor eſt & cognatorum tuorum, ut eorum memoria tibi obverſetur animo, ut aurem vellicet; de qvibus omnibus certior fieri non niſi literis meis potes? Accedunt deniqve tua negotia, qvæ fidei meæ commendaſti: de iis certè explorare te convenit, utrum feliciter curentur, an ſegnius expediantur, ſi moleſtum tibi eſt, novis exterarum rerum deliciis animum earum cupidiſſimum paſcere. Qvod facere tamen ſolent amici, tàm exiguô certè officiô non difficiles futuri, ut neceſſariorum integram ſibi amicitiam conſervent. Illud movere te qvoqve poterat, nos tui ſtudioſiſſimos tuæ ſalutis causâ angi, ne te forte aliqva, ut fieri ſolet in itinere, pericula circumveniant, aut ex incommodis cœli peregrini valetudo tua aliqvid detrimenti capiat. Qvâ ut nos ſollicitudine liberes, tibi omnino danda eſt opera. Qvare ſi nos amas, ſcribe, & ita ſcribe, ut literas à te habeamus non jejunas ac ſtrigoſas, ſed freqventiſſimas, & rerum novarum pleniſſimas: qvas ſi preces noſtras aſpernaris, etiam cum convicio pro jure meo & neceſſitudine noſtrâ efflagito.

10 *Eadem Epiſtola variata.*

Qvæ ego nuper edidi Schediaſmata, ad te jam recta tendunt, ipſâ in viâ, anteqvam Lutetiam devenies, deprehenſura, niſi, qvod non crediderim, nimis feſtines. Nactus hominem idoneum, cui rectè dare poteram, volui te qvoqve participem rerum mearum facere, ſi qvid in illis eſſet, qvod tibi non ingratum, vel qvo alios mihi conciliare amicos poſſes. Fateor enim, hâc me duci gloriâ, ut tenentur pleriqve, qvi in literario hoc pulvere deſudant, ut innoteſcere cupiam Viris doctis, qvod fieri nunc te parario poteſt, qvi in Galliis, velut in patentiſſimo totius orbis literati theatro nunc verſaris; Sed illa rerum mearum cura levior eſt, qvàm ut earum gratiâ te interpellem: majus eſt, qvod nunc excruciat ſollicitumqve habet, tui ſcilicet deſiderium; cujus igniculi tantum abeſt ut abſentiâ tuâ ſint exſtincti, ut potiùs in flammas erumpant, tuiqve memorem ſemper animum conſumant, niſi literis tuis ſubinde refocilletur: qvas freqventiores ad me ut mittas, peto. Multæ etenim cauſæ ſunt, qvæ ad ſcribendum te impellere debent, meqve excuſent, ſi paulatim ab hoc officio ſim remiſſior. Tu itinera ſemper lenta & minuta conficis, incertumqve eſt, in iſtâ percurſatione terrarum, ubi literæ te meæ ſint deprehenſuræ. Ne itaqve inanis mihi labor ſumendus ſit, rectiùs facies, ſi de rerum tuarum ſtatu me feceris certiorem, qvocunqve in loco vixeris. Neqve enim fallere poſſunt tabellarii, ac tenet me mira rerum novarum cupiditas, cum tibi qvotidie ſe offerant, tàm in re civili, qvam in literaria, qvæ ſcire meâ interſit. Sunt præterea multa alia, qvæ domi tibi præſtare poſſum officia, qvibus cum ego occupor, ita urgeor, ut parum mihi ad literas ſcribendas temporis ſuperſit; qvod deeſſe tibi in iſtis peregrinationibus neqvit. Qvid enim facilius, qvid honeſtius, qvàm otia ſua amicis impendere, qvæ ne qvidem laborioſa tibi eſſe poſſunt, etiam cum integros epiſtolarum libros ad me miſeris. Ut enim indefeſſo nunqvam deeſt diſcendi argumentum, ita ſcribendi occaſio nunqvam poteſt eſſe injucunda. Nunc hæc primò ex te cupio cognoſcere, qvid novi moliatur Rex Galliæ, qvorſum fulmina ſua miſſurus ſit ille Jupiter. Nos enim, qvi procul ab hoc Jove ſumus, non procul ſumus ab ejus fulmine. Tu certè, qvi propior es, minùs pertimeſcis. Qvod ſi qvæ alia ſunt, qvæ ad Remp. pertinent, ſcribe, ut, qvo ſtatu nos ſimus, qvid metuere, qvid ſperare habeamus, exiſtimare poſſimus. Tuæ mihi literæ erunt pro oraculis, & in illorum fide acqvieſcam. Vale, tuumqve amorem nobis integrum conſerva.

11 *Reſponſoria ad petitoriam amici, qui opem noſtram atque auxilium imploraverat in lite de honore ſuo cum aliquo ſuſceptâ, ex Ep. 6. lib. 11.*

Venit ad nos Agapetus noſter, homo diligentiſſimus tuiqve ſtudioſiſſimus, ac tuas mihi literas obtulit, qvibus negotium tuum forenſe mihi commendas, opemqve meam eâ in re ſollicitas. Arripui ego hanc benè merendi de te occaſionem, ambabus,

bus, qvod ajunt, manibus. Neqve enim qvicqvam gratiùs accidere poteſt, qvàm ſi rebus tuis utilem præſtare operam poſſum; qvas ita ad me pertinere perſuadeas tibi velim, qvam ſi meum in illis commodum unicè verſetur. Ideoqve cum cauſas haberem & graves & multas, ne in Senatum venirem, cum tuâ causâ diſceptaretur: ſcis enim, qvæ mihi cum nonnullis adverſaria ſit: tamen mutavi conſilium, cum tuâ causâ qvidvis me cupere & debere fas eſſet, ne per meam abſentiam tuæ exiſtimationi periculum aliqvod excitaretur, ſi in lite tuâ dirimendâ aliqvid temerè cupidèqve à nonnullis decerneretur. Noſti enim, qvanta ſit animorum immoderatio apud homines, qvi vel jura ſibi eſſe nata negant, vel eorum rudes ſunt & ignari; qvo hominum genere nihil eſt injuſtius. Maturè ergo, & veluti Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς conſiliis qvorundam interveni, tuisqve partibus adjunxi homines prudentiſſimos tuiqve amantes: qvorum ſolertiâ factum eſt, ut in causâ hâc ſuperior eſſes. Verum nolo hæc tibi in os ingerere, aut mea prædicare beneficia: ipſe, qvi literas tuas reddidit Agapetus, cum viderit, qvæ tuâ causâ egerim, omnia narrabit. Neqve deerunt alii tibi amici, qvi hæc ad te perſcribant. Illud exploratum habeas velim, me totum in tuâ poteſtate eſſe, omniaqve facere, & porrò facturum, qvæ ad decus & fortunas tuas augendas pertinere intellexero. Qvo ſtudio, etſi plures tibi habes addictos, id tamen operam dabo, ut ſummum & dignitatis & gratiæ inter amicos tuos tenere gradum poſſim. Vale.

Adhortatoria, quâ aliquis ex Ordinibus Status Belgici Collegam hortatur ad Remp. maſculè defendendam, ex Ep. 3. lib. 10. cujus fuſior amplificatio cap. 14. n. 20. data eſt. 12

Nullæ me magis recreant deliciæ, qvàm tuæ literæ; qvæ rarius ad nos veniunt, cum mitti ſubinde ſoleant. Forſitan in luto hærent cum ſuis tabellariis, qvo viæ omnes nunc penè intercluduntur; vel naufragio terreſtri perierunt, immiſſo omnibus campis Neptuno. Qvare me vehementer tuâ causâ ſollicitum opportune refocillarunt ſermones, qvos cum Arnoldo ad nos revertente de te habui, & plurimos & pergratos. Prædicabamus uterqve virtutes tuas, qvibus nihil poteſt fieri præclarius; prudentiam per omnia rerum momenta diffuſam, ſuavitatem tuam incredibilem, qvæ tamen à graviſſimis moribus non deflecteret, qvodqve omnium mihi gratiſſimum eſt, amicitiam tuam jam ab ineunte ætate tot experimentis ſpectatam, tot teſtibus confirmatam. Qvibus de cauſis niſi tibi cuperem, bipedum eſſem perditiſſimus, ab omni bonâ mente honeſtatisqve ſtudio derelictus. Amor ergo meus impulit, ut ad te ſcriberem; & qvoniam omnia ſumma tùm opibus, tùm prudentiâ in Rep. complecteris, animum tibi meum declarare volui, cum ipſe tibi & per te Reip. benè proſpectum vellem. Sic enim exiſtimo, neqve me fallet, ut arbitrior, opinio, eodem abs te animo, qvo abs me profecta ſunt, accipi debere, neqve ob ſummam virtutem æqvitatemqve tuam vel ſuſpicari ſiniſtram mentem poſſum. Vides, qvid afflictæ patriæ tempora reqvirant, qvæ illi ſpes, qvæ res, qvàm

miſeræ

miſeræ ſint, qvem illa velut è machina Deum exſpectet. Tu verò vivis publico bono, in te ora convertunt omnes, in te velut in anchora ſacra confidunt; nec puto, falli illos opinione ſuâ, modo tu præſtes, ne ſpe ſuâ dejiciantur. Noſti optimè, qvid hactenus in tuam virtutem injurii rumuſculorum ſparſerint nebulones nonnulli, qvaſi ſcilicet negligentiùs ſalutem publicam tractaveris, parumqve penſi habueris, an ſtaret caderetve Resp. Illis ego os, qvoties tulit occaſio, obturavi; neqve perſuadere mihi poſſum, in re vel minimâ fuiſſe abs te peccatum, qvi animum habes ad temporum & fortunæ fulmina jamdudum obfirmatum; aut ſi qvicqvam remiſſius egiſti, ſervaſſe te puto vires integras & latera Reip. ruinam minitanti, alio tempore magis profutura. Nunc ergo cum in illum ſtatum res noſtræ ſint deductæ, ut ſpei vix locus relictus ſit, foris nos vellicante Gallo, domi inſidias ſtruentibus Catilinis, animum tuum extende, exprome iſtorum conſiliorum theſauros, atqve in id curam cogitationemqve impende, qvâ arte averti à Rep. extrema poſſint pericula. Hæc tibi, ut eſt ad Reip. ſalutem honeſtiſſima, ita unica ad tuam gloriam, via. Niſi publico amore ductus hæc ſcriberem, vix excuſari poſſet mea audacia. Nunc verò cum his ſtimulis agitatum me ipſe ſentire poſſis, da operam, ut iidem à tuo ingenio profecti te fortiùs incendant ſtimuli; qvo dignitatem, qvæ per ſe ſumma eſt, tam præclarâ occaſione ad poſteros, & ultra omnia ſecula extollas. Vale.

13 *Reſponſoria ad priorem epiſtolam, ex Ep. 4. lib. 10.*

Ita plane eſt, ut ſcribis; viæ omnes intercluſæ ſunt, neqve qvisqvam ad vos excurrere tabellarius per has viarum moleſtias poteſt, qvo factum eſt, ut ſileat inter nos literarum commercium, qvod nullo tempore mihi tecum poteſt eſſe ingratum. Nihil enim profecto eſt, qvod tui cauſa ſubire nolim: patent tibi mea officia, totus ego tuus ſum, & in tui amorem tot me impellunt cauſæ, ut vel ſine literis tuis nominis tui memoria mihi ſemper in animo hæreat, imò planè ob oculos merita tua verſentur. De meâ itaqve fide ne dubites, rogo, qvi in te colendo patriam mihi conſtituerim ſanctitatem: parebo tuis conſiliis, qvæ ut ſunt prudentiæ pleniſſima, ita affectum tuum omnibus numeris abſolutum teſtantur. In utroqve te admiror, qui, ut amorem mihi tuum declarares, prudentiſſimo conſilio ſubveniſti; ut prudentiam oſtenderes, bonæ voluntatis qvaſi nuntio atqve interprete uſus fuiſti. A me ipſo, imò à bonâ mente abirem, ſi tuis ego monitis locum non relinqverem; ideoqve vel ſola voluntatis tuæ declaratio animum nutantem confirmaret. At verò nihil dubito, nullâ in re hæreo, eodem ſpes votaqve mea collineant, qvô tu reſpiciendum eſſe putaſti. Qvid autem eſſet, cujus gratia ab hoc propoſito me paterer dimoveri? dudum ego tot fortunæ beneficiis mactatus, cujus ego favorem ambiam? cujus lucri ſpes me illiciat? qvi cum ſemper mihi honorem propoſitum habuerim, unum hoc bonæ famæ beneficium rebus meis addi poſſe ſperem. Qvicqvid itaqve meis movere potero viribus, id ut Reip. bono fiat, omnem operam curamqve impendam. Scis, qvanta ſit ſenſuum & animorum noſtrorum conſpiratio: Nam vel abſentem videre

mihi

mihi videor, ac audire ſalutaria inſtillantem præcepta, qvæ qvidem adeò tenaciter animo meo inſident, ut in tuis totus habitare conſiliis videar. Inſanæ plebis rumuſculos, non eſt, ut cures; non norunt illi, qvid intus geratur, & ſecundum ſpeciem rerum judicant, earum verò abditas cauſas non perrumpunt. Videbis aliqvando, me rem omnem ita geſſiſſe, ut non ſit, de qvo reprehendere me jure poſſis. Ego certè nihil impenſius cupio, qvàm ut tibi Viriſqve bonis mea placeant ſtudia: placebunt autem, ſi Reip. illa ſunt ſalutaria, & mihi ipſi non ingloria, qvi poſt Reip. bona meo & amicorum honori ſecundas tribui. Vale.

Svaſoria ad aliquem Reip. cauſâ abſentem, ut reditum in patriam maturet, ex Ep. 10. lib. 4. 14

Qvandoqvidem apud nos ſilent omnia, dum ubiqve regnat armorum ſtrepitus, atqve adeò omnibus bonis hominibus obturatum os eſt, qvas à me literas exſpectes, niſi miſeriarum plenas, & qvotidianæ calamitatis commemoratione qverulas? Sed ne has qvidem opus eſſet ſcribere, cum propediem oculatum te hujus ſcenæ ſpectatorem fore inaudivimus. Qvoniam verò ad te noſter proficiſcitur Theophilus, non ſine literis meis dimittere volui, ut has tanqvam monitrices haberes, qvæ de reditu in patriam maturando injicere cogitationes poſſent. Nemo in totâ urbe eſt, qvi deſiderium tui amplius ferat: implorat opem tuam ipſa Reſp. atqve ipſa hæc Senatus ſubſellia altâ voce te inclamare videntur. Venies ergo, ſi me amas, ſi Rempublicam, ſi patriam non odiſti, qvæ tuo nunc indiget conſilio: neqve obices tibi poni ab amicis potiùs patieris aut à negotiis non adeò neceſſariis; plura ſunt domi cuſtodienda, qvam foris recuperanda. Non deſunt fortè hîc, qvi oculos tuos non ferunt, qvi tuam abſentiam in ſuum vertunt commodum. Non eſt, ut illorum ſuſpicionibus & cavillationibus movearis. Tu potius id age, qvod agendum tibi eſſe, ipſa honeſtas, ipſa officii ratio clamitat. Qvod ſi & rei familiaris curam non abjeciſti omnem, etiam illa te movere poterit, & domum pertrahere. Ego certe mearum partium eſſe ratus ſum, ut tibi ſtatum noſtrum proponerem, ut conſilia ipſe cum nobis capias, qvid afflictis his temporibus nobis omnibus ſit agendum. Vale itaqve, & ſi potes, advola.

Reſponſoria ad Svaſoriam de reditu, ex Ep. 4. lib. II. 15

Fruſtra ſim, ſi, qvod alii facere ſolent, fucatis verborum lenociniis tua in me officia collaudem: faciant, qvi per cuniculos & blandimenta favorem tuum ambiunt. Res ipſa certe loqvitur, qvo me amore ſemper complexus fueris, qvæ propria tibi perpetuaqve fuerint adverſus me ſtudia. Imò, ſi rectè te novi, ingrata auribus tuis accidet illa beneficiorum tuorum commemoratio: qvæ etſi ſunt cumulatiſſima, & mihi qvotidie ante oculos verſantur, tu tamen tegi illa mavis, qvàm in publicum produci. Oſtendiſti ſane non ita pridem ſingularem in me monendo affectum, pro ſalute meâ excubans, etiam cum ipſe non animadverto, & negotiis pere-

grinis immergor. Svades reditum in patriam iis argumentis, à qvibus diſcrepare mea conſilia neutiqvam poterunt. Certe ſi aliter ſentirem, reprimere me tua admonitio deberet; ſi dubitarem, hortatio impellere. Tu ſcilicet unus es, qvi mihi cupiat, unice inter tot meos propinqvos & neceſſarios, qvi vix ad animum admittunt mea negotia, ſuisqve potius commodis intenti, à me meisqve fortunis oculos dejiciunt. Rara profectò illa fidei & benevolentiæ exempla ſunt, eoqve gratiore animo recolenda. Nihil itaqve cunctatus, arripui monitu tuo itineris conſilia, & qvam primum cœlo ſicciore viæ complanabuntur, hinc diſcedam, propediem, ut ſpero, vos firmos valentesqve viſurus. Me interim, usqvedum veniam, meritorum ac virtutum tuarum paſcet memoria; qvas, ut animo meo propoſitas ſemper habeo, ita tacitus nunc qvidem veneror; ſed dabitur, qvod ſpero, aliqvando occaſio, qvâ affectum tibi meum fortunæ felicitatisqve tuæ ſitientiſſimum declarem.

16 *Conſultatoria, quâ conſilium damus amico, quid tempore belli in ſummâ rerum perturbatione faciendum: ex Epiſt. 14. lib. 14. Cic. ad Famil.*

Tot tantisqve documentis animus tibi conſtat meus, ut nulla in re dubitare de fide ac amore meo poſſis; Neqve enim mihi tàm ipſa ſalus cordi eſt, qvàm mihi eſt veſtra, hoc præcipuè tempore, qvo ſumma vobis imminent atqve extrema pericula. Increbeſcit de adventante exercitu fama, eaqve vobis non obſcurè minatur. Ac vereor ſanè, ne ſuperveniat vobis illa tempeſtas, velut ex improviſo fulmina in caput veſtrum excuſſura: circumſpicietis, ſi ſapitis, effugia, ut elabi aliqvò commodè poſſitis; niſi intercludant vos atqve circumveniant, qvod vereor, difficultates, qvales metuere omnes poſſumus. Qvo in ſtatu res veſtræ ſint, ipſi, ut opinor, non ignoratis, & hoſtis fortaſſe melius, qvàm vos ipſi, novit. Facilè enim vel è ſinu veſtro vobis fieri poſſunt inſidiæ, jugulum libertatis veſtræ petituræ. Qvam gravia illa pericula viris honeſtis ſint futura, facilè vos ipſi intelligitis. Qvis enim modus adſit hoſtili furori, per omnia impunè graſſanti, atqve internecionem ipſam intentanti? In ipſo veſtigio capienda vobis non ſolùm ſunt conſilia, ſed & in effectum deducenda. Si qvid mearum opum rerumqve eſt, qvibus indigetis, nihil in me patiar deſiderari. Qvod ſi maturè effugere hanc procellam animus eſt, mecum eſſe belliſſimè poteſtis, & ſecuro in loco ſpectare ſtrepitus & turbas ferocientis militis. Sin locum tenere & exſpectare fortunam veſtram animus eſt, id operam date, ut illum præſentem ſemper habeatis, & ad qvoscunqve caſus obfirmatum. Erunt, qvi conſilio ſuo etiam vos juvent, cognati mei, habetis etiam ſortis veſtræ ſocios, viros graves, omniqve rerum palæſtra exercitatos: ad hos reſpicite, & qvomodocunqve res ceciderint, virtutem conſtantiamqve vobis dignam oſtendite. Vale.

Reſpon-

Reſponſoria ad Conſultatoriam, ex Epiſt. 2. lib. 4. 17

Ut nunqvam mihi tuæ literæ ſunt ingratæ, ita difficillimo hoc tempore, ut diuturnam explere ſitim cupienti, venerunt. Verebar enim, ne rebus tuis jam fluctuantibus animo concideres, & qvid conſilii tibi capiendum ſit, ignorares. Dum de his cogitamus, mutuosqve cum amicis ſermones cædimus, tanqvam lupus in fabula venit epiſtola tua, qvæ te in his difficultatibus lupum tenere auribus nunciabat. A me itaqve conſilium expetis? ſed qvod? nam & me ipſa mens in his turbis deſtituit, atqve omnia etiam pejora veretur. Certè vel cum gladiatoribus in arena illud capere vix licet: major enim & propior vis mali eſt, qvàm ut locum relinqvat humanæ prudentiæ. Qvod enim illis contingit, qvi medio in mari ab immani & ſubitâ procellâ deprehenſi, non velum maturè complicare aut ventis ſubducere poſſunt, non clavum aliò flectere; ſed irruente aqvarum & turbinum impetu in naufragium præcipitantur: idem nobis in hâc calamitate evenire videmus. Sola itaqve in Deo & in animo forti ſpes poſita erit; vel ſi in fugâ præſidium eſſe poteſt, è veſtigio vobis diſcedendum eſt & evolvandum in loca vicina & munita. Qvod etſi ſine magnâ bonorum jacturâ non fit, tamen nihili hæc habenda ſunt, & in lucro deputandum, ſi vitam, ſi ſalutem, ſi conjugem liberosqve ſalvos exportare poſſis. Noli itaqve moras nectere, ſed id primum tibi nunc eſſe puta, abire in tempore. Si qvid officiis meis, conſiliis, opibus, re deniqve ipſâ juvare potero, id ab amico exſpectes velim. Vale.

Officioſa, ex Epiſtola 29. lib. 10. Cic. ad Famil. 18

Cum de fortunæ tuæ iniqvitate ad me perlatum eſſet, Amice ſvaviſſime, ita tuo ego malo percuſſus fui, ut meo non potuerim magis moveri. Sumpſi itaqve in manus calamum, & has amoris mei teſtes literas ad te exaravi, qvibus animum tuæ ſalutis cupidiſſimum tibi declararem, & me non ſecundis tantum rebus tuis, ſed & adverſis, & penè everſis, amicum oſtenderem. Nihil mihi erit tàm carum è fortunæ beneficiis, qvin partiri illud cum amico in extrema neceſſitate velim: depromentur tuæ ſaluti omnia, erogabuntur pecuniæ, qvot qvantasqve juſſeris; qvicqvid literis, officiis, ſtudiis deniqve meis, commendatione apud alios amicos, efficere potero, id in tui gratiam à me fiet omnino. Nam etſi non deſunt, qvi de officiorum gloria mecum contendunt: habuiſti enim (an nunc habeas, ipſe noveris) amicos & plurimos & neceſſitate tibi conjunctos; me tamen hâc laborare laudabili ambitione credas velim, ut in iis appetam principatum, neqve à qvoqvam me vinci patiar, ad utriusqve fortunæ vultus idem ſemper & τετράγωνος. Qvam animi conſtantiam ſi exſpectare etiam ab aliis potes, ut ſolent pauci admodum eſſe fortunæ iniqvioris comites; in hac tamen calamitate felicem te prædicabo, qvi, opibus ereptis, qvas largior fortunæ manus tribuerat, in amicorum præſidio nunc potes confidere, & in ſinu eorum conqvieſcere. Me certè qvam cumulatiſſimè amici partes impleturum, neqve unqvam à veteri illo animo, qvem adverſus te tuosqve habui, diſceſſurum promitto. Vale.

19 *Reſponſoria ad Officioſam, ex lib. 10. Epiſt. 11.*

Obruor tuorum officiorum cumulo, ut, qvid primum poſtremumve laudem, non inveniam. Singulis enim me reddidiſti tibi obnoxium, atqve ita tuum, ut & poſſeſſione & uſu tibi videar mancipandus. Falleris, ſi gratias à me exſpectas; tanta enim tua ſunt beneficia, ut me elinguem reddant, & in eorum cogitatione tantùm, cum verba mihi hæreant, defixum. Qvid enim ad beneficium tuum hoc addi poteſt? Cum enim à me fugerent amici, trepidarent omnes, qvi mihi erant conjunctiſſimi, ut ſolus tu ſaluti meæ impendiſti, & cum timidè in medium conſulerent nonnulli, tu tamen in me juvando principatum tenuiſti. De fortunis, de vita, de dignitate meâ decernendum erat, iis tuo beneficio fruor intactis atqve intemeratis. Interveniſti enim, ut è machina Deus, eo tempore, qvo minime exſpectabam, eo loco, qvo tua autoritas unico mihi fuit præſidio. Qvæ ſi mecum reputo omnia, parum ego feciſſe videbor, ſi vel vitam ipſam pro te profudero. Nihil eſt meorum officiorum, qvanta etiam illa ſint, qvibus ullam meritorum tuorum partem mihi videar aſſecutus. De eo ſanè animi angor, vivendum atqve moriendum mihi eſſe ingrato. Tu verò, qvæ tua benignitas eſt, animum hunc potiùs noſtrum reſpicies, qvàm ullam bene de te merendi facultatem, divini in eo Numinis bonitatem imitatus, cum ita omnes virtutibus tuis ſupergrediaris, ut tenuibus etiam officiis ſolâqve virtutum tuarum memoriâ & prædicatione tibi ſatisfactum putes. Vale.

20 *Conciliatoria, ex Epiſt. 17. lib. 6. Cic. ad Famil.*

Nulla mihi dies abit, qvin de te cogitem; ita animum meum occupaſti nominis tui memoriâ, ut tum demum ſuaviter me vivere putem, ſi tua mihi obverſetur imago, ut ſummè humani, ita ſummè docti hominis, & paternâ etiam neceſſitudine mihi conjuncti. Sed ego propioribus malo cauſis tuam ambire amicitiam & favorem, qvàm longinqvis illis, & qvæ mihi cum pluribus eſſe poſſunt communes. Scilicet ut præſtantiſſima forma per ſe allicit amatores, & ſui venerationem incutit omnibus, ita pulcherrima illa virtutum tuarum imago facilè in animo meo qvotidianas illas formas delet; certè non tam efficaciter illæ me movent. Accedo itaqve ad te, qvaſi Herculis cujusdam Gallici catenis raptus, atqve tuis me tibi compedibus obſtrictum ſiſto, te tuaqve conſilia, qvo me traxeris, ſecuturum. Qvod ſi & illam, qvæ tibi cum parente interceſſit, conjunctionem aliqvo habere loco velis, etiam hæc te cauſa impellet, ut & filium in ejusdem amicitiæ hæreditatem admittas. Hâc itaqve fretus fiduciâ te mihi patronum delegi, imo in te colendo patriam mihi conſtitui ſanctitatem: tibi res meas dirigendas ornandasqve trado; tibi, ut ſtudia mea conſiliis juves, ut curſum exitumqve illorum deſignes, ſupplico. Qvâ in animi fluctuatione ſi tu tanqvam beneficum ſidus mihi auffulſeris, portum ac metam votorum meorum mihi videor aſſecutus. Ac video mihi videre tempus, qvo in hoc virtutis & bonarum artium certamine, te hortatore, triumphos agam. Totus interim

ego

egō tuus ero, & ſi qvid ab homuncione hoc proficiſci officiorum poteſt, tuo nomini tuæqve gloriæ omne conſecrabitur. Vale.

Reſponſoria ad Conciliatoriam, ex Epiſt. 18. lib. 6. 21

Mirificè gratulatus mihi fui, cum tuas legerem literas, de acceſſione amici, qvi mea, qvalia etiam ſunt, provocare officia voluit. Non eſt, crede mihi, tàm gratum, inſigni aliqvo augeri theſauro, qvàm ſi amicum inveniam novum. Sed qvid dico novum? cum inter veteres cenſeri mereatur, cujus à parente ad nos qvaſi per manus tradita familiaritas eſt. Enimvero commodè tu mihi in memoriam revocas paternam illam neceſſitudinem, qvâ me nunc etiam poſt fata parentis obſtrictum eſſe ſentio, ut in amicitiam tuam ſponte me immergere velim, ſi tu in mea arripienda eſſes ſegnior. Excute itaqve omnem animo trepidationem, & qvalem ipſe me eſſe vis, talem habe, meisqve officiis arbitratu tuo utere, ſi qvâ in re tibi illa profutura eſſe exiſtimes. Verùm ut tu largior es facultatis meæ interpres (meo enim me pede metior, & qvàm parum in iis rebus poſſim, qvarum expetis à me conſilia, novi optimè,) ita tamen operam dabo, ne te ſpes illa fruſtretur; ſaltem aliqvo officiorum proventu, ſi tam fœcundam tibi meſſem promittere non poſſum. Rogo te interim, ut hunc mihi animum conſerves, & amorem illum, cujus igniculos reſuſcitaſti, nullo tempore exſtingui patiaris. Vale.

Conſolatoria in adverſâ fortunâ atque exilio, ex Ep. 18. lib. 5. Cic. ad Famil. 22

Si qvis unqvam ex amicorum calamitatibus doloris mihi ſenſus fuit coortus, eſt ſanè maximus, qvem ex incommodo tuo, qvod à peſſimorum hominum inſidiis tibi illatum eſt, perſentiſco. Qvare cum hoc malo te qvaſi ſubito fulmine conſternatum exiſtimarem, mearum eſſe partium duxi, ut vel literis meis erigerem animum tuum, &, ſi poſſem, re ipſâ juvarem; Etſi ipſe eo loco ſum, ut aliorum indigere potiùs conſolatione videar, qvem amicorum ſuorum calamitates æqve ut ſuæ affligunt. Verum ut virtutis & ſapientiæ præſidia in omnibus meis caſibus robur animo meo ſubjecerunt, ita tu qvoqve nunc locum illis relinqves, & ad hæc fortunæ tela te Achillem qvaſi πάνοπλον oſtendes, vel Antæi inſtar è caſu ipſo novas vires reſumes. Qvid enim eſt, qvod te angere magnopere poſſit? qvi meminiſſe potes & ſanè debes, hominem te eſſe natum, eâqve conditione vivere, ut fortunæ viciſſitudines, qvas in hâc vitâ ſuſtinemus, ſubterfugere non poſſis. Imò, ſi recte rem putare velis, non eſt, qvod fortunæ magnopere ſuccenſeas, qvæ plura in te bona largiſſimâ manu cumulavit, ut leviore hoc malo illorum redimere invidiam poſſe videaris. Cum enim plerumq; aliorum exemplo vel felices nos faciamus, vel infelices (nam felicitate illâ, qvam animo ſuo poſſidet ſapiens, nemo eſt contentus) ab utraq; parte ejusdem vitæ fortunæq; homines circumſpice: & te præ ceteris illis ornatum commodis videbis, qvalia ne votis qvidem ſuis homines tibi ſimiles promittere ſibi potuerunt. Florent illa virtutum tuarum

præmia, & ita qvidem florent, ut fructus earum nulla tibi invidia eripiat, nulla temporum calamitas intervertat. Hâc itaqve parte ſecurus, ſi jacturam tuam honorum tuorum cumulo appenderis, ut illis ſupra omnes te conſtitutum, ita hac omnibus te inferiorem eſſe deprehendes. Percenſe enim modò animo, qvot qvantæqve ſtrages nobiliſſimorum hominum in Republica fuerint, qvam illi vitâ, famâ, ſalute, fortunis omnibus everſi, ne minimam qvidem, ſi vita ipſis ſalva eſt, ſpem ſibi reliqvam ſentiant. Rempublicam ipſam vide, nihil profecto eſt in illa, qvod tenere bonos homines tuiqve ſimiles poſſit; omnia flagitiis & ſceleribus ſunt oppreſſa; animam agit libertas, judicia & leges corrumpuntur; ipſa deniqve Salus morientem civitatem ſervare non poteſt. Qvid ergo eſt, qvod te hîc teneat? an qvod cadaveri ejus velis immori, & communi cum vectoribus ejusdem navis perire naufragio? Itaqve felicem te, qvi ex illorum hominum conſortio abis, non tàm ab ipſis relegatus, qvàm ipſos à te, qvod Diogenes faciebat, relegans. Vivere igitur tibi potes, & ad te bonamqve mentem redire, poſtqvam ab illis diſceſſeris. Venies & ad nos tui amantiſſimos, omnibusqve officiis, omni neceſſitudine conjunctos; qvorum hoſpitiis, amplexibus, animis gratiſſimus hoſpes excipieris; qvorum qvotidiana colloqvia facilè omnem, qvam animo concepiſti, ægritudinem tibi abſtergent. Deniqve & ſolari in hâc calamitate te posſunt honeſta hominum judicia, qvi injuriam tibi factam norunt non ſolùm, ſed & ſuis ſententiis damnârunt. Ne qvid de iis dicam, qvi ſolam potentioris tui hoſtis autoritatem, ſecuti, eam, qvam ore protulerunt, ſententiam toto animo & pectore execrantur, eam publice contrariaqve ſententia damnaturi, ſi, qvod vere ſentiunt, impunè etiam in judicio efferre poſſint. Qvare ne te vel relinqvere alios, vel deſertum ab amicis putes, qvorum ut aliqvi clam tibi favent, ita multi palàm tuas partes ſeqvuntur; me habebis, qvem ſemper habuiſti, omni officio, ope, operâqve tuum, qvi te ſemper & obſervet & colat & diligat. Vale.

23 *Eadem Epiſtola ampliùs deducta.*

Qvemadmodum aliorum morbis difficulter medentur, qvi ipſi totius corporis doloribus oppreſſi ſunt; ita parum mihi conſideratè agere videor, qvi te erigere afflictum & excitare abjectum cupio, cui ipſi optandum erat mali ſui levamentum. Acerbiſſimum enim dolorem hauſi ex tuo incommodo, tuiqve causâ intimis ſenſibus angor. Tu tamen mihi ita hæres in medullis, ita te fero oculis, ut, qvicqvid eſt in pectore meo reliqvum conſilii & opis, id omne tibi cupiam impendi. Singulari itaqve ſtudio à te contendo, ut te ipſum adhorteris & indures, ac dolori tuo manum injicias, ne ille te virum, & qvidem ſapientem virum, proſternat. Noſti vetus illud, homines nos eſſe, & nihil humani à nobis alienum. Qvod ſi te parum conſolatur, vide in qvo motu temporum, qvantâ in converſione rerum & perturbatione verſemur, qvi non modò ſuccum omnem & ſanguinem amiſimus, ſed etiam colorem & ſpeciem priſtinam civitatis. Qvæ ſi recte apud animum reputaveris, moderatiore animo malum tuum feres, & moleſtias parvas ac leves facilesqve toleranter experieris. Plura

vir-

virtutis & induſtriæ ornamenta in te ſunt: elucet vel ceteris exſtinctis ſola tua ſanctitas & prudentia: habes, qvæ qvidem in homine dicuntur bona, parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias. His tuis tàm excellentibus bonis gaudere jure potes, qvæ in unum collata ſunt. Et nunc te mordet, unico & leviſſimo bono fraudari, & in tantâ rerum omnium ſpoliatione levi aliqvâ deminutione multari. Qvot qvantaqve tuo labore qvæſita & collecta ſunt? qvæ tuâ virtute perfecta? qvibus tu ornamentis præſidiisqve redundas? ut vel in invidiâ atqve odio apud nobiliſſimos homines tui novi hominis virtus & induſtria videatur. Cum illi vel in ipſo gloriæ portu naufragium fecerint, tu exiguam accepiſti injuriam & penè nullam, qvi hanc rei familiaris lacunam facilè explebis. Tua reſpicis qvidem mala, & tantùm privata: nec vides, qvæ nobis imminent publica. Qvanta rerum noſtrarum varietas atroci hoc & difficili Reip. tempore! ut nemo propemodum conjectando aſſeqvi poſſit, qvi curſus rerum, qvi exitus futurus ſit. Qvam invalidum eſt legum auxilium? qvo prolapſa illarum ſanctionibus cuſtodita diſciplina? Rogantur novæ, rumpuntur rogatæ; judiciis iniqvis exſorbetur ſanguis civium; qvos non iniqvæ litium procellæ pervertunt, qvibus ſæpe ab his in majores plagas incidendum eſt? His tàm malis temporibus & moribus, annon ſecundas atqve prolixas ejus res dicemus, qvi minimo cum damno ex illâ Rep. evolaverit. Tu verò, qvi & ipſe præſidia tibi genueris, optimos liberos, fortunarum tuarum participes: qvi nos plurimosqve alios ad tuam amicitiam aggregaviſti, omnes amore ac officiis flagrantiſſimos, qvi conſuetudine qvotidianâ, familiaritate, aditu, congreſſione noſtrâ fruaris, ſeria jocosqve nobiscum celebres, his opibus qvaſi per ludum & per negligentiam hunc caſum tuum ſuſtentabis. Noſti ipſe, qvàm ſint multi, iiqve optimi viri, qvi judicium de te latum, non cogitationis tantùm tacito convicio verberent, ſed & magnâ vocis libertate perſtringant. Ac noſti, qvæ ſit qvorundam animi infractio & demiſſio ſimili nutu ac renutu unius potentioris hominis voto reſpondentium: qvanta fuerit in hac ipsâ tuâ cauſâ honeſtorum hominum dubitatio, hæſitatio, tractusqve verborum. In qvæ omnia ubi conſiderationem intenderis, non turbulentè, ſed ſilentiô ferre has plagas debes. Me qvidem certè tuarum actionum, ſententiarum, voluntatum, rerum deniqve omnium ſocium comitemqve habebis, & illud profectò, mihi te neqve cariorem neqve jucundiorem qvenqvam eſſe, cognoſces.

Alia Conſolatoria ex Epiſt. 14 lib. 5. 24

Nihil ad me literarum hactenus datum fuiſſe miror eqvidem, cum te freqventem in hoc officio invenerimus ſemper; niſi forte in muſeum tuum te abdidiſti, atqve ibi Muſis vacans, aliqvid literis mandas, qvod nomini tuo immortalitatem pariat, & doctis ſit in pretio. Qvod ſi ita eſt, vehementer laudo conſilium, qvod his fontibus exſtinguere dolorem tuum velis, qvos ſapientia ipſa tibi propinat. Sin, qvod vereor, doloris te vehementia ab hominum conſuetudine avocat, luctui tuo qvaſi immoriturum, ex lege familiaritatis noſtræ acerbam in te ſententiam pronuncio, ut qvi magnâ

te

te, magnâ alios, injuriâ afficias, cum te Reipublicæ, cum te amicorum utilitatibus ſubtrahis; qvibus, niſi fallor, plus debemus, qvàm ut nos ipſos inutiliter affligamus. Ego verò non ſolùm ſapientiam, ſed & prudentiam tuam, hîc teſtem voco, an cauſa tibi ſit idonea, ob qvam angaris animo, teqve perpetuis lacrymis & doloribus excrucies. Tu ſcilicet, qvi abdita philoſophorum arcana perrupiſti, non ſenties, non intelliges, qvod qvilibet in populo; atqve te ipſum vivus videnſqve conſicies? Qvam aliqvi in te pertinaciam; qvi gravius qvid dicent, furorem interpretabuntur. Qvis enim ad te fructus, qvæ utilitas ex hoc mœrore promanat? an, qvod morbos in caput tuum laceſſis? an qvod fata tua præcipias ipſe & præcipites? an qvod tu intra parietes compreſſis ſedes manibus, lacrymis & vigiliis te maceras, gemitibus & ſuſpiriis omnem vitalem ſuccum exhauris, Reipublicæ cavetur, ne detrimentum capiat? an amicis conſulitur, ſpem atqve præſidia in te ponentibus? an deniqve tibi ipſi ex ægritudine ſalus, è dolore gaudium, è ſollicitudine qvies, è deſperatione ſpes exſpectanda? O verò te miſerum! imò bis miſerum, qvi ipſum te vis eſſe miſerum, & ipſas miſeriarum tuarum cauſas adeò perditè amas. Scilicet ut tu diſpellas, novam, qvemadmodum Cæcias, malorum nubem attrahis: & erat tamen prudentis animi, omnes illos evitare ſcopulos, qvibus naufragium tuæ ſalutis ſis facturus. Qvare, ſi rationes non admittis, & has ſurdo narramus fabulas, ſaltem nos audi tui amantiſſimos; quos dolor tuus ita affligit, ut ſuo non poſſint vehementiùs affligi: vel precibus noſtris te expugnari patere, ut ad conſuetudinem noſtram te recipere, atque ex illâ lenire dolorem, velis. Non equidem te his præceptionibus meis velut in ordinem redigere laboro, aut pædagogiam aliquam in te exercebo. Si tibi ſtudia noſtra ingrata fuerint, quantum tamen in me eſt, monere te volui, atque à quotidiano luctu avertere: Duo enim ſunt, quæ me in diverſam partem trahunt; qvorum alterum hoc eſt, ut rationibus noſtris tuam voluntatem adjungas; alterum, ut nullâ re tibi moleſtus eſſe velim. Vale.

25 *Reſponſoria ad Conſolatoriam ex Ep.* 15. *lib.* 5.

Nihil niſi amorem tuæ ſpirant literæ: adeò, ut in fronte animum geris, ita in his affectum tuum prolixè exponis: de qvo mihi gratulor quidem, ſed ut ad animum admittam, à me vix impetrare poſſum, iſtis doloribus afflictus, ut nulla mei erigendi ſpes ſupereſſe videatur; tuqve qvi amici qvidem partes agis, planeqve tuas, fruſtra omnino labores. Qvid enim in hac calamitate, qvæ ſubitò nec opinantem oppreſſit, in qva nec conſilii locus eſt, nec ſpei, faciendum exiſtimas? ad amicos ut fugiam, ſuades? ſed qvos? qvàm enim rarum hoc miſeris nomen eſt! Neqve enim neſcire potes indolem hominum, qvi rebus noſtris ſecundis ſecundos ſe oſtendunt, adverſis ſe avertunt, & qvaſi contagio qvodam infectos fugiunt. Pauci fuerunt, & tu forte ſolus, qvi malis noſtris indoluiſſe viſus es, eò majoris mihi nunc æſtimandus, qvò te promptiorem propioremqve mihi in his anguſtiis oſtendis. Unum hoc eſt, qvod animum mihi proſtratum refocillat, tuqve mihi totus theatrum es in urbem fugienti, in qva inter turbas & negotia forenſia multa qvidem, qvæ turbant, nihil, qvod delectare

poſſit,

poſſit, deprehendo. Accedit temporum ſumma iniqvitas, qvæ, cum virtute noſtrâ ſtare poteramus, ſuo qvodam turbine in caſum rapiunt, & communi ruinâ involvunt. Omnia enim ſunt indies graviora & acerbiora exſpectanda. Ad literas me ablegas & ſtudia, ut in iis conſeneſcam, & in earum ſinu has moleſtias deponam? Magnifica qvidem hæc & honeſta eſt oratio. Sed vellem ego hîc te videre Hectorem & Achillem, qvi tàm forti animo ſit, ut hoc præſidio munitus, ferre hos inſultus æqvô animô poſſit. Vellem, qui os philoſophum ſonas, etiam pectus hoc nobis præſtare poſſis; qui homines ſumus, & miſeriarum ſenſum exuere non poſſumus. Nam ut illam è Stoa ſapientiam profiteamur, à nobis non impetramus, cujus magiſtri ſuâ ipſi doctrinâ in ruborem dati in mediis ſuppliciis atque in equuleo ipſo ſe felices gloriantur. Omnes ſcilicet extra neceſſitatis tela conſtituti mirificè animoſi ſunt, & generoſum illud pectus oſtentant, trepidaturi, ubi calamitatum moles oppreſſerit. Suſtineo tamen me, ut poſſum, ſtudiorum conſuetudine, ut, cum ab aliis contemplationibus animus avocatur, paulatim memoriam malorum deponat. Quare ut frequentiora nobis ſint & quotidiana illa ſubſidia, te mihi præſentem velim, ut mutuis confabulationibus ſegniorem ad arripienda hæc levamenta animum excitem, & minus me miſerum eſſe credam, quò magis cogitationum frequentia animum meum obtundo, & ad malorum ſenſum callum illi obduco. Venies itaqve ad nos dudum deſideratus hoſpes; imò in hôc ludô ad conſtantiam patientiamque novus quaſi Doctor, cujus ab ore & præceptis pendeam, & illa, quæ nunc animum meum excruciant, dediſcam. Vale.

Gratulatoria de Conſulatu, ex Epiſtola 8. lib. 15. 26

Etſi, qvæ à te veniunt literæ, ſemper mihi ſunt exoptatiſſimæ, nuper tamen me mirificè delectârunt, & magnam mihi lætitiam attulerunt, qvod ſummis te in Rep. honoribus ornatum eſſe intelligam. Qvoniam itaqve etiam ad meam utilitatem pertinere exiſtimo, ſi qua nova ſalutis dignitatisque tuæ lux effulſerit, affectus gaudii in hanc epiſtolam erupit, quâ tibi de honoribus tuis gratularer, quos proprios perpetuosque tibi & Reip. ſalutares eſſe volo. Ingratiſſimus eſſem omnium, niſi & me iſtius tui gaudii ſenſus percuteret, quem ego in oculis tuli ſemper, in quo ego colendo patriam conſtitui ſanctitatem: cujus ego beneficiis propemodum obrutus vivo, ut nullam meritorum partem mihi videar aſſecutus, ſi vel vitam pro ſalute tuâ profudero. Accedit parentis tui voluntas in me propenſiſſima, qui in me ornando, & adverſus omnes fortunæ inſultus tuendo, nullam unquam occaſionem prætermiſit. Quæ cum animo reputo, totum me vobis debitorem profiteor, &, quoad ſpiritum duxero, profitebor. Qvare cum hæc mihi quaſi hæreditaria à vobis bona ſint & perpetua, ineptus ego ſim, qui officioſis vos precibus obtundam, & ad nova officia invitem. Quod enim ſemper feciſti, ne nunc quidem, iſtis honoribus auctus, facere intermittes; qui non es inter illos, qui ad fortunæ ſecundioris vultus frontem ſuam fingunt, & inferiore loco poſitos deſpiciunt. Imò, ſi te recte novi, ea animi tui honeſtas, ea generoſitas eſt, ut honores tui vel eo nomine tibi gratiores exiſtant, quod novam bene

merendi de amicis occaſionem nactus, me quoqve & ornandum & juvandum animo promptiſſimo ſuſcepturus ſis. Vale.

27 *Eadem Epiſtola variata.*

Etſi quotidiana mihi de te eſt cogitatio, nihilque rebus tuis gratius; majore tamen non facilè lætitiâ elatus fui, quàm cum primum in Rep. locum nuper tibi oblatum, rumore publico intelligerem. Quare ſtatim exarſit mihi animus, & aurem amor ipſe vellicavit, ut ad te ſcriberem, & eum, quem in ſinu meo foveo, affectum, quia coràm non licet, eminùs & per epiſtolam declararem. Neqve enim aliter fieri æquum erat, præſertim, cum te amarim ſemper, & nunc etiam in illâ honoris acceſſione te mihi omni officiorum genere, obſervantiâ, ſtudio proſequendum exiſtimem. Non excidit animo ſuperiorum temporum memoria, cum ego adversâ cum fortunâ conflictatus, tuam tanquam Herculis alicujus opem ſenſi, qui mihi præſidio eſſet, & ab omni injuriâ defenderet: nam de ſecundis meis rebus non dicam, quibus etiam alii promptos facilesque amicos habuêre. Accedunt à Patre tuo tot tantaqve beneficia, quorum etiam nomine ego tibi obſtrictus ſum, atqve æternùm me tibi obnoxium profitebor. Totum me ergo tibi trado, tuis tuorumque vinculis tibi obligatum; neque quoad vivam, ab iſto quaſi mancipii jure, quod tibi in me acquiſitum eſt, diſcedam. Nunc tantùm à te etiam atque etiam contendo, ne in illo honoris faſtigio conſtitutus, me clientem tuum averſeris: ſed majorem in me ornando tuendoque operam oſtendas, quò major tibi bene de merendi occaſio nunc ſubminiſtratur.

28 *Reſponſoria ad gratulatoriam de dignitate recuperata, ex Epiſt. 14. lib. 4.*

Venerunt ad me literæ tuæ humanitatis tuæ amorisqve pleniſſimæ, qvibus de honoribus in me collatis gratulabaris, omniaqve fauſta & felicia apprecatus, iis me laudibus ornaſti, qvas ego ſi agnoſcerem, nimis de me magnificè ſentirem. Ego verò voluntatis tuæ in me declarationem omni elogio potiorem habeo, cum amici partes impleas; nam cetera etiam aſſentatoribus tecum poterunt eſſe communia; à qvorum ſpecie tantum tu abes, ut tibi in laudibus meis largiori credere malim, qvam te in aliqvod fucatæ amicitiæ crimen adducere. Gratias itaqve tibi ago, qvales ab amico exſpectaveris; animo qvidem prompto, ſed non ſatis ſereno, ſi ad horum temporum difficultatem reſpexerim. Dubitare enim profectò poſſis, utrum conſolandi argumentis animum ſub onere labantem erigere, an gratulationibus, velut magnum aliqvod bonum adepto, applaudere æqvius videatur. Qvæ enim in publicis his calamitatibus animo qvies, dignitati autoritas, fortunæ conſtantia exſpectanda? ubi omnia ad caſum ſpectant, & nulli qvidem ſunt, qvi ruentem hanc molem ſuſtentant, tibicines, nulla ſecuritatis publicæ præſidia, omnia inſidiis, dolis circumveniuntur. Itaqve gaudio parum afficior, qvod metus iſte temperat, qvi

Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem.

Dabo tamen operam, ut mihi adverſus fortunæ inſultus præſidia circumponam, ut dignitatem hanc, qvâ poſſum arte & virtute, ſuſtentem. Ego vero tuum, qvo me proſecutus es, officium agnoſco, atqve eo nomine me obſtrictum tibi ſentio: & ſi qvid hoc tempore ſtudio operaqve mea prodeſſe tibi potero, nihil earum rerum omittam, qvæ ad te juvandum ornandumqve pertinere videbuntur. Vale.

Reſponſio ad gratulatoriam de novis nuptiis, ex eadem Epiſtola. 29

Intervenit nuptiis meis velut capra ad feſtum, tua epiſtola, qvâ amores meos feliciter evenire vis, votisqve uberrimis proſeqveris. Itaq; feliciores fortioresqve amores meos eſſe neceſſe eſt, tui acceſſione amoris votisqve munitos. Nam certè parum hoc tempore in amoribus gratum eſt, qvo nihil niſi cædes, rapinas, bella, calamitas publica oſtendit. Quam jucundos ergo Veneris amplexus putas, cum mala nos undique incurrunt. Scilicet nunc res domeſtica curanda eſt & firmanda, cum Resp. ruinam minatur. Novus ego ad hanc navem vector acceſſi, qvam tempeſtates undiqve circumſiſtunt, cui in proximo eſt naufragium. Hæc cum animo meo revolvo, penè eſt, ut ipſe meam damnem ſtultitiam, meqve in publico malo delicias ſectaturum, &, ne ſolus peream, uxorem tanqvam alteram fato victimam oblaturum. Verùm ſumere ex ipsâ audaciâ animos oportet, & ferream non ſolùm frontem, ſed & cataphractum pectus ſeculo oſtendere; cui etiam hæc eſt *una ſalus miſero nullam ſperare ſalutem.* Ego amori tuo totum me trado, tuo hoc officio fatorum acerbitatem ſolaturus; meis autem ſtudiis, obſeqviis, officiis omnibus, voluntatem in te propenſiſſimam teſtaturus. Vale.

Eucharistica, ad aliquem, qui commendatos a nobis benigne tractaverat, ex Epiſt. 12. lib. 13. 30

Cum multa ſunt argumenta, qvibus propenſiſſimam tuam erga me voluntatem collegi; tum illud præcipuè eſt, qvod Agapetum noſtrum, qvem tibi literis meis commendaveram, omni officiorum genere es proſecutus. Neqve enim is ſolùm mirificè humanitatem tuam laudat; ſed & alii commemorant, qvibus & tu & ille uſus eſt familiariter. Qvantâ vero ipſe voluptate perfuſus fuerim, non ſatis literis exprimere poſſum; cum hominem illum ob virtutem & optimos mores tenerrime amem, atqve ita amem, ut è neceſſariis meis vix aliqvem ardentiùs amare poſſim. Nolo hîc beneficiis tuis, qvæ in ipſo mihi præſtita ſunt, novos è verborum & gratiarum pigmentis colores qværere, ne qvid auribus dare & blanditiis quibusdam aſſentari tibi videar; Id tantum te rogo, ut affectu iſto, qvo ipſum amplecti cœpiſti, porrò amplecti velis; non qvod dubitem, te hoc me non rogante facturum; ſed quod ita rogare moris ſit; & ego amico, quacunque re poſſim, gratificari velim,

ſi non re ipſâ, ſaltem verbis, officiis & omni genere humanitatis. Nulla res magis vel me, vel illum, tibi reddere poterit obnoxium, exiguæ quidem facultatis, ſed maximæ optimæqve voluntatis homines, ad imperia, imò ad nutus tuos advolaturos.

31 *Reſponſoria ad gratiarum-actoriam, ex Epiſt. 19. lib. 10. ſub perſonâ Patroni ad Studioſum.*

Adeò ſunt exigua mea in te beneficia, ut magnificam illam gratiarum actionem non mereantur: tamen, quando ita voluiſti, ut extaret hæc voluntatis tuæ erga me declaratio; vel ideo gratum mihi hoc tuum fuit officium, quod amoris tui non eſſet evidentius argumentum. Acceſſit novum huic affectui tuo argumentum, eâ, quam nomini meo inſcripſiſti, diſſertatione, doctâ ſanè & eleganti: quâ ut ingenii tui promptitudinem oſtendiſti, ita & aliis ſignificare voluiſti, quanti me faceres, & quo loco haberes. Quare meæ potius partes ſunt, ut gratias tibi largiore manu metiar, novisqve officiis, cum vetera nomina jamdudum tibi expuncta, obnoxius tibi fiam. Id ſanè operam dabo, ut nihil in me patiar deſiderari eorum, qvæ ad te juvandum ornandumque pertinere videbuntur. Fallam interim otia mea tuæ Diſſertationis aſſidua lectione, atqve ita fallam, ut plus ab illa ingenio meo contemplationis relinqvatur. Qvandoqvidem igitur tàm benè tibi tempora in ſtudiis poſita apparet, omnes tuos nervos, ſpiritus, operam diligentiamque omnem in hæc impendes: ut digna laborum tuorum prœmia aliqvando reportes, & Reipublicæ adminiſtrandæ promtiorem aliquando manum adhibere poſſis. Vale.

32 *Laudatoria ex Epiſt. 15. lib. 11.*

Nihil me magis hoc tempore delectat, qvàm quod tuis nonnunquam literis animum paſco, quæ nuper oportunæ venerunt, & qvid in literis nunc moliaris novi, ſignificârunt. Qvid ego hîc in te laudem? an officium? an propenſam in me voluntatem? an divinum tuum ingenium, qvod tot novas erudito orbi delicias extundit? an denique ipſos illos ingenii fœtus, aſſiduo labore perpolitos, quos, ut Phidiæ ſignum, ſtatim ubi aſpexerint, probant Viri docti? Quare nihil jam amplius, quod ſcribam, eſt, niſi ut currenti ſtimulos novos addam, teqve horter, ut orbem eruditum porro ſcriptis tuis doctiſſimis beare velis; quos ita avidè exſpectant omnes, ut qui diuturnam explere ſitim cupiunt. Vale & nos ama.

33 *Reprehenſoria ex Epiſt. 17. lib. 16. Cic. ad Famil.*

Vix oculis meis credere potui, cum in tuâ, quam mihi inſcripſeras, diſſertatione aliqva offenderem, quæ non è tuo promptuario, ſed aliunde, deſumpta videbantur. Laudo quidem officium, atque eo me nomine tibi obſtrictum eſſe profiteor; Verùm, ut dicam, quod res eſt, non placuerunt mihi plumæ illæ, qvibus te corniculam Æſopicam oſtendiſti: ideoque non parum tibi ſuccenſeo, qui in partem hujus

prædæ

prædæ me quoque vocare voluiſti, cum nominis mei titulum non tuo, ſed alieno, fundo præfigis. Et noſti vero, liberales non eſſe, qui de alieno largiuntur: qvid vero putas ad hæc dicturos, ubi viderint, homines doctiores, & in literis bene exercitatos, qui hîc naſum rhinocerotis habent, & vel è longinquo Caci raptoris veſtigia odorantur? Quare te etiam atque etiam hortor, ut, ſi qua tibi ſuperſunt hujus ſcripti exemplaria, in publicum evolare non ſinas, ne dedecus tuum, quocunque illæ tandem chartæ pervenerint, circumferant. Non ſuccenſebis amico bene monenti, ut qui tuum honorem ad ſe quoque pertinere putat, eoque labefactato, ut ſuâ quâdam injuriâ afficitur. Tu interim & ſtudia tua omniaque negotia ita tractes velim, ne qvid valetudo tua detrimenti capiat. Vale.

Expoſtulatoria ex Epiſt. 5. lib. 5. Cic. ad Famil. 34

Etſi nihil ad te literarum dare conſtitueram, à quo bene longo tempore nihil ad me perſcriptum fuit, precibus tamen Agapeti noſtri permotus fui, ut literas has ad te mitterem, ejusque negotium tibi commendarem: ſi fortaſſis, cum non meâ, ſed aliorum causâ, ſcribo, aliquas à te literas exſculpere poſſim, quarum adeò parcus es: neſcio utrum ſcribendi tædio, an mei odio. Illud certè vix crediderim, cum quotidianum te in literis ad alios ſcribendis eſſe ſciam; in dandis recipiendisque ſalutationibus ſolennem; etiam, cum nihil opus eſt, pollicentem, imò obtrudentem officia. Hoc itaque potiùs videtur, ſimultatibus te neſcio quibus inductum, abalienasſe à me animum. Accepi enim, neſcio quibus rumuſculis occultis, te famam meam laceſſere conviciis, & quibus potes artibus, luminibus meis obſtruere. Quod, ut improbum non ſolùm eſt & hominis parum officioſi, ita ἀχαριςίας quoque notam tibi inurit. Quid? an jam adeò priorum temporum oblitus es? cum à meo conſilio, ore, præceptis, penderes totus, eaque haberes ad ſtudia adjumenta, absque quibus ſi fuiſſet, nunc non haberes tela, quæ in me jaceres, meo mihi exitio excitatus. Quod ſi harum rerum memoriam depoſuiſti, ſaltem id animo reputa, ut hæc omnia non eſſent, quâ fronte auſus ſis laceſſere ſenem juvenis, præceptorem diſcipulus, civem civis. Quam inſignis impudentiæ notam ſi non agnoſcis, frons tibi omnis periit, & cum fronte bona mens, quarum mutua eſſet ſolet conſpiratio. Has ut devorarem & concoquerem injurias, à me impetrare non potui, neque certè ſilere ad illas debui, ne muſſitando creſceret injuria. Reliqvum ergo eſt, ut reſcindam potius, quàm diſſuam amicitiam, ſemper, ut video, inſidias mihi ſtructuram. Ut tamen ſatisfacerem roganti amico, cauſam ejus tibi commendare volui, ut ſi non amicitiâ meâ inductus, ſaltem honeſtate impulſus id facias, quod æquitatis ratio & bonæ leges abs te requirunt. Vale.

Reſponſoria ad expoſtulatoriam, ex Ep. 28. lib. 7. 35

Scripſiſti ad me literas; quid dico literas? quot verba, tot convicia: Nihil enim ad illam acerbitatem addi poteſt, quâ me non innocentem modo, ſed & benè

de te merentem, excipere non es veritus. Enimvero mitius tractari debebam, & eâ æquitatis lege, quam tu tibi ipſi ſimili in caſu dixeris. Quis enim probet, damnari aliquem inauditum? læſæ amicitiæ ſententiam pronunciari in hominem, qui ſe nunquam vel dicto vel facto gravem fuiſſe, meminiſſe poteſt? Rogari priùs debebam, neque tam facile aures falſis rumoribus fuiſſent accommodandæ; Quibus qui duci ſe patitur, impingit, ubi minime cogitat. Si tu hîc eſſes, tantùm abeſt, ut reprehenderes levitatem vel perfidiam, ut potiùs induſtriam & fidem & ſtudia mea laudares, qvæ tibi etiam ignoranti & non advertenti ſanctè à me cuſtodita fuerunt. Ejus rei documentum non contemnendum eſt, qvod, cum famam tuam roderent clandeſtini hoſtes, ego ſolus te defendendum ſuſceperim, tacentibus illis, qvos tu primicerios tuos ſalutas. Etſi verò de te qverendi cauſæ ſunt & juſtæ & graves, homini tam atroci injuriâ affecto, eam tamen ad animum nunc admittere nolui, vel hoc ipſo amicitiæ meæ conſtantiam teſtaturus, qvæ te etiam vacillante perſiſtat, & tibi etiam renuncianti & repugnanti fidem ſuam ſartam tectam integraqve officia conſervet. Cum enim ſciam, animi vehementiam ſemper eſſe cum amicitiâ conjunctam, & qvò flagrantior ea ſit, eò magis ſuſpicionibus & rumuſculis eſſe obnoxiam, in benigniorem partem ego animum tuum interpretabor, atqve id ipſum vehementiæ amoris adſcribam, qvod inconſulto illo calore peccatum eſt. Qvo magis me ſpes illa tenet, fore, ut ſopito hoc frigusculo, ad ferventiora redituri ſimus officia. Noſti enim vetus illud Comici: *amantium ira amoris eſt redintegratio.* Qvare etiam atqve etiam te rogo, ut hanc animo tuo ſuſpicionem ejicias, ne tibi ab illis, qvi divortium inter nos volunt, imponi patiaris. Altioribus fixa radicibus noſtra conſuetudo eſt, qvam ut levibus illis ſuſurris & volaticis conjectiunculis exſtirpetur. Ero ſemper, qvem habuiſti, amicus tetragonus; neqve ab officio meo dejiciam oculos, ſi tu veri amici partes non depoſueris. Vale.

36 *Querula, ex Epiſt. 16. lib. 14. Cic. ad Famil.*

Scribo ad te literas; non qvod cauſas ſcribendi habeam, ſed ne literarum illud commercium, qvod inter nos mutuum eſt, rumpere primus, aut officiorum curſum ſufflaminare videar. Familiarius itaqve, ut ſolent amici, inter nos confabulemur de rebus, qvæ qvidem ad te parum pertinere videntur, niſi fortè amici etiam negotia tibi non negligenda eſſe duxeris. Non ignoras, qvantis a me beneficiis ornatus ſit Agapetus noſter, qvàm illi ope, conſilio, ſtudio operâqve profuerim ſemper; & ille tamen animum ſuum, qvem mihi toties profeſſus eſt obnoxium, ita exuit, ut, converſâ in hoſtilitatem amicitiâ, hoſtium meorum partibus ſe adjunxerit, & multa nefaria conſilia machinatus fuerit. Ne qvid de conviciis dicam, qvæ in me effudit, & qvorum ego commemoratione tibi moleſtiam creare, mihi dolorem refricare, nolo. Hæc tamen in ſinum tuum effundere volui, tùm ut meo exemplo cautior diffidere amicis diſcas, tùm ut in hoc malo levamen aliqvod tuo conſilio præſtes. Non ſoleo facilè vel de fortunâ meâ, vel amicis, conqveri, meâ ſorte meoqve fato con-

tentus: verùm tanta eſt hujus injuriæ indignitas, ut animum meum exulceratum nihil mitigare poſſit. Cui enim jam fidas? cui animum tuum committas? ſi, qvos in animo atqve in oculis ferebas, amici fidem omnem ſuam decoxerint. Ad te itaqve confugio, qvem præſenti in me animo ſemper fuiſſe novi, ejuratâ Agapeti amicitiâ; tibiqve omnia mea ſtudia, & qvicqvid unqvam mihi dulce eſt, conſecrabo. Vale.

Reſponſoria ad Querulam, ex Epiſt. 25. lib. 7. 37

Nihil eſt, qvod magis animum recreat difficillimis his temporibus, qvam tuarum ſuavitas literarum: qvæ, ut officiis ſunt pleniſſimæ, ut rerum, qvæ geruntur, memoriam mihi exhibent; ita nullo non tempore poſſunt mihi eſſe gratæ. Utinam his paribus officiis reſpondere poſſem: ſed nihil eſt, qvod tuâ notitiâ dignum ſit. Celare te tamen ut amicum non poſſum, qvæ mihi nuper cum Agapeto contentio orta ſit, qvem ex amico mihi inimicum reddidi, qvod pecuniam repoſcerem, qvam ipſi mutuò dederam. Nam cum tricas è tricis necteret, diesqve ſolutioni conſtitutos ſemper falleret, pulſandus tandem actione apud judicem mihi fuit, ne ære meo exciderem eo tempore, qvo maxima me urgebat neceſſitas, & à me ſolvenda erat ſumma pecuniæ non exigua. Rupto itaqve amicitiæ noſtræ vinculo, calumniis & conviciis inceſſit non immeritum tantùm, ſed & benè hactenus de ipſo merentem. Vides, qvæ ab amicis exſpectandæ ſint gratiæ. Qvos enim beneficiis tibi reddidiſti obſtrictos, eosdem tibi inimicos & hoſtes paras. Neqve ſanè ipſi vitio verterem has in ſolvendo debito tricas, ſi ipſum egeſtate preſſum in anguſtias aliqvas redactum iri noſſem: Nam florere ipſum opibus & pecunia, exploratiſſimum habeo; ut itaqve fraudulentus ejus animus ubiqve perluceat, Qvare cum videam, malo conſilio ipſum exuiſſe amici animum, & omni ſe adverſus me armaſſe neqvitiâ, dignis hominem hunc excipiam modis, atqve ita tractabo, ut & mihi ſatis domi conſilii adverſus homines ſceleſtos eſſe ſentiat. Has apud te qverelas depromere atqve in ſinum tuum effundere volui; ſi fortaſſis, qvæ autoritas tua eſt, argumentis expugnare animum hunc fraudulentum poſſis, & bonis verbis eo inducere, ne turpem hanc maculam nomini ſuo inuri patiatur. Fortaſſis enim, ſi amici non habet, ſui tamen rationem habiturus eſt. Vale.

Nunciatoria de adventu, ex Epiſt. 23. lib. 9. 38

Cum multæ ſolent eſſe ſcribendi cauſæ, tùm præcipuè una novitatis princeps & palmaria multis eſt; qvod in amicorum literis narrationes rerum novarum potius, quàm alia argumenta, reſpiciant. Qvæ vero exſpectes ab amico vetere, niſi vetera, mores antiqvos, priſcam fidem, qvæ apud novaturientes amicos rarò eſſe ſolet. Hâc parte tibi ſpectari maximè cupio; & niſi me omnia fallunt, tot annis jam ſpectatus fui; & nihil tu fortè ipſe hoc novi anni tempore, qvo mala noſtra tot qvotidie nova naſcuntur; à vetere amico exſpectaveris. Illud tamen novi narro tibi, me intra octo proximos dies iter ad vos meditari, qvod εὐαγγέλιον tibi fore, minimè dubito.

Jam

Jam enim videre mihi videor, qvâ fronte excepturus ſis, qvo ore, qvibus amplexibus hominem tui amantiſſimum. Integram hebdomadem deſtinavi tuis colloqviis. Vivemus itaqve unà, confabulabimur, non tàm cibis corpus, qvàm deliciis literariis animum, refocillaturi. Placuit enim maturare iter, qvod in vernum tempus differre cogitaveram, cum te pedibus laborare intelligerem; ſi fortaſſis dulci illo Muſarum balſamo, è confabulationibus noſtris ſtillante, mitigari doloris tui acerbitas poſſit. Exſpecta itaqve hoſpitem, & cum ipſo facetias omnes, jocos, veneres, lepores. Nam Saturnalia apud te agere, & urbanitates meas deponere conſtitui. Tu interim omnem operam dabis, ut pedes paulatim tibi officium facere diſcant, ac animo præſentiore eſſe poſſis. Vale.

39 *Reſponſoria ad nunciatoriam de adventu ex lib. 16. Epiſt. 12.*

Magnoperè me tuæ exhilarârunt literæ, variis moleſtiis & ægritudinibus ex temporum noſtrorum difficultate conflictantem: Oportunè enim adventum tuum mihi ſignificabant; qvod mihi tam gratum fuit εὐαγγέλιον,

Quale ſopor feſſis in gramine; quale per æſtum
Dulcis aquæ ſaliente ſitim reſtingvere rivo.

Sed nolim tamen, ut mei causâ te in valetudinis periculum conjicias atroci hâc hyeme, qvæ & exſtinxit multos per ſævitiam frigoris, & ad graviſſimos morbos fomitem ſubminiſtravit. Sed tamen & ab inſtituto tuo revocare te nolo, ne videar renuere hoſpitem jucundiſſimum, cujus ego ſaluti ut conſultum cupiam, amor impellit, qvi in varias partes nunc diſcinditur. Idem enim & jungi tecum, & à te disjungi cupit. Qvod ſi vincere hujus tempeſtatis ſævitiam idoneo veſtium apparatu potes: ſi valetudinis conſtantia permiſerit; tantum abeſt, ut diſſuadere tibi iter velim, ut & alas tibi aptari, & Cyllaros & Pegaſos currui tuo jungi cupiam, qvò ad nos advoles potiùs, qvàm adrepas. Vide itaqve, ne in viâ diutius hæreas, ſed alternatâ corporis recreatione frigoris vim infringas. Sat citò ad nos veneris, ſi firmus valensqve veneris. Reviviſcent tuo aſpectu Muſæ noſtræ, qvæ jam totæ obmutuerunt & obtorpuerunt, novos à te ſpiritus reſumpturi. Animus certe noſter, qvi proſtratus eſt & jacet penitus, tuis ita erigetur colloqviis, ut moleſtiarum & tædiorum memoriam ſaltem illo, quo nobis ades, tempore, ſit depoſiturus. Interim qvotidie pueri mei ante portas erunt, ut tuum mihi adventum nuncient.

40 *Hæc ſunt, qvæ in juventutis uſum hic producere volui*, ut his exemplis viam ſibi ſternerent. Ut ad eum modum imitatio inſtituatur, apparatu aliqvo & copiâ verborum opus eſt. Non enim hîc tàm Ciceronis verba & periodi, qvàm ipſa enthy-

41 memata, attenduntur. * Triplex ergo imitatio eſt: 1. *puerilis*, qvâ è phraſibus Autoris Claſſici ſermo compingitur. 2. *Amplificatoria*, qvâ periodi ex Autore Claſſico in multas diffunduntur, eodem argumento retento. 3. *Oratoria*, qvâ variato argumen-

gumento eadem enthymemata aliis verbis ac periodis efferuntur. Ejus exempla in hâc
Sylloge exhibentur. * In primâ illâ multum curæ induſtriæque inſumendum eſt. 42
Etſi enim puerilis illa dicitur, Virum tamen maturo judicio reqvirit, qvi dextrâ ap-
plicatione phraſes omnes in benè compoſitum ſermonem compingere nôrit; qvalis
ſub epiſtolæ formâ qvam commodiſſimè inſtitui poteſt. Ego ante multos annos pro
uſu iſto omnes Terentianas elegantias, qvæ in Comœdiis ejus habentur, epiſtolis com-
plexus fui, qvibus in exercendâ juventute feliciter qvidam uſi ſunt. Sed perierunt
mihi chartæ, ab aliqvo ſubreptæ. Neqve ſanè indignus Viro docto labor eſſet, ac
optimè de juventute mereretur, ſi qvis talia Themata Epiſtolaria concinnaret: neqve
tamen nullum ingenium & judicium in eo reqviritur. Hæc linguâ Germanicâ pro-
poni pueris poſſent, ut in Latinam convertant. * Ad eundem modum olim ego 43
è phraſium libellis epiſtolas pro tali uſu concinnavi. Verùm cum Phraſes illæ ſolu-
tæ & vagæ ſint, neqve verborum curſu connexæ, non habebunt illum ex eo labore
fructum pueri, qvem è verbis ac phraſibus rectè ordinatis habere poſſunt. * Ejus 44
tamen exemplum hîc apponam epiſtolam exprobratoriam, è phraſibus illis extantio-
ribus, qvæ in primis ſeptem foliis Medullæ Latinitatis Wendelini habentur, concin-
natam: *Quanquam* abalienandus *tibi planè* jure amicorum *videar, volens tamen ego
nunquam* ab *eo* jure abii, *vel abibo.* Abhorret *&* *animus* *&* *auris tua* à nobis; *ſed fac
tamen, ne* abhorreat à fide *&* à verò: Tantùm *enim* abeſt, *ut ego aliqvid amicitiâ
tuâ indignum admiſerim,* ut potius abſit *ab hoc omnis mea* culpa, *& nunquam me*
abduci *ad hoc crimen paſſus ſim, vel leviſſimis malevolorum hominum rumuſculis. Et
qui tu* abis ad iſtas ineptias *& ſuſpiciones illas,* ab recenti memoria *præſentiſſimi amo-
ris, quem paucis* abhinc diebus à me tibi exhibitum *eſſe ignorare non potes, dum* à
me *integram illam ſummam* perſolvi, *quam* à te *debueras.* *Jam &* in mores *tuos*
abit *alter ille tuus, qui neſcio quid mali de me ſuſpicatur, & quadam mei cauſa ten-
tavit; ſed cui* non *tam* impunè abibunt *omnia.* *Adeo parum literarum* ab eo vidi,
ut, qui paucorum dierum iter ab illo abſum, *longe gentium abeſſe videar.* *Hoc ego
quidem audacter affirmo, quandoquidem illi plurimum* abeſt de exactâ prudentiâ, *mul-
tum illi* (abſit verbo invidia) *ad amicitiam noſtram contuliſſe.* *Nunc quidem in-
gratiſſimus ille* ſe ex conſpectu meo abdit, *& plane illi* animus abeſt, *me vel coram,
vel per literas, compellandi.* *Nec tu* à levitate *ejus multum* aberraſſe *videris.* *Aut
redite uterque ad frugem, & bonam mentem, aut valete, & res veſtras vobis habete.*
Eodem modo particularum A, AB, AD uſum è foro Romano, & Turſellini de parti-
culis libro, prolixâ aliqvâ & certi argumenti epiſtolâ oſtendi. Sed in iſtis aliqvid
inviti & ſubornati eſſe, nec evitari poſſe, qvivis facilè videt.

CAP. XVI.
DE EXERCITATIONIBUS IN ORATIONE LIGATA INSTITUENDIS.

§. 1. Diſcrimen ligatæ orationis & ſolutæ. 2. quorum in ligata oratione ratio habenda

ſit. 3. Habent ſingula carminum genera ſpecialem ſuam rationem. 4. Præceptis poëticis non nimis immorandum. 5. Uſus hîc omnia docet. 6. Commentarii in poëticam Ariſtotelis prolixi plus turbant, quàm juvant. 7. Imitatio anima poëſeos. 8. Imitatio duplex. 9. Altera in poëmate ad rerum & actionum naturam exprimendo; 10. altera in poëmatis ſcriptione. 11. De ultimâ hìc agimus. 12. quomodo iſta inſtituenda. 13. Prima exercitatio eſt Metaphraſis; 14. altera imitatio per dilatationem, variationem, & contractionem ſimilium locorum. 15. Virgilius quos Poëtas imitatus ſit. 16. Reliqui Virgilium imitantur. 17. Exemplum elegans Virgilianæ imitationis è Catullo. 18. quæ per ſingulas partes oſtenditur. 19. Catullum tamen Virgilius elegantiâ ſuperavit. 20. Aliud exemplum Horatianæ imitationis è Virgilio in Epod. 2. de laudibus vitæ ruſticæ. 21. Plenior ejus imitatio in paraphraſi Jacobi Wallii. 22. Oſtenduntur fontes dilatationis poëticæ. 23. Ejusdem ep. Odæ Metaphraſis noſtra Elegiaca. 24. ſqq. & alia quædam Metaphraſeon noſtrarum exempla. 29. Imitationis crebra utilitas. 30. in inventionibus ſit imitatio cauta. 31. Exempla Epigrammatum, alterius e Mureti quodam à Niendalio, 32. alterius è Martiali à nobis per eandem imitationis rationem dilatati. 33. Deſcriptiones dilatatæ. 34. Exemplum ex Ovidio. 35. Praxis conſcribendi carminis per ſententias & lemmata, figuris, expolitionibus ornanda. 36. Hâc methodo alicujus Poëtæ carmen eſt reſolvendum & imitandum. 37. Habent & antiqui Poëtæ ſuos nævos. 38. qui adeò moroſè haud examinandi. 39. Ecloga I. Virgilii in ſuas ſententias & ornamenta reſoluta. 40. Carmen II. lib. 1. Sylvarum Statii de Equo Domitiani reſolutum. 41. de Ovidii poëmatibus judicium. 42. Horatii Odæ à Parthenio reſolutæ. 43. Odæ Cominianæ ad Ducem Condæum de Lactis uſu διατύπωσις exhibetur.

1 HAbitus Orationis ligatæ à ſolutâ in omnibus diverſus eſt, dictione, compoſi-
2 tione, periodo, numeris, inventione. * Habenda eſt Epithetorum, ceterorumqve ornamentorum, comparationum, Exemplorum, fabularum, iconographiarum, ratio.
3 * Et in ipſis Poëmatibus ſuo ſingulari qvodam genio ſingula carminum genera conſtant, tàm ratione dictionis, qvàm ratione numeri & periodi. In Hexametro carmine alia ratio & compoſitio eſt Eclogæ, alia Satyræ, alia Heroici generis ſive Epopœiæ. Et in ipsâ Epopœiâ qvantum à Virgilio poëtarum Heroicorum principe differunt Statius, Claudianus, Lucanus. Habet ſuas Elegia, ſuas Epigramma, elegantias: de qvibus multa dici poſſunt, & ſuo loco dicentur. Sed nos nunc hoc loco tantùm progymnaſmata illa poëtica producemus, rationem monſtraturi, qvâ ſe in optimo ac divino planè ſtudio tyrones exerceant.

4 Qvandoqvidem verò is, qvi carmen ſcripturus eſt, apparatu aliqvo opus habet; præſupponimus hîc prima rudimenta proſodiæ, mediocrem linguæ latinæ cultum. *Inſtitutiones poëticas* non pauci ſcripſere, in qvibus tamen cum judicio verſandum eſt, ne ingenium vel præceptorum ſubtilitate extenuemus, vel eorum mole obruamus.

Utrâqve ratione obtunditur ingenium, & ad exercitium ineptum redditur: & novi ego
plures, qvi in arte hâc excelluerunt, lectione potiùs Poëtarum & exercitio eò perve-
niſſe, qvò prolixis præceptis tardiùs pervenitur. * Præcipuum in illo negotium 5
verſatur, ſi qvis, præſuppoſitis Rhetoricæ & Proſodiæ adminiculis, id qvod in car-
mine ejusqve generibus artificium latet, multâ obſervatione didicerit: qvod peritus
Magiſter longè expeditiùs exemplo præſtabit, qvàm multis præceptis. * E ve- 6
teribus Ariſtoteles eſt, ut Philoſophiæ omnis, ita hujus qvoqve magiſter: ſed dolen-
dum, ejus *de Poëtica librum* non perveniſſe ad nos integrum: qvæ illic habentur, ad
Dramaticam poëſin tantum pertinent, utpote qvæ cum Epica ſeu Heroica principem
locum obtinet: Conſiſtit enim in imitatione actionum. Reliqva Poëmatia brevio-
ra ſua qvædam ſingularia præcepta habent, qvæ fundamentum tamen in illâ primâ
habent. Qvamvis enim Coloſſus Rhodius majori apparatu & accuratiore *συμμετρίᾳ*
partium ſpectatur; tamen & minora ſigilla ſuâ proportione gaudent; eſtqve etiam
in minuto carmine ſua qvædam imitatio, tùm morum, tùm affectuum, aliarumqve
rerum, qvæ ſunt cum actionibus hominis connexæ. In Ariſtotelis Poëticam Com-
mentatores habemus benè multos, è qvibus Heinſium noſtro uſui ſeponerem. Ceteri
Commentatores non tàm Poëtæ, qvàm Rhetores, in carmine ſcribendo ſunt, id eſt, ni-
miâ & anxiâ Ariſtotelicorum præceptorum explicatione animos lectorum fatigant.

Imitatio univerſæ Poëſeos qvaſi anima eſt. * Conſideratur autem illa 7
duplici ratione: primùm, qvatenus illa ad exemplum rerum & actionum inſtituenda 8
eſt; ſecundò, qvatenus ad exemplum alicujus Poëtæ componi debet. * Priori 9
modo conſiderata verſatur *ἐν τῷ φυσικῷ* & *ἠθικῷ* actionum exprimendo; * poſte- 10
riori modo ad generales illas imitationis, tàm oratoriæ qvàm poëticæ, leges diri-
gitur, qvæ in ipſo poëtandi exercitio conſiſtit. Primus imitandi modus proponit
perfectiſſimam imitandi ideam in ipsâ rerum naturâ formatam; alter præceptoris &
poëmatis vetuſti exemplo agere nos jubet. * De hoc itaqve poſteriore modo 11
tantum agemus: ille enim præmitti debet, cujus beneficio primum illum & præci-
puum imitandi modum obtinemus. * Non debet verò hæc imitatio ita inſtitui, 12
ut verſus hinc illinc è Poëtis congeſtos, qvaſi per centonem qvendam, conſuamus.
Illud enim non eſt imitari, ſed furari; niſi qvis ingenii cauſa datâ operâ tales cento-
nes è Poëtis conficiat, ut fecit Auſonius in *centone ſuo Nuptiali*, & Dan. Heinſius in
aliqvo centone in Baudium conſcripto; qvales & collegit ſingulari libro *Henr. Mei-
bomius*. Si qvis verò tales verſus undiqve compingat, & ſic ſe Imitatorem præſtet, à
plagii crimine liberari non poteſt. Imitationem puerilem, qvæ in concinnatione
phraſium & verſuum, primâ compoſitione conſiſtit, nunc ſeponimus: nihil enim illa
artis habet. Qvæ cum artificio inſtituitur eosdem fontes agnoſcit, qvos Oratoria.
* Primum hîc exercitium eſt Metaphraſis, carminis ex uno genere in aliud traductio; 13
ſed cum libertate aliqvâ evagandi. Tales Metaphraſes aliqvot Odarum Horatiana-
rum in Elegias concinnavit ediditqve *Henricus Meibomius*, ac nos infrà aliqvot earum
exempla dabimus. * Plenior illa imitatio non aliter inſtituitur qvàm Oratoria, 14

 per

per χωρισμὸν & per πρόσληψιν; qvâ de re jam ſuprà diximus. Χωρισμὸς eſt, cum una periodus in plures ſecatur. Πρόσληψις ſive Aſſumptio dicitur, cum aſſumuntur ad genus ſpecies, ad totum partes, ad actionem cauſæ & circumſtantiæ, ad diſtinctum indiſtincta, ad definitum indefinita, & vice verſâ. Si qvis illa duo benè cum judicio uſurpare nôrit in oratione, qvà ſolutâ, qvà ligatâ, bonus Imitator erit, & talis qvidem, ut deprehendi vix poſſit. Harum imitationum omnia exempla congerenda
15 ſunt, inprimis ex antiqvis: Nam antiqvi eadem viâ proceſſerunt. * Virgilius in Eclogis Theocritum imitatus eſt, in Georgicis Heſiodum, in libris Æneidos Homerum, imò ipſos illos Latinos, qvi ante ſe ſcripſerant, Ennium, Lucretium, Catullum: qvos omnes tamen ita imitatus eſt, ut omnes ſuperaret. Imitationes ex Græcis ſingulari libro congeſſit Fulvius Urſinus, & eleganti commentario Germanus Valens Guellius, qvi Antverpiæ in fol. prodiit, ubi diligenter notat loca è Græcis trans-
16 ſumpta. * Ut Virgilius antiqviores, ita Virgilium recentiores imitati ſunt. Ceteri enim omnes, Horatius, Statius, Claudianus, Virgilium imitantur, ita tamen, ut, qvod Virgilius fecerat, non ſuperent Autorem ſuum, ſed longè ab ipſo ſuperentur. Qvod *Alexander Roſſæus in Virgilio ſuo Triumphante* aliqvatenus ob oculos poſuit.

17 Illuſtre Virgilianæ imitationis exemplum eſt in loco illo *libro IV. Æneidos à verſu 305.* ubi interjectis aliqvot dialogiſmis locum apud Catullum de Ariadnâ à Theſeo deſertâ, qvi invenitur in *Epithalamio Pelei & Thetidos*, omnem transtulit, ita ut Enthymemata, ſententias & figuras, ordinem qvoqve verba & periodos mutaret. Qverela Didonis ab Ænea deſertæ planè conveniebat cum hoc argumento; & eleganter eam imitationem delineavit *Bartholomæus Riccius lib. II. de Imitat. p. 42. ſqq.*
18 * Ariadna apud Catull. ſtatim ab effectu iracundiæ incipit, v. 132.

Siccine me patriis abductam, perfide, ab oris,
Perfide, deſerto liquiſti in littore, Theſeu!

Reſpondet verſus Virgilianus 305. 306. Ariadne huic indignationi inſiſtit, v. 135. ad 140. Virgilius paucioribus verſibus idem objicit Æneæ v. 307. 308. Addit autem Dido argumentum à periculo. Virgilius v. 9. 10. addit argumentum à loco incerto, qvo perventurus ſit v. 311. 312. 313. Qvæ argumenta à Catullo omiſſa ſunt, qvoniam non conveniebant. Dido apud Virgil. rurſus ſe ad preces & lachrymas convertit, & cum Ariadna pactos Hymenæos objicit, Dido per eos ipſos Æneam rogat, ac horum voluptate eum artificioſe tentat. Meritum qvoqve objicit, qvæ pleraque ap. Catullum; qvanqvam non illo ordine, v. 314. 315. Seqvitur apud Catull. Locus communis de perfidia virorum, v. 141. ad 146. qvem locum communem brevi ſententiâ complexus eſt Virgilius loco alio, v. 373. Nusqvam tuta fides &c. Poſt perfidiam objectam ingratum ſuum accuſat, & nominatim præſtita officia exprobrat Catull. v. 147. ad 157. Id qvoqve Virgilius expreſſit, v. 373. ad 375. Ariadna fratris mortem qvam amatoris ſe maluiſſe dicit, ac pro tanta in eum fide relictam ſe eſſe feris avibusqve dilacerandam qveritur: Dido Nomadum Regum Libycæ ac Tyriæ gentis in ſe odium, deinde pudicitiæ violatum nomen, poſtremo mortem ipſam objicit v. 320. ad 323. Apud Catullum

lum Ariadna Theſeo objicit crudeles natales v. 152. ad 155. idem imitatur Virgilius v. 365. 366. 367. Hactenus per negationem proceſſit Virgilius, cum Catullus per interrogationes. Jam etiam interrogationibus utitur Virgilius v. 368. 369. 370. Apud Catullum Ariadne conqveritur, ſuum jam longè fugam arripuiſſe, v. 165. 166. Idem facit apud Virg. Dido, v. 582. 583. Apud Catull. Ariadne optat nunquam adveniſſe Theſea. v. 167. ad 172. Dido id ipſum imitatur v. 657. 658. Catullus Ariadnam deſperabundam inducit v. 172. ad 183. Didonem etiam Virgilius v. 534. ad 547. Catullus tandem Ariadnam ad diras & execrationes perducit, v. 184. ad 197. Hunc locum Virgilius copioſiſſimè ac ſplendidiſſimè imitatus eſt, Apoſtrophen faciens ad Solem & Hecaten.

Patet ex illis, qvæ adduximus, qvalis Virgilio in imitando fuerit ratio. Adeo 19
preſſo enim pede ſecutus eſt Catullum, ut harum literarum imperitum eſſe oporteat, qvi hæc non ſentiat. Mutavit interim ordinem, qvem Catullus obſervavit, & dialogiſmis cum Anna ſorore interjectis fuſius traxit orationem Didonis. In hiſtoria qvoqve recenſenda longior eſt Virgilius; ſed ita ille expreſſit Catullum, ut, qui Catulliana poſt hæc Virgiliana leget, jam non inveniat, qvod ipſi magnopere placeat. Ille enim adjectione figurarum vivacium, argumentorum patheticorum, dictione qvoqve ipſa, qvæ horridior paulum eſt apud Catullum, adeò omnes numeros abſolvit, ut vix ab humano ingenio aliqvid addi poſſe videatur.

Aliud illuſtre imitationis exemplum, qvô Horatius Virgilium expreſſit, nota- 20
vit *Bernardinus Parthenius* in eleganti libro Italica lingua ſcripto *Del-la Imitatione Poëtica lib. 1. p. 18. ſeqq.* ubi monſtrat, qvomodo Horatius jam dilatârit, jam contraxerit Virgilii locum *Georg. II. libro extremo in Epod. 2. de laudibus vitæ ruſticæ.* Qvod exemplum idem Autor repetiit in elegantiſſimo *Commentario ſuo ſuper Horatium*, illo loco, qvo nemo accuratiùs oſtendit artificium Poëticum. Initium plane idem eſt. Virgilius:

O fortunatos nimium, ſua ſi bona nôrint,
Agricolas!

Horatius: *Beatus ille, qvi procul negotiis &c.*

Virgilius ſignificaturus, ſolutos eſſe omni cupiditate, omni ambitione, omni metu & periculo, agricolas, ſic ſcripſit:

- - - quibus ipſa procul diſcordibus armis
Fundit humo facilem victum juſtiſſima tellus.

& inferiùs:

Illum non populi faſces, non purpura Regum
Flexit, & infidos agitans diſcordia fratres, &c.

His addantur illa:

- - - - - nec ferrea jura,
Inſanumque forum aut populi tabularia vidit.

Sollicitent alii remis freta cæca, ruantque
In ferrum, penetrent aulas & limina Regum.

Hos verſus breviùs ita extulit Horatius:

Non excitatur claſſico miles truci,
Nec horret iratum mare,
Forumque vitat, & ſuperba civium
Potentiorum limina.

Sequitur apud Horatium:

Ergo aut adulta vitium propagine, usque:
Aut tondet infirmas oves.

Locus hic amplior eſt, quam Virgilii, eoque felicior. Virgilius unicum tantum artificium ruſtici meminit, cum dicitur illi:

Agricola incurvo terram molitus aratro.

Horatius dilatatione hîc uſus eſt per enumerationem. Sequitur apud Horat.

Vel tum decorum mitibus pomis caput
Autumnus arvis extulit,
Ut gaudet inſitiva decerpens pyra
Certantem & uvam purpuræ.

Virgilius ſic:

Et varios ponit fœtus autumnus, & alte
Mitis in apricis coquitur vindemia ſaxis.

Quod Virgilius contraxerat, Horatius ad ſpecies deduxit. Pergit Horatius:

Qua muneretur te, Priape, & te pater
Sylvane, tutor finium.

quod prius ita Virgilius dixerat:

Fortunatus & ille, Deos qui novit agreſtes,
Panaque, Sylvanumque ſenem, Nymphasque ſorores.

Virgilius porrò:

Speluncæ, vivique lacus, aut frigida Tempe,
Mugitusque boum, mollesque ſub arbore ſomni.

Illa verba eleganter Horatius illuſtravit dilatatione ſententiarum & membrorum:

Libet jacere, modo ſub antiquâ ilice, usque
Somnos quod invitet leves.

Virgil. *Venit hiems, teritur Sicyonia bacca trapetis.*

Vid. Horat. illo loco: *Aut cum tonantis annus hibernus Jovis.*
& quæ ſeqvuntur, usque ad illa verba: *Jucunda captant præmia.*
Confer illa cum loco Virgilii, ubi deſcribit opera hiberna ruſticorum:

Sed tamen & quernas glandes tum ſtringere tempus,
Et lauri baccas, oleamque, cruentaque myrta,
Tum gruibus pedicas & retia ponere cervis,
Auritosque ſequi lepores, tum figere damas &c.

Apud

Apud Virgil. hæc porrò habentur:

Interea pendent dulces circum oſcula nati.
Caſta pudicitiam ſervat domus.

Hæc ſplendidiſſimè dilatavit Horat. his Verſibus:

Quod ſi pudica mulier in partem juvet, &c.

Reperiuntur in Virgil. & illi verſus:

Hanc olim veteres vitam coluere Sabini
Hunc Remus & frater. Additque poſtea:
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.

Quo reſpexit Horat. in ſecundo illo verſu ſuo:

Ut priſca gens mortalium.

Si qvis jam conferat paraphraſes illas ſoluti ſermonis hujus loci apud *Friſchlinum*, cujus extant in Virgilium paraphraſes; & *Lubinum*, cujus extant in Horat. paraphraſes, videbit varietatem dilatationum. * Nos hîc aliud exemplum paraphraſeos 21
poëticæ ejusdem Odæ Horatianæ dabimus, qvæ inſignis admodum eſt, ex *Jac.Wallii*, Poëtæ nitidiſſimi, Poëmatibus, ex qvâ patebit mira illa fœcunditas locorum ex adjunctis, genere & ſpecie, ex toto & partibus, qvibus præ ceteris utuntur Poëtæ; ut multis exemplis demonſtravit *Bern. Parthenius* in libro ſuo *de imitatione Poëtica.* Primus verſus apud Horat. eſt:

Beatus ille, qvi procul negotiis
Ut priſca gens mortalium.

Vide, qvam eleganter primum illum verſum Wallius ampliavit ex loco generis & ſpeciei, adjectis poëtiſmis. Secundum autem verſum in parentheſi poſitum, rejicit ad alium locum. Sic verò ille:

Felix ſorte ſuâ, quem non ignava ſequentem
Otia rus patrium dulci complectitur umbra,

E 2 commatibus facit 2 periodos, additione prædicatorum,

Longè illi curæ inſomnes comitumque laborum
Inviſæ facies, quæ multa & magna moventem
Huc celerem atque illuc rapiant, perque ardua verſent.

Horatius. Paterna rura bobus exercet ſuis.

Dilatat hæc verba Wallius per ἐξεργασίαν & deſcriptionem ex adjunctis, & per diviſionem verborum, & additionem novorum prædicatorum.

Ipſe ſibi ſemper vacat, aggrediturque quod inſtat,
Arvaque, quæ quondam proavi non magna tenebant,
Exercet, patiens operum, armentoque quotannis
Sortitus ſubolem, fortiſſima corpora, tauros
Inde legit, quos dehinc domitos aſſveſcere cogat
Servitio, & terram impreſſo proſcindere aratro,

Solutus omni fœnore.

Dila-

Dilatat hæc verba Wallius per partitionem illarum rerum, quæ ad fœnus ſpectant, & per comparationem cum fœnore ruſtico.

Non pretio nummos redimit pretiove redemptos
Occupat & fœnus tabulis ſubducit avaris;
Fœnus amat, quod ſponte ſua juſtiſſima tellus
Et gravidæ pecudes & meſſis reddit & arbor.

Nunc adjicit dilatationem ſecundi verſus per exergaſiam & deſcriptionem ex adjunctis, & dilatationem periodicam.

Sic olim, ut perhibent, cum fraudum ignara vigeret
Simplicitas, neque faſtus adhuc aurique cupido
Improba criminibus nomen poſuiſſet honeſtum,
Innocuæ vixere animæ, parvoque beatæ.

Nec excitatur claſſico miles truci.

Hæc Wallius dilatat per augmentum Sententiarum, additâ figurâ comparationis, dilatatione periodicâ & deſcriptione ex adjunctis:

Quid refert, alius thalamo ſublimis eburno,
Ille thoro, cui ſponda ſalix aut fiſſile robur,
Componat caput? heic mulcet reficitque jacentem
Alta quies lecto non abrumpenda ſaligno.
Quippe ubi nec primæ nec ſeræ tempora noctis
Diſtingvunt litui, rumpuntque ſilentia cantu.

Nec horret iratum mare.

Wallius hæc iterum periodicè dilatat, ſubjectum & prædicatum novis adjunctis illuſtrando, additis ex loco cauſarum ſideribus, tempeſtatem cientibus.

Non ſi diſcordes miſcent freta fervida venti,
Æquoreos horret fremitus, humilisque pavensque
Numina conclamat, ne quid nimboſus Orion,
Ne quid atrox peccet Boreas, laceræque carinæ
Addat opus pelago.

Forumque vitat.

Prolixè hæc verba dilatat Wallius per enumerationem rerum forenſium:

- - - Vitat fora, vitat & æſtus
Undantis populi: nec quid tabularia, nec quid
Jura ferant, meminit. Non illum aurora morantem,
Quæ ſe non alibi, primumque oſtendit Eoum
Pulchrior, ad lites clamoſaque jurgia cogit;
Nec jam defeſſus longas evolvere cauſas
Orando ingratos queritur ſe condere ſoles.

- - & ſuperba civium
Potentiorum limina.

Wal-

Wallius hæc dilatat 1. per fig. Permiſſionis & comparationem aulicorum, qvorum officia prolixè ab adjunctis deſcribit, & comparat cum ſcopulis marinis.

Sollicitent votis alii invidioſa potentum
Arbitria: obſideant aditus, atque alta ſuperbis
Atria porticibus, certatimque oſcula pugnent
Præripere, & primas Dominis jam mane recenti
Dicere blanditias. Hæc ille Caphareа ſaxa,
Has prudens metuit ſymplegades, & ſibi faſces
Ac trabeas ſinit emeritum exorare clientem,
Semotus longè populo & civilibus undis.

Ergo aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos.

Wallius hæc dilatat præmittendo generales ſententias & confuſas: unde procedit ad diſtinctam de laboribus circa vites, quam dilatatione circumſtantiarum & adjunctorum deſcribit:

Ergo illum aprici colles campique feraces
Curarum expertem accipiunt. Hîc imperat arvis
Ipſe ſuis, terrasque docet parere volentes.
Nec regum, ſua regna videns, ſuſpirat honores.
Nunc vites ferit, & verni cum palmitis ætas
Prima viret, tenerum virgis furcaque bicorni
Tollit humo: dein & validi propagine fœtus
Populeas latè ſtirpes ulmosque maritat.

Aut in reducta valle mugientium
Proſpectat errantes greges.

Wallius hæc dilatat per διάλυσιν verborum in integras ſententias converſorum:

Nunc illum procul umbroſa ſub fronde morantur
Seceſſus pulchri nemorum, vallesque reductæ
Faunorum domus. Hic pingues errare juvencas
Proſpectat: longè reſonant mugitibus agri,
Paſcuaque & noti gregibus ſitientibus amnes

Inutilesque falce ramos amputans
Feliciores inſerit.

Mirè hæc dilatat & exornat Wallius ex loco adjunctorum & conſequentium in varia membra illa partiendo & elegantibus metaphoris illuſtrando.

Venerit inſitio; juvat hunc, juvat arboris illum
Felicis fruticem peregrino includere ligno:
Finduntur nodi; reſecantur, inutile pondus,
Silveſtres rami: ramus felicior alter

Inſeritur: ſurgunt udo nova germina ligno;
Mirantur platani malos; mirantur & ulmi
Ignotas glandes; & non gentilibus ornus
Stat curvata pyris, nec ſeſe agnoſcit in illis.

Aut preſſa puris mella condit amphoris,
Aut tondet infirmas oves.

Dilatat hæc Wallius per ſimplicem exergaſiam, additione quarundam circumſtantiarum:

Nunc apibus fœtis cellas diſtentaque melle
Horrea rimatus populat, puriſque recondit
Aurea dona cadis: nunc mollis vellera lanæ
Infirmo pecori frondente ſub ilice tondet.

Vel cum decorum mitibus pomis caput
Autumnus arvi extulit,
Ut gaudet inſitiva decerpens pyra
Certantem & uvam purpuræ.

Dilatat hæc Wall. Sententiarum augmento, epithetis & periphraſticâ dictione poëticâ.

Inde, ubi formoſum pomis & mitibus uvis
Frugifer autumnus flavis caput extulit arvis,
Quam juvat, hic atque hic, ut ſe maluſve pyruſve
Obtulit, & pomis oculos dextramque legentis
Prima vocat, fœtu gravidos adducere ramos,
Felices ramos, quos ipſe inoleſcere nuper
Et genus invitis docuit committere truncis:
Quam juvat & plenis pendentem vitibus uvam
Carpere, certantem Tyrios anteire rubores.

Qua muneretur te Priape, & te pater
Sylvane, tutor finium.

Latè hæc explicat Wallius, addendo ſententias ætiologicas, & numerando officia ruſtica, quæ beneficio Numinum ruſticorum bene ceſſerint. Deſcribit & ritum ipſum.

Dum tibi, quod fruges & munera divitis horti
Servaris, furum cuſtos aviumque Priape,
Primitias fert in calathis, falcique ſaligna
Pampineam circum intexit, ſua vota, coronam;
Teque vocat, Sylvane pater: tibi pinguia culta
Tuta refert, tibi depulſos à meſſibus apros
Et morſus pecorum, averſumque à palmite caprum.

Libet jacere modo ſub antiqua ilice,
Modo in tenaci gramine.

Dila-

Dilatat hæc multiplicando ſententias & periodos, incipiens figurâ occupationis, cui reſpondet. Deſcribit æſtum Solis à conjunctis Solis ſideribus, addendo epitheta ſua, & adjuncta nova cumulando.

Fortè aliquis Soles, dum nulla hic porticus Arcton
Excipit & Boream, ſub iniqui ſidere cancri
Ardentes metuat. Sed enim niſi nuda per agros
Corpora meſſorum ſudore fluentia cernas
Ignores propè, quid rapidi vis ignea Phœbi,
Quid Leo, quid Cepheus ſitiensque canicula poſſit;
Nunc juvat æſtivos ortus vitare ſub altâ
Ilice, nunc viridi ſubmittere corpus in herba,
Quæ ripæ & ripis natæ frondentibus umbræ
Æſtibus & medio ſuadent decedere Soli.

Labuntur altis interim ripis aquæ,
Queruntur in ſilvis aves,
Fontesqve lymphis obſtrepunt manantibus,
Somnos quod invitet leves.

Hæc ſimplici converſione metrica & membrorum multiplicatione dilatat.

Interea gelidi fugiunt per gramina rivi,
Arboribusque vagantur aves: nemus omne querelis
Perſonat, irriguo qua fons argenteus agro
Labitur attritos inter levis unda lapillos
Obſtrepit, & dulces invitat murmure ſomnos.

At cum tonantis annus hybernus Jovis
Imbres nivesque comparat:
Aut trudit acres hinc & hinc multa cane
Apros in obſtantes plagas.

Hæc mirificè explanat per prolixam venationis ὀνατύπωσιν, cui mixtæ deſcriptiones elegantiſſimæ ex adjunctis apri & canum, coloribus Virgilianis illuſtratæ: Enumerantur antecedentia, conjuncta & conſeqventia venationis; qvæ cum non attigerit Horatius, magnâ cum voluptate leguntur.

At cum jam pluvia & nivibus canaque pruina
Frigidus hibernum contriſtat Jupiter annum,
Quæ non aucupiis, quæ non venatibus illic
Gaudia proveniant? altis de montibus actus
Fertur aper, fruſtra ille animos ſetasque comantes
Arrigit, & ſpumis albet ferventibus ora,
Fulmineumque genus, non certi cedere, quanquam
Nunc hos obliquo, nunc illos diſſipat ictu.

 Tantus

Tantus amor prædæ eſt, & ſævi gloria morſus.
Nec minus & curſu juvenes jaculisque fatigant
Setigerum; hortantur ſeſe & latrantibus addunt
Cum clamore animos; dum tandem in retia trudant
Frendentem & teretes nodos differre parantem;
Accurrit victor, ſplendentique ilia ferro
Transadigit: lato ſequitur de vulnere ſanguis,
Procumbitque ferox, & adhuc in morte minax ſus.

Aut amite levi rara tendit retia
Turdis edacibus dolos.

Amplificat hæc verba Wallius per deſcriptionem hujus venationis uberiorem: Inſtrumenta enim, & qvæ cum illis conjuncta ſunt, ad extenſionem ſententiarum, adducit.

Forſitan & tutas placeat levioribus ire
In prædas ſtudiis: venit hinc quoque grata voluptas,
Ex facili capienda: plagas & retia levi
Diſtendit furca, turdosque invitat edaces
Callidus & ſparſis incautos fallit olivis.

Pavidumque leporem, & advenam laqueo gruem
Jucunda captat prœmia.
Quis non malarum, quas amor curas habet,
Hæc inter obliviſcitur?

Extendit illa Wallius per ἐξεργασίαν poëticam, & enumerationem curarum, qvas ſimpliciter & indiſtinctè hic ponit Horatius.

Aut pavidum ſequitur leporem, laqueoque tenaci
Strymoniam captat volucrem, jucunda laboris
Præmia. Quis non hæc inter, quotcunque malorum
Secum amor infelix trahit, invidiamque metumque
Et ſpes ambiguas, & quas pudor ipſe repulſas
Ingeminat curas, & nunquam longa fruenti
Gaudia, nubiferis tradit diffundere ventis?

Quod ſi pudica mulier in partem juvans
Domum atque dulces liberos,
Sabina qualis aut peruſta Solibus
Pernicis uxor Appuli;
Sacrum vetuſtis exſtruat lignis focum,
Laſſi ſub adventum viri:
Claudensque textis cratibus lætum pecus,
Diſtenta ſiccet ubera:

Et

Et horna dulci vina promens dolio,
Dapes inemptas apparet.

Hæc Wallius per ſimplicem converſionem metricam uno vel altero epitheto addito dilatat:

Quid ſi contigerit priſcis quoque moribus uxor,
Quæ caſtum ſervet thalamum, quæ remque domumque
In partem juvet, & dulces educere natos?
Qualis erat Tatio quondam regnante Sabina,
Duratas calloſa manus, aut Appula mater
Sole rubens. Quid ſi poſito cum feſſus aratro
Vir redit, illa focum lignis & cortice ſicco
Exſtruat, ac lento textis vimine ſeptis
Includat lætum pecus & turgentia ſiccet
Ubera? Si, quanquam calices & pocula ponat
Fagina, vina ferat, quæ dulci condita levit
Ipſa cado, menſisque dapes apponat inemptas
Delicias faciles.

Non me Lucrina juverint conchylia
Magisque rhombus aut ſcari.
Si quos Eois intonata fluctibus
Hyems ad hoc vertat mare.

Dilatat hæc Wallius per figuram Permiſſionis & additionem epithetorum aliorumque verborum, vel actiones vel adjuncta ſignificantium.

- - - Non me tum regia, non me
Regum epulæ teneant, per me conchylia teſtis
Tuta ſuis ſaxo maneant affixa Lucrino;
Per me ſecurus Calabro natet æquore rhombus,
Et ſine fraude ſcarus depaſtas ruminet herbas.
Si quem forte procul fluctu tumefactus Eoo
Adria jactatum noſtris acceperit undis,
Aut Tyrrhena fremens ad littora verterit Eurus.

Non Afra avis deſcendat in ventrem meum,
Non attagen Ionicus
Jucundior, quam lecta de pingviſſimis
Oliva ramis arborum,
Aut herba lapathi prata amantis, & gravi
Malvæ ſalubres corpori,
Vel agna feſtis cæſa terminalibus,
Vel hœdus ereptus lupo.

 Dila-

Dilatat hæc Wallius per immutationem membrorum, additionem verborum, epithetorum, deſcriptionem Terminalium, ſed ſuccinctam:

Non mihi tum Libyæ, non mollis Ionia pictas
Mittat aves: tantum glauco mihi Palladis arbor
Caneſcat fœtu, pinguesque miniſtret olivas
Obvia me lapathi prato gaudentis aperto
Herba juvet, malvæque leves gravibusque ſalubres
Corporibus, vel quæ lactens cadit hoſtia feſto,
Termine ſancte, tuo, cum te vicinia ſupplex
Defixum colit, & ſerto frondente coronat:
Aut mea, quod ſatis eſt, hilaret convivia cano
Præda excuſſa lupo, villis ſtillantibus, hædus,

Has inter epulas ut juvat paſtas oves
Videre properantes domum!

Dilatantur hæc per deſcriptionem ex adjunctis.

Ut juvat has epulas inter ſpectare bidentes
Cum ſeſe è paſtu referunt! ut cruribus ægrè
Ubera circumeunt! ut multo lacte gravatas
Ad mulctram injuſſæ veniunt, gaudentque levari

Videre feſſos vomerem inverſum boves
Collo trahentes languido.

Dilatat per ſimplicem converſionem metricam & immutationem verborum.

Ut juvat ex agro reduces ſpectare juvencos
Longorum feſſos operum & grave robur aratri
Vomere ſuſpenſo attrita cervice trahentes.

Poſitosque vernas, ditis examen domus,
Circum renidentes Lares.

Iterum hæc dilatat ſimplici converſione metrica.

Ut juvat & vernas numeroſæ examina villæ
Lucentes ignes circum lætosque penates
Aſpicere agreſti curantes corpora menſa.

Hæc ubi locutus fænerator Alphius
Jamjam futurus ruſticus,
Omnem relegit Idibus pecuniam,
Quærit Calendis ponere.

Eleganter hæc dilatat Wall. deſcriptionibus luculentis, enumeratione partium & adjunctorum (1) circa fœnus, omnemque rem collybiſticam. (2) circa agriculturam, variaque ejus officia & inſtrumenta.

Dixerat hæc dives poſitis in fœnere nummis
Alphius, atque aliud meditans, & totus in illo
Damnabat tabulas, loculos damnabat & aurum
Innocui ruris ſerò intellecta voluptas.
Una eſt ante oculos, una ſuſpirat in illa.
Nunc placet arvorum cultus, nunc cultus habendo
Impenſus pecori: ſubeunt modo fervida pleno
Muſta lacu, modo qui pomis exuberat annus,
Et modo delectant ſaltus venatibus apti:
Omnia perſuadent curas mutare priores,
Jamque empturus agros exacta relegerat æra
Idibus. At (victrix adeò natura recurrit)
Hæc eadem lucro ſervat ponitque Calendis,
Protinus agrorum oblitus vitæque beatæ.

Atqve hoc illuſtre eſt exemplum paraphraſeos poëticæ. * Ex qvo patet 22 mira fœcunditas locorum, qvæ ſunt è conjunctis, adjunctis, antecedentibus, conſeqventibus, toto, partibus, genere & ſpeciebus, indefiniti & definiti. Qvibus omnibus ſi qvis jungat phraſin elegantem poëticam, metaphoras vivaces, poëtiſmos, fabularum alluſiones, nunqvam in talibus argumentis ſterilis deprehendetur. Et hoc ſibi exercitium continuum qvis velit, ſi in carmine proficere velit; imo & ad ſolutam orationem labor iſte proderit, modò qvis differentiam poëticæ & oratoriæ dictionis probè obſervet. Plura ſunt exempla apud eundem Auctorem tàm nitidarum paraphraſium. Reperiuntur & apud *Car: de la Rue* Poëtam Gallum inter *Idyllia* ejus paraphraſes planè his ſimiles, ac elegantiſſimæ omnino, qvales in exemplum poni debent Poëtices tironibus.

Subjungemus huic paraphraſi longiori ſtrictiorem noſtram, qvâ eandem in 23 Elegiam transfudimus.

Felix o nimium felix, quicunque relicta
Urbe procul curis tempora liber agit;
Quiq; vetuſtorum læto de more Quiritum
Exercet bobus rura paterna ſuis.
Qui ſibi non magnas injuſto fœnore quærit
Ipſe, nec immenſo fœnore limat opes.
Non illi dulces rumpent fera claſſica ſomnos,
Incutient nullos tympana rauca metus.
Non ligno vitam committet nauta doloſo,
Non flebit raptas naufragus, orbus, opes.
Ille fori ſtrepitus, tricas & jurgia vitat,
Patriciæ appendix nec ſtat, & umbra domus.

Ille

Ille vel attondet vitim, fingitque putando:
Cui tenerum fulcit populus alba latus.
Ille ex arboribus ramos ſine lege fluentes
Amputat, & ramos inſerit ille novos.
Jam videt erranteu ſubducta in valle juvencas,
Atque ſuum gaudet non numerare pecus:
Jam legit aërii mellis cœleſtia dona,
Queis ſibi non emptas condiat ille dapes;
Aut ſævo ut nudos à frigore protegat artus,
Mollia lanigeræ vellera tondet ovis.
Aut ubi maturis præcinctus tempora pomis
Autumnus gravidis jam caput abdit agris;
Lætus adoptivis carpit nova munera ramis,
Inque manus cupidas penſilis uva venit.
Uva venit, Tyrio quæ non conceſſerit oſtro,
Helleſpontiaco munus itura Deo.
Hæc niſi Sylvano gratus donaria ſervet,
In patrii fines quod vigilavit agri.
Ille modo antiquæ recubat ſub tegmine fagi,
Et modo gramineo ſternitur ille toro.
Interea placidis ſtrepuerunt fontibus undæ;
Plurima per ſylvas carmina fundit avis.
Hæ querulo mentes mulcentque foventque ſuſurro,
Et faciles ſomnos garrula ſuadet avis.
Hinc ubi jam nivibus piger horret & imbribus annus
Et reſides ſtringit frigore Caurus aquas.
Jam populatorem per ſylvas excipit aprum,
Seu malit poſitis illaqueare plagis;
Aut turdis levi rara amite retia tendit,
(Hos bonus ille dolos inſidiasq; ſtruit.)
Aut abit in lepores felix prædator inermes,
Aut menſis captat præmia grata grues.
Non illum duræ friguſcula conjugis angunt;
Non animum curæ, quas amor abdit, edunt.
Ille ſuæ queritur ſylvis & fontibus iras
Conjugis, & mala dat cuncta ferenda notis.
Quod ſi caſta domum benè quæ curaverit uxor,
Quæ famulos, ſocii, quæ ſacra jura tori;
Appula ceu rapidis excocta à Solibus uxor,
Quale decus duro, fuſca Sabina viro,

Ligna foris ſubdat claro lucentibus igne,
Solamen feſſo, cum redit ille, viro.
Et lætum includens lento de vimine textis
Cratibus exoneret ſedula lacte pecus:
Hornaque vina cado dulciſſima munera promens,
Ponat, quos dederant rura benigna, cibos.
Non Lucrina mihi placeant conchylia, rhombi,
Non venient menſis fercula lauta ſcari.
Si quos, Eois cum ſeſe fluctibus effert,
Ad mare Tyrrhenum turbida vertat hiems.
Non ego barbaricis implevero viſcera ferclis,
Et peregrina meam paſcat Orexin avis.
Felices oleæ ſi detur carpere fructus,
Et ſuccos baccis elicuiſſe novos:
Si doceant molles ventrem miteſcere malvæ,
Si lapathum menſis prata dedere meis.
Me juvet eſca, lupi raptus de faucibus hœdus,
Agnaque, quæ feſto, Termine, cæſa tuo.
Interea reduces, epulis dum paſcitur illis,
Ubera balatu plena queruntur oves,
Et tardos inverſa ſequuntur aratra juvencos,
Pabula cum laſſi notaque tecta petunt.
Ruſtica lucentes famulantum turba coronat,
Appendix regni non inhonora, focos.
Alphius hæc reputans, felicia prædicat arva,
Præque ſuis grati fœnora ruris amat.
Jamque ſuburbanos urbi præponit agellos,
Hos ut emat, relegens Idibus æra novis.
Illa ſed exſtinguunt venientes vota calendæ,
Alphius ad tabulas, lucraque nota redit.

Huic Methaphraſi noſtræ alia Metaphraſium noſtrarum ſubjiciemus exempla. 24

Ex Horatii Oda I. lib. I.

Mæcenas, priſco qui Regum ſanguine natus,
Præſidium Muſis dulce decusque meis.
Sunt queis pulverei rident certamina Circi,
Ut virides palmas, munera pulchra ferunt.
Hunc ſi Romulidæ multis inſignibus ornent,
Non paſcant tituli, & nomina vana juvent.
Illum fœcundis ſi meſſibus horrea rumpant,
Et patrios nitido vomere findat agros.

Quicquid agas, ſtudiis nunquam dimoveris iſtis,
Attalicas quanquam ſis dare promptus opes.
Navibus ut vaſti pavidus ſecet æquora ponti,
Committens dubiis lucra ferenda notis;
Per mare velivolum placida cum navigat aura,
Tum ſibi mercator plaudit opesque parat.
Sed cum tempeſtas ſe toto turbida cœlo
Explicat, inque undis fracta carina natat,
Tædia tum ſubeunt vitæ non vana prioris,
Quæſitas pelago ſpernit & odit opes,
Rura beata vocat, felices rure colonos;
Si dederis illi littus, arare velit.
Cumque ſilent venti, diſcuſſaque nubila cœlo,
Mox quaſſas reficit ſedulus ille rates,
Fortunæ veteres animo cenſusque recurrunt,
Et miſer eſſe nequit, pauperiemque pati.
Eſt, qui nec veteris contemnit pocula vini,
Atque dies multos ſæpe bibendo trahit:
Seu viridi patulæ ſedeat ſub tegmine fagi,
Seu penes irriguas ille recumbat aquas.
Multos caſtra juvant, & cæci prælia Martis,
Arma, enſes, litui, tympana, pila, tubæ;
Bella illis animos & cædes pectora paſcunt,
Queis matres teneræ, queis doluere nurus.
Pervolitat ſylvas venator & horrida teſqua,
Non inhibent noctes, frigora, turbo, nives.
Seu ille æripedi cava tendat retia cervo:
Seu populatorem ſternat anhelus aprum.
Me miſcent ſuperis doctorum præmia laurus,
Et nemora & nymphæ me Satyrique juvant.
His ego commiſtus vulgi commercia ſperno,
Dum mihi caſtalidum ſacra foresque patent.
Si mihi ſe faciles Clio, Polyhymnia præbent,
Argutæque dabunt carpere fila lyræ.
Si tu me Lyricis Mæcenas vatibus addis;
Tunc ego me regem, tunc vocitabo jovem.

25 Ex Od. XXII. lib. I.

Cui pietas cordi eſt, qui crimine liber ab omni
Vivit, & eſt recti juſtitiæque tenax;

Non

Non ſicas metuet, non vincula, tela, cataſtas;
Non qua ſe ſalvum caſſide præſtet, eget.
Seu adeat poſitos calidis ſub ſolibus Indos,
Seu per Barbaricas tranſeat ille plagas.
Nam mihi dum ſylvam nuper percurro Sabinam,
Otia dum ſector, dum Lalagenque cano;
Occurrit lupus, & tamen hic me fugit inermem,
Cui clypeum probitas, cui dabat arma fides:
Quale nec in ſylvis tellus alit Appula monſtrum,
Monſtrorum genitrix, quale nec Afra dedit.
Excipiat rigido tellus ſubjecta Bootæ,
Quam Sole averſam nix glaciesve tegit.
Mittar ad exuſtos vicinis ſolibus agros,
Lætus ego Lalagen ſemper amabo meam.

Ex Od. XIV. lib. II. 26

Poſthume, præcipiti labuntur tempora curſu,
Nec pietas magis his injicit ulla moram,
Non ſi Plutonem tauris placare trecentis,
Non auri dare ſi multa talenta velis;
Exores rigidum: nos Styx atra hauriet omnes,
Quicunque hîc annos ducimus atque dies.
Imperitet populis, terram proſcindat aratro,
Conduntur tumulo ſarcula, ſceptra, pari.
Ut late quatiat magnus ſua ſceptra Tyrannus;
Hæc quoque falce ſuâ mors furibunda metet.
Mœnibus & telis ſit Rex, ſit milite tutus,
Hunc ex inſidiis mors galeata petet.
Fruſtra veſanis tergum ſubduxerit armis,
Qui procul à belli fulmine cautus agit:
Fruſtra peſtiferis autumnus territat auris;
Fruſtra eſt, qui timidâ Nerea mente fugit.
Omnibus eſt adeunda palus Acherontis opaci,
Et Plutonia nos regna domusque vocant.
Grata tibi tellus linquenda torique pudici,
Non conjux poſthac baſia læta feret.
Quos colis, ex hortis cupreſſus odora ſequetur,
Funeris appendix ſola futura tui.
Quæ tu centenis ſervaras clavibus, hæres
Dignior expanſo gutture vina bibet.

27 Ex Od. II. lib. I. Carm.

Optima Leuconoë ne ſit tibi diſcere cum,
Quem tibi Dii finem, quem dederintque mihi:
Vivere num Priami liceat, vel Neſtoris annos,
An extrema tibi nunc oriatur hiems.
Ne tu Chaldææ quæras oracula ſortis,
Ne tu fatidicas inſpice ſtulta rotas.
Oblectes animum, nec dulcia vina relinquas,
Deliciis ventrem paſce animumque novis.
Nam quoque dum loquimur, nos invida fugerit ætas,
Ne tibi ſit curæ craſtina, ſem dies.

28 Ex Od. II. lib. II. Carm. Horat.

Euclio ſi fueris, ſi munificentia deſit,
Nullus ab argento ſplendor honosque tuo eſt.
Munificus vivet longos Proculejus in annos,
In fratres cunctas qui pius hauſit opes.
Latius & regnes, auri ſi nulla cupido eſt;
Si non immodicas quæris anhelus opes;
Quam ſi tu Lybicas conjungas Gadibus oras
Subſit & arbitrio Pœnus uterque tuo.
Ipſe ſibi indulgens paulatim augebitur hydrops,
Ni fugiat morbi cauſa, nec ipſe fugit.
Diſſidet à populo virtus magnumque Phraaten,
Felicem ſolio cum ſedet, eſſe vetat.
Hæc vulgi plauſus & inania ſchemata temnit:
Non illi phaleræ, non placuere togæ.
Hæc faſces, regnum diademaque deferet uni,
Qui magnas magno pectore ſpernit opes.

29 Hæ imitationes, ut in majoribus carminibus, ita & in carminum partibus locum habent, & in carminum variis generibus. Ita ex Oda facies Elegiam, ex Elegia Odam, ex brevi aliquo ſententioſo carmine integram vel Odam, vel Elegiam. Ut ſi forte ex Catonis Diſtichis brevibus Odas morales conficias, vel Elegias per χωρισμὸν & πρόςληψιν dilatatis ſententiis. Quale exercitii genus continuum & quotidianum eſſe debet illi, qui ad aliqvam in carmine gloriam adſpirat. Ubi imitationibus multis te exercueris, jam liberiori uti calamo poteris in Odis & Elegiis, ſumendo theſes, qvas ductu qvidem argumentorum Oratoriorum tractabis, ſed modo tamen poëtico & ſingulari qvodam ornatu, qvem ſemper carmen præ oratione ſolutâ re-
30 qvirit; de qvo poſtea dicemus. * Procedit illa imitatio etiam in ipſis inventionibus; ubi tamen cum modeſtiâ & judicio verſandum eſt, ne qvid aliis ſublegere videamur.

deamur. Poſſunt enim inventiones ex aliis facilè excogitari, manuducente nos qvâdam vel metaphorâ, vel ſententiâ.

Exemplum talis imitationis in Epigrammate invenias apud *Laurentium Nien-* 3 I
dalium in Poëmatibus ſuis. Scripſerat Muretus in Poëmatibus ſuis juvenilibus hoc Epigramma:

Sutor es & piſtor, lanius, lenoque coquusque,
Mercatorque bonus, cauſidicusque bonus.
Te tamen in tota non eſt mendicior urbe,
Nec quem paupertas arctius ægra premat.
Dic agedum, quî fit (nam res eſt mira, Corelli,)
Cum tot res facias, rem facere ut nequeas.

Retinuit Niendalius, diſſimulato tamen autore, inventionem & vim acuminis; ſed antecedens ſeu protaſin hujus Epigrammatis Niendalius per πρόσληψιν multarum ſpecierum dilatat, ut penè nimius illa in re ſit.

Noſti blandiſona Philerge canna,
Incautas trahere in plagas volucres:
Noſti ſquammigeros aculeatis
Hamis fallere, caſſibusque piſces.
Noſti pinſere, navigare noſti;
Noſti pingere, literasque noſti.
Noſti, quod nova nupta cum marito
Novit, cum thalamum ſubit pudicum:
Noſti, quod meretrix torum relinquens,
Vino pelliculam replere aduſto.
Noſti cudere, ſarcinare noſti;
Noſti ſuaviloquum ſonare carmen;
Noſti ſuaviſonos ferire nervos.
Noſti ducere, præcinente chordâ,
Motus ad numerum lyræ canentis;
Noſti texere tela ſportulasque,
Et pellucida flare vitra noſti.
Noſti concoquere optimum metallum,
Noſti concoquere optimum Falernum,
Noſti, cum moritur vel hic vel ille,
Præconis vice unus indicare.
Mentiri quoque, ſi quid illud artis,
Unus præ reliquis, Philerge, noſti.
Es cuſtos ovium boumque cuſtos,
Es tonſor bonus, & malus Machaon,

Mercator bonus es, bonusque ſutor,
Patronus bonus es, bonusque tutor.
Et totis agis hoc & hoc diebus.
Si deſit, quod agas, Philerge, nobis,
In toto tamen oppido, Philerge;
Non mendacior ullus eſt Philergo;
Nemo pauperior, Philerge, quàm tu.
Quid dicam? Magis hoc magisque miror,
Cùm tot res facias, Philerge ſemper,
Rem tamen facias, Philerge, nunquam.

32 Eâdem ratione, ſi qvis Epigramma illud breve Martialis: *Omnia Caſtor emis: Sic fiet, ut omnia vendas*, in Epigramma circumſcriptum mutare velit, hoc modo inſtituet, ut Antecedens: *Omnia Caſtor emis*, per figuram enumerationis dilatarit:

Quid non Caſtor emis? talenta fundis,
Ut poſſis Tibi comparare fundos,
Villas, prædia, vineas & hortos.
Percurſas fora, nundinas, tabernas,
Et merces Tyriasque Cypriasque,
Et quod venerat ultimis ab Indis,
Præſenti licitaris usque nummo:
Mercaris tabulas, ſpecilla, gemmas,
Sculpta Phidiaco ſigilla cœlo,
Pocla murrhina, vina digna poclis,
Aulæa Attalico ſuperba cultu.
Nil tibi ſatis eſt: ſed hinc ubi omnes
Exhauſti loculosque zonulasque,
Quid nunc Caſtor ages? inepte Caſtor?
Emiſti omnia, Caſtor, empta vendes.

Ita Conſeqvens, in qvo acumen conſiſtit, eleganter Antecedens prolixius deductum terminabit, dum lectoris animus, per ambages illas ſuſpenſus, inexſpectato brevi acumine vehementer delectatur.

33 Inter exercitia Metaphraſium ac Paraphraſium, aliarumqve imitationum referri poſſunt etiam deſcriptiones variæ, Temporum, Locorum, ut Veris, Æſtatis, Sylvarum, Montium, Iconographiæ; item comparationes, qvæ inter ornamenta carminum ſunt. Hîc ad ductum veterum ſe exerceat Tyro, jam contrahendo, jam dilatando.
34 * Sic apud Ovid. *lib. 1. Faſtor. à verſ. 152. adv. 156.* deſcribitur Ver. Id imitatione per 12. verſus ita extendes:

Hæc eſt, quæ variis de floribus induit æſtas:
Incipiunt menſes ire diesque novi.

Por-

Protrudit gemmas vitis rediviva tumentes,
Spondens Lenæi munera magna Patris;
Arboribus redeunt, volucrum ſolatia, frondes,
Quas rigidi excuſſit triſtior aura jovis;
Fœcundos nunc Terra ſinus Naturaque ſolvit,
Et teneris ſeſe frugibus ornat ager.
Tum lætus fervet genialibus ignibus aër,
Plurima quem variis cantibus implet avis.
Hinc agni ſaliunt, ſaliunt per prata juvenci,
Et pullis miſti rure vagantur equi.

Ex illis, qvæ prolixè adduximus, facile patet, qvæ in conſcribendo carmine § 5
praxis inſtitui poſſit. Prout jam igitur varia carminum genera ſunt, ita varie inſtituenda inventio, diſpoſitio & elocutio. Integri Poëmatis Epici diſpoſitio eleganter à *Mambruno in Epopœia*, & *Maſenio in Palæſtra Eloquentiæ ligatæ* præfigurata eſt; qvi de eo legi poſſunt. Nos huic rei hic immorandum non putamus, cum nemo facile integra poëmata ſcripturus ſit. Qvare in minora illa carmina potius induſtriam noſtram convertemus. Et in Heroico genere habemus primo Eclogas, deinde carmina encomiaſtica minora, in varias occaſiones concepta. Qvod ad Eclogas attinet, etiam illæ ſuper certo argumento generis Demonſtrativi ſcriptæ. Nam vel gratulamur in illis, vel dolemus, vel ſimile qvidpiam facimus, interveniente Dialogiſmo, qvi pro ratione perſonarum colloqventium inſtitui debet. Argumenta verò in illis debent eſſe humilia, ruſtica, paſtoritia, & per allegorias tales ad argumentum princeps applicata. Id tamen probe notandum eſt, formulas colloqventium poëticas ſingulari ſtudio notari debere. Qvâ in re præire poſſunt illæ Locorum Communium dialogiſticorum ideæ, qvas ſuppeditavit *Starckius*, Iſagogæ ſuæ Epiſtolicæ adjectas. Qvæ autem ſubſunt ſententiæ, qvaſi per lemmata notari poſſunt. Illa lemmata amplificantur poëticis formulis, comparationibus, deſcriptionibus, &c. Ita tamen, ut pro ratione poëmatis in omnibus ſervetur modus.

In reliqvis carminibus eodem more procedes. In his argumentorum Rhetoricorum loci ſunt manifeſtiores, ut in eqvo Domitiani, quem Statius laudat, & in pluribus aliis. Plerumqve enim Demonſtrativo generi ſubjiciuntur Euchariſtica, Soteria, Epinicia, Propemtica, Valedictoria, Salutatoria, Proſphonetica &c. in qvibus unde argumenta primaria deſumantur, Rhetorici libri ſuppeditant. In his delectus inſtituendus eſt, & argumenta veſtienda ornatu poëtico. Si qvis autem carmen cujuscunqve generis ſcribere velit, hanc ſeqvatur methodum, ut, ubi neceſſaria argumenta circumſpexerit, totum illum ſermonem nudum & enthymematicum reſolvat in ſententias breves, ſeu lemmata, qvarum ſententiarum in prolixiore carmine forte 20. vel 30. erunt. Has ſententias enthymematicè vel ſyllogiſticè ſe exhibentes, connectat certis qvibusdam figuris, formulis, Poëtis uſitatis: amplificet, illuſtret vel

Per expolitiones, vel per aſſumtiones, finiti ad infinitum, partium ad totum, ſpecierum ad genus, diſtincti ad confuſum, cauſarum ad effecta, adjunctorum ad ſubjecta & vice verſâ: vel per comparationes & exempla fabuloſa. Huic methodo ſi qvis inſiſtat, facili negotio carmen concinnabit. Hâc methodo, qvam ipſi antiqvi Rhetores ſuppeditârunt, plerumqve ipſe uſus fui; & vidi poſtea eandem inſtitutam à *Bernh. Parthenio* in Comment. Horatiano, ubi per omnes odas Horatianas oſtendit primò ſententias carminis, & deinde ornamenta Rhetorica & Poëtica.

36 Ut carmen eâ ratione ſcribere diſcas, exemplum tibi præfigas alterius cujusdam Poëtæ, vel antiqvi, vel recentioris, notesqve, qvâ ratione ille in ſcribendo carmine verſatus fuerit. Reſolve in ſententias, atqve illis ſententiis ornamenta ſubjice: ita ſtatim prodibit carminis artificium, & facilè animadvertes ingenium Poëtæ. Ubi hiant illa, neqve ſatis ſibi reſpondent, ut fit in indoctorum hominum carminibus,
37 contemnere tale carmen potes. * Sed habent tamen antiqvi etiam & optimæ notæ Poëtæ ſuas παρεκβάσεις & digreſſiones, qvæ ita interdum à propoſito diſcedunt,
38 ut non revertantur: qvi tamen eam ob cauſam reprehendendi non ſunt. * Non enim adeò moroſe ad Rhetorices leges Poëtarum libertas adſtringitur. Sed tamen & in ipſis Epiſodiis qvædam eſt concinnitas & qvoddam, ut ita dicam, temperamentum poëticum, qvod facile hanc ἀμεθοδείαν excuſat. Et eſt in minoribus poëmatibus major interdum Epiſodiorum licentia, qvàm in majoribus. Qvoniam majora poëmata perfectius aliqvod ſyſtema habent, qvàm minora; & in perfectiore ſyſtemate, ſi qvid excedat, faciliùs obſervetur, qvàm in minori aliqvo carmine. Qvemadmodum in homine perfectæ ſtaturæ defectus magis in oculos incurrunt, qvam in nano aut pygmæo: ideoqve Epiſodia majori modeſtia in illo carminis genere adhibenda ſunt. Ut illa res clarior ſit, exempla qvædam ſubjiciemus.

39 Laudaturus erat Auguſtum Virgilius ob agrum, bello amiſſum, ejus beneficio redditum. Ergo duos de ſorte ſuâ colloqventes inducit. E qvibus infelicior ſic orditur. *Melib. Tu Tityre in ſecuro lætoque otio vivis.* (Illuſtratur exergaſia & adjunctis otioſorum hominum ruſticorum, & συγκρίσει ſuæ ſortis.) *Tit. Hæc ego otia Principi debeo.* (Illuſtratur perpetuâ allegoriâ & applicatione rituum ſacrificii ad cultum Principis. Gratiarum actio per ritus illos ſacros, qvibus Dii coluntur, explicatur.) *Melib. Non invideo. Ego verò deteriore loco ſum, cujus triſtia ego omina habui.* (Amplificatur per hypotypoſin ſuæ ſortis, qvæ conſiſtit in damno agrorum & pecorum. Adjiciuntur omina per enumerationem. Id enim familiare ruſticis & ſimplicibus hominibus eſſe ſolet. Qvis eſt ille Deus, qvi tot otia tibi fecit ſimpliciter: qvo tranſitus fit ad cetera) *Tit. Roma præclariſſima urbs eſt.* (Non directe reſpondetur ſtatim ad qvæſtionem, & narratio qvaſi è longinqvo incipit. Laudatur Roma per comparationes ruſticas & per figuram correctionis & contentionis cum Mantua) *Mel. Quid in Romam?* (per ſimplicem qvæſtionem.) *Tit. Spes libertatis me eò vocavit, quam ſperare alibi non licebat, etſi plurima ejus cauſâ tentavi.* (Tres ſenten-

ſententiæ amplificantur 1. per Chronographiam & enumerationem circumſtantiarum, enumerantur enim ruſtica opera; qvæ libertatis gratia fecerant.) *Mel. Mirabar ego, cum tui deſiderium hic omnes teneret.* (Illuſtratur hoc deſiderium per enumerationem votorum, & per figuram imaginis.) *Tit. Eundum mihi illic fuit &c. Vidi illic juvenem &c. Ille libertatem, ille agros reddidit.* (Prima ſententia amplificatur per interrogationem & reſponſionem, & per illuſtrem Metaphoram à cultu divino petitam. Secunda iterum illuſtratur de aliqvo adjuncto & Metaphora à cultu divino petita. Tertia illuſtratur per ἐξεργασίαν à rebus & operibus ruſticis petitam.) *Melib. Contentus eſſe potes hâc fortunâ! etſi inculta omnia. Tuam illic felicitatem exſpectes.* (Tres ſententiæ iterum illuſtrantur. Prima ſimpliciter proponitur. Secunda per deſcriptionem illuſtratur. Tertia itidem per deſcriptionem & per enumerationem deliciarum ruſticarum.) *Tit. Nunquam memoriâ excidet hoc beneficium.* (Illuſtratur per figuram τῦ ἀδυνάτȣ.) *Melib. Mihi deſperandum eſt. Abeundum hinc mihi nunquamredituro. Alius hæc occupabit.* (Tres ſententiæ illuſtrantur. prima per enumerationem locorum. ſecunda per ἀπορίαν ſub forma qvæſtionis propoſitam. tertia per qvæſtiones abruptas & exclamationes per figuras, ironias. Inſere nunc Melib. &c. per Apoſtrophen ad capellas ſuas.) *Tit. Mane mecum hâc nocte. Habeo poma. Jam veſperaſcit.* (Illuſtrantur hæ ſententiæ per deſcriptionem ulteriorem ex adjunctis & Chronographiam.)

Secundum exemplum, è *Statii Carm. 11. Lib. 1. Sylv.* qvod eſt encomiaſticum 40
in *Equum Domitiani.*

Eqvum hunc Poëta laudat 1. *à cauſa efficiente.* Unde hæc moles in forum pervenit? Amplificatur per enumerationem variorum operum, qvæ ſub figura dubitationis & interrogationis proponitur: an è cœlo venit? an è ſiculis caminis? an manu Palladis perfectum, per contentionem cum aliis operibus: ubi notentur formulæ connectendi: nunc, age fama prior miretur &c. Hunc non cepiſſet; ipſe nec Æneas &c. Adde qvod ille nocens. Martem non amplior portat. Nec veris majora putes: Adduntur variæ exergaſiæ & aliqvæ hypotypoſes, ſed breviores. Laudat 2. hunc eqvum *ab adjuncto circumſtantiarum,* & loci, & à qvatuor poſitionibus. Hinc limina pandit Tiberius; cum qvo Domitianum comparat, ita ut hunc illi præferat. & tu mitior illo. A latere Julia templa. Hinc regia Pauli. A tergo templum concordiæ. Amplificantur hæc expolitionibus & proſopographiis brevioribus. Connexio membri: Par operi ſedes. Laudat 3. *ab adjuncto proprio*, eqvite ſcilicet, qvem deſcribit per partes. (1) *à facie & capite.* Ipſe autem puero celſum caput & tribuit capiti ſtatuæ, qvæ alias ipſi imperatori tribuenda. (2) *à manibus*, ubi deſcribuntur adjuncta manus, imago ſcilicet Palladis. (3) *à pectore & latere gladioque ad latus pendente*, qvem comparat cum gladio Orionis. Ubi ſemper ſtatuæ tribuit, qvæ attribuenda perſonæ. Laudat 4. *equum à forma externa.* Amplificatur per *deſcriptionem partium*, *& ab effectu vel accidentalibus* conſeqventibus, contentione cum aliis

inſtituta. At ſonipes &c. Perpetuæ hîc ſunt Metaphoræ κατ' ἐνέργειαν. Tribuuntur enim ſtatuæ, qvæ tribuenda alias animali. Laudat 5. *à ſubjecto*, ſcil. ſolo; amplificat variis fictionibus & hypotypoſibus ac comparationibus cum aliis fundamentis, qvæ majora opera portant. Laudat 6. *à celeritate* operis perfecti, per fictionem genii qvaſi cooperantis, & deſcriptionem iſtius laboris per adjuncta. Connexio: Nec longæ traxere moræ. 7. *Ornat Proſopopœia* totum hoc carmen. Introducit enim loci cuſtodem ſtatuam & eqvitem alloqventem. Conſideratur hîc triplicis temporis circumſtantia; (1) *Præſentis*. Ipſe loci cuſtos extulit caput, & hæc infit. Amplificantur hæ ſententiæ per πρόσληψιν variarum circumſtantiarum & variarum circumſtantiarum. (2) *Præteriti temporis:* Si te noſtra tuliſſent ſecula. Amplificatur autem comparatione diſſimilium. Comparat enim hunc eqvum cum eqvo Alexandri M. Deſcriptiones ornant ſententias. (3) *Futuri temporis*. Opus hoc perpetuum erit. Amplifica hoc per enumerationem earum rerum, qvæ aliqvid deſtruere ſolent, & qvidem per ἄρσιν: non hyemes, non ventos, non fulmina horret, non æſtatem. Amplificat deinde per θέσιν certabit cum Roma de perpetuitate. Ornat itidem per fictionem novam Deorum & fratrum cœlo labentium, qvæ huic imagini miſcebant oſcula. 8. *Claudit voto per Apoſtrophen* ad ipſum Domitianum. Amplificat hoc comparatione & inductione artificum, qvæ ipſum vel fingere vel pingere vellent, aut qvæ ipſi templa erigere cuperent. Vive diu, & noſtræ pietatis cultus non ſperne. per Exergaſias & Periphraſes.

His exemplis inſiſtere poſſumus in ceteris qvoqve carminum generibus. Nam

41 & Elegiæ & Odæ eodem modo ordinari poſſunt. * Qvod ſi qvis jam Ovidii Elegias, inprimis Heroidum Epiſtolas præ manibus ſumat, & in ſuas ſententias atqve ornamenta reſolvat, ſtatim artificium deprehendet, qvod in illis ſummum eſt. Ovidius enim, ut erat cultiſſimo ingenio, ita nihil qvicqvam omiſit in ornando carmine, Elegià præſertim; adeò, ut qvibusdam nimius videretur, qvi declamatorias in illo argutias notârunt. Sed non eſt, ut illorum judicia moremur.

42 Iu Lyrico carmine eandem rationem ſeqvi poſſumus. Nam, ſi Horatium nobis præfigamus, ſingulas Odas eâdem methodo reſolvit *Parthenius*. Si enim e. g. primam Odam reſolveris, his ſententiis continetur: Qvidam agonibus Olympicis ſtudent: qvidam agriculturæ operam impendunt: qvidam navigationibus & mercaturæ ſtudent: qvidam voluptuariam vitam ſeqvuntur: aliqvi militiâ, alii venationibus ſe exercent. Ego verò poëtica ſtudia amo, qvæ me celebrem reddent, ſingulæ ſententiæ ornantur variis deſcriptionibus, Metaphoris poëticis, Epithetis inſignibus, aſſumtionibus ab adjunctis, enumerationibus partium; atqve ita tota hujus Odæ compages abſolvitur, ac videtur Horatius totam hanc Odam per imitationem deſumpſiſſe à Virgilio, cujus ſunt hi verſus lib. 2. Georg.

Sollicitant alii remis freta cæca &c.

Exemplum nobis erit elegans illa Oda, qvæ reperitur apud *Corvinium*, Poëtam 43 Gallum, ad Principem Condæum, lacte victitantem. Hâc Odâ Poëta elegantiſſimus Principi gratulatur de lactis cibo, illudqve conſilium laudat; variisqve exemplis, fabuloſis præcipuè, oſtendit, lac eſſe Heroum cibum. Pulcherrimæ in illo ſunt deſcriptiones & ornamenta è fabulis: comprehendi poteſt his ſententiis. 1. Ne pudeat lacte veſci (per amplificationem à contrario & exergeſiam.)

Ne ſit pudori lacte regales mero
Mutare, Borbonide, dapes;
Luxu & remoto, pellere innocentibus
ſitim famemque poculis.

2. Ille fuit cibus aurei ſeculi, (dilatatur per deſcriptionem prolixiorem à variis adjunctis, qvæ reſpondent ſimplici cibo ab effectis.)

Haud alius olim, Rege Saturno, cibus
Heroas aluit, & Deos:
Cum pura adhuc, recensq; ab autoris manu
Natura neſciret dolum:
Rivisque latice candido manantibus
Curam & labores mergeret.
Tunc illa lacti concolor proles ſuo,
Agitabat ævum lætius,
Nec quid ſenectus, quidve lautitiæ comes
Foret podagra, noverat;

3. Tunc Jupitur ubera capellæ junxit, eamqve cœlo transtulit (per Phraſeologiam elegantiorem.)

Tunc & capellæ plena ſiccantem ubera
Tellus adoravit Jovem:
Qui, ne ſibi unquam tam bonus deeſſet liquor,
Nutricem Olympo tranſtulit.

4. Apollo paſtor factus, ut lacte veſceretur (per Phraſeologiam & αἰτιολογίαν.

Apollo dulci rore cum cuperet frui,
Servavit Admeti boves:
Mammasque crebro ſuxit, ambroſiæ ut vetus
Abſtergeret faſtidium.

5. Hercules lac bibens cœlo viam lacteam fudit, (per Phraſeologiam & deſcriptionem viæ lacteæ breviorem.)

Hoc ipſe madidus nectare Alcmenæ puer
Nova fecit orbi ſidera:

Quot ab ore guttæ, dum bibit, defluxerunt;
Tot iêre per cœlum faces.

6. Qvi lacte veſcuntur, fortes ſunt. (Tranſitus fit per prolepſin. dilatatur per Phraſeologiam ex effectis ſynonymicam.)

Languere inerti, ne tamen crede otio,
Queis molle placuit poculum
Lac auget animos. Inde magnorum venit
Effector operum ſpiritus,
Puroque bilis igne, cognata & ferens
Superas ad arces pectora
Æthereus ardor.

7. Conſtat hoc exemplo Herculis, Davidis (per deſcriptiones proſopographicas & amplificationes actionum à circumſtantiis.)

ſic feros idem Hercules
Lactantis in matris ſinu
Eliſit angues; ſeque conſiliis Deûm
Patrioque deberi polo
Jam tum probavit. Sed quid exemplis fidem
De fabuloſis quærimus?
Ephratæus ille paſtor, immanes manu
Cui luſus urſos frangere;
Cui ſæpe preſſo gutture horrendum fremens
ſuccubuit in ſylvis leo;
Virtutis unde robur indomitæ hauſerat,
Et cor pavere neſcium?
Per ſola patrios rura ſectantem greges
ſucco fovebat vivido,
Expers aratri vitula, & infeſtis lupos
Laceſſere audax cornibus.
Hinc funda victrix, & Palæſtinus caput
ſuo enſe truncatus gigas:

8. Tua facta teſtantur, à lacte magnos tibi triumphos excitatos. (Hic ſe totum effundit Poëta, & per enumerationem prælia & res geſtas Ducis Condæi recenſet additis deſcriptionibus præliorum à variis adjunctis. Adduntur epitheta Hyperbolica. Comparatio cum leonis catulo.

Tibi ipſe teſtes, Borboni, an lac Martios
Reſtinguat ignes pectore.
Dicat Batavo mutuam in cladem & probrum
Male fœderatus celtiber;

Epuliſque

Epuliſque opimis fruſtra, & ardenti mero
Germanus iram ſuſcitans.
Valles Seneſi ſtrage cumularunt ſuâ,
Vinoque rubrum & ſanguine
Auxere Sabim. Pinguia obſcœnas adhuc
Paſcunt volucres corpora.
Seu cum Libyſſæ matris expreſſum bibit
Mammâ furorem turgidâ.
In Bella catulus fertur, & ſævos boum
Triſtique cuſtodum nece
Exercet ungues.

9. Tibi bibito lacte, vigor redit. (Simpliciter,)

efficaci poculo
Ad arma ſic vigor redit,
Nova & juventus.

10. Nuperi triumphi te juvenem oſtenderuut. (per brevem deſcriptio-uem.)

Te quidem nuper tribus
Cum vidit auctum laureis,
Hoſtesque trepido fugere cogentem gradu,
Alſatia juvenem credidit.

11. Nunc tuo exemplo lac Heroum cibum facis (per Synonymiam phra-ſium.)

Nunc ergo dum te rore vitali fovet,
Viresque feſſas recreat;
Lacte viciſſim reddis antiquum decus,
Meritosque honores aſſeris.
Nam jure dici meruit Heroum cibus:
Quando ipſe feciſti tuum.

12. Jam Galli omnes lac vino præferent. (per Synonymiam phraſium, & alluſiones ad nomen & inſignia.

Jam Gallus omnis, nomini fovens ſuo,
Præ delicato nectare
Faſtidioſus diſpuet ſuetas dapes,
Spretique dona Liberi.
Jam rurſus imbre lota divino, novum
Trahent nitorem lilia.

 13. Felix

13. Felix illa juvenca, qvæ liquorem hunc regali alumno fundit. (Hic ſingulari artificio Poëta Apoſtrophen facit ad juvencam, comparando illam cum Io, & ſpondendo illi ſidera, qvæ omnia Poëtiſmum ſapiunt. Talia enim mirifice ornant carmen, & colores poëticos addunt. Deſcriptiones breviores illuſtrant ſententias.)

At tu liquores quæ gravi nunquam ubere
Summittere almos deſinis,
Juvenca felix! ſi poteſt quicquam meum
Spondere carmen, & poteſt;
Non fabuloſis clara Grajûm verſibus
Io tibi ſe præferet:
Ex homine quanquam facta bos, Dea ex bove
Templo remugît aureo;
Populosque blanda voce poſcentes opem
Oraculis conterruit.
Dicere quondam nobiles inter feras
Tenere Olympi paſcua:
Vernosque cornu ducere aurato dies,
Tauri marita lucidi.
Interea olentes perge regali memor
Herbas alumno carpere:
Præſtesque Francis, lactea ut ſerus via
Condæus ad ſuperos eat.

His ſententiis elegans illa Oda comprehendi poteſt. Qvæ ad ornatum pertinent, ſeorſim obſerventur: elegantes phraſes, ſignificantia epitheta, variationes pulchræ. Vel unum lactis nomen ſæpe περιφράζει. Jam enim vocat pocula innocentia, laticem candidum, bonum liqvorem, dulcem rorem, nectar, molle poculum, ſuccum vividum, rorem vitalem, delicatum nectar, imbrem divinum, liqvores almos. Metaphoræ illuſtriores, fictiones, comparationes notari itidem debent. Qvod ſi in reliqvis Poëmatibus majoribus concinnandis eâdem ratione uſus fueris, facili negotio ad carmen ſcribendum te præparabis. Exemplis enim aliorum nos ipſos inſtruimus.

PO-

POLYHISTORIS LITERARII LIB. III.

ΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΟΣ.

CAP. I.

DE EXCERPENDI RATIONE.

§. 1. Excerpendi neceſſitas. 2. Illa malè à nonnullis impugnatur. 3. exempla Platonis & Thami Ægyptiorum Regis. 4. Sacchini liber de ratione libros legendi laudatur. 5. ob abuſum aliquem non tollendus excerpendi uſus. 6. Excerpendi omiſſio viris doctis deplorata. 7. Excerpendi utilitas. 8. Autores aliquot de Excerpendi ratione recenſentur. 9. Drexelius. 10. Philomuſus. 11. Sturmius, Benzius. 12. Fogelius in Lexico Homonymorum, 13. Udenius, 14. Schraderus, 15. Keckermannus, Bonnæus, 16. Excerpta uſui & ſcopo noſtro accommodanda. 17. Vincentii Placcii liber de arte Excerpendi laudatur. 18. Ejus machina ſcrinii literati. 19. Modus in Excerpendo non usque adeò operoſus eſſe debet. 20. Excerpta minus neceſſaria per amanuenſes potius inſtituenda. 21. Autor excerpendi ſtudium neglectum dolet. 22. Adverſaria de omnibus rebus, quæ legimus, videmus, audimus, cogitamus, paranda. 23. Sarpii, 24. Welſchii, 25. Tſchirnhauſii ea methodus. 26. Sacchini libri gemini Excerptorum. 27. Adverſariorum magnus uſus.

Poſtqvam ſuperiori libro, cui Methodici titulum fecimus, multa de methodo in ſtudiis diximus, huic librum tertium, qvem ΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΟΝ inſcripſimus, nunc ſubjungimus, qvi cum eo connexus videtur, in qvo de Ratione Excerpendi, tùm in Eloqventiâ, tùm in diſciplinis, agemus: In illa enim qvaſi qvædam præparatio ad doctrinam conſiſtit. Ut qvi domum exſtructurus eſt, lignis & lapidibus opus habet: ita qvi egregium aliqvid in qvocunqve doctrinæ genere conatur, ſilvam prius congerere debet ad opus ſuum idoneam. Qvorſum enim multa legere proderit, niſi cum fructu legantur, & in uſus noſtros, velut in horrea qvædam, ſeponantur? Qvemadmodum ſcilicet bonus Pater familias prom- 1

ptua-

ptuaria habet, è qvibus familiam ſuſtentat; Ita vir doctus ſuas qvasdam opes congerit, qvibus bonam mentem alat, ac famam ſibi excitet. * Nolo hîc de neceſſitate excerpendi multa præfari: ſunt enim, qvi de eo copiosè ſatis diſputant adverſus illos, qvi excerpendi ſtudium ut ſupervacaneum & moleſtum rejiciunt, minimè hâc in re audiendos. Non deſunt, qvi, qvod de literarum inventione in univerſum judicârunt, etiam ad excerpendi rationem applicent.
3 * Plato jam tum in Phædro diſputavit plus detrimenti adferre ſapientiæ libros qvàm præſidii. Nam cum literarum inventor *Theuth* Ægyptiorum Regi Thamo inventum illud memoriæ & ſapientiæ remedium eſſe prædicaret, Regem contra dixiſſe narrat, potius oblivionem allaturas propter negligentiam recordandi. *Quippe qui*, inqvit, *externis confiſi literarum monumentis res ipſas intus animo non revolvent: quamobrem non memoriæ ſed monitionis remedium inveniſti: Sapientiæ quoque opinionem potius quàm veritatem diſcipulis tradis. Nam cùm multa absque Præceptoris doctrinâ perlegerint, multarum rerum periti vulgo, cum ignari ſint, videbuntur. Conſuetudine quoque moleſtiores erunt, utpote qui non ſapientia ipſa ſint præditi, ſed opinione ſapientiæ ſubornati.*
4 * Et hæc tria incommoda nunc qvoqve, inventâ Typographiâ, Sacchinus in eleganti libro *de ratione libros legendi cum profectu cap. 10.* paſſim in re literariâ dominari judicat. *Plerique omnes*, inqvit, *ut quicquid in adverſaria retulerunt, omiſsâ curâ ſunt, ſegnique animo, tanquam ipſi jam tenerent, quod commiſêre membranis: ac non potius eâ re ſcrinia illorum quam ingenia docta videri poſſent. Quin etiam cum doctrina ex eo bonorum ſit genere, quæ nec amitti nec auferri poſſunt, nihil proclivius factu eſt, quàm ut ejusmodi commentaria igne, aquis, furto, ab tineis & blattis aliisque caſibus pereant.*
5 * Hæc qvidem non omninò falsò dicuntur, ſed qvia non ſolùm Excerpta, ſed omnem rem literariam & librorum uſum tollunt, qvi ita judicant, potius ad majorem utilitatem ea in re reſpiciendum eſt, qvàm ad eos, qvi hominum inventis per ſocordiam ſuam non rectè utuntur.

6 Fateor multos etiam ſine excerptis Viros non doctos ſolùm, ſed & fermè inſignes fuiſſe; qvos tamen in juventute negligentiores fuiſſe, in ſerâ ætate impensè pœnituit. Johannes Sturmius, qvi in libro de linguæ Latinæ reſolvendæ ratione adeò operosè colligendi modum in phraſeologiâ deſcribit, de ſe ipſo ait: *Sed ego non feci, & dolet me non feciſſe, atque utinam monitus fuiſſim à Præceptoribus, ut hoc facerem, utilior vobis eſſe poſſem hoc tempore, quam ſum.* Idem vel in ſenectute ad hunc excerpendi laborem paratum ipſe ait, omiſſis gravioribus, ſi ſocios ejus laboris nanciſci poſſit. Qvare juventutem magnopere hortatur, ut maturè iſti operi ſe accingant. *Quod nos*, inqvit, *ſenes tota noſtrâ ætate aſſecuti non ſumus: vos pauciſſimorum annorum labore, & labore facillimo, vobis comparabitis.* Caſaubonus qvoqve in *Epiſtola 309.* eâ de re qveritur: *Dolet mihi, quod multa legerim in noſtra bibliothecâ, quæ jam-pridem in adverſaria mea non retuli.* * Excerpendi ſtudium
7 ex adverſo multa ſunt qvæ ſvadent. Provocat enim legentium attentionem excerpendi

pendi induſtria; ipſa illa ſcriptio intelligentiam juvat, & , qvod præcipuum eſt, cer-
tiſſimæ hoc oblivionis remedium eſt.

De Excerpendi ratione non pauci ſcripſere, tàm generatim, qvàm ſpeciatim, 8
de qvibus dicas, illis pene, qvot capita, tot eſſe ſenſus. * Notiſſimus eſt DRE- 9
XELII liber, cui titulus: *Aurifodina artium & ſcientiarum*, in qvo multa proponit
excerpendi conſilia, ſed qvæ multis non placuerunt, ob eorum multitudinem & di-
ſtractionem. Pleriqve omnes, qvi de methodo ſtudiorum agunt, aliqvid de excer-
pendi ratione immiſcent; quorum omnia conſilia enumerare qvid attinet? Genera-
tim aliqva FRANCISCUS SACCHINUS in libro ſupra laudato tradit. * Extat cu- 10
jusdam PHILOMUSI è Soc. Jeſu libellus, cui titulus: *Induſtria excerpendi brevis, faci-
lis, amœna, à multis impedimentis, quibus adhuc tenebatur, exſoluta, Conſtantiæ
Ann. 1684. editus.* Ille geminos libros facit Locorum & Adverſariorum, atqve
adeò omnia cujuscunqve farinæ miſcet; Qvod mihi omnino diſplicet. Cur enim
Phraſeologica, Sententioſa, Oratoria, Phyſica, miſceantur, atqve in unum cumu-
lum confundantur? Quàm moleſtum erit, in iſto ſingula acervo qværere? Neqve
enim compendium illa methodus præſtat; ſed potius turbat. Qvibus arctæ res in
eruditione ſunt, illi de ſingulis pauca congerunt. Qvibus verò magnæ opes ſunt,
illi, niſi per ſuas ſedes diſtincta ſingula habeant, non in benè ordinata penu, ſed in
chao qvodam, verſantur. * Alii ordinem rerum in verbis & rebus ſectantur, 11
alii eò ordine, qvo, qvicqvid illis occurrit, in commentarios ſuos referunt, qvi ta-
men indices benè diſpoſitos illi ſubjiciunt. Ordinem rerum ſecutus eſt *Sturmius*, &
ex ejus conſilio *Benzius*, ſuntqve eorum διατυπώσεις eâ de re editæ; Qvæ fateor in-
ſignem utilitatem in amplificando & in argumentis præſtant, dum omnia inter ſe
connexa, qvaſi ſub unum obtutum cadunt. Sed tamen & moleſta ſunt vacua illa
chartarum ſpatia, qvæ evitari non poſſunt. * Commendavit & nuper ad me- 12
thodum generalem Locorum Communium *Martini Fogelii* Lexicon Homonymorum,
qvi illud edidit Cl. *Joannes Vagetius*, optimè de Viro optimo meritus & meriturus,
ſi cetera ejus inedita in lucem protraheret. * Scripſit & ante aliqvot annos UDE- 13
NIUS Germanicâ linguâ librum, cui titulus: *Excerpendi ratio nova, Northuſæ Anno
1681. in* 4. editum: qvi tamen præcipuè ad Locos Communes in orationibus ſacris
concinnandis conſilia ſuppeditat, non utiqve ſpernenda: ſeqvitur enim Viri Claris-
ſimi *Chr. Schraderi* methodum. * Ille commentario in Rhet. Ariſtot. de excerpen- 14
di ratione qvædam ſe editurum pollicitus eſt, & circumferuntur qvædam ejus de hoc
argumento privatis Scholis propoſita, qvæ ante obitum, ut audio, optimus ſenex per-
fecit, ut typis promulgari poſſint. Ceterum minimè eam probat methodum, qvâ
uno in libro omnia confunduntur. * Scripſit & KECKERMANNUS de Locis 15
Communibus faciendis *conſilium Logicum*. Legi etiam BONNÆUS libro *de Ratione
diſcendi p. 129.* poteſt, qvi facit Locos communes. 1. *Theorematicos*, qvi ſecundum
ordinem diſciplinarum inſtituuntur. 2. *Hiſtoricos*, ubi ſunt Proſopographici, Topo-
graphici, Mythologici, rituales, rerum geſtarum, loci morales exemplorum. 3. *Lo-*

16 *cos gloſſematicos* pro linguis. Sed iis recenſendis non immorabimur. * Nos
potius rationem, qvæ nobis commodiſſima in plerisqve diſciplinis videbitur, hîc pro-
ponemus. Qvi eis utetur, in qvantum ſuo ſcopo commodum videbitur, ſibi appli-
cabit: Qvilibet enim è fine ſibi propoſito, ut omnium ſtudiorum methodum, ita ex-
cerpendi rationem metiri debet. Qvemadmodum enim non eadem vel veſtis vel do-
mus menſura omnibus convenit, ſed ſecundum vitæ conditionem, fortunarum am-
plitudinem vel tenuitatem, adornari ſolet; ita Excerptorum planè diſpar ratio & for-
17 ma eſt. * Edidit ſuperiori anno Vir Clariſſimus, VINCENTIUS PLACCIUS *de
arte excerpendi* librum ſingularem, qvo ille ſummâ diligentiâ omnes, qvi de hoc ar-
gumento ſcripſere, Autores, omnes excerpendi formas & modos, ſingulorumqve
commoda, incommoda & præcepta, recenſet. Multa hîc de Excerpendi ratione per
Lemmata, per Schedas, de Excerptis Methodicis, Alphabeticis, Commentariis, Ad-
18 verſariis, Socialibus, de libris Excerptorum laxiori compage ordinandis. * Pro-
ponit & *ſectione X.* peculiare cujusdam Anonymi *Scrinii literati* inventum, à ſe verò
multis modis emendatum, cujus ope qvam commodiſſimè inſtitui cujuscunqve gene-
ris excerpta poſſint. Prolixè illam machinam ejusqve apparatum illic deſcripſit, ad-
ditis iconibus & exemplis; Qvæ ſingula legere in libro iſto poſſunt rerum illarum
curioſi, atqve inde ſuo uſui accommodare. Non enim eandem omnibus convenire
Excerpendi rationem, non eadem Excerpta, ipſe agnoſcit Vir clariſſimus *libri ſui
19 cap. I. §.9.* * Nos de Excerptorum formâ usqve adeò hîc ſolliciti non ſumus,
qvin potius exiſtimamus, eum, cui theſaurum & opes colligendi facultas non defue-
rit, loculos facile inventurum, qvibus reponat. Ita enim inſtituere excerpta tyro-
nem meum velim, ut non multum ſibi negotii anxiâ & ſcrupuloſâ diligentiâ faceſ-
ſat, potius verò ad utilitatem rerum, qvàm methodi ſubtilitatem, reſpiciat. Parum
refert, qvô locô, qvô ordine arma qvis poſita habeat, modo in promptu ſint, cum
ad pugnam ventum eſt. Et accidit plerumqve, ut, qvemadmodum illi, qvi in num-
mis opibusqve congerendis nimis ſunt ſtudioſi, rarò iis rectè uti norint, ita qvi Ex-
cerptis nimis inſudant, omniaqve illis ſcrinia plena habent, cum qvid in medium
proferendum eſt, jejuni & ſteriles evadant, ac ingenio ſuo, qvod ſui nunqvam ju-
20 ris & arbitrii eſt, ſemper diffidant. * Qvare ego excerpendi laborem, qvi & tæ-
dioſus eſt, ac ingenium fatigat, in rebus non admodum neceſſariis per amanuenſes
inſtitui malim: nam & hic jucundius è conſilio Martialis erit, ſi & in literis nobis ſit
Res non parta labore, ſed relicta vel per homines noſtros noſtris auſpiciis nobis acqvi-
21 ſita. * Ego certè Excerptis congerendis non multum operæ me impendiſſe fa-
teor, etſi aliorum diligentiam laudo, meæqve in his negligentiæ ſuccenſeo, magno
tamen in lucro reputaturus, ſi aliorum mihi operâ uti conceſſum fuerit. Nunc ego
memoriâ promicondâ contentus ſcribo multa, qvæ fallat qvidem nonnunqvam, & res
ſuas repetenti rarò reſpondeat, plerumqve tamen, cum argumenti occaſio ſollicitat,
ultrò offerat, & qvaſi ex capſula depromat. Sed nos ad excerpendi rationem re-
dimus.

Utiliſſi-

Utiliſſimum eſt, non tantùm ſub Locis Excerpta digerere, ſed & Adverſaria 22
qvædam conficere, in qvibus congeramus, qvicqvid unqvam cogitatum à nobis eſt, in lectione Autorum, aut in qvotidianâ meditatione: deinde qvicqvid vel vidimus, aut ab aliis nobis narratum eſt. Non credat qvis, qvot ex illo fructus redundare
poſſint. * Fecit id Vir maximus PAULUS SARPIUS: qvarum notarum integra re- 23
ſtare volumina teſtatur in ejus viâ *Fulgentius p. 134. 135. 136. edit. Gallic.* Illis nihil acutius & eruditius fingi poſſe ait. * Idem fecit & πολυμαθέστατος ille WELSCHIUS, ut in Vitâ ejus refert *Schröckius p. 61. n. 27.* * Ex his cogitatis velut 24
ideis qvibusdam integri poſtea libri gignuntur; Id qvoqve experientiâ ſuâ teſtatur 25
Tſchirnhauſ. in Medicinâ part. 2. p. 176. *Quia raro ob tot hujus vitæ impedimenta eſt poſſibile, ut ſemper ſat temporis habeamus rem quandam accurata, ut decet, methodo tractandi, utiliſſimum, quod hîc facere poſſumus, eſt, ut, ſi bonæ nobis cogitationes ſuggerantur, (id quod non raro præter ſpem in media cum aliis converſatione, dum ne quidem de veritatis acquiſitione cogitamus, accidit) ſingulis eas diebus, eoque, quo in eas incidimus, ordine conſcribamus. Hoc ego dum feci, obſervavi, me ſic brevi tempore ſat multas obſervationes, quæ mihi fundamento fuerunt ad multa ex iis utilia derivanda, ſic congeſſiſſe, quæ alias memoriâ dubio procul excidiſſent; quin non potui relegendo recordari, me eorum, quæ conſignaveram, cogitationes unquam habuiſſe.*

Idem qvoqve ſvaſit SACCHINUS in *libr. ſupr. laudato cap. 3.* ut gemini libri 26
conficiantur, alter Adverſariorum generalis, qvo, ut lectio qvodqve ſubminiſtrat, omnia colligenda ſunt; alter ſecundum ordinem titulorum congeſtus. Qvemadmodum negotiatores geminos habent libros, puſillum unum, alterum grandem: illum adverſaria aut ephemeridem, hunc calendarium & codicem dixeris. In eum ſingulorum dierum rationes accepti expenſive tumultuariè referunt, nempe ſerie illa, qvam obtulit uſus: in hunc transferunt inde disponuntqve certa in loca, qvæ conſervata volunt. Hujus ſui inſtituti rationem hanc habet: *Priorem librum*, inqvit, *confici volo, in quem continenter, ut occurrunt, quæ ex quopiam opere ſeliguntur, notentur, quia magna eſt oblectatio, atque opportunitas, ſi uno quaſi contuitu, quæ in uno quopiam libro ſunt egregia, recognoſcas. Id autem fieri non poterit, ſi in ordinem, non lectionis ſed rerum, excerpta diſpenſes: Sparſa enim erunt in plurima capita, quæ magnum inſulſumque negotium ſit ſingula perſcrutari. Deinde ille contuitus, quo conſequenter excerpta recognoſcuntur, operis totius memoriam refricat. Præterea multa offeruntur legenti egregia, quæ certum in caput nullo modo, aut ægrè, poſſis referre: quæ tamen in adverſariis nullo labore conſignabuntur, nec magno opere, cum voluntas feret, invenientur. Itaque prior hic labor id genus adverſaria conficiendi meâ ſententiâ multum voluptatis habet, multumque commoditatis: neque ullius tædii declinandus eſt metu. Altera autem opera diſponendi in ſua loca, & capita, quæ ad eandem rem faciunt, manifeſtum pretium habet: Namque ſub titulo (exempli gratia) Amicitiæ, Prudentiæ, Timoris, ac rerum hujusmodi, tam multa brevi videbis coacervata ex operibus, quæ legeris, ut ipſemet mireris.* Hæc ille, cujus minimè ſpernenda conſilia ſunt, idemqve *Sturmius* in libro de linguæ Latinæ reſolvendæ ratio-

27 ne probat. * Et ſane, qvod ad Adverſaria attinet, ea magis, qvàm ceteri Excerptorum libri, ſunt neceſſaria. Novi enim Viros doctos, præclarorum autores librorum, qvi nullis aliis libris, qvàm temerè congeſtis Adverſariis uſi fuerunt, qvæ ſemper ſecum etiam in itineribus habuerunt, & in iis obvia qvæqve ſtatim conſignarunt.

CAP. II.

DE EXCERPTIS PHRASEOLOGICIS.

§. 1. EXcerptis Verborum cura præcipua impendenda. 2. In oratione tria attendenda, ut ſit pura, ornata, copioſa. 3. Excerpta ſecundum hanc diſtinctionem inſtitui debent. 4. Willichii methodus colligendi ſecundum ordinem categoriarum. 5. Quibus difficultatibus prematur. 6. Exemplum excerptorum Willichianorum. 7. Sturmii methodus illi præfertur. 8. Julii Camilli conſilium de Locis inutile. 9. Loca quatuor generaliſſima excerptorum. 10. Excerpta non ab uno, ſed à multis eâdem methodo inſtituenda. 11. Locorum Sturmianorum & Lullianorum aliqua convenientia. 12. Lulliani loci Ficheto laudati. 13. Beccheri excerpendi inſtitutum. 14. 15. Benzius Sturmii conſilia ſecutus in Græcis & Latinis vocibus laudatur. 16. Ejus diſpoſitio locorum in Latinis. 17. Magnum copiæ ſubſidium à Methodo Sturmiana. 18. Particularum ſeparata Excerpta & Rhetorica. 19. Rhetorica collectanea. 20. Encyclopædia Philologica Placcii laudatur. 21. diviſis operis diverſarum rerum phraſes à diverſis colligendæ. 22. Domii Hermathene laudatur. 23. quanquam in illa omnium coacervatio incommoda ſit. 24. ſuadetur index & ordo alphabeticus. 25. Schönslederi & Benzii collectanea conjungenda. 26. Accurata titulorum diviſio non parum ſæpe incommodi habet. 27. præſtat quandoque titulos ſuo arbitrio diſponere. 28. Baſilii Fabri Sorani phraſeologicæ collectiones laudantur. 29. Unus potius autor excerpendus & familiaris reddendus eſt. 30. Tituli in Fabri collectis non ſatis accurati. 31. præ aliis Schönslederi apparatus commendatur. 32. Quintiliani ſententia reprehenditur. 33. & objectis reſpondetur. 34. Jul. Pollucis diligentia laudatur. 35. Vocum delectus origo eſt eloquentiæ.

1 PRima Excerptorum cura in oratione verſatur, qvorum eò major habenda ratio eſt, qvò magis nitidæ orationis cultus viro docto neceſſarius eſt. Multa enim ſunt & varia & minuta, ad qvæ attendere debent, qvi orationis nitori ſtudent, ſingularibusqve obſervationibus, qvæ & judicio & longo uſu demum inſtituuntur, addiſci debent: cum Excerpta rerum & ſcientiarum faciliori negotio, vel ex
2 methodo ſingularum diſciplinarum, vel noſtro arbitrio, adornari poſſint. * Sunt vero in Oratione tria, ad qvæ reſpicere debemus; Primum ut *pura*, deinde ut *ornata*,
3 hinc ut *copioſa* ſit. * Puritas ergo dictionis primum locum occupabit. Hanc ut obtineamus, variis opus erit Excerptis, Grammaticis & Lexicis. Suadet VIVES libro

bro *de Adoleſcentum inſtitutione* confectionem talium librorum, ſed non diſtinctè ſatis eo in argumento verſatur. * Propoſuit JODOCUS WILLICHIUS in libro *de verborum copiâ comparandâ* modum, qvô nomina ſub titulis communibus colligenda ſint, exemplis de veſte, togâ, horto, vineâ, in medium allatis. Nam ſub Titulo *veſtis* primum omnes phraſes, qvæ huic ſubjecto conveniunt, recenſet, ſubjungi vult deinde derivata & compoſita. Hinc ad ſpecies veſtium, ex natione, ex colore, à materiâ, deſcendit. Deinde ad veſtes ratione formæ conſideratas procedit, & ſic in ceteris. Sed ille modus à vulgatâ Lexicorum ratione non differt, niſi qvod claſſibus ſuis ſingula diſtingvuntur, qvod non æqvè illi faciunt. Hinc verò verba pro categoriarum ordine diſponere docet, qvâ de re ipſum audire juvat: *Prima ratio hæc eſto, quam docendi gratiâ prædicamentalem appellare viſum eſt. Et ſicut locupletiores arcas ciſtulis aut marſupiis refertas in promptu retinent, ut ex horum ſingulis alia atque alia numiſmata aut depromant aut recondant: Ita ſtudioſi adoleſcentuli vel in dicendo vel in ſcribendo, cum uſus poſcet, locos ſuos in manibus teneant, quos ex prædicamentis certius petent, quam aliundè, cum ſint omnium rerum & vocabulorum, quæ iſtarum ſigna ſunt, veluti promptuaria, & certa ſpatia ſic deſignent, ut ſub ſingulis plerisque locis juſtum intervallum interſit, & eum ſervabunt ordinem. Primò adſit ejus nativa ſignificatio ſeorſum poſita. Deinde formulæ dicendi ſubſtituantur eâ diligentiâ, ut verba nunc cum nominibus conſtructa puris, nunc cum impuris, hoc eſt, quibus præpoſitio aut adverbium, aut dictio una aliqua acceſſit, integra ſubnotentur, juxta cum Autoris libro, pagina & interdum verſu: poſtea idem faciendum eſt in translatâ ſignificatione, & hanc ſubinde variare nemo addubitabit: utrobique autem derivata & compoſita juxta cum agnatis & ſynonymis adſcribenda ſunt.* * Subjungit hinc abacum ſubſtantiarum, ſed methodo non benè ſatis ordinatâ. Neqve illa diſponendi ratio omnia colligenda ita comprehendet, ut facilè poſtea inveniantur, niſi longinqvis ſubdiviſionibus tituli deducantur; Unde labor inqvirendi augebitur, & in collocando tyro per varia notionum genera diſtrahetur. Qvod ſi ſub titulis iſtis generaliſſimis omnia ſine diſcrimine ponantur, qvàm in vaſtâ ille ſylvâ errabit! * Rectius hæc intelligentur, ſi exemplo aliqvo Willichii hæc ſententia illuſtretur. Aſſumit ille duas ex *Oratione Ciceronis pro Archiâ* periodos reſolvendas. In primâ ita rem inſtituit: *Ingenium eſt in Subſtantiâ*. Phraſis: Si qvid in me eſt ingenii; Item: Sentio, qvam exiguum ſit ingenium. *Exercitatio eſt in Actione.* Phraſis: ſi qva ſit exercitatio dicendi, Item: In exercitatione dicendi me non inficior mediocriter eſſe verſatum. *Ratio eſt in Qualitate*; Phraſis: Si hujusce rei ratio profecta ſit. Item: Si ea ab optimarum artium ſtudiis & diſciplina profecta ſit. Item: Ab eadem ratione nunqvam abhorruit. *Tempus in Quando*; Phraſis: Ab exercitatione nullum confiteor ætatis meæ tempus abhorruiſſe. *Fructus in Qualitate*; Phraſis: eorum omnium fructum vel inprimis Licinius à me repetere propè ſuo jure debet. *Repetere in Actione eſt*; Phraſis: repetere ab aliqvo fructum jure ſuo. Satis vel ex unicâ hac periodo conſilii ejus ratio patet, ſed nemo non videt, hanc colligendi rationem moleſtam & tædioſam

4 5 6

futuram, niſi aliis claſſibus & diſtinctionibus multitudini verborum ſub adeò paucis titulis locandorum ſubveniatur. Exemplum ejus plenius ſuppeditare poſſit Emanuelis Theſauri Index Categoricus, de qvo & *libro 2.* actum eſt & *infrà* pluribus agetur.
7 * Expeditiorem verò viam optimus ille dicendi magiſter STURMIUS ingreſſus eſt. Nam vigeſimo poſt anno in Academiâ Argentinenſi *linguæ Latinæ reſolvendæ methodum* tradidit, qvam Joannes Lobartus, Boruſſus, poſtea in lucem Argentorati Anno 1581. edidit. Ipſe tamen ante annos 36. cum Argentinam primùm venerat, in libro de *amiſſâ dicendi ratione lib. 1. cap. 11.* hujus methodi mentionem fecerat, & ſpecimine aliqvo è Ciceronis oratione Qvintianâ, ſed rudiori & imperfecto, uſum ejus oſtenderat. Ut ego ſuſpicer, Jodocum Willichium, qvi anno 1550. librum ſuum de rerum &
8 verborum copiâ comparandâ edidit, hoc exemplo incitatum fuiſſe. * Sturmium verò JULIUS CAMILLUS, de qvo *librô ſecundô c. 6. §. 25. ſeqq.* à nobis dictum eſt, excitaverat. Ejus verò conſilia qvia magis acuta erant, qvàm fructuoſa, rejecit Stur-
9 mius, & rerum ordinem ſecutus commodius rem omnem propoſuit. * Invenit itaqve qvatuor loca generaliſſima, τὰ θεῖα. 2. τὰ φυσικὰ. 3. τὰ τεχνικὰ. 4. τὰ ἀνθρώπινα. Singula ſubdividit naturali ſuâ ſerie & ordine, qvem Dialectica ſuppeditat, ita ut ordinem prædicamentorum in iis attendat, ſaltem qvinqve priorum. Qvantitas, qvalitas, relatio, actio potiſſimum circumſtantiis res omnes definiunt.
10 * Talia excerpta ſvadet Sturmius à multis iuſtituenda uno tempore. Si enim doctiores acciperent ſingulos auctores & ſingulas orationes, & eas reſolverent diverſas, non
11 easdem, inſignem ille copiam integro biennio comportari poſſe exiſtimat. * Habet illa methodus aliqvid Lullianæ arti ſimile, qvæ omnem univerſitatis rerum notitiam unâ connexione proponi vult, uſui futuram, ut in diſſerendo & philoſophando,
12 ita & in colligendo. * ALEXANDER FICHETUS certè, cujus *libro ſecundo* mentionem fecimus in *arcanâ ſuâ Studiorum methodo in appendic. capitis.* 3. Lullianis inſiſtere locis jubet, ac Ideam locorum communium, qvam methodo ſuæ ſubjunxit, ad has rationes ordinavit. Inſigni hanc methodum præterea elogio ornat. *Hujus myſterii*, inqvit, *ea vis eſt quam in Kabala triginta & quinquaginta portis intelligentiæ ex Arcanis Hebræorum eruit Reuchlinus, ut ſcientiam rerum omnium & mundum doctrinarum univerſum, quaſi vivâ in tabellâ depictum, ſubjiciat oculis ordine planè admirabili: Denique continet omnia & ſingula, ſingulaque ut omnia, & omnia ut ſingula ad amuſſim explicat, efformatque illum quem deſideramus hominem, ex omnibus conflatum compoſitum diſciplinis, quem Orator optabat, quem Tacitus indicat, quem deſcribit Quintilianus.* Ac certè verum eſt, qvadantenus convenire Lulliana hæc loca, qvæ illis tamen, ut ego puto, accuratiora; cum prædicata diſtinctiore ordine
13 proponant. * BECCHERUS qvoqve in novo ſuo organo id egit, ut titulis generaliſſimis verba omnia disponeret, uſui in collectione & amplificatione futura, de
14 qvo *lib. 2. c. 4. n. 32.* * Sturmii conſilia, qvod ego ſciam, nemo ſecutus eſt, aut eum in ſe laborem ſuſcepit, præter JOANNEM BENZIUM, qvi diſcipulus Sturmii fuit, ejusqve luculentum ſpecimen dedit in *Theſauro Elocutionis Oratoriæ Græco-Latino* Baſi-

Baſileæ Ann. 1581. in *folio* edito, qvo præſtantiſſimos Græciæ Oratores reſolvit: Qvod ſane opus omnibus in Græcà eloqventiâ collectaneis præferendum eſt. * Idem 15
qvoqve in Latinâ linguâ ſimile qvid tentavit, ſed compendium tantum ab illo habemus, vel ſic tamen magno uſui futurum. Qvem ſi ille laborem ad exemplum Græcæ linguæ inſtituiſſet, adductis integris auctorum ſententiis, & appoſito loco, haberemus profecto in illo genere Opus elaboratiſſimum. Nunc rudimento illo contenti ſimus, qvod Argentorati Anno 1596. ſub titulo *compendii Theſauri Latinitatis puræ* in 8. prodiit. * Loci omnes LXXVI. ſunt, ſub qvibus ille totam linguam Latinam, 16
ut antè linguam Græcam, diſpoſuit, vocabula qvoqve ſimplicia eo ordine pueris ediſcenda antea in lucem miſerat. Ipſos qvoqve locos, nudos ſcilicet titulos, in uſum excerpta colligentium Argentorati Ann. 1588. in 12. edidit. In ſingulis locis ita rem inſtituit, ut primò ponat nomina Subſtantiva cum Synonymis, tam ſimplicibus quàm metaphoricis, his ſubjungat adjuncta ſive epitheta, qvæ pleraqve ad prædicamentum qvantitatis vel qvalitatis pertinent: Hæc excipiunt Actiones, qvæ phraſes continent. Hinc ſeqvuntur Perſonæ cum Synonymis: Hinc adverbia; qvibus ſingulis ſua qvoqve ſubjiciuntur Adjuncta & Actiónes. Hinc eodem modo procedit ad cognata, affinia, contraria. In Theſauro Græco præter hæc addit σύνθετα ſive conjuncta, & ſententias, qvas παραδείγματα vocat. Exemplo eſto *Locus 47. Fortitudinis.* Hîc primo loco eſt ſubſtantivum cum Synonymis. *Fortitudo, Virtus, Animus, Magnanimitas, Strenuitas, Vires, Robur, Nervi.* Subjiciuntur Adjuncta & Actiones. Hinc ſeqvitur Perſona cum Synonymis, *Fortis, Vir, Virilis, Animoſus, Magnanimus, Fidens, Strenuus, Vehemens, Acer, Alacer, Magnus, Altus, Celſus, Excelſus, Erectus, Validus, Robuſtus, Nervoſus.* Subjiciuntur & hîc Adjuncta & Actiones. Seqvuntur jam porro *Audacia, Ignavia, Securitas, Periculum, Otium, Labor, Celeritas, Tarditas, Patientia, Impatientia, Conſtantia, Pertinacia, Inconſtantia* cum Synonymis, Perſonis, Verbis, Adverbiis, ſingulaque cum adjunctis & Actionibus, ut ſi de Fortitudine qvid dicendum ſit, tàm phraſes qvàm ſententiæ mirificè variari poſſint, ut amplificationibus propemodum infinitis qvaſi via ſternatur. Qvis enim tàm ſtupidus eſſet, qvi, cum præ oculis omnia, qvæ rei inſunt, habeat, ex illâ ſylvâ ligna uſibus ſuis apta non comportet? * Et ſanè ad hunc uſum potiſſimum reſpe- 17
xit Sturmius. *Valeant*, inqvit ille, *libri de copia rerum & verborum, valeant Onomaſtici, valeant Theſauri linguæ Latinæ & Græcæ: nullo loco erunt, ſi cum hac ratione comparabuntur, & ſi hac ratio, quæ ſola copiam oſtendit, & viam præmonſtrat orationis copioſæ conficiendæ, à vobis perficitur. Hoc ſi feceritis,* (alio loco ait) *eumque laborem continuaveritis annum unum & alterum, & decem communicaverint operas ſuas inter ſe, videbitis qvantam copiam, qvantam lucem vobis hæc ratio ſit allatura, non ſolum in rebus intelligendis, verum etiam in diſſerendo de qvacunqve re propoſita. His enim locis diſtributis & completis, qvotiescunqve vobis dicendum erit, oratio vos non deficiet, & qvæ Ariſtoteles habuit prædicabilia, id eſt, applicabilia, vos habebitis applicata, qvæ Ariſtoteles habuit vacua, vos rebus & verbis habebitis*

con-

condenſata. Qvi plenius horum Excerptorum ſpecimen velit, ille adeat ipſum il-
lum de linguæ Latinæ reſolvendæ ratione librum, ubi initium orationis Tullianæ pro
domo ſuâ reſolvit, & exemplo vocabuli VIS rationem adornandi unius loci oſten-
18 dit. * Idem tamen etiam Particularum locos ſeorſim faciendos ſuadet, eorum-
qve inſignem utilitatem ex recenſione Particulæ CUM TUM, qvæ in illo libro ha-
bentur accuratiſſima, oſtendit. Sed de particularum uſu & ſenſu eorum inveſtigan-
do alibi plenius à nobis agetur: Eſt enim hæc linguæ Latinæ pars minimè, prout
19 fieri debebat, exculta. * Rhetorica qvoqve collectanea ſeparata ab illis habet,
qvæ qvamvis ad τὰ τεχνικὰ referri poſſint, utilius tamen erit, illa à generalioribus
illis diſtinguere, ne nimiâ mole excreſcat ille liber, & accuratiora ſint, qvæ ſeorſim
20 inſtituuntur hac in re Excerpta. * Poſſent & cetera omnia τεχνικὰ huc referri,
& tota illa Placcii Encyclopædia Phraſeologica, quâ ſecundum ordinem ſcientiarum
locutiones proprias & latinas ex bonis Autoribus excerptas circa qvamlibet materiam
exhibebit, Autoribus ubiqve nominatis. Eam promiſit Vir eruditus & ad rei litera-
riæ bonum multa & præclara moliens, neqve fallitur, cum ait in Hiſtoriâ Excerpto-
rum, opus utiliſſimum & tam vendibile futurum, ut, ſi fami aut lucro ſcriberet, aliud
21 nullum ſibi præ manibus capiendum cenſeat: Qvod ut facere velit, eum rogo. * Con-
ſilia illic qvoqve ſuppeditat, qvibus tale Opus qvam abſolutiſſimum dari poſſet, ſi
diviſis operis alius rei veſtiariæ phraſes è *Ferrario* & *Rubenio*, alius rem culinariam ex
Apicio, alius militaria ex *Lipſio* &c. excerperet. Notum eſt, in ædium partibus hoc
feciſſe Grapaldum. Bartholomæus Riccius qvoqve obſervationes locutionum *de Re
Ruſticâ* congeſſerat, qvæ ipſi incendio perierunt. Johannes Starckius qvoqve *Tech-*
22 *nologiam Phraſeologicam* pollicitus eſt, qvæ lucem non vidit. * Scioppius qvoqve
in auctario Grammatices philoſophicæ *Joh. B. Donii Hermathenas XX. libros*, qvibus
ipſa rerum deſcriptio cum vocibus & phraſibus continentur, laudat, eiqve Principum
23 munificentiam optat. * Sed habet illa omnium uno in libro coacervatio qvæ-
dam incommoda etiam in optimo ordine, & præſtat technica illa ſejungi, ut eò para-
tiora ad manum ſint. Neqve enim ſemper vacat iſtam titulorum ſeriem recenſere
animo, juvenibus certè & minùs exercitatis illa res ſæpe cum difficultate erit conjun-
24 cta. * Ego vero omnibus votis optarem, ut Sturmianâ iſtâ methodo qvam ple-
niſſimum tale Opus elaboretur, in phraſeologiâ præcipuè magno uſui futurum, ita
tamen, ut inqvirendi difficultas indice adjecto alphabetico ſublevetur: Habet enim &
25 alphabeticus ordo ſuos uſus. * Nunc qvando ſperare tale Opus vix licet, uta-
mur in Latina linguâ Benzii compendio, & SCHÖNSLEDERI *Apparatum*, librum uti-
liſſimum, illi jungamus. Ita qvæ apud Schönslederum per literas Alphabeti disje-
cta ſunt, cognata, affinia, Synonyma, Benziano illo rerum indice qvaſi è latibulis
ſuis educentur, eoqve facilior labor erit, ſi Benzianis vocabulis numeri paginarum,
qvi in Schönslederi Apparatu male omiſſi, & à nobis reponendi ſunt, adjiciantur.
26 * Mallem ego tali Opere univerſali à viro docto & ſagaci ordinato uti, qvam tiro-
nibus autor eſſe, ut illâ ratione excerpta inſtituant, non parum tædii & difficultatis

in titulis inveniendis & rectè locandis vocibus habitura; præſertim cum & alia attendenda ſint in oratione & ad Excerpta ſua referenda, qvæ non commodè ad Sturmianos locos reduci poſſunt: Qvò intuiti ſunt, qvi ordinem non adeo ſollicitè quærendum volunt, Viri ſummi & qvi in literis magna præſtiterunt. * Sæpe, qvæ no- 27
ſtro inſtinctu qvocunqve ordine collegimus, plus non juvant, qvàm qvæ aliorum conſilio colligenda ſuſcepimus. Qvamdiu adeſt ille, qvi methodum colligendi dirigit, omnia expedita erunt: ſed ubi ſuo arbitrio relinqventur tirones, ſæpius hærebunt & in convenientibus titulis inveniendis vehementer laborabunt. Qvando enim omnes illæ notiones ab initiis & primis ac remotis ſedibus arceſſuntur, tenet illa cogitatio animos anxieqve circumducit. Qvare præſtat interdum titulos, qvos res ipſa ſuppeditat, ſine ullo ordine ponere, qvi accuratius ſæpe formabuntur, cum ex rei ſenſu formantur, qvam ubi longâ reductione ad prima illa ſua elementa revocantur. Qvemadmodum in ipsâ corporum ἀναλύσει inutilis eſt & ſupervacanea opera, ſi ad illa ςοιχεῖα prima reducere omnia velimus, plus verò utilitatis habet ad proxima illa, qvæ rem componunt, reſpicere: ita & in oratione fieri æqvum eſt. Qvare mihi ſemper placuit methodus illa, ut tituli ex occaſione inter legendum obvii ponantur, facile per indicem poſtea in ordinem redigendi. * Collectio verò eâ formâ in- 28
ſtitui poteſt, qva uſus eſt Basilius Faber Soranus *in Locis Obſervationum ex Epiſtolis familiaribus Ciceronis, qui Lipſiæ Ann. 1576. editi ſunt*, & in libello *de Synonymiâ Terentii ibid. Ann. 1562.* edito. * Fecit verò certo conſilio, ut ex uno potius Au- 29
tore, ſedula lectione trito, qvàm ex multis temere lectis excerperet. Sic enim unum familiarem effici Autorem judicat, cum ceteri, qvi ex omnibus aliqvid mutuantur & deſcribunt, ab omnibus ſimul avocent; Unius vero Autoris familiari & aſſiduâ lectione orationis virtutes, ab Autore de induſtriâ occultatas, ſæpe deprehendi, & qvidem rectè, putat. Præterea fixam & immotam qvis regulam habebit, ad qvam in omni imitatione reſpiciat. Idem Lipſius in *Inſtit. Epiſtol. cap.*12. obſervandum autumat, qvi Phraſes ſeorſim poni vult, Tullii ſolas, Plauti & Terentii ſolas, Hiſtoricorum ſolas: cum tamen ipſe in uſu ad hæc non attendat, ſed omnia miſceat. * Sed ta- 30
men & in titulis ponendis non ſatis accuratus eſt Baſilius, ac Lexica excerpta Phraſeologicis miſcet. Cur enim ſub titulo *Abhorrendi* ponam iſta: *Abhorrent à communibus præceptis. Cum ab eâ ſententiâ Pompejus valde abhorreret: Abhorrebam ab urbe relinquenda?* qvæ rectius ad titulos *Nolle*, *diſſentire*, referrentur. Ita: *Incredibile gaudium nobis objicitur*, non ad titulum *objiciendi*, ſed ad titulum *gaudii* pertinet; Niſi forte ad Lexica excerpta referre velis. Qvare iſtud Terentianum: *Quæ ſi non aſtu providentur, me atque herum peſſundabunt*, ſub titulo *Peſſundare* ponitur, nec potius ad titulum *periculi* refertur? nam ad magnum, qvod inſtat periculum, ſenſus verborum reſpicit, qvi ſemper in illis excerptis attendendus eſt: vis enim ſententiæ, non ſignificatio verbi, qværitur. * Titius in *Manuductione ad Excerpendum* 31
*n.*18. *&* 21. Schönslederi Apparatum, Comenii Lexicon Latino-Latinum, aut Calviſii Theſaurum pro Duce aſſumit, cujus veſtigiis inſiſtere jubet eum, qvi Phraſes colli-

 get;

get: tùm ne labor in colligendis iis, qvæ alii notârunt, inutiliter inſumatur; tùm ut via ipſi certa ſit, qvâ ducatur. Ego præ ceteris omnibus Schönslederi Apparatum, ut jam antea feci, commendo, optimo delectu adornatum, ſed qvi augeri multis modis poſſet, tum ex aliis ejusdem generis Scriptoribus, Baſilio Fabro, Pareo, (cujus in Calligraphia etſi multa bona ſunt, incondita tamen titulorum & Autorum variæ ætatis farragine obnubilantur) tùm novis collectaneis, qvalia ſolertibus Scholarum Rectoribus qvotidiano labore, cum Autores Claſſicos juventuti prælegunt, coa-
32 cervari facili negotio poſſunt. * Non audiendus ergo eſt Qvintilianus, præclarus aliàs eloqventiæ Magiſter, cum *lib. 10. c. 1.* omnem illam Synonymorum colligendorum rationem damnare videtur. *Equidem ſcio*, inqvit, *quosdam collecta, qvæ idem ſignificarent, vocabula ſolitos ediſcere, quo facilius & occurreret unum ex pluribus, & cum eſſent uſi aliquo, ſi breve intra ſpatium rurſus deſideraretur, effugiendæ repetitionis gratiâ ſumerent aliud, quo idem intelligi poſſet. Quod cum eſt puerile, & cujusdam infelicis operæ tum etiam utile parum: turbam enim modo congregat, ex quâ ſine diſcrimine occupet proximum quodque. Nobis autem copia cum judicio paranda eſt: vim orandi, non circulatoriam volubilitatem, ſpectantibus. Id autem conſequemur optima legendo & audiendo.* Hæc illo loco Qvintilianus parum conſideratè ſcribit. Nam cum antea dixiſſet, verba aliis alia eſſe magis propria, aut magis ornata, aut plus efficientia, aut melius ſonantia, qvæ nota non ſolum eſſe omnia debeant, ſed in promptu atqve in conſpectu, ut facilis ex his ſit optimorum electio: qvomodo electionem illam inſtituet Orator, niſi collegerit & in numerato habuerit!
33 qvomodo in numerato habebit, niſi conſignaverit, vel edidicerit? * Dixeris, ultro ſe ingerent lectione multâ freqventata. Sed qvid vetat uſu percepta memoriæ causâ congerere? In memoriâ certe hærere debent; modo cum delectu & judicio adhibeantur, qvod præ ceteris reqvirit Qvintilianus. Vernacula erat ac domi naſcebatur illis oratio. Qvid tum? Etiam in notiſſimâ nobis linguâ, illuſtres formulæ, verba ſonantia, non ſemper memoriæ ſuccurrunt, ut ego Italis, Gallis in ſuis; nobis in Germanicâ linguâ omnino qvædam notanda exiſtimem: ut Græci oratores ipſi verba hiſtorica, politica, oratoria, poëtica, diligenter notarunt, qvorum vel fragmen-
34 ta vel indicia nobis ſuperſunt. * Certe Pollucis magna diligentia fuit in ordinandis & non ſolum ſecundum varios locos diſponendis vocibus, qva in re aliqvid Sturmiano conſilio ſimile eſt, ſed in ſynonymis & affinibus congerendis, cujus rationem ipſe addit (1) ὡς ὑπαλλύττειν δύναϑαι, ut ſubalternantia aut transmutata in orationis habitu variando habeamus (2) καὶ οἷς ἕκαςα ἂν δηλωθείη, ut ſint ſcilicet δηλωτικὰ & explanatoria, qvibus in periphraſibus & circumductionibus utamur.
35 * Ac ſanè, ſi vocum delectus origo eloqventiæ eſt, delectum illum cum curâ & collectione qvadam inſtitui debere ipſa res loqvitur.

CAP.

CAP. III.

DE EXCERPTIS SINGULORUM VERBORUM, ET OBSERVATORIIS.

§. 1. EXcerpta circa verba ſingula inſtituenda. 2. *de copia tamen verborum magis oratori laborandum eſt.* 3. *Thomaſii Excerptorum Methodus.* 4. *Liber Lexicus, quid contineat.* 5. *Indicum concinnandorum moleſtia non eſt iſta, quæ Ficheto videtur.* 6. *anxia iſta diſtinctio libri Lexici haud eſt neceſſaria.* 7. *Liber obſervationum quomodo inſtituendus.* 8. *Barbararum civilium vocum collectanea inſtituenda.* 9. *Germanicarum vocum Excerpta.* 10. *in delectu vocum quæ notanda.* 11. *Non omnia confundenda, ſed merè latina à merè criticis & philologicis ſeparanda.* 12. *Gloſſemata Quintiliani.* 13. *Aliorum obſervationes noſtris jungendæ.* 14. *Particularum collectanea.* 15. *Placcii Methodus in Vocabulorum obſervationibus laudatur.* 16. *Ordo Excerptorum Thomaſianorum in obſervationibus recenſetur.* 17. *Non elegantiæ tantum, ſed & ſimplices loquendi formæ, notandæ.* 18. *Formularum collectio in excerptis oratoriis docetur.*

DE *Phraſibus colligendis* multa ſuperiori capite diximus. Sed in Phraſibus ſolis illa cura excerpendi non ſubſiſtit. Plura ſunt circa verba conſideranda, qvæ hanc excerpendi induſtriam reqvirant. Ut oratio culta ſit, etiam ſimplicium verborum debet eſſe nitor, cultus, puritas. Nihil in illis debet eſſe peregrinum, ſolœcum, barbarum. Qvare hæc primo loco cura nobis ſuſcipienda fuiſſet, niſi Lexica aliqva ex parte eâ nos ſublevarent. * Ego de copiâ verborum prius mihi agendum duxi, cum de illâ magis Oratori laborandum ſit qvam de ſimplicibus verbis, qvæ ad Grammaticos & Criticos magis pertinere videntur, & qvæ ille ſupponit. Videbimus Virorum doctorum aliqva conſilia. * Extat *Cl.* THOMASII *in Erotematibus Rhetoricis* conſilium de Locis communibus in eloqventiâ faciendis. Tres ille libros Exerptorum facit. *1. Librum Lexicum.* 2, *Obſervatorium.* 3. *Formularum.* Sed nos, qvæ ex his ad oratoria pertinent, nunc ſeponemus. * In *Libro Lexico* ſub ſingulis vocum titulis ordine fortuito colligi vult, I. voces raras, ſingulares, ignotas, alioqve & elegantiori qvidem ſenſu uſurpatas; Qvod conſilium jam olim qvoqve Qvintilianus *lib.* 1. *cap.* 12. ſuppeditavit: *Id quod inter prima rudimenta non inutile eſt demonſtrare, quot quæq; verba modis intelligenda ſint. Circa gloſſemata etiam, id eſt, voces minus uſitatas non ultima ejus profeſſionis eſt diligentia.* Ita Statilius olim integro libro ſingularia Ciceronis collegit. II. Flexiones vocum, ſi in nominibus rarum aliqvem caſum, aut in verbis præteritum, ſupinum aut participium rarius inveneris. III. Phraſes, ubi earum differentiam à Germaniſmo notari vult. IV. Epitheta, qvibus & Adjectiva & Adverbia comprehendit. V. Appoſita, qvo nomine non ſynonyma tantum, ſed & cognata & affinia, qvæ verbis copulata inveniuntur, complectitur. VI. Oppoſita,

(Margin: 1 — beside "Sed in Phraſibus ſo-"; 2 — beside "Ego de copiâ verborum"; 3 — beside "Extat Cl."; 4 — beside "In")

qvor-

qvorſum etiam refert particulas, qvæ ſe excipere ſolent, aut reſpectum aliqvem inter
ſe habent. VII. Differentias à vocabulis affinibus: qvæ ut internoſcantur, porro ſin-
gulis præfigi certas qvasdam notas jubet. Qvæ qvidem omnia bene habent, & notari
ſic primum poſſunt; poſtea verò ſub ſuis titulis communibus inter phraſes locari: illic
enim melius inveniuntur, ac uſui ſunt. Ac pleraqve illorum jam tum iſto ordine in ſuo
Apparatu diſpoſuit Schönslederus, qvibus adjici iſta poſſunt ex Autoribus, qvi ſingula-
tim iſta omnia tractant, ac in lectione Autorum notata. Nihil tamen prohibet geminos
habere locos communes, tàm ſecundum voces ſingulas, qvàm titulos rerum diſpoſitos:
5 interdum enim his, interdum illis promptius utemur. * Phraſes itidem ſub titulis
collocandas ſuadet Thomaſius, ſeriem amplexus, qvâ utitur in elegantiis ſuis Calvi-
ſius: qvanqvam ego etiam hîc fortuitam locationem malim, facilè dehinc indicis ſub-
ſidio in ordinem redigendam. Non enim Ficheti judicium me terret, qvi rerum
ordinem præferens Indicem plenum tædii & faſtidii opus, & laborem Pſyches intri-
catiſſimum pronunciat. *Nam cum notæ*, ait, *quæ ad eandem rem pertinent, unoque
in loco paratæ & ad manum eſſe deberent, ſparſæ ſint ut Oſiridis membra, locis mille,
mille notandi ſunt numeri, paginæ adeundæ mille, quæ res ad reſtim redigit.* Non ſa-
6 nè tanti eſt iſta difficultas, qvam ille his coloribus depingit. * Poſſunt & multa
eorum, qvæ ſeorſim à Thomaſio notantur, ut Epitheta, Appoſita, Oppoſita &c. ad
titulos phraſium transferri, ut non ſit neceſſe tam anxiè & operosè illa diſtinguere;
7 præſertim cum jam tot Autores viam hanc ſtraverint. * In obſervationibus vo-
cum ego ſelectum aliqvem inſtitui malim, ut disjungantur Civilia, Oratoria, Poëtica,
Singularia, id eſt, qvæ ſemel tantum dicuntur, Dubia ob varias lectiones, Comica,
qvalia ſunt Plautina plurima, neqvaqvam in ſeria oratione uſurpanda. Sunt & Ger-
8 maniſmi vel ex Vorſtio vel è lectione ipsâ notandi. * In Civilibus conſulendum
eſt *Opus formularum Briſſonii*, ac Indices illi Freinshemiani & Böcleriani in Hiſtori-
cos confecti. Sæpius enim apud illos aliâ ſignificatione voces accipiuntur, qvàm fieri
vulgò ſolet. Novi Virum prudentem, qvi voces & phraſes barbaras civiles, in ſcri-
ptis publicis barbari ſeculi, & iis, qvæ nunc à Viris in Republicâ viventibus ſcribun-
tur, occurrentes, qvalia ſunt Acta publica, Capitulationes, Transacta, qvorum aliqva
Goldaſtus & alii collegerunt, excerpſit, tum ut ipſe intelligeret eorum ſenſus, ac ad
eorum genium, ſi opus eſt, loqvi poſſet: Multum enim eâ in re conſuetudini indul-
9 gendum. * Idem labor ſuſcipiendus eſt illi, qvi in Germanicâ linguâ civilem
eloqventiam affectat. Colligendæ enim illi ſunt è Receſſibus Imperii, Actis Lundor-
pii, Epiſtolis publicis, aliisqve ſcriptis, phraſes, formulæ, particulæ &c. qvæ freqven-
tius ibi occurrunt, & civilis uſus ſunt. Nec credat facile aliqvis, qvam ſit hoc adju-
mento futurum rerum negotia tractanti. Id ut faciamus, ſuadet etiam *Schraderus*
10 Commentar. in libr. 3. Ariſtotelis. De Poëticis poſtea dicemus. * Multa ad
delectum vocum pertinentia *Buchnerus in libro de commutata ratione dicendi* habet.
Imprimis verò hîc notari debent 1. Vocum propriæ acceptiones, variæ ſignificatio-
nes. 3. translationes, qvas poſteriores, ſi qvis velit, ab his ſejungere & ad Synonymo-
rum

rum loca transferre poteſt. * In his excerptis liberum unicuiqve eſſe poteſt pro 11
fine & ſcopo ſuo, ſi qvis eâ, qvæ ad latinitatem qvà talem pertinent, ab iis, qvæ merè Critica & Philologica videntur, ſeparare velit. Nam ad eloqventiam utilius eſt, ſi illa, qvæ puræ Latinitati inſerviunt, ſeorſim habeantur, ne laborem inqvirentis gravent.
* Philologica verò & Critica Excerpta, qvæ propriè γλωσσήματα vocare 12
videtur Qvintilianus, multa habent obſervata de peregrinis, etiam de corruptis vocibus, barbariſmis, etymologiis, qvæ ſi cum illis conjunguntur, mire omnia confundentur.
* Fundus horum Excerptorum eſt 1. in optimis claſſicisqve Autoribus, 13
qvicqvid ipſi obſervavimus aliiqve Viri docti, illuc pertinet. Modus autem obſervandi præſcribitur qvam optimè à *Schoro in præfatione phraſium Ciceronianarum.* 2. Pertinent huc commentarii Criticorum, è qvibus ſeligendi ſunt, qvi ad aureæ vel argenteæ ætatis Scriptores notas ſcripſerunt, & ad genuinum vocum uſum præ ceteris reſpiciunt. Qvicqvid enim illi jam tum obſervârunt, velut in lucro deputandum eſt. Itaqve illa tantum notentur qvam breviſſimè ac velut per indicem ad ipſos Autores remittendo, ſi ipſos Autores habeamus. Obſervata ſingularum vocum & phraſium, ſi ipſi peculiares libros huic negotio deſtinare nolimus, poni poſſunt ad Lexici alicujus marginem, aut Grammatici perfecti operis, qvale Voſſianum eſt. Ita & aliorum & noſtra obſervata juncta habebimus.
* De particulis ſeorſim etiam collecta- 14
nea inſtituenda eſſent. Nam, qvamvis intermiſceat qvædam Thomaſius titulis ſuis communibus; plura tamen poſſunt de iis notari.

Non contemnendus eſt modus ille, qvo doctiſſimus Placcius in vocum rario- 15
rum collectione uſus eſt. Nam ut *ex Hiſtoriâ Excerptorum ejus*, libro de arte excerpendi annexâ, diſcimus, vocabula, qvæ in Calepino habentur, Anagnoſten ſibi prælegere juſſit, omiſſis teſtimoniis, iis qvæ ſibi rariora videbantur, plumbagine ſubductis, illa in chartis per plicaturam infractis exſcribenda curavit, ſpatio relicto, qvo notarentur à Calepino omiſſa. Hæc iterum, cum labor creſceret, per indicem contraxit, ſignis additis, qvæ voces antiqvatas, novatas, poëticas, Græcas, barbaras, ſuſpectas, notatas aliis partim & vindicatas, alioqve diſcrimine notabili, obſervatu præ aliis dignas, qvà ſeparatas qvà conſtructas, fruſtrà apud alios Lexicographos qvæſitas, ſecernerent. Parvo illo ſemper ad manum poſito codicillo feliciſſimè ſe uſum profitetur. Primum enim vaſtorum voluminum mole tractanda ſuperſedere potuit, deinde ob coadunationem vocum rariorum, uno intuitu, ſemotis allegatis ſeſe conſpectui exhibentium, promptior earum inventio fuit: Qvod certe imitatione dignum compendium eſt.

Secundus Excerptorum liber Thomaſio *Obſervatorius* dicitur. Qvanqvam 16
enim & illa, qvæ in priori occurrunt, obſervationum nomine appellari poſſint, ac appellentur etiam ab aliis, maluit tamen ita diſtinguere. Ea, qvæ hîc ſub titulis locantur, duplicis ſunt generis. Pertinent enim vel ad copiam verborum, vel ad collocationem eorundem. Copiam verborum ad ſeptem fontes revocat, 1. Synonymiam, 2. Commutationem, Æqvipollentiam, 4. Dilatationem, 5. Tropos 6. Figuras di-

ctionis, 7. Figuras ſententiæ. Ad priores qvatuor refert variationem, dilatationem, extenſionem, abſorptionem, una cum figuris Grammaticis. Variationis plurima ſunt genera, qvæ recenſentur ſtudioſiſſimè ab Eraſmo, ad cujus exemplum ſimilia notari poſſunt. Vult autem hic non qvælibet, ſed illuſtriora notari, ac ea præcipue, in qvibus Germanica noſtra lingua diſſidet à Latina, e. g. cum Latini pluralem adhibent, nos ſingularem; cum illi Conjunctivo utuntur, nos Indicativo, & contrà &c. Dilatatio fit per Epitheta & verba, qvæ Extenſioni inſerviunt, ut, volo, poſſum, do, eo, facio, ac ſimilia, e. g. velle aliqvem mulctatum, pro mulctare; dare expeditum, pro expedire &c. Abſorptio eſt, cum fit mutatio conſtructionis, aut modi finiti in infinitum, aut participium vel Gerundium particulam aliqvam abolevit: Ubi illa abſorptionum exempla præcipuè notanda, qvæ in linguâ Germanicâ ſunt aliena. Cum qvibus tamen non confundendæ ſunt Ellipſes & Pleonaſmi, qvorum itidem exempla ſunt notanda. Ad collocationem verborum refertur divulſio; cum voces, qvas ordo naturalis conjungi poſtulabat, aliis interpoſitis dirimuntur. Interpoſitio eſt, qvando vox una vel altera interponitur, aut integrum comma, vel etiam qvaſi Periodus, qvorſum & Parentheſes referendæ: Antepoſitio, cum vox, qvæ ſeqvi debebat, antecedit: Poſtpoſitio, cum contrà. Pertinent & huc particulæ, verba, nomina periodos incipientia ac finientia, vel connectentia, qvæ diligenter notanda: qvorum qvantus uſus ſit, nemo facile credet, niſi qvi exercitio didicerit. Notari etiam ſeorſim poſſunt particulæ vel verba, membra Orationis, Hiſtoriæ, Epiſtolæ inchoantia, qvæ vehementer juvant ipſum ſcribendi exercitium. Ceterum cum multa pars horum omnium collecta ab elegantiarum Scriptoribus ac Grammaticis obſervatoribus, legere illa potes, qvæ ab aliis jam notata ſunt, & in unum aliqvod corpus congerere, iisqve deinde ad-
17 dere, qvæ tuâ lectione obſervaveris, * Rectè etiam monet Thomaſius, non ele-
gantias tantum illas, ſed & formas loqvendi ſimplices eſſe notandas. Non enim ſemper elegantiis eſt locus, eſtqve ubi faſtidium pariant, nimis freqventer adhibitæ. Idem Sturmius ſuadet, non marmora tantum, ſed & lapides & lateres ad orationis
18 ſtructuram comportandos. * Formulas nos ad Excerpta Oratoria rejecimus.

CAP. IV.

EXEMPLA EXCERPTORUM LEXICORUM ET OBSERVATORIORUM.

§. 1. Excerpta lexica & Obſervatoria etiam Græcis in uſu: Adducuntur exempla Phrynichii Strabii, 2. Epiterſis, 3. Hegeſinacis, Parmenionis, Galeni, Lavinii 4. Talia è commentatoribus circumſpectè colligenda. 5. Exempla quædam noſtri libri lexici, Primum de voce Inſanus, Inſania, Inſanire. 6. Ejus variæ ſignificationes. 7. Poſſunt & ad librum phraſeologicum referri. 8. utilius tamen in libro lexico notantur. 9. Loca integra autorum in iis Excerptis non mutilata notan-

notanda. 10. *Improbatur eam ob cauſam Wendelini Medulla Latinitatis.* 11. *Secundum exemplum de voce corpus.* 12. *Hujus variæ ſignificationes.* 13. *Verba civilia.* 14. *Singularia.* 15. *Dubia vel falſa.* 16. *Comica.* 17. *Lectio Plautina judicium requirit.* 18. *Poëtiſmi ſolutæ orationis.* 19. *Germaniſmi laudabiles.* 20. *Ii temerè non affectandi.* 21. *Germaniſmi vitioſi.* 22. *Dilatationes & Extenſiones.* 23. *Parentheſes.* 24. *Connexiones Periodorum.* 25. *Connexiones Hiſtoricæ notandæ.* 26. *Voces ſonantiores & polyſyllabicæ notandæ.* 27. *Minores formulæ phraſibus accenſeri poſſunt.* 28. *plures claſſes excerptorum obſervatoriorum dantur.* 29. *Johannis Rivii Excerpta in verbis recenſentur.* 30. *Titii Diatriba de arte numerandi laudatur.* 31. Σολοικοφανῆ *veterum Autorum ad Excerpta obſervatoria pertinent.* 32. *Boni Autores non ſecundum Grammaticorum regulas, ſed hæ ſecundum illos judicandæ ſunt.*

PRopoſui Thomaſii methodum, à qvâ non magnopere diſſentio, niſi qvod in 1
libro Lexico diſtinctius verba proponi velim. Ac fuit illa excerpendi methodus admodum vetuſta, ut diſcimus ex Photio, qvi meminit cujusdam *Phrynichii Strabii*, qvi de verbis oratoriis, hiſtoricis, vulgaribus, libros 37. ſcripſit, qvorum titulus: Σοφιςικὴ παρασκευὴ h. e. Apparatus Oratorius. Et exſtat adhuc aliqva Epitome ejus, à Petro Nunneſio in lucem edita. * De verbis Comicis ac Tra- 2
gicis *Epiterſes* Grammaticus ſcripſit, ut liqvet ex Stephano de Urbibus. * De Poë- 3
ticis *Hegeſinax* Alexandrinus, ut ex Athenæo diſcimus. De Hiſtoricis *Parmenio* Byzantius. *Galenus* nominum πολιτικῶν libros qvinqve ſcripſit. De verbis ſordidis ſcripſit *Publius Lavinius*, ut patet ex Gellio *lib.* 20. *cap.* 10. Plures Autores veteres enumerat Schefferus *libro de Stylo cap.* 11. §. 12. * Colligi talia multa poſſunt è Com- 4
mentatoribus in Autores, qvorum ſtudium laborem noſtrum levabit. Sed circumſpectè tamen etiam in his verſandum: Nam & illi nonnunqvam labuntur.

Ut exemplum aliqvod adducamus, ad librum Lexicum referas hæc de voce 5
Inſanus, *Inſania*, *Inſanire.* * Voces illæ apud veteres ſingulari ſignificatione in- 6
terdum accipiuntur. Primò pro vehementia omni & excellentia in re ſeu bona ſeu mala, ut: Plaut. Trinumm. Act. 3. Scen. 2. *Inſanum malum* i. e. magnum. Bacchid. Act. 4. Sc. 5. *Inſanum magnum negotium.* Moſtell. Act. 3. Sc. 4. *Inſanum bona porticus*; Auſonius de Crœſo: *dives inſanum in modum.* Hinc Caſaubonus ad Athenæum *lib.* 13. *cap.* 5. docet, Veteres, cum aliqvid vehementer extollerent, ſolitos tanqvam exclamantes orationi ſuæ vocem μανία inſerere: unde manârunt illæ locutiones, μανικὸν ὅσον μέγα i. e. *inſanum magnum*, Virgilius *turbines inſanos* vocat, & fluctus. Qvin & ipſi Hebræi hâc loqvendi formulâ utuntur. Nam vox הלל ſignificat 1. inſanire, 2. laudare, 3. ſplendere, 4. jactare, 5. inſano impetu agitari: qvæ ſignificationes in eo conveniunt, qvod cum vehementiâ qvadam conjunctæ ſint, vid. *Jerem.* 46. *v.* 9. Græcis etiam freqvens admodum eſt: illi enim magnum amorem & ſtudium voce μανίας exprimunt. Ita δοξομανὴς gloriæ cupidus, ἡλιομανὴς cicadæ epitheton, χρυσομα-

σομανὴς, *ἱππομανία* ſtudium eqveſtre, *ὁπλομανία* ſtudium militare. Ad copiam etiam & luxuriem illis transfertur, ut ſunt voces, *παρπομανὴς*, *ξυλομανέω*. Ita apud Latinos Plinius *lib. 16. v. 27.* vites inſanas vocat, id eſt inſolitæ fertilitatis. Hinc ſingularibus plane ſignificationibus ad alia transfertur. Cicero pro magnificis in ædificando ſumptibus voce illâ utitur, pro Milone col. 777. B. *Inſanæ ſubſtructiones.* Autor ad Herenn. lib. 4. col. 71. G. *Tametſi in Tuſculano quidem cœpi inſanire & in iisdem fundamentis ædificare.* Ad Qvint. Fratrem lib. 3. ep. 1. *Ea villa, quæ nunc eſt, tanquam Philoſophia videtur eſſe, quæ objurget ceterarum villarum inſaniam.* Huc pertinet illud Plinii lib. 18. c. 5. *Optimum eſt alienâ inſaniâ frui*, i. e. ſumptuoſa ædificia ab aliis magnis ſumptibus & laboribus exſtructa exiguo pretio ſibi comparare, eaqve inhabitare. Falſus itaqve eſt Eraſmus, qvi eundem horum verborum ſenſum exiſtimat, qvi eſt verſiculi illius vulgati:

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

Si qvis enim cetera antecedentia & ſeqventia inſpiciat, facile verum hunc eſſe ſenſum videbit. Accipitur etiam vox *Inſanire* de qvocunqve immoderato ſumptu, Plaut. Milit. Glorioſ. Act. 3. Sc. 1. v. 159. *Quid opus hoſpes ſumptu tanto noſtri gratia? Inſaniviſti hercule.* Huc referendum qvoqve illud Virgilii Eclog. 3. *Inſanire libet quoniam Tibi*, i. e. Sponſionem facere ſumptuoſam. Et illud Terentii Phorm. Act. 4. Sc. 4. verſ. 37. *At primo homo inſanibat*, id eſt, incredibile pretium poſcebat.

Patet vel ex unico hoc exemplo, qvomodo congeri obſervationes ſingularium
7 ſignificationum in libro Lexico debeant. * Qvanqvam etiam iſtæ acceptiones omnes ad librum phraſeologicum ſub titulis ſuis poſſint reponi, e. g. ſub titulo *ædificandi*: Cœpi inſanire in Tuſculano. Inſanæ ſubſtructiones. Sub titulo *Habitandi vel Commodi*? Inſaniâ alienâ frui. Sub titulo *ſumptuum*: Qvid opus fuit hoc ſumptu noſtri gratia? Inſaniviſti hercule. Sub titulo *laudandi*: Inſanum bona porticus (qvanqvam hæc magis Comica, qvam Oratoria phraſis eſt). Sub titulo *laboris* vel *negotii*: Inſanum magnum molior negotium. Sub titulo *pretii* vel *æſtimationis*: Primo homo inſanibat, i. e. incredibile pretium poſcebat. Atqve ſic notata magis uſui in ſcriben-
8 do eſſe poſſunt. * Utiliſſimum tamen eſt etiam ſeorſim in libro Lexico notare, cum mirè hoc faciat ad loca ſimilia in Autoribus explicanda, ad qvod prodeſſe liber phraſeologicus ſub titulis digeſtus non poteſt. Debent etiam ipſa verba ſingula rariora ſub titulis phraſeologicis notioribus conſignari: qvod facit *Schönslederus in apparatu elo-*
9 *quentiæ*, & ſuadet etiam *Titius in Manud. ad Excerpendum.* * Loca etiam integra tam hîc, qvam in aliis libris excerptoriis, notanda ſunt: ex appoſitis enim judicium de vero ſenſu ferendum eſt, patetqve ex eo, phraſin alia occaſione dictam probam & lau-
10 dabilem, ad aliam translatam ineptam fieri. * Qvam ob cauſam reprehendendi ſunt Autores, qvi phraſes ita nudè congerunt, ut fecit *Wendelinus* in Medulla Latinitatis. Cui viæ ſi ſemper inſtiteris, qvæ ſic colliges, plenioris alicujus Lexici vicem præſtare poterunt. Nunqvam tamen obſervationibus ipſis ita fidem habeas, ut loca ipſa Autorum non conferas.

* Si-

* Simile Exemplum eſt, qvod ad hanc claſſem pertinet, etiam illud, qvod 11
Jodocus Willichius libro *de verborum copia comparanda cap.* 15. affert de Voce *Corpus*, qvod proprie eſt maſſa ex artubus, oſſibus, nervis &c. conſtans, aut aliqva mole rei corporeæ. Cic. 2. de Oratore: *Corpus ſine loco intelligi non poteſt.* * Cor- 12
pus pro carne. Cicero: *Et vires & Corpus amiſi.* Idem 2. de Nat. Deorum, *oſſa* vocat *ſubjuncta Corpori*, i.e. carni. Conjunctim dicitur ap. Martialem: *Inque omni nusquam corpore corpus erat* Apud Ciceronem *corpus defenſionis* per translationem dicitur. Lucretius lib. 2. mare ſalſum *Neptuni corpus acerbum* vocat. Idem: *Condenſa Corpora lapidum.* Idem ventos *cæca corpora* vocat. Accipitur pro opere ſcripto. Cic. *A principio conjurationis usque ad reditum noſtrum videtur mihi modicum quoddam corpus confici poſſe:* pro tribu & turba populari. Livius: *ſui corporis Regem creare volebant.* Cajus *Collegiorum corpus* dixit. Cicero *contemperationem corporum* dicit. Cic. ad Attic. *ad corpus ejus acciperet.* Addimus his illa. Corpus pro *homine ipſo*, qvemadmodum & σῶμα apud Græcos. Notat Voſſ. *Inſt. Orat. lib.* 4. *p. m.* 141. Vid. Magius *lib.* 1. *Miſc. cap.* 12. Radulph. Fornerius *lib.* 2. *Rer. quotidian. c.* 26. Huc pertinet Anglica illa loqvendi ratio *No-body*; *ſom-body*, *nullum corpus*, *aliquod corpus*: id eſt: *Nemo*, *aliquis*. Solent & *Servi* ita vocari. Epiphanius in Ancyroto. δεσπότης ὀγδοήκοντα σωμάτων. Herus octoginta corporum. Atqve hoc nomen credo cum *pecoribus* commune habuiſſe, qvæ & corpora vocabantur. Aperte habetur in *l. ſi ſervus* 21. §. *Et ideo ait.* 2. *ff. de Evictionibus & dupli ſtipulationibus.* Vide & Caſaub. *cap.* 10. *lib.* 5. *Animadverſionum in Athenæum* & inprimis Mauſſacum in *notis ad Harpocrationem p.* 125. Gatakerum in *diſſertatione de Novi Inſtrumenti ſtylo cap.* 10. *p.* 104. Corporati inter Studioſos qvi dicantur in *l.* 1. *Cod. Theod. de ſtud. liberal. urb. Rom.* videatur Conring. in *Diſſert. ad illam legem p.* 49. 50. Infinita talia notari poſſunt, & nunc aliqvâ ex parte Hofmannus in *Lexico ſuo Univerſali Philologico* hujus laboris rudimenta poſuit, in qvo ego accuratiorem Autorum deſignationem, unde illa deprompta fuerunt, reqviro.

Eodem modo colligantur ſeorſim, vel ſaltem notis diſtinguantur 1. *Verba* 13
Civilia. Civilis ſenſus eſt, cum apud Curtium dicitur: *Avare ac ſuperbe imperare.* Phraſis enim hæc de Tyrannico regimine intelligenda eſt. *Suis vel alienis auſpiciis rem gerere* qvid ſit, is ſciet, qvi novit apud hiſtoricos *auſpicii* voce intelligi adminiſtrationem atqve executionem cum ſumma poteſtate conjunctam, de qvâ videri poteſt integra diſſertatio Böcleri de Auſpicio Regio. *Paulatim inſurgere* apud Tacitum *lib.* 1. *Annal. Cap.* 2. eleganter explicat Böclerus in Commentario ad illum locum *num.* 8. & 9. & Heinſius in laude Aſini. Cum apud Curtium dicitur *Perſarum imperium magis concuti quam affligi*, notabis per concuſſionem ſignificari converſionem Reip. vel mutationem ſtatus, per afflictionem everſionem & interitum. Atqve hæc omnia notanda bene ſunt, ut de civilibus rebus loqventibus civiles phraſes, qvibus paſſim utuntur hiſtorici, non deſint. * 2. *Singularia.* Qvò referas e. g. iſta. *Vacuefacere* ap. 14
Nepotem; *Leno* pro Legato apud Juſtinum, lib. 1. *Lætacio* pro Lætitia ap. Cæſarem,

Noctuabundus, *Sylva vindicata*, *Muginari*, *Puniri* aliquem pro Ulciſci. *Rauduſculum*, id eſt, pecuniola, æs enim veteribus Raudum vocabatur. *Tagax*, *mulieroſus*, *dieticula*, al. legunt: *diecula*, & complura alia, qvæ ap. Ciceronem occurrunt, & colligi poſſunt è Frobenii penu Tulliano. *Adoptatiſſimus* pro Exoptatiſſimus (ita legunt MSS. Gothofrediana editio habet optatiſſimus, qua voce Ciceronis filius utitur *l.* 16. *epiſt. fam. ep.* 21.) Huc refer etiam, qvod ibidem habet: *Omnia velles mihi ſucceſſa*, qvod Henricus Stephanus in Pſeudo-Ciceroniano ne latinum qvidem credit, qvanqvam alii defendant. Vide *Taubm. ad Plauti Pſeudolum Prolog. verſ.* 8. *Voſſ. de Analogia lib.* 4. *cap.* 13. *Dextella* pro dextra *Cic. ad Attic. lib.* 14. *epiſt.* 23. *Calculo*, *onis*, pro Calculatore. His & ſimilibus vel planè non vel parcius utendum. Plura eorum ſingularium è variis Autoribus dedit Balbinus in *Veroſimil. humanior. diſciplinar. cap.* 3.

15 *& in Notis ad hac Veroſimilia.* * 3. *Dubia vel falſa ob varias lectiones.* Quorſum referas *Præmiari*, Suet. Tito: cap. 7. *Nundinari præmiarique ſoliti.* Hic vocem præmiari qvidam exponunt, præmia largiri, alii præmia accipere. Alii legunt prædari. Rectius itaqve abſtinetur hác voce. Ita Bembus utitur voce *multiſſimus*, qvod putaret apud Ciceronem ita legi. At legitur in correctioribus exemplaribus: *Ex multis meis miſeriis* non *multiſſimis*. *Adhibere fidem* pro credere vulgo in uſu eſt, & nititur autoritate loci corrupti ap. Ciceronem de Divinatione lib. 2. Rectiora enim exempla habent: *Fides eſt habenda*, non adhibenda. *Delenitio* ap. Ciceron. 2. offic. legitur. Sed emendatiores Codices habent Delectatio. *Dememiniſſe* multi dicunt pro oblivisci, decepti corrupto loco apud Martialem lib. 2. epigr. 59. *Ipſe jubet mortis dememiniſſe Deus*, ubi rectius legitur *Te meminiſſe.* Apud Plautum legitur Act. 1. Sc. 1. Amphitr. *fugam in ſe convertitur.* Dubia hìc lectio eſt, ut phraſis ſecurè adhiberi neqveat.

16 * *Comica.* Qvalia infinita apud Plautum occurrunt, qvæ ſeorſim ponenda ſunt, cum ſint ad ſeriam & civilem orationem inepta, niſi forte in epiſtolis familiaribus, dialogis, ſatyris, aliisqve ſcriptis ludicris, ea joci gratiâ inſpergas; qvanqvam & hìc judicio opus ſit.

17 * Subactum itaqve judicium reqvirit lectio Plautina, ut mirer, in lectione autorum Plautum prætuliſſe Terentio Scioppium in epiſtolâ de *compendioſa linguæ Latinæ exactius cognoſcendæ ratione*, qvæ additur tractatui ejus de arte Critica. Qvod ſi in exemplum proponamus *Act.* 1. *ſc.* 1. *Amphitr.* ſtatim videbimus, quàm multæ ibi occurrant ſerviles argutiolæ, inaniter nonnunqvam confictæ, nec temerè imitandæ. Qvot enim hìc occurrunt phraſes, qvibus verberatio deſcribitur, nunqvam ſic in alia oratione uſurpandæ. *Advenientem hoſpitio pugnæ accepturus eſt.* *Pugnis facit hodie ut dormiam.* *Pugnos edere* pro vapulare. Sic in Rudente Act. 3. Sc. 4. *Jam tibi meſſis in ore fiet mergis pugneis.* Pœnulo Act. 1. Sc. 3. *majorem partem in ore habitas meo.* In eâdem ſcenâ Amphitruonis. *Homines quatuor in ſoporem collocaſti.* *Is me interpolabit meumque os finget denuo.* *Qui pugnis os exoſſas hominibus.* *Faciam ego hodie Te ſuperbum.* Nec uſurpaverim ego temerè alias phraſes, qvæ ibi occurrunt v. g. *penetrare ſe in fugam.* *Pallium alicui detexere.* *Adveniſti audaciæ columen conſutis dolis.* *Optime optimo optimam operam des.* *Nequiter ferire*

rire malam mala diſcit manus. Vulcanum in cornu concluſum geris. Qvæ omnia
neſcio qvid frigidiuſculi acuminis habent. Comicam Plauti & Terentii latinitatem
nuper ſingulari libro collegit in libro, cui titulus *Hortus Comicus*, Bartholdus Feind, Ham-
burg. 1688. edito, titulis per claſſes rerum diviſis. Sed vellem hîc Comica à pura latini-
tate fuiſſe ſejuncta. * 5. *Poëtiſmi in ſolutâ Oratione occurrentes.* Sic e.g. planè poëti- 18
cum eſt apud Tacitum lib. 2. Annal. *Sceninus promptum vaginâ pugionem vetuſtate obtu-
ſum increpans, aſperari ſaxo, & mucronem ardeſcere juſſit.* Livius dicit alicubi: *Pugna
ſeneſcit.* Sic freqventer ap. Tacitum occurrit: *Occultus odii, turbidus conſilii*; *Cuncta cor-
porum &c.* Apud Florum multa talia habentur. * 6. *Germaniſmi laudabiles.* Qvales 19
ſunt, *Accredere alicui, Adjurare alicui. Non poſſum ad nummos pervenire. Veſtis bene ſe-
det. Febrim nanciſci. Morbum nanciſci. Magnum ſe facere. Facere ſe hilarem: Pro fe-
lici aliquem aſpicere* &c. de qvibus plenâ manu Vorſtius. Sed magnâ hic cautione
opus eſt, ne malâ juncturâ phraſes illæ vitientur. * Qvod ſi qvis integram vel 20
epiſtolam vel orationem è meris Germaniſmis, utut laudabilibus, concinnet, vix cre-
diderim Latinis auribus illum ſe probaturum: Etſi enim phraſes per ſe bonæ eſſent, af-
fectatione tamen illa gratia orationi periret. * 7. *Germaniſmi vitioſi.* Qvorum inte- 21
gram ſylvam ſuppeditant Barbariſmorum notatores: Voſſius *de Vitiis ſermonis*, Vor-
ſtius de *Latinitate meritò ſuſpecta*, Borrichius *in Cogitationibus de linguæ Latinæ æta-
tibus*, Cellarius in *Antibarbaro & Curis poſterioribus.* * 8. *Dilatationes & Extenſiones*, 22
e. g. *Faxo acceptum* pro accipiam ap. Plaut. Cic. 1. off. c. 9. *Non patiar te deſertum*,
pro: non deſeram. Id ad Attic. lib. 1. ep. 5. *Non committam poſthac, ut accuſare me
de negligentiâ poſſis*, pro: non accuſabis. Plaut. *doctè illam perdoctam dabo.* Te-
rent. *Exornatum dabo.* Seneca Tragicus: *Demerſas dabo.* Cicero: *Cupiditates do-
mitas habere.* Plautus: *Carens fui*, pro Carui. Cic. in Orat. *Eſt, ut ſcis, his verbis lo-
quens Socrates.* Cic. de Divinat. lib. 1. *Faciendum videtur, ut diligenter etiam atque
etiam argumenta cum argumentis comparemus*, pro Comparanda ſunt. Pertinent
huc etiam extenſiones per particulas ab, ad, de, in, ut: *Fulgor ab auro, ſi mihi ſecundæ
res de amore meo eſſent*, pro amoris mei. *Adeone vobis videmur eſſe idonei*, in *quibus
ſic illudatis.* Trium verborum *Eſſe*, *Facere*, *Habere*, ut magnam extenſionem in La-
tinâ linguâ eſſe docet Riccius in Apparatu Elocutionis Latinæ, ſub voce *Eſſe*; ita variè
in Dilatationibus illa adhibentur: Qvibus *Dare*, *Mittere*, *Ponere* & alia nonnulla addi
poſſunt. Magnus ſanè earum dilatationum uſus eſt in copiâ orationi conciliandâ, in
qva *Plagiaſmi* magnam partem obtinent, de qvibus pluribus infrà agemus. * 9. *Pa- 23
rentheſes.* Qvarum magna interdum elegantia eſt in Oratione tàm ſolutâ quàm li-
gatâ. In Orationibus non pauca paſſim occurrunt. In Poëtis qvò magis elegan-
tiæ illic habent, diligentiùs notandæ. Tales e. g. ſunt. *Ignoſcite faſſo. Sic credidit
alma vetuſtas, Sæpe (recordor enim.) Quis poſſet credere? Sic me mea fata trahe-
bant. Parentheſis* octo verſuum eſt apud Virgil. 12. Æneid. De artificio hujus Poë-
ſeos vide Scaligerum libr. 5. cap. 3. libri de arte Poëticâ. *Si mens non læva fuiſſet.
Quis talia fando temperet à lachrymis. Quod minimè reris. Res eſt non parva.*

 Ut

Ut potius reor & potius Dii numina firment. Qui Te feliciter attulit Eurus (Eurus enim attulerat) ſi qua eſt modo corporis umbra. Inſanire libet quoniam Tibi. Liceat
24 *concedere veris. Ne me incuſes. Si quis modus. Nobis meminiſſe relictum.* * 10. *Connexiones Periodorum.* Ita notabilia Periodorum principia hæc ſunt, ut inter legendum occurrerunt conſignata, qvæ in meliorem ordinem digeri poſſunt; Etſi ſic coacervata promptius ſe uſui noſtro ingerunt. *Occurrit ex alio aliud. Neque inficior. Nec ſum ignarus. Non deprehendo illorum ſollicitudinem. Nondum commemoravi. Non alienum erat hoc loco. Ac primò quidem illud prætereundum haud eſt. Jam vero magnæ circumſpectionis opus eſt. Sed ſatius eſſet hæc ſilere, niſi ex ſe calamitates magnæ loquerentur. Dubito autem hic an-an-Oportunum erat hoc loco. Non poterant iſta ſatis occupare induſtriam tuam. Neque verò tantum de hoc, ſed & de illo. Quanquam neſcio magisne-an. Ita habeo & animum induco meum. Illud etiam me commovebat. At enim aridam orationem non ſequitur affectus delectationis. Atque adeò mihi concedendum eſt magis quod. Ad illecebras ætatis accedebat etiam forma. Quid illud quanti tandem faciendum putatis? Et quisquis eſt, qui putat. Niſi Orpheum audire præſtat. Mihi quidem neque fas videtur. Quanquam ego mihi ſic perſuadeo. Sed de his audietis in Locis. Longum eſt ire per ſingula. Mitto jam. Non credat hoc quisquam. Præterea accedit. Præcipuum. Proximum. Adhæc. Huc pertinet. Huic geminum eſt. Quid? quod. Quin etiam. Nam ad illud quod attinet, ſi--ſi--ſi poſtremo.* Hæc & multa alia colligi poſſunt, ſi velis diſtinctè, ratione membrorum Orationis, ut fecit Hugues, aut ſub certis Particulis, qvibus illæ formulæ reſpondent, ut fecit Elias Major in *libro de variandâ oratione*, &
25 multum adferent ad orationem elaborandam adjumenti. * Inprimis utile erit *connexiones Hiſtoricas* notaſſe, qvibus vel ab uno membro ad aliud, vel ab hiſtoriâ ad hiſtoriam, vel à Circumſtantiâ ad Circumſtantiam pervenitur. Eæ enim multum
26 ſæpe negotii faceſſunt. * Voces numeroſiores, ſonantiores, grandiores, polyſyllabicæ ſeorſim collectæ ac ſub pedibus ſuis diſpoſitæ inſervire numero oratorio formando poſſunt. Hunc colligendi modum vehementer ſuadet Scioppius in Epiſtolâ Conſultatoriâ de Stud. *Illud non poſſum, quin diligenter animis Studioſorum inſtillem, ut in lectione Ciceronis ſtudioſè cum vim verborum ſimplicium inveſtigent, eruant, erutasque in librum obſervationum referant: tum compoſitionem & numeros*
27 *à Cicerone, tanquam perfectiſſimo Oratore, frequentatos obſervent.* * De *Formulis* agetur, ubi ad Oratorios Locos communes pervenero. Minores verò formulæ accenſeri phraſibus poſſunt. Ita *e.g.* in Heautontim. *I, 1. verſ.* 4. 5. & 6. formula eſt, qvæ refertur ad Titul. monendi. *Verſ.* 9. & 10. formula eſt expoſtulandi, qvibus vel inter phraſes locus poteſt aſſignari.

28 Hæc qvaſi ſpeciminis loco adduximus, qvæ de verbis in excerptis obſervatoriis notari poſſunt. Neqve enim decem illas claſſes tantum qvis eſſe exiſtimet. Longè plura occurrunt, qvæ ſeorſim colligi merentur; ut oſtendere præ aliis voluit Johannes Rivius Athendorienſis in libro *Locorum Communium Philoſophicorum*, cujus

ſus mentionem *lib. I. c. 21. §. 115.* fecimus. * Primum enim Locos vocum *primæ* 29
impoſitionis, ut vocat, dedit, qvibus comprehendit ſimplicia rerum per claſſes certas deductarum vocabula, & quidem è ſolâ Herodoti hiſtoriâ, illum enim qvaſi in exemplum & ideam Univerſalem Locorum ſuorum Philoſophicorum propoſuit, Græcasqve loqvendi rationes, immiſtis interdum latinis, ex eo Auctore collegit. Typus ille generalis habetur pag. 102. eſtqve ad modum Sturmianarum claſſium, ſed diversâ tamen methodo, inſtitutus. Hinc procedit ad vocabula *ſecundæ impoſitionis*, qvibus illi primæ impoſitionis qvaſi qvibusdam notionibus Grammaticis cohibentur. Eorum locos 31. fecit: ut τὰ γενικὰ καὶ εἰδικὰ, Generalia & ſpecialia. Idem multa, diverſum ſignificantia, Agnomina, Cognomina, Denominata, Gemini nominis, πολυώνυμα, Comparativa, Superlativa, Poſſeſſiva, Diminutiva, Gentilia, Localia, Comprehenſiva, Partitiva, Relativa, Χρονικὰ, ea ſcilicet, qvæ tempus ſignificant, Arithmetica ſive Numeralia, &c. Qvorum multa ſeorſum poni non merentur, ſed addi phraſeologicis Excerptis poſſunt, aliqva vero locum omnino in libro Obſervatorio merentur, ut illa qvæ ad numeros exprimendos pertinent: * Qvorum colligen- 30
dorum utilitatem ſingulari Diatriba *de Arte numerandi numerosque Romano more efferendi* per ſimplices numeros, Decadas, Hecatontadas, Chiliades, Cl. Titius oſtendit. Neqve ſane cuivis in promptu erit illa numeros exprimendi facultas, ſed accuratâ & multâ ex Autoribus claſſicis obſervatione paranda erit: Neqve adeo diſtinctiè Gronovii libro *de pecuniâ vetere* aut aliis haberi poſſunt. Et præterea utiliſſimum idem Vir doctiſſimus laborem impendit in re pecuniariâ veterum cum noſtrorum temporum moneta comparanda, geminarum tabularum Schematiſmo in lucem edito. Sed hæc & multa alia in Titulis iſtis Rivianis ad τὰ τεχνικὰ generatim conſiderata referri poſſunt. Non exiguum tamen hinc fructum referet, qui Titulorum ſpecialium διατυπώσεις in Autore ipſo recognoſcet. His ſubjungit Locos 35. Exegeticæ Grammaticæ maxime proprios; Seqvuntur deinde conjuncta vocabula & περὶ τῆς τῶν φράσεων εὐπορίας, Loci XX. qvorum qvidem uſus aliqvis in Grammatica arte, in Phraſeologicis excerptis, quà talibus, nullus eſt; Hîc enim titulos reqvirimus è viſceribus rerum, non è Grammaticis technicisqve notionibus, depromptos. Qvæ de Periodis ſeqvuntur, ad Rhetoricam potius quam ad Grammaticam pertinent. Loci Syntaxeos variæ ad obſervatorium qvidem librum referri poſſunt: Sed in illis, quæ obvia, nec rariora ſunt, ſupervacanea colligendi opera eſt: ac notari talia ad accuratioris Grammatici opus poſſunt. * Inter illos tamen Rivianos Titulos ille: Σολοικοφανῆ 31
veterum: locum in obſervatorio libro meretur. Qvalia multa in Auctoribus claſſicis, in Digeſtis è veterum JCtorum libris excerptis, reperiuntur: è qvibus nonnulla congeſſit *Anton. Matthæi in Collegio Fundamentorum juris Diſp. 12. corollar.* ut vère σόλοικα judicans, qvæ tamen ſatis latina & exemplis optimorum Autorum probari poſſunt: ut ineptè vapulare illis Priſcianum exiſtimet; * Neqve enim Gram- 32
maticorum regulis boni ſubjici Autores debent, ſed ex illis Regulæ formari, vel Regulis exceptiones poni.

CAP. V.
DE EXCERPTIS CRITICIS, EXEGETICIS, ANTIQVARIIS.

§. 1. Excerpta Critica & Exegetica ad Autorum explicationem pertinent. 2. Critica à Grammaticis differunt. 3. Excerpta critica variarum Lectionum. 4. Exegetica Excerpta quomodo inſtituenda? 5. Commendantur pro uſu commentationis. 6. Indices Autorum, qui libris ſubjiciuntur, utiliſſimi. 7. quibus deficientibus, excerptorum libri conficiendi. 8. Indices in Face Criticâ Gruteri 9. qui tamen in pluribus iſtius tomis deſiderantur. 10. Uſus talium Excerptorum in Legibus Romanis, 11. in Codice Bibliorum. 12. Biblia Critica, quidque in iis deſideretur. 13. In ſcriptis Hippocratis & Galeni, Hofmanni officinalia. 14. J. C. Scaligeri & Bodæi à Stapel commentarius in Theophraſtum. 15. Salmaſii Hyle Iatrica. 16. Welſchius laudantur. 17. Excerpta Antiquaria quare Criticis jungi poſſint. 18. quid contineant. 19. quomodo inſtituenda. 20. Joſephi Laurentii Polymathia. 21. Cenſura Mareſii circa intemperiem quorundam Criticorum.

1 AD hanc claſſem referuntur qvoqve *Critica & Exegetica* Excerpta, etſi enim non ad Orationem ipſam pertinent, pertinent tamen ad Autorum explicationem, unde oratio formatur, iisque inſervire poſſunt, qvi commentaria in Autores parant, aut diſſertationes ſuper argumento aliqvo philologico ſcri-
2 bunt. * *Critica* à Grammaticis differunt: Nam etſi ſupra mentionem fecimus Gloſſematum & Collectaneorum Lexicorum, diverſa tamen hæc ab illis ſunt, & inſtituuntur ad ſenſus Autorum inveſtigandos, qvæ ego vocârim ad diſtinctionem cete-
3 rorum Excerpta *Critica & Exegetica.* * Adornari autem illa hoc modo poſſunt: Senſus accuratos in Autoribus qværimus, vel è variarum lectionum inveſtigatione, vel ex ipſo verborum ſenſu. Qvod ad varias lectiones attinet, illæ è MStis codicibus conſignari, vel ad margines librorum poſſunt, vel libris ſeparatis ſecundum Autorum paginas diſpoſitis; Nam ex collatione illarum ad veros ſenſus Locorum Autoris pervenimus.

4 *Exegetica Excerpta* ita adornanda ſunt: Adſcribenda ſunt ad margines Autorum loca Autorum, qvi explicant illa verba; vel ſeparatus adornari liber poteſt ſe-
5 cundum ordinem librorum Autoris; * Illa Excerpta ſi à primâ juventute inſtituantur, nunqvam deeſſe poterit materia in Autores commentaturo, vel lectiones ſuper illos inſtituturo. Habemus tot libros adverſariorum, obſervationum, qvibus varia Autorum loca explicantur: Illa omnia referre ad has velut ſedes ſuas poſſunt. Illuſtrantur nonnunqvam datâ occaſione in aliorum commentariis Autorum loca; etiam hæc referri illuc poſſunt. Non credat aliquis, qvanto uſui talia Excerpta ſint.

Sic

Sic qvoties occurrit aliqvid ad Virgilium, illud ad marginem Virgilianorum Operum ſcribatur: ita fiat & in aliis. * Subſidio hic eſſe poſſunt indices Autorum vel 6
laudatorum, vel emendatorum, qvi ſubjungi ſolent libris Criticis. * Hi ſi in 7
omnes Autores eſſent, & accuratè ſatis conſcripti, ſuperſedere hoc colligendi labore poteramus. Verum cum in plurimis illi deficiant, ac tumultuarie ſint conſcripti, nec loca Autorum ſtatim conſpicua ſint, rectius ipſi tales Excerptorum libros conficiemus. * Reperiuntur qvidem indices in Tomum 3. & 4. *Facis Criticæ Gruteriana*, in qvibus accuratè notata ſunt Autorum loca ac verba ipſa, addito ſemper Autore, 8
ubi explicatio invenienda; * Sed in reliqvis Tomis labor ille deſideratur, qvi tamen in tali Opere, & qvod ad illos uſus concinnatum eſt, ſummè eſſet neceſſarius; 9
Eum enim in finem Gruterus hos libros junctim edi curaverat. * Eodem modo 10
in Legibus Romanis vel in Sacro Codice Excerpta Exegetica qvis conficere poterit, magno futura uſui, ſi labor cum ætate & annis creverit. Nam in explicatione Legum Romanarum vehementer vacillamus; eſſetqve talium Excerptorum ad explicationem legum maximus uſus, ipſis etiam JCtis non obſervatus. Pleriqve enim ex illis parum de interpretatione genuina Legum Romanarum ſolliciti, ad auream praxin omnia conferunt: in qvâ ſolida legum interpretatio, qvæ ex his ſubſidiis petenda eſt, pro Scholaſticis tricis & inutili labore habetur. Illud tamen certum eſt, infinita reſtare in his agenda, qvæ talium Excerptorum beneficio confici poſſunt, ut nunqvam defutura ſit materia JCto, ſi novas Commentationes ſcribere in Leges velit, & qvidem eruditas: cum vulgares illi Commentatores non-niſi cramben coctam centies recoqvere ſoleant.
* Qvis eorum Excerptorum in Theologicis uſus, qvilibet ſane facile intelligit. 11
* Hinc ſanè *Biblia Critica* ortum ſuum trahunt, in qvibus illud fortaſſis deſiderandum eſt, qvod nimis conciſè omnia tractentur, & Autorum loca non ſatis accuratè notentur. Ex his tamen magnum uſum in Theologiam inferri, ſtupidus certe eſſet, 12
qvi negaverit. * Neqve adeò in Medicis talium Excerptorum uſus contemnendus eſt. Etſi enim non tam autoritatibus, qvàm rationibus, illa conſtent, eſt tamen, ubi Hippocratis & Galeni verba aliam aliamqve interpretationem admittunt: eſt ubi in nominibus morborum, in nominibus materiæ medicæ, magnus Philologiæ uſus eſt, qvem aliqvâ ex parte demonſtrârunt *Hoffmannus* in variis ſuis Lectionibus Medicis, in Officinalibus ſuis. * *Jul. Cæſ. Scaliger* in Commentario in 13
Theophraſtum de Plantis; *Bodæus à Stapel* alio in eundem Autorem commentario; 14
* *Salmaſius* commentario in Polyhiſtora Solini, qvi & ipſe Opus vaſtum de materiâ medicâ præ manibus habuit, cujus prolegomena jampridem edita. Nunc vero ipſum Opus de *Synonymis & Homonymis & Hyles Iatricæ* inter appendices Polyhiſtoris Soliniani nuper recuſi curante Lantino prodiit, qvo ille mirifice Medicorum labores juvat, non Latina ſolum & Græca, ſed & Orientali Nomenclatura rerum & 15
lectione inſtructiſſimus. * Multa in his præſtare potuiſſet *Hieron. Velſchius*, Vir ut in medicinâ, ita & in Græcâ & Orientali literaturâ, conſummatæ eruditionis. 16

Jungi his poſſunt *Excerpta Antiquaria*. Qvanqvam enim illa ad Hiſtoricos 17
videntur

videntur pertinere, nolim tamen miſceri cum illis. Cum enim Hiſtorica vel ad Ci-
vilem uſum congeruntur, vel ut accuratior ipſa hiſtoria habeatur, nimis prolixum
18 & tædioſum eſſet, in iſto cumulo iſta qværere. * Continent verò Excerpta
19 Antiqvaria ritus variarum gentium circa res certas. * Jam verò methodus illa colligen-
di varia eſſe poteſt: vel enim reſpicimus ritus illos, ſecundum ſolennia actionum hu-
manarum inſtitutos, atqve ſic ordo talis adhibendus eſſet, qvalis in Antiqvitatibus Ro-
ſini & Dempſteri. Sed præſtat potius ſeqvi ordinem rerum, illisqve collectaneis de-
inde ſubnectere indicem rituum, ſecundum varias in Republ. actiones diſpoſitorum.
Placet itaqve mihi, nuda hîc conſignari lemmata rituum, adjectis Autoribus, qvi de
illis agunt: nam exſcribere nimis prolixum eſſet. Velim deinde lemmata illa nu-
merari, appoſitis in fronte numeris, ſi forte unum lemma ad plures titulos pertineat,
ut non opus ſit, integrum exſcribi, ſed tantum paginam alterius tituli & lemmatis nu-
20 merum poni. * *Joſephus Laurentius in Polymathiâ ſuâ* libros & indices tales
confecit ſecundum Alphabeti ſeriem, ſed non ille ordo obſervatus eſt, qvi debebat,
& paucula illa tantum ſunt; poſſuntqve longè plura illis addi. Deinde neqve lem-
21 mata ſunt numerata, neqve ſub titulis diverſis repetita. * In his omnibus ta-
men, ſi ad uſum transferantur, modus tenendus eſt à Viris doctis, ne in Mareſii cen-
ſuram lib. 2. epiſt. 44. incurrant. Ita vero ille: *Nec plurimorum hujus ævi erudito-
rum morem æmulari convenit, qvi toti ſunt in apicibus ſyllabarum examinandis, vo-
cibusque appendendis, & in Criticis quisquiliis & in Grammaticis: nec in ullius libri li-
cet accurata editione unquam acquieſcunt, ſed ſemper hærent: aliunde etiam nimii in
antiquorum ritibus usque ad minutias & extremam anxietatem enucleandis & obſer-
vandis: quorum pleraque talia ſunt, ut ea ignorare Quintilianus fortaſſe inter Gram-
matici virtutes habiturus fuerit, & longe majora ac potiora in libris quærere, nec cir-
ca voces resque minimi ponderis & inutiles conſeneſcere oporteat.*

CAP. VI.

DE EXCERPTIS ORNATÆ ORATIONIS.

§. 1. *Excerpta ad ornatam dictionem pertinentia.* 2. *Phraſeologia ex Scriptoribus ſeculi aurei ſtruenda.* 3. *Ornatus orationis unde petendus.* 4. *Phraſes ſimplices & Expreſſiones differunt.* 5. *Exempla afferuntur.* 6. *Expreſſiones etiam ex autoribus dijudicandæ.* 7. *Ad eas accedat non nimis maturè tiro.* 8. *Librorum phraſeologicorum defectus hac in re notatur.* 9. *Johann. Merryweather in Anglis ſuis nimiam expreſſionum curam damnat.* 10. *Quæ cauſa malæ & impuræ latinitatis.* 11. *Elegantiarum collectio & uſus difficilis.* 12. *Anonymi Galli liber: La maniere de bien penſer &c. laudatur.* 13. *cujus nævi elegantiſſimis meditationibus penſantur.* 14. *in elegantiis maximè judicio opus eſt.* 15. *Primum inter expreſſiones locum habent Translata.* 16. *horum abuſus cavendus.* 17. *Robortelli in iis colligendis conſilium.* 18. *Moſellani Adagialium colle-*

collectio periit. 19. *Robortelli judicium de diverſitate Translatorum aureæ & ſequiorum ætatum.* 20. *Metaphoris quænam accenſeantur.* 21. *Conſilium de notandis translatis in Schönsledero.* 22. *Expreſſiones etiam è recentioribus colligi poſſunt.* 23. *Joh. Michaëlis Bruti laus.* 24. *Adagiorum collectio huc pertinet.* 25. *Tituli quomodo formandi.* 26. *quæ ad iſtiusmodi collectanea referenda.* 27. *Adagialia è Poëtis Græcis, Latinis.* 28. *Balandus, Rotmarus laudati.* 29. *Adagialia quædam ex Eclog.* 1. *Virgilii afferuntur.* 30. *Horatii ſermones laudantur.* 31. *Caſelii de iis judicium.* 32. *Adagialia quædam ex Sat.* 1. *adducuntur.* 33. *Eorum collectio magni uſus.* 34. *ut & metaphorarum collectio.*

CUm de iis, qvæ ad puram dictionem pertinent, Excerptis, *quinque prioribus* 1
capitibus egerimus, jam ad ea venimus, qvæ ad ORNATAM DICTIONEM referri poſſunt. * In Oratione omni primum ad proprietatem, hinc ad cul- 2
tum reſpicimus; proprietas conſiſtit in phraſeologiâ pura ſeculi aurei: Nam ex ejus ſeculi Scriptoribus phraſeologia exſtruenda eſt, inde corpus orationis formandum. * Inde cultus & ornatus additur, qvi non tam ex ipsâ linguâ, qvam conce- 3
ptibus qvibusdam argutis & analogiſmo rerum, naſcitur & phraſi ſuper imponitur, ſed tamen & ille ſuos qvosdam limites agnoſcit, qvos rei & characterum natura illi circumponit, & qvandam etiam cum genio linguæ convenientiam habet. * Non 4
habemus commodam in Latinâ lingua vocem, qvâ exprimamus, niſi forte Græcâ, non adeo aptâ, voce Emphaſes, vel Latinâ Expreſſiones dixeris. Hæ verò à phraſibus ipſis probè ſunt diſtinguendæ, neqve permittendum pueris, qvi nondum firmato judicio ſunt, ut iis temerè utantur. Qvod niſi obſervetur, putida & affectata oratio cum ætate in habitum ibit. * Sic e.g. phraſi purâ dico *magnas in illo ope-* 5
re moras ducit. Expreſſio eſt: *Dum molitur, dum comitur, annus eſt.* Item: *plusquam Ulyſſæis erroribus in hoc opere circumducitur.* Item: *teſtudineo gradu ad metam procedit.* Phraſis eſt: *rumor ceſſavit:* Expreſſio: *Rumor raucus factus eſt.* Phraſis eſt: *Securus jam ſum:* Expreſſio: *His tempeſtatibus prope ſolus ſum in portu. In alteram aurem dormio. Aliorum naufragia ex terrâ intueor. Omnibus machinis inexpugnabilis ſum. Extra teli jactum ſumus. Res eſt in vado ſalutis. In portu navigo. Subducere jam navim poſſum in pulvinarium.* * In his ſemper ad res 6
ipſas, ſemper ad Autores reſpiciendum eſt, & ad genium linguæ, ſi aliunde, non ex claſſicis Autoribus inferantur: ſi deniqve Comici vel Satyrici characteris Expreſſiones ſint; Qvalia non diſcernunt tyrones nullo uſu exercitati. * Separanda autem 7
illa ſtatim ſunt, ut ea maturè cognoſcere diſcat tyro, niſi forte jam tum in uſum communem ceſſerint: Tum enim eodem jure cum ceteris phraſibus, qvæ civilis uſus ſunt, cenſentur. * Vulgarium, qvos habemus, librorum Phraſeologicorum ille defe- 8
ctus eſt, qvod puras phraſes cum Expreſſionibus miſceant; deinde nec vocum phraſiumqve propriæ ſignificationes, aut particularum uſus, accuratè exhibentur, qvas in

numerato habere oportet primaqve ex iis, ut in pingendo tirones ſolent, lineamenta
ducere, anteqvam elegantiarum colores adhibeamus: Nam Expreſſiones magnam par-
tem ex ingenio dependent, niſi qvas forte Autorum uſus magis familiares fecerit.
9 *Scripſit JOHANNES MERRYWEATHER, Religionis Medici Translator, Anglicâ lin-
guâ diſſertatiunculam, cui titulus: *Directions for the latin longue* Londini 1681. im-
preſſam, in eo nobiscum conſentiens, popularesqve ſuos reprehendens, qvi nihil ele-
10 ganter dictum exiſtiment, niſi qvod poëticis oratoriisqve coloribus pictum ſit; * Un-
de fiat, raros admodum in gente ſuâ eſſe genuinæ Latinitatis ſcriptores. Qvod in-
genuum ejus de ſua gente judicium laudandum eſt, præ illis, qvi & Ciceroni & Vir-
11 gilio æqvales Oratores & Poëtas venditant. * Talium elegantiarum collecta-
nea & cenſuram inſtituere difficile eſt: Difficillimum rectè iis uti, qvod ſummum
12 judicium reqvirit. * Fuit inter Gallos ſuperiore anno Anonymus qvidam, qvi
librum ſcripſit, ejus tituli: *La maniere de bien penſer dans les Ouvrages d' eſprit*, ele-
gantem ſanè & doctum, qvo ille argutias & expreſſiones qvasdam tàm veterum qvàm
recentiorum ſcriptorum congerit, cenſuramqve eorum inſtituit: Qvâ in re profecto
13 maxima Critices pars conſiſtit. * Nam licet ſint in ipſo illo Cenſore, qvæ cen-
ſuram qvandam mereantur; qvâdam enim πατριδομανίᾳ laborat: Condonari tamen
illi talia in iſta elegantiſſimarum meditationum copiâ æqvum eſt. Id tantum miror,
eum, cum haberet inter antiqvos, præcipuè Hermogenem in libro *de Ideis*, qvi uber-
14 rimos harum elegantiarum fontes recluderent, ſuo potius ingenio niti voluiſſe. * Ne-
qve ſanè ita hæc à phantaſiæ libertate dependent, ut nihil certi in illis conſtitui poſ-
ſit; ſed maximus judicii in phantaſiâ dirigenda labor eſt, ne illa ultra limites feratur.
Cautè ſatis ab Ariſtotele, Longino & aliis τὰ ὑψηλὰ & μετέωρα, frigida & humi-
da, diſtinguuntur, in qvæ vitia incidunt expreſſiones non recte formatæ.
15 Primum inter ornamenta locum ſibi vindicant Translata. Metaphora
enim, præſertim ſi illâ latitudine accipiatur vox, qvâ uſus eſt Ariſtoteles, fons eſt
omnis culturæ & ornatus, imo omnis argutæ inventionis, qvæ in rerum analogiſmo
conſiſtit. In Translatis magna vis eſt Orationis exaltandæ & ad varias ideas forman-
16 dæ. * Ab ejus vero uſu mollis, urbana, acuta, ſublimis, gravis eſt oratio; ab
17 abuſu puerilis, inepta, frigida. * Conſilium hoc colligendi Translata ſuppedi-
tat Robortellus Comm. in Ariſtot. Poëtica p. 264. *Noſtrâ hâc ætate* (inqvit) *putâ-
rim nil utilius eſſe, quam ex veterum libris, qui dicendi laude floruerunt, omnes trans-
lationis formas modosquē colligere, ac animo ita complecti, ut pro ſuis aliquis utatur,
quando opus fuerit: Periculum enim eſt, ſi ex ſe confingat, ne disparem habeant analo-
18 giam, ne duriores ſint, ne minus cognitæ, ne inuſitatæ.* * Hoc aliqvando Petrus
Moſellanus in animo habuit, de qvo Melchior Adami in Vita ejus: *Erat Moſellanus
Metaphorarum obſervantiſſimus, earumque è Cicerone aliisque optimis ſcriptoribus
magnum acervum collectorum inſtar Adagiorum Eraſmi editurus opus, ſi annos ali-
19 quot ſupervixiſſet.* Sed periit hoc Opus non exiguo rei literariæ damno. * Nam
ut in vocum vero & proprio uſu autoritas omne punctum fert, ita nonnunqvam in

Trans-

Tranſlatis, qvod Robortellus qvoqve loco ſupra laudato notavit: *Quod ſi Ciceronianas translationes* (inqvit ille) *& eorum, qui eadem ætate vixerunt, conferas cum illis, qui poſtea ſcripſère, jam labefactatâ ac corruptâ Romanorum linguâ ob infuſam peregrinitatem, videas multum diſcrepare, magisque capiere illis quam his: Venuſtæ illæ ſunt, pares ac convenientes rebus, notæ, aptæ ac ſuaves, remque ob oculos ponunt, quaſi præſentem intuearis: Hæ horridæ, obſoletæ, & à rebus ignotis ductæ, diſpares.* Scilicet qvi optimè judicio in vocum delectu uſi fuere e præceptis eloquentiæ & indole ſeculi optima, ii eodem in Tranſlatis ſine controverſiâ uſi ſunt. De Flori Tranſlatis & Argutiis vide qvid judicet Grævius in Præfatione Commentarii in illum ſcripti. Vide & noſtram *Diſſert. de Patavinitate Livianâ cap.* 7.

Metaphoris accenſeri debent omnes illæ vel rerum vel actionum argutæ ex- 20
preſſiones, qvæ apud antiqvos tum Oratores & Hiſtoricos, tùm Poëtas, habentur, qvibus & addi illa à recentioribus excogitata poſſunt, non utiqve ſpernenda. Etſi enim hic primæ partes meritò antiqvis tribuuntur: tamen in ſecundis ab his omninò etiam recentiores conſiſtunt. Nam qvanqvam in his aliqva autoritatis & uſus, præcipua tamen rerum ipſarum ratio habenda eſt. * Cum neminem habeamus, qvi 21
è veteribus Autoribus Tranſlata collegerit, ut compendium aliqvod ſeqvatur Tiro, in Schönslederi Apparatu lineolis varii coloris illa ſubducat, ut in oculos legentis illa incurrant. Sic e. g. ſub titulo *acquirendi* ſubducas lineolâ. *Aliquid nummulorum expreſſeris. Videt ſe nihil poſſe ab eo abradere. Quibus allegationibus eam ſibi legationem expugnavit.* Sub titulo *Accipiendi* ſubduces: *Ex eo auro quod exterebratum eſſet. Decerpſimus LXXX. HS.* Doletus in commentariis Latinæ linguæ notata diligenter congeſſit, ſed non ſub titulos redacta.

E recentioribus Autoribus qvoqve talia colligi poſſunt. Sunt in Lipſii, Bau- 22
dii, Barlæi aliorumqve Epiſtolis in Satyricis ſcriptoribus & ſimilibus, multa ejus generis, qvæ obſervari merentur. * JOHANNIS MICHAELIS BRUTI Epiſtolæ ele- 23
gantiſſimæ, qvas *lib. 1. c. 23. & 24.* neſcio qvâ incuriâ omiſimus, multas tales expreſſiones tam Enthymematicas, qvâ morales, qvâ affectuoſas, qvàm argutas habent. Qvis enim illa non inter elegantias tales ſeponat (cum e. g. *lib. 4. epiſtolar. p. 155.* ita epiſtolam concludit: *Quod recta hinc ad Te non avolo, videor mihi Prometheus neſcio quis, non prout ille olim Caucaſi rupibus, ſed pertinaci deſiderio, quod me dies noctesque peredit, crudeli tabe tui videndi complectendique affixus.* Illis enim verbis expreſſio deſiderii, ad cujus titulum etiam referenda, proponitur. Ita cum alibi *pag. 162.* hæc verba habentur: *Non geſtare clitellas eqvum generoſæ indolis, non clitellarium conſpici aureis phaleris ornatum: non præfici pecori venaticum canem, non ſagacem, cujus ſit in venatione certior uſus &c.* hæc ad titulum: *Digna vel indigna dignis vel indignis tributa* referenda ſunt: Infinita ſunt, qvæ è variis Autoribus pro hoc inſtituto colligi poſſunt.

Pertinent huc porro *Adagia* & *παροιμιώδη*, qvæ vel jungi prioribus, vel ſeor- 24
ſim colligi poſſunt. De Adagiis eorumqve ſcriptoribus prolixe *lib. 1. cap. 21.* egi.

25 * Sub certis titulis ſimplicibus Adagia collecta habemus, ut Eraſmiana illa, qvæ & Langius ſeparato libello ad locos Sturmianos vel Benzianos redegit. Verum tituli illi non ſufficiunt. Solet enim in Adagio aliqvo & ſubjectum & prædicatum involvi, adeoqve integra ſententia exhiberi, qvæ ſub generaliſſimo titulo ſubjecti diffusè nimis qværitur, niſi velimus unum idemqve Adagium ſub duplicem imo interdum triplicem titulum referre. Nam vel ad ſubjectum enunciationis vel ad prædicatum referendum eſt, vel ad tertium aliqvem conceptum, qvi è connexione ſubjecti & prædicati oritur. Ne itaqve in vaſtâ ſylvâ qværere neceſſum ſit, qvod ad ſcopum noſtrum facit, præſtat titulos vel lemmata ſententioſa formare, qvæ integram ſententiam exhibeant, vel ſubjectum poteſt per additionem alicujus adjectivi ad certum ali-
26 qvem & plenum ſenſum reſtringi. * Ad hæc itaqve Collectanea referenda ſunt. 1. Omnia Adagia è veteribus Autoribus. 2. Omnia Adagialia & παροιμιώδη ex omnibus Autoribus cujuscunqve ætatis & linguæ, præcipuè tamen Græcæ & Latinæ, qvanqvam & ceteræ linguæ maximam ſubminiſtrent talium copiam, qvæ ſine ullo ordine
27 collegerunt varii Autores. * 3. Omnia hemiſtichia vel verſus Græci & Latini, qvi argutum ſenſum habent: qvalia infinita ſunt apud Poëtas Græcos & Latinos, præcipuè apud Satyricos & Comicos, qvorum uſus in his omnibus longè eſt maximus, &
28 qvi ſæpe de rebus conceptus formant, qvos fruſtra apud alios qvæſiveris. * Exemplum ejus ſuppeditare poteſt *Barlandus & Rotmarus* in Centuriis Proverbiorum Virgilianorum, è qvibus aliqva excerpſit Goclenius in *Praxi Artium Generalium p.* 64.

29 E Virgilio, ut exemplis qvibusdam conſilia noſtra illuſtremus, multa elegantiſſimè ad varia applicari poſſunt; ſive verſus integros & cæſos ſermoni, ſive ſenſum eorum inſeramus. Sic e. g. ex Ecl. 1. *Namque erit ille mihi ſemper Deus*, ad tit. *Patroni*, *laudandi*, *gratias agendi*, referri poteſt. *Sic canibus catulos ſimiles*, *ſic matribus hædos*, referri poteſt ad titulum *comparationis diſparium*: ſive: *Minima cum magnis comparata.* Qvo referri etiam poſſunt illa: *Tantum alias inter caput extulit urbes*, *Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.* Idem ad titulum *prærogativæ* vel *excellentiæ* referri poteſt. *Ipſæ Te Tityre pinus*, *Ipſi Te fontes*, *ipſa hæc arbuſta vocabant* vel ſerio vel Ironicè uſurpari poteſt de præſentiâ alicujus deſideratâ, vel neceſſariâ vel ſupervacaneâ. *Non licebat tàm præſentes alibi cognoſcere Divos*, id eſt, non habebam alibi fortunam adeò faventem: referendum ad titulum *fortunæ*, *favoris Principum.* *Nec mala vicini pecoris contagia lædent* referendum ad titulum *converſationis malæ.* *En queis conſevimus agros* referendum ad titulum: *Labores irriti.*

30 Horatio nihil hoc in genere præſtantius eſt, qvi ut omnes vitæ rationes in Satyris ſuis complexus eſt, ita flosculos ſuppeditat, qvibus mirum in modum ornare ſermonem noſtrum poſſumus. Ego certe Satyras ejus omnes memoriæ mandari velim, tùm in vitâ ipsâ, tùm in ſermone uſui futuras. Elegantiſſima omnia ſunt, dictio nitida, &, ſi numeros tollas, ſermoni ſoluto apta. Urbanitas in eo mira, ſales candidi, ex abdito erutæ ſententiæ, argutiæ non coactæ, meræ Charites, omni occa-

ſioni

ſioni aptæ. Summum in illo Viro ingenium fuit, nec immerito Auguſto & Mæcenati in deliciis, cujus genium ſatyricum nemo ex antiqvis, nemo è recentioribus, ullâ imitatione aſſecutus eſt. * Vide, qvæ in ejus laudes ſcribat Caſelius in Νεῷ 31
ſuo, eum vitæ magiſtrum commendans. *Affirmare non dubitem*, inqvit ille, *qui in hoc Poëtâ multum operæ poſuerit, eumque ita perdidicerit, ut ejus verſus non in ore natos aut extemporaneos, ut putatur, non memoriâ teneat (nec verò non ſunt, qui hoc præſtiterint,) ſed probè intellectos ad uſus vitæ transferat, hunc poſſe rebus ſuis ſuorumque rectè in omnibus aliquid boni conſilii invenire: nec minus idem patriæ rectè conſulat, præſertim ſi & ad hiſtoriam ſe conferat, ſpectans id, quod potiſſimum oſtendimus.*

Exempla qvædam hic afferemus, qvæ locum in Excerptis noſtris merentur. 32
Lib. I. Sat. I. agit de μεμψιμοιρίᾳ, è qvâ illa notari poſſunt. *Cetera de genere hoc (adeo ſunt multa) loquacem Delaſſare valent Fabium*, referri ad titulum *prolixitatis* poteſt. *Si quis Deus, En ego, dicat, jam faciam quod vultis* poteſt referri ad titulum: *Quid ſi ita fiat?* vel *Poſito. Quid cauſæ eſt merito quin illis Jupiter ambas Iratus buccas inflet:* referri poterit ad titulum: *Principum odia. Ridentem dicere verum Quid vetat?* Titulus: *E jocis ſeria. Ut pueris olim dant cruſtula blandi Doctores, elementa velint ut diſcere prima;* Titulus: *Blanditiæ utiles. Ore trahit quodcunque poteſt, atque addit acervo*, poterit eleganter applicari ad hominem δωρόφαγον, rapacem & avarum ſubſtituendo voci *Ori* vocem *Ungue. Non usquam prorepit & illis utitur ante &c.* Hi verſus eleganter applicari poſſunt ad hominem diligentem & in ſtudiis conſtantem, ſi leviter ſic immutaveris:

Non usquam prorepis, & illis uteris ante
Quæſitis ſapiens: nam te neque fervidus æſtus
Dimoveat ſtudiis, neque hyems, ignis, mare, ferrum,
Nil obſtat tibi, dum ne ſit te doctior alter.

Quid juvat immenſum te argenti pondus & auri &c. poteſt per ſimilitudinem referri ad Tit. *Eruditio occulta.* Poteſt etiam applicari ad *Locorum communium collectores* opere ipſo ignavos. *Quid habet pulchrì conſtructus acervus?* poteſt referri ad malos ſcriptores, nonniſi Locos communes accumulantes exiguo judicio præditos; Titulus: *Collectio inutilis. Cur tua plus laudes cumeris granaria noſtris?* Elegans adagiale, qvo contemnenti noſtram inopiam reſpondere poſſumus. Poteſt referri ad titulum αὐταρκείας. *Quia tanti, quantum habeas, ſis*, poteſt referri ad titulum *divitiarum & autoritatis. Quid facies illi? jubeas miſerum eſſe libenter, Quatenus id facit*, referri poteſt ad titulum *contemnendi* vel *permittendi*. Permitte illum ſuo ingenio vivere. *Populus me ſibilat, at mihi plaudo*, ſolitarie accepta propoſitio referri poteſt ad hominem arrogantem, qvi judicium populi de ſe contemnit. *Tu tanquam parcere ſacris Cogeris aut pictis tanquam gaudere tabellis*, poteſt referri ad titulum *inutilis parſimoniæ*, ſive: *non uti rebus ad uſum deſtinatis*. Applicari poterit ad ſenem effœtum, qvi juvenculam uxorem duxit. *Horum Semper*

per ego optarim pauperrimus eſſe bonorum, refertur ad titulum; *Contemnendi ut bonum inuile. Infelix operam perdas, ut ſi quis aſellum. In campo doceat parentem currere frenis*, poteſt referri ad varia. 1. *ad titulum fruſtranei laboris.* 2. ad titulum: *Inſtitutio infelix. Eſt inter Tanaim quiddam ſocerumque Viſelli*, referri poteſt ad titulos *differentiæ, diverſitatis, medii. Nemon', ut avarus Se probet ac potius laudet diverſa ſequentes?* poteſt referri ad titulum *Philautiæ. Exacto contentus tem-*
33 *pore vitæ Cedat, uti conviva ſatur*, poteſt referri ad titulum: *Mors ſenis.* * Infinita talia ex Horatio, Virgilio, Terentio, Plauto, Juvenali &c. colligi poſſunt, magno uſui ad omne orationis genus futura, præcipuè ad acrimoniam ſtyli ad varias meditationes, &, ſi qvis credere velit, etiam in ſacris: Mater enim omnis acutæ in-
34 ventionis Metaphora eſt. * In qvorum collectione ego induſtrium diligentemqve eſſe tironem meum velim, qvi magnum ſuo tempore ex eâ re fructum perſentiſcet.

CAP. VII.

DE EXCERPTIS COPIOSÆ ORATIONIS.

§. 1. *Excerpta copioſæ orationis, quæ præcipuè Oratoria vocanda.* 2. *In iis ad tria attendendum eſt, nempe ad τὸ πεπλασμένον, Συςηματικὸν & Ενθυμηματικὸν.* 3. *πεπλασμένον in quo conſiſtat.* 4. *de excerptis amplificatoriis pauci egerunt.* 5. *Autoris ad Herennium conſilium pro copioſâ oratione.* 6. *Verborum Synonymia ſimplex.* 7. *Ariſtidis de Synonymia conſilium.* 8. *ea petitur e phraſeologicis libris.* 9. *exempla ſynonymicæ amplificationis.* 10. *Verborum communium uſus in dilatationibus.* 11. *Prædicata Lulliana.* 12. *Sunt abſoluta vel reſpectiva.* 13. *Exempla proponuntur.* 14. *Eodem modo & integræ ſententiæ variantur.* 15. *In expreſſionibus affectuum differunt formulæ & figuræ.* 16. *ut & in expreſſionibus actuum intellectus.* 17. *Verba iſta generalia diligenter notanda.* 18. *referri poſſunt ad generaliſſimos titulos,* 19. *ſeqq. qui recenſentur.* 20. *Verba Eſſendi, Affirmandi, Negandi,* 21. *dubitandi.* 22. *Volendi, Nolendi.* 23. *Affectuum.* 24. *πλαγιασμὸς, Περιβολαὶ, Προσλήψεις.* 25. *Exempla Πλαγιασμῶν ex oratione pro M. Marcello.* 26. *Figurarum.* 27. *ſententiarum amplificatarum, collectanea.* 28. *de Meifarti mellificio oratorio judicium,* 29. *Sententiarum amplificatarum uſus.* 30. *Excerpta ex oratione pro M. Marcello.*

1 Vidimus de *Excerptis puræ* & *ornatæ orationis*: Venimus ad *copioſam*, & ad
2 *Excerpta*, qvæ præcipuè dicuntur *oratoria.* * In iis ad tria attendendum eſt, 1. ad τὸ *πεπλασμένον.* 2. ad τὸ *συςηματικὸν.* 3. ad τὸ *ἐνθυμηματικὸν.* In qvibus ſingulis excerpta ſuâ qvâdam ratione ordinanda
3 ſunt. * Τὸ *πεπλασμένον* orationis conſiſtit præcipuè in decenter copioſâ ac figuratâ

gurata oratione. Copia orationis vel à verborum & ſententiarum circumductione eſt, vel à menſurâ periodicâ. * Primum itaqve de EXCERPTIS AMPLIFICA- 4
TORIIS agemus, in qvibus pauci hactenus induſtriam ſuam exercuerunt. Multi ſunt, qvi de copiâ verborum ac Dilatatione & Amplificatione ſcripſerunt, inter qvos Eraſmus & Ludovicus Regius ſingularibus libris egerunt, & nos ſuo loco, ſed de Excerptis formandis nemo diſtincti aliqvid docuit. Nos *lib. 2. cap. 13. & cap. 14.* tùm præceptis tùm exemplis oſtendimus, qvomodo ſententiæ per aſſumptiones ſint amplificandæ. * Eandem methodum *Autor ad Herennium col. 67. 68.* ubi de ex- 5
politionibus agit, præſcripſit, diſerteqve ait; qvod *multò maximè per eam exerceamur ad eloquentiæ facultatem.* Bene itaqve fecerimus, ſi talium Expolitionum vel Amplificationum, qvæ apud optimos Oratores occurrunt, Excerpta inſtituerimus. Nos ex Oratione Ciceronis pro Marcello talium Excerptorum ſpecimen oſtendemus.

Omnis Amplificatio conſiſtit in dilatatione, tùm verborum tùm ſententiarum, 6
& primum ſimplex eſt ſynonymia. * Diſertè Ariſtides in libro *de Dictione Ci-* 7
vili, qvem è Græca in Latinam linguam convertit notisqve illuſtravit *Laurentius Normannus,* Vir doctiſſimus, hoc præcepit, cum ita ait: *Ratione Elocutionis fit circumductio, nempe ſi vocabula idem valentia adhibeantur. Sciendum verò, quæ ſignificatu conveniunt, quædam conſecutione mutuâ jungi, quædam contra quam conſentaneum fuerat.* * Verborum idem ſignificantium farrago è phraſeologicis libris peti de- 8
bet, tum ex obſervatione crebrâ. * Ita cùm Cicero hìc dicit N. 2. *Dolebam, &* 9
vehementer angebar, inter ſynonyma referri debet. Ita N. 6to, *laudes extenuare verbis, easque detrahere.* N. 4to, *merito, atque optimo jure;* & plura alia in hâc Oratione occurrentia. Ita N. 6. *fortuna ſibi vindicat & penè omne ducit ſuum.* Neqve ſimpliciter hæc Synonymia, ſed & καϑ' ἀπόφασιν, ſive per negationem inſtitui ſolet, ut ſtatim in primâ periodo hujus Orationis: *Diuturni ſilentii finem hodiernus dies attulit; idemque initium dicendi.* * Si à ſimplicibus verbis & phraſibus discesseri- 10
mus, veniendum eſt ad *communia verba,* qvæ qvaſi genericam aliqvam naturam habent, qvibus uti poſſumus in dilatatione verborum & ſententiarum, per periphraſes, deſcriptiones & ſimilia. * Vocamus autem Communia verba, qvæ non termi- 11
nantur in aliqvod ſubjectum, qvalia verba communia poſſent ſub titulis Lullianis ad τὰ πρακτὰ præcipuè accommodatis comprehendi. * Suntqve illa *prædicata* 12
communia tàm abſoluta, qvàm reſpectiva. *Abſoluta* ſunt bonitas, magnitudo, duratio, poteſtas, cognitio ſeu ſapientia, appetitus, virtus, veritas, gloria. *Reſpectiva* ſunt differentia, concordia, oppoſitio ſeu contrarietas, proprium, medium, finis, majoritas, minoritas, æqualitas, & qvæ ſingulis opponuntur. * Sub ſingulis comprehen- 13
duntur plura vocabula generalia, atqve illa vocabula generalia magnam ſub ſe iterum continent ſylvam nominum, verborum & adverbiorum, e. g. hìc in Oratione N. 12. habetur: *Clementiæ tuæ judicio conſervati ſumus.* Satis fuiſſet: Clementiâ tuâ conſervati ſumus, vel, judicio tuo conſervati ſumus; ſed jungit Cicero verbum commune cum ſingulari. Judicium enim latius patet, qvam clementia. Ita N. 13. *Etſi aliqua*

culpa

culpa tenemur erroris hujus; ſatis erat dixiſſe: etſi errore humano tenemur. Ita N. 4. *Tantum apud me grati animi fidelis memoria valuit*; cum ſufficeret: tantum apud me gratus animus valuit. Ita N. 24. *Si ad humanos caſus accedat ſceleris conſenſio*; ſuffeciſſet: ſi ad humanos caſus accedat ſcelus. Et tales non verborum tantum, ſed etiam ſententiarum & formularum amplificationes infinitæ occurrunt, à vocibus illis communibus aſſumptæ. Sic in primo exemplo vox *Judicium* eſt communis, referenda ad titulum *Cognitionis*, poteſtatis. In exemplo ſecundo vox *culpa* referenda ad titulum *malitiæ* bonitati oppoſitæ. In tertio exemplo vox *memoria* referenda ad titulum generalem *cognitionis*. In qvarto vox *Conſenſio* referenda ad titulum generalem prædicati Reſpectivi *Concordiæ*; & talia infinita occurrunt.

14 * Sententiæ integræ eodem modo per communes voces variari poſſunt; qvæ voces etſi è terminis illis generaliſſimis inveniri facile poſſunt, & applicatione ad illos terminos, eorumqve contraria eo magis ampliari, præcipuè tamen referuntur vel ad actus intellectus, vel ad motus animi. Proveniunt itaqve à facultate intelligente tùm formulæ, tùm figuræ, qvæ eam ob cauſam figuræ ſententiarum vel τῆς διανοίας dicuntur, vel à motu animi, & itidem hinc oriuntur formulæ vel figuræ, qvæ figuræ affectuum dicuntur. Formulæ in illo conſiſtunt, qvod dicam, *me ſcire*, *intelligere*, *opinari* &c. Figuræ tales ſunt, qvæ ſcientiam & ſententiam per ſe gignunt; nam omnes illæ figuræ ſententiarum docent aliqvid diſtinctius auditores de re, qvàm proponimus; Ut figura diſtributionis enumerando vel ſpecies, vel partes, magis dilucidam facit orationem, & intelligentiorem reddit auditorem.

15 * In formulis & figuris motuum ſollicitè diſtinguuntur formulæ & figuræ ab Hermogene, ejusqve diligentiſſimo Commentatore *Sturmio lib.* 1. *de Univerſa ratione Elocutionis Rhetoricæ c.* 24. Nam cum Orator verba motuum præmittit, ut cum dicit, *ſe mirari*, *ſe terreri*, remiſſior ille motus eſt, & vix nomen figuræ meretur. Cum autem affectus ipſis verbis exprimitur, & nihil præmittitur, tum vera figura eſt: animus enim ipſe ideam hujus affectus verbis imprimit. Ita in Exordio Orationis pro Milone Cicero dicit, ſe terreri; qvod mollius & remiſſius eſt, qvam ſi terrorem vultu, geſtù, trepidatione & oratione ipsâ exprimat. Qvod ſi itaqve verba talia motuum in ſententiis præmittantur, πλαγιασμός eſt, & obliqvatio: ſi integris periodis prologus contineatur, aliqvid figuræ ſapit, etſi non ſit ipſa figura.

16 * Similiter accidit in expreſſionibus actuum intellectus, qvæ varios ſuos gradus habet. Nam cum dico, *me aliquid ſcire*, *opinari*, *æſtimare*, *mirari &c.* non tàm figuram illud facit, qvàm formulam. Si verò affectum illum admirationis exprimam ipſo ſenſu, *Papæ! quanta enormitas eſt*, *quantum prodigium!* Ipſa figura admirationis ſub ratione exclamationis proponitur.

17 * His verbis generalibus, qvæ exprimunt vel intellectum, vel affectum, vel aliqvid qvod illò pertinet, freqventer utitur Orator ad amplificandam & dilatandam Orationem, qvæ proinde diligenter notari debent, & ad terminos ſuos generales reduci, qvos terminos hîc qvaſi per indicem dabimus, ut velut Alphabetum qvoddam ſint, qvo tanqvàm elementis qvibusdam dilatetur Oratio, his formulis adjectitiis ubiqve ſuffulta.

Gene-

Generaliſſimi Tituli, ad qvos omnes communes voces ac formulæ referri poſ- 18
ſunt, ſunt Verba 1. *affirmandi & negandi*, 2. *volendi & nolendi*, 3. *laudandi & vitupe-*
randi, 4. *ſuadendi & diſſuadendi.* Qvibus contineri omnia illa poſſunt, qvæ qvomo-
docunqve ad tria cauſarum genera referuntur. Nam generis judicialis communia
verba accuſare & defendere ad laudare & vituperare reduci poſſunt. Pleraqve, qvæ
in dicendo occurrunt, vel in rebus, vel in facto, vel in faciendo verſantur. * Vo- 19
ces & formulæ, qvibus affirmamus, variè formantur. 1. *Per verba, quæ ſimpliciter ad*
aſſeverationem pertinent, ut: ſtatuo, judico, ſic cenſeo, credo, ſic ſtatui ſemper, ſic mi-
hi perſuaſum eſt, ſic ſentio, & ita ſentio, & ſæpè diſſerui, adducor ut putem, illud affir-
mo, confirmo, etiam illud adjungo, idem ego contendo, non dubito, non vereor, non
eſt verendum, certum eſt, luce clarius eſt, non dubium eſt, nulla dubitatio eſt, in du-
bium non venit, non ambigitur, nemo negat, negari non poteſt, nemo ignorat, pote-
ſtis recordari, ſic perſpicio, cui perſpicuum non ſit? fateor, non inficior, explora-
tiſſimum habeo, narro tibi, teſtor. Cic. l. 1. De Orat. *Adeſt ferè nemo, quin acutius*
atque acrius vitia in dicente quam recta videat, h. e. omnes vident. Id. lib. 1. fam.
3. *nemo eſt, quin cogitet, quam ſit metuendus victor iratus*, h. e. omnes ſcimus. Verrin.
3. *Neminem veſtrum ignorare arbitror, judices, hunc ſermonem vulgi atque hanc opi-*
nionem populi Romani fuiſſe, i. e. Vos ſcitis. Verrin. 4. *Me dies, vox, latera deficiunt,*
ſi hoc nunc vociferari velim, miſerum indignumque apud eos diem feſtum eſſe, i. e. mi-
ſer apud eos dies feſtus eſt. Duplicantur in his πλαγιασμοὶ. His ex adverſo con-
traria poni poſſunt. 2. *Per verba ſimplicis eſſentiæ vel conditionatæ*, ut evidens eſt,
manifeſtum eſt, patet, fieri non poteſt, contingit, neceſſarium eſt, facile & difficile,
ſunt illa ejusmodi ut &c. qvalia præſupponunt aſſeverationem, vel dubitationem, vel
negationem. 3. *Per verba, quæ intellectum vel propriè, vel metaphoricè inferunt*, e. g.
Cognoſco, intelligo, experior, perſpicio, ſentio, judico, hoc ego te doceo, ſubodoror,
prædico, præſagio, prævideo. Vide vocabula ſub termino Lulliano Cognitionis.
* Comprehenduntur ſub illis contrariæ voces, diſſentire, diſplicet, neſcire, juxta cum 20
ignariſſimis ſcio, neſcio qvo pacto &c. 4. *Per verba opinandi*, puto, credo, exiſtimo,
duco, arbitror, opinor, videtur; qvalis πλαγιασμὸς Rhetoribus ἐνδοίασις dicitur.
5. *Per verba* ἐπικρίσεως, e. g. rectum, juſtum, æqvum honeſtum, utile, neceſſe, dulce,
odioſum, moleſtum, acerbum, indignum, miſerum, ridiculum eſt, ſatis eſt, parum eſt,
nimium eſt, magni intereſt, ſtultitia eſt me illi vitio vertere, placet, non oportet.
Qvæ actiones pleræqve judicantur à qvalitatibus bonis vel malis, ideoqve verba boni-
tatis Lulliana hîc applicari poſſunt. 6. *Per verba* συγκρίσεως ſeu comparationis, ſuper-
lationis, exæqvationis, e. g. ſupra qvam credi poteſt, ultra hominum fidem. 7. *Per verba*
illativa & concludentia, e. g. Sic ego colligo, ſic fert ratio mea, &c. 8. *Per verba teſtimo-*
nii, e. g. ajunt, dicunt, perhibent, auditum eſt; fama, rumor eſt; in proverbio eſt, creditur,
veteres comprobant autores, Dialectici perſuadent, per manus traditum eſt, audivimus
ex majoribus, multi prodiderunt, multi ſunt autores, placet Philoſophis hoc, majores
natu dicere audivi, annales refertos habemus, legimus in annalibus, eſt in monumentis

Ffff literarum,

literarum, relatum eſt apud Hiſtoricos, Plato definit, declaravit, &c. Ex his contraria facile formari poſſunt.
21 * Dubitandi verba qvaſi intermedia ſunt e. g. dubito, non eſt vero ſimile, non liqvet &c.
22 * Verba volendi exprimuntur 1. *per phraſes generatim voluntatem ſignificantes*, e. g. probo, placet, hæc mea mens eſt, hic ſenſus, ita mecum conſtitui, deliberatum eſt, hæc dudum deſignavi, inſtructa ad illam rem omnia, tentare, eligere, repudiare, cunctari, feſtinare. 2. *per generalia verba faciendi & fiendi*, qvoniam facta ad voluntatem referuntur, e. g. Soleo mirari, non eſt meæ conſuetudinis rationem reddere, faciam profecto, non committam ut, &c. non repugnabo, non refragabor. 3. *per verba poteſtatis*; qvo referri poſſunt ceteræ voces ſub hoc prædicato Lulliano contentæ, e. g. In tuâ poteſtate eſt, nihil impedit, nihil prohibet, nihil vetat; tuarum virium, tuorum nervorum res eſt; *quæ res in civitate multum poſſunt, hæ contra nos faciunt*; *eſt in tuâ poteſtate, ut ille in me ſatis ſibi præſidii eſſe putet*. Cic. 4. *per verba cauſæ efficientis, impulſivæ, finalis*. Qvoniam enim omnis oratio verſatur in aliqvo facto vel faciendo, ideoqve è cauſis verba communia multa deſumi poſſunt, e. g. Ideò hoc factum eſt; omnem operam impendit, ut hoc ageret: ideoqve omnes phraſeologiæ diligentiæ, procurandi, laboris, induſtriæ, conatus, omnesqve voces, qvæ actionem generalem exprimunt, huc pertinent. Cic. 5. fam. 1. *Summa tua autoritas fecit, meumque de tuâ ſingulare virtute judicium, ut magni meâ intereſſe putarem, & res eas, quas geſſiſſem, tibi notas eſſe, & non ignorari à Te*; i. e. res geſtas tibi notas facere volui. 5. *per verba affectuum:* ea enim ad actiones referri debent.
23 * Volumus facienda vel ſimpliciter, vel cum affectu. Facta affectu vel exaggeramus, vel elevamus. His verbis vel morata, vel pathetica fit oratio; prout formulæ vel affectum vel virtutem exprimentis admiſcentur. Qvando verba affectuum proponuntur ſententiis, ea Hermogenes inter exempla προσλήψεως ſeu aſſumptionis numerat. Formulæ à virtutibus & vitiis deſumptæ moratam reddunt orationem, ſi illis per aſſumptionem ſententiæ amplificantur. Ideoqve verba, qvæ ſubjiciuntur prædicato Lulliano Bonitatis & Virtutis, hîc convenient. Poſſunt & ceteri omnes πλαγιασμοὶ Lullianis prædicatis in amplificatione ſententiarum jungi. Exaggeratio poteſt inſtitui per verba magnitudinis & virtutis, qvæ apud Lullium habentur. *Laudandi & vituperandi* communes voces & formulæ è prædicatis Lullianis pro rei, de qvâ dicitur, naturâ, derivari poſſunt. E loco enim adjunctorum, unde omnis laudandi & vituperandi ratio dependet, ſunt deſumpta. *Suadendi & diſſuadendi* formulæ per omnem ſermonem generis deliberativi ſunt diſperſæ.

24 Solet talis amplificatio per πλαγιασμὸν convenire cum περιβολῇ. Sententiæ enim è rectis mutantur in circumductas ſive compoſitas per πλαγιασμὸν, περιβολὴν & πρόσληψιν. Πλαγιασμὸς conſiſtit in illâ obliqvatione per verba & formulas; περιβολὴ fit καθ᾽ ὑπόθεσιν, vel per conditionalem ſententiam inſertam vel præmiſſam, e. g. *Si quid in me eſt eloquentiæ, ejus vel inprimis fructum Licinius repetere debet.* Recta eſt ſententia: Eloqventiæ meæ fructum à me repetere Licinius debet; vel κατ᾽ ἀπόφασιν, per negationem contrarii, e. g. *Qui profectò, ſi nihil ad percipiendam colendam-*

ſendamque virtutem literis adjuvaretur, nunquam ſe ad earum ſtudium contuliſſent. Pro qvo dixeris: literæ valent ad virtutem. Tertiò per propoſitionem relativam, e.g. *Quia tua voluntas ea videbatur eſſe, ut prorſus, niſi confirmato corpore, nolles navigare*; pro eo diceres: nolebas navigare, ſed hoc exemplum æqvè poteſt ad πλαγιασμὸν referri. Ita Cic. pro Archia: *Nunc inſidet quædam in optimo virtus, quæ dies noctesque animum gloriæ ſtimulis concitat*; pro eo qvis diceret: Virtus concitat. Sed poteſt hoc exemplum æqvè ad πλαγιασμὸν referri, & qvidem ad titulum, exiſtentiæ. Inſidet in optimo virtus. Verba enim exiſtentiæ ſub ſe continent omnia verba generalia, vel exiſtentiam, vel inhærentiam, vel præſentiam, aut ſimile qvid ſignificantia. Πρόσληψις multos habet modos, ut jam ſupra dictum eſt.

Nos jam ad Orationem pro M. Marcello nos convertemus, & qvicqvid in eâ 25 πλαγιασμῶν & προσλήψεων, in uſum eloqventiæ Studioſorum notabimus, ut ad hoc exemplum obſervata & excerpta amplificatoria ſua inſtituant. Totis duabus primis periodis nihil aliud continetur, qvam hæc ſententia; Hodie de reſtituto Marcello dicere debeo. Tota itaqve periodus prima eſt qvaſi παρασκευαστική, & nihil aliud qvam πλαγιασμὸν per integram periodum deductum continet: Qvare ad formulam aſſeverandi vel dicendi pertinet. Cetera expolitionibus ornantur & figuris, de qvibus poſtea. Verba etiam illa: *tacitus nullo modo præterire poſſum*, pertinent ad formulas affirmandi, dicendi, aſſeverandi. Poteſt etiam hæc formula, qvæ formula ſimul connectendi eſt, referri ad variationem particulæ *etiam*. *Conſervatam ac reſtitutam puto*, pro, reſtituta eſt, πλαγιασμὸς eſt, & ad verba opinandi refertur. Formula hæc referenda ad verba affectuum & ἐπικρίσεως. *Dolebam & vehementer angebar, cum viderem, virum conſtitutum in eâ fortunâ*, pro, fortuna ejus erat afflicta. *Nec mihi perſuadere poteram, nec fas eſſe ducebam, verſari* me &c. *quod Marcellus à me inique diſtractus fuit*: Formula referenda ad verba ἐπικρίσεως. *Intellectum eſt mihi quidem in multis, & maxime in me ipſo, ſed paulo ante in omnibus*, πλαγιασμὸς, qui referendus ad verba intellectus & ſenſus (notetur hîc obiter variatio conjunctionis copulativæ, *& maxime in me, ſed paulo ante in omnibus. Ille quidem fructum omnis vitæ cepit, cum* &c. Videri poterat qvaſi πρόσληψις effectus aut πλαγιασμὸς verbi generalis *eſſe* vel *fieri, aut factum eſſe*. Nam e. g. ita dicere poſſum: *Ille fructum omnis vitæ anteactæ hodierno die maximum cepit, cum honores illos conſecutus eſt*, pro: ille honores hodie conſecutus eſt; eſtqve talis generalis formula *eſſendi vel fiendi*, reflexa ad titulum generalem *bonitatis & magnitudinis*. *Eſt verò fortunatus ille* &c. Referenda hæc formula eſt ad verba *Eſſe vel Exiſtentiæ, ad circumſtantiam temporis relata*; Simpliciter enim dicere poterat: Marcellus maximo beneficio à te affectus eſt. Nota iterum variationem Conjunctionis Copulativæ per Comparationem: *cujus ex ſalute non minor pene ad omnes, quam ad illum ventura ſit, lætitia, pervenerit. Quod ei quidem merito ac jure optimo contigit.* Hæc periodus ſeparatim ponitur, ſed partim refertur ad præcedentem, partim connexionem præſtat propoſitioni ſecuturæ: Ideoqve vel ad formulas πλαγιασμῶν, vel ad formu-

 las

las connectendi referri poteſt. Si ut πλαγιασμὸς conſideratur, referenda eſt ad formulam *eſſe vel fieri*, *factum eſſe*, h. m. *Quod ei merito atque optimo jure contigit, ut hoc beneficio afficeretur.* Qvæ ſeqvuntur periodi aliqvot, hanc propoſitionem continent: *Laus reſtituti Marcelli ceteras Cæſaris laudes ſuperat.* Tota hæc periodus: *Nullius tantum eſt flumen ingenii* &c. adhiberi poteſt, cum dicimus de rebus magnis vel abſolute vel comparate. Abſolute: *nullius tantum flumen eſt ingenii, qui enarrare res tuas poſſit*, pro: res geſtæ tuæ ſunt maximæ. Comparato ſenſu ita adhibetur, ut primum ampliſſimè laudentur, qvæ minora viſa ſunt, ut eò ampliora ſint, qvæ ſeqvantur. Referatur ad formulas *aſſeverandi*, & ſeparatim illa: *tamen hoc affirmo, & hoc pace dicam tuâ, nullam laudem eſſe ampliorem* i. e. nulla laus major eſt. *Soleo ſæpe ante oculos ponere idque libenter crebris uſurpare ſermonibus.* Mirabilis hîc πλαγιασμὸς eſt ad rem magnam ſignificandam; & referenda hæc formula eſt ad verba *intelligendi & cogitandi.* *Quæ quidem ego, niſi ita magna eſſe fatear &c. amens ſim.* Pertinet hæc formula ad formulas *aſſeverandi*, reflexa ad titulum generalem *magnitudinis.* Duplex qvaſi πλαγιασμὸς eſſe videtur; primus: *fateor eſſe magna*, pro, ſunt magna; ſecundus: *niſi magna eſſe fatear, amens ſim.* Eſt πλαγιασμὸς περιβολῇ auctus. Additur tertio *Hyperbole*: *ut ea vix cujusquam mens aut cogitatio capere poſſit.* Elegans exemplum in rebus magnis exaggerandis. Poteſt etiam integra hæc formula ad verba Syncritica referri; Tota enim hæc formula comparationem auget, cum ſimplex ſententia: hæc facta tua omnium facta ſuperant, vel, factum tuum priora tua ſuperat. *Nam bellicas laudes* &c. Periodus hæc nihil aliud dicit, qvam bellicæ laudes non ſunt propriæ Imperatorum. Hæc ſententia dilatatur vel πλαγιασμῷ vel aſſumptione, præmittendo verba generaliora; qvæ reſolvuntur in formulam generalem negandi. Nam ſi ita formes ſententiam: *Negant quidam laudes bellicas eſſe proprias Imperatorum*; Formula illa negandi per Expolitiones exprimitur: *ſolent extenuare verbis, easque detrahere ducibus. Totum hoc &c. eſt inquam tuum*: ad titulum aſſeverandi per iterationem verborum refertur. *Domuiſti gentes*: Amplificatio ſententiæ per πρόσληψιν adjunctorum & circumſtantiarum, ut in ſuperiori periodo per πρόσληψιν partium. *Quæ & naturam & conditionem, ut vinci poſſent, habebant*, pro, vinci poterant. Referendus ille πλαγιασμὸς eſt ad verba generalia *eſſe*, ſive ſimpliciter, ſive per conditionem. *Nulla eſt tanta vis* &c. Vere magna & ampla eſt hæc periodus, & creſcit antithetis, expolitionibus crebris. Notetur ſubjectum totius periodi, qvod in meris infinitivis conſiſtit, præmitti, & prædicatum poſtponi per reſumptionem ſubjecti; cujus formula: *hæc qui faciat.* Ita enim inſtructa periodus numeroſior eſt, qvàm ſi ita concepta fuiſſet: Qvi animum vincit, iracundiam cohibet, non ille cum ſummis viris comparandus, ſed &c. Ita enim traheretur ſenſus, & membrum nimis creſceret. Referenda eſt hæc qvoqve formula ad verbum generale *faciendi*, *vincere*, *cohibere*, *temperare*, *extollere*, *amplificare*: *hæc qui faciat.* Eſtqve hic, qvod benè notandum, πλαγιασμοῦ poſtpoſiti exemplum. Deinde duplex eſt πλαγιασμὸς: poſterior enim formula ad verba *Epicriti-*

ca pertinet. *Non ego eum cum ſummis viris* &c. Poteſt & eadem formula referri ad verba *Syncritica*: eſt enim formula comparandi per ὑπερβολὴν. Ita hîc comparat, ut ponat extra omnem comparationem; qvæ ſumma eſt exaggerationis nota. Duæ hæ periodi ſeqventes nihil aliud in ſe continent; qvam hanc ſententiam: Qvi ſe ipſum vincit, major eſt omnibus, & hæc ſententia per χωρισμὸν, per exaggerationes & αὐξήσεις in plures periodos diſtrahitur. *Quo ſtudio incendimur?* Ita vel ſimpliciter, vel per interrogationem poſſumus dicere; qvo ſtudio incendimur, cum tua legimus. Referri poteſt ad verba generalia *affectuum*, & in ſpecie *amoris*, *deſiderii*, i.e. ac ſi diceremus: res tuas geſtas libenter legimus. *Gratias agere geſtiunt:* πλαγιασμὸς per verbum generale affectus. *Cum lacrymas viderem, omnium memoria pectus meum effodit*, pro, tactus ſum commiſeratione Marcellorum, qvibus tu dignitatem reſtituiſti. Etſi hîc enthymema latet, referri tamen poteſt ad formulas generales affectuum, & qvidem commiſerationis. Eſt etiam hoc exemplum περιβολῆs per enunciationem relativam. *Hunc tu igitur diem antepones:* Poſſunt hæc verba etiam inter formulas referri, ſi ſubintelligantur, qvæ hîc ſunt præmiſſa. Ita enim inſtitui ſermo poteſt: *Hunc tu diem* &c. *jure antepones, quo hoc beneficio nos affeciſti*, i.e. magno beneficio nos affeciſti. Referri poteſt ad verba ἐπικρίσεως vel συγκρίσεως & ſuperlationis. *Vereor hoc* &c. Referri hæc formula poteſt ad verba generalia *intelligendi dicendi & affirmandi*, reflexa ad titulum *magnitudinis*, & accommodatur rei magnæ, de qva dicturi ſumus. *Atque hoc quam late pateat, attendite*: Eſt qvaſi πρόσληψις pollicitationis, qvando aliqvis ſe aliqvid magni probaturum promittit: poteſt etiam ad verba generalia *intelligendi* referri, etſi accedat figura ἐπιστροφὴ, prout ſi diceret: hoc judicium multa complectitur. Nam ſi qvis vocem *Attendite* per Synonyma amplificaret, rectius hujus formulæ uſus pateret. *Jam verò animis veſtris putate, atque ante òculos vobis ponite, quam late judicium pateat*, pro: late judicium patet. *Judicavit à pleriſque ſuſceptum*, pro: abſolvit à crimine perduellionis. Vox itaque *judicavit* inter πλαγιασμὸς referri debet. Referenda eſt hæc formula ad verba ἐπικρίσεως. Πρόσληψις eſt cauſarum, qva amplificat ſententiam. De pace agendum eſſe exiſtimavi &c. Tota periodus nihil loqvitur, niſi hæc verba: Ego pacem ſemper ſectatus ſum, qvam ille circumloqvitur per verba generalia *opinandi*, & in contrariam partem flectendo ſententiam per generalia verba *affectuum*, ſcilicet *doloris*, & verba *negandi*. Formula illa referri poteſt ad verba generalia *perſuadendi*, vel etiam *aſſeverandi*, *notum eſt*, *manifeſtum eſt*, *Tantum apud me grati animi memoria valuit, ut nihil illi denegandum arbitrarer*. Eſt etiam formula morata. Sententia enim: nihil ipſi denegavi, amplificatur è loco gratitudinis. Poſſunt enim & tales formulæ è virtutum locis amplificatæ ſeorſum colligi. *Quod quidem meum conſilium minime obſcurum fuit*. Hæc verba, etſi hîc ſententiam complent, tamen reflectunt ad ſuperiora, & poteſt illa formula adhiberi, cum aliqvid aſſeveramus; & referri ſub titulos, *manifeſtum eſt*, h. m. *Meum conſilium minime obſcurum fuit, cum illa res inter nos diſceptaretur. Ex quo nemo* &c. Tota hæc periodus

riodus hanc ſententiam habet: Cæſar voluit pacis autores conſervare; eſtqve in hâc ſententiâ qvadruplex πλαγιασμὸς, 1. ex verbis ἐπικρίσεως, 2. ex verbis dubitandi, 3. ex verbis voluntatis. 4. iterum ex verbis ἐπικρίσεως. Eſtqve hæc ſententia ſub modo *concluſionis* ſeu *illationis* concepta. 1. *ex quo nemo erit tam injuſtus rerum æſtimator.* 2. *qui dubitet.* 3. *quæ Cæſaris voluntas fuerit.* 4. *cum pacis autores conſervandos cenſuerit. Atque id minus mirum fortaſſe tum, cum eſſet incertus exitus.* Eſt formula periphraſtica particulæ præſertim, minus mirum, fortaſſe, cum. Eſt itidem formula connectendi generalior. Poteſt etiam inter πλαγιασμοὺς referri ſub verbo generali *fiendi* vel *facere*: Atqve id minus mirum fortaſſe tunc accidit, cum eſſet &c. *Is profecto declarat, ſe maluiſſe*, pro: Is voluit vincere. Πλαγιασμὸς referendus ad verba generalia *Voluntatis*, eſtqve duplex. 1. declarat, ſe voluiſſe vincere. 2. verbum *Velle* per comparationem contrarii variatur h. m. *ſe maluiſſe non dimicare, quam vincere.* Ut obiter ſignificem, qvod omittatur altera particularum comparativarum, qvæ abſconditur in voce *Maluiſſe.* Dici enim alias potuiſſet, ſe voluiſſe non tam dimicare, qvàm vincere. *Quoties ego eum, & quanto cum dolore vidi extimeſcentem?* πλαγιασμὸς duplicatus cum περιβολῇ & figurâ exclamationis. Is enim ſenſus eſt: Marcellus ferocitatem victoriæ extimeſcebat. Additur πάθος doloris. Referendus itaqve hic πλαγιασμὸς eſt ad generalia verba *ſenſuum*, aut ad verba *affectuum*, doloris. *Vidimus* &c. Sententia hæc eſt: Bellum finitum fuit, & in urbe pax fuit. Amplificat per πλαγιασμὸν verbi *videndi*, & ἐξεργασίαν phraſium. *Ut dubitare debeat nemo, quin multos, ſi fieri poſſet, Cæſar ab inferis excitaret.* 1. Eſt πλαγιασμὸς, ad verba dubitandi referendus. 2. Elegans deinde formula hic latet, referenda ad verba συγκρίσεως; & talis qvidem, qvæ involvit voces ſuperlationis, qvibus ipſa ὑπερβολῆς figura additur. Exprimitur autem hîc ſumma clementia. Imitari poſſis in multis aliis rebus. Sic ſi hominem miſericordem velis depingere. *Adeo efflictim amat miſeros, ut dubitare debeat nemo, quin multos, ſi fieri poſſit, ultimis ſuppliciis deſtinatos eriperet, nocenteſque abſolveret, quam ut innocentes damnaret.* Præterea hæc formula in multas alias figuras converti poteſt. *Alterius vero* &c. In his verbis. 1. eſt notanda ſingularis trajectio vocum, qvæ recto ordine ita locari debuiſſet: Nihil amplius dicam, qvam nimis iracundam fuiſſe victoriam alterius partis, id qvod omnes verebamur. Cicero vero ita maluit, & propoſuit verba: alterius vero partis, ut ſenſus efficacia major eſſet, & commodior cum prioribus nexus. Duplex hic eſt πλαγιασμὸς, 1. per generale verbum *dicendi.* 2. per generale verbum *metuendi*: eſtqve præterea περιβολὴ per particulas relativas, cum figura præteritionis: nihil amplius dicam, qvam id, qvod omnes verebamur. *Cogitandum eſſe dicebant*: πλαγιασμὸς eſt, & qvidem duplex, referendus ad verba *opinandi* & dicendi. *Quare gaude* &c. Tres periodi nullam aliam in ſe habent ſententiam, qvàm: Gratulamur tibi; per figuras & multos πλαγιασμοὺς & περιβολὰς ita ornata, ut in exemplum ſimilium formularum, eſſe poſſit. πλαγιασμὸς eſt ex verbis *affectuum* reflexis ad titulum *bonitatis.*

Quare

Quare gaude iſto tuo tam excellenti bono: alter πλαγιασμὸς *eſt*, *& ſimul* περιβολή. *Cetera cum tua recordabere &c. felicitati tuæ congratulabere.* Referenda eſt fotmula ad verba generalia *ſciendi*, vel *intelligendi*. Tertius πλαγιασμὸς & περιβολή eſt: *De nobis quoties cogitabis*, *toties* &c. Referenda hæc verba ſunt ad formulam *cogitandi*. Titulus ille bonitatis augetur ex cauſis efficientibus hujus beneficii. Qvoniam enim hæ periodi ſolâ in gratulatione conſiſtant, gratulatio autem fiat de bono aliqvo obtento, ut hîc ex laude Clementiæ: & verò bonitatis ac felicitatis multæ ſint tum cauſæ, tum partes, non commodius amplificabitur, qvàm ex iis vel cauſis, vel partibus, qvæ generali illo bonitatis titulo continentur. Primò enim ponit generalem illum titulum boni: *Quare gaude iſto tam excellenti bono.* Amplificat partim per effecta, cum enumerat illa, fortunam, gloriam, naturam, mores, fructum, jucunditatem, virtutem, felicitatem; (qvæ duo ſibi hîc opponuntur ad amplificationem rei ex comparatione contrariorum) liberalitatem, ſapientiam; & hæc omnia conſiderat, tùm ratione ipſius beneficii, tùm ratione illorum, qvos beneficio affecit, ita tamen, ut omnia in autorem retorqveantur. Poteſt etiam tota hæc formula referri ad formulam *gratias agendi*. Notetur elegans variatio particulæ *potius*. *Etſi perſæpe virtuti*, *tamen plerumque felicitati*, i. e. potius felicitati tuæ congratulabere. Poteſt etiam tota hæc formula: *Cetera cum tua recordabere*, usqve *congratulabere*, referri ad verba *ſyncritica* & formulas comparationum. Ad eadem verba *ſyncritica* referenda hæc eſt formula: *Quæ non modo ſumma bona*, *ſed nimirum audebo vel ſola dicere*: ad verba ſuperlationis, *ſupra quam credi poteſt*. Eſt etiam πλαγιασμὸς: qvæ *audeo dicere*, pro: qvæ ſunt. Notetur etiam hic poſitus particularum: *non modo*, *ſed nimirum*. Alias enim dici ſolet: non modo, ſed &c. *Noli ergo in conſervandis bonis defatigari.* 1. πλαγιασμὸς hîc eſt, ad verba generalia *faciendi* referendus. 2. eſt formula *diſſuadendi*; noli defatigari. *Sed quisnam eſt iſte tam demens?* πλαγιασμὸς ille eſt, etſi omittantur, qvæ ſeqvi debent. Integra enim ſententia hæc eſt: nemo hoc patrare auſit. Poteſt referri ad verba *aſſeverandi* & *negandi*. Utrâqve enim ratione conſiderari poteſt formula. Immiſcetur πάθος. Idem πλαγιασμὸς eſt in verbis ſeqventibus: *Non eſt credibilis tantus in ullo furor. An, ſi tui nihil cogitant ſceleris*, *cavendum eſt?* Per interrogationem & περιβολήν format ſimplicem enunciationem. Non inimici tui facient, περιβολή eſt: *Si tui nihil cogitant ſceleris*, πλαγιασμὸς: *Cavendum eſt*, *ne quid inimici*, referendus eſt ad verba *metuendi*. *Cum in animis hominum*, &c. περιβολή eſt, formata è verbis generalibus, *occultum eſt*. *Nam quis eſt?* Periodus elegans eſt, conſtans πλαγιασμῷ, expolitionibus & aſſumptionibus illuſtrata. Expolitiones ſunt *rudis*, *nihil de ſalute cogitans*, *qui non intelligat*. Aſſumptiones ſunt adjuncta illa, vel potius ſpecies illæ, cum 1. ponit res in genere. 2. aſſumit Remp. hinc ſalutem communem & privatam. Recta ſententia hæc eſt: Omnium ſalus in te uno poſita eſt. Referendus eſt iſte πλαγιασμὸς ad formulas *aſſeverandi* vel voces *ſciendi & intelligendi*. *De te dies noctesque cogitans extimeſco.* Eſt & ille πλαγιασμὸς vel potius περιβολή, fundata πλαγιασμῷ: Nam

par-

participium cogitans involvit particulam conditionalem, vel cauſalem: cum cogito. Recta ſententia hæc eſt: Ego tantum doleo, te immortalem non eſſe. Referenda eſt hæc formula vel ad verba *intellectus*, *cogitandi*; vel ſi vocem doleo & extimeſco reſpicimus, ad voces *affectus*, *Quem Deum*, *etſi cupiat*, *opitulari Reipubl. credamus?* Referenda hæc formula eſt ad titulum Impoſſibilitatis, vel ad verba *ſyncritica*, ſub titulo ſuperlationis. *Omnia ſunt tibi excitanda*, *Cæſar.* Sententia hæc eſt: Resp. tibi iterum erigenda eſt. qvam ille variat per πρόσληψιν partium, in qvibus Resp. conſiſtit. *Non fuit recuſandum, quin* &c: Elegans eſt πλαγιασμός. Referendus eſt ad formulas *aſſeverandi*, vel ad vocem generalem *ſciendi.* Sententia recta hæc eſt: multa in bello civili turbantur. *Nam tuam vocem invitus audivi.* Formula eſt referenda ad vocem generalem improbandi. Recta ſententia hæc eſt; non laudanda tua vox eſt. *Si ita vis.* Formula hæc ita poſita notanda eſt, & ἐπιπλήξεις illæ, ſi ita vis, ſi ita placet, qvaſi blandiendi gratia adjectæ, qvibus utimur, qvando cum majoribus nobis res eſt, qvibus adverſari nolimus. Formula illa: *addo etiam ſi placet*, eſt variatio conjunctionis copulativæ ET. *Quare omitte quæſo iſtam doctorum hominum in contemnenda morte prudentiam.* Formula *diſſuadendi* & *dehortandi: neque noli noſtro periculo ſapiens eſſe.* *Sæpe venit ad aures meas, te dicere*, pro: dicis. πλαγιασμὸς eſt, referendus ad verba *ſenſuum*, *audiendi*: *Scilicet. Tum id audirem, ſi tibi ſoli viveres.* πλαγιασμὸς eſt & περιβολή. Recta ſententia eſt: non credo. πλαγιασμὸς conſiſtit in verbis: *tum id audirem.* περιβολὴ in illis: *ſi tibi ſoli viveres.* Res tuæ geſtæ complexæ ſunt. Vox *Complecti* eſt inter illas, qvibus Cicero ad ſenſus abundantiam exprimendam utitur, ut ſunt multæ aliæ in lectione autorum notandæ. Cum enim illæ vi vocis amplitudinem aliqvam ſignificent, inter voces etiam communes referri poſſunt. *Tantum abes à perfectione*, pro: nondum fundamenta jeciſti. 1. Notetur hîc periphraſis particulæ *nondum*: Tantum abes à perfectione, ut. 2. πλαγιασμὸς etiam eſt, referendus ad verba vel *aſſeverandi*, vel *negandi*, vel etiam eſſendi & *ſciendi.* Si ſpecialiorem titulum velis ad verba *perfectionis*, vel etiam *imperfectionis.* Poteſt etiam referri ad formulam *improbandi* aut *diſſuadendi* h. m. *Tantum abes à cogitationum tuarum eventu optato, ut fundamenta conſiliorum nondum jeceris.* *Gloriæ te eſſe avidiſſimum, quamvis ſis ſapiens, non negabis*: pro: gloriæ cupidus es. πλαγιασμὸς eſt, auctus vel περιβολῇ, vel ἐπεμβολῇ, referendus ad verba *ajendi* vel *negandi.* ἐπεμβολὴ vel περιβολὴ eſt: *quamvis ſis ſapiens. Quicquid enim eſt.* Per γνώμην effertur, qvæ eſt formula, referenda ad verba *ſyncritica* ſeu *ſuperlationis.* *Quod ſi rerum tuarum immortalium hic exitus futurus ſit, ut relinqueres.*] πλαγιασμὸς eſt, referendus ad verba generalia *eſſendi*, *accidit*, *contingit* idem eſt, *Vide quæſo*, ne. Tota hæc periodus nihil aliud in ſe continet, qvam rectam hanc ſententiam: Resp. in hoc ſtatu relicta, non tantam tibi gloriam pariet. Eſt itaqve qvaſi περιβολή: *quod ſi rerum tuarum immortalium* &c. formata per particulas conditionales. Deinde illa qvoqve verba: *Vide, ne iſta divina virtus admirationis plus ſit habitura, quam gloriæ*, πλαγιασμὸν habent ex comparatione; aſſumitur

aſſumitur enim alius effectus ad effectum gloriæ. Utraqve enim tàm admiratio, qvàm gloria eſt effectus virtutis. Referri qvoqve poteſt hæc formula ad verba *Syncritica*, & qvidem ad talem titulum: *ſimplices ſententiæ per comparationem amplificatæ. Hæc igitur tibi reliqua pars eſt, hic reſtat actus, in hoc elaborandum eſt, ut* Remp. conſtituas. Elegans eſt πλαγιασμὸς, expolitione auctus, referendus ad verba *faciendi* vel *agendi*: & hoc qvoqve notandum eſt, qvod ſit ſub formâ *aſſeverandi* prolatus: qvo reſpectu etiam ad formulas *aſſeverandi* referri poteſt, & ad formulas hortandi & ſuadendi. Qvoniam enim hortatio & ſuaſio faciendum aliqvid præſupponit, ideoqve verba *faciendi* generalia, eorumqve periphraſes & ſynonyma, ut: laborare; curam, diligentiam adhibere; induſtrium, ſolicitum, anxium eſſe, & ſimilia, maxime huc pertinent: qvæ ut augeantur ſenſu, verba affectuum illis jungi poſſunt. *Tum te ſi voles, ſatis diu vixiſſe dicito.* Iterum hoc exemplum πλαγιασμῦ eſt referendum ad verbum *affirmandi*. *Quid eſt enim hoc ipſum: quod cum venerit.* πλαγιασμὸς, qvo exprimitur ſolum futurum tempus. Etſi enim hic ſenſu qvodammodo diverſo uſurpetur, tamen in imitatione poteſt pro πλαγιασμῷ accipi, e. g. *Quid eſt enim omnino hoc ipſum, quod cum venerit, ſtatim in aſpectu ipſo extinguetur?* Ejus recta ſententia hæc eſt: Res illa non erit diuturna. Referendus hic eſt πλαγιασμὸς ad verba generalia *eſſendi*, proponitur autem ſub forma interrogandi. Nam & tales formulæ, qvæ indumenta orationis dixeris, probe ſunt notandæ. Nam talium indumentorum, ut voco, variæ occurrunt formæ, qvibus in variandis ſententiis uti poſſumus; poſſuntqve omnes illæ formulæ verborum generalium ſub certo qvodem tali indumento proferri, ut multa applicatione qvaſi qvibusdam numeris in ſe ductis, ſingulæ ſententiæ ſingulis modis amplificari, vel potius variari poſſint. Ad vitandam enim Orationis nauſeam iſta indumentorum varietas conducit: qvâ de re alio loco plura. *Nec verò hæc tua vita ducenda eſt* &c. Pertinet hic πλαγιασμὸς ad verba affirmandi. Tota hæc periodus nihil aliud continet, qvàm hanc ſententiam: Niſi Remp. conſerves, incerta erit tua gloria. Illuſtratur per ἐξεργασίαν. Sententia qvoqve hæc proponitur ſub modo *aſſeverandi*, per iterationes verborum. *Huic inſervias, hic te oſtentes oportet.* Referenda eſt ad formulas *ſuadendi &* hortandi. *Obſtupeſcent poſteri.* Elegans exemplum προσλήψεως; aſſumuntur enim partes ad totum declarandum, qvod una hâc ſententiâ continetur: Mirabuntur poſteri res geſtas tuas. *Erit inter eos* &c. Hujus periodi ſententia hæc eſt: Rerum tuarum fama incerta erit apud poſteros. Qvæ ſententia etiam ſuperiori periodo continetur, meriſqve expolitionibus dilatatur. Illa enim verba: *Vagabitur modo nomen longè atque latè: ſedem quidem ſtabilem & domicilium certum non habebit*; nihil circumloqvuntur, qvàm incertitudinem. Uno enim verbo hæc poterat exprimere. Πλαγιασμὸς eſt in illis verbis: *Erit inter illos, qui naſcentur, magna diſſenſio, cum alii* &c. Referendus ad verba generalia *conſenſus vel diſſenſus*, vel etiam *dubitandi*. Referri qvoqve poteſt ad formulam *dubitandi*, cum ſcilicet res plures proponuntur, qvas Cicero per διαίρεσιν proponit. Illa qvoqve verba: *Alii fortaſſe aliquid requirent*, itidem πλαγιασμὸν in

ſe continent, ac referenda ſunt ad verba generalia *deſiderii*, e. g. Illud magnoperè reqvirunt eruditi homines, ut ingenii tui monumenta in publicum proferas &c. *Servi igitur iis etiam judicibus*, pro: ratio qvoqve habenda eſt poſterorum. Poteſt referri ad verba generalia *Curandi*, & præterea exhibet formulam *hortandi*. *Et quidem haud ſcio, an incorruptius, quam nos*. Eſt periphraſis particulæ *forſitan*. Et, & rurſus, &c. notetur uſus Conjunctionis Copulativæ. *Id autem etiamſi tunc ad te non pertinet*. Formula periphraſtica eſt, qvâ exprimitur particula *præterea*. Eſt qvoqve πλαγιασμὸς: *pertinet ad te, eſſe te talem* ut, i. e. debes ſeqvi gloriam, ideoqve ad verba generalia *faciendi* vel etiam *debendi* referri poteſt. Eſt & *hortandi* vel *ſuadendi* formula. *Diverſæ voluntates*: Exemplum προσλήψεως eſt. aſſumuntur enim adjuncta & ſpecies ad ſententiam unam exprimendam, qvæ eſt hæc: Diſſentiebant inter ſe cives. *Reſtat, ut unum velint, qui modo habent*. Exemplum aſt περιβολῆς, per particulas conditionales. Poteſt etiam inter πλαγιασμȣ̀ς referri, ſi e. g. ita proponas ſententiam, qvaſi non modo tantum habeat ſapientiæ, ſed & ſanitatis, ut tam imprudenti conſilio ſuum adjungat. *Quare omnes te & hortamur & obſecramus*: Formula hortandi. Omnes idem ſentiunt. Poteſt referri inter formulas πλαγιασμȣ̃, & referri ad verba *ſentiendi*, uti & illa, qvæ ſeqvuntur: *Ex omnium precibus & lacrymis ſentire potuiſti, quam gratum tuum nobis fuerit beneficium*. Adduntur hîc verba affectus. *Sed quia non eſt*: Plena eſt hæc periodus πλαγιασμοῖς. Ejus ſententia hæc eſt: Ego pro omnibus loqvor. *Quod fieri intelligo: lætari omnes ſentio*, pro: omnes lætantur. *Cum id ſollicitudine, curâ, labore, tamdiu præſtiterim*. Etſi hîc non illo ſenſu verba capiantur, tamen ad πλαγιασμὸν referri illa formula poteſt, & qvidem ad verba generalia *laborandi* h. m. Sollicitudine, curâ, labore hoc præſtiti, ut tandem res illa ad optatum finem perduceretur.

Et hæc qvidem exempla Plagiaſmorum & Aſſumtionum pleraqve fuêre, qvæ in hac Oratione occurrunt. Unde patet, nihil eſſe in Oratione circumductâ freqventius, qvo illa dilatatur. Hæc exempla, ſi ex omnibus Ciceronis Operibus fuerint notata, incredibile eſt, qvantus ex illis cumulus effici poſſit. Referri verò illa exempla non tantum ad verba communia, ſed & ad illa, qvæ verbis communibus comprehenduntur, poſſunt: & vix aliter, qvàm ſententiarum titulis exprimi poſſunt, & nos in ſeqventibus ſententiarum amplificatarum ex hâc ipſâ oratione indicem dabimus. Occurrunt tales πλαγιασμοὶ præcipuè in Orationibus, ubi numeroſior debet eſſe oratio & magis periodica. In ceteris non ſunt adeò freqventes: in Epiſtolis ad Atticum rara illa ſunt exempla, cum in illis nihil ſcripſerit Cicero, qvod circumductum illud & περιβεβλημένον dicendi genus ſapiat. Qvare & in illis, qvi brevi dicendi genere utuntur, tales formulæ non apparent, ut in Tacito, Seneca & Plinio. Multa hîc ſunt,
26 qvæ ad titulum vel abſolutè vel comparatè laudandi referri poſſunt. * Occurrunt etiam aliæ ad amplificationem imprimis pertinentes figuræ, qvæ ſeorſim notari poſſunt, & ſermonem πεπλασμένον ex ornamentis conſtituunt. Colligi autem talia vel ſub titulis figurarum, vel ſub titulis rerum poſſunt. Exaggerationes in ſpecie ita

dictæ,

dictæ, qvarum locus eſt in demonſtrativo genere, hîc freqventes ſunt, & paſſim per totam Orationem occurrunt, & conſiſtunt in figuris, qvæ ſpeciatim rem ampliorem faciunt. Ita e. g. in Oratione n. 21. per ἐπίθεσιν augetur Oratio: ad *graviſſimam querelam & atrociſſimam ſuſpicionem.* Omnia enim adjectiva intendendi, ut: maximus, optimus, ſummus, eximius, egregius, ſingularis, admirabilis, incredibilis, divinus, præclarus, inuſitatus, inauditus, innumerabilis &c. ad hanc figuram pertinent. Item voces: tot, talis, tantus; & adverbia intendendi: valde, vehementer, unicè, maxime, egregie, etiam atqve etiam, majorem in modum, miris modis, miris exemplis, immane qvantum, mirum qvantum, nimium qvantum, huc referenda. Pertinent & ex oppoſito particulæ minuendi. Nam & in extenuando poteſt etiam qvædam eſſe exaggeratio; item illa adjectiva & adverbia, qvæ per λιτότητα intendunt, ut: non modicum, non exiguum, & ſimilia. Exaggeratio fit per βεβαίωσιν & juramentum, ut in hâc Oratione n. 10. *Parietes, medius fidius, gratias tibi agere geſtiunt.* Magna pars Exaggerationis in conglobatione verborum & ſententiarum conſiſtit. Conſiſtit verò conglobatio ex enumeratione, eſtqve conglobatio coacervatio vehemens vocum, res diverſas ſignificantium, ut congeries ſimplex Synonymorum coacervatio. Talis conglobatio occurrit hîc num. 29. *Obſtupeſcent poſteri certe imperia & provincias &c.* Exaggeratio per reticentiam non parum auget Orationem, cum certe ex eo, qvod ſilemus, ejus qvantitas concluditur. Differt à præteritione, qvæ leviora ſe omittere fingit. Fit illa per ἀποδίωξιν, cum aliqvid rejicimus & removemus; vel cum vehementius de re loqvi parcimus, ut in hâc Oratione n. 17. *Alterius vero partis nihil amplius hîc dicam, cruentam futuram fuiſſe victoriam* &c. Eſt etiam qvædam Exaggeratio, qvæ fit per adumbrationem: qvæ vocatur, cum ex effectu vel conſeqvente rei magnitudo tacitè concludenda relinqvitur. Talis eſt, qvæ occurrit hîc n. 14. *Tantum apud me grati animi fidelis memoria valuit*, ut &c. Exaggeratio qvædam fit per comparationem ϛοχαϛικὴν, qvando ſcilicet ex majore poſito minus conjicitur, & ex minori poſito majus. Fit vero ϛοχαϛμὸς vel in verbis, vel in integra ſententia. Ex majore conjicitur minus in illo exemplo n. 24. *Si verò ad humanos caſus &c.* Solet etiam majus per ἀδύνατον deſignari in integra ſententia, ut hîc n. 17. *Ut dubitare debeat nemo, quin multos C. Cæſar ab inferis excitaret, ſi poſſet: quoniam ex eadem acie conſervat, quos poteſt.* Ex minori conjicitur majus in illis Ciceronis verbis, n. 17. *Vidimus tuam victoriam, præliorum exitu terminatam, gladium vaginâ vacuum in urbe non vidimus.* Paucula hæc Figurarum colligendarum exempla adduximus, qvæ ad laudem facti in Demonſtrativo genere pertinent. In ceteris figuris ſimili modo rem inſtituamus colligendo è Ciceronis Oratione figuras & ſchemata, qvomodo illa partibus Orationis, ejusqve argumentis reſpondent: Ille enim ſcopus ſemper reſpiciendus eſt.

Nunc ad Sententias amplificatas procedimus, qvarum ego collectionem ſingularem ſuadeo. Nam etſi illi tituli πλαγιασμῶν & προσλήψεων varietatem nobis exhibeant, qvam imitari poſſimus, tamen ſcopus ille, qvo tendit ſententia amplificata, etiam reſpici debet, & ex eo tituli formari. Cicero in Orationis III. Catili- 27

nariæ exordio ſententiam illam : *Rempublicam conſervavi*, magnificâ & ſonorâ periodo hoc modo amplificavit, ut Reipublicæ vocem qvaſi in partes tribueret, per enumerationem commatibus interciſam, ut eo numeroſior & concinnior eſſet periodus, & epithetis ornatam : conſervandi vero actionem è loco cauſarum efficientium, adjuvantium, adjunctorum, illuſtraret, eleganti metaphorâ & qvaſi imagine, cum fauces fati vocat, adjectâ. Inſinuat verò periodus in principio, non membris ſed inciſis ampla, ex recenſione cauſarum, adjunctorum, ac periculorum & beneficiorum ob oculos conſtituta magnitudine amoris in patriam affectum, qvi pleniorem qvendam ſpiritum & hiatum reqvirebat. Qvid enim hâc periodo ſonorum magis excogitari poſſet? *Rempublicam, Quirites, vitamque omnium veſtrum, bona, fortunas, conjuges, liberosque veſtros, atque hoc domicilium clariſſimi Imperii, fortunatiſſimam pulcherrimamque urbem, hodierno die, Deorum immortalium ſummo erga vos amore, laboribus, conſiliis periculisque meis, flamma atque ferro, ac penè ex faucibus fati ereptam, & vobis conſervatam atque reſtitutam videtis.* Similiter Catilinaria IVta pericula ſua exaggerans, & πάθ☉ commiſerationis in auditoribus movens, in ſe vero ἦθ☉ amoris erga patriam oſtendens, hanc ſententiam : *ego nullo in loco tutus ſum*, per μεριςμὸν locorum publicorum, ad perſonam Conſulis relatorum & ſingulorum reſpectu ſecuritatis periculo oppoſitæ deſcriptionem dilatat : *Ego ſum ille Conſul, P.C. cui non forum, in quo omnis æquitas continetur; non campus Conſularibus auſpiciis conſecratus; non curia, ſummum auxilium omnium gentium; non domus commune perfugium; non lectus ad quietem datus; non denique hæc ſedes honoris unquam vacua mortis periculo atque inſidiis fuit.* In his, etſi πλαγιασμοὶ & προσλήψεις notari poſſunt, tamen tituli ſententiarum ſeorſim poni debent ſuo ordine; neqve opus eſt, ut labor ille deſcribendi duplicetur; Signa tantum poni poſſunt, qvæ remittant ad numeros & paginas. Ita hæc ſententia : *Rempublicam conſervavi*, ad vocem conſervandi & ad vocem Reipublicæ referatur. Altera : *nullo in loco tutus ſum*, referatur ad titulum generaliorem Securitatis publicæ. Nam generalem titulum ſemper ego præmitti velim. Talium ſententiarum amplificatarum pauca exempla collegit *Nicaſius Baxius* in *Medullâ Eloquentiæ*, qvæ hîc Kiloni cum meâ præfa-
28 tione de omni in Eloqventiâ excerpendi ratione edita eſt. (*a*) * Congeſſiſſe è recentioribus his qvodammodo ſimilia *Meifartus in Mellificio ſuo Oratorio* videtur: unde non tam mella, qvam lutum ſæpe legunt tirones : verum ſine diſcrimine, nec eo ordine, qvem deſideramus, nec ad illum uſum. Deniqve è lacunis maximam par-
29 tem haurit, qvod felicius è fonte ipſo ac rivulis limpidioribus hauriri poterat. * His ſententiis amplificatis ita utemur, ut ad illarum exemplum reſpiciamus, aliaqve expreſſione imitemur. Nam qvi ex his velut centonibus orationem conſuunt, eorum prima tirocinia non qvidem culpaverim : ſed qvibus maturum in oratione judicium eſt,

(*a*) *Medulla Eloquentiæ* Nicaſii Baxii Editio Noviſſima, ab ipſo Morhofio curata, & *Præfatione de omni in Eloquentia excerpendi ratione* aucta, Kilonii A. 1685. *in 8vo.* prodiit.

eſt, ita has temperabunt formulas, ut eosdem qvidem ſenſus retineant, verba tamen ipſa non deſcribant, ac ordinem interdum invertant; recto tamen in omnibus adhibito judicio.

Ex Oratione pro M. Marcello hæc excerpemus. 1. *Hodie mihi verba facien-* 30
da ſunt. Diuturni ſilentii, -- more dicendi. 2. *De re magna dicturus ſum.* Tantam manſuetudinem, -- præterire poſſum. 3. *Fortunam adverſam amici ægre fero.* Dolebam enim -- diſtracto. 4. *Dignus eſt beneficio.* Eſt fortunatus ille -- præſtantior. 5. *Res magnas geſſiſti.* Nullius tantum eſt flumen, -- amens ſim. (Tribus enim periodis nihil aliud, qvam hoc dicitur.) 6. *Res tuæ cum cæteris conferri non poſſunt.* Soleo ſæpe ante, -- victoriis illuſtratæ ſunt. 7. *Bellicæ laudes minores ſunt.* Nam bellicas laudes -- ducit ſuum. 8. *Laus hæc tibi propria eſt.* At vero hujus gloriæ C. Cæſar, -- propriam fatetur. 9. *Victor es multorum populorum.* Domuiſti gentes immanitate -- abundantes. 10. *Se ipſum vincere maxima victoria eſt.* Domuiſti gentes, -- ſimillimum Deo judico. 11. *Gloria tua ſumma eſt.* Itaqve Cai Cæſar -- conticeſcet. 12. *Dignus laudibus es.* Te vero, qvem præſentem intuemur, -- complectemur, 13. *Hæc tua maxima laus eſt.* Hunc tu igitur diem, -- tantum afferat laudibus. 14. *Viciſti te ipſum.* Et cæteras qvidem omnes -- victis remiſiſti. 15. *Reſtituit adverſarium libertati.* Nam cum M. Marcellum, -- bellum eſſe ſuſceptum. 16. *Pacis conſilia ſemper ego ſectatus ſum.* Qvo qvidem in bello, -- armorum fuerunt. 17. *Amici infortunati partes cum meo periculo amplexus ſum.* Hominem ſum ſecutus voluntarium. 18. *Victor clementiſſimus fuiſti.* Vidimus tuam Victoriam, -- conſervat, qvos poteſt. 19. *Ferocia hoſtium deſcribitur* n. 7. 18. Alterius verò partis, -- contuliſſe. 20. *Gratulamur tibi de tanto beneficio.* Qvare gaude tuo iſto, -- congratulabere. 21. *Laus tua maxima eſt.* De novis, qvos in Republica, -- commodata eſſe videantur. 22. *Conſerva bonos viros.* Noli qvæſo in conſervandis, -- ſenſerunt. 23. *Tuâ vitâ omnium vita continetur.* Qvis eſt omnium tam ignarus -- pendere omnium. 24. *Omnium ſalus in te uno ſita eſt.* Eqvidem de te dies noctesqve, -- in unius anima conſiſtere. 25. *Vellem te eſſe immortalem.* Eqvidem de te, -- anima conſiſtere. 26. *Malo geminato non facile medemur.* Si vero ad humanos caſus, -- opitulari poſſe credamus. Imitabimur alio modo e. g. Si ad hoſtium exterorum ferociam rebellionis etiam accedat inſidiarum conſenſio, qvem Deum, etiamſi cupiat, Reip. opitulari credamus) 27. *Reipublicæ conſulendum eſt.* Omnia tibi ſunt excitanda, -- legibus vincienda ſunt. (Poſſumus hanc formulam ad qvodcunqve negotium, in qvo diligentia & induſtria opus eſt, applicare, ſi per μερισμὸν ſingulas ejus rei circumſtantias adducamus.) 28. *Bellum multas calamitates ſecum trahit.* Non fuit recuſandum, -- fieri prohibuiſſet. 29. *Tuo conſilio vive.* Qvare omitte qvæſo, -- ſapiens eſſe. 30. *Gloria tua nondum perfecta eſt.* Nunc cum omnium ſalutem -- jeceris. 31. *Gloria non vixiſti ſatis.* Idem 32. *Plus ultra tentandum eſt.* Parumne igitur, inqvies, -- cum eſt aliqvid amplius. 33. *Gloria tua imperfecta eſt.* Qvod ſi rerum tuarum -- qvam gloriæ. (Hanc poſtremam formulam per imitationem applicare ad multa poſſumus. Ita e. g. de ſtudiis dicere:

cere poſſis. Vide, qvæſo, ne pulcherrima tua ſtudia admirationis plus qvam fructus ſint habitura. Poteſt hæc poſterior formula etiam referri ad formulas hortandi vel dehortandi.) 34. *Reſpublica ſervanda eſt.* Hæc igitur tibi reliqva, -- vixiſſe dicito. 35. *Reſpublica compoſita ſatis diu vixiſti.* Hæc ergo vixiſſe dicito. 36. *Nihil diuturnum eſt.* Qvid eſt enim omnino hoc ipſum diu, -- futura ſit. 37. *Illa tua vita eſt, quæ eſt immortalis.* Iſte tuus animus nunqvam, -- qvæ laudet, exſpectat. 38. *Gloria tua imperfecta eſt.* Vita qvidem tua, qvæ miretur, multa habet; nunc etiam qvæ laudet, exſpectat. (Idem eſt, qvod antea: Virtus tua admirationis plus habet, qvam gloriæ.) 39. *Poſteri mirabuntur res geſtas tuas*, vel, *celebris eris.* Obſtupeſcent poſteri, -- legentes. (Poteſt hæc ſententia ad alia negotia applicari, e. g. Obſtupeſcent poſteri certè virtutes, lucubrationes, ingenii monumenta, æſtum, fervorem, pugnas in re literariâ, innumerabiles, incredibiles de barbarie victorias & triumphos.) 40. *Fama tua incerta eſt.* Vagabitur modo nomen tuum, -- ſalute patriæ reſtinxeris. 41. *Diſcrepant multi inter ſe ſententiis.* Diverſæ voluntates, -- qvid liceret. 42. *Unus nobis Dux erit.* Jam omnis fracta diſſenſio armis, -- ſalvi eſſe non poſſumus. 43. *Nos te defendemus.* Omnes tibi, -- pollicentur. 44. *Interpres aliorum ſum.* Sed qvia non eſt, -- fieri intelligunt. 45. *Magna mea fuit diligentia.* Qvod autem ſummæ benevolentiæ, -- præſtare debeo.

CAP. VIII.

DE EXCERPTIS ORATORIIS SYSTEMATICIS,

§. 1. Τὸ Συϛηματικὸν Orationis in formulis conſiſtit. 2. Formulæ primo ſunt communes & generaliſſimæ. 3. Formulæ ad tria cauſarum genera, 4. & ad ſpecialia cujusque generis relatæ. 5. Connexiones minores periodorum. 6. Starckii Loci communes Epiſtolici, Dialogici. 7. 11. Melchioris Junii Reſolutio Orationum Ciceronis in Formulis colligendis laudatur. 8. Exordiorum Formulas Cicero. 9. & alii Oratores habuerunt. 10. 12. 13. Exempla formularum ex Oratione pro M. Marcello. 14. Connexionis Periodicæ minores. 15. Harum non exigua utilitas. 16. Connexiones varii ſunt generis. 17. Particularum Periodicarum uſus non eſt in Carmine. 18. Connexiones Reales. 19. Connexionum minorum exempla ex Oratione pro M. Marcello. 20. Collectanea Periodorum. 21. Cicero Periodorum talia collectanea habuit.

1 EXcerpta, qvæ ad τὸ συϛηματικόν Orationis pertinent, complectuntur formulas, tàm majores qvàm minores, qvibus illa connectitur, vel de membris ad membra tranſitus fit. Formulæ ligamentum præbent orationi, & qvaſi vinculum aliqvod præſtant, qvo partes inter ſe cohærent. Ut enim in corpore membra ſuis qvibusdam tendinibus & nervis ligantur, ita his formulis partes orationis, tam

tam majores qvàm minores. * Si qvis librum è formulis ſingularem conficere velit, diſponere illum debet ſecundum cauſarum genera; qvibus præmittendæ ſunt formulæ communes ſeu generaliſſimæ, quæ omni orationi citra conſiderationem alicujus cauſæ applicari poſſunt. Sunt enim generalia qvædam in Orationibus & in Orationum omnium partibus, qvæ ſeorſim ſunt notanda, & non niſi crebrâ lectione, annotatione & uſu, diſci poſſunt. * Tertiô ſubjungendæ ſunt formulæ, qvæ ad 2
certa cauſarum genera pertinent, & in iis cauſarum generibus occurrunt ſubordinata qvædam, qvæ ſeorſim ſingula colligi debent. Ita in genere Deliberativo multæ occurrunt Orationum ſpecies, qvæ ad genus Deliberativum reducuntur. Enthymemata tamen è locis generis Deliberativi capiunt, ut ſunt adhortationes, dehortationes petitiones &c. Omnes enim circa τὸ faciendum verſantur, ideoqve neceſſariò generis Deliberativi argumenta aſſumunt. * Sed inſunt ſingulis illis Orationum ſpeciebus ſuæ qvædam formulæ peculiares, qvæ diſtingui â ceteris debent, ut in hâc noſtrâ Oratione, qvæ ad genus Demonſtrativum referenda, qvia eſt gratiarum actio, & ſingularem aliqvem characterem delineat. Qvi etſi locis generis Demonſtrativi utatur; verſatur enim in laude facti; tamen illa figura Orationis, qvam gratiarum actio ipſi circumponit, peculiares habet qvasdam formulas, & ſingulares qvosdam argumentandi & amplificandi modos, à ceteris diſtinctos. Qvæ proinde omnia qvam diligentiſſime notari debent. * Minores formulæ connectendi periodicæ, ſive illæ per particulas ſive per formulas inſtituantur, diligenter qvoqve notandæ ſunt, &, ut puto, ſeparatim colligendæ, de qvibus ſupra *cap.* 4. diximus. * Promiſerat *Starckius* olim tales Locos Communes, qvemadmodum conceperat *Epiſtolicos* & *Dialogicos*; ſed iſti lucem non viderunt. * Talium Locorum Communium rudimentum ſubminiſtrare poterit *Melchior Junius in Reſolutione Orat. Cic.* nam è lectione Orationum concinnari debent. * Ac videmus etiam, ipſum Ciceronem talibus formularum collectaneis fuiſſe uſum: Aperte enim de ſe ipſo ſcribit, ſe codicem habuiſſe, qvo collegerit varias Exordiorum formulas; ut, cum Orationi ſcribendæ accingeretur, inde, qvæ in ſuum eſſent uſum, depromeret. * Teſtatur etiam Qvintilianus, cauſarum patronos tales in promptu habuiſſe formulas, qvibus illi ut Delphico qvodam gladio uterentur, non immerito idcirco ab illo reprehenſi, non qvi his ſubſidiis, ſed qvi ineptè uterentur, & in Locis Communibus ſubſiſterent, cum ſpecialiora argumenta reqvirerentur. * In hâc Oratione ad formulas generales referatur: *Exordium formandi poſt diuturnum ſilentium.* Ad Exordia Generis Demonſtrativi referas hanc formulam; *formulæ Exordiorum in re magna, beneficio, victoria &c. laudandis. Amplificandi beneficium aut factum in illo exordio.* Primo per figuram incrementi: Tantam manſuetudinem &c. n. 1. 2. ab adjunctis n. 2. & 3. *Amplificandi beneficium in gratiarum actione ab adjunctis*, à perſonis reliqvisqve circumſtantiis. 1. 2. 3. 4. * Vide *Junium in reſolutione Orationis Ciceronis* p. 34. qvi liber optimè in ſubſidium pro colligendis formulis vocabitur. * *Attentionem parandi in Exordiis Generis Demonſtrativi*: *De re magna dicturus ſum.* Nullius tantum

tum eſt flumen ingenii &c. *Docilitatem parandi ex Enumeratione* cauſarum, partium, adjunctorum. n. 2. & 3. *Benevolentiam captandi apud illum, quem laudamus, & quem*
13 *antea offendimus.* * Exord. Orationis pro M. Marcello. *Proponendi formulæ, per remotionem & comparationem.* Nullius tantum flumen &c. usqve, conſecutus eſt. *Formulæ Propoſitionis in Demonſtrativo genere: per translationem laudis generalis ad ſpecialem.* Nullius tantum flumen, usqvè, conſecutus eſt. *Formulæ præparandi aditum ad Confirmationem.* *In Demonſtrativo genere* cum perſonam laudamus è loco totius per comparationem & remotionem, n. 5. Soleo ſæpe ante oculos ponere, usqve, victoriis illuſtratæ ſunt &c. *Formulæ comparate laudandi.* *Ad declinandum odium & invidiam primo immodice laudando, antequam extenuemus* n. 5. *Secundo per figuram Objectionis & quandam quaſi Proſopopœiam, cum odioſa potius aliis, quàm nobis, affingimus* n. 6. Nam bellicas laudes &c. *Formula concludendi Enthymema:* per γνώμην, ſub finem n. 7. Nunqvam temeritas, usqve, admittitur. *Reaſſumendi primarium Enthymema:* n. 9. Itaqve C. Cæſar, n. 11. &c. *Concludendi Enthymema: per Apoſtrophen & Proſopopœiam,* n. 10. Te verò qvem &c. *Tranſeundi ad Enthymema ab Enthymemate:* per πάθος misericordiæ. Eqvidem cum C. Marcell. &c. *Laudandi beneficium: per translationem ſingularis ſtatus ad univerſalem* n. 10. 11. *Concludendi gratulationem:* n. 11. Hunc tu igitur diem, usqve, antepones. *Proponendi Enthym. per Paradoxon:* Et ceteros qvidem omnes &c. n. 12. *Attentionem in medio Orationis excitandi per Paradoxon:* Vereor, ut hoc, qvod dicam, non perinde intelligi auditu poſſit, atqve ipſe cogitans ſentio. *Epiplexis τοῦ παραδόξου, κύζησις τοῦ παραδόξου:* Ipſam victoriam viciſſe videris &c. *Formulæ digrediendi:* Atqve hoc Caji Cæſaris judicium qvam late pateat, attendite. *Digreſſiones in laudibus eorum, quos offendimus, quando nos excuſamus,* n. 12. 13. *Purgationis formulæ,* qvæ ad Genus Judiciale qvoqve referri poſſunt, n. 13. *Purgatio per μετάστασιν ſive remotionem criminis,* n. 14. Neqve unqvam &c. *Purgare ſe ita, ut adverſarium invitum in noſtras partes pertrahamus:* Cicero purgaturus ſe Cæſari, qvod ipſius partibus infenſus fuerit, ita reſpondet, ut Cæſarem ſibi, tanqvam pacis autori, maxime favere judicet, cum etiam hoſtes ſuos, ut pacem faceret, in curiam induxerit. n. 13. 14. *Amplificandi beneficium: à Contrario.* Cicero amplificaturus victoriam Cæſaris contendit cum ferociâ Pompejanorum, ſi vicerint, n. 16. 17. *Concludendi argumenta: per Proſopopœiam vel provocationem ad Deos,* n. 18. Ut mihi videantur Dii immortales &c. Pertinent & huc verba illa n. 17. cum Cic. Cæſari divinam clementiam attribuit his verbis: ut dubitare nemo debeat, multos Cæſar, usqve, qvos poteſt. *Concludendi gratulationem: per Apoſtrophen affectuoſam,* n. 19. Qvare gaude, usque, videantur. *Reaſſumere in Concluſione purgationem:* n. 20. Noli igitur in conſervandis, usqve, cenſerent. *Tranſeundi ad Confutationem?* n. 21. Nunc vero venio ad graviſſimam qverelam. *Refutand. alicujus ſuſpicionem: Per inſinuationem ita ut non offendas, 1. ſuſpicionem non contemnendo.* Qvam etſi ſpero falſam eſſe, nunqvam tamen verbis extenuabo n. 21. 2. *Laudando prudentiam ſuſpicantis.* Tua cautio

noſtra cautio eſt n. 21. vid. n. 23. 3. *Declaratione publici periculi*, ſi in alterutro peccandum ſit, malim videri nimis timidus, qvam parum prudens, n. 22. *Reſpondendi negando: per Interrogationem* n. 22. 23. *per Dilemma*, n. 22. *Concedere objecta, ut validiore ratione reſpondeas*: n. 23. Sed tamen cum in animis hominum tantæ latebræ ſint. *Reſpondendi ab Objectionem: Ut graviorem facias, qvo gratiori reſponſioni locus eſſe poſſit*, n. 23. *Elidendi Objectionem: Per inflexionem ad aliam partem* n. 23. Eqvidem de te dies noctesqve cogitans &c. Cicero ſcil. auget ſuſpicionem, 1. ut oſtendat majorem curam pro vita Cæſaris. Deniqve ita reſpondet, ut non tam ſuſpicionem Cæſaris, qvam alios caſus metuat: qvod cum facit, oſtendit, ſe ſollicitum pro ſalute Cæſaris, & occaſionem qværit, ut eum exhortetur ad componendam Rempublicam. *Adhortatione finire Refutationem*: n. 24. Itaqve Cai Cæſar. n. 28. Hæc igitur, &c. n. 30. circa finem, n. 33. Qvare omnes te, qvi hæc ſalva eſſe, &c. *Transeundi ad novum membrum: per vicinitatem rei, & per ſententias παρασκευαςικὰς* n. 25. 26. Qvæ qvidem, usqve, audivi. Ceteræ periodi, qvæ antecedunt, omnes qvaſi viam ſternunt alteri parti Refutationis, qvâ Cic. Cæſaris qvoddam dictum confutat. *Confutandi alicujus dictum. Ita ne offendas.* Itaqve tuam præclariſſimam & ſapientiſſimam vocem invitus audivi. Qvare omitte &c. Noli noſtro periculo ſapiens eſſe. Sæpe venit ad aures meas &c. *Reſpondendi: per limitationem*: n. 26, Itaqve illam tuam, usqve, patriæ certe parum. n. 26. Credo, ſed tum id audirem, ſi tibi ſoli viveres. *Tranſeundi ab uno membro Confutationis ad aliud; per interrogationem.* Qvid ſi iſtud ne gloriæ qvidem tuæ ſatis eſt? n. 26. circa finem. Qvid eſt enim omnino hoc ipſum diu? n. 29. *Refutandi, per qvæſtiones & reſponſiones breves.* Parumne igitur? inqvies, relinqvemus, n. 27. per Objectiones, n. 27. per inficiationem. Tota Confutationis prima pars n. 23. *Formula concludendi Orationem: Sed unde eſt orſa, in eodem terminetur oratio*, n. 34. *Concludendi Orationem nomine multorum habitam*, n. 34. Sed qvia non eſt adſtantibus omnibus neceſſe dicere &c. ſentio. *Cauſas dicendi in fine Orationis allegare*: n. 35. Qvod autem ſummæ benevolentiæ eſt &c. præſtare debeo. *Concludendi Orationem Eucharisticam: Formula gratiarum actoria.* Itaqve C. Cæſar ſic tibi gratias ago, usqve ad finem.

Connexiones Periodicæ minores majoris pene momenti ſunt, qvam ceteræ, & 14
pene omnes conſiſtunt in variatione particularum, qvæ particulæ vel ſunt cauſales, vel conditionales, vel argumentativæ, vel illativæ, qvales præcipuè locum in Oratione Enthymematica habent, ut particulæ ordinis & temporis & continuitatis in narratione & hiſtoriâ. * Earum particularum variatio vehementer prodeſt ad va- 15
riationem periodicam. Qvi ergo tales particulas vel aliis Synonymis vel formulis idem ſignificantibus variare novit, non contemnendum habet orationis connectendæ artificium, in qvo ſæpe ſolliciti ſunt, qvi Orationes ſcribunt. De iis qvanqvam jam cap: 4. egi, hîc tamen ea repetere ductu Orationis Tullianæ pro M. Marcello volui.
* Diſtinguendi hîc qvoqve ſunt characteres: Nam aliæ connexiones poëticæ, aliæ 16
orationis contentioſæ, aliæ narrationum & hiſtoricæ, in qvibus omnibus adhibere

Hhhh oport-

17 oportet accuratum judicium. * Poëma plane dedecent connexiones periodicæ,
per qvas in orbem volvitur oratio, ut: *Quandoquidem*, *Etſi*, *Tametſi*, *Veruntamen*,
Siquidem, *Verum enim vero*, & pluresaliæ; qvales particulæ omnes pertinent ad ora-
toriam rotundandam periodum, nec occurrunt in carmine: Plerumqve enim mem-
bratim illic procèdit Oratio, & per commata trahitur ſine aliqvo notabili in orbem
reditu; etſi Virgilius magis periodicus ſit, qvam ceteri, ita tamen, ut ultra decorum
18 poëticum non eat. * Neqve ſolùm connexiones verbales, qvæ conſiſtunt in par-
ticulis & formulis, ſed reales, qvæ vicinitate rerum obtinentur, notandæ ſunt. Ut
enim perpetuus eſt rerum inter ſe analogiſmus, ita nihil adeo inter ſe diverſum eſt,
quin certâ qvadam ratione jungi poſſit. Qvare diligenter illæ notari debent. Non
crediderim autem opus eſſe, ut ſub certis titulis colligantur: ſufficiet, ſi illæ in cumu-
19 lum comportentur. * Ex hâc itaqve Oratione, qvæ excerpi merentur, notabi-
mus. Non enim omnia exempla parallela & æqvali ratione inſtituta notari debent.
Nam cum freqventiſſimæ ſint è cauſalibus particulis connexiones, ineptum eſſet, qvo-
ties occurrunt illæ particulæ, notare periodorum initia, ſed tum demum notabuntur,
ſi periphraſtica aliqva formula particula cauſalis varietur. Idem qvoqve in ceteris
particulis fieri debet. *Intellectum eſt enim mihi qvidem in multis. Ille quidem fru-
ctum omnis vitæ cepit, &c. Ex quo profecto intelligis, quanta in dato beneficio ſit
laus &c. Eſt vero fortunatus ille. Quod ei quidem merito atquè optimo jure conti-
git. Soleo ſæpe ante oculos ponere. Quæ quidem ego niſi fatear. Et certe in armis
multum juvat. At vero hujus gloriæ ſocium habes neminem. Itaque Cai Cæſar, tuæ
laudes celebrabuntur illæ quidem. Equidem cum Marcelli viri optimi lacrymas vidio.
Et ceteros quidem omnes viceras. Vereor, ut hoc, quod dicam, non perinde intelligi
poſſit. Atque hoc Cæſaris judicium quam late pateat, audire. Quo quidem in
bello &c. Quod quidem meum conſilium &c. Ex quo nemo erit tam injuſtus re-
rum æſtimator, qui dubitet. Atque id minus mirum fortaſſe tum &c. Atque hujus
quidem rei Marcelli ſum teſtis. Quoties ego illum, & quando cum colore vidi? Quo
gratior tua libertas debet eſſe*: *Quo* hìc eſt particula illativa, & videtur omitti
præpoſitio *Ex*; ante enim ponebatur *ex quo*. *Alterius vero partis nihil amplius di-
cam, quam id, quod omnes verebamur* (obſerva hîc ſingularem illam vocum traje-
ctionem.) *Quæ quidem nunc tibi curanda ſunt. Itaque illam tuam vocem invitus
audivi. Sæpe venit ad aures meas. Nunc cum res tuæ complexæ ſint, tantum ab-
eſt &c. Hic tamen modum definies. Quid enim eſt omnino hoc ipſum? Id etiamſi
tunc ad te non pertinebit, nunc certe pertinere &c. Niſi te ſalvo, ſalvi eſſe non poſ-
20 ſumus. Itaque Cæſar ſic tibi gratias ago, &c.* * Ad Orationis τὸ πεπλασμέ-
νον etiam Periodorum obſervationes pertinent. In his qvoqve collectanea inſtitui
poſſunt ratione partium Orationis, ratione enthymematum, affectuum, figurarum,
21 ubi illæ longiores, breviores, ἐπεμβολαῖς multis refertæ. * Ciceronem talia
periodorum habuiſſe collectanea vel ex ejus Oratore ad M. Brutum diſcere poſſumus,
ubi multas ex Orationibus ſuis ad Græcorum Oratorum, Iſocratis, Gorgiæ, exem-
plum

plum formatas periodos recenſet, ac ſollicitam in illis verborum ac membrorum locationem oſtendit. Sed illa ſibi quisque pro lubitu formet, vel ſub titulis argumentorum docentium, conciliantium & moventium, disponat.

CAP. IX.
DE EXCERPTIS ORATORIIS ENTHYMEMATICIS.

§. 1. AD τὸ ἐνθυμηματικὸν pertinent Loci communes Theſium. 2. Collectio Theſium inſtituenda ſecundum cauſarum genera. 3. Quæ non in civilibus ſolum, ſed & in ſacris orationibus proficua. 4. Baconis Verulamii Conſilium Theſium & Antitheſium colligendarum. 5. 6. Quænam ſunt ſingulorum generum theſes. 7. Exemplum horum locorum peti poteſt ex Melchior. Jun. reſolut. orat. Cicer. 8. generis judicialis uſus hodiernus. 9. Theſes vel nudæ colligi poſſunt vel unà cum Enthymematibus. 10. axiomata Ariſtotelis generalia. 11. Exemplum ex Oratione Ciceronis pro L. Muræna, quâ tractatur Locus communis: Jurisprudentia poſtponenda eſt eloquentiæ & rei militari. 12. Theſis contraria ex oratione pro Cæcinnâ adducitur. 13. cui conſona eſt Aonii Palearii oratio elegans. 14. Theſes morales ex Seneca & aliis petendæ. 15. Locorum communium collectio ex Oratione pro M. Marcello. 16. 19. Loci morum quomodo inſtituendi. 17. Argumenta ſunt vel logica vel ethica vel pathetica. 18. hæc quandoque vel unico epitheto exprimantur. 20. Schraderus praxin excerptorum moralium docet. 21. Magiri Polymnemon laudatur. 22. Characteres hominum congerendi. 23. qua methodo ſint diſtinguendi. 24. Potiſſimum è Comicis & Satyricis notandi. 25. Theophraſti liber de characteribus laudatur. 26. Exemplum è Fabula Terentiana Adelphis. 27. Comœdia, Satyra & Hiſtoria magis characteres illos exprimit, quàm præcepta moralia. 28. 29. Grotii & Lutheri judicium de Comœdiis Terentii. 30. è fabulis quoque characteres eruuntur. 31. Nathanis Chytræi characteres Terentiani ἀνέκδοτοι. 32. Loci Affectuum. 33. quomodo iſti diſponendi. 34. Exemplo illuſtrantur. 35. Chambræus, Carteſius, Williſius, Placcius commendantur. 36. Loci Exemplorum. 37. Excerpta formularum Dialogiſticarum. 38. Excerpta Epiſtolica. 39. Materialia & Formalia. 40. Melchioris Junii Scholæ Rhetoricæ laudantur. 41. Excerpta Epiſtolica etiam è Gallis, Italis, aliarumque gentium Epiſtoliographis, inſtitui poſſunt. 42. Collectanea formularum epiſtolicarum. 43. E quibus Autoribus illæ colligendæ. 44. Ruperti Excerpta Epiſtolica ubi & quomodo adhibenda. 45. Eraſmi Roterodami Formulæ Epiſtolares. 46. Stephani collatio formularum Ciceronianarum & Ovidianarum. 47. Clarkii Formulæ rejiciuntur. Schraderi, Titii, Schönslederi Excerpta rerum deſiderantur.

1 AD τὸ ἐνθυμηματικὸν pertinent primo Loci Communes Theſium, id eſt, rerum omnium, qvæ qvomodocunqve ad Orationes pertinent, aut oratione pro-
2 poni ſolent cujuscunque generis. * Inſtitui vero illa Collectio Theſium ſecundum cauſarum genera poteſt. Cum enim objectum Rhetorices ſit qvæſtio qvælibet, præſertim civilis, illa vero duplex ſit, infinita & finita: Infinita vero Theſis dicatur, finita hypotheſis; & ab illa ad hanc plerumqve progrediatur Orator, atqve ex theſi argumenta deſumat ad hypotheſin ſuam probandam: conſeqvens eſt, qvo qvis in theſibus eorumqve argumentis verſatior ſit, eò majorem inventionis co-
3 piam habiturum. * Ideoqve maturè talium Theſium Excerpta inſtituantur, qvæ non in civilibus ſolum, ſed etiam Eccleſiaſtici argumenti, Orationibus ſuam utilitatem exſerent. Nam iidem fontes ſunt, ſive ad virtutes civiles, ſive ad ſacras reſpiciamus: Niſi qvod illud diſcrimen obſervari debet, ut in theſibus civilibus enthyme-
4 mata è prudentia morali & civili deprompta colligamus; in ſacris & illa & inartificialia argumenta è dictis Scripturæ petita. * Vidit jam hujus rei utilitatem *Baco Verulamius* in libro ſuo de *Augmentis Scientiarum*, ubi ſpecimen aliqvod talium theſium & antitheſium proponit. Idem negotium etiam *Schraderus in Commentario*
5 *Rhetoric. Ariſtotelic.* commendat. * In Demonſtrativo genere colligamus ea, qvæ vel laudantur, vel vituperantur, vel ſimpliciter, vel comparatè. Fuudus earum rerum ſit in omnibus Orationibus vel Diſſertationibus, qvæ qvomodocunque aliqvid laudant, vel reprehendunt. Poſſunt & in ſubſidium vocari Poëtæ: nam & ex iis mu-
6 tuari poteſt Orator. * In genere Deliberativo colligi poſſunt Theſes ad conſultationem pertinentes. Ideoqve hîc excutienda ſunt illa themata, qvæ apud Orato-
7 res & Hiſtoricos ventilantur: Singulis illis ſubjici argumenta poſſunt. * Exemplum horum Locorum communium qvadam ex parte ſubminiſtrare poteſt *Melchior Junius in Reſolut. Orat. Cic.* ubi ſecundum tria cauſarum genera Orationes Ciceronis diſponit, & ſecundum partes oratorias omnes ejusdem generis orationes examinat: Sed ille ex ſolo Cicerone ſua tantum congeſſit, & partes orationis in fronte poſuit,
8 ſecundum qvas colligit argumenta illa Ciceroniana. * In genere Judiciali, cujus exiguus eſt uſus, aliqvis tamen in argumentis affinibus, ut ſi expoſtulatioues, exprobrationes &c. inſtituendæ ſint, colligemus varia genera criminum, de qvibus inſtitui exprobrationes vel accuſationes ſolent: & notabimus ſub illis varia argumenta, qvæ ad illa probanda adhiberi ſolent. Locos etiam defenſionum colligere poſſumus, qvorum magnus apud Ciceronem cumulus eſt. Nunc qvidem illorum non adeo magnus eſt uſus, cum eloqventia forenſis deſierit, JCti vero & Advocati non tàm per eloqventiæ ſubſidia, qvàm per diſputationes forenſes, omnia proponant. In Eccleſiaſticis non contemnendus hujus generis uſus eſt, cum vitia taxamus, & vitioſos homines oratione noſtra redarguimus; Tum enim communia illa argumenta, qvæ Oratori civili proſunt, facili negotio in ſacra converti poſſunt. Omnis enim illa doctrina ſtatuum, qvi in hoc genere occurrunt, mirifice inſervire huic ſcopo poteſt.

Si

Si qvis itaqve velit has theſes congerere, ut compendium laboris & temporis faciat, nudas theſes poteſt colligere, & qvaſi per indicem addere Autores, ſine enumeratione Enthymematum: ſi vero velit, etiam illa poterit adjicere; eò diſtinctior & utilior labor ille futurus eſt. Qvanqvam & intelligentibus facilè erit revolvere Autores, & tunc, cum opus eſt, apud ipſos breviter Enthymemata recenſere, * Nos exemplo aliqvo oſtendemus, qvomodo theſis ſit notanda, & Enthymemata ſimul ſecundum Ariſtotelem apponenda. Qvod non ſemper ita facere neceſſum eſt, cum axiomata Ariſtotelis ſint generalia; Enthymemata autem, qvæ ad rem aliqvam probandam afferuntur, ſint ſpecialia. Ut itaqve inutilis videatur cumulatio, ſi qvis generalia axiomata cum ſpecialibus ſimul ponere velit. Nam hæc generalia axiomata Ariſtotelica tanqvam literæ & ſyllabæ præſupponendæ ſunt illi, qvi ſermonem aliqvem ſcripturus eſt. * Ex Oratione Ciceronis pro L. Muræna notetur hæc Theſis ſub titulo Jurisprudentiæ: *Jurisprudentia poſtponenda eſt eloquentiæ, & rei militaris ſcientiæ.* Hanc theſin ut Cic. probet, primò jurisprudentiam contemnit è locis illis, qvibus aliqvid elevatur. Hi loci reperiuntur apud *Ariſt. lib. 1. Rhetor. c. 9.* ubi loci Demonſtrativi generis occurrunt. Debent vero hîc intelligi loci contrarii: nam Ariſtoteles directos poſuit. Poſtqvam itaqve primò theſis poſita eſt, ſubjiciantur Enthymemata; Jurisprudentiæ dignitas non eſt tanta 1. qvod in rebus minutis verſetur, *ex loco Ariſtotelico lib. 1. c. 9. 33. n. 25. & quæ eximia ſunt* 2. qvod omnibus nota minus ſint in pretio, *Ariſtot. lib. 2. c. 9. n. 26. quæ uni ſunt propria.* 3. Qvæ avaritiæ vel ambitionis gratia novantur, ſæpe ad libidinem hominum, ea parum æſtimanda. *Ex loco contrario ejusdem capitis* §. 3. 4. Qvod in ea multa ſint depravata & corrupta, ideoqve ejus ars contemnenda: *ex loco contrario lib. 1. cap. 7. §. 43. n. 40. Stabiliora infirmioribus ſunt meliora.* 5. Qvia jurisprudentia τό ῥητὸν potius reſpicit, qvàm æqvitatem. *Ariſt. c. 13. §. 65. n. 4.* Seqvuntur argumenta, qvæ utilem eſſe negant jurisprudentiam ad gratiam parandam, *ex loco Ariſtotelis Contrario lib. 1. c. 9. §. 26.* Hinc ſeqvitur argumentum à facilitate, *è loco Ariſtot. lib. 1. c. 7. n. 19. Difficilius eſt faciliori*: jurisprudentia verò facilis. Qvod oſtendit Cic. qvatuor ſpecialibus argumentis. 1. qvod jus omnes ſciant. 2. qvod præceptis minimè obſcuris contineatur. 3. qvod ab homine vehementer occupato diſci poſſit. 4. qvod neqve jus ſcriptum vel non ſcriptum ſit difficile, è loco ſpeciei. Jam ſeqvuntur argumenta comparantia, qvæ oſtendunt, jurisprudentiam poſtponendam eloqventiæ & arti militari. Enthymema primum petitur *ex Ariſtot. lib. 1. Rhet. c. 7. n. 43. Quod plures expetunt, melius eſt eo, quod pauciores*: plures vero expetunt eloqventiam, qvàm jurisprudentiam: illam vero qvoniam propter difficultatem aſſeqvi neqveant, ad Jurisprudentiam deveniunt. Enthymema ſecundum eſt *ex Ariſtotele ibid. n. 5. Quæ majus aliquod bonum efficiunt, meliora ſunt*: Eloqventia autem majora commoda affert, qvàm jurisprudentia: qvæ per enumerationem explicat Cicero. Enthymema tertium petitum eſt *ex eodem loco n. 9. & 10. Quod minus altero indiget, melius eſt eo, quod indiget; & quod ſine altero poteſt eſſe, melius eſt eo, quod ſine eo non eſſe poteſt.* Eloqventia ſine

Hhhh 3 juris-

jurisprudentiâ eſſe poteſt, jurisprudentia vero non ſine eloqventia, qvia reſponſa & decreta JCtorum firma eſſe neqveunt, niſi Oratoris defenſio adſit, & illa ipſa qvoqve eloqventia opus habent, ut confirmentur: imo plane interdum enerventur. Qvartum Enthymema eſt *è n. 15. ejusdem cap. Quod majoris principium eſt, melius eſt eo, quod minoris eſt principium &c.* Rei militaris peritia & Eloqventia homines ad ſummas dignitates evehunt; qvod non facit Jurisprudentia. Enthymema qvintum *ex eodem capite eſt, n. 39. Diuturniora meliora ſunt brevioribus*; Eloqventiæ uſus diutius qvàm Jurisprudentia, durat, qvæ prolixè deducit Cicero. Sextum Enthymema *ex eodem capite eſt, n. 3. & 68. Meliora ſunt, quibus poſitis alterum ſequitur. Bonum & utile eſt Reipublicæ, quod conſervet ſtatum.* Propter rem militarem, non jurisprudentiam, Roma omnium princeps eſt facta, ideoqve jurisprudentiæ præferri debet.

12 Atqve ita Locus hic Communis tractatus eſt à Cicerone. * Si qvis jam contrariam theſin velit, is notet locum contrarium Ciceronis ex Oratione pro Cæcinna, ubi ille prolixè de Jure & JCtis agit. Affert primo qvatuor argumenta, qvibus dilemmate eleganter reſpondet, qvæ omnia ex illo notari poſſunt. Addit poſtea 7. Enthymemata poſitiva, qvibus dignitatem & utilitatem Juris & JCtorum aſſerit. Enthymema primum eſt petitum ex *eodem cap. 7. n.* 68. *Bonum & utile eſt, quod conſervat Reip. ſtatum.* Eſt enim Jurisprudentia vinculum, non modo judiciorum, verum etiam utilitatis & vitæ communis, & leges fundamentum Reipublicæ præſtant. Secundum argumentum conſiſtit in dilemmate: Si propter juris interpretes jus civile contemnendum, aut illi periti ſunt aut imperiti; ſi periti, qvi non obtemperant, jus ipſum labefactant: ſi imperiti, qvi illos vituperat, non jus civile, verum homines vituperat. Tertium Enthymema *ex cap. 7. n. 5. Quæ magnum aliquod bonum efficiunt,* &c. Per juris civilis ſcientiam ſuum cuiqve tribuitur, rerum dominia diſtinguuntur. Qvartum Enthymema petitum eſt *ex eodem cap. n.* 40. *Stabiliora infirmioribus ſunt præferenda.* Jus civile nec gratia inflecti, nec perfringi potentiâ, nec pecuniâ adulterari, nec aliâ ratione corrumpi poteſt: ut comparatione & exemplis oſtendit. Qvintum *ex n.* 63. *Quod ad multa eſt utile &c. it. ex n.* 10. *Quod vim habet prohibendi aut tollendi ea, quæ bonis adverſantur.* Sine jure civili nemo ſibi hæreditates ſalvas promittere poterit: jus enim à violentia & injuriis munit. Sextum ex iisdem locis eſt, & penè declaratio tantum ſuperioris Enthymematis: Major hæreditas unicuiqve a jure civili in bonis, qvàm à parentibus ipſis, venit. Poteſt tamen *referri ad n.* 11. *c.* 7. *Quod principium alterius eſt, melius eſt eo, quod non eſt principium.* Septimum eſt *n.* 21. *Quo privari majus malum eſt.* Jus amiſſum plurimum nocet in

13 Republica, ergo jus & leges magno in pretio habendæ. * Si qvis priori loco Ciceronis contra Jurisprudentiam locum directe oppoſitum velit, is legat *Aonii Palearii Orationem,* planè Tulliano genio ſcriptam, qvam ille in *L. Murænam Ciceronianæ contrariam* ſcripſit.

14 Seligi tales Loci Communes multi è Cicerone poſſunt ac aliis, qvæ oſtendant, qvomo-

qvomodo ad hypotheſin ſuam probandam theſi poſſit uti Orator. Poſſunt his addi
theſes qvæcunqve morales, licet non omnino accurate tractatæ per Enthymemata, ſed
vel exemplis tantum & ſimilitudinibus, qvalia invenias plurima in Senecæ ſcriptis, in
qvæſtionibus ethicis & politicis, à variis autoribus tractatis; præcipue è Melchiore
Junio ſingulari Qvæſtionum Politicarum libro. * Ex Oratione pro M. Marcello 15
has theſes ſeu Locos communes colligere poſſumus: I. Generalis theſis totius orationis hæc eſt: *Gratiæ ſunt agendæ ob reſtitutionis beneficium.* Qvod variis probatur
argumentis, tàm docentibus, qvàm amplificantibus. Conferantur cum hâc Oratione
Oratio ad Qvirites poſt reditum, Oratio ad Senatum poſt reditum, qvibus idem locus
traditur, & unde argumenta depromi poſſunt. Minores ſententias, qvæ Enthymematibus non deductæ ſunt, præterimus, qvales paſſim implicantur formulis: argumenta
tamen ethica in ſe continent, e. g. In ſummâ poteſtate rerum omnium modus tenendus. Qvi in eadem cauſa, etiam in eadem fortuna eſſe debent. II. *Clementia major
eſt virtus, quàm fortitudo militaris, & major ex hâc, quam ex illa gloria*, num. 2. 6. 7.
8. & ſqq. III. *Clementia propria nobis eſt*, n. 7. IV. *Victoria ſuæ modum tenere, ſumma virtus eſt*, n. 8. 9. 10. V. *Qui errorem ſuum fatentur, atque inviti in illum inciderunt, veniâ digni*, n. 13. VI. *Qui privato officio in offenſam potentioris incidit, ei hoc
in culpam imputari non debet.* VII. *Qui pacem in bello civili ſuadet, nulli culpa eſt
obnoxius.* VIII. *Videtur placidus præferendus eſſe parti ferociori: niſi meliores partes ſequatur*, n. 16. 17. 18. IX. *Inſidiæ non ſunt timendæ illis, qui publico beneficio venerabiles ſunt*, n. 21. 22. X. *Eorum, qui Reip. præſunt, vita & ſalus multâ ſollicitudine
debet defendi*, n. 23. 24. XI. *Non complebit victoriæ ſuæ gloriam, qui laceratam Remp.
non erigit*, n. 25. XII. *Qui Reip. natus eſt, & vivit, nunquam ſatis ſibi vixit*, n. 26.
XIII. *Vita principis & viri primarii in Rep. non annorum, ſed meritorum, ratione definienda eſt*, n. 27. 28. XIV. *Diu non vixit, qui non geſſit res perpetuas, & in omne ævum
duraturas*, n. 28. 29. XV. *Sola virtutis bellicæ fama non parit tantam gloriam, quantam Reip. reſtauratio*, n. 30. XVI. *Ingrati cives ſunt, qui bello civili compoſito animum rebellem retinent*, n. 31. 32.

Secundo inſtituendus eſt *Codex morum* ſeu *characterum*, in qvo colligentur 16
illæ ſententiæ, qvæ idoneæ ſunt, ſubminiſtrare argumenta Ethica. * Notum 17
enim eſt, tria eſſe argumentorum genera, *Logica*, *Ethica* & *Pathetica*. Logica, ſive probantia vel docentia, afferuntur ad rem probandam, qvorum copia colligi poteſt in *Codice Theſium*: Morata & Pathetica per totam orationem ſunt diffuſa, & maximam orationi conciliant gratiam. Nulla enim penè formula, nulla oratio familiaris, qvæ non iis utatur: qvibus qvo magis referta eſt Oratio, eò illa vivacior &
illuſtrior eſt. * Implicantur vero illa argumenta nonnunqvam verbis, ut unâ 18
ſæpe voce ac epitheto contineantur: Neqve enim opus eſt, magno cum apparatu illa proponere. Infinita talia occurrunt, non in Oratoribus tantum, ſed & Poëtis,
præcipuè apud Comicos; qvi, ut ſpeculum vitæ humanæ omnium animos repræſentant, ita pleni ſunt talibus ſententiis, qvæ ex abdito eruuntur, atqve iterum aliis argu-

mentis

19 mentis applicari poſſunt. * Fundamentum horum Excerptorum ponendum eſt in *Ariſtotele lib. 2. Rhetor. c. 12. 13. 14. 17.* qvibus ille hominum mores deſcribit ſecundum varios ſtatus. Hæc itaqve omnia, & qvæ hic occurrunt axiomata, pro titulis uſurpanda; Qvibus titulis deinde ſubjungendæ ſunt ſententiæ vel ſimiles, vel ſpecialiores.
20 * Praxin illorum Excerptorum inſtituendorum dilucidè ſatis ob oculos
21 poſuit *Schraderus Comment. lib. 2. Rhet. I. 10. p. 371.* * Inter Gnomologos non habemus, qvi tali methodo Collectanea ſua inſtituerit. Solus Magiri liber, qvi *Polymnemon* inſcribitur, aliqvâ ex parte prodeſſe nobis poteſt, & ex illo non exigua ſylva propoſitionum moralium exſculpi: Nam ſummaria omnium illarum ſententiarum, qvas adducit, in frontiſpicio ponit, unde per Synopſin haberi omnium ſententiarum ſimilium uſus poteſt.
22 * Schraderus primum ponere jubet generalia axiomata, qvæ ad omnes homines ex æqvo pertinent. Hæc in genere notanda ſunt. Specialia referenda ſunt ad homines certi ſtatus & conditionis: Ideoqve generales tituli ponendi ſunt divitum, nobilium, plebejorum, ſenum &c. Poſſunt etiam referri mores affectuoſorum & iratorum, amantium &c. ſi qvis in codice affectuum characteres affectuum ponere nolit. Pertinent etiam huc characteres nationum, qvales paſſim occurrunt apud Hiſtoricos, & qvorum ideam dedit Barclajus. * Si qvis
23 accuratam hîc diſtinctionem velit, qvod tamen non adeo neceſſarium eſt, poſſet homines in certas claſſes diſtribuere. In primâ claſſe continerentur homines generatim conſiderati, qvæ de ipſorum moribus prædicari poſſunt. In ſecundâ claſſe homines ratione ſexus diſtincti, ut viri & feminæ. In tertiâ claſſe homines ratione ætatis diviſi, ut pueri, adoleſcentes, juvenes, ſenes. In qvartâ claſſe conſiderantur variæ hominum ſocietates. 1. Societas conjugalis. Pertinebunt huc characteres conjugum, viduorum, virginum &c. 2. Societas herilis: qvò pertinent characteres dominorum, famulorum, ſervorum & eorum, qvi ſub his titulis generalibus continebuntur. 3. Societas patria, ubi parentum & liberorum characteres. Deinde homines ratione ipſius civitatis conſiderati, varios ſubeunt characteriſmos, vel ut imperantes, vel ut parentes. In Imperantibus ſunt Reges, vel abſoluti, vel limitati, tyranni, optimates, oligarchici, tribunitii magiſtratus, vel democratici. In civibus ſunt pro varietate illorum varii characteriſmi, potentium, nobilium, religioſorum, eruditorum, militum, opificum, ruſticorum; tum ratione munerum, qvæ gerunt in Republica, ut: Juriſperiti, Cenſores, vectigalium exactores, Qvæſtores, & ſi qvæ porro occurrunt genera: qvibus omnibus ſuus eſt locus tribuendus, ac notandum, ſi qvid de illis memorabile in Hiſtoricis vel Poëtis occurrat, qvod χαρακτηρισμὸν aliqvem ſapiat. * Nusqvam vero luculentiora exempla ſunt, qvàm in Comœdia & Satyra, qvæ hu-
24 manæ vitæ imaginem repræſentat. Qvid enim plenius & præſtantius eſt, qvàm locus ille apud Horatium *lib. 1. Satyr. 9.* ubi garruli hominis & moleſti mores deſcribit? Nam ad generales hominum claſſes etiam pertinent homines ratione virtutum & vitiorum conſiderati, ut: ſuperbi, avari, liberales, magnifici, oſtentatores, ineptè ſeduli, aſſentatores, cavillatores &c. * De qvibus multa *Theophraſtus in ſuis*
25

Chara-

Characteribus, cujus liber una cum doctiſſimi *Caſauboni Commentario* magno colligendi onere nos ſublevabit, ſi, qvæ in Autore & Commentatore habentur, in ſuos locos redigantur.

Sumamus e. g. è Comœdiis Terentii illam, qvæ Adelphi inſcribitur, & educamus è qvibusdam ejus ſcenis axiomata, tùm ad affectus, tùm ad mores ſpectantia, 26
unde methodus & uſus horum Excerptorum patebit. Act. I. Scen. I. introducitur Micio ſenex: Statim in primis verſibus elucet affectus ille, qvem στοργὴν Græci dicunt, parentum ſcilicet in liberos; ideoqve inter characteres hujus affectus referendum eſt axioma: *Vehemens & acerba parentum ſolicitudo eſt de liberorum ſalute.* Si ad codicem morum referre velis, referre poteris ad parentum titulum. *Ex verſ. 5.* hoc educas axioma: *Multum diſcriminis eſt inter ſuſpiciones uxoris Zelotypæ de abſente marito, & cogitationes parentum de abſentibus liberis*: hi enim pericula & res adverſas; illi gaudia & voluptates abſentium ſibi imaginantur. Referri poteſt in codice affectuum, ad titulum στοργῆς; in codice Morum ad titulum, *Liberi & Parentes, Uxor & maritus.* Poteſt etiam in codice Affectuum referri ad titulum *Zelotypias.* Ad verſum 10. notandum eſt hoc axioma in codice Morum ſub titulo Senum: *Senes ſunt in minimis rebus anxii* & προφοβητικοὶ. In codice Affectuum poteſt etiam referri ad titulum Amoris. E verſ. 14. referatur ad titulum στοργῆς in codice Affectuum, & qvidem ad illum titulum: *Erga quos? Liberi & quicunque in cura ſunt aliorum, chariores ſunt parentibus & curatoribus, quam ipſi ſunt ſibi.* E verſ. 16. ſeqq. ad codicem Morum ſub titulo Fratrum referatur: *Magnæ ſæpè inter fratres naturæ, ingeniorum, voluptatum, morum & ſtudiorum eſt diſſimilitudo*, ut fratres illi Micio & Demea: de qvibus Cic. in Catone & Horat. lib. 2. Epiſt. ult. Ex v. 16. ad codicem Morum referatur titulus *Urbani & Ruſtici*: *Vita urbana clementes & placidos facit, ruſtica duros & incultos.* Ex v. 19. ad titulum *Parſimoniæ* referatur: *Parce vivere & laborare virtutis eſt; ſed ſi id ſemper fiat, reprehenſione non caret.* E v. 24. ad cod. Mor. ſub tit. Parentes: *Ut amentur à filiis parentes, amabiles ſunto.* Ex v. 25. ad eundem titulum referatur: *Parentes filiis dent neceſſaria, quod eſt liberalitatis: prætermittant delicta tolerabilia, quod eſt lenitatis.* Ex v. 7. ad tit. Filiorum referatur: *Filii liberaliter educati candorem & animum apertum habent; dura educatio fraudulentos & ſimulatores facit.* Ex v. 28. ad eundem titulum referatur: *Liberi, qui patrem fallere audent, alios tanto magis fallent.* Ex v. 30. ad eundem titulum referatur: *Pudore & liberalitate rectius tenentur liberi, quàm metu.* Ex v. 33. ad eund. titul. *Filiorum delicta imputantur parentibus, ut quæ ex mala educatione orta.* Ex v. 35. 36. notetur *character parentum indulgentium*, qvi qvævis delicta filiorum qvodam colore excuſant. Ex v. 37. notetur hìc *character hominis commodi*: Hominis commodi & elegantis eſt, non pertinaciter defendere ſententiam. Ex v. 8. notetur hìc *character imperantium*: In imperiis, qvæ amicitia adjunguntur, poteſt eſſe gravis & laudabilis diſciplina. Ex v. 39. ad eundem titulum Imperantium referatur: *Nulla violenta imperia diuturna.* Ex v. 40. ad titulum Metus in codice Affectuum referatur, & qvidem ad tit. *Qui?*

Qui malo coactus officium facit, in metu eſt, & dum in metu eſt, bonus eſt; ubi metus ceſſat, ad ingenium redit. Nam ut Mimus ait: Malus, ubi bonum ſe ſimulat, eſt peſſimus; & licet vi cogatur, tamen omnia ſimulate & fraudulenter agit. Ex v. 43. ad affectum amoris & benevolentiæ, ſub tit. *Qui?* referri poteſt: *Quos benevolentiâ nobis adjungimus, ultro & ex animo parent.* Ex v. 47. notetur character dominorum & patrum: *Domini per metum ſervos in obſequio retinent; Parentes per amorem & gratiam.* Ex v. 51. Notetur ad Cod. morum character hominum moroſorum: *Moroſi ſemper ad jurgia proni ſunt,* ut Demea Terentianus. Ad titulum Liberorum referatur: *Liberi non emendantur jurgiis & verberibus.*

Hæc igitur ad exemplum ſint, ſi qvis è reliqvis ſimilia colligere velit, ac poſ-
27 ſunt eorum colligi infinita. * Nam Comœdia, Satyra, Hiſtoria, perpetuum
qvaſi theatrum exhibent actionum in vita civili. Hiſtoria recenſet res verè geſtas;
Comœdia argumentum vel verum, vel fictum, velut rem geſtam in theatrum produ-
cit: Satyra malas hominum actiones, qvæ adverſus bonos mores inſtitutæ ſunt, qva-
ſi per ludum jocumqve reprehendit. In his plus latet characteris virtutum, vitiorum,
officiorum, qvàm in omnibus Philoſophiæ Moralis præceptis. Omnis ex his ars no-
ſcendi homines, cum iis converſandi, exſculpitur, qvam cum præſupponat Orator
(Scire enim debet ille, cum qvibus ſibi agendum) longè felicius pleniusqve, qvam è
28 Chryſippo & Crantore, ſibi philoſophiam practicam formabit. * Qvod cum
probe noſſet Vir ſummi judicii & πολιτικώτατος GROTIUS, Terentii fabulas legens,
cum eam ob cauſam reprehenderetur ab aliqvo, qvaſi rem ſe indignam faceret, re-
29 ſpondit illi: *Alia legimus in his pueri, alia viri.* * Ipſe LUTHERUS noſter,
ut refert in præfatione libelli de Synonymia Terentii *Baſilius Faber*, tanta voluptate
Terentii fabulas evolvit, ut â negotiis vacuus duorum menſium ſpatio bis percurrerit
integrum exemplar, atqve in ejus lectione deprehenſus dixit: *perſpicere ſe demum fa-
30 miliari Terentii lectione, quid artificii in eo autore ineſſet.* * Ne fabulas qvidem
ipſas hîc excipimus, eſtqve eo in genere Phædri Fabulis nihil elegantius. Ut enim
ex hiſtoria elucet typus rei geſtæ, atqve ex illo typo characteres hominum, vel virtu-
tum, vel vitiorum: Ita è fabula velut qvodam ſimulachro ficto rei gerendæ, ut geſtæ,
31 typus & character proponitur. * In animo habebat NATHAN CHYTRÆUS, omnes
Terentii Comœdias, notatis morum & affectuum characterismis in lucem edere. Qvi
profecto labor fuiſſet longè utiliſſimus: ſed ſolam ille fabulam Adelphos ſpeciminis
loco edidit, unde & nos ſuprà nonnullos canones excerpſimus. Memini fuiſſe, qvi
pro Thematibus in latinam linguam vertendis diſcipulis ſermones Germanicos propo-
ſuêre, perpetuo contextu è Comœdiis Plauti & Terentii, eorumqve characteribus for-
matos, inſigni cum juventutis fructu.

32 Ut Codex Morum, ita *Codex affectuum* qvoqve inſtituendus eſt. Argumenta enim Pathetica pro movendo auditore inſerenda ſunt Orationibus omnibus, præcipuè iis, qvæ in ſingulari aliqvo affectu verſantur. Doctrinam hanc de Affectibus pleniſſime tractavit *Ariſtot. Rhetor. 2. à cap. 1. ad 11.* Ubi legendus eſt diligentiſſimus ejus

Commen-

Commentator Schraderus. * Disponendus itaqve hic eſt liber ſecundum affe- 33
ctus, qvi titulos generaliſſimos repræſentant. Sub ſingulis affectibus ſpeciales tituli
ponantur. 1. *Qui?* 2. *Ob quæ.* 3. *Adverſus quos.* Adjici his qvartus titulus poteſt:
Character. Primum enim noſcendus eſt affectus ex charactere ſuo. Secundo co-
gnoſci debet, qvi ſoleant in tales affectus eſſe proni, ut ſciamus, qvibus perſonis quos
affectus tribuamus, vel ex noſtro, vel ex aliorum ingenio. Tertio, qvibus de cauſis.
Hinc patet, qvo in loco Orator enthymematibus affectuoſis uti debeat. Nam e.g. ſi
iram provocet contemptus, conſtat ex illa cauſa, hoc affectu utendum eſſe. Qvar-
to, erga qvos affectus tales induamus, ut ſciat Orator, an enthymematibus talibus
uti poſſit apud ſuos auditores, an ſint illi homines, qvi iſtis enthymematibus moveri
poſſint. Ubi in ſubſidium ſumi poteſt codex morum: alii enim aliis pro conditio-
ne fortunæ & munerum in hos illosve affectus ſunt proniores. Poſſunt & in his af-
fectibus plures numerari, qvos omiſit Ariſtoteles & recenſet Schraderus *Comment. in
cap. 1. lib. 2. p.* 207. * e.g. Si qvis titulum velit facere; *Ira*, ſubjiciat primum 34
characteres hos, 1. qvod ſit inſaniæ qvædam ſpecies. 2. Affectionum peſſima. 3.
Dulcis. 4. Vehemens. 5. Loqvax. 6. Maledica. 7. Præceps. 8. Rabioſa in omnes. 9.
Inimica rationis, & inops conſilii. 10. Fluctuabunda. 11. Occultari neſcia. 12. Sui
immemor. 13. Decoris oblita. 14. Monentibus refractaria. 15. In ſe ipſam ſæviens.
16. Cum vi externâ conjuncta. Sub his titulis ſpecialibus ponantur ſententiæ, ſimili-
tudines, emblemata, adagia, exempla, omniaqve, qvæ characterem illum illuſtrant,
ut poſuit hîc nonnulla *Magirus* in *Polymnemone*. Hinc ſeqvitur titulus: *Qui ſoleant
iraſci.* Recenſentur apud Ariſtotelem non pauci ex illo numero. Illa axiomata pro
titulis ponantur, & ſubjiciantur illis axiomatibus ſententiæ breves præcipuæ & argu-
tæ, qvales occurrunt in *P. Mimi* Gnomis, & eis, qvas collegit *Gruterus*. Novi et-
iam poſſunt canones adjici, vel ex ſolis illis collectaneis Magiri: nam canones illi Ari-
ſtotelici generaliores ſunt, qvibus plura ſpecialia poſſunt ſubjungi. Ita iraſcuntur fa-
cile homines felices, & in autoritate poſiti, potentes, molles, ſenes, infantes, feminæ,
ebrii, eruditi, occupati, inſani iraſcuntur omnibus. Hinc ſubnectenda eſt claſſis il-
la: Qvibus de cauſis? In his princeps eſt primo contemptus, ad qvam pleræqve et-
iam cauſæ referri poſſunt. Secundò inimicitia, qvæ referri etiam ad priorem poteſt.
Tertia claſſis: Qvibus iraſci ſoleamus, multos habet canones, & qvidem viginti apud
Ariſtotelem; qvibus addi plures poſſunt: & in hac claſſe ſimul involvuntur cauſæ ſpe-
ciales. Suppleri hîc etiam ex Magiro nonnulla poſſunt: contrarii qvoqve canones
non in hac ſolum claſſe, ſed in aliis ponuntur. Ita ad claſſem cauſæ referri debet,
iraſci nos non debere ob res leviculas & in poteſtate noſtra non poſitas, ex claſſe ter-
tia, rebus mutis & irrationalibus nos non debere iraſci, non potentioribus, non fu-
rioſis, non tam perſonis, qvam ipſis vitiis, imo ipſi iræ, hoſtibus publicis, qvalis ira
fortitudinis comes eſt. * Conferri poſſunt, qvi de Affectibus ſcripſerunt, *Cham-* 35
bræus in libro Gallicè ſcripto *de Characteribus paſſionum animi*, *Carteſius*, *Williſius*
& *Vinc. Placcii* elegantiſſimum Compendium *de affectibus in Acceſſionibus ejus* Rhe-

tori-

36 toricis. * Qvartò *Codex Exemplorum* inſtituendus eſt: Magnam enim exempla vim habent in Oratione. Exempla autem illa plenius proponi debent, qvàm in vulgaribus Locorum Communium libris.

37 Inter Oratoria Excerpta etiam illa numerari debent, qvæ de Dialogis & Epiſtolis inſtituuntur. In qvibus etſi ſimplicior dictio eſt, cultu tamen & illa ſuo non deſtituitur. Qvod ad *Dialogos* attinet, præcipuum hîc eſt connectendi methodus, qvæ conſiſtit in formulis mutuæ ſermocinationis, qvales colligi debent è Comicis & Dialogorum Scriptoribus. Ideoqve tales formularum tituli concinnandi ſunt, qvales neminem hactenus concepiſſe memini. In animo qvidem habuit *Starckius*: nam in appendice Formularum Epiſtolarium promiſit tales formularum Locos Communes, qvi verò in lucem hactenus non prodiêre. Solus ille titulorum ſyllabus, qvanqvam mancus & imperfectus, libello ejus de Stylo ſubjunctus eſt; ſub qvibus formulæ dialogiſticæ è Dialogis Ciceronis, è Plauti & Terentii Comœdiis, item aliis qvibusdam recentioribus, qvi Dialogos ſcripsêre, colligi poſſunt. Ita felicior erit Dialogorum concinnatio, de qvorum conficiendorum ratione *Carolus Sigonius* ſingulari librô egit.

38 Dialogos excipiunt *Epiſtolæ*, in qvibus dictio ſimplicior eſt, etſi in his nonnunqvam pro re nata ſtylus exaltari poteſt, ſi ad Viros illuſtres ſcribamus, & argumentum
39 epiſtolæ ita efflagitet, ut in Dedicatoriis, Gratulatoriis. * Collectanea in his duplicis generis formari poſſunt, materialia ſcilicet & formalia. Debent itaqve ſub titulis Generum Epiſtolicorum, ut Petitoriarum, Svaſoriarum, Adhortatoriarum &c. colligi ex Autoribus argumenta, ſuper qvibus tales Epiſtolæ ſcriptæ ſunt: qvalia Collectanea ex Epiſtolis Ciceronianis jam tum inſtituit Buchnerus; qvibus tamen nos jungere poſſu-
40 mus alias ex bonis autoribus, tam veteribus, qvam recentioribus Epiſtolis. * Subjicere etiam poſſumus Collectanea argumentorum & Enthymematum, qvæ in ſingulis Epiſtolis, tùm Ciceronis, tum aliorum adhibentur, ita tamen, ut per indicem tantum excerpamus. Qvâ in re viam præivit MELCHIOR JUNIUS *in Scholis Rhetoricis* de conficiendis Epiſtolis; qvi liber magni ad Epiſtolas contexendas uſus eſt. Si enim e. g. Conſolatoriam ſcripturus es, invenies illîc omnia argumenta, qvæ in hoc genere uſurpari poſſunt, collecta; notatis ſemper locis, ubi illa in Ciceronis Epiſtolis occurrunt. Ita ſcripturus Epiſtolam, & ſimili argumento uſurus ex tot Enthymematum exemplis, unum idemqve ſenſu exprimentibus, facilè imitationis beneficio tua qvodammodo omnia propones, amputando, ampliando, condenſando, prout commodum tibi videbitur. Atqve ita primum ego informari juvenes in epiſtolicis exercitiis velim, ubi pri-
41 ma Rhetorices tirocinia poſuêre. * Neqve ex ſolo Cicerone talia Collectanea inſtitui poſſunt, ſed ex aliis etiam Scriptoribus, tùm veteribus, tùm recentioribus, tàm Latinis qvàm Exoticis. Nam & in Gallica & Italica lingua ſunt Autores, omnibus ad eloqventiam deliciis inſtructi: & in his Collectaneis non tantum ad verba, ſed & ad ſenſus reſpicimus.

42 *Materialibus Collectaneis* ſubjicienda ſunt *Formalia*. Sub iſtis autem comprehen-

prehendo omne illud, qvod ad formulas pertinet: qvod præcipuum penè in Epiſtola eſt, adeo ut interdum ſolæ formulæ literas abſolvant, ſi ſint Salutatoriæ, neqve in certo aliqvo genere verſentur. Et illæ qvidem formulæ vel ad nexum partium in Epiſtolis referendæ, ut ſunt formulæ Exordiendi, Connectendi, Transeundi ab argumento ad argumentum, & ſimiles; vel habent in ſe argumenta Ethica & Pathetica, qvibus præcipua illa & Logica argumenta qvaſi inveſtire ſolemus. Eorum Collectaneorum rationem accuratam inſtituit STARCKIUS *in Theſauro ſuo Epiſtolarum*; ubi omne illud, qvod ad formulas pertinet, ſub certis ſuis titulis generalibus & ſpecialibus repoſitum eſt. Qvibus etiam aliqvi tituli addi poſſunt, qvi forte in Epiſtolis occurrunt, ſed pauci illi erunt: nam ſatis uberem ille apparatum ſuppeditavit. * Formulas tamen longe 43
plures vel ſolus Cicero ſuppeditabit: nam multas Starckius prætervidit. E recentioribus Scriptoribus, qvi caſtam ſatis latinitatem ſervant, ut Manutio, Paleario, Bunello, Bruto, Balzaco, aliisqve Autoribus, etiam Gallicis, longè plura colligi poſſunt.
* Poſſunt & addi, qvæ Rupertus in Mercurio ſuo Epiſtolari è Scaligero, Caſaubono, 44
Wouwerio aliisqve collegit, etſi illa non ſunt cum prioribus comparanda: Nitidior enim in illis dictio Latina eſt. Qvanqvam & hîc non tàm ſemper ad dictionem, qvàm ad ſenſus & argumenta reſpicere ſolemus. Verum cum illæ Epiſtolæ pleræqve ſint familiares, ac dictione utantur facetâ, acutâ, qvâ delectantur inprimis eruditi, cum judicio formulis illis uti qvis debet. * Collegit & ERASMUS ROTERODA- 45
MUS in libro *de ratione ſcribendarum Epiſtolarum* ſub ſingulis generibus qvasdam ſylvas, ut vocat, formularum & exemplorum; ſed pauca, & ſine ordine, nec memoratis autoribus. * HENR. STEPHANI in *Diſſertatione de variis generibus Epiſtolarum* 46
Ciceronis, qvædam etiam de formulis cujuslibet generis notavit; ſed, ut mos fert ejus, confuſa ſunt omnia. Legi tamen poſſunt, qvæ affert. Σύγκρισιν enim qvandam inſtituit inter formulas Ciceronis, & Ciceronianas cum Ovidianis confert, e.g. in argumento conſolatorio ex libris Triſtium. * Clarckii Formulæ epiſtolares 47
parum bonæ frugis habent, ac multæ illarum neſcio qvibus è lacunis hauſtæ.

Atqve hæc de Excerptis Oratoriis dicta ſunto. * Vellem exirent tandem 48
in publicum, qvæ Schraderus, J. P. Titius, & Schönslederus promiſerunt de Excerptis rerum! Ita plenior luculentiorqve illi rei cura impendi poſſet, & oratoria etiam Excerpta lucem hinc aliqvam acciperent. Schraderianus liber de Excerptis editioni, ut audio, paratus eſt. Titii poſthuma promiſit Patre dignus filius Fridericus Daniel Titius. De Schönsledero vix qvicqvam ſperandum exiſtimo.

CAP. X.
DE EXCERPTIS POETICIS.

§. 1. Apparatus poëticus ab Oratorio diverſus. 2. Latinitas Poëtica. 3. Lexicon Translatorum poëticorum colligendum. 4. Cui index rerum ſubjiciendus. 5. Metaphoras tales collegit Petrus ab Area Baudoza. 6. Ariſtotelis & Fr. Robortelli, 7.

it. Sturmii 8. Baldæi, 9. Buchneri de Metaphoris poëticis Teſtimonia. 10. Riccii opus de locutionibus poëticis incendio periit. 11. Rivolæ Sylva Translatorum Poëticorum. 12. Dieterici λεξίδιον poëticum. 13. Latini ejusmodi lexici idea promittitur. 14. Henrici Schævii Lexicon Statianum ac univerſale poëticum ad Mythologiam morte ejus periit. 15. è lexico iſto Statiano exemplum de Hercule adducitur. 16. Phraſeologiam poëticam qui ſcripſerint. 17. Formularum Poëticarum collectanea 18. Ornamentorum, Comparationum, Exemplorum ſylloge. 19. Excerpta Idolographica & Proſopographica. 20. 21. de his qui ſcripſerint. 22. Idolographia veterum. 23. Topographiæ poëticæ. 24. Collectanea quæ Poëtis cum Rhetoribus communia. 25. Indices rerum à Poëtis laudatarum vituperatarum & deſcriptarum. 26. Farnabii index poëticus. 27. Ab iconologiis & typographiis differunt deſcriptiones minores. 28. 35. In generibus tribus cauſarum differunt Rhetorum enthymemata à poëticis, quoad modum proponendi. 29. 34. Orationum & Figurarum poëticarum collectio, inprimis morum & affectuum. 30. in quibus exprimendis Virgilius artifex eſt, poſtque eum Ovidius. 31. Poëtæ oratorum etiam apparatu uti poſſunt. 32. Exemplum è Virgilio. 33. 35. plura exempla habet Laurent. le Brun. in eloquentia ſua poëtica. 36. Loci Communes Inventionum. 37. qua ratione illi concinnandi. 38. Eorum utilitas. 39. Hyle inventionum poëticarum noſtra. 40. Artificiorum à numero & periodis, callentiſſimus Virgilius. 41. qui artes illas notárint. 42. Connexionum Sylloge inſtituenda. 43. Deckenii obſervationes Poëticæ laudantur, 44. & recenſentur. 45. quænam in illis deſiderentur. 46. Sejugatio, figura illuſtris. 47. Vechneri libellus de figuris commendatur.

1 UT in oratione ſoluta opus eſt apparatu qvodam, ita qvoqve in Carmine. Nam & hîc verborum, ſententiarum, amplificationum, ornamentorum, Excerpta
2 facienda ſunt. A verbis itaqve poëticis incipiendum eſt. * Habent Carmina ſuam, ut ita dicam, peculiarem linguam, imo & Grammaticam: occurrunt hîc verba, phraſes, conſtructiones, figuræ, nullo modo Oratori uſurpandæ. Qvare recte fecit *Jacobus Maſenius*, qvi in *Palæſtra ſua lib. 2. c. 12.* ſingularem diſſertationem poſuit de Syntaxi phraſeos poëticæ ejusqve copia, qvi eo de argumento legendus eſt. Videantur & *Fr. Robortellus in libro de artificio dicendi cap. de poëtico ſerm. diſput. 1.* Ceterum verba qvædam & voces in ſe ſpectatæ, ſunt poëticæ, ſolisqve Poëtis relinqvendæ, qvod facilè obſervabis, ſi Carmen aliqvod in proſam convertas. Eſt & alia membrorum & periodi ſtructura, etſi præcepta tamen ſtructu-
3 ræ Oratoriæ pro fundamento habeat. * Deinde Translata ſunt peculiaria, in qvibus colligendis magna opera inſumenda eſt Poëſeos cultori. Confici itaqve Lexicon aliqvod poteſt, & verba ſecundum ordinem Alphabeti locari, qvibus omnes illæ Metaphoræ poëticæ, qvarum pleræqve ſunt κατ᾽ ἐνέργειαν, per qvas ἐμψυχία qvæ-
4 dam ſive animatio rei paratur, colligantur. * Ubi Lexicon tale perfectum eſt,

poteſt

poteſt illi ſubjici index rerum, de qvibus dicuntur talia vel Epitheta vel prædicata. Theſaurum habebis, ſi ex omnibus Poëtis tale Opus collegeris. * Qvasdam Me- 5
taphorarum poëticarum, ſed paucas, collegit *Petrus ab Area Baudoza in ſuis Poëticæ Elocutionis Formulis, quæ editæ ſunt Lugd. Anno 1590. in 12.* & ante illud tempus ſub nomine *Fundani.* Verum non ille ordo eſt, ut legenti ſtatim occurrat. * Hujus 6
noſtri conſilii multos magnosqve autores habemus. Ac primo qvidem ipſe Ariſtoteles libro de Poëtica prolixè oſtendit, qvis Translatorum uſus: qvod exemplis elegantibus in Commentario ſuo declarat *Fr. Robortellus p. 162. 263.* inter alia è Ciceronis libro *de Orat. 3.* locum adducens, qvi improbat eorum exercitationem, qvi Ennii narrationem conabantur aliis verbis exprimere. Cum enim ille optima verba translata occupaſſet, illi deterioribus exprimebant. Qvare obſervat Robortellus: Si qvis Virgilii verſum lib. 4. Æneid. *Vulnus alit venis & cœco carpitur igni*, propriis verbis expreſſerit ita: *Affectionem amoris interiorem paulatim auget, & occulto conſumitur amore*: totam languere ac humilem fieri orationem. * Sturmius in libro de lin- 7
guæ Latinæ reſolvendæ ratione, optimus in hac re magiſter, ita cap. 4. *Poëtæ habent raras quasdam metaphoras; differentes ab Oratorum metaphoris: Cujus discriminis ignoratio facit ſcriptores noſtri temporis impuros. Qui putat, quamvis metaphoram apud quemvis ſcriptorem eſſe bonam, is errat, & nunquam purè ſcribet. Oportet oratorias ſeparare à poëticis: Oratores habent metaphoras quaſi nativas quasdam; Poëtæ ſuas etiam quasdam nativas habent, ſed ſunt contra naturam Oratorum.* Teſtis eſt *Erythræus Pinac. II. n. 14.* de Maffejo nitidisſimo Scriptore: omnia Latina verba collegiſſe, ac pro ratione temporum, qvibus inventa vel uſu recepta eſſent, distribuiſſe, tum qvæqve verba hiſtoricis, qvæ poëtis, qvæqve oratoribus eſſent aptiora, notaſſe.
* *Baldeus* Poëta ingenioſiſſimus Germanus in elegantiſſima illa *Diſſertatione ſua de* 8
Studio Poëtico: Sunt varii loquendi modi. Qui cuique carminis generi conveniant, naſuti ſtatim odorantur. Aliter rem Hiſtoricus vel Orator effert; aliter Poëta, in ipſa poëſi aliter Elegiacus, aliter Satyricus, à ſe remoti invicem plerumque non tam ſono diſtantium verborum, quam ſtructurâ totius artificii & fluctuantis ſpiritus, qui molem agitans ſenſa vitamque inſinuat. Et in eadem diſſertatione Horatium multa verba in Satyris uſurpare ait, qvæ in Lyricis nunqvam poſiturus erat. * De Metaphoris 9
Poëticis earumqve discrimine & abuſu legendus etiam *Buchnerus libro de Commut. dic. rat. cap. 2. ſect. 5. §. 13.* * Eam latinitatis poeticæ rationem ſingulari libro 10
oſtendere voluit *Bartholomæus Riccius*, Vir doctiſſimus, benè de eloqventia meritus. Nam in præfatione iſtius libri, qvem *Apparatum Latinæ Locutionis* inſcribit, à ſe perfectum illud fuiſſe opus teſtatur, qvod ipſi incendio periit. * Translatorum 11
Poëticorum in Italica lingua Collectanea, *Proſpero Mandoſio* in Bibliotheca Romanâ teſte p. 173. molitus eſt *Clemens Rivola*: cum hoc enim elogio recenſet: *La Selva de Translati Poetici opera aſſai voluminoſa & nobile.* Sed morte præventus abſolvere non potuit. * Vidit qvoqve ſeparandum à ſermone ſoluto Poëtiſmum, etiam in 12
Græcâ linguâ, *Johannes Cunradus Dietericus*, qvi in *Specillo Chreſtomatiæ Græcæ*, ubi

multa

multa ut de Græcâ linguâ, ita de omni didacticâ præclara habentur; λεξίδιον poëtlcum Græcum ſe daturum promittit.

13 * Nos, qvoniam in Latinâ linguâ nemo hactenus fuit, qvi hanc operam in ſe ſusceperit, ideam alicujus Lexici, qvo translata poëtica contineantur, huic capiti ſubjiciemus. Qvæ veſtigia ſi & alii ſeqvantur, noſtra rudimenta perfecturi, non male de re literaria merebuntur.

14 Non inutilis etiam hic labor eſt, imo verò ad Poëtarum explicationem & uſum in epithetis & periphraſibus vehementer commendandus, ſi qvis omnia, qvæ occurrunt in Poëtis Mythologica, Proſopographica, nomina Heroum, Deorum, urbium, regionum, patronymica, epitheta, ſingulari Lexico ex omnibus poëtis formando comprehendat. Id in animo habebat *Henricus Schævius*, meus qvondam Præceptor, qvi ipſe tale Lexicon Statianum congeſſerat, editioni jam tum cum Paraphraſi Statiana paratum, niſi immatura viri mors hoc conſilium abrupiſſet. E ceteris qvoqve Poëtis, ubi diſcipulorum operâ eodem modo Lexica congeſſiſſet, inter qvos mihi Senecæ Tragœdiæ obtigerant, tandem Univerſale aliqvod Lexicon poëticum edere in animo habebat. Qvanti hoc uſus foret, ii intelligunt, qvi in illis ſæpe hærent, cum Poëtas explicant.

15 * Superſunt mihi Statiani iſtius Lexici qvædam laciniæ, unde in exemplum, qvæ de Hercule illic habentur, adducam. Numeri adjecti verſis notant, qvi citra librorum diſtinctionem à capite ad calcem per omnia Statii opera numerati ſunt. Primum habet Hiſtorica. 2. Periphraſes. 3. Denominata.

HERCULES *filius Jovis, ex Alcmena uxore Amphitruonis; unde & Amphitryoniades dicitur, factorum magnitudine celeberrimus.* 6709. 6888. *Juno illi infeſta varia pericula concinnavit* 146. 1611. *Uſa eſt miniſterio Euryſthei Regis Argivorum, qvi fatale jus in ipſum habuit.* 1587. *Numerantur præcipuè duodecim ejus labores,* 915. *In cunis duos ſerpentes à Junone immiſſos exanimavit.* 840. 1612. *Leonem Nemeæum jugulavit & ejus exuviis pro veſte uſus eſt.* 2827. 4262. *Aprum Erymantium occidit,* 10178. *Poma Heſperidum à vigili Dracone aſſervata reportavit,* 1723. *Hydram Lernæam interfecit,* 1594. *Diomedem crudelem Thraciæ Regem equis ſuis laniandum objecit,* 1595. *Buſyridem cruentum Ægypti Regem ad aras mactavit,* 1596. *Clavam, arcum & ſagittas graviſſimas geſtat,* 1615. 1599. *A Molorcho beneficè hoſpitio exceptus fuit,* 1593. *In monte Oetâ ſe combuſſit, & Deus factus eſt,* 1571. *Apud Tirynthios cultus eſt. Hinc dicitur Tirynthius,* 1565. 1689. *Colitur & in Nemea Sylva, item Tiburi & apud Argivos paſſim* 1587. *Templum ei reparavit Pollius, quod prolixe deſcribitur à verſ.* 1565. *Fuit frater Bacchi,* 1605. *Amavit Hylam puerum,* 647. *Cum Age Nympha Arcadica concubuit,* 1604. *Thesbii quinquaginta filias omnes eadem nocte conſtupravit,* 1607. *Columnas ſuas erexit ad fretum Gaditanum, quod inde Herculeum dicitur,* 1747. 2596. *Hercules epitrapezius, effigies ejus ſub poculo collocata prolixe deſcribitur à v.* 2770. *Hinc vocantur Herculei labores* 146. *Herculeus alumnus, i. e. Hylas* 647. *Herculei Hortatus* 1678. *Herculea gymnas,* 6168. *Herculeus Pæan.* 6119. *Herculeæ vires* 8139. *Herculea moles,* 8497. *Herculei lacerti,* 8551. *Herculeus Hæmon* 9902. *Herculeæ noctes, i. e. Trinox, quam Jupiter ejus generationi inſumpſit* 8795. *Ternox Herculea* 13102. *Hercu-*

lea

lea mater, i. e. Alcmena 12179. *Herculeus Agylleus* 11351. 1368. *Herculeæ ſagittæ*, 11365. *Herculei nepotes* 13545.

Patet ex his, nihil eſſe hoc labore utilius. Plerumqve enim in illis Poëtarum locis hæremus, neqve ſenſus illorum ſatis percipimus. Talia inprimis apud Statium multa occurrunt, & apud alios Poëtas. E. g. *Geticus Maritus, pro Vulcano: Geticus Vates pro Orpheo: Geticum plectrum pro ejusdem Orphei lyrâ: Getica ornus pro arboribus per ejus lyram commotis: Getici amores, i. e. Orithyiæ, quam Boreas rapuit ab Ilyſſo, Thraciæ fluvio. Geticæ volucres, i. e. Philomela & Progne. Arcadicus galerus, i. e. pileus Mercurii, qui Arcas eſt. Actææ faces, i. e. quæ in ſacris Cereris vel Palladis præferuntur. Actæi imbres, i. e. feraces. Auſonia toga, i. e. pacatus Italiæ ſtatus. Centaurica ſemina de Equis. Cilicum ver, i. e. odores ſvaviſſimi. Coryciæ coma, i. e. crocus. Cyclopum labores, pro validis & firmis. Cyniphii campi, i. e. Africani. Cyrrhæus hiatus, i. e. antra & umbræ Parnaſſi. Dananeius Augur, i. e. Amphiaraus Argivus. Danacius volucer, i. e. Perſeus, Biſthonius enſis, propter Martem, qui ibi templum habebat* &c. Qvæ ſi omnia in unum volumen ex omnibus poetis collecta ſint, magnum hinc ad rem poëticam commodum eſſet: Sed nunc forte nemo hunc laborem ſuſcepturus eſt. 15

* Phraſeologiam poëticam non ineptè concinnavit *Nomeſſeus* in *Parnaſſo ſuo* Poëtico, adductis integris Poëtarum locis. Conciſas & excerptas phraſes ac periphraſes dedit *Bacherius* in *Flaviſſis Poëticis*, aliqvoties recuſis. Qvi liber ideo utilisſimus eſt, qvod nominum propriorum, gentium & regionum, comparationum Indices peculiares ſubjiciantur. Omnia ſunt ex probatis autoribus deſumpta, locis etiam nonnunqvam additis; cum *Weinrichius in Ærario ſuo* pleraqve è lacunis hauriat recentiorum Poëtarum. 16

Ut nominum & phraſium, ita & Formularum ac Sententiarum Collectanea inſtitui poſſunt, qvarum uſus maximus eſt in integris carminibus, qvæ in aliqvam molem excreſcunt. Nam qvemadmodum in Epiſtolis *Joh. Starckius* ſingulares qvasdam Formulas collegit, easdem etiam daturus in Oratoriis: ita & in Poëticis illa dari poſſunt, ac promiſerat qvoqve ipſe Starckius. Attendendum hic eſt ſedulo in carminum, præcipue Virgilianorum, lectione, qvibus formulis membris membra connectat, à narratione ad narrationem tranſiens. Exiguum earum typum exhibuit *Georg. Fabricius lib. 2. de Re Poëtica.* Poſſunt & nonnullæ formulæ Epiſtolares Starckio notatæ, etiam in Poëticis habere locum, qvarum exemplum habemus in Epiſtolis Heroidum Ovidii, abſoluto omnis elegantiæ Romanæ Opere. Tales e. g. ſunt. *Non poſſum eloqui: ne longum faciam: ut verum fatear: ſemper, nunquam, prius moriar: exprobrare jactantiam: irriti conatus, irriti ſermones*, &c. 17

Huc refeerri etiam debent illa Collectanea Ornamentorum, qvæ in variis conſiſtunt. 1. Comparationibus. Sunt enim Comparationes Poëtis, inprimis Heroicis, familiares, ac mirifice ornant carmen. Cum enim Poëta pictorem imitetur, qvi coloribus ſuis & luminibus ita rem ob oculos ſiſtit, ut vivam oculis obverſari credas: ita Poëta comparationibus mirifice rem ornat. Harum collectio diligenter inſti- 18

tuenda eſt, non è Latinis Poëtis ſolùm, ſed & Græcis, Italicis, Germanicis. Hic enim
patet, qvam Poëta Poëtam imitetur. Virgilius Græcos; Virgilium ceteri imitati
ſunt, & ita qvidem, ut, cum in ſimili re verſantur, tamen Virgilio maxime ſint diſſi-
miles. Harum comparationum librum integrum concinnatum edidit *Trognæſius*
Antv. Ann. 1610. ubi ſub titulis rerum comparatarum Comparationes ipſas congeſſit;
qvæ multis augeri modis poſſent. Exigua Comparationum exempla dedit *Georg. Fa-*
bricius. Indices talium Comparationum breviores habet *Maſenius in Palæſtra* ſua, &
Bacherius in Flaviſſis. Infinitus talium numerus congeri poteſt, magno futurus uſui,
ſi non integris comparationibus inſtituendis, ſaltem in exaltanda per metaphoram
phraſi. Metaphora enim eſt comparatio contracta; & comparatio metaphora per
ſuos ſimilitudinis terminos explicata. Qvod de Comparationibus dixi, idem in
exemplorum collectione faciendum. Illis enim Poëtæ freqventer utuntur, fabuloſis
tamen potius & fictis, qvàm veris. Eorum Indicem dedit Maſenius in Palæſtra:
uberiora Collectanea Raviſius in officina, ſed Poëticæ Illuſtrationes his addendæ ſunt.
Id enim præcipue qværitur. Nam apud Maſenium & Raviſium nuda tantum exem-
pla ſine expreſſione poëtica recenſentur. De Comparationibus Poëticis videatur *Buch-*
nerus de Com. dic. rat. lib. 2. *c.* 8.

19 Pertinent huc qvoqve Loci Communes idolographici & proſopographici.
Solent enim Poëtæ, uti jam dixi, pictores imitari, ideoqve virtutes & vitia ut perſonas
introducunt, vel certis qvibusdam rebus, vel perſonis, orationem affingunt; qvæ pro-
pterea diligenter notanda ſunt, ut habeamus exemplum, ad qvod noſtra inventa exiga-
mus. Habemus idolographias Furiarum, Invidiæ, Somni, Muſarum, Virtutum, qvas
20 paſſim apud Poëtas reperias. * Singularem de his idolographiis librum ſcripſit
CÆSAR RIPA, qvi pene in omnes linguas converſus eſt, & nunc qvoqve in linguam
Germanicam. Verum tamen ejus libri autorem *Jan. Nicius Erythræus* nominat *Jo-*
hannem Zaratinum Caſtellivium, Pinacoth. I. n. 27. Prodiit epitome qvædam Ger-
manica ſub titulo *Iconologiæ Poëticæ.* Multa qvoqve illius libri tranſtulit *Harsdörf-*
ferus in libro Germanico de arte poëticâ titulo *Infundibuli* edito, part. 2. & 3. ſub ti-
21 tulis rerum, qvas deſcribit Phraſibus Poëticis. * Poſt Cæſarem Ripam aliosqve
totum illud negotium idolopœias ad artis leges examinavit MASENIUS *in Speculo*
imaginum veritatis occultæ, qvo in libro fontes monſtravit, ex qvibus variarum rerum
idolopœiæ deducendæ. Notavit qvoqve errores in arte idolographica à *Cæſare Ripa*,
22 *Boccho* aliisqve commiſſos. * Veterum idolographica ex hieroglyphicis PIERIUS
VALERIANUS collegit, cui primæ hic deferendæ, ut qvi antiqvitatis interiora rimatus
23 eſt. Sed & Maſenius, qvæ huc pertinent, ex hoc excerpſit. * Referri etiam hic
poſſunt fictæ Topographiæ, qvæ paſſim apud Poëtas inveniuntur, qvalis eſt e. g.
apud Ovid. *Regia Solis, regia Somni, Invidiæ, apud Joh. Secundum Regia reginæ*
pecuniæ.

24 Vidimus Collectanea, qvæ ad poëma ſcribendum per ſe pertinent: ſub-
25 jicimus illis Collectanea, qvæ ipſis cum Rhetoribus ſunt commun * Qvo-
niam

niam itaqve res vel, laudantur, vel vituperantur, vel ſuadentur, vel diſſuadentur, vel accuſantur, vel defenduntur, vel ſimpliciter tantum deſcribuntur; ideoqve ſub titulis materiarum notari poteſt, qvicqvid apud omnes generis Poëtas Græcos, Latinos, Gallos, Germanos &c. inveneris; ſed per indicem tantum: non enim ſuaſerim, ut exſcribas. * Sciagraphiam talium Locorum Communium dedit FARNABIUS *in Indice Poëtico*; ſed tenuis tantum ille labor eſt, ac augeri multis modis poteſt. Summa enim ille tantum veſtigia legit, & vaga lectione qvædam obſervavit. Exempla talia collegit *Laurentius le Brun in Eloquentia ſua Poetica lib.* 7. ubi de characteribus Epidicticis. * Ab his tamen ſejungendæ ſunt Deſcriptiones minores, qvando paucis verſibus vel rem aliqvam, vel tempus, vel locum deſcribimus. Hæc enim potius referenda ſunt ad Phraſeologica. In his Deſcriptionibus ut multus eſt Virgilius, ita & parcus. Nam duobus vel tribus verſibus, ſed verbis emphaticis, omnia abſolvit. Legi poteſt de genio Deſcriptionum Virgilianarum *Buſſiers in præfatione Scanderbegi ſui.* * Qvæ ad genus Deliberativum & Judiciale pertinent oratiunculæ, conſultationes, exprobrationes, qverelæ, & ſimilia, etſi eadem habeant Rhetorum enthymemata, tamen ſeorſim ea poni conſultum eſt. Habent enim Poëtæ, qvo differant ab Oratoribus proponendi modo. Tales oratiunculæ, epiſtolæ, freqventes occurrunt apud Virgilium reliqvosqve Poëtas Epicos, Ovidium in Epiſtolis Heroidum. Nam Satyricos aliorſum remitto, qvod plane in alio poëmatis genere verſantur. Etſi enim eorum argumenta vel in genere Demonſtrativo, qvatenus vituperium continent; vel Judiciali, qvatenus aliqvid accuſant, verſantur; alia tamen verſandi ratio eſt. Satyricus enim genius ridendo magis verum dicit, qvam ſeria oratione. Ideoqve & phraſis Satyricorum ſejungenda eſt à reliqva phraſi poëtica: qvemadmodum nec Comica phraſis omnis in ſeria oratione poteſt adhiberi. Diſtinguendæ enim ſunt perſonæ, res & tempora. * Qvemadmodum apud Oratores, ita & apud Poëtas morum & affectuum Collectanea ſunt inſtituenda. Cum enim omnis poëſeos vis in imitatione actionum conſiſtat, actiones verò vel mores vel affectus exprimant, utrumqve Poëtæ familiare eſſe debet. Sive enim Epicum carmen ſcribat, ſive Tragœdiam, ſive Elegiam, ſeu de bono aliqvo gratuletur, de malo dolorem teſtetur, Satyramve ſcribat, omni loco & tempore morum & affectuum, ipſi ratio habenda eſt. Perpendendi itaqve canones Ariſtotelici, & horum ductu notandi ex Poëtis ſub his titulis illi characteres morum & affectuum, qvi apud Poëtas occurrunt. * Vel ſolus Virgilius mirus in iis artifex uberrimam eorum meſſem dat. Si qvis enim inter Poëtas enthymematicus eſt, Virgilius eſt, qvi ſummâ ratione & judicio ſcribit omnia, in qvo mire vacillant ceteri Poëtæ. Ovidius poſt Virgilium ceteris omnibus præferendus eſt. Nam in Epiſtolis Heroidum, in libris Triſtium, mira eſt affectuum & morum repræſentatio, adeo ut nonnulli in eo damnent declamatorias argutias, qvod nimium immoretur argumento ſuo, & manum de tabula tollere neſciat, novis ſubinde argutiis, ultra qvam par eſt, rem ornans: qvâ in re nemo ſibi præter unum Virgilium temperat, qvi illam, qvæ in tacendo conſiſtit, eloqventiam optimè didicit. Non enim

Kkkk 2 plus

Margin numbers: 26 (line "exſcribas. * Sciagraphiam…"), 27 (line "Epidicticis. * Ab his…"), 28 (line "begi ſui. * Qvæ ad genus…"), 29 (line "enim ſunt perſonæ… * Qvemadmodum…"), 30 (line "illi characteres… * Vel ſolus").

plus dicit, qvàm debet, qvæ maxima omnis eloqventiæ virtus eſt. Ubertate tamen illa vehementer auribus blanditur Ovidius, & ſolet elegantia, etiam nimiâ, vel doctis interdum placere. Affectuum certe & morum tanta apud illum copia eſt, ut locupletare præ ceteris locos noſtros poſſit. Cetera qvoqve Enthymemata, qvæ in Locis qvibuscunqve Rhetoricis ad bonum & malum pertinent, etiam hîc notari poſſunt & debent. Verſantur enim carmina in omnibus cauſarum generibus, & qvoniam illa vel bonum vel malum pro fine habent, ſive qvod laudetur, ſive vituperetur, ſive ſuadeatur, ſive diſſuadeatur, ſeu accuſetur, ſeu defendatur, eadem argumenta hic obtinebunt. Id tantum notandum, qvâ ratione ab Oratore hîc Poëta differat, & qvomodo ille Enthymemata ſua proponat.

31 Etiam ex Oratoribus qvædam in ſuum uſum transferre Poetæ poſſunt. Ut à Poetis ſpiritus ſublimitatem & affectus ſumunt Oratores, atqve ideo illis poetas commendant Grammatici, certe Qvintilianus initium omnis inſtitutionis puerilis à poetis ſumendum ſuadet; Ita poetæ etiam ab Oratoribus multa mutuari poſſunt, atqve debere illud facere judicat *Vavaſſor libro de Epigr. cap. 14. p. 159.* à Qvintiliani ſententiâ, ſed

32 ſine causâ alienior. * *Nicolaus Borbonius, præclarus Virgilii imitator, dicere ſolitus fuit, ſummo ſibi uſui ſemper fuiſſe in ſcribendis verſibus Ciceronem. Quod mihi tum profecto* (inqvit) *mirum dictu ac ferme incredibile viſum eſſet, niſi meminiſſem adoleſcentem me, ac potius puerum, deprehendiſſe non pauca, quæ Virgilius de Cicerone ſumpſiſſet. Atque hoc ipſum longo poſt intervallo animadverti obſervatum à Macrobio, & proditum ſcriptis etiam tunc, cum nihil eſſet neceſſe. Quippe cum ageret de iis, quæ Virgilius prioribus ſurripuiſſet poetis, non autem ſcriptoribus orationis ſolutæ.* Nec Tullio, inqvit, compilando, dummodo undiqve ornamenta ſibi conferret, abſtinuit. *Nam & ſententiam hanc,* o fama ingens, ingentior armis, *eſſe Tullii totam vult, neque falſo vult: & verſum hunc,* Proximus huic, longo ſed proximus intervallo, *conceptum totidem verbis à Tullio antea, & ex ejus de Claris Oratoribus libro depromptum. Nuda iſta & unica vox Virgiliana,* recubans, *nonne minus eſt aliquid minusque poetam ac poeſin redolens, quam Tullianum illud,* Epicuri philoſophia, qvæ in hortulis qvieſcat ſuis, recubans molliter & delicate? *Dicitur ſine dubio à Cicerone multo nitidius ac lætius,* platanus ad opacandum locum patulis diffuſa ramis, *quam à Virgilio,* patulæ fagi tegmen, *ad umbraculum ſignificandum profertur. Nec video, quamobrem plurima ejusdem Oratoris ab agitato mari, à ventis, à procellis, à turbinibus petita, ulli cedant tempeſtati Virgilianæ. Et alia ſexcenta ſunt, ex quibus planum fiat, quantum quoquo modo adjuvent inter ſe orationis utriusque ſcriptoribus: Itaque ſibi mutuas operas tradant, ut utiles ſint poetæ Oratoribus, poetis Oratores neceſſarii.*

33 Hæc ſi diligenter notaverimus, in imitando deinde erimus promptiores. Huic fini inſerviunt Loci illi Communes, qvos in *Eloquentia ſua Poetica* propoſuit Laur. *le* Brun, qvi farraginem exemplorum dedit è Locis Dialecticis declaratorum. Enthymematum vero oratoriorum nihil hîc apparet, qvorum in ratiocinando uſus præcipue conſiſtit, ut illorum in amplificando. De Affectibus idem *lib. 6. Eloq. Poët. part.*

1. exempla propoſuit. Etiam Ethopœiæ & Pathopœiæ, orationes ſcilicet, qvæ apud Poëtas occurrunt, ut Didonis morituræ apud Virgilium & ſimiles huc pertinent. * Huic fini etiam inſerviet figurarum poëticarum Collectio, inprimis affectuoſarum, qvæ mirifice poëma ornant. Cum enim etiam apud Oratores figuræ Orationem qvaſi vivificent, multo magis in Carmine facient; ideoqve & illarum, ut omnium metaphorarum freqventior hic uſus eſt. * Qvoniam vero genius poëticus ab Oratorio diverſus eſt, ideoqve expedit illas notaſſe, qvæ ſingularem interdum carmini pariunt elegantiam. Suntqve inter illas aliæ, qvæ Epicum; aliæ, qvæ Elegiacum carmen magis ornant, magnâ cum induſtriâ & delectu notandæ. Habent Lyrica carmina, Phaleuci, Anacreontes, Scazontes, qvasdam ſibi peculiares, ut numeros, ita figuras, qvæ ſingularem unicuiqve generi elegantiam circumponunt. Collegit qvoqve exempla figurarum *Laurentius le Brun part. 2. Eloq. Poet.* 34 35

Poſſunt & peculiares Loci Communes Inventionum inſtitui pro uſu noſtro attemperandi, qvibus illa Enthymemata, qvæ in ſingulis occurrunt, ſubjici poſſunt, una cum argutiis reliqvisqve artificiis, qvæ in illis apud Poëtas exemplis occurrunt. * Qvoniam enim vulgò induſtria poëtica noſtra occupatur in Epithalamiis, Epicediis, Gratulationibus &c. ſcribendis, ſub talibus titulis colligi inventionum genera, e. g. in Demonſtrativo genere inter titulos generales erit *Epithalamium*. Seqvantur ſub illo titulo ſpeciales ex circumſtantiis negotii evoluti. Ita ex circumſtantia perſonæ conficias titulos: *Epithalamium Theologi, JCti, Medici, Mathematici, Philoſophi, Mercatoris, &c.* Ex circumſtantia temporis: *Epithalamium in nuptias tempore æſtatis, veris, hiemis, autumni, nundinarum &c. celebratas.* Ceteræ circumſtantiæ alia aliaqve ſuppeditabunt, uſui tibi in inventione futura. Nam breviora carmina non ſemper per integra Enthymemata procedunt, ſed argutâ aliqvâ vel alluſione vel illatione abſolvuntur. Hæc etſi ingenium facilè per ſe præſtet in ingenioſis, tamen, ſi exempla multa collecta habueris, novæ ſemper cogitationes & inventiones ſub manu creſcent; qvæ ita formandæ ſunt, ne exſcriptum carmen videatur, & facilè eſt novo aliqvo colore rem incruſtare. Qvicqvid itaqve apud Latinos, Germanos, Italos, Hiſpanos, eleganter excogitatum inveneris, his titulis accommodari poteſt. * Ac incidunt interdum aliqva, qvæ tu ipſe inventioni novæ accommodare poſſis, de qvibus non cogitarunt Autores, qvos legis. Præterea ex magna illa farragine, qvæ uno intuitu tibi ob oculos ſiſtitur, facilè aliqvid decerpes, qvod ad rem præſentem faciat, vel varia miſcendo, vel nova ad eorum ſpeciem excogitando. Labor ille vehementer proderit illi, cujus in inveniendo phantaſia tardior eſt: ingenioſo vero novam dabit occaſionem ad rem & argumentum ſuum ornandum. * Ut hâc etiam parte juventuti lucem accendamus, ſubnectam huic capiti *cap. 12. Hylen aliquam inventionum*, ſed per indicem tantum è variis Poëtis meo ductu ab aliis congeſtam, quâ qvi uti velit, Autores ipſos ad manum habere debet; Si qvis Autores ipſos non habet, per brevia lemmata ſummam inventionis exprimere poterit. Compendioſum etiam illi erit, qvi Autores ipſos habet, ſi forte perlegere integra Carmina nolit. 36 37 38 39

40 Solent Carminibus ſuæ eſſe à numeris Veneres & certa qvædam artificia, qvæ mirificè ornant verſum; qvales apud Virgilium, mirum numeri poëtici obſervatorem, freqventer occurrunt, e. g. cum verſus terminantur monoſyllabis, ut: *procumbit humi bos: naſcetur ridiculus mus.* vel cum ſpondei multi adhibentur, ut: *media agmina circumſpexit: Illi inter ſeſe magna vi brachia tollunt.* Aut cum Dactyli & Spondæi ita miſcentur, ut rei naturam exprimant, ut cum de turri ruente ait: *Convellimus altis Sedibus impulimusque ea lapſa repente ruinam Cum ſonitu trahit.* Talia infinita apud Virgilium habentur, qvæ homo in iis non exercitatus contemnat, doctus vero & prudens admiretur.

41 * Ac ſunt, qvi magnam eorum farraginem notârunt, *Jacobus Pontanus Inſtit. Poëtic. lib. 2. c. 8. ſeqq. Joh. Jovianus Pontanus in Dialogo, qui inſcribitur Actius. Jac. Ludovicus Strebæus in lib. de Electione verborum c. 9. & alibi. Laur. le Brun in Eloq. Poet. lib. 4. Jul. Cæſ. Scaliger in Hypercritico ſuo* omnibus pene paginis; nonnunqvam etiam *Alex. Roſſæus in Virgilio ſuo Triumphante. Nic. Erythræus in Præliminaribus Virgilianis*, cujus labores ceteros, qvos in Virgilium meditatus eſt, lucem non adſpexiſſe dolendum eſt. Promiſit enim *Schema Patheticum Virgilianæ Poeſeos: Librum de alliteratione ſeu ſyllabarum alluſione*; de qvibus Sylburgius in præfatione editionis Virgilianæ.

42 Connexiones poëticæ etiam hîc non ſunt prætermittendæ, qvæ Excerptis Formularum vel addi poſſunt, vel ab his ſejungi. Magnus earum connexionum uſus eſt in prolixo carmine, ubi nihil magis interdum cruciat, qvam membris membra connectere. Sunt autem Connexiones illæ vel membrorum majorum vel minorum: fiunt vel per particulas, vel per formulas. Occurrunt illæ in ſingulis periodis, cum cola colis junguntur.

43 Hæc ego ſcripſeram, cum ex Actis eruditorum Lipſienſibus innotuit de DECKENII *obſervationibus Poeticis* Antwerpiæ Ann. 1688. in lucem miſſis, (*b*) qvas plane ad guſtum meum eſſe ex ipſa argumentorum libri recenſione obſervavi. Qvare cum nusqvam in officinis appareret liber ille fruſtrà à me qvæſitus, ad manus tandem meas pervenit, ultro illum mittente, qvâ eſt humanitate, Viro mihi amiciſſimo & celeberrimo *Joachimo Fellero.* Statim ut inſpexi, gratiſſima fuit illa cogitationum noſtrarum convenientia: Videbam enim ab illo Autore plenius eſſe propoſita nonnulla, qvæ ego dudum & mente deſignaveram, & diſcipulis meis privatâ informatione tradideram, & nunc his chartis notavi.

44 * Parte prima congeſſit ea, qvæ ad Amplificationem Poëticam pertinent, Diſtributiones, enumerationes, deſcriptiones, egreſſiones, comparationes, inductiones, Synonyma, Periphraſes, Invocationes, narrationes, Sermocinationes, Figuras, Fictiones, carminum artificia, ut Epithalamiorum, Genethliacorum &c. Sub qvibus ſingulis certa Inventionum lemmata ponit.

45 * Hæc qvanqvam optime comparata ſint omnia, confuſa tamen ornamenta rebus ipſis &

(*b*) Johannis Dekeni, Jeſuitæ, *Obſervationes Poëticas, Exemplis illuſtratas,* Morhofius itidem, ad Exemplar Anni 1688. Antwerpienſe, triennio poſt, Anno ſcilicet Emortuali 1691. Kilonii *in 8vo*, adjecta Præfatione ſua, curavit recudi.

& τῷ ἐνθυμηματικῷ & ad generalem amplificationis Poëticæ titulum relata diſplicet. Pars ſecunda proponit characteres Affectuum, ſatis qvidem copioſè, qvæ tamen multis augeri modis poſſint: Qvod ſi enim ſolos Ovidii Triſtium libros percurras, longè plures ex eo ſolo Triſtitiæ characteres ego olim notavi, qvàm notavit Deckenius. Nullos qvoqve morum characteres obſervavi, qvi omnino characteribus affectuum jungendi ſunt. Parte tertia ea proponit, qvæ delectabile reddunt poëma, acuminum fontes, in qvibus ducem Maſenium habuit. Parte qvartâ Ornamenta poëtica complectitur, in his numerat figuras, qvarum exempla adducit, ſed inſignes qvasdam omiſit, inter qvas eſt *Sejugatio*, nemini, qvod ſciam, qvam *Danieli Vechnero* in libello de Figuris notata. * Eſt verò illuſtris illa & maximè conſpicua, ut in 46
Ovidiano illo:

Demophoon ventis & vela & verba dediſti:
Vela queror reditu, verba carere fide.

Ita nos in qvodam carmine:

Fulmina ſic agiles ſervant, ſic flumina, motus:
Fluctibus hæc, flammis illa vibrata ſuis.

Illuſtria qvoqve ejus exempla è Ciceronis Orationibus notavit Vechnerus. Refert qvoqve ad ornamenta formulas & particulas poëticas ad certos titulos redactas; qvi utiliſſimus omnino labor eſt, tùm & modos loqvendi ſingulares & alia nonnulla. Hunc ego libellum omnibus, qvi artis poëticæ ſtudio ducuntur, præ ceteris omnibus commendo, & ut pluribus uſui eſſe poſſit, recudi velim.

CAP. XI.

IDEA LEXICI POETICI PRO TRANSLATIS.

Promiſſa cap. præced. §. 13.

A.

1. ACcendere. *Infandum* accendere *bellum*, Virgilius Æneid. 12. Idem lib. 7. *belloque animos* accendit *agreſtes*. Id lib. 8. *quos juſtus in hoſtem Fert dolor, & meritâ* accendit *Mezentius irâ*. Id lib. 10. *Nunc prece nunc dictis virtutem* accendit *amaris*. *Sol dicitur* accendere *diem*, Claud. de Conſulatu Mallii. *Ante vetant, quam maturis* accenderit *annis Ignibus*, accenderit, i.e. accenſus fuerit. Gratius Cyneget.

2. Acclinis. Claud. in Probin. Conſulat. *arbore fultus* acclines *humeros*, vid. Barth. ibi in Commentar.

3. Acclinatus. Statius. 4. Sylvar. 4. *occidit horror Æquoris & terris maria* acclinata *quieſcunt*.

4. Adorare. Sarbievius lib. 1. od. 3. *de ramis arborum dicit. Pangææ gaudent brachia frondium Longe tetendiſſe, & procul obvios Currus* adorare.

5. Advena. Claud. 6. Conſ. Honor. *Certis ubi legibus* advena *Nereus Æſtuat*: *loquitur*

quitur de maris fluxu & refluxu prope oſtium fluvii.

6. Ædificare corpora *de ſaltatoribus & funambulis.* Claud. Conſul. Mallii, *qui ſeſe jaculantur in auras,* Corporaqve ædificant *celeri creſcentia nexus.*

7. Æmulus. Claud. 6. Conſ. Honor. *littora lunaribus* æmula *damnis, i. e. ad motum lunæ fluxum & refluxum maris patientia.* Æmulus *orbis dicitur Luna ratione Solis.* Claud. Conſ. Probini. *Cum fratre retruſo* Æmulus *adverſis flagraverit ignibus orbis.*

8. Æs vetuſtum, *i. e. imagines majorum.* Claud. Probin. Conſ. *licet* ære vetuſto *Floreat.*

9. Afflare, Afflari *de tenui halitu dicitur.* Virgil. *de homine defuncto :* afflatus *vicino ſole refugit,* Stat. l. 9. Theb. *de fulmine : Fulminis haud citius radiis* afflata *cupreſſus Combibit infeſtas &c.* Idem *de odore ; Ogygii ſi quando* afflavit *Iachii Dulcis odor.* Claud. 1. de Raptu Proſerp. afflataqve *curru ſidera Tænario.*

10. Allabi *pro accedere.* Virg. 6. Æneid. 2. *Et tandem Euboicis Cumarum* allabitur *oris.*

11. Alterna *Tethys, i. e. fluens & refluens.* Claud. 3. Conſ. Hon. *Tethyos* alternæ *refluas calcavit arenas.*

12. Ambitioſus. Ambitioſa *colus, quæ intertexto auro fila trahit, dicitur* Claud. 4. Conſ. Hon. *Quæ tantum potuit digitis mollire rigorem* Ambitioſa *colus.* Inc. *nimis* ambitioſa *rubeti progenies, i. e. roſa.*

13. Amare. Horat. l. od. 25. *Janua limen* amat.

14. Amicare *pro connectere.* Sarbiev. l, od. 4. *Et ſuper collo tyrias* amicet *Fibula lanas.*

15. Anguſtare *pro cingere.* Stat. l. 4. *Rabidi cum colla minantia monſtri angeret & tumidos animam* anguſtaret *in artus.* Id. l. 12. *At procul ingenti Neptuneus agmina Theſeus* Anguſtat *clypeo.* Claud. 6. Conſ. Hon. *viridiqae* anguſtat *Iaſpide pectus.* Id. Conſ. Probin. *quâ ſine ſub uno* Anguſtant *aditum curvis anfractibus Alpes.*

16. Anhelus. Silius Ital. *turbinem* anhelum *vocat.* Claud. R. Proſ. *Vorticibus Phlegeton perluſtrat* anhelis.

17. Animoſus *de velis dicitur.* Sarb. l. od. 4. *Et repentinis* animoſa *trudunt Carbaſa ventis. Ita pilam, vel turbinem agitatum* animoſum *dixeris.*

18. Animæ *pro ipſis hominibus inprimis heroibus apud Poetas uſurpantur. Ita* animæ *mori dicuntur, vel interfici. vid.* Barth. comm. in 1. Theb. v. 660.

19. Animari. Claud. Nupt. honor. *Mavortia ſigna rubeſcunt Floribus & ſubitis* animantur *frondibus haſtæ.*

20. Ariſta *pro anno.* Virgil. *poſt aliquot mea regna videns mirabor* Ariſtas. Claud. 4. Conſ. Hon. *nec dum decimas emenſus* ariſtas *Aggrederis metuenda viris.*

21. Armare *pro munire, inſtruere, addere.* Virgil. lib. 9. Æneid. *Ungere tela manu ferrumque* armare *veneno.* Id lib. 10. *Vulnera dirigere & calamos* armare *veneno.* Claud. lib. 1. de Rapt. Proſ. *ceu turbine rauco Cum gravis* armatur *Boreas Ibid. Coge tuis* armata *dolis.* Id 3. Rapt. *cui fundit ab antris Æolus* armatas *hyemes.* Id 6. Conſ. Hon. *Chaldæa mago ſeu carmina ritu* Armavere *Deos.* Id. Conſ. Probin. *pulcherqve ſevero* Armatur *terrore pudor.* Venant. lib. 1. de vita Martini: armant *flamina flammas.* Nos *alicubi : lento Zephyros* armare *veneno.*

22. Aſ-

22. Aſſiduus. Aſſidui honores, *i. e. non interrupti altero alterum velut adſidente.* Claud. Conſ. Mall. *Tam celer* aſſiduos *explevit curſus honores.*

23. Attonitus. Claud. in Conſ. Mal. Attonitas *ſermo qui duceret aures.* Senec. Herc. Fur. *Illum populi favor* attonitum *Fluctusque magis mobile vulgus Aurâ tumidum volvit inani.* Attonitum ignem *vocat* Martialis, *quo Scævola urebat manum*, lib. 8. Epigr. 33. attonito *regnat in igne manus.*

24. Audax. *Remi* audaces. Claud. 3. Conſ. Hon. audax *mamma de habitu Heroidum ad prælia euntium.* Claud. Conſ. Probin. Audacem *retegit mammam.*

25. Audire *pro obſequi, de rebus inanimatis.* Virg. Georg. 1. *non* audit *currus habenas.* Ovid. Metamorph. V. *de mille ſagittis Unam ſepoſuit, ſed quâ nec acutior ulla, Nec minus incerta eſt, nec quæ magis* audiat *arcum. Hinc ſurdos arcus Stat. vocat. l.* 10. *qui non obſequuntur* Claud. Conſ. Mall. *Deſidis aurigæ non* audit *verbera currus.*

26. Aura. Virgil. l. 6. *Diſcolor unde auri per ramos* aura *refulſit.*

27. Aureus *pro pulcher.* Horat. Od. 5. l. 1. *Qui nunc te fruitur credulus* aureâ, *i. e. pulchrâ.*

28. Auritæ *dicuntur arbores Orphei teſtudinem ſecutæ*, Horat. l. 1. od. 12.

29. Aurora *pro populis auroræ.* Claud. Stilic. 1. *totam pater undique ſecum Moverat* Auroram.

B.

30. B*Landus* pro eo, qvod non nocet. *Claud. Rapt. P. 1. blandique* leones Summiſere jubar *Id. 4. Conſ. Hon.* fulvamqve impune pererrans Ægidia tractaſti *blandos* interritus angues. *Ibid.* irent *blandæ* ſub vincula tigres. *Id. Conſ. Probin. blando* teſtetur gaudia fluctu. *Sidonius*: Lambebant teneros incendia *blanda* capillos.

C.

31. C*Alcare. Claud. 3. Conſ. Hon.* Tethyos alternæ refluas *calcavit* arenas. *Id. 6. Conſ. Hon.* heu terra ſiniſtris Auguriis *calcata* mihi. *Ibid.* patulum proſpectans Narnia campum Regali *calcatur* eqvo. *Idem. Conſ. Mall.* de excelſo monte; & rauca tonitrua *calcat.*

32. *Calcatus. Claud. 6. Conſ. Hon.* Meqve minabatur *calcato* obſidere vallo.

33. *Cataphracta* poma vocat *Cowleus* nuces caſtaneas.

34. *Celare.* Sol *celare* diem & promere dicitur. Horat. Alme Sol curru nitido diem qvi Promis & *celas* aliusqve & idem Naſceris.

35. *Cervix* pro forti & elato animo. *Claud. Nupt. Honor.* petulans *alta cervice* juvenca. *Id. in Rufin.* 1. Cumqve fide pietas altâ *cervice* vagantur. *De Tauro Stat. 2. Theb. cervixque* recepto Sanguine magna redit.

36. *Circumflexus*, i. e. in ſe rediens. *Claud. 6. Conſ. Honor. Circumflexa* rapit centenus ſecula Conſul.

37. *Circumfluus*, i. e. vehementer abundans. *Catullus*: Et ille nunc ſuperbus & *circumfluens* Perambulabit omnium cubilia. *Claud. Conſ. Probin.* mens *circumflua* luxu.

38. *Citius*, i. e. ante *Hor. l.* 13. Supremâ *citius* ſolvet amor die, i. e. ante diem ſupremam.

39. *Clemens Claud. 3. Conſ. Hon.* Veneris *clementes* pervolat auras. *Clementem*

divum

clivum vocat, qvi molliter elatus *Rapin. de Hort. lib.* 3. Ipſe reclinato *clementis* ab aggere clivi Ordinibus longis lapſuros digere fontes.

40. *Cognatus. Stat.* 1. *Theb.* Unde graves iræ *cognata* in mœnia Baccho. *Ibid.* nec enim velocius ullas Itqve reditqve vias, *cognataque* tartara mavult.

41. *Collum* rebus inanimatis applicatum. *Claud.* 6. *Conſ. Honor. Colla* triumphati proculcat Honorius Iſtri.

42. *Colligere. Claud.* 3. *Conſ. Honor.* gentesqve remotas *Colligit* auroræ, i. e. peregrinatur in Oriente.

43. *Combibere. Stat.* Fulminis haud aliter radiis afflata cupreſſus *Combibit* ingeſtas & ſtirpe & vertice flammas. *Claud.* 6. *Conſ. Hon.* veſtis radiato murice ſolem *Combibit.*

44. *Comere. Claud.* 6. *Conſ. Hon.* veſtesqve & cingula *comit* Sæpe manu. *Petr. Maur. Hymn. in B. Bened.* Sancta te *compſit* puerum ſenectus.

45. *Concolor* effoſſo auro dicitur Foſſor Metallicus. *Stat.* Pallidus foſſor redit erutoqve *concolor* auro. *Sil. Ital.* effoſſo *concolor* auro.

46. *Confeſſus. Claud.* 6. *Conſ. Hon.* vultusqve palam *confeſſa* coruſcos. *Claud. Conſ. Mall.* Lene fluit Nilus, ſed cunctis amnibus exſtat Utilior, nullas *confeſſus* murmure vires.

47. *Conſcius* de rebus inanimatis. *Claud. Conſ. Probin. conſcia* tunc ſonuit rupes, ſcil. ad adventum Deæ. *Lucan. lib.* 1. Et gens ſi qva jacet naſcenti *conſcia* Nilo.

48. *Conſumere. Stat.* 1. *Theb.* Spes anxia mentem extrahit & longo *conſumit* gaudia voto. *Id.* 2. *Theb.* in abſentem *conſumit* prælia fratrem, i. e. animo meditatur pugnas nil profuturas. *Claud. Conſ. Mall. Conſumant* totos ſpectacula montes.

49. *Contemnere. Claud.* 4. *Conſ. Hon.* de Eqvo Caſtoris Cyllaro. Servitetqve tuis *contempto* Caſtore frenis Cyllarus.

50. *Convenire. Claud.* 6. *Conſ. Hon.* Tua te benefacta morantem *conveniunt.*

51. *Copia oris*, i. e. eloqventia *Claud. Conſ. Mall.* Et tantas *oris copia* vincit opes. *Copia narium Horat.* pro odoribus.

52. *Coquere* pro fovere. *Stat.* 2. *Theb.* trucem ſecreta *coquebat* Invidiam.

53. *Cor longævum* pro prudentia. *Claud. Conſ. Probin.* Ignea longævo frenatur *corde* juventus.

54. *Coronare* pro cingere. *Stat.* 2. *Theb.* clausâqve nemus ſtatione *coronant. Virg. lib.* 9. Objiciunt eqvites ſeſe ad divortia nota Hinc atqve hinc, omnemqve aditum cuſtode *coronant. Sarbiev. l.* 1. *od.* 3. laurigeris tibi thyrſis *coronatus* Cytheron.

55. *Cornu* pro qvavis copiâ interdum à Poetis uſurpari ſolet. *Stat.* 2. *Theb.* de ſomno dicit, illos *cornu* perfuderat omni. Sed & *cornu* peculiariter ſomno adtributum, vid. Barth. ibi in Comm.

56. *Crinis* pro ſiderum radiis. *Claud.* 4. *Conſ. Hon.* Stella *crine* retuſo languida.

57. *Crudus*, i. e. immaturus, recens. *Horat. lib.* 3. *od.* 11. Nuptiarum expers & adhuc protervo *Crudæ* marito. *Stat.* 2. *Theb.* Et ſi *crudus* amor. *Claud.* 3. *Conſ. Hon.* Et *crudâ* teneras exercuit indole vires.

58. *Culpa* pro amiſſione virginitatis ap. *Stat.* 2. *Theb.* primæqve modeſtia *culpæ* Confundit vultus. *Virgil. de Didone.* Huic uni forſan poteram ſuccumbere *culpæ.*

59. *Cunctari* ſigna cœleſtia dicuntur illi, qvi magno tenetur deſiderio. *Stat.* 1. *Theb.* Longum ſignis *cunctantibus* annum Stare gemit.

60. *Currere* de rubore ſenſim genas inficiente, *Virgil.* 12. *Æn. v.* 65. cui plurimus ignem Subjecit rubor, & calefacta per ora *cucurrit.* *Id. Æn.* 5. *v.*250. Victori chlamydem auratam, qvam plurima circum Purpura Mæandro duplici Melibœa *cucurrit.* *Ovid. Ep.* 5. *Heroid. v.* 37. gelidusqve *cucurrit*, Ut mihi narraſti, dura per oſſa tremor. *Stat.* τὸ ambire per currere exponit: ſed falſa *cucurrit* Infula per crines.

D.

61. *Damnum* pro decremento *Lunæ*, *Claud.* 6. *Conſ. Honor.* nudataqve littora fluctu Deſerit Oceani lunaribus æmula *damnis.* *Hor. IV. od.* 7. *Damna* tamen celeres reparant cœleſtia lunæ.

62. *Damnari* dicitur Luna eclipſin patiens. *Claud. de Conſ. Mall.* qvæ linea Phœben *Damnet* & excluſo pallentem fratre relinqvat.

63. *Decentior* aër, i. e. magis ſerenus. *Claud.* 6. *Conſ. Honor.* Ipſe favens votis ſolitoqve *decentior* aër.

64. *Decreſcere* dicitur locus ex viſu recedens in itinere. Totaqve *decreſcit* refugo Trinacria viſu.

65. *Dedocere & dediſcere.* *Hor. l.* 2. *od.* 2. numero beatorum Eximit virtus populumqve falſis *Dedocet* uti Vocibus vid. Docere. *Stat.* 2. *Theb.* moneo regnorum gaudia temet *Dedoceas.* *Lucan. lib.* 1. longoqve togæ tranqvillior uſu *Dedidicit* jam pace ducem. *Sulpit. Lupercus*: Sævaqve *dediſcet* prælia torvus aper. *Claud præfat. de R. P.* Cordaqve languentem *dedidicere* metum.

66. *Dedignatus*, *vid. Indignatus.*

67. *Deprenſus*, *deprendi*, Voces uſitatæ Poetis in re nauticâ. *Lucret. lib.* 6. Et qvæcunqve in eo tum ſunt *deprenſa* tumultu Navigia. *Virgil. Æn. IV.* *Deprenſis* olim ſtatio fideliſſima nautis & *lib.* 5. Argolicoqve mari *deprenſus.* *Catull.* minuta magno *Deprenſa* navis in mari veſaniente vento. *Stat.* 1. *Theb.* Ac velut hyberno *deprenſus* navita ponto.

68. *Deprendere*, eſt rem obſcuram detegere *Claud.* 3. *Conſ. Hon.* arcanos Nili *deprendite* fontes.

69. *Deſcendere* pro decreſcere. *Stat.* 1. *Theb.* de Bobus: Ardua nodoſos cervix *deſcendit* in armos. Ita *nos in Amorib. Cymbr.* de Oloribus: Ardua qveis patulas cervix *deſcendit* in alas.

70. *Deſidere* dicuntur campi, cum avis evolat. Ita de Ganymede ab aqvilâ rapto *Stat.* 1. *Theb.* Gargara *deſidunt* ſurgenti & Troja recedit.

71. *Deſpumare.* *Claud. Conſ. Probin.* qvantas per Lydia culta *deſpumat* rutilas dives Pactolus arenas.

72. *Detergere*, i. e. purificare *Claud. Conſ. Mall.* de Juſtitia: tu prima hominem ſylveſtribus antris Elicis, & fœdo *detergis* ſecula victu.

73. *Deterſus.* *Claud.* 6. *Conſ. Hon.* Principis & Solis radiis *deterſa* removit Nubila.

74. *Devexior dies*, i. e. occaſus *Cl. de Conſ. Mall.* qvodcunqve rubeſcit Occaſu, qvodcunqve dies *devexior* ambit.

75. *Dies* varie uſurpatur *Statio*, qvæ tamen omnia imitanda non ſuaſerim. Ita 1. *Theb.* eſt Sacra *dies* animi, pro

conſcientia: *projicere diem*, i. e. oculos eruere: longumqve in ſecula digne Promeriture *diem*, i. e. ævum, & lib. 1. *Sylv.* ſtabit dum terra polusqve, Dum Romana *dies*. *Id. lib. 1. Theb.* effuſa ſub omni Terra atqve unda *die*, i. e. ſub ortu, meridie & occaſu. *Id. 2. Theb.* ſqvalentem *diem* dicit pro tempeſtate peſtiferâ. *In Eloq. Poet. Brun. part. 1. p. 204.* de flore protuberante: reſerato captat amicum Ore *diem*.

76. *Diffundere* pro hilarem facere. *Ovid. lib. 4. Met.* generoſi munere Bacchi *Diffudere* animos. *Stat. 2. Th. diffuderat* Argos Exſpectata dies. *Stat. l. 4. Sylv.* ſacro *diffuſus* nectare vultus Dux Superum.

77. *Discriminare. Claud. Conſ. Prob.* nodus, qvi ſublevat enſem Album puniceo pectus *discriminat* oſtro.

78. *Diſcere. Virg. Diſcit* mentiri lana colores. Ap. Græcos diſcere pro ſolere ponitur, ut in illo Empedoclis verſu Αἶψα δὲ θνητὰ φύοντο τὰ πρὶν μάθον ἀθάνατ᾽ εἶναι. Hic τὸ μάθον poſitum pro εἰώθεισαν. Et ſtatim facta ſunt mortalia, qvæ didicerant eſſe (i. e. erant, vel *ſolebant* eſſe) immortalia. vid. Caſaubon in Athen. lib. 10. c. 6. p. 452. n. 30.

79. *Ditare* de fluvio dictum. *Claud. de Conſ. Mall.* Maria qvæ famulus *ditavit* Hydaſpes. *Id 3. Conſ. Honor.* qvas *ditat* Orontes.

80. *Diteſcere. Claud. Conſ. Mall.* de arenâ gladiatoriâ: largo *diteſcat* arena ſanguine.

81. *Docere* pro permittere, *Claud. 3. de Raptu*: Inſolitisqve *docet* galeam miteſcere ſertis. Ita & vox *jubet* uſurpatur. *Id. 3. Conſ. Honor.* ſubmiſſus adorat Eridanus blandosqve *jubet* miteſcere fluctus.

82. *Doctus* Epitheton omnibus rebus Muſicis applicatur. *Claud. Conſ. Mall. docti* riferunt floribus amnes, i. e. Muſarum. Ita *docti* montes, laurus &c. *Claud. Conſ. Probin.* & pollice *docto* jam parat auratas trabeas.

83. *Doloſus.* Ignes ſuppoſiti cineri *doloſo*, *Hor. lib. 11. c. od. 1.*

84. *Domare. Stat. 2. Theb.* de Thracibus ait: lacte novo *domuiſſe* cruorem. In eundem ſenſum indomitum vinum dicitur. *Lucan. lib. 10. indomitum* Meroë cogens ſpumare Falernum. *Id. Ibid.* Fortunam virtute *domas*. *Id. Sylv. lib. 2. cap. 4.* qvi pectore magno ſpemqve metumqve *domas*. *Id. 1. Theb. perdomitam* ſaxo Cererem vocat panem. *Claud. Conſ. Probin.* Virtutibus ille Fortunam *domuit*.

85. *Dubitandum* lumen pro caliginoſo. *Rutilius*: Sic *dubitanda* ſolet gracili vaneſcere cornu Defeſſisqve oculis Luna reperta latet. *Claud. 4. Conſ. Hon.* Viſa etiam Stella die *dubitanda* nihil nec crine retuſo Languida. *Dubii* flatus vel venti, *Claud.* Incertam Lunam vocat *Virgil. Æn. 6.* Lucem malignam *ibid.*

86. *Ducere* vox de Fatis proprie uſurpari videtur. Ita Jupiter ap. *Stat. 1. Theb.* certo reliqva ordine *ducam*. *Ibid.* ævo *ducente*, i. e. implente oracula.

87. *Dulcis.* Genæ *dulces Claud. Conſ. Prob.* dicuntur pulchræ, juveniles *Hor. Dulce* ridentem Lalagen amabo *Dulce* canentem. Epitheton *dulcis* non Elegiacis tantum poetis, ſed omnibus commune, de qvo Balzac. Enthretien: 36. p. 352. & 353.

E.

88. EBrius *amnis* de fonte artificiali vini. *Claud. Conſ. Probin.* jam profluat

fluat *ebrius amnis* Mutatis in vina vadis. *Ebria veſtigia* dicuntur hominum ebriorum *Claud. Ebria* Mæonio fulcit veſtigia thyrſo.

89. *Ebur* pro lyrâ *Claud.* Pollice feſtino nobile duxit *ebur*. Pro ædilitio honore *Hor. I. Ep. 6. v. 53.* eripietqve curule, Cui volet, importunus *ebur*, Buchn. p. 77.

90. *Edomitus.* Tuta per *edomitos* ut Salamandra focos. *Saut. Ann. Sacr. Poet. part. 2. p. 33.*

91. *Effeminare*, pro deterius, mollius aliqvid reddere. *Claud. I. in Eutrop.* de Eunucho Eutropo: trabeata per urbes Oſtentatur anus titulumqve *effeminat* anni.

92. *Emeritus* Phœbus pro occidente. *Stat. I. Theb. Emeriti* confinia Phœbi, i. e. plaga occidentalis. *Biderman. Epigr. III, 79.* de foco perpetuo lucente: Et nusqvam *emerito* ligna parata foco. *Ego in Epigr. in Conjug. Vetulæ & juvenis*, Illam fulcire *emeriti* pedes recuſant.

93. *Equitare* de Ventis *Hor. I. 4. Od. 4.* Per Siculas *equitavit* undas. Vid. Voſſ. Inſt. Orat. lib. 4. p. 107. audax illa tranſlatio, cui extra lyricum carmen ego locum dare nolim.

94. *Errare* de auroræ radiis *Claud. de R. P. II. Errantes* ludunt per cærula flammæ.

95. *Evinctus Virg. Eclog. 7.* Puniceo ſtabis ſuras *evincto* cothurno. *Id. lib. 5. Æn.* Puniceis ibant *evincti* tempora tæniis. *Ibid.* Conſeqvitur viridi Mneſtheus *evinctus* olivâ. *Id.* Ipſe caput tonſæ ramis *evinctus* olivæ. *Stat. Theb. I.* famulumqve *evincta* pudicâ Fronde manus. *Claud. Stil. I.* roſeisqve *evincta* coronis Certantes Aſiæ tædas Europa levaret. Unde patet, familiare id Poetis verbum eâ in re eſſe.

96. *Exarmare. Boet. I. Conſ. c. 4. Exarmaveris* impotentis iram.

97. *Exaſperare*, i. e. opus cælatum facere. *Cl. 3. Conſ. Hon.* Brontes innumeris *exaſperat* ægida ſignis.

98. *Exclamare* pro ſonitum edere. *Juven. Sat. 6. v. 421.* Dominæ femur *exclamare* coegit. Sed hæc audax & Satyrica eſt metaphora.

99. *Excuſare* eleganter à Poetis adhibetur. Ita de Nilo *Claud.* qvod *excuſet* raros fœcundis fluctibus imbres. *Stat. 2. Theb.* Virgineas libare comas primosqve ſolebant *Excuſare* toros, dicit de puellis recens nuptis, qvæ Palladi comas libare ſolebant.

100. *Exertus*: epitheton eorum, qvi ad pugnas parati ſunt. *Virgil. lib. 11.* medias inter cædes exultat Amazon Unum *exerta* latus pugnæ. *Valer. Flacc. lib. 2.* Et Dolus & Rabies & Lethi major imago Viſa truces *exerta* manus. *Stat. 1. Theb.* de pugnâ Polynicis & Tydei: tum vero erectus uterqve *Exertare* humero. *Claud. Conſ. Prob.* niveos *exerta* lacertos. *Prudentius*: Nuda humeros, intonſa comas, *exerta* lacertos. *Sidonius*: Sederat *exerto* bellatrix pectore Roma. *Idem*: *& exertam* tetigerunt cornua mammam.

101. *Exſpuere. Senec. Troad. v. 1068.* ubi hanc anilis *exſpuam* lethi moram? reprehenditur hæc tranſlatio à Buchn. de commut. dicendi Ratione pag. 42.

F.

102. F*Aber, Fabricator. Lucret.* Nam dolor & morbus lethi *fabricator* uterqve eſt. Magis appoſitè Virgilius. qvam Lucret. *doli fabricator* Epeus. II. *Æn.*

103. *Famulus*: epitheton pro ſubjectus.

Claud. 3. Conſ. Hon. famulis Gangen palleſcere ripis. *Id. 4. Conſ. Hon.* Ipſe tibi *famulas* præberet Pegaſus alas. *Id. de Conſ. Mall.* & condita Pellæ Mænia, qvæ *famulas* qvondam ditavit Hydaſpes. *Conſ. Probin. Id.* Sic nobis Scythicus *famuletur* Araxes. *Id. Styl. 1.* Cum procerum juſſis *famulantia* cernimus arma.

104. *Fatigare Stat. 2. Theb.* Superos in vota *fatigant. Valer. Flacc.* mœſtâqve *fatigat* Voce Jovem.

105. *Favere* de agro aptiore. *Claud. Conſ. Mall.* qvæ gleba *faveret* Frugibus.

106. *Fax. Stat. 1. Ach. fax* vibrata medullis In vultus atque ora redit.

107. *Felix. Claud. Conſ. Mall.* Qvis *felix* oleæ tractus, i. e. magis aptus ad olearum proventum, *felicia* poma, i. e. mala aurea. *Cowleus: Felices* auræ, pro ſuavibus odoribus.

108. *Ferire*, de rebus variis. *Claud. Conſ. Probin.* immenſaqve cornus in haſtam Porrigitur, tremulisque *ferit* ſplendoribus Hebrum. vid. ictus, impulſus. *Id. Stilic. 1.* Cum ſemine jacto Terrigenæ galea matrem naſcente *ferirent*: loqvitur de fratribus Cadmæis e terrâ prodeuntibus.

109. *Ferreus* pro torvo & rigido, applicatur rebus infernalibus qvoqve, ut Rex *ferrugineus Stat. 1. Theb.* de Furia, ſedet intus abactis *Ferrea* lux oculis: & de Cerbero 2. *Theb. Ferrea* tergemino domuiſſet lumina ſomno.

110. *Ferrugineus* epitheton rerum infernalium. Ita *Virgil.* Cymbam Charontis *ferrugineam* vocat. Ita *ferrugineam* frontem Strigi adſcribit *Stat. 1. Theb.* De infernali nemore, 2. *Theb. Stat.* Et *ferrugineum* nemus adſtupet. *Claudian.* de Ditis veſtimento: Tunc *ferrugineo* lacrymas deterſit amictu. Nox etiam & omne nocti concolor eo epitheto effertur. *Virg.* de Eclipſi Solis: Cum caput obſcurâ nitidum *ferrugine* texit. *Ferrugineum* colorem Nonius *cæruleum* exponit. *Et Stat.* Pythonem *cæruleum* monſtrum vocat 1. *Theb. Auſon. Epiſt.* 24. Livor ubi ille tuus *ferrugineumque* venenum.

111. *Feſſus. Feſſa* viſcera vocat *Claudian.* qvæ jam amplius ad partum idonea non ſunt, *de Rapt. Proſ. l. 1. Feſſaque* poſt primos hæſerunt viſcera partus.

112. *Fidus* de eo, qvod non lædit. *Ita Claud. Conſ. Mall.* de igne joculari. *Fida* per innocuas errent incendia turres.

113. *Fidem ſervare* nivibus Ætna dicitur ap. *Claud. R. P. 1.* qvod non ab ignibus ejus liqvefieret: qvare fumum *fidelem* vocat eodem reſpectu: fumoqve *fideli* Lambit contiguas innoxia flamma pruinas. *Fideles venti* dicuntur, qvod ſuſpiria deferant ad amicas. *Fidelis ager* etiam in proſa Ciceroni agnoſcitur, lib. 16. ad fam. epiſt. 17.

114. *Flagellare* de crinibus humeros motu pulſantibus, de ramorum colliſione.

115. *Flagrare. Flagrantes arenæ* dicuntur, qvibus auri ramenta immiſcentur. *Cl. 4. Conſ. Hon.* Qvis divitis algæ Germina *flagrantes* inter qvæſivit arenas?

116. *Florere* de lumine & de gemmis, qvemadmodum de *floribus* ardere & incendi dicitur. *Stat. 1. Theb.* de atriis cœli: radiant majore ſereno Culmina & arcano *florentes* lumine poſtes. *Id. lib. 2.* arcano *florentes* igne ſmaragdi. *Lucret.*

Lib. IV. Bina lucernarum *florentia* lumina flammis. *Stat. 1. Theb.* de genis pubeſcentibus: Æternum *florere* genas. De exercitu *Claud. 3. Conſ. Hon. Floret* criſtatis exercitus undique turmis. Alii legunt, fervet, qvod mihi non adeo probatur. *Claud. Conſ. Probin.* Licet ære vetuſto *floreat*, i. e. imaginibus majorum. *Id. 1. Stilic.* & viridi *floreret* milite ſulcus: loqvitur de fratribus Cadmæis. *Id. de Baccho.* crinali *florens* hedera: Ita nos de infulatô, *floret* purpureâ caput tiarâ.

117. *Flos* de primâ lanugine. *Virgil. lib. 7. Æn.* Tum mihi prima genas veſtibat *flore* juventa. Ita Græci ἀπὸ τῦ ἄνθες barbam nominant ἀνθερεῶνα. Sic à *Platone* dicti ἀνθῦντες ἐν ὥρᾳ, qvi incipiunt pubertatem. Ita *Nonnus lib. 25.* ϛάχυν ἥβης *ſpicam* juventutis dixit. *Pacuv.* Nunc primum opacat *flore* lanugo genas, ubi *Flora* alii legunt. vide *Scal. in Feſt.* Sic *Claud. 6. Conſ. Hon.* Conſpicuas cum *flore* genas. *Ibid.* generum *florente* juventa. *Id. Conſ. Probin.* Ante genas dulces qvam *flos* juvenilis inumbret. *Id. 2. Stilic.* purpureo primæ ſignatus *flore* juventæ. *Lucan. lib. 6.* Illa genæ *florem* primævo corpore vulſit. *Calpurnius Ecl. 2.* qvoties molliſſima tango Ora manu, primiqve ſeqvor veſtigia *floris*, i. e. lanuginis. *Sammonicus Serenus*: Et gaudet rapto nudari *flore* pilorum.

Flores dicuntur abſolute ornamenta dicendi *Claud. Conſ. Mall.* Grajorum obſcuras Romanis *floribus* artes irradias. *Panegyrico in Serenam* Carmina dicit *flores*, qvos neqve frigoribus Boreas, nec Sirius urit Æſtibus, æterno ſed veris honore rubentes. Sidera dicuntur *flores*, & flores ſidera apud Poëtas. Ita *Manil.* Tunc conferta licet cœli fulgentia templa Cernere ſeminibus denſis totisqve micare *Floribus*. Vid. Buchner. de Comm. dic. ratione pag. 25. & Menag. Obſerv. in Malherb. poëmata p. 546.

118. *Fœdare. Claud. 6. Conſ. Hon.* Qvamvis aſſiduo noctem *fœdaverat* imbre.

119. *Fœdus* abſolute pro nuptiis. *Stat. 2. Theb.* nec plura tuus deſpexerat Oeneus *Fœdera*.

120. *Formidatum. formidatum* clypei lumen *Claud. Conſ. Probin.* Et *formidato* clypeus Titana laceſſit Lumine.

121. *Frangere* vel *frangi*, pro curvari. *Ita Stat. 2. Theb.* Interiore ſinu *frangentia* littora curvat Tænaros.

122. *Fragiles* aqvæ, i. e. glacies. *Ovid. lib. 3. Triſt. fragiles* effodiuntur aquæ.

123. *Frenari.* Venti *frenantur* & undæ *Cl.*

124. *Frui. Frui pœnâ*, *ſuppliciis* dicitur, qvem delectant cruciatus ſontium *Cl. Conſ. Mallii*: Qvi *fruitur* pœnâ, ferus eſt. Id. *lib. 1. Rufin.* Crudelibus ante Suppliciis *fruitur*. Ita *Martial. lib. 8. Epigr. 30.* Mutium Scævolam ſuâpte pœnâ frui dicit, cum urit manum ſuam: Adſpicis ut teneat flammas pœnâqve *fruatur* Fortis.

125. *Fulgur* de re qvâvis ſplendidâ. *Claud. 3. Conſ. Honor.* galeæ nec triſte timentem *Fulgur*. *Idem 3. de Rapt.* Criſtæ placato *fulgure* vernant, qvibus ſcilicet flores inſerti. Ita *Balde* vocat eleganter ahenæ *fulgura* barbæ.

126. *Fulmen* dentibus aprinis tribuitur. *Ovid. Fulmen* ab ore venit, *Stat. 2. Theb.* Erectus ſetis & aduncæ *fulmine* malæ.

127. *Ful-*

127. *Fulmineus.* *Claud. 6. Conſ. Hon.* Barbara *fulmineo* ſecuit tentoria curſu. *Id. Conſ. Mall.* Obvia *fulminei* properent ad vulnera pardi, i. e. veloces. *Id. Conſ. Probin. fulmineis* impellens viribus hoſtem. *Id. Stil. 1. fulmineum* perſtrinxit iter.

128. *Fultus* pro comitatus *Claud. 4. Conſ. Hon.* duplici *fultus* conſorte redibat. pro confiſus, *Claud. 6. Conſ. Hon.* ſolio *fultus* genitoris eburno. Eodem modo vox *ſubnixus* uſurpatur. *Claud. l. 1. de Rapt. Proſ.* Ipſe rudi *fultus* ſolio.

129. *Furari*, *Virg. Æn. 5.* Pone caput, feſſosqve oculos *furare* labori. *Nos* in carmine aliqvo: Qvi ſciat obliqvis *furari* vela procellis.

130. *Furere* de aſtris peſtilentibus. *Cowleus*: non aëris agri Circumfuſa lues cœlumqve *furentiaque* aſtra, de immoderato affectu, lætitiâ &c. *Horat. II, od. 7.* Dulce mihi *furere* eſt amico.

131. *Furiæ* de fluctibus dicuntur, *Claud. 3. Conſul. Hon.* transnare ſonoras Torrentum *furias*. *Stat. l. 4. Sylv. 6. v. 84.* honeſtas *furias* vocat fidem Saguntinorum in Romanos, qvi maluerunt ſe ac ſua perdere, qvàm deſciſcere à ſociis, Verſâ in rabiem fide *Florus* ait *l. 2. c. 6.* qvi huic pro interpretatione eſt.

132. *Furtivus* pro occultus. *Rapin. l. 3. de Hort. furtivo* lubrica lapſu Unda.

133. *Fuſus humo*, i. e. porrectus, jacens. *Stat. 1. Theb. Idem: effuſa* ſub omni Terra atqve unda die, i. e. orbis totus ab oriente in occidentem extenſus.

G.

134 G*Aviſus.* *Claud. Conſ. Probin.* Dominum *gaviſa* coronat Terra ſuum.

135. *Gemere*, pro ſono aliqvo ingrato, gemitui ſimili. *Claud. 3. Conſ. Hon.* Igniſluisqve *gemit* Lipare fumoſa cavernis. Qvicqvid *gemit* undâ Ioniâ, terram intelligit, *Claud. Conſ. Mall.*

136. *Gemitum maris* dixit *Florus* de navibus, reprehenſus à Buchn. de comm. dic. rat. p. 28. Frigidus enim Florus in metaphoris eſt, vide eundem Buchner. ibid. p. 197. Videatur Grævii præfatio in Florum à ſe editum.

137. *Glaucus* inter epitheta Deorum marinorum, & fluvialium. *Claud. Conſ. Prob.* de Tiberino: Illi *glauca* nitent hirſuto vultu.

138. *Gliſco*, Sanie *gliſcit* cutis, *Stat. 1. Theb.*

139. *Glomerare* de rebus in orbem actis vel condenſatis. *Virgil.* de apibus: magnumq́ miſtæ *glomerantur* in orbem. *Idem*: Qvam multæ *glomerantur* aves, *Silius Ital. lib. 3.* nives vocat adverſo *glomeratas* turbine. *Lucan. lib. 6. glomerataque* pubes. In ſua converſis præceps ruit agmina frenis. De Ætna *Claud. Rapt. P. 1.* qvæ tanta cavernas Vis *glomeret?*

140. *Gravatus nubę* dicitur dies nebuloſus. *Claud. R. P. 1. de Ætnâ.* piceâqve *gravatum* Fœdat nube diem.

H.

141 H*Abenæ* pro regimine. *Virg. Æn. 6.* claſſiqve immiſit *habenas.* *Claud. Conſ. Prob. Sol*, qvi flammiferis mundum complexus *habenis.*

142. *Haurire* de velociſſimo itinere uſurpatur. Ut enim aliàs *carpere viam* eſt modicis ire paſſibus; Ita *haurire* eſt magno impetu magnam viæ partem implere: qvemadmodum urnæ magnam aqvæ vim uno tractu ſolent capere. *Stat. de Polynice 1. Theb.* Incertusqve viæ per

nigra ſilentia vaſtum *Haurit* iter. Rectius hoc de nave vel homine natante diceretur. *Virg. Georg.* 4. medium Sol igneus orbem *Hauſerat. Haurire* pro occupare. *Virg. Georg.* 3. Exultantiaqve *haurit* Corda pavor pulſans. *Lucret. lib.* 5. *haurire latus* pro penetrare: Ac latera & ventres *hauribant* ſubter eqvorum. *Virgil. lib.* 10. *Æn.* Per tunicam ſqvalentem auro latus *haurit* apertum. *Lucret. lib.* 6. *de* vi venti: Arbuſta avolvens radicibus *haurit* ab imis. *Lucan. lib.* 10. de amore dicit: Qvis tibi veſani veniam non donet amoris Antoni, durum cum Cæſaris *hauſerit* ignis Pectus. *Stat.* 2. *Theb.* de Eqvo Neptuni: prior *haurit* arenas Ungula, poſtremi ſolvuntur in æqvora piſces. *Id. Ibid.* ſingultibus arctum *Exhaurit* thoraca dolor. *Claud.* 4. *Conſ. Hon.* terramqve & ſtagna propinqvi *Haurirent* radii. & *Conſ. Mall.* nitidis qviſqvis te (juſtitiam) ſenſibus *haurit.* Apud *Ciceronem eſt*: *mandata exhaurire*, i. e. perficere tota.

143. *Honeſtus* perpetuum Poetarum epitheton. *Virgil. de Baccho.* Circum caput egit *honeſtum.* Eodem modo *Horat. II. Carm.* 1. Audire magnos jam videor duces, *Non indecoro* pulvere ſordidos. *Stat* 2. *Theb.* tunc ora rigantur *honeſtis* Imbribus, id eſt, Lacrymis virginem decentibus. *Honeſtæ furiæ* qvæ dicantur Statio, vid. Tit. Furiæ.

144. *Honor* dicitur omne id, qvod pretium rei conciliat, vel eam ornat. *Ita ſylvarum honores Virgilio* dicuntur folia. Apud *Stat. Calydonis honos* de apro dicitur. *Stat. l.* 10. hi ſertis, hi veris *honore* ſoluto Accumulant artus. *Claud.* 6. *Conſ. Hon. de Eridano*: Non illi madidum vulgaris arundine crinem Velat *honos. Id. Ibid.* læta ſub imagine pugnæ Armorum innocuos paci largitur *honores*: deſcribit hîc choreas armatas, qvas vocat armorum innocuos honores. *Id. Paneg. Serenæ*: Floribus æterno qvos veris *honore* rubentes Fons Aganippæâ Permesſidos educat undâ.

145. *Horrere* de pilis erectis dicitur. *Statius* 2. *Theb. de Tigride*: *Horruit* in maculas, id eſt, maculoſos pilos.

146. *Hoſpes* novæ auræ, de eo, qvi altius evolat, dicitur *Sarbievio lib.* 1. *od.* 3. Ibis ſub pedibus pigras Urbes relicturusqve gentes Attonitæ novus *hoſpes auræ. Claud.* 4. *Conſ. Hon. de novâ ſtellâ*: alieni temporis *hoſpes* Ignis *Hoſpes* honor, i. e. peregrinus. *Claud.* 6. *Conſ. Hon.* qvem non aliena per arva imbuit *hoſpes honor.*

147. *Hyems* pro tempeſtate. *Stat. l.* 5. ferream *hyemem* dicit telorum tempeſtatem. Inſtamus jactu telorum, & *ferrea* nimbis certat *hyems.*

I.

148. *Jactantior*, i. e. majori magnificentiâ, *Stat.* Et ſeptemgemino *jactantior* æthera pulſet Roma jugo. *Claud.* 4. *Conſ. Honor.* & notâ fruitur *jactantior* aulâ.

149. *Ictus*, *Stat. th.* 2. vario ſtrepit *icta* multu Regia.

150. *Jejunia* pro inopiâ. *Lucan. l.* 4. *v.* 332. Undæ *jejunia* dixit, pro æqvæ inopiâ & ſiti, reprehenſus à Buchn. de Comm. dic. rat. p. 190.

151. *Igneſcunt* ſpumis eqvorum frena. *Claud.* 2. *Ruf.* ſpumis *igneſcere* frena. *Stat. lib.* 6. ſpumisqve & ſanguine ferrum

rum *Uritur*; Claud. 4. Conſ. Hon. *Igneſcunt* patulæ nares: de eqvo dicitur.

152. De *Igne* omnia dicunt veteres Poëtæ, qvæ vivo animali conveniunt. Dicitur mori, vivere, naſci, extinguere, bibere, edere, trepidare, nictare, vorare, dormire, ſopire, excitari, lambere, ali, paſci, nutriri &c. Vid. exempla congerentem Barth. comm. in 1. Theb. p. 174. *Ignis* dicitur fulgor gemmarum. *Stat. 2. Theb.* arcano florentes *igne* ſmaragdos. *Claud. 4. Conſ. Hon.* fulgor Iberus Temperat *arcanis* Hyacinthi cærula *flammis*. *Id. ibid.* qvis miſcuit *ignes* Sidonii rubriqve maris. *Id. 2. de laud. Stilic.* Et vario lapidum diſtinctas *igne* coronas. *Id. 6. Conſ. Honor.* acies ſtupet *igne* metalli. Pro *amore Idem*, *laud. Stilic. 1. ignesque* mariti Vincit cura Patris.

153. *Illabi* uſitatisſima Poetis vox: eleganter dicitur de influxu ſiderum & de Diis. *Claud. 3. de Rapt. de Iride.* Illa colorato Zephyris *illapſa* volatu.

154. *Illaudatus*. Buſiris *illaudatus Virgilio* dicitur. Ineptè hoc in Virgilio reprehendit ſtultisſimus Cenſor Verdierius in Cenſione antiqvorum Autorum p. 50.

155. *Imago jocoſa*, i. e. Echo. *Horat. I. od. 12.* cujus retinet *jocoſa* Nomen *imago*? *Id. od. 20. lib. 1.* ut paterni Fluminis ripæ, ſimul & *jocoſa* Redderet laudes tibi Vaticani Montis *imago*. Male reprehenditur à Scaligero hîc Horatius.

156. *Imbellis*, eſt, bello contrarius. Ita *imbellis oliva Valer. Flacco* dicitur, *Horatio imbellis cithara*, qvæ pacis laudes canit. *Imbelles epulæ ap. Claud. 3. Conſul. Honor.* dicuntur, qvibus catulus leonis nondum prædæ aptus veſcitur. Jam negat *imbelles epulas* & rupe relicta Gætulo comes ire patri.

157. *Imber* vox ad multa tranſfertur. *Virg. Æn. 12.* Tempeſtas telorum ac ferreus ingruit *imber*: ad Ennii imitationem *lib. 8. Annal.* Haſtati ſpargunt haſtas, fit *ferreus imber*. *Nonn. lib. 22.* ὄμβρος ὀϊστῶν, *imber ſagittarum*. *Stat.* Ducat nubila Juppiter per orbem, Et latis pluvias minetur agris, Dum noſtri Jovis hi ferantur *imbres*. *Idem 1. Theb.* vocat *putres ſanguineo imbre genas*, qvæ ſanguine ex vulneribus ſtillante maculatæ erant. *Claud. Conſ. Probin.* Sed largior *imbre* Sueverat innumeras hominum ditare catervas *Ib.* denſo currentia munera *nimbo*.

158. *Immori velis* ventus eleganter dicitur, qvando deſinit tempeſtas. *Stat. 1. Theb.* ventis ut decertata reſidunt Æqvora, laxatisqve diu tamen aura ſuperſtes *Immoritur velis*.

159. *Impellere*, *impulſus*. *Stat. Achill. 1.* fax vibrata medullis In vultus atqve ora redit, lucemqve genarum Tingit, & *impulſam* tenui ſudore pererrat. *Id. 2. Theb.* Ipſe etiam gaudens nemoroſa per avia ſanas *Impulerat* matres Baccho meliore Cythæron. Vid. *ferire*, *ictus*. *Claud. Conſ. Prob.* Colleſqve canoris Plauſibus *impulſi* ſeptenâ voce reſultant *Id. de Rapt. Proſ. 11.* *Impulit* Ionios præmiſſo lumine fluctus Nondum pura dies.

160. *Implere patrias galeas*, i. e. pace, robore & ætate accreſcente. *Claud. 4. Conſ. Hon.* Jam *patrias imples galeas*, jam cornus avita Tentatur. *Stat. lib. 8.* de filio Regis Parth. Sumere tunc arcus ipſumqve onerare videtur Patris eqvum, viſusqve ſibi nec ſceptra capaci Suſtentare manu,

manu, nec adhuc *implere* tiaram. *Idem lib. 9.* ſilveſtria cujus Nondum tela procax arcumqve *implere* valebas.

161. *Improbus* pro immodicus, ut *improbus labor*, *apud Virgil. Valer. Flaccus lib. 6. improba* barbaricæ procurrunt tegmina plantæ, i. e. calcei modum pedis excedentes, non purpurei, ut qvidam volunt: nam ap. *Senecam improbi coloris* lacernæ, non purpureæ tantum intelligendæ ſunt; ſed qvæ purpura præſtantiore & colore magis ſaturo tinctæ ſunt. *Idem improba arva* alibi vocat invidendæ fertilitatis. Plura de eâ voce vide ap. Gronov. de Seſtert. lib. 4. c. 8. p. 688. & 689. *Martial. l. 3.* Improba nec proſunt jam ſatureja tibi.

162. *Inane*, i. e. inanimatum *Stat. 1. Th.* *Inane vulgus*, h. e. Manes, vid. Vacuus.

163. *Incendere & incendi* variis rebus attribuitur à Poëtis. Prata dicuntur *incendi* coloribus de contagio peſtifero. *Stat. 1. Theb.* ſuperjecto nebularum *incendit* amictu, ad exprimendam celeritatem contagii.

164. *Incertus.* Qvale per *incertam lunam* ſub luce malignâ Eſt iter in ſylvis, *Virg. Æn. 6. dubiam* alii dicunt.

165. *Inceſtare* Poëtis uſurpatur pro pollutione qvâcunqve. Ita *Virg. lib. 6.* totamqve *inceſtat* ſumere claſſem. *Stat. 5. Silv.* qvas *inceſtavimus* aras, *Id. 2. Theb.* Illas ut ſummo vidit Pater almus olympo *Inceſtare* diem trepidumqve Hyperionis orbem Suffundi maculis. *Claud. Conſ. Mall.* non Latios *inceſtant* nomina faſtos.

166. *Inclementia. Claud. Rapt. Proſ. 1.* de Plutone: Diræ riget *inclementia* formæ.

167. *Indigena. Claud. Rapt. P. 1.* de Ætnâ: nunc vomit *indigenas* nimbos, i. e. ex ſe ortos.

168. *Indignari*, i. e. recuſare, detrectare. *Claud. 4. Conſ. Hon.* de Pegaſo: melioraqve pondere paſſus Bellerophontæas *indignaretur* habenas *Id. Conſ. Probin.* Plauſtro jam rara intermicat Arctos *Indignata* tegi, ſcil. à Lunâ lucente. *Id. 1. Rapt. P.* hinc *dedignata* teneri Concutit objectum rabies Tyrrhena Pelorum *Stat. 9. Theb.* cujus cum mollia ſigna Militiamqve trucem ſexum *indignata* freqvento. *Id. lib. 8.* accipit ille preces, *indignatusque* moveri. *Id. lib. 10.* qvorum poſt funera mœſti Vitam *indignantur. ibid.* inſignemqve animam mucrone coruſco *Dedignantem* artus pridem &c. *Indignatus*, *Virg. 8. Æn.* Pontem *indignatus* Araxes. Ita *unda indignata* terris dicitur, *Stat. 1. Theb. indignata* ſeqvi torqventem cornua Mithram. *Id. 2. Theb.* non *indignati* miſerum dixiſſe parentem Oedipodem. *Indignans* pro invito. *Claud. 4. Conſ. Hon.* patrio mentem furatus Olympo Continuit clauſtris, *indignantemque* revinxit. *id. 6. Conſ. Hon.* atqve indignantes in jura redegerat Arctos.

169. *Induere* pro aliam formam acqvirere, vel etiam alios mores aſſumere. *Virgil.* cum ſe nux plurima ſylvis *induit* in florem *Stat. Sylv. 1.* Nec tantum *induerint* ſatis nova ſecula *crimen*, *Id. Theb. 8.* Cornipedes flammantur in hoſtem Corpora ceu mixti Dominis, irasqve ſedentum *Induerint*. *Claud. 4. Conſ. Hon.* Auſpiciis iterum ſeſe regalibus annus *Induit Id. 3. Conſ. Hon.* *Indue* mente Patrem. *Id. Conſ. Prob.* cum floribus

ribus æqvora vernis Boſphorus *indueret*. *Lucan. lib.* 7. nunqvam tanto ſe vulture cœlum *Induit* *Homer. Odyſ.* 13. & 19. ὄρος καταειμένον ὕλη mons *indutus* ſylvâ. Pari modo uſus *Plin. Paneg. Trajani.* Ægyptus tantis ſegetibus *induebatur.* *Symmachus ep.* 52. *lib.* 1. roſas humo *exuit.*

170. *Inermis Orion* dicitur cum dubiâ luce fulget. *Claud. Conſ. Probin.*

171. *Iners vulgus Averni*, i. e. manes apud *Claudian.*

172. *Infamis*, perpetuum Poëtarum epitheton rei, qvæ ob cauſas aliqvas in reprehenſionem & odium incurrit, Ita *infames ſcopuli* *Horat.* ob crebra naufragia, *Infames aquæ* ob ſuffocationem multorum. *Infames Scyrone* Petræ *Stat.* 1. *Theb.* ob latrocinia à Scyrone patrata. *Claud. Bell. Gildon.* inſanos *infamat* navita montes. Eodem modo *illaudatus*, *inglorius.*

173. *Infelix* pro triſti, inauſpicato, damnato. *Claud.* 4. *Conſ. Hon.* Non *infelices* tabulæ.

174. *Inflammare. Claud. Stilic.* 1. pretio manus *inflammata*, i. e. donis corrupta.

175. *Infundi* pro applicari. *Ovid. Ep.* 2. *v.* 93. de amplexu: colloqve *infuſus* amantis.

176. *Inglorius* epitheton, qvod Poëtis freqventer uſurpatur. Ita *Stat. lib.* 9. *Ingloria caſſis* dicitur criſtis orbata. Eodem modo per στέρησιν multa concipiuntur Poëtarum epitheta Ita *ap. Virg. illaudatus Buſiris*, *inamabilis Styx*, ita *indecorus*, qvæ ſuis locis vide. *Macrob. Sat. l.* 6. *c.* 7. Non *indecoro pulvere* ſordidos, *Horat. l.* II. *od.* 1.

177. *Ingratus* de agro, *Mart. l.* 10. *Epigr.* 47. Non *ingratus ager*, focus perennis.

178. *Inhorreſcere.* Singularis gratiæ vox apud Poëtas, ſuavem concuſſionem cum leni ſibilo denotans. *Virg. Georg.* 1. de ariſtis: Spicea jam campis cum meſſis *inhorruit.* *Id. Æn.* 3. *Inhorruit unda* tenebris. *Horat.* I. *od.* 13. ſeu mobilibus veris *inhorruit* Adventus foliis. *Stat.* 1. *Theb. de* Mercurio volante: tenuiqve exceptus *inhorruit* aurâ. *Claud. Conſ. Prob. inhorruit* atrum Majeſtate *nemus.*

179. *Iniquus. Virg. lib.* 7. *Æn.* plaga *ſolis iniqui*, h. e. Zona torrida.

180. *Injuſſus*, i. e. ſponte, *Virg.* 1. *Georg. Injuſſa* vireſcunt Gramina.

181. *Innocuus* pro illæſus. *Virg. lib.* 10. & ſedere carinæ Omnes *innocuæ*: ubi *Servius*, *innocuus* primo eſt, cui non nocetur. *Claud.* 4. *Conſ. Honor.* ſubita cum luce comarum *Innocuus* flagraret apex. *Id. Conſ. Mall.* de igne joculari. Fida per *innocuas* errent incendia *turres.*

182. *Inſidi aſtris* dicitur mons editus, *Stat.* 2. *Theb.* Stat ſublimis apex, ventoſqve imbreſqve ſerenus Deſpicit, & tantum feſſis *inſiditur aſtris.*

183. *Interficere* pro perdere, *Virg.* 4. *Georg.* Fer ſtabulis inimicum ignem, atqve *interfice* meſſes.

184. *Invalidum venenum. Claud. Conſ. Mallii.* Laceris morientes crinibus hydri Lambunt *invalido* furiarum vincla *veneno.*

185. *Inumbrare* de primâ lanugine eleganter dicitur. *Claud. Conſ. Prob.* Ante genas dulces qvam flos juvenilis *inumbret.*

186. *Ira fulvi Leonis*, dicitur Sydus Leonis ad

ad rubrum colorem accedens. Ita *Claud. Conſ. Prob.* dicit, qvod lunà lucente *fulvi leonis ira* pereat. *Id. Rapt. P. 1.* Deſpicit Ionias protentis rupibus *iras*, i. e. tempeſtates.

Iratæ terræ unda dicitur, quod fluctibus ſuis alluit. *Stat. 2. Theb. irataque terræ* Curva Palæmonio ſecluditur *unda* Lechæo.

Iratus dicitur Draco textilis exercitui prælatus & à vento actus. *Claud. 3. Conſ. Hon. Iratus* ſtimulante noto. *Irati vultus Lunæ* dicuntur, cum rubet. *Claud. 4. Conſ. Honorii.* Decolor *iratos* attollat Cynthia *vultus*.

187. *Irradiare* de floribus, quibus aliquid ornatur. *Claud. Conſ. Mall.* Romanis *floribus* arces *Irradias*.

188. *Jubar* Serenitatem Solis paſſim apud Poetas notat *vid. Barth. in 1. Theb. v. 343.*

189. *Jupiter* pro tempeſtate *Virg. Georg. 2.* Et jam maturis metuendus *Jupiter* uvis. *Hor. lib. 1. Od. 22.* Qvod latus mundi nebulæ *malusque Jupiter* urget. *Juvenal. Sat. 5.* fremeret ſævâ cum grandine *vernus Jupiter*. *Stat. 2. Theb.* per imbres Fulminibus mixtos intempeſtumque *Tonantem*. *Id. 10. Theb.* Sic ubi nocturnum tonitru *malus* æthera frangit *Jupiter*. *Claud. 1. in Eutrop.* nimboqve minacem Sanguineo rubuiſſe *Jovem*.

190. *Juſſus Plin. Cæcil.* de cerâ *lib. 7. Ep. 9.* Ut laus eſt Ceræ, mollis facilisqve ſeqvatur. Si doctos digitos *juſſaque* fiat opus.

191. *Juvari* dicuntur flumina à ſanguine cæſorum hominum. *Claud. 3. Conſ. Hon.* frigidus amnis Mutatis fumavit aqvis turbaqve cadentum Staret, ni rapidus *juviſſet flumina* ſanguis.

192. *Juveneſcere* de opere exſtructo. *Claud. 6. Conſ. Honor.* cinctosqve coegit Septem continuò montes *juveneſcere* muro.

193. *Juventus* de animalibus etiam dicitur: ita *pennata juventus* de apibus apud *Sautel. Juvenile* pro magno, violento. *Stat. lib. 1. Sylv. Carm. 4.* & ſubiti præceps *juvenile* pericli. Ita Græci νεανικὸς pro violento & magno. V. Buchner. de C. D. R. p. 305. Galli qvoqve eo modo loqvuntur. Malherbe *mes jeunes deſirs* Vid. Menagii obſervat. in Malherbe p. 390.

L.

194. *Labi* dicuntur cœlites *Virg. Æn. 3.* At ſubitæ horrifico *lapſu de* montibus adſunt Harpyiæ. *Stat. 2. Theb.* ſupero ſi cardine *lapſæ* Pallas &c. *Lapſus* pro volatu, *Valer. Flacc. lib. 1.* Accepere Deæ celeriqve per aëra *lapſu* Diverſas petiere vias. *Idem*: Ecce autem molli Zephyros deſcendere *lapſu* Adſpiciunt. *Stat. Sylv. lib. 1.* tua turba relicto *Labetur cœlo*. *Lucret. Lib. 6.* de fulmine: Et celeri ferme pergunt ſe fulmina *lapſu*. *Claud. Conſ. Probin. lapſu* protinus uno, Qvem poſcunt, tetigere locum, vid. *allabi*. *Id. Rapt. P. 2.* ſerpentibus Triptolemi lapſum adſcribit: *Lapſuque* ſereno erecti. *Labi* qvoqve de ſtellis uſurpatur. *Virgil.* Vos, qvæ *labentem* ducitis annum Sidera.

195. *Labor* apud Poetas de virtute bellica ſignatè dicitur. *Virgil.* Diſce puer virtutem ex me *verumque laborem*, Fortunam ex aliis. *Valer. Flacc. l. 8. Argon.* Concipit optatum decus extremumqve *laborem* Æſonides. *Claud. laud. Stil. 1.* An gelidam Thracen decertatosqve *labores*, Hebro teſte, canam. *Id. 1. in Eutrop.* in mercem veniunt Cilices, Judæa

Sophene, Romanusqve *labor*, Pompejaniqve triumphi. De *liberis* dicitur *uteri labor apud Claud. 1. de Rapt. Proſ.* tibi gaudia noſtri Sanguinis, & caros *uteri* commendo *labores*.

196. *Laceſſo. Virg. l.6.* æraqve fulgent Sole *laceſſita* i. e. repercuſſa. *Horat.* qvicunqve Bithynâ, *Laceſſit* Carpathium pelagus carinâ, vid. ſollicitare. *Claud. Rapt. P. 1. de Ætnâ*, motibus aſtra *laceſſit*. *Id. Conſ. Probin.* Et formidato Clypeus Titana *laceſſit* Lumine. vide Tentare.

197. *Lætare* generale Poëtarum epitheton, cum deſcribunt rem jucundam, gratam, acceptam, uti vice versâ epitheton *triſtis* omnia contraria ſignificat. *Gratius Cynegetico*: *Lætas* venantibus artes, i. e, acceptas. *Sil. Italicus*, lib. 1. At Pœni ſuccenſi irâ turbataqve luctu Et ſævis gens *læta* ruunt. *Valer. Flaccus* l. 1. Inſtat fama viri virtusqve haud *læta* tyranno. *Stat. 2. Theb.* Exulibus quanqvam patriâqve fugatis Nondum *læta* Venus. *Ibid.* te *lætum* deſcendere regno juſtius fuit, i.e. non invitum, Vid. Gaviſus. *Ap. Claud. Pluto ad Jovem*: cum te *lætiſſimus* ornet Signifer. *Idem Epithal. Palladii*: qvæ *latiſſimus* urbi *Sanguis* erat. *Virg.* Qvid faciat *lætas* ſegetes.

198. *Lævus* pro inauſpicato, triſti. Ita *Virg. de Sirio*: *lævo* contriſtat *lumine* cœlum. *Stat. 1. Theb. de peſte*: qvis ab æthere *lævus Ignis*.

199. *Lambere*. Eleganter *Virg.* de Ætnâ ignivomô: Attollitqve globos flammarum & ſidera *lambit*, *Æn. 3. Horat.* 1, *od.* 22. de levi tactu: qvæ loca fabuloſus *Lambit* Hydaſpes. *Claud. Conſ. Probin.* de Belo Apollinem excipiente: tunc inſula notos *Lambit* amica pedes. Verum elegantius de *aquis* & *ventis* dicitur, qvam de *terra*; eſt enim in iis qvidam motus, qvo qvaſi lambere videntur, qvi non eſt in terra. *Sarbiev.* l. 1. *od.* 7. Qvod vexant hodie noti, Cras *lambent* hilares æqvor Eteſiæ.

200. *Laſcivi* vocantur *lembi* ad ludum inſtructi. *Claud. Conſ. Mall. Laſcivi* ſubito confligant æqvore *lembi*.

Laſcivire dicitur *galea* ſertis coronata. *Claud. 2. Rapt. P.* Ferratus *laſcivit* apex horrorqve receſſit Martius.

201. *Laſſus mons* dicitur, qvi jam ad planitiem inclinat. *Stat. 1. Theb.* qvam molle ſedens in plana Cytheron Porrigitur *laſſumque* inclinat ad æthera *montem*. De ſanguine. *Stat.* l. 2. v. 669. Membra negant *laſſusque* ferit præcordia *ſanguis*.

202. *Late* particula Poetis uſitata. *Virg.* loca nocte ſilentia *latè*. Vide plurima in Indice Erythræi.

203. *Latrare* dicuntur *maria Cl. Rapt. 1.* Hinc *latras* Getula Thetys.

Latrans pro cane; *laniger* pro ariete; *auritus* pro lepore; *binniens* pro eqvo: Vide Buchn. de C. D. R. p. 79.

204. *Laxare Claud. Conſ. Prob.* trepidas *laxaverat* Alpes Auguſtus.

205. *Levantes res* dicuntur proſperâ fortunâ. *Claud. Conſ. Prob.* nunqvamqve *levantibus* altè Intumuit rebus.

206. *Libra animi cunctantis*, i. e. prudentia rerum momenta librans. *Claud. Stil.* 1. *v.* 75. vide Barth.

207. *Luctari Virg. Cum* venti poſuere omnisqve repentè reſedit Flatus, & in lento *luctantur* marmore tonſæ. *Monconus carm. in Gaſſ. de lucernâ*: pinguiqve natans luctatur olivo Fomes.

208. *Lu-*

208. *Ludere* de luce & radiis auroræ. Cl. *de R. P. 2.* errantes *ludunt* per cærula flammæ. *Germ.* vocem ſpielen codem modo uſurpant.

209. *Lumen*: formidatum clypei lumen. *Claud. Conſ. Probin.* Et *formidato* clypeus Titana laceſſit *lumine.*

210. *Lunare*, curvare eſt. *Lunatam frontem* vocat *Claud. Rapt. Prob. 1.* cornua gerentem. Necnon *lunatæ* curvavit germina *frontis.*

211. *Lux Stat.* l. 6. *Theb.* Qvalis Biſtoniis clypeus Mavortis in arvis *Luce malâ* Pangæa furit. *Id.* lib. 12. campumqve trucem *lux cuſpidis* implet. *Id. Achill.* 1. fax vibrata medullis In vultus atqve ora redit *lucemque genarum* Tingit, & impulſam tenui ſudore pererrat.

M.

212. M*adidum* [illegible] quod è Tago & Bæti depromitur. *Claud. Conſ. Mall.* qvi ſplendida potat ſtagna Tagi *madidoque* intus conſpergitur *auro.*

213. *Magiſter*, *Magiſtra*, pro epithetis interdum adhibentur. Ita lucem magiſtram dicit *Claud. præfat. 3. Conſ. Hon.* ad qvam aqvila pullorum ſuorum indolem explorat: Conſulit ardentes radios & *luce magiſtrâ* Notarum vires ingeniumqve probat.

214. *Malignus*: de re qvavis periculoſa. *Virg.* lib. 11. Anguſtæqve ferunt fauces *aditusque maligni.* *Id.* lib. 6. Qvale per incertam ſylvam ſub *luce maligna* Eſt iter. Ibi per *lucem malignam* intelligit *dubiam*, cui credi non poteſt. Ita *fatuos ignes* poſſes *lucem malignam* vocare. *Martial. lib. 12. Epigr. 56.* Nec ſint baſia multa nec *maligna*, i. e. qvæ dente impreſſo fiunt, vel laſciva. *Stat. 1. Theb. de* vadis periculoſis: jam jamqve aut ſaxa *malignis* Exſpectat ſubmerſa *vadis.* *Id. 2. Theb.* gemini procul Urbe *malignis Faucibus* urgentur colles. *Id. Sylv. 4. 3.* Sorbebatqve rotas *maligna tellus.* *Phæd. maligna ſedes.*

215. *Malus. Mala lux clypei* dicitur *Stat. Theb. 6.* vid. *Lux.*

216. *Manſurus* pro æternus. *Claud. 4. Conſ. Honor.* Hinc natis *manſura* fides. *Id. de Conſ. Mall.* Publica *manſuris* teſtantur *vocibus* æra.

217. *Marmor* vocatur mare placidum. *Virg.* Cum venti poſuere, omnisqve repente reſedit Flatus, & in *lento* luctantur *marmore* tonſæ.

218. *Melior. Claud. 3. Conſ. Hon. melioris* ſecla metalli, i. e. aurea. *Id. 4. Conſ. Hon.* rediit *meliore magiſtro* Machina concentus [illegible] *Ibid. de Pegaſo: melioraque pondera* palius [illegible] tæas indignaretur habenas *Bacchò meliore*, *Statius luto meliore.*

219. *Memor. Horat.* Cadum Marſi *memorem* duelli.

220. *Mendax fundus Horat. III. Carm. 1.* Non verberatæ grandine vineæ *Fundusque mendax.* Eadem metaphorâ dicit III. *od.* 16. & ſegetis *certa fides* meæ. *Fidelis ager Cic. Ep. 17. l. 16. ad Fam. ad Tyronem.*

221. *Mentiri* de re pictâ, ſculptâ, textâ. *Sidonius de Dracone textili exercitui prælato*: patulo *mentitur* hiatu Iratam pictura famem. *De eod. Claudian. 3. Conſulat. Honor.* multusqve tumet per nubila ſerpens Iratus ſtimulante noto, vivitqve receptis flatibus, & vario *mentitur ſibila* tractu. *Mentiri* pro *fallere.*

Claud.

claud. 4. *conſ. Hon.* qvam felix arcus certiqve petitor Vulneris, & juſſum *mentiri* neſcius *ictum*. *Id. conſ. Prob.* ſed perfida tantum Auguſto geminisqve *fidem mentita* tyrannis: loqvitur de Alpibus, qvi Eugenium ejusqve magiſtrum qvidem admiſerunt, non transmiſerunt. Id. *Stil.* 1. Et Gir notiſſimus amnis Æthiopum ſimili *mentitus* gurgite Nilum. In *ap.* de flore protuberante: ocius emergit viridem *mentita ſmaragdum* Gemma ſolo.

222. *Meſſis* dicuntur *fratres Cadmæi. Cl. Stilic.* 1. Dircæis qvalis in arvis *Meſſis* cum proprio mox bellatura colono.

223. *Metalli melioris ſecula*, i. e. aurea. *claud. conſ. Hon. Id. conſ. Mallii:* ductos video mores *meliore metallo.*

224. *Minari.* Virg. geminiqve *minantur* in cœlum ſcopuli *Stat. de Orione:* Magnus qvanto mucrone *minatur* Noctibus hybernis & [illegible] Orion. Id. [illegible] cum colla *minantia* monſtri Augent. Id. Ducat nubila Jupiter per orbem, Et latis pluvias *minetur* agris *Flumina minari* dicuntur *diluvia claud. conſ. Mall.* Torrentes immane fremant lapſisqve *minentur* Pontibus. *Id conſ. Prob.* pariterqve *minantes* Ardua turrigeræ ſurgunt in culmina ripæ. *Id. Stil.* 1. Contraqve *minantia fata* Pervigil. *Minax unda* Horat. *l.* 1. *od.* 12.

225. *Miteſcere* dicitur *galea*, qvæ ſertis coronatur. *claud.* 3. *de Rapt.* Inſolitisqve docet *galeam miteſcere* ſertis.

Mitis flamma, qvæ non lædit. *Sil. lib.* 16. Criſpamqve involvere viſa eſt *Mitis flamma* comam.

226. *Moderari* de cingulo dicit *Sarbiev.* 1. *od.* 4. Gemmeâ veſtem *moderare zonâ.*

Modeſtus de flammâ non lædente. *Ignis modeſtus* Sautel: Dumqve pias reprimit *miranda modeſtia* flammas.

227. *Molle* pro tenui. *Virgil.* Tunc agri pingues tunc & *molliſſima vina*. *Calpurn. Eclog.* 2. qvoties *mollisſima* tango *Ora* manu, i. e. lanugine deſtituta. *Mollis* epitheton fluviorum. *Virgil.* ibat jam *mollior* undis *Euphrates*. Menagius Obſerv. in Malh. p. 395.

Mollire claud. 4. *conſ. Hon.* Qvæ tantum digitis potuit *mollire* rigorem Ambitioſa colus? loqvitur de tapetibus acu pictis. *Id. conſ. Mall.* duras fulcis *mollire* novales, i. e. arare. *Id. conſ. Probin.* Nam neqve cæſariem crinali ſtringere cultu Colla, nec ornatu patitur *mollire* retorto.

228. *Mordax.* Qvid roſa purpureos *ſpinæ mordacis* amictus Oſtentare juvat? *Mordere claud. conſ. Probin.* Laxumqve coërcens *Mordet* gemma ſinum, i. e. qvaſi fibulâ connectit.

229. *Mori* de rebus inanimatis *claud. conſ. Probin.* de arundine: Qvam neqve fas Zephyris frangi nec Sole peruſtam Æſtivo candore *mori*.

230. *Movere ſecum vel animo*, i. e. deliberare *Virgil.* Multa *movens* magno curarum fluctuat æſtu. *Stat.* 2. *Theb.* qvæ ſint generis adſcita repertis Fata *movet*.

N.

231. N*Atare lumina* dicuntur in agone mortis vel ſomno. *Virg. Georg.* IV. iterum crudelia retro Fata vocant, conditqve *natantia lumina* ſomnus. *Natare umbra* dicitur, qvæ veſpertino tempore ponto incubat. *Stat.* 2. *Theb.* Aſt ubi prona dies longo ſuper æqvora fines Exigit, atqve ingens medio *natat umbra* profundo. *Stat.* 1. *Achillid.* niveo

natat

natat ignis in ore Purpureus fulvoqve nitet coma gratior aura: duriuſculum eſt, qvod hic de rubore dicitur, nec ſatis exprimit vox *nitere*.

232. *Neſcire* pro *nolle*, *non poſſe*. *Stat*. 9. *Theb*. Liber amat campos, & *neſcit* in antra reverti.

233. *Nihil* pro *penitus non Stat*. *lib*. 9. More *nihil* Grajo. *Id*. *lib*. 7. Monitus iramqve parentis Ede *nihil* parcens. *Ibid*. qvippe *nihil* graſſata fames. *Id*. *lib*. 3. *Th*. extremam *nihil* horreſcentia mortem Pectora. *Id*. *lib*. 2. *Theb*. capto poſtqvam *nihil* obſtat amori Pœna. *Id*. 1. *Sylv*. Veſtes *nihil* tectæ. *Claud*. *de Conſ*. *Mall*. *Nil* opis externæ cupiens.

234. *Nimbus*. *Nimbi Cilicum* pro balſamis. *Martial*. *lib*. 1. *epigr*. 3. Et *Cilices nimbis* hîc maduère ſuis. *Claudian*. 2. *Rufin*. *pulveris* extolli *nimbos*. *Id*. *Conſ*. *Prob*. denſo currentia munera *nimbo*. *De telis Stat*. *lib*. 5. *Theb*. Inſtamus jactu telorum & ferrea *nimbis* Certat hyems. *Lucan*. *lib*. 4. *telorum nimbo* peritura. *Id*. *alibi*: crebroqve ſimillima *nimbo* Trans ripam validi torſerunt tela lacerti *Claud*. 1. *Stil*. Non eqvitum *nimbos* Latiis obſiſtere pilis.

235. *Nimius*. *Claud*. *Stil*. 1. Et qvos interior *nimio* plaga *Sole* relegat: deſcribit Zonam torridam, qvæ credebatur inhabitabilis.

236. *Nitidi ſenſus*, i. e. defœcatus intellectus *Claud*. *Conſ*. *Mall*. *nitidis* qvisqvis te (juſtitiam) *ſenſibus* haurit.

237. *Nives Capitis Horat*. *IV*, *od*. 13. *Carm*. pro canitie dixit, reprehenſus ideo Qvintiliano. lib. 8. Inſtit. Orat. ſed defenſus à Voſſio Inſt. Orat. lib. 4. p. 101.

238. *Nocens*. *Claud*. *Conſ*. 3. *Hon*. flammamqve *nocentem* Gradivi, i. e. ſidus Martis.

239. *Nubes*. Variè hâc voce utuntur Poëtæ. *Stat*. 2. *Theb*. abſolutè pro *curis & cogitationibus* poſuit: talem ſub pulvere *nubem* Conſilio volvens. *Auſ*. *nubem veterni* dixit. *Valer*. *Flacc*. *l*. 3. *nubem meri* vocat ebrietatem. Ita *nubes telorum*, *jaculorum*, *arenæ*, *pulveris* dicitur freqventiſſimè Poëtis, & omnem confuſam copiam denotat. Ita *Sil*. *lib*. 9. *telorum nubem* & *lib*. 2. telorum *nubibus*. *Lucan*. *l*. 2. cœcâ telorum in *nube*. *Claud*. *Bell*. *Get*. *Nubes timoris* placet. *Id*. *Conſ*. *Prob*. nec ignotâ rapiet ſub *nube* vetuſtas. *Id*. *Stil*. 1. qvot *nube ſoporis* Immunes oculi. *Hom*. 4. *Il*. νέφος πεζῶν *nubem peditum* appellat.

O.

240. OBlivíſci de re inanimatâ. *Virg*. *Georg*. 2. Pomaqve ingenerant ſuccos *oblita* priores. *Colum*. Ambroſios præbent ſuccos *oblita* nocendi.

241. *Obluctata* polo ſidera *Cl*. *Conſ*. *Mall*.

242. *Obſtetrix*. *Brun*. *Eloq*. *Poët*. *part*. 1. *p*. 104. Huc Zephyris celeres, huc *obſtetricibus auris* Dum ridet tellus.

243 *Obtexere*. *Claud*. *Stilic*. 1. Jaculis *obtexitur* æther. *Virg*. 11. *Æn*. cœlumqve *obtexitur* umbra.

244. *Obtundere*. *Claud*. *Conſ*. *Mall*. Clementia triſtes *Obtundit* gladios.

245. *Occurrere cœlo* pro erigi. *Stat*. 1. *Theb*. *de monte*, qvâ plurimus arce Cythæron *Occurrit cœlo*.

246. *Opacus* pro cœcus: *Stat*. 2. *Theb*. *opacos* Tireſiæ vultus.

247. *Opifex* dicitur *timor*, qvi in cauſa fuit, qvod exſtruerentur mœnia. *Cl*. 6. *Conſ*. *Hon*. Profecitqve *opifex* decori timor.

248. *Opulentia linguæ*, i. e. eloqventia. *Cl*. *de Conſulatu Mallii*.

249. *Os* de flore. *Inc.* Reſerato captat amicum *Ore* diem. *Nos labella* alibi diximus.

P.

250. PAllere *Virg. pallentes* ruminat *herbas. Id. Eclog. 3.* Diffuſos hederâ veſtit *pallente* corymbos. *Gaudia pallere* dicuntur poſt ſuperata magna pericula *Stat. 1. Theb.* Magnaqve poſt lacrymas etiamnum *gaudia pallent. Cl. Conſ. Probin. Pallentes* herbis *thalamos* vocat Tiberini thalamos muſco obſitos.

Pallor Auroræ dicitur *Statio*, cum diluculum incipit. 2. *Theb. lib.* Utqve toris primo complexa jacebat *Auroræ pallore* virum.

251. *Parturio. Horat.* Notus neqve *parturit* imbres. *Claud. Conſ. Mall. Parturit* innummeros anguſto pectore mundos.

252. *Pater* pro *paterno affectu*, *Claud. 3. Conſ. Honor.* Indue mente *Patrem. Id. Conſ. 4. Hon.* qvantus in ore *Pater* radiat, i. e. Patris effigies. Pater etiam uſurpatur pro *patrimonio Alberto ab Ines, od. 19.* Alter penates, alter & integrum In poculorum naufragio *patrem* Immerſit.

253. *Pati. Claud. 4. Conſ. Honor. de Pegaſo:* Ipſe tibi famulas præberet Pegaſus alas Portaretqve libens, melioraqve pondera *paſſus* Bellerophontæas indignaretur habenas.

254. *Pauper* pro *raro. Virg. Æn. 12. Pauperibus* caulem foliis.

255. *Pendere Virgilio capræ* dicuntur, qvæ paſcuntur in Montibus. *Stat. 2. Theb.* is *pendere* dicitur, qvi in montis clivo ambulat: hinc arcto ſcopuloſo in limite *pendens. Stat. ibid.* qvoqve de ætate illâ, qvæ ad ſenium inclinat, uſurpat: magnis cui ſobria curis *Pendebat* ſomno jam deteriore ſenectus. *De currente Parthenopæo Stat. lib. 6.* Raraqve non fracto veſtigia pulvere *pendent.* Hinc *Pendula veſtigia* dicit *Claud. Conſ. Mall.* qvæ in aëre facit funambulus: *Pendula* librato figit *veſtigia* ſaltu. *Id. Conſ. Probin:* His neqve per dubium *pendet* fortuna pavorem. (Mallem ego hîc *favorem* legeret.) *Avienus de navigante:* Incerto *penderet* ſæpe profundo; non adeò elegantur ut ego puto.

256. *Perfidus. Perfida examina apum* vocat. *Claud. 6. Conſ. Hon.* qvæ alvearia migrarunt; ſolitæqve oblita latebræ *Perfida* deplorat vacuis *examina* ceris.

257. *Perfundere. Stat. de Fama 2. Theb.* totis *perfundit* mœnia *pennis.*

258. *Perſonæ* ponuntur pro *ipſis officiis*, *ut ap. Claud. Conſ. Mall.* An tibi continuis crevit fiducia caſtris, Totaqve jam *vatis pectora* miles habet? i. e. an militare ſtudium *poëtica ſtudia* expulit?

259. *Piger orbis*, i. e. Arctous. *Claud. 4. Conſ. Hon. pigra palus.*

260. *Pigritia* pro honeſto otio. *Martial. l. 13. Epigr. 4.* Tu das ingenuæ jus mihi *pigritiæ.*

261. *Pingere* pro exornare *Virg. Eclog. 2. v. 50.* Mollia luteolâ *pingit* vaccinia calthâ: cujus verſus elegantiam ſingularem examinat Buchn. de Comm. Dic. Rat. p. 46.

262. *Pius* freqventiſſimum Poëtis epitheton. *Virg. Pius* Æneas. *Stat. 1. Theb. de Virgine:* Mira decore *pio. Claud. 3. Conſ. Hon.* Velaretqve *pios* communis laurea *currus*, i. e. currus triumphales. *Id. 4. Conſ. Hon.* Splendebatqve *pio* complexus pignora *curru. Id. 6. Conſ. Hon.* Circum membra rotat doctus purganda ſacerdos, *Rore pio* ſpargens. *Ibid.* mediumqve per hoſtem Flammatas *virtute piâ, Id.* de

de Conſ. Mall. æthereos ſignantem in pulvere currus, Qvos *pia* ſollicito deprendit pollice *Memphis*. *Avienus*: *Pia* volvuntur *cornua* Nili. *Paulinus piam columbam* vocat. *Sautel. pias flammas* vocat, qvæ non lædunt: Dumqve *pias* reprimit miranda modeſtia flammas.

263. *Placatus.* Criſtæ *placato fulgure* vernant. *Claud. 3. de Raptu Proſerp.*

264. *Pleiades* imbrium effectrices pro ipſis imbribus. *Valer. Flacc. l.5.* Qvaliter ex altâ cum Jupiter arce coruſcat *Plejades* ille movens miſtumqve ſonoribus imbrem. *Stat. 1. Theb.* Et plaga lucida cœli *Pleiadum* Boreæqve & hiulci fulminis expers. Qvi per *Pleiades* alia hîc intelligunt interpretes, nugantur ad unum omnes.

265. *Plurimus.* Eâ voce ſæpè utuntur Poëtæ in re longâ, editâ, prolixâ. *Stat. 1. Theb. de monte*: qvâ *plurimus* arce *Cytharon* Occurrit Cœlo.

266. *Pondus* pro illo, qvi eqvo inſidet. *Claud. 4. Conſ. Honor. de Pegaſo*: melioraqve *pondere* paſſus. *Stat. Sylv. I.1.* Biſtonius portat ſonipes magnoqve ſuperbit *Pondere*.

267. *Populari. Claud. Rapt. P. 1. de vento*: Putrida multivagis *populatur* flatibus antra. Ita *de amore*: *populatur flamma* medullas, ovium *populari vellera*.

268. *Populus aſtrorum*: *Capella*, ſed frigidè, v. Buchn. p. 198.

269. *Porrigere* ſe dicuntur *montes*.

270. *Præcipitant curæ. Virgil. lib. II.* Sociis dare tempus humandis. *Præcipitant curæ. Stat. Theb. 1.* Sed ſi *præcipitant* miſerum cognoſcere *curæ*.

271. *Prædari.* Apes dicuntur *prædari roſas*. Suam volucris *prædata* ſenectam Phœnix.

272. *Procumbere* dicitur, qvod in planum porrigitur. *Claud. Conſ. Prob.* Eſt in Romuleo *procumbens* inſula Tibri. Vid. *ſedere, porrigi, projectus*.

273. *Prodigus. Claud. Conſ. Mallii*, ferturqve nocendi *Prodigus*.

274. *Proflare Deum*, i. e. Bacchum; eſt crapulam edormire. *Stat. 2. Theb.* Serta inter vacuosqve mero crateras anhelum *Proflabant* ſub luce *Deum*. Sed hoc Statii genium ſapit.

275. *Profundus. Profundus Jupiter*: *profunda Juno*, i. e. infera.

276. *Projectus*, i. e. per planitiem extenſus. *Valer. Flaccus de Nilo*: ſeptem *projectus* in amnes. Mallem ego *porrectus*.

277. *Promittere ſe. Claud. 6. Conſ. Honor.* atqve omne futurum Te Romæ, ſeſeqve *tibi promittit* in ævum.

178. *Propinare pro* tradere *vel* præbere. Eâ metaphorâ paſſim utuntur nonnulli in oratione tàm ſoluta qvàm ligatâ, non attendentes phraſin illam Terentii *in Eunuch. V. 9. 57.* Hunc comedendum vobis & deridendum *propino*, è perſonâ Paraſiti æſtimari debere, qvi ad artem ſuam inſtitutâ alluſione riſus captandi gratia propinandi verbo utitur: ne qvid de eo dicam, legi in qvibusdam MStis præbeo, non propino. Sed tamen, & alteram qvidam MSti Codices tuentur. Non ſatis commodè itaqve Jacobus Balde in Uraniâ victrice ſuâ, in tertiâ epiſtolâ: Tanqvam ſi præſens cœlo delapſa ſereno, Ora *propinaſſet*, ſidereasqve genas. Non eſt locus metaphoræ in hoc verbo, qvatenus ſimplicem traditionem notat, ſed vel in ſenſu ridiculo, ad perſonam Paraſiti relato, ut apud Terentium; vel

in ſenſu analogo: ſi eluvies *propinare* agris humores, aut Ganymeden *propinare* terris imbres, vel ſimile qvid dixeris.

279. *Pudicæ frondes* dicuntur rami laurei, propter Daphnen in laurum mutatam. *Stat.* 1. *Theb. ros pudicus* aqvæ Caſtaliæ dicitur, qvia virgines Muſæ illâ lavantur: ſeu *rore pudico* Caſtaliæ flavos amor eſt tibi mergere crines.

280. *Pulcher* generale epitheton Poëtarum, qvando rem aliqvam laudant. *Claud. Conſ. Probin. pulcerque* ſevero Armatur terrore pudor.

281. *Purus. Pura dies*, i e. nocte non immiſta. *Claud. de Rapt. P.* II. Impulit Jonios præmiſſo lumine fluctus Nondum *pura dies*, i. e. crepera.

Q.

282. Q*uærere* pro deſiderare. *Ovidius de Eriſichthone*: Inqve epulis epulas *quærit. Stat.* 2. *Theb.* jamqve & ſua *quærere* regna.

R.

283. R*apiunt* cœlum venti, de ventis inter ſe confligentibus. *Stat.* 1. *Theb.* dum cœlum ſibi qvisqve *rapit.*

284. *Raucus.* Omnis ſonus ingratus eo epitheto Poëtis exprimitur. *Stat.* 1. *Theb. de tempeſtate*: venturaqve *rauco Ore* minatur hyems. *Id.* 1. *Theb. rauca tonitrua. Rauci rivi* dicuntur à *Claud. Conſ. Probin. Cic. rumor raucus* factus eſt.

285. *Rebellis*, i. e. qvietus. *Claud. Rapt. Proſ.* 1. *de Encelado*: *Cervice rebelli* In dextrum lævumqve latus.

286. *Recurſare* de memoriâ rerum præteritarum apud Poëtas uſurpatur. *Virgil. Æn.* 1. ſub noctem cura *recurſat. Id. lib.* 4. *Æn.* Multa Viri virtus animo multusqve *recurſat* Gentis honos. *it. lib.* 11. Et mihi curæ Sæpe tuo dulci triſtes ex ore *recurſent.*

287. *Redire* pro recolligi. *Stat.* 1. *Theb.* de anguibus per extrema ſibi connexis: Cærulei *redeunt* in pectore nodi.

288. *Regnare* de manu Scævolæ flammas perferente *Martialis lib.* 8. *Epigr.* 33. Adſpicis, ut teneat flammas, pœnaqve fruatur Fortis, & attonito *regnet* in igne manus. De Sirio dicit *Stat.* 1. *Theb.* in totum *regnaret* Sirius annum *Claud. Conſ. Probin.* tacitam Lunâ *regnante* per Arcton, i. e. magis ſplendente.

289. *Relegare* pro inhabitabilem facere. *Claud. Stilic.* 1. Et qvæ interior nimio plaga Sole *relegat*: deſcribit zonam torridam.

290. *Relinqui* dicitur *Lucifer* diſparentibus ceteris ſtellis ob auroram vicinam. *Luc. lib.* 1. ut ignes Solis Lucifero fugiebant aſtra *relicto.*

291. *Res. Rerum* pulcherrima Roma *Virgil Georg. lib.* 2. *Et Æn. lib.* 7. nunc maxima *rerum* Roma colit *Ovid.* 1. *art. amand.* Ergo erit illa dies, qvâ tu pulcherrime *rerum*, Qvattuor in niveis aureus ibis eqvis. *Ita Claud. Conſ. Prob.* dic maxima *rerum*, Romam intelligit.

292. *Ridere Virg.* omnia nunc *rident. Claud. Conſ. Mall.* docti *riſerunt* floribus amnes. *Id. Conſ. Probin.* Oraqve *ridenti* lanugine veſtiat ætas.

293. *Rubigo* abſolutè pro deſidiâ. *Claud. Conſ. Mall.* infectum longi *rubigine ruris Ad tua ſigna vocas.*

294. *Rudis* pro inornato, *Virgil. lib.* 9 ille *rudem* nodis ac cortice crudo Intorqvet ſummis adnixus viribus haſtam. *Rudis Luna* pro nova. *Cl.* 6. *Conſ. Hon. Lunamque*

que rudem madefecerat Auſter. *Rudes venæ* pro intactis. Qvantum ſtagna Tagi *rudibus* ſtillantia *venis* Effluxere duris.

S.

295. **S**Acer. Freqventiſſimum Poëtis epitheton. *Sacra iræ* ap. *Sta.* 1. *Theb.* de irâ expoſtulantis cum Phœbo: *ſacras* ita vocibus aſperat iras.

296. *Sævus* Bacchi *odor* de vino dicitur *Stat.* 2. *Theb.* qvod ad rixas Thraces incitat. Ogygii ſi qvando afflavit Jacchi *Sævus odor.*

297. *Saucius* pro eo, qvi verbis læditur vel paſſionibus animi turbatur. *Stat.* 1. *Theb.* Juno his *ſaucia* dictis. Transfertur ad res inanimatas. *Ita Horat. I. od.* 24. dicit *malum* celeri *ſaucium* Africo. *Claud. lib.* 2. *in Eutrop.* valuit pro vulnere terror, Implevitqve vicem jaculi, vitamqve nocentem Integer & ſolâ formidine *ſaucius* efflat. *Id.* 4. *Conſ. Honor.* qvo *ſaucia* vento Decolor iratos attollat Cynthia vultus, i.e. Luna rubens indicio ventoſæ tempeſtatis. *Id. Conſ. Probin.* ubi deſcribit Romam curru per nubes vehentem: Curſuqve rotarum *Saucia* dividuis clareſcunt *nubila* ſulcis.

298. *Scintillare* de gemmis, floribus, purpurâ, dicitur.

299. *Scrutari* mucrone latebras animæ, i. e. interficere. *Stat.* 1. *Theb.* atqv[illegible]mas animæ mucrone coruſco *Scrutatur latebras.* *Claud.* 4. *Conſ. Hon.* calidi *ſcrutatus ſtagna* profundi. *Id. de Rapt. P.* 1. de vento ſubterraneo: *ſcrutatur iter.*

300. *Secare profundum*, i. e. navigare. *Claud.* inventa *ſecuit* primus qvi nave *profundum.*

301. *Secundus. Secundum jus. Stat.* 1. *Theb.* *Jurisque ſecundi* Ambitus impatiens *Claud. Conſ. Probin.* ſed primâ ſede relictâ Anthemiis, de *jure* licet certare *ſecundo.*

302. *Sedere* pro in planitiem porrigi, *Stat.* 1. *Theb. de monte*: qvi molle *ſedens* in plana Cytheron Porrigitur. *Sedens Lactuca* dicitur, qvia humilis, *Mart. l.* 10. In qvibus eſt *lactuca ſedens* & ſectile porrum.

303. *Seditio. Severus in Ætnâ*: læta theatri *Seditione. Sarbiev. Vocalem ſeditionem* dixit. Buchn. de Commut. Dic. Rat. p. 199.

304. *Seges* de copiâ. *Virgil. lib.* 7. ferro ancipiti decernunt atraqve longè Horreſcit ſtrictis *ſeges* enſibus. *Cl.* 3. *Conſ. Honor.* nudiqve *ſeges Mavortia* ferri Ingeminat ſplendore diem. *Seges aëna* vocantur æreæ fiſtulæ in organo Muſico veterum. *Cl. Conſ. Mall.* Et qvi magna levi detrudens murmura tactu Innumeras voces *ſegetis* moderatus *abenæ* Intonat erranti digito, penitusqve trabali Vecte laborantes in carmine concitat undas.

305. *Semina* pro ſtellis *Manil. lib.* 5. *Buchn. de Comm. dic. rat. p.* 26.

306. *Senecta* pro antiqvitate. *Claud. Conſ. Mall.* Cecropiæ relegis ſecreta *Senectæ*, i. e. antiqvitatis Græcæ.

Senium pro reverentia. Firmatur *ſenium* juris, priſcamqve reſumunt Canitiem leges, *Claud.* 4. *Conſ. Hon.*

307. *Sequi*, *Claud. Conſ. Probin.* prolem fata *ſequuntur*, *Stat.* & vocem fata *ſequuntur.* Seqvi pro *flexibilem eſſe.* *Sic Plin. Cæcil. lib.* 7. *Epiſt.* 9. de cerâ, qvæ ad arbitrium flexilis eſt: Ut laus eſt Ceræ mollis facilisqve *ſequatur* Si doctos digitos juſſaqve fiat opus.

308. *Serpere*, *Claud.* 4. *Conſ. Hon.* Per tua lanugo cum *ſerpere* cœperit ora.

309. *Servire Claud.* 4. *Conſ. Hon. de Cyllaro*, *Serviretque* tuis contempto Caſtore frenis Cyllarus. *Claud. Stilic*, 1. placidi *ſerviant* legibus enſes.

310. *Sidus* pro *fato* videtur accipi ap. *Stat.* 2. *Theb.* fraudes ſine *ſidere* cœptæ, *Germani*: Er hat kein Stern noch Glück. *Sidereus gener. Claud. Conſ. Mallii.*

311. *Silentes* dicuntur Manes. *Vulgus ſilentum Stat.* 1. *Th. ſilentem populum* dicit infera.

312. *Sobrius* de igne non urente. *Sobrius* appoſitâ procul abſtinet *ignis* ab eſcâ. *Sautel. in epigr. de Agnete*: ita *modeſtus ignis*, pia flamma.

313. *Solari* freqventer Poetis uſurpatur. *Horat.* II. *od.* 5. nunc fluviis gravem *ſolantis* æſtum. *Id. II. Sat.* 6. me ſylva cavusqve Tutus ab inſidiis tenui *ſolabitur* ervo. *Stat.* 2. *Theb. ſolanturque* timorem. *Ibid.* tenerumqve dolorem conjugis amplexu *ſolatur*. *Stat. lib.* 4. *Sylv.* nos otia vitæ *Solamur* cantu. *Claud. Conſ. Mall.* pluviis *ſolabitur* æſtum.

314. *Sodalis. Horat. I, od.* 25. Aridas frondes hiemis *ſodali* Dedicet *Hebro*. Ita *lib. III. od.* 18. cratera vocat Veneris *ſodalem*.

315. *Sollicitare. Tibullus Eleg.* 7. *l.* 1. Et teneram ferro *ſollicitavit* humum. *Claud. de Rapt. P. præf.* Et rudibus remis *ſollicitavit* aqvas. Falſus autem hîc eſt Barthius, qvi putat hîc metaphoram eſſe ab inanimatis ad animata. Eſt enim *ſollicitare* proprie loco movere.

316. *Splendida ſpuma* Tagi, i. e. aurum.

317. *Squalere* dicitur Poetis, qvod denſitate & nova aliqvâ facie horrorem incutere videtur. Ita *Virg.* 10. *Æn. loricam* vocat *ſqualentem auro* propter copiam denſitatemqve auri in ſqvamarum ſpeciem intexti. Vide Gell. l. 2. c. 6. & Henr. Steph. Diſc. Critic. Macrob. l. 6. c. 7. *Stat.* 1. *Theb.* per *ſqualentem diem* intelligit tempeſtatem nebulis peſtiferis obſitam. *Sil.* Cæruleus maculis auro *ſqualentibus* anguis. *Claud.* 4. *Conſ. Hon.* Libyæ *ſqualentis* arenas Audebit ſuperare pedes. *Id.* 6. *Conſ. Hon.* Neglecto *ſqualent* ſenio. *Id. Conſ. Prob.* Filaqve concreto cogit *ſqualere* metallo. *Id. de Rapt. Proſ.* 1. *ſqualent* immania fœdo Sceptra ſitu.

318. *Stare* dicitur *annus* ob deſiderium alicujus. *Stat.* 1. *Theb.* longum ſignis cunctantibus *annum Stare* gemit. *Stare* dicitur *fluvius* ob copiam cadaverum *Cl.* 3. *Conſ. Hon.* frigidus amnis Mutatis fumavit aqvis turbaqve cadentum *Staret*, ni rapidus juſſiſſet flumina ſanguis. *Stare* dicitur qvoqve *fluvius glacie concretus*. *Claud.* 3. *Conſ. Hon. ſtantemque* totâ ſulcavimus Iſtrum.

319. *Subire* uſitatum Poetis, inprimis *Statio*. *Claud. Conſ. Mall.* Jam clavum totamqve *ſubit* torqvere carinam, i. e. incipit. *Claud. ibid. ſubit* ille loqventem Talibus, i. e. reſpondet.

320. *Sudare*, i. e. elaborare. *Sudata* marito *fibula Claud.* vid. Buchn. p. 71.

321. *Sulcus* de nubibus per lineas ductis. *Claud. Conſ. Prob.* dividuis clareſcunt nubila *ſulcis*.

322. *Superbus* Virgilio pro *nobili & glorioſo* dicitur, *lib.* 1. *Æn.* Conjugio Anchiſe Veneris dignate *ſuperbo*. Ita *vox ferox*, *contumax*, *ferus*, laudabili ſenſu accipiuntur. vid. Buchn. de Comm. D. R. p. 194. 195.

323. *Surdus* pro eo, qvod non obſeqvitur; etiam de rebus inanimatis. *Stat. lib.* 10. & *ſurdos* expedit arcus, i. e. qvos

qvos attrahere neqvit. Sed hoc genium Statianum ſapit.

T.

324. TAcitus. *Tacita arctos* dicitur, vel propter incolarum raritatem, vel propter frigus aut continuas noctes. *Claud. Conſ. Prob. tacitam* Lunâ regnante per *Arcton*.

325. *Tegmen. Tegmen fagi Eclog. 1. Virgil.* dicit. Ita *tegmen cœli Lucret.* Vide de eo Alb. Gentilem in Lectionibus Virgilian. ſtatim ab initio, ubi refutat qvosdam vocem hanc carpentes.

326. *Temperare arva* dicitur *fluvius*. *Claud. Conſ. Probin.* Oebaliæ qvi *temperat arva* Galeſus.

327. *Tempeſtas* variè apud Poetas accipitur, & notat copiam aliqvam tumultuariam & violentam. *Virgil. Æn.* [illegible] to turbida cœlo *Tempeſtas telorum*, ac ferreus ingruit imber. *Id. de ſtrage lib. 7.* Qvanta per Idæos ſævis effuſa Mycenis *Tempeſtas* ierit campos. Qvæ hic *La Cerda* de terreſtri tempeſtate commentatur, nihil ad rem faciunt. *Virg. lib. 11. v. 423.* Sunt illis ſua funera parqve per omnes *Tempeſtas*. Obſervat hic *La Cerda*, vocem *tempeſtatis* in re belli à Poetis poni; ſed ad alia qvoqve paſſim video transferri. Ita *fermentationem vini* poſſes *tempeſtatem* dicere. *Tempeſtas* barathrumqve macelli. *Horat. Tempeſtas comeſſationis*, vid. Inſt. Orat. Voſſ. lib. 4. p. 103. *Claud. 3. Conſ. Honor.* Optatas audire tubas campiqve cruenta *Tempeſtate* frui: ubi telorum & enſium inſultus, & cadaverum freqventiam per *cruentam tempeſtatem* intelligit. Ita ap. eundem eſt *tempeſtas pretioſa Tagi*, i. e. magna vis auri. *Id. Conſ. Mallii*: nullaqve mutati *tempeſtas* proditur oris, i. e. impotens qvidam affectus. *Baron. in Sylv. metr. 11.* de organo hydraulico Muſico: blanditurqve *diſerta* canoro *Tempeſtas* numero. *Miſcell. noſtra p. 65.* Te non *tempeſtas calicum* Obruet. *Ibid. 44*: *Tempeſtas facunda* ſonat per pulpita: de eloqventiâ dicitur. *Vener. noſtr. pag. 17.* Hinc *pia tempeſtas oculorum* ſpargitur, i. e. lacrymæ. Item in *Amoribus Cimbricis*: dum gemina votorum fervet in aulâ *tempeſtas*.

328. *Tendere Claud. Conſ. Probin.* non anxia mentem Spes agit, & longo *tendit* præcordia voto.

329. *Tener. Claud. Conſ. Mall. teneri* primordia mundi.

330. *Tentare. Claud. Conſ. Probin.* & nulla [illegible] roën, bruma *tentabimus* Iſtrum.

331. *Ter* Poetis pro aliqvoties uſurpatur. *Virg. Ter* revoluta toro eſt.

332. *Terere* pro qvovis tactu. *Claud. Conſ. Prob. de fluvio Liri*: Flavæqve *terens* qverceta Maricæ Liris.

333. *Terrere, Territare*. *Stat. Theb. 3. de globo flammæ*: volat ignea moles Sæva Dei mandata ferens, cœlumqve triſulcâ *Territat* omne comâ. *Id.* Magnus qvanto mucrone minatur Noctibus hibernis & ſidera *terret* Orion. *Id. Th. 6.* Qvalis Biſtoniis clypeus Mavortis in arvis Luce mala Pangæa ferit Solemqve refulgens *Territat*.

334. *Torvus* pro ſeverus, gravis *Claud. 3. Conſ. Hon.* Aſpera complecti *torvum* poſt prælia *patrem*. *Id. 4. Conſ. Hon.* qvam *torva voluptas* Frontis, & auguſti majeſtas grata pudoris!

335. *Trahi* dicitur *quies* multis curis interru-

terrupta. *Stat.* 1. *Theb.* Inachio tenuis ſub pectore Regi *Tracta quies.*

336. *Triſtis* perpetuum apud Poetas rerum infernalium, inauſpicatarum & ingratarum, epitheton. *Ovid.* 1. *de art. am.* Nec male odorari ſit *triſtis* anhelitus oris. Hinc *contriſtare*, pro maligno aliqvo halitu afflare. *Virg. de* Sirio: lævo *contriſtat* lumine cœlum. *Id. Æn.* 6. *de* S*tyge*: *triſtique* palus innabilis *undâ.* S*tat.* 1. *Theb. de Tiſiphone*: *Triſtibus* exiluit *ripis. Ibidem* fluvium infernalem Cocyton *inamœnum vocat. Id.* 3. T*heb.* *armaq;* in auro *triſtia. Cl.* 3. *Conſ. Hon.* galeæ nec *triſte* timentem *fulgur. Id. Conſ. Mal.* clementia *triſtes* Obtundit *gladios. Ibid.* *triſtem* figat crinita Cometen.

337. *Trux. Claud. Stil.* 1. lucosqve vetuſtâ [illegible] *truces.*

338. *Tumidus* pro maturo. *Tumere* pro maturum eſſe. *Stat.* 2. T*heb.* *tumidâ* jam virginitate. *Id. Achill.* 1. Virginitas matura toris anniqve *tumentes. Claud. Epith. Pallad.* matura *tumeſcit* virginitas.

339. T*umultus*, *Claud. laud.* S*til.* 1. varios vocum *tumultus* dicit de variis linguis.

340. T*undere. Catull.* Longum ubi reſonans Eoûm T*unditur* undâ ſcil. littus. *Cl. Conſ. Mall.* qvicqvid Tyrrhenâ tunditur undâ, qvod gemit Joniâ.

341. T*urba* catachreſticè de rebus inanimatis. Vid. *Buchn. de Comm. D. R. p.* 198. 199.

342. *Tutus* pro cautus & vice versâ, *Buchn. p.* 61. *de Comm. dic. rat.* Mens male *tuta* i. e. ſana, *Horat.*

V.

343. V*Acuus* perpetuum inferorum epitheton, qvia ibi non niſi vacuæ umbræ. *Inane* vulgus propterea Manes vocat S*tatius. Vacuus Lunæ orbis* dicitur, qvando non plenus S*aut. p.* 42. Cynthia jam decies *vacuum* reparaverat *orbem.*

344. *Vectigalis* epitheton Poetis familiare pro eo, qvod officii gratiâ alicui præſtatur, vel qvod alicui qvaſi proprium & ſubjectum eſt, ut *vectigalibus votis* gratari Domino, *vectigalibus undis* plaudit Oceanus Victori &c.

345. *Venter. Virg.* 4. *Georg.* totusqve per herbam Creſceret in *ventrem* cucumis. *Prop. l.* 4. tumidoqve cucurbita *ventre.*

346. *Verberare* pro qvolibet contactu & motu *Lucret.* pontum ponto *verberari* dicit. S*tat.* 1. T*heb. de* T*iſiphone*: hæc vivo manus aëra *verberat* hydro. *Q. Cicero l.* 16. *ad fam. ep.* 26. *Verberavi* te cogitationis tacito duntaxat convitio. Et ſeqventi epiſtola *id.* Mirificam mihi *verberationem* ceſſationis epiſtola tua dediſti. *Verbera. Claud. Stil.* 1. Exiguo clavi flexu declinat aqvarum *Verbera.*

347. *Verrere* de lento & longo tractu, ut cum Cometen dico verrere cœlum, aſtra.

348. *Vernare* de genarum lanugine *Mart. lib.* 2. cum tibi *vernarent* dubia lanugine malæ. De galea floribus coronata *Claudian.* 3. *Rapt.* Criſtæ placato fulgure *vernant.* *Claud.* 4. *Conſ. Honor.* lanugine nondum *vernabant* vultus. *Prudentius* de Theodoſii filiis, dominos *vernantes* flore juventæ. *Claud.* S*til.* 1. *Senium vernans* dicit vegetum & robuſtum.

349. *Veſtire. Lucret.* Juventas Incipit & molli *veſtit* lanugine malas. Hinc *veſtis* pro *barbâ* ap. *Lucret.* Impubem molli pubeſcere *veſte*. *Virgil.* 8. *Æneid.* tum mihi prima genas *veſtibat* flore juventa. *Id. Georg.* 2. *de terrâ*: Qvæqve ſuo viridi ſemper ſe gramine *veſtit. Martial. lib.* 10. *Epig.*

10. *Epig. 51.* Ridet ager, *veſtitur humus, veſtitur & arbos. Senec. Herc. Oet.* Nondum teneras *veſtite* genas. *Claud. Conſ. Probin.* Oraque ridenti lanugine *veſtiat* ætas. *Idem. veſtitos* gramine campos. *Auſon.* jugum vindemia *veſtit.* Vid. *induere.* Ita vox *inveſtis* de imberbi dicitur. Vid. Lexic. *Claud. Rapt. Proſ.* 1. de Cerere curru ſuo vectâ & ſubnaſcente per iter ſegete: *Veſtit iter* comitata ſeges.

350. *Vetare. Stat. 2. Theb. de Sole:* Ac ipſi radios *vetat* eſſe ſorori i. e. Obfuſcat.

351. *Veteranus juvenis Sidonius:* Emeritus ſplendet juvenis *veteranus* in auro.

352. *Violare.* Vox eleganter à Poetis uſurpatur, cum ſignificare volunt rei ſplendidæ alicujus vel ſacræ obfuſcationem vel abuſum, aut qvamvis rei puræ tincturam. Ita *Stat. 1. Theb.* de aureis patinis, qvarum ſplendor pingui cibo qvaſi adulteratur, pulchrè dicit *aurum violare cibis:* qvæ locutio inepte improbatur eo in loco Barthio, cum ad Virgilii aliorumqve Poetarum imitationem facta ſit. Sic *Virgil. Æn. 12. v. 67. ebur* dicit *violatum oſtro*, ad *Homeri* imitat. qvi *μιαίνειν* uſurpat. *Stat. Achill. 1.* Lactea Maſſagetæ veluti cum pocula fuſcant Sanguine Puniceo, vel *ebur corrumpitur oſtro. Juvenal.* vocem *violandi* rei præſtantiori applicat, qvi de Jovis ſtatuâ aureâ dicit: Hanc rebus Latiis curam præſtare ſolebat Fictilis, & nullo *violatus* Jupiter auro. Puto *violatum auro* dici, qvod aurum furtis & ſceleribus paretur, inqvit *Lubinus* hic. At ego *violare* hîc exiſtimo idem ſignificare, qvod *profanare*; eſt enim vox inter ſacra etiam. Ita *Virgil. 2. Æn. v. 189.* Nam ſi veſtra manus *violaſſet dona Minervæ.* Ap. *Claudian. in Rufin.* Alecto dicit: jam cupio Stygiis invadere nubibus aſtra Et *flatu violare diem. Id. Rapt. P. 1.* de Cerere lacrymante: *violavit* oborto Rore genas. *Nos in amoribus Cimbricis* de genis rubore intermiſtis, genarum Lilia *Sidonio* placide *violaverat oſtro.*

353. *Viridis* epitheton rerum marinarum. *Claudian. 3. Conſ. Honor. virides* Neptunus in algâ Nutrit *equos. Stat. 1. Theb.* Ita *Deæ virides*, i. e. Nymphæ. *Virides* etiam *Pardi* vocantur ob maculas *Claud. 3. Stilic.* Tum *virides Pardos* & cetera colligit Auſtri Prodigia *Id. Conſul. Mall.* Cum forte leænæ, Nobiliorem uterum *viridis* corrupit adulter.

354. *Virere. Ovidius de Athen.* Ingeniisqve opibusqve & feſtâ *pace virentes. Sil. Ital. lib. 15.* Pars credunt torvos Patris *revireſcere* vultus. *Claud. Conſ. Prob.* Per faſces numerantur avi ſemperqve renata Nobilitate *virent. Ibid.* prima cum parte *vireſceret* ævi.

355. *Vivere* dicuntur *ſigna* ſingulari ingenio expreſſa, uti & *ſpirare.* Ita *Stat. Theb. 1. vivum aurum* vocat artificium ſignorum. *Claud. Conſ. 4. Hon.* picturatumqve metallis *Vivit* opus. *Vivere fontes* dicuntur, qvos loqvi & oracula promulgare tradunt Poetæ. Vid. Barth. ad v. 32. Claud. de 6. Conſulatu Honorii.

Vivus. Viva pocula, i. e. qvæ parum aqvam propinant. Balde in Lyric.

356. *Umbra* pro primâ lanugine. *Stat. 4. Thebaid.* Dum roſeis venit *umbra* genis. Hinc *Claud. Conſ. Prob.* genas cum flos juvenilis *inumbrat*, pro colore & ſophiſmate politico. *Claud. Stilic. 1.* ſceleriqve profano Fallax legitimam. regni prætenderat *umbram.*

357. *Unda* pro multitudine populi. *Virg.* Mane ſalutantum totis vomit ædibus *undam. Stat. 2. Theb.* foribus cum immiſſa ſuperbis *Unda* fremit *vulgi. Claud. 6. Conſ. Honor. Undare* videres Ima viris. *Id. Conſ. Prob.* populis *undare* penates. *Undare* de ſermone. *Claud. Conſ. Mall.* Mox *undare* foro victrix opulentia linguæ.

358. *Volvere ſecum vel volutare* pro cogitare uſurpatur.

359. V*omere* pro emittere. *Virgil.* de ædibus homines emittentibus: Mane ſalutantum totis *vomit* ædibus undam. *Claud. 4. Conſ. Honor.* Danubii totæ *vomerent* cum prælia ripæ. *Id. Conſ. Prob.* Præceps illa manus fluvios ſuperabat Iberos Aurea dona *vomens. Perſ.* Diſpoſitæ pinguem nebulam *vomuere* lucernæ. *Buchn. de Commut. dic. rat. p.* 40. reprehendit *Varronem*, qvi dixit de nubibus, aqvam *vomentes* inferam mortalibus, & ejus verbi in ſatyrâ locum eſſe putat. Si tamen is ad *Virgilii* exemplum reſpexiſſet, credo aliter ſenſiſſet. *Longinus* περὶ ὕψους c. 2. reprehendit Poëtam, qvi ait, πρὸς οὐρανὸν ἐξεμεῖν, in cœlum *vomere. Tanaquil. Faber in notis* turpem & fœdam locutionem vocat; mihi tamen aliter videtur, qvia in monte ignes & lapides ejaculante facile locum invenit. Imo vox illa Latinis non æqve turpis erat. vid. *Macrob. lib. 6. cap. 6.* Januas, qvibus egrediebantur in Spectaculis, vocabant *vomitoria.* Vid. *Taubman.* ad illud *Virg. Georg. 2.* Mane ſalutantum totis *vomit* ædibus undam. *Id. Æneid. 5.* Stupa *vomens* tardum fumum. *Id. Æneid. 7.* de Caco: atros ore *vomens* ignes. *Id. lib. 9.* de vulnerato Sulmone, dicit: *vomens* calidum de pectore flumen. *Id. lib. 11.* ſanguinis ille *vomens* rivos cadit. Eodem ſenſu *eructare* accipitur. *Id. lib. 8.* Cacum in tenebris incendia vana *vomentem* dicit. *Id. eodem libro*, galeam vocat terribilem criſtis flammasqve *vomentem. Ibid.* de imagine Auguſti in clypeo Æneæ: geminas cui tempora flammas Læta *vomunt.* Unde patet, errare illos, qvi turpem hanc vocem exiſtimant, & è metaphoris poeticis ejiciunt.

360. *Urgere* verbum qvod obſcœnum ſenſum honeſtè exprimit. *Horat. lib. 1. od. 5.* Qvis multa gracilis te puer in roſâ Perfuſus liqvidis *urget* odoribus.

361. *Vulnus* pro telo. *Buchn. de Comm. dic. rat. p.* 72.

INDEX RERUM DE QVIBUS dicuntur Translata.

A.

Acies ſtupet igne metalli, i. e. ſplendore armorum, vid. numer. 152
Aditum cuſtode coronare, pro cingere, n. 54
Aer æger, qvi peſte infectus eſt, 130
Aer decentior, i. e. magis ſerenus 63
Ære vetuſto florere, 116
Æſtum ſolantur fluvii, 313
Æther jaculis obtexitur 243
Ætna fidem nivibus ſervat 113
Ætna lambit ſidera 199
Ætna vomit nimbos indigenas 167
Ager fidelis 113
Ager ingratus 177
Agmina clypeo anguſtare 15

Alæ famulæ Pegaſo adſcribuntur 103
Alpes anfractibus curvis aditum anguſtant 15
Amazon exerta latus pugnæ 100
Amnis ebrius 88
Amnes docti floribus riſerunt 82
Amor crudus pro immaturo 57
Amoris flamma medullas populatur 267
Amictus Diti ferrugineus adfingitur 110
Animam anguſtare 15
Animos bello accendere 1
Angues blandi, qvi non lædunt 30
Annus ſtare dicitur ob alicujus deſiderium 318
Aper prælia dediſcens 65
Aprorum dentibus fulmen tribuitur 126
Apes pennata juventus 143
Apes & aves glomerantur 139
Apes roſas prædantur 271
Apum examina perfida, qvæ alvearia migrarunt 256
Aqvæ infames ob ſuffocationem multorum 172
Aqvæ fragiles, h. e. glacies 122
Aqvarum verbera 346
Aqvas remis ſollicitare 315
Araxes fl. famulari dicitur 103
Arbor veſtiri dicitur 349
Arbores juxta viam adorant obvios currus 4
Arbores auritæ Orpheum ſecutæ 28
Arcus ſurdi, qvi non obſeqvuntur 25.323
Arcus mentiri neſcius ictum 221
Arcum audiunt ſagittæ, ſcopum attingentes 25
Arctos tacita 324
Arena diteſcit ſanguine, pro redundat 80
Arenæ nubes 239
Arenæ flagrantes 115
Arenas rutilas Pactolus deſpumat 71
Arma famulantia 103
Arma triſtia 336
Ariſtæ ſuaviter inhorreſcunt 178
Artes lætæ, h. e. gratæ venantibus 197
Arva invidendæ fertilitatis improba nuncupantur 161
Arundo moritur 229
Aſtra peſtilentia furere dicuntur 130
Auræ obſtetrices 242
Auræ clementes Veneris 39
Auræ felices, pro bonâ fragrantiâ 107
Aures attonitæ 23
Auroræ pallor dicitur diluculi adventus 250
Aurum madidum dicitur è Tago Bætiqve depromptum 212
Aurum cibis violare, pro patinæ ſplendorem pingui cibo obfuſcare 352

B.

Bacchi ſævus odor de vino dicitur 296
Baſia maligna, qvæ dente impreſſo fiunt, vel laſciva 214
Bellum accendere 1
Bibere igni tribuitur 152
Boreas rauco turbine armatus 21
Boſphorus æqvora induere dicitur floribus 169

C.

Cacus ignes vomit 359
Cadus Marſi duelli memor 219
Cadmæi fratres meſſis vocitantur 222
Calamos veneno armare. 21
Calicum tempeſtas 327
Calydonis honos aper 144
Campi dicuntur deſidere, ſurſum volante ave 70
Campi gramine veſtiti 349
Caput honeſtum, i. e. venerandum 143
Caput tiara floret purpurea 116
Capitis nives pro canitie 237

Capræ paſcentes in montibus pendere dicuntur 255
Carmina flores appellantur 117
Caſſis ingloria, criſtis orbata 176
Caulis pauperibus foliis, h. e. raris 254
Cœlum umbra obtexitur 243
Cœli tegmen 325
Cœlites labi dicuntur ob velocitatem 194
Cœruleum monſtrum Python vocatur 110
Cera flexilis ſeqvitur doctos digitos 307
Ceres ſaxo perdomita, i. e. panis 84
Cervix in armos deſcendens pro decreſcens 69
Cervix rebellis in dextr. lævumqve latus 285
Cilicum nimbi, pro balſamis 234
Cingula manu comere 44
Cingulo veſtem moderari 226
Cinis doloſus, à qvo periculum, ne ignem alat 83
Cithara imbellis, qvæ pacis laudes canit 156
Claſſi habenas immittere 141
Clivus clemens, molliter elatus 39
Clypeus Martis refulgens dicitur terrere Solem 333
Clypei formidatum lumen 209
Color ferrugineus pro cœruleo 110
Columba pia 262
Colis ambitioſa 12
Copia ſæpe exprimitur per cornu 55
Coronæ igne lapidum diſtinctæ, i. e. fulgore relucente gemmarum exornatæ 152
Corpora ædificant ſaltatores 6
Cometes triſtis 336
Crater Veneris ſodalis vocatur 314
Crimen induere dicuntur ſecula 169
Crinali hedera florens Bacchus 116
Crines humeros flagellant 114
Cruorem Thraces lacte domant 84
Cucumis in ventrem creſcens 345
Cupreſſus fulmine afflata 9
Cura animo recurſans 286
Curſus fulmineus, i. e. velocisſimus 127
Currus pii triumphales 262
Currus non audiunt habenas & verbera aurigæ 25
Cutis ſanie gliſcens 138
Cyllarus ſervire dicitur 309
Cymba Charontis ferruginea 110

D.

Damna Lunæ, i. e. decrementa 61
Deæ virides, i. e. Nymphæ 353
Deos magico ritu armare dicuntur carmina Chaldæa 21
Dentibus apri fulmen tribuitur 125
Dictis ſaucia Juno 297
Dies devexior, i. e. Occaſus 74
Dies nube gravatus pro nebuloſo 140
Dies pura, qvæ non eſt immiſta nocte 281
Dies ſqvalens, tempeſtas, nebulis peſtiferis obſita 317
Dies inceſtari dicitur, qvando ſerenitatem amittit 165
Diem flatu violat Alecto 352
Diem Sol accendit 1
Diem Sol promit atqve celat 34
Doli fabricator Epeus 102
Dolis armari 21
Dolorem ſolari amplexu 313
Dormire de igne 152
Draco textilis iratus dicitur 186
it. mentiri 221

E.

Ebur oſtro violatum 352
Edere, excitari de igne 152. 312
Emenſus decimas ariſtas, i. e. decem annos natus 20
Enſes ſerviunt legibus 309
Epulæ imbelles 156
Eqvus contemnit dominum 49

Eqvus

Eqvus Cyllarus ſervit 309
Eqvi Neptuni virides, qvod in algâ nutriti 353
Eqvorum nares igneſcunt 151
Examina apum perfida, qvæ alvearia migrarunt 256
Exercitus turmis florens 116

F.

Facunda tempeſtas 327
Fagi tegmen 325
Faſti inceſtantur ignobili aliqvo nomine 165
Fata proprie ducere dicuntur 86
Femur exclamare dicitur 98
Ferrum ſpumis & ſanguine uri dicitur 151
Ferrum veneno armatum 21
Ferreus imber 157
Ferrea hiems vocatur telorum copia & tempeſtas 147
Fibula ſudata, i. e. elaborata 320
Fides manſura, pro æterna 216
Flamina armant flammas 21
Flammæ errantes ludunt per cœrula 94.208
Flamma mitis, pia, qvæ non lædit 225.262
Flamma territat comâ cœlum 333
Flamma de gemmarum fulgore 152
Flatus dubii 85
Flos protuberans diem ore captat 75
Flores ſcintillare dicuntur 298
Floribus docti amnes riſerunt 82
Floribus induere dicitur Boſphorus æqvora 169
Fluctus miteſcere jubet Eridanus 81
Flumina juvantur à ſanguine cæſorum hominum 191
Flumina minantur diluvia 224
Fluvius arva temperat 326
Fluvius ditat 79
Fluvius glacie concretus, item cadaveribus impletus, ſtare dicitur 318
Focus emeritus 92
Foci edomiti 90
Foliis pauperibus caulis, pro raris atqve paucis 254
Fontes Nili deprendere, pro detegere. 68
Fontes viventes, qvi oracula edebant 355
Formidine ſaucius 297
Fortunam domare virtute 84
Frena eqvorum ſpumis igneſcunt 151
Frons lunata vocatur, qvæ geſtat cornua 210
Frons ferruginea Strigi tribuitur 110
Frondes pudicæ dicuntur rami laurei, propter Daphnen in laurum mutatam 279
Fulcire vetulam emeriti recuſant pedes 92
Fulgur triſte galeæ 336
Fumus fidelis 113
Fundus mendax 220

G.

Galea ſertis coronata laſcivit 200
Galea coronata floribus dicitur placato fulgure vernare 348
Galeæ fulgur applicatur 125
Galeam ſertis miteſcere docens 81
Gaudia pallent poſt ſuperata magna pericula 250
Gemmæ ſcintillantes 298
Gemmarum fulgor ignis vocatur 152
Genæ dulces 87
Genæ ſanguineo imbre putres 157
Genæ pubeſcentes florent 116
Genæ lanugine vernant 348
Genarum lux 211
Genas violare oborto rore, pro lacrymis perfundere 352
Genarum lilia 352
Gladii triſtes 336
Glorioſus atqve nobilis Virgilio ſuperbus eſt 322

H.

HAſta rudis pro inornata 294
Haſtæ floribus animantur 19
Hederâ crinali florens Bacchus 116
Honor hoſpes i. e. peregrinus 146
Honores aſſidui 22
Humeros acclines fultus 2
Hyems rauco ore minans 284
Hyemes armatas Æolus ab antris fundit 21

I.

JAculorum nubes 239
Jaculis æther obtexitur 243
Janua limen amat 13
Jaſpide pectus anguſtare 15
Ignis attonitus, ob Scævolæ manum 23
Ignis non urens, ſobrius 312
Ignis levis, de peſte 198
Ignis modeſtus de flamma non lædente 226
Imago Auguſti flammas vomere dicitur 359
Imbre fœdare noctem 118
Imbres raros Nilus excuſat fœcundis fluctibus 99
Imbribus honeſtis ora rigare, i. e. lacrymis 143
Incendia fida 112
Incendia blanda, i.e. innoxia 30
Indoles cruda, nondum matura, rudis expersqve rerum 57
Indomitum vinum, qvod aqva nondum dilutum 84
Infera dicuntur populus ſilens 311
Infula per crines currit, h. e. ambit eos 60
Ingeniis virere 354
Ingenua pigritia pro honeſto otio 260
Invidiam coqvere, pro fovere 52
Jocoſa imago, i. e. Echo 155
Iſter glacie obductus ſtare dicitur 318
Iſtro colla tribuuntur 41
Irâ accendere hominem 1
Iræ ſacræ dicuntur adverſus Phœbum ſuſceptæ. 295
Iter fulmineum 127
Iter haurire 142
Jubet Eridanus fluctus miteſcere 81

L.

LAbor improbus, i. e. immodicus 161
Lacte cruorem domare 84
Lactuca ſedens, i. e. humilis 302
Lambere ignis dicitur 152
Lana diſcit mentiri colores 78
Lanugo flore ſæpius exprimitur 117
Lanugo genas inumbrat, 185
Lanugo ridens, eſt, qvæ juvenum ora veſtit 292
Lanugo per ora ſerpit, 308
Lanugine genæ vernant 348
Laurus docta 82
Lembi ad luſum parati, vocantur laſcivi 200
Leones blandi, qvi non nocent 30
Lethi fabricator morbus & dolor 102
Linguæ opulentia, i. e. eloqventia 248
Littora æmula damnis lunaribus 7
Littora frangentia, i. e. curva 121
Locus in itinere viſum fugiens, ſeu ex viſu recedens, decreſcere dicitur 64
Lorica auro ſqvalens 317
Luci vetuſta religione truces 337
Lucifer relinqvi dicitur disparentibus ſtellis reliqvis ob præſentem auroram 290
Lumen dubitandum 85
Lumine lævo contriſtare cœlum, h. e. ſiniſtro, triſti 198
Lumine cœlum floret 116
Lumina ferrea Cerbero affinguntur 109
Lumina glauca Tiberini 137
Lumina natant in agone mortis vel ſomno 231
Luna dicitur æmulus orbis 7

Luna eclipſin patiens damnari dicitur 62
Luna dubitanda, incerta, dubia 85. 164
Luna regnare dicitur 288
Luna rudis, pro novâ 294
Lunæ vultus irati appellantur, qvando rubet 186
Lunæ orbis vacuus, i. e. nondum plenus 343
Lux ferrea Furiæ tribuitur 109
Lux maligna, i. e. dubia 214
Luxu circumfluus animus 37

M.

MAlus Africo ſaucius 297
Mamma heroinarum audax dicitur, quâ arcus innitebatur 24
Manes ſilentes 311
Manus pretio inflammata, i. e. muneribus corrupta 174
Manus Scævolæ in igne regnans 288
Mare placidum marmor dicitur 217
Maria terris acclinata 3
Maria latrare dicuntur 203
Marito cruda virgo 57
Mavortia ſeges ferri, de gladiorum copiâ 304
Meri nubes vocatur ebrietas 239
Metum dediſcere corda dicuntur 65
Metum domare pectore magno 84
Meſſes interficere, pro perdere 183
Milite floret ſulcus 116
Mons ſylva indutus 169
Mons excelſus aſtris inſiditur 182
Mons calcat rauca tonitrua 31
Mons laſſus, i. e. jamjam ad planitiem inclinans 201
Mons cœlo occurrit, pro erigitur 245
Montes docti 82
Monſtrum cœruleum, i. e. Pytho 110
Moram exſpuere 101
Mori igni tribuitur 157
Mori qvoqve dicuntur animæ 18
Mundus tener Poëtis qvi primum conditus 329

N.

NAres eqvorum igneſcunt 151
Narium copia, pro odoribus 51
Nemus coronare, pro cingere 54
Nemus inferorum ferrugineum 110
Nereus advena, cum in fluxu eſt 5
Nictare de igne 152
Nilus excuſat raros imbres 99
Nilus confitetur vires murmure 46
Nili cornua pia 262
Nimbos indigenas Ætna vomit 167
Nives adverſo turbine glomeratæ 139
Nivibus Ætna fidem ſervat 113
Nodi redeunt in pectora 287
Notus imbres parturiens 251
Novæ auræ hoſpes 146
Nubes aqvam vomunt 359
Nube gravatus dies, i. e. nebuloſus 140
Nubila deterſa Principis & Solis radiis 73
Nubila rotarum curſu ſaucia dicuntur, illo ſcil. qvo Roma per nubes vehit 297
Nux ſe in florem induit. 169

O.

OCulos furari labori, eſt, à labore acqvieſcere 129
Oculi immanes nube ſoporis 239
Oculorum pia tempeſtas, i. e. lacrymæ largæ & decentes 327
Odor afflare dicitur 9
Odor ſævus Bacchi, i. e. vini 296
Oliva imbellis, i. e. abhorrens à bello 156
Opibus virere 354
Orbis æmulus Luna vocatur 7
Orbis Lunæ vacuus dicitur, nondum plenus 343

Ora molliſſima, h. e. lanugine deſtituta 227
Oris copia, pro eloqventia 51
Orion inermis dicitur, qvando dubia luce refulget 170
Orion minatur noctibus hibernis, & ſidera terret 224. 333
Otia vitæ cantu ſolari. 313

P.

PAce virere 354
Pactolus deſpumat rutilas arenas 71
Pardi fulminei, i. e. veloces 127
Pardi virides ob maculas 353
Paſcitur ignis 152
Patrem mente induere, pro ejus mores imitari 169
Pater torvus, h. e. gravis, ſeverus 334
Pedes vetulæ emeriti 92
Peditum nubes, Homero uſurpatum 239
Peſtis incendere dicitur propter celeritatem, qvam cum igne participat 163
Perdomita ſaxo Ceres, eſt panis 84
Petræ infames ob latrocinia ſcil. ibi commiſſa 172
Phœbus emeritus, pro Occidente 92
Pluviis æſtum ſolari 313
Pocula viva, qvæ puram aqvam propinant 355
Pœna frui 124
Pollex doctus 82
Poma cataphracta, ſunt nuces caſtaneæ 33
Poma felicia, i. e. mala aurea 107
Poma oblita dicuntur ſuccos priores 240
Prata dicuntur incendi coloribus 163
Pretio inflammata manus, i. e. donis corrupta 174
Procellis vela furari 129
Prœlia conſumere 48
Profundum ſecare, pro navigare 300
Prudentia περιφράζεται cor longævum 53
Pudor terrore armatus 21
Pulveris nubes 239
Pulvere non indecoro ſordidus dux 143
Purpura ſcintillans 298
Purpura circum chlamydem cucurrit, h. e. cinxit chlamydem 60

Q.

QVies multis curis interrupta trahi dicitur 335

R.

RAmi arborum adorare dicuntur obvios currus 4
Regio decreſcere dicitur in itinere ex viſu recedens 64
Remi audaces 24
Reverentia per ſenium exprimitur 306
Rex ferrugineus, i. e. Pluto 109
Ridere amnes dicuntur 82
Ripæ famulæ Gangis 103
Ripæ triſtes, Stygis 336
Rivi rauci 284
Roma jactantior æthera pulſet, i. e. majori præſtantia atqve majeſtate fulgebit 148
Rore pio ſpargere dicitur ſacerdos 262
Ros pudicus aqvæ Caſtaliæ, qvia virgines Muſæ illa lavabantur 279
Rubeti ambitioſa progenies 12
Rubor per ora currit, i. e. genas inficit 60
Rupes conſcia 47

S.

SAgittæ obſeqventes arcum audire dicuntur 25
Salutantum unda, pro multitudine 357
Sanguis laſſus, qvi ſtillare ceſſat 201
Sanguinis rivos vomere 359
Sanguine diteſcens arena 80
Sanguineus imber de ſanguine, copioſe ex vulneribus ſtillante 157
Sceptra ſitu ſqvalent 317
Scopuli in cœlum minantur 224

Scopuli infames, qvi male audiunt ob naufragia 172
Secula circumflexa, i. e. in ſe redeuntia 36
Secula fœdo victu detergere, i. e. purificare 72
Secula crimen induere dicuntur 169
Secula melioris metalli, i. e. aurea 218
Sedes maligna 214
Senectus pueritiam comere dicitur 44
Senium vernans, vegetum & robuſtum 348
Senſus nitidi, i. e. defœcatus intellectus 236
Sidera curru afflata Tænario 9
Sidera dicuntur flores 117
Sidus Leonis iratum dicitur, ad rubrum colorem accedens 186
Signa cœleſtia cunctari dicuntur feſtinanti 54
Signa ſingulari ingenio expreſſa vivere & ſpirare dicuntur 355
Sirius lævo lumine cœlum contriſtat 336
Smaragdi igne arcano florent 116
Sol accendit diem 1
Sol celat atqve promit diem 34
Solis caput tectum dicitur obſcura ferrugine 110
Soli habenæ tribuuntur 141
Sole nimio plaga, i. e. Zona torrida 235
Somno cornu affingitur 55
Soporis nubes 239
Spectacula montes conſumere dicuntur 48
Spes gaudia conſumit longò voto 48
Sqvalens dies ponitur pro peſtifera tempeſtate 75
Spuma ſplendida Tagi aurum nominatur 316
Stellæ crinis tribuitur 56
Stupa fumum vomens 359
Styx triſtis unda vocatur 336
Sulcus florere dicitur viridi milite 116
Suppliciis frui 124
Surdi arcus non obſecundantes flectenti 25
Sylva ſolatur hominem ſolitudine gaudentem 313
Sylvarum honores folia 144

T.

Tagi pretioſa tempeſtas, h. e. magna vis auri 327
Tellus maligna 214
Telorum tempeſtas ac ferreus imber 157. 234. 327
Telorum nubes 239
Tethys alterna 11
Thalami herbis pallentes dicuntur Tiberini muſco obſiti 250
Theatri læta ſeditio 303
Tigres blandæ, i. e. mites, nil nocentes 30
Timor opifex dicitur, qvo impellente mœnia exſtructa 247
Timoris nubes 239
Timorem ſolari 313
Tonitrua mons calcare dicitur 31
Tonitrua rauca propter ingratum ſonum 284
Tremor per oſſa currens 60
Trepidare de igne 152
Turbo anhelus, animoſus 16. 17
Turmis florere exercitus dicitur 116

V.

Vallum calcatum 32
Vela animoſa dicuntur 17
Vela procellis furari 129
Venenum ferrugineum 110
Venenum invalidum 184
Veneno ferrum armare 21

Veneno Zephyros armare 21
Ventus ſubterraneus iter ſcrutari dicitur 299
Ventus immoritur velis, reſidente tempeſtate 158
Venti dubii 85
Venti fideles 113
Venti eqvitant per undas 93
Venti & undæ frenantur 123
Venti flatibus populantur antra 267
Venti inter ſe confligentes cœlum rapiunt 283
Vento ſaucia Luna 297
Venæ rudes, pro intactis 294
Veſtis Solem combibens 43
Veſtis, pro barbâ 349
Veſtem cingulo moderari, i. e. præcingere ſeſe 226
Veſtes manu comere 44
Veſtigia pendula, qvæ funambulus in aëre facit 255
Veſtigia ebria de ebriorum greſſu 88
Vetuſtas ſub ignota nube rem rapere dicitur 239
Vetuſto ære florere 8
Vinum indomitum, nulla aqva dilutum 84
Vina mollisſima 227
Vires murmure Nilus confitetur 46
Viribus fulmineis impellere hoſtem 127
Virgo cruda marito, pro immatura 57
Virginitas tumida, i. e. matura 338
Virtus haud læta, h. e. ingrata tyranno 197
Virtutem accendere prece 1
Viſcera feſſa 111
Vivere, vorare de igne 152
Umbra obtexitur cœlum 243
Umbra natare dicitur, qvæ veſpertino tempore ponto incubat 231
Unda indignata terris 168
Unda terræ irata 186
Undæ jejunia pro aqvæ inopia 150
Vocibus menſuris, h. e. æternis, publica æva teſtari 216
Votis vectigalibus domino gratari 344
Votorum tempeſtas 327
Uri dicitur ferrum ſpumis & ſanguine 151
Uteri labores, i. e. liberi 195
Vulgi unda, i. e. multitudo 357
Vulgus inane, i. e. Manes 162
Vulgus Iners averni h. e. inferi 171
Vulneratus dicitur vomere calidum de pectore flumen 359
Vultus Tireſiæ opacus 246
Z.
Zephyri veneno armati 21

CAP. XII.

HYLE INVENTIONUM POETICARUM.

§. 1. Inventionum poëticarum hyle promiſſa exhibetur. 2. Epicheremata Hermogenis. 3. unde deſumantur. 4. Ἐργασία vel epenthymemata Hermogenis. 5. Fr. Robortellus lib. de artificio dicendi. 6. Inventio gratulatoria de dignitatibus collatis. 7. quæ varia eſt. 8. prout variæ ſunt dignitates. 9. id quod deducitur è locis περιστατικοῖς, juxta verſic: Quis, quid, ubi &c. 10. Symbola dignitatum conferen-

conferendarum. 11. *Gratulatio de Doctoratu.* 12. *in quacunque facultate.* 13. 15. *inſtituitur juxta verſiculum citatum.* 14. *ex argumento diſputationis inauguralis.* 16. *Gratulatio de Rectoratu Academico.* 17. *in quacunque facultate.* 18. *Subſidia ab inſignibus Rectoratus.* 19. *Gratulatio de novo anno.* 20. *Inventio à ſtrenis afferendis.* 21. *Gratulatio de natali.* 22. *de victoriis.* 23. *Exempla gratulationum de dignitatibus.* 24. *de natali primo.* 25. *de natali anniverſario.* 26. *de novo anno.* 27. *de victoria.* 28. *miſcella gratulatoria.* 29. *Inventiones in epithalamiis cum exemplis generalibus.* 30. *Exempla ſpecialia à nomine ſponſorum.* 31. *à perſonis matrimonium ineuntibus.* 32. *à tempore.* 33. *ab occaſione amoris.* 34. *ab adjunctis.* 35. *à genere carminis.* 36. *miſcella.* 37. *Inventiones in epicediis.* 38. *exempla generalia.* 39. *ſpecialia à nomine.* 40. *à perſona.* 41. *à loco & tempore.* 42. *à genere mortis.* 43. *ab argumentis patheticis & conſolatoriis.* 44. *à moralibus.* 45. *à ritibus & antiquitatibus.* 46. *à forma carminis.* 47. *miſcellanea.* 48. *Exempla carminis ſoterii.* 49. *eucharistici.* 50. *propemptici.* 51. *gratulatorii de adventu.* 52. *dedicatorii.* 53. *encomiaſtici perſonarum.* 54. *variarum rerum.* 55. *in imagines.* 56. *Sylloge variarum invectivarum & ſatyrarum.*

PRomiſi *Cap.* 10. *§. 39.* Inventionum poëticarum aliqvam ὕλην in juventutis 1
uſum, id nunc facturus qvaſi Speciminis loco præmittam pleniora qvædam
exempla. * Sunt verò hîc etiam, ut Hermogenes vocat, Epicheremata, 2
qvorum κεφάλειον ſeu propoſitio certa eſſe debet. * Illa Epicheremata, 3
docente eodem Hermogene, deſumuntur è locis περιστατικοῖς, προσώπου, πράγματος, τόπου, χρόνου, τρόπου, αἰτίας, qvæ ille Enthymemata vocat, ac vulgato illo verſu:
Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando, continentur. * Ἐργασία 4
ac deductio ipſa, qvæ Hermogeni conſiſtit in Exemplo & collatione ſeu παραβολῇ, ex iisdem locis ſumitur, ſicut res poſtulat: Atqve hæ probationes in illa Ἐργασίᾳ
collocatæ Hermogeni vocantur Epenthymemata. * Qvæ ſingula fuſius proponit 5
Fr. Robortellus libro de artificio dicendi, capite, qvo de methodo perqvirendi artificii
in Scriptis Poëtarum antiqvorum agit, p. 29. & 30. * Monſtrabimus ergo, qvo- 6
modo in locis illis περιστατικοῖς inventio poëtica formari poſſit, exemplo gratulatorii carminis, & qvidem primò de dignitatibus collatis.

Varia hîc eſt inventio pro varietate dignitatum, qvæ conferuntur, qvarum 7
omnium accurata delineatio propter rerum multitudinem dari neqvit. * Digni- 8
tates ſunt vel ſacræ vel civiles, vel militares, vel ſcholaſticæ, vel ſummæ vel inferiores. Sacræ ſunt Epiſcopatus, Archiepiſcopatus &c. Civiles, Regnum, Ducatus, præfecturæ &c. Militares etiam variæ. Porrò ratione temporis ſunt dignitates perpetuæ vel ambulatoriæ, vel transmittuntur ad hæredes, vel ad vitæ tempus durant, ut Conſulatus, Legationis dignitas &c. Aliæ ſunt ſucceſſivæ, aliæ electivæ. Singulæ ſpecies pro ſua conditione proprias qvasdam inventiones parere poſſunt, qvæ ad certa capita vo-

 cari

9 cari neqveunt. * Nos utemur hîc locis περιστατικοῖς, qvi vulgato verſiculo comprehenduntur, *Quis*, *quid*, *ubi* &c. *Tò quis* comprehendit laudem perſonæ, cui dignitas defertur, vel à qva defertur, qvod ſi is Princeps ſit, in promptu ſunt loci communes apud Poëtas Panegyricos, veteres, & recentiores, Claudianum, Barlæum &c. *Tò quid* continet laudes ipſius dignitatis, ubi de magnitudine ejus, de majeſtate & præeminentia, multa dici poſſunt. *Tò ubi* loci circumſtantiam, ſi ea deferatur in ſolenni loco, in templis, ſub dio, qvod qvibusdam locis fit, coram altari, in urbe aliqva præcipua. Hîc Poëta varias habebit occaſiones fingendi allocutiones, ad Deum, ad genium loci &c. Item deſcriptiones Topographicas, in qvibus ſtudioſiores præ Oratoribus ſunt Poëtæ. *Tò quibus auxiliis* involvit concomitantes & impulſivas cauſas, inter qvas referri poſſunt electio & ſucceſſio. Si electio, dicas, illum virtute ſua meruiſſe dignitatem, non emendicatis ſuffragiis, caſu, dolo, fraude, qvod concordia fuerint omnium ſuffragia. Si ſucceſſio, dicas, hæreditarias eſſe in illo virtutes, &, data occaſione, commendetur ſucceſſionis jus, qvod illuſtrari poterit variis comparationibus à natura animalium, arborum, agrorum petitis. Anteceſſor qvoqve poterit laudari, ita tamen, ut ſucceſſor præferatur. Si qva fuerint ſingularia omina vel divina auſpicia, ad hanc qvoqve claſſem pertinebunt, ac licet Poëtæ liberè nonnunqvam iſta fingere, ſed videat, ne alia fingat, qvàm qvæ ſunt poëtica: Hiſtorica enim fingere ſalva veritatis lege non licet. *Tò cur* cauſam finalem notat, qvæ ſalus eſt publica, Reip. legitima vel in toto vel in parte adminiſtratio, jurium conſervatio, gentis & imperii incrementum, ſacrorum cura, tribunalium & juſtitiæ incorrupta adminiſtratio, literarum, Academiarum, Scholarum, rei militaris cura &c. de qvibus Magiſtratus vel Principis alicujus officiis, tàm in pace qvàm in bello, plenum Claudianus exemplum prebet in laude Stiliconis, aliisqve Panegyricis carminibus, uti & Barlæus. *Tò quomodo* involvit varios ritus, in ipſa dignitatis collatione obſervari ſolitos, qvò pertinent preces, unctiones, inveſtituræ, infulæ, pallia, faſces, coronæ, laurus, ſceptra, claves, gladii, annuli, poma aurea, & ſi qvæ alia ſunt auſpicii Regii, vel Ducalium, vel Epiſcopalium, &

10 aliarum dignitatum ſymbola, ad qvæ variæ alluſiones formari poſſunt. * Hinc in ſubſidium vocari poſſunt, qvi de ſymbolis illis ſcripſerunt. Generatim de plerisqve agit *Boclerus in Diſput. de Auſpicio Regio*, *Sylveſter Petra ſancta de teſſeris gentilitiis*, *de ſceptro Berneggerus*, *de infulis Epiſcopalibus pileo &c. Solerius. De annulis Licetus*, *Kirchmannus.* Potes etiam huc referre ſymbola proverbialia vel gnomica Regum & Principum, qvæ collegit Reusnerus. Poteris etiam ad ritus veteres & aliarum gentium mores, data occaſione, alludere. *Tò quando* tempus notat. Hic conſidera, qvo anno, die, menſe fiat, & ſi qvod memorabile antiqvitus geſtum ſit: Perpende etiam, an in pacato ſtatu, an in turbulento ſit reſpublica, an præſenti tempore memorabile aliqvid in republica geratur &c.

11 In GRATULATIONE de DOCTORATU eodem modo procedes. Ad *tò quis* pertinent inventiones, qvæ à nomine, patria, gente, familia, aliisqve, qvibus fungitur officiis, peti poſſunt, Si ſit Conſiliarius, Advocatus, Sacerdos, Archiater

chiater &c. Si ægrotus, abſens, præſens &c. e.g. *in Sparmannum Archiatrum Chri-*
ſtinæ Reginæ, Boxhornius in poëmat: p.24. *de fratribus geminis eodem tempore pro-*
motis, idem p.6. *ad Patrem cum filiorum quartus promoveretur*, id p.27. *ad patriam*
Hagam: de aliquo in Juriſconſultorum ordinem cooptato, idem p.30. *ad aliquem in*
patriam redeuntem, poſtquam laurea medica decoratus fuerat. Bannin p. 96. *ad ur-*
bem Alcmariam, cum quidam J.U.D. renunciaretur. p.185. Ad τὸ *quid* pertinet ipſe
gradus, qvi confertur, ubi in genere formari poſſunt Loci communes de dignitatibus,
qvod ſint virtutum præmia, ubi comparare potes Studia cum certaminibus athleta-
rum, eorumqve præmiis, ludis olympicis &c. De titulis virtute & Studiis digniſſi-
mis eorum inſignibus: poſſet etiam, ſi videretur, invectiva inſtitui in indignos gra-
duum captatores, meritò de gradu dejiciendos. * Qvod attinet ad gradus ſin- 12
gularum facultatum, digredi potes in laudes Theologiæ. *Vide carmen de Theologo*
perfectiſſimo Franciſci Vavaſſoris in Parnaſſo Societatis Jeſu p. 61. Si in Jurisprudentia
tractetur locus communis de ejus laudibus, deſcribatur Juriſconſulti, Advocati, Con-
ſiliarii, officium. *Vide characterem cauſarum Patroni in gratulatione Doctorali ad*
Johannem à Dans apud Boxhornium p. 14. & in ſimili gratulatione *carmen de officio*
boni Advocati apud Niendalium in poëmatibus p. 84. Si in Medicina; ſuppeditare Lo-
cos communes poſſunt *Satyræ Medicæ Jacobi Balden.* Si in Philoſophia, ampliſſi-
mus per ſingulas diſciplinas campus patet. * Τὸ *ubi* notat locum, qvi eſt cele- 13
bris aliqva Academia, templum, collegium: poſſunt ad locum allocutiones formari.
Ita *Leidam alloquitur Boxhornius in creatione Doctoris p. 7.* Τὸ *quibus auxiliis* notat
cauſas ſocias & concomitantia, ut ſi ſub celebri Præſide inſtituatur promotio. *Exem-*
plum vide apud Niendalium p. 60. ſi Principis ſumtibus fiat, ſi ſolus, vel cum aliis,
ejusdem vel diverſarum facultatum, promoveatur, ſi nuptias eodem tempore celebret,
ubi variæ inventiones ratione variarum facultatum inſtitui poſſunt. Poſſunt & fingi
Veneris, Aſtrææ, Sophiæ, Euſebiæ, Pallados &c. certamina. *Vide ap. Boxhornium*
p. 14. *&* 15. *in quendam proximè poſt nuptias Doctorem juris renunciatum.* * Ex 14
argumento diſputationis inauguralis inventiones deſumentur, e.g. in *quendam poſt*
diſputationem de lue venerea Doctorem medicinæ creatum, vide Boxhornium *pag. 48.*
Laus febris qvum Johannes Regius poſt habitam de febri diſputationem medicorum ordi-
ni insereretur. Vide eundem p. 11. *in quendam poſt publicam de angina diſputatio-*
nem Doctorem medicinæ creatum, vide eundem p. 18. *in quendam poſt diſputationem*
de hæredum inſtitutione earumque querela Doctorem creatum, vide eundem p. 26. *in*
quendam poſt diſputationem de nuptiis Jureconſultorum ordini inſcriptum, *p.* 41. Pot-
eſt etiam ad Patrem dirigi gratulatio, cujus ſumtibus inſtituitur ſolennitas, vide Box-
hornium p. 27. *In quendam poſt honores obtentos matrimonium ineuntem*, miſcella-
nea noſtra poëtica p. 75. Poſſunt etiam allocutiones fingi ad Aſtræam, Apollinem,
Muſas, e.g. *allocutio ad Themidem in creatione Doctoris juris*, Boxhornius p. 40. ad
philoſophiam in creatione Magiſtri; *in quendam poſt diſputationem medicam de luxa-*
tione membrorum Doctorem medicinæ creatum. Vide primitias Parnaſſi noſtras. Ad

A minium, qvum poſt diſputationem de dyſenteria medicinæ Doctor crearetur, Bannin. p. 88. *ad alium poſt diſputationem de angina Doctorem Medic. creatum* id. pag. 175.

15 * Ad τὸ *Cur* refertur cauſa finalis, qvæ eſt in Theologiâ fidei defenſio contra Hæreticos &c. In Jurisprudentia juſtitiæ adminiſtratio: In Medicina ſalus hominum, à qva pendet ſalus publica: In Philoſophia veritas in contemplatione, beatitudo in actione. Hæc ſingula fuſius deduci & applicari poſſunt. Τὸ *Quomodo* continet ritus in promotione adhiberi ſolitos, qvales ſunt infula, annulus, amplexus, liber clauſus & apertus, faces ardentes. Si ſinguli ritus ad ſingulas facultates applicentur, varios pro renata inventiones formabis. Vid. exemplum in Miſcellaneis noſtris pag. 48. *in pileum.* Τὸ *quando* tempus notat, ſi forte conferantur honores vel in juventute, vel media ætate, vel die natali, anno ætatis Climacterico, ſi tempore belli, peſtis &c. e. g. *in quendam ſub egreſſum canicularium feriarum Licentiæ gradum adeptum* Boxhorn. p. 77. *in Medicum medio bellorum tumultu creatum, p. 23. in quendam prima juventute Doctorem juris creatum, p. 53.*

16 In GRATULATIONE de RECTORATU ACADEMICO præcipuè inventiones deduci poſſunt, *à perſonis, earumque conditione.* Hæ in genere ſunt literati. Hic dices, qvomodo Muſis cum Imperio conveniat, non eſſe Tyrannicum ſed virginale & placidum: non jam inter ſteriles tantum Parnaſſi arenas dominari Apollinem: non jam amplius boves paſcere, ſed ſelectiſſimos juvenes, (aut ſic applica: Apollo olim boves pavit, Tu nunc curabis, ne ille leonibus, Urſis, lupis imperet; tu à Circæis poculis, qvæ in feras mutant, abduces) Muſas latius imperium habere, qvàm

17 Reges, qvæ ipſis dominantur Regibus. * Si Theologus eſt, per fictionem poëticam induces Pietatem leges imperio ejus præſcribentem, qvod eo perfectius erit, qvo perfectior eſt virtus illa, qvæ in illo imperat. Dic imperium ejus Hierarchiam, ſed innoxiam, qvod contra Gigantes θεομάχες milites. Si Juriſconſultus, induces Aſtræam, Themidos oraculum in Helicone: novum aliqvod judicium inſtituendum, in qvo non Paris Veneri, ſed Phœbus Minervæ palmam tribuat; tribue illi Pallada armatam Clypeo & haſta, eandemqve pacifica olea decoram: dic illum docere omnes, qvomodo ſuum cuiqve tribuant, & ſibi ipſi. Si Medicus eſt, dic: Apollinem illum eſſe, qvi & Muſarum & ſanitatis præſes ſit; tollere illum debere morbos Muſis peſtiferos ac noxios, per diſtributionem allegoricam, *Vid. carmen noſtrum in Rectoratum Marchii in primitiis Parnaſſi.* Si Philoſophus eſt, & qvidem primò Metaphyſicus, monſtra, qvemadmodum illi imperium conveniat in Muſas, qvi dominatur ceteris diſciplinis: monebis, ut abſtrahat omnes à malitiâ, & nihil concreſcere ſinat vitiorum, curet, ut omnes ſint uni (ex Pythagoræ præcepto) veri, boni &c. Si Phyſicus, dic illum ſecundum naturæ leges imperaturum: dic, totam hanc rerum naturam nihil aliud eſſe, qvàm magnum Imperium, ad cujus exemplum ille imperaturus ſit. Apollinem & novem Muſas nihil aliud eſſe, qvam decem orbes cœleſtes: hic monſtra Planetarum & orbium cœleſtium cum Muſis convenientiam. (*Videantur Platonici*) Si Poëta, oſtende Helicona, Pindum &c. Etiam in his montibus inveniet

niet auri fodinas, his Caſtaliis fontibus rigabit Muſarum agros, ut varii generis germina felicius creſcant, cedri, lauri, viles etiam alni. Si Ethicus, omnes in illo dic virtutes imperare, & mediocritati aſſvetum, etiam hic medium facile obtenturum. Etiam hîc pro ſummo fine eſſe beatitudinem. Si Politicus; dic hoc imperium qvandam eſſe rempublicam, ubi Philoſophus imperet, & Philoſophi obediant, Rectorem à Rege non differre, (*huc refer ea, quæ de regno ſapientis in philoſophia Stoica diſſeruntur*) vigere hîc ſocietates, excluſa tamen conjugali, qvæ inter virgines Muſas non admittitur, ut qvæ non corporis ſed mentis tantum partus ſuſcipiant. Nullos hîc eſſe ſervos, ſed omnes liberos (*Vid. Lipſii manuductionem ad Philoſophiam Stoicam*) ſuam Regi hic eſſe majeſtatem, ſua regalia, ſua Muſis eſſe vectigalia, ſuas nundinas, ſuos vaſallos, ſua feuda, qvibus inveſtiantur, Doctores, Licenciati, Magiſtri, ut Comites, Barones, Nobiles: etiam hîc eſſe eqvites ſed Pegaſeos, bella etiam geri, ſed cum barbarie & ignorantiâ, ſed in Muſarum area, non in arena gladiatoria. Poſſes hîc formare acclamationes ad imitationem veterum. Si Mathematicus eſt, dic, illum omne tuliſſe punctum, totum eſſe teretem & rotundum, qvemadmodum virum bonum deſcribit Horatius; effecturum illum, ut imperium ſuum ſit qvaſi qvidam circulus, in qvo extrema à centro ſeu medio virtutis æqvaliter diſtent: Dic illum omnium rerum menſuram initurum, æqvalia inæqvalibus, paria paribus miſturum. Si Orator & Poëta, dic illum inſtar Herculis Gallici eloqventiæ catenis omnes ſibi devincturum. * Poſſunt ſecundò *ab inſignibus inventiones* duci, qvalia ſunt ſceptra, 18
purpura, aureæ claves. Hic ſubſidia ſuppeditabunt, *Berneggerus in Oratione qvadam de ſceptro, Bœclerus de auſpicio Regio, Idem in Apollinis ſceptro ad Comitem Guſtavum de la Gardie, Rectorem Upſaliæ creatum, Ericus Puteanus in purpura Auſtriaca ad Principem Ferdinandum, ubi purpuræ qualitates confert cum Cardinalitia dignitate.* Tertio à *tempore* inventio petetur, ſi fortè dies feſtus ſit, aut qvodam memorabili facto inſignis. Ratione temporis, cum ſemeſtris dignitas ſit, poſſit comparari cum dictatura Romanorum &c.

In GRATULATIONIBUS de NOVO ANNO partes poſſunt conſtitui qvatuor, è qvibus, qvod commodum erit, adhiberi poteſt, *primò* gratulamur de exantlato anno, ubi conſiderabis circumſtantias varias, an annus fuerit Climactericus, an Periodicus aliqvis vel ſimilis, an dies novi anni in natalem ejus incidat, cui gratularis. An annus inter morbos vel alias fortunæ difficultates ſit exactus, (tùm enim in ſubſidium vocabis ideam carminis Soterii) an peregrè, an domi; tùm dices ſolis laborem eum imitatum eſſe, cumqve eo domum rediiſſe: An in bello vel pace. Ratione perſonæ variari etiam poſſunt argumenta gratulatoria, ſi Princeps ſit, dicas illum cum Conſulibus Romanis annum pandere & faſtos, conferre ſeculo felicitatem. Si Theologus vel Sacerdos, dicas, ad illum non pertinere tempora ſed æternitatem, vel potius veteres annos & mores antiqvos, non nova ſecula. Si Conſiliarius, Jureconſultus, gratuleris illi de præterito anno, ex qvo ſibi ipſi formaverit vel præviderit prudentiâ futurum annum & cæteros: comparabis illum cum Jano bicipiti; Si 19

Medicus, mille illi ſalutes & de morbis triumphos precare. Si Philoſophus, dic illum ſupra annos eſſe, ipſis dominari aſtris, ipſiqve tempori, cui ipſe orbes ſuos præſcribat, qvod numeris ſuis includat: Si dives ſit, precare crumenis & arcis ejus Janum Patulcium & Cluſium, qvi juſto tempore largiatur & recondat. Poſſumus *ſecundo ad varios ritus* tàm veteres qvàm recentiores alludere, de qvo nos alibi copiosè diximus. Poſſumus *tertio gratias agere pro præſtitis beneficiis*, ubi ineatur perſonarum ratio:

20 Subſidia hîc petes ex idea carminis Euchariſtici. * Poſſumus *quarto ſtrenas afferre* vel veras vel fictitias. Hæ ad morem veterum dari poſſunt, argutè ad illas applicatione facta: vel fictione aliqvâ poëticâ excogitari, prout perſonæ, cui illæ offeruntur, conveniunt. Et ea qvidem ratione Paſſeratius varias obtulit Memmio ſtrenas, auram, nugas, columbam, olivam, morum, ficum, palmam, pſittacum, laurum, roſam, olorem &c. qvæ tamen mihi non adeò probantur, qvoniam indiſtinctè nullo habito convenientiæ diſcrimine offeruntur. Vid. *primitias Parnaſſi noſtras*, ubi varias omnium facultatum Profeſſoribus ſtrenas exhibemus. Ita Theologo vel ſacerdoti poſſes offerre claves Jani, Sphæram cœleſtem cum omnibus circulis & aſtris, qvod continua allegoria rei præſenti applicare poſſes; Juriſconſulto libram, gladium, faſces, fortunæ rotam; Medico coronam qvernam, civicam, pro ſervatâ ſalute civium, ſerpentem exuvias exſuentem, Phœnicem; Chimico Jovem lapidem; Philoſopho circulum, qvo ipſe annus & tota rerum univerſitas notatur, dolium Diogenis, ſaxum Siſyphi, rotam Ixionis: Metaphyſico nihil, omnia, rem, Chimeras, univerſum, unum, verum, bonum. Phyſico, flores ex hortis, atomos, ſemper vivum, ſimilesqve herbas, Laurum e ſylvis, aurum è fodinis, uniones è mari, ovum, qvod omnium rerum principium facit Orpheus; Mathematico annum ipſum & ſecula, puncta, pyramides; Oratori fulmina, mella, Caryotas, Thurſos, bona verba; Poëta Pegaſum, fontes Caſtalios, laurum. Ethico centrum. Politico horologium; Patri familias opera & dies. Poſſent etiam in forma emblematis efferri. Sed talia infinita excogitari poſſunt, ac ſolent mirè in talibus ſagaces eſſe Oratores ſacri, qvi Strenas pro concione largiuntur. Videatur *Stegmannus* in *Chriſtognoſia ſuâ*, ſub titulo *Chriſti Strenophori.* Videndum tamen, ne in nugas prolabamur, ut facilè fieri poteſt, ſi nimis in talibus operoſi ſimus. Debet enim modus eſſe in rebus. Poſſumus *quintò* varia ἤθη & πάθη immiſcere, vota pro incolumitate & felicitate ejus, cui gratulamur.

21 In GRATULATIONE de NATALI inventio ducetur *primo* à *perſonis*, ubi ſunt Majores, Parentes, de qvibus loci Rhetorici conſulantur. *Secundò* à *tempore*, qvod anteceſſit partum, ubi oracula, auguria. *Tertio* à *partu ipſo*, ejusqve adjunctis, qvæ ſunt apparatus varii, baſia, cantilenæ ad cunas, dies feſtus, anni tempus, ver fæcundum, ſolſtitium vegetum, autumnus gravidus, hyems genialis. Ornamenta poëtica addantur, de partu mirabili è ſpuma maris, cerebro, femore, Jovis, Chao: de educatione, à columbis, à capra Amalthæa: allocutiones ad ſtellas, auroram, patriam, Lucinam, bonam Deam &c. Quartò ab ἤθεσι *ſeu votis* ad infantem

tem, ad parentes, de familiæ incremento. Si maſculus, gratulare de hærede felicitatis ac indolis patriæ, de bellicâ virtute, de ſtudiis, ſi fœmineus, pulchritudinem, ingenium Matris in illo commenda. In *anniverſario natali* inventiones à laude perſonarum additis ornamentis poëticis omne punctum ferent.

In EPINICIIS ſive *gratulatione* de *victoriis* convenient primò *loci perſonales*, laus ſcilicet victoris ex adjunctis huic argumento aptis, qvæ ſunt qvatuor illæ virtutes Imperatoriæ à Cicerone in Oratione pro L. Manil. notatæ. Secundò *loci, quibus factum laudatur*, omniaqve illa Enthymemata apud Ariſtotelem de honeſto & pulchro. Tertiò *loci communes, difficile, impoſſibile*, & qvæ ſub his continentur. Qvartò *loci octo amplificatorii* apud Ariſtotelem. In his omnibus latent ſpecialia illa, gravitas facti propter firmitatem munimentorum, aliaqve impedimenta objecta, fatum, auguria, hoſtium ferocitas, patriæ ſalus, libertas publica, gloria poſt mortem ſuperſtes, vota omnium pro longævitate. Poſſunt addi varia ornamenta Topographica, pathographica, deſcriptiones è locis adjunctorum, pugnarum, periculi. Poſſunt addi comparationes & exempla more Poëtarum. 21

SYLLOGE EXEMPLORUM.

I. In GRATULATIONE de DIGNITATIBUS. Gratulatio de Præfecturâ eqveſtri & maritimâ *Delitiæ poët. Scot. tomo* 1. *p.* 71. de Inauguratione Jacobi Regis, *p.* 251. & 275. Ludovici XIII. *p.* 359. In coronatione Reginæ *tomo* 2. *p.* 71. Jacobi *tomo* 6. *p.* 227. & 254. De tribus Regnis unitis ad eundem, p. 279. De Epiſcopatu Wallius p. 41. Senatui populoqve ſub Epiſcopo pacem optat, p. 49. Ad Marcellum in prima pueritiâ legioni patriæ præfectum p. 91. De Epiſcopatu poſt ampliſſimos honores, *alluſio ad gentilitiam teſſeram, quercum & leonem, p.* 197. In duos Epiſcopos ſimul conſecratos, *Wallius p.* 318. In inaugurationem Epiſcopi *Hoſchius* p. 34. ad Belgium cum Marchio militiam regiam adminiſtrare inciperet p. 53. In inaugurationem Epiſcopi, p. 66. gratulatio de dignitate ſenatoria ipſis Jan. Cal. *Neuhuſius p.* 190. De Conſulatu p. 203. gratulatio ad Ferdinandum, *Parnaſſus ſocietatis Jeſu, p.* 559. Maximilianus Bavariæ Dux Cæſari Bononiam reſtituit, *tomo* 2. p. 157. In novam purpuram Cardinalis, p. 563. *Vid. plurima exempla in poematibus Barlæanis.* Ad *gratulationem de Doctoratu & Rectoratu* pertinent illa, ad Philoſophiæ Profeſſorem & creatum Medicinæ Doctorem Daniel Heinſius p. 118. Ad Caſtorem & Pollucem geminos fratres, qvum uterqve Licentiam in utroqve Jure reportaret, p. 397. Ad Martinium juris Doctorem creatum, p. 398. ad Regem Sveciæ; cum JCtorum Ordini aliqvis inſertus eſſet, p. 399. Ad Thyſii Filium, J. D. creatum, p. 400. Ode ad Gernandum 13. ætatis anno Philoſophiæ Magiſtrum creatum p. 502. De Rectoratu *Scoti tomo* 1. *p.* 532. *it. tomo* 2. *p.* 224. Ad Leonem Belgicum domi militiæqve vulneribus & morbis affectum, cum aliqvis, cui Leo inter ſigna erat, Medicus crearetur, *Wallius p.* 416. In J. D. creatum *Bannin. L.* 2. *Elegia* 10. ad urbem Hornam, cum ejus civis Medicinæ Doctor fieret, p. 61. in qvendam die ſuo natali J. Doctorem creatum p. 62. In promotionem juris, p. 90, 98, 168, 189, 184. In honorem Doctoralem Voſſii *Barlæus* p. 108. 23

Ad Dorislaum ex pædagogo D. J. creatum, p. 290. In qvendam D. J. creatum *Baudius p. 107.* ad qvendam Philoſophiæ Profeſſorem p. 110. p. 115. Ad Epiſcopium Magiſtrum creatum p. 430. In Metaphyſicæ Profeſſorem Medicinæ Doctorem creatum, p. 447. in qvosdam D. J. creatos p. 523, 534. In laurum Philoſophico-Medicam. Sententia Apollinis *Placcii poëmata p.* 236. Gratulatio de Doctoratu juris *Neubuſius pag.* 199, 219, 244, 245, 252, 301, 333, 337, 397. De gradu Medico p. 215, 247, 304, 399. De gradu in Philoſophicis, p. 207. De Rectoratu ſcholaſtico pag. 396. Ad Academiam Regiomontanam Magiſtros creantem *Paſtorius* p. 91. In D. J. creatum *Nicolaus Heinſius* p. 193. In qvendam Medicorum ordini inſertum p. 196. In duos fratres D. J. creatos, p. 272. it. p. 277. De Theologiæ Doctoratu p. 278. In Rectoratum Academic. Cunæi *Barlæus.*

24 II. In GRATULATIONE de NATALI PRIMO. Vide tria genethliaca carmina variis inventionibus elaborata apud *Jacobum Balde*, tomo 2. Poëmatum, (1.) carmen in filium Comiti de Tylli natum (2.) Comiti Palatino Philippo Wilhelmo nomine totius collegii ſcriptum. (3.) in Filiolam eidem Principi ipſo feſto trium Regum natam, ſub perſona trium Gratiarum. Tertio carmini ab ipſo Autore artificium ſubnectitur. De filiolo primogenito Marchionis Montoſerii *Zevecotius* p. 37. Fons bellaqveus Delphini natalibus baptiſmate ſacer, Idyllion *Scoti p.* 282. Epigramma ad Patrem baptismate ſuſcipientem filium. Comparatio cum Achille, Stygiâ undâ tincto, p. 286. Genethliacon Ducis Andium tertio partu geniti. Comparantur tres filii Geryoni p. 286. Ducis Aurelienſis ad Regem Patrem, p. 306. Oda qva celebrantur Principis Scoto Britanni natales *tomo 2. p. 98.* de natâ filiâ prima vice p. 382. ad ejusdem uxorem de partus difficultate, ibidem. Ad Gulielmum Comitis Swartzburgenſis filium ex themate natalitio concinnatum, *Wallius p.* 76. In infantem Principis Arauſiorum natum poſt victam Hiſpanorum claſſem, *Barlæus L. 2. Heroicorum p.* 350. in natum Galliarum Delphinum eadem die & hora, qva Amſtelodamo discesſit Avia Maria de Medicis *ibid. p. 356.* in Delphinum Galliarum *in Delic. poet. Gallor. Paſſerat. p. 108. tomo 3.* Genethliacum nobilis pueri p. 344. In Delphinum Regis Galliarum *Nicolaus Heinſius* p. 205. Vid. eundem L. 4. Elegia 4. Genethliacon Jacobi IV. Regis Scotorum, *Buchananus p.* 309. In natalem Delphini Galliarum, *Baudius p. 633.* Carmen conſtans ex meris Chronoſtichis in cunas filioli nati ad natalitia Chriſtianæ ſalutis, *Neubuſius p.* 26. Cunæ Auriacæ in nat. Princ. Arauſ. *Hugenius in momentis deſultoriis* p. 5. Genethliacon Delphini *Laur. le Brün Eloq. poet. T. 2. p. 488.* baptiſmus Dominici Prioli. Infantis crepundia & cunabula *Bonifac. L. 9. Muſarum carmine 61. & ſeqq.* Marinæ Mauræ puerperium *ibid. carmine 64.* ad Patrem gratulatio pro nato filio, *ibid. carmine* 79. Ad patrem Bernhardum de filiolo Polo Nano, nato, dum Pater civitati Bellonæ præſideret, comparat cum Hercule, *ib. carmine 103.* Genethliacon ab ominibus inventione petita, *lib. 10. carmine 138.* Miraculoſo Galliarum Delphino *Stratenus in Venere Selanda p.* 58. Ad eundem Genethliacon *id. p.* 165. Nova Gallia Delphinum ſalutat *Laurentius le Brün opuſculis ſelectis p.* 486. Nænia pro puero ad ſomnum provocandum; Nænia nutricis: Næniæ aliæ nugatoriæ, *Jovianus*

Pontanus lib. 2. de amore conjugali à p. 3351. ad p. 3358. Ad Lucinam parturiente Piccolominea Sannazarius *L. 1. Elegiarum: p.* 97. de partu Niſææ *id. lib. 1. Epigr. p.* 147. in filiolam natam Hugenio poſt qvartam prolem maſculam *Barlæus p.* 494. Genethliacon epicum *Delic. poet. Ital. T. 1. fol.* 213. infantis Tuſcani *fol.* 351. filii Gonzagæ oda T. 2. *fol.* 222. Amſtela exſultans ſuper Galliarum Delphino *Keuchenius* p. 122. ad JCtum, cui uxor primo partu gemini ſexus progeniem peperiſſet p. 130. in Principem die Lunæ natum *Bruno Mengelmoes p.* 279. in Principem Auriacum ſexto conventu die Solis nona veſpertina denatum, & filium ejus poſthumum mox natum, *id. p.* 280. Omen Genethliacon, ad sereniſ. Principem *Albertus ab Ines oda* 63. Ad uxorem ſuam, cum eſſet gravida *Daniel Heinſ.* p. 382. In filiolum primogenitum Hugenii p. 393. Alluſiones aliqvot in nepotulum Cornelii & Martini natum Petteni ad mare in hoſpitio publico, cum de munimentis maritimis comitia agerentur *Neuhuſius p.* 104. In natalem Delphini vigeſimo poſt connubium anno nati, *Paſtorius parte* 1. *Sylvarum p.* 68. in natalem Principis Polonorum p. 68. Ad qvendam cum ei uxor in mari filium peperiſſet, p. 117. Choreæ (*Ballet*) in natalem Fridericæ Amaliæ principis Danicæ à Vito Beringo ſcriptæ.

GRATULATIONES de NATALI ANNIVERSARIO. Ad Fulgentium 25
Stephani natalem in Januario celebrantem, Zevecotius *lib. 1. Elegia* 2. in natalem amicæ p. 142. Ad Jacobum VI. Angliæ Regem, *Scoti T. 1. p.* 13. *p.* 221. *p.* 301. comparat cum ſole. Menſis Julii fatalia, qvo natus, maritatus & ad honores promotus fuit, *T. II. p.* 489. In natalem Dionyſii Voſſii Proſopopœia Uranies ad natum qvondam puerum, *Bannin. L. 2. Eclog.* 8. in annum ſuum 60. exactum *Galli T. 3. p.* 723. Genethl. Roſinæ Meliſſæ. Ad nomen alluditur p. 716. De Climacterico magno p. 714. In natalem Ovidii ab eo proximum, qvi natalis Minervæ eſt, *Daniel Heinſius L. 2. El.* 9. in natalem Joſephi Scaligeri oda. p. 504. in natalem diem, ſextum Februarii Electori Brandenburgico ejusqve filio eundem, Carmen noſtrum. In Coſmi Medicæi natalem X. *Nicolaus Heinſ. L. 2. El.* 2. in filium primogenitum Ludovici XIV. *L. 4. El.* 4. in natalem Reginæ Chriſtinæ p. 146. In natalem Kinſchotii p. 267. in natalem annum Joſephi Scaligeri, qvi tanto æſtu nobilitatus fuit, ut pleriſqve calidioribus locis vineæ fuerint exuſtæ, tria epigrammata Rutgerſii *Nic. Heinſ. p.* 133. Ad Boxhornium Vincentius Fabricius de utriusqve natali, qvi in eundem annum & diem incidit. *Fabric. p.* 126. in natalem Nic. Heinſ. *id. p.* 193, in natalem patris ſui *Grotius p.* 209. in Paſcha anni 1612. natalem ſuum 30. *idem p.* 223. in Natalem 31. p. 238. in natalem ſenis, p. 251. in natalem parentis ſui *Nic. Heinſ. l. 1. El.* 5. Elegia de natali ſuo Lotichius *l. 2. El.* 8. in natalem Vincentii Fabricii El. Nic. Heinſ. *Fabric. p.* 218. in natalem amicæ ſuæ *Winſemius in amoribus p.* 272. In natalem ſuum jambus, *Hugenius p.* 323. Ad Epiſcopum Tauriſinum in natalitiis Chriſti, qvibus & Flaccus natus perhibetur, editum, *Bonifacius l. 8. Muſ. Carm.* 55. & 56. In feſto die Divi Sannazarii Martyris ſibi natali, *Sannazarius l. 2. Eleg. p.* 189, in natalem amici *id. p.* 131. in natali Altilii Vatis *id. lib. 1. Epig. p.* 156. Ad Sluſenium tertio poſt Phlebotomiam die natalia celebrantem. *Keuche-*

nius in Muſ. Juvenil. p. 88. in decimum Auguſti diem natalem ſuum, alludit ad ſidus virginis p. 139. in aliqvem feſto purificationis Mariæ natum *Bruno Mengelm. p.* 306. Genethliac. Belgicum in Principem Arauſionenſem duodecennem. Pro munere donat horologium & alphabetum principale, *id. p.* 372. Ad aliqvem eodem ſecum anno, die, hora, ſidereqve natum, *Biſſelius in delic. æſtat. pag.* 372. In Caroli V. natalem *Johannes Secundus p.* 103. In natalem Douzæ Lipſii elegia, *Douzæ poemata p.* 665. in qvendam, cum ipſo natali die periculum evaderet *Miſcellanea Genethliaca.* Proſopopœia Pariſienſis Academiæ Regis filiæ ſub natalem principis natalibus reſtituta *Scoti T.* 1. *p.* 272. ad urbem Gandavum, in qva Carolus V. natus eſt *Becanus p.* 75. In qvendam ipſo natali die D. J. creatum *Bannin. p.* 62. Ad Arnoldum van der Walle in cunis adhuc vagientem, cum ei olivam pacis in ſpem olim colendæ poëſeos mitteret, *Wallius p.* 225. Genethliacorum vanitates irridet, *Caldenbach. l.* 1. *oda* 23. Genealogia Naſſoviorum, *Grotius p.* 28. Ad puerum ſuum in die natali Virgilii, *Lotichius p.* 143. Carmen de excellentia ſexus feminini *Hugenius p.* 46, 47. Carmen Euchariſt. pro Genethl. *Bonifacius l.* 9. *Muſ. Carm.* 65. Puerperium turturis jocoſerium, *Gudberlethius in poematibus à p.* 25. *ad p.* 42. ad S. Ignatium ut Regi Ludovico ſobolem impetret, *Joninus l.* 1. *oda* 10. Ad maciem in die natali *Balde l.* 1. *oda* 54. Irridet Genethliacos *id. l.* 2. *oda* 24. In vaticinium infelix de partu Loſiæ *Barlæus T.* 2. *p.* 455. In natalem 800. urbis Siricææ *Bruno T.* 1. *p.* 39. in falſum de nato princ. rumorem p. 279. Generòſa liberæ gentis Genethlia *Albertus ab Ines oda* 4. Juſtum Lipſium in die natali ad geniale epulum invitat *Douza poem. p.* 654. Vide Genethl. varia *Antonii Chanuti* in virginem Mariam variis inventionibus exornata *in Parnaſſ. ſoc. Jeſu. T.* 2. *à p.* 190. qvæ mutata applicatione ad Principum nativitates referri poſſunt.

26 III. GRATULATIONES de NOVO ANNO. Vid. Paſſeratii ſtrenas integro libro. *Conſtantinum Hugenium in poemat. Belgic. p.* 300, 659, 1069. *Parnaſſ. ſoc. Jeſu T.* 1. *p.* 533. Baſia pro ſtrenis data *Scoti T.* 1. *p.* 55. Strena ad Regem Britanniæ *ibidem p.* 83. Strena ad Pro-Regem ex Anagrammatiſmo *p.* 280. Flores pro ſtrenis *T.* 2. *p.* 333. Epigramma de Jano bicipite p. 474. In Cal. Jan. p. 383. Strena retrograda, p. 384. Strena ad Galatham *Bannin. in poemat. Belgicis p.* 145. Opitius carmen German. in Cal. Jan. *Sylvis poetic. p.* 22. & 28. Jacobi Catzen Cantilenæ in novum annum in *Hofgedachten p.* 79. *& ſeqq.* Hugenii Strena ad qvatuor filios *in moment. deſult. p.* 50. ejusdem epigramma in Schurmannæ Studium novum novi anni tempore *Ib. p.* 369. Ad eandem *pag.* 379. *&* 376. *Taubmannus in Melodæſia p.* 1, 42, 44, 65, 229, 369, 370, 371, 456. Strena ad Pontificem anno 1666. Inventio ex numero Romano anni. *Nic. Heinſ. in carm. adoptiv. p.* 93. *V. Nathan. Chytræum in faſtis ſacris.* Gratulationes in Cal. Jan. plurimas habet *Neubuſius p.* 1, 2, 14, 15, 16, 18, 20, 21, 23, 24, 29, 32, 41, 43, 47, 51, 52, 61, 70, 71, 72, 75, 79, 83. In qvendam ipſis Cal. Jan. in Senatorum ordinem electum, *p.* 190. *id p.* 216, 217. Ad diſcipulos *p.* 254. Ad parentem *p.* 274, 359. &c. Carmen ſeculare in Cal. Jan. *Balde Lyr. lib.* 3. *p.* 187. Barbiton pro Strena *id. Sylv. lib.* 5. *oda* 7. *p.* 130. Salutatio ad pontificem centone Virgiliano Ital. *T.* 1. *fol.* 334. Strena qva gratias agit

pro beneficiis, *Bruno p. 42.* parte 1. Strena ad amicam *id. p. 14. p. 123.* Ad Conſulem *p. 293. parte 2. Id p. 294.* Alphabetum Chriſtianum pro Strena *p. 219. parte 2. Sidronii Hoſchii* fauſti anni apprecatio ad Leopoldum *p. 85.* Vota Belgarum ad eundem p. 87. Vota ex Victoriis Belgicis *p. 89.* pro incolumitate princ. *p. 90.* pro rebus in Germania geſtis *p. 94.* ex aſcititiis inſignibus 98. ex honeſta animi relaxatione 102, ex venatione *p.* 103, ex aucupio 105. ex arte Muſica, 107. ex picturis 108. ex hiſtoria, philoſophia & poeſi, 110, ex virtutibus *p.* 113. &c. Carmina pro ſtrena miſſa ad princ. *Boiſſardus p. III. Flemming. Epigramm. lat. Epigr.* 23, 27. in novum annum in Moſcovia celebratum *l. 9. Epigr.* 26. Strena ad Pontificem *Bonaventura, Baronius in Heroicis p.* 39, 40. qverela de temporis fuga in Cal. Jan. *Vinc. Fabric. p.* 135. Allocutio ad ſe ipſum *p.* 141. Qverela, qvod longam potius vitam qvam bonam precemur. *Id. p.* 146. In ſigillum aureum pro ſtrena datum *Menagii poem. p.* 55. Strena ad fratres Hugenios. Inventio è 12. Zodiaci ſignis *Barlæus T. 2. pag.* 211. De pareliis Lutetiæ viſis anno 1539. finiente, Carolo V. Cæſare, Gal. Jan. anno 1540. urbem ingreſſuro epigr. *Adeodati Sebæ* (*Theodori Bezæ*) ipſi Imperatori oblatum *Galli parte* 3. *p.* 692. Ejusdem Xenium Poeticum ad duos Poëtas ibid. p. 594. In Cal. Jan. ad Fuſcum. *Sannazarius l. 2. El. p.* 121. humanæ vitæ fuga *Joninus l. 4. p. 145. Buchananus l. 3. epigr.* varias ſtrenas diſtribuit Regi, Reginæ, diſcipulis, Epiſcopo indocto, aliisqve Principibus & Matronis *à p.* 352, *ad* 357. Strena ad Comitem Gordonium *Jonſtonus Epigr. p.* 419. & 420. Strena ad Cubicularii Regii Conjugem. *p.* 428. ad Regem, qva recenſitis muneribus, qvæ dare poſſet, nihil Regi dari dicit, cujus non pretioſius exſpectet ἀντίδωρον p. 229. qverela annuli à Gordonio ad ſe miſſi Cal. Jan. p. 354. De variis ad Cal. Jan. & ſtrenas pertinentibus *V. Owenum l. 1. Epigr.* 62, 96, 142, 164, *Lib. ſing. Ep.* 71. *l.* 1. *Ep.* 19. *L.* 2. *Ep.* 4. *L.* 3. *Ep.* 16. Oraculum Julii Mazarini Cal. Jan. *Balzack p.* 18. vota modeſta Cal. Jan. Epigr. *Scoti p.* 128. Muſca Jano oblata, p. 249. De Cal. Jan. Epigr. *Scoti p.* 432. Theocrene pro Hippocrene ad Scotorum Regem *p.* 141. *T.* 2. *p.* 120. Xenium ad parentem p. 180. Meditatio de tempore in Cal. Jan. *Flemming poem. German. l. 1. Sylv. p. 32. L. 1. oda 5. Poëmata German. V. ap. Tſcherningium in Vere p. 17, 20, 192, In prodromo æſtatis p. 20. Salomonem von Golau in Epigr. Germ. Chil. 1. Cent. 9. Ep. 11. Chil. 2. Cent. 2. Ep. 4. 27, 28. Ib. Cent. 15. Ep.* 83. 84, 86. 90. *Cent. 10. Ep. 31. Chil. 3. Cent. 5. Ep.* 38. 98. *Chil. 2. Cent. 2. Ep. 3.*

IV. GRATULATIONES de VICTORIA. *Ad Regem Galliæ* poſt pugnam 27
in Alpibus *Balzack p. 9.* ad eundem *El. p.* 10. Ecloga Alcon in victoriam Princ. Auriaci *Banning p.* 120. In eandem ejusdem Panegyricus *p.* 111. ad fortiſſimum Principem poſt urbem expugnatam *Balz. p.* 23. Oſtenda capta, *Scoti T.* 1. *p.* 125. Regis poſt confecta bella proſopopœia *Scoti p.* 274. Poſt bella unio Ecloga *p.* 428. Deditio arcis ad Regem *p.* 151. De profligata Hiſpanorum claſſe, *p.* 534. ad Archiducem Auſtriæ cum expugnata Dünkerka Flandriam ab armis Gallicis liberaſſet, *Wallius p.* 19. Victoria Cæſaris per Metaphraſin odæ 22. l. 1. Horatii *p.* 155. Oliva pacis ad orbem Chriſtianum id. *L.* 3. *El.* 1. *Vid. & ſqq. Eleg. usque ad 7. affinis argumenti.* Ad Davidem de leonis & urſi cæde *Becanus p.* 17. De victoria ad Nordlingam, *p.* 83.

De Moſa hoſti erepta *Hoſchius p. 68.* Briſacum capta ſeu Panegyris, Saxoniæ Duci dicta, *Barlæus p. 107.* Epinicium in captam claſſem Mexicanam *id: p. 292.* Veſalia capta, *p. 213.* Olinda capta, *p. 242.* V. *plura exempla ib: p. 252, 260, 278, 284, 307, 329.* Ad Principem Auriacum poſt expugnatam Hiſpaniarum Claſſem, *Banning. L. 1. ſylv. Carm. 1.* In expugnatam Hiſpaniarum claſſem *p. 39.* Leucatha triumphans libri duo *Parnaſſ. ſoc. Jeſu T. 1. p. 410.* ad Meracum obſidione liberatam *p. 497.* In Regis Galliarum expeditionem, *p. 517.* Ludovici XII. Panegyric. T. 2. p. 649. it. 652. gratulatio ad Monckium de liberata Britannia *Nic. Heinſ. p. 82.* In victoriam Lotharingicam Ludovici XIV. *p. 207.* de Breda expugnata *in adoptivis p. 51.*

28 V. MISCELLA GRATULATORIA. Excuſatio ſilentii in gratulando, *Balz. p.* 36. ad Regem, qvi ereptus fuerat periculo incendiariorum *Scoti T. 1. p. 435.* ad qvendam Muſicum *Wallius p. 200.* ad militum Tribunum Carthuſiano ordine initiatum, *p. 217.* ad Xaverium Militiæ ſuæ inſignia in Indiam inferentem, *Wallius p. 305.* Ad qvosdam, ſoc. Jeſu ingreſſos, *p. 334, 350,* 365. Ad qvendam cum Joſepho Sacellum dedicaret, *Becanus p. 7.* Ad Gulielmum cùm templi primum lapidem poneret, *p. 97.* Ad Ploſium in ordinem eqveſtrem cooptatum, *Banning p. 159.* ad qvendam Legatum ad Angliæ Reginam, *Baudius p. 97.* Gratulatio de Syndicatu *Placcius p. 122.* Gratulatio ad qvendam manibus hoſtium elapſum, *Neuhuſius p. 39.* de Qvæſtoratu, *p.* 174. de Secretariatu *p.* 176. de Diſputatione juridica, *p.* 177. ad aliqvem artem cum marte commutantem, *p.* 242. in diſputantem de cœlo *p.* 263. *&c.* Ad emeritum Douzam *Grotius p.* 176. Urbani Octavi Pontificis triumphalis pompa *Parnaſſ. ſoc. Jeſu T. 2. p.* 139. Pompa Regia Regis Galliæ *T. 2. p.* 642. Gratulationes in orationes habitas *Nic. Heinſ. p.* 201. ad qvendam de principatu Romuli diſputantem *p.* 233. In diſputationem juridicam *p.* 268. ad Curatorem Academiæ electum, *p.* 73.

29 IN EPITHALAMIIS Inventiones ducuntur I. *à perſonis*, ubi loci Rhetorum excutiendi. Conſiderentur adjuncta perſonarum, Nomina, amoris occaſio, vel vera, vel ficta. Vera, ut pulchritudo, virtus, ſponſi vel ſponſæ, fatum. Ad fictiones pertinent Veneris & Cupidinis conſilia & machinationes, qvalia multa in Poëtis & amorum Scriptoribus inveniuntur. (Vid. hortos Veneris Blyenburgii, in qvibus congeruntur varii Loci Communes ejusmodi rerum ex omnibus Poëtis) Profeſſio ſponſi, unde perpetuæ alluſiones formari poſſunt, affectus mutui, ſtudia, deſideria, inter præſentes & abſentes, ſi ſponſa ægrè expugnata fuerit, ſi literæ multæ ſcriptæ ſint. Hîc varia fingi poſſunt, prout ipſe ingenioſus amoris affectus eſt, cujus Characterographia tàm apud Pathologicos Scriptores, qvàm apud Poëtas perqviratur, ſalutationes, carmina miſſa, inſomnia, excubiæ ad amicæ fores, convivia &c. II. Inventiones peti poſſunt *ab adjunctis* vel circumſtantiis. Hîc Loci Communes de amoris ſvavitate, vehementia, potentia, conjugii laudibus, locum inveniunt. *Vid. Barlæi dialogi nuptial.* & *Jacobi Lydii ſermones convivales, quæ adduntur facibus ejus Auguſtis:* Item deſcriptiones feſtivitatis nuptialis cum antecedentibus & conſeqventibus, & thalami ab ornatu, colloqviis ante & poſt thalami conſcenſum, cujus generis multa ap. *Joh. Jov. Pontanum*

libris

libris 3. *amorum conjugalium.* Antiqvitates qvoqve huc referri poſſunt, ad qvas eruditæ alluſiones inſtitui ſolent, de qvibus antiqvarii Scriptores. *Vid. Aloyſii Novarini Tomum Electorum ſacrorum, qui inſcribitur Aquæ nuptiales.* Á *tempore* inventiones etiam peti poſſunt, ſi ver, æſtas, autumnus, hyems ſit; dies feſtus, caniculares, Bacchanalia, December, Saturnalia, nundinæ, dies lunæ, ſolis, veneris &c. III. Ab ἤθεσι *ſeu affectibus mollioribus* multa duci poſſunt. Pertinent huc omnia vera, ficta, vota pro felicitate, & fœcunditate, varii loci morales de amore. IV. A *forma Carminis* inventio peti poteſt, ſi illud vel Epicum vel Anacreonticum, vel dithyrambus, vel cento, vel Ecloga, ita tamen, ut ceteri etiam loci innectantur. Elegans exemplum eſt Epithalamii apud *Statium in nuptias Stellæ & Violantillæ*, in qvo pene omne qvicqvid eſt Enthymematum & ornamentorum qvaſi coacervari videtur.

Subjiciemus exempla ſpecialium inventionum, qvaſi per lancem ſaturam col- 30
lecta, & qvidem I. A NOMINE *ſponſorum & inſignibus*: Carmen Belgicum in nuptias cujusdam Königii *Bruno p. 198. & 199.* Inventio è nomine Petri *Taubmannus in Melodæſia p.* 642. è nomine Zimmermanni *idem p.* 257. In nuptias ſponſæ Barbaræ. *Idem p.* 235, E nomine Mariæ, ubi de dulcore amoris *p.* 243. In nuptias Margaritæ von Hengſt & Sponſi Türcken Carmen Belgicum *Brunonis p. 65.* Vid. ſimile apud eundem *p.* 82. In nuptias cujusdam Luciæ, *idem p.* 259. Leo liliger & Leæna Roſifera. Inventio ex teſſerâ Gentilitia, *Bonifacius in Muſis l. 5. p.* 235. In nuptias Chriſtiani & Chriſtinæ *Hoffmanni in epigr. p.* 198. In nuptias Gailii & Sandiæ. Inv. Gailius practicus in thoro, ut ille JCtus in foro, anchora amoris in arena figenda. *Id. p.* 200. In Pruſſum, ſponſam Prusſiam ducentem, *Id. p.* 168. Vide Carmina noſtra in *Libro venerum*: Carmen Pancratium in nuptias Pancratii, Venerem piſcatricem, oleariam, fontanam &c.

II. A CIRCUMSTANTIA *Perſonarum matrimonium ineuntium.* An vir- 31
gines viduis ſint præferendæ? *Eleg. Henr. Meibomii.* Deformes pulchris eſſe præferendas *Fabricius L. 2. Eleg. 5.* Pulchras deformibus eſſe præferendas *ibid. Eleg. 8.* Puellas ſimplices prudentibus eſſe præferendas *ibid. Eleg. 9.* Prudentes ſimplicibus &c. *ibid. eleg. 10.* In nuptias alicujus cereviſiarii, qvi Oenopolæ filiam ducebat. Sine Cerere & Libero friget Venus *Hofm. p.* 199. In nupt. Typographi. Prælum amoris *idem p. 180. Epithalamium in eruditum ſcripturus multas inventiones applicare poterit ex Heinſii ad Jacobum Primerium epiſtolâ, quâ agitur: An & qualis viro literato uxor ſit ducenda?* Venus Cimbrica ſeu in nuptiis Chriſtiani IV. Daniæ Regis *Barlæus l. 1. Heroic. p.* 75. Venus Britannica *id. l. 2. Heroic. p.* 290. In nupt. Ennonis *id. p.* 321. In nuptias Hofdii, Poëtæ Batavi, ſecundum ſponſi *id. p.* 460. amatorem Regi ſimilem eſſe, *Vinc. Fabric. el. 3. l. 2.* Amatorem mancipio & captivo eſſe ſimilem *ibid. el. 4.* In aliqvem ſponſum Eccleſiaſten. *Zuber. poëm. part. 1. p.* 14. Epithalamium in Notarium. Inventio ex officio & nomine *Henr. Bruno Mengelmoës p.* 46. In nupt. Anton. Matthæi JCti *Boxhorn. Poëm. p.* 3. In nuptias Jacobi VI. Scotorum Regis & Annæ Danorum Regis filiæ in Dania celebratas, Georgio Scotiæ Mareſchallo Regis ſui

vices

vices obeunte *Scoti T. 2. p. 333.* In nupt. Arminii Theologi & Medici: *Banning p. 60.* Epithalam. In Calendrinum ſacerdotem, *Hugen. in moment. deſult. p. 290.* In Philoſophi nuptias: Philoſophus eget uxore, claudit: Tendimus huc omnes, thalamum properamus ad unum, *Hofman p. 172.* Huc etiam ille Locus Communis pertinet uxorem ſtudiorum & actionum finem eſſe *id. p. 169.* Chamæleon grammaticale ludicrum, *Gudberlethius p. 102.* Epithalam. in Vexilliferum. Invent. à re militari ad rem uxoriam applicata *Henr. Bruno p. 220.* Epithalam. in nuptias peregrinatoris, Invent. à peregrinationibus Sponſi petita, *Id. p. 217.* Epithalam. in JCtum, Invent. proceſſus juridicus in judicio Veneris. Carmen Belgic. *id. p. 209.* In nuptias JCti. Invent. ex officio *id. p. 161.* In nuptias principis Mecklenburgici *Nic. Heinſ. p. 156. nov. edit.* Epithalam. ſenatoris, *Grotius p. 90.* conſtat variis fictionibus. Epithal. Conſiliarii, deſcribitur hîc Veneris Regia & Amorum ſtudia circa nuptias, *Grotius p. 102.* In nupt. Principis Arauſionenſ. *id. p. 112.* Epithal. in nuptias Joh. Bourellii, qvi commendatur à variis peregrinationibus, *Id. p. 109.* In viduam, antea viro militari junctam, *Bruno p. 267.* Carmen Belgicum in Triglandium ſacerdotem. Invent. à ſanctitate conjugii *id. p. 349.* Carmen Belgicum in nuptias Vidui & Viduæ. *id. p. 351.* Venus Batava *Barlæus Heroic. p. 363.* conſtat fictionibus & laude viri nobilis. Epithal. in nupt. Conſtant. Hugenii eqvitis, & Principi Auriaco à ſecretis *id. p. 385.* Amor ſapiens in nupt. Graſii, tota inventio eſt de ſapientia amoris, poſſunt applicari nupt. Philoſophi *id. p. 510.* In nuptias Conſulis *Barlæus p. 549.* Venus Conſularis in *noſtro Venerum Libro.* In nupt. Redii Eqvitis, rerum Indicarum Præfecti *Barlæus p. 434.* Epith. in Principem Naſſovium, *Banning p. 123.* Epith. in comitem, *Wallius p. 204.* Epith. in Jacobum Pelitium J.D. Inv. à peregrinationibus, *Barlæus T. 2. p. 74.* in nupt. Mylii militis. Inv. à re militari ad Venerem applicata, *id. p. 135.* in nupt. Pickeri, inv. a peregrinationibus Indicis deſumta, *id. p. 140.* in nupt. Hemskerckii JCti & Poëtæ, *id. p. 141.* in nupt. Cullinii JCti. Applicantur libri juris & proceſſus ad rem veneream, *id. p. 145.* In nupt. Grotenhuſen JCti, eadem inventio *p. 145.* In nuptias Boy Advocati & Poëtæ eadem invent. *p. 147.* In nupt. Polii J.U. L. ead. inv. ſed aliis admiſta. Tractatur Locus Communis de conjugii dignitate *p. 148.* In nupt. Gronovii, Hiſtoriarum Profeſſoris; comparat uxorem ejus cum toto mundo *p. 149.* poteſt hæc inventio applicari ad Phyſicum vel Medicum. In nupt. Matth. Voſſii Hiſtoriographi &c. Comparat ejus officia cum officio mariti *p. 151.* In nupt. Helmontii J. D. inventio à re juridica *p. 154.* In nupt. Jonckeri, comparat bellum Martis cum bello Veneris, ſponſamqve cum toto orbe p. 156. In nupt. Antonii Matthæi JCti, inventio à re juridica p. 179. In nupt. Arminii Medici, inventio è rebus ſex Hippocratis, inter qvas etiam Venus. Applicat rem medicam rei uxoriæ p. 184. in nupt. Corn. Blau Mathematici & Typographi p. 203. In nupt. ſecundas ſenis Theologi p. 212. In nupt. Fratrum duas ſorores ducentium, alluditur ad geminum conjugium p. 223. In nupt. Utenbogardi qvæſtoris, alludit ad officium p. 246. In thalamum Joh. Fontani, Medici, *Boxhorn. p. 99.* In nupt. Sponſi Batavi & ſponſæ Anglæ. Amor Batavis jungit toto diverſos

verſos orbe Britannos *id. p. 60.* Epith. In Hofdium Poëtam, Plempius *in qviſqviliis p.* 96. in Thal. Joh. Fontani Medici *id. p. 99*, in nupt. Chriſtiani Caſſii, inv. à negotiis Aulicorum, *Vinc. Fabritius p.* 99. In nuptiis Lateri JCti *id. p. 188.* In nupt. officialis aulici Belg. *Henr. Bruno p. 40.* In Mart. Braſſium Poetam laureatum *Taubm. Melod. p.* 266. In nupt. Corn. Mylii JCti, inv. ab officio, *Baud. p. 411.* In nupt. Niporti JCti & Secretarii, ab officio adduntur fictiones & proſopopœiæ Veneris, *Nyendalius p.* 23. Epithal. in Regem Galliarum Henricum IV. & Mariam Medices. Inv. à laude utriusqve Principis, allocutione facta ad ſolem diei hujus præſidem *Baud. p. 96.* In nupt. Mathematici & Mechanici, à profeſſione *Flemming. p.* 158. Phaleuci an conveniant nuptiis Principum, *Taubm. p. 22.* In nupt. Medici filii & ſponſæ Medici filiæ *id. p. 233.*

III. A TEMPORIS CIRCUMSTANTIA. In nupt. circa ipſum ſolſtitium celebratas, *Vid. Veneres noſtras.* In nupt. die Martis celebratas *Boxhorn. poëmat. p. 51.* In nupt. die Jovis celebratas, *Vid. venerem Joviam in libro noſtro Venerum.* In nupt. Gregorii die celebratas. Vigilantia amoris *Hofman. p. 181.* Hyemem amatori maximè aptam eſſe, *Fabricius L. 2. El. 1.* Æſtatem amatoribus aptam eſſe, *id. eleg. 2.* Epithalam. inventio à tempore verno, *Bruno p. 61.* In nupt. Bambeckii inv. à verno tempore, cujus attributa & effectus cum rei venereæ attributis comparat *Barl. p. 199.* In nupt. Appelboem, inv. à verno tempore, alludit & ad ejus officium *p. 267.* In nupt. Jacobi Pergens, à verno tempore *p. 350.* Carm. in nupt. à Schagen, in qvo ſingula diſticha annum celebrati matrimonii indicant *Baud. p.* 649. Paul Flemmings carm. German. verno tempori applicatum *p.* 149. In nupt. hyeme & tempore belli celebratas *Flemming p.* 162. 32

IV. AB OCCASIONE amoris. Epithalamium in nuptias Theodori Boulii & Gertrudæ Bouliæ, inventio petita eſt ex fab. de origine Conjugii, *Banningius l. 2. eleg. 1.* In nupt. Petri Boor Secretarii uxorem de rure ducentis. Inv. præfert ſponſam è rure urbanis, *Barl. p. 183.* Ad Joh. Veſalium Epith. occaſione ejus, qvod dixerat, ſe novum hortum conducturum, *Taubm. in Melod. p. 256.* introducitur colloqvium ſocrus & ſponſæ *id. p. 235.* 33

V. AB ADJUNCTIS, *deſcript. ſcilicet nuptiarum, amoris rituum &c.* In ſecundas nupt. Hofdii *Hugen. in moment. deſultor. p.* 8. In nupt. ſecundas de Brederode *p.* 139. Diſſvadet ſecundas nupt. 6. Epigr. *id. p. 146.* In tertias nupt. Redekeri, *Vid. Veneres noſtras.* Ad amicum ſecundas nupt. ſuadentem, *Hugen. moment. deſult. p.* 347. Soliloqvium amantis ſponſi ad ſponſam & ad noctem primam, *id. p.* 185. In nupt. Birckmanni, Inventio: Qvod uxor ſit omnium actionum & ſtudiorum finis, *Hoffman. p.* 169. Domum ductio ſponſæ, repetitur verſus intercalaris: Ducite rite domum mea carmina ducite ſponſam, *Henr. Bruno p.* 217. op eene Brüet op de lüet ſpeelende *id. p.* 165. Henr. Bruno deſcribit feſtivè actum amoris in JCtum *p. 217.* In nupt. Hofdii Poëtæ Batavi ſecundùm ſponſi, *Barlæus p.* 469. Epithalamii in nupt. peregrinatoris Inventio à peregrinationibus ſponſi petita, *Bruno p.* 239. Dithyrambus Trochaicus Gudberletii *p.* 133. In Conſiliarium viduum, & ſponſam viduam. Epithalamium in Gronovii nuptias, allocutio ad noctem, qvæ deſcribitur à variis amœnitatibus amorum, *Nic.* 34

Heinſ. p. 282. In ægrotum ſponſum *Henr. Bruno p.* 24. Domum ductio Mariæ van der Dûhn, deſcribitur ipſa deductio, & adduntur vota pro prole, *Grotius p.* 99. Divas invitat ad nuptias & feſtivitatem earum deſcribit *Bruno p.* 202. Epithal. qvo eleganter deſcribitur amoris actus, *Bruno p.* 187. *it.* 191. *it.* 193. *it.* 196. In nupt. ſecundas *Barl. p.* 520. In nuptias Kerckhofii ſponſam Anglicam ducentis. Inv. potiſſima eſt, qvod amor etiam placere poſſit peregrinus *id. p.* 526. In nupt. ſecundas *id. p.* 541. In nupt. Boyenburgii ſecundùm ſponſi, *id. p.* 427. De immani lecto Metellani ad ornatiſſimam ejus conjugem, *Scoti T.* 2. *p.* 386. Epith. in Grafii ſecundas nupt. tractat de neceſſitate & utilitate conjugii *Barlæus p.* 143. In nupt. Van der Hagen, deſcribit apparatum amoris ejusqve ſvavitatem & neceſſitatem, *id. p.* 268. In nupt. Jac. Pergens, deſcribit ſvavitatem amoris & exemplum totius naturæ amantis allegat, *id. p.* 350. In nupt. Helmontii. Inv. à deſcriptione nupt. & commendatione conjugii, *p.* 356. In diem anniverſarium nuptiarum Hoſdii *p.* 364. In nupt. Gronovii. Non eſſe cœcum amorem *Boxhorn. p.* 64. Carmen nuptiale, qvod tibicinem alloqvitur, eiqve præſcribit varios chorearum modos, *Joh. Jov. Pont. lib.* 1. *amorum conjug. p.* 3314. Heſperum alloqvitur *p.* 3316. Uxorem lecto ſurgentem alloqvitur *p.* 3318. Elegiam alloqvitur, conjugali amori adſit *p.* 3309. animum ſuum alloqvitur, *p.* 3326. In nupt. Giphartii & Ravenſtenii Supplicium ſumitur de ſponſa, plectitur corpore, qvæ ore rea eſt, *Bruno p.* 178. In nupt. Petri Fabri ſecundùm ſponſi, *Taubm. in Melodæſia, p.* 246. Epithal. in Hofmannum, à laude ſponſæ, *p.* 278. In Joh. Specknerum, deſcribit eleganter geſtus amantium, *p.* 282. In nupt. Aberti à Scagen, deſcribit eleganter & feſtivè congreſſum nuptialem, & addit Epitaph. virginitati *Baud. p.* 646. & 649. In nnpt. Kirchmanni, deſcribit ib. congreſſum nuptial. partim, ejusqve invent. ducit ab opere ejus de Funer. Rom. *p.* 650. In nupt. Henrici IV. Reg. Gall. ad veſperum citius ſolito irruentem *Baud. p.* 622. Liflândiſche Schnee-Gräfinn, qvo carm. deſcribitur eleganter feſtivitas nuptialis una cum actis thalami, Flemming *p.* 163. Deſcribit eleganter ſvavitatem amoris *id. p.* 352. In nupt. Henr. Tſerlingii, laudat amorem comparatione facta cum tota rerum natura, *id. p.* 355. Pleraqve Flemmingi carmina ex iſta inventione petita. Actio furti contra ſponſam, ut reſtituat cor raptum, *Taubm. Melod. p.* 285. Deſcribit ſoliloqvia ſponſorum *p.* 243. Gevartii hymenæus pacifer, Vid. Columeſium in opuſculis p. 101.

35 VI. A FORMA SEU GENERE CARMINIS. Carmen pancrat. in nupt. Pancrat. *Vid. veneres noſtras.* Cantio nuptialis ex latinis & Belgicis verſibus mixta *Bruno p.* 201. Parodia nupt. ex omnibus metris Boëthianis conflata. *Id. p.* 205. Dithyrambus Trochaicus in nuptias Conſiliarii vidui & ſponſæ viduæ *Gudberletius p.* 133. Carmen in Anacreonticum Taubmanni, columbæ nuptiales, In *Melodæſia p.* 129. Carmen Belgicum, cujus omnes verſus in unum rhythmum terminantur, *Bruno p.* 165. Philandri ad Neæram Enthuſiaſmus, *Gutberletius p.* 90. Feſcennina carmina in nupt. Fontani, *Plempius in quisquiliis p.* 102. Feſcennina in thorum Dimeni *p.* 104. In nupt. Bontii *p.* 106. Thyrſis. Lyrico-Bucolicum *Caldenbachius lib.* 3. *Lyricorum carmine* 19. In nupt. Ele-

Electoris Brandenburgici, qvod Phaleuci conveniant nuptiis principum *Taubm. p. 227.* Cento nuptialis Auſonii.

VII. MISCELLA. Μισόγαμος ſatyra, *Hugenius in mom. deſultor. p. 287.* Varias 36
inventiones non ex certo fonte deſumtas, ſed qvicqvid in buccam venit, qvocunqve modo, feſtive tamen ad nupt. applicavit *Jan van der Veen à p. 201. usq; 335.* Odæ nuptiales ad virgines hoſpites, *Bruno pag.* 167. Hymnus ad virgines hoſpites, *Bruno p. 167. p. 63.* in diſceſſum filiæ Regis Britanniarum nuptæ Principi Palatino *Grotius p. 221.* Melidoriæ amores laudat *Scoti p. 127.* Laus amicæ *ibid. p. 149. p. 177. T. 2. p. 479. Vid. Banning. p. 8. p. 16. p. 18.* Ubi agit de laudibus Fulviæ ſuæ, invectiva in nimium puellarum cultum *Joh. Jov. Pontanus, p. 3336.* Excuſat ſe, qvod pro centum Phaleucis 40. ſcribat in nuptias *Taubm. Melodæſ. p. 272.* Numerat Phaleucos ſuos qvos ſcribit in nupt. *id. p. 232.* Excuſatio, qvod carmen ſcribere neqveat *p. 233.* Excuſatio carminis & qverela qvod ſibi inventio deſit *p. 253. Vid. Pierii Winſemii amores.* Elegans epigr. nupt. eſt ap. *Martialem l. 4. Epigr. 33.* Ubi tractatur Locus Comm. de æqvalitate nuptias contrahentium.

IN EPICEDIIS inventiones ducuntur I. à *laude Perſonarum.* Conſulantur lo- 37
ci Rhetorum. II. πάθεσιν *ſive querelis*, ubi varii affectus excitentur & variis figuris res ornetur. Præcipuè hîc conſiderantur jactura publica vel privata è morte, Spei everſio, ſi immatura ætate deceſſerit, proponatur deſiderium noſtrum, inducantur proſopopœiæ valedicentis mundo, laboribus, conjugi, liberis, amicis, aſpirantis ad cœleſtia, contemnentis mortem. Uſui hîc eſſe poterit *Dan. Heinſ. elegantiſſimum poëma de contemtu mortis.* Solent alii expoſtulare cum fatis & Diis, in morbos, peſtem, bella, invectivas formare, res inanimatas ad luctum convocare, qvod ineptum interdum eſt. Poſſunt augeri affectus è circumſtantiis, à genere mortis & à perſonæ conditione deſumtis, ſi morbo vehementi decubuerit, ſi bello, undis perierit, ſi puer, ſenex, maritus, eruditus, Princeps, miles &c. perierit. III. *à conſolationibus.* Hic conveniunt omnes illi Loci Communes de fragilitate humana, de mortis neceſſitate &c. Vid. *Neſſelii meditationes noviſſimorum, de la Serre varia ſcripta*, qvod jactura in hæredibus & liberis reſarciri poſſit, qvod Chriſtiano homine indignum ſit, lugere beatos, qvod luctu nihil proficiamus, fato eſſe acqvieſcendum: qvod tumultibus mundi eripiamur, qvod mala non ſint cumulanda: qvod cœleſti gaudio fruatur defunctus. IV. *à ritibus & antiquitatibus*, ad qvas alludere ſæpe ſolemus. *De ritibus funeral. Kirchmannus ampliſſimè ſcripſit.* V. *à forma carminis*, qvod eſt vel Elegiacum rei funebri inprimis aptum; illud præcipuè qvod numero & periodo Græcis uſitata, & Catullo familiari ſcribitur, & qvali utitur *Heinſ. in Monobiblo ſuo.* Jambus qvo plerumqve uſus eſt *Baudius*, qvi integrum librum Jamborum funeral. ſcripſit: ἐπίμικτον, qvod nullo conſtat certo genere, ſed vario metro compingitur, qvale in uxoris ſuæ obitum fecit *Dan. Heinſ. p. 123.* Solent & epigrammate ſive inſcriptione Epicedia comprehendi, de qvo *Maſenius in arte argutiarum*, & *Boldonus in Epigraphice* ſua. * Exempla Epicedio- 38
rum multa ſunt in Statio *L. 1. ſylv. carm. 1.* Epitaphium in Glauciam puerum Atedii Melioris *L. 2. ſylv. carm. 8.* conſolatio ad Flavium Urſum de amiſſione pueri *l. 3. ſylv.*

 carm.

carm. 3. Lacrymæ Hetruſci in morte parentis *L. 5. ſylv. carm.* 1. In uxorem pietas *L. 5. carm.* 3. Epicedium in patrem *L. 5. capite 5.* Epicedium in filium ſuum vide apud *Sidronium Hoſchium.* Elegiacum præſtantisſimum novem elegiis, qvibus curſum vitæ humanæ cum mari comparat. Vid. *Laurentium le Brün T. 2. eloquentiæ poetic. p.* 505. Ubi plurima exempla habet Epitaphiorum & inſcriptionum *usque ad p.* 586. Varia exempla inventionum in unum virum doctum invenias in Epicediis, qvæ vitæ Puteani adduntur à Rigaltio ſcriptæ.

39 Exempla ſpecialium inventionum hæc ſunt. I A NOMINE. In Hoſpitalii obitum, in exſilio mortui *Galli p. 91. T. 3.* In Firmini Durii obitum. Firmus & durus Studiis: hinc firmum illi nomen poſt fata durat, *p.* 158. in obitum Gohonii cognomento ſolitarii, in vita ſolitarius, poſt mortem volitat per populi ora, cui qvondam ſolitudo grata, nunc ad plures abiit, *p.*161. De inſignibus Farneſianis, (liliis) ejusdem tumulo inciſis *p.* 215. Franciſci Prothei tumulo. Hominem fuiſſe in vita Vertumno ſimilem *p.* 429. In obitum felicis Poloni *Philomathus p.* 52. Fortunati *Pontanus p. 3389.* Junii Juniani Maji *p. 3399. Puellæ Roſciæ 3394.* Joh. Oecolampadii lampas in æde ſacra *Hoffm. p.* 680. In obitum Muſculi, *p.* 681. In obitum Hyperii nomen è ſuperis ductum *p.* 683. in obitum Urſini Theologi. Inv. Urſus defendit agnos contra lupos *p.* 684. In obitum Secretarii Renard carmen Belgicum *p.* 330. In obitum Poſthumii. *Itali. Fol.* 230. In obitum Carteſii Phyſici *Hugenius p.* 379. alludit ad nomen Renati. In obitum Fabri *Taubm. p.* 311. In nupt. cum Anna qvadam, Anna fuit nunc Anna perenna erit, *p.* 386. In obitum Brandii Camerarii ad nomen alluditur *Hoffmannus p.* 153. In obitum Majii ultimo Februarii *Griniſius p.* 253. In obitum Gallæ ſterilis Pontanus 3420.

40 II. A PERSONA *ratione profesſionis vel ætatis, vel conditionis.* Praſchii elegans elegia in obitum Patris. In tumulum Phrynes meretricis *Züberus p.* 57. In tumulum Lauterbacchii Poetæ *id. p.* 27. In obitum Guſtavi M. *Balzak. p.* 18. ad Franciæ Cancellarium de obitu fortiſſimi ſui generi *id. p.* 18. In obitum Menardi Poëtæ elegantiſſimi, Inv. Deos ipſos Mercurium Phœbum deprecatos eſſe mortem ejus *id. p.* 54. In obitum Nymphæ præſtantiſſimæ virginis, qvam laudat à poeſi, eloqventia, Muſica, *id. p.* 64. Inv. non jam habere Numina, cujus ore canant, cujus animum inſpirent, olim qvidem Apollinis oraculum deſiiſſe, nunc vero ipſum Phœbum & Muſas mori, *id. p.* 66. In Borbonium Græcæ linguæ Profeſſorem, Sacerdotem, Oratorem, Poëtam, *id. p.* 106. Ad eundem inter cœlites agentem. Inv. qvàm Tibi jam dulce eſt mendacia Græcorum, & artem Tuam inter cœlitum carmina contemnere *p.* 107. Amyntas de Thyrſide heu jam non ſuo, id eſt, in funus juvenis fortiſſimi & amici ſui *p.* 111. In obitum Thomæ Rhædi à doctrina varia, prudentia, peregrinationibus, laudati *Scoti T. 1. p.* 51. In funere Raphaelis Thorii Medici & Poëtæ præſtantiſſimi *Scoti p.* 61. Epicedium illuſtris puellulæ, qvæ à variis dotibus laudabatur, *p.* 109. In Principis Aurelianenſ. in pueritia mortui obitum, *p.* 117. Veneris lacrymæ ſuper morte Adon. poteſt applicari in obitum puelli *p.* 178. Epitaphium Petri Ronſardi, *Poetæ Galli p.* 279. in obitum Nobiliſſimæ Matronæ Baſſompieriæ, de laude illuſtris fœminæ cum fictionibus intermixtis *p.* 375. Epicedium Thomæ

Kreigii

Kreigii Poëtæ, JCti &c. ad filium p. 330. Davidis Blackii profectio in patriam cœleſtem *T. 2. p.* 81. In obitum amici, qvem laudat ab eximiis dotibus *T. 2. p. 104*. Epitaphium Roberti Rollocii Paſtoris, p. 114. Tumulus Joh. Metallani Scotiæ Cancellarii p. 116. In conjuges ſimul febre mortuos *p. 148. Vid. Miſcell. noſtra p.* 72. Epitaphium fratris *Scoti p.* 255. Tumulus Camilli. Comparatio cum Camillo Romano p. 382. Epitaphium Glennuſii dum pacis conditiones proponeret mortui p. 384. Epitaphium Matronæ p. 386. Cardinalis Lotharingiæ, Sepulta hîc eſt belli fax, cui aqva inſpergenda p. 387. Epitaphium Henrici IV. Galliar. Regis circa tempus nuptiarum mortui p. 386. Eliſabethæ Henriettæ, Laudatur à pulchritudine p. 487. Kinneri tumulus p. 488. in obitum van der Haagen, Poëtam illum carminibus immortalem factum pag. 489. Leſſus in obitum ſummæ ſpei Princ. Jacobi VI. p. 544. in Manes Medici & Philoſophi. Inv. Fotius orbis volumen ita didicit, ut jam extra orbem feratur p. 549. Epitaphium Scaligero ut Regio ſanguine orto *Dan. Heinſ. pag. 53*, eidem ut temporis emendatori, p. 54. eidem ut linguarum omnium perito, & antiqvæ Aſtrologiæ illuſtratori p. 55. Manes Lipſiani p. 62. ad Lipſium poſt ſcriptum poſtremum ejus, Lovanium, mortuum p. 66. In obitum Memmii Conſiliarii *Galli p. 3. p. 79. p.* 87. 92. *& ſq.* De Thuani obitu ad Fratrem p. 97. 98. in eqvitem fortiſſimum, p. 101. in Nobiliſſimam Matronam, ſed ſterilem, p. 102. Ronſardi Poetæ Epicedium *p.* 108. *& ſq.* In obitum Aurati Poetæ & Interpretis Regii p. 105. cauſarum Patroni tumulus. 145. Epitaphium JCti p. 146. Eqvitis tumulus p. 147. (Jam capta in urbe victor cadit.) Civis Romani tumulus *ibid.* in Turnebi obitum *Galli p.* 149. 202. Epitaphium à marito uxori poſitum p. 157. Epitaphium Amiralii Galliarum p. 163. Epitaphium Maritæ ſtatim poſt nuptias mortuæ, p. 165. in Manes Puteani *ibid.* Epitaph. illuſtris fœminæ, laus à virtutibus pag. 196. in mortem Galliarum Regis *ibid.* Poetæ Nænia Pentaſyllabica p. 105. Tumulus Claudiæ conjugis Regiæ. Claudia facta eſt Jovis Conjux, p. 240. Epitaph. magni Medici pag. 242. In obitum Matris Regiæ p. 242. in tumulum militis p. 256. In duos conjuges uno tumulo compoſtos p. 258. Epitaph. ſummi Navarchæ, qvi terra atqve mari floruit aſtra tenet p. 261. Epicedium in ſenem p. 349. Ad manes Ronſardi Poetæ p. 463. Tumulus Præſidis Alealmi p. 456. Lacrymæ ad buſtum Patris p. 366. &c. in obitum Peruſii Poetæ Tragici p. 470. Memoria Thuani Conſiliarii. (à munere laudatur comparatione facta cum Medicina) p. 472. Caſtanii eqvitis Epiced. à p. 504. ad 512. In Thuani obitum (deſcribitur vita p. 519.) In ejusdem obitum prima juventute mortui p. 522. In obitum Jani Douſæ prima ætate in peregrinatione exſtincti pag. 515. ad 532. Epitaph. Douſæ Patris p. 532. Epiced. in Juſti Lipſ. obitum p. 538. Advocati Epitaph. raptus eſt ad tribunal Rhadamanti p. 593. Epitaph. Budæi *JCti* (Inops mortuus non eſt, qvi cœlo animum, terræ corpus reddidit, nobis monumenta ingenii) p. 593. In mortem Franciſci, & duorum ejus liberorum p. 597. Franciſci I. Francorum Regis tumulus p. 658. Franciſci Galliarum Delphini tumulus p. 659. Caroli Franciſci Gallorum Regis filii tumulus, pag. 660. in obitum Pro Regis p. 660. in obitu trium Galliæ Regum Secretarii p. 663. In obit. immat. Caſimiri Comit. Palat. p. 666. Epitaph. Patri poſitum

p. 680. Epitaph. matri ante 15. annos ſe puero exſtinctæ poſitum p. 668. In obit. Parui, Senat. Pariſ. p. 669. ſororis chariſſimæ p. 669. Stellæ curiæ præſidis p. 670. Eobani Heſſii Poetæ *ibid.* Porti Cretenſii p. 671. duorum conjugum uno eodemqve die exſtinctorum p. 671. Poëtæ Obeſr. p. 673. Mathematici in ipſo ætatis flore mortui pag. 674. Sambuci Poëtæ p. 675. virginis lectiſſimæ p. 673. Lamonii juvenis admirabilis, p. 676. Martini Lutheri & Philippi Melanchthonis pag. 678. & 679. Bullingii candidiſſimi viri. (Cur fleamus mortuum, qvi vivit aliis & ſibi) p. 680. duorum amicorum p. 681. Gwaltheri filii unici, p. 682. amici Alcoini p. 686. Zwingeri (terra cœlum capit) p. 687. Epitaph. Monadii Medici *ibid.* in ejusdem obitum trium linguarum periti p. 808. in obitum amici *ibid.* Medici p. 689. Pythæi JCti à pag. 829. ad 836. Henrici III. Galliæ & Poloniæ Regis pag. 877. Prevotii pag. 1075. Franciſci I. Regis pag. 1080. Albæ ſpinæ pag. 116. Borbonii p. 1680. Ronſardi catarrhis & vigiliis exſtincti, p. 1120. Epitaph. Franciſci I. p. 1130. Conſiliarii Regii pag. 1131. in obit. amicæ pag. 1135. Crucii Militis fortiſſimi *pag.* 1134. Boneri Marte & arte clari, *pag.* 1136. Brixii Poetæ (Gallia deplorat Poëtam ſuum, qvi cives ſuos ſæpius deplorabat) *pag.* 1144. Jacobi Regis *Scoti T.* 1. *pag.* 480. Virginis Metellanæ præmatura morte exſtinctæ (virtutes numeravit Parca non annos) p. 603. In tumulum duorum Conjugum, *pag.* 609. In obit. Ducis Lennovii (non hæc unius Viri mors ſed publica clades eſt) *pag.* 612. Qvinqvennis puellæ, *pag.* 615. Annæ puerperæ; (comparat illam cum Phœnice) *pag.* 616. Comitis Moraviæ (à variis dotibus laudatur) *Jonſtonus pag.* 355. Boccii vatis p. 418. Maritæ Jonſtonæ, p. 400. Nobiliſſimæ Heroinæ p. 413. Eccleſiaſtæ p. 425. Mercatoris p. 426. Epithalamium in cœnobio deſponſæ (poſſit inſervire Epicedio in ſponſam) *Wallius pag.* 251. Idyllion Theſtylis in puellam ruſticam in ipſo religioſo Divæ virginis cultu exſpirantem, *Becanus pag.* 10. In Hoſchii obitum Idyllion & aliqvot elegiæ, præmiſſæ *poëmat. Hoſchii a p.* 1. *ad.* 12. Epitaphium in Metaphyſicum *Banning. pag.* 166. In obitum Botanici ſingularis p. 181. in Banningiam cognatam p. 185. In tumulum elegantis puellæ, p. 191. Panegyricus Guſtavi Adolphi *Barlæus p.* 45. *it. Wintſemius.* Manes Bavari *Barlæus p.* 91. Gallia plorans *pag.* 159. in funus Princ. Mauritii p. 181. In obitum Rutgerſii Legati (laus à doctrina & variis virtutibus,) p. 376. In obitum Schnellii p. 410. Mariæ de Jonge inter primos Mariti amplexus exſtinctæ, p. 479. cujusdam poſt ſponſalia exſtincti, p. 401. alicujus prælio adverſus Turcam cæſi, p 536. Epiſcopii Theologi *p.* 545. Conſulis *p.* 533. Erpeni Profeſſoris Orientalium, *p.* 76. *T.* 2. Pauwii Anatomici (Proſopopœia mortis) *p.* 79 Hiſtor. Profeſſoris *p.* 139. Conſulis *p.* 175. Juvenis *p.* 209. Syndici, *p.* 211. Realii Eqvitis domi forisqve non uno munere functi, *p.* 221. Mylii, *p.* 222. recens maritæ *p.* 261. Vorſtii Medici, *p.* 184. Præfecti Dongriæ orientalis *p.* 316. Manes Molini Senatoris Veneti (Neptunus introducitur. Venetiæ urna Molini, purpura, Adria &c.) *à pag.* 319. *ad* 325. In obitum Joh. Iſaaci Pontani, *p.* 366. Advocati *p.* 383. Nobiliſſimæ Dominæ 387. filiolæ triduo poſt matrem mortuæ 390. Jacchæi Philoſophi (in Te multa ſecula moriuntur) *p.* 418. Uxoris ſuæ *p.* 486. Principis Mauritii, *p.* 474. Parentis ſui *p.* 479. Patrui *ibid.* & *p.* 480. Caſimiri

miri Gubernatoris Friſiæ *p.* 559. In obitum Grotii, *p.* 574. Exclamatio in fun. divitis, cum ſepeliretur *Balde in lyricis p.* 68. de aliqvo qvinqvies viduo *id. p.* 70. Ara in memoriam defunctorum conjugum poſita p. 81. In obit. Kelleri Rectoris *p.* 26. Genovefa mortem ſponſum ſuum nominare ſolita (inſerviet Epicedio in ſponſam) *p.* 134. In fun. Princ. Bavariæ filii *p.* 387. Matris *p.* 299. Cancellarii Aulici *p.* 357. Fratris *Sarbievius, lib.* 3. *oda* 24. In fun. Palatini filii immaturè defuncti, *ibid. oda* 26. ad qvendam conjugi juſta perſolventem, *lib.* 4. *oda* 30. In obit. JCti Profeſſoris *Niendalius p.* 37. Ducis militaris, *p.* 154. ſcitiſſimæ infantulæ *p.* 155. Eccleſiaſtæ *p.* 162. Scotani Profeſſoris Theologi & Sacerdotis (Telluris hoſpes vivit ætheris cibis) *p.* 186. Epitaph. Jacobi VI. Regis Scotorum, *Buchananus p.* 339. Reginæ Scotorum 16. anno ætatis exſtinctæ, *p.* 340. Valli Doctiſſimi, (lux ejus vel in tenebris micat) *pag.* 341. Præſidis *p.* 342. Fontani Poëtæ & Cauſidici *ibid.* Orbonii adoleſcentis ſummæ ſpei, *p.* 34. Juvenis generoſi *p.* 344. Stuarti Pro-Regis Scotiæ *pag.* 345. Celebris viri *p.* 346. In obitum Catzii, *Bruno Mengelmoës p.* 163. in obit. Voſſii *Boxhorn*, (tacet ævi facundia, qvæ hoc ore locuta eſt) *p.* 204. Conſulis *p.* 223. JCti & Syndici (Vectigal & debitum naturæ ſolvit) *p.* 331. Typographi, *p.* 332. ſvaviſſimæ infantis, *p.* 333. Virginis, *p.* 336. Pharmacopæi ſub inſignibus aurei annulli habitantis *p.* 366. Medici, *Delic. Poëtarum Italorum fol.* 16. Columelli fol. 95. Poëtæ & Logici fol. 98. Politiani, Poëtæ & Philologi fol. 174. Beroaldi Philol. fol. 176. Puellæ *ibid.* Cardinalis à fol. 185. ad fol. 195. Medici & Poëtæ fol. 262. Critici fol. 285. Coqvi fol. 35. Pictoris, fol. 336. Puellæ poſt nativitatem ſtatim mortuæ fol. 337. adoleſcentis armorum & literarum laude inſignis fol. 341. Guiſii Ducis oda fol. 364. Infantis fol. 366. Sylviæ pulcherrimæ fœminæ dialogismus fol. 367. Medici T. 2. f. 42. Sponſæ f. 105. Puellæ, f. 106. uxoris f. 125. pictoris, f. 129. Epitaphia aliqvot inſignium Philologorum f. 175. & 176. in obitum illuſtris Viri & fœminæ fol. 212. Leuciæ pulcherrimæ f. 254. Conjugis f. 252. illuſtris Matronæ, 256. Theologi *Fabritius p.* 148. Parentat dulciſſimæ ſuæ Phyllidi *p.* 178. in obit. uxoris Dan. Heinſ. *p.* 106. elegantis puelli *p.* 149. Cornel. Voſſiæ à p. 155. ad p. 162. Principis Sophiæ Hedewigis oda *Gutberletius p.* 199. Advocati & Scabini Scholarchæ *p.* 242. Eccleſiaſtæ, p. 254. JCti *p.* 258. Infantulæ notæ *p.* 250. Patris, *Joh. Secundus p.* 176. Cancellarii Caroli V. (comparat illum cum Mercurio) *p.* 182. Cæſaris filiæ, *p.* 182. puellæ caſtæ *p.* 183. Viri doctiſſimi *p.* 184. Muſici *p.* 185. Matronæ clariſſimæ proſopopœia *p.* 186. formoſi juvenis *p.* 188. fratris *p.* *p.* 189. uxoris *p.* 190. Patris *ibid.* adoleſcentis JCti *p.* 191. Reginæ Angliæ à Regerepudiatæ *à p.* 201. *ad p.* 210. Eqvitis Sidnei *Baud. p.* 195. Ducis militum febri exſtincti *p.* 208. Matronæ *p.* 210. filiolæ poſt partum exſtinctæ, *p.* 223. Philippi Hiſpaniarum Regis *p.* 224. Lipſii *p.* 230. Profeſſoris Theologi *à pag.* 232. *ad* 247. Filii Regis Britanniæ *p.* 250. Theologi *p.* 270. fratris *p.* 527. Fortiſſimi Herois *p.* 640. In Manes auriacos *Hugen. in mom. deſultor. p.* 65. Epitaph. Muſici elegantiſſimi interfecti *p.* 55. in ſepulchrum Guſtavi Regis Sveciæ *p.* 86. in obit. Infantis Hiſpaniæ, *p.* 86. Filioli Barlæi *p.* 101. Hiſtoriographi *ibid.* Realii Indiæ Expræfecti, philoſophiæ magneticæ peritiſſimi, *p.* 198. Bernhardi Saxonis *p.* 145. Syndici in patria mortui *p.* 155. Baronis de Gent. *p.* 156. pictoris

præſtantiſſimi *p.* 159. Mylii Senatoris *p.* 161. In Mercatorem Atlantis ſcriptorem (terra huic levis ſit, qvi omnem terram ut Atlas geſſit,) *p.* 166. in obit. Viri fortiſſimi *p.* 179. fratris deſignati *p.* 187. Medici & pictoris (fecit homines immortales, & vetuit mori) *p.* 197. Matronæ ditiſſimæ *p.* 199. Eccleſiaſtæ (vita cum via comparatur) *p.* 307. Pueri qvinqvennis *p.* 309. illuſtris feminæ *p:* 319. Urbani Pontificis poëtæ *p.* 333. Senatoris Medici *p.* 359. Theologi *p.* 367. Salmaſii *p.* 389. Dan. Heinſii *p.* 395. Principis Saxoniæ *Taubm. p.* 143. Præceptoris ſui *à p.* 288. *ad p.* 298. Eqvitis Saxonici, *p.* 298. Clariſſimæ matronæ *p.* 306. Juris Candidati *p.* 308. Sturmii Eloqventiæ Profeſſoris 325, Theologi *p.* 383. Mathematici *p.* 352. Sacerdotis *p.* 385. recens nuptæ *p.* 386. Conjugis decies parentis, *p.* 416. Conſiliarii *p.* 451. In obit. varias fortunæ vices experti Belliſarii, *Baron. p.* 66. Caroli V. *p.* 67. Alexandri Cardinalis de monte alto (Alexander par fit Cynico & mons altus tegitur exigua ſpelunca) p. 68. Cardinalis (mors pallida erubeſcit de rapta purpura) *ibid.* Marchionis Canetti *p.* 61. Poetæ ſuaviſſimi (miratur, cur illi nemo Epitaphium ſcripſerit. Qvia vocalis Poeta abiit, omnes literæ fiunt mutæ & liqvidæ) *p.* 70. Infantis Hiſpaniarum *p.* 71. Theologi Junii *Grotius p.* 187. Infantis *p.* 194. Lipſii *p.* 211. & 250. Theologi Bezæ, *p.* 114. Arminii Theologi (tractatur Locus Communis de hæreticis & ſchiſmatibus) *p.* 121. Uxoris Martinii p. 235. Merulæ p. 256. Inter bellica tempora mortui p. 257. Scaligeri, p. 260. puellæ formoſiſſimæ *Lotichius l. 3. El.* 3. Viri docti *El.* 7. Mycilli Poetæ *l. 4. El.* 2. Melanch. *El.* 4. Eqvitis Francii *el.* 5. Fratris *p.* 136. JCti p. 146. amici, p. 141. Crucigeri Viri docti, p. 232. ſanctiſſimi Viri *p.* 238. Rubenii Philologi *Nic. Heinſ. p.* 72. Viri docti *p.* 78. ſororis ſuæ & Viri illuſtris *p.* 107. Puteani viri incomparabilis Scazon. *p.* 183. optimi Viri & ſummi Theologi, *p.* 191. Petri Scriverii Philologi *p.* 203. Medici, cum poſt ejus mortem peſtis augeretur *p.* 232. Erpenii Orient. Literarum Profeſſoris, *p.* 333, Cluſii clariſſimi Viri *p.* 336. & 337. In funus immaturum Viri Clariſſimi *p.* 352. Gonzaga Victor à morte ſuperatus (applicari poteſt in obit. Theologi) *Guiniſius p.* 116. In obit. Maji ultimo Februarii die (nolite hoc anno ver ſperare, nam hyberno tempore Majus obit) *Guiniſius p.* 253. Duciſſæ *p.* 254. Thomæ Aqvinatis ſepulchrum glorioſum, *Parnaſſ. Soc. Jeſu, T.* 1. *p.* 538. Stephonii Sacerdotis & Poetæ *idem p.* 166. *T.* 2. Elogium funerale Trompio & Salmaſio ſcriptum, (comparantur ſtudia cum militia) *Hofman. p.* 163. Ad Henr. Nicolai de improviſo ſponſi obitu, *p.* 172. Circulus mortalitatis in obitum Braunii (alludit ad omnes figuras Mathemat.) p. 191. & 192. Nobilis Geneveuſis *Philomathus* (Pontifex Alexander VII.) *In Muſis juvenil. p.* 18. Mariæ Medices Mantuæ Ducis, *p.* 57. Viri doctiſſimi ſenis p. 67. Manes Juniani in obitum Medici Junii *Janus Douza à p.* 459. *ad p.* 475. filii ſui *à p.* 478. *ad* 492. Walerandi variis legationibus & muneribus ap. Regem defuncti, p. 294. Amici p. 495. Præſidis Curiæ p. 498. Poëtæ Critici p. 138. JCti p. 331. Comitis Ducis militiæ eqvitum præfecti *Joh. Jov. Pontanus p.* 3375. Puellæ ſub nomine amatoris p. 3378. Proſopopœia puellæ, p. 3379. Ad ſepulchrum fratris qverela p. 3380. tumulus Nobilis p. 3381. Eremitæ viatoris Proſopopœia p. 3338. In obit. Viri literatiſſimi *ibid.* Marulli Poetæ, p. 3382. Epiſcopi & Poëtæ p. 3384. Oratoris ac Philoſophi *ibid.*

ibid. Genii Proſopopœia in obitum Poëtæ *ibid.* Parentum proſopopœia in obit. Puellæ 3385. In obitum Villici *p. 3386.* puellæ defunctæ, *ibid.* Aſtrologi 3387. Matronæ caſtiſſimæ *ibid.* Muſici celebris, *p. 3388.* Eqvitis *ibid.* juvenis eruditi *p. 3389.* Juvenis fortiſſimi & formoſiſſimi, *p.* 3390. Muſici inſignis, *ibid.* Grammatici *p.* 3391. Fabularum ſcriptoris *ibid.* Proſopopœia Matris in obitum infantuli, *p. 3392.* Matronæ pauperculæ ſed pudicæ, *ibid.* Proſopopœia Urnæ è tumulo *p.* 3393. in obitum Roſæ puellæ ante diem mortuæ *ibid.* Candidæ virginis *p. 3395.* Viridellæ *ibid.* Pruinæ puellæ, *p.* 3396. Sulpitianæ *ibid.* Eumolpæ ſervæ *p.* 3397. Patris qverela de obitu filii *p.* 3400. In obit. Puellæ, Matris, aviæ maternæ, materteræ, aviæ paternæ *p.* 3402. Moroſæ fœminæ *p.* 3404. Puellæ malè ſepultæ *p.* 3406. Trium Grammaticorum *ibid.* Poëtæ, Patris, ſororis, &c. *p.* 3408. Uxoris *p.* 3411. Matronæ fœcundiſſimæ *p.* 3413. ancillæ *ibid.* infantuli dies qvinqvaginta nati *p.* 3415. puellæ naufragæ. Matronæ Conjugis Pictoris per proſopopœiam ad Maritum *p.* 3416. & 19. parum pudicæ, literati Adoleſcentis, infantuli innominati *p.* 3420. Infantuli bis mortui & nunqvam editi (ex utero cæſi) *p.* 3425. puellæ formoſiſſimæ, *p.* 3427. ſui ipſius *p.* 3430. Epicedium Tragici Poëtæ. *Menagius p.* 25. Saraceni Viri docti *p.* 86. Poëtæ faceriſſ. *p.* 793. Poëtæ teneri. *p.* 101. in obit. feminæ à qvarto puerperio *Flemming. ep. l. 5. p.* 124. Medici, ibid. *Cap.* 5. Pii & frugalis Eccleſiaſtæ *carm.* 6. tumulus novercæ, *carm.* 8. & 9. Matronæ poſt nupt. mortuæ 11. Muſici. 12. Medici. 13. Mercatoris docti 16. Rectoris ſcholæ. 18. pueri belli 21. puellæ nobilis 22. Tyllii 26. puellæ 27. Buchanani 28. Sacerdotis 30. Duarum Virginum unâ morte abreptarum 42. Taubmanni 47. inter hyacinthos tumulati 48. Oweni 53. &c. &c. Epitaph. ſibi vivo l. 6. Carm. 1. paſſim in hoc Vid. plura exempla.

III. A LOCI ET TEMPORIS *circumſtantia.* Alcimedontis Romani tumu- 41
lus, qvi obiit in Qvirinali paucis ante diebus, qvàm urbs ab exercitu Cæſareano caperetur, *Balzac. p.* 28. & 30 Epitaph. Roberti Junii poſt reditum in patriam mortui *Scoti p.* 22. Cygnea cantio in fun. Sandovii poſt reditum in patriam mortui, *Vid. noſtrum librum funerum p.* 31. In duo Scoticæ gentis lumina ad ſeptentriones & meridiem nuper exſtincta *Scoti p.* 121. Epitaph. Lyndeſii extra patriam mortui, *p.* 122. *T.* 2. De Lipſio inter bella civilia mortuo *Heinſ. p.* 65. in calend. Novembr. Pythæi emortuales & natales, *Galli T. 3. p.* 164. In Timoleontis Briſaci obitum à Vere, *p.* 1116. In obit. Juvenis ex Italia & Gallia redeuntis *Banning. p.* 162. In obit. Bioſii in Gallia Extincti, *Barlæus pag.* 435. Henricus Ploos ab Amſtel. in flore ætatis per Galliam peregrinantis, rebus humanis erepti, *Niendalius p.* 50. Filii Regis Angliæ, cujus ſingula diſticha tempus involvunt, *Baudius p.* 261. Ducis Gallici, Regis Franciſci &c. Chronoſticha varia *à p.* 482. *ad* 486. Winshemii circa vernum tempus mortui, *p.* 315. In puellam initio Maji nuptam, ſine mortuam, *Pontanus p.* 3380.

IV. A GENERE MORTIS vel *ejus variis cauſis.* In Bergerum è pede ſecto 42
mortuum, *Zuberus, p.* 82. *Vid. Miſcellan. noſtra in Exequ. Debnſii.* In obitum fortiſſimi juvenis Marchionis Piſanii pro patria occumbentis ad matrem, (Non potuiſſe filium ſplendidius implere vota parentis) *Balzac. p.* 30. Euryalus Rupellenſis, qvi in

 certa-

certamine navali contra Regium exercitum fortisſimè dimicans, tandem viribus exhauſtis, alieno & ſuo ſanguine reſperſus, nec victor, nec victus in mare cecidit, *idem* p. 51. in juvenem ipſo prælio exſtinctum, p. 111. Epitaphium Moravi carcere & aqva intercute exſtincti *Scoti p.* 72. In obit. Ducis Buccinganii à Philtono cultro exſtincti, p. 74. Tumulus præclaræ virginis inter Choreas exſtinctæ, p. 128. Epitaph. in Ducem Hiſpanum, qvi urbem, ſparſis nucibus, occupàrat, & glande plumbea, transfixis faucibus, interiit, p. 273. In fratrem ſuum cœlibem, naufragio exſtinctum (qvia uxorem non habuit, Thetis illum generum accepit) p. 373. Epitaph. Stuartæ, illuſtris feminæ, in carcere mortuæ (cum aula illi carcerem dederat, Jupiter pro illo ſuam aulam) p. 376. Epigr. ad noviſſ. Galliæ Martyres, p. 108. & ſqq. Ad Carolum, Gallorum Tyrannum, ſanguinis inuſitato fluxu pereuntem (qvem ſanguinem biberas, non poteras concoqvere) *Scoti T. 2. p.* 112. In mortem Mariæ, Scotorum Reginæ, decollatæ, p. 112. Paulatus cum duobus Brickmaldiis in eodem lecto contrucidatis, p. 110. In Claſſis Iberæ & Ducis Gviſii interitum, p. 133. De peſte graſſante nænia, p. 372. Lacrymæ in obitu Sethoni p. 504. in obit. Comitis Briſiaci in prælio ſuo pro patria mortui, *Galli p. 154.* Epitaph. Pro-Reg. Belgii globulo plumbeo transfixi p. 155. In aqvis merſum (Nihil iſto tumulo mollius, jacet enim in Veneris cunis) p. 157. De eodem Venetiis nato, & in mari mortuo (in æqvore natus, in aqvis animam reddidit) p. 157. & aliud p. 158. De animali occiſo prope inſigne Enſis regii p. 204. Tumulus Mariæ Golottæ in juventute exſtinctæ p. 424. in tumulum à rivale occiſi p. 456. In Tumulum Gvinæi, inter prælia mortui (prævidit Jupiter novam Gigantomachiam, ut ergò cœli defenſor eſſet, eum vocavit) p. 452. Epiced. Caſtanii in prima juventute prælio exſtincti p. 105. Epiced. Caſtanii Eqvitis p. 504. Stephani Doleti exuſtio. Muſæ voluerunt rogum fonte Caſtalio exſtinguere, Jupiter autem prohibuit, & cœlo velut Herculem è flamma recepit p. 596. In Garnerium, aqvis extinctum, p. 656. In Borbonium Ducem in arca obtruncatum, p. 660. In obit. Lud. Borbonii, in bello transfoſſo eqvo inter prælia occiſi, p. 661. In Culingium eqvis dilaceratum, (cui patria tumulum denegavit, illi tota natura, ipſaqve patria parente & anima ſua deſtituta ſit cadaver) p. 661. In eundem, everſo corpore in cruce ſuſpenſum, p. 662. ad ejus uxorem ſuper hoc obitu *ibid.* In obit. Cunegundis gemellorum partu mortuæ, p. 676. *Vid. miſcell. noſtra p. 71.* In obit. infantulæ ſimul natæ & mortuæ p. 677. in parricid. adverſ. Henr. IV, tentatum p. 718. In parricidam graviſſimo ſed juſtiſſimo ſupplicio affectum, p. 719. In amantes, à viro ſimul confoſſos p. 1118. In Robertum Junium hydrope exſtinctum, (Qvi fontes Caſtalios ſiccaverat, aqvis jugulatur) *Scoti T. 1. 604,* In mortem violentam, p. 613. In ſupplicio affectos, p. 684. Elegiæ in mortem duorum militum Hiſpanorum, qvorum alter hoſtili telo, alter amore commilitonis cæſi complexu ad Rupellam occubuit, *Hoſchius p. 123. ad* 142. In Claudium & Rudolphum, Aqvæviras martyres, *Wallius p. 322.* angitur propter rumorem de merſa aqvis amica, *Banning. l. 1. & 13.* ad Iſam fluvium, cum in eo ſubmerſus eſſet Frider. Henr. Reg. Bohem. filius primogenitus p. 44. In obit. Herois ictu lapidis in obſidio-

obſidione exſtincti, *Barlæus p. 10. T. 2.* in extractionem fœtus per uncum p. 447. In necem Ducis Friedlandiæ p. 454. Epitaph. Domini van Duden, in eodem loco mortui, qvem ipſe occupaverat, p. 199. Inclyta mors in pugna Lycia Pappenheimii, *Balde Lyr. p. 24.* de funeſto Wallenſteinii exitu p. 109. In obit. crucis ſeu Crucei Abbatis in cruce exſtincti, *Buchananus p. 341.* Epiſcopi Epitaph. ſuſpendio exſtincti Vituperatorium, p. 34. In maritum flammis exſtinctum & maritam αὐτόχειρα *Itali f. 175.* Epitaph. Tabellarii in itinere occiſi, *Joh. Secundus p. 193.* Epitaph. Thomæ Mori decollati, (Dialogus inter hoſpitem, & civem, & in ejusdem mortem nænia) *p. 196. ad* 201. In obit. Conſtantiſſ. Martyris Angeli Merulæ jambus, *Baudius p. 204.* In obit. infortunatiſſ. Ducis Bironii Franciæ Mareſchalli decollati *à p.* 485. *ad* 489. Vid. ibi plura Epitaphia in Principes, violenta morte exſtinctos. Epitaph. Muſici interfecti *Hugen. Mom. deſult. p. 65.* in tumulum convitiatoris, qvi accuſationem publicam ex officio intentaturus obmutuit, & mox animi ægritudine obiit, 6. Epigr. p. 85. & 86. In mortem ſceleſti, à plebe diſcerpti mox à patrato immani facinore p. 136. In Pro-Regem Hiberniæ ſecuri interfectum p. 157. In mortem pulcherr. Matronæ ſub ponte Londinenſi ſubmerſæ Epigr. p. 175. &c. Epitaph. infantis in utero matris ſuffocati p. 178. Epitaph. Thuani criminis rei, qvod à ſe improbatum in gratiam amicorum celaverat p. 180. In ejusdem mortem imperitia carnificis lanienæ ſimilem p. 181. In mortem Cinckmartii Galliæ Hippocomiæ præfecti, *ibid.* In mortem Marchionis propugnaculi minis obruti, p. 144. In obit. Archiepiſcopi, capite truncati, (Hoc capitis ſchiſmate Eccleſia in duas partes ſcinditur) p. 345. In obit. infantis feſtinato occaſu exſtincti *Banning. p. 70.* Epitaph. Pungii pro patria morientis, (Hoc, pro qvo jacuit, nunc jacet ille ſolo *Grotius* 239. In Marchionem Piſanium, prælio Nordlingano fortiter dimicando, occumbentem, *Nic. Heinſ. p.* 253. Manibus Colonii Lugduni peſte exſtincti p. 338. In obit. Benſoti Præfecti Sclopeto transverberati carmina 6. *Janus Douza à p.* 478. *ad* 483. Centurionis ictu tormenti extincti p. 479. Claudii Puteani Senatoris ap. Gallos regii ſupplicio exſtincti, p. 500. in obit. Colvii comment. in Apuleji aſinum ictu mulæ mortui, p. 138. Tumulus puellæ ripa oppreſſæ. *Pontanus p.* 3396. Nymphæ à ruſticis cæſæ p. 3398. In adulterio occiſæ p. 3405. Ducis militiæ à ſecuris ictu mortui *Flemmingus lib. 5. Ep.* 24. Pappenheimii *ibid.* comitum ab Indis interfectorum p. 51. virginis parietis mole obrutæ p. 79.

V. AB AFFECTUM MOVENTIBUS παθῶν & *argumentis Conſolatoriis.* Conſolatur aliqvem de exceſſu amici *Zuber pag. 23.* Conſolatur aliqvem ob obit. uxoris p. 45. it. p. 49. Conſolatur aliqvem ſuper morte filioli p. 33. Proſopopœia Alcimedontis morientis pridie ante occupationem urbis Romæ, *Balzac. pag.* 29. Ad Meliboeum Niſam cœlo receptam intemperantius lugentem (Funde potius roſas & thura, qvam lacrymas, qvas non ſitiunt Numina) *id. p. 53.* Ad Georgium Strachanum popularis ſui obitum undatim lachrymantem *Scoti pag.* 141. Margaretæ Macchiæ Matris ſuper immatura & triſti morte IV. filiorum lachrymæ p. 364. Brickmaldus ad ſupplicium tractus primo Tyrannum, deinde proceres ac tandem Chriſtum alloqvitur T. 2. 43

p. 11c. Epitaph. Alex. Artuthneti (Defleo in te privata & publica incommoda. Tuis verò commodis gratulor) p. *120.* Qverela in obitum Scaligeri *Heinſius* p. 56. Threnus elegia Catulliana in eundem p. 58. Luctus Memmii Patris ſuper obitu filii *Galli* T. 3. *p. 80.* Ad Rapinum ſuper filii morte: (Qvem genuiſti patriæ, impendis Patriæ) p. 165. Ad eundem ſuper morte alterius filii (ſat benè, pro patria qvi cecidere, jacent.) *Ibid.* Egenors voces in funere Farneſii p. 215. ad Macrinum in morte Patris conſolatio p. 471. Ad Puteanos fratres de morte Patris p. 512. *ad 519.* Elegia ad Epiſcopum fratris ſui obitum deflentem, *Scoti* T. *1. p.* 528. Ad Ducem Bulloniæ filiam deflentem, *Jonſtonus p.* 312. Ad ſe ipſum cum Sidronius Hoſchius amicorum & Poëtarum maximus è vivis exceſſerat, *Wallius p.* 116. Ad patrem de obitu Fratris *Banning p.* 101. In obit. præmat. Dionyſii Voſſii ad Patrem *id. pag.* 130. De Hortenſio lugente obitum Schickardi *Banning. p.* 166. Ad Corn. van der Mylen de obitu filii conſolatio *Barlæus* T. 2. p. 113. in fun. conſolatio Stoica, *Balde Lyr. p.* 45. ad Patrem ſuper obitum filii, p. 139. Conſolatur aliqvis de obitu fratris & Patris, *Sarbievius L.* 3. *od.* 24. 25. Conſolatio Mariti de obitu uxoris, *Bruno pag.* 330. proſopopœia Pici Mirandulani, *Itali* T. 1. f. *65.* ad Bembum in filii obitum oda Pindarica f. 134. ad manes Poetæ f. 242. In obit. Tunii Elegia conſolatoria ad fratrem T. 2. fol. 29. Ad manes amici T. 2. fol. 147. ad Gonzagam de obitu uxoris f. 223. ad vice-Comitem in Maximillæ uxoris obitum oda, f. 226. Amatoris lacrymæ ad tumulum ſponſæ fol. 283. Ad Carolum Sabaudiæ Princ. de obitu matris, f. 257. proſopopœia Mariti in obit. conjugis *Gudberlethius p.* 136. Proſopopœia pie defuncti Parodia ad Horatium *L. 2. od. 2. p.* 253. In obitum Patris qverela, *Secundus p.* 176. alloqvium moribundi ad amicos Jambus, p. 202. Proſopopœia Puteani moribundi ad uxorem jambus, *Baudius p.* 212. Proſopopœia filiorum ad matrem Eliſabetham, p. 216. Proſopopœia Mariti in morte conjugis p. 222. Conſolatio ad matrem ſuper mortem infantis *Hugen. p.* 148. ad amicum de inſperata fratris morte conſolatoria *Albertus ab Ines od.* 45. Conſolatoria oratio verſibus intermixta in obit. fratris ſui ad Patrem *Grotius, à p.* 329. *ad* 337. ad Regem de obitu matris, (Non fac, ut tibi Regi dominetur mœror Tyrannus) *Guiniſius p.* 254. ad Maximum Patrem filii natu minimi obitum lugentem, *Hofmann. Ep. p.* 167. conqveritur de obitu amici deſideratiſſimi *Philomathus od. p.* 25.

44 VI. MORALIA ſive LOCI COMMUNES Mortem vitari non poſſe *Wallius p.* 125. Carmen de termino vitæ *Barlæus p.* 181. Choreæ mortuales, *Balde Lyr. p.* 104. De æternitate p. 140. Omnia divina providentia gubernari, p. 203. Heliotropion ſeu mens hominis ad Deum verſa p. 277. Carmen votivum pro εὐθανασίᾳ p. 278. Corona Regia tegumentum humanæ miſeriæ, p. 302. in qvendam poëmata ſua de vanitate mundi inter negotia poſcentem, p. 213. autor de ſepulchro ſibi proſpicit, ſupervacuam Epitaphiorum curam irridet. *p.* 230. Hymnus ſpirantis ad cœleſtem patriam, *p.* 231. Meditatio mortis ex interitu arborum, *p.* 279. aſpirat ad cœleſtem patriam, *Sarbievius L.* 1. *od.* 19. Exceſſus è rebus humanis *L. 2. od.* 5. ſepulchra & tumulos ſibi Regum Scholam eſſe, *l. 2. od. 29.* omnia humana caduca eſſe & incerta

l. 3. *od.* 12. Optatum genus mortis, *Itali f.* 275. Cujusmodi tumulum poſt vitam cupiat f. 276. in deliberatam mortem, *Secundus p.* 125. Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, *Baudius p.* 53. Humanæ vitæ fuga, *Joninus Lyr. l. 4. od.* 30. Qvod mors ſit pallida, & callida, frigida, & rigida, *Baronius p.* 133. Fuga humanæ gloriolæ od. p. 161. ſuſpiria ad cœleſtem paradiſum p. 224. Elegia de humanæ mortalitatis miſeriis p. 237. Stoicus Chriſtianus, mortem non eſſe timendam, *Albertus ab Ines od.* 2. Miſerum eſſe, qvi nunqvam fuit miſer, *od.* 14. Rerum humanarum viciſſitudines, *Nic. Heinſ. p.* 76. Cœleſtes deliciæ elegia, *Guiniſius p.* 139. varia moralia Epicediis inſervientia habet *Balde* in libro *de vanitate mundi.* Sepulchralis urna pro fonte in atriis Romanorum, *Philomathus p.* 54. 55. Vid. Dan. Heinſ. libro de contemtu mortis.

VII. A RITIBUS ET ANTIQVITATIBUS. Allocutio ad manes Hieronymi Wolffii *Zuber. p.* 10. *parte* 1. *poëm.* Veneris lacrymæ ſuper mortem Adonidos *Scoti p.* 178. Epitaph. Metellani Scotiæ Conſiliarii. Inv. à diluvio & pluviis continuis mortem ejus præcedentibus p. 267. In defectum lunæ, qvi ſupremam Scaligeri noctem præceſſerat, *Heinſ. p.* 52. Epitaph. Budæi à pluviis & diluviis continuis, Galli p. 593. Mauſoleum Arauſiorum Principis, *Barlæus* p. 96. De more ungendorum cadaverum *Balde* p. 123. In infantis morte matris Auriacæ luctus aëre tempeſtuoſo, *Hug.* p. 148. In obit. Schillingi â variis ritibus tumulandi, *Taubm.* p. 320. In obit. Cluſii inter flores tumulati, *Nic. Heinſ.* p. 335. & 387. De pluvia in Magii obitu, *Guiniſius* p. 253. Viatoris Proſopopœia in obit. Duciſſæ Calabriæ *Joh. Jov. Pont.* 3377. Puellæ in florem verſæ 3398. Matris ad filiæ tumulum varia dona p. 3401. 45

VIII. A FORMA CARMINIS. Amici obitus ſub Paſtoris Jolæ perſonâ defletur *Balzac.* p. 101. Ecloga Daphnis in obitum Principis *Scoti* p. 101. Idyllium noſtrum Adonis in obitum Principis Meclenburgici. Ecloga Philomela in mortem Amaryllidos pulcherrimæ puellæ *Scoti* p. 418. Ecloga altera ejuſdem argumenti p. 420. Ἀποθέωσις Liddelii Philoſophi & Medici T. 2. p. 550. Jacobi Auguſti Thuani ἀποθέωσις *Heinſ.* p. 38. Scaligeri ἀποθέωσις p. 49. Thyrſis ecloga in obitum ejuſdem p. 59. Franciſci Lotharingi tumulus. Colloqvium inter hoſpitem & ſacerdotem *Galli T.* 3. *p.* 14. Epitaph. in ſe ipſum p. 171. Poëtæ nænia pentaſyllabica p. 205. Ἐπίμικτον in obitum Geſneri p. 677. Ecloga Alexis in obit. Henrici Bellagi p. 818. Epimicton in fun. nobiliſſ. Poetæ *Balde Lyr. p.* 139. Ecloga Alcon in obit. præmaturum juvenis Itali T. 1. f. 61. In obit. Cardinalis ἐπίμικτον fol. 91. Eclogæ tres in obitum Bembi Cardinalis f. 178. *ad* 184. ἐπίμικτον in mortem uxoris dilectiſſimæ *Hugen. in mom. deſult.* p. 36. in obit. fratris ἐπίμικτον *Grotius p.* 188. Dialogus inter viatorem genium & ſacerdotem in obitum Civium Hydruntinorum *Pontanus* 3376. Colloqvium inter viatorem & genium p. 3381. 46

IX. MISCELLANEA. Ad Jacobum Regem ægrotantem, cum Cometa apparuit ante mortem Reginæ, *Scoti* T. 1. p. 70. in rumorem de cæde Regis Jacobi, *id. p.* 70. Epitaph. qvod ſibi ipſi ſcripſerat, *Galli* T. 3. p. 110. Cor Henrici III. à Monacho occiſi, p. 144. In Paſſeris interitum p. 159. in lacrymas & verſus Henr. III. ſu- 47

per cædem Gaſtii p. 160. In Cor Caroli Saldanæ à conjuge ſepultum 3. Epigr. p. 166. Brutus moriens p. 189. Tumulus hominis furacis, abſumto patrimonio mortui, p. 442. Ad Maculum Pomponium, cum falsò diceretur in Alpibus occubuiſſe *Galli p.* 594. Ad Chloridem falsò nunciata morte Pomponii p. 608. De Pſittaco ſpecie qvadam mœroris Domino ægrotante mortuo p. 689. Epitaph. Acantulæ p. 690. Epitaph. in obeſum (ampliſſimus vir hic jacet) p. 691. Κενοτάφιον Theſaurarii ſuſpenſi *ibid.* in obit. Præſidis palo affixi. (Qvi malè ſederat judex, male ſtat poſt mortem) *ibid.* in obitum Mureti (Nulla dignius in urbe qvàm Roma mori debebat) Cinædus, *ibid.* de ignobili Arverno in ſepulchro nobili poſito p. 1146. Epitaph. trium ſimiarum *Scoti* T. 1. p. 609. Eudemiæ umbra ſcribit ad Eudemium, *Jonſtonus poëm. p.* 320. ad Ludovicum de Rohmen commune ſibi & conjugi defunctæ ſepulchrum erigentem, *Wallius* p. 208. cauſas dat, qvare ob peſtilentiam non diſcedat *Barlæus* p. 62. T. 2. in anatomiam Spigelii, p. 153. Diræ Franciſci Petrarchæ in tumuli ſui violatorem p. 317. in Cleopatræ obitum, *Itali* T. 1. fol. 64. Epitaph. Canis. *ibid. fol.* 82. Tumulus canis *fol.* 197. Catuli fol. 213. Tumulus Epicurei fol. 334. Tumulus Barbatillæ catellæ fol. 347. In catellum virginis Urſulæ mortuum *od.* T. 2. fol. 148. & ſeqq. Epitaph. Penelopes meretriculæ fol. 258. Manes turturis. Luſus Saturnalitius, *Gudberletius p.* 2. In mortem ſenis cujusdam Pædanogogi *Joh. Secundus p.* 189. ad Berſum Jano Douzæ parentantem Jamb. *Baudius* p. 197. Epitaph. vetulæ uxoris viri non ſenis *Hugen. pag.* 95. in Principis infantem mortuum gypſo efformatum, p. 147. Epitaph. Mulieris prodigæ. p. 183. exſtincti crapula p. 188. in Cippo fratris tumulo a vidua impoſito, p. 194. Catella veneno caſu ſumto interempta, *Hugen.* p. 387. Epitaph. Lepusculi *Taubm.* p. 357. excuſat ſe, qvod non ſcribat elegiam in morte amici, p. 385. Epitaph. canicula leunculi p. 497. oda de peſtilentia, *Joninus in Lyr. lib.* 1. *od.* 16. & 17. Vid. Samſonis, Belliſarii, Caroli V. Hannibalis, Lucretiæ, epitaph. ap. *Baronium in metris Miſcell., à p. 66. ad p. 73.* Impiæ & informis vetulæ epitaph. p. 72. Simonides Poëta mortuum ſepelit. p. 97. in effig. Scaligeri paulò ante mortem expreſſam, *Grotius p.* 262. Elegia de ſe ægrotante, *Lotichius l.* 1. & 6. cujus bonam partem deſcripſit *Bertilius Canutus in eleg. p.* 71. De Lojola, cujus in ſepulchro viſa ſunt ſidera, *Gviniſius p.* 289. Epitaph. ſepulchro inciſum, *Philomatus p.* 112. Inſcriptio ſepulchralis Rhythmica p. 139. Alia inſcriptio Rhythmica p. 142. Inſcriptio p. 142. Epitaph. Adonidis ex Græco redditum *Janus Douza* p. 521. Tumulus moroſæ fœminæ *Pontanus* p. 342. Certeri hominis furaciſſimi 3404. Mendici 3405. hominis bibaciſſimi 3406. Ruſticani 3420. Inertiſſimi nani, Ichthyophagi, Pegaſi, aviculæ Sturni, Vocis motoriæ, Meretriculæ p. 3420. *ad* 25. Achillis ſepulchrum, *Bonifacius in Muſis p.* 22. Herculis & Alexandri p. 26. & p. 31. Inferiæ Cleopatræ ad tumulum M. Antonii p. 47. In mortem Caballi, Parodia ad paſſerem Catulli, *Menagius* p. 62. Mauſolea Regum Perſarum, Flemming. *l.* 6. c. 15. Imperatoris Ferdinandi. 38.

48 Subjiciemus his minora qvædam carminum genera, non adeò freqventis uſus, ut *Soteria*, *Euchariſtica*, *propemptica*, *valedictoria*, & *ſalutatoria*, *Epibateria*, *dedicatoria*, qvæ ſingula ad demonſtrativum genus pertinent, ac præcipua Enthymemata à

laude

laude vel perſonarum vel factorum capiunt. Exemplum *Soteria* eſt ap. *Statium lib. 1. Sylv. carm. 4. Pro Rutilio Gallo.* Elegantiſſimnm qvoqve exemplum eſt in itinerario Gallico Monconiſii, ubi Gaſſendo gratulatur de valetudine recuperata. Exſtat Barlæi gratulatio ad Hugenium febri liberatum *Heroic. p.* 396. Ad Cardinalem Mazarinum graviſſimo morbo liberatum, *Balzac. p.* 17. Morbus Scarronis *id* p. 57. Corydon ad autumnum, cum Phœbum ſuum ea anni tempeſtate ægrum videret, *Scoti p.* 113. ad Lud. Duræum Medicum, ut febris qvartanæ ægritudine ſe levet, T. 2. p. 147. ad Matrem miſericordiæ cum Sidronius Hoſchius in gravi morbo carmen illi voviſſet, ſi convaleſceret, *Wallius p.* 37. ad Aloyſium Lauenbach, ſanguinem vomentem, *id. p.* 253. ad eundem, cum à gravi morbo nondum liberatus ſe ad literas dediſſet, p. 263. Votum Matri miſericordiæ cum à lethali morbo liberatus eſſet, *Hoſchius pag.* 29. pro valetudine alicujus votum p. 79.

Euchariſtici carminis exemplum eſt ap. *Statium lib.* 4. *Sylv. carm.* 2. Apud Barlæum eſt euchariſticon pro torqve aureo à Britanniæ Rege oblatum. Ad Bernerum pro muneribus miſſis, *Zuberus parte* 1. *p.* 43. ad Martam Ingolſtadienſem pro corona natali die ad ſe miſſa, p. 90. ad Cancellarium, *Balzac. p.* 34. gratiarum actio, cum in privatum cubiculum admitteretur, *Scoti* T. 1, p. 66. expoſtulatio cum Jacobo Rege, qvod munus non accepit p. 71. Corydonis carmen Euchariſticum *id.* p. 69. armilla à Melidoria donata p. 115. Euchariſticon pro domo, in qva habitabat T. 2. p. 361. gratias agit pro carmine in ſe conſcripto, p. 503. ad ſenatum annua præmia juventuti erogantem, *Wallius* p. 91. Euchariſticon ad Antonium de Burgundia, cum emblemata in lucem daret, p. 353. Antonio cum annua præmia juventuti donaret, *Hoſchius* p. 61. 49

In *Propemptico*, qvo iter alicui gratulamur, inventiones ducuntur vel à tempore, vel à loco, vel à conditione perſonæ iter facturæ. In tempore adjuncta ejus conſiderabuntur, num æſtivum, hyemale, commodum, incommodum. Locus eſt vel is, à qvo fit diſceſſus, qvi conſideratur cum relatione ad perſonam. Convenient hic loci Rhetorum in laudibus locorum. Similiter locus, ad qvem tendit, deſcribatur ex iisdem locis, & à deſiderio amicorum expectantium. Locus, per qvem qvis tendit, vel mare eſt, vel terra, ſi prius, allocutiones fingantur ad Deos marinos, ventos, tempeſtates, nautas, navem ipſam. Si poſterius, optamus illi Pegaſum, aqvilam Ganymedis, injurias aëris deprecamur. In Conditione perſonæ eſt, qvod vel munus publicum ſuſtineat, ut Legatus, ubi excurſus fieri poſſunt in Principem mittentem, expeditionem ipſam, virtutes Legati, ſpem Patriæ. Si Dux eſt exercitus, Locus communis de bello feliciter gerendo conveniet: Si literatus, multa de ſtudiis, de ingenio fingere poſſumus. Ἤθη & πάθη ubiqve miſceri poſſunt, conteſtatio doloris, deſideria amicorum, vota pro felici reditu. Exemplum eſt ap. Barlæum ad commenſalem, cum Britanniam adiret. In diſceſſum Poëtæ (Phœbus è nubibus abiit,) *Zuber. parte* 1. *p.* 12. ad amicum navigaturum, *Zevecotius p.* 46. ad amicam Coloniam proficiſcentem *id. p.* 61. ad amicam navigaturam, *Fabricius p.* 71. ad Regem Jacobum VI. Angliam 50

peten-

petentem *Scoti* T. 1. p. 40. ad Daniæ Regem, cum ex Anglia ſolveret *ibid. p.* 117. aliud Propempticon p. 137. ad Jacobum VI. Scotiâ diſcedentem, p. 241. Propempticon Legati ad Regem Britanniæ, p. 281. deſiderium Patriæ ad Regem abeuntem p. 372. ad Regis è Scotia diſceſſum, T. 2. p. 470. Propempticum Charitum Abredonenſium ad Regem p. 566. è Belgio in Indiam abeunti *Wallius p.* 102. Ad eundem Idyllion Amyntas p. 166. ad amicam navigantem *Banning. p.* 15. ad qvendam de peſtis ſeceſſu *id. p.* 20. In abitum Boulii Phaleucium *id. Hendecaſyll.* 7. ad Walæum in Galliam diſcedentem p. 137. ad Balium in peregrinas oras diſcedentem *ibid. p.* 161. in abitum Martini, p. 189. Valedicit Regi Britanniæ *Scoti p.* 266. T. 1. in qvendam, cum è Belgio in Germaniam revocaretur, *Hoſchius pag.* 70. In ſuum ad urbem Venetam appulſum *Scoti p.* 268. ad nobiles duos fratres, qvi Sileſiam repetebant, *Barlæus Heroic. p.* 392. ad eqvitem, cum Haga Leidam repetebat, *ibid. p.* 445. ad Jacob. van der Burg p. 533.

51 Ad *Epibateria ſive gratulationes de adventu* iſta pertinent. Hylas redux, *Balzac*, p. 55. Nympha hoſpes, *id.* p. 64. ad Regem Jacobum Parthenam urbem ingredientem, *Scoti* p. 18. Ecloga I. Amaryllis cum Rege Jacobo in Scotiam reduce, *ibid.* p. 33. Amaryllis exſultans ad Regem ingredientem urbem p. 36. Ad Daniæ Regem Angliam ingredientem p. 88. Ad Regem Scotiam reviſentem, p. 374. Patriæ ſub Amaryllis nomine gratulatio de reditu ex Anglia ad Jacobum Stuartum Scotiæ Pro-Regem, *T.* 2. p. 163. ad Regem in Scotiam redeuntem p. 233. ad Reginæ Angliæ Oratorem Pictavium ingredientem p. 351. De Scotiæ procerum reditu ab exilio p. 365. de Pompa introitus in urbem Regis Jacobi p. 519. in reditum Regis in Scotiam p. 500. ad Gandavillanum oppidum Regi Catholico reſtitutum primò ingredientem, *Wallius* p. 240. ad Florentium, cum in navi à Batavis captus ſuæ provinciæ redderetur, p. 327. ad Belgium de Ferdinandi gubernatoris navigatione *Becanus* p. 79. ad eundem de mora illi in Italia injecta, *id.* p. 81. ad Philippum Regem p. 86. Gandavenſis urbis in ejus adventu gratulatio p. 89. ad Ferdinandum, cum primùm in Belgium veniret, *Hoſchius* p. 44. adventus Reginæ Britanniæ, *Barlæus* p. 155. Mauritius redux p. 335. in adventum Principis ſub veſperam poſt ſuperatam Grollam, p. 343. De eodem Principe ad Iſalam *ibid.* in adventu amicæ, *Banning. l.* 1. *eleg.* 12. In adventum nobilis Poloni in Academiam Leidenſem, *Banning.* p. 49. Expoſtulat cum amico, qvod diutius, qvàm convenerat, abfuerit, *id.* p. 77. Ad qvendam poſt Medicinæ gradum in patriam redeuntem, *id.* p. 96. ad Principem Auriacum, expugnata Hiſpanorum claſſe, reducem, *id. l.* 1. *ſylv. carm.* 1. ad cognatum è Gallia & Anglia reducem, p. 158. ad qvendam ut, deſinente peſtilentiâ, in urbem revertatur, p. 177. ad qvendam, qvi Golium de cœli aſpectu conſulturus erat, qvando in urbem rediturus ſit, *id. ibid.* In qvendam ex Italia, Gallia, Sicilia reducem p. 190. De Pareliis Lutetiæ viſis anno 1539. finiente, Carolo V. Cæſare Calend. Jan. urbem ingreſſuro Epigramma Theodori Bezæ, *Galli parte* 3. *p.* 692.

52 Ad *Dedicatoria* pertinent hæc. Ad Urſinum Poëtam ſibi non viſum, cui carmina offert, *Zuberus poëm. parte* 1. *p.* 30. Dedicatio carminum ad alios, *Id. p.*

34.

34, 36, 63, 76, 78, 83, 94, 99. ad Chriſtinam Reginam, cum qvædam opuſcula illi mitteret, *Balzac. p.* 25. ad Comitem p. 27. De Poëſi amatoria ad Patrem Februarium *id. p.* 134. Luſus ruſtici dedicati Conſiliario Regio *id. p.* 137. Dedicatio hymnorum ad Regem, *Scoti* T. 1. p. 142. Dedicatio Eclogarum ad Regem p. 417. carmen de anatome, T. 2. p. 36. dedicatio ſacri carminis ad Regem p. 84. ad Scævolam p. 385. ad ordines Hollandiæ cum illis carmina emblematica offerrentur, *Wallius* p. 71. dedicatio carminum ad Pontificem p. 187. ad Arnoldum van der Valle adhuc in cunis vagientem, cum ei olivam pacis in ſpem colendæ olim poëſeos mitteret, *id. p.* 225. ad Claudium Comitem, dum Ferdinando Theſes qvasdam dedicaret, *Becanus* p. 99. Dedicatio hymni in Chriſtum *Barlæus* p. 1. aliæ dedicationes p. 28, 46, 49. Mittit ad Barlæum carmina ſua, *Banning p.* 73. ad Nyendalium, cum carmina ſua bellica illi traderet *ibid. p.* 86. Diſputationes Ethicas dedicat Heinſio p. 126. Ad legatos Principis Holſatiæ in Perſiam, cum ei dedicaret aliqvid *id. p.* 140. Laurentio Reali carmina mittit p. 169. referantur huc dedicationes ſingulorum librorum in Martiali.

Subjungimus hiſce *encomiaſtica perſonarum variarum rerum*, qvæ apud varios Poëtas inveniuntur. Panegyricos in Imperatores, Principes, Duces, Viros Literatos, Conſiliarios &c. Vid. ap. Claud. & Barlæum paſſim. Ad Regem Chriſtianiſſimum, *Balzac. p.* 10. Ad Claudium Memmium Regis Galliæ Legatum *id. p.* 19. Ad invictiſſimum Heroa Ludovicum Borbonium *id. p.* 12. Laus Gavini Conſiliarii *id. p.* 26. & 27. Olor Gallicus ad Principem Henricum *id. p.* 31. Ad Antonium præſulem *id. p.* 107. Pompa Regia Ludovici XIII. *Petavii Panegyr. XI. Parnaſſ. Soc. Jeſ. p.* 642. Panegyricus in Pontificem Urbanum VIII. in qvo ejus poëmata potiſſimum laudantur, *id. p.* 639. Panegyrici de Ludovici XIII. rebus ad Rupellam geſtis p. 649. & 652. Vid. ibid. plura. Petavii Panegyr. ſacros. Laus Caroli Britanniæ Principis *Barlæus ap. Scotos* p. 78. Jacobi I. p. 83. T. 1. ibid. Princip. Henrici p. 91. Comitis Roberti Cœcilii p. 104. Panegyricus ad Regem *ibid. p.* 302. Scoti Cancellarii Directoris p. 304. Panegyricus Jacobi I. p. 318. Regis Galliæ Ludovici XIII. p. 338. Eliſabethæ Angliæ Reginæ p. 431. Vid. Jonſtoni Heroes *ibid. T. 2. p.* 118. & 119. Ad Jacobum VI. Regem & Poëtam *T. 2. p.* 142. De Catharina Medicea p. 381. Laus Naſonis p. 488. Laus Jacobi Regis p. 509. Ad Carolum IV. Lotharingiæ Ducem *Wallius poëm. p.* 67. Laus Heinſii *Banningius L. 1. El.* 3. Boxhornii id. p. 20. Catſii p. 53. Voſſii ab inſigni eruditione pag. 46 Barlæi p. 50. & 73. Salmaſii p. 70. Heinſii p. 126. Laus duorum fratrum, p. 171. Conſulis Foreſti p. 72. Graswinkelii cauſarum Patroni 172. Gronovii 176. Annæ Schurmanniæ p. 176. Meſtertii p. 183. Declamatoris eximii *Balzac. p.* 89. Elegantiſſimi Poëtæ, ſed aulici infortunatiſſimi *id. p.* 62. Poëtarum Scotorum *Iſaacus Gruterus in carm. Encomiaſt. editioni Poëtarum Scotorum præfixo.* Viri duri ac honeſti, *Scoti p.* 73. puellæ Aurelianæ p. 72. Medicinæ Doctoris p. 219. Cohortium Scoticarum Dictatoris p. 296. Viri conſtantis p. 304. Daphnidos Poetæ Encomium ſub Ecloga repræſentatum p. 421. Cœliæ T. 2. p. 114. Eſtheræ Anglæ bellæ pictricis *idem p.* 119. Guldenſtein hoſpitis ſui p. 139. Tychonis Aſtrologi pag. 142. Puellæ, cui nomen Barbara p. 174. Vid. Carmen 53

Barlæi in uxorem ſuam ejusdem nominis *l.*2. Eleg. p. 88. Joh. Gordinii *Scoti p.* 174. Rhodenburgii Taubmannianæ Cathedræ Succeſſoris p. 260. Laudes fœminarum pulchrarum, amicorum, amaſiorum &c. *Vid. magnam copiam in libro Blyenburgii, quem inſcribit* Veneres Blyenburgicas, *in quo collegit varias materias de amoribus, illasque ſub certis titulis congeſſit. Vid. ibid. titulum de epithalamiis & de amoribus. Adolphus à Dans l.*3. de laudibus Eliſabethæ. Vid. panegyrin heroicam Caroli V. ap. Maſenium in palæſtr. p. 214.

54 *Variarum rerum laudes.* Laus capri *Balzac.* p. 130. Eqvus Domitiani *Statius L.*1. *Sylv. c.*1. Laus Roſæ *Scoti* p. 181. Violæ p. 183. Lilii p. 185. Croci p. 186. Hyacinthi p. 187. Papaveris p. 190. Lavendulæ p. 192. Nardi p. 193. Thymbræ p. 194. Lini p. 197. Iridis p. 199. Fœniculi p. 201. Haſtæ p. 202. Enſis p. 206. Caſſidis pag. 207. Fluvii Moſellæ *ap. Auſonium.* Montis Ætnæ *ap. Corn. Severum.* Villæ Tyburtinæ Manli Vopiſci *ap. Statium L.*1. *ſylv. c.* 3. Balnei Claudii Hetruſci *id. L.*1. *carm.* 5. Calendarum Decembrium ſaturnalium *ibid. Carm.* 6. Calend. Maji ſimul vernum tempus eleganter deſcribitur, & laudatur, *Buchananus* p. 282. Villæ Surrentinæ Pollii Felicis, *Statius L.*2. *carm.* 2. Pſittaci *ibid. Carm.* 4. Leonis manſueti *ibid. Carm.* 5. Herculis Surrentini *ibid. l.*3. *c.* 1. Conſulatus Germanici *id. l.* 4. *c.* 1. viæ Domitianæ *id. l.* 4. *carm.* 3. Herculis Epitrapezii *id. l.* 4. *Carm.* 6. Laus Bruxellæ *Zevecotius el.* 10. *lib.* 2. Laus invidiæ *Caldenbach. Lyr.* 2. *c.* 2. Balneorum Dianæ *Balzac.* p. 90. vitæ ruſticæ *id.* p. 138. & 140. Genius novæ Baſilicæ ad venalia mercimonia exſtructa, *Scoti* p. 129. In fontem juventæ ap. Thaduanos, *Scoti* p. 373. Laureæ Poetarum coronæ p. 31. Laus Muſæi pag. 105. Hymnus in Hygeam. p. 107. & *Balde in præfat. ſatyr. Medicarum,* laus hiſtoriæ, *Scoti* p. 114. Pacis ſanctæ 119. Encomium domus Ledintonæ, p. 167. Laus artis typographicæ & pyxidos nauticæ, *Scoti* p. 350. Sacellum Muſis & Muſicæ dedicatum. pag. 350. Laus monarchiæ, p. 383. Ruſticæ vitæ μετάφρασις Epodi ſecundæ Horatianæ, *Wallius in poëmat.* p. 163. Literatum Philomathi otium celebrat *id.* p. 190. Laus antiqvitatis *id.* p. 259. In cultiſſimam elegiam *Hoſchii id.* p. 232. In Lyram Sarbievii *id. p.* 333. Poetas vitæ Magiſtros eſſe, *id.* p. 347. Belgium Muſarum ſedem eſſe *id.* p. 369. ad Petrum Claſſenium lucubratiunculam de rebus creditis evulgantem, id. p. 375. Laus abſynthii pro abſynthio in monte D. virginis retinendo *id.* pag. 88. Elegia de regno à Chriſtina depoſito *Becanus carm.* 1. In opera Theologica poſthuma Leſchii, *Hoſchius* p. 37. Ad Montmorenum Idyllia ſua edentem *id.* p. 41. In Viſerii opus medicum Antidotarium *id.* p. 59. Laus Theriacæ, *Banning.* 55. Encomium Torvitatis, *Jacob. Balde.* Diſputationis de morbis capitis *Banning.* p. 91. In Burgersdici Inſtitutiones logicas *id.* p. 135. In Boxhornii qvæſtiones Romanas, p. 142. De Scriverii commentario Venatico p. 147. in ædes ſplendidas Matenæſii p. 156. In theatrum urbium Hollandiæ Boxhornii p. 163. & 164. In Voſſiorum annales *id.* 165. In Eliſam Danſii *id.* p. 167. Laudat poemata Rutgerſii id. p. 175. In orationem Boxhornii de majeſtate eloq. Romanæ *id.* p. 177. In Delmenhorſtii Etymologicon, *id.* p. 183. In Screvelii Carmen de peſte, cum illa paulo poſt ceſſaret, *id.* p. 181. Laus Patavii *Lotichius l.* 3. *Eleg.* 4. Laudat

dat oblectationes ruris *ibid. eleg.* 8. laudat monumenta in agro Nemauſenſi. *id.* 2. *lib. eleg.* 20. Allocutio ad rempublicam Venetam, *Barlæus in heroic.* p. 97. In ſpectacula exhibita Amſtelodami ad adventum Mariæ de Medicis &c. *id.* p. 153. & 157. artis gladiatoriæ laus *id.* p. 457. in phyſicam Jachæi *id. in eleg.* p. 127. In Metaphyſicam Jachæi *id.* p. 128. In nummos argenteos, Cæſarum imaginem exhibentes, *id.* p. 123. In partem auſtralem Hollandiæ aqvis ſubmerſam *id.* p. 121.

Encomiaſtica in Imagines. Vid. l. 1. Epigr. Naudæi, qvo continentur variæ illuſtrium Heroum imagines. Vid. Adolphi à Dans peculiarem librum, qvem inſcribit *Imagines.* In effigiem Caroli V. à Conſtantino Hugenio metallo donatam, *Barlæus in eleg.* p. 121 in effigiem Richelii, *id. in her.* p. 173. in effigiem Eliſabethæ Bohemiæ Regis, Friderici Palatini Comitis, filiam *ibid.* p. 178. In effigiem deformis Camillæ, *Scoti* p. 177. Elegia ad pictorem, qvomodo velit pingi Glycinnam ſuam, *Scoti* p. 143. T. 2. Banningii elegia ejusdem argumenti p. 28. In imaginem Glycinnæ, *Scoti.* T. 2. p. 178. in Homeri effigiem p. 179. In imaginem Epici Poetæ *Menagius* p. 81. In effigiem Heracliti, Ciceronis, Virgilii, Catonis, Platonis, Ariſtotelis, Pythagoræ, *ibid* p. 179. In effigiem matronæ ſingularis exempli *Balzac.* p. 52. In effigiem feminæ, qvæ ſe ipſam depinxerat, *id.* p. 53. de Diana ad Pictorem *id.* p. 89. in effigiem Flavii Domitiani Cæſaris, *id.* p. 128. imago Aloyſiæ, *Barlæus inter Scotos* p. 135. & 136. in effigiem Tychonis Aſtrologi. *Scoti T.* 2. pag. 142. In effigiem Ducis Brunſvicenſis Auguſti *Vid. epigr. noſtra ſelecta*, p. 1. In effigiem Principis Cimbriæ, Friderici, item Cæſaris Leopoldi &c. *Vid. primitias noſtras Parnaſſi.* In effigiem Mauritii Theologi *vid. miſcell. noſtra poëtic.* p. 31. In imaginem Poetæ elegantiſſimi, *Menagius* p. 76. item p. 77. in imaginem Chriſtinæ p. 79. & 82. In imaginem virginis, *Menagius* p. 87. In imaginem Brunonis Carthuſianorum Parentis p. 86. In imaginem Hiſtorici p. 93. In imaginem Cardinalis Mazarini p. 94. In ſuam imaginem, qvam amico mittit, p. 95. In effigiem Roſillæ defunctæ, *Janus Douza* p. 238. In effigiem Johannis Secundi p. 237. Vid. epigrammata multa in effigies *ap. Barl. miſcell. l.* 2. 55

Sylloge variarum invectivarum & ſatyrarum. Inter recentiores Satyricos nemo Jac. Balde melior. Scripſit is Satyras medicas, Satyram de eclipſi ſolis, contra Tabacum, contra pingues & macilentos, in podagricos, de vanitate mundi &c. Vid. Sulpitiæ Satyram de corrupto reipublicæ ſtatu cum notis Boxhornii & Val. Catonis Diras, cum notis Arnoldi. Apud Gallos prodiit Liber. var. Satyr. Le Cabinet ſatyriqve anno 1666. Le Parnaſſe ſatyriqve du Sieur Teophile 1660. Jani Gulielmi Laurenbergii & Rachelii Satyræ Germanicæ. Apud Belgas Vid. Joſt van de Vondels Heckeldicht. Nebulo Nebulonum per Petrum Baardt, Haerlem anno 1634. Vid. Maſenii Satyr. I, in avarum, in nimiam opum cupiditatem Sat. 2. in imperitum Controverſ. Scriptorem, Sat. 3. In ſuperbum Sat. 4. Vid. Buchanani fratres fraterrimos in Franciſcanos ſcriptum. Vid. Heinſii Scazontem in Scioppium *p.* 75. In barbaros qvosdam, qvi ſub verorum JCtorum & Medicorum nomine bonas literas allatrant, *p.* 73. in Maledicum qvendam Pædagogum, ſibi ſoli eloqventiam vindicantem, 56

p. 98. Conſilium Collegii medici Pariſienſis de mania Hypermori Medicaſtri pro Buchanano ſcriptum, *Jonſtonus p.* 185. Onopardus furens, *Jonſtonus p. 193.* Tumulus Onopardi *p. 207.* in rabulas duos, Patrem & filium, *p.* 242. De furoribus Brentotyphæis *p. 300.* Baudii jambi in Scioppium, *p.* 169. In Pſeudo-Celtam *p. 170.* In tres Juris perverſores, *p. 171.* In famoſum rabulam, à qvo indignis modis circumventus erat *p.* 172. & 173. Adverſus inſignem falſarium *id. p. 178.* In duo Gallicani nominis opprobria *p. 180.* In Typhæum *id. p. 184.* In qvendam ſine nomine fragmentum Satyræ *p.* 192. Nicol. Heinſii Scazon in Alaſtorem, in Salmaſium, ut videtur, ſcriptus *p. 165. noviſſ. edit.* Ejusdem Luſus Saturnalitius in Corn. Coſſum & Franciſc. Santram Poëtaſtros *p. 187.* Menagii Gargilius ſeu Metamorphoſis Gargilii Macronis Paraſitoſophiſtæ in Pſittacum, *Menagius poëmat. pag.* 3. in epulo paraſitico *pag. 93.* ubi præterea vita Gargilii Mamurræ continetur. Caroli Feramuſii Hemera Macrini Paraſito Grammatici ad Celſum epulum Paraſiticum *pag.* 3. Indignatio in Gargilium Anagrammatiſtam *Menagius p.* 68. In Macronium nothum *id. p.* 56. Proſopopœia Gargilii ad ſe ipſum *id. p. 57,* in Hermogenem avarum *id. p.* 52. In Albemanni libellum de morte, qvem cordi ſuo dedicaverat *p.* 58. In Cottam ſcriptum qvoddam *id. p. 89.* & 90. In malum medicum Hermogenem *p.* 90. In Sabellum pædagogum *p.* 70, in Lupam mulierem deformem *p.* 98. Amator decrepitus ad Cupidinem *Menagius p.* 100. Indignatio in Theonem Ludimagiſtrum ExJeſuitam laudatorem ineptiſſimum Cardinalis Faletæ *epul. paraſ.* 310. In qvendam ſemigrammaticum viri doctiſſimi ſcripta chartarum cacatarum convitio traducentem *vid. miſcellanea noſtra p.* 88. In cujusdam carmen euchariſticum ex Secundi carmine exſcriptum *ibid. p.* 91, in oſculum ab anu illatum, *p. 44.* Lubini Satyræ tres in malè doctos Academiarum peſtes, *Roſtochii* 1618. In invidum *Zevecotius l.* 3. *eleg.* 17. miſeria ſeculi *id. p.* 167. In Sycophantam genere & moribus infamem, *id. p.* 178. In Mopſalum, qvi ſibi adoleſcentiam objecerat, *Fabricius p.* 182. In formoſam virginem deformi marito nubentem *id. p.* 184. Diræ in Catarrhum *Gudberlethius p. 81.* Diræ in culices Mydenſes *Barlæus miſcell. L.* 1. *p.* 360, ad Zoilum & Momum, *Gudberlethius p. 85.* De hypercritico Galeſo ad Menagium *Balzac. p.* 48. De non optimo Poëta, qvem per humanitatem ſummam laudaverat *id. p.* 67. Orbilius ſatyra *p.* 67. & 68. In Grammaticum Genefatem *p. 71.* Ad Marc. Licinium de vita Mamurræ *id. p.* 72. Crudelis umbra. Hoſti mortuo non eſſe fidendum *id. p.*77, ad Metellum de Boſco Roberto Poëtaſtro & Criticaſtro *id. p.*73, *ad* 76, in ſenem ægrotum amantem *id. p. 80.* In Galathei inſaniam *p.* 81, *ad* 83. De temeritate novæ & profanæ Criticæ *p. 100.* Balzac. in Amyntæ audaciam *id. p.* 121. in Tiberium Cæſarem *id. p.* 123. ad eundem in morbo mortem ſæpe optantem *id. p.* 124. De libertatis ſpe poſt mortem Tiberii *p. 124.* Indignatio in Poëtas Neronianorum temporum *id. p.* 125. Ridendæ lacrymæ ad Franciſcum Mariam Fulvium in obitum Poëtaſtri *p.* 130. Philomela ingratum canens *p.* 133. Valedicit aulæ, *Scoti p.* 61. in Camillam deformem puellam, *iidem p.* 118, 119, 122, 129, & 130. Ad Camillæ matrem pulchram de deformi filia, *p.* 130. In Vappam circulatorem, 139, 141, in qvendam incon-

incondito & obſcuro verſu Oſtendam captam deſcribentem *p. 126, & 127.* in qvendam cauſidicum cognomine Regem *p.* 433. in Qvindecim-viros litem ſibi protrahentes, *ibid.* Deteſtatio conſpirationis de perdenda pulvere pyrio tota aula *p.* 433. expiatio *p.* 434. In Jeſuiticum pulveris pyrii conatum, *T. 2. p. 200.* Diræ in febrim, *p.* 106. Fibra Thuſca cum catulis, p. 111. Ad Carolum Galliarum Tyrannum ſanguinis inuſitato fluxu pereuntem p. 132. ad Venetos de Papa *ibid.* in Myſtomaſtyga p. 117. in pediculoſum Grammatiſtam 117. In Italum ſororem ſuam inviſo Scoto obtrudentem p. 137. in Philippum Hiſpaniæ Regem tria epigramm. p. 138. in rebelles, qvi Ducem Parmenſem ſecuti ſunt, alluſio ad nomen *ibid.* in aulicum qvendam mandato Regis ex aula diſcedentem, p. 140. In cuculum qvendam Cauſidicum p. 141. & 142. in corruptum Senatorem, nummus νόμ☉ p. 174. In gallum cuculum (accreſcit Domino, qvod alieno fundo inſeritur) p. 175. In Gyllam laſcivam p. 177. Echo in meretricem p. 176. in Janum Virbium p. 177. Apologia contra Theonis cujusdam nomen ſuum occultantis calumnias & contumelias p. 337. de bello civili ad juventutem Gallicam p. 376. De Dardano mercatore annonam exurente p. 387. In Chriſtianorum carnificem, *ibid.* Diræ in Bajulum, qvi urnam fregerat, *Wallius p.* 262. in Pædagogum ἄτιμον Parodia ad Catulli Phaſelum *carm. illuſtr. Poët. Ital. T. 2, p. 351.* In Hermogenem peſſimum Poëtam p. 351. in Planum impoſtorem p. 352. in Virianum Pſeudo-Poëtam p. 354. in ſciolos qvosdam p. 365. In Franciſcanum qvendam, 372. in Theodorum Bezam & Buchananum p. 373. In Jeſuitas Comœdia ſub nomine Lojolæ edita Londini anno 1648. In Ducem de Alba, *Janus Douza, poëm. p. 127. & ſeq.* In Morum p. 129. In invidum *Zuberus parte 1. poëm. p. 7.* in hominem inconſtantem *id.* p. 31. in qvendam unum ſcriptum pluribus dedicantem p. 19. In naſutum *id.* p. 20. in qvendam gloriantem de amicitiis Magnatum, p. 24. & 25. In verborum aucupem, *ibid.* In Cachecticum, qvem toties inviſens domi non offenderat, *id.* p. 28. in Vulpionem *ibid.* in Poëtam ineptum laureatum p. 29. in Willium ſibi minantem *id.* p. 31. in Qvinqvillum Medicum nunqvam ſanantem *id.* p. 31. In Patrem Lenonem & filiam Meretricem, *ibid.* in qvendam primarium p. 34. In Rontam, non niſi mortuos Poetas æſtimantem, p. 35. In Philobiblum poſt mortem ſuam ſcripta editioni deſtinantem *ibid.* p. 34, in Bibianum ſemper ſe invitantem & nunqvam domi inventum p. 50. In collegium Patrum Viennenſium (Parodia ex l. 12. Mart. Ep. 95.) p. 51. in qvendam fœdam uxorem ducentem, p. 55. In Philoſophum ſuperbum, *ibid.* in peſſimum nebulonem p. 56. In qvendam generis fungini poëtam *id.* p. 61. In Lipſio-Maſtyges *id.* p. 65. In qvendam nulla ſibi munera pro carminibus mittentem p. 67. In Luſcavii immanes Ronchos, *id.* p. 68. In Trollum ſtultum alieni artificii exiſtimatorem p. 78, in parcius convivium Torgæ p. 78. in pappulum omniſcium, p. 80, in Epiſtrum ſeu nimis credulum *id.* p. 82. In Ramiſtas p. 84. In parvum p. 94. In honores indignis collatos, p. 96, & 97. In Ariſtomachum de vino ſcribentem p. 105. In Strigonum epigrammata ſua poſcentem p. 87, in qvendam Georgium ebrium p. 89, in Latruſcum invidum p. 51, in qvendam, paupertatem ſibi objicientem p. 87. In Qvarculum p. 97, in Qverlini uxorem ſemper pedentem, p.

 87. In

87. In Pignantiam ebriam Maritum deplorantem p. 88. In Matthæum Bonficinium, hominem ſimplicem, p. 95, in Mergum p. 96. In Grungraſianam Maritum verberantem *id.* p. 47, in Criſpum p. 60, in Digloſſum *ibid.* In qvendam, qvi ſe Dominum vocarit p. 61, in priſcam virginem, p. 20. In Picem & Cantorem eadem utentes uxore p. 12. In Sixtum laude datâ indignum p. 15. in vitam aulicam p. 58. & 59. In qvendam nulli credentem p. 68, in ſcripta Poëtica ſorti ſuæ exitioſa *id.* p. 36. In girgillum p. 37, in Plandum allatrantem p. 78. In qvendam qvi ſchomnia pronunciabat pro ſomnia p. 29. In fuſculam p. 36. In locum ubi vivit p. 60. Aëroſophum p. 76. In Cardopum *ibid.* In Auſtraſiam, *Balzac.* p. 13, in puerum præcipitem p. 14. In lubricum omnia vendentem *Zuberus* p. 87. In Turcum, ſe ejus favorem nihil æſtimare p. 96, objurgatorium in ſe ipſum de credulitate ſua, *Jul. Cæſar. Scalig. poëm.* 47. In judices, qvi ancillam, arcas effringentem, abſolverant, *id.* p. 33. In ſuam Arthritidem p. 48. In invidum qvendam Medicum p. 49. In barbariem ſui temporis, p. 46. In larvatos græcarum literarum ſectatores p. 34. *Vid. Jul. Cæſ. Scalig. L. 2. Poëmat.* qvem inſcribit *Nemeſin.* in Medicum, *id. p.* 101. *Vid.* 3. *Libr. Scalig. Teretiſmata*, in qvo Satyræ inveniuntur. In Calvi impuritatem, *id.* p. 611. Vid. ejusdem Atam. In calvũm & mulum ſuum p. 616. In monſtrum invidentiſſimum, 614. In multitudinem furum ſui temporis 619. De Pædagogorum colluvie, qvi medicinam primoribus labris temerè profitentur, 607. In qvendam Noctuinum, qvi fugit ignis ſupplicium p. 381. In Noctuini perfidiam p. 173. Diræ in Lycorium. *ibid.* In Sedulium, *ibid.* in qvendam Caciatrum, qvi fuerat Carthuſianus p. 397. Ad Striges p. 382. In Doletum p. 401. In Strumam, p. 418. & 419. *Vid. tot. Libr. XIII. partis I, variis Satyris plenum.* In qvandam Roſomacham cuculatam 192. *part.* 2. In qvendam Medicum & Legulejum p. 194. In Calvum, p. 179. *idem.* In anum nubere parantem *Barlæus L. 2. Eleg. p.* 81. Diræ Franciſci Petrarchæ in tumuli ſui violatorem improbum, *id. l.* 1. *Miſcell. p.* 317.

CAP. XIII.

DE EXCERPTIS AD DISCIPLINAS ET FACULTATES PERTINENTIBUS.

§. 1. *Excerpta diſciplinarum ſecundum cujusque ordinem inſtituenda.* 2. *Excerpta Phyſica.* 3. *In Phyſica ſpeciali utiliſſimus per indicem excerpendi modus.* 4. *Et Medico utilis futurus.* 5. *Cogitata notanda.* 6. *Velſchii Philomathetica.* 7. *& Axiologa antiquorum.* 8. *Capponi cogitationes.* 9. *Bernhardus in theſauro Rhetorico per indicem excerpta congeſſit.* 10. *Mathematica excerpta.* 11. *quomodo ad uſum Phyſicum dirigenda.* 12. *& quomdo inſtituenda.* 13. *Velſchii ſermones fideles.* 14. *Loci communes Morum:* 15. *Characteres hominum in vita civili utiliter notantur.* 16. *Loci communes Politici duplices, Methodici & axiomatici.*

17. *Ex-*

17. Excerpta axiomatica ex Hiſtoricis præcipuè petenda. 18. qualia à Conſtantino Porphyrogenneta olim collecta potiſſimam partem perierunt. 19. Iſta excerpta qvomodo diſponenda. 20. Weiſii ad hæc manuductio. 21. Excerpta hiſtorica. 22. Excerpta notitiarum politicarum. 23. quomodo ordinanda. 24. Conringii conſilium. 25. Excerpta memorialia. 26. horum utilitas ſumma. 27. Excerpta ſpecialiſſima. 28. rituum in conventibus & actis publicis. 29. it. commerciorum. 30. Excerpta Juris publici. 31. Loci communes Hiſtorici, 32. Theologici, Exegetici, 33. Dogmatici, Controverſiarum, 34. Oratorii ſacri. 35. In Jurisprudentiâ itidem Exegetici, Dogmatici, 36. Practici. 37. Autores practici juris qui dicantur. 38. Collectanea Medica. 39. An in illis exegetica alicujus uſus. 40. Secundum materiam medicam inſtituenda, 41. Botanica, 42. Chimica. 43. Collectanea in mineralibus quomodo conſtruenda. 44. In his magnâ cautelâ opus. 45. Collectanea de rebus animalibus. 46. Autores materiam hanc tractantes. 47. Practica morborum ac ſubjectorum ratione adornanda. 48. Simplicia, *ἐυπόριϛα diligenter notanda. 49. Hiſtoriæ felicium curationum à plebejis inſtitutarum. 50.* Sympathetica *& ſuperſtitioſa non omnino negligenda. 51. Circumſtantiæ loci, corporum, climatum & aliæ diligenter notandæ. 52. Collectanea Medica ratione ſubjectorum. 53. Pantotheca ſingularis Machinæ ad colligendum & excerpendum inventæ deſcriptio è Bodini Dialogo inedito de abditis rerum ſublimium arcanis.*

EXCERPTA DISCIPLINARUM non poſſunt commodius inſtitui, qvam ſecundum 1
diſciplinarum ordinem, qvanqvam & promiſcuus placere poſſit, ſi indice accurato labor inqvirendi ſublevetur. Sed tamen ordo iſte eò proderit, ut connexa ſe ſimul oculis ſiſtant. Excerpta illa magno uſui eſſe poſſunt in diſciplinis ipſis. * Et qvidem, qvod ad *Phyſicam* attinet, ſecundum duplicem 2
partem generalem & ſpecialem inſtituenda illa excerpta ſunt. In parte generali colligantur ſub ſuis titulis Philoſophorum placita & ſectarum diverſæ ſententiæ circa principia. Deinde ſubjiciantur qvæ ſunt apud omnes diſputata in utramqve partem, è qvibusvis Philoſophis tàm Græcis qvàm Latinis, veteribus & recentioribus. In parte ſpeciali diffuſior eſt colligendi ratio. Tota enim hiſtoria naturalis huc refertur. * Per indicem itaqve ſub ſingulis Phyſicæ ſpecialis titulis, 3
tùm ex hiſtoriâ naturali veterum, Ariſtotelis, Plinii, Æliani, Solini; tùm recentiorum, ut Voſſii, Salmaſii aliorumqve, qvi obſervationes, experimenta, diaria & ſimilia ſcripſerunt, omnia congerantur. Incredibile eſt, qvam qvis theſaurum ſuum locupletare poſſit, ſi maturè huic ordini & ſtudio inſiſtat. * Medico eò utilior futurus eſt 4
ille labor, qvod Specialium illa cognitio magis ad artem illam pertineat, qvi animalium plantarumqve hiſtoriam ſeorſim ponere debet: accuratius enim circa hæc argumenta illi verſandum eſt. Poſſunt eodem modo, ut in parte generali, illic notari varii Autores, variæ ſententiæ, & in utramqve partem diſputatæ. Argumenta autem

illa

5 illa ſtrictim poni debent, non diffuſè. Qvi id ſedulo fecerit, illi nunqvam vel diſpu-
6 tandi vel commentandi occaſio defutura eſt. * In his præcipuè locum habet illa
cogitationum noſtrarum in Adverſariis conſignatio, de qvâ ſuprà dixi. * Eo
modo conſcripſit doctiſſimus VELSCHIUS *Philomathetica ſua* : nam ut Schröckius in
ejus Vitâ teſtatur, *ſine ullo ordine, ut in mentem veniebant, conjecit omnia, quæ ali-
cujus momenti aut conſiderationis videbantur, tàm ad Naturæ cognitionem, quàm ad
Medicinæ uſum, ac quamvis aliarum artium incrementum. Unde Syllabi centenarii
ſeptem enati, quos octavo Ægyptiorum adauxit. Ut verò hoc ſimpliſſime enumeravit;
ita breviſſimis expoſitionibus additis, quid ſibi videretur, edixit, hanc ſolam ob cau-
ſam, ut aliorum judicia venari poſſet, & ſubtiliora ingenia excitaret, qui maturis
deliberationibus experimenta caperent, & remp. literariam ditarent. Poſtquam enim
vidiſſet, ſocietatem Regiam in Angliâ id jamdudum agere, & ſecutos mox Gallos,
deinde Italos, & nunc quoque Germanos, ſuas quoque Cogitationes eandem ob cau-
7 ſam proferre conſtituerat.* * Subjuncturus etiam illis erat, ut in præfat. Hecaco-
ſtheæ ipſe memorat, *Axiologa* antiquorum, *ut tanquam incognita & plerisque ne-
glecta ceu nova reducantur, quorum plena Chilias deſignata eſt, ex Hippocrate, Ari-
ſtotele, Theophraſto, Galeno, Plinio, Athenæo, Græcis Medicis, editis & ineditis, Ebu-
ſina & Arabibus ceterisque Orientalibus & Latinis deſumta : quæ omnia omiſſis ſpe-
culationibus ad ſolam praxin ſive experientiam direxit.* Sed hos theſauros cum cete-
8 ris ejus ineditis acerba tanti Viri mors nobis eripuit. * Etiam CAPPONUS *Co-
gitationum de rebus naturalibus*, ut menti irrepſerant, è calamo præcipitatarum li-
9 bros tres ſcripſit, teſte *Gregorio Leti Ital. regn. part. 3. lib. 2. p. 90.* * Et talia qvo-
qve in Rhetoricis & Poeticis inſtitui poſſunt, ſi ad diſciplinam potius & commenta-
tionem, qvàm ad praxin reſpiciamus. Talium excerptorum ſpecimen in Rhetoricis
dedit BERNHARDUS *in Theſauro ſuo Rhetorico* ſuperiori ſeculo in Italia edito, qvi ex
omnibus veteribus & recentioribus Rhetoribus per indicem excerpta ad artem perti-
nentia congeſſit.

Excerpta talia inſtitui in omnibus diſciplinis poſſunt, ubi ipſa diſciplinarum
10 methodus ordinem oſtendet. * In *Mathematicis*, qvorum maxima utilitas eſt,
præter diſciplinaria Excerpta etiam miſcellanea inſtitui poſſunt, qvoniam diſciplinæ
illæ latiſſime ſe diffundunt. Qvicqvid itaqve problematum, variorum artificiorum
mechanicorum, vel ab aliis inventum legitur, vel per analogiam à nobis poteſt in-
veniri, illud ſub titulis claſſibusqve rerum, qvas Phyſica ſubminiſtrat, congeri pot-
11 eſt, atqve ita pro diverſo fine diverſâ methodo adornari excerpta illa poſſunt. * Qvem-
admodum enim Phyſica & Matheſis mutuas ſibi operas tradunt, ita conjungi illa ex-
cerpta poſſunt, eſtqve penè nulla pars Phyſices, qvin Mathematicâ aliqvâ ſpecula-
12 tione vel experimento adjuvetur. * Qvod ſi qvis ad illuſtrationem Theorema-
tum Mathematicorum ſpecialia experimenta mechanica pro exemplis adducere velit,
tum pro titulis ipſis concipiantur theoremata mathematica, & pro exemplis ſubjici-
antur experimenta rerum naturalium mechanica, qvæ ex hoc principio mathematico
fluunt.

fluunt. Conducit hoc ad ſcientiæ perfectionem, cum ex ipſis fundamentis eruuntur rerum affectiones. Qvi ad ſeculi noſtri genium philoſophari in rebus naturalibus velit, excerptis utatur tali modo inſtitutis, & experietur, qvàm hoc ſibi profuturum ſit. Eſt ſane & in Excerpendo qvædam ἐμπειρία, qvæ ex ipſa Virorum doctorum praxi diſcenda eſt. * Editurus erat πολυμαθέστατος VELSCHIUS *Sermones fideles de modo legendi & Excerpendi*; Nam ut Schröckius teſtatur, relictâ de hâc materiâ Drexelii laborioſâ & tædioſâ diligentiâ ſedulò obſervavit, qvo pacto ad tantas eruditionis opes Viri docti perveniſſent. 13

In *practicis* diſciplinis eadem colligendi ratio eſt, ſi diſciplinas ipſas earumqve 14
profeſſionem & explicationem ſpectemus, ſi vero uſum in vitâ civili, aut ad alias diſciplinas, alia inſtitui excerptorum ratio debet. Qvatenus moralis philoſophia uſum habet in civili converſatione, qvatenus Oratori accommodatur, varia ſunt excerpta. In converſatione ac vita civili utilis eſt doctrina de hominum moribus.
* Ideoqve characteres hominum ratione ætatum, ſtatuum, notari debent: qvales 15
etiam eſſe uſui poſſunt in Rhetoricis, de qvibus ſupra diximus. Uſum characterum in re civili oſtendit *Böclerus* in *Characteribus ſuis Velleanis*, & *Brochmannus in Ethicâ ſuâ hiſtoricâ.* Sed illa Characterum ratio ad perſonas pertinet: nos potius hîc rem ipſam ſpectamus variasqve vitæ ſtatuum, affectuum, virtuoſorum & vitioſorum conditiones. Talia excerpta ſub titulis claſſibusqve Virtutum & vitiorum colligi poſſunt, ut fecit qvadam ex parte *Mechovius in Parænetice* ſuâ & *Magirus in Polymnemone.*

Politica Excerpta primùm methodo diſciplinæ inſtitui poſſunt, ad uſum com- 16
mentationis & disqviſitionem controverſiarum. Secundò methodo axiomaticâ inſtituuntur, qvatenus ad uſum practicum referuntur, habentqve pro fundo non tàm generalia Politices præcepta, qvàm Hiſtoricos, præcipuè pragmaticos. * Qvoniam 17
enim in enarratione rerum geſtarum typus aliqvis civilis & practicus è rerum circumſtantiis elucet, ideoqve qvam optime ex illis talia colligenda. * Fuerunt jam 18
olim, qvi conſilium hoc ſuo probarunt exemplo: nam CONSTANTINUS PORPHYROGENNETA, Leonis Philoſophi filius, ſuo tempore ex Hiſtoriis qvaſi flores in unum corpus collegit, & in 53. partes digeſſit, ſingulos locos duobus libris comprehendens, è qvibus non niſi duo libri ad nos pervenerunt; alter videlicet *de Legationibus à Fulvio Urſino & Davide Höſchelio* editus, alter *de Virtute*, & *Vitio*: qvos *Nic. Peireſcius* ære ſuo redemit, ac Græcè Latineqve *Henricus Valeſius* edidit. Reliqvi libri omnes deſiderantur; qvi ſi inveniri alicubi poſſent, non exiguum prudentiæ civili & hiſtoriæ lumen afferrent. Multa etiam illic habentur è libris deperditis Hiſtoricorum, qvæ fruſtra nunc qværimus: Nam in iis, utut paucis, qvæ ſervavit nobis Peireſcius, occurrunt aliqva è libris Polybii deperditis excerpta. * Excerpta illa inſtitui poſſunt 19
per axiomata ex hiſtoriis & earum circumſtantiis contrahenda; Unicuiqve axiomati numerus addendus: locus ex Hiſtorico apponendus: Spatium aliqvod ſeu intervallum relinqvendum, ut poſſint parallela exempla ex aliis Hiſtoricis vel Obſervationi-

 bus

bus addi. Si qvod axioma ad titulos diverſos referri poteſt, ſub altero ponatur, ſub
altero per numeros citetur. Qvod ſi Loci communes integri apud Obſervatores &
Commentatores politicos tractentur, ſola Autorum loca notari poſſunt. Qvod ſi ex
omnibus Commentatoribus tales Locos communes inſtructos haberemus, via præſtru-
cta eſſet illis, qvi de chartâ in papyrum ſcribunt, & cum e. g. in locum Flori incidunt,
omnia exempla parallela, qvæ aliqvis fortaſſis Commentator in Saluſtium aliumqve
Autorem congeſſit, diſſimulato Autore, deſcribunt, qvod alius iterum faciet, cum in
20 ſimilem alterius Autoris locum incidet. * Scripſit Cl. Weisius *Manuductio-
nem ad Locos Communes Politicos*, qvi pene in eâdem nobiſcum ſententiâ eſt. Indi-
cem is addit locorum Politicorum, ſub qvibus tituli ſpeciales diſponi poſſint. Sed
puto magis ſpecialem hîc eſſe operam impendendam, inprimis in axiomatibus collo-
21 candis. * Qvod ſi in Hiſtoricis interpretandis operam qvis ponere velit; Locos
communes exegeticos in illos extruere poteſt, eô modô, qvô ſuprà diximus apponen-
do ſemper ad Hiſtorici locum, locum Commentatoris, ubi nota qvædam politica
habetur.

22 Sunt & alii Loci communes Politico-Hiſtorici, qvos inſcribere *Excerpta No-
titiarum Politicarum* poſſumus. Notitiæ autem vocabulo notari apud Autores ſolet
cognitio Politico-Hiſtorica unius cujusqve imperii, ut habemus Notitiam imperii
Orientalis & Occidentalis, Notitiam domus Auguſtæ ſimilesqve libros. Hanc viam
nobis monſtravit Ariſtoteles *lib.* 1. *Rhet. c.* 8. ubi ſuadet, ut qvisqve mores gentium
23 ſibi reddat familiares. * Loci itaqve communes ita ordinandi ſunt, ut ponantur
tituli generales imperiorum. His ſubjiciantur ſpeciales e. g. forma regiminis, populo-
rum origo, migrationes, leges, judicia, proventus & commercia, utilitates publicæ,
finis & ſcopus. His enim capitibus præcipuè omnia conſtant in Republica. Sub
ſingulis notentur 1. qvæ ex veteri Hiſtoria habentur 2. qvæ ex recentioribus Hiſtoricis
aut Itinerariis peti poſſunt 3. qvæ experientiâ noſtrâ vel alienâ conſtant 4. è relatio-
nibus publicis, in qvibus tamen delectus inſtituendus eſt, ne falſa pro veris accipiamus.
24 5. prudentum hominum judicia; 6. noſtræ etiam conjecturæ. * Talia *Adverſa-
ria* concinnari jubet Conringius in *Prolegomenis Collegii ſui Rerumpublicarum*, qvi-
bus ſe ab adoleſcentiâ ipsâ uſum fuiſſe fatetur, unde ipſi magna illa rerum politicarum
notitia ſuccrevit. In qvibus autem rebus propriè conſiſtat notitia alicujus imperii,
ibidem ſecundum omnes cauſas definit. Legendus qvoqve eſt Bœcleri liber *Hiſtoria
Schola Principum*.

25 Eſt & alius qvidam colligendi modus, ſed Viris in negotiis ipſis verſantibus
convenientior, cum ſibi ipſi Obſervationum ſuarum excerpta & commentaria privata
inſtituunt: *Weiſius* hanc excerpendi methodum Heroicam vocat. Continentur verò
in illis libris vel res ab ipſis geſtæ, qvales ſunt Memoriæ (*les memoires*) Gallicorum
ſcriptorum, vel qvæ noſtro tempore illic ab aliis geſta deprehendimus. Talem librum
conficiendum ſvaſit *Franc. Joſeph. Burrhus* Regi Daniæ in *Inſtructione* illâ ſuâ *Politicâ*
26 linguâ Italicâ ſcriptâ, qvæ inter opuſcula ejus Genevæ edita habetur. * Qvod ſi
qvis

qvis hâc methodo ſemper uſus fuerit, & vulgaria illa Politices præcepta adjecerit, facilè illi erit, divinatorem de rebus politicis agere, conſilia Principibus impertiri, cujus prudentiæ ſpecimina paſſim à Viris politicis exhibentur.

Poſſunt & nonnunqvam *excerpta ſpecialiſſima* pro inſtituto & ſcopo noſtro con- 27
cinnari, ut ſi qvis aulæ alicujus omniumqve miniſtrorum a ſummo ad imum mores, virtutes, affectus, inclinationes, utilitates, qvas in amicitia ejus habere poſſit hic vel ille ſtatus, cujus ille miniſtrum agit, qvi illa notat. Hujusmodi obſervationum exemplum præbet illa Relatio PHILAGATHI SECURI *de Notabili aulâ Romanâ*, qvâ ille Pontificis omniumqve Cardinalium mores, inclinationes & favorem erga Statum Venetum examinat. * Sic faciat qvis rituum & morum civilium excerpta, qvid obtineat in 28
conventibus actibusqve publicis, qvorum ſæpe uſus eſt Viro civili in negotiis tractandis occupato. Ejus ſpecimen qvoddam dedit CL. WAGENSEILIUS in Collectaneis qvibusdam MStis de *Ritibus civilibus*, qvæ nunc, credo invito autore, in lucem prodierunt. Ita, ſi qvis in uſum ſuum materiam de legationibus excolere velit, huic fini excerpta illi inſtituere magnopere proderit, qvi aliqvando iſto officio defungetur. Ejus ſpecimen nobis dedit VICQVEFORTIUS *in libro de Legato*, nunc è Gallica in linguam Germanicam converſo. * Sic Commerciorum excerpta ſpecialiſſima con- 29
ficiet ex omnibus tàm Politicis qvàm Hiſtoricis, qvi hoc præ ceteris argumentum ſibi perqvirendum ſumit, ad Commerciorum conſilia aliqvando vocandus. Qvo pertinent omnia publica acta, qvorum non pauca collegit MARQVARDUS in libro de *Jure Mercatorum*, & pulcherrima illa lineamenta, qvæ WERLHOFIUS *in eruditâ Diſſertatione de Commerciis* duxit.

Ad Excerpta politica referenda etiam ſunt *Excerpta juris publici*. Horum ide- 30
am nemo melius dedit qvàm BÖCLERUS *in Notitiâ Romani imperii* & in *Excerptis illuſtrium Controverſiarum* non ita pridem editis, qvod argumentum ſpeciale eſt. Ipſius Limnæi vaſta Opera non ſunt niſi mera collectanea. Ordo à Böclero inſtitutus præ ceteris placet.

Qvæ de Politicis excerptis diximus, illa ad alia etiam applicari poſſunt. Ideoqve nihil amplius reſtat in Philoſophicis diſciplinis, de qvo moneri qvædam ratione excerpendi poſſunt. Multa occurrunt in ſingulis diſciplinis ſpecialia, de qvibus excerpta pro ſingulari aliqvo uſu formari poſſunt, ut ſi qvis forte librum ſpecialis argumenti ſcribere velit, tunc congerenda omnia ſub ſpecialibus titulis capitum, è qvibus tota illa tractatio ordinabitur.

Loci Communes Hiſtorici vel ſecundum regnorum ac populorum ſeriem inſtitui 31
poſſunt, vel ſecundum numerum annorum & ſeculorum, vel ſecundum ſeriem rerum. Primus modus parum differt à Locis communibus politicis, de qvibus ſupra diximus. Secundum ordinem ſeculorum inſtitui illi poſſunt pro uſu chronologico. Ac poſſunt omnia tabulis qvibusdam & laterculis comprehendi, primò pro Rebuspublicis illuſtrioribus, qvarum tituli in fronte cujusvis laterculi ponantur, & illis mutationes ſecundum ſeriem ſeculorum ſubjiciantur: Secundò pro ſeculis, qvibus vice verſâ ſubjici Rerum-

 publica-

publicarum mutationes poſſunt. Si qvis Chronologica excerpta ſecundum rerum capita diſpoſita velit, uti poterit Chronologiâ Alſtedianâ, qvæ eleganti methodo diſpoſita eſt. Titulos, qvi illic deficiunt, facile ſupplere poterit, nova notata Alſtedianis addere, & errores ab Alſtedio commiſſos corrigere.

32 Venimus ad Facultates, qvas vocant. In *ſtudio Theologico* pro vario ſcopo inſtitui *excerpta* poſſunt. Qvemadmodum in Philologicis & Philoſophicis Locos communes *Exegeticos* adornandos eſſe dixi, ita & hîc notentur explicationes locorum ſcripturæ vel Philologicæ vel Dialecticæ; vel ex ipſâ etiam Theologicâ doctrinâ deſumptæ. Illa omnia vel diſtingui vel miſceri poſſunt pro lubitu. In *Criticis* exemplo ſuo præivit POLUS, in qvibus collectaneis non pauca tamen multi deſiderant. DORSCHEI *Biblia numerata* poſt mortem ejus edita omnia miſcent, Philologica, Critica, Dogmatica, Practica, ſed omnia ſunt per indicem tantum notata. Fortaſſis non ſpernendus labor eſſet, ſi qvis Dogmatica & Practica cum curâ colligeret. Talia inſtitui collectanea è Theologis Practicis Anglis optabat Verulamius. Similis pene labor CROWÆI, qvi *indicem* edidit *Scriptorum Exegeticorum in libros & loca Scripturæ*, ſed ille ad minuta & ſpecialia non deſcendit. Ad talia Excerpta conficienda indices illi locorum Scripturæ S. qvi libris adjungi ſolent, viam qvodammodo ſternunt. Sed è lectione ipſâ accuratius omnia notabuntur.

33 Loci communes *Dogmatici*, qvi proprio nomine Loci Communes Theologici dici ſolent, colligendi ſeorſim ſunt. Qvibus etiam, ſi ita viſum fuerit, miſceri controverſiæ poſſunt. Ordinem ipſum Theologiæ Syſtema ſuppeditat. Autorum, qvi Locos communes ſcripſerunt, explicationes qvaſi per lemmata poni poſſunt. Qvi ſingulari libro vel unum locum integrum vel ejus partem explicuerunt, hi diligenter notandi. Commodum & hoc eſt, ut in omnibus diſciplinis, ita etiam in Theologiâ, ſecundum materiam diſpoſitos habere Scriptores controverſiarum. Si qvis illas præ ceteris excutere velit ſtudioſius, ſingulari libro deſtinari poſſunt, ne in uno cumulentur omnia. Poſſunt pro ſingulis ſectis adornari libri, ſi qvis in illis operoſior eſſe velit, in qvibus ordo alius non eſt, qvam locorum controverſorum. Svaſerim in excerptis Locorum communium Theologicorum, ſi ſingularibus libris colligantur *controverſiarum* excerpta, ponenda tantum eſſe ſumma controverſiarum capita, & remittendum ad excerpta controverſiarum. Si qvis hiſtoriam potius qvàm dogmata ipſa reſpiciat, ſecundum titulos ſectarum & ſeculorum adornare excerpta poſſit. In omnibus enim uſus & ſcopus reſpiciendus eſt. De cetero cum in Facultatum ſtudio multa occurrant ſpecialiſſima, tùm ratione muneris, tùm ratione ipſius doctrinæ: alium enim ſibi ſcopum habet propoſitum Eccleſiaſtes, alium Doctor vel Profeſſor Theologiæ: ita pro vario illo fine & ſcopo etiam in ſpecialiſſimis argumentis colligenda qvædam ſunt. Accidit interdum, ut de caſibus conſcientiæ conſulantur Theologi: Qvapropter etiam illâ in re inſtitui promptuaria poſſunt, collectanea ſcilicet caſuum ex Autoribus, qvi de his argumentis ſcripſere, ut ſunt ſanè multi, tùm Scholaſtici Theologi, tùm noſtrates.

34 Ad Theologica excerpta etiam referri poſſunt *Oratoria ſacra*; qvorum fun-

dus eſt Scriptura Sacra, Patres aliiqve Scriptores Homiletici. Qvoniam vero oratio ſacra præter argumenta fidem facientia, qvæ ipſi cum Rhetoricâ civili ſunt communia, in exegeſi & διδάξει verſatur, uſui eſſe poſſunt illa excerpta, qvæ *Textualia* vocamus, ſecundum libros Biblicos adornata. Poſſunt & ipſi Loci communes Theologici, tituli virtutum ſacrarum, & qvæcunqve argumenta pro titulis poni, & ſub iis utilia per indicem colligi, ut fecit in *Repertorio ſuo Cl. Wittenius*. De cetero Oratoria excerpta, de qvibus ſupra diximus, etiam his accommodari poſſunt & debent.

Excerpta in Jurisprudentia pene ſimili modo inſtitui poſſunt. Primò *exegetica* formanda ſunt ad Leges, illa colligenda è JCtis non ſolum, ſed & è Philologis, qvi vel ſuper leges ſpeciales ſcripſere, vel qvi in miſcellaneis ſuis nonnunqvam leges explicant, vel illuſtrant, vel in iis aliqvid emendant. Notari etiam poteſt, qvicqvid ad hiſtoriam ejus pertinet. Atqve illa pertinent ad verbalem legum ſenſum. Qvæ ad explicationem & doctrinam ipſam referuntur, qvanqvam ſub titulis certis aliaqve colligi formâ poſſunt; non inconſultum tamen erit, ſi etiam qvaſi per indicem ad leges apponantur: in explicationibus enim legum magnus eorum uſus eſt, ſi qvis illa ſemper in promptu habeat. Notari etiam ſimul poſſunt leges, qvæ contrariæ videntur, ac Autores per indicem deſignari, ubi illæ conciliantur. Si qvis velit perfectos Locos communes adornare, colligat illos ſecundum methodum Pandectarum, reducendo ad Digeſtorum titulos etiam ceterorum librorum titulos, exemplo Schotani in Examine Juridico. Poſſent etiam è jure Canonico, Feudali, Statutario, ſuis convenientia locis adjungi. Si qvis excerpta pro novis in jure argumentis colligere velit, alium ſeqvi ordinem debet. Nam ſub titulis materiarum colliget, qvæ vel in libris Juris vel in Jureconſultis inveniet. Multa enim conſideratione Juriſconſulti digna, de qvibus vix peculiaria in Jure loca occurrunt. Qvo in labore ſi qvis ſedulus fuerit, facilè de ſelectis argumentis qvædam ſcribet. Et ſunt, qvibus librorum indices in inſtructâ bibliothecâ officium hoc præſtant, Sed de iis omnibus aliqvando copioſius alio loco agam. 35

Loci communes *Practici* in Jure formandi è ſcriptoribus practicis. Tituli horum excerptorum formari poſſunt ſecundum titulos Pandectarum, vel ſecundum materias juridicas. Specialiſſimos titulos facere poſſunt leges; ſub legibus notentur caſus ſingulares. Subjiciantur Autores, qvi tales caſus decidunt. Formentur illa excerpta, qvantum fieri poteſt, per lemmata. Exemplum talium Locorum communium ſuppeditat Index practicus ſuper opera Carpzovii. Jam verò ſi qvis ex omnibus Autoribus practicis, qvi interdum incidenter aliqvos caſus proponunt ac ſolvunt, tàm veteribus Bartolo, Baldo, Jaſone &c. qvàm recentioribus, illa omnia colligat, qvæ illuc pertinent, mature ſibi acqviret cognitionem talium rerum, qvæ utiliſſima per omnem vitam futura eſt, ſi qvis vel de Jure reſponſurus ſit, vel cauſam aliqvam ut Patronus aget. Ita enim nunc Jurisprudentia comparata eſt, ut plus ſæpe valeant præjudicia & Doctorum ſententiæ, qvam ipſæ leges. Qvare ſi qvis caſum in terminis, ut loqvuntur, pro ſe allegare poſſit, is non parum in judicio proficiet. Qvod ſi qvis JCtum vel Judicem aliqvando acturus ſit, is maturè ſatis ſibi de talibus excerptis pro- 36

37 ſpiciat. * Fundus horum collectaneorum in practicis Autoribus eſt: Sunt verò
omnes illi practici, qvi de actionibus, proceſſibus ſcripſere, item de præſumptionibus,
probationibus, teſtibus, omnibusqve illis, qvæ ad proceſſum pertinent: deinde qvi
conſilia, deciſiones, ſententias receptas tradidere, item qvi de omnibus materiis Juris
agunt, non tam ut leges explicent, qvâm ut obſervationem earum in praxi oſten-
dant, qvales ſunt multi, Itali præſertim & Hiſpani, qvi libros operoſos ſcripſere,
præcipuè de argumentis practicis. Bibliothecam aliqvam præſtat liber ille, qvi voca-
tur *Oceanus Juris*, multis conſtans voluminibus, qvo continentur particulares illi tra-
ctatus veterum Autorum Bartoli, Baldi, Jaſonis, Accurſii, Decii &c. Ex omnibus il-
lis ſi quis tales locos confecerit, mirifice his in rebus proficiet, non qva ſcientiam ſo-
lum, ſed & qva lucrum & opes. Talia enim excerpta meræ ſunt aurifodinæ, neqve
gratis conficiuntur.

38 Pergimus ad Collectanea *Medica*, atqve hîc è Phyſicis patet, de qvibus ſuprà egi-
39 mus, qvomodo illa conſtruenda ſint. * Non eſt hîc *exegeticis* collectaneis adeò
opus, cum non tam autoritate, qvàm ratione & experientiâ, ſtudium medicum con-
ſtat. Interim ſi qvis Academiæ labores ſuos deſtinavit, aut libris ſcribendis operam
dabit, illi non inutilis labor futurus eſt, ſi ad Hippocratis libros notet (1.) Commen-
tatores (2.) loca, qvæ tàm à Medicis qvàm à Philologis illuſtrantur (3.) experimen-
ta in morbis ipſis vel ab aliis vel ab ipſo probata, è variis obſervationum practica-
rum libris. Idem in Galeno fieri poſſet; ſed opera ejus nimis ſunt diffuſa, qvàm ut
tàm vaſto Oceano qvis ſe credat. Si *Hoffmanni* commentarii prodiiſſent in lucem,
uno illo poſſemus eſſe contenti.

40 Poſſunt & collectanea ſecundum materias inſtitui, qvod aliqvi fecerunt. Pro
phyſiologicâ cognitione, ſecundum claſſes rerum naturalium & Phyſicam ſpecialem or-
41 dinanda illa ſunt. Sed miſceri uno omnia libro non poſſunt. * In *Botanicis* pe-
culiaria inſtitui debent. 1. Herbarum in natura, qvæ Herbaria viva appellantur. 2.
Hiſtorica & Medica de iis, magno futura uſui, qvæ apud Herbarios veteres & recen-
tiores, Theophraſtum, Dioſcoridem, Plinium, Tabernæmontanum, Simonem Pau-
li, alioſqve notata ſunt, illa per indicem tantum colligantur. Benjamin Priolus
in *Appendice hiſtoriæ ſuæ Gallicæ* promiſit tractatum *de universâ re plantariâ*, ſed
præter titulum adhuc nil vidimus, & dubito an unqvam proditurus ſit. Certe mul-
tæ magnæqve diſputationes circa rem herbariam ſunt. Conferendi *Scaliger*, *Bodæus
à Stapel* in Theophraſtum, *Salmaſius* in Solinum, & in Hyle Iatricâ. Addendus et-
iam eſt *Hoffmanni Tractatus de Officinalibus*.

42 Subjungi illis collectaneis etiam poſſunt *Chimicæ* operationes, & qvidem ſin-
gulis herbis ex *Angelo Sala* aliiſqve Scriptoribus recentioribus, è *Conradi Geſneri Euo-
nymo*, & colloqviis ac communicationibus cum Chimicis. Uſitatas & officinales
præparationes jamdudum collegit *Schröderus in Pharmacopœia*, in qvam extant *Hoff-
manni* commentarii. *Zwelfferus* in Pharmacopœia ſua, & qvi pleraqve ex illo cepit
43 *Feburius* Gallus, ac plures alii. * Ut in Botanicis, ita & in *Mineralibus* inſtitui
collecta-

collectanea poſſunt. Tituli formandi ſecundum claſſes Mineralium. Subjicienda illis ſunt (1.) præparationes rudiores in fodinis ex Agricola, Erikero, Lohneiſen &c. (2.) præparationes officinales communes, è libris Pharmaceuticis, qvos modo nominavimus. (3.) ſecretiores præparationes è communicationibus privatis notandæ. Conjici in hunc librum omnia poſſunt audita, viſa, cogitata. Exierunt hodie in lucem talia collectanea, hiſtoriæ laboratoriorum, & nuper qvædam invitis Autoribus ſubrepta ac publicis typis promulgata. * In his præcipuum locum merentur, qvibus viva 44
manus acceſſit, & qvorum fides in dubium vocari non poteſt. Solent enim hîc multi promiſſis eſſe divites, multas operationum vias oſtendere, qvas ipſi non ivêre, à qvibus ſibi qvisqve caveat: inprimis ſi ad metallica tendant, qvorum integram Chiliada *Johann. Joach. Becherus* edidit. Sed ab illis ſibi qvis temperet, niſi opum & temporis irreparabilem facere jacturam velit. Multa enim ſunt ab impoſtoribus & agyrtis conficta: in multis etiam, qvæ bono fundamento nituntur, ἐγχειρήσεις qvædam celantur.
* De rebus *Animalibus* collectanea qvoqve ſingularia inſtitui poſſunt, in qvibus notentur (1.) phyſiologica vel circa geneſin illorum ſeu ortum, vel circa anatomen è vaſtis commentariis Geſneri & Aldrovandi per indicem: è ceteris Scriptoribus, obſervationibus anatomicis ſimilibusqve, qvalia nunc plurima in Diariis & Ephemeridibus eruditorum occurrunt, majori cum curâ: Illa enim accuratius hoc in argumento verſantur. (2.) Colligendæ ſunt Medicæ præparationes ad varios morbos ex animalibus animaliumqve partibus. * Rudem ejus laboris ideam dedit GULIELMUS VAN DEN 46
BOSCH, *in Hiſtoriâ animalium Medicâ Bruxellis Ann.1639. edita.* Multa talia collegit HABDARRAHMANUS Ægyptius in libro de *proprietatibus ac virtutibus Medicis Animalium, Plantarum ac Gemmarum*, qvem ex Arabico latinitate donavit Abrahamus Echellenſis Pariſiis è MSto codice Cardinalis Mazarini An. 1648. editum. Sed multa in illo vana ſunt & ſuperſtitioſa. E ſimilibus excerptis natum videtur, & aliqvod eorum ſpecimen præbet, *Königii Regnum Vegetabile, Animale & Minerale.*

In *Praxi Medica* aliter res inſtituenda eſt. Nam hîc ad illum finem omnia 47
referenda ſunt, ut morbis rectè medeatur Medicus. Cetera enim, qvæ conſiſtunt in præparationibus & operationibus, ad theoriam ſunt referenda: Pertinent enim tantùm ad cognitionem ſubjectorum, licet aliqva operatio accedat. Sed in praxi medica omnia applicantur ægrotis: ideoqve & ratione morborum, imo & ratione ſubjectornm & individuorum, collectanea talia inſtituenda. Ratione morborum ita illa ordinanda ſunt, ut ponantur morborum tituli. Subjiciantur illis characteriſmi, cauſæ, ſigna diagnoſtica, notetur in qvibus illa fefellerint interdum, qvod vel ab aliis vel noſtrâ praxi obſervatum eſt. Subjiciantur remedia, vel methodica vel ſpecifica, inprimis ſimplicia. Et hîc qvidem, qvod ad ſimplicia attinet, magnam curam impendendam exiſtimo Medico, ut ſimplicium vires in ſingulis morbis probè notet, qvorum ſingularem uſum & prærogativam doctiſſima παραινέσει docuit R. Boilius, qvæ additur Diſſertationi ejus de Specificorum remediorum cum corpuſculari philoſophiâ concordiâ.
* Inprimis notanda ſunt medicamenta εὐπόριστα, domeſtica, ruſtica. Plus interdum 48
illis

illis efficitur, qvàm multis pretioſisqve compoſitis. Unde fit, ut empirici & plebei homines deſperatis ſæpe morbis medeantur, qvibus non poſſunt mederi Medici omni
49 ſuâ arte inſtructi. * Memorat *Agricola Obſervationibus in Poppi Chymiam*, fuiſſe ruſticum in ſuperiore Germaniâ, qvi feliciſſimè Cancrum curaverit, qvod nulli poterant vel Medici vel Chirurgi. Et ille tamen ſucco unius herbæ id effecit, qvam in ſylvâ Herciniâ legerat, Medicisqve monſtraverat, ſed omnibus ignotam. Fioravantus in *Corow. Med. lib. 2. cap.* 16. recitat hiſtoriam de deſperatâ urinæ ſuppreſſione à vetulâ pulvere ignotæ herbæ curata, qvam nullis medicamentis tollere potuerunt Medici. Novi, qvi dyſenteriam, icterum curarint feliciſſime, fruſtrà id tentantibus Medicis. Talibus experimentis inſidiæ ſtruendæ ſunt à Medico, & qvâcunqve fieri poteſt arte, qvocunqve pretio comparanda. His principiis primum crevit medicina, qvibus ſi accedat uſus & judicium Medici in principiis artis ſuæ probè ſubacti, rectius ille applicabit, qvam plebei homines, qvi cauſas rerum non æqve ſcrutantur. Præterea magno illa res adjumento eſt Medico in loco aliqvo certo praxin inſtituturo: Statim enim novit vel commoda illius vulgaris Medicinæ, vel errores. Notavit *Thomas Bartholinus* diligenter Medicinam Danorum domeſticam, & ſingulari illam libro complexus eſt. Praxin qvoqve utiliſſimam inſtituendam plantis indigenis docet Olaus Borrichius *libro de uſu plantarum indigenarum.* Qvod ſi facerent etiam ceterarum nationum Medici, & qvidem eâdem fide & diligentiâ, non parùm augeretur res Medica.

50 Ego nec *ſympathetica* illa, imo nec *ſuperſtitioſa*, qvibus vulgus uti ſolet, prætereunda cenſeo. Etſi enim in illis ineptiæ nonnunqvam miſcentur, prudens tamen Medicus facilè, qvid in illis vel veri vel vani ſit, facilè exiſtimabit, ubi ad judicii Lydium lapidem omnia revocaverit. Latitant ſæpe in ruſticorum & vetularum obſervatiunculis, qvæ non credas, magnisqve contemplationibus occaſionem dare poſſint. Talia multa in *Theatro Sympathetico* Norimbergæ edito, in Maxveldii *Medicinâ Magneticâ*, occurrunt; Cujus libri mentionem *lib. 1. Polyhiſt. noſtri cap.* 11. §. 13. fecimus. Ille qvidem à Medico Heidelbergenſi Cl. Francio An. 1678. editus eſt; Sed parte practicâ mutilus, ut ipſe MStum accepit: Sed deprehendi poſtea, eundem pene librum in paucis diſcrepantem à qvodam *Samuele Boultono* Anglicâ linguâ Anno 1656. editum. Sed tamen & ille Autor, qvisqvis eſt, fatetur, non omnia ſua eſſe, ſed aliunde, & ut ille ſuſpicatur, à qvodam Chimico D. Everardo transſumpta.

51 Diligenter in talibus Excerptis notandæ ſunt circumſtantiæ perſonarum, qvibus adhibentur vel adhibita ſunt remedia. Loci, Cibi variatio corpus ipſum variant. Evenit interdum, ut qvibusdam proſint medicamenta, minimè verò aliis: Obſtat enim ſingularis corporis diſpoſitio, qvod vel è purgantibus manifeſtum eſt, qvæ apud aliqvos vim ſuam planè perdunt, & in emetica vel diaphoretica degenerant. Pro variatione etiam Climatum remedia variant, qvod vulgò parum conſideratur à Medicis. Hinc fit, ut, cum principia Medicinæ à Græcis ſint tradita & remedia morborum, Medici, qvi ſub frigido climate curationes inſtituunt, alios interdum effectus ſentiant. Præterea herbæ originariæ alicujus loci majorem ſæpe vim habent, qvam transplantatæ, imo interdum planè

planè aliam. Homines,qvi continuo vini potu utuntur, aliam adminiſtrationem medicam reqvirunt, qvam qvi aqvæ, lacti, cereviſiæ & craſſioribus cibis adſueti ſunt. Omnis enim corporis ſanguis, ſucci & humores, è varietate ciborum & potus alterantur, atqve inde ingenio ipſi omnibusqve morbis ſua indoles eſt. Omnes illas circumſtantias attendere Medicus debet. Poteſt qvidem aliorum etiam colligere obſervationes & formulas; ſed illis non usqve adeò ſecurè inſiſtet, cum ipſi, qvi obſervationes Medicas ſcribunt, non ſint ſemper adeò diligentes in notandis circumſtantiis. In conſiliis Medicis interdum illæ operoſius excutiuntur qvam eſt neceſſe. * Poſ- 52
ſunt & Collectanea inſtitui ratione ſubjectorum, qvæ neceſſaria ego eſſe Medico puto ad cognoſcendam hominum naturam. Eſt enim ſingulis ſubjectis ſua qvædam *ἰδιοσυγκρασία*, qvæ etiam per ætates mutari ſolet, qvàm diligenter notare debent Medici, qvi è felici curatione gloriam & lucrum ſperant. Sanè in hâc arte dies diem docet, & prioris diſcipulus poſterior dies. Qvi antea, etſi ceu digitos unguesqve ſuos omnia Medicorum ſcripta noverat, hiſtoricam tantum cognitionem habuit, nunc judicii etiam regulas ſeqvi debet. Sub titulis itaqve perſonarum notandum eſt, qvibus morbis aliqvis laboraverit, qvâ ætate, qvâ conſtitutione, & ſimilia. Ita felicius procedere poteſt Medicus in aliis morbis, qvi forte ſubjectum illud occupabunt.

Ad finem hæc perduxeram, cum ſingulari caſu mihi ab Amico Bodini inedi- 53
tus hactenus Dialogus de *abditis rerum ſublimium arcanis* (cujus ſupra *lib.* 1. *c.* 8. §. 7. mentio facta eſt) offerretur. Qvem cum perlegerem, ipſo illo primo libro, qvo occaſionem Dialogi illius Bodinus exponit, Coronæi Pantothecam deſcriptam vidi, qvâ ille univerſam rerum naturam omnemqve ejus ſupellectilem & inſtrumentum mirabili ſolertiâ collegerat, ac omnia qvæ legerat & audiverat, velut in promtuarium aliqvod contulerat. Statim hîc in mentem mihi venit Scrinium literatum Cl. Placcii, cui illa Pantotheca qvodammodo ſimilis videbatur, niſi qvod rerum naturalium collectioni potius deſtinata ad iſtud Naturæ & Artis Theatrum Beccherianum, (de qvo *lib.* 2. *cap.* 4. §. 40.) qvodammodo accederet. Qvoniam vero etiam ad excerpendum & colligendum machina illa inſtituta fuit, operæ pretium me facturum exiſtimavi, ſi è libro rariſſimo omnem ejus, ut illic legitur, delineationem proponam. Ita verò hæc habet: *Illud optimum, quod Coronæi domus cum infinita librorum ac veterum monumentorum varietate & copia, tum etiam inſtrumentorum, ſive ad Muſicam, ſive ad omnes artes Mathematicas, refertiſſima eſſet; nihil tamen mihi rarius viſum eſt, quam* Pantotheca *quadrata ſex pedum, diviſio cujusque pedis in ſex Apothecas quadratas, numerum ex quadrato XXXVI. in ſe ducto conficiebat capſulas mille ducentas nonaginta ſex. Senarium autem ſelegerat, quod is numerus ſolus inter digitos perfectus eſſet, ac latiſſimè in universâ naturâ pateret, non modo ad plurium animantium ætates, quæ hoc numero terminantur, verum etiam, quod in tota naturâ ſex tantum corpora ſint perfecta, ſex tantum colores ſimplices, ſex ſapores ſimplices, ſex harmonici concentus, ſex tantum metalla ſimplicia, ſex locorum ſitus, ſex etiam ſenſus cum ſenſu communi. Pantothecam ex oleâ, id eſt, ex incorruptibili prope materia fabricari juſſerat, ut mundi univerſitate*

ejusque ſupellectilem & omne inſtrumentum contineret: principio imagines octo & quadraginta inerrantium ſiderum, Planetarum, Cometarum, ſimiliumque impreſſionum, elementorum, elementarium corporum, lapidum, metallorum, foſſilium, ſtirpium, animantium, quæcunque nanciſci poterat, ordine quæque ſuo, aptaverat. Et quoniam ſtirpium ac inſectorum omnium forma exigua pantotheca nec contineri, nec haberi propter raritatem poterant; pictura vel ſcriptura vel genere quæque ſuo capſulis denotabantur, ut Caper, Rhinoceros, Cobras Indicus, hisque ſimilia: Cetera vel inferri curaverat, vel illata coëmerat. Seorſum autem ſtirpes integras aut radices grandioribus chartis habebat contentas, ſic tamen ut particulam ſtirpium & animantium capſula quæque continerent, eo tamen ordine, ut extrema primis, media utrisque, omnia omnibus, apta ſerie cohærerent: Quippe terram inter & lapides argillam & cretam utriusque naturæ media collocarat; inter aquam & adamantes Cryſtallum; inter lapides & metalla Pyrgiten ſive marcaſitarum genus, inter lapides & plantas Corallium, inter animantes & ſtirpes ea, quæ Zoophyta dicuntur; inter animantes aquatiles ac terreſtres amphibia; inter aquatilia & volatilia piſces volatiles milvum inquam & loliginem; inter volatilia terreſtriaque bruta veſpertilionem. Sic autem compleverat Pantothecam, ut ſex coloribus ſimplicibus capſulæ diſtinguerentur, ad memoriam firmiorem, & adverſâ luce ita collocarat, ut omnia facile proſpicerentur, neque enim ad angulos rectos dirigebatur, ne quid è capſulis excideret; nec rurſus in plano jacebat, quo minus lucis reciperet: Sed hypotenuſæ modo innixa parieti ſpecies omnes eminus intuenti reducto velo proderet, ut temporis diuturnitate ſingula ſæpius legendo fideli memoriæ commendarentur. Et quidem in eo tantum profecerat Coronæus, ut omnes loculorum ſpecies animo comprehenſas haberet, quæ utilitas non modo in iis, quæ Pantothecâ continebantur, ſed etiam in rebus omnibus, quas audiret & legeret, ſe oſtentabat. Neque enim ſcribendo vel legendo tempus terebat, ne tantundem de valetudine detraheret, ſed audiendo, diſſerendo, meditando, judicii vim acerrimam ſibi comparaverat. Et cum cibum caperet, aderat Anagnoſtes, qui tantiſper aliquid legeret, dum fames ac ſitis commodius jucundiusque expleretur. Hæc eſt illa Pantothecæ deſcriptio, quam Coronæus primus ex illis Collocutoribus, cujus in ædibus ceteri convenerant, ita inſtructam habuit. Prodigio penè ſimile eſt, exiguo hoc ſpatio totam Naturæ œconomiam potuiſſe concludi. Ego eam ob cauſam hic producere ejus machinæ delineationem volui, ut de eâ Viri docti arbitrentur.

FINIS LIBRI TERTII.

POLY-

POLYHISTORIS LITERARII
LIB. IV.
GRAMMATICUS.

CAP. I.
DE LINGVIS ET SCRIPTURA.

§.1. *GRammatices Vindiciæ, contra ejus Contemptores. 2. Ejus Diviſio & Partes. 3. Hominum præ Brutis circa Sermonis Uſum Prærogativa, fruſtra a Scriptoribus quibusdam Priſcis ac Modernis (Plutarcho, Sex. Empirico, Porphyrio, Hier. Rorario, Iſ. Voſſio, &c.) Brutis partim Rationem, partim Sermonem, vindicare auſis, extenuata. 4. Primus Sermonis ac Linguarum ortus a Deo, non autem Caſu, aut Conſenſu Hominum Fortuito, cum Diod. Siculo, Greg. Nyſſeno & Rich. Simone, derivandus. 5. Autores, qui Literas, & earum pronunciationem, Phyſice conſiderarunt, Pet. Montanus, Cordemoy, Joh. Walliſius, Wilh. Holderus, &c. 6. De arte Natu Surdos & Mutos Linguas & Artes docendi Paralipomena quædam. 7. Ars per nutum ac Digitos Conceptus Mentis exprimendi, à Joh. Bulwero tradita. 8. Scripturæ Præſtantia ac Neceſſitas. 9. Literarum Ortus a Deo, juxta Judæos. Inventæ illæ, juxta Paganos, vel ab Aſſyriis, vel a Taauto ſive Hermete Ægyptio, vel a Cadmo. Scriptores de Literis, Joſ. Scaliger, Herm. Hugo, Guilh. Poſtellus, Car. Cæſ. Baudelot, Claud. Molinetus, &c. 10. Literarum Cœleſtium, Anglicarum, Adamicarum, Henochearum, & ejusdem furfuris aliarum, Hyperaſpiſtæ recenſiti, ac, Thomæ Bangii exemplo, exploſi; Autores item, qui Alphabeta varia collegerunt, enumerati. 11. Ars e Scriptura de Hominum ingenio divinandi, a Camillo Baldo tradita.*

SUccedat nunc, perductis ad finem BIBLIOTHECARIO & METHODICO 1
Polyhiſtoris Literarii LIBRIS, qveis de EXCERPTIS qvoqve LIBRUM adjungere viſum eſt, jure ſuo, qvod illi olim nos aſſignaſſe meminimus, LIBER GRAMMATICUS. Ita nimirum decet, ut, poſtqvam generatim fon-

tes literariæ πολυϊςορίας monſtravimus, ſingulas nunc ejus partes juſto ordine percurramus.

Dum vero *Grammaticam* nominamus, non ſanè multum præjudicatas nonnullorum opiniones morabimur, qvibus omne id ſordidum atqve vile eſt, qvodè Grammaticâ proficiſci audiunt: arte nimirum, qvæ, prout ipſi judicant, vix aliud qvid præter puerile τὸ ἀναγινώσκειν καὶ τὸ γράφειν edoceat: hinc objectum toties qvaſi convitii loco Scaligeris, Caſaubonis, Salmaſiis, aliisqve Viris magnis nomen *Grammaticorum*: qvod tamen non illi minus, qvam naſutiores qvilibet laudi potius, tantum abeſt ut ignominiæ, duxêre. Tolle enim Grammaticam & fruſtra te ſenties conari, qvicqvid uſpiam feliciter in literis peragendum ſumſiſti. Enimvero prolixè de uſu & præſtantia hujus artis diſſerere noſtri nunc inſtituti non eſt: factum id jamdudum ab aliis, e qvibus unum nunc *Joh. Wouwerium* Polymath. c. XIX. nominamus, & à nemine, qvi ſapere optat, in dubium temere vocabitur. Unum hoc monere ſufficiat, falli, qvi Grammaticen nihil præter lectionem jejunam, rudemve ſcriptionem docere perſuaſi ſunt, cum hæ præliminaria ſolum artis abſolvant: ipſa interim propriè in intellectu, ſcriptorum prompta expoſitione, & in recte loqvendi ſcribendiqve ratione conſiſtat. Τό γε μὲν γράφειν καὶ ἀναγινώσκειν γραμματικῆς τῆς ἀτελεςέρας; ait Philo Judæus lib. περὶ τῆς εἰς τὰ προπαιδεύματα συνόδου: τῆς δὲ τελειοτέρας, ἀνάπτυξις τῶν παρὰ ποιηταῖς τε καὶ συγγραφεῦσιν. *Legere quidem ſcribereve Grammaticæ imperfectioris eſt, perfectioris vero, evolvere, quæ apud Poëtas & Scriptores occurrunt.*

2 Circa *diviſionem Grammaticæ* variæ veterum opiniones ſunt, qvas ſtudioſe Joh. Wouwerius Polymathiæ c. 8. & Phil. Jac. Mauſſacus in Diſſertatione Critica Notis in Harpocrationem præmiſſa collegerunt: Poſterior tamen, uti perpetuus Wouwerii inſectator eſt, ita eum in hac etiam de diviſione Grammaticæ controverſiâ paſſim carpit. Communiter ſuam artem in τεχνικὴν ſeu μεθωδικὴν, qvæ rationem recte loqvendi edocet; ἐξηγητικὴν, qvam auctorum enarrationem transfert Qvintilianus; & κριτικὴν, ſeu judicium, Grammaticorum filii dividunt. Ipſe tamen Qvintilianus Grammaticen in duas tantum partes diſtribuit, tertiam utriqve immixtam ratus, Inſtit. l. 1. c. 4. Nobis peculiari *de Critice* libro agere conſtitutum eſt. De Grammatice nunc exordiamur; &, cum τεχνικὴ, prima pars ejus, de linguis & ſcripturâ inprimis agat, generatim ante omnia de iis diſpiciendum eſt.

3 Linguæ uſum una cum ratione homini a prima ſui creatione innatum eo minus à qvampluurimis dubitatum ſemper fuit, qvo illuſtrius iſtud donum eſt, qvod hominem à brutis animantibus, qveis nec ratiocinium competit, neqve ſermo, ſecernit. Fuêre qvidem olim æqve ac recentioribus ævis, *qui & his rationem tribuere non dubitarent*: PLUTARCHUS peculiarem librum ſub dialogi forma ſcripſit περὶ τοῦ τὰ ἄλογα λόγῳ χρῆσθαι: T. II. Opp. p. 965. (qvanqvam Franc. Vavaſſor *de Ludicra Dictione p.* 215. illum Dialogum falſo ab homine parum ad ſententiam Operis attento inſcriptum putat,) qva in opinione non abluſiſſe illum à veterum philoſophorum placitis

citis præter dogma μετεμψυχώσεως SEXTUS qvoqve EMPIRICUS fidem facit, qvi Lib. II. de Philoſophia, Opp. p. 272. non ſolum ab Empedocle brutis æqve & plantis, rationem diſerte attributam fatetur, ſed & probabiliter id aſſeri omnino cenſet: εἰ γὰρ, inqvit, πάρεστιν αὐτοῖς ὁ προφορικὸς λόγος, ἀνάγκη καὶ τὸν ἐνδιάθετον αὐτοῖς παρεῖναι· δίχα γὰρ τούτου ἀνυπόστατός ἐστιν ὁ προφορικός. *Nam ſi eſt eis quæ profertur oratio, neceſſe eſt etiam, eis ineſſe internam rationem: nam ſine ea non poteſt conſiſtere, quæ profertur, oratio.* Et PORPHYRIUS libro περὶ ἀποχῆς hoc uno inprimis argumento ad abſterrendos ab eſu brutorum homines nixus apparet, qvod parem illa nobiſcum rationem habeant: cui ſententiæ Philo etiam & Maimonides Judæi accedunt: ſuperiore autem ſeculo HIERON. RORARIUS, Exlegatus Pontificius, novus æqvè & ingenioſus hyperaſpiſtes acceſſit, qvi duobus libris, mole qvidem exiguis, ſed non ſermonis nitore minus, qvam ingenio, commendandis, demonſtrare anniſus eſt: *quod animalia bruta ratione melius utantur homine.* Edidit opuſculum iſtud, qvod manu Auctoris ſcriptum Romæ nactus erat, primus Gabr. Naudæus, Puteanis fratribus nuncupatum Pariſ. 1645. recuſum poſtea Amſtelodami 1666. in 12. Porphyrius vero, ſicut ad evehendam brutorum animantium dignitatem exæqvandamqve hominibus nihil non tentat: ita colloqvi etiam illa inter ſe, certoqve ſermonis genere ſua ſibi mutuo cogitata aperire, probatum it: qvod idem ut confeſſum arripere Sextum Empiricum modo vidimus: & de Apollonio Thyanæo Philoſtratus ejus vitæ ſcriptor refert, illum paſſeres colloqvutos intellexiſſe: ſic & Lucretius ait:

- - - Varii ſenſus animalia cogunt,
Multa tamen cum ſint, varias emittere voces.

His & aliis ὁμόψηφος è recentioribus Is. VOSSIUS lib. de Viribus Rythmi pag. 66. non dubitat, *animalium, quæ vulgo bruta creduntur, meliorem quam noſtram hac in parte vocare conditionem, utpote, quæ promtius & forſan felicius ſenſus & cogitationes ſuas ſine interprete ſignificent, quam ulli queant mortales: præſertim, ſi peregrino utantur ſermone.* Verum hæc partim aperte falſa ſunt; *nec omnino qviſquam*, uti recte Lactantius *de Ira Dei c. 7. modo qui ſapiens videri velit, rationale animal cum mutis & irrationalibus coæquaverit:* partim, ſi aliqva ſui ratione vera ſint, neqvaqvam tamen ratio, ſed ſolers qvædam ſagacitas, non ſermo vox eorundem, ſed cognatum aliqvod ſermonis humani eſt: *Dignoſcant invicem ſe vocibus, &, cum iraſcuntur, edant ſonum jurgio ſimilem: cum ſe ex intervallo vident, gratulandi officium declarent voce, quæ, licet nobis incondita videatur, ipſis tamen verba ſit: demum in omni affectu certas vocis notas exprimant, quibus habitum mentis oſtendant*; qvæ omnia admittit loco cit. Lactantius; ſemper tamen effato ejus veriſſimo *proprius homini ſermo eſt, in illis quædam ſimilitudo ſermonis:* hominum ſane converſationi neutiqvam comparanda, cum hæc & rationem pro fundamento habeat, & diſtincte ſingula animi cogitata eloqvatur.

Videbatur hæc hominis prærogativa tanti, ut multis gentilium à Deo orta crederetur: cui qvidem opinioni Chriſtiani eò lubentius acceſſere, qvo certius è 4

Scripturis Deum cum Adamo collocutum, hunc brutis nomina impoſuiſſe, Evam cum ſerpente ſermones miſcuiſſe ſciverant: qvæ & alia argumenta, ut è multis unum nominemus, Brianus Waltonus *Prolegom. I. in Biblia Polygl.* deducit. Non omnes tamen uno modo gentiles de his ſenſerunt: potius Diodoro Siculo l. 1. *Biblioth. Hiſtor. p. 8.* & Vitruvio *lib. II. de Architectura c. 1.* homines primitus more beſtiarum voces inarticulatas & confuſas protuliſſe videntur, donec per timorem congregati, ſenſimqve ſibi mutuo aſſuefacti voces flectendo, & de rebus ſingulis verba qvoqve apta fingendo notam ſibi omnium interpretationem fecerint. Diodorum ſibi explodendum ſumſit Euſebius *Præp. Evang. lib. I. c.* 7. Nihilo tamen ſecius repertus jam antiqvis temporibus inter Chriſtianos doctores Gregorius Nyſſenus eſt, qvi *Orat. XII. contra Eunomium* Deo indignum exiſtimaret in Grammaticorum qvaſi cenſum deprimi, & linguam homines edocuiſſe credi: ipſummet potius hominem auctorem ſui ſermonis extitiſſe eodem fere, qvo Diodorus, modo ratiocinatur. Nyſſeni ſententiam avide arripit, & expoſitam pluribus tuetur, Scriptor recens & celebris Rich. Simonius *Hiſt. Crit. Vet. Teſt. lib. I. c. 14. & 15. lib. III. c. 21.* qvi, non multiplicanda præter rem miracula Dei ratus, cum ratione religionem, qvoadusqve fieri poſſit, mavult conciliari. Videri tamen poterunt, qvæ Simonio opponit Joh. Clericus, Autor libri, qvi ſub titulo *Sentiments de quelques Theologiens de Hollande ſur l' Hiſt. Crit.* lucem aſpexit, epiſt. XIX p. 122.

5 Qvandoqvidem verò prima linguarum rudimenta literæ ſunt; *Primordia Grammaticæ artis*, ait Iſidorus Orig. lib. I. c. 3. *literæ communes exiſtunt, quas librarii & calculatores ſequuntur; quarum diſciplina velut quædam Grammaticæ artis infantia eſt*: ita recta earundem pronuntiatio, & ad ipſa organa accommodatio phyſice qvoqve conſiderari poteſt. Pauci tamen thema iſtud tractarunt. Præcipuus eſt Petrus Montanus, Delphenſis Eccleſiaſtes, qvi Belgicâ linguâ librum ſcripſit, cui titulus: *Bericht van eene niewe Konſt, genant de Sprakkonſt.* Delph. 1635. in 4. in qvo literarum, vocalium & diphthongorum ſonos, earumqve formationem, ſatis, ut mihi qvidem videtur, accurate examinat. Certè magnâ diligentiâ & curâ naturam literarum & pronuntiationum in omnibus linguis explicuit, ac nemo fuit, qvi ipſum hoc qvidem in argumento ſuperarit. De eadem materia ſecundum Carteſiana principia agit Scriptor Gallus, Cordemoy, in libro, qvem inſcripſit: *Diſcours Phyſique de la Parole*: in qvo non ſolum de ratione ſoni in literis, ſed & qvomodo verba prolata in ſpiritus animales operentur, & perſvadere poſſint, multa eleganter diſſeruntur: dignum certe judicavit librum Societas Regia Anglicana, qvem in linguam ſuam converteret. Ex Anglis ipſiſmet hanc materiam de vocum flexione tangit Joh. Wallisius *in Prolegomenis ſuæ Grammaticæ Angl.* qvæ nihil aliud ſunt, qvam Diſſertatio de natura literarum & pronuntiatione. Cum vero Actorum Soc. Regiæ Scriptor, hujus mentionem faciens, ante Walliſium ait neminem hunc ſibi laborem ſumſiſſe; in eo fallitur: nam *Hier. Fabricius ab Aquapendente* idem argumentum tractaverat in Operibus ſuis: tum ille, qvem ſupra nominavi, *P. Montanus*, & præterea

alii

alii nonnulli. Walliſium ſecutus alius qvidam Theol. Doctor, idemqve membrum Societatis Regiæ, WILLIAM HOLDER, 1669. in 8. librum de elementis loqvelæ vernaculo idiomate Londini publicavit: *Elements of Speech: or an eſſay of enquiry into the natural production of letters*; qvo in libro pluſcula notaſſe mihi videor vel è Montano deſcripta, vel certè ὁμόψηφα. Qvid in libro de Ortu Sermonis egerit *Mericus Caſaubonus*, ignoro, cum nunqvam librum eum, qvantacunqve diligentiâ qvæſitum, videre licuerit. Neqve prodiit unqvam, qvantum ſcio, *Ægidii Menagii* de Linguis liber generalis & amplus: qvem in præfatione ſuarum Originum Gall. promiſit. Non pauca vero huc ſpectantia hauriri poſſunt è BERN. MALLINCROT, Viri doctiſſimi, *de Natura & Uſu Literarum tractatu*, Monaſterii 1638. in 4. edito: nec non è GERH. JOH. VOSSII *de Arte Grammatica libro I.*

Ex accurata iſthac obſervatione motus organorum factum eſt, ut certis regulis à monacho qvodam Hiſpano, PETRO PONTIO, ars comprehenſa ſit, qva ſurdum natu, & hinc mutum, etiam ſolo viſu mediante eousqve tandem produxit, ut & loqveretur ipſe, & ab aliis qvacunqve lingva prolata recitare potuerit ac intelligere, etiamſi lingua ex informatione ſibi ſolum cognita loqverentur: qva de re cum jam *lib. Methodico c. 3.* prolixè ſatis egerimus, non eſt, cur hic denuo actum agamus. Id tamen addimus: *Emanueli Ramirerio de Carrion*, de qvo perturbatè nonnulla poſuiſſe Nic. Antonium monebamus, non Velaſcium Fraxini Marchionem, ſed alium tamen illuſtrem diſcipulum obtigiſſe; nimirum è Sabaudorum Principum ſtemmate Emanuelem Philibertum, Carignani Ducem, qvi hodieqve ſupereſt, & trium qvatuorve linguarum peritiam, Carrionio manuducente, eam nactus, ut, qvamvis non loqvatur: hoc enim deeſt: ſcribat tamen promte & intelligat. Recentiſſima omnium artis hujus exempla ſunt, qvæ apud Belgas impigro labore ſuo JOH. CONR. AMMANN, Scaphuſa Helvetius, Med. D., dedit. Aliqvot enim ille ſurdas loqvi edocuit; & teſtem ejus rei *Surdum Loquentem*, Amſtelod. 1692. Latino idiomate editum, Petro Kolardo, cujus filiam ita informaverat, nuncupavit: qvinimo tam certam ſe reddidiſſe ſuam artem confidit, ut in epiſtola nuncupatoria promittere auſit: *Surdum non fore, modo ſana ipſi mens conſtet, nec lingua ſit impedita, nec ætas immatura, qui ſe præceptore, bimeſtri ſpatio non expeditè ſit locuturus.* Qvoqve magis propriam eſſe Ammanni eam methodum agnoſcas, ſanctè teſtatur in præfatione, ſibi, anteqvam ipſe excogitarit, ne veſtigium ejus apud ullum auctorem occurriſſe. Ceterum, cum ſolo viſu verba loqventium ſurdi aſſeqvantur, fit, ut etiam voce maxime ſubmiſſa loqventes, vel potius ſibilantes intelligant: qvod idem Auctor de ſuis diſcipulis teſtatur. 6

Et hæc qvidem prima exprimendorum conceptuum noſtrorum maxime naturalis via eſt, qvæ per linguam fit. Eſt &, qvæ nutu digitisve, qvam amantium eſſe linguam Ovidius, amorum magiſter, docet, inſtituitur. Ejus artem aliqvam tradidit Anglus qvidam, JOH. BULVVER, è qvo excerpta nonnulla apud Harsdœrfferum in ſeinem Geſprächſpiel und im Teutſchen Secretario reperias. 7

Longe vero illuſtrior eſt, aptiorqve ſua cogitata aliis communicandi modus, 8

per

per ſcripturam, qvam ſermonis imaginem eſſe ſymbolumqve res ipſa clamat. Sane enim, ſi præſentes ſermone humano maxime affici & edoceri qvam aptiſſime ſolent; eſt tamen, ubi ſcriptura vim loqvelæ exſuperat, atqve vivo ſermoni ſermo pictus præfertur. Scriptura nempe ad abſentes loqvimur, & remotos longa locorum temporumqve intercapedine, æqvè ac ſi nobiſcum viverent, compellamus: hac hiſtorias temporum conſignamus, qvæ, ſi per oralem ſolum traditionem propagentur, incredibile dictu, qvantum fabularum pro veris breve tempus attrahat, & renitentibus fruſtra poſteris obtrudat: imo evaneſcit prorſus rerum, licet egregie geſtarum memoria, ni literæ & ſcriptura in ſubſidium advocentur. Ita cum ſcientiis qvoqve comparatum. Non hodie de tot magnorum olim virorum nominibus, nedum dogmatibus ſupereſſet qvicqvam, ſi ſcripturæ beneficio careremus, qvod unum tot illuſtres antiqvorum labores excolendis uberius animis noſtris datos ſervavit. Furere profecto magis, qvam humano more loqvi cenſentur merito, qvi ſcripturam & literas rei humanæ peſtem vocant, è noſtro ſodalitio exterminandam. Qvanto ſanius viri ſapientes ſummis illam in cœlum laudibus extulerunt, & originem ejus inveſtigantes DIs acceptum tantum beneficium referebant.

9. Et qvidem, ſi Judæos audias, *Deus* extra dubium *literarum inventor* eſt, qvippe qvi ante conditum mundum Legem literis igneis nigris dorſo ignis candidi inſcriptum penes ſe habuit. Ita qvidem nugantur hi. Plinius Hiſtor. Nat. lib. VII. c. 56., de *literarum* ortu verba faciens, *æternum* earundem *uſum* pronunciat: qvod effatum multis diſceptationibus anſam dedit: ſine dubio autem ita accipiendum eſt, ut una cum hominibus, qvorum ortum neſcit Plinius, ortas arbitretur. Dum vero ibidem *ex Aſſyria* literas in orbem manaſſe credit; latet in eo veſtigium veritatis, cum Aſſyriam primo ſtatim tempore ab hominibus cultam (ſi non omnino Paradiſus ibi fuit) dubium nullum ſit. Alii *ex Ægypto* potius primitias literarum arceſſunt, qvod non ſolum Gellius à Plinio adductus facit, ſed dudum ante Gellium idem Diodorus Siculus docuit, & Philo Biblius in procemio ad Sanchoniathonem, cujus hæc verba ſunt: τῶν ὑφ᾽ ἥλιον γεγονότων πρῶτος ἐστι τάαυτος ὁ τῶν γραμμάτων ἕυρεσιν ἐπινοήσας, καὶ τῆς τῶν ὑπομνημάτων γραφῆς κατάρξας: apud Euſebium Præp. Evang. l. 1. c. 9. hunc vero Taautum Ægyptia voce eundem eſſe, qvem Græci ἑρμῆν (Latini Mercurium) vocant, Philo mox addit. Græci ceteri communiter ferme *Cadmo* literarum inventionem tribuunt, & è *Phœnicia* ad *Iones* illas perveniſſe tradunt: hinc Jonicæ literæ Herodoto omnium antiqviſſimæ. Legi ea de re præcipue Joſephi Scaligeri eruditiſſima diſſertatio meretur, qvam *de Literis Jonicis* ad illuſtrandum Euſebii locum ſcriptam ſuis animadverſionibus Euſebianis p. 110. ſqq. inſeruit: ut & Bocharti Geographiæ Sac. P. II. lib. I. c. 20. qvod totum huic materiæ impendit. Multum qvoqve ſtudii & doctrinæ HERMANNUS HUGO, Jeſuita, in pulcro *de Ratione ſcribendi apud veteres* libro oſtendit: prodiit ille liber Antwerp. 1617. in 8. ex officina Plantiniana: multa ibi habentur de characteribus variis variorum generum: de re notaria veterum Græcorum & Romanorum, & ſimilia, qvæ apud ipſum Auctorem videri

poſſunt

poſſunt. Juvabit qvoqve lectorem GVIL. POSTELLUS *de Phœnicum literis*; ſeu *de priſco Latinæ & Græcæ linguæ charactere, ejusque antiquitate, origine & uſu*, Pariſ. 1552. in 8. nec non GERH. J. VOSSIUS *de Arte Grammatica* l. 1. c. 9. & 10. CAROLUS CÆSAR BAUDELOTIUS *de* DAIRVAL libro Gallico *de l' utilité des Voyages, & de l' avantage, que la recherche des antiquitez procure aux ſcavans*, Pariſ. 1686. in 12., cujus P. II. poſtqvam de variis linguis, Chaldæa, Phœnicia, Punica &c. earumqve characteribus prolixe actum eſt; Græcas etiam & Latinas literas Auctor per ætates certas diſtinguit, deqve uncialibus, capitalibus, qvadratis & minuſculis literarum elementis erudite diſqvirit. Referri qvoqve huc poterit P. CLAUDII MOLINETTI Hiſtoria *de Fatis Literarum Romanarum*, inſerta Ephemeridibus Eruditorum Gallicis A. 1684., in qva non prius Auctor ad Latinas literas tranſit, qvàm omnium originem ab ultima inde antiqvitate repetiiſſet, hinc mutationes varias & fortunam elementorum Rom. eleganti commentariolo exponit.

Qvi è S. Scriptura fundamenta dirimendæ litis iſtius qværunt, ii partim in 10
cœlo ſtellis efformatas eſſe literas ſibi perſuadent, eamqve Scripturam vocant *Anglicam*; qvos inter eminet (a) JAC. GAFFARELLUS in tractatu Gallico qvem *Curioſitéz Inouies Curioſa inaudita, de Sculptura Talismanica Perſarum, horoſcopo Patriarcharum, & lectura Stellarum*, inſcripſit, ediditqve Pariſ. 1637. Latinè verſa poſtmodum & recuſa Hamb. 1676. Merito autem Gaffarellum, Judæis ipſis, è qvibus iſta mutuò petiit, ineptiorem, rejicit & confutat latè *Thom. Bangius* Cœli Orientis Exerc. II. Habet & formas literarum Anglicarum aliaqve de iis varia Athan. Kircherus T. II. Oedipi

(a) Jac. Gaffarelli, Galli, Th. & J. Can. Doctoris, Protonōtarii Apoſtolici, Prioris D. Catharinæ ac D. Aumelii Commendatoris perpetui, Ludoviciqve XIII. Regis Galliæ, Theologi, Conſiliarii & Eleemoſynarii, Viri eximiæ, in Literatura imprimis Orientali, Eruditionis, *Curioſitates inauditæ* Gallice prodierunt Pariſiis Ann. 1629. ac 1630., Rhotomagi An. 1631. & 1650., ac ſine Loci mentione An. 1637. in 8vo (Vid. Michaelis *Præfat.* & Labbei *Biblioth. Bibliothecarum p. m.* 597.) Anglicam illarum Verſionem dedit Edmundus Chilmead, Gloceſtrienſis, Ædis Chriſti apud Oxonienſes Sacellanus, teſte Henn. Wittenio *T. I. Diar. Biogr. Sec. XVII. ad An.* 1653. Latinam autem figuris, Notis Eruditis, indicibusqve, illuſtratam, M. Greg. Michaelis, Roſtochienſis, Præpoſitus tunc in Cimbria Flensburgenſis, & Comitatus poſtea Oldenburgici Superintendens, Hamburgi A. 1676. in 8vo. Ob Vanitates Chaldæorum & Aſtrologorum profanas, aliasqve Opiniones Paradoxas, audacius in hoc Scripto defenſas, Autor Cenſuram Sorbonæ Pariſienſis incurrit, ejusqve Juſſu, d. 4. Oct. An. 1629., Retractionem illius αὐτόχειρι conſcripſit, a Claudio Sorello ſuo contra idem Tractatui *des Talismaines, ou Figures, faites ſous certaines Conſtellations*, Pariſiis An. 1636. & 1640. in 8vo edito (Labbeo l. c. p. 586. 597. teſte,) ſubjunctam. Nugas de Literatura Cœleſti eruditas Thom. Bangius, in *Cœlo Orientis*, Hafniæ An. 1657. edito, *Exerc. II. Qu. VIII.*, *p.* 140-208, diſcuſſit, Hyperaſpiſten nihilominus Gaffarellus nactus eſt Jac. Gaufridum Tauroentium, Gallum, cujus *Parecbaſis pro curioſitatibus* his Encomaſtica, Parmæ An. 1634. in 4to excuſa, a Labbeo l. c. p. 597. allegatur.

dipi Ægyptiaci. Alii *Adamo* donum ſcripturæ acceptum ferri debere arbitrantur. In his *Suidas* uti ceteras artes omnino omnes, ita literas etiam ab Adamo profectas non dubitat: immemor tamen ſui alibi, nnnc Setho, nunc Abrahamo, nunc Cadmo & Phœnicibus earum inventionem tribuit. Adamo inventum id aliqvot rationibus Theod. Bibliander adſtruxit in libro de communi ratione linguarum. Et qvo minus de veritate aſſerti illius dubitaretur, reperti complures ſunt, qvi formas literarum Adamicarum è vetuſtis marmoribus eruerent. Ita *Laurent. Schraderus* illas è columna Vaticana deſcriptas Memorandis Italiæ, 1592. Helmſtadiæ à ſe editis, una cum 23. alphabetis, ut vocant, aliis, inſeruit; 24. inventores literarum in univerſum credens: atqve adeo duplo plures, qvam Joh. Matthæus Lunenſis, in Tract. de Rerum Inventoribus, ab Auguſtino Juſtiniano Pariſ. 1520. edito, in qvo 12. linguarum inventores narrantur. Ceterum rudis nimium figura literarum apud Schraderum eſt, & longe nitidior character, qvi in *Aurea Virga*, i. e. 70. alphabetis à Jac. Bonaventura Hephurno, Scoto, S. Franciſci monacho, Romæ 1616. nitide editis, reperitur: ut & in *Tabellis Alphabetariis* variorum characterum variis gentibus uſurpatorum Francof. 1596. per Joh. Theodorum & Joh. Iſraël de Bry æri affabre inciſis. Videas in his libris, & ex iisdem in Bangio, alphabeta Adamicum, Henocheum, Noachicum, vetus Aſſyrium, Mercurianum, Iſiacum, aliaqve hujus generis plura. Defendunt præterea characteres illos Adamicos Angelus Roccha in Commentario Bibliothecæ Vaticanæ: Claud. Duretus in Hiſtoria de Linguis Univerſi inferius memoranda, Theſeus Ambroſius in Appendice Introductionis in Chaldaicam, Syriacam, Armenicam & x alias linguas, Papiæ 1539. excuſæ. Qvibus omnibus ſe opponit, adductis atqve confutatis eorum rationibus, *Thomas Bangius* in Cœlo Orientis Exerc. I. & II. (qvi liber An. 1661. ſub titulo *Exercitationum de Ortu & Progreſſu Literarum* denuo excuſus eſt,). Nemo tamen usqve adeo παράδοξος, in erudiendis Graphices ab Adamo inventæ principiis, eſt ac JOH. PETRUS ERICUS, Iſennacenſis, qvi in libro ſuo, qvem *Renatum è myſterio Principium Philologicum* inſcripſit, ediditqve Patav. 1686. in 8., Adamum inducit cum nomina animalibus, ſecundum ſonum cujusqve, ſeu ſonorum voces, imponeret, à volatilium concentu vocales, à terreſtrium ſtrepitu conſonantes ſemivocales, à mutis natalibus mutas mutuatum, poſtea ex animalium rugitu & grunnitu loqvelæ elementa compoſuiſſe, eaqve intelligibilia reddidiſſe: v. Act. Er. Lipſ. A. 86. p. 328. ſeq. Verum, miſſis hiſce paradoxis, nunc ad Bangium revertimur. Credit is, dediſſe forſan originem literarum inventioni Adamum; ſed ita, ut magis cœperit formare à poſteris ſuis expolitas, qvam ut integer certorum elementorum ordo ab illo fluxiſſe credi qveat. Ita reliqvos, qvi literarum inventores dicuntur, certos ſuarum qvemqve gentium characteres excogitaſſe forſan, non vero ſtatim propterea ſcripturæ repertores dici mereri. (*b*) Henochum revera ſcripſiſſe librum extra dubitationis aleam ponit, qva

(*b*) De Libro Henochi, Columnisqve Sethianis, conferri merentur Joh. Henr. Urſini Exercitationes de Zoroaſtre Bactriano, Hermete Triſmegiſto, Sanchoniathone Phœnicio,

qva in re Brianum Waltonum ſibi conſentientem habet Proleg. Bibl. II., diſſentientem vero Rich. Simonium, cui prophetia Henochi nonniſi è traditione Judæ Apoſtolo fuiſſe nota videtur. Nec deſunt, qvibus columnæ Sethianæ, qvarum unam ſuo adhuc tempore ſtetiſſe Joſephus l. 1. Antiq. c. 3. auctor eſt, ſuſpectæ admodum, ſi non penitus fabuloſæ, videntur. Et qvis, in tanta rerum ultima antiqvitatis caligine, certi qvid absqve hæſitatione proferre auſit? Interim non tamen dubitandum videtur, qvin haud procul ab origine generis humani ſcripturæ inventum arceſſendum ſit. Conferri præter auctores, qvi de Lingua & Scriptura agunt, & ſuperius recenſiti ſuut, meretur qvoqve *Caramuel*, qvi in Apparatu Philoſophico multa, qvæ illuc ſpectant, habet. De Literarum Dimenſionibus tractatum ſcripſit *Geofry*.

Ceterum, ut in verbis ore prolatis, ita & in literis manu exaratis phyſicum aliqvid, qvod de ingenio ac moribus hominum teſtetur, latet: ita, ut ars qvædam prognoſtica inde formata ſit. Rabbinos aliqvos ea de re cogitaſſe legi: & eſt inter Italos *Camillus Baldus*, Bononienſis, Philoſophiæ olim in academia patria Profeſſor, qvi *de Divinatione Epiſtolari* librum Italica lingua ſcripſit, translatum poſtea in Latinam, & editum Bononiæ 1664. in 4.

CAP. II.
DE VARIIS SCRIPTURÆ MODIS.

§. 1. *Literæ ſive Figuræ Hieroglyphicæ Ægyptiorum, de quibus Horus Apollo, Nic. Cauſinus, Joh. Pierius Valerianus, Ath. Kircherus, Laur. Pignorius, aliique, ſcripſere.* 2. *Æthiopum, Scytharum, Sinenſium, Peruvianorum.* 3. *Græcorum & Latinorum Notæ Cryptographicæ & Tachygraphicæ, harumque Inventores, & varii de iisdem Scriptores.* 4. *Notæ Tyronis, Senecæ, Cypriani, Joh. Pici, & aliorum. Joh. Trithemii Polygraphia, à Guſtavo Seleno in Cryptographia illuſtrata. Alii Tachygraphiæ, Steganographiæ, & oppoſitæ huic Artis Decifratoriæ, Scriptores recentiores.* 5. *De Charactere ſive Scriptura Univerſali, Linguis omnibus communi, & Linguæ Univerſali inſerviente, Conatus & Scripta Georg. Dabl-*

nicio, eorumqve Scriptis, & aliis contra Moſaicæ Scripturæ Antiqvitatem afferri ſolitis, Familiares, cum Chriſtoph. Arnoldi Spicelegio Noribergæ A. 166. in 8vo. excuſæ. In qvibus is, ſuæ de Scriptis Moſaicis omnium antiqvisſimis ὑποθέσει δυλεύων & hæc, & alia Monumenra literaria, qvæ Moſis ævum ſuperare creduntur, omnia, tanqvam fabuloſa & ὑποβολιμαῖα, rejicit atqve explodit. Adde Joh. Joach. Maderi Diſſ. de Scriptis & Bibliothecis Antediluvianis, Tractatuum de Bibliothecis Variorum Syntagmati, Helmſtadii A. 1666. a ſe recenſito, Præfationis inſtar, præfixam, Joh. Druſii Librum de Henocho, ejusqve Scripto, peculiarem, Franeqveræ A. 1615. in 4to excuſum, & plerosqve tùm Hiſtoriæ Librorum Biblicorum Scriptores, tùm in Epiſtolam Judæ (cujus Verſu 14. Henochi Prophetia allegatur) Commentatores.

Dahlgarni, Joh. Wilkinſii, Galli Anonymi, Ath. Kircheri, J. Joach. Beccheri, de quibus, uti & Andr. Mülleri Clave Sinica, ſobrium fertur Judicium. 6. Typographiæ Inventio, Germanos inter & Batavos controverſa, Germanis, Gallorum complurium ſuffragiis allegatis, vindicatur, Scriptores hujus Argumenti recenſentur, Diſcrimen Typographiæ Europææ, & hac antiquioris Sinenſium, ex Iſ. Voſſio oſtenditur, Abuſus Artis nobiliſſimæ deplorantur, & Typographi potiores Eruditi recenſentur.

1 SCripturæ licet maximus & incomparabilis uſus ſit, id unum tamen adhuc deeſſe videbatur, qvod lente nimis rem ſuam peragat, & longis calami tractuum ambagibus id eloqvatur, qvod multo breviori ſpatio lingua dicit. Accedebat, qvod qvicqvid per eam ſemel literis mandatum eſt, promiſcue ſtatim cuivis pateſceret, cum res non omnes omnium oculis exponendæ olim judicarentur. Nati exinde partim arcani atqve ſacri, partim uſui ταχυγράφων inſervientes varii ſcriptionum modi ſunt, qveis per compendia longus ſermo abſtruſis qvibusdam notis aut imaginibus incluſus contineretur.

Ægyptii, ſapiens olim & ob id notiſſima toto orbe gens, cum in vulgus nollet inventa ſua ſpargi, literas hieroglyphicas, ceu ſymbola rerum, excogitavit; qvæ ſuo ſe nomine ſtatim, qvam ſancte fuerint in intimis templorum adytis cuſtodita, produnt. Ab Hermete inventa gloriabantur, & non ſolum extraneos ad ea difficillime admittebant, (qvod exemplum Pythagoræ oſtendit, qvi, circumciſus licet, & à Polycrate viro potentiſſimo commendatitiis literis inſtructus, ægre tamen admiſſus eſt) ſed & paucis ex ipſorummet ſacerdotum ordine latentia figurarum myſteria pandebant. Succeſſu temporum non ſecreta tantum, qvæ recondi in delubris voluerant, verum alia qvoqve characteribus iſtiusmodi notabant; cippos maxime, qvorum nonnulli ſuperſunt adhuc. Varii vero auctores in eruendis abſtruſarum figurarum ſignificationibus deſudârunt. Ex antiqvis reſtat ORUS, ſive HORUS APOLLO, qvem *Horapollinem* nonnulli vocant, auctoritate ſcilicet Photii atqve Suidæ nixi; qvos falli tamen, & *Horum* Ægyptium ab *Horo* ſeu *Horapolline* Græco Grammatico diverſum, probabiliter contendit Cauſinus. Scripſit *Horus* iſte *Niliacus* (ita enim vocatur, non à flumine, ſed ab urbe Ægypti Nilo, de qva Hecatæus apud Stephanum) *Hieroglyphica* Ægyptiaco ſermone: Græcè ea vertit Philippus neſcio qvis recentioris ætatis Græcus. Græca Latinè tranſtulit, ediditqve Baſil, 1518. Bernardinus Trebatius, Vicentinus. Novam verſionem publicavit Pariſ. 1551. in 8. Joh. Mercerus; alia editio Romæ excuſa eſt ex Merceri aliisqve verſionibus conflata 1606. in 12. ſed cum gravibus eam erroribus ſcatere deprehendiſſet Cauſinus, errores expunxit, notas & obſervationes addidit, ſubjunctis inſuper ex Clemente Alex. & Epiphanio, qvæ huc pertinebant atqve Polyhiſtorem Symbolicum, libris XII. conſtantem, adjecit: totumqve librum *de Symbolica Ægyptiorum Sapientia* inſcriptum publicavit Pariſ. 1618., Coloniæ poſtmodum 1631. in 8. recuſum. Jam ante vero qvam Cauſini editio prodiiſſet, Græce Horapollinis

linis Hieroglyphica correcta & ſuppleta David Hœſchelius 1605. in 4. edi curavit Auguſtæ Vind. E recentioribus laudem meret JOH. PIERIVS VALERIANVS, cujus *Hieroglyphica, ſeu de ſacris Ægyptiorum aliarumque gentium literis Commentarii* Lugduni 1610. editi, & inde multoties in Germania recuſi, Italicè etiam Venetiis 1625. typis exſcripti, in omnium manibus ſunt. Secutus hunc celebris ATHANAS. KIRCHERUS, vaſtiori adhuc molimine iſta myſteria aggreſſus, varia ejus ſtudii monumenta reliqvit. *Oedipum Ægyptiacum*, cujus pars una *Theatrum Hieroglyphicum* ſiſtit, Romæ 1654. *Obeliſcum Pamphilium*, ſeu interpretationem novam Obeliſci hieroglyphici, qvem Innocentius X, P. R., erexit. ibid. 1650. *Obeliſci Ægyptiaci*, inter rudera Minervæ effoſſi *interpretationem* Hieroglyphicam Romæ itidem 1666. & alia forſan, qvæ huc pertinent. Uti vero non male hoc ſuo ſtudio meruit de re literaria Kircherus, ita num ſemper vera etiam ſuis ſuſpicionibns aſſecutus ſit, dubitandi locus ſupereſt. Certe Oedipum ejus ſpernit Iſaacus Voſſius, & amicos Kircheri nolle ab ipſo ſcriptum ait: *Caſtigat. ad Objecta Hornii c. XII. p.* 338. Ita Pariſiis eum aliqvando ludibrium jocantibus nonnullis, & neſcio qvam informem ſtatuam, pro cippo afferentibus, debuiſſe legi. Pertinent ceteroqvin huc *Laur. Pignorii Menſa Iſiaca*; ſeu vetuſtiſſimæ tabulæ æneæ, ſacris Ægyptiorum ſimulacris cælatæ, explicatio; qvæ Venetiis 1605. & Amſtelod. 1670. lucem publicam aſpexit, nec non *Mich. Meyeri Arcana Ægyptiorum & Græcorum Hieroglyphica*, ſine loco & anno impreſſionis in 4. edita.

Non vero Ægyptii ſolum, ſed *Æthiopes* etiam atqve *Scythæ*, hieroglyphicis 2
charactertbus uſi deprehenduntur, ut è Pherecyde Syro apud Clementem, & è Diodoro Siculo, bene Cauſinus animadvertit. Hinc eo facilius ad Sinas & Japones, à Sinenſibus ad Peruvianos, penetrare potuerunt; nec opus eſt, ut cum Kirchero neſcio qvas Ægyptiorum ad Sinas colonias ſomniemus, qvas merito ut intempeſtivè admodum adſtructas ridet l. c. Voſſius. Vide qvæ de literis Sinenſium *Spizelius in libro de Re Literaria eorundem* collegit, & *Kircherus Oedipi T. III. Diatr. I.*

Græci & Latini, qvanqvam hieroglyphicis abſtinebant, habuerunt tamen 3
σημεῖα ſua ſeu notas, qvibus vel ad occulte, vel ad breviter ſcribendum, uſi ſunt. *Notarios* Latini, Græci ταχυγράφυς σημειογράφυς notis ac σημειοῖς vocabant, qveis cura ſcribendarum compendiariis characteribus rerum commiſſa erat: qviqve adeo freqventer in publicis æqve & privatis negotiis adhibebantur, ut nihil crebrius apud Auctores, qvam illorum mentio occurrat. Ita laudant hanc artem è veteribus Plutarchus, Dio, Suetonius, Seneca, Martialis, Auſonius, Hieronymus, Iſidorus, Suidas, alii, qvorum loca paſſim à recentioribus allegata videre eſt. Sed, ut omnium rerum eſſe etiam qvidam abuſus poteſt, ita hæc inprimis *ars notaria* fraudibus multis, ſcriptorumqve corruptioni, patuit, præſertim, ubi, inoleſcente jam barbarie, genuina notarum interpretatio expiravit: qva re motus publica lege vetuit Imp. Juſtinianus *per ſignorum captiones & compendioſa ænigmata codicis ſui textum conſcribi.* INVENTORES *artis illius* varii à variis perhibentur. Lipſius libenter Græcis gloriam daret, & nominatim Xenophonti, motus auctoritate Diogenis Laertii. Salmuthus, in Not.

ad Pancirollum, ex Æliano Myrmecidem Mileſium, & Callicratidem Lacedæmonium celebres eà arte fuiſſe tradit. Latini tamen ad ſe trahunt: qvorum alii Ciceroni ipſimet & Mæcenati, alii libertis eorundem literionibus, gloriam inventarum iſtiusmodi notarum adſcribunt. Peculiarem de *Notis Romanorum librum* Sertorius Urſatus, Patavinus, ſcripſit, qvi 1672. Patavii in fol. excuſus eſt. Valerii Probi *de Siglis*, ſeu *de interpretandis Romanorum literis*, librum è MSS. qvam plurimis altero pene tanto auctum, notisqve illuſtratum, Soræ 1647. in 4. Henr. Ernſtius publicavit. (*c*) Diligentem qvoqve, in clandeſtinâ ſcribendi ratione docenda, operam Rob. Valturius navavit *lib. VII. de Re Militari* cap. 17. (prodiit ille liber Veronæ 1483. fol.) longe vero majorem ac diligentiorem, Henr. Salmutho judice, Joh. Bapt. Porta, in IV. libris *de Furtivis literarum notis*, (Mompelgardi An. 1593. in 8vo excuſis) & lib. XVI. Magiæ Naturalis. Verum nec ipſe Salmuthus cum Pancirollo debitâ ſua laude fraudandus eſt, qvi ſtudiosè admodum rem hanc exponit Nov. Repert. Tit. XIV. Conferatur præterea elegans Lipſii *epiſtola cent. I. ad Belgas, ep. 27.*, Petri Bembi Cardin. *epiſtola ad Julium II. P. R.*, *lib. V. ep. 8.*, Wouwerii *Polymathia c. VI.* Voſſii de *Arte Gramm. lib. I. c. 41.* & Becmanni *Notitia Orbis c. IX. p. 391.*

4 Extant adhuc *Notæ M. Tullii Tyronis*, liberti Ciceronis, qvas ille ad ſignandas voces excogitavit, miſtis, qvas *Ann. Seneca* parens, Lipſio judice, addidit, qvasqve *Cyprianus*, Trithemio referente, earum inſuper vocum notis auxit, qvæ ad uſum Chriſtianorum neceſſariæ fuerant. Rariſſimæ, jam ævo Trithemii erant, qvi, cum forte fortuna illas ex Abbatiæ cujusdam bibliothecâ an. 1497. vili pretio à monachis rerum imperitis emiſſet, multum ſibimet in ſua Polygraphiâ gratulatus eſt. Noſtro autem ævo Janus Gruterus, è duobus Codicibus, ſuo uno; altero Joh. Piſtorii, Notas Tyronis & Senecæ, cum Cyprianicis unà immiſtis, edidit, Corpori Inſcriptionum adjectas. Neqve vero dubitat in præfatione Gruterus, forte notas has uſus alicujus, & gloſſarii qvaſi locum expleturas in libris, qvi meris iſtiusmodi notis conſcripti hic illic forſan in bibliothecis lateant: qvalis ille codex eſt, qvem è Dacia Julio II. miſſum, & Hygini de Syderibus commentariorum portionem comprehendentem, Bembus l. c. refert: aliusqve Curtii codex Bongarſianus, cui ſub finem, & variis ad marginem locis, notas iſtiusmodi illitas ipſe Gruterus narrat. Inprimis vero memoratu dignum *Pſalterium* notis iſtiusmodi deſcriptum, & Argentorati ſervatum, cujus hiſtoriam,

(*c*) Ante Ernſtianam Editionem, alia Lugduno-Batava Libelli M. Valerii Probi *de Notis Romanorum interpretandis* Ann. 1600. (non 1504. ut in Joh. Alb. Fabricii *Append. Biblioth. Lat. p. 85.* perperam legitur,) apud Andream Cloucqvium, in 8vo. prodiit. Editor fuit Frid. Lindebrogius, JCtus Hamburg. πολυμαθέστατος, qvi (Teſte Typographi Præfatione) & Probum ipſum, & Magnonis, Archiepiſcopi Senonenſis, Carolo M. coævi, Collectionem Notarum Juridicarum, Carolo inſcriptam, Petriqve Diaconi, & aliorum Anonymorum Explicationes Veterum Notarum, Probo ſubjunctas, cum Codicibus diverſis contulit & emendavit, *Magnonem* primus edidit, & Obſervationes aliqvot ſuas ſub finem adjecit.

ſtoriam, lepidam ſimul, his verbis Trithemius c. l. exponit, *Biennio poſt* (nempe ab acqviſito Notarum Tyronis codice, adeoqve ann. 1499.) *eques Argentinam in cauſis ordinis mei aſcendi, admiſſusque per Joh. Keiſersbergium, inſignem loci concionatorem, in bibliothecam majoris Eccleſiæ, Pſalterium reperi totum hiſce Tullii & Cypriani notis exaratum, aureisque capitellis decentiſſime ſcriptum. Superſcriptio autem ab ignaro myſterii talis fuerat extrinſecus poſita* : Pſalterium in Armenica Lingua. *Ego doctorem adhibui, falſitatem oſtendi, ita reſcribendum admonui* ; Pſalterium notis Ciceronis deſcriptum : *quod fecerit, nec ne, incertum habeo, quoniam ad eam bibliothecam poſtea non ſum reverſus.* Pertinent qvoqve huc Notæ Mathematicæ, Aſtronomicæ, Chimicæ, Jatricæ, qvas, in Scriptoribus Mediæ & Infimæ Græcitatis repertas, è Codicibus MSS. eruit, & cum explicatione Gloſſario ſuo Græco annexuit, *Carolus du Freſne.* Diſtinguenda tamen à ſe invicem ſunt σημεῖα notariorum, celeri ſolum ſcriptioni inſervientia, & notæ, qvæ ad κρυπτογραφίαν ſpectant. Illorum rationem uti vix qvisqvam reſtituet: qvoniam, niſi qvis à pueritia artem illam ſtudiosè didicerit, ægre rem difficillimam aſſeqvetur : ita ſuaſerim tamen Studioſis, ut ad celeriter exſcribendum notas proprias, & qvidem qvamplurimas, ſibi conſtituant, ſicut legimus *Joh. Picum Mirandulanum* proprias ſibi notas conſtituiſſe, qvibus libros ſuos conſcripſerit, qvi propterea, ut in Vita Patrui Joh. Franc. Picus teſtatur, à nemine poſt ejus obitum legi potuerunt. Harum vero artem *Joh. Trithemius* in Polygraphia ſua tradere aggreſſus eſt. Uſus earum antiqviſſimus deprehenditur : ut enim Scytalam Lacedæmoniorum taceamus à Gellio lib. XVII. c. 9. Noct. Artic. fuſè ſatis deſcriptam : nec Cæſaris etiam, nec Auguſti arcanos ſcribendi modos, qvos Svetonius detegit, memoremus; nihil aliud ſuis notis primum Cicero voluit, qvàm occulte ſcribere: ita enim l. 13. ad Atticum : *Et quod ad te de decem legatis ſcripſi, parum intellexti credo: quia διὰ σημείων ſcripſeram.* Talis occultæ ſcriptionis, uti diximus, ars illa eſt, qvam tradere, ſuis tamen myſteriis involutam, voluit Trithemius Abbas: qvæ evolvit poſtea ſcripto in ejus Polygraphiam Commentario Illuſtriſſimus GUSTAVUS SELENUS, i. e. Auguſtus Brunſvic. Dux, edita in fol. Lunæb. 1624. *Cryptographia.* Jam ante Selenum tractarunt idem argumentum Abr. Colornus in *Scotographia Italica*, Dan. Schvventerus in *Stenographia aucta*, Caſp. Schottus in *Schola Steganographica*, & paſſim apud Magiæ Naturalis Scriptores ſingularia hujusmodi artificia monſtrantur. Nuſpiam tamen æqve floruit illa & celeris & occultæ ſcripturæ ars, ſtudiove majore culta eſt, qvam apud *Anglos*, qvi, cum veterum notas, celeritati ſcribentium conſulentes, non amplius reſtare vidiſſent, novas ipſi notas commenti ſunt, librisqve peculiaribus expoſuerunt: qvales ſunt Thomæ Willis Manuductor artis Steganographicæ : *The Schoolmaſter in the art of Steganography.* Lond. 1647. Thomæ Schelton *Tachygraphy or Shortwriting.* Joh. Wilkius *Mercury, or the Swift Meſſenger*, aliiqve à Becmanno Hiſt. Orbis *c. 9. p.* 391. laudati. Qvibus addi Belga etiam Scriptor, J. S. S., Verbi Div. Miniſter, poteſt, qvi *artem brachygraphicam* certis qvibusdam regulis eſt complexus, & diſtincte admodum tradidit. Lugd. Bat. 1666. 8.

Germa-

Germanice qvoqve poſtea, ſub *Tachygraphiæ* Titulo, editam. Nec minor apud Anglos Cryptographiæ in bellis præcipue civilibus erat uſus, modo per ciphras, modo per notas alias factâ ſcriptione: cui tamen multum obfuit oppoſita illi *Decifratoria*, qvam vocant, *ars*, qvæ ex characterum ductu, freqventia & nexu inter ſe eorum ſenſa occulta inveſtigat, ſi Alphabetum qvidem ſit ordinarium, & characteres linguam cognitam exprimant. (Multum inprimis valuit illa arte ſuperſtes hodieqve vir celeberrimus, & in ſcientiis Mathematicis plane incomparabilis, *Joh. Walliſius*, cujus manu ſcriptam vidimus, ſeu potius enodatam Legati cujusdam Gallici ad Polonos, March. Bethunenſis, Epiſtolam, meris numeris adeo abſtruſe ſcriptam, ut inextricabiles videantur labyrinthi, è qvibus tamen vir doctus ſe miro artificio expedit.) Editus qvoqve hanc in rem Gallicus qvidam liber eſt. *L' interpretation des chiffres, tirée de l' Italien du S. Ant. Maria Caſpi, Secretaire du Grand Duc de Toſcane, augmentée & accommodée particulierement à l' uſage des langues Françoiſe & Eſpagnole. Pariſ.* 1641. in 8. Memini mecum qvondam communicatum ab Aurato Eqvite Scoto qvodam artificium Steganographicum, ipſi magno pretio comparatum, qvod decifrationi obnoxium non eſſet. Id vero poſtea in Thavmaturgo Schotti, vel Phyſico, vel Mathematico, publicatum inveni. De Cryptographia recentiorum Græcorum Leo Allatius epiſtolam ad Car. Moronum ſcripſit.

5 Nondum tamen in his occultarum ſcriptionum inventis doctorum qvorundam ſolers ingenium acqvievit. Amplius progreſſi beneficio characterum iſtiusmodi univerſalem linguam moliti ſunt, ita nimirum, ut pictos in charta characteres unaqvæqve gens patria lingua legere reddereqve poſſit. Eſt qvi hoc ſaxum inprimis magno conatu volvit Anglus ſcriptor, GEORG. DAHLGARNUS, cujus hic liber ſplendido admodum titulo in lucem prodiit: *Ars Signorum: vulgo, character univerſalis & lingua philoſophica, qua poterunt homines diverſiſſimorum idiomatum ſpatio duarum ſeptimanarum omnia animi ſui ſenſa non minus intelligibiliter, ſive ſcribendo, ſive loquendo, mutuò communicare, quam linguis propriis vernaculis. Præterea hinc etiam poterunt juvenes Philoſophiæ principia, & veram Logicæ praxin, citius & facilius multo imbibere, quam ex vulgaribus Philoſophorum ſcriptis.* Londini 1661. in 8. Sed ſcriptum hoc eruditionem affectatam & pædagogeum nimis olere judicat Becmannus. Præter vero Dahlgarnium JOH. WILKINS, membrum Societatis Regiæ, & poſtea Epiſcopus Ceſtrienſis, aliam philoſophicam qvandam linguam invenit & characterem, è figuris Mathematicis concinnatum: Liber Anglicâ linguâ ſcriptus prodiit Lond. 1668. in fol. hoc titulo: *An Eſſay towards a real character, and à Philoſophical language.* Admodum vero operoſus eſt in rebus naturalibus & arte factis ſub ſuas claſſes redigendis, qvæ opera in illo laudanda eſt. Ineſt enim ſignis rerum, ut ſunt voces, eadem diviſio, qvæ rebus ipſis: ineſt porro ipſis vocibus certus qvidam & inſeparabilis character, è qvo dijudicari tota lingua poteſt, & pene mathematicâ demonſtratione ſignificationes deduci: ille character latet in ſolis terminationibus, qvæ qvaſi formam largiuntur vocabulis, ut certæ qvædam conſonantes materiam ipſi voci, radi-

ces ſcilicet, qvæ plerumqve ex aliis linguis ſunt transſumtæ. Commendari utique meretur Wilkinſius, qvod linguarum fundamenta philoſophica haud ſane levi operâ fuerit perſecutus. Similem laborem linguæ alicujus Philoſophicæ in animo habuit olim Gallus ille, cujus *Carteſius P. I. Ep. III.* ad Merſennum ſcribens meminit. Expoſuerat Merſennus Carteſio iſtud viri inſtitutum, ejusqve de illo judicium popoſcerat: qvapropter Carteſius rem omnem ſolidiſſime examinat determinatqve, qvoad procedi poſſit in hoc negotio. Linguam putat inveniri poſſe commodiorem & breviorem; Grammaticam qvoqve faciliorem, & communiſſimos aliqvot characteres, ſecundum qvos intelligi poſſint omnium linguarum ſenſus; ſed ulterius procedere non audet. Nam, qvod Gallus ille jactabat, per hanc artem ſuam, linguæqve ſuæ cognitionem, ceteras omnes, & dialectos illarum, cognoſci poſſe, id plane falſum putat Carteſius, & in oſtentationem argumenti confictum. Athanas. Kircherus & Joh. Joach. Beccherus artem commenti ſunt, qvâ notis numerorum, ſecundum ordinem diſpoſitorum, univerſalem in qvacunqve lingua ſenſum exprimere qvis poſſit & ſcribere, legere, & ſine interprete intelligere. Kircheri liber ſub titulo *Artis Polygraphicæ* Romæ 1665. fol. in vulgus exiit: Beccheri liber inſcribitur: *Character pro notitia linguarum univerſali: inventum ſteganographicum hactenus inauditum*, Francof. 1668. Beccherus ille vir fuit non contemnendi ingenii, ſed varii, & in multa diſtracti. Multa animo concepit pro augendis ſcientiis, multa qvoqve ipſe invenit diſciplinarum ſubſidia; & in Mathematicis Chimicisqve qvædam ſingularia. Ita & in Didacticis nonnulla monuit Viros doctos, pro qvibus illi gratiæ debentur: atqve hoc ipſo libro ſuo, cujus uſus revera aliqvis eſt, gloriam meruit, qvod primus laborem eum ſuſceperit. Nam Dahlgarnus, Wilkinſius & Kircherus, poſt Beccherum ſcripſere; videturqve is nonnullis in locis indicare, ſe viam Kirchero ſtraviſſe: qvod & verum exiſtimo; qvanqvam aliâ Kircherus viâ incedat: facile enim eſt conſilio ſemel detecto, novam formam ſuperinducere. Neqve vero propterea contemnendum Kircheri artificium eſt; plane ad eum modum excogitatum, qvem ſuggeſſerat Ep. 109. P. 1. Carteſius: nec inutile illud conſilium, modo non operoſa negotia expedienda ſint: tunc enim labor moleſtus fiet. De dictionis elegantia hîc fruſtra laborabitur; talis enim epiſtola non concinnius ſcribetur, qvàm Latina oratio à Latinæ linguæ ignaro conſcribenda; de qvo invento gloriatur Kircherus, ſed tanqvam arcanum ſibi ſervat. Meminit ejus in libro ſuo de Arte Combinatoria. Similiter docet, in Arte ſua Muſica, cantilenam conficere beneficio cujusdam inſtrumenti illum, qvi Harmonicæ artis ignarus eſt. Verum in his inventis plus eſt ſubtilitatis, qvam utilitatis: parum ſane eſt, componere aliqvot verba ſecundum ordinem ab alio inſtitutum. Non hic hominis, ſed pſittaci, labor eſt. Utut enim oratio grammaticè compoſita ſit; utut cantilena nihil peccet adverſus harmoniam; ingenium tamen, judiciumqve ἡγεμονικὸν, qvod rem totam conficit, abeſt. Inveniri autem talia facile poterunt ad imitationem aliorum: dudum enim in iſtiusmodi cogitationes venerunt Viri aliqvot eruditi. Ceterum idem ferè, qvem Beccherus tenuit, modus eſt *Caramuelis* in Ap-

paratu Philoſophico p. 128. ubi de literis Sinicis agit. Pertinet qvoqve huc promiſſum *Andr. Mülleri* Greiffenhagii, Præpoſiti olim Berolinenſis, qvi in *Clave* ſuâ *Sinicâ*, tanto promiſſâ ſtrepitu, ope characterum Chinenſium (qvorum lectionem facilè, & facilius qvam ullius alius ſcripturæ, expediendam in ſe ſuſceperat,) mulierculas etiam & pueros, intra paucos dies, ſe docturum ſpopondit, ut nihil non integrorum contextuum, ex qvibuslibet libris, aliisqve congruè ſcriptis chartis, non Sinicè qvidem, ſed Latinè vel Germanicè, vel Anglicè, vel Gallicè, vel Belgicè, vel alias, legant. Verum & Clavis Sinica, & qvicqvid una cum ea promiſſum eſt, in fumum abiit, foco nimirum ab ipſomet Auctore moribundo injecta. Et ſanè, qvi linguam univerſalem moliuntur, in vanum omnes videntur laborare: nam lingua ab uno homine conficta, utut ſpecioſa & in rationibus philoſophicis fundata, nullum habet uſum niſi impetrari conſenſus poſſit. Imo & in characteribus excogitandis nemo hactenus ita felix fuit, ut ab aliis receptos ſuos viderit. Poſſibilem interea ſcripturam iſtiusmodi univerſalem eſſe, recte Becmannus judicat, l. ſæpius cit. idqve liqvere ait: *I. ex characteribus Chymicis, Aſtronomicis, Muſicis, Arithmeticis, &c. qvi ab omnibus Europæis æque intelliguntur, licet diverſis pro varietate linguarum verbis expresſi. II. Ex Chinenſium charactere, quem Chinenſes, Coreani, Japonii, Tonchinenſes & Conchinienſes æquè intelligunt, licet communi ſermone non participent. III. Quia gentes, licet verbis diſcrepent, conceptu rerum tamen conſentiunt: ſi igitur & charactere conſenſerint, qui res & conceptus, non autem verba, deſignet, non dubium eſt, quin, quod ſcribitur eo, omnes æque intellecturæ ſint.*

6\. Arti Scriptoriæ reſpondet *Typographia*, à Germanis inventa, qvicqvid contradicant Batavi, qvorum cauſam Marcus Zuerius Boxhornius Diſſert. ſingulari egit, Lugdun. Batav. An. 1640. in 4. edita; ſed qvos injuſtè ejus inventionem ſibi vendicare luculentis demonſtrat argumentis Gabr. Naudæus, in Additionibus ad Hiſtoriam Ludovici XI. Gallice ſcriptis, cap. 7. Pariſ. 1630. in 8. Idem agit ſingulari libro Bernh. à Mallincrot de ortu & progreſſu artis Typographicæ, Colon. Agr. 1640. in 4. Neqve invident Germanis eam gloriam Cl. Molinettus in ſuâ de Fatis Literarum Hiſtoriâ, ſupra jam à nobis laudatâ, qvi, è præfatione Epiſtolarum Hieronymi, Romæ 1467. impreſſarum, producit qvædam, ut Germanos, non Belgas ſanctæ, qvam vocat, artis inventores probet: Joh. de la Caille, typographus & bibliopola Pariſinus, qvi ſuæ arti illuſtrandæ integrum librum 1689. in 4. vernaculo ſermone dedit, inſcripſitqve: *Hiſtoire de l'Imprimerie & de la Librairie*: æqvè ac Molinettus, Joh. Guttenbergium, Argentoratenſem, (non Laur. Coſterum, neqve Joh. Mentelium, qvod aliis eruditorum videtur) primum typographiæ inventorem tradit. Ut jam taceamus *Adr. Bailletum*, qvi T. II. P. I. ſuorum Judiciorum (*Jugemens de Sçavans*) Germanis eandem laudatiſſimam artem acceptam fert, qvanqvam ejus expolitionem aliis nationibus tribui debere mox addat: & *Joh. Mabillonium*, qvi T. I. Muſæi Italici, ex Joh. Alerienſis epiſtola ad Paulum II., probat, Conradum & Arnoldum Germanos primos artem typographicam Romam invexiſſe: expleto ſic Cardinalis Nic. Cuſani voto, qvi id,

id, referente Molinetto, unicè ſemper optârat. (*d*) Certe omnibus elogiis atqve panegyricis digna illa ars eſt, qvam præfiguratam in Apocalypſi credidit MICH. STIFELIUS, celeberrimus ſui temporis Arithmeticus, ſub ſpecie eqvi, cui inſidebat ille,

 cui

(*d*) De Typographiæ Hiſtoria, præter allegatos *h l.* Autores, conſuli merentur: 1. Matthæi Judicis (qvi unus fuit e Centuriatoribus Magdeburgenſibus) *Liber de Typographia inventione, & de prælorum legitima Inſpectione*, Haffniæ An. 1566. in 8vo editus; 2. Andr. Rivini, Prof. Lipſienſis, Panegyrica Declamatio, qva Artis Typographicæ Initia, Progreſſus, Nobilitas & Utilitas ſumma, celebrantur, Scopuli Abuſionum devitandi indicantur, atqve ipſa Germanis ſuis Autoribus, ab Exterorum Criminibus, & ſuorum qvoqve Falſariorum Injuriis vindicatur, Lipſiæ A. 1640. habita, &, cum Notis Parallelis, in 4to excuſa; 3. Henr. Salmuthi, Syndici Ambergenſis, Commentarius ad Guil. Pancirolli Rerum Memorabilium, Deperditarum, vel recens inventarum, Partis II. Tit. XII. & Appendix peculiaris, ſub finem Partis II. (p. 310. 311 312. *Edit. Francof. An.* 1646.) adjecta; 4. Andreæ Chevillier, Doctoris & Bibliothecarii Sorbonici, *L'Origine de l'Imprimerie de Paris; Diſſertation Hiſtorique & Critique diviſée en quatre parties*, Paris 1695. in 4to, ut defectus, in Joh. Caillii Scripto ejusdem argumenti, *h. l.* memorato obvii, ſupplerentur publicata. Qvi uti Germanorum Cauſam contra Batavos, eorumqve Patronos, Boxhornium (h. l. allegatum,) Hadr. Junium (*Cap.* 17. *Bataviæ*) & Pet. Scriverium (in Comm. peculiar., qvem laudat, ac ſimul Elegos ejus Scazontesqve, pro Harlemenſibus ſcriptos, recitat Gotfr. Hegenitius in *Itinerario Friſio-Hollandico, p.* 89-97.) itidem maſcule agunt, ita dolendum, inter ipſos Germanos, de Artis hujus inventione, diſſidium ab Argentinenſibus eſſe excitatum, qvi non contenti Civi eam ſuo, Johanni Guttenbergio, Typographo Moguntino, omnium ferme tribui conſenſu, ut ipſi etiam Urbi ſuæ eandem, Moguntiæ ereptam, vindicarent, Joh. Mentelium, primum ejus Typographum, in Guttenbergii locum ſubſtituere non dubitarunt. Vid. hanc in rem D. Joh. Schmidii, Theologi Argentinenſis, Sermonem Sacrum Euchariſticum de Typographia, Argentorati A. 1440. inventa, Vernaculum, cum adjuncta Joh. Henr. Boecleri Or. ſeculari de Typographiæ, Argentorati inventæ divinitate & fatis (inter Orationes etiam Boeclerianas, *num* XI. *p.* 323-344., obvia,) illic A. 1641. in 4to. excuſum, & Jac. Mentelii, Prof. Medici Pariſienſis (qvi ab Argentinenſi illo Mentelio genus ſuum derivabat,) Parænefin ad Bernh. a Mallincrot, de vera Typographiæ Origine, Pariſiis An. 1650. in 4to editam. Verum ſolide, & illis Argentinenſium Patronis, & Henr. Salmuhto, inventionis gloriam ſoli Johanni Fauſto vindicanti, Guttenbergium autem ab ea excludenti, haud ita pridem eſt reſponſum a Viro Celeb., Wilh. Ern. Tenzelio, Ducum Saxoniæ Hiſtorico, im Diſcours von Erfindung der löblichen Buchdrückerkunſt in Deutſchland/ bey Gelegenheit ihres anſcheinenden fünfften Jubel-Jahres entworffen, qvi Gothæ Thuringorum An. 1700. in 12mo. prodiit. Librorum, primo poſt Inventionem Semiſeculo, ad A. usqve *Æræ* Chr. 1500. Artis hujus beneficio, Juris factorum publici, Catalogos exhibuerunt, e Bibliotheca Noribergenſi Joh. Saubertus Senior, in illius Hiſtoria (Norib. 1643. in 12o.) e Regia Pariſienſi Phil. Labbeus, in Novæ Bibliothecæ Librorum MSStorum, ſive Speciminis Antiqvarum lectionum qvadripartiti, Pariſiis An. 1653. in 4to editi, Supplemento IX., ex Auguſtana vero Publica Ant. Reiſerus, in peculiari Indicis Codicum illius

cui nomen erat, *Verbum Dei.* In libro illo Germanicâ linguâ edito, ſub titulo: Eine ſehr wunderbahrliche Wörterrechnung ſamt einigen Merckzahlen Danielis und der Offenbahrung Johannis 1553. Regiomonti. Operoſiſſime auctor numeros Propheticos per literas latinas explicans mirabiles inde ſenſus elicit, qvibus ipſe myſterii vim ineſſe perſuaſus eſt. Neqve ſane absqve labore & ingenio illa perfici potuêre. Ceterum eſt, qvæ ut alias artes plures, ita typographiam qvoqve multis, anteqvam Europæis innotuiſſet, ſeculis à ſe uſurpatam jactat, Aſiatica Serum ſive Sinarum gens. Certe mille & qvingentis annis eam apud illos eſſe antiqviorem Iſ. Voſſius capite de Artibus & Scientiis Sinarum, qvod eſt Variar. Obſ. XIV., refert. Neqve vero cum noſtra eadem omnino eſt. *Seres*, ait Voſſius, *non uti apud nos fieri ſolet, ſingulos ſuos characteres ſeparatis exprimunt formis: hoc enim apud illos commodè fieri non poteſt, propter immenſam characterum multitudinem: ſed ſingulas pagellas ſingulis inſculpunt tabellis ligneis, haud multum abſimili ratione, ac apud nos imagines æri aut ligno inſculpuntur, qvæ poſtea committuntur prælo. Hoc pacto efficiunt, ut vili pretio, minimo labore, & breviſſimo tempore, quorumvis librorum editionem abſolvant.* Diſpar igitur apud utrosqve artificium: Europæorum ſine dubio longe majus magisqve ingenioſum, qvicqvid contradicat Voſſius: qvanqvam Sinenſe forſan facilius fortunæ luſus evitet, & laborioſum multo minus ſit. *Siqvidem non multa, uti nos, ſimul excudunt exemplaria, ſed, ſi emptor acceſſerit, ſumtis tabellis, iisque atramento ſuo librario tinctis, & interpoſita ſingulis tabellis chartæ faſcia, centum vel plures aliquando pedes longa, unius vel duarum horarum ſpatio perficiunt editionem voluminis, quod, exemtis tabellis, ita complanatas habet oras, quantum vix habeant noſtri, qui cultris circumciduntur, libri.* Hæc iterum Voſſius, ingens Serum admirator: qvi hac una ratione optime typographorum jacturæ conſuli poſſe putat; cum noſtri nimiis impenſis haud raro bona omnia perdant, vana ſpe & inanibus promiſſis conſiſi. Addit inſuper, imitatos complures compendioſam Sinenſium typographiam, fruſtra tamen fuiſſe, qvod ſeu atramenti, ſive chartæ minus bibulæ, culpa factum ſit. Poſſet fortè concinnius minutis linguarumEuropæarum characteribus, qvæ ligno affabrè inſculpi vix poſſunt, culpa tribui. Sed qvicqvid demum ejus ſit, non ſane tam è re orbis literati eſt, ut compendiosè, qvàm ut emendatè, libri publicis typis exſcribantur: cum contra videas nihil minus vulgò in officinis typographicis attendi. Conqveſtus jam olim de illa typographorum, ſive ignorantiâ, ſeu avaritiâ, Henr. Stephanus in epiſtolâ ad qvosdam amicos eſt, qvam ſuæ de Vitis Stephanorum Diſſertationi Theod. Almelovenius ſubjecit: longe gravius adhuc in Qverimonia Artis Typographicæ, ibidem reperiunda ſtomachatus. Nempe correctioni typorum adhiberi

viros,

lius MSStorum, Auguſtæ An. 1675. in 4to impreſſi, Appendice. Recentiſſimus omnium, idemqve pleniſſimus, ſed haud ſatis accuratus, eſt, qvem ex indice Labbeano, aliisqve, congeſſit, & ſub *Incunabulorum Typographiæ* titulo, Amſtelod. An. 1688. in 12. edidit, Corn. a Beüghem, Bibliopola Embricenſis.

viros, 'qvi vix tria verba Latina, totidemqve Græca, norint; & his nobiliſſimos qvosqve utriusqve linguæ Scriptores committi: hoc vero nihil aliud eſſe, qvam furioſis gladios in manus tradere, multâ cum indignatione ſcribit Stephanus. Qvid diceret, ſi hodie noſtras officinas intraret? Longe aliter in domo patris Roberti Stephani, qvem unum omnibus fere omnium ætatum typographis anteponas, res agebatur. Decemviratum is qvendam literarium domi habuit, ex omnibus pene nationibus conflatum: horum præcipui correctorio munere fungebantur: ipſe tamen revidit omnia, proprio & accurato ſtudio libris à ſe editis conſulturus: imitatus nimirum, ſed & longo intervallo ſupergreſſus, Aldum, & qvi ante Aldum, vel eodem cum illo tempore, emendandis typis manum admoverant Marcum Muſurum, Janum Laſcarem, Demetrium Chalcocondylam, aliosqve viros iſtorum temporum ſummos. Uti vero hæc ad inſtitutum noſtrum nonniſi indirecte ſpectant, ita recenſendis eruditis typographis non immorabimur. (*e*) Satis nota ſunt nomina Jodoci Badii Aſcenſii; Mich. Vaſcoſani; Sebaſt. Gryphii, Adr. Turnebi; Mamerti Patiſſonii; Guilielmi & Claudii Federici Morellorum; Andr. Wecheli, Chriſtoph. Plantini, Johannis & Balth. Moretorum, trium Manutiorum, Franc. Raphelengii, Hub. Golzii, Andr. Turriſani, qvi ſocer Aldi fuit, & Federici, Andr. Filii Philippi & Bernardi Juntarum, Dan. Bombergi; Joh. Frobenii, Joh. Oporini, Joh. Amersbachii, Hier. Commelini, aliorumqve recentiorum, (ut ſunt Cramoiſii, Petiti, apud Anglos theatrum Scheldonianum; apud Batavos Elzevirii, Blavii &c.) qvi noſtros typographos penitus in ruborem dant: & utinam ita darent, ut de emendatione ſolliciti imitandos, ut Batavi ſibi antiqvos ſumerent. Alia illorum qverela eſt, qvi tot futiles & nullius pretii libros obtrudi mundo per typographos indignantur; certè neutiqvam ſpernendi. Neqve vero qvis propterea damnandam artem egregiam cenſuerit: cum nihil tam bonum ſit, cui non vitio hominum mali qvid admiſceatur. Legi ea de re meretur *Nicolaus Francus*, elegantis ingenii homo, ſed qvi ob Satyras tandem furcæ ſupplicio periit, in tractatu Italo *Utile e Danno delle Stampe*.

CAP. III.

DE LINGVA UNIVERSALI ET PRIMÆVA, ALIAQVE DE LINGVIS GENERALIORA.

§. 1. *AN Lingua olim Univerſalis exſtiterit, & an ea fuerit Hebræa, Franc. Merc. Helmontii Delineatio Alphabeti Naturalis Hebraici exploſa.* 2. *Joh. Webbius Chinenſem primævam fuiſſe ſtatuit, de cujus genio complura afferuntur.* 3. *Georg. Stiernhelmius & Ol. Rudbeckius Svecicam, Cl. Salmaſius M. Z. Boxhornius & Phil.*

(*e*) Typographos Eruditos, *h. l.* enumeratos, aliosqve plures, paulo fuſius celebrat Bernh. a Mallincrot, Decanus Monaſterienſis *in Diſſ. de Artis Typographicæ Ortu & Progreſſu*, *cap.* 14. 15. 16., p. 91 - 106.

Phil. Cluverius, hujus, aliarumque modernarum, Matrem, Scythicam ſive Celticam. Ad. Boboritzii de Slavonica Liber commendatur. 4. *In aſſerendo Belgicæ, ſive Cimbricæ, Primatu Conatus Abr. Mylii laude, Joh. autem Goropii Becani & Adr. Schrieckii riſu & exſibilatione digni.* 5. *Jac. Hugonis abſurdi pro Latina, & in Romæ Italiæque Originibus veſtigandis, Labores, ſimilesque Joh. Pet. Erici, in primævæ Dignitate Linguæ Græcæ vindicanda.* 6. *De Besnierii Jeſuitæ Reunione, quam vocat, Linguarum per Latinam, & Conatibus Variorum in Lingua Univerſali excogitanda fruſtraneis, judicatur.* 7. *Scriptores de Linguarum Natura & Attributis, in genere: Henr. Schævius, Ath. Kircherus, Ol. Borrichius.* 8. *Scriptores de Linguarum Harmonia, Thom. Hayne, Guilh. Lamplugh, Chriſt. Nirmuthanus, Georg. Cruciger.* 9. *Conr. Geſnerus, Sigism. Gelenius, Mer. Caſaubonus, Steph. Skinnerus.* 10. *Scriptores Hiſtoriæ Linguarum, Claud. Duretus, Edv. Brerewod, Theod. Bibliander, Joſ. Scaliger, &c.*

1 QVemadmodum in ſuperiori capite Auctores nonnullos recenſuimus, qvi characterem univerſalem ad intelligendas omnes totius univerſi linguas commenti ſunt: ita eorundem nonnulli partim, partim & alii qvidam, cogitare cœperunt, annon aliqva analogia vocum ratione ſoni cum re ſignificata naturalis ſit, unde lingua naturalis vel extiterit olim, vel inveſtigari etiamnum denuo poſſit. Olim qvidem univerſalem iſtiusmodi linguam extitiſſe apud veteres adeo conſtanter creditum eſt, ut, obſervante Bocharto *Geograph. S. P. I. l. I. c. XV.* Euſebius & Joſephus, & cum his gentiles etiam Scriptores, Sibylla & Abydenus, diro certo tradiderint: qvin & Plato tàm perſuaſus ea de re erat, ut brutis qvoqve communem fuiſſe linguam illam fabularetur. Sed qvænam tamen fuerit ea lingua, non una omnium mens eſt, aliis Hebræam, aliis veterem aliam, aliis demum novam aliqvam ex omnibus collectam, pro univerſali lingua venditantibus. De *Hebraicæ linguæ primatu* controverſiam inter Philologos tantis conatibus agitatam non movebo. Notum eſt, multos magni nominis Viros Hebræam, qvâ ſcripti S. Codicis V. T. libri ſunt, primam omnium aſſerere atqve univerſalem; è qvibus Bochartum & Buxtorffios nominaſſe ſat eſt. Longius adhuc progreſſus FRANC. MERCURIUS HELMONTIUS in *Libello*, qvem *Alphabeti vere naturalis Hebraici delineationem* inſcripſit, Annoqve 1657. Sulzbaci in 12. edidit, demonſtrare anniſus eſt, Hebræam linguam adeo eſſe naturalem, ut characteres ejus hominibus velut connati ſint: & hæc ſomnia ſua ut evidentius ob oculos poneret, delineationem qvaſi anatomicam exhibet figurarum, qvas organa loqvelæ deſtinata faciunt, cum ſonus alicujus literæ effertur; eamqve figuram cum characteribus Hebraicis convenire vult. Verum & libellus ipſe miris ineptiis, ac plus qvam Cabbaliſticis nugis refertus eſt, & imagines, qvas inciſas æri adjecit, jure dicas *ægroti veteris meditantis ſomnia myſtæ.* Neqve vero viciſſim deſunt, qvibus omne id diſplicet, qvod de Hebræâ linguâ aſſeritur, & interiiſſe prorſus lingua prima hominis, eademqve univerſalis, exiſtimatur, ita ut nonniſi tenues reliqviæ, hinc illinc è linguis ſuper-

ſuperſtitibus hauriendæ, ſuperſint. Gregorius Nyſſenus in ea, qvam ſupra allegavi, Or. XII. adverſus Eunomium, Hebræam linguam demum in Ægypto ſingulari miraculo Dei natam, parum ſane veriſimiliter, credit: hinc & à Simonio deſertus. Jos. SCALIGER *Epiſt. 362. ad Steph. Ubertum* Phœniciam potius appellandam cenſet linguam, qvam Hebræam vulgo vocamus, qvippe qvam Abrahamus (transeuphratenſis dictus) à Phœnicibus didicerit: hos vero nativum linguæ primigeniæ florem atqve nitorem etiam tum propter rarum exterarum gentium appulſum ad eos tractus (anteqvam Sidonii Tyriiqve maris imperium obtinerent, non exploratos) ſervaſſe integrum, Scaliger conjectat; cum in regione Aſſyriæ, in qva nata primi hominis lingua eſt, ob innumera gentium commercia, crebrasqve imperiorum mutationes, florem iſtum diu retinere non potuiſſet. Falluntur itaqve, qvi hanc Scaligeri epiſtolam à vulgari opinione diſſidere, & Hebrææ, qva ſcriptus eſt S. Codex, linguæ primigeniam vetuſtatem dubiam reddere ſuſpicantur. Grotium verò, Capellum, aliosqve plures Viros doctos, id facere è Philologorum ſacrorum libris abundè patet; qveis litem iſtam dirimendam relinqvimus.

Dum vero ad alios pergimus ſimilis controverſiæ tractatores; primò ſe nobis 2
JOHANNES WEBBE offert, Anglus homo, qvi edito peculiari libro, Anglicâ linguâ ſcripto, *Sinenſium linguæ* primam antiqvitatem adſtructum ivit: *Hiſtorical Eſſay, that the Language of China is the primitive language*, *Lond.* 1669. in 8. Argumenta ejus præcipua ſunt, qvod terra illa fuerit inhabitata ante exſtructionem turris Babylonicæ; & qvod ejus incolæ linguam ſuam, ſimplicisſimam longe, ſemper pertinaciſſimè ſervârint, peregrinis gentibus non immixti. Atqve id verum omnino eſt; ſunt enim nonnulla ſingularia ejus linguæ, qvæ in aliis non deprehendas: tota enim lingua muſica eſt, & ex accentu vario ſignificationes ſuas ſæpe accipit una aliqva vox; qvæ ratio eſt, qvod ſit omnium difficillima. An vero hinc ſeqvatur, omnium eſſe primam, aliis judicandum permitto. Certe prima hujus gentis exordia, æqvè ac ceterarum, fabulis permixta ſunt, ut itaqve argumentum illinc peti non poſſit. Poteſt & innata qvædam genti alicui ad certum ſonum inclinatio ita corrumpere linguam ex aliis deductam, ut ægre ejus origo appareat. Gutturales & naſales literæ dominantur in hac lingua (ut hoc obiter addamus), & ſecundum illarum pronuntiationem tota etiam lingua inflectenda eſt. Totam ejus fabricam ANDR. MÜLLERUS, ipſe qvamvis imperitus illius, demonſtrare ac docere alios voluit, uti ſupra monitum jam eſt: ediditqve *Inventum Brandeburgicum* atqve *Propoſitionem ad Clavem ſuam Sinicam*; qvo libello è Kirchero aliisqve extraxit nonnulla, qvæ ad eam linguam ſpectant.

Suedicæ, ſeu *Scythicæ* potius antiqvæ linguæ, (qvam cum Suedica eandem facit) primævam antiqvitatem aſſertum ibat GEORGIUS STIERNHIELM, nobilis Suecus, 3
Vir in patria antiqvitate verſatiſſimus. Meditabatur ille, ſi diutius vixiſſet, *Runam Sueticam*, magnum lexicon univerſale, qvo demonſtrare ſibi propoſuerat a, linguam Scythicam omnium eſſe primam, reliqvasqve linguas ex hac una ortas, tqve hujus eſſe dialectos. Eqvidem de toto opere judicium ferri non poteſt, cum nihil auctor

publi-

publicarit, niſi ſynopſin qvandam capitum, ideam magni operis proponentem; qvam, prout in manus meas venerat, ob argumenti dignitatem, & memoriam auctoris, totam meo *de lingua Germanica* commentario inſerendam curavi: Nec vero ipſum Opus abſolutum eſt; neqve etiam ſchedæ hujus argumenti poſt Stiernhelmii mortem inventæ digeri à qvoqvam potuêre: poteſt tamen ex ejus Gloſſario Ulphila-Gothico qvod prodiit, & ad Gothicæ linguæ illuſtrationem non parum facit, multum ejus peritiæ hauriri. (*f*) Plura de hoc Auctore loco allegato videri poſſunt: ubi & Olaum Rudbeckium, Virum clariſſimum laudamus, qvi in *Atlantica* ſua, &, qvod iſtam ſecutum eſt, *Lexico*, (*g*) antiqvitates Sueo-Gothicæ linguæ & gentis ſummo ſtudio perſecutus eſt: ſuperaſſe etiam cenſendus Stiernhelmium: cujus *diſſertationem de Linguarum Origine*, aliamqve *de Scandia, antiquorum Gothorum ſede, contra Cluverium*, prodiiſſe ex aliorum allegatione comperimus. Qvæ Sueticæ proxime accedit Linguam *Runicam* variis ſcriptis Olaus Wormius illuſtravit: editis *Monumentis Danicis*, & *Literatura Runica*, (*h*) *una cum Lexico ejus linguæ*, adjecta qvoqve *diſſertatione de priſca Danorum Poëſi*: *Hafn.* 1651. in fol. Verum Sueci controverſiam illi movent, ac ſi plurima à Sueco qvodam, Joh. Buræo, habuerit, qvæ ad ejus libri ſtructuram pertinent. Magna enim eſt apud Suecos copia lapidum ſepulchralium, qvibus illi characteres inſcripti ſunt; in qvibus interpretandis & in lucem protrahendis diligen-

(*f*) Runæ Georg. Stiernhelmii Sveticæ Synopſin verbotenus Tractatui ſuo de Lingua & Poëſi Germanica Vernaculo, Kilonii A. 1682. edito, *P. I. c* 1. *p.* 11-18. Morhofius noſter inſeruit. Gloſſarium Ulphilano-Gothicum ejusdem Autoris ab eo cum ipſa Ulphilæ Verſione IV. Evangeliorum Gothica, Holmiæ An. 1671. in 4. eſt editum, Diſſ. autem de linguarum Origine eidem Ulphilæ Editioni, Præfationis inſtar, præfixa. Anti Cluverius, ſeu Tractatus, Gentis Gothicæ Originem, & antiqviſſimam in Scandia Sedem, contra Phil. Cluverii Germaniam Antiqvam vindicans, tum adjecta Diſſ. de Hyperboreis, poſt mortem demum Stiernhelmii Autoris, Holmiæ A. 1685. in 8vo. prodiit, & *in Actis Erud. Lipſ. M. Jan. A.* 1686. *p.* 32. 33. fuſius eſt recenſitus. De his aliisqve Viri illius Eruditi Laboribus, editis atqve ineditis, V. Joh. Schefferi, *Sueciam Literatam p.* 178. 179. 180. & noſtra ad illam *Hypomnemata* (in qvibus etiam Hypotheſin ejus, & Aſſeclarum, de Lingua Suecica muſteam paucis notavimus) *p.* 401-404.

(*g*) *Lexicon*, qvod Olao Rudbeckio *h. l.* Morhofius, ſive interpolator Laborum ejus tribuit, *Linguæ Veteris Scytho Scandicæ*, ab eo qvidem Upſaliæ A. 1691. eſt editum, ſed Autorem agnoſcit alium, Olaum, ſc. Verelium, Linguæ Gothicæ in Acad. Upſalienſi Profeſſorem, de qvo, uti & ipſo Rudbeckio *Atlantica*, Operis (cujus jam tres Tomi prodiere) decantatisſimi, Autore Inclyto, nec non utriusqve nimio in gentem ac Linguam ſuam affectu, *Hypomnemata* noſtra *ad Scheff. p.* 405-410. 413-423. de Collegio autem antiqvitatum in Svecia Regio Prolegomena, univerſæ *Septentrionis Eruditi Bibliothecæ* à nobis præmiſſa, §. 38. 53. poſſunt conſuli.

(*h*) Qvid de Svecorum contra Ol. Wormii de Literatura Runica labores, in qvos multa è Joh. Buræi ſui Scriptis ſimilis Argumenti tranſlata eſſe cum Rudbeckio opinantur, Criminationibus ſit judicandum, *in Hypomn. ad Scheff. p.* 375. expoſuimus.

diligentiſſima Sueca natio eſt: cui fini peculiare etiam Collegium Antiqvitatum & linguarum ſeptentrionalium apud illos inſtitutum eſt. Sane multa adhuc latere circa Scythicam magnam linguam, ejusqve propagines Gothicam, Suecicam, Germanicam, eruenda, Viri doctiſſimi dudum agnovere. *Salmaſius in Helleniſtica P. II. c. 2. p. 366*, Græculorum inanem in jactitanda antiqvitate faſtum retundens, *Nulla*, inqvit, *Europæ fere gens, nec Aſiæ, quin à Septentrione promanaverit. Inde propagines profectæ populorum, quibus Europæ Aſiæque pleræque partes conſitæ fuerunt. Scythia igitur, quæ ad ſeptentrionem omnes ferme gentes evomuit cum ſuis linguis, quæ Europam & Aſiam inundarunt. Ut autem vaſtiſſima illa Scytharum regio fuit, & late porrecta ad Orientem & Occidentem, verſus Meridiem eructando varias hinc in Europa, inde in Aſia, produxit gentes.* Idem alibi prærogativam linguæ Germanicæ præ Græcâ & Latinâ paſſim, qvod antiqvitatem attinet, concedit, à doctiſſimo Joh. Elichmanno ſuo, ut videtur, multis rationibus, linguarumqve oſtenſis cognationibus, perſuaſus. Hinc illi Σκύϑης, Γέτης & Γότϑος idem eſt: homonymi qvoqve Δᾶοι, Δάαι, Δάσαι, Δάκοι, & poſtremo Dani, exiſtimantur. Eodem tempore MARC. ZUER. BOXHORNIUS ſimile qvid de lingua Scythica in animo habens, qvale Salmaſio in mentem venerat, antiqvitatem ejus & primatum integris libris aſſerere moliebatur. Verum immortuus labori eſt; comparuitqve poſt ejus obitum imperfectus *Originum Gallicarum* liber, cui additum fuit *Lexicon antiquæ Linguæ Britannicæ, Britannico-Latinum*: editus eſt Amſtelod. 1654. in 4., & habet utiqve multa præclara magni Operis initia: repetuntur ibi etiam, qvæ libellis peculiaribus antea editis ſeorſim Boxhornius tractaverat: ut in libello de Dea Nehalenia, cujus ſimulacrum aliqvo in loco effoſſum nonnullorum qvæſtionibus de vetuſtate linguæ antiqvæ Scythicæ anſam dedit. Edidit præterea *diſſertatiunculam de Græcorum, Romanorum & Germanorum linguis, earumque ſymphonia*, Mallincrotio, Harsdœrffero & Buchnero, inſcriptam, qvæ addita eſt Grammaticæ Regiæ, qvæ pro Regina Sueciæ, Chriſtina, à Johanne Matthia, Epiſc. Strengnenſi, edita eſt Lugd. Bat. 1650. in 12. ſed ſyllabus ille vocabulorum harmonicus occurrit & in Originibus Gallicis. Gallicas autem Origines librum illum Boxhornius vocavit ob Celtas, antiqvos Galliæ populos, è Scytharum propagine oriundos: & qvorum ramus cum lingua in Belgium qvoqve penetravit. Scripſit de convenientia priſci Gallorum ſermonis cum Phœnicum lingua Caput, Vir omnes fere alios in hoc eruditionis genere ſupergreſſus, SAMUEL BOCHARTUS, Geographiæ ſuæ Sacræ P. II. l. 1. inſertum, p. 42., in qvo è nominibus Deorum, dignitatum, officiorum, rerum bellicarum, veſtium, animalium, plantarum, Geographicis tandem chorographicisqve vocabulis, iſtam cognationem magno vaſtæ doctrinæ apparatu oſtendit, ſimul datâ occaſione vocum Anglicarum, Germanicarum, Suecicarum, analogiam addens. Multum qvoqve illi Celticæ linguæ PHIL. CLUVERIUS tribuit *German. Antiq.* lib. I., eamqve per maximam Europæ partem, Hiſpaniam nempe, Germaniam, Galliam, inſulasqve Britannicas & Illyricum, longe lateqve diffuſam fuiſſe, integris aliqvot prolixis capitibus demonſtrare nititur. Qvod dum refert *Lambecius l. 1. Biblioth. Vindob. p. 92.* ſimul

ſe de illa re ex profeſſo in Prolegomenis Annalium Auſtriacorum acturum ſpondet: neqve ſolum, qvæ ex Tacito aliisqve auctoribus colligi loca poſſint, ſedulo congeſturum, verum &, qvæ à Cluverio, ut & à Wolffg. Lazio de Migr. Gent. l. IV., à Conr. Geſnero in Mithridate, aliisqve recentioribus auctoribus, eo de argumento ſcripta ſint, accurate examinaturum. Uti vero ſpes omnis de juſto Lambecii Opere cum tot aliis penitus dudum decollavit: ita contenti ſimus oportet Auctore, qvem ipſe in anteceſſum laudat, ut ad hanc materiam ſolide pertractandam plurimum profuturum: nimirum ADAMI BOHORIZI *Arcticis Horulis ſucciſivis de Latino-Carniolana literatura, ad Latinæ linguæ analogiam accommodata*; *Witteb.* 1584. *in* 8. editis: hoc enim libello, tanqvam linguæ Slavonicæ Grammatica, non tantum Moſcoviticæ, Rutenicæ, Polonicæ, Bohemicæ & Luſaticæ linguæ cum Dalmatica & Croatica cognationem indicari memorat: ſed & ipſam orthographiam, tàm Cyrillicam ſeu Moſcoviticam (qva, præter Janizaros Boſnenſes, Ruteni atqve Moſcovitæ utuntur), qvàm Glagoviticam ſeu Croaticam, ſynopticis aliqvot tabellis comprehendi.

4 Enimvero, ne nimis evager, nunc in orbitam redeundum eſt, &, qvicqvid de antiqvitate linguæ Scythicæ Celticæve dictum hactenus fuit, cum ABRAHAMO MYLIO, viro doctiſſimo, ita intelligendum, ut Hebrææ cedat. Habemus Viri hujus *de Linguæ Belgicæ cum aliis linguis communitate* librum magna cura elaboratum, editumqve *Lugd. Bat.* 1612. in 4. in qvo de antiqvitate linguæ iſtius, ejus convenientia cum Latina, Græca, Perſica; deqve illius convenientiæ cauſis: tum de linguæ Belgicæ origine, & latiſſima per nationes qvamplurimas diffuſione, erudite & cum judicio agit: argumentisqve, ut mihi qvidem videtur, ſolidis, linguæ illius prærogativam præ Latina & Græca ſufficientiſſime demonſtrat. Editi præterea ſunt aliqvot iſtius Auctoris libri poſthumi *de Migratione Populorum*, & *Origine Animalium*; ſed imperfecti in 12. Non ita ſobrie eruditève rem pertractarunt JOH. GOROPIUS BECANUS; & ADRIANUS SCHRIECKIUS, Rodornius. De illo Scaliger dicebat, mirari ſe, eſſe homines, qvi qvicqvid ſomniarent, pro oraculis haberi vellent. Et ſane haud immerito. Namqve is novam plane atqve inauditam hactenus, ſimul tamen & ridiculam omnino ſententiam nugacemqve, protulit de primatu linguæ Cimbricæ (ita enim Belgicam ſuam vocat), à qva & Hebræam, & linguas omnes ceteras, defluxiſſe exiſtimat. Fateor, aliqvis huic viro fuit in illo argumento ſenſus: nam antiqvitas iſtius linguæ, ut omnis Germanicæ, Græcâ & Latinâ ſuperior eſt: ſed in rationibus & in cauſis hujus ſui argumenti deducendis enthuſiaſta plane & fanaticus eſt. Mirabiles ac ridendæ occurrunt apud ipſum ineptiæ, ſæpe ultra cabaliſticas Rabbinorum ſubtilitates argutæ: cujus exemplum eſt, cum de vocibus Mann & Nam philoſophatur, qvaſi ſcilicet in ipſo hominis nomine Cimbrico æterni qvoqve τȣ λόγȣ nomen ſit reconditum: ſed infinita apud illum ſunt talia, qvæ admiratores aliqvos, plures deriſores, inveniunt. Non negari tamen poteſt, primum illum veniſſe in has cogitationes non omni ſui parte abſurdas: ac habentur apud illum argumenta pro antiqvitate linguæ Germanicæ non contemnenda. Sed ineptias viri non probo; qvalis illa eſt;

cum

cum ex alphabeto ſuo Hebraico, è Cimbrica tamen lingua conſtipato, concinnat cujusdam orationis genus, qva Deo commendat præceptor ſuos diſcipulos. Hiſce talibus argutiis ille totos libros implet; qveis ſi qvis indulgere velit, omnium linguarum cognationem facile oſtendet, & omnium inter ſe vocum affinitatem demonſtrabit. Si enim licitum eſt, pro lubitu voces contrahere, divellere, ac analogiſmos & compoſita fingere, ex albo atrum, & ex atro album efficiemus. Libri, qvos edidit eam in rem Becanus, vaſti in folio ſunt, impreſſiqve Antvverpiæ omnes 1569. & 1580. *Origines Antwerpianæ: Hieroglyphica, Hermathenc, Vertumnus, Gallica, Francica, Hiſpanica, Indo-Scythica:* Videatur de iis judicium *Scaligeri ad Velſerum Epiſt.* 146. & Juſti Lipſii Epiſt. 44. Centur. III. ad Belgas. Goropio Becano aliqvanto ſanior eſt, qvem comitem ſupra illi addebamus, ADR. SCHRIECKIUS. Is Hebræam qvidem linguam primigeniam agnoſcit, & in Becanum aliter ſentientem invehitur: ſed ipſe neſcio qvam cerebrinam linguam Hebræam comminiſcitur, cujus cum Celtica, ut prima ejus propagine, convenientiam ineptis alluſionibus, qvæ Becanianis nihil ſtultitia concedunt, paſſim jactat: ex Celtica vero illa omnium linguarum, populorum ac nationum, primordia deducit. Scripſit *Originum Celticarum libros XXIII. Ypris Flandriæ editos* 1614. *in fol.* in qvibus, ſi originationes ineptas ſegreges, bona multa ſunt: Poſt Origines *Monitoria* concinnavit *prima & ſecunda*, *ibid.* 1615. luci expoſita.

Major adhuc longe inſania eſt JACOBI HUGONIS, Belgæ Inſulenſis, qvi li- 5
brum ſcripſit ultra omnia Becaniana & Schriekiana deliria abſurdum, cui titulum fecit magni apparatus & pompæ: *Vera Hiſtoria Romana, ſeu Origines Italiæ ac Romæ, ad hunc diem ignotæ.* (i) At vero μετὰ πολλῆς φαντασίας in hoc famæ theatrum irruens iſtud Horatianum, ſi qvis alius, lectoribus occinendum meret: *Spectatum admiſſi riſum teneatis amici.* Qvantum enim eſt in titulo venditare originem Latii, Italiæ, Romæ, ante hanc diem ignotam, è tenebris longæ vetuſtatis in lucem productam: qvaſi primordia Europæ & Latii primævi Annales demonſtrârit? cum interim nihil aliud agat, qvàm qvod Latinam linguam facit Japheticam & generales aliqvas ſibi ſyllabas fingit, unde phrenetica qvadam licentia voces Hebræas, Græcas, Latinasqve deducit; ut mirum ſit, in tantas ineptias hominem ſanæ mentis incidere potuiſſe: multa ibi de Japheti in Italiam adventu, multa de Æneæ ac Trojanorum appulſu in typum facit. Verum ipſe titulus, & imagines Operi præfixæ, oſtendunt argumenti abſurditatem. Nihilominus, ut eo illuſtrius eſſet ſcriptum, ipſimet Pontifici Rom., Alexandro VII., nuncupatum, Romæ A. 1655. in fol. prodiit. Bene tamen Cenſores addiderunt, rerum, qvæ in illo libro tractantur, fidem penes ipſum Auctorem eſſe debere.

(i) Jac. Hugonis Etymologias ineptiſſimas, Nugasqve reliqvas Hiſtorico-Typicas, qvas *non ſani eſſe hominis non ſanus juret Oreſtes,* fuſius recenſuit. &, prout par erat, exploſit, Eberh. Rud. Rohtius, Gymnaſii patrii Ulmenſis Profeſſor, in Diſſ. peculiari de Bello Trojano, illi oppoſita, ac Jenæ A. 1672. edita. Conf. de iisdem Matth. Zimmermanni *Analecta Menſtrua, M. I. num.* 34. *p.* 41. 42. 43.

bere. Non felicior in aſſerendo Græcæ linguæ radicali primatu fuit JOH. PET. ERICUS, cujus jam ſupra mentio aliqva injecta eſt, in *Principio Philologico.* (*k*) Qvis enim ferat hominem Moſis nomen ἀπὸ τȢ μόσχȢ deducentem: qvaſi, ob tuberculos in fronte prominentes, ſic dictus ſit; & hinc occaſionem captârit Aaron, in Moſis abſentia, vitulum erigendi? Qvis Adamum qvaſi ἄδημον, peregrinantem atqve è Paradiſo exulem, vocatum: Cainum ab ἀκεανὸς, leguminum genere Deo oblato, dictum, etiam ſomnians ſibi imaginari qveat? Interim ſibi multum placet Auctor, & grandi Opere *de omnium vocabulorum Europæorum originibus* idem ſe demonſtraturum minatur.

6 Aliam, ſed prudentiorem viam, in eligenda præ ceteris Latina lingua trivit BESNIERIUS qvidam, Jeſuita Gallus, qvi vernacula ſua lingua tractatum ſcripſit, cui titulus: *La reunion des langues: ou' l'art de les apprendre tous par une ſeule* 1674. in 12. Duxit in hoc opuſculo lineamenta qvædam magni Operis, qvo, prout ſub una lingua omnes diſci poſſint, monſtrare moliebatur. Elegit vero Latinam linguam pro regula omnium reliqvarum: principia poſuit ſolum generaliſſima, ſpecialiora ſecum retinuit; qvæ ſi ſecundum ſua principia adornare vellet, perfectiſſimam habere deberet omnium gentium æqve & linguarum notitiam, qvæ an in unum hominem cadere poſſit, judicent alii. Ego certe, uti regulas ejus & principia ſpernenda non duco, ſed ſatis ingenioſe excogitata exiſtimo; ita tamen an res perfici poſſit ipſo exercitio, de eo dubitare auſim. Poſſunt utiqve principia mutationum in linguis ratione dialectorum, ratione temporum, ratione vocalium & conſonantium, deniqve ratione organorum, qvaſi in idea proponi, & propoſita dudum ab aliis ſunt: aſt vero ad individua & ad praxin ipſam deſcendere hoc opus, hic labor eſt. Præterea vix credo, linguam Latinam huic negotio aptam eſſe, ut qvæ omnium linguarum una cum Græca artificioſiſſima eſt, & à naturali via recedit. Facilis vero redderetur hac ratione, ſi qvidem Besnierii aliusve ſimilis conatus procederet, via ad univerſalem linguam, cujus reductionem aliqvando futuram *Phil. Cluverius in Germania antiqva* ſperat: & de qva ſua exponit deſideria J. AMOSUS COMENIUS in *Via Lucis*: ubi de univerſalibus libris, univerſali ſchola & univerſali lingua, multa habentur. Promiſit & PETRUS BORELLUS in Catalogo operum edendorum, qvem addidit *libro de Antiquitatibus Gallicis*, Gallice Pariſ. 1667. in 4. ſcripto, *tractatum de Lingua univerſali*: à qvo tamen, ſi è ceteris ejus ſcriptis augurari licet, non admodum præclara poſſunt ſperari.

7 Ægre, ut jam ſemel monuimus, à qvoqvam homine tale qvid expectari poteſt:

(*k*) Plures ineptias Philologicas Joh. Petri Erici, Iſenacenſis Thuringi, Ling. & Geogr. Prof. Patavini, dum de Primo Signorum, Punctorum, Literarum, Numerorum ac Linguarum, Ortu, tum de vocum omnium Europæarum, imo & Hebræarum, aliarumqve, è Græcia Originibus, ex *Principio* ejus *Philologico è Myſterio renato*, Majoris operis prodromo Patavii A. 1686. in 8vo edito, exceptas, exemplisqve plane ridiculis illuſtratas, invenies *in Actis Erud. Lipſienſibus, M. Jul. A.* 1686. *p.* 327-330.

eſt: fruſtranei potius ſunt conatus omnes. Non vero eorum æqve, qvi vel generaliter de linguis agunt, earumqve naturam examinant: vel hiſtoriam earundem exponunt: vel harmoniam. HENR. SCHÆVIUS, Vir doctiſſimus, Profeſſor qvondam Gymnaſii Stetinenſis, primus ex iis, qvi de linguis generatim egere, prodeat: Scripſit nimirum *Diſſertationes Philologicas de origine linguarum & quibusdam earum attributis*; *Stetin. in 4.* qvi liber rarior eſt, cum pauca ejus exemplaria excuſa ſint. Decem vero diſſertationes de hoc argumento ſunt, ſelectæ omnes, & cum cura expenſæ. Erat enim Vir ingenioſiſſimus, & in his rebus accurate doctus. Diſſertationibus Schævianis brevem addimus diſſertatiunculam, ſed doctam & argutam, viri eruditiſſimi OLAI BORRICHII, Medici Hafnienſis, *de cauſis diverſitatis linguarum*, Hafn. in 4. 1675. editam: in qva de cauſis linguarum ex ipſa earundem natura, ex conformatione organorum, & natura gentium, judicat. Non æqve felix ATHAN. KIRCHERUS operoſum pro more ſuo de hoc argumento librum conſcripſit, inſcripſitqve *Turrim Babel*, in fol. 1679. plenum iconibus: ſed in qvo parum invenias, qvod ad rem ipſam pertinet. Nam hiſtoria linguarum ſatis tenuiter tractatur, cum tractari hoc loco qvam copioſiſſimè deberet. De lingua Germanica, ut hoc exempli loco proferam, non ſatis ſincerum fert judicium, & raro vias novas aperit, ubi non habuit anteceſſores.

THOMAS HAYNE, Oxonienſis Anglus, ſcripſit *de Linguarum Harmonia*, ſeu de lingua in genere, & de variarum linguarum cognatione, diſſertationes, Lond. 1648. in 8. editas: qvo ille libello per propoſitiones certas argumentum hoc tractat, & principia nonnunqvam ponit, ſecundum qvæ inſtituenda ſit illa linguarum inter ſe cognatio, derivatio, mutatio, in qvarum cauſis inveniendis admodum diligens ille Auctor eſt. Conſilium ejus eſt, lexicon aliqvod harmonicum univerſale inſtituere, cujus adornandi præcepta tradit, illudqve commendat in pleniorem linguæ Hebraicæ cognitionem, qvippe cui primatum abſqve ulla hæſitatione defert. Non damno viri inſtitutum, cujus utilitates multas ipſe recenſet: inprimis uſui eſt in originationibus correctioribus. Verum, qvod ad pleniorem linguæ Hebraicæ cognitionem talem operam reqvirat, in eo videtur aliqvantulum ſuæ opinioni indulgere. Teſtatur inter alia idem Vir doctus, aſſervari in Bibliotheca Oxonienſi MSS. Opus *Guilielmi Lamplugh*, Angli, qvo vocabula Latina, Græca, Anglica, cum Hebraicis vocibus conferantur. Scripſit ante Haynium tale *Dictionarium Harmonicum*, Francof. 1615. fol. impreſſum CHRISTIANUS NIRMUTHANUS, in qvo harmoniam linguæ Latinæ cum Græcâ, Gallicâ & Italicâ, oſtendit, & in præfatione operis utiliſſimas regulas ſubminiſtrat de mutatione & permutatione literarum. Simile inſtitutum tenuit GEORGIUS CRUCIGER, qvi *Harmoniam Græcæ, Latinæ & Germanicæ linguæ* edidit, vocibus per tabularum ſchematiſmos diſpoſitis, qvod molem libri vehementer auget. Editus eſt ille liber Francof. 1616. fol. eam ſolum ob cauſam ſcriptus, ut oſtenderet Auctor, linguas illas ab Hebræa derivari: qvod ut efficiat, mire torqvet tùm Hebræas, tùm aliarum linguarum voces.

9 Longe minor, qvoad molem libri, *Mithridates* CONR. GESNERI eſt, in qvo de differentiis linguarum agit, tùm veterum, tùm earum, qvæ hodie apud nationes diverſas in toto terrarum orbe in uſu ſunt. Nimirum ut in omni ſtudiorum genere ſe exſeruit Viri hujus diligentia, ita in hoc qvoqve doctrinam ſuam & induſtriam oſtendit. Libellus exiguus eſt, & pauca ſolum de illo argumento delibat, cum nimis vaſtum ſit de differentiis omnium linguarum diſſerere: eſt tamen elegans variarum obſervationum eam in rem factarum, qvaſi tot nucleorum, collectio. Editio prima prodiit Tiguri 1555. in 8., poſt id tempus auctior variis exemplis, & qvibusdam notis, in lucem emiſſa per Caſp. Waſerum. Gesnero alium addimus æqve celebrem ſuperioris ſeculi Virum, SIGISMUNDUM GELENIUM, qvi præter alia, qveis innotuit orbi erudito, *Lexicon*, ut vocat, *Symphonicum*, Baſil. 1537. in 4. edi curavit, in qvo vocabulorum Latinorum, Germanicorum, Slavonicorum, cum Græcis concentum, labore ſane utili, oſtendit: operæqve pretium eſt, tales vocum paralleliſmos inſtituere, qvippe qvod ad illarum originationes non parum conducit. Maxime vero commendari meret labor Gelenii ob linguam Slavonicam, cui multa inſunt Græcæ & Latinæ affinia, prout Lambecius qvoqve loco ſupra citato annotavit. Ut vero triumviratum virorum erudititiſſimorum in hac palæſtra occupatorum compleam, MERICUM CASAUBONUM, Iſaaci F. præcedentibus duobus adjungo. Is *commentationem de IV. linguis*, Hebraica, Græca, Latina & Saxonica, orſus, *primam ejus partem edidit de lingua Hebræa & Saxonica Lond. 1650. in* 8. Multa ibi ſunt elegantia atqve curioſa: multa qvæ ad hiſtoriam utriusqve linguæ pertinent: monſtratur & Saxonicæ cum Græca cognatio perpetuo qvodam vocabulario deducta. Errat tamen Auctor doctiſſimus, cum è Græca Saxonicam linguam deducendam putat: lingua enim illa vetus Anglica Saxonum Germanica genuina eſt: hæc vero prima Scythicæ ſoboles, qvæ originem Græcæ & Latinæ dedit; qva de re ſupra jam actum eſt. Taceo nunc STEPH. SKINNERI *Etymologicon Anglicanæ linguæ*, Londin. 1671. fol. publicatum, in qvo Auctor XII. linguarum, maxime ſeptentrionalium & occidentalium, paralleliſmum inſtituit: ſed qvi, licet magna de hoc ſuo labore polliceatur, nihil minus qvam veras Anglicanarum vocum etymologias atqve adeo ſcopum ſuum aſſecutus eſt.

10 Ab harmonia linguarum ad earundem Hiſtoriam progredior; qvam ſuperficiariè ſolum attigiſſe Kircherum modo dixi. Prolixius atqve data opera idem argumentum aggreſſus CLAUDIUS DURET in libro Gallico, qvem inſcripſit *Threſor de l' Hiſtoire des langues de cet univers*: Coloniæ 1613. in 4. impreſſo: de originibus, perfectione, mutatione, converſionibus & excidiis linguarum omnium ſe acturum promiſit: & ea qvidem diligentia linguas omnes, qvarum hiſtoriam pertexit, in titulo enarravit, ut nec animalium nec avium linguas omiſerit. Utiliſſima vero ex variis Auctoribus ea, qvæ ad linguas ſpectant, uniuscujusqve gentis collectanea ſunt. Exhibentur & alphabeta varia, qvæ tamen an ſatis genuina ſint; ambigo. Ceterum diligentia in eo Dureti libro laudanda; neminem enim novi, qvi parem induſtriam huic

argu-

argumento adhibuerit: qvanqvam non deſint, qvi per compendium aliqvid tentarint, ut EDU. BREREWOODUS *in Scrutinio Linguarum & Religionum* Francof. 1659. in 12. THEODORUS BIBLIANDER in libro *de ratione communi omnium Linguarum & literarum*: Tiguri 1548. edito in 4. Conferri etiam meretur JOS. SCALIGER, tùm in Diſſertatione *de Jonum literis*, & epiſtola ad Steph. Ubertum, ſupra laudatis, tum in Diatriba *de Europæorum linguis*, qvæ inter Opuſcula Scaligeriana, à Caſaubono Pariſ. 1610. edita, comparet: breviſſima illa, & qvam binæ aliæ, æqve breves ſimilisqve argumenti, ſeqvuntur: nempe *de Hodiernis Francorum linguis: & de Literarum Pronunciatione.* Iſtud mirum, qvod in prima diatriba Scaliger qvatuor Europæ matrices, ut ille vocat, majores, qvæ per omnia inter ſe diſcrepent, vocat Græcam, Latinam, Germanicam, Slavonicam, cùm & prior & poſterior biga multum cognationis inter ſe habeant. Scaligero addendi *Joh. Chriſtoph. Becmannus* in Hiſtoria Orbis P. I. c. 9. *Chriſtoph. Crineſius* in Diſcurſu de Confuſione Linguarum, Norib. 1629. vulgato: *Joh. Henr. Hottingerus* in Smegmate Orientali. *Joh. Henr. Heideggerus* Exercit. XVI. de linguis & literis Patriarcharum, Amſtel. 1667. in 4. *Brianus Waltonus* in Diſſert. de Linguis Orientalibus, Davent. 1658. in 12. *Chr. Beſoldus* in tractatu de Natura Populorum, & Linguarum ortu ac immutatione, Tubingæ 1623. in 4. *Henr. Kippingius* in Exercitationibus Sacris, aliiqve plures. De linguis exoticis, earumqve origine & mutatione doctè Waſius in præfatione Lexici ſui Anglicani diſſerit: & inprimis eleganter ſuccincteqve, circa Britannorum & Gallorum linguas veteres ac hodiernas, idem argumentum tractat Joh. Wallifius in docta ſuæ Grammaticæ præfatione.

CAP. IV.
DE LINGVIS VULGARIBUS EUROPÆIS.

§. 1. Multiplex peritiæ Linguarum Exoticarum Utilitas. 2. Πολυγλοττία ſingularis Theod. Bibliandri, Bernh. Baldi, Joſ. Scaligeri, & aliorum, miraculoſa autem Liburni peſte laborantis, & Galli dormientis. 3. Linguæ Germanicæ præ aliis prærogativa, & Scriptores, qui ſuperſunt, Vetuſtiores, Parænetici à Goldaſto editi, Willeramus, Otfridus Weiſſenburgenſis, Ulphilas, aliique Gothici & Anglo-Saxonici ſuperſtites. 4. Culturæ ejus incubuere jam olim Otfridus & ipſe Carolus M., Grammaticæ Vernaculæ Scriptor, poſt Literarum vero παλιγγενεσίαν Joh. Camerarius à Dalburg, Andr. Althammerus & Jod. Willichius, quorum Conatus è Græca eam derivandi improbatur. 5. Mart. Lutherus, in Lib. de Nominibus Germanorum propriis, de quo complura afferuntur, & Conr. Geſnerus, Opus de iisdem peculiare molitus. 6. Recentiores alii, Origines ejus in Græca itidem perperam veſtigantes, & Joh. Claubergius, illis hac in re cordatior. 7. J. G. Schottelius, Joh. Clajus, G. P. Harsdörfferus, Joh. Vorſtius. 8. Lexica & Gloſſaria Germanica Corn. Kiliani & Georg. Heniſchii edita, Marq. Freheri, Franc. Pithœi, Frid. Lindebrogii & Joh. Bernh. Zinzerlingi, affecta. 9. Gloſſariorum

riorum Exoticorum Scriptores, qui Germanicæ etiam Linguæ illuſtrandæ inſerviunt, enumerantur. 10. *Linguæ Gallicæ, & ſtudii, quod ejus Culturæ impenditur, laudes. Immodici ejus obelo notantur Encomiaſtæ, inprimus Ant. Verdier, &, qui Latinæ matri eam prætulit, Joh. Loboürerius, à Sluſio & Iſ. Voſſio confutatus.* 11. *Gallorum Scriptores Etymologici, Joh. Picardus, Henr. Stephanus & Joach. Perionius, è Græca Linguam ſuam perperam derivantes, & à Joſ. Scaligero ac Caſp. Barthio, Germanicæ Vindice, merito exploſi, Joh. Iſ. Pontanus.* 12. *M. Z. Boxbornius, Car. du Freſne, Æg. Menagius, aliique è Menagii Præf. enumerati.* 13. *De Menagii & Vaugelaſii Obſervationibus Grammaticis in L. Gall., Ant. Fureterii & Acad. Francicæ Lexicis illius, & Scriptoribus ejusdem Criticis, ſæpe ineptientibus.* 14. *Jac. Hovvelius Linguam Gallicam è Britannica, Joh. Henr. Ottius è Germanica, derivat.* 15. *De Grammaticis Gallicis, Scriptorum Galliæ Vernaculorum multitudine & Nomenclatoribus, jactantiaque, Vitio illis familiari.* 16. *Italicæ Linguæ Genius; Dictionarium ejus ab Academia della Cruſca editum. Pauli Benii, in illa Græcæ Latinæque præferenda, ſtulta Jactantia, Hier. Rorarii Popularis verbis caſtigata.* 17. *Originum ejus Scriptores, Æg. Menagius & Oct. Ferrarius. Franc. Alunni, Bened. Floretti & Aug. Maſcardi, in illam merita. Scriptorum ejusdem Vernaculorum Nomenclatores.* 18. *Linguæ Hiſpanicæ, è Gothica & Latina mixtæ, Genius, Originum ejus Illuſtratores, Scriptorumque Laudes.* 19. *Linguæ Anglicæ Commendatio, & è Saxonica, aliis permiſta, ortus. Scriptores de illa Hiſtorici, Etymologici, Grammatici, Lexicographi. Poëtæ ejusdem potiores, horumque Vindices adverſus Gallos.*

1 POſtqvam ita de generalibus, qvæ linguas & ſcripturam attinent, dictum eſt: ad ipſas nunc linguas ſpeciatim pedem promovere congruum exiſtimamus. Ubi qvidem ab iis, qvæ vulgares ac vivæ ſunt, auſpicabimur: de *Europæis* primò, tùm & de *Aſiaticis*, nonnihil dicturi.

Eqvidem utilitatem peritiæ linguarum exoticarum plurimam in qvovis ſtudiorum genere nemo temerè negabit, niſi qvi tot libris egregiis orbem literatum in maximum ſui detrimentum carere æqvo animo patietur: atqve adeo ſimul culturam animi, magna ſui parte hinc hauriendam, ſomnolenta naſutaqve ignavia contemnet. Certe non à politico homine ſolum, qvod omnes largiuntur, iſtarum cognitio reqviritur, ſed & à Polyhiſtore, cui ob tantam librorum omnis generis farraginem linguæ utiqve tenendæ ſunt. Qvantum Philologo proſint, oſtendit *Freinshemius* in comparatione verſionum in qvatuor priores libros Annalium Taciti, annexa *Specimini Paraphraſeos Cornelianæ.* Theologo autem, in conferendis variis S. Scripturæ verſionibus; in legendis meletematibus aliorum; in excolendo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudio, adeo non inutiles linguæ ſunt; ut potius omnes ejus conatus mire juvent: qvod plurimis magnorum virorum exemplis conſtat. Neqve vero, ut omnes iſtas linguas loqvatur Polyhiſtor opus eſt: dummodo intelligat ſcripta: alias enim major longe diligentia reqvi-

reqviritur, otiumqve, qvod aliis ſtudiis rectius poterat impendi. Ut autem linguas multas intelligas, res adeo difficilis non eſt, cum ſint pleræqve inter ſe cognatæ, & ê Germanica Latinaqve inprimis miſtæ.

Superiore ſeculo THEODORVS BIBLIANDER Helvetius, *Vir* (judice Mich. 2
Neandro) *magnus ſive doctrinam, ſeu linguarum multiplicium ſcientiam, ſive literas ſpectes, ſive plurimarum rerum cognitionem conſideres*, adeo callens plurium linguarum erat, ut, in Comment. de Ratione Communi omnium linguarum & literarum, de ſe ipſe ſcribat: *conſecutum ſe gratia Dei O. M., cujus dono totum id adſcribit, facultatem aliquam ſcribendi aut loquendi, aut certe judicandi de iis linguis, quæ totum terrarum orbem longe lateque poſſident.* Vid. Neandri epiſtola dedic. Erotematum L. Hebr. p. 10. ſq. Helvetio Italus ſuccedat inſigni linguarum variarum peritia clarus, BERNHARDINVS BALDVS, qvem Erythræus, in Pinacotheca I. p. 7., refert, præter Latinam atqve Græcam, Hetruſcamqve vernaculam, adeo exacte Germanicam, Gallicam, Hiſpanicam & Illyricam, calluiſſe, ut eas non aliter ac ſi vernacula qvæqve fuiſſet loqveretur: non minus in Hebrææ, Chaldaicæ, Arabicæqve cognitione pares paucos, ſuperiorem forte neminem, habuiſſe: inveſtigaſſe præterea veterem Siculorum atqve Narbonenſium linguam, & eâ rythmos plures juvenem compoſuiſſe: qvin & Hetruſcam veterem, ante tot ſecula ſepultam, aſſecutum tamen è perpaucis æneis tabulis, qvæ ab Eugubino Senatu aſſervantur, non ſine magna admiratione, teſtatur. Eadem linguarum ope inprimis etiam ad ſummum illud & ſtupendum eruditionis cacumen aſcenderunt Scaligeri, Salmaſius, Bochartus, aliiqve nonnulli. Prorſus autem ſingulare, atqve ob id ipſum memorabile, eſt hominis cujusdam Liburni peſte laborantis exemplum; qvem, Narſete Italiæ Exarcha, Fulgoſus refert, in domo Valeriani, Romæ, cum putaretur pene mortuus, ſtatim ad ſe reverſum vocato domino illi nunciaſſe, vere ſe in cœlo fuiſſe, ibiqve intellexiſſe, qvot & qvi ex domo peſte morituri eſſent, iisqve nominatis affirmaſſe dominum ſupervicturum. Et, ut fides dictis haberetur, oſtendiſſe ſe omnes linguas callere: atqve ea ipſa hora cum domino Græcè locutum, aliarum qvoqve linguarum cum his, qvi earum notitiam habebant, periculum feciſſe, cum ante ſolam Romanam dediciſſet. Et ubi biduum ita vixiſſet, correptum denuo, & in rabiem prope verſum obiiſſe, ſecutosqve illum, qvos nominaverat, domino ſuperſtite. Hæc ex Fulgoſo repetit, cauſasqve naturales ejus rei indagat, licet non ſatis aſſeqvatur, Joh. Marcus Marci, in Philoſophia Veteri reſtituta, P. III. p. 274. Simile exemplum ex Mottæo Vayero, in *libro noſtro Method. c. 9.*, relatum fuit de Gallo, qvi dormiens omnes, etiam Indicas linguas loqvebatur, qvas vigilans omnino neſcivit.

Age vero, ut propius accedamus, prodeat nunc è linguis primo loco GERMA- 3
NICA, cujus tanta eſt antiqvitas, ut certare cum Græca & Latina poſſit; ceteras vero, Italicam, Gallicam, Hiſpanicam, longe nobilitate antecedat. Et dolendum qvidem eſt, adeo ſegniter linguam vernaculam à Germanis tractari, ut in tot Scriptorum numero vix aliqvi ſint, qvi origines intelligant. Inter vetuſta Germanicæ linguæ

 monu-

monumenta numerandi ſunt *Parænetici veteres*, à *Melch. Goldaſto editi*, *Inſulis* 1604. in 4. *Tam bene* nimirum (judice Conringio in præfat. ad Tacitum de Mor. Germ. qvæ inter epiſtolas ab ipſo relata eſt. p. 42.) *editis antiquis Germaniæ monumentis, de patria meritus, ille vir eſt; ut absque dubio Athenienſes illum in Prytanæo aluiſſent, ſi in illud ævum incidiſſet.* Non adeo æqvus Goldaſto Scaliger eſt, qvi laudat eqvidem veterum verborum Germanicorum apparatum, ſeqve ex Paræneticis ab illo editis dictionarium qvoddam earum vocum in ſuum privatum uſum concinnaſſe memorat; mallet tamen, loco paræneticorum, qvorum pretium nihili æſtimat, vetera inſtrumenta publicaſſet Goldaſtus: e qvibus nempe de nobilium familiis diſci ſemper aliqvid potuiſſet. *Vid. Excerpta Scaligeriana p.* 95. & 154. Pertinent inſuper ad antiqvam Teutonum linguam libri aliqvot ſacri: qvalis eſt Willerami, Monachi Fuldenſis: Paraphraſis Cantici Canticorum, qvam Paulus Merula Lugd. Bat. 1598. in 8. edidit, è codice tamen mendoſiſſimo, miſereqve interpolato, qvod è Lambecio patet, qvi T. II. Biblioth. Vindob. p. 765., genuinum operis Willerami exemplar, ipſiusqve auctoris ævo ſcriptum, non ſolum aſſervari in Cæſarea Bibliotheca luculentus teſtis eſt, ſed & amplum paraphraſeos ſpecimen una exhibet: notas vero in illam paraphraſin 1655. Lugd. Bat. edidit Franc. Junius. OTTFRIDI *Weiſſenburgenſis*, noni ſeculi Scriptoris, librum Evangeliorum ab Auctore (ſi Trithemio credimus) *Gratia Theotiſtæ* inſcriptum, Francicoqve rhythmo veteri deſcriptum, Baſil. 1571. 8. ſub *ficto Achillis Gaſſari nomine* publicavit *Matth. Flacius Illyricus* hoc titulo: Evangelienbuch in alt Fränckiſchen Reymen durch Ottfridum von Weiſſenburg / Münchn zu S. Gallen / vor ſiebenhundert Jarn beſchrieben: jetzt aber in den Truck verfertiget. Enimvero non hiulco ſolum & mendoſo codice Flacius uſus eſt, cujus lacunas Lambecius ex optimæ notæ Cæſareo codice ſupplevit lib. II. Bibl. Vind. n. 420., ſed & multum alias cum Trithemio deceptus, deprehenditur. Neqve enim Ottfridus monachus S. Galli fuit, ſed Weiſſenburgenſis, qvod Alſatiæ cœnobium eſt: nec unqvam librum ſuum inſcripſit *Gratiam Dei Theotiſce*, ſeu, ut Trithemius habet, *Gratiam Theotiſtæ*, ſed *Volumen Evangeliorum*: neqve etiam Opus iſtud verſio Evangeliorum eſt, IV. libris abſoluta; ſed potius Harmonia qvædam ſeu Diateſſaron Evangeliorum, V. libris conſtans: qvæ omnia obſervavit l. c. p. 419. Lambecius, exhibetqve titulum, prout in vetuſtiſſimo MSS. Codice Vindobon. habetur, h. m. *Incipit Liber Evangeliorum primus, Domini gratia Theotiſce conſcriptus.* Addit, aſſervari in bibliotheca Cæſarea ejusdem Ottfridi ſolutam Pſalterii verſionem: e qva Pſalmum primum Lambecius p. 461. ſq. una cum Oratione Dominica, ſub finem codici annexa, exhibuit. Eo magis autem commemorari Ottfridus hoc loco meret, qvo majus ſuo tempore ſtudium ad excolendam Germanam linguam adhibuit: de inculta ejus, qvæ vulgo videbatur, aſperitate multum in præfatione ſui Evangeliorum libri qveſtus. Qvin (directe id Trithemio *in Catalogo* referente,) exemplo Caroli Imperatoris Magni, conatus barbariem linguæ Teutonicæ ad regulas grammaticales reducere, illud & ex parte perfecit. Idemqve adeo Trithemius *Polygraphiæ l.* 6. nonnihil ejus Grammaticæ, qvam à Carolo inceptam,

ptam, ab Ottfrido auctam abſolutamqve, refert, in manus ſuas incidiſſe, locuples teſtis eſt. Cujus aliud præterea teſtimonium ea de re, alias *ἀνέκδοτον*, è codice MSS. Lambecius lib. IJ. Comment. p. 464. ſq. refert. Inprimis vero illuſtre veteris linguæ Germanicæ monumentum Gothica ſunt Ulphilæ Evangelia: ex argenteo codice à Franc. Junio cum doctiſſimis notis Thomæ Mareſchalli Dordraci 1655. in 4. in lucem publicam una cum Gloſſario Gothico Junii emiſſa (*l*). Addi poteſt Hiſtoria Gothrici & Rolfi, Gothica lingua ſcripta, & ab Olao Verelio edita: nec non Anſileubi cujusdam, Gothorum Epiſcopi, Gloſſarium, qvod e veteri bibliothecæ Moyſacienſis codice erutum ſe vidiſſe Mauſſacus, in Diſſertatione Crit. Harpocrationi præmiſſa p. 355. ed. Pariſ., auctor eſt, inibiqve plura Gothorum aliorumqve populorum barbara vocabula explicata refert. De Literis & lingua Getarum ſive Gothorum Commentarius Anonymi, à Bonavent. Vulcanio Lugduni Bat. 1597. in 8. editus, huc qvoqve inprimis ſpectat; cujus auctorem Anton. Morillonium eſſe, Granvellani Cardinalis Secretarium & bibliothecæ præfectum, Uſſerius olim ſuſpicabatur; qvod dum in *Selecta Bibliotheca* Colmeſius p. 158. refert, addit. *Ce ſoupçon n' eſt pas, à mon avis, mal fondé, y ayant dans ce Commentaire des remarques aſſez recherchées, & qui ne s' accordent pas mal avec le grand ſavoir, que l' on attribue à ce Morillon.* Referri etiam merito ad antiqva Germanicæ linguæ monumenta poteſt, qvicqvid Scriptorum Anglo-Saxonicorum ſupereſt, ab Anglis ſtudioſiſſimè conqviſitum evulgatumqve

(*l*) De Ulphila, ejusqve Metaphraſi IV. Evangeliorum Gothica, (poſt Franc. Junii Editionem, ex eodem, qvo ille uſus erat, Codice Argenteo, per Georg. Stiernhelmium, Literis Latinis (cum Gothicis edidiſſet Junius) denuo Holmiæ A. 1671. in 4to recenſita, additisqve tribus Verſionibus Parallelis, Sveo-Gothica, Islandica & Vulgata Latina, nec non Gloſſario, Gothica Ulphilæ cum hodiernis conferente, illuſtrata), præter Editores, Junium, Mareſchallum & Stiernhelmium, Patrologosqve modernos accuratiores, conſuli poſſunt Ol. VVormius, *in Literatura Danica Antiquiſſima, c. 4. p.* 23. 31. *c.* 6. *p.* 45-49. *c* 11. *p.* 74. & *c.* 20. *p.* 113-117. VVilh. Ern. Tenzelius *in Diſſ. de Biblijs Polyglottis*, §. 9. & 18. ac, præ aliis omnibus, M. Georg. Frid. Heupelius, Argentinenſis, in Svecia antehac aliqvamdiu commoratus, in peculiari, qvam VVitebergæ A. 1679. publicavit, de Ulphila disqviſitione. Ceterorum, qvæ ſuperſunt, Linguæ Veteris Arctoæ, ſive Islandicæ (Gothicam Sveci, perperam ea ſuis vindicantes, uti in *Hypomn. ad Scheff. p.* 409. 410. eſt monitum, minus accurate appellant), Monumentorum Notitia haurienda eſt, tum ex Snorronis Sturleſonii, Ol. VVormii, Magni Olavii, Steph. Joh. Stephani, Pet. Reſenii, Joh. Schefferi, Thomæ Bartholini Junioris, Georg. Hickeſii, aliorumqve Scriptis variis, eam ſuggerentibus, prolixeqve a nobis, *in Hypomn. ad Alb. Bartholini Lib. de Scr. Dan. p.* 151. 152, *ac in Bibliotheca Septentrionis Eruditi Prooemio*, §. 40, enumeratis, tum ex Thormodi Torfæi, Islandi, Hiſtoriographi in Norvvegia Regii, Dynaſtarum & Regum Daniæ Seriei, qvæ Hafniæ hoc ipſo A. 1702. prodiit, *Libro I.* ferme integro. Cujus Labor eo magis commendari debet, qvod, Hiſtorica illorum Nomenclatura, ſive Recenſu non contentus, Examine etiam Critico in potiorum Autoritatem, ac rerum, qvæ tradunt, Veritatem inqvirat.

qve. (*m*) *Erat enim*, ut ait in ſuæ Grammatices præfatione Walliſius, *illa Anglo-Saxonum lingua antiquæ Teutonicæ propago; ut & Francica illa in Galliam advecta, & hodierna Germanica, Belgica, Danica, Suevica, Boruſſica, aliæque affines linguæ. Et fere pura manſit in Anglia, ſeu impermixta, usque ad Normannorum tempora: niſi quod voces aliquot Cambricas admiſerit, & Cambrica vice verſa ex hac nonnullas. Quamvis enim Dani interim hic pedem poſuerint, nulla tamen inde linguæ mutatio ſecuta eſt: nam & eorum lingua vel plane eadem erat, vel ſaltem maxime affinis.*

4 Ut vero revertamur, unde divertimus pauliſper, non adeo aſperam eſſe incultamqve linguam Germanam, ut delicatiorum auribus ſe inſinuare non poſſit, qvod Iſaacus Voſſius lib. de Poëmatum Cantu criminatus eſt, jam alibi ſufficienter, niſi fallor, evictum dedi; ſimul & graviores aliorum voces, præcipitis ignorantiæ teſtes, confutavi: allegatis pro lingvæ noſtræ vera antiqvitate, &, qvæ naturæ omnium maxime vicina eſt, ſimplicitate, rationibus, & virorum clariſſimorum teſtimoniis haud contemnendis, qvæ jam repetere tædioſum foret. Dignum vero memoratu eſt, iis etiam ſeculis, qveis dira barbaries regnabat, & vernaculæ Francorum, ſeu Germanicæ linguæ culturam nemo ne per ſomnium qvidem ſperaſſet: fuiſſe tamen, qvi tentarunt id, & curam patriæ linguæ non omnino abjiciendam putarunt. De Ottfrido Weiſſenburgenſi dictum paulo ante, Scriptore ſeculi Carolini, qvam avide is horridiora linguæ eorum temporum removeri deſiderarit. Fertur & ſub ipſius CAROLI M. Imperatoris nomine Grammatica prodiiſſe: ita enim Eginhardus in vita Caroli: *Incoavit &* (Carolus) *Grammaticam patrii ſermonis: Menſibus etiam juxta pro-*

(*m*) De Anglo-Saxonicis, qvæ vel jam prodierunt, vel MSSta in Bibliothecis adhuc delitescunt, ſatis numeroſi, Scriptorum Angliæ Nomenclatores ſunt conſulendi, imprimis autem Thomæ Smithii *Catalogus MSStorum Bibliothecæ* (qvæ iſtis abundat, ac, ab Hærede Ultimo nuper A. 1701. Regno patrio donata, Londini in Æde VVeſtmonaſterienſi locum obtinuit perpetuum, publicoqve Senatus Anglicani Decreto alienari unqvam, aut diſtrahi, eſt prohibita) *Cottonianæ*, Oxoniæ A. 1696. in fol. excuſus, iſtumqve A. ſeqv. 1697. ſubſecuti, & ibidem Tomis II. in fol. editi, *Catalogi Librorum MSS. Academiarum Oxonienſis & Cantabrigienſis, celebriumque per Angliam & Hyberniam Bibliothecarum*, ab Edv. Bernhardo congeſti, & Indice Alphabetico Univerſali inſtructi. Monumenta Dialecti Anglo-Saxonicæ Hiſtorica diligenter recenſet Gvilhelmi Nicholſoni, Archidiaconi Carlelolenſis, *Engliſch Hiſtorical Library*, ſive Bibliotheca Angliæ Hiſtorica Vernacula, cujus Pars Prima A. 1696. Secunda A. 1697. & Tertia A. 1699. Londini *in 8vo* prodiit. Sed hi Triumviri aliarum etiam Linguarum MSSta Anglo Saxonicis, pro Inſtituti ratione, immiſcent. Solorum Librorum Anglo-Saxonicorum, Editorum pariter atqve Ineditorum (qvibus pauci aliqvot Linguarum Veteris Germanicæ, & Borealis ſive Islandicæ, ſub finem acceſſerunt), indicem ſatis copioſum Georg. Hickeſius, Decanus VVigornienſis, congesſit, & *Inſtitutionibus* ſuis *Grammaticæ Anglo-Saxonicæ ac Moeſo-Gothicæ*, Oxonii A. 1689. in 4to. impresſis, ſubjunxit, VVilh. Ern. Teuzelius autem, Vir Cl. in gratiam Germanorum, Notis illuſtratum eruditis, ſeorſim recudi curavit, & Dialogis ſuis Menſtruis Vernaculis, M. Aug. A. 1691. inſeruit.

ta propriam linguam vocabula impoſuit, cum ante id tempus apud Francos partim Latinis, partim barbaris nominibus pronunciarentur &c. Recenſetqve Eginhardus menſium & ventorum nomina à Carolo inventa. Grammaticam ejus adhuc ſupereſſe ex parte ſunt qvi perhibent: Sine dubio, ut in omni bonarum literarum genere, auſpiciis magni Imperatoris, erectæ ubivis ſcholæ ſunt: ita, ut non in vernacula hoſpites forent in alienis linguis erudiendi, provida Divi Principis cura cavit. Neqve id fruſtra. Nam curam geſſiſſe linguæ patriæ viros ejus ſeculi doctos haud perfunctoriam RABANUS etiam MAURUS fidem facit: cujus non ſolum *Gloſſarium Latino-Theotiſcum in tota Biblia Veteris & Novi Teſtamenti* MSS. *Petr. Lambecius*, Vir in conqvirendis optimæ notæ libris longe ſolertiſſimus, è qvadam Tyrolis Bibliotheca eruit, inſeruitqve Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſi: de qvo ipſe Lib. II. *Biblioth. Vind.* c. 5. p. 416. videri poteſt: ſed & ejusdem Rabani *Gloſſæ Latino-Theotiſcæ de partibus humani corporis; ut & de Inventione linguarum ab Hebraica ad Theotiſcam*, ſuperſunt, qvas ex ejus ore olim *Walafr. Strabo* excepit: *Melch. Goldaſtus* vero ineunte hoc ſeculo edidit *T. II. Rerum Alemannicarum* Francof. 1606. P. I. p. 65. & 66. eædemqve comparent inter *Opera Rabani Colon. 1627. edita.* Alius ſeqviorum temporum Germanicæ linguæ inveſtigator, KERO, Monachus S. Galli, fuit: cujus *Interpretationem Vocabulorum barbaricorum* (ita ille Germana vocat) Goldaſtus idem eodem loco, à p. 69. usqve ad 92., publici juris fecit. HUGVICONIS, *vetuſtiſſimi & amplisſimi Terminiſtæ*, nomen conſervavit nobis *Clivenſis olim Cancellarius, Gerhardus de Schuren*, cujus *Lexicon Germanico-Latinum*, ſub titulo *Teuthoniſta* Coloniæ 1477. emiſſum, vidi: qvodqve, ut annexa ſub finem ſubſcriptio teſtatur, *vocabulorum materiam* exhibet *ex diverſorum terminiſtarum voluminibus contextam*: cuiqve non Huguiconis ſolum labor, ut in præfatione auctor ait, pene totus immiſtus eſt, ſed & inſerti integri aliorum tractatus. Patet ſane ex his, non neglectum à Germanis unqvam ſuæ linguæ ſtudium: qvod non ſolum, præter ea, qvæ jam allata ſunt, Gloſſarium Latino-Germanicum MSS. in Kilonienſi Bibliotheca aſſervatum, probat: ſed & ſecuti aliorum labores. Poſtqvam enim renaſci paululum literæ, caputqve primis modo initiis levare denuò cœperunt: inventus ſtatim unus atqve alter Germanus, isqve inprimis etiam eruditus, eſt, qvi Origines ſuæ linguæ altius repetitum iret.. JOH. CAMERARIUS de DALBURG nobili apud Vangiones gente Dalburgiorum, hodieqve clara, oriundus, Epiſcopus Wormatienſis, JCtus, Gesnero in Bibliotheca teſte, celeberrimus, & Rudolphi Agricolæ auditor; hanc primus poſt renatas literas gloriam inveſtigatarum noſtræ linguæ originum ab Aventino reportat, qvi eum aliqvot millia Græcorum ac Teutonicorum vocabulorum, quæ utraqve lingua idem ſignificent, collegiſſe refert. Dolendum profecto, non in lucem prodiiſſe Opus extra controverſiam eruditum, viri, qvem plura excellentis ingenii opuſcula, tam metro, qvam proſa oratione, ſcripſiſſe, ſed non in lucem venire paſſum, Gesnerus l. c. auctor eſt. Idem argumentum deinde attigerunt ANDR. ALTHAMERUS in *Scholiis ad Tacitum* Noribergæ 1536. in 4. editis, qvi Germanos

antiqvos Græcæ lingvæ non omnino ignaros è vocum convenientia oſtendere ſategit: & JODOCUS WILLICHIUS, Medicus & Theologus, Academiæ Francofurtanæ ad Viadrum Profeſſor; qvi & ipſe, in eruditis (Mich. Neandro judice) *commentariis in Tacitum*, Græcam linguam Germanis fuiſſe familiarem credidit: & *ſua adhuc ætate, prope Pruſſiam, gentem, quæ dicatur* die Bockheiligen / *extitiſſe teſtatus eſt, Græca lingua, ſed corrupta, uſam.* Qvinimo adjecit: *circa Caroli Magni tempora Græcis literis Teutones Germanica ſcripſiſſe: adeo, ut omnes rationes ſuas, omniaqve acta Græce, usque ad tempora Rudolphi Habſpurgici, ſcriberent. Tunc enim primum Germanicas literas Latinis literarum elementis ſcriptas fuiſſe: quemadmodum ex vetuſtiſſimis rationibus idipſum longe certius colligi poſſit.* Hæc è Willichio excerpſit MICHAEL NEANDER, celeberrimus ille polyhiſtoriæ atqve omnis humanioris literaturæ ſtator, in *Deſcriptione Orbis Terræ*, P. I. p. 279. ſq., ubi non miror eqvidem, illum præceſſoribus in eo aſſenſum præbuiſſe, qvod Germanica lingua è Græca ortum traxerit: hoc enim pro ingenti, qvo in Græcas literas ferebatur, amore ſibi perſuaderi paſſus, cum plurimis aliis commune habet. Iſtud vero, qvod Sorabos, gentem, qvæ inde a Moravia per Luſatiam, Marchiamqve Brandeburgicam, usqve in Boruſſiam, longo tractu, ſed non æqve lato, porrecta habitat, & à Deaſtro qvondam ſuo, hircino capite deformi, ſcomma in ſe derivatum ſenſit: qvod hos, inqvam Slavonicæ veteris linguæ dialecto uſos ſemper, hodieqve utentes, Græce unqvam locutos credit, ingens error eſt. Uti neqve illud ferendum, qvod Germanos ævo Carolino Græcis characteribus acta ſua conſignaſſe exiſtimat; cum vix unus & alter Eruditorum ejus ævi Græcas literas vel primis, qvod ajunt, labris deguſtavit. Profecto, ſi inſpiciendi antiqva diplomata, ad qvæ provocat Willichius, ipſi unqvam occaſio conceſſa fuiſſet, vel doctiſſimo etiam Neandro, neuter aſſertionem falſiſſimam poſuiſſet.

Neandro jungimus, qvem mirifice ſemper æſtimavit, B. LUTHERUM, qvi circa vernaculam qvoqve Grammaticen occupatus *libellum de Nominibus propriis Germanorum* edidit ſæpius recuſum, Urſellis 1559. Wittebergæ 1611. alibiqve: nonnunqvam & ἀνωνύμως prodiit, ut in Opere Hiſtorico Simonis Schardii Baſil. 1574. ubi hunc titulum præfixum habet: *De nominibus propriis Germanorum opuſculum Studioſi Antiquitatis.* Idem titulus & in Schardii Redivivi T. I. manſit. Ultimò *cum notis Gotfridi Wegneri*, Theologi jam Regiomontani, excuſus eſt. Totum vero hunc B. Lutheri libellum paſſim interpolatum, mutatoqve ſaltem ordine, inſigni plagio RUD. GOCLENIUS *Lexico ſuo Philoſophico* inſeruit, ne verbulo qvidem ejus mentione facta; cum tamen plurima Lutheri αὐτολέξει retinuiſſet: ſed omnino ſuis miſcet, & prorſus ita ſe gerit, ut ex alieno labore hauſta, ne divinando qvidem, ſi neſciat, facile qviſqvam aſſeqvatur. Quapropter haud immerito Goclenium virgula percuſſit cenſoria *Thomaſius de Plagio* §. 449. & 450. Idem, circa nomina propria Germanorum, virorum æqve & mulierum, labor CONR. GESNERUM tenuit, qvi, in catalogo Operum ſuorum, ſe aliqvot illorum millia ſecundum terminationes diſ-

poſita habere refert, atqve ita de iis judicat: *Apparet in ſingulis ferme certa aliqua ſignificatio, ut vel ominis gratia, vel ſaltem non temere, ſed certam ob cauſam, impoſita videantur, ſicut & apud Græcos fere. Nihil enim antiquius in noſtra lingua, & unde, qualis ante multa ſecula fuerit, magis appareat, extare puto.* Friſius, qvi catalogum Gesneri ſuæ Bibliothecæ inſeruit, addit, *Marcum Widlerum*, Tigurinum, id Opus, à Gesnero inchoatum, auxiſſe, ejusqve editionem polliceri. Verum nihil ejus excuſum eſt: uti nec abſolutæ Gesneri Vocum Germanarum Origines, qvas meditari ſe, l. c. ſibi tamen ipſi diffiſus, narrat.

Uti vero locum Taciti, libro de moribus Germanorum, Althamero & Wil- 6
lichio de lingua Germanica nonnihil cogitandi occaſionem dediſſe modo diximus; qvod idem ſupra de Phil. Cluverio relatum fuit; ita Matthias Berneggerus qvoqve anſam inde captavit Qvæſt. XI. in Tacitum ſimile argumentum tractandi. Sed & ille cum tot aliis è Græca linguæ Germanicæ etymologias aucupatur: qvod præterea faciunt *Georgius Chriſtoh. Peiskerus* in Indice pro Græcæ & Germanicæ linguæ analogia evulgato Lipſiæ 1685. in 12, latius id in Lexico Græco-Germanico-Analogico ſeſe deducturum minatus: & *Joh. Maria Bellini* in epiſtola ad celeberrimos Actorum Lipſienſium Collectores; cujus ipſi in Actis ſuis Anni 1686. p. 419. ſeq. mentionem faciunt: ſed poſtremi inprimis hujus etymologiæ nimium duræ coactæqve ſunt, qvam ut aſſenſum facile reperire poſſint.

Imo vero omnibus, ſi vel maxime Rigaltii, Meurſii, Voſſii, Cangii, aliaqve magna nomina communi opinioni, ſeu errori potius, accedant, audacter olim jam occurſum abs me non diffiteor, neqve nunc ſane ejus me opinionis pœnituit. Inter alios, qvi mecum in ea ſententia conſpirant, JOH. CLAUBERGIUS eſt, in *Arte Etymologica Teutonum è Philoſophiæ fontibus derivata*; editaqve *Duysburgi* 1663. *in 8.* Exiguus ille liber eſt, & breves tantummodo 22. regulas complectens; qvas promulſidis loco magno Operi *de Cauſis Linguæ Germanicæ*, qvod moliebatur, vir doctiſſimus, præmiſit; aſt vero tam doctus ille, tamqve in criſi, qvam adhibet, ἀκριβὴς, ut cum Scaligeri, Voſſii Sanctiive circa Latinam linguam laboribus componi poſſe alibi haud immerito à nobis aſſertum ſit, ubi & excerptas regulas iſtas damus.

De cetero Grammatica noſtræ linguæ accurata, qvæ ſufficere animo harum 7
rerum avido poſſit, inter deſiderata magis noſtra, qvam inter ea qvæ habemus, ponenda eſt. Congeſſit qvidem *Magnum Opus Grammaticum* JUSTUS GEORGIUS SCHOTTELIUS, cui præmiſit Panegyricos in laudem Linguæ Germanicæ ſcriptos; addiditqve Lexicon Etymologicum (Brunsſvigæ An. 1663. in 4. maj.,) ſed vehementer ſæpe in vocum derivatione fallitur. Inter optimas Germanas Grammaticas numerari meret *Joh. Claji*, edita Jenæ 1651. in 12. Præterea non contemnendum eſt, multaqve continet notatu digna *Specimen* Philologiæ Germanicæ à Georg. Phil. Harsdörffero ſcriptum Norib. 1646. in 12. Aliud *Specimen Obſervationum in Linguam vernaculam* publicavit Colon. Brandeb. 1669. in 12. *Joh. Vorſtius.* De Dialectis linguæ Germanicæ *Gaſp. Scioppius* in Conſultationibus egit. Conſult. II., p. 28. & ſeq. Verum, uti hæc omnia magis

magis cœpta qvam perfecta ſunt; ita qvid de iis aliorumqve ſimilibus laboribus judicemus, in allegato ſæpius noſtro de Lingua Germanica commentario fuſe indicatum eſt.

8 Qvod Lexica concernit; illorum, qvæ alicujus momenti ſint, admodum exiguus certe numerus eſt. Antiqva enumeravi. Jam ſuperiore ſeculo bene meruit de Germana lingua CORNELIUS KILIANUS, edito lingua Belgica *Etymologico Teutonicæ linguæ*, qvod multoties recuſum, atqve à Lipſio, aliisqve viris eruditis, magni æſtimatum, tandem ſub titulo *Kiliani Aucti* miſere truncatum eſt; ut indignabundus qviritatur in præfatione ad Notas ſuas in Willeramum Fr. Junius. Noſtro ævo MARQUARDUS FREHERUS *Lexicon Etymologicum* magnum meditatus eſt; ut & *Ὀνομαθέτην* ſeu de Nominibus propriis Alemannorum, prout in ejus vita Melch. Adami teſtatur. Verum nihil horum in lucem prodiit. Uti nec à Franc. Pithæo qvicqvam, qvem in Gloſſariis Germanorum antiqvis habilem inprimis eſſe, multumqve tempus triviſſe, Scaliger in Excerptis Scal. pag. 95. refert: optatqve proin, ut Leges Longobardicas cum Gloſſario edat. Præfert vero illum *Goldaſto*, cujus *Gloſſarium* T. I. Rerum Alemannicarum ſubnexum habemus. Utinam & haberemus Gloſſarium FRID. LINDENBROGII, de qvo in Epiſt. 144. ad Gallos Jano Cordeſio ſcribens Hugo Grotius ita: *Laborat nunc Lindenbrogius in concinnando Lexico veteris ſermonis Germanici, & multa habet adjumenta, quæ nec Spelmannus, nec alii habuerunt. Erit id opus eruditis nec ingratum, nec inutile.* Sicuti vero vix qvisqvam aptior ad id operis Lindenbrogio fuiſſet; Viro in antiqvis iſtiusmodi Gloſſariis verſatiſſimo: ita maxime dolendum, intercidiſſe promiſſum id. Nam, qvod MSS. ejusdem Gloſſarium in Hamburgenſi bibliotheca hodieqve ſervari ajunt; ſuſpicor eſſe *Gloſſarium Latino-Theotiſcum*, qvod paſſim ipſemet allegat. (*n*) Unum, qvod de illo habemus,

Gloſſa-

(*n*) Recte Morhofius conjecit, falſum eſſe Rumorem de Frid. Lindenbrogii ipſius Gloſſario, ſive Lexico Veteris Sermonis Germanici affecto, in Bibliotheca Hamburgenſi etiamnum reliqvo. Id qvod mihi, qvi omnia hujus MSSta ſedulò olim excuſſi, eorumqve Catalogum concinnavi, certo ſatis conſtat. Superſunt autem in illa, è Gloſſariis, qvorum ope Laborem hunc eſt aggreſſus, Vetuſtis, non ſolum Latino-Theotiſcum illud Membranaceum, cujus Noſter h. l. mentionem injicit, ſed Bedæ etiam, ſive Ælfrici, Gloſſaria duo Alphabetica, Latino-Anglo Saxonicum & Anglo Saxonico-Latinum, Liber Gloſſarum Iſidori, Gloſſarium Latino-Saxonicum è Cod. Marci Velſeri, & Theotiſcum è Membranis Franciſci Pithoei tranſcriptum, ut alia ejusdem generis Scripta *ἀδέσποτα*, ac Fragmenta qvamplurima, taceam. Ceterum Jacturam Operis Lindebrogiani ſolatur Expectatio ſimilis, qvod Joh. Schilterus, JCtus Argentinenſis *πολυμαθέστατος*, publicè haud ita pridem promiſit, *Gloſſarii ad Scriptores Linguæ Francicæ & Alemannicæ Veteris, in quo Vocabula & Formulæ obſoletæ aut obſcurioris ſignificationis, aut uſus rarioris Alemannicæ & Francicæ imprimis, ſed & Gothica, Anglo-Saxonica, Cimbrica, Longobardica, ex Libris Vetuſtiſſimis, tàm editis, quàm MSS., Legibus, Statutis, Chartis & Documentis, ad res*

divinas

Gloſſarium eſt *Codici Legum* ab eo edito ſubjunctum 1613. A. 1616. in lucem prodiit GEORG. HENISCHII, viri docti, liber, *Theſaurus Linguæ & Sapientiæ Germanicæ* inſcriptus; atqve utinam totus prodiiſſet, uſui haud contemnendo futurus: qvippe qvi omnia uniuscujusqve vocis ſynonyma, derivata, phraſes, compoſita, epitheta, proverbia, antithetaqve, unà exhibet ſtudioſe congeſta. Verum non ultra partem primam, qvæ litera *H* terminatur, perventum eſt. Mitto nunc affectum JOH. BERNH. ZINZERLINGII, Profeſſoris Roſtochienſis, *Lexicon*, qvod concinno qvidem ordine digeſtum, ſed tamen immaturum ab Auctore præmaturè defuncto relictum eſt. Expectat adhuc noſtra lingua Virum eruditum, qvi dignam homine Germano atqve docto operam eo animoſius ſuſcipiat, qvo alacrius gentes alias, Gallos, Italos atqve Anglos, certatim ad evolvendas ſuarum qvamlibet linguarum origines concurrere videt.

Interea proderunt ad Germanicæ illuſtrationem, præter ea, qvæ diximus, ii etiam Auctores, qvi de vocibus mixo-barbaris, terminis forenſibus, barbaris, feudalibus, aliisqve horum generum commentati ſunt: qvos inter G. JOH. VOSSIUS in Tr. *de Vitiis Latini Sermonis*; (qvem doctiſſimus vir, noſtræqve, dum viveret, Germaniæ decus, Thom. Reineſius infinitis in locis emendavit, interpolavit, auxit: ſervaturqve iſtud exemplar cum libris Reineſianis reliqvis in Cizenſi Bibliotheca.) JOH. MEURSIUS, NIC. RIGALTIUS in *Gloſſariis Græco-Barbaris*; GODEFR. WENDELINUS *in Gloſſario Legum Salicarum*, Antvverpiæ edito 1649: HENR. SPELMANNUS *in Archæologia* Lond. 1626. GVIL. SOMNERUS *in Gloſſario Saxonico-Anglico* Oxon. 1659. CAROLUS *du* FRESNE *in Gloſſario Græco-Latinoque*, & ſi qvi alii hujus inſtituti libri ſunt. Multa enim in iis continentur, qvæ Germanicæ originis ſunt; falſo licet utplurimum è linguis aliis deducta. 9

Germanam ut in multis, præſertim in constructione, matrem agnoſcit; ita ſeqvatur nunc preſſo pede LINGUA GALLICA, omnium, qvotqvot Europa habet, vulgarium cultiſſima nitidiſſimaqve: & qvæ ob ingentem bonorum librorum omnis generis apparatum (prætereo enim nunc inſertum ipſi linguæ incomparabilem nito- 10

Ccc cc rem),

divinas pariter & humanas pertinentibus, explicabuntur, Origines & variæ Significationes retegentur; Leges, Mores & Antiquitates Teutonicæ recenſebuntur & explanabuntur. Specimen Operis hujus Utiliſſimi, uti & duo alia editionum Paraphraſeos IV, Evangeliorum Ottfridi VVeiſſenburgenſis, & Translationis Pſalmorum Notkeri Labeonis, Abbatis S. Galli, Monumentorum Linguæ Germanicæ antiqviſſimorum (qvæ idem emendata, Latinisqve Verſionibus, Notis & Variis Lectionibus, illuſtrata, à ſe jubet expectari), Anno iam 1698. Argentinæ prodierunt. Vid. de iis Tenzelii *Dialogos Menſtruos Germanicos, M. Aug. A.* 1698. *p.* 746-749. Linguæ Saxonico-Cimbricæ (inter reliqvas Germanicæ Veteris Dialectos, & puritate, & ſimplicitate maſcula atqve incorrupta, eminentis, proximeqve ad Matrem accedentis) Gloſſarium expectamus à Gerh. Meyero, Theologo Civitatis patriæ Bremenſis Erudito, qvem, ſe Autore atqve Ergodiocta, Laborem hunc eſſe aggreſſum, illuſtris Leibnitius, *in Præfat. Tomi I. Acceſſ. Hiſtor.* teſtatur.

rem), non facile à qvoqvam Viro docto, nedum Polyhiſtore, ignorari poteſt. Eqvidem elogia linguæ hujus, ut à Germano homine conſcribantur, opus non eſt, cum prolixa ſatis apud ipſosmet Gallos reperiantur. Jam ſuo tempore ANTONIUS VERDIERIUS, in *præfatione Bibliothecæ p.* 23., verboſus in laudes ſuæ vernaculæ, illam nonniſi è lectisſimis Græcæ, Latinæ, Italiæ recentioris, aliarumqve, ſi qvæ ſint, celebriorum linguarum floſculis, non à vulgo hominum, ſed eruditiſſimis Gallicæ gentis viris adhibito inſigni ſelectu conſtipatam credit: qvos propterea miris encomiis extollit; Poëtasqve ac Oratores Gallos, Græcis & Latinis palmam dubiam reddere poſſe perſuaſus eſt. Hæc & alia Verdierius ſuperiore ſeculo non ſine multis verborum ampullis jactitans, præcipuas tamen Gallicæ linguæ elegantias ignoravit. Qvàm in immenſum enim ex illo tempore creverit linguæ ejus nitor, nemo ignorat: & vel ex eo dijudicari poteſt, qvod inter poëtas primo loco Petrum Ronſardum laudat, qvem tamen nonniſi rudem materiam & initium magni poëtæ Balzacius nominandum judicabat. Sed nec defuêre ſecutis temporibus linguæ Gallicæ ſui encomiaſtæ: inprimis poſtqvam incrementum celeberrima Academia Francica, auſpiciis Richelii Cardinalis, erecta eſt. Atqve ut è ſexcentis unum nominemus: JOH. LABOURERIUS, Gallus nobilis, eo audaciæ proceſſit, ut Latinæ ſuam linguam præferre libro peculiari non dubitaverit; prodiit libellus ille hoc titulo: *les Avantages de la Langue Françoiſe ſur la Langue Latine. Pariſ.* 1669. in 8. ſtudio Sam. Sorberii, Medici & Hiſtoriographi Regii procuſus. Additæ in fine duæ Sluſii epiſtolæ ſunt, qvibus linguæ Latinæ primatum contra Labourerium defendit, totidemqve hujus reſponſiones; ab utroqve enim Sorberius qvaſi arbiter ejus litis electus erat. Iniqvum vero eſt, ſpurium matri pulcerrimæ, ancillam dominæ præferre. Magisqve propterea laudem meret ANONYMUS elegantiſſimi libelli auctor, qvi *Hiſtoire de la Bataille entre les Anciens & les Modernes* inſcribitur, & non ita pridem lucem aſpexit. Multa qvidem ibi in laudem ſcriptorum Gallicorum dicuntur; ſed non ita tamen, qvin Græcis & Latinis Poëtis ac Oratoribus præ Gallicis palma, ipſomet Apolline judice, tribuatur. Qvanqvam in eo viciſſim haud parum iniqvus Auctor ille ſit, qvod Anglicam, noſtramqve Germanicam linguam, barbaris, (qvæ ipſi Suecica, Danica, Polonica, aliæqve ſunt) accenſet; ſuam vero ſimul ignorantiam indicio manifeſto prodens. Ut autem ad Labourerium revertamur: is inter alia documenta, qveis adſtruere ſuam opinionem vult, Horatianam qvoqve Oden apponit, ejusqve una translationem à celebri poëta Gallo factam, ut ſic è comparatione appareat, qvantum Gallico Latinus ſermo concedat. Enimvero recte Iſaacus Voſſius, *lib. de Viribus Rhythmi p.* 36. & 39., longè aliud ſentit, & judicio Viri ingenioſiſſimi, ut vocat, minime acqvieſcere poteſt. Certe levia ejus, & tantum non futilia argumenta ſunt, jureqve iis iſtud laudati Voſſii ep. 47. opponas: *Quanto melius Romani, qui, licet gloriæ ſuæ ſtudioſiſſimi eſſent, nunquam tamen ſuam cum Græca auſi ſunt committere linguam: quin potius eam propemodum barbaram eſſe affirmant, ſi cum hujus ſermonis ſplendore & elegantia conferatur. Etiam,*

qui

qui florentiſſimis vixere temporibus, ſufficere ſibi hanc laudem teſtantur, ſi non ut æmula, ſed ut diſcipula Græcæ linguæ haberetur Latina.

Uti vero idipſum ſua de lingua in oppoſitione ad Latinam Gallorum plurimi agnoſcunt fatenturqve; ita circa origines atqve etymologiam ejus minus inter ſe conſentire deprehenduntur. E Græcia petendum linguæ Gallicæ ortum jam olim *libris V. de priſca Celtopædia* Pariſ. 1556. editis JOH. PICARDUS, *Toutrerianus*, contendit, qvi & lingua & philoſophia vicinos Græcis Gallos exiſtimat. Idem Vir doctiſſimus, HENR. STEPHANUS, peculiari Gallico tractatu evincere anniſus eſt: *de la Conformité du language Françoiſe avec le Grec*, Pariſ. 1610. (qvæ tamen prima editio non eſt). Et inprimis coævus Picardo JOACH. PERIONIUS magno conatu idem argumentum tractavit, ediditqve Pariſ. 1555. in 8. *Dialogorum libros IV. de linguæ Gallicæ origine, ejusque cum Græca cognatione.* Viciſſim verò jam olim huic opinioni, qvæ omni probabilitate caret, à Viris doctis occurſum eſt. *Fruſtra laborant*, ait Scaliger in Primis Scalig. p. 99., *Perionius, H. Stephanus, & alii, in Gallicæ linguæ ex Græca repetenda origine, ac utriusque cognatione probanda, quaſi res ita ſe haberet: cum certiſſimum ſit, & hanc, & Hiſpanam Italamque, à Romana Italaque corrupta fluxiſſe. Hinc non mirum, ſi ſæpiſſimè ineptiant in ſuis etymologiis frigidiſſimis: ut vel ex hoc uno Perionii exemplo patet, qui* maiſon *deducit à Græco* οἶκος, *cum ſine dubio originem trahat* à manſione. Sic recte omnino Scaliger, cui *Caſp. Barthium* qvoqve addo, qvi in ſuis *Adverſariis* locis aliqvot mentionem hujus controverſiæ facit, Lib. XIII. cap. 4. Picardum ſibi confutandum ſumit: eòqve ait omnia deduci poſſe; Teutoniſmum, Latiniſmumqve ſingulas fere voces & modos loqvendi univerſos dediſſe hodierno Galliciſmo. Propius adhuc iſtud lib. XLIII. c. 20. tangit: ubi vocum nonnullarum è Latinis in ſemi-barbaras, & ex his ſemi-veteribus in hodiernas Gallicas deformationem haud infeliciter tentat. Aliud tamen de priſca Celtarum lingua ſtatuit, qvam interiiſſe penitus & abolitam ægre fert: niſi qvod è monumentis, qvæ hic illic ſparſim apud Auctores adhuc ſuperſunt, corrupta tamen uno fato omnia aut mutata, colligit, illam cum veteri Germanica inſignem cognationem habuiſſe, lib. XL. c. 17. Qvemadmodum & lib. XLVI. c. 1. Germaniæ gentem atqve nomen Francorum, contra Turnebum, docte atqve ſtrenue vindicat, conſentientem Joh. Iſaac. Pontanum in Originibus Francicis, allegans *libro*, ut ait, *adeo docto, adeoque acuto, ut nihil clarius & inſtructius hujus generis extare exiſtimem, aut ab alio quoquam poſſe in medium proferri:* (longe aliud, ut hoc ὡς ἐν παρόδῳ addam, ſtatuente Menagio, cui in epiſt. nuncupatoria ſuarum Orig. Gall. Pontani Origines Becanianis non videntur multum ſaniores.) Caroli M. linguam patriam Germanam puram putam fuiſſe idem Barthius lib. XXII. c. 6. probat: per barbaram vero, qvam linguæ Francicæ ante Carolum immiſtam Walafr. Strabo auctor eſt, Gothicam, vel è Vandalorum Hunnorumqve reliqviis corruptam, indigitari ſuſpicatur. 11

MARCI ZUERII BOXHORNII *Origines Gallicæ* ſupra jam memoratæ ſunt: ut adeo nunc earum mentionem brevibus denuo innuiſſe magis, qvam feciſſe, ſufficiat. 12

CAROLUS *du* FRESNE *breve Etymologicon vocabulorum linguæ Gallicæ* Gloſſario ſuo Græco ſubjunxit: qvod tamen magis indicis vicem præſtat, remittitqve ſemper ad utrumqve Gloſſarium, in qvibus fuſe ſimul originationes iſtæ deducuntur. ÆGIDIUS MENAGIUS, Vir dudum orbi erudito è ſcriptis variis notiſſimus, dudumqve immortalitatis famam adeptus, in hoc etiam circa ſuam linguam genere eruditionis qvantum valeat, oſtenſurus, Origines Linguæ Gallicæ: *les Origines de la Langue Françoiſe: Pariſ.* 1650. in 4. edidit, nuncupavitqve Puteano. In Epiſtola nuncupatoria poſtqvam eos, qvi Latinæ Linguæ origines explicârunt, antiqvos pariter & recentiores non ſine addita criſi, recenſuiſſet: Gallorum, qvotqvot ſua de vernacula prodierunt, labores ne qvidem veriſimiles cenſet. Verba ejus apponam, ut ſimul de viris doctis, qvi id argumentum ante Menagium attigêre, conſtet. *Les Origines Françoiſes de Budée, de Bayf, de Henry Etienne, de Nicod. de Perionius, de Sylvius, de Picard, de Tripault, de Guiſchard, de Pasquier, ne ſont pas ſeulement vrayſemblables: & on peut dire avec verité, que les etymologies jusqu' icy ont été l' écueil de tous ceux, qui en ont écrit.* Addi his à Menagio enarratis Auctoribus CLAUD. FAUCHETUS poteſt, Præſes Curiæ Monetalis apud Pariſios: qvi ſuperiore ſeculo ſimilem librum edidit: nimirum *Recueil de l' Origine de Langue Francoiſe, Ryme, & Romans*, è qvo Verdierius locis aliqvòt ſuæ Bibliothecæ nonnulla excerpit non contemnenda. Reqvirit vero Menagius ab eo, qvi cum ſucceſſu verſari iſto in negotio vult, omnium prope, non Europæ ſolum, ſed & Aſiæ, linguarum cognitionem, aliaqve qvamplurima, qvæ ſibi etiam deeſſe magnam partem non negat. Laudat vero præcipuum adjutorem ſuum atqve impulſorem operis, FRANC. GVIETUM, cui & origines infinitas, & modum eas per analogiam qværendi, ſe debere gratus agnoſcit. Multum præterea ſe adjutum addit à Puteano, Hadr. Valeſio, Nubleo, Saraſino, Salmoneto, Bocharto, Launoyo, Launæo, Doujatio: ut à tantis nominibus non poſſis niſi ſelectiſſima expectare. Et ſane rebus etiam ac etymologiis elegantioribus plenus liber eſt. Sed patitur tamen ſuos qvoqve manes Menagius: &, ob imperitiam linguæ Germanicæ, qvam cum omnibus ſuis dialectis ob immenſam vocum, qvæ è Germania in Galliam transmigrârunt, copiam pernoſcendam evoluturo Gallicas origines ipſe fatetur: in etymologiis haud raro labitur. Sarravius, qvi recens è prælo Opus in Succiam Chriſtinæ Reginæ & Iſ. Voſſio miſit, ita ad hunc in Epiſtolis p. 315. *Hic habes linguæ noſtræ origines, collectore & editore Menagio: cujus votum eſt, tantum ſcire, quantum ſcit ejus liber. - - Multa addentur in ſecunda editione, de qua jam cogitatur. In tam vaſto quippe argumento ſemper ſuppetet ſcribendi materia, & poſſit quilibet ſymbolam conferre.* Qvid judicârit de lectis his Originibus Regina Sueciæ, legi in Sorberianis poteſt, p. 138., ubi in hunc modum illa jocatur. *Certainement M. Menage eſt un tres-ſçavant & tres-honnête perſonnage: mais il eſt le plus incommode du monde: il ne ſçauroit laiſſer paſſer le moindre mot ſans ſon paſſeport; il veut ſçavoir d' ou il vient, & ou il va.* Ceterum, ſi Sorberium ipſummet audis, de Menagianis originibus magna tibi promittere non potes, qvippe qvæ *rumori faciendo potius, quam ſerio juvandis*

dis diſciplinis, ut omnia ejus viri tentata, ſunt. Erat enim homo laudis ſitibundus, genii non magni, ſed labore improbo, immiſcens ſe vividiorum ingeniorum ludis, quorumvis eruditorum imitabundus: neque tamen feliciter: cum in ejus libris multum quidem variæ lectionis, ſed parum ratiocinii inveniatur. Ita qvidem Sorberius, qvi qvamvis unicæ veritati litaſſe videri velit, non ſatis tamen ab affectuum intemperie purgatum animum, ſed eâ potius infectum, oſtendit: pertinetqve ad eos Menagii criminatores, à qvibus ſe ipſe in Anti-Bailletto vindicat. Secunda illa Originum Menagianarum editio, qvam, cum prima vix prodiiſſet, ab Auctore paratam ipſe & Sarravius teſtantur, demum poſt fata Menagii lucem publicam aſpexit, ſed tàm multis tàmqve magnis acceſſionibus locupletata, ut priori nonniſi rudimenta poſterioris abſolviſſe credendus ſit. Curam editionis in ſe *Simon de Val-Hebert* ſuſcepit, emiſitqve hoc titulo: *Dictionaire Etymologique; ou Origines de la L. Fr. &c. Pariſ. 1694. fol.* Luculentam huic editioni *Besnierius* Jeſuita Diſſertationem præfixit, in qva non ſolum à malevolorum cavillis ſtrenuè Menagianam eruditionem, ingenium, famam, & laborem in ſtruendo Etymologico, vindicatum it: ſed & generatim de præſtantia librorum hujus generis agit. Etymologica omnium prope gentium percenſet: eorum antiqvitatem è vetuſtiſſimis temporibus, longoqve ſeculorum uſu, eruit: utilitatem in omni ſcientiarum genere commonſtrat: & ipſius qvoqve artis etymologicæ principia proponit.

Neve qvid nitidiſſimæ editioni deeſſet, adjecit inſuper Val-Hebertus PETRI CASANOVÆ (Mr. de Caſeneuve) *Origines*: qvarum expectationem haud exiguam ſcriptor Vitæ ejus, Bern. Medonius, Nic. Heinſio nuncupatæ, his verbis jam olim excitaverat: *Linguæ Gallicæ Origines, opus ſummo acumine, ingenio, & multorum annorum emendationibus, elimatum ad finem usque perduxerat: quo ſine dubio expleviſſet omnium exſpectationem, ſi ullis amicorum aut rationibus, aut precibus, adduci potuiſſet, ut maturè typis mandaretur. Atqui ſolitus erat, hos ingenii ſui fœtus ultra maturitatem fovere.* Idem prorſus cum Medonio de Caſanova judicaſſe Menagius ipſe deprehenditur; qvi, in præfatione primæ ſuarum Originum editionis, & magni ſe ceteros viri ejus labores æſtimare ait; &, ſi de illius Originibus qvicqvam re adhuc integra inaudiviſſet, ſuo ſe incepto deſtiturum fuiſſe fidem facit.

Neqve vero ſolum de Etymologiis Gallicis bene mereri *Menagius* decrevit: 13
ſed & de iis, qvæ Grammaticen, conſtructionem & elegantias, attinent: qvam in rem *Origines Proverbialium apud Gallos locutionum meditabatur.* Has vero cum non dediſſet, dedit tamen orbi literato *ſuas in Malherbam, Gallorum poetarum*, ipſo judice, *principem, Notas una cum ipſo Poëtæ textu, Pariſ.* 1668. in 8., qvæ vel propterea commendandæ ſunt, qvod varia ad Hiſtoriam literariam pertinentia unà immiſcet. Molitus, ut in præfatione refert, adhuc juvenis illas notas erat: primitias ſuarum lucubrationum daturus: ſed à viro qvodam docto monitus diſtulit: communicavit interim multas Obſervationum ſuarum cum *Vaugelaſio*: cujus Obſervationes, *Remarques ſur la Langue Françoiſe* adeo celebres, totiesqve recuſæ ſunt, ut anony-

mus qvidam Gallus auctor in libro, qvem inſcripſit; *Nouvelles Obſervations, ou Guerre civile des François ſur la Langue*, *Pariſ.* 1668. Menagium, Vaugelaſium, & , qvem iis addit, Jeſuitam Bouhurſium, æqve rigidum & inexorabile judicium circa ſuam linguam exercere perhibeat, ac apud inferos Minos, Æacus & Rhadamanthus, exercere olim crediti ſunt. (Diceret, rigidiorem tamen adhuc, magisqve inexorabilem, *Academiam Francicam* Pariſienſem: qvæ ut ANTONIO FURETERIO, ſocio qvondam ſuo, ſed expulſo; licentiam emittendi *Lexicon Univerſale* non invideret impediretve, permoveri nullis rationibus, nullis qvoqve ſatyris, potuit. Notæ ſunt illæ lites, nec hoc loco repeti opus habent. Prodiit tandem, poſt ingentem plurium annorum digladiationem, & poſt ſævum grammaticale bellum, Roterodami apud Batavos, cum in Gallia bibliopolam non reperiret, *Lexicon Univerſale Antonii Fureterii; omnes Gallicas voces, antiquas ac recentiores, cum terminis quarumvis artium & ſcientiarum, evolvens*, An. 1690. ubi tamen per antiqvas voces non veteres Francicæ Celticæve indigitantur; ſed, qvæ præterlapſis poſtremis ſolum ſeculis uſurpatæ, nunc in deſuetudinem abierunt. Ex qvo autem impreſſum publicè Fureterii paulo ante impreſſionem defuncti opus eſt; Francica Academia in perficiendo ſimili fœtu, qvem ultra 50. annos ingenti parturitione geſtarat, non ceſſavit: ediditqve tandem illum Pariſ. 1695., ſpiſſis duobus voluminibus comprehenſum. Qvanqvam vero miris ex eo tempore laudum cumulis à panegyriſta qvodam vel onerata, vel ornata, Francica Academia ſit: non tamen viciſſim defuit, qvi ſub titulo *l' Apotheoſe du Dictionaire de l' Academie Françoiſe* nuperrimè barbariſmos, falſas vocum evolutiones, aliaqve iſtiusmodi, partim in epiſtola Lexici nuncupatoria ad Regem, partim in ipſo Opere, reperiunda ſalſe perſtrinxit.) Mitto nunc tot aliorum Dictionaria; qvæ magno qvidem numero affluxêre; ſed utplurimum non magni momenti ſunt: cui rei Menagius *Supplicem Libellum Dictionariorum Gallicorum* à ſe editum, & in Anti-Bailleto vindicatum, aptavit. Certatum qvoqve inter Gallos de lingua ſua ſæpius præter rem, & de lana caprina litem inter Grammaticos eorum motam nemo negaverit; niſi qvi phraſes multas commendari ab hoc, & inter elegantiſſimas reponi, ignoret, qvas alter non ut inelegantes ſolum rejicit, ſed & ut barbaras proſcribit. Næ faciunt qvandoqve intelligendo, ut nihil intelligant. Habet nimirum lingua Gallica ſuos Criticos, uti doctos, ita inſulſos etiam & ineptos homines, æqve ac Germanica noſtra, cui à novis grammaticaſtris adeo facies ſæpe defœdata eſt; ut Slavonica potius, qvam Germanica, videatur. Auctores, qvi ad puritatem linguæ Gallicæ aliqvid contulere, ſtudioſe enarrat peculiari capite *Sorellus in Bibliotheca Gallica*, & annectit judicia.

14 Unum addimus tot Gallis Anglum, JACOBUM HOWEL'UM, qvi, *Epiſtolarum familiar. volum. IV. ep. 19.* prolixe *de ortu, de mutatione ac variatione linguæ Gallicæ*, disqvirit. Ortum è Britannia derivare vult, qvia detur multorum veteris Britannicæ Gallicæqve linguæ verborum manifeſta cognatio: qvia *Gallia*, nomen regionis, idem qvod Britannorum *Wallia* ſit: qvia juncta olim fuerint iſthmo regna Galliæ & Bri-

Britanniæ, qvæ nunc freto à ſe invicem divelluntur: qvia freqvens olim Gallorum in Britanniam iter, ut à Druidibus inſtruerentur, qvod ſine cognitione linguæ Britannicæ fieri non poterat: & qvæ alia habet Vir doctus argumenta parum utiqve firma, niſi Celticam antiqvam (qvam à Romanis rerum dominis planè apud Gallos extinctam vult) & Britannicam veterem ex una Scytharum lingua ortas, adeoqve ea ratione cognatas inter ſe, arbitretur. Doctè vero eadem epiſtolâ de expolitione linguæ Gallicæ, de variis ejus dialectis & proverbiis, agit: Inter alia celeberrimum iſtud lemma eqvitum periſcelidis: *Honny ſoit, qui mal y penſe;* ita explicat, ut à maculatis infantum faſciis metaphoram eſſe deductam, & in malevolos dicterio applicatam, arbitretur. E Germanis Joh. Henr. Ottius in *Franco-Gallia* ſua Gallicarum vocum è Germanis ortarum originem tradere aggreſſus eſt.

Grammaticas Gallorum non recenſebo, cum infinitæ propemodum ſint, & qvæ præ ceteris emineant ubivis notæ. Exactiſſimam parat adhuc Academia. Multo minus de librorum eâ linguâ ſcriptorum ingenti copia qvisqvam dubitat: cum jam ſuperiore ſeculo magnum in folio volumen meris Gallicorum Auctorum librorumqve recenſionibus adimplerit diligentiſſimus *Antonius Verdierius*, nempe *Bibliothecam* ſuam, Lugduni 1585. editam. Cui ſucceſſit Claud. Sorellus, & ipſe talis Bibliothecæ Auctor, ut & Franc. Grudeus Crucimanius (de la Croix du Maine) ſive de Cruce Cenomanenſi: de qvibus omnibus vid. *T. I. Polyhiſt.* lib. 1. c. 18. §§. 21. 22. 23. 25. Poſſet tamen adhuc altero tomo minimum augeri Verderianus Sorelliqve labor, neqve ſic omnes recenſerentur. De Poëtis infra mentio recurret. Politioris ingenii fœtus plurimos ea lingua tulit, debita ſane laude non fraudandos, modo non intolerandus tumor bona nonnullorum ingenia fœdaret. Sôlos ſe homines, ſe ſolos ingenio præditos, ridiculâ ſæpe oſtentatione jactitant: (o) cum haud raro videas delicatulos nodum in ſcirpo qværere: & cum plurima magno ſtrepitu locuti ſunt, nihil vel parum dicere. Certe non adeo obeſæ naris, vervecum ex patria, craſſove ſub aëre nati, ſumus Germani (vel qvæcunqve demum illi nobis convitia impingant,) qvin fumum vendi ab iis ſæpius, & præter vocabula vix qvicqvam rei in ipſismet cenſorum rigidiorum ſcriptis occurrere, animadvertamus. Sed hæc obiter. 15

ITALICA LINGUA gravior aliqvanto & ſeverior Gallicâ eſt, magno in pretio ipſis Gallis. E Gothica, Germanica & Latina, coaluit: Syntaxis plane Germanica eſt. Uti vero Galli Francicam ſuam Academiam excolendæ linguæ vernaculæ deſtinatam habent: ita jam ante hos Itali ſimile inſtitutum tenuere, viguitqve inprimis apud illos (ut jam Humoriſtarum Romanam, & Intronatorum Siennenſium Academias taceamus) Florentinorum *Academia della Cruſca*, jam ante initium ſeculi hujus 16

(o) Scriptorum Galliæ Modernorum Jactantiam, & Maledicentaim in Germanos, aliasqve Gentes, effrænem, juſta haut ita pridem παῤῥησίᾳ caſtigavit Joh. Frid. Cramerus, Conſil. Brandeburgicus, in *Vindiciis Nominis Germanici, contra quosdam Obtrectatores Gallos,* præfixis Solis Literis Nominis Initialibus J. F. C. Berolini A. 1694. in fol. editis, ac eodem mox Anno, Amſtelodami in 8vo recuſis.

jus noſtri clara: qvippe cujus Dictionarium, ſeu, ut vocant, *Vocabularium* linguæ ſuæ jam 1592. *in fol. Venetiis* primo lucem publicam aſpexit: recentiore dein editione plus ſemel recuſum. Qvanqvam non eo apud omnes applauſu, ut auctores qvidem ſperaverant, receptum eſt: ſed à *Paulo Benio* tam ſtrenuè acriterqve impugnatum, ut Thomaſinus palmam Benio porrigendam judicaverit. Malè Benium habuit, qvod Academici debitis Torqvati Taſſi laudibus detraxiſſe viderentur: cujus vero ille poëma de capta Hieroſolymorum urbe tanti æſtimat, ut Homeri, Virgiliiqve laboribus anteferendum ducit. Verum de Taſſo reliqvisqve Poëtis Italis, qvi & multi & egregii ſunt, in *Poëtico Polyhiſtore* dicendum erit. Illud non ferendum, qvod communi cum Italis Gallisqve multis, ſed & præpoſtero amore ſuæ vernaculæ abreptus *Benius Latinæ* etiam & *Græcæ* linguam *Italam* præferre non erubeſcit. Non poteſt vana iſta jactantia melius retundi, qvam graviſſimis rationibus, verbisqve ſtomachabundis Itali doctrina & facundia præcellentis *Hier. Rorarii*, qvi in tractatu, *Quod bruta melius ratione utantur homine, lib. II. p. 82.*, poſtqvam luſcinias ſingulari ſui cantus excellentiâ contentas reliqvos contemnere memoraſſet, ſubdit: *Quanto rationis capaciores, quam noſtratium nonnulli, qui vernaculam linguam, vere vernaculam, â vernis Gothis & Vandalis ortam, Latinæ præferre audent, cujus majeſtate amiſſum orbis imperium, ob eam unam non de poſſesſione penitus dejectis adhuc retinemus.* Hinc vilem redditurus linguam Italicam, cum Gallos, Hiſpanos, Germanos, Turcas irruentes, clademqve Italiæ inferentes, ei originem dediſſe, narraſſet: *I nunc*, ait, *& te Romanæ ſtirpis propaginem jacta. Ab his nempe barbaris hæc lingua, quam veluti filiolam exoſcularis, originem hauſit: qui, cum Latine loqui vellent, nec poſſent ejus excellentiam magis exprimere, quam ſturni noſtram ſolent, præclaram iſtam, quam Latinæ (ſi Deo placet) anteponis, condidere.* Digniſſima lectu ſunt, qvæ ſeqvuntur, qvippe in qvibus eloqventiam & poëſin veterum cum Itala recentiore confert, tum horum objectionibus ſatisfacit, exclamatqve tandem: *Hercle non poſſum me continere, cum videam Latini ſermonis candorem, & qvaſi ſacramentum quoddam, quod per tot ſecula tam ſancte, tam religioſe cuſtoditur, apud peregrinos, apud barbaros, apud hoſtes: à media in Italia natis non pollui modo, verum etiam aboleri, non ob aliud, quam ob imperitiam, & quod vel ad minimam eloquentiæ partem aſcendere poſſe deſperant. Qui ergo Latinus ſermo barbaras gentes liberalibus artibus ditavit, qui leges docuit, mores inſtituit, viam ad omnem ſapientiam munivit: quem ipſi barbari tanquam Deum de cœlo delapſum ſuſpiciunt, ac venerantur, quod illo duce videant ſe in media barbarie natos ſic erudiri, ut non amplius barbari dicantur: hunc Itali, ejus alumni, pravo judicio, inſipido guſtu, ferro, igne, quacunque vi, perſequentes extinguere conabuntur.*

DI prohibite minas: DI talem avertite caſum!

Non piguit iſta paulo prolixius referre: non, ac ſi penitus Italam damnaremus linguam, qvam potius magni æſtimamus, fatemurqve adeo, in ſcriptionibus Italos acumini magis, qvàm verbis inaniter ſonantibus, ſtudere; præſtantesqve plurimos illo-

rum

rum Oratores proſtare: ſed ut juſtus matri Latinæ honos conſtet; & perverſus ſeculi novaturientis pruritus valeat abeatqve.

Origines linguæ Italicæ, æqve ac maternæ Gallicæ, ſcripſit ÆGIDIUS MENA- 17
GIUS, qvarum editio poſtrema, Genevæ in fol. 1685. prodiit. Scriptas eas ab Auctore ſolùm, ut in Italia inclareſceret, cum Sorberio aſſerere temerarium foret: neqve diffitendum tamen eſt, in multis illum, ob ignorantiam Germanicæ linguæ, falli. Scripſit alias idem Vir doctiſſimus in Caſam & Taſſum, poëtas Italos: ſed de qvibus alibi. Origines linguæ hujus alias *Oct. Ferrarius Patavii* 1671. in fol. orbi erudito dedit: ſed qvas non vidi: uti nec *Origines Italicas Monoſini*, qvas Menagius allegat. Primus ferme, qvi magnam famam claritatemqve linguæ Italicæ attulit, FRANCISCUS ALUNNUS, Ferrarienſis, eſt, edito duplici fœtu bene meritus: qvorum prior Dictionarium eſt, hoc lemmate: *Le Ricchezze della lingua vulgare: Venet.* 1551. alter inſcribitur *la Fabrica del Mondo; nella quale ſi trovano le voci del Dante, del Petrarca, del Bocacci, &c. Venet.* 1561. Jac. Gaddius, *de Scriptoribus Non-Eccleſiaſt. T. I. p.* 24., tertium qvoqve librum ejus viri addit *Oſſervatione ſopra il Petrarca.* Reliqvos, qvi bene de Italica lingua meruêre, non memoro, biga ſolum excepta Virorum, qvi maximè in ſoluta ejus linguæ oratione excelluerunt. Unus illorum BENEDICTUS FLORETTUS eſt, qvem Erythræus *Pinacoth. II. p.* 106. refert, in cognoſcendis funditusqve percipiendis Etruſcæ linguæ divitiis, omnes fere nervos ætatis induſtriæqve ſuæ conſumſiſſe: usqve adeo, ut ad Cruſeani lexici marginem, qvo utebatur, multa perperam dicta correxerit, multa etiam nova atqve egregia addiderit. Hinc ei libro tantus honor eſt habitus, ut è multis Viris illuſtribus atqve ſummis expetitus tandem Joh. Carolo Mediceo, Ferdinandi Hetruriæ Ducis germano, cederet: qvi theſaurum ſe accepiſſe ratus omni cuſtodiæ ſubjecit. Major tamen adhuc gloria eſt AUGUSTINI MASCARDI, cujus dignitatem eloqvii, ſummamqve in Hetruſca lingua dicendi peritiam, Tullianæ Latinæ comparandam cenſuit idem Janus Nic. Erythræus *Pinacoth. I. p.* 112. Verba hæc ſunt, poſtqvam à variarum rerum inſigni peritia commendaſſet Maſcardum. *Verum omnium in ſe oculos Hetruſci ſermonis inprimis novitate convertit; qui ſermo ita ejus eſt proprius, ut, quemadmodum à Marco Tullio Tullianum, à Saluſtio Saluſtianum dicendi genus, eſt ortum, ita etiam à peculiari ipſius dicendi ſcribendique ratione novum genus, Maſcardio nomine, deducatur. Etenim in hujus orationem omnes virtutes conveniunt, quæ cadere in ſummam ac perfectam eloquentiam poſſunt; eſt enim translatis frequens, ſententiis celebris, verborum luminibus ſplendida, compoſitione ſuavis; majeſtate ſublimis, ſine arrogantia gravis, ſine vanitatis ſuſpicione elata, ſine cincinnis, fucoque puerili ornata atque compoſita.* Hæc Erythræus, qvi in ſeqventibus actionem qvoqve in eo Viro ſummi Oratoris fuiſſe docet. Ceteros, uti dictum, Oratores Auctoresqve Italos nunc præterimus: qvos in omni ſcientiarum genere egregios abunde prodiiſſe nos non latet. Atqve utinam, ad Gallorum exemplum, omnium eorum catalogus uno volumine comprehenſus proſtaret! Nimis enim exigua eſt ANT. FRANC. DONII Florentini, *Bibliotheca Italica*, ſcriptoribus at-

qve translationibus Italis recenſendis dicata eqvidem, ſed longe impar. [Prodiit Venet. 1550. in 12. multoties repetita. Grande opus Bibliothecæ Hiſtoricæ Italicæ, referente Labbeo, *Raphael Triquetus*, Traxineus, moliebatur; ſed nihil dedit. Parabat & Opus tale ANT. VERDIERIUS, ſupra laudatus: jamqve maturandæ editionis ejus, *in præfatione ad ſupplementum ſuum Gesnerianum*, ſpem fecit his verbis: *Scito, lector, me nunc ampliſſimam ſcriptorum Italicorum nomenclaturam apparare, in qua diffuſe, quos libros ſinguli eo ſermone conſcripſerint, aperio: argumento quin etiam ſæpisſime ſingulorum librorum explicato. Quod opus propediem, ſi Deus dederit, emittam: ſicut enim Gallicam Bibliothecam nuper in vulgus protuli; ita non abs re mihi facturus videor, ſi & Italicam, ubi hominum ingenia florent, propter mirificum meum in eam linguam amorem, in ſtudioſorum gratiam & utilitatem emiſero.* Eo magis vero dolendum eſt, conatum hunc omnem penitus intercediſſe, qvo majori videbatur diligentia Verdierius eam hiſtoriam petractaturus. [De Neapolitanis Scriptoribus, tùm qvi ex eo regno vel urbe orti ſunt, tùm qvi illuc ſe contulerunt, amplum Opus habemus NICOLAI TOPPII Patricii Theatini & J. U. D. in II. Partes diſtinctum excuſumqve in fol. *Neapoli A.* 1678. hoc titulo: *Bibliotheca Napoletana, & Apparato à gli Huomini Illuſtri in Lettere di Napoli, è del Regno; delle famiglie della citta è religione, che ſono nello ſteſſo regno: delle loro origini per tuto l' anno 1678.* Prolixe ibi de Auctorum notitia adductis qvoqve aliorum ſcriptorum teſtimoniis & elogiis agitur; recenſentur ſcripta non Italica ſolum, ſed & Latina; adduntur qvandoqve epitaphia, & alia hujus generis ſtudioſe admodum colliguntur. Cum vero, ut in iſtiusmodi ſcriptionibus ſolet, multa adhuc deeſſe viderentur, ſupplementum Toppii *Addizioni Copioſe* adornavit an. 1683. in fol. ibid. editum *Leonardus Nicodemus*: qvi & Auctores plurimos addit, & Auctorum Toppio memoratorum ſcripta, qvæ ille ignoravit. Uterqve ordinem alphabeticum obſervat, & adeo veteres non negligunt, ut & Pythagoras apud Toppium compareat, qvia Crotonæ obiit, & Caſſiodorus aliiqve apud Nicodemum.]

18 Non adeo multum ab Italica lingua differt LINGVA HISPANICA, qvam & inter eas, qvæ è Latina ortæ ſunt, matri proximam Barthius judicavit. Multa vulgo de illius majeſtate ab Hiſpanis creduntur, adeo, ut in proverbium abierit, *cum Deo Hiſpanicè ob majeſtatem eſſe loquendum.* Orta vero una maxime è Gothicæ cum Latina commixtione eſt, &, qvem eſſe genium Gothici idiomatis Baco de Verulamio obſervavit, lenes in aſpiratas utplurimum mediasve mutat. *Origines linguæ Hiſpanicæ* à COVARRUVIA ſcriptas allegat atqve ſpernit, in præfatione ſuarum Originum. Gall., Menagius. Alias adornavit Romæ 1606. BERN. ALDRETE hoc titulo: *Origen, y principio de la lengua Caſtillana*: in 4. Habemus & ejusdem Auctoris *Antiquitates Hiſpanicas & Africanas*, Caſtellano ſermone Antvverpiæ 1614. in 4. editas, qvæ multas multarum vocum Hiſpanicarum origines ſimul pandunt. Libri cetera Hiſpanis nec pauci, nec juſta, aut exqviſita etiam, eruditione deſtituti, ſcribuntur; cum ipſa regio, uti poſt alios Erythræus refert *Pinacoth. III. p.* 163., magna cœli ſalubritate, puritateqve ſpirituum, aptos præcipue ſuos incolas red dat, ingeneret una laborem, patientiam & ſollicitudinem, ut non in theologia minus,

nus, qvàm bonis artibus, excellant. Verum raro admodum ad nos iſti libri perveniunt. Theologi ſupra modum ſcholaſticæ philoſophiæ addicti ſunt. Politici & Poëtæ laudem merent: ut alibi oſtendetur.

Reſtat adhuc ex Europæis vulgaribus LINGVA ANGLICA, qvæ tamen non 19
propterea ultimo, ſi dignitatem ſpectes & neceſſitatem, loco ponenda eſt: imo potius ob qvamplurima ſcripta Theologica, non practica minus, qvàm qvæ ſcientiam pariunt, & Eccleſiaſticas antiqvitates mire illuſtrant: tum & philoſophica, præſertim phyſica, qvorum major eſt ibi, qvàm apud ullas alias gentes, copia, inprimis tenenda eſt. Ut nunc Hiſtoricos civiles libros, & ingenii elegantioris fœtus, qveis ſe mutuo certatim exercent Angli, taceam. Fundamentum illius linguæ, & qvaſi ſolum lingua Saxonica eſt, unde & hodieqve Anglo-Saxonica vocatur: qvæ amplius qvidem publica non eſt, ſed qvà leges patriæ & antiqva monumenta plurima conſcripta ſunt, qvorum multa Speelmannus, Seldenus, aliiqve, edidere. De harmonia linguæ Anglicæ veteriſqve Saxonicæ peculiare ſchediaſma ſcripſit Thom. Brovvn, qvod inter Opera ejus Anglico idiomate Lond. 1686. excuſa prodiit. Sed vero miſcentur cum iſta veteri Saxonica multæ Britannorum veterum voces, multa Latina, Græca, Danica, Gallica, qvæ pro lubitu illis levi mutatione fiunt Anglica: de qvibus mutationibus, earumqve cauſis, docte agit in præfatione Lexici ſui *Waſius*: & *Joh. Walliſius* in præfatione *Grammaticæ ſuæ Anglicanæ*, qvæ compendioſiſſima & fere optima eſt, prodiitqve 1664. in 8., qvamplurimis inde locis & annis repetita. De excellentia linguæ Anglicæ in *Guil. Cambdeni* libro, qvi inſcribitur *Remains* (i.e. *Reliquiæ*) reperitur aliqvid, ut in ejus *Britannia* ſparſim linguæ Origines qvoqve attinguntur. Lexicographi apud illos plurimi ſunt: *Joh. Minsheu*, cujus *Dictionarium Hiſpano-Anglicum & Anglico-Hiſpanum* Londini 1623. excuſum circa vocum origines nonnunqvam curioſius exſpatiatur: *Thomas Thomaſius*, à qvo *Dictionarium Latino-Anglicum*, & *Anglico-Latinum*, Lond. 1615. editum habemus: præterea *Waſius*, *Riderus*, *Gouldmannus*, *Coleſius*, aliiqve. Poëtas Anglos, contra Sorberium Gallos nimis extollentem, vindicavit *Thomas Spraat*, non minus eleganter, qvam docte, in Obſervationibus ad ſcriptum Sorberii Anglico ſermone procuſis. Idem argumentum celeberrimus Anglorum Dramaticus, *Joh. Dryden*, tractavit in libro cui titulus: *An Eſſay of Dramatick Poeſy* Lond. 1668. in 4. evulgato. Et ſane, ut, in Epico Carminum genere, *Joh. Miltoni* inſigne poëma *The Paradis Loſt* Gallos omnes in epicis infeliciores longo poſt ſe intervallo reliqvit: ita & Drydeni aliorumqve nonnullorum Dramata palmam iis ſi non præripere, profecto admodum dubiam reddere, poſſunt. Enimvero hæc hujus loci non ſunt, ſed in alium differenda. (*p*)

(*) Ducentos Poëtas Gentis Anglicæ celebriores, tùm Vernaculos, tùm Latinos, qvi à Guilhelmi Conqveſtoris ævo, ad Jacobi usqve II. Imperium, floruerunt, Guilh. VVinſtanley peculiari celebravit Libro Anglico (*The Lives of the moſt famous Engliſch Poetes*), Londini A. 1687. in 8vo edito, & *in Actis eruditorum Lipſienſibus M. Oct. A.* 1687.

CAP. V.
DE LINGVIS ORIENTALIBUS ET COGNATIS.

§. 1. Quantam ſibi illarum peritiam, itineribus in ipſum Orientem ſuſceptis, Georg. Gentius & Gvilh. Poſtellus paraverint. 2. Linguæ Hebrææ Characterum, Vocalium & Accentuum, Antiquitas inter Criticos controverſa. Grammaticorum ejus in docenda illa Cacoethes. Mich. Neandri Erotemata Grammatica commendata. Caſp. Scioppii, in Diatriba de ratione eam addiſcendi, turpe plagium. 3. Doctrinæ Accentuum Hebræorum Scriptores. 4. Lexicographi Hebræi. 5. Autores, qui Bibliothecas Scriptorum Hebræorum, ac Rabbinicorum, deque rebus Hebræis commentatorum, congeſſere. Nonnulla obiter de Judaiſmo Ariſtotelis fictitio inſperſa. J. C. Wagenſeilii Juſta in Plagiarios Literaturæ Rabbinicæ ineptos Invectiva. 6. Linguæ Arabicæ in Vocibus Luxuries ac Fœcunditas, aliquot Exemplis & Teſtimoniis oſtenſa. Uſus ejusdem multiplex. Peregrinatores per Orientem, aliique Eruditi, qui MSSta Arabica, aliaque Orientalia, ſtudioſe collecta, in Europam invexerunt, celebrati. Herm. Conringius, ob iniquius de iſtis Judicium, notatus. De Verſionibus & Lexicis Linguæ Arabicæ nonnulla. 7. Linguæ Ægyptiæ, ſeu Copticæ, cum Græca Cognatio. Ath. Kircheri in reſtituenda illa Labores. Er. Vindingii de his Cenſura. 8. Linguæ Punicæ Hiſtorumena Thomæ Reineſii. Fragmentum ejus inſigne, in Plauti Pœnulo reliquum, à Philologis compluribus illuſtratum. 9. Linguæ Perſicæ, cum Germanica Convenientia, à J. Lipſio, Joh. Elichmanno & Sam. Bocharto, demonſtrata. Λείψανα *ejus à Guilb. Burtono collecta. Lexica potiora* ἀνέκδοτα.

1 EX *Europa* tendimus nunc in ORIENTEM, non fuſe, *quid de* LINGUIS *illius dici poſſet, inquiſituri*, ſed pro inſtituti noſtri ratione paucis delibaturi, qvæ ab aliis operoſo magnorum voluminum apparatu dicta ſunt. Qvemadmodum vero multum in omni genere ſtudiorum prodeſſe linguarum Orientis peritiam facile omnium conſenſu conſtat: ita ſunt, qvi, earum flagrante cupidine incenſi, orbem fere totum longis itineribus peragrarunt: ut eo promptiorem linguarum Aſiæ Africæqve ſibi notitiam pararent. Eſt inter eos nomen haud incelebre GEORGII GENTII, cujus *Hiſtoriam Judaicam*, ſeu verſionem libri *Schephet Jehuda*, Amſtel. 1651. excuſam, aliaqve pauca, habemus. Is olim aulæ Saxonicæ Electorali à miniſteriis, ſtudio linguarum orientis captus, munere abdicato Vienna Conſtantino-

A. 1687. *p.* 577-580, recenſito. Dramaticorum Angliæ Poëtarum Vitæ & Characteres, à Langbainio inchoati, à Car. Hildono autem ad finem usqve Sec. XVII. continuati, Vernaculo item Gentis illius Idiomate Londini A. 1699. in 8vo prodierunt Vid. de iis Lipſienſes *l. c.* M. Sept. A. 1699. *p.* 424-427.

ſtantinopolim petiit, & hinc late Aſiam omnem per complures annos emenſus, rediit tandem in Bataviam, è Belgio Dresdam, linguarum omnium Medicæqve artis apprimè gnarus: ibi vero, cum & itineris diuturnitate ignotus eſſet omnibus factus, & morum incultâ ſimplicitate nemini placere ſtuderet, ſpretus in obſcuro latuit, ab amico veteri, qvem unum adhuc repererat, ſuſtentatus; hoc autem defuncto, ſenex admodum & miſer Berolinum abiit, ibidemqve in ſumma pauperie, qvam oſtiatim petita ſtipe ſublevabat, ferme præ ſenio delirus, fatis conceſſit, poſtqvam ultra octuageſimum noſtri ſeculi annum vitam protraxiſſet. Celebrior adhuc longe Gentio GVILIELMUS POSTELLUS ſuperiore ſeculo fuit, & ipſe per annos bene multos Aſiæ Africæqve hoſpes: qvas more antiqvorum philoſophorum diſcendi cauſa peragravit. Linguarum adeo callens fuit, ut referente in Elogiis Teiſſierio, per univerſum orbem ſe ſine interprete commeare poſſe jactârit. Edidit XII. *Linguarum characteres & legendi modum*: qvi liber, Mich. Neandro in præfatione ad Erot. Ling. Ebrææ p. 11. referente, *præceptiones Grammaticas XII. & Lexicon totidem linguarum continet: Hebrææ videlicet, Chaldaicæ veteris, Chaldaicæ recentioris, quam à tranſitu fluminis vocant, Samaritanæ, qvæ priſca Hebraica eſt; Arabicæ vel Punicæ; Indicæ; Græcæ, Georgianæ, Tzeruianæ, Hieronymianæ vel Illyricæ, Armenicæ & Latinæ.* Pariſ. 1538. Geſnerus in Bibliotheca, fol. 292. dum hunc Poſtelli librum recenſet, addit; in ſingulis illis (linguarum expoſitionibus) rariſſimas Chriſtianorum, in diverſis orbis partibus agentium, hiſtorias haberi, qvibus illæ linguæ ſint in ſacrorum uſu. Nihilominus, poſt tantum de tot linguis ſtrepitum, Joſ. Scaliger de Poſtello aliter ſenſit: Arabiſmi imperitiam illi impingens, qvam, partim è familiari converſatione, eodem cubiculo per aliqvot dies uſus, deprehenderit, partim è verſione Alcorani oſtendi poſſe perſuaſus eſt. *Sed nondum*, ait, *hebdomadem integram mecum habitaverat, cum in carcerem conjectus fuit, homo, quem inſania ab omnis malitiæ ſuſpicione vindicare poterat. Et qui aliter de eo judicant, longe decipiuntur.* Hæc Scaliger Epiſt. 362. Plura de Poſtello non addimus, de qvo jam alibi à nobis dictum: unum addo, qvi variorum de illo varia teſtimonia collegit, Paulum Colomeſium in Gallia Orientali p. 60. ſeqq., qvi videri poterit. Nunc ad linguas.

Earum princeps HEBRAICA habetur: qvanqvam non deſint, qvi ejus primatum impugnent. De antiqvitate linguæ Hebrææ dictum jam ſupra. De characterum ejus, punctorum, vocalium, accentuumqve antiqvitate vel novitate inter criticos acriter diſputatum eſt; qvorum principes LUDOV. CAPPELLUS & JOH. BUXTORFFIUS, uterqve ſuos aſſeclas habuit, qvi litem hanc ſtrenue reſumſerunt. Literarum, qvales hodie ſunt, qvadratarum antiqvitatem præter alia argumenta ex numorum veterum inſcriptionibus vulgo impugnant: qvo tamen argumentationis genere non usqve adeo decidi rem, qvin in adverſam qvoqve partem ventilari poſſet, obſervat Vir in rei numariæ ſtudio ante omnes alios laudem meritus EZECH. SPANHEMIUS *Diſſert. II. de Præſtantia & Uſu Numiſm. p. 66.*, ubi nonnulla de Samariticis & Hebræis characteribus è numis haurienda exponit. PETRUS LAMBECIUS *in Commen-* 2

tario de Bibl. Vindobon. lib. III. p. 55. Codicem qvendam Cæſareæ Bibliothecæ recenſet, qvi poſt alia Alphabetum qvoqve Hebraicum contineat, literis ab hodierna ſcribendi ratione valdè diverſis exaratum, & adjuncta explicatione Græca illuſtratum: cui ſubjuncta qvoqve Nomina Hebraica IV. Archangelorum, ceterorumqve Angelorum, & IV. fluviorum paradiſi, cum interpretatione. Figuras vero literarum non addit Vir doctus, neqve etiam, an Samaritano vel cui demum characteri accedant, qvicqvam dicit. Inqvirant hoc, qvibus id licet. De Grammaticis Hebræorum, earumqve delectu, nihil dicam: abundet qvilibet ſuo ſenſu: hoc certum, complures hodie diſcere docereqve Grammaticam, non ut linguam ſciant, ſed ut fiant faciantqve Grammaticos. Non trivit ignobilem viam hanc doctiſſimus MICHAEL NEANDER, cujus *Erotemata Linguæ Hebrææ* è Grammaticis, qvæ ſuperiore ſeculo ſcriptæ ſunt, ſola profero, excuſa Baſil. 1567. in 8. Certè, ſi in eruditiſſimâ ejusdem præfatione, qvam Erotematibus Græcis præfixit, qvamplurima ad notitiam literariam contineri alibi dictum à nobis eſt: non minorem arbitror Hebrææ rei literariæ lucem Hebræis Erotematibus ſuis attulit. Ibi enim, in præfatione, de variis viris doctis in ſtudio linguarum orientalium celebribus agit, ut & de lingua Hebræa in univerſum, deqve Rabbinorum ſcriptis: tum exhibet Erotemata: & Erotematibus annectit varia Rabbinorum de Chriſto teſtimonia, haud utiqve contemnenda: hisqve demum poſtponit Catalogum & Bibliorum, ptout variis editionibus excuſa ſunt, & aliorum ſcriptorum plurium, qvæ ad Orientales linguas ſpectant, maximâ ſanè diligentiâ undiqve conqviſitum, ita, ut æqviparari Græcis Erotematibus Neandri Hebræa absqve hæſitatione poſſint. Aliud judicium meret GASPAR SCIOPPIUS, homo Latinæ qvidem linguæ ad miraculum gnarus, aſt non æqve linguarum Orientis: qvarum tamen ne imperitus videretur, *Diatribam* edidit *de compendioſa & facili linguam Hebræam & Chaldæam addiſcendi ratione*, qvæ tùm ſeparatim, tum cum aliis libellis de ſtudiorum ratione, 1645. & 1658. in 12. apud Batavos excuſa eſt. Verum turpi plagio ſurreptam Joh. Buxtorffio, Filio, totam hanc Diatriben obſervat Placcius de Pſeudonymis p. 254.

3 In accentibus Hebræis qvæſita noſtro ſeculo nova aliqva doctrina eſt, cui occaſionem primam dedit *Samuel Bohlius.* Hunc ſecutus *Caſpar Ledebuhrius*, improbo plane labore collectis è S. Codice exemplis, certis regulis rem complexus eſt. Hinc *Auguſtus Varenius*, Profeſſor Theologus in Academia Roſtochienſi, commentariis exegeticis in libros V. T. editis uſum accentuationis oſtendit, ac omne negotium accentuatorium diffuſis præceptis jam à multis retro annis integro libro complexus eſt, ſed qvi hactenus nondum editus inter diſcipulorum, doctorumqve virorum, manus latet. Demum & Cl. *Matthias Waſmuthus* ſymbolam ſuam in rem accentuatoriam contulit in Hebraiſmo ſuo, ut vocat, Reſtituto: ut aliorum nunc Spicilegia tranſeam.

4 Idem vero memoratus paulo ante Bohlius formales qvasdam ſignificationes radicum Ebraicarum qvæſivit: ad qvas reliqvæ unius radicis ſignificationes, velut ad genericos qvosdam conceptus, referantur. Earum *Lexicon aliqvod MSS.* olim inter

ter ſchedas meas habui, qvod nunc habet à me amicus. *Lexica Hebraica* Forſteri, Pagnini, Avenarii, Buxtorffii, Cocceji, aliorumqve, ſatis nota ſunt: & memorata ſtudioſè *Aug. Pfeiffero in Critica S.c.V.§.10.* qvi & multos ineſſe his omnibus defectus non diffitetur. (*q*) Rariſſimum linguæ Hebrææ Lexicon, & cujus nonniſi unum exemplar in toto orbe extare putat, Petrus Lambecius recenſet inter libros MSS., qvi à Sebaſt. Tengnagelio Cæſareæ Bibliothecæ legati ſunt: titulus eſt *Mechaberoth*, ſeu Compoſitiones *R. Salomonis ben R. Abraham.* Antiqvius iſtud Lexicon Kimchi Libro Radicum eſt, qvippe jam ſeculo XII. ſcriptum, collectumqve, ut additur, ex R. Saadii Gaon, R. Jehudæ B. Chiug, R. Jonæ B. Gana, Arabicis Gloſſariis: item è R. Samuel Hannaggid & R. Salomon Hakkaton. v. *Lambec. L. I. Bibl. Vind. p.* 177.

Qvi vero plura de libris Hebraicis, Rabbinicis, reliqvisqve Orientalibus, cognoſcere deſiderat, adeat Joh. Buxtorffii Bibliothecam Rabbinicam, libro de Abbreviaturis additam: J. Henr. Hottingeri Bibliothecam Orientalem, Heidelbergæ 1658. in 4. excuſam: Johannis Plantavitii, Epiſcopi Lodovenſis, Bibliothecam Rabbinicam Florilegio ejusdem Hebraico, Lodovæ 1645. edito, ſubnexam: qvi omnes magno ſtudio ſuis laboribus functi ſunt. Omnes autem locuplete librorum Auctorumqve numero longe ſuperavit Judæus de polyhiſtoriâ ſuæ gentis ſollicitus R. SCHABTAI BEN JOSEPH, cujus liber inſcriptus *Labia Dormientium*, excuſusqve Amſtelod. in 4. 1681., Hebraico idiomate ingentem ſegetem aperit, (*r*) in certas, haud incongruo ordine, claſſes diſtributam, ſcriptorum omnis generis Rabbinicorum, qvæ ut eo felicius indagaret, varia per Europæ Synagogas itinera multorum annorum ſpatio ſuſcepit. Mole hunc, non Auctorum Apparatu, vicit JULIUS BARTOLOCCIUS, emiſſis in lucem tribus ſat magnis in fol. voluminibus, qvæ *Bibliothecam magnam Rabbinicam* inſcripſit, ordine alphabetico juxta Auctorum nomina digeſtam; excuſamqve Romæ 1672. 1678. & 1683. Prolixè ibi de vitâ & ſcriptis cujuscunqve differit, & qvan-

(*q*) Fuſius de Lexicis Hebræis diſſeruit, eorumqve Nomenclatorem egit & Cenſorem, idem (cujus Criticæ Sacræ de iis Locus hic allegatur) Aug. Pfeifferus, Superint. Lubecenſis, in *Conſultatione Epiſtolica de Editione Lexici* (qvale ipſemet moliebatur) *Biblici Ebræo-Chaldaici Novi, mole modici, ſed plenioris atque planioris omnibus hucusque* editis, Dresdæ A. 1679. in 4to excuſa.

(*r*) Duplicem hactenus Bibliothecæ R. Schabtai Ben Joſeph. Rabbinicæ (qvam *Labia Dormientium* Autor appellavit) Verſionem è Septentrione expectavimus Latinam, alteram Chriſtiani VVormii, Ædis Haffnienſis Nicolaitanæ Antiſtitis Doctiſſimi, Notis adjectis illuſtrandam, qvam, in *Præfat. Libri Secundi de Corruptis Antiquitatum Hebraicarum apud Tacitum & Martialem Veſtigiis*, A. 1694. eſt pollicitus; alteram Guſtavi Peringeri, Strengnenſis, L. L. Or. in Acad. Upſal. olim Profeſſoris, nunc autem Librorum in Regia Holmienſi Cenſoris, qvam, Autoris ipſius concinnatam poſtulatu, Anno jam 1690. ab eo juſſit expectari Magnus Ronnovius, Svecus, *in Notis ad Cod. Talmudicum de Æſtimationibus p.* 9. Utinam alterutra ſaltem primo qvoqve tempore prodeat, & novam Orienti è Septentrionis tenebris lucem foeneretur.

qvandoqve integras ferme diſſertationes immiſcet, qvalis eſt, qvam *de Judaiſmo Ariſtotelis* habet *T. I. pag.* 471., ubi cujusdam R. Gedaliæ Ben Jachija inſaniam recenſet, Ariſtotelem Hieroſolymitanum, Koliæ filium, de tribu Benjamin, aſſerentis: eaqve occaſione fuſe in originem putidi erroris inqvirit, & , non ſine probabili ratione, è loco *Euſebii L. IX. c. 3. Præpar. Evang.* male intellecto deducit. Neqve vero mirum cuipiam videatur, admiſſum inter Rabbinos Ariſtotelem: facilis enim & Chriſtianis,& Gentilium Philoſophis Medicisqve, aditus ſine invidia patefit, qvotqvot ulla ratione illuc referri poſſe videntur; adeo, ut *Æſopo* etiam *inter Rabbinos locus ſit.* Mirum inde non eſt, licet in magnam molem Opus creverit, non tamen ad umbilicum per omnes alphabeti literas eſſe deductum. Supplementum Bartoloccio ſcripſit CAR. JOSEPHUS IMBONATUS, ſeu *Bibliothecam Latino - Rabbinicam*, Romæ 1694. Verum & hic, dum Scriptores undecunqve corradit, erroribus haud raro jocularibus locum dedit. Poteſt interim, ex his Bartoloccii atqve Imbonati laboribus, longe plurimorum è recentioribus, qvi Hebræam eruditionem præ ſe tulerunt, notitia hauriri. Quam juvabit qvoqve PAULI COLOMESII *Gallia Orientalis*, Hagæ Com. 1665. in 4. edita, qvæ Gallorum, qvi linguam Hebræam, vel reliqvas orientales, excoluerunt, Vitas, opera, & judicia variorum de iis, ſiſtit. Daturus ſimilis inſtituti libros de reliqvis etiam Europæ provinciis Colomeſius *Italiam Orientalem* bibliopolæ jamjam tradidiſſe fertur, ſed qvæ neſcio qvâ fraude ſurrepta eſt. Interim notari meret juxta celeberrimi WAGENSEILII expoſtulatio, qva, in *Sota p.* 202. in plagiarios Rabbinicæ eruditionis invehitur; qvorum neqve finem eſſe, nec modum, indignatur, & oppido paucos, qvi profiteantur, qvorum corticibus natent, qvibusve adjutoribus uſi ſint: ſed ſe Talmud inſpexiſſe, ſibi lectos Rabbinos, ſuas ſe in medium verſiones afferre, videri velint: idqve eo ægrius fert, qvo ſe certius *in ſcenam producere poſſe novit Viros egregios, qui non contenti ea gloria, quam in divinæ humanæque literaturæ partibus aliis, doctrina & induſtria ſua, ad invidiam usque ſibi paraverant, dum etiam reliquæ ſcientiæ inſignem in Rabbinicis literis peritiam adjeciſſe ſe credi poſtulabant, & Rabbinorum dicta, Raymundis, Buxtorffiis, Seldenis, Coccejis, Voiſiniis, Schickardis, clam erepta, cumularunt, hic quidem turpiter ſe dederint, eruditis ſuis alioquin ſcriptis fœda inurendo ſtigmata.* Monet vero Wagenſeilius, nusqvam periculoſius, qvam in hoc genere plagiorum, errari, qvæ ſe utplurimum ipſa prodant. *Nam*, ait, *dum non ſatis tenent, quid alii citent, aut quomodo, proinde ipſi nunc ex libris Vulgarium Rabbinorum faciunt Talmudicos, nunc hos in illorum convertunt: jam propria nomina pro appellativis; appellativa pro propriis, accipiunt: conjungunt divellenda, ſeparant quæ cohærent, commutant priora cum poſterioribus: exſcribunt teſtimonia cum vitiis typographicis: laudant nobis* R. Raddak, R. Raſchi, R. Rambam, R. Smag., *& ſi qui ſunt ſpiſſi ridiculique errores alii.* Exempli loco dein Petrum Galatinum profert: & *Dominicum Garciam*, Hiſpanum, qvi cum in Complutenſi Academia *Hebrææ linguæ moderator primarius* extitiſſet, edidiſſetqve Cæſar auguſtæ 1606. ſuperbo titulo *Propugnacula Religionis Chriſtianæ contra obſtinatam perfidiam*

perfidiam Judæorum , qvibus confectam rem omnem ipſe exiſtimarat ; puerili tamen errore R. Salomonem cenſuit eſſe auctorem libri, *Directoris Dubitantium* (qvi Maimonides eſt), aliosqve errores plusqvam putidos committit. Hæc è doctiſſimi Viri libro excerpſiſſe è re utiqve videbatur: ſimulqve iſta de Hebræa lingua ſufficiant. De Antiqvitatum enim Hebraicarum Scriptoribus alio in loco dicemus.

ARABICA Lingua omnium inter Orientales diffuſiſſima eſt , ob infinitam 6
pene vocabulorum multitudinem, dum una res, pro variis accidentibus, qvibus diſtinguitur, varia habet nomina, ut ex Anton. Giggeji & Jac. Golii Lexicis patet: Qvinimo tantam eſſe linguæ ejus luxuriem P. Angelus à S. Joſepho, in *Gazophylacio Perſico*, obſervat, ut 1000. habeat vocabula, qvæ gladium, 80. qvæ mel, 500. qvæ leonem , & 200. qvæ ſerpentem ſignificent. (*s*) Divina nomina , ſeu attributa, uno plus mille, Arabicè & Perſicè exarata, ſe Latine interpretaturum promiſit Petrus à Valle , Epiſt. ad Tengnagelium. *Tantum eſt pelagus illius ſermonis*, ait Joſephus Scaliger Epiſt. 90. ad Caſaubonum , *ut, quo plura in illo diſcimus, eo plura occurrant, quæ ſine magiſtro nunqvam didicero.* Hæc ille Scaliger , cui tam familiaris ſermo Arabicus , ut ad lexicon Antonii Nebriſſenſis ultra 20000. vocum, & inter eas minimum 8000 radicum (alibi ſcribit 14000.), è variis Arabum variorum ſcriptis, collegerit : ut, in iisdem Epiſtolis p. 531. & 646., refert. Nihilominus tamen, non obſtante ejus difficultate, jamdudum ſalivam eruditis ea lingua movit, qvod audirent, multos veterum philoſophorum libros, in hanc linguam converſos, apud Arabes latitare, ut inde jactura eorum reſtaurari poſſit: multa etiam Medicis ex Arabibus haurienda, qvæ absqve illorum lectione prorſus ignorarentur. Hinc Iſaacus Caſaubonus, jam ætate paulo provectior, eam addiſcere cœpit: qvod idem Salmaſius etiam vir facit. Alii in Orientem profecti magna ſecum literata ſpolia retulerunt. *Petrus à Valle*; (qvi ipſe, in variis epiſtolis ad Morinum datis, ut & in ea, qvam ad Sebaſt. Tengnagelium ſcripſit, qvamqve libro I. Comm. de Bibl. Vindob. Petrus Lambecius ſub finem p. 165. ſqq. inſeruit, ſua ſtudioſe recenſet) *Reinardus* qvidam Mathematicus (cujus bibliothecam Arabicam, ſummo labore & ſumptu colle-

(*s*) Qvæ de Linguæ Arabicæ Ubertate & Luxurie, fide Angeli à S. Joſepho, *h. l.* narrantur, Monachus ille, ni fallor, Edvardo debet Pocockio, cujus ex *Notis in Abulf. p.* 153. Aug. Pfeifferus (*in Introd. in Orientem, Diſſ. II. Qv. 9. p.* 27. 28. de eadem, qva Græcam etiam ſuperat, ubertate differens) verba allegat ſeqventia, digna qvæ & *h. l.* recitentur: *Quantum Græcam, Latinam, aliasque Linguarum præcipuas, verborum copia ſuperet, hinc conjicere licet, quod aliquando vel ſola diverſarum unius rei appellationum enumeratio & explicatio Juſtam Voluminis integri materiam præbuerit. Sic doctiſſimo Grammatico,* Ebn. Chalavvain, *Libri unius Subjectum Leonis nomina, quæ quingenta; alterius Serpentis, quæ ducenta, teſte* Jallaloddino in Mezhar. *Autor Kamuſi,* Mohammed Al Eirauzabadius, *Librum integrum de Mellis Appellationibus & Utilitate ſe conſcripſiſſe ait, in quo cum 80. ejus nomina recenſuerit nomenclaturam, totam tamen ejus non abſolviſſe notatur. Teſtatur idem, Enſis appellationes ultra mille ſe in Libro, à ſe compoſito, enumeraſſe.*

ctam, abſorptam tandem, poſt collectoris mortem, à Vaticana refert atqve dolet Holſtenius in epiſtola ad eundem Tengnagelium, ap. Lambec. T. I. Comment. de Biblioth. Vindob. p. 110.), *Jac. Golius*, qvi theſaurum ſuum Leydenſi Bibliothecæ intulit; de qvo maxime Holſtenius l. c. gaudet, & *orbi Chriſtiano gratulatur, incidiſſe in illorum manus, qui nihil publico invident, & qui ex iſto theſauro evulgando laudis materiam quærunt*: *Nicol. Clenardus*, qvi & linguarum & religionis cauſa ſeceſſit in Africam, ac de fructu ſuæ profectionis in epiſtolis agit: *Chriſtianus Ravius*, qvi ſuorum librorum titulos Spolio Orientis annexuit: *Eduardus Pocockius*, aliiqve. *Nicol. Peireſcius*, ſublime iſtud Galliæ literatæ ſidus, cum in Orientem ipſe proficiſci non poſſet, nullo tamen ſumtui, ut inde libri ſibi aſportarentur, pepercit, qvorum aliqvando numerum haud contemnendum naufragio amiſit; ut è prolixâ ejus ad Joh. Morinum epiſtolâ, qvæ inter Morinianas (ſub titulo Antiqvitatum Eccleſiæ Or. emiſſas) 36. eſt, videre licet. Eodem tempore bis jam memoratus Vindobonenſis Bibliothecæ præfectus, *Sebaſt. Tengnagelius*, omnia tentavit, ut Cæſaream Bibliothecam Arabicis qvoqve Perſicisqve libris, vel qvicunqve demum ex Oriente comparari poſſent, locupletaret: nam, ut erat ſtudio earum linguarum mirè deditus, ſuis ſumptibus undiqve libros eos conqviſivit, præſtititqve etiam, ut inſigni tandem copiâ abundaret, qvæ poſt ipſius mortem Auguſtæ Cæſaris ſuppellectili legata ceſſit. Catalogum exhibet Lambecius lib. I., à p. 168. usqve ad 184. Verum, ſi Conringio aurem præbeamus, non adeo magni Orientales libri æſtimari merentur, qvi ſcilicet, qvicqvid boni habent, à Græcis hauſêre, & magnam qvoqve partem meræ Græcorum translationes ſunt: qvæ vero propria Arabum, longe infra Græcam eruditionem ſubſident: Perſicum vero, Copticum, vel Æthiopicum qvid, aptum ſapientiæ, ne ex fama qvidem accepimus, qvod non liceat longe plenius ex editis aliorum ſcriptis addiſcere. Ita qvidem Conringius in *Epiſtola de Biblioth. Auguſta p. 64. ſq.*, qvi, ut ipſe eodem loco hiſtoriam excipit, ejusqve è libris Orientalibus hauriendæ aliam eſſe rationem fatetur: ita ſe non in omnibus audiendum ſimul ſubobſcure innuit; eamqve ſolum ob rationem iſtud ſcripſiſſe videri poſſet, ne Auguſtæ ſui Principis Bibliothecæ aliqvid alicujus momenti deeſſe fateri neceſſe habeat. In eo autem Conringio haud ſane cunctanter aſſentimur, tantos Principum, Rerumqve publicarum ſumtus, tantos privatorum labores, licet non ſine aliqvo ſucceſſu fuerint, parum tamen in Auctorum veterum reſtitutione orbem literatum juviſſe. Suntqve inter ipſosmet barbaros libri melioris notæ rari admodum, magno pretio veneunt, & rarius adhuc peregrino vendendi proſtant: ut ex aliqvot Petri à Valle epiſtolis liqvet. De incomptis Arabum verſionibus, qveis Græcos Auctores male transtulerunt, earumqve cauſis, videndus Salmaſius, in præfatione ad Tabulam Cebetis, Græcè & Arabicè editam. Præter Lexica linguæ Arabicæ, qvæ edita ſunt, MSS. aliqvot Gloſſaria atqve Dictionaria, Arabica, Arabico-Turcica, Syro-Arabica, libellosqve ejus linguæ Grammatices, in Cæſarea Bibliotheca aſſervari Catalogus Tengnagelianus, apud Lambecium, l. c., fidem facit. Memorat & ibidem ſua lexica MSS. P. à Valle. Salmaſius l. c. refert, Joh. Elichmannum lexicon Arabicum

locu-

locupletiſſimum abſolutiſſimum paraſſe, cui nihil niſi forma & ordo defuerit, materiâ jam undiqve congeſtâ; Verum illud cum Auctore intercidit.

ÆGYPTIACA vel COPTICA lingua multum cum Græca, & ratione characterum & vocum, affinitatis habet: ita, ut ſcribendi morem etiam Græcis veteribus uſitatum obſervet: neqve enim ſeparat voces, ſed literas unius lineæ velut unicam vocem conjungit; Morino teſte, in epiſtolis. De voce *Coptarum* unde derivanda ſit, num à *Copto* celebri Ægypti emporio: an ab *Ægyptus*, qvæ & qvandoqve *Æcyptus* ſcribitur, qværit Salmaſius in Epiſt. p. 100. & 178. Loco poſteriore admiratur laudatqve Athan. Kircheri promiſſa, qvæ de reſtituenda antiqviſſima ea lingua dederat: cum antea primum ſe exiſtimaſſet Salmaſius, qvi ad id muneris obeundum animum applicuerit: Fecit etiam Kircherus qvod potuit, tùm *in Prodromo Copto*, tùm *in Lexico*. An vero tam integram ille meſſem exhibuerit, ut ne qvidem ſpicilegium ſuperſit, qvod è promiſſis concludebat Salmaſius, dicant alii. Videatur interim, ſi tanti eſt, Eraſmi Vindingii *Diſſertatio de Linguæ Græcæ & Ægyptiacæ affinitate*, in qva nonnulla contra Kircherum habet, prodiit Hafn. in 4. A. 1660. (*t*) 7

De PUNICA lingua tradit aliqva Thom. Reineſius, in libro, cui titulus: Ἱϛορȣμενα linguæ Punicæ, 1636. Altenb. in 4. (*u*) Supereſt ferme unum, ſed inſigne ejus linguæ fragmentum, in *Plauti Pænulo*, qvod doctorum ingenia exercuit. REINESIUS de illo, in epiſtolis ad Daumium, agit p. 309. SAM. PETITUS, diu ante illum in Miſcellaneis eum Plauti locum explicare aggreſſus, Salmaſio tamen Grotioqve ſe adeo non probavit, ut Plauto cæciorem illum in pleriſqve deprehendiſſe ſcribat Salmaſius ad Grotium Ep. 18. Poſt eum itaqve Samuel Bochartus feliciori eventu iſtud negotium in ſe ſuſcepit, deditqve explicatos Plautinos verſus P. II. Geogr. Sac. lib. II. c. 6., qvi totum cetera eum librum evolvendæ Phœniciæ Punicæqve linguæ impendit, &, ſi qvis alius, de illa bene meritus eſt. Mentionem verſuum Plautinorum alicubi in Epiſtolis Joſ. Scaliger facit (ep. 361. p. 643.), putatqve illam Pœnuli dialectum parum à puritate Hebraiſmi abeſſe. *Tempore enim Eliſæ*, ait, *quæ coloniam Pænorum in Africam deduxit, univerſa Phœnicia puro Hebraiſmo utebatur, ut & literis, quæ hodie ſuperſunt apud Samaritas, & quæ puræ ſunt Phœniciæ.* Poſt hos omnes JOH. CLERICUS qvoqve prolixè ſatis in ſenſum verſuum Plautinorum inqviſivit, in nonnullis 8

(*t*) Athanaſio Kirchero, in Copticis, non ſatis tuto ſemper credi poſſe poſt Vindingium, Aug. etiam Pfeifferus monuit, ſub finem Præfationis, *Introductioni in Orientem* præmiſſæ, idqve à ſe, *in Exerc. Bibl. p.* 49. 50. aliqvot exemplis oſtenſum eſſe teſtatur. Nova Luce, qvam Literatura Coptica à Theod. Petræo, Flensburgenſi, Cive meo in LL. Or. univerſis verſatisſimo, præter Pſalterii Coptico-Arabico-Latini (cujus Specimen ſiſtit Pſalmus I, Lugd. Bat. A. 1660. in 4to maj. editus) Editionem, Lexicon etiam in eandem Copticum, à ſe concinnatum, & Angliæ Philologis ſummopere probatum, pollicito, expectabat, obitus ipſius, ſecundum in Orientem iter meditantis, immaturus illam orbavit.

(*u*) Thomæ Reineſii Ἱϛορȣμενα L. Punicæ recuſa ſunt in Syntagm. Diſſert. rariorum & Muſæo J. G. Grævii edito Ultraj. A. 1702. in 4to.

à Bocharto diſſentiens *T. X. Biblioth. Univerſ. Hiſtor.* Conferendus qvoqve huc Ant. Borremanſius eſt, *Var. Lect. c. 14.*

9 (*x*) PERSICÆ *linguæ cum Germana convenientiam* integro libro oſtendere voluit JOH. ELICHMANNUS, ut teſtatur Salmaſius in præfatione ad Tab. Cebetis, cum Arabica Verſione (Latine ab Elichmanno translatæ) editam his verbis: *Quod ad hoc ævi latuit plerosque eruditorum, ex eadem origine compererat fluxiſſe Germanicam & Perſicam linguam; ad hanc illum conjecturam ducente infinita vocum copia, utrique linguæ communium, ſed & verbis ſimiliter terminatis, eodem modo compoſitis, aliisqve multis argumentis.* Hæc de Elichmanno Salmaſius, viro, *cui*, ipſo judice, *in intima linguæ Perſicæ cognitione vix videtur Europa parem tuliſſe, fortaſſean & vix feret.* Verum immatura mors, qvam acerbe ibi Salmaſius deplorat, & conatum hunc egregium intervertit, & gloriam Germano nomini invidit. Ne vero effectui qvid dediſſe Salmaſium, aut amori in linguam patriam Elichmannum, obvertas: en tibi Bochartum, qvi, cum de Perſarum lingua *in ſuo Phaleg* nonnulla diſſeruiſſet; *lib. I. c. XV. Hanc*, ait, *quod viri docti ſcribunt accedere ad Germanicam, in tanta locorum intercapedine nemo ſibi facile perſuaderi ſinat. Tamen rei probandæ tot exempla congerunt, ut ab invitis pene fidem extorqueant.* Allegat inſuper epiſtolam 44. Cent. III. ad Belgas Juſti Lipſii, qvi nempe jam ante Elichmannum ſimile qvid in linguâ Perſicâ, adductis in medium exemplis, obſervavit. Qvædam λείψανα veteris linguæ Perſicæ, qvæ qvidem apud priſcos Scriptores reperiri poterant, collectiva edidit & explicavit *Guil. Burtonus*, Londinenſis, qvæ adjecta ſunt ejus *Hiſtoriæ Græcæ Linguæ.* *Lexicon Perſicum priſcarum vocum*, pretioſum volumen, poſſidere ſe refert in epiſtola ad Tengnagelium ſæpius laudata Petrus à Valle, *ætate noſtra à docto viro (Perſo) ingenti cura elaboratum, & apud Perſas magnæ exiſtimationis, cujus exemplar, quod habeo, unicum, ut puto, in Europa auctoris nepos propria manu exaravit, ejusque ſcriptioni & auctor ipſe adhuc vivens Sphahani, librumque novis quotidie obſervationibus augens plurimum diligentiæ adhibuit, ut illius opus in Europam nonniſi correctum perfectumque aſportaretur.* Ipſe PETRUS à VALLE *Dictionarium ſex mille circiter vocum Perſicarum* Italica verſione illuſtratarum compoſuit è Doctrina Chriſtiana, qvam Jeſuitæ in regia Lahor eleganti ſtylo ſcripſerunt. Qvanqvam vero omni ſtudio nixus Petrus à Valle ſit, ut imprimeretur hoc Lexicon ſuum Romæ typis Congregationis de Prop. Fide: non id tamen, qvantum memini,

(*x*) De Linguarum Perſicæ & Germanicæ convenientia plura, è variis Autoribus, eruditè congeſſit Morhofius, *P. I. Commentarii ſui Vernaculi de Lingua & Poëſi Germanica, c. 2. p. 39-43.* Marci Zuerii Boxhornii Epiſtola huc etiam ſpectat, ad Nicol. Blancardum Kal. Dec. A. 1648. ſcripta, qva Vocum, qvæ apud Curtium ſuperſunt, Veterum Perſicarum Origines, è Lingua Germanica, ſatis feliciter detexit. Legitur illa inter reliqvas ipſius Epiſtolas, Amſtelodami A. 1662. in 12mo junctim editas, *p.* 220-229. Tacito qvoqve ipſius, ibidem A. præced. 1661, excuſo, & Curtio etiam Nicol. Blancardi, ni fallor ſubjuncta.

memini, factum eſt: uti nec ingreſſum *Lexicon Linguæ Perſicæ*, qvod ADAMUS OLEARIUS affectum habuit, ſed an & ad finem perduxerit ignoro.

CAP. VI.
DE LINGVA GRÆCA.

§. 1. *Linguæ Græcæ Neceſſitas & Utilitas à Viris doctiſſimis inculcata.* 2. *An Judæis eam diſcere licuerit, inqviſitum.* 3. *Hiſtoria ejus tradita à Laur. Rhodomanno & Guilh. Burtono, Origines ab Æg. Menagio promiſſæ. De Literis Græcis Diſſ. Joh. Scaligeri. Franc. Guieti, J. Franc. Grandis, & aliorum, Labores in illa Etymologici.* 4. *Grammatici Græci Veteres Inediti obiter memorati. Ex Editis Baſilius M.* ψευδώνυμος, *Phrynichus, Helladius, Apollonius Dyſcolus, Proclus, Moeris, Joh. Philoponus, Thom. Magiſter, Theod. Gaza, & alii, recenſentur. Additur* παρέκβασις *de Græcis Literaturæ ſuæ in Europa Inſtauratoribus.* 5. *Scholiaſtæ Poëtarum Græcorum Veteres, lucem Grammaticæ ſæpe fœnerantes, enumerantur.* 6. *Grammatici Græci Recentioris ævi* ἐξοχώτεροι, *Ang. Caninius.* 7. *Nic. Clenardus, Urbanus Bellunenſis.* 8. *Mich. Neander (cujus etiamſimul Diſcipulus, Laur. Rhodomannus, ob L. Gr. peritiam, & Venam in ea Poëticam præſtantem, extollitur.)* 9. *Matth. Devarius de Particulis L. Gr.* 10. *Franc. Vigerius de Idiotiſmis L. Gr.* 11. *Joh. Poſſelius, Ant. Schorus, aliique Phraſium & Adagiorum Græcorum Collectores.* 12. *Jer. Tſchonderus.* 13. *Mart. Cruſius & Nicod. Friſchlinus.* 14. *Grammatici alii moderni, uti & Scriptores de L. Gr. & Lat. convenientia.* 15. *Joh. Conr. Dieterici Chreſtomathia Græca promiſſa.* 16. *Scriptores de Dialectis.* 17. *Scriptores de Accentibus. Origo & Novitas illorum à Cl. Salmaſio, Iſ. Voſſio & Henr. Chr. Henninio, detecta. Bibliothecæ Græcæ, ab Henninio & Joh. Meurſio promiſſæ.* 18. *Controverſiæ de Pronunciatione Linguæ Græcæ Hiſtoria & Scriptores.* 19. *Prolixior Hiſtoria Certaminum, de Dialecto Helleniſtica, & Styli N. T. puritate, Literariorum.* 20. *Scriptores, qui Stylum Homericum cum Phraſi Librorum Sacrorum contulerunt.*

DE GRÆCA lingua nunc, illa omnis eruditionis ac ſapientiæ nutrice, di- 1
cendum eſt. Omnia, qvæ ad illam ſpectant, perſeqvi noſtri inſtituti non eſt, utpote qvi non Volumina ſcribimus, ſed præcipua tantum ſectamur, ac ab aliis omiſſa. De ſummâ qvidem ejus *præſtantiâ & neceſſitate* convictos arbitror, qvotqvot in humanioribus ſtudiis vel leviter ſaltem emergere laborant: atqve, ut in uno hiſtoriæ literariæ capite perſiſtamus; qvot qvæſo nos Auctores laterent, ſi Græcâ literaturâ careremus? Enimvero, uti ſingulæ bonarum artium è Græcia ſuum ortum trahunt; ita veriſſimè Eraſmus lib. X. Epiſtolarum ſcribit: *Hoc unum expertus video, nullis in literis nos eſſe aliquid ſine Græcitate.* Latius hoc argumen-

tum alii deduxere. Plena ſunt iſtiusmodi commendationibus Mich. Neandri ſcripta. De præſtantia & neceſſitate linguæ Græcæ Orationem *Matthæus Dreſſerus* habuit *Orat. lib. III. p.* 25. Diſſertationem de ea ſcripſit more ſuo egregiam *Ludovicus Creſollius* in *Myſtagogo.* Idem, in libro de Natura & viribus Rythmi, *Iſaacus Voſſius* paſſim adſtruit: & nihil tam enixè Iſaaco filio, in Salmurienſi Academia degenti, commendavit *Claud. Sarravius*, (*alter ille Peireſcius, gente nobilis, dignitate nobilior, doctrina nobiliſſimus, amicitiis clariſſimus, ac ſtudiis erga literas & literatos omnibus ſuſpiciendus*: qvo illum elogio Steph. le Moyne ornat) qvam familiarem prorſus Græci & Latini ſermonis uſum. Sed qvid multis? nemo eruditus eſt, qvi non Græca ſummo ſtudio perdiſcenda ducat.

2 Qvo in loco apud Judæos Græca lingua ſit, eruditiſſimus *Wagenſeilius* exponit *in Sota* p. 967. ſeqq. Nimirum pugnant inter ſe Apellæ variis ſententiis ſciſſi: cum ne Gemaræ qvidem, ſeu Commentario Talmudico, cum ſuo textu conveniat. Futile eſt, qvod illa refert, Chaſamonæorum temporibus, cum Hyrcanus & Ariſtobulus fratres in ſe mutua oppugnatione ruerent, execrabilem eſſe publico edicto declaratum, qvi Græcam linguam filium edoceret: cum Ariſtobulus Peripateticus, Philo & Joſephus, in Græcorum ſcriptis & ſapientia mirum qvantum verſati, maximum qvoqve inter ſuos nomen habuerint. Non minus apertè falſum, qvod *Miſchna* refert, tempore belli cum Tito tale ſcitum prodiiſſe: nam usqve ad Juſtiniani Imper. tempora Græcam Bibliorum interpretationem in Synagogis lectam, Novella nos ignorare non patitur. Succeſſu temporis vero abrogata in Synagogis Græca Legis lectio eſt, & planè in deſuetudinem abiit; qvod, & niſi fallor, unum Maimonides voluit in eo loco, ad qvem Celeb. Wagenſeilius ſtupet; cum ait Maimon: *pridem in deſuetudinem abiit lingua Græca, confuſa eſt ac periit.* Non ſane videtur de linguæ interitu in univerſum loqvi, ſed de ejus uſu in Synagogis. Hinc neqve ipſemet ignoravit Græca, nec Judæi Hiſpani pari cum antiqvis inſania acti ſunt: ſed potius, obſervante eodem viro doctiſſimo, longe prudentiores ſe præſtiterunt, dum Philoſophiam Græcam diſcendi facultatem ſaltem iis, qvi adultæ ætatis ſunt, adimere haud fuere auſi.

3 *Hiſtoriam Græcæ Linguæ* LAURENTIUS RHODOMANNUS, ipſe linguæ ejus peritiſſimus, peculiari oratione deduxit, qvæ addita eſt Orationi Petri Moſellani de variarum linguarum cognitione paranda, Jenæ 1634. Verſatur etiam hoc in argumento GVIL. BURTONUS, Anglus, qvi peculiarem de eo libellum conſcripſit, editum Londini 1657. in 4. & qvi exigua brevitate ſua non pauca continet ad hiſtoriam Græcæ linguæ pertinentia. (y) Multa habet inprimis de antiqvo ejus in Anglia uſu, deqve

(y) Poſt Burtonum, Linguæ Græcæ Hiſtoriam qvadripartitam ſcripſit Laur. Ingevvaldi Elingius, Dalecarlus, Log. & Metaph. in Acad. Upſalienſi Profeſſor, poſt Autoris, A. 1688. defuncti, obitum, ab Ad. Rechenbergio, Theologo Lipſienſi, cum Præfat. ſua, Lipſiæ A. 1691. in 8vo editam. Autor, uti diligentiæ laude non eſt privandus, ita Eruditis Exteris vix approbabit muſteam, qvâ, Rudbeckii, aliorumqve popularium, Hype-

qve ſcholis Græcis illic ante Chriſtum natum inſtitutis: de qvo argumento agit qvoqve Ant. Wood in Antiqvitatibus Oxon., ſub initium: Adjecit qvoqve Burtonus λείψανα linguæ Perſicæ, ut jam cap. anteced. dictum: ſed, dum origines ejus ex Græca deducere molitur, fallitur, cum pleraqve ſint Germanica, ut oſtendit Boxhornius in Diſſert. peculiari ad Blancardum, Curtii editorem, ſcripta, qvæ invenitur in editione Curtii Blancardiana. *Origines linguæ Græcæ* promiſit ÆGID. MENAGIUS *Obſerv. in Malherb.* p. 362. & 389. ſed non dedit. *De literis Jonicis ac Græcis, earumque cum Phœniciis affinitate*, prolixam & eruditam Diſſertationem JOS. SCALIGER ſuis Animadverſionibus Euſebianis inſeruit p. 110. ſeqq., in qva de inventione earum & natura fusè ſatis disqvirit. JOH. FRANC. GRANDIS promiſit librum, cui titulus: *Demonſtratio philologica; quâ patet, Helleniſmi & totius ferme Grammaticæ Græcæ rationem, ipſamque anomaliam, tam nominum, quam verborum, in ſola literarum, ſive alphabeti cognitione, conſtare.* Aſt non magis qvicqvam ejus libri prodiit, qvam FRANCISCI GUIETI labor. Peculiare is aliqvod conſilium habuit Latinas voces à Græcis derivandi, in qvo prima omnia, unde cetera deducerentur, monoſyllaba eſſe voluit. Hoc profundum ſtudii genus, qvod ante ipſum nemini in mentem venerat, totum vitæ Guieti tempus occupavit. Sed, cum ſollicite rem illam celaret, ne admisſis qvidem amicis intimioribus, poſt mortem ejus omnis induſtria periit, nec vel divinando è ſuperſtitibus ſchedis rationem operis iſtius qvisqvam aſſeqvi potuit. Refert Anton. Periander; ſeu potius, qvi ſub ficto nomine iſthoc latet, Joh. Albert. Portnerus, celebris Ratisbonenſium JCtus, *in vita Franc. Guieti, addita editioni Terentii Bœcleriana.* Originem linguæ Græcæ è monoſyllabis hauriendam Iſaacus qvoqve Vosſius animadvertit, in libro de Natura Rythmi p. 44., cujus locum, cum & ad commendationem ſermonis Græci, & ad illuſtrationem præſentis inſtituti, haud parum faciat, apponam. *Sed neque invidioſum fore arbitror, præſertim apud gnaros, ſi dixero: priſcum Græcorum ſermonem ex omnibus iis, quorum ſupereſt notitia, non primum tantum tenere locum, ſed & illum tenère ſine æmulo, ne ipſo quidem contradicente olim omnium gentium victore populo. Nec tamen exiſtimandum, iſtiusmodi eum fuiſſe ab ipſis ſtatim incunabulis. Primam quippe hujus ſi excutiamus originem, nihilo meliorem aliarum gentium linguis eam fuiſſe deprehendemus: aſperam, ſcabram, & omnis dignitatis & elegantiæ expertem, fuiſſe, vel inde ſatis intelligas, quod vix alia, quam monoſyllaba, priſcis temporibus habuerit vocabula ſeu illa nomina eſſent, ſeu verba.* Hucusqve Vosſius, qvi in ſeqventibus augere pergit iſtam antiqvisſimæ linguæ Græcæ barbariem, & modos, qvibus illam ope Muſices ac Poëſeos expoliverint, exponit. Ceterum, qvænam ineptiæ in vocum etymis, ob ignorantiam Græcæ linguæ, hic illic commiſſæ ſint, ſingulari Oratione docuit JOH. CONRADUS DIETERICUS, *in Græcia*

Exulante,

Hypotheſes ſecutus erroneas, Literarum Græcarum Origines à Runis Gothorum derivavit, ſententiam. Vid. de illo Joh. Schefferi *Sveciam Literatam p.* 245. & noſtra ad hanc *Hypomnemata p.* 431.

Exulante, ſive, *de infelicitate ſeculi ſuperioris ob Græcæ Linguæ imperitiam* Diſſertatione, Marpurgi edita in 4. 1640.

4 *Grammaticos Græcorum* qvod attinet, eorum ſane & fuit olim, & eſt adhuc, larga fœcunditas, & ferme dixerim abundans: niſi qvod apud recentiores plus exſcribitur Grammaticarum, qvam ſcribitur. Olim qvidem magno numero proſtitiſſe libros Grammaticos, qvi modo linguam in univerſum, aut communem Phraſeologiam, evolverant, modo unius ſolum dialecti, Atticæ inprimis, rem omnem fuſius explicârant, non crebræ ſolùm allegationes recenſionesve Athenæi, Photii, Suidæ, Magni Etymologici, &c., facilè probatum dant: ſed & editi partim Græcorum veterum Grammaticorum fœtus; partim adhuc inter inedita bibliothecarum latentes, idipſum extra omnem dubitationis aleam ponunt. (Ut taceam, jam Pompeji M. ævo Romæ Aſclepiadem Grammaticum Opus de Grammaticis vaſtum conſcripſiſſe, cujus ſextum librum à Suida, undecimum ab auctore vitæ Arati allegari, obſervat Jonſius de Script. Hiſtor. Philoſ. p. 205. ſq.) Atqve, ut ab ineditis incipiamus, magnam ſatis eorundem farraginem, è Regia maxime Pariſienſi Bibliotheca, Phil. Labbe recenſet in *Nova Bibliotheca MSSrum. P. IV. p.* 103. Non minorem apparatum in Anglicis aliisve celebrioribus bibliothecis aſſervari, teſtantur, qvi viderunt. Ii vero, qvi typis editi proſtant Græci veteres Grammatici, omnes tam antiqvi non ſunt, ut non magnam partem everſam Conſtantinopolin demum ſecuti ſint. Qvanqvam enim ſub Magni Basilii nomine *de Grammatica Exercitatione liber* Græce apud Morell. Pariſ. 1583. in 8. & jam diu ante Florentiæ 1515. lucem aſpexerit: ſuppoſititium tamen eſſe fœtum, Manueli Moſchopulo debitum, jam pridem Rob. Stephanus in emendatiſſima ſua editione An. 1545. monuit; obſervante Placcio *de Script. Pſeudon.* p. 158. Antiqvior Muſchopulo & everſâ Conſtantinopoli Phrynichus, qvippe jam Photio memoratus, & eodem referente ſub Marco Aurelio & Commodo Impp. vivens, libellum reliqvit *de Dictionibus Atticis*: cujus editio prima Zach. Calliergo debetur, Romæ 1517. inde repetita eſt Venetiis apud Aſulanum, 1524. & Pariſiis apud Vaſcoſanum 1532. optima editio eſt & nitidiſſima Auguſtana 1601. in 4., ſtudio Dav. Hœſchelii, cum ejuſdem, & prolixioribus Petri Joh. Nunneſii notis, in lucem publicam emiſſa. Alios ejuſdem Phrynichi tractatus Grammaticos, ſed qvi non ſuperſunt, Photius atqve Suidas recenſent. Notandum vero, in ipſius Nunneſii notas Anonymum qvendàm eruditiſſimum, qvem Caſaubonum eſſe ſuſpicantur aliqvi, doctiſſimas notulas confeciſſe: uti *Menagius* refert *in Anti-Bailleto T. I. p. 170.* ubi & errorem Bailleti caſtigat, qvi, Heinſium Nunneſii notas publicaſſe pro ſuis, & proinde ſugillatum à Salmaſio fuiſſe, ſcribit: qvod utrumqve longè falſiſſimum eſt: cum Nanſii correctiones in Epictetum pro ſuis ediderit Heinſius, & proinde ſit à Salmaſio in præfatione ad Simplicium cenſoria virgula percuſſus. Nihil ibi de Phrynicho, vel Nunneſio, cogitatum. Phrynicho jungit ob ſimile inſtitutum Photius Cod. 158. Helladium, cujus *Lexicon* Suidæ inſertum inſcriptio teſtatur: *Chreſtomathiam* vero, prolixe idem Photius Cod. 279. excerpit. Verum qvicqvid hujus ſupereſt nonniſi

niſi fragmentum eſt. Totum habemus APOLLONII DYSCOLI (ſeu *Difficilis*, ut Gesnerus vertit,) Alexandrini Grammatici, & Phrynicho adhuc ſenioris, *de Constructione Orationis* librum, Græcè Venet. 1495. apud Aldum excuſum in fol. item Florentiæ 1515. in 8., & cum Latina verſione Franc. Porti, ejusdemqve & Frider. Sylburgii notis, in 4. Francof. apud Wechelos 1590. Apollonio, in editione Auguſtana, adjuncta etiam PROCLI *Chreſtomathia* eſt ab Andr. Schotto Græco-Latine, additis qvoqve Nunneſii notis, edita. MOERIDIS *Atticiſtam*, Photio olim lectum, nunc in Vaticana Bibliotheca latere Friſius refert: ſed in Gallicis & Anglicis Bibliothecis eſſe narrat Salmaſius, qvi, in Comment. de Helleniſtica, eum à ſe lectum paſſim allegat, & p. 46. in tota ejus συλλογῇ nihil freqventius notatum ait, qvam differentiam nominum Atticorum & ἑλληνικῶν. Uſus qvoqve eo libro eſt, cum Gloſſarium ſuum Græcum conſcriberet, Carolus du Freſne: & Steph. le Moyne illud MSS. poſſedit, allegatqve in Not. ad Var. Sacra p. 479., in eo tamen errat, qvod Atticiſtam nomen viri putat, qvod libri eſt. *Johannem Grammaticum*, qvem & Philoponum vocant, & *Corinthum* qvendam, ſubjecit ſuo Linguæ Græcæ Theſauro Henr. Stephanus, qvi & cum Lexico Scapulæ edi ſolent. THOMÆ MAGISTRI *Selectæ Dictiones Atticæ* Romæ 1517., Pariſ. 1532, & nuperrimè Franeckeræ 1690. prodierunt: [Conſtituerat aliqvando Martinus Brunnerus, Gr. Linguæ Profeſſor Upſalienſis, Thomæ Magiſtri librum, recenſitum à ſe, & cum Codicibus MSS. collatum, nova editione publicare: qvam in rem ſubſidia Iſ. Voſſii per Nicol. Heinſium imploravit: uti conſtat ex epiſtola Heinſii ad Voſſium, qvæ inter Colomeſii notas in Gyraldi Dialogos de Poëtis legitur p. 67. ſed non credo editum eſſe qvicqvam.] Poſt everſam Conſtantinopolim THEODORUS GAZA primus *Introductionem in Grammaticam* ſcripſit, magno omnium applauſu, magnoqve ad id ſtipendio conductus, Græcè Venet. apud Aldum 1495. fol. excuſam, repetitamqve poſtmodum editione Græco-Latina Baſileæ 1523. in 4. Nimirum erat inter novem exules è Græcia Romam profugos, qvi præcipuè Græcas literas in Occidentem & Septentrionem intulerunt, haud qvaqvam poſtremus. Sunt vero illi *Beſſario Cardinalis*, *Eman. Chryſoloras*, *Demetr. Chalcocondylas*, tot egregiis diſcipulis clarus: Leon. Aretino, Franc. Barbaro, Fr. Philelpho, Bapt. Guarino & Poggio Florentino, cujus Inſtitutiones Grammaticæ Græcæ variis locis impreſſæ ſunt: *Theod. Gaza*, *Joh. Argyropulus*, *Georg. Trapezuntius*, *Marcus Muſurus*, *Mich. Marullus*, *& Joh. Laſcaris*: qvi poſtremus, ex Illuſtri Laſcarina Imperatorum familia oriundus, Medicæam Bibliothecam inſigni Græcorum codicum theſauro ditavit; cum legatus à Laurentio Medicæo Conſtantinopolin ad Bajazetem miſſus omnes Græciæ Bibliothecas ſcrutaretur. Eodem Laſcare auctore Leo X. Pontifex Romanus (Laurentii Medicæi Filius), ipſam propemodum Græciam in Italiam qvaſi in novam coloniam deduxit. Pueros enim ex tota Græcia, in qvibus vis ingenii & bona indoles ineſſe videbatur, cum ſuis præceptoribus, Romam evocavit, ut linguam Romani ſuam ipſis commodius traderent, viciſſimqve ſuam illi Romanis. Vid. Miræi *Biblioth. Eccleſ. T. II. p. 17.* De ſingulis prolixè ſatis agit, eorumqve ſimul icones è

muſeo P. Jovii exhibet, Petrus Lambecius *T. VI. Comment. de Biblioth. Vindob. Addit. II. p. 274. ſqq.* Addendus vero his novem Græcis decimus *Antonius Eparchus* eſt, Corcyrenſis, qvi ſuperiore ſeculo per aliqvot annos Venetiis Græcas literas docuit, proſecutusqve eſt elegiacis verſibus ruinam Conſtantinopolis, demum Corcyram regreſſus inter ſuorum literatos conſenuit: is qvoqve centum codices Græcos ſecum attulit vanùm, Imperatori Carolo V, & Franciſco I., Galliarum Regi, oblatos: uti Lambecius *T. V. Bibl. Vind. p.* 118. refert: e qvo, & aliis, varia de Eparcho collegit Stephanus le Moyne, Proleg. ad varia Sacra, Lugd. Bat. 1685. in 4. edita: qveis nempe è codice Sarraviano, catalogum inſeruit contentorum in volumine qvodam, qvod Eparchus olim Franciſco R. dono obtulerat. Præterea è Græcis, qvibus Græca eruditio multum debet, Hieronymus Spartiata, nec non Franciſcus Portus, Cretenſis, & Æmylius, Franciſci filius, memorandi ſunt, omnes laborioſiſſimi: ut & Nicolaus & Zacharias Calliergi, Cretenſes itidem, qvorum utriqve curam impreſſi primò Magni Etymologici; poſteriori inſuper collectionem Scholiorum Theocriti, debemus.

5 Ceterum vendicant ſibi ſuo jure præcipuum locum inter Grammaticos *Scholiaſtæ Græci*, utpote qvorum magna pars ad ἐξηγητικὴν ferme tota componitur: qvanqvam & immiſta haud raro ſint hiſtorica, & auctorum hodie incognitorum allegationes; qvæ eo magis commendabiles illorum labores reddant. Familiam inter eos, nemine contradicente, ducit EUSTATHIUS, Theſſalonicenſis Sec. XII. Archiepiſcopus, eruditiſſimus Commentator Homeri, cujus vaſtum Opus, & omni doctrinâ, grammaticâ præſertim atqve hiſtoricâ, refertiſſimum, Romæ primùm IV. Voluminibus 1550., & Baſileæ Vol. III. Ann. 1560, prodiit. Priusqvam vero recuderetur Opus integrum, epitomen ejus, ſub titulo *Cornu Copiæ, ſive Oceani Enarrationum Homericarum, ex Euſtathio excerptarum*, concinnavit, atqve uni juſto Volumini incluſit, *Hadr. Junius* Baſil. 1558., ſcilicet ne privarentur in univerſum labore Euſtathii, qvibus ad totum Opus coëmendum ſumptus non ſufficerent. Sunt præterea alia in Homerum *Scholia*, qvæ Didymo vulgò adſcribuntur, & ſub ejus nomine tàm apud Aldum & Baſileæ aliqvoties, cum Homeri textu, qvàm Lugduni Batav. ex editione Schreveliana, excuſa ſunt. Verum uti jam ſuperiore ſeculo Jacobus Bedrotus, cum ea Scholia ſine Homeri textu ederet, Argent. 1539. in 8., in præmiſſa præfatione, num recte illa Didymo tribuantur, dubitavit, & ἀνωνύμȣ potius eſſe cenſuit, qvi Didymum toties laudat & allegat; ita Henr. Stephanus qvoqve idem ſenſit, & Heracleoni potius vindicanda judicavit: qvem ſecutus in Diſſertat. de Stylo N. T. Thom. Gatakerus, qvamplurimos, & tantum non omnes, ſecum ſentientes reperit. Recentiſſima illorum Scholiorum optimaqve editio, qvæ ſimul inedita prius Scholia multa dedit, eſt nupera Cantabrigienſis 1689. in 4., ſed Iliados tantum, cui ut ſuccedat Odyſſea, optandum. Non longe ab Euſtathio collocandus *Apollonii Argonautæ Scholiaſtes:* ſeu, qvod aliis videtur, *Scholiaſtæ tres, Lucillus, Sophocleus, Theon*, qvorum labor in unum collectus apud Aldum primò, tum Baſileæ 1521. & 1549., tum & apud Henricum Stephanum prodiit in 8. Utiliſſima Scholia illa ſunt, & accurata, multumqve ad veterem polyhiſtoriam

condu-

conducunt. E reliqvis præcipuè commendari merent *Scholaſtes Ariſtophanis,* prorſus egregius ille, & inter optimæ notæ Commentatores numerandus; cujus editionem primam apud Aldum Marcus Muſurus adornavit Venet. 1502., inde Florentiæ 1515. & Baſil. 1548. recuſam: revidit vero, cum antiqvis Codicibus contulit, ſupplevit, ſuisqve inſuper Græcis qvoqve ſcholiis auxit Odoardus Biſetus, Genevæ 1607. *Scholiaſtes Sophoclis*, Florentiæ apud Juntas, Venetiis apud Aldum, & Francofurti plus ſemel editus: *Iſaacius Tzetzes*, Johannis frater, *Lycophronis* Commentator, fratre multo eruditior, & inter optimos locum tenens: excuſus una cum Joh. Meurſii in Lycophronem Notis, Lugd. Batav. 1597. apud Raphelengium: *Johannis Tzetzæ in Heſiodum Scholia*, una cum Scholiis Procli, Moſchopuli, Johannis Diaconi, qvi & Pediaſimus & Galenus, Johannis cujusdam Protoſpatharii ἐξηγήσει φυσικῇ τῶν ἡμερῶν Ἡσιόδȣ, & antiqvis in Theogoniam Scholiis ἀνωνύμȣ, Venet. apud Trincavelum 1537. in 4. edita ſunt; qvæ poſtmodum nitido charactere denuo imprimi curavit Lugd. Batav. 1603. adhuc adoleſcens Dan. Heinſius: Ejusdem Johannis Tzetzæ Scholia in Homeri Iliadem, ſed mutila, non contemnenda tamen, in Bibliotheca Paulina Lipſienſis Academiæ aſſervantur. Prætereo nunc Scholiaſtas Pindari, Æſchyli, Euripidis, Φαινομένων Arati, Theocriti ſuprà jam memoratum; Thucydidis, aliosqve plures: neqve enim nunc inſtituti ratio patitur, ut de ſingulis fuſius agamus. Optandum vero, ut curatius aliqvando Scholiaſtarum veterum Hiſtoria ex antiqvorum monumentis erueretur: multum illa orbi literato prodeſſet: inſtigandusqve adeo Vir ille eruditiſſimus è noſtris eſt, qvi ſpem ejus Hiſtoriæ aliqvando fecit, ut eam impleat.

Pergimus ad *Grammaticos recentiores*: qvos qvidem ſi enumerare omnes animus foret, in immenſum caput hoc extendi neceſſum foret. Enimvero paucos recenſebimus atqve potiores. Primus ſit ANGELUS CANINIUS, Italus ſeculi ſuperioris, Linguarum longe peritiſſimus, eoqve nomine per Italiam, Hiſpaniam, Galliam & Hungariam, clarus doctor *Helleniſmum* ſcripſit, librum mole qvidem non magnum, ſed nec vulgaris etiam eruditionis. Eqvidem Joſephus Scaliger Caninium plagii accuſat, eumqve è cujusdam Hiſpani Franc. Vergaræ Grammatica optima qvæqve deſumſiſſe, additis de ſuo nonnullis, criminatur, in Excerptis Putean. p. 248. Aſt affectui Scaligerum indulſiſſe, &, qvanqvam in primis Scaliger p. 47. ei ſe nihil invidere profiteatur, invidiſſe tamen, dubitare nos non ſinit ſubjuncta ſtatim Tanaq. Fabri nota. *Is eſt Angelus Caninius, Anglarenſis, quem nos, ſi quid in hoc genere ſapimus, omnibus Grammaticis Græcis, quot ſunt, quot fuerunt, longe anteponendum eſſe judicamus. Nam, quod quidam de Vergara dixerunt, id nec probatur, nec videtur veriſimile. Liber ipſius editus eſt Lutetiæ Pariſ. 1555. apud Guil. Morellium, in 4. Theſaurus Helleniſmi dici poteſt. Nunc illum cum maxime lego, neque pœnitet me operæ.* Hæc Faber, candidior judex, cui qvodammodo præivit Jac. Gretſerus, dum, in præfatione ſuæ Grammatices, Clenardo atqve Varennio Vergaram facit longe inferiorem; & præſertim ordinem ejus perturbatum & implicatum notat. Ceterum editus etiam ille Caninii Helleniſmus in 8. Pariſ. 1578., cum auctario Caroli Hauboeſii, prodiit.

Thuanus, Caninium ſuæ Hiſtoriæ inſerturus, de ejus patria Scaligerum interrogavit, ut è Gallicis ad Scal. epiſtolis videre eſt p. 329.

7 Caninium ſeqvatur NICOLAUS CLENARDUS, Vir doctiſſimus. Scripſit is *Inſtitutiones Linguæ Græcæ*, Pariſ. 1549. in 8., 1553. in 4. apud Wechelum, & multoties alibi, impreſſas, qvas pro abſoluto perfectoqve Opere habent nonnulli. De ejus tamen (ut & de Caninii) defectibus jamdudum monuit *Henr. Stephanus*, in *Dialogo de Inſidiis Linguæ Græcæ magiſtris*: qvi & ſupplementum ſcripſit hujus Grammatices, qvod, una cum Frid. Sylburgii recognitione, Francofurti editum eſt. Gretſerus, loco paulo ante cit., qveritur, in ſingulos prope annos nova facie Clenardum prodire: novis notis, notationibus, animadverſionibus, paralipomenis & cenſuris, qvaſi vinculis & compedibus onuſtum. *Scaligero* in Scaligeranis *Clenardus diligentiſſimus potius Grammaticus, quam doctus ulla in lingua, videtur*: Sed & hoc ego judicium nimis ambitioſum eſſe crediderim.

Adhuc ante Caninium & Clenardum, URBANI BELLUNENSIS, Monachi Franciſcani, *Inſtitutiones Grammaticæ* ab Aldo primum, tum à Curione ſumma cura Baſileæ, cum præfatione Henrici Glareani, excuſæ proſtant 1524. 1535. & 1539. in 4., qvo qvidem in ſcripto Auctor non ſane contemnendam operam poſuit, & à Viris doctis probatam. Et qvi poſſet aliter, qvi, ut in præfatione teſtatur, *Grammaticorum ingentem copiam ex omni propemodum Europa collegit, moxque eos omnes ſane quàm accurate perlegit, habitoque delectu rerum annotatu dignarum, duos compoſuit libellos, quorum alter tyronibus manum leviter præberet, alter penitiora profectis paululum recluderet.* Atqve, ut eo magis ſuum iſtud opuſculum probaretur, laudabili inſtituto de paſſionibus dictionum ex Tryphone: de ſpiritibus ex Theodorito; ac de Dialectis ex Corintho excerpta, ſuis Inſtitutionibus adjunxit.

8 Poſt hunc MICHAEL NEANDER memorandus eſt, ille meritiſſimus Gymnaſii Ilfeldenſis Rector, ubi tot præclaros Viros formavit, & inter alios LAURENTIUM RHODOMANNUM ex Gymnaſii Stralſundenſis Rectore Profeſſorem Hiſtoriarum Wittebergenſem; cujus qvidem promotio num Scaligeri commendatitiis, Electori monſtratis, debeatur, ut ipſemet in Excerptis Puteanorum jactat, incertum. Hoc certum, adeo in Græcis literis, & poëſi inprimis, excelluiſſe Rhodomannum, ut admirationi ſtuporiqve fuerit ipſimet præceptori Neandro, ut & Dav. Chytræo, Joh. Caſelio, Mart. Cruſio, Nicod. Friſchlino, Joh. Leunclavio, Henr. Stephano, Chriſt. Plantino, aliisqve Viris ejus ævi in Græca eruditione principibus, & ut idem *Scaliger Epiſt.* 401. ad illum data miris eum elogiis extollat, ſcribatqve inter alia: *Equidem memini, quum illa tua inuſitatæ venuſtatis Leſtiaca, Iliaca, & reliqua, tacito nomine tuo prodiiſſent, non potuiſſe me continere apud amicos, præſertim apud Germanos, quin ea dicerem cum præſtantiſſimis Græcorum certare, multis etiam longe præſtare: quod qui negare vellet, aut imperitum aut malignum eſſe.* Sic & Gallus Jeſuita eruditiſſimus, *Franciſcus Vavaſſor, lib. de Epigrammate c.* 17. Rhodomanni Græca poëmata, qvi rarus Gallorum in Germanos candor eſt, Jul. Cæſaris & Joſephi Scaligerorum

ligerorum carminibus præfert, & ipſis antiqvis dubiam reddere poſſe palmam cenſet. Optimis vero ejus poëmatibus accenſenda inprimis etiam *Palæſtina* eſt, puriſſimo verſu Græco ſcripta, & ad invidiam usqve nitida: cui præfationem in laudes Rhodomanni effuſam Mich. Neander præfixit. Inter cetera Græca ejus poëmata *encomiaſticon* qvoqve *carmen* in præceptorem ſuum, Michaelem Neandrum, extat, (qvem ſcilicet, ipſo Neandro teſte, in amore ſemper habere, amore etiam & ſermone nunqvam deſiit,) prolixum non minus ac egregium, qvod in libro ejus Phyſico reperitur. Ceterum, ut ad Neandrum nunc propius à laude diſcipuli redeamus, ut ille Vir in omnibus penè diſciplinis utiliſſimos longe libros ſcripſit; ita *Erotemata* ejus *Græca* aliqvoties edita, ſatisqve vel è noſtris qvoqve ſuperioribus libris nota ſunt, ita, ut nec de prolixa præfatione, longè eruditiſſima, qvæ nonnullis editionibus præfixa eſt, qvicqvam dicere attineat.

MATTHÆUS DEVARIUS, Vir Græcè doctiſſimus, aureum plane librum 9
de particulis linguæ Græcæ ſcripſit, qvi olim Romæ An. 1588. in lucem emiſſus in 4., poſtea A. 1657. in 12. in Anglia, recuſus eſt. Liber eſt omnibus elogiis dignus, & miror, illum tamdiu latere potuiſſe. Namqve & nunc, recuſus licet, etiamnum rariſſimus eſt: (*z*) cum tamen ne unus qvidem nec veterum, nec recentiorum, in hoc argumento qvicqvam tentârit, huic Operi comparandum, qvod proin ſedulo juventuti harum rerum cupidæ commendandum exiſtimamus, qvippe, in qvo maxima elegantiæ Græcæ pars proponitur. Ceterum idem ille Devarius eſt, qvi copioſiſſimum indicem in Euſtathium, Homeri interpretem, ſummo utiqve labore confecit. Qvinam vero reliqvi ejus in Lingua Græca fuerint labores, ipſemet, in dedicatione & præfatione ſui de particulis libri, exponit.

Ob ſimilem laborem Devario FRANCISCUM VIGERUM, Gallum Jeſui- 10
tam, ſurrogamus, doctiſſimum: cujus *de Idiotiſmis præcipuis linguæ Græcæ* liber aliqvoties, ſine addito nomine Auctoris, lucem aſpexit Pariſ. apud Sebaſt. Cramoyſium 1627. in 12. 1644. in 12., & alias: una cum nomine auctoris prodiit Lugd. Batav. in 12. 1680. Multa ſunt in illo libro recondita, qvæ ad Syntaxin Græcam ſpectant: magnâ etenim cum curâ ac diligentiâ differentiam Attici ſermonis notat, ceteraqve lingvæ Græcæ ſcita eleganter pertractat; qvibuslibet ſub certis regulis, juxta Grammatices ordinem, locatis. Certe facem præfert Vigerus hoc ſuo libro ad pernoſcenda linguæ Græcæ interiora. Conſilium opuſculi patet ex præfatione, qvæ qvaſi in anteceſſum & παρασκευὴν legi poteſt.

JOHANNES POSSELIUS, Roſtochienſis, Græcæ linguæ Profeſſor, rem 11
Grammaticam Græcam variis libris à ſe editis locupletiorem reddidit. (*aa*) Ejus

 extat

(*z*) Matthæi Devarii de Particulis Linguæ Græcæ Liber nuperrimè, uno eodemqve Anno ſeculari 1700. duobus in locis eſt recuſus, Noribergæ ſcilicet (in uſum Scholarum Urbis illius) in 8vo, & Amſtelodami in 12mo, nec proinde jam adeo rarus inventu.

(*aa*) De Joh. Poſſelii Senioris (Filium enim habuit ὁμώνυμον, Parentis in Linguæ Græ-

cæ

extat *Syntaxis Græca*, non contemnendum Opus. Scripſit & *Calligraphiam*, Francof. 1590. in 8. editam, librum ad conficiendam orationem Græcam utiliſſimum: qvanqvam omnibus numeris abſolutus non ſit; Benziiqve Theſaurus illi præſtet. Eſt tamen uſus apud tyrones non contemnendi. Multa ſanè ad perfectum aliqvod Opus hujus argumenti reqviruntur, neqve illud ſtudium Græcæ linguæ nunc eſt, ut qvis hunc ſibi laborem ſumere velit: ideoqve in pretio habendi, qvos nanciſci poſſumus. Maxime in hoc genere commendari meretur ANTONIUS SCHORUS, aurei libelli Auctor *de ratione docendæ diſcendæque Græcæ & Latinæ Linguæ*, Argent. 1549. in 8. editi, in qvo, ex Iſocratis paræneſi ad Demonicum, modum oſtendit, qvo phraſium in lingua Græca, quas perpetuo cum Latinis confert, obſervationes inſtituendæ ſint. Extat & MICH. NEANDRI *phraſeologia Iſocratis*, qvam ille, ex hujus Orationibus collectam, & ſub titulis locatam, retentis ſui auctoris verbis integris, vulgavit Baſil. 1557. in 8. Ejusdem inſtituti eſt JACOBI BILLII, Abbatis Græcè eruditiſſimi, *Locutionum Græcarum, in communes locos per alphabetì ordinem digeſtarum, volumen*: qvod Pariſ., vergente ad finem ſuperiore ſeculo, lucem publicam aſpexit. Poëticarum phraſium congeriem collegit JOH. PHIL. PAREUS, *in Mellificio Attico*, qvanqvam & illic non minus, qvàm in *Calligraphiâ* ejus *Romanâ*, delectum majorem, & diſtinctiorem ordinem, qvis reqvirat. Porro & in floſculis ſententiarum, formularum ſolennium, adagiorum, pro ornatu orationis colligendis, aliqvi ſalubrem operam navârunt. Legas itaqve *Mich. Apoſtolii*, *Andr. Schotti Proverbia*: JANI GRUTERI *Gnomas Jambicas*, qvas, in Opere Adagiorum ſuorum, ex omnibus gentibus collectorum, congeſſit Francof. 1610. in 8. Ex Homero ſub titulis collectos habemus verſus, qvi Adagiorum inſtar nonnunqvam Latino ſermoni inſpergi poſſunt, à JACOBO DUPORTO, in libro, cui titulus: *Gnomologia Homeri*, duplici parallelismo illuſtrata, uno ex locis S. Scripturæ, qvibus gnomæ Homericæ aut prope adfines, aut non prorſus abſimiles afferuntur: altero ex gentium ſcriptoribus. Cantabrigiæ 1660. in 4. Formulis iſtiusmodi nemo aptius & adpoſite magis utitur, qvam Caſaubonus & Reineſius in ſuis epiſtolis: e qvibus excerpere illas poteſt, qvi bilinguis in epiſtolis eſſe vult. Revertor nunc ad Grammaticos.

12 JEREMIAS TSCHONDERUS, in Gymnaſio Vratiſlavienſi Græcæ Linguæ Profeſſor, ſcripſit *Syſtema Grammaticæ Græcæ*, qvod magnô elogiô extollit Caſpar Scioppius. Nam in fine *Conſultationum* ſuarum *de ſtudiis*, ita habet: *Græcam Tſchonderi Grammaticam qui nanciſci poteſt, magno paradigmata, multasque regulas, ad-* [illegible] *diſcendi*

eæ Profeſſione Roſtochii Succeſſorem) in Literaturam Græcam Meritis, & Scriptis variis eam illuſtrantibus, toties cuſis ac recuſis, in *Cimbria Literata* fuſius ſumus commentati, & Judicia de iisdem Eruditorum honorifica qvamplurima collegimus. Nunc unici ſaltem de *Calligraphia Linguæ Græcæ Oratoria* mentionem injiciemus, à Nicol. Friſchlino, Poeta & Didactico celebri, profecti, qvi, teſte Petr. Bambamii *Poſſelio Redivivo*, tanti Librum hunc fecit, ut Diſcipulos eum ſibi, vel veſte nummis permutata, comparare juſſerit.

diſcendi labore ſe levatum lætabitur. Et verum utiqve eſt, magnâ diligentiâ tradidiſſe Auctorem illum Grammatices præcepta: pleniſſimè ſimul & compendioſiſſimè Dialectorum & Poëtiſmorum ad ſingula præcepta applicationes inſtituit: ſyntaxin ordinatè proponit, uſumqve particularum monſtrat: qvanqvam Matth. Devarii liber in hoc labore multum illi profuerit; ut, præter alia, ex ſyllabo Auctorum patet, qvos nominat. Editus eſt liber Jenæ An. 1618. in 8.

MARTINUS CRUSIUS, Profeſſor Græcæ linguæ Tubingenſis, multa edidit in lingua Græca. Variæ ejus extant Commentationes Grammaticæ, & cum Nicodemo Friſchlino lites, qvi & ipſe Grammaticam Græcam ſcripſit, & in ea, qvavis data occaſione, Cruſium ſugillat. Sed erat Friſchlino ingenium ſatyricum, qvo magnas ſibi calamitates, & exitium, attraxit. Eqvidem Cruſius Vir non adeo emunctæ naris, ſed diligens tamen & laborioſus erat, & in vulgari illa Græca verſatiſſimus, cujus varia ab illo extant monumenta in ejus *Turco-Græciâ,* Epiſtolarum ab ipſo ad Græcos modernos, & horum viciſſim ad illum, ſcriptarum: multos enim impendit ſumtus in literas ultro citroqve latas. Habetur vero in illis eximia notitia ſtatus religionis, qvalis nunc eſt in Græcia, cujus cum noſtra Aug. Confeſſione Symboliſmus haud raro luculentus oſtenditur. 13

Non vacat autem, recenſere omnes Grammaticos, illos præcipue, qvibus pro lege eſt ſe mutuo exſcribere, ut qvidem recte meà ſententiâ judicat *Dietericus* in *Specillo Chreſtomathiæ Græcæ*, qvi addit; *inter tot Grammaticorum compendiorum Auctores vix unum eſſe, quem in omnibus ſeqvi poſſis.* Oſtendimus Auctores præcipuos, unde pleriqve ceperunt ſua, vel in compendium traxerunt: De reliqvorum, qvi ſuperſunt, nonnullis, carptim brevia dicemus. Eſt nempe *Grammatica Ott. Gualtperii*, *Theoph. Golii*, *Jac. Gretſeri* (ſua utiqve laude non privanda, cujus jam ſeptima editio ante An. 1606. Ingolſtadii prodiit) JOHANNIS VARENNII, Mechlinienſis, qvi Lovanii Græcas literas docuit, *Syntaxis Græca*, Baſil. An. 1536., & iterum cum annotatiunculis Joach. Camerarii, apud Oporinum Anno 1550. edita, qvam laudat, & Vergaræ ſine controverſia præferendam ducit, Gretſerus. Alex. Scoti, qvi & in Clenardum ſcholia ſcripſit, prodiit Colon. An. 1633. in 8. Rich. Croci, Angli, in Grammaticam Gr. Introductiones & Tabulæ Grammaticæ Colon. An. 1520. excuſæ commendantur à nonnullis; qvos inter præcipue Eraſmus eum Auctorem, ob linguæ Græcæ peritiam, vehementer extollit. Extat qvoqve PETRI RAMI *Grammatica Græca*, Pariſ. An. 1567. & Francof. 1580. in 8. edita. Alia item ejusdem Auctoris Francof. Ann. 1581. prodiit, qvæ in id ſcripta eſt, ut, *quantum differat lingua Latina à Græca*, oſtendat: qvod argumentum licet à Ramo plene pertractatum non ſit, eſt tamen conatus Operis haud vulgaris. Utiliſſimum enim eſt, noſſe differentiam linguarum a ſe invicem & convenientiam; cum utrumqve faciat ad proprietatem Latinæ Linguæ, & ad Idiotiſmos rectius cognoſcendos. Convenientiam Græcæ linguæ cum Latina deſcripſit DANIEL VECHNERUS, in libro, cui titulus *Hellenolexia*, ſeu Paralleliſmus Græco-Latinus, imitationem Græcorum in lingua Latina oſtendens. 14

Liber

Liber non ità pridem recuſus eſt, utiliſſimus ſanè, è qvo maximè patet græciſſatio linguæ Latinæ: editus eſt dudum Argentorati Ann. 1630. in 8. JACOBI WELLERI *Grammatica* laudatur ob declinationum ſpecies in compendium redactas: verum non fuit hoc ejus inventum, ſed Laurentii Rhodomanni, qvi, *in Philomuſo ſuo*, jam tum ejus meminit; qvod Wellero diſſimulatum. Extat qvoqve *Græca Grammatica* JOH. CASELII, à Nathane Chytræo edita Roſtochii Ann. 1581. in 4. FRANCISCI SANCTII *Grammatica*, Antwerpiæ eodem anno in 8. procuſa, exiguus libellus eſt, ſed ob Auctoris nomen in aliqvo pretio habendus, qvi fuit in Salmanticenſi Academia Rhetorices & Græcæ linguæ Profeſſor. *Græcæ Vulgaris hodiernæ Grammaticam* SIMON PORTIUS, Theologus Romanus, ſcripſit, nuncupavitqve Cardin. Richelio Pariſ. 1638. in 8., qvam tanti æſtimavit Carolus du Freſne, ut recuſam Gloſſario ſuo Græco præfigeret.

15 Dolendum vero, intercidiſſe conſilium JOH. CONR. DIETERICI de *Opere χρηςομαθείας Græcæ*, cujus Synopſin, ſeu, ut ipſe vocat, *Specillum*, editum habemus. Sex ille partes Operis ejus facit. I. *Breviarium*; in qvo artem Grammaticam tradere meditatus eſt. II. *Radicale*, ut vocat, qvod primitiva Græca, eorumqve deducta, certis regulis proponere debuit, pene eâ ratione, qvâ Andr. Pauli in Thematologia Novi Teſtamenti uſus eſt. III. partem facit *Theatriolum ſententiarum*, ſex ordinibus diſtinctum: qvo in loco multa de Auctorum Græcorum delectu non aſpernanda habet. IV. Pars illi eſt *Inventarium Harmonicum*, qvo recenſet Vocabula ac Phraſes cum Latinis convenientes, & è Græcis deductas voces Latinas (Qvo conſilio Jac. Maſenius in Palæſtra Styli Romani, l. II. c. 2. & 3., à Græcis derivata peculiari Lexidio complexus eſt.) Seqvitur apud Dietericum V. pars, *Rationale vocum*, ubi etyma ac origines Vocabulorum inveſtigat. Sextam deniqve partem vocat *Flaviſſam Poeticam*, qvâ proponere voluit Lexidion vocum & translationum Poëticarum, qvas qvidem à ceteris optime ſejunxit. Addit deniqve *Mantiſſam artificii mnemonici*, qvam illorum ingeniis, qvi non adeo incapaces artis iſtius ſunt, tantum commendat. Memini, Henricum Schævium Eilhardi Lubini Clavem L. Gr. ad artes mnemonicas redegiſſe, atqve his non ſine aliqvo ſucceſſu Græcæ linguæ radices pueros docuiſſe.

16 Hæc de Grammaticis in univerſum. Partes Grammatices ſigillatim nonnulli peculiaribus libris expoſuere. *Dialectorum Græcarum originem & naturam* prolixè, & more ſuo eruditiſſimè, pertractavit SALMASIUS in ſuo *de Helleniſtica Commentario*, inprimis P. II. inter alia contendit, male κοινὴν dialectis annumerari: qvippe qvæ tum demum invaluerit apud Græcos, ubi ceteris dialectis abolitis ſola ἑλληνικὴ (qvæ olim in dialectorum cenſu fuerat Theſſaliæ ac Macedoniæ incolis uſitata) per Macedones introducta ubiqve fuerit: qva re motos ait illius temporis Grammaticos, qvi qvatuor dialectos ab antiqvis traditas ſcirent, viderentqve vigere ubiqve locorum in Græcia linguam illam, qvæ κοινὴ vocabatur, hanc qvintam addidiſſe dialectis antiqvis qvatuor, qvæ proprie tamen dialectus non ſit. Egit qvoqve de dialectis fuſe HENR.

STEPHA-

TEPHANUS in *Theſauri parte ultima*. Omnem vero ejus aliorumqve de dialectis doctrinam tabulis commode & ſuccincte incluſit JACOBUS ZWINGERUS, Prof. Baſileenſis, qvæ cum Scapulæ Lexico edi ſolent.

De *Accentibus Græcis* peculiares libros ſcripſerunt ANTONIUS DANGALIERES, 17
& PHIL. LABBE: qvorum hic editus eſt Lugduni 1650. in 12., alter ibid. A. 1655. in 12. Et hi qvidem nihil de accentuum novitate tradunt. CL. SALMASIUS, in eâ epiſtolâ ad Sarravium, qvam *libro I. T. I. noſtri Polyhiſtoris, c. 7.*, totam excerpſimus, Ariſtophanem primum & proſodiæ, & accentuum, repertorem facit: Byzantium nempe, Grammaticum ſub Ptolomæis Philopatore & Epiphane clarum, ut in alia iterum epiſtola, inter Sarravianas p. 241. & 242, ſemet explicat. Neqve id ſane falſum, qvippe qvod ex Apollonio, Arcadio, aliisqve Græcorum Magiſtris, didicit: uti, poſt Salmaſium, ISAACUS VOSSIUS lib. *de Viribus Rythmi* obſervavit p. 18., qvi ſimul brevem *hiſtoriam Græcorum accentuum literariam* ſubjungit, his verbis: *Hujus* (Ariſtophanis) *diſcipulus Ariſtarchus, præceptoris inſiſtens veſtigiis, auxit & illuſtravit accentuum numerum, idemque ſtudium tenuit Dionyſium Thracem, Ariſtarchi auditorem. Nec aliam inſtitere viam, qui poſtea in ſchola Alexandrina ſibi invicem ſucceſſere: Apollonius nempe Dyſcolus, Orion, Herodianus, Appollonii Dyſcoli filius, Alexander, Aſtyages, Origenes, Agapetus, Philoponus, Sergius, Apollonius junior, Ariſtarchus junior, Johannes Charax, Herodianus Magnus, Auxonius, Georgius Chœroboſcus: qui omnes quanto ætate poſteriores, tanto pluribus præceptis accentuum rationem involverunt, ut multa horum quæ ſuperſunt, ſatis declarant ſcripta.* Qvemadmodum vero Salmaſius l. c. negare non poteſt; non propterea, qvod inventi dudum accentus fuerint, eorum qvoqve in ſcriptione marmorum, numiſmatum, codicumve uſum, fuiſſe: imò potius nullum codicem nongentorum aut mille annorum deprehendi fatetur, cui, niſi forte à recentiore manu, appicti accentus ulli ſint: ita hoc etiam inprimis Voſſius pro novitate accentuum hodiernorum urget: olim ſcilicet, florentibus etiamnum Græciæ rebus, longe aliam proſodiæ & accentuum fuiſſe rationem perſuaſus: ad qvæ roboranda veterum Grammaticorum *Dionyſii Thracis, Apollonii Alexandrini, Æl. Dionyſ. Halicarnaſſenſis, Ariſtarchi junioris, & aliorum*, qvæ ſuperſunt ſcripta & fragmenta allegat, colligitqve, *non Grammaticorum olim ſed muſicorum fuiſſe officium, notas, ſeu diagrammata proſodica, unde cantus cognoſceretur, appingere poëmatis.* E qvibus omnibus concludit; repudiandos in poëtarum lectione Græculorum recentiorum accentus, *qui nihil aliud ſignant, quàm ſonum abſonum, ridiculum, & verſus, qui cantari nequeant, denique quidvis potius, quam carmen*: contra apponendos alios, qvi pedum ac rythmorum rationem obſervent: cujus laboris ſpecimen ipſe in tribus Homeri verſibus exhibet. His Voſſii aliisqve novis rationibus nixus HENRICUS CHRISTIANUS HENNINIUS, idem παράδοξον eleganti diſſertatione adſerere conatus eſt, qvæ ſub titulo Ἑλληνισμῦ ὀρθωιδῦ Trajecti ad Rhen. An. 1685. in 8, in publicum exiit. (*bb*) Sane,

 uti

(*bb*) Henninii de Accentuum Græcorum novitate Sententiam confirmare ulterius aggreſſus

uti hæc opinio ſuis, probabilibus etiam, fundamentis deſtituta dici non poteſt, probataqve Henninii diſſertatio, ipſomet id referente, compluribus apud Belgas eruditis primi ordinis eſt: ita eo magis optandum, ut aliæ ejusdem viri duæ Diſſertationes, qvas ſe jam paratas habere ait, excudantur: qvarum una inſcribitur ἑλληνισμὸς εὐμάθητος, & annexum *indicem Bibliothecæ Græcæ* habebit 1. *Philologorum*, ſeu Grammaticarum, Lexicorum, Phraſeologiarum, particularum linguæ Græcæ, ſimiliumqve ſcriptorum. 2. *Literatorum*, qvi Græcas antiqvitates illuſtrârunt. 3. *Auctorum Græcorum*, qvi ab Homero ad captam usqve Conſtantinopolin urbem ſcripſerunt. & 4. *MSS. Græcorum* ἀνεκδότων, qvæ hic illic in Bibliothecis latent. Incidit hâc occaſione, ut id ὡς ἐν παρόδῳ, ſed tamen non extra oleas, addam, JOHANNEM MEURSIUM, egregium illum Græcæ antiqvitatis vindicem, ſub manibus ſimili labore *Bibliothecam Græcam*, ac *Bibliothecam Atticam*, habuiſſe: Atqve, ut erat prorſus eximiâ in eruendis colligendisqve rebus Græcis ſolertia, ſtupendiqve laboris vir: ita neqve hoc in opere ceſſavit: ſed jam ad finem perduxerat Atticam Bibliothecam, qvæ Scriptores Athenis oriundos continet: & in qvatuor libros Alphabetico ordine diſtributa Holmiæ in Regia Suecorum Bibliotheca MSS. ſervatur: hinc vero ut communi eruditorum uſui, per Clar. Normannum, vel alium Virum doctum, eruatur, ſane perqvam optandum eſt. *Græca* vero *Bibliotheca* Meurſii, qvæ ibidem latet, & omnium Græciæ provinciarum Auctores itidem alphabeti ordine digeſtos recenſere debuerat, manca nimis eſt, & non ultra primam δυάδα literarum aſſurgit. (*cc*) His ita de Meurſio inſperſis

greſſus eſt Medicus alter eruditus, Joh. Dan. Major, Prof. Kilonienſis, in *Epiſtola de Nummis Græce inſcriptis, ad D. Joh. Diecmannum, Ducatus Bremenſis Eccleſiarum Supremum Antiſtitem, qua præcipue Paradoxon Viri Cl. Henr. Chriſt.* Henninii, *Linguam Græcam non eſſe ſecundum Accentus pronunciandam, Orbi Literato ulterius conſiderandum committitur*, Kilonii A. 1685. in 4to edita. Adjecta eſt illi *Appendix de ſuſpecta, imo olim nulla, Jotorum Subſcriptione.*

(*cc*) Bibliotheca Joh. Meurſii Senioris Græca Alphabetica, de Antiqvis Scriptoribus Græcis, eorumqve Operibus, tum etiamnum reliqvis, tum deperditis, Libris IX. totidem Muſarum nominibus, ad exemplum Hiſtoriæ Herodoti, inſignitis, abſoluta, ſæpius ab Autore (*Lib. 2. Athen. Batav. p.* 197. 198. *in Lib. de Fortuna Attica c.* 3. *& in Lect. Theophraſticis cap.* 1.) eſt promiſſa, Editioqve illius a Viris Eruditis, Andr. Schotto & Luca Holſtenio (in Epiſtolis ad eum ἀνεκδότοις), Phil. Labbeo (*in Biblioth. Bibliothecarum p.* 205.), Joh. Jonſio (*L. 3. de ſcript. Hiſt. Philoſ. c. 20. p* 314.) aliisqve, vehementer deſiderata. Supereſſe eam etiamnum inter Ανεκδοτα Bibliothecæ Regiæ Svedicæ Holmienſis Meurſiana, qvæ Sam. Pufendorffius Joh. Georgio Grävio, ut, ipſo curante, ederentur, tranſmiſit, verum imperfectam nec ultra Literam H productam, Chriſt. Thomaſii *Cogitata de Libris Recentioribus Jocoſeria Germanica* (*M. Nov. A.* 1688. *p.* 585. 586.) teſtantur. Si Morhofio, vel interpolatori ejus (h. l.), credendum, longe adhuc magis eſt mutila & imperfecta, nec ultra primam Literarum δυάδα aſſurgit. Abſolutam tamen ego illam ab autore eſſe non dubito, cum edendæ ejus poteſtatem Guilh. Noomſio, Arlanderveniæ Domino, Anno jam 1634. fecerit in

inſperſis, nunc ad Henninii promiſſam alteram Diſſertationem revertor: eam inſcribit Ρωμαϊκισμὸν βαρβαρόφωνον: demonſtrabitqve, Græcos hodiernos, eorumqve ſeqvaces, vitioſe literas & diphthongos Helleniſmi enunciare.

Atqve ita nos manuducit ſuâ hac promiſſione Henninius ad controverſiam 18
de genuina linguæ Græciæ pronunciatione, multa utrinqve contentione, ſcriptisqve multis, inter literatos agitatam: qvibusdam hodiernum & vulgarem pronunciandi morem, qvo diphthongos *αι* per ſimplex *e*, *οι* vel *ει* per *i* ſimplex, efferunt, qvemqve nunc jotaciſmum appellare nobis liceat: aliis contra vehementer eam pronuntiationem impugnantibus, & oppoſitum adeo eſſe clarum manifeſtumqve contendentibus, ut contrahiſcere idem ſit, ac os nullum, vel potius pugilis, habere. Sic utraqve cauſa ſuos patronos, ſua etiam argumenta, habet. Mihi tamen ſemper potior eſt viſa poſteriorum ſententia, qvi jotaciſmum iſtum improbant. Id eqvidem præfracte adeo negare non auſim, aliqvo tempore, & apud aliqvos Græciæ populos fuiſſe talem pronunciationem in uſu: namqve obſervatum eſt in inſcriptionibus Græcis vetuſtiſſimis (è qvibus potiſſimum, & è verſionibus Latinis, qvando Græcas literas æqvali charactere exprimunt, res decidenda eſt,) pro *η* & *οι* ſubſtitutum fuiſſe purum jota: ſed tamen hæc rem nondum decidunt. ISAAC. VOSSIUS, qvi, ſuarum in *Melam Obſervationum l. I. c.* 12. *p.* 65. ſe *de Literis & pronunciatione linguæ Græcæ ſcripturum*, promiſerat, *in libro de Natura Rythmi* p. 15. graviter in eos invehitur, qvi credunt, *beta* literam ſonaſſe ut *vita*, aut vocales *η*, *ι*, & *υ*, eodem pacto pronunciatas fuiſſe: contra is non ſolum florentibus adhuc Græciæ rebus, ſed & qvamdiu ſteterit Romanum imperium, diverſum accidiſſe, audacter aſſerit: aliam tamen diphthongorum eſſe rationem fatetur: qvanqvam enim utraqve earundem vocalis exaudita in veterum pronunciatione fuerit, priusqvam Græcia Romanis ſerviret: ſub Nerone tamen, & Claudio, cum nimium delicatuli eſſe homines cœpiſſent, diphthongos Græcas una cum Latinis, fruſtra etiam renitente Claudio, expiraſſe. *Non tantum inſolens quid* (ita Voſſius p. 16.) *ſed & vaſtum, & ruſticum præ ſe ferre videbantur diphthongi* AI & OI: *Nec defuere credo, qui fauces non ſatis patere, nec ſine dolore in tam latos ſonos diduci & explicari poſſe, adfirmarent. Sine mora itaque à Romanis tranſiit vitioſus hic pronuntiandi ritus ad Græcos; gentem adulandi peritisſimam, fruſtra reclamantibus doctis & antiqui moris ſtudioſis: qui licet aliquandiu reſtitere, brevi tamen & ipſi quoque in mollius loquendi genus conceſſere: & adeo quidem, ut Trajani & Adriani ſeculo bivocalium uſus penitus ceſſaſſe videatur. Hinc eſt, quod in illis marmoribus, quorum inſcriptiones factæ ſunt poſt ea tempora, mera diphthongorum confuſio appareat, cum* E *pro* AI,

in Epiſt. ad Gerh. Joh. Voſſium d. 12. Jul, ſcripta, & in Appendice Voſſianarum (*num.* 200. *p.* 127.) obvia. Bibliothecam Atticam (L. 2. *Athen. Batav. p.* 197. 198. *in Præfat. Græciæ* Ludibundæ, *& in lib. de Fortuna Attica c.* 8. promiſſam) Autor prælo itidem paratam habuit, ac Gerh. Joh. Voſſio Amſtelodamum A. 1633. transmiſit, ut illic, in Tomo Operum ſuorum Hiſtorico-Philologicorum Primo, ederetur. V. Epiſt. ejus ad Voſſium, d. 20. Aug. A. 1633. exaratam, *in Appendice Voſſianarum, num.* 175. *p.* 113.

I *pro* OI *vel* EI, *paſſim occurrat, cum tamen in vetuſtioribus lapidibus orthographiæ ratio optime ſibi conſtet.* Hæc Voſſius, cujus ego judicio multum in hoc negotio tribuo: eſt enim illarum literarum doctiſſimus, &, in iſta multitudine Auctorum, qvi de hoc argumento ſcripsêre, procul dubio nova qvædam vidit & obſervavit. Scripſerunt alioqvin *de pronunciatione linguæ Græcæ* JOH. CHEKUS, *Anglus*, cujus de illa controverſia *diſputationes, cum Stephani Wintonienſis Epiſcopi VII. epiſtolis*, junctæ prodierunt Baſil. An. 1555. THOMÆ SMITHI *de recta & emendata pronunciatione linguæ Græcæ* liber Pariſ. apud Rob. Stephanum an. 1568. in 4. excuſus eſt. ADOLPHI MEKERCHI, *Brugenſis de veteri & recta pron. l. Gr.* ſcriptum Plantinianis typis Antvverp. 1576. in 8. impreſſum eſt. HENR. STEPHANUS vero integrum corpus Auctorum, hanc materiam evolventium, collegit, hoc titulo: *De linguæ Græcæ ac Latinæ vera pronunciatione commentarii doctiſſimorum virorum.* An. 1587. in 8. Scripſit præterea JOH. CAJUS, *Londinenſis, Medicus* clariſſimus, πολύγραφος (ut è Gaddio de Scriptor. Non-Eccleſiaſt. Friſiiqve Bibliotheca liqvet) & Collegii cognominis apud Cantabrigienſes fundator, *de Pronunciatione linguæ Græcæ & Latinæ, cum ſcriptione nova* Londini 1574. in 4. Adverſus jotaciſtas diſputat qvoqve LAURENT. RAMIREZ *de* PRADO in Πεντηκοντάρχῳ ſuo, Antvverp. 1612. edito, c. 34, qvi & hac in parte profligare ignorantiam vulgarem voluit. Contra vero non ita pridem JOH. RUDOLPH. WETSTENIUS, Græcarum literarum in Academia Baſil. Profeſſor, doctusqve vir, omnes has de pronunciatione Græcæ linguæ lites, editis *de illa Orationibus* Amſtelod. 1681. in 8., ita reſumſit, ut jotaciſtarum partes agat, & ſollicite ad adverſariorum argumenta reſpondeat: nondum tamen perſuaſit.

19 Ad doctrinam de Dialectis, cujus ſupra mentionem fecimus, pertinet qvoqve πολυθρύλλητος illa, & tot infeſtis acerbisqve ſcriptionibus actitata, *de Helleniſtica Lingua* controverſia: cui occaſionem primam JOSEPHUS SCALIGER, tùm *in Animadverſionibus Euſebianis* p. 134., tùm in converſatione familiari dedit: à qvo, magiſtro ſuo, hauſtam opinionem DANIEL HEINSIUS, *in Prolegomenis ſuarum Exercitationum Sacrarum*, earumqve perpetuo decurſu, magno conatu uberius, expolire peculiaremqve Dialectum ejus, in translatione τῶν LXX., & ſtylo Novi Teſtamenti, obviam, conſtituere anniſus eſt. Cui vero ſe acri ſcriptione oppoſuit CLAUDIUS SALMASIUS, tùm *in Commentario de Helleniſtica*, Lugd. Bat. 1643. in 8. edito; tùm *in Funere & Oſſilegio Helleniſticæ*, ibidem eodemqve anno procuſo, cum Heinſius ſcriptâ diſſertatione ſui vindicias tentaſſet. Et ſcripſit qvidem Salmaſius eo eventu, ut causâ Heinſium cecidiſſe viri docti palam tum judicarent. Ita enim Sarravius ad Alex. Morum Epiſtol. pag. 71. *Omnes docti & probi in amici noſtri ſententiam palam eunt. Familiam duxere Gerh. Voſſius, Conſtantinus Imperator, Joh. Latius: quos numeri innumeri ſecuti ſunt.* Hos inter non ultimum ipſummet Sarravium fuiſſe, alia ejus ad Gronovium, qvem noverat Heinſii amicum, verba teſtantur *Epiſt. p. 69. Sed quid de ejus* (Salmaſii) *Helleniſticis cenſetis? Tu præſertim quid de Oſſilegio? Niſi enim me viri amor turbat, vix aliquid majori cum fructu, venuſtate & elegantia, ab eo unquam*

ſcriptum

ſcriptum fuiſſe edico. Hinc, cum MARTINUM SCHOOCKIUM, Ultrajectinum, *Rogum Funeris Helleniſtici* moliri audiviſſet; *Viderit ille*, inqvit, *num moleſta tunica indutus in ipſa tæda lucere velit*: pag. 87. Nihil vero hujus edidit Schoockius: ſed Auctor eſt Diſſertationis *de Helleniſtica lingua*, Lugd. Batav. 1643. in 8. evulgatæ, qvam ab Heinſio ipſo ſcriptam male Salmaſius ſuſpicabatur, eapropter caſtigatus à Placcio *in Anon. Detectis* p. 66. Præter Salmaſium vero alium qvoqve adverſarium, non minus acrem, & eruditum, nactus eſt Dan. Heinſius, amicum olim, &, qvod mireris, contra Balzacum defenſorem, JOH. CROJUM, cujus *Obſervationum Sacrarum Pars prior*, Genevæ 1645. in 4. publicata, Heinſii Prolegomena diſcutit: & multis profecto egregiis atqve eruditiſſimis obſervationibus ſcatet. Sarravius, qvem paulo ante laudavimus, *in Epiſt. p.* 135. ita de Croji libro ad Morum. *Redditæ mihi ſunt amici tui obſervationes in Prolegomena jacentis & afflicti auctoris, pro quibus magnas tibi debeo & ago gratias. Opus eſt eruditum, varium, elegans, multijugi doctrina & lepore refertum. Placet præſertim* θυμὸς ἀγήνωρ, *quo hominem audacter, nec ſub perſona, aggreditur. Si autem in ſolo pene hærens* προπυλαίῳ *tot inſcitiæ &* ἀκρισίας *portenta profligavit, quid non ſperemus amantes, ubi ipſa adyta reſeraverit?* Qvæ ſeqvuntur, non addo, cum è Salmaſianis relationibus hauſta juſto acerbius Heinſium perſtringant; (de qvo alibi in epiſtolis dignius atqve moderatius loqvitur) ut recte etiam Colomeſius in Gallia Orientali p. 186. obſervavit. Certe, uti Leydenſes editâ Ann. 1646. Apologiâ Heinſium tuiti ſunt, ita nihil amplius à Crojo lucem in hac controverſia aſpexit: qvanqvam ipſe plures adhuc Obſervationum partes ſub finem editæ promiſerit. Utrum vero earundem editio à collegis Croji impedita ſit (à qvibus, *cum barbarum iſtud facinus illis diſpliceret, Crojum ſui officii admonitum reſipuiſſe*, Nicol. Heinſius, D. F., ſibi narratum refert, *Not. in Ovid. T. I. p. 375. edit. in 12.*) an alia illum cauſa retardaverit, incertum. Servare partes reliqvas Croji Obſervationum nepotem ejus D. Roure, è Colomeſio l. c. didici. Adeo vero rejicit Helleniſtarum nomen in LXX. Interpretibus Vir ille doctus, ut eos potius *Ex-helleniſtas & Aphelleniſtas* dici debere pag. 254. *Obſerv.* aſſerat. Neqve etiam ſubſtitit inter hos triumviros controverſia: ſed & MATTHÆUS COTTERIUS, ſcripta *de Helleniſtis & lingua Helleniſtica Diſſertatione*, Heinſio ſe oppoſuit, & complures alii, modo pro Heinſio, modo contra illum, argumentum hoc pertractarunt; qvos recenſere nimis prolixum foret. Inprimis vero recruduit illa lis inter *Richardum Simonium* & *Iſ. Voſſium*: qvorum ille, Salmaſium, nonniſi de umbra aſini diſputantem, lites de nomine tantum concitaſſe, ſcribit: hic vero Simonium vulgi more loqvi ait, non attendentem, res eſſe mortuas, niſi vocum acceſſerit poteſtas. Videantur eorum ſcripta ἀμοιβαῖα: *Simonii Caſtigationes*, & *Voſſii Reſponſiones*. Qvemadmodum vero plerisqve negandum non videbatur, peculiarem eſſe librorum N. T. & LXX. Interpretum loqvendi modum: ita *Græcum Synagogæ* illum vocavit Simonius, cum *Helleniſticum* non vellet. Salmaſius vero *Idiotiſmos, ſolœciſmos, barbariſmos*, ſacro etiam textui immiſtos aſſerere non dubitat: qvod cum nimis durum aliis videretur, eo ipſi tetenderunt, ut puram omnino eſſe, nec Hebraiſmos, nec idio-

tiſmos, & multo minus ſolœci qvid barbarive, redolere evincerent. Hoc jam, ante lites Helleniſticas, probare Henr. Stephanus eſt conatus, in erudita qvadam *præfatione, quam Novo Teſtamento à ſe in* 12. *edito præfixit*: inſecutus eum Sebaſtianus Pfochenius, *Diatriben de Linguæ Græcæ puritate absque Hebraiſmis* edidit Amſtel. 1629. in 8. inde aliqvoties recuſam. Poſt lites Heinſianas idem valide, conqviſitis undiqve ſcriptorum profanorum locutionibus, aſſertum ivit operoſo *Annotationum in Nov. Teſt. volumine*, Wittebergenſis Academiæ clarum ſidus, ERASMUS SCHMIDIUS; prodiit illud Noribergæ an. 1658. in fol. Haud ſegnior diſcipulus Schmidii, BALTHASAR STOLBERGIUS, & ipſe Græcæ L. Profeſſor Wittebergenſis, non ſolum variis *Exercitationibus*, qvas, *uno Tractatu comprehenſas*, poſt Auctoris fata, *Clar. Schurzfleiſchius* præfatione ornavit, Witteberg. 1685. in 4., ſolœciſmos & barbariſmos, Novi Fœderis dictioni tributos, profligare ſtrenuè molitus eſt: ſed & paratum jam editioni Opus magnum reliqvit, ſummâ diligentiâ elaboratum, qvo puritatem ſtyli N. T. oſtendere ſatagit. Servatur illud adhuc manu Auctoris ſcriptum à *Theod. Daſſovio*, L. L. Or. in eadem Academia Profeſſore, Viro clariſſimo, & Stolbergiani tori ſucceſſore: qvi & edendi Operis plus ſemel ad amicos ſpem fecit. Eodem propoſito ſcripti apud Anglos JOH. PRICÆI *Commentarii in Nov. T.* ſunt, qvi & junctim uno Volumine Londini lucem aſpexerunt An. 1660., & in Opus Criticorum S. Scripturæ Interpretum una recepti ſunt, ut à barbariſmis Novi Teſtamenti phraſin vindicent. Enimvero, ut jam olim Pfochenio ſeſe *Thomas Gatakerus* oppoſuit, magnum in omni re literaria nomen, edita *Diſſertatione de ſtylo Novi Teſtamenti*, *Londini* 1648. in 4., utqve *Iſ. Caſaubonus*, *in Notis ad N. T. à ſe editum*, auctoritati ſoceri ſui Henr. Stephani non ceſſit: ita Wittebergenſibus Viris doctis JOH. HENR. BOECLERUS brevi qvidem, ſed eruditiſſima *Diſſertatione de Lingua N. T. originali* (qvam recudi, ſuæqve de eodem themate addi, Celeb. Lipſienſium Theologus *D. Joh. Olearius* curavit,) ea objecit, qvæ nondum ſoluta, ſi verum fateri decet, etiamnum prævalent. Mediam ille viam tenet, &, qvid in Salmaſii opinione, qvid in ſententia Heinſii, culpandum ſit, egregiè & cordatè, tectis tamen ſemper nominibus, exponit. Contra eos vero, qvi puritatem Græci ſermonis in N. T. aſſerunt, multisqve corraſis undiqve ſimilibus locutionibus probant, illud inprimis monet: *non eſſe quæſtionem, an phraſes & verba, quæ in Novo Teſtamento occurrunt, è perreptatis ſcriptorum profanorum monumentis posſint erui; (præſertim ſi raro hic, ibi vero ſemper, occurrant) ſed, an tota dictionis indoles, faciesque ſtyli, totumque orationis corpus, conveniat cum ea Græcitate, quæ in profanis ſcriptoribus occurrit. Ex hoc enim principio de idiomate eſſe judicandum.* Eandem cum Bœclero viam JAC. BOLIUS trivit, Regiomontanus Profeſſor, qvi an. 1647. in 4. peculiarem edidit diſſertationem hoc titulo: *Juſta & moderata abſentiæ ab exequiis, & juſtis funebribus, funeri linguæ Helleniſticæ excuſatio & venia, quam ab iis, qui, idiotiſmum Hebræum in Tabulis Teſtamentariis Novi Fœderis Salvatoris noſtri J. C. negando, funus linguæ Helleniſticæ procurant: iis vero, qui, Solœciſmos & barbariſmos eidem impingendo, prorſus efferunt & contumulant, -- impetrare conabitur &c.* uti Placcius loco ſup. cit.

indicat

indicat. Ex Italis doctè & copiosè materiam iſtam, in utramqve partem diſſerendo, tractaſſe *Petrum Laſenam* Erythræus in *Pinacoth, I. p. 108.* auctor eſt. Verum longe plures adhuc Philologi eruditi ſuperſunt, qvorum tractatibus illuſtrata & pertractata, illa controverſia eſt: *Glaſſius* noſter & *Joh. Vorſtius*; uterqve in Philologia Sacra: ille carptim, hic luculenter: *Caſpar Wyſſius* in Dialectologia Sacra: *Georg. Paſor* in Idea Dialectorum N. T., *Joh. Olearius* ſupra laudatus in Diſſertatione de Stylo N.T. *Anton. Borremanſius* in Variis Lectionibus c. 1., *Joh. Leusdenius* in Philologo Ebræo-Græco: & tot alii, qvos nunc præterimus.

Sunt alii, qvi conformitatem phraſeos Græcæ & Hebraicæ aliqvot libris integris tradidêre: ZACHARIAS BOGANUS, Anglus Devonienſis, cujus extat *Homerus* Ἑβραΐζων, ſeu comparatio Homeri cum Scriptoribus Sacris, qvoad normam loqvendi: editus eſt ille liber Oxonii An. 1658. in 8. Simili labore *Homeri Hebraiſmos* annotavit JACOBUS CAPPELLUS in Vindic. Caſaub., l. IV, c. 11, 12. Eandem operam *phraſeos Homeri cum Syriaſmo collatæ* jamdudum ante hos ANGELUS CANINIUS promiſerat, Buchnero teſte in Paraphraſi ſuæ Eclogæ de Philoſophia: Idem promiſerat & Heinſius in Sacro Ariſtarcho. 26

CAP. VII.

DE LEXICOGRAPHIS GRÆCIS, ET GLOSSARIIS ANTIQVIS.

§. 1. *Lexicorum Græcorum Hiſtoriæ Scriptores. 2. Lexicographi Veteres Editi, Autor ſc. Magni Etymologici. 3. Suidas. 4. Jul. Pollux. 5. Harpocration. 6. Heſychius Alexandrinus. 7. Stephanus Byzantinus. 8. Lexicographi Veteres Inediti, Phrynichus, Helladius, Pauſanias. 9. Photius (Patriarcha Conſtantinopolitanus) 10. Joh. Zonaras, Eudemus, Arſenius. 11. Cyrillus Alexandrinus, aliiqve complures, magnam partem Anonymi. 12. Gloſſariorum diverſa acceptio. Gloſſariorum apud Veteres Copia. 13. Gloſſariorum, à Pet. Daniele, Henr. Stephano, Bonav. Vulcanio, Car. Labbeo, J. Rutgerſio, editorum, Hiſtoria.*

UTi præcipua ἐξηγήσεως Græcæ pars è LEXICIS atqve GLOSSIS haurienda eſt; 1
imo & etymologiarum ratio ibi omnium maxime habetur; ita de his nunc poſt Grammaticas, qvorum pars magna ſunt, juſtam tractationem inſtitui res ipſa jubet. De eorum ratione in univerſum, origine, inſtituto, differentiis, aliisqve notatu dignis, magnâ ſane diligentiâ, & judicio haud minore *Phil. Jac. Mauſſacus* agit, in Diſſertatione Critica, ſuis in Harpocrationem notis præmiſſa. Attigit qvoqve iſtud argumentum *Joh Wowerius* cap. IX. ſuæ Polymathiæ: qvem Mauſſacus identidem, ſed nonnunqvam immerentem, caſtigat. De Lexicis Græcis præ-

præterea Diſſertationem edidit *Joh. Henr. Bæclerus*, qvæ reperitur inter Diſſertationes ejus Academicas: videndus qvoqve *Joh. Martinius*, in præfatione Lexici ſui Philologici, (& poſt hos *Joh. Alb. Faber*, qvi Exercitationem de Lexicis Græcis Decadi Decadum, Lipſiæ 1689. editæ, annexuit: qvam vero nunc ſecundis curis plus altero tanto auctiorem, & accurato ſtudio recognitam paratam habet, propediem editurus.)

2 Etymologiam vocum Græcarum non Platoni ſolum, cui primo illam curam Dionyſius Halicarnaſſenſis adſcribit, ſed & Philoſophis aliis, nec non JCtis, Poëtis, Comicis, & Tragicis, imo & Chriſtianæ Theologiæ Magiſtris, cordi fuiſſe eleganter Mauſſacus, ex ipſorum monumentis, oſtendit. Hinc nata jam olim varia variorum Etymologica, qvæ nunc periere, & è qvibus conflatum, qvod ſupereſt adhuc, MAGNUM ETYMOLOGICUM eſt, pulcherrimum iſtud antiqvitatis Græcæ fragmentum, magnumqve penu Grammaticæ, in qvo & originum & analogiæ doctrina, ex veterum ſententiis, copioſiſſimè proponitur; hiſtoriæ item & antiqvitatis monumenta paſſim attinguntur: adeoqve liber omnino neceſſarius ad linguæ rerumqve Græcarum cultiorem notitiam. Auctor illius ignoratur, licet nonnulli *Marcum Muſurum* (qvi in Thomaſii de Plagio Diſſert. vitio typographi male *Martinus* ſcribitur,) alii *Nicolaum* & *Zachariam Calliergos*; *Nicam*, cum Politiano, alii, pro eo habeant. Muſurus cum Calliergis primum editi ejus curam geſſit, cum Venet. 1499. publicaretur: hinc nata de iis, ut Auctoribus, ſuſpicio. Unde vero ſuam de Nica opinionem hauſerit Politianus, & annon falli potuerit, incertum. Juvat illum, qvod Phil. Labbe, *in Bibliotheca Nova MSS.*, *Supplem. II. p.* 170., è Catalogo Scipionis Tettii, Neapolitani, Nicæ Lexicon qvoqve inter alia recenſet. Qvicqvid ſit, Chriſtianum fuiſſe Compilatorem Etymologici, & non nimis antiqvum, ea, qvæ Mauſſacus profert, & allegationes Auctorum recentium, ignorare nos aut dubitare non patiuntur: Plagiariis eum accenſet Caſaubonus, & cum Caſaubono Thomaſius, qvi etiam ab iſto crimine non excuſandum exiſtimat l. c. §. 663. *ſeqq.* Interim perneceſſarium & utiliſſimum Græcæ linguæ Studioſis librum eſſe, ipſe uſus omnium optimè probat. Poſt primam ejus editionem, alteram Venetiis A. 1549. excudit, non Aldus, uti perperam Auctor Catalogi Thuanei prodit, (deceptus, ut videtur, Delphini anchoræ circumplexi pictura, qvæ alias Aldi inſigne eſt); ſed Federicus Turriſanus, Andreæ, qvi Socer Aldi fuerat, filius. Is non magno ſolùm ſtudio Etymologicum emendavit, verum & de ſuo adjecit nonnulla, aſteriſcis notata: qvæ tamen adeo non ſpernenda Frider. Sylburgius judicavit, ut ea omnia novæ editioni à ſe procuratæ inſereret: prodiit illa Heidelbergæ ex officina Commeliana A. 1594., cum Sylburgii notis & indicibus præſtantiſſimis. [Iſaacus Voſſius MSS. hujus Etymologici Codicem longe antiqviſſimum poſſedit, qvem &, ne nimiâ vetuſtate exeſæ literæ prorſus evaneſcant, deſcribi ſumma fide curavit: eſt vero is edito longe amplior: atqve utinam è Leydenſi Bibliotheca, in qvam cum reliqvo ejus Viri librario apparatu tranſiit, editum aliqvando iri ſpes eſſet: & non idem experiatur fatum, qvod Catalogus Bibliothecæ Voſſii, juſſu Guilh. Sancroft, Archiepiſcopi olim Cantuarienſis, à Paulo Colomeſio elegantiſſimo ordine con-

confectus, jamqve non ſolum paratus editioni, ſed & Londinenſi cuidam typographo ab amico, cujus relationi rem totam debeo, in manus traditus, ut propediem edatur: cujus tamen editio vel dilata nimium, vel omnino omiſſa eſt.)

Præter Etymologicon Magnum ἀνωνύμου, SUIDÆ ETYMOLOGICUM qvoqve ſupereſſe, diverſum à Lexico & ineditum, in Bibliotheca Palatina olim aſſervatum, ſeqventia Mauſſaci verba evincunt, qvæ cum ad pleniorem libri notitiam haud parum conducant, huc è Diſſert. Crit. p. 341. ſq. tranſcribam. *Ex profeſſo* (ita ille) *huic parti* (etymologicæ) *incubuere ultimæ antiquitatis auctores, Suidas & Etymologus. Et Suidas quidem, cujus Etymologicum, Mich. Apoſtolii manu in Creta, ἀπὸ πρωτοτύπου πάνυ διεφθαρμένου (ut ipſe teſtatum reliquit), deſcriptum, in luculentiſſima Electoris Palatini Bibliotheca ſervatur. Opus, ut ego judico, perneceſſarium: ſed niſi, me fallit conjectura, quamvis nunquam in illud inciderim, in gloſſarii modum potius, quàm Etymologici, confectum. In hanc ſententiam me duxere varia, quæ à Joh. Meurſio, in Gloſſario ſuo Græco-Barbaro, ex eo proferuntur fragmenta: quid enim illa præter verba κατὰ γλῶσσας explicata?* Cave in his Mauſſaci verbis ultimam antiqvitatem pro ultima abhinc, i. e. prima, accipias, cum ultimam ad nos verſus indigitet, qvæqve antiqvitatis titulum ferme ultima promeretur. Sine dubio autem, cum univerſo Palatinatus literati theſauro, in molem Vaticanam iſtud Suidæ Etymologicum tranſiit, e qvo aliqvando liberatum iri compedibus ſpes nulla omnino eſt. Ceterum, qvod, ad illam de Etymologico Suidæ in Gloſſarii modum ſcripto Mauſſaci ſuſpicionem attinet; poſſunt utiqve gloſſemata etymologiis eſſe interſperſa, qvæ non ſtatim faciem libri mutant: qvemadmodum in Magno Etymologico innumera vocabula 25 aut 30 diverſarum nationum afferri, & gloſſematicè explicari, ipſemet Mauſſacus p. 360. l. c. refert, allatisqve exemplis pluribus probatum dat. Nempe iſtiusmodi peregrina vocabula ortum primò Gloſſis, tùm & Lexicis, præbuerunt, qvæ omnia fusè laudatus Auctor exponit; Et, qvid diſcriminis inter Gloſſas Lexicaqve ſit, qvod nullum arbitratur Caſaubonus; magnum Wowerius credit, ipſe medius commonſtrat.

Negari interim non poteſt, adeo ſtrenuè Gloſſatores Lexicographos, & hos illos viciſſim, mutuò tranſcripſiſſe, compilaſſeqve, ut in morem res prorſus abierit. Poſtulatur vero inprimis ejus criminis SUIDAS, paulo ante memoratus, cujus *Lexicon* nil niſi centonum, ex variis auctoribus, haud raro præter rem ſilentio preſſis, conqviſitorum, congeriem, ſeu ῥαψῳδίαν potius eſſe, viri graviſſimi Beatus Rhenanus, Iſ. Caſaubonus, Andr. Schottus, aliiqve haud pauci, non ſine omni ſtomachatione, memorant: à qvibus non adeò multum in diverſum abit Q. Septimus Florens Chriſtianus in Notis ad Ireneam Ariſtophanis; & Mauſſacus, niſi qvod hic non ſuccenſet Suidæ, ſed eum commendat potius, & de ejus nomine aliisqve Suidis, contra Politianum & Gyraldum eruditè diſſeruit l. c. p. 373. ſq. Excuſandum qvoqve a plagio Suidam ſibi ſumit Thomaſius *Diſſert. de Plag. Liter. §. 551.*, qvippe qvem & fontes, e qvibus hauſerit, præmiſſo Lexicorum catalogo, indicaſſe, & a recentiori manu plus ſemel interpolatum, haud immeritò credi poſſe cauſatur. Mereri ſane illud eruditionis & rerum

qvarumvis pretioſiſſimarum penu, ut hoc qvicqvid eſt plagii condonetur, cum Reineſio ſciſcit, cum id omne nonniſi in commodum Orbis eruditi vergat. Utiqve, dum Philoſophorum plerorumqve Vitas exhibet, eò non infimum locum inter βιωγράφες ſibi vendicare Jonſius *de Scriptor. Hiſtoriæ Philoſ. l. III. c. 20. p.* 308. judicat, plura aliqvando de eodem daturus, ni mors egregios conatus oppreſſiſſet: ſecutus autem in hoc de Suida Judicio Voſſium eſt *de Philologia c. 14. §. 9.* Prima Suidæ, eademqve rariſſima, & longè emendatiſſima editio Græca, Mediolani prodiit An. 1499. in fol. ſummo ſtudio DEMETRII CHALCONDYLÆ procurata: typis Joh. Biſſoli & Bened. Mangoli Carpenſium, qvos eum in finem advocârat: ſed id tamen, ne perfecta ſit, incommodi habet, ut lemmatibus aliqvot deſtituatur, qvæ in Aldina editione anni 1515. conſpiciuntur: habet tamen & ipſa qvædam, qvæ in *Aldina* non ſunt, (ſiqvidem non diffitetur in Græca præfatione Chalcondylas, ſe ex aliis qvoqve libris Suidæ ingeſſiſſe, qvæ deeſſe adhuc ipſi videbantur) ſed pauciora. Poſt Aldinam prodiit tertia *Baſileenſis* An. 1544. Frobenianis typis exſcripta, qvæ nec ipſa in omnibus cum Aldina conſentit. Tres has Græcas Suidæ editiones Latina excepit HIER. WOLFFII A. 1564., & ſecundis curis iterata 1581., ſed qvæ nonniſi Hiſtorica Suidæ ſelecta, & Latinè translata, ſiſtit. Suidam integrum Latinè vertit Seculo jam XIII, ROBERTUS GROSTHEAD, ſeu *Capito*, Epiſcopus Lincolnienſis, ſui ævi miraculum & ob ſummam eruditionem ſtupor. Nondum qvidem edita illa verſio eſt, ut ſunt plures ejus viri labores ἀνέκδοτοι, ſed ejus tamen in Hiſtoria meminit Matthæus Paris, & ex hoc Balæus de Scriptor. Angl. Cent. IV. p. 306., qvi & Roberti Animadverſionum in Suidam librum allegat. Noſtro ſeculo Suidam integrum Latinè reddidit verſione liberiore, notis inſuper atqve emendationibus illuſtratum ÆMIL. PORTUS, II. Tomis, Genevæ 1619. editum; ut adeò vaſtus liber ſit. Enimvero non omnino probata eruditis iſta Suidæ verſio eſt; ſeu obtineat hic, qvod ſub finem ſuæ in Harpocr. præfationis laudatus ſæpiſſimè Mauſſacus verbis juſto durioribus ſcribit; *ſana mente præditis & literis, ut decet, imbutis ludibrio eſſe & contemptui, quotquot è trivio interpretum Pollucem, Suidam, aliosve id genus auctores, in Latinam transfundere inſtituunt*: ſeu aliud obfuerit Porto, Viro cetera doctiſſimo. [Ita enim non in verſione ſolùm, ſed & emendationibus, impegiſſe illum Pearſonius, in eximiis ad Hieroclem Prolegomenis p. 31. notat, *Suidam*, inqviens, *admodum infeliciter transtulit, maculisque pluribus aut affectum invenit, aut affecit.* Ipſummet vero JOH. PEARSONIUM novam & luculentam Suidæ editionem moliri, refert Mericus Caſaubonus in Not. ad Hieroclem p. 181. Qvodſi hanc molitionem abſolvere datum fuiſſet Viro ſummo, haberemus hodiè Suidam, emaculatum, illuſtratum, & tantum non omnibus numeris abſolutum. Hoc autem fata non ſivere. Qvæ ſuperſunt apud Anglos ex ejus collectione, maximam partem ſpectant Auctorum nomina, è qvibus exempla toties ἀνωνύμως producit Suidas; inſperſis & hic illic emendationibus; ut ex ore Clar. Dodvvelli amicus hauſit. Plane itaqve convenire videntur collectanea Pearſonii cum Reineſiano ad Suidam apparatu. Infinita ſiqvidem THOMAS REINESIUS, profundæ eruditionis Vir ac inter præcipuos no-

ſtræ Germaniæ numerandus, margini ſuæ Suidæ allevit, ad ejus illuſtrationem aut emendationem facientia. Nam & ipſe aliqvando Suidam edere meditabatur, nil utiqve, ſi perficere meditata ætas ſiviſſet, conceſſurus Pearſonio. Sed & cum ipſo omnis illa ſpes evanuit. Servatur interea Suidas Reineſii, ex Genev. editione, cum reliqvâ viri ejus ſupellectile in bibliotheca Cizenſi: è qva illum aliqvando videre licuit. Idem Reineſius, *Epiſt. XLVI. ad Rupertum*, Thomæ cujusdam Hieromonachi Cretenſis, Suidæ Epitomatoris, meminit, cujus liber MSS. in Dresdenſi Seren. Electoris Bibliotheca asſervatur, hoc titulo. *Ἀπὸ τοῦ Σουΐδα παρεκβολὴ καὶ συνάθροισις λέξεων χρησίμων, τῶν μᾶλλον τετριμμένων ἐν λογογράφοις καὶ ῥήτορσι, κατὰ στοιχεῖον διηκριβωμένη.* Breviſſima vero eſt ea Epitome, & qvodvis verbum uno tantum alio reddit: nulla nomina propria, nulla hiſtorica, nullas Scriptorum auctoritates, habet.] Vitas Cæſarum, è Suida excerptas, Tomo III. Scriptorum Hiſtoriæ Rom. Minorum, Francof. apud Wechelos A. 1627. excuſo, Græcè & Lat. Frid. Sylburgius inſeruit; qvas jam A. 1557. in 8. Wittebergæ Latinè edi curavit Hermannus Wittekindus. Taceo nunc Adagia, è Suida per Andr. Schottum excerpta, editaqve cum Scholiis Antvverp. 1612. in 4., & ſi qvæ alia è Suida ſeparatim prodierunt. Id unum addo, adeo multum juvare polyhiſtorem Suidæ Lexicon, ut ne carere qvidem illo poſſit, qvisqvis vel tantillum in hiſtoria literaria antiqviore proficere animum induxit.

Strictior in Grammatices circulo obſervando, & qvi nunqvam temerè excurrit, JULIUS POLLUX eſt, Grammaticus Commodi ævo clarus, cujus *Onomaſticon*, X. libris conſtans, ac ſub eleganti titulorum diſpoſitione rerum nomina exhibens, habemus, primum ab *Aldo* Venetiis A. 1498. & 1502. tum Florentiæ apud Juntam & Baſileæ, ſed utrinqve plane ad Aldinum exemplar, editum. Optima illius editio WOLFFGANGO SEBERO debetur, qvi cum Palatinis atqve Auguſtano Codicibus textum contulit, emendavit, notas & Indices laborioſiſſimos adjunxit: atqve adeo præclarè de Polluce meritus eſt. Fatetur tamen Rod. Gualtheri verſionem, qvam adjecit, nimis caſtigatam non eſſe: (ſicut & Scaliger, eâ ſe magis traduxiſſe Gualtherum qvàm commendaſſe, ſcribit *in Epiſt. p.* 485.) prodiit liber apud Wechelos An. 1608. in 4. Neqve etiam ita emaculare potuit Pollucem Seberus, ut non qvamplurima emendanda ſuperſint: qvod ipſe etiam in præfatione agnovit, & hinc non ſolùm Caſauboni, atqve Hœſchelii, manus ſocias imploravit, ſed & à Jungermanno è codice Pollucis MSS. nova ac non pœnitenda promiſit. Colomeſius, *in Biblioth. Choiſie p.* 105. *ſeq.*, aliqvot adhuc Onomaſtici codices MSS. recenſet, atqve refert, Bonav. Vulcanium aliqvando novam ejus editionem promiſiſſe, *mais*, addit, *il s' eſt contenté de nous la promettre.* Extant breves qvædam Notæ *Joach. Kuhnii*, Gryphisvvaldenſis, Profeſſoris Argentinenſis, in hoc Onomaſticon ſane eruditiſſimæ, & magnam oſtendunt hujus Viri in iſto litteraturæ genere peritiam: impreſſæ ſunt Argentorat. An. 1675. in 12. [Is ipſe Vir celeberrimus, cui egregiam Pauſaniæ editionem debemus, novam nunc Pollucis faciem apud Belgas excudendam ſummâ diligentiâ parat; qvæ ut optatum finem nanciſcatur, in omnium votis eſt.] 4

5 Felicior Polluce HARPOCRATION eruditiſſimos longe viros nactus eſt, qvi ei emendando bonas horas impenderent. Qvamvis enim ejus *Lexicon Decem Oratorum* per integros centum & qvod excurrit annos, à prima ſui editione, qvæ Venetiis ab *Aldo* 1503. una cum Ulpiani in Demoſthenem commentariis data eſt, miſerè afflictum jacuerit; ſecunda editione Venetâ Anni 1527. (qvam ab Aldo itidem & Aſulæno procuratam neſcio qvo calami feſtinantis errore Mauſſacus aſſerit; cum Aldus jam An. 1516. diem clauſerit ſupremum) magis etiam deformatum: Surrexit tamen, ſub initium hujus Seculi, PHILIPPUS JACOBUS MAUSSACUS, tum juvenis, exqviſiti judicii & ſubactæ eruditionis; poſtmodum Senatus Tholoſani Præſes: qvi, ope MSS. codicum, totum *Harpocrationis Lexicon*, mancum hactenus & hiulcum, reſtituit, emendavit, *Diſſertatione* præliminari *Critica*, toties jam nobis laudata, & notis uberioribus, illuſtravit, Pariſiis An. 1614. in 4., nihilqve oblitus eſt eorum, qvæ ad commendandum Auctorem ſuum undecunqve facerent. Anno ſeqvente 1615. *Notarum in Harpocrationem Appendicem*, Claud. Salmaſio nuncupatam, edidit, Plutarcho de Fluviorum & Montium nominibus, Tholoſæ à ſe primùm edito, annexam in 8. *Lectiones* vero *Græcas*, *Operis Harpocratiani interpretes*, ut & volumen *de derelictis ab Harpocratione vocabulis rhetoricis*, non dedit, licet in præfatione promiſerit, uti nec *Indicem Auctorum* in Lexico allegatorum, qvem privatâ induſtriâ ſibi confeciſſe, & ad finem libri ſui ſcripſiſſe Alex. Morum, Colomeſius in Bibliotheca ſelecta p. 113. refert; ubi & de Mauſſaci ſcriptis editis ac promiſſis, eruditione, morte, clarorumqve virorum elogiis, ſuccinctè agit. Non tamen memorat ſingularem caſum, qvem illi accidiſſe referunt, ut, cum linguæ Græcæ extra controverſiam longe peritiſſimus eſſet, ex morbo qvodam adeo ejus uſum perderet, ut ne legere qvidem amplius Græce ſciret. Obiit An. 1650. Poſt Mauſſacum Gallus alter celebris HENRICUS VALESIUS, ille tot lucubrationibus exqviſitis inter principes literatorum clarus, Harpocrationi, qvo freqventiſſimè utebatur, manus obſtetricantes admovit, ac tùm in ipſum notas confecit, tùm in Mauſſaci Diſſertationem & Notas, novas denuo Animadverſiones compoſuit; qvas è Bibliotheca Guilh. Pruſteau, Antecisſoris Aurelianenſis, nactus vir celeberrimus, Jac. Gronovius, publico non invidit; ſed Lugduni Batav. An. 1682. edidit: è qvibus qvamplurima, non Critica ſolùm, ſed & ad indagandam veteris fori Græci rationem, hauriri poſſunt. Nam cum id præcipuè inſtitutum tales Lexicographos, qvalis eſt Harpocration, qvalesqve Julianum Diodorum, atqve Philoſtratum, Photius in Biblioth. Cod. 150. recenſet, tenuerit, ut è decem Rhetoribus, qvorum vitas Plutarchus deſcribit; Demoſthene, Antiphonte, Andocide, Lyſia, Iſocrate, Iſæo, Æſchyne, Lycurgo, Hyperide & Dinarcho, voces Alphabetico ordine diſpoſitas explanarent, non potuit certe non qvamplurimum fori veteris unà inſpergi: eoqve magis commendandum Jurium Studioſis eſt Harpocrationis Lexicon. Cujus, poſt Mauſſaci & Valeſii curas, novam editionem NICOLAUS BLANCARDUS, cum ſua Latina verſione, Notis ac Diſſertationibus Duumvirorum iſtorum integris, nitidiſſimo charactere procuravit Lugd. Bat. 1683. in 4., additis, præter Auctorum ab Harpocratione allegatorum Catalogum, ſuis ipſiusmet annotationibus. [Enimvero peſſimè à

Jacobo

Jacobo Gronovio propterea exceptus, qvi in noviſſima ſua Harpocrationis editione, qvam nuper cum optimæ notæ Codice Florentino, & Aldina editione, Xylandri, Fabri, Sylburgii, Freheri, Rutgerſii & Heinſii, manibus notata, collatam, Lugd. Bat. 1696. in 4. emiſit, qvavis occaſione data in Blancardum acerrimè invehitur, tùm verſionem ejus, tùm notas & emendationes, acerbiſſimè perfricans. Illud præterea in præfatione, adductis Mauſſaci ad Meurſium literis, obſervat, Meurſium ab edendo, ut conſtituerat, Harpocratione, nonniſi precibus ac blanditiis Mauſſaci motum, abſtinuiſſe.]

HESYCHIUS *Alexandrinus*: qvem cum Mileſio ejus nominis plurimi perperam confundunt, ut jam olim in Bibliotheca Geſnerus animadvertit, non attendentibus id licet recentiorum haud paucis: *Lexicon* reliqvit, ex antiqvioribus, qvorum nomina ipſemet in præfatione refert, collectum: qvod in cœlum alii laudibus extollunt, Auctoremqve cum Heinſio *Grammaticæ eruditionis Abyſſum*, aut cum Sarravio *Jovem Grammaticorum*, nominant: alii cum Reineſio eruditionem, qvæ paſſim illi tribuitur, potius Auctoribus, qvos excerpſit, tribuendam judicant, neſciuntqve, cum nihil pene ejus ſit, qvomodo eruditum ἐξαιρέτως fuiſſe colligere debeant? Vix vero dubitandum eſt, primorum judicia prævalere, tot magnis ſuffragiis Scaligerorum, Caſaubonorum, Salmaſiorum, Voſſiorum aliorumqve eruditorum tantum non omnium ſubnixa. Qvodſi enim centies *aliena paſſim ab indoctis inſerta* cum Barthio Adverſar. lib. XLII. c. 26. aſſeramus, aut cum Tanaq. Fabro *pretioſiſſimo Helleniſmi Theſauro carbones admixtos è Græcitate vulgari* concedamus: manet tamen theſaurus, & absqve Heſychio plurima Græcorum magni etiam momenti, circa voces, antiqvitates, Auctores, ignorarentur: Magnam proinde gratiam eruditi orbis inivit ALDUS, qvi, inter tot alios Scriptores Græcos, Heſychio qvoqve primus vitam dedit. Hujus editionem ſecuta *Hagenoenſis* anni 1521., qvæ communiſſima, & *Baſileenſis* apud Cratandrum. Exinde multi neqvaqvam de plebe viri, cum depravatis lectionibus ſcatere Auctorem optimum indignarentur, ad emendandum illum & perpoliendum manus ſedulas admovere cœperunt, certatim qvaſi novam ejus editionem promittentes: *Joh. Meurſius*, *Dan. Heinſius* juvenis adhuc, *Joh. Caſp. Suicerus*, qvi per Vorſtium Specimen ſuarum notarum ad Reineſium miſerat, uti patet *ex Rein. Epiſt.* 26. *ad Vorſtium p.* 56. *ſqq.* Horum labores, cum ſeparatim non prodiiſſent, nempe qvod ad finem non ſunt perducti, conjunctim tamen ſuo modo in nitidiſſimam Lugdunenſem apud Batavos editionem Heſychii 1668. in 4. fluxêre, qvam CORNEL. SCHREVELIUS, dum viveret, adornavit variis virorum doctorum caſtigationibus ditiorem melioremqve. Præterea cogitaſſe aliqvando de editione Heſychii *Alex. Morum*, è Sarravii epiſtola, An. 1639. ad illum data, liqvet; ubi ita Senator Clariſſimus; *Ante annos XL. ille Heinſius, magnæ tunc, quam nunc implevit, ſpei adoleſcens, totum ſe prædicabat in Heſychio adornando, ejusque editionem, ut opus confectum putares, proxime ſequentibus ſcilicet nundinis, ut moris erat, pollicebatur. Credibile eſt, illum eam provinciam dudum Nicolao F. demandaſſe. Sed nunc hic tantum cogitat de Ovidio emaculando. Itaque occupa. Dignus enim Grammaticorum ille Jupiter, in quo tua deſudet induſtria: tum, quia multa habet pere-* 6

grina, quæ non cuivis ſunt obvia, tum quia tot tantisque ſcatet lectionum monſtris, ut in his debellandis non poſſis exiſtimare operam tuam male poſitam. Omnes certe linguæ Græcæ ſtudioſos iſto labore tibi devinxeris. Hæc Sarravius, in Heinſium utcunqve vehementior qvàm decebat, non memor, ſuſceptam & à Salmaſio olim novam editionem Heſychii, qvæ non prodiit, licet ejus, defuncti jam, emendationes Clementius, Vitæ ſcriptor, brevi excudendas promiſerit. Morus vero nihil omnino præſtitit. Qvæ de peregrinis vocibus ait, Mauſſacus etiam *in Diſſ. Crit. p.* 356. uberius per exempla confirmat: & qvoad Phænicia Bochardus, *Chanaan. l. II. c. 11.* (Apud Anglos is, qvi Svidam edere moliebatur, *Joh. Pearſonius* de Heſychio idem, referente l. c. Merico Caſaubono, cogitabat: ſed utrumqve cogitabat ſolum, Deo aliter diſponente. *Richardus Bentlejus* verò, Anglus itidem doctiſſimus, in erudita illa ad Clar. Joh. Millium epiſtola, qvam Hiſtoriæ Joh. Malalæ, Oxonii 1691. à ſe in 8. editæ, ſubnectit, poſt tot magnorum Criticorum caſtigationes ſe qvinqve plus minus millia mendorum in Heſychio, aliis nondum obſervata, poſſe producere, dato etiam ſpecimine, profitetur.)

Dubitari poteſt, num in Lexicographorum Græcorum cenſum STEPHANUS
7 qvoqve BYZANTINUS Grammaticus, ἐθνικόγραφος, referri debeat, qvippe qvi, licet ordine alphabeti procedat, præcipuum tamen ſcopum habet enumerationem provinciarum, gentium, urbium, marium, &c., adjectis una illorum originibus, conditoribus, aliisqve, ſeu veris, ſeu fabuloſis rebus: verbo: inſignem ex inſtituto agit Geographum. Aſt vero, ſicuti jam olim Guilh. Xylander in præfatione ad Stephanum obſervavit, ubiqve deprehendi in hoc Auctore permulta, qvæ proprie pertineant ad Grammaticam Græcam, & vocabulorum Græcorum etymologiam; illaqve ipſa judicat præclara, multisqve modis cognitu digna, atqve etiam ad multa menda ex auctoribus tollenda plurimum conducere arbitratur: ita hoc idem Jacobus Gronovius inculcat: Theodorus Ryckius vero falli putat, qvotqvot Geographica pro ſcopo inprimis Stephano fuiſſe contendunt, cum ille ἐθνικὰ ſcripſerit, i. e. Gentilia, qvæ à gentium, regionum, urbiumve nominibus, deducuntur, nomina fœminina æqve ac maſculina, adeoqve Opus mere Grammaticum ſcribere animum induxerit. Qvâ in re licet haud dubie fallatur, mixtusqve ex utroqve Stephani ſcopus ſit, patet tamen hinc, eum haud injuria inter Lexicographos recenſeri, cujus Opus egregium *Lexicon Geographicum* eſt. Utinam integer Stephani labor (qvem περὶ πόλεων alii, alii rectius ἐθνικὰ, inſcribunt) ſupereſſet: cum nonniſi epitome Hermolai Grammatici Conſtantinop. qvi juxta Suidam ſub Juſtiniano claruit, omnium conſenſu reſtet. Multa enim ex Ethnicographi vaſto Opere, qvod ultra 30. libros complectebatur, in Excerptis Conſtantini Porphyrogenneti, ſeu, ut vulgò audiunt, Peireſcianis, qvæ cum ſuis notis Henr. Valeſius edidit è Peireſcii Bibliotheca depromta, ut & in Euſtathii Commentariis in Homerum ac Dionyſium Periegetem, allegantur, qvæ in compendio amplius non ſuperſunt, uti poſt alios Berkelius obſervavit: & dubitationem hac in re omnem ademit fragmentum Stephani de *Oraculo Dodonæo*, qvod, è Bibliotheca Seguieriana, Samuel Tennulius, Vir. Cl. & Jacobi Gronovii avunculus eruit, Amſtel. 1669. editum in 4. &

iterum à Gronovio ipſo, cum triplici verſione Lat., & Diſſertationibus Lugd. B. 1681. in 4. editis Stephani exemplaribus longe auctius. Qvinimo ne Hermolai qvidem, qvam habemus, Epitome omni parte ſua ſatis integra eſt: potius multos hiatus habuit, quos partim ſupplevit Berkelius, partim vero & hiantes reliqvit; ut in κε poſtrema & qvæ ſeqvuntur κη, κι, κλ, κν, & prima à κο incipientia. Nicol. Lloydius integro Stephani exemplo uſum Janum Parrhaſium ſuſpicatur, diſſentiente Berkelio: & Joſ. Scaliger ad Gruterum, in epiſtola qvadam, Nicol. Sophianum, Corcyræum, medio ſuperioris ſeculi clarum, præter alios Græcos codices multos, integrum qvoqve Stephanum, cum toto κ & λ, poſſediſſe ſcribit: uti Colomeſius in *Biblioth. Sel. p.* 49. annotat. Magno autem in pretio ſemper Stephanum fuiſſe, ex eo colligi poteſt, qvod, poſt primas ejus editiones, tot ſummi nominis Viri ad eum à mendis perpurgandum manum adjecerint: Primus qvi ederet, iterum ALDUS fuit, communis ille renaſcentium Auctorum Græcorum parens, Venet. 1502., qvem ſecutus Junta Florentiæ 1521. eam editionem iteravit. Non multo poſt JOH. HARTUNGUS, cum tot lectionum monſtris Auctorem egregium deturpatum videret, ei emendando manum admovit: è cujus curâ, & Oporini officinâ, propediem prodituram Stephanum, Simlerus in *Bibliotheca* promittit. Cum vero non ſeqveretur iſta editio, aliam, ſuo tempore egregiam, GUILH. XYLANDER Baſil. 1568. adornavit: non cum verſione Latina, ut Simlerus refert, neqve enim id ob tot Grammatica commodè fieri poſſe in præfatione indicat, ſed merè Græcam. Hujus margini plurimas emendationes inter legendum JOH. SCALIGER allevit, adeo, ut emptum illud exemplar Sebaſt. Tengnagelius, referente Lambecio, Cæſareæ Bibliothecæ inferret. Idem in Stephano, qvod Scaliger, Iſ. Caſaubonus fecit, qvi & notas in eum Auctorem aliqvando ad Canterum *Ep.* 2. ſcribens promiſit: cujus codicem poſtmodum Lucæ Holſtenio à Bibliothecario Regis Angliæ, Patric. Junio, communicatum novimus. Majore ſtrepitu extremis Scaligeri temporibus, negotium emendandi, vertendi, & illuſtrandi Stephanum, in ſe CLAUD. SALMASIUS ſuſcepit, ſed abſolvit nunqvam: niſi qvod ſuum exemplar cum duobus Codd. Palatinis MSS. magno ſtudio contulit, & in Exercitationibus Plinianis ſæpiſſimè Stephanum emendat: Omnem vero lapidem, in ornando Stephano, movit LUCAS HOLSTENIUS (ille, qvi magnum Syntagma Geographorum Græcorum edere aliqvando molitus eſt, qvorum Catalogum Lambecius *T. I. Comment. de Bibl. Vindob. p.* 113. *ſq.* recenſet) qvi Salmaſii librum ab Iſ. Voſſio impetravit, Codices, numos, auctoresqve inſpexit, adeoqve notas eruditiſſimas confecit, qvas, dudum poſt ejus mortem, è Bibliotheca Barberina nactus Theod. Ryckius tandem Lugd. Batav. 1684. ſeparatim fauſto omine evulgavit, qvæ in omnium manibus nunc ſunt: ut & recentiſſima & accurata Stephani ipſius editio à doctiſſimo viro, ABRAH. BERKELIO, plurimorum annorum ſudoribus elucubrata, emiſſaqve in lucem, poſt ejus mortem, cum verſione Latina, notis ipſius laborioſiſſimis ut & Salmaſianis, & Jac. Gronovii (qvi poſtremus vir Cl., & inſignem Codicem Peruſinum, à ſe, dum apud Italos verſaretur, collatum, pro fundamento ſuarum annotationum habet; & in præfatione eximiè modum librorum, in qvos diviſum olim Stephani Opus fuerat, oſtendit) L. B. 1688. fol. Decennio illam

ante-

anteceſſerat Judæi Luſitani, THOMÆ de PINEDO, Amſtelodamenſis, Editio; ſed qvam non admodum commendat Colomeſius *Biblioth. Select. p. 46. ſeq.*, qvi præterea *Bened. Ægium*, Spoletanum, *Ezech. Spanhemium*, & Venetorum Bibliothecarium, *Gradenigum*, Stephano inſudaſſe memorat. Ægii verſionem Latinam Stephani, in Vaticana Bibliotheca ſervatam, ope Steph. Gradii, Bibliothecarii, deſcriptam impetravit Theod. Ryckius, ſecumqve in Bataviam aſportavit, illam cum notis Holſtenii, ipſoqve Stephani textu, editurus, ni jam à Pineda atqve Berkelio ſe præventum vidiſſet.

§ Atqve hæc de Lexicis Græcis antiqvorum dicta ſunto, qvæ prodierunt. Sunt vero præterea plurima plurimorum adhuc, vel certorum Auctorum, vel *ἀνωνύμων*, *ἀνέκδοτα*, qvæ hic illic in Bibliothecis latent; aut qvorum fragmenta etiamnum edita proſtant: ut ea jam taceamus, qvorum mentio apud Photium, Suidam, aliosqve Auctores, fit, ſed nil niſi nomen ſupereſt. De PHRYNICHI *Eclogis*, qvæ per Dav. Hœſchelium editæ ſunt, ſupra jam dictum eſt: nullo modo autem illæ cum *Lexico* ejusdem Auctoris operoſo admodum confundendæ ſunt; cujus nempe 36. libros, à ſe viſos, Photius in Bibliotheca Cod. 158., cum elogio inſignis doctrinæ, ſed nec ſine cenſura prolixitatis nimiæ, & *ἀκυρολογίας* recenſet. Servari hoc Phrynichi Lexicon alicubi MSS. è catalogis ineditorum, qvos ſuo Supplemento Geſneriano Ant. Verdierius ſubjunxit, didici. Ceterum, qvod de Phrynicho monebamus, idem de HELLADIO capiendum, cujus ætatem in Theodoſii Jun. tempora incidiſſe, & *Lexicon* in Suidam transſcriptum, Suidæ titulus teſtatur: ſed qvi non ſolum cum Helladio Beſantinoo (qvem ipſum à nonnullis perperam in duos dividi Jonſius *de Scriptor. Hiſt. Philoſ. p. 13.* monet) neutiqvam confundendus eſt, qvippe cum hic diu jam ante illum ſub Licinio & Maximiano vixerit, juxta Photium, qvi ex ejus *Chreſtomathia* haud contemnenda nobis fragmenta Cod. 279. conſervavit, & qvæ ſeparatim edidit cum notis Joh. Meurſius: ſed & Lexicon ipſummet mire eſſe epitomatum oportet. Nam Photius Cod. 145. integris ſeptem voluminibus comprehenſo ſe vaſto Helladii Opere uſum refert: tantæ molis erat: Uti vero, non Scriptoribus ſolùm, verum & reliqvis; qvi *πολυμάθειαν* in pretio habent, iſtud Helladii Lexicon prodeſſe, Photius l. c. animadvertit, qvippe qvod, præter voces, etiam elogia Rhetorum & celebrium Poëtarum contineat: ita, qvæ ex alterius Helladii Chreſtomathia ſuperſunt, Græcam profecto linguam haud vulgariter illuſtrant. EROTIANI *Lexicon Dictionum Hippocratis*, ſeu, ut Græca habet inſcriptio, *τῶν παρ' ἱπποκράτει λέξεων συναγωγὴ*, ab Henr. Stephano primum An. 1564., tum Venetiis, cum Commentario Barthol. Euſtachii A. 1566., edita, multum diſſidii de vero Auctore inter eruditos peperit, cum Erotiani nomen alias inauditum eſſet. Omnium vero probabiliſſima videtur Mauſſaci opinio, qvi, in Diſſert. Crit. ad Harpocr. p. 354., ſcribarum vitio, pro *Herodiani* nomine, falſum *Erotiani* irrepſiſſe, ſuſpicatur. Fueritqve adeo hoc etiam ſcriptum nonniſi qvoddam *ἀποσπασμάτιον* de multis, qvæ ab Herodiano, Alexandrino Grammatico, & ſub Marco Imp. claro, confecta Suidas auctor eſt: ſicut & Carolus du Freſne, in conficiendo Gloſſario ſuo Græco, Diſtributionibus Herodiani, *ἐπιμερισμοῖς κατ' ἀλφάβητον*, ab

Euſta-

Euſtathio laudatis, uſus eſt. PAUSANIÆ *Lexicon*, ad evolvendas præcipue Atticas locutiones compoſitum, licet non nimis verboſum, adeo magni Photius æſtimavit, ut id cum Æl. Dionyſii Halicarnaſſenſis Lexico ex duplici editione conjunctum ſufficere exiſtimaret ad pernoſcendam Atticam dictionem, *Bibl. Cod.* 153. Hoc vero Lexicon adhuc ſupereſſe, catalogus Scipionis Tettii, Neapolitani, teſtatur, qvem Labbeus *Novæ ſuæ Bibliothecæ MSS.* inſeruit p. 171.

Sed & ipſe PHOTIUS, ult. erat inexhauſtæ eruditionis promus condus, in 9
Lexicographis nobis memorandus venit. Siqvidem & ejus *Lexicon* multis viſum, multisqve, qvod imprimatur, digniſſimum judicatum eſt. Poſſidere illud Illuſtrem Virum, Marq. Gudium, Tom. I. *noſtri Polyhiſtoris lib. I. c. 16.* §. 17. dictum eſt. Antea eundem Codicem, craſſum ſatis, ſe in Bibliotheca Iſ. Voſſii Hagæ Comitis vidiſſe, Colomeſius, de Scriptis Photii *in Paralip. ad Caveum p.* 273., refert. Habuit & illud Lexicon olim Rich. Thomſonus, ex Italia ſecum aſportatum, qvod poſt reditum cum Joſ. Scaligero communicavit, ut ex hujus *Ep.* 235. videre eſt, ubi Thomſonum ad id edendum inſtigavit. (Extat præterea in Bibliotheca Mendozana & Schoziana, ut ex Labbei *Nova MSS. Bibliotheca p.* 173. conſtat, iſte Photii liber: & in Angliâ Londini pars ejus apud Celeberrimum Thom. Galeum latet, qvi ejus editionem aliqvando moliebatur, eamqve ob rem ad Marq. Gudium ſcripſerat, ut vel ipſummet Photiani Lexici Codicem, vel ſane deſcriptum, bona fide edendum ſibi mitteret; vel, ſi hoc etiam diſpliceret, acciperet ipſe tamen ſub conditione certa edendi, qvæ Galeus prompto animo miſſurus erat, qvi multa ſimul de antiqvitate Codicis, & de reliqvis, qvæ ad illum pertinere exiſtimabat, erat percontatus. Verum, cum, ſueto ſibi more, Gudius conditiones nec audire, nec accipere, ſuſtineret. Galeus etiam, mutilum edere librum nolens, ab incepto deſtitit. Utinam vero nunc tandem in reipublicæ literariæ bonum exeat: duriore, poſt mortem Viri Ampliſſimi, Domino liberatus. Vereor tamen, ne nimia libri magnitudo & editorem abſterreat, ſi qvis forte de illo cogitaverit; & multo magis adhuc Bibliopolam: ſiqvidem ſpiſſis duobus in fol. voluminibus conſtat. Eſſet vero operæ pretium edi Lexicon, qvod nec Grammaticarum, nec Literariarum rerum copia, Suidæ, Heſychiove, aut cuicunqve demum alii Lexico, cedere fidem faciunt, qvi viderunt.)

Non minore deſiderio qvàm nos Photianum Joſ. Scaliger JOH. ZONARÆ 10
Lexicon flagitavit. Nota alias Hiſtoria Zonaræ, qvâ perpetuum ille ſibi nomen peperit. Lexicon vero, qvod in Henr. Stephani ἀνεκδότοις Codicibus latere Scaliger ſcivit, his à Caſaubono, illius genero, verbis Ep. 46. petiit: *Sed Lexicon Zonaræ, quod in illis ἀνεκδότοις reperies, tuam quoque operam flagitat: quod utinam menſem unum habere liceret! certe neque te pœniteret expletæ ſitis meæ (avidiſſime enim illud deſidero,) neque operæ noſtræ in illud collatæ; ſiqvidem ejusmodi eſt, quale amici retulerunt. Si vobis tanti, noſtro voto ſatisfacere, nihil eſt, quod gratius nobis facere poſſis: ſin autem, æquo animo feremus.* Haud obſcure inde conjici poteſt, qvanta fuerit Scaligeri cupido: præſertim, cum *Ep.* 48. ſuam iſtam petitionem repetat. An indeptus ſit, qvod

petie-

petierat, incertum. Caſaubonus eqvidem in ſe recepit qvod potuit, ſed videtur ſibi non ſuffeciſſe. Digna ſunt ejus verba, qvæ apponantur : *De Zonaræ Lexico* (ita reſpondet Ep. 176. p. 199.) *ſubiraſcor tibi. Sic enim id petis à me, quaſi diffideres daturum, ſi poſſem. Tene id de me potuiſſe cogitare? facis mihi magnam injuriam: teſtor Deum! Videbo igitur, quid poſſit fieri: & , ſi ulla μηχανῇ poſſum, ſtatim id curabo ad te mittendum. Volo tamen ſcias, nondum mihi viſam τȢ μακαρίτȢ Stephani Bibliothecam: non dico ab ejus obitu, ſed omnino inviſam eſſe eam nobis. Tanta fuit in optimo ſene ἀναρμοςία τῶν τρόπων.* Hæc Caſaubonus, qvi in ſeqventi epiſtola, ſe id negotii apud Paulum Stephanum, affinem, ſerio acturum, denuo ſpondet. Mireris interea inconditam Henrici auſteritatem. (Zonaræ Lexicon vero ter in Vindobonenſi Cæſarea Bibliotheca MSS. adeſt: ut è Dan. Neſſelii *Supplem. Lambeciano* liqvet : in qva & Eudemi Lexicon : qvod à Suida in titulo operis laudatur, atqve è Regia Galliæ Bibliotheca uſurpatum Carolo du Freſne eſt; & Arſenii, aſſervantur.

11 CYRILLI, ArchiEpiſcopi Alexandrini, *Lexicon*, juxta ordinem Alphabeti compoſitum, in Regia Pariſienſi & Colbertina Bibliothecis extare, indicat laudatus Vir maximus du Freſne: qvi & hoc, & præterea Philemonis Lexico Technologico; Nicomedis Jatroſophiſtæ, & *ἀνωνύμων* XVII. Auctorum, Lexicis; (è qvibus unum notæ optimæ, foliis 167. conſtans, ante omnia commendat,) Etymologico item ex Orione Thebano in compendium contracto; alioqve Etymologico *ἀνωνύμȣ*, in conſcribendo laborioſiſſimo Græcitatis mediæ infimæqve Gloſſario, uſus eſt. Ant. Verdierius, in illis catalogis MSSrum, qvos ſuo Supplemento Geſneriano addidit, Cyrilli Lexicon ter etiam relatum ſiſtit. Sed, cum id tertia vice refert, neſcio qvid Scriptori ejus Catalogi in mentem venerit, recenſenti : *S. Cyrilli ArchiEpiſcopi Alexandrini Lexicon de Legibus Matthæi Blaſtaris, in charta bebraina.* Nempe earum legum Cyrillus Lexicon confecit, qvas ferme integro poſt ejus ævum millenario Matthæus Blaſtares in unum Syntagma compilavit! Fuit, cum ſuſpicarer, Gloſſographum forte Cyrillum innui, de qvo paulo poſt: ſed nec hoc qvadrat. Dicendum igitur, ſomniaſſe Catalogi auctorem, cum hæc ſcriberet; aut Codicem vitioſiſſimè inſcriptum fuiſſe. Et ſunt ſanè, in iis Catalogis Verderianis, libri complures, ad qvorum titulos rideas: v. g. *Cyrilli Alex. Expoſitio in S. Hierotheon Areopagitam : Juſtini Philoſophi & Martyris Explicatio in S. Dionyſii Areop., Epiſcopi Athenienſis, Hierarchiam Eccleſ. S. Apoſtoli Lucæ Evangeliſtæ Medicinale, continens præparationes ſeu curas, quas ſe vivo fecerit ; liber appellatur XII. curarum. Liber ſancti & juſti Lazari, qui IV. diebus ſepultus fuit apud inferos, & quemadmodum excitavit illum Chriſtus, libri IV., quos videntes Apoſtoli tres eorum abſconderunt, unusque inventus eſt, eſtque primus, in urbe Roma, prout Cardinalis S. Crucis retulit* : & aliæ iſtiusmodi nugæ. Sunt tamen & immiſti libri egregii. Ut in Lexicis tantum ſubſiſtamus, videas ibi Joh. Tzetzæ Lexicon Rhetoricum juxta alphabetum: Lexicon Juſtiniani Magni (qvis ille, non capio) bis relatum : & Cabi Polydori Lexicon. Cyrilli Lexicon Herbarum in catalogo Scipionis Tettii, apud Labbeum, eſt *l. ſæpius cit.*, qvod iterum alterius Cyrilli, alteriusqve generis, eſt ab

eo,

eo, qvod du Freſne ad manus habuit. Allegatur & ibi Athanaſii Lexicon artis ſacræ; qvod alias eſt ignotum: &, ſi per τὴν ἱερὰν τέχνην chemia intelligitur, ut alias in iſtiusmodi lexicis libriſqve illa communiter indigitari conſuevit, annotante Cangio, ſine controverſia ſpurium. *vid. du Freſne præfat. Gloſſ. Gr. §. XXII.* Non deſunt tamen & ſacra, id eſt, Biblica ſive Chriſtiana Lexica: ut enim Gloſſas in Jobum, Proverbia, aliosqve libros Biblicos; item in Athanaſium à Cangio allegatas uſurpatasqve, non memorem, integrum Lexicon Biblicum Salmaſius vidit. *Vidi integrum* (ita ipſe *de Helleniſtica p. 157.*) *Lexicon ſatis craſſum Anonymi MSS., qvo Veteris & Nov. Teſtamenti voces exponuntur, quod & totum percurri.* Tale Lexicon in Auguſtana etiam Bibliotheca ſervatur: *Expoſitio vocum occurrentium in Epiſtolis D. Pauli, & XII. Prophetarum, & libris Regum.* Vid. Catal. Reiſeri p. 80., ubi & aliud refertur *Dictionarium vocum Græcarum, collectum ex Autoribus variis, tàm ſacris, quàm profanis.* Claudat agmen Lexicographorum (non enim nimium de iis dicendum eſt) *Auctor Anonymus*, cujus inſigne Lexicon, multis veterum fragmentis refertum, in Collegio Jeſuitarum Claromontano ſe vidiſſe Colomeſius in Particularibus p. 104. his verbis refert: *Etant au College de Clermont, avec Mr. Voſſius, je me ſouviens, qu' entre autres Manuſcrits, que nous móntra le P. Coſſart Bibliothecaire, il y avoit un Lexicon Grec in folio, ſans nom d' Autheur, fort bin écrit, ou je lûs quelques fragmons trés-conſiderables d' Autheurs, que nous n' avons. Si quel cun vient à avovi aſſez de credit ſur l' eſprit des Jeſuites, pour les obliger à les publier, ou à permettre, qu' on le publie, j' oſe me perſuader, que les Doctes n' en trieront moins de profit, qu'ils ſont tous les jours de Pollux, d' Heſychius & de Suidas.* Poſſent adhuc plura de Lexicis Diogeniani (qvod Heſychius compilavit) Juliani, Maximi (qvæ in Labbei Bibliotheca MSS. nominantur,) Longini περὶ λέξεων Ἀττικῶν (cujus meminit in præfatione ad Longinum de Sublimi Tollius: & Svidas in titulo) Pollionis, Timæi, Boëthi, aliorumqve, apud Photium recenſitis, addi: ſed nimium excreſceret tractatio, qvæ nunc potius contrahenda eſt. Sufficiat adhuc animadvertiſſe ſummam Græcorum veterum in Lexicis adornandis exactitudinem, qva non ſolum dialectis, ſed & ſingulis dicendi generibus, peculiaria aptarunt. Hinc Lexica X. Oratorum; Lexica Puræ Ideæ, Styli Gravis, Sermonis Politici: Platonica: aliaqve horum generum: qvæ ſane, qvantopere expoliverint ſuam linguam Græci, abunde manifeſtum reddunt.)

Aliud adhuc Lexicorum genus *Gloſſæ* ſunt, ſeu GLOSSARIA, à variis varie 12
collecta. Et primitus qvidem, uti γλώττας per ἀπεξενομένην διάλεκτον, aut ἀπεριλήπτους τὰς τῶν βαρβάρων φωνὰς, interpretabantur, vel etiam omne id, qvod inuſitatius & per metaphoram dictum erat, ſub *Gloſſarum* nomine comprehendebant: ita priſci, qvos apud Athenæum & Suidam paſſim laudatos legimus, γλωσσογράφοι, Callimachus, Democritus, Seleucus, Philetas, Simmias Rhodius, Philemon, Pamphilus, Clitarchus, Timachides, Hermonax, Nicander Colophonius, Amerias Macedo, aliiqve, nihil aliud maximam partem egiſſe credendi ſunt, qvàm ut, non obſervato ſemper Alphabeti ordine, peregrinas, aut inſolitas voces, notioribus redderent: *vid Woweri*

werii Polymath. c. IX. & Mauſſaci Diſſertatio Crit. p. 362. ſeq. Recte vero Henr. Stephanus, *in præfat. Gloſſarii à ſe editi*, recentiorem vocat eam Gloſſarum ſignificationem, qva pro ſcholiis & interpretatione linguæ ſecretioris accipiuntur, abuſumqve potius, qvàm uſum vocis: recte etiam, ex loco Qvintiliani, male intellecto, errorem eum hauſtum animadvertit, è qvo ſe, ut id credat, inductum ingenue Cujacius, *in Orat. de Ratione docendi Juris*, fatetur: cum tamen apud veteres, ipſumqve adeo Fabium, eodem Stephano monente, Gloſſæ non expoſitiones vocum obſcuriorum & minus freqventium, aut etiam peregrinarum, vocatæ ſint; ſed illæ ipſæ voces, qvæ tales erant. Verum invaluit nunc penitus conſuetudo, ut priori ſignificatu Gloſſas & Gloſſaria capiamus. Fuiſſe vero priſcis etiam temporibus inſignem Gloſſarum iſtiusmodi copiam, vel ſola Pariſienſis Regia & Colbertina Bibliothecæ luculenter evincunt: qvæ nimirum Carolo du Freſne XXII. Gloſſaria variorum generum ſuppeditarunt: partim Grammatica ad Ariſtophanem, Lucianum, Herodotum, Homerum, &c., partim Exotica: ut & Chemica: Jatrica: Botanica: Juridica: partim Eccleſiaſtica in Athanaſium & Gregorium Naz. & Biblica: *vid. Index Auctor. Cangii p. 35. ſeq.* ut adeo nullum ſtudii genus ſine gloſſis facile fuerit.

13 Qvanti vero pretii Gloſſæ iſtæ ſint, vel ex eo concludi poteſt, qvod ſtatim, ac innoteſcere eruditis ſuperiori ſeculo cœpere, omnium applauſu & elogiis exceptæ ſunt. Primus, qvi è Monaſterio S. Germani à Pratis Gloſſas Græcas atqve Latinas eruit, PETRUS DANIEL, JCtus Aurelianenſis celeberrimus, cui & Servium, Virgilii Scholiaſten, debemus, extitit. Hic primum Adr. Turnebo, & Cujacio inde miſit, apud qvem Scaliger illas qvoqve vidit. Exinde in manus HENR. STEPHANI, qvanqvam non ex eodem codice, ſimiles Gloſſæ pervenerunt: qvi, cum inſigne illarum pretium perpenderet, & qvantum illæ vocum antiqvarum egregie explicent, primi plurimarum in Græcâ æqve & Latinâ linguâ vocum Doctores, penſitaret, non ultra celandum ratus, qvod proderat. An. 1573. Gloſſaria duo, unum Latino-Græcum, & Græco-Latinum alterum, qvaſi in Supplementum ſui Theſauri, anno præcedente editi, cum annotationibus & excerptis ex ineditis Gloſſariis aliis, evulgavit, è duobus vetuſtis Codicibus: Et qvidem obtinuit certe apud eruditos, qvod cupiebat, Stephanus, nempe ut eas Gloſſas antiqviſſimas, magnæqve auctoritatis, pronuntiarent, Philoxenum auctorem rati, qvi ſub Juſtino Seniore Conſul Romanus fuit: qva tamen in re dubium magis illos, qvam verum, aſſeruiſſe, Auctor præfationis ad noviſſimam Editionem Labbeanam obſervat. Poſt Stephanum eadem Gloſſaria, ſub Philoxeni nomine, Lugd. Batav. edidit BONAVENT. VULCANIUS, emendationibus munita A. 1600. adjunctis una Iſidori Hiſpal. Gloſſis Latinis; nec non Grammaticis nonnullis, qvi de proprietate utriusqve linguæ ſcripſerunt, Collectione vocum Græcarum, in qvibus diverſus accentus ſignificationem immutat, &c. Longe felicius vero, & majore niſu, aggreſſus Gloſſariorum editionem CAROLUS LABBEUS, à Petro fratre adjutus, illa inter ſe contulit: & poſt emiſſas in lucem primo Gloſſas Baſilicorum ſeu Juris Græci, qvas è variis Regiis Codd. MSS. collegerat, notisqve etiam illuſtrârat, Pariſ. 1607. univerſa Cyrilli, Philoxeni, aliorumqve, Gloſſaria

ſaria in partes duas, Græco-Latinam & Latino-Græcam digeſſit, cum MSS. contulit, caſtigationes adjecit, omnemqve adhibuit laborem, qvo emendata ſatis & nitida illa in orbem denuo exirent. Verè autem Joſ. Scaliger, qvi præcipuus Labbeo ad id laboris in ſe ſuſcipiendum ſuaſor impulſorqve fuerat, divinavit, fore, ut moleſtia ipſi â typographorum imperitia creetur, *Ep.* 232. *p.* 594., ſiqvidem, cum jam anno ſeculi noſtri IV. laborem in digerendo abſolviſſet Vir doctus, adeo tamen editio non feſtinavit, ut ne ipſe qvidem, A. 57. hujus ævi defunctus, illam viderit: ſed demum A. 1679. Pariſiis illa, obſtetricante alio qvodam Viro erudito, tandem carceribus liberata prodiit. Qvodſi vero à Barthio, *Adverſ. l. I. c.* 1., Gloſſæ Baſilicæ extolli meruêre: & idem alibi, lib. XIV. c. 8., rectè judicat: *Gloſſas veteres Latinas, Græcasque, copiæ bonarum rerum cornu dicas, adeo profunde eruenda quædam, nec pauca, in illis habeas, ſi inquirere velis*; merito ſane in pretio Gloſſæ Labbeanæ habentur, qvæ & apud Salmaſium in ejus ſcriptis paginam utramqve faciunt. Non tamen æqva omnium Gloſſarum auctoritas ſtatuetur. Cur Cyrillo tribuantur, auctor præfationis ad Gloſſ. Labb. aperit; nempe, qvod H. Stephanus eas ſe ad calcem ſcriptorum nonnullorum Cyrilli reperiſſe teſtatur. Incertum igitur adhuc, an Cyrillus ſit auctor? &, qvis ille Cyrillus, multo incertius. Alexandrinum eſſe Epiſcopum, nemo, qvod ſciam, credit: licet mille abhinc annis antiqviorem complures ſtatuant. Verum, qvicqvid hujus ſit, parum intereſt: modo de bona libri ipſius nota conſtet. Aliud Gloſſarium Græcum, è vetuſto Codice, *Janus Rutgerſius* Lugdun. Batav. 1618., una cum libris VI. Variarum Lectionum ſuarum, edidit. Iterum aliud MSS. *Caſp. Barthius* poſſedit: aliudqve allegat variis in locis *Salmaſius*. Neqve omnino dubium eſt, varia adhuc, qvæ neſcimus, Gloſſaria hic illic in Bibliothecis celebrioribus latitare.

CAP. VIII.
DE LEXICOGRAPHIS GRÆCIS RECENTIORIBUS.

§. 1. EX iſtis celebrantur, Joh. Creſtonus. 2. Varinus Phavorinus Camers. 3. Gullh. Budæus. 4. Joach. Camerarius. 5. Lexicon VII. Autorum Baſileenſe. 6. Henr. Stephanus, ejusque Epitomator Joh. Scapula, & Emendator Joh. Conr. Dietericus. 7. Rob. Conſtantinus, Gvilh. Robertſonus, Joh. Criſpinus. 8. Joh. Bentzius. 9. Joh. Caſp. Suicerus, cujus etiam Theſaurus commendatur Eccleſiaſticus, è Patribus Græcis congeſtus. 10. Lexicorum ac Indicum in Certos Autores Architecti, Corn. Schrevelius, Æm. Portus, Wolfg. Seberus, &c. 11. Linguæ Græco-Barbaræ modernæ Lexicographi, Sim. Portius, Nic. Rigaltius, Joh. Meurſius, &c. 12. Car. du Freſne, reliquorum omnium recentisſimus pariter atque præſtantisſimus. 13. Monita nonnulla de Autorum Græcorum, Juventuti proponendorum, delectu, Verſionum Latinarum fide Lubrica & defectibus, & Latinis Oratoribus, Hiſtoricis

ac Poëtis, Græcos ſtudioſe ſemper imitatis. Animadverſio in L. Allatii de Thucydide Errorem. 14. *Scriptores moderni, de Græcorum Poëtis & Arte Poëtica commentati.*

1 POſt enumerata *Veterum Lexica Gloſſasque* jure merito addimus nunc, veluti partem prioris tractationis, recentiorum, non omnium ſed optimorum tamen, LEXICORUM *recenſionem.* Nec enim poterat iſte labor capite antecedente unà tractari, qvô ſuum tamen ſibi locum vendicare aliqvatenus viſus eſt; ne in molem caput unum excreſceret, juſtamqve menſuram ſuam excedat. Omnium vero primus, qvi, poſt renatas è veteri lethargo literas, Lexico Græco-Latino conficiendo manus admovit, JOH. CRESTONUS, ſeu, ut alii vocant, CRASTONUS fuit, Placentinus, Italus natione, Carmelita & Doctor Papienſis. Hic enim, circa A. D. 1480. & ſeqventes clarus, atqve, ob eruditionem, referente Simlero in Bibliotheca, à Gvil. Tardivo, Bono Accurſio, Franc. Philelpho & Ptolem. Spagnolo, commendatus, præter Grammaticam Græcam *Lexicon* qvoqve *Græco-Latinum* ſcripſit, Venetiis 1492. editum. Uti vero tùm infantilis adhuc renaſcentium literarum ætas extitit, ita non adeo mirandum, ſi, poſt complures in eo deprehenſos errores, varii ad illud Opus accurandum aut ſupplendum acceſſerint: qvod qvidem non adeo accuratê factum Henr. Stephanus, in epiſtola de ſtatu ſuæ typographiæ, his verbis perſtringit. *Iis, quæ circumferuntur, Lexicis Græco-Latinis primam impoſuit manum monachus quidam, F. Joh. Craſtonus, Placentinus, Carmelitanus: ſed, quum is jejunis expoſitionibus (in quibus vernaculo etiam ſermone interdum, i. e. Italico, utitur) contentus fuiſſet, perfunctorie item conſtructiones verborum indicaſſet, nullos auctorum locos proferens, ex quibus illæ pariter & ſignificationes cognoſci poſſent, multi poſtea certatim multa, hinc inde ſine ullo delectu ac judicio excerpta, inſeruerunt: donec tandem, indoctis typographis de augenda Lexicorum mole inter ſe certantibus, & præmia iis, qui id præſtarent, proponentibus, quæ jejunæ, &, ſi ita loqui liceat, macilentæ antea erant expoſitiones, adeo pingues & craſſæ redditæ ſunt, ut in illis nihil aliud, quam Bœoticam ſuem, agnoſcamus.* Nimirum ſugillat Stephanus, qvæ ſub variorum auctorum nomine Lexica ſæpius, variato ſemper habitu, recuſa & recocta Baſileæ ſunt: ſed de qvibus paulo poſt.

2 Creſtono longe accuratior VARINUS PHAVORINUS CAMERS, Epiſcopus Nucerinus, ſub initium ſeculi ſuperioris, utiliſſimam Græcæ Linguæ Studioſis operam duplici nomine navavit: dum & *Theſaurum Græcum, ſeu Cornucopiæ & Hortos Adonidis*, apud Aldum in fol. A. 1504. edidit, eoqve inſignem veterum Grammaticorum collectionem (qvi in Bibliotheca Gesneriana enumerantur) complexus eſt: & *Lexicon*, ſeu uberrimos Græcæ totius linguæ commentarios, ita adornavit, ut Heſychii, Suidæ, Harpocrationis, aliisqve ineditorum adhuc Lexicorum laboribus compilatis, in unum corpus, qvicqvid ad explicandas voces Græcas pertinuit, omiſſis hiſtoriis & nominibus propriis, conflaret. Editum primo eſt Romæ An. 1523, deinde Baſileæ mox repetitum A. 1538., cùm uberrimo indice, minutiſſimis tamen typis: Simlerus & ter-

tiam

tiam Pariſinam editionem addit Morellii, ſed de qva certi qvid mihi alias non conſtat. Ceterum, ut jam olim Geſnerus mirabatur, non memoratos, in præfatione Varini, Suidam & Heſychium, qvos tamen totos ille transſcripſit: ita, poſt edita ipſorummet horum Lexicographorum volumina, non adeo magni uſus eſſe Varinum, licet in magna gratia apud Studioſos ſit, Joſ. Scaliger *Epiſt.* 235. judicat: cui ſuccinens etiam Mauſſacus, *in Diſſert. Crit. ad Harpocr.*, illud inſuper obſervat, errores, qvos Phavorinus forte in Suida & Heſychio invenit, retentos tantum non omnes & in corpus unum redactos. Sunt tamen alii, qvi & emendatiorem nonnunqvam in Varino, qvam in editis Suidæ & Heſychii exemplaribus, lectionem offendi animadvertunt, & uſum ejus non nimis extenuandum cenſent, cum multa præſertim habeat Varinus, qvæ, ex aliis haud dubie ineditis aduc lexicis hauſta, fruſtra in Suida, Heſychio & Harpocratione qværuntur.

Varinum excipiat GVILIELMUS BUDÆUS, magnus ille non generis, munerumve ſplendore minus, qvam literis, in Gallia ſuo tempore Vir, Conſiliarius Regius, & libellorum ſupplicum magiſter; omnis literaturæ lumen, qvi primus in Gallia ſuſcitavit bonarum literarum amorem. Eraſmo par habitus fuit, imo ſuperior à nonnullis. Et ſane, qvamvis arctam, ut ex epiſtolis colligi poteſt, amicitiam cum Budæo Eraſmus coluiſſe videri voluerit: ab eo tamen præreptam ſibi pulcerrimam doctrinæ gloriam æmulatum calumniis aliorum faces admoviſſe, cumqve Budæo principem in literis locum invideret, tacitè illius exiſtimationem, qvam aperte invadere auſus non ſit, cuniculis oppugnare non deſiiſſe, Sammarthanus in *Elogiis* auctor eſt: qvod & non adeò à vero abſimile videtur. Uti vero Græcam inprimis linguam Budæus ita percalluit, ut nemo illum ejus peritiâ vinceret: judiceqve Græcorum doctiſſimo, Jano Laſcare, Vir ille ſummus, qvod nulli dum extra Græciam nato contigerat, veterem Atticorum facundiam adæqvavit: qvod eodem loco Sammarthanus refert: ita, plus eum in Græcis calluiſſe Eraſmo, dubium ferme nullum eſt. Teſtantur de hac ejus incomparabili prorſus eruditione *Commentarii Græcæ Linguæ*; in qvibus an immenſam lectionem potius, an judicium exaſciatum, aut rerum inſignem varietatem, primò ſtupeas incertum. Prodierunt primò Pariſiis A. 1529, Franciſco Regi Græcâ epiſtolâ nuncupati, tùm apud Baſileenſes recuſi 1530. Sub vitæ finem vero Budæus plus tertiâ parte auxit illos, editos poſt mortem auctoris ex officina Rob. Stephani Pariſ. 1548., qvam editionem itidem Baſileenſes A. 1556. repetivêre. Ex hoc fonte omnes ſua hauſerunt Lexicographi recentiores: adeo omnia diligenter eſt perſecutus. Probe id ſuo tempore jam agnovit Joſ. Scaliger: qvi nunc qvidem, poſt Budæi commentarios, facilè eſſe Græcis incumbere, judicavit, cum omnem ille ejus linguæ naturam, omnes elegantias exhauſerit: omnium Græcorum totius Europæ maximus, & cui ſimilem Gallia non datura ſit. *vid. Excerpta Scalig. utraque.* Diſplicuit tamen, qvod nullo ordine, more Locorum communium, ſuos Commentarios ſcripſit: Alii ex Oratoribus & Hiſtoricis, Philoſophisqve illum omnia protuliſſe obſervant, è Poëtis parum. Franciſcus Floridus ægre tulit, nihil Budæum Latinis, nec eruditionis, nec judicii, reliqviſſe, præfer-

præferreqve viliſſima Græcorum præſtantiſſimis Romanorum: *apud Gaddium de Scriptor. Non-Eccleſ. T. I. p. 98.* Verum hæc nihil qvicqvam obſunt Budæo, neqve ſummam Operis elegantiam minorem reddunt.

4. Jungimus Budæo ſuo merito JOACHIMUM CAMERARIUM. Erat ille, dum viveret, apud Germanos vere literatorum Hercules, & non cum vulgo nominandus: Sed potius ſui temporis phœnix, omnium doctrinarum non ſuperficiariâ, ſed ſolidâ ſcientiâ, inſtructus: ubiqve domi fuit, ſeu in Mathematicis, ſeu in enarratione auctorum, ſeu Philologicis, aliqvid ſuſceperit. Ejus qvoqve extant *Commentarii utriusque linguæ, in quibus eſt diligens exquiſitio hominum, quibus partes corporis humani appellari ſolent, additis & eorum functionum nomenclaturis, & aliis his accedentibus, poſitis fere contra ſe Græcis & Latinis vocabulis. Baſil. 1551. apud Hervagium.* Hic titulus libri eſt, qvi ſatis, qvid ſe contineatur, aperit: Sane qvamplurima de Græcarum vocum origine, aliisqve ſcitu neceſſariis, inibi notata non ſolum inſpectio probat, ſed &, qvod ejus plumis ſe ornare non deſinunt lexicographi. Nempe ubi primam glaciem heroës fregerunt, viamqve patefecerunt, facile ſuo exemplo alios excitârunt, linguæ iſtius adornandæ ſocios.

5. Interea temporis, dum Budæus atqve Camerarius Baſileenſium præla fatigabant: variis ſæpe formis prodiit à variis Auctoribus recognitum, emendatum, interpolatum, donec in ſpiſſam tandem libri molem excreſceret, LEXICON VII. AUCTORUM BASILEENSE, cui Viri, ſi titulum ſpectes, ſine controverſia eruditiſſimi ſuas curas impenderunt; nempe G. Budæus, Jac. Tuſanus, Conr. Geſnerus, Hadr. Junius, Rob. Conſtantinus, Joh. Hartungus & Joach. Hopperus; adeo, ut putares, nil niſi exactum à tantis nominibus tibi expectandum. Sed tamen hoc ipſum lexicon illud eſt, qvod paulo ſuperius §. 1. ab Henr. Stephano traductum animadvertebamus, & qvod ille, uberiori deductione, infinitis ſcatere erroribus vitiisqve, oſtendit: dum contraria vocibus non nunqvam ſignificatio detur; conflentur voces duæ in unam, aut novæ & Græcis inauditæ cudantur; auctorum loca perperam allegentur, aut duo itidem malo omine confundantur & qvas alias ille errorum graviſſimorum claſſes magno numero recenſet. Et, ne in virorum doctiſſimorum, qvi præfiguntur, nomina injurius videretur: *Pauca*, dicit, *ex Budæo, aliisque idoneis auctoribus, & ea quidem parum fideliter deſcripta: (utpote parum intellecta,) multa contra ex Lapo Florentino, Leonh. Aretino, aliisque ejusdem farinæ interpretibus (ut ſimiles haberent labra lactucas,) in opus illud tranſtulerunt. Ex iis quidem certe locis, in quorum interpretatione felix fuit Laur. Valla, pauciſſimos protulerunt; ſed, pro perverſo ſuo judicio, perverſiſſimas quasque ejus interpretationes delegerunt egregii illi Lexicorum, ſeu conſarcinatores, ſeu interpolatores, quibus tanquam gemmis illa inſignirent.* Hæc Stephanus, in Epiſtola *de ſuæ typogr. ſtatu*, ab Almelovenio Vitis Stephanorum ſubjuncta: qvem, ne affectibus abreptum in ſui Theſauri laudes hæc præpoſterè criminatum, ſuſpiceris; conſentit illi Conr. Geſnerus, in Catalogo librorum ſuorum: nam, cum ab initio ſtatim reviſum à ſe aliqvoties, & ex Auctoribus fide optima emenda-

tum,

tum, Lexicon Græcum retuliſſet; (licet non ſemper promotus eâ fide, qvâ decuit, à typographo labor ſit:) *Quod ſi alii etiam, addit, multi Lexicorum corruptores potius, qvam Authores, obſervâſſent, non usque adeo aliquot millibus locorum corrupta hæc volumina hactenus in publicum prodiiſſent, non ſolum typographicis erratis paſſim innumeris abſurdiſſimi referta, propter imperitiam illorum, qui ad præla corrigunt; ſed ipſorum etiam Authorum, quorum plurimos idcirco ſua nomina profiteri puduit.* Diſcrimen tamen inter illas editiones faciendum eſt, nec omnes promiſcuè pro mendoſis & conſpurcatis rejiciendæ: ultimam, à ſe locupletatam, ex officina Hier. Curionis, Baſil. 1560. prodiiſſe Geſnerus ſcribit, & ſunt adhuc aliæ, è qvibus haud utiqve contemnendum fructum Studioſi hauriant, licet mala etiam bonis immixta deprehendantur. Uſus tali Lexico Baſileenſi ſemper ad manus olim eſt celeberrimum Jenenſis Academiæ decus, Joh. Andr. Boſius, atqve ad ejus marginem plurima annotavit. Omnium præcipuus ille defectus eſt, qvod vocabula non ſolum ſub radicibus non ordinantur, ſed ad illas ne remittuntur qvidem.

Longe accuratior proinde HENRICUS STEPHANUS, Alpha illud Lexicographorum Græcorum, ſub primitivorum ſerie derivata, & ſub derivatis compoſita & decompoſita, primus omnium, Herculeo labore, & exqviſitiſſimo omnis Græcæ literaturæ apparatu, congeſſit, in *Theſauro Linguæ Græcæ*, qvi verè promptuarium & horreum totius Græciſmi eſt: cujus vaſta IV. voluminum moles multo vaſtiorem Auctoris peritiam, & prodigioſum laborem, abunde teſtatum reddit. Abſoluta ejus impreſſio eſt An. 1572., cum hoc Epigrammate in fronte tituli. *Theſaurus Lectori:* 6

Nunc alii intrepide veſtigia noſtra ſequantur;
Me duce plana via eſt, quæ ſalebroſa fuit.

Nec vanum certe iſtud Stephani diſtichon fuiſſe eventus docuit. Omnes enim illum exſcribunt. Inprimis vero dolendum, poſt exantlatos tot immenſos labores, impenſamqve in Theſauri impreſſionem ſuam omnem ſubſtantiam, bonum Stephanum, lucri loco, qvod haud vulgare inde ſperaverat, damnum rei familiaris irreparabile ſenſiſſe: cum non ſolum à principio ſtatim, & priusqvam liber totus imprimeretur, nonnulli, nimiam molem veriti, ejus inſtitutum averſarentur: ſed & maxime propterea, qvod in epitomen redigendum Theſaurum JOH. SCAPULA, olim famulus Henr. Stephani, ſuſcepit: qvâ re ut de juventutis commodo non malè, imo optimè, ita de Stephano longe peſſimè, meritus eſt: omnes enim, relicto Theſauro, Scapulæ Epitomen ſibi comparârunt, ut adeo ad extremam fermè pauperiem miſer redactus ſit. Luxit ipſe ſuam ſortem hoc Epigrammate:

Theſauri momento alii ditantque beantque,
Et faciunt Crœſum, qui prior Irus erat.
At Theſaurus me hic ex divite reddit egenum,
Et facit, ut juvenem ruga ſenilis aret.
Sed mihi opum levis eſt, levis & jactura juventæ,
Judicio haud levis eſt ſi labor iſte tuo.

Kkk kk Sunt

Sunt nihilominus, qvi poſt diſtracta prioris editionis exemplaria, Stephanum ſuum Theſaurum recudiſſe perhibent, præfixo in titulo epigrammate, qvo ſalsè Scapulam exagitârit; dum ſe ægrum prius à ſcapulis nunc ſanum in theatrum redire ſcribat. Verum, ſi qvicqvam hujus epigrammatis in libri titulo excuſum eſt, citius titulum, qvàm univerſum Theſaurum, denuo impreſſum crediderim: nunqvam enim eæ vires Stephano rediêre. Qvanqvam verò ſummô, qvi in hominem cadit, ſtudiô confectus ille Theſaurus ſit; non tamen immunem ab erroribus, aut Auctor unqvam ipſemet venditavit, aut crediderunt alii. Ipſe, in laudatâ ſæpius epiſtolâ *de ſtatu Typographiæ ſuæ*, poſtqvam fusè ſuum Theſaurum cum reliqvis Lexicis compoſuiſſet: *Abſit*, inqvit, *ut ſibi quisquam perſuadeat, ita me aliorum errata proferre, quaſi ipſe ſim ἀναμάρτητ@, & hominem me eſſe non meminerim, i.e. eum, cujus ſit errare, labi, neſcire, decipi. Imo vero me & colloco in hoc numero, & jam nunc in meo opere eſſe, in quibus lapſum me exiſtimem, ingenue fateor.* Idem & alii obſervant. JOHAN. CONR. DIETERICUS, Profeſſor Academiæ Gieſſenſis, variis commentariis in Hiſtoricos & S. Codicem notiſſimus, *Auctarium* qvoddam ſub manu habuit ad illum *Stephani Theſaurum*, in qvo craſſos ejus errores ſe detecturum eſt pollicitus; Sed, cum viveret, non invenit typographum, & poſt mortem ejus omnis ille labor in irritum cecidit. Fuit autem Vir ille linguæ Græcæ peritiſſimus, &, deprehendere id qvodammodo licet è qvibusdam libellis exiguis, Marpurgi Cattorum editis: inter qvos eſt Diſſertatio, cui titulus: *Græcia Exulans, ſeu de infelicitate ſeculi ſuperioris in Græcarum literarum ignoratione*: & alia qvoqve Diſſertatio, ſub titulo *Specilli Chreſtomathiæ Græcæ*, ibid. 1649. in 4. edita, ubi varia ſunt, qvæ ſpectant ad Veneres Græcæ linguæ, copiam & ornatum verborum, tàm in oratione ſoluta, qvàm ligata. Ad Scapulam ut redeam, prima ejus editio Baſileæ 1579. lucem publicam aſpexit: ultima, & uſui commodiſſima, prodiit Amſtelodami apud Elzevirios, cum Latino Indice copioſiſſimo, qvem Laurent. Martius, Palatinus, ſummâ diligentiâ confecit, ediditqve primum Baſil. 1630. Adjectæ præterea, ut in ultimis Baſileenſibus, Jac. Zwingeri, Medici & Philologi inſignis, de Dialectis Græcorum, uberrima hypotypoſi deductis, tabulæ: Corinthus de Dialectis: ut & epitome qvædam Gloſſariorum Græco-barbarorum Rigaltii & Meurſii; & Epitome etymologica, ex Magno Etymologico contracta. Prodiit iſta Scapulæ nitidiſſima plane editio Lugd. Bat. 1650. in fol.

7 Priusqvam Theſaurus Stephani prodiiſſet, alium *Græcæ Linguæ Theſaurum* ROBERTUS CONSTANTINUS congeſſit, qvi etiam haud parum eruditis probatur. Bœclero certe majori cum judicio ſcriptus, qvàm Theſaurus Stephani, viſus aliqvando eſt: & qvanti Conr. Geſnerus Conſtantinum æſtimârit, ſatis hæc ejus verba indicant, qvæ in Catalogo librorum ſuorum, poſt mentionem de Lexicis Græcis Baſileenſibus, habet: *Ceterum hoc anno*, inqviens, *quo hæc ſcribo*, 1562. *Genevæ prodiiſſe audio longe copioſiſſimum emendatiſſimumque Græcæ linguæ Theſaurum, à Rob. Conſtantino, incomparabilis doctrinæ viro, adornatum, ex Joh. Criſpini officina.* Conſtat hic Theſaurus II. Tomis, & ſecunda editione ab Æmil. Porto auctus eſt Genev. 1592. Qvodſi Colo-

meſio credimus, GUILIELMUS ROBERTSONUS etiam *Græcæ Linguæ Theſaurum* ſcripſit, qvem, 80000. vocabulis ab Hillio qvodam Anglo auctum, Londini A. 1676. in 4. prodiiſſe, auctor eſt *in Bibliothec. Selecta p. 80.* Mihi alias nil de Robertſoni Theſauro conſtat; & vereor ne cum Roberto Conſtantino forte confundatur Robertſonus: qvanqvam & hunc, tot millibus vocabulorum auctum, in 4. prodiiſſe, cum antea juſta duo in fol. volumina complevisſet, credibile nullo modo ſit (*dd*). Viderit itaqve Colomeſius oportet, qvod nos latet: qvemadmodum & eodem loco Joh. Criſpini, Genevenſis typographi, Lexicon ab Eduardo Grant. 4. aut 5000. vocum auctum, Londini 1581. in 4. excuſum, narrat.

Alium adhuc *Theſaurum Elocutionis Oratoriæ Græco-Latinum* ſcripſit JOH. BENZIUS, Bruxellenſis, qvi Argentorati Græcas literas docuit, ex officina Hervagiana Baſil. 1581. in fol. in lucem emiſſum. Magnam Vir ille operam in ornanda Græca lingua locavit; qvamvis non tam pertineat ad auctores Grammaticos aut Lexicographos, qvippe qvi ornatum potius verborum ſpectat, & ad Rhetores magis referendus eſt. Non incommode tamen huc referri poteſt. Neqve verò ordine alphabeti ſuum hunc laborem digeſſit, ſed ſub 66. titulis generalibus, ceu locis totidem communibus, ad qvos præcipua univerſitatis rerum commodiſſimè revocari poſſe perſuaſus erat. Sub his titulis primo loco abſtracta poſuit, ſive ſubſtantiva; poſt hæc adjectiva, ſeu concreta: tandem verba: tandem adverbia. Iterum vero ſub unoqvoqve horum, veluti tot titulis ſpecialibus, exempla ex Auctoribus optimis locavit: tum συνθετα, ſeu complexas voces, qvibus varie rem unam Oratores eloqvuntur: porro ἐπίθετα illarum vocum: & tandem ipſammet phraſium atqve elegantiarum πράξιν: ſubjecto Latino indice uberrimo. Eundem ordinem, in Theſauro Eloq. Latinæ, tenuerat, (edoctus illum à Joh. Sturmio, magno in Germania Rhetore.) de qvo *T. I. hujus noſtri Operis lib. 3. c. 2. §. 14. ſqq.* dictum fuit. Auctores Græci, è qvibus Theſaurum compilavit, præcipui ſunt, Demoſthenes & Iſocrates: præterea Plato, Ariſtoteles, Xenophon. Non habemus profecto Auctorem ullum, qvi Veneres linguæ Græcæ diligentius, & majori judicio, congeſſerit: qvas enim alias habemus Calligraphias, vel Poſſelii, vel Neandri, vel Paræi, non ſunt cum hoc labore conferendæ. 8

Kkk kk 2 JOH.

(*dd*) Fallitur *h. l.* Morhofius, dum Guilhelmi Robertſoni Theſaurum Linguæ Græcæ, à Colomeſio laudatum, haud diverſum eſſe conjicit à Rob. Conſtantini Opere ſive Lexico Græco ejusdem Tituli eximio. Revera enim Guilhelmus ille, qvem Noſter ignoravit, Robertſonus, gente Anglus, & Artium Magiſter, *Theſaurum Linguæ Græcæ* edidit *Reſeratum*, & huic poſtea A. 1686. *Theſaurum* qvoqve *Linguæ ſanctæ* ſubjunxit, ſive *Lexicon Concordantiale Hebræo-Latino-Biblicum, in quo Lexica omnia Hebraica, hucusque edita, Methodice, ſuccincte, & quaſi συνοπτικῶς, una cum Concordantiis ſingularum Vocum Biblicarum, Grammatice ſub Radicibus ſuis reſolutarum, Hebraicis, exhibentur*, Londini in 4to excuſum. Vid. de utroqve iſto Lexico, imprimis tamen de Hebraico, *Acta Eruditorum Lipſienſia, M. Jun. A.* 1687. p. 308-311.

9 JOH. CASP. SUICERUS duplici nomine ſuum, inter Lexicographos Græcos, locum meret: partim ob *Lexicon*, qvod concinno non minus ordine, qvàm inſigni vocabulorum copiâ, magno labore adornavit, Tiguri 1683. in 4. editum: qvod ſane uſui Studioſorum maxime accommodatum ac proficuum eſt. Qvemadmodum vero idipſum nonniſi minus Lexicon eſt, & qvaſi epitome Majoris, qvod, immenſo prope labore collectum & diſpoſitum, ordine naturali, duobus in fol. Tomis, aliqvando ſe editurum ſpem fecit: ita multo majorem gloriam Viro Clariſſimo paravit *Theſaurus Eccleſiaſticus*; Amſtelodami 1682. in fol. in lucem datus: in qvem dum voces & locutiones Patrum Græcorum, à Lexicographis vulgò vel omiſſas, vel non pro dignitate expoſitas, ſummo plurimorum annorum ſtudio, congeſſit, ritus ſimul, & alia ad Antiqvitatem Eccleſiaſticam pertinentia, magno numero immiſcet: ut adeo non poſſit non *Φιλαρχαίοις* in re Eccleſiaſtica longe plurimum prodeſſe. Qvanqvam, ut ſunt labores hominum imperfecti, & huic Theſauro deeſſe qvædam, eruditorum aliqvi obſervârunt: qvos inter Cl. Schurzfleiſchius, in Diſſertatione Academ. de *χειροτονία* §. 14.

10 Taceo nunc *Lexica Græco-Latina* minora, & qvæ uni inprimis Auctori, aut dialecto, ſcripta ſunt, ſua tamen laude minime carent: ut ſunt *Cornel. Schrevelii* Lexicon, qvod præcipue Homero reſolvendo inſervit: *Æmyl. Porti* Lexicon Pindaricum Hanov. 1606. in 8. *Lexicon Jonicum*, Herodoto illuſtrando; & *Doricum*, Theocrito, Moſcho, Bioni, aliisqve, explanandis accommodatum: Hanov. 1603. in 8., qvo Dictionariorum genere non minus certe incipientium inprimis labor juvari ſolet, qvàm indicibus qvibusdam, qvi ſuo modo ad Lexica reduci poſſunt: partim, qvod omnium ſunt abſolutiſſimi, ut *Wolffg. Seberi* Index in Homerum eſt: partim qvod unà verborum, in illo auctore occurrentium, Analyſin dant, qvalibus inſtructos habemus Heſiodum, cura Schrevelii: Herodianum cura Balth. Scheidii, aliosqve.

11 Ceterum, cum ſucceſſu temporum Græcitas regionis genium imitaretur, atqve, ut hæc variis variorum barbarorum irruptionibus patuit, eorumqve domicilium facta eſt: ita & lingua ſenſim ſenſimqve tantum barbariſmi attraxit, ut hodie Græciam in Achaja media atqve Peloponneſo qværas: nullibiqve corruptior Græca lingua ſit, qvam Athenis, & in Areopago. Factum hinc, ut in Patrum, Auctorumqve aliorum ævi recentioris, ſcriptis ubivis iſte ſe barbariſmus prodat, fueritqve adeo neceſſum, ad Byzantinorum ſcriptorum lectionem peculiaria qvoqve *Lexica Græco-Barbara* ſtrui. CAROLUS *du* FRESNE, qvi in hoc ſtudio omnes omnium labores longo poſt ſe intervallo reliqvit, & de qvo mox aliqvanto prolixius agendum erit, in *præfatione ſui Gloſſarii Græco-Barbari* §. II., enumerat eos, qvi aute ſe ſimile qvid in ornanda illa ſparta tentârunt: Stephanum à Solio; Dion. Gothofredum; Nic. Rigaltium; Joh. Meurſium; Chriſtoph. Germanum; Geraſimum Vlachum; Simonem Portium; Carol. Annibalem Fabrottum; Jac. Gretſerum; Joh. Morinum, & Jacobum Goarum. Ex his aliqvi particularia tantum Scriptoribus Byzantinis Gloſſaria ſubjecerunt: alii ſparſim illud negotium in ſuis ſcriptis notisve attigerunt: alii forte aliter; neqve enim omnes

omnes viſi nobis ſunt. SIMON PORTIUS Romanus, Doctor Theologus, is ipſe, qvi τῆς Ρωμαϊκῆς γλώσσης, i.e. Græcæ Vulgaris, Grammaticam, Cangii Gloſſario præfixam, dedit, *Lexicon Latinum, Græco-Barbarum & Græco-Literatum* edidit Pariſ. 1635. NICOLAUS RIGALTIUS celeberrimus olim Regiæ Pariſienſis Bibliothecæ cuſtos, *de verbis, qvæ in Novellis Conſtitut. poſt Juſtinianum occurrunt, Gloſſarium μιξοβάρβαρον* Pariſ. 1601. in 4. edidit, atqve, ut erat in ſuis laboribus exactiſſimus: judiceqve Scaligero vir talis, è cujus qvotidiano congreſſu aliqvid ſemper diſci poterat; qvamobrem & Carolo Labbeo, Gloſſariorum ſupra recenſitorum editori, ut Rigaltium amicum habeat, omniqve officiorum genere proſeqvatur auctor eſt: *Epiſt. p. 591.* ita, in Gloſſario etiam, ſuis partibus ſtrenue functus deprehenditur: niſi qvod, dum exiguam ſolum barbarorum vocabulorum particulam, nempe Juridica, ſelegit, imperfectus nimium labor eſt. Uberior JOH. MEURSIUS *Gloſſarium* ſuum *Græco-Barbarum* primò An. 1610. apud Elzevirios in 4. tum, ſecunda editione 1800. vocibus auctum, ibid. 1614. dedit.

Verum, cum & ab hoc neqvaqvam è materiæ dignitate pertractatum opus videretur, exhauſtumve vocum Græco-Barbararum pelagus; Joh. Bapt. Cotelerius, & Emericus Bigotius, Viri duo Clariſſimi, qvos, Cangio dicente, in perfecta Græcæ linguæ, ut & ceterarum diſciplinarum, cognitione conſummatiſſimos eſſe, nemo neſcit, CAROLUM *du* FRESNE, Dominum *du* CANGE, adierunt, ut, qvemadmodum Latinitati mediæ atqve infimæ vaſto III. Voluminum Gloſſario lucem prorſus egregiam affuderat, ita & Græcitatem eodem modo illuſtrandam in manus ſumeret. Id qvod & ille, ſenex admodum licet & jam morti vicinus, non minus promptè qvam feliciter, in ſe ſuſcepit; conqviſitis undiqve, & immenſa diligentia pervolutatis, editis, ineditis, Theologorum, JCtorum, Medicorum, Chimicorum, Philoſophorum, Grammaticorum, Hiſtoricorum, ætatis mediæ atqve infimæ, monumentis longe plurimis: è qvorum accurata perveſtigatione emerſit tandem *Gloſſarium ad Scriptores Mediæ & Infimæ Græcitatis*, non minus vocabulorum, qvam omnis generis rerum, unà inſperſarum inſigni copia admirandum. In præfatione, luculenter admodum cauſas corruptionis linguæ Græcæ exponit, totiusqve declinationis ejus hiſtoriam. Prodiit illuſtre Opus Lugduni 1688. in fol. II. Tomis, ultimusqve Viri laborioſiſſimi conatus eſt, qvi, paulo poſt abſolutam ejus editionem, prope ſtans obiit; de Byzantina Hiſtoria inprimis ante alios omnes meritus, qvam non ſuo ſolum peculiari volumine, ingenti eruditionis apparatu, illuſtratam dedit, ſed & in ornandis edendisqve Chronico Paſchali, Zonara, Annæ Comnenæ Alexiade, aliisqve Auctoribus, inſigniter juvit. Hæc vero cum hujus loci non ſunt, prætereo. Non ſilebo tamen elegans epigramma, qvo doctus qvidam inter Gallos vir *de la Monnoye*, in Latinum & Græcum Cangii Gloſſaria ingenioſe luſit h. m. 12

Auſonios poſtqvam Grajosqve effuſa per agros
Barbaries Romam preſſit utramqve diu:
Cangius, hanc vinclis qvi tandem & carcere frenet,
Res mira! è Gallis ecce Camillus adeſt.

 Et

13 Et hæc de Lexicis ſufficiant; qvorum uſus juventuti vel ob id maxime commendandus eſt, ut ad colendam linguam pulcerrimam eo alacrius accedant. Qvod vero Auctorum Græcorum delectum attinet, certum eſt, antiqvos recentioribus præferendos: ac tyronibus qvidem inſervire poſſunt *Orationes Hiſtoricorum Græcorum* ab Henr. Stephano & Eilhardo Lubino collectæ. Qvanqvam enim vulgò Novum Teſtamentum eligere ſoleant; negari tamen non poteſt, peregrinitatem aliqvam dictionis Græcæ illic occurrere: adeoqve, licet ante omnia Novum Teſtamentum ab adoleſcentibus penitus imbibendum ſit; addi tamen & alios priſcos auctores Græcos oportet. Neqve enim in lectione veterum à Latinis interpretibus ſtandum, qvos ſæpe multumqve inſigniter falli fallereqve videt, qvisqvis Græca conſulit; & apparet idem ex freqventibus eorundem caſtigationibus, qvæ in Virorum doctorum ſcriptis paſſim obvias ſeſe præbent. Unus inſtar omnium Barthius recentiores illas antiqvorum auctorum verſiones, prout vulgo excudi ſolent, adeo non fert, ut novam inde barbariem extimeſcat. Nam dum, *l. XL. Adverſar. c. 19.*, de Epiſtolis Græcanicis loqvitur, qvæ Genevæ junctim excuſæ ſunt: *Dolui,* inqvit, *cum earum interpretationem dari Jac. Cujacio vidi, & Juris, Antiquitatumque, & linguæ Græcæ, ſolertiſſimo: qua jurare auſim tota Latinitate futiliorem non inveniri traductionem: licet in hoc campo ad arbitrium fere ſuum debacchentur homines de Schola, qui neminem ullum Græcum auctorem ſine futili verſione jam fere excudi faciunt: adeo denuo in judiciis vulgi regnare incipiunt, quibus uno jam fere ſeculo ipſorum tyrannis excuſſa erat.* Idem, lib. XLV. c. 6., iſtud de verſionibus auctorum Græcorum argumentum reſumit, oſtenditqve, qvanti momenti res ſit, Latinè Græcum exprimere: qvod qvidem omnium optimè Joſiam Mercerum, interpretem Ariſtæneti, feciſſe putat. Conferendi inſuper de Latinis Græcorum translationibus ſunt Pet. Nannius Συμμίκτων *lib. I. c. 3.*, & Ant. Borremanſii *Var. Lection. c. 11.* Sane Latini ipſimet, ſuam ſemper linguam Græcæ poſtpoſuêre, pauperemqve arbitrati ſunt, ſi cum illa componeretur: qvod non probat Barthius *lib. LVIII. c. 9.*, multum errari in judiciis talibus perſuaſus. Negari interim non poteſt, tum demum Romanos ad aliqvem in ſcribendo, vel perorando, canendove, gradum ſublimiorem aſcendiſſe, cum Græcos ſibi imitandos ſumſerunt, uti Cicero Demoſthenem, Thucydidem aliosqve, Livius, & Virgilius Homerum. De Thucydide illud obiter memorandum: graviter hallucinatum Leonem Allatium, dum eum à Cicerone *pene puſillum* dici perhibet: cum tamen non ſolùm abſurda hæc locutio foret, ſed & Cicero, *l. II. Epiſt. ad Quintum T. ep.* 12., de Philiſto Syracuſio verba faciens dicat: *Siculus ille capitalis, creber, acutus, brevis, pene puſillus Thucydides:* longè alio ſenſu, uti cuivis patet, qvam qvem Allatius male ceperat, haud immeritò proin à Franc. Vavaſſore notatus, de *Dictione Ludicrâ p.* 167. Qvæ de poëtis Græcis Theocrito, Homero, Heſiodo, Virgilius ſua fecerit, ſingulari induſtriâ collegit Fulvius Urſinus libro Antwerpiæ in 8. edito hujus tituli: *Virgilius collectione Græcorum ſcriptorum illuſtratus*: cui rei præterea inſervire poſſunt Germani Valentis Guellii Commentationes & Paralipomena in Virgilium; Antwerp. apud Plantinum in fol. A. 1580. excuſa.

De

De Poëtis Græcis eorumqve ætatibus peculiari libro poſthumo egit Gerh. Joh. Voſſius, qvem tamen ineditum manſiſſe mallet Colomeſius in Bibliotheca Selecta. Artem Poëticam, qvantitatem ſyllabarum, phraſes etiam poëticas, tradiderunt Colemannus, Neander, Pareus. Satyricam Græcorum Poëſin peculiari tractatu expoſuit Iſaacus Caſaubonus, in duos libros diviſo, editoqve Pariſ. 1605. in 8. ſed is dudum rarior eſſe cœpit. (ee) 14

CAP. IX.

DE LINGVA LATINA.

§. 1. Scriptores de Literis Latinis atque Orthographici, quorum Princeps eſt Cl. Dausquejus. 2. Originum Ling. Lat. Scrutatores Etymologici, Iſidorus Hiſpalenſis (merus Rhapſodus,) Jul. Cæſ. Scaliger, Celſus Cittadinus. 3. Melch. Inchoferus, Seb. Corradus, Joh. Nieſſ. (Hiſtoriam Ling. Lat. Libris perſecuti peculiaribus) 4. Gerh. Joh. Voſſius, Matth. Martinius, Joh. Fungerus, Chr. Becmannus, Chr. Daumius. 5. Latinitatis Priſcæ & Agreſtis ruderum, ſeu Vocum antiquatarum; Collectores, Eilh. Lubinus & Janus Guilh. Laurenbergius, additis Recentioribus quibusdam, vetuſto iſto Sermone commentatis. 6. Nomenclatorum Scriptores, Hadr. Junius, Henr. Schævius, Joh. Joach. Beccherus (de cujus etiam Scriptis aliis Didacticis fertur Judicium,) Jac. Engelbrecht. 7. Lexicon perfectum Linguæ Latinæ deeſt. 8. Lexicographi Ævi barbari rudiores, Papias, Neſtor Dionyſius, &c. 9. Recentiores, qui poſt Literarum vixêre παλιγγενεσίαν, Nicol. ſcil. Perottus, Ambr. Calepinus. 10. Rob. Stephanus, ejusque σύνεργοι ac Plagiarii, Epitomator item Marcus Frid. Wendelinus. 11. Steph. Doletus, Joh. Friſius. 12. Marius Nizolius, ejusque Theſauri Ciceroniani Continuatores, & Ant. Schorus, Theſauri itidem Ciceroniani Scriptor. 13. Henr. Decimator. 14. Caſp. Scioppius, cujus Mercurius ἀνέκδοτος eſt. 15. Ol. Borrichius, G. M. Königius. 16. Baſil. Faber, ejusque Continuatores, Aug. Buchnerus, Jac. Thomaſius, Chriſtoph. Cellarius, Tob. Magirus. Monita de ſubſidiis Lexici conficiendi, inprimis Autorum Indicibus. 17. Latinitatis Ævi medii corruptæ Lexicographi, Gerh. Joh. Voſſius, Joh. Pet. Titius, Joh. Vorſtius, 18. Car. du Freſne, Voſſio, & ceteris omnibus luculentior. 19. Solœciſmi Virorum Doctorum à Caſp. Scioppio, Franc. Vavaſſore & Joh. Pet. Titio, notati. 20. Phraſium Ling. Lat. (quarum Selectus prudentis ſimul inculcatur neceſſitas) Collectores, Hadrianus VI, Pont. Rom., Aldus Manutius, Ant. Schorus, C. Scioppius, Georg. Crauſerus, Wolfg. Schönslederus, Hub. Giſanius, &c.

(ee) Is Caſauboni Tractatus de Satyrica Græcorum Poëſi (de qvo Autor, in *Polyhiſtore Poëtico*, ſive *Lib. VII. c.* 1. §. 11. plurima monuit) à Thoma Crenio haud ita pridem, *in Muſæo Hiſtorico & Philologico*, Lugd. Bat. A. 1699. in 8vo edito, denuo eſt recenſitus.

&c. Barn. Briſſonii Opus de Formulis & ſolennibus Verbis Pop. Rom. commendatur, & à Scaligeri Cenſura vindicatur.

1 A *Græcâ Linguâ*, cujus beneficio omnes ſcientiæ ad Romanos, omnesqve artes transierunt, ad LINGUAM LATINAM nunc progredimur, de qva συλλήβδην qvædam dicturi ſumus, cum plenius alibi egerimus. *De literis* videatur Hermannus Hugo in libro de priſca ſcribendi origine, ſupra laudato: Voſſius in Arte Grammatica: Scioppius in Arte Critica, Noribergæ 1597. & Amſtel. An. 1668. in 8. edita: ubi multa habet ſcitu neceſſaria de literis, qvorum beneficio MSSrum antiqvitas vel novitas internoſci poteſt. *Bivocales*, ſive *diphthongos* qvasdam vir ſummi apud Anglos ob inexhauſtam plane doctrinam nominis, *Thomas Gatackerus*, peculiari Diſſertatione, Londini 1646. in 8. in lucem emiſſa, impugnavit: ubi etiam multa diſſerit de literarum qvarundam ſono germano, natura genuina, figura nova, idonea ſcriptura veteri atqve vera. Inprimis vero diligenter *orthographiam Latinam*, juxta temporum ſeriem explicatam, dedit CLAUDIUS DAUSQUEIUS, ſeu *Dausquius*, libro, cui titulum fecit *Antiqui novique Latii Orthographia, II. Tomis in fol. Tornaci An.* 1632. Magna profecto cura Opus elaboratum eſt, atqve ita omnem apud veteres ſcribendi rationem evolvit, ut illa in lapidibus, inſcriptionibus, monumentisqve publicis, variavit; atqve adeo utiliſſimam arti Criticæ operam navavit. Non parum enim negotii faceſſit ſcripturæ varietas in veteribus monumentis, è qva tamen, bene intellecta, ſtatim judicium de antiqvitate ſcripti formari poteſt: qvare, ut characteres hi accuratius dignoſcantur, opera danda eſt. Attigit nonnihil ejus argumenti Henr. Stephanus, in præfatione Gloſſariorum à ſe editorum: ſed parciſſimus eſt, plenior qve & illo, & reliqvis ad unum omnibus, Dausqveji liber, complexus omnia, qvæ tùm veteres, tùm recentiores, de hoc argumento ſcripsêre. Sunt autem illi *Victorinus Velius Longus*, qvi Romæ prodiit An. 1587. in 8. *Caſſiodorus*, cujus de Orthographia libellus prodiit ſeparatim, cum notis Cariolani, Antvverpiæ 1579. in 8. *Bedæ* liber de Orthographia, qvem Hanoviæ 1609. imprimi curavit Hel. Putſchius. *Aldi Manutii* junioris, Pauli F., opuſculum de Orthographia, diligentiſſime è libris antiqvis, tabulis, numis, lapidibus, congeſtum editumqve ab ipſomet Venetiis 1566. in 8. *Hier. Cardani* de Orthographia tractatus, qvi T. I. ejus Operum reperitur; & forſan alii.

2 *Origines* atqve *etymologiam* Latinæ Linguæ Veteres jam Grammatici, Varro, Feſtus, Flaccus, Iſidorus pertractârunt, conatu non nimium felice: vapulatqve, ob compilatos veteres, ISIDORUS præſertim plurimis; qvapropter haud raro caſtigantur: qvi modo *rhapſodiam* vocant ejus Origines, *è pluribus undecunque conſarcinatam*, qvod B. Rhenani judicium eſt: mox cum Jano Douſa auctorem ipſummet *fartoribus Semipriſcis* annumerant, *centonumquè ſarcinatorem* vocant: qva de re vid. *Jac. Thomaſius Diſſ. de Plagio §. 474.* Poteſt cetera veteribus ſuo modo adnumerari nomenclatura variorum utenſilium, aliàs ignota, qvæ in *Inſtrumento plenæ Securitatis*, à Naudæo è Bibliotheca Pariſ. Regia Romæ in 4. edito, continentur. E recentioribus JULIUS

CÆSAR

CÆSAR SCALIGER magnum *Opus Originum linguæ Latinæ* moliebatur, 24. libris abſolvendum, qvod una cum ipſo tamen intercidit. Nec adeo multum, ſi prodiiſſet etiam, inde fructus ſperavit Menagius, in ſua Originum Ling. Gallicæ ad Puteanum epiſtolâ nuncupatoriâ, hunc in modum ſcribens: *Jule Cæſar Scaliger, un des premiers Critiques, & le premier Philoſophe de ſon tems, a composé des Origines de la Langue Latine jusqu' à 24. livres. La groſſeur de cet ouvrage étoit ſi prodigieuſe, que durant ſa vie il ne ſe trouvit point de Libraire, qui en voulut entreprendre l' impresſion, & il a été perdu apres ſa mort. Mais pour les etymologies, qu' il a inſeré en ſon livre des Cauſes de Ling. Latine, & qui ne ſont pas meilleures que celles des ancieus, nous pouvont juger, que cette perte n' a pas été grande.* Poſt Scaligerum, CELSUS CITTADINUS, Vir, judice Erythræo, in legendis explicandisqve veterum Latinorum monumentis, eâ eruditione ac ſcientiâ præditus, ut paucos pares, ſuperiorem haberet neminem: & qvi ſpecimen ſuæ eruditionis dedit *Dialogum de Origine Uſus, quo plurali numero ſingularis perſona cœpta eſt nominari*, referente eodem J. Nicio *Pinacoth. II. p. 71.* is, inqvam, Celſus præ manibus habuit Opus *de Ortu & progreſſu linguæ Latinæ & vulgaris Italicæ*; prout Gaſſendus in Vitâ Peireſcianâ memorat: verum ne ab hoc qvidem aliqvid in lucem exiit.

MELCHIOR INCHOFERUS, Jeſuita Bavarus, aliqva ex parte hunc utriusqve defectum ſupplevit *Hiſtoria ſua Sacræ Latinitatis*, qvam libris VI. comprehendit, ediditqve Monachii An. 1638. in 8. Optimus profecto liber eſt, multaqve proponit eruditiſſima, & ſcitu maxime digna, qvæ ſpectant ad ortum, progreſſum & mutationes iſtius linguæ, qvæ præcipue ab illo ſunt tradita; dum ſtatum Latinæ linguæ, per omnia ſecula, usqve ad ipſam barbariem & recentiora tempora, deducit. Habentur præterea ſingularia nonnulla de cauſis corruptæ linguæ Latinæ, ejusdemqve ad noſtra usqve tempora conſervationis. Gothos, qvi vulgò corruptæ Latinitatis incuſantur, ille ab hoc crimine abſolvit, eosqve potius, ut Latinæ linguæ conſervatores, honorandos exiſtimat; non omiſſis qvoqve Curiæ Romanæ laudibus, qvam ſcilicet de propagata, imo canonizata lingua Latina præclarè meruiſſe perſuaſus eſt; qva in re non qvidem omnino fallitur; ſed ſimul tamen, monachorum ſocordia miſere deturpatam linguam pulcerrimam, negare non poterit. Laudandum, qvod *lib. III. c.* 10. confutandos ſibi Laborerium & Sorberium ſumit, Latinæqve linguæ prærogativam præ Gallica debitis argumentis extollit. Illud vero perridiculum qvod, *lib. V. c.* 2., beatos in cœlo Latinè aliqvando locuturos exiſtimat. Ante Inchoferum, SEBAST. CORRADUS luculentum *librum de lingua Latina* ſcripſit, in qvo multa continentur de mutationibus ejus linguæ, aliæqve obſervationes egregiæ: qvapropter & eum librum maximoperè commendo. Verſatus in eodem argumento eſt JOHANNES NIESS *in libro d ortu & occaſu Latinæ linguæ, cum ejusdem inſtaurandæ modo*, qvi tamen non eâ diligentiâ, qvâ poterat, argumentum iſtud tractavit, Dilingæ 1627. in 12. 3

Præcipuum vero in hoc ſtudiorum genere, ut in aliis fere omnibus, nomen acqviſivit GERH, JOH. VOSSIUS *Etymologico ſuo* (qvod haud ita pridem, Iſaaci Fi- 4

lii additamentis auctum, nova facie prodiit.) Multum illud præcellit *Lexico* MARTINII, qvi Voſſii præceptor erat, ſed multa immiſcet aliena, qvæ judicium ejus tantum non eſſe produnt, qvantum erat diſcipuli: qvanqvam & in diſcipulo paſſim deprehendas præceptoris ſui veſtigia, adeo qvidem clara, ut typographus, qvi Martinii Lexicon edidit, ſibi ab opere Voſſiano damnum metuens, plagii crimen intentaſſe dicatur hujus editori, Elzevirio, qvi id An. 1662. in fol. primum excudit. Præfixus eſt utiliſſimus liber de *permutatione literarum in etymologia inveſtiganda*, qvam doctrinam Voſſius eo loco pleniſſimè proponit, cum, qvi ante illum in hoc argumento fuere occupati Grammatici, leviter illud ſaltem attigerint. (*ff*) JOH. FUNGERI *Etymologicum Latinum*, Francof. in 8. An. 1605. editum, & CHRIST. BECMANNI *Origines*, cum his qvidem comparari non poſſunt, habent tamen interdum, qvæ in aliis non invenias: Becmannus inprimis, qvi erat elegantis ingenii Vir, & in luculentâ ſuâ præfatione de Latinitate non pauca notatu digna obſervat. Verſabatur usqve ad vitæ finem eo in argumento CHRISTIANUS DAUMIUS, qvi Indices Latinæ linguæ Analogicos, & Indagatorem Radicum, dudum promiſit, ut patet ex Epiſtolis Reineſio-Daumianis, ubi multa inveniuntur ejus argumenti. Ac publicavit jam pridem Daumius tractatum *de cauſis amiſſarum quarundam Latinæ linguæ radicum, ut & multarum vocum derivatarum*: qvod eſt Commentationum ejus de Latinæ linguæ ἀναλογίᾳ & uſu ἀποσπασματίων, Cygneæ 1642. in 8. eoqve libro contineri fundamenta quædam voluit magni Operis, qvod moliebatur: abſoluti nimirum ſuis numeris Lexici Latini, præcipue illarum vocum, qvæ ætate ſeqviore in uſu fuerunt; qvam ob cauſam magnâ diligentiâ pervolutavit omnia illa, qvæ nanciſci potuit, ſcripta eorum temporum, edita, vel inedita. Etſi vero in ejus Diſſertatione, qvæ prodiit, omnia non probem; multa tamen inibi habentur & docta, & ſubtiliter excogitata; & ſolidiora haud dubie ab illo expectanda fuerant, ni mors illum una cum conatibus intercepiſſet.

5 Antiqvas veteris illius & agreſtis Latinæ linguæ voces ê paucis, qvæ hic illic in fragmentis Nævii, Pacuvii, &c., ſuperſunt ejus ruderibus utili labore collegit, poſt EILHARDUM LUBINUM (qvi jam An. 1594. Amſtelod. in 8. edito *Antiquario*, ſeu priſcarum & minus uſitatarum vocum interpretatione, id tentavit) JANUS GUILH. LAURENBERGIUS, qvi & ipſe, ſub *Antiquarii* titulo, collegit omnes voces antiqvas & obſoletas, easqve explicuit, Lugdun. Batav. 1622. in 4. Adjecit & in fine veteres gloſſas qvasdam Græco-Latinas, qvas ediderat Henr. Stephanus; & ex iis tantum excerpſit, qvan-

(*ff*) Gerh. Voſſii Etymologicon Linguæ Latinæ, cum præfixo de permutatione Literarum Tractatu, qvamplurimis Iſ. Voſſii, Autoris Filii, Obſervationibus auctum, Amſtelodami An. 1695. in fol. eſt recuſum. Matthiæ Martini Lexicon Philologicon, adjectis ejusdem Cadmo Græco-Phœnice, ſive Etymologico, & Iſidori Gloſſario, per Joh. Georg. Grævium emendato, ſuisqve Annotationibus, & aliorum collectaneis, illuſtrato, Trajecti ad Rhenum A. 1697. in fol. Grævio curante itidem denuo prodiit.

qvantum ad illuſtrationem hujus ſui Antiqvarii facere exiſtimabat, Continentur enim in Gloſſariis illis voces, qvarum nec vola, nec veſtigium, in ipſis Auctoribus eſt: unde apparet, fuiſſe in ipsâ etiam aureâ ætate plebejas voces in publico uſu, ſed non ita foro & civitate donatas, ut in orationis civilis uſum cooptarentur. Inveniuntur in iis interdum voces, è qvibus reſtitui ſuſpecta Auctorum loca poſſunt, cum occurrant ibi vocabula, qvæ homo imperitus facilè, ut peregrina & barbara, expungeret, qvæ tamen genuina & Latina ſunt, qvanqvam rarioris uſus. Fuêre autem aliqvi inter eruditos, qvi, deditâ operâ, ex priſcis illis vocibus orationem contexuerunt ingenii oſtentandi gratia: inter qvos doctiſſimus Mariangelus Accurſius in Dialogo, qvem *Oſcos & Volſcos* inſcribit: Jul. Cæſar. Scaliger in *Poëmatibus*, *libro Teretiſmatum p. 103.*, ubi pædagogum aliqvem inducit antiqvo iſto ſermone loqventem: & Jac. Balde in *Dramate quodam Oſco*. Referendum qvoqve huc carmen Philoxeni Gonæi, ſeu qvi ſe illo nomine texit, Caſp. Barthii, ea lingua ſcriptum, qvod ſtatuæ ſuæ Mercuriali Henr. Jul. Scheurlius adjecit.

Ad voces linguæ Latinæ perdiſcendas comprehendendasqve, Nomenclatores partim, partim & Lexicographi datâ operâ manuducunt. (*gg*) Optimus HADRIANI JUNII *Nomenclator*, Antwerpiæ in 8. Ann. 1577. editus, tantâ curâ adornatus eſt, ut non ignominiæ ſibi Auctor duxerit, qvandoqve in media opificum viliorum turba in cauponis ſedere, unàqve compotare, qvò accuratius, vel inter pocula inſtrumentorum proprias appellationes in lingua vernacula ediſceret: teſte Colomeſio in particularibus relationibus, qvæ inter ejus Opuſcula habentur: p. 131. ſq. qvi & addit, Joh. Sambucum propterea alieniorem à Junio factum; cum cauſam ſordidæ ſocietatis ignoraret. Alium *Nomenclatorem* HENR. SCHÆVIUS edidit *Mnemonicum*: atqve, ut erat Vir doctiſſimus, & in omni diſciplinarum genere verſatiſſimus; ita hic etiam contemnendus non eſt; *Maſculina* nigro; *fœminina* rubro charactere ſignavit: *neutra* utroqve comparent. Conſilium nomenclaturæ prolixius exponitur in præfatione libri, cujus altera editio prodiit Heidelbergæ 1673. in 8. Mihi commodius videtur, verba nominibus ſuis jungi, eo, qvo derivantur, ordine, qvod conſilium nuper amplexus eſt JOH. JOACH. BECCHERUS, Vir, qvi omnibus penè diſciplinis ſe immiſcuit, adeoqve ad Latinæ etiam linguæ rudimenta felicius tractanda conſilia propoſuit, in *Methodo ſua Didactica*: in *Praxi ejus methodi*, & in *Organo* ſuo, qvomodo poſſit tyro rerum vocabula, Grammaticam, & ſignificationem integri ſermonis, addiſcere beneficio derivationis à primitivis: cui rei potiſſimum inſervit Praxis illa, velut in ſpecimen primo loco procuſa. Fateor, non temnendam eſſe ejus Viri induſtriam; ſed fuit illius diligentia pene nimia & ſuperſtitioſa. Collegit ille ſub ſuis primi-

6

(*gg*) De Nomenclatoris Hadr. Junii Hiſtoria, Variis Editionibus, Prærogativa, Nævis, & horum Cenſoribus, plurima lectu digna congeſſit, & proinde ad *h. l.* conferri meretur / Thom. Crenius, Vir. Cl. *Parte I. Animadverſionum Philologicarum & Hiſtoricarum*, c. 3. §. 1-5. p. 33-41.

primitivis derivativa, qvæ non ſunt omnia notæ melioris: citra delectum enim obſoleta, & nova, & barbara, ſimul proponuntur tyronibus ediſcenda, qvod illorum animos imbuit non optimo colore. Ut in vocabulis praxin ſuam oſtendit, ita aliud ſubſidium eſt commentus in enunciationibus formandis, & ſententiis: cui ſcopo ſcripſit novum Organon, in qvo ſub claſſibus conceptuum univerſalium ac prædicamentalium diſponit voces: cujus qvidem diſpoſitionis uſus, præter illum, qvem ipſe intendit, alius qvoqve eſſe poſſit non contemnendus in inveniendis conceptibus argutis: nam cum hi fundentur in analogiſmo rerum, qvilibet intelligit, eo feliciorem fore hanc operam, ſi directorio indicum iſtiusmodi categoricorum uti poſſumus. *Methodus Didactica* edita eſt *una cum Appendice* Monachii An. 1668. in 4. *Novum Organon* Viennæ 1671., qvod poſtea diſtinctius prodiit, & cum Germanicæ linguæ additione, & cum ſubdiviſione paragraphorum, Francofurti, ſi recte memini, in 8. Tertius tomus illorum librorum nondum lucem vidit, qvo proponere argumentationum fontes voluit: ſed, ut ipſe nihil certi promiſit, ita nec dedit qvicqvam, dum viveret, aliis nempe perplurimis occupationibus negotiisqve diſtrictus.

Becchero, ob argumenti ſimilitudinem, jungimus JACOBUM ENGELBRECHT, qvi *Complementum Latinæ Linguæ* ſcripſit: qvo, certæ methodi beneficio, derivata & compoſita omnia, è facillimâ ſuis in claſſibus analogia, ſolo aſpectu tyronum memoriæ infigantur. Diſtinguit nimirum voces ſecundum claſſes rerum & terminationes; & ſane in terminationibus, niſi fallor, idea totius linguæ latet; ut ego qvidem exiſtimem, totam aliqvam linguam breviori ſpatio poſſe comprehendi, ſi qvis ad terminationes illas reſpiciat: prout enim ſunt conceptus de rebus, ita pene ipſa natura determinat terminationes, qvæ ſi reſpiciantur, ſtatim judicari de ipſa vocis ſignificatione poteſt. Primitiva enim & ſimplicia pauca ſunt, qvæ, ſi memoriâ teneat puer, & ideam harum terminationum habeat, ipſe ſponte eliciet, & ſine operoſa memoria, voces à primitivis ſecundum hunc ordinem derivatas. Hoc conſilium fuit Engelbrechti, qvod in lingua Græca præterea ſecutus eſt Andr. Pauli, qvi *Thematologiam Novi Teſtamenti* concinnavit, qvâ docet ſecundum hunc ordinem inveſtigare ſignificationes vocum. Ejus conſilii ratio explicatur in præfatione libri, qvi prodiit Lubecæ 1661. in 12. Verum de methodis hujus generis alibi.

7 Nomenclatoribus Lexicographi ſuccedant. Hîc vero cum pudore noſtri ſeculi dicendum eſt, non habere nos perfectum aliqvod Lexicon Latinum. Græca lingua eâ parte longe felicior: nam Theſaurus Stephani adeo copioſum dedit apparatum, ut paucis vel emendari, vel augeri, poſſit: at in Latina lingua omnium opera fuit imperfecta, & in partibus tantum exculta. Conqveſtus eſt ea de re Olaus Borrichius in libello *de Lexicorum Latinorum Jejunitate*; ubi pluribus demonſtrat, qvantopere laborent vulgaria illa Lexica, etiam optima: & illud ſub *Fori Romani* nomine toties repetitum, & à novis plagiariis interpolatum. Hactenus tamen tot prodierunt inſtrumenta conficiendi plenioris Lexici, ut mera ignavia ſit, non impendi operam diligentiorem. Habemus notas, commentationes, indices doctiſſimorum virorum in

Aucto-

Auctores pene omnes, è qvibus vel ſolis, ſi conferantur, & cum judicio digerantur, Lexicon egregium confici poſſit. Atqve illa cura pertineret ad voces tantum, non ad phraſes, in qvibus congerendis laborioſum eſt Forum Romanum; cui certe ex his virorum doctorum curis magna fieri acceſſio poſſet, qva parte ſæpe Forum Romanum deficit.

Non potuêre verò non lutulenti eſſe Lexicographi, qvi è luto barbariei ſeculorum ſuperiorum vix tandem conſpurcati miſere emerſerunt: namqve, ut ex aqva naſcitur Venus, non ex luto; ita nec linguæ Latinæ Veneres è barbarorum temporum ſterqvilinio peti poſſunt. Eapropter ſufficiat, nomina illorum appoſuiſſe, ne ignorentur: qvanqvam & occurrant interdum apud illos nonnullæ gloſſulæ, qvas è vetuſtioribus Auctoribus transſcripſerunt. Primus illorum PAPIAS eſt, Lombardus circa A. C. 1100. clarus, juxta Trithemium, qvi eum ſcribit, Grammaticorum omnium ſuo tempore fuiſſe clariſſimum, Græco & Latino ſermone inſtructum. Scaligero, *in Excerptis Putean.*, futilis eſt, & tot errores habet, qvot verba. Contra vero Caſp. Barthius, primo ſtatim ſuorum Adverſariorum capite, *non ſemper futilem veterum gloſſariorum compilatorem* vocat: imo, *lib. LV. c.* 4, qvæ ex veteribus Grammaticis undecunqve corraſerit, *raro non notabili aliqua explicatione ornaſſe* ait: diſſidet etiam qvoad ejus ætatem à Trithemio, &, *lib. III. c. 3. Adv.*, non diu poſt Henrici II. Imp. tempora, i. e. poſt A. C. 1000. eum ſcripſiſſe ê Catalogo Imperatorum colligit, qvem in voce *Ætas* Papias habet, ubi in Henrico II. deſinit. *Vocabularium* vero Papiæ, de qvo nobis hîc ſermo, & qvod aliqvamdiu apud imperitos auctoritatis aliqvid obtinuiſſe Raphael Volaterranus memorat, Venetiis A. 1491. impreſſum prodiit. Secuti hunc NESTOR DIONYSIUS, Novarienſis Minorita, Papiam in ordinem redigens, ipſe ab aliis redigendus, cujus Dictionarium Argentorati A. 1507. excuſum eſt: Joh. Werdena in ſua *Gemma Gemmarum*: Johannes de Janua, & Simon Januenſis, qvi tamen vix ab illo ipſo limine, qvod nomen profitetur, linguam Latinam ſalutârunt. 8

Nebulas horum hominum diſſipavit NICOLAUS PEROTTUS, Saxoferratenſis, Sipontinus Epiſcopus: cujus præclarum opus *Cornu Copiæ*, ſeu Commentariorum Latinæ linguæ volumen (qvod idem commentarius in Martialem eſt,) omnem Latini ſermonis elegantiam & rationem niſu eximio complectitur, tum qvæ apud Martialem occurrit, tum qvæ ad Martialem ex aliis ab ipſo afferuntur. Optima ejus editio prodiit apud Aldum Venetiis An. 1513, qvæ poſtmodum Baſileæ apud Curionem & Walderum aliqvoties iterata eſt. Et ſane honor illi Viro habendus, primo purioris Latinæ linguæ collectori, unde ſua præcipuè derivârunt, qvi poſt illum ſcripsêre. Eqvidem amolitur à ſe intentatum crimen iſtud Angelus Politianus *in Miſcellaneis*, cui objectum fuerat, factam ipſi ante Perotti editionem ejus archetypi inſpiciendi copiam, Urbinatium Duce in gratiam Laurentii Medicis tradente. Verum id omne ita à ſe depellit Politianus, ut ad editi exemplaris αὐτοψίαν provocet. *vid. Thomaſius de Plagio* §. 525. Sed ſi excuſandus eſt Angelus, certe non idem merentur alii Perotti ſtrenui transſcriptores. Hos inter non minimus AMBROSIUS CALEPINUS: qvi qvidem, 9

ſi in nomine aliqvod omen eſt, per anagrammatiſmum *Pelicanus*, ſanguine ſuo & ſucco minorum gentium Lexicographis vitam dedit: fuitqve diu ſacra ſtudiorum anchora, ad qvam confugiebant, qvi in Latina lingua ſe exercere volebant. Sed ipſe interim Calepinus merus Perotti deſcriptor eſt, qvapropter acerbis paſſim cenſuris Scioppii & Franc. Floridi vexatur: à qvibus non adeo multum abludit Erythræus, *Pinacotheca II. p.* 202. Stetit olim, & in ſcholis regnavit, adverſus omnes cenſuras, & præla typographorum calefecit, ac loculos ditavit, bonus ille Calepinus, qvi toties coctus & recoctus parum ſapit. Illi enim aliena ova ſuppoſuerunt paſſim nonnulli, & fœtus qvoscunqve, undecunqve corraſos, ſub Calepini perſona in theatrum produxêre: tandem & novâ mole, novarum linguarum miſtura, auctior liber ille prodiit, qvaſi conjuratum eſſet ab omnibus typographis in unum hoc Lexicorum chaos, qvo, tanqvam illo Bacchi dolio, & cicer, & piſa, & allium, & lana, & omnia, continebantur. Qvæ, cum omnia illic ſint permiſta, nihil ſolidi & genuini deprehendes: non poſſunt enim ſimul & ſemel diſci & colligi tam diverſa; qvoqve ornatus magis illis auctariis liber fuit, eo magis deformatus, &, ut ſimius ille apud Claudianum, claro deformis amictu. Prodiit poſt longe plurimas editiones Lugduni A. 1587, recognitus à Jano Paſſeratio, & Ludovico la Cerda: ſed, ut puto, abuſi ſunt typographi horum virorum nomine, ut eo promptiores invenirent ſuis mercibus emptores. Videatur de hoc Paſſeratii Calepino Borrichius *de Lexicorum Latinorum Jejunitate.*

10 Longe vero vicit Calepinum, qvacunqve etiam manu auctum emendatumve, exqviſito labore ROBERTUS STEPHANUS, dum ab aliis decem viris Tuſano, Budæo, Baïfio, ſimilibusqve doctiſſimis adjutus incomparabilem illum Latinæ Linguæ Theſaurum elucubravit; cujus hic titulus eſt: *Dictionarium, ſeu Latinæ linguæ Theſaurus, non ſingulas modo dictiones continens, ſed integras quoque Latine & loquendi & ſcribendi formulas, ex Catone, Cicerone, Plinio, Avunculo, Terentio, Varrone, Livio, Plinio ſecundo, Virgilio, Cæſare, Columella, Plauto, Martiale: cum Latina tum Grammaticorum, tum varii generis ſcriptorum, interpretatione Pariſ.* 1536. *fol.* Nova editione ingenti acceſſione auctus III. Tomis prodiit A. 1542., tandem & Lugduni 1573. repetitus, ſed dempta tamen malè præfatione, in qva ſuos adjutores Stephanus enumeraverat. Mirum, qvam à plagiariis conſpiratum ſit in hoc Opus: nam tanqvam ad prandium paratum venerunt, non ſuis laboribus Opus alienum exornaturi, ſed ſubmoto Auctoris nomine ſuum impudentiſſimâ audaciâ repoſituri. Ita CÆLIUS SECUNDUS CURIO, ſub *Romani fori* nomine, THEODOSIUS TREBELLIUS, ſub titulo *Promptuarii*, Baſil. apud Oporinum 1542. excuſi, alii ſub aliis titulis, preſſo veri Auctoris nomine, Theſaurum Stephani ediderunt, cujus facti, certe minus ingenui, nulla ab ipſis ratio redditur: niſi forte eam ob cauſam hoc evenit, qvod, aſcitis in ſocietatem Viris tot eruditis, partem aliqvam hujus laboris in ſe jure qvodam derivare voluerint. Alii, ne nihil omnino in eo Opere recuſo viderentur egiſſe, auctius id, &, ſi DIs placeret, emendatius procudere annitebantur, intruſis vocibus & loqvendi modis, qvi, à genuina Latinitate alieni, prius à Stephano ob id ipſum repudiati fuerant: qvâ de re lepidam hiſtoriolam refert

Henri-

Henricus, Roberti F. Stephanus, *in Epiſtola de Statu ſuæ Typographiæ p. 161. edit. Almelov. Quum pater meus,* ait, *Venetiis agens, quandam officinam typographicam ingreſſus eſſet, in qua excudebatur ejus Theſaurus linguæ* Latinæ, *ſumpta in manus charta, oculos ſtatim in quoddam vocabulum conjecit, quod ſe olim rejeciſſe, dum opus illud conſtrueret, recordabatur. Miratus ergo, ſuum exemplar afferri ad ſe juſſit, quod memoriæ ſuæ non omnino fidendum putaret. Ibi certe vocabulum illud non invenit, ſed margini adſcriptum, ut insereretur, videt. Tunc eum, cujus manu adſcriptum erat, convenire, &, quo id conſilio feciſſet, interrogare. Hic vero non aliud reſpondere, quam ſe non vocabulum hoc ſolum, ſed aliquot alia itidem adjeciſſe: quæ, cum patri meo oſtendiſſet, ea ipſa eſſe comperit, quæ itidem olim rejecerat. Qua ex re tanto dolore exarſit, ut continere ſe non potuerit, quin illum aliosque, qui ad ditandum præclaris hiſce divitiis Theſaurum operam ſuam itidem locarant, aſinos Arcadicos vocaret.* Hæc dum narrat Henr. Stephanus, ſuo Græcæ L. Theſauro paria planè fata ominatur; eadem & ſecuto tempore, ſi non graviora expertus. Ceterum habet tamen & hoc Rob. Stephani Lexicon ſuos defectus: ſæpe enim è corruptis Auctorum exemplaribus loca non ſana afferuntur: multa qvoqve παροράματα in ipſa phraſi: ſed tamen ob phraſeologiam qvam maxime commendari meret: nullum enim habemus Lexicon eâ parte plenius inſtructiusqve. Excerpſit ex illo *Medullam* ſuam *Latinitatis* MARCUS FRID. WENDELINUS, addito in tyronum uſum locupletiſſimo indice Germanico. Liber non contemnendus eſt, de qvo in præfatione Wendelinus multa magnifica promittit, putatqve ex nullo libro commodius addiſci poſſe linguam Latinam, qvam ex hoc, ſi perpetuæ inſtituantur imitationes, & ſermones continui ex iſtis phraſibus connexi, qvi, Germanica propoſiti lingua, in Latinam converti debeant. Sed, qvod primarium eſt in imitatione, hic deficit: ſermonis ſcilicet nexus, unde potiſſimum dependet omnis linguæ genius: deinde ſermones ita concinnati neſcio qvid inepti ſapiunt, ſi ſecundum ordinem iſtum alphabeticum inſtituantur, qvod ταυτόλογον & jejunum videtur. Qvanqvam enim obtendit Wendelinus, longo tempore opus eſſe, ſi ex lectione proficere velimus; omniumqve rerum Latinitatem uno Auctore minime comprehendi: tanti tamen omnino res eſſe videtur, ut plus temporis illi impendatur ab initio, qvàm ut immaturâ feſtinatione iſta tela præter rem abrumpatur. Deinde, poſtqvam ſtructura ſermonis ex lectione Auctorum ſatis in ſolido locata eſt, facile in ceteris, ubi Auctores deficiunt, Lexicorum opem implorare poſſumus.

Inter plagiarios Rob. Stephani STEPHANUS DOLETUS, Lugdunenſis typographus eruditus, etiam referendus eſt, ſed ſubtiliores: namqve alia methodo diſpoſuit Opus ſuum, & è Stephani materia novum ædificium exſtruxit. Commendari qvoqve meret labor illius: nam, qvæ tumultuariè apud Stephanum, hîc diſtincto ſecundum ſignificationes ſuas ordine exhibentur. Neqve tamen propterea à plagii crimine abſolvendus eſt, licet ipſemet adhuc illud, ſibi à Carolo Stephano objectum, diluere omni ſtudio ſit annisus; qva de re legi poteſt Thomaſius *de Plagio Literario* §. 409-412. Nempe nimium ſubito creverunt in molem *Latinæ Linguæ Commentarii,* 11

qvi

qvi ante Theſaurum Rob. Stephani, & Nizolii, magnitudine Laur. Vallæ Elegantias non ſuperabant: fruſtraqàe exſcribendi licentiam Lexicographis conceſſam Doletus prætendit, qvi Barthol. Riccio inſuper atqve Lazaro Bayſio eum in modum turpiter abuſus eſt, nunqvam eos nominans, niſi ubi caſtigat. Prodiêre *Tomi II. Commentariorum* Lugduni apud Sebaſt. Gryphium A. 1538. in fol., Guilh. Budæo nuncupati. Tertium adhuc tomum addere ſibi propoſuerat Auctor, collocatione oratoria, compoſito & numeroſo dicendi genere in univerſum acturum: ſed qvo minus deſtinata perficeret, fati acerbitate factum: qvippe vivicomburio miſer ob religionem exuſtus eſt, meliore fortuna dignus utiqve, & Vir doctus. Extat in mortem ejus epigramma Theodori Bezæ, qvod legitur *in Deliciis Poëtarum Gallorum*, ſub nomine Adeodati Sebæ. Erat unus è præcipuis Ciceronis admiratoribus, qvapropter Eraſmi Ciceronianum, tum in præfatione ſui Operis, tum in ipſomet Commentationum corpore, haud raro acriter ſugillat. Scripſit & libellum *de phraſibus Latinæ linguæ*, qvi ſolet edi cum Huberti Suſannæi *Connubio adverbiorum Ciceronianorum*. Dedit etiam Formulas Latinarum locutionum illuſtriorum, qvæ ferme in Commentariorum ſupplementum ſcriptæ ſunt. Cum vero jam tum, paulo poſtqvam excuſi ſunt, Commentarii nimio venire pluribus viderentur, *Compendium Doleti* Vir qvidam doctus Baſileæ A. 1540. adornavit: ſuntqve etiamnum Commentarii ipſimet rariſſimi. Uti vero Doletus è Theſauro Stephani ſua maximam partem hauſit; ita genuina Fori Romani filia eſt *Lexicon Trilingue Joh. Friſii*: totum nempe Opus ex illo Foro excerptum eſt, Auctorum nomina negligenter addita, libris capitibusqve omiſſis. Prodiit Argentorati A. 1612. fol. Minoris formæ *Lexicon Friſii* in 8. Tiguri 1586., ſæpeqve alias, excuſum proſtat.

12 Superiore ſeculo, cum in unum Ciceronem qvaſi conjuratum eſſet ab eruditis, ſtudioſè admodum collectæ ſunt voces Ciceronianæ ac phraſes: fuitq; MARIUS NIZOLIUS, Brixellenſis, qvi *Theſaurum Ciceronianum*, ſeu, ut primo vocabantur, *Obſervationes in Ciceronem*, ordine alphabetico digeſtas, ſcriberet, prima vice An. 1520. Baſil. apud Rob. Winter editas. Exinde vero plurimis iſtum Theſaurum acceſſionibus auxerunt Baſilius Zanchus, Cælius Secundus Curio, Marcellus Sqvarcialupus, & Jacobus Cellarius. Atqve eſt utiqve præclarus liber, & ad Latinitatem Ciceronis utiliſſimus: tamen & multa ei Operi deſunt. Neqve enim exiſtimandum eſt, qvæ à Cicerone prætereuntur, barbara eſſe, aut rejicienda: hinc fit, ut illa vocum barbararum farrago, qvam adjecit Operi Cellarius, ſub iſto ordine multa recenſeat, qvæ non erant atro carbone notanda. Poſtremò prodiit, niſi fallor, ex officina Hervagiana Baſil. An. 1583. in fol. Videnda vero de hoc Nizolii Lexico Leibnüzii præfatio in Nizolium *de Natura Philoſophandi*.

Alium à Nizolio *Theſaurum Ciceronianum* ANTON. SCHORUS edidit, is ipſe Vir laude digniſſimus, qvi primus incorruptam pandere viam ad Latinitatem veram aggreſſus eſt, & cujus præfationem in Phraſes Ciceronianas, Coloniæ 1578. in 8. editas, auream Franciſcus Vavaſſor vocat, ob egregiè monſtratam obſervandi è veteribus rationem. Theſaurus Ciceronianus vero brevis qvidem eſt, nec omnia diſertiſſimi

mi Oratoris comprehendit,ſed pleraqve ſingularia,& ſignificationibus diviſa. Edidit illum, cum præfatione & elogio ſuo, Joh. Sturmius Argentorati apud Rihelium 1580. in 8., apud qvem ejusdem doctiſſimi Auctoris libri II. *de ratione diſcendæ docendæque Latinæ & Græcæ linguæ* prodierunt An. 1571. in 8. Utinam ejus liber de Particulis Linguæ Latinæ non intercidiſſet,habuiſſemus profecto Theſaurum auro cariorem.

HENRICI DECIMATORIS *Theſauro* miror pretium aliqvod Borrichium 13 ſtatuere, homo enim ineptus fuit, & in Latinitate nihilo plus ſapuit, qvam occiſa ſus, qvod ex ejus Sylva vocabulorum deprehendas, qvam mirismodis exagitat Siberus paſſim in Epiſtolis & opuſculis ſuis, monetqve, ceu peſtem fugiendam eſſe tyronibus. Monendum tamen, fuiſſe inter utrumqve lites agitatas publicè, ac argutiſſima ſunt, qvæ in Decimatorem ſcripta edidit Adamus Siberus.

Qvodſi prodiiſſet *Mercurius Trilinguis* CASP. SCIOPPII id eſt, *Lexicon*, qvod 14 præ manibus habuit, & abſolvit; haberemus omnino, de qvo nobis præclara qvæqve polliceri poſſemus. Fuit enim Scioppius homo, licet ſumme maledicus, in Grammaticis tamen, ſi qvis alius, naſutus & doctus. Servatur iſtud Lexicon adhuc *ἀνέκδοτον* Patavii apud Joh. Michaëlem Pieruccium, Profeſſorem Juris, ubi & reliqva ejus ſcripta latent, teſte Gaddio *T. I. de Scriptor. Non-Eccleſ. pag.* 210. Vidit & legit illum librum Marqv. Gudius, qvi mihi aſſeveravit, eſſe digniſſimum, qvi publicis typis exſcribatur: eſſe enim accuratas inibi de lingua Latina obſervationes.

OLAUS BORRICHIUS, cujus de Jejunitate Lexicorum Latinorum Diſſerta- 15 tionem jam aliqvoties allegavimus, librum conſcripſit integrum, cui titulus: *Cogitationes de variis Latinæ linguæ ætatibus:* qvibus integrum continetur Lexicon vocum Latinitati reſtitutarum, qvæ à Voſſio, Scioppio, aliisqve, rejectæ erant. Præmiſit elegantem Diſſertationem *de variis variæ Latinæ linguæ ætatibus, & charactere ſcriptorum ſecundum genium temporum illorum.* Editus eſt liber Haffniæ Ann. 1675. in 4. Præceſſerat jam iſtas *Cogitationes Syllabus quarundam vocum,* qvæ tanqvam barbaræ rejiciuntur à Voſſio, adverſus cenſuram illius vindicatarum. Feliciter, qvod nec ipſe diffitetur, in eo labore uſus eſt Borrichius GEORG. MATTHIÆ KOENIGII, Profeſſoris Altdorffini, Lexico, ſeu, ut ipſe appellat, *Gazophylacio Latinitatis*, qvi liber ante annos non ita multos prodiit, in 4. modicus, nec tam diffuſus, ut alii: & multa tamen in eo habentur, qvæ fruſtra in operoſiſſimis aliis Lexicis qværuntur, ipſoqve adeo Foro Romano. Uſus vero eſt in concinnando hoc Lexico operâ Chriſtiani Daumii, qvi magnam impendit curam, ac ſollicitè disqviſivit Latinitatem genuinam. Comparent in illo voces, aliis ut barbaræ notatæ & rejectæ, qvarum ille auctoritatem diligentiſſimè appoſuit.

Omnium nunc manibus teritur, velut in Calepini locum ſurrogatus, BASILII 16 FABRI *Theſaurus Eruditionis Scholaſticæ*, ſecundum ordinem primitivorum & derivativorum collocatus: cujus qvidem exigua primum ipſe rudimenta poſuerat Lipſiæ An. 1571. impreſſa, & repetito ſæpe labore dehinc auxerat, ſed imperfectum tamen reliqvit. Admovit poſtea illi expoliendo manus AUGUSTUS BUCHNERUS, & Auctariis

inſignibus locupletavit: verum unus Vir tam vaſto labori non ſuffecit, qvanqvam illa, qvæ adjecit, optima ſint, & ex optimis obſervationibus, tàm ſuis, qvàm aliorum, deprompta. Nova Buchneri Additamenta, poſt Auctoris mortem, ab ejus hæredibus Bibliopola editor coëmit, qveis nonnulla addidit JACOBUS THOMASIUS. Dicitur & Francofurti ad Viadrum uberior latere vocabulorum collectio, qvam TOBIAS MAGIRUS ad Fabrum ſibi collegerit, qvod ſi verum eſt, non inanis fortaſſe fuerit labor ille, ſi è ceteris Magiri, Viri diligentiſſimi, ſcriptis eum judicare velimus. Miror autem, Bœclerum Foro Romano Fabrum à Buchnero reviſum præferre, *in Diſſertatione de Lexicis*. Qvamvis enim illi ſui defectus ſint, qvos, præter alios, Caſpar qvoqve Scioppius *in Conſultatione II.* notavit: longè plura tamen jure in Fabro deſiderari poſſunt, adeo ut cauſa, cur præferatur Foro Romano, nulla omnino ſit. Reperiuntur eqvidem in Fabro qvædam notatu ſingularia, qvæqve alibi fruſtra qværas: aſt vero parcior illorum numerus eſt, qvam ut Lexici perfecti nomen ſuſtinere qveat. (Qvapropter & toties jam, poſt Buchnerum atqve Thomaſium, CHRISTOPH. CELLARIUS, Vir Celeberrimus, &, ſi qvis alius, peritiâ linguæ Latinæ exqviſitâ clarus, Fabrum auxit, locis innumeris emendavit, reſecavit qvæ nihil attinebant poni, Auctorum loca diligentius apposuit, atqve adeo totum pene Fabrum recudit: ſubinde tamen vel addenda vel corrigenda denuo deprehendens.) Nec poteſt adornari Lexicon juſtum, ſuisqve partibus abſolutum, ni operas inter ſe conferant Viri eruditi, ut unus hunc, alter alterum Auctorem, ſecundum indices componat, unde poſtea Lexicon aliqvod univerſale formetur: qvod conſilium eſt Borrichii. Tot vero ſunt hodie obſervationes egregiæ Grammaticorum atqve Criticorum, indicesqve luculenti, è qvibus confici tale Lexicon poſſet, ut longe maximâ laboris parte ſublevatos ſe ſint ſenſuri, qvotqvot tale Opus aggredientur. Diſcernendi tamen indices ſunt, nec promiſcuè omnes commendandi: ante omnes alios commendari merent Bœcleriani & Freinshemiani in Hiſtoricos; qvemadmodum Giſanii in Lucretium: ceteri non ſuut pari cura congeſti; ſed, contenti nuda nomenclatura, de uſu & acceptione vocum civili nihil monent, qvod tamen feciſſe maxime è re erat. De defectibus indicum iſtorum vide Vorſtii præfationem in Cornel. Nepotem à ſe editum. De uſu Indicum in Poëtis legi poteſt Horatius Tuſcanella in præfatione ad Catulli, Tibulli, Propertiiqve opera, à ſe in indices digeſta: Baſil. 1569.

17 Ne vero barbaris qvoqve ſeculis aliqvid deeſſet, aut linguæ Latinæ in pejus mutatæ copia ignoraretur, cura Duumvirorum, eruditione ac meritis longe clariſſimorum, obſtitit: Prior GERHARDUS JOH. VOSSIUS de *Vitiis Latini ſermonis, & Gloſſematis Latino barbaris*, libros IV. dedit Amſtelodami An. 1645. in 4., collegitqve in iis voces, qvæ barbaræ ſunt & exoticæ. Sed dum in earum cenſum etiam illas refert, qvæ revera barbaræ non ſunt, cenſuram incurrit Scioppii primò, qvi peculiari libello, Ravennæ 1647. edito, Voſſium caſtigat, & poſtmodum Borrichli. Nobis non placet, admiſcuiſſe illum barbariſmos omnibus notos reliqvis, qvi minus cogniti & vulgò etiam apud literatos in uſu ſunt. Nam gloſſemata qvidem, & voces barbaræ, pri-

ræ, prima ſtatim fronte occurrunt, apparentqve tales: ſed qvæ, ſub ſpecie Latinitatis, vel oculatiſſimos fallunt, eæ fuiſſent à ceteris ſeparandæ. Nec tamen illæ omnes eâ diligentiâ ſunt hîc notatæ, qva fieri poterat: ſed longe plures adhuc reſtant. In compendium tamen illas traxit JOH. PETR. TITIUS in *Manuductione ad Excerpendum*, adjectis aliis nonnullis: tum qvoqve JOH. VORSTIUS in libris *de Latinitate falſo & merito ſuſpecta*, qvi tamen id argumentum plenius copioſiusqve exſecutus eſt: Sed vero barbaræ & peregrinæ voces longe plures ſunt, qvam notavit in hoc exiguo libro Vorſtius. Voſſii libros multo auctiores edere in fol. Iſaacus filius aliqvando ſibi propoſuerat, qvod ex ejus ore Colomeſius refert, in Bibliotheca Selecta p. 146., qvi tamen dilationem promiſſi non nimium ægrè fert. *Mr. Voſſius*, ait ille, *promettoit de faire r' imprimer ce livre de M. ſon Pere in folio, beaucoup plus ample. Cependant nous n' avons pas vû jusqu' ici l' effet de ſa promeſſe. Quand cet ouvrage ne paraictroit point, nous n' aurions pas de peine à nous en conſoler, puisque le docte & infatigable M. du Cange vient de nous donner ſon Gloſſaire, en trois volumes in folio.*

Nempe Voſſium longo poſt ſe intervallo reliqvit alter, qvi in hoc immenſo 18
prope vocum barbararum campo deſudavit, CAROLUS *du* FRESNE. Dici vix poteſt, qvantum ſtudii attulerit, Vir ille ſummus, & qvantâ ex innumeris prope monumentis copiâ, non res minus, qvam voces atqve phraſes ſemi-barbaras, depromat *in Gloſſario ſuo Latinitatis mediæ atque infimæ*, Pariſiis An. 1678. III. voluminibus edito. Profecto Augiæ ſtabulum illo, ſtupendo plane, labore non tàm repurgavit, qvàm ornavit, potuiſſetqve ſummo jure Herculem κοπροφορον inſcribere Opus ſuum, qvem titulum olim Caſpar Scioppius Invectivæ in Scaligeri, Caſauboni, aliorumqve Virorum doctiſſimorum, nævos grammaticos, à ſe colligendos, deſtinaverat. Aurea vero in illo Gloſſarii Cangiani ſtercore longe plurima ſunt, & veluti in fodina ſcoriis circumſepta latent. Præmittitur elegans Diſſertatio *de cauſis corruptæ Latinitatis:* & ſubjungitur alia de *inferioris ævi numiſmatibus*, præcipue Conſtantinopolitanis; qvalia & in luculentiſſimo de Familiis Byzantinis Opere infinita producit illuſtratqve Recuſum Gloſſarium Latinum eſt Franc. An. 1687. Tomis II. Appendix ad illud in Gloſſario Græco reperitur, neqvaqvam ſpernenda.

Ceterum, qvod de Scioppii in colligendis virorum doctorum ſolœciſmis inſti- 19
tuto diximus, illud ex parte in *Infamia Famiani* ipſo jam opere effectum dedit, notavitqve varios Fam. Stradæ, cui præcipuè libellus ille oppoſitus eſt, Scaligeri, Caſauboni, Lipſii, barbariſmos. Mirum enim eſt, qvam ſæpe Viris etiam magnis, & Linguæ Latinæ ſine controverſia longe gnariſſimis, ſolœciſmi atqve barbariſmi excidant: qvi qvidem tum eo magis feriunt oculos, cum ab iis prolati ſunt, qvi adverſarios ſuos, forte in pari paroramate deprehenſos, acriter ſugillare ſolent. Hos inter Joſephus Scaliger crebro aliis vitia iſtiusmodi orationis objiciebat, ipſe interim adeo non immunis, ut Alexander Morus magnam ſuæ præfationis partem, qvam ſecundæ editioni Theſauri Temporum Scaligeriani præmiſit, ſimilibus peccatis, ſive excuſandis, ſeu emolliendis, impenderit. Idem in Salmaſio notatum: cui, cum præfervidus atqve

præceps fuerit, ſolœciſmorum affatim excidiſſe, non adeo miratur Franc. Vavaſſor: qvam qvod Joh. Miltonus, probri loco eam Salmaſio ſegetem vitiorum objiciens, feſtive eopſe loco Solœciſmi flagitium admittat, dum dicit ; *vapulandum ſe præbuit.* Vid. *Vavaſſor de Epigrammate c.22.p.300.ſeqq.*, qvi præterea Thuani, Bezæ, Caſauboni, & Rich. Montacutii, lapſus ſimiles, ſed modeſtè, oſtendit; in poſtremo tamen ægre fert, qvod, qvi nec ſatis pure, nec ſine ſolœciſmis, Epiſtolas Photianas tranſtulerit, ipſum tamen Photium turgentem atqve inflatum in epiſtolis, atqve Aſiaticum dicere audeat: qvod ſecus Vavaſſori videtur in eo Auctore, cujus tam prudens de multiplici ratione ſcribendi optimorum Auctorum, tamqve ſincerum habeamus judicium. Conferatur qvoqve Titius *in Manuductione ad Excerp. p.157.* qvi qvaſi per lancem ſaturam pluſcula iſtius generis exempla collegit.

Lexicis Auctoribus, (ut nunc in viam è diverticulo redeamus) annumerandi ſunt etiam illi, qvi phraſes Latinæ linguæ collegerunt, qvorum magnus eſt numerus. Eſt vero in ſelectu phraſium magna qvoqve cautio adhibenda: multæ enim ſunt phraſes, qvæ communiter pro bonis & optimis habentur, & ſunt tamen ſæpe à recentioribus absqve veterum auctoritate confictæ. Ita ut hîc, ſi qvid benè judico, maxime audiendus ſit Franc. Vavaſſor, qvi, in hanc materiam, *libro de Epigrammate c, 14. p. 162,* forte data occaſione delatus, monet, in excerpendis phraſibus Scriptoribus antiqvis novos non admiſceri debere, cum novi illi, etſi maxime laudabiles, atqve ad veterum bonitatem & præſtantiam aſpirent, non ii tamen ſint, qvibus in dictione utriusqve linguæ, qvæ jamdudum in uſu eſſe deſiit, recte credatur. *Itaque*, ait porro, *probare nunquam potui aut Rob. Conſtantinum, qui in* Lexico *Græco-Latino, quemadmodum appellat, Budæi epiſtolas proferret; aut Juſtum* Lipſium, *qui in epiſtolis Angelum Politianum Ciceroni & Plinio ſocium adjungeret, aut Franc. Sylvium, qui recentioribus aliis quibusdam locum eſſe vellet inter antiquos. Quam enim fidem obtinere iſta novitas poteſt apud eruditos, niſi, quam ab annis & antiquitate acceperit? Quo magis etiam prudentiam reqviro non paucorum tantum hominum, ſed nationum & Academiarum, quæ ſuperiore ſeculo prælegerent pueris, & traderent in manus docendi cauſa, & editis quoque commentariis illuſtrarent, fabulas Æſopi Planudeas, Emblemata Alciati, Eraſmi Colloquia, Dialogos aliorum: non contemnenda quidem illa ſingula, ſed tamen auctoritate carentia, quam ſola poteſt afferre ſeculi vetuſtas, quo linguæ, nunc quidem intermortuæ, maxime vigerent.* Hæc Vavaſſor, qvi Hadrianum Cardinalem in *libro de modis Latine loquendi*; Aldum in *Elegantiarum libello*, & Anton. Schorum *in libr. de phraſibus Latinæ linguæ*, diligenter & curioſe partibus ſuis functos judicat. Eſt vero HADRIANUS is ipſe Caroli V. Imp. præceptor, qvi poſtea factus Pontifex Rom. nomen ſuum retinuit, & Hadrianus VI. vocatus eſt: licet id non animadverterit in Bibliotheca ſua Joſias Simlerus, ſed ex uno perperam duos fecerit: qvi error in Bodlejanum qvoqve catalogum irrepſit. Prodiit vero ejus opuſculum, Carolo, tum Principi Hiſpaniarum, inſcriptum, aliqvoties: Baſileæ 1518, Coloniæ 1522. 1528. 1533. Cui poſtremæ editioni ejusdem Hadrtani Venatio, hendecaſyllabis puriſſimis deſcripta, & Iter

Julii

Julii II. heroico carmine expreſſum,acceſſere. De SCHORO dictum jam eſt, qvi primas in in hoc genere ſine dubio tenet, & hinc à Vavaſſore plus ſemel legendus recte judicatur. Secutus qvoqve ejus conſilia SCIOPPIUS in breviorem ordinem phraſes Schori redegit, ut ipſe teſtatur in *Epiſtola de compendioſa linguæ Latinæ cognoſcendi ratione*, qvæ additur libro ejus *de Arte Critica*. Eqvidem ſcriptor vitæ Scioppii,Confutationi Tabulæ Burdonianæ præmiſſæ, Giphanio furtim ſurreptas à Scioppio refert Obſervationes Latinæ linguæ,& ex iis corraſa ejus opuſcula, qveis primum orbi innotuit,conqveritur: prout videre eſt apud Thomaſium *de Plagio* §. 542. Verum potius ea Schori videntur: qvem præterea exſcripſit ante annos aliqvot Georg. Crauſerus, editis *Scintillis Tullianis*, qvas Schoro pene uuice debet,niſi qvod interdum ex aliis Auctoribus qvædam admiſceat,& Germanica addat. Sunt tamen & Schori phraſes cum Germanis editæ. Qvid de Wendelini labore judicem, paulo ante dictum. Magis laudari meretur WOLFG. SCHOENSLEDERI *Apparatus Eloquentiæ*, qvi ſub communibus vocibus phraſes ſynonymicas,ex optimis auctoribus ſelectas,ſiſtit, ut antea ex ſolo Terentio fecerat Baſilius Faber. *Promptuarium* Schœnslederi tyronibus inſervit. De utroqve ejus libro judicium vid. apud *Titium in Manuduct. ad Excerp.*, §. 18. & 21, Oberti Giphanii Obſervationes linguæ Latinæ,qvas à Scioppio compilatas modo retulimus,prodierunt Francof. 1624. in 8, ſua utiqve laude non privandæ: poſt qvas memorandæ etiam Stephani Doleti Formulæ Latinæ linguæ, & Joh. Godeſchalci obſervationes Latini ſermonis,Coloniæ 1540. auctiores editæ. Pene oblitus fueram operis aurei, qvod primo etiam loco memorandum fuerat, BARNABÆ BRISSONII *de Formulis & Solennibus Populi Rom. verbis*,Pariſiis A. 1583., Francofurti,& Genevæ, plurimis vicibus recuſis. Magno uſui opus hoc ad proprietatem linguæ Latinæ & eloqventiam civilem futurum non immerito commendat Bœclerus, *in Diſſertatione de Comparanda linguæ Latinæ facultate* (ſi modo ea Bœcleri eſt, contra qvam in præfatione ad Notitiam Imperii tam acriter proteſtatur.) Longe aliter de Briſſonio judicat Scaliger tum in Epiſtolis *lib. I. ep.* 8. *& 9.*, tum in Excerptis Scaligeranis utrisqve. *Immanem* vocat *librum de Formulis,in quo plus laboris, quam induſtriæ ſit collatum: pauca in eo bona, maximamq; partem à ſtudioſis eſſe coacervatum: Briſſonium nihil tam metuiſſe,quam ne liber nimis brevis ſit: neque ſic tamen collectas omnes formulas. Vellem omnes colligi, & edi ſelectiores; Briſſonius in ſuo munere capiebat utraque manu.* Hæc & alia Scaliger, qvi idem de libro ejus de Regno Perſarum judicat, parumqve dignitati atqve exiſtimationi ſuæ illum conſuluiſſe cenſet. Qvicqvid autem hujus ſit, non nimium certe deprimendus Briſſonii labor,ſed, ut ipſe Scaliger nec judicium, nec delectum,in ſcriptis ipſius deeſſe faſſus eſt,ita,qvin in plurimis bene ceſſerint illius conatus, dubitari non decet.

CAP. X.
DE GRAMMATICIS LINGVÆ LATINÆ.

§. 1. *Grammaticæ* Latinæ *Subtilitas & Difficultas*, 2. *Grammatici Veteres, & ſeorſim editi, & junctim à Dion. Gothofredo ac El. Putſchio evulgati.* 3. *Inter Recentiores eminent Eman. Alvarez, Franc. Sanctius.* 4. *Caſp. Scioppius (cujus genius maledicus obiter notatur.)* 5. *Jul. Scaliger.* 6. Laur. *Valla, & Elegantiarum ejus Scholiaſtæ.* 7. *Q. Marius Corradus.* 8. *Gerh. Joh. Voſſius, omnium optimus, Thom. Bangius.* 9. *Joh. Matthiæ, Autor Gallus de* la Nouvelle Methode pour apprendre facilement la Langue Latine. 10. *Joh. Rivius, Nicod. Friſchlinus, Thom. Linacer, Joh. Ern. Bütnerus, Guilh. Bateus, Cæl. Secundus Curio. Additur Cenſura de Joh. Georgii Seyboldi, J. A. Comenii, Caramuelis & Thomæ Campanellæ, Laboribus exigui pretii Grammaticis.* 11. *Scriptores varii de Particulis & elegantiis* L. Lat. *Deſid. Eraſmi* Lib. *de Copia Verborum & Rerum commendatus.*

1 PRocedamus nunc ad Auctores, qvi ſtructuram Latini ſermonis ad regulas vocarunt, i. e. GRAMMATICOS. Hujus vero artis ſubtilitates longe majores ſunt, qvam qvis parum in iis exercitatus credat: æqve enim difficilis eſt Grammatica, qvam vel Metaphyſica vel Logica, ideoqve non cadit in pueros, qvi rectius ex uſu linguam Latinam, qvam è regulis Grammaticis, diſcunt: ſunt tamen iis communiſſima qvædam artis principia imprimenda, artificio potius aliqvo mnemonico, qvam regularum multitudine.

2 *Veterum Grammaticorum* partim integra adhuc ſctipta ſuperſunt, partim eorundem fragmenta. Familiam inter omnes ducit *M. Terentius Varro*, cujus de Lingua Latina librorum 24. qvod ſupereſt, virorum doctiſſimorum Anton. Auguſtini, Adriani Turnebi, Petri Victorii, Joſ. Scaligeri notis & emendationibus ornatum variis in locis prodiit; optima Editio eſt, qvam, cum horum omnium notis junctim collectis, publicavit Henr. Stephanus An. 1581. in 8. *Pompejum Feſtum* & *M. Verrium Flaccum* itidem Joſ. Scaliger poſt alios caſtigavit, & ante illum adhuc Ant. Auguſtinus, Venet. 1560. & Pariſ. 1576. in 8. *Nonium Marcellum* præter alios notis illuſtravit Joſias Mercerus Pariſ. 1614, cum prima ejus editio Tuſculani Ann. 1522, una cum Varrone & Feſto, fuiſſet procurata. Collegit hos atqve alios plures veteres Grammaticos in unum corpus DIONYS. GOTHOFREDUS, ſuasqve ad illos notas addidit, Genevæ 1595. in 4. Qvanqvam, ſi verum fateri velimus, Auctores hi etymologiam potius tractant, qvam ut artis Grammaticæ regulas pertractent: ſuntqve in iis etymologiis multa eorundem deliria: cum nemo infelicius in hoc ſtudiorum genere ſit verſatus, qvam ipſi Romani, ut ſunt pleriqve nationis vernaculæ Grammatici peſſimi verborum interpretes.

tes. Aliud corpus veterum Grammaticorum, & qvod propius ad artem, prout nunc eam accipimus, accedit, ab ELIA PUTSCHIO collectum, & è MSS. veteribus reſtitutum, Hanoviæ lucem publicam aſpexit A. 1601. in 4. maj.

Deliria veterum Grammaticorum primus oſtendit, & ſaniora ſubſtituit, EMANUEL ALVAREZ, Hiſpanus, è qva natione primi orti ſunt linguæ Latinæ reſtauratores, qvod Grammaticam attinet: eſt enim illa gens præ ceteris perſpicax, & in occultis rebus indagandis haudqvaqvam infelix: veruntamen Alvarez non abſolvit omnia, ſed aliis poſt ſe aliqvid elaborandum reliqvit. Prodiit ejus *Grammatica* Dilingæ in 8. A. 1574. & Venetiis 1580. Abſolvit autem feliciſſimè, qvod alii inceperant, Hiſpanus alter, FRANCISCUS SANCTIUS: multa enim Latinæ linguæ abdita primus revelavit, ac infinitos Grammaticorum veterum errores redarguit. Ejus extat *Minerva*, ſeu *de cauſis Latinæ linguæ commentarius*; in qvo multas Grammaticorum regulas explodit, & ſub conſtructione elliptica multa in Latina lingua fieri oſtendit, de qvibus alii regulas ſuperfluas condunt. Rarior ille liber fuit olim in Germania, qvem ipſe Auctor Salmanticæ in 8. An. 1587., & in Italia etiam, ediderat; donec eum apud Batavos è Bibliothecâ ſuà recudi curaret Marqv. Gudius, qvi & præfationem dignam lectu præfixit. Atqve hic Sanctius auctor fuit, qvi feneſtram ceteris patefecit, tùm Scioppio, cui & Auctarium Sanctii debemus, (& poſt qvem Jac. Perizonius Minervam Sanctii multo etiam inſignioribus additamentis auxit Franecker. 1687. in 8.) tùm Voſſio, aliisqve: cujus adhuc plura extant opuſcula, qvæ apud nos raro videntur, digna, qvæ in lucem protrahantur: vide de illis Nicol. Antonium in *Bibliotheca Hiſpana Nova.* Adſcribi etiam haud abs re ſolet Sanctio Laurentii Ramireſii de Prado *Pentecontarchus*: ſub hoc enim thraſonico atqve prorſus inepto titulo inſignem librum edidit, optimis obſervationibus criticis plenum, Antvverp. A. 1612. in 4. Et forte conſtituerat ſtipendio ſuum hunc Pentecontarchum Ramireſius: nam Fr. Sanctius genuinus ejus Auctor eſt. 3

Præter notas verò, in Minervam Sanctii ſcriptas, CASPAR SCIOPPIUS *Grammaticam* qvoqve *Philoſophicam* edidit, hoc titulô propterea inſignitam, qvod cauſas Latinæ linguæ accuratius indaget. Verum, ſi recte hunc titulum tueri velit, poterat aliter ſuam methodum inſtituiſſe. Habentur autem in eo libro multa Grammatica problemata, accuratè excuſſa, multaqve ex occultis protracta qvaſi & denudata. Prodiit Amſtelodami A. 1659. in 8. & ſecunda editione plurimis in locis inſigniter è ſchedis auctoris, qvi paulo ante mortem accuratius omnia recognovit, locupletata, A. 1664. Grammaticæ plura alia adduntur ſub fictis nominibus; v. g. Mariangeli à Fano Benedicti Auctarium ad Grammaticam Philoſophicam, Paſcaſii Groſippi: (i. e. Caſp. Scioppii) Paradoxa Literaria: item Animadverſiones in Voſſium de vitiis Latini ſermonis, de qvibus ſupra. Nempe in id unum maximè incumbebat Scioppius, ut maximos qvosqve Viros aggrederetur, & utplurimum acerbiſſimis ſcommatibus petulantiſſimè præſcinderet, qvâ in re magnus artifex erat, deditqve ſpecimen illius inſigne libro fœdiſſimo, qvem *Scaligerum Hypobolimæum*, i. e. Elenchum Epiſtolæ Joſephi Burdo- 4

nis

nis Pſeudo-Scaligeri de vetuſtate & ſplendore gentis Scaligeræ nuncupat. Moguntiæ 1607. in 4. editum: & in qvo innumerabilia habentur ſcommata; elegans convitiorum & calumniarum ſterqvilinium ſiſtentia. Verum hæc non ſunt hujus loci.

5 Diu ante Sanctium ac Scioppium, bene meruit de Latina lingua JULIUS CÆSAR SCALIGER, à Burden, Joſephi pater, qvi novo ſuo cognomine anſam fabulæ Burdonianæ, à Scioppio excogitatæ & in ſcenam productæ, dedit. Is, ut erat acutiſſimus rerum non minus philoſophicarum, qvam philologicarum obſervator, ita *de Cauſis Latinæ linguæ*, ad Sylvium Cæſarem filium, libros XIII. ſubtiliſſimos compoſuit, Lugduni primùm A. 1540. apud Sebaſt. Gryphium publici juris factos: qvi, uti primus ſignum in iſto ſtudio ſuſtulit, qvod alii deinde ſecuti ſunt, ita primo etiam loco numerari debuiſſet. Multa profecto docet egregia, & qvæ à vulgaribus illorum temporum ſordibus erant maxime aliena, qvæ etiam ſe in ſtudiis nullo in tempore ſectatum, ipſemet, in præfixa ad Sebaſt. Gryphium epiſtola, non diffitetur.

6 Scaligerum in ſedulo linguæ Latinæ cultu ætate adhuc anteceſſit LAURENTIUS VALLA, celebris ſuo tempore Scriptor, & rigidiſſimus Latini ſermonis cuſtos. (*hh*) Scripſit *Elegantiarum Latinæ linguæ libros VI.*, qvi tùm inter opera Vallæ Baſileæ A. 1540. alibiqve ſeparatim excuſi ſunt, tùm ſcholiis Guyberti Longolii, aliorumqve doctorum Virorum, illuſtrati Coloniæ apud Joh. Gymnicum 1539. Cum Poggio Florentino controverſias Grammaticas Valla aluit, & uterqve ſe mutuis maledictis lacerarunt. Exſtant ejus *in Poggium Antidoti libri IV*, qvibus ventilantur & vellicantur multa Latinæ linguæ interiora, Coloniæ 1527. in 8. Prodierunt etiam cujusdam Joh. Theodorici, Joh. Rænerii, aliorumqve nonnullorum, annotationes in Vallæ libros de Elegantiis Baſil. 1541. in 8. Præterea eosdem ſuis notis ac obſervationibus illuſtraſſe Angelum Roccam, Bibliothecarium Vaticanum, Erythræus in *Pinacoth. I. p.* 105. refert, ubi & Obſervationes latinæ linguæ, de occultis ejusdem locis, ac de ſcribendis epiſtolis lucubrationes, recenſet. Priusqvam vero adhuc prodiiſſent Elegantiæ Vallæ, eas

(*hh*) Arguta ſunt, &, qvæ *h. l.* recitantur, digna, Tria, qvibus Laurentium Vallam, Aſſertorem Latinitatis purioris ſtrenuum, ſed in diſſentientes juſto acerbiorem, poſt obitum, Viri aliqvot ævi iſtius Eruditi perſtrinxerunt, Epigrammata. Primum horum eſt ſeqvens Tetraſtichon:

Poſtquam nunc manes defunctus Valla petivit,
Non audet Pluto verba Latina loqui.
Jupiter hunc cœli dignatus ſede fuiſſet,
Cenſorem linguæ ſed timet eſſe ſuæ.

Alterum Franc. Sweertius *in Selectis Orbis Chriſtiani Deliciis p.* 45. recitat:

Tandem Valla jacet, ſolitus qui parcere nulli:
Si quæris, quid agat, nunc quoque mordet humum.

Tertium apud Sweertium *l. c.* itidem obvium, uno cum illo Adverſarium ejus, Bartholom. Facium, brevi poſt ipſum tempore extinctum, ita perſtringit:

Ne vel in Eliſiis ſine vindice Valla ſuſurret,
Facius haud multos poſt obit ipſe dies.

eas furto ablatas pro ſuis edidiſſe Antonium Raudenſem, atqve intentatum à Valla crimen plagii joco & urbanitate depuliſſe, Jac. Thomaſius obſervat *Diſſert. de Plagio* §. 531.

Vallæ ſubjungimus Italum alium, QUINTUM MARIUM CORRADUM Martianum, qvi de *Copia Latini Sermonis* libros ſcripſit, Venetiis An. 1582. in 8. editos. Non usqve adeo autem convenit ille titulus libro huic: eſt enim grammaticus, & de analogia verborum agit; copia autem verborum ad Rhetores pertinet. Utiliſſimus cetera liber eſt, qvanqvam ſententiæ qvædam apud illum ſint, qvas ſeqvi nollem: magnam enim licentiam admittit in vocum analogia, putatqve, licitum eſſe fingere voces ad aliarum compoſitionem, qvod minimè tamen fieri poteſt: qva de re merito illum reprehendit Olaus Borrichius, in cogitatis ſuis de Variis Latinæ Linguæ ætatibus, in præfatione: qvi tamen, exceptis his, p. 211. vocat *Virum acerrimi judicii & dictionis cultiſſimæ.* 7

Omnibus vero Grammaticis Latinis palmam facilè præripuit maximæ diligentiæ Vir, GERH. JOH. VOSSIUS, cui conſummatum Opus de *Arte Grammatica* debemus, Amſtel. An. 1635. in 4. editum, & ſecunda vice, poſt Auctoris obitum, A. 1653. ſub *Ariſtarchi* titulo, multo auctius recuſum. Sanè hoc qvoddam qvaſi penu eſt rerum Latinarum: ſed ſunt tamen in magno illo cumulo non pauca, qvæ vel cenſuram aliqvam mererentur, vel ab illo omiſſa ſuppleri poterant. Interim nemo hactenus fuit, qvi perfectius abſolutiusqve Opus Grammaticum dederit, Sanctii veſtigia qvædam in eo deprehenduntur, qvæ interdum ſeqvitur, interdum refutat. Subjungi autem Voſſio poſſunt, & una cum illo adhiberi, THOMÆ BANGII *Obſervationum Philologicarum libri II.*, Hafniæ 1640. in 8. excuſi. Namqve, ut magnam habuit ille Vir rerum Grammaticarum peritiam, curioſa varia ſuis his Obſervationibus immiſcuit, & ſubtilitates Grammaticas, de qvibus nihil innotuit Voſſio, vel minimum non notatæ ſunt. Additus eſt ſub finem index abſolutiſſimus triplex, in qvo omnes minutiæ qværi ac inveniri poterunt. 8

CHRISTINA, Seciæ Regina, in ſui uſum conſcribi etiam *GrammaticamRegiam*, ut vocatur, curavit, qvæ qvidem exiguo libello traditur, & in titulo JOHANNI MATTHIÆ, Epiſcopo in Svecia Strengnenſi, adſcribitur, à nonnullis vero pro M. Z. Boxhornii fœtu reputatur, cujus *de Symphonia Linguarum* Diſſertatio illi adjecta eſt (*ii*). Nihil autem habet admodum peculiare Auctor, qvicunqve demum ille ſit, cum nonniſi in 9

(*ii*) Grammatica Regia, ſeu Nova & Facilis Latinæ Linguæ Præcepta diſcendi Ratio, in Chriſtinæ, Svecorum Reginæ, uſum, Holmiæ An. 1635 in 12mo, à vero illius Autore, Johanne Matthiæ, Oſtrogotho, Studiorum tunc Reginæ Moderatore, poſtea autem Doctore Theologo & Epiſcopo in Svecia Strengnenſi, eſt edita. Boxhornius illam, tribus poſt luſtris, adjecta ſua de Linguarum Symphonia Diſſertatione, recudi tantum Lugd. Batav. An. 1650. in 12mo curavit, V. de illa, ac ejus Autore, Joh. Schefferi *Sveciam Literatam p.* 123-126. & noſtra ad hanc *Hypomnemata*, p. 387. 388. 389.

ſi in Compendio Grammaticam Latinam tradere ſibi propoſuerit. Dignior eſt, qvi non ſine laudis præfamine in hanc Grammaticorum claſſem referatur, *Gallus auctor anonymus*, qvi & compendioſam & copioſam ſcripſit *Grammaticam.* Complexus ſcilicet omnia ſuorum anteceſſorum, Sanctii, Voſſii, aliorumqve, neceſſaria multitudine tantum exemplorum abſtinuit. Hinc liber non adeo ſpiſſus eſt, minuto tamen charactere in 8. majori impreſſus. Scriptus eſt lingua Gallica, in gratiam Gallicanæ juventutis: maluit enim ſeqvi Auctor ille Rolandi Mareſii conſilium, qvi Grammaticam linguæ ignotæ eadem lingua ſcriptam pro abſurda & inepta re habet: cujus qvoqve conſilium, aliàs inter Epiſtolas Mareſianas reperiundum, præfixit operi ſuo Gallus. Titulus libri hic eſt: *Nouvelle Methode pour apprendre facilement la langue Latine; contenant les regles des Genres, des Declinaiſons, des Preterits, de la Syntaxe, de la Quantité, & des Accents Latins, miſes en Francois, avec un ordre tres-clair & tres-abregé: preſentée au Roy, augmentée d' un grand nombe des remarques tres-ſolides, & non moius neceſſaires pour la pasfaite connoiſſance de la Langue Latine, que pour l' intelligence des bons Auteurs. Tirée de tous ceux, qui ont travaillé ſur cette langue, avec plus de ſoins, & plus de lumiere: avec un traité de la Poëſie Latine, & une brieve inſtruction ſur les regles de la Poëſie Françoiſe. Septieme edition, chez Pierre le Petit, A.* 1667. Præmiſſa eſt præfatio Rolandi Mareſii. Haud immerito autem mirificè iſtum librum probat Placcius *de Scriptor. Anon.* pag. 109. ſeq., qvi D. Trigny ejus auctorem facit, & digniſſimum judicat, qvi, à capite ad calcem in Latinam linguam tranſlatus, ab eruditis legatur, qvapropter & ipſe verſionem in ſe ſuſcepit, eam, ni majora obſtent negotia, aliqvando daturus.

10 Addi Grammaticis memoratis poſſunt Joh. Rivii, Viri doctiſſimi, & qvi inter præcipuos noſtræ Germaniæ eruditos locum tuetur, *Grammaticæ libri VIII.* omni laude digniſſimi, Lugduni An. 1591. in 8. excuſi. Nicodemi Frischlini *Syntaxis Latina*, maximoperè commendata à Scioppio in Epiſtola de compendioſa Linguæ Latinæ cognoſcendæ ratione. Edmundi Richerii *Ars Figurarum*, Pariſ. 1605. edita. Thomæ Linacri *de Emendatâ ſtructurâ Latini Sermonis libri VI.* Pariſiis Ann. 1532, & Coloniæ dein ac Baſileæ, repetitis identidem editionibus, procuſi. Maximopere enim Viris doctis ſuperioris Seculi commendantur: Sic multa Latinæ linguæ myſteria in iis oſtenſa Ludov. Vives judicat *de Diſcipl.* pag. 521. Eraſmus, in Epiſtolis, paſſim prolixius in ejus laudes eſt; exacti Virum judicii & ſeveri vocat, qvi non qvemlibet temere probet; ac, de Operibus ejus apud Badium imprimendis loqvens, nil ab eo non omnibus numeris abſolutiſſimum expectare ſe profitetur. Mich. Neander, in Præfatione ad *Erot. Græcæ L.* p. 122., libros emendatâ ſtructurâ copioſos vocat, doctos, & omnium in hoc genere præſtantiſſimos. Joh. Ernesti Bythneri, Conrect. Stadenſis, *Grammatica* etiam non contemnenda eſt. Fuit ille Vir doctus, & e Sanctio & Scioppio inprimis, collatis etiam aliis, præcipua in compendium elegantiſſimum redegit, rei Grammaticæ, ut videtur, præ aliis peritus: qvid in ea præſtiterit, & amplius ſit præſtiturus, docet luculentiſſima libri præfatio, in qva generalis habetur re-

censio

cenſio Grammaticorum, præcipue recentiorum, è qvibus qvid in uſum ſuum converterit, magna cura & induſtria proponit. Laudandum in hoc compendio, qvod ordinatiores regulas inſtituat, qvàm ipſe Scioppius & Sanctius, qvodqve exempla regularum conſiſtant in meris ſententiis, ne pueri inutili exemplorum farragine graventur, & ſimul tamen ea diſcant, qvæ uſui eſſe poſſint. Placet & illud, qvod Germanico idiomate Grammaticam Latinam moliatur, in uſum incipientium, & aliam, qva una eademqve opera poſſint Græcam & Latinam linguam tyrones, ſecundum easdem regulas, perdiſcere. Et hæc omnia qvidem ſatis benè inſtituta ſunt: præſtat enim Grammaticas concinnare omnium optimas, ad qvas recurrere puer ſæpe poſſit. Interim ego potius ſuaſerim, non eſſe ab initio fatigandos puerorum animos his ſubtilitatibus, ſed, ubi prima jacta ſunt rudimenta Declinationum, Conjugationum, præcipuarumqve Regularum, rectius uſu ipſo, qvàm multitudine præceptorum, perdiſci linguam Latinam, penè ad eum modum, qvo Nic. Clenardus uſus eſt, de qvo alibi. Habemus qvidem & Joh. Georgii Seyboldi alicujus varia adminicula & *tyrocinia Grammatica*, ſed lutulenta ſunt illa, & ab homine ejus linguæ non admodum gnaro ſcripta: vix itaqve adhiberi poſſunt, niſi probè emaculata & perpurgata. Qvod idem judicium de Joh. Amosi Comenii *Janua* ferendum, licet ea multis probetur, & ipſemet apologiam ejus ſcripſerit. Non citius barbariſmorum ſcabies affricatur, qvàm prima illa inſtitutione, majorique negotio res dediſcitur, qvàm diſcitur. Aliam *Januam Linguarum*, nomine Hibernorum Salmanticenſium Jeſuitarum, à Guilh. Batteo qvodam, ejus Societatis Hiberno, Salmanticæ An. 1611. editam, & ad Latinam præcipuè linguam accommodatam, refert Placcius *in Catal. Pſeudon. p.* 207. idqve opus à Philippo Alegambio admirabile vocari annotat. Legi etiam de re Grammatica poteſt Cælii Sec. Curionis Diſſertatio *de Perfecto Grammatico*, tribus libris deducta, & ejusdem *de Literis doctrinaque puerili* libri V. & libellus *de ratione docendi Grammaticam.* Caramuelis & Campanellæ *Grammatica* nugatoria eſt, & pene fanatica.

De *particulis*, qvarum accuratiſſima cognitio eſſe debet, egerunt Hadrianus 11
Cardinalis, Pareus, Durerus, Godſch. Stewechius, Horat. Turſellinus: qvi omnes diligenter legendi. Ant. Schori liber *de particulis*, ut jam ſupra monitum, nunqvam prodiit. *Elegantias* verò, præter Vallam, & qvi in eum commentati ſunt, collegit Franciscus Sylvius, *Ambianus*, de qvo illud inprimis notatu dignum, qvod, cum prius horridè, inſolenter, & ad clauſtralem usqve fœtorem barbarè, ſcripſiſſet, adeo tamen ſedulâ bonorum Auctorum tractatione ſermonem ſuum emendaverit, ut à ſe totus diverſus, & alius plane Scriptor, viſus ſit: aliisqve regulas haudqvaqvam contemnendas dederit: qva de re Franciſcus Vavaſſor *de Epigramm. p.* 256. *ſeq.* legi poteſt. Augustinus Dathus, Senenſis, Orator & Philoſophus, atavorum memoria ingenii & eloqventiæ non vulgaris Scriptor, juxta Barthium *Adverſar. Lib.* LIII. c. 13. pag. 2513., & ipſe *Elegantias* edidit, ſed qvæ multi adeo pretii non ſunt, cum ipſemet Auctor contra illas haud raro peccet. Pertinent qvoqve huc Jacobi Ludov. Strebæi *de verborum electione, & collatione oratoria libri* II, Baſil. 1539. in publicum emiſſi:

PAREI *Obſervationes & Elegantiæ* Calligraphiæ additæ: Joh. Buchleri & Georg. Vogelmanni Regulæ elegantiarum: &, qvi ſe ex omnibus iſtis qvaſi Pinnum feciſſe putat, CHRISTOPHORUS ARNOLDUS in *Ornatu Linguæ Latinæ*. Subjungendus qvi *de copia verborum & rerum* agit, aureus libellus ERASMI, in qvem commentarium non contemnendum ſcripſit Joh. Micrælius.

CAP. XI.

DE LINGVÆ LATINÆ AUTORIBUS AUREÆ ÆTATIS.

[*De horum, uti & tribus ſeqq. Capitibus, de Argenteæ, Æneæ ac Ferreæ Ætatis Scriptorum, Vitâ, Biographis, Stylo ac Genio, Scriptis (editis, ineditis ac deperditis,) Editionibus, Commentatoribus, Cenſoribus æquis pariter ac iniquis, aliisque ad illorum accuratiorem ſpectantibus notitiam, ἀξιομνημόνευτα & rariora quamplurima, diligenter undecunque conquiſita, larga manu exhibentur.*]

§. 1. *Catalogus Scriptorum Recentiorum, de Antiquis Linguæ Lat. Autoribus ex profeſſo commentatorum.* 2. *Monitum, quorum Typographorum Editiones aliis ſint præferendæ, & Invectiva in Editiones Variorum (quas vocant) Batavicas.* 3. *Diviſio Scriptorum Linguæ Lat. Veterum in Quatuor ætates, Stylique in ſingulis mutatio. Impoſturæ Literariæ Car. Sigonii & M. Ant. Mureti, ſuos fœtus Autoribus priſcis ſupponere aggreſſorum. Mich. Hoſpitalii de Lite, Satyra Vetuſti Poëtæ eſſe falſo ab Henr. Stephano, Caſp. Barthio, aliisque, credita. Styli multiplex in ſingulis etiam ætatibus variatio, Criticis non raro crucem figens.* 4. *Inter Scriptores Ætatis Aureæ primi celebrantur Ennius Lucilius, ceteriquè, quorum Fragmenta tantum ſuperſunt, Poëtæ Latini vetuſtiſſimi ac rudiores, M. item Porcius Cato, qua occaſione de Diſtichis etiam Moralibus Dionyſii Catonis, longe Junioris, diſſeritur.* 5. *M. Plautus, (ubi obiter Judicium additur de Editionibus Vet. Autorum Gallicis, in Delphini uſum publicatis,)* 6. *P. Terentius.* 7. *M. Tullius Cicero, de cujus etiam Scholiaſtis Vetuſtioribus, Aſconio Pediano, Mario Victorino, aliisque, complura inſperguntur.* 8. *C. Salluſtius Criſpus.* 9. *C. Julius Cæſar & A. Hirtius Panſa.* 10. *Cornelius Nepos, ubi obiter etiam nonnulla adduntur de Joſepho Iſcano, Poëtâ Sec. XIII. Anglo, ejusque Hiſtoria Belli Trojani, Nepoti olim perperam adſcripta.* 11. *T. Livius.* 12. *T. Lucretius Carus.* 13. *C. Valer. Catullus, Alb. Tibullus & Sex. Aurelius Propertius.* 14. *P. Virgilius Maro, ubi etiam de Servio, aliisque Virgilii Exegetis Veteribus, Nicolaique Erythræi Indice Virgiliano, & Scriptis plurimis effectis, diſſeritur.* 15. *Q. Horatius* Flaccus. 16. *P. Ovidius Naso.* 17. *M. Vitruvius Pollio.* 18. *Æthicus Iſter, controverſæ ætatis Coſmographus.*

Dicen-

Dicendum nunc de AUCTORIBUS LATINÆ LINGUÆ, eorumqve optimis editionibus, qvos noſſe præcipuum ſane eſt, qvanqvam omnes editiones cumulare velle ineptiſſimum foret. Jamdudum hoc argumentum Viris doctiſſimis dignum viſum eſt, qvod ſuis commentationibus illuſtrarent. De antiqvis qvidem editionibus conſuli cum fructu poſſunt Conr. Geſnerus, & Continuatores ejus, Joſ. Simlerus & Joh. Jac. Friſius, in Bibliotheca: atqve Iſraël Spachius in Nomenclatore Scriptorum Philoſophicorum & Philologicorum, Argent. 1598. in 8. edito. Auctores ipſos plurimi commemorant: *Hadrianus Cardinalis* (ſecuto poſt tempore ejus nominis VI. Pontifex,) in elegantiſſimo de Latino Sermone commentariolo, qvem ſuo de Modis latinè loqvendi libro præfixit, & in qvo Auctorum in certas ætates diviſorum dictionem accurate examinat: *Franc. Floridus Sabinus*, qvi in calumniatores Plauti ſimul & aliorum Latinæ linguæ Scriptorum Apologiam ſcripſit, Baſil. 1540. editam: *Balthaſar Caſtilioneus*, P. I. Aulici ſui, Venetiis 1587. Italico ſermone excuſi: *Ludov. Vives* in Tr. de Diſciplinis: *David Chitræus* in lib. de Ratione Diſcendi, & ordine ſtudiorum in ſingulis diſciplinis inſtituendo: *Degoreus Whear*, in Relectionibus Hyemalibus de ratione & methodo legendi utrasqve hiſtorias, Civiles & Eccleſiaſticas; Oxon. 1625. & 1635. editis, & in Germania Norib. An. 1660. in 12, curante Chriſtoph. Arnoldo, recuſis: *Balth. Bonifacius* in Hiſtoria Ludicra, lib. XV. c. 2-8, ubi diligenter varia de Auctoribus Latinis collegit; qvanqvam jam antea qvoqve 1627. Venetiis de Romanæ hiſtoriæ Scriptoribus Excerpta dederit, Helmſtadii A. 1674., curante Joh. Eberh. Buſmanno, iterum in 4to publicata: *Caſp. Scioppius* in Conſultationibus: *Gerh. Joh. Voſſius* in Hiſtoricis & Poëtis Latinis, nec non in Arte Hiſtorica, alibiqve paſſim: *Caſp. Barthius* in recenſione Auctorum Latinorum, eorumqve editionum, qvam ſedecennis adhuc adoleſcentulus ediderat, ſed cujus ſenem adeo non pœnituit, ut in Adverſariorum Opus lib. L. c. 9. omnem transſcriberet: *Olaus Borrichius* in Cogitationibus: *Joh. Henr. Bœclerus* in libello de Scriptoribus Græcis & Latinis; ut & Diſſertatione de Eloqventia Civili: *Henr. Jul. Scheurlius* in Statua Mercuriali: *Val. Henr. Voglerus* in Introductione in Notitiam Scriptorum; qvam haud ita pridem Vir Cl. Henr. Meibomius novo additamento auctam prodire juſſit: *Mart. Hanckius* in Libb. duobus de Rerum Romanarum Scriptoribus: *Leo Allatius* in Tr. de Erroribus magnorum virorum in dicendo: *Franc. Vavaſſor* in libris de Dictione Ludicra, de Epigrammate, alibiqve: *Melch. Inchoferus* in Hiſtoria linguæ Latinæ: *Mart. Zeilerus* in Indice Hiſtoricorum: *Chriſt. Daumius* in lib. de Amiſſis radicibus linguæ Latinæ: *Gabr. Naudæus* in epiſtola qvadam de ſtudio humanitatis: *Franc. Mottæus Vayerus* in peculiari qvodam Opuſculo de Hiſtoricis Latinis: [&, ut alios nunc taceamus, nuperrimè *Joh. Alb. Fabricius* in diligentiſſima Bibliotheca Latina, Hamburgi edita 1697. in 8.] 1

2 Prius verò, qvàm ad ſpecialem recenſionem ipſorummet Auctorum pergamus, pauca ſolum generaliora de editionibus ac de ætatibus præmonenda ſunt. Nimirum, qvanqvam recentiorum longe plurium editorum ea laus ſit, ut, ob inſignes curas, Auctori-

ctoribus à ſe caſtigatis editisqve impenſas, haud immerito palmam vetuſtioribus nonnullis editionibus præferant: ita negari tamen viciſſim neqvaqvam poteſt, multum hîc ſubeſſe diſcriminis, & qvicqvid ex Manutiorum, Stephanorum, Juntarum, Gryphii, Plantini, Frobenii, & ſimilibus officinis, prodiit, adeo ſæpe nihil recentioribus concedere, ut potius harum etiam haud paucis præſtent, pretioqve MSSis codicibus (è qvibus opera doctiſſimorum virorum ea omnia emendatiſſima prodiere) non multum inferiores à Viris Criticis exiſtimentur. Sane ne comparandæ qvidem illis ſunt ineptæ Variorum editiones, qvam nuper peſtem bonis Auctoribus Bibliopolæ Batavi inducere cœperunt, reclamantibus fruſtra Viris doctis: nec defuerunt, emtores ſtultitiâ qvidem Bibliopolis pares, qvi ſe ſic ſumtuum atqve operæ compendium facere poſſe exiſtimabant. Illi interea, lucri ſpe, non ceſſabant in bonorum Commentatorum ſævire viſcera, & qvomodocunqve lacinias aliqvas conſuêre: operam venalem commodantibus pædagogis neſcio qvibus, qvi in Auctorum ſcriptis nihilo plus ſapiebant, qvam ſus occiſa. Variæ ſunt variorum Criticorum de his editionibus qverelæ & regulæ, Gronovii, Grævii, Heinſii: Mericus Caſaubonus, in peculiari diſſertatione de editione Homerica Belgarum, vehementer illos typographos exagitat. (kk) Vid. Borremanſii *Lect. Var. c.* 7., & Sarravii *Epiſtolas p.* 317., ubi ſolam typorum elegantiam commendare ſcribit doctiſſimus Senator, Curtium, Suetonium, Florum, qvos ita cum variorum notis Belgæ ediderant; non vero laborem editorum: atqve eos proinde cum Gronovii altioribus in Senecam curis ne qvidem comparandos jure merito cenſet. Olim editiones variorum parabantur, cum junctim uno corpore exhiberentur integri Virorum doctorum Commentarii, non mutilati, ut habemus Livium, Cæſarem, Svetonium, aliosqve hâc

(kk) In Typographos Batavos, eorumqve Adminiſtros, Eclogarios & Literatores Semidoctos, qvi, Scripta Veterum cum Notis Variorum publicare aggreſſi, è Virorum Superioris ævi in iſta Annotationibus & Commentariis, improbo auſu miſere mutilatis, aliisqve, qvibus σποράδην illuſtrata eadem erant, Monumentis (omiſſa plerumqve Librorum & Capitum Mentione,) ſolas Varias Lectiones, ſimilesqve Minutias Grammaticas, neglectis Obſervationibus majoris momenti egregiis, indicibusqve utiliſſimis, absqve Judicio excerpſerunt, & Lectoribus obtruſerunt, præter Morhofium, &, qvos ille laudavit, Gronovium, Grævium, Nic. Heinſium, Mericum Caſaubonum, Sarravium, Borremanſium, alii etiam Viri Eruditiſſimi ſerio ſunt invecti. V. Joh. Galloeſii (*Excerpta talia in Præjudicium magis* Literarum, *quam utilitatem, cedere*, judicantis) *Ephem. IV. Erud. Gall.* An. 1667. (*ad d.* 7. *Febr.*) p. 619. 620. *Edit Lat. Nitſchiana*, Caſp. Sagittarii *Commentationem de Vita & Scriptis Plauti, Terentii ac Ciceronis, pag.* 67. 68. 69. Adr. Baileti *Tomum III. Judiciorum de Eruditis Gallicorum p.* 583. *& ſeqq.* Joh. Clerici *Artem Criticam, P. I. c.* 2. p. 67. 68. *& Tomum I. Parrhaſianorum, ſub Theod. Parrhaſii larva, Gallici, Amſtelodami An.* 1699. *editorum*, p. 229-234. Henr. Chriſt. Henninii *Præf. Juvenalis ſui*, &, qvi hunc allegat, Joh. Alb. Fabricii *Biblioth. Latin.* p. 86. Pet. Burmanni *Præfat. noviſſima ſua Fabularum Phædri Editionis*, eumqve laudantis Thomæ Crenii *Partem V. Animadverſionum Philol. & Hiſtor. c.* I. p. 21. 22.

hâc formâ editos: iſti ſunt è Commentariis optimi: qvanqvam è recentioribus etiam Commentarios variorum habeamus non contemnendos, qvi curante Gronovio, Heinſio atqve Grævio prodierunt: nam & ipſi notas ſuas adjecerunt integras, & ex aliis commentationibus excerpſerunt ea, qvæ eſſent optima: qvorum judicio itaqve cum collectanea iſta inſtituta ſint, haberi in pretio debent: Clar. tamen Grævius, qvantum in ſe eſt, hanc peſtem abolere conatur, editis plus ſemel integris Auctorum annotationibus. Sic Svetonium, ſic Ciceronis Epiſtolas, edidit, aliaqve qvotidie molitur. Bene etiam rei literariæ conſuluit, qvi editioni Scriptorum Hiſtoriæ Auguſtæ apud Belgas A. 1671. recuſæ præfuit, curavitqve, ut non truncatæ prodirent Gruteri, Caſauboni Salmaſiiqve notæ, ſed integræ: qvod in repetita editione Salluſtii, & aliis forſan adhuc, recte factum.

Solent Latini Auctores in *ætates* certas diſtingui, qvarum vulgo qvatuor enumerantur; *aurea, argentea, ænea, ferrea*: qveis Scioppius *luteam* atqve *ligneam* addit; ipſe tamen in Indice Auctorum Paradoxis Literariis ſubjuncto, & in Conſultationibus, non ſatis ſecum convenit. Poſſunt vero, ſecundum diverſitatem ætatum illarum, notari Linguæ Latinæ mutationes, tàm in vocibus ſimplicibus, qvàm in phraſibus, dictione tota, imo & ſcriptione: Qvare, qvi emunctioris naris ſunt Critici, ſtatim è dictione libri divinant, cujusnam ille non tantum ætatis, ſed & Auctoris, Opus ſit. Verum longo ad hanc rem opus eſt exercitio, cujus peritiam tamen Guil. Cantero, Critico ſagaciſſimo, Melch. Adamus in illius vita adſcribit. Vix autem ſperare in qvoqvam tantum peritiæ criticæ poterimus, ut non decipi aliqvando ſe patiatur: imo, qvam ſæpe viri etiam ſummi eâ in re decepti ſint, aliqvot exemplis ſuperiore atqve noſtro ſeculo patuit. Ita *Conſolatio Ciceronis* diu ambiguos Viros doctos tenuit; nec defuêre, qvi ab ipſomet ſcriptam Romano eloqventiſſimo Conſule judicarent: donec omnibus manifeſtum fieret, à *Car. Sigonio* ſcriptam, callidèqve Ciceroni ſuppoſitam. Joſephus Scaliger, qvô Virô nemo magis intima qvæqve ſecreta Critices penetravit, ſibi tamen inſigni fraude vidit à *Mureto*, qvi carmen à ſe compoſitum, pro veteri, nuper è vetuſto codice eruto, ipſi obtruſerat, & in aſſenſum qvoqve pertraxerat Virum magnum: qvi tamen, poſtqvam ſecuto tempore ſibi fuiſſe illuſum comperiſſet, adeo graviter tulit Mureti dolum, ut ſeſe vindicandum ſalſo hoc Epigrammate putaverit: 4

Qvi rigidæ flammas evaſerat ante Toloſæ,
Muretus, fumos vendidit ille mihi.

Reus autem actus aliqvando Muretus Toloſæ criminis Sodomiæ fuerat, & jam ignis ſupplicio deſtinatus, fugâ ſibi conſuluit: qvæ res occaſionem dedit epigrammati. Vid. Colomeſ. *Cimel. Liter. c.* 19. *Opuſculorum p.* 39. *ſeq.*, & Erythræi *Pinacoth. I. p.* 13. Henr. Stephanus, inter alia veterum opuſcula, Satyram edidit *de Lite*, ſcriptam à veteri poëta ratus, qvem ignoto Galeoti nomine deſignat. Eam Satyram Caſp. Barthius qvoqve totam ſuis Adverſariis *lib. V. c.* 17. inſeruit, & in eam κρίσιν exercens, homini priſco aut ſemipriſco adſcribit: ut à recentiore aliqvo ſcriptam, & vetuſtæ ætatis nomen mentitam, crederet, à ſe impetrare non potuit: Et tamen *Michaelem Hoſpitalium*, Can-

Cancellarium Gallicum, ejus eſſe Auctorem non ſolum Deliciæ Poëtarum Gallorum, à Ranutio Ghero collectæ, evincunt, qvarum Parti II. p. 71., inter Hoſpitalii Poëmata, iſta qvoqve de Lite ſatyra inſerta eſt: ſed & Ant. Verderius, qvi, in Bibliotheca ſua Gallica, diſerte Hoſpitalio iſtam Satyram deberi teſtatur. (*ll*) Atqve adeo deceptus haud dubiè Caſp. Barthius eſt. Ita & alii ſeducti, qvi nimium in hac arte ſibi tribuebant; magna enim ac circumſpecta cautione hic opus eſt. Sane, ſi priſcus etiam haud dubie Auctor ſit, nec certo tamen ſeculo definiri ætas illius poſſit, multis ſæpe diſputationibus, diſſenſuqve multo inter doctos agi conſuevit; cum, qvod inprimis etiam annotandum, non ejusdem notæ omnes unius ætatis Scriptores ſint: Imo habet aurea ætas interdum, qvos aliqvis ad ferream rejiceret, ſi ſolam dictionem videas. Nam, ut varia eſt Scriptorum indoles, varius ſtatus & conditio; ita ſermonem temperabunt: aliter ſcribet è plebe homo, aliter, qvi reipublicæ adminiſtrandæ adhibetur, & civili eloqventiæ adſuetus eſt. Hinc non mirum, ſi fallat interdum unius ætatis dictio. Juſtinum aliqvi ad argenteam ætatem referunt, ut qvi Trogi Pompeji, puriſſimi Scriptoris, hiſtoriam in epitomen redegerit: ſed falluntur illi vehementer ſuo judicio: Sic enim & Florum Livio qvis æqviparare poſſit, cum ejus Hiſtoriam in epitomen redegerit; & tamen ænea ſunt illa Flori ſcripta præ Livii aureis: eſt enim totus tumidus ac ineptus phraſi & dictione, ideoqve cum judicio legendus, nec ad Latinitatem formandam adhibendus, qvanqvam utile compendium Hiſtoriæ Romanæ exhibeat.

4 Ceterum ut ad Auctores nunc ipſos propius accedamus, ENNIUS agmen ducat, inter antiqvos Ciceronis ævum adhuc antegreſſos inprimis clarus: Ovidii judicio ingenio maximus, arte rudis, erat: illum tamen vehementer extulit Joſephus Scaliger, ſcripta ejus, ſi ſolum integra haberi poſſent, omnium juniorum, Lucani, Statii, Silii Italici, & ſimilium, jactura facile redempturus; prout in Excerptis Scalig. Puteanorum eſt. Verum nihil integrum Ennii habemus. *Fragmenta Enniana* huc illuc è ſcriptis veterum in unum corpus colligere jam olim in animo habuit Ludov. Vives, ut pollicetur in Not. ad Auguſtinum *de Civ. Dei lib. II. c.* 21.: id vero nunqvam ab illo eſt præſtitum. Tentârunt idem Robertus ac Henricus Stephani in Fragmentis Veterum Poëtarum; ſed poſtea Hieronymus Columna ſeparatim illa collegit, & cum Notis ſuis ac Vita Ennii edidit Neapoli 1590. in 4. Hinc Paulus Merula Ennii Annales & Fragmenta, cum Commentario, denuo edidit Lugd. Batav. in 4. De emendatione verſuum qvorundam Ennianorum apud Gell. *lib. XII. c. 4*, qvam Hub. Giſanio per inſigne plagium ſurre-

(*ll*) Præter Henr. Stephanum & Caſp. Barthium, Marcus etiam Zuerius Boxhornius Mich. Hoſpitalii *de Lite Satyram* pro Veteris Poëtæ fœtu habuit, & in Syntagmate *Poetarum Satyricorum Minorum de corrupto Reipublicæ Statu*, Lugd. Bat. An. 1633. in 12mo excuſo, una cum Sulpitiæ Satyra, ac Valerii Catonis Diris, præfixo *Satyræ Anonymi Auctoris Franci de Lite* Titulo, edidit, Notisqve propriis (qvibus Janim etiam Douſæ & Caſp. Barthii in Sulpitiæ Poemation Obſervationes acceſſerunt) illuſtravit.

ptam Lipſium ſibi tribuiſſe narrat Scioppius, videndus Thomaſius eſt in *Catal. Plagiar.* §. 492. Ennii æqvales ſunt *Livius Andronicus*, *Nævius*, *Cæcilius Statius*, *Pacuvius*, *Attilius*, *Lucilius*, *Afranius*, *M. Porc. Cato:* qvorum omnium vitam Caſp. Sagittarius ſpeciali commentatione perſecutus eſt: libellus prodiit Altenburgi 1672. in 8. *Luciliana* Fragmenta edidit ſingulari libro, cum commentario, Franc. Douza Lugd. Batav. 1597. in 4. Ceterorum fragmenta ſolent cum Ennianis jungi. Adſcribuntur CATONI qvoqve *libri Originum*, qvorum fragmenta Joh. Annius Viterbienſis cum aliis ejusdem generis publicavit. Uti vero è tot vetuſtorum Scriptorum teſtimoniis dubium nullum eſt, à Catone libros Originum olim ſcriptos fuiſſe; ita qvæ publicavit Annius, dudum ſunt à Viris doctis proſcripta: qvamvis Mazzam & Macedum Annius ſuos viciſſim habuerit defenſores; de qvibus *Lib. I. cap.* 6. *Polyhiſtoris noſtri Literarii* abundè. Alia Catonis fragmenta collegit ediditqve Anton. Riccobonus, qvæ habentur in ejus de Hiſtoria libro Venetiis 1568. in 8. Baſil. 1589. edito. Eadem auctiora poſtmodum edidit, libris Catonis *de Re Ruſtica* adjunxit, & notis illuſtravit, Auſonius Popma, Friſius; optimè, Scioppio judicante, de illo Auctore meritus: poſt cujus editionem ſuas qvoqve Joh. Meurſius illi curas impendit, ediditqve Popmæ ac ſuis notis inſtructum Catonem Lugd. Bat. apud Raphelengium 1597. qvæ editio Franeckeræ 1620. repetita eſt: Libros Catonis de Re Ruſtica, præter Popmam & Meurſium, ediderunt Aldus, Venetiis 1514. in 4. una cum Varrone, Palladio atqve Columella, ejusdem argumenti Scriptoribus: & Rob. Stephanus, itidem Scriptorum Rei Ruſticæ collector, nitidiſſima editione Pariſ. 1543. in 8. A Marco Porcio Catone vero plane alius eſt junior qvidam, *diſtichorum moralium* Auctor, cui Catonis nomen præfigitur, non qvod Vir ejus nominis illa ſcripſerit, ſed qvod dignæ Catone ſententiæ videantur. Dionyſii nomen illi præfigi ſolet: qvod inde fieri Lambecius ſuſpicatur; qvoniam *dium* veteres Catonem vocaverint: ut Horatius Serm. l. l. Sat. 2.

- - - - - - - - *Macte*
Virtute eſto: inquit ſententia dia Catonis.

Sed hanc conjecturam ſuo loco relinqvo. Dignum certe libellum Joſephus Scaliger habuit, qvem, poſt Maximum Planudem, Græcis diſtichis converſum exprimeret: qvod & idem Joh. Mylius & Matth. Zuberus fecerunt. Horum omnium verſiones, & Germanicam inſuper Mart. Opitii, conjunctim, una cum Scaligeri ſuisqve notis, edidit Chriſtianus Daumius, Cygneæ 1672. in 8. Olim, in emendando Catone hoc, diem unum conſumſit Deſiderius Eraſmus: ob qvem laborem à Budæo reprehenſus eſt, qvod exiguum adeo opuſculum tanto Viro indignum videretur: verum non ſiluit ad eas incuſationes Eraſmus, nec ſe præter rem aliqvid ſuſcepiſſe eſt faſſus: ut ex Epiſtolarum *libro I.* videre eſt.

Ennium & Catonem ſeqvatur PLAUTUS, qvi inter primos Latinæ linguæ 5
Auctores eſt, non tamen pueris, ut qvidam voluêre, prælegendus, niſi id fiat â Viris judicii ſubactioris, qvi multiplicem dictionem Plauti, neqve ita promiſcuè ad uſum & imitationem commendandam, probe diſcernere noverunt. EDMUNDUS certe RI-

CHERIUS, *in Obſtetrice animorum*, prolixe agit *de Plauti Latinitate* è puerorum manibus excutienda. Notum eſt HORATII judicium in Arte Poëtica:

At noſtri proavi Plautinos & numeros &
Laudavere ſales: nimium patienter utrumque,
Ne dicam ſtulte mirati; ſi modo ego & vos
Scimus inurbanum lepido ſeponere dicto,
Legitimumqve ſonum digitis callemus & aure;

qvod ſane verum eſt, qvicqvid etiam alii judicent adverſus Horatium. Legi poteſt diſſertatio Dan. Heinſii de hoc loco Horatiano, qvæ addi ſolet Terentii editionibus. Scripſit & HENR. STEPHANUS diſſertationem *de Plauti Latinitate*, qvæ addita eſt Diſſertationi ejus de Latinitate falſo ſuſpecta; ubi ſecundum certas claſſes diſponit inſolentiores Plauti voces & phraſes. Plane vero miror, qvid BARTHIUM moverit, lib. L. Adverſar. c. 9., ut prolixe Plautinam lectionem Tullii ac Terentii præferendam ſuaderet. *Nemo*, inqvit, Plauto *magis proprie locutus eſt, nemo magis ad uſum: ut, qui Ciceronem, hoc ſepoſito, juventuti prælegunt, hoc mihi videantur agere, ut ſcilicet, priusquam Latine, eloquenter doceant tironem ſcribere.* Verum valeat ille cum ſuo judicio: neqve enim ſtatim ab orationibus elaboratiſſimis qvis incipere ſuadebit tironibus. Plautus vero, qvanqvam in phraſi purus ſit, qvod in illo agnoſcit FRANC. VAVASSOR in libro de Ludicra dictione; tamen, ob admixtos archaiſmos multos, phraſes fictas & ex ingenio perſonæ inventas, ineptit, qvi puerum in has ambages ducere velit. LIPSIUS Plautum prætulit Terentio; qva in re merito reprehenditur à Balzaco, in ſuis Diſſertationibus, Gallica lingua editis, qvæ adjiciuntur Socrati ejus Chriſtiano, p. 83, 84. Nec mirum hoc Lipſii judicium cuiqvam videri debet: nam, ut ipſe fuit in oratione mire interdum κακόζηλος, ita ex ſuo ingenio judicavit Plautum. Præferendum hîc potius ſeculi Auguſtei judicium, qvod expreſſit, ut vidimus, in ſua Arte Poëtica Horatius. Plauti *editiones* variæ recenſentur à Geſnero & Spachio in Nomenclat. Philoſophico p. 207., de qvibus illic legi poteſt. Varii ſunt in illum ſcripti *Commentarii*, tùm cum auctore juncti, tùm ſeorſim editi. Antiqva variorum editio prodiit Venetiis in fol. 1511. & iterum 1522. in 4., Pariſiis apud Rob. Stephanum in fol., & Lugduni apud Seb. Gryphium 1540. in 8. Commentarii ſic junctim editi ſunt Bern. Saraceni, Joh. Petri Vallæ, Pii Bononienſis, Pyladis Brixiani, Ugoleti, & Franc. Marii Grapaldi. Joach. Camerarius & Georg. Fabricius verſus in ordinem redegerunt, & breves notulas addiderunt, uti & Joh. Sambucus: Dionyſ. Lambinus commentarium in illum ſcripſit, qvi in fol. editus eſt Pariſ. 1587: Janus Douſa Plautinas Explanationes ſeorſim, & auctori junctas: Valens Acidalius divinationes in Plautum ſcripſere. Edidit & Philipp. Pareus Plautum cum ſuo Commentario & Lexico, qvi liber editus eſt Francof. 1610. in 8. ſed huic qvidem viro ſolenne eſt alios exſcribere, & malè audit, ut fucus ad Criticorum pabula: ideo enim Lexica ſcribit, ut poſſit commentarios aliorum, diſſimulatis ſemper nominibus, in ordinem alphabeticum compilare. Multo utiliorem Plauto navavit operam *Frider. Taubmannus*, è cujus editione

ne ter iſte Comicus lucem vidit, non ſolum luculento Commentario illuſtratus, ſed & iis fragmentis auctus, qvæ è deperditis fabulis pauca adhuc vetuſtas nobis ſervavit. Secunda editio Francof. 1621. in 4. & tertia Wittebergæ prodiit. Præterea Boxhornius Plauto operam impendit, cujus notæ cum excerptis variorum prodierunt Lugd. Batav. 1645. in 8. Aliam exinde dedit Joh. Frider. Gronovius. Comœdia Plauti, qvæ Qveroli ſive Aululariæ habet titulum, & ab Aulularia inter Plautinas omnium conſenſu receptas diverſa eſt, primum eſt à Petro Daniele edita, cum notis, apud Rob. Stephanum Pariſ. 1564. eandem poſtmodum, ad Camerarii codicem collatam, in verſus digeſtam, & præterea elegiaco Vitalis Gallici novo carmine expreſſam, cum Notis P. Danielis, Conr. Rittershuſii & Jani Gruteri, Heidelbergenſes Commelini 1595. repetivêre; & tandem Phil. Pareus ſecundæ ſui Plauti editioni Spiræ 1619. in 4. illam addidit. Enimvero ſatis conſtat, fabulam illam ad Plautinam ætatem nullo modo qvadrare: & videndus de illa Barthius *lib. XLIV. Adverſar. c.* 13., qvi Plautum eqvidem, ſed multo juniorem, illius Auctorem facit. Punicorum, qvæ in Pœnulo Plautino ſunt, explicationem primus tentavit Joſephus Scaliger in libris de Emendatione Temporum, qva de re ipſe etiam in Excerptis Puteanorum gloriatur: poſt illum Grotius in Epiſtolis ad Gallos, *Ep.* 113. ad Salmaſium, aliqva ejus comœdiæ eſt interpretatus: de ceteris Punicarum reliqviarum interpretibus, Thoma Reineſio, Sam. Petito, Sam. Bocharto, Joh. Clerico, *ſupra c. V.* diximus. Noviſſimam Plauti editionem, in Delphini Galliæ uſum, adornavit Pariſ. 1679. in 4. Jac. Operarius. Non autem hîc diffitendum exiſtimamus, Auctorum illorum, qvotqvot eâ ratione in Gallia prodiêre, perpaucos eſſe, qvorum editio novi qvid ſecum afferat, aliisve præferri tantopere mereatur, niſi qvod magnificus plane atqve ſplendidiſſimus typorum chartæqve nitor gloriam Regis indicant, harum etiam rerum curam gerentis. Ea vero methodo editores iſti utuntur, ut interpretationem ſeu paraphraſin Latinam Auctoris primò præmittant, deinde notas adjiciant veteres, ſi vetus aliqvis Commentator reperiatur; ſecus aliorum Auctorum è fontibus decerptas, ita ut non integra illorum verba retineantur, qvod in Batavis variorum editionibus fit, ſed aliis reddantur. Index ſubjicitur plenior, ad verborum ſtructuram & ad phraſin accommodatus, ut Latinæ linguæ ſimul ratio haberi poſſit.

Poſt Plautum Comicus alter in ſcenam prodeat TERENTIUS, optimus linguæ Latinæ Auctor, qvem GROTIUS qvidem tanti faciebat, ut ſecum ſemper ferret: ac propterea increpatus à Viro qvodam politico, reſpondit: *alia in illa legere pueros, alia viros.* Magna enim in ejus fabulis elucet morum actionumqve civilium diverſitas, & qvidam qvaſi character. Plauto longe ſuperior judicio eſt: & recte omnino pronuntiavit in Epiſtolis ERASMUS pag. 1700. in una Comœdiâ Terentianâ plus judicii eſſe, qvàm in omnibus Plautinis: qvicqvid etiam contradicat SCHEURLIUS, qvi aliud, non è ſingulis tantum fabulis, ſed & è fabellarum pagellis, patere falſo perſuaſus eſt, *Stat. Mercurial. P. II. Sect. II. c. 3. p.* 91. Idem tamen c. 4., in laudes Terentii non parcus, eum à Joſ. Scaligero ſene ſemper lectum, & à Joh. Caſelio etiam, inter deambulandum 6

landum colloqvendumqve cum ſuis, in manibus perpetuo geſtatum refert. *Veteres* qvidam GRAMMATICI inepte de Terentio judicarunt, dum nonniſi verborum ac dictionis proprietatem in illo laudant, in aſſeqvendo vero comœdiæ genio ignaviorem cenſent: Sane hîc ut minuti Grammatici judicârunt, nec ſe Poëſeos, nec Rhetorices, nec civilis prudentiæ, gnaros haud obſcurè faſſi: qvorum qvi non omnia arcana plane excuſſa habet, fruſtra de Comœdia judicabit: eſt enim *Comœdia imitatio omnium actionum humanarum in ſocietate civili, quæ tantum artis habet, quantum ipſamet actio.* Atqve in hoc artificio Terentius Plautum longe ſuperat: cujus propterea lectionem Caſp. Barlæus Lunæburgenſibus qvoqve Ducibus, in epiſtola ad illos ſcripta, commendandam duxit. *Editiones* Terentii plurimæ omnino ſunt: magnam earundem copiam recenſet Spachius in Nomencl. p. 208. ſeqq. Haud immerito autem Barthio lib. L. Adverſ. c. 9. elegantiſſima omnium & nitidiſſima habetur, qvæ cum commentario Æl. Donati à Frider. Lindenbrogio Francof. 1623. in 4. curata, & in paucorum manibus eſt. (*mm*) Tritior *Bœcleriana*, qvæ prodiit Argentorati 1627. in 8., ceteris etiam

(*mm*) Terentii Comœdiæ, & in eas Æl. Donati, V. C. Oratoris Urbis Romæ, & Eugraphii, Veteris Scholiaſtæ, Commentaria, a Frid. Lindebrogio, collatis MSStis, Veteribus Exemplaribus, recenſita, aucta & obſervationibus, Indiceqve uberrimo, illuſtrata, Anno jam 1602. Pariſiis, ubi Lindebrogius tunc vivebat, in 4to prodierunt. E Pariſina hac expreſſa eſt altera, qvam Morhofius laudat, Editio Francofurtenſis Anni 1623. Heringiana. Terentium ipſum, *ad cujus nitelam & ſplendorem quod facere poſſet, nihil ſe* in hac Editione, Ergodiocta Joſ. Scaligero (*Epiſt.* 213. & 216. p. 464. 466.) maturata, *ſcienter omiſiſſe*, vere *in Præfatione* affirmat, è Codice Bibliothecæ Regiæ Pariſinæ optimo & antiqviſſimo, duobus Pet. & Franciſci Pithoeorum Exemplaribus, manu utriusqve emendatis, aliisqve nonnullis MSStis, recenſuit. In Donati Commentario, qvem Textui interſeruit, lacunas plurimas ſupplevit, & Errata infinita emendavit, adjutus, tum duobus Exemplaribus, accurata Fratrum Pithoeorum diligentia ad MSS. Ant. Contii & Jac. Cujaeii collatis, tum Collectaneis Bibliothecæ Regiæ, & Schedis Petri Danielis Veteribus. Eugraphii, ſub finem Comœdiarum omnium adjecti, cum pauca tantum in Italia olim Gabr. Faernus edidiſſet, ipſe longe plura, ex Codice Ant. Loiſelli, JCti, antiqviſſimo, primus publicavit, &, qvæ huic deerant ex altero Franc. Olivarii ſupplevit. Lindebrogii ipſius Obſervationes breves ſunt, & circa Varietatem Lectionis potius, qvam Textus explicationem, occupantur. Hæc Sciagraphia eſt compendiaria Editionis iſtius Geminæ Terentianæ Lindebrogii, qvæ (imprimis Pariſina, ipſi ignota Morhofio) hodie eſt rarior, ſed omnium tamen, unanimi criticorum plerorumqve conſenſu, optima & elegantiſſima Nec enim Barthius & Morhofius ſoli ceteris eam præferunt, ſed Caſp. etiam Scioppius, *Conſult* II. *de Scholis & Studiorum ratione p.* 64. Joh. Henr. Bœclerus *in Comm. de Script. Gr. & Lat. p.* 38. Henr. Jul. Scheurlius (Indicem imprimis uberrimum extollens) *P. II. Statuæ Mercurialis, c.* 4. *p.* 97. Caſp. Sagittarius *in Comm. de Vita Terentii p.* 61. 66. Adr. Bailetus (Textum in ea judicans exhiberi emendatiſſimum) *T. IV. Judiciorum de Eruditis Gallicorum, P. II p.* 69. Joh. Alb. Fabricius *P. I. Biblioth. Lat. p.* 5. aliiqve, qvos taceo, complures.

etiam jure merito præferenda, non ſolum ob elegantem commentarium, & accuratas metri recenſiones, ſed & ob Chreſtomathiam Terentianam, qvæ adjicitur: id eſt, indicem elegantiarum Terentianarum. Qvanqvam enim jam antea Jac. Kockertus indicem adornaverit non contemnendum, Bœclerianus tamen ille eſt ad uſum accommodatior: eſt & in Terentium index Auguſtini Gambarellæ, qvem nunqvam vidi: Adjecit vero ſuæ editioni Bœclerus notas Franc. Guyeti, Galli doctiſſimi, ſed moroſioris, de qvo jam ſuperius aliqvando dictum. Eſt & qvædam variorum editio, Lugd. Batav. 1644. excuſa, ſed non magni momenti. In Delphini uſum prodiit Terentius, cum interpretatione ac notis Nicol. Cami, Pariſ. 1675. Vitas Plauti, Terentii ac Ciceronis, peculiari commentatiuncula expoſuit Caſp. Sagittarius, ediditqve Altenburgi 1671. in 8.

Incedat nunc M. TULLIUS CICERO, prioribus duobus multis modis illu- 7
ſtrior, & in aurea Latinæ linguæ ætate primas extra controverſiam tenens: cujus aurei Oratoris ſi libros omnes, & librorum editiones, perſeqvi vellemus, multarum paginarum res foret: nos igitur tantum potiora ſectabimur. In illo Viro majeſtas Romanæ eloqventiæ & ſapientiæ ſummum apicem eſt conſecuta. Tot ſeculorum judicio princeps habitus, obtrectatores non invenit, niſi homines malos aut indoctos. Fuêre inter antiqvos tales malevoli ASINIUS *uterque*: Pollio pater, & Gallus filius; qvorum ille qvidem permultis occaſionibus inimicum animum, ſucco loliginis atræ plenum, in Ciceronem oſtendit, ut ex Senecæ Suaſoria VI, & Gellii lib. XVII. c. 1. Noct. Att., jam alibi obſervavimus, cum ejusdem de Livii Patavinitate convitium abſtergeremus: hic vero, inſaniæ paternæ hæres, libros *de Ciceronis ſuique patris Aſinii comparatione* ſcripſit, in iisqve hunc illi longiſſimè antepoſuit, & indigna multa evomuit in Ciceronem: qvæ non ſolum ut prodigioſa Gellius execratur, ſed dudum ante Gellium Claudius Imperator Ciceronis defenſionem ſatis eruditam, memorante Suetonio c. 41., adverſus Aſinii Galli libros concinnavit. Ejusdem cum Aſiniis furfuris LARGUS LICINIUS fuit, cujus liber infando, ut ait Gellius, titulo *Ciceromaſtix* ferebatur. His conſtans reliqvorum veterum, in laudando veris elogiis Cicerone, conſenſus, atqve etiam indignatio in vituperatores iſtos, haud abs re poteſt atqve debet opponi. Faſſi enim omnes cum QVINTILIANO Inſtit. Orat. lib. XII. c. 1. ſunt, ſtetiſſe illum in faſtigio eloqventiæ, cui qvid adjici poſſet etiam ignorare ſeſe ajebant. Et, qvanqvam nec ipſe Cicero ſua omnia, præſertim juvenilia, approbârit, ſed & coërcuerit ipſe, & ab amicis Bruto, Calvoqve obſervata æqvo animo tulerit: qvamvis etiam Qvintilianus ſummam Ciceroni perfectionem adſcribere vereatur, qvippe cui nonnihil vitiorum etiam adhæſiſſe non dubitat, adeoqve perfectum omnibus partibus Oratorem adhuc qværat; mox tamen addit: *ego non audeam dicere, aliquid in hac, quæ ſupereſt, æternitate inveniri poſſe, eo quod fuerit perfectius.* Hæc cum veteres magni nominis Oratores judicaverint, &, qvæ vis veritatis eſt, ne ipſe qvidem juratus hoſtis, Aſinius Pollio, in Hiſtoria ſua juſtum Ciceroni elogium (qvod M. Seneca Suaſor. VII. nobis conſervavit) denegare ſit auſus: qvid tandem de recentioribus nonnullis Cicero *μάστιξι* dicemus, qvos

inter eminet Petrus Ramus, qvi, in ejus eloqventia, ſi DIs placet, aliqvam multa deſideravit, ſciolus & ſophiſta potius, qvàm verus Philoſophus. Alii qvidam ἑλληνομανεῖς, inter qvos Budæus, Latinos omnes præ Græcis contemnentes, etiam de Cicerone minus honorificè ſentiunt: ſed illi ſunt ingenio ſuo relinqvendi. Budæus certe in phraſi Latina nihil habet, qvod magnopere laudari debeat, utut cetera vir doctiſſimus. Verum ſane eſt, multa Græcis debuiſſe Ciceronem; ſed ita tamen debuit, ut magiſtros deinde Græcos ſuperaret, qvod nec ipſimet diffitebantur: uti vel ex uno Dion. Longino perſpici poteſt, qvi in eruditiſſimo ſuo de Sublimitate, libro, Sect. XII., eleganter admodum oſtendit, qvid inter Demoſthenem atqve Ciceronem interſit. Extat hujus argumenti integra atqve luculenta Renati Rapini diſſertatio, Gallico idiomate ſcripta, qva copioſius, & per partes, Auctor exſecutus eſt, qva in re alter alteri, vel præſtet, vel par ſit. Conferendus præterea in hanc rem Leo Allatius, lib. de Erroribus magnorum virorum in dicendo p. 48. ſq., & Eraſmus in Epiſtolis p. 1708. Qvæ ad *vitam* Ciceronis attinent, ſingularibus libris ſunt deſcripta, qvi vehementer conducunt ad intelligentiam rerum, qvæ in Cicerone ſunt. Ex antiqvis Scriptoribus vitam Ciceronis, eo modo conſignatam, reliqvit Plutarchus in Parallelis: ſed cum ab eo multa omiſſa deprehendiſſet Leonardus Aretinus, ſupplenda cenſuit illa ſcribendumqve librum de Vita Ciceronis peculiarem, qvem propterea *Ciceronem Novum* vocabat: teſte Jac. Gaddio *de Scriptor. Non-Eccleſ.*, *P. I. p. 136. in Cicerone, & in Leon. Aretino P. II.* Sebastianus Corradus, vir doctiſſimus, inter alia, qvibus optimè de bonis literis meruit, eruditiſſimum *de Quæſtura* librum reliqvit, Venetiis 1537. excuſum, in qvo non ſolum Ciceronis vita per dialogum proponitur; ſed & inprimis multa, qvæ ad Opera ejus atqve ſcripta pertinent, afferuntur: qvinimo deſcribuntur eodem libro M. Ciceronis filii vita; Q. T. Ciceronis fratris, & eorum tandem, qvi ſcribunt ad Ciceronem: ut adeo, judice Mich. Neandro in præfat. Gr. Ling. p. 154, omnibus Ciceronem lecturis & expoſituris non ſolum lectu dignus, ſed & neceſſarius & utilis ſit. Rariſſimus olim fuit, donec Joh. Frider. Gronovius Lugd. Batav. 1667. eum nova editione nitidiorem in 12. edi curaret. Extat & Francisci Fabricii, Marcodurani, *Hiſtoria Ciceronis* ad rationes temporum alligata: dum ſcilicet, ſecundum annos Urbis & Conſulum, ſcripta & res geſtas Ciceronis diſtinxit. Liber ad lectionem Ciceronis utiliſſimus, ac propterea aliqvoties recuſus: ſecunda editio prodiit Coloniæ 1570. in 8. eſtqve dehinc nonnullis Ciceronis editionibus addita. Poſt hunc alii fuere, qvi Ciceronis vitam ſcripſerunt: Chriſtoph. Preiſius, Pannonius; Benedictus Herbeſtus, Polonus; Jac. Angelus de Scarparia; qvi nonnunqvam conjunctim edi ſolent: poſtremi librum ab interitu vindicavit, Romæ inventum, atqve in lucem emiſit Berolini 1553. in 8. Wolffg. Periſterus, Boruſſus. Verum hi omnes compendioſam magis, qvam locupletem, Ciceronis hiſtoriam ediderunt; qvibus accenſendi etiam Jacobus Maſenius l. II. Palæſtræ Orat., carptim vitam Ciceronis percurrens, Petr. Ramus, in cujus Ciceroniano varia occurrunt, qvæ ad Ciceronis vitæ, laborum, ac periculorum hiſtoriam pertinent, & Casp. Sagittarius in libello *de Vita Ciceronis*, qvi inprimis Fabricium ſibi, qvem ſeqva-

ſeqvatur propoſuit. Et ſane hujus libro nil venuſtius fieri poſſe judicat ANDR. SCHOTTUS, qvi & ipſe de interpretibus Ciceronis, hiſtoria operum illius, eloqventia & imitatione, elegantiſſimum librum ſcripſit, eiqve titulum fecit *Tullianarum Quæſtionum:* qvi editus eſt Antvverp. 1610. in 8. Multa hîc diſcutiuntur, qvæ ſpectant ad imitationem & lectionem tàm genuinam, qvàm pravam. Notum eſt, qvàm ſuperiore ſeculo κακοζηλία Ciceronis inſaniverint nonnuli, qvos integris libris acerbiſſimè Viri qvidam doctiſſimi exagitârunt. Spectat huc ERASMI *Dialogus Ciceronianus*, qvem ille juvenis adverſus hos homines conſcripſit: male propterea exceptus à Jul. Cæſare Scaligero, qvi acerrimas in Eraſmum invectivas edidit pro Cicerone. Sed Eraſmus præceps judicium ſuum poſtea correxit ipſe, & Ciceronis lectionem atqve imitationem præ omnibus inculcavit: qvemadmodum & non minus Scaligerum ſuæ in Eraſmum acerbitatis plus ſemel pœnituit. De hac re vero, & de prava illa imitandi ratione, alibi à nobis dictum eſt. MARIUS NIZOLIUS huic fini ſcripſerat *Theſaurum* ſuum *Ciceronianum*, qvem HENR. STEPHANUS libello peculiari exagitavit, cui titulum fecit *Nizoliodidaſcalus*, ſeu Monitor Ciceronianorum Nizolianorum; ubi defectus ejus lexici plenius recenſentur, Pariſ. 1578. in 8. Edidit qvoqve Stephanus Dialogum alterum, cui titulus *Pſeudo-Cicero*: in qvo non ſolum de multis ad Ciceronis ſermonem pertinentibus monetur, ſed & qvis delectus editionum, & qvæ in legendo cautio adhibenda ſit, Pariſ. 1577. in 8. apud auctorem. Plura de his Ciceronianis κακοζήλοις legi poſſunt apud Taubmannum in Diſſert. de Lingua Latina. Pergimus nunc ad *editiones* Operum Ciceronianorum. De *ineditis* videatur Hieron. Cardanus in libro de clarorum Virorum vitâ & libris; qvi reperitur in operum ejus Tomo X. Illuſtre inter deperdita Ciceronis *Opus* eſt *de Republica*, cujus jacturam merito lugemus: ſupererat adhuc tempore Petri Pictavienſis monachi, obſervante Barthio Adverſar. l. XXXII. c. 5. Idem Barthius ibidem c. 18. refert, ſuperfuiſſe illum ante annos non adeo multos in Monaſterio qvodam Rittershuſio, cujus in rei fidem citat Joh. Henr. Meibomium: Verum errat procul dubio Barthius, tum in nomine Monaſterii, qvod neqvaqvam Rittershuſium, ſed Riddaghuſanum, dici debuerat; tum in nomine ipſius Meibomii: nam Henricus Meibomius, pater, qvem is intelligit, qvodam loco hujus libri faciens mentionem, *periit*, inqvit, *iſte theſaurus in bello Germanico.* Perierunt qvoqve libri Ciceronis *de Gloria*: niſi, qvod magnam partem transſcriptos illos à Petro Alcyonio in libro de Exilio, qvem conſcripſit, Colomeſius annotat Cimel. Literar. c. 15. Operum, qvæ ſuperſunt, editiones plurimæ ſunt. Venetæ editiones male audiunt apud Scioppium in Syllabo Latinæ linguæ, Paradoxis Literariis adjecto; ubi ſic ille: *Ciceronis editiones Venetæ recentiores flammis aboleri debebant, cruces vero figi typographis ut documento ſint aliis, ne tam deformem Veneto nomini maculam imprimant.* Qvam ille cauſam tam acerbi judicii habuerit dicere non poſſum: neqve etiam Aldi aut Pauli Manutiorum editiones eum his verbis ſugillare opinor, qvorum ille primus Opera Ciceronis junctim edidit: hic vero inter præcipuos ejusdem M. Tullii emendatores & commentatores omnium conſenſu numerari meruit. Prodiit editio Pauli Venet. 1540. & 41.

& 41. Aldinæ magnitudinem & paginas plane exprimit Riheliana Argentinæ 1540., poſt Andr. Naugerii & P. Victorii correctiones, à Joh. Sturmio emendata. Uno anno hanc antevertit editio Ciceronis à Roberto Stephano Pariſ. An. 1539. elegantiſſimis typis data è codicibus Petri Victorii. Ipſe vero Victorius omnium, Judice Cl. Grävio, ingeniorum ſui temporis princeps, & cui uni præ reliqvis ſalutem M. Tullius debet, è vetuſtiſſimo Mediceo codice illum primo Venet. 1537. edidit: poſtremas vero ejusdam curas optima editione Juntæ Florentini an. 1571. dederunt. Dionyſii Gothofredi editio vehementer placuit Barthio Adverſar. l. L. c. 9, & index in Ciceronem, qvem ille multis Nizolianis habet præſtantiorem. Ceteroqvin inter Ciceronis editiones optima eſt Hamburgenſis illa Frobeniana, A. 1618. fol. excuſa. Debetur potiſſimum *Jano Guilielmio*, Lubecenſi, juveni doctiſſimo, qvi nullis laboribus in hoc Opere procurando pepercit. Ejus conatus à *Suffrido Petro*, Friſio, adjuti ſunt, qvi collationem cum MSS. diligenter à ſe inſtitutam cum Guilielmio communicavit. Adjectus eſt Operi index; cui titulus: *Penu Tullianum decem cellis ſeu indicibus expromens, quicquid uſpiam divitiarum in Ciceronis opibus habetur.* Collegit Georgius Ludov. Frobenius: procuravit editionem Janus Gruterus, in cujus manus & Suffridi Petri & Jani Guilielmii notæ pervenerant: ceterum index ille ſeparatim qvoqve editus proſtat. Fuerunt alii, qvi in animo habuerunt univerſa Ciceronis Opera edere: qvos inter Andr. Schottus, cujus conatus mors interrupit. In Belgio prodiit nitida ſatis editio, Cornelio Screvelio accurante, cui Guilielmii & Gruteri aliorumqve notæ, ſed ſelectæ, additæ ſunt, 1661. in 4. eadem deinde 1687. Genevæ (licet Baſileam titulus præ ſe ferat) recuſa eſt. Integram vero Hamburgenſem Gruteri editionem recuderunt Londinenſes typographi in fol., ſed nitoris magis, ut videtur, qvam emendationis habita ratione, demptis qvoqve præter rem capitum numeris, Lond. 1681. [Male vero omnes feciſſe, & neſcio qvo ſe conſpurcaſſe luto, Vir. Cl. *Jac. Gronovius* arbitratur, qvotqvot in recudendis Ciceronis Operibus Gruterianum textum ſecuti ſint, qvem ſcilicet ipſe pro mendoſiſſimo habet, & occaſionem inde arripuit novam Ciceronis editionem, cum variis Codicibus MSS. collatam, & à ſe emendatam, publicandi: qvod Lugduni Bat. 1692. forma duplici in 4. & in 12. præſtitit: præter Gruteri atqve Guilielmii notas, ſuas qvoqve adjiciens: Orationibus inſuper totum Aſconii Pediani Commentarium, & Anonymum Scholiaſten addens.] Jamdudum qvoqve adornandam per partes Ciceronis editionem abſolutiſſimam vir magnus, *Joh. Georg. Grävius*, ſibi ſumſit; deditqve orbi literato Epiſtolas Ciceronis ad Atticum & ad Familiares, ut & libros Officiorum, cum P. Manutii aliorumqve integris, & ſuis notis: nunc Orationes pari inſtituto parat: adeo, ut ſpes ſit, nos ab ejus manu locupletiſſimum Opus aliqvando habituros. Reliqvas editiones; Elzevirianam 1642, X. tomis minoribus comprehenſam: Blavianam 1657. tomis totidem; Hervagianam tomis 4, aliasqve Baſileenſes, Lugdunenſes, Pariſienſes, Francofurtenſes, Genevenſes, nil moror: jam enim plus ſatis de editionibus dictum eſt. Habentur inter Opera Ciceronis qvædam, qvæ *nomen illius mentiuntur*: ut *Orationes illæ Ciceronis & Saluſtii mutuæ*; de qvibus vid. Sanctius in Minerva p. 258,

qvi

qvi miratur Qvintilianum, Linacrum, Vallam & ceteros, putidas iſtas & barbaras oratiunculas non vidiſſe ab aliqvo ſciolo & barbaro eſſe compoſitas. Longe rectius id animadvertiſſe monuiſſeqve Pet. Victorium & Seb. Corradum. Idem Sanctius l.c. p.253. Pauli Manutii oſcitantiam caſtigat, qvi titulos Paradoxorum ipſimet Ciceroni adſcripſit: cum nugæ ſint ea lemmata ab imperitis Grammaticaſtris præfixa: velut omnes iſtiusmodi tituli ad Martialis Epigrammata, ad Horatii Odas, & ad Valerium Maximum: non ſolum alieni ab inſtituto Autorum, ſed & alieniſſimi haud raro. De *Orpheo Ciceronis* dubitandum non eſt, qvin ſuppoſititius ſit, idqve deprehendet, qvi vel unam ſolum alteramve periodum perlegerit. De *Conſolatione* diximus jam, eam à Car. Sigonio confictam, ut imponeret doctis perſonatâ eloqventiâ ſuâ: ſed fucus haud diu poſt animadverſus eſt. Hiſtoria ejus rei continetur in Epiſtolis qvibusdam, qvæ habentur in Ant. Riccoboni Deſcriptione Gymnaſii Patavini. *Commentatores* Ciceronis tàm in omnia ejus opera, qvàm in libros ſingulares, ſunt longe plurimi. E veteribus ad nos pervenit Aſconius Pedianus, qvi Veſpaſiani ævo floruit, cujus tamen Commentariorum maxima pars injuria temporum intercidit: in reliqvis emendandis & reſtituendis laborârunt Paulus Manutius, Franc. Hotomannus, Titus Popma Friſius: (& poſt hos omnes Joh. Frid. Gronovius, è cujus emendatione Jacobus filius Aſconium, uti diximus, publicavit. Primus Aſconium in Helvetia, in monaſterio S. Galli, invenit Poggius Florentinus; Aldus poſtea impreſſit. Præter Pedianum vero reſtat adhuc alius qvoqve Scholiaſtes Antiqvus, qvem neſcio qva occaſione acqviſitum ſive Pithœus ſeu Petavius ad Iſ. Voſſium miſit, & ab hoc impetravit Jac. Gronovius, ediditqve.) In libros de Inventione ſcripſit Marius Victorinus, Seculi IV. Scriptor, ac præceptor Hieronymi: cujus in Ciceronem Commentarius Venetiis 1500. Coloniæ 1535. apud Joh. Gymnicum, & 1537. Pariſiis apud Rob. Stephanum, ex caſtigatione Guyb. Longolii, alibiqve lucem publicam aſpexit. Venetam editionem inprimis commendat Caſp. Barthius, eamqve facile locum codicis MSS. tueri cenſet: qvi cetera ipſummet Victorinum optimæ notæ veteribus Criticis accenſendum plane non dubitat, Adverſar. lib. XXXVI. cap. 1. E recentioribus in ſingulos Ciceronis libros complures extant Commentatores. Librum de claris Oratoribus expoſuit Sebaſt. Corradus: eſtqve hic ejus Commentarius impreſſus Florentiæ 1552. Idem in epiſtolas Ciceronis omnes, tàm familiares, qvàm ad Atticum, juſta commentaria ſcripſit, qvorum illa Baſileæ, hæc Venetiis excuſa ſunt. In Partitiones Oratorias Claudius Minos ſcripſit, Francofurt. 1584. In Oratorem, poſt Corradum, Melch. Junius, Argent. 1585. Joh. Sturmius qvoqve, magnus eloqventiæ per Germaniam magiſter, edidit in eundem librum commentaria. Exiſtunt præterea ejusdem Sturmii & Claudii Minois Commentarii in ſpeciales qvasdam Orationes. In omnes Ciceronis Orationes varios variorum Commentarios Franc. Hotomanni, Joach. Camerarii, M. Ant. Mureti, Adr. Turnebi, Val. Erythræi, aliorumqve, in unum corpus congeſtos, junctim edidit Oporinus Baſil. 1553. in fol., qvem Lugdunenſes An. 1574. ſecuti ſunt. Vaſtum volumen, ſeu potius tomos II. Commentariorum in tertiam Orationum Ciceronianarum partem, ſtruxit ediditqve

Pariſ. A.1631. Nicol. Abramus, Soc. Jeſu (is ipſe, qvi Nonni Paraphraſin Johanneam cum notis ſuis, ſane doctiſſimis, eleganti editione Cramoiſiana 1623. dedit,) in qvo Commentario tàm hiſtorica, qvàm rhetorica & grammatica longe plurima, expediuntur. Plures Orationum Cicer. explanatores recenſet magno numero Spachius Nomencl. Philoſ. p. 289. ſeqq. Commentarii P. Victorii, & doctorum Virorum plurium in libros Cic. de arte Rhetorica in unum qvoqve corpus collecti ſunt, editiqve ab Aldo juniore Venet. 1546. in fol., qvos etiam Baſileæ neſcio qvo anno recuſos vidi. Qvi in Epiſtolas Ciceronis ſcripſerunt, magno numero apud Spachium l. c. p. 313. ſeqq., ut & à Cl. Grævio, poſt præfationem in Epiſtolas Famil., recenſentur. Atqve hic etiam omnes illos noviſſima editione ſua collegit. Eminet vero inter omnes Paulus Manutius, cui palmam in eo genere nemo dubiam reddet. Gaddius T. I. p. 98. Budæum qvoqve refert Commentarium in Epiſtolas familiares ſcripſiſſe, de qvo nihil alias mihi conſtat. Philoſophica Ciceronis à variis illuſtrata ſunt. Libri de Legibus prodierunt cum Commentario Adr. Turnebi, Pariſ. 1557. in 4. Tuſculanæ Qvæſtiones cum Commentario Joach. Camerarii Pariſ. 1558. & cum notis Franc. Fabricii 1568. Academicæ Qvæſtiones cum Commentario Turnebi 1553. Libri de officiis, primus recentis typographiæ partus extiterunt, editi an. 1466. Commentatores eorum ſunt Aldus Manutius, Car. Langius, Fulv. Urſinus, Dion. Lambinus, Franc. Fabricius, Deſ. Eraſmus, M. Ant. Muretus, Joach. Camerarius, Petr. Victorius, Phil. Melanchthon, Hier. Wolffius, Xyſtus Betulejus, Wolffg. Anemœcius, Pet. Balduinus, Pet. Ramus, Franc. Sylvius, El. Vinetus, Sam. Rachelius, alii. Tanti nempe omni tempore Viris doctis Officia Ciceronis viſa ſunt; qvorum pretio vel inde etiam decedere aliqvid Hugo Grotius olim exiſtimabat, qvod omnium manibus terantur. Ceterum Commentatores modo laudatos qvinqve priores integros, reliqvos omnes magno cum judicio excerptos, dedit, ſuasqve inſuper notas, verbis ac rei lucem uberrimam affundentes, adjecit in exqviſitiſſima Editione ſua Joh. Georg. Grævius, Amſtelod. 1688. in 8. Cato Major Ciceronis, Lælius, Paradoxa, & Somnium Scipionis jungi ſolent Officiis, & hinc plurimorum qvoqve laboribus illuſtrantur. Seorſim Catonem Majorem illuſtravit Ludov. Vives libello, cui titulus, Animæ Senis: cui addi qvoqve poteſt Gabr. Paleotus in Tr. de Bono Senectutis. Lælium, ſeu de Amicitia Dialogum, illuſtravit Victorinus Strigelius, & alii nonnulli. In Paradoxa fuſe, copioſe, &, ut Wolffius judicat, ad oſtentationem ingenii ſui, ſcripſit M. Anton. Majoragius. In fragmentum libri VI. de Republica, qvod ſub titulo Somnii Scipionis ſupereſt, è veteribus copioſe ſcripſit Macrobius: in qvod etiam extant Ludov. Vivis Vigiliæ. Atqve hæc de editionibus & Commentatoribus Ciceronis dicta ſufficiant. Ceterum, ſi eloqventiæ Ciceronianæ reprehenſores ſupra enumeravimus, paucis etiam *cenſores* alii nunc ſunt enarrandi. Exqviſitiſſimos Ciceronis libros Officiorum aggredi, & criminationibus ſeu calumniis potius variis onerare, veritus non eſt Cælius Calcagninus, editis eam in rem anno 1543. Disqviſitionibus: ſed qveis M. Anton. Majoragius & Jacobus Grifolus commodum occurſum ivêre, ille Diſpunctionibus, hic Defenſionibus, maledica convitiatoris cri-

mina diſpungentes: ac proinde etiam dignas merito judicavit Cl. Grævius, Diſpunctiones Majoragii, qvæ una cum Calcagnini Disqviſitionibus, in nova ſua Officiorum Cic. editione recuderentur. Verum ipſe ille defenſor Ciceronis MAJORAGIUS alia ratione Cenſor illius eſt, ſeu iniqvus potius reprehenſor, dum nempe Paradoxis Ciceronianis *Anti-Paradoxa* oppoſuit, Ciceronem plane ignarum Philoſophiæ, & totius Dialectices expertem, demonſtraturus: qvam fœdiſſimam calumniam vocat, & contuntendam ſibi ſumit Sanctius in Minerva p. 252. ſeq. Jam olim vero Marius Nizolius, non diu poſt edita Anti-Paradoxa, Majoragium data ad illum objurgatrice Epiſtola confutare inſtituit: ſed peſſimè ab hoc exceptus primo Apologiâ, tum &, cum Nizolius Antapologiam oppoſuiſſet, duobus Reprehenſionum libris, Mediolani Ann. 1549. editis. Conciliatorem inter litigantes egit Seb. Corradus: prout *Tom. I. Polyhiſtoris lib. I. c. 25. §. 26. ſqq.* ex epiſtolis ineditis Gudianis, commemoravimus. (qvæ, cum editæ jam ſint, dicta tum temporis confirmant, ſuntqve hoc ordine legendæ. Nizolii epiſtola ad Majoragium num. XLVII. p. 132. ſeqq. Majoragii ad Cicerinum n. XL. & XLI. p. 126. & tres Corradi ad Major. XXXIV. XXXV. XXXVI. p. 121. ſeqq.) Verſus Ciceronis, in qvibus pangendis non nimium felix videbatur Orator incomparabilis, ludum etiam de ſe jocumqve inimicis dediſſe notum in vulgus eſt. Sed tamen jocos illos magis linguâ, qvàm animo, fuiſſe dictos Janus Nic. Erythræus exiſtimat, cui verſus M. Tullii nitidiſſimi lepidiſſimiqve videntur. Idem Nicius ægrè fert, objectam Ciceroni ab Hieronymo imperitiam linguæ Græcæ, ac ſi vim ejus ſermonis in vertendo parum feliciter eſſet aſſecutus. Ipſe vero ſe magnâ perfundi voluptate profitetur, qvoties dulces ac perſpicuos locos illos perlegat: *quod ſibi non contingere ait in iis, qui, hanc bene interpretandi laudem ſuam eſſe propriam ajentes, ita perplexe, ita inſuaviter, ita inamœne loqvuntur, ut celeriter faſtidio & ſatietate à ſe homines abalienent.* Neqve etiam credibile ullo modo eſſe addit, eum, qvi in ipſa Græcia à magiſtris optimis edoctus toties Græce declamârit, ac commentatus ſit, Græci ſermonis proprietatem ignoraſſe. vid. Pinacoth. III. p. 34, 35. De plagii crimine, cujus à Græcis jam olim reus poſtulatus Cicero, ab Hieronymo autem abſolutus eſt, vid. *Thomaſ. de Plag. Liter. §. 392.* Nos, de Cicerone plus ſatis pro inſtituti ratione dictum putantes, ad alios nunc Auctores Latinos pergimus.

Et qvidem is, qvi Hiſtoriam ejus, qvod Catilinariam conſpirationem attinet, 8
expoſuit, cetera non usqve adeo amicus Ciceroni, CRISPUS SALLUSTIUS, eum primo excipiat: qvi non eandem ab omnibus laudem retulit: inveniunt enim multi in eo qvod reprehendant. Brevitatem illi tribuunt omnes: ea vero, judice QVINTILIANO l. X. c. 1, nihil apud aures vacuas atqve eruditas poteſt eſſe perfectius: alii contra vitio illam ei vertunt. Qvos inter JOH. PETRUM MAFFEJUM qvoqve fuiſſe Erythræus refert Pinacoth. II. p. 53. *Illud*, inqviens, *in eo ferendum non erat, quod Salluſtium Criſpum, Romanæ decus hiſtoriæ, ad ſui judicii calculum revocare & damnare audebat; ideo fortaſſe, qvod divinam ejus prudentiam, illuſtremque brevitatem, qua nihil eſt in hiſtoria dulcius, ſe imitari poſſe diffideret: nam tantum quisque laudat, quantum ſe*

imitari poſſe non deſperat. JUL. CÆS. SCALIGER *lib. IV. Poëtices* c.24. plane miratur, & ſibi nondum compertum ait, qvamobrem Salluſtio attributa ſit ab omnibus præter ceteros brevitas: qvi enim prælongas haud raro conciones inſerat, qvas nullus habuerit Imperator; qvi toties ad alia à propoſito exſpatietur; qvi, Catilinianæ conjurationis hiſtoriam traditurus, ipſamet urbis Romæ initia arceſſat; illum vero prolixum potius, vel etiam nimium, ſupervacuumqve, vocandum cenſet. Sub finem capitis tamen, in eo ipſe brevitatem Salluſtii agnoſcit, qvod tribus verbis integras expleat ſententias, non circumducat, non interponat, aſyndetis utatur, & omittat verba. Qvapropter cauſas omnino habuit, ut Scaligerum confutaret, Leo Allatius, in libro de Erroribus magnorum virorum in dicendo p. 36. qvi legi poteſt. Judicium BARTHII de Salluſtio vid. Adverſar. l. XLVIII. c. 19. SCHEURLII in Statua Mercur. Sect. II. P. II. c. 8. & BOECLERI in Diſſert. de Eloq. Civili. SCIOPPIUS, in Diſſertatione de *Rhetoricarum Exercitationum generibus p.* 13. *&* 14. Salluſtium exagitat, ut *κακόζηλον*, verborum obſoletorum & archaiſmorum ſtrenuum affectatorem; qvod etiam non omnino falſum eſt. In ſcribenda hiſtoria Criſpus Thucydidem ſibi imitandum ſumſit: uti deinde Salluſtium imitatus Tacitus eſt. Fuit, cum Salluſtius, doctorum apud Romanos hominum judicio, primas inter Hiſtoriographos Latinos partes obtinere viſus eſt. Hinc Martialis:

Hic erit, ut perhibent doctorum corda virorum,
Primus Romana Criſpus in hiſtoria.

Editiones ejus variæ ſunt. Ut enim Aldinas, Argentoratenſes, Colonienſes, taceamus: prodiit in fol. Salluſtius cum notis integris Variorum Baſil. 1564. Auctores notarum atqve commentariorum illorum ſunt Barthol. Zanchus, Henr. Glareanus, Jac. Bononienſis, Joh. Chryſoſt. Soldus, Jod. Badius Aſcenſius, Laur. Valla, Omnibonus Leonicenus, Vincent. Caſtilioneus. Aliam editionem integris notis variorum H. Glareani, Joh. Rivii, A. Manutii, Auſ. Popmæ, J. Palmerii, Pet. Ciacconii, Fulv. Urſini, El. Putſchii, J. Douſæ, & ſuis, inſtructam Francof. in 8. edi curavit Janus Gruterus. Similiter Ludovicus Carrio Salluſtium à ſe recenſitum, ſuisqve & Joh. Rivii, Manutii, Cypriani à Popma notis illuſtratum, è Plantiniana officina in 8. 1579. prodire juſſit. Eſt qvoqve inter optimas Auctoris hujus editiones memoranda, qvæ ex recenſione Pet. Victorii Florentiæ apud Juntas 1576. in 8. excuſa eſt. In Belgio Ant. Thyſius, cum ſelectis variorum notis, Salluſtium prodire juſſit Lugd. Bat 1649. in 8. Aliam integris aliqvorum notis inſtructam ejus editionem accuravit Joh. Frid. Gronovius 1665. 8. Joh. Janſonius nitidam qvoqve Salluſtii editionem dedit Amſtel. 1667. in 12. vel propterea commendandam, qvod qvamplurima deperditorum veterum Hiſtoricorum fragmenta, ab Auſon. Popma collecta, ſubjuncta habet. In uſum Delphini Salluſtium Dan. Criſpinus edidit Pariſ. 1674. in 4. Præter illos vero Commentatores, quos diximus, Laurent. Craſſus Paulum qvoqve Benium, moroſum iſtum veterum Auctorum cenſorem, memorat in Elogiis Hominum Literator. P. II. p. 83, & Johannem Delphinum, patritium Venetum, Patriarcham Aqvilejenſem, qvem in Bellum Catilinarium

ſcri-

ſcripſiſſe refert p. 209. & 211. Notis politicis & hiſtoricis Salluſtium illuſtravit Chriſtoph. Ad. Rupertus, Noribergæ 1671. in 8.

Salluſtio atqve Ciceroni coævus, C. JULIUS CÆSAR, tot rebus maximis geſtis 9
æternum per univerſum orbem nomen adeptus, inter Auctores etiam Latinæ linguæ præcipuos locum haudqvaqvam infimum ſibi vindicat; nempe non minus inſigni facundiâ, qvam fortitudine exqviſitâ, clarus. Illum certe MANUTIUS Hiſtoricis Latinorum omnibus præfert, in *præfatione Commentarii in Cæſarem:* & LUDOV. VIVES, *in Lib. de Tradendis Diſciplinis*, adeo Cæſaris libros commendat, ut prima etiam ætate, una cum Epiſtolis Ciceronianis, legendos exiſtimet: qvem tamen ea in re haud immerito confutavit Joh. Schefferus *lib. de Stylo.* Sunt, qvi putent, librorum de Bello Gallico auctorem Cæſarem non eſſe, uti nec eorum, de civili ſive Pompejano: de prioribus id LUDOV. CARRIO, de poſterioribus FRANC. FLORIDUS SABINUS affirmavit, Julio nempe Celſo (qvi tamen ſeculi XV. Scriptor nonniſi recenſuit commentarios Cæſaris & emendavit) eos adſcribentes: qvos Ludovicus Caduccus male Oroſium ſecutus Suetonii opus eſſe, exiſtimabat. Verum iis omnibus ſatisfecit Gerh. Joh. Voſſius, *in Hiſtoricis Lat. l. I. c. 13. p. 62.* qvanqvam & jam olim Lipſius diſſenſum ſuum ad Carrionem non diſſimularit, Epiſtolic. Qvæſtion. l. II. ep. 2. [Hujus tamen, ut puto, Carrionis veſtigiis inhæſit auctor ridiculæ opinionis neſcio qvis; qvem Iſaacus Voſſius, prudentem cetera, magnæqve apud ſuos auctoritatis, vocat, ſibiqve in familiari congreſſu ſæpius affirmaſſe refert: ſcriptam à ſe, poſt plurium annorum cogitationes, luculentam de Cæſaris de Bello Gallico Commentariis diſſertationem; qvæ invictiſſimis argumentis omnia illa falſa eſſe evinceret: nec Cæſarem tranſiiſſe unqvam Alpes, nec vidiſſe Galliam. Qvæſitum vero, qvibus rationibus & teſtibus tantam rem peregiſſet? reſpondiſſe: mille teſtium loco, ad hoc probandum, ſuffeciſſe ſibi rectos bonosqve ſenſus, qvos ſemper ſeqveretur. *vid. Iſ. Voſſ. Reſponſ. ad objecta Crit. Sim. p. 336.* Sane vix poterat qvicqvam magis ab omni ratione bonisqve ſenſibus alienum excogitari: ſi modo ita cenſuerit ſerio qvispiam, & non joco Voſſius ſuis lectoribus imponat.] Stylum Cæſaris, qvem in commentariis adhibet, ſtrigoſum MASENIUS vocat: inepte ſane: non poterat enim alio ſermonis genere uti Cæſar, Commentarios ſcribens, qvibus ſucciplena aliqva Oratio non conveniebat. Et adeo qvidem nihil puriſſimæ Cæſaris Latinitati qvicqvam præjudicat iſtud Maſenii judicium, aut Lipſii qvoqve, qvi lib. IV. Poliorcet., Dial. IX, non nimium præclarè de illa ſentit, ut eis contra facile Qvintilianus, peritiſſimus dicendi magiſter, os obſtruat; cum lib. X. c. 1. Inſtit. ait: *C. Cæſar, ſi foro tantum vacaſſet, non alius ex noſtris contra Ciceronem nominaretur: tanta in eo vis eſt, id acumen, ea concitatio; ut illum eodem animo dixiſſe, quo bellavit, appareat. Exornat tamen hæc omnia mira ſermonis, cui proprie ſtudioſus fuit, elegantia.* Exprimendum ſibi è Græcis Cæſar haud infeliciter ſumſit Xenophontem. Fidem in Commentariis C. Cæſaris deſiderant nonnulli, qvos inter olim Aſinius Pollio inprimis multa deſideravit: ſed qvi aſſiduus erat optimorum qvorumvis calumniator,

non adeo à nobis attendi meret. vid. de ea re Voſſius pater *in Hiſtor. Lat. l. c.*, & Scheurl. *in Stat. Mercuriali, P. II. Sect. II. c. 9.* Septem de Bello Gallico libris Commentariorum Cæſaris octavum adjecit A. HIRTIUS PANSA, familiaris ejus, Balbo nuncupatum. Idem & Commentarios de Bello Alexandrino, & de Africano cum Juba, compoſuiſſe eo majore conſenſu creditur, qvod ipſemet in epiſtola ad Balbum à ſe ſcriptam bellorum eorum hiſtoriam fidem facit. Sed tamen, jam Suetonii tempore, dubitatum fuit, Hirtius an Oppius horum æqve & Hiſpanienſis bellorum in commentarios relatorum auctor ſit: ita tamen, ut Suetonius ipſe magis ad Hirtium propendere videatur. *vid. Sueton. Cæſ. c. 56.* Hiſpanienſe bellum à Balbo deſcriptum ſuſpicatur Voſſius. Idem Julii Celſi Commentarios de Vita Cæſaris, an. 1473. editos, primus indicavit. (Clar. Grævius vero in elegantiſſima Cæſaris editione nupera A. 1697. in 8. denuo eos edidit.) Græcus librorum de Bello Gallico interpres, qvem, ex Bibliotheca Pauli Petavii, primus Gothofr. Jungermannus edidit, num Theodorus Gaza, an vero Maximus Planudes, ſit, ambigit, in lib. de Claris Interpr., Huetius; ita tamen de illa judicat, ut nec impuram dicat eſſe, nec invenuſtam. Prodiit illa Jungermanniana Cæſaris variorum (Henr. Glareani, Aldi Manutii, Franc. Hotomanni, Joh. Brantii, Andr. Schotti, Fulvii Urſini, aliorumqve, & ipſiusmet Jungermanni,) Commentariis integris illuſtrati editio Francofurti 1606. in 4., etiam 1669, ſed parum feliciter, recuſa. Plurimæ vero ſunt Cæſaris editiones aliæ, Aldinæ, Gryphianæ, Plantinianæ, Baſileenſes Pariſinæ, &c., qvas recenſere hîc nimis longum foret. Ex recenſione Joſ. Scaligeri prodiit Cæſar Lugd. Batav. 1606. in 8. ſæpe per Germaniam, ſed, ut fit, infelicius ſemper recuſus. Cum variorum ſelectis notis Cæſarem Arnoldus Montanus Lugd. Bat. 1651. & 1680. in 8. dedit: in uſum Delphini Pariſ. 1678. Joh. Godwinus. Dedit etiam ſuperiore ſeculo Cæſaris Commentaria, à ſe emendata, ſuisqve & Hotomanni commentariis illuſtrata, Jac. Strada, Francof. in fol., qvæ editio plane egregia eſt. Ineditas Dionyſii Voſſii notas in Cæſarem Iſaaci fratris bibliotheca latuiſſe, Colomeſius in Opuſculis p. 141. refert. Silentio autem hîc prætermitti non debet inſigne plagium Fulv. Urſini, qvem ſuas in Cæſarem notas maximam partem Petro Ciacconio, amico, debuiſſe, &, illius tacito nomine vulgaſſe, jam olim Joh. Brantius, & ex eo Thomaſius Diſſ. *de Plag. Liter.* §. 583, annotavit. Namqve, ut erat Ciacconius in emendandis Auctoribus mire ſagax, adeo, ut, dicente Erythræo Pinac. I. p. 192., Auctorum eorundem animi immigraſſe qvaſi in ipſum, ſuamqve illi de iis rebus, qvæ erant in qvæſtione, ſententiam qvodammodo aperuiſſe, viderentur: ita nihil minus erat, qvam ſuarum rerum ambitioſus aut invidus, ſed cum amicis qvam lubentiſſimè omnia communicavit. Ita factum, ut & ad Fulvium notæ in Cæſarem pervenirent: qvas cum, poſt Ciacconi mortem, ab Andr. Schotto Joh. Brantius accepiſſet, ſuo domino à Fulvianis ſeparatas reſtituit. Ceterum eſt qvædam Italica Operum Cæſaris translatio, ab Andr. Palladio, architecturæ civilis & militaris peritiſſimo Viro, adornata, editaqve Venetiis 1619. in 4, qvæ maximi habenda eſt, omnibus qvippe commentariis accuratior meliorqve, ob exqviſitam rerum & actionum per imagines repræſentationem. [Parem imaginum curam Clar. Grævius

qvoqve

qvoqve geſſit in poſtrema, qvam nuperrimè dedit, Jul. Cæſaris nitidiſſimâ editione, A. 1697., una cum Jul. Celſi libro de vita Cæſaris, Ultrajecti, uti diximus, emiſſa.]

Ante Cæſaris dictaturam, eo Dictatore, & poſtea, vixit CORNELIUS NEPOS, 10 M. Tullii amicus, familiarisqve, teſte Gellio, optimus Latinitatis Auctor, è cujus tot ſcriptis, qvæ apud Veteres laudantur, & qvorum hiſtoriam accurate Voſſius expoſuit *Hiſt. Latin. l. I. c.* 19, nonniſi *Vitæ illuſtrium Imperatorum*, nec ea qvidem integræ, hodie ſuperſunt: ſiqvidem qvæ de Romanis Imperatoribus ſcripſit, excepta Attici Vita, & Catonis Vitæ compendio, perierunt. Vulgo *Æmilius Probus* dicitur, & ſub hoc nomine veteres aliqvot editiones prodierunt: ſuntqve haud pauci, qvi Æmilium auctorem putant eſſe Vitarum, qvæ exteros Imperatores ſiſtunt. Sed eos vehementer falli, & Æmilium Probum librarii fuiſſe nomen, qvi Cornelii Nepotis vitas Theodoſio Imp. obtulit poſt Savaronem, Voſſius l. c. oſtendit. Idem, tacito qvidem nomine, Barthium confutat, exiſtimantem, Vitas illas Cornelii ab Æm. Probo in compendium eſſe redactas, ſolamqve Attici vitam integram adhuc atqve genuinam ſupereſſe: qva in re multum falli Barthium, nec operis concinnitatem ævum Theodoſianum admittere, non Voſſius ſolum oſtendit: ſed & Janus Gebhardus, in Spicilegio ſuo ad præfationem Corn. Nepotis, & in Not. ad vitam Datamis: Scioppius qvoqve, naſutus adeo veterum Auctorum cenſor, nihil in Nepote reperit, qvod ſeqviorem ætatem ſpiret. Utinam haberemus ceteros ejus Auctoris libros Chronicorum, Exemplorum, librum Illuſtrium Virorum, qvi ſcriptis inclaruerunt, qvalem de Hiſtoricis Græcis ſe ſcripſiſſe in vita Dionis auctor eſt, & de Latinis Hiſtoricis, alium ab illo ſtructum, tùm ex antiqvo Gifanii qvodam Codice, tùm ex rationibus aliis, Voſſius obſervat: neqve dubitat, vitam Attici, Ciceronis, ampliorem Catonis, ſingulas ejus libri partes fuiſſe. Qvicqvid ejus ſit, haberemus utiqve, ſi modo ſupereſſent plures præſtantiſſimi Scriptoris fœtus, magnos hiſtoriæ & Latinitatis theſauros. Prodierunt Opera Nepotis, qvæ ſuperſunt, cum emendationibus & notis Dion. Lambini, Pariſ. in 4. 1569., qvanqvam Obertus Gifanius multum de ſurreptis ſibi à Lambino per plagium notis ſuis conqveſtus ſit: qva de re vid. Thomaſius *de Plagio Liter.* §. 448. *lit. e.* In colligendis fragmentis Nepotianis omnes facile vicit Andr. Schottus, à cujus manu eximiam habemus Nepotis editionem, Francofurti in fol. 1609. excuſam. Eodem loco anno præcedente 1608. Vitæ Imperatorum Cornelii, cum notis Lambini, Guyb. Longolii, Hier. Magii & Joh. Savaronis, lucem aſpexerunt. Savaroniana editio primo Pariſ. minutiore forma An. 1602. prodiit. Jani Gebhardi Lugd. Bat. 1644. in 12. & Lipſiæ An. 1653. Joh. Henr. Boecleri editio ſexies minimum prodiit Argentorati: nam hoc ipſe in præfatione teſtatur ſextæ ſuæ, An. 1656, cum egregio Commentario pragmatico, ut ſolent eſſe Bœcleriani, & indice doctiſſimo, excuſæ. Indicem illum Bœcleri Vorſtius augere voluit, falſa ſe etiam expunxiſſe, & transpoſita ſuis locis reddidiſſe, gloriatus in præfat. ſuæ editionis, A. 1662. Lipſiæ in 8. vulgatæ: ubi multa de Corneliani, aliorumqve indicum, defectu habet. Enimvero malam ea re gratiam iniit apud Bœclerum, qvi multa reprehendit in hoc indicis ſui augmento, *præfatione Comment. ſui in Vellejum.* Apud

Bata-

Batavos cum notis variorum, Rob. Keuchenio curante, in lucem emiſſus eſt Nepos Lugd. Bat. 1675. in 8. qvo ipſo anno Pariſiis, in Delphini uſum, Nicol. Courtin eundem edidit. Eſt & qvædam hujus anni Oxonienſis editio, è Theatro Sheldoniano profecta, qvæ reliqvis Græcorum Impp. ex MSS. vitam Ariſtomenis Meſſenii additam habet. Aug. Buchneri notulæ, cum qvibus aliqvoties excuſus Cornelius eſt, ab Auctore minime videntur eum in finem ſcriptæ, ut ederentur: ſiqvidem nuda tantum eſt paraphraſis Latina atqve Germanica. Omnium vero Nepotis editionum abſolutiſſima mihi videtur, qvam adornavit JOH. ANDR. BOSIUS, ſecunda vice, cum luculentiſſimo indice, ſuisqve notis edita Jenæ in 8. 1675. [Commodiſſima etiam eſt, qvam ad juventutis uſum, Chronologicis atqve Geographicis tabulis, notisqve novis, inſtructam emiſit Clar. CHRISTOPH. CELLARIUS Lipſiæ 1689. in 12.] Pomponii Attici vitam ſeparatim, cum notis, Gloſſario, & Nomenclatore, Henr. Ernſtius apparavit Lugd. Bat. 1637. in 16. *Daretis Phrygii*, qvi circumferuntur, de *Bello Trojano libros VI.* à Corn. Nepote translatos crediderunt olim nonnulli: nemo hodiè, cum omnes immane dictionis diſcrimen videant: ut adeo Voſſius haud abs re in Glandorpio id credente judicium deſiderarit: *de Hiſtor. Lat. l. III. p. 701.* Interim ex hac de Nepote, Daretis interprete, fama erronea error alius, atqve is multo gravior, ortus eſt: ut nempe Cornelio adſcriberetur *Carmen heroicum libris VI. hiſtoriam Belli Trojani pandens*, exprimensqve Daretem, cujus Auctor prima etiam facie ſeſe prodit recentiorem, qvanqvam non indoctus ille ſit, imo ſæpe plusqvam opus erat argutulus: cujus Cenſuram inſtituit Maſenius *in Palæſtra Eloq. Ligatæ, l. II. c. 6. & 14.* Eſt vero is auctor Joſephus Iſcanus, ſive Devonienſis, vel Devonius, ſive demum Exceſtrienſis (omnibus enim iſtis nominibus compellatur, videriqve poteſt ratio illorum apud Voſſium *l. c. p. 450,*) ſub initium Seculi XIII., Johanne tum apud Anglos ſceptra moderante, clarus: Balduino Cantuarienſi ArchiEpiſcopo, patrono ſuo, & hos, & alios libros plures, nuncupans. Adeo magni vero iſtud Iſcani de bello Trojano carmen, tot figuris atqve deſcriptionibus ornatum, facit Gabr. Naudæus, in Addition. ad Hiſtoriam Ludovici XI. p. 149., ut cum Joviano Pontano & Hier. Fracaſtorio ejus Auctorem comparet. Fatendum tamen, qvanqvam in illo ſint non pauca, qvæ laudem, præſertim in ea ſeculorum barbarie, juſtiſſimam utiqve merentur, longe tamen ineſſe plurima frigida atqve affectata. Primus illud Poëma publicavit Albanus Torinus, Baſil. 1541. in 8, noſtro autem ſeculo A. 1620. cum notis Samuel Dreſemius, Dithmarſus: qvi &, in præfatione ad lectorem, de Iſcano auctore multa habet.

11 De TITO LIVIO, hiſtoriæ Latinæ principe indubio, aurei Auguſtei ævi maximo ornamento, & in qvo grandior ſublimitas dictionis cum lactea ubertate ſummum fere apicem conſecuta videtur, eo nobis nunc brevioribus eſſe licet, qvo plenius de illius ſermone, libris, deperditorum ſpe vel exigua vel nulla, monumentis, æmulis, Criminatoribus, &c. in Diſſertatione ſatis ampla *de Livii Patavinitate* egimus, qvam hîc in compendium contrahere plane non lubet. Tantum *de editionibus* qvædam commemorabimus. Omnium primæ ſunt Romanæ duæ, qvas eodem tempore bini

Italiæ

Italiæ Epiſcopi, Joh. Andreas Alerienſis, & Joh. Anton. Campanus Interamnienſis, adornarunt dederuntqve novo tunc imprimendi artificio excuſas, ille an. 1470. hic 1471. & 1472. Iſtas inſecutæ ſunt Mediolanenſis An. 1478. Tarviſina à Luc. Porro recenſita 1482., Venetæ duæ apud Barth. Zanetum una à Porteſio An. 1498. & altera à Georg. de Ruſconibus, Mediolanenſi, 1501. procurata. Inde Jodocus Badius, Aſcenſius, Pariſ. A. 1513. munitam variis lectionibus Livii editionem exhibuit: Et, cum omnes hactenus editiones in libro 33. & magna parte qvadrageſimi, finiiſſent auctorem, Moguntinenſes An. 1618. ediderunt, Ulr. Hutteni & Eraſmi Epiſtolis honeſtatam. Eodem anno, & inſecutis duobus, Aldina minoris formæ III. tomis apud Aſulanum excuſa eſt, cum qvamplurimis optimæ notæ Codicibus collata: qvam hæredes Phil. Juntæ Florentiæ A. 1522. denuo expreſſerunt. Poſt has Editiones memoranda præcipue Baſileenſis Frobeniana A. 1535, qvæ non ſolum tres Decades, ab aliis jam excuſas, ſtitit, ſed & dimidiam qvartam è monaſterii Lauriſſeni bibliotheca erutam: curam gerentibus Sim. Grynteo, Eraſmo & B. Rhenano, una cum Notis virorum doctorum qvorundam, & Chronologia Henr. Glareani. Exinde epitomas amiſſorum librorum, qvas reliqvi hactenus neglexerant, ſtudioſè adjecit, Liviumqve omnem, ſerio caſtigatum, ſuis ſcholiis & nova Chronologia illuſtravit, Car. Sigonius, operæ impenſas ferente Paulo Manutio, Venet. 1555. qvi denuo editionem iſtam A. 1566. repetiit, demptis tamen nonnullis Sigonii ſcholiis, & interſperſis aliqvibus Franc. Robortelli atqve Glareani: hæc tamen iterum omiſit Aldus nepos, & Sigonianam editionem ſolam tertiùm expreſſit A. 1592. Manutianum textum expreſſerunt qvoqve Francofurtenſes, & notas variorum Virorum doctorum adjecerunt Tomis II. in fol. 1578. Aliæ ſunt Francofurtenſium editiones, qvæ Jani Gruteri nomen præſcriptum habent in fol. & in 8. 1619, ſed qveis non adeo multum ejus curæ acceſſit, cum, ob abſentiam viri docti, mendoſiſſimè excuderentur. Adjectæ ſunt illis editionibus notæ in Livium Wilhelmi Godelevæi, cum qvibus antea Londini A. 1589. in 8. jam excuſus erat. Tranſeo nunc editiones alias Francofurtenſes, Baſileenſes, Argentoratenſes, Lugdunenſes, Pariſienſes (niſi qvod ex his ultimis unicam Mich. Vaſcoſani de anno 1551. commemorabo,) & qvæ aliis etiam in locis infinitæ propemodum excuſæ ſunt. Lib. XL. III. initium, qvod ad eum uſqve diem deerat, è Bambergenſi qvodam pervetuſto Codice, eruit A. 1615. Joh. Horrion, Jeſuita illius loci, qvi deſcriptum illud Barthol. Urbinati transmiſit, hujus cura mox Venetiis, cum notulis, Ant. Qværengi, editum: ſed An. 1617. ipſemet Horrion inventor, emendatius multo fragmentum illud Paderbornæ, tacito licet ſuo nomine, vulgavit. Et qvanqvam Voſſius, *in Hiſt. Lat. p.* 94., fucum feciſſe Horrionem non dubitet, nec genuinum eſſe Livii fœtum partem illam credat; vindicat tamen illam animoſè Joh. Frid. Gronovius, Vir eruditiſſimus, & cui uni Livius longe plurimum debet, *in præfat. ſua edit.* in qva & magno ſtudio Livianas editiones recenſet, & de ſuo inſtituto ita diſſerit, ut nihil ab eo eſſe prætermiſſum, qvod ad ornandum ullo modo Auctorem præſtantiſſimum pertinere exiſtimabat, facile videas; idqve magis adhuc, ſi textum ipſum atqve notas evolvas. Ter autem editio Gronoviana ſemper emendatior niti-

diorqve in lucem prodiit: primò qvidem in 12. an. 1645. 4. vol., tum tribus in 8. maj. A. 1665, ſubjectis unicuiqve paginæ, non (ut in prima editione factum) ſeparatim excuſis notis Gronovii, qveis Sigonii integræ, & ſelectæ Variorum adjiciuntur: demum tertia vice A. 1679, eádem formâ, filio Jacobo obſtetricante, edita eſt, & ab hoc etiam adjectæ notæ novæ. (Nec vero dubium, qvin idem Vir. Cl. JAC. GRONOVIUS, ſi qvando forte nova editione repeti Livius opus habeat, eum multo emendatiorem adhuc editurus ſit, cum Marqv. Gudii Livium, cum triginta circiter MSS. codicibus ſtudioſiſſimè collatum, interea nactus ſit, ingens novæ editionis adjumentum.) Ante Gronovium Dan. Heinſius qvoqve in reſtituendo Livio laboravit, & recenſitum à ſe ex officina Elzeviriana tribus tomis in 12. A. 1634. emiſit, qvæ editio A. 1653. repetita eſt. His omnibus tamen editionibus præſtat adhuc Pariſina, in Delphini uſum à Joh. Doujatio luculente admodum, tomis V., A. 1678, 80. & 81., adornata: qvæ, præter interpretationem vocum difficiliorum, notas tàm Criticas, qvàm Hiſtoricas aut Philologicas, Effigies clarorum Romanorum è numis petitas, faſtos magiſtratuum, aliaqve ad illuſtrandum Livium pertinentia, Supplementa etiam Liviana integra, à Joh. Freinshemio CV. libris adornata, continet. Nempe, cum maxima Operum Livianorum pars interciderit, absqve etiam magna recuperandi ſpe; medelam ingenti jacturæ haudqvaqvam vilipendendam attulit JOH. FREINSHEMIUS, & ex aliis Scriptoribus, ſtilo non inconcinno *Supplementa Liviana* ſtruxit: qvorum qvidem libros X. primos, ſecundæ Decadis Supplementum, Holmiæ A. 1649. in 12. Chriſtinæ Suec. Reginæ nuncupatos, edidit: redux ex itinere munereqve Suecico, decem illis, jam editis, 50. alios adjecit, nempe Decadis qvintæ dimidium, tum integras ſextam, ſeptimam, octavam, nonam, decimamqve dimidiatam, Argent. A. 1654. recuſas ibidem 1672. in 4. Reliqvos autem 45. libros, decadis decimæ partem poſteriorem, tum undecimam, duodecimam, decimam tertiam atqve decimam qvartam, cum apud Hæredes diu in ſcriniis delituiſſent, ab iisdem redemtos, tandem DOUJATIUS publicavit: ut adeo juſtum nobis hiſtoriæ Romanæ Syſtema dederit; Priores 60. libros Freinshemianos Gallicè qvoqve, una cum Livii operibus tranſtulit Gallus auctoris hujus interpres, Petrus Ryerius, Lugduni A. 1663. in 12. tom. XIV. Italâ veſte Livium induit Jac. Nardus, Venet. in fol. 1554. Germanicæ etiam verſiones Livii duæ ſunt, Zachar. Münzeri, una Hanov. A. 1568. fol., & recentior altera Argentinenſis A. 1574. cui nomen Interpretis additum non eſt. Hæc de editionibus atqve translationibus Livianis: nunc de *Vitæ ejus hiſtoria* duobus verbis qvædam annectemus. Sebaſtianum Maccium de Hiſtoria Liviana volumen integrum, idqve ſatis amplum, ſcripſiſſe Jan. Nic. Erythræus Pinac. I. imag. 152. teſtatur. Vitam Livii ſingulari etiam libro deſcripſit Jac. Phil. Thomaſinus, in qvo magno cum apparatu recenſetur fabula de brachio Livii reperto, & Patavii denuo non ſine magna pompa ſepulto, exſtructo etiam unà monumento: qva de re Laur. Pignorius qvoqve in Originibus Paduanis, Ital. Idiomate ſcriptis, agit. Verum non recte cepiſſe bonos illos Viros inſcriptionem, qvæ de Livio qvodam liberto agit, primus illos Marq. Gudius monuit, cui tamen aurem non præbuêre, ne ſcilicet pretioſum antiqvitatis κειμή-

λιον

λιον ipſis interiret. Aliter tamen ſenſit Gronovius, qvi, cum in prima editione inſcriptionem iſtam propoſuiſſet, monitus in iterata delevit. Conf. Voſſius *de Hiſtor. Lat. l. I. c.* 19. & Scheurlius *Stat. Mercur., P. II. Sect. II., c. 9. p. 125. ſeq.*

Ab Hiſtoricis aureæ ætatis ad Poëtas vel pergimus, vel revertimur, poſtqvam 12
ſcilicet ſupra jam de eorum aliqvibus dictum eſt. Primum vero hîc nominamus celebrem Epicureæ Philoſophiæ ſectatorem, TITUM LUCRETIUM CARUM, cujus *de Rerum Natura libros VI.* per intervalla furoris, è poculo amatorio contracti, ſcriptos, & à Cicerone poſtmodum emendatos, habemus. Latinitatem ejus tanti æſtimavit Jos. SCALIGER, ut eô ne qvidem eſſe meliorem Latinæ linguæ Auctorem judicaverit *Prim. Scalig. p.* 104. Utrum plures qvam VI, qvi ſuperſunt, libros ſcripſerit, qvod contra aliorum opinionem Lambinus probatum it, in medio relinqvimus: illud haud dubie verum eſt, graviter, eleganter & docte ſcriptos eſſe libros, qvos habemus, qvod CONR. GESNERI judicium eſt: nec deſunt, qvæ ad loca Ciceronis atqve Qvintiliani, Lucretio facilitatem ſermonis & ingenium abrogantia, obverti poſſunt; prout inter alios monet Henr. Jul. Scheurlius Stat. Mercur. P. II. Sect. II. c. 5., de Lucretio prolixe agens. Primus Lucretium è veteribus membranis *edidit* Hieron. Avantius apud Aldum Venet. A. 1500. in 4. & 1515. in 8. inde Florentiæ atqve Baſileæ recuſum: ſed, cum mendis pene infinitis ſcateret, medicas illi manus admovere cœpit Mich. Marullus, ipſe tamen audaci nimis correctione plurima corrumpens; ſed in aliqvibus interim non infelix. Poſt hunc idem Joh. Bapt. Pius tentavit: cum cujus Commentario Lucretius A. 1514. ap. Jod. Badium Pariſ. editus eſt in fol. Utroqve longe fuit felicior Dionyſ. Lambinus, qvi edidit probe caſtigatum à ſe Lucretium cum commentariis Pariſ. in 4. 1563. Hanc editionem Gifaniana ſecuta eſt: ab Oberto nempe Gifanio mille locis emendata, notis ac inprimis indice copioſiſſimo, inſtructa Antwerp. 1566. in 8., & Lugduni Batav. apud Raphelengium 1595. recuſa: qvi etiam multa in illa editione præſtitiſſe ſibimet ipſi viſus eſt; verum peſſimè cum illo labore ſuo exceptus Gifanius, triplicisqve plagii reus verbis atqve carminibus mordaciſſimis a Jano Douſa & Lambino actus; ac ſi nempe, in emendando Lucretio, ſcrinia Lucæ Fruterii, (popularis ſui erudit iſſimi juvenis, Brugenſis, qvi moriens commentationes ſuas amico Gifanio publicandas commiſerat,) Victoris Giſelini, ipſiusqve adeo Lambini, compilaſſet: qva de re prolixe admodum Thomaſius Diſſert. *de Plagio Literar.* §. 345, 446, 447. 448. agit, ipſe ad excuſandum in lite cum Lambino Gifanium eo promptior, qvo iniqviorem callidioremqve illius animum ex epiſtolis Mureti atqve Gifanii mutuis collegit. (Enimvero, etſi de Lambini maligno etiam animo nobis conſtet, non minor tamen impudentia Gifanii qvoqve fuit, ſi Scaligerum audias, in epiſtola ad Scip. Gentilem, qvæ eſt in Appendice Gudianarum XXV., p. 356. ita ſcribentem. *Audio Gifanium teſtamento ſua opuſcula & lucubrationes Rittershuſio legaſſe ea conditione, ut ab eo ederentur. Memini me ante biennium illi longam epiſtolam ſcripſiſſe, in qva non ſolum locos Lucretii, de quibus conſuluerat me, explicabam, ſed & multa alia adjeceram, quibus editionem Lucretianam exornaret: quam, tametſi ac-*

cepiſſet, tanta tamen fuit ejus impudentia, ut negaret, ad ſe perveniſſe. Idque ſemper ſolebat facere, ut ſibi attribueret ea, quæ ab aliis didicerat, & ſi quis plagii eum poſtulare vellet, haberet ἀπολογίαν *paratam, ſe nullas literas accepiſſe. Bis terve auſus eſt apud amicos noſtros queri ſe nihil literarum à nobis accepiſſe, qui omnes, quas illi ſcripſi, rectè accepit. Sed eum hominem nunquam fuiſſe puto, qui & in illis ſordibus, quas omnes norunt, vixit, & nullum amicum ſibi quæſivit, & qui bene de illo meriti erant, illis ſe quoque nihil debere profitebatur. Intereſt tamen Reip. literariæ, ejus lucubrationes edi. Fuit enim doctior, quam probior, & nos ejus doctrinam probamus, mores exſecramur.* Hæc Scaliger, qvi ferme eadem de Giſanio in Excerptis Puteanorum narrat, ſordidam inprimis ejus avaritiam in magno divitiarum apparatu dominantem perſtringens, ſed Lucretium tamen magni æſtimat. Poſt ejus mortem, ait, Jeſuitam neſcio qvem complures ſchedarum Giſanianarum ſurreptas Romam abſtuliſſe.) Ceterum Lambini editio multoties qvoqve repetita eſt, cum in tertiæ demum præfatione Giſanium ſit aggreſſus, & illam tamen ante annum 1569. prodiiſſe neceſſe eſt, qvo ipſo nempe hic de illata ſibi gravi injuria qveritur ad Muretum. Editionem Pariſienſem An. 1570. expreſſit Françofurtana A. 1483. in 8. Noſtro ſeculo Dan. Pareus Lucretium, cum notis ſuis, atqve Lexico elegantiarum Lucretianarum, in lucem emiſit Francof. 1631. in 8. ſed Lexicon iſtud maximam partem è Giſanii indice compilatum eſt. Poſt hunc Johannes Nardus Florentiæ A. 1647. in 4. Lucretium, paraphraſtica explanatione, & annotationibus illuſtratum, dedit, phyſicè tamen magis, qvàm philologicè, commentatus. Exinde ſtrenuam, in emendando Lucretio, operam navavit Tanaqvil. Faber, cui debemus Poëtam iſtum, Salmurii A. 1662. in 4. typis exſcriptum, & Fabri annotationibus expolitum. (Editionem illam, absqve tamen Fabri notis, additisqve Mich. Fayi argumentis librorum, minuto admodum charactere, repetiit Neapoli Bulifonius A. 1693. in 12.) Prodiit & apud Belgas Lucretius. In uſum Delphini Michaël Fayus eundem apparavit Pariſ. 1680, (infeliciſſime tamen iſtud negotium aggreſſus, cenſente nupero Lucretii editore, Thoma Creechio, qvi rejecta Fayi barbara, ut vocat, interpretatione, novam paraphraſin atqve notas uberiores adjecit; præter ceteros interpretes bonæ notæ Giſanium, Lambinum, & alios, inprimis etiam ſecutus Gaſſendum, qvippe qvem lucem maximam Lucretio, in ſuo de Epicuri Philoſophia Opere, affudiſſe rectè animadvertit. Prodiit illa Creechii Editio Londini A. 1695. in 8. cum ante 13. A. 1682. ibidem Anglica ejusdem verſio prodiiſſet, magno Anglorum omnium applauſu. Gallicè poëtam illum, cum notis ſuis, edidit Baro de Coutures Pariſ. 1685. in 8.)

13 Prodeant nunc Triumviri amorum, puriſſimi neqvitiarum Scriptores, C. VALER. CATULLUS, ALBIUS TIBULLUS, & SEXT. AUR. PROPERTIUS, in qvibus ſane omnia ſunt mollicula, delicatula, terſa, limpidæqve Latinitatis. Ut à Catullo incipiam, nolo prolixior eſſe in ejus elogio, non poſſum tamen præterire ſtultos cenſores, & inter illos præcipue JACOBUM GADDIUM, qvi libro ſuo *de Scriptoribus Non-Eccleſiaſt. T. I. p.* 125. ita loqvitur, vel rudit potius: *Majoris famæ ac exiſtimationis poëta*

quam

quam præſtantiæ & molis, cum pauca poëmatia ediderit. Docti nomen obtinuit, cujus rationem ignoro, & liberè fateor ignorantiam meam. His ita pro inſigni ſapientia ſua dictis, Pet. Victorii judicium de Catullo carpit, qvi Var. Lect. l. XXIV. c. 15., *Catullo nihil ingenioſius, nihil expeditius, excogitari poſſe*, dicit. Gaddius contra iterum p. 186. ſub Florido Sabino: *Judicarem doctum*, ait, *Catullum, ſi non legiſſem ejus carmina, in quibus nullam inveni doctrinam.* Sed nos hominem illum inficetum cum bellis ſuis judiciis valere jubebimus, qvi ad cenſuram de poëtis ferendam æqvè aptus eſt, ac aſinus ad lyræ cantum judicandum. Firmiora ſunt tot ſeculorum teſtimonia, à qvibus *Docti* cognomen velut proprium Catullus indeptus eſt, tot eruditiſſimorum Virorum judicia, qvàm ut turbare nos poſſit aliqvis Gaddius. Cum qvo eandem fovit ſententiam ſeu furorem JOHANNES CIAMPOLUS, qvi cum Virginio Cæſarino & aliis, inito qvaſi fœdere, vetera, pura atqve incorrupto nitore fulgentia contemnens, ea de cauſa in Catullum qvoqve graviter invectus eſt, ſed neminem ſapientem movit: vid. *Erythræi Pinac. III. p.* 214. JUL. CÆS. SCALIGER, Docti nomen male Catullo eſſe ab antiqvis tributum, autumavit, cujus rationem ignorat ipſe, & nil niſi vulgare reperit. Verum ei reſpondit Henr. Jul. Scheurlius in *Stat. Mercurial.*, *P. II. Sect. II. c.* 6., & Catullum ex merito defendit; qvem alibi ipſe etiam ille Scaliger contra Cardanum ſtrenue tuetur Exerc. 341. de Subtil. Aſt tamen non audiri MURETUM cupio, qvi, perverſo qvodam affectu raptus, ita extollit Catullum in epigrammate & elegia, ut omnes alios præ illo contemnat. Martialem, ſi cum illo comparetur, vocat aliqvem è trivio ſcurram; plane ut Ovidii elegias Victorius neſcio cujus barbariſmi, vernilitatis & affectationis, incuſat: Hi vero diſtinguere non norunt inter elegiæ naturam, & inter dictionis characterem: utut enim Catullus ſuperet dictionis puritate, epigrammatis tamen genio ſuperatur. ANDR. NAUGERIUS, nobilis & poëta Italus qvotannis ſolenne inſtituebat, qvo Manibus Catullianis tria exemplaria Martialis, velut victimam, immolabat. JOSEPHUS SCALIGER, Jul. Cæſ. F., *nunquam plura apud ullos auctores ſe legiſſe* dicebat, *quæ ſe magis ad interpretationem S. Literarum ducerent, quam apud Ariſtophanem, Catullum, Tibullum, Propertium, & ejusmodi ſalaciſſimos auctores. Prim. Scaliger. p.* 20. ad qvæ verba Tanaq. Faber annotat, reſpexiſſe Scaligerum haud dubie ad locos nonnullos Moſis, Canticum Canticorum, Hiſtoriolam, qvæ in libris Regum eſt, librum Ruth, verſiculos aliqvot epiſtolæ ad Romanos, & ſimilia. Verum nimis profanè locutus uterqve eſt: nec decent Chriſtianos iſtiusmodi cogitationes: neqve verum eſt, ſi demum è laſcivis iſtis ſtercoribus auri qvid forte peti poteſt, è profanis Scriptoribus aliis non multo etiam plura, ad S. Scripturæ illuſtrationem, hauriri. De Catullo alias pluribus agunt Vives p. 541. Bœclerus de Scriptor. Gr. & Lat. p. 43. ſeq., Barthius in Adverſariis paſſim, lib. LII. c. 15., l. VIII. c. 22., & alibi. Idem de Tibullo l. IX. c. 19., de Propertio l. XXXII. c. 9., Catullum primus è tenebris eruit, judiceqve Barthio, ex membranis vetuſtis, bona fide exhibuit, ſimul & recenſitum ſuis commentariis illuſtravit, Ant. Parthenius, Laciſius, Veronenſis, Venetiis A. 1488. per Andream de Pataſcichis excuſum. An. 1493. recuſa editio iſta ibidem eſt, additiqve

tiqve Tibullus cum Benardini Veronenſis, & Propertius cum Phil. Beroaldi Commentariis. Hinc ſecuti Commentatores alii magno numero: & ut plurimum junctim triga iſta Poëtarum lucem aſpexit. Sic illos edidit, ſuis commentariis & ſcholiis illuſtratos, Muretus apud Aldum jun. Venet. 1562. in 8. Joſ. Scaliger, cum caſtigationibus eruditiſſimis, qveis tamen, ut ipſe jurat, nonniſi Menſem unicum impendit, ex officina Patiſſoniana Pariſ. 1577. in 8. Junctim deinde horum duumvirorum labores Antvverpiæ 1582. in 8. recuſi ſunt: Scaligeri etiam apud Commelinos Heidelbergæ 1600. auctiores. Interea etiam cum Achillis Statii, Luſitani, commentario Catullus impreſſus eſt Venet. 1566. in 8., & è recognitione Jani Douſæ Lugduni Bat. apud Raphelengium 1592. in 12. Indicem in tres hos Poëtas laborioſiſſimum Horatius Tuſcanella compoſuit, emiſitqve cum iisdem Baſileæ 1569., recuſum Hanoviæ 1608. in 8. ſed rectè Bœclerus illum indicem magis laborioſe, qvàm erudite, ſcriptum judicat. Vaſtiorem adhuc indicem, & præterea vaſtum qvoqve commentarium & abſolutiſſimum, in eosdem Poëtas ſcripſit Joh. Paſſeratius, Pariſ. in fol. A. 1608. emiſſum; qvo Opere nihil perfectius eſſe viſum Scioppius cenſet. Joh. Livineji & Jani Gebhardi Commentarios, cum indice Tuſcanellæ, Catullo, Tibullo atqve Propertio adjunxerunt Francofurtenſes A. 1621. in 8. Omnium Commentarios, notas, obſervationes, emendationes, paraphraſes, in unum corpus congeſſit Pariſienſis typographus, Ourrius, An. 1604. in fol. Apud Belgas cum variorum notis Triumviros noſtros procuravit Simon Abbes Gabbema, Friſius: multo accuratiorem vero editionem, cum integris aliqvorum & nonnullorum ſelectis notis, exhibuit Clar. Grævius Lugduni Batav. An. 1680., qvi in præfatione rationem inſtituti abunde aperit. Poſt hos omnes novo commentario Catullum explanavit Iſaac. Voſſius, & inprimis bene de illo meruit Londini 1684. in 4., apud Belgas paulo poſt repetitum ſuum laborem videns. Moliebatur ſimilem in Tibullum atqve Propertium, ſed non dedit. In Delphini uſum Pariſiis 1685. omnes tres ita publicavit Philippus Sylvius, ut obſcœna, qveis ſcatent iſti amorum impuriorum magiſtri, & ob qvæ merito Chriſtianis excíſi ſunt, è corpore ipſo carminum reſecaret, & ſub finem libri adjiceret; qvâ re num conſuluerit magis caſto pudori, an laſcivam ſalacitatem juviſſe etiam haud parum videri qveat, aliorum eſto judicium. De Tibullo atqve Propertio illud præterea annotandum, Elegias illorum, plerumqve more Græco ſcriptas, ad venuſtatem Ovidianam haudqvaqvam accedere: deeſt enim ornatus ille figurarum & argutiarum; qvem dum alii Victorius, Muretus, Vavaſſor, reprehendunt, male judicant. Epiſtolia amatoria, qvæ lib. IV. carminum Tibulli extant, & à nomine Sulpitiæ ordiuntur, Barthius Adverſar. l. LIX. c. 16., p. 2811. cum à Tibulli ſtylo plane abſcedere, ſeculumqve aliud ſapere, videret, Sulpitiæ illius poëtriæ eſſe ſuſpicatur, qvæ ſub Domitiano cum marito ſuo Galeno clara fuerat, & cujus ſatyra apud Juvenalem & Auſonium reperitur.

14 Incedat poſt hos Phœnix ille poëtarum Latinorum, P. VIRGILIUS MARO, cujus tot ſunt Editiones atqve Commentatores, ut numerari vix poſſint: tot nempe circumducit ille ſecum aqvilas, philomelas, ſed & addo regulos & graculos atqve pi-

cas: non enim omnes, qvi in illum ſcripsêre, paris præſtantiæ ſunt. Nihil vero ſapit in poëticæ eruditionis genere, cui Virgililius non ſapit: qvem, præter Poëticæ facultatis laudem, ad qvam adſpirare nemini licet, in omni doctrinæ & eruditionis genere excelluiſſe, peculiari libro, eoqve ſatis amplo, oſtendit SEBAST. MACCIUS, de qvo vid. Erythræus, Pinac. I. imag. 152. Fuere qvidem, & olim, & noſtro tempore *Virgilioma-ſtiges* nonnulli, ingenio non deſtituti, ſed nullius plane judicii. Militant contra pro Virgilio omnium ſeculorum ſuffragia, qvorum judicio potius ſtandum, qvam unius alteriusve hominis inepti. Fruſtra ipſi objicitur aliena inventio, cum à Græcis illum omnia hauſiſſe ajunt: nam, ſi vel maxime illud in dubium magna ſui parte vocari non poteſt, rudera tamen ille veterum ita coagmentavit, ut ſplendidiorem domum inde extrueret, qvam à Græcis factum usqvam repererat. vid. Thomaſii *Diſſ. de Plagio Lit.* §. *576. ſq.* Haud dubie etiam ex dignitate materiam iſthanc pertractaſſet Menagius, ſi Diſſertationem *de plagio, Furtis & imitatione Poëtarum*, qvam in Not. in Malherb. *p.* 257. promiſerat, per fata abſolvere illi licuiſſet. Nihil ſane decedit famæ eximii pictoris, qvi antiqvam aliqvam hiſtoriam penicillo ſuo delineat: ingenium ſiqvidem & judicium illius vel in minimis qvoqve circumſtantiis eluceſcit. Qvare inepti ſunt, qvi inventionem in Virgilio deſiderant: nam tàm in toto, qvàm in partibus Operum illius, ea elucet. Qvid Homero præſtet, dudum notavit JUL. CÆS. SCALIGER, in *lib. V. de Re Poëtica, c. 2. & 3*, ubi luculenter iſtud argumentum exſeqvitur: BARTHIO*que Adverſar. lib. LVIII. c. 9.* judice haud immerito totius antiqvitatis judicio opponi poteſt, qvippe qvi *non rationibus, ſed demonſtrationibus*, egit: adeo qvidem certis, *ut neminem fuiſſe aut futurum etiam eſſe* credat, *qui eas poſſit ita confutare, ut liberi judicii hominem in contrariam captæ pro Scaligero ſententiam deducere poſſit.* Hæc Barthius, qvem hîc profecto ſui plane immemorem fuiſſe oportuit, qvippe qvi alio in loco, *lib. XLVII. Adv. c. 22.*, poſtqvam de imitatione Homeri, qvam perpetuo ſectatus Virgilius eſt, diſſeruerat, ita ſcribit: *Et hæc Virgiliana imitatio adeo mihi omni comparationi Homerum eximere videtur, ut, illum ipſum Scaligerum uno perpetuo errore totos illos ſuos divinos de Poëtica commentarios attaminaſſe, ſæpius dixerim, dum Virgilium Homero opponere, aut etiam præferre, molitur. Nihil enim aliud agit iſta molitio, niſi quod in ſumma peritia ſummam oſtendit imperitiam: non videns aut attendens, minime convellere Homerum ex uſu eſſe Virgilium laudantis; ſed ita in hoc Latino agnoſci demum poſſe perfectionem, ſi perfectiorem etiam, quam vel perfectiſſima eſſe poſſit, in fonte, doctore, magiſtro, modimperatore, unicoque omnis Poëſeos Apolline contemplere.* Poterantne magis contraria ab eodem dici? Sed pergimus. Poſt Scaligerum idem argumentum latius ſummaqve eruditione pertractat RENATUS RAPINUS, Jeſuita Gallus, elegantiſſimo libello, qvem *Comparaiſon d' Homere & de Virgile* inſcripſit, & qvi Pariſiis primo A. 1669. in 12. editus, ibidem poſtea A. 1684. in 4. una cum aliis iſtiusmodi Comparationibus Rapinianis recuſus, in Belgio Gallicè & Latinè etiam prodiit. [JACOBUS TOLLIUS qvoqve in *Acceſſione Animadverſionum ſuarum ad Longinum*, Trajecti ad Rhen. 1694. in 4. nitidiſſima editione à ſe editum, comparatio-

rationem Virgilii & Homeri inſtituit p. 271. ſqq., & imitationem Homeri in Virgilio plane non negat, ſed ita, ut omnia in hoc compta magis, & omni cultu curaqve exornata, grandia ſimul, magnifica, illuſtria, ſplendida, & qvamvis laudem vincentia, deprehendat: in eo tantum Homericis inferiora, qvod, ad illam affectuum veritatem atqve δεινότητα non accedere ipſi videntur: qvod aliis tamen Viris doctis longe ſecus videtur.] Qvid in Eclogis Virgilio Theocritus, & hic illi vieiſſim præſtet, docuit nos elegantiſſima Diſſertatione de Carmine Paſtorali idem, qvem modo laudavimus, Ren. Rapinus cum Eclogis ejus edita Pariſ. 1659. 4., & apud Batavos in 12. recuſa, & Barthius, poſtqvam *Adverſar. l. XLI. c.* 26. plurima eſſe Theocriti inacceſſa Maroni, plurima viciſſim Virgilii Theocriticis meliora, eſſet faſſus: *Tamen*, ait, *Græcus ſcriptor immani intervallo Latinum relinquere videtur.* Hinc & alibi idem Barthius inconvenientia qvædam in Eclogis Virgilianis notat: qvale eſt, cum Ecl. I. paſtorem Virgilius inducit, vicinam urbem Romam qvæ aut qvalis ſit ignorantem, & eundem tamen mox de Arari atqve Tigri, remotiſſimis imperii Romani fluminibus, peritè diſſerentem, *vid. Adverſ. l. XXVII. c.* 3. & 4. Idem *l. XXX. c.* 24., Bucolica iſta Virgilii trienio eſſe ſcripta, è ſcriptore vitæ Virgilii obſervat; qvem, vel Tiberium vel Ælium Donatum eſſe, ſine ratione à qvibusdam viris doctis dubitari judicat. Tanaqv. Faber nonnunqvam Virgilium nimis eſſe turgidum putat. *In ea ſum ſententia* (ait in Not. ad Longin. p. 250.) *Virgilium ſæpe hypertragicum eſſe, & dithyrambico tumore turgidum; qui tumor tamen fere plerumque ὑπόκενος, & inanis plenus reperietur, ſi omnia πρὸς αὐτὰς ἀνασκοπῇς.* Promittit & ibi Faber, ſe aliqvando ejus rei exempla prolaturum. *Commentarios* in Virgilium tùm totum, tùm ſpeciales ejus libros, habemus permultos: neminem vero, qvi artificium Poëticum Virgilii, qvod ſummum eſt, latius data opera oſtenderit. In animo illud habebat BERNARDINUS PARTHENIUS, *Spilenbergius*, ut ipſe meminit in præfatione Commentarii Horatiani: ſed in lucem illum unqvam editum fuiſſe dubito. Fuiſſet autem præclarum Opus, qvantum conjicere licet ex commentario ejus Horatiano, de qvo poſtea. *Editiones* Virgilii longe plurimæ ſunt. Inter primas eſt, qvam Aldus Venetiis in 8. an. 1503, edidit. Cum Servii commentariis pulcerrima editione Rob. Stephanus Pariſ. 1532. in fol. Virgilium exhibuit, ibidem 1541. in 4. recuſum. Cum Servii, Donati, Probi Grammatici, Julii Pomponii Sabini (cujus in Virgilium commentarios jam antea ſeparatim Oporinus A. 1544. excuderat) Phil. Beroaldi, Joh. Hartungi, Jod. Willichii, Georg. Fabricii, Ludov. Vivis, Adriani Barlandi, & aliorum, Commentariis in fol. Baſileæ 1575. Virgilii Opera prodierunt. Plures alias Baſileenſes non tango. Mauri Servii Honorati (hoc enim integrum docti Commentatoris nomen eſt) Commentarios, eruditis omnibus longe acceptiſſimos, ex antiqviſſimis exemplaribus, meliores atqve auctiores protraxit, deditqve ſumma cura unà cum Virgilio ipſo recenſitos, Petrus Daniel, Pariſ. 1600. fol. qvæ editio reliqvis merito præfertur, & in pretio viris literatis eſt, Servium qvippe multo pleniorem, & haud paulo accuratiorem, ſiſtens. Eandem deinde, Salmaſii manibus tritam, & hic illic ad oram codicis emendatam, laudabili ſtudio expreſſerunt Batavi in

ea

ea editione, qvam cum integris Servii ac Donati, & ſelectis variorum notis, in 4. Lugduni 1646., nitidiſſimis & emendatiſſimis typis, publicè exſcripſerunt, obſtetricante Cornelio Screvelio, qvi & alteram editionem Lugduno-Batavam in 8., priore recentiorem, è Servii & Donati aliorumqve Commentariis compilatam, adornavit, ſed qvæ cum priore in cenſum non venit. Præter Servium ac Donatum alium qvoqve veterem Virgilii Gloſſatorem optimæ notæ laudat vehementer Barthius Adver. l.XXXIII. c. 13. qvi è priſcis, nempe Grammaticis interlinearia præſtantiſſimi Codicis annotata congeſſerit: ſed eundem, neſcio cujus tenebrionis imperitià, maxima gloſſarum parte truncatum non ſine multa indignatione commemorat. Libri Æneidos, cum allegoriis Platonicis Chriſtoph. Landini (à Florido Sabino acriter alicubi traductis) Venetiis 1507. in 4. & Baſileæ editi ſunt: cum Lamberti Hortenſii Commentariis ibid. 1596. Joh. Ludov. de la Cerda commentarii perpetui primum per partes Madriti 1608. & Lugduni 1612. & 1617., tandem & junctim Coloniæ, duobus in fol. tomis, editi, magnâ diligentià omnia ferme explicant, qvæ in Virgilio occurrunt: adjicitur & paraphraſis, qvalem in aliqvot Æneidos & Georgicorum libros jam ante inſtituerant Nicod. Friſchlinus & Jac. Pontanus, cum cujus commentariis Virgilius Auguſt. Vindel. 1599. lucem aſpexit. Editio Frider. Taubmanni, Francof. 1618. in 4. procuſa, commoda uſui eſt: & adjecta qvoqve duo poëmata Culicem & Cirin, alias utplurimum omiſſa, habet. An. 1589. ex officina Commeliniana in 8. Prodiit Virgilius ex correctione Joh. Pierii Valeriani, una cum Fabii Planciadis Fulgentii libro de expoſitione Virgilianæ continentiæ, Junii Philargyri commentario in Bucolica & Georgica, Fulvii Urſini notis, Velio Longo, & Caſſiodoro de orthographia. Phocæ neſcio cujus Grammatici Vitam Virgilii, verſibus deſcriptam, cum Operibus Virgilii Genevenſes 1610. ediderunt. Germanus Valens Guellius commentationes & paralipomena in Virgilium Antwerp. 1575. fol., una cum ipſo Auctore, edita ſcripſit, in qvibus accuratè paralleliſmi Græci notantur: eodem ſcilicet inſtituto, qvo jam olim Paulus Manutius locorum Homeri inſigniorum, qvæ Virgilius imitatus eſt, comparationem inſtituit; & Georgius Fabricius in Imitationibus Virgilianæ lectionis: qvos etiam FULV. URSINUS ſecutus eſt, dum Homeri, Theocriti, Heſiodiqve Græca, qvæ Virgilius verſibus Latinis expreſſerat, collegit, ediditqve ſub hoc titulo: *Virgilius cum Græcis Auctoribus collatus*. Antvverp. in 8. 1568. In reſtituendo Virgilio multum operæ impendit qvoqve ſuperiore ſeculo NICOLAUS ERYTHRÆUS, inprimis utiliſſimum & pleniſſimum *indicem* conficiendo, in qvo tamen illud deſideres, qvod nudæ voces absqve ullis interpretationibus ponuntur, cum hæ tamen neceſſariæ omnino fuiſſent. Editus primum eſt Venetiis 1539. poſtmodum ſæpius eadem in urbe repetitus, ſed adeo putidis mendis conſpurcatus, ut nil ſupra: qvapropter Joh. Opſopæus atqve Frider. Sylburgius caſtigandum tum auctorem, tum indicem, magno in ſe labore ſuſceperunt, edideruntqve Francof. 1583. in 8. qvæ editio Veneti omnibus præferenda. Nuncupavit illam Sylburgius Natali Comiti, memoratqve in epiſtola iſta plures Erythræi tractatus, qvos vel abſolutos, vel inchoatos, vel ipſummet hic illic in Indice Virgiliano

allegare obſervat: nempe *Indices in Ovidium, Martialem, Theocritum, Callimachum: in Lucretium non ſolum indicem, ſed & annotationes. Inprimis vero*, ait Sylburgius, *exoptandus videtur Index in Homerum, in quo exponi à ſe ſcribit, qvid Græcorum & Latinorum Poëtarum quisque ex uberrimo iſto fonte acceperit. Nec minus expetendos reos, quos in Salluſtium, Cæſaris Commentarios & Ciceronem, conſcripſit Indices. JCtis quidem certe non inutilis fuerit index, quem in Pandectas Juris Civilis edere paravit. Præter hos indices meminit etiam aliarum lucubrationum: è quibus Commentarios de Lingua Latina, mox poſt Virgilium, à Studioſis expectari jubet: Stoicum quoque, ſeu Etymologicum, à ſe ſcriptum teſtatur; & Mithridatem 60. & amplius linguarum à ſe concinnari, itemque librum de origine linguæ vernaculæ: de Alliteratione quoque, ſeu ſyllabarum alluſione, juſtum à ſe eſſe libellum confectum, nec non de pathetico Virgilianæ poëſeos ſchemate: præterea librum de Poëtica & perfecto poëta. Adhæc juſtum librum de dignitatum nominibus ac titulis: de vocibus animalium: de coloribus: de nucum, malorum, pirorum, ficuum, uvarum & olearum generibus: de inſulis duos item libros, quorum alteri Navis, alteri Equi titulum fecerit: & tertium de Ventis, quem Æoliam inſcripſerit.* Hanc adeo largam ſegetem librorum promiſerat Erythræus: & nihil omnino tamen ejus in lucem prodiit, qvod haud immerito Sylburgius l. c. miratur. Ceterum, indicem ejus Virgilianum, ad qvem nunc regredimur, Batavi etiam in illa editione recuderunt, qvam tribus tomis in 8., cum Servii & Donati integris, & variorum ſelectis notis, Jac. Emmeneſſio curante, adornarunt Lugd. Batav. 1680. In Delphini uſum Pariſ. 1675. Virgilius prodiit, cum notis Caroli de la Rue, ſive Ruei, illius ſcilicet, cujus Idyllia elegantiſſima extant. Thom. Farnabii & Joh. Minellii editiones Virgilianas, in Belgio & Germania identidem repetitas, nôrunt omnes: tyronibus inſerviunt eorundem labores, & ex alienis utplurimum hauſti ſunt. *Catalecta Virgilii*, qvæ adjici Operibus illius ſolent, & qvorum dubia eſt auctoritas, peculiari commentario illuſtrata ſunt à Joſ. Scaligero & Frider. Lindenbrogio, cum qvorum notis prodiit *Appendix Virgiliana* Lugd. Batav. 1595. in 8. & 1617. Præter Catalecta vero, qvæ diximus, Appendici alia qvædam, & qvamplurima veterum poëtarum deperditorum fragmenta, adjecta ſunt. Priapeja etiam carmina illi inſunt, fœdiſſima illa, ſed eleganter ſcripta: qvæ, poſt Scaligerum Scioppius qvoqve recenſuit: dignum patella operculum: è cujus cura Patavii 1664. in 8. & Amſtelodami ſeorſim, & una cum Operibus Scioppii, edita ſunt. Eqvidem Angelus Politianus Priapejorum Virgilio tributorum auctorum Ovidium eſſe perſuaſus fuerat, ſed haud immerito diſſentit ab illo Claud. Verderius *Cenſur. in Auct.* pag. 156. Ceterum adeo omnium nationum applauſum tulit Virgilius, at in ſingularum prope vernaculas etiam transfuſus ſit, Hiſpanicam, Italicam, Gallicam, Anglicam, Germanicam: ſed non eadem apud omnes felicitate.

15 Poëtarum vel omnino omnium, vel certe Latinorum, principi addendus nunc ſuo merito, qvi dextrum latus claudat, Lyricorum Princeps, Pindariqve, velut Virgilius Homeri, aſſiduus imitator erat Q. HORATIUS FLACCUS, qvem GODELLUS,

in

in ſuis ad Malherbium Poëtam Gallum Diſſertationibus (*Monſ. Godeau Diſcours ſur les Poëmes de Malherbe,*) tanti fecit, ut ejus Odas Græcis præferre haudqvaqvam dubitaverit. FRANC. FLORIDO SABINO Sermones ac Epiſtolas Horatius tam venuſtè condidiſſe viſus eſt, ut in illis egregius, in his autem prope inimitabilis, videretur: referente Gaddio *T. I. de Scriptor. Non-Eccl. p.* 185. poteritqve ipſe Floridus conferri *Lection. Subciſiv. p.* 120. MICH. NEANDER Artem Poëticam Horatii eqvidem ſine arte traditam; ſed libros Carminum, vel jucundâ inventione, vel puritate ſermonis, vel figurarum cum novitate, tum varietate, majores omni non ſolum vituperatione, ſed etiam laude judicat: Pindaricis nempe accuratiores, & ſententiis crebriores: ut nectar merum Criticis interdum videantur: *Præf. Erot. Gr. L. p.* 192. Hæc illi. Contra Horatio non admodum æqvus eſt CLAUD. VERDERIUS, cujus tamen ineptum de Horatio judicium neqvaqvam dignum, qvod hic apponatur, exiſtimamus. Legi poteſt in ejus *Cenſura Auctor.* pag. 57. Præterea inter adverſarios Horatii numeratur JUL. CÆS. SCALIGER, qvi non ſolum de illius Arte Poëtica abjectè ſentit, ſatyræ propius accedere totum opus, qvam arti; ſed & in Hypercritico in eundem indignis ſane modis invehitur: qvamobrem non ſolum à Wallio *in Poëmatibus p.* 224. iterum ipſe Scaliger caſtigatus eſt; nec non à G. Joh. Voſſio *de Poëtis Lat. p.* 29. (qvi obſervat inſcriptionem libri de Arte Poëtica non magis ab Horatio ipſomet fluxiſſe, qvàm titulum Epiſtolæ ad Auguſtum de Veteribus & Novis Poëtis, aut illius ad Numicium de Finibus Bonorum: Veram itaqve libri de Arte Poëtica inſcriptionem eſſe Epiſtolam ad Piſones.) Sed multo amplius etiam confutatur Scaliger à ſtrenuo Horatii defenſore, eodemqve luculento admodum Commentatore, BERNARDINO PARTHENIO, Spilenbergio, qvi tàm ſolide, tàm eleganter, adverſus Scaligerum omnia illa loca, qvæ atro iſte lapillo notaverat, vindicavit, ut vix credam hiſcere adverſus illum qvenqvam poſſe. Nonniſi ſemel vero mihi contigit Viri eruditiſſimi Commentarium Horatianum videre, A. 1584. Venet. in 4. apud Dominicum Nicolinum impreſſum: & crediderim pauca ejus exemplaria eſſe excuſa, cum in nullis penè Bibliothecis publicis, qvarum ego Catalogos pervolvi, inveniatur. Et tamen longe præſtantiſſimus ille eſt: novam ſiqvidem commentandi viam ingreſſus Auctor, de verbis Horatii enodandis non adeo ſollicitus, artificium poëticum magno ſtudio oſtendit, atqve ita perſpicue ob oculos ponit, ut neminem in eo genere habeat, qvi cum ipſo conferri poſſit. Dolendum, non in omnes Horatii libros illum ſcripſiſſe: neqve enim ſatyras, nec Epiſtolas, attigit, ſed tantum Carminum atqve Epodon libros. Scripſit idem Carmina varia: & de Imitatione Poëtica libros V. ad Maximilianum Imp., Venet. 1565. in 4. editos: ſed qvos hactenus non vidi. Ex antiqvis Horatii *Commentatoribus ſcholiaſtæ* ſuperſunt, Helenius Acron, & Porphyrion, qvos jam ſuperiore ſeculo Henr. Petri, Horatio junctos, Baſil. 1545. in lucem emiſit: qvanqvam commentarios iſtos Auctorum nomina mentiri, cucullatamqve barbariem inepte tam præcellentibus Scriptoribus, Acroni & Porphyrio, nuncupari Reineſius judicat *Defenſ. Var. Lect.* p. 107. Eosdem tamen decennio poſt emendavit, admiſcuitqve C. Æmilii, Junii Modeſti & Terentii Scauri anno-

 tatiun-

tatiunculas, Georg. Fabricius, Baſil. 1555. fol. Ipſius Horatii editiones longo ordine recenſet Spachius *Nomencl. Philoſ. pag.* 197. 198. 199. Antiqva admodum eſt Argentinenſis A. 1498., cum Commentariis Jac. Locheri. Ex Aldi officina Venetiis A. 1519. prodiit. Inter Commentatores optimus videtur Lævinus Torrentius, cujus Commentarius in Horatium, cum ipſomet Auctore, & Pet. Nannio in Artem Poëticam Horatii, Antwerp. An. 1608. in 4. apud Balth. Moretum lucem vidit. Pet. Gualtherus Chabotius vaſtos in Horatium commentarios conſarcinavit, Grammaticos, Logicos, Rhetoricos, nimia, & plusqvam pædagogicâ diligentiâ, Baſil. A. 1591., qvanqvam Torrentius illo etiam uſus deprehendatur, &, qvæ in eo bona repererat, in ſuum inde commentarium tranſtuliſſe videri qveat. Dionyſius Lambinus inprimis multum Horatio emendando atqve illuſtrando impendit, cum cujus prolixo commentario prodiit Poëta noſter Francofurti ex officina Wecheliana A. 1577. in fol., repetita editione poſtmodum denuo Pariſ. 1605. fol., una cum Adriani Turnebi atqve Theodori Marcilii Lectionibus Horatianis datus. Memini & recentiorem Francofurtenſem in 4. vidiſſe. Ceterum inſigne plagium Lambini, in explicando ſuis commentationibus Horatio, ex Mureti epiſtolis, Thomaſius annotavit *de Plag. Lit.* §. 448. p. 200. Scilicet, cum admonitus à Mureto Lambinus eſſet, de locis qvibusdam Horatianis, qvos adeo imperite erat interpretatus, ut omnibus eruditis debere ludibrium videretur: ille non eſt veritus dicere & ſcribere, eam ipſam ſententiam, à qva monitu Mureti diſceſſerat, ipſiusmet Mureti fuiſſe, eaqve propter his ipſis argumentis Muretum exagitare inſtituit, qvæ ab hoc in ſuæ ſententiæ oppugnationem acceperat. Veteres Scholiaſtas, Acronem & Porphyrionem, ſi modo genuini ſint, auctiores, cum ſuis in Horatium Commentariis, edidit Jac. Cruqvius Antwerp. 1578. in 4. Cruqvianos autem commentarios parvi pendunt Tanaq. Faber *P. I. & II. Epiſtolar. ep.* 2. & 54., & Barthius Adverſar. lib. XLII. c. 22. Eodem circiter tempore Guilh. Xylander, doctiſſimus vir, Horatium, ad optimas qvasqve editiones accuratiſſime caſtigatum, & copioſis annotationibus illuſtratum, emiſit Heidelberg. 1585. in 8. Qvinqvennio poſt Baſileæ A. 1580. Horatius, cum omnium, qvotqvot tunc noti erant, 40. circiter veterum & recentiorum commentatorum, curis in fol. editus eſt. Jani Rutgerſii Editio, qvæ primum apud Rob. Stephanum juniorem Pariſ. 1613., & deinde apud Janſonium Amſtel. 1619., edita, præter præclaras in Horatium ipſum emendationes, inſignes qvoqve in vitam Horatii, à Suetonio haud dubie ſcriptam, ac utplurimum ejus Poëmatibus præfigi ſolitam, caſtigationes continet, cum prius eſſet illa inqvinatiſſima. Dan. Heinſius bene etiam de Horatio meruit duplici editione; prima apud Raphelengium Lugd. Bat. 1609. in 8., & auctiore multo curis poſterioribus, præfixoqve libro de Satyra Horatiana eleganti utiqve, & qvi multa de Satyræ natura, & Scriptoribus ſatyricis, præclara habet: nec non fragmentis Lucilii ac Timonis, apud Elzevir. 1612. Joh. Bondii & Minellii paraphraſes marginales, qvemadmodum Farnabianæ in Virgilium & Martialem, tironibus utiles ſunt; ſed illi alieno ingenio ſapiunt, & interdum verba Auctorum, qvos excerpere aggrediuntur, corrumpunt. Minelliana tamen paraphraſis Lipſiæ, cum Commen-

men-

mentario Frider. Rappolti in Satyras, Epiſtolas, Artemqve Poëticam, plane eximio, eſt recuſa. Supplementum Commentariis Rappoltianis addidit gener Joach. Fellerus Lipſiæ 1675. in 8. Tom. II. In Delphini uſum bina vice Horatius, & à duobus etiam viris, adornatus eſt, Petro Rondelio primum, Jeſuita Toloſano, Toloſæ 1683. in 8., tum & à Ludov. Desprezio, Pariſ. in 4., qvæ poſterior, juſſu Regis adornata, priore melior eſt, indiceqve omnium verborum auctior. Dudum vero talem Indicem confecit Thom. Treterus, ediditqve Antwerpiæ apud Plantinum 1576. in 8., qvem poſtea omnibus Horatii editionibus accommodavit Dan. Avemannus, in libro, cui titulus, *Hodogeta Horatianus*, qvi editus eſt Brunſwigæ 1667. in 8. oblongo. Paraphraſes in Horatium ediderunt Anton. Cerutus, & Eilhardus Lubinus, qvibus ſenſus verborum commodé explicatur. Cum variorum notis Corn. Screvelius Horatium edidit Lugd. Batav. 1663. in 8. Memoranda adhuc editio Horatii ab Henr. Stephano profecta, ſcholiisqve & argumentis ab eodem illuſtrata: cujus ſecundæ editioni, Genevæ 1588. editæ in 8., Diatriben de hac ſua editione Horatii, & variis in eum obſervationibus, adjecit. Artem Poëticam ſeparatim paraphraſi & commentariolo explicavit Joh. Sambucus A. 1564. in 8. editam: nec non Franc. Robortellus, Pet. Victorius, F. Luiſinius, Vincent. Madius, Paulus Benius, aliiqve. Epiſtolarum libri prælectionibus methodicis Claudii Minois explanati ſunt, iisdemqve Logica analyſis & moralis doctrinæ ratio illuſtrata. Pariſ. 1584. in 4. Præterimus Theod. Pulmanni, Joh. Hartungi, M. Ant. Mureti, Franc. Irenici, aliorumqve annotationes, commentationes atqve editiones Horatianas, aliunde vel ſatis notas, vel hauriendas. Non vero hic prætermittendus Mæcenas Joh. Henrici Meibomii, liber doctiſſimus, & qvi ad Horatii ac æqualium Poëtarum intellectum haud parum facit. Nec ſine magno fructu etiam amœniſſima Horatii cum Pindaro comparatio legi poteſt, qvam Gallico ſermone ſcripſit Franc. Blondellus, ediditqve Pariſ. 1673. in 12., & qvæ à Batavis recuſa, ut plurimum Rapinianis comparationibus addi ſolet, nimirum ob materiæ atqve eruditionis paritatem ſimillima. Alius è Gallis, Vir erudítiſſimus, Andr. Dacerius, Annæ, Tanaq. Fabri doctiſſimæ filiæ, maritus, Horatium in vernaculum ſermonem transfudit, & non ſolum, in præfigenda uberiore vita Horatii, ſcriptorumqve ſerie juxta temporum rationes collocanda, occupatus fuit, ſed & ampliſſimis Commentariis ita exornatum dedit, ut nec vocum figurarumqve & epithetorum ſedula enodatio, nec ſenſus allegorici evolutio, neqve adeo ad verborum aut artis explicationem qvicqvam, jure deſiderari poſſit. Prodiit voluminoſum opus tomis X. Pariſ. 1691. Anglicis verſibus Horatianas Odas, & librum Epodon, Thom. Hawkins, & Henr. Ridder expreſſerunt, Londini aliqvoties editas.

Alterum Virgilii latus occupet jam, qvi, per complures annos in Auguſti Imp. 16
aula æqve gratus acceptusqve, tandem ſiniſtro fati acerbioris ſidere in exilium pulſus eſt, P. OVIDIUS NASO, Scriptor terſiſſimus, & merito ætati aureæ accenſendus, qvicqvid etiam contradicant alii, ad argenteam illum, qva vi, qva injuria, rapientes. Sane Veneres omnes in Ovidium qvaſi conjurarunt, adeo totus mollis eſt, dèlicatulus, venuſtus, argutus. Neqve eſt, qvod moremur moroſos iſtos Cenſores, PET. VICTORIUM,

qvi inclementiſſimo judicio, corruptam neſcio qvi Latinitatem in Ovidio deprehendit; MURETUM, SCRIVERIUM, VAVASSOREM, vel idem in Poëta pulcerrimo accuſantes, vel declamatorium neſcio qvid infra aurei ſeculi genium deprehendentes, aut, qvod Lipſius fecit, non bonum judicantes Poëtam Ovidium. Scilicet, ſuos interdum in judicando manes patiuntur Viri doctiſſimi; &, ut palatis hominum, ita & ingeniis, aliqvid indulgendum eſt. Mihi qvidem barbarus videtur, qvi barbariſmi arguat elegantias Ovidianas, qveis ille Carmen Elegiacum plane ad faſtigium deduxit, adeo ut Elegiarum pulchritudini vix qvicqvam addi etiam poſſe videatur. Non omnino tamen luxurians ejusdem ingenium, &, qvi ſeqvebantur exinde, nævos defendimus: qvos à veteribus, Seneca, *Natural. Quæſt. l. III. c.* 27., Qvintiliano *l. X. Inſtit. c.* 1., aliisqve, notatos, à recentioribus denuo ſub incudem vocatos, ſcimus. Et hos inter BUCHNERVS etiam eſt, *libro de Commutata Rat. Dicendi p.* 237. *&* 407., qvi inprimis nimium in ſynonymis & ταυτόλογον eſſe Ovidium animadvertit. Non ſatis ex dignitate illum ſemper ſcripſiſſe, præſertim in Metamorphoſeon libris, notat aliqvot locis Adverſariorum BARTHIUS *l. XLII. c.* 18. *l. LVIII. c.* 9. 10. *&c.*, qvi tamen elegantiſſimum, ingenioſiſſimum & eruditiſſimum cetera fuiſſe, non diffitetur. Infenſus olim Ovidio erat MARCUS MARULLUS, ſed adverſus iſtum defenſionem Ovidii in ſe ſuſcepit Franc. Floridus Sabinus *Apolog. p.* 48. (è qva nos etiam aliqva excerpta damus libro de Patavinitate Livii; ubi Dan. Heinſium qvoqve, copiam Ovidii defendentem allegamus.) Conf. Vives *de Diſciplinis pag.* 541., Eraſmus *l. I. de Copia Verb. c.* 3. Voſſius in Inſtitutionibus Oratoriis & Poëticis, aliiqve. *Editiones* Ovidii & *Commentatores* varios Spachius recenſet p. 193. Vetuſta eſt editio Aldina & rarior, Venet. 1502. & 1503. tribus voluminibus in 8. impreſſa: qvamvis jam ante hanc Veneta An. 1485. & Parmenſis 1489. prodierit. Cum variorum notis, commentariis ac ſcholiis integris, Opera Ovidii ediderunt Joh. Hervagius Baſil. 1550. fol., & multo amplius, III. in fol. voluminibus, Wecheliani Francof. A. 1601. Eminent autem inter eos, qvi, vel emendando, vel illuſtrando Ovidio, operam navarunt, *Hercules Gioſanus*, Sulmonenſis, adeoqve popularis Ovidii, cujus in omnia Ovidii opera obſervationes, una cum præmiſſa poëtæ vita, Plantinus excudit Antvverp. A. 1583. in 8., & qvas nonnullis in locis Barthius caſtigat *Adverſ. lib. XXXI. c.* 3. *Raph. Regius & Jac. Micyllus*, qvorum notis illuſtratum Ovidium Hervagius impreſſit Baſil. 1543. fol. *Andr. Naugerius*, è cujus caſtigatione purior Naſo prodiit ex officina Plantiniana 1566. in 12. *Jac. Pontanus*, cujus in Metamorphoſεων opus extat commentarius, una cum Valerii Andr. Deſſelii in Ibin & Franc. Sanctii notis, Antvverpiæ 1618. fol. procuſus: Triſtium & de Ponto libri jam, cum ejusdem Pontani commentario, & Hortulo Ovidiano, præceſſerant Ingolſtad. 1610. fol. Ut in libros Amorum & Heroides ſcriberet, ſanctitas Jeſuitica non permittebat. *Carolus Neapolis*, qvi in Faſtos Ovidianos ſcripſit Commentarium, Antvverp. A. 1639. publici juris factum, ſed qvi mihi ſapere Puteaneam officinam videtur. In eosdem Faſtos ſcripſit etiam *J. Bapt. Guarinus*, teſte Gaddio p. 219. *Dan. Heinſius*, e cujus recenſione Ovidius Lugd. Bat. An. 1629. 3. vol. in 12. in orbem exiit. Vicit tamen

omnes

omnes filius Danielis, *Nicolaus Heinſius*, qvem ipſum Ovidii genium appelles, adeo feliciter in carmine illum imitatur. Propterea eundem ſibi etiam elegit, qvem inprimis magno ſtudio emacularet: &, cum id per annos pluſculos præ ſe ferret, ironiam Sarravii evitare non potuit, prout ex Epiſtol. hujus ad Alex. Morum p. 15. patet. Dedit tamen, magno cum Virorum doctorum applauſu, Heinſius primo Ovidium à ſe recenſitum Amſtelod. A. 1658. in 12., mox iterum 1661. in 12. voluminibus, cum notis ſuis, qvæ editio, & nitore, & præſtantia, reliqvas fere omnes ſuperat. Excuſat eqvidem Heinſius feſtinationem editionis; ſed non nimiam tamen illam fuiſſe, ex epiſtola Sarraviana modo allegata diſcimus, qvæ ſcilicet, jam A. 1639. ſcripta, occupatiſſimum Ovidiano labore Heinſium nobis narrat. Heinſianum textum ſervarunt poſtmodum reliqvi Editores omnes Ovidii, Corn. Screvelius, qvi eum Lugd. Bat. 1661. in 8. 3. volum., cum variorum notis, dedit; Burchardus Cnippingius, alterius Batavæ editionis, cum Nicol. Heinſii omnibus, & variorum ſelectis notis, editæ, curator Amſtelodami 1670. 3. volum. in 8., atqve Daniel Criſpinus, Helvetius, qvi, in Delphini Galliæ uſum, Lugdun. A. 1689. in 4. Ovidium, interpretatione ac notis, indiceqve omnium vocabulorum, ornatum exhibuit. Gallicos in Ovidii Heroides Commentarios ſcripſit Claudius Bachetus Meziriacus, qvos eruditiſſimos vocat, commendatqve lectoribus ſuis, Menagius *Obſerv. in Malherb. p.* 329. Prodierunt Burgi Sebuſianorum A. 1626. in 8vo. Propoſuerat etiam ſibi aliqvando Salmaſius emendationes & notas in Ovidium ſcribere, teſte Craſſo *in Elogiis T. II. p.* 211. Verum, inter tot alios Viri ſummi conatus, iſte qvoqve unà evanuit. Metamorphoſeos Ovidianæ Epitomatorem, qvi proſa oratione libros ſingulos in compendium redegit, Luctatium Placidum, laudat Barthius *Adverſar. l. X. c.* 8., idem, de Halievtico male Ovidio tributo, *l. XLVIII. c.* 11. alibiqve, videndus.

Claudat agmen ſcriptorum Latinorum aureæ ætatis vir Mathematicis artibus 17
ævo Augusteo clariſſimus M. VITRUVIUS POLLIO, qvem pro Marco Lucium, in editione Florentina anni 1496., contra codicum plerorumqve fidem, dici, Voſſius *de Scientiis Mathemat. p.* 292. obſervat. Aliter circa nomen Vitruvii errare Andr. Alciatum, qvi Pollionis nomen labefactavit, & Janum Parrhaſium, qvi Veturrium Rufum noſtrum auctorem hunc appellari voluit, CASP. BARTHIUS annotat *Adverſ. l. I. c.* 10., ibidem de ſtilo Vitruvii tale ferens judicium. *Eſt ſtili genus in hoc auctore, quod alii ævo culibet potius des,* (qvam Auguſteo,) *ſi certa fides abſit: coactim nimirum eruditionem Græcam ſapiens, & manum opificis, non ingenium ſcriptoris, olens.* Sic & SCIOPPIUS peregrinitatem & plebitatem in Vitruvio agnoſcit: hoc item alii: & hinc, poſt curas aliqvot Virorum doctiſſimorum, obſcurus tamen & difficilis Scriptor eſt. Poſt illam antiqviſſimam Florentinam *editionem*, qvam diximus, Vitruvii de Architectura libros X. ad Auguſtum Imp., caſtigatos à ſe, Venetiis A. 1511. dedit Joh. Jocundus, qvæ editio apud Juntas Florentiæ A. 1522. recuſa eſt. Inde Guil. Philander Caſtilioneus, emendando illuſtrandoqve noſtro manus admovens, præſtantiſſimas notas, qvæ præ ceteris commendari merent, in eundem conſcripſit; ediditqve ita Vitruvium primo Romæ A. 1544. apud Joh. Andr. Doſſenam: qvi, mox Pariſiis 1545. & Argentinæ 1550. repeti-

petita, tandem cum auctioribus notis Lugduni 1552. in 4. prodiit. Poſt Philandrum, Daniel Barbarus ad ornandum Vitruvium acceſſit, ediditqve & Latinum, cum notis ſuis atqve figuris, & Italice à ſe verſum Venetiis 1567. in 4. Inde *Bernardino Baldo*, Urbinati, occaſionem Vitruvii illuſtrandi VESPASIANUS GONZAGA, Sabionetæ Princeps, dedit, qvi Virum iſtum doctiſſimum, præter prodigioſam linguarum variarum peritiam (de qva alibi hoc ipſo commentario actum,) Mathematicas etiam artes omnes apprime callentem, accerſivit ad ſe, & in locis Vitruvii obſcuriſſimis difficillimisqve, præter eum, alio interprete aut magiſtro uſus non eſt. Atqve hinc natum præclarum Opus *de verborum Vitruvianorum ſignificatione*, ſeu perpetuus in Vitruvium Commentarius: præfixa ejusdem vita, Auguſtæ Vindel. 1613. in 4. emiſſum: qvod, uti loqvitur Erythræus *Pinacoth. I. p.* 5. immortalem illi famam apud Transalpinos homines peperit. Conf. Gaddius de Script, T. I. p. 81., cujus de Baldo judicium qvid obſtat qvo minus hîc apponamus: *Bernard. Baldus*, ait, *vir doctiſſimus fuit, multarum linguarum, multarum ſcientiarum. Scripſit & Latina poëmata omnis generis, in ſingulis præcipuos imitatus. Edidit quoque varia Mathematica & Theologica. Omnium regionum hiſtoriam ac deſcriptionem aggreſſus abſolvere non potuit.* Totum vero Baldi Lexicon Vitruvianum, integras item Guil. Philandri notas, & excerptas Dan. Barbari, una cum adſperſis Claud. Salmaſii haud paucis, & Scamilli Imparibus Vitruvianis nova ratione expoſitis, qvæ olim Auguſtæ ſeparatim prodiernnt, in nova atqve nitidiſſima editione ſua, multis iconibus æri inciſis exornata, junxit Joh. de Laet Lugd. Batav. 1647. in fol. Cum autem è lectione Vitruvii ad architectos etiam, Latinæ linguæ ignaros, multum fructus redundet, mirum non eſt, ſi in vulgares etiam linguas translatus ſit. Sic, præter illam Barbari, qvam diximus, Italam verſionem, alia antiqvior, Mediolani A. 1521. cum commentario Cæſaris Cæſareani excuſa, extat Germanica etiam verſio Vitruvii à Gualthero Rivio, Medicinæ D. adornata, Baſileæ A. 1575. fol. lucem aſpexit. Gallicè autem ut qvam accuratiſſime redderetur Architecturæ magiſter Pollio, ipſe etiam Colbertus, dum in aula Regis Gall. primas teneret, curam geſſit, deditqve id negotii Claudio Perralto, Medico & regiæ Scientiarum Academicæ membro inſigni, qvi An. 1673. ſex priores de Architectura libros, figuris affatim, ſuisqve etiam notis, illuſtratos, Pariſ. fol. prodire fecit. Molitus etiam aliqvando in Vitruvium aliqvid Hier. Cardanus erat, ſed nihil dedit. Conf. aliàs de Vitruvio Vives *de Diſciplinis p.* 524. & Voſſius *de Scient. Mathem. p.* 463., ubi docet, extare etiam incertum, ſed veterem fortaſſe Scriptorem, qvi ex Vitruvio Architecturam compendio conſtruxerit, editum à Guilh. Poſtello Pariſ. 1540. apud Mich. Vaſcoſanum.

18 Qvod ſi Barthio aurem præbeamus, pertinet adhuc ad ætatem Latinitatis auream ÆTHICUS, *Iſter*, cujus *Coſmographia* cum *Antonini Itinerario* ſemper excudi ſolet. Hujus enim ſtilum adeo Vitruvianum genus ſcribendi referre ait, ut nihil ſimilius viderit: cenſetqve adeo BARTHIUS, fuiſſe Æthicum qvendam mechanicum, Julii Cæſaris ætate, qvi primùm forte Coſmographiam literis conceperit, *Adverſ. l. XLV. c.* 13. & 18.; ubi interpolatum tamen mirum qvantum à Chriſtianis eum Scriptorem ſuſpicatur, & impri-

inprimis ab homine ævo Theodoſii M. claro. Contra G. J. Vossius, qvi non recte Barthium cepit, ad Theodoſii tempora ipſiusmet Æthici ætatem, cum Simlero & aliis, collocat, qvanqvam nonnihil fluctuabundus *de Hiſt. Lat. p. 692. & de Scient. Mathem. p. 411.* Sunt utriqve ſuæ rationes, qvæ commodius ibi legi poſſunt. Antonini Itinerarium Barthius haud dubie etiam ab eodem Æthico ſcriptum retur: qvàm recte non dico, nec inqviro nunc, ſed me magis cum Voſſio ſentire fateor *de Philologia p. 52.* Plane autem inſaniunt, qvi Coſmographiam Æthici, ſeu Julii Oratoris (ut habent codicum aliqvi,) Julio Cæſari adſcribunt. Prodiit jam apud Aldum Venet. A. 1513. in 8. Æthicus cum Antonino, exinde Lugduni, recuſus, & Baſil. A. 1575. cnm ſcholiis Joſiæ Simleri, & additis fragmentis ſimilibus è bibliotheca P. Pithœi; prodiitqve illa editio etiam Pariſiis 1577. Auctiorem & emendatiorem editionem, ex antiqviſſimis ſchedis, Cl. Salmaſius promiſerat: verum ſatis habuit promiſiſſe.

CAP. XII.

in qvo pari celebrantur diligentia, & accuratione Critica,

AUTORES LINGVÆ LATINÆ EX ÆTATE ARGENTEA

§. 1. M. Manilius. 2. C. Julius Hyginus. 3. Cæſar Germanicus Arateorum Interpres. 4. T. Phædrus. 5. Vellejus Paterculus. 6. Valerius Maximus. 7. Corn. Celſus. 8. L. Annæus Seneca, Philoſophus, M. Annæus Seneca, Rhetor, & Seneca Tragicus. 9. M. Annæus Lucanus. 10. T. Petronius Arbiter. 11. Pomponius Mela. 12. Gratius, Cynegetici Scriptor. 13. A. Perſius Flaccus. 14. Q. Curtius Rufus.

EXcrevit præter opinionem in molem juſto majorem caput præcedens, qvod Scriptores Latinos, *ad* Ætatem Auream *pertinentes*, recenſuit. Nunc ad Argenteam Ætatem, qvæ ab Imperii Tiberiani temporibus ad Veſpaſianorum usqve tempora ſupputari ſolet, pedem promovemus. Et in ea primum ponimus MARCUM MANILIUM, Poëtam & Aſtrologum celeberrimum: ut ſic à Mathematico ſcriptore caput iſtud incipiat, velut præcedenti colophonem Vitruvius atqve Æthicus impoſuêre. Qvod vero Manilium attinet, ſeu, ut alii vocant, Plinii præſertim adducti auctoritate, Manlium, cujus *poëma Aſtronomicon* ad Auguſtum Imp. ſcriptum habemus, diverſa admodum de ejus ætate recentiorum eſt opinio. Qvamplurimi enim neqvaqvam ad argenteum, ſed omnino ad aureum ſeculum illum referendum ajunt, qvippe qvi ſub Auguſto vixerit, extremis ejus temporibus ſcribens. Alii contra demum ad ferream ætatem Manilium relegant: qvâ in ſententiâ fuit Gaſpar Gevartius *in Electis*, idemqve ſenſit olim Ger. J. Voſſius *lib. II. de Arte Grammat. c. 26.*, nempe Theodoſii temporibus eum demum vixiſſe tradentes, celebratum à peri-

tia Aſtronomica à Claudiano Poëta, & Julium Firmicum, qvi ſub Conſtantino M. vixerat, etiam imitatum. Verum revocavit deinde iſtam ſententiam ſuam Voſſius *de Poëtis Lat. p. 36.*, & legenti ſibi Manilium iterum iterumqve omnia Auguſti temporibus convenire videri, faſſus eſt. Hinc Buchnerus, neqve Gevartii, neqve Voſſii, rationibus adductum ſe profitetur, ut Manilium Auguſteo ævo eximat; *de Commut. Rat. Dic. p.* 326., & Barthius ſub Auguſto ſcripſiſſe Poëtam hunc dubitare non poſſe certò pronuntiat, qvicunqve modo finem libri primi perlegerit. Qvod idem etiam aſſeverat Salmaſius, & male Theodorum Manlium, qvem Conſulem creatum laudat Claudianus, & qvi pedeſtri ſermone librum de Rerum Natura, cauſis naturalibus & aſtris ſcripſerat, cum Manilio Poëta confundi, notat: *præfat. ad Luc. Ampelium ſuum.* Et qvemadmodum, hoc ſemel poſito, plane abſurdum eſt, Firmicum à Manilio, multo qvippe antiqviore, uſurpatum exiſtimare; contra neqve Manilium à Firmico viſum, aut ad imitationem propoſitum, unqvam fuiſſe, pluribus argumentis ſe oſtendere poſſe idem Salmaſius fidem facit, *de Annis Climacter. p.* 587., cum alias Scaliger exſcriptum haud raro totidem verbis à Jul. Firmico Manilium contendat, & aſſentiatur G. J. Voſſius. Ceterum, uti ſtylus Manilii jam aſperior nonnihil ævo aureo eſt, & extremis ejusdem annis cuſus; ita non male adeo feciſſe putabimur, ſi Scriptorem, cujus vita ad Tiberium magna ex parte pertigit, Scioppium ſecuti ad argenteam ætatem referimus. Neqve vero integrum ejus Aſtronomicon ſupereſt, ſed ſolum libri V., & qvinto tamen aliqvid deeſt. Iidem libri Maniliani ob res & materiam difficiles admodum & obſcuri ſunt. Interim Auctorem eorundem, qvanqvam non principibus poëtis annumerandum, ornatiſſimum tamen vatem, & multis ex tumidis buccinatoribus ingenio priorem, recte Barthius judicat, *Adverſ. l. X. c.* 26. Lud. Vives de Diſcipl. p. 541. *Manilii Aſtronomicon*, ait, *grave eſt, ſed didaſcalicon & ſine motu, quemadmodum de Arato Quintilianus inquit: etſi hic noſter aſſurgit nonnunquam, & ardentius ſpirat.* Primus Manilium edidit Poggius Florentinus Bononiæ A. 1474., qvam editionem MSto Codice haudqvaqvam minorem habet Barthius *l. I. c. 8.* Decennio poſt Florentiæ Laurent. Bonincontrius, cum notis ſuis, eundem evulgavit A. 1484., poſtmodum ab Aldo editus eſt Venet. 1499. fol., & ab Hervagio Baſileæ 1551., fol. utriqve cum Firmico, Arato Græco & Latina Germanici Cæſaris verſione, aliisqve adhuc ſimilis inſtituti Scriptoribus. Editus etiam eſt Romæ apud Mazochium in 4., & Lugduni apud Torneſium 1566. in 16., Jos. SCALIGER autem, cum in Manilio cumplurima inqvinata, corrupta, aut obſcura, deprehendiſſet, ad emendandum non minus qvàm illuſtrandum Romanum Aſtronomum ſeſe applicuit, atqve id ſuis Annotationibus conſecutus eſt, ut omnium vel laudes, vel invidiam, mereretur. Edidit primò Pariſ. A. 1577. apud Mamertum Patiſſonum in 8. qvæ editio apud Commelinum Heidelb. 1590. in 8. denuo prodiit, Franc. Junii Variis Lectionibus & notis auctior: (in qvibus præclarè multa eſſe obſervata, Gerh. Joh. Voſſius monet, eaqve minus candide à Scaligero celata ait, Epiſt. 24. ad Hug. Grot. p. 82.) Auctior ſecundis curis Scaligeriana editio, à Raphelengio Lugd. Bat. in 4. 1600. excuſa eſt. Tertiam vero, multis iterum additionibus

locu-

commentario Oliverii Arzignanenſis, cui poſtmodum Jod. Badius Aſcenſius notas ſuas adjecit, & recudit ita Valerium Pariſ. 1522. Prodiit & Aldina Valerii Maximi editio, aliaqve iterum Veneta, cum notis Sebaſt. Corradi: Baſileenſes aliqvot ſuis notis illuſtravit Henr. Glareanus: Steph. Pighius autem repurgando è codicibus MSS. Auctori horas bonas optimo cum ſucceſſu impendit, & locis ſexcentis caſtigatum, cum ſuis notis, edidit apud Chriſt. Plantinum A. 1567. in 8. Repetitis inde editionibus Juſtus Lipſius qvoqve ſuas notas adjecit: ibid. 1585. & 1592. in 8. Hanovienſes Lipſii Pighiiqve curis Chriſtoph. Coleri animadverſiones adjecerunt A. 1614. in 8. Extant & in Valerium CHRIST. AD. RUPERTI *Diſſertationes & obſervationes*, ſeorſim editæ, una cum obſervationibus ad Vellejum, qvibus multa, qvæ ad variam eruditionem & civilem prudentiam ſpectant, continentur. Ex his omnibus excerptis ſyſtema editionis Valerii cum variorum notis confecit Anton. Thyſius Lugd. Bat. 1651. 1655. & 1670. in 8. Joh. Vorſtii editionem Berol. 1672. in 8. nemo ignorat. In Delphini uſum edidit Valerium Maximum Petrus Joſephus Cantelius Pariſ. 1679. in 4.

Ad hanc claſſem Auctorum etiam pertinet CORNELIUS CELSUS, qvi caſtiſ- 7
ſima Latinitate ſua, qva rem difficillmam, artem Medicam, expreſſit, id conſecutus eſt, *ut Latinorum Hippocrates*, & *Medicorum Cicero*, diceretur. Sed mendis plena ſunt hactenus Opera ejus. *Primùm prodiere* apud Joh. Rubeum, cum ejusdem notis, Venet. 1493. in fol., inde ſæpius Venetiis, Pariſiis, Baſileæ, Lugduni, Aureliæ Allobrogum, Hagenoæ repetita ſunt, & notis identidem variorum doctorum virorum, Bapt. Egnatii, Guil. Pantini, Rob. Conſtantini, Jerem. Thriverii Brachelii, Balduini Ronſſei, Pet. Pauvvii, Joh. Cæſarii, Joh. Ant. van der Linden, emendatus illuſtratusve eſt, ſed multa tamen ſuperſunt in ipſo textu ſphalmata, MSS. codicum & Criticorum defectu nondum ſublata. Et miror ſane, ex tam ampla Criticorum gente neminem fuiſſe hactenus, qvi ſufficientem laboranti medico manum medicam adhibere voluerit. Optima fere eſt editio, qvæ cum notis Brachelii & Ronſſei Lugd. Batav. 1592, apud Franc. Raphelengium, in 4. excuſa eſt: Lindeniana Elzevirianis typis in 12. 1657. prodiit. Nuper vero A. 1687. inſignis ille Philologus atqve Medicus, Theodorus Janſonius ab Almeloveen, non minus nitidam, qvam emendatam Celſi editionem, Amſtelodami in 12., adornavit, inſeruitqve illi Scholia, qvæ inter legendum ſuo codici Iſaacus Cuſaubonus adſcripſerat, addit & Rob. Conſtantini notulas, tum locos ubiqve parallelos, tàm ex ipſomet Celſo, qvàm qvæ ex Hippocrate ad eum illuſtrandum facerent, appinxit, indiceqve rerum & verborum locupletavit. *Uberrimum indicem*, ſeu *Lexicon* potius, in Celſum, unà cum *Variis lectionibus & notis*, olim JOH. RHODIUS confecerat, qvæ, cum ampliſſimis ſuis commentariis medicis, Philologicis, Antiqvariis, in Celſum edere moliebatur Thomas Bartholinus, vèrum utriusqve curas longè utiliſſimas ferale Bibliothecæ Bartholinianæ incendium ſufflaminavit: qva de re Bartholinus in Epiſtola de incendio Bibliothecæ ſuæ qveritur. E laboribus Rhodii Vita tamen Celſi ſuperſtes manſit, qvam editioni ſuæ Almeloveenius præmiſit. Ceterum aliorum qvoqve Virorum doctorum molitiones in Celſum evanuerunt. Fuit Tonningæ Medicus qvidam do-

ctiſſi-

ctiſſimus JACOBUS HOLSTIUS, qvi à multis annis ſaxum hoc volvit: ac vidi ipſe aliqvando *commentarii* ejus partem aliqvam, qvem ille triplicem ſtruxit, *Medicum*, *Philologicum* & *Grammaticum*: ſed, cum MSS. codicum copia fuerit deſtitutus, non ſatis feliciter hoc in argumento verſari poterat: aſt tamen luce dignus labor illius eſt, qvam an aliqvando aſpecturus ſit, dubito, cum jam ipſe fatis conceſſerit. Similiter Joſ. Scaligeri, Joh. Walæi, Ælii Everh. Vorſtii, Jac. Mentelii, conatus in Celſum perierunt.

8) Qvod ſi verò de Juſtino, num recte ad ætatem argenteam referatur, dubitarunt aliqvi, de M. ANNÆO, & L. AN. SENECIS dubitari haudqvaqvam poteſt. Pulcerrima utriusqve Rhetoris ac Philoſophi, Opera illa ſunt, & inprimis hujus ſcripta ſapientiæ moralis pleniſſima. De ſtilo Senecæ jam tunc aliqvid à nobis dictum, cum de ejus Epiſtolis ageremus *lib. I.* Recte ſane judicavit QVINTILIANUS, *Inſt. lib. X. c. 1.*, ejus imitationem adoleſcentum manibus excutiendam, cum Eloqventia Senecæ dulcibus vitiis abundet, qvæ facilius, qvàm ſaniora, à juventute in imitationem trahuntur: qvare, ut à robuſtioris ingenii hominibus, & ſeveriori lectione ſatis firmatis, legatur, ſuadet. Luculentum de Seneca & prolixum judicium ERASMI vid. in Epiſtolis ejus, lib. XXVIII. ep. 12., p. 1663., cui addi etiam poteſt GRONOVIUS in epiſtola nuncupatoria ſui Senecæ. PATINUS tanti Senecam fecit, ut eum, Plutarcho & Ariſtoteli junctum, Bibliothecam integram conſtituere poſſe crediderit. Præcipuæ Senecæ *editiones* ſunt Pariſienſis, qvæ cum Ferd. Pinciani, M. Ant. Mureti, Nicol. Fabri, Jani Gruteri, Franc. Jureti, Andr. Schotti, aliorumqve, notis A. 1637. in fol. excuſa eſt: Lipſianæ aliqvot, Antvverpiæ, Lugduni Batav. & Amſtelodami, diverſis formis editæ, & identidem à Lipſio reviſæ: inprimis vero ceteris præſtant Gronovianæ duæ, qvarum prior Amſtelodami apud Elzevirios 1659. in 12., IV. voluminibus, lucem publicam aſpexit; poſterior junctas qvoqve Lipſii notas integras, & in Rhetorem Senecam Andr. Schotti curas, ut & notas Joh. Schultingii, habet, prodiitqve iterum apud Elzevirios 1672. in 8., voluminibus tribus. Miſerat jam olim GRONOVIUS A. 1650. ſuas in Senecam notas, tum adhuc MSS., Sarravio, ejusqve judicium flagitarat: ad qvod petitum ita Sarravius Epiſt. p. 317. *Naudæo tuas in Senecas notas tradidi. Mihi ſane eximiæ videntur: fere enim omnes ad ipſum textum contuli, ut melius de illis judicarem. Tibi gratulor, quod iſtis nactus ſis typographum, virum honeſtum & locupletem: nec poſſit typos ſuos nobilitare meliori & magis vendibili libro. Perge ergo in iſto quoque Seneca literas demereri. Te ſane ſolum iſtis in regionibus excellere video, & eruditam criſin exercere.* Moliebatur jam tum qvoqve Gronovius Senecæ Tragici editionem, ut ex eadem epiſtola Sarravii clarum fit, in qva monet, ne curam ejus ſuſcepti in ſe operis deponat. Neqve etiam factum id, ſed, inprimis ope cujusdam Florentini optimæ notæ codicis, Tragicum Senecam eſſe præclariſſime emendatum res ipſa probavit, cum A. 1661. ille in 8. cum notis Gronovii prodiret. Notas autem ex Avtographo parentis auxit, adjecitqve variorum ſelectas, Jac. Gronovius Amſtelod. 1682. in 8. Qvàm alias circa Senecam Tragicum inter ſe varient Autores, & ut à nonnullis ille idem cum Philoſopho judi-

judicetur, ab aliis ejusdem filius: rurſus ab aliis frater, aut ex fratre nepos: demum à nonnullis non unus omnium Tragœdiarum Auctor, ſed varii reputentur, ut hic prolixe recenſeatur, opus non eſt, cum ex aliorum ſcriptis abunde notum ſit. Tantum *de diſſenſu Lipſii & Scaligeri* aliqva ſubnotabimus. Mutarat ordinem Tragœdiarum Lipſius, Troadas magiſtelli potius, qvam Senecæ opus eſſe judicabat, Octaviam plane ſpreverat, & ſub Domitiano ſcriptam futilem & ineptam ajebat. Contra Scaliger pueriliter maximum Criticum judicaſſe inqvit; Troadas Divinam tragœdiam, omniumqve principem, vocat, neminemqve Lipſio aſſenſurum confidenter affirmat, niſi imperitos. Novem illarum unum genium, unum parentem agnoſcit. Octaviam optimum poëma à domeſtico Octaviæ, Senecæqve amico ſcriptum autumat. Ed id qvidem eo animo dicit Scaliger, ut, ſe nemini iſta Critica ſua conceſſurum, multa cum confidentia inculcet. *Epiſt. 247. & 414.* Neqve tamen propterea omnibus perſuaſit: ſed aliter, præter multos, qvos non nomino, judicarunt Gronovius, & Barthius Adverſ. *lib. XLIV. c. 25.* Jac. Gaddius Franc. Florido Sabino ſuccenſet, qvod Lection. Subciſiv. p. 119. Senecam Tragicum nullo in ſubſellio ponat, cum tamen comparate ſolum Floridus loqvatur, &, ſi Græcis comparetur Tragicis Seneca, illum multo eſſe minorem dicat: adeoqve male idem Gaddius: *Erratum palmare*, ait, *vel flagitium potius, committet (Sabinus) ſuo judicio, dum Senecam, Latinæ Tragœdiæ Monarcham vel Dictatorem ne nominat quidem inter Latii Tragicos imitandos; ſed nos mittit ad Græcos, illo iniquiſſime prætérito. Hic me continere non poſſum.* Verum, ſeu ſe continere poſſit Gaddius, ſive neqveat, parum intereſt, cum Hiſpanicus ille tumor in Seneca à nemine peritiorum negetur. Ampliore commentario illuſtravit Senecam Tragicum M. Anton. Del Rio, ediditqve Antvverpiæ 1576. in 4. Jamdudum ante hanc editionem apud Jodocum Badium Aſcenſium, cum ejusdem & Bernardi Marmitæ Cajetani commentariis, 1514. Seneca Tragicus in fol. & apud Aldum 1517. prodierat, ab Hier. Avantio caſtigatus, & præmiſſa hujus de variis carminum Senecæ generibus Diſſertatio. Avantii Diſſertationem, cum alia de eodem argumento Georgii Fabricii, copulavit, adjecitqve ſuæ editioni, Petrus Scriverius qvam ex recenſione ſua, cum integris J. Lipſii, Franc. Raphelengii, Q. Septimii Florentis Chriſtiani, Hier. Commelini, Joſ. Scaligeri, Jani Gruteri, Dan. Heinſii & Joh. Iſ. Pontani, Lugd. Batav. 1621. in 8. emiſit. Scripſerat etiam Lectiones in Senecæ Tragœdias Mich. Piccartus: verum illæ in manus rapaces inciderunt, atqve ob id ipſum ſuppreſſæ ſunt, ut eo tutius plagio aliorum inſervirent: prout ex epiſtola Nic. Rittershuſii ad Richterum notat Thomaſius *Diſſert. de Plagio §. 288.* Cum notis ſelectis variorum edidit Senecam Ant. Thyſius Lugd. Batav. 1651. in 8., breviſſimis vero notulis inſtructum Oxonienſes è theatro Sheldoniano 1679. in 12. dederunt. Farnabianam editionem taceo, qvæ etiam ſpernenda non eſt.

Senecæ Nepotem ex fratre addimus M. ANN. LUCANUM, Cordubenſem Poëtam, cujus *Pharſalia* varia doctorum virorum judicia ſubiit. HUGO GROTIUS tanti eum fecit, ut, referente Patino in Epiſtolis, illum perpetuo in ſinu geſtaret, & nunqvam ambularet ſine Lucano. E contrario tantopere illum ſpernunt alii, ut ne qvidem

inter Poëtas ferant, ſed ad Hiſtoricos ablegent. Sic jam olim coævus ſcriptor PETRONIUS illum ſugillavit: *Ecce*, ſcribens in Satyrico, *belli civilis ingens opus quisquis attigerit, niſi plenis literis, ſub onere labetur. Non enim res geſtæ verſibus comprehendendæ ſunt, quod longe melius hiſtorici faciunt, ſed per ambages, Deorumque miniſteria, & fabuloſum ſententiarum tormentum præcipitandus eſt liber ſpiritus; ut potius furentis animi vaticinatio appareat, quam religioſæ orationis ſub teſtibus fides.* Idem etiam noto epigrammate innuit Martialis, de qvo vid. Voſſius de Hiſtor. Lat. l. I. c. 26. QVINTILIANUS *Inſtit. l. X. c.* 1. Oratoribus magis qvam Poëtis annumerandum cenſet Lucanum, ardentem, & concitatum, & ſententiis clariſſimum. Nihilominus illum adeo magni fecit TRAJANUS BOCCALINUS, ut, *Relat. 86.*, cum Virgilium Imperatorem Heroicorum conſtituiſſet, Lucanum ejus faciat Vicarium. Male utiqve, cum Statius minimum par, melior autem Claudianus ſit. Ceterum Statius, qvem modo diximus, *Genethliacon Lucani* ſcripſit, qvod in Sylvis ejusdem reperitur, & in eo verſum qvoqve hunc poſuit.

Bœtim Mantua provocare noli.

Hunc verſum cum Anton. Mancinellus pro Lucano, Virgilio præferendo, allegaſſet; FRANC. FLORIDUS Sabinus, acerrimus Mancinelli hoſtis, longe aliter & in opprobrium Lucani explicat, qvaſi nempe à Statio Virgilius admoneretur ironicè, ne Lucanum, miſerum poëtam, provocet ad certamen, eadem ratione, ac ſi fortiſſimum Achillem moneres, ne imbellem Therſitem forte ſibi adverſarium poſceret. Addit Floridus, *Subſiciv. Lect. l. II. c. 20. Quodſi non hæc fuit Statii ſententia, nihil unquam ſtultius prolatum fuiſſe affirmarem.* Perſuaſiſſimus enim eſt Sabinus, ne juvenilia qvidem Virgilii carmina cum Lucano ulla ratione comparari poſſe, ſed *Culicem* Maronis plus artis & elegantiæ habere, qvam omnia ad unum Lucani ſcripta: unicamqve Eclogam Virgilianam ſexcentas Thebaidas Statianas ingenio, judicio, candore, antecellere. Adeo autem ægre fert iſtud Floridi judicium JAC. GADDIUS, ut, poſtqvam illa verba: *Quodſi non hæc* &c. recenſuiſſet, *p. 185. T. II.* mox ita ſuam epicriſin addat: *Hæc merito poſſem uſurpare de Florido ſcribente. Intolerabile eſt hoc judicium ſine judicio, cum Eclogæ illæ ſint, longe impares mole ac dignitate poëmatibus epicis Statii, Lucani, Ovidii, Claudiani, Valer. Flacci: ut prætercam Tragica Senecæ, Lyrica Horatii: aliorum Latii principum elegias, ſatyras. Impares etiam illas judico poëmatiis heroicis Sannazarii, Pontani, Fracaſtoris, Vidæ, Politiani, & recentiorum.* Verum hoc longe ineptius eſt hominis imperiti judicium, qvam ut ullo etiam modo ferri poſſit. Ita vero ſemper judicat Gaddius, & ineptit, ne ſui diſſimilis forte videatur. Simile eſt, cum alibi Lucanum ait orationis præſtantia meliorem Homero, nec deteriorem Virgilio, videri poſſe, qvicqvid etiam ſcripſerint Jul. Cæſ. Scaliger, Idololatra Virgilii, & Lil. Gyraldus, Virgilii & Homeri nimius cultor. Nempe his longe præſtat judicio Gaddius, ſæpe vix mentis compos. SCALIGER, *de Re Poetica l. III. c. 26.* Lucani orationem vocat ſuperbam, & minacem, qvæ auditorem invitum, atqve alibi animo hærentem, ubi vult tenere aut trahere, abigit: tyranno haud abſimilem, qvi mavult metui, qvam amari

amari. Idem prolixe, in comparatione Lucani cum Nicandro, oſtendit *l. V. cap.* 15. GYRALDUS *in Hiſtoria Poetar. Dial. IV.* (Operum nuper editorum P. II. p. 238.) *De Lucano*, ait, *ſic ſtatuatis velim, ut eum non modo cum Virgilio non conferatis, ut Statius fecit & Martialis, ſed eum neque ſecundum, neque tertium, dicatis: vel, ſi dixeritis,*

- - - Longo proximus intervallo:

cum neque in quadrigis eum ſecundum numeremus, aut tertium, qui vix è carceribus exierit, cum palmam jam primus acceperit: ita nec in poetis, qui tantum abſit à primo, vix ut in eodem curriculo eſſe videatur. Sunt tamen quædam in Lucano, quæ qui ſine Virgilii comparatione ſpectavit, ſatis magna dicat, quæ, ſi cum judicio & delectu legantur, non indigna ſint imitatione: id tamen caute, & diligenter, nec vitia ſpecie virtutis irrepant. - - - Illud auſim de Lucano affirmare, quod M. Tullius de Cordubenſibus ſuorum temporum poetis: qui eos neſcio quid pingue & peregrinum ſonare putabat. Hæc ibi Gyraldus, qvi in ſeqventibus etiam præcipitem Lucani calorem notare pergit. De comparatione ejus cum Virgilio, agit AUGUST. MASCARDUS *de Arte Hiſtorica p.* 444. atqve idem, qvam non habeatur poëta, p. 551. conferendus. Peritiam rei Aſtronomicæ hauriri etiam è Lucano poſſe, crediderunt nonnulli, &, cum Jos. SCALIGER, in libris *de Emendatione Temporum*, illorum errorem caſtigaſſet, ſeu potius notaſſet errata Lucani hyperaſpiſten Poëtæ egit FRANC. INSULANUS, Pariſienſis, edita adverſus Scaligerum *Apologia Mathematica pro Lucano* Pariſ. 1582. in 4. Verum acri Epiſtola, ad Mamertum Patiſſonum ſcripta, librum illum excepit Scaliger, nec magis ſcientiæ aſtronomicæ Inſulano, qvam Lucano ipſi, relinqvit: Ait inter alia: *Tu* (Inſulanum ita alloqvitur,) *qui neque, quid ſit poeſis, quod quidem aperte clamant tua carmina, neque quid aſtronomia, niſi quod quidam tibi dictavit, ſcis; tu, inquam, nos docebis & poeſin Lucani & Aſtronomiam: qui, ſi propius totum opus Lucani putare volueris, non ſolum nullam Aſtronomiæ peritiam in eo homine reperies, ſed & importune ſemper interjectam rerum cœleſtium mentionem, & levem, vanum & oſtentatorem juvenem illum fuiſſe deprehendes.* Sed qvorſum ea nos hîc apponemus, qvæ prolixe apud Scaligerum ipſummet Ep. 3. tota legi poſſunt. Interim, licet nævis hiſce, notatis hactenus, ſcatere Lucanum negari utiqve non poſſit, recte tamen in eo aliqvi entheum ardorem & furorem illum poëticum animadverterunt: & inter alios qvoqve GADDIUS, qvi libro V. tali furore abreptum præcipue agnoſcit: ubi deſcribens maximam tempeſtatem, qva jactitatus in navicula Cæſar eſt, extraordinarias animi conceptiones & hyperbolas effudit, immodicas certe, ſed ſublime & peracutum Poëtæ ingenium indicantes; qvæ hac ætate Italis placerent, ſupra modum amantibus & admirantibus acumina & ſenſa inuſitata, ac ſupra commune faſtigium evecta. Et eundem qvoqve eloqventiæ genium ſeculo Neroniano fuiſſe, probe BARTHIUS animadvertit, adeoqve condonandum aliqvid, vel ex iſto qvoqve capite Lucano, haud abs re monens: ipſe etiam in eodem doctrinam haud vulgarem, ſpiritumqve prorſus heroicum, agnoſcit: propter grave, nervoſum & acutum vibransqve &

penetrabile ſententiarum pondus, qvibus univerſa ejus oratio mirifice floret, adeo, ut in eo genere parem nullum unqvam habuerit. vid. Adverſ. Lib. LIII. c. 6. toto: & de auctore vitæ Lucani l. XXIII, c. 3. Conf. Roland. Mareſius Epiſt. l. I. ep. 8. Haller-vordius in Spicilegio p. 126., Mich. Neander Erotem. Gr. L. præfat. p. 192. ſeq. Vives de Diſciplinis p. 520. (qvem tamen, dum Virgilio Lucanum præfert, falli, Scaliger haud abs re in Primis Scaligeranis p. 149. monet,) & alii. Eſt vero Lucanus inter primos Latinæ linguæ Auctores, qvi, poſt artis typographicæ inventionem, typis exſcripti ſunt, nimirum Romæ A. 1469. cura Joh. Andreæ, Epiſcopi Alerienſis, impreſſus in fol. Eodem ſeculo Venetiis, & haud multo poſt initium inſeqventis Pariſiis, in lucem prodiit Lucanus variis Virorum doctorum, Joh. Sulpicii, Verulani, Phil. Beroaldi, M. Anton. Sabellici, & qvi Pariſiis eum ſuis typis excudit, Jodoci Badii Aſcenſii, aliorumqve, illuſtratus: repetita qvoqve ejus Editio cum Lamberti Hortenſii, Sulpiciiqve, notis Baſil. 1578. in fol., & Francofurti, cum Jac. Micylli aliorumqve annotationibus in 4. Nemo vero diligentiorem utilioremve operam Lucano navavit, qvam Hugo Grotius, è cujus recenſione primo prodiit ille apud Raphelengium Lugd. Batav. 1614. in 8., cum notis: hinc altera vice una cum notis Farnabii editus in 12. 1651. Uberrimum indicem Theod. Pulmannus adjecit. Servavit hunc; & Grotii, Farnabiiqve integras, reliqvorum ſelectas notas, collegit in ſua Lucani cum variorum notis editione Corn. Screvelius, Amſtelod. 1658. in 8., cui qvoqve Supplementum *Pharſaliæ* Lucani libris VII. ab Anglo homine, Thoma Majo, ſcriptum adjecit, qvod antea ſeparatim A. 1640. Lugd. Batav. prodierat. Eadem vero editio Screveliana Lugduni in Gallia A. 1670. repetita eſt. Jac. Gaddius refert, Joh. Bapt. Guarinum aliqvid in Lucanum ſcripſiſſe: ſed nihil vidi. Forte igitur ineditum illud eſt, velut notæ Joh. Wowerii in eundem Poëtam, qvæ MSS. in Bibliotheca Gottorpienſi adſervantur.

10 Qvem paulo antea Lucani Pharſaliam ſugillaſſe diximus, T. PETRONIUM ARBITRUM, in eadem Neronis Imp. aula vixit, Maſſilienſis, Eqves Romanus, atqve etiam aliqvando Conſul, nullâ aliâ ferme re, qvàm erudito luxu ad id famæ atqve dignitatis prolatus, referente Tacito, atqve hinc inter paucos familiarium Neroni adſumtus eſt, elegantiæ arbiter, dum nihil amœnum aut molle affluentia putaret, niſi qvod Petronius approbaviſſet. Tandem vero tamen ab æmulis Cæſari redditus inviſus, venas ſibi præcidit, per intervalla obligatas iterum, reſolutasqve, ut eo mollius vitam expelleret, eſſetqve coacta mors fortuitæ ſimilis. Impuriſſimum ille *Satyricum* moriens jam loco teſtamenti conſcripſit, in qvo Principis flagitia ſub nominibus exoletorum, feminarumqve, laſciviſſimâ ſcriptione, ſed tersâ tamen nitidâqve perſtrinxit. Fuerunt, qvi Petronium, Satyrici Auctorem, eundem cum Petronio Bononienſi Epiſcopo fuiſſe arbitrarentur, ſeculi poſt C. N. qvinti præſule, vitæ ſanctitate claro. Verum iis haud immerito ſuccenſet, acriterqve turpem adeo ἀνιστορησίαν caſtigat, Lil. Gyraldus de Poët. Dial. IV. Qvanqvam autem non integer ſuperſit Petronius, ſed primo exiguum tantum ejus fragmentum prodierit, idqve immani laſcivarum ſpurcitierum ingluvie ſcatens; mirum tamen, qvàm multi Chriſtianorum reſtituendo, illuſtrandoqve

turpi

turpi neqvitiarum promocondo inſudarint, bonasqve interdum horas male perdiderint. Prima ejus *editio* eſt Veneta A. 1499., qvam infinitæ propemodum aliæ ſunt ſecutæ: non paucas tantum recenſebimus. A. 1610. Helenopoli, ut titulus præ ſe fert, Melch. Heimsfeldius Goldaſtus, cum variorum notis, Petronii Satyricon dedit. Francofurti alia, cum variorum integris notis An. 1621. in 8. prodiit, & alia multo amplior in 4. A. 1629., in qvam Pet. Pithœi, Joh. Wowerii, Joh. Alex. Braſſicani, Joh. Aurati, Erici Memmii, Alph. Delbenii, Claud. Puteani, Jac. Bongarſii, Mam. Patiſſonii, & Joh. Weizii notæ, emendationes & obſervationes, ac Joſephi Anton. Gonzalez Commentarii, confluxerunt, adjectis præterea Joh. Pet. Lotichii vaſtis Excurſibus Phyſico-Medicis, qveis longe plurima ad rem Veneream facientia continentur: hac enim parte ad ſuperſtitionem usqve diligens fuit LOTICHIUS, eamqve in rem, ne forte aliqvid talium elegantiarum deeſſet, Scioppii notulas adjecit, qveis hic venereas phraſes in Petronio occurrentes verbis Germanicis expreſſit, nempe, ut ſe diligentem oſtenderet Commentatorem, monſtraretqve ſimiles habere labra lactucas. Perſtringit illum Lotichii commentarium ſatis acriter Goldaſtus in Epiſtola qvadam ad Caſp. Hoffmannum, qvæ in Mantiſſa ſecunda Epiſtolarum, Georg. Richteri Epiſtolis addi ſolitarum, p. 555. legitur. Ita autem ibi Goldaſtus. *Vides, quantum à te, tuo inſtituto ac judicio, Lotichius diſſideat. Volebam hominem amicum hac occaſione ad lectionem veterum Medicorum deducere, quorum illum prorſus expertem & negligentem eſſe advertebam: ſed judicio deſtitutus, nec in bonis Auctoribus verſatus, nobis undiquaque compilavit, quæ ad grandem officiendum librum convaſare, ex Cornucopiæ, Calepino, Textoris officina, Eraſmi Chiliadibus, & conſimilibus ſcriptis, poterat, ut tandem monſtroſum, horrendum & inſanum magnum iſtud commentum pareret.* Ceterum eſt & qvædam Petronii editio, cum notis Joh. Burdelotii criticis & gloſſario Lugduni Batav. 1645. in 12. vulgata. Eodem anno Ultrajecti Petronium, cum notis variorum, in lucem emiſit Simon Abbes Gabbema. Poſthæc inſigne aliud *fragmentum Petronii*, integram fere Cœnam Trimalcionis deſcribens, in Dalmatia Tragurii, è Nicol. Cippici Bibliotheca, eruit Marinus Statilius, i. e. vero nomine Petrus Petitus: atqve id, Oratore Veneto, qvi tum Romæ degebat, auctore à Paulo Frambotto, typographo Patavino, editum eſt Patavii Ann. 1664., præmiſſa præfatione, qvæ rem omnem uberius edocet. Hoc exemplum Nicol. Heinſ. ad Joh. Schefferum transmiſit, qvi Upſaliæ A. 1665. recudi curavit, cum notis Indiceqve ſuo, & Diſſertatione præliminari, qva genuinum iſtud fragmentum aſſerit. Hinc edidit Thom. Reineſius Lipſiæ 1666. in 8. cum Schefferi ſuisqve notis: is qvidem non omnia ſuppoſita, ſed tamen aliqva à barbara manu agnoſcit; diſſentitqve in nonnullis à Scheffero, qvi viciſſim illi qvædam repoſuit in Appendice ſeorſim edita. Seqventi Anno 1667. Chriſtoph. Arnoldus fragmentum Petronii Tragurianum denuo edidit Noribergæ in 8., cum Joh. Caji Tilebomeni conjecturis, Hadriani Valeſii & Joh. Chr. Wagenſeilii Diſſertationibus Epiſtolicis, & aliorum Clariſſimorum virorum judiciis, qvibus res illa in utramqve partem diſputata eſt. Tilebomenius, qvem per anagramma Jacobum Mentelium eſſe Placcius aperit de Pſeu-

don. p. 266., genuinum, ut videtur, agnoſcit, cujus præfatio multa prolixe de Petronianis editionibus in univerſum commemorat: Valeſius, Wagenſeilius, & alii qvidam, diverſum judicant, de fide Statilii & MSS. codicis dubitantes: qveis accedunt etiam Placcius l. c. & Joh. Frid. Gronovius, lib. Novo Obſervat. pag. 198. & Franc. Vavaſſor Epigrammatum lib. II. ep. 81. 82. 83. Tandem vero productus codex MSS. ille Dalmaticus Romæ eſt, & ſcriptura ejus ſatis antiqva obſervata, ut dubium qvoqve amplius nullum ſupereſſet. Id docent me literæ Clar. Schefferi, Ann. 1669. Menſe Martio ad me ſcriptæ, qvarum verba apponam. *Ego nihil habeo, quod nunciem, niſi hoc unicum, quod ſcribam non meis, ſed Clar. Falconerii verbis, ex epiſtola Romæ exarata ante ſex hebdomadas ad Nobil. Nicol. Heinſium. Exciderat, inquit, pene, quod Cl. Schefferum ſcire præcipue intereſt, allatum huc tandem è Dalmatia Petroniani fragmenti codicem, quem, conſtanti eruditorum omnium ſuffragio, ante 300. circiter annos ſcriptum fuiſſe conſtat: ut inde validiſſimum argumentum peti poſſit ad eorum opinionem evertendam, qui id fragmentum ſuppoſititium aſſerere præcipiti judicio conati ſunt. Nemo enim erit, cui perſuadeant, ea ætate quenquam fuiſſe, cui Petronii larvam geſtare, atque in Autore ſuppoſito parvo edendo, qui ea tempeſtate, ut credibile eſt, vix eruditioribus notus fuerit, gloriam quærere in mentem venire potuerit. Ex his verbis*, inqvit porro Schefferus, *potes intelligere, me non eſſe tam ſtolidum, ut viſus ſum aliquibus per Germaniam.* Poſt tantas itaqve magnorum virorum lites, tandem iſtud fragmentum ſuo loco apud Petronium inſertum eſt, in optima Editione, qvam, cum Variorum Commentariis, Amſtel. 1669. in 8. Mich. Hadrianides procuravit. (Exinde vero ſurrexit, qvi, præter iſtud fragmentum Petronianum, non alia ſolum multa, ſed totum, ſi credere fas eſt, Satyricon Petronii, Albæ Regali à Chriſtianis A. 1688. expugnatæ, erutum, ſibiqve à Du Pinio qvodam, Gallo nobili, ſub Imperatore ſtipendia merente, communicatum Franc. Nodotius, itidem miles, Roterodami An. 1693. in 12. in lucem publicam exire juſſit, non ſine confidentiſſima Criticorum provocatione, qvos non temere nova fragmenta iſta rejecturos autumat. Atqve idem etiam Gallus alius, Satyrici Interpres, ſenſit: cujus verſio, cum Latino Nodotii, apud Belgas Amſtelodami (etiamſi Coloniam titulus præ ſe ferat) An. 1694. in 12. prodiit. Verum is nimius Petronii petulantiarum amator eſt, adeoqve non mirum, ſi avide, qvæ ad eum ſupplendum Nodotius produxerat, approbavit. Sunt alii, neqve ii in arte Critica poſtremi, qveis de Nodotiani Petronii Editione aliter viſum eſt.)

11 POMPONIUS MELA, Geographus Latinorum celeberrimus, collocari adhuc ante Senecas debuiſſet, ſi ſtrictam adeo ætatis ſeriem in ſingulis Auctoribus ſeqveremur. Namqve is ſub Claudio Imp. vixit, Hiſpanus natione. Libri ejus III *de Situ Orbis* primùm ab Aldo Venetiis, tùm & Florentiæ apud Juntas editi ſunt: ſcholiis, emendationibus ac animadverſionibus illuſtrati caſtigatiqve à Joh. Pet. Olivario, Joach. Vadiano, Hermolao Barbaro, Ferdinando Nonio Pintiano, aliisqve. Poſteriorum duorum caſtigationes Melæ, à ſe emendato, & ſpicilegio notarum aucto, addidit Andr. Schottus Antverp. 1582. in 4. Sed tamen nemo melius, aut tàm bene de Mela meruit,

qvàm Isaacus Vossius, qvi Autorem illum è plurimis MSS. codicibus emendatum, & eruditiſſimis longe Animadverſionibus illuſtratum, Hagæ Com. 1658. in 4., non ſine magno doctiſſimorum Virorum applauſu, dedit. Sed, cum in notis ſuis nimis freqventer, & præter rem etiam, Salmaſii Plinianis in Solinum Exercitationibus inſultaſſe Jac. Gronovio Voſſius videretur; novâ ille editione Melam Lugd. Batav. 1685. in 8., cum ſuis annotationibus, dedit, Voſſium ſubinde haud paulo vehementius caſtigans. Verum neqve Voſſius impune ſe perſtringi paſſus eſt, edita Londini 1686. in 4. Appendice obſervationum ad Melam, in qva Gronovium ſtrenue depexum dat: [qvam tamen acerbitatem Gronovius cum concoqvere non poſſet, magno animi efferati impetu in nova ſua] Melæ editione, nuper A. 1696., poſt obitum Voſſii, vindicavit.] Refert alias Scioppius, ſe Madriti, apud Joh. Fonſecam, Petri Ciacconii Commentarium MSS. in Melæ de Situ Orbis libros vidiſſe.

Meruerat qvoqve ſupra jamdudum memorari GRATIUS, Poëta Auguſto rerum 12 potiente clarus, memoratusqve Ovidio, qviqve adeo magis ad ætatem auream referendus foret. Scripſit *Cynegeticon*, ſive *de Venatione librum*, qvi hodieqve, ſed non integer, ſupereſt: editus à Sebaſt. Gryphio Lugduni cum aliis A. 1537., à Petro Pithæo inter Poëmata veterum Pariſiis 1590. in 12., à Caſp. Barthio, tum duodecenni (vid. Adverſ. lib. LVII. c. 17.), Hanov. 1613. in 8., & qvi commentarium elegantiſſimum in Gratium ſcripſit, à Joh. Ulitio Lugd. Batav. 1653. in 8. Sed, cum hic Barthium, in eo commentario ſuo, ſæpe & acriter refutaſſet, occaſionem Matthæo Lago dedit, ut ſingulari Diſſertatiuncula Barthium adverſus Ulitium tueretur, Lipſiæ 1659. in 4. Manutius in qvadam epiſtola de Gratii Cynegetico judicat, eidemqve, qvod miror, Petrum Bargæum, novitium Scriptorem, præfert.

Ceterum refertur etiam ad argenteam ætatem Lucano coævus Poëta alius, A. 13 PERSIUS FLACCUS, Satyricus ſæpe plus qvam ferreus, imo ſaxeus: nam ſatyrica ejus dictio ſupra modum horrida eſt, & Juvenali, ætate licet inferiori, poſtponenda. Extat antiqvus in illum *Scholiaſtes*, non Cornutus, licet id nomen in Codicibus aliqvibus præ ſe ferat, cum tamen Cornutus fuerit Perſii præceptor, ſed Acron, ut probabilius aliqvi opinantur: vid. Placcius *de Pſeudon. p.* 179. Indiget autem aliqvo ſcholiaſte Perſius, nimium aliàs obſcurus, & propterea contemptus Scaligero aliisqve nonnullis: ſed qvem tamen recentiores aliqvot Commentatores adeo egregie illuſtrârunt, ut vix qvicqvam amplius deſiderari jure qveat. Antecellit omnes Isaacus Casaubonus, cujus *Commentarium* Joſ. Scaliger in epiſtolis ſatis extollere non poteſt: prodiit primo Pariſ. 1605. in 8., aliqvoties deinde recuſus: optima editio eſt, qvæ Londini à filio Merico Caſaubono Lond. A. 1647. in 8vo eſt procurata. Veterem ſcholiaſten è Bibliotheca ſua primus Pet. Pithæus publicavit. Cum variorum integris commentariis, El. Vineti, Joh. Britannici, Phil. Beroaldi, Ang. Politiani, Pet. Pithæi, Theod. Marcilii, prodiit Lutetiæ 1613. in 4. Jodoci Badii, Joh. Britannici, Joh. Bapt. Plautii, Ant. Nebriſſenſis & Joh. Murmelii Commentaria jam A. 1551. fol. junxerat Baſileæ Frobenius. *Paraphraſin* in Perſium ſcripſit Eilhardus Lubinus, qvæ additur ejus Commentario in

Juvenalem, (cum qvo ſcilicet utplurimum edi Perſius conſuevit) Hanov. 1619. in 8. Scripſit & Frider. Ceruthus paraphraſin, qvæ Veronæ A. 1600. prodiit in 4. Indicem omnium vocabulorum Joſ. Langius compoſuit, cum Juvenale Friburgi A. 1608. in 8. editum. Barthol. Fontii commentarium eximium in Perſium, aliàs ἀνέκδοτον, Auguſtus, Dux Brunſuicenſis, adhuc junior, edidit, memorante Conringio de Biblioth. Auguſta p. 86. Cl. Salmaſii notas etiam pluſculas acceſſiſſe ad nitidiſſimam Juvenalis & Perſii editionem Lugduno-Batavam, qvæ, Screvelio procurante, cum ſcholiis veteribus, A. 1648. edita eſt, Laur. Craſſus Tom. II. Elogior p. 210., & Clementius in Vita Salmaſii p. 67. teſtantur. Alia editio Batava cum notis variorum A. 1684. prodiit. In uſum Delphini à Ludov. Prateo Perſius eſt, una cum Juvenale, datus Pariſ. 1684. in 4. Th. Farnabii Wedderburnii & Joh. Bondti labores tironibus inſervire poſſunt. De patria Perſii ſingularem diſſertationem ſcripſit Ludov. Aproſius teſte Greg. Leti Ital. Regn. P. I. l. III. p. 372. ſeq.

14 Obſcurum Poëtam Hiſtoricus excellentiſſimus, Q. CURTIUS RUFFUS, excipiat, cujus dictio omnium conſenſu præ ceteris, ob nitorem in verbis, argutiam in ſententiis & orationibus, & periodorum concinnitatem, commendanda eſt. De ætate autem infinitæ propemodum eruditorum Virorum lites: dum aliqvi ad Auguſtum, ad Claudium alii, ejus tempora referenda putant; Trajanum nonnulli imperaſſe autumant, cum ſcriberet Curtius, plurimi Veſpaſianum: Barthius ad Theodoſiana tempora illum refert. Demum nonnulli plane ſuppoſititium eſſe fœtum cenſent, ab Italo neſcio qvo, ante hos trecentos annos, effictum. Nolumus, in allegandis variarum opinionum Auctoribus, eſſe prolixiores, qvandoqvidem id non ſolùm à Voſſio in Hiſtoricis Latinis, lib. I. c. 28., factum, ſed & multo adhuc fuſius à Freinshemio, qvi omnes, qvotqvot reperire potuit, Virorum doctorum de Curtio opiniones ſuæ editioni inſeruit. Declamatorium qvid, & argutias ſcholæ umbram oſtentantes, in illa floriditate Curtii BARTHIUS agnovit, l. XXVII. Adverſar. c. 15., atqve id in orationibus præcipuè patefieri contendit: cui non obſcure conſentit etiam BUCHNERUS, Epiſt. P. II., Ep. 32. p. 116. ſeq., qvi argutam comtulamqve brevitatem Curtii, & propius ad dulcia illa, qvæ Fabius vocat, vitia accedentem, adoleſcentibus unice ad imitandum proponi non probat; cum multo citius illi ſimplicem Cæſaris Nepotisqve facilitatem, aut fuſam orationem Tullii, qvam anxium iſtud & elaboratum, demorſosqve ſapiens ungues dicendi genus aſſecuturi videantur. Interim tamen neqve rejicit Curtium, neqve inter fictos ab impoſtoribus Auctores ablegat: qvod præter illos, qvi à Freinshemio allegantur, fecit qvoqve neſcio qvis Gallus, Guidonis Patini præceptor, de qvo Patinus ipſe Epiſt. 27. p. 96. ſeq. videri poteſt. [Multo majore verò, qvam omnes, qvi præceſſerant, apparatu JOH. CLERICUS, Vir Cl., in libro *de Arte Critica*, nuperrime in lucem emiſſo, Curtium è genuinorum Latinorum auctorum numero excludere allaborat, eiqve rei probandæ totum partis ſecundæ librum impendit. Enimvero, ſi in Bibliotheca Florentina Codex Curtii, ſeptingentis minimum abhinc annis, Luca Holſtenio judicante, ſcriptus, latet, & ſi eum vidit in illa Bibliotheca Celeb. Wagenſeilius, approbatqve

Hol-

Holſtenianum judicium (qvod utrumqve in Pera Juvenil. Libror. T. IV. p. 178. teſtatur, & facit) fruſtra profecto è ſcribendi ratione, è vitiis in Geographia commiſſis, ſimilibusqve aliis, Curtius Auctor novellus eſſe impoſtor probatur: ut alias multas rationes taceam, qvas loco cit. Auctor celeberrimus apponit.) *Editiones* Curtii ſtudioſiſſimè recenſet Joh. Freinshemius, qvi cum egregiis plane ſupplementis, Commentario luculento, & omnigenâ eruditione referto, indiceqve ampliſſimo, Curtium Argentorati An. 1640. 2. tomis in 8. edidit. Ea editio Freinshemiana poſtmodum ſemper reliqvis omnibus præſtare exiſtimata eſt, & recuſa Argentorati 1670. in 4., à Belgis autem excerptæ Freinshemii notæ ceteris variorum adjectæ ſunt. Præterea ſuas curas Curtio impenderunt Franc. Modius & Valens Acidalius, nec non Matthæus Raderus, cum cujus commentario Curtius Coloniæ An. 1628. in fol. editus eſt. Elegantem qvoqve editionem Curtii, iconiſmis multis interſtinctam, & notis ad explicationem Auctoris facientibus illuſtratam, dedit Ultrajecti A. 1685. in 8. Sam. Pitiſcus: nec non aliam, à ſe novis ſupplementis, notis, tabulisqve Geographicis, inſtructam, Chriſtoph. Cellarius Lipſiæ 1688. in 12. (Utraqve vero tum Pitiſci, tum Cellariana, A. 1693. iterum recuſa eſt.)

CAP. XIII.
QVO AUTORES ÆTATIS ÆNEÆ LATINI RECENSENTUR.

§. 1. C. Plinius Secundus, Hiſt. Nat. Scriptor. 2. *C. Plinius Cæcilius Secundus, Epiſtolographus, & Panegyriſtæ Veteres, Pacatus, Mamertinus, Nazarius, &c.* 3. *M. Fabius Quintilianus, & Declamationes ei jungi ſolitæ.* 4. *C. Cornelius Tacitus, & Autor Dialogi de Cauſis Corruptæ Eloquentiæ.* 5. *Sex. Julius Frontinus.* 6. *L. Annæus Florus.* 7. *Silius Italicus.* 8. *Valer. Flaccus.* 9. *Papinius Statius.* 10. *Dec. Junius Juvenalis.* 11. *M. Valer. Martialis.* 12. *Sulpitia Poëtria.* 13. *C. Suetonius Tranquillus.*

SUb Veſpaſianis, ad qvorum tempora Curtium à nonnullis relatum paulò antea 1
diximus, ÆNEAM LATINORUM SCRIPTORUM ÆTATEM cæpiſſe, argentea nonnihil pejorem, ſed tamen meliorem ferreâ, ſtatuentibus multis aſſentimur. Sit itaqve primus, qvi in aula Veſpaſiani magni nominis Vir fuit, & familiariter admodum Imperatoribus uſus eſt, C. PLINIUS SECUNDUS, *Naturalis Hiſtoriæ* conditor, ob qvod Opus ſervatum cauſam profecto habet literatus orbis, cur ſibi gratuletur: ut viciſſim etiam tot aliorum ejus laborum (qvos longo ordine Plinius junior recenſet Epiſt. lib. III. ep. 5.) jacturam ægrè fert; inprimis dolet Germania deperditos *de Bellis Germanicis libros XX.* Nam, licet, eos in Bibliotheca Auguſtana latere, ſe alicubi legiſſe Geſnerus in Bibliotheca memoret, nihil tamen ejus in Catalogis MSS. Auguſtanæ Bibliothecæ reperitur: nec abs re G. Joh. Voſſius Geſnero eſſe fucum per

 epiſto-

epiſtolam ab aliqvo factum ſuſpicatur, cum jam Symmachi ævo non usqve adeo obvii illi Commentarii fuerint, de Hiſtor. Lat. lib. I. c. 29. Indignum qvoqve profecto, nondum hactenus prodiiſſe Naturalis Hiſtoriæ editionem tam docto ſeculo dignam, ſed in tenebris macularum ſuarum tam pulchrum Opus diu adeo delituiſſe. Neqve enim ullum è veteribus Auctoribus eſſe credo, qvi fœdioribus erroribus ſit oppletus, qveis non ſine magno labore medicina adhiberi poteſt. Nec ſuppetit ea MSS. Codicum copia, qvibus ſupplere hos defectus poſſimus: nam & , qvi adſunt Codices, corruptiſſimi ſunt, ſi Joſ. Scaligero & Tanaq. Fabro fides *Prim. Scalig. p.* 20., à deſcriptoribus nempe, Monachis utplurimum Benedictinis, imperitiſſimis rerum harum, depravati. Eſt tamen Codex unus Plinii notæ optimæ in Bibliotheca Gottorpienſi. Primus emendando Plinio manus admovit Hermol. Barbarus, poſtea Sigiſm. Gelenius, & Beatus Rhenanus, è qvorum curis aliqvoties Baſileæ Plinius prodiit: Ferdin. Nunnez, ſeu Nonius, Pintianus, & Steph. Aqvæus, Commentariis & Obſervationibus Plinium illuſtrârunt, ille MSS. duobus uſus. Poſt hos, JACOBUS DALECHAMPIUS Plinium ad MSS. Codices recognovit, ſuisqve notis ac obſervationibus illuſtratum dedit Lugduni in fol. 1587., ſed qvem non adeo feliciter ſuo labore functum Scaliger teſtatur Prim. Scaligeran. p. 69., ubi ita: *Dalechampius, vir alioqui bene doctus, Plinium emendandum & excudendum ſuſcepit: ſed, qua eſt audacia, omnia invertet & corrumpet: quia, quod multi ſolent, ſi hoc illudve vocabulum non arridet, ſtatim immutat, ac ſæpe in deterius.* [Vatem fuiſſe Scaligerum, & audaciuſculas eſſe omnes Dalechampii conjecturas, nec ullas omnino ex iis ſat felices, Joh. Harduinus ait, adeoqve non pauciores ſibi pugnas cum illo, qvam cum Amanuenſibus corruptoribus, conferendas fuiſſe adjicit.] Recuſa eſt editio Dalechampii Francof. 1608. in 8. Cum emendationibus Salmaſii Plinius Lugd. Batav. apud Elzevirios, tribus in 12. tomis, editus 1631. Cum Variorum, Pintiani, Gelenii, &c., ſuisqve notis eum procuravit Joh. Frid. Gronovius Lugd. Bat. 1669., 3. vol. in 8., ſed commentaria tenuia ſunt, & lectorem ſæpiſſimè deſtituunt. (Interim, qvas Gronovius notas in libros poſteriores Plinii, inde à viceſimo incipiens, anno 1648. ediderat, tanti Harduinus, haudqvaqvam prodigus aliorum encomiaſtes, æſtimat, ut ſuas obſervationes illis ſimiles univerſas optet.) Extat & Jac. Milichii Commentarius in librum ſecundum Plinii, Lipſiæ editus apud Vœgelinum: ſed ille res potius ipſas tractat, qvàm ſenſum Auctoris inveſtigat. (Sunt præterea longe plurimi, qvi per partes Plinium illuſtrârunt, modo librum integrum, modo libri particulam, aut Operis totius prologum, ſibi explicandum ſumentes, qvorum integrum Catalogum Harduinus recenſet.) Inſignes in Plinium labores elucubraverat, & typis mandaverat, Auguſtus Valdus, ſed qvi maligno fato à militibus diſcerpti ſunt & incendio conſumti, referente Pierio Valeriano de infelicitate Literator. p. 44. Locum *Tom. I. noſtri Polyhiſtoris, lib. I. c.* 25. *§.* 25., excerpſimus. Petrum Ciacconium notas in Plinium ſcripſiſſe teſtatur Scioppius, eidemqve conſentiens Jan. Nic. Erythræus, Ciacconi Majorum Vigiliarum Opus in Plinium extare ſcribit Pinacoth. I. p. 191., qvod tamen editum non credo. (Sane nec Harduinus, diligentiſſimus talium librorum in-

veſtigator,

veſtigator, illud novit, adeoqve ne qvidem nominat.) Qvam maxime vero ad Plinii illuſtrationem faciunt CLAUD. SALMASII *Exercitationes Plinianæ*, qvæ nihil aliud ſunt, qvam vaſtiſſimus in C. Jul. Solinum, Plinii exſcriptorem & epitomatorem coævum, Commentarius, Pariſiis A. 1629., duobus in fol. voluminibus, primum vulgatus: & recuſus A. 1689. Trajecti ad Rhenum: in qvod opus Salmaſius omnes fere vaſtæ eruditionis ſuæ theſauros, credo, exhauſit: omniumqve meruit admirationem. [Sed tamen infenſior illis HARDUINUS eſt, &, licet plurima iis ineſſe erudite dicta non neget, eſſe tamen ait plurima ab illuſtrando Plinio aliena: difficillima pleraqve ſicco pede transmiſſa qveritur, qvæ bona ſint & Plinianis locis aliqvid lucis afferant, ea fere tota ex alienis hortis eſſe ſubrepta: qvæ ab ipſo primum excogitata, pleraqve nigrum theta poſcere. Hæc de Salmaſianis Exercitationibus juſto (ſi maxime deprecetur) acerbiora Joh. Harduinus, celeberrimus Jeſuita Gallus: qvi Plinium nova ac ſplendidiſſima facie, & à ſordibus mirifice perpurgata, Pariſiis, in uſum Delphini, A. 1685., qvinqve voluminibus in 4., dedit, exqviſitum Opus & æternitate digniſſimum: ad qvod edolandum non ſolum MSS. codicibus Regiis, Colbertinis, Vaticanis, Lugdunenſibus, San-Victorino, Rhedonenſi, uſus eſt, ſed & editos omnes libros Plinii, & commentatores, & veteres ſcriptores Græcos Latinosqve magna copia, nec minore diligentia judiciove, evolvit, ut ſic Plinium ſibi redderet, interpretatione ac notis eruditiſſimis illuſtraret, nec non indicibus ampliſſimis ornaret. In præfatione Editores & Commentatores omnes longo ordine, addita de qvamplurimis criſi ſua, commemorat, tum & uberrimè inſtituti rationem exponit. Præterea, cum librum primum, qvi nihil aliud, qvam index totius Operis ab ipſomet Plinio confectus eſt, ſimulqve Auctores, qveis uſus erat in conficienda ſua Hiſtoria Naturali Plinius, ſtudioſiſſime recenſet, cum eum, inqvam, hactenus mire corruptum, ope codicum MSS. egregiè reſtituiſſet, Indicem Auctorum illi annexuit, qvo juxta ſeriem alphabeti diſpoſitorum Auctorum, qvotqvot à Plinio uſpiam allegati ſunt, omnium hiſtoriam pro inſtituti ratione luculenter exponit: adeoqve modis omnibus de ſuo Auctore bene mereri ſtuduit.]

Referemus huc quoqve haud immerito Plinii ex ſorore Nepotem & ex adoptione filium, C. PLINIUM CÆCILIUM SECUNDUM, qvi & *Plinius minor* dicitur, ille Trajani Imp. familiaris, ſplendidiſſimis muneribus functus. Ejus extat *Panegyricus* arte magnâ, nec minore dictionis concinnitate, compoſitus, qvem haud abs re prudentiæ civilis Imperatoriæ penu dicas: & *Epiſtolæ* elegantiſſimæ, qvas ob concinnam adeo brevitatem, ipſismet Ciceronianis nonnulli præferunt; cum contra Politianus (Epiſt. I.) & alii, totum illud Plinii ſeculum aſpernantes, Plinios etiam Senecis judicent ratione ſtyli deteriores. Conjunctim Panegyricus & Epiſtolæ aliqvoties prodierunt: inprimis vero commendanda editio, qvæ, cum Iſ. Caſauboni notis, adjectis una Pacati, Mamertini atqve Nazarii Panegyricis, ex officina H. Stephani An. 1591. in 12. prodiit. Panegyricum ſeorſim, cum doctorum Virorum notis, edidit Matth. Berneggerus Argentinæ 1635. in 4. Alios qvosdam Commentatores in illum videas in Opere Panegyricorum, Pariſ. 1643. edito in 12. Epiſtolas notis ac obſervationibus, indicibusqve ampliſſimis, illuſtravit Claud. Minos Pariſ. 1588. in 12., qvæ rarior editio eſt, nec ntoæ

illæ comparent in editione Buchneriana, Francofurt. ad Viadrum 1664. in 8. excuſa, cum notis Aug. Buchneri ipſiusmet & aliorum, addito qvoqve Plinii Panegyrico, ceterisqve Panegyriſtis Latinis, ſed ſine commentario. Multum operæ, poſt hunc & alios, in Plinii epiſtolis emendandis illuſtrandisqve, poſuit JAC. THOMASIUS, qvi præfatione fusè de ſingulis Editionibus agit: tum ipſimet libro ſuas & aliorum, partim integras, partim ſelectas, animadverſiones adjecit, Lipſiæ 1675. in 8. & 1685. (Deniqve nuper etiam A. 1693. CHRISTOPH. CELLARIUS Plinii Epiſtolas & Panegyricum, cum novis ſuis Commentariis, ſane qvam elegantiſſimis, tabulis nonnullis Geographicis, qveis ad intellectum Epiſtolarum Plinianarum opus eſſe putabat, & novo Latinitatis indice, Lipſiæ in 12. exhibuit.) Memoranda inter epiſtolas Plinii potiſſimum illa, qva Chriſtianorum mores deſcribit, adeoq; cauſam agit perſecutionem paſſorum: qvam præter alios noſter etiam Chr. Kortholtus peculiari commentario 1674. Kilonii illuſtravit (oo) Veteres Panegyricos, adeoqve in iis etiam Plinium, in uſum Dephini, edidit Jacobus de la Baune Pariſ. 1676. Eſt vero, ut hoc obiter hîc addamus, pro temporum varietate, varia qvoqve horum Panegyriſtarum Latinitas; inceduntqve ii, qvi poſt Plinium ſcripsêre, miro dictionis tumore verborumqve intempeſtivo admodum poetiſmo: ut adeo non temerè iis uti qvis debeat, niſi qvi prius aureæ ætatis Scriptoribus ſe firmaverit.

3 Plinii junioris præceptor fuit, prout ipſe id Epiſt. lib. II. ep. 14. indicat, M. FABIUS QVINTILIANUS, ille veteris eloqventiæ ſtrenuus reſuſcitator, totiusqve Italiæ magiſter optimus: in qvo Hiſpanitatem (erat enim Calaguri, oppido Hiſpaniæ, natus) perperam à Franc. Philelpho eſſe notatam, libro *de Patavinitate Livii* dictum à nobis eſt c. 9. Ejus *Inſtitutiones Oratorias*, ſub Domitiano Imp. ſcriptas, elegantiſſimum Opus, primus in Conſtantienſi Concilio, in Salſamentarii officina, reperit Poggius Brandolinus, ſeu Florentinus, referente in Elogiis Jovis. Eæ vero multoties per Italiam, Germaniam, Galliam, Belgium & Angliam impreſſæ ſunt. Adſcribuntur illi qvoqve *Declamationes XIX*, qvæ in qvamplurimis Editionibus, una cum

(oo) Ante Chriſt. Kortholtum, Theologum Kilonienſem (cujus Commentarius Kilonii A. 1674. & ſeqq. Diſputationibus ventilatus eſt publicis) Plinii Junioris de Chriſtianis Epiſtolam ſeorſim illuſtrarunt Franc. Balduinus, Atrebas, JCtus Seculi XVI. eximius, in *Legibus & Edictis Veterum Imperatorum de Chriſtianis*, ab ipſo collectis, explanatis, ac Baſileæ in 8vo editis, & Gerh. Joh. Voſſius, cujus in eam Commentarius haud adeo magnæ molis, una eum Opuſculis de Cognitione ſui, & Ratione Studiorum Amſtelodami A. 1656. in 12mo prodiit. Pliniani Panegyrici Illuſtratoribus addantur Marcus Zuer. Boxhornius, qui ſeorſim eum Lugd. Bat. 1632 in 12mo, & deinde junctim cum epiſtolis ibidem A. 1648. & Amſtelodami A. 1659 in 12mo, recenſuit; Johannesque Henricus Boeclerus, cujus *Commentationes Pliniana, quibus pracipua incomparabilis Panegyrici materia explicantur*, Argentorati A. 1640. in 8vo ſunt excuſæ. Dominici Baudii Commentarium itidem, a nonnullis video allegari, mihi nunquam viſum, cui ſola ejus innotuit Oratio in C. Plinii Panegyricum Auſpicialis, publicis in eum Lectionibus præmiſſa, quæ inter Orationes ejus, junctim cum Epiſtolis ſæpius publicatas, eſt Septima.

cum Inſtitutionibus, conjunguntur, ſed qvas non eſſe hujus Qvintiliani, jam olim Eraſmus, & cum eo non pauci, dubitarunt. Alias itidem CXLV. *Declamationes* Qvintiliani, qvæ ex 388. ſuperſunt, à Pet. Pithœo partim emendatæ, partim primum editæ, pariter ejus nomen mentiri, longe plurimi arbitrantur. Prodiit illa Editio Pithœana, Pariſ. apud Mamertum Patiſſonum 1580. in 8. recuſa, Heidelbergæ apud Commelinum 1594. in 8. & una cum Inſtitutionibus Genevæ 1591. ac 1604. in 8. Alias memoratu digna eſt editio illa Qvintiliani, qvam, cum Pet. Moſellani, Joach. Camerarii, Ant. Pini ſuisqve commentariis, Petr. Gallandius Pariſ. 1549. apud Vascoſanum in fol. publicavit. Edidit illum qvoqve cum ſuis commentariis DAN. PARÆUS: ſed, ut ille ſemper eſt plagiarius, & Criticorum potius ſimius, qvàm filius; ita hic qvoqve Ludov. Creſollii Theatrum Rhetorum, Vacationes Autumnales, librosqve de pronuntiatione & actione, ſtrenue exſcripſit. Editio variorum Qvintiliani prodiit Lugd. Bat. 1665. in 8. Breves notulæ Pauli Colomeſii in Inſtitutiones Qvintiliani in ejus Opuſculis, Ultrajecti 1669. in 12. editis, leguntur. (Oxonii haud ita pridem EDMUNDUS GIBSON Inſtitutiones Qvintiliani nova editione in lucem emiſit, è tribus MSS. codicibus emendatas, & novæ cujusdam hactenus ineditæ declamationis (cum reliqvæ aliàs editæ non adſint) acceſſione locupletatas. Memorat qvoqve, Henr. Dodwellum, V. Cl., Annales Qvintilianeos apud ſe confectos habere, vitam Oratoris hujus uberrimè exponentes. Prodiit liber Oxon. 1693. in 4., ajuntqve nunc Argentinæ illum denuo recudi. Anno præcedente 1692. Oxonienſes Qvintiliani Declamationes ediderant, & qvidem ſolas XIX. priores, miſeras illas qvas vocant 145., à Pithœo, editas, ne qvidem ſuis laboribus dignas judicantes. Adjectus vero etiam eſt Dialogus de cauſis corruptæ eloqventiæ, qvi à nonnullis, ſed male adſcriptus Tacito, cum ejus Operibus una edi ſolet, ab aliis Qvintiliano, & hinc in Genevenſi aliisqve editionibus hujus reperitur: de qvo paulo poſt.)

Eodem cum Plinio & Qvintiliano tempore vixit C. CORNELIUS TACITUS, nempe qvi à Veſpaſiano inde ad Trajanum publicis muneribus functus eſt; Plinio etiam, prout ex Epiſtolis liqvet, familiaris: plane ſingularis prudentiæ Vir, eamqve ob cauſam maximis qvibusqve principibus ſemper in oculis geſtatus. Maledicum enim eſt judicium SCIOPPII, qvi libro ſuo *de Stilo Hiſtorico* Tacitum malignum & ſolœcum Autorem, atqve adeo neqvitiarum Magiſtrum juventuti è manibus excutiendum putat: ſubſtitutis (qvæ pietas viri eſt) Siracidis ſententiis & Machiavello. Non magis ſanum erat, qvod de ſtilo ejus dixit Alciatus, eum præ Pauli Jovii ſcriptis mera eſſe ſenticeta; aut qvod Æmil. Ferretus Tacitum non ſatis Latine ſcribere judicabat. Satis duobus his obviam ivit VOSSIUS *de Hiſtor. Lat. l. I. c. 30.*, qvi terſam, elegantem & limatam Taciti dictionem agnoſcit. Sed tamen nonnunqvam Tacitum nimis Politico ingenio ſuo indulſiſſe, magisqve finxiſſe, qvàm indagaſſe aut expoſuiſſe actionum eorum Imperatorum, qvorum hiſtoriam exponit, cauſas, haud abs re aliqvi animadverterunt, Rupertus ſc. in Obſervat. ad Hiſtor. Univ. Beſoldi p. 281. ſq., &, qvi conſentit illi, Gallus Jeſuita BOHURSIUS, in libello elegantiſſimo 4

ἀνωνύμως edito, qvem inſcribit *La maniere de bien penſer ſur les ouvrages de l' eſprit p. 308.*, ubi hunc in modum de Tacito: *Tacite eſt à la verité un grand Politique, & un bel eſprit, mais ce n' eſt pas un excellent Hiſtorien. Il n' a ni la ſimplicité, ni la charté, que l' hiſtoire demande: il raiſonne trop ſur les faits: il devine les intentions des Princes plûtoſt qu' il ne les découvre: il ne raconte pas les choſes, comme elles ont été; mais comme il s' imagine, qu' elles auroient pû être. Enfin, ſes reflexions ſont ſouvent trop fines, & peu vrayſemblables.* Conferendus etiam huc Scriptor plane eximius, RENATUS RAPINUS, in Meditationibus ſuis ad Hiſtoriam (*Reflexions ſur l' Hiſtoire*) p. 293. ſq., qvi, qvid in Tacito laudem, qvid vituperium mereatur, candide exponit. Ceterum Commentariorum in hunc Auctorem integra pene Bibliotheca extat, qvorum catalogum inire peculiaris Diſſertationis res eſt. Sunt, qvi in illum Criticas notas; ſunt, qvi Politica commentaria ſcripſerunt. E Criticis, ſeu Philologis, poſt Franc. Puteolanum, Phil. Beroaldum, Beat. Rhenanum, Andr. Alciatum, Vincent. Lupanum, Marcell. Donatum, Æmil. Ferretum, M. Vetranium Maurium, Fulv. Urſinum, Joſiam Mercerum, Curtium Pichenam & M. Ant. Muretum, inprimis clarus Taciti Commentator JUSTUS LIPSIUS eſt, qvi tanto eum amore deperibat, ut integrum teneret memoriâ, nullusqve dubitaret, qvin, etiamſi interiret Tacitus, è ſua, Lipſii, memoria reſtitui commode iterum poſſet: Juvenis eum primò edidit Antwerpiæ 1574. in 8., mox ſecundùm, deinde tertiùm, qvartùm, atqve qvintùm revidit. Et poſt tot tamen ſuas repetitas identidem curas atqve emendationes Lipſium Tacitum non intellexiſſe, & nihil minus feciſſe, qvam ut eundem illuſtraret, Bohurſius, libello allegato p. 358., contendit: qvod tamen judicium nimis acerbum eſt. Aliàs non diu poſt editum primo Tacitum Lipſius cum Mureto de locorum qvorundam emendatione acriter digladiavit, dum nempe Muretus eas Emendationes ſibi ſurreptas qvereretur, & vero pernegaret Lipſius. Hiſtoriam fuſe ſatis Jac. Thomaſius exponit *Diſſert. de Plagio Liter. §. 115. ſeqq. & 222.*, qvi Lipſium non omnino à plagii crimine abſolvit. Tendit eodem liticula, qvam cum perſonato Scriptore, Pompejo Lampugnano (Palatini Electoris Conſiliario,) Lipſius aluit, & qvæ, tum è Thomaſio ll. cc., tum è Placcio *de Pſeudonymis p.* 216., peti poteſt. Poſt eum LUDOV. AURELIANENSIS (d' Orleans,) in Tacito emendando, ſuam operam collocavit Pariſ. 1622. in fol. editam: ſed parum feliciter omnino; qvandoqvidem audaciſſimus in corrigendo, ſeu potius, qvo nihil pejus in arte Critica, ex ingenio ſuo depravando Auctore eſt, neqve adeo multam gratiam promeruit. Cum Variorum notis Tacitum Janus Gruterus edidit Francof. 1607. in 8. Si indicem velis, Tacitus Matth. Berneggeri præſtat ceteris, editus Argentorati 1664. in 8., cui nempe præſtantiſſimum indicem Melchior Freinshemius (Johannis aut frater, aut Agnatus) ſubjecit. Moliebatur Johannes Freinshemius, qvi præfationem præmiſit, longe ampliorem Taciti editionem, paraphraſi, commentariis indiceqve luculentiſſimis inſtructam; jamqve ediderat A. 1641. Specimen Paraphraſeos Cornelianæ in Tiberiani Principatus annos XV., cum verſionibus qvinqve linguarum comparatum; qvod ſi ad finem perduxiſſet, non fuiſſet labor inutilis. In

Germaniam Taciti ſeorſim editi ſunt Commentarii Andr. Althammeri, Jod. Willichii, Cyriaci Lentuli, Georg. Caſp. Kirchmajeri, Herm. Conringii. In Agricolam extat Commentarius Mich. Virdungi, Matth. Berneggeri, Marc. Zuer. Boxhornii. Commentatores Politici hujus qvidem loci non ſunt, ſed notari tamen nomina nonnullorum poſſunt: Scipio Ammiratus, qvi inter optimos eſt, cujusqve in Tacitum Diſcurſus Italico ſermone conſcriptos Juntæ 1598. in 4. Florentiæ excuderunt: Phil. Cauriana, itidem Italus, qvi vernaculo ſermone in qvinqve primos Annalium libros ſcripſit Romæ 1609. in 4., & Trajanus Boccalini itidem peculiari commentario Italico; qvi & in Relationibus ſuis ex Parnaſſo hic illic de Tacito lectu digniſſima & juounda inſpergit. Latine in Tacitum Commentarios Politicos adornârunt Annibal Scotus Francof. A. 1609., qvi aphoriſmos politicos extraxit: Chriſtoph. Forſtnerus, cujus notæ & diſſertationes elegantiſſimæ, Argentorati & in Belgio, niſi fallor, impreſſæ, in omnium manibus ſunt: Joh. Henr. Bœclerus, à qvo Notas Politicas in primordia Annalium Taciti & Hiſtoriarum libros, Argent. A. 1664. editas, habemus: Andr. Canonherius, à qvo Qvæſtiones & diſcurſus in primos duos Taciti libros, Romæ 1609. in 4. editi, fluxerunt; & forſan alii. Pulcerrima editio Taciti, cum notis Variorum, à Joh. Frid. Gronovio adornata, prodiit Lugduni Bat. tomis II. in 8., qvam ille moriens Regi Galliæ inſcripſit. Integræ illic notæ ſunt Lipſii, Rhenani, Urſini, Mureti, Pichenæ, Merceri, Gruteri, Acidalii, Grotii, Freinshemii, & ſelectæ aliorum. Gronovius integras notas ſuas adjecit, qvas ſeorſim antea publicaverat: adjecit iis qvoqve Excerpta variarum lectionum è codice Oxonienſi Jac. Gronovius. In Delphini uſum Abbas qvidam Julianus Pichon, tomis qvatuor, ab anno 1682. ad 1687., Tacitum edidit: Poſt hunc vero Theod. Ryckius, cum MSS. codicibus collatum, ſuisqve illuſtratum animadverſionibus, Lugd. Bat. 1687. in 12. emiſit. Solet cum Taciti Operibus una excudi *Dialogus de cauſis corruptæ Eloquentiæ*, qvem tamen ejus non eſſe, ob evidentiſſimam maximamqve ſtili diſparitatem, docti fere omnes conſentiunt. Qvintiliano autem, qvi alicubi ſe talem librum ſcripſiſſe refert, tribuunt pleriqve, qveis tamen contradicunt Lipſius, Barthius, Voſſius, & Tanaq. Faber, incertum ejus Auctorem exiſtimantes, & propterea abjudicantes Fabio, qvod Auctor dicit, ſe qvæſturam, tribunatum, præturam, Romæ accepiſſe; cum de Qvintiliano conſtet, eum nihil unqvam dignitatis in republica eſſe conſecutum. vid. Voſſ. Hiſt. Lat. p. 159., cujus in eo qvoqve judicium approbamus, qvod Autorem Dialogi, qvisqvis demum ille ſit, diſertum & ſani omnino judicii fuiſſe ſcribit. Conf. Barthii Adverſ. lib. XLIV. c. 8. Placcius de Pſeudon. p. 265. Tan. Faber Not. ad Longin. p. 239. & Ger. Langbainius ad eund., qvi ſatis etiam exinde concludi poſſe, falſo tribui Qvintiliano dialogum iſtum, arbitratur, ſi qvis ea, qvæ ad finem libri octavi dicit Qvintilianus, cum iis qvæ in Dialogo dicuntur, conferat. Voſſius alibi, nempe de Natura Rhetor. c. 15. pag. 107., præter Tacitum & Qvintilianum, qvibus Dialogus adſcribi ſolet, Junium qvoqve Gallionem nominat, M. Annæi Senecæ filium ſecundo genitum, Luciiqve fratrem, qvem Eloqventiâ claros etiam ſuæ ætatis viros viciſſe ex ipſius patris, tum & Statii, teſtimoniis confirmat. Ce-

terum, cum ſe Tacitus politicis adeo probarit, mirum non eſt, ſi in omnium cultioris Europæ gentium linguas translatus ſit Italicam, Gallicam, Germanicam, Belgicam, Hiſpanicam, Anglicam: & in aliqvibus etiam plus ſemel verſus compareat. Sed tamen non ejusdem qvoqve generis verſiones omnes ſunt: ſane enim, qvantis obſcuritatibus Tacitum Itala verſione ſua involverit Bernardus de Avanzatis, Interpres ne qvidem ipſiſmet ſuis civibus, Florentinis, intellectus, ſed è Latino ſemper Taciti textu explicandus, enarrat prolixe Erythræus Pinacoth. III. p. 218. ſq.

5 Sub iisdem plane Imperatoribus, ſub qveis clari erant Tacitus, Pliniusqve, floruit qvoqve SEXT. JULIUS FRONTINUS, cujus *Stratagemata una cum Vegetio* Pariſ. 1607. edita ſunt. Ejusdem de *Aqvæductibus & Cloacis* libelli ab Onuphrio Panvinio Commentariis Reip. Romanæ inſerti ſunt Pariſ. 1588. in 8vo. Opera omnia, cum notis variorum Arnhemii prodierunt : ut & Amſtelodami 1661. in 8., curante Rob. Keuchenio, qvi ſuas qvoqve Notas adjecit.

6 Frontino L. ANNÆUM FLORUM addimus, Hiſtoriæ Romanæ Scriptorem compendiarium, qvi ſub Trajano Imp. ſcripſit: qvanqvam & Hadriani tempora illum attigiſſe, eumqve ipſum fuiſſe Poëtam, cujus in Cæſarem, & Hadriani viciſſim in illum, verſiculos Spartianus narrat, perſuaſus non ſine ratione eſt Voſſius, de Hiſtor. Lat. l. I. c. 30. Dictionem ſi ſpectes, ad ætatem ferream referendus videtur, adeo multa in illo ſunt non tantum non Latinè, ſed etiam ſtulte, dicta. Eſt enim in illo neſcio qvæ ventoſa & panegyrica loqvacitas, metaphoræ ineptæ & pueriles: ut adeo peſſimè faciant, qvotqvot ipſum ad Latinitatem tironibus commendant. Eſt tamen hiſtoriæ Romanæ non inutile compendium, cujus jacturam facilius ferremus, ſi Livium haberemus integrum. Florum inſigni plagio exſcripſit, nulla ejus facta mentione JORNANDES GOTHUS, hiſtoriam rei Romanæ à Romulo ad Auguſtum narrans; ſed & idem barbaro, qvi ſeqvitur, ſtilo ſuo ſorex ſui ipſius proditor. vid. Thomaſ. de Plagio §. 472., qvi è Voſſio eam obſervationem hauſit. Variæ vero ſunt *Editiones* Flori. Prodiit Venetiis apud Aldum 1521., una cum Polybio à Nic. Perotto Latinè reddito: cum annotationibus Joh. Camertis Baſileæ 1528. & 1532. cum Frid. Sylburgii notis Francof. 1588., Tom. I. Scriptorum Hiſtoriæ Rom., ex recenſione & cum notis Eliæ Vineti Pictavii 1554. cum notis Jan. Gruteri & Claud. Salmaſii, tum adoleſcentuli adhuc, Heidelb. 1609. neqve virum Salmaſium ejus in Florum collatæ operæ puduit, qvippe qvi Florum denuo, cum amplioribus notis, & Luc. Ampelii Libro memoriali, Lugd. Bat. 1638. in 12. vulgavit. Freinshemiana Flori Editio Argentorati A. 1632., & iterum 1636. in 8., ſummo ſtudio eſt adornata, nec temere cuiqvam alii concedit, ſeu textum, ſeu notas, & chronologiam, ſive demum indicem, ſpectes: recuſa etiam A. 1669. Extant & *Obſervationes Politicæ & Philologicæ in Florum*, CHRISTOPH. AD. RUPERTI, ſeorſim editæ, in qvibus multum bonæ frugis eſt. Optime enim de Hiſtoricis meritus eſt Vir ille, ut teſtantur ejus ſcripta, pleraqve poſthuma: nam ipſe maturè fatis conceſſit. A. 1680. Celeb. JOH. GEORG. GRÆVIUS Florum, cum ſuis unius notis, edidit Ultrajecti, in qva Editione illud præcipue laudandum, qvod ſubjecerit imagines & nu-

& numos, in qvibus vel Imperatores, vel alii clariſſimi Viri, vel Actus deniqve reipublicæ & antiqvitates repræſentantur: qvibus oculo una cum hiſtoria objectis, tenacior inhæret memoria rerum illarum. Præmiſit & luculentam Diſſertationem de Flori ſtylo, in qva per totum Florum excerpſit ineptè ac effectatè dicta, à qvibus cavere ſibi debeant, qvi eum legunt. In uſum Delphini prodiit Florus, notis illuſtratus ab Anna, Tanaq. Fabri filia, virgine tum, nunc uxore Andr. Dacerii, cujus fama cum Patris fama pari paſſu ambulat. Pariſ. 1674. in 4.

Paulo ante Florum, nempe ſub Domitiano, *Hiſtoriam belli Hannibalici*, ſive *Punici II.*, heroico carmine deſcripſit SILIUS ITALICUS, magnis dignitatibus in republica functus, (eo enim anno, qvo Nero periit, Conſul erat): opibusqve clariſſimus: ſed minorum gentium Poëta, qvippe qvi magis fidem hiſtoricam, qvam ingenium, in ſubſidium adhibuiſſe videtur. Sane illum Poëtam omnium antiqvorum maxime tavtologum, & ingenio poſtremum, vocat Barthius Adverſ. lib. XXXIII. c. 3., idqve plenius oſtendit c. 4., ſecutus jam olim ita cenſentem Plinium juniorem Epiſt. l. III. ep. 6. Scripſit in illum Dan. Heinſius, 12. circiter aut 14. annos natus, *Crepundia*, qvæ vocat, i. e. notas Lugduni Batav. apud Raphelengium 1600. & Cantabrigiæ in 12. edita: qvibus additur qvoqve Diſſertatio de veræ criticæ apud veterrs ortu, progreſſu, uſuqve. Jam vero A. 1483. Venetiis, cum Petri Marſi commentariis, Silius editus eſt: & cum locuplete Commentario Claud. Dausqveji An. 1618. in 8. (Nuper etiam à Chriſt. Cellario Lipſiæ, cum notis, vulgatus.) 7

Ut erat ferax Virorum doctorum ætas, qvâ Veſpaſiani imperabant, ita pertinent qvoqve huc Poëtæ M. Valer. Flaccus, Statius, Martialis, Juvenalis, de qvibus nunc ſigillatim dicendum. Et qvod qvidem VALERIUM FLACCUM attinet, qvi ætate reliqvos antecedit, illum unum è Latinis feliciſſimum in Epico carmine, poſt Virgilium, fuiſſe Nicol. Heinſius, peritiſſimus de his judicandi artifex, cenſuit. *Argonautica* ejus (qvæ morte præventus juvenis ad finem perducere non poterat,) poſt alios Commentatores, notis egregiis illuſtravit Ludov. Carrio, Antverp. 1585. in 8. apud Plantinum, una cum Flacco primum editis, & deinde additis Juſti Zinzerlingii notis, Lugduni 1617. in 12. denuo recuſis. Inde Lampertus Alardus Flaccum, cum ſuis, Chriſtoph. Bulæi & Joh. Weizii notis, adjecto indice luculento, edidit Lipſiæ in 8. 1630., omiſſis tamen notis Zinzerlingianis, qvas interim ſubinde compilavit: volueratqve illas vindicare Zinzerlingii filius, ſi ſupervixiſſet. Nitidiſſima autem eſt & emendatiſſima editio Valerii Flacci, qvam Amſtelodami A. 1680. Nicol. Heinſius edidit, cum præfatione, in qva de curatoribus priorum editionum, notarumqve Auctoribus, agit. 8

Flaccum ſeqvatur Epicus poëta alius, PAPINIUS STATIUS, generoſus Vates, ut eum Buchnerus nuncupat, magni ſi qvisqvam alius ſpiritus, & haud procul à Virgilio locandus. Qvanqvam enim longe illo minor ſit, ob tumorem iſtum & loqvendi catachreſticum morem; ingenii tamen in eo magna eſt præſtantia. Putârim interim cum judicio legendum: multa enim ſunt apud illum audaci furore dicta, qvæ temere imitari nemo debet. Diſſuadeo igitur omnino ejus lectionem in prima ætate, 9

in qva ad imitationem optima ſunt proponenda.. Nam plus eſt in illo phantaſiæ, qvam judicii, ac veriſſimum, qvod Borrichius de illo dicit, eum inſtar Alexandri, ut magnis virtutibus, ita magnis vitiis, ſcatere. PAGANINUS GAUDENTIUS peculiarem librum *de audacia ſtili Statiani* conſcripſerat; de qvo ſic ipſe in Epiſtola ad Jac. Gaddium, qvæ præfixa eſt hujus libro de Scriptoribus Non-Eccleſiaſticis: *Librum ego ſcripſi, editionique paratum habeo, de Audacia ſtili Statiani, cui multa antiquaria philoſophica atque alia, admiſcentur. Magni nempe facio Statii ſublime ingenium. Dum autem audaciam illi tribuo, non hoc ago, ut eum reprehendam; tantum cupio lectorem cogitare, an imitatione dignos judicet quosdam dicendi modos, qui in Thebaide, atque alibi, occurrunt.* Hæc ibi Gaudentius: ſed cujus liber non magis in publicum exiit, qvantum ſcio, qvam ſimilis Caſp. Barthii, qvo contra Scaligerum demonſtratum dare volebat, non fruſtra Statium tumiditatis argvi: vid. *Adverſar. l. II. c.* 18. Prodiit Statius, ut editiones alias taceamus, ex emendatione cum ſcholiis Joh. Bernartii, Antvverpiæ 1595. in 8. Sed vehementer illam editionem perſtringit Barthius Adverſ. lib. VI. c. 4. Cum notis Caſp. Gevartii editus eſt Lugduni Batav. 1616. in 8. Sylvarum libri cum paraphraſi marginali Thomæ Stephani, ut & libri duo Achilleidos, prodierunt Cantabrigiæ 1651. in 8. Commentarium in Statii Sylvas ſcripſit Domitius Calderinus, qvem vero Dominicum de Caldariis vocari debere alicubi Colomeſius annotat, editum ſeparatim Venetiis, & Pariſ. 1600. Cura Joh. Frid. Gronovii recenſitus prodiit Statius Amſtelod. 1653. in 12., cum jam antea A. 1637. Hagæ Comitis ejus in Statium Diatribæ editæ fuiſſent. Eſt vero illi de notis in Statii Sylvas lis nata cum Emerico Cruceo, qvi ſe Mercurium Frondatorem vocat; qvem eleganti & feſtivo ſcripto, cui titulus Elenchus Anti-Diatribes, Pariſ. 1640. in 8., Gronovius retudit. (*pp*) Anno 1664. Cygneæ

(*pp*) Hiſtoriam Certaminis inter Joh. Frid. Gronovium & Emericum Cruceum, Monachum, & Collegii cujusdam Pariſienſis Pædagogum, de Statio Literarii cum obiter ſaltem Morhofius attigerit, paucis, e *Cimbria* noſtra *Literata*, & Elogio Gronovii, iſti inſerto, exponemus. Statium, cum Veterum & Recentiorum Commentariis, edidit Cruceus Pariſiis A. 1618. in 4to. Hanc ejus Editionem cum Gronovius, in ſua *ad Libros V. Sylvarum Statii Diatriba*, Hagæ A. 1637. in 8vo publicata, & Grotio, Salmaſio, Heinſiis, Vinc. Fabricio, aliisque Reip. Literariæ Principibus, ſummopere probata, Virgula ſubinde notaſſet Cenſoria, Cruceus, ſua vindicaturus, ſub larva *Mercurii Frondatoris* (quam, ante Morhofium, Chr. Ad. Rupertus, *in Annott. ad Synopſin Hiſtoricam Chr. Beſoldi* p. 291. eumque ſecutus Vinc. Placcius *in Tr. de Scriptoribus Anonymis & Pſeudonymis* p. 225 nec non Adr. Bailetus *in Tr. Gallico de Satyris Perſonalibus*, *T. II.* p. 328. Illi detraxerunt), *Antidiatriben, ſeu Frondationem Sylvarum Papinii Statii*, Stylo inſigniter maledico, Pariſiis A. 1639. in 24. ei oppoſuit. A Gronovio viciſſim Cruceo repoſitus *Elenchus Antidiatribes Mercurii Frondatoris ad Statii Sylvas*, Libellus adverſarium facete admodum exogitans, Pariſiisque A. 1640. in 8vo, una cum Claudii Salmaſii (cujus nonnulla Cruceus itidem vellicaverat) ad Gronovium Epiſtola, excuſus. De hoc Elencho Claud. Sarravius, Ep. 10. ad Vinc. Fabricium (*p. m.* 16.), ſequens Anno jam 1639. antequam prodiiſſet, tulit Judicium

Cygneæ in lucem editus eſt vaſtiſſimus Caſp. Barthii in Statium commentarius, duobus ſpiſſis in 4. voluminibus conſtans, cum indice Chriſt. Daumii; in qvo qvanqvam non pauca ſint laudabilia, longe tamen plura limam merentur. Veterem Scholiaſten Placidum Luctatium (qvem Scaliger & alii Lactantium vocant) produxit, ſuasqve adjecit notas, Frid. Lindenbrogius Pariſ. 1600. in 4. (*qq*) Magnam illi operam olim Henr. Schævius impendit, cujus paraphraſis & Lexicon Statianum prælo paratum erat, ſed illius morte omnis labor periit. Sic & periit labor Wowerianus, de qvo Joſ. Scaliger in Epiſtolis p. 658., aliam tamen ob cauſam, neſcio qvam, ſufflaminatus. Gallicè Statium convertit Mich. Marollius Pariſ. 1658. in 8. Prodiit & Paraphraſis Gallica, cum notulis Franc. Guyeti & aliorum.

DEC. JUNIUS JUVENALIS, Poëta ſatyricus poſt Horatium primo ſtatim lo- 10
co ponendus eſt. Qvanqvam enim non deſint Viri eruditiſſimi, qvi Juvenalem Satyræ leges minimè impleviſſe judicant, ut Buchnerus de Commut. Rat. dicendi p. 28.

cium: *Dabit Gronovius noſter Elenchum Antidiatribes Emerici Crucei, in quo miſer ille Cruciarius miris vapulat & torquetur modis. Nil mihi dudum lectum eſt amoenius hoc poſtremo Amici noſtri Opere, quod ſub prælo ſudat.* Novam adverſus *Elenchum* hunc Gronovianum Apologiam Cruceus, teſto Chr. Ad. Ruperto (*in Epiſt.* ad Georg. Richterum A. 1641. ſcripta). minatus quidem eſt, ſed in lucem nunquam protulit. Coeterum de Meritis Gronovii in Statium Joh. Veenhuſius, *in Præfat. ſuæ Editionis Poetæ ejusdem*, vere ita judicavit: *Gronovio præ reliquis tantum Statius debet, quantum coeteris omnibus, qui aliquid lucis ei affuderunt.* Plura vero haud dubie Poeta hic eidem debebit, ſi reliquæ ad eum Diatribæ, Obſervationes in Opera illius omnia, & Commentaria in Thebaidem & Achilleidem, quæ ſuperſtes publice promiſit, e Scriniis defuncti aliquando prodierint.

(*qq*) Uti omnes Autorum Vererum, quas Frid. Lindebrogius curavit, Editiones eximiæ ſunt, ita etiam Statiana, quam, e MSS. Pauli Petavii, Pet. Danielis, Puteanorum & Nicol. Fabri, accurate emendatam, adjectis, præter Placidi Lactantii in Thebaida & Achilleida Commentarium, e Codd. Biblioth. Regiæ & Pithæanæ recenſitum, locisque infinitis emaculatum, ſuis Variar. Lectionum Obſervationibus, Indiceque uberrimo, Pariſis, apud Andream Perier, A. 1600. in 4to maj. evulgavit. Acceſſit ei, biennio poſt (A. 1602.) Appendix, ibidem Claudii Morelli Typis excuſa, quæ Frid. Morelli Commentationes & Conjectanea, Domitii Calderini Commentarium, & Lindebrogii ipſius Breve Corollarium Obſervationum ſuarum in Statii Sylvas, complectitur. Editionem hanc (quam, novis in Statium pariter atque interpretem ejus, Lactantium Placidum, Obſervationibus atque Emendationibus αὐτογράφοις a Lindebrogio auctam, in Bibliotheca vidiſſe recordor Hamburgenſi) aliis præferunt, nec immerito, Ol. Borrichius *Diſſ. II. de poetis p.m.* 62. Joh. Hallervordius *in Biblioth. Curioſa p.* 303. & Joh. Alb. Fabricius *in Biblioth. Latina, p. I. p.* 101. Quorum Ultimus recte effectam tum Statii, tum Placidi Lanctantii, quam ſociata opera A. 1600. moliebantur, Editionem, Pariſienſi hac, eodem Anno, a Lindebrogio, VVouvverii Æmulo, vulgata, eſſe ſufflaminatam. Conſuli de Conatibus his VVouvverii & Scaligeri poſſunt VVouvverii *Ep. IV. & XIV. Cent. II. ad Scaligerum p.* 214. 239 ac Scaligeri *Ep.* 374. *ad VVouvverium p.* 716. & ſeqq.

obſervavit; ſunt tamen viciſſim, qvi immerito iniqvius de illo cenſeri autumant. Ita Jac. Gaddius de Scriptoribus Non-Eccleſ. T. I. p. 264. *Juvenalem*, ait, *quidam exiſtimantes non Satyricum poëtam, ſed declamatorem, Horatio in Satyricis imparem, perperam judicarunt: ſiquidem, cum prima ſatyræ pars ſit objurgatio, in hac unice regnat & triumphat Juvenalis. Nec deſideratur in eo riſus aliquando, excitatus à feſtiva & ſalſa urbanitate. Admirandis autem Acuminibus & ſententiis vicit Horatium in ſatyris. Sextam Juvenalis ſatyram Scaliger divinam totam vocat, & quæ grandem ſpiret poëtam: primam valde celebrat: decimam vero appellat optimam, ac longe præfert primæ Horatii.* Jos. Scaliger, *in Excerptis Putean. p. 133., Juvenal eſt un admirable Poëte: il y a de belles choſes a dire la deſſus: c' eſt un ſi beau poëte à prix de Perſe, qui s' eſt plûs à écrire obſcurement:* Idem, in *Primis Scalig. p. 95.* Juvenalem excellentem poëtam vocat, & in qvo præclara multa ſint. Miratur tantum, cur ſe dicat ſcripſiſſe ſtylo Lucilii, cum nihil ſit diſſimilius. Non minora loqvitur Mich. Neander *in præfat. Erotem. Ling. Gr. p. 192.*, qvi Horatium Juvenali, neqve argumentorum varietate, neqve dexteritate inventionis, neqve crebritate ſententiarum, neqve acrimonia reprehenſionis, neqve acumine dicendi, neqve facetiis aut urbanitate, parem judicat; ſed Juvenalem longe accuratioris ſatyræ auctorem eſſe, candidum, ac Satyricorum facile principem. Extat in Juvenalem Vetus Scholiaſtes, cum ipſis Satyris à Pet. Pithæo editus Pariſ. 1603. in 4. Hunc Scholiaſten, cum pervetuſto qvodam & optimæ notæ codice MSS. Gerh. J. Voſſii (cui multa qvoqve Anonymi ſcholiaſtæ annotamenta erant addita) collatum, auctiorem & emendatiorem edere olim Pet. Lambecius moliebatur, eaqve in re Avunculum ſuum Luc. Holſtenium conſuluit: cui vero hic Epiſt. 8. ita reſpondit. *Probo eam, quam Juvenali, veterique ſcholiaſtæ, operam impendis; cum & me aliquando idem ſtudium inceſſerit. Sed quotquot iſtorum Scholiorum exemplaria inſpexi: inſpexi autem plurima & antiquiſſima: à Pithœanis illa toto, quod ajunt, cœlo diſcrepant, ut fruſtra ex illis medelam locis hiulcis ſperes.* Labores Lambeciani in lucem non prodierunt, ſed extant tamen in Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi. Solet Perſio jungi Juvenalis: atqve adeo pleræqve editiones, qvas ſub Perſio enumeravimus, etiam ad hunc ſunt referendæ. Addendus iis commentarius in ſatyras Juvenalis, à Domitio Calderino ſcriptus, editusqve Romæ 1474. in fol. Juvenalis Nicol. Rigaltii prodiit apud Stephanum 1613., Bonav. Gangrei Pariſ. 1614, in 8., cum Cælii curionis, Britannici, aliorumqve notis, Baſil. 1551. fol. Sunt & aliæ ejus Editiones, de qvibus ſub Perſio egimus.

11 M. VALERIUS MARTIALIS, argutiſſimus *Epigrammatum* ſcriptor longe magis adhuc qvam Juvenalis adverſa Criticorum judicia excerptus eſt, Mureti, Gyraldi, Volaterrani, Naugerii, de qvibus in libro de Patavinitate Livii nos aliqvid *cap. 9. p. 128.* memoraſſe meminimus: addimusqve nunc ſolum ea, qvæ indignabundus Balth. Bonifacius, in Conjecturis in Martialem, dicit; cum ait: *Ælius Verus Cæſar, apud Spartianum, diu noctuque hunc poëtam evolvens, & Virgilium ſuum appellavit: at non tetricus ille cenſor Claudius Verderius, qui eum paraſiten obſcurum, & Poëtam*

tam ſcurrilem, impudentiſſime nominavit: at non atrox ille incendiarius, vir alioquin eruditus ac nobilis (Andr. Naugerius), *cujus nomini mea Muſa parcendum exiſtimavit, qui Martialem quotannis, quod virgunculas Muſas deprædicaſſet, publice comburebat. Cujus facti indignitate commotus me non continui, quin conceptam inde indignationem effunderem.* Mich. Neander, l. c. p. 194., poſtqvam obſcœnitatem Martialis devitandam monuiſſet, de reliqvis ejus ita judicat. *Multa ejus Epigrammata divina plane ſunt, in quibus & ſermonis caſtitas, & argumenti ſpecies luculenta eſt: verſus vero candidi, numeroſi, pleni, denique optimi.* Obſcœna reſecare è Martiali viſum nonnullis eſt, unde nati ejusdem Caſtratores, Conr. Geſnerus, Matth. Raderus, aliiqve plures, qvorum aliqvi, in titulo mira de hoc ſuo reſecandi ſtudio promittentes, nihil tamen in textu ipſomet præſtiterunt: de qvibus omnino conſulendus Vavaſſor lib. de Epigrammate c. 20., qvi de toto hoc ſtudio detruncandi plura lectu digniſſima affert. *(rr)* Scripſit

(rr) Inter Caſtratores Martialis primus fuit Conr. Geſnerus, Medicus & Polyhiſtor Civitatis Tigurinæ inclytus, qui Tiguri A. 1544. in 8vo edidit *Epigrammata* ejus *recens ab omni Verborum obſcoenitate, in Adoleſcentium præcipue Scholarumque uſum, expurgata, & in Locos Communes LXXXIV. digeſta, una cum Tribus Dialogis, quibus ratio hujus Inſtituti redditur, & Jac. Micylli in Martialem Annotationibus.* Secuti ſunt hujus Exemplum Jeſuitæ nonnulli, Andr. ſcil. Fruſius, Carnutenſis Gallus, cujus *Martialis repurgatus* ἀνωνύμως (teſte *Biblioth. Jeſuitica*, Phil. Alegambii & Nath. Sothvvelli *p. m.* 51.) Romæ A. 1558. in 8vo, & Lugd. Gall. A. 1598. in 16. prodiit, Matthæus Raderus, Tyrolenſis, qui Martialem, omisſis obſcoenis, emendatum, ac Commentariis illuſtratum, ter edidit, ac tertiis quidem curis auctiorem Moguntiæ A. 1627. in fol. & Pet. Rodellus, qui Libros V. Epigrammatum, reſectis itidem laſcivis, e Poeta hoc collectos, cum Notis ſuis, Toloſæ A. 1680. in 8vo. (referente Joh. Alb. Fabricio *P. I. Biblioth. Lat. p.* 113. 114.) publicavit. Non deſunt Inſtituto huic ſui Patroni, Vinc. Placcius *in Tr. de Scriptoribus Anonymis & Pſeudonymis detectis, P. I. c.* 10. *p.* 79. 80. Ol. Borrichius *Diſſ. II. de Poetis Latinis*, § 39. *p.* 63. 64. &, ut alios ſileam, Conr. Geſnerus, in tribus, quos ſuæ Editioni annexuit, Dialogis, paulo ante laudatis. In quorum Tertio Rhadamanthus Judex, poſt cauſam hanc in utramque partem, a Mitione & Demea, coram tribunali ſuo, fuſe diſceptatam, ſequentem fert ſententiam: *M. Val. Martialis principio caſtrari debet, dein ferro membratim diſcindi, ita ut nulli artus ei cohæreant amplius: mox diligenter a perito aliquo Medico, quæcunque particulæ ulla lue infectæ fuerint, igne urentur: reliquæ de integro in corpus novum articulatim concinnatæ conglutinentur, quemadmodum Æſculapius olim fertur ab equis diſcerpta Hippolyti Athenienſis membra, ope artis Medicæ, in priſtinam integritatem reduxiſſe. Quod ſi temere quisquam huic ſententiæ meæ contradixerit, in illo quoque caſtrationis poenam exerceri volo.* Sed nec eidem ſui defuere Cenſores, iique patronis longe numeroſiores. Quos inter, ex ipſis Pontificiis atque Hiſpanis, Laur. Ramirez de Prado, *in Hypomn. ad Martialis Amphitheatr. Epigr.* 25. acerbe ſatis in Raderum Jeſuitam, Caſtratorum iſtorum celeberrimum, invehitur. Morhofio noſtro iſtud inſtitutum itidem non admodum fuiſſe probatum, ſatis arguit argutum ejus ad Joh. Ovvenum, Epigrammatographum Anglum Martialis Æmulum, a Jeſuitis pariter caſtratum, Tetraſtichon, *in Epigrammatibus Selectis p. m.* 28. obvium,

Pegaſus

Commentarium in Martialem jam decimo qvinto ruente ſeculo Domitius Calderinus, Laurentio Mediceo nuncupatum, editumqve Venet. 1493. in fol., in qvo præter emendationem Autoris, qvam è qvinqve codicibus MSS, inſtituit, multa è veterum Græcorum, Latinorumqve diſciplina obſervat. Noſtro ſeculo ſimilem Commentarium ſtruxit adoleſcens, ac pene puer adhuc, Laurent. Ramirez de Prado, Pariſ. in 4. 1607. editum: in qvem tamen multa congeſta ſunt, qvæ jam prius ab aliis erant obſervata, annotante Scaligero Epiſt. 466. Hinc non adeo mirum, ſi ex Pierii Hieroglyphicis, aut ex Raderi Annotationibus, etiam nonnulla, tacitis Auctoribus, videantur ſubrepta; qva de re Jac. Pontani & Raderi verba allegat Thomaſius *de Plagio Liter.* §. 137., & Placcius *de Pſeudon. p.* 228. integrum librum Claudii Muſamberti, ſeu, ut evolvit ille Theodori Marcilii, Commentariorum in Laur. Ramireſii Hypomnemàta ad Martialem, Pariſ. 1607. in 8. impreſſum, memorat, qvo Ramireſius traducitur. Verum haud abs re addit Placcius, longe magis eſſe audiendum l. c. Scaligerum; qvi, ſi puerilem ardorem inclareſcendi, nimiumqve alios vituperandi pruritum, demas, egregiam adoleſcentis indolem vehementer etiam collaudandam putat, parumqve abeſt, qvin ipſi præferat Theod. Marcilio. Idem Placcius, *eod. lib. p.* 243., in eam adducitur ſuſpicionem, ut non tàm Ramireſium adoleſcentulum diſcipulumqve, qvàm Franc. Sanctium, ejus præceptorem, Auctorem eſſe commentariorum in Martialem conjiciat; velut & Latinæ Grammaticæ, ſeu (qvo nomine notior eſt) Minervæ Sanctianæ auctor aliqvando Ramireſius falſo jactatus eſt. Matth. Raderi vaſtus in Martialem commentarius Mogunt. in fol. A. 1627. prodiit. Ex emendatione Hadr. Junii, cum indice omnium vocabulorum, cura Joſ. Langii Martialis Argentinæ A. 1595. in 12. lucem aſpexit: cum commentariis Variorum, & Indice Langii, Pariſ. 1607. in 4. Prodiit & Editio, cum notis Variorum integris, è muſeo Pet. Scriverii, Lugduni Batav. 1619. in 12. De Thom. Farnabii notis, ſive paraphraſi potius, parum benignè judicat Franc. Vaſſor, in lib. de Epigrammate p. 288. Iſ. Voſſius commentarium qvoqve in Martialem ſcripturus fuit, ſi credendum Colomeſio. Deſid. Heraldus, jam in ſcribendis animadverſionibus in Martialem accinctus, Scaligerum, ut ſuppetias ſuarum notarum mitteret, oravit Ep. 67. Ep. Gallii ad Scaligerum. Scaliger autem qvædam Martialis Epigrammata Græce vertit, qvæ, cum præfatione Iſ. Caſauboni Pariſ. in 8. edita ſunt. In catalogo Bibliothecæ Thuanæ reperitur Index in Martialem ſeorſim editus Auctore Pet. Etloiſio in 8, de qvo tamen nihil mihi conſtat. Cæſaris Zarotti, Philoſophi & Medici Veneti, Commentaria in Martialem Medica Venetiis Ann. 1657. in 4. prodierunt.

12 Ne vero viri ſolùm famam eruditionis ſibi eo tempore vindicare poſſent, SULPITIA effecit Poëtria, qvæ *de corrupto Reipublicæ ſtatu*, cum Domitianus publico edicto

Pegaſus ergo tuus factus Cantherius eheu!
Ipſeque Apollo tuus factus Appella fuit!
O ſcelus! aut illos Evnuchos convenit eſſe, aut
Marſya ad exemplum crimina pelle luant.

ſto philoſophos urbe exegiſſet, *ſatyram* ſcripſit. Reperitur illa in libello, qvo continentur Epigrammata & Poëmata veterum, è Bibliotheca Pet. Pithœi edita, Pariſ. 1590. in 16. Reperitur & inter poëtas ſatyricos minores, qvos M. Z. Boxhornius recenſuit, atqve Commentariis illuſtravit Lugd. Batav. 1633. in 12. Accedit & Jani Douſæ Schediaſma in Sulpitiæ ſatyram, A. 1633. (*ss*)

Agmen Auctorum æneæ ætatis claudat præclarus Vitarum veterum Imperatorum Scriptor, qvi ſub Trajano atqve Hadriano inprimis claruit, C. SUETONIUS TRANQUILLUS, cujus, ut jam ceteras taceamus, elegans editio prodiit cum Commentariis variorum integris, Phil. Beroaldi, Lev. Torrentii & Iſ. Caſauboni (qvi alias & ſeorſim ſinguli prodiêre) Pariſ. 1620. in fol. Caſauboni Commentarium, qvi ceteris fere omnibus præſtat, & à Scaligero ſatis laudari non poteſt, J. H. Bœclerus, cum ſuis Diſſertationibus politicis, edidit Argentor. in 4. 1647. adjuncto indice locupletiſſimo. Sunt & Matthiæ Berneggeri Diſſertationes in Suetonii Cæſares aliqvot, Argentor. 1655. in 4. editæ. Qvæ cum notis Variorum Lugdun. Batav. Ann. 1656. in 8. lucem aſpexit, Editio Suetonii Joh. Schildio curante, bona eſt, in qva multa nova ſunt, ab aliis non obſervata; Salmaſianæ etiam obſervationes multæ. Omnium optima vero illa Editio, qvam Ultrajecti A. 1672. in 4. Joh: Georg. Grævius nobis dedit, cum integris Commentariis atqve notis Lev. Torrentii, Iſ. Caſauboni, Theod. Marcilii, Franc. Guieti, Joh. Frid. Gronovii, & ipſiusmet Grævii: Achillis Statii item & Eliæ Vineti ad libros de Grammaticis & Rhetoribus: deniqve etiam adjectus index copioſiſſimus Berneggeri, qvem Typographus à Freinshemii hæredibus redemit. Edidit qvoqve Suetonium Carolus Patinus, ſuisqve notis, ac præcipue numiſmatibus, illuſtravit Baſil. 1675. in 4. Longe pluribus autem Iconibus & ſelectis notis Suetonium illuſtratum dedit Sam. Pitiſcus Ultraject. 1690. 2. Volum. in 8. In uſum Delphini Auguſt. Babelonius Pariſ. 1684. In Suetonii Julium Cæſarem exſtant Jac. Zevecotii Obſervata Politica elegantiſſima, qvi & in ceteros Cæſares Notas Politicas ſcripſit, ſed breviores. 13

CAP. XIV.

QUO AUTORES LATINI ÆTATIS FERREÆ RECENSENTUR.

§. 1. *Juſtinus Hiſtoricus, Trogi Epitomator.* 2. *Aulus Gellius.* 3. *Apulejus.* 4. *Q. Sept. Florens Tertullianus.* 5. *Cenſorinus.* 6. *Julius Obſequens, M. Aur. Olympius Nemeſianus, T. Jul. Calpurnius, Q. Serenus Sammonicus, Rutilius Numatianus.* 7. *Scriptores Sex Hiſtoriæ Auguſtæ, Æl. Spartianus, Jul. Capitolinus,* *Æl.*

(*ss*) Sulpitiæ Poetriæ Epiſtolas Amatorias, Libro IV. Carminum Tibulli inſertas, vindicat, & Tibullo adjudicat, Caſp. Barthius, ſtyli diſſimilitudinem, aliaque argumenta, pro ſententia hac ſua, allegans, *Lib. 59. Adverſar. c. 16. p. 281.* Conf. Placcium verba ejus quædam recitantem, *in Tr. de Script. Anon. & Pſeudon. P. II. p. 265. 266.*

Æl. Lampridius, Vulcatius Gallicanus, Trebellius Pollio & Flav. Vopiſcus. 8. *Sex. Aurelius Victor.* 9. *Minutius Felix.* 10. *Arnobius.* 11. *L. Cæl. Lactantius.* 12. *Ammianus Marcellinus.* 13. *Flav. Vegetius Renatus.* 14. *Q. Aurelius Symmachus.* 15. *Dec. Magnus Auſonius.* 16. *Cl. Claudianus.* 17. *Aurelius Prudentius, & Poëtæ Chriſtiani ceteri, à Georg. Fabricio junctim editi.* 18. *Dracontius & Venantius Fortunatus.* 19. *Macrobius.* 20. *Severus Sulpitius.* 21. *C. Sollius Apollinaris Sidonius.* 22. *Martianus Capella.* 23. *Anicius Manlius Sever. Boethius.* 24. *M. Aurelius Caſſiodorus.* 25. *Scriptores Finium Regendorum. Accedunt Monita de Latinitate Pandectarum, uti & Scriptoribus Ævi Medii, ob Hiſtoriam, non autem Stylum, legendis, generalia.* 26. *Appendix de Inſcriptionibus Antiquis, Latinis pariter atque Græcis, earumque Collectoribus, inprimis Jano Grutero, Thoma Reineſio, Marq. Gudio, Raph. Fabretto, Seb. Maccio, Joh. Zaratino, Joh. Seldeno, Jac. Sponio, Guilh. Fleetwodo, &c.*

1 AB Antoninis FERREAM ÆTATEM LATINI SERMONIS ſupputari debere judicant haud abs re pleriqve. Sed tamen ſunt, qvi ſub iis Imperatoribus vixerunt, Auctores bini, de qvibus non rectè ſeveram adeo ſententiam pronuntiari aliqvi putant. Prior illorum eſt Juſtinus, alter Gellius. JUSTINUM eqvidem inter Argenteæ etiam ætatis Scriptores cooptant, cum *Trogus* ille, cujus Epitomen ipſe contexuit, Auguſti vixerit ævo, & vero probabile ſit, Juſtinum Trogi verba in pluribus retinuiſſe. Sed enimvero ſupra monuimus, ita Florum etiam ætati præſtantiori, qvam æneæ, adſcribendum fore, qvi Livium in epitomen contraxit. Rectius itaqve Scioppius, Juſtini ætatem, qva vixit atqve ſcripſit conſiderans, eum ferreæ ætati adſcripſit: qvamvis diffitendum non ſit, ejus Latinitatem non eſſe usqve adeo ferream: imo Floro multo melior eſt puriorqve. Ceterum primus libros ejus Hiſtoriarum (ut vocavit ipſe) Philippicarum XLIV, maximi ſane æſtimandos, edidit Aldus Manutius, *de Externis Hiſtoriis* inſcriptos: atqve is Aldus etiam ſibi ab Amico qvodam perſuaderi paſſus eſt, extare in illius bibliotheca Trogum ipſum, & brevi etiam edendum: ſed deceptus inſigniter. vid. Voſſius de Hiſtor. Lat. l. I. c. 19. p. 100. Præterea apud Rob. Stephanum in lucem emiſſus eſt Juſtinus Pariſ. A. 1543. in 8. Ibidem ex emendatione Jac. Bongarſii, cum ejusdem notis, A. 1581. in 8. Cum Bongarſii, Franc. Modii & Matthiæ Berneggeri notis, indiceqve luculento Joh. Freinshemii, Argentor. 1631. in 8. Cum notis Iſ. Voſſii, Lugduni Bat. apud Elzevirios in 12. 1640. Cum notis Variorum, curante Ant. Thyſio, ibid. 1650., & alia ex officina Hackiana nitidior multo meliorqve, cura Grævii, qvi notas integras Virorum doctorum atqve ſuas, una cum indice Freinshemiano, per Schefferum & Vorſtium aucto, adjecit A. 1683. in 8. Prodiit & editio Tanaqv. Fabri, cum notis ejus, Salmurii A. 1671.

2 AULUM GELLIUM vero, ſeu, ut alii ſcribunt, Agellium ad ferream ætatem à Scioppio ablegari, non fert Vavaſſor de Ludicra Dictione pag. 270., ſed, qvod & Lipſius

Lipſius fecit, optimæ Latinitatis autorem vocat. Variæ ſunt ejus *Editiones*, qvanqvam multo plures à Viris doctis promiſſæ, varia culpa ſeu infortunio, interierint. Inſumſit noctes aliqvas Gellio eximio cum ſucceſſu HENR. STEPHANUS, qveis propterea nomen qvoqve fecit: *Noctes Pariſinæ Atticis Gellii invigilatæ*, qvas, cum Ludov. Carrionis notis in Gellium imperfectis junctas, edidit Pariſ. 1585. in 8. Adjecit qvoqve Noctibus illis ſuis Apologiam pro Gellio contra iniqvam Ludov. Vivis cenſuram, cui nimirum Gellius vocatur *homo rhapſodus plane, congeſtor potius quam digeſtor, & oſtentator quam peritus: loquaculus ſine eruditione, in verbis ac ſententiis putidulus: legendus quidem, ſed ita, ut te rem levem inſpicere ſcias:* & qvæ alia indigniſſima & ſe & Gellio convitia Vives cumulat *de Diſciplinis l. III. pag. 532. & 537.* Qvapropter & Joſ. Scaliger, in Excerptis Putean. p. 25., Vivem, ait, malo animo de Gellio judicaſſe: miror tamen, qvod addat; *ſed tamen bene.* Melius profecto egit Stephanus, qvi defendit Gellium. Sed in eo male conſuluit orbi literato Stephanus, qvod Carrionis notas, qvas perfectas jam, ut mandaret typis, acceperat, imperfectas tamen reliqvit: cujus rei cauſam eam aperit in libris de Vita ſua Thuanus; qvod, ob rei familiaris anguſtias, cum jam non amplius ſufficeret Gellio, Stephanus ſuis typis edendo, ad conducendos ab alio typos fuerit coactus: ortis autem inter utrumqve rixis (ut erat plane moroſus rixoſusqve Stephanus,) ita ſuppreſſæ doctiſſimi Carrionis egregiæ animadverſiones ſunt. Qvod, cum non noſſet Barthius Adverſ. lib. XXXV. c. 6., male Carrionem ipſummet ſuas notas ad finem perducere non potuiſſe exiſtimavit: recte cetera eas præſtantiſſimas judicans: atqve idem de nomine A. Gellii locisqve aliqvot cap. ſeq. 7. conferendus. PET. LAMBECIUS, inter alia molimina ſua, *Lucubrationes* qvoqve *in Gellium Criticas* numeravit, earumqve *Prodromum*, una cum diſſertatione de Vita & nomine Auli Gellii, Pariſ. 1647. in 8. apud Seb. Cramoyſium edidit: ſed hunc prodromum Epidromus non magis ſecutus eſt qvam imperfectas Carrionis notas perfectæ. Similiter inter promiſſa evanuerunt Cl. Salmaſii Commentarius in Gellium; de qvo, tum Clementius in Catalogo Operum Salmaſii, qvi ejus Vitæ Epiſtolis præmiſſæ annectitur, p. 68.: tum Laur. Craſſus Elogior. T. II. p. 211., videri poſſunt: Richardi Thomſoni nova editio Gellii, qvam, è Codice MSS. bonæ notæ, meditabatur, teſte Joh. de Bumery in Epiſt. Gall. ad Scalig. lib. III. ep. 9. editio Oberti Giphanii, qvam, è ſpoliis Lucæ Fruterii, doctiſſimi juvenis, cui paratum jam editioni Gellium ſurripuerat, inſigni plagio parabat; teſte Scaligero in Excerptis Putean. p. 87. & 94. aliæqve. Philippi Caroli Animadverſiones poſthumas in Gellium, ſed nec eas ob fatum Auctoris integras, publicavit, cum præfatione de Gellio, Chriſtoph. Arnoldus Noribergæ 1663. in 8., additis qvoqve ejusdem Animadverſionibus in Curtium, & Diſſertatione de Criticis. Jodoci Badii & Petri Moſellani notæ Pariſ. junctim A. 1536. prodierunt. Cum Variorum notis, apud Belgas Gellium Lugd. Batav. A. 1666. in 8. apparavit Ant. Thyſius: cum ſuis & aliorum caſtigationibus obſervationibusqve, Joh. Frid. Gronovius Lugd. Bat. 1687. in 8., cui editioni Index qvoqve Auctorum à Gellio citatorum acceſſit.

3 APULEJUM Afrum, monſtroſæ & vere Africanæ dictionis Auctorem, ad ferream ætatem, non ſolum Antoninorum tempus, qvo dixit, ſed & ipſemet tumidus ac ineptus ſermonis character, ablegant. Melanchthon dicebat illum rudere cum Aſino ſuo. Et tamen is adeo nonnullis amatoribus ſuis perplacet, ut non ſolum pro ſatis Latino venditent, Plautiqve imitatore, ſed & Phil. Beroaldus non dubitaverit, Muſas Apuleji ſermone locuturas, ſi Latine loqvi vellent. Viciſſim vero Franc. Floridus Sabinus acriter in Beroaldum, ob præpoſterum illum Apulejum imitandi amorem, invectus eſt. *Vitioſiſſimum ſcribendi genus*, dicebat, *ex Apulejo, Martiano, Capella, Sidonio, & ſimilibus, primus ſuis temporibus excitavit, & in multas Europæ partes, è quibus undique ad eum confluebant Auditores, ita diffudit, ut plurima adhuc ſuperſint ejus veſtigia, nec penitus deleri poſſint.* Hanc Floridi vocem de Beroaldo annotavit Gaddius T. I. Scriptor. Non-Eccleſiaſt. p. 79., ubi prolixe ſatis de Philippo Beroaldo utroqve: (ſenior enim atqve junior fuerunt) de illius virtutibus, vitiis ac operibus agit. Idem Gaddius, cum de Apulejo agit, l. c. p. 33., varia qvoqve de illo judicia variorum apponit: in eo tamen, ut mihi videtur, ineptus, qvod Apuleji ſtilo nimis faveat, putatqve, condonari illi figuras qvasdam, Epitheta, & hujus generis alia, qvoqve poſſe; qvia non ſcribat dogmata religionis, aut arcana Politices, aut hiſtoriam gravem. Sed non omittit tamen etiam allegare rigidos Apuleji cenſores; veluti Laur. Vallam, lib. in Antonium Raudenſem; Jan. Parrhaſium Epiſt. cent. II., Jac. Pontanum Progymnaſm. P. I. n. 25., Franc. Robortellum, Joh. Bapt. Pium, Jac. Durantium Caſellium, Juſtum Lipſium, Janum Guilielmium, Raph. Volaterranum; qvorum ſingulorum loca adducit. Poteſt his addi, præter alios, Buchnerus de Commutata Rat. dicendi c. 13. p. 228. ſeq. & Daumius in lib. de Cauſis amiſſarum Lat. linguæ radicum, ubi pluribus agit de Apulejo. Conf. qvoqve Jul. Cæſ. Capaccius Elogior. lib. II. pag. 242. Prodierunt Apuleji Opera, poſt Romanas, Aldinas, Baſileenſes editiones aliqvot, Lugduni Batav. ap. Raphelengium 1588. in 8. cum notis Petri Colvii, Brugenſis; cujus Viri ſingulare illud fatum fuit, qvod calce mulæ ictus perierit: à mula ſcilicet referens pretium laborum in Aſinum Apulejanum impenſorum. Extant de eo bina Jani Douſæ Epigrammata, qvæ reperiuntur lib. V. Epigramm. p. 138. ſeq. Phil. Beroaldi prolixus eſt in Apulejum Commentarius, qvi in 8. Baſil. 1560. 3. volum., &, una cum notis Godeſchalci Stewechii, in fol. ibidem editus eſt. Scripſit & Apuleji Vitam Beroaldus. Sed qvid de illo ſenſerit Floridus, dictum jam. Multo abjectius adhuc illius mentionem facit Claud. Verderius, cum in Cenſura Auctorum pag. 158. ita infit. *Phil. Beroaldus vir dictionariis quibusdam addictus fuit, è quibus ſua eruit omnia: ſegnisſimus: in Apulejum oſcitat. Hujus ſi vellem errata omnia perſeqvi, magni voluminis liber emittendus eſſet.* Extat vero elegantiſſimus Angli doctiſſimi, Joh. Pricei, Commentarius in Aſinum Apuleji, Goudæ A. 1650. in 8. vulgatus. Opera ejus Geverh. Elmenhorſtius Francof. 1621. in 8., cum ſuis & aliorum notis, egregia editione in lucem prodire juſſit: cum caſtigationibus ſuis Bonav. Vulcanius An. 1594. Lugduni Bat., Apologiam Apuleji Commentario illuſtrarunt Iſ. Caſaubonus Pariſ. 1594. in 4.,

Scipio

Scipio Gentilis, Hanoviæ 1607. in 8., & Joh. Pricæus Pariſ. 1636. in 8. Caſp. Scioppii
Symbola in Apulejum recuſa ſunt Amſtelod. 1664. in 8.

Immiſcendi nunc, ferentibus ita ſeculis, Chriſtiani qvoqve Paganis ſunt, at- 4
qve hos inter prodeat primus Afer, qvem Africitatis multum habere, aſperum & in
verbis monſtroſum, alibi diximus, Q. SEPTIMIUS FLOR. TERTULLIANUS, omni
ſane eruditionis genere tinctus, verum dictionis & ingenii elegantias ordinemqve
aſpernantis. Primus eum edidit, è MSS. duobus, Baſil. A. 1521. Beat. Rhenanus, cum
notis haud qvaqvam aſpernandis; qvæ editio ter poſtmodum Baſileæ, & bis Pariſiis,
repetita eſt: præſtat reliqvis vero, qvæ, Pariſ. 1566., duobus in 8. tomis, nitidiſſimo
charactere, impreſſa, integram qvoqve Franc. Zephyri paraphraſin Apologetici habet,
qvæ alias tota nuſpiam reperitur: obſervante Colomeſio Biblioth. Choiſie p. 163. Jac.
Pamelius exinde, cum notis ſuis, edidit Tertullianum Antvverp. A. 1579., qvam editio-
nem Pariſienſes A. 1583. recuderunt, & Colonienſes A. 1617. Commentatus in eundem
eſt LUDOV. *de la* CERDA ampliſſimè, & tres Tertulliani ſuis notis illuſtrati tomos edi-
dit 1624. 1630. & 1641., neqve tamen ad finem opus perduxit, &, ut varia Philologica
atqve Antiqvaria ſacra coacervat; ita ſupervacua nimis freqventer immiſcet. Non
minus prolixè in eundem Auctorem ſcripſit Georgius Ambianenſis, edito tribus vaſtis
voluminibus Tertulliano Reſuſcitato, Pariſ. 1648. & 1650., ſed minus tamen illo pro-
batur. Pamelianis notis Franc. Junius ſuas addidit Francof. A. 1597. Omnium opti-
me vero de Tertulliano meritus eſt NICOL. RIGALTIUS, qvippe qvi & ſummo ſtudio
illum cum MSS. codicibus contulit atqve emendavit, & ſuis illum notis atqve obſer-
vationibus doctiſſimis illuſtravit: primo qvidem novem ſolum ejus libros edens, Pariſ.
A. 1627., ſed deinde Tertullianum integrum A. 1634. Librarius, qvi eam Editionem
imprimebat, ne qvid illi deeſſet, Anno ſeqvente 1635. Tomum peculiarem adjecit no-
tarum & Commentariorum Rhenani, Pamelii, Junii, aliorumqve, qvi in Tertullianum
ſcripſerant. Sunt & ſingulares libri Tertullianei aliqvorum commentariis illuſtrati:
ut ejus liber de Pallio cum notis Latinis & interpretatione Gallica Edm. Richerii Pariſ.
1600: cum notis Cl. Salmaſii Pariſ. 1622. qvas tamen Dion. Petavius, ſub ficto Ant.
Cercoëtii nomine latens, Animadverſionibus ſuis, Rhedonis (Pariſ.) A. 1622. in 8. edi-
tis, impugnavit; & cum ſe Salmaſius, Franc. Franci nomen aſſumens, anno ſeq. 1623.
vindicaſſet, edita Confutatione Animadverſionum Cercoëtii, hic A. 1624. Maſtigopho-
ros tres in Elenchum Franci edidit: atqve hinc poſtmodum irreconciliabiles inter
utrumqve lites, odiaqve immenſa nata. Affectas vero Salmaſius notas qvoqve habe-
bat in Tertulliani Apologeticum, libros de corona Militis, de Spectaculis, de Habitu
mulierum & cultu fœminarum: prout Laur. Craſſus in Elogiis T. II. p. 211. teſtis eſt:
ſed nihil eorum dedit. Apologeticum Deſider. Heraldus, cum notis ſuis, Pariſ. 1613. in
4. vulgavit: Ejus ad Nationes libros Jac. Gothofredus An. 1625. in 4., itidem notis
illuſtratos. In Poëmata Tertulliani notas ſcripſit, poſt Junium, aliosqve, Andr. Rivi-
nus, Lipſiæ A. 1651. Omnium Tertulliani Operum nitidiſſima Editio eſt, qvam Pariſ.

A. 1663., cum Notis integris Nicol. Rigaltii ſuisqve, & ſelectis Pamelii, Lacerdæ, aliorumqve, Phil. Priorius edidit, & qvæ ibidem A. 1675. recuſa eſt.

5 Paulo poſt Tertullianum, nempe ſub Alexandro Severo, CENSORINUS ſcripſit librum *de Die Natali*, qvem pereruditum, & Chronologis, ob connexas egregie æras potiores, utiliſſimum eſſe, jamdudum Voſſius monuit de Hiſtor. Lat. lib. II. c. 3. Nimiam tamen dictionis ſimplicitatem in eo Barthius notat Adverſar. lib. XIIX. c. 14., ubi locis ejusdem aliqvot, è codice MSS., lucem affert. Prodiit vero libellus ille, ex officina Aldi, Venet. An. 1528., cum notis Ludov. Carrionis & Petri Joh. Nunneſii Hanov. 1615., ex recenſione Eliæ Vineti, una cum Solino ejusdem, Pictavii in 4. A. 1568. Optima editio eſt Henrici Lindenbrogii, Hamburgi primum A. 1614. in 4., & deinde emendatior Lugduni Batav. 1642. in 8. impreſſa.

6 Memorandi porro carptim nonnulli, qvorum fama non adeo magna eſt, & ætas tamen in hæc tempora incidit. JULIUS OBSEQVENS, cujus de *Prodigiis*, qvæ Romæ & in vicinia acciderunt, lib. II., poſt Aldinam editionem A. 1508. in 8., aliasqve plures, Amſtelodami A. 1689., cum notis Joh. Schefferi, prodierunt in 8. M. AUREL. OLYMPIUS NEMESIANUS, cujus *Cynegetica*, & T. JUL. CALPURNIUS, cujus *Bucolica* ad Nemeſianum ſuperſunt: uterqve, cum Rob. Titii notis, Florentiæ in 4, & in Venatione Novantiqva Jani Ulitii, ſeu Venaticis & Bucolicis Poëtis, qvos Ulitius cum notis Lugduni Bat. in 12. A. 1645. edidit, una cum Gratio prodierunt: ut & cum Caſp. Barthii, duodecennis adoleſcentuli, notis Hanov. A. 1613. QV. SERENUS SAMMONICUS, cujus *Carmen de Medicina* extat inter Poëmata Vetera à Pithœo edita Pariſ. A. 1590. RUTILIUS NUMATIANUS, cujus *Itinerarium* ab eodem Pithœo, eodemqve libro, editum eſt; qvamvis jam antea Romæ An. 1582. in 8. à Joſepho Caſtalione evulgatum, notisqve illuſtratum.

7 Majoris longe momenti ſunt, qvi vocantur SCRIPTORES HISTORIÆ AUGUSTÆ, *Ælius Spartianus, Julius Capitolinus, Ælius Lampridius, Vulcatius Gallicanus, Trebellius Pollio atque Flavius Vopiſcus*, qvorum omnium ætas in Diocletianum, Conſtantium Chlorum, ejusqve filium Conſtantinum M., cadit. Qvamvis autem certo non ſatis conſtet, qvæ Vitæ à qvibus ſigillatim ſcriptæ ſint: nec præterea dictionis character aut Latinitas ea reperiatur, qvæ tuto in imitationem trahi poſſet: nihilominus, ob rerum, qvas tradunt, magna pondera, maximi haud immerito æſtimantur; præſertim, poſtqvam exqviſitiſſimis Iſ. Caſauboni Salmaſiiqve annotationibus illuſtrati ſunt. Junctim labores horum Duumvirorum, una cum ſex iis Scriptoribus, prodierunt Pariſ. 1620. in fol. Prodierant jam antea Francofurti A. 1588. apud Wechelos, cura Frider. Sylburgii, *Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ minores*: ſed multi erant illi collectioni, præter hos ſex, additi: velut & in Editione Jani Gruteri factum; qvi Scriptores Hiſtoriæ Aug. à Jul. Cæſare usqve ad Carolum M. collectos, cum notis ſuis, in fol. A. 1611. Hanoviæ excudi curavit. Sed & ad illam Editionem Scriptorum Hiſtoriæ Aug., qvam M. Z. Boxhornius Lugduni Batav. An. 1632., 4. voluminibus in 12., procuravit, plures pertinent: in qva ſcilicet Suetonius, niſi fallor, auſpicatur, atqve finit Ammianus

nus Marcellinus. Sciendum vero, eſſe nonnulla commentatum ibi Boxhornium, qvæ ipſemet alibi non ſcripta mallet. Vid. Not. in Taciti Vit. Agric. p. 174. [Voſſius profecto, cum infeliciter adeo tractatum ab illo Suetonium deprehendiſſet, nec de Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptoribus ſibi magnam ſpem fecit: ſed, poſtqvam ingenue, qvid monendum in Suetonio Boxhornii ſit, data ad ipſummet Epiſtola ſignificaſſet: *Laudo,* pergit, *quod etiam cogites de aliis hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptoribus: etſi difficile ſit poſt Homerum* (Salmaſium Caſaubonumqve) *Iliada ſcribere. Verum* χαλεπὰ τὰ καλά. *Nec tu, ut cenſeo tam meſſem uberem, quam ſpicilegium, promittis: atque id colligo ex parte ea, quam miſeras. Legi in iis, quæ ſatis arriderent, ſed cogitare de ſingulis non licuit.* &c.] Ceterum recudendam ſibi nitidiſſimis Characteribus, ſed minore forma, Batavi Editionem ſex Scriptorum horum ſumſerunt Lugd. Batav. An. 1670., 2. vol. in 8., ex officina Hackiana, &, præter Caſauboni & Salmaſii notas integras, Gruterianas etiam adjecerunt. Longe inferior illa eſt, qvæ cum notis Variorum ſelectis, per Corn. Screvelium An. 1661. eſt exhibita. Commoda vero atqve emendatiſſima, qvæ, cum notis Ulrici Obrechti, Argentorati A. 1677. in 8. lucem adſpexit.

In Collectionibus illis Scriptorum Hiſtoriæ Auguſtæ, qvas à Sylburgio atqve Grutero editas modo commemoravimus, reperitur qvoqve SEXTUS AURELIUS VICTOR, cujus libri *de origine gentis Romanæ, de viris illuſtribus, & de Cæſaribus*, ibi reperiuntur. Non ſpernendæ vero Latinitatis Auctor eſt, & ſub Conſtantio Imp. claruit. Libellum de Cæſaribus, ab Auguſto ad Conſtantium, primus protulit Andr. Schottus Antvverpiæ A. 1579. in 8. Prodiit deinde aliqva ejus Editio, cum Notis Variorum, And. Schotti, El. Vineti, Iſ. Caſauboni, Juſt. Lipſii, Jani Gruteri, integris, Lugduni Batav. An. 1670. in 8. [& non ita pridem novam ſtruxit Cl. Joh. Georg. Grævius Ultrajecti. In uſum Delphini Anna Daceria, Tanaq. Fabri filia, dedit Pariſ. 1681. in 4.] 8

Anteverterunt adhuc ætatem Aur. Victoris Chriſtiani aliqvot Scriptores *Minutius Felix, Arnobius & Lactantius.* MIN. FELICEM jam Lactantius commendavit. Extat ejus *Octavius*, *i. e. Dialogus de vanitate idololatriæ, & veritate religionis Chriſtianæ*, ſtilo ſatis pro illorum temporum ratione terſo atqve puro compoſitus, nec minus ingenioſe. Diu jam & aliqvoties editus fuerat Dialogus ille, priusqvam extare crederetur: nempe qvi pro octavo Arnobii contra gentes libro reputabatur, cum qvo ſemper etiam prodiit. Verum animadvertit errorem, primusqve detexit, JCtus celebris, Franc. Balduinus, edito, cum prolixa præfatione, Minutio Felice Heidelbergæ A. 1560. in 8., qvem ſecuti poſtmodum Fulv. Urſinus, Joh. Wowerius, Geverh. Elmenhorſtius, Deſid. Heraldus, & Nic. Rigaltius, Minutium ſuis Commentationibus illuſtrarunt. Horum omnium notas conjunxit, & ſtipatum iis Minutium, à ſe denuo recenſitum, una cum Jul. Firmico Materno de errore profanarum religionum, Wowerii notis illuſtrato, edidit Lugd. Batav. 1651. in 4. Jacobus Oizelius. Sed, qvod obiter addo, Oizelius ille plagiarius eſt, cui corniculæ jamdudum plumæ ſunt evulſæ: ut patet ex Commentario, qvem in Caji Inſtitutiones ſcripſit, & qvi pene totus ex Hier. Alexan- 9

dri commentario deſumptus eſt. Ceterum Minutius etiam, cum ſelectis Variorum notis,prodiit Lugd. Batav. 1672. in 8.

10 ARNOBII,qvi ſub finem ſecundi & initio tertii poſt C. N. Seculi clarus fuit, Latinitas mediocris eſt, ſed ſeqvior tamen. Barthius facundum atqve doctum Scriptorem,ſuo qvodam & Afro dicendi genere,penetrante qvidem & nervoſo, ſed parum polito & jucundo,uſum,non male cenſet, Adverſ. Lib. XLVIII. c. 4. Septem ejus *libri adverſus Gentes* extant, qvorum optima *Editio* eſt, qvæ textum ex emendatione Cl. Salmaſii accuratum,notas autem (ut titulus præ ſe fert) omnium,ſimul comprehendit, Theodori Canteri, Deſ. Heraldi, Gev. Elmenhorſtii, & Godeſch. Stevvechii, Lugduni Batav. 1651. in 4. Omiſſæ tamen ſunt notæ Pet. Ciacconii & Fulvii Urſini emendationes,qvæ Romæ A. 1583. in 4., cum Minutio & Arnobio, prodierunt. Omiſſus itidem Criticus Arnobianus Joh. Meurſii Lugd. Batav. 1598. in 8., una cum ejusdem Hypercritico Minutiano, editus: cujus ne obiter qvidem meminiſſe bonos illos tam curatæ editionis Curatores, haud abs re miratur Phil. Labbe Diſſert. de Scriptor. Eccl. T. I. p. 105., Meurſiumqve ornat elogio illuſtratoris Athenarum Lugduno-Batavarum, de tota Hollandia,adeoqve & univerſa re literaria,bene meriti. Parabat juſtum Commentarium in Arnobium Salmaſius, eiqve præfigendam Diſſertationem de ratione nominum, cognominum & agnominum apud veteres: de qvo ſuo propoſito, tum ipſe paſſim in Epiſtolis,tum & Cl. Sarravius, ſtrenuus inſtigator in literis ad eundem, meminêre; & ex his Ant. Clementius, in Catalogo Operum affectorum Salmaſii, & Laur. Craſſus in Elogiis. Sed evanuit tamen omne, qvod ſperabatur. Caſp. Barthius,Adverſar. l. XLIII. c. 2., ægre fert, Arnobium ab Hieronymo inæqvalem nimium,& absqve operis ſui partitione confuſum, dici: cum in præſtantiſſimo Auctore ordo ſatis formoſus, etſi minime Scholaſticis Rhetorum legibus alligatus, compareat: Qvapropter & Hieronymi locum pro ſuſpecto habet, & (non ſatis tamen feliciter) emendat: Obſervat ceteroqvin, Arnobium fuiſſe Lucretii imitatorem, cujus ſæpe res & verba exprimat. Loca etiam aliqvot l. c. c. 6. & lib. XLIV. c. 1., ſeu tentat,ſeu reſtituit: Gellenianæ inprimis editioni Arnobii non ſatis æqvus, qvippe qvam totam ad Editoris captum reformatam,ſeu transformatam potius, animadvertit.

11 Multo autem Arnobio præferri meret L. CÆL. LACTANTIUS, ejusdem diſcipulus, & Criſpi Cæſaris magiſter, cujus Tulliana Latinitas vehementer plurimis probatur. Et ſane fluida eſt atqve mire decora: non tamen usqveqvaqve pura; ſed ſunt & huic Auctori admiſti barbariſmi: ut in ea ætate vix qvisqvam ab iis ſibi ſatis cavere poterat. Infinitæ propemodum ejus *Editiones* ſunt. Præcipuæ: Xyſti Betuleji, Baſil. in fol. A. 1563., cum pereruditis, Lambecio judice, Commentariis: Mich. Thomaſii, Antwerp. 1587. apud Plantinum in 8. Joſephi Iſæi in fol. Cæſenæ 1646., Ant. Thyſii, cum notis Variorum, Lugduni Batav. 1652. in 8. Servatii Gallæi, qvæ & ipſa cum notis Variorum, ipſiusqve Gallæi; Lugd. Bat. 1660. in 8., Thom. Sparckii Oxon. 1684. in 8. &c. Varias lectiones qvasdam, è Codice Vindobonenſi, excerpſit Lambecius lib. II. de Bibl. Vindobon. p. 288. In editione Oxonienſi Sparkii, ut & in Can-

tabrigienſi

tabrigienſi Anni 1685. in 8., comparet etiam Lactantii liber *de Mortibus Perſecutorum* exiguus qvidem ille, ſed uſus maximi: qvem primus è Colbertino codice qvodam eruit, & Miſcellaneorum Tom. II. Pariſ. A. 1679. inſeruit, Steph. Baluzius, notis doctiſſimis illuſtratum: inde variis Virorum doctorum obſervationibus atqve notis illuſtrior redditus ille libellus eſt, Gisberti Cuperi, Joh. Columbi, Nic. Toinardi: Gallica etiam Maucroixii, atqve Anglica Gilb. Burneti, verſione donatus. (Notas omnium collegit, & ſecundis curis auctiores multo Baluzianas, non Cuperi ſolum, Columbi atqve Toinardi, ſed & J. G. Grævii, Eliæ Boherelli, Thom. Galei, Jac. Tollii, ſuisqve, junxit Paulus Bauldri, Ultraj. A. 1692. in 8., adjecta etiam Diſſertatione Henr. Dodwelli, & Theod. Ruinarti præfatione ad Acta Martyrum: nempe qvas ad Lactantium partim, partim ad hiſtoriam perſecutionum facere arbitrabatur. Parat nunc novam Operum Lactantii editionem Chr. Cellarius) (*tt*) Poëmata qvædam de Paſchate, de Reſurrectione, de Paſſione Domini, falſo Lactantio adſcribi nemo dubitat; ut carmen de Phœnice, & Luctatii commentarium in Tacitum, non dicam: notha omnia, vid., præter alios complures, Placcius de Pſeudon. p. 216. (*uu*)

Incedat nunc gravis Hiſtoricus, AMMIANUS MARCELLINUS, homo natione Græcus, & miles, & gentilium ſuperſtitioni addictus: ſed qvi optima fide res geſtas Romanorum Imperatorum, inde à Nerva usqve ad Valentis interitum, XXXI. libris, qvorum XIII. tamen primi periêre, deſcripſit: Latinitate tali, qvæ expectari à tali homine, atqve eo tempore, poterat. Gaddius, T. I. de Scriptor. p. 27., ſtilum ejus eſſe poëticum dicendum putat: ſed eſt potius, pro ratione temporum illorum, aſpere tumidus, & inflatione affectata horrens. Prodiit ille in Collectionibus Scriptorum hiſtoriæ Auguſtæ Sylburgiana Gruteriana; & Boxhorniana, in qva ſimul notis aliqvibus eſt illuſtratus, ſed qvæ non ſemper magni adeo momenti ſunt. Longe majoris ducendæ animadverſiones Frider. Lindenbrogii, cum qvibus Hamburgi A. 1609. in 4. Ammianus prodiit. Poſtmodum Henr. Valeſius eruditiſſimas notas in eundem compoſuit, ediditqve Pariſ. 1636. in 4. Erat olim ille liber rariſſimus: ſed recuſus poſtmodum eſt Pariſ. A. 1681. in fol., magnifica ac eleganti Editione. Frater Henrici, Hadrianus Valeſius, Hiſtoriographus Regius, illam procuravit, addiditqve Lindenbrogii obſer- 12

(*tt*) Noviſſimam omnium Lactantii Operum (quibus Libellus quoque de Perſecutorum Mortibus accesſit) Editionem, ad IV. Codicum (Trium ſcil. Bibliothecæ Academicæ Lipſienſis, uniusque Saxo-Gothani) fidem denuo emendatam, & Annotationibus ſuis atque aliorum inſigniter illuſtratam, Typis Lipſienſibus, Batavicos nitore propemodum æquantibus, A. 1698 in 8vo dedit Chriſtoph. Cellarius, Lit. Eleg. in Acad. Saxo-Halenſi Profeſſor. Recenſum illius ac Laudes V. *in Actis Erud. Lipſienſibus, M. Nov. A. 1698. p. 535. 536.*

(*uu*) Placidum Lactantium, ſive Luctatium, a L. Cælio Lactantio, Scriptore Eccleſiaſtico, recte Morhofius, Placcium ſecutus, diſtinguit, ſed incaute ἁμάρτημα ejus μνημονικὸν, alibi a nobis jam notatum, tranſcribendo ſuum facit, dum priori (Placido ſcilicet), Statii Poetæ Interpreti, *Commentarium in Tacitum* perperam attribuit.

obſervationes, & fratris annotationes, utrasqve auctiores, collectanea variarum lectionum è codice Colbertino, ſuasqve notas: ut & vitam Ammiani, à Claudio Chiffletio compoſitam. (Et tamen, qvod vix ſperandum videbatur; adhuc præſtantiorem Marcelli Editionem elucubravit Jac. Gronovius, præter omnes eorum, qvos enumeravimus ſuis qvoqve notis inſignitam, & præterea faciebus Imperatorum, numis, obeliſco, variisqve imaginibus aliis, æri inciſis, & ad explicationem illuſtrationemve Auctoris mire facientibus, exornatam, Lugduni Bat. 1693. in fol. & in 4.)

13 Militem hiſtoricum excipiat Auctor de re militati ſcripto agens, FLAV. VEGETIUS RENATUS, cujus *de Re militari lib. V.*, cum Commentario Godeſchalci Stewechii, prodierunt in 4. Pariſ. 1607., poſtmodum Lugduni Batav., Coloniæ, alibiqve, plus ſemel recuſi. Extat & editio Petri Scriverii, cum ejusdem notis, Lugduni Batav. 1633. in 8., & alia iterum Franc. Modii. Omnium trium annotationes junctim cum Vegetio prodierunt Veſaliæ 1670. in 8. Idem Auctor *de Veterinaria*, ſeu *Mulomedicina*, editus eſt à Joh. Sambuco A. 1574. qvamvis & jam antea Baſil. 1528. apud Fabrum Emmeum fuerit excuſus. In eum Vegetii librum Joh. Rhodii Emendationes & notæ ſervabantur in Bibliotheca Thomæ Bartholini, ſed qvæ, una cum Lexico, qvod additum fuerat, in ferali illius incendio conflagrarunt.

14 Eodem ſeculo, ſub Valentiniano atqve Theodoſio Imp., clarus erat Q. AUREL. SYMMACHUS, Vir Conſularis ac doctiſſimus, ſed infenſus Chriſtianis. Ejus *Epiſtolæ*, cum Franc. Jureti & Job. Lectii notis, prodierunt Genevæ 1587. in 8., & cum additis X. Miſcellaneorum libris Pariſ. 1604. in 8. Eqvidem Juretum Petrus Faber plagii poſtulavit, ob aliqvam obſervationem notis ad Symmachum inſertam; qvam ſibi ſurreptam ait: verum non tanti crimen eſt, ut attendi mereatur. vid. Thomaſius de Plagio Liter. §. 425. & 477. Magis inſigne eſt, digniusqve notatu, plagium Casp. Scioppii, qvi Oberto Giphanio, hoſpiti ſuo, integrum codicem MSS. Symmachi ſurripuit, & ex eo poſtmodum ſuas emendationes magnam partem hauſit: tùm qvas in editione Symmachi Moguntiæ A. 1608. in 4. publicavit, tùm qvas in libris Veriſimilium, in qvibus qvamplurima ejus loca reſtituit. Edidit Symmachum etiam Phil. Pareus cum Electis, Lexico & Calligraphia Symmachianis, Neapoli Nemetum A. 1618. in 8. Latinus Latinius qvoqve in Bibliotheca Profana Symmachi locis aliqvibus medelam tulit.

15 Symmacho coævus D. MAGNUS AUSONIUS, Poëta pro illa ætate non contemnendus eſt; qvanqvam Joſ. Scaliger vellet, illum nunqvam *Epigramma* ſcripſiſſe. Ejus *Latinitatem* tanti BARTHIUS æſtimavit, ut, qvicqvid apud eum legitur, pro vere Latino habendum exiſtimârit. *Nil enim quicquam*, ait, *ſine antiquitatis exemplo poſuit, ut fuit eruditior, quam pro eo ævo, & ſcriptorum eorum amator, qui nobis ademti ſunt, nec ſperantur unquam è tenebris emerſuri oblivionis. Adverſar. lib. III. c. 7.* Idem qvoqve divinitatem Auſonianæ poëſeos admiratur c. 18., alibiqve paſſim eum Scriptoribus ſuæ ætatis longe præfert. *Epiſtolam* vero, qvæ ſub Theodoſii Imp. nomine ad Auſonium ſcripta libro Epigrammatum præfigi ſolet, plane ſpuriam judicat,

judicat, L. XII. c. 12., ut jam ante nos Placcius annotavit de Pſeudon. pag. 264. MICH. NEANDER librum Epigrammatum Auſonii, magnam partem à Græcis acceptum, mira elegantia, pariqve ingenio, translatum ait: Præf. Erotem. Gr. L. p. 196. (Ita & BOHURSIUS, rigidus alias veterum æqve ac recentiorum Auctorum cenſor, nihil concinnius Epigrammate Auſoniano eſſe poſſe ait, in qvo omnia miro artificio qvadrent. vid. *la Maniere de bien Penſer p.* 41.) FRANC. VAVASSOR, lib. de Epigrammate c. 15. p. 171., de Auſonio. *Repræſentare nobis Auſonius Græcos velle viſus eſt, quippe cum epigrammata ſcripſerit: pauca ſupra centum, à Græcis amplius quinquaginta ſumſerit, vel ut æmulus, vel ut interpolator.* Idem vero JOS. SCALIGER, qvem de Epigrammatibus Auſonianis non ſatis ex dignitate judicaſſe diximus, ſingularem tamen curam Auctori illi impendit; edid itqve adeo Lectiones Auſonianas, in qvibus multa ejus emaculat, vitamqve Auſonii capite ultimo ſuccincte tradit. Prodierunt iſtæ Scaligeri Lectiones, cum Auſonio, adjectis qvibusdam notulis Ad. Turnebi, Adr. Junii, Gu. Canteri, J. Lipſii, El. Vineti, Genevæ 1885. in 12., apud Jac. Stœrium. Plenior eſt editio Eliæ Vineti, una cum Scaligeri Lectionibus Auſonianis edita Burdegalæ A. 1590. in 4., qvibus acceſſit Rerum Burdegalenſium Chronicon, auctore Gabr. Lurbeo. Atqve hæc eſt illa ſecunda editio Vineti, cujus poſt mortem Vineti editæ Scaliger in Epiſtolis meminit: Ep. 199., qvæ & ipſa Auſonio illuſtrando tota inſumitur, ubi ſimul parum æqve judicat de Vineto. Franc. Sylvius qvoqve vapulat, qvi in Gryphum Auſonii erat commentatus. Nil eum niſi triviali moneta percuſſiſſe Scaliger ait: cum tamen multum bonarum rerum, ex philologia ſatis accurata depromptum, habeat, judice Ludov. Vive de Diſciplinis p. 542., qvi nullum ſe in bonis literis doctiorem noſſe ait. Ceterum optima Auſonii editio eſt, qvam procuravit Jac. Tollius, cum notis integris Joſ. Scaligeri, Mariangeli Accurſii, Marq. Freheri, Pet. Scriverii: ſelectis El. Vineti, C. Barthii, Val. Acidalii, J. F. Gronovii, J. G. Grævii, aliorumqve Amſtelodami apud Blavios 1671. in 8.

Auſonio addimus æqvalem temporis ratione Poëtam alium, CL. CLAUDIANUM, qvi ultra genium ſeculi ſui floridus eſt, elegans, ac numeroſus, ſed in phraſeologia intemperans, &, dum ſublime ſectaretur, κακόζηλος luxurie ſua: qvam ob rem à compluribus Viris doctis notatur. Vid. præter alios VAVASSOR de Epigramm. c. 15. p. 170. 171. qvi miratur, atqve etiam ægre fert, Claudianum vulgo, ut puriſſimæ Latinitatis Scriptorem, aut etiam Poëtam exqviſitiſſimum ab aliis proponi, cum non major tamen ejus auctoritas ſit, qvam Auſonii & Prudentii. *Eſt ille quidem*, ait, *& dulcior ſtructura verſuum, quam Auſonius; & ſyllabarum menſura emendatior, quam Prudentius cum Auſonio: non is tamen, qui ad auream antiquitatem adſpiret, neque dignus, qui conferatur cum Martiale, aut qui peræque ac Catullus diſcentium manibus teratur. Sed eſt hoc præclarum judicium ſeculi noſtri quorundam, qui quanti pretii quisque apud nos ſcriptor eſſe debeat, maxime ignari, ſummis Poëtis medios anteponunt, infimos & recentiores utrisque. Dixi porro, dulciorem Claudianum conſtructione verſuum facili & expedita, & ſine ullis ſalebris, aut eliſionum quaſi ſcabritie ac no-* 16

 dis

diu : ſed ea tamen dulcedine parum ſuavis & jucundus , quod idem omnium verſuum curſus, idem tenor, nihil mutatis, quas vocant, cæſuris, varietur, ut, qui tres numero verſus legerit, omnes legerit. Pro Chriſtiano eum habent aliqvi, ſed pro gentili pleriqve Auguſtini ac Oroſii teſtimoniis ſubnixi. Barthius Victori Giſelino præcipue indignatur, qvod is, dum Prudentii nonnulla loca enarrat, Claudianum & Auſonium Chriſtianos fuiſſe, ſed à Symmacho paganiſmo redditos, confidenter affirmet, absqve tamen addito ullo tantæ aſſertionis teſtimonio. Ipſe ſimulatorem credit fuiſſe Claudianum, animive dubium, qvi nec à Chriſtianiſmo, nec à Paganiſmo abhorruerit, *lib. I. Adverſar. c. 7.* Qvæ vero ſententia ſuo auctori relinqvenda. Memorat Gregorius Leti, Ital. Regnante P. IV. l. III. p. 335., Mazzam aliqvem Vitam Claudiani, & Analogiam, qvod fuerit Chriſtianus, conſcripſiſſe. Aliis longe ſatius, ut videtur, carmina in Chriſti honorem ſcripta, qvæ inter Claudianea reperiuntur, ad Damaſum pertinere. Prodierunt Opera Claudiani cum notis Steph. Clauerii, Jani Parrhaſii, & Marci Ant. Detrii Pariſ. A. 1602. in 4. Jam antea Theod. Pulmannus Claudianum, ope veterum codicum reſtituerat, emiſeratqve in lucem Antwerp. 1571. in 16. Cum Caſp. Barthii commentario vaſto, ſed mendoſiſſime edito, prodiit Claudianus Hamburgi 1650. in 4., cum jam ex ejusdem emendatione, & cum animadverſionum libris, antea A. 1612., minore forma in 8., Hanoviæ lucem adſpexiſſet. Inde Nicol. Heinſius, Claudiani præcipuus Cultor illum edidit elegantiſſimè impreſſum, cum notis, Lugduni Batav. 1641. in 12., qvi in multis reprehendit Barthium, Cum notis variorum, Heinſiiqve integris, eundem Poëtam nobis dedit Corn. Schrevelius Lugd. Batav. A. 1665. in 4. In uſum Delphini ejus editionem adornavit, cum notis, Guilh. Pyrrhus 1677. Pariſ. in 4.

7 Accedat tertius poëta, ſed haud dubie Chriſtianus, optimusqve morum magiſter, licet non optimâ ſemper arte carmina pangendi inſtructus, AURELIUS PRUDENTIUS; qvem adeo in oculis tulit miratusqve eſt olim LUCAS HOLSTENIUS, ut animam jam agens ac moribundus per Ferdinandum Fürſtenbergium, incomparabilis eruditionis Principem, & Epiſcopum poſtea Paderbornenſem ac Monaſterienſem, hymnum eum ex Cathemerinis Prudentianis, qvi exſeqviis defunctorum datur, recitari voluerit, atqve eo pacto in ſolatium vitæ melioris mente erectus expiraverit: referente in Epiſtola nuncupatoria ad Ferdinandum Nic. Heinſio, qvi, poſt aliorum omnium labores, in Prudentio emendando, egregiam plane operam navavit, ediditqve librum nitidiſſima editione apud Elzevirios Amſtelod. An. 1667. in 12. Antea dudum Victor Giſelinus Prudentium ediderat, junctis qvoqve Theodori Pulmanni notis, Antvverp. A. 1564. in 8. Variorum Commentarios integros collegit, atqve una cum Prudentio, à ſe caſtigato, emiſit Joh. Weizius, Hanov. 1613. in 8., qvæ editio præſtantiſſima eſt. Ceterum in ſyſtemate Poëtarum Chriſtianorum, à Georg. Fabricio edito Baſileæ An. 1564. in 4to, Prudentius qvoqve locum haudqvaqvam infimum tuetur. Sunt autem illi Poëtæ, qvi corpore iſto continentur, Tertullianus, Cyprianus, Victorinus Pitabionenſis, Juvencus, Hilarius, Paulinus, Ambroſius, Damaſus Papa, Victorinus, Afer Dra-

contius,

contius, qvos non omnes tamen ea, qva decuit, fide Fabricius edidit. Meminit Heinſius, in præfatione ſuo Prudentio præmiſſa, Editionis Joh. Sichardi qvàm mire depravatam ait; impreſſa eſt Antvverpiæ A. 1536., & poſtea Baſil. 1540: imo &, anteqvam Antvverpiæ ederetur, Baſileæ primo prodiit apud Cratandrum A. 1527. Huic Varias è codicibus variis lectiones, ſimulqve conjecturas ſuas, alleverant Joh. Cauchius & Cl. Salmaſius, qveis poſtmodum uſus in Editione ſua Heinſius eſt, qvi & Grævio ſe adjutum profitetur, memoratqve præterea, Franc. Juretum aliqvando de edendo Prudentio cogitaſſe, ut & Geverh. Elmenhorſtium: ſed à neutro eſſe præſtitum quicqvam: uti nec lucem aſpexerunt notæ in eundem Auctorem Oberti Giphanii, qvas reliqviſſe in Prudentium fertur, cum emendationibus Lucretianis ſparſim nonnulla ejusdem loca correxiſſet. Aug. Buchnerus etiam in hymnos aliqvot Prudentianos aliqvid commentatus eſt.

Duobus verbis etiam de duobus Poëtis aliis dicemus. DRACONTIUM ſeparatim edidit, cum notis, indice, & gloſſario, Joh. Weitzius Francofurt. A. 1610. in 8. 18
Male autem Voſſius de Poëtis ævo poſt Carolum M. adſcribit Dracontium, cum ad Theodoſium juniorem Elegiam ſcripſerit; ut jam ab aliis eſt notatum. VENANTII FORTUNATI Poëmata apud Oporinum edita ſunt Baſil. An. 1562. Hymnum ejus de Reſurectione Aug. Buchnerus edidit cum ſuis notis. Edita qvoqve ſunt Venantii poëmata à Chriſtoph. Brovvero Moguntiæ 1603. in 4. Fuit autem hic ſexti ſeculi Scriptor.

Antevertit igitur illum plus integro ſeculo MACROBIUS AURELIUS THE- 19
ODOSIUS, qvi ſub Honorio & Theodoſio juniore vixit, magnis in aula dignitatibus functus: cujus Opera varia maximam partem ex aliis Græcis & Latinis Auctoribus collecta ſunt, qvapropter & vehementer vapulat aliqvibus ille, maleqve inter plagiarios collocatur, cum ipſe tamen in præfatione ſuum colligendi inſtitutum haudqvaqvam diſſimulet: qvamobrem non immerito Virum doctiſſimum à plagii intentato crimine Thomaſius, cum Conr. Heresbachio, Ludov. Vive ac Thoma Reineſio, vindicatum it, Diſſ. de Plag. Liter. §. 503. Prodierunt Opera Macrobii, cum Caſtigatione Joh. Iſaaci Pontani & Joh. Meurſii, Lugduni Batav. A. 1597. in 8., iterum 1628. recuſa. Poſtmodum vero revidit Macrobium J. Fr. Gronovius, ac præcedentium Duumvirorum notis ſuas qvoqve adjecit Lugd. Batav. 1670. in 8.; qvæ editio optima. Præter hos in Macrobio emendando multum operæ ſtudiiqve poſuit Nicol. Heinſius, teſte Luca Holſtenio, qvi antiqviſſimi exemplaris Neapolitani indicium illi ſe feciſſe narrat Epiſt. 14. ad Lambecium, qvi & ipſe ſe Macrobio operam impendiſſe refert. Verum apud utrumqve res intra conatus ſubſtitit.

Non omittendus vero nunc, qvi Macrobium ætate adhuc ſuperavit, ab initio 20
ſtatim ſeculi qvinti clarus, SEVERUS SULPITIUS, Scriptor elegantiâ Latinitatis ſuam ætatem plane ſuperat. Editus eſt olim apud Oporinum, per Matth. Flacium Illyricum, in 8., ut cum notis Pet. Galeſinii Romæ 1564. Scholia Galeſinii retulit, & emendatum denuo, illuſtratumqve, adjecta chronologia, Sulpitium Severum edidit Antvver-

piæ Victor Giſelinus A. 1574. in 8. Hiſtoriam ejus Sacram Carolus Sigonius qvoqve Commentario illuſtravit, Bonon. 1581. in 8., nec non Joh. Druſius Franekeræ 1607. in 8., & Joh. Vorſtius Berolini A. 1668. in 12. Vaſtum opus vero in eandem Severi Sacram Hiſtoriam, ſub titulo *Bibliothecæ Sacræ*, conſcripſit Chriſtianus Schotanus Franeck. fol. 1664. Omnium, qvæ tum habebantur, Sulpitii Operum Editio nitidiſſima plane eſt Elzeviriana A. 1656. in 12. & alia, qvæ cum notis Variorum à Georg. Hornio procurata eſt aliqvoties, Luduni Batav. impreſſa A. 1647. 1654. 1665. in 8. cui editioni Salmaſianæ etiam notæ aliqvæ acceſſerunt. Neqve tamen adeo præclare ſua illa editione meritum Hornium, ſed plurima male poſita aut omiſſa eſſe, peculiari diſſertatione Sam. Bochartus oſtendit: cujus dum meminit Colomeſius, & ſimul Epiſtolas aliqvot Sulpitii Severi à Dacherio & Baluzio editas, nulli adhuc Editioni operum illius illatas refert, optat, ut nova Severi editio à Viro qvodam docto ſuſcipiatur, Biblioth. Select. p. 99. ſeq.

21 Eodem qvidem ſeculo vixit, ſed non eodem dictionis genere eademve puritate ſcripſit, C. SOLLIUS APOLLINARIS SIDONIUS, Vir genere illuſtris, & reipublicæ primùm, deinde & Eccleſiæ, magna pars. Ejus extant *Epiſtolæ & poëmata*. Qvod proſam ejus attinet, plena eſt peregrinitatis, ac Latinitatem habet plane ferream: Poëſis vero eſt tolerabilis. Id enim obſervare poſſumus in Scriptoribus illis, Poëſin tardius degeneraſſe, qvàm proſam: eam ob cauſam, qvia in Carmine major vocum delectus adhibebatur, atqve imitatio veterum neceſſaria qvadam lege præſcribebatur, vide, qvæ de Sidonio diximus, *Tom. I. Polyhiſtoris lib. I. c.* 23. §. 25. Editus eſt Sidonius cum Commentario Joh. Bapt. Pii Baſil. A. 1542. in 4. decennio poſt Lugduni ab Elia Vineto recognitus. Inde Joh. Savaro, Claromontanus, Vir Illuſtris, doctiſſimum Commentarium edidit in Apollinarium, Pariſ. 1599. in 4, & poſt eum Jac. Sirmondus, è Soc. Jeſu, Pariſ. 1614., & cum auctioribus notis An. 1652. in 4. Ambo doctiſſimi longe Viri ſunt, ac in medii temporis Scriptoribus verſatiſſimi. (*xx*)

22 Longe inferior adhuc Apollinaris Latinitate MARTIANI CAPELLÆ ſtilus eſt, qvem *pecudalis eloquentiæ auctorem* C. Barthius vocat Adverſar. lib. XXV. c. 13. *Encyclopædiam* ſcripſit, ſub forma fabulæ alicujus de Nuptiis Philologiæ & Mercurii, ac ſeptem artibus liberalibus; ſermone pedeſtri ſcriptam, ſed cui metra ſparſim admixta

(*xx*) Inter Sidonii Apollinaris Editiones præſtantiores, mentionem etiam honeſtam mereri mihi videntur duæ VVovverianæ, h. l, præteritæ, Pariſienſis ſcilicet ab ipſo Johanne VVovverio A. 1598. in 8vo publicata, Textumque, Autoris e Codicibus, tum ſuo, tum Gallicis compluribus, dextre emendatum, ac Notis præterea Criticis illuſtratam exhibens, ac Hannovienſis poſthuma, quam, ex poſtrema VVovverii ad Codicem Achillis Statii Romanum Recognitione, Civis ejus, Geverh. Elmenhorſtius, apud Aubrios, A. 1617. in 8vo edidit, &, a ſe itidem ad Vett. Codd. fidem locis infinitis emaculatam, Indice quoque Vocum Sidonii obſcurarum copioſo inſtruxit.

mixta ſunt. Tota hæc inventio Africam ſapit, qvæ plerumqve monſtri aliqvid, & novi, parit. Stilus qvoqve ipſe patriam Auctoris ſpirat: pinguis dictio, audaces metaphoræ, verba inſolita: ſed tamen ingenio privandus non eſt. In eum Hugo Grotius annos XIV. natus commentatus eſt Lugd. Batav. 1600. in 8. Poſtea Joh. Frid. Gronovius illi emendando tempus aliqvod impendit. Ita enim in epiſtola ad Virdungum (qvæ reperitur in Mantiſſa V. Epiſtolar. Richterianar.) ſcribit. *Incidi in MSS. Capellæ codicem, quem cum editione Grotii conferre cœpi: non eſt quidem antiquiſſimus, ſed ex antiquo tamen & probo exemplari deſcriptus. Non eſt quidem auctor ejus notæ, ut multum temporis in illo ſit impendendum; quem barbarum Scaliger, lippitudinem Latinitatis vocat Scriverius: interim, cum nihil agam, hoc nihil agere aliquid agere eſt.* Primus imprimi Martianum curavit Vincentiæ An. 1499. Franc. Vitalis Badianus, poſtqvam Thadæus Ugolenus illum ſemel in lucem protraxiſſet. vid. Voſſ. de Hiſtor. Lat. lib. III. p. 713.

Seqventi ævo, ſexto poſt C. N. floruit Vir, præter generis muniorumve ſplen- 23
dorem, omni doctrinarum genere abundantiſſimè excultus, ANICIUS MANLIUS SEVERINUS BOETHIUS, cujus num philoſophiam, an eloqventiam, aut poëſin, potius admirere, dubium eſt. Plane enim excellit, ac, doctiſſimorum qvorumvis judicio, cuilibet ſuperiorum & magnorum comparandus eſt. Ut vero cetera ejus plurima Opera omittamus, libellus *de Conſolatione Philoſophiæ*, qvem, in mediis calamitatibus carceris, partim proſaico, partim metrico ſcribendi genere compoſuit, incomparabilis fere eſt, totusqve etiam imbibendus. Prodiit apud Jodocum Badium Aſcenſium Pariſ. An. 1502., cum ejusdem notis: additus Thomæ Aqvinatis commentarius apud eundem 1514. Theod. Pulmannnus illum è codicibus MSS. emendatum dedit Antvverpiæ in 12. Conr. Rittershuſius Lugd. Batav. 1600. Joh. Bernartius, cum notis, Antvverp. 1607. in 8. Petrus Bertius 1633. &, ſi recte memini, etiam cum variorum notis prodiit. Opera Boëthii omnia cum variorum notis Baſil. An. 1570. in fol. lucem aſpexerunt: jam antea ibidem 1546. & Venetiis 1491. excuſa. (Libellus ille de Conſolatione Philoſophiæ in Gallicam qvoqve Anglicamqve linguam translatus eſt: imo & in Germanicam eodem plane dicendi genere, qvo eſt à Boëthio ſcriptus; nempe, ut proſaicæ dictioni verſus immiſceantur, iiqve haud parum profecto apti concinniqve; operam commodante Viro illuſtri dum viveret Chriſtiano Knorrio, Lib. Barone de Roſenroth. Editus eſt poſt translatoris mortem ſecunda vice cum præfatione Franc. Mercurii Helmontii.)

Qvam inter Gothos abſterſit pro viribus Latini ſermonis peregrinam ſtribli- 24
ginem Boëthius, ea undiqvaqve conſperſus incedit, qvi in eadem Theodorici Regis Goth., & ſucceſſorum aliqvot, aula ſummis muniis functus eſt MAGNUS AURELIUS CASSIODORUS; cujus Opera tàm junctim, qvàm ſeorſim, prodière. Conjunctim illa publicavit, duobus in 8. voluminibus comprehenſa, ſuisqve illuſtrata notis, Guil. Fornerius, Pariſ. An. 1588., Genevæ in 4. Pet. Broſſeus 1601. & 1650. in 4. Tandem

ſtudioſiſſimè omnia collegit,& emendata ſuis inſuper notis ac diſſertationibus illuſtravit,Joh. Garrettus,Bened. Monachus Rothmagi 1679. in fol.,2. tomis.

25 Sunt & non pauci incertæ ætatis; ut (qvos unos è pluribus nominamus) AUCTORES FINIUM REGUNDORUM, qvos cum obſervationibus ſuis Nicol. Rigaltius edidit,in præfatione de ætate ſingulorum disqvirens, Pariſ. 1614. in 4., qvosqve poſtmodum iterata Editione, cum ampliſſimo Commentario, publicavit Wilhelmus Goeſius Amſtelod. in 4. 1674. *De Jurisconſultorum Latinitate*, qvæ *in Pandectis* reperitur, optime Sanctius judicavit Minervæ p. 259., male omnino illos facere, qvi eos cum Cicerone comparant,aut Latini ſermonis puritatem inde hauriri poſſe credunt. Non illud fuiſſe ſeculum Juſtinianeum,qvod Latinas literas poliret: imo multa in Pandectis reperiri, qvæ à genuina Latinitate abhorreant. Satis ſuperqve gloriæ Scriptoribus juris tribui, ſi inter ſui ſeculi homines eos præſtantiſſimos dicamus. *Medii ævi Auctores* plurimi ſunt, qvos ad ligneam, luteam, ſaxeamqve ætatem Scioppius refert, & qvos, ob barbaram ſermonis ſtribliginem, neqve legendos ſtili cauſa, neqve etiam ſollicite recenſendos, puto. Qvamvis non negem, eſſe inter illos, qvi ultra genium ſeculi ſeſe erigant: ſed tamen iis ſecurè fides in Latinitate haberi non poteſt. Pleriqve illorum vel Hiſtorici ſunt, qvorum Catalogum magno ſtudio à Gerh. Joh. Voſſio, &, qvi notas in eum ſcripſit, Chriſt. Sandio, congeſtum invenies: vel Poëtaſtri, alios recenſet idem Voſſius in Diſſertat. de Poëtis Latinis. Peritiſſimi in illorum lectione fuere Caſp. Barthius, Thom. Reineſius, Chr. Daumius, qvi in ſcriptis ſuis hic illic floſculos ex iisdem decerpunt. Barthius in nonnullos integros commentarios ſcripſit; ut in Guil. Britonem poëtaſtrum. Ego Latinitatis cauſa ſterqvilinium hoc movere conſultum non puto: nec certe legerim, niſi ob hiſtoriam, cui ſingularem nonnunqvam lucem præferunt, & in principum rerumqve publicarum controverſiis magna cum utilitate à politicis leguntur. Excelluit qvoqve, eam unam ob rationem inductus, in Scriptorum medii ævi lectione Pet. Pithœus: cui addendi è Germanis Frid. Lindenbrogius, & Herm. Conringius: è Gallis Jac. Sirmondus, &, qvi inſtar omnium fere unus eſt, Carolus du Freſne, ſeu Cangius: nec non ſuperſtes hodieqve Vir ſummus, Stephanus Baluzius: aliiqve. De temporibus obſcurorum Virorum dicere operæ pretium non erit. De Auctoribus, qvi ſub παλιγγενεσίαν Latinitatis orti fuere, dici qvidem hîc aliqva poſſent; ſed commodius eos ſuis locis reſervabimus: præſertim, cum de eorum bona parte jam dictum ſit, qvum *de Epiſtolographis* ageremus: ceteros inter Oratores enumerabimus.

26 Jure merito autem inter antiqvæ Latinitatis monumenta locum ſibi vendicant INSCRIPTIONES, qvarum ingens Volumen, auſpiciis Joſ. Scaligeri & Marci Velſeri, promotoribus compluribus Viris doctis, collegit ediditqve Heidelbergæ 1603. fol JANUS GRUTERUS, cum uberrimis indicibus, qvos ipſemet Scaliger ſumma cura, maximoqve integrorum decem menſium labore, confecit: & qvi tamen à nominis ſui mentione

mentione omnino abſtineri voluit. vid. Epiſt. 413. & ſeq. Scaligeri pag. 703. Jam ante Gruterum Inſcriptiones antiqvas tales colligere cœperunt Conr. Peutingerus, Marc. Velſerus, Jac. Mazochius: Pet. Appianus, Mart. Smetius, aliiqve: ſed minor eſt collectarum numerus, qvam ut cum Gruteriano opere comparari qveat. Sed, cum & hic deeſſe adhuc longe plurimas accuratior ſecutæ ætatis inveſtigatio demonſtraſſet, ſupplementum velut illius, eâdem plane methodo, adornavit volumen aliud, ferme non minus vaſtum, idqve Commentariis illuſtravit, THOMAS REINESIUS; qvod poſt mortem viri doctiſſimi Lipſiæ A. 1681. fol. lucem adſpexit. Aliud adhuc Volumen præ manibus habet MARQ. GUDIUS, Gruteriano & Reineſiano longe accuratius: totam enim Italiam perreptavit ad congerendos hoſce theſauros. [Verum, uti Vir ille ſummus, neſcio qvâ invidiâ, maluit ſecum retinere premereqve qvod habuit, qvam cum erudito orbe communicare; ita inſcriptiones qvoqve ſuas in tres qvidem tomos eleganter admodum digeſſit, nec tamen alii, qvamdiu viveret, edendas permiſit. Nunc, poſt ejus mortem, in Clar. Grævii manus eas omnes perveniſſe fama aliqvando fuit; ſed & illam non ſatis certam exinde comperi: potius adhuc in Gudiana Bibliotheca tres illos Tomos aſſervari fidem αὐτόπται aliqvi fuerunt: ut adeo ne nunc qvidem eas Inſcriptiones in lucem emiſſum iri ſpes ſit. Interea Supplementum tale Gruterianum ac Reineſianum Italus qvidam eruditiſſimus, Raphaël Fabrettus, moliri cœpit, jamqve pars operis Romæ impreſſa eſt, dubiumqve nullum, integrum proditurum, cum id urgeat Editor. Continebit ultra duo Inſcriptionum, aliàs ignotarum, millia.] Præter hos Inſcriptionum colligendarum edendarumque curam in ſe ſuſceperunt Sebaſt. Maccius, qvi è tota Italia congeſſit illas, comprehenditqve uno volumine: teſte Erythræo Pinac. I. p. 278. Joh. Zaratinus Caſtellinius: *adeo*, referente eodem Erythræo l. c. p. 51., *Inſcriptionum veterum ſtudioſus, ut in eis perquirendis interpretandisque pene mori videretur. Hinc fiebat, ut, quoad Romæ vixit, nullus fere dies fuerit paulo ſerenior, quin in aliquo prædio vel agro conſpiceretur, ubi ex veterum villarum ruinis ſaxa vel lapides effoderentur: ut, ſi quæ in eis tabulæ marmoreæ, Græcis vel Latinis notis inſculptæ, inventæ eſſent; vel eas precio auferret, vel quod in eis ſcriptum eſſet, in ſua pugillaria referret:* Georg. Gualtherus, cui *collectionem Inſcriptionum & tabularum Siciliæ atque Brutiorum* debemus, cum animadverſionibus ejusdem Meſſanæ 1624. in 4. editam: Carolus Cæſar Malvaſia, qvi *Marmora Felſinea*, ſeu *Bononienſia*, Bononiæ A. 1690. in fol. publicavit: Henricus (Cardinalis) Noriſius, cui *Caji & Lucii Cæſarum Cenotaphia Piſana*, eruditiſſimis longe diſſertationibus illuſtrata, & Venetiis in fol. 1681. edita, in acceptis ferimus. Sertorius Urſatus, qvi *Monumenta Patavina* collegit, digeſſit, atqve commentariis illuſtriora reddidit Patav. 1652. in fol. Joh. Jac. Boiſſardus in *Antiquitatibus urbis* à *Romæ* Francof. 1692. in fol. Paul. Aringhus in *Roma Subterranea* Romæ 1651. fol. J. Bapt. Ferretius in *Muſis Lapidariis*: Joh. Seldenus, qvi *Marmora Arundeliana*, Græcè inſcripta & ex Oriente in Angliam allata, cum aliis vetuſtis Inſcriptionibus, Commentariis ſuis illuſtravit Londini 1629. in 4., qvibus

bus poſtmodum Oxonii 167., in theatro Sheldoniano ſplendidè recuſis, & auctis, ſuas qvoque notas adjecit Humphridus Prideaux. Exinde Græcarum Inſcriptionum major apparatus comparere cœpit: ſiqvidem JAC. SPONIUS, Græcarum antiqvitatum vindex, in itinere ſuo per Orientem nihil ferme tam avide inqviſivit, ac propterea magnam Inſcriptionum vim partim Itinerario ſuo literatiſſimo inſeruit (cui in ſupplementum Georg. Wheleri, qvem Comitem itineris Sponius habebat, Itinerarium addi meret,) partim Curioſæ Antiqvitatum Inveſtigationi, Lugduni 1683. in 4. Gallico idiomate excuſæ. Idem Sponius Supplementum qvoqve Gruterianum edidit Lugduni A. 1679. in fol., qvod & 1683. recuſum eſt; titulum dedit: *Miſcellanea Eruditæ Antiqvitatis:* qveis ſecundum qvoqve Tomum A. 1685. adjecit. Taceo nunc Claud. Salmaſii Explicationem duarum Inſcriptionum Herodis Attici rhetoris, & Regillæ conjugis, una cum notis ad Doſiadæ aram, Pariſ. 1619. in 4. editam. Caroli Patini Commentarium in tres inſcriptiones Smyrnenſes; Patavii 1685. in 4., Joh. Smetii antiqvitates Noviomagenſes: Gisb. Cuperi Syllogen variarum veterum inſcriptionum, ejus Harpocrati ſubjectarum: atqve alia hujus generis ſcripta plura, qvæ indies fere creſcunt. E vaſtis illis Gruteri, Reineſii, Sponii, aliorumqve corporibus Inſcriptionum Syllogen præcipuarum ſelegit ediditqve Londini in 8. An. 1691. *Guil. Fleetwodi*; qvæ cupidos antiqvitatum talium ſtudioſos, & tamen emendis ſumptuoſis voluminibus impares, juvare poteſt. De inſcriptionum veterum ætate dignoſcenda, & ſtilo, qvædam docere poterit Octavius Boldonius, in Epigraphica ſua, vaſtiſſimo Opere, nec ita tamen adornato, ut fieri vel poterat, vel debebat, Auguſtæ Peruſiæ 1660. fol., de qvo alibi mentio recurret.

FINIS LIBRI QUARTI.

POLY-

POLYHISTORIS LITERARII
LIB. V.
CRITICUS.

CAP. I.
DE SCRIPTORIBUS CRITICIS.

§. 1. Artis Criticæ cum Grammatica Cognatio & Uſus multiplex. 2. Scriptores de arte Critica Hiſtorici, Joh. Wouwerius, Phil. Jac. Mauſſacus, Henr. Stephanus, Dan. Heinſius, &, qvi artem ipſam methodice tradiderunt, Franc. Robortellus, G. Scioppius, Guilh. Canterus, Joh. Clericus. 3. Invectiva in Pſeudo-Criticorum nimium emendandi Autores pruritum. 4. Jani Gruteri Theſaurus Criticus, ſive Collectio Scriptorum Criticorum Recentiorum ἐξοχωτέρων. 5. Diverſæ Criticorum Claſſes. Miſcellaneorum Criticorum Scriptores potiſſimi, in Gruteri Theſauro haud obvii, Pet. ſc. Victorius. 6. Adr. Turnebus. 7. Lud. Cœlius Rhodiginus, Juſtus Lipſius (de cujus Plagiis aliqua adduntur.) 8. Jac. Cujacius, Guilh. Canterus, Yvo Villiomarus (i. e. Joſ. Scaliger.) 9. Thomas Reineſius, Caſp. Hofmannus, Jac. Palmerius. 10. Andr. Schottus, Caſp. Barthius. 11. Janus Rutgerſius, Joſ. Caſtalio, Sam. Petitus, Thom. Gatakerus, Sam. Bochartus. 12. Claud. Salmaſius, Joh. Frid. Gronovius. 13. Deſid. Heraldus, Laur. Rameſius, Lat. Latinius, Tanaqv. Faber, Joh. Meurſius Sen., Gisb. Cuperus, aliique in Belgio, vel antehac, vel etiamnum, celebres. 14. Iſ. Caſaubonus, Henr. & Hadr. Valeſii, Æg. Menagius. Querela de Criticorum numero indies decreſcente.

SEpes veluti bonorum Auctorum, atqve totius cultioris literaturæ, eſt *Ars κριτικὴ*, qvam Grammaticæ partem Veterum nonnulli cenſent; alii vero diverſam longe eſſe, & haudqvaqvam in unam cogi debere claſſem, rectius arbitrantur: qvos ſecuti proinde nos ita POLYHISTOREM CRITICUM a *Grammatico* peculiari libro ſejunximus, ut tamen preſſo pede alter alterum, arctiori qvippe junctum 1

cogna-

cognatione, ſeqveretur. Qvam vaſtus autem, & qvantus Criticæ uſus ſit, in dignoſcendis ac dijudicandis omnis generis Auctorum, Græcorum, Latinorum, Sacrorum, profanorum, ſcriptis; in caſtigandis, emendandis ac reſtituendis iisdem, & qvæ alia artis exqviſitiſſimæ munia ſunt; ii demum recte intelligunt, qvi, ſine illius adjumento, confuſa omnia, & miſerrimis impoſturis plena, fore animadvertunt.

2 Sunt, qvi de illius uſu aliqva generatim ſcripsêre. Inſervit huic inſtituto *Joh. Wowerius* cap. 16, 17, & 18. ſuæ Polymathiæ, qvi haud contemnenda in medium profert. *Phil. Jac. Mauſſacus*, in præclara illa Diſſertatione Critica, qvam Lexico Harpocrationis præfixit; qvanqvam iniqviori animo in Caſauboni plagiarium, ut male ſuſpicatur, doctiſſimum Wowerium ſit, eumqve toties, qvoties poteſt, carpat. (*a*) *Henr. Stephanus* in Diſſertatione de Criticis Veteribus Græcis & Latinis: Pariſ. 1587. in 4. edita: & *Dan. Heinſius* in Diſſert. de veræ Criticæ apud veteres ortu, progreſſu, uſuqve, tum in diſciplinis ceteris, tum in ſacris; qvæ una cum Crepundiis ejus Silianis, & Lugduni Batav. prodiit, & Cantabrigiæ 1646. in 12. eſt recuſa. Qvi Artem Criticam ad regulas redegerit, novi neminem, niſi *Franc. Robortellum*, cujus ea de re exiguus libellus exſtat, Patavii 1557. & Francof. 1604. in 8. excuſus; & *Gaſp. Scioppius*, qvi & hunc Auctorem, & ſuum Commentarium de arte Critica, & præcipue de altera ejus parte, emendatrice, edidit Noribergæ 1597. in 8., qvem Jodoc. Pluymerus, Amſtelodamenſis typographus, A. 1662, in 8., recudi fecit: Docet inprimis eo libello Auctor, qvænam ratio in emendandis ex ingenio Latinis Scriptoribus obſervari debeat. De ratione emendandi Græcos Auctores peculiare Syntagma conſcripſit *Guil. Canterus*, qvod Novis ejus Lectionibus additum prodiit Antwerp. 1571. in 8., & ſeparatim Baſileæ 1566. fol. (Nuperrime An. 1697., duobus in 8. tomis, Artem Criticam, à ſe compoſitam, Amſtelodami orbi erudito dedito Vir doctiſſimus *Joh. Clericus*, ſed non talem tamen, cui non addi etiam adhuc aliqva poſſint.)

3 Ceterum orta primum ſuperiore ſeculo accuratior illa Critices tractatio eſt paucis ante Scaligeros annis: qvibus ipſismet deinde ſigna tollentibus, ſecuti magno numero ſunt Scriptores, qvos omnes hîc recenſere non lubet, maxime, cum non unius commatis ſint. Neqve enim hîc diffitendum, qvemadmodum nonnullorum è veteribus Criticis nimius emendandi pruritus rei literariæ vehementer obfuit, & ridiculos non ſolum ipſosmet illos Criticaſtros reddidit, ſed & immani lectionum Variantium, atqve haud raro monſtroſarum, mole optimos Auctores peſſimè inqvinavit: qva de re Veteres paſſim conqveruntur: ita recentiorum qvoqve Criticorum non pauciores, dum medi-

(*a*) Commentarium de Critica promiſit Iſ. Caſaubonus, de quo, uti & Joh. VVovverii & Phil. Jac. Mauſſaci Operibus affectis de Studiis Veterum, eidem Argumento illuſtrando præcipue deſtinatis, Jac. Thomaſius, in Prolegomenis Editionis Tractatus de Polymathia VVouvveriani Lipſienſis, An. 1665. publicatæ, plurima collegit, & nos etiam in VVovverii (cujus Polymathiam Plagii in Commentarium Caſauboni, modo laudatum, Joſ. Scaliger, Mauſſacus, & alii, inſimularunt) Elogio, *Cimbria Literata* inſerendo, fuſius aliquando diſſeremus.

medicam manum admovere Autoribus tentant, magis lacerant illos corrumpuntqve: nimirum vel ea, qvæ non intelligunt, in alia omnia pro captu inepte ſæpius transmutantes; aut intempeſtiva corrigendi libidine, ut ingenium oſtentent, nihil non, ut corruptum, mira audacia tentantes. Illorum ineptias caſtigant Henr. Stephanus in Epiſtola de ſtatu typographiæ ſuæ: & Baco Verulamius lib. VI. de Augm. Scient. c. 4., qvi propterea recte monet: *niſi Critici fuerint eruditi in ſcientiis illis, de quibus libri ab illis editi tractant, periculo diligentiam illorum non vacare.* Hos vero non minus depingit graphicè, qvam caſtigat, Vir doctus, Phil. Priorius in præfatione ad Optatum Milevitanum, ſeculi IV. ſcriptorem Afrum, à ſe Pariſ. 1679. fol. editum, cum ait: *De meo illud aſſero, abſtinuiſſe me ab illa Critica prurigine, quæ ſciolorum animis inſedit, qui nihil præter mendoſam ſcripturam crepant, luxatum locum, deſperatum, depravatum, clamitant, & à ſe feliciter reſtitutum unius literulæ mutatione. Permulti ſane ſunt hiſce temporibus, quorum intra has metas eruditio tota conſiſtit, & qui, ſolidioris literaturæ ope deſtituti, in minutiis ejusmodi & λεπτολογήμασι tempus omne & ætatem miſere impendunt. Hos bene valere jubeo: iis bonam mentem opto. Nobis non licet eo audaciæ perrumpere, ut veterum ſcripta tam temere corrumpamus.* Scilicet, uti nihil adeo inſigne eſt, cui non ob id ipſum aliqvis abuſus adhæreat, ita cum Critice idem actum.

Inſigniores ævi ſuperioris Critici, qvi non nimis vaſtos commentarios ſcripſere, collecti ſunt, ſeptemqve tomis in 8. chartæ majoris editi, à JANO GRUTERO ſub titulo *Facis Liberalium artium, ſeu Theſauri Critici*, Francofurti 1601. 1604. 1605. 1606. 1607. & 1623. Sed de ultimo iſthoc tomo, qvi tam magno à prioribus intervallo prodiit, ſciendum, illum non à Grutero fuiſſe curatum, ut reliqvi, ſed à Dan. Pareo ſuppoſitum, qvo ille Gruterum ſugillat, & acerbe in eundem invehitur, vindicaturus nempe hac demum ratione ſe à conviciis, qvibus paſſim illum Critici exceperunt. Nihil attinet eos, qvi his tomis congeſti ſunt, recenſere: ſufficiat illuc remiſiſſe, indicaſſeqve Theſaurum illum qvaſi Pandectarum inſtar eſſe Criticarum. Nos hic ſparſim aliqvam multos enumerabimus velut per lancem ſaturam Auctores, qvi in illa Face non ſunt. Fuit, cum in catalogo Nundinarum Francofurtenſium acceſſorius Faci novus Tomus promitteretur: ſed nec prodiit, neqve, ut nunc ſunt tempora, facile prodibit: ſolent enim illi Catalogi promiſſis eſſe divites, & corvos deludere hiantes. 4

Solent vero Critici ſuas divinationes, conjectanea, racemationes, præcidanea, veroſimilia, ſuſpicationes, Lectiones, Caſtigationes, pericula, &c. vel Autoribus ipſis adjungere; qvorum multos jamdum ſupra recenſuimus: vel eas edere ſeparatim. Aliqvi facultatum certarum Auctores emendare ſolent, atqve hinc habemus Criticos Sacros, Criticos in libros Juris, Criticos Medicos in Hippocratem, Galenum, aliosqve, de qvibus ſuo loco. Nunc tantum aliqvos commemorabimus, qvi vagi argumenti libros ſcripſerunt, nec in certos Autores, nec de certis argumentis. Sunt tales PETRI VICTORII *Variæ lectiones*, libris XXV. conſtantes, multa refertæ eruditione & obſervationibus in bonos Auctores linguæ utriusqve; qvæ Florentiæ 1553. in fol. apud Torrenti- 5

rentinum, & ibidem A. 1582. apud Juntas, prodierunt. Erat Vir ille ſine dubio literatiſſimus, & non per Italiam ſolùm, ſed & per totum orbem literatum, celeberrimus. nec Philologus tantum, ſed & Philoſophus & Orator inſignis, qvod doctiſſima ejus in Ariſtotelem atqve Ciceronem Commentaria abunde teſtantur. Parum benigne alias de illo Joſ. Scaliger judicavit in Excerptis Putean. Scalig. p. 251. Doctum vocat ibi, ſed vulgare ingenium: Se juvenem magni aliqvando Varias Lectiones illius æſtimasſe, in qvibus tamen non habet niſi verba, & paucas conjecturas bonas, qvippe qvi multum in libris conferendis fecerit, ſed non habuerit genium librorum. Miſeras ait illum Epiſtolas ſcribere, & cum magnis ambagibus: &c. Qvanqvam vero poſtremum crimen aliqva ex parte verum ſit: nam regnabat tùm apud Italos circumducta illa & fuſa ſcribendi ratio, & pene ſuperſtitioſa imitatio Ciceronis; qvo factum, ut ſæpe magis verborum culturæ incumberent Viri eruditi, qvàm rebus ipſis; cum inſecutis temporibus preſſior dictio doctis placere cœperit: eſſe tamen à Scaligero in Victorium aliqva inclementius dicta, ut ſunt in iis Excerptis plurima, negari non poteſt.

6 ADRIANI TURNEBI *Adverſaria*, elegans ac doctum Opus, varia in Latinos Auctores varios obſervata continet; Pariſ. 1580. in fol. Tomis duobus; editum, & recuſum Argentorati 1599. De illo tam ſplendidè Scaliger libro citato judicat, ut uno ejus libro plus haberi cenſeat, qvam Victorii totis 25. Scripſit & alia Turnebus in Latinos Auctores eruditiſſima, tum & alia nonnulla, inter qvæ eſt elegans *Diſſertatiuncula adverſus vini potum*: in qva plane alia ſentit, qvam popularis ejus Guyetus. Lepidum eſt, qvod de ſe puerulo Thuanus lib. I. de Vita ſua narrat, ſe, cum aliqvando obambulans in platea Adrianus Turnebus monſtraretur, tanta aviditate faciem viri oculis ſuis hauſiſſe, ſuoqve impreſſiſſe animo, ut continuas aliqvot noctes nil niſi Turnebum ſomniaret: nempe, qvi tum jam incredibili doctorum Virorum amore tenella ætatula flagrabat.

7 De Ludov. Cælio Rhodigino diximus in Locorum Communium ſcriptoribus, qvi & huc referri poteſt: nam multa habet ad emendationem Auctorum ſpectantia. JUSTI LIPSII *Opera Critica*, ut ſunt Antiqvæ lectiones, Epiſtolicæ qvæſtiones, Electa, Variæ Lectiones, &c., variæ ſunt eruditionis: nam & antiqvaria multa habet, & emendat in Auctoribus. Sed plagii ille accuſatur à multis, & forte non injuria. Nam Petrus Faber olim Agoniſtica ſua ab illo in Variis libris ſuis, qvi ſimilis argumenti ſunt, compilata clamavit, & nova tantum ſtyli Lipſiani veſte induta: & Joſ. Scaliger refert, in libris de Militia Romana Lipſium omnia cepiſſe ex Franc. Patricio, qvi Italice ea de re ſcripſerit, ſcilicet in tractatu, qvem inſcripſit *La Militia Romana di Polibio, di Tito Livio, e di Dionigi Alicarnaſſeo dechiarata, e con varie figure illuſtrata*. Ferrara 1583. in 4. Ingenuum de Lipſio judicium eſt Jul. Cæſ. Bulengeri, Viri alioqvin non adeo acuti, cum Hiſtoriar. lib. XII. p. 389. illum, cum Scaligero & Caſaubono comparatum, utroqve minorem facit.

8 JAC. CUJACIUS *Obſervationes* ſcripſit, pleraſqve ſuper textus Juris, ſed qvibus

tamen

tamen immiſcentur multa ad alios Auctores pertinentia. Vir fuit doctiſſimus, à qvo ſe multa didiciſſe agnoſcit Scaliger: cum ſe nauſeantem jam omni bonorum ſtudiorum guſtu reficeret Cujacius, languentem recrearet, & jam prope deploratum, & ſibi ſuisqve rebus omnibus diffidentem, ad lucem iterum revocaret. vid. Epiſt. Scalig. 32. Eundem de ſe bene meritum Pet. Pithœus, Jac. Aug. Thuanus, aliiqve ſummis elogiis extulere. Obſervationes ejus, qvas diximus, editæ ſunt Coloniæ 1598. in 8. In illas promiſerat Jac. Franc. Grandis accuratam Criticen, ſed qvam ego nunqvam eſſe editam comperi. GUIL. CANTERI *novæ Lectiones* additæ ſunt Faci Criticæ Gruterianæ: ut & Franc. Floridi Sabini Subjeciva. Sed & plura ſcripſit Floridus, qvam ibi habentur, & plura etiam Canterus. Canteri Syntagma de ratione emendandi Græcos Auctores ſupra memoravimus. Novas Lectiones aliqvoties recenſuit auxitqve, & libellum Variarum Lectionum in Græcis Bibliis à Plantino excuſum concinnavit. Neqve dubium, qvin multo plura etiam ab illo expectanda fuerint, ni mors juvenem anno æt. 33. abripuiſſet. In laudata ſæpius jam Face Critica habentur YVONIS VILLIOMARI *Animadverſa in locos controverſos Rob. Titii.* Sciendum, ſub illo nomine latitare Joſ. Scaligerum, qvi tum, ut famam aucuparetur, Rob. Titium adortus eſt. Erant, priusqvam verum nomen Auctoris ejus libelli innoteſceret, qvi Cujacium ipſummet ſub Yvone perſonato latere ſuſpicarentur; ſed mox Scaliger innotuit: qvi tantum ſibi ipſi cum ſua illa ſcriptione placebat, ut Cujacium edendæ tali imparem judicaverit. *Monſ. Cujas n' euſt ſceu écrire comme Yvo Villiomarus:* inqvit in Excerptis Scal. p. 60.

THOMÆ REINESII *Variæ Lectiones* Opus ſunt multâ doctrinâ refertiſſimum: in qvo varia habentur ad hiſtoriam Romanam ſpectantia, ad genealogias, item Medica. Jungi iis poſſunt Epiſtolæ ad Hofmannum & Rupertum, nec non ad Daumium & ad Neſteros: de qvibus alibi. Adverſus Lectiones Varias ſcripſerat qvædam *Andr. Rivinus*, Profeſſor Poëſeos apud Lipſienſes: ſed mox iterum à Reineſio confutatus, qvi Variarum Lectionum ſuarum Defenſionem Roſtochii 1659. in 4. edidit. CASP. HOFMANNUS ipſe etiam *Varias Lectiones* ſcripſit, qvæ rariores ſunt, & multas habent emendationes locorum Dioſcoridis, Athenæi, Plinii, Hippocratis. Editæ ſunt Lipſiæ 1619. in 8. JACOBI PALMERII de Grentemesnil *Exercitationes* extant *in Græcos Auctores*, in qvibus multa præclare emendantur Græcorum poëtarum, hiſtoricorum, oratorum loca. Vir enim ille in Græcis Scriptoribus multum operæ impendit, belli, pacis ac literarum artibus ac diſciplinis inclytus, ut eum Steph. le Moyne vocat. Exercitationes ejus editæ ſunt Lugduni Batav. apud Gaesbergios 1668. in 4. Ejusdem *Græcia Antiqua*, poſthumus liber, decennio poſt editus eſt apud eosdem 1678. in 4., una cum præmiſſa Autotis vita. 9

ANDREÆ SCHOTTI, Jeſuitarum, Scaligero judice, doctiſſimi, *Obſervationes Humanæ & Nodi Ciceroniani* multa in Cicerone, Græcisqve & Latinis Auctoribus aliis, pulcre emendant, in lucem prodierunt Hanoviæ 1615. in 4. In CASP. BARTHII *Adverſariis*, vaſtiſſimo Opere, vel potius vaſtioris Operis parte (longe etiam plures 10

libri, ut audio, adhuc inediti ſervantur,) multa qvidem non contemnenda reperiuntur loca, & Auctores haud raro eximie explicantur: ſed tamen non usqve adeo placet eruditioribus: eſt enim in judiciis præceps, in emendando temerarius, pluribus etiam frivolis & inanibus indulget. Atqve, ut Vir mirifici ingenii fuit & moroſus, qva de re lepidæ aliqvot hiſtoriolæ in Epiſtolis Buchnerianis leguntur; ita etiam Adverſaria genium Scriptoris retinuêre. Excuſa ſunt Francofurti 1624. fol. (b)

11 JANI RUTGERSII *Variarum Lectionum Opus* Lugduni Batav. 1618. editum eruditiſſimum eſt. Nec ſpernendæ *Lectiones Variæ* JOSEPHI CASTALIONIS, qvas, Romæ 1605. impreſſas, extinctam propemodum apud Transalpinos de Italorum eruditione laudem revocaſſe Nicius Erythræus auctor eſt Pinacoth. I. p. 168., refertqve, *ſe a Meurſio audiviſſe, Varias Lectiones Caſtalionis, cum eſſent Lugdunum Batavorum allatæ, cum omnium riſu exceptas fuiſſe, quod exiſtimaretur, luteum eſſe negotium, nec dignum, quod lucem aſpiceret, quoniam nullum jamdiu eruditum opus ex Italia prodiiſſet: ſed, ſimul inſpectum hoc, adeo probatum eſſe, ut ſententiam mutaverint, ſtatuerintque, eſſe Italis ingenium, dummodo adſit ſtudium & exercitatio.* SAMUELIS PETITI *Obſervationes* Pariſ. 1614. in 4.; item *Variæ ejus Lectiones* A. 1633., nec non *Miſcellanea* A. 1630. edita, multa habent Chronologica notata, & in Græcos Auctores animadverſiones. THOMÆ GATAKERI *Adverſaria* Londini 1659. in fol., item *Cinnus* ejusdem, ſeu *Animadverſionum variarum liber*, in 4. 1651, emiſſa, multa emendant in Patribus Græcis, multa obſervant in textu Græco Bibliorum, & incidenter in aliis qvoqve Auctoribus profanis. Vir enim fuit ſtupendæ lectionis, magniqve judicii, & qvi in commentando diligens atqve operoſus eſt, (c) Similiter SAM. BOCHARTI

(b) Caſp. Barthii *Adverſariorum* Libri LX. tantum priores Francofurti A. 1624. in fol. ſunt editi, Libri autem CXX. reſidui Hæredum, vel negligentia, vel malignitate, perierunt, qua de jactura Chriſt. Daumius Amicorum Autoris Intimus, in Scriptis & Epiſtolis ſuis, paſſim conqueritur. Sequius de iis, ante Morhofium, etiam alii judicarunt Eruditiores. E quibus ſolos jam allegabo Triumviros in Literis Elegantioribus paucis ſecundos, Thomam Reineſium (cujus Variarum Lectionum Libri, Apologia contra Andr. Rivinum, & Epiſtolæ ad Chriſt. Daumium, tantum non ubique Barthii crebra in hoc Opere παροράματα & Lapſus detegunt, inque eos Virgula ſæviunt Cenſoria), Vinc. Fabricium (qui in *Pranſu Parato*, Sive Satyra in Poetas, ac horum Contemptores, ſatis acerbe eadem perſtrinxit), & Paulum Colomeſium, cui (in *Opuſc. Literariis* p. 250.) Barthius *Vir* audit *multæ quidem lectionis, ſed naris haud prorſus emunctæ.*

(c) Thomæ Gatakeri Opera Critica omnia (1. Diſſ. de N. T. Stylo adverſus Sebaſt. Pfochenium; 2. Cinnus, ſive Adverſaria Miſcellanea; 3. Adverſaria Poſthuma, a Carolo Filio publicata; 4. M. Antonini, Imperatoris, Libri XII. περὶ τῶν εἰς ἑαυτὸν, Latine verſi, & Commentario illuſtrati; 5. Diſſ. de Diphthongis ſeu Bivocalibus; 6. Diſſertationes duæ pro Nominis יְהֹוָה vulgari pronunciatione; 7. Diſceptatione cum Sam. VVardo de Baptiſmi Infantilis Vi & Efficacia) junctim, curante Herm. VVitſio

CHARTI ſcripta, *Hierozoicon*, *Geographia Sacra*, Criticis obſervationibus abundant, &, in hac qvoqve arte excelluiſſe Virum cetera eruditione omni cumulatiſſimè inſtru-ctum, probant.

Nemo tamen adeo ut propriam, ſuumqve veluti regnum, ſibi Criticen vindica- 12
tum ivit, ac CLAUD. SALMASIUS, qvi, qvemadmodum nihil unqvam ſcripſit, in qvo non inſignia multa Artis Criticæ veſtigia deprehendas, ita inprimis, ut Autores cum notis & caſtigationibus abſolutiſſimis editos taceamus, vaſto illo *Plinianarum Exercitationum Opere*, qvantum in eo eruditionis genere valeret, demonſtratum dedit: nec minus in libris *de Uſuris*, *Fœnere Trapezitico*, *Nautico*, critica varia coacervat. Sed tamen ſuos qvoqve manes paſſus eſt incomparabilis Vir, dum qvandoqve pro ſuis venditaret emendationes, qvas dudum ante illum, aut Scaliger, aut alii Critici inſignes, poſuerant: qvandoqve etiam, intempeſtivâ invidiâ percitus, ab aliis idonei qvid ſcribi non ferret, ſuæ id decedere famæ arbitratus, qvicqvid aliorum laudi accreſceret. Qveſtus eſt inprimis de maligno iſthoc animò Salmaſii, magnum qvondam noſtri ſeculi decus, JOH. FRIDER. GRONOVIUS, in *Epiſtola ad Anton. Clementium*, Epiſtolarum Salmaſianarum Editorem. Nam cum hic Epiſtolam qvandam Salmaſii ad Sarravium, Gronoviano de Seſtertiis tractatui haud paulo iniqviorem, ſecum ſervaret, &, licet metu Gronovii ejus editionem ſupprimeret, legendam tamen deſcribendamqve aliis permitteret; Gronovius ab ea ſe contumelia vindicare decrevit, ediditqve adeo acriorem epiſtolam ad Clementium, in qva mores Salmaſii malos vivis coloribus depingit, ejusqve ſimul plagia Critica pluscula recenſet. Editæ ſunt illæ epiſtolæ tum Salmaſiana tum Gronoviana, ad calcem novæ editionis libri *de Pecunia Veteri Romanorum, ſeu de Seſtertiis*, Gronovii: qvem, cum primum vidiſſet legiſſetqve Sarravius, plenum bonæ frugis eſſe cenſuit: licet poſtmodum, in Salmaſii gratiam, aliter judicârit. Propterea autem Salmaſius edito illi Operi ſuccenſebat, qvod ſibi partem ablatam qvereretur vaſtiſſimi Operis, qvod *de Re Numaria* veterum moliebatur. Sed, cum de mole illa ne particula qvidem unqvam prodierit: laudandus vel maxime Gronovius ob inſignem fœtum: qvi primo editus eſt Daventriæ 1644. in 8., tum auctior Amſtelodami 1656. in 8., & tandem, tertiis curis è MS. Auctoris auctus, à filio Jacobo Grono-

VVitſio, Theologo Ultrajectino, cum ejusdem Præfatione, Trajecti ad Rhenum A. 1693. in fol. nitide ſunt recuſa. Recenſum illorum exhibent, juſtasque ſimul iis laudes admetiuntur, *Acta Erud. Lipſienſia*, *M. Febr. A.* 1699. p. 63. 64. Eadem felicitate Sam. Bocharti Opera omnia, tum antehac edita (Phaleg ſc. & Canaan, ſive Geographia ſacra, & Hierozoicon), tum hactenus inedita, aut Latine e L. Gall. nunc demum verſa (Diſſertatiuncula ſcil. & Epiſtolæ varii argumenti, circiter quadraginta), una cum Steph. Morini (in Cadomenſi olim Munere Eccleſiaſtico ipſius Collega) Vita Autoris, & Paradiſi Terreſtris ad mentem ejus Recenſione, curantibus eodem Morino, Joh. Leusdenio & Petro de Villamandii, tribus incluſa Voluminibus, & longe, quam antehac, auctiora atque emendatiora, Lugduni Batav. & Ultrajecti lucem tertio An. 1692. aſpexere publicam. V. & de iis *Acta Erud. Lipſ. M. Mart. A.* 1693. p. 97-102.

Gronovio Lugduni Batav. in 4. 1691. Idem Gronovius Pater, ut erat in emendandis bonis Auctoribus accuratiſſimus diligentiſſimusqve; ita more Criticorum ſeorſim qvoqve *Obſervationum libros tres* publicavit Amſtelodami 1639. in 8., & Daventriæ *Monobiblon Obſervatorum in Scriptoribus Eccleſiaſticis*, 1651. in 8. nec non *novum Obſervationum librum* in 12. 1652., in qvibus plurima ſunt ad profanos & Eccleſiaſticos Scriptores eruditè & ingeniosè excogitata: ne qvid dicam de aliis ejus Obſervationibus ſeorſim editis in Statium, & Livium. Librum ejus de Seſtertiis in compendium redegit Joh. Pet. Titius, addiditqve Manuductioni ſuæ ad excerpendum.

13 DESIDERIUS HERALDUS in hunc qvoqve cenſum pertinet, qvi tàm in ſcriptis ſuis adverſus Salmaſium, qvam in *adverſariorum libris, & obſervationibus ad Jus Atticum & Romanum*, aliisqve ſimilibus, non pauca critica erudita continet. Ut & LAURENT. RAMIREZ de PRADO in *Pentecontarcho* ſuo, de qvo libro jam ſupra aliqvid nos dixiſſe meminimus. Sunt qvi Franc. Sanctio, Ramireſii Præceptori librum illum adſcribunt: alii, ut Nicol. Antonius in Bibliotheca Hiſpana annotavit, ejus Sanctii genero, cujus nomen jam non ſuccurrit. Verum Antonius, ipſimet Ramireſio, tot aliis nempe ſcriptis induto, adſcribi debere Pentecontarchum, haudqvaqvam dubitat. LATINI LATINII *Bibliotheca Latina* nihil aliud eſt, qvam Criticarum obſervationum in varios Auctores collectio, juſtis encomiis extollenda; qvippe qvæ præſtantiſſime multa obſervata habet. TANAQVILIS FABRI *Epiſtolæ Criticæ*, duobus voluminibus Salmurii 1659. in 4. excuſæ, huc qvoqve pertinent, qvamvis jam inter Epiſtolographos earundem mentio facta ſit. Variorum enim Auctorum, & imprimis Ovidii atqve Ariſtophanis, loca corrupta emendant, in qvibus ille ſuum ingenium ſatis exercet: nam pleraqve conjecturis ſuis reſtaurare nititur, ingenioſis qvidem, ſed qvæ ſolæ rem non conficiunt absqve MSStorum ope. Guidonis Pancirolli Lectiones Variæ, Ant. Auguſtini Emendationes & Opiniones, Jac. Rævardi Conjecturæ, Scipionis Gentilis Parerga, juridica tractant, ſed qvæ tamen ſubinde in campos optimorum Auctorum excurrunt, ac flores ibi colligunt. JOH. MEURSIUS longe plurima ſcripſit, qvæ ſpectant ad illuſtrationem Græcorum Auctorum, Græcæqve antiqvitatis. Is ipſe ſcripſit etiam *Exercitationes Criticas*, Lugduni Batav. 1599. in 8. editas, qvarum pars prima emendationes in Plautum, altera Miſcellanea continet. Publicavit etiam *Obſervationum librum* GISBERTUS CUPERUS Vir illuſtris, qvi in Senatu Ordinum Belgii Fœderati conſcriptis Patribus annumeratur; atqve ut eſt inuſitatæ prorſus eruditionis, plurima habet ſingularia obſervata. Prodiit liber Ultrajecti 1670. in 8. Novimus aliàs ejus Apotheoſin Homeri, Harpocratem (Notas in Lactantium de Mortibus Perſecutorum) præter profundam omnium antiqvitatum peritiam Criticen exactiſſimam indicantes. Alit præterea Belgium, tot olim illuſtrium ingeniorum mater, Duumviros in arte Critica præſtantiſſimos, Joh. Georg. Grævium, & Jac. Gronovium: qvêis Joh. Clericus etiam addi meret, & qvi haudqvaqvam omittendus, ultimôve locô ponendus fuerat, Marcum Meibomium. Heinſios, Grotios, Douſas, Voſſios, & qvi præterea olim de principatu Critico inter ſeſe certârunt inclutæ Bataviæ filii,

filii, jam commemoravimus, cum de Auctoribus Latinis, eorumqve editionibus, verba faceremus.

ISAACI CASAUBONI etiam mentio tum plus ſemel facta, qvem virum à 14
Joſ. Scaligero doctis omnibus ſui temporis prælatum nemo ignorat: & qvem peritiâ Artis Criticæ paucos ſui ſimiles habuiſſe, invidi etiam æmuli atqve hoſtes fatentur. Sufficiat ejus *Annotationes in Athenæi Dipnoſophiſτῶν libros* commemoraſſe, qvi inſtructiſſimum penus Criticæ eruditionis ſunt; Idem tot aliæ ejus in bonos Auctores notæ abunde teſtatum reddunt. Neqve hic ſunt omittendi HENRICUS atqve HADRIANUS fratres VALESII, qvos tùm Ammianus Marcellinus, tùm notæ in Excerpta, qvæ vocantur, Peireſciana, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores Græci, notis ampliſſimis inſtructi, aliaqve, qvanti fuerint, ſatis declarant. ÆGIDII MENAGII peritiam in re Critica oſtendit luculentiſſimus *in Diogenem Laertium Commentarius*, & liber *de Amœnitatibus Juris Civilis* (d). Verum in omnibus iis recenſendis Auctoribus qvi hûc ſpectant, nimis operoſi eſſe non poſſumus. Neqve tanta eſt hodie illorum ſeges, qvalis ſuperiore ſeculo, aut hoc noſtro ineunte fuit: vergentibus ad barbariem literis, paucisqve ſuperſtitibus, qvi lacertos adverſus ſegnem temporum noſtrorum ignaviam movent.

CAP. II.
DE SCRIPTORIBUS ANTIQVARIIS.

§. 1. *Monita de Antiquitatum Græcarum & Romanarum Scriptoribus generalia.* 2. *Scriptorum Rei Nummariæ, inprimis Ezech. Spanhemii, Commendatio.* 3. *Antiquitatum Græcarum Scriptores, Joh. Phil. Pfeifferus & Joh. Meurſius.* 4. *Antiquitatum Romanarum Scriptores præcipui, Joh. Roſinus, Thom. Dempſterus, Henr. Kippingius, Jac. Maſenius, Pet. Joſ. Cantelius.* 5. *Scriptores varii de Urbe Romana, ejusque Ædificiis, Familiis, Nominibus, Ordinibus & Cryptis Subterraneis.* 6. *Scriptores de Gentilium, inprimis Græcorum & Romanorum, Diis, Religione, Sacris, Sacerdotibus, Feſtis, Templis, Faſtis, Annis, reliquisque temporibus.* 7. *De Græcorum & Romanorum Magiſtratibus, horumque etiam Jure, Legibus, Judiciis & Comitiis.* 8. *De Ritibus Nuptiarum, Puerperii, Dierum Natalium & Funerum.* 9. *De Re Veſtiaria, tàm in genere, quam in ſpecie, Coma item, Annulis, Torquibus, &c.* 10. *De Re Militari, Nautica, Donariis & Strenis.* 11. *De Conviviis & Jure Hoſpitii.* 12. *De Ludis, tùm Scenicis, tùm aliis, ac Certaminibus Gymnaſticis.* 13. *De Poculis, Sellis, Campanis, Tintinnabulis, Vehiculis, Fibulis, aliaque ſupellectile.*

(d) Æg Menagium *in Comm. in Diogenem Laertium* Joh. Jonſii *Libros IV. de Scriptoribus Hiſtoriæ Philoſophicæ*, in *Amoenitatibus Juris Civilis* autem, Lutetiæ An. 1664. in 8vo, editis, Scipionis Gentilis *Libros II. Parergorum ad Pandectas*, ſtrenue compilaſſe Morhofius, *in Prælect. Polyhiſtoricis MSS.* obſervat.

14. *De Suppliciis, Cruce, Statuis & Pictura.* 15. *De Acclamationibus & Plauſu, Triumphis, Archivis, Jurejurando & Auctionibus.* 16. *Scriptores de Antiquitatibus Romanis potiores, à Joh. Georg. Grävio, in Theſauro illarum, junctim recenſiti.*

1 SUbjungimus ANTIQVARIOS *Criticis*, ut qvi inter ſe ſunt qvam maximè cognati: in eâdem enim aurifodinâ utriqve laborant, Græcis ſcilicet & Latinis Auctoribus, & utplurimùm fit, ut, qvi antiqvitates ſcribunt, iidem κριτικὴν in Auctores varios exerceant. Intellectos igitur hîc præcipue Græcarum Latinarumqve antiqvitatum Collectores atqve vindices volumus, cum Septentrionalium populorum antiqvitates proprie huc non ſpectent, utpote qvæ parum ad elegantiam literarum conferunt. Proinde huc pertinent Auctores, qvi primo in genere agunt de variis antiqvitatibus miſcellaneis ſine certo aliqvo ordine, ſeu id ſub Polymathiæ, ſeu ſub Electorum, aliove titulo, factum ſit; Sunt enim illi in hoc genere velut Locorum Communium Scriptores: qvorum etiam tum aliqvam ſylvam dedimus, cum de Locorum Communium Scriptoribus ageremus: qveis accenſeri merito poſſunt Alexandri ab Alexandro Dies Geniales, præſertim cum Andr. Tiraqvelli & Chriſt. Coleri commentariis editi, Francof. 1594., etiam in Batavia recuſi.

2 Multum qvoqve ſtudium Antiqvariorum juvant Inſcriptiones, de qvibus ſupra: nec minus Numiſmata vetera Græca & Romana. Adeo multi vero rem nummariam veterem excoluerunt excoluntqve indies, ut integram conſtituere Bibliothecam poſſint. Eos ſic ſatis diligenter collegit Phil. Labbe in Bibliotheca Nnmmaria, qvæ Bibliothecæ Bibliothecarum annexa eſt: ſed tamen qvamplurimi adhuc, præſertim qvi poſt Labbeum inclaruerunt, addi poſſent, ſi iſtud nunc ageremus. (*e*) Nemo melius uſum numiſmatum declaravit, qvam EZECHIEL SPANHEMIUS, Vir illuſtris, in peculiari Opere *de Præſtantia & Uſu Numiſmatum*, in qvod non Criticarum minus, qvàm aliarum omnis generis obſervationum exqviſitarum, magnum theſaurum congeſſit. Editum eſt illud opus primo Romæ 1664. in 4., & deinde multo auctius, apud Elzevirios Belgas, An. 1671. in 4. Præmiſſa eſt Operi Præfatio de Autoribus omnis generis Numariis, editis atqve ineditis. Batavica Lingua prodiit Joachimi Oudaan Roomſche Moogenheit/ (i. e, Romana Potentia,) qvo in Libro Autor, Vir qvidem non adeo literatus, ſed Hiſtoriæ peritus, & inſtructiſſimo gaviſus Nummophyla-

(*e*) Scriptores Rei Nummariæ, non Alphabetico (quem Labbeus elegit), ſed materiarum Ordine, commode digeſtos, diligenter, additis etiam Judiciis, recenſuerunt Car. Patinus, Studii iſtius noſtro ævo Principibus merito annumeratus, in Introductione ad Hiſtoriam & Cognitionem rei Nummariæ, quæ Gallice Pariſiis A. 1665. Latine autem Amſtelod. A. 1683. in 12. prodiit, iſtique ob Scriptorum hujus generis recentiſſimorum notitiam, jungendus Burch. Gotthilfius Struvius, Acad. Patriæ Jenenſis Bibliothecarius, in Bibliotheca Nummismatica, ante luſtrum circiter unicum Jenæ in 12. publicata.

phylacio, magna cura Hiſtoriam Romanam, ex nummis præcipuè inſtauravit & illuſtravit. Et ſane Nummi interdum plus loqvuntur, qvam ipſi Auctores, & repræſentata in iis picta rerum publice geſtarum, antiqvitatum, hiſtoria rerum harum indagatores mire juvat. Spectant etiam huc gemmæ, annuli & ſimilia, qvæ inſculptas ex antiqvitate imagines varias oſtendunt.

Ceterum, qvi *de Græcis Antiquitatibus* aliqvod ſyſtema ſcriberet, neminem 3
habuimus, anteqvam JOH. PHIL. PFEIFFERUS Regiomonti A. 1689. in 4. libris IV. comprehenſum nobis daret; qvod opus ſtudioſis tironibus inſervire ſatis commode poteſt, pro perfecto autem Græcarum Antiqvitatum corpore neqvaqvam habendum. Eminet alias inter Antiqvitatum illarum Evolutores, qvi per partes rem ſtrenue egerunt, JOH. MEURSIUS, Vir in iſto præſertim eruditionis genere ſummus, & cujus pene extat librorum Bibliotheca. Atticas antiqvitates inprimis ſedulo illuſtravit, ut teſtantur varia ejus ſcripta, de qvibus poſtea in ſpecialibus illis claſſibus videbimus.

Corpus Antiquitatum Romanarum curatum eſt à qvodam JOHANNE ROSI- 4
NO, ſed qvod verius Sceleton appellaveris: namqve omnis auctoris opera in eo verſatur, qvod lacinias Auctorum ſub ſuis qvibusdam titulis congeſſit. (*f*) In illum THOM. DEMPSTERUS, Scotus, *notas* ſcripſit plenas bonæ frugis & doctiſſimas. Sæpe Commentarius ille una cum Roſino prodiit, additis figuris ligno inciſis, Pariſiis, Genevæ atqve Coloniæ Agrippinæ; ſed nitidior editio eſt, qvæ cum figuris æri inciſis lucem aſpexit Lugduni Batavorum. Verum, uti longe plura huic argumento addi poſſent; ita, ſi qvis juſtum Opus vellet conficere, tot conficiendi nunc inſtrumenta haberet, ut, præter laborem & mediocre judicium, non multum reqviratur. Edidit qvoqve HENR. KIPPINGIUS collectanea qvædam Antiqvaria ſub generalibus illis titulis, qvales nobis exhibet Roſinus; labor eſt non omnino inutilis: Occurrunt enim ab illo interdum qvædam notata, qvæ aliis forte in mentem non venerant: editus eſt liber Bremæ 1664. in 8. ſub titulo: *Recenſus Antiquitatum Romanarum novus & methodicus.* *Compendiolum* earundem *Antiquitatum* non inelegans paravit JACOBUS MASENIUS, qvod reperitur in ejus Palæſtra ſtyli Romani hunc in finem ab illo ſcriptum, ut haberent tirones qvaſi uno in conſpectu poſita ſumma illa Antiqvitatum

(*f*) Plenius omnibus hactenus editis Antiquitatum Romanarum Syſtematibus pariter atque Compendiis eſt Grande & Quatripartitum iſtud earum Syntagma, quod Vir Doctiſſimus, Burch. Gotthilffius Struvius molitur, & ob Judicii præterea atque Ordinis ἀκρίβειαν commendandum. Liber Primus de Ritibus & Antiquitatibus Sacris, cum præmiſſa Bibliotheca Antiquitatum Romanarum Hiſtorico-Critica eleganti Jenæ, A. 1701. in 4to jam prodiit. Sequentur hunc, uti ſperamus propediem, & non minorem Eruditorum reportabunt Applauſum, tres reliqui de Antiquitatibus Civilibus, Militaribus & Oeconomicis. Poſt Laborem iſtum abſolutum, ſe Antiquitates etiam Veteris Eccleſiæ Chriſtianæ Sacras, nec non Ægyptiacas, Longobardicas, aliarumque Gentium Barbararum, Methodo ſimili, propoſiturum & illuſtraturum pollicetur.

Romanarum capita. Cui tamen rei longe melius adhuc inſervit *Compendium* aliud, à doctiſſimo Jeſuita Gallo, PETRO JOSEPHO CANTELIO, compoſitum, alteraqve vice editum Ultrajecti 1688. in 12., qvod de Romana Republica inſcribitur, & civiles æqve ac militares ejusdem res, non minus ſtudio accurato, qvam concinno ordine, exhibet,

5 Qvodſi vero ſpeciatim de certis Antiqvariorum claſſibus agi deceat, ponendi ſunt primo loco *Autores, qui de urbe Roma, ejus amplitudine, ædificiis, &c.* ſcripſerunt. Habemus vero non paucos hîc, qvi iſtud argumentum tractârunt. Sunt Juſti Lipſii Admiranda urbis Romæ, ante qvæ tamen & Itali fuere, qvi viam huic operi ſtraverunt. Eſt Alex. Donati Roma Vetus & Nova; liber doctus & olim rariſſimus, editus Romæ 1639. in 4., ſed poſtmodum in Batavia bis recuſus. Eſt Georg. Fabricii Roma, Baſil. 1587. in 8. edita, Joh. Barthol. Marliani Topographia urbis Romæ, cum præmiſſis obſervationibus de prænomine, nomine & cognomine, Romæ 1544. & Baſil. 1550. publicata, atqve illuſtrata Iconibus in fol. Juſti Rycqvii liber de Capitolio Romano, qvi primum Gandavi in 4. 1617. prodiit; tum & à Gaesbergio A. 1669. in 12. Lugduni Batav. eſt recuſus. Italicè idem argumentum tractavit Lucius Faunus, edito libro delle Antichita della Cita di Roma Venet. 1558. in 8. Fauno jungendi ſunt Pyrrhus Ligorius, Lucas Maurus, Ul. Aldrovandus & Vincent Scamozzus, omnes Itali, & in deſcribendis ſermone vernaculo Romanis antiqvitatibus occupati. Andr. Marianus Bononiæ in 8vo edidit de Ruinis urbis Romæ Epigrammata A. 1641., qvibus ut titulus habet miranda Urbis cognoſcuntur, Sacra viſitantur, Nova & Vetera Elogiis recenſentur. Sed parum ea in ipſis Ruderibus ob oculos ponendis laborant, licet non ſpernendæ illis inſint argutiæ Epigrammaticæ. Pet. Angelus Bargeus de publicorum & privatorum urbis Romæ ædificiorum Everſoribus. Iconiſmos ædificiorum veterum elegantes dedit Ægidius Sadeler, ſculptor Cæſareus, libro Italice ſcripto, ſub titulo: Veſtigi della Antichita di Roma, Pragæ 1606. fol. Jac. Laurus ſcripſit de Antiqvo Urbis ſplendore librum, qvi prodiit Romæ 1612. in 4. Andr. Fulvius de eodem argumento librum edidit, cum annotationibus Hier. Ferruccii editum, Venet. 1588. in 8. *De Familiis* Romanorum velut per lancem ſaturam & lexicon egit Joh. Glandorpius, in Onomaſtico Hiſtoriæ Rom. Francof. fol. An. 1569. edito, qvi liber rudimentum tantum operi juſto præbet, & multis modis augeri poſſet: & auxit illum ſane poſtea Fulg. Urſinus ſingulari libro de Familiis Romanorum, cui Anton. Auguſtini ſimile plane Opus de XXX. familiis Romanorum adjunctum eſt, Romæ 1577. in 4. Uti vero è numis veteribus inprimis iſta familiarum Romanarum hiſtoria hauſta eſt; ita auxit illam, recognitam prius à ſe atqve reſtitutam, Carol. Patinus Pariſ. 1663. fol. *De nominibus* Romanorum Franc. Robortellus librum ſcripſit Florent. 1548., & alium Onuphrius Panvinius Venet. 1558., cui & *de ludis* Romanorum *ſecularibus* librum debemus: uti Robortello *de Victu & Vita* Populi Romani Pariſ. 1565. Generalia qvædam ad *Ordines* reipublicæ Romanæ & familias ſpectantia tractavit Pet. Servius, in Juvenilibus Feriis, ſeu Antiqvitatum Romanarum Miſcellaneis Romæ 1640. in 8. editis

tis. Romanorum officiales ſub Imperatoribus in peculiari & diffuſo libro deſcripſit Jac. Gutherius, qvem de Officiis domus Auguſtæ inſcripſit Pariſ. 1628. in 4. eſtqve is liber haud ita pridem Lipſiæ recuſus. Roma ſubterranea, ſeu ſtructuræ & cryptæ Veterum Chriſtianorum ſubterraneæ, cum iconibus repræſentatæ ſunt ab Ant. Boſio Romæ 1632. Librum hunc, in Latinam linguam converſum, notis poſtmodum illuſtravit, ediditqve duobus tomis in fol., Paulus Aringhus Romæ 1651. magnificum opus, &, qvod hiſtoriam Eccleſiaſticam attinet, commendandum: multa enim in illis notis habentur, ad hoc argumentum ſpectantia: In Epitomen poſtea redactus eſt liber à qvodam Arnoldo Lubecenſi, ſub titulo: Unterirdiſches Rom. Amſtel. in 12.

Veniamus nunc ad Auctores, qvi *de Græcis Latinisque antiquitatibus particulatim* egere: & primo hîc compareant libri, qvi *de Diis & religione gentilium* agunt. Voſſius in libris ſuis de Idololatria hîc omne punctum ferat: de qvibus alibi à nobis abunde dictum. Diu ante illum de Diis Syntagmata aliqvot publicavit Lil. Gregor. Gyraldus, varia eruditione, ut ſunt omnia ejus viri, refertiſſima. Subtilius de Idololatria gentilium philoſophatus eſt, & errorum origines indagavit, libro peculiari eam in rem ſcripto, Eduardus Herbertus, Baro de Cherbury, Amſtelod. 1663. in 4. Verum ille tam inter Antiqvitatum Scriptores, qvam inter philoſophos, commemorandus eſt. Syſtema Theologiæ Gentilis adornavit Tob. Pfannerus. [De Idololatriæ Origine & progreſſu nuperrime Anton. van Dalen librum edidit lectu digniſſimum, Amſtel. 1696. in 4.] Joh. Frieder. Hervvartus *Admiranda Theologiæ Ethnicæ myſteria*, ut titulus habet, in lucem emiſit Ingolſtadii 1623. in 4., qvo in libro demonſtrare laborat magnetem lapidem antiqviſſimis populis pro Deo eſſe cultum: qvam ſententiam ſuam ut ſtabiliat, pleraqve Orientalium, Græcorum, Ægyptiorumqve, ſacra huic argumento applicat, mirificis interpretationibus, ut facile eſt ingenioſis hominibus in interpretamentis ſuarum delitiarum. Reineſius illum qvodam in loco ingenioſe ridiculum vocat. *De Sacris, Sacrificiis & Sacerdotibus*, ſunt qvi ſingularibus libris egerunt. Hoc in argumento commendari meret Guilielmi du Choul, Conſiliarii regii, liber de Religione veterum Romanorum, Lugduni in fol. lingua Gallica excuſus, ubi & Italice & Hiſpanice prodiit. De Sacris & Sacrificiis Joh. Guil. Stuckius librum in fol. edidit Tiguri (nuper in Belgio, cum Antiqvitatibus Convivalibus, reliqvisqve Stuckianis Operibus recuſum), in qvo multa ſunt parum accuratè & confusè tradita. De eodem argumento peculiari libro Jenæ 1659. in 8. edito egit Joh. Saubertus. De vaſis, qvæ ad Deorum ſacrificia, & eorum ceremonias pertinent, ſcripſit Lil. Gyraldus. De Veſta & Veſtalibus ſpeciatim Lipſius ſcripſit. De Cereris Eleuſiniæ Sacris apud Græcos Joh. Meurſius in Eleuſinia Lugd. Bat. 1619. qvi & de feſto gemino Minervæ in Panathenæa & de feſtis Græcorum in Græcia Feriata egit: edidit qvoqve de Feſtis Græcorum ſingularem librum Pet. Caſtellanus, ſed infra Meurſium eſt. Saturnalia Lipſius expoſuit libro peculiari. De *Templis* & ædificiis publicis ſcripſerunt non tam generatim qvam ſpeciatim nonnulli, ut de Capitolio Juſtus Rycqvius, de qvo dictum. Petrus Bartholdus peculiarem librum de Ara ſcripſit: Joh. 6

Bapt. Bellus de Partibus templi auguralis, Toloſæ 1607. in 8., Joſeph. Maria Suareſius de foraminibus lapidum in priſcis ædificiis diatriben: Lugduni 1642. in 8. Nicol. Alemanni Diſſ. de Parietinis Lateranenſibus, Romæ 1626. in 4to. De *Faſtis* Romanorum è veteribus Ovidius ſupereſt, in qvem extat Commentarius Caroli Neapolis, ſub titulo: Anaptyxis ad Ovidii Faſtos: Antwerpiæ 1639. editus, & Erycii Puteani ſapiens officinam. Cujus Puteani de Nundinis Romanorum Libellus exiguus Lovanii An. 1646. in 12mo prodiit. De *annis*, menſibus, diebus & horis veterum librum, cum Calendario Græco Romano, edidit Lilius Gyraldus. Multo autem præſtantius Romanum calendarium illud eſt, qvod Ægid. Bucherius Antwerpiæ A. 1633. in fol. publici juris fecit, poſtqvam jam A. 1600. Amſtelodami Sibrandus Siccama Calendarium faſtorum ex veteribus monumentis, marmoribus, nummismatibus aliisqve antiqvitatum fragmentis, auctum atqve emendatum dediſſet. De Veterum Romanorum Anno Seculari ſeu jubilæo, ejusqve per ſeculares celebritate, eorumqve chronologia, ſcripſit Pet. Taffinus, liber editus eſt Tornaci Nerviorum 1641. in 4. ut & Juſtus Rycqvius, cujus liber prodiit Antwerp. in 8. A. 1625.

7. *De Magiſtratu, Comitiis, Legibus, Judiciis, Romanorum* varii ſunt Auctores. Extat Wolffg. Lazii commentarius Reip. Romanæ, in qvo multa de iis: ut & in Pet. Fabri Semeſtribus. Scripſit & Franc. Hottomannus de Magiſtratu Romano, item M. Anton. Majoragius: nec non Paulus Manutius de Senatu Romano & de Legibus: Nic. Gruchius de Comitiis Pariſiis A. 1555. in folio, adverſus qvem Carolus Sigonius tres Sententiarum libros ſcripſit: is ipſe, qvi antea de antiqvo jure civium Rom. de Jure Italiæ; nec non de Jure Provinciarum: ut & de lege curiata magiſtratuum & Imperatorum, & de ejus jure: de judiciis jurisprudentiæ Romanæ; de Conſulibus, Dictatoribus & Cenſoribus, ſigillatim libros plures ediderat. Andr. Alciatus de Magiſtratibus civilibus & militaribus Romanorum ſcripſit, edita ſimul Notitia utriusqve Imperii: Guido Pancirollus de Magiſtratibus Municipalibus: & ipſe Editor Notitiæ Imperii. Pertinet qvoqve huc Jac. Gutheri Notitia Domus Auguſtæ: Jul. Cæſ. Bulengeri de Imperatore & Imperio Romano, ut & de vectigalibus reliqvisqve dignitatibus ac officiis Lugd. 1618. in fol. De Senatu Romano Car. Sigonius, (*g*) ſub ficto Joh.

(*g*) Liber de Senatu Romano, ſub Joh. Sarii Zamoſcii nomine aliquoties editus, Carolo Sigonio recte *h. l.* vindicatur. Non tamen fictum, uti Morhofius crediſſe videtur, Nomen eſt Joh. Sarii Zamoſcii. Eſt enim is Heros hujus nominis, Arte pariter atque Marte Seculo XVI. famam adeptus immortalem, Regni Polonici Cancellarius & Archiſtrategus, aliis quoque monumentis Literariis, & Academia Zamoſciana, ſuis ſumptibus erecta, de Patria & Orbe Literato optime meritus. Liber hic (quem Sim. Staravolſcius, in *Centuria Scriptorum Polonorum*, *num.* 19. ipſi tribuit, Henr. Ernſtius autem, *Lib.* 2. *Obſervatt. Var. c.* 36. & Joh. Rhodius, *in Catalogo Autorum Suppoſitiorum, cum Vinc. Placii Notis edito*, *num.* 19. Sigonio, ejus, cum in Italia ſtudiorum gratia verſatur, Præceptori, aſſeruerunt) non videtur mihi per ipſum Magiſtro plagio turpi eſſe ſubreptus, ſed a Sigonio potius Diſcipulo huic generoſo benevole, ut famæ

Joh. Sarii Zamoſcii nomine, librum ſcripſit editum Venet. 1563. in 4, & recuſum Argentor. 1608. in 8., cui editioni additus etiam eſt Joach. Perionii de Græcorum & Romanorum Magiſtratibus liber: ubi conferuntur utriusqve gentis magiſtratus ac utriusqve etiam parallelismus oſtenditur: adjectus præterea Wilh. Poſſardi liber de Athenienſium Magiſtratibus, eorumqve cum Romanis, Gallis, Venetis, Turcis, comparatione. Sed *de Atticis Magiſtratibus* accuratius libris aliqvot egit Joh. Meurſius, uno Regnum Atticum, altero Archontes, tertio Senatum Areopagiticum pertractans. Habebat in animo Cl. Salmaſius ingens Opus de Officiis domus Auguſtæ, teſte Laur. Craſſo in Elogiis T. II. p. 211, ſed nihil dedit, niſi, qvod ſparſim, in notis ad Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ, illud argumentum attigit. De Comitiis egit P. Manutius ſingulari libro, edito Bononiæ 1580. in fol.

De nuptiis, earumque ritibus Andr. Tiraqvellus, Barn. Briſſonius, Franc. Hotomannus, Albericus Gentilis, & alii, tractatus peculiares conſcripſere. De Coronis nuptialibus qvædam collegit Joh. Joach. Maderus, maximam tamen partem è Car. Paſchalii libro de Coronis excerpta, qvi recuſus eſt Lugduni Batav. 1671. in 8. De *Puerperio* Joh: Meurſius ſcripſit: de cujus ritibus vaſtum qvoqve librum parabat olim Thomas Bartholinus incendio abſumptum. Ejus Synopſin miſit ad filium Caſparem, in eodem argumento occupatnm: qvippe cujus extat expoſitio Veteris in puerperio ritus, ex Arca ſepulchrali antiqva deſumpti: qvæ edita eſt Romæ 1677. in 8. Referendus hic qvoqve Cenſorinus de *Die natali*, de qvo ſupra: & Martini de Roa liber de Natali ſacro & profano. Exſtat & Joach. Hildebrandi de Natalitiis Chriſtianorum Libellus. De *ritibus Funerum* Thomas Porcachius, homo Italus, vernaculo ſermone ſcripſit, ſed pauca, & non magnæ rei, Venet. 1574. 4. Scripſit dehinc Claud. Guichardus Gallicâ linguâ librum de Funeribus Romanorum, Græcorum, aliarumqve gentium. Lugduni Gall. 1581. in 4. Utrumqve præceſſerat Lil. Greg. Gyraldus, de Sepulchris & vario ſepeliendi ritu ſcribens Baſ. 1539. in 8., qvem cum Animadverſionibus ſuis recudi fecit Helmſtadii Joh. Faes A. 1676. in 4. Præceſſerat & Onuphrii Panvinii liber de ritu ſepeliendi. Joh. Meurſii de funeribus Romanorum liber Hagæ Com. An. 1604. in 8. prodiit: & anno ſeqvente 1605. Hamburgi luculentius de eodem argumento opus Jo. Kirchmanni. De Funeribus Chriſtianorum Jac. Gretſerus, Scheckgius, & J. Andr. Qvenſtädius egerunt.

De Veſtitu multi ſunt Variorum Commentarii. Primus, qvi eam materiam pertractavit, eſt Lazarus Bayſius: ſed pauca ſunt, qvæ ſcripſit, & admodum imperfecta. Poſtea Octavius Ferrarius libros tres de Re Veſtiaria edidit Patavii 1642. in 8vo, & qvatuor alios ibidem in 4. 1654., Opus profecto doctiſſimum, & qvod argumentum hoc haud vulgariter illuſtrat. Idem poſtea continuavit Albertus Rubenius, qvi ſup- plet

mæ illius velificaretur, tranſcriptus. Quo pacto Scholia etiam ſua in Orationes Ciceronis & Comm. in Or. de Lege Agraria, ſub Bernh. Lauredani, Commentarium autem in Epiſtolas ejusdem Familiares, ſub Hier. Ragazonii, utriusque Auditoris ſui, Nominibus prodire, A. 1558. & 1555. eſt paſſus. V. Rhodium & Placcium, *loco cit. num.* 19. 20. 21.

plet & emendat Ferrarium, addiditqve nonnulla de lato clavo, & veſtibus laticlaviis. Antwerp. An. 1665. in 4. Verum indigne id ferente Ferrario, qvi ſe à Rubenio ſubinde ſtringi non paſſus, Analecta de Re Veſtiaria illi oppoſuit Patavii An. 1676., qvæ & 1685. denuo ibidem recuſa ſunt, in qvibus Rubenium ſatis acriter caſtigat. Jam ante hos Claud. Salmaſius rem veſtiariam erat explicando aggreſſus, in ſuis notis ad Tertullianum de Pallio: promiſitqve tum ampliſſimos de omni hoc argumento Commentarios, qvibus ſe inſudare haud raro in Epiſtolis memorat. Verum, etſi adverſus Kerkoetium, i. e. Dion. Petavium, ſuas has in Tertullianum notas, ſub Franc. Franci nomine, etiam circa rem veſtiariam, defenderit Salmaſius, Commentarios tamen illos non publicavit. Abſolvit attamen, & eorum etiam proxime edendorum ſpem Orbi literato fecit Divionenſis ſenator, Jo. Bapt. Lantinus, cui Salmaſianum de Homonymis Hyles Iatricæ Commentarium, Plinianis Exercitationibus, in Belgio editis, adjunctum, in acceptis ferimus. [Interea, cum Salmaſius penitiore rei nummariæ notitia fuerit deſtitutus, è qva tamen qvamplurima ad rem veſtiariam hauriri potuiſſent alias non obſervata, nihil ab eo perfectum ſperat Vir Illuſtris, Ez. Spanhemius, Epiſtola III. ad Morellium p. 189., qvi & propterea laudabilem Ferrarii Rubeniiqve induſtriam magis attigiſſe celebre argumentum, qvam pertractaſſe, judicat: & priorem inprimis Latinis magis literis, qvam Græcis, accurate doctum, tum à tractatione veteris hujus ampliſſimæ, minimeqve antea obviæ ſuppellectilis, ſi vulgares nummos, eosqve jam tum editos, excipias, imparatum, ait in id argumentum incubuiſſe.] Separatim de *Calceo* Bened. Balduinus ſcripſit, cujus librum recudi fecit Amſtelodami Andr. Friſius, addiditqve Jul. Nigronum de caligis. De *Perſonis* & Larvis, earumqve apud Veteres Uſu & Origine Ageſilaus Mareſcottus Librum Romæ A. 1639. in 8vo publicavit, qvi rariſſimus eſt. De *Pileo*, ceteriſqve capitis tegminibus, tam ſacris qvam profanis, Anſelmus Solerius librum ſingularem ſcripſit, Lugduni editum A. 1655. in 4., qvi poſtmodum in 12. Amſtelodami recuſus A. 1662. prodiit, addito vero Autoris nomine Theophili Raynaudi, qvi ſub Anſ. Solerio delituerat. De pileo etiam egit ſingulari Diſſertatione Henricus Thomas Chiffletius, qvæ Lugduni An. 1665. in 4. edita eſt. Orationem de eodem argumento elegantem habuit Ant. Matthæus, JCtus celebris. De *Capillamentis* Conr. Tyburt. Rango ſingularem librum ſcripſit, Magdeb. A. 1662. in 12. editum. De *Coma* Hadrianus Junius & Cl. Salmaſius, de Barba Ant. Hotomannus egit. De *Pænula* Bartolus Bartholinus & Joh. Bapt. Donius. De *Toga*, tunica & tibiis veterum ſcripſit Aldus. De *Annulis* Fort. Licetus; poſtea Joh. Kirchmannus de eodem argumento: & multo latius, cum iconibus annulorum, Abr. Gorlæus in Dactyliotheca, Amſtelod. 1650. publici juris facta: [& nuper aucta explicationibus Jac. Gronovii Lugd. Bat. 1695. in 4.] Egit qvoqve de Annulis Salmaſius in libro adverſus Heraldum ſcripto, de Teſtamentis ſubſcribendis. De Annulis Signatoriis Georg. Longi prodiit Opuſculum. De *Torquibus* aureis extat elegans Syntagma Joh. Schefferi, qvod additum eſt Edmundi Figrelii libro de Statuis Romanorum, Upſaliæ An. 1656. edito in 8. De *Armillis* veterum librum ſcripſit Thom. Bartholinus.

De

De Militia Romana ſingularem librum Juſtus Lipſius ſcripſit, cui & Poliocreticon ejusdem addi ſolet: in qvo multa de Machinis & Inſtrumentis militaribus habet, ſecutusqve eſt, ut ſupra dictum, non ſine plagii crimine Franc. Patricium. De militia Eqveſtri antiqva & nova librum peculiarem Antwerpiæ An. 163?. in fol. edidit Hermannus Hugo. De Militia Romana multa etiam præclara annotârunt Henr. Savilius: &, qvi plurima ſe nova reperiſſe plane perſuaſus erat, Claud. Salmaſius libro eam in rem, juſſu Principis Auriaci, ſcripto, qvem Latine Georg. Hornius Lugd. Bat. An. 1657. edidit. Gallicos autem longe fuſiores Commentarios, prout à Salmaſio ſcripti ſunt, idem, qvi Opus de Re Veſtiaria poſſidet, Lantinus habet, ejusqve Scripti nobis aliqvando potiundi ſpem fecit. Commentatores Æliani, Vegetii, Frontini, aliorumqve, ſupra jam memoratos, ſtudio nunc prætermus. De Scutis Signisqve militaribus non Romanorum ſolum, ſed & aliarum gentium, egerunt Henr. Speelmannus in Aſpidologia ſua, & Nicol. Uptonus de ſtudio militari, qvi libri Londini ſimul editi ſunt in fol. An. 1654. De ſtudio militari, ejusqve ritibus & legibus, prolixe egit Gabr. Naudæus integro libro Romæ A. 1637. in 4. Exſtant & Rob. Valturii libri XII. de Re Militari, Veronæ A. 1472. & Pariſiis apud Andr. Wechelum A. 1532., in fol. editi. De *militia navali* Joh. Schefferus, ante annos complures, Upſaliæ An. 1654. in 4. librum ediderat, qvem altero tanto auctiorem dudum edidiſſet, ſi per typographi moras licuiſſet: miſerat enim ad Elzevirium. Sed interim prodiit vaſtus liber Belgica lingua de Navium Architectura ſcriptus Auctore Witſenio, in qvo multa deprehendiſſe ſibi viſus fuit Schefferus, è Schedis ſuis deprompta, ut ipſe in literis ad me conqverebatur. (*h*) De *Donariis* & votivis tabellis veterum Jac. Phil. Thomaſius ſingulari libro egit, Utini An. 1639., & poſtmodum Patavii qvoqve 1654. in lucem emiſſo, qvem Joh. Rhodio Colomeſius in Opuſculis Literariis vindicat. Pertinet qvoqve huc materia de *Strenis*, de qvibus Theod. Marcilius qvædam ſcripſit (*i*). Integrum hu-

(*h*) Nicol. VVitſenius, quem Joh. Schefferus Plagii *h. l.* Interprete Morhofio, inſimulavit, Conſul eſt Reip. Amſtelodamenſis, hodienum, niſi fallor, ſuperſtes, & accuratiore Geographiæ, aliarumque Matheſeos partium, peritia inclytus. Opus ejus de Architectura Nautica Belgice, Amſtelodami An. 1671, in fol. ſub hoc, prodiit, titulo: Aulânde en Hedendaegſche Scheepsbouw en beſtier: Waer in wijtloopigh werd verhandelt de wijſe von Scheepstimmeren bey Grincken en Romeynen / Scheepsöffeningen / Striiden / Júcht / Straffe / Wetten en Gewoonten: Beneffens evenmatige Grootheden van ſcheepen onſes tiidts / ontleet en alle hare deelen: Verſchill van bouwen tuſchen uytheemiſchen en onſen Landaert: Indiſch en Rûſch Vaertúrgh / Galeybouw / hedendaeghſche Scheepsplichten: Verriickt met een reep verklaerde Amanans ſpreckwoorden en Benamingen. V. Corn. à Beüghem *Bibliogr. Mathem. p* 458.

(*i*) In *Prælect. Polyhiſtoricis MSS c* 15. Morhofius, inter Scriptores de Strenis, commendat, præter Marcilium, Joh. Strauchii, JCti Celebris, *Diſſ. de Votorum Oblatione & Calendis Januariis.* In Mart. Lipenii, Conrectoris Lubecenſis, *Strenarum Civilium integra, à prima origine, per diverſas Regum, Conſulum & Imperatorum Romano-*

jus argumenti Commentarium de Re Donatica veterum promiſit Valer. Chimentellius, cujus Synopſin adjecit libro ſuo de Sellis veterum, addito Gloſſario omnium Donaticorum, qvæ habentur apud veteres.

11 *De Conviviis* extat Joh. Guil. Stuckii liber, cui titulus: Antiqvitates Convivales, in qvo multa non recte, aut non ſuo loco, poſita. Eryci Puteani Reliqviæ convivii priſci Mediolani 1598. in 4. excuſæ; & Joh. Manelphi liber, cui titulus: Menſa Romana: Romæ 1650. in 4. editus. De Triclinio Romano eruditiſſimum Tractatum ſcripſit Fulv. Urſinus, cui Petrus Ciacconus viam monſtravit, qvippe cujus extat peculiaris qvoqve liber de Triclinio, 8. editus Romæ, una cum Urſini labore (qvem hic nonniſi Appendicis loco ad Ciacconium eſſe voluit) 1588. poſtmodum plus ſemel apud Batavos recuſus. Scripſit qvoqve de Conviviis Jul. Cæſ. Bulengerus, Lugduni 1624. in 8. Pertinet qvoqve huc Jac. Phil. Thomaſini liber de Teſſera hoſpitalitatis & *jure hoſpitii*, qvem, primo Utini in 4. 1647. editum, Andr. Friſius Amſtelodami 1670. in 12. recudit.

12 *De ludis*, prout varia illorum genera ſunt, multi ſcripſere. De Theatro & ludis Scenicis in genere egit Bulengerus libro, Tricaſſibus A. 1603. in 8. edito, ſed privatos tantum eo labore ac domeſticos ludos exſecutus eſt, non publicos. Idem tamen & de Circo, ludisqve Circenſibus, qvi publici ſane erant, peculiarem tractatum compoſuit; de qvibus itidem ſcripſit On. Panvinius. De Gladiatoribus & Amphitheatro Romano egit Juſtus Lipſius anteqvam Petrus Faber (qvi Plagii Lipſium poſtulavit, Vid. Thomas. de Plagio, §. 487. & ſeq.) libros Ἀγωνιςικῶν ſcripſerat. Editus eſt liber Lipſii Lugduni Batav. 1592. De *arte Gymnaſtica* ſpeciatim Hier. Mercurius ſcripſit Venet. 1573, qvem librum, curis novis interpolatum, editurum ſe promiſerat aliqvando Andr. Friſius, &, ſi recte memini, dedit. De *Alea* Veterum Car. Paſchalius & Andr. Senftlebius egerunt. De *Saltationibus* legendus eſt Joh. Meurſius in Orcheſtra ſua, qvæ edita eſt Lugduni Batav. 1618. in 4. Scripſit idem de Græcis ludis tractatum, ſub titulo Græciæ Ludibundæ, ibid. 1622. in 8vo.

13 *De Inſtrumentis* Romanorum, & ſuppellectile varia, multi egerunt. De Vaſculis & Poculis Lazarus Bayfius, ſed modice tantum rem eam tangit, & hunc poculorum fundum non exhaurit: longe enim plura de eo ſcribere poterat. Extat & Nicol. Guyberti de Murrhinis poculis Diſſertatio, Francofurti edita 1579. in 8. De Sellis veterum extat Diſſertatio Valerii Chimentellii, addita Marmori Piſano de Honore Biſellii; Bononiæ, in 4. 1666. De *Campanis* ac *tintinnabulis* Commentarium Angelus Rocha in

manorum, nec non Epiſcoporum, ætates, ad noſtra usque tempora deducta, quæ Lipſiæ A. 1670. in 4to prodiit, *multa* judicat *miſceri, quæ commode poterant omitti, multa quoque inepte cumulari.* *Diſſertationem* tandem Joh. Gothardi Böckelii Philologicam *de Novo Anno, ejusque Ritibus*, Roſtochii A. 1663. in 4to editam, ſibi vindicat, e Prælectionibus quippe ſuis privatis ab illo, iſtarum Auditore, hauſtam.

in lucem emiſit Romæ 1612. in 4. Scripſit & Hier. Magius eo de argumento librum, ſed plane extemporalem, qvod nec ipſe diffitetur: prodiit fœtus Autoris poſthumus, cum notis Franc. Sweertii, Hanoviæ 1608. in 8., & Amſtelodami apud Andr. Friſium in 12. 1664. eſt recuſus. Eſt & Henr. Arnoldus Stockfleth, qvi de campanarum uſu apud veteres aliqva collegit, & edidit Altorfii A. 1665. in 12. De *Curribus* & Re vehicularia abſolutum & plane perfectum Commentarium, duobus libris conſtantem, adornavit Joh. Schefferus; qvi, una cum Pyrrhi Ligorii de eodem argumento fragmento, Francofurti in 4. 1671. prodiit. Valentinus Paſchalius, Utinenſis, de Curru carmen aliqvod facetum compoſuit, cum notis, in qvibus habentur Antiqvaria qvædam, ad rem vehiculariam ſpectantia. Carmen autem in eos ſcriptum eſt, qvi curru tum in rei familiaris, tum in ſalutis jacturam, abutuntur, eosqve potius pedibus, qvam curru, ire jubet: impreſſum eſt Bracciani 1637. in 4. De hoc Paſchalio videndus Erythræus Pinacoth. l. imag. imag. 142. Non viderat hunc librum Schefferus, primum à me monitus. De varia Veterum Romanorum ſuppellectile, è terra effoſſa prope Noviomagum, agit in Antiqvitatibus Noviomagenſibus (Amſt. 1645. in 4to.) Joh. Smetius, copioſiorem qvoqve de iisdem Tractatum promittens; ſed, qvi lucem, qvantum memini, non vidit. Multa in Smetio præter alia de *fibulis* veterum Romanorum, qvod argumentum qvatenus uſum præſtat in re Medica exſecutus eſt Joh. Rhodius libro de Acia, qvem edidit Thom. Bartholinus Haffniæ in 4. A. 1672., qvi & libellum ejusdem Rhodii de Ponderibus & menſuris Medicis adjunxit.

De ſupplicii; & torturis extat Ant. Gallonii tractatus, in Batavis recuſus, uti & Bourdelotii de eodem argumento. De *Cruce* Juſtus Lipſius ſcripſit, cui additamenta qvædam ſubjunxere Georg. Calixtus, Thom. Bartholinus & Claud. Salmaſius. Edidit & Jac. Gretſerus ampliſſimum de Cruce Opus, qvod in fol. & in 4. Ingolſtadiæ, multoties excuſum eſt. De *Statuis* & ſtatuariis Edmundi Figrelii, Viri doctiſſimi, extat liber, Holmiæ A. 1656. in 8. excuſus, de qvo paulo ante dictum, cum Schefferi de torqvibus librum commemoraremus. Fuit FIGRELIUS Regis Sueciæ, Caroli XI., præceptor, & ex Upſalienſi Profeſſore Regius Conſiliarius, ſub nomine Greiffenhelmii notus. De Pictura plaſtica & ſtatuaria librum ſcripſit Jul. Cæſ. Bulengerus, Lugduni 1637. editum. De *Pictura* veterum Opus inſigne ſcripſit, ediditqve jam olim Amſtelodami An. 1637. Franc. Junius in 4. qvô tantopere plauſum Virorum doctorum temporis illius meruit, ut in Anglicum Belgicumqve ſermonem converteretur. Reſtat vero adhuc aliud ejus de Pictoribus celebribus Opus, cujus tum una ſpem fecit. [Neqve paſſus eſt diutius illo orbem litteratum carere Clar. J. G. Grævius: ſed cum catalogum pictorum, ſtatuariorum, cælatorum, tornatorum, aliorumqve artificum, à doctiſſimo Junio confectum, apud aliqvem propinqvorum ejus latere ſciret; & præterea ipſum de Pictura Opus, ampliſſimis additamentis ubiqve auctum, ibidem ſervari didiciſſet; impetratum utrumqve Opus conjunctim edidit, &, ut nil qvicqvam ſplendori ejusdem debito parceretur, curam geſſit, Roterodami 1694. fol.] Iconiſmos antiqvarum ſtatuarum collegit Joh. Bapt. Cavalerius Romæ 1569. & 1583. Principia artis Pi- 14

ctoriæ, è Veteribus Auctoribus tradidit Joh. Schefferus, in Graphice, Noribergæ 1669. in 8. edita.

15 Variæ præterea ſunt ſingulares materiæ, qvæ ad certa capita reduci commode non poſſunt, ſed de qvibus tamen ſpeciatim nonnulli egerunt. Sic de veterum *acclamationibus* & *plauſu* libros VII. ſcripſit Franc. Bernardinus Ferrarius, Mediolani 1628. editos in 4. De *Triumphis* Onuphr. Panvinius Commentarium, ex veterum lapidum monumentis, compoſuit ediditqve Venet. 1571. in fol., qvi Antwerpiæ A. 1596., & Helmſtadii etiam cura Joh. Joach. Maderi recuſus eſt, qvi ſuas notas addidit. Exſtant & Franc. Modii Pandectæ Triumphales, qvibus varios Iconiſmos repræſentat Triumphorum. De *Archivis* librum compoſuit Balth. Bonifacius, Venet. 1632. in 4. editum, & Helmſtadii Maderi cura, in Syntagmate Scriptorum variorum de Bibliothecis atqve Archivis, A. 1666. recuſum. De *Jurejurando* Veterum peculiari tractatu egit Joh. Bapt. Hanſenius Toloſæ 1614. edito in 4. De *Origine*, *ratione* ac *ſolennibus Auctionum* Junius Rabirius ſcripſit Pariſ. 1554. in 4.

16 Atqve hæc per lancem ſaturam de Antiqvariis Scriptoribus dicta ſufficiant, [qvorum magnam partem, nempe præcipuos, qvi Antiqvitates Romanas illuſtrarunt, collegit nuperrimè, in vaſto non minus ac præclaro Antiqvitatum Romanarum Theſauro, celeberrimus Joh. Georg. Grævius, (*k*) unoqve corpore longe ſplendidiſſimo junctos publico dedit, cum alias ægre hic illic ſolummodo pars offenderetur.] Occurrunt qvidem adhuc alia minutiora, ſed qvæ omnia perſeqvi noſtri inſtituti ratio non permittit. Præſtantiora tamen, & qvæ ſcire inprimis intereſt, indicavimus. Procedimus nunc ad Rhetores atqve Oratores.

(*k*) Joh. Georgii Grävii Diligentiam in Scriptoribus Antiquitatum Romanarum colligendis, junctimque in iſtarum *Theſauro*, Vaſto Opere, Decem, ni fallor, Tomis Trajecti ad Rhenum, ab A. 1695 ad 1700. in fol. edito, publicandis, laudabilem feliciter æmulatus Jac. Gronovius, ſimilem Græcarum Antiquitatum Theſaurum A. 1697. Lugd. Bat. in fol. cœpit edere, cujus Volumina tria priora Virorum Illuſtrium Icones & alias Græcarum Antiquitatum reliquias, in Metallo Lapidibusve olim expreſſas, æri nunc inciſas, & Obſervationibus eruditis illuſtratas, exhibent; Quartum autem, A. 1699. Juris factum publici, Libros Antiquariorum Græcorum de variis hujus generis argumentis Selectiores quamplurimos ſtudioſe ſiſtit congeſtos, & eleganter nitideque recuſos. Autores, in Opere Utroque denuo evulgatos, enumerare non vacat, præſertim cum Ephemerides pleræque Eruditorum Recentiores, locis diverſis, in Recenſu illorum jam fuerint occupatæ.

FINIS LIBRI QVINTI.

(o)

Po-

POLYHISTORIS LITERARII
LIB. VI.
ORATORIUS.

CAP. I.
DE SCRIPTORIBUS RHETORICIS.

§. 1. *Rhetorica Grammaticæ & Critices Cognitionem prærequirit.* 2. *Scriptores ejus Græci, Princeps ſcil. omnium Ariſtoteles, ejusque Commentatores.* 3. *Demetrius Phalereus ὁ ψευδώνυμος, ejusque Exegetæ, quibus alii de Periodis Scriptores adduntur.* 4. *Dionyſius Halicarnaſſeus.* 5. *Hermogenes, variique ejus Commentatores.* 6. *Dionyſius Longinus Caſſius, ejusque Editores, Interpretes & Illuſtratores.* 7. *Rhetores alii Græci, ab Aldo Manutio & Leone Allatio junctim editi.* (*Additur Monitum de Sophiſtis in genere.*) 8. *Aphthonius, Theon., & Ulpianus, Demoſthenis Explanator.* 9. *Rhetores Antiqui Latini, Cicero ſc., Quintilianus, & complures alii, junctim à Pet. Pithœo editi.* 10. *Scriptores Rhetorici Recentiores, Ant. ſc. Lullus.* 11. *Franc. Robortellus.* 12. *Franc. Patricius & Thom. Campanella, Novatores, Paulus Benius.* 13. *Joh. Sturmius.* 14. *Melch. Junius.* 15. *Aug. Buchnerus.* 16. *Valent. Thilo.* 17. *Lud. Creſollius, Nicol. Cauſinus, Jac. Maſenius, Alb. de Albertis, Franc. Vavaſſor, omnes Jeſuitæ.* 18. *Franc. Pomey, Janus Cæcil. Frey, Mich. Radau, Novatores, & Eloquentiæ (de qua ſimul fertur h. l. judicium) Extemporaneæ Magiſtri: Sigism. Lauxmin & Jac. Hugues, Jeſuitæ.* 19. *Georg. Trapezuntius.* 20. *Joh. Lud. Vives.* 21. *Er. Roterodamus, Edm. Richerius, Jac. Omphalius, Joh. Benzius, Nicol. Suſius, Joh. Schefferus, Jovita Rapicius, Jac. Lud. Strebæus.* 22. *Gerh. Joh. Voſſius, Rhetorum modernorum Princeps.* 23. *Pet. Joh. Nunneſius, cui adduntur Epithetorum, Adverbiorum, Synonymorum & Antithetorum, Collectores (Seb. Figulus, Hub. Suſannæus, Steph. Ubelius & Aug. Gambarella.)* 24. *Wolfg. Schönslederus.* 25. *Joh. Tesmarus, M. Z. Boxbornius & Chr. Schraderus, Diſpoſitt. Oratoriarum Scriptores.* 26. *Melch.*

de la Cerda & Joh. Matth. Mayfartus, quorum Collectanea Oratoria obelo notantur. 27. *Joh. Clarckius & Car. Pajot, Rhapſodi ineptientes.* 28. *Car. Sigonius.* 29. *Seb. Maccius, & Aug. Maſcardus, Stili Hiſtorici Cenſores.* 30. *Leo Allatius, qui de Erroribus magnorum Virorum in dicendo ſcripſit, exploſus.* 31. *Rhetores è Gallis Vernaculi, Ren. Rapinus,* Dom. *Bouhourſius, & aliquot Anonymi.* 32. *Rhetores Germaniæ Vernaculi, Chriſt. Weiſius & Rud. Sadelerus.*

1 EX qvo de *Grammaticis Criticisque* Scriptoribus, &, qvos his annexuimus, *Antiquariis*, actum à nobis eſt, nihil magis concinnum, qvam ut ad RHETORES nunc vel ORATORES progrediamur; videlicet qvorum ars, ſi velit eſſe alicujus momenti, Grammaticen Criticenqve haud dubie præreqvirit: qvum ſine judicio, & Antiqvitatum cognitione, infelix plane Orator ſit, nedum Grammatices ſcientia deſtitutus eum in cenſum venire ullo modo qveat. Contra ſubactus probe iis artibus animus magno ſe in Oratoria arte adjumento eſſe levatum, longeqve felicius, qvam ſi careret, progredi poſſe ſentiet.

2 Ut autem communis omnis ſapientiæ Artiumqve omnium fons è Græcia arceſſendus eſt; ita ſane Eloqventiæ flumen haudqvaqvam ex alia regione profluit: ſed inde potius hauſiſſe ſua Latinos magnos etiam & incomparabiles Oratores cernimus, atqve eâ undâ totos prolui ſeſe paſſos, qvotqvot uſpiam clari Rhetores extiterunt. Sed vero inter Græcos etiam Rhetores late regnum tenet optimus maximusqve eloqventiæ magiſter, ARISTOTELES, qvô Virô nemo plenius, in iſta brevitate, ſubtiliusqve artem Oratoriam tradit, qvam exigua trium librorum mole fere omnem exhauſtam cernas: exceptâ ſolum figurarum doctrinâ, qvæ ab ipſo non eſt exculta; neqve Characterum diverſitas, in qvibus ceteri poſt Ariſtotelem præclaram operam poſuerunt. Extat vero in Rhetoricos illius libros integra *Commentatorum* ſylva, qvos Iſraël Spachius, in Nomenclatore Scriptorum Philoſophicorum, recenſet. Græcorum veterum *ἀνωνύμων* Volumen Pariſ. 1539. in fol. publicavit Conr. Neobarius. E recentioribus M. Ant. Majoragius, Ant. Riccobonus, Pet. Victorius, ceteris meliores ſunt; & præſertim præſtat poſtremus, Florent, 1579. apud Juntas in fol. excuſus: ſed, ſi uſum ſpectes, omnibus antecellit Chriſtoph. Schraderus, Profeſſor Helmſtadienſis, cujus extat Commentarius in Ariſtotelis Rhetorica uberrimus Helmſtadii 1674. in 4. editus. Solet alias objici Ariſtoteli aridum dicendi genus, & qvod nihil minus qvam eloqventiam præ ſe ferat. Attamen, & eloqventem illum fuiſſe, & male tantum ab interpretibus acceptum, defendit Leon. Aretinus Epiſt. lib. IV. p. 177.

3 Proximus ab Ariſtotele Rhetor, cujus ſcripta noſtram ætatem attigerunt, eſt DEMETRIUS PHALEREUS, ſi modo genuinus ille Auctor libri *περὶ ἑρμηνείας*, *de Interpretatione*, ſeu, ut alii vertunt de Elocutione, qvem, ſub Demetrii nomine, primus edidit Aldus Venet. Græcè in fol. An. 1508., & qvem non ſolum Fred. Morellus Pariſ. 1555. in 8. recudit, ſed & qvem ſuis Commentationibus illuſtrandum ſumſere Viri doctiſſimi, Petrus Victorius Florent. A. 1562., Staniſlaus Ilovius. Baſil. 1557., Franc. Panica-

Panicarola, paraphraſi Italice ſcripta, cui titulus: *Il Predicatore, overo Parafraſe all libro dell' Elocutione di Demetrio Falereo:* Venet. 1609. Joh. Caſelius, aliiqve. Panicarola etiam inprimis in eo occupatus eſt, ut præcepta Demetrii ad ſacram Elocutionem applicet. Sed tamen non deſunt interim rationes, qvæ falſo adſcribi Demetrio illum librum perſuadeant: qvas inter inprimis eminet illa, qvod Auctor libri Demetrii teſtimonio in tertia perſona utatur. Ob hanc, & alias, Nic. Cauſinus, in libro de Elocutione, Demetrio fœtum illum abjudicat. Et, qvanqvam Gaddius, T. I. de Scriptoribus Non-Eccleſ. p. 155., affirmativam adverſus Cauſinum tueatur: male tamen id fieri, perperamqve tribui Demetrio librum, qvi Dionyſii Halicarnaſſei ſit, Iſ. Voſſius de Poëmatum cantu p. 91. monet. Ceterum extant præterea qvædam opuſcula Demetrii, qvibus præcepta continentur de membris & inciſis: de periodo ejusqve partibus: de componendis Epiſtolis, & de Characteribus dicendi: qvæ Latine apud Rob. Winter in 4., ex interpretatione M. Antonii Antimachi, Baſileæ edita ſunt: &, ob egregie monſtratam periodorum rationem, legi omnino debent. Jungi iis poſſunt, ob vicinitatem materiæ, è recentioribus Strebæus de Electione verborum; Jovianus Rapita, Brixianus de Numero Oratorio: Sigism. Lauxmin in Praxi Oratoria: Joh. Sturmius & Val. Erythræus de Periodis: Paſcutius de dignitate, copia, pedibus in oratione ſervandis: Joach. Fortius de formis dicendi & periodis: &c. ſed de qvibus paulo fuſius infra.

Is vero DIONYSIUS HALICARNASSÆUS, cui librum περὶ ἑρμηνείας, Demetrio male adſcriptum, deberi paulo ante è Voſſio monebamus, aliis qvoqve ſcriptis editis de Rhetorice præclare meruit. Proſtat enim *Ars* ejus *Rhetorica* de compoſitione orationis, elocutione, præceptis orationis panegyricæ, nuptialis, natalitiæ, &c. qvam Græce primus excudit Aldus Venet. 1508. Latine poſtmodum tranſtulit M. Anton. Antimachus, & Baſil. 1539. in 4. publicavit. Extat ejus de Compoſitione Orationis liber ſcriptus ad Ruffum, editusqve Græce, una cum Arte Rhetorica Pariſ. 1547. apud Rob. Stephanum nitidiſſimè. Extant *Judicia de priſcis Oratoribus, eorumque Characteribus*, qvi liber eruditione multa & judicio inprimis refertus eſt, ſeparatim editus Venetiis An. 1513. apud Aldum. Pertinet qvoqve huc libellus περὶ συνθέσεως ὀνομάτων, de *nominum collocatione*, Argentorati à Joh. Sturmio, in ejus libello de Periodis publici juris factus. Ut adeo non hiſtorici minus, qvam clariſſimi Rhetoris Criticiqve, nomen doctiſſimis lucubrationibus ſibi paraverit Dionyſius. 4

Sed tamen ſuperatur in Rhetorice tractanda, à duobus aliis, qvos poſterior ætas tulit, HERMOGENE, qvi Marci Aurelii tempore clarus erat, & LONGINO, qvem, Zenobiæ in pretio habitum, interemit Aurelianus: uterqve inter Rhetores magnum nomen. Et prior qvidem ille plus valuit adoleſcens juvenisqve, qvàm vir aut ſenex: qvippe qvi anno ætatis 15. tanto cum applauſu docuit, ut Marcum qvoqve Aurelium Imp. ad ſe audiendum acciret, haberetqve admiratorem: contra vero, 24. natus annos, omnem illam ingenii præcocis vim, miro naturæ deliqvio absqve morbi ullius vi, amiſit penitus, & ſibimet ipſi diſſimillimus vulgaribus è plebe hominibus poſthac ac- 5

cenſitus eſt: non ſine ſalſo Adverſariorum ſcommate, qvi Hermogenem *inter pueros ſenem, & inter ſenes puerum*, dictitabant: prout è Philoſtrato refert Suidas. Decimo octavo autem ætatis anno libros illos ſcripſit, qvi & tunc probati omnibus unâ conſenſione ſunt, & hodie ſuperſtites inter præcipua artis Rhetoricæ κειμήλια numerantur. Suntqve illi; *liber de Statibus: de Inventione libri IV: & liber de Ideis:* qvos primus Græce Aldus edidit Venet. An. 1508., tum Wechelus Pariſ. 1530. in 4. Exin latinè vertit, ſed ineptiſſimè & infeliciſſimè (Conr. Geſnero in Bibliotheca annotante) Anton. Bonfinius, publiciqve juris fecit Lugduni in 8. A. 1538. apud Gryphium. Longe felicius vero, & vertit Hermogenem Latinè, & Scholiis doctis illuſtravit Joh. Sturmius Argent. 1570. in 8., eo ipſo anno, qvo Franc. Portus Herennium Græce ſolum, cum ſcholiis Græcis, ediderat Genevæ recenſitum à ſe. Poſt hos tandem novis Hermogenem commentariis illuſtravit, emiſitqve Græco-Latinum, Genevæ 1614. in 8. Gaſp. Laurentius. E vetuſtioribus ſuperſunt qvoqve tres in Hermogenem Commentatores, Syrianus, Sopater & Marcellinus, qvos, in Corpore Rhetorum veterum XII. Græcorum, Venetiis 1508. in fol. excudit Aldus. Hermogenis de Ideis libros tantopere laudat æſtimatqve Andr. Schottus; ut & methodum ejus Ariſtotelea ac Tulliana longe cenſeat ſubtiliorem, putetqve, & olim fuiſſe paucos, & eſſe hodie, inter tot admiratores Hermogenis, ejusdem imitatores. *Præter Dionyſium enim Halicarnaſſeum* (ait) *in Rhetoricas, & Ulpianum, Græcum Demoſthenis explanatorem, quotus eam quisque hoc ſeculo tractat? Trapezuntii olim talem Rhetoricum cum ſtupore vidit Italia; duos fortaſſe Germania numeravit, Sturmium & Erythræum: Gallia Jul. Scaligerum libris de Poëtica: Hiſpania unum literis cognitum laudare poteſt, Pet. Nuneſium, Rhetorem ac Philoſophum, editis Rhetoricorum libris IV., Hermogenis quidem præceptionibus & Aphthonii & Theonis; ſed Tullianis exemplis.* Hæc ille in Prolegom. ad Photium, qvem, Hermogenis methodo, ubiqve Auctoribus ſuam κρίσιν addidiſſe obſervat.

6 Etſi vero ita celebre Hermogenis nomen ſit, cedit illud tamen DIONYSIO LONGINO CASSIO, cujus plane aureolus περὶ ὕψους, *de Sublimitate*, Commentarius ingens doctis omnibus deſiderium excitavit reliqvarum Viri in eloqventia & Philoſophia incomparabilis lucubrationum, qvæ perierunt. Erat ille Malchi Porphyrii præceptor; & Zenobiæ, Orientis Reginæ à conſiliis, & in ſtudio Græcæ linguæ magiſter: qvem, qvod ſuperioris Epiſtolæ, à Zenobia ad Aurelianum Imp. ſcriptæ, Auctor præcipuus ſuo conſilio extitiſſet, occidi imperavit Cæſar gravi omnibus, ut Vopiſcus refert, ſupplicio. Libellum, qvem laudavimus, non minus accurata ſublimitatis in oratione præcepta maximo lectorum bono ſuppeditantem, qvàm ſublimi ſcriptione conditum ipſummet, primus è tenebris eruit, atqve Græce evulgavit cum notulis, Baſileæ 1554. in 4. Franc. Robortellus, mox Anno ſeqvente Venetiis recuſum. Inde A. 1569. recenſuit librum, ſcholiisqve Græcis illuſtravit Genevæ in 8. Franc. Portus. Latinam ejus verſionem ſuſcepêre qvidem in ſe, promiſeruntqve, M. Ant. Muretus in Commentario ad Catullum: & Andr. Dudithius, cujus verſionem Latinam Hermogenis Longini περὶ ἑρμηνείας (ita enim non ſatis accurate conjungit), inter impreſſa Dudithii opera, recenſet

ſet

ſet Clar. Teiſſierius, Addit. ad Elogia Thuan. T. II. p. 133., ſed rectius tamen puto Tanaq. Fabrum, tum Mureti, tum Dudithii, verſiones ſufflaminatas, vel fato, vel alia cauſa, credere. Fueritqve adeo primus, qvi Longinum in ſermonem Latinum haud infeliciter convertit, Gabriel à Petra, atqve ſic Græco-Latinum Genevæ 1612. in 8., notis ſuis inſtructum, edidit. Fuere qvidem, præter illum, neſcio qvis Paganus, aliusqve Pizimentius, Latini interpretes Longini: qvorum verſiones etiam Verſioni Petræ, & Græco textui, junxit, ſuisqve ſimul Auctorem prælectionibus illuſtrare conatus eſt, Carolus Maloneſius, Bononiæ 1644. in 4. Enimvero adeo infelices interpretes illos judicavit Gallus interpres Boilearius, ut ne nominare qvidem ſuſtineat, ſcilicet, ne plus gratiarum reddere videretur incolis, qvam merebantur. Et Tanaqvil. Faber itidem, in Latio atqve Græcia plane hoſpites illos atqve peregrinos judicans, totam editionem Bononienſem temnit, dignitate, ut ait, omnium poſtremam. Ipſeqve adeo potius apparavit novam cum verſione Petræ, & caſtigationibus notisqve ſuis, Salmurii in 12. 1663. Promiſit etiam notas uberiores: ſed qvas fato præventus non dedit. [Splendidiſſima vero eſt & emendatiſſima Longini Editio, qvam Jac. Tollio debemus, poſt omnes Virorum doctorum, qvi præceſſere, curas, è qvinqve MSS. codicibus eximie emendata, & notis illuſtrata eruditiſſimis uberrimisqve. Ac, ne qvid elegantiæ deesſet, adjuncta qvoqve eſt nitidiſſima Gallica verſio celeb. Boileavii, antea Pariſiis duplici vice, cum ejusdem Andr. Dacerii notis, evulgata, ſed & ipſa nunc novis notis Gallicis aucta à Tollio. Prodiit liber Ultrajecti 1694. in 4. maj.] Ceterum, qvantopere præclariſſima illa de ſublimitate præcepta inſerviant Oratori, dici vix poteſt: neqve id profano ſolum, ſed & ſacro, ſi qvis ea commode applicare qveat: ut adeo libellus, ob eximium plane uſum, omnibus commendandus, omniumqve terendus manibus ſit. Solet à nonnullis qværi, cur de eodem argumento ſcribentes, Longinus atqve Hermogenes, idem tamen tam diverſa & à ſe diſſentiente ratione tractaverint? cui qvæſtioni Faber ita commodiſſime reſponderi poſſe putat, ſi dicatur, μέγεθος Orationis, de qvo Hermogenes, & ὕψος, de qvo Longinus, omnino à ſe invicem differre. Vid. ejus præfatio lectu digniſſima, qvam Longino præmiſit.

Præter hos vero, qvos diximus, Græcos Rhetores, ſunt & alii adhuc, qvorum 7
labores ad noſtram usqve ætatem pervenerunt, & qvos, prioribus (ſi Longinum excipias) junctos, uno corpore & typographiâ ſuâ Aldus An. 1508. in fol., 2. voluminibus, Venetiis editis, complexus eſt. Videlicet Ariſtides de Civili Oratione, περὶ λόγου πολιτικοῦ, qvi μελέταις Sophiſtarum, i. e. Scholaſticis declamationibus opponebatur, & cujus ingens Lexicon ἀνωνύμου Photius recenſet Biblioth. cod. 148. Apſini de Arte Rhetorica præcepta. Sopatri Qvæſtiones de componendis declamationibus. Alexandri Sophiſtæ de figuris ſenſus & dictionis liber. Menandri diviſio cauſarum in genere demonſtrativo: atqve Cyrus ſophiſta de ſtatuum differentiis. Aliam collectionem, ſeu, ut ipſe vocat, *Excerpta varia Sophiſtarum & Rhetorum*, Græce & Latine Leo Allatius Romæ 1641. in 8. publicavit. Verum hi omnes, qvanqvam ſuâ laude privandi non ſint, ad priorum tamen illorum gloriam haud qvaqvam aſcendunt. Erat

qvidem laudabile Sophiſtarum, i. e. Rhetorum ævi recentioris, ſtudium in colenda & perpolienda, cui inprimis ſtudebant, orationis ſuavitate & concinnitate periodorum ac veluti qvadam modulatione. Sed id ipſum, dum in eo nimii eſſent, κακοζήλους effecit, & nimia figurarum affectataqve freqventia ridiculos & elumbes: qvod vitium cum jam olim multos tenuerit, haud injuria etiam à Longino & Qvintiliano notatum eſt. E recentioribus vero nemo melius id explicuit Ludovico Creſollio, qvi, in Theatro Rhetorum A. 1620. in 8vo. Pariſiis edito, & progreſſus in illo cultu orationis, & vitiorum hiſtoriam, habet.

8 Inſerta qvoqve conſpiciuntur Corpori Rhetorum Aldino, qvod diximus, APHTHONII Sophiſtæ *progymnaſmata*, ſeu Exercitamenta qvædam orationis, qvibus tirones ſolent exerceri. Liber utilis, ſed cujus non omnia eloqventiæ ſtudioſo ſunt neceſſaria: cum multa habeat ad ſophiſticas tantum declamationes excogitata: qvibus repudiatis ea tantum ſervari ad imitationem par eſt, qvæ juſtæ orationi inſervire poſſunt. Vid. de iisdem Schefferus in Gymnaſio Styli, qvi de his progymnaſmatum ſpeciebus utilia multa annotavit. *Commentati* vero in Aphthonium ſunt varii: qvos recenſet Spachius in Nomenclatore. *Editus* eſt cum notis à Joh. Maria Cataneo, Baſil. apud Frobenium in 4. A. 1521., à Joach. Camerario Lipſiæ 1570. in 8., & ab aliis, qvos hîc commemorare non vacat. Additur iis aliqvando THEON Sophiſta, ipſe etiam Progymnaſmatum Auctor, à Joh. Scheffero etiam, una cum Aphthonio, Upſaliæ A. 1670. in 8vo. Græco Latine editus, & Notis illuſtratus brevioribus. Addi tandem & Rhetoribus Græcis meret ULPIANUS, Græcus Demoſthenis explanator, cum qvo & in Aldina & Baſileenſibus Editionibus Græcis, aut Græco-Latinis, edi conſuevit.

9 Inter Latinos Rhetores ſummus eloqventiæ Magiſter, CICERO, principatum tenet. Noti ſunt ejus *libri Rhetorici*, in qvos multi multorum Commentarii ſunt, ut jam ſupra dictum, & è Spachio luculentius liqvet: Sebaſt. Corradus, Claud. Minos, Joh. Sturmius, Melch. Junius, præferri ceteris debent. E Ciceronis præceptis fuſioribus Compendium elegans extruxit Guilh. Mechovius, cui titulum dedit *Tulliolæ*, Cellis 1678. in 8. Poſt Ciceronem Qvintilianus eſt, cujus *Inſtitutiones Oratoriæ* liberiores ſunt, qvàm ipſiusmet Ciceronis ſcripta. Sane, non poteſt qvis ſolidum de oratione ferre judicium, niſi etiam Qvintilianum perlegerit, cujus ſunt de qvacunqve dictione & charactere, & omni orationis parte, præcepta utiliſſima. Sed de illo æqve ac de Cicerone ſupra diximus: Succedunt Qvintiliano *Rhetores* illi *antiqui*, qvos uno Volumine collegit Pet. Pithæus, editos in 4. Pariſ. 1599. Illa enim Editio auctior multo eſt pleniorqve, qvam qvæ prodiit Baſileæ An. 1521. in 4. Sed ſunt tamen alii adhuc plures Veterum Rhetorum, qvi vel ſeorſim prodierunt, vel MSti adhuc in bibliothecis deliteſcunt. Edidit bis Leo Allatius Collectiones duas Rhetorum & Sophiſtarum antiqvorum, qvorum fragmenta ſervavit, & latine vertit. Nos vero, miſſis nunc veteribus, ad recentiores ſparſim enumerandos progredimur.

10 Occurrit inter hos primus ANTONIUS LULLUS, Balearis: à Raymundo Lullio, extemporaneæ iſtius loqvacitatis intempeſtivo doctore, ut nemo non videt, plane

plane alius. Scripſit *de oratione libros VII.*, qvibus non ſolum Hermogenes ipſe totus, verum etiam qvicqvid fere à reliqvis Græcis & Latinis de arte dicendi traditum eſt, explicatur. Magna cura ſcriptus liber eſt, qvem adhibuit ſæpe Voſſius in concinnandis ſuis inſtitutionibus Oratoriis, ſæpe etiam refutavit. Editus eſt Baſileæ in fol. A. 1558. Extant alias ejusdem *de Excercitatione Grammatica* liber, aliusqve *Progymnaſmata Rhetorica* tradens.

Eodem tempore clarus erat Rhetor Patavii FRANC. ROBORTELLUS, cujus 11
beneficio extractum primo è tenebris Longinum nos debere ſupra indicabamus, Vir doctiſſimus, & eloqventia imprimis inſignis. Scripſit varia ad Rhetoricen ſpectantia *de Rhetorica facultate* librum, Florentiæ editum A. 1548., ut & alium *de artificio orationis*; in qvo præcipue figurarum doctrina ad fontes & capita ſua revocatur, & differentia oratoriæ & Poeticæ dictionis oſtenditur. Inſtituit & Catalogum figurarum omnium, ex omnibus Auctoribus Græcis & Latinis, & ad generales qvasdam diviſiones reduxit, ſecundum animi vel conceptus, vel motus. Memorabile eſt, qvod de hoc Viro Joh. Imperialis refert in Muſeo Hiſtorico: eum, qvum facundiâ longe plurimum valeret, ac ſæpiſſimè publicis in ſolennibus peroraſſet, infelici tamen conatu Carolum V. Imperatorem defunctum oratione panegyrica laudare conatum vix Exordium abſolviſſe, cum memoria ipſum deſtituerit, ut recitandæ Orationi par amplius plane non eſſet. Accuſant in illo aliqvi ſuperbiam, nimiumqve in exercendis adverſus pares aut ſuperiores inimicitiis faſtum, qvo Sigonium, Egnatium, Muretum, Manutium, H. Stephanum, aliosqve contemptim habere, & ludibrio aliorum pro viribus exponere, veritus non ſit. Verum hæc non obſtant, qvo minus Rhetor ingenioſiſſimus dici haberiqve jure potuerit.

Qvemadmodum vero Robortellus Veterum, qvos magno ſtudio ſectabatur, 12
placitis, & in arte Rhetorica præceptis, ubivis inſiſtere ſolebat: ita aliâ plane viâ inceſſit eruditiſſimus Italorum, FRANC. PATRITIUS, cujus Viri multa fuêre circa ſingulas fere diſciplinas nova. Neqve vero contentus in Philoſophia innovaſſe omni, in Rhetorice inſuper & Poëſi nova multa dedit. Prodierunt Italica lingua ejus *decem Dialogi della Rhetorica*, Venet. 1560. in 4. Sed qvænam præcipuè illa ſua ſcriptione intenderit, dicere neqveo, cum librum ipſum nunqvam viderim. Addi vero meret Patritio THOM. CAMPANELLA, qvi æqve ut in aliis rebus omnibus, ita & in Rhetorica, mirus novator eſt; prout è *Rhetoricis* ejus liqvet, qvæ una cum *Dialecticis & Poëticis* ſuis edidit Pariſ. 1638. in 8. Neqve tamen eſt hujus loci, recenſere omnes Viri paradoxologias. Ceterum eâdem in Patavina Academia, in qva Patritius per annos aliqvot publicum philoſophiæ doctorem egit, Eloqventiam è prima ſede, per annos 24. profeſſus eſt PAULUS BENIUS, Eugubinus: cujus extant *Oratoriæ Diſputationes* ſeu Rhetoricæ controverſiæ, in qvibus cùm Veterum multorum, tùm inprimis etiam Ariſtotelis, præcepta explanantur, & cum Platone Ciceroneqve conferuntur. Prodierunt Venet. 1624. in fol.

E Germanis de Rhetorice nemo melius meruit JOHANNE STURMIO, qvem 13

Virum qvanti in eloqventiâ æſtimârit, & qvantopere aliis antetulerit, Andr. Schottus paulo ante monitum. Et fuit ſane in oratoria facultate ſummus, ſuoqve tempore communis fere ſcholarum per Germaniam moderator: cujus proinde longe plurimi ſunt ad id ſtudium libelli: de informanda juventute, de informatione Principum & nobilium: Epiſtolæ claſſicæ: liber de reſolvendæ linguæ Latinæ ratione (Argent. 1581. in 8.) In partitiones oratorias Ciceronis Dialogos duos compoſuit Argentorati, 1539. in 8. editas, una cum libro de anima dicendi ratione, & qvomodo ea recuperari poſſit. Liber ejus de Periodis, cum Scholiis Valentini Erythræi, editus eſt ibid. 1567. in 8. Liber de imitatione prodiit A. 1576. Hi omnes in pretio habendi, iisqve jungendi plures alii, qvos qvi nanciſci omnes poterit, non parum Eloqventiæ ſtudium augebit.

14 E Sturmii ſchola prodiit MELCHIOR JUNIUS, orationis qvidem facultate Sturmio inferior, ſed præceptis, ac artificio dicendi, non poſtponendus. Diligentiâ enim ſuâ ſuperavit magiſtri induſtriam; & tironibus eam ob cauſam aptior eſt, qvod ad minutias ſe demittat, ad qvas ſe Sturmius non demittit. Exſtat ejus *Eloquentiæ comparandæ methodus*, Argentorati 1591. in 8. excuſus liber, qvo multa tradidit utiliſſima ad facultatem oratoriam ſibi parandam, qvæ ſubſidio eſſe poſſunt, ſi qvis exercere vires ſuas velit. Exſtant *Scholæ* ejus *Rhetoricæ* de contexendarum Epiſtolarum ratione: utiliſſimus profecto liber, qvi Ciceronis Epiſtolas, ſecundum omnia genera epiſtolarum, & ſingulorum generum argumenta, diſpoſuit, adjecta ſemper imitatione. Recuſus eſt ille liber, cum Commentario Phil. Horſtii, Jenæ in 8., & ſub *Epiſtolographiæ* titulo editus. Scripta inſuper eſt à Junio Reſolutio Orationum Ciceronis, ſecundum cauſarum genera, orationum partes & materias; unde præclara poſſunt haberi orationis amplificandæ ſubſidia, qvacunqve in parte Orationis aut cujuscunqve generis verſemur: nam Enthymemata, in ſingulis à Cicerone adhibita, diligenter notavit, qvorum uſus inſignis eſſe poteſt, ſi qvis in ſimili argumento occupetur. Adjectus eſt index utiliſſimus, ubi ὡς ἐν τύπῳ proponitur omnium Orationum atqve argumentorum ſumma & idea; Argentorat. 1594. in 8. Nec prætereundus hic ille Junii liber utiliſſimus, qvem pro inveniendis argumentis Ethicis & Patheticis ſcripſit, & ſub titulo: *Animorum conciliandorum ac movendorum rationis* in lucem emiſit Montisbelgardi 1596. in 8. ubi ſingula illa capita tàm morum, qvàm affectuum, ab Ariſtotele propoſita, exemplis, non tantum è Cicerone, ſed & è Græcis Auctoribus, illuſtrat: atqve adeo egregiè inſervit eloqventiæ, ſive ſacræ, ſive humanæ, ſtudioſis: qvibus & aliis rebus multis eſſe commodo qvæſivit: Collectione brevium orationum Politicarum, qvas ex hiſtoricis, tàm Græcis, qvàm Latinis, collegit, præfixa ſemper diſpoſitione Rhetorica: congeſtione Epiſtolarum: editione Orationum, ſub ejus directione Argentorati habitarum, qvarum integri aliqvot tomi proſtant, & in qvibus occurrunt pene omnia, qvæ ſub argumentum orationis venire poſſunt. Tam diligens erat ille Vir, & in profeſſione ſua ornanda profecto, ſi qvis alius, ſollicitus.

16 Non minor illo, niſi ætate, ſed eruditione etiam multo major Wittebergenſis

Eloqventiæ Profeſſor, AUGUSTUS BUCHNERUS, Orator atqve Philologus celeberrimus, librum *de commutata ratione dicendi* ſcripſit Rhetoricum: in qvo multa habentur egregia de figuris orationis: pleriſqve tamen Grammaticis, cum Rhetoricas nonniſi parcius attingat. Prodiit ille libellus Witteb. 1665. in 12. Et poſt mortem Buchneri editæ qvoqve ſunt Epiſtolæ ejus & Orationes, qvæ non ſolum ſtyli Ciceroniani flumen, ſed & artis ſublimitatem, abunde docent.

Non idem judicium de VALENT. THILONE ferri poteſt, Rhetore potius, qvam Oratore laudabili: cujus libri in argumento Rhetorico ſcripti non tamen usqve adeo ſperni merent. Extant ejus *Exercitia Oratoria*, per omnia cauſarum genera: in 8. Regiomonti 1645. excuſa, *Curtius Orator*; qvo tum reſolvit Orationes Curtianas, tum, qvomodo amplificari poſſint, oſtendit: *Pathologia*, affectuum movendorum rationem exponens, una cum exemplis, eorumqve ideis: *Topologia Oratoria*, ſeu praxis locorum Dialecticorum in Oratoriis, præceptis, exemplis atqve ideis illuſtrata: *Rudimenta Rhetorica* de periodis, amplificatione & connexione: Qvæ omnia partim Regiomonti, partim Amſtelodami, prodierunt, & è mediocrium claſſe ſunt. 16

Ceterum, ut in omni ſcientiarum genere, ita & in Rhetoricis, gnavos ſe Jeſuitarum aliqvi præſtiterunt, & eximie profuerunt publico. De LUDOV. CRESOLLIO dictum jam eſt, cum Theatrum ejus Rhetorum allegaremus, atqve, ut non ſatis laudari poſſit iſte labor, narratum. Scripſit ille præterea *Vacationes Autumnales de perfecta Oratoris actione & pronuntiatione*, libris III. Pariſ. 1620. in 4. editas, in qvibus, è Scriptorum elegantium monumentis, geſtuum & vocum rationes pulcherrima copia & varietate explicantur, & vitia in agendo notantur. Opus plenum varia doctrina, qvodqve artem illam, qvam Veteres *Hiſtrionicam* vocabant (ad hanc enim pertinebat formare vocem & geſtum Oratoris, teſte Ariſtotele,) luculente atqve copioſiſſime exponit. Alius ex eodem Ordine, NICOLAUS CAUSINUS, *de Eloquentia ſacra & humana libros XVI.* compoſuit, Pariſ. 1643. in 4. editos, in qvibus præ ceteris magna cura diverſitas Characterum explicatur: allatis uberrime exemplis, tùm ipſorummet Characterum, tùm vitii in qvovis ſtylo. Eſt tamen ad uſum accommodatior JACOBI MASENII, Jeſuitæ, *Palæſtra Oratoria*, Coloniæ primo 1659. evulgata; in qva primum progymnaſmata Eloqventiæ, hinc Exercitationes Rhetorum propriæ, ad lectionem ſimul & imitationem diſtribuuntur: adjicitur Reſolutio & artificium Tullianarum Orationum. Scripſit & idem *Palæſtram ſtyli Romani*, Coloniæ eod. A. 1659. editam, in qva & genera ſtyli perſeqvitur & Characteres, omniaqve diligentiſſimè, propoſitis ſemper exemplis, illuſtrat: addito in fine antiqvitatum Romanarum Compendio. Maſenio ordinatius diſtinctiusqve procedit, adeoqve illi me judice præferendus eſt, MARTINUS du CYGNE, in cujus *Explanatione Rhetorica* omnium Ciceronis Orationum habetur Analyſis ſecundum partes, Enthymemata, Periodos, & figuras, cum notis ad ſingulas Orationes, earumqve Characteres. Excuſus eſt Coloniæ An. 1670. in 8. liber ille, omnium in hoc genere optimus. Huic ſubjungimus ALBERTUM de ALBERTIS, Jeſuitam alium, cui debemus *Theſaurum Eloquentiæ Sacræ & Profanæ*, per actionem 17

contra ejusdem corruptores, olim Mediolani 1639., poſtmodum Coloniæ 1669. in 12., typis publicis exſcriptum. Auctor præcipue invehitur in argutulos illos frigidosqve affectatores, qvi ſpecie acuminum & ſententiarum præpoſtere phaleratam orationem faciunt. Proponitur autem res omnis non methodo qvadam didactica, ſed ſingulari qvadam atqve inſolita: ut mihi qvidem videatur ipſe Auctor Eloqventia ad notanda ejusdem Vitia abuti. Occaſione vero hujus incidit nomen FRANC. VAVASSORIS, qvi, ut erat ipſe etiam ex Ordine Jeſuitarum, bonisqve literis apprime tinctus, ita inſolitum tale, & nudius tertius introductum, dicendi genus ferre non potuit. Scripſit ille inter alia de *Ludicra Dictione* elegantiſſimum librum, ad Balzacium, Pariſ. 1658. in 4. Totoqve eo impugnat plebejum iſtum jocandi in ſcribendo ſuorum popularium morem, qvem communi nomine *burlesque* vocant. Demonſtrat vero Vavaſſor, nulli vel Veterum, vel Recentiorum, tale dicendi genus in mentem unqvam veniſſe: ſimulqve utiliſſima longe plurima, qvæ ad Rhetoricen faciunt, inſpergit.

18 Neqve tamen hæc ingenui Veterum æſtimatoris, doctiſſimi Vavaſſoris, auctoritas ſocios ejus movit, ut, miſſo novandi ſtudio, vetera & ipſi ſectarentur. Qvin potius, qvoties novus talis Orator in ſcenam prodit, totiens novo ille, & à reliqvis diverſo habitu, incedit. Referendus eſt ad hanc novatorum claſſem FRANCISCUS POMEY, Jeſuita, cujus proſtat liber hoc titulo: *Novus Rhetoricæ candidatus, altero ſe candidior:* editus Monachii: 1672. in 12. Inſtituit hic Rhetorices præcepta ſuo qvodam ductu & genio: qvanqvam utplurimum novi nihil afferat, ſed plus interdum turbet, qvàm juvet. Diligens tamen eſt in figuris & amplificationis præceptis; qvæ vero ipſa tradit, ſingularia plane & peregrina: qvale eſt illud ſubſidium inveniendi argumenta amplificantia, qvæ progymnasmate VI. proponuntur; nam nullo artificio opus eſt, ſed velut ſorte qvædam capiuntur. Qvam enim inane hoc eſt, ex iis, qvæ cadunt ſub oculos, ſtatim invenire argumenta: Deinde è qvibusvis ſubſtantivis & adjectivis, primo occurrentibus in Lexico; Hos vero modos Autor ille commendat. Non reddit, niſi inanes Locutores, iſta inartificialis methodus; cui ſimilis eſt illa Lulliana loqvacitas, qvæ etiam tamen aliqvibus mirificè placet. Eſt certe qvidem rerum omnium inter ſe analogiſmus, unde & deprehendere ſagaci qvadam connexione prædicata nonnulla, qvalicunqve ratione ſubjecto ſuo convenientia, licet: ſed tamen hic modus artem jam præſupponit. Ac viderem ego ſane, qvàm bellam mihi orationem concinnaret, qvi ſolis hiſce præſidiis munitus, nec multa arte Rhetorica imbutus, prodiret Orator in publicum. Non nego tamen, exercitatis in dicendi arte Viris aliqvando neceſſitatis tempore, cum deficit memoria, talia in ſubſidium vocari poſſe. Qvalia ſunt illa, qvæ commendat JANUS CÆCIL. FREY Part. II. c. 1. Viæ ſuæ *ad ſcientias, linguas, ſermones extemporaneos novæ & expeditiſſimæ*, Pariſiis olim editæ, poſtea recuſæ Jenæ 1674. in 12. Tale eſt & illud ſubſidium, qvo uti Concionatores alioqvin ſolent, cum ultima vox periodi, ſubſtantiva imprimis, reflectitur ad novam periodum, ut connexione ſenſuum in voce ultima qvæſita tandem exſurgat aliqva oratio. Extemporaneam elocutionem pro viribus etiam promotum ivit MICH. RADAU,

DAU, in *Oratore Extemporaneo,* qvi liber ſub perſonati primum Auctoris, (Georg. Beckeri) mox, ſub vero ejus qvi ſcripſit nomine, prodiit. Unicum ejus opus eſt, ſub varia epicherematum forma orationes extemporales formare. Sed, ſi verum fateri velimus, neqvaqvam eſt plus facultatis extempore perorandi in hac ratione, qvam alia: omnes enim orationes præſupponunt argumenta: ſive illa uno ſyllogismo, ſeu pluribus, comprehendantur: eodem res recidit. Interea tironibus eo modo non male conſultum eſt; qvi ad epicheremata elaboranda maturius, qvàm ad aliud progymnaſmatum genus, præparari debent. Chriæ qvoqve ipſæ nihil aliud, qvam ſyllogiſmi & epicheremata ſunt, qvorum medii termini, ut in ſcholis vocant, locis qvibusdam Dialecticis ſunt illuſtrati. Atqve huic etiam ſcopo præcipue inſervit alius Jeſuita, SIGISM. LAUXMIN, *Praxi Oratoria* ſua Francofurt. A. 1665. in 12. excuſa, qvâ illud potiſſimum intendit, ut doceat, periodos & enthymemata conficere, atqve ex iis Orationes integras: exiguâ qvidem, qvod non diffitendum, operâ, ſed tironibus tamen non inutili, in rudimentis artis Rhetoricæ per ἐπιχειρήματα ponendis. Nec defuit ex eadem Societate alius, qvi connectendi ad tranſitionum artificium libello erudito oſtenderet, JACOBUS HUGUES, cui titulum qvoqve fecit *Artificium Connexionum & Tranſitionum*: Moguntiæ primum, edito, ſi recte memini, ac deinde Wittebergæ, obſtetricante G. C. Kirchmajero, A. 1657. recuſo. Eo majorem vero laudem meruit, qvo certius conſtat, primum illum connexiones formare docuiſſe per periodos, membra majora & minora, tam per particulas, qvam per figuras & formulas, in proſa æqvè & ligata Oratione.

Præterimus Jeſuitas alios: cum, qvi ſuperſunt, præter eos qvos diximus, in Rhetorica arte clari, pauci admodum ſint. Sunt vero & ante illos ponendi alii, qvorum nomina prætereunda non duco. Qvam ſplendide de GEORGIO TRAPEZUNTIO ſenſerit Andr. Schottus, atqve ut eum recentioribus prope omnibus præferat, & ſuo merito doctis admirationi fuiſſe dicat, ſupra jam, cum de Hermogene diceremus, indicatum eſt. Et qvid mirum, *Rhetoricen* ejus magni habitam, jamqve olim *perpulchram* à Trithemio judicatam; cum ex optimis Ariſtotelis Hermogenisqve præceptis tota coaluerit, ſuppletumqve ex alterutro habeat; qvod alteri deeſt. Prodiit ea Rhetorica Trapezuntii, poſt alias editiones, emendatius Baſileæ 1522. in 4., ibid. 1538. & Venet. 1560. in 4to. 19

Haudqvaqvam Trapezuntio minor JOH. LUDOV. VIVES intra paucos annos (erat enim ὀψιμαθής) nobiliſſimas aliqvot lucubrationes, docte prorſus & accurate conſcriptas, edidit: in qvibus, ut ait Geſnerus, eloqventiæ ſapientiam ita conjunxit, ut nemo eruditus, non cum aliqvo fructu earum ſe lectionem hauſiſſe fateatur. Sunt vero lucubrationes illæ, qvæ ad inſtitutum iſtud noſtrum pertinent, præter librum *de conſcribendis Epiſtolis*, qvi in pretio habetur, *Commentarii de ratione ſtudii legendi interpretandique*: *De ratione colligendi exempla*: *Latinæ linguæ exercitatio.* Inprimis vero ſpectat ad h. l. *Rhetorica*, ſeu de ratione dicendi libri III., ac *de conſultatione liber*; qvos conjunctim Rob. Winter Baſileæ A. 1537. in 8. excudit. Pertinet qvoqve 20

huc,

huc, ex aureo de tradendis diſciplinis opere liber Qvartus, qvi *de corrupta Rhetorica* agit, eiqve reſtituendæ ſubſidia undiqve conqvirit.

21 Neqve hîc ſilentio prætermittendus ERASMI ROTERODAMI *de copiâ verborum & rerum* libellus utiliſſimus, notior nomine, qvàm uſu freqvens: & qvi tamen optimas profecto dat orationis ornandæ atqve amplificandæ regulas. Edidit illum, cum Commentario & Exemplis, Joh. Micrælius anno, ni fallor, 1655. in 8. EDMUNDI RICHERII librum *de figurarum arte, & cauſis eloquentiæ*, Pariſ. 1605. in 8. editum, etiam nominandum arbitror, qvippe in qvo figuras Grammaticas egregiè explanavit, ſed non æqve Rhetoricas. Edidit tamen librum alium *de arte & Rhetorica*, qvo methodum qvoqve monſtrat eam ad uſum vitæ civilis revocandi, Pariſ. 1629. in 8. De Elocutionis imitatione ac apparatu JACOBUS OMPHALIUS, JCtus, edidit Opuſculum non contemnendum: nam & optimas imitandi regulas propoſuit, & formularum conficiendarum rationem dedit. Adjunctæ ſunt ejus Epiſtolæ familiares in uſum tironum, Pariſ. 1579. Col. 1602. in 8. Tranſeo JOH. BRENZII *de figuris* libros, Argentorati 1606. edito in 8., qvi nihil aliud qvam figurarum Catalogum, & applicata iis magno numero ex Oratoribus & Poëtis exempla continet. Neqve admodum iſthuc pertinet NICOL. SUSII *Lima Ciceroniana*; qvo libro generalia qvædam de charactere & ſtylo præcepta continentur. Prodiit Antwerpiæ 1620. in 8vo, &, cum Nic. Vernuleji Rhetorica, Jenæ 1631. in 12. Magis adhuc ſollicite de ſtylo agit vir doctiſſimus, JOH. SCHEFFERUS, in *Gymnaſio ſtili*, Upſaliæ A. 1657. & 1665. primò, mox & Jenæ 1670. edito. Multa enim inibi de hoc themate, tum & de progymnaſmatibus Sophiſtarum, & orationum variis characteribus, utiliſſima Collectanea & præcepta traduntur. *De numero Oratorio* libros qvinqve ſcripſit, & hanc doctrinam ſingulari cura explicatam dedit JOVITA RAPICIUS, Brixianus. Elegans ejus editio prodiit Venetiis in fol. 1554. Recuſus poſtmodum liber ille in Germania Coloniæ A. 1632. in 8vo, comitem nactus eſt JAC. LUDOV. STREBÆI *de Electione & oratoria verborum collocatione* librum, qvi olim A. 1540. prodierat; & in qvo, qvæ ad numerum linguæ Latinæ, tam in proſa, qvam in ligata oratione, ſpectant, exponuntur. Eſt alias iſte Strebæus inter Ciceronis Commentatores, in cujus ſcilicet libros de Arte Rhetorica & de Perfecto Oratore ſcripſit.

22 Dum vero ita de iis agere inſtituimus, qvi per partes ſolum artem Rhetorum pertractant, pene dememiniſſe videri poſſumus Virorum doctorum, qvi artem integram magno conatu, neqve minus felici, tradunt. Atqve hîc primum ſibi ante alios omnes locum vendicat GERHARDUS JOH. VOSSIUS, cujus non ſolum *de Natura & Conſtitutione Rhetorices* liber, & ſubjuncta illi Tractatio de antiqvis Rhetoribus, Sophiſtis ac Oratoribus, qvam calluerit Vir ille magnus artem lectiſſimam & qvantâ curâ è veteribus collegerit, notum facit; ſed luculentius adhuc operoſæ & pleniſſimæ *Oratoriæ Inſtitutiones*, Opus mirâ diligentiâ concinnatum, & qvod in Veterum Rhetorum lectione illum longe fuiſſe verſatiſſimum demonſtrat, qvos etiam niſi habuiſſet anteſignanos, vix adeo feliciter in hoc argumento verſatus fuiſſet. Recte interim judicavit

Buch-

Buchnerus, lib. de Commutata Rat. dicendi p. 444., Voſſio neminem temere, poſt Ariſtotelem, orandi artem uberius & accuratius tradidiſſe. Multoties, tum in Belgio, tum in Germania, variisqve formis, excuſum recuſumqve Oratorium iſtud Opus Vosſianum. Inter primas *editiones* ea eſt, qvæ An. 1606. prodiit in 8., ſed optima, qvæ Lugduni Bat. 1643. in 4. lucem adſpexit. Liber de natura Rhetorices iterata Editione auctior editus Hagæ Com. 1658. in 4. Reliqvit & *de imitatione Oratoria* librum, ſuo Auctore non indignum: & *Rhetoricam contractam*, qvæ in uſum ſcholarum fœderati Belgii ſcripta eſt, & ita Compendium Rhethoricæ majoris ſiſtit, ut exemplis aliis utatur.

Voſſium ſeqvatur Hiſpanus PETRUS JOH. NUNNESIUS, magni nominis apud ſuos Vir, & qvem, uti ſupra dictum, Andr. Schottus ex Hiſpanis noverat, inter claros Rhetores nominandum. Nec putandum eſt, amicitiæ hic aliqvid dediſſe Schottum, qvam cum Nunneſio arctiorem coluit: ſed fuiſſe id commune Hiſpanorum ſuffragium, inde diſcas, qvod ingenti ſtipendio à Barcinonenſibus ad docendam ibi Eloqventiam Græcamqve linguam evocatus eſt, referente de Scriptor. Sec. XVI. Miræo, c. 133. *Rhetoricam* ejus, cujus meminit Andr. Schottus, nunqvam vidi: ſed tantum *collectionem Epithetorum*, qvorum in amplificandis periodis magnus uſus eſt, è Cicerone: qvi liber, poſt plurimas Germanas atqve Gallicas Editiones, Coloniæ qvoqve 1571. prodiit. Scripſit alias de Epithetis etiam *Sebaſt. Figulus*: aſt qvo melior eſt Nunneſius. Similis ferme labor eſt, qvem de Adverbiis epithetorum vicem haud raro explentibus, ſibi ſumſit *Hubertus Suſannæus*, qvi Connubium Adverbiorum Ciceronianorum edidit; qvod & ſeorſim, & cum Steph. Doleti formulis linguæ Latinæ ſimul, Argent. 1585. in 8. prodiit. Et qvoniam ſemel ſcriptoribus hujus qvoqve generis indulgere cœpimus, nominabimus qvoqve *Stephanum Ubelium*, qvi Synonyma Ciceroniana edidit, collectis nimirum vocibus illis, qvæ apud Ciceronem & alios conjunctim ponuntur vel vere vel apparenter ſynonymæ. Vehementer facit ille labor ad periodum concinnandam. Prodiit Leovardiæ 1607. in 8. Et ne qvid genus vocum absqve illuſtratione maneret; en tibi feſtivum libri titulum: *Antithetorum amica ſimultas, arbitris Plauto, Terentio, Cicerone, Cæſare.* Scripſit illum *Auguſtinus Gambarella*, & collegit inibi voces, qvæcunqve ſibi aliqvâ ſaltem ratione opponuntur: ut ſic eo faciliorem vocum proprietatem redderet addiſcendam. Mediolani 1606. in 4. Videntur qvidem Auctores, qvos modo recenſuimus, magis ad Grammaticum Polyhiſtorem, & caput de Collectoribus phraſium, pertinere: noluimus tamen, cum occaſio ſe offerret, hîc qvoqve eorum recenſionem omittere, præſertim cum ad Rhetoricen ſuo etiam modo ſpectent. 23

Hinc temperare nobis non poſſumus, qvin adhuc addamus WOLFFGANGUM SCHOENSLEDERUM, *Apparatus Eloquentiæ*, Monachii primo 1630. in 8. & ſæpius alibi, evulgati, Auctorem: qvo libro, dum Synonyma ſub titulis generalibus collegit, optimè omnino de eloqventiâ meruit, nullusqve & ad uſum accommodatior liber, qvam 24

ille: adeo optima ſemper ex Auctoribus,non qvibusvis,ſed præcipuis, magno judicio collegit. *Phil. Paræi* minimum Calligraphiam,ſimili in arena currentem,longo poſt ſe intervallo relinqvit, qvæ merum chaos eſt, ac mira titulorum confuſione ſumma imis miſcet. Dolendum vero, non prodiiſſe Schoenslederi partem alteram, qva collecturus erat locos communes rerum: abſolutiſſimos haud dubie, qvantum ex hoc Opere judicare licet, daturus. Sed nunc revertimur ad Rhetoricarum Scriptores.

25 JOH. TESMARUS,Rhetoricæ in Bremenſi ſchola Profeſſor, ſcripſit *Rhetoricarum Exercitationum libros VIII.*,Amſtelodami apud Elzevir. 1657. in 8. publici juris factos: qvorum priores qvinqve ſunt analytici,reſolventes oratiunculas hiſtoricorum, poëtarum,&c., ſecundum genera cauſarum: reliqvi tres proponunt ideas Orationum, Epiſtolarum, Carminum. *Ideas Orationum* edidit qvoqve MARC. ZVERIUS BOXHORNIUS, civilium plerorumqve argumentorum, qvorum in civili vita uſus præcipuus eſt politices & Jurisprudentiæ ſtudioſis. Liber editus eſt aliqvoties in Belgio, & ſemel 1661. Lipſiæ recuſus: in eo tantum reprehendi meret, qvod artificium orationis non ſatis diſtinctè exprimat: in qvo longe magis ſollicitus eſt *Chriſtoph. Schraderus* in ſpecimine Orationum Livianarum & Sleidanianarum, qvæ itidem hujus ſunt argumenti,& civilis eloqventiæ ſtudioſis commendandæ. Ineditas aliqvot ejusdem Boxhornii poſſideo.

26 Extant MELCHIORIS *de la* CERDA, cujus mentionem ſupra, inter Ordinis ſocios Jeſuitas, facere dememinimus, *Campi eloquentiæ*, Coloniæ 1637. in 8. impreſſi; ſed,me judice,pleni ruris: nam nihil uſpiam ſelecti: deſcriptiones vagæ & variæ ſine inventione ac ordine. Adjungo de la Cerdæ ſimilis farinæ Scriptorem,ſed magnum tamen puerorum delicium, JOH. MATTH. MAYFARTUM, ſcripſit ille *Mellificium Oratorium*, in qvo Eloqventiæ flores è variis Oratorum viridariis defracti, & in ſuas velut areolas ſunt digeſti. Tres vel qvatuor ejus Tomi Lipſiæ prodierunt A. 1633, & ſeq. in 8. Non placet Viri iſtius labor: nam pauciſſima habet ex Cicerone, unde tamen mellificium ſuum locupletare unice potuiſſet. Tum & inter recentiores delectum non habet, ſed promiſcue è qvibusvis colligit, cum præferendi fuiſſent probatiores. Deniqve nec ordo,nec ratio colligendi bona eſt. Longe diſtinctius & ordinatius procederet negotium, ſi qvis ſecundum ſeriem vel theſium, vel rerum vel argumentorum & enthymematum, collectanea talia inſtitueret: nec formulas cum rebus ipſis miſceret, uti factum à Mayfarto, cum rectius ſeorſim poni ſecundum omnes orationis partes debuiſſent: qvod conſilium ſibi propoſuerat *Joh. Starckius*, qvi ſpecimen ejus dedit elegans in Locis Communibus formularum Epiſtolicarum: ſed labor iſte in oratoriis præmatura optimi viri morte intercidit.

27 Æqve ſperandæ ſunt ac de la Cerdæ & Mayfarti labores Tranſitionum Rhetoricarum formulæ,à JOH. STARCKIO collectæ,editæqve Londini 1628. in 8., qvas miror etiam in Germania recuſas. Etenim parum omnino bonæ frugis habet totus ille liber

ber: & male faciunt, nec intelligunt linguam Latinam, qvi eum pueris obtrudunt: totus enim ineptis qvibusdam argutiis plenus eſt, vel ex ingenio ſuo, vel ex vernaculi ſermonis adhærente vitio, confictis. Ut non poſſit adeo frugis qvicqvam ex eo libro meti: & infelices ſane ſunt, qvi tirocinium ſuum in qvisqviliis iſtiusmodi terere coguntur. Idem eſto Judicium de THOMÆ FARNABII *Jndice Rhetorico & Oratorio*, Libello exiguo, Amſtelod. 1659. in 12. edito, in qvo Formulas qvasdam, in Orationibus & Epiſtolis obvias collegit, ſed, ut in porta cantherius, defecit, Henn. Arningio, & Ivaro Petri Adolpho, & qvibus Formulæ itidem ſunt congeſtæ palmam relinqvens. Tale qvoqve eſt *Tirocinium Eloquentiæ*, ſeu Rhetorica Nova (ſi DIs placet), CAROLI PAJOT, qvi, cum multa promittat, nihil omnino habet præter vulgaria artis præcepta, ſummatim ex aliis Auctoribus, ſive excerpta, ſive deſcripta. Editum eſt miſellum Compendium Dauderſtadii 1673. in 8.

Pertinet qvoqve ad Rhetores CAROLUS SIGONIUS, cujus non ſolum inter 28
Antiqvarios Scriptores mentio cum honore facta eſt, ſed & tum, cum eum conſolationem Ciceroni ſuppoſuiſſe diximus, & inferius inter Oratores forte recurret. Is ipſe igitur librum *de Dialogo* ſcripſit. Venet. 1562. in 4. editum, in qvo tradit præcepta Dialogi ſcribendi. Hanc vero ſcribendi rationem omnino ad eloqventiam pertinere, vel illud argumento eſt, qvod ab eloqventiſſimis viris Græcis & Latinis freqventer fuerit adhibita, ut teſtantur Platonis & Ciceronis ſcripta.

Spectat qvoqve ad Rhetoricen ſcriptio Hiſtoriarum. Rhetoris enim eſt, præ- 29
ſcribere, qvo charactere hiſtoria ſit ſcribenda: qvod argumentum diligenter admodum perſeqvitur SEBAST. MACCIUS, Philoſophus, Theologus, & JCtus, Eqves & Comes Palatinus, in libris tribus *de Hiſtoria ſcribenda*, qvos Venet. 1613. in 4. publici juris fecit. Idem argumentum poſtea fuſius deduxit AUGUSTINUS MASCARDUS, libro elegantiſſimo Italica lingua ſcripto *della arte Hiſtorica*, Venet. 1655. in 12. Eſt & Caſp. Scioppii judicium de ſtilo hiſtorico, qvod editum cum ejus Infamia Famiani, Soræ 1658. in 12.

Peculiare ſibi & plane elegans argumentum è Rhetoricis pertractandum ſum- 30
ſit Vir πολύγραφος admodum, & aliis è ſcriptis notiſſimus, LEO ALLATIUS, ſcripta *de Erroribus Magnorum Virorum in dicendo Diſſertatione* Hiſtorica, ad Slingelandum, Protonotarium Apoſtolicum: Romæ A. 1635. in 8. Cenſuram illic inſtituit in Autores tùm veteres, tùm recentiores, monſtratqve, ubi illi defecerint in orationis Charactere idoneo exprimendo. Veterum pleraqve hauſit ex Claud. Verderii ſtulta Auctorum cenſura, non appoſito interdum illius nomine. Et ſane Leo Allatius non valuit iſto judicio, ut cenſuram ſibi in re tantá ſumere potuiſſet: aliis plane hîc ingeniis opus eſt.

Talia vero ubere proventu ferre inprimis hodie Gallia conſuevit, in qva pul- 31
cherrimorum librorum, ad Rhetoricen facientium, & vernaculo ſcriptorum ſermo-

ne, magna ſatis copia eſt, inprimis poſtqvam optimatum favore iſtiusmodi ingenia provocantur. Eſt, qvi Rhetoricam Ariſtotelis in Gallicum tranſtulit ſermonem, & eximiis inſuper commentationibus illuſtravit. Ariſtotelem enim è veteribus unum acu rem tetigiſſe haud abs re judicant, nec ab eo facile recedunt: qvorſum & RENATUS RAPINUS legi meret in elegantiſſimis ſuis de Eloqventia cogitationibus: *Reflexions ſur l' Eloquence*: qvæ Miſcellaneis ejus operibus, ad juvandas bonas literas ſcriptis, inſertæ ſunt. Eſt alias & ANONYMUS qvidam, qvi duobus libris Rhetoricam tradidit: qvorum prior vocatur *de l' Art de Parler*; alter *de l' Art de Perſuader* 1676. in 12. Non qvidem differunt ejus Viri præcepta à communibus; ſed occurrunt tamen aliqva commatis non vulgaris, fuitqve Vir ſine dubio doctiſſimus, & judicii non contemnendi: Diſtinxit autem artem perſuadendi ab arte dicendi, & priore illo agit de inventione enthymematum; altero de variis characterum generibus, figuris, ceterisqve ad orationem ornandam pertinentibus. Taceo Renatum Bary, conſiliarium & Hiſtoriographum Regium, qvi librum edidit, ſub titulo: *la Rhetorique Françoiſe*. Amſtelod. 1669., inprimis qvod figuras ſpectat non contemnendum. Ei diſſertationem præliminarem præfixit Joh Franc. Grandis, qvæ intentionem Auctoris & Operis pluribus declarat. Dirigit autem omnia ad ſermonis Gallici genium, cum alter ille magis in communi & abſtracto Rhetoricam proponat. Multa vero egregia, ad Rhetorices explicationem, libellis variis in medium attulit DOMINICUS BOUHOURS, Jeſuita Pariſienſis, qvi utplurimum exemplis docet, qvæ ex antiqvis æqvè ac recentioribus ſcriptoribus hinc illinc collegit, & ſua deinde κρίσει examinat illuſtratve. Eſtqve inprimis commendandus ejus libellus, qvem Rationem bene cogitandi inſcripſit, *la Maniere de bien Penſer dans les Ouvrages de l' eſprit*: in qvo ſummo ſtudio τὸ περὶ τὰς νοήσεις ἁδρεπήβολον, ut Longinus vocat, ſive ſenſuum ſublime, examinat, variasqve in claſſes diſtributum ita egregie, allatis ubiqve plurimis exemplis, pertractat, ut non minorem fructum, qvàm delectationem, afferat. Editus eſt libellus ſecunda vice Amſtelodami 1688. in 12. cui & in vicem partis ſecundæ additus libellus alius, ſub titulo: *Penſées ingenieuſes*: in qvo itidem longe plurima ejus generis, & jucunda & utilia, occurrunt. Sunt & plures adhuc Gallici Eloqventiæ magiſtri, ſed qvos nunc qvidem recenſere non vacat.

32 In Germanicâ lingua artis Rhetoricæ laborem in ſe ſuſcepit CHRISTIANUS WEISIUS im politiſchen Redner. Diu fuit ante ipſum deſideratus talis labor: in qvo tentavit tamen aliqva RUDOLPHUS SADELER in ſeiner Teutſchen Rhetorica, & Meyfartus: neqve diſplicuit mihi Sadeleri labor: qvi, in Orthographiâ & Phraſeologiâ ſuâ Germanicâ, alio libro, monſtravit veram contexendi Germanicas periodos rationem. Alioqvin pleriqve Scriptores illi plus artis & eruditionis oſtentare volunt in rebus ipſis, qvàm opus eſt. Et forte nimio cultu laborat Weiſii inſtitutio: nam multa immiſcet orationibus ſuis, inprimis civilibus, ornamenta, vel poëtica, vel alia, qvorum nullus in aula uſus eſt.

CAP. II. (a)

DE ORATORIBUS ANTIQVIS PRÆCIPUE GRÆCIS.

§. 1. NOn recenſentur hoc capite Deperditi, à G. J. Voſſio celebrati; 2. Nec Hiſtorici Græci, v. g. Herodotus ac Thucydides, qvorum dictio commendatur: 3. Sed Oratores ſoli Græci, qvorum aliqua hodie ſuperſunt Monumenta, Gorgias ſc. Leontinus. 4. Antiphon, Andocides, Lyſias. 5. Iſæus. 6. Iſocrates. 7. Æſchines. 8. Demoſthenes. 9. Hyperides. 10. Dinarchus. 11. Lycurgus. 12. Mutatio Eloquentiæ Forenſis & Degeneratio, poſt amiſſam Græcæ Libertatem, Romæ itidem deinceps obſervata. 13. Numerus Oratorum Græcorum hinc imminutus. 14. Oratores, ſeu Sophiſtæ potius Græci, ſub Cæſarum Imperio celebres, Dio ſc. Pruſæenſis, ſive Chryſoſtomus. 15. Polemo Laodicenſis & Herodes Atticus. 16. Æl. Ariſtides. 17. Dionyſ. Longinus, Hermogenes, Proæreſius. 18. Julianus Imperator. 19. Libanius. 20. Himerius. 21. Themiſtius. (De ſingulorum Vita, Stylo, Scriptis, Editionibus, Commentatoribus, Memorabilia plurima, una cum Veterum atque Recentiorum de iis Cenſuris, haud parce exhibentur.) 22. E Latinis Ævi Veteris Oratoribus, illi, quorum Scripta ſuperſunt, Lib. IV., Cap. XI. XII. XIII. XIV., jam ſunt celebrati, ceteri autem, quorum Orationes perierunt, à G. J. Voſſio, in Lib. de Natura Rhetoricæ, *recenſentur.*

A *Rhetoribus* venimus ad ORATORES, qvorum magnam vim *olim Græcia tulit*, omnis eloqventiæ, ſi cujusqvam alius artis, certe mater. Nolumus autem hîc congerere ſeriem aliqvam Oratorum, inde à Solone & Piſiſtrato, qvi primi Eloqventiæ laude apud Athenienſes floruerunt, auſpicandam, pertexendamqve usqve ad poſtremas celebrium apud Græcos Sophiſtarum ætates: nam, cum hoc Voſſius admodum ſtudioſè egerit, libro de Rhetorices natura & conſtitutione, c. 10, 11, 12., ad eum avidos rerum harum lectores ablegamus, de iis interim, qvi ad nos usqve è tot veteribus pauci pervenerunt, qvædam dicturi.

(a) Totum hoc de Græcis Oratoribus Antiquis Caput, Obſervationibus ſcatens eruditis, non ipſi debetur Morhofio, cujus in Prælectionibus, tum Polyhiſtoricis, tum de Notitia Autorum, Academicis, nihil plane de iſtis annotatum reperi, ſed a Viro Docto, qui Lipſiæ IV. Libros Polyhiſtoris Literarii poſteriores, e MSStis illis, Frid. Bened. Carpzovii, Auſpiciis, congeſſit, una cum Libri VII. Capite de Poetis Græcis Secundo (cujus itidem vix tenuia quædam lineamenta Schedæ Morhofianæ ſuggerunt), totum, ne inſigni adeo defectu Opus deformaretur, eſt adjectum. Id quod monendum *h. l.* denuo putavi, ne Morhofio, quæ illius non ſunt, ab incautis Lectoribus forte tribuantur.

2 Neqve vero in numerum Oratorum computamus HERODOTUM, aut THUCYDIDEM, Hiſtoricos. Qvanqvam enim neqve priori lactea dicendi ubertas, melleumve velut qvoddam eloqventiæ flumen; neqve poſteriori maſcula eloqvendi vis, & grave ſententiarum pondus, deſit, utraqve antiqvis adeo in pretio habita, ut Thucydidem decies ſua manu deſcripſiſſe Demoſthenes perhibeatur; Herodoti autem ne qvidem reprehenſor Plutarchus famam eloqventiæ imminuere auſus ſit: attamen in Oratorum cenſum, qvi ſive πολιτικὸν λόγον ſectati cauſas in foro publicas egerunt, ſive, Sophiſtarum in morem, ἐριςικὲς λόγες inter diſcipulos fieri, inſtituto qvodam dicendi certamine, curârunt, eos computare non poſſumus.

3 Inter Sophiſtas ſeu dicendi magiſtros veteres, qvi eloqventiam in artis regulas compactam aliis tradiderunt, ſimul & ipſi ſcriptis orationibus inclaruerunt, antiqviſſimus eſt GORGIAS LEONTINUS, nomen apud Græcos longe clariſſimum, & cujus aliqvot *Orationes* hodieqve ſuperſunt ab Aldo, cum orationibus Æſchynis aliorumqve Oratorum, Venet. 1513. fol., & ab Henr. Stephano iterum cum Oratoribus Antiqvis editæ A. 1575. in fol. Fuiſſe vero Gorgiam inanis frigidiqve tumoris præpoſterum affectatorem, & qvi præter rem, poëticum in morem, ſua ſæpe extulerit, jam olim Dionyſius Halicarnaſſeus, Hermogenes & Longinus, annotârunt: qvapropter & riſui illum eſſe prudentioribus Longinus ait; & Hermogenes eum τοῖς ὑποξύλοις σοφιςαῖς *ſubligneis ſophiſtis* annumerat. Cicero autem qvotidianam ejus loqvacitatem ſine uſu, & è ſcholis cantilenam vocat, omnibus ſpernendam eloqventiæ ſtudioſis. Orat. l. 1. Conf. Longini περὶ ὕψες liber, ſect. III., & Langbænius atqve Faber in Not. qvi plura de his.

4 Virile magis dicendi genus, & qvod non ſcholarum ſuperfluas nugacesve curas, ſed politicum characterem præ ſe ferret, primus ANTIPHON invenit, teſte Hermogene; is ipſe, qvi inter decem, qvos numerant, Oratores antiqviſſimus, complures nobis orationes reliqvit, è qvibus illius in dicendo vim, & efficaciam in perſuadendo, miris ſe artificiis inſinuantem, ſat abunde colligere eſt. Seqvitur hunc non æqve clarus ANDOCIDES: tum LYSIAS, Iſæi præceptor, ob nativam dictionis elegantiam, qvam ubiqve, rejecto ardentiore & excelſo dicendi genere, ſummo ſtudio ſectabatur, adeo multis olim adamatus; ut ipſe ſolus etiam velut idea orationis Atticæ, in qvantum ea tumori Aſiano opponitur, regulaqve & norma crederetur: qvos tamen falli multum, neqve Atticum Characterem intra anguſtos nimis terminos *lucidi, tenuis & ſignificantis*, includendum fuiſſe, rationibus pluribus & exemplis demonſtrat Qvintilianus Inſtit. lib. XII. c. 10. Conf. Longinus de Sublim. ſect. 35. ubi Lyſiam Platone, cum qvo illum comparat, longe inferiorem pronuntiat, vitiisqve etiam abundare monet. Interea tamen magna eloqventiæ laus, & inprimis fluidæ & inaffectatæ gravitatis gloria, Lyſiæ nullo modo abroganda eſt: ſed potius omni modo approbandum Photii Patriarchæ, peritiſſimi judicis, judicium, qvo Lyſiam maximis qvibusqve oratoribus, Demoſtheni, Æſchyni, Platoni, comparat: Bibliothecæ Cod. 262. ubi & vehementer Paulo cuidam ex Myſia, qvem Suidas Paulum Germinum vocat, ſophiſtæ

phiſtæ ſuccenſet, cujus ineptiſſima cenſura, ſeu calumnia potius, complures Lyſiæ Orationes, velut ſpuriæ, perierint. Dionyſius Halicarnaſſeus tantam in orationibus ejus ἐνέργειαν, i. e. evidentiam atqve illuſtrationem, deprehendi teſtatur, ut nemo adeo lævus mente & ingenio tardus futurus ſit, qvin qvæ repræſentat Orator, velut facta ipſemet intueri, & perſonis, qvas introducit velut præſentibus intereſſe etiam, & cum iisdem converſari, propemodum videatur.

Lyſiæ diſcipulus ISÆUS eſt, tam felix magiſtri imitator, ut niſi qvos magno 5
ſtudio attendat, difficulter etiam characteris utriusqve diverſitas, obſervante Photio, agnoſci poſſit: qvum aliàs Lyſias in tanta facilitate, qvam præ ſe fert, & innata ſua gravitate, difficillimus imitatu ſit. Prodierunt Lyſiæ & Iſæi Orationes, ut & Andocidis & Antiphontis, in Corpore veterum Oratorum, qvod Aldus Venet. 1513. fol. in lucem emiſit; tum & in ſimili, qvod Henr. Stephanus in fol. 1575. edidit. Aldi collectionem Latine vertit, ediditqve Baſil. 1566. Guilh. Canterus. Lyſiæ orationes ſeparatim qvoqve aliqvoties prodierunt, Latine Baſileæ interprete Franc. Fabricio: Græce & Lat., cum notis Jodoci Van der Heidii, apud Wechelum Hanoviæ 1615. in 8. Simon Goulartius qvoqve duas Lyſiæ orationes, Latine à ſe redditas, publicavit, cum ejusdem vita ex Dionyſio Hallicarnaſſenſi appoſita Pariſ. 1575.

Coævus Lyſiæ, & Iſæo nonnihil antiqvior, erat ISOCRATES, Gorgiæ Leontini 6
diſcipulus, Orator adeo clarus, ut ejus domus velut qvædam Academia videretur, in qvam confluebat, qvicqvid erat juvenum, qveis oratoriæ artis addiſcendæ cupido animos inſederat: neqve id ſane fruſtra; cum ex ejus ludo, ut ait Cicero l. II. de Oratore tanqvam ex eqvo Trojano, meri principes exierint. Sectabatur ille comptulam, nitidamqve penitus, & qvæ variis picturis ſchematibusqve ſuperbiret, orationem: qvam ob rem, in ſeligendis verbis atqve nominibus, in Colis, Commatibus digerendis, formandisqve adeo periodis, & ſimilibus, ad ſuperſtitionem usqve ſollicitus, cenſuram incurrit antiqvorum complurium, à qvibus inprimis Dionyſius Halicarnaſſenſis in Iſocratis vita legi meret. Commune omnium judicium eſt, aptiorem ſcholis, qvam foro, Iſocratis dictionem fuiſſe. Et ipſe qvidem Iſocrates nunqvam pro concione dixit, tot Oratorum ſtrenuus atqve ſolers efformator, uti notum: qvemadmodum & mora 10. vel 15. annorum, in adornando Panegyrico ab Iſocrate conſumta, ne pueros qvidem latet. Orationum ejus prima *editio*, qvam novi, Mediolanenſis eſt, Græcè in fol. A. 1493. excuſa. Secuta hanc Aldina Venet. A. 1513., in corpore Oratorum, cui & Epiſtolæ Iſocratis inſertæ ſunt. Poſtmodum ſæpius Venetiis atqve Baſileæ, modo Græcè, modo Latinè, prodierunt: inprimis ex emendatione Hier. Wolffii, qvi Latinam verſionem cudit recuditqve multoties. Ex ultima ejus recognitione editus Iſocrates eſt Baſileæ, apud Oporinum, Gr. & Lat., cum notis, 1570. in 8., poſtmodum Pariſ. 1615. Genevæ 1609. &c. ut & Cantabrigiæ, recuſus. Verum & Genevenſes duæ & Cantabrigienſis Editiones non ſatis emendatæ ſunt. Taceo nunc tres primas Orationes Iſocratis, qvæ, in ſcholarum uſus, infinities ſeparatim prodierunt.

Erat vero Athenis eodem, qvo Iſocrates tempore, & poſt ejus obitum, Orato- 7
rum

rum Triga,qvi,ut reliqvos omnes haud dubie ſua arte longo poſt ſe relictos intervallo vicerant,ita de palma inter ſe mutuo æmuli certabant: Æſchines nimirum,Demoſthenes & Hyperides,omnes in gerendis publicis magiſtratibus haud raro adhibiti, rebusqve pro Græciæ libertate geſtis clari. Primus eorundem, ÆSCHINES, tres nobis orationes reliqvit plane eximias, nec minore elegantia dictionis atqve puritate, qvam argumentorum pondere & perſpicuitate, inſignes. Qvartam orationem Æſchinis, qvæ à nonnullis ipſi tribuitur, *Deliacus* inſcripta, ejus non eſſe, ſed Hyperidis, jamdudum à Photio annotatum eſt: & è recentioribus,præter alios, à Conr. Geſnero in Bibliotheca. Eminet vero inter tres Æſchinis, qvæ ſuperſunt,Oratio contra Cteſiphontem,qvæ in Demoſthenem, & honores illi à Senatu,cenſente Cteſiphonte,collatos,habita eſt; infelici tamen ſucceſſu,cum victus à Demoſthene Æſchines in exilium,qvod multam pecuniariam pendere vel non poſſet,vel nollet, pulſus ſit. Adeo tamen Rhodiis,ad qvos Æſchines aufugit,admiranda illius Oratio,cum prælegeret,viſa eſt,ut vinci ab alio potuiſſe ſtuperent: magnoqve ſemper in pretio iis haberetur ille,ſcholamqve celebrem erigeret, unde poſtea tertium dictionis genus emerſit Rhodium, ab Attica puritate,& tumore Aſiano,diverſum,miſtumqve ex utroqve: de qvo vid. Qvintilianus Lib. XII. Inſtit. c. 10. Ceterum Æſchinem Demoſthene multum eſſe in dicendo inferiorem,aliqvot locis Cicero evincit, à qvo neqve Plutarchus, neqve Photius, in diverſum abeunt, nec qvisqvam temere, qvi collatas utriusqve Orationes legerit. *Editæ* ſunt ab Aldo & Stephano,in Collectionibus veterum Græciæ Oratorum: tum & una cum Operibus Demoſthenis, in præſtantiſſima editione, qvæ qvartis Hier. Wolffii curis Baſileæ 1572. fol. debetur: Orationem contra Cteſiphontem Latinè verterunt ediderunṭqve, vel cum Demoſthenis oratione pro Corona, vel cum Ciceronis Operibus, Leonh. Aretinus, Joach. Perionius,& Dionyſ. Lambinus. Græcis etiam aliqvoties ſeparatim,cum Demoſtheniana περὶ ςεφάνȣ, in lucem emiſſa eſt.

8 Ipſas autem DEMOSTHENIS orationes ut hic multum laudemus, opus non eſt: ſatis notum eas ab omnibus Veterum,qvotqvot artem oratoriam calluerunt, (ceteros enim cœcos admiratores ne qvidem dicimus) ſummo cum ſtupore lectas,inſitamqve iis divinam propemodum vim perſuadendi movendiqve,qvo vellet, & exqviſitiſſimum illud ὕψος, qvod ubivis in Demoſthene regnat, non ſine ſummis admirationibus agnita,& in cœlum laudibus ſublata. Pleni de hoc ſunt Cicero, Dionyſius Halicarnaſſenſis,Qvintilianus,Plutarchus,Hermogenes,Longinus, Photius, Suidas: Auctorum pars ita de Demoſthenis virtutibus agunt,ut ſimul vitiorum non obliviſcantur; ſed qvæ,ſi ad virtutes componantur, propemodum omnia evaneſcunt. Ineptum eſſe ad jocos & facietas, in adverſariis ſine ſcurrilitate exagitandis, fatetur Longinus, *de Sublimi ſect.* 34, eaqve in re longe illi præferendum Hyperidem, animadvertit, harum facetiarum mirum artificem: verum facile iſtum, ſiqvidem alicujus ille nominis eſt, defectum compenſari mox addit ignea illa & omnibus inacceſſa dicendi vi, qva non tam movet auditores, qvam terret & obſtupefacit, Demoſthenes, ignito ſpiritu armatus. Non tamen parem, in omnibus ejus Orationibus, eſſe artis ſublimitatem, monet

Pho-

Phôtius, *Cod. 265. p. 800.*, eaqve propter nonnullas eſſe Demoſtheni à qvibusdam abjudicatas narrat: verum & rectè Criticos illos rejicit, & mirum non eſſe ait, ſi qvis Autor diverſas orationes, ut diverſo tempore ſcribit, ſic diverſo qvoqve modo ſcripſiſſe aliqvando deprehendatur, cum id promiſcue in rebus humanis accidat, ut non ſemper iidem ſimus, & in Oratorum laboribus id ſibi ſæpiſſimè obvenerit: ἐγὼ δὲ εἰδὼς, ait, πολλάκις καὶ λόγους διάφορων γεννιτόρων πολλὴν ἔχοντας τὴν ὁμοιότητα, καὶ διάφορον ἐργασίαν λόγων, τὸν αὐτὸν ἐγνωκὼς τῶν γεννήτορα. οὐ γὰρ ἀεὶ καθέστηκεν ἄτρεπτος καὶ ἀναλλοίωτος κατὰ πάντα, ὥσπερ οὐδὲ ἐν τοῖς ἄλλοις, οὕτως οὐδὲ κατὰ τοὺς λόγους ἡ ἀνθρωπίνη δύναμις. ἄλλως τε οὐδὲ ἐν τοῖς καιριωτάτοις τῶν ἰδιωμάτων τοῦ ῥήτορος. De *Demoſthenis comparatione cum Æſchine*, qvam Cicero lib. de Claris Oratoribus inſtituit, vid. Voſſius de Natura Rhetor. p. 80. Cum Cicerone ipſo Demoſthenem comparat Longinus, de Subl. Sect. 12., ubi &, ſi Tollium audimus, cum Platone illum prius comparaverat, qvæ tamen pericope temporum injuria periit. Comparationem cum Cicerone, cum paucis abſolvatur, & tamen elegantiſſima ſit, nec ab inſtituto noſtro aliena, age huc, è verſione Jac. Tollii, apponemus. *Eſt hic* (inqvit Longinus de Demoſthene) *prærupta ſublimitate ſtrictior & conciſior: Cicero vero magis fuſus: noſtrum, quod vi, celeritate, robore, vehementia animi denique, cuncta inflammet ſimul & abripiat, procelloſo cuidam turbini, vel fulmini, recte comparaveris. Contra ea Cicero, velut longe lateque ſerpens flamma, cunctaque depaſcens, &, poſt multos gyros ac ambages, in ſe ſemper revoluta, cum copioſum habet ignem, tum qui perſeveret, partitisque vicibus nunc hanc nunc illam materiæ partem corripiens, non ante ceſſet, quam cuncta abſumſerit, ſeque ipſe expleverit atque ſatiaverit.* En tibi diſcrimen inter granditatem Demoſthenis atqve Ciceronis: de hac enim ſola Longino ſermo. Uberius vero, operoſis duabus Vitis idem argumentum Plutarchus eſt exſecutus, qvi late nec minus docte ſingula utriusqve exponit, ſecutus hunc è Gallis recentioribus elegantiſſimus Renatus Rapinus novam duorum Eloqventiæ principum comparationem ſcripſit vernaculo ſermone, & qvidem talem, qvæ non poteſt non vehementer eſſe ad palatum omnibus, qvotqvot elegantiorum literarum guſtu imbuti ſunt. Longinus vero, præter hanc Demoſthenis cum Cicerone collationem, aliam qvoqve ejusdem cum Hyperide inſtituit, è qva paulo ante nonnulla etiam à nobis prolata ſunt, & qvæ plane itidem eſt, ut ſunt omnia Longini, ad unguem facta: *Sect.* 34. Plura de Demoſthene, illiusqve præſtantia, non addo, cum ubiqve ejus Elogia occurrant. Atqve utinam non laudaretur ille & algeret! qvod commune bonorum Auctorum, & imprimis Græcorum, fatum Demoſthenem qvoqve publicæ calamitati involvit; dum interea, deſertis adeo limpidis fontibus, certatim ad lutoſos impuroſqve rivulos decurrere homines imperitos, & ſe ſatiare iisdem, velut ipſius Hippocrenes aqvis, cernimus. Sed ſurdo fabulam narramus. Demoſthenis Opera *primus è tenebris eruit*, & Orationes illius 62., cum Libanii argumentis, & Vita Autoris per Libanium & Plutarchum ſcripta in lucem protraxit Græce, Venetiis 1504. in fol., magnus ille Græciæ renaſcentis ſtator, Aldus Manutius: qvi, præcedente jam anno 1503., Ulpiani in 18. orationes Demoſthe-

nis Commentarios, una cum Lexico Harpocrationis (de qvo ſupra ſuo loco à nobis actum), ediderat. Ulpiani ſcholia Demoſtheni ad marginem junxit, ubiqve textui adaptata, Joh. Hervagius Baſileæ, qvi, poſt Aldum, Demoſthenis Opera Græcè excudit, adjecitqve collectas à Joh. Oporino, ex Eraſmi, Budæi, aliorumqve, lucubrationibus Annotationes in 26. primas Orationes Demoſthenis; promiſſis etiam notis in reliqvas Orationes; & locorum qvorundam variis lectionibus, ad vetuſtiſſimum exemplar, à Pet. Daneſio collatum. Verum, obſervante Geſnero, horum poſtea nihil præſtitum eſt. Interea, cum Viri docti complures ſingulas hactenus Orationes Demoſthenis Latine reddidiſſent, primus omnia illius Opera in eum ſermonem tranſtulit, ſeu translatas ab aliis Orationes revidit, ediditqve Hier. Wolffius, (nam etſi Carolus Clutinus, Pariſienſis, Orationes omnes Demoſthenis, una cum Libanii argumentis, & Ulpiani Commentariis, ante Wolfium tranſtuliſſe à Mich. Neandro perhibeatur, ab eodem tamen illas, immatura morte præventus, non ediſſe dicitur. Præfat. Erot. L. Gr. p. 231.) primo A. 1545. Tomis 5. in 8., apud Joh. Oporinum: &, cum ille doctiſſimi Wolfii labor eruditorum calculis approbaretur, factum eſt, ut mox ſecundum, atqve item tertium, ederetur. Tandem vero, è qvarta Interpretis recognitione, una cum Æſchinis Orationibus, Commentariis Ulpiani, Wolfiiqve notis, prodiit elegantiſſima Demoſthenis Editio, Baſileæ apud Epiſcopum A. 1572., cum biennio ante Græcè tantum, cum Commentariis Ulpiani, Pariſ. 1570. fol., ex Dion. Lambini & Guilh. Morelii recenſione prodiiſſent. Francofurti vero A. 1604. apud Marium, Baſileenſis poſtrema Editio recuſa eſt. Epiſtolas Demoſthenis, in volumine veterum Epiſtolarum Græcarum, Venetiis 1499. in 4. publicavit Aldus.

9. Amicus Demoſthenis & æqvalis, HYPERIDES Athenienſis, nec ſegnior patriæ libertatis, qvanqvam jam expirantis, Promachus (pro qva & mortem oppetiit, ab Antipatro, linguâ præciſâ, interemptus) *Orationes* 52. genuinus reliqverat, Photii tempore adhuc ſuperſtites: è qvibus tamen hodie nonniſi pauciſſimæ ſuperſunt, & eæ qvidem ſub falſis nominibus, Æſchinis, nempe cui Deliacus male vulgo rtibuitur, & Demoſthenis, cujus Oratio de conventis cum Alexandro, Libanio judice, Hyperidi potius adſcribenda eſt. Tanta autem fuit eloqventia Hyperidis, ut, Longino ſententiam ferente, plures etiam virtutes, ſed non tanti momenti, poſſederit, qvam Demoſthenes, cujus aliàs ſtrenuus imitator erat: &, referente Photio Cod. 266., dubitatum ab aliqvibus ſit, uter ex duobus alteri præferendus eſſet; cum non deeſſent, qvi pro Hyperide ſeutentiam ferrent: qvem etiam, ſi venuſtatem ſpectes orationis, dulciſſimamqve animos blanditiis penetrandi vim, Demoſthene ſuperiorem, ipſe Longinus non diffitetur: cujus caput 34. hîc omnino conferri meret. Mirum vero eſt, qvod, cum Hermogenes Hyperidem carpat, ob non ſervatum, ut decebat, τὸ καθαρὸν καὶ ἠθικὸν, *terſum ac moratum genus*: Longinus contra in eodem laudet, qvod τό τε ἠθηκὸν ἔχει μετὰ γλυκύτητος ἡδὺ, λιτῶν ἐφηδυνόμενον, *in morata oratione ſuavitatem obtineat, eximia qvadam dulcedine, absque ſatietatis & faſtidii periculo, leniter imbutam.* Eſtqve hîc præferendus Hermogeni Longinus. Porphyrius, apud Euſebium Præpar. Evang.

Evang. lib. X. c. 3., Hyperidem plagii reum agit, & ex Demoſthene tranſtuliſſe in ſuas Orationes, ſed parum feliciter, aliqva ſuſpicatur: qvod nos qvidem dubium arbitramur. Qvidni enim in easdem cogitationes forte devenire potuiſſet uterqve, absqve ullius furti crimine. Facile autem intelligitur, dum, nonniſi inter Demoſthenis Æſchinisqve orationes Hyperidianas legi, dictum eſt, nec aliam qvoqve peculiarem earundem Editionem prodiiſſe.

10 Superſunt adhuc è decem Oratoribus recenſendi DINARCHUS & LYCURGUS, qvorum ille Corinthius Athenis cauſas egit, non tam ipſe in foro ſuas orationes recitans, qvam aliis recitandas tradens. Obiit, juxta Suidam, poſt Antipatri mortem, à qvo præfectus Peloponneſo fuerat, inſidiis Polyſperchontis interemptus. Photius vero cod. 267. poſt Antipatri mortem illum Athenis, & actitaſſe cauſas, & feliciſſimam in civitate vitam tranſegiſſe, ſcribit, amicumqve factum Caſſandro: cumqve ob id ipſum ſuis ſuſpectus redderetur, Chalcidem abiiſſe, & tranſacto ibi qvindecennio rediiſſe Athenas, ibidemqve ſenem admodum, poſt bonorum ſuorum magnæ partis jacturam, deceſſiſſe. Ut adeo non audiendus hic Suidas ſit. In Orationibus ſuis Dinarchum aliqvando Hyperidem, ſed ſæpius Demoſthenem, eſſe imitatum, idem Photius refert, à qvo & incitatum ad affectus commovendos, vehemensqve dicendi genus, tum ſchematum qvoqve typum & varietatem imitando addiſcere anniſum ait: Non ſemper tamen eâdem felicitate, ſed haud raro præter rem turgidus: qvapropter & obſervante Hermogene περὶ ἰδεῶν, à nonnullis κρίθινος Δημοσθένης, *Demoſthenes hordeaceus*, falſe appellatus eſt. Porphyrius, loco paulo antea allegato, Dinarchum in Oratione I. contra Cleomedontem, multa è Demoſthenis Or. adv. Canonem totidem verbis deſcripſiſſe, notat. Ceterum, è 64. ejus Orationibus genuinis (qvibus ſpuriæ connumeratæ numerum 160. Suida referente, confecerant,) nonniſi tres hodie ſuperſunt Græcæ ab Aldo Stephanoqve editæ. Græcè & Latinè Hanoviæ in 8. 1619. ubi & Lyſias, & Antiphon, & Iſæus, ceteriqve, qvos recenſuimus, exceptis Demoſthene & Iſocrate, duobus tomis in lucem editi ſunt; præmiſſis qvoqve eorundem Vitis è Philoſtrato, niſi fallor.

LYCURGUS Athenienſis in maximis dignitatibus, (qvippe qvi per annos 15. ærarii præfectus erat aliisqve rebus bello & pace ſummis admotus eſt) maximisqve opibus, tanta tamen morum innocentia vixit, ut jam morti vicinus ſe in fanum matris Deûm, atqve in curiam, deferri juberet, qvo ibi, ſi qvis eſſet actæ hactenus vitæ accuſator, pœnas criminum, ſi convinceretur, daret adhuc: nemine tamen, niſi Meneſechmo impudentiſſimo calumniatorum, culpare in eo qvicqvam auſo; prout Photius atqve Suidas referunt. Orator erat haudqvaqvam extemporaneus, ſed qvi longa meditatione, curisqve longis, opus haberet, ingenio qvippe natura tardiore ſed qvod ferrea laboris aſſiduitate correxit. Hinc factum arbitror, ut urbanus nunqvam aut ſuavis ſit, ſed ſerius ſemper, ubiqve fuſus, elatus, gravis, imo gravitatis propemodum exemplar, οὗ χρὴ ζηλοῦν μάλιστα τὰς δεινώσεις; ut Dionyſius Halicarnaſſenſis loqvitur. Ejus Orationes, ab Aldo Stephanoqve editæ, a Cantero in Latinum Idioma transfuſæ ſunt. 11

12 Qvemadmodum vero vivida illa fori eloqventia, atqve igneus ad populum perorandi vigor vix in alia niſi in libera republica, locum invenit: dum ſub principibus virtus iſta molleſcit veluti, & è concitato vehementiqve dicendi genere remiſſius placidiusqve; è gravi, maſculo ſublimiqve blandum, & qvod placere magis, qvàm movere, ſtudet, evadit: ita ſane apud Græcos idem, poſt feralem Græcæ libertatis everſionem, accidiſſe, teſtis omni exceptione major Cicero nobis eſt: qvi, lib. II. de Orarore poſt recenſitos Iſocratem, ejusqve diſcipulos, in dicendo principes, poſt nominatos Demoſthenem, Hyperidem, Lycurgum, Æſchinem, Dinarchum, illuſtres cauſarum patronos: *Hi*, inqvit, *aliique complures, etſi inter ſe pares non fuerunt, tamen ſunt omnes in eodem veritatis imitandæ genere verſati. Quorum, quamdiu manſit imitatio, tamdiu genus illud dicendi ſtudiumque vixit. Poſtquam, extinctis his, omnis eorum memoria ſenſim obſcurata eſt, & evanuit, alia quædam dicendi molliora ac remiſſiora genera viguerunt. Inde Demochares, quem ajunt ſororis filium fuiſſe Demoſthenis: tum Phalereus ille Demetrius, omnium iſtorum mea ſententia politiſſimus, aliique eorum ſimiles extiterunt.* Autor Dialogi de cauſis corruptæ eloqventiæ, qvem aliqvi Tacitum, nonnulli Qvintilianum, alii Julium Gallionem, putant, idem ſane in Romanis qvoqve Oratoribus obveniſſe monet: ſcilicet, ut antiqvus ille vividus dicendi character, ille impetus juſtaqve in dicendo maturitas, qvæ in Ciceronis, Grachi, Craſſi, aliorumqve, Orationibus deprehenduntur ſucceſſu temporis in calamiſtros neſcio qvos, & præpoſteros tinnitus deflecteret; qvales in Mæcenatis Gallionisqve ſcriptis occurrant: qvibus qvidem tantopere Anonymus iſte indignatur, ut dicat, *malle ſe Oratorem vel hirta toga induere, quam fucatis & meretricis veſtibus inſignire. Neque enim* (ita pergit rationem reddens) *oratorius iſte, imo hercule ne virilis quidem cultus eſt, quo plerique temporum noſtrorum Auctores ita utuntur, ut laſcivia verborum, & levitate ſententiarum, & licentia compoſitionum, hiſtrionales modos exprimant: quodque vix auditu fas eſſe debeat, laudis, & gloriæ, & ingenii loco plerique jactant, cantari ſaltarique commentationes ſuas.* Hæc ille: qvi, inter ceteras corruptionis tam fœdæ cauſas recte etiam Reipublicæ Democraticæ in Monarchiam mutationem recenſet, Oratoribus nempe mirum qvantum adverſam. Nimirum longe plura à populo obtinebant Oratores, qvam à Monachis ùnqvam expectare poterant: cum ſcilicet mixtis omnibus, & moderatore uno carentibus, tantum qvisqve Orator ſaperet, qvantum erranti populo perſuaderi poterat. *Et quanto quis plus poterat dicendo, tanto facilius honores aſſequebatur, tanto magis in ipſis honoribus collegas ſuos anteibat. Hos ituri in provincias magiſtratus reverebantur, hos reverſi colebant, hos & præturæ & conſulatus vocare ultro videbantur: hi neque privati quidem ſine poteſtate erant, cum & populum & ſenatum conſilio & poteſtate regerent: quin imo ſibi ipſi perſuaſerant, neminem ſine eloquentia aut aſſequi poſſe in civitate, aut tueri conſpicuum & eminentem locum &c.* Hi tot ſimilesqve complures ſtimuli cum in monarchia penitus ceſſent, mirum non eſt, ſi remiſerit etiam dicendi vis.

13 Atqve adeo, ut ad Græcos nunc revertamur, magna fuit Athenis, poſt nobiliſſimam

mam illam Decadem, Oratorum penuria: cum præſertim id ſemper maximo ſtudio agerent Græciæ ex Antipatri & Antigoni ſtirpe Reges, ne qvis Orator alicujus nominis Athenis eſſet, qvem iſti hoſtem, libertas vero adſertorem, experirentur. Præterea tot inteſtina Bella, qvibus Græcia univerſa ambitione Regum, ſe mutuo atterentium, ad internecionem fere qvaſſata eſt, ingenuis artibus nuncium ad tempus miſerunt. Non tamen defuêre unqvam, qvi dicendi artem excolerent inter Græcos; & qvi Latinos, Româ ad ſe proficiſcentes, inſtruerent: qvorum, etſi à decem illis maximo intervallo ſejunctorum, ductu ad id culmen Latina pervenit Eloqventia, ut victis longe Græcis inferioribus magiſtris ſuis, cum ſupremis etiam de palma decertare auderet. Sed de Latinis qvidem, qvi ad noſtram pervenerunt ætatem, abunde ſupra. De Græcis, qvi, ab illo Regum, Antigoni poſterorum tempore, usqve ad Imperatores Romanos viguerunt, nil propemodum, niſi nomina & Elogia, ſuperſunt: de qvibus Voſſius.

Inter eos autem Recentioris ævi Sophiſtas (Græcos namqve ad hos nunc progrediemur,) qvi ſub Imperatoribus aliqvod ſibi nomen pepererunt, & ætate eminet, & dignitate, DIO PRUSÆENSIS, CHRYSOSTOMUS ab inſigni facundia cognominatus. 14
Hic ſub Domitiano Imp. clarus Sophiſta, mox Philoſophus, & Philoſophorum Apollonii Thyanæi, Euphratisqve Tyrii, auditor & familiaris, cum à Principe Philoſophos undiqvaqve pelli audiret, ſponte ad Getas exulatum abiit. Inde reverſus poſt Domitiani mortem, Trajano tàm carus fuit, ut aurato ſuo receptum vehiculo aſſidere ſibi à latere pateretur Princeps Dionem. Multis vero erroribus doctorum Virorum anſam Autor iſte præbuit: dum nonnulli cum Dione Caſſio illum confundunt, (cujus tamen proavus maternus erat), qvod à Raph. Volaterrano & Antonio Bonfinio eſſe factum annotat in Bibliotheca fol. 208. b. Geſnerus. Notandum tamen, cum Geſnerus Bonfinium, *Getica* Dioni Pruſæenſi tribuentem, caſtigat, eaqve ex Suidæ auctoritate potius Dioni Caſſio tribuenda exiſtimat; falli & Suidam ipſummet, & Geſnerum cum illo, Voſſiumqve de Hiſtor. Gr. p. 238., aliosqve Suidæ Aſſeclas: ſiqvidem Philoſtratus in Dionis Pruſ. vita diſerte hunc *Getica* poſt exilium ſcripſiſſe teſtatur. Ceterum alii Pruſæum à Chryſoſtomo Dione diſtinguunt, qvod in Catalogo Bibliothecæ Bodlejanæ fit: demum alii, in recenſendis ejus Editionibus, non ſatis accurate verſantur: nam, in Catalogis Bodlejano & Thuanæo, refertur qvædam Editio Dionis Græca Aldina in 8., cujus tamen annus neutrobiqve appoſitus cernitur. At enimvero, cum Geſnerus, in Bibliotheca, Dionis orationes, ut ineditas, ex Diegi Hurtardi de Mendoza, aliaqve itidem Itala Bibliothecis recenſeat; qvi tamen Aldinas Auctorum Editiones & noverat accurate, (qvippe Catalogum librorum, in Aldi officina impreſſorum, ſuis Pandectis inſerens,) nec unqvam omittere conſuevit; non dubito, qvin Aldinæ loco reponenda in Catalogis illis Veneta alia ſit, Anno 1551. apud Feder. Turriſanum, Andreæ, qvi ſocer Aldi fuerat, filium, in 8. excuſa, qvam Simlerus recenſet: & qvam ab Aldo ipſomet editam forte inſpectus obiter Delphinus, anchoræ circumplexus, perſuaſit, qvi & aliàs Viris doctis impoſuit. Proxima poſt Venetam Pariſienſis eſt Græca Dionis Pruſæenſis Editio, apud Andr. Wechelum A. 1554. in 4. excuſa. Hanc anno uno inſecuta

 Lati-

Latina Baſileenſis, ex interpretatione Thomæ Nageorgii, apud Oporinum impreſſa A. 1555. in fol., & Venetiis alia ab Hieron. Zenaro ſive apparata, ſive emendata, A. 1585., ubi & Græca qvædam Editio Dionis in 4. 1567. prodiit. Demum nitidiſſimam Dionis Editionem Græcam & Latinam, è verſione Nageorgii, reviſa à ſe, una cum Iſ. Caſauboni ad Dionis Orationes diatriba doctiſſima, præfixisqve Excerptis Photii, Vita Dionis è Philoſtrato, & Syneſii Cenſura, adornavit Pariſ. A. 1604. fol. apud Claudium Morellum Federicus Morellus, qvi textum ipſummet è Regiis aliisqve Codicibus MSS. emendavit, ſuaqve inſuper ſcholia, animadverſiones & Conjectanea adjecit. Idem ſpeciminis loco anno 1598. Orationem Dionis unam de lege Græcè & Latinè ediderat in 8. Sunt vero & aliæ ejus Orationes ſeparatim excuſæ: v. g. de Ilio à Græcis non capto (id enim Dio audaci oratione, adverſus omnem totius antiqvitatis conſenſum, defendere aggreſſus eſt) Gr. & L., cum Scholiis Laur. Rhodomanni, ap. Wechelianos hæredes Hanov. 1604. in 8. qvæ & ſæpius alibi recuſa eſt: de Homero Oratio Græce Pariſ. 1566., & Latine Baſil. 1544. in 8. Orationes qvatuor de ſervis, ſervitute & libertate Pariſ. 1555. in 4. Græc. Oratio de non temere credendo, Latine per Joach. Camerarium Norib. 1531. in 8., de regno Orationes 4. (ſive, ut Interpres vocavit, libri: cui etiam accedit Caſauboni Diatriba in Dion. c. 2., qvi inepte Orationes vocari putat, qvas ipſe Auctor διατριβὰς φιλοσόφȣς appellet,) Latine ab Andr. Mylio converſæ Roſtochii 1578. in 4., & aliæ forſan adhuc plures. Ceterum eò cariora doctis Opera hujus Dionis ſunt, qvò magis non ſolum ſtili & orationis nitore, pro iis ſane temporibus prorſus eximio, ſed & rerum inibi contentarum momentis, eminent: non minus ſapientem reddere lectorem apta, qvam probum.

15 Dionis σύγχρονος erat ſub Trajano POLEMO Laodicenſis, qvanqvam & ſub Hadriano adhuc vixerit: Sophiſta Smyrnenſis, qvi 56. annorum ſenex, morbo articulari confectus, ipſe ſe vivum adhuc ſepulchro ingeſſit. *Orationes* ejus aliqvot, ſive Declamationes potius (non alii enim niſi ſcholarum uſui inſerviebant iſtæ Sophiſtarum μελέται), junctas cum Himerii Declamationibus, edidit Græcè Henr. Stephanus An. 1567. in 4., alias vero duas, cum Latina interpretatione & notis, A. 1637. in 8. Pet. Poſſinus. Hujus loci non eſt ejus *Phyſiognomicon*, qvod Romæ primum Græce à Camillo Peruſco An. 1545. in 4., & Venetiis Latine 1552., in lucem prodiit. Æqvalis Polemoni, vel, ut alii referunt, Auditor erat HERODES Atticus, Sophiſtarum longe celeberrimus, & qvi ſui, dum viveret, nominis fama omnes facile anteibat, magnitudine ſenſuum, & ſententiarum ſublimitate, conſpicuus. Supereſt una ſolum ejus *Oratio de Republica*, Græce ab Aldo, Stephanoqve, Latine à Guilh. Cantero, Græce & Latine apud Wechelianos, Hanoviæ edita.

16 Utriusqve horum & Polemonis, & Herodis, diſcipulus ſuis magiſtris non minor, ÆLIUS ARISTIDES, ſub Antonino Pio, & Marco, vixit, Adrionopoli Mœſiæ oriundus, ſed Sophiſta Smyrnæus. Hujus *Orationum* neqve finem, nec numerum eſſe, refert Suidas, & identidem novas denuo reperiri ait. Verum, nihil numerus earundem præſtantiæ derogavit, neqve impedire potuit, qvo minus ampliſſima ex iisdem Excer-

Excerpta Photius ſuæ Bibliothecæ inſereret *cod.* 246. 247. & 248. *Vitam* Ariſtidis, inter Sophiſtarum Vitas ſcripſit Philoſtratus. Eunapius, in Vita Libanii, eum θεῖον vocat. *Orationes* illius duas de laudibus Athenarum, & urbis Romæ, Aldus Collectioni ſuæ XII. Rhetorum inſeruit An. 1513: poſtmodum Ariſtidis Orationes 56. Græce Florentiæ A. 1517. in fol. prodierunt. Latine illas reddidit Guilh. Canterus, cum cujus verſione, & Variis Lectionibus, in duo volumina diſtributæ prodierunt apud Paulum Stephanum, Genevæ A. 1604., cum ſeparatim Verſio Canteri Baſileæ A. 1566., apud Pet. Pernam, eſſet impreſſa. Neqve vero ſolùm Orationibus de eloqventiæ ſtudio bene mereri voluit Ariſtides, ſed & Rhetoricis libellis aliqvibus de civili, & de ſimplici oratione, qvos Aldus An. 1508. publici juris fecit. Apologia pro Rhetorica arte contra Platonem tribus Orationibus abſolvitur, & qvarta Periclem, Miltiadem, Themiſtoclem & Cimonem, qvatuor Viros, qvod non adulatores fuerint, ſed Oratores, defendit. Ariſtidis Orationes, cum ſcholiis Græcis, Romæ extare refert in Bibliotheca Simlerus, & illa ſcholia eſſe Sopatri conjectat, illius nempe, cujus præfatio in libros de Rhetorica, & de qvatuor Oratoribus, in Florentina editione conſpicitur. Refert qvoqve, Phyſicam Ariſtidis Romæ latere, cum prolegomenis cujusdam de vita ipſius, & arte dicendi. Artem vero illam Ariſtidis in dicendis, qvæ præmeditatus fuerat, plane admirandam eſſe Voſſius judicat, de Nat. Rhetor. c. 12. p. 87. Addit etiam eum ad ſubitam dictionem minus idoneum fuiſſe: qvod ipſe, ut excuſaret, ajebat, non eſſe ſe ex eorum numero, qvi vomerent, ſed qvi cum cura dicerent. Cujus dicti Eunapius in vita Proæreſii meminit. Ceterum Jac. Gaddius perpetuum vitium in Ariſtidis orationibus parenthyrſum notaſſe vult; i. e. ineptam Affectuum concitationem, ubi trægœdia in nugis agitur, & in rebus parvis magnæ ad accendendum faces adhibentur, adeoqve, ubi mediocribus opus eſt, modus omnis exceditur: de Scriptor. Non-Eccleſ. p. 51., qvam recte, hîc non inqviro: ſane non perpetuum arbitror.

Poſt Ariſtidem claruerunt eloqventiæ laude LONGINUS Zenobiæ dicendi magiſter, & à ſcribendis Græcis Epiſtolis: de qvo *capite præced.* actum, ut & de HERMOGENE Ariſtidis coævo. PROÆRESIUS, qvarti poſt C. N. ſeculi Sophiſta, ſub Juliano Imp., ad ſummum absqve dubio apicem famæ, ſuâ ſibi facundiâ partæ, pervenit, aliqvando pro Deo habitus: & qvem, jam ante Julianum, etiam Conſtantinus magnis honoribus affecit. Sed, qvia nihil ex ejus μελέταις, ſ. Declamationibus, qvas ediderat, ad nos pervenit, malumus ad Eunapium lectorem remittere, facundiſſimum ejus vitæ Hiſtoricum & Panegyriſtam, qvam nimis pauca de illo dicere. 17

Poſſet vero, niſi Auguſta dignitas illum ſublimiori in gradu collocaſſet, Sophiſtis annumerari ipſe etiam JULIANUS IMP., qvô nimirum nemo magis Sophiſtas ſui temporis coluit, nemo avidius eſt imitatus, nemo familiarius cum iisdem vixit. Extant profecto adhuc ejus *Orationes* aliqvot, & *Epiſtolæ* complures, non à Scribis, ut mos alias Principum rarorum eſt, alienâ manu, ſed ab ipſomet compoſitæ, & ad omnem, pro illorum temporum genio, elegantiam factæ. Accedunt *Cæſares & Miſopogon*, Satyræ duæ, prior in Imperatores, qvi præceſſerant, altera in Antiochenſes, æqvè 18

adi

ad ingenium oſtentandum ſcriptæ. Ediderunt Juliani Opera conjunctim primi Petrus Martinus, Carolus Cantoclarus & Theod. Marcilius Pariſ. 1583. in 8., una cum Variis Lectionibus notisqve & Latina interpretatione librorum aliqvot: ſed liber περὶ βασιλείας, ut & *Hymnus in Solem* Latinè redditi ſunt, qvamvis de poſteriori id affirment aliqvi, & Marcilio verſionem tribuant, in qvo tamen falluntur. Ceterum Cantoclari Verſionem non magni æſtimat Voſſius de Hiſtor. Græc. lib. II. p. 250. ſed illi aliam Petri Cunæi, etſi tum admodum adoleſcentis, Verſionem, ut haud paulo feliciorem, præfert (*b*). Auctiora dedit Opera Juliani, Dionyſius Petavius, addita Latina Verſione ſua & notis. Pariſ. 1630. in 4., poſtqvam ante ſedecim annos tres ejusdem Orationes Panegyricas, è MSS. Regiæ Bibliothecæ primùm erutas, ſeparatim A. 1614., cum Latina Verſione notisqve ſuis, Flexiæ edidiſſet, qvod ipſum Colomeſio, ut videtur, impoſuit, ut qvædam tantummodo Juliani à Petavio edita putaret, Gall. Orient. p. 218. Tandem & nuper Vir Illuſtris, Ezechiel Spanhemius, Julianum emendatum denuo à ſe, & lacunis aliqvam multis ſuppletum, illuſtratumqve notis, edidit Lipſiæ 1696. in fol., ita, ut ampliores adhuc Commentarii Tomo ſecundo expectentur. Ceterum, priusqvam Opera Juliani à Viris doctis colligerentur, ſeparatim aliqva illius identidem in lucem emiſſa ſunt. Epiſtolas primus aliqvot publicavit Aldus, in Collectione Epiſtolar. Græc. 1499. in 4. Miſopogona, cum Epiſtolis, Andr. Wechelus Francofurti 1565. in 8. De Cæſaribus illud obſervandum, eos prout Voſſius annotat de Hiſtor. Græc. lib. II. c. 18. p. 250., in veteribus libris Κρόνια, i. e. *Saturnalia* & *Sympoſium*, inſcribi: male, ut arbitror, cum è Suida conſtet, aliud plane à Cæſaribus ſcriptum Juliani, Κρόνια fuiſſe. Interea tamen, ſub *Sympoſii* titulo librum prodiiſſe Baſileæ, à Bonav. Vulcanio Latinè verſum, refert in Bibliotheca Gemeriana Simlerus: qvem non recte inſpexêre, qvi ex ejus teſtimonio perhibent, Miſopogonem à Vulcanio eſſe verſum & Baſileæ editum. Idem Simlerus, in Strozzæ Bibliotheca duo Juliani in Solem Encomia ſervari refert: cum impreſſus nonniſi unicus hymnus extet.

19 Inter Sophiſtas eos, qvibuscum Julianus Imp. familiare commercium Epiſtolicum coluit, & qvos præcipuè honoravit, haudqvaqvam poſtremus eſt LIBANIUS, patriâ Antiochenus, qvi Rhetoricam artem (qvam e veterum lectione ſuo inprimis ductu didicerat) Conſtantinopoli, tunc haud adeo pridem dedicatæ, Nicomediæ, & in patria ſua, profeſſus, magnoqve auditorum concurſu ubivis inclutus, à Juliano Imp. Qvæſtor factus eſt: à qvo &, referente Socrate Hiſt. Eccl. L. II. c. 1., juvene adhuc Nicomediæ clam erat in Eloqventiæ magiſtrum electus. Eſt vero à ſecutis qvoqve Imperatoribus honoratus, adeo, ut Theodoſius illum Prætorio Præfectum crearet: in qva etiam dignitate ſenex admodum deceſſit. Si qvis illum ex diſcipulis judicet, Baſilio atqve Chryſoſto-

(*b*) Pet. Cunæi Verſio Cæſarum Juliani Imp. Latina, & præfixa huic Præfatio pro Juliano Apologetica, una cum Cunæi ipſius *Sardis Venalibus* ſive *Satyra in hujus Seculi homines pleros que inepte eruditos Menippea*, Nicolai item Rigaltii *Funere Paraſitico*, & Juſti Lipſii *Satyra Menippea*, Lugduni Batavorum ſæpius prodierunt. Qvinta Editio, quæ ad manum jam eſt, illic A. 1620. in 12. eſt excuſa.

ſoſtomo, næ is magnum Oratorem illum putabit. Et tamen Orationes Libanii, qvarum magna ſatis copia hodieqve ſupereſt, plane non eas eſſe, qvas à tanto ingenio magiſtroqve dicendi aliqvis expectet, ſed aſperas, ſalebroſo dicendi genere multaqve obſcuritate implicitas, omnes uno ore fatentur. Eunapius adeo abjecte de illis ſentit, ut dictionem plane mortuam judicet, ſucco & ſanguine, omniqve adeo vitâ, deſtitutam, & cui vulgaria qvoqve deſint, qvæ aliàs vix pueris ignorentur: cauſam inde arceſſit, qvod deſtitutus magiſtro Libanius ſuo unius ductu omnia perfecerit. Verum hîc nimis ſevere judicaſſe Eunapium, Libanio non usqve adeo æqvum, dubitari non poteſt. Sit enim in Orationibus ille ſalebroſus, ſit obſcurus, non tamen adeo elumbis eſt, nec pueriliter ignarus. Et qvi poſſet, qvi in epiſtolis, ne ipſo qvidem id Eunapio diffitente, mire comptus antiqvisqve ſua puritate & elegantia, inſperſoqve identidem ſale comico, comparandus eſt? Qvanto rectius igitur de illo Photius cenſet; nulla alia re ſibi magis obfuiſſe Libanium, innatasqve ſuæ dictioni gratias, & qvæ vel in ipſa ſe feſtinatione ſponte oggerebant, venuſtates corrupiſſe, ut in obſcuritatem degenerarent: qvam nimia diligentia, & præpoſtera rerum, qvæ rectius negligi debebant, cura: cum de cetero vere Canon & regula ſermonis Attici ſit. Obſervat præterea, longe illum ſeipſo præſtare in gymnaſticis declamationibus de objecto ficto ſcriptis, qvàm in Orationibus argumenti veri: qvod ibi ſcilicet ſuperſtitioſas inanesqve curas omiſerit: qvarum in his nimia copia. Audiamus ipſum. οὗτος δὲ, inqvit *Cod. 90.* ἐν τοῖς πλασματικοῖς αὐτοῦ καὶ γυμναστικοῖς λόγοις μᾶλλον ἐστὶν, ἢ ἐν τοῖς ἄλλοις, αὐτὸς ἑαυτοῦ χρησιμότερος. τῇ γὰρ παλλῇ περὶ τοὺς ἄλλους φιλοπονίᾳ τε καὶ περιεργίᾳ τήν τε ἔμφυτον τοῦ λόγου, καὶ αὐτοσχέδιον, ὡς ἂν τις εἴποι, χάριν ἐλυμήνατο καὶ τέρψιν, καὶ εἰς τὸ ἀσαφέστερον περιέτρεψε. πολλὰ μὲν ἐπισκοτίζων παρενθήκαις, ἔνια δὲ ἀφαιρέσει καὶ τοῦ ἀναγκαίου. τά δ' ἄλλα ἐν τούτοις κανὼν ἐστι καὶ στάθμη λόγου Ἀττικοῦ ἐστὶ δὲ δόκιμος κἀν ταῖς ἐπιστολαῖς. Nihil poterat mehercule magis ſanum dici. Eruditionem Libanii, qvæ in Orationibus ſe oſtendat, ipſe etiam extollit Eunapius: & inprimis laudat veneres ſtili, comicasqve urbanitates & lenocinia, qvæ τὸ κατὰ θύραν τερπνὸν καὶ γοητεύον τὴν ἀκοὴν vocat, *gratam ſenſibus ſuavitatem, atque aurium quandam veluti incantationem*, (*non illam à limine ſuavitatem*, uti nullo ſenſu Hadr. Junius transfert,) & cui velut præcipuo eruditionis Capiti Libanium inſudaſſe perhibet. Pro Chriſtiano Libanium Amphilochius haberi vult, eum ſcilicet converſum & baptiſmum anxie à Baſilio, ſuo diſcipulo, flagitantem, ferens, qvum Julianum in Perſia cæſum cognoviſſet. Verum, uti hoc ab Amphilochio eam ſolum ob rationem confictum videtur, ne forſan Marſilio, in cujus Vita fabulam illam narrat, detrahere aliqvid de famæ magnitudine videretur: ita longe aliter ſe rem habere, & Libanium potius omnem cæſi Juliani invidiam in ipſosmet milites Chriſtianos, qvos in exercitu habuit, conjicere, ultionemqve peculiari Oratione à Joviano Imp. flagitare, Langbænius obſervavit in Not. ad Longinum, æqve ridicule Chriſtianis ab aliqvibus accenſitum, περὶ ὕψους Sect. 9. Libanii Opera, uti longe plurima ſunt, ita per partes variis Editionibus prodierunt; ſed non ita tamen, qvin ineditorum hic illic magna ſatis adhuc copia ſit. Ut jam taceam

ceam Epiſtolas illas, qvas, cum Epiſtolis compluribus Græcis, Aldus publicavit &c.1499. Declamationes Libanii 39. editæ ſunt Græce Ferrariæ 1517. in 4., qvæ Editio longe rariſſima eſt: ut è Gallicis ad Scaligerum Epiſtolis, qvas Jac. Revius edidit, p.165. patet; ſcribit enim ibi Chriſtoph. Puteanus ad Scaligerum, nonniſi unicum in integra Pariſiorum urbe exemplar repertum fuiſſe. Poſtea Deſid. Eraſmus aliqvot Libanii Orationes, cum Latina verſione ſua, edidit Baſileæ in 4. 1522. Argumenta in Orationes Demoſthenis cum hujus operibus prodierunt. Epiſtolæ 12. ad Baſilium M. inter opera Baſilii. Aliæ ejusdem Epiſtolæ Latinitate donatæ per Franc. Zambicarium, Bononienſem, & emendatæ per Joh. Sommerfelt, cum Argumentis, prodierunt Cracoviæ 1504. in 4, prout Geſnerus in Bibliotheca fidem facit. Sed, cum idem refert, plurimas Libanii Declamationes jam olim ſatis craſſo Volumine Romæ typis impreſſas, valde vereor, ne Ferrarienſem editionem dicere voluerit, & memoriæ lapſu pro hac dixerit Romanam. Sed nemo magis, in Libanio è tenebris partim eruendo, partim vertendo, illuſtrando, emendandoqve laboravit, qvam Federicus Morellus, qvippe qvi non ſolum, in editis Libanii ſingulis Orationibus, an. 1601. 1602, & 1605. ſuam diligentiam demonſtravit; ſed & omnia collegit illius Opera, Orationes, Declamationes, Præludia Oratoria, Diſſertationes, Epiſtolas, ediditqve typis ſplendidis Pariſ. A.1606. in fol., Tomum primum; alterum vero ibidem 1627., poſtqvam intermediis annis 1610, 12, 13, 14. plurima itidem, aut ſingula, aut parvis collectionibus incluſa, Libanii edidiſſet. Qvanto autem ardore Morellus traducendo in Latinum ſuo Libanio inſudarit, ſufficienter docere poterit Hiſtoriola, ſeu fabella, qvam ex Iſ. Voſſii ore Colomeſius recenſet in particularibus p. 99. ſeq., ubi, neqve morbum feralem ſuæ Conjugis, nec Agonem, neqve deniqve mortem ipſam crebris nuntiis unum poſt aliud allata, abſtrahi ſe à traductione Libanii paſſus fertur avidiſſimus translator. Et tamen invita plane Minerva, Muſisqve renitentibus, illam Verſionem eſſe à Morello ſtructam, non poteſt dubitare, qvisqvis evolverit: adeo ne Latinis qvidem ſæpe ſenſus eſt: qvæ ſcribi ab illo potuiſſe longe magis adhuc miratur, qvi eadem Græcis applicat, videtqve toto ſæpiſſime cœlo aberrare. Jamdudum eſt, qvod idipſum monuit Henr. Valeſius ad Socratem. Etſi locus nunc non ſuccurrit; Ceterum, poſt Morellianam hanc Operum Libanii Editionem, novos qvosdam Sophiſtæ illius fœtus, antea ineditos, varii protraxerunt è tenebris Viri docti. Jac. Gothofredus ejus Orationes aliqvot, partim ad Imperatorum Conſtitutiones ſpectantes: partim templa gentilium à communi ruina, cui tum juſſu Theodoſii M. involvebantur, vindicantem, Græce & Latine, cum notis, vulgavit Coloniæ Allobr. 1631. & 1634. in 4. Deſcriptiones, & Progymnaſmata Rhetorica, Leo Allatius Romæ 1641. in 8. publicavit. Qvatuor Orationes alias, & inter has eam, qvæ occiſi Juliani ultionem expoſcit, hactenus ineditam; aliamqve, qvam pro ſeipſo ſcripſit Libanius aſperitatis criminatione impetito: (Gr. πρὸς τοὺς βαρὺν αὐτὸν εἶναι λέγοντας) itidem typis hactenus non exſcriptam: nec non funebrem Orationem Juliano ſacratam, qvam & corruptiſſimam, & ingenti lacuna mutilam, edidit Morellus, ſuæ integritati reſtitutam, paratas jam typis habet Vir qvidam Clariſſimus, & propediem, ut ſperamus,

ramus, edet, Latina verſione & notis doctiſſimis illuſtratas. Addet etiam Epiſtolas aliqvot ineditas Libanianas, ſed qvarum longe majorem adhuc numerum (trecentas credo) ſervat ſecum, aptiori occaſioni deſtinatas.

HIMERIUS Sophiſta Pruſia Bithyniæ oriundus, iisdem cum Libanio temporibus, eidem Imperatori Juliano acceptus fuit, & cum illo vixit: poſt cujus mortem peregrinationibus ſeſe dedit, &, cum extinctum audiret Proæreſium, conceſſit Athenas, ubi & ſenio, & comitiali morbo, conſumtus tandem periit. Erat & hic non è multis unus, ſed qvi in paucis utiqve dicendi peritia excelluit, judicibus Eunapio, Photioqve. Suidas refert illum Proæreſii æmulum Athenis ſcholam adverſus eundem erexiſſe; qvod etiam ex Eunapio concludi poſſe videtur, cum qvidem Himerium, ad Imperatorem, non ex invidia in Proæreſium, ſed ut ſe oſtenderet Juliano profectum refert, ſed tamen nonniſi poſt mortem Proæreſii Athenas eſſe reverſum addit. Ceterum Orationes Himerii laudat Photius, tum ob ſententiarum floriditatem & vim, ad Demoſthenis imitationem expreſſam, tum ob figurarum idearumqve, apte cum argumentis commiſtarum ſublime, cui dictio qvoqve ſatis pro dignitate reſpondeat, magno proprietatis, emphaſeos & perſpicuitatis ſtudio elaborata. Et id ipſum Photium qvoqve ſine dubio permovit, ut cum jam Cod. 165. de Himerio egiſſet, iterum tamen Cod. 243. ejusdem Declamationes in manus ſumeret, prolixiſſimis Eclogis præclara qvæqve & eximia ex iisdem excerpens. Qvæ ſuperſunt Himerii Declamationes, cum Polemone editæ ſunt ab Henr. Stephano Græce A. 1567. in 4. 20

Supereſt è Græcis adhuc unus, Sophiſtis temporum horum accenſendus, THEMISTIUS, Euphraſtes à facundia dictus, ſeu, ut Hermol. Barbarus voluit, à perpetua librorum Ariſtotelis enarratione Ecphraſtes: dubium, Philoſophus major, an Orator: certe qvi utroqve hoc genere eruditionis tantopere præ reliqvis eminebat, qvanto profundius ea erat ſcrutatus. Floruit & ipſe ſub Juliano, tum juvenis, & usqve ad Theodoſium M. vitam magna cum nominis ſui gloria protraxit: Chriſtianis etiam ea inprimis re acceptus, qvod Valentem Imp., hæreſi Ariana imbutum, & acerrimum Orthodoxorum perſecutorem, ſuis ipſe, Ethnicus licet, rationibus à ſævitie abſterruit mitigavitqve, prout Socrates L. IV. c. 32. & Sozomenus L. VI. c. 36. teſtantur. Perſuaſus enim erat Themiſtius, velle Deum varie ab hominibus coli, ut ſic eâ opinionum de ſe varietate attentos magis redderet ad reverendam majeſtatem ſuam Divinam animos, incomprehenſibilem illius eſſentiam, & ſui intellectus infirmitatem cogitantes. Philoſophus erat Ariſtotelicus, atqve hinc tantum non omnes Ariſtotelis libros ſuis Paraphraſibus illuſtravit, qvorum & bona pars adhuc ſupereſt Venetiis A. 1534. in fol. Græce, Aldinis, apud Turriſanum, ni fallor, literis excuſa: & ex Latina Hermol. Barbari verſione Baſil. 1533. in 4. Græce. Editioni Venetæ inſertæ qvoqve ſunt octo Themiſtii Orationes: qvas Latine vertit poſtmodum atqve ſeparatim edidit Baſil. 1559. in 8. Hieron. Donzellinus. Has ipſas Emendationes, & ſex novarum acceſſione auctas, Græce iterum publicavit Henr. Stephanus A. 1562. in 8. Stephanianas 14. duabus auxit, Latine omnes vertit, notas & Conjectanea ſua addidit, Dionyſius Petavius Flexiæ 1613. in 8. 21

Anno ſeqvente 1614. easdem, cum notis ſuis, edidit Pet. Pantinus Lugd. Bat. in 8. Auguſtales Themiſtii orationes, qvarum ſex ſunt, à ſophiſticis declamationibus ſejunctas, jam A. 1605. Ambergæ in 4. cum notis ſuis ediderat Georg. Remus. Petavius autem, non contentus XVI. Themiſtianas ediſiſſe, earundem nova editione dedit XX, Pariſiis 1618. in 4. cum animadverſionibus & notis. Imo ne ſic qvidem à conqvirendo qvievit; ſed tanta ſedulitate Veteres libros volutavit, ut, inventis novis 13., tandem XXXIII. Orationes Themiſtii poſſideret; jamqve undecim novas Latinè qvoqve reddiderat, cum eum mors abripit. Ergo ſucceſſit in labore Gabr. Coſſartius, & cum hic itidem fato præventus Orationem poſtremam ſine verſione reliqviſſet, Joh. Harduinus in ſe onus edendi Themiſtii ſuaſu Garnerii ſuſcepit: Auguſtales Orationes juxta ordinem chronologicum, qvo ſunt ſcriptæ, digeſſit; reliqvas eo, qvo ſunt repertæ: Petavianis notis ampliſſimas ſuas notas addidit, deditqve adeo Themiſtium omnibus fere numeris abſolutum: Pariſ. 1684. in fol. Memini tamen audiviſſe me, Harduinum è Petavianis in Themiſtium animadverſionibus inſignem aliqvam omiſiſſe, in qva Plinii locus qvidam forte inſigniter reſtitutus deprehendatur: idqve ideo factum ab Harduino dicebant, ut eo tutius latitaret illius plagium, emendationem ſibi, in ſua Editione Plinii, non ſine arrogantia adſcribentis. Verum hæc alii curent. Nos de Themiſtii Elocutione judicium Photii apponemus, qvi 36. illius Orationes legerat, ut è Codice 74. Biblioth. conſtat: ita vero ibi de Themiſtio: ἔστι δὲ τὴν φράσιν σαφής, καὶ ἀπέριττος, καὶ ἀνθηρός, καὶ λέξεσι πολιτικαῖς, καὶ εἰς τὸ σεμνόν τι ἐπικλινούσαις χρώμενος: *dictione utitur perſpicua, quæ ſuperfluis caret, floridaque, tum locutiones adhibet, quales iis qui in foro & judiciis* (non in umbra ſcholarum) *verſabantur, & quæ gravitatem aliquam præ ſe ferunt:*

22 Et hæc de Græcis Oratoribus & Sophiſticis dicta ſunt. De Latinis ſi Ciceronem, M. Senecam, Qvintilianum Pliniumqve, excipias, de qvibus ſupra, cum de Latinis Autoribus ageretur, actum ſimul eſt, nihil noſtram ætatem vidit: etſi feraciſſimum Virorum doctorum Ciceronis ævum qvamplurimos diſertiſſimos Viros, ipſiusqve Ciceronis æmulos, tulerit: Qv. Hortenſium, C. Curionem, C. Licinium Calvum, M. Brutum, M. Cælium, M. Callidium, C. Jul. Cæſarem Dictatorem: ævum Auguſteum non pauciores, M. Valer. Meſſallam Corvinum, C. Aſinium Pollionem, M. Porcium Latronem, T. Caſſium Severum, T. Labienium, Sext. Jul. Gabinianum, C. Aſinium Gallum Pollionis filium, Junium Gallionem, M. Senecæ filium ſecundo genitum: & alios à ſeculo qvidem aureo Auguſteo, qvam hi remotiores: de qvibus omnibus, ut & iis, qvi ætate Ciceronem anteibant Serv. Galba, Tib. & Cajo Grachis, C. Carcone, Q. Catulo, &c., more ſuo diligentiſſimè collectis Veterum teſtimoniis, agit Voſſius de Nat. Rhetor. c. 14. & 15., qvi legatur. Barbarorum vero Seculorum Oratores, ſi qvi tamen præter Eccleſiaſticos extiterunt, nihil moramur; ſed omiſſis iis, ad recentiores Viros Eloqventiæ laude inclutos, & orationum Scriptores progredimur.

CAP.

CAP. III.
DE ORATORIBUS RECENTIORIBUS.

§.1. HOrum Princeps eſt M. Ant. Muretus, (de cujus Impoſturis quædam adduntur Literariis,) iſti autem proximi Joh. Caſa, M. Ant. Majoragius, Aonius Palearius. 2. Sequuntur Tarqu. Galluccius, Dion. Petavius, J. Bapt. Evangeliſta, Jul. Nigronus, Janus Paſſeratius, Oct. Ferrarius, Pet. Joh. Perpinianus, Vinc. Guiniſius, Bonav. Baronius, Franc. Vavaſſor, Bernh. Stephonius, Jul. Cæſ. Scaliger, Itali pleriqve aut Galli. 3. Germanici ac Danici Oratores, Phil. Melanchthon, Ad. Theod. Siberus, Joh. Caſelius, Aug. Buchnerus, Matth. Berneggerus, J. Freinshemius, Joh. Henr. Bæclerus, Mich. Virdungus, Mich. Piccartus, Thom. Lanſius, J. Balth. Schuppius, Jac. Maſenius, Thom. Bartholinus, Chr. Schraderus. 4. Belgæ, Dan. Heinſius, Petr. Cunæus, Caſp. Barlæus, M. Z. Boxhornius, Dom. Baudius, Juſtus Lipſius, Eryc. Puteanus, Ant. Æmilius, Mart. Schookius. 5. Nicol. Nancelius, Jac. Crucius, Rein. Neuhuſius, Hier. Donatus, Pet. & Joh. Vinc. Gravinæ, Ant. Malagonellius, aliique è variis Gentibus Recentiores. (De ſingulorum, hactenus recenſitorum ſtilo, aliisque Dotibus aut Vitiis, Judicia ab Autore proponuntur, tum propria, tum interdum etiam aliena.) 6. Panegyricorum Recentiorum Collectio Hanovienſis. Judicium de Er. Roterodami, Joh. Wouvverii utriusque, & Val. Thilonis, Panegyricis. Index Panegyricorum aliquot Recentiorum, ſparſim editorum, &, ut junctim recudantur, dignorum. 7. Theſaurus Orationum Panegyricarum Gallicarum, An. 1665. editus. Italici, Eman. Theſauri, Aug. Maſcardi & Joh. Bapt. Mancini. 8. De Dictione Modernorum in Inſcriptionibus, aliisque Orationibus, Argutiarum plus juſto ſtudioſa, Variæ Eruditorum Cenſura, Exemplis κακοζηλίας iſtius nonnullis illuſtratæ. 9. De Dictione Ludicra, quam Galli Burlesqve vocant, à Franc. Vavaſſore impugnata, Judicium. 10. Inſcriptionum Origo à Jac. Gaddio, Conjectura dubia, à Græcis derivatur. Eman. Theſauri Comm. de Eloquentia illarum arguta Didaſcalicus. Inter Scriptores earum eminet idem Theſaurus de cujus Plagiariis, Nic. Avancino & Joh. Bapt. à Cruyce, quædam adduntur. 11. Ceteri earundem Artifices, Aloyſius Juglaris, Laur. Pignorius, Octav. Ferrarius, Alb. ab Ines, Lamb. Villafanus (aliorum Plagiarius,) Octav. Boldonius, Franc. Pona, Hier. Boncompagnus, Pet. Labbe, Leo Matina, & de ſingulis Judicia. 12. Jac. Maſenii & Chriſt. Weiſſii de Inſcriptionibus argutis Libelli. 13. Inſcriptiones J. Bapt. Maſculi, Laur. le Brun, J. Ant. Petramellarii, & aliorum, deque iis Judicia.

UT ſuperius ſeculum multos genuit fama Eloqventiæ ſuo merito inſignes, & 1
qvos ipſismet Veteribus aliqvando æqviparari potuiſſe dubium non eſt : ita palmam omnibus præripit, ſibi adeo depoſcit, M. ANTON. MURETUS,

Orator exqviſitiſſimus, de qvo jam aliqvoties à nobis variis occaſionibus di-ctum eſt. Inter alia recenſuimus alicubi *lib. IV. ſcil. Polyhiſt. Literar. c. XI. §. 3.* facetam illius impoſturam, qvâ Scaligero verſiculos aliqvot, à ſe factos, pro Veteribus obtru-ſit: & cujus Erythræus in Pinacotheca, Colomeſius in Particularibus aliiqve mentio-nem fecerunt. Addimus nunc aliam plane ſimilem, qvâ, ut emendationem qvandam ſuam Catulli eo felicius tueretur, verſum ſub Pacuvii nomine allegat, qvem tamen ipſe modo confinxerat, & qvi nullibi alias reperitur: obſervante ad Catullum Iſ. Voſſio p. 46., qvi addit: *Mirum, fraudem hanc non detectam fuiſſe à Scaligero, cui merito ſu-ſpecta eſſe debuerant merces ſub quocunq; demum titulo è tam doloſa prodeuntes offici-na; utpote qui adulterinis hujus viri verſibus deceptum ſe fuiſſe optime noſſet. Sed pro-fecto tanti apud Scaligerum ponderis fuit Mureti facundia, ut bis quoque ab eo paſſus ſit ſe decipi.* Sed, ut ad *Orationes* Mureti nunc regrediamur, certe, ſeu ſermonis nu-meriqve ſpectes eximiam puritatem & artificium, ſeu miram concinnitatem periodo-rum, Mureto peritior artifex non eſt: qvam ob rem etiam Joſ. Scaligero in Excerptis Puteanorum hoc nomine ceteris prælatus eſt. Editio Veneta 1583. in 8. & Ingolſta-dienſis 1600. ceteris haud dubie præſtant. JOH. CASÆ *Monumenta Latina* Oratio-nes & Epiſtolas comprehendunt, tàm nitido ſtilo ſcriptas, ut provocare ipſummet Ci-ceronem poſſint: adeo omnes perfectæ orationis numeros implent: prodierunt Flo-rentiæ 1567. in 4. Eſt hic ille Beneventanus Archi Epiſcopus, qvem de *Sodomiæ laudi-bus* librum ſcripſiſſe communis fama fert; qvæ plurimis Virorum fide dignorum te-ſtimoniis probari poſſet. Sed novimus defendiſſe Caſam, in ſuo Anti-Baileto, Mena-gium, variaqve conqvirere argumenta, qvibus illum à tam immani crimine excuſet. Interea tamen ipſe Menagius non negat, prodiiſſe omnino laſciva iſtiusmodi Caſæ ju-venis Carmina, *Capitolo di Forni* inſcripta, è qvibus intentatum illi crimen haud diffi-culter adſtruxeris. Sed nos qvidem illa tanto vehementius deteſtamur; qvanto ſe magis aliàs ſtyli puritas nobis probat. M. ANT. MAJORAGII *Orationes*, conjunctim primo Venetiis 1582. in 4. & inde aliqvoties, editæ & recuſæ, exqviſitæ Latinitatis lau-de privandæ non ſunt. Fuit enim Vir ille nitoris in iſtâ linguâ ſtudioſiſſimus: etiam, cum interpretaretur Ariſtotelis libros. Lites ejus cum Calcagnino & Nizolio alibi relatæ ſunt. Ad reſtituendam eo felicius Eloqventiam Latinam, morem declamandi in ſcholis, antiqvis temporibus uſitatum, reduxit, magnoqve cum applauſu Mediola-nenſium, qvam id eſſet utile inſtitutum, exemplis egregiis puerorum demonſtravit. Idem qvoqve tentaverat aliqvando AONIUS PALEARIUS, qvo Viro nemo unqvam felicius Ciceronem expreſſit, ut jam tum à nobis monitum eſt, cum ejus Epiſtolas re-cenſeremus. Sane ſunt ejus Orationes omnibus numeris abſolutæ: oſtenditqve inpri-mis, qvantum in dicendo valuerit, Oratio in L. Murænam, qvam Ciceroni contrariam ſcripſit Palearius, dictione, figuris, argumentis, adeo ſimilem Ciceroni, ut nec ovum ovo poſſit eſſe ſimilius. (Novam & nitidiſſimam Operum ejus Editionem nuper apud Ba-tavos Henr. Wetſtenius dedit, Amſtelod. 1696. in 8., cum præmiſſa optimi Palearii vi-tæ atqve Mortis Hiſtoria.)

TAR-

TARQVINIUS GALLUCCIUS, Jeſuita, *Orationes* ſcripſit, & ob ſtilum, & ob materias, commendandas, Coloniæ 1618. in 8. DIONYSII PETAVII *Orationes* elegantiſſimæ ſunt: ut fuit Vir in literatura ſubactus, qvem unum pene inter omnes Jeſuitas aliqvo numero habuit Scaliger; forte non habiturus, ſi tàm male ſe ab illo acceptum iri divinare potuiſſet. Prodierunt ejus Orationes Pariſ. 1620. in 8., Coloniæ ſeqventi anno recuſæ. JOH, BAPTISTÆ EVANGELISTÆ, Piceni, Orationes XLIV. magnum in titulo præ ſe ferunt elogium: dicuntur enim *Latinæ locutionis mirificam elegantiam, magnamque argumentorum varietatem accurate & docte diſpoſitam continere*, Venet. 1596. in 4. Enimvero phraſeologia in illis Orationibus Latina eqvidem eſt, ſed ſupra modum coacervata, periodiqve immanes, qvibus transmittendis vix ſpiritus ſufficiat. Utitur qvoqve JULIUS NIGRONUS, Jeſuita, in ſuis Orationibus, Moguntiæ 1610. in 8. editis, prolixioribus periodis, qvam decet cultam & elaboratam Orationem. JANI PASSERATII, qvi Pariſiis Eloqventiæ Profeſſor & Interpres Regius fuerat, *Orationes & Præfationes* varii argumenti, ibidem 1606. in 8. & 1637. editæ, eleganter qvidem, nec minus argute, ſcriptæ ſunt, ſed non ſervant Orationis illum tenorem, qvem reqvirit caſtigata illa Ciceronis Eloqventia, nec tam nitidæ, terſæ aut numeroſæ ſunt. OCTAVII FERRARII *Proluſiones*, ut vocat, Epiſtolæ & formulæ, primo Patavii editæ, dein Chemnitii in Germania recuſæ, ſimiliter aliqvid vernilitatis habent, etſi florido ſtylo ſcriptæ. Optumus autem in numero PETR. JOH. PERPINIANUS, Hiſpanus homo, cujus *Orationes*, Monaſterii in Weſtphal. 1602. in 8. & Coloniæ 1650. in 12. editæ, ſucci boni & ſtili ſunt, nam & Latine, & periodice, ſcribit. Qvapropter & tanti eum Janus Nicius Erythræus facit, ut, eum in Exteris omnibus etiamſi copioſe eleganterqve ſcribentibus, aliqvid peregrinitatis deprehendere ſibi videatur, nec orationem urbanitate qvadam veluti coloratam; duos tamen, Gallum & Hiſpanum Oratores, excipiat, Muretum, & noſtrum hunc Perpinianum: qvorum in orationibus recinere qviddam & reſonare adeo urbanum ait, ut in Romana civitate nati, non autem in eam aſciti videantur, Pinacoth. III. p. 74. Non contemnendæ etiam ſunt VINCENTII GUINISII *Allocutiones Gymnaſticæ*, Antw. 1638. in 8 auctiores editæ, poſtqvam A. 1623. in 24. primo prodiiſſent, argumentis rariſſimis, & ſtilo ſat bono, commendandæ: niſi, qvod acumina interdum, plus qvam decet affectant: neqve tamen inelegantes ſunt, ſed in multis etiam ſalivam movere poſſunt. Sed BONAVENTURA BARONIUS, ut argutus poſſit eſſe, vel barbariſmos interdum admittere non veretur, perpetuus frigidusqve tumoris, haud raro puerilis, affectator. Aſt FRANCISCI VAVASSORIS *Orationes* omnes complent Latini ſermonis numeros: nihil ibi tumoris affectati, nihil frigidi barbarive, ſed terſiſſima omnia, caſtigatiſſima, & qvæ in ſummo floridiſſimæ elocutionis nitore nativi decoris longe plurimum oſtentant: adeo, ut nihil illis nitidius ſit. Editæ ſunt Pariſiis 1644. in 8., ob ſelecta etiam argumenta digniſſimæ, qvæ ab omnibus legantur. Alium Jeſuitam BERNARDINUM STEPHONIUM, Sabinum, claris etiam Oratoribus accenſendum, narrat nobis Nicius Erythræus Pinacoth. I. p. 160., qvem non ſolum plane egregium fuiſſe Poëtam ait, ſed & non minorem

præ-

præterea Oratorem: profertqve inprimis ibi duas orationes Erythræus, qvas qvi legerit, meliores non deſideraturum ſpondet: adeo nec verborum copiam, nec ſententiarum ſplendorem, nec eorum pigmentorum, qvæ ornant ac diſtinguunt orationem, qvicqvam iis deeſſe, fidem facit: tanto magis cum ſuo teſtimonio admittendus, qvanto ipſe erat artis peritior. JUL. CÆS. SCALIGERI *Orationes*, qvæ paucæ ſunt, & cum Epiſtolis ejusdem Lugduni Batav. 1600. in 8., alibiqve in Germania, editæ prodierunt, magnos ſpiritus habent, ut acre Viri ingenium & vehemens inde etiam facile pernoſcas.

3 E *Germanis*, qvi eloqventiæ laude claruerunt, primum merito nominamus PHILIPPUM MELANCHTHONEM, cujus *Orationes*, in Tomos ſex diſtributæ, ſua etiam juſta laude privandæ haudqvaqvam ſunt. Candorem qvendam & ſimplicitatem in dictione ſemper ſectatus eſt Vir ille; atqve id conſecutus, ut ſuo tempore *Philippicus ſtilus* inter elogia audiretur: non aſſurgit unqvam, aut vires vel robur aliqvod oſtendit, ſed tamen ita tractat argumenta, qvæ tractat, ut nihil omitttat eorum, qvæ ad rei ſummam pertinent. AD. THEOD. SIBERI, qvi Oratoriæ Profeſſor in Academia Wittebergenſi fuit, *Orationes*, elegantes qvoqve ſunt & multam habent argumentorum varietatem: nec deſtituuntur acumine, judicio & nervis. Editæ ſunt Witeb. A. 1617. in 8. Longe vero his præferendæ JOH. CASELII *Orationes*, ſparſim editæ, nitidæ, eruditæ, rerum varietate plenæ, eruditis magno in pretio ſemper, ut reliqva ejus Viri habitæ: ac optandum omnino eſſet, ut eximia ejnsdem ſcripta junctim aliqvando in lucem prodirent; in qvibus colligendis laborârunt Henr. Ernſtius, Marqv. Gudius, aliiqve. Non minore elegantia AUG. BUCHNERI *Orationes* nitent, vere caſtigatum puriſſimum, terſiſſimumqve dicendi genus, qvale in Cicerone eſt, mirumqve periodorum artificium, oſtendentes. *Diſſertationes* ejusdem academicæ conciſiores periodos, ad Plinianum genium inſtitutas, amant. MATTHIÆ BERNEGGERI qvoqve *Orationes*, Argentorati 1640. editæ in 12., ut & *Orationes* JOH. FREINSHEMII, Francof. 1662. impreſſæ, admodum elegantes ſunt, & tum argumento, tum ſtilo, laudabiles. In JOH. HENR. BOECLERI *Orationibus* magnus eſt ſpiritus, grandia & ſonantia verba, qvibus præ ceteris indulget, exqviſita & ex optimis Hiſtoricis congeſta dictio: editæ ſunt Argent. 1650. in 8. MICH. VIRDUNGI *Orationes* ut & MICH. PICCARTI, Profeſſorum Aldorffinorum, potius ob argumentum, qvam ob dictionem, commendandæ ſunt, qvanqvam non usqve adeo humi repant, puræ qvoqve & Latinæ ſint. THOM. LANSII *Orationes* nemo Eruditus facile legerit, niſi ob materias, qvas tractat. JOH. BALTH. SCHUPPIUS in *Orationibus* ſuis plagiarius eſt, in qvibus cetera, præter ſtili barbariem, & joculos qvosdam triviales, nihil laude dignum invenias. JAC. MASENIUS in *Exercitationibus Oratoriis jocoſeriis* aliqvando non in elegans aut ineruditus Sophiſta eſt. Nec THOMÆ BARTHOLINI *Orationibus* deeſt vel acumen vel elegantia, in qvibus argutiſſima & elegantiſſima de dolio Diogenis Oratiuncula. In CHRISTOPH. SCHRADERI *Progymnaſmatibus & Orationibus* nonnullis ſtilus ad antiqvitatis genium, elegantiam & numerum, optime formatus eſt.

DANIE-

DANIELEM HEINSIUM, ut à Germanis ad Belgas nunc abeamus, non tàm pro Oratore quàm Sophiſta haberi voluit Maſenius, ſed ipſe Sophiſta merus & inepte ſe nonnunquam jactitans in palæſtra, cui non ſemper par erat. Sane Heinſius, etſi Ciceronianum in eloquendo Characterem non ſervet, periodorum menſura & concinnitate infra illum ſubſiſtens, (ut pleriqueBatavorum non amant circumſcriptum illud dicendi genus, ſed potius libertas familiaris illis perplacet, qualis in familiari, vel Epiſtola, vel Sermone, uſu venire ſolet) elegantiſſima tamen tractat argumenta, ſtilo inprimis comto & eleganti, quanquam non ſemper Ciceroniano, ſed qui, ut arbitror Plinianum quid fere ſapit. Prodierunt aliquoties Lugduni Batav. 1612. in 8., 1627. in 8., 1657. in 12. & forſan pluries ejus Orationes: queis Iſaacus Voſſius, delicatulus Cenſor, exprobrat perpetuam relativorum pronominum, *qui, quæ, quod*, repetitionem. Joh. Scaliger in Scaligerianis Heinſii quandam ſtyli varietatem notat, prout ſcilicet ab Autoris hujus vel illius lectione receſſerit, dicitque inprimis illum Lipſii, Mureti ac Eraſmi libris captum, atque adeo inebriatum velut fuiſſe, ſpretis contemptim reliquis. *Heinſius vient quelquefois yvre de Lipſius, quelquefois de Muret, quelquefois d' Eraſme; & dit, que les autres ſont des aſnes.* Æmulus Heinſii in Academia Lugduno-Batava Profeſſor, PETRUS CUNÆUS, Vir doctiſſimus atque diſertiſſimus, ipſe quoque *Orationes* publicavit, quæ admodum terſæ ſunt ac latinæ, & quas Aug. Buchnerus dignas judicavit, ut, cum ſua præfatione, Wittebergæ recuderentur A. 1643. Qui eodem tempore, quo Heinſius & Cunæus, & ibidem, in eademque dignitate, vixit, CASP. BARLÆUS, ut in *Carmine*, ita & in *Oratione*, periodum contortam amat, membris non bene junctis, ſed infinitè per mera membra & commata vagatur, quanquam argutus ſatis & feſtivus declamator: ſuo enim quodam genio magis ad ludicra & feſtiva, quàm ad ſeria, ducebatur. Dictio non ſemper ſatis pura: in phraſibus enim non diu ſe torſit, obvia rapiens ad argutos animi ſenſus exprimendos. In MARCI ZUERI BOXHORNII *Orationibus*, tumor aliquis verborum eſt, & quædam, ut ita loquar, vaſtiloquentia; quemadmodum & in DOM. BAUDIO, qui phraſin Domitianei temporis, judice Scaligero, expreſſit. JUSTI LIPSII *Orationes*, Epiſtolis ejus additæ, planè alterius ſunt ſtili, quàm Epiſtolæ, & quidem melioris & Latinioris, ut judicat Scaliger *in Excerptis Put.*, qui Orationem de duplici Concordia, & illam, quæ eſt in obitum Ducis Saxoniæ, Latiniſſimas vocat, creditque etiam eſſe Lipſii, quanquam ipſe ſuas neget; Miræus etiam à MELCH. GOLDASTO ſcriptas referat Lipſioque ſuppoſitas credi velit: quod & idem vult Carolus Scribanius. vid. Placcius *de Pſeudon. p. 219.* ERYCIUS PUTEANUS, in *Suada ſua Atica* λιψιανίζει, nec tamen aſſequitur Lipſii elegantias: ut ſunt plerique, auſim propemodum dicere ad unum omnes, ejus Viri in ſcribendi ratione imitatores frigidi, & puerili minutorum ſenſiculorum coacervatione plane inſipidi & infelices. Et tamen Puteani dictio adeo placuit Anton. Æmilio, Profeſſori Ultrajectino, in Orationibus ſuis, ut integras periodos & Lacinias ex ipſo exſcriberet, transferretque in ſuas, quæ lucem aſpexerunt Ultrajecti 1651. in 12. MART. SCHOOKII *Orationes* non ubivis puræ ſunt, ſed interdum barbariſmos admittunt, interdum aliquam ſtili philoſophici ſtribliginem: prodierunt Daventriæ 1665. 4

NICOL. NANCELIUS, in *Declamationibus* ſuis, Pariſ. 1600. in 8. editis, merus 5

Hh hh hh declа-

declamator eſt, ſtilo interdum barbarus. Jac. Crucii etiam, Rein. Neuhuſii, Melch. Junii, Chr. Ad. Ruperti, Rhetorum Porcenſium, *Orationes*, ut ſunt maximam partem à diſcipulis exercitii gratia conſcriptæ, ita, non ob nitorem ſtili, ſed ob materias forte, legendæ ſunt. HIERONYMUM DONATUM luculentas compoſuiſſe *Orationes* Jac. Gaddius teſtis eſt: ſed eas equidem ego nunquam vidi, uti nec PETRI GRAVINÆ *Orationes* & *Epiſtolas* Neapoli 1589. in 4. impreſſas. (Alius eſt ab hoc recentiſſimus Autor, longeque diſertiſſimus JOH. VINCENTIUS GRAVINA hodieque ſuperſtes: cujus *Opuſcula*, nuperrime 1696. in 12. Romæ publici juris facta, oſtendunt, quantum Vir ille in dicendi ſcribendique facultate profecerit, & quam omnem terſe, eleganter, nitide, ſemet explicandi artem, tum & alios permovendi vim, unus optime calleat. Adjungendus illi ANTONIUS MALAGONELLIUS, Summo Pontifici & Cardinali Spadæ ab Epiſtolis ſcribendis, cujus itidem permagna Romæ celebritas eſt: nec immerito, quod *Orationes* & *Epiſtolæ* Romæ 1697. in 12. editæ, teſtantur, ſane quàm elegantiſſimæ: ſed quæ tamen, ut fatetur quisquis eſt Autor præfationis, Vir doctiſſimus, non tàm caſtigatam illam Ciceronis, aliorumve aurei ſeculiſcriptorum, facundiam, quàm Plinianum potius argutum, & quod florida ſententiarum varietate aures permulcet, dicendi genus, ubique ſapiunt. Uterque verò, & Gravina & Malagonellius, ex Arcadum Societate ſunt, quæ hodie præ ceteris omnibus clara per Italiam eſt, & inprimis magno niſu ingenuarum artium incrementa promovet.)

6 Panegyrici Recentiorum, ſparſim antehac editi, aliquot Voluminibus collecti, Hanoviæ prodierunt A. 1613. in 8. ſed non omnes unius commatis. Eminet inter omnes ERASMI ad Burgundum Principem *Panegyricus*, optimus, multaque eruditione refertus, in cujus etiam ſtilo non facile quisquam habebit, quod deſideret. (c) Jo. WOWERIUS, Hamburgenſis, in Oratione ad Chriſtianum IV, Daniæ Regem, in multam luxuriem ſe diffundit: de quo, in Epiſtolis alicubi Joſ. Scaliger judicavit, nimiam illum curam adhibuiſſe, & in Locis communibus tractandis eſſe prolixiorem. Quemadmodum verò notum eſt, Hamburgenſem à Wower, quem diximus, ab Antwerpienſi Senatore Joh. Wowerio, qui eodem tempore vixit, longe alium eſſe: ita cavendum, ne Joh. Wowerii Panegyricum Archi-Ducibus Auſtriæ, Belgii Principibus, ſcriptum, Hamburgenſi itidem tribuamus, qui Antwerpienſi debetur, & ſeparatim apud Balthaſ. Moretum Antwerp. 1609. in 8. excuſus eſt. VALENT. THILONIS *Panegyrici* non ubique puræ Latinitatis ſunt. Recenſebimus vero hîc *Orationes* aliquot, maxime *Panegyricas*, quæ, ſparſim hic illic editæ, melioris commatis ſunt, & dignæ, *quæ junctim Voluminibus*

(c) Voluminis Orationum Panegyricarum Recentiorum, à Viris Clariſſimis ſparſim antehac editarum, peculiaris Editionem ipſum olim Morhofium eſſe meditatum, autor vitæ ejus, *Diſſertationum Syntagmati* præfixæ, Anonymus, in Scriptorum ejus affectorum Catalogo, *p. 39.* e Schedis defuncti, teſtatur. Collectioni iſti haud dubie ab eo deſtinatæ fuerunt, quas §. hac recenſet atque commendat. De Joh. Wouvverii, Hamburgenſis, Celebri, cujus nimiam Morhofius notat, luxuriem, *in Chriſtianum IV. Daniæ Regem, Panegyrico*, fuſius diſſeruimus, & Judicia de illo Joſ. Scaligeri, Dom. Baudii, ipſiusque Autoris Wouvverii, partim benigniora, partim ſequiora, recitavimus *P. I. Iſagoges ad Hiſt. Cimbricam, c. 12. §. 6. p. 186. 187. 188.*

minibus aliquot ederetur. Inter illas ſunt Pierii Winſemii Oratio in memoriam Guſtavi Adolphi, Suecorum Regis, quem ille Guſtavum II. vocat, directa, & excuſa in Friſiis A. 1633. in fol. Ejusdem Regis Panegyricus Poëticus ab eodem ſcriptus ſublimi Stilo, & Amſtelod. 1632. in fol. editus: Ejusdem Winſemii Oratio in exceſſum Henrici Naſſovii. Franekeræ 1641. fol. Oratio pro reparata æde Academica, ibid. 1643. Oratio in obitum Guilh. Stakmanni, Viri Conſularis, A. 1641. & aliæ. Joach. Paſtorii Gratulatio ad Regem Angliæ de Regno, Gedani 1661. in 4. Ejusdem Orationes de præcipuis Hiſtoriæ Autoribus, & de potiſſimis ejusdem argumentis: ibidem eodem Anno. Alex. Mori Gratulatio ſuper Venetorum de Turcis Victoria, Amſtelod. 1658. in fol. Joh. Frid. Gronovii Gratulatio ad Guilielmum Arauſionum Principem, cum Imperator per Belgium creatus eſſet, Amſtelod. 1647. in fol. Ezech. Spanhemii Panegyricus ad Chriſtinam, Sueciæ Reginam, Genuæ 1652. in 4. Ejusdem Oratio genethliaca de nato Electori Brandenburgico filio Principe. Joh. Schefferi Oratio Valedictoria ad Chriſtinam, Suec Reginam, regno ſe abdicantem, Uſpaliæ 1654. in fol. Ejusdem Oratio ad Regem Carolum (XI.,) cum primùm Upſaliam ſtudiorum cauſa veniret, Upſal. 1665. in 8. Georgii Oſſolinskii Orationes, quas ut legatus habuit, Dantiſci 1647. in 4. Staudii Oratio in exceſſum Caroli Guſtavi, Regis Sueciæ, Straleſund. 1660. fol. Viti Beringii Oratio de Hiſtoria, Haffniæ 1651. fol. Ejusdem Oratio in memoriam Regis Daniæ, Friderici III., & Gratulatio ad Chriſtianum V. Haffniæ 1670. fol. Bartholi Bartholini Laudatio funebris Friderici III., ut & Matthiæ Foſſii Atrata Pallas, Haffniæ eod. anno. Ejusdem Bartholini Oratio in Exceſſum Chriſtiani IV., Eraſmi Bartholini Panegyricus in nuptias Chriſtiani Alberti & Fridericæ Amaliæ, Haffniæ in fol. Elogium Forſtneri à J. H. Bœclero ſcriptum in 4. & fol. J. Henr. Bœcleri Sceptrum Apollinis, ſive Gratulatio de Rectoratu Academico Comitis de la Gardie; Argent. in fol. Aug. Blommertii Panegyricus in Ordines Hollandiæ, in fol.; Claud. Memmii Avauxii Elogium Franc. Vavaſſoris, Pariſ. 1651. fol. Chriſtiani Oſtenfeldii Laurus Würtenbergica pro reſtituta Academia Tubingenſi, 1652. fol. Dionyſ. Voſſii Panegyricus dictus Principi Arauſionum: Amſtelod. 1633. in fol. Panegyrici duo in Cromwellium Anonymi alicujus, 1654. in 4. Octavii Ferrarii Panegyricus in Ludovicum XIV., Regem Galliæ, Venet. 1666. in 4. Joach. Paſtorii Calendæ Regiæ ſive Gratulatio ad Joh. Caſimirum, Regem Poloniæ, de auſpicato ejus in Thorunium, à ſe recuperatum, ipſis Calendis Januariis ingreſſu: Dantiſci in 4. 1659. Eryci Puteani Purpura Auſtriaca, ſive Gratulatio de Cardinalatu, Antwerpiæ 1635. in 4. Plures Orationes colligere poterit, qui volet. Illæ verò, quas enumeravimus, dignæ ſunt, quæ colligantur & ſerventur.

Nec verò deſunt inter Exteros Gallos Italosque, in vernaculo ſermone Oratores Elegantiſſimi, quibus nonnunquam in Latina etiam lingua commode utaris. Talis eſt liber, cui titulus: *le Threſor des Harangues*, Pariſ. 1665. in 12. editus: in quo continentur aliquot Orationes, in receptionibus Principum ac Regum; gratulationibus de matrimoniis, & aliis argumenti Politici panegyrici materiis. Sunt & EMANUELIS THESAURI 7

Panegyricorum tria vulumina, Italico ſermone ſcripta, argutiisque pleniſſima, è quibus nonnunquam petas aliqua, quæ inventionibus aliâ occaſione inſervire poſſint. Turin. in 8. AUGUSTINUS MASCARDUS Orationes Italicas argutiores, tàm ſuas, quàm aliorum, uno collegit libro, impreſſas Venetiis 1646. in 4., ſub titulo: *Proſe Volgari.* JOH. BAPT. MANCINI Exercitia oratoria Italico ſermone ſcripta, ſub titulo: *Furori della Gioventa*, Bononiæ 1636., tumida aliquantulum ſunt, & acumina habent affectata ac declamatoria.

8 Ceterum, ſicut Itali utplurimum argutiis in ſuis Orationibus indulgent, quos Galli etiam haud raro imitantur: ita non omnium calculum eo labore ſuo merent. Sane Franc. Vavaſſor, in libro de Ludicra dictione, & in Oratione 3. pro veteri dicendi genere contra novum, horum generum acuminibus, quæ Hiſpanis originem debere magnamque cladem puritati Latinæ intuliſſe, monet, boni non multum tribuit, ſed ex Orationibus propemodum proſcripta mallet, niſi forte cum Auguſtei ævi acuminibus plane conſentiant. Atque id in univerſum negari utique non poteſt, per Inſcriptiones, præcipuum argutæ illius novæque dictionis fœtum, Italis primo debitum, anſam eſſe multis in lingua Latina corruptelis datam: quod, præter alios, etiam Bœclerus, in Muſeo, monet: ſed qui tamen ſimul omne illud ſtudium rejicere non audet: ſed, poſtquam in utramque partem, diu diſputaſſet, ferendum cenſet. ſi adhibeatur commode, & modus in reipſa ſervetur. At Hiſtorias & Panegyricos eo modo ſcribere velle, quod faciunt tamen aliqui, plenum frigidſſimæ affectationis & ineptiarum videtur, nec immeritò à Bœclero ex Hiſtoria atque Panegyrico mixtum chaos vocatur, Eſt enim poëtiſmo propior, quam orationi, talis ſcriptio, & quæ utplurimum nil niſi coactum ſapit frigidumque: Adeoque nihil omnino horum ad imitationem proponendum eſt, quanquam extantiora quædam acumina enotare nihil vetet. Contra ineptum vero uſum Acuminum vide, quæ habet Famianus Strada Proluſionum Academ. lib. II. proluſ. 12. Albertus de Albertis in Actione contra corruptores eloquentiæ paſſim: Oct. Boldonius in Epigraphica VI, Vavaſſor locis, quæ allegavimus: & lepida quædam Satyrà Gallico ſermone ſcripta, atque Heidelbergæ A. 1670. in 12. impreſſa, hoc titulo: *Nouvelle Allegorique, ou Hiſtoire des dernieres troubles, arrivées au royaume de l'Eloquence*: quâ, ſub fictione belli alicujus Rhetorici, multi iſtius ſeculi Scriptores argutuli perſtringuntur. JAN. NIC. ERYTHRÆUS etiam, paſſim in Pinacothecis, intempeſtivos iſtiusmodi argutiarum aucupes ſalſe ex merito perſtringit: cum v. g. Franc. Carettonium ridet, qui ſummam eloquentiam in ſententiolis venuſtulis ac vibrantibus, breviter arguteque concluſis, non in verborum ac ſententiarum magnitudine ac ſplendore, nec in rerum argumentorumve copia, ſitam eſſe putabat: atque hinc, in quadam Oratione ſuâ, cum qua ſibi mirum quantum ſapere viſus eſt, nil niſi conciſum hoc membriſque minutioribus velut captum, dicendi genus, tot fere argutiis ſententiarum refertum, quot verbis, adhibuit: in ſcholaſtico pulvere (& addit Erythræus) peringenioſis adoleſcentibus illuſtris, ſed nec Summi Pontificis auribus ſatis digna locutus (dicebat autem ad Clementem VIII.) nec Auguſtiſſimo illi Patrum purpuratorum Senatui apta, *Pinacoth. I. p. 162.* Alibi, quum de Fulvio Teſta agit, integram talium hominum ſocietatem nobis deſcribit, quibus vetera pura atque incorru-

incorrupta plane ſordebant, & qui nil niſi argutulum, è ſuis officinis profectum, laude dignum exiſtimabant: quorum inſania complures etiam optimorum ingeniorum Viros ad pueriles nugas abripiat. vid. Pinac. III. p. 212. ſeq. (*d*)

Alii, dum in jocis facetiisque acumen præpoſterè præ ſe ferrent, inſana ejusdem 9
affectatione in grande vitium prolapſi ſunt: ortumque exinde illud dicendi genus, quod Galli *Burlesque* vocant, cujusque Specimen Scarron, & alii, apud Gellos dederunt, aliquid identidem è Belgica lingua vernaculæ immiſcentes: ſed quos ſingulari libro de Ludicra dictione impugnavit Franc. Vavaſſor, Pariſ. 1658. in 4. edito. Sed ut de cetero ſalibus facetis acumina adeo abroganda non ſunt, ut potius vel maximè ad eadem requirantur: qua de re & Cicero, in ſecundo de Oratore, & è recentioribus alii: ita de affectatis acuminibus, ſeu in jocis, ſeu in Oratoribus, ea occurrant, alio loco à nobis actum: cùm aliquando penitius naturam acuminum & uſnm perluſtraremus.

Interea recenſebimus tamen inſigniores aliquot Inſcriptionum & Elogiorum, tali 10
acumine elaboratorum, Auctores. Jac. Gaddius lubenter è Græcia originem eorundem arceſſeret, ſed dubius tamen eſt. *In Elogiis* (ita inquit T. I. de Scriptor. Non-Eccleſiaſt. p. 266., ſub titulo Philoponi) *Latini ſuperant Etruſcos ac Græcos, qui hoc breve, ſed egregium, curioſumque ſcribendi genus forſitan ignorarunt; certe minime nobis oſtenderunt: ni tamen libeat elogia compellare laudationes heroum ac imagines, à Græco Philoſtrato ingenioſe ac feliciter concinnatas. Nec inficior, egregia Thuſco etiam calamo formata extare Elogia: ſcilicet liber Elogiorum Academiæ Ignotæ: atque non pauca Ponæ: ſed hæc numero, varietate ac pondere, imparia videntur Latinis Elogiis Jovii, Folietæ, Sammarthani, Theſauri, Franciſci del Monaco, & aliorum, quorum in hoc ſcribendi genere nomen eminet.* Verum, ut jam preſſius ad acuminum argutiarumque magiſtros accedamus, nemo eſt, qui majore niſu, & feliciore etiam ſucceſſu, eam Eloquentiam omnem late pertractavit, certisque etiam præceptis ſcrupuloſe admodum incluſit, quam EMANUEL THESAURUS, quem, per integros 40. annos, labori huic inſudaſſe teſtis Boldonius eſt. Præcepta Inſcriptionum argutarum dedit libro Italico, cui tiulus: *Il Canochiale Ariſtotelico, ſeu Idea dell' ingenioſa Elocutione* Venet. 1664. in 4. (*e*) Male omnino in libello de Diſciplina Argutiarum Morhofii, qui A. 1693. prodiit, iſte Theſauri liber *Pan-*

(*d*) Cum iis, quæ ſequentibus Capitis hujus Paragraphis, ad finem usqne ejusdem, de Arguta Dictione, Rhetoribusque & Oratoribus ejus ſtudioſis, traduntur, conferri ab illius Amaſiis poſſunt Morhofii Prælectiones de Arguta Dictione Academicæ, quæ, ſub *Commentationis de Argutiarum Diſciplina* Titulo, biennio poſt Autoris obitum, A. 1693. ſine loci mentione, *in 12.* ſed admodum mendoſe, prodierunt.

(*e*) Emanuelis Theſauri *Il Canocchiale Ariſtotelico, o ſia Idea della argutezze Heroiche, vulgarmente chiamata Impreſſe*, ſive Opus de Argutiarum Arte Italicum, Taurini primum A. 1654. impreſſum, & Romæ dein ac Venetiis vel ſexies recuſum, Latine tandem vertit, & (ſub Titulo *Idea arguta & ingenioſæ dictionis, ex Principiis Ariſtotelicis ſic eruta, ut in univerſum Arti Oratoriæ, & inprimis Lapidariæ atque Symbolicæ, inſerviat*) Francofurti A. 1698. in 4to, Lingua hac Eruditorum communi, omnium uſibus expoſuit, Caſp. Cörberus, Eloquentiæ in Acad. Julia Profeſſor. Recenſum Operis eximii V. in *Actis Erud. Lipſienſibus, M. Jun. A. 1698. p. 255-259.*

dochiale Ariſtotelicum vocatur.) Multa Theſaurus in illo libro affert egregia, de metaphora tanquam fundamento omnis acuminis, &, ſecundum principia Ariſtotelica, omnem illam acuminis rationem indagat, additis ubique exemplis. Ipſe quoque Inſcriptiones peculiari Volumine edidit, de Genealogia Chriſti & Patriarcharum: item quas in funebribus apparatibus, natalitiis pompis, ſacris celebritatibus, publicis Principum receptionibus, Regiarum ædium monumentis componi ponive debere exiſtimavit: omnes ſimul Taurini 1666. in 12. editæ, & poſtea, ſplendidiore typo, Berolini in 4., curante Joh. Ravio. *Infulatas* ejus *Virtutes*, Oxon. 1638. editas, unà cum *Cæſaribus*, quas ejus Autores eſſe negat publicator Editionis Taurinenſis, ego eidem tribuere non vererer. Scripſit & *Orationes Panegyricas* Theſaurus Italicâ linguâ argutiſſimas, è quibus alios video multa ſublegiſſe; inprimis *Nicol. Avancinum* in orationibus ſuis. Quemadmodum & *Joh. Bapt. van de Cruyce* Auguſtinianus, qui Genealogiam Chriſti, verſibus expoſitam, Antwerpiæ A. 1654. publici juris fecit, è Theſauro omnia exſcripſit.

11 Proximus à Theſauro locari meret ALOYSIUS JUGLARIS, cujus *Elogia Sacra*, cum Theſauro, Moguntiæ A. 1665. edita ſunt, & Chriſti Servatoris Vitam & Hiſtoriam complectuntur. Scripſit & LAURENTIUS PIGNORIUS *Miſcella Elogiorum*, *Allocutionum*, *Epitaphiorum &c.* Patavii 1626. in 4. edita. Brevis eſt, & ad genium inſcriptionum accomodatius omnino ſcribit: quæ enim per integra folia extenduntur, vix talem titulum merentur. OCTAV. FERRARII *Inſcriptiones*, quarum pars. I. & II. Patavii, 1668; tertia 1674. prodierunt, Noribergæ etiam recuſæ, acuminum parciores ſunt. ALBERTUS ab INES in *Elogiis Regum Polonorum*, Cracoviæ 1655. in 4 editis, è Theſauro aliisque floſculos decerpit, quorum tamen nomina etiam apponit: & in præfatione nonnulla de hoc ſcribendi genere habet. Eſtque adeo modeſtior, quàm LAMBERTUS VILLAFANUS, qui in *Inſcriptionibus* ſuis, quæ poëmatibus adjectæ ſunt, pene omnia è Theſauro & aliis eſt furatus. Non item amicus illi OCTAVIUS BOLDONIUS, qui *Epigraphicam* ſcripſit, ſeu Rationem Elogia Inſcriptionesque pangendi, editam Auguſtæ Peruſiæ 1660. in fol. Spiſſus liber eſt, & propemodum omnia Rhetorices præcepta nullo judicio coacervat, variasque digreſſiones inſtituit, parum ad rem ipſam facientes. FRANC. PONÆ *Elogia XII. Cæſarum*, adjectis unicuique Elogio Epigrammatibus. Veronæ 1641. in 8. edita, acuta omnino ſunt. Ediderat jam A. 1626. librum, in dialogi forma, de Epitaphiis ad morem antiquum efformandis *L' Epitaphio dialogo: nel quale ſi ingegna il modo di comporre gli Epithaphi all' antica*: ſed quem non vidi. Videatur interim de Pona ejusque Scriptis Hier. Ghilinus in Theatro Hominum Literat., P. I. p. 62. Pertinent verò huc præterea HIERON. BONCAMPAGNUS qui *Seculum Momi* ſcripſit: ſeu, in corruptos Seculi mores Execrationes Elegiacas, Bononiæ 1667. in 4. editas. Sed ex ipſo titulo apparet, parum ſubeſſe huic Viro judicii & elegantiæ. Coacervavit quasdam ſententias ſine magno delectu & judicio: cumque profiteatur acumen, ſatis interdum obtuſus eſt. PETRUS LABBE ſcripſit *Elogia* varii generis, Gratianopoli 1664. in fol. edita (& recuſa poſtmodum in Germania in 8), quibus addidit Carmina nonnulla. Argutus eſt pene in omnibus verbis; ita quidem, ut interdum frigus

gus orationis non effugiat; neque enim aliter fieri poteſt, cum affectamus acumina. Non melior eſt LEO MATINA, qui librum ſcripſit, cui titulus: *Unguis Elogiorum Leonis Matinæ.* Facile ex hoc titulo de Leone judicium ferri poteſt. Tantum enim abeſt, ut habeat aliquid Elogiis acutis ſimile, ut potius totus frigeat torpeatque. Editæ poſtea ſunt ab illo *Ducum Venetorum Icones & Elogia*, A. 1665. in fol.

E Germanis JACOBUS MASENIUS, Jeſuita, *Artem novam Argutiarum, tàm* 12
Epigraphicarum, quàm Epigrammaticarum edidit Colon. 1660. in 12. Libellus non inelegans eſt, & ſecundum locos Dialecticos inventiones acuminum diſtinguit: tradit quoque modum inveniendi Apohthegmata acuta: Exemplaque tàm ſua, quàm aliena, addidit. Speciminis loco acerba in Lutherum convitia habet. Alius neſcio quis Jeſuita *Juſta Ferdinando III.* (inſcriptionibus) *perſoluta* edidit Osnabrugi. Scripſit quoque Vir doctus, CHRISTIANUS WEISIUS, in hoc genere aliqua, edito libro *de Poëſi hodiernorum Politicorum*, ſeu de argutis inſcriptionibus, Weiſenfelſæ 1678. in 8., & multa habet de origine harum Inſcriptionum & natura, nec non de uſu & imitatione multa quoque exempla coacervat. Sed defuerunt illi plura ſubſidia: nam Theſauri librum Italicum non habuit, qui tamen primus eſt, qui in hoc genere quædam tentavit, & longe uberiores fontes, quàm ceteri omnes, recluſit.

Sunt adhuc plures alii, qui in hoc genere quid ſcripſerunt, ut JOH. BABTISTA MASCU- 13
LUS, cujus extant *Elogia*, mihi quidem non viſa, niſi, quæ excerpſit inde paſſim Jac. Maſenius, & è quibus de ceteris judicare licet, eſſe neutiquam ſpernenda. Habet & LAURENTIUS de BRUN, in *Eloquentia* ſua *Poëtica*, varia Inſcriptionum Exempla, hinc illinc congeſta, ſatis quidem elegantia. JOH. ANT. PETRAMELLARIUS, Bononienſis, Eques S. Lazari Hieroſolymitanus, *Elogia* edidit; ſed quæ acuminibus deſtituta cenſet, pluribusque examinat Gaddius T. I. de Script. Non-Eccleſ. Eſt & ANONYMUS quidam, qui *Regum Hungariæ Monumenta* ſcripſit, Noribergæ 1663. *Epitaphia* editurus erat FAMIANUS STRADA; ſed mors intercluſit; teſte in Elogiis Craſſo P. I. p. 237. Ceterum cum his horum generum Inſcriptionibus plane non confundendæ ſunt JAC. PHIL. THOMASSINI *Inſcriptiones Patavinæ*, Patav. 1649. editæ in 4. namque in illis eæ tantum habentur, quæ hinc illinc in templis atque monumentis ſepulchrorum comparent, quæ plane alterius commatis ſunt.

CAP. IV.
DE RHETORIBUS ATQUE ORATORIBUS SACRIS.

§. I. *Nullum Diſcrimen Oratoriæ Civilis & Sacræ, niſi quoad Argumentum, Præcepta autem & Methodus plane eadem, ex Ariſtotele haurienda. Fruſtra igitur tot aliæ Methodi concionandi protruduntur, Patribus priorum Seculorum, Ariſtotelicam ommunem ſecutis, ignotæ, & ævo Scholaſticorum barbaro primum introduci cœptæ. Artificia in Sacris etiam Literis, & Paulinis inprimis Epiſtolis, Oratoria. 2. Rhetores Sacri, ſive Rhetoricæ Eccleſiaſticæ Scriptores ἐξοχώτεροι:*

Deſid.

Deſid. Eraſmus Roterodamus. 3. Ludov. Wolzogenius. 4. Melch. Zeidlerus. 5. Franc. Panicarola, Demetrii Phalerei Paraphraſtes, de cujus etiam Eloquentia Sacra ſingulari diſſeritur. 6. Corn. Muſſus, Eloqu. Sacræ inter Italos Inſtaurator. Certamen Hiſpanos inter & Italos de S. Eloqu. palma, quæ Hiſpanis tribuitur. Laur. à Villavincentio: Andr. Hyperii Plagiarius. 7. Ludov. Carbo, Paulus Areſius (Emblematis, quorum Uſus nimius improbatur, delectatus,) Joh. Caramuel à Lobkowiz. 8. Renatus Rapinus. 9. Oratorum Sacrorum Varietas. Lud. Bailii Hiſtoria illorum. Cenſores, Janus Nic. Erythræus & Frid. Borromæus. 10. Locorum Oratoriæ Sacræ Communium & Subſidiorum Scriptores, Didacus Stella, Thom. Stapletonus. 11. Ludov. Creſollius. 12. Guilh. Peraldus, Franc. Labata, Joh. Euſeb. Nierembergius, Aloyſius Novarinus. 13. Pet. Aloyſius, Janus Nicius Erythræus. 14. Jac. Maſenius, Nicol. Avancinus, Franc. Saleſius. 15. Dan. Bartolus, Jerem. Drexelius. 16. Pet. Berchorius. 17. Pet. Molinæus Jun., Pet. de la Serre. 18. Angli in hoc ſcribendi genere aliis ſuperiores, imprimis Joh. Donne, (de cujus pro Αὐτοχειρίᾳ Libro complura adduntur.) 19. Joſ. Hallus, Rich. Whitlock. 20. Rob. Boyle. 21. Henr. Hammondus, Anonymus Officii Chriſtianorum Scriptor. 22. Angli alii, à Guilh. Crowæo, & Anonymo quodam, Libris peculiaribus enumerati. 23. Oratores Sacri in Germania Lutherani complures, è quibus Conr. Dietericus, Salomon Glaſſius & Frid. Balduinus, ſpeciatim commendantur 24. Oratores Sacri & Scriptores Aſcetici Hiſpaniæ potiores, Joh. de Valdes. 25. Ludov. Granatenſis. 26. Joh. de Aquila. 27. Alph. Lobo, Didacus Perez, Franc. Arius, Ludov. de Ponte, Joh. Palafoxius, (de cujus Litibus cum Jeſuitis nonnulla narrantur,) &c. 28. Oratores Galliæ Sacri ἐξοχώτεροι, Claud. de Lingendes & P. Caſtillonius, Jeſuitæ. 29. Joh. Dallæus Jun., Alex Morus, Pet. du Boſc. & Joh. Claudius, Theologi Reformati. 30. Lites de Prærogativa, & Plagio mutuo, inter Anglos & Gallos Belgasq;, Hiſpanos item & Gallos, hoc in argumento verſantes.

1 NOn differt & Oratoria Sacra à Civili, niſi argumento: ſiquidem præcepta eadem ſunt: perſuadet Orator Civilis, perſuadet & Eccleſiaſticus: ſi docet Dialecticas interpretando rationes ſequitur. Duplici proin ratione ſacra conſiderari poſſunt; ut didactica, & ut parænetica: atque hactenus diverſum quid eſt in Oratione ſacra. Quamvis enim & in civili Didacticum genus aliquod commenti ſint juniores Rhetores; id tamen proprie ad fontes Rhetoricos non pertinet: utut non negem, Didacticam orationem etiam ornari coloribus oratoriis poſſe: ut ornari quidem poteſt hac in parte Oratio ſacra, imo debet, ne jejuna nimis & macilenta videatur. Ceterum qui præcepta Orationis ſacræ ſcripſerunt, tot ſunt, ut Bibliothecam pene ſoli conficiant: ſed parum illis juvamur. Qui à communibus præceptis diſcendunt, tot habent Methodos, quot capita; facileque adeo quis ex illa confuſione judicare poterit, quid de iſtiusmodi methodo ſit ſtatuendum. Sane nihil facilius eſt, etiam in Oratione civili, quàm novas invenire Methodos: nec unquam deſunt, qui malint artem Lullianam

lianam aliquam, aut novum huic ſimile in oratione commentum, quàm puros illos limpidosque fontes, qui ex natura ipſius ſubjecti prodeunt. Enimvero non opus eſt his pluribus immorari. Unicus Chriſtoph. Schraderus ſatis ſuperque docuit, ne quid de Eraſmo dicam, quam ſolis etiam Ariſtotelis præceptis rem omnem conficere poſſimus. Veram præterea eloquentiam oſtendunt Veteres Græci & Latini Eccleſiarum Doctores, quibus ſi periret artificium Oratorium, omnis ſcriptionis gratia periret. Hos duces in hoc genere habemns præcipuos; quorum exemplo ſi quis ſuam orationem inſtituere poteſt, is revera boni Oratoris titulum merebitur. Erat enim illis pleniſſima omnium ſcientiarum cognitio: ideoque omnia, quæ ad populum dicebant, profundam doctrinam non minus ac ſingulare artificium ſpirabant. Poſt illa tempora, cum barbaries regnare inciperet, & omnia occupaſſent Scholaſtici, ceu liquidis immiſſi fontibus apri, prodigioſum neſcio quod horridumque dicendi genus oriebatur, ut barbara locutione ingratum, ita perplexis diſputationibus adeò involuntum, ut propemodum nihil ſani ſubeſſet; ſed ſcoriæ pro auro Patrum, imò lutum. Hos vero temporum infelicium *ineptiſſimos Poſtillatores*, qui ſermones de tempore, ſimilesve, conſcribillarunt, quis non maximo cum faſtidio legat? & his tamen omnia diu erant repleta: optimi nugas proponebant, merasque argutias ſcholaſticas, quæſtiones, definitiones, diviſiones, terminos, quibus, dum pulcerrime rem egiſſe ſibi viderentur, omnia miſere lacerabant confundebantve: atque erant tamen interea, quod infelix ſeculi fatum fuit, Academici Doctores & Oratores plane, ſcilicet, eximii. Imo, quod longe adhuc magis mirêre, tàm altas ille modus radices in hominum animis egerat, ut, poſt renatam etiam literarum lucem, tamen ſupereſſent, qui mallent hirſuto illo aſperoque dicendi genere uti, quàm cultiore nonnihil, & ad artis præcepta inſtituto. Quaſi vero ars ſacrum interpretem dedeceret, aut tum demum recte proponerentur Sacroſancta myſteria, quum barbare proferuntur. Imo ſi Sacri Codicis Scriptores intuemur, ſi *D. Pauli Epiſtolas*, cœcus eſt, qui non egregia Oratoris artificia illic videat: non, quod ipſis, de induſtria multo labore conquiſitis, uſus D. Paulus ſit: ſed, quod, cum eruditus eſſet, non rejiceret id, quod eſſet, & quod in ipſa ejus oratione fluebat. Quodſi igitur naturæ ductu gratior eſt oratio, ſecundum Oratoriæ regulas inſtituta: quidni illa arte utamur, quam divinam eſſe nemo negavit, utut à gentilibus Scriptoribus traditam.

Verum miſſis his, quæ reipſa jam ſatis probant, recenſebimus nunc præcipuos a- 2
liquot Autores, tùm qui *præcepta Oratoriæ Sacræ* dederunt, tùm qui ipſi *Orationes* ſcripſerunt. Atque hic locum principem ſuo merito aſſignamus DESIDERIO ERASMO, qui, uti paſſim, in Epiſtolis ſuis, librisque aliis, invehitur in ſui temporis ineptos è ſuggeſtu Declamatores; Ita viam oſtendit expeditam, quâ incederent, qui Orationes Sacras ad populum eſſent habituri. Libri titulus eſt *de Ratione Concionandi*, Baſileæ editi A. 1536. in 8., & aliquoties recuſi. Totô hoc librô nihil aliud continetur, quàm communia Rhetorices præcepta; quorum uſum in ſacris Orationibus oſtendit: adjunctis ſemper ſuorum temporum exemplis, quibus tum à monachis declamantibus peccatum fuit. Inprimis autem operæ pretium fuerit prælegiſſe, quæ ſunt fuſe ab illo, de

allegoriarum uſu in concionibus, dicta lib. III. Ut enim tunc ſuperſtitioſa erat, & haud raro præpoſtera locorum moralium affectatio: ita nunc pene in illa tempora indicimus, ubi plus allegorici, quàm genuini ſenſus, quæritur. Prolixus admodum ea de re Eraſmus eſt, &, adductis ubique veterum Patrum præcipuorum locis, oſtendit, quid peccetur eo in argumento, & quid laude dignum viciſſim ſit.

3 E Reformatis *Oratorem Sacrum* ſcripſit LUDOVICUS WOLZOGENIUS, i. e. de Ratione concionandi librum, Ultraj. 1671. in 8., quem ſane negari non poteſt, ſcriptum eſſe eleganti ſtilo: & in quo partim communia Rhetorices præcepta præſupponit Auctor, partim ſua quædam peculiaria in textus explicatione tradit. Carteſianæ Philoſophiæ addictus eſt, ideoque doctrinam de affectibus luculenter proponit, eorumque uſus oſtendit. In partibus Sacræ orationis multa nova docet, varioſque modos comminiſcitur. Ut in uno exordio v. g. admodum prolixus eſt, variaque tradit genera exordiorum: primo quidem illa, quorum in Oratoria Civili uſus eſt, deinde propria quædam Oratori ſacro: reſpectu ſcilicet textus, ad quem illa referenda. Habet igitur baſes exordiorum varii generis: unam, quæ textui eſt innixa: alteram, quæ fundatur in connexione: aliamque iterum, quæ ſcopo innititur. Inventa baſi Exordiorum, viam habet eadem conſtituendi triplicem, Analyticam, Syntheticam, Syncriticam. Analyticum & Syntheticum illi eſt vel perfectum, vel imperfectum. Habet dein Exordia ex illis generibus mixta. Hæc vero omnia, ut mihi quidem videtur, plus habent ſubtilitatis quam uſus: ut & quæ de pronuntiatione & actione ſigillatim enarrata habet, prolixius tranctantur, quam opus eſt; & excerpta ſunt, licet ſtrenue diſſimulet, ex Eraſmo atque Ludov. Creſollio.

4 E noſtris, ut ſexcentos ſilentio prætereamus, MELCH. ZEIDLERUS *Rhetoricam Eccleſiaſticam* ſcripſit, ad methodum Oratoriæ Civilis, quam Ariſtoteles, Cicero, aliique præſcripſerunt, adornatam, editamque Regiomonti 1672. in 8. Bonus autem omnino liber eſt, multiſque exemplis uſum Ariſtotelicorum præceptorum oſtendit: ut ego quidem exiſtimen, hoc & Schradero Ducibus optimas poſſe Conciones formari, quod Argumenta ſpectat & Enthymemata. Sed ſtilus cultum requirit paulo accuratiorem, & qui ex ſententioſo dicendi genere, atque admirabili, ſeu ſublimi (cujus præcepta Longinus dedit, mirifice Oratori Sacro accomodata,) aliquid trahat: quale ſectatus eſt olim Ambroſius, quem Chriſtianum Senecam ob eam cauſam vocat Eraſmus. Præfatio, quæ Zeidleri libro præfigitur, oſtendit neceſſitatem artis Oratoriæ in concionibus: ad Patrum Veterum & Theologorum conſilia: de quo argumento Conr. Rittershuſius quoque videri meret Sacrar. Lectionum lib. IV. c. 13., ubi inter alia agit de S. Pauli Apoſtoli Rhetorica, atque è Chryſoſtomo oſtendit ſingulares eloquentiæ hujus Apoſtoli dotes, & ſtratagemata Rhetorica, quibus in Epiſtolis uſus fuerit.

5 Italorum ſui temporis Concionator longe celeberrimus fuit FRANC. PANICAROLA: de quo ſic Gaddius T. II., de Scriptor. Non-Eccleſiaſt. p. 155. *Oratoriam Sacram reformavit, magnificum atq; pulcherrimum Rhetorices ædificium attollens, Demetrii fundamentis innixium.* Nempe Demetrii Phalerei liber de Elocutione fuit, quem

in omni perorandi ad populum ratione ſua ſecutus eſt, quemque etiam, Itala paraphraſi illuſtratum, velut Sacræ Oratoriæ magiſtrum, ediderat, hoc titulo: *Il Predicatore: overo parafraſe al libro dell' Elocutione di Demetrio Falereo:* Venet. 1609., cujus libri jam ſupra, cum de Græcis Rhetoribus ageremus, mentio facta à nobis eſt. Quam vero mirifice Italis iſta Panicarolæ Eloquentia, liquida, amœna, fuſa, profluens, omnibus prædulcium ſententiarum floſculis & amœnitatibus reſperſa, denique ars meris calamiſtris haud paulo licentius ad aucupium aurium efformata, ſeſe probaverit: quam illius audiendi gratia concurſus ex Italia tota facti ſint: quam fuerit publicis civitatum legationibus à Romano Pontifice identidem expetitus: & quam ingenio, induſtria, memoria, actione, incredibili quadam ratione pollens, nimia ſuavitatis affectatione gravitatem Sacri Oratoris, & veram animos perſuadendi atque perturbandi vim omnem perdiderit: eapropter prudentiorum aut riſum, aut ſtomachationem juſtamque indignationem, expertus, legi prolixe poteſt apud Erythræum Pinacoth. I. p. 81. ſeqq., & III, p. 36., & comparationem inſtituit inter tres ejusdem temporis Sacros Oratores, Lupum, Toletum, Panicarolam: *Cumque tria*, inquit, *videantur eſſe, quæ Orator efficere debeat: ut doceat, ut delectet, ut moveat: docendi laus, omnium conſenſu, Toleto tribuebatur: Panicarolæ, ut animos eorum, qui audirent, devinciret voluptate: Lupo, ut permoveret atque incitaret animos, & quocunque vellet, impelleret: neque quidquam frequentius in ore vulgi verſabatur, niſi illud: Lupus movet, Toletus docet, Panicarola delectat.* Hæc Erythræus: qui Panicarolam ſub vitæ finem, poſtquam Epiſcopus eſſet factus, cincinnulis atque fuco detractis, grave dicendi genus, & quod auctoritati munerique ſuo eſſet convenientius, elegiſſe refert.

Præceptor Panicarolæ (nam & ſic aliquando ſcribitur) erat CORNELIUS MUSSUS, Italus, cujus invidendæ laudes extant apud Capaccium in Elogiis lib. II, p. 360. Extant & Muſſi ipſiusmet Homiliæ lingua Italica ſcriptæ: *Prediche Sopra il Simbolo de gli Apoſtoli, il Decalogo, le due Dilettioni di Dio e del Proſſimo, e la Paſſione di Chriſto. Venet.* 1601., diffuſo quidem ſtilo, ſed elegantia ac multitudine rerum adeo refertæ, ut mihi ſanè impenſe placuerint. (*f*) Vidi & alios Concionum illius Tomos Quadrageſimales, Genuæ 1591. & Venet. 1596., quinque voluminibus in 4. conſtantes, &, niſi me omnia fallunt, alibi in Latinam Linguam converſos. Primus ille alioquin inter Italos eſt ſpiritus paulum in hoc doctrinæ genere evectioris: poteritque Hiſpanis Prædicatoribus opponi. Eſt enim aliàs inter Hiſpanos Italosque lis, cui nationi palma in hoc ſacræ eloquentiæ ſtudio debeatur, neutris per æmulationem cedentibus. Hiſpanis inter alios eandem aſſignat & vindicatum it. NICOL. ANTONIUS in præfatione Bibliothecæ ſuæ Hiſp.: qui, etſi popularium cauſam ex amore in ſuos agere videatur, malim tamen hîc potius cum illo facere, quam aliis. Lubet vero ipſa ejus verba adſcribere, cum liber in paucorum manibus ſit: *De Sacris*, inquit, *actionibus cum Italis nobis controverſia eſt. Hi artificio prævalent,* 6

(*f*) Latine prodierunt Corn. Muſſi Sermones in Evangelia Dominicalia & Feſtivalia, ex lingua Italica per Michaelem ab Iſſelt, Doccomia Friſium, translati, cum Vita ipſius, iisdem præfixa, Coloniæ A. 1594. & 1603. in 8vo.

rhetoricantur; verbis, geſtuque & tota corporis conformatione & motu, Veterum imitatores videri volunt: noſtrorum ſtrictior, & nec affectata eſt Eloquentia, non coagmentata domi oratione, aut verbis utuntur artificioſe reſpondentibus; ſed naturali, & quaſi extemporali facundia, quidquid judicii, quidquid acuminis, quidquid eruditionis eliciendum eſt rebus ipſis, & argumentis perſuadendis confirmandisque ex S. paginæ ac Doctorum teſtimoniis, ingenioſe ac prudenter impendunt. Eaque ſolerter inveniendi, excogitandi acute, atque apte in rem præſentem cogitationibus utendi, nota ſic vulgo placuere, ut etiam Vernaculi ſermonis conciones communiter apud Italos in ulnis gerantur, & propriæ horum linguæ interpretatione donentur. Nec paucos vidimus ex probatiſſimis, qui ſic formam hanc noſtram ſuam fecerunt, ut Italico ſermone loquentes more concionarentur proſus Hiſpano. Ceterum ſplendidiſſimum Cornelii Muſſi (ut ad eum nunc revertamur) elogium legi etiam apud Eman. Theſaurum poteſt, in *Canochiali Ariſtotelico p. 458.* Agit quoque de illo Iſaac. Bullartius in libro, quem vocat *Academie des Sciences*, ubi Cornelium Muſſum vocat *Iſocratem Italiæ.* Idem & Panicarolam laudibus effert: cujus in Demetrium Commentarius iterum prodiit Venetiis 1642. in 4, adjectis variis de Eloquentia Eccleſiaſtica Opuſculis, Latinè & Italicè ſcriptis: nimirum additæ ſunt Quæſtiones Panicarolæ: Beda de S. Scripturæ tropis & ſchematibus: Auguſtinus de Rhetorica Eccleſiaſtica: & F. Laurentius à Villavincentio, Xereſanus, de formandis Sacris Concionibus, & de interpretatione S. Scripturarum populari. Ceterum eſt hîc nequaquam ſilentiô prætermittendum inſigne Villavincentii, impudentiſſimi hominis, plagium, qui totum hunc, quem modo diximus, librum, retento etiam titulo ipſomet, Andr. Hyperio ſurripuit, cujus labor primum An. 1522. apud Oporinum Baſileæ in 8. lucem adſpexit, deinceps ſæpius recuſus. Nec contentus hoc plagio Villavincentius, ejusdem Autoris librum alterum; qui *Theologus* inſcribitur, *ſeu de ratione ſtudii Theologici*, Baſil. 1556. in 8. editum ab Oporino, & ſæpiſſime recuſum, pari immodeſtia exſcripſit, tranſtulitque in ſuos de recte formando Theologiæ ſtudio libros IV. (totidem vero Hyperius habet) Antwerpiæ 1565. in 8. Nempe qui alias ob hæreticam pravitatem legi non poterant in Pontificiis terris libri, hos, nomine ſuo ſolo, velut antidoto, munitos, ſuis ſecure propinavit Villavincentius. Notavit plagium præter alios, Valer. Andreæ in Bibliotheca Belg. p. 49.

7 LUDOVICUS CARBO à Coſtiario, ſeu Coſtacciaro, Academicus Parthenius, & Theologiæ in Academia Peruſina magiſter, ſcripſit librum, cui titulus: *Bonus Orator*, ſeu libros VII. de Rhetorica divina. Editus eſt liber ille Venetiis 1595. in 4., & Auctorem utique eruditum demonſtrat, qui toto libro nihil aliud agit, quàm ut genuina Rhetorices præcepta ad argumentum ſacrum applicet: erat enim in Civili etiam Oratione Rhetor minimè contemnendus, quod varii ejus libri oſtendunt. Alius Italorum PAULUS ARESIUS, vernacula lingua librum ſcripſit *Arte di prædicar bene*, Venet. 1611. in 4., quem vehementer laudat Craſſus in Elogiis Hominum Literator. P. II. p. 90. 91. Scripſit idem & Sacras Orationes, ſeu, ut ipſe vocat, *Lezzioni, Sermoni e Oratione diverſe.* Super Evangelia liber ille ſcriptus eſt, & Emblematibus multis ſcatet, quorum tamen nonniſi

nonniſi modicum eſſe uſum velim. Minimè omnium enim placent, qui Emblemata velut in Scenam magno apparatu producunt, nec facile membrum unum ſuæ orationis dimittunt, quod non aliquo emblemate incruſtatum ſit, inepti Eccleſiaſtæ: qui phaleras iſtiusmodi haud raro nugaces ad populum puerosve, ſive oblectandos, ſive decipiendos, excogitatas non animadvertunt. Interea tamen multum quoque commodi afferre *Emblematographi* ſacri poſſunt, ſi modo quis recte illis uti noverit: nec ſpernendi utique tales aut *Areſii*, aut *Engelgravii*, ſimiliumque ſimiles labores: ſed poſſumus inventionibus eorundem uti modeſtius, & ſimilium loco adhibere, quæ forte Emblemata eſſe commode non poſſunt. Videndum tamen, ne Allegoriæ nimiæ, frigidæve ſint, ac vitium inde contrahat oratio. Singularis enim judicii eſt, bene transferre; ut optimè docuit Ariſtoteles. Eraſmus verò, quæ moderatio in iisdem adhibenda ſit, docet libro III. de ratione concionandi. JOH. CARAMUEL, uti in omni doctrinæ genere libros edidit novitatibus plurimis refertos; ita quoque in hac palæſtrâ ſeſe oſtendit: ſcripſit enim *Encyclopædiam Concionatoriam:* quo libri titulo quid ſibi velit, augurari non poſſum, ut qui hactenus non vidi, ſed ejus indicium ſolum debeo Laur. Craſſo in Elog. Hom. Literat. P. I. p. 363.

His omnibus nulla ratione minor eſt, etſi mole libri plurimis cedat, elegantiſſimus REN. RAPINUS, Pariſienſis Jeſuita, in omni politioris literaturæ genere excellens, & jam plus ſemel in Polyhiſtore nobis laudatus. Is itaque in ſuis de Eloquentia Meditationibus, peculiarem quoque librum de Sacra Eloquentia dedit, *Reflexions ſur l'Eloquence de la Chaire*, breviter quidem & ſuccinctè, ſed magnâ curâ pondereque multo, & vere ex dignitate argumenti, quod explicat, tùm præceptis, tùm exemplis luculentis, inſtructum: quæ è genuinis fontibus omnia ſummo judicio derivat. 8

Atque hæc de Rhetoribus ſacris dicta ſunto. Quanquam enim longe plures ſint, atque adeo vix propemodum numerari poſſint, non tamen operæ pretium eſt, diutius illis immorari. Suô hîc ſolet quisque geniô duci, &, quod de Oratoribus civilibus Quintilianus dicit; ſtili eſſe tantam varietatem, quanta vultuum humanorum: idem quoque de ſacris Oratoribus verum eſt. Quidam artis præcepta preſſius ſequuntur: alii, miſſis his, libero ſpiritu impetuque feruntur: quod inprimis eximius ille Franciſcanus, Joh. Vitarius, fecit, quem Eraſmus, Epiſtol lib. XV. ep. 14., multis elogiis, atque, ut videtur, omnino veris extollit: digniſſimus qui legatur: tertii medium quærunt, quod ſequantur: & ſic ſuo quisque ſenſu abundat. 9

Hiſtoriam illuſtrium Concionatorum ſcripſit LUDOV. BAIL, ediditque Pariſiis A. 1666., ſub titulo: *Sapientiæ foras prædicantis:* qua illuſtrium per omnes ætates & Secula Concionatorum Elogia, Hiſtorias, artes, florilegia, nec non plurimas ex ineditis Codicibus lectiones exhibet: de quo vid. Spizelius Fel. Literat. p. 1033. & in Ephemeridibus anni 1666. Galli Pariſienſes. JAN. NIC. ERYTHRÆUS, ſcripto Dialogo, Vitia Sacrorum Oratorum perſtrinxit. Scripſit quoque FRIDER. BORROMEUS, Cardinalis & ArchiEpiſcopus Mediolanenſis, librum *de Sacris noſtrorum temporum Oratoribus*: teſte Ghilino in Theatro Illuſtr. Viror. T. I. p. 50., ſed quem non magis vidi, quàm ejusdem

de concionante Epiſcopo libros tres, quos Mediolani editos è Catalogo Bibliothecæ didici. Recenſebo interim aliquos, qui vel ipſi Conciones Meditationesve ſcripſerunt, vel Locos Communes Concionatoribus ſubminiſtrant.

10 Et quidem è poſteriori ordine primò prodeat, DIDACUS STELLA, Hiſpanus, Ord. Fratrum Minorum, qui *Commentarium in Evangelium Lucæ* ſcripſit, Lugduni 1592. in fol. & Antwerpiæ 1665. editum: vere penu variarum meditationum ſuper univerſam Chriſti Servatoris hiſtoriam: qui præclari omnino fundi vicem ſuſtineat, quo utantur Evangelicas Pericopas pro concione explanaturi: & ſunt ſane paſſim, qui eo utuntur. Editum primò fuerat iſtud Opus Compluti apud Andr. de Angulo 1575. in fol. 2. tomis: ſed prohibuit eam Editionem Index Romanus, & multa in eo opere, Luca Wadingo referente, quæ nimium pietatis ſtudium, vel Concionatorius exaggerandi modus, extorſit, expungenda cenſuit. Editum poſtea hoc Opus aliquoties Pariſiis & Lugduni, adjectusque Index, quo materiæ, quæ occurunt in hoc commentario, ad dies Dominicos atque feſtos accommodantur. Ex illo in compendium ſua redegit Thom. Stapletonus in Promptuario. Scripſit vero etiam Stella de ratione concionandi librum, ſeu *Rhetoricam Eccleſiaſticam*, Salmanticæ 1576. & 1596. inde Venetiis, Lugdini, & Coloniæ editam, una cum ipſomet Commentario in Lucam. Ceterum obſervavi quædam in Joſephi Hallii Scriptis Aſceticis, quæ è Stellæ Commentario hauſta videntur.

11 Jeſuita doctiſſimus, cujus jam ſupra, cum de Rhetoribus ageremus, mentio facta à nobis eſt, LUDOVICUS CRESOLLIUS, ſcripſit quoq;, qui ad hanc claſſem Sacrorum Oratorum pertinent, libros, *Myſtagogum, ſeu de ſacrorum hominum diſciplina*, Pariſ. 1629. editum, & *Anthologiam, ſeu Decadem de ſelectis piorum hominum virtutibus*. Pariſ. 1632. in lucem emiſſam, cui altera quoque Decas Anno 1638. ſucceſſit. Sane, uti præclari omnes hujus Viri labores ſunt: ita in his, quos nominavimus, exquiſitiſſima è Scriptis Patrum collegit, & partim ipſemet commentatus eſt. Dictio præterea elegans, & mere Latina, cujus magnus uſus in ipſis rerum argumentis eſſe poſſit. Quanquam vero non ad finem perducta ſit illa Creſollii de piorum virtutibus Commentatio: id tamen, quod prodiit, certo modo ſupplêſſe, quod de eſt, ſuâ præſtantiâ credi poteſt.

12 Aliam virtutum vitiorumque tractationem Theologicam in ſe ſuſcepit GUILH. PERALDUS, edita *Virtutum Vitiorumq; Summa*, Lugdini 1585. in 8. & Moguntiæ 1618. in 4. Non infeliciter & is, è Patrum aliorumque Autorum ſcriptis, varia non vulgaria collegit, quibus ipſe ſua queque addidit, commode ſane uſui Concionatorum futurus, ſiquidem in tractandis vitiis ac virtutibus, locorum Communium inſtar eſſe poſſit. Quos etiam data opera, juxta ordinem Alphabeti digeſtos, ſcripſit, ediditque *Apparatum Concionatorum* FRANC. LABATA, Hiſpanus, Jeſuita Cæſarauguſtanus, primùm Lugduni variis annis recuſum; & tandem novis Commentariis, iisque uberrimis à Guilh. Stanihurſto; cum cujus Auctario opus ſub titulo *Theſauri Morali*, prodiit Antwerpiæ 1652. in fol., 2 volum. Non contemnenda quidem illa farrago eſt ampla ſatis nec uſu ſuo deſtituitur: ſed tamen, ut ſunt iſtiusmodi labores, admodum imperfecta: & cui, è Patrum ſcriptis, è quibus ſua maximam partem deprompſit, addi infinita

finita poſſunt. Multa quoque, quæ vehementer ad Locos Communes Oratoriæ ſacræ pertinent, JOH. EUSEBII NIERENBERGII Scripta prodiere: quorum Catalogus apud Philippum Alegambe in Bibliotheca Jeſuitica legi poteſt: nec minus apud Nicol. Antoninm in Biblioth. Hiſpana T. I. p. 522. Etſi enim patre Tirolenſi, & matre Bavara, prognatus ſit ille, quia tamen Madriti natus eſt, inter Hiſpanos locum invenit, ibidem ſcilicet & omnem vitam terens. Fuit enim primus in Academia Madritenſi naturalis hiſtoriæ, & poſtmodum S. Theologiæ lector. Omni vero eruditionis genere cumulatum deſcribit Nierenbergium Antonius: maxime tamen formandis hominum moribus, & inſtillandæ erga Deum pietati vires ingenii atque eruditionis omnes adhibentem: quo factum, ait, ut Aſceticæ doctrinæ præceptor eximius atque paucis comparandus eſſet; ejusque libri, qui ſalutis negotium promovent, (& quorum magnum Catalogum recenſet) vix è manibus ac ſinu Hiſpanorum exfluerent, in alias quoque linguas translati. Non minori uſui eſſe poſſunt, quæ feliciter in hoc genere commentatus eſt ALOYSIUS NOVARINUS, qui in IV. Evangeliſtas ſcripſit, eosque notis practicis illuſtravit: Moſen, Davidem, Salomonem, ſingularibus libris expendit: ſcripſit Amoris Delicias è Cantico Canticorum: Amoris Triumphum: Alchymiam ſpiritualem: Riſum Sardonicum, ſeu de ficta mundi lætitia: Sanctitatis Characteres: Horologium Spirituale de beneficiis Dei cognitis, & varia alia Opuſcula, quæ tribus Tomis ſimul excuſa ſunt.

Magnâ ſpe nos de PETRO ALOYSIO implet Laur. Craſſus in Elogiis Hom. Literator., P. I. p. 380. ubi narrat, eum edidiſſe in lucem *Tomos II. ſuper Evangelia*, jamque in eo eſſe, ut *tertium* ſubjungat. Vocat ipſe hoc Opus *Ærarium inexhauſtum Oratorum Apoſtolicorum:* quo invidendo elogio omnibus ſane videndi ejus legendique ſalivam movet: mihi vero viſum id nunquam eſt, nec ſcio, Italicâ ſit, an Latinâ potius linguâ, ſcriptum. Poëta alioquin idem Craſſo argutiſſimus audit: & memini me aliqua ejus Epigrammata videre, quæ laudem iſtam merentur; ut bene hinc etiam de non viſo Opere ſperare auſim. Solet enim Poëticis ingeniis uberior patere ad præclaras meditationes campus. Contra non ita felix in iis fuit ſæpius à nobis memoratus JANUS NICIUS ERYTHRÆUS, qui in *Documentis ſuis ſacris*, & *Homiliis*, Coloniæ unà cum reliquis ejus Operibus editis, præter nitidam Latinitatem, vix quicquam habet; nec unquam profundis meditationibus ſe immergit. 13

JAC. MASENIUS, cujus itidem jam alibi mentio facta à nobis eſt, præter Rhetoricos illos libros, quibus & Civilibus & ſacræ Oratoriæ non parum prodeſt, librum quoque Homiliarum ſcripſit, cui titulus *Concionator*, Coloniæ poſt annum hujus ſeculi ſeptuageſimum excuſum: in quo collecti ſunt ejus ſermones in Evangelia Dominicalia & Feſtivalia, ut vocantur: multa è Patribus collecta habent, multa quoque ab ipſomet Maſenio addita, quorum uſus in argumento ſacro commodus eſſe poteſt. Viennæ NICOL. AVANCINUS *Orationes* edidit, de variis argumentis, tàm Sacris, quàm Civilibus, ſcriptas. Sed nimium in iis eſt argutiarum ſtudium, quod ubivis frigidè affectat. Scripſit & idem *Collecta è IV. Evangeliſtis de vita & doctrina D. N. Jeſu Chriſti*, quæ 14

medi-

meditationibus ad ſingulos totius anni dies factis expendit: prodierunt A. 1674. in 12. Has meditationes ſæpe per mera tantum lemmata exponit, & admodum brevis eſt: eam tamen ob rationem non plane negligendus, quod ſæpe unica meditatio talis, metaphora aut Enunciatio, occaſionem prolixæ inventioni dat; ſi tamen ſobriè, non ridiculè, tractetur. Idem de *Meditationibus* FRANCISCI SALESII, profundi ingenii Viri, & Epiſcopi Genevenſis, tenendum: quas ille multas & varii argumenti edidit: eminent tamen inter eas, quæ ſunt de *Amore Divino*, Coloniæ, ſi recte memini, in 8. editæ: aureum Opus, ut eas alicubi Nic. Antonius, in Hiſpana Bibliotheca, vocat: quanquam nec reliqui ejus fœtus contemni mereant. Certè *Introductio* ejus *ad vitam devotam* adeo Anglis probata eſt, ut in Vernaculam ſuam converterent, ederentque Londini 1616. in 8. *An Introduction to a devout life.* Vitam Franciſci hujus Saleſii deſcripſit, una cum addito Operum illius Catalogo, Carolus Auguſtus Saleſius, Franciſci Gentilis propinquus, editam Lugd. 1634. in 4.

15 Addimus huic Jeſuitam Italum, DANIEL. BARTOLUM, cujus *moralia* varii argumenti lucem aſpexerunt, & in Germanicum aut Latinum idioma pleraque transfuſa ſunt. *Geographia* ejus *Moralis*, Italice edita Romæ 1665. in 12., in linguam Latinam converſa prodiit Conſtantiæ in 8. A. 1674., multasque continet argutas admodum de variis argumentis, moralibus æque ac ſacris, ſpeculationes: quæ & in reliquis ejus ſcriptis magno numero deprehenduntur, ſuo uſu in variis occaſionibus conſpicuæ. Et quid de HIEREMIA DREXELIO dicemus, celebri Jeſuita Germano? cujus libri propemodum omnes argumenti practici & ſacri meditationibus ſylvam præbent, & proinde etiam magno ſtudio teruntur, & ſeorſim & junctim editi, etiam in Germanicam linguam partim converſi.

16 Apertius vero Locos communes Concionatoribus ſcripſit PETRUS BERCHORIUS, cujus *Dictionarium ſeu Repertorium Morale*, duobus in fol. Tomis, & *Reductorium Morale, perfectam officiorum & morum rationem complectens*, Tomo uno, qui tertius totius Operis eſt, Venet. A. 1583. prodiit; Coloniæ Agripp. A. 1631. recuſum. In Repertorio, ſecundum Alphabeti ſeriem, verba moraliter, è S. Scriptura, explicantur: in Reductorio autem ſub claſſibus rerum continentur moralia: ut adeo conceptui meditationum illud Lexicon quam optimè inſerviat.

17 E Reformatis Gallis PETRUS MOLINÆUS, (g) ut aliis in rebus multis excelluit, &

(g) Confunduntur *h. l.* ob ὁμωνυμίαν duo Petri Molinæi, Senior atque Junior, ille Pater, hic Filius. Pater, Profeſſor initio Academiæ Lugduno-Batavæ Philoſophicus, dein Eccleſiæ in ſuburbio Pariſienſi Reformatæ Charentonienſis Paſtor, & Athenæi tandem in Gallia Sedanenſis Theologus, Scriptor πολύγραφος, & plurimis præſertim bellis Sacris, adverſus Pontificios depugnatis, inclytus, qui d. 10. Mart. An. 1658. nonagenarius obiit, à Claud. Sarravio, *Ep. 31. ad Vinc. Fabricium p. 33. Veteranus Chriſti Miles, fortisq; Athletha*, ſalutatur, Autorque eſt *Tractatus de Cognitione Dei*, Latine Lugd. Bat. An. 1625. in 12. Gallice Hagæ Comitum A. 1631. in 18. Germanice autem Uratislaviæ A. 1632. & Lipſiæ A. 1694. in 12. publicati. Qui, licet à Morhofio *h. l.* non celebretur, Scriptoribus tamen

& inprimis πολύγραφος erat, *Veteranus Chriſti miles, fortisq; Athleta*, ut eum Sarravius in Epiſtola quadam vocat: ita inter Aſceticos ejus libros eminet ille, quem de *de Pace animæ* Gallico ſermone conſcripſit, in Germanicum poſtea translatus, & multoties editus. Plura ejus alia extant in Galliis junctim edita; etiam Belgicè, ni fallor: ſed in Germanicam linguam verſum nihil ab eo quicquam vidiſſe me memini, quàm librum jam memoratum, & alium de *Cognitione Dei.* Sunt vero omnia ejus ſolida, & è principiis ſuis conſtanti & ornata oratione deducta. Longeque adeo ſuperat Molinæus PETRUM SERRANUM, ſeu *de la Serre*, popularem ſuum Scriptorem, aliàs haud incelebrem: cujus libri multi Theologici & Moralis argumenti extant, omnes etiam in Germanicam linguam noſtram converſi. Nimirum multa apud illum ſunt inania rerum & verborum ſimulachra, quæ tinniunt tantum & aures implent; non afficiunt animum aut movent. Nec reſpondet ſibi ſemper ille in Operibus ſuis: interdum enim argutius ſcribit, interdum jacet & humi repit: adeo, ut ſuſpicer, eum non ſemper fuiſſe uſum ſuo ingenio, & ex aliorum fontibus nonnunquam quædam in ſuum alveum derivaſſe. Liber ejus de æternitate argutiſſima multa habet, ſed mere gnomica allegoriis multis veſtita.

Inprimis autem hoc Aſceticum ſcribendi meditandique genus excoluerunt *Angli*, 18
apud quos ingens librorum talium numerus reperitur: è quibus ſi Obſervationes Practicæ, omiſſis prolixioribus illis digreſſionibus & applicationibus, in ordinem colligerentur, tale opus emerſurum Franc. Baco Verulamius olim judicabat, quo, poſt Apoſtolorum tempora, nullum prodiiſſet in Theologicis melius. Nec cunctanter aſſenſum Verulamio præbuit Hottingerus, qui & rationes aſſerti ejus allegat, & magnum Scriptorum Anglicorum Catalogum, juxta literarum ſeriem digeſtum, exhibet, Bibliothecarii Quadrip. I. 1. c. 3. Vellem vero, ſelectum aliquem in illo Catalogo adhibuiſſet Hottingerus, nec, cum de Aſceticis eum ſolummodo acturum putares, alia quo-

tamen Eccleſiæ in Gallia Reformatæ Homiletico-Aſceticis potioribus, ob non pauca Monumenta Sacra hujus Argumenti inſignia, recte accenſebitur, imo à Gisb. Voetio (*Lib. I. Biblioth. Stud. Theol. c. 17. p. 256. 257. & Lib. 2. c. 3. p. 649.*) ac Gerh. Meiero (*Lib. II. Biblioth. Theol. Contracta, c. 11. p. 255.*) jam eſt annumeratus. Petrus autem Molinæus Junior, Canonicus Cantuarienſis, & Aulæ Regiæ Anglicanæ Eccleſiaſtes, cujus Scripta Morhofius *h. l.* deprædicat, Libro Gallico plane aureolo *de la Paix de l' Ame, & du Contentement de l' Eſprit*, præcipuè inclaruit, Sedani A. 1660. in 4to primum edito, eademque Lingua Genevæ, Salmurii & Amſtelodami, ſæpius recuſo, in Germanicam autem à Chriſt. Ryſſelio (**dem Beſchirmten** in Carpophororum Ordine) Lipſiæ A. 1666. & 1685. in 12. ac in Belgicam à J. Sandero Amſtelod. A. 1662. in 12. transfuſo. Præter hunc Germanice etiam leguntur, & una cum illo Hamburgi A. 1693. in 8vo lucem viderunt publicam, ejusdem Molinæi Junioris Meditationes de Amore in Homines divino, Preces & Meditationes Sacræ in Dies Septimanæ totius ſingulos, Præparatio ad Cœnam Dominicam, & Commentatio de Fide Juſtificante. E quibus Preces Quotidianæ & Præparatio ad Cœnam Dominicam (ſeorſim etiam Danicæ Hafniæ Anno 1657. in 12. edita,) cum eodem de Pace Animæ Libro, Anno ſequenti 1694. Amſtelodami in 12., Belgice itidem, Interprete H. Dullarto, prodierunt.

que Theologica magnó numero admiſcuiſſet: cùm ſatius fuiſſet, ex ipſismet Obſervationum Practicarum (uti vocant) Collectoribus nonniſi præſtantiſſimos apponere. Inter quos numerandum puto JOHANNEM DONNE, Eccleſiæ S. Pauli apud Londinenſes Decanum. Ingenioſiſſimum fuiſſe *Poëmata* ejus *juvenilia* oſtendunt, Londini A. 1633. in 4. edita, quæ anno ætatis 18. ſcripſit, plena argutiſſimorum conceptuum: quorum aliquot in linguam Belgicam vertit Conſtantinus Hugonius, à Carolo II. Rege ſollicitatus, qui inimitabilem Germanis & Belgis hujus Viri ſtilum putabat. *Sermones* vero *Sacros* elegantiſſimos & multos, & in varios S. Scripturæ textus, emiſit Londini diverſis annis. Scripſit & *Meditationes* ſuper morbo ſuo *Sacras*, quæ in linguam Belgicam converſæ, & Amſtelodami 1655. in 12. editæ ſunt. Scripſit & librum, quem à tali Viro ſcribi potuiſſe plane mirêre, quippe qui αὐτοχειϱίαν certis in caſibus licitam quoque eſſe affirmaret: titulus eſt: Βιαθάνατος: *that Self-murder is not ſo naturally a ſin, that it may never be othervviſe:* editus vero liber demum poſt mortem Auctoris eſt: atque, ut ajunt, ipſo etiam, dum viveret ejus editionem ſerio deprecante prohibenteque, Londini 1648. in 4. At mox, cum prodiiſſet, adeo ſe multis hominibus probavit, ut haud pauci ejus lectione ad mortem voluntariam adacti morerentur: recuſus certe iterum Londini eſt. 1664. Et haud dubiè dedit occaſionem ſcribendo alii libro, neſcio cujus Anonymi, qui pernicioſiſſimam opinionem ex animis hominum evellere haud abs re tentabat: *Pellicanicidium: or the Chriſtian Adviſer againſt Self-murder: together with a guide, & the pilgrims paſs to the land ef the living.* Lond. 1653. in 8. Sed ad alia.

19 JOSEPHUS HALLUS, notiſſimus omnibus Scriptor eſt, Epiſcopus Exceſtrienſis, cujus varia extant, quæ plurimam partem, vel in Belgicam linguam, vel in Germanicam converſa ſunt. *Biblicæ* ejus *Viſiones* meditationes morales continent in hiſtorias utriusque Teſtamenti; quarum uſus ad argumenta Sacra non ſpernendus eſt. Scripſit & ſeorſim alia Opuſcula multa, quæ in vernaculam noſtram transfuſa vidi. Nec minus ſtrenuè adverſus Pontificios & Browniſtas ſuæ Eccleſiæ veritatem libris aliquot defendit Ingenioſus etiam eſt & argutus RICH. WHITLOK, à quo ζωοτομίαν habemus, i. e. *Obſervationes*, quibus Anatomen vivorum per mortuos tractavit: Londini 1654. in 8.

20 Sed & ille celeberrimus nominis inter Anglos Vir, Phyſicæque inprimis doctrinæ magnus Reſtaurator, ROBERTUS BOYLE, Sacris meditationibus ſe impendit libro Anglico, cui titulus: *Of the Seraphic love, or Motives and incentives to the love of God:* qui, in Germanicam quoque linguam converſus, der himmliſche Liebes-Triumph dictus eſt. Occaſionem ſcribendo dederat Vir Illuſtris, neſcio quam mulierculam perditè amans: quem Boylius, ut ab iſto amore ad amorem puriſſimum ſanctiſſimumque abduceret, eum, quem diximus, librum, eleganter ſcriptum, multisque repletum egregiis meditationibus, illi nuncupavit. Idem *de Stylo S. Scripturæ* librum compoſuit: aliumque, mole quidem exiguum, ſed haudquaquam momentis, *de Natura*, in quo Deum in Creaturis monſtrat.

Alias

Alias præſtantiſſimus ἀνωνύμȣ cujusdam liber eſt Aſceticus, omnibusque Anglis maximo in pretio habitus: *the Holy Duty of men*; quod Latinè *Sacrum Chriſtianorum officium* vocares: cui multum omnino tribuendum eſt, utpote optimis meditationibus undique repleto. Neque tamen hîc omittendus inter Oratores Sacros & Anglos erit HENR. HAMMONDUS ſummus Vir, cujus *Homiliæ*, ut adſperſam ubivis exquiſitam eruditionem, ſine omni affectatione aut thraſonico frigore, oſtendunt, ita non minor maſculæ eloquentiæ ars, & illa animos penetrandi blanda vis, quæ ſe legentibus usque inſinuat, & argumentorum pondere cito vel nolenti perſuadet. 21

Sed quis omnes tandem recenſere poterit? Et hoc peculiare Virorum aliquot inſtitutum. Nam, ſicuti Guilh. Grovvæus, Anglus, Elenchum Interpretum S. Scripturæ edidit Londini 1672. in 8., in eoque quotquot noverat S. literarum Commentatores Græcos, Latinos, Anglos, Gallos, Germanos, Hiſpanos, Italos, ſedulò digeſſit (etſi imperfecta opera, cui plus altero tanto propemodum addi poteſt,) eoque labore bene de ἐξηγήσεως ſacræ ſtudio meritus cenſeri debet: ita ad moralem quoque Theologiam & Homileticam aptatus præcipue index alius eſt Scriptorum Anglicorum, præcipuè moralium, ſuper Vetus & novum Teſtamentum, editus Londini 1668. in 8., cui, tanquam Locis Communibus, addere quis poteſt Autores alios, quos obſervat: ſiquidem longe plures in ipſa Anglia quoque ſunt, quàm qui illic notantur. Poſſunt verò tum & aliarum nationum Autores ſimili planè modo addi. Quodſi quis ex omnibus quaſi cinnum confecerit, & explicationes ſingulis textibus adjecerit, vaſtum ille Opus poſſet conſarcinare, & magni omnino in Sacris Oratoribus uſûs. 22

Si noſtratium Sermones ſacros recenſere velimus, inprimis Vernaculo ſermone conſcriptos, quos *Poſtillas* vulgò vocamus, unus iisdem liber non ſufficeret. Et præterea nimis clara ſunt notaque nomina *Chemnitii*, *Arndii*, *Hunnii*, *Gerhardi*, *Glaſſii*, *Lütkemanni*, *Balduini*, *Schmidii*, *Dannhaweri*, *Geieri*, *Waltheri*, *Mülleri*, *Strauchii*, quàm ut noſtra hîc inſtituendâ recenſione opus haberent (*h*). Sunt & ſexcenti alii, 23

(*h*) Inter Scriptores Homileticos & Poſtillatores, quos vocant, Eccleſiæ Lutheranæ, Morhofio præ aliis probati ſunt Mart. Lutherus ipſe, Joh. Arndius & Henr. Müllerus, Theologi eximii, & in verâ Chriſtianiſmi, tum doctrinâ, tum Praxi, inculcandâ nulli ſecundi, de quibus Verba ejus ipſiſſima, è Prolegomenis *Collegii Sacri Oratorii in Pericopas Evangelicas Anniverſarias* ἀνεκδότȣ, lubet addere: *De Germanis Scriptoribus pene prætermiſiſſem aliqua dicere. Et, ſi verum fateri velimus, parca illorum ſeges eſt. Poſtillarum & Poſtillatorum turba infinita penè, ſed è quibus oppido pauci ſunt, qui elegantius quid ſapiant. E quibus ſuperiore ſeculo habemus Lutheri, aliorumque doctiſſimorum Virorum, Scripta Practica, plena pietatis & ſolidorum Enthymematum, ad Themata Oratoria neceſſariorum. Sed ii, contenti rem docuiſſe, de ornamentis non multum ſolliciti fuere: quanquam in Lutheri ſcriptis nihil poſſit deſiderari etiam ad ornatam elocutionem. Mihi præ cæteris vehementer ſemper placuit Joh. Arndius, profundorum ſenſuum inveſtigator, qui ea ſæpe affert, de quibus non cogitarunt alii, fœcundus Enthymematibus & argutioribus etiam meditationibus. Noviſſime Henr. Mullerus magnâ diligentia conquiſivit rariora Cogitata, in ſuis ad Pericopas Evangelicas & Epiſtolicas Homiliis.* -- *Nullus*

quos aut ſponte præterimus, aut ne cognitos quidem ſatis habemus. Eos interea, quos nominavimus, ceteris palmam præripere, ſeu quod Exegeſin dictorum Biblicorum & pericoparum ſpectat, ſeu quod moralem eorundem applicationem, forte nemo negaverit. Latinè Meditationes in Evangelia plane eximias compoſuit CONR. DIETERICUS, in celebri illa omniumque Studioſorum manibus ſuo merito trita *Analyſi*: in qua non ſolùm Evangelicas pericopas ſolidè explicat, ſed & in pertractandis Locis Communibus præcipue eſt, adhibitis quoque frequentiſſimè Patrum Sententiis, operoſus. Non minus præclare idem argumentum pertractat SALOM. GLASSIUS, Vir in Sacra Philologia omnium longe verſatiſſimus; & præterea ſolidæ pietatis laude clarus; in *Explicatione Evangelicorum & Epiſtolarum Dominicalium & Feſtivalium*: qui liber in omnium quoque manibus eſt: In allegoriis felix eſt ante omnes *Frid. Balduinus*, à quo *Chriſti Adventum Typicum*, & *Paſſionem Typicam, duabus partibus abſolutam* habemus. Conquirit ille è Veteri Teſtamento typos, & ingenioſe non minus ac eleganter ad Chriſtum egregiis Meditationibus applicat.

24 Longe plura poſſent hìc proferri ex omnium nationum Scriptoribus, ſi id nunc noſtri inſtituti res foret. Nondum enim è Gallis quenquam produximus, quorum tamen, egregiorum, magna copia eſt: nec ex Hiſpanis, niſi unum alterumve, cum prolixum eorundem Catalogum, ſub finem Tomi ſecundi Bibliothecæ ſuæ, Nic. Antonius recenſeat. Neque ſane poſſumus, quin ex Hiſpanis proferamus unum, quem quidem Antonius nonniſi obiter fere memorat, ſibi quippe ignotum, ſed qui nobis maximopere commendandus videtur. Eſt is JOHANNES de VALDES, qui, præter *Commentarium in Epiſtolam Pauli ad Corinthios*, Antonio memoratum *Decem* quoque *Divinas Conſiderationes* Hiſpanico ſermone ſcripſit, quæ à Claudio de Requifien, Pariſino, in Gallicum idioma; à Cælio Gurione vero in Italicum ſermonem, converſæ ſunt editæq; poſtremum Lugduni 1563. in 8. Pleniſſimæ pietatis illæ meditationes ſunt, & plane ad guſtum Theologiæ ſincerioris ſcriptæ, adeo, ut nihil Pontificii fermenti occurrat. Et mirum omnino eſt, vixiſſe jam tum illo tempore homines ſub illis Papiſmi tenebris latentes, qui altius rimati fuerint pietatis arcana. Dignus profecto eſſet liber, qui in linguam Latinam verteretur aut Germanicam: qui interdum adeo cum noſtro Arndio conſpirat, ut uno ore propemodum locutus videatur. Intimè ſemper actiones noſtras rimatur, veramque Chriſtianiſmi praxin magnâ diligentiâ oſtendit, ob id unice commendandus.

25 Solet aliàs ex Hiſpanis maximopere laudari, atque adeo ceteris anteferri omnibus, LUDOV. GRANATENSIS, de quo tacere mavult Antonius, quàm pauca dicere, omnium quippe nationum hominibus mirifice probato: & in quo, ut ait, Deus illam ſapientiæ atque eloquentiæ formam, quâ arduum illud ac neceſſarium ſalutis negotium tractan-

eſt è recentioribus Homileticis Scriptoribus, qui fœcundior ſit Poriſmatibus, è textu deductis, quam Müllerus: Horreum Opus illud dicas, & quaſi Locos Communes Locorum, quibus magno cum fructu quis uti poterit. Sunt enim omnia pulchra, arguta & illuſtria, ſed ſi juſtæ Orationis concinnitatem videas, ejus ſane menſuram multis modis excedunt. Exiſtimem ego, multorum Annorum Labores, vel multos Sermones, in unum ab Autore compactos, unde illa totius inconcinnitas oritur.

tractandum & familiare imbecillitati humanæ reddendum eſt, oſtendere nobis & commendare voluiſſe videtur. Proponit quoque illum, ut exemplum eximii Oratoris ſacri ſuis lectoribus Ren. Rapinus. Vix autem numerus iniri poteſt Concionum & librorum Aſceticorum, quos edidit Ludovicus, & qui tanto omnium applauſu, ſtatim atque prodierunt, excepti ſunt, ut, referente Nic. Antonio, in novem diverſarum nationum, etiam barbararum, linguas converterentur: ipſeque Granatenſis modo ad Bracharenſem ArchiEpiſcopatum à Catharina, Luſitaniæ Regina, matre Sebaſtiani Regis; modo ad purpuratorum Aulæ Romanæ dignitatem Cardinalitiam à Sixto V. Pontifice, ultro peteretur; quem tamen utrumque ſummæ dignationis honorem ipſe conſtanter abnuit. Catalogum librorum illius omnium exhibet laudatus ſæpe jam Nicol. Antonius T. II. p. 31. ſeqq. Neque vero ſolum *Conciones* ſcripſit ille, ſed & *Rhetoricam Eccleſiaſticam*, Olyſſipone primum 1576. in 4., & Coloniæ poſtmodum 1578. & 1582. editam: & *Sylvam Locorum Communium*, qui in Concionibus occurrunt: Lugd. 1582. in 8. &c.

Stupebat vero ipſemet Ludov. Granatenſis JOHANNEM de AVILA, Almodo- 26
vera Caſtellanum, qui cum alio hujus nominis Jeſuita Madritenſi confundendus non eſt, cujus tanta erat, ut ajunt, perorantis & inſectantis vitia vis, ut vix concipi major robuſtiorve poſſit, ipſique propemodum muri ædium, in queis concionabatur, concuti, auditoreſque, velut fulmine aliquo tacti, toti cohorreſcere & ardere viderentur. Meruit ſane iis orationibus ſuis, & ſacro per Hiſpaniam Bæticam munere docendi, nomen *Apoſtoli Bætici*; ſperatque Nic. Antonius fore, ut aliquando Eccleſiaſtica ἀποθεώσει in Sanctorum numerum recipiatur. Non alio vero ſcripſit ille, niſi vernaculo ſermone: quanquam aliqua ejus in Italicum ſermonem æque ac in Gallicum, Belgicum, Anglicumque, converſa ſunt. Adeo ſcilicet omnibus magni fit: idque, ſi Andr. Schottum in Hiſpana Bibliotheca audis, non immerito. *Magna enim in dicendo ei fuit & ſcribendo energia, vis atque efficacia, ut, quæ velit perſuadeat, ſenſusque rapiat & extra ſe ponat, nec doceat ſolum, ſed & delectet, flectat denique ad omnem impetum. Summa ſermonis venuſtas, quia verborum affectatio abeſt, & perſpicuitas maxime elucet, quæ prima Orationis laus eſt Oratoribus. Chriſtiana vero Eloquentia eſt ab animo profecta, non in labiis natans, ad oſtentationemque, vel inanem gloriam captandam, plauſusque imperiti vulgi comparata, ſed communem utilitatem, ſalutemque animæ unice ſpectans.* Hæc Schottus, qui de Epiſtolis Avilæ æque præclare ſentit: *in quibus*, ait, *tum alia innumerabilia, quæ lectorem, ſi utilitatem ſpectat, alliciunt & retinent, lectæque iterum invitant (expertus loquor,) tum vero maxime optimi verbi Dei præconis Evangelicæ prædicationis exemplum vivis coloribus ita depingit, ut nullum in eo genere pingi poſſit perfectius.* Et ſane non de vulgo Declamatorem fuiſſe, vel illud etiam argumento eſt, quod Hiſpali ob ſacros ſermones ſuos, velut reus impietatis aut hæreſeos, ad Inquiſitionis judices delatus eſt, coram quibus tamen, vel tacendo, nihilque omnino reponendo, Calumnias actorum retudiſſe dicitur à Nicol. Antonio: qui & Opera ejus edita, inedita, magno ſtudio recenſet; & Vitæ Scriptores Ludovicos duos, Granatenſem ſcilicet atque Munnozium.

27 Idem Antonius ex Hiſpanis Oratoribus ſacris Aſcetisque, præter eos, quos enumeravimus, inprimis extollit ALPHONSUM LOBO, ſeu LUPUM, Seraphicorum ordinis Franciſcanum, & æqualem Avilæ, cum quo aliquibus comparatus eſt: etſi, ſi ad Eloquentiæ regulas ſeverè exigeretur, Frider. Borromeo Card. judice, nec eloquentiæ multum haberet, nec doctrinæ, nec verborum nitor elucere in ejus Oratione, nec ordinis, nec gratiæ ſatis: ipſâ tamen ſimplicitate ſermonis, & piâ gravitate, tum movendi animos vi magnum ſibi nomen acquiſivit. Celebrantur præterea Hiſpani Aſcetæ, ALPHONSUS MADRITIUS, ex Ordine Minorum; DIDACUS PENZ de VALDIVIA, Joh. Avilæ diſcipulus, Eccleſiaſtes & S. Literarum Profeſſor Barcinonenſis: qui & Conciones plurimas, libroſque Aſceticos, Latinè & Hiſpanicè ſcriptos edidit, & librum *de Sacrâ concionandi ratione*: Barcinone 1588. in 4., Antwerpiæ 1598. in 8. recuſum. FRANCISCUS ARIAS, Jeſuita Hiſpalenſis, Avilæ familiaris, cujus librorum magna pars à Joh. Buſæo, Leonh. Credero, aliisque Jeſuitis, Latine ex Hiſpano verſi, in Germania prodierunt; & quos ad devotam vitam inprimis Franc. Saleſius, annotante Nic. Antonio, juxta cum Granatenſis Operibus, commendavit. ALPHONSUS RODRIGUEZ ſeu *Roderici*, Pincianus, Jeſuita, variis per Hiſpaniam urbibus datus Eccleſiaſtes: HIERON. GRACIANUS, *à Matre Dei* cognominatus, Carmelita, variis procellis jactatus, ſuorum ſodalium invidiâ, & piratarum barbarie excitatis. LUDOVICUS PONTANUS, vel Hiſpanice *de la Puente*, Jeſuita magni nominis, & de quo inter ſanctos referendo Romæ jam agitari cœpit: adeo ſcilicet erat ipſe de ſanctitate ſua perſuaſus, ac, ſi DIs placet, etiam certus, ut non ſolùm lethalis nullius culpæ conſcius ſibi eſſe vellet, ſed &, vigeſimo ante obitum ſuum anno, voto quoque ſeſe adſtrinxerit venialium leviorumque peccatorum deliberatam admiſſionem evitandi: quo ex tempore nihil potuiſſe in ipſo notari contendit Phil. Alegambe, quod conſtaret eſſe reprehenſionis capax. Sed nos quidem ſanctos tales ſuis cultoribus relinquimus; Pontani mentionem hîc, nonniſi Aſcetæ inter Hiſpanos celebris facientes. Cui tandem Antonius *Joh. Euſeb. Nierembergium* adjungit, de quo ſupra; & JOH. PALAFOXIUM, Epiſcopum Angelopolitanum in Nova Hiſpania Americæ, cujus etiam Prorex conſtitutus erat. Hujus vero cum Jeſuitis lites multæ & graves admodum fuêre; adeò, ut plus ſemel capitis periculum adiret, & in latebris occultare ſe cogeretur: Vir optimus, & virtutibus, quæ Epiſcopum decerent, abunde ornatus, Nic. Antonio referente. Et multo etiam magis innocentiam vitæ ejus atque dogmatum urget, & adverſus Jeſuitas perſecutores graviſſimè inſurgit Anton. Arnaldus Tom. III. *de la Pratique Morale des Jeſuites*. Edita quoque eſt peculiari libello Hiſtoria hujus Epiſcopi, Gallicè conſcripta, apud Batavos, Amſtelodami, ni fallor, A. 1690. in 12. Sed & ipſe ſui Hiſtoriam vernaculo ſermone conſcripſit, ſub titulo: *Vita interior cujusdam Peccatoris pœnitentis*. Illud inprimis in hoc Viro mirum: eum, cum perpetuò Juris ſtudio operam navaſſet, eſſetque ad eum usque diem, quo Epiſcopus factus eſt, ampliſſimis muneribus politicis reipublicæ procurandæ addictus, tanto tamen animi vigore, tantoque ſpiritu, ſacra dein tractaſſe. *Sane, ſi Theologiam profeſſus fuiſſet*, ait Nic. Antonius, *haberet planè hæc ætas, quem, in promovenda coram populis morum*

doctri-

doctrina, concitandis, componendisq; affectibus, audientiumq; animis ad arbitrium fingendis, veterum novorumq; eloquentiſſimis opponeret. Quem tamen defectum egregie ſupplevit libris quamplurimis, pro ſe relictis, quos inſigni quodam elegantiæ atq; facundiæ paratu, nunquamq; ceſſantibus vivaciſſimi ac fertiliſſimi ingenii luminibus, quaſi extempore, nullo utiq; lituræ diſpendio, à domeſticis accepimus, inſtruebat ſimul, & ad unguem perficiebat. Libri illi omnes Hiſpanicâ linguâ ſcripti ſunt, adeoque apud nos rariores. Catalogum ex Antonio pete.

Sed propemodum nos longius avexit Hiſpanorum Oratorum recenſio, quàm decebat. Quodſi è Gallis unus etiam aut alter addendus eſſet, ecquos rectius eligeremus, quàm Jeſuitas duos, quorum Rapinus meminit libro ſuperiùs citato, quos omnium hujus ſeculi Oratorum ſacrorum, ſibi quidem notorum, perfectiſſimos fuiſſe cenſet. Unus eorum eſt CLAUD. LINGENDIUS, *le Pere de Lingendes*, cujus non ſolum omnem habitum corporis atq; mentis à natura prope ad ſacram Oratoriam efformatum affirmat, cui ſubacta quoque Theologiæ omnis peritia acceſſerit: ſed & inprimis eloquentiâ fuiſſe plane admirandâ. Audiamus ipſum, quandoquidem paucis verbis tantùm non omne Concionatoris egregii artificium pandit, ac velut ideam nobis aliquam repræſentat. *Ses raiſons ſe ſoutenoient tellement* (ita de Lingendio Rapinus) *les unes les autres, que les dernieres étoient toujours plus fortes, que les premieres: & outre, qu'il n'y avoit rien de faux, ny rien d' égaré dans ſon raiſonnement, que tout y étoit ſolide, la fiorce de ſon diſcours alloit toûjours en s' augmentant comme par deviez pour frapper encore davantage les eſprit à la fin, qu' au commencement. Enfin ſon veritable talent étoit d' êclairer pleinement, l' entendement, & de toucher encor plus fortement le coeur. Tout ſon Diſcours étoit un éclairciſſement merveilleux des matieres, qu' il traitoit: & apres avoir jettè dans l' eſprit la ſemence des mouvemens, qu' il ſe propoſoit par une abondance & un épanchement de lumiere, dont il étoit plein, il faiſoit Ioüer tous les reſſorts de l' ame par tous les mouvemens, dont il la ſugoit capable d' etre touchée: & il enflammoit le coeur par tout ce, qu'il y avoit de feu & d' ardeur dans les paſſions, dont il ſcavoit l' art par une Rhetorique particuliere, qu' il s' étoit faite. Onne craignoit jamait tant de ſe voir finir, que quant il étoit preſt de le faire: car c' étoit alors qu' il entroit dans les coeurs, pour s'y rendre le mâitre, & pour y faire ce, qu' il luy plaiſoit.* Addit Rapinus, tantam fuiſſe ejus eloquentiæ vim, ut nonnulli vitæ liberioris homines impii auſi non ſint eum audire, veriti, ne rationum, ab ipſo allatarum pondere vincerentur, & vel inviti ad ſaniorem redire mentem cogerentur. Enimvero præcipue terrendo ſuorum animos in officio tenere ſolebat: perſuaſus cum Quintiliano, naturaliter plus valere apud plurimos malorum timorem, quam ſpem bonorum. Cùm contra longe alio modo ſuas ad populum ſacras orationes efformavit alter è duobus, CASTILLONIUS, *le Pere Caſtillon*. Omne hujus artificium in eo inprimis ſe exerebat: quòd ſine arte ſe ſua proferre ſimularet, & ingenioſiſſimè cogitata, velut è veſtigio ſibi ſubnata, noſſet eloqui: haudquaquam quæſitis argutiolis, aut fucatis, pictæ orationis incruſtamentis, adſuetus, qui mos nonnullorum peſſimus eſt; ſed potius

tius magnam ſimplicitatis neglectæque artis imaginem in arte ſumma; & in exquiſita argumentorum collocatione nil præter ipſum naturæ ordinem; in efficaciſſima animos ſolidis argumentis penetrandi vi colloquentis ſpeciem præ ſe ferre & retinuiſſe perpetuo videretur. Quo factum, ut & gratisſimus omnibus eſſet, & perſuaderet, quodcunque vellet, pro lubitu: volebat autem ſemper in argumentis gravisſimis.

29 E Reformatis Gallis celebres inprimis ſunt Joh. Dallæus, junior, editis Sermonibus Sacris, rerum ubertate ſcatentibus, celebris: Alexander Morus, cujus concionibus, Genevæ editis in 8. nihil ingenioſius ſuaviusque. Petrus Boscius, (*i*) magni nominis apud illos Vir; nec ſane ſpernendus ullo modo Orator; Joh Claudius, cujus tempore motuum poſtremorum circa religionem in Gallia, magna inprimis in avertendis, quamdiu licuit, Eccleſiarum Proteſtantium, malis, pars fuit: nec minor apud ſuos æque ac Pontificios bene multos auctoritas. Hujus igitur Sermones etiam prodierunt, ingenioſi, ut ſunt omnia Ejus Viri, ſolidâque Eloquentia commendabiles, dictione vero longe ſuaviſſimi.

30 *Utrum Anglis ſua ſurripuerint Galli*, vicina quæſtio eſt, nec tamen usque adeo magni momenti. Thomas Spraat, in Obſervationibus ſuis ad Sorbierii Iter Anglicum, Belgas Theologos hujus plagii inſimulat. Sed quid inde? Ita fieri ſolet, & factum ab omni ævo eſt, ut gens altera alteri exemplo & diſciplinæ eſſet. A Græcis pleraque ſua capiebant Latini: Græci ex Oriente & à Barbaris: Latini poſtea, proro-gatione dominatus ſui, pene totius terrarum orbis fuerunt pædagogi. Verum eſt, Anglos in hoc genere reliquas gentes antecellere: ſed id nec difficile eſt, nec mirum eſt, cum otio abundent, & rebus omnibus, quæ ad dignè elaborandum aliquid requiruntur. Hiſpanos Anglis Galliſque præfert Barthius: & aſſere non veretur, omnes Gallorum libros Hiſpanis eſſe per plagium ſurreptos: injurio, & neſcio quâ affectuum intemperie potruſo judicio. Sed hæc alius loci ſunt: & à noſtro inſtituto propemodum aliena. Ergo nihil amplius in Sacra Oratoria moramur, ſed ad aliud argumentum procedimus.

(*i*) Petri du Boſe *Sermons ſur divers Textes de l'Ecriture*, junctim Tomis II. Roterodami A. 1692. in 8vo. Joh. Claudii autem *Oeuvres Poſthumes* (*Opera Poſthuma*, non Dogmatica ſolum & Polemica, ſed & Homiletica,) Tomis V. Amſtelodami An. 1688. & 1689. in 8vo, prodierunt.

FINIS LIBRI SEXTI.

POLY-

Polyhistoris Literarii
Lib. VII.
POETICUS.

CAP. I.
DE SCRIPTORIBUS, AD ARTEM POETICAM FACIENTIBUS.

§. 1. *Poëſeos Antiquitas, Dignitas, Utilitas. Invectiva in ejus Calumniatores, inprimis Tanaquillum Fabrum Juniorem.* 2. *Artis Poëticæ Magiſter Antiquiſſimus & præcipuus* ARISTOTELES, *qui contra Cenſores iniquos defenditur.* 3. *Poëticæ Ariſtotelis Editores, Interpretes & Commentatores, fuſe enumerantur, duoque noviſſimi, Ren. Rapinus, Jeſuita, & Andr. Dacerius (quorum de reliqvis recitantur Judicia, ſibi invicem contraria,) omnibus præferuntur. Controverſia inter Rapinum, & Sodalem ejus, Franc. Vavaſſorem, de illius Scripto, Literaria.* 4. *Latinus Artis Poëticæ Scriptor, Q. ſcil.* HORATIUS FLACCUS, *cujus etiam Cenſores, Vindices Interpretes & Exegetæ, recenſentur.* 5. *Græculi Ævi Medii, Anonymus Certaminis Homeri ac Heſiodi Scriptor, & Iſaacus ac Johannes Tzetzæ. Latini Recentiores, Macarius Mutius, Camers.* 6. *Jul. Cæſ. Scaliger, cui Plagium à Caſp. Barthio, Editionibus autem ejus Genevenſibus Falſi & Hæreſeos Crimen à Poſſevino, fruſtra intentatur.* 7. *Jac. Pontanus, Gerh. Joh. Voſſius, Laur. le Brun, Jac. Maſenius, & aliquot Hiſpani.* 8. *Hiſpani de Comœdia & Tragœdia Scriptores, qua occaſione adverſus Nicol. Antonium, Comœdiam Hiſpanicam, ejusque præcipuum Inſtauratorem, Lupum Felicem de Vega, Græcis atque Latinis Comicis Tragicisve Veteribus præferentem, fuſe diſputatur, nec tamen veræ iſtius laudes reticentur.* 9. *Scriptores de Poëſi Dramaticæ Galli ac Itali, Pet. præſertim Cornelius, Novator & Jaſon Denores, Antiquorum Hyperaſpiſtes, cujus Litium de Tragico-Comœdiis modernis cum Joh. Bapt. Goarino Hiſtoria: è Thuano reperitur, addito Niciæ, Comœdiæ Nicol. Machiavelli, Elogio.* 10. *Alii de*

de Dramatica Poëſi Scriptores, Joh. Dryden, Joh. Meurſius, &c. Controverſiæ, Dan. Heinſio, ob Fabulas Ethnicas Sacris, in Herode Infanticida, immiſtas, à Joh. Ludov. Balzacio motæ, Scriptorumque Utriusque, nec non Claudii Salmaſii & Joh. Croji, quibus iſta ventilata eſt, Eriſticorum, Hiſtoria, adjectis Æg. Menagii & Autoris Judiciis. 11. *De Satyris Scripta Franc. Robortelli, Iſ. Caſauboni, Dan. Heinſii, Ezech. Spanhemii, Nicol. Rigaltii.* 12. *Artis Epigrammaticæ Scriptores, Thom. Correa, Car. a S. Antonio, Nicol. Mercerus, Franc. Vavaſſor, Jac. Maſenius, &c.* 13. *De Epico Carmine Mambrunus, Torqu. Taſſus, le Brun, Ren. le Boſſu, &c., De Elegia Thom. Correa; De Eclogis Ren. Rapinus & Æg. Menagius.* 14. *De Poematum Cantu & Rythmis Iſ. Voſſius & Arius Barboſa: De Furore Poëtico Pet. Petitus & Joach. Fellerus.* 15. *De Imitatione Poetica Bern. Parthenius & Caſp. Barthius. De Furtis Poetarum & Similibus Cogitatis, Aretades & Ægidius Menagius, ipſi Plagiorum talium ab Adr. Bailleto inſimulatus, contra quem in AntiBailleto ſe defendit. Dion. Longini & Autoris de his Judicia. Speronis Speronii in explicandis Scriptoribus obſcurioribus Verſutia. Monitum de Oratoribus à Poeta legendis.* 16. *Inter Autores, qui Syllabarum Quantitates collegerunt, Sam. Glonerus & Ol. Borrichius eminent. Magnorum Virorum in Metro Errores a Caſp. Barthio, aliisque notati.* 17. *Mythologiæ Poeticæ Scriptores, Lil. Greg. Gyraldus, Gerh. Joh. Voſſius, Nat. Comes, Henr. Schævius, Franc. Pomey, Jac. Maſenius, Ezech. Spanhemius, Rob. Stephanus (Raph. Volaterrani Plagiarius,) Car. Stephanus, à Thomæ Reineſio & Nicol. Loydio emendatus & auctus.* 18. *Georg. Cheroboſcus de Tropis Poeticis.* 19. *Collectores Phraſium & Epithetorum Poeticorum, tàm Græcorum, quam Latinorum, varii. Conſilium de ratione concinnandi Lexici Poetici.* 20. *Scriptores aliquot de Vernacula variarum Europæ Gentilinm Poeſi.* 21. *Philautia Poetarum a Jac. Gaddio & Caſp. Barthio notata, ab Æg. Menagio defenſa.*

ABſoluta Eloqventia ſoluta ad ligatam accedimus; qvæ, ut antiqvitate illam, nemine contradicente, multis etiam ſeculis anteit: ita dignitate profecto etiam haudqvaqvam illi tantillum concedere eſt exiſtimanda: Ecqvis enim neſcit, omnem Veterum ſapientiam, omnem Philoſophiam, atqve Theologiam, in Poetarum Scriptis reconditam fuiſſe? qvis Tragœdiæ Veteris gravem in coërcendis emendandisqve hominum animis vim? qvis Comœdiæ non feſtivos minus & acres, qvàm ſalubres ad perfricanda Vitia Spectatorum, ſales? qvis Epopœiæ ingentia ad virtutem, etiam in Heroum animis, incitamenta ignorat? Civilemqve prudentiam, & ſubactiſſimam moralis Philoſophiæ, qvandoqve & Phyſices, peritiam, omnisqve demum eruditionis multifarium apparatum uno qvandoqve poëmate deliteſcentem? Ut jam de Elegantia poëmatis nihil dicam. Certe, qvanqvam acriorem illum Jul: Cæſ. Scaligeri, indignantis, fervorem meum non faciam, qvi *ne in hominum quidem cenſu reponendos*

dos putârit, *qui Poetarum lectionem damnent, agreſtes atque aſpero ſupercilio brutos homines:* tamen, nulla ratione detractoribus Veterum Poëtarum, ipſiusqve adeo Poeſeos, accedendum ſerio, atqve haud invitus, ajo. Fruſtra enim abuſus hic adducuntur, qvi, hominum improborum ſcelere, ne è ſanctiſſimâ qvidem noſtrâ Theologiâ abſunt, ceteras vero artes humanas omnes latè pervadunt. Sed non opus eſt, ut hîc Poetices Apologiam ſcribamus, qvam tot ſummi Viri ſatis jam defenderunt; & cui propria virtus inſtar clypei eſt, inanes Calumniatorum ictus impune excipiens confringensqve. Scripſit, ut è plurimis unicum nominemus, adverſus iniqvos illos hoſtes Poëticæ, Orationem elegantiſſimam Joh. Caselius, *de Arte Poetarum* inſcriptam, qvam ut ſunt omnia ejus Viri plane eximia, legiſſe non pœnitebit. (Nuperrime vero novus præſtantiſſimæ Artis accuſator, DI magno apparatu, in ſcenam prodiit, Tanaqvillus Faber, Tanaqvilli illius celeberrimi filius, qvod mirêre, Annæqve Daceriæ germanus frater. Hunc, neqve inſtitutio Patris, neqve ipſa Poëtarum lectio, nec eruditiſſimæ Sororis exemplum, dimovere potuit, qvo minus *de Futilitate Poetices* futilem librum ſcriberet, Amſtelodami A. 1697. in 8. editum; qvem legere profecto non poſſis absqve tacita admiratione, qvi in hæc frigida delabi Vir doctus potuerit: adeo nihil contra Poeticen in medium affert, de qva tamen loqvi inſtituit: Poetas ſolum ubiqve, & ut plurimum præter rem, carpit, certe ſemper ἀπϱοσδιονύσως. Nec dubito, qvin Daceria, ſi fratris librum legerit, jure etiam ſit uſurpatura illud Juliani: ἔγνων ἀνέγνων, κατέγνων)

Miſſis autem his intempeſtivæ κϱίσεως Autoribus, ad eos Scriptores accedamus, 2
qvi Artis præcepta tradiderunt. Primus omnium, qvi glaciem in difficili argumento fregit, &, cum ante ſe neminem habuerit, viam feliciſſimè invenit, poſterisqve ſtratam egregie reliqvit, ARISTOTELES eſt; qvem etiam communi conſenſu eruditi primam tenere ajunt: præcipue, cum ex antiqvis Græcis unicus etiam ille ſit, & è Latinis Horatius non ſane melius Ariſtotele artem Poeticam explicuiſſe dici qveat. Non ignoro eqvidem, multis rem creditu impoſſibilem videri, Philoſophum, qvi meris ſpeculationibus per omnem ſuam vitam deditus fuit, nunqvam ipſe Poeta, nunqvam theatri praxin expertus, ſcribere tamen cum laude *de Poeſi*, ac de tragœdiæ ratione aliqvid potuiſſe. Alii mancum eſſe Opus qveruntur, maximâqve ſui parte temporum injuriâ mutilatum, ut adeo nihil perfecti ex reſiduis velut laciniis hauriri poſſit. *Ariſtotelis Commentarii*, inqvit in præfatione ſuæ Poetices Jul. C. Scaliger, *mutili ſunt, ne qvid liberius excidat nobis*, Jac. Gaddius, *Tom. I. Scriptor. Non-Eccleſ. p. 42. Licet Poetica Ariſtotelis, quæ nunc extat, imperfecta ſit ac mutilata: præterea ſubobſcuris & parum firmis aliquando fundamentis ſubnixa, tamen duo de ea facultate volumina conſcripſerat, forte meliora & pleniora.* Taceo alios, qvi idem ſentiunt, & qvorum numerus haudqvaqvam exiguus eſt. Enimvero, uti prius illud ἔγκλημα, qvod proferebamus, ſolidiſſime Andr. Dacerius abſtergit, oſtenditqve, Poeticen è Philoſophia ortam, adeoqve illius tractationem plane non eſſe ultra terminos Philoſophi; dein multo eſſe ferendo de arte aliqva judicio aptiorem haud raro, multoqve ad præſcribendas regulas magis perſpicacem, qvi ſolidis ſpeculationibus intima ejus perſcrutatur, qvàm qvi,

dum artem ipſe exercet, citius ſuorum fœtuum amore in transverſum rapi ac cœcutire poteſt: ita, qvod poſterius attinet, non eadem omnium Doctorum mens eſt. Certe Nicius Erythræus FEDERICUM BONAVENTURAM oſtendiſſe refert, Ariſtotelis Poeticam non eſſe inchoatam aut mancam, ſed abſolutam & perfectam, ſi unicus tantum locus excipiatur, *Pinacoth. I. p.* 176. Idem alii cenſent. Qvicqvid autem ejus ſit; ea profecto, qvæ ab Ariſtotelis Poetica reſidua nobis ſunt, adeo bona ſunt, & adeo è naturæ ipſius penetralibus hauſta, ut meliora dari vix poſſint, atqve ut non ſolum tragœdiæ, ſed & Epopœiæ, ratio accuratiſſime explicetur.

Atqve hinc etiam certatim à Viris doctis *edita* Ariſtotelis *Poëtica* Latinè, Italicè, Gallicè, Hiſpanicè verſa, notisqve illuſtrata eſt. Separatim illam Græce edidit Aldus Venet. 1508. in fol. Græco Latinum adjecit, ſuosqve addidit Commentarios Franc. Robortellus, Florent. 1548. fol., qvi Baſileæ poſtmodum apud Hervagium A. 1555. denuo impreſſi ſunt. Poſt hunc idem opus in ſe ſuſceperunt: Vincent Madius, Brixianus, & Barth. Lombardus, Veronenſis; cum qvorum Commentariis Ariſtotelis Poëtica prodiit. Venet. A. 1550., Petr. Victorius, Florent. 1573. fol. Ant. Ricobonus Venet. 1579. in 8: Dan. Heinſius, qvi Verſionem recenſuit & notas adjecit, Lugduni Batav. 1610. in 8. Idem in Diſſertatione de Tragœdiæ conſtitutione Lugduni Batav. 1643. in 12. edita, Interpretem Ariſtotelis egiſſe dici poteſt. Paulus Benius, Eugubinus, Commentarium itidem Græco-Latinæ Ariſtotelis Poëticæ adjecit, & Platonis poëticam inſuper ex ejus Dialogis collegit, Venet. 1616. Italice illam vertit & Commentariis illuſtravit Ludov. Caſtelvetro, Mutinenſis, Baſil. 1576. & 1582. liber poſt mortem Autoris editus eſt; ipſe enim An. 1571. ex hac vita migravit: Alium Commentarium Italico idiomate ſcripſit in Ariſtotelem Alex. Piccolomineus Venet. in 4. An. 1575. Præterea Ariſtotelis librum eundem explanandum ſibi ſumſerunt Franc. Patricius libro, cui titulus: *Della Poëtica la Deca Hiſtoriale, & la Deca Diſputata* (prodiit Ferraræ A. 1584.) Ant. Sebaſt. Minturnus, Epiſcopus Uxentinus, libris VI. de Poëta Venet. 1559. in 4. editis. M. Ant. Majoragius libro ſimili, & M. Hier. Vida in libris III. de Arte Poëtica ad Franciſcum, Delphinum Franciæ, Franciſci Regis F., Baſil. 1534. in 8. de qvo Jul. Cæſ. Scaliger: *prudens ille quidem multa bene monet, quibus cautior Poëta fiat, verum factum jam inſtruit, ut perficiat.* Demum Gerh. Joh. Voſſius, in libris ſuis Inſtit. Poëtices, nihil aliud ferme qvam Ariſtotelis Scholiaſten egit. Verum, è tantâ Commentatorum copiâ neminem tamen pro dignitate Ariſtotelis librum explicâſſe, celebris Poëta Gallus, PET. CORNEILLE, aſſeveravit, doctos qvidem interpretes illos fuiſſe non negans, ſed dum Grammaticos potius aut Philoſophos agerent, illos id, qvod Poëſin inprimis attinet, & theatri rationem, utplurimum neglexiſſe, ait. Etſi vero non undiqvaqve vera locutus ſit Cornelius, uti poſtea dicetur; attamen in iis, qvos recenſuimus, interpretibus Poëticæ Ariſtoteleæ multa moneri poſſe, alii qvoqve Viri docti obſervârunt. REN. RAPINUS, qvi & ipſe, poſt tot alios, libro Ariſtotelis, qvem in hoc genere longe perfectiſſimum judicat, lucem ſuis meditationibus (*Reflexions ſur la Poëtique*) afferre, neutiqvam vilipendendo, conatus eſt, ſpeciatim, in præfatio-

ſatione ſui libri, qvid in unoqvoqve Commentatorum Ariſtotelis deſideret, exponit, digna omnino, qvæ huc apponatur, cenſura. Ita vero ille: poſtqvam ſuperiore ſeculo allatam Conſtantinopoli Ariſtotelis Poëticam commemoraſſet: *Il s' eleva alors une foule de Commentateurs, qui ècrivirent ſur cette Poëtique, Dont les premiers futent Madius, Victorius, Robortellus, qui interpreterent aſſez literalement le texte de ce Philoſophe, ſans entrer fort dans ſon eſprit. Ceux cy furent ſuivis de Caſtelevetro, de Piccolomini, de Beni, de Riccobon, de Majoragius, de Minturnus, de Vida de Patricius, d' André Gili, de Voſſius, & de quantité d' autres. Mais Voſſius a commenté Ariſtote en pur Scholiaſte, Gili en Rheteur, Patricius en Hiſtorien, Vida en Poëte, qui veut plaire plus qu' inſtruire, Minturnus en Orateur, Majoragius & Riccobon en Dialectique, Bene en Docteur, qui a le jugement ſain, quand il ne s' agit pas de l' honneur de ſon pais. Car il comparé mal-à-propos l' Arioſte à Homere, & le Teſſe à Virgile, dans un traité, qu' il en à fait exprés. Picolomini & Caſtelvetro l' ont fait en Critiques fort habiles, & mieux que les autres. Picolomini traite Ariſtote plus honnetément que Caſtelvetro, lequel eſt un eſprit naturellement chagrin, qui par une humeur contrariante ſe fait une loy de trouver tôujours à redire au texte de ce grand homme, qu' il embarralle d' ordinaire en l' expliauant. Apres tout, c' eſt le plus habile de tous les Commentateurs de la Poëtique de Ariſtote, & celuy, dans lequel il y a plus à apprendre.* Hæc Rapinus non ſine magno judicio: ſed qvi tamen & ipſe, cum ſuo libro, è qvo iſta excerpta ſunt, virgulam Cenſoris alius, non minus in omni literarum cultiorum genere verſatiſſimi, ſuiqve adeo ſodalis, experiri neceſſe habuit. FRANC. VAVASSOREM ajo, qvem Rapini librum, editis Animadverſionibus (*Remarques ſur les Reflexions*) An. 1675. caſtigâſſe refertur in Menagianis, Editionis ſecundæ, (in prima vero Editione male dicitur liber de Epigrammate oppoſitus Rapino, qvem errorem in Editione altera editor correxit.) Librum tamen ipſum non vidi, qvod ægerrimè fero: neqve enim vulgare qvicqvam ab eo viro expecto. Non ingratum erit autem, ut puto, totam litis ejus Hiſtoriam lectori è Menagianis apponere. Ita igitur ibi: *Le P. Rapin a eu de grandidemeslez arec le P. Vavaſſeur au ſujet du livre des Reflexions ſur la Poëtique d' Ariſtote, qu' il fit imprimer chez Mugult, ſans y mettre ſon nom. Le P. Vavaſſeur, qui n' etoit pas contant de lus, mit au jour peu de temps apres des* Remarqves ſur ces Reflexions, *dans lequelles l' Auteur reflexit, qu' il feint ne pas connoitre, eſt fort mal mené. Le P. Rapin fit grand bruit, & ſe plaignit hautement du procedé de ſon confrere: qui répondit, qu' il ne devoit s' en prendre qu' à lui-méme, & que s' il eut en dit, qu' il etoit l' Auteur des* Reflexions, *jamais il n' auroit écrit contre. Le temperament, que l' on trouva pour accommoder ces Peres fut de ſupprimer les Remarques du P. Vavaſſeur, ce qui ſe fit par l' autorité de Mr. le Premies Preſident de Lamoignon: de ſorte, que ce livre, qui eſt imprimé chez Billaine en 1675, & qui ne contient que* 141. *pages, eſt devenu fort rare.* Conf. Dictionarium Hiſtorico-Criticum Eruditiſſimi *Bailii Tom. II. p.* 934., qvi diverſitatem Editionis Menagianorum obſervat. Ceterum lenire dolorem Vavaſſoris non viſi poteſt Verſio Gallica Poëticæ Ariſtoteleæ omni ex parte nitidiſſima,

ma, uberrimisqve & eruditiſſimis notis affatim inſtructa, qvam Clariſſimo ANDR. DACERIO, Annæ Fabræ marito, debemus: qvamqve Pariſiis primo excuſam Belgæ nuper A. 1692. repetiverunt. Nihil illo libro accuratius, nihil magis in hoc genere exaſciatum, ſeu rem ipſam, ſive dictionem ſpectes. Summô cum judiciô expendit omnia, examinat, exemplisqve uberrimis illuſtrat. Sane Tragœdiæ Conſtitutionem melius poſt hunc exponi poſſe, vix crediderim. Epopœiæ leges curavit eqvidem, cum Ariſtotelis verba id vellent, ſed tamen in his non tam ſcrupuloſè fuit ſollicitus, qvàm in tragœdia: ut qvi noſſet, Viri doctiſſimi Ren. le Boſſu librum, Autore ſuo, totoqve Orbe literato digniſſimum, de Poëmate Epico omnem jam prope materiam dicendi de Epopœia ſurripuiſſe: tantoqve cum ſucceſſu ſcriptum, ut melius omnino non poſſit: nec meſſis poſt tam amplam ſegetem, ſed Spicilegium ſolum ſuperſit. Inter Commentatores Poëticæ Ariſtotelis Dacerius Pet. Victorium ceteris antefert, ut eruditione & accuratione, prudentiaqve, præſtantem. Caſtelvetro autem adeo nihil tribuit, ut tum dicat fuiſſe bonum Interpretem, ſi Virtutes Interpretis omnes invertas: neqve enim theatri leges ſciviſſe, nec affectuum neqve characterum habuiſſe peritiam, nec rationes Ariſtotelis nec methodum conſideraſſe, nec tam ad explicandum, qvam ad contradicendum fuiſſe intentum: hominem multæ qvidem lectionis cetera, nec ſane rebus bonis in ſuo Commentario deſtitutum, ſed qvas qvæſiviſſe tanti non ſit: cum, præpoſtero ſuæ gentis amore, ad κρίσιν de Poëſi ferendam plane inhabilis videatur. Meminit præterea Dacerius Meſnarderii Poëticæ: *la Poëtique Françoiſe de la Meſnardiere:* qvam, etſi in aliqvot Ariſtotelis Capita vicem Commentarii ſuſtinere poſſet, ut indignam & nimis ſterilem temnit. Laudat Abbatis Aubignaci librum, qvi inſcribitur *la Pratique du Theatre*, eumqve priore infinities meliorem judicat, magis tamen Ariſtotelis ſupplementum, qvàm Commentarium. Mihi ut horum duorum neuter viſus eſt, ita nec addo de iis qvicqvam. Tertium tamen, qvem æqve non vidi, Interpretem Ariſtotelis addo Hiſpanum, JOH. ANTONIUM GONZALEZ *de* SALAS: cujus *Illuſtration à la Poëtica de Ariſtoteles* Nic. Antonio memoratur: Italumqve alium JOSEPHUM BAPTISTAM, cujus Commentarium in Poëticam Ariſtotelis ineditum, & Autoris manu Italice ſcriptum ſervari, Laur. Craſſus autor eſt, in Elog. P. I. p. 341.

4 Poſt Ariſtotelem, è Veteribus *de Arte Poetica* ſcripſit HORATIUS: qvamvis fere dubium nullum ſit, ab ipſô titulum præfixum non eſſe, ſed à librariis demum, aut verius à Criticis. Ipſam vero illam Artem ſine omni arte eſſe ſcriptam, Satyræ ſimiliorem, olim Jul. Cæſ. Scaliger judicavit: cui conſentit ex parte Caſp. Barthius, *Adverſ. lib. XXXVII. c. 6.*, minime Horatium perfectam artem numeris includere voluiſſe arbitratus, alioqvi frigidum artificem: ſed more ſuo vagabundum docere, qvæ obveniebant, qvaſi ludendo voluiſſe, parum ſollicitum de iis, qvæ Grammatici dicturi videbantur, qvæqve nunc à Criticis extundantur. Similia habet Barthius *lib. XLII. c. 22.* ubi Scholia qvædam in Artem Poeticam Horatii, è MSS. veteribus eruta (ſed non magnopere æſtimanda) publicat. Enimvero, ut jam ſupra, cum de Horatio inter Latinæ linguæ Autores ageremus, monitum eſt, immitem Scaligeri Cenſuram eſſe, præter

ter alios, egregie a Bernardo Parthenio confutatam rejectamqve: ita Barthium non eſt qvod multis hîc confutemus: cum id noſtri inſtituti ratio non ferat. *Commentatores* Horatii ſollicitè recenſet Spachius *in Nomenclatore Philoſoph. p.* 85., qvo in loco plures etiam de Arte Poëtica Scriptores commemorat. Retulimus Commentatores Horatii & nos ſupra, cum de Horatio inter Latinæ linguæ Scriptores ageremus: qvibus nunc adjungimus Franc. Luiſinum, Italum, cujus in Artem Poeticam Horatii Commentarium Venet. 1554. in 4. editum habemus: aliosqve item Hiſpanos Luſitanosqve, qvorum notitiam Nicol. Antonio debemus. Sunt hi Achilles Statius, Luſitanus, cujus in Artem Poëticam Horatii liber Antwerpiæ 1553. excuſus eſt. (Neſcio autem, qvid ſibi velit, qvod in titulo apud Antonium additur, *ex fontibus Græcis*: ni forte conſultum ſimul è fontibus Ariſtotelem id ſignificet.) Franc. Caſcales, à qvo Ars Poetica Horatii in methodum redacta Valentiæ 1659. prodiit. Thomas Correa, Luſitanus, æmulus & æqvalis Mureti, cum qvo eodem tempore Romæ bonas literas docuit: poſtmodum Bononiæ: olim Jeſuitarum ſodalitio addictus, ſed qvod deſeruit, & averſior ſemper ab eo fuit. Is Explanationes in librum Horatii de Poëtica Venet. 1587. in 8. edidit, præter alia ad illuſtrandam ornandamqve Poëticen facientia, de qvibus paulo inferius ſuo loco. Fuit qvoqve qvi Hiſpanico Carmine Artem Poëticam Horatii exprimeret, qvam deinde cum variis Carminibus ſuis, ſub titulo *Arte Poetica Eſpannola* edidit, Vincentius de Eſpinel.

Hæc de antiqvioribus Artis Poëticæ Scriptoribus: Plures enim non habemus. 5
Niſi forte qvis iſthuc trahat *Homeri & Heſiodi Certamen Ludicrum* à neſcio qvo recentioris ævi Græco confictum, qvod primum Henr. Stephanus A. 1573. in 8. Græce & Latine edidit: poſtmodum Dan. Heinſius pulcerrimæ Editioni Heſiodi, à ſe A. 1603. in 4. datæ, absqve tamen Latina verſione, annexuit. Verum, qvi inde Poëticam artem hauriendam putat, fallitur profecto. Poſſes vero huc rectius referre ISAACIUM & JOHANNEM TZETZAS fratres, qvorum ille in Acceſſu ad Scholia in Lycophronem, λίαν κάλλιςα ϗ φιλοτιμότατα, ut frater ait, de Poëmatum atqve Poëtarum differentiis egit: hic vero tùm peculiari libello, jambis extemporaneis, i.e. Verſibus Politicis, ſcripto, tùm ſtrictim, & per ſumma capita, in præfatione ad Scholia ſua in Heſiodum, idem Argumentum tractavit. Sed & in omnibus prope Græcis Scholiaſtis qvampluríma ad Artem Poëticam apprime facientia reperiuntur. E recentioribus, ſub initium ſeculi ſuperioris, MACARIUS MUTIUS, CAMERI Eqves, librum edidit *de ratione ſcribendi Poemata*: qvem Ant. Poſſevinus ſuo de Poëſi Tractatui, de qvo mox, addidit, una cum exemplo Poëmatis ſacri, de Crucis victoria, ſeu de Triumpho Chriſti: qvod alias Baſileæ & Coloniæ prodierat. Fuit Mutius Amicus Angeli Politiani, ad qvem Epiſtola ejus extat lib. 7. Epiſtolarum Politiani; ut jam olim Lil. Gyraldus annotavit.

Poſt hunc memorandus, ceterisqve adeo præferendus omnibus eſt, JUL. CÆSAR SCALIGER, cujus libri *de Re Poetica*, multoties Pariſiis, Genevæ & Heidelbergæ editi, divini ſunt: neqve enim ſolùm omnia Carminum genera percenſentur inibi & 6
expli-

explicantur, ſed & ipſimet Veteres ac recentiores Poëtæ ſub examen vocantur. Non neſcio eqvidem, Scaligerum, cum hac Poëtice ſuâ, plagii reum agi; & Barthium, in ſuis ad Claudianum notis pag. 972. referre, ſurreptam eſſe à Scaligero materiam ejus libri omnem Lud. Cælio Rhodigino, præceptori ſuo, & trans Alpes latam poſtea, ſub Scaligeriano nomine perperam prodiiſſe, cum Rhodigino adſcribi debeat. Cujus relationis Antorem Barthius Qv. Sept. Florentem Chriſtianum, in hujus notis ad Ariſtophanem, laudat: & motus ea re Thomaſius Scaligerum plagiorum Catalogo inferre non dubitavit, *Diſſ. de Plag. Liter.* §. 537. Enimvero, ut res ipſa mihi plane ſuſpecta eſt, & crimen ex invidia potius confictum, qvam è rei veritate intentum, videtur: ita ſane mirabor Florentem Chriſtianum, ſi id ipſum negare auſit. Etſi enim ejus notas in Ariſtophanis Comœdias, qvæ poſt mortem illius prodierunt, nunc non anxiè perqviſiverim: habeo tamen prolixas, qvas ipſe edidit, notas in Ariſtophanis Irenam, Pariſ. A. 1589. in 8. publici juris factas; in qvibus non ſolum toties cum elogio Scaligeri mentionem facit, qvoties ejus nqmen ponit, ſed & ipſum de Re Poëtica opus *Divi Jul. Cæſaris Scaligeri opus perfectiſſimum vocat.* Alibi p. 11., poſtqvam de nonnullis ad Comœdiam pertinentibus dixiſſet, ait: *Hæc aliaque ſimilia qui certius & clarius intelligere volet, Hephæſtionem, eruditiſſimum Grammaticum, legat, vel potius J. C. Scaligeri libros de Poëtica. Sane enim maximi illius herois ingenium vetuſtatem æquat, poſteritatem & novitatem omnem ſuperat: ſed, quod miſerum eſt, pauci ſunt adhuc, qui ejus ſcripta aut legant, aut intelligant. Eum ego quotidie miror & miror magis: imo erit ille mihi ſemper Deus. Quidni enim hoc autumem de Clariſſimo Viro, cum Philoſophus ille σκοτεινὸς de humili & obſcuro loco dixerit: Etiam hîc ſunt Dii?* Anne putes hæc de Scaligero, mortuo jam, & à qvo cur ſibi timeret nil qvicqvam habuit, dicturum fuiſſe Florentem, ſi pro turpi plagiario habuiſſet? an credibile eſt, eum *Dictatorem literarum; maximum Heroëm; Principem non ſolum Veronenſium, ſed omnium Criticorum, quorum intereſt vacare Muſis: &, ſi Veteres etiam adducas, uno tantum Ariſtotele minorem* vocaturum fuiſſe, tum, cum de ejus Poëtica loqvitur, ſi pro alieni laboris nefario uſurpatore, & meſſore meſſis alienæ habuiſſet? Mihi ſane id non videtur. Adeoqve, aut fefelliſſe memoriam Barthium allegantem dicendum eſt: aut ſibi cum ſua accuſatione minime conſtare Florentem: vel demum intruſam eſſe notis illius ab aliena manu pericopen, qvæ ejus non erat. Qvicqvid demum ejus ſit, à Scaligero tam turpe plagium eſſe commiſſum, ni liqvidius demonſtretur, non credo. Aliud crimen, non ipſimet qvidem Scaligero, ejusve libro, prout ab ipſo ſcriptus eſt, ſed tamen Editionibus Poëtices Scaligeri Genevenſibus, movet Anton. Poſſevinus *in libro de Poëſi & Pictura, Ethnica, humana, fabuloſa, collata cum honeſta & Sacra:* (qvi liber Lugduni A. 1595. in 8, & præterea Romæ alibiqve, editus eſt, pars etiam illius Bibliothecæ Sanctæ adjecta) hæreſeos ſcilicet, qvod mirere: qveritur enim, multa eſſe ab Hæreticis Genevenſibus inſerta, qvæ fidem Catholicam labefactent; nonnulla etiam ad artem ipſam ſpectantia. Pariſinam vero Editionem ab his Emblematis hæreticis liberam eſſe ait: & rationem corruptionis expoſiturus: *Eo proclivius*, inqvit, *errores hæretici in opera*

Sca-

Scaligeri irrepſerunt, quod apud Joh. Criſpinum Calvinianum primo (An. 1561.) *editi ſunt, licet locum ſuppreſſerit, ut venalia magis eſſent exemplaria: cum & quæ Rob. Conſtantini, Medici, ad eundem Joh. Criſpinum de Scaligeri libris inſerta eſt epiſtola, poſt ejusdem Scaligeri ad Sylvium filium præfationem, tollenda ſit, nec ipſe Criſpinus à Senatu Pariſienſi edendi eos Poëtices libros facultatem exprimere potuiſſet, niſi Lugdunenſis typographi Ant. Vincentii, opera & nomine abuſus fuiſſet. Quare & privilegium, & quod ſubjectum eſt, Franc. Beraldi Epigramma Græcum, tum in Scaligeri, tum etiam in ipſius Criſpini, hominis peſtilentis, laudem ſcriptum, pari cura ex hoc opere eximendum eſt.* Ingenue fateor, me hæc multo etiam minus credere, qvam priora. Vix enim eſt, ut qvisqvam Poëticæ Theologica, præter Autoris mentem inſerere voluiſſe credi poſſit: &, qvod cetera attinet, non tuliſſet Jul. Cæſaris filius, Joſ. Scaliger: tantus Criticus, tantusqve patris hyperaſpiſtes: qvem hæc talia fugere non poterant. Qvæ vero de expreſſo fraude privilegio Bibliopolæ Poſſevinus refert, haud invitus conceſſerim. Eſt hoc enim his hominibus familiare. Ceterum, qvod κρίσιν Scaligeri concernit, non ſemper illa probanda eſt, qvippe audacior haud raro & tantum non temeraria: id qvod ex ejus judicio de Statio manifeſte patet, qvem nimiis laudibus extollit: ut de iis nil dicam, qvæ in contemptum Homeri & Horatii affert, & qvæ ab aliis confutata alibi indicavimus.

Habet interea eam gloriam ſibi propriam Scaliger, qvod primus & unus omnem Poëtices rationem doctiſſime explicuit, qvod ne qvidem poſt illum qvisqvam tentavit. 7
Nam qvæ JAC. PONTANUS habet in *Inſtitutionibus Poëticis*, Ingolſtadii 1597. editis: qvæ item GERH. JOH. VOSSIUS in *Libris III. Inſtitut. Poeticarum*, etſi non contemnenda ſint; his tamen utiqve non ſunt comparanda: ſed plane alius generis præcepta. LAURENTIUS *le* BRUN, in *Eloquentiâ Poeticâ*, non tam methodica & ornata de rebus Poëticis præcepta, qvam neſcio qvos Locos Communes & Exempla Poëtica, ex aliis conſcripſit potius, qvam ipſe ſcripſit, qvæ tamen uſui eſſe poſſunt, JAC. MASENII *Palæſtra Eloquentiæ Ligatæ* præ ceteris mihi ſeſe probat: qvod commoda methodo utatur, præcipua, qvæ apud alios inveniuntur, colligat, tum obſervata & notata alia, qvæ alibi non invenias, ponat, ſemper allatis in medium exemplis. Fuerunt etiam Hiſpani, qvi hanc artem in formam præceptorum redigere laborârunt. Ut enim de THOM. CORREÆ, de qvo paulo ante dictum eſt, oratione *de Antiquitate dignitateque Poeſeos, & Poetarum differentia*, Romæ in Gymnaſio Sapientiæ habita, editaqve à Ludov. de S. Franciſco, non dicam: Artem Poëticam juſto volumine tradidit Polygraphus ille neqvaqvam ineptus, FRANC. MACEDUS; Sed qvam lucem non vidiſſe *Lib. I. c. 22. §. 40. Polyhiſtoris Literarii*, ubi Catalogum operum Macedi exhibemus, monitum eſt. Hiſpanico ſermone *de arte Poetica* librum ſcripſit EMANUEL FARIA *de* SOUSA, cujus Nic. Antonius meminit: qvi & LUDOV. ALPHONSUM *de* CARVALLO refert librum edidiſſe de dignitate & præſtantia Poeſeos, omniqve eo, qvod ad artem illam pertinet: titulus eſt: *Ciſne de Apollo, de las excellencias y dignidad, y todo lo que al arte Poetica y verſificatoria pertenece, Medinæ* 1602. in 8. Ut jam

PETRI *de* SALAS libellum *de Arte Poetica*, ineditum, prætereamus. *Philoſophiam antiquam Poeticam* concinnavit, edíditqve Madriti A. 1596. in 4., ALPH. LOPEZ, Pintianus, lingua Vernacula; in qva & Carmina qvædam ſcripſit, ſed miſera: Antonio referente.

8 Iidem Hiſpani, in Comœdiæ qvoqve & Tragœdiæ ratione explicanda mire ſolliciti fuerunt. Qvandoqvidem non ſolum is ipſe, qvem Ariſtotelis Poeticam Commentario illuſtraſſe ſupra diximus, JOH. ANT. GONZALEZ *de* SALAS *Novam* qvoqve *Ideam Tragœdiæ* publicavit, & Dialogos omnem hiſtrionicam Comœdorum artem complectentes, ſub titulo *Viage entretenido*, Madriti 1583. editos in 8. Celebris Hiſpanorum Comœdus, ac inter primos gentis illius numerandus AUGUSTINUS ROXAS: qvibus etiam JOSEPHI PELLIZERII *de* SALAS *Idea de la Comœdia de Caſtilla* addi poteſt: ſed & eousqve longo cultu productam putat Hiſpanam comœdiam Nicol. Antonius, ut, ipſo judice, non vulgarium ſolum linguarum omnes Comœdiæ (nimis enim hoc parvum foret,) ſed & Græcorum Latinorumqve celebratiſſimæ illi, loco decedere non dedignentur. Si qværas, unde tantum dignitatis acceſſerit Hiſpano Dramati, & qvis præcipuus ejus artifex? LUPUM (Hiſp. Lopez) FELICEM DE VEGA CARPIO tibi memorat, qvem totam propemodum Divinam auram adeo ſibi incubantem habuiſſe perſuaſus eſt, demonſtraſſeqve prodigioſa illa copia & facilitate verſus ingenio & urbanitate plenos fundendi; *ut tota, quanta eſt, antiquitas, nedum proximiora retro Secula, quem Lupo comparent, ſe non habere neceſſario fateri debeant. Huic,* inqvit in præfatione, *debetur Comœdia Hiſpana: in qua, compenſatis nonnullis levioribus vitiis, cum majoribus pluribusqve virtutibus, absque controverſia regnamus.* Enimvero, ut negandum non eſt fuiſſe, in pangendis Verſibus Vernaculis, præ omnibus Hiſpanis popularibus ſuis, felicem Lupum, cujus non ingenium minus naturâ ad Poëſin aptiſſimum, qvàm immenſa, & inexhauſta verſus fundendi vis multorum admirationem excitavit. Ecqvis enim non ſtupeat, cum, prætea Epica Carmina, ceteraqve varia prope innumera, qvæ compoſuit, ab illo ſcriptas 1800. Comœdias, Sacras actiones 400, legerit? ita ſane, neqve Græcis illum eſſe, nec Latinis Gallisve, ſine diſcrimine præponendum, res ipſa & Antonius ipſe dicant. Nam, qvod artem ejus Poeticam attinet, qvam novam vocat, & qvæ in Epicis Comicisqve plane ab Ariſtotele eſſe recedendum, novâqve inſiſtendum viâ, ſuadet, adeo illa Hiſpanis, at qvantis Vegæ admiratoribus, diſplicuit, ut ne qvidem inter Opera ejus admitterent unà excudendam prout Rapinus in præfatione ad ſuas de Poëtica meditationes refert. Ipſas vero Comœdias, omnes Veterum prætergreſſas leges, effrenesqve adeo, qvis laudet, aut qvis optimis anteponendas exiſtimet? Audi Antonium. *Præter qvamplures fictarum actionum repræſentationes, in quibus continebat ſe usque ad eum Comœdia, nil ferme hiſtoria cujusvis gentis, ſeu Græcæ, ſeu Latinæ, ſeu barbaræ, at multo magis Hiſpanæ, celebrioris cujusqvam eventus nota impreſſum habet, quod particularis Comœdiæ argumentum Lupus non fecerit. Idcirco minime ei vitio verti debet, quod, Veterum prætergreſſus leges, licere ſibi exiſtimaverit quascunque res &* quomo-

quomodocunque in theatrum invehere, hiſtoricis fabuloſa, Comicis tragica, ridiculis ſeria, miſcendo: ita, ut nullum ſocci & cothurni diſcrimen, nullæ intervallo temporis ac perſonis theatralibus præſcriptæ leges liberum frenarent ſpiritum: dum tantum placeret populo, actionum hujusmodi vero Cenſori. Mirabor, ſi rudis plebs optimus fabularum atqve verus Cenſor eſt: ſi hoc virtus Poetæ eſt, neglectis legibus, ima ſummis miſcendo aſſenſum vilis popelli qværere: ſi vitium non eſt ſocci & cothurni, i.e. Comicæ tragicæqve actionis, diſcrimen tollere? Non ſane video, qvi non eodem jure poſſis loqvacem rabulam, ad auram plebis captandam unice ſuis fucis intentum, & neſcio qvibus verborum ſublimium lenociniis, in tenui charactere, pueriliter luſitantem, optimo Oratori præferre. Qvanqvam nolim profecto qvicqvam exiſtimationi Vegæ detrahere; nec eum tam promiſcue omnia confudiſſe cenſeo. Nolo ſolum Veteribus tanto ſupercilio præferri. Interea lubens illud qvoqve confiteor, & Hiſpanis omnibus Poetis longe longeqve præſtitiſſe Vegam, & exteris haud immerito admirationi fuiſſe. Qvapropter, cum anno 1635. Madriti ſeptuagenario major deceſſiſſet, non ſolum communi Hiſpanorum Poetarum luctu deploratus eſt, qvorum labores peculiari libro congeſſit Joh. Pet. Montalbanus, & ſub titulo *Famæ Poſtumæ* Madriti 1636. in 4. edidit: ſed & Italis ejus caſus acerbus fuit; à qvibus eodem anno emiſſus in lucem Venetiis liber eſt: *Eſſequie Poetiche overo lamento delle Muſe Italiane in morte del Signor Lope de Vega Poeta Spagnolo.* Imo & Gallis ejus Poëſin perplacuiſſe, partim Bohurſius Jeſuita in libro, qvem vocat *la Maniere de bien Penſer ſur les ouvrages de l' Eſprit*, paſſim; partim Anonymus Autor Gallus, qvi, ſub Belli atqve Pacis inter Veteres ac Recentiores, hiſtoricâ fabulâ deſcriptæ, ſchemate, elegantiſſimam utrorumqve comparationem inſtituit, locupletes teſtes ſunt,

Sed, ut ad Comœdiam ac Tragœdiam redeamus à Lupo, qvi nos paulo diutius detinuit: illius rationem omnem, legesqve & regulas, præter Dan. Heinſium, qvem ſupra diximus, & Aubignacum, inprimis magno ſtudio exponere atqve illuſtrare aggreſſus eſt PETRUS CORNELIUS, primas inter Gallorum Dramaticos omnium conſenſu tenens. Is *de Dramatica Poeſi* librum compoſuit, in qvo non ſolum Veterum præcepta ſibi enumeranda, aut etiam explicanda putavit. Sed invenit & ipſe aliqva, abiitqve ſubinde ab Ariſtotele in diverſum. Non tamen, ſi Dacerium audire velimus, eo ſucceſſu id fecit Cornelius, qvem fortaſſe ſibi promiſit; nec naturæ ordinem, ſed ſuum ſecutus genium diſſenſit à Veterum præceptis; ſæpius præter rem tantum, ut, novis his, qvas ſibi formabat, regulis, ſuis forte erroribus ſubveniret. *Vid. Dacerii præfatio Ariſtotelis Poeticæ, à ſe verſæ, præmiſſa, & notæ*, in qvibus id, qvod in præfatione notaverat, argumentis variis probat atqve illuſtrat. De Poëmatis Cornelii hujus paulo inferius mentio recurret. Ex Italis, qvi plane mirifici aliàs ſunt ludorum Scenicorum magiſtri, ut & ex ipſa Dramatum copia, & vel ex centum locis Erythræi, conſtat, C. JUL. CAMILLUS *Ideam Theatri* linguâ vernaculâ vulgavit, Florentiæ in 4. A. 1550. editam: ſed qvalis illa neſcio, cum non viderim: non magis ac JASONIS NORES, natione qvidem Cyprii, ſed Profeſſoris tamen Patavini librum,

qvem inſcripſit *Trattato intorno à quei principii, cauſe & accreſcimenti che la Comedia, la Tragedia, & il Poema Heroico ricevono dalla Philoſophia morale*: Patav. 1587. in 4. de qvo ſane libro multum bonæ frugis mihi promitto, cum Vir fuerit absqve controverſia doctiſſimus. Ediderat jamdudum interpretationem ad Horatii Epiſtolam de Arte Poetica, ex qvotidianis Tryphonis Gabrielii ſermonibus hauſtam, Venet. 1553. in 8., eratqve animoſus Veterum legum tragicarum comicarumqve vindex, qvas contemni ab Italis ſui ævi non ſine dolore animadvertebat. Qvapropter & lites magnas aluit cum JOH. BAPT. GUARINO, qvas, cum memoratu dignæ omnino ſint, & ad hoc pertineant inſtitutum, verbis Thuani ad A. C. 1590., è libro 99. Hiſtoriar., referemus. *Inter alia, quæ ſcripſit, cum, de Poetica differens, Tragi-Comœdias Paſtorales, quæ hodie inter Italos uſurpantur, tanquam monſtra quædam, & nullo veterum exemplo, contraque Poeticæ priſcæ leges, ab imperitis rei antiquariæ introducta exagitaſſet, Baptiſta Guarinus, lectiſſimus Eques Ferrarienſis, qui ſub id Paſtorem Fidum, magno plauſu ubique in Italia exceptum, ediderat, eum ſermonem ad injuriam ſuam pertinere exiſtimans, defenſionem, ſub nomine Verati, publicavit: quam Apologia contraria ſtatim Denores refutavit. Sed, dum alteram defenſionem meditatur Guarinus, morte minime fatali Denores conceſſit. Quæ niſi dilectiſſimi filii* (ob homicidium finibus Venetis ejecti) *calamitate fuiſſet præcipitata, alterius Verati lectione accelerari potuiſſe credita eſt: tanta ſiquidem vi eloquentia ſimul & aſperitate, ac verborum amaritudine, in Jaſonem invectus eſt Guarinus, ut Archilochum ipſum, in Lycamben jambos ſtringentem, eo ſcripto ſuperaſſe paſſim jactaretur.* Qvicqvid autem ſit de acerbitate Guarini, qvæ rectius haud dubie omiſſa fuiſſet: in re ipſa plus Aſſeclarum invenit per Italiam Guarinus, qvam de Nores; cum & Trajanus Boccalini, in ſuis, facetiſſimis juxta & acutiſſimis, *Relationibus ex Parnaſſo, Centur. I. Relat.* 31. ſibi à perſtringendo Noreſio temperare non potuerit, ſed, ut faſtidioſum nimis, & præpoſtere nauſeantem, traducat: & ubivis Drama Guarini triumphaverit; in alias qvoqve linguas, Gallicam & Germanicam, uti notum, plus ſemel translatum. Probe tamen hîc teneatur non eſſe credendum, ac ſi promiſcue permiſceri Soccus & Cothurnus poſſent, & Tragico-Comœdiæ qvalescunqve valerent. Imo vel maxime hîc judicio opus eſt, & raro aliqvid elaboratur, qvod, ſi recte examines, rectâ inceſſiſſe viâ dici poſſet. Sane falli, qvibus vetera ſordent omnia, & qvi tum demum perditam in dramatibus conficiendis operam ludi cenſent, cum antiqvorum, ſive regulas, ſive exempla, preſſo pede exprimenda imitandaqve ſibi qvis ſumit, vel unus qvoqve Nic. Machiavellus demonſtraverit: qvi, cum aliqvando Comœdiam plane ad morem Ariſtophanis, & juxta regulas Veteres, Italico ſermone ſcripſiſſet, atqve etiam Florentiæ repræſentaſſet; tantum meruit omnium hominum applauſum, ut, Paulo Jovio *in Elog.* c. 87. teſte, *illi ipſi ex perſona ſcite expreſſa in Scena ducti cives, quanquam prealte commorderentur, totam inuſtæ notæ injuriam civili lenitate pertulerint: actamque Florentiæ, ex ea miri leporis fama Leo X. Pontifex, inſtaurato ludo, ut urbi ea voluptas communicaretur, cum toto Scenæ cultu ipſisque hiſtrionibus, Romam acciverit.* Nomen illi comœdiæ

mœdiæ fuit *Nicia*, ut ex eodem Jovio conſtat. Sed inter Machiavelli Opera non comparet.

Ex Anglis, qvi, præ ceteris propemodum omnium gentium aliarum Poëtis, ad 10 Dramata perpolienda ita accedunt, ut Veteres Comicos Tragicosqve præcipue ſibi imitandos ſumant, magni nominis Tragicus Poëta, JOH. DRYDEN, præcepta Dramatica compoſuit, *An Eſſay of Dramatik Poeſi* inſcripta, editaqve Londini 1668. in 8., qvæ recondita multa continent, & artem egregiam prorſus egregiè, datâ velut ideâ repræſentant. Ceterum ad Tragœdiæ rationem & naturam rectius pernoſcendam haud dubie multum qvoqve conducit JOH. MEURSII liber, qvem inſcribit: *Æſchylus, Sophocles, Euripides, ſeu de Tragœdiis eorundem, Lugd. Batav.* 1619. *in* 4. vulgatus: nec non FRANC. PORTI, Cretenſis, *Diſſertatio de Tragœdia*, unà cum ejusdem Prolegomenis in Sophoclem edita. JAC. MICYLLUS etiam, in Prolegomenis ad Euripidem, *de Tragœdiâ* egit [& multo adhuc luculentius Vir Cl. JOS. BARNES, noviſſimus Euripidis Editor Cantabrigienſis, in præmiſſa Diſſertatione *de Tragœdia Veterum Græcorum*, deqve Scena & illius apparatu, nec non de Muſica theatrica, deqve Verſuum Tragicorum legibus]. HENR. STEPHANUS qvoqve *de Tragœdia Sophoclis* Diſſertationem ſcripſit. Pertinent etiam huc libri amœbæi, inter JOH. LUDOV. BALZACUM, ac DAN. HEINSIUM commutati, qvibus Epicriſin adjecit ſuam *Cl. Salmaſius.* Nota eſt hiſtoria. Cum Heinſius in *Herode Infanticida*, Tragædia ſua, Lugd. Bat. 1632. in 8. edita, Angelos & Eumenides, ſive Furias, in eadem Scena in theatrum induxiſſet: Balzacius, qvi exiſtimaret, male in Fabula Argumenti Judaici rem ſuperſtitionis Græcanicæ admiſceri, Diſſertationem Gallicam oppoſuit Heinſio, ad Conſtant. Hugenium ſcriptam, Pariſ. 1636. in 8. (poſtmodum inter Opuſcula Balzaci in Belgio 1651. in 12. recuſam,) & in ea errorem iſtum ita examinavit, ut & exempla ſimilia Oratorum atqve Poëtarum produceret, & rationes, ob qvas ferri non qveat talis error, ſtudioſe congereret: multa inſuper alia, ad Dramaticam rem facientia, admiſcens. Verum, cum eodem Anno Heinſius, qvi caſtigationem non ferens, neqvaqvam ſibi ſilendum arbitrabatur, Balzaco Epiſtolam Apologeticam repoſuiſſet: tum vero, arbitrium litis ſibi ſumſit Claud. Salmaſius, ſcriptâqve ad Ægid. Menagium Epiſtolâ omne hoc argumentum latius exſecutus eſt, & Heinſium cum ſua Apologia non bene admodum exceptum dimiſit, qvippe cum qvo tum, cum ſcriberet, apertas etiam inimicitias alebat. Etſi vero interea, dum apud Menagium Epiſtola per aliqvot annos deliteſceret, ſopitis inter Salmaſium Heinſiumqve litibus, mitius nonnihil agi cœpiſſet: nihil tamen hoc impedire potuit, qvo minus prodiret Salmaſiana Epiſtola, Pariſiis 1644. in 8. Auctore ſcilicet editionem ſero deprecante: ut è *Sarravii Epiſtolis* liqvet *p. 88.*, qvi addit: *Poteram aliquando tenerum iſtum, & naſcentem fœtum ſuffocare: ἀλλ᾽ ἔτως ἀςεῖον εἶδον τὸ παιδίον, ut ſine ſumma injuria & crudelitate non potuerim ei lucis uſuram denegare.* Recuſa, poſt Salmaſii mortem, Epiſtola illa eſt in Belgio, & Epiſtolis reliqvis ab Ant. Clementio annexa. Biennio, anteqvam Salmaſii Epiſtola lucem adſpexit, JOH. CROJI liber pro Heinſio adverſus Balzacum prodiit, non appoſito qvidem nomine Auto-

Autoris, ſed *ἀνωνύμως*: *Reſponſe à la lettre & au Diſcours de Balzac ſur la Tragedie d'Heinſius, intitulée* Herodes Infanticida, 1642. Statim atqve prodiit liber hic, cognoviſſetqve ex Alex. Moro Sarravius Autoris nomen, res prodigio ſimillima videbatur, qvandoqvidem jam tum paratum habuit Crojus grandem librum, in qvo acriter Heinſii Sacras Exercitationes perſtringeret, & cujus pars poſtmodum etiam eſt Genevæ excuſa. *Ergo*, ait Sarravius *Epiſt. p. 54., quem Gallice, h. e. quaſi intra privatos parietes, opus ob muſteum laudaverit, Latine, i. e. per totum orbem terrarum in re non nauci ſugillabit. Explica mihi quæſo iſtud quicquid eſt ænigmatis.* Hæc Sarravius, qvi Gronovio imputandam libri hujus Editionem divinat: qvem cetera non adeo magni æſtimat, præſertim qvod ſtilum concernit, ut qvi diſſipatus & incultus fluat: ſed tamen & plurima in eo libro altiſſimam eruditionem ſapere non diffitetur. Putat reſponſurum Balzacum. Sed hoc, qvantum memini, factum non eſt. Tetigit vero rem ipſam *de præpoſtera Sacrorum cum profanis commiſtione*, in Dramatibus, aut Poëmatiis aliis occurrente, *Menagius in Obſervationibus ad Malherbium* p. 279. ac, dum laudat Epiſtolam Salmaſii adverſus Heinſium, excuſat tamen SANNAZARIUM & PET. BEMBUM, qvorum alter in Carmine de Conceptione Chriſti, *Mariam, cum ab Angelo ſalutaretur, Sibyllinos libros* legiſſe ait; alter *Chriſtum Heroa* vocat: uterqve vero à Jul. Cæſ. Scaligero perſtringitur. *Mais*, inqvit Menagius, *comme pluſieurs docteurs de l'Egliſe ont pretendu, que pluſieurs myſteres de noſtre religion ſe trouvient marquez dans ces livres, je n'eſtime pas, que ce grand Critique ſoit bien fondé dans cette accuſation. Je ſuis perſuadé, qu'il reprend auſſi à tort le Card. Bembo d'avoir uſé du mot de Heros en parlant noſtre Seigneur: ce mot de Heros ſignifiant pas autre choſe en cet endroit, qu'une perſonne extraordinaire.* Enimvero, ſi excuſari poteſt Sannazarius, qvi Sibyllæ folia præ vaticiniis Jeſaiæ, Protea præ Angelo Gabriele, partus miraculoſi præconem elegit, qvi Dryades & Nereides in ea fabula produxit, non video, cur non & Heinſius veniam mereatur. De Bembo nihil dicam, cum omnino commodus eſſe poſſit ſenſus vocis Heros, niſi loco plane non congruo adhibeatur. Poſſet interea ad argumentum iſtud cum fructu conferri Laurent. Gambaræ Tractatio peculiaris de abuſu fabularum in Carmine, Venetiis neſcio qvo anno edita, in 12.

11 De *Satyra* FRANC. ROBORTELLUS aliqva habet, ſubjuncta Commentario in Ariſtotelis Poëticam: ſed pauca illa ſunt, & tantum ad Horatium illuſtrandum ſcripta. Fuſius idem exeqvitur inſtitutum IS. CASAUBONUS in tractatu *de Satyricâ Græcorum Poeſi, & Romanorum Satyrâ*, Pariſ. 1605. in 8. edito, qvi magnam eſſe utriusqve differentiam, nec Græcorum Satyricam poëſin cum Latina eandem eſſe evictum it. Cui vero ſe oppoſuit DAN. HEINSIUS ſcriptis duobus libris *de Satyrâ Horatianâ*, Lugd. Batav. 1629. in 12., qvi utriusqve paritatem amico diſſidio, adverſus Caſaubonum, propugnat: aſt & ipſe adverſarium poſt fata expertus placidiſſimum, ſummum in omni genere Eruditionis Virum, Illuſtrem EZECHIELEM SPANHEMIUM. Hic enim in ſcitiſſimâ præfatione, qvam Cæſaribus Juliani, Gallice verſis à ſe, & luculentiſſimis Commentationibus Pariſ. 1683. in 4. illuſtratis, præfixit, poſtqvam & Caſaubo-

ſauboni & Heinſii opiniones recenſuiſſet, agit arbitrum, Heinſiumqve falli oſtendit: eum in Græcorum Satyrica Actus Comici Satyrorum, Faunorum, Silenorum, ipſarumqve illarum perſonarum utplurimum ſaltationes actusve ſimiles, & inter hos projecti ſales, neceſſario fuerint reqviſiti; qvorum nihil apud Latinos erat: ipſa etiam vocis ſignificatione longe in diverſum abeunte. Sed plura adhuc ſunt argumenta, qvæ apud doctiſſimos Autores, qvos nominavimus, legi poſſunt. *Satyram Juvenalis* peculiari diſſertatione explicavit NICOL. RIGALTIUS, qvam Editioni Juvenalis Pariſ. 1613. in 12. annexuit.

De *Epigrammate*, & de iis qvæ ad illud pertinent, doctiſſimum librum ſcripſit THOMAS CORREA, cujus jam ſupra mentio facta à nobis eſt, & qvem male aliqvi Gorræum, Erythræus in Pinacotheca I. p. 253. Choream vocat: liber editus eſt Venet. 1569. in 4. & Bononiæ A. 1590. recuſus. Præterea de Epigrammate ſcripſerunt VINCENTIUS GALLUS, qvem Octav. Boldonus in Epigraphia p. 32. laudat. CAROLUS *à* S. ANTONIO *Patavinus*, Colon. 1650. in 8. qvi non tàm Epigrammatum conficiendorum præcepta dat, qvàm titulos, ſeu Locos Communes, ſub qvibus illa ordinat. *De figurarum* tamen *cultu in Epigrammatibus* prolixè agit NICOL. MERCERUS, Pariſ. 1653. in 8. qvi nihil aliud agit, qvàm qvod Jul. Cæſ. Scaligeri præcepta de Epigrammate, lib. III. Poët. c. 126. data, exemplis operosè illuſtrat: ſed, cum parum emunctæ naris ſit, multa immiſcet lutulenta, & qvæ non ſapiunt ætatis priſcæ ſapientiam & elegantiam: interea multum tamen ſibi cum ſuo labore, etſi præter rem ſane, placet. FRANC. VAVASSOR qvi nitidiſſimè qvidem ſcripſit *de Epigrammate* Pariſ. 1672. in 8. ſed ſpecialia artis non tangit, majorqve, ut mihi videtur, in præceptis qvam in exemplis, artifex eſt. Id vero inprimis agit, ut Petrum Nicolium, qvi tum forte cum ſua præfatione Epigrammatum aliqvam collectionem in lucem publicam ediderat, confutet, perſtringatqve, & male literato Orbi conſuluiſſe oſtendat. Subinde tamen alios qvoqve caſtigat, ut c. 9. Th. Corream, qvi, fabulis plane proſcriptis, in Epigrammate nihil, niſi verum factumqve, à poëta voluit adhiberi. Peculiare etiam caput habet de laſcivâ ſpurcitie ex Epigrammatibus exterminanda, qvam alias ſæpe ſolam Epigramma conficere, & tantum non neceſſariam eſſe, IS. VOSSIUS ad Catullum, & docti complures Viri, putant: contra qvam opinionem Vavaſſor plane egregie inſurgit. Annexuit libro de Epigrammate ſua ipſe Epigrammata libris tribus diſtincta: qvæ, ut puriſſima ſunt, ita non ubiqve acuminum ſatis habent: qvippe qvæ ſciens volensqve ille præteriit, & contemſit, niſi ævum ſaperent Auguſteum. Edidit tamen anno 1675. Appendicem libri tertii Epigrammatum ſuorum, & paulo poſt librum etiam qvartum. Scripſit & de *Epigrammate* librum COTTUNUS, Profeſſor Patavinus, ſed qvem non vidi. JAC. MASENIUS, in *Arte nova argutiarum*, certos qvosdem fontes invenit, ac perpetuis Exemplis illuſtravit. 12

De *Epico Carmine* extat Diſſertatio MAMBRUNI, qvam Menagius *une docte & curieuſe diſſertation* vocat *Obſerv. in Malherb. p. 441.* Præterea TORQVATI TASSI at qvanti poëtæ! extant *Diſcorſi del Poema Heroico* Venet. 1587. & Neapoli in 4. impreſſi: 13

preſſi: qvem librum una cum poëmatibus Taſſi (de qvibus infra) tanti æſtimant Italorum pleriqve, ut & viciſſe omnes ante ſe, & nihil addi à qvoqvam, nedum ex Ariſtotele, poſſe, perſuaſi ſint, prout præter alios, e *Relationibus Boccalini* liqvet *Cent. I. Rel. 28.* Sed agnoſcunt tamen ſagaciores errores Taſſi, qvos ne ipſe qvidem laudare aut diſſimulare ſuſtinuit: dum interea viciſſim juſtiſſima laude admiranda illius Scripta non privant. Scripſit & *le* BRUN aliqva de hoc argumento, qvæ Virgilio ſuo Chriſtiano addidit: ſed non adeo magnæ rei. Qvalia ſint CAMILLI PELLEGRINI, qvi & ipſe de *Epica Poeſi* Italicum librum ſcripſit, non novi: cum non viderim. Omnes vero in hoc genere vicit, longeqve ſupergreſſus eſt, qvem paulo ſuperius nominavimus, Gallus Eruditiſſimus, RENATUS le Boſſu, in vernaculo de *Epico Poemate* tractatu, qvi Pariſ. 1675. primum prodiit, dein apud Belgas 1693. recuſus eſt. De Elegia librum THOM. CORREA ſcripſit, Bononiæ 1590. in 4. editum, una cum libro *de Proſodia.* De Ecloga, ſeu, qvod idem eſt, *de Carmine Paſtorali*, eſt exqviſitiſſima Commentatio REN. RAPINI, qvam *Eclogis* ſuis Sacris addidit, plane ad genium puræ Latinitatis & dictionis ævi aurei conſcriptis, ut cum antiqvis etiam certare poſſit. Pariſ. 1659. in 4. Multa etiam de Ecloga habet non vulgaria ÆG. MENAGIUS *in Anti-Bailleto, T. I., n. LIV. p. 195., ſeqq.*, & inter alia probat, falli Bailletum, cum Taſſum Paſtores primum in theatrum induxiſſe putat: qvod tamen, ut Menagius annotat, ante ipſum Auguſtinus Beccari Ferrarienſis, fecit in Dramate, qvod inſcripſit, *Sacrificio.* Sed hæc recentiora tantum Carmina paſtoralia attinent.

De *veterum Poematum cantu*, *& Viribus rythmi*, peculiarem librum conſcri-
14 pſit, cui præclara multa inſunt, Is. VOSSIUS, Oxonii 1673. in 8. editum: in qvo Veterum Græcorum poëſin, novâ plane ratione juxta metri muſicas leges explicatam, unam maxime æſtimat. Eodem aut ſimili videtur inſtituto ductus homo Hiſpanus, ARIUS BARBOSA, *Epometriam* ſcripſiſſe, in qvà Veterum poëmatum cantum, & pronuntiationem poëticam, jam amiſſam, explicat: Nicol. Antonio teſte. Liber Salmanticæ prodiit in 4., una cum Proſodia ejusdem, ſeu de Re Poetica, & recta ſcribendi ratione libro. De *Furore Poetico*, qvem ἐνθουσιασμὸν Græci vocant, qvemqve Longinus elegantiſſimè circumſcribit γενναῖον πάθος, ἔνθα χρὴ, μεγαλήγορον, ὥσπερ ὑπὸ μανίας τινὲς καὶ πνεύματος ἐνθουσιαστικοῦ ἐκπνέον, καὶ οἱονεὶ φοιβάζον τοὺς λόγους. *Audit ſc. ei nobilis affectus, atque ubi decet magnificus, qui velut furore qvodam & cæleſti aliquo mentis inſtinctu actus, fundit verba: & aliquid, ut ita dicam, grandius ore mortali loqvitur, cum ſcilicet,* juxta Claudianum,

totum ſpirant præcordia Phœbum.

De hoc, inqvam, Poetico furore elegantiſſimam diſſertationem concinnavit, ſuisqve præfixam Poematibus edidit, PETRUS PETITUS Pariſ. An. 1683. in 8. digniſſimam utiqve, qvæ legatur. Egit & de eodem argumento BERNARDINUS PARTHENIUS, Spielenbergius, in ſuo Commentario ad Horat. Od. III. 25. nec non LIL. GYRALDUS Dial. I. de Hiſtoria Poetarum Diſſertationem Academiam de Furore Poetico

ſcripſit

ſcripſit Clariſſimus, dum viveret, Lipſienſis Poeta JOACH. FELLERUS, qvæ & ipſa negligenda non eſt. (a)

Idem Parthenius, qvem modo laudavi, de *Imitatione Poetica* præclaros qvoqve libros V. compoſuit, ad Maximilianum II. Imp. ſcriptos, editosqve Venetiis 1565. in 4. Etſi enim illos evolvere nunqvam licuerit; haud difficulter tamen conjicio, Virum doctiſſimum, qvi in Commentario in Horatium tam pulcre de imitatione Horatiana ſubinde ſcripſit, qvam alius qvisqvam, profecto multo etiam magis accurate hoc argumentum in Tractatu peculiari exſecutum: ut non dubitem eum, ſi haberi poteſt, ceteris omnibus eſſe anteferendum. Perſii Imitationem Horatianam ſuo in Perſium Commentario annotavit Iſ. Caſaubonus. De Virgilii imitatione Homerica tot loqvuntur, qvot Poema utriusqve attingunt. Aliorum Poetarum Latinorum ſtudium in imitandis Græcis annotat Barthius Adverſar. lib. XXXIV. c. 14, qvi tamen non in omnibus æqve felix eſt: aliqvando enim, qvæ ad imitationem Græcorum expreſſa putat ille, forte ſecus videbuntur aliis. Ceterum ſub ſpecie imitationis nunqvam furta Poetarum admitti certum eſt: etſi viciſſim nimis rigidi ſunt & iniqvi accuſatores, qvi promiſcue imitationem, ſimilemve ſententiam pro furti argumento arripiunt. Sane enim qvandoqve fit, uti recte MENAGIUS ad *Malherbium* pag. 255. obſervat, ut in easdem cogitationes, eosdemqve Verſus, totidem conceptos verbis Poetæ incidant, abſit tamen ut alter alteri qvicqvam ſurripuiſſe dici qveat. Notat Menagiur Porphyrium apud Euſebium Præp. Evang. lib. X. c. 3., commemorare Aretadem, qvi integrum de his librum ſcripſerit. Inſcribebatur vero liber Aretadis περὶ συνεμπτώσεως, & in eo multa etiam, ut teſtatur Porphyrius, plagia Eruditorum annotabantur. Feſtivum eſt, qvod Hieronymus (& ex eo Menagius) ad illud Eccleſiaſtæ: *Nihil ſub ſole novum*: de Donato, Præceptore ſuo, refert: eum, cum illa Terentii explicaret: *Nihil dictum eſt, quod non dictum ſit prius*: ſtomachantem & indignabundum identidem exclamaſſe: *pereant, qui ante nos noſtra dixerunt*. Hæc qvidem, ſimiliaqve, qvæ in veteribus ac recentioribus Poetis ſæpius occurrunt, pro furtis reputanda non ſunt. Atqve hinc Æg. Menagius, qvi *de Furtis & Imitationibus Poetarum* peculiarem librum ſe ſcripturum promiſerat; *l. c. & in Addend.* p. 559., de his etiam, qvæ furta non eſſenr, ſimilibus eorundem cogitatis latius agere ſibi propoſuerat. Sed, dum cum illa ſui libri Editione cunctatur Menagius, cogitur tandem à ſe amoiiri plagii crimen, qvô carmina

(a) De Enthuſiaſmo ſeu Furore Poëtico Morhofii etiam ipſius exſtat Oratio, Roſtochii Lectionibus in Claudiani de Raptu Proſerpinæ Libros Publicis, M. Nov. A. 1661. præmiſſa, ſed, triennio abhinc, demum, in Volumine *Diſſertatiouum* ejus *Academicarum & Epiſtolicarum*, Hamburgi A. 1699, in 4to excuſo, *pag* 71-82. edita Prolixius ille quidem de eodem Argumenro Volumen, tum ſub fiuem *Orationis hujus p.* 81. tum *P. II. Operis de Lingua & Poeſi Germanica, c. 1. p.* 201. & alibi, eſt pollicitus, ſed non perfecit. Digna etiam lectu eſt Diatriba de Enthuſiaſmo Poetico Academica, ab Henr. Muhlio & Sebaſt. Kortholto, illo Præſide, hoc Reſpondente, Utroque autem Morhofii Diſcipulo, Utroque item ejusdem in Profeſſione Poetica Succeſſore, Kilonii A. 1696. in 4to publicata.

mina ejus oherant Adr. Bailletus ; qvi tot Veterum ac Recentiorum dimidios verſus integrosve, in Poematis Menagii, occurrere criminabatur, ut nihil aliud prope, niſi muſivum opus ſit, qvicqvid carminis ab illo fluat, è variis nempe Poetarum variorum fruſtulis artificioſe congeſtum: transfuſis etiam aliqvando Latinis aliorum Carminibus ab illo in Græcum. Hæc igitur ut pro viribus dilueret Menagius, neqve furtis annumerari poſſe, qvæ ſuis aliena inſeruit, neqve peccatum eſſe à ſe qvicqvam oſtenderet, operoſe *in Anti-Bailleto*, multis capitibus, laborat, P. *II. à pag. 202. usque ad* 277. §. 128. 135. ſimulqve toti argumento lucem non exiguam fœneratur. Ex antiqvis conferri ad rem eandem cum fructu poteſt Longinus, *lib.* περὶ ὕψους *ſect.* 13. qvi veterum & celebrium ante nos Scriptorum imitationem qvam maxime ad apicem illum ſublimitatis conducere ſapienter judicat: qvum ſcilicet haud raro aliqvi, alieno velut ſpiritu, ut Pythia Deliaco anhelitu, impleti, qvædam illorum, qvos aſſidue legunt & imitantur, Autorum præſtantiſſimorum effluvia in ſe ſentiunt delabi, tumqve furorem illum, qvaſi ex Apollinis ſpecu petitum, æqva cum aliis ſublimitate oſtendunt, ὅταν ἀπὸ τῆς τῶν ἀρχαίων μεγαλοφυΐας εἰς τὰς τῶν ζηλούντων ἐκείνους ψυχὰς, ὡς ἀπὸ ἱερῶν στομίων ἀπόρροιαί τινες φέρονται, ὑφ᾽ ὧν ἐπιπνεόμενοι καὶ οἱ μὴ λίαν φοιβαστικοὶ ἑτέρων συνενθουσιῶσι μεγέθει. Recte vero addit mox idem Longinus: ἔστι δὲ οὐ κλοπὴ τὸ πρᾶγμα, ἀλλ᾽ ὡς ἐπὶ καλῶν ἠθῶν, ἢ πλασμάτων, ἢ δημιουργημάτων ἀποτύπωσις. *Quæ quidem imitatio tantum abeſt, ut furti nomine inſimulanda videatur, ut potius velut quædam excellentium ſeu formarum, ſive ſimulachrorum, aut operum, exiſtimanda ſit expreſſio atque exemplum.* Cur Poetis Latinis in hiſtoria Heroum Romanorum, ſi qvando mentionem eorum faciunt, tot ſimilia dicantur, Barthius Adverſar. lib. XVIII. c. 18. Scholis declamatorum imputat, qvorum induſtria geſta talia non ſolum repetita indies, ſed & in omnes facies ſententiis torta ſunt. Conf. Vavaſſor de declamatoriis argutiis Ovidii. Singularis plane & mira furandi ratio eſt, qvam de Sperone Speronio narrat Janus Nic. Erythræus Pinacoth. III. pag. 202. *Semper ille ante ſe exiguos tenuium neſcio quorum Autorum fœtus habebat: interrogatus cur id faceret homo ſui ævi doctiſſimus? reſpondiſſe fertur: ſe furem eſſe literarium, & inprimis cupere ſua furta eſſe occulta: idque ſibi ex ſententia eventurum putare, ſi pauperum tuguria perſequeretur: unde ſi quid abſtuliſſet, propter eorum, quos expilaſſet, obſcuritatem omnibus etiam futurum eſſet incognitum: longe ſecus futurum eſſe, ſi furtificas in locupletum & illuſtrium Virorum domos manus vellet afferre, quorum res, propter ipſorum nobilitatem & amplitudinem omnium jam patent ad oculos: nam, ſi quid mihi vellem ex illis arrogare, ac proprium facere, continuo clamarent furem manifeſtarium, qui ea pro meis venderem, quæ jamdudum in illius vel illius beatiſſimi hominis ſuppellectile numerarentur.* Hanc Speronii rationem furandi ut haud dubie mirabuntur, qvotqvot è trivio parum bonæ frugis colligi poſſe intelligunt; ita non parum profecto ſuæ exiſtimationi detrahit, qvisqvis hac via incedit ignobili & indecora. Neſcio autem, utrum in Dramata, an in Dialogos, plumas alienas tam pulcre tranſtulerit Speronius, Æſopi graculum imitatus. Franc. Vavaſſor putat, Elocutionem

nem in Carmine multa ab elocutione oratoria mutuari, adeoqve Poetis Orationum lectionem commendat, de Epigr. p. 159. Qvod qvidem aliqvâ ex parte verum eſt, ſed niſi lectio Poetarum præponderet, periculum eſt, ne, ſuppreſſis ſpiritibus poeticis, lectio talis ex Poeta Oratorem faciat.

Inter eos, qvi *Proſodias*, & Abacos qvantitatum ſcripſerunt, optimus eſt, SAM. GLONERUS, qvi è proſodia Gieſſenſium, aliisqve collegit præcepta neceſſaria, ad qvantitates vero ſemper Autorum verſus qvoqve ſignavit: qvod non facit Henr. Smetius, cui propterea fides haberi ſemper non poteſt, qvod corrupta nonnunqvam ſeqvitur exemplaria. OLAUS BORRICHIUS *Parnaſſum in nuce* ſcripſit, qvô, ſingulari compendio, paucioribus Verſibus plura qvantitatum exempla comprehendit, qvam Glonerus & Smetius; Hafniæ 1654. in 4. Idem *Linguam Pharmacopœorum* ſcripſit, qvo libro de accurata vocabulorum in pharmacopoliis uſitatorum pronunciatione agit. *Errores* magnorum Virorum *in metro*, utriusqve Scaligeri, Bonav. Vulcanii, Gabr. Lermæi, Frid. Taubmanni, Joh. Aurati, Fulv. Urſini, Joh. Meurſii, H. Grotii, Car. Paſchalii, Achill. Statii, notat Barthius *Adverſ. lib. XVI. c.* 3. E Joſ. Scaligero ſeptem pedum verſum producit, qvem poſt illum etiam obſervavit Vavaſſor *de Epigr.* p. 193. Qvinarium jambum pro Senario Jul. Cæſ. Scaligeri idem Barthius notat lib. XXVI. c. 25. ubi Angeli Politiani, Vincent. Opſopæi, aliorumqve, hallucinationes in ſyllabis oſtendit. 16

Ad Poëſin *fabularum cognitio* neceſſaria eſt. Hanc verò diſcas ex LIL. GREG: GYRALDI *Hiſtoria Deorum*, qvæ compluribus Syntagmatibus ab illo prorſus eleganter tradita eſt: & ex G. J. VOSSII *Theologia Gentili*, elaboratiſſimo Opere, & gentilium ſuperſtitionum verè theſauro: qvô elogiô illud ornat Gisb. Cuperus *in Harpocrate p.* 107. qvo in libro ipſe etiam mythicam gentilium Theologiam haud parum illuſtrat. Sed ſunt majora adhuc & plura operis Voſſiani elogia, è Grotii, Sarravii, aliorumqve, Epiſtolis haurienda. Sed ſe qvam optime commendat liber ipſe, cum legitur. Qvæ ſub FULGENTII, Ruſpenſis Epiſcopi, nomine prodiit *Mythologia*, Auguſtæ Vindel. 1521. fol. cum Scholiis Philomuſi edita, non ejus eſſe, ſed Furii Publ. Fabii Fulgent. Plancridis, Grammatici, poſt alios multos Placcius obſervat de Pſeudon. p. 197. NATALIS COMES in *Mythologia* ſua ineptus eſt, & allegoriis ſuis occupatus. HENR. SCHÆVII *Mythologia* contracta, ob ordinem, tyronibus commendari poteſt, qvibus etiam commode inſervit FRANC. POMEY, Jeſuitæ, *Pantheon Mythicum*, ſemel iterumqve in Germania Belgioqve impreſſum. JAC. MASENII *Mythologia* breviſſima eſt, ac propter indicem locorum communium exemplarium, qvorum magnus in poemate uſus eſt, commendanda. [Luculentiſſima vero ſunt, & plane exqviſita, qvæ in Commentariis ad Callimachum, nuperrime An. 1697. Ultrajecti editis, Vir noſtrâ laude multo major EZECH. SPANHEMIUS, de Deorum Veterum genealogia & hiſtoria, ex infinitis obſervationibus ſuis, congeſſit: qvæ cum præſtantiſſimis qvibusqve de palma certant.] ROB. STEPHANUS qvoqve *Elucidarium Poeticum* edidit, nominum mythicorum explicationem continens. Verum illud, maximâ ſui parte, toti- 17

dem verbis eſſe è Raph. Volaterrani Anthropologia ſic deſcriptum, ut errores qvoqve ſuos fecerit Stephanus, , qvi tamen interea nusqvam ſuum Autorem nominavit, obſervat, nec ignoſcit, Thomaſius de Plagio Liter. §. 549. CAROLUS STEPHANUS Roberti frater, *Lexicon Poeticum* ſcripſit, multoties variis in locis, & præſertim Genevæ, excuſum, recuſum, auctum: ſed ſemper tamen imperfectum eſt, multisqve in locis corruptum. Emendavit illud, ac ſupplementum ſcripſit THOM. REINESIUS, qvod ineditum adhuc eſt. In Anglia magnis Acceſſionibus idem Stephani Dictionarium auxit, & ſimul locis prope innumeris emaculatum bis edidit, ſemel Oxonii A. 1671. iterumqve Londini A. 1686. in fol. NICOL. LOYDIUS: ſed etiamſi Editio illa prioribus longe melior ſit, non eo tamen accuratio ubiqve adhibita eſt, qvæ debebat: qvantum ex inſpectione fugitiva cognoſcere licuit. Vellem ego Lexicon ita ordinari, ut volebat qvondam Henr. Schævius: qvi omnia veterum poetarum denominata & Epitheta mythologica conſignari jubebat, exemplumqve dabat in Lexico Statiano, qvod hactenus ineditum eſt.

18 De *Tropis Poeticis* antiqvi Autoris Græci, GEORGII CHÆROBOSCI, libellus, qvem ſe MSS. in Italia vidiſſe Geſnerus in Bibliothecâ teſtatur, à Leone Allatio Græc. & Lat. cum aliis qvibusdam Rhetoribus, editus eſt, Romæ 1641. in 8. Idem libellus Græce etiam ſervatur MSS. in Bibliotheca Cæſarea, teſte Lambecio Tom. IV. Bibl. Vindob. p. 23. Græcus illius titulus eſt: Γεωργίου χοιροβόσκου περὶ τρόπων πάσης παλαιᾶς καὶ νέας γραφῆς. Poeticos tropos 27. refert, ἀλληγορίαν, μεταφορὰν, κατάχρησιν, μετάληψιν &c. Meminit Georgii hujus alio qvoqveloco Allatius: nempe in Diatriba de Georgiis: obſervatqve ibi; eum non recentem, ſed ſatis antiqvum fuiſſe, & ante Imper. Anaſtaſii Dicori tempora, adeoqve ſub finem ſeculi poſt C. N. qvinti, famam ſibi comparaſſe: idqve exinde colligi poſſe ait, qvod Stephanus Byzantinus, Grammaticus, in libro de Urbibus, ejus teſtimonio utatur.

19 *Phraſes poeticas* ſub Locorum Communium titulis congeſſit NICOL. NOMESSEUS in *Parnaſſo Poetico*, Colon. 1602. in 8. edito, & mox appendice aucto; qvi qvidem optimus videtur: Virgilii phraſes ſeorſim ſub titulis ſunt congeſtæ *Calligraphiam Ovidianam* ſcripſit GREGOR. BERSMANNUS. ALEXANDER ROSSÆUS *Enchiridion Oratorium & Poeticum*, in qvo formulas oratorias Morelli Sermone Poetico expreſſit, Londini 1650. in 8. MELCH. WEINRICHIUS in *Ærario Poetico* phraſes è Recentioribus potius, qvàm Veteribus collegit, qvem exagitat eapropter VINCENT. FABRICIUS, in *Pranſu Parato*, i. e. Satyra in Poetas, earumqve contemptores, Amſtelodami edita. *Flaviſſæ Poeticæ* BACHARII omnium optimæ ſunt, propter elegantem ordinem ac digeſtionem ſynonymorum Epithetorum, comparatorum, phraſium, &c. *Epitheta* conſcripta ſunt à JOH. RAVISIO. Ex eo, additis qvibusdam ſuis obſervationibus, concinnavit ſelectum Epithetorum Latinæ Poeſeos NICOL *le* ROUX, Pariſ. 1631. in 8. *Græca Epitheta* diligentiſſime collegit ediditqve CONR. DINNERUS. Ad Epithetorum inventionem facit etiam JOH. BUCELLENI *Officina*: qvanqvam & alias voces, ſubſtantiva & verba, apud illum reperire poſſis: indicem enim dedit 1. nominum, 2. adjectivorum & par-

& participiorum: 3. nominum propriorum; ſingulorum ſub titulis pedum ita locatorum, ut in frontiſpicio paginæ ſtatim pes, & ſubjectæ illi voces appareant: è qvibus excerpere potes, qvæ uſui ſunt accommodata. Hujus libri auctarium ſcripſit BOHUSLAUS BALBINUS in *Auxiliis Poetices*, uti vocat. Verum habent & hi Autores ſua vitia: multa enim in illis occurrunt barbara & antiqvata: multa etiam in qvantitatibus errata ſunt: qvare circumſpectè iis utendum. Uterqve vero inventionem debet Anglo cuidam homini, JOSIÆ WEBBE, Med. Doctori Londinenſi, qvi A. 1626. in 8. librum edidit, qvem inſcripſit *Uſus & Autoritas, ſeu Carmen Hexametrum & Pentametrum*: in qvo ita particulas & verba Ovidiani poematis digeſſit ſub ſuis pedibus, ut jactet, hoc artificio qvemcunqve artis Oratoriæ & Poeticæ ignarum orationem & poema ſcribere poſſe: qvæ, qvamvis ſtulta, jactantia metrorum tamen & pedum inventionem facilitat: qvâ in re præivit Bucelleno & Balbino. Exſtat ſimilis labor GEORG. MATTHIÆ KOENIGII, qvi in Græca lingua eo modo Epithetorum & Nominum Syllabum locavit. Libri titulus: *Tyrocinium Poeticum Græcum*, *Norib. 1637. in 8.* Ego vero phraſeologiam poeticam longe aliter colligi & inſtitui poſſe cenſeo. Concinnarem Lexicon aliqvod Poeticum, qvo notarem omnes illas voces, qvæ ſingularem aliqvem ſenſum, non tantum apud Claſſicos poetas, ſed & nonnullos, præſtantiores tamen, recentiores inveniunt: cum ratio phraſeos poeticæ unice pene in translationibus, Poetis familiaribus, conſiſtat: qvanqvam & aliqva Syntaxeos ratio diverſam orationem Poeticam à ſoluta faciat. Huic Lexico deinde ſubjungi poſſet index locorum communium, qvi remitteret ad voces ipſas. Sed de omni inſtituto illo, in lectionibus publicis plura diximus. Pene ad illud conſilium noſtrum inſtitutæ ſunt, qvæ Lugduni A. 1590. in 12. prodierunt *Petri ab Area Baudoza, ſive Baudoziani*, Poeticæ Elocutionis formulæ: à qvo & Poeticæ Latinæ Theſaurus Lugdun. 1586. in 8. decem libris confectus eſt.

Extant & *de vernacula gentium variarum Poeſi* ſcripta varia. De *Germanica* nos peculiari libro egimus aliqvando, àc tum Scriptores recenſuimus omnes; tum qvid præterea dici ad rem poſſet, congeſſimus: qvæ nunc repetere opus non eſt. De ludis Poeticis apud *Gallos* fuſe Joh. Caſaneuve agit in libro, qvem inſcribit *Jeux fleurans*. De *Caſtellana*, ſeu *Hiſpana* Poeſi ſcripſerunt *Didacus Garcias de Rongifo*, Salmant. 1592. in 4. & *Mich. Sanchez de Viana*, Compluti, 1580. in 4. *Itali* de ſua Poeſi tot agunt, qvotqvot vel Guarinum, vel alios novi generis Tragico-Comici, aliarumqve novitatum, Autores ſuos, contra veteris Poeſeos propugnatores ſibi defendendos ſumunt. 20

Uti vero hoc Scriptionum genus utplurimum non ſine præpoſtera ſui admiratione adornari ſolet: ita *philautia* vulgare Vitium eſt, qvod tantum non omnibus Poetis tribui ſolet: de qvo multa Gaddius colligit *T. I. Scriptor.* ubi de Galeno agit: nec non ubi de Juſto Lipſio. Addi vero & Barthius meret *Adverſ. lib. XLIV. c. 25*: Nemo autem prolixius laudes poetarum, è philautia tali profectas, nec ſtudioſe magis, ex antiqvis & recentioribus, collegit, ſimulqve nt licitas defendit, qvàm Menagius *T. II,* 21

Anti-Bailleti p. 277-324. qvi ſcilicet ipſe erat,ob nimias laudes ſuas & elogia,qvæ ipſe de ſe cumulare conſueverat,ab adverſario vanæ arrogantiæ accuſatus.

CAP. II.

DE POETIS GRÆCIS. (*b*)

§. 1. *Poetarum Hiſtoriæ Scriptores Antiqui ſc. complures, obiter tantum nominati, è Recentioribus autem (de quibus paulo diſſeritur prolixius) Pet. Crinitus, Pomp. Gauricus, Lil. Greg. Gyraldus (qui præ aliis commendatur, & adverſus iniquam Joſ. Scaligeri Cenſuram, Crimenque Plagii, à Jac. Gaddio objectum vindicatur,) Job. Guidiccionius, Gerb. Joh. Voſſius, Ol. Borrichius, Tanaqu. Faber, Caſp. Cælius.* 2. *Poetæ Græci Antiqui: Homerus (de cujus ſimul Exegetis Veteribus, Porphyrio, Euſtathio, Didymo* ψευδωνύμῳ, *Anonymis aliquot, & Actio Labeone, complura monentur.)* 3. *Heſiodus.* 4. *Orpheus & Muſæus.* 5. *Æſchylus.* 6. *Sophocles.* 7. *Euripides.* 8. *Ariſtophanes.* 9. *Menander.* 10. *Pindarus.* 11. *Narratio de abolitis, per Monachos Græcos, ceterorum Poetarum Græciæ Lyricorum & Eroticorum Carminibus.* 12. *Lyrici, præter* Pindarum, *quorum aliqua ſuperſunt, Græciæ reliqui,* Anacreon, *Alcæus, Sappho, Steſichorus, Ibycus, Bachylides, Simonides, Alcman;* Archilochus *item Jambographus, & alii* Poetæ, *quorum Fragmenta, non minus quam* Lyricorum, *Henr. Stephanus collegit, & cum iſtis junctim edidit.* 13. *Pſeudopythagoras, Carminum* Aureorum *Scriptor, in quo Hieroclis aureus exſtat Commentarius, fuſe h. l. celebratus.* 14. *Pſeudophocylides.* 15. *Theognis, Moſchus.* 16. *Bion Theocritus, Simmias Rhodius.* 17. *Callimachus Cyrenæus.* 18. *Apollonius Rhodius.* 19. *Nicander Colophonius.* 20. *Aratus.* 21. *Dionyſius Periegetes.* 22. *Lycophron.* 23. *Quintus Calaber, Tryphiodorus, Coluthus, Cointus Smyrnæus.* 24. *Oppianus & Phile.* 25. *Fragmenta IX. Poetriarum & Fulvio Urſino, Philoſophorum autem Poetarum ab Henr. Stephano, collecta & publicata. Oraculorum Sibyllinorum Variæ Editiones.* 26. *Anthologia Græcorum Epigrammatum, a Maximo Planude collecta.* 27. *Poetæ Græci inter Chriſtianos Veteres, Apollinaris, Gregorius Nazianzenus, Nonnus, Paulus Silentiarius, Joh. Tzetzes. Fragmenta aliorum, & hos inter Ezechielis, a Frid. Morello junctim edita. (De omnibus hiſce* Poetis *Græcis fuſe ſatis plerumque diſſeritur, multaque de illorum Vita, Scriptis, Stylo, Editionibus, Scholiaſtis Veteribus, Interpretibusque & Exegetis recentioribus, Obſervationes, adjectis Eruditorum Judiciis, aliisque* ἀξιομνημονεύτοις, *in medium afferuntur.)*

Seqvi-

(*b*) Caput hoc de Poetis Græcis non ipſi Morhoſio deberi, ſed Viri illius Eruditi, qui Lipſiæ Libros IV. Polyhiſtoris literarii poſteriores, e Prælectionibus ejus Academicis, collegit, digeſſit, & plurimis in locis auxit atque interpolavit, diligentiæ acceptum eſſe ferendum, ſupra jam ad *Libri VI. Cap. II.* monuimus.

SEqvitur jam, ut *Poetas* nobiliores, *Veteres* ac *Recentiores*, enarremus: qvod qvidem inſtitutum jam olim complures Græcorum æqve & Latinorum Autores tenuit: adeo dignum eſt omni tempore viſum doctorum Virorum curis argumentum hoc. Siqvidem è Græcis, ut Gyraldus, in Epiſtolâ ſuis Dialogis præfixa, obſervat, Ariſtoteles, Zeno, Antiphon Ramnuſius, Nicander Colophonius, Lobus Argivus, Demetrius Magneſius, Dionyſius Phaſelites, Damaſtes Sigeæus, Phania Peripateticus: (qveis addi præ ceteris etiam debuiſſet Callimachus) ex Latinis M. Varro, & Volcatius Sediginus de Poetis ſcripſerunt (*c*). E *Recentioribus* RAPHAEL VOLATERRANUS, in *Anthropologia* ſua, qvæ magna Commentariorum Urbanorum pars eſt, carptim de Poetis egit. Sub idem fere tempus PETRUS CLINITUS *de Poetis Latinis* libros V. compoſuit, Baſileæ 1505. excuſos. Orditur à Livio Andronico, & usqve ad Sidonium Apollinarem, qvi Theodoſii M. tempore vixit, hiſtoriam 96. Poetarum continuat, ſtylo conciſo, & qvi, ut ipſe ait in præfatione, Suetonium de Rhetoribus ſcribentem imitatur. Poſt Crinitum, cum reſtare adhuc ſermo de Græcis Poetis videretur, id operis in ſe POMPONIUS GAURICUS, Poeta inſignis, &, Antonio Teiſſierio *in Addit. ad Elogia Thuan.* referente, Lucæ Gaurici frater, ſuſcepit, planeqve ad imitationem Criniti ſcripſit: uti Paulus Jovius in Elogiis, & ex eo Jac. Gaddius, affirmant. Hos vero ſuperavit accurato ſtudio & labore ſuo LILIUS GREGORIUS GYRALDUS, eruditiſſimus & infeliciſſimus Vir; qvi luculentiſſimos, & omni eruditione refertos *de Poetis Græcis & Latinis Dialogos* compoſuit: editos primo Baſileæ A. 1545., poſtmodum recuſos inter opera Gyraldi, ibid. 1580. 2. tomis in fol. excuſa [& nuper repetita Lugduni Batav. 1696., nitidiſſima Editione: in qva Dialogis Lilii notæ qvoqve doctiſſimæ Pauli Colomeſii, antehac ineditæ, acceſſerunt.] Neqve vero ſolum de antiqvis Poetis extantibus atqve non extantibus ſcripſit: ſed & de recentioribus usqve ad ætatem ſuam: ac de iis judicia ſemper ſua annexuit. Novi qvidem, qvod *Joſ. Scaliger, in Confutatione Fabulæ Burdonum*, dicat, p. 85., *neminem infelicius de Poetis judicaſſe, quam qui de Poetis ſcripſerit, Lil. Greg. Gyraldus, Vir multæ lectionis & magnæ eruditionis: ſiquidem de Poetis judicare Poetarum duntaxat ſit, idque non omnium, ſed optimorum*: qvam in rem Cleanthis dictum allegat:

Οὐ γὰρ πλῆθος ἔχει συνετὴν κρίσιν, οὔτε δικαίαν,
Οὔτε καλήν· ὀλίγοις δὲ παρ᾽ ἀνδράσι τοῦτο κεν εὕροις.

Enimvero, ut hîc minus attendamus Scaligerum, qvi alibi, uti Teiſſierius annotat, judicii laude Gyraldum non privat, facit Viri affectus, qvi, à Scioppio petulantiſſimâ planeqve venenatâ Satyrâ irritatus, in toto hoc ſcripto ſe prodit adverſus omnes, qvotqvot nomini Scaligeriano, & familiæ illuſtri qvicqvam detrahere velle videbantur. Dederat vero imprudens Lilius, neſciusqve ac litium futurarum, occaſionem bello Bordoni-

(*c*) Scriptoribus Vetuſtis Latinis, Poëtarum, perſecutis Hiſtoriam, addendus etiam C. Svetonius Tranquillus, é cujus Libro de Poetis (Latinis haud dubio ſolis) Vitæ tantum Terentii, Horatii, Perſii & Lucani, ſuperſunt. V. Voſſii *Lib. I. de Hiſt. Lat. c.* 31. *p.* 166. & Joh. Jonſii *Lib.* 3. *de Script. Hiſt. Philoſ. c.* 8. *p.* 249.

donico, inter Scioppium & Scaligerum atroci calamorum pugna pugnato, dum Julium Scaligerum olim Burdonem vocatum fuiſſe dixit: qvod deinde præter Gyraldi mentem in calumniam raptum eſt. Qvanto rectius itaqve hîc Gerh. Joh. Voſſio aurem præbebimus, qvi, & ab affectibus liber, & ferendo judicio non minus atqve Scaliger par, ita de Dialogis iſtis loqvitur, lib. de Poetis Lat. p. 82. *Lilii Gyraldi extat hiſtoria, dialogis decem perſcripta, de Poetis antiquis, duobis de ſui temporis Poetis: opus, ſicut magni ingenii & judicii, ſic ingentis doctrinæ atque induſtriæ: ita, ut expectandum non ſit, ut quis deinceps hanc denuo provinciam ſuſcipiat. Eſt, ubi hujus vel illius poetæ Hiſtoriam accuratius aliquis tractare valeat, & ſane id in paucis: at ab aggrediundo iterum tam vaſto labore, non modo Eruditorum vulgus, ſed etiam ſanos omnes deterruit. Videlicet, poſt meſſem tam luculentam nihil fere, niſi quædam Spicilegia, reliquit.* Hoc Voſſii judicium veritati etiam eſſe maxime conforme fatebitur, qvisqvis, ſpretis nonnullorum Lilio adverſorum autoritatibus, librum ipſum æqvo animo leget. Sed eſt utplurimum ingenuæ virtutis comes invidia, & probiſſimum qvemqve peſſime ſuo dente habitum rodit. Fuitqve hoc inprimis perpetuum fere fatum optimi Gyraldi, Thuano teſte, ut, præter acerbiſſimos arthritidis cruciatus, & perpetuam duræ paupertatis miſeriam, calumniatorum qvoqve injuriis aſſidue impeteretur. *Jac. Gaddius* inter hos etiam eſſe voluit, nec contentus, tacito nomine Gyraldum ſubinde ſugillaſſe, aperte etiam, ubi de illo agit, & de Crinito, carpit illos præſtantiſſimos Dialogos, modo, qvod maligne, Pet. Criniti mentione omiſſa, ejus tamen ſcrinia compilaverit, *T. II. de Scriptor. Non-Eccleſ. p. 129.*; modo, qvod multa è Scaligeri Poetica ſublegerit Gyraldus: *p. 212.* Verum, uti ſtupidius nihil dici poſſet, qvam hoc poſterius, cum anno 1545. Gyraldus ſuos Dialogos ediderit, Scaliger Poeticen ſexennio demum poſt A. 1551: ita prius etiam infirmis profecto conjecturis innititur: nec probavit unqvam Gaddius plagium, cujus reum hominem innocentem audacter facit. Neqve qvis mihi hic Conr. Gesnerum forte obvertat, idem de Gyraldi plagio ſentientem *Bibliothecæ p. 548. b.* ſiqvidem longe modeſtius ille loqvitur, nudamqve ſuam conjecturam fatetur. *Crediderim*, ait, *Lil. Gyraldum, quicquid in eis* (Criniti libris de Poetis Lat.) *ſcitu dignum legitur, transtuliſſe in ſuum opus de Poetis.* Hæc vero conjectura Gesneri facili negotio refelli poteſt. Sed de Gyraldo ſatis. (Prius tamen adhuc, qvam illum penitus miſſum faciamus, age Epitaphium apponemus, qvod ſibimetipſi ſcripſit, dum vixerat, & qvod monumento, in Æde Civitatis Ferrarienſis Cathedrali, inſculptum eſt, Joh. Jenſio referente.

D. M.

Qvid hoſpes adſtas? tymbium
Vidis Gyraldi Lilii,
Fortunæ utramqve paginam
Qvi pertulit: ſed peſſima
Eſt uſus altera, nihil
Opis ferente Apolline,

Nil

Nil ſcire refert amplius

Tua, aut ſua, in tuam rem abi.)

Cenſuram Poetarum Italicâ linguâ ſcripſit JOH. GVIDICCIONIUS; ſed qvæ ἀνέκδοτος adhuc eſt, referente *Gaddio T. I. p.* 212. Exinde GERH. JOH. VOSSIUS qvoqve librum *de Poetis Græcis & Latinis* conſcripſit, qvanqvam non ediderit ipſe, dum in vivis eſſet; ſed editus tamen eſt non diu poſt mortem auctoris 1654. in 4: Verum, ut ipſe in loco, qvem paulo ante produximus, fatetur, nonniſi ſpicilegium ſupereſſe poſt largiſſimam meſſem Gyraldi; ita ſane liber hic non adeo eſt à Viro illo ſummo exaſciatus, ut reliqva illius ſcripta: præſertim, cum ultima manus non acceſſerit. Qvapropter & Paulus Colomeſius, in *Bibliotheca Selecta p. 89.* nunqvam edendum fuiſſe judicat librum illum, ut qvi tanto nomini ignominiam qvaſi afferat. Dignius Auctore ſuo eſt Opus *de Poetis* doctiſſimi Hafnienſis Medici, OLAI BORRICHII, qvo ille, præter magnam ſermonis Latini elegantiam, magnum qvoqve in congerendo ſtudium, & judicium in diſcernendo, oſtendit. Prodiit qvoqve TANAQ. FABRI libellus Gallicus Vitas Græcorum Poetarum in compendio exponens: *Abregé des vies des Poetes Grecs*, Salmurii, 1664. in 12. qvem qvidem ille, nonniſi in uſum adoleſcentis alicujus nobilis confecit; ſed tamen pro more ſuo eruditiſſimis obſervationibus, qvæ captum adoleſcentis ſuperant, & conſummatiſſimis in doctrinâ Viris novæ videri poſſunt, hic illic implevit. Hinc paſſim à Colomeſio, aliisqve laudatur. Non memorabo jam *Carmen* CASPARIS CÆLII, qvo illuſtrium Poetarum vitæ deſcribuntur, referente Nic. Erythræo *Pinac. I. p.* 231. qvum &, eodem teſte, ſine nitore ſcriptum fuerit, neſciamqve num Veteres Poetas, an ſolum recentiores, eo ſuo Poemate comprehenderit. Adeoqve ſine ambagibus nunc ad Poetas *Græcos* accedo.

Ex his nemo antiqvior ſupereſt HOMERO, omnis Poëſeos, Eloqventiæ & ſapientiæ Græcæ, fonte: cujus tamen neqve ætas certa, neqve patria, definiri poteſt. Inprimis, qvod *patriam* concernit; incertiſſima omnia: nimirum adeo ambitiosè non ſolum unaqvæqve propemodum Græciæ civitas Homerum Civem ſuum optabat, ſed & Smyrna Aſiæ, & Phrygum Troja, & Ægyptiorum Thebæ, & Italiæ urbes Luca & Roma, adſcriptum ſuis Civibus Homerum multorum Autorum teſtimoniis vindicare poſſunt: qva de re Gyraldus *Dial.* II. prolixè agit, oſtenditqve, tantæ ſententiarum diverſitati occaſionem haud dubie dediſſe Homeros multos, qvorum octo recenſet, & qvi poſtmodum in unum imperite conflati ſunt. Peculiarem vero librum de Patria Homeri ſcripſit *Leo Allatius*, Chius, Lugduni 1640. in 8. editum: in qvo Chium illum fuiſſe, cum Simonide & Harpocratione, contendit. (*d*) Ceterum Homeri *Poëmata* 2

(*d*) In diſceptationem de Patria Homeri tot Urbium decantatisſimam complura Poetarum Græcorum Epigrammata, non invenuſta, *Lib. IV. Anthologiæ* harum, a Maximo Planude collectæ, *Tit.* 27. (*fol.* 214. *Edit. Aldinæ*), occurrunt. Septenarius illic Civitatum & Inſularum, quæ Civem iſtum ſibi vindicabant, hoc exprimitur Diſticho:

Ἑπτὰ ἐριδμαίνουσι πόλεις διὰ ῥίζαν Ὁμήρου

Κύμη, Σμύρνα, Χίος, Κολοφών, Πύλος, Ἄργος, Ἀθῆναι.

Ali-

mata non ab ipſo eſſe in literas relata, ſed canticorum in morem recitata populo, indeqve memoria ſervata, & tandem, non ſine multa exemplarium diſſonantia, in unum cor-

Aliter vero in altero, iſti immediate ſubjuncto:

Ἑπτὰ πόλεις μάρναντο σοφὴν διὰ ῥίζαν Ὁμήρου,
Σμύρνα, Χίος, Κολοφὼν, Ἰθάκη, Πύλος, Ἄργος, Ἀθῆναι.

Antipater & Anonymus, quorum de patria Homeri Controverſa ibidem leguntur Octoſticha, omiſſis locis quibusdam, in gemino hoc Diſticho memoratis, alia ſubſtituunt, ille quidem jum, Salaminem & Theſſaliam, hic vero Ægyptum, Cyprum, Mycenas. Uterque, Litis iſtius ſibi ſumens arbitrium, coeleſtem Homero tribuit Originem; Antipater quidem hoc Diſticho:

Πάτρα σοι τελέθει μέγας οὐρανός: ἐκ δὲ τεκούσης
Οὐ θνατᾶς, ματρὸς δ' ἔπλεο Καλλιόπας.

Anonymus autem, ita canens:

Οὐ γὰρ ἔφυ χθονὸς ἔργον; ἀπ' αἰθέρος ἀλλά ἑ Μοῦσαι.
Πέμψαν, ἵν' ἡμερίοις δῶρα ποθητὰ φέρῃ

Plura diverſorum Argumenti hujus Epigrammata *l. c.* legi merentur. Nos olim in poſthumam hanc de Homeri, dum vixit, contempti & cum dura colluctati paupertate, Loco Natali Contentionem ita luſimus:

Septem Græcorum atque Aſiæ prædivitis Urbes,
Queis opibus pauca ac nobilitate pares,
De patria ingentis certaſſe feruntur Homeri,
Et quævis Civem hunc aſſeruiſſe ſibi.
Smyrna, Chius, Colophon, Salamin, Pylus, Argos, Athenæ,
Hinc voluere ſibi grande parare decus.
Fallimini o Stolidæ! quod enim decus eſſe putatis,
Nemo non ſummum dedecus eſſe videt.
Tanti etenim Civis, quæcunque eſt Patria, dotes
Sprevit, dum in vivis atque ſuperſtes erat.
Dura vagabundum atque extorrem presſit Egeſtas:
Non fuit Urbs tanto patria digna Viro.

Qui octo Homeros, ob Homonymiam confuſos, effingunt, & hos inter tot Loca Natalia, uni attributa, cum Gyraldo, *h. l.* allegato, & quem illi comitem adjungimus, Jacobo a Cruce, Bononienſi (*in Annot. in Autores varios, c.* 19. *Tomo I. Theſauri Critici Gruteriani p.* 693. 694.), partiuntur, ſola Archilochi nituntur auctoritate, non Veteris illius Homeroque ipſi, uti fertur, coævi, ſed ſpurii atque ψευδωνύμου, cujus Libellum de Temporibus Joh. Annius, Viterbienſis, Falſarius atque impoſtor famoſus, cum aliis ejusdem furfuris Mercibus Literariis, Orbi erudito obtruſit, nec attendi proinde a cordatis merentur. Vid *Homonymoſcopiam* noſtram, *Sect. II. cap.* 3. §. 37. *p.* 315. 316. Plura de Homero addere non vacat. Conſulantur, præter alios *h. l.* jam laudatos, Ludolphi Küſteri, Marchici (qui *Neocorum* ſe deinde, μεταφράσει *h. l.* Cognominis Græca, in *Bibliotheca* ſua *Librorum Novorum* appellavit *menſtrua*) *Hiſtoria Homeri Critica*, erudita ſane & lectu dignisſima, Francofurti ad Viadrum A. 1695. in 8vo edita, & Gisberti Cuperi *Apotheoſis vel Conſecratio Homeri, ſive in Lapidem, in quo exſculpta illa eſt, antiquisſimum Commentarius*, Amſtelodami An. 1683. in 4to excuſus.

corpus congeſta, jam olim, è Græcorum antiqviorum Scriptis, obſervavit *Joſephus*, Judæorum Hiſtoricus *lib. I. contra Appionem p.* 1034. & cum eo etiam Plutarchus (qvi de Homeri Vita & poeſi librum conſcripſit, alterumqve de Dialectis apud Homerum occurrentibus,) nec non Stephanus Byzantinus, aliiqve conſpirant. E qvorum teſtimoniis patet, disjecta hinc illinc, & laceratis velut membris diſperſa, Homeri Opera partemqve jam perdita, ne penitus interirent, magno ære à Piſiſtrato, Athenarum Duce, eſſe conqviſita, operaqve 72. Virorum doctorum, qvibus ſingulis (ſi credere fas, & non fabula potius ad exemplum hiſtoriæ de 72. Interpretibus Biblicis efficta eſt,) omnia Homeri poëmata Piſiſtratus in ordinem cogenda dedit, eo tandem eſſe ordine collocata, prout nunc ſunt, Ariſtarcho inprimis Grammatico atqve Zenodoto, qvi primas omnium 72. conſenſu tenuerunt, opem ferentibus. Verum errare graviter Stephanum, dum Piſiſtrato Socios Ariſtarchum atqve Zenodotum dat, qvatuor integris minimum ſeculis juniores, Gyraldus, &, poſt illum, Langbainius *in Not. ad Longin. περὶ ὕψους Sect. IX.* annotârunt. Interea tamen per partes collecta olim Poëmata Homeri fuiſſe inde etiam patet, qvod, eodem Langbainio obſervante, antiqva partium Iliados nomina adhuc hodieqve apud Autores reperiuntur: imo & Odyſſeæ, ut è Scaligeri Poëtices lib. I. c. 41. patet, qvi illa ex Æliano affert. Ceterum non poterat non hac ratione evenire, ut multi etiam ſpurii verſus, nunqvam ab ipſomet Homero ſcripti, ſimul unà intruderentur: qvibus tamen ut mederentur Grammatici, obeliſcum appoſuerunt. Qvodſi inter ipſa Homeri poemata duo, qvæ habemus, comparatio inſtituatur, Iliadem Odyſſeâ multis modis eſſe præſtantiorem nemo unqvam negavit, qvippe qvam vegetus adhuc, & poetico ſpiritu totus turgens, conſcripſit: qvæqve proin totius Carminis Epici πρέπον ubivis accurate ſervatum oſtendit: cum contra, in Odyſſeâ ſcribendâ, jam ad ſenium proclivis fabulas & relatiunculas magis, ſolenni ejus ætatis vitio, amaré cœpiſſet, neqve amplius fabulæ unitatem ſervaret: prout ad Ariſtotelem de Poëtica Paulus Benius: ac diu ante Benium Scriptor κριτικώτατος, Dionyſ. Longinus, l. c. obſervavit: qvi poſterior propterea Odyſſeam occiduo Soli comparat, magnitudinem ſine ardoris vehementiâ retinenti: aut Oceano intra ſemetipſum regreſſo, & ſedato, æſtu interiore littorum ambitu ſe continenti, absqve tamen ut ingentium ſtagnorum magnitudo ipſa decreſcat. De Virgilii cum Homero *comparatione* dictum eſt, ubi de Virgilio, inter Latinos Scriptores, ageremus. [Illud nunc ex Menagianis de Ren. Rapini Comparatione duorum Poëtarum horum addendum eſt: Rapinum inſtituto illi difficili plane imparem à Menagio dici: nec Græca Homeri loca habuiſſe, niſi commonſtrante ſuppeditanteqve Tanaq. Fabro, qvem tunc reducere ad Pontificios, ſeu, ut ipſe loqvitur, convertere ad fidem Catholicam voluerit. Notum aliàs, qvod ad Annam, Tanaq. Fabri filiam, elegiam ſcripſerit, ut deterreret alienaretqve à Proteſtantium religione, Menagius. Sed de Patre ejus, per Rapinum tentato, nihil aliunde conſtat: niſi, qvod Huetius, in Evangelica Demonſtr. *Propoſ. III. §.* 18. refert, Fabrum paucis ante obitum annis, literis ad ſe datis, eſſe teſtatum, ſe de regreſſu ad Eccleſiam, in qva natus erat, Pontificiam cogitare; qvod eum vero, morte præventum,

tum, non præſtitiſſe dolet Huetius.] Merito autem, ſeu Virgilio præſtet Homerus ſive non, reliqvis Epicis Poëtis ad unum omnibus longiſſimè anteferendus judicatur. Certe non Epicos ſolum, ſed Poëtas propemodum omnes, qvin & Hiſtoricos, Philoſophosqve & Oratores, ex Homero, velut inexhauſto fonte, hauſiſſe ſua, Longinus non ſolum obſervat *Sect. III.* exemplisqve Steſichori, Archilochi, Herodoti & Platonis clarum facit: ſed & Ammonium Alexandrinum ſcripto peculiari libro exempla ad eam rem ſigillatim omnia collegiſſe & notaſſe refert, ut longiore demonſtratione opus non ſit. Et tamen ſunt inter recentiores aliqvi, qvi Homerum vernaculis Poetis ſuis poſtponunt. Sic Dante Aligerio illum inferiorem judicat Leonardus Salviatus, Florentinus Eqves, Oratione III. in laudem Florentiæ ac Florentinorum Autorum: aliqvi Torqv. Taſſum majorem habent, ut Scriptores vitæ ejus, Joh. Bapt. Manſus & Barthol. Barbatus: Claud. Achillinus Marinum prætulit. Sed, ut hi omnes præpoſtero ſuæ gentis amore abrepti ſunt, nec Homerum unqvam ipſi legerunt, ita judicium eorundem non ſane magnopere attendi meret. Taſſus profecto ſemet Homero inferiorem nunqvam ipſe diſſimulavit, Taſſo vero Marinum, multoqve etiam magis Dantem, cedere confecta res eſt. Alium vero Adverſarium Italum Homerus in ALEX. TASSONO expertus eſt, atqve, ut videri volebat, ceteris multo etiam magis formidandum. Etenim is Erythræo narravit, ſe qvingentas Homeri ſententias, & etiam amplius, in unum Volumen collectas habere, qvas editurus eſſet, ſtulte ridiculas. Vid. *Pinacoth. I.* p. 186. Verum talem deſcribit eodem loco Erythræus Taſſonum, ut nec ejus autoritas facile ponderis alicujus eſſe qveat: ambitioſulum ſcilicet, & qvi ſuas laudes nonniſi cum aliorum vituperio ſtare poſſe exiſtimabat: *Fuit*, inqvit ibi, *ingenio magno, eleganti, atque amœno: ſed turbulento ſuperſtitioſoque; quod clarorum Virorum, Poeticæ facultatis laude omnium ſeculorum ſuffragio principum, labores ad ſuæ cenſuræ rationem normamque redigeret.* Contra inſano qvodam amore in Homerum ferebatur CLAUDIUS BELURGERIUS, Gallus homo, & in Gymnaſio Navarræo Pariſiis magnus Græcarum literarum reſtaurator: qvi, non contentus, Homerum ſemper in manibus habuiſſe, non, totum edidiciſſe; in templa detuliſſe ſecum, & ſacrarum precum loco recitaſſe: non, pictam à celeberrimo pictore habere deformiſſimi Therſitis imaginem, qvalem ipſe ex Homero dictaverat, & qvâ nihil illuſtrius, nihil magis dignum viſu, cenſebatur: voluit inſuper ipſos Trojæ campos, vetuſtiqve Ilii loca, late omnia oculis ſuis uſurpare, revertensqve omnem perluſtrare Græciam. Neqve ſe à qvoqvam hominum dimoveri à propoſito iſto paſſus, relictâ ſtatione in Italiam abiit, conſcenſaqve Venetiis navi in Ægyptum navigavit, inde abiturus in Aſiam. Verum Alexandriæ molientem iſta feralis morbus oppreſſit: atqve ſic magno etiam Orbis literati damno interiit unà inſignis *Commentarius in Homerum*, qvem infinito multorum annorum labore confecerat, & ad qvem amplius perpoliendum tantum iter ſuſceperat. *Vid. Erythr. Pinac. I. p.* 206. & *Jac. Gaddius de Scriptor. Non-Ecclеſ. T. I. p.* 238. Sed non ſolus ille Commentarius in Homerum Belurgerii interiit. Perierunt Veterum Græcorum longe plurimi. Adeo enim magnus Commentatorum illorum ab omni

ævo

ævo numerus fuit, ut, Menagio in præfatione ad Malherbium dicente, magnam qvoqve efficerent Bibliothecam. Hodie perexiguus eorundem apparatus eſt. Vetuſtiſſimus, qvi hodie ſupereſt, Commentator Homeri, etſi neqvaqvam totius, eſt PORPHYRIUS: à qvo *Quæſtiones Homericas* habemus ad Anatolium, ſpeciminis loco magno Operi in eundem Poëtam, qvod moliebatur, præmiſſas: in qvibus ſelecta qvædam loca Homeri per ſingulos ejus libros, ſervato eorundem ordine, exponit. Scripſit qvoqve Commentationem de Antro Nympharum, cujus in Odyſſeæ libro XIII. mentio ſit. Juncta hæc ab Aldo primum edita ſunt, Geſnero teſte, dein Romæ 1517. & 1518. in 4. Græce: tum Baſileæ 1541. Hervagianæ Editioni Homeri addita. Qvæſtiones ſeorſim, cum ſuis annotationibus, Henr. Stephanus in lucem edidit A. 1566. Tiguri qvoqve ſeorſim A. 1542. in 8. Græc. & Lat. à Conr. Geſnero, & Argentorati 1539. una cum Anonymi morali errorum Ulyſſis Explicatione prodierunt. Demum utrumqve librum, & emendatum, & doctiſſimis obſervationibus ſuis illuſtratum, adjectumqve libris de Abſtinentia, in lucem emiſit Lucas Holſtenius, Romæ, 1630. in 8. qvæ Editio Cantabrigiæ A. 1655. qvoqve recuſa eſt. Poſt Porphyrium, EUSTATHIUS, *Theſſalonicenſis* Archi-Epiſcopus, nominandus eſt, poſt medium ſeculi XII. ſub Manuele, Alexio & Andronico Comnenis, Impp. Conſtantinopolitanis, clarus: neqvaqvam confundendus cum Euſtathio alio, Archi-Presbytero, & Patriarcha poſtmodum Conſtantinopolitano, qvi ſub initium XI. ſeculi clarus erat: à Marqv. Frehero autem cum priore idem perperam in Chronologia exiſtimatur, ut Clar. Guilh. Cave, in Hiſtoria Liter. Scriptor. Eccleſ. p. 475. annotat. Scripſit ille Theſſalonicenſis Euſtathius vaſtiſſimum *Commentarium* in Homerum: in qvo non ſolum Scholiaſtarum reliqvorum ad morem Autorem ſuum Grammaticè explanat: ſed præter hæc perpetuo Poëtæ artificium eruit & lectoribus ad imitandum, monſtratâ qvoqve methodo, proponit; neqve præterit dictiones locutionesve & ſenſus proſaicæ orationi idoneos: tùm Hiſtoriarum fabularumqve immenſum prope apparatum late congerit; & innumera alia, qvæ proſunt. Editiones ejus Operis Romanam An. 1550. atqve Baſileenſem 1560, jam in *Grammatico Polyhiſtore*, ubi *de Lingua Græca*, agimus, commemoramus. Addenda tamen nunc mentio Editionis qvinqve librorum Iliados, cum Euſtathii Commentario, Romæ A. 1542. in fol. excuſorum. Prodierunt è typographia, qvam Cardinalis neſcio qvis egregie inſtruxerat, & cui præerat Nic. Sophianus: factaqve erat ſpes, reliqvam Euſtathii partem ſubſecuturam. Verum, uti Geſnerus (è cujus Bibliotheca p. 237. hæc habemus) è Sophiano cognovit, mox iterum diſſoluta illa typographia eſt, omnisqve edendi ex eadem Euſtathium ſpes exſpiravit. (Nihilominus tamen, in Catalogo Bibliothecæ Tellerianæ p. 393. commemoratur Euſtathius integer Romæ 1542. apud Anton. Bladum, 4. voluminibus impreſſus. Igitur, cum duæ editiones Romanæ non ſint & Bladus in Catalogo Thuanæo Editionem anni 1550. excudiſſe legatur, dicendum forte, Typographiam, qvam diſſolutam certo affirmârat Sophianus Geſnero, poſt octennii moram, reſumtis viribus, primo Tomo Euſtathii, anno 1542. jam impreſſo, reliqvos tres anno 1550. adjeciſſe: gerente curam editionis atqve emendante Nicolao Ma-

jorano: qvi & in ea, qvæ in fronte tomi qvarti legitur, præfatione, multa de Homero & Euſtathio commentatur. Ipſum vero Indicem illum non Majoranus, ſed Matthæus Devarius confecit. Ceterum, cum in Bibliotheca Friſii légeris, *Euſtathii in Homerum & Dionyſium de Situ Orbis Commentarios Romæ, & Baſileæ, & Pariſiis apud Rob. Stephanum, excuſos*; cave id ita de Homericis Commentariis accipias, ac ſi illi qvoqve Pariſiis prodiiſſent; cum nonniſi Dionyſius, qvi nec Romæ, neqve Baſileæ, impreſſus eſt, ex officina Rob. Stephani A. 1547. in 4. cum Euſtathii Commentario emiſſus in lucem ſit.) De Compendio Euſtathii, qvod Hadr. Junius confecit, editqve, ſub titulo *Cornu Copiæ*: ut & de Didymi, qvæ vulgo vocantur, ſed vel Heracleonis, vel alius Anonymi, ſunt, Scholiis in Homerum, ſupra etiam ſatis dictum eſt. Memoratur qvoqve & laudatur alicubi Index Wolffg. Seberi in Homerum, omnes voces continens, editus apud Commelinos 1604. in 4. Alium Indicem confecit Aſcanius Perſius, qvi Bononiæ A. 1591. in 8. prodiit. Homericæ Odyſſeæ in errores Ulyſſis Græcam Anonymi Eplicationem Hagenoæ in lucem protraxit A. 1531. in 8. Vincent. Opſopæus. In nonum Iliados librum Scholia pervetuſti Autoris, è MS. Codice Pet. Victorii, deſcripſit olim Joh. Caſelius, laudatqve illa in libro de Ludo Literario. Ea poſtmodum Conr. Hornejus, à præceptore ſuo Caſelio accepta, Helmſtadiæ A. 1620. in 8. edidit. Neqve vero ſolum Græcos interpretes Veteres nactus eſt Homerus, ſed obtigit illi qvoqve Latinus, infelix tamen & barbarus, ACTIUS LABEO, Flacci Perſii, Satyrici Poëtæ, æqvalis: qvi, ut, è Scholiaſte Perſii, Gyraldus Dial. VIII. obſervat, Iliada Homeri verſibus fœdiſſime in Latinum vertit; ita qvidem obſcure, ut nec ſua ipſe agnoſceret. De *Editionibus* Homeri recentioribus, qvæ typis impreſſæ ſunt, non eſt, cur admodum prolixi ſimus, cum Spachius longum earundem Catalogum enumeret pag. 178. *Nomenclatoris Philoſ.* Scripſit qvoqve Mericus Caſaubonus de optima editione Homeri Commentariolum: ſimilemqve diatriben Joh. Rud. Wetſtenius: ſed neutrum unqvam videre contigit. Inter primas Homeri Editiones (omnium primam enim vix eſt ut credam) numero Florentinam, An. 1488. duobus Tomis in fol., excuſam. Splendidiſſima eſt, qvam, cum reliqvis Poëtis Epicis Græcis, Henr. Stephanus 1566. edidit. Non minus nitida, qvæ, cum Scholiis Didymi, Græce & Latine, Amſtelodami 1656. in 4. C. Screvelio obſtetricante, prodiit: Qvanqvam recentiſſimus Iliados Editor Cantabrigienſis haud parum accurationis in ea deſideret. Merent adhuc adduci Pariſinæ duæ Editiones, una Morelliana, 2. voluminibus 1562, impreſſa in 4. & altera in 8. apud Adr. Turnebum 1554, Cum perpetuis Joh. Spondani Commentariis editus eſt Homerus in fol. A. 1583. Baſileæ. Communiſſima fere eſt in Studioſorum noſtrorum manibus Editio Argentinenſis (qvam pro Baſileenſi, in Catalogo Bibliothecæ Tellerianæ p. 396. haberi miror) 2. voluminibus in 8vo, ex Oberti Giphanii Caſtigatione, cum ejusdem notis, edita primum An. 1572. ſed poſtmodum plus ſemel, niſi fallor, apud Richelium, recuſa: ſemel qvoqve Lugduni Batavorum, ſed parum accuratè. Ceteras Editiones ſtudio hîc non tangimus. Eſt vero *translatus* Homerus non ſolùm in Latinam linguam, Verſusqve etiam Latinos à variis, ſed & in vul-

garem

garem hodiernum Græcum Sermonem, ſuperiore ſeculo An. 1526. Venetiis, in 4. per Nicol. Lucanum: nec non in Gallicum, & in Anglicum. *Clavem* Homericam, cum Appendice de Dialectis edidit Anton. Robertus, Duaci 1636. in 8. à qva diverſa, ut puto, eſt illa Clavis Homerica, qvæ, ſine Auctoris nomine, Roterodami A. 1662. in 8. prodiit. *Gnomologiam* Homeri doctiſſimam ſcripſit aſſiduus ejus imitator, Jac. Duportus, in eaqve Sententiarum Homeri duplicem parallelismum cum S. Literis, & Gentium Scriptoribus, inſtituit: Cantabrigiæ, 1660. in 4. Feſtivum eſt, ſed profecto illiberale plagium Angeli Politiani, qvi Iliados explicationem ſolenni Oratione Florentiæ auſpicaturus nihil omnino dixit de illo Poëmate, qvàm qvod in Plutarchi libro, tunc nondum Latine translato, extiterat: tantumqve placuit ſibi cum illo labore, ut monitus licet à Jano Laſcare, non reſipiſceret, ſed imprimendam qvoqve illam orationem daret: qvo ſic ſcilicet patefieret fucus: prout è Prudæo, Duareno & Heresbachio, Thomaſius annotavit *Diſſert. de Plagio Liter. §. 525.* Sed de Homero plus ſatis.

Pergimus ad HESIODUM, qvi à nonnullis Veterum Homero antiqvior, ab aliis multo junior, σύγχρονος illius vero à qvamplurimis exiſtimatur: qvorum pars etiam, ut Philoſtratus aliiqve, certaſſe utrumqve, coram Panide Rege, poëtice agone referunt. Heſiodo, juxta Qvintilianum, palma in mediocri dicendi genere concedenda eſt; ut qvi raro aſſurgit, verborum tamen lenitate, utilibusqve circa præcepta ſententiis, commendabilis eſt. Sunt tamen, qvi de illo inclementius judicant. Plane nihil intellexiſſe de ipſis rerum naturis, ſed ſolum fabulas qvasdam, qvas ab Aſcra, vici ſui, Vulgo acceperat, ut ſolet ſimplex & imperitum paſtorum genus, verſibus utcunqve narraſſe, ait Guilh. Parkerus *Diſp. IV. de Deo p. 378.* Ita Joh. Tzetzes & qvamplurimi alii, nimiam ſimplicitatem Heſiodo exprobrant: Jul. Cæſ. Scaliger ejus *Opera & Dies*, qvæ rei ruſticæ præcepta eſſe, & de agricultura agere conſtat, cum Virgilii Georgicis comparat, & præ his plane penitusqve temnit. Verum horum omnium criminationes ægre admodum Dan. Heinſius fert: ut qvi nativam illam ſimplicitatem, purumqve & æqvale orationis filum, in Heſiodo non minus, ac in Homero admiratur, tantumqve adſcititio aliorum fuco præferendum judicat, qvantum virgo caſtiſſima meretrici præfertur. Nec adeo in Philoſophiâ infantem credi Heſiodum permittit. Scaligerum vero non ſcripturum fuiſſe acria illa in Heſiodum putat, ſi cogitaſſet, non hunc eſſe, qvi hodieqve ſupereſt Operum ac Dierum liber, Heſiodi librum de Agricultura, qvem ſibi imitandum ſumſerit Virgilius, & cujus alii plures Veterum meminêre: ſed illum penitus intercidiſſe cum aliis ejusdem Poëmatibus, qvorum exigua ſolum fragmenta ſuperſunt. Adeoqve eos etiam falli Heinſius cenſet, qvotqvot rei ruſticæ præcepta contineri in Heſiodi libris ἔργων ajunt, cum Oeconomia præcipuum ſit, qvod intendat, & cujus pars agricultura non major, qvam mercatura aut navigatio, aut qvam juſtioris vitæ ſtudium, ſit. *Theogoniam* Heſiodo adjudicandam Heinſius retur, nec Platonem & Ariſtotelem, qvoties illam ſub Heſiodi nomine allegant, aliter id, qvam ex vulgi opinione, facere, perſuaſus eſt. Alii *Scutum Herculis* alius eſſe Autoris credunt, Homericum Achillis Scutum imitari volentis: qvod ex Veteribus Ariſtophanes 3

Gram-

Grammaticus cenſuit: contra vero diſerte Heſiodo tribuebat Steſichorus. *Interpretes* priſcos aut ſemipriſcos Heſiodus varios nactus eſt. Operum qvidem & Dierum Proclum, Platonicum magni nominis Philoſophum: deinde Joh. Tzetzam, qvi & Procli perpetuus, & identidem ipſius Heſiodi, utriusqve utplurimum intempeſtivus, Cenſor eſt: (Erat enim homo ſtulte arrogans, & qvi ſolus ſapere ſibi videbatur: Grammatica tamen utilia multa habet,) deniqve Manuelem Moſchopulum. Dierum Phyſicam explanationem ſcripſit libello brevi Johannes qvidam Protoſpatharius. Scutum Herculis expoſuerunt Scholiis ſuis Joh. Diaconus, Pediaſimus: qvem cum Johanne totius Bulgariæ Chartophylace eundem Conr. Geſnerus eſſe putat: iterumqve Joh. Tzetzes. Theogoniæ Interpres obtigit iterum Johannes Diaconus, cognomento Galenus: & Anonymus antiqvus, qvem tamen & ipſum Tzetzam eſſe Baſileenſis Editio vult, cui non aſſentitur omnino, ſed ſubdubitat, & vetuſtiorem putat variorum Scholiorum à Variis confectorum collectionem, Heinſius. Hos Scholiaſtas cum Operibus Heſiodi primum *excudit* Venetiis A. 1537. in 4. Hier. Trincavelus. Hinc Baſileenſis qvædam Editio prodiit, Oporiniana, ni fallor, qvam multo auctiora ſcholia illa, inprimis Tzetzæ, exhibere Heinſius ſcribit. Et hanc propterea ipſe qvoqve Dan. Heinſius ſecutus eſt in pulcerrima Editione ſua Heſiodi, qvam, cum Græcis omnibus Scholiis, ſollicite prius emendatis, & cum nova Introductione ſua, notis item, Emendationibus atqve Obſervationibus in Heſiodi textum & ſcholia, Lugd. Bat. in 4. A. 1603. ex officina Raphelengii, in lucem emiſit. Poſt hanc Scholia nunqvam edita ſunt: etſi Summus Vir, Joh. Georg. Grævius eorum denuo edendorum aliqvando ſpem fecerit. Heinſii Editio autem, absqve Scholiis, retenta ſolum ejus Introductione & notis qvæ ad textum pertinent, Lugd. Batav. A. 1613. in 8. repetita eſt. Memini vero, in Joh. Croji Obſervationibus Sacris argumentum Operum ac Dierum Heſiodi, qvod Græcâ linguâ Heinſius præfixit, & ὑπόθεσιν διεξοδικὴν vocat, ſatis acriter perſtringi, ut Græco-barbarum & qvod latinam phraſin redoleat: qvo in loco etiam Crojus alia qvædam Heinſii Errata caſtigat. Reliqvæ Editiones Heſiodi potiores ſunt Aldina, qvæ etiam prima eſt, 1495. in fol. una cum Theocrito, Theognide & Phocylide data; Frobeniana Græca, 1521. in 8. Græca & Latina cum Commentario Joh. Spondani, Rupellæ, 1592. in 8. cum notis à Corn. Screvelio collectis, & addito Indice Georg. Paſoris, Lugd. Bat. 1653. in 8. cum Variis lectionibus & notis marginalibus Jac. Lectii, Genev. 1606. In corpore Poëtarum Heroicorum, Græco-Latino: qvod Græcum H. Stephani præceſſerat A. 1566, in qvo etiam Heſiodus eſt: qvi præterea prodiit cum variis lectionibus è MSS. codicibus Palatinis, & notis doctorum Virorum, ap. Commelinum, Heidelb. 1591. in 8. Inprimis elegans qvoqve eſt Joh. Georg. Grævii Editio, qvam ille, probe à ſe magnâ curâ, è codicibus MSS. Iſ. Voſſii, & antiqvis interpretibus, librisqve aliis, emendatam, tum & eruditiſſimis notis, qvas *Lectiones Heſiodeas* vocat, inſtructam, Amſtelodami 1667. in 8. edidit: adjectis qvoqve Joſ. Scaligeri notulis qvibusdam, & uberioribus Franc. Guieti, qvas, ex libris, qvibus hi Duumviri erant uſi, excerptas, cum Grævio celeberrimus Emer. Bigotius communicavit. Meditabatur tum novam Editionem Vir

erudi-

eruditiſſimus, qvæ & Scholia Vetera & omnes recentiorum omnium notas, contineret: ut jam diximus: ſed illa qvidem ſufflaminata videtur. Fuerunt vero varii, qvi Heſiodum Verſibus Latinis exprimerent. Sic Opera & Dies *tranſtulit* Ulpius Franekerenſis, Friſius; nec non Nic. Valla: Theogoniam, Boninus Mombricius, Mediolanenſis, Aſpida Joh. Ramus de Goes, medio ſeculi ſuperioris linguæ Græcæ in Academia Viennenſi Profeſſor. Hos omnes in ſua Editione Joh. Oporinus excudit: ut & Pyladem Brixianum, qui Genealogiam Deorum Heſiodi Latino carmine qvinqve libris expreſſit.

Sunt, qvi Homero Heſiodoqve antiqviores ſtatuunt MUSÆUM & ORPHEA: 4
qvi qvidem tum non errant, ſi antiqviſſimos illos Poëſeos inventores intelligunt, de qvibus tam multa apud Græcos feruntur: ſed adeo incerta, ut Ariſtoteles & Ælianus, & è Latinis Cicero, unqvam fuiſſe Orpheum & Muſæum dubitarent: qvibus è Recentioribus Gyraldus *Dial. II.* & Voſſius *de Nat. Poët. c.* 3, ut & lib. *de Poëtis Græc. c.* 2. adſtipulantur: Sed enimvero, ſi putant, Orpheum & Muſæum, qvorum *Carmina* hodieqve ſuperſunt, (illius hymni ſcilicet, ut & hujus Poëmation de Amore Herus & Leandri) eosdem eſſe cum illis antiqviſſimis, qvo in errore Jul. Cæſ. Scaliger fuiſſe videtur, næ tum graviter hallucinantur. Siqvidem communi Veterum Græcorum conſenſu conſtat, nihil hymnorum carminisve, ſub Orphei nomine, ante Piſiſtrati tempora, extitiſſe, qvo circiter tempore, qvinqvageſima jam Olympiade, ab Onomacrito Athenienſi ſcriptos conſentiunt hymnos. *Argonautica* vero etiam à recentiore qvodam, qvàm Onoſcrito confecta, dubio amplius caret. *Prodierunt* Orphica, qvæ habemus, & qvæ ſane vilipendenda non ſunt, primum ab Aldo An. 1517. in 8. una cum Muſæo, Græce excuſa: deinde & Latine Baſileæ 1523. in 4. Notas marginales, & Varias lectiones, adjecit Jac. Lectius, Genevæ 1606. Inſeruit qvoqve Argonautica Collectioni Poëtarum Epicorum Henr. Stephanus A. 1566. uti hymnos reliqvaqve fragmenta, Poëſi Philoſophicæ A. 1573. in 8. Poſtrema Editio omnium, qvæ ſub Orphei nomine ſuperſunt, poëmatum eſt ab Andr. Chriſt. Eſchenbachio curata Ultraj. 1689. in 12. Sed multo adhuc recentior Pſeudo-Orpheo eſt MUSÆUS, *qui*, ut Heinſius, in præf. ad Heſiodum, ait, *præter nomen*, *vetuſtatis ne hilum habet: adeo*, *ut ex molliculis illis Grammaticulis*, *aut dicendi magiſtellis*, *vel prima fronte fuiſſe appareat*, qvi in umbra ſua, & pulvere, luxuriari, & Veterum nomen induere, qvàm ſuum tueri, maluerunt: qvi ne tam felici qvidem ſucceſſu digni fuerunt. Voſſius illum poſt qvartum à C. N. ſeculum fuiſſe, Muſæumqve Grammaticum eſſe dictum, obſervat. *Editus* eſt Muſæus utplurimum cum Orpheo: ſed præterea etiam, cum Commentario Dan. Parei, *Mellificio* ejus *Attico* ſubjunctus, Francof. 1627. In Anglicum Sermonem Muſæus à Rob. Stapletono *translatus* eſt, editusqve Oxoniæ, An. 1645. in 4. & diu ante verſibus Anglicis expreſſus à G. Chapmanno Londini, 1616. 8.

Antiqviores his ſunt, longeqve etiam præſtantiores, Græci Tragici, qvorum 5
eximia plane triga nobis ſupereſt. Primus inter illos, ut qvi & ætate ceteros anteit, imo, Qvintiliano teſte, tragædias primus in lucem protulit, ÆSCHYLUS eſt, Athenien-

 ſis,

ſis, *nonaginta tragœdiarum*, Suida referente, parens, & in ludis Olympiacis tredecies, vel, ut alii volunt, viceſies octies, victor: &, qvod multo etiam majus eſt, mortuus qvoqve in Dionyſiorum feſto Athenis vicit: cum ſcilicet fabulas illius correctas poſterioribus qvoqve Poëtis in certamen deferre Athenienſes permiſerunt, factumque eſt, ut & hi eo modo coronarentur: qvod inter alios filiis qvoqve Æſchyli contigit, Euphorioni & Bioni: ut ex Philoſtrato & Qvintiliano Voſſius obſervat, de Poët. Græc. p. 30. Corrigi vero prius vitia Æſchyli oportebat, qvod eſſet eqvidem ſublimis, gravis, & grandiloqvus, ſed ſæpe usqve ad vitium, & in plerisqve rudis & incompoſitus: qvod Qvintiliani, bis jam *è lib. X. c. 1. Inſtit.* allegati, teſtimonium Longinus etiam, in libro περὶ ὕψους, confirmat *Sect.* 3. ubi exemplum ὑποκένου ὄγκου, inanis tumoris, profert ex Æſchylo: & *Sect.* 15. ubi diſerte ait: illum, cum aliqvando magnificas, vereqve heroicas viſiones in ſuis tragœdiis adhibeat, eas tamen nonnunqvam rudibus & impexis, ac nondum ſubactis Sententiis veſtire. Sed tamen non dedecere hanc ſenſuum atqve dictionis ſingularitatem tragœdias, Dio Chryſoſtomus exiſtimat, qvi in Æſchylo characterem antiqvitatis, gravemqve magniloqventiam, ab omni humilitate remotiſſimam, extollit. Ceterum è tot Æſchyli tragœdiis, qvæ olim fuerunt, hodie vix ſeptem amplius ſuperſunt. Sex primo tantum *edidit* Aldus, aut, qvi poſt mortem illius officinam curavit, Aſulanus, Græcè, Venet. A. 1518. præfixo omnium Æſchyli fabularum Catalogo, qvot ſcilicet ab Autoribus allegatæ reperiuntur. Sed corruptiſſimam eſſe illam Editionem, omnes uno ore teſtantur. Igitur ad emendandas Æſchyli tragœdias, ope MSS. codicum, acceſſit Franc. Robortellus, Ludovico etiam Caſtelvetro & Mich. Sophiano ſymbolas ſuas conferentibus: atqve ſic ab erratis infinitis purgatas, addita qvoqve ſeptima, hactenus inedita, edidit Venetiis in 8. 1552. cum ſuis & Sophiani conjectaneis; mox & ex eadem officina ſcholia Græca in Æſchylum, ex antiqvis exemplaribus collecta, anno eodem in lucem emiſit. Qvo & ipſo anno Pariſiis Adrianus Turnebus ſex Æſchyli tragœdias, qvæ in Aldi officina prodierant, magno ſtudio emendatas Græcè recudit, additis variis lectionibus. Qvinqvennio poſt, Petrus Victorius Æſchylum multo etiam, qvam ante fuerat, nitidiorem atqve emendatiorem dedit: Agamemnone inprimis fabula, qvæ mutila usqve in eum diem fuerat magno labore ſuæ integritati reſtituta; opem ad id ferente Barthol. Barbadoro: cui cur Friſius, in Bibliotheca, Hier. Mæum, omiſſo Victorio, adjungat, non capio. Præterea Victorius auctiora Scholia qvoqve dedit: qvibus ſuas etiam Obſervationes adjecit Henr. Stephanus, in cujus officina liber An. 1557. in 4. excuſus eſt. Poſt hos cum reſtare tamen emendanda plurima, & inprimis pandenda carminum ratio videretur, Guilh. Canterus acceſſit, reſtitutumqve à ſe mille locis, &, præter adſcripta carminum genera, ſuis inſuper notis illuſtratum, & Victorio nuncupatum, reliqvit, in lucem emiſſum Antwerpiæ 1580. in 8. Idem qvoqve Canterus Latinam Æſchyli, ceterorumqve Tragicorum, verſionem omnibus partibus elaboratam & accuratam, moliebatur, ut ſub finem præfationis in Æſch. ipſe indicat. Sed intercepit conatum immatura Viri mors, qvæ juvenem 33. annnorum anno 1575. abripuit. Latine vero Poetam hunc noſtrum *tranſtulit* primus Joh. Sauromannus, eſtqve Verſio ejus apud Oporinum excu-

ſa: ſed infelix admodum, & obſcuriſſima: & cui vix interpretationis nomen relinqvendum judicat Stanlejus. Prometheum jam antea Matth. Garbitius Latinè verterat, Scholiisqve additis ediderat apud Oporinum An. 1559. Septem Thebanam ſtylo Veteri tragico Q. Septim. Florens Chriſtianus feliciſſimè reddidit: idem etiam eodem ſtylo Prometheum Deſmotam reddiderat: ut & Joſ. Scaliger Eumenides: neutra tamen, obſervante Stanlejo, lucem vidit: uti nec Editio Æſchyli, qvam Iſ. Caſaubonus in Notis ad Strabonem promiſit. Ipſe vero modo laudatus Thomas Stanlejus ſplendidiſſimam Æſchyli Editionem orbi literato dedit. Londini 1663. in fol. in qvam non ſolum, qvicqvid à prioribus Editoribus Robortello, Sophiano, Turnebo, Victorio, Stephano, Cantero, notarum & emendationum editum eſt, confluxit: ſed qvæ & denuo cum MSS. Codicibus collata & emendata, novâ verſione Latinâ luculentâ donata, atqve ampliſſimo Commentario illuſtrata eſt: locupletato inſuper Scholiaſte Victorii, & novo è MSS. addito, inſignis: ut nihil amplius prope deeſſe videatur. (Sed tamen multo adhuc illuſtriorem Æſchyli Editionem paratam habet illuſtriſſ. Ezech. Spanhemius ubertimis ac eruditiſſimis longe Commentariis inſtructam.)

Æſchylo non multo junior eſt Tragicus alter, SOPHOCLES, ſed qvi longe 6
illum arte vicit, graviſſimus & ſublimis Scriptor, ut qvi, judicio Dionis Chryſoſtomi, amabat σεμνήν τινα, καὶ μεγαλοπρεπῆ ποίησιν, τραγικώτατα καὶ εὐεπίςητα ἔχουσαν, gravem & magnificam prorſus poëſin, qvæ aptiſſima tragœdiis eſſet, & ſummam artis peritiam oſtenderet. Qvapropter & ἄνθος ἀοιδῶν, flos poëtarum, Simonidi dicitur, in Epigrammate, qvod in Anthologia ſupereſt, lib. III. c. 25. &, cum à filio Jophonte Senex dementiæ, ob neglectam rem familiarem accuſaretur, lecto coram judicibus Oedipo Coloneo, fabula, publice cum honore eſt abſolutus: imo illa tragœdia ceteris etiam omnibus palmam præripuiſſe viſa eſt: referentibus Cicerone, Suida, Philoſtrato. Conf. qvoqve Longinus περὶ ὕψους, Sect. 15. & 33. qvi Sophoclem cum Pindaro ait nonnunqvam ad inſtar rapidæ flammæ magno impetu cuncta corripere & inflammare: rurſus tamen, ubi minime expectes, deſubito reſtingui ſæpe, & perqvam infeliciter ex inopinato deficere. Neqve tamen propterea qvicqvam ejus tragœdiis detractum, aut illi alium præferri vult: cum in aliis ſcilicet multo plures & majores errores agnoſcat. Verum non ea mens aliis Autoribus fuit. Namqve, ut mores Sophoclis non tangam, qvos, cum Cicero, Plutarchus atqve Philoſtratus, admodum pudicos deſcribant, alii fœdos & laſcivos faciunt: prout apud Gyraldum Dial. VII. legi poteſt: furta qvoqve ſeu plagia tam immania Sophocles ex ſententia nonnullorum commiſit, ut Philoſtratus Alexandrinus librum peculiarem περὶ τῆς τοῦ Σοφοκλέους κλοπῆς, *de furtis Sophoclis*, Porphyrio apud Euſebium *Præp. Ev. l. X. c. 3.* referente, ſcripſerit: è qvo id Gyraldus & Thomaſius annotârunt. E *Tragœdiis* ejus, qvarum longe plurimas compoſuit, ſeptem adhuc hodie reſtant, qvas primus in lucem Aldus Venet. A. 1502. *edidit* in 8. poſtea Simon Colinæus Pariſ. 1528. in 8. Scholia in Tragœdias Sophoclis, qvæ Sophoclei, Theonis & Lucilii eſſe alio loco indicatum à nobis eſt, Romæ primo prodierunt, ſeparatim, à neſcio qvo Græco homine, qvem in præfatio-

ne ad Æſchylum Pet. Victorius commendat. Ipſismet tragœdiis addita poſtmodum Scholia Græca ſunt Romæ A. 1518. & qvidem auctiora: qvæ iterum deinde auxit & emendavit Bernardus Junta in binis Editionibus Sophoclis, qvas excudit; & qvæ Francofurti A. 1544. & 1555. recuſæ ſunt. Verum de his argumentis non æqve præclare ſentit, ut de prima Scholiorum Editione, Victorius: *Crevere*, inqvit l. c. *opera cujusdam, qui magis numerum eorum augere voluerit, quam intelligentiam ejus Poetæ adjuvare ſtuduerit: immiſcuit enim cum ipſis nonnulla, doctrina & acumine priorum illorum indigniſſima.* Andr. Maſius, in Commentario in Joſuam p. 241. Scholiorum iſtorum Autorem Demetrium Triclinium fuiſſe ſuſpicatus eſt. Sed ſunt alia Triclinii Scholia, qvam qvæ diximus: nempe qvæ ab Adr. Turnebo, una cum Sophocle emendato, Pariſ. 1553. in 8. edita ſunt: & qvæ præcipue de metris agunt, qvibus in tragœdiis ſuis uſus Sophocles eſt. Joach. Camerarius in Sophoclis fabulas argumenti Thebaici primo Commentationes ſcripſit, editas Hagenoæ apud Secerium A. 1534. in 8. qvas etiam Romæ in admiratione fuiſſe, e Sabini literis, ſcribit ad Camerarium Melanchthon *Epiſt. ad Camer. p.* 237. Igitur his, ut videtur, laudibus animatus novam ſuarum Commentationum editionem paravit, Camerarius, qvâ notas in tragœdias omnes continet, omniumqve præfixit argumenta: ſed verſionem nonniſi in tragœdias duas, eamqve duplicem, habet: ad verbum unam, Ajacis Lorarii, & liberiorem alteram, Electræ. Ceterarum verſionem propterea omiſit, qvod Vitum Winſemium in interpretatione Latina Sophoclis laborare audiviſſet. Prodiit liber Baſileæ apud Oporinum in 8. 1556. Verum, ut in præfatione primæ Editionis non diſſimulat Camerarius, ſe à Græcis Scholiis alicubi adjutum: ita fatendum ſane, ſi qvis notas Camerarii cum Græcis Scholiis comparet, parum omnino in illis reperire, qvod non ex his pene ad verbum tranſlatum ſit. Sed non tamen propterea ſpernendæ ſunt. Meminit vero Camerarius in Epiſtola ad Oporinum, qvæ poſteriori Commentationum Editioni præfixa eſt, copioſarum Expoſitionum Sophoclis, qvas libro grandi in Galliâ editas ſibi narratum refert. Arbitror autem, famam illam falſam fuiſſe: vix enim adeo latere poſſent, qvo minus apud alios Autores, aut in celebrium Bibliothecarum Catalogis, nomen illarum conſpiceretur. Viti Ortelii, Winſemii, (hoc enim integrum Viri nomen eſt) Verſio Latina tragœdiarum Sophoclis, ad verbum facta, Wittebergæ primo A. 1549. in 8. excuſa eſt. Retinuit eandem in pulcerrima, qvam habemus, Editione Sophoclis Henr. Stephanus, qvi ipſe Tragœdias emendavit, notisqve illuſtravit: tum ſcholia omnia Græca *ἀνωνύμων* æqve ac Demetrii Triclinii addidit, & Camerarii commentationes adjecit; A. 1568. in 4., qvam Editionem, ſub initium noſtri ſeculi, Henrici filius, Paulus Stephanus, A. 1603. recudit. Mireris autem, H. Stephani Diſſertationem de orthographia Sophocli peculiari, & de tragœdia ejusdem; qvæ cum notis illius in Sophoclem Euripidem (neſcio an diverſis ab iis, qvas cum Autore ipſomet edidit) 1568. in 8. prodiit, non ipſi potius Poëtæ præfixam eſſe. De cetero Sophocles è correctione Guilh. Canteri qvoqve Græce prodiit, Antwerpiæ 1579. in 12. & Lugduni Batav. 1593. Cum Scholiis Græcis & Verſione Latina Cantabrigiæ 1667. in 8. Latine ſolum ex interpretatio-

tatione Georg. Ratalleri, Antwerpiæ, 1570. in 8. Græcè cum Latina Verſione Winſemii, Heidelbergæ apud Commelinos 1597. in 8. Philoctetem, Sophoclis fabulam, ſeparatim Latino carmine, dramatum ſtylum imitato, ſcitiſſimè expreſſam, una cum Græco textu, & notis ſuis, Pariſiis 1556. in 4. edidit Q. Septimius Florens Chriſtianus. Ajacem lorarium ſimili Carmine Latino reddidit Joſ. Scaliger. Andr. Dacerius Oedipum Coloneum & Philoctetem elegantiſſimè in Gallicum idioma transfudit, notisqve illuſtravit, qvæ tamen & ipſæ magnam partem è Græcis Scholiis natæ ſunt. Prolegomena in omnes Sophoclis Tragœdias, una cum Vita Sophoclis, ejusqve cum Euripide collatione: nec non Diſſertatione de Tragœdia ejusqve origine: & nonnullis Orationibus ſuis, in lucem emiſit Franc. Portus, Cretenſis, Æmylii pater, Morgiis 1584. in 4.

Tertius Tragicorum EURIPIDES, ætate minimus, non ſapientiâ, neqve arte 7
eſt. Etſi enim gravem illum cothurnum Sophoclis, qvi pene in proverbium abiit, in ſuis fabulis non oſtendit, nihilo minus tamen animos penetrat, &, Qvintiliano judice, *lib. X. Inſt. c. 1.*, cum magis oratorio generi accedat, ſententiis denſus, & in iis, qvæ à Sapientibus tradita ſunt, pene ipſis par, in dicendo ac reſpondendo cuilibet eorum, qvi fuerunt in foro diſerti, comparandus eſt: in affectibus vero cum omnibus mirus, tum iis, qvi miſeratione conſtant, facile præcipuus. Huic judicio Qvintiliani Longinus qvoqve, peritiſſimus harum rerum Cenſor, accedit, *lib. de Sublimi c. 15.* cum ait, Euripidem natura plane non ad granditatem aliqvam aut magniloqventiam factum, improbo tamen labore ſuo naturæ aliqvando veluti vim inferre, arteqve in ſublimitatem efferri, qvotiescunqve opus ſit: præcipue tamen in exprimendis affectibus animi, ſeu perturbationibus, furoris ac amoris ante ceteros omnes felicem. Idem qvoqve Dionyſius Halicarnaſſæus cenſet: idem Dio Pruſæenſis, qvi ſapientiam Euripidis & exqviſitam illam curam, ne neglecti qvid uſpiam videatur, nec citra perſuaſionis vim dictum; ſed recta omnia, & non minus Oratorem decentia, qvi perſuadet, qvàm Philoſophum qvi maximopere prodeſt, admiratur. Nec ſane inter minoris momenti elogia reponendum eſt, qvod Socratis amicus fuerit & familiaris Euripides: & qvod ejus mortem, cum aliter non poſſet, tragœdiâ ultus eſt, magnamqve hoſtibus Socratis invidiam undiqve conflavit. Superſunt *Tragœdiæ* illius integræ XIX. ab Aldo Manutio primum Venetiis A. 1503. excuſæ: dein Baſileæ apud Hervagium A. 1537. in 8. recuſæ: mox etiam à perſonato qvodam Dorotheo Camillo ad verbum Latine redditæ, & in lucem emiſſæ ibidem 1541. in 8. apud Rob. Winter. Aliam Verſionem Latinam Euripidis ſtruxit Gaſp. Stiblinus, qvam, una cum ejus præfationibus & annotationibus, Græco textui Euripidis adjunxit: tum & Joh. Brodæi notas in Euripidem addidit; præfixitqve Jac. Micylli de vita Euripidis, ac de tragœdia, ejusqve partibus, prolegomena, Joh. Oporinus Baſileæ in fol. 1558. & 1562. Falluntur vero, qvi Philippi Melanchthonis Verſionem in hac Editione excuſam ajunt. Nunqvam enim, qvantum ſcio, vertit Euripidem Melanchthon: & Stiblinus certe in Oporini editionum præfatione nimis clare indicat, ſe Autorem novæ tum à ſe concinnatæ interpretationis eſſe. Brodæi annotationes jam antea qvoqve Pariſ. 1545. in lucem prodierant. In ſeptem pri-

mas Euripidis fabulas Scholia antiqva Græca è libris Veteribus collegit, non ſcripſit, ut male in Friſii Bibliotheca dicitur, ediditqve apud Juntas Venetiis in 8. Arſenius, Monembaſiæ Archi Epiſcopus A. 1534. qvæ deinde apud Hervagium Baſileæ A. 1544. recuſa ſunt. Atqve hæc eadem Scholia ſubjecit tragœdiis in ſua Euripidis Editione Græco-Latina, Paulus Stephanus, Genevæ 1602. in 4. Emendaverat diu jam ante hanc Editionem Euripidem, & metro reſtituerat: non vero, ut perperam cenſent aliqvi, Latine vertit, Guilh. Canterus, è cujus recenſione prodiit apud Plantinum Græce An. 1571. in 16. Secutus Canteri recenſionem Æmyl. Portus, Euripidem, una tragœdia, Danaë, etſi non integra, è Codd. Palatinis hauſta auctiorem, cum addita Verſione Latina Camilli recognita à ſe, & notis qvibusdam, Heidelbergæ apud Commelinos An. 1597. in 8. imprimi curavit. Taceo nunc Editionem Græco-Latinam Euripidis, una cum Sophocle Æſchyloqve, in Corpore Poetarum Græcorum Dramaticorum, Genevæ 1614. editi. (Sed non ſilentio prætermittenda eſt poſtrema illa Editio Euripidis, omniumqve longe optima, qvam nuper Cantabrigiæ A. 1694. in fol. Vir. Clar. JOSUA BARNES apparavit, ut, qvæ non ſolum emendatiſſimas exhibet tragœdias, qvas alii jam publicaverant, una cum Scholiis Latinaqve Verſione: ſed & aliarum plusqvam 60. fabularum fragmenta, tum Epiſtolas 5. Euripidis & qvæcunqve alia poterant reperiri illius monumenta, collecta ſiſtit: præmiſſis inſuper doctiſſimis Diſſertationibus duabus; qvarum prior Vitam Euripidis, ferme Annalium in morem, diligentiſſime recenſet: altera de tragœdia Veterum agit, Scenæ apparatu, Muſica, & legibus Verſuum Tragicorum.) Fuerunt etiam, qvi ſingulas Euripidis Tragœdias Verſionibus Latinis ἐμμέτροις redderent: Sic Eraſmus Hecubam & Iphigeniam in Aulide vertit: Georg. Buchananus Medeam & Aliceſten; Hugo Grotius Phœniſſas, qvas Pariſ. 1630. in 8. edidit. Eraſmi & Buchanani Verſiones excuſæ ſunt ab Henr. Stephano in Collectione Selectarum Tragœdiarum Æſchyli, Sophoclis & Euripidis, qvas cum duplici Verſione edidit in 16. An. 1567. Andromachen Euripidis, metrica verſione tranſtulit Q. Sept. Flor. Chriſtianus Hamburgi 1619. in 8. editam: ut & Cyclopem fabulam, qvæ Pariſ. 1605. in 8. lucem vidit. Veterum Tragicorum, Comicorumqve extantium & non extantium, fragmenta aut Excerpta, emendata prius, Latinis verſibus expreſſit Hugo Grotius, Pariſiis in 4. A. 1626. publici juris facta.

8 Pergimus nunc ad ARISTOPHANEM, Comicum Poetam, Euripidis æqvalem & perpetuum adverſarium, utpote in qvem non ſolùm illum invidia ſtimulavit, qvod eſſet Dramatum celeberrimus artifex; ſed & hoſtilis in Socratem animus armavit. Erat vero Euripidi diſſimillimus, ſi mores ſpectes, utpote pudoris omnis & honeſtatis contemptor: qvò fit, ut fœdiſſimis ſpurcitiebus ejus *Comœdiæ* aliqvando ſcateant. Sed, qvod dictionem attinet & artem, dici vix poteſt, qvam acutus, copioſus, doctus, mereqve adeo Atticus, ſit: ut vix poſſit ad linguæ Græcæ notitiam dignior Autor commendari: cenſente Theodoro Gaza: & cum illo omnibus, qvotqvot Græcas literas norunt. Prætereo nunc feſtiviſſimos jocos, ſalesqve acerbiſſimos, qvibus vitia Civium ſuorum etiam principum in civitate, dum deſcribit, impetit & inſectatur.

Sane

Sane adeo placuiſſe Ariſtophanem Johanni Chryſoſtomo ajunt, ut perpetuo ſecum geſſerit 22, qvæ tum reſtabant, ejus Comœdias, & lectitârit. Contra Plutarchus Ariſtophani Menandrum longe præferendum cenſuit in libro, de utriusqve comparatione ſcripto: cui tamen Nicod. Friſchlinus ſeſe oppoſuit in Defenſione Ariſtophanis, contra criminationes Plutarchi: qvæ in fronte Comœdiarum Ariſtophanis, ab illo editarum, conſpicitur. Reſtant vero è tot Comœdiis Ariſtophanis hodie nonniſi Undecim; nec eæ omnes ſimul repertæ. Sed novem tantummodo earundem primus in lucem è MSS. Codicibus protraxit Aldus Manutius, qveis ſtatim Vetera qvoqve Scholia Græca adjecit, qvibus, ut recte judicat, nihil aptius Græcè diſcere cupientibus, nihil melius legi poteſt, Venetiis in fol. An. 1498. & iterum 1502. De Scholiis jam alibi monitum, magnam partem in Suidæ Lexico reperiri. Collegit illa, diſperſa prius atqve confuſa, Marcus Muſurus, qvi & in ordinem redegit, & impreſſioni libri præfuit; prout ex præfatione illius Græca apparet. Poſt Aldum edendi Ariſtophanis curam in ſe Bernh. Junta, Florentinus Bibliopola, ſuſcepit, & per Anton. Fracinum, à qvo Arſenius Cretenſis, Monembaſiæ Archi-Epiſcopus, etiam ſæpe in conſilium advocatus eſt, recognitas novem illas Comœdias, Indiceqve copioſo auctas, denuo edidit in 4. A. 1515. Florentiæ: Et, cum eodem anno, poſt abſolutam novem Comœdiarum editionem, ex Urbinate Bibliotheca Codicem Ariſtophanis eſſet nactus Junta, in qvo, præter illas novem, duæ aliæ reperiebantur; *Lyſiſtrata*, qvam, qvod non integram haberet, omiſit Aldus: & *θεσμοφοριάζουσαι*, ſeu Cerealia Sacra celebrantes; non diſtulit earum Editionem, ſed & eodem mox anno 1515. in 8. dedit: absqve tamen Scholiis, qvippe qvæ non reperit. Obſervat vero Geſnerus, admodum corruptum fuiſſe illum Codicem Urbinatem, qvippe in qvo integræ nonnunqvam dictiones mutilæ ſint. Secutæ ſunt Italas Editiones Ariſtophanis Baſileenſes Frobenianæ, qvæ omnes XI. Comœdias complectuntur: prior qvidem A. 1536. in 4. & altera 1548. in fol.; ſed illa, ſi recte conjicio, ſcholiis inſtructa non eſt. Sine ſcholiis Græcè qvoqve Pariſiis, apud Gormontium, A. 1528. in 4. Ariſtophanis novem priores Comœdiæ prodierunt: omnes undecim ibidem apud Andr. Wechelum, referente Geſnero. Eædem Francofurti An. 1544. in 8. Græce lucem adſpexerunt. Inde aliqvamdiu tantum per partes editæ ſunt Ariſtophanis Comœdiæ. Θεσμοφοριαζούσας, Græcis Expoſitionibus ſuis (antiqvis enim carebant) edidit, & Franciſco I. Regi Galliæ, nuncupavit Ægid. Bourdinus, Pariſiis, 1545. in 8. *Irenam*, cum Latina Interpretatione, ſtylum Comicorum Latinorum imitata, & eodem genere verſuum cum Græcis ſcripta; nec non uberioribus & doctiſſimis notis Q. Sept. Flor. Chriſtianus, Jac. Aug. Thuano inſcriptam Pariſ. 1589. in 8. Idem Florens *Lyſiſtratam* qvoqve & *Veſpas*, eadem ratione verſas, & Commentariis illuſtratas, reliqvit. *Plutum* uberrimis Commentariis illuſtravit Carolus Gerardus. Qvinqve Ariſtophanis Comœdias *Plutum*, *Nubes*, *Ranas*, *Equites*, *&* *Acharnenſes*, Latina interpretatione donatas, edidit Francofurti A. 1586. in 8. Nicod. Friſchlinus: qvæ etiam A. 1600. Lugduni Batavorum, apud Raphelengium, recuſæ ſunt. Omnes, ut puto, Comœdias Ariſtophanis Latinè *tranſtulit* Andreas Divus, Juſtinopolitanus, Venetiis,

ut Simlerus refert, impreſſas. Ex his vero omnibus Editionibus Ariſtophanis conflata tandem, omnium præſtantiſſima eſt: qvam Genevæ in fol. A. 1607. ÆMYLIUS PORTUS, Franciſci filius, excudi curavit: & cui, præter antiqva Græca Scholia, & illa qvæ in Lyſiſtratam Bourdinus compoſuit, alia qvoqve Græca in integrum Ariſtophanem, eaqve longe doctiſſima, acceſſerunt, Odoardi nempe Biſeti, Charlæi Domini, Galli nobilis, qvi ea cum Porto communicavit: tum Florentis Chriſtiani in Lyſiſtratam & Veſpas Verſio atqve commentarii, qvas à Claudio Florente, Q. Septimii filio, accepit: præterea Gerardi Notæ in Plutum: & Index tandem copioſiſſimus: ut ſane melior Poetæ editio temere ſperari non poſſit. Et tamen graviſſimè de eadem conqveritur Claudius Florens, Epiſtola ad Scaligerum Pariſiis data: truncata ſcilicet multa patris ſui, mutatum ordinem & tantum non everſa omnia, indignatus. *Je n' oſe vous parler de l' Ariſtophane:* inqvit Epiſt. Gallic. ad Scalig. à Jac. Revio editarum, p. 61. *vous l' avez veu, je m' àſſeure, premier que nous: car l' ouvrage en eſt ſi laid, que je le puis avouer pour parent. Le mal eſt arrivé de l' avoir envoyé hors d' icy, & en ville, ou ils ne croyent aujourdhuy qu' à leur teſte. Ils ont mépriſé l' ordre, que je leur avois envoyé, ont retranché pluſieurs choſes de mon pere, l' epiſtre même à Mr. de Thou ſur l' Irene, & y en ont mis des gens, qui n' ont du tout rien contribué à leur ouvre: puis ont tellement mêlé ce que je leur avois baillé, qu' il ſemble, que leur deſſein avoit été plutot de l' étouſſer, que de luy faire voir le jour.* Ita nihil eſt ex omni parte beatum. Et ſane ſupereſſe adhuc hodieqve longe plurima in Ariſtophane, poſt tot Criticos emendanda, dubium eo minus eſt, qvo major eſt circa id doctorum omnium conſenſus. Joſ. Scaliger margini libri ſui Emendationes plurimas adſcripſerat: qvas retinuit dein illa Editio Ariſtophanis, qvæ Lugduni Batav. apud Joh. le Maire An. 1625., duobus Tomis in 12., Græcè & Latinè, excuſa eſt minutioribus typis. Tanaq. Faber in Epiſtolis ſuis, qvamplurima Ariſtophanis, qvem unum ſcilicet in deliciis ſummè habebat, loca reſtituit: ſed & integram Comœdiam, *Concionantes* dictam, ſecundæ parti Epiſtolarum annexuit, ingenioſiſſime emendatam à ſe, &, ſpreta Verſione Andr. Divi, qvem vix alternos Poëtæ verſus intellexiſſe, nec ullum Helleniſmi ſenſum habuiſſe, ait, de novo Latinè redditam. Mich. Neander, in præfatione ad Erotemata Ling. Græcæ p. 169. refert, Thomam Venatorium *Plutum* Ariſtophanis Latinè vertiſſe: omnes vero Comœdias illius Sebaſtianum Guldebeck, Tigurinum, cujus tamen poſterioris laborem nondum eſſe in lucem editum ſcribit: qvod nec poſthac factum autumo. Italum vero Interpretem omnium Comœdiarum, neſcio qvem, jam ſuperioris ſeculi medio nactus Ariſtophanes eſt: prodiit enim Verſio Anonymi Venetiis An. 1545. in 8. E Gallis nemo fuit, qvi attingeret Ariſtophanem, interpres: usqve dum Eruditiſſima Virgo tum, Anna, Tanaqv. Fabri filia, qvæ hæreditario amore Ariſtophanem deperit, non diutius ferendum rata, ut illa ſuavitas Poëtæ, ingenii mira qvadam præſtantia & recondita prudentia commendandi, Gallis ſuis ignoraretur, fabulas duas, *Plutum & Nubes*, elegantiâ ſummâ, & qvæ cum Græco ferme certare poſſit, in vernaculum Idioma transfudit: præmiſſa præfatione in laudes Ariſtophanis concinnata, & Obſervationibus

longe

longe doctiſſimis adjectis: Pariſiis 1684. in 12. [Eædem Comœdiæ duæ nuper A. 1696. Oxonii, è Theatro Sheldoniano, Græcè, cum Scholiis, nitidiſſime denuo prodierunt in 8.]

De reliquis Græcis Comicis, quorum olim magna copia fuerat, nihil ſupereſt, niſi fragmenta quædam. Equidem MENANDRI, quem paulo ante Ariſtophani à Plutarcho prælatum diximus, & cujus tàm in Græcia, quàm in Latio, magnum nomen fuit, adeo, ut à Terentio in Latinam linguam converteretur, *viginti & quatuor Comœdias* integras, à Michaële Pſello explicatas, extare ſcribit, in Supplemento Bibliothecæ Geſnerianæ, Anton. Verderius p. 57. ubi Catalogum Grammatici neſcio cujus librorum hinc inde extantium exhibet. Sed nusqvam hactenus illæ Comœdiæ repertæ ſunt, minimum typis non impreſſæ. Fragmenta ſolum, è Stobæo, aliisqve Autoribus, collecta, plus ſemel excuſa. Cum Philiſtionis Sententiis comparatas Menandri edidit, & notis illuſtravit, Nicol. Rigaltius Pariſ. in 8. 1613. Idem Janus Rutgerſius lib. IV. Variarum Lectionum ſuarum fecit. Qvantum vero amiſerimus in Menandro, dicat Qvintilianus, *qui vel unum illum, diligenter lectum, ad cuncta ea, quæ præcipimus, effingenda ſufficere judicat: ita omnem,* ait, *vitæ imaginem expreſſit, tanta in eo inveniendi copia, & eloquendi facultas: ita eſt omnibus rebus, perſonis, affectibus accommodatus -- Atque ille quidem omnibus ejusdem operis Autoribus abſtulit nomen, & fulgore quodam ſuæ claritatis tenebras obduxit. Inſtit. l. X. c.* 1. Menandri *Sententias* qvæ ſuperſunt, ſententiis L. Comicorum, qvorum Opera interierunt, inſeruit, & in locos certos digeſtas Græcè & Latinè Baſileæ A. 1560. in 8. edidit Jac. Hertelius: qvod idem Henr. Stephanus qvoqve fecit. 9

Sed à Dramaticis nunc ad *Lyricos* progrediendum eſt. Horum princeps PINDARUS, Sophocli coævus, Doricâ dialecto ſcripſit, grave, ſed difficile & obſcurum *Carmen*, jamqve olim pro inimitabili habitus ab Horatio eſt, *lib. IV. Carm. Od. II.* qvi tamen unus omnium optime illum eſt imitatus, aut vicit etiam: qva de re legi Comparatio Pindari & Horatii meret, Sermone Gallico à Franc. Blondello ſcripta, qvæ cum Ren. Rapini Comparationibus, poſt Pariſinam Editionem, in Belgio edita eſt. Myrtidis Poëtriæ diſcipulus fuit Pindarus, & à Corinna, alia Poëtria qvinqvies in certamine victus: qva de re Pauſanias, Ælianus, Plutarchus, agunt: & ex iis omnes, qvotqvot de Poëtis ſcribunt, recentiores. Qvatuor ejus Carmina, aut, ſi mavis libros, qvos habemus, *Olympia, Pythia, Nemea & Iſthmia*, qvæ laudes continent Victorum, qvi in qvatuor iſtis ludorum generibus apud Græcos vicerant, primus, qvi omnes fere Græcos Autores, in lucem emiſit Venetiis A. 1513. in 8. Aldus Manutius. Biennio poſt A. 1515. Romæ Pindaro vetera Scholia Græca acceſſerunt, qvorum partem Demetrio Triclinio eſſe vindicandam, ex præfatiuncula qvadam, qvæ poſt Olympia legitur, obſervat Geſnerus: excuſus eſt liber in 4., & non adeo multo poſt Florentiæ apud Juntas recuſus: nec non Francofurti apud Brubachium 1542. in 4. præfixa Pindari Vita, qvam Thomas Magiſter compoſuit. Omiſſis Scholiis, Aldinam ſolùm Editionem Pindari repetiit Baſileæ Andr. Cratander, A. 1526. in 8. curam Editionis gerente Ulr. Zwinglio, qvi & præfationem 10

præfixit. Addita eſt, poſt Græcum textum Latina verſio ad verbum facta, Auctore Joh. Lonicero, qvi poſt aliqvot annos reviſam eandem Verſionem, una cum notis in Pindarum, qvas, ut ipſe non diffitetur, è Græcis Scholiis, aliorumqve Virorum doctorum ſcriptis, hauſit, recudi A. 1535. curavit. Liberiorem Pindari Verſionem, qvæ non adeo verbis ſeſe adſtringeret, ſtruxit Philippus Melanchthon, qvæ in Henr. Stephani manus pervenit: ſed qvam, etſi laudaret Stephanus, non tamen excudit in ſua Pindari Editione, qvam minutiore forma, ſed commodiſſima, nec minus nitida, edidit, cum adhuc Ulrici Fuggeri eſſet Typographus, Heidelbergæ 1560. in 16. anno 1566. repetitam: cui ſuam Verſionem ad verbum factam, ut tironibus inſerviret, appoſuit: etſi alias liberiorem magis amaret, comparareqve Græcos Poëtas ita ad verbum translatos cum arboribus ſoleret, qvarum folia autumnus dejecit. Repetiit, poſt Henrici obitum, illam Editionem Genevæ, ſub initium hujus ſeculi, Paulus Stephanus: qvi & idem cum Scholiis Pindarum, & Latina verſione recudit A. 1599. in 4. qvod ante illum Pariſiis A. 1558. Guilh. Morellus fecerat. Noſtro ſeculo Pindarum, cum Latina Paraphraſi, præter verſionem appoſita, & Commentariis doctiſſimis, Joh. Benedictus Salmurii in 4. 1620. edidit: &, qvi illum adhuc præceſſit, ERASMUS SCHMIDIUS Wittebergæ 1616. in 4. qvi & miro ſtudio miraqve felicitate emendavit Poëtam ſuum, denuo vertit, metrorum rationem exactam dedit, de ipſo Poëta, tum de Olympionicis, qvorum luculenta una exhibetur Chronologia, & de carminibus lyricis, uberrime præfatus eſt: magnamqve adeo apud Exteros laudem cum illa Editione ſua conſecutus eſt, ut qvi in mentem Poëtæ altius, qvam Criticorum ceteri pernetrârit. Commentarii, qvos annexuit, bonam partem ſunt è Scholiis Græcis hauſti; ſed qvibus ipſe ſuas Obſervationes denſa ſegete immiſcuit. Memoranda hîc qvoqve eſt Latina Verſio Nicolai Sudorii, carmine lyrico, juxta numeros Horatianos, ſcitiſſimè, ut antiqvorum propemodum nulli cedat, exarata, qvam, cum ejusdem Commentariis in Nemea, Feder. Morellus Pariſiis A. 1582. in 8. emiſit. (Rariſſima jam à longo tempore fuit: bene vero actum, qvod nuperrimè illam recudi curârunt Oxonii, è Theatro Sheldoniano, Clariſſimi duo Pindari Editores, qvi Poëtam hunc, cum plurimis Codicibus MSS. collatum, Scholiisqve non minus Græcis, ac Verſione Latinâ, & excerptis Animadverſionum Schmidii, qvæ ſcilicet in Scholiis non continentur, ac Joh. Benedicti paraphraſi, tum Variis lectionibus, notis novis, & copioſisſimo Indice, illuſtratum, ſplendiſſimè A. 1697. in fol. ediderunt. Præfixa inſuper nova Olympicorum ludorum Chronologia, cujus Autor Epiſcopus Lic. Abieldenſis, Guilh. Lloyd eſt, & quæ æque ut Schmidiana Olympiadum cum Annis Mundi, ante Chriſtum natum, ab Urbe condita, & Epocha Chriſtianorum, collationem oſtendit.) (e) Italice etiam verſus eſt Pindarus, & cum Commentario Alexan-

(e) Inter Pindari Editores atque illuſtratores mentionem etiam honeſtam meretur Mich. Neander, toties, aliis in locis, a Morhofio, ob Merita in Literas, inprimis Græcas, eximia, haud immerito celebratus, cujus exſtat, & Baſileæ A. 1556. in 8vo prodiit, *Ariſtologia Pindarica Græco-Latina, quicquid in Pindaro, Vate, ut Vetuſtisſimo, ita quoque caſtisſimo & ſapientisſimo, memorabile, notatu dignum & rarum, nec alibi ſimiliter obvium*

Alexandri Adimari Piſæ 1631. in 4. editus. Bened. Aretium Commentarium in Pindarum edidiſſe, A. 1587. impreſſum, Catalogus Bibliothecæ Bodlejanæ teſtatur. Qvi tamen, ut hoc obiter addam, male Pſeudo-Pindarum, qvi Epitomen Iliados Homeri Heroico carmine Latino ſcripſit, & Hagenoæ primum 1531. deinde Baſileæ 1541. editus eſt, cum Græco Poëta Pindaro confundit: qvi idem Error in Catalogo Bibliothecæ Thuaneæ qvoqve deprehenditur. De Dorica Dialecto Pindari meretur qvoqve legi Salmaſius libro de Helleniſticâ p. 28. qvi ex Philopono obſervat, non puram illam, ſed ex communi mixtam fuiſſe. Omiſiſſem prope *Lexicon Pindari* cum Æmylii Porti, qvô lectores non parum juvantur: prodiit Hanoviæ, 1606. in 8.

Lyricorum reliqvorum etſi non contemnendus olim apud Græcos, poſt Pindarum, numerus erat, hodie tamen vix qvicqvam, præter fragmenta, ſupereſt, qvæ ex aliis Autoribus colligenda ſunt. Cujus qvidem infelicis fati cauſam non ſolùm in temporum injuriam, ſed & in præpoſteram Monachorum religionem, devolvi debere, Petrus Alcyonius obſervavit: cujus è libro de Exilio locum cum auro contra carum Colomeſius duxerit, nec ſibi ab eo in Cimelia ſua Literaria c. 15. transſcribendo temperare potuerit, age & nos apponemus. *Audiebam puer*, inqvit, *ex Demetrio Chalcondyla Græcarum rerum peritiſſimo; Sacerdotes Græcos tantâ floruiſſe auctoritate apud Cæſares Byzantinos, ut integra, illorum gratia, complura de Veteribus Græcis Poëmata combuſſerint, imprimisqve ea, ubi amores, turpes luſus, & neqvitiæ amantum, continebantur: atque ita Menandri, Diphili, Apollodori, Philemonis, Alexis, tabellas, & Sapphus, Erinnæ, Anacreontis, Mimermni, Bionis, Alcmanis, Alcæi, carmina intercidiſſe: tum pro his ſubſtituta Nazianzeni noſtri poëmata, qvæ etſi excitant animos noſtrorum hominum ad flagrantiorem religionis cultum, non tamen verborum Atticorum proprietatem, & Græcæ linguæ elegantiam, edocent. Turpiter quidem Sacerdotes iſti in Veteres Græcos malevoli fuerunt, ſed integritatis, probitatis & religionis maximum dedere teſtimonium.* 11

Qvanqvam vero hæc ita ſint, non tamen omnes Poëtas Lyricos idem interitus perdidit. ANACREONTIS profecto partem maximam (qvis enim omnia ejus in univerſum, integraqve Poëmata ſperet?) è tenebris eruit, per multos labores, multaqve, ut ait in præfatione, pericula, jugulatis cuſtodibus multifariam oculatis & abruptis adamantinis vinculis, qveis adſtrictus bonus Anacreon detinebatur, carceres perrumpens, HENRICUS STEPHANUS; qvi idem Latino carmine Anacreontico venuſtiores & à corruptionibus puriores Odas expreſſit, ediditqve primò A. 1554, in 4. majusculis literis, adjectisqve uberioribus notis, qvâ qvidem re magnam apud Viros doctos gratiam iniiſſe Stephanum ignotum nemini eſſe poteſt, qvisqvis exqviſitam illam ſuavitatem Anacreontis, &, ut cum Cicerone loqvar, mollitudinem carminis, conſideraverit: qvapropter & Jul. Cæſ. Scaliger Anacreontem non ſolùm μέλη dediſſe, ſed & in ipſis mella, inqvit, Poët. l. I. c. 44. Utut cetera negari non poſſit, nimiam ipſius Poëtæ voluptatum cupi- 12

obvium, cum Prolegomenis de Vita ejus, & IV. Ludis Græcorum Solennibus, Notisque Marginalibus, ac IX. Lyricorum Sententiis, hinc inde collectis, eodemque pacto illuſtratis exhibens.

dinem fuiſſe, vini Venerisqve, qvod jam olim illi à pluribus objectum eſt: etſi Henr. Stephanus excuſet. Hujus Stephani non fuiſſe Verſionem illam metricam, qvæ ſub ejus nomine prodiit, ſed Joh. Aurati, vel ut alii proferunt, Dorati, Colomeſius, ex Iſ. Voſſii relatione, in *Particularibus* narrat, aitqve Voſſium id à Scaligeri manu, qvâ is id ſuo Anacreonti adſcripſerit, edoctum noſſe. Verum adeo impudentem Stephanum ego ſane non credo, nec impune id laturum pro certo habeo, cum poſt primam Anacreontis Editionem Doratus integros 34. annos vixerit, tam impudentem plagiarii imposturam neqvaqvam impunem laturus. Poſt primam illam Editionem Stephanus Anacreontem totum Latinè vertit: ex Eliæ Andreæ verſione vero, qvæ itidem carmine Anacreontico ſcripta eſt, & apud Morellum Lutetiæ primo prodierat, Odas qvasdam adjecit, & ſic Anacreontem, cui breviſſimas nonnullas Notulas ſub Voluminis finem addit, minutiore typo exſcriptum, Lyricis Poëtis reliqvis inſeruit, & cum Pindaro, qvi Volumen primum conſtituit, Tomo ſecundo edidit A. 1566. in 16. Sunt vero Lyrici illi, ALCÆUS, omnium antiqviſſimus, ut qvi *Pittaci*, Athenienſium tyranni, qvi inter ſeptem Græciæ Sapientes numerari ſolet, æqvalis atqve etiam hoſtis fuerat, tyrannidem patriæ non ferens, qvam in aliis etiam Civitatibus inſectabatur: atqve hinc *Staſiotica* ſcripſit, librum, qvô tyrannos inſectatus eſt, ob qvod Opus aureo plectro illum meritò donari ait Qvintilianus, qvi in eloqvendo Alcæum brevem, magnificum & diligentem, Homeroqve ſimilem vocat: cum qvo Horatius etiam conſpirat, & è Græcis Dionyſius Halicarnaſſenſis, qvi τὸ μεγαλοφυὲς, καὶ βραχὺ καὶ ἡδὺ τȣ̃ Ἀλκαίȣ μετὰ δεινότητος, ἔτι δὲ καὶ τȣ̀ς σχηματισμȣ̀ς μετὰ σαφηνείας, ὅσον αὐτῆς μὴ τῇ διαλέκτῳ τὶ κεκάκωται, καὶ πρὸ ἁπάντων τὸ τῶν πραγμάτων πολιτικῶν ἦθος, (*magnificum, breve ſuaveque dicendi genus Alcæi, cum eximia tamen gravitate conjunctum, præterea figurarum uſum, cui juſta perſpicuitas, niſi ubi Dialectus nonnihil impedit, adhæret, & præ omnibus civilem characterem*) conſideratione digna judicat. Enimvero, qvicqvid ejus hodie ſupereſt, ex Athenæo, Heraclide Pontico, Stobæo, Scholiaſte Pindari, Ariſtotele, Plutarcho, Hephæſtione, Euſtathio, excerpendum fuit. Seqvitur Alcæum SAPPHO, inſignis Poëtria (à qva genus Sapphicum,) & qvæ cum præſtantiſſimis qvibusqve Poëtis certare poterat, mortalisqve credebatur, & habitum hominis induta Muſa: cujus, Longino περὶ ὕψ. *Sect.* 10. judice, illud erat præcipuum artificium, qvod noſſet τὰ ταῖς ὕλαις συνυπάρχοντα μόρια ἁπᾶσι τοῖς πράγμασι φύσει συνεδρεύει, ἐκλέγειν ἀεὶ τὰ καιριώτατα, καὶ ταῦτα τῇ πρὸς ἄλληλα ἐπισυνθέσει καθάπερ ἕν τι σῶμα ποιεῖν. *Sermonis illas particulas, quæ rebus ipſis veluti connatæ ſunt, & iisdem natura inſident, ſemper maxime proprias & validiſſimas excerpere, & ex iisdem, aptiſſime inter ſe constructis, unum quaſi corpus facere*: qvâ qvidem exqviſitâ particularum congerie non poterat non, & altitudinem ſuo carmini debitam conciliare, & vim in animos percellendos capiendosve habere, qvam vellet ipſa. Certe Longinus meliorem artificii ſummi iconem exprimi non poſſe exiſtimabat, qvam ſi *Odarium Sapphus* apponeret: illud ipſum, qvod Catullus non minore artificio Latinum fecit: Catullus inqvam, qvi Sapphus carmina unice deperibat, ſolaqve præ omnibus aliis poematibus imitanda ſibi propoſuit. Aliud Sapphus *canticum ad Venerem*, non minus molle,

molle, Dionyſius Halicarnaſſeus ſervavit, in libro de Structura ſermonis. Præter hæc duo nihil Sapphus ſupereſt, niſi exigua qvædam fragmenta: qvæ tamen & ipſa ex Plutarcho, Stobæo, Scholiaſtis Pindari, Apollonii Rhodii, Euripidis, Ariſtophanis, Sophoclis, Euſtathio, Hermogene, Macrobio, Ariſtotele, Ariſtide, Polluce, Etymologici Autore, Athenæo, Hephæſtione, Achille Tatio, Demetrio Phalereo, Maximo Tyrio, & Anthologia Epigrammatum Græcorum, Stephanus ſtudioſiſſimè conqviſivit. Poſt Sapphon STESICHORUS ponitur, *ingenio validus*, dicente Qvintiliano *Inſt. lib. X. c. 1. & qui Epici carminis onera lyra ſuſtineret. Reddit enim perſonis in agendo ſimul loqvendoque debitam dignitatem: ac, ſi tenuiſſet modum, videtur æmulari proxime Homerum potuiſſe: ſed redundat atque effunditur; quod, ut eſt reprehendendum, ita copiæ vitium eſt.* Similia ſunt, qvæ Dionyſius Halicarnaſſeus, & qvæ Hermogenes habent. Dignum memoratu eſt, qvod Svidas de illo refert; Tiſiam fuiſſe primo vocatum, ſed Steſichori nomen accepiſſe, ὅτι πρῶτος σὺν κιθαρωδίᾳ χορὸν ἔστησε, *quod primus cum citharæ cantu chorum inſtituiſſet.* Filias habuit, qvæ & ipſæ Carminum laude inclutæ fuerunt. *Carmina* varia multorumqve generum ſcripſit: de qvibus Gyraldus videatur. Fragmenta, qvæ habemus, non multa ſane ſuppeditârunt Athenæus, Stobæus, Scholiaſtes Euripidis, Plutarchus, Strabo, Plato, Euſtathius, & Apollonii Rhodii Scholiaſtes. Nec plura IBYCI nobis reſtant, patriâ Rhegienſis Itali, qvi in Samo Inſula vixit, à latronibus tandem interemptus: qva de re & de ultione ſecuta, ut & de laſcivo Ibyci in pueros amore, nec non de ſeptem ejus Operibus, multa è Veteribus colligit Gyraldus, Dial. IX. Fragmenta Stephanus collegit ex Athenæo, Plutarcho, Platone, Suida, Scholiaſte Pindari & Porphyrio. Sextus inter Lyricos Stephani, neqvaqvam juxta rationem ætatum collocatos, eſt BACCHYLIDES, ex Ceo inſula, urbeqve Julia oriundus, ut Suidas refert; adeo celebris Poëta, ut eum Pindaro ab Hierone, Syracuſarum tyranno, prælatum Pindari Scholiaſtes ſcribat, è qvo id annotavit Gyraldus, qvi & ex Porphyrione notat, Horatium plus ſemel eſſe imitatum Bacchylidem: & ex Ammiano Marcellino refert, Julianum Imp. adeo carminibus Bacchylidis delectatum fuiſſe, ut & vivendi præcepta inde ſumeret. Fueritqve adeo Juliani ævo integer adhuc Poeta ille neceſſum eſt, cujus exigua hodie fruſtula ſolùm habemus, ope Autorum allegantium, Stobæi, Athenæi, Plutarchi, Dionyſii Halicarnaſſei, Clementis Alexandrini, Scholiaſtarum Pindari & Apollonii Rhodii, ac Hephæſtionis, conſervata. Bacchylidis Conſanguineus, Suida teſte, fuit SIMONIDES, ex eadem cum illo urbe & inſula oriundus, tùm pietate in Deos, tùm variis inventis ſcriptisqve, rebus & libris inclutus. Namqve ab eodem Suida literas longas duplasqve (Plinius has qvatuor tantum ait, η, ω, ζ, ψ) inveniſſe dicitur, & tertium in lyra ſonum: præterea artem qvoqve memoriæ: ſcripſiſſe vero Elegiaco carmine hiſtoriam regnorum Cambyſis & Darii, lyrico hiſtoriam pugnæ navalis ad Artemiſium, tum threnos, Encomia, Epigrammata, pæanas, tragœdiasqve, & alia. Characterem ejus dicendi tenuem qvidem, at ſuavem, & in movendo commiſerationis affectu virtute præcipua pollentem, deſcribit Qvintilianus l. c.: Dionyſius Halicarnaſſeus, in movendo affectu iſto, etiam Pindaro judicat præſtantiorem Simonidem: & præterea τὴν ἐκλογὴν τῶν ὀνομάτων, καὶ τῆς συνθέσεως τὴν ἀκρίβειαν, delectum verborum,

borum, & accuratam orationis ejus ſtructuram, obſervare jubet. Longinus etiam in Viſionibus Simonidem ceteris aliqvando omnibus præſtare docet, *de Sublimi Sect. XV.* Cetera, qvæ de Simonide dici poſſunt, Gyraldus & Voſſius ſtudioſe admodum congeſſerunt. Ille tamen labitur, cum, Simonidem annum ætatis nonageſimum nonum exceſſiſſe, è Suidæ teſtimonio refert: cum Suidas nonum & octuageſimum ſolum eum attigiſſe ſcribat. E tot vero Scriptis Simonidis nihil præter fragmenta ſupereſt, è Dionyſio Halicarnaſſeo, Clemente Alexandrino, Athenæo, Scholiaſtis Apollonii Rhodii, Euripidis, Sophoclis, Stobæo, Plutarcho, Ariſtide, Platone, Ariſtotele, Philoſtrato, Galeno, Hephæſtione, Thucydide, Polluceqve, ab Henr. Stephano collecta, & in ordinem aliqva ſaltem ratione digeſta. Ultimo inter Lyricos loco ponitur ab eodem Stephano ALCMAN, qvem primum omnium, ratione ætatis, eſſe, è Veterum teſtimoniis Gyraldus, Voſſiusqve obſervant: Laco fuit, Carminum amatoriorum inventor, ut Suidas ait, & qvi primus in Carminibus, alios qvam hexametros verſus adhibuit. Diſtinguendus ab Alcmane Meſſenio, itidem Lyrico. (Nuperrime aſportatum Venetias è Græcia eſt monumentum aliqvod marmoreum pervetuſtum, cui ſuperſcriptæ literæ, nimia temporis longinqvitate exeſæ, docto cuidam apud Italos Viro Alcmanis hujus nomen & laudes continere viſæ ſunt: qvapropter & æri incidi marmor illud Venetiis curavit A. 1697. in 4. una cum addita Diſſertatione brevi, qva Conjecturam ſuam exponit atqve tuetur. Enimvero, cum ille, qvisqvis demum fuerit, cui marmor erectum eſt, ut clariſſimus militiæ Imperator celebretur, & non ſine magna pompa ſepultus, inſculptusqve marmori ſit; Alcman vero, Poëta lyricus, nuſpiam inter Duces militiæ numeretur, tum miſerrimè, pediculari morbo perierit, ut diſerte Plutarchus in Sylla refert: vix eſt, ut locum Viri docti conjectura invenire qveat.) Perpauca reſtant hujus fragmenta, ex Athenæo, Hephæſtione, Scholiaſte Pindari, Euſtathio, & Plutarcho, collecta. Atqve hi ſunt octo, aut cum Pindaro novem Lyrici Poetæ, qvos uno Volumine collectos, & Latinè verſos, ut diximus, Henr. Stephanus ſemel iterumqve publicavit. Adjecit etiam, qvæ colligere potuit de ARCHILOCHI, celebris Poëtæ, qvi *jambos* & *Elegias* ſcripſit, & Longino, ob ſublimitatem ſemel iterumqve laudatur, Carminibus: tum Melanippidæ, Teleſtæ, Pratini, Erinnæ Lesbiæ, Alphei Mitylenæi, Juliani Ægyptii, *Verſus* varios & *Odas* undiqvaqve mirâ induſtriâ conqviſitas. Poſt primam illam Stephani Editionem ſeculo pene integro ceſſatum eſt: imo nunqvam ſimul omnes Lyrici, ab eo tempore, ſunt excuſi; ſed qvi Alcæi, Steſichori, Ibyci, Bacchylidis, Simonidis, Alcmanis & Archilochi, reliqvias legere voluerit, ad illam Stephani collectionem, aut Editionem Fulvii Urſini cum Notis Antw. A. 1568. in 8. excuſam, recurrat neceſſe eſt. Anacreon tamen & Sappho, ceteris feliciores, doctiſſimos aliqvot Editores, ac Interpretes novos, nacti ſunt. Neqve enim nunc niſi obiter memorabo Editionem ſeptem Anacreontis Epigrammatum, qvæ in Maximi Planudis Florilegio Venetiis, apud Aldi hæredes, A. 1521. excuſa ſunt: ut & Verſionem Gallicam Remigii Bellaqvei ἔμμετρον, qvæ biennio ſtatim, poſt primam Editionem Anacreontis, ab Henr. Stephano datam, in lucem emiſſa eſt A. 1556. Noſtro ſeculo TANAQ. FABER Anacreontis & Sapphus Carmina ſub incudem vocavit, & poſtqvam locis plurimis emendaſſet,

daſſet, & ſub ſeverioris quoque criticæ regulas coegiſſet, illuſtraſſetque notis, emiſit in lucem Cræca, Salmurii 1660. in 12. Moliebatur quoque Verſionem Latinam, ſed proſâ oratione, utpote cui metricæ Verſiones, & Carminis neceſſitate adſtrictæ non ſolum duriora multa & obſcuriora continere videbantur, ſed & non ſatis perite intellecta aut converſa; quapropter illas ſibi nunquam probatas non diſſimulabat; quippe quæ doctis hominibus non neceſſariæ, ſemidoctis autem pene inutiles ſint, atque adeo propter inevitabilem obſcuritatem nonnunquam obſint. Deſtitit vero tandem ab omni Verſione Faber. Hujus itaque Eruditiſſima filia ANNA DACERIA, tum quidem adhuc innupta, relictam ſibi Spartam interpretandi rata, Gallicâ Verſione proſaicâ Anacreontis & Sapphus quod ſupereſt tranſtulit, pro more ſuo prorſus egregiè, ut ſic notas etiam Gallis faceret delicias Græcorum: additisque Obſervationibus Criticis textui ſui Autoris lucem haud vulgarem affudit, haud raro adverſus ſuum ipſiusmet Parentem aliquid affirmare auſa: præmiſit qvoqve vitam Anacreontis & Sapphus admodum luculentam, Pariſiis, 1682. in 12. Mox biennio poſt alia eſt Poëmatum horum Græco-Gallica Editio inſecuta, qvæ qvidem à Daceriæ verſione non ſolùm in eo diſcrepat, qvod metri legibus adſtricta eſt, ſed & circa mentem Autoris haud raro, nec docte minus, qvàm ipſa à Parente ſuo in diverſum abit. Autor illius Nobilis Burgundus eſt, Dominus de Longepierre, qvi Vitam Anacreontis & Sapphus novam ipſe qvoqve compoſuit & in præfatione præmiſſa cauſas ſui ab Anna Fabra diſſenſus aperit: Liber prodiit Pariſiis, 1684. in 12. poſtea Amſtelodami, etſi falſo Pariſiorum nomen ibi qvoqve in titulo reperiatur, 1692. in 12. recuſus. Prodiit & Itala qvædam verſio metrica Anacreontis, ſed cui non adeo multum defert Fabra. (*f*)

Jamdudum fuiſſet PYTHAGORAS recenſendus, quippe multo Lyricis omnibus 13
antiquior, ſi *Carmina* illa *Aurea*, quæ ſub Pythagoræ nomine circumferuntur, revera etiam illius forent. Sed, cum doctiorum omnium conſenſu conſtet, Carmina illa non Pythagoræ eſſe, ſed Pythagoræorum, & forſan, ut Joh. Picus exiſtimabat, à Philolao confecta, non eſt cur loco non ſuo poni exiſtimemus: præſertim, cum hîc de Chronologiâ non ſimus ſolliciti. Ne tamen ea prætereamus, non ſolum antiquitas facit, quæ illis utique abjudicanda non eſt, ſed & præſtantia, dudum aliis commendata. Infinitæ ſunt eorum *Editiones*, neque hîc à nobis enumerandæ. Melioris notæ ſunt, quas Vitus Amerbachius, Mich. Neander, Theod. Marcilius, Frid. Sylburgius, dederunt. Omnium vero optima, quæ cum aureo Commentario Hieroclis lucem adſpexit, primò Latine ſolum, Baſileæ 1543. in 4., Interprete Joh. Auriſpa, Siculo, qui, ob utriusque linguæ peritiam, ab Eſtenſi Principum familia in pretio habitus eſt, quique jam octogenarius librum Hieroclis tranſtulit, tanto quidem ardore animi, ut, per omnem vitam doctius nil, nilque magis proficuum ſe legiſſe, in præfatione profiteatur: adeo parum aut nihil à fide Chriſtiana differre. Quemadmodum vero absque controverſia recte de præſtantia Commentariorum

(*f*) Non contemnenda etiam eſt Editio Anacreontis Tubingenſis Græco-Latina, quam Frid. Herm. Flayderus, Lit. Human. in Acad. Tubingenſi Profeſſor, An. 1622. in 12mo, triplici Verſione Latina, ſua nempe ad verbum pedeſtri, Metricis autem Henr. Stephani & Heliæ Andreæ, & Notis Analectisque Criticis illuſtratam juris fecit publici.

rum Hieroclis judicavit Auriſpa: utpote quibus vix quicquam ſimile in omni antiquitate ſcriptum unquam eſt, nilque adeo prope comparandum; ita infelix admodum eorundem Interpres fuit: quandoquidem obſcuram, inelegantem, tædioſamque lectu ejus Verſionem eſſe Geſnerus queritur in Bibliotheca fol. 321. b. Igitur eo majores gratias promeritus eſt Joh. Curterius, qui, quadraginta annis poſt Auriſpæ Latinam illam ſcabram Verſionem, Græcum è MSS. Codicibus eruit incomparabilem Commentarium, &, cum nova Verſione Latina doctiſſima, Pariſiis 1583. in 8. in lucem edidit: Poſt id tempus Londini etiam recuſum, una cum Theod. Marcilii notis in Pythagoræ Carmina, Mer. Caſauboni notis in eadem & Hieroclem Joh. Pearſonii eruditiſſima præfatione, (in qua plurima notatu digna de Hierocle aliaque occurrunt,) fragmento Hieroclis de Fato, quod apud Photium ſupereſt, cui Latina etiam paulo liberior Hug. Grotii verſio acceſſit, & Lil. Greg. Gyraldi Explicatione Symbolorum Pythagoræorum: Lond. 1654. in 8. Arabicam Carminum aureorum Pythagoræ Verſionem, à Joh. Elichmanno erutam & Latinè redditam cum præfatione ſua edidit, Simplicii in Epictetum Commentariis adjectam, Claud. Salmaſius, Lugduni Batav. 1640. in 4.

14 Æque vetuſtus eſt PHOCYLIDES, Mileſius Philoſophus, Olympiade 59. juxta Suidam, clarus: qui, præter *Carmina & Elegias*, *Sententias* quoque ſcripſit, quas, quod ex Sibyllinis Carminibus eſſent deſumta, κεφάλαια vocavit. Supereſt hodieque Carmen νȣθετικὸν, i. e. *admonitorium ad bene beateque vivendum*, quod, poſt Frobenianas aliasque Baſileenſes veteres Editiones, Argentinæ à Vito Amerbachio An. 1561. à Mich. Neandro in Opere Aureo, Lipſiæ 1577. in 4. ab Henr. Stephano cum Poëtis Gnomicis 1573. in 12. & in Poëtarum Heroicorum Græcorum Corpore A. 1566. in fol. à Jac. Lectio in ſimili Corpore Genevæ 1606. & ab aliis ſexcenties excuſum recuſumque eſt. Verum obſervat Jos. SCALIGER, *Animadv. ad Euſeb. Chron. p. 95. ſeq.* Carmen illud, quod ſub Phocylidis nomine toties excuſum eſt, etſi elegantiâ, nitore, verborumque cultu, cum quolibet Veterum certare queat, non tamen eſſe Veteris illius Phocylidis, nec ullius alterius Philoſophi pagani; ſed hominis vel Judæi Helleniſtæ Alexandrini, vel, quod magis credit, Chriſtiani: cum non ſolum antiquus ille Græcus Philoſophus, Phocylides, nil, præter breves γνώμας, haud ſecus ac Theognis, ſcripſerit, non continuum aliquod Carmen, ſed &, quod ea in hoc, quod habemus, Phocylidis Carmine νȣθετικῷ contineantur, quæ non poſſint niſi ab homine Judæo aut Chriſtiano ſcribi: quæ omnia exemplis in medium allatis fuſe probat: obſervatque, cum apud Clementem Alexandrinum, Stobæum, & alios nonnullos Phocylidis γνώμαι paſſim legantur, nusquam tamen è Carmine, quod ejus nomen præ ſe fert, aliqua adduci, etſi id omnium maxime è re Chriſtianorum fuiſſet. Primum, qui id alleget, atque unum, eſſe Scholiaſten Nicandri ad Alexipharmacum: ſed illum hominem recentiorem fuiſſe monet.

15 Coævus Phocylidi THEOGNIS fuit, Philoſophus item, & gnomicus Poëta: de cujus tamen *Sententiis*, quæ ſuperſunt, nihil admodum dicere attinet, quandoquidem in omnium, etiam puerorum manibus ſunt, ac toties excuſæ, quoties Poëtæ gnomici: quapropter jam è Phocylidis Editionibus de Theognide quoque judicari poterit. Erat vero

vero Theognis natione Siculus, urbe Megarâ oriundus: ni forte rectius Scaliger, in Animadverſionibus Euſebianis, Theognidem è Megarâ Græciæ oriundum facit. Ex eadem inſula ortus quoque fuit MOSCHUS, vetuſtiſſimus etiam, ſed tamen non Sententiis conſcribendis intentus, verum Bucolicus Poëta: cujus tamen, præter *Idyllia*, alia quoque Carmina extant Heroicis verſibus conſcripta, ut & Epigrammata aliquot. *Amorem fugitivorum Moſchi*, qui in Planudis Florilegio excuſus eſt, primum Baptiſtam Varinum, qui celeberrimi Bapt. Guarini pater fuit, & deinde Angelum Politianum, Latinè tranſtuliſſe, Gyraldus Dial. III. de Poëtis teſtatur, qui Varinum Virum tàm ſanctum, quàm doctum, vocat. Idyllia ejus Græce & Latine, cum notis Bonaventura Vulcanius edidit Antwerpiæ 1568. in 8. eodemque anno & ibidem Fulvius Urſinus: poſtea Joſ. Scaliger Moſchi carmina ſibi recenſenda ſumſit, vulgavitque, cum notis ſuis Heidelbergæ apud Commelinum 1596. in 8. Inde Iſ. Caſaubonus, qui ſe in aliqua Genevenſi Editione Iſ. Hortibonum vocavit; & poſt Caſaubonum Dan. Heinſius, eundem Autorem ſunt aggreſſi: cum omnium trium, Scaligeri, Caſauboni, Heinſii, notis prodiit Moſchus Heidelbergæ 1604. in 4.

Jungitur ſemper Moſcho BION, Bucolicus Poëta celebris, & cui, judice Gyraldo, 16 tertia in iſto Poëſeos genere palma defertur. Dorica Dialecto ſcripſit, uti & Moſchus, & Lyrici, quos ſupra enumeravimus tantum non omnes: Eadem dialecto ſcripſit THEOCRITUS, qui primam Carminis Bucolici palmam haud dubie ſibi vindicat, ſive Chius, ſive Chous, ſive Syracuſanus: nobis enim nunc parum intereſt: quemadmodum & illud ſolum indicaſſe ſufficit, eſſe, qui eundem cum Moſcho Theocritum arbitrantur, obſervante Gyraldo Dial. III. Dicitur plurima Carminum genera ſcripſiſſe à Suida: *Proetides*; *Elpides*; *Hymnos*; *Heroides*; *Epicedia*, *Odas*, *Elegias*, *Epigrammata*. Ex his tamen omnibus, præter Epigrammata quædam nihil admodum ſupereſt. Superſunt vero Bucolica illius Idyllia longe ſuaviſſima, & quæ haud abs re magnos Viros in amorem ſui abripuêre. Siquidem ii ipſi Triumviri, Joſ. Scaliger, Iſ. Caſaubonus & Dan. Heinſius, quos in Moſcho & Bione recenſendis occupatos fuiſſe diximus, multò adhuc majorem curam Theocrito impenderunt, notis & lectionibus eum illuſtrantes: atque hinc nata pulcerrima Bucolicorum Poetarum Editio Commeliniana Anni 1604. in 4. Alias ſeparatim quoque Theocritus ex eadem officina, una cum Scholiis Græcis, ceterisqve doctorum Virorum notis in 8. A. 1612. excuſus eſt. Prima Editio Theocriti, quantum memini, eſt Aldina, qvæ A. 1495. in fol. Theocritum, cum Phocylide, Theognide & Heſiodo exhibuit; ſed absqve Scholiis. Secuta eſt Editio Romana anni 1516. in 8, cui Zacharias Calliergus, Græca Scholia adjecit: non ſua, ut perperam multi autumant, ſed antiqva, qvæ è Veteribus libris excerpta in unum ſolummodo corpus redegit: plane, ut M. Muſurus cum Scholiis Ariſtophanis fecit. Geſnerus, in Bibliotheca, Venetam Theocriti Editionem commemorat, in 8. excuſam: Recuſus inde eſt Theocritus Hagenoæ apud Secerium: & Baſileæ apud Cratandrum An. 1530. tum, una cum Scholiis Græcis, Francofurti apud Brubachium, 1553. in 8; cui Editioni Scholia qvoqve nonnulla Joach. Camerarii acceſſerunt, & præfixa Scholiis Græca præfatio, in qva varia Theocrito falſo eſſe adſcripta monet; Bioni vel Moſcho potius tribuenda: præterea Helii Eobani

Heſſi Metrica Idylliorum Theocriti Verſio qvoqve acceſſit. Poſtea Theocritum Henr. Stephanus, cum Bucolicis reliqvis, Græce & Latine vulgavit A. 1579. in 12. qvem deinde Scaliger, hunc Caſaubonus & tandem Heinſius, uti dictum, ſecuti ſunt. Idem Stephanus Oden Theocriti in Adonin mortuum ſcriptam, qvam Bioni Camerarius in Græca præfatione, alii alii Autori tribuendam cenſent, cum Lyricis qvoqve ſuis edidit, An. 1566. Hoc ipſo anno Pariſiis, apud Morellum Græce Theocriti omnia, qvæ ſuperſunt, excuſa ſunt. *Fiſtulam* ejus, una cum SIMMIÆ RHODII, qvi & ipſe Poetis Bucolicis addi ſolet, *Ovo, Alis, Securi*, peculiari explicatione & notis illuſtravit Salmaſius in Explicatione duarum Inſcriptionum Herodis Attici, Pariſiis, 1619. in 4. Prætereo jam Editiones Theocriti, qvæ in Corporibus Poëtarum Heroicorum H. Stephani & Jac. Lectii, aliqvoties jamjam memoratis habentur. Qvid de Virgilii & Theocriti Comparatione varii Viri docti cenſuerint, dictum jam alio loco eſt, ubi de Virgilio agebamus.

17 Nunc accedimus ad æmulos duos, non ſolum Poëtas cultiſſimos, ſed & Viros in omni genere eruditionis exercitatos, & præfectos Alexandrinæ Ptolemæorum Bibliothecæ: Callimachum & Apollonium. Et CALLIMACHO qvidem, natione Cyrenæo, infinitos propemodum libros tribuunt Suidas, Strabo, & Apollonii Scholiaſtes: Suidas certe illum ultra 800. ſcripſiſſe dicit, & argumenti omnino varii. Neqve enim ſolum in omni *Carminum* genere illum aliqva concinnaſſe refert, ſed & *Grammatica*, *Hiſtorica*, *Geographica*, aliaqve longe plurima, vixit temporibus Ptolomæi Philadelphi Regis, & usqve ad ſucceſſorem ejus in regno, Ptolomæum Evergetem, vitam protraxit: perpetuus Apollonii æmuli inſectator, in qvem & Satyricum carmen ſcripſit ficto nomine in Ibin: qvod ipſum Ovidius è Latinis imitatus eſt. Inter alia compoſuit qvoqve vaſtum Opus qvod *πίνακες* inſcripſit *τῶν ἐν πάσῃ Παιδείᾳ διαλαμψάντων, καὶ ὧν συνέγραψαν*, *Tabulas*, ſive *Indices omnium celebrium doctorum, eorumq; Scriptorum*: libris 120. conſtans. Tum aliud, qvod etiam magis ad præſens inſtitutum pertinet, de Poëtis, cui titulus: *πίναξ καὶ ἀναγραφὴ τῶν κατὰ χρόνους καὶ ἀπ' ἀρχῆς γενομένων διδασκάλων*: qvi male redditur à Simlero in Bibliotheca: *Tabula & deſcriptio, ſerie temporum obſervata, Doctorum omnium, qui ab initio fuerunt*: pro *Doctoribus* enim *Poëtæ* erant ſubſtituendi: qvandoqvidem *διδάσκαλοι* ſpeciatim fabularum Poetæ ſunt, ut è Suida, Harpocratione, aliisqve, obſervat Jonſius de Scriptoribus Hiſtoriæ Philoſph. lib. II. cap. 5. ubi prolixè admodum & docte de his Callimachi libris agit: ut & de tertio, qvem de obſcurioribus vocibus, & de libris Democriti ſcripſit Callimachus; ſed qvi, una cum ceteris omnibus, magno reipublicæ literariæ damno, interiit. Hodie enim, è tot Scriptis Callimachi, præter *Hymnos, in Jovem, Apollinem, Dianam, Delum, Lavacrum Palladis & Cererem*; qvibus temporum antiqviſſimorum hiſtoriam, & originem gentilis Mythologiæ tradit: *Epigrammata, & fragmenta* Poematum, hinc inde collecta, nihil ſupereſt. Sed ea tamen ſpreta neutiqvam ſunt. Primus Hymnos Callimachi *edidit*, una cum Pindaro, Aldus, Venetiis A. 1513. in 8. Inde, apud Frobenium, cum Commentariis Græcis, ſunt excuſi, Baſileæ 1532. in 4. ut & Pariſiis apud Vaſcoſanum. Recentiorem eſſe Scholiaſten illum, non admodum antiqvum, Geſnerus conjicit in Bibliotheca: & annotat: Suidam meminiſſe alicujus Archibii, qvi Epigrammata Callimachi

chi expoſuerit: ſed qvi hodie non amplius ſupereſt. Poſtea Henr. Stephanus caſtigatos Callimachi hymnos Corpori Poëtarum Heroicorum inſeruit A. 1566. &, cum Nicodemus Friſchlinus eosdem, Latino carmine redditos à ſe, una cum Scholiis veteribus, ſuisqve notis ſat amplis, Tubingæ 1571. edidiſſet: repetiit paulo poſt illam Editionem Stephanus, ſuasqve annotationes & emendationes inſuper, ut & duplicem hymni primi Verſionem adjecit, A 1577. Mox alia iterum prodiit, nitidiorqve ferme qvoad verſionem Callimachi Operum (nam & Epigrammata & fragmenta, & Poëmation de Coma Berenices, à Catullo Latine redditum, jam à Stephano & Friſchlino adjici cœperunt) Editio, cum nova Verſione Latina metrica Bonavent. Vulcanii, & ejusdem Notis, Antw. 1584. in 12. Inde Seculo fere integro qvietum fuit: donec Anna Daceria, filia Tanaq. Fabri, luculentis annotationibus denuo illuſtratum daret Callimachum, egregie caſtigatum à ſe, & fragmentis haud paucis auctum: Pariſiis 1674. in 4. (Verum & hanc, & priores omnes Editiones Callimachi reliqvas, longe vincit poſtrema Ultrajectina, qvippe qvæ & Epigrammatibus, fragmentisqve longe plurimis ope Rich. Bentleji aucta eſt: & in qvam præter omnes Commentatorum priorum curas Theodori Grævii, qvi Joh. Georgii, Viri Summi, filius erat, ante abſolutam Operis Editionem defunctus, Pauliqve Voetii, notæ, & ampliſſimus Viri Illuſtriſſimi, Ezech. Spanhemii, Commentarius, congeſta ſunt, Ultraj. 1697. in 8.)

Diſcipulus primò fuit Callimachi, ſed deinde Adverſarius æmulusqve, APOLLO- 18
NIUS, RHODIUS cognomento, non à patria, namqve Alexandriâ ortus erat, ſed, qvod invidiâ Poetarum Alexandrinorum, & inprimis haud dubie Callimachi, traductus, cum non ferret contumeliam, in Rhodum inſulam migravit, ibidemqve Civium numero adſcriptus fuit, donec reverſus tandem in patriam, magno etiam in honore habitus, & Bibliothecæ regiæ præfectus eſt. E compluribus Scriptis, qvæ ab ipſo edita referuntur, ſola *Argonautica* ſuperſunt, is ipſe liber, ob qvem ludibrio Poëtis Alexandriæ fuit, Rhodus admirationi. *Opus non contemnendum*, judice Qvintiliano Inſt. lib. X. c. 1. *æquali quadam mediocritate ſcriptum*: juxta Gyraldum Dial. III. *Opus varium, & multis vigiliis elucubratum: durum tamen, & alicubi ingratum; niſi qua parte Medeæ amores deſcribit: ubi & P. Vergilii judicio ita excellere videtur, ut Vergilius ipſe non aliunde plura in ſuos Didonis amores facile tranſtuliſſe videatur: ut Grammatici annotârunt.* Hæc Gyraldus, qvi, cum Grammaticos nominat, inprimis in Servium digitum intendit. Sed tamen impudentiam vocare non dubitat Jul. Cæſ. Scaliger, ſi qvis cum Servio idem credere velit: tantumqve abeſſe cenſet à veritate, ut pene pudeat illum apponere loca, è qvibus comparatio Virgilii & Apollonii inſtitui qveat: *de Re Poët. lib. V. c.* 6. id qvod deinde locis qvamplurimis confirmatum. Aſt contra Scaligerum Apollonii cauſam in ſe ſuſcepit Jac. Gaddius, utinam dignior patronus, de Script. Non-Eccleſ. T. I. Ceterum primùm edita ſunt Argonautica iſta apud Aldi hæredes, Venet. 1521. in 8. non ſolùm diligenter prius ad fidem plurium Codicum examinata: ſed & eximiis plane illuſtrata Scholiis; qvæ Lucillo Tarrhæo, Sophocleo & Theoni, ut Autoribus, adſcribi debere, Anonymus vitæ Apollonii Autor Græcus, Argonauticis præfixus, indicat: (atqve idem etiam confirmat Ariſtophanis Scholiaſtes; obſervante Colomeſio in Not. ad Gyraldum p. 154. qvi &, adverſus Caſaubonum, Mauſſacum & Tan. Fabrum, contendit, Sophocleum Sophoclem dici non debere.) Sunt vero hæc

Scholia ex eorum genere, qvæ longe plurimum ſuis lectoribus conducunt; nec Grammatica ſolum, ſed varia omnis generis erudita, complectuntur. Recuſa cum his ſunt Argonautica Apollonii Baſileæ ſemel iterumqve: ita, ut in poſteriori editione, qvæ A. 1570. ex officina Henricpetrina prodiit, Latina etiam verſio Valentini Rotmari, heroico verſu ſcripta, acceſſerit: qvæ, ſi non ubiqve felix eſt, laudem tamen meret diligentiſſima digeſtio in locos communes rerum omnium, qvæ in Apollonio, ejusqve Scholiis occurrunt, cujus qvartum caput Autorum, in ſcholiis magno numero allegatorum, Indicem accuratum ſiſtit. Ante Rotmarum Latine Apollonium verterat, ſed non metrice, Joh. Hartungus, editqve apud Oporinum 1549. in 4. Poſtea Henr. Stephanus Græcum textum, una cum antiqvis Scholiis, ſuisqve Annotationibus, repetiit A. 1574. in 4. & noſtro ſeculo Jerem. Hœlzlinus Græco-Latinum addidit, Scholiisqve Veteribus ſuas Annotationes Lugd. Bat. 1641. in 8. Claudius Florens Chriſtianus, Q. Septimii filius, Epiſt. Gall. ad Scalig. lib. II. ep. 31. novam verſionem & notas in Apollonium promiſit: ſed qvas non magis dedit, ac cetera, qvæ in alios Poëtas Græcos ibi promiſit.

19 Apollonio coævus creditur NICANDER, Colophonius, vel juxta alios Ætolus, aut iterum alios Alexandrinus: præclarus Poeta, etſi in agro viveret, minimeqve ruſticus, judice Cicerone: & qvem, ut Qvintilianus ait, Macer & Virgilius non fruſtra imitati ſunt; Jul. Cæſ. Scaliger non ſine magno uſu illum cum Lucano comparari poſſe cenſuit: & adeo magni æſtimavit, ut *vix inveniri* credat *apud Græcos Poetam politiorem*: *magna ei cura, ne qvid ineptum aut inepte dicat*, Poët. lib. V. c. 15. ubi & comparationem illam inſtituit. Cum vero plurima ſcripſerit Verſu heroico Nicander, de qvibus apud Athenæum & Suidam mentio fit, hodie duo ejus libri tantum ſuperſunt: *Theriaca & Alexipharmaca* dicti. In illis remedia docet adverſus ſerpentes, & alia animalia, qvæ morſu vel ictu virus infligunt: in his adverſus cetera venena, cibo aut potui miſta. Primus illa, cum luculentis Scholiis Græcis *edidit*, cum Dioſcoride, Aldus, Venet. 1499. in fol. Conſtat alias ex Athenæo & Stephano, ex antiqvis Diphinum Laodicenum, Demetrium Phalereum, Theonem atqve Plutarchum eſſe in Nicandrum commentatos: prout id Gyraldus atqve Geſnerus annotârunt. Sed, ſi qvis eorum omnia eſſe, qvæ in Scholiis ad Nicandrum hodie reperiuntur, exiſtimaverit, eum erroris arguet Joſ. Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis p. 95. qvi dicit, Scholia illa eſſe Centones, ex Veteribus optimis Commentariis excerptos ab homine recentiore, qvi de ſuo qvasdam etiam barbaras voces admiſcere ſoleat: id qvod jam ante Scaligerum Geſnerus etiam, in Bibliotheca, obſervavit. Poſt Aldum ſeparatim excudit Nicandrum, cum Scholiis Græcis Joh. Soter, Coloniæ 1530. in 4. Sine Scholiis Græcè ſolum eundem inſeruit Corpori Poëtarum Heroicorum H. Stephanus, A. 1566: Latine ſolum, è Verſione ſua, cum ſuis Scholiis eundem Poetam dedit Joh. Lonicerus, Coloniæ, 1531. in 8. Græce & Latine Jac. Lectius, inter Poetas Græcos Genevæ 1606. & dudum ante hunc, ex interpretatione Joh. Gorræi, cum Scholiis Græcis Guil. Morellus, Pariſ. 1557. in 4., in qva Urbe & noſtro ſeculo 1622. eadem Editio repetita eſt. Jac. Grevinus Nicandrum Verſu Gallico tranſtulit, ediditqve apud Plantinum Antwerpiæ 1567. in 4.

20 Nicandrum ARATUS inſeqvatur, ei non ſolum, è ſententia aliqvorum, coævus; ſed & adeo amicus, ut illi *Phænomena* ſua, priusqvam publicaret, legenda tradiderit, & viciſſim

ciſſim Nicander Arato Theriaca ſua. Verum falli, qvi ſic cenſent, & Nicandros Colophonios duos male confundere, jamdudum Gyraldus annotavit Dial. III. cum Arati tempore, qvi Nicandro Poeta junior eſt, & in aula Demetrii Poliorcetæ vixit, alius vixerit Nicander, inſignis Mathematicus. Ceterum, et ſi non adeo magni æſtimaverit Aratum Qvintilianus Inſt. lib. X. c. 1. ſed *totum in nominibus conſumi* dicat: *cujus materia motu careat: ut, in qua nulla varietas, nullus affectus, nulla perſona*: qvo minus tamen omnino vilipendatur à nobis ille, certe vel ſolum qvoqve Proœmium facit Phænomenων, adeo pium, ut *Apoſtolus Paulus* illud etiam, qvod allegaret, dignum habuerit. Neqve eſt, ut omnibus qvoqve Latinis adeo fuiſſe vilipenſum exiſtimemus. Qvin potius nonniſi cum Sole interitura ejus Phænomena Ovidius cecinit, Amor. lib. I. Eleg. 15.

Cum Sole & Luna ſemper Aratus erit.

Nec fuit è Poëtis Græcis qvisqvam, qvi tot præclaros interpretes Latinos nactus eſt, qvam Aratus: ſiqvidem à M. Cicerone translatus eſt, à Germanico Cæſare, de qvo inter Latinos Scriptores actum. Adde ipſummet Ovidium, & Sextum Ruffum Avienum. Multo vero etiam major numerus Græcorum eſt, qvi in Aratum commentati, & qvorum Voſſius de Scient. Mathematicis, c. 32. p. 156. triginta & qvinqve enumerat: non connumerato tamen Theone, cujus Scholia in Aratum hodieqve ſuperſunt: nec Achille Statio, qvem præter Florentinam Arati Editionem Dion. Petavius etiam in Uranologio edidit. Græce Aratum primus edidit, niſi fallor, Aldus cum Manilio & Hygino, Venet. An. 1499. fol. inde multoties excuſus eſt. Latinas Editiones, & Græco-Latinas præſtantiores jam in *Grammatico Polyhiſt.* enumeravimus. Græcas nunc paucas & præſtantiores dicemus. Ex his Pariſienſis eſt A. 1566., Florentina 1567., cui Commentarii Græci Ach. Statii acceſſerunt, cum jam An. 1559. Pariſiis, cum Theonis Commentariis, & Leontii κατασκευῇ Arateæ ſphæræ Aratus apud Morelium prodiiſſet. Elegantiſſima omnium eſt Græca Oxonienſis A. 1672. in 8. cui, præter memorata jam Scholia, Eratoſthenis qvoqve, qvod ſupereſt, adjectum fuit. Græco-Latina vero Aratæorum Editio omnium optima Hugonis Grotii, Lugd. Batav. 1600. in 4. Prodiit & qvædam Editio Phænomenων Arati Græca, cum Interpretatione & notis exiguis Jac. Ceporini, Baſil. 1534. in 8. una cum Dionyſio Afro.

Iſte DIONYSIUS, PERIEGETES dictus à libro qvem ſcripſit, περιηγήσει οἰκουμένης, ſeu de *Orbis circuitu*, aut, ut communiter redditur, de *Situ orbis*, Afer natione fuit, 21
etſi Byzantinum perhibeat Svidas, cujus argumentum pluribus confutat Voſſius de Hiſtor. Gr. lib. II. p. 172. ſeq. Longe qvidem Arato, ceterisqve, qvos enumeravimus, junior eſt; utpote demum ſub Auguſto, vel, ut alii volunt, ſub Nerone, clarus: ſed præſtantiâ neqvaqvam cedit: imo nonnullis etiam haud parum præſtat. Hinc jam olim Latinos Interpretes Sextum Rufum, Feſtum, Avienum, & Rhemnium Fannium, vel, ut alii judicant, Priſcianum (nolente tamen Gyraldo, qvi, *ignoſcant mihi*, inqvit, *Priſciani manes, ſi eum non Poëtam ego fuiſſe credo:* Dial. IV. de Poët.) nactus, Græcum qvoqve omnium longe præſtantiſſimum atqve eruditiſſimum habet Commentatorem, Euſtathium, eundem, qvi in Homerum commentatus eſt. Primus, qvi Dionyſium hunc è tenebris eruit, Anton. Becharia, Veronenſis, fuit: qvi ſcilicet Latine illum Oratione proſaica redditum, & Hieronymo de Leonardis inſcriptum edidit Venet. in 4. A. 1477., ſed plane infeliciter vertit, ut Geſnerus

obſervat in Biblioth. p. 54. a.: qvædam enim de ſuo addidit, qvædam omiſit, multa perperam reddidit. Recuſa tamen eſt peſſima illa Verſio apud Henr. Petri, Baſileæ A. 1534. in 4. Græce primus Dionyſium edidit Aldus, ſeu, qvi poſt ejus mortem typographiæ præfuit, Arulanus, A. 1518. una cum Latina interpretatione Priſciani, qvæ, juxta alios, Fannii Rhemnii aut Ræmnii eſt, & jam ſexennio ante, cum Joach. Camerarii annotatiunculis, Viennæ 1512. in 4. prodierat. Cum Euſtathii Commentario prius edidit Dionyſium Rob. Stephanus, Pariſ. 1547. in 4. nitidiſſime: qvem recudit, poſt mortem Patris Henricus filius A. 1577. in 8. qvi ſuas & aliorum Annotationes adjecit. Noſtro ævo Dionyſium, cum Euſtathii Commentario, ſuisqve ampliſſimis notis, publicavit Guil. Hill, Londini A. 1658. & iterum 1688. in 8. (Verum in his omnibus Dionyſii Euſtathiiqve Editionibus magna qvædam lacuna deprehendebatur Scholiorum, per aliqvot folia protenſa, qvæ cum ſuppleri è Codicibus Regiis non poſſet à Rob. Stephano, reliqvis etiam intacta manſit: donec Anno ſuperiore 1697. bis ederetur: ſemel Hamburgi à JOH. ALB. FABRICIO, Viro clariſſimo, nobisqve amiciſſimo, Bibliothecæ Latinæ, qvam edidit, inſerta; ubi de S. Ruffo Feſto Avieno agit; p. 180. ſeqq. & Oxonii deinde, ſuo loco, nimirum in nova Dionyſii Editione longe optima & elegantiſſima, qvam V. Clar. EDU. TWAITES procuravit, non ſolum cum MSS. Codicibus ſedulò collatam: ſed & gloſſis interlinearibus Græcis, & Scholiaſte alio, inedito hactenus, auctiorem. Dignus notatu eſt numerus Editionum Dionyſii, qvem laudatus modo Clar. Twaites iniit, triginta & tres computans.)

22 Neqve hîc omittendus LYCOPHRON, qvem Tragicis Poëtis Laertius annumerat, quod & Suidas facit, qui *tragœdias* ejus etiam recenſet: ſed & præterea inſignem Grammaticum fuiſſe notat. Erat unus, ut ibidem Suidas addit, è Plejade Poëtarum; cujus magna olim apud Græcos medii ævi fama erat, cum una omnes vixiſſe exiſtimarent. Computabant in eum numerum Theocritum, Nicandrum, Callimachum, Apollonium, Homerum Tragicum, Aratum & Lycophronem. Enimvero, ut in iſta temporum ſupputatione inſigniter ſunt hallucinati Græculi, quod præter alios Gyraldus maxime oſtendit: ita non eſt, cur multum de excuſatione, ob divulſum à reliqvis Lycophronem ſimus ſolliciti: non magis ac ob omiſſum Tragicum Homerum, cujus nihil hodie ſupereſt. Lycophronis etiam Tragœdiæ omnes interierunt, nec ſupereſt niſi *Alexandra* ſeu Caſſandra ejus, σκοτεινὸν ποίημα, ut jam olim Suidas vocavit, jambico Verſu ſcriptum, quod proxime ad tragœdiam accedere multi Viri docti cenſent, & propterea Guilh. Canterus monodiam qvandam tragicam poſſe vocari judicavit in prolegomenis ad Lycophronem, quæ Latinæ ejus Poëtæ Verſioni à ſe ſtructæ præfixit. Eo vero minus miranda eſt in Lycophronis dramate obſcuritas, quod ille Oracula loquentem Priami filiam Caſſandram, ſive, qvod idem eſt, Alexandram, inducit. Ex Antiquis Interpretes ad hoc poëma acceſſerunt Dection, Theon, Orus; qui ab Autore Etymologici, Stephano Byzantino aliisqve Autoribus, allegantur. Ex illis vero dein ſuos compilavit Commentarios, qui ſoli hodie ſuperſunt, Iſaacius Tzetzes, Johannis frater, multo doctior, ne ipſo quidem id diffitente, in præfatione ad Scholia in Heſiodum: [ſed tamen Colomeſius, in Not. ad Gyraldi Dial. III. de Poëtis, notat, Iſaacium hunc Tzetzam doctis veterum Scholiaſtarum obſervationibus nugas ſuas immiſcere.] Primus Lycophronis Caſſandram Græce edidit,

cum

cum Pindaro & Dionyſio, Aldus, Venetiis, 1513. Iſ. Tzetzæ Scholia, textui juncta, Baſileæ 1546. in 4. prodierunt. Latine primus vertit Lycophronem Bernardus Bertrandus, ſed infeliciter, ediditqve Baſileæ A 1558. Novam igitur Verſionem, & multò accuratiorem in ſe Guilh. Canterus ſuſcepit, quæ, cum Prolegomenis & Commentariis luculentis, edita eſt Baſileæ, 1566. Pariſiis 1601. cum Græco textu recuſa. Sed & Joſ. Scaliger Lycophronem Latinè vertit, etſi non multo dilucidius, quam in Græco eſt: prodiit Pariſiis & Lugduni Batavorum, ubi Joh. Meurſius revidit illam Verſionem Scaligeri, & ſub incudem vocatam plurimis in locis emendavit, notasque adjecit A. 1597. in 8. non magnâ tamen cum Scaligeri gratiâ [Poſt hos omnes nuper Joh. Potterus, Vir Clariſſimus, apud Oxonienſes, è theatro Sheldoniano, ſplendidiſſimam Lycophronis Editionem adornavit, in eamqve non ſolum tranſtulit priorum omnium labores, quos alicujus momenti exiſtimabat, ſed & novos adjecit Commentarios, textu prius cum cura ad MSS. Codices reviſo & emendato: Oxon. 1697. in fol.]

Inter alios Autores, quos Iſaacius Tzetzes in ſuo Commentario ad Lycophronem allegat, QVINTUS CALABER qvoqve eſt, Poëta Heroicus, qui παραλειπόμενα ὁμήρȣ ſcripſit, i. e. de iis, quæ, in Deſcriptione belli Trojani, ab Homero relicta ſunt, libros XIV, quos primus una cum TRYPHIODORO *de Excidio Trojæ*: & COLUTHO *de Raptu Helenæ* (quos hîc per tranſennam ſolum nominaſſe ſuffecerit) edidit in 8. Aldus. Latine Quintum Calabrum reddidit Joh. Vellaræus: & poſt hunc multò elegantius Laur. Rhodomannus: prodiit Græcè & Latinè apud Wechelianos hæredes Hanoviæ, 1604. Idem cum Quinto nomen habet diverſus Poeta COINTUS SMYRNÆUS, qui *de Trojæ excidio* libros II, & *de reditu Græcorum* unum, compoſuit, qvos, præter alias Editiones Operi ſuo Aureo inſeruit Mich. Neander, A. 1577. Lipſiæ in 4. Omnium Poëtarum ab Homero paæſtantiſſimum eſſe hunc Barthius cenſet, in Adverſar. p. 1021. 23

OPPIANUM hucusqve non nominavimus, præſtantiſſimum tamen Poëtam, qvi ſub Severo claruit, & Antonino Caracalla, non ſub M. Aurelio Antonino, qvi vetus jam Euſebii error eſt, & multos recentiorum decepit, recte tamen Joſ. Scaligero in Animadv. ad Euſeb. p. 221. contradicente. Scripſit *Halievtica*, ſeu de Piſcatu libros IV, multo auro à Severo Imp. penſatos: *Cynegetica*, i. e. de Venatione libros V, & *Ixevtica*, ſive de Aucupio libros V, quibus in poëmatibus quam plurima etiam de natura animalium, longe præclariſſima habet. Franc. Vavaſſor, in libro de Dictione Ludicra, Oppianum in exprimenda affectuum teneritudine, qvam animalibus ſuis erga parentes, aut prolem, demonſtratum tribuit, inprimis multum valuiſſe annotat, atqve eum propterea nunqvam ſe ſine magno deliciarum ſenſu legere profitetur. *Editus* eſt Oppianus apud Aldum Venetiis, apud Juntas Florentiæ, apud Adr. Turbenum Pariſiis 1555. Græcè: Latinè libros de Venatione reddidit Laur. Lippius, ediditqve Argentorati 1534. in 4. cum Scholiis Joh Cæſarienſis: Commentarium ſuum Latinæ huic verſioni recuſæ adjecit Pariſ. 1555. apud Vaſcoſanum Joh Bodinus; qvanqvam Rittershuſius, in Epiſtola quadam ad Georg. Richterum, & ex illo Thomaſius Placciusqve Bodinum è Turnebi Lectionibus omnem ſuum Commentarium compilaſſe, adeoqve fœde ſurripuiſſe notent. Ipſe vero doctisſimus Vir, Nicol. Rittershuſius, præſtantiſſimam Oppiani editionem adornavit, 24

cum

cum Scholiis antiqvis Græcis, ac ſuis notis, Lugduni Batav. 1597. in 8. (*g*). Libros de Venatione Gallico verſu reddidit Q. Septimius Florens Chriſtianus, Pariſiis apud Mamertum Patiſſonum 1575. in 4. Libri de Aucupio interierunt, aut certe latent hactenus. Nam non penitus interiiſſe, ſed MSS. adhuc à ſe ſervari, Andr. Aſulanus olim Geſnero retulit, prout hic in Bibliotheca refert, ſed permoveri ſe nunqvam paſſus eſt, ut oſtenderet; qvô-ipſô ſuſpectam reddidit ſuam relationem. Interea Geſnerus, Græcam Ixevtικῶν illorum paraphraſin nactus, eo indignius factum hominis tulit, & paraphraſin illam Latine redditam à ſe, variis in locis ſui de Avibus libri inſeruit. Ceterum pertinet ad Oppianum, ob argumenti vicinitatem PHILE, neſcio cujus ævi Poëta, & an idem cum illo, cujus Verſus in Spiritum S. Cotelerius T. III. Monumentorum Eccleſiæ Græcæ publicavit: Scripſit, qui huc pertinent, Verſus jambicos *de Animalium proprietate*, quos Græce & Latine Joach. Camerarius edidit Lipſiæ A. 1575. & poſtmodum Aureo Operi inſeruit ibidem A. 1577. Mich. Neander.

25 Atque hæc de Poëtis Græcis, qvorum integra Opera ſuperſunt. *Novem Poëtriarum* illuſtrium Carmina collegit, ediditqve cum notis, Fulvius Urſinus, Antwerpiæ A. 1568. in 8. *Teleſillæ* nimirum, *Sapphus*, *Erinnæ*, *Myrtidis*, *Corinnæ*, *Myrus*, *Praxillæ*, *Noſſidis*, *& Amytæ*. Veterum Philoſophorum fragmenta metrica collegit, & ſub titulo Poëſeos Philoſophicæ, edidit Henr. Stephanus A. 1573. in 8. utiliſſimo labore, cui tamen ſubinde addi aliqvid poteſt: Et qvid mirum in tanta autorum copia? Oracula, qvæ ſub *Sibyllæ* nomine feruntur, octo libris comprehenſa, una cum fragmentis, qvæ hic illic in Scriptis Chriſtianorum reperiuntur, primus edidit apud Oporinum Baſileæ A. 1545. Xyſtus Betulejus, cum Annotationibus ſuis. Inſecuto mox anno Sebaſt. Caſtalio, apud eundem Oporinum, heroico Carmine Latine à ſe reddita Oracula illa publicari curavit, ac pro genuinis etiam habuit, ſed cui Eruditorum perpauci aſſentiuntur. Oporinus inde An. 1555. Oracula Sibyllina Græce & Latine recudit: Mich. Neander vero magnam eorum partem Apocryphorum Collectioni inſeruit, qvæ Catecheſi ejus Græcæ adjecta eſt A. 1567. Novam Editionem eorundem Oraculorum Græco-Latinam, cum notis, adornavit Joh. Opſopæus Pariſ. 1589. in 8. qvi, Appendicis loco, Oraculo metrica Jovis, Apollinis

(*g*) Fallitur Capitis hujus Autor, dum Nicol. Rittershuſium, Academ. Altdorfinæ JCtum, An. 1670. mortuum, Autorem Epiſtolæ de Plagio Literario, pro ſua de Hannonis περιηγήσει Oratione, ejusdem Criminis a Barth. Nihuſio incuſata, ad Georg. Richterum Apologeticæ, in Richterianarum Syntagmate, *p.* 204. *& ſeqq.* obviæ, Oppianum Lugd. Bat. A. 1597 credit edidiſſe. Debetur enim Editio iſta Conrado Rittershuſio, Nicolai Parenti, Anteceſſori itidem Altorfino, A. 1613. jam extincto. Pari vel errore, vel memoriæ lapſu, Jac. Thomaſius *in Tr. de Plagio Litterario*, §.373. & Vinc. Placcius, hunc ſecutus, *in Tr. de Scriptoribus Anonymis & Pſeudonymis P. II. p.* 166. Epiſtolam Nicolai Filii de Plagio, modo laudatam, Conrado Rittershuſio, Parenti tribuunt. Ceterum, quæ Filius, de Bodini in Oppianum Commentario, turpi plagio ex Andr. Turnebi Lectionibus compilato, Richterus narrat, e Jac. Bongarſii haud dubie hauſit Epiſtola, ad Parentem ſuum, Conradum, d. 4. Apr. A. 1600. exarata, & a Paulo Colomeſio (in Vita Joh. Bodini, *Galliæ ſuæ Orientali p.* 74-87. inſerta) A. 1665. edita. Iſta enim cum multa alia refert Bodino parum honorifica, tum hæc de ejus Oppiano: *Jam edidiſſe illum Lectiones Turbeni in Oppianum pro ſuis, nemo noſtrorum* (Gallorum. ſc.) ignorat.

nis, Hecates, Seraphidis aliorumqve Deorum & Vatum, ex Variis Autoribus antiqvis collecta, Græcè & Latinè, cum Notis, ut & Zoroaſtris oracula, cum Scholiis Plethonis & Pſelli adjecit. Recuſa eſt Editio illa auctior Pariſ. 1599. & 1607. Tandem novam Sibyllinorum Editionem, longe nitidiſſimam ac emendatiſſimam, in Belgio dedit Servatius Gallæus, Amſtelodami, 1689. in 4.; cui Caſtalionis & Opſopæi notas, ſuosqve inſuper prolixiſſimos Commentarios adjecit: nec non Oracula reliqva, qvæ Opſopæus ediderat.

Reſtat mentio veterum Epigrammatum Græcorum, quæ in locos communes magno ſtudio digeſſit, & in unum Corpus collecta reliqvit, ſub *Anthologiæ* titulo, MAXIMUS PLANUDES: diviſa in ſeptem libros: qvorum *primus* varios locos communes continet: *ſecundus* Scommata, dicteria & ſales: *tertius* Epitaphia: *quartus* Epigrammata in Deorum imagines, hominum ſtatuas, animalium effigies: & in loca qvædam, ſive topographias: *quintus* Chriſtodori, Poëtæ Ægyptii, è Copto urbe oriundi (qvem in Planude male Copitam vocari, pro Coptitio, & confundi perperam cum Thebano Chriſtodoro, alio hujus nominis Poëta Chriſtiano, Gyraldus Dial. IV. de Poët. monet.) qvæ è multis poematibus ſuperſunt: inprimis Explicationem ſtatuarum, qvæ in Gymnaſio publico, qvod Zeuxippi cognominabatur, ſupererant; qvibus exprimuntur laudes complurium doctorum & inſignium Virorum: nec non ejusdem Chriſtodori Epigrammata in Aurigas hippodromi Conſtantinopolitani: *Sextus* liber Anthologiæ complectitur Epigrammata anathematica conſecrationum & dedicationum: *poſtremus* meretricia & amatoria. Prima hujus Anthologiæ *Editio* vetuſtiſſima eſt in 4: capitalibus literis impreſſa, ſed cui annus impreſſionis non ſubjicitur. Deinde ex Aldi, defuncti jam, officina prodiit, Venet. A. 1521. in 8. poſtmodum à Joh. Brodæo emendatam, & notis illuſtratam, Frobenius Anthologiam in fol. Baſileæ excudit A. 1549. tum Henr. Stephanus, additis qvoqve Græcis Scholiis & notis ſuis, denuo emendatiorem dedit in 4. 1566. Vincentius Opſopæus ſuas in Anthologiam notas ſeorſim excudi apud Oporinum A. 1540. in 8. curavit. Tandem, cum horum omnium annotationibus, Scholiisqve in pleraqve Epigrammata Græcis, & Latina Verſione, nova Anthologiæ Editio, plane nitida, procurata eſt Francof. 1600. in fol. Absqve notis horum Autorum Græco-Latinam ejus Editionem dedit, apud Commelinum in 4. A. 1604. Eilhardus Lubinus. Selecta ex Anthologia Epigrammata Latine vertit ἐμμέτρως, ediditqve apud Rob. Stephanum, juniorem, Pariſ. A. 1608. in 8. Idem fecit qvoqve Joſ. Scaliger, ſuntqve Epigrammata illa Latina, è Græcis facta, inter Opuſcula excuſa. Omnium vero ſalivam movit olim, & expectationem excitavit Salmaſius, dum novam Anthologiæ Editionem, infinitis Epigrammatibus auctiorem, novâ Verſione Latinâ, & luculentis Commentariis, illuſtratam ſæpiſſimè, & magno cum apparatu, promitteret. Aſt nunqvam promiſſis ſtetit. 26

PAULI SILENTIARII *Epigrammata*, qvæ ſeorſim aliqvoties Venetiis, ac Pariſiis excuſa ſunt, nunc indicamus magis, qvam recenſemus, propterea qvod Semipriſcus tantum Autor ille eſt: qvales etiam MICH. PSELLUS, cujus, præter tot Scripta alia, *jambos* in *vitia & virtutes* habemus; & JOH. TZETZES, cujus *Politicorum*, ut vocant, *Verſuum Chiliades* notæ alias, ſed vix pro verſibus habendæ ſunt. Antiqviores his longe alii Chriſtiani Poë- 27

tæ: Apollinarius Laodicenus, Gregorius Nazianzenus, Nonnus: de qvibus pauciſſima ſolum dicemus, cum de illis alii prolixiſſimè egerint. APOLLINARIUS qvamplurima poëmata ſcripſit: è qvibus nil niſi *Verſio Pſalterii* ſupereſt, heroico carmine, eaqve ſatis culto, expreſſa. Primus illud è Regia Bibliotheca eruit, & regiis typis nitidiſſimè excudit, Pariſ. 1552. in 8. Hadr. Turnebus: poſtea ibidem 1580. recuſum: Latinam Verſionem addidit, & apud Commelinos in lucem emiſit, Frider. Sylburgius, Heidelbergæ, 1596. in 8. (*b*) GREGORII NAZIANZENI *poemata* 64. ſuperſunt, ſed non eo nitore ſcripta, qvi antiqvis comparari poſſet: Primo vitæ ſuæ hiſtoriam conſignavit: reliqva ſacri utplurimum argumenti ſunt: pia omnia. Neqve vero ſolum cum operibus Nazianzeni prodierunt: ſed & ſeorſim varia variis in locis. Omnia, qvæ nanciſci poterat, collegit, Latinis verſibus reddidit, & emiſit in lucem, Pariſ. A. 1562. Jac. Billius. Melior Poëte NONNUS *profanum Poëma* reliqvit atqve *Sacrum.* Illud inſcripſit *Dionyſiaca*, & libris 48. omnem de Baccho, ejusqve ſacris, ſermonem abſolvit. Edidit primo Joh. Sambucus Græce, cum lectionibus ac Conjecturis Gerh. Falkenburgii, & emendationibus Guilh. Canteri, Antw. 1569. in 4., inde, ſervatis Falkenburgii Conjecturis, cum Latina Verſione Eilh. Lubini, prodiit Hanoviæ, 1605. in 8. Sacrum Poema Nonni *Paraphraſis Evangelii Johannei* eſt, centies edita. Editiones præcipuæ ſunt Aldina, qvæ & prima, 1501. Pariſina, 1561. cum Latina Verſione Bordati, & notis: Raphelengiana, qvam Franc. Nanſius magnâ curâ emendavit, ſuisqve Supplementis auxit, 1589. in 8. Heidelbergenſis a Frid. Sylburgio curata 1596. Pariſina alia, qvam Nicol. Abramus, Jeſuita doctiſſimus, emendavit, ſupplevit, & eruditis obſervationibus Theologicis & Eccleſiaſticis illuſtravit, apud S. Cramoyſium, 1623. in 8. qvæ Editio ſane cum reliqvis omnibus certare poſſet: & deniqve Heinſiana in celebri illo Sacro Ariſtarcho Dan. Heinſii, qvi nihil aliud continet, qvàm Exercitationes ad Nonnum Criticas, peſſimè à Salmaſio exceptas, nec admodum probatas doctis Viris plerisqve: primum prodiit A. 1627. ni fallor in 8. poſtea plus ſemel recuſus. Prodiit apud Feder. Morellum Pariſiis A. 1609. in 8. liber, cui titulus: *Poëtæ Græci Chriſtiani:* qvem, ſi qvis collectionem eſſe eorum, qvas modo recenſuimus, exiſtimaverit, errat: ſiqvidem exiguus liber eſt, & nonniſi fragmenta Veterum Poëtarum, qvorum Opera petierunt, è Scriptis Patrum collecta, ſiſtit. Maximum inter eos fragmentum eſt *Ezechielis* Tragici, qvi tamen Judæusne fuerit, an Chriſtianus, adhuc ambigua ſub judice lis eſt, neqve ſane eſt improbabilis opinio Stephani le Moyne, cui & Clar. Guil. Cave, in Hiſtoria Literaria, aſſentitur, Judæum fuiſſe hominem, &, paulo poſt immanem illam gentis Judaicæ, ſub Barcozba Pſeudo-Meſſia ſuo, ſtragem, ad erigendos tribules poema ſuum ſcripſiſſe, qvod ἐξαγωγὴν vocat: ſpem velut novæ liberationis dans. Allegatur hic Poëta, qvisqvis demum fuerit, à Clemente Alexandrino & Euſebio. Sed plus ſatis hactenus, qvantum ſcilicet ad rem noſtram, de Græcis Poëtis dictum eſt, jamqve adeo tempus, ut ad alios accedamus.

(*b*) Gregorii Nazianzeni Carmina XX. hactenus ἀνέκδοτα (quorum prolixisſimum eſt primum Verſuum 835. de ſeipſo, & adverſus Epiſcopos, a quibus Epiſcopatu erat ſpoliatus, Vitia Ordinis Eccleſiaſtici ſatis libere notans), e Biblioth. Cæſarea Vindobonenſi, cum Joh. Leunclavii Verſione Latina, & Notis Jac. Tollii eruditis, in hujus *Inſignibus Itinerarii Italici*, Opere Poſthumo, Ultrajecti A. 1696. in 4to, una cum aliis Antiquitatis Eccleſiaſticæ Monumentis ineditis, prodierunt.

CAP.

CAP. III.
DE POETIS RECENTIORIBUS.

§. 1. *Poëtæ Latini Veteres in Grammatico jam Polyhiſtore, ſive Lib. IV. celebrati.* 2. *Poëtæ Latini Recentiores, & primo quidem EPIGRAMMATOGRAPHI. J. C. Scaliger, H. Grotius, Dan. Heinſius, M. Z. Boxhornius, Joh. Ovvenus.* 3. *Conſt. Hugenius, Nic. Borbonius, Franc. Vavaſſor, Matth. Caſim. Sarbievius, Ant. Stratius, Jac. Jolius. Aug. Maſcardus, Jac. Biedermannus, Bern. Bauhuſius, Bald. Cabillavus, Coſtobadæus, Joh. Cælius, Frid. Hofmannus.* 4. *Henr. Bruno, Alb. ab Ines, Joach. Rachelius, Pet. Juſtus Sautel, Hier. Angerianus, M. Ant. Caſanova, Domin. Gravina. Pet. Aloyſius, Joh. Zaratinus Caſtellinus. Aur. Urſus, Bernh. Baldus, Joſ. Baptiſta.* 5. *EMBLEMATUM Scriptores, Andr. Alciatus, Theod. Beza, Joh. Sambucus, &c. Uſus illorum immodicus reprehenſus.* 6. *ANAGRAMMATUM (quibus parum Autor, cum Jac. Baldeo, tribuit) Inventor Joh. Auratus, Scriptores præcipui, Guilh. Blancus, Joh. Mautnerus. Matth. Zuberus, &c. Vulgus Anagrammatiſtarum ineptiens exploſum.* 7. *Verſuum Cubicorum, Quadratorum, Retrogradorum, Cabaliſticorum, aliarum iſtius generis Nugarum difficilium Autores, Publilius Optatianus Porphyrius, Rabanus Maurus, Paſchaſius Carmelita, aliique, una cum Judæis, ad ſimiles prolapſis ineptias, exſibilati.* 8. *POETÆ EPICI Recentiores: Dan. Heinſius, Ren. Rapinus, Franc. Vavaſſor, Varq. Gallucius, Hier. Fracaſtorius, Hugo Grotius, Act. Sinc. Sannazarius, Caſp. Barlæus, Joh. Buſſiere, Bapt. Mantuanus, Scæv. Sammarthanus, Jac. Aug. Thuanus, M. Hier. Vida, Calvidius Lætus, Abr. Coolejus, Aug. Maſcardus, Frid. Rappoltus, Bonav. Baronius, Joh. Lud. Praſchius, Alex. Morus, Henr. Meibomius Sen., Pierius Winſemius, Laur. le Brun, Publ. Fontana, Mutius Ricerius, Jul. Cæſ. Stella, Eliſius Calentius. Immiſcentur etiam Judicia de Poëtarum Scotorum, Italorum, Gallorum & Germanorum, Deliciis.* 9. *ELEGIACI Pet. Lotichius: Joh. Secundus, Dan. & Nicol. Heinſii, Caſp. Barlæus, Vinc. Fabricius, Jac. Wallius, Sidron. Hoſchius, J. Bapt. Stella, Bald. Cabillavius, Jac. Bidermannus, Joh. Biſſelius, Æg. Menagius, Art. Jonſtonus, Herm. Hugo, Jac. Balde, Pierius Winſemius, Ferd. Fürſtenbergius, Janus Douſa, Alex. VII. Pont. Rom., Sangeneſius, Pet. Francius, & Joh. Jov. Pontanus, de cujus etiam Poëmatibus aliis diſſeritur, variaque afferuntur Judicia.* 10. *LYRICI: Georg. Buchananus, Matth. Caſim. Sarbievius, Pet. Dan. Huetius, J. Bapt. Maſculus, Gilb. Joninus, Jac. Balde, Alb. ab Ines, Urbanus VII., Pont. Rom., Nicol. Avancinus, Paulus Meliſſus, Lev. Torrentius, Jacomotius, Chriſtoph. Caldenbachius.* 11. *PHALEUCORUM Scriptores: Joh. Bonefonius, Joh. Jov. Pontanus, Frid. Taubmannus, Jac. Bidermannus.* 12. *JAMBICI & CHOLIAMBICI: Dom. Baudius. Caſ. Barthius, Caſp. Barlæus, Jul. Cæſ. Scaliger.* 13. *Odæ Latinæ Rythmicæ ab aliis jam, ante Phil. Cæſium, qui illarum ſibi falſo vindicat inventionem, concinnatæ.* 14. *Parodiarum, Odarum* Pindaricarum, *& Carminum* ἐπιμίκτων, *Scriptores varii Latini. Centones, poſt Auſonium Inventorem, conſarcinarunt Pelagius Patritius, Proba Falconia, Jul. & Læl. Capilupi, Steph. Pleurius, Henr. Meibomius, Joh. Bapt. Spadius, Dan. Heinſius, Henr. Stephanus.* 15. *COMICI: Nicod. Friſchlinus, Corn. Schonæus,*

J. Lud. Praſchius, Jac. Maſenius; TRAGICI: Dion. Petavius, Bernh. Stephonius, Jac. Balde, Jac. Corn. a Marca, Dan. Heinſius, Hugo Grotius. 16. SATYRICI: Jac. Balde, Pet. Dan. Huetius, Janus Douſa, Eilh. Lubinus, Sangeneſius. 17. Judicia de Poetis quibusdam Latinis mediocribus, Rob. Keuchenio, Joh. Caſa, Er. Michaelio Læto. Rein. Neuhuſio, Joach. Paſtorio, J. Pet. Tito, Joh. Miltone, Zach. Lundi, Balth. Bonifacio, Pierio Winshemio. Thoma Bartholino, &c. Vitus *Beringius & Ol. Borrichius ἐξοχωτάτοις accenſendi. 18. Innumera Poëtarum modernorum Multitudo. Conſilium de Poëmatibus minutioribus egregiis, ſeorſim editis, colligendis. 19. Mentio Carminum Macaronicorum, Latino-Italicorum (Merl. Coccaji & Bernh. Stephonii,) Græco-Latinorum (Dom. Baudii) & Latino-Germanicorum, uti & Verſuum Ævi Sequioris Leoninorum, obiter facta. 20. FABULARUM ROMANENSIUM (quorum Nomen pariter atque Originem a Normannis Galliæ, conjectura incerta, Claud. Verdierius derivat) Scriptores Græci, Achilles Tatius, Heliodorus, Euſtathius vel Eumathius & Jamblichus; Latini Veteres, Apulejus & Mart. Capella; Recentiores Joh. Barclajus, ejusque Continuator infelix Mouchenbergius, & alii deinde innumeri, a Cl. Sorello partim enumerati. Pet. Dan. Huetii Diſſ. de Fabulis his peculiaris. Hug. Grotii in easdem Affectus.*

1 ESſet jam de *Latinis Poetis Veteribus* ordine agendum, ni ſupra jam, in *Grammatico Polyhiſtore*, inter Latinæ linguæ Scriptores abunde de iis dictum arbitraremur. Miſſis igitur illis RECENTIORES ſolum enumerabimus, & qvidem in certas claſſes diſtributos, ut eò commodius ſermo de iis inſtitui qveat.

2 Prodeant ergo primo *Epigrammatum Scriptores*. Horum ut apud Veteres pauci ſunt boni, ita & apud Recentiores major eorum numerus occurrit qvàm dignitas: pauci enim hîc punctum ferunt. *Julius Cæſar Scaliger*, rigidus aliorum Cenſor ac delicatus, ipſe hebetes interdum figit aculeos. *Hugonis Grotii* in Epigrammate elegantia incomparabilis eſt: nec Heinſiana Epigrammata ſpernenda, ut & *Boxhorniana*, qvæ Epiſtolis ejus ſunt addita. *Joh. Owenus* ſatis qvidem acutus, ſed nonnunqvam ratione ſtyli lutulentus, ac haud raro abit à genio Veteri: certe figuræ Orationis poëticæ, qvales ad Epigrammata etiam reqviruntur, nullæ illic ſunt. Memorabile eſt, qvod de Oweno Craſſus, in Elogiis ſuis Literator. P. II. p. 97. refert, ejus Carmina apud Italos magni æſtimari, illa qvoqve Monoſticha, Satyrica, qvæ adverſus Monachos & Pontificios ſcripſit. Contra Ant. Wood, in Hiſtoria & Antiqvitatibus Oxonienſibus, lib. XI. p. 143. de eodem Oweno refert, illum, ob unicum hoc Epigramma:

An Petrus Romæ fuerit? ſub judice lis eſt:
Simonem Romæ nemo fuiſſe negat:

ampla hæreditate, qvam ab Avunculo locuplete expectaverat, excidiſſe. Adeo Poëtis fatali lege invidentur divitiæ, & ingenioſos Vates preſſo pede mendicitas inſeqvitur, ut ſæpe ingenio ſuo acuto pereant.

3 *Conſtantinus Hugenius*, in Momentis deſultoriis, qvi titulus eſt Carminum illius, ſæpe in Batavia impreſſorum, Epigrammata complura habet egregia: ſed acumina interdum affectata & frigidiuscula ſunt. Nec deficit nitor Belgicis ejus Poëmatibus, qvæ

ſub

ſub titulo *Koren-bloemen* Hagæ Com. 1658. in 8. prodierunt, & Epigrammata multa continent. *Nicolai Borbonii* Epigrammata, Lugduni apud Gryphium An. 1538. excuſa, qvæ tantopere ab Eraſmo, aliisqve, laudantur, ſatis qvidem Latina ſunt: ſed argutias ego nonnunqvam deſidero. (*i*) Idem & de *Franc. Vavaſſoris* Epigrammatibus judico, qvi nihil argutiarum, niſi qvod cum Auguſteo Seculo conveniret, admiſit. Sed pro hujus Epigrammatibus ego Grotiana & Heinſiana legere malim. Paucula illa, qvæ *Matthias Caſim. Sarbievius* Lyricis ſuis addidit, divina ſunt: niſi qvod ars nimia interdum apparet affectatione antithetorum, qvorum etiam ut modus ſit, caſtigata modeſtia reqvirit. *Antonii Stratii*, Jeſuitæ, Epigrammata puerilia interdum ſunt, nimiumqve affectata: aliqvando tamen etiam bona. *Jac. Jolii* Epigrammata parum bona, niſi qvando furatur ex aliis. *Auguſtinus Maſcardus* Sylvis ſuis elegantiſſima qvædam inſeruit: qvorum aliqva impudentiſſimo plagio deſcripſit Lambertus Villovanus. Sunt & inter Jeſuitas non contemnendi Epigrammatum Scriptores, *Jac. Bidermannus*, *Bernh. Bauhuſius*, *Balduinus Cabillavius*: è qvibus poſtremi Epigrammata mihi præ duobus reliqvis placent; qvanqvam nec illis etiam deſint acumina. Sunt & *Coſtobadei*, Aqvitani, non ſpernenda: etſi in qvantitatibus Syllabarum aliqvando erratum ſit: prodierunt Salmurii, 1655. in 8. *Joh. Cæli* Epigrammata, & Latinitate, & acumine, aliqvando commendari merent. *Frid. Hofmanni* multa qvidem ſunt, ſed frigida, affectata, & qvæ multum plebeji habent: invenias tamen interdum, qvæ tollere velis.

Prodierunt *Henrici Brunonis* qvædam Epigrammata Latina, Belgicis mixta, in 4
qvibus, nec acumen, nec nitorem, deſideres: titulus eſt: *Henr. Brunonis Mengelmœs. Alberti ab Ines* Acroamata Epigrammatica non vidi: bona tamen eſſe credo, ſi ex Odis æſtimentur. *Joachimi Rachelii* Panegyris Menippea ad rationes Apophoretorum Martialis inſtituta laudari etiam meretur, Kilon. 1669. in 12. edita. Simili modo *Hugenius* Tricas ſuas Morales, & Grotius Inſtrumentum ſuum Domeſticum ſcripſit. *Petrus Juſtus Sautel* ſcripſit *Annum Sacrum Poeticum*, ſeu ſelecta de Divis Cœlitibus Epigrammata in ſingulos Anni Dies diſtributa, qvibus & elegans ſtylus eſt, & acumen Pariſ. 1665. Scripſit idem *Luſus Poeticos allegoricos*; in qvibus proponuntur fabulæ & allegoriæ variæ, carmine Elegiaco expreſſæ, Monachii, 1676. *Hieronymus Angerianus* inter Latii recentioris Epigrammatographos excellit, numero, argutia, & inventione ingenioſa, judice Gaddio de Scriptor. Non-Eccleſ. p. 32. T. I., qvi tamen paulo poſt, mutata ſententia, arguta mille parum argute proferre Angerianum ait: neqve enim ſatis eſſe ſententiam pedibus concluſiſſe: Idem Gaddius l. c. p. 131. alium Epigrammatum Scriptorem *M. Antonium Caſanovam* laudat, eumqve Martialis genium Catulliano candore temperatum poſſediſſe ait. Sed tamen utriqve horum præfert *Domin. Gravinam*, eiqve palmam in Epigrammatibus Sannazarium tribuiſſe

(*i*) De Nicol. Borbonii, Vandoperani, *Nugis & Epigrammatibus*, Lugd. Gall. apud Gryphium, A. 1538. editis, multo adhuc inclementius Morhofio judicat Joh. Ovvenus, *Lib. I. Epigr. n. 47. p. m.* 10. Autorem ita alloquens:

Quas tu dixiſti Nugas, non eſſe putaſti:
Non dico nugas eſſe, ſed eſſe puto.

Ol. Borrichio contra, *in Diſſert. de Poet. Lat.* §. 126. Carmina Borbonii *non invitis Muſis concinnata* videntur.

buiſſe annot. p.217. *Petri Aloyſii* elegantia & arguta Epigrammata commendat Laur. Craſſus Elogior. T. I. p.379. & ſane eſt apud eundem Craſſum T. II. p.309. aliqvod Epigramma Aloyſii, qvod elogium non præter rem eſſe datum, abunde comprobat. Janus Nicol. Erythræus *Joh. Zaratinum Caſtellinium* refert Epigrammata multa, tùm jocoſa, tum gravia, multoqve ſale conſperſa ſcripſiſſe, Pinacoth. I. p. 51., qvi & in Epiſtolis, lib. III. Ep. 4. & lib. II. Ep. 9. conferendus eſt. *Aurelium Urſum* fere ex tempore Epigrammata optima ſudiſſe & argutiſſima refert idem Pinac. I. p. 165., ac alibi in eodem libro p.7. *Bernardinum Baldum* miratur, qvi, rariſſimo exemplo, in omni genere carminum excelluerit, in Epigrammatibus Martialis argutias, in Odis cultum ac nitorem Horatii, in Epicis poëmatibus Virgilii majeſtatem, feliciſſime imitatus. *Joſephi Baptiſtæ* Epigrammatum Centurias tres mirifice commendat Craſſus in Elog. P. I. p. 337.

5 Pertinent qvoqve in Epigrammatum cenſum EMBLEMATA, qvæ qvidem non ſemper adeo acuta ſunt, niſi qvod conciſas comparationes concinno aliqvo & brevi carmine exprimant. Clarus in ea arte ſuperiore Seculo inprimis fuit *Andr. Alciatus*, & tanto in pretio habitus, ut Emblemata ejus, qvanqvam non ſatisfaciant omnibus artis Emblematicæ regulis, publice etiam in Scholis, Claſſici Autoris inſtar, prælegerentur: cui inſtituto ſuccenſet Vavaſſor in libro de Epigrammate: nihilominus doctiſſimos Interpretes & Commentatores nactus eſt libellus iſte, Claudium Minoem, Franc. Sanctium, Laur. Pignorium, Joh. Thuilium, aliosqve. *Theodori Bezæ* Emblemata, *Joh. Sambuci*, & aliorum, ad artis præcepta plane non formata ſunt: qvorum Cenſuram videbis apud Maſenium in Speculo Imaginum Veritatis occultæ. Hodie Emblematum neqve finis, nec modus, eſt, ſed miſerrimorum, & qvorum præpoſterus uſus ſevere etiam coerceri deberet.

6 ANAGRAMMATUM Inventio, qvæ utplurimum Epigrammatibus inventionem ſuppeditat, neſcio qvid plebejii & jejuni habet, nec ſane decet multum elegantes Poëtas, qvi ad Antiqvitatis genium ſcribere contendunt. Primus fere, qvi uſum Anagrammatum ſuſcitavit, *Johannes Auratus* ſive Doratus, Vir ſuperiore Seculo paucis conferendus: & ille qvidem parce & ſobrie id egit: ſed mox, veluti ſigno dato, imperiti omnes, qvi nihil cum doctis commune, niſi laborem habent, ut feciſſe aliqvid viderentur, ita in nominum inverſionem cœperunt incumbere, ut nihil præter nugamenta in lucem publicam prodiret, pulchrumqve & laudabile duceretur, tranſpoſitis literis Schema aliqvod exſculpere, qvod imperfectam ſententiam, aut ridiculum plane & nullum etiam ſenſum, gigneret (k) Qvodſi vero

(k) Veriſſimum eſt Morhofianum hoc Judicium de Anagrammatibus, quibus multi, judicii laborantes infirmitate, & Ingenio genioque vere Poetico deſtituti, labore inglorio, & Indole generoſa plane indigno, miſere inſudant, neſcii, Crepundiis ea atque Ineptiis Poeticis, Artifices autem illorum Poetaſtrorum, Vulgo ab omnibus vere Eruditis atque Cordatis accenſeri. Hadr. Valeſius, Galliæ æternũ decus, his eos perſtrinxit Scazontibus, inter Valeſiana Poſthuma obviis:

Citharoedus eſſe qui nequit, ſit Auloedus:
Anagrammatiſta, qui Poeta non ſperat.

Chriſtoph. Frid. Buchero, in *Privata Pietate*, Lipſiæ A. 1673. edita, *Epigr.* 27. his in Anagrammatographos Verſibus invecto:

Inſontes miſere torquent Anagrammata Muſas;
Carnifices poſſem dicere, Phoebe, tuos;

Frid.

vero Anagrammata elegantem & acutiorem aliqvem ſenſum inferant, adhiberi illa nonnunqvam poſſunt, ſed in Verſus cogere, obſcura eſt diligentia; atqve tum non immerito mechanicum ac circulatorium inventum dicitur à Jac. Baldeo. De ratione Anagrammatiſmi *Guil. Blancus* librum conſcripſit: Anagrammata non inconcinna *Joh. Mautnerus*, Pannonius, in Roſa Varniaca; Frid. Taubmannus & *Matth. Zuberus* ſæpe iis utuntur, & poſterior acutus nonnunqvam in Epigrammate eſt. (*l*) Sic nonnemo ex nomine hoc: *Ludovicus decimus tertius, à Borbonio, Henrici quarti & Mariæ filius*: viginti & uno Anagrammatibus Pſalmum, pii illius Regis precationem complectentem, confecit. Vid. Laur. le Brun p. 601, ubi plura ſimilia.

Vix recenſeri merentur hîc, qvi in Verſibus *quadratis, cubicis, retrogradis, Cabaliſticis*, excogitandis verſati fuerunt: non enim niſi obſcuri laboris res eſt, & nullius ingenii: Janus Nic. Erythræus Pinac. I. Imag. 144., nugas trans Alpinas vocat. E nugis iſtiusmodi conflatus *Publilii Optatiani Porphyrii* Panegyricus eſt, Conſtantino M. Imperatori conſecratus, & ex operoſis ineptiis conſtans. Seculo poſt C.N. nono *Rabanus Maurus* verſus etiam tales qvadratos ſcripſit, magno labore excogitatos, qvibus varias Crucis figuras ob oculos ſiſtit, induſtriâ profecto mirabili. Manuſcriptum vidi apud Clar. Tribbechovium. Habemus inter Theocritea Carmina Verſus, bipennis, aræ, alarum figura expreſſos: qvod & Germani aliqvot imitati nunc ſunt: Latini nunqvam, qvibus iſta inventionum vernilitas non placuit: niſi, qvod otioſi Monachi talia interdum excogitârunt. Ac prodiit Carmelitæ alicujus *Paſchaſii* liber, ſub titulo Poeſeos Artificioſæ, qvo integram farraginem crepundiorum talium poeticorum exhibet. Sed iſta imbecilles ſolum animos delectant: qvales argutiæ etiam illorum ſunt, qvi Hieroglyphica qvædam nominalia ſigna excogitarunt, qvibus nomen alicujus literis, qvarum ſingulæ Emblema aliqvod continent, repræſentatur. Nugæ ſunt hæ: non minus ac Judæorum certum Carminum genus, de qvo Celeberrimus Wagenſeilius agit in Not. ad Cod. Sota, c. 49., ubi nimirum verba, etſi Hebræa ſint, ipſiqve etiam Verſus integri, nihilo tamen minus ſimilitudine & identitate verbis linguæ alterius reſpondent. Sed hæc miſſa jam faciamus. 7

Qvi ad Epici Carminis majeſtatem inter *recentiores* accedant, non ita multi ſunt: nec multos reperit Virgiliana illa gravitas idoneos imitatores. Omnibus enim numeris 8

Frid. Rappoltus, Theologus & Poeta Academiæ Lipſienſis ἐξοχώτατος, in Elegiis præfixis ita applauſit:

Carmina cuncta placent tua, mi Buchere; ſed audi:
Eſt, quod præ reliquis mi nimiumque placet.
Plauti ad Felicem quod nempe Anagrammata ſtringit,
Carnifices Phoebi, *Pieridumque cruces.*
In reliquis Vates, ut mos eſt plurima fingis:
In ſolo hoc tantum, credito, vera canis.

Alios addere ſuperſedeo.

(l) Merito a Morhofio coeteris Anagrammatographis præfertur Joh. Mautnerus, Tranſylvanus, Studioſus Roſtochienſis, cujus Roſa Varniaca, ſive Lycæum Roſtochienſe Anagrammaticum, & Curia Roſtochienſis Anagrammatica, utraque Roſtochii A. 1636. in 12mo, edita, talia ſiſtunt in Profeſſores, Conſules ac Senatores Urbis illius, Anagrammata, quibus elegantiora, concinniora, magisve perſpicua, dari vix credo, legiſſe certe haud recordor.

meris abſoluta eſt: ut delirent plane, qvi vel Statium, vel Claudium, illi præferre non erubeſcunt. Inter recentiores tamen *Daniel Heinſius*, in Carmine de contemptu mortis, non multum ab ejus genio abit, ut recte judicavit Buchnerus in tract. de Commutata dicendi ratione, c. 8. p. 157. *Renatus Rapinus* in Eclogis, & in libris de Hortorum cultura, plane Virgilianus eſt, & ſtyli nitidiſſimi artifex. Reperias etiam in Parnaſſo Societatis Jeſu (cujus hactenus Tomus tantum Primus Francofurt. A. 1654. in 4. prodiit) nonnulla *Vavaſſoris*, *Gallucii*, aliorumqve, qvæ genium Virgilianum habeant. *Hieron. Fracaſtorius*, Medicus & Poeta Veronenſis, medio ſuperioris ſeculi defunctus, inter præcipuos Virgilii imitatores ponendus eſt, qvandoqvidem, Thuano teſte, tam feliciter in ea imitatione profecit, ut illum proximè ad Virgilii majeſtatem acceſſiſſe æmuli qvoqve faterentur: & in his Sannazarius, alioqvi parcus & amarulentus alienæ eruditionis laudator: qvi, viſa ejus Siphilide (qvam poema plane divinum vocat Mich. Neander, in præf. ad Erot. L. Gr. pag. 207.,) non ſolum Joh. Jovianum Pontanum, ſed ſe qvoqve ipſum, in Opere accuratâ viginti annorum limâ perpolito, victum exclamavit. Admiratus qvoqve Fracaſtorium eſt, & Aras erexit defuncto, Carmina exeqviali ita inſcripto, Jul. Cæſar Scaliger. *Hugo Grotius* in Heroico carmine varius eſt, qvod ipſe de ſe in præfatione fatetur: modo enim ad Virgilianos numeros, modo ad Statianos, modò ad Claudianeos, accedit, prout à lectione incaluerat. *Act. Sannazarius* felix Virgilii imitator eſt; ſed in eo peccat, qvod, in Verſibus Virgilianis retinendis, ad ſuperſtitionem usqve ſtudioſus eſt: vera autem imitatio tàm conſiſtit in conferruminatione phraſium, qvàm in expreſſione dictionis ipſius. *Caſp. Barlæus* totus Claudianeus eſt: adeo, ut Claudiani umbra á Nic. Heinſio, in Præf. Luſus Staturnalitii, per jocum appelletnr. *Joh. Buſſiere*, in Scanderbego ſuo, non videtur privandus laude Virgiliani Carminis, niſi forſan moroſior aliqvis levia qvædam nimis urgere velit. Deliciæ *Poetarum Scotorum* nonnulla etiam habent non contemnenda, niſi qvod ad Statii & Claudiani genium pleraqve accedunt. *Georg. Buchananus*, Scotus, qvi in iis non comparet, in Libro de Sphæra, aliisqve Carminibus, propius ad Virgilianam elegantiam accedit. Carmina Illuſtrium *Poetarum Italorum*, uno volumine collecta, plurima etiam bona habent: in his Sannazarius, de qvo diximus. Qui *Bapt. Mantuani* poëmata Virgilianis æqvare voluerunt, næ illi multum lapſi judicio ſunt. Facilis ille qvidem verſu, ſed ineptus interdum prolixis deſcriptionibus, & tautologiis; nonnunqvam etiam barbarus: judicium de eo vide apud Rapinum de Carmine Paſtorali p. 177. Deliciæ *Poetarum Gallorum*, ut ſolet fieri in Collectaneis, bona aliqva habent, aliqva non ſatis laudanda: *Germanorum* vero *Poëtarum* Deliciæ adeo ſunt mole ineptorum Carminum oppletæ, ut nomen Deliciarum profecto non mereantur. Acerbior autem eſt in illos Cenſura Galli illius Epigrammatum electoris, [Nicolii] cujus meminit Vavaſſor de Epigrammate, qvi vix duo Epigrammata laude digna invenire ſibi viſus eſt: adverſus qvem, laudabili ſane, & rariſſimo in Gallis candore, Germanum nomen tuetur animoſe Vavaſſor. Poemata Didactica, qvæ humiliori ſtylo, qvam Heroica ſcribi debent, aliqva in Deliciis Gallorum inveniuntur; ut *Scæv. Sammarthani* libri παιδοτροφίας, & *Jac. Aug. Thuani* de Re Accipitrarii libri. Inter Italos eſt *M. Hier. Vidæ* Poëma de Bombycibus; eſt & *Calvidii Læti*

Calli-

Callipædia, (m) ſive de pulchræ prolis habendæ ratione, Lugd. Batav. 1655. in 4., qvæ Virgiliani Carminis imitationem pro lege ſibi propoſuerunt. In Vida tamen vide, qvid deſideret Scaliger. Nemo autem felicius Virgilium, qvam Rapinus expreſſit. De Plantis *Abr. Cowley*, ſeu Coulejus, poëmata Latina ſcripſit, qvorum aliqva Heroici, aliqva Elegiaci carminis, Londini, 1668. in 8., elegantia qvidem, ſed qvæ ad genium Virgiliani Carminis non accedunt: argutiis enim nimium indulget, ut Epigrammaticum potiùs qvid interdum ſcribat, qvàm planum carmen: ac præterea non ubiqve purus eſt: qvanqvam Angli illum omnes Veterum Poëtarum numeros impleviſſe ſibi perſuadeant. *Auguſtus Maſcardus* ſublimis eſt, & qvaſi ex Statiano & Claudianeo genere temperatus: *Bonaventura Baronius* ad tumorem usqve ſublimis eſt, methaphoris elatis: Latinitas non ſatis pura, magna in verſibus licentia: legi tamen meretur, qvod ſubminiſtrare nonnunqvam elegantes metaphoras poſſit, ſi qvis modeſtè uti novit: nec Epigrammatibus deſunt acumina. *Joh. Ludov. Praſchii* Carmina Heroica Virgilianum aliqvid ſpirant, & nitidum: de Eclogis qvæ pronuntiare debeam, non liqvet, cum nondum viderim. *Alex. Mori* Poëmata Claudianeum aliqvid ſpirant, & extemporali impetu effuſa apparent: *Frid. Rappolti* Poëmata caſtigatiſſima ſunt, & ad Virgilianam compoſita imitationem, multam granditatem & jucunditatem præ ſe ferentia: nec contemnenda Poemata *Henr. Meibomii* Sen., qvæ eruditiſſimus ac æqve celebris nepos ejus in lucem edidit. *Pierius Winſemius* duos, qvod memini, Panegyricos ſcripſit, in qvibus ſublimitate Statium, & periodorum formatione Claudianum, imitatur, vel potius excedit: nec enim placet mihi adeo pendens & contorta periodus, qvâ utitur, & ſemper in cæſuris periodum finit. *Laurentius le Brun*, in Virgilio Chriſtiano, Virgilium imitaturus, multum abit à genio Virgiliani Carminis: non enim nitidus ſatis eſt, nec illa artificia Virgiliana capit. *Publii Fontanæ* Heroica Carmina vehementer laudat Erythræus, atqve Pythagoreorum commento Virgilii animam in illum immigraſſe dici poſſe, judicat, nec in contentione, ſi qva inſtitueretur recentiorum Poëtarum de principatu, Pontanis, Vidis, Fracaſtoriis, Sannazariis, ceſſurum, Pinac. I. p. 75. & II. p. 50. Tum & extollit *Mutium Ricerium*, ut qvi germanam imitandi Virgilii rationem eſſet aſſecutus, ſed qvam inertiâ ſuâ, & deſidioſo vivendi genere, iterum amiſerit. Demum & *Jul. Cæſ. Stellam* laudat, ad heroicum carmen à natura factum, Pinac. II. p. 82. Vixit, ſub finem Seculi decimi qvinti, in Italia *Eliſius Calenitus*, cujus mentionem nullam Scaliger facit; ſed tamen prodierunt illius Carmina, à filio edita Romæ A. 1503. ſatis elegantia & arguta.

Inter ELEGIACOS SCRIPTORES *Veteres* primas ego deferam *Ovidio*, quicqvid etiam 9
alii moroſuli de Catullo, Tibullo & Propertio ſentiant: qvos ego qvidem ratione Latinitatis æſtimem, non ratione genii Elegiaci: etſi Tibullus & Propertius illum felicius fuerint, qvàm Catullus, aſſecuti: Ovidius autem in genio Carminis Elegiaci exprimendo adeo felix eſt, ut nemo mortalium illum ſuperet. Inter *recentiores*, primus locus debetur *Petro Lotichio Secundo*: qvo, vel ipſâ fatente invidiâ, nemo unqvam melius exprimeret Ovidium, qvod candidum eſt judicium Dan. Heinſii, lib. II. Eleg. 8. Unum hunc Germanum

(m) De Calvidii Læti, ſive, qui ſub Larva hac deliteſcere voluit, Claudii Quilleti, Abbatis Galli, *Callipædia Libris IV.* fuſius diſſeruit Morhofius *Lib. II. Polyhiſtoris Literarii, Cap. I. §. 8.*

manum omnibus Exteris poſſumus opponere, non negantibus ipſis Batavis, & nuper qvoqve Rapino, in Commentationibus ſuper Ariſtotelis Poëticam Gallicis. Hunc excipiat *Johannes Secundus*, Belga, cujus Poëmata recognita à Pet. Scriverio ſunt. Hinc *Heinſii*, Pater & Filius, mire in Elegiis etiam felices. Superare tamen Patrem Danielem videtur Nicolaus Filius. *Caſp. Barlæus* ſuavis etiam ac facilis, at nimis interdum diffuſus, nec impetus illos naturæ ſatis temperat. *Vincentius Fabricius* terſus etiam ac nitidus; obſerves tamen in illo veſtigia nonnunqvam Lotichiana. *Jacobus Wallius, & Sidronius Hoſchius*, Jeſuitæ, omnem Elegiaci Carminis laudem merentur, Latiniſſimi, faciliimi, nec Elegiacis argutiis deſtituti: Wallius etiam in Heroico carmine laudandus. *Joh. Bapt. Stellam* Elegias prope ad Veterem elegantiam ſcripſiſſe teſtis eſt Erythræus, in Pinacoth. I. p. 154. Nec contemnendæ ſunt Epiſtolæ Heroum & Heroidum, ad Ovidii exemplum, à *Balduino Cabillavio & Jacobo Bidermanno*, Jeſuitis, ſcriptæ; qvi poſterior, Epico carmine, Herodiados libros tres, ad Claudianei Carminis genium, ſcripſit, Antwerp. 1634. in 12. Sunt & Deliciæ vernæ & æſtivæ *Ioh. Biſſelii*, qvibus veris atqve æſtatis commoda Elegiaco carmine deſcribuntur, notæ melioris. *Æg. Menagius*, cujus poëmata ſæpe excuſa ſunt, identidem auctiora, in Elegiis non ſolum, ſed & omnium Carminum genere, Latinus, nitidus ac elegans eſt. (Magnas vero lites, ob hæc ſua Poëmata, aluit cum Adr. Bailleto, qvi illa multis modis perſtrinxerat, hoc ſua vindicante Anti-Bailleti Tom. II.) Si qvis ſacri argumenti ſcripta velit, *Arturus Ionſtonus*, in Pſalmorum verſione, qvemadmodum & in operibus ceteris, ubiqve purus & terſus eſt, ut ego qvidem nihil in illo deſiderare poſſim. *Hermannus Hugo*, in Piis Deſideriis, Heſius in Emblematibus ſacris omne punctum ferunt. *Iacobus Balde*, in Urania Victrice, acutior interdum eſt, qvam decet Elegiam: qvemadmodum & *Pierius Winſemius* in Amoribus ſuis, qvos Senex ſcripſit, in qvibus Græcum Elegiæ genium imitatur: qva in arte alias ſingularem peritiam habet Dan. Heinſius in Monobiblo ſuo. Septem Illuſtrium Poëtarum Poëmata, Amſtelod. A. 1672. edita, non in Elegiis ſolum, ſed & in aliis Carminum generibus, Latiniſſima ſunt & ſuaviſſima: inprimis qvæ *Ferdinandus Fürſtenbergius*, immortale Principum Germanorum decus, Epiſcopus Paderbornenſis & Monaſterienſis, compoſuit, & qvæ ſeorſim qvoqve excuſa ſunt; qvibus nihil ferme nitidius ſcribi poſſet, & qvæ majorem vetuſtatis Characterem animo Poëtæ impreſſum oſtenderent. Taceant omnes Itali & Galli ad majeſtatem & ſuavitatem horum Carminum. *Iani Douſæ* Elegiæ horridulæ aliqvantum ſunt, interdum & Catullianum qvid ſapiunt: ſed Latinæ. *Alexandri* VII. *Papæ*, cujus poëmata ſub nomine Philomathi prodierunt, Elegiæ non vel Latinitatis, vel inventionis, laude privandæ: prodierunt Amſtelodami A. 1660. in 12. *Sangeneſii* Elegiis nihil etiam deeſt, qvo laudari mereantur: qvanqvam Satyræ ejus mihi non placeant, in qvibus nullus plane eſt Satyricæ dictionis genius. *Petri Francii*, tum juvenis viginti annorum Elegiæ aliqvot de Candia ſcriptæ, ſupra qvam credi poteſt, nitidæ ſunt & elegantes. *Iob. Ioviani Pontani* Elegiæ negligentius qvodammodo ſcriptæ videntur, eamqve ob cauſam qvibusdam non magno pretio veniunt: qvod mihi ſecus videtur. Qvamqvam enim non negem, in qvibusdam numerum, in aliis ſpiritum deficere, excuſari tamen illa poſſe arbitror. Phaleuci ejus mirum in modum mihi ſemper placuêre: Urania ejus, Poëma didacticum, qvo Aſtro-

logiæ rationem & præcepta tradit, ut & libri ejus Meteororum, deqve Hortis Heſperidum, qvibus docet modum ſerendi poma aurea, dictionem habent, qvæ modeſta, elegans, & à Virgiliano genio non multum abiens mihi videtur. De Eclogis ejus parum benigne ſentit Rapinus Diſſertatione de Carmine Paſtorali. Barthius, in Adverſariis col. 1299., Pontanum non nimium ſuo ingenio indulſiſſe optaret. Divinum furorem in illo & Jac. Sannazario agnoſcit Bernardinus Parthenius, in Comment. ad Horat. lib. III. od. 15. Ita vero Eraſmus de Pontano, in Dialogo, qvem Ciceronianum inſcribit: *Non ſum tam hebes vel invidus, ut non fatear, Pontanum multis egregiis ingenii dotibus Virum eſſe Summum. In Epigrammatibus plus tuliſſet laudis, ſi vitaſſet obſcœnitatem, quod nec in Dialogis ſuis caret. Ciceronianus non erit, in quo ſexcentas voces poſſem oſtendere, quæ nusquam ſunt apud Ciceronem.*

Inter LYRICOS *veteres* Latinos unicus atqve ſummus eſt *Horatius. E recentioribus* primas ego tribuo *Georg. Buchanano*, cujus terſiſſima Latinitas, elegans dictio, & plane 10
ad genium lyrici carminis, informata eſt: qvanqvam non adeo ſublimis, ut eſſe debere cenſent, qvi oden proxime ad heroici carminis dignitatem accedere, cum Scaligero, arbitrantur: atqve ut eſt *Matth. Caſim. Sarbievius*, qvi etiam affectat metaphoras excelſiores, de cetero inter optima ſane lyricorum exempla ponendus. Buchananus vero in ceteris qvoqve Carminum generibus feliciſſimus eſt, ac dignus, qvi inter optimos è recentioribus numeretur. Scripſit & odas qvasdam *Petrus Daniel Huetius*, qvæ mirificè genium odæ Horatianæ exprimunt (*n*). Nec pejoris ſunt commatis *Joh. Baptiſtæ Maſculi & Gilberti Jonini* Lyrica, ut & *Jac. Baldei*, qvæ omnia, & Latina ſatis ſunt, & genuinum Lyricum ſatis exprimunt: & ultimus qvidem ille, Baldeus, ob ſingularem feſtivitatem, & materiarum varietatem, vehementer mihi placet. Judicium Barlæi de illo videatur in Epiſtolis 467. & 487. Scripſit & libros de vanitate mundi mire elegantes, & libellum, qvi Philomela inſcribitur: in qvibus miſcet verſus pro ratione materiæ. *Albertus ab Ines*, in Centuria Lyricorum ſuorum, ac in Lechiade, metaphoris ſplendet: numeris etiam ſatis concinnus eſt, niſi, qvod interdum aliqva non ſatis Latina occurere videntur. *Urbani VIII.* odæ, cum commentario Henr. Dormalii diffuſo, & ambitioſo editæ ſunt, qvæ mediocris bonitatis mihi videntur: nec eſt, qvare adeo magnificè de iis ſentiamus, etiamſi Jeſuitæ illas, vivo adhuc Urbano, in Scholis ſuis, loco veterum Poëtarum, diſcipulis prælegerent, & ad imitandum proponerent. Nemo enim non videt, ex adulatione illud inſtitutum eſſe profectum, neqve adeo exinde de puritate odarum terſiſſima judicium ferri poſſe, ut qvidem exiſtimavit Erythræus, Pinac. II. p. 152. Certe ſimplicior ille ſtylus eſt, nec lyricâ dictione aſſurgit, neqve eſt numerorum illa concinnitas, qvæ maximam lyrico carmini elegantiam conciliat, & occurrunt aliqvando minus Latina. *Nic. Avancinus*, in Poeſi lyrica, illatinus interdum eſt, & fictis à ſe metaphoris, longiusqve petitis, ac nonnunqvam frigidis nimis indulget: eſt tamen, ubi bonus eſt, & qvædam habet non contemnenda. *Pauli Meliſſi* odæ, à qvibusdam magno in pretio habitæ, Vincentio

(n) Pet. Dan. Huetii, Epiſcopi in Gallia Abrincenſis, ob eruditionem omnigenam ubique gentium celeberrimi, Poemata Latina & Græca, quotquot colligi potuerunt, Trajecti ad Rhenum A. 1694. in 8vo, Joh. Georgio Grævio, Viro Summo, Editionem curante, prodierunt.

centio Fabricio, in Pranſu parato, merito ſaxeæ vocantur: nulla enim in iis eſt numerorum concinnitas, nec decora translatio, ac Epitheta apte propoſita. Occurrunt & in *Lev. Torrentii* Poematibus nonnunqvam, qvæ legi mereantur, qvemadmodum & in *Iacomotii* Poematibus, qvem laudat Joſ. Scaliger in Excerptis Puteanorum. *Chriſtoph. Kaldenbachii* lyrica non omnino ſpernenda.

11 Inter eos, qvi PHALEUCOS ſcripſerunt, nitidiſſimus delicatiſſimusqve eſt *Joh. Boneſonius*, Gallus, cujus Carmina merito aurea vocat Scaliger: ejus Baſia omni melle ſuaviora. Hinc ſunt Phaleuci *Joh. Jov. Pontani*, elegantes qvidem, & Latini, ſed neqvam interdum & laſcivi, qviqve parum decent Virum profeſſionis ſacræ. *Frid. Taubmannus* in phaleucis, & in Anacreontico carmine, feſtivus eſt, magisqve genium horum carminum, qvàm ceterorum expreſſit. Nec ſuâ laude privandi ſunt *Jac. Bidermanni*, Soc. Jeſ., Sylvulæ Hendecaſyllaborum, qvippe in ſacris & gravibus argumentis elegantes, & dignam habentes argumento elocutionem: prodierunt Lucernæ, 1647.

12 In JAMBIS nemo felicior eſt *Dom. Baudio*, qvi in reliqvo carminum genere deficit. In SCAZONTIBUS qverqverus eſt & plane ridiculus Tarræus Hebius, vel, qvi ſub eo nomine latet, *Caſp. Barthius*: cujus & Anacreontes lignei plane, imo ſtercorei ſunt. *Caſp. Barlæus* ſingularis Scazontum artifex. *Jul. Cæſar. Scaligeri* duriſſimi ſunt, nec imitandi.

13 Fuere, qvi in *lingua Latina odas Germanorum rhythmicas* imitati ſunt: ut *Plempius* in Qvisqviliis ſuis Poëticis, editis Amſtelodami A. 1637. in 4. Fruſtra itaqve *Phil. Cæſius* tam lepidi Carminis ſe inventorem vocat, qvi, in præfatione ſeiner Adriatiſchen Roſemunda/ ſpecimen aliqvod hujus Carminis, à ſe inventi, recitat; ſed longe antiqviora ſunt talia Carmina: & plura eorundem collegit *Camdenus*, in Reliqviis ſuis Britannicis.

14 Ad ODARUM *Scriptores* illi etiam pertinent, de qvibus paulo antea dictum eſt, qvi PARODIAS ſcripsêre: qvarum aliqvas uno libro collegit, & ipſe fecit *Henr. Meibomius* Sen. Sunt & aliorum, Havemanni, Sagittarii, Rhodii, Bertilii Canuti, Parodiæ. Ad imitationem ODARUM PINDARICARUM ſcripſerunt Latini recentiores Scævola Sammarthanus, Dan. Heinſius, aliiqve, Odas Strophis, Antiſtrophis Epodisqve ſuis, diſtinctas. Alii, liberius adhuc divagantes, carmina ſcripſerunt, qvæ vocarunt ἐπίμικτα vel σύμμικτα, nullo certo metro contenta, ſed probabiliter arrepta. Tale eſt *Dan. Heinſii* Carmen in Uxoris ſuæ obitum, & Hugenii. Habet & Jac. Baldeus, in Lyricis ſuis, aliqvot tales vagos Dithyrambos. Spectant etiam huc CENTONES, è Poëtis congeſti, qvorum mentio prorſus omittenda non eſt. Eos primum invenit Auſonius ex Virgilio: hinc ex Homero & Virgilio qvi facerent, plures ſecuti ſunt. Homerocentra, ſeu Homeri Centones à *Pelagio Patritio* factos, falſo nonnulli Eudociæ, Imperatrici, Leontii, Philoſophi, filiæ, & longe pejus alii Probæ Falconiæ, adſcribunt, notante, poſt alios, Placcio de Pſeudon. p. 191. Aldus Manutius, à Joh. Candido acceptos, excudit. Morellus vero in Collectione Poëtarum Græcorum Chriſtianorum recudit. E Virgilio *Proba Falconia, Julius & Lælius Capilupi*, Centones congeſſerunt, de qvibus præclare ſentit, in Tract. de Poeſi c. 16., Ant. Poſſevinus. Qvin fuit, qvi Acta Chriſti collecta è Centonibus Virgilianis conflaret, ederetqve ſub titulo Sacræ Æneidos, *Stephanus Pleurius*, Pariſ. 1618. Qvos vero paulo ante memorabamus Capiluporum & Falconiæ Centones collegit, & ſuos addidit Helmſt. An. 1597.

Henr.

Henr. Meibomius. Eſt & qvidam *Joh. Bapt. Spadius*, cujus Centones Virgiliani An. 1614. editi ſunt Placentiæ in 4. *Dan. Heinſius* ſcripſit Idyllion aliqvod, Centonem Virgilianum ad amicum, cui ex congreſſu cum ancilla proles nata. (o) *Henr. Stephanus* qvoqve Centones Græcos & Latinos, non ſemper magno, ut mihi qvidem videtur, cum judicio ſcriptos, collegit ediditqve.

15 COMOEDIARUM ac TRAGOEDIARUM hodiernarum ratio ab Antiqvis maximopere differt. Multa de Veteri cantandi in Comœdiis more agit Iſ. Voſſius libro de Natura & viribus rhytmi. Et fuit ex Italis Octavius Rinuccinus, qvi Veterum iſtum, ac multorum ſeculorum ſpatio intermiſſum, ad tibias vel fides decantandi morem magna ex parte revocavit: de qvo vid. Erythræus Pinac. I. Im. 34., qvi & Andream Salvadorum Im. 35. & Jacobum Cicognium Pinac. III. Im. 35., in eo genere vehementer laudat. Sed hos qvidem vernaculos tales ludos Scenicos ſcripſiſſe, qvos nunc Operas vocant, manifeſtum eſt. E recentioribus Comicis *Nicod. Friſchlinus* non contemnendus eſt. *Cornelius Schonæus*, in Terentio ſuo Chriſtiano, laudem ſane aliqvam meret: ſed errant omnino, qvi juventuti librum, ut Claſſicum aliqvem Autorem, prælegunt. *Jac. Ludov. Praſchii* Comœdia, Amici, elegans eſt & Latina. Scripſit & *Jac. Maſenius* aliqvas, qvas Palæſtræ ſuæ Dramaticæ ſubjungit. Tragœdias Jeſuitarum aliqvot habemus, ſcite elaboratas, *Dion. Petavii*, *Bernh. Stephonii*, *Jac. Baldei*, aliorumqve. Nec ſunt *Jacobi Cornelii à Marca* tragœdiæ contemnendæ. *Daniel Heinſius* Herodem Infanticidam ſcripſit, eleganti ſtylo: ſed qvæ male Gentilium Deorum cum Judaica religione commiſtionem inſtituit, ut illi haud abs re à Balzacio objectum eſt, cum qvo inde Heinſio lites natæ, qvas ſupra ſatis prolixe recenſuimus Scripſerat idem Heinſius, admodum juvenis adhuc, Auriacum, ſive Libertatem ſauciam, Tragœdiam: qvæ vero inter poëmata ejus poſtmodum edita non eſt, fortaſſe, qvod aliqva adhuc juventutis veſtigia apparerent: edita eſt Lugd. Batav. 1602. in 4. ſubjunctis etiam Jambis aliqvot, qvi pariter non ſunt inter poemata recuſi. Similiter & *Grotius* Tragœdiam, Adamum Exulem, cum aliis qvibusdam Carminibus, qvæ in Opere Poëmatum non occurrunt, edidit Hagæ Com. 1600. in 4. pene in pueritiâ ſuâ, qvam ob rem illa omiſſa ſunt: ſervari tamen poſſunt, qvod multa bona in illis reperiantur, & deprehendi in illis ſuccreſcens perfectio poſſit.

16 SATYRICI poſt Veteres non adeo multi occurrunt, inter recentiores, qvi magnopere commendari poſſint, præter *Iacobum Balde*, qvi in Satyricis ſuis Medicis, Encomio torvitatis, Satyra in tabacum, (qvem contra Raph. Thorius, Med. Londinenſis, Hymno peculiari, Libris II., Ultrajecti An. 1644. in 12. editis, comprehenſo, celebravit) in pingues & macilentos, in Aſtrologos, circa Eclipſin An. 1654. delirantes, in Podagricos, mire vetuſtæ dictionis Satyricæ genium exprimit. *Pet. Dan. Huetius* paucas qvasdam Satyras ſcripſit, qvæ ita Horatium imitantur, ut nec ovum ovo ſit ſimilius. Scripſit & *Janus Douſa* Satyras non contemnendas. *Eilh. Lubinus* tolerabilis eſt, ſed illis, qvos diximus, non comparandus. *Sangeneſius* dictionem nimis plenam affectat, qvam qvæ decet Satyram.

(o) Centonem Virgilianum Dan. Heinſii ad Amicum, cui ex Congreſſu cum Ancilla proles erat nata, ad Caſp. Barthium eſſe ſcriptum, in MSto Polyhiſtoris hujus Morhofiani Lipſienſi perperam traditur. Fuit enim Amicus ille Heinſianus non alius quam Dom. Baudius, in cujus etiam *Amoribus*, a Pet. Scriverio Lugd. Bat. An. 1638. in 8vo editis, Cento idem p. 77-80. occurrit.

17 Recenſuimus præcipuos Poëtarum Latinorum : ſubjungamus aliqvos, qvaſi per lancem ſaturam, qvi ad mediocrium claſſem referendi. Inter illos ſunt Poemata Petri Molinæi, Cantabrigiæ A. 1670. edita in 8., qvæ pleraqve Sacra: Schonhofii Poemata: Vinc. Placcii Poemata puerilia & juvenilia: Joh. Iſaaci Pontani Poemata : Nicol. Suſii Elegiæ Marianæ : Nicaſii Baxii Poemata: Jani Bodecheri Banningii poemata: Adolphi à Danz poemata, qui Claudiani genium in carmine imitatur: Laurentii Niendalii poemata: Jác. Zevecotii poemata ; *Rob. Keuchenii* Muſæ juveniles negligenter admodum ſcriptæ, & nonnunqvam peccant in qvantitatibus Syllabarum, non tamen contemnendæ. *Joh. Caſæ* Carmina, Latina qvidem, ſed parum habent genii poetici. *Eraſmum Michaelium Lætum* (*p*) Virgilium Danicum appellant aliqvi: ſed multum à Mantuano illo differt: aliqvot Volumina poematum in 4. ſcripſit: ſed illatinus interdum eſt, & numeros tantum ſcribere voluit, vaſtosqve libros. *Reineri Neuhuſii* poemata pueris ſolent eſſe in pretio: humilis plane eſt, nec unqvam aſſurgit, & eâdem ſemper chordâ oberrat: qvanqvam numerus facilis ſit. *Ioach. Paſtorii* Sylvæ, & cetera Carmina, docta ſunt & elegantia. *J. Pet. Titii* Latina, & numeri facillimi. Ab Anglis commendari *Ioh. Miltonus*, ut in Anglicis, ita in Latinis poematibus, ſolet. *Zachar. Lundii*, Dani, Elegiæ Venatoriæ bonæ, qvas juvenis ſcripſit; plura ſcripſit poetica, ſed qvæ, ob mortem præmaturam, inedita manent. (*q*) *Balthaſ. Bonifacii* Muſas extemporales eſſe facile apparet: Scribaciſſimus enim homo fuit: ſtercus ut accipitris, nec bene, nec male, olent: bona qvædam ſunt, qvædam inepta, ut ſolet evenire in extemporalibus laboribus. *Pier. Winſemius*, in Syrio ſuo, ut in reliqvis operibus, elegans eſt, nec poetici genii parcus. *Thomæ Bartholini* Carmina pauca, cum Diſſertatione de Medicis Poetis Haffniæ prodierunt; non qvidem contemnenda, ſed qvæ nonnunqvam ſua, i.e. Medica & alia à Poëſi, agenti excidiſſe videri qveant. *Vitus Beringius*, *Ol. Borrichius*, poemata qvædam ſparſim edidere, elegantiſſima ſane, & omnibus numeris abſoluta. (*r*)

18 Sed qvis omnes Poetas, aut multo magis Poetarum Umbras, ceteros volantes, in ordinem cogat? Citius Jovis imbres qvis vocet ad numerum, qvam innumerabilem iſtam

copiam

(p) Eraſmus Michaelis Lætus, Theologus Hafnienſis (cujus Operum Poeticorum Indicem in Alb. Bartholini *Tr. de Script. Dan. p.* 40. invenies,), *Daniæ Maro elegantiſſimus* ab Ol. Wormio (*L.* 1. *Monum. Dan. c.* 14. *p.* 99. & *L.* 5. *p.* 306) & *Poeta Maroni æmulus* a Thoma Bartholino (*in Tr. de Medicina Danorum Domeſtica p.* 522.), ſalutatur. Qui Duumviri uti affectui in Popularem forſan aliquid dederunt, ita non contemnendum tamen plane eſſe, ſed inter Seculi ſui Poetas Locum meruiſſe ſatis honeſtum, Borrichius oſtendit *Diſſ.* 5. *de Poetis p.* 168. 169.

(q) Zachariæ Lundii, Nübela Cimbri, qui Friderico III. Danorum Regi, fuit a Secretis, & ob Venam Poeticam plane eximiam, ab Ol. Borrichio l.c.p. 169. prout par erat, eſt celebratus, Elegiarum libri II. Sylvarum autem & Epigrammatum ſinguli, ſub *Poematum Juvenilium* Titulo, Hamburgi A. 1635. in 12mo prodierunt. Ἀνέκδοτοι, in Joh. Mohtii, Conſiliarii Danici, Bibliotheca, Haffniæ ſuperſunt Sylvarum Libri Duo, Elegiarum Quinque, Carminum Unus, Epigrammatum Tres, & Poematum Moralium quatuor, cum Satyra unica. Quæ omnia Luce publica digna merito a Borrichio judicantur.

(r) Viti Beringii & Ol. Borrichii Poemata junctim jam ſunt edita, una cum Henric. Albertii, Joh. Höpneri, Chriſt. Aagardi & Henr. Harderi, Flensburgenſis (Epigrammatographi nullo modernorum inferioris) Poematis varii generis, in Deliciis VI. Poetarum Danorum, per Frid. Rooſtgardum collectis, in Tomos II. diviſis, & Lugd. Bat. A. 1693. in 12. publicatis. Quæ ſane Deliciæ, Danos Poeſeos laude vix ulli Gentium Europæarum cedere, luculenter & ἀναντιῤῥήτως oſtendunt.

copiam Poetarum, qvæ orbem literatum intempeſtivis ſuis Scriptis vexat. Nobis hi, qvos enumeravimus, ſufficiant. Ac ſolent interdum brevia qvædam Carmina ac Epigrammata à qvibusdam ſcribi, integris Carminum ineptorum ſylvis præferenda: qvæ in unum volumen colligenda ſuaſerim, Epigrammata præſertim, qvorum rarior meſſis eſt.

Non erit operæ pretium, qvædam de barbaris illis Carminibus dicere, qvæ MACARONICA vocantur, Italo ac Latino ſermone miſta, qvalium integrum Opus prodiit *Merlini Coccaji*, Venet. 1554. in 8. plus ſemel recuſum, & qvale feſtivum admodum ſcripſiſſe *Bernardinum Stephonium* Erythræus refert Pinacoth. I. p. 160. Sunt & Latina Græcis quibusdam miſta ſcripta, v. g. *Dom. Baudio*: qvod in Latina & Germanica linguis imitati ſunt aliqvi. Leoninorum Verſuum, ſive rythmicorum, ferax Seculum monachale fuit, qvibus hæ qværebantur eximiæ deliciæ & ſunt plerumqve Epitaphia barbarorum ævi medii Seculorum lepido iſto carminis genere conſcripta. 19

Ceterum ad Poemata FABULÆ qvoqve ROMANENSES, ut eas vocare ſuevimus, ſpectant. Hiſpanis *Romanzes*, Gallis *Romans* dictæ: cujus nominis originem è Gallia eſſe, atqve à Normannis arceſſendam judicat Claud. Verdierius, in Cenſura Autor. p. 43. his verbis: *Cum veteri lingua Normannorum ſcriptæ eſſent hujuscemodi fabulæ, Gallica lingua Normans, h.e. Normanni appellati ſunt libri, quibus enarrarentur. Poſtea, ut videmus, populares multa ob imperitiam invertere, idque præſertim in Italia (quod, quamvis extra rem, dictum tamen eſſe volo,) duabus prioribus literis inverſis* Romans *dixere Hiſpani deinde in hoc ſcribendi genere Gallos æmulati* Romanzes *appellavere. Id vocabuli poſtea uſurpatum fuit ab Italis; cujus originem petendam arbitror unde dixi rejecta eorum opinione, qui ἀπὸ τῆς ῥώμης deducunt.* Hæc Verdierius: qvàm vere, alii videant: certe fabulas tales ab antiqvis Normannis ſcriptas vix eſt ut credere qveamus. Græcas vero Veteres etiamnum habemus: *Achillis Tatii* (qvem perperam Statium Geſnerus aliiqve appellant) de Amoribus Leucippes & Clitophontis; qvem librum ob laſciviam nimiam vehementer Photius Cod. 87. improbat: editus eſt Heidelbergæ, 1601. in 8. è Bibliopolio Commeliniano: qvam vero Editionem admodum eſſe mendoſam ſcribit ad Scaligerum Nicol. Rigaltius Epiſt. Gall. lib. II. Ep. 77. ſeqve centum locis eam ſuppleturum promittit: qvod non præſtitit, prodiit tamen Tatius nova facie Lugduni Batav., ex recenſione Salmaſii, 1640. in 8; & minutiore iterum forma: verſus qvoqve in linguam Anglicam Oxoniæ, 1638. in 8. *Heliodori* Æthiopica, dum caſtos Charideæ & Theagenis amores mirifico ſermonis nitore exponunt, & prætera ad hiſtoriam Æthiopicam longe plurimum conducunt, omnium approbationem meruêre. Primus illa, è Budenſi Codice, qvem è communi clade ſervaverat gregarius miles, apud Hervagium, Baſileæ A. 1534., Græce edidit Vincent. Opſopæus: ſed mendoſe admodum, ut Geſnerus queritur: inde Latinam verſionem libri ſtruxit, ediditqve apud Oporinum, Stanislaus Warſcheiwizki, Eqves Polonus, A. 1551. Græce & Latine prodiit apud Commelinum 1596. in 8: Optima vero Editio eſt & emendatiſſima, qvam curavit, & cum notis ſuis edidit Joh. Bourdelotius, Pariſiis 1619. in 8. *Euſtathii* Hiſtoriam Amorum Iſmenes & Iſmeniæ publicavit Gilb. Gaulminus, Græce & Latine, cum notis, ſuis, A. 1617. & 1618., putatqve eſſe illum Euſtathium, qvi commentarios in Homerum ac Dionyſium ſcripſit. Sed dubitat ea de re Voſſius de 20

Hiſtor.

Hiſtor. Gr. lib. IV. c. 19. p. 491., & *Eumathio* potius Macrembolitæ, Protonobeliſario; adſcribendum librum cenſet, cum ita nomen in Codice Mediolanenſi legatur. Simile fuit Drama *Iamblichi*, non Philoſophi iſtius celeberrimi Chalcidenſis, ſed Senioris alius, qvi ſub Marco Aurelio Imp. vixit, & de Rhodanis ac Simonidis amore ita ſcripſit, ut inter caſtitatem Heliodori & Achillis Tatii laſciviam medius velut incedat: compendium libri Photius habet Cod. 94. E Latinis Autoribus iſtum in modum ſcripſerunt *Apulejus* & *Martianus Capella*. E recentioribus *Ioh. Barclaji* Argenida & Euphormionem habemus, libros non eodem ab omnibus judicio exceptos: ſiqvidem laudatur ab his, culpatur ab illis: certe Latinitatem ejus non ſatis puram eſſe terſamqve, peritiſſimi judices, Scaliger, Scioppius, aliiqve, judicant. Argenida in varias linguas verſam continuavit etiam Gallus qvidam Autor *Mouchenbergius*, uſus tamen Joh. Ludov. Gothofredo, qvi Latina ſuggereret: prout è Weitzio Placcius annotavit in Anon. Detect. c. 9. p. 64. Enimvero multum ante ſe relinqvit Barclajum iſte parum felix Continuator; & interdum ſtrenue alios exſcribit: id qvod inprimis de Petri Caſanovæ Charitina, Romanenſi fabula, Medonius, vitæ Caſanovæ Scriptor, commemorat: *usque adeo*, inqvit, *arriſit Charitina Autori ignoto, alioquin ingenioſe, qui Barclaji Argenida continuavit, ut eum non pœnituerit plurimas ejus pagellas totidem fere verbis in ſe transmovere.* Ex eo tempore autem innumerabilis pene talium Scriptorum copia, ab otioſis hominibus conſarcinata, prodiit in Italia, Gallia, Germania, Hiſpania: qvorum aliqva laudari poſſunt, ut qvæ inventione, rebus & elocutione commendari merentur: plurima vero, præſertim Germanica, nauci ſunt, & abſurda, ac à veriſimilitudinis lege aberrantes fabulæ. Eas omnes recenſere noſtri non eſt inſtituti: vid. *Sorell.* in Bibliotheca Gall. c. 9., ubi fabulas illas diſtinguit in allegoricas, veroſimiles, heroicas, comicas. Eſt enim omnino inter eas diſcrimen: qvædam ſub ratione fictionis illius Status publici arcana deſcribunt, qvædam alia recondunt. Elegantem de iis Diſſertationem ſcripſit *Petrus Daniel Huetius* Gallicâ primum, deinde & Latinâ Linguà in vulgus editam: promiſit etiam aliqvando *Æg. Menagius* ſingularem de illa materia tractatum. Commendat illas, ut rei politicæ & moralis non inutiles præceptiones, Vir qvidam illuſtris, qvi Gallicâ linguâ, Teſtamentum Patris ad filium ſcripſit: &, ut amicus narravit, nullorum librorum lectione magis delectatus eſt *Grotius*, qvam fabularum iſtarum. (s)

(s) Sub finem hujus capitis Morhoſius Autor, in Prælectionibus, & Polyhiſtoricis, & de Notitia Autorum, MStis, de potioribus Poetis Germaniæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Italiæ, Angliæ & Belgii, Vernaculis paucula qvædam adjecit. Verum cum & imperfecta illa ſint, & omnia ferme, in Commentario de Lingua & Poeſi Germanica, bis jam edito, longe accuratius ab ipſo expoſita, non immerito Celeberrimus Carpzovius omittenda ea h.l. eſſe judicavit.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

(o)

D.G.MOR-

D. G. MORHOFI

POLYHISTORIS

TOMUS II.

SIVE

POLYHISTOR PHILOSOPHICUS.

LIB. I.

PHILOSOPHICO-HISTORICUS.

CAP. I.

DE HISTORIA PHILOSOPHIÆ IN GENERE, AC IN SPECIE BARBARICÆ POPULORUM ORIENTALIUM ET SEPTENTRIONALIUM, EJUSQVE SCRIPTORIBUS.

§. 1. *INter Scriptores Hiſt. Philoſophicæ Univerſalis familiam ducit Diogenes Laërtius, cujus Editio Menagiana præ aliis commendatur.* 2. *Seqvuntur hunc Eunapius Sardianus.* 3. *Heſychius Mileſius*, Illuſtrii *agnomine ſive Titulo a Græcis Latinizantibus donatus.* 4. *Gerh. Joh. Voſſius*, *cujus* Libri de Philoſophia ac Philoſophorum Sectis, *Poſthumi & ferme affecti tantum, deplo-*

ratur imperfectio. 5. Georg. Hornius, cujus non Hiſtoria *ſolùm* Philoſophica, *ſed Scripta etiam reliqua, tanquam Extemporalia & minus accurata, exploduntur. 6. Joh. Jonſius, ob diligentiam commendatus, & aliis prælatus. 7. Bened. Pererius, ob nimium Sectæ Ariſtotelicæ ſtudium in alias iniquior. 8. Theoph. Galeus, poſt Aug. Steuchum Philoſophiam Gentilem univerſam ex Hebræa derivans, ſed hoc in conatu nonnunquam impingens. 9. Philoſophiæ Barbaricæ Hiſtoriam tradidit Otto Heurnius. 10. Indicæ Veteris Palladius, Ambroſius, & Anonymus quidam, ab Edv. Biſſæo junctim editi. 11. Indicæ Brachmanum modernæ Abr. Rogerius, hujusque Interpres & Commentator Chriſtoph. Arnoldus (de reliquarum etiam Aſiæ, Africæ & Americæ, Gentium Philoſophia conſulendus,) & Anonymus Scriptor Theologiæ Indorum Indicus ἀνέκδοτος. 12. Ægyptiacæ & Chaldaicæ, e Scriptis Hermetis Trismegiſti & Zoroaſtris reliquis (de quorum γνησιότητι controverſa Judicium ſuſpenditur, adjecta brevi de Trinitate Platonica atque Ariſtotelica παρεκβάσει,) Franc. Patricius (Novator in Philoſophia ineptus) & Joh. Jeſſenius. 13. Septentrionalium Populorum (quibus omnis Sapientiæ primas Origines Ol. Rudbeckius, Georg. Stiernhelmius, aliique Sveci ob ſtudium Antiquitatum patriarum obiter laudati, vindicare non dubitant) Philoſophiæ & Doctrinæ Sacræ Snorro Sturleſonius, in* Edda *Islandorum, a Pet. Reſenio edita, ac Ol. Wormius in* Literatura Runica.

1 DIOGENES LAERTIUS Familiam merito ducit, quem niſi ex antiquis haberemus, qui de Philoſophorum Sectis & placitis aliquid ſcripſiſſet, pauca de Philoſophis antiquis conſtarent. Nunc ſanè habendæ in pretio ſunt ſuperſtites hæ è naufragio tabulæ, & diligenter perquirenda ſunt, quæ apud ipſum conſignata habemus. Non poſſunt illô librô carere, qui Philoſophiæ genuinæ & antiquæ operam dant. Ab his incunabulis arceſſenda ſunt Veterum dogmata, à Recentioribus recocta, ita in orbem abeunt omnia, veteresque opiniones, quaſi ex ruderibus & cineribus reſuſcitatæ, vel novitatis aliqua ſpecie obtrudi ſolent. Facilè eſt hujus hiſtoriæ gnaro omnium in Philoſophiâ Novatorum ſententias ad ſua revocare principia. Extant multorum in hunc Auctorem Commentationes, Henrici Stephani, Iſaaci & Merici Caſaubonorum, Thomæ Aldobrandini, & demum Ægidii Menagii, qui perpetuos in hunc Auctorem Commentarios ſcripſit, & ex hiſtoriis rem philoſophicam diligenti collatione illuſtravit. Edidit ille Diogenem, cum ſuis & aliorum Commentariis, Londini anno 1664. in fol., (*a*) quam tamen editionem Auctor ipſe improbare viſus eſt, ob Erra-

(*a*) Editio, quæ *h. l.* memoratur, Diogenis Laërtii Menagiana Græco-Latina, longe nitidior pariter atque auctior Amſtelod. a. 1692. in 4., duobus recuſa Voluminibus, præter Ver-

Erratorum multitudinem, novam in Galliâ ſe editurum minatus, quæ tamen ex illo tempore nondum comparuit. Recudere in Germania voluerunt Opus aliqui, quod caro nimis vendunt Angli, ſed deterruit hactenus illos opinor, quod novam & locupletiorem à Menagio metuerent Editionem. Paravit etiam Salmaſius Comm. in Laërtium, teſte Laur. Craſſo *T. II. Elog. p. 211.*

EUNAPIUS. Sub Theodoſio M. vixit Eunapius, Sardibus natus, unde Sardia- 2
nus quoque dicitur; ſcripſit *Vitas Philoſophorum & Sophiſtarum*, ſed pauca ſunt in illo libro ex tantô Oceanô hauſta; Editus eſt Antwerpiæ in octavo, typis Plantinianis, anno 1568., & Coloniæ Allobrogum A. 1616. (*b*) cum MScriptis pluribus comparatus. Accedunt ejusdem Auctoris Legationes è Bibliotheca Andr. Schotti. Nemo hactenus fuit è Philoſophorum & Criticorum ſcholis, qui aliquam huic Operi operam impendere voluerit, quæ tamen non inutilis futura eſſet. Notas tamen in Eunapium molitus eſt Pet. Lambecius, Codice uſus manu Scaligeri notato. Vid. Lib. VI. de Biblioth. Vindobon. p. 263.

HESYCHIUS ILLUSTRIUS Mileſius. Heſychius Mileſius, Illuſtris habuit 3
Titulum, quem Græci ſuâ linguâ efferebant ita: ἰλλȣ́ςριος, ut nobilis νοβίλιος, fidelis φιδέλιος, Cardinalis καρδινάλιος. Peccant itaque, qui hoc quaſi cognomen ipſi tribuunt. Vixit ſub Anaſtaſio, Juſtino & Juſtiniano. Scripſit de iis, qui eru-
[illegible] (A) 2 [illegible] ditione

Verſionem Ambroſii Camalduenſis, a Viro Doctiſſ. Marco Meibomio (qui totius quoque Editionis curam geſſit), nunc demum ſuppletam & emendatam, *Notas* Aldobrandini & utriusque Caſauboni, ac *Obſervationes*, quæ multis hic acceſſionibus denuo locupletatæ comparent, Menagianas, novas exhibet Meibomii & Joach. Kühnii, Philologi Argentinenſis, *Annotationes*, Menagii *de Mulieribus Philoſophis Syntagma*, Editionum priorum omnium Præfationes & Epiſtolas Dedicatorias, XXIV. Philoſophorum Imagines, e Nummis, Marmoribus aut Gemmis, de promptas, Olympiodori *Vitam Platonis*, Thomæ Galei *Varias* in Diogenem *Lectiones*, & Indices denique Joh. Clerici in illum pariter atque Commentatores. Prolixiorem illius Recenſum V. in *Actis Erud. Lipſ. M. Jul. an. 1692. p. 315-319.*, & cœteris plerisque Literariis ejusd. an. 1692. Ephemeridibus, Gallicis ac Belgicis. De Editionibus Laërtii, quæ, præter geminam hanc Menagianam prodiere, Græca Una, Græco-Latinis VIII. totidemque Latinis, Verſionibus item Gallica Franc. Fougerolii, Italica Joh. Felicis Aſtolfi, Germanica (Auguſtæ Anno jam 1490. excuſa) & Belgica, Dan. Heinſii, Pet. Lambecii & Joh. Bapt. Lantini, Curiæ Divionenſis Senatoris, Commentationibus in eum, partim affectis, partim ineditis, cœterisque ad Autoris pariter atque operis Hiſtoriam ſpectantibus uberiorem, locus ſe dicendi commodior *in Apparatu ad Notitiam Reip. Literariæ Geographicam*, Eunapium etiam & Heſychium Laërtio comites juncturo, poſthac offeret. Conferri interea de illo poſſunt Gerh. Joh. Voſſius *L. 2. de Hiſt. Græcis c. 13.* Joh. Jonſius *L. 3. de Scr. Hiſt. Philoſ. c. 12.* Thom. Popeblount *in Cenſura Autorum p. 158. 159.* & Æg. Menagii, cœterorumque Editorum, ad Editiones ſuas Prolegomena.

(*b*) Eunapii (de quo Voſſius *l. c. Lib. 2. c. 18. p. 252.* Jonſius *l. c. L. 3. c. 17.* Popeblountius *p. 261. 262.* & Mart. Hanckius *L. 2. de Rer. Rom. Scriptoribus, P. I. c. 9. p. 100-109.* conſulendi) *Vitarum*, ex MSStis pluribus emendatarum, novas editiones Græco-Latinas haud ita pridem polliciti ſunt Viri Celeberrimi, Rich. Bentlejus, Anglus, Philoſtratorum eas adjuncturus Operibus, & Joh. Alb. Fabricius, Prof. Hamburgenſis.

ditione floruerunt, libellum exiguum, quem Hadrianus Junius (*c*) in linguam Latinam convertit, & breves aliquas notas addidit; Editus eſt Antwerpiæ Anno 1572. in 8vo typo Plantiniano. Scripſit & in illum Notulas Joh. Meurſius, Vir de omni Græca antiquitate optimè meritus.

4 GERH. JOH. VOSSIUS. Dolendum eſt, virum hunc nobis ereptum fuiſſe, antequàm perfecerat, quos moliebatur, libros. Nemo enim majori curâ acceſſit ad omnem Philoſophiam, & ejus hiſtoriam, tum qua hiſtoriam, tum qua dogmata, è fontibus & incunabulis ſuis arceſſenda. Immortuus eſt Operi de *Philoſophiâ & Philoſophorum Sectis*; exiguô ſanè libellô, ſi cum materiæ amplitudine compares. Edidit filius ejus Iſaacus Opus hoc (*d*), affectum potius quam effectum, Hagæ Comitis anno 1657. in 4to. Quare mirum non eſt, toties ipſum notari à Scriptoribus poſterioribus, qui accuratius rem illam penſitarunt, quanquam exiguus illorum numerus, & penè nemo hactenus fuerit, qui hoc argumentum pro dignitate tractarit Eſt tamen alterius præ altero diligentia & cura laudanda. Ponenda itaque hactenus inter deſiderata vera & perfecta Hiſtoria philoſophica.

5 GEORGIUS HORNIUS. Scripſit & ille *Hiſtoriam Philoſophicam* libris 7., in quâ veterum philoſophorum doctrinam proponit, & cum novis quoque confert, ſed in veteribus indiligens & inaccuratus, nonnunquam in digreſſiones ſupervacuas dilabitur, ut extemporalis potiùs, quàm cura aliqua ſcriptus, liber videatur. Nam penè omnia iſtius Viri ſcripta ſunt αὐτοσχεδιάσματα, à calamô ad typum ſtatim propulſa; omnia enim ex memoria depromſit, vix aliquo libro conſulto. Quæ de recentioribus afferuntur, itidem exigua ſunt, nec magnâ curâ conſcripta (*e*), legi tamen & conferri cum aliis poteſt in iſtius argumenti ubertate, & defectu ſcriptorum, undecunque corradendi ſunt, qui quadam in parte exornare illam materiam conati ſunt. Editus eſt ille liber Lugd. Batav. anno 1655. in 4to.

6 JOH. JONSIUS. (*f*) Holſatus ille fuit, Rector ſcholæ Rensburgenſis, qui *de Scripto-*

(*c*) Heſychii (de quo Voſſius *L. 2. c. 22. p. 268. 269.* Jonſius *L. 3. c. 19.* Hanckius *in Lib. de Scr. Rer. Byzant. P. I. c. 4. p. 142-145.* Gvil. Cavius *P. II. Hiſt. Lit. Scr. Eccl. p. 108. 109.* & *Homonymoſcopia noſtra, P. II. c. 5.* §. *38. p. 478. 479.* plura docebunt) Libellum, poſt Hadr. Junium, Græce & Latine, ediderunt Henr. Stephanus Lugd. an. 1593. *in 12.* &, qui Junii *Caſtigationes*, Henr. Stephani *Animadverſiones*, *Notasque* ſuas, imo ipſius quoque Heſychii *de Rebus Conſtantinopolitanis* Opuſculum, ac Beſſarionis *Epiſtolam Græco-Barbaram*, illi adjecit, Joh. Meurſius Senior, Lugd. Bat. an. 1613. in 8.

(*d*) Voſſii hic Libellus & ſeorſim eſt recuſus, cum Joh. Jacobi a Ryſſel Continuatione, ſed itidem nec plena ſatis, nec accurata, Lipſiæ 1690. in 4. & cum reliquis ejus Operibus, *Tomo* illorum *Tertio*, Amſtelod. an. 1701. *in fol.*

(*e*) De Georg. Hornio, ejusque *Hiſtoria Philoſophica*, haud mitius Autore noſtro judicium, & merito quidem, tulerunt Joh. Jonſius *L. 3. de Scr. Hiſt. Philoſ. c. 20. p. 315.* Jac. Thomaſius *in Diſſ. de Doctoribus Scholaſticis.* §. 15. C. S. Schurtzfleiſchius *in Judiciis de Noviſſimis Prud. Civ. Scriptoribus, num. 12.* Thom. Crenius *P. III. Animadv. Philol. & Hiſtor. c. 4. p. 178. 179.* & Burch. Gotth. Struvius *in Biblioth. Philoſ. c. 3. p. 40.*

(*f*) Quæ in laudem Joh. Jonſii noſtratis, & Scripti hujus, cujus Editioni an. 1659. munere Pro-

Scriptoribus Hiſtoriæ Philoſophicæ Libb. 4. ſcripſit, Francof. anno 1659. editos in 4to; qui, ſi diutius vixiſſet, omnes credo in argumento Scriptores ſuperaſſet. Diligentiſſimus enim & accuratiſſimus ille fuit Inquiſitor veterum ſcriptorum. Hornius & Voſſius frequenter ipſi vapulant. Multa ipſi Menagius debet in Comment. Laërtianis, apud quem utramque ille paginam facit. Magna diligentia Veteres ſuper hoc argumento Scriptores, Editos, Ineditos, recenſuit.

BENEDICTUS PERERIUS. Jeſuita doctiſſ. fuit, cujus extant *Commentationes* 7
in Geneſin (quibus cum fructu uſus eſt Sam. Bochartus in *Geographia* ſua *ſacra*) & *Libri 15. de communibus rerum naturalium principiis & affectionibus*, Coloniæ anno 1595. in 8vo editi, ubi lib. 4. antiquorum Philoſophorum placita, ſecundum Sectas, exponit, earumque Auctores. Habentur autem illic tantum Phyſica, in quibus recenſendis diligenter verſatur, illa quoque refutans pro aſſerenda Ariſtotelis doctrina, cum ſtudeat aliquantulum, in Veterum ſententiis rectè ponendis vacillare aliquando videtur.

THEOPHILUS GALEUS. Edidit librum titulo *Philoſophiæ Generalis*, in cujus 8
primâ parte agit de ortu & progreſſu Philoſophiæ, ejusque traductione è ſacris fontibus. Id enim unicè illic agit, ut demonſtret, Philoſophorum ſententias & Sectas ex veteri Hebræorum Philoſophiâ & Theologiâ fuiſſe derivatas. Id argumentum plenius exſeqvutus eſt in alio libro, qui Anglicâ lingua in 4to editus eſt, ſub tit: *The court of gentils*, i. e. *Aula Gentilium:* argumentum quidem præclarum, hoc eſt, dignum, in quo ſe exerceant ingenia elegantia. Galeus quidem laudandus ob illum conatum, qui hoc in argumento multos tamen anteceſſores habet, quibus non pauca debet, e. g. Auguſtinum Steuchium in *libris de perenni philoſophia*, aliosque, qui data occaſione aliqua particulatim tractârunt. Utiliſſ. tamen liber eſt, quod hic quaſi in unum conſpectum omnia congeſta ſunt. Sed & ille tamen nimium interdum partibus ſuis favere videtur, & ad Scholam Judaicam trahere, quæ aliunde originem habent. Solet autem id familiare eſſe in argumento aliquô verſantibus, ut in theſeos ſuæ gratiam quidvis aſſerant & credant. Liber ille Latinus editus eſt Londini anno 1676. in 8. Ceterum Auctor ille diligentiæ ſuæ ſpecimina plura edidit, & novam Editionem Herodoti non ita pridem procuravit.

OTTO HEURNIUS, Profeſſ. Leidenſis Medicus, Vir doctus, ſcripſit *Barba-* 9
ricæ Philoſophiæ Antiquitatum libb. 2., quorum primus inſcribitur *Chaldaicus*, alter *Indicus;* Multa illic habet collecta ex antiquis Autoribus, de Chaldæorum & Indorum Philoſophis & Philoſophia ac Magia, quam ſecundum partes diſtinguit in Aſiaticam, Africanam & Europæam. Allata ſunt multa ex Autoribus loca prolixiora, quæ penè totum librum conficiunt; ſed tamen utile eſt, illa ſic junctim collecta habere. Ipſe pauca admodum de ſuo affert, nuda recitatione contentus. Liber editus eſt in 12. ex Officinâ Plantinianâ anno 1600.

(*A*) 3 PAL-

Prorectoris in Urbis ad Moenum Francofurtanæ fungens Athenæo, fato immaturo eſt immortuus, Cedro digniſſimi, moneri & congeri a nobis poſſent, quamplurima, *Cimbria Literata*, brevitatis ſtudio, reſervamus.

10 PALLADIUS. Indorum Philoſophia, vel exiguis, vel fabuloſis Autoribus, prodita eſt; pauca ejus veſtigia habemus apud Strabonem *lib. 15.* Plin. *l. 7. c. 2.*; Plutarchum *in Vita Alexandri*; Arrianum *de expeditione Alexandri lib. 7.* & eundem *in Indicis*; Apulejum *in floridis*; Clementem Alexandrinum *l. 3. Stromatum*; Porphyrium *de abſtinentia l. 4.* Philoſtratum *in Vitâ Apollonii l. 3. c. 4. & 5.* Palladius autem de *gentibus Indiæ & Brachmanibus* ſingularem lib. ſcripſit, quem edidit Eduardus Biſſæus, Eques Auratus, è Bibliothecâ Regia Anglica, Græcè & Latinè, Londini anno 1665. in 4to. Quis Palladius fuerit (g) vid. Voſſium *de Hiſtoricis Græcis lib. 2. c. 19. p. 255., & lib. 3. p. 397.*, Baronium *anno 388.*, & illa, quæ Biſſæus proponit, Teſtimonia. Addidit quoque S. Ambroſii Tractatum *de locis, doctrina ac moribus Brachmanum*, item cujusdam *Deſcriptionem* Latinam *de Brachmanis*, tum primum ab ſe editam. Optimè verſatus eſt in colligendis fragmentis obſcuræ alioquin & paucis cognitæ Philoſophiæ, è quibus tamen aliqua ejus veſtigia deprehendere licet. In tenebris enim verſantibus vel exigua lucis ſtrictura jucunda eſt.

11 ABRAHAMUS ROGERIUS (h). Batavus ille fuit, & linguâ patriâ ſcripſit de philoſophiâ & religione Brachmanum hodiernorum. Quondam in his terris peregrinatus, & admiſſus ad Brachmanum converſationem, multa ex illis expiſcatus eſt, quæ deinde in librum Commentarium conjecit, ut erant ipſi dicta. Incertum itaque, an illa Veteribus dogmatibus ex aſſe reſpondeant. Veroſimile enim eſt, ut apud omnes nationes quidam Sectarum & doctrinarum orbis eſt, ita & apud Indos fuiſſe. Obſervare tamen licet præcipua quædam, ut Metempſychoſin Pythagoricam, hodieque illis ſuperſtitioſè creditam, neque ſecura adeò omnia relatione tradi veroſimile eſt, cum peregrini homines, nec philoſophiæ ſtudiis imbuti, nec lingua ſatis promti, ſiniſtrè interdum, vel accipiant nonnulla, vel interpretentur. Illum librum in Germanicam linguam convertit CHRISTOPHORUS ARNOLDI, Profeſſ. & Eccleſiaſtes Noriberg., addito paralleliſmo ceterarum gentium Orientalium, in religione ac philoſophia; qui labor utiliſſimus eſt, & quaſi compendio quodam proponit omnem Aſiaticam, Americanam & Africanam Idololatriam, & doctrinam in naturalibus,

(g) Palladius hic (cujus *Tr. de Gentibus Indiæ & Brachmanibus* Lucas quoque Holſtenius, *in Syſtemate Geographorum Græcorum Minorum*, edere voluit) an idem ſit, uti Morhofium crediſiſſe è Voſſii & Baronii allegationibus apparet, cum Palladio Galata, ex Monacho Palæſtinæ Epiſcopo, ſub Sec. V. initium, Helenopolitano, ac tandem Aſponenſi, *Hiſtoriæ Lauſiacæ* Autore, adhuc ſub judice lis eſt, de qua V. Gvilh. Cavii *Hiſt. Lit. Scr. Eccl. p. 205.* Ambroſii *Tr. de Brachmanibus*, ceu Præſule Mediolanenſi indignum, Monachi Congreg. S. Mauri Benedictini, in noviſſimam ſuam Operum hujus Editionem, noluerunt admittere.

(h) Abr. Rogerius Eccleſiaſtes Batavorum, in Littore Indiæ Coromandelenſi, ab an. 1630. per decennium, fuit Paliacattenſis, ac, in patriam reverſus, Goudæ a. 1649. obiit. Libri ejus Editio prima Belgica, ab A. VV. ICto, curata, & notis illuſtrata eruditis, Amſtelod. A. 1651. prodiit *in 8.* Conf. de illo *Polyhiſtoris* hujus *T. I. L. I. c. 13. §. 27.* & adde Judicium Herm. Conringii honorificum, *in Antiquit. Acad. Supplem. V. p. 214.* obvium.

libus, Tit. libri eſt: Aſiatiſches/ Afrikaniſches/ und Amerikaniſches Heidenthum. Rogeri libellus præmittitur, cum tit: Offene Thür zu dem verborgenen Heidenthum. Cetera adduntur à Chriſtoph. Arnoldo. Liber editus eſt Norimbergæ anno 1663. in 8tavo. Inveni quoque in Catalogo rariſſimorum librorum Corn. Lerkii, qui nunc Hafniæ venduntur, inter MScriptos unum, cui tit: *Vænimavuhry, Theologia Indorum, tomis tribus.* Crediderim Virum illum, qui diu in Hiſpania vixit, Regis nomine Legatus, in hunc librum incidiſſe apud peregrinatorem quendam, & ipſa lingua Indica eſſe ſcriptum.

FRANCISCI PATRICII HERMES & ZOROASTER (*i*). Ægyptiorum & 12
Chaldæorum prima apud omnes fama eſt, quibus adjungendi quoque Thraces. A Barbaris illis prima ſapientiæ initia, ſive ab Hebræis ad illas pervenerint, ſive è traditionibus Majorum, quorum cum Patribus primævis converſatio fuit; ſed obſcurè omnia & incerta fide referuntur. Id quidem veriſſimum eſt, extitiſſe illos Philoſophos, & fuiſſe illorum ſcripta diligenter à poſteris ſervata, ſed poſtmodum ab iis, in quorum manus inciderant, interpolata, vel planè falſa illis ſuppoſita. Fuerunt tamen, qui fragmenta aliqua ejus Philoſophiæ collegerunt. Hermes quidem, quem antiquiſſimum aliàs Ægyptiorum Philoſophorum faciunt, fuit ejus nominis Magnus apud illos Philoſophos; ſed, an genuina ſint, quæ ſub ejus nomine circumferuntur, affirmari non poteſt. Publicavit Franc. Patricius Hermetis Triſmegiſti libellos 20., unà cum ejus fragmentis, quæ habentur in *nova* ejus *de univerſis philoſophia.* Non deſunt, qui exiſtimant, multa eſſe in illis, vel à Chriſtianis primis conficta, vel aliundè etiam ſuppoſita, quam litem definire vix noſtrum erit. Videantur, qui de ſcriptis Hermetis disquiſitiones inſtituerunt, Kircherus *in Oedipo Ægyptiaco;* J. Henr. Urſinus in peculiari libro; Ol. Borrichius in libris adverſus Conringium de *Hermetica Medicina* ſcriptis. Cautè in illis rebus procedendum eſt, neque ſtatim omnia pro falſis & confictis habenda, ubi hiſtoria deficit; nam nec in gentibus ceteris, extra Græcos & Romanos, & nec in illis quidem, certè explorata rerum initia. Nos ad Zoroaſtrem venimus, de cujus ætate, nomine, natione, omnia ſunt controverſa. Aliqui Bactrianum, aliqui Medum aut Medo-Perſam, faciunt; ætas ejus ad Abrahami tempora vulgò refertur, genus etiam diverſum aſſignatur; quæ omnia diligentiſſimè collegit Joh. Marshamus, Eques Auratus

(*i*) De Hermete Triſmegiſto & Zoroaſtre, illorumque Monumentis, Autori etiam *T. I. L. I. c.10. §§. 7. 9. ſqq. c.11. §.6. & c. 13. §. 14. ſq.* memoratis, quæ moneri *h.l.* potuiſſent, ex *Homonymoſcopiæ* noſtræ, Judicia etiam Autorum aliorum, fuſius de iis commentatorum, exhibentis, *P. II. c. 2. §.16. & 17. p. 255-267.* repeti malumus. Zoroaſtris Hiſtoriam haud ita pridem Thomas quoque Hydius, *in Hiſtoria Religionis Veterum Perſarum,* Oxoniæ an. 1700. edita, egregiè illuſtravit. De Trinitate Gentilium, inprimis Platonica, cujus *h. l.* facta eſt mentio, conferri meretur Gothofr. Vogtii, Scholæ olim Hamburg. Rectoris, *Exerc. Hiſtorica de Sacroſancta unius Divinitatis Triade ex ſententia Gentilium, præcipuè Græcorum, cum ante, tum poſt Chriſtum natum,* Roſtochii an. 1675. *in 4.* excuſa.

ratus Anglus, in *Canone* ſuo *Chronico Ægyptiaco, Hebraico & Græco, pag. 144. 145.* Editionis Lipſienſis, qui tamen nihil definit in tanta incertitudine. Perſæ ipſum pro Patre Magorum habent, ac præceptorem Pythagoræ facit Apulejus. Mentio ejus multa, & magna apud antiquos Autores fama. Sic recenſentur paſſim ap. Platonem, & Platonicos, præcipuè recentiores (quod ſuſpicionem alicujus corruptionis arguat,) ejus ſententiæ. Hæ ſententiæ, undecunque collectæ, uno volumine editæ fuerunt ſuperiore ſeculo in Galliâ. Sexaginta enim Oracula, à Juliano quodam Chaldæo Græcè facta, Pariſiis excuſa ſunt anno circiter 1530., in quibus ipſa penè Chriſtiana fides, myſteriumque Trinitatis proponitur; quam ob cauſam ſuſpicati fuerunt multi, pia quadam fraude hic actum fuiſſe, & ſuppoſita quædam à Chriſtianis ad convincendos Gentiles. Clarior enim illic Trinitatis notitia, quàm in ipſo V. Teſtamento. Sed aliter tamen dicendum eſt, ſi inſpiciamus ſcripta Platonica, in quibus Trinitatis quædam Idea ſimiliter repræſentatur, quæ non aliundè, quàm è talibus libris hauſta videtur. Platonis Platonicorumque ſententias omnes de Trinitate principiorum collegit diligentiſſimè Auguſtinus Steuchus integrô librô ſecundo de *perenni philoſophia*, ubi collationem inſtituit Platonicæ hujus doctrinæ cum myſterio Chriſtianorum: Voluit & Scaliger in libro de *Subtilitate, Exercitatione 365. ſect. 3.* ex Ariſtotele aliquam Trinitatis Ideam exſtruere, qui ipſe eâ de re videri poteſt. Hujus Ariſtotelicæ cum Platonica Collationem inſtituit Henr. Morus *in ſcholiis capitis 28 Enchiridii* ſui *Metaphyſici*, qui & è Cabaliſtis doctrinam de Trinitate adſtruit, *in deſcriptione tabularum Cabaliſticarum p. 464.* Legi etiam poteſt Iſ. Caſaubonus in *Exercitationibus* ſuis *Anti-Baronianis*, qui de hujus generis ſcriptis, & Sibyllinis verſibus, peculiarem diſquiſitionem inſtituit. Ex ſtylo & dictione multa colligi poſſunt. Zoroaſtris illa Oracula, cum Auctario ſententiarum, ex antiquis auctoribus collecta, edidit Franc. Patricius, vir doctiſſimus, de quo infra plura dicemus. Is *novam de univerſis philoſophiam* ſcripſit ad Pontificem Gregorium XIV., ejusque ſucceſſores, quâ illud agebat, ut, excuſſo è manibus juventutis Ariſtotele, Platonica philoſophia reſtitueretur. Quod ut obtineret, monſtravit primò Ariſtotelis libros eſſe mutilos & ſuppoſititios, ac veteribus ſurreptos, integro libro in fol., cui tit. *Diſcuſſiones Peripateticæ.* Edidit poſtea aliquos tractatus philoſophicos, quos complexus eſt uno libro, cui tit. *Nova de Univerſis Philoſophia;* edito Ferrariæ, anno 1591. in fol. Hic, non per motum, ut Ariſtolelica methodus facit, ſed per lucem & lumina, ad primam cauſam aſcendere conatur. Nolo quicquam jam de ejus conatu judicare; Id certum eſt, illum potius hac doctrina Enthuſiaſtas philoſophos effecturum, quam methodo aliqua inſtitutos; quæ tamen in re ſcholaſtica neceſſaria eſt. Certè, ſi ejus philoſophia in ſcholas fuiſſet recepta, nec Doctores, quod docere poſſent, habuiſſent, nec diſcipuli, quod diſcerent, & meras in iſta via lucis tenebras inveniſſent. Ut itaque omnia ex ovo accerſit, ita Zoroaſtris Oracula præmiſit cum aliquo Commentario. Hæc Zoroaſtræa doctrina peculiari libro triennio pòſt eſt comprehenſa à Joh. Jessenio à Jessen, Philoſopho

&

& Medico Pragenſi, viro quidem docto, ſed qui fatorum violentia tandem ſuccubuit in Executione Pragenſi. Liber aliquoties editus eſt. Una ejus editio Wittebergæ prodiit anno 1593. in 8vo, qui ſub *Zoroaſtris* titulo promittit novam, brevem, veramque de univerſo Philoſophiam. Vide de nomine Zoroaſtris Menagium *in Commentario ad Diog. Laërtium p. 3.*

SNORRONIS STURLÆ EDDA ISLANDORUM. Ad Barbarorum Philoſophos referendi quoque ſunt Septentrionum filii; neque enim credat quis, adeò frigidum ſanguinem circa præcordia illis obſtitiſſe, ut nec ipſi aliquam Philoſophiæ partem attigerint. Si audimus recentiores Sveciæ Criticos, penè inter primos fuere, qui philoſophiam alios docuerint; quicquid enim de Orphei dogmatibus traditur, id à ſe profectum putant, namque illum, ut popularem ſuum, laudat Rudbeckius in *Atlanticis* ſuis. Non eſt nunc locus, ea omnia ſub examen revocandi. Ut in tenebris interdum aliqua palpamus, ita & in his fabularum nubibus aliquam interdum veritatem apprehendimus, quanquam metus ſit, ne interdum nubem pro Junone amplectamur. Latitant tamen aliqua in Septentrionis priſcis monumentis, quæ omnem & Græcam & Latinam antiquitatem longe ſuperant. OL. RUDBECKIUS certè Vir ingenioſiſſ. eſt, &, quæ illic magno apparatu & molimine è tricis iſtis evolvit, ſi non ſerenam, creperam tamen lucem oſtendunt. Incumbunt nunc in Antiquitatum Septentrionalium ſtudium præ cæteris Sveci, apud quos ſingulare Collegium hoc ſcopo inſtitutum eſt. Eſt illic Profeſſ. Septentrionalium linguarum, Runicæ, & antiquæ Gothicæ, OLAUS VERELIUS, Vir Doctiſſimus, cujus extant multi in Gothica aliquot monumenta Commentarii. Olim in animo habuit GEORGIUS STIERNHELMIUS, Nobilis Svecus, ſingulare aliquod Syſtema philoſophiæ & literaturæ iſtius veteris ſub tit. *Runæ Svecicæ*, ſed labori illi immortuus eſt, & poſt mortem ejus tantum apparuerunt vagæ ſchedulæ, quas in ordinem redigere nemo potuit, ut in literis ad me datis teſtatur Vir Clariſſ. Joh. Schefferus, cujus extat in ſimili argumento (*Upſalia antiqua*) præclarum antiquitatum iſtarum ſpecimen. Edidit quidem Stiernhelmius *Synopſin* ipſius *Runæ*, in qua habentur nuda illa capita totius tractationis; promiſerat quoque, in aliis quibusdam ſchedis ſuis, hiſtoricas tractationes de ortu veterum Gothorum & Scytharum, adverſus Cluverium & alios, ſed intra ſpem & titulos omnia ſubſtiterunt. E *Synopſi* illa apparet certè, magna illum agitaſſe animo, quæ ſi probare omnia ſufficienter potuiſſet, Svecicæ genti ſe totas deberent linguæ Hebraica, Græca, Romana; imò Græci Idololatriam & Theologiam ſuam cum illis communes haberent. Quæ quidem non omnia fruſtrà dicuntur; eſt enim inſignis locus ap. Diod. Siculum, *l. c. 47.* qui diſertis verbis teſtatur commercia Orientalium & Græcorum cum Hyperboreis, & de Religione inter Græcos & Hyperboreos communi. Diodorus v. Siculus, qui Bibliothecas veterum perreptaverat, multa invenit in aliorum ſcriptis, quæ aliàs hodie ignorarentur. Idem teſtantur non obſcurè Veteres illæ Septentrionalium fabulæ, quæ anno 1215. in unum corpus compactæ ſunt à Snorrone Sturla, ſub tit. *Edda Islandorum*, i. e. Philoſophia Islando-

andorum. Fuit v. Snorro Sturla Islandiæ νομοφύλαξ. Ex antiquis codicibus MScriptis Bibliothecæ Regiæ illam edidit, & notulas quasdam adjecit Petrus Joh. Resenius, Juris & Ethices Profeſſ. & Conſul Hafnienſis, Anno 1665. in 4to (*k*) illa autem omnia dudum fuerunt ante Snorronem iſtum, qui ex antiquis gentis monumentis illa collegit. Ceterum tota ejus libri hiſtoria & argumentum, cum Sectis aliorum Philoſophorum collatum, habetur in præfatione illâ Reſenianâ. Verùm, ut audio, Sveci habent, quæ in eâ editione improbent &, ſi rectè memini, novam pollicentur. Ex iſtis verò fabulis manifeſtè patet Aſianorum in Septentrionem adventus, cultus Deorum, Solis, Martis, Jovis, reconduntur multæ Moſaicæ hiſtoriæ, ſed miris fabulis deturpatæ: legitur & illic de diluvio univerſali. Ex illis, tanquam fragmentis & laciniis, colligi quadantenus poteſt illorum hominum Philoſophia naturalis & moralis, & de Diis illorum doctrina. Trahi in ſubſidium poteſt Olai Wormii *Tractatus de literaturâ Runicâ*, ubi habentur vetera aliqua Carmina Runica, in laudem virorum fortium ſcripta.

CAP. II.

DE PHILOSOPHIÆ PYTHAGORICÆ HISTORIA, EJUSQVE SCRIPTORIBUS.

§. 1. *Hos inter eminet Joh. Schefferus, Opus de Philoſophia hac vaſtum molitus, cujus Prodromus eſt* Liber de ejus Natura ac Conſtitutione, *A. 1664. editus.* 2. *Jungendi huic Jamblichus (ineptum nactus Interpretem Joh. Arcerium,) & Malchus, ſive Porphyrius,* de Vita Pythagoræ, *& prior etiam* de Myſteriis Ægyptiorum, Myſticaque *eorundem* Theologia, *commentati, Origenes, Autor* φιλοσοφȣμένων, *inter Codd. Lucæ Holſtenii (quorum Editio deſideratur) reliquorum MSStos.* 3. *Ocellus Lucanus, Scriptor* Libelli de Natura Univerſi, *ab Ariſtotele compilati, ſolus e Vett. Pythagoricis ſuperſtes, ejusque Editores ac Commentatores, quos inter Car. Eman. Vizzanius eminet; Timæi item Locrenſis Fragmentum* de Anima Mundi & Natura *dubium:* 4. *Nicomachus & Jamblichus, qui Arithmeticam ex ſenſu Pythagoræ propoſuerunt. Qua occaſione de Doctrina Numerorum Pythagorica (a Joh. Meur-*

(*k*) De *Edda* utraque, Antiquiori Sæmundi Sigfuſonii, Sec. XI. & recentiori Snorronis Sturleſonii, Sec. XIII. congeſta, præter Reſeniana hujus Prolegomena, conſuli poſſunt, quæ *in Iſagoge* mea *ad Hiſt. Cimbr. P. II. c. 1. p. 4. 5. 6. in Homonymoſcopia, P. I. c. 1. §. 5. p. 11. 12.* & *in Hypomnematis ad Alb. Bartholini Lib. de Script. Dan. p. 378. 379-404-408.* iſtorumque *Spicilegio, p. 45. 46. 47.* fuſe ſunt allata. De Ol. Rudbeckio, Ol. Verelio & Georg. Stiernhelmio, illorumque Scriptis & Sententiis Paradoxis, Joh. Schefferi *Svecia Litterata*, & mea ad hanc *Hypomnemata*, locis ſuis, conferantur. Stiernhelmii *Runa Svetica Capitum Synopſin* Morhofius, in *Tr. Germanico de Lingua & Poeſi Germanica, P. I. c. 1. pag. 11-18.* integram Lectoribus ſuis exhibuit.

Meurſio & Pet. Bungo illuſtrata, a Johanne Heydon vero, Enthuſiaſta Anglo, ad Necromantiam detorta,) quam Hebræorum Cabalæ debuiſſe creditur, Sinenſium per Lineas philoſophandi Methodo, Pulſuumque Medicina, & Tetractus tandem Pythagorica, ab Erh. Weigelio explicata, haud pauca inſperguntur. 5. Philoſtratus, Scriptor Vitæ Apollonii Thyanæi, Pythagorici, de cujus Miraculis, an Magica arte patrata, an vero in Chriſtianorum Invidiam conficta ſint, in utramque partem diſputatur. 6 Franc. Georgius, cujus Harmonia mundi *anſam ſuggerente, Pythagoræorum Harmonica Univerſi Proportio (a Joh. Pico, Rob. Fluddio & Henr. Mohrio, etiam defenſa,) & Chimarici Orbium Cæleſtium Concentus, impugnantur, ſimulque de miranda Muſices vi & efficacia diſſeritur. 7. Ambr. Rhodii* Dial. de Transmigratione Animarum Pythagorica, *in cujus, Ægyptiis quoque & Indis creditæ, Fontes, Senſum & Veriatem, obiter inquiritur. 8. Carmina Aurea, Pythagoræ vulgo adſcripta (de quorum Autore controverſo, ac Editionibus, nonnulla monentur,) & Hieroclis Pythagoræi in illa* Commentarius. *9. Paganini Gaudentii (cujus extemporalis in ſcribendo notatur feſtinatio)* Diſſ. de Pythagorica Animarum Transmutatione.

PRocedimus jam ad Sectas Philoſophorum, inter quas primo loco referenda eſt illa, quæ dicitur ITALICA, cujus Autor PYTHAGORAS habetur; nam eorum, qui ante Pythagoram vixerunt, obſcura eſt fama & doctrina, quanquam & ipſius Pythagoræ dogmata non adeò in aprico ſint, omnibusque pateant. Fuit tamen JOH. SCHEFFERUS, Vir Celeberrimus, Academiæ Upſal. Prof., qui, juſſu Chriſtinæ Reginæ, philoſophiam Pythagoricam integro Syſtemate complecti conatus eſt, Gasſendi exemplo, qui Epicuream doctrinam, è ſuperſtitibus ejus philoſophiæ monumentis, in unum corpus compegit. Cui tamen, ad extruendum hoc Syſtema, plus materiæ fuit, quam Scheffero, qui vel è Platonis & Ariſtotelis ſcriptis, vel è Jamblichi vita Pythagoræ, & ſimilibus ſcriptoribus, per meras lacinias & fragmenta, colligere illam debuit. Sed dolendum eſt, integrum opus non conſpexiſſe, ipſo vivente, lucem: ejus autem magnam partem ſupereſſe, & Catalogus Operum ejus, & literæ ad me ſcriptæ, teſtantur. Non habemus nunc niſi prodromum vaſti Operis, *librum de natura & conſtitutione Philoſophiæ Pythagoricæ*, qui prodiit Upſaliæ in 8. anno 1664. (*l*) 1

(B) 2 Quo

(*l*) Joh. Schefferi (in *Hypomnematis* noſtris ad *S'veciam* ipſius *Literatam p.* 456-463. fuſius celebrati) *Lib. de natura & conſtitutione Philoſophiæ Pythagoricæ*, denuo, adjectis Pythagoræ *Carminibus Aureis*, excuſus Wittebergæ an. 1701. *in 8.* cum *Præfat.* Conr. Sam. Schurtzfleiſchii prodiit. Jac. Thomaſio (in *Schediasm. Hiſtor.* §. 13. *p. 5.*) *Aureus* is audit, Schurtzfleiſchio autem (*in Præfat. cit.*) *perutilis, & reconditæ eruditionis plenus, qui magnum Autori nomen famamque confecit.* Inediti hactenus latent, & manum ultimam (teſte *Suecia* ipſius *Literata p. 300.*) deſiderant, Ejusdem *Pythagoras, ſeu de Vita Pythagoræ Liber, Tr. de Claris Pythagoræis, & Libri*

Quo in lib. ὡς ἐν κεφαλαίῳ, & velut per ſummam, philoſophiæ Pythagoricæ capita quædam proponuntur.

2 JAMBLICHUS & MALCHUS. Ad hiſtoriam Philoſophiæ Pythagoricæ prodeſt, noſſe illos, qui Vitam iſtius Philoſophi conſcripſerunt. Extat Jamblichi Chalcidenſis *de vita Pythagoræ* liber, Græcè & Latinè editus à Joh. Arcerio in 4to, anno 1598. Hunc habemus quaſi Indicem paucorum ejus dogmatum; ſed libri tantum duo infeliciter ab Arcerio editi, plena mendis omnia, ineptè nonnunquam converſa, ut mirari ſatis non poſſim, neminem hactenus fuiſſe è ſagaciſſimis Criticis, qui huic Auctori limam addere voluerit: ſed difficile eſt, ex ipſis fontibus ſuis & principiis aliquid eruere. Libros ejus quatuor MScriptos habuit Lucas Holſtenius, ut patet ex Indiculo illo MScriptorum Holſtenianorum, quem mecum communicavit Amicus.(*m*) Jungendus eſt huic libro Jamblichi alter *de myſtica Ægyptiorum Theologia*, ſed quem itidem in Bibliotheca ſua ineditum ſervavit Holſtenius, diverſum, ut apparet, ab illo, qui *de myſteriis Ægyptiorum* à Jamblicho ſcriptus eſt, quem Thomas Galeus, Anglus, nuper edidit Oxoniæ, Anno 1678., unà cum Notis ſuis, in quô multa habentur, quæ pertinent ad veterem illam Pythagoricorum & Ægyptiorum doctrinam, multa de omnium ſpirituum & dæmonum negotio. Extat & Malchi (*n*) *de vita Pythagoræ* liber, editus à Conrado Rittershuſio cum notis, Altorfi anno 1610. in 8tavo. Porphyrii quoque liber extat *de vitâ Pythagoræ*, quem, cum aliis ejus Opuſculis, in lucem dedit Holſtenius, Romæ *in 8tavo* anno 1630. qui cum plura alia MSta volumina poſſederit, hactenus inedita, optandum ſanè eſſet, ut MStorum illorum hæres operam iſtorum Editioni impenderet. Inter quæ, ut obiter hoc memorem, habentur quoque Origenis *Philoſophumena, liber de variis Veterum Philoſophorum ſectis & opinionibus*, in quo procul dubio multa latent ejus argumenti. Fuit Origenes, χαλκέντερος inde dictus, incredibilis librorum expugnator & ſcriptor, præterea doctiſſimus, & veteris philoſophiæ etiam in Chriſtianiſmo, ultrà quàm par eſt, tenax. Ceterum & *Vita Pythagoræ*, à Jamblicho ſcripta, cum nova Verſione & Notis, promittitur ab illo Thoma Gale, qui librum *de myſteriis Ægyptiorum* edidit.

OCEL-

bri III. de Philoſophia Pythagorica. Idem Argumentum, ſed brevius, illuſtrarunt Joh. Schilterus, JCtus hodie Argentinenſis, in *Diſſ. de Diſciplina Pythagorea*, Lipſiæ *in 4.* edita, &, ſub finem *Manuductionis* illius *ad Philoſophiam Moralem*, Jenæ an. 1676. *in 8.* recuſa, ac M. Joh. Jac. Syrbius, Ord. Philoſ. Jen. Adjunctus, in *Pythagora intra Sindonem noſcendo, ſeu Hiſtorica in Phyſicam Pythagoræam Introductione*, quæ Jenæ an. 1702. *in 8.* prodiit.

(*m*) Codicum Lucæ Holſtenii ineditorum Indicem, qui *h. l.* allegatur, integrum invenies *T. I. Polyhiſt. L. I. c. 7.* §. *66.*

(*n*) Malchus & Porphyrius perperam ab Autore, tanquam duo diverſi totidem diverſorum de Vita Pythagoræ Librorum Autores, laudantur, cum, qui ſub Malchi nomine, curante Rittershuſio, prodiit, idem ſit cum Holſteniano, Porphyrii inſerto Opuſculis. Philoſophus ſcil. iſte Sec. III. Paganus, gente Syrus, Nomen ſuum *MALCHI* vernaculum,

Re-

OCELLUS LUCANUS. (*o*) Fuit ille antiquiſſimus philoſophus Pythagoricus, qui ante Ariſtotelem de *naturâ univerſi* ſcripſit. Hunc ſuperſtitem habemus penè ſolum ex Autoribus doctrinæ Pythagoricæ. Extat & quoddam Timæi Locrenſis fragmentum *de anima mundi & natura*, editum Pariſiis anno 1555. *in 8.* ſed non usque adeò plenam meretur fidem. Hujus Ocelli Lucani ſcriptum genuinum eſt; Edidit Ludovicus Nogarola cum notis; & poſteà Carolus Emanuel Vizzanius, Bononienſis, qui diligentiſſimè contulit, quos nanciſci potuit MStos Codices, & meliores Editiones; prodierat tamen ante Nogarolæ opera, qui Venetiis anno 1559. ediderat. Latinè tantum prodiit Lugduni anno 1541., Gvilhelmo Chriſtiano interprete, ut ideoque primus non ſit Nogarola, qui in linguam Latinam convertit, ut ipſe jactat. Impreſſit poſtea ipſum illud exemplar Commelinus anno 1596. Optimus Comm. in illum Autorem eſt Vizzanii, nam Nogarolæ breves tantum notæ ſunt. Emendavit itaque Autor ille tum ipſam Verſionem, tum Paraphraſin, addidit & Commentarios pleniores, quibus argumentum philoſophicum illuſtratur ulterius locis Platonicis & Ariſtotelicis. Hujus Ocelli paſſim ſunt ap. Græcos Encomia, & apud ipſum Ariſtotelem. Illud, quod *de natura Univerſi* ſcripſit, totum penè Ariſtoteles exſcripſit, ut vel ex uno hoc pateat, non adeò falſos eſſe, qui Ariſtoteli plagia, in Veteres Philoſophos commiſſa, imputant. Omnia enim, quæ pro æterniate mundi apud Ariſtotelem argumenta occurrunt, ex his fontibus hauriuntur, ut conferenti patebit. Si alios haberemus aliorum Philoſophorum & hujus ipſius libros ſuperſtites, plura fortaſſis obſervare liceret. Editus eſt Vizzanii Commentarius Amſtel. anno 1661. in 4to. 3

JAMBLICHI Chalcidenſis *Introductio in Nicomachi Arithmeticam & de fato.* Fuiſſe è Pythagorica ſchola Jamblichum notum eſt, & Nicomachum quoque. Is ſcripſit Arithmeticam ex ſenſu Pythagoricorum, cujus MStum, cum ſcholiis marginalibus antiquis, habebatur in Bibliotheca Holſteniana. Illum Auctorem edidit Samuel Tennulius, Belga, qui primus è Codice Memmiano deſcripſit, cum Codice Regiæ Bibliothecæ Gallicæ, Romanoque contulit, Latinè vertit, notiſque illuſtravit. Incipit verò liber ille à libro 4to, nam ceteris editis traditur Vita Pythagoræ. Liber 4tus certè, qui unicus hic eſt, ut tit. promittit, Introductionem in Arithmeticam Nicomachi continet. Ipſa v. Nicomachi Arithmetica integra habentur in Bibliotheca Holſteniana, quæ hactenus edita eſſe mihi non conſtat. Vide Tennulium *p. 67. in notis*. Extant quidem Notæ Joach. Camerarii in duos libb. Arithmeticæ Nicoma- 4

(B) 3 chi,

Regem ſignificans, hortatu Dionyſii Caſſii Longini, Præceptoris, cum Græco PORPHYRII, a Purpura, Veſte Regum propria, derivato, commutavit, velut, ex Eunapio, aliiſque, in *Homonymoſcopia* noſtra, *P. 3. c. 4.* §. *3. p. 806. 807.* eſt oſtenſum.

(*o*) Ocelli Lucani de *Univerſi Natura*, & Timæi Locri *de Anima Mundi & Natura*, Opuſcula, Græce & Latine denuo ſunt recenſita, Notiſque illuſtrata, à Thoma Galeo, in *Opuſculorum* Veterum *Mythologicorum, Phyſicorum & Ethicorum*, collectione, Cantabrigiæ an. 1671. & Amſtelod. an 1688. *in 8.* publicata.

chi, doctæ & laborioſæ, quas adjecit Tennulius ſuæ Editioni. De iſto Nicomacho legatur Tennulius *in notis pag. 64. 65. 66.* Utilis eſſe liber ille poteſt ad intellectum Pythagoricæ Philoſophiæ, quæ in numeris tota verſatur. Edita ſunt hæc Arithmetica etiam Lutetiæ anno 1538. teſte Voſſio *de ſcientiis Mathematicis, c. 10. §. 1.* Extat & alter hujus Jamblichi liber, cui titulus: *Arithmetica Theologumena*, qui editus eſt ibid. anno 1543. quo plenius traditur, quod ad philoſophiam de numeris Pythagoricam pertinet. Non inepta eſt illorum ſententia, qui hanc numerorum doctrinam Hebræis, & eorum Cabalæ, debuiſſe Pythagoram exiſtimant, ut latè explicare contendit Henr. Mohr, in *Cabala* ſua, Anglica lingua ſcripta, ubi plurima dogmata Pythagorea confert cum Hebræorum dogmatibus, atque ipſam adeò doctrinam de Solis quiete, quam è Judæorum ſchola hauſiſſe Pythagoram oſtendit. Non eſt omninò in vulgus notum, quid Pythagoras Symbolica hac numerorum doctrina notare voluerit; nam è laciniis & fragmentis illa utcunque conjicere poſſumus. Galeus, ut omnia, ad Hebræos deducit ejus dogmata. Ego tamen, quod numeros attinet, exiſtimo, Pythagoram illis uſum fuiſſe, ut Ideis ſuis Platonem, formis Ariſtotelem, lineolis ſuis Chinenſes. Res enim eodem recidit, an verbo quodam nationali, an ſignis, exprimantur rerum differentiæ; ad conceptum enim mentis omnia tantum referuntur. Martinus Martinius, in *Decade* ſua *prima Hiſtoriæ Sinicæ*, ſub initium, ubi de Philoſophia Sinenſium agit, illorum philoſophandi per lineas modum plenius deſcribit. Quatuor ſc. lineas comminiſcuntur, & ex earum vario poſitu (variantur autem ſeptuagies) de poteſtatibus naturalibus argumentantur; quod ſi quis numeris efficere velit, res eodem recidit. Peripateticus efferre poſſit per illas ſuas formas formarum, & quæ naſcuntur ab illis, generales, ſpeciales, & ſubordinatas. Similia ſunt illis penè & longe petita in re Medica principia, ubi omnis Anatomes ignari, ſuas tamen de venis obſervationes, omni Medicorum choro inauditas, tradunt; de pulſibus neſcio quæ Meteora comminiſcuntur, quibus tamen illi mirificè, ut fama eſt, proficiunt. Nam & ſedes & cauſas morbi ſolo pulſu explorant, ac feliciter nonnunquam pronunciant ac medentur, ut vel hinc pateat, de Medicis etiam verum eſſe, quod de Vatibus nonnemo: *Omnium optimè qui conjecerit, hunc Vatem perhibeto optimum.* Andr. Cleyerus (*p*) aliquis nuper myſteria hæc nobis revelavit, quæ, ubi in lucem protracta ſunt, riſum potius, quam applauſum, merentur, ac meritò pudorem illis incutiunt, qui Europææ Medicinæ hujus perfectionem objicere non ſunt veriti. Quantum ex antiquis autoribus cognita eſt, numerorum illorum formalium doctri-

(*p*) Andr. Cleyeri, Caſſellis Haſſi, Med. Lic. & Societatis Indicæ in Nova Batavia Archiatri, *Specimen Medicinæ Sinicæ*, ſex Autorum diverſorum, partim Chinenſium, partim Europæorum, Opuſcula, ad mentem Chinenſium, Medica, de Pulſibus Morborumque Indiciis ex Linguæ coloribus & affectionibus agentia, complectens, prodiit Francof. an. 1682. *in 4.* Recenſum ejus V. *in Actis Erud. Lipſ. M. Oct. an. 1682. p. 301. 302.* Georg. Hieron. Welſchius etiam *de Medicina Sinenſium Relationem Hiſtoricam Medico-Politicam* voluit edere, teſte Luca Schröckio *in ejus Memoria p. 75.*

doctrinam Pythagoricam magna diligentia eſt exſecutus Joh. Meurſius, in *Denario* ſuo *Pythagorico*, qui diligentiſſimè inveſtigavit è Græcis Philoſophis, quæ ad illam pertinent. His addi poteſt *Petrus Bungus* in *libro de myſteriis numerorum*, qui & Pythagorica illa congeſſit, quanquan non iſto ordine, accuratione & diligentia, quàm Meurſius. Plenius quidem & copioſius hoc argumentum tractavit, ſed multa addit non ex Pythagoricis fontibus hauſta, ſed è Cabaliſtarum & Enthuſiaſtarum ſcriptis, qui in hoc argumento valdè ſunt operoſi. Aliqui ad ipſam Magiam & ſpirituum evocationem extendunt doctrinam hanc de numeris, quod facit Joh. Heydon, Enthuſiaſta Anglicus, in libro, cui tit. *The Roſie Crucian infallibile Axiomata, or, Generall Rules to know allthings paſt, præſent and to come*, Londini A. 1661. in 8vo edito. Ejusdem Autoris plura extant de Harmonia mundi, quibus multa magnifica promittuntur; hæc tamen omnia imputantur doctrinæ Pythagoricæ, ac nemo inter Enthuſiaſtas tam abſurdus eſt novis ſententiis & ſomniis, quæ non velit ex antiquiſſimis Philoſophis, S.Scriptura, & Cabala Hebræorum, deducere. Qui homines ſuis ſenſibus & ſpeculationibus permittendi ſunt, ut Achivus ille Horatianus, qui ab amabili inſania per Medicum revocari nolebat. Tetractus Pythagorica, quaternarius numerus, in magna veneratione apud Pythagoram, ejusque aſſeclas, fuit: hinc per illum numerum juramenta ipſis concepta. Sunt, qui hoc ad Tetragrammaton Hebræorum referunt. Erhardus Weigelius, Prof. Acad. Jenenſis celeberrimus, multus eſt in Tetractus hac Pythagorica explicanda & demonſtranda, cujus extant varia ſuper hoc argumento Opuſcula, diverſis temporibus edita. Eſt ejus *θεόδειξις Pythagorica*, qua laborat è numeris realibus demonſtrare exiſtentiam Dei, item *de Corpore, divini numinis charactere demonſtrativo* alia *Diſſertatio*, ubi multa de quaternis principiis cujuscunque cognoſcibilis. Quod Jamblichum attinet, editus ille eſt Arnhemii anno 1668. in 4to.

PHILOSTRATUS de vita Apollonii. Apollonius Thyanæus è Pythagoricorum quoque Secta fuit, homo verè *δαιμόνιος*, de quô multa miranda prædicant paſſim hiſtoriæ, hujusque hiſtoriam ac res geſtas ad examen revocavit Johan. Franciſc. Picus Mirandola *l. 7. de rerum prænotione cap. 10.* Illum omnes Magiæ receſſus perreptaſſe fama eſt, nam & vetitæ Magiæ illum operam dediſſe aſſerunt. Si veræ ſunt hiſtoriæ, mortuos ille excitavit, diſparuit in media hominum turba, vidit, quæ locis remotiſſimis fierent. Quæ omnia vix absque Magiæ infamis ſuſpicione peragi ab illô potuerunt. Omnes hominem innocentiſſimæ vitæ & morum faciunt, nec deſunt etiam inter Patres antiquos, qui tam ſtupenda opera beneficio interioris ſcientiæ naturalis illum patraſſe exiſtimant. Memorabile eſt, quod Ælius Lampridius, *in Alexandri Severi vitâ*, ſcribit, ipſum in Larario ſuo optimos quosque Viros & animos ſanctiores coluiſſe, in quibus Apollonium, Chriſtum, Abrahamum & Orpheum, habebat, quibus quotidiè ſacra faciebat. Memorabile item eſt, quod Flavius Vopiſcus, in *Aurelianô* refert, Apollonii Imaginem Aurelianum, Thyanam, patriam ejus, expugnaturum, monuiſſe, ne faceret. Quæ dum recenſet Vopiſcus, quaſi ſacro quodam fu-

furore abreptus in hæc verba erumpit; *hæc ego à gravibus viris comperi & in Ulpiæ bibliothecæ libris relegi, & pro Majeſtate Apollonii magis credidi. Quid enim illo Viro ſanctius, venerabilius, antiquius diviniusque inter homines fuit? Ille mortuis reddidit vitam, ille multa ultra homines & fecit, & dixit, quæ qui velit noſſe, Græcos legat libros, qui de ejus Vita conſcripti ſunt. Ipſe autem, ſi vita ſuppetat, & ipſius viri favori usquequaque placuerit, breviter ſaltem tanti viri facta in literas mittam, non quod illius viri geſta munere mei ſermonis indigeant, ſed ut ea, quæ miranda ſunt, omnium voce prædicentur.* Incomparabile hoc atque invidendum iſtius viri Elogium eſt. Ex Pythagorea illum ſchola fuiſſe conſtat, & antiqua Magorum diſciplina imbutum. Illum Taliſmanis uſum fuiſſe, præcipuè autor eſt ille, qui de Taliſmanis diſſertationem ſcripſit Gallicâ linguâ, quæ reperitur inter Varia illa librorum Gallicorum, quæ ſub tit. *Mercure galant* prodierunt, & quidem *Tomo nono, Menſe Januario Anni 1680. p. 177.* (prodeunt verò ſingulis menſibus aliquot Tomi talium librorum Pariſiis, qui continent Diſſertationes elegantiores de rebus, vel naturalibus, vel moralibus, tum & Carmina elegantiora.) In medio nunc relinquo, an impoſtoris titulo ſalutandus ſit. Certe à Magiæ infamis ſuſpicione illum purgare laborat Gabr. Naudæus in doctisſima *Apologiâ ſuâ*, quæ Gallicâ linguâ ſcripta eſt pro viris illis, qui falsò accuſati fuerunt Magiæ, *c. 12.* Ubi non Apollonium tantum, ſed & Pythagoram, Orpheum, & Zoroaſtrem, à Magia defendit; quod verò Apollonii iſta miracula attinet, non fortaſſis adeò abſurdè exiſtimat Naudæus, ſuffragante Huetio in *Demonſtrat. Evang.*, confictа hæc potius fuiſſe ab illis, qui in invidiam Chriſtiani nominis amplificare hujus res geſtas & opera voluerunt, ne haberent Chriſtiani, quod ſibi objicerent. Conjectura ejus inde formatur, Philoſtratum, qui vitam ejus ſcripſit, adeò penè in omnibus obſervaſſe parallelisſmum Chriſti & Apollonii miraculorum, quem ille luculentius illic inſtituit. Cæteroquin Apollonium Virum fuiſſe probum & honeſtum autumat, & maximæ in rebus naturalibus experientiæ. (*q*) *Vita Apollonii* à Philoſtrato ſcripta Græcè & Latinè prodiit Venetiis in fol. Anno 1502. In Gallicam linguam convertit, qui multos Autores aliòs, Blaſius Vigenerius; quam verſionem ad exemplar Græcum emendavit Federicus Morellus, Lector & Interpres Regius, & Commentariis prolixis illuſtravit Artus Thomas,

(*q*) De Vitæ Apollonii Thyanei Scriptoribus, Damide Aſſyrio, Hierocle, Philoſ. Alexandrino, Maximo Ægienſi, Moeragene, Nicomacho, Sidonio Apollinari, Soterichο Oaſite, Taſcio Victoriano, Fl. Vopiſco, & Philoſtrato Lemnio, conſulendus omnino eſt Joh. Jonſius *in Libb. IV. de Scr. Hiſt. Philoſ. locis in Indicа deſignatis.* Philoſtrati utriusque (& Senioris hujus, & Junioris, Utriusque Lemnii) Operum & in iſtis *Vitæ* etiam *Apollonii,* Editiones novas Græco-Latinas, cum MSS. collatas, emendatas, Notisque, tum propriis, tum aliorum (& has inter Salmaſianis quoque), auctas, Rich. Bentlejus (Apollonii *Epiſtolas* XCI. Eunapii *Vitas Sophiſtarum & Philoſophorum*, ſuamque *de Apollonio & Philoſtratis* Diatriben, iisdem adjecturus) & Henr. Muhlius, ante aliquot jam Luſtra, publice ſunt polliciti, neuter autem promiſſis hactenus ſatisfecit.

Thomas, ſed qui paulùm licentius evagantur. Editus ille liber eſt Pariſiis anno 1611. in 4to majori.

FRANCISCUS GEORGIUS, VENETUS. Inter Pythagoræ dogmata illud 6
fuit præcipuum, totum mundum hunc certo numero, pondere & menſura, conditum fuiſſe. Hinc harmonica Univerſi quædam proportio ab ipſo excogitata, inde concentus Orbium cœleſtium confiĉti, de quibus multa operosè commentati ſunt & Veteres, & Recentiores. Omnes enim ſpecies conſonantiarum harmonicarum ad proportionem corporum cœleſtium aptatæ, de quibus multa cumulat Kircherus *in Oedipo Ægyptiaco, Tomo 2do, parte 2da, claſſe 7ma, ſect. 7. c. 3.* Multa hìc mirifica & monſtroſa exſtruuntur dogmata; poſſe per illam harmoniam, ſi quis rectè intelligat, cœlum terræ miſceri, ipſosque ſpiritus & res inanimatas moveri & trahi, quæ omnia nunc ſuo loco relinquimus. Quanquam quidem negari non poſſit, Muſicæ admirandam eſſe vim, in moderandis hominum animis, imò & in morbis curandis.Notum enim eſt, beneficio Muſicæ peſtem fuiſſe curatam, & curari hodie, qui à tarantulis mordentur. Per accidens tamen hìc videtur tantum Muſica quicquam conferre, licet in tarantulis ſingulare aliquid & paradoxon eſſe videatur, non facilè ingenio humano explicandum, quod ſuſpicionem latitantium plurium in ſono affectionum injicere poſſet. Fuit in Anglia, qui experimentum cepit, quomodo per Muſicam certi generis, & certæ formæ, cicurari beſtiæ poſſint; neque deſunt etiam vulgo exempla, capi ſtupida & bruta animalia poſſe certo ſoni genere, qui aptus eſt movere ſpiritus animales. Ita Delphines afficiuntur voce *Simonis*, & notarunt nonnulli, aſinum imprimis affici voce *Martini*, ſemperque reſpondere, ſi voce hâc appelletur. Sed hæc extrà ſcopum noſtrum ſunt conſtituta. Audaciora ſunt, quæ hinc educunt Pythagoricæ ſcholæ ſectatores, magnam eſſe Muſicæ vim etiam in res animatas, imò in ipſos ſpiritus. Ipſa denique harmonica proportio mundi videtur plus ingenii ac phantaſiæ habere, quàm veri. Quam enim ineptum hoc eſt, mundi ætates diſtribuere per tonos, orbes cœleſtes, per varias harmonicas proportiones. Denique concentus ipſi, qui noſtris auribus non poſſunt audiri, neſcio quid puerilis commenti, aut anilis fabulæ, ſapere videntur. Quanquam Thomas Campanella, *in libro de ſenſu rerum inanimatarum*, ſpe illa teneatur, fore aliquando artifices, qui, ut oculi teleſcopiis armari poſſunt, ita pro auribus ſingulare inſtrumentum aliquod ἀκȣςικὸν parent, quo audiri poſſint concentus Orbium cœleſtium. Notum quidem eſt, Hiſpanos tale aliquod inſtrumentum, quod ipſi *Sarbadana* vocant, pro acuendo auditu habere. Idem quoque efficit tuba Stentorophonica, auribus appoſita, ſed concentum orbium cœleſtium nondum audivimus. Magna cura & labore totam hanc doctrinam deduxit, vaſto libro, FRANCISCUS GEORGIUS, VENETUS, qui & ſeorſim prodiit, & junctim cum omnibus Scriptoribus Cabaliſticis, editis Baſileæ anno 1587. in fol. aliquot tomis. Infinita hic ſunt ſomnia & commenta. Tota enim κοσμογραφία & χρονολογία ſecundum Muſica principia inſtituta eſt, in quibus qui veritatem quærat, aut philoſophiam aliquam ſolidam, is certè nubem pro

Junone amplectetur. Scripſerat & ante illum, in ſimili argumento, Joh. Picus Mirandula, qui magnus fuit Cabaliſticorum Auctorum amator; omnes enim libri ejus pleni ſunt his commentis. Rob. Fluddius, totus quantus παραδοξόσοφος, omnem ſuam Medicinam & Phyſicam in Monochordo collocat, cujus menſura apta ipſi eſt omnium rerum omnes interiores qualitates demonſtrare. Henr. Mohr quoque, in *Cabala* ſua *Philoſophica*, & ejus *Appendice*, operoſus admodum eſt in Pythagoricis de mundi Syſtemate hypotheſibus cum Judæorum Cabala conciliandis: nam *c. 5. Appendicis, n. 3.* Emblemata veſtimenti Aaronis cum hypotheſibus Pythagoreis confert, & proportionem illam harmonicam, Pythagoreis tam diligenter excultam, in veſtimento illo, quaſi per Euclidæam aliquam demonſtrationem, oſtendere laborat. Multa hic de Tetractus Pythagorica, quaſi primo illo harmoniæ fundamento, de quo Diſſertatio quoque reperitur, hactenus inedita, inter ſchediaſmata Joh. Andr. Boſii, ut patet è Catalogo MScriptorum Boſianorum, quem mecum communicavit Amicus. Illum crediderim accuratius aliquid hâc de re tradidiſſe.

7 AMBROSII RHODII (r) *Dialogus de transmigratione animarum Pythagorica.* Inter præcipua Pythagoræ dogmata, in vulgus celebrata, eſt Animarum transmigratio, ſive μετεμψύχωσις, cujus an Autor primus fuerit Pythagoras, incertum. Apud Ægyptios certè & Indos primum hanc obtinuiſſe ſententiam, è locis nonnullis Veterum Autorum patet. Vulgò quidem à Pythagora ad Indos hoc dogma perveniſſe creditur, nam hodieque apud illos viget. Sed verum tamen eſt, ante Pythagoram Ægyptiis & Indis hanc fuiſſe doctrinam; incertum, cui genti præcipuè aſſignari debeat. De ſenſu hujus opinionis variè diſputatum fuit inter Philoſophos. Aliqui συμβολικόν τι ſubeſſe huic doctrinæ crediderunt, ut ferè omnibus cæteris Pythagoræ dogmatibus, cujus hodie ſuperſunt Symbola, & Jamblicho morali explicatione illuſtrata; & poſt illum à Beroaldo & Politiano. Hâc in ſententiâ Galeus eſt, cujus videri poſſunt explicationes *l. 2. c. 3. §. 5.* Ego verò exiſtimarim, non fuiſſe Pythagoræ tropicam hujus doctrinæ acceptionem, ſed veram. Eſt & in eâdem ſententiâ AMBROSIUS RHODIUS, cujus extat *Dialogus de transmigratione animarum Pythagorica*, Hafniæ anno 1638. editus *in 8tavo.* Multus ille eſt in ventilandis variis de hâc μετεμψυχώσει opinionibus, ac tandem ſuam profert ſententiam, quatenus ea concipi & defendi poſſit. Sed ita ille non Pythagoricam, ſed ſuam ſententiam, propoſuit; quæ hic adducit de mutationibus animalium, inſectorum & ſimilia, ſpecioſa quidem ſunt, ſed durum eſt, hinc ad animas hominum conſequentias formare. Si enim vel maximè ſtatuas triplicem in homine animam, liberaliores quodammodo eſſe poſſimus, atque unam ex iis vel bovi, vel aſino, velut, ab

(r) De Ambr. hoc Rhodio Juniore, ejusque Scriptis, V. *Hypomnemata* noſtra *ad Alb. Bartholini Lib. de Scr. Dan. p. 157.* Profeſſor fuit Gymnaſii in Norvvegia Chriſtianienſis Phyſico-Mathematicus, Urbisque Poliater, patria autem Kembergenſis Saxo.

ab inteſtato relinquere. Sed tamen habet illa ſententia neſcio quid paradoxi, quæ animas in nobis multiplicat. Mihi hic illuſtrandus è Platoniſmo Pythagoras videtur. Platonis hæc erat ſententia, animam humanam poſt mortem certa ſubire vehicula, prout ſe in corpore geſſerit, vel æthereum, vel aërium, vel terreſtre: animas voluptatibus corporis immerſas, in brutam naturam degeneraſſe, atque ita poſt mortem aërem hunc ſublunarem terreſtrem habere pro vehiculo. Hac doctrina præſuppoſita (nam Platonica Philoſophia Pythagoricæ quaſi propago eſt,) non à vero alienum videtur, ſtatuiſſe Pythagoram talem animam, vehiculo aërio-terreſtri huc illuc volutam, tandem in brutum aliquod corpus incidere, pro cœlo fortè cavea aliqua aut hara donandam; cum contrà mentes, per continuas ſpeculationes in ætheris naturam ſubtiliatæ & abſtractæ, poſt mortem dignam meditationibus ſuis ſedem in æthere ipſo nanciſcantur, atque ita fiant *θεοειδεῖς*, qui finis ultimus eſt philoſophiæ Pythagoricæ.

PYTHAGORÆ *carmina aurea*. Tandem & illa prodeant, Pythagoræ quidem vulgò inſcripta, non verò ab illo, ſed ab aliquo, Pythagoricæ ſcholæ diſcipulo, ſcripta; ſapere tamen ejus ſcholam videntur, ob ſummam brevitatem, & argumenti ſublimitatem; verè enim *aurea* vocanda ſunt, quicunque demum ſcripſerit. Suidas Pythagoræ adſcribit, Gellius toti ſcholæ Pythagoricæ, quæ breves has ſententias, quibus moralem doctrinam proponere conſueverat Pythagoras, ex ore loquentis exceperit, unde poſtea ad poſteros illæ propagatæ. Alii exiſtimant, ideo Pythagoræ carmina dici, quod, ſi non eſſent, illo tamen Autore digna videantur. Aliquoties illa edita ſunt. Inter Veteres Editiones utiliſſima omnium eſt, quæ à Michaële Neandro, communi Germaniæ præceptore, in ſcholarum uſum, cum explicationibus & notis utiliſſimis, curata eſt, adjectis Phocylidis & Theognidis *ſententiis*, prodiitque Baſileæ anno 1559. *in 4to*. In hæc carmina extat Commentarius Hieroclis, qui Philoſophus Pythagoricus fuit Juliani tempore, ut vel hinc appareat, illorum jam tum Autorem creditum fuiſſe Pythagoram; prodiit ejus Editio in 8. Pariſiis, Græcè & Latinè, anno 1583. Latinè tantum *in 4to*, Romæ anno 1594. & Lugduni *in 12mo*; Omnium optima Editio eſt, quæ prodiit Londini, cum notis Merici Caſauboni erudiriſſimis, anno 1665. *in 8tavo*. 8

PAGANINUS GAUDENTIUS *de Pythagorica animarum transmutatione*. 9
Quodnam de illo viro Judicium ferendum, ſatis patet è *dedicatione Adoptivorum Carminum* Nicolai Heinſii, ubi Characterem ejus deſcribit, quod limæ ac lituræ impatiens, magnoque impetu, ſcribat, ut pro lutulento interdum, minuſque nitido, à popularibus ſuis habeatur. Satis id oſtendit ejus *Inſtar Academicum*, in quo varia ſunt, nec inchoata ſatis, nec abſoluta. Hæc *Diſſertatio* ejus prodiit Piſis *in 4to* anno 1641.

CAP. III.

DE PHILOSOPHIÆ SOCRATICÆ SCRIPTORIBUS.

§. 1. *Socrates, Philoſophiæ Practicæ, quàm Theoreticæ, ſtudioſior, immeritò à Petr. Pomponatio Atheiſmi accuſatur. Nihil vel pauca ſcripſit.* Epiſtolæ *ſub ejus nomine a Leone Allatio publicatæ, Xenophontis de illo Scripta.* 2. *Joh. Lud. Balzaci Lib. Gallicus* de Vita Socratis (*cui Verſio Librorum Xenophontis de eodem acceſſit*) *&* Socrates Chriſtianus *commendantur, & de* Deo Socratis, *ſimilibusque aliorum Eruditorum, ac Hieron. præſertim Cardani, Geniis, quos Gabr. Naudæus pro ipſorum habuit Figmentis, disquiritur.* 3. *Cebetis* Tabula *λέιψανον eſt Philoſophiæ Socraticæ, cum Epicteti* Enchiridio, *præcipuum & ferme unicum. Joh. Elichmanni editio illius πολύγλωττος poſthuma, & Aug. Maſcardi in eandem* Diſſertationes, *celebrantur.*

1 Socraticæ ſcholæ quanta fuerit olim dignitas & autoritas, non opus eſt, ut hic prolixè recenſeatur. Pauca vel nihil ipſe Socrates ſcripſit, quanquam fuerint olim plures ex ejus diſcipulis, qui de ejus vita rebusque geſtis aliquid conſignarint. Tenuia tamen hæc tantum ſunt fragmenta, è quibus apparet, quantus ille vir fuerit. Contemplativas ſcientias non usque adeò excoluit aut excolere voluit, cum videret, quantis difficultatibus omnia eſſent obſepta, ideoque ad moralem & civilem doctrinam totum ſe contulit, & quandam vitæ ſanctimoniam. Hujus doctrinæ veſtigia paſſim deprehendas in ſcriptis Platonis, in quibus ille ſæpè ſub perſona Socratis loquitur. Notum eſt, illum ſupplicio fuiſſe affectum ab Athenienſibus, quod ipſorum Deos ſperneret, ideoque illum Pet. Pomponatius, *in libro de incantationibus*, ipſe Atheus, ut Atheiſmi Patronum commendat, ac Platonem exiſtimat, eam ob cauſam, ne ſibi exitio eſſet illa libertas, religionem & dæmonum cultum præ ſe tuliſſe; quæ tamen manifeſta calumnia eſt. Contemſit Deos Athenienſium Socrates, ut idola, interim meliora de divinis rebus edoctus, ut patet è Platonis *Phædone*, ubi mortem ejus deſcribit. Schola ejus in varias poſteà Sectas ſe diviſit, quæ ex illo omnes ludo prodierunt. Aliquas Socratis & Socraticorum Epiſtolas Græcè & Latinè publicavit, cum Notis ſuis, Leo Allatius (s) editas Pariſiis in 4to anno 1637. *Apologias Socratis* ſcripſere olim Xenophon, aliique ejus diſcipuli; tum & Xenophon *de Socratis memorabilibus dictis & factis Libros IV.*

JOH.

(s) Dialogum Leonis Allatii *de Scriptis Socratis, Socratis Epiſtolis & Socraticorum* an. 1637. annexum, in quo varia Philoſopho huic ingenii Monumenta, contra Plutarchi, aliorumque Veterum, ſententiam, vindicavit, Examini erudito ſubjecit Gothofr. Olearius, L. Gr. in Acad. Lipſ. Profeſſor doctisſimus, in Exerc. peculiari, Lipſiæ an. 1696. *in 4.* excuſa. De Lyſia, Xenophonte, cæterisque Socratis Apologetis, V. Joh. Jonſii *Lib. I. de Scr. Hiſt. Philoſ. c. 7. p. 35.*

JOH. LUD. BALZACUS *de Vita Socratis.* (*t*) Vir inter Gallos doctisſimus *de vita Socratis* libellum Gallicâ linguâ ſcripſit, quô ille diligentiſſimè collegit, quicquid rerum Socraticarum apud Autores antiquos reperiri potuit. Addidit Xenophontis Opus *de rebus memorabilibus Socratis* à ſe in Gallicam linguam converſum, adjecit quoque tabulas Chronologicas, ad illuſtrandam Socratis vitam, ut hinc uno quaſi conſpectu pateat viri iſtius hiſtoria. Multa illic lectu digna, inprimis de Deo vel genio Socratis, de quo Apulejus quoque libellum ſcripſit. Multa illic affert de hoc argumento curioſa, de quo præterea legi poteſt Naudæus in *Apologia* ſua *cap. 13.* ubi de omnibus illis geniis agit, qui aſſignati fuerunt Socrati, Ariſtoteli, Plotino, Porphyrio, Jamblicho, Scaligero & Cardano, exiſtimatque illos fuiſſe inter arcana philoſophica, idque confinxiſſe ipſos, ut ſe eo venerabiliores redderent. Quod Cardanum attinet, de illo pluribus agit in Vita ejus, quam præmiſit Operibus Cardani, in unum aliquod corpus à ſe collectis; nam potius ad calliditatem Cardani, quam ad malitiam aut magiam ejus, refert. At erat ille vir mirificæ ſuperſtitionis, in quo magna dementiæ & ſapientiæ miſtura fuit; interdum enim ultra aniculas delirat, interdum ultra hominem ſapit, prout ſua habuit intervalla. Ubi foris aliqua crepuit, ſtrepitus aliqui auditi, ille ad genium ſuum omnia retulit, ut facilè eſt Ingeniis melancholicis, quale ipſi fuit, quidvis fingere, prodiit Balzaci liber Pariſiis anno 1650. *in 8.* Scripſit & idem *Socratem Chriſtianum* Gallicâ linguâ, quo librô continentur varii Diſcurſus Theologico-morales, de argumentis, in quibus Philoſophiæ Socraticæ cum Chriſtianiſmo convenit, ubi multa tamen in Pontificiorum favorem. Editus Arnhemiæ anno 1675. *in 12mo.* 2

CEBETIS *Tabula.* Cebes Thebanus Philoſophus Socraticus fuit, cujus extat hodieque *Tabula*, qua Vitæ humanæ conditio velut ſub fabula aliqua depingitur, quod genuinum eſſe Socraticæ ſcholæ ſpecimen facilè videri poteſt, cum Socrates fuerit in iſtis rebus fingendis mirè ingenioſus, lepidus etiam & facetus, unde & εἴρων dictus eſt. Hujus Tabulæ extant multæ Editiones & Commentarii, è quibus illa optima, quæ prodiit Græcâ, Latinâ Arabicâque linguis conjunctim, cum paraphraſi Arabica Joh. Elichmanni, edita in 4to Lugdun. Batav. anno 1640. Memorabilis eſt illa præfatio, quam præmiſit Salmaſius, quâ dolet obitum Elichmanni, Viri in Orientalibus verſatiſſimi, & multa præclaraque olim ſpecimina daturi, ſi ſupervixiſſet. Fatetur ingenuè illic incomparabilia fuiſſe hujus Viri erga ſe merita, in adjuvandis ſuis ſtudiis Orientalibus, quibus ipſi ad res maximas indagandas ſubſidio fuit; Inprimis conſideratu dignum eſt, quod cum Perſicæ linguæ ſecreta penetraverit, præ cæteris omnibus ſingulari libro oſtendere voluerit, Perſicæ & Germanicæ affinitatem, imò Græcæ origines 3

(*t*) Balzazi *de Socratis Vita* Libello jungi meretur Chriſt. Hoffmanni ab Hofmannsvvaldau, Senatus Uratislavienſis Præſidis, Sterbender Socrates, Sive Scriptum de Morte ejus, ac Sermonibus cygnæis, Germanicum Proſaico-Metricum, *Phædonis* Platonici ductu doctrinam etiam Socratis Philoſophico-Theologicam, non ineleganter exponens, quod, una cum reliquis Vatis eximii Poematis Vernaculis, aliquoties jam prodiit.

ex Scythicâ linguâ. Habentur quoque illic ſingularia quædam de verſionibus Arabicis Græcorum Philoſophorum, quibus illæ vitiis redundent, quave oſcitantia ex incogitantia factæ. Sed de his illic plura legi poſſunt, ubi præterea multa conferuntur paraphraſeos Arabicæ & textus Græci loca. Solet ipſi jungi Epicteti *Enchiridion*, quod itidem ſcholæ Socraticæ opus eſt, in quod extant Simplicii & Arriani Commentarii, qui pleni ſunt prudentiæ & doctrinæ moralis. In Cebetis *tabulam* extat elegans Commentarius, vel potius Diſſertationes miſcellaneæ Auguſtini Maſcardi, viri doctiſſimi, qui Cubicularius fuit Urbani VIII. Cujus & extant aliæ Diſſertationes morales, Latinæ, Italicæ ac Poëmata argutiſſima. Liber ille ſæpè recuſus eſt in Italiâ; Una editio Venetiis prodiit *in 8tavo.* anno 1643. In Germanicam linguam nuper converſus eſt, prodiitque Francof. anno 1671. *in 12mo.* Autor verſionis illic non apparet. De Cebete ipſo pluribus agit Maſcardi ad lectorem *præfatio.* De Epicteto plura dicentur, ubi ad Scriptores Philoſophiæ Stoicæ perveniemus, quæ genuina eſt & princeps Socraticæ propago.

CAP. IV.
DE PHILOSOPHIÆ STOICÆ SCRIPTORIBUS.

§. 1. Stoici, e Socratis Schola progreſſi, multos Romanorum, & in his Senecam, atque JCtos ferme omnes, Sectæ ſuæ habuerunt Aſſeclas. 2. Judicium de Juſti Lipſii Manuductione ad Philoſ. Stoicam, & Phyſiologia Stoica, *ac Caſp. Scioppii* Elementis Philoſ. Moralis Stoicæ, *e Lipſio contractis. 3. De Jac. Thomaſii* Diſſertationibus Stoicis. *4. Elogium inſigne M. Aur. Antonini, Imp. Operis ejus τῶν ἐις ἑαυτὸν, ac Editionis hujus, a Thoma Gatakero A. 1652. cum luculento Comm. publicatæ. 5. Commendatur Epicteti* Enchiridion, *ejusque, uti & Commentatorum illius, Arriani (cujus MS. etiam de* Romanorum Exercitiis *laudatur* Equeſtribus) *ac Simplicii, Editiones ac Interpretes enumerantur.*

1 E Socratis ſcholâ Zeno prodiit, Pater atque Autor Stoicæ Philoſophiæ, quæ qua in re à Socraticâ differat, non adeò ſcitur. Quandoquidem Socrates ipſe nihil ſcripſit, & Theoreticæ diſciplinæ ab eo negligenter habitæ, dici non poteſt, an Stocorum ſchola hic ſuas, an verò Socratis ſententias profiteatur. Fuerunt Stoicæ Philoſophiæ addicti olim maximæ autoritatis viri, &, quia à vulgo ſegregati honeſtiorem vitam ſequebantur, Principes in Rep. Rom., & poſteà Seneca, qui Stoicam doctrinam, tam Moralem, quam Phyſicam, in libris ſuis excoluit, quanquam non methodo aliqua didactica, ſed perpetuis Diſſertationibus. Poſt illa tempora JCti plerique omnes Stoicæ Philoſophiæ erant addicti, cujus veſtigia paſſim in Digeſtis deprehendas, ac notarunt loca non pauca alii JCti, in quibus Stoiciſmi aliqua apparet ratio.

LIPSII *Manuductio ad Philoſophiam* Stoicam. Inter dogmaticos libros, quos Juſtus Lipſius ſcripſit, præ cæteris laudem merentur ejus *Manuductio ad Philoſophiam Stoicam*, & deinde ipſa ejus *Philoſophia Stoica.* Cum enim Juſtus Lipſius vehementer delectaretur lectione Senecæ, eam ſibi operam ſumſit, ut præcipuè è Senecâ, hincque ex aliis Philoſophiæ Stoicæ Scriptoribus, corpus aliquod concinnaret, & ad certa principia deduceret. Non eſt plenior in hoc argumento ſcriptor, & qui accuratius hanc doctrinam tractarit. Nam, quanquam Caſpar Scioppius *Elementa Philoſophiæ Stoicæ moralis* ſcripſerit, quæ edita ſunt Moguntiæ *in 8tavo* anno 1606. tamen partem ejus Philoſophiæ, nimirum moralem, tantum attigit, & attigit tantum, nam in Compendium traxit, quicquid à Lipſio ſcriptum prolixius erat. Aliud de Philoſophia Stoica univerſa Opus Scioppium eſſe molitum, Autor Vitæ P. Sarpii teſtatur. 2

JACOBUS THOMASIUS. Etiam ille doctrinam Stoicam, Poſt Lipſium, illuſtravit ulterius, præcipua enim Philoſophiæ Stoicæ capita, inprimis illa, quæ ad Phyſiologiam pertinent, ſingularibus diſſertationibus perſecutus eſt, e. g. Stoicam mundi Exuſtionem; Annum Magnum; æternitatem mundi; doctrinam de Deo, Fato, Chao Stoicorum; de immortalitate animarum; pluralitate mundorum, & hominibus redivivis, de quibus ille prolixè & more ſuo eruditè, è variis Scriptoribus, agit, interſerit quoque Diſſertationem de quatuor Græcorum Sectis præcipuis. Lipſiæ anno 1676. *in 4to Diſſertationes* hæ *Stoicæ* prodierunt. 3

MARCUS AURELIUS ANTONINUS. Veniunt nunc quoque in ordinem noſtrum Imperatores. M. Aur. Antoninus, Philoſophiæ Stoicæ addictus, vir inculpatæ vitæ, & inter Ethnicos quaſi quidam Deus, magna ſanctimonia, quam ipſe præter naturam ſuam, quæ ipſi contigerat optima, debebat Philoſophiæ Stoicæ. Ejus extant lib. 12. *τῶν εἰς ἑαυτὸν, de rebus ſuis*, ſive de iis, quæ ad ſe pertinere cenſebat. *(u)* Editi illi ſunt aliquoties, primùm cum Merici Caſauboni notis *in 8.*, poſtea cum elaboratiſſimo Commentario Thomæ Gatakeri, Viri doctiſſimi, cujus extant varia ſcripta, eaque omnia doctiſſima, ut *Adverſaria ſacra, Cinnus*, aliaque. Opera illa, quam in Antoninum impendit Gatakerus, planè egregia eſt. Primum præmiſit luculentam Diſſertationem de diſciplinâ Stoica, in qua eam confert cum Peripateticâ & Academica Vetere, Epicurea, &c. Variæ lectiones notantur in margine, parallelismus Autorum, in Antonino occurrentium, ad minutias usquæ eos oſtendit, lateri appoſitus. Denique Commentarii uberrimi, aliorum Philoſophorum ſententias 4

Græcas,

(u) Recuſi ſunt noviſſime M. Antonini Imp. *Libri de rebus ſuis XII.* Græce, cum Verſione Latina & *Commentario* Thomæ Gatakeri, adjectiſque huic *Notis* Merici Caſauboni & Guilh. Xylandri, inter *Opera* Gatakeri *Critica*, junctim denuo Trajecti ad Rhenum an. 1698. *in fol.* cum Præfat. Herm. Witſii, Theologi Ultrajectini, publicata. Anonymi Verſio illorum Italica Romæ an. 1675. *in 12.* Gallica autem Andr. Dacexii & Annæ Fabræ, Conjugum Doctiſſimorum, *Notis* aucta, tum Lutetiæ, tum Amſtelod. an. 1691. *in 12.* prodiit.

Græcas, Latinas, Antonini effatis reſpondentes, magno cumulo congerunt, ut librum hunc non immeritò Pandectas doctrinæ moralis Stoicæ dicere poſſis; prodiit ille Cantabrigæ *in 4to* anno 1652.

5 EPICTETI *Enchiridion.* Epictetus, Philoſophus Stoicus, judice Gellio Stoicorum maximus, vixit ſub Domitiano, Stoicæque Ethices doctrinam compendiolo quodam propoſuit. In illum Commentarii antiqui extant Arriani, qui Epicteti fuit diſcipulus, & ſub Adriano floruit. Scripſerat idem de vita Epicteti præceptoris ſui, quod opus injuria temporis periit. Arriani Commentarius in ipſum prodiit aliquoties *in 4to*, Baſileæ anno 1554. Latinè & Græcè, Latinè Baſileæ *in 8.* Prodiit itidem Genevæ Græcè & Latinè anno 1594.; ſed editio non ſatis correcta eſt. In eundem Epictetum extat Simplicii Commentarius, qui Græcè prodiit *in 4to* Venetiis anno 1528. Latinè verſus ab Angelo Caninio Venetiis *in fol.* anno 1569. Optima editio ejus prodiit, cum Verſione Hieronymi Wolfii, & Commentario Claudii Salmaſii, Lugd. Batav. in 4to, anno 1640. Arriani, cujus mentio nunc facta eſt, ut hoc etiam memorem, aliud extat Opus MScriptum, & ineditum hactenus, de Veterum Romanorum Exercitiis equeſtribus, quod inter libros MStos Bibliothecæ Holſtenianæ apparet. In eadem Bibliotheca extat Zenonis, & reliquorum Stoicorum, Philoſophiæ moralis Compendium.

CAP. V.

DE PHILOSOPHIÆ EPICUREÆ SCRIPTORIBUS.

§. 1. *EPicuri Secta Stoicæ fuit inviſa, & variis ab hac calumniis impetita, magis tamen, quàm hæc, profana. In Theoreticis Epicurus Democritum eſt ſecutus, Philoſophiæ Experimentalis Doctorem eximium, cui an MStum debeatur Chymicum, quod Titulo* Phyſicorum & Myſticorum Democriti *ſupereſt, disquiritur, judiciumque de illo fertur benignius. Commendatur Pet. Gaſſendi* de Vita, Moribus & Doctrina Epicuri *Liber. 2. T. Lucretius Carus, Poëmate* de Rerum Natura, *in ſex Libros diviſo, Epicuri Philoſophiam complexus laudatur, & de Editoribus ejus ac Exegetis ſimul fertur Judicium, de Hub. Giſanio benignius, de Dan. Pareo autem, Tanaqu. Fabro & Joh. Nardio, ſequius. Laus Aonii Palearii, Styli Lucretiani & Ciceroniani Imitatoris feliciſſimi. 3. Pet. Gaſſendi, moderni Philoſ. Epicureæ Inſtauratoris, ac Operis ipſius de illa, ſive* Commentarii in Lib. X. *Diog. Laërtii, Elogium. Bernerii* Epitome *iſtius. 4. Joh. Franc. Grandis* Diſſertationum Philoſophicarum Prima, *Phyſicæ Epicureæ oppoſita, commendatur. 5. Gvaltheri Charletoni* Phyſiologia Epicuro-Gaſſendo-Charletoniana. 6. *Jordanus Brunus*, in Libro de Immenſo & Innumerabilibus, *Solium & Mundo-*

Mundorum pluralitatem, cum Epicuro, defendit, ſed vivicomburio hanc luit audaciam. 7. Rob. Boylius Doctrinæ Epicuri de Atomis Corpuſcularis, poſt Carteſium, Inſtaurator. Artificium ejus oſſa emolliendi, & in cibum convertendi.

EPICURUS Gargettius, Athenienſis Philoſophus, Sectam condidit de ſuo 1
nomine, Stoicis planè adverſam, inter quos perpetua olim bella fuere. Hinc mutua orta fuerunt convitia, cum ſchola Stoicorum inſectaretur Epicureos, & Epicurei Stoicos. Notum eſt, quænam vulgo ſit de Epicureis opinio, quaſi ſc. voluptatem omnem pro fine habeant, cum alii contra Epicurum defendant, qui exiſtimant, illum per voluptatem non corpoream iſtam, ſed animi intellexiſſe. Quicquid tandem ejus ſit, profana magis fuit Epicuri, quam Stoicorum, Philoſophia, ut per certa capita oſtendit Gatakerus in docta illa Diſſertatione præliminari ſuper Commentarium in Antoninum. Quod doctrinam contemplativam attinet, veterem illam Democriti ſententiam ſecutus eſt, quanquam veroſimile ſit, illum ſuis quibusdam dogmatibus interpolaſſe, vel adulteraſſe. Democriti ſcriptorum nihil extat, niſi pauca aliqua, quæ tamen dubiæ fidei habentur. Id certum eſt, fuiſſe illum Philoſophum maximum, magnæ in rebus naturalibus experientiæ. Certum eſt, Ariſtotelem multa ex eo deſcripſiſſe, qui, ut in Experimentis totus erat, ita nihil quicquam definivit, niſi quod ipſe ſatis exploraverat. Plinius autor eſt, ejus libros multa habere de gemmis, Unionibus, metallis, ut hinc ſuſpicio aliqua multis oriatur, fuiſſe inter primos artis Chymicæ propagatores. Quam ſuſpicionem firmat libellus, qui ſub ejus nomine MStus (*x*) circumfertur Græca lingua, cum illo tit. *Democriti Phyſica & Myſtica*, qui in linguam Latinam converſus prodiit, ſi rectè memini, Venetiis. Extat, cum aliis Artis χρυσοποιητικῆς ſcriptoribus Græcis, in Bibliothecâ Regiâ Pariſienſi, unde titulos illorum Auctorum excerpſit Labbæus in ſua *Bibliotheca MStorum*, & multa Exemplaria transſumpta fuerunt, Vienneſe & Altenburgenſe. Quod extremum ad manus meas pervenit, mecum ab Amico communicatum, cum Annotamentis marginalibus Thomæ Reineſii, qui verba Græca, inemendatè ſcripta, vel correxit, vel explicuit. Differt tamen illud Exemplar à Regio Pariſienſi MSto, ut notavit ipſe Reineſius, in Diſſertatione de his Scriptoribus MScripta. Quod enim Salmaſius in *Commentario* ſuo *in Solinum*, ex Exemplari Regio adducit de unionibus parvis in magnos convertendis, in Altenburgenſi Codice planè non apparet, ideoque aliqua ſui parte mutilatum oportet fuiſſe librum, nec bona fide deſcriptum. Quicquid jam ſit de illis Scriptoribus, & Democriti ipſius opuſculo, non definiri libri iſtius autoritas poteſt. Incertum

(*x*) De MSto, quod Democriti nomen præfert, Chymico confer *Polyhiſtoris* hujus *P. I. L. I. C. IX.* §§. *31. ſqq.* de Dogmatis vero Democriti Philoſophicis Joh. Chryſoſt. Magneni *Democritum Reviviſcentem, ſive de Democriti Vita & Philoſophia libellum*, Lugd. Bat. an. 1648. & Hagæ an. 1658. *in 12.* editum.

enim, an ab illo ſcriptum, quove tempore. Qui acutius hic ſe videre putant Critici, è ſtylo judicant, non eſſe illius ætatis fœtum, qua Democritus vivebat. Adverſus quos tamen, quæ excipiat, habet Borrichius, in *Diſſ.* ſua *de ortu & progreſſu Chymiæ adverſus Conringium*, & in Libro, quo plenius rem omnem de his ſcriptoribus perſequitur, quem adverſus Conringium iterata vice ſcripſit, ſub Titulo *Sapientiæ Hermetis, Ægyptiorum & Chymicorum a Conringii Animadverſionibus vindicatæ.* Equidem non omnem ipſi autoritatem detraxerim: quod enim ſtylum attinet, notum eſt, talia, quæ in Commentariis ſcribi ſolent, rudi tantum ſermone delineari ſolere. Deinde, ſi non ab ipſo Democrito, fortaſſis ab aliquo diſcipulorum ejus potuerunt conſignari, & quaſi per manus tradi. Sed illa nunc mittimus, tanquam extra ſcopum noſtrum conſtituta, & ad Scriptores Philoſophiæ Epicureæ procedimus, quandoquidem Democriteæ Philoſophiæ nihil reſtat. Qui vitam Epicuri, ejusque ſcholæ hiſtoriam, plenius noſſe deſiderat, ille adeat ſingularem Pet. Gaſſendi librum, quem *de Vita, moribus & doctrina Epicuri*, ſcripſit, editum Hagæ Comitum *in 4to*, anno 1656.

2 TITUS LUCRETIUS CARUS (*y*) Philoſophus potiùs quam Poëta, ſed cujus tamen puriſſima latinitas eſt, quem non immeritò magni faciunt, tam Veteres, quam Recentiores. Etiam ſylvam ejus cæcidit Virgilius, uti ex multis locis deprehendimus, quod argumento eſt, magni ipſum ei fuiſſe æſtimatum. Nemo eſt ex antiquis, qui doctrinam Epicuream integro opere complexus ſit, uti Lucretius. Nam Diog. Laertius, *l. 10*, tantum per lacinias & fragmenta ejus doctrinam colligit. Lucretii variæ ſunt Editiones, & quidem inter eos, qui Autorem ipſum ratione textus emacularunt, præcipuus eſt præſtantiſſimus ille JCtus, Obertus Giſanius, cujus extant alia multa in alios Autores Commentaria. Nam, quod illum plagio quædam Mureto ſubripuiſſe tradunt, in invidiam ejus, ut puto, confictum eſt. Dedit ille Indicem in Lucretium, qui ſimul explicat ipſum textum Lucretianum. Editus liber eſt Lugdun. Batav. ex Officina Plantiniana anno 1595. in 8. Eſt & alia Editio Danielis Parei, quæ prodiit Francof. anno 1631. in 8. qui merus eſt plagiarius Giſanii. Notus eſt enim inter Philologos vir ille, ut fucus aliena ad pabula. Edidit *Lexicon Lucretianum*, Editioni ſuæ additum, quod ex Giſanio compilatum eſt, pauculis quibusdam non magni momenti additis. Adjecit Scip. Capitii *libros* 2., carmine ſcriptos, *de principiis rerum.* & Aonii Palearii lib. 3., itidem carmine ſcriptos, *de immortalitate animæ*, dictione tali, quæ Lucretianam ad vivum exprimit. Fuit enim

(*y*) De Lucretio plura *Tomi I. Lib. IVtus, Cap. XI.* jam expoſuit. De Plagii Crimine, Commentatori ejus, Hub. Giphanio, objecto, V. Jac. Thomaſii *Tr. de Plagio Literario*, §. 445-448. Anglicis Verſibus Lucretium reddidit, adjectisque Notis Oxoniæ A. 1682. *in 8.* publicavit, & deinceps ipſum quoque Textum Latinum, Interpretatione ſua & Annotationibus illuſtratum, ibidem an. 1695. *in 8.* edidit, Thomas Creechius, Collegii omnium Animarum Oxonienſis Socius, eodum, quo Lucretius, fato, αὐτόχειρ, ob amoris impatientiam, haud ita pridem, uti fertur, extinctus.

enim illo Viro inter recentiores nemo Ciceroni qua dictionem ſimilior, quod ex Orationibus & Epiſtolis ejus patet. In carmine hoc expreſſit Lucretium. Edidit quoque Lucretium Tanaquil Faber SalmurI anno 1662. *in 4to*, cum notis ſuis, ubi ille, more ſuo, multa audacter corrigit, Vir quidem aliàs doctiſſimus, ſed critica ſua virgula nimium cenſorius. Nam in MStorum defectu parcè ingenio permittenda eſt licentia. Atque hi ſunt, quorum in Lucretium extant labores Philologici. Phyſicum Commentarium in illum ſcripſit Joh. Nardius, qui prodiit Florent. anno 1647. *in 4.* Sed ſtrictior tamen eſt pro materiæ amplitudine, in quam ſi diffundere ſe voluiſſet Autor, majus ille opus concinnaſſet. Ejus multa aliàs extant ſcripta Phyſiologica, ſed quæ non videntur ſpirare illam *ἀκρίβειαν*, quam ſeculi noſtri perſpicacitas requirit.

PETRUS GASSENDUS. Per compendium, & quaſi per lancem ſaturam, 3
exhibuerat Philoſophiam Epicuri Diog. Laërtius *lib. 10.* Ex his igitur fragmentis, & Lucretiano Poemate, magno molimine concinnavit Syſtema aliquod Philoſobhiæ Epicureæ Pet. Gaſſendus, quod eſt inſtar Commentarii in librum illum decimum Diog. Laërtii. Multa hîc ſunt prolixe diſputata in omnibus argumentis, tam Phyſicis, quam Metaphyſicis & Moralibus, vel pro Epicuri doctrina, vel adverſus illam, ubi illa Chriſtianiſmo, vel communibus Philoſophorum placitis, repugnat. Adjicitur in fine *Syntagma Epicureæ Philoſophiæ*, quo, & compendioſius, & ornatius, illa proponitur. Magno alioquin ingenio & apparatu liber ille ſcriptus eſt, prodiitque *in fol.* Lugduni, anno 1649., & cum ceteris ejus Operibus, junctim editis. Ceterum hic Vir eſt ſummus Philoſophiæ Epicureæ inter Recentiores reſtaurator, quam & ipſe ex animi ſententia amplexus eſt. Cetera ejus ſcripta philoſophica, mole non minora, Epicuri principia pro fundamento ponunt, præterquam in illis argumentis & hypotheſibus, in quibus ipſe ab ejus ſententia divortium facit. Prodiit non ita pridem Gallica lingua Philoſophia Gaſſendi Epicurea, in compendium contracta, de qua legi poſſunt Ephemeridum Gallicarum Scriptores. (z)

JOH. FRANCISCUS GRANDIS. Hujus viri extant *Diſſertationes* aliquot 4
Philoſophicæ & Criticæ, Pariſ. anno 1658. *in 4.* editæ. Earum prima eſt adverſus Epicuream Philoſophiam, ad Pet. Gaſſendum ſcripta. Multa habentur in illa Diſſertatione curioſa & non vulgaria, quæ doctrinam Epicuream de Atomis &

(z) Epitomator Philoſophiæ Gaſſendi Epicureæ, *h. l.* memoratus quidem, ſed haud nominatus, eſt Franc. Bernerius, Principis Viduæ Aurelianenſis Conſiliarius & Archiater, cujus *Abrege de la Philoſophie de Gaſſendi*, Lugd. Gall. an. 1678. *in 8.* ac reviſa emendataque ibid. an. 1684. *in 12.* VII. Tomis prodiit. Exſtant & ejusdem *Doutes ſur quelques uns des principaux Chapitres de son Abrege de la Philoſophie de Gaſſendi* ed. Paris. an. 1682. *12.* V. Corn. a Beüghem *Appar. ad Hiſt. Lit. Noviſſ. Conſpect I. p. 47.* & Loca Ephemeridum Literariarum iſthic allegata. Fuiſſe autem Bernerium hunc Gaſſendi comitem indivulſum, & Amicum intimum, Sam. Sorbierius *in Vita Gaſſendi* teſtatur. V. hanc in Wittenii *Dec. VI. Memor. Philoſ. p. 224.*

Inani, unde totus orbis componitur, eorumque motu, impugnant. Nam principia illa ad rerum conſtitutionem, & ſpecierum productionem, non ſufficientia monſtrat, & ex ipſo Lucretio aliquod principium divinius, & quaſi ſupernaturale, oſtendit, quo opus ſit in digeſtione rerum, & ſpecierum fabrica. Errare itaque Epicurum demonſtrat, qui ex fortuito atomorum concurſu omnia vult produci.

5 GVALTERUS CHARLETON. Ille poſt Gaſſendum in theatrum hoc venit, & ex Epicuri Paralipomenis, Gaſſendi Diſſertationibus, & ſuis hypotheſibus, Syſtema aliquod confecit, cui tit. *Phyſiologiæ Epicuro-Gaſſendo-Charletoniana, or a fabrick of ſcienſe natural, upon the hypotheſis of atoms*, editum Londini anno 1654. *in fol.* Ejus quanquam plurima ſint è Gaſſendo deſumta, non pauca tamen ipſi adjecit rerum & experimentorum novorum, quæ ad hypotheſin de Atomis explicuit. Fuit & antea doctrina de Atomis tractata à Joh. Chryſoſt. Magneno in *Democrito* ſuo *redivivo.*

6 JORDANUS BRUNUS, NOLANUS. Inter dogmata Democriti etiam illud fuit de pluralitate mundorum, imo illorum infinitate, quod argumentum Jordanus Brunus, Nolanus, reaſſumſit, cujus inter Opera extat *liber de Immenſo & innumerabilibus, ſive de Univerſo & mundis.* Quo in libro doctrinam hanc de multis ſolibus, & multis terris, ſumma cum cura propoſuit, hâc methodo, ut primum præmittat Carmen, deinde ſcholia ſubjungat, quibus argumenta, pro theſi ſua adducta, ulterius firmare intendit. Ille vero in Italia tandem vivicomburio ſententiæ ſuæ audaciam luit, quanquam non deſunt, qui aliâ de cauſa ſupplicio hoc affectum fuiſſe exiſtimant. Alioquin theſis ipſius plerisque Aſtrologis nunc placet, qui ſtellas fixas habent pro ſolibus, quibus ſingulis ſuæ circumponuntur lunæ, vel terræ, nobis inviſibiles. Editus ille liber eſt Francof. anno 1591. *in 8avo*, cum aliis quibusdam ejus Operibus, quæ neſcio quid Cabaliſtici, aut Lulliani, ſapiunt. His enim rebus videtur fuiſſe addictus. Prolixè illic de mundis diſputat adverſus Ariſtotelem, pro immenſitate & infinitate mundi, in infinito ſc. ſpatio, infinita eſſe finite mobilia ſtatuit, infinitos ſoles (fixas ſtellas) & tellures (planetas), & non eſſe compertum planetarum numerum circa hunc ſolem, neque ſpectabilem circa alios. Iſtam illic ſententiam multis argumentis propugnat, quæ ibi prolixè legi poſſunt. Hanc ille ſententiam primus videri vult in medium protuliſſe è Recentioribus, quanquam poſt Copernicum in theatrum venerit. *(aa)* RO-

(aa) Sententiam de pluralitate Mundorum noviſſime, & majori quidem, quam omnes alii, conatu, audacia & curioſitate, propugnavit Chriſt. Hugenius, Mathematicus Bataviæ Celeberrimus, in Κοσμοθεώρῳ *ſive Conjecturis de Terris Cœleſtibus, earumque ornatu*, Scripto poſthumo, Hagæ Comitum an. 1698. *in* 4. edito, cujus Recenſum, tum in reliquis Ephemeridibus nuperis Literariis, tum in Actis Erud. Lipſ. M. Octobr. an. 1698. p. 448-455. Cenſuram autem in *Memoriis* Jeſuitarum *Trevorienſibus Menſtruis Anni* (niſi memoria me fallit) 1702. invenies. Dialogum etiam pro eadem Gallicum edidit Dn. de Fontenelles, Academiæ Pariſienſi Scientiarum Regiæ nunc a Secretis, in Linguam quoque nuper translatum Germanicam. Gallice prodiit Amſtelod. an. 1687. *in* 12. ſub Tit. *Entretiens ſur la Pluralite des Mondes.*

ROBERTUS BOYLIUS. Inter dogmata Democriti fuit illud de minimis rerum particulis, unde omnia conſtent in rerum natura, quæ ſententia nunc præ cæteris ita exculta eſt, ut addi vix quicquam poſſe videatur. De Carteſio res notiſſima eſt, quam ille particularum etiam minimarum figuras dimenſus fuerit, atque inde operationes naturæ plurimas deducat. Hoc argumentum nemo nunc melius expoſuit, quam Robertus Boylius, qui ingenio addens experientiam, multa in hâc doctrinâ abſtruſa patefecit. Ejus libri penè omnes, quos ſcripſit (ſcripſit autem multos,) ſuper doctrina corpuſculari, ut vocat, fundati ſunt. *Liber* ejus *de Origine formarum, Chymiſta Scepticus, & Tr. de frigore*, multas habent curioſiſſimas demonſtrationes, quæ omnes procedunt è conditione particularum, variè mutatarum, figuratarum, & in ſe incidentium, in quibus adeò operoſus & diligens eſt, ut omnium ſuperarit induſtriam. Speciatim quoque ſcripſit *de natura effluviorum, eorum determinatione & mira ſubtilitate, motu etiam particularum in ſolidis & apparenter quieſcentibus corporibus*, etiam compactiſſimis, ut in gemmis, lapidibus, metallis, oſſibus, quæ poſtrema nunc, novo artificio πνευματικῷ, ita in minimis ſuis attenuare docuit, ut in ſubſtantiam cartilagineam ac mollem è dura illa convertantur, & vel ipſi homini in cibum cedere poſſint. Quod elegans quidem eſt & curioſum, ſed in fraudem canum, inventum.

CAP. VI.
DE SCRIPTORIBUS SCEPTICIS.

§. 1. SCeptici e Schola Socratis & Academicorum ſunt progreſſi. Nicol. Cabaſilæ, Cl. Ptolomæi, Mar. Merſenni & Malebranchii, contra eos Scripta. Sectam hanc amplexi ſunt Lucianus, Thomas. Hobbeſius & Bened. Spinoſa. Falſo contrà Scepticiſmi accuſantur Ren. Carteſius, Henr. Corn. Agrippa, moderni que Philoſophi Experimentales, quibus Joſ. Glanvil, in Scepſi Scientifica, *patrocinatur. 2. Scepticiſmum defenderunt Sex. Empiricus. 3. &, inter modernos, etſi haud ſerio, Franc. Sanchez, a Dan. Hartnaccio impugnatus.*

VEnimus ad philoſophiam SCEPTICAM Veterum, ſive Pyrrhoniam, à Pyrrhone, 1
ejus Philoſophiæ Auctore, ita dictam, qui Scepticorum Princeps fuit. Videtur hæc Secta ex Academicis prognata. Socrates enim, Academicorum Princeps, primus fuit, qui ex modeſtia & neglectu contemplativarum diſciplinarum nihil ſciri poſſe aſſerebat; quanquam non deſint, qui hoc per Ironiam illum feciſſe arbitrantur, quaſi ſcientiam diſſimulando ſimulaverit, renunciando ſc. iis, quoæ manifeſtò ſciebat, ut ea, quæ neſciebat, ſcire etiam putaretur. Tota autem hæc Secta primum orta videtur à vanitate & Jactantia, quod & notat Verulamius *de Augm. ſcientiarum l. 5. c. 2.* eosque, qui eloquentia floruerunt, hanc ferè ſibi Sectam ſumpſiſſe, ut in utramque partem copioſè diſputando gloriam aſſequerentur.

tur. Contra illos Scepticos extant Veterum nonnullorum Patrum declamationes, uti teſtatur Lambecius *Commentariorum de Bibliotheca Vindobonenſi l. 5. p. 212. Codice 276.* ubi de MStis Græcis agit. Laudat illic Nicolai Cabaſilæ, Archi-Epiſcopi Theſſalonicenſis, *Diſſertationem de Criterio veritatis*, ſive de facultate & inſtrumento judicandi, quid ſit verum, contra Pyrrhonem, Scepticorum Principem. Eſt & Claudii Ptolomæi peculiaris tractatus περὶ κριτηρίȣ καὶ ἡγεμονικȣ̃, *de judicandi facultate & animi principatu*, qui reperitur MStus inter libros Lucæ Holſtenii, & ab Iſmaele Bulialdo Græce & Latinè editus eſt Pariſiis, apud Cramoiſios, *in 4to* Anno 1663. In eodem illo Codice MSto, quem laudat Lambecius, extat ejusdem Cabaſilæ *Solutio argumentorum quinque contra Rhetoricam, ſive artem dicendi*, quæ à Scepticis proponuntur. Sed de iſtis ineditis nullum formari Judicium poteſt, notari tamen debent, ſi fortaſſis aliquando in Bibliothecas incidamus, ubi reconduntur. Fuit & Lucianus iſti Sectæ addictus, cujus argumenta multa ſunt in ipſius libris. Solebant enim Sceptici omnia ſalsè ridere, de omnibus rebus in utramque partem diſputare, nihil ut certum aſſeverare. Audio &, è recentioribus, Marinum Merſennum, Virum alioquin doctiſſimum, ut ex ejus libris editis conſtat, & Mathematicum ſolertiſſimum, totam hanc Scepticorum doctrinam ſingulari libro *de Veritate Scientiarum*, Gallicè ſcripto, à capite ad calcem refutaſſe. Quem cum ipſe non viderim, eſt enim rarior, ut penè omnes iſtius Viri libri, remitto ad Sorellum, qui, in *Scientia* ſua *Univerſali*, quædam in compendium ex illo redegit. De capitibus, quæ ſpectant ad doctrinam Scepticorum, evolvi etiam meretur Malebranchius, Autor Diſſertationum Gallicarum, quibus tit. *la Recherche de la verite*; ubi de illis, quæ ad doctrinam de ſenſibus ſpectant, & de eorum erroribus, prolixè agit, eosque diſtinctè propoſuit. Palmarium enim argumentum Scepticorum in illo ſitum eſt, quod ſenſus noſtros non rectè affici demonſtrare velint, illos variis modis errare ratione objecti & ſenſorii, quo fundamento ſublato, omnium diſciplinarum & rerum incertitudinem ſe confeciſſe exiſtimarunt. In hoc itaque omnis opera ponenda eſt, ut ſenſuum demonſtretur evidentia, unde omne principium demonſtrationis dependet, quo ſublato omnes ſcientiæ eſſent ſublatæ. Sed facillimo negotio illis reſponderi poteſt, ut qui meris ſophiſmatibus & parallelismis ſententiam ſuam defenſum eunt. Ex hac tamen Camarina hauriunt hodie, qui impia dogmata, tàm qua Dei cognitionem, quàm qua mores, tradunt, Hobbeſius & Spinoſa. Ambo enim, in eodem ludo ad nequitiam docti, veterem illam cramben recoquunt, eoque ſubtilius venenum iis miſcent, quo magis Mathematicis diſciplinis fuerunt exculti. Sed abſurditatem illarum ſententiarum deprehendere facile eſt illi, qui ſolidam huic negotio affert doctrinam, interiorem ſcilicet philoſophiæ, non veteris tantum, ſed & recentiorum Sectarum, & Matheſeos peritiam. Non referendi tamen ſunt ad hanc claſſem, qui ideo de rebus dubitant, ut ſcientiam ſibi forment veram & ſolidam, quemadmodum fecit Carteſius, cujus hoc primum principium eſt, de omnibus rebus aliquando dubitandum eſſe. Nam qui ideo Scepticum illum facere volunt, injurii in

ipſum

ipſum ſunt: nihil enim ille magis quærit, quam demonſtrationis evidentiam. Ac demonſtrari facile poſſit, ex omnibus Philoſophis antiquis, Platone & Ariſtotele, planè idem illos docuiſſe. Eodem modo Societas Angliæ Regia omnia illa ſeponit præjudicia Veteris Phyſicæ, ut certas concluſiones inveniat & demonſtret. Quo fine Joſephus Glanvil librum ſcripſit Anglicâ linguâ, cui tit: *Scepſis ſcientifica, adverſus vanitates Dogmaticorum*, editum Londini *in 4to* anno 1665. Scopus ejus Autoris in hoc opere eſt, ut monſtret, quàm multa ſint incognita in ratione, nec ullâ arte cognoſci poſſint, illis tamen viam eſſe ſternendam per ea, quæ manifeſtis demonſtrari poſſunt argumentis. Neque pertinet ad hanc claſſem Henricus Cornelius Agrippa, cujus extat *de Vanitate Scientiarum* liber, doctus profecto & laborioſus. Voluit enim potius abuſus & ineptias ſcientiarum Satyrico ſale defricare, quàm, illas planè nihili eſſe, oſtendere.

SEXTUS EMPIRICUS. Sextus ille quis fuerit, ubi & quando vixerit, non 2
ſatis certum. Alexandriæ quidam vixiſſe volunt. Ille quidem, in ſcriptis ſuis, multis in locis innuit, ubi non vixerit, nusquam autem diſertis verbis ait, ubi vixerit, ac neſcivit fortaſsè Scepticus, an illic viveret, ubi vivebat. De ordine Pyrrhoniorum Doctorum & ſucceſſione Laërtius agit *lib. 9.* Sed parum hæc res ad nos pertinet. Prolixè admodum de ejus ætate diſputat Jonſius, *de ſcriptoribus hiſtoriæ Philoſophicæ lib. 3. cap. 12.* Hujus Sexti Empirici Opera omnia extant Græcè & Latinè edita Pariſ. *in fol.* anno 1601. & Genevæ 1621. *Pyrrhonianæ* ejus *Hypotheſes* Lat. ling. ſeorſim ſunt editæ ab Henr. Stephano cum notis, *in 8.* anno 1562. Opus *adverſus Mathematicos* Latinè eſt editum à Gentiano Herveto *in fol.* Pariſ. anno 1569. Ceterum Opera ejus Omnia Græco-Latina rara ſunt, operæque pretium faceret, ſi quis è Criticorum familia iſta recudi faceret & emendatiùs ederet.

FRANCISCUS SANCHEZ. Fuit ille Doctor Medicus, & in Acad. Toloſanâ 3
Prof. Regius, qui Tractatum ſcripſit, ut tit. habet, *de multum nobili & prima univerſali ſcientia, quod nihil ſcitur.* Libellus eſt exiguus, ſed qui in compendium traxit pleraque Scepticorum argumenta, argutè ſatis & nervosè. Aliquoties editus eſt, & *in 4to* quidem Lugduni apud Gryphium anno 1581. Poſtea Francofurti *in 8.* anno 1618. Cui Editioni additus eſt libellus Maturini Simonii, JCti, *de literis pereuntibus.* Eſt etiam alia quædam Roterodamenſis Editio, ſi rectè memini. Sc. is quoque vir è Medicorum gente novi aliquid ſapere viſus eſt. Plerumque enim Medici, vel in Theologia, vel Philoſophia, novaturiunt. Non putarem tamen, adeò ſeriò rem ſuam egiſſe Franciſcum noſtrum, eumque potius ſcriptionis ſuæ habuiſſe finem, ut exagitaret Scholaſticos, eorumque Philoſophiam, oſtenderetque, nihilo nos certiores fieri ex eorum ſcriptis, & longè incertiores eſſe, quàm dudum. Multa ſanè in illo ſcripto ſana ſunt & arguta, quanquam non omnia probem. Adverſus auctoritatem paſſim pugnat, & Ariſtotelem, qui ſi Scepticiſmus eſt, facilè ipſi hujus delicti gratiam fecerim. Noviſſima ejus Editio, unà cum Refutatione Danielis Hartnaccii, prodiit Stettini *in 12.* anno 1665. ſub tit. *Sanchez aliquid Sciens.*

Addi-

Additæ ſunt textui Notæ Refutatoriæ, & præmiſſa eſt Hiſtoria breviuſcula Scepticiſmi Veteris & Recentis, quæ tamen longe plenius tradi poteſt. Nam, qui hactenus hoc argumentum tractarunt, è Scriptoribus Hiſtoriæ Philoſophicæ, parci admodum in eo ſunt. M. Gabr. Wedderkopf Argentorati Diſputationem habuit *de Scepticiſmo Veteri & Recentiori* A. 1664.

CAP. VII.

DE PHILOSOPHIÆ PLATONICÆ SCRIPTORIBUS.

§. 1. *Plato Dogmata, a Socrate accepta, cum Barbaricis & Pythagoricis miſcuit: Multos Patrum primæ Eccleſiæ Sectatores habuit. Operum illius Editiones & Commentatores. Scripta ejusdem Suppoſititia. Plagii in Timæum falſo accuſatur. 2. Iſagogas in Philoſophiam Platonis ſcripſere Joh. Bapt. Bernhardus, & ante hunc Alcinous, Collationes autem ejusdem cum Ariſtotelica Georg. Gemistus, Georg. Trapezuntius (in Platonem perquam maledicus, & a Beſſarione Card. refutatus,) Pet. Bembus, Jac. Mazonius, Seb. Foxius, Lud. de Morainoillier & Gabr. Buratellus. Plato pie eſt philoſophatus, Atheisque contrarius. 3. Speuſippi, Succeſſoris Platonis, quem Ariſtoteles permagni fecit, Scripta. 4. Platonici reliqui celebriores, Scriptisque etiamnum ſuperantibus, incliti, Plotinus ſc. & Origenes. 5. Proclus, de cujus Scriptis, Editis ac Ineditis, paulo diſſeritur uberius. 6. Maximus Tyrius. 7. Plutarchus. 8. Numenius. 9. Chalcidius. 10. Apulejus, Damascius, Hermias, Olympiodorus, Syrianus, Herennius, Salluſtius. 11. Philo Judæus, ſi non Platonicus, Platonizans tamen. 12. Mich. Pſellus, cujus, aliorumque Platonicorum, de Dæmonibus Doctrina, Magiæ eſt affinis. 13. Franc. Jos. Borri, in eadem de Dæmonibus doctrina, πλατωνίζει. 14. Nec non Autor Libelli Le Comte de Gablis, Georg. Pictorius, aliique. 15. Recentiores Platonici, Marſilius Ficinus, ad Magiam proclivior. 16. Joh. & Joh Franc. Pici, Comites Mirandulani. 17. Gabr. Buratellus, de quo, ceterisque Ariſtotelis cum Platone Conciliatoribus, fertur judicium. 18. Scipio Agnellus, Doctrinæ Platonis de Ideis, contra Ariſtotelem, Propugnator eximius, & Joh. Marcus Marci, ejusdem Inſtaurator. 19. Henr. Morus, Philoſophus Platonico-Carteſianus, Animarum etiam, cum Chriſtoph. Sandio, & Anonymo* Lucis Orientalis *Autore, patrocinatus Præexiſtentiæ, per Jac. Thomaſium impugnatæ. 20. Leo Hebræus Doctrinæ Platonis de Amore Exegetes. 21. Dan. Heinſius, cujus* Poema de Contemptu Mortis, *Platonis congruens Doctrinæ, commendatur. 22. Indiculus Autorum, de Hiſtoria Dogmatisque Sectæ Platonicæ conſulendorum.*

Eſcho-

E Scholâ Socraticâ PLATONIS Philoſophia prodiit, quanquam alii Platonem 1
incuſent, quaſi miſcuerit Socraticam doctrinam cum Barbara & Pythagorica. Exprobrat hoc ipſi Xenophon, ipſe Socratis Auditor Epiſtola quâdam, ad Æſchinem Socraticum ſcripta, quæ legi poteſt apud Euſebium *in præparatione Evangelica, lib. 24.* & Stobæum *in ſermone de Diis.* Longè autem ille à Scepticiſmo abeſt, quem imputare illi nonnulli voluerunt, à quo illum excuſat Verulamius, *in novo Organo l. 11. Aphoriſ.* p. 67. Claud. Berigardus, *in Circulo* ſuo *Piſano, Circulo tertio part. 1.* Platonicam Philoſophiam partim Pythagoricæ, partim Peripateticæ, ſimilem facit; ſublatis enim Ideis, quas impugnarat Ariſtoteles, in ceteris tantùm verbis & ratione conſiderandi differre ait; de quibus omnibus nunc diſputare non eſt noſtri inſtituti. De dignitate ejus Philoſophiæ præ Ariſtotelica, aut earum convenientia inter ſe, integris Voluminibus agitur à multis, de quibus plura in ſequentibus. Nos hic tantum, ὡς ἐν κεφαλαίῳ, quædam de Platonica doctrina afferemus, nam Hiſtoriam ejus integram non teximus: quam velim tamen à quopiam contexi. Non habemus Autorem ullum, qui Platonis Platonicorum omnium Hiſtoriam, Vitas, Scripta, juſto ordine congeſſerit & digeſſerit, qui tamen vehementer faceret ad Philoſophiæ illius illuſtrationem. In Ariſtotele ſollicitiores fuêre nonnulli, quanquam tamen neque de illo omnia eâ, quâ poterant, diligentiâ tractata ſint. Et magni tamen intererat, tum ad Eccleſiaſticam Hiſtoriam, tum ad Philoſophicam, geminæ hujus Sectæ ortus & progreſſus noſſe accuratius, quandoquidem Patrum quorundam etiam in ſacris opiniones multum ex his fontibus hauſerunt. Platoniſmus primis Chriſtianis Patribus ad multa ſingularia facem prætulit, multi ex hoc fonte errores propullularunt; quam ob cauſam accuratius indaganda ſunt omnia, quæ in negotio hoc indagari poſſunt. Quod Platonis Opera attinet, aliquot eorum Editiones prodierunt. Eſt Græco-Latina à Marſilio Ficino edita, cum argumentis & commentariis, *in fol.* Lugd. anno 1590. Item Francof. anno 1602. Melior vero eſt Edito, quæ duobus Volum. *in fol.* prodiit, cum interpretatione Joh. Serrani, ejusque Notis, *in fol.* apud Henr. Stephanum, anno 1578. (*bb*) Inter Libros ejus ſingulares, *Timæus* prodiit ſeorſim, cum Commentariis nonnullorum, extantque *libri 10. Commentariorum in Timæum Platonis* Pauli Benii, ne quid de aliis nunc dicam. In *libros de Rep.* extat *Paraphraſis* Averrois, quam in Lat. linguam convertit Jacobus Mantinus, Medicus Hebræus, editam unà cum Franciſci Philelphi *libris 5. de Morali Philoſophia & (diſciplina).* Non pauca quoque ſunt ſuppoſititia, quæ Platoni adſcribuntur, quorum aliqua addita ſunt Operibus ejus. Fuerunt & olim alii ejus adulterini Dialogi, quos recenſet Diogen. Laërtius, ſed qui amplius non extant. Emendatisſima eſt editio Platonis illa, quæ Græca tantùm linguâ prodiit, cum Procli *Commentariis in Timæum*, Baſileæ anno 1534. *in fol.* Fuerunt, qui Platonem etiam plagii incuſarunt, quod Timæo doctrinam de anima

(*bb*) Digna eſt, cujus hic mentio fiat, Andr. Dacerii, Acad. Francicæ Socii, Verſio Operum Platonis Gallica, cum Notis elegantibus, Pariſiis an. 1699. *in 12.* edi coepta.

mundi ſurripuerit, qui tamen injurii in illum ſunt. Neque enim plagiarius dicendus eſt, qui profitetur nomen, unde ceperit.

2 Auctores ad doctrinam Platonicam παρασκευαστικοὶ ſunt, tàm Græci, quàm Latini, tàm Veteres, quàm Recentiores, omnium autem Platonicorum ſyllabum, operumque illorum enarrationem, quanquam valde imperfectam, præmiſit *Seminario* ſuo *Philoſophiæ Platonicæ* Lugd. Gall. A. 1599. *in fol.* excuſo, Joh. Baptiſta Bernhardus. Extat aliquoties in lucem edita Alcinoi *Introductio in Philoſophiam Platonis*, Græcè *in 8.* anno 1521. apud Aldum Manutium (quæ eſt Editio correctiſſima,) Græcè & Latinè à Dan. Heinſio, unà cum ejus *Notis*, Lugd. Batav *in 8.* Editus eſt idem liber cum Commentariis Dion. Lambini Pariſ. *in 4to.* anno 1557. & cum Commentariis Joh. Carpentarii *in 4to*, Pariſ. duobus voluminibus. Georgius Gemiſtius, cui Plethonis Cognomen datum eſt ab amore Platonis, ut exiſtimant, ſcripſit librum Græcâ linguâ *de Platonicæ & Ariſtotelicæ Philoſophiæ differentia*, qui prodiit Baſileæ anno 1574. *in 4to* Latinè, & Venetiis, unà cum Bernhardini Donati, Veronenſis, *paraphraſi*, *in 8tavo*, in linguam Latinam translatus à Georgio Chareandro, qui Baſileenſem Editionem Latinam procuravit. Hujus Autoris plurima alia ſunt ſcripta, partim edita, partim inedita, partim Philoſophici, partim Hiſtorici argumenti, de quibus ulterius videri poteſt Leo Allatius in *libro de Georgiis Claris*. Georgius Trapezuntius *Comparationem Platonis & Ariſtotelis* inſtituit, qua Ariſtotelem Platone longo intervallo ſuperiorem eſſe contendit, qui liber Venetiis editus eſt anno 1528. *in 8.* Quod verò in Platonem vehementer maledicus eſſet, permovit ejus rei indignitas celebratiſſimum Cardinalem Beſſarionem, ut, diſſimulato Trapezuntii nomine, Calumniatori Platonis libris quatuor reſponderit, quibus ſapientiam Platonis atque doctrinam, & probitatem morum, exponit. Addit porrò quintum ſuperioribus librum, in quo Trapezuntii Errores in Interpretatione legum Platonis refutavit, oſtenditque, illum non intellexiſſe Platonem. Addidit quoque *Diſputationem* ſuam *de natura & arte*, in eundem Trapezuntium ſcriptam, quæ omnia Venetiis prodierunt *in fol.* apud Aldum, anno 1503. Ceterum de Georgio Trapezuntio itidem legendus eſt idem Leo Allatius libro citato: de Beſſarione autem ejusque operibus aliis ad Philoſophiam ſpectantibus. Jac. Gaddius *in libro de Scriptoribus*, ſub tit. *Beſſarionis*. Scripſerat & Pet. Bembus *Apologiam Platonis*, & *Diſſertationem* in ejus opera, quæ tamen hactenus inedita ſunt, eodem referente Gaddio. Poſt illa tempora ſequuti ſunt alii complures, qui hoc argumentum copioſè tractarunt, de convenientia & diverſitate Philoſophiæ Platonicæ & Ariſtotelicæ. *De conſenſu utriusque* ſingularem librum ſcripſit Jacobus Mazonius, (de quo v. Erythræi *Pinacoth. I. p. 68.*) tum & Sebaſtianus Foxius Hiſpalenſis, qui utriusque conſenſum tantum ad Philoſophiam naturalem reſtrinxit, & editus eſt Wittebergæ anno 1589. *in 8tavo.* Idem Autor in *Phædonem* Platonis, & *libros* ejus *de Rep.*, prolixos ſcripſit Commentarios, *in fol.*, editos Baſileæ anno 1554., & anno 1556. E recentioribus quoque aliquis Ludovicus de Morainuillier d' Orgeville,

Doctor

Doctor Sorbonicus, *Examen Philoſophiæ Platonicæ* edidit Macloviæ anno 1650. *in 8tavo*, quo in libro univerſam Philoſophiam Platonicam ſpeculativam, quam ſub nomine Dialecticæ comprehendit, ſub examen vocat, additis nonnunquam Parallelis Peripateticis. Eſt ille liber velut ſummarium & Breviarium Philoſophiæ Platonicæ, cujus maxima pars verſatur in Theologia & Metaphyſica. Cauſas enim externas, efficientem & finalem, in philoſophando magis reſpexit, quam materialem & formalem, rerum ſc. miſtionem ac generationem. Piè ſanè in illis dogmatibus philoſophatus. Nam Spinoſa, & alii profani ac Athei, omnem finalem cauſam è natura eliminare laborant, ut ingenii humani commentum, qua ſublata facilè ipſa Efficiens tolletur, Deus. *De controverſiis Platonis & Ariſtotelis præcipuis* Gabriel Buratellus librum itidem ſcripſit, qui prodiit Venetiis anno 1573. *in 8tavo.*

SPEUSIPPUS. Inter primos Platonis ſucceſſores fuit, ejusque ex ſorore 3
nepos. De illo, librisque ejus, fuſius agit Laërtius *lib. 4.* Pauca ab illo habemus: Ariſtoteles illum magni fecit, ejusque libros maximo pretio emit, teſte eodem Laërtio. Laudat ipſum quoque Ariſtoteles in Metaphyſicis. Scripſit *de Philoſophis*; ſcripſit itidem *Encomium Platonis* & *librum de cœna Platonis*, quorum nomina tantùm ſuperſunt. *De definitionibus* tamen *Platonicis* ſupereſt libellus ſub ejus nomine editus, Pariſ. linguâ Græcâ, qui jungitur Alcinoo *de doctrina Platonis.*

PLOTINUS. Plotinus è Platonicorum ſcholâ libros ſcripſit, qui hodie ſu- 4
perſunt; vixit ſub Alexandro Severo, fuitque diſcipulus Ammonii Alexandrini, in cujus ludo Origenes quoque fuit inſtitutus, qui in ſcriptis ſuis Theologicis Platoniſmi veſtigia ubique oſtendit. Fuit tamen inter Peripateticos connumeratus iſte Ammonius, credo, quod ipſe ſe talem profiteretur. Nam, ut Hierocles apud Photium teſtatur *Codice 251.* primus fuit, qui Ariſtotelem à Platone non diſſentire oſtendit. Addit porrò, utramque illum Sectam edoctum, Philoſophiam à contentionibus liberam tradidiſſe ſuis Auditoribus. Ejus Opera præ aliis omnibus vehementer illuſtrant doctrinam Platonicam, quæ Græcè & Latinè edita ſunt Baſileæ *in fol.* à Marſilio Ficino anno 1580.

PROCLUS. (*cc*) Celebratiſſimus Operibus ſuis Proclus eſt, cujus adhuc hodie 5
libri extant plurimi, quanquam & multi ejus ſint deperditi. Vixit Theodoſii &

 Leo-

(*cc*) De Proclo, ejusque Scriptis, conſulenda omnino eſt ab horum Amaſiis Marini Neapolitani *Vita Procli*, non mutila, ſicut antehac a Guilh. Xylandro & Æmil. Porto, ſed altera Parte *de Virtutibus Procli Theoreticis ac Theurgicis*, è Cod. Biblioth. Guidanæ MSto nunc primum eruta, auctior, atque adeo integra, Hamburgi an. 1700. *in 4.* a Joh. Alb. Fabricio, Polyhiſtore eximio, edita, ac Verſione Latina, *Notis*, *Prolegomenis* de Proclo & Marino, *Elenchoque Scriptorum* Procli accuratiſſimo, illuſtrata. Ex MSStis Procli Holſtenianis, *h. l.* memoratis, in Bibliothecam Hamburgenſem, beneficio Holſtenii Poſſeſſoris, cum aliis pluribus Codd. ineditis, Platonicorum præcipuè tranſierunt Procli *Elementa Theologica* (cum Guilh. de Morbeca Verſione illorum Latina), Tres Μονόβιβλοι & *Comm. in Platonis Alcibiadem*, nec non Nicolai, Epiſc. Methonenſis, *in Procli Elementa Theologica Explicationes & Animadverſiones.*

Leonis Thracis ætate. Scholam ejus, Præceptores & diſcipulos, prolixè deſcribit Jonſius *de Scriptoribus Hiſtoriæ Philoſophicæ l. 3. c. 18.* Edidit, præter Philoſophica, quædam Grammatica & Poetica, ſub titulo χρηςομαθείας, unde Excerptum nobis ſervavit Photius in *Bibliotheca, codice 239.* quod cum And. Schotti verſione, & Petri Joh. Nunneſii *notis*, ſeorſim prodiit Hanoviæ *in 4to* anno 1615, additum Andreæ Schotti *Obſervationibus Humanis.* Operum ejus Philoſophicorum variæ ſunt Editiones, neque omnia ſimul & junctim edita. Edita eſt ejus *Explicatio Platonis ex Timæo*, ubi de animarum generatione agitur, Latinâ linguâ, cum Numerorum Harmoniarumque figuris, interprete Nicolao Leoniceno *in fol.* Pariſiis anno 1580. Prodiit idem liber, cum *Enarratione difficilium quæſtionum in Politica Platonis*, *in fol.* Baſileæ anno 1584. Ejusdem *Elementa Theologica & Phyſica*, Latinè à Franciſco Patricio verſa, prodierunt *in 4to* Ferrariæ anno 1583. Ejusdem *in Theologiam Platonis Commentarius*, unà cum ejus *Vitâ* à Marino Neapolitano deſcripta, prodiit Græcè & Latinè, vertente Æmilio Porto, & ſumptus ſuppeditante Sereniſſimo glorioſæ memoriæ Principe Holſatico JOHANNE ADOLPHO, è Typographeo Frobeniano, Hamburgi A. 1618. *in fol.* Multa ejusdem Autoris adhuc hodie ſuperſunt ἀνέκδοτα, quæ in lucem protrahi mererentur. Reperiuntur nonnulla inter Codices MStos Holſtenii. Sunt in illis Procli *Elementa Theologica* Latinè, ex veteri verſione Fratris Guilhelmi de Morbeca, Archiepiſcopi Corinthii, cum ejusdem *Demonſtrationibus* in fol. Habentur & ejusdem *libri 3. ſingulares*, ſive μονόβιβλοι, primus *de decem dubitationibus circa providentiam*; ſecundus *de providentia & fato, & eo quod in nobis*, ad Theodorum Mechanicum; tertius *de malorum ſubſiſtentia*, Latinè tranſlati ab eodem Interprete, Guilhelmo de Morbeca. Extant itidem varii ejusdem Commentarii in Platonis *Dialogos*, ut & in *Alcibiadem priorem*, Græcè, in *Parmenidem* ejus *libri 7.* Græcè *in fol.* in ejusdem *Cratylum ſcholia* Græcè *in 8.* Extant & ejusdem *Diſſertationes in Remp. Platonis* Græce, hactenus non editæ. Non dubito, multos alios paſſim in Bibliothecis ſupereſſe, ſcripſit enim plurimos, ſed negliguntur jam illi, neque digna eorum cura habetur, cum præ Platonica triumphet Peripatetica Philoſophia. Non tamen inutile eſt, vel Titulos illorum librorum notaſſe, quanquam ipſos inſpicere non liceat. Datur enim nonnunquam ex inſperato occaſio in libros illos incidendi, in Bibliothecis præſertim publicis.

6 MAXIMUS TYRIUS. Philoſophus Platonicus, & Marci Antonini præceptor, ſcripſit varias *Diſſertationes Philoſophicas*, quæ *ſermonum* nomine Græcâ linguâ editæ ſunt. Scripſit & *de Homero*, & quænam apud ipſum vetus Philoſophia ſit; an Socrates rectè Apologiam detrectaverit. *Sermones* ejus è Græco in linguam Latinam convertit Coſmus Paccius, Archiepiſcopus Florentinus cujus Interpretationis Latina Editio prodiit anno 1557. *in 8tavo.* Optima autem ejus Autoris Editio eſt, quæ Græcâ & Latinâ linguâ ſimul prodiit, cum interpretatione & notis Dan. Heinſii, Lugd. Batav. *in 8.* anno 1607. Jungitur huic Maximo Tyrio Alcinoi *liber de doctrinâ Platonicâ.*

PLU-

PLUTARCHUS. Plutarchus Vetus Collector eſt variarum rerum, cujus induſtriâ multa nobis ſunt conſervata, etiam in Philoſophicis, quorum alioquin non ſupereſſet memoria: Ejus extat Diſſertatio *de placitis Philoſophorum*, ubi velut per lancem ſaturam proponit varias Philoſophorum Veterum ſententias. Ejusdem extant *quæſtiones Platonicæ*, & Commentarius *de animæ procreatione*, quæ in *Timæo* Platonis deſcribitur, in quibus omnia illa dogmata Platonica recenſet, quanquam breviter admodum. Sunt & de aliarum Sectarum dogmatibus illius libelli ſingulares, ut *de Stoicorum repugnantiis*, *de communibus notitiis adverſus Stoicos Diſſertatio*, *ne ſuaviter quidem vivi poſſe ſecundum Epicuri decreta*; item *de Socratis genio*, quæ omnia, ut fragmenta vetuſtatis, magni facere debemus. 7

NUMENIUS, Philoſophus Pythagoricus & Platonicus, ſub Lucio Vero & M. Antonino floruit, cujus multi olim libri fuerunt, nunc pauci ſuperſunt. Ejus olim *de Platonis & Academicorum diſcrepantia* liber fuit, quem laudat Euſebius *lib. 14. præparationis Evangelicæ*, atque inde argumenta recenſet. Scripſit & περὶ τȣ̃ ἀγαθȣ̃ aliquot libros: Librum *de immortalitate animæ* (quem laudat Origenes *lib. 5. contra Celſum.*) Item *de anima*. Ejus nominis & alius fuit ab illo diverſus, & alius quidam Rhetor; Vide Jonſium *de Scriptoribus hiſtoriæ philoſophicæ l. 3. c. 10.* Ex illo cepiſſe multa Plotinum exiſtimant, quam ob cauſam Amelius, itidem Platonicus Commentator & Philoſophus, librum ſcripſit *de differentia Plotini & Numenii*, teſte Jonſio *loco citato*. 8

CHALCIDIUS. Eſt & is inter Sectatores Platonicos. Ejus *Commentarius in Timæum* editus eſt à Joh. Meurſio noviſſimè, Lugd. Batav. Græcè cum Notis, *in 4to*, & olim Pariſiis anno 1579. *in 4to.* Magnificum huic viro Elogium ſuſpendit Barthius *Adverſ. lib. 48. c. 8. Nemo*, inquit, *melius profuiſſe ſeculo noſtro videtur, quam Chalcidius, homo ita Chriſtianus, ut alium eum non potuiſſe eſſe evincatur, ita* Philoſophus, *ut videri velit, rationibus ſolis niti velle.* 9

APULEJUS. Inter Philoſophos quoque Platonicos Apulejus eſt, cujus varia argumenta illuc ſpectant, ut videre eſt in libris ejus. Ejus extant variæ Editiones, de quibus *L. 4. Polyhiſt. Lit. c. 13.* eſt actum. Varii extant præterea Scriptores Platonici Inediti & Editi, tàm Compendiarii, quàm Paraphraſtici & Commentatores. Inter Manuſcripta Holſteniana ſunt Damaſcii περὶ ἀρχῶν ſive *de principiis quæſtionum & ſolutionum*, Græcè in fol., quod magnum & præclarum opus in iſto Holſtenii Indice judicatur. Extant illic Hermiæ Philoſophi *in Phædonem Platonis ſcholiorum lib. 3.* Græcè *in fol.* qui & in Latinam linguam converſi ſunt à Marſilio Ficino; ſed nec Verſio illa edita eſt. Extant Olympiodori *Commentarii in Phædonem Platonis de immortalitate animæ* Græcè *in fol.*, & Ejusdem *Commentarius in Gorgiam Platonis*, Græcè *In fol.* Extat Syriani Platonici, *in Metaphyſicam Ariſtotelis Commentarius*, cujus Objectionibus contra Pythagoram & Platonem reſpondet, Græcè *in fol.* Extant Herennii Philoſophi *Metaphyſica*, quod eſt elegans Theologiæ 10

Platonicæ Compendium, Græcè *in fol.* Item Ægidii, Cardinalis Viterbienſis, *Commentaria in librum ſententiarum ad mentem Platonis*, quibus univerſa Theologia Platonis luculenter exponitur, Latinè *in fol.*

Salluſtii Opera Græca à Leone Allatio Græcè & Latinè edita ſunt Lugd. Batav. in 4to, in quæ extant notæ Lucæ Holſtenii. (*dd*)

11 PHILONIS JUDÆI Opera. Philonum multi fuêre olim; fuit Philo è Pyrrhonis ſcholâ, fuit aliquis Ariſtoteli familiaris Pythagoricus, & multi alii, quorum opera non ſunt amplius ſalva. Fuit & Alexandrinus, Judæus ille, qui Caji Imperatoris tempore vixit, de quo vulgò creditur illum Platonicum eſſe. Extant multa ejus Opera Philoſophici argumenti, quæ quodammodo convenire cum Platonicorum doctrina videntur. Hinc vulgatum de illo judicium: *Aut Philo platonizat, aut Plato philonizat.* Multa quoque ex ejus libris excerpſit Johan. Babtiſta Bernhardus in *Seminario* ſuo; Sed aliter tamen videtur Viris doctis, qui libros ejus Platonicum genium non ſpirare exiſtimant: quâ in ſententiâ quoque eſt Jonſius (*ee*) *Hiſtoriæ Philoſophicæ lib. 3. c. 4.*, ubi multa de aliis Philonibus. In multis tamen eadem videtur dicere cum Platonicis, ſive ex Platone illa hauſerit, ſive è communi fonte cum Platonicis. Vero enim eſt ſimile, recentiores Platonicos multa è Rabbinorum & Doctorum Judæorum, ſcriptis hauſiſſe, uti Plato ipſe è ſacris literis. Ejus Opera per partes Græcè Latinèque ſunt edita, ſed junctim, Francofurt. cum Variorum Verſionibus Latinis, curante Dav. Höſchelio, A. 1587. *in fol.*

12 MICH. PSELLUS. Etiam hic inter Platonicos multa nos De Dæmonibus arcana, an in illorum ludo inſtitutus neſcio, docuit, neque enim è divina, ut puto, revelatione habuit. Multum ſc. rei Platonicis cum Dæmonibus fuit, de illorum tutelâ, evocatione, familiaritate, pleni ſunt omnes Platonicorum libri, de ordine inter ipſos, de diſtinctione ſecundnm elementa, mirabilia ſunt illorum commenta, quæ ad Magiam feneſtram aperire poſſe videntur. Pſelli *Dialog. de dæmonibus, & eorum operatione*, eſt è Græco verſus à Petro Morello, Pariſiis *in 8.* anno 1577. prodiit; hinc altera Editio Græco-Latina, cum notis Gilberti Gaulmini, Viri doctiſſimi, Pariſiis anno 1615. *in 8tavo.* (*ff*)

La

(*dd*) Damaſcii, Hermiæ, Olympiodori, Syriani & Ægydii Viterbienſis, Opera, *h. l.* enumerata, inter Codices MSS. Holſtenianos, in Biblioth. Urbis Hamburgenſis Publica, olim ſe mihi obtulerunt. Salluſtii, Philoſophi, non Platonici, ſed Cynyci, unicum tantum extſtat de *Diis & Mundo opuſculum*, Græce, cum Verſione Leonis Allatii, & Lucæ Holſtenii *Obſervationibus*, a Gabr. Naudæo Romæ an. 1638. *in 8.* editum, Lugd. Bat. an. 1639. *in 12.* recuſum, & tandem a Thoma Galeo *Opuſculis Veterum Mythologicis, Ethicis & Phyſicis*, Cantabr. an. 1671. ac denuo Amſtelod. an. 1688. (*in 8.*), a ſe publicatis, inſertum.

(*ee*) *Pro Philonis Judæi Platoniſmo*, Exercitationem, adverſus Ioh. Ionſii *Cap. IV. Libr III. de Scr. Hiſt. Philoſ.* peculiarem Lipſiæ an. 1693. *in 4.* edidit Ioh. Alb. Fabricus, Gymn. Hamb. nunc Profeſſor.

(*ff*) Mich. Pſelli *de Operatione Dæmonum* Dialogus, cum Gilb. Gaulmini Verſione &

Notis

La Chlave del Gabinetto del Borri. Subjungo hunc librum Pſello *de Dæmonibus*, quia in eodem argumento verſatur. Quis Franciſcus Joſephus Borri fuerit, notum puto eſſe omnibus, multorum arcanorum Phyſicorum poſſeſſor, ſed tamen & ſummus impoſtor. De hujus Vita & Dogmatibus exiit liber iſte, impreſſus Coloniæ, ut titulus habet, annó 1681., in quo multa referuntur de doctrinâ ejus circa Dæmones, quæ cum Platonicis & Paracelſiſtis mirè conveniunt. Dici non poteſt, quàm liber ille plenus ſit his næniis. Plura alia illic habentur de transmutatione metallorum, quam ipſe tamen neſcivit; Inſtructio item Politica ad Friedericum III. Daniæ Regem, quâ ratione is cives ſuos in obſequio continere debeat. Additur quoque Vita ejus. 13

Le COMTE de GABLIS. Quisquis Autor illius libri fuerit (eſt autem Gallicâ linguâ editus Amſtel. anno 1571. ad exemplar Pariſienſe recuſus), mirè illi cum *Clave* Borriana convenit. Profitetur tit. multa illic agi de ſcientiis ſecretis, ſed reverà nihil aliud facit, quàm ut Magiam & converſationem cum Dæmonibus probet & doceat, Cabalæ titulo illam honeſtans. Sed multi tales libri ſunt, de quibus ut nimium ſolliciti ſimus, non eſt neceſſe. Multa de hoc argumento habentur quoque apud Georgium Pictorium, in libello *de Dæmonum ſublunarium ortu, poteſtate, miraculis, & quomodo pellendi*; qui libellus additus eſt *Sermonibus* ejus *convivalibus*, Baſileæ editis. Legi quoque poteſt Joh. Bodinus in ſua *Dæmonomaniâ*; Sed hæc non adeo ſunt hujus loci. 14

MARSILIUS FICINUS, Florentinus, inſignis Philoſophus Platonicus ſuo tempore fuit, & Medicus, cui Editionem Platonis debemus, non quidem omnium accuratisſimam, ſed tamen non contemnendam. Quia enim potius Dogmaticus fuit & Philoſophus, quàm Philologus & Criticus, mirum non eſt, ſi in Platonis textu interpretando non usque adeò ſcopum tetigerit. Scripſit ille plurima Opuſcula, fundamentis Platonicis ſuperſtructa, tàm Theologica, quàm Medica & Philoſophica, v. g. *librum de Chriſtianâ religione*, cujus doctrinam cum Philoſophia Platonica conjungit, earumque convenientiam monſtrat. Scripſit & *de immortalitate animarum libros 16.*, quibus titulum *Theologiæ Platonicæ* fecit. Multa illic memorabilia continentur, quorum uſus eſſe poteſt ad hoc argumentum illuſtrandum; diſputat enim adverſus Epicureos & Atheos. Scripſit & *de raptu Pauli in cœlum tertium*, & *de nativitate Chriſti æterna & temporali*; libros item Medicos *de ſanitate tuenda, & vita producenda, ac librum de vita cœlitus comparanda*, qui Magici aliquid ſapere videtur. Docet enim in eo, quomodo Vita noſtra inſtituenda ſit, ut aſtrorum nobis aſſignatorum conſtitutioni ſit conformis. In eo libro per imagines Aſtrologicas mira ſe facturum confidit, quem ſe refutaturum fuiſſe dicit 15

Notis, noviſſime a Dan. Haſenmüllero, Prof. Kilonienſi, an. 1688. Kilonii *in 12.* eſt recenſitus. Verum Editionem hanc, & Textum Pſelii, & *Notas* Gaulmini, mendis deformaſſe plurimis, recte jam monuit Ioh. Clericus *T. XV. Biblioth. Univerſ. Hiſtoricæ*, Gallice editæ, *M. Oct. A. 1689. p. 117. 118.*

dicit Johannes Franciſc. Picus Mirandula *l. 7. de rerum prænotione c. 10.* niſi id ob ſingularem cum illo amicitam intermiſiſſet. Plurimæ ſunt ejus Epiſtolæ, quibus omnibus Philoſophiæ Platonicæ argumenta tractantur. Tomus Operum ejus ſecundus continet Commentationes in Platonem ipſum, & in Platonicos aliquos, editus Baſileæ in fol., anno 1576.

16 COMITUM MIRANDULANORUM Opera. Johannes Picus, & Joh. Franciſcus Picus, Mirandulani Comites, magnum ſuo tempore nomen ſibi pepererunt, editis in lucem libris Philoſophici & Cabaliſtici argumenti, præprimis vero Joh. Picus, qui admodum juvenis magna ingenii ſui ſpecimina edidit. Interdum certè in libris ſuis platonizat, ſed plurima tamen è Judæorum Philoſophia hauſit, ut indicio ſunt Opera ejus varia, quæ Cabaliſticum quid ſapiunt. Scripſit *adverſus Aſtrologos* acutisſimum librum, cui reſpondit quidem Lucius aliquis Bellantius, ſed diſpari ingenio. Juvenis mortuus eſt anno 32. ætatis, quod illi tempus Aſtrologi in vindicationem artis ſuæ prædixerant. Ejus *Heptaplus* agit de conſtitutione mundi, in quo non pauca ſunt Cabaliſtica. Eſt vero Commentarius in opus ſex dierum; Joh. Pici Opera junctim prodierunt anno 1504., Argentorati in fol. Joh. Franciſc. Pici Opera quoque non pauca ſunt, liber egregius *de prænotione rerum; Examen* item *vanitatis doctrinæ gentium, libri de ſtudio humanæ, ac divinæ Philoſophiæ*, & alia nonnulla, quæ omnia, cum Fratris *(gg)* Operibus, junctim prodierunt Baſileæ ex Officina Henr. Petreana in fol., anno 1573. Liber alioquin rarus eſt.

17 GABRIEL BURATELLUS. Fuit ordinis Eremitarum, cujus extat *conciliatio præcipuarum controverſiarum Ariſtotelis & Platonis.* Multa ille Autor in tit. promittit, nam *diu deſideratum opus* vocat, *& à veteribus & recentioribus pollicitum, non tamen abſolutum*; procedit per pleraque doctrinæ Platonicæ Capita, ab Ideis incipiens. Sed & ille potius ſuo, quam Autorum, ingenio rem egit, ut ſolent plerumque omnes conciliatores, qui ſuo ingenio quomodocunque ſubveniunt difficultatibus. Fuerunt verò & ante illum, & poſt illum, non pauci, qui hac in re operam præſtiterunt, ut neſciam ſane, quid ille præcipue hoc in negotio fecerit. *(hh)* Ariſtotelem diſſenſiſſe à Platone verum certè eſt, ac patet ex ejus ſcriptis, an verè, an cavillandi ſtudio, incertum. Certè & Pet. Ramus Platonis cauſam adverſus Ariſtotelem agit, meâ quidem ſententiâ non infeliciter; nam in multis è diametro diſtat Platoni Ariſtoteles. Pleraque enim, quæ Plato de mundi cauſâ efficiente, de animarum immortalitate, vel è traditionibus majorum, vel è ſuo ingenio, docuerat, vel

(gg) Ioh. Franc. Picus perperam hic Ioh. Pici Frater appellatur, cùm Nepos ejus potius ex Fratre Galeotto fuerit, uti ipſemet in Vita Patrui, *Operibus* illius præfixa, teſtatur. *Libros* ejus *duos de ſtudio humanæ ac divinæ Philoſophiæ* Ioh. Franc. Buddeus, Prof. Acad. Halenſis πολυμαθέςατος, ſeorſim nuper, cum *Præfat.* ſua, Halæ Saxonum an. 1702. *in* 12. curavit recudi.

(hh) De Conciliatoribus Platonis & Ariſtotelis fuſius egit Ioh. Bapt. Röſchelius, Phyſ. Prof. Witteb, in *Diſp. de Philoſophia Conciliatrice*, ed. Witteb. 1692. *in* 4.

vel refutat, vel diſſimulatione quadam negligit, ut vel è ſilentio ejus appareat, quidnam ipſi de multis animi fuerit. Prodiit Buratelli liber in 8. Venetiis anno 1573.

SCIPIO AGNELLUS. De Ideis multa docuit Plato. Cùm enim mundum Intelligibilem alium à ſenſibili conſtitueret, contrà quàm nunc faciunt profani noſtri ſcioli, qui totam naturam ſenſuum humanorum objectum conſtituunt, atque ultra ſenſum quicquam eſſe in natura negant, Ideas quasdam rerum confinxit, quaſi ſpirituales omnium productorum corporum effectrices. Subtilis eſt illa Platonis Diſputatio, in qua ductu ipſius naturæ pervenit, cum ſenſum ad rerum demonſtrationem non ſufficere videret. Multus eſt in illa ſententia refutanda Ariſtoteles, qui tamen ſenſum Platonis non rectè cepiſſe multis videtur. Totam hanc doctrinam, adverſus Ariſtotelem, pro Platone, libro doctiſſimo propugnavit SCIPIO AGNELLUS. Nihil eſt omiſſum, quod ad hanc doctrinam pertinet, ab illo. Liber rarior eſt, & in paucorum manibus, Venetiis in 4to, anno 1615. editus. Notari ille unicè pro hoc argumento poteſt, ac vehementer laudatur à multis iſtius temporis ſcriptoribus. Simile quid reſuſcitare videtur Joh. Marcus Marci, Med. & Conſil. Cæſareus, Profeſſorque Pragenſis, in *libro* ſuo *de Ideis operatricibus*; (cujus Pragæ An. 1635. *in 4.* editi, hic eſt Titulus: *Idearum Operatricium Idea, ſeu Detectio & Hypotheſis illius occultæ Virtutis, quæ ſemina foecunda, & ex iisdem corpora Organica producit*) Finxit & ille quasdam Ideas rerum, rebus ipſis connatas, aut ipſis immerſas, unde omne agendi principium dependeat. Scripſit & idem Autor *Philologiam veterem Reſtitutam*, Pragæ An. 1662. in quâ idem Argumentum pluribus perſequitur; Sed dolendum eſt, ſpecialem partem *libri de Ideis operatricibus* poſt mortem ipſius Autoris, intercidiſſe, in qua multa tractaturus erat de Plantarum palingeneſia, & multis aliis naturæ miraculis, quorum ille cauſas in Ideis ſuis quærit. Differt tamen ejus ſententia à Platonica, quòd ille intelligibiles ſuas Ideas faciat, hic etiam ad ſenſus reducat. 18

HENRICUS MOORE. E recentioribus ſcriptoribus Philoſophiam profeſſus eſt, è Platonis & Carteſii dogmatibus mixtam, quod mirum alicui videri poſſit, Philoſophiam, quæ meris demonſtrationibus, ad Mathematica & ſenſuum principia inſtitutis, utitur, miſceri poſſe cum Philoſophia, quæ tota conſiſtit in abſtractionibus & ſpeculationibus. Sed tamen ille in multis non adeò infeliciter procedit. Nam & Carteſii non omnia probat; ſed, ubi ille deficit & ſubſiſtit, è Platonis principiis intellectualibus quaſi ſupplet, quò non pertingit Carteſii Philoſophia. Quod animæ originem attinet, Platonicam ſententiam de præexiſtentia animarum defendit integro libro, Anglicâ linguâ ſcripto, *de immortalitate animæ*, qui nunc in Linguam Latinam, cum reliquis ejus Operibus, converſus eſt. Nimis longum eſſet recenſere, quæ ille Argumenta pro animarum præexiſtentia afferat, adverſus creationem & traducem diſputans. Cœpit hæc controverſia, jam pridem ſopita, nunc iterum agitari inter Philoſophos & Theologos, neque deſunt adſtipulatores & refutatores. Idem argumentum à Chriſtophoro Sandio, Sociniano, pertractatum eſt, in *Tractatu de origine* 19

animæ, Coſinopoli anno 1671. *in 8.* In illo libro nihil aliud agit Autor, quàm ut coacervet ſententias parallelas, quæ ſtabiliant hanc de animarum præexiſtentia opinionem, è S. Scriptura, (quæ tamen valdè detorta eſt) è Platone & Platonicis, Patribus, Rabbinis. Adverſus illum Tractatum Orationem ſcripſit JAC. THOMASIUS. Lipſiæ anno 1674. editam, quâ & Autorem illum, & totam hanc doctrinam, refutat, prolixeque demonſtrat, quàm periculoſi & graves Errores ex hac doctrina proveniant. (*ii*) Ex adverſo alii fuerunt, qui hac doctrinâ magnam origini animarum lucem accenſam exiſtimârunt. Extat Autor quidam Anglicus, ſed Anonymus, qui libellum ſcripſit Anglicâ linguâ, cui titulum fecit: *Lux Orientalis, ſive inquiſitio in opinionem Orientalium ſapientum*, Londini anno 1662. *in 8.* Toto libro Autor ille, quisquis ſit, demonſtrare intendit, doctrinam hanc eſſe Clavem myſteriorum providentiæ divinæ, cùm Thomaſius in Oratione ſua oſtendat, nihil magis in providentiam divinam impingere, quàm hoc dogma. Henrici MOORI Opera Philoſophica Latina Londini prodierunt anno 1679. *in fol.* Anglica autem Lond. Ann. 1662. *in fol.*

20 LEO HEBRÆUS *de Amore.* Etiam hîc inter Platonicos recenſetur, qui *de amore dialogos 3.* ſcripſit. Notum eſt, Platonem Dialogos aliquot de amore ſcripſiſſe, in quibus ſunt multa de Pulchro memorabilia, quæ è principiis & fontibus ſacris hauſta videntur. Multa ſunt ſanè divinè de Amore Dei dicta, & de amore hominum inter ſe, multa recitat Plato de Socratis amore illis in Dialogis, quem malè audire ob amorem ſuum notum eſt; Sed ſunt, qui illum defendunt, de quo legi poteſt *Vita Socratis*, à Balzaco ſcripta. Hanc ſententiam Platonis de amore, omnemque ejus doctrinam, pleniſſimè perſecutus eſt Leo Hebræus in *tribus* illis de *Amore Dialogis*, quos nitidâ Latinitate donavit Joh. Carolus Saracenus. Editus eſt liber ille Venetiis anno 1564. *in 8.*

21 DAN. HEINSIUS *de Contemptu Mortis.* Partem hanc doctrinæ Platonicæ, quæ in contemplatione mortis conſiſtit, adeò eleganti Carmine complexus eſt Dan. Heinſius, ut addi nihil poſſit. Virgiliano ſanè carmini comparat non immeritò acerrimus rerum illarum Judex, Buchnerus in *libro de commutata dicendi ratione*. Argumentum hujus poëmatis hoc eſt, quod, cùm Plato Philoſophiam per meditationem mortis definiverit, ille hanc ejus doctrinam, ex omnibus libris, confirmaverit, progrediendo ab abſtractionibus animi per Philoſophiam ad intelligibilia, monſtransque, quomodo animus noſter à corpore paulatim ſubmovendus ſit ad contemplationem pluchri æterni, quod mortem vocat Plato. Continetur illis libris penè tota doctrina mora-

(*ii*) Sandianum *de Origine Animæ* Libellum impugnavit etiam, poſt Thomaſium, D. Balth. Bebelius, Theologus tunc Argentinenſis, in *Exerc. adverſus Præexiſtentiam Animarum Humanarum, errorem Chriſtoph. Sandii & Anonymi cujusdam, novorum Origeniſtarum*, Argent. an. 1675. *in 8.* edita. Jac. Thomaſii Oratio, inter reliquas ejus *Orationes*, Lipſiæ an. 1683. *in 8.* junctim publicatas, *num.* 20. *p.* 457-495. eſt recuſa.

moralis & Theologia Platonica, qui ideò commendandi ſunt præ ceteris, quòd utile dulci miſceant, & ſuavitate carminis res abſtruſiſſimas proponant. Editi ſunt illi ſeorſim Lugd. Batav. in 4., anno 1621., & junctim cum aliis ejusdem Poëmatibus.

Atque hæc dicta ſunto de Scriptoribus Philoſophiæ Platonicæ, de quibus longè 22
plura dici poterant, ſed nos ad omnia ſingularia deſcendere non poſſumus. De Interpretibus Platonicis, eorumque Editionibus ſpecialibus, ſingulari libro legi poteſt Philippus Labbæus, de quo plura dicemus, cum de Scriptoribus Peripateticis agemus. De dogmatibus ſpecialibus Platonis agit Galæus *l. 3. c. 1. & 2.* Videndus quoque eſt Jac. Thomaſius in *Diſſertationibus* ſuis *Stoicis*, ſuprà citatis; nec non Samuel Parkerus in *Tentaminibus Phyſico-Theologicis*, ubi de anima mundi ex Platonicis agit, *l. 2. c. 1. & 2.* & demonſtrat, Veteres Philoſophos animam mundi pro ſupremo numine habuiſſe. Utinam perveniſſent ad poſteros Notæ illæ, quas doctiſſimus ille Paulus Sarpius in Platonem, omniumque Sectarum fragmenta, ſcripſit, de quibus legi poteſt Fulgentius in *Vita* ejus *p. 130. 131.* Scripſit & doctiſſimus Jeſuita Renatus Rapinus librum *de comparatione Ariſtotelis & Platonis*, ubi omnes illos Autores recenſet, qui curſus Philoſophicos ſcripſerunt, quorum nemo ipſi cum Ariſtotele conferendus videtur; nam Ariſtotelem præfert Platoni. Videri quoque poteſt Hier. Cardanus in ſingulari libro *de clarorum virorum vita, & libris, & de hominum aliquorum illuſtriorum judicio*, ubi de Platone, Ariſtotele, aliisque, agit. Reperitur is *Tomo 10.* Operum, à Naudæo publicatorum.

CAP. VIII.

DE ARISTOTELE, SCRIPTORIBUSQUE DE SECTA AC PHILOSOPHIA PERIPATETICA ISAGOGICIS AC HISTORICIS.

§. 1. Philoſophia Ariſtotelica Monarchicâ fermè hactenus gaviſa eſt Autoritate. Librorum Ariſtotelis Verſiones ævo ſequiori ineptæ Philoſophiam Scholaſticam, ceu Abortum, ſunt enixæ. Joh. Jonſii & Joh. Reiskii in Hiſtoria Peripatetica Conatus. Inter Editiones Ariſtotelis excellunt duæ Pariſienſes, quarum Recenſus brevis exhibetur. Inter Vitæ autem ejus Scriptores Diog. Laertius & Ammonius, a Pet. Joh. Nunneſio egregiè illuſtratus. Nunneſii ipſius & Guilh. Vudallii Scripta de Philoſophia Ariſtotelis Iſagogica commendantur. 2. Johannis de Launoy Libri de varia Ariſtotelis Fortuna *Argumentum. 3. Conſpectus* Diſcuſſionum Peripateticarum *Franc. Patricii, omnia, ad Ariſtotelis pertinentia notitiam, accurate perſequentium, ſed maligno ſimul animo criminantium, Compendiarius. Ariſtoteles a Plagii crimine abſolvitur, & ob Methodum luculentam commendatur. 4. De Theod. Angelutii, quem Patricius Adverſarium, & Franc. Mucii, quem Hyperaſpiſten eſt nactus, Scri-*

ptis Cenſura. 5. Phil. Labbæi Conſpectus Interpretum Platonis & Ariſtotelis Græcorum. 6. Diſcrimen Librorum Ariſtotelis Ἐξωτερικῶν & Ἀκροαματικῶν. *ex Oct. Ferrarii* Libro de Sermonibus Exotericis *addiſcendum.*

1 PRocedimus nunc ad ARISTOTELEM, & Philoſophiam Ariſtotelicam, quæ, poſtquam diu, Platonica etiam, in Chriſtianiſmo regnaverat, ita tandem occupavit omnium animos & ſcholas, ut religioni duceretur, vel latum unguem ab ea diſcedere. Serò librorum Ariſtotelis notitia ad nos pervenit, non niſi poſt captam à Turca Conſtantinopolin. Fuêre quidem jam olim aliquot Ariſtotelis libri, vel ex Arabico in Latinum ſermonem converſi, quod curatum fuit à Friderico II. Imp., uti fuſius deducit Conringius *in Antiquitatibus Academicis*, (*Diſſ. III. p. 95. 96. 97. & in Supplem. p. 343. 344. 349. 350.*) vel ex paucis quibusdaam Græcis exemplaribus quarundam diſciplinarum admodum corruptè in linguam Latinam tranſlati, ab hominibus nec Græcæ, nec Latinæ linguæ, ſatis peritis, quorum tantum quatuor iſtius temporis numerat Anthonius Wood *in Antiquitatibus Oxonienſibus*, qui ortum & progreſſum Philoſophiæ Peripateticæ & ſcholaſticæ diligentiſſimè tradit. Primi enim ejus natales in Pariſienſi & Oxonienſi Academiis. Hinc elaborata eſt Philoſophia, qualis ex lacunis iſtis hauriri poterat. Ex Ariſtotele malè intellecto, & verſionibus ineptis deturpato, omne hoc Philoſophiæ genus primum prodiit. Unde conjici facilè poteſt, quàm bella proles è tam ſtultâ ſit matre nata. Videre exinde poſſumus, quàm multi ingenii ſui commenta pro Ariſtotelicis dogmatibus venditârint. Sed de illis hic multa afferre noſtri non eſt inſtituti. Ad Ariſtotelem ipſum venimus, cujus vita, doctrina, libri, Philoſophorum ab illo prodeuntium familia, accuratè eſſent pernoſcenda. Sed nihil hactenus habemus, quod implere deſiderium noſtrum poſſit. Molitus eſt JOH. JONSIUS, Vir doctiſſimus, *Hiſtoriam Peripateticam*, cujus tamen non niſi *partis primæ prima diſſertatio* lucem vidit, quâ illud tantum argumentum tractatur, qui Ariſtoteli fuerint ὁμώνυμοι, & unde ejus Secta Peripatetica ſit appellata; prodiit ea Hamburgi anno 1652 *in 4to.* Obſervavi in *Catalogis Francofurtenſibus*, Johannem Reiskium aliquid de hiſtoria Peripatetica ſcripſiſſe, ſed nihil ejus vidi. Ariſtotelis Opera variè edita ſunt, quorum Editiones omnes recenſere nihil attinet. Videatur Iſrael Spachius *in Nomenclatore Philoſophico pag. 80.* Eſt verò Editio omnium optima, cæteriſque præferenda, quæ Pariſiis prodiit anno 1639. *in fol.*, duobus Voluminibus. Interpretationes Ariſtotelis ſunt ab Hadriano Turnebo, Iſaaco Caſaubono, & Julio Pacio. Acceſſit *Synopſis analytica univerſæ doctrinæ Peripateticæ*, autore GUILHELMO DU VALLIO, qui in hac Editione Commentariolos quosdam ad Synopſin addidit. Succeſſit huic Editioni alia, itidem Pariſienſis, quæ melior tamen priori eſt & auctior, quòd adjectus fuerit Index geminus, alter Autorum, qui ſuis lucubrationibus Ariſtotelis libros illuſtrârunt; alter, quo declaratur, quid ſit à quoque è ſuperioribus Interpretibus in ſingulas Ariſtotelicæ Philoſophiæ partes ſcriptum, collectus à Paſchale Gallo, è Bibliothe-

bliotheca Geſneri: præmiſſa eſt Operi Ariſtotelis Vita, Autore Diogene Laertio ſcripta, & altera ab Autore Ammonio. (*kk*) Hanc, ab Ammonio ſcriptam, edidit, cum copioſis & eruditis ſcholiis, Petrus Joh. Nunneſius, qui liber ad hiſtoriam Ariſtotelis accuratius noſcendam facit, editus Lugd. Batav. *in 8tavo*, anno 1621., junctusque ejusdem Autoris libro *de ſtudio philoſophico*, quo ille exponit conſilium de rectè conficiendo curriculo Peripateticæ Philoſophiæ.

JOHANNIS LAUNOY *Lib. de varia Ariſtotelis fortuna in Acad. præſertim Pariſienſi.* Conſtantienſis hic patriâ, & Theologus Pariſienſis hiſtoriam hanc ſcripſit, ſed breviter admodum, nec adeò magno apparatu, qua exponit ortus & occaſus intervallares Philoſophiæ Ariſtotelicæ. Ordinatè omnia inſtituit, eundo per ſecula, octoque obſervavit vices, quibus hæc Philoſophia Ariſtotelis, vel occidit, vel novas vires acquiſivit. Videas ex illo longâ ſerie, quàm conflictandum libris Ariſtotelis fuerit cum Eccleſiæ & Conciliorum decretis, quorum ſententiâ nonnunquam combuſti ſunt publicè, obnitentibus ſemper Scholaſticis Doctoribus, qui Eccleſiæ & Pontificibus tandem invitis eos obtruſerunt. Accuratè hic quoque recenſetur fortuna, quæ illi à Pet. Ramo obtigit, totaque illa impugnationis Ramiſticæ Hiſtoria. Hagæ Comitum *in 4to*, anno 1656. libellus hic prodiit. 2

FRANCISCUS PATRICIUS. *Discuſſionum Peripateticarum Tomos quatuor* ſcripſit, in quibus magnâ cum curâ omnia, quæ ad Ariſtotelis notitiam pertinent, propoſuit, ſed partium tamen ſtudio ductus. Hinc Conringii eſt Judicium, ex omnibus Hoſtibus Ariſtotelis optimè Patricium de illo eſſe meritum, in Philoſophiæ ejus Hiſtoria recenſenda. Iniquo enim in Ariſtotelem animo erat, Veteremque, ut vocat, Philoſophiam reducere in animo habebat; *Tomo 1.* agit de Ariſtotelis vita, moribus, libris, Auditoribus, ſectatoribus, Interpretum Sectis, philoſophandi ratione, *libris 13.* cui omnia, quæ poteſt, adjunxit, ad invidiam Ariſtoteli, ejusque ſcriptis, faciendam, dum libros ejus negat eſſe genuinos, ſed corruptos & ſuppoſititios eſſe ait, & dum illum plagiorum arguit, de quibus legi etiam poteſt Thomaſius, in *libro* ſuo *de plagio literario. §. 364. & 365. Tomo 2.* agit de Ariſtotelis cum Platone, aliisque veteribus Philoſophis, *à multis promiſſa* (ut titulus habet), *a nemine edita*, in omni Philoſophiæ genere, Concordia, *libris 8.* Illic unum opus eſt Patricii, ut oſtendat, nihil ab Ariſtotele dictum eſſe aut excogitatum hypotheſium verarum, quarum non exſtent in aliis quoque Philoſophis veſtigia. Iſta tamen in injuriam iſtius Philoſophi afferre non debebat; nihil enim facilius eſt, quàm talia loca congerere. Quod ſi nunc excuteremus omnium novatorum hypotheſes, nihil in illis inveniretur principiorum, quæ non in Veteribus etiam legantur Philoſophis, cum nemo tamen dicere poſſit, illos ex laciniis iſtis tale quoddam corpus collegiſſe. Talia enim caſu eveniunt, ac poſſibile eſt, homines, de una eademque re ſollicitos, in ſimiles incidere cogitationes; rerum enim conceptus iidem ſunt. *Tomo tertio* Ariſtotelis 3

(F) 3 cum

(*kk.*) Ammonii *Vita Ariſtotelis* (quam alii Ioh. Philopono tribuunt), cum *Scholiis* Pet. Joh. Nunneſii, ſeorſim Helmſtadii an. 1666. *in 4.* eſt recuſa.

cum Platone, aliisque Veteribus diſcordiam perſequitur *libris 7.*, ubi omnia rapit in ſiniſtram partem, quæ ab Ariſtotele diſputata fuerunt adverſus veteres, & illa, tanquam frivola & cavillatoria, traducit. Cujus generis quanquam aliqua apud illum ſunt, in omnibus tamen indiſtinctè non reprehendendus eſt Ariſtoteles: quod ſi enim ille lucem Philoſophiæ non intuliſſet methodo aliqua ordinata, in Platonis Dialogis, ac Veterum fragmentis, velut inconditâ aliquâ ſylvâ, errasſemus. Nunc ab illo in aliquam tamen viam ducti, agnoſcamus beneficium, neque calumniemur. Niſi enim is manum operi tam vaſto admoviſſet, non haberent Recentiores tela, quibus adverſus ipſum pugnarent. *Tomus quartus* denique, audax planè, totusque hypocriticus, rigidam inſtituit in Ariſtotelis dogmata cenſuram, *libris 10.* Condonemus huic egregio Viro contumaciam. Liber certè ejus cum fructu legi poteſt, qui editus eſt Baſileæ anno 1581. *in fol.*

4 PHILIPPUS LABBÆUS. Locum etiam in hoc Peripateticorum ſenatu habeat Labbæus, non tamen ut Senator, ſed ut Nomenclator & Apparitor. Scripſit ille *brevem conſpectum*, ut vocat, *Ariſtotelis & Platonis, Græcorum Interpretum Ariſtotelicorum & Platonicorum, eorumque editionum.* Utilis ille liber eſt ad indicium Autorum, in re ipſa alioquin parum ſapit. Editus eſt Pariſiis, ex Officina Cramoiſiana, anno 1657. *in 4.* Promiſit novam & locupletiorem ejus Editionem, cum titulo *Syntagmatis Philologici Græcorum Ariſtotelis Interpretum*, quibus additurus eſt aliorum Philoſophorum Veterum Interpretes, & prætera Andreæ Schotti *judicium de Ariſtotelicorum Operum Interpretibus Græcis & Latinis Bibliotheca Bibliothecarum, pag. 7., Editionis Pariſienſis, anni 1664.*

5 FRANCISCUS MUCIUS, Conſentinus, fuit hyperaſpiſtes Patricii. Irritaverat enim ſcripto ſuo Patricius Theodori Angelutii calamum, qui adverſus Pratricium ſcripſit. Opus ipſum Angelutii vidi quidem, ſed non videtur par eſſe huic viro oppugnando. Franc. Mucii libri *Diſſertationum* quinque ſunt, Ferrariæ, anno 1588. *in 4.*, editi, *in quibus*, ut titulus habet, *penè univerſa Ariſtotelis Philoſophia in examen adducitur.* Mihi tamen non videtur Opus reſpondere tam amplo titulo.

6 OCTAVIANI FERRARII *Liber de ſermonibus Exotericis.* Vir fuit ille doctisſimus, & hanc Diſſertationem *de ſermonibus Exotericis* ſcripſit, quæ prodiit Venetiis, anno 1575. *in 4.* Tota hæc Diſſertatio facit ad elucidationem Ariſtotelicorum ſcriptorum. Notum ſcilicet eſt, diſtingui Ariſtotelis libros in Exotericos & Acroamaticos. Exoterici libri erant illi, qui non ſcripti erant ad genuinos diſcipulos, ſed in promiſcuum multorum uſum. Diſcipuli itaque Ariſtotelis quaſi in duas claſſes diviſi, in quibus erudiendis duplici eſt uſus ordine, etiam diverſo tempote. Ammonius alios libros facit διαλογικȣς, alios ἀυτοπροσώπȣς. Hinc colligitur, Exotericos libros per dialogos fuiſſe ſcriptos, quemadmodum libri Platonis: & hi libri Exoterici prætera vocabantur ἐγκύκλιοι, quaſi ſcilicet ideò editi, ut vulgo ſcilicet ac in circulis legerentur. Accuratiorem iſtorum librorum disquiſitionem Ferrarius

in

in libro laudato habet. Sed edita poſtea eſt altera hujus libelli editio, plenior & auctior, quæ recuſa eſt in Germania curâ Melchioris Goldaſti, à quô præfixa eſt præliminaris Epiſtola *de Cryptica veterum Philoſophorum diſciplina.* Titulus libri eſt: *Clavis Philoſophiæ Peripateticæ Ariſtotelicæ.* Addita eſt Diſſertationi de ſermonibus Exotericis altera ejus Auctoris, *de diſciplina* ἐγκυκλίῳ, ubi multa ſunt ſimilis argumenti. Editus eſt liber Francof. anno 1606.

CAP. IX.

DE INTERPRETIBUS ARISTOTELIS GRÆCIS.

§. 1. Cenſura de Interpretibus Ariſtotelis Generalis. Græci Latinis ſunt præferendi. Latini ſæpe ejus doctrinam depravarunt ignorantia Linguæ Græcæ, Philoſopho perquam neceſſariæ. Laus Notarum Joach. Jungii in Ariſtotelem marginalium ἀνεκδότων. *2. Theophraſti, Ariſtotelis Diſcipuli atque Succeſſoris, Scripta, horumque Editiones & Exegetæ. 3. Inter Græcos Ariſtotelis Interpretes eminent Alex. Aphrodiſæus. 4. Themiſtius. 5. Joh. Philoponus. 6. Simplicius. 7. Aſpaſius, Euſtratius, Michael Epheſius, Andronicus Rhodius. 8. Mich. Pſellus. 9. Georg. Pachymerius. 10. Porphyrius, Ammonius Hermeas, Dexippus, Theod. Metochita. Singulorum Scripta, Tanslatores & Editiones, enumerantur.*

Ariſtotelicæ ſcholæ multi fuerunt *Interpretes, Græci*, Arabes, Latini, de quibus omnibus ſingulatim diſſerere nimis prolixum foret; nos præſtantiores ſeligemus. Id in univerſum notandum; Ariſtotelis ſcripta in re philoſophica potiora omnibus Interpretibus habentur; plerique enim ex illis peregrinos ſenſus in illum inferunt. Græci enim Interpretes omnibus ſunt præferendi; nam Latini, inprimis poſteriores, vehementer corruperunt doctrinam Peripateticam, qui non legerint, vel legere potuerint, Ariſtotelem in ipſis fontibus ſuis, ejusque Interpretes Græcos; magna autem eſt inter illos diverſitas, ſi quis doctrinas inter ſe conferat. Accurata linguæ Græcæ notitia habenda eſt Philoſopho. Niſi enim Veteres Autores, primos Philoſophiæ fundatores, legere poſſit, totus ille Philoſophi titulus precarius eſt. Legerat olim Ariſtotelem magna cura JOACHIMUS JUNGIUS, quanquam à doctrinâ Peripatetica alienus, magnus tamen Philoſophus. Vidi, ut hoc obiter memorem, Ariſtotelis Editionem Pariſienſem, perpetuis ejus notis marginalibus MStis illuſtratam, quam theſauri loco ſe habere dicebat Martinus Fogelius, cujus Bibliotheca ad Ducem Hannoveranum pervenit. Moliebatur ejus Editionem Fogelius, ſed ipſe præmaturo fato huic conſilio præreptus fuit. 1

THEOPHRASTUS. Genuinus Ariſtotelis diſcipulus Theophraſtus fuit, qui 2 omni-

omnium Peripateticorum diſcipulorum Princeps meritò habendus eſt. Hujus viri ſi libri extarent omnes, ab illo ſcripti, Bibliothecam unus faceret, nam paucos tantum illorum ſuperſtites habemus. Qui injuria temporis interciderunt, tàm multi ſunt, ut e titulis ſolis integrum libellum confecerit Johannes Meurſius. Editus eſt ſub tit. *Theophraſti* libellus ille Lugd. Batav., anno 1640. *in 12.* Adduntur *Lectiones* ejus *Theophraſteæ*, in quibus explicantur quædam obſcuriora, quæ in libris Theophraſti ſuperſtitibus occurrunt. Libri ejus ſuperſtites, tàm junctim, quàm ſeorſim, variis Editionibus prodierunt. Opera omnia Græcâ linguâ prodierunt *in fol.* Baſileæ, anno 1541. Græco-Latina itidem *in fol.* ex recenſione Dan. Heinſii, Lugd. Batav. anno 1613. quædam autem ejus Opuſcula junctim, Interpretibus Daniele Furlano & Adriano Turnebo, quibus acceſſit liber *de ſpiritu innato*, qui Ariſtoteli vulgò tribuitur, è Bibliothecâ Joh. Vincentii Pinelli, multarum linguarum & ſcientiarum peritiſſimi, Hanoviæ *in fol.*, anno 1605. Libri quidam alii ejus ſeorſim ſunt editi, cum nonnullorum Commentariis, ut liber *de plantarum cauſis*, in quem extant J. Cæſ. Scaligeri præſtantiſſimi Commentarii. In eundem librum Commentarium ſcripſit Joh. Bodæus à Stapel, Lugdun. Batav. A. 1644. *in fol.* editum, qui aliquantò rarior eſt. *Characteres* Theophraſti *Ethici & Politici*, aureus libellus, editus eſt cum Commentario Iſaaci Caſauboni, liber ad omnem vitam civilem & converſationem utiliſſimus. Nova ejus Editio prodiit Brunſwigæ, curante Beckenſteinio, anno 1659.

3 ALEXANDER APHRODISÆUS. Recenſebimus præcipuos quosdam Ariſtotelis Interpretes, neque enim omnium inſtituere Indicem poſſumus. Editiones illorum Autenticæ rariſſimæ ſunt, Græca enim exemplaria vel Venetiis ap. Aldum, vel Florentiæ, vel Pariſiis, vel Baſileæ, edita. Aldina autem, ut omnes Græci Codices ab Aldo editi, optima ſunt. Vixit ſeculo tertio Alex. Aphrodiſæus, & multa ſcripſit in libros Ariſtotelis, ut in *priora Analytica*, quæ Græcè prodierunt apud Aldum anno 1520. *in fol.*, & in 4to Florentiæ; in *Topica*, quæ itidem prodierunt Græcè ap. Aldum *in fol.*, Venetiis anno 1520. Latinè autem, Interprete M. Ant. Mureto, in 4to, Ingolſtadii anno 1602., *in 4. libros Meteorologicorum*, Interprete Piccolominæo, Venetiis in fol., Anno 1540. Item *de mixtione* Græcè *in fol.* Scripſit *quæſtiones Naturales de anima*, & *Morales*, quæ editæ ſunt Venetiis, anno 1596. *in fol.*, & *de fato*, qui liber prodiit, cum Verſione Latina Hieronymi Bagolini, Venetiis, anno 1541., *in fol.* Scripſit item in *librum de ſenſu & ſenſibili*, qui Comm. prodiit Græcè *in fol.* apud Aldum, anno 1527. Item in 12 *libros* Ariſtotelis *de prima Philoſophia*, qui Latinè prodierunt, translati à Joh. Geneſio Sepulveda, Pariſiis *in fol.*, anno 1536. Scripſit & *Problemata*, quæ *in fol.* prodierunt apud Aldum, Venetiis anno 1503., &, cum *problematibus* Ariſtotelis ex editione Friderici Sylburgii, *in 4to.*

4 THEMISTIUS. Vixit ille ſeculo 4to, multaque ſcripſit Opera in Ariſtotelem, quæ ab Aldo Græcè edita ſunt. Ejus Latinæ verſiones *Paraphraſeon* in Ariſtotelis *poſteriora Phyſica*, *libros de anima*, *memoria & reminiſcentia*, *ſomno & vigi-*

vigilia, inſomniis & divinatione per ſomnum, Interprete Hermolao Barbaro, prodiere, Viro elegantisſimo: additæ *ſunt Lucubrationes in quadam Themiſtii obſcuriora loca*, & *ſolutiones contradictionum*, Marci Antonii Zimaræ. Themiſtii comm. *de anima*, à Ludovico Nogarola, Veronenſi, Latinitate donatus, & ſcholiis illuſtratus, prodiit Venetiis apud Scotum, anno 1560. *in folio.* Scripſit idem Themiſtius *Paraphraſin in libros 12. Ariſtotelis de primâ Philoſophia*, quàm in Latinam linguam convertit Moyſes Finzius, Venetiis anno 1558., *in fol.*, apud Hieronymum Scotum, & *Paraphraſin in libros de Cœlo*, quæ in Latinam Linguam converſa a Moyſe Alatino, Hebræo, *in fol.*, Venetiis prodiit.

JOHANNES PHILOPONUS, Grammaticus. Fuit & ille inter celebratiſſimos Ariſtotelis Interpretes, vixitque ſeculo quinto, quem alii tamen locant in ſeculo ſexto. Dictus ille fuit, ob multitudinem operum, Philoponus, tanquam laboris amans, multa enim variaque ſcripſit in Ariſtotelis Opera. Ejus extat *Commentarius in priora Analytica*, Græcè editus *in fol.*, anno 1536., in Latinam vero converſus à Lucilio Philaltheo, apud Scotum, anno 1560. *in fol.* *In poſteriora Analytica* prodiit Commentarius Græcè apud Aldum, unà cum aliis quibusdam Commentatoribus, anno 1534. *in fol.* Idem Commentarius in linguam Latinam converſus, Venetiis apud Hæredes Hieronymi Scoti, anno 1586. Ejusdem *Explanatio in libros quatuor Phyſicorum Ariſtotelis*, in linguam Latinam converſa à Johann Baptiſta Raſavio, Novarienſi, Venetiis, apud Vincentium Valgriſium, *in fol.*, anno 1569. Ejusdem *Commentaria in libros Ariſtotelis de generatione & corruptione*, è Colloquiis Ammonii Hermeæ, qui itidem Commentator Ariſtotelis fuit, propriisque ejus conſiderationibus, ab Hieronymo Bragolino in Latinam lingua converſa, prodierunt Venetiis apud Hieronymum Scotum *in fol.*, anno 1559. *Commentarius in primum Meteororum* Ariſtotelis, à Joh. Baptiſta Camozio converſus, prodiit cum Olympiodori *in Meteora Ariſtotelis commentariis*, Venetiis apud Scotum, anno 1567., *in folio.* *Annotationes in 3. Ariſtotelis libros de anima*, è Diſſertationibus Ammonii Hermeæ, & propriis meditationibus, Latinè Anno 1581., Venetiis, apud Hæredes Hieronymi Scoti *in fol.* Apud Scotum hunc, ejusque hæredes, potiſſimi Peripateticorum Commentarii prodierunt, quaſi ſcilicet ille, qui à tenebris nomen habebat, deſtinatus eſſet, ut lucem his ſcriptis conciliaret. 5

SIMPLICIUS. Præſtantiſſimus Ariſtotelis Interpres eſt, qui & in Epictetum ſcripſit elegantiſſimum Commentarium. Ejus multa extant in Ariſtotelem Commentaria. Jonſius Simplicium facit coætaneum Johannis Philoponi, qui ſeculo 5to vixit, cùm Simplicius referatur ad ſeculum ſeptimum; ſed ætas illorum Interpretum non ùsque adeò explorata eſt. Ejus extat *Commentarius* in κατηγορίας ſive *prædicamenta*, in Latinam linguam converſus à Juſto Velſio, Peripatetico magni nominis. Addita ſunt Latina ſummaria, & præfixa ſingulis capitibus; prodierunt Græcè & Latinè Baſileæ, anno 1551. *in fol.*, apud Michaelem Iſengrinium. Illud de Operibus Simplicii notandum eſt, neminem diligentius exponere atque enarrare ſententias, tàm Ariſtotelis, quàm aliorum, qui ab Ariſtotele diſſentiunt. Eſt verò hæc editio Baſileenſis longè 6

correctior, quàm eſt Veneta, quæ anno 1499. prodiit; diligenter enim omnia enucleata ſunt. Extat ejusdem *Commentarius in 8. libros Phyſicæ Auſcultationis*, qui cum ipſo textu Græco Ariſtotelis, prodiit Venetiis *in fol.*, apud Aldum, Anno 1526., & Interprete Lucilio Philaltheo, Latinè *in fol.*, Venetiis, apud hæredes Hier. Scoti, anno 1587., quæ ultima Editio melior eſt priore illâ, quæ apud ipſum Scotum prodierat anno 1566., Venetiis. Nam hæc poſterior à Johanne Vincentio à Collibus diligentiore curâ eſt recognita, & marginalibus Annotationibus illuſtrata, textus ipſe ordinatius diſtinctus, ſummaria præfixa, tabulæque additæ in fine, in quibus inſigniora Simplicii dicta examinantur & explicantur. Apud eundem Scotum prodierat anno 1543. Latinè converſus Simplicii *Commentarius in prædicamenta Ariſtotelis*, non à Juſto Velſio curatus, ſed à Sebaſtiano Foſcareno, Venetiis *in fol.* Ejusdem Simplicii *Commentaria in libros Ariſtotelis de cœlo*, prodierunt itidem Venetiis, apud hæredes Hieron. Scoti, anno 1584. *Commentaria in 3. Ariſtotelis libros de anima*, ab Evangeliſta Lungo, Aſulano, in linguam Latinam translata, Venetiis, apud eosdem, anno 1587. *in fol.* Græcus autem textus, cum ipſo textu Ariſtotelis, Venetiis *in fol.* apud Aldum, anno 1527. qui Aldus ejusdem etiam *in 4. libros de cœlo Commentarium*, cum textu Ariſtotelis Græco, Venetiis *in fol.* edidit, anno 1526., quem in linguam latinam verterat Guilhelmus Morbecus, cujus Verſio prodiit Venetiis, anno 1540. Sed correctior eſt illa, & diligentius cum Codicibus Græcis collata, prodiitque anno 1584., cujus mentionem ſupra fecimus, non refertur tamen, quis illam editionem procuraverit. Simplicii *Commentarium in Epictetum* Angelus Caninius, magnum illud in Græca lingua nomen, in linguam Latinam convertit; Editio illius procurata eſt Venetiis *in fol.*, apud Hieronymum Scotum, anno 1569., ſed longè melior eſt, quam procuravit Cl. Salmaſius, cujus ſuprà c. 4. §. 4. mentionem fecimus.

7 ASPASIUS, EUSTRATIUS & MICHAEL EPHESIUS. Commentatores illi Græci ſunt in *Ethica* Ariſtotelis, cum Ariſtotele ipſo jungendi. Nam, cum Ariſtoteles in Ethicis brevis ſit & parcus, præclaram illi acceſſionem faciunt egregio huic Operi. Aſpaſius circa initia ſeculi ſecundi floruiſſe traditur, cujus diſcipulo Galenus adoleſcens magiſtro uſus fuit. Meminere ejus Aphrodiſæus in *Commentario ad lib. 1. Metaph.*, & Simplicius *ad lib. 1. Phyſ.* Scripſerat idem Aſpaſius Commentaria *in Categorias Ariſtotelis*, teſtibus Galeno, Boëthio & Simplicio. Euſtratius itidem in *Ethica* commentatus eſt, quem Viri docti malè paſſim cum Euſtathio confundunt, (*ll*) præprimis Franciſcus Patricius, accuratus alioquin rerum Ariſtotelicarum Inquiſitor, &, è Conringii judicio, omnium Ariſtotelis hoſtium optimè de Ariſtotele meritus, in ejus Philoſophiæ hiſtoria recenſenda. Nam & Græca Editio Aldina, & Feliciani translata, expreſsè Euſtratii nomen præferunt, quod & apparet in *Catalogo MStorum Biblioth. Florentinæ*, ab Henrico Ernſtio publicato. Refertur ejus ætas ad ſeculum decimum, & illa tem-

pora,

(*ll*) De Euſtratii & Euſtathii ob Paronomaſiam confuſione, necnon *Commentariis in Ethica & Analytica Poſteriora* Euſtratio, Presb. circa an. 560. Conſtantinopolitano, per Caſim. Oudinum perperam tributis, Conf. *Homonymoſcopia* meæ *P. II. c. 5.* §. 30. *p.* 464. 465.

pora, cùm in Græcorum imperio Philoſophiæ ſtudia, auſpiciis Bardæ Cæſaris, renaſcerentur. Ejusdem Euſtratii extant doctiſſima *Commentaria in poſteriora Analytica*, quorum Græca Editio prodiit apud Aldum Venetiis, unà cum Johan. Grammatici, & Incerti Autoris, in eadem *Commentariis*, anno 1534. Eadem Latine vertit Andreas Gratiolus, Michael Epheſius itidem. Vixit poſt ſeculum X., ſcripſitque in *Ethica* Ariſtotelis. Ejusdem exſtant præterea *Commentarii in 4. libros Ariſtotelis de partibus animalium*, quos Petrus Victorius è Bibliotheca Medicæa edidit, quique ab aliis Philopono adſcribuntur, nec non *Expoſitiones in parva Naturalia* ab Aldo editæ, & Latinè à Philatheo & Geſnero verſæ, quarum MSta ſuperſunt in Bibliothecis Medicæa & Bavarica. Hi ſunt Commentatores in Ethica Ariſtotelis, Triumviri præſtantiſſimi, olim ſeorſim, tàm Græcè, quàm Latinè, editi. Eſt verò magna adhuc circa Capita illarum Commentationum controverſia. Autores enim nonnunquam permutantur, & uni adſcribitur, quod adſcribi alteri debebat, quâ de re videantur Sam. Rachelius in *Introductione in Philoſophiam moralem Ariſtotelis*, & Conringius *in præfatione Interpretum Græcorum ſuper Ariſtotelis Opus Ethicum*, à Sam. Rachelio editorum. Edidit verò ille hos tres Interpretes, è translatione Joh. Bernhardi Feliciani, Helmſtadii *in 4to*, anno 1662. Extat & Andronici Rhodii Paraphraſis Græco-Latina Interprete Daniele Heinſio, *in 4to* edita Lugd. Batav., anno 1607. Euſtratii ceterorumque *Commentaria in libros Ethicorum* Græcè prodierunt in fol., Venetiis apud Aldum, anno 1536. Habuit in animo Joh. And. Boſius novam horum Interpretum Editionem, ſed morte præventus illam non publicavit.

MICHAEL PSELLUS Seculo XImo vixit, qui in Ariſtotelis libros multos ſcripſit. Fuit alioquin Pythagoricæ Platonicæque Philoſophiæ deditus, uti teſtatur Opus ejus *de Operatione Dæmoniorum*, de quo ſupra, ejusque *Lyræ Pythagoricæ Diagramma*, quod hodie MStum in Gallia ſervari teſtatur Phil. Labbæus *in Bibliothecâ novâ MStorum fol. 114.* Ejus exſtat *Metaphraſis 2. libb. poſteriorum Analyticorum*, in Latinam linguam converſa ab Emanuele Margunio, Venet. *in 8tavo*, apud Juntas, anno 1575. *Commentarius in librum de Interpretatione*, Græcè editus ab Aldo, anno 1503. *in fol.*, & *Commentarii in Phyſicorum libros*, qui à Joh. Bapt. Camozio in Latinam linguam ſunt converſi, Venet. anno 1554. *in fol.* 8

GEORGIUS PACHYMERIUS, Conſtantinopoli oriundus, & in Nicænorum ſacerdotum numerum cooptatus, claruit ſub Michaele & Andronico Palæologis. Fuit Epitomator Ariſtotelis. Nam penè in univerſam Ariſtotelis Philoſophiam *Epitomen* confecit, quæ à Phil. Becchio, Philoſopho & Medico, in Latinum ſermonem eſt converſa, editaque Baſil., anno 1560. *in fol.*, ap. Frobenium. Becchius ille magnam curam huic Operi impendit. Opus illud, in varias partes ſciſſum, variis in locis prodiit, jam Græcè, jam Latinè, quarum omnium accuratam recenſionem inſtituit Leo Allatius in *Diatribe de claris Georgiis.* 9

Atque hi ſunt fermè celebriores Græci Interpretes. Sunt præterea alii quidam, non usque adeò publici & vulgares, neque tam neceſſarii uſus, Porphyrius in *Categorias* 10

(G) 2 Græ-

Græcè *in 4to* prodiit, Pariſiis anno 1543., Latinè ex Interpretatione Feliciani *in fol.*, anno 1566. Ammonii Hermeæ *Commentarius in 10. Categorias* Græcè Venet. anno 1503., apud Aldum, *in fol.* Ejusdem *Commentarius in 5. voces Porphyrii*, Græcè in 8. Venet. anno 1545. Extat Dexippi *Defenſio prædicamentorum adverſus Plotinum*, Latinè converſa à Feliciano, *in 8.*, Pariſ., anno 1549. Eſt Theodori Metochitæ *Paraphraſis in Phyſica Ariſtotelis*, à Gentiano Herveto in Latinam linguam converſa, *in 4.*, Baſil. anno 1549. Aphrodiſæi *Problemata*, quorum mentionem ſuprà fecimus, edita ſunt Venet. apud Aldum, *in fol.*, anno 1503. Ejus Alexandri magnum olim fuit nomen, ut penè non Ariſtotelicus haberetur, qui non eſſet Alexandreus. Solent jungi cum Ariſtotelis *problematibus*, in quæ abſolutiſſimum Commentarium *in fol.* ſcripſit Ludovicus Septalius.

CAP. X.

DE INTERPRETIBUS ARISTOTELIS ARABICIS.

§. 1. *Arabum diligentia, in Græcorum Scriptis, & ſpeciatim Ariſtotele, Lingua ſua donandis, commendatur, ſed plurimis ſimul monetur, Verſiones iſtas ſcatere ψευδερμηνείαις. 2. Mentione præ aliis digni Averroës. 3. Avicenna, Alfarabius, Jac. Alkindius.*

1 ARABES Ariſtotelis Philoſophiam diligentiſſime coluerunt. Nam Platonis & Ariſtotelis libros omnes in ſuam linguam converterunt, fuitque Ariſtotelicorum ſcriptorum major apud illos notitia, quàm apud Italos & Gallos. Legendus eſt Joh. Leo Africanus in *libro de Vitis Philoſophorum Arabum*, (mm) quem, è Bibliotheca Florentina erutum, primus edidit J. Henr. Hottingerus, & *Bibliothecario* ſuo inſeruit. Ubi de quodam Johanne Meſue, Chaldæo, refert, illum in linguam Arabicam convertiſſe Opera Ariſtotelis. Videatur etiam Hottingerus *in Hiſtoria Eccl. Seculi IX.* Plus igitur circa illa tempora Arabica Verſio viguit, quàm ipſe Textus Græcus, præſertim cùm interdiceretur publicè apud Arabes Græcæ linguæ uſus. Hinc itaque factum eſt, ut, Friderici II. tempore, Ariſtotelis ſcripta partim de Arabico, partim de Græco, Latina reddita fuerint, quâ de re videatur Conringius *Antiquitatum Academicarum Diſſertatione 3. p. 95. & ſeqq.* Quid in univerſum de Arabicis illis Verſionibus ſentiendum, docet Salmaſius, in *præfatione* ad *Tabulam* Ce-

(mm) De Abennedin. Ibn. Caſta, Aben Alhaſli, Joh. Leone, aliisque Philoſophorum Arabum Biographis & Encomiaſtis Vernaculis, in *Apparatu ad Notitiam Reip. Literar. Geographicam*, fuſius dicetur. E Chriſtianis, de illorum Philoſophiæ ſtudio, & philoſophandi ratione, conſuli poſſunt J. Henr. Hottingerus *in Biblioth. Orientali c. 3.* Sam. Schelgvigius *in Or. Inaug. de Philoſophia Turcica* (Dant. 1686. *in 4.*), Guſt. Peringerus *in Hiſtoria Linguæ & Eruditionis Arabum* (Upſal. 1694. *in 8.*), & *Hiſtoria Rationalis Philoſophiæ apud Arabes & Turcas,* in Acad. Halenſi, Præſide Joh. Pet. Ludovico, an. 1699. ab Henr. Balth. Seelmanno, Stasfurdienſi, propoſita.

Cebetis. *Arabes enim*, ait, *tum temporis, cùm è Græcis verterent, magiſtros illos habuere, qui Græcam iſtius temporis linguam vix rectè intelligerent.* Regnante apud Arabes Abbaſidarum familia, ſub regno Almamonis, Chalifarum ſeptimi, omnium ſcientiarum ſtudia floruerunt, tumque certatim in Verſiones è Græcis incubuerunt, anno à Chriſto nato 900., cum barbaries ſumma, tàm Græcam, quàm Latinam linguam invaſiſſet. Hinc infinitos eſſe ait in translationibus Arabum errores, & multas ſententias falſas Autoribus affictas. Ita in Operibus Avicennæ, è Græcis Dioſcoridis & Galeni, falſa ſunt interpretamenta. Credibile itaque eſt, alios Autores non fuiſſe melius habitos, ut vix nobis promittere poſſimus, quod nonnulli volunt, è linguæ Arabicæ theſauris notabilem aliquam ſcientiarum emendationem.

Præcipuus inter Arabes Interpretes eſt AVERROES Cordubenſis, cujus exſtant in omnia Ariſtotelis Opera Commentarii, ex Arabica in linguam Latinam converſi à Jacobo Mantino, quibus *Annotationes* R. Levi Gerſonidis *in libros Logicos*, & *Notæ* Bernhardini Tomitani *in Averrois & Ariſtotelis dicta*, additæ, prodierunt Venet. *in 8.*, duodecim Voluminibus, anno 1575. Exſtant quoque ejus *in Libros Platonis de Rep. paraphraſes*, de quibus ſupra. De Averroë qui plura velit, legat Jac. Gaddium in *libro de ſcriptoribus non Eccleſiaſticis, Tomo I. p. 50.*, qui & in eodem libro, ſub tit. *Ariſtotelis*, multa de ipſo, & ejus Interpretibus, congeſſit. Fuit verò impius homo Averroës, & profanis ſententiis plenus. Adverſus illum *libros 46.* ſcripſit Ambroſius Leo, *(nn)* quos laudat Eraſmus *lib. 10. Epiſtola 29.* Sed illi lucem, ut opinor, non viderunt. 2

AVICENNA itidem Arabs ſcriptor eſt, cujus Opuſcula quædam *de Logica, de cœlo & mundo, de animalibus, de intelligentiis, in fol.* prodierunt, literis antiquis Gothicis; Opera omnia verò cum Interpretibus, Venet. anno 1523., Tomis 5. *in fol.* Ejus Medica ſeorſim quoque edita ſunt. Spectant huc quoque ALFARABIUS *de intelligentiis*, & JACOBUS ALKINDIUS *de gradibus rerum*, editus *in fol.*, Argentor., anno 1532. De Avicennâ videatur judicium Rhodigini *lib. antiqq. lectionum, cap. 2.*, ubi parum honorificè de ipſo judicat, ut qui mutilaverit Ariſtotelis ſenſus, & multa commentitia in ipſum intulerit. Legendus etiam Gaddius *lib. citato p. 55.* Multum certè turbarunt Arabicæ illæ Interpretationes Philoſophiam. Multa enim impia per illas invecta, de quibus conqueritur Piccartus *in Diſſertatione de origine & progreſſu Philoſophiæ Ariſtotelicæ, pag. 40. 41. 42.* 3

CAP. XI.
DE INTERPRETIBUS ARISTOTELIS LATINIS.

§. 1. *Horum Primicerius eſt Sever. Boëthius.* 2. *Sequuntur hunc longa ſerie, præter Scholaſticos,* Cap. XIII. *enumerandos, de quibus generatim hic fertur judicium.*

(nn) Ambroſii Leonis Nolani, *Caſtigationes in Averroëm* revera Venetiis anno. 1517. prodiiſſe, teſtis eſt Joſ. Simlerus *in Biblioth. p. 30.* addens, *Librum* eas eſſe *magnum, ac totius Philoſophiæ Theſaurum, quoſdam quaſi Commentarios in ſingulos Ariſtotelis Libros ordine* exhibentem.

cium, 3. E Recentioribus, Aug. Niphus, 4. Pet. Pomponatius, Doctor Atheiſmi, quem Ipſe ac Diſcipulus ejus, Jul. Cæſ. Vaninus, nec non Thom. Campanella, dum impugnare videri volunt, infirmis refutantes Argumentis, Lectori potius commendant. 5. Apollinaris Offredus. 6. Franc. Vicomercatus. 7. Joh. Franc. Burana. 8. Joh. Paulus Pernumia. 9. M. Ant. Majoragius, de cujus etiam Scriptis aliis quædam adduntur. 10. Ant. Montecatinus. 11. Dan. Barbarus, 12. Lucil. Philaltheus, 13. Dan. Furlanus, 14. Lud. Septalius, 15. M. Ant. Flaminius, 16. Tarquinius Gallutius, Plagiarius. 17. Philoſophi Acad. Lovanienſis. 18. Acad. Venetæ (de cujus Hiſtoria quædam adduntur) Profeſſores. 19. Jac. Mazonius, Homo indolis & memoriæ portentoſa. 20. Franc. Vatablus. 21. Franc. Toletus. 22. Franc. Robortellus, contra Thuani cenſuram defenſus. 23. Jac. Schegkius. 24. Don. Acciajolus, (Joh. Argyropuli Plagiarius) & Felix Accorombonus. 25. Andr. Cæſalpinus. 26. Nicol. Taurellus. 27. Ant. Scaynus, 28. Sim. Simonius & Joh. Neldelius. 29. Cæſar Cremoninus & Pet. Joh. Nunneſius. 30 Philoſophi Altorfini, §. 26. etiam jam commendati, Philippus Scherbius (cujus, uti & Aug. Buchneri, Poſthumorum Editores, nullo uſi delectu, obiter notantur,) Ern. Sonerus & Mich. Piccartus. 31. Jul. Pallamedes & Joh. Bapt. Bernhardinus, Indicum in Ariſtotelem Scriptores. 32. Interpretes Ariſtotelis diverſum ſectati ſunt Inſtitutum, diverſaque uſi Methodo. Herm. Conringii Laudationes Ariſtotelis. *Deſ. Eraſmi Roterodami Epiſtola de Scriptis ejus.*

1 SEVERINUS BOETHIUS. Inter INTERPRETES LATINOS principem locum meritò obtinet Sever. Boëthius, cujus extant præclari ſuper varia Philoſophiæ argumenta Commentarii. Vixit ſeculo VII. jam barbariem trahente ſermone Latino, Caſſiodori æqualis. Ejus Opera omnia, quorum maxima pars ad Logicam doctrinam pertinet, edita ſunt junctim *in fol.*, Baſil. ap. Henr. Petri, anno 1570. Genere fuit illuſtris, de quo videri poteſt prolixè *præfatio* Petri Bertii ad Rutgerum Boetzellerium ab Aſperen, quæ præmittitur Editioni Variorum Operis *de conſolatione Philoſophiæ*, (oo) Lugdun. Batav. ex Officina Hackiana, anno 1671. *in 8.*, cum integris Notis Sitzmanni & Vallini. In hâc præfat. enarrantur omnia ejus Opera, quæ ſcripſit in Logicis, Rhetoricis, Arithmeticis, Muſicis, Geometricis, Metaphyſicis, Mechanicis. *Hujus*

(oo) Non poſſum *h. l.* laude defraudare debita, quàm ingenti cum delectatione, per multos jam annos, volvi ac revolvi, Metaphraſin Librorum Boëthii *de Conſolatione Philoſophiæ* Germanicam, longe elegentiſſimam, quæ ἀνωνύμως Solisbaci an. 1667. *in 12.* prodiit, Autorem vero agnoſcit Virum Illuſtrem, & omnigena eruditione famam adeptum jampridem immortalem, Chriſt. Knorrium a Roſenroth, Sileſium, Miniſtrum Aulæ Solisbacenſis principem. Hanc certe, tum ob Prærogativas alias haud vulgares, tum ob Metra Vernacula, Boëthianis ferme ſuperiora, & nulli non Poëtarum Germaniæ modernorum palmam venuſtatis ingenioſæ, inque Autoris mente accurate exprimenda feliciſſimæ, dubiam redditura, omnibus aliis Boëthii Verſionibus cum Chr. Henr. Paſtelio (*in Obſervatt. in Periocham de Junonis calliditate Homericam p. 480.*) præferre nullus dubito.

Hujus viri magna fuit eruditio, Caſpare Barthio judice, *lib. 17. c. 13. Adverſ.* Ejus *Ingenium neque ante ſe multos, neque poſt ſe aliquem toto Romani Imperii tempore habuit ſimilem.* Plura illo loco de Jani Bernartii & Theod. Sitzmanni Editionibus invenies, qui in libros ejus *de conſolatione Philoſophiæ* commentati ſunt. Idem, *libro 24. c. 15.*, *flumen Romani ſermonis apud hunc ferè ſolùm remanſiſſe,* judicat. Legatur elegantiſſima Epiſtola, quam Caſſiodorus *l. 1. variarum num. 45.* Boëthio inſcribit. Scaliger *l. 6. Poët. c. 5.* de Boëthio ita judicat: *Valla docet Boëthium Latinè loqui, at Boëthius Vallam benè ſapere.*

Recenſebimus nunc, è Latinis recentioribus, potiores interpretes & Commentatores. Omnium enim inire numerum res noſtri laboris non eſt. Parùm curamus illos, qui in tenebris ſeculi Barbari in Ariſtotelem quicquam commentati ſunt, quanquam tamen in iis delectus etiam aliquis habendus eſt. Nam Scholaſtici Doctores, quos hæc ætas tulit, non ſunt in univerſum ſpernendi, de quibus, poſt enumeratos Latinos Interpretes, pluribus agemus. Licet enim ætate hos præcedant, præferendi tamen ſunt, qui preſſius Ariſtotelis veſtigia ſequuntur, à quibus magno ſæpè intervallo abſunt Doctores Scholaſtici. Non defuerunt, qui in utramque partem de illis diſputarunt. Extant Epiſtolæ mutuæ Joh. Pici Mirandulani & Hermolai Barbari, quorum ille Scholaſticos Doctores defendit, hic impugnavit. Recudi fecit Epiſtolas illas in Germaniâ Philippus Melanchthon, adjectis diſpoſitionibus. Sed Hermolaus Barbarus potius Latinitatem ſpectabat, quæ in hoc argumento attendenda non erat. Sed de iis plura in ſequentibus. Nunc interpretes videamus. 2

AUGUSTINUS NIPHUS, Philoſophus pro tempore clariſſimus fuit, cujus extant varia ſcripta, neque cultu ſermonis ille deſtitutus. Extant *Commentarii in Ariſtotelis 8. libros Topicorum*, editi Venet. *in fol.*, apud Hieron. Scotum, anno 1559. *Expoſitio in Ariſtotelis Elenchorum librum,* quæ prodiit itidem Venet. apud eundem, anno 1567. *in fol. Commentarii* in plures alios Ariſtotelis libros; *Expoſitiones* in ejus *Metaphyſica,* quæ prodierunt Venet. *in fol.*, anno 1547. *Commentarius in libros de animalibus* ibidem, item *in libros de anima*, Venet. apud Juntas, anno 1544. *in fol. Commentarius in parva naturalia in fol.* apud eosdem, anno 1540. *Commentarius in Meteorologica,* Venetiis anno 1559., *in fol.*; *In libros 8. Phyſicorum*, Venet. *in fol.*, anno 1543.; *In librum de Interpretatione Expoſitio* Venet., anno 1537. *in fol.*; *In libros poſteriorum Analyticorum*, *in folio,* Venet. anno 1553.; *In lib. 3. Rhetorices Ariſtotelis, in fol.* Venet., anno 1537. Hæc ferè ſunt Opera illa, quæ in Ariſtotelis libros ſcripſit Niphus. De ceteris ejus Operibus agemus, cùm ad argumenta illorum pervenimus. 3

PETRUS POMPONATIUS. Omnes, me quidem Judice, argutiâ ſuperavit Pomponatius, quâ abuſus etiam ultra, quàm par eſt, videtur. Inter primos ferè ille eſt, qui Atheiſmi ſemina ſparſit, prodiit ex ejus ſcholâ Jul. Cæſ. Vaninus, extremo ob Atheiſmum ſupplicio affectus, cujus ſententia & Hypotheſes in *Dialogis* conſpiciuntur, qui cum privilegio Regis Chriſtianiſſimi prodierunt, cùm ipſe titulus *Deam Natu-* 4

Naturam præferat, quæ verba in ipſo privilegio repetuntur. Atque hic perpetuo Dialogo inter ſe & Pomponatium ſermonem inſtituit. Ita enim ſolent procedere hujus nequitiæ profeſſores, ut, ſub reciproci ſermonis involucro, cum objectiones injiciunt, doctrinæ ſuæ interiora proponant. Moventur illic dubia, & ſegniter reſpondetur, dum vel ad autoritatem Eccleſiæ confugiunt, vel ad alia argumenta dubiis inferiora. Vaniniana illa argumenta notari tamen poſſunt in Thomæ Campanellæ *Atheiſmo Triumphato*. Eandem viam inſiſtit Pomponatius, omnium Magiſter, è cujus pharetra omnia illa tela deſumta ſunt, quibus nunc utuntur Spinoſæ & Hobbeſii, & quicunque in uno illo ludo ad nequitiam docti ſunt. Vel unus ejus *liber de Incantationibus* multa producit ad hoc argumentum facientia. Acutiſſimè è principiis peripateticis diſputat, objectiones formando, iis reſpondendo, ac alias iterum Objectiones, Objectionumque reſponſiones, ſuperinducendo. Scripſerat autem librum illum, occaſione quorundam Obſeſſorum, quorum ille actiones ad ἐνεργείας quasdam occultas naturales reducere voluit, quæ ejus veriſſima ſententia fuit, quam incruſtavit ſpecie autoritaris Eccleſiaſticæ, cujus cenſuræ ille omnia ſua ſubjecit, ultrò ipſi reformationem theſium ſuarum concedens. Extat etiam ejus *de immortalitate animarum* Tractatatus, quem ego nunquam vidi. Alioquin & in Ariſtotelem Commentarii aliquot ab eo ſcripti ſunt. Extant quoque ejus *Dubitationes*, Venet. *in fol.* anno 1553. editæ, in quibus multa Ariſtotelis illuſtrat. Ego verò nihil ejus, præterquam *de Incantatione librum*, legi.

5 APOLLINARIS OFFREDUS. Celebris ille in Ariſtotelis præſertim Analytica Commentator, magnâ diligentiâ omnia evolvit. Fuit ex illuſtri familiâ apud Cremonenſes, unde prodierunt Viri, non armis ſolùm, ſed & literis, illuſtres, conſiliis quoque publicis apud Italiæ Principes admoti. Hujus quoque familiæ fuit Offredus de Offredis, celebris JCtus. Hujus Apollinaris noſtri paſſim meminerunt Hiſtorici Itali. Erat enim Medicus & Philoſophus præſtantiſſimus, qui famam ſuo tempore magnam ſpargebat. Ejus extant *Commentaria* abſolutiſſima *in poſteriora Analytica*, unà cum *quæſtionibus in poſteriorum Analyticorum librum I.* In Ariſtotelis ſenſibus penetrandis argutus fuit. Ita autem diſpoſuit Commentaria ſua, ut primùm Ariſtotelis verba evolveret, atque theſin veram oſtenderet, deinde quæſtionibus diſputationibusque, tàm in ipſo Ariſtotele, quàm in Interpretibus ejus, inquiſitis, omnia illuſtraret. Edidit Commentarium illum Thomas Vachellius, Bibliopola, Cremonæ anno 1551., Impenſas ſubminiſtrante Chriſtophoro Præconio. Ejus Operis Hiſtoriam recenſuit Joh. Ant. Honoratus *in præfat.* Multa de iſtius Viri laudibus ſcripſit Hieron. Vida, Poëta Italus. Scripti ſunt plures ab illo Commentarii, *in librum Ariſtotelis de anima*, pluresque alii, quos typis paratos eſſe ait Honoratus, in dicta *præfat.*, ubi illos brevi edendos promittit. Sed nunc quidem dicere non poſſum, an illi, & quando, prodierint. *(pp)* Rariores enim illi libri ſunt, neque nunc facilè in Bibliothecis comparent. FRAN-

(pp) Apollinaris Offredi *Comment. in Lib. Ariſtotelis de Anima* impreſſum eſſe, teſtatur Joſ. Simlerus *in Biblioth. p. 5.*

FRANCISCUS VICOMERCATUS. Mediolanenſis ille fuit, & Pariſienſis Academiæ Prof. Commentator Ariſtotelis celeberrimus. In varios Ariſtotelis libros ſcripſit, quibus ille diligentiam ſingularem impendit. Nam fontes ipſos curioſè rimatus, adhibitis in conſilium Græcis Interpretibus, id operam dedit, ut mentem Ariſtotelis accuratè indagaret. Verſiones depravatas Ariſtotelis ipſe correxit, imò alias ſubſtituit. Adduxit præterea, quæ ornamento eſſe poterant, ut ſuperarit omnium, tàm Græcorum, quàm Arabum, induſtriam. Denique & hoc in ipſo laudandum eſt, quod cultiori ſermone Philoſophica dogmata proponat. Ejus extant *Commentarii in 8. libros Phyſicorum Ariſtotelis*, quos ipſe è Græco in Latinum convertit; Græcæ enim linguæ peritiſſimus fuit, & Philoſophiam Pariſiis Græcè profeſſus eſt. Prodierunt Venet. apud Hæredes Hier. Scoti, anno 1584. *in fol.* Ejusdem extant *Commentarii in libros Meteorologicorum Ariſtotelis*, quos ipſe etiam è Græco in Latinum convertit, editi Venet. *in fol.* apud Hier. Scotum, anno 1565. Addita eſt ipſius Autoris præfatio, in quâ conſilium Commentationum ſuarum exponit. Extant *Commentarii in Ariſtotelis lib. 3. de anima*, editi Venet. *in fol.* apud Hæredes Hier. Scoti, anno 1574. Addita eſt ejusdem *de anima rationali Peripatetica* Diſſertatio. 6

JOHANNES FRANCISCUS BURANA. Veronenſis ille fuit, optimusque Philoſophus, qui in Ariſtotelis *libros priorum Analyticorum* perſpicaciſſimos Commentarios ſcripſit, librosque ipſos è Græco in Latinum ſermonem ipſe convertit. Additi ſunt Hieronymi Bagolini, Veronenſis, in eosdem libros *breves Annotationes*. In hôc Virô illud laudandum eſt, quòd ſumma diligentia omnium Interpretum & Commentatorum Græcorum, Arabum, Latinorum, explicationes & ſententias congeſſerit, ſuâ addita cenſurâ & judicio. Editi ſunt illi Commentarii Venet. apud Hier. Scotum, anno 1567. 7

JOH. PAULUS PERNUMIA. Fuit ille Medicus Philoſophusque Patavinus, cujus extat *Ariſtotelis Philoſophia naturalis, ordine definitivo tradita, quod à nullô hactenus factum* (ita titulus habet). Liber ille in tenebris latitaverat, à tineis ferè conſumtus, quem in lucem protraxit Simon Galignanus de Carera, ſuisque typis publicavit Patavii, anno 1570. *in fol.* Inſcripſit autem Opus Johanni Sambuco. 8

MARCUS ANTONIUS MAJORAGIUS, Vir, cujus hiſtoria vel ex Orationibus ejus nota eſt, magnæ doctrinæ, Philoſophusque cultiſſimus. Linguæ Latinæ nitor ſingularis in illo fuit, quod vel ex libello ejus poſthumo patet, quo caſtigat cujusdam Gaudentii Merulæ Latinitatem. Hujus extant varii Commentarii in Ariſtotelis libros, in *libros ſcil. de Cœlo*, Baſil. *in fol.* apud Oporinum, anno 1554., & *in libros de generatione & interitu*, *in fol.* ibidem editi. Multa ſunt ab illo Viro ſcripta, quæ lucem non viderunt, quæque in Bibliothecis Virorum doctorum paſſim latitant MScripta. Memini ab illo elegantem *Commentarium in quatuor Georg. Virgilii libros* ſcriptum, quem ſervat Bibliotheca Gudiana. 9

ANTONIUS MONTECATINUS. Ferrarienſis ille fuit, cujus extant *Commentarii in 8tavum Ariſtotelis Naturalium librum.* Ita vero Commentarios ſuos inſti- 10

tuit, ut primum ponat argumentum textus, huic ſubjungat Textum Græcum cum Verſione Latinâ, additis in margine variis lectionibus, illis ſubjungit Explanationem uberiorem, Explanationi deinde ſcholia. Impreſſus eſt liber ille Ferrariæ, apud Benedictum Mamarellum, anno 1591. *in fol.* Edidit idem *Commentarium in librum Ariſtotelis de anima*, adjunctis *ſcholiis, quæſtionibus & Digreſſionibus in Averroëm, in fol.*, Ferrariæ anno 1576.

11 DANIEL BARBARUS. Patritius ille Venetus fuit, Vir doctiſſimus. Scripſit multa varii argumenti, & inter illa *Commentarium in Porphyrii Iſagogen*, qui editus eſt Venet. *in 4to*, apud Aldum, anno 1542.

12 LUCILIUS PHILALTHEUS. Medicus ille fuit & Philoſophus, qui multa Ariſtotelis convertit in Lat. ſermonem, cujus ille culturam magni fecit; quod teſtantur Epiſtolæ ejus, planè ad Romanæ Latinitatis genium ſcriptæ, de quibus ſupra diximus. Ejus extant *Commentarii in libros Ariſtotelis de Cœlô*, qui prodierunt Venet. in fol. ap. Valgriſium, anno 1565.

13 DANIEL FURLANUS, Cretenſis, è gente mendaci Philoſophus tamen doctiſſimus, quod oſtendunt *Commentarii* ejus *in Theophraſti Opera*, è Pinelli Bibliotheca editi, de quibus ſuprà egimus. Is ſcripſit *Commentarium in Ariſtotelis librum de animalibus*, & *problemata* ejusdem, qui prodiit Venet. in 8., anno 1574.

14 LUDOVICUS SEPTALIUS. Medicus ille fuit & Philoſophus maximi nominis, cujus extant multi libri Politici argumenti, inter quos eſt ille, quem *de ratione ſtatus* ſcripſit Italico ſermone, ſed in Latinam linguam converſum edidit Joh. Garmerus, Poliater Hamburgenſis. Edidit & *in Ariſtotelis Problemata Commentarium*, uberrimum & locupletiſſimum, multâ rerum varietate refertum, & variis disquiſitionibus diſputationibusque phyſicis inſtructum. Prodiit Francof. anno 1602. *in fol.*

15 MARCUS ANTONIUS FLAMINIUS. Vir ille doctiſſimus, Poëta quoque Latinus elegans, Italus fuit, cujus, præter Poëmata, extant varia Opuſcula, interque illa *Paraphraſis* quædam *in Ariſtotelis libros de prima Philoſophia*, edita *in 8.* Pariſ., anno 1547.

16 TARQVINIUS GALLUTIUS. Jeſuita ille fuit. Scripſit varios libros, ſtylo cultos, quod teſtantur ejus *Orationes*, quæ de ſingularibus & elegantibus argumentis ſcriptæ in lucem prodierunt. De iis dictum alio loco. Ceterum in Philoſophia non usque adeò Virum ſe oſtendit, non indoctus ille quidem, ſed in argumento, quod tractavit, multa aliis ſublegit. Edidit ille *Commentarium in Ethica Ariſtotelis*, unà cum eorundem Interpretatione Latinâ, qui prodiit duobus Voluminibus *in fol.* Pariſ. ap. Cramoiſios, anno 1632. & 1645. Ille, ut magnificum pararet Opus, omnium quercus excuſſit. Quod Textus explicationem attinet, è Gifanio, doctiſſimo *Ethicorum* Ariſtotelis Interprete, pleraque exſcripſit. Quæſtiones, quas adjecit, pleræque è Scholaſticis ſunt congeſtæ.

17 LOVANIENSES. Edita ſunt in Ariſtotelis libros Commentaria ab integris Collegiis, & habemus talia multa. Rarior verò eſt Commentarius, quem in *Iſagogen* Por-

Porphyrii, & in omnes libros Ariſtotelis de Dialecticâ, ediderunt Philoſophi Academiæ Lovanienſis, cujus 3tia editio prodiit Lovan., anno 1568. *in fol.*, ap. hæredes Arnoldi Birckmanni. Illorum Lovanienſium mentionem facit Pet. Joh. Nunneſius, in *Oratione de cauſis obſcuritatis Ariſtotelis, ejusque remediis.* Sed eodem in loco, & laudat illos, & vituperat. Nam, cum l. c. dicit, quod multa addita fuerint, & obſervata à nonnullis in Ariſtotelis libros, per ſe obſcuros, laudat Lovanienſes, qui in Logica rationem definiendi & dividendi accuratiorem tradiderint. In eodem autem libro *pag.* 234. ait, Lovanienſes *accuratius aliquid in Commentariis ſuis ſcribere magis voluiſſe, quàm potuiſſe.* Laudat & illic Civem ſuum Joh. Gelidam, quem vocat *doctiſſimum Philoſophum, & in Ariſtotele multùm exercitatum,* qui addiderit multa, quæ deeſſent Ariſtoteli, detraxerit, quæ redundarent, quem tamen ego nunquam vidi.

ACADEMIÆ VENETÆ Profeſſores. Multæ ſunt in Italia à viris Principibus 18
inſtitutæ Academiæ, quas ita vocant, quarum quidem non illa dignitas eſt, quæ ap. Germanos. Neque enim jurisdictione gaudent, aut privilegiis ſunt munitæ, ſed ſunt ſocietates Virorum doctorum, vel ad omnes ſcientias, vel ad aliquas excolendas, inſtitutæ. Talis Academia inſtituta erat Venetiis à Friderico Baduario, qui in Germania pro Veneta Rep. Legati munere fungebatur. Quicquid itaque ab Academicis illis in univerſum, vel ab uno, ſcribebatur, nomine omnium edebatur, ac ſunt permulti optimi libri, ſed qui raro ad nos perveniunt, ab his Academicis editi. Talis eſt *Explanatio nova Topicorum Ariſtotelis*, anno 1559. edita, typo eleganti Venetiis. Ex eadem Academia prodierunt multa alia, imprimis Federici Delphini, Medici & Philoſophi, *de fluxu & refluxu maris Tr.* quem ediderunt Medici Academiæ Venetæ. In cujus libri præfatione plura habentur de inſtitutione & conſilio hujus Academiæ.

JACOBUS MAZONIUS. Portentum hominis fuit, Philoſophus ſuo tempore 19
ad omnem palæſtram paratus, magnâ cum laude docuit, Diſputator promptiſſimus & acerrimus. Nam 5197. *placita* Ariſtotelis & Platonis pro theſibus publicè propoſuerat, quibus Ariſtotelem & Platonem defendebat, omnium exſpectans tela, omnes in pugnam vocans. Cum objiceretur illi, quòd Doctoris titulo careret, & ſeptem annos ſibi præſcribi videret, ſex menſes poſtulavit, quibus elapſis, cum ſtupore omnium ad omnia quæſita reſpondit. Integras ex Ariſtotele paginas memoriter recitavit. Mille aureorum ſtipendio conductus à Cardinali Aldobrandino, ut Philoſophiam Ariſtotelis in Gymnaſio Romano profiteretur, ſibi ipſi vitam præcipitavit, ultra conſuetam in cibis temperantiam lautioribus epulis admotus. Scripſit ille varia, & inprimis laboravit in conciliando cum Ariſtotele Platone. Perpetua ipſi cum Franciſco Patricio lis fuit, illo Ariſtotelem impugnante, hoc Mazonio defendente, ac, niſi ſcribendi finem feciſſet Patricius, ille reſpondendo nunquam fuiſſet fatigatus. Extant ejus *in Ariſtotelem, & Platonis univerſam Philoſophiam, præludia*, edita Venet. in fol., anno 1597. Ubi & ille demonſtrat, Platonis Ariſtotelisque principia ex uno eodemque fonte hauſta. Plura de Mazonio videantur ap. Erythræum *in Pinacotheca I. p. 65-68.*

ERANCISCUS VATABLUS. Hunc Hebræi ipſi Lutetiæ Hebraicas literas 20

profitentem admirati ſunt. Circumferuntur ejus *Notæ in V. T.* ab Auditoribus è prælegentis ore exceptæ. Nam ipſe, ſive naturali pigritiâ, quæ ipſi exprobrata eſt, ſive morte præventus, nihil omninò ſcripſit. Teſtatur hæc de ipſo Thuanus, ad annum 1547. Multa ex Ariſtotele in linguam Latinam tranſtulit, ac ſuperſunt aliqua ejus *Scholia* cum *Paraphraſi* in libros 8. Phyſicorum, quæ edita ſunt *in fol.* Pariſ., anno 1531.

21 FRANCISCUS TOLETUS, Cordubæ natus in Hiſpania, & Philoſophiæ Profeſſor in prima adoleſcentia factus, multa ſcripſit in Ariſtotelem, aliis multum laudata. Meminit ejus Thuanus ad annum 1596. Extant ejus *Commentaria in lib. 8. Phyſicorum, unà cum quæſtionibus*, Venet. 1573. *in 4.* edita, it. *in librum de generatione & corruptione*, ibidem excuſa; *Commentaria in Logica Ariſtotelis, unà cum quæſtionibus, in 4.* Colon. anno 1583., ac *in libros de anima, Commentaria*, Colon. *in 4to.*, anno 1576.

22 FRANCISCUS ROBORTELLUS. Si judicium Thuani audimus, *ad annum 1567. magno* ille *cum ſtrepitu Patavii & Bononiæ profeſſus, majorem de ſe opinionem excitavit, quàm implevit*; quod quidem judicium ego paulò acerbius putem. Nam quæ ſcripſit in libros Ariſtotelis *de Poëticâ* & *Rhetoricis*, non ſunt adeò contemnenda. Multum enim illis boni ineſt, præcipuè *Commentariis Rhetoricis*, in quibus multa de figuris occurrunt, de dictionis charactere, aliàs non obſervata. Invidiam, ut puto, ipſi concitarunt controverſiæ inter illum & Scaligerum agitatæ, in rebus philologicis, cum quo ille comparandus non erat. Scripſit & *in Politica Ariſtotelis Diſpp.*, Venet. *in 4to* editas.

23 JACOBUS SCHEGKIUS. Verò ille Cognomine *Deginus* dictus, cum hoc Patris agnomine iſtud permutavit. Prof. fuit Tubingenſis, Ariſtotelisque Philoſophiam ſingulari curâ excoluit. Medicæ Artis Doctor factus, nunquam Medicinam exercuit; ſed continuis lucubrationibus & meditationibus in cæcitatem incidit, & ex eô tempore majorem ſtudiis, quàm antea, operam impedit, in lucem edens libros, cùm ipſe luce careret. Optimos enim libros conſcripſit, tàm Philoſophicos, quàm Medicos. Nam *in Philoſophiam naturalem Ariſtotelis Diſputationes* ſcripſit. Ex Ariſtotelis *libris de anima*, & Simplicii *Commentariis*, interpretationes excerpſit. Ariani *Diſſertationes in Epictetum* Latinè vertit. Edidit *libros 15. de Demonſtratione*, qui loco Commentarii locupletiſſimi ſunt, in *duos poſteriorum Analyticorum libros*. Addidit *Commentaria* cum *Annotationibus & Repetitionibus in Organi Ariſtotelis libros, ad artis partem Analyticam pertinentes, in librum de Categoriis, de Interpretatione, & duos Analyticorum priorum.* Scripſit item *Commentarium in Libb. 7. & 8vum Topicorum, quibus perfecta & abſoluta definiendi ars tractatur.* Scripſit etiam Theologicos libros Eriſticos, & Medicos plurimos, quorum titulos, cum reliquâ ejus Vitâ, vide ap. Melch. Adamum *in Vitis Medicorum Germanorum*, in Vita hujus Autoris, *p. 290 - 301.*

24 DONATUS ACCIAJOLUS, vel Accievolus, celebris Ariſtotelis Interpres, Florentinus, ſcripſit in *Ethica* & *Politica* Ariſtotelis. Politica impreſſa ſunt Venet., anno 1566. *in 8.*, ſi rectè memini, unà cum *Ethicis*. Fuit præterea Vir in Rep. occupatiſſimus.

mus. Multa Plutarchi convertit. *Caroli M.* quoque *Vitam* ſcripſit, quæ ſolet addi *Vitis* Plutarchi. Vehementer illum laudant Jacobus Piccolomineus, & Eraſmus quoque in *Ciceroniano* ſuo. Refert de illo Voſſius, *l. 3. de Hiſtoricis Lat. p. 624. Editionis noviſſimæ*, fuiſſe illum Auditorem Johannis Argyropuli, Byzantini, qui multa Ariſtotelis, ſub παλιγγενεσίαν literarum, in Latinam linguam convertit, Romæque ejus Opera prælegit, & *Commentaria, in Nicomachica Ariſtotelis*, non Acciajoli eſſe, ſed prælectiones Argyropuli, ab Acciajolo deſcriptas, inque lucem emiſſas. Addi huic poteſt Felix Accorombonus, qui itidem fuit Commentator & interpres Ariſtotelis, inque *Ethica Nicomachica* Ariſtotelis *Commentarium* ſcripſit. Scripſit & de *Controverſiis inter Platonicos, Ariſtotelicos & Galenum*; qui liber, unà cum aliis ejus, editus eſt *in fol.*, Romæ, anno 1603. Scripſit & librum, cui tit. *Vera mens Ariſtotelis, & dilucidiſſima in omnia Ariſtotelis Opera Explanatio*; qui cum priori prodiit. Patria Eugubinus fuit.

ANDREAS CÆSALPINUS, Aretinus, Medicus & Philoſophus ſuo tempore celebris. Scripſit *quæſtionum Peripateticarum libros 5.* ad Fr. Medicen, Hetruriæ Ducem. Fuit Prof. Academiæ Piſanæ. Liber editus eſt Venet. ap. Juntas, anno 1593. *in 4to.* Continentur in illo variæ quæſtiones Phyſicæ, præprimis ex Ariſtotele deductæ, quibus immiſcentur nonnullæ Logicæ & Metaphyſicæ. Adjicitur libellus, qui inſcribitur: *Dæmonum Inveſtigatio Peripatetica*, ad Pet. Jac. Borbonium, Archiepiſcopum Piſanum, ubi è principiis Ariſtotelicis de Dæmonibus agit, ac Galenum refutat, in credendis dæmonibus planè non ſuperſtitioſum. 25

NICOLAUS TAURELLUS. Fuit ille Medicus & Philoſophus Altorfinus, maximi, cùm viveret, nominis. Habuit Academia Altorfina præſtantiſſimos ſemper Viros, præprimis Philoſophos, qui ſolida ſemper principia ſectati fuerunt, & Ariſtotelicam doctrinam, veteresque Philoſophos, dogmatibus ſuis expreſſerunt. Cæterum Taurellum hunc Cæſalpino ſubjungo, quod ipſius inſolentiora dogmata diſcuſſerit ſingulari libro, cui tit. *Alpes Cæſæ.* Scripſit & *de mundi æternitate* peculiarem librum, quo omnium Veterum Philoſophorum argumenta inter ſe confert. Scripſit & alia quædam contra Piccolomineum, *Diſcuſſiones ſc. Phyſicas de mundo*; it. *Diſcuſſiones Phyſicas & Metaphyſicas de cælo, adverſus eundem.* Adde his *Triumphum Philoſophiæ, ſive Metaphyſicam philoſophandi methodum*, qua, è notitiis menti inditis, firmiſſimas demonſtrationes deducere laborat. Scripſit & alia Medica, de quibus videatur Melch. Adami in *Vitis Medicorum Germanorum, p. 403. 404.* 26

ANTONIUS SCAYNUS. Etiam ejus extant Commentationes in Ariſtotelis quosdam libros. Fuit Salodienſis, ex agro Brixiano. Scripſit *Expoſitionem in 8. Ariſtotelis Phyſicorum libros*, quæ edita eſt Francof., anno 1607., *in 4to.*; *Commentarium in libros Metaphyſικῶν Ariſtotelis*, qui prodiit Romæ *in fol.*, anno 1587.; *Paraphraſin in Ariſtotelis libros de anima*, cum *Annotationibus*, quæ edita eſt *in fol.*, anno 1599., & *in Politica Ariſtotelis Paraphraſin*, cum *Annotationibus & dubiis, aliisque Diſſertationibus de argumentis civilibus*, lingua Italica, Romæ *in 4to.*, anno 1578. 27

28 SIMON SIMONIUS, Lucenſis Italicus, exulavit è patria ob religionem profugus. Lipſiam enim conceſſit, ubi Academiam illam docuit Ἀριςοτελίζειν, ac exemplo ſuo, & præceptis, ad ſolidiorem Philoſophiam Analyticam viam monſtravit. Multæ illi cum Jac. Schegkio fuere controverſiæ, etiam in religionis negotio, qui tamen nimis indignè ſe ipſos tractant, cum uterque fuerit Philoſophiæ maximo decori. Scripſit ille *Commentarium* in *Ethica* Ariſtotelis, qui prodiit Genevæ *in 4to.*, anno 1567., apud Criſpinum. Scripſit & in Ariſtotelis *librum de ſenſuum inſtrumentis, & de his, quæ ſub ſenſum cadunt*, & alium *Commentarium in librum* ejus *de memoria & reminiſcentia*, qui prodiit Genevæ, ap. Criſpinum, *in fol.*, anno 1566. Ex ejus ſcholâ prodiit Joh. Neldelius, doctior præceptore diſcipulus, uti judicat Conringius. Fuit & ipſe Profeſſ. Acad. Lipſienſis. Ejus extat præclarus liber, cui tit. *Inſtitutio de uſu Organi Ariſtotelici in diſciplinis omnibus*, cujus poſtrema Editio Helmſtadii prodiit *in 4to.*, anno 1666., cura M. Henrici Crellii, & cum præfatione Herm. Conringii, qui egregium ipſi Elogium ſuſpendit. Quanquam in Arte Analyticâ in multis ab illo ſe diſſentire dicit, de qua plenius ſe acturum in ipſâ *Arte* ſua *Analytica* promiſit, quæ tamen lucem hactenus non vidit, & fortaſſis non videbit.

29 CÆSAR CREMONINUS. Fuit in Academia Patavinâ Philoſophiæ Prof., cujus exſtat egregius liber *de Pædiâ Ariſtotelicâ*, quo continetur Introductio ad Ariſtotelis naturalem Philoſophiam, & quaſi διατύπωσις univerſæ Phyſices Peripateticæ. Additur *Explanatio proœmii librorum de Phyſico auditu.* Prodiit ille liber Patavii, apud Melch. Novellum, anno 1569. *in fol.* Digni ſunt iſti libri, qui diligenter legantur. Pauci enim ſunt, qui παιδείαν Ariſtotelicam tractarunt. Hic quidem ſpeciatim ad Phyſicam ſe reſtringit; Nunneſius autem, cujus ſupra facta eſt mentio, magis ſe diffundit, cujus utiliſſimus liber eſt, quem *de curriculo Philoſophiæ Peripateticæ* ſcripſit. Elegantiſſima eſt ejus *Oratio de cauſis obſcuritatis Ariſtotelis, earumque remediis*, in quâ ingenuè defectus Philoſophiæ Ariſtotelicæ notat, neque laudes ejus diſſimulat. Plenior ejus Editio eſt, quæ *in 4to.* prodiit, Helmſtadii anno 1667.

30 PHILOSOPHI ALTORFINI. E Germanis præcipuâ laude afficiendi ſunt Altorfini, ut qui Philoſophiam Ariſtotelicam præclaris ingenii monumentis illuſtrarunt, Philippus Scherbius, Ernestus Sonerus, Michael Piccartus, quorum extant Scripta varia, eleganti ingenii acumine & ſtylô non incultô ſcripta. Breviores illorum Diſputationes & Theſes publicatæ ſunt uno faſciculo a Joh. Paulo Felvvingero, Metaphyſices & Logices in Altorfinâ Academ. Profeſſore, Norimbergæ, anno 1644. *in 4to.* Inter quas eſt elegantiſſima Scherbii *Diſputatio pro Philoſophia Peripatetica adverſus Ramiſtas*, adeò brevis, nervoſa, elegans, neque ſine flore Eloquentiæ, ut vel vaſto libro accuratius aliquid ſcribi non poſſet. Adduntur variæ Scherbii & Soneri *Orationes*. Prodierunt etiam ejusdem Scherbii Diſputationes quædam, ſub tit: *Theſium Philoſophicarum* editæ, & in unum corpus redactæ, Helmſtadii *in 4to.*, anno 1659. Inter quas prima eſt *de libris Ariſtotelis Acroamaticis & Exotericis*, qua in compendium

dium trahuntur, quæ Octavianus Ferrarius integro libro produxerat. Editus quoque fuit Philippi Scherbii *Commentarus poſthumus in Ariſtotelis libros de Rep.*, Francof., anno 1610. Sed ille planè non reſpondet famæ iſtius Viri; ex ſchedis enim Auditorum hoc, quicquid eſt notarum, collectum fuit, quod editum eſt à Schönwetteris, Bibliopolis, ut fieri plerumque ſolet, cùm hæredes, lucri captandi causâ, omnia, quæ poſſunt, ſcripta corradunt, & Typographi facilè ſumtus & opera impendunt. Quod vel videas ex Aug. Buchneri ſcriptis, quorum multa in Viri iſtius opprobrium eduntur, uti Joh. Barclaji *Icon animorum*, cum ejus *Notis* planè puerilibus, & ad tyrocinia ſcholarum relegandis. Queſtus eſt eâ de re nuper Georg. Caſp. Kirchmaierus in ſingulari programmate. Michaëlis Piccarti multa quoque extant doctiſſima, inprimis aureus ille *in Ariſtotelis Politica Commentarius*, ubi ille veros Ariſtotelis ſenſus enucleatè exponit, ac confert cum interpretibus & commentatoribus. Optima ejus Editio prodiit Jenæ, anno 1659. *in 8.* Vir ille non ſolùm Philoſophiæ, ſed & Philologiæ, peritiſſimus fuit, quod oſtendunt ejus *Pericula Critica* (exiguus libellus), à Joh. Sauberto Jun. denuò publicata, Helmſt. 1663. *in 4to.* Exſtant & ejus *Orationes* varii & ſingularis argumenti, inter quas una eſt *de Origine Germanorum*, quâ oſtendere laborat, Germanos eſſe Perſarum fratres, argumentis profectò non futilibus, quanquam Chriſtoph. Ad. Rupertus, ejusdem Academiæ Prof. illam opinionem ſe refutaturum, in quadam ad Georg. Richterum Epiſtola, minetur, quem tamen Richterus, Piccarto conſentiens, in aliam ſententiam adducere laborat. Ejusdem Viri doctiſſimi extat *Iſagoge in lectionem Ariſtotelis*, elegans libellus, quo carere non poteſt, qui ſolidioris Philoſophiæ cultor eſt. Scripſit illam juvenis, ideoque quâdam parte deficit, ac optandum ſane fuiſſet, ut à Viro fuiſſet ſuppleta. Queritur de eo Conringius, qui præfationem ultimæ Editioni præmiſit, in quâ quanquam multa apud Piccartum eſſe dicit, à quibus ipſe diſſentiat, præcipuè in Politicis, unicum tamen in hoc genere ſcriptorem laudat & agnoſcit. Habetur in illô librô, ut Titulus promittit, *Hypotypoſis totius Philoſophiæ Ariſtotelis*, quâ ſeries & Ordo librorum, ſcopus & ſubjectum, diviſio in capita, breviter & ſuccinctè proponuntur. Iteratam ejus editionem procuravit Johannes Conradus Dürrius, Theologiæ & Philoſophiæ moralis in Acad. Altorf. Prof., cujus præmiſſa quoque eſt præfatio. Additur & Piccarti *Oratio de ratione interpretandi.* Editus eſt liber Altorfii, anno 1565. *in 8tavo.*

JULIUS PALLAMEDES, Medicus. Imponemus tandem finem Commenta- 31
toribus Ariſtotelicis, quanquam non omnes enarraverimus. Superſunt Commentarii adhuc multi, nemini ignoti, tàm ab integris Collegiis, quàm à Philoſophis ſingularibus ſcripti. Cui ignota ſunt Franc. Piccolominei, Franc. Zabarellæ, Pet. Fonſecæ Conimbricenſium, Mexicanorum &c. Opera? Sed de iis, cùm ad ſpeciales diſciplinas perventum erit, fuſius dicemus. Subjungimus verò hunc *Pallamedem* Commentatoribus Ariſtotelicis, qui Indicem ſcripſit in Ariſtotelis libros *Phyſicorum*, *Metaphyſicorum & Ethicorum*; Titulus libri eſt: *Tabula, ſive Compendium, explicans*

omnia

omnia ea, quæ in Ariſtotelis & Averrois Libris de naturali, morali ac divinâ Philoſophia tractari poſſunt; nec non de generatione ac hiſtoria animalium brevis Epilogus. Editus eſt liber Venet., anno 1571. *in folio*, apud Juntas. Indices tales utilisſimi ſunt; illorum enim ſubſidio indagari interdum aliqua poſſunt, quæ aliàs induſtriam noſtram fugerent. Sed modicus admodum ille Index eſt, & fortaſſis à Joh. Bapt. Bernhardino in *Seminarium* ſuum collatus; Nemo enim hactenus mihi innotuit, præter duos illos, qui Indicem in Ariſtotelem confecerit. Imperfectus quidem uterque index eſt, ſed tamen ob meliorum defectum uti ipſis poſſumus. Bernhardini *Seminarium Philoſophiæ Ariſtotelicæ* Lugd Gall., anno 1599. *in folio*, editum, præter Ariſtotelem, omnes quoque Interpretes & Commentatores, quos ipſe habuit, ad Indicem retulit, ſed parum ex tanto numero decerpſit. Si enim ex illis omnibus juſtus Index conficiendus eſſet, duo vel tria Volumina *in fol.* non ſuffecerint.

32 Atque hæc dicta ſunto de Ariſtotele, ejusque Commentatoribus. In quo Viro laudando multorum verſatur induſtria. Legi poſſunt Herm. Conringii Orationes, quas in laudem Ariſtotelis ſcripſit, quæque amplius deſierunt comparere in Bibliopoliis; Prior illarum inſcripta eſt Cancellario Arnoldo Engelbrecht, & edita Helmſt., anno 1633. Altera inſcripta eſt Caſp Barlæo, eodemque annô edita; ad cujus dedicationem Reſponſoria Epiſtola reperitur inter Epiſtolas Barlæanas. Præfationes iſtarum Orationum habentur in Epiſtolis Conringianis. Interpretes Ariſtotelis variè rem agunt, quidam in verbis deſudant Criticorum more, quod faciunt aliquando Aſpaſius & Themiſtius: aliqui paraphraſin inſtituunt verborum, uti faciunt Andronicus & idem Themiſtius; alii in peregrinam linguam verterunt, ut Arabes, & qui ex illis in linguam Latinam transfuderunt. Quod res attinet, aliqui ſynopticè ſcribunt, ut Simplicius; alii præcipua quædam dogmata ſibi ſublegunt, ut Porphyrius & Dexippus *de categoriis*; alii in Epitomen redegerunt, ut Pachymerius, Damaſcenus, Nicephorus Blemmydas; aliqui varias quæſtiones congeſſerunt, ut Alexander Aphrodiſæus; alii ſtricturas & cenſuras ſibi ſumpſerunt in Ariſtotelis dogmata, aut, ea cum aliis Philoſophorum contulerunt, ſuo interpoſito judicio. Prout itaque quilibet rem ſuam tractaverit, ita uti illo quis poteſt. De Ariſtotelis libris in univerſum, quinam inter illos genuini ſint, quinam ſuppoſititii, & de nonnullis Ariſtotelis Interpretibus ac Commentatoribus, luculenta extat Epiſtola Eraſmi *lib. 28. num. 13.* ad Joh. Morum, Thomæ filium, ſcripta, in qua omnes ejus libros, tàm ſuperſtites quàm perditos recenſet, deque ſingulis fert judicium; de Editionibus quoque Aldinis & Bebelianis judicat, quarum illas, ut nitidiſſimas ac accuratiſſimas, quidem commendat, Bebelianas tamen, quod minori pretio parabiles ſunt, non contemnendas eſſe exiſtimat. Tum Joh. Morum inſtigat & hortatur, ut philoſophari diligenter pergat, vel ſororum ſuarum exemplo incitatus.

CAP.

CAP. XII.

DE ARISTOTELIS IMPUGNATORIBUS.

§. 1. VEteres omittuntur. Inter Recentiores eminent, poſt Franc. Patricium (de quo c. 8. §. 3. dictum,) Pet. Ramus, in optimos quosque Veterum injurius, Novator in Logicâ & Rhetoricâ ineptus, in Phyſicâ vero imperitus, Rud. Agriculæ & Lud. Vivis in nonnullis ſecutus veſtigia, de cujus Vitâ, Scriptis, Aſſeclis, Adverſariis & Hyperaſpiſtis, plura cumulantur. 2. Gvilh. Poſtellus, partim ob ἀκρισίαν, partim ob Pomponatii, aliorumque Atheorum, abuſum Ariſtotelis, huic infenſior. 3. Pet. Gaſſendus, cujus Exercitationes Paradoxicæ adverſus Ariſtoteleos, *opus imperfectum, ob temeritatem juvenilem, & cavillandi ſtudium, notantur. 4. Thom. Campanella, de cujus Vita, Fatis adverſis, Ingenio portentoſo, Doctrina multiplici, Novaturiendi in Scientiis ſingulis libidine, Scriptis potioribus, & Opinionibus, quibus pleraque ſcatent, Paradoxis, fuſe diſſeritur. 5. David Gorlæus, cujus* Exercitationum Philoſophicarum *brevis ſiſtitur Sciagraphia. 6. Henr. Ernſtius, cujus* Σόφος Ἄσοφος, *quàm leviter in Philoſophia verſatus fuerit, oſtendit. 7. Judicium Generale de Novatoribus Philoſophicis, aliam, quàm Ariſtoteles, viam ingreſſis.*

PETRUS RAMUS. Nolo hic prolixè recenſere Veteres Autores, qui Ariſtotelem impugnarunt, quidve adverſus illum publicè nonnunquam actum fuerit, de quibus ſingulis prolixè Joh. Launoy videatur, *in libro de variâ Ariſtotelis fortunâ.* De Franciſco Patricio ſupra c. 8. §. 3. diximus. Nunc ad Ramum venimus, qui ſuo tempore magno conatu id agebat, ut, ejecto è ſcholis Ariſtotele, ſua Philoſophia ſubſtitueretur. Magnos ille tumultus ſtrepitusque fecit in Galliâ, fretus præſidio Cardinalis Caroli Lotharingii. Profeſſ. quoque Eloquentiæ Regius illic fuit, & Mathematicarum diſciplinarum. Tardior & ſerior acceſſit ad literas, aliquo quidem ingenio, ſed in plurimis ſciolus & cavillator, Veteribus Autoribus, iisque optimis, ſine cauſa bellum indixit, adeò, ut nec Cicero ipſe, Eloquentiæ Romanæ Princeps, cujus ille umbram non refert, dentes ejus effugere potuerit. Eſt verò certiſſimum ſtultiſſimæ δοκησισοφίας argumentum, omnium ſeculorum judicia ſpernere, & Viris in exemplum poſitis, & ab omnibus in pretio habitis, detrectare. In Dialecticis præcipuè reperiſſe ſibi viſus eſt, non quod pueri in faba, cùm rem planè eandem novâ & ineptâ methodo, novisque vocabulis, dixit, ejectâ doctrinâ neceſſariâ de Demonſtratione & Elenchis ſophiſticis, ſenſusque Ariſtotelis, quos non intellexit, depravavit. In Rhetoricis ejecit maximè neceſſariam de Inventione partem, quæ in Enthymematibus Oratoriis conſiſtit; cor itaque & caput hujus diſciplinæ abjcit, reliquis ſervatis. *Mirare*, inquit Joh. Riolanus, Medicus acutiſſimus, in *præfatione Tractatus de Phyſicis principiis*, *ſtipendiarium bene dicendi Profeſſorem in malè dicendo bonas horas conſumere, bonaque deſtruere omnia, nibil* 1

ædificare, eoque magis, quod hoc faciat tam liberè, ne dicam, impudenter, ut in hoc Regis ſtipendiis militare videatur. In Phyſicis quanquam corrigi Ariſtoteles poterat, tantum abeſt, ut ipſe hoc fecerit, ut potius depravârit. Cum Ariſtotelem redarguit, adverſus Veteres Philoſophos diſputantem, audiendum ego illum exiſtimo, ſed ut tenuem aliquem diſputatorem & qui in re ipſa parum poſſit. Nihil autem facilius eſt, quàm dubiis implere omnia, niſi quis ſolidiora poſſit afferre. Riolano eodem in loco judice, Pet. Ramus, *Phyſicæ ſacris vix initiatus, Phyſicus videri vult, gradumque ſibi munit ad gloriam, cum ruina, cujus umbram referre, vel ſi ſe ruperit, non poſſit.* Liber, in quo novitates ejus proponuntur, præcipuè ille eſt, cui titulum fecit: *Scholæ in Artes liberales*, qui prodiit Baſil. *in fol.*, anno 1559. Proponuntur illic Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Phyſica, Metaphyſica. Controverſiæ inter ipſum, & Ariſtotelicos, magno conatu agitatæ ſunt utramque in partem. Pro ſua Philoſophia ipſe Orationes nonnullas conſcripſit, quæ & illi Operi junctæ ſunt, & ſeorſim editæ Pariſiis, anno 1551., *in 8vo.* Adverſus illas Orationes editæ ſunt aliæ ab Ariſtotelis defenſoribus, v. g. Joachimi Perionii *pro Ariſtotele in Petrum Ramum Orationes duæ*, editæ Pariſiis, anno 1543., *in 8vo.* Eſt et Petr. Gallandii, Latinarum literarum Profeſſoris Regii, *pro ſcholâ Pariſienſi, contra novam Academiam Pet. Rami*, *Oratio*, edita Lutetiæ, anno 1551. Habuit ille diſcipulos plurimos & Hyperaſpiſtas, inter quos præcipui ſunt Joh. Thomas Freigius JCtus Germanus, Vir aliàs non indoctus, qui multum laboris, in reformandis ad mentem Rami diſciplinis, inſumpſit, & tabulis, diviſionibus, ſubdiviſionibus, Philoſophiam diſcerpſit. Tum & Henningus Rennemannus, JCtus Germanus, qui pro ejus Philoſophia Apologiam ſcripſit, Francof., anno 1598., *in 8tavo* editam. Irrepſit in Germaniæ Academias hæc Hæreſis, & Weſtphaliam penè totam occupârat. Helmſtadio continuis quaſi diſputationibus eam in exilium miſit Cornelius Martini, penè unicus tùm temporis partium Ariſtotelicarum, adverſus Novatores illos, adſertor. Ceterum de Sectâ Ramorum vid. Hornium *in Hiſtoriâ Philoſophicâ, l. 6. c. 11.* & Launoyum *libro ſæpè citato.* Ejecta fuit & tandem illa Philoſophia ex Galliâ, publico Regis Franciſci I. decreto, quod Helmſt. recuſum eſt. Vitam ejus ſingulari libro deſcripſit Nicolaus Nancelius, diſcipulus ejus, quæ edita eſt cum ejusdem Nancelii Orationibus anno 1599. Videatur & Keckermannus in *præcognitorum Logicorum Tractatu 2do*, ubi plura de origine Sectæ Ramiſticæ, ejusque incrementis. Gratiam huic Viro conciliavit mediocris quædam facundia, quâ polluit. Cùm Jac. Schegkio ipſi quoque res fuit, inprimis in Dialecticis Diſputationibus, & extat Petri Rami *Defenſio ſui adverſus Schegkium.* Rami *Orationes*, *Præfationes & Epiſtolæ*, Marpurgi ſunt editæ *in 8.*, anno 1609., cum Vita ejusdem à Joh. Thoma Freigio conſcripta, è quibus tota illa hiſtoria tumultuum in Philoſophiæ regno quaſi compendio diſci poteſt. Id dici in excuſationem Rami poteſt, primùm illum non fuiſſe, qui in rebus multis ab Ariſtotele diſſenſerit. Nam RUDOLPHUS AGRICOLA, Vir ſuo tempore maximus, & primus literarum in Germaniâ reſtaurator, in libris ſuis *de inventione*, quasdam hypotheſes ponit, quæ Rami-

Ramiſticis illis ita ſimiles ſunt, ut ex illo quaſi depromſiſſe videatur. Nam, quod inventionem Rhetoricam attinet, eam quoque ad Locos Dialecticos reducit, ac prolixè diſputat de eo, quod omnia Enthymemata Rhetorica ad locos Topicos reduci poſſint. Idem in Rhetoricis ſuis dicebat Ramus. Habuit & LUDOVICUS VIVES quasdam ſententias in libris ſuis Philoſophicis, quæ cum Ramiſticis convenire videntur. Barthol. Keckermannus ſanè, in libro ſuperius citato, eum excuſat, quod his Autoribus nova multa induxerit.

GUILHELMUS POSTELLUS. Inter profeſſos Ariſtotelis hoſtes ille numerandus eſt. 2 Convertit enim in Latinam linguam librum, qui inſcribitur: *Juſtini Martyris everſio Ariſtotelicorum dogmatum*, quem Carolo, Cardinali Lotharingio, nuncupavit. Præmittitur huic libro virulenta præfatio, quâ damnat omnem Ariſtotelis Philoſophiam, tanquam Sophiſtices & Atheiſmi Camarinam. Memorabile eſt, neque adeò à verô alienum, quod de Pomponatio habet: *Eò impietatis profecti ſunt multi, ut, quod publicè non auderent, ob legum ſeveritatem, ſub Ariſtotelis nomine auſi ſint profiteri, ut proximis iſtis annis perditiſſimus quidam nebulo, Pomponatius, cum ſummo Italiæ probro auſus ſit, ſcriptis, etiam ſummis Pontificibus oblatis, & tantum non ſuaſis, conari, ut ex Ariſtotele demonſtraret, mortales eſſe animas. Et ita bellua illa invaluit in ea impietate, ut etiam in gloria ponant quidam Pariſiis ejus doctrinæ Interpretes, ſe Perretti & Pomponatii eſſe diſcipulos.* Hæc quidem Poſtellus, cujus laudanda pietas eſt, ſed judicio planè Vir ille non valuit, quod oſtendunt multa ejus deliræ ſententiæ & fœdi errores, quorum multi magnique ſunt in libris illis, quos ſcripſit *de Orbis terræ Concordiâ*, & *de Nativitate Mediatoris ultima*. Quo poſtremo libro, qui rariſſimus eſt, inſanas fovet ſententias in Theologia, & eò denique inſaniæ proceſſit, ut ſe Mediatorem fœminarum jactaret, uti Chriſtus fuit Virorum. Videatur Sammarthanus *in Elogiis Gallorum, Lib. III.*

PETRUS GASSENDUS. Magno impetu Ariſtotelem adortus eſt Pet. Gaſſendus, 3 Vir maximi ingenii, ſed juvenili quadam præcipitantiâ in hæc conſilia adductus. Judicium de eo format Honoratus Fabri, Philoſophus noſtri temporis acutiſſimus, & qui Ariſtotelem ex ipſo Ariſtotele interpretari docuit, quod inductus juvenili audaciâ, aliâ quadam cauſſâ privatâ, quam ibi allegat, iſtam viam inſtituerit, quâ ad famam perveniret. Senem tamen pœnitentia ductum fuiſſe idem teſtatur Faber. Titulus libri ita habet: *Exercitationes Paradoxicæ adverſus Ariſtoteleos, in quibus præcipua totius doctrinæ Peripateticæ fundamenta excutiuntur, opiniones verò, aut novæ, aut è vetuſtioribus obſoletæ, ſtabiliuntur.* (qq) Editus eſt liber anno 1649., Amſtel., apud Elzevirium, *in 8tavo*, & Hagæ anno 1656., *in 4to.* Inſcripſit autem librum *adverſus Ariſtoteleos*, non ipſum Ariſtotelem, ad effugiendam invidiam. Toto autem hoc libro nihil aliud agit, quàm ut oſtendat, Philoſphiam Ariſtotelicam eſſe ſpuriam, Sophiſti-

(I) 2 cam,

(qq) Gaſſendi *Exercitationes contra Ariſtoteleos* Diſputationibus Elenchticis Roſtochii an. 1698, & ſeqq. inpugnavit M. Henr. Aſcan. Engelke, de quibus, cùm non legerim, judicium ferre nequeo.

cam, pejorem hiſtrionica, rixoſam, altercationibus horridam, barbaram, tyrannicam, ignavam, nullâ autoritate, incertam item & obſcuram, ſuperfluis & alienis ſcatentem, falſitatibus, impietatibus, calumniis & contradictionibus, plenam. Hæc in genere contra doctrinam Peripateticam ſcribit. Libro ſecundo toto, ſex Exercitationibus, Ariſtotelis Analyticam impugnat, eamque totam vult eſſe rerum inutilium farraginem, quæ ineptè rerum claſſes in 10. Categorias diſtinguat, & futiliter multa de propoſitionibus & utrâque Analyſi tradat. Addit, nullam dari poſſe demonſtrationem, vel definitionem Ariſtotelicam. Ceteros 5. libros, nimirum in *libros Phyſicorum, de corpore ſimplici, de mixtis, in Metaphyſica, & moralem Ariſtotelis Philoſophiam,* teſte Honorato Fabri, ex conſilio amicorum ſuppreſſit. Quam telam ſuam cùm non poſſet abſolvere, & vituperare Ariſtotelem amplius ſine dedecore, ad alterum extremum delapſus, Epicurum laudare, ejusque Philoſophiam illuſtrare cœpit. In Ejus Exercitationes *Apologeticum pro Ariſtotele* ſcripſit hujus olim Academiæ Profeſſor, MICH. WATSONIUS, qui in ſchedis ejus adhuc deliteſcit, nec in lucem prodiit. Meras ſane cavillationes *in Exercitationibus* illis deprehendas, dum vel methodum incuſat, vel contradictiones aliquas venatur; qualia ſunt repertu facillima in omnibus ſcriptoribus.

4 THOMAS CAMPANELLA. Mirum & portentoſum iſtius Viri ingenium fuit, ad omnia factum & natum. Philoſophus, Theologus, Medicus, Mathematicus, & quid non? Editi ab ipſo ſunt multi libri. Longè plures, & integram penè Bibliothecam ſcripſit, quorum Catalogum ipſe ſingulari libello complexus eſt, qui reperitur in Tomo illo Autorum, qui *de ſtudiis inſtituendis* ſcripſerunt, & in lucem editi ſunt anno 1645. in Batavis. Scriptus autem eſt ille libellus ad Gabrielem Naudæum. Ordinis Prædicatorum fuit Monachus, omnium penè ſcientiarum ad ſuos ſenſus reformator, à Peripateticis principiis diverſiſſimus, quæ datâ occaſione ſemper impugnat; non tamen adeò inter profeſſos Ariſtotelis hoſtes. Multorum invidiam in ſe provocavit, cùm omnes diſputationibus ſuis fatigaret. Cum Theologis aliquando bellum ingreſſus, omnem miſeriam ſuam & calamitatem inde hauſit. Multa magnaque animo molitus eſt, non in ſcientiis ſolùm, ſed & in rebus Civilibus. Ajunt enim, novum regnum illum animo agitaſſe, niſi fortè ab invidis ejus hoc confictum. Perduellionis tamen & magiæ reus factus, ſub Inquiſitorum ungues pervenit, ubi acerbè habitus eſt omni ſuppliciorum & tormentorum genere. Magiæ in ipſo crimen incuſabant, qui impoſſibile crediderunt, tantam doctrinæ vim ab uno homine poſſe comprehendi. Dubitandum non eſt de falſitate hujus objecti criminis, ſi vera ſunt, quæ refert de eo Bœclerus *in Elogio Chriſtophori Forſtneri*; quod valde memorabile eſt, neque ſine magiæ adminiculo fieri potuit: Ipſe enim Forſtnerum, nunquam antea viſum, nomine ſuo compellavit, & multa de futuris edocuit. Bernh. Teleſii doctrinam avidè propugnandam ſuſceperat, qui novas hypotheſes Phyſicas adverſus Ariſtotelem confecerat, de quibus in Phyſicis agemus. Multos æquales ſuos acerbè tractavit, Joh. Bapt. Portam præcipuè, cui plagii crimen impingit, eum accuſans, quòd multa è MStis ſuis deſcripſerit, *Diſquiſitionum Phyſiologicarum quæſtione, articulo 5. in Appendice.* Scripſit multa, quæ partim Pariſiis,

riſiis, partim Francof. in Germaniâ, prodierunt. In Hiſpania enim cùm viveret, ob acerrimos Inquiſitores, qui Philoſophicas etiam cauſas ad fidei tribunal revocabant, non poterat ſua propagare: præterea obſtinatiſſimi Ariſtotelis propugnatores, & ſcholaſticæ Philoſophiæ ſemper fuêre Hiſpani, ideoque, quæ edere voluit, amicis dedit, ut alibi edenda curarent. Multa itaque Campanellianorum Operum publicavit in Germania TOBIAS ADAMI, qui in eum inter peregrinandum inciderat, homo variâ doctrinâ inſtructus, & poſtea Principum Saxonicorum conſiliis admotus, de quo videri poteſt Tob. Schmidt/in der Zwickauer Chronike/*Tom. I p. 503.* Ubi inter alios patriæ ſuæ Viros doctos, etiam hunc Campanellianorum Operum Editorem nominat. E quibus præcipuum eſt *Philoſophia Rationalis.* Habet autem illa partes quinque, Grammaticam, Dialecticam, Rhetoricam, Poëticam, Hiſtoriographiam, juxta propria principia. In ſingulis mirificus Novator eſt, ut vel in Grammaticis Metaphyſicas ſubtilitates ſectetur, de quibus multa moneri poſſent, ſi ratio inſtituti permitteret. Logica mirè miſcet omnia. Multa illuc pertrahuntur, quæ ad Metaphyſicam propriè ſpectant. Miras habet rerum definitiones & diviſiones, de quibus ipſe videatur. In Rhetoricis ad nova capita doctrinam Enthymematicam reducit, & neſcio quas *primalitates*, ut vocat, comminiſcitur, in quibus contradicit Ariſtoteli ſine ratione, ſaltem ut contradixiſſe videatur. Negat adverſus Ariſtotelem, Rhetoricam eſſe germen Logicæ, quia Logica ſit omnium ſcientiarum Organon; negat, eſſe artem bene dicendi, cùm contingat & Grammaticum, & Phyſicum, & Poëtam, & Theologum, in arte ſuâ benè dicere, non per Rhetoricam, ſed per Logicam. Definit ergò Rhetoricam, quòd ſit ars inſtrumentalis, ad ſuadendum bonum, & diſſuadendum malum, dicendo; quo nihil aliud agit, quàm ipſe Ariſtoteles, & ipſum illud benè dicere requirit, non diſtinguens finem externum & internum. Stultè negat, Rhetorices Objectum eſſe omnem quæſtionem, quod ille facit ſuaſionem boni, & diſſuaſionem mali, cum illa, ſi pro perſuaſione accipiantur, ſenſu generali, finem tantùm externum conſtituant Rhetorices, ſi ſenſu ſpeciali, finem unius cauſarum generis, nempe deliberativi. Ineptæ itaque ſubtilitates illæ ſunt. In Poëticis non meliùs verſatur, aut majori judicio, cæcus judicans de coloribus. Edita *Philoſophia* eſt illa *Rationalis* (ne quis exſpectet aliam Irrationalem) Pariſiis *in 4to.*, anno 1638. Scripſit & *Diſquiſitiones Phyſiologicas in fol.*, editas Pariſiis, in quibus multa habentur non ſpernanda. Adverſus Ariſtotelem paſſim inſurgit, quæſtiones multas proponit abditas & abſtruſas, in quibus tamen parum ſæpè præſtat, remittendo nos ad qualitates & Elementa, quæ ſunt conſueta illa ignorantiæ ap. Phyſicos aſyla. In iſtis *Diſquiſitionibus* nihil tàm abſurdè aſſerit, quod non ex S. Scripturâ, aut antiquis Patribus, probare velit, illorum autoritatem paradoxis ſententiis ſuis prætendens. Edidit & *libros 4. de ſenſu rerum & Magia.* Curavit illorum Editionem Tobias Adami in Germania; Vocat ipſe librum hunc ſuum *partem mirabilem Occultæ Philoſophiæ*, ubi demonſtratur, mundum eſſe Dei vivam ſtatuam, beneque cognoſcentem, omneſque illius partes, partiumque particulas, ſenſu donatas eſſe, aliàs clariori, aliàs obſcuriori, quantus ſufficit ipſarum conſerva-

tioni ac totius, in quo conſentiunt, & verè omnium naturæ arcanorum rationes aperiuntur. O felices nos, qui jam nihil ignoramus! Simili ratione inſaniebat Joh. Bapt. Helmontius, qui, præter ſenſum, etiam phantaſiam omnibus rebus adſcribebat. Ita non truncos amplius ſtipitesque habebimus, & phantaſiam etiam habebunt ſtatuæ, in quibus cerebrum deſiderabat vulpes Æſopica. Sed bonus Campanella, cum hæc ſcriberet, novum ignorantiæ aſylum aperuit, fingendo novum aliquem ſenſum, quemadmodum Peripatetici qualitates ſuas, ut haberet colores, quibus omnia incruſtaret. Abundabat ſc. ſenſu Campanella, ut omnibus largiretur de ſuo. Sed aliud latitat arcanum; defendi hac velut orci galea omnis Magia poteſt, quod ex *libro 4.* hujus Operis videas. Per eum enim aër ſentit, & nobiſcum conſentit, atque ideò, quicquid nos cogitamus, etiam aër cogitat, qui & verba noſtra accipit & ſentit; prout itaque affectus à nobis aër eſt, ita & alii intelligere hanc arcanam aëris communicationem poſſunt. Hinc Operationibus magneticis, incantationibus, ſimilibusque, via ſternitur. Editus eſt liber Francofurt. *in 4to.*, anno 1620. Scripſit & *libros 7. Aſtrologicorum, in quibus.* ut tit. habet, *Aſtrologia, omni ſuperſtitione Arabum & Judæorum eliminata, phyſiologicè tractatur, ſecundum ſacram ſcripturam & doctrinam S. Thomæ & Alberti, & ſummorum Theologorum.* Edidit hos libros Francof. *in 4to.*, anno 1630. ſuperſtitiones, ut mihi quidem videtur, ſuperſtitionibus augens. Habentur tamen multa in illis, è Phyſicis depromta, tempeſtatum indicia. Liber ultimus agit *de fato Aſtrologico vitando*, quod nemini Aſtrologorum hactenus in mentem venerat; ſed vitare illud per hypotheſes ſuas Aſtrologicas docuit, adeoque fatum eluſit. Scripſit & *Atheiſmum Triumphatum*, & *de Gentiliſmo non retinendo, prædeſtinatione, electione & reprobatione, & auxiliis divinæ gratiæ, Centonem Thomiſticum, adverſus Lutheri & Calvini aſſeclas*, adeoque Thomas ipſe Thomam hyperaſpiſten accepit. In *Atheiſmo Triumphato* ſibi opponit argumenta, in uno latere Atheorum, in altero ſuas reſponſiones, quæ non adeò ſunt operoſæ, & paululum frigidiores. Liber *de Gentiliſmo non retinendo* adverſus Ariſtotelem directus eſt, in quo hæc capita pertractat, ſcientias inſtaurari debere poſt Græcorum & Latinorum Gentilium Philoſophiam, quod neceſſe ſit contra Ariſtotelem ſentire & agere, ob profana & impia ejus dogmata, quæ recenſet, quod utile ſit Ariſtoteli contradicere, exemplo Patrum, quos allegat. Thomam quoque ipſum ab Ariſtotele diſſentientem facit, qui Ariſtotelem non habeat pro Optimo Philoſophorum, ac ipſe non ſit Peripateticus, uti multis locis probare contendit. Callidè autem Thomam prætexit ſuis ſententiis, ne tantum in ſe derivet invidiæ. Editi ſunt libri illi, quorum mentionem feci, Pariſ. anno 1636. *in 4to.* Scripſit & *Medicinalium libros 7.* juxta propria principia, qui prodierunt Lugd. anno 1635., *in 4to.*, in quibus nova multa, à reliquis Medicis diverſa, habet. Scripſit & in Politicis aliqua, ſcilicet *de arcanis Dominationis Hiſpanicæ, & conſilium de Belgio iterum ſubjugando.* Edidit & aliqua in moralibus, de quibus tamen omnibus tenendum eſt judicium Bœcleri, *in Commentario in Taciti Annales p. 101.* Editionis *in 8.* Edita eſt Campanellæ *Realis Philoſophia Epilogiſtica* par-

tibus 4. in qua continentur Phyſiologica & Moralia, in quibus mirabili methodo etiam de morbis, & febrium familia, agit, Politica, quibus addit *Civitatem ſolis*, ut Ideam Reip. Philoſophicæ, ac Oeconomicæ; quæ omnia edita ſunt, curante Tobia Adami, Francof. *in 4to.*, anno 1623. Poſt hanc Philoſophiam, 4. illis partibus conſtantem, Pariſiis *in fol.*, aliam edidit, anno 1637., Petro Seguierio, Galliæ Magno Cancellario, inſcriptam, ubi immeſcet varias quæſtiones, quæ in *Philoſophiâ Epilogiſticâ* non habentur, ipſa quoque dogmata fuſius proponit, in omnibus penè Ariſtotelem vellicans & reprehendens. Ubi in Phyſicis interdum afferuntur aliqua non vulgaria, è quibus fortaſſis alii quædam ceperunt. E. g. cauſam intumeſcentiæ maris non lunæ vult adſcribi, ſed ſoli, & objectionibus Galilæi prolixè reſpondet. Illud, ut novum, Iſ. Voſſius, *in libro de motu marium*, prodidit, cauſam æſtus marini in ſolis motum conferens, quod jam tùm ante ipſum fecerat Campanella, vel ipſi non viſus, vel diſſimulatus.

DAVID GORLÆUS, Ultrajectinus. Scripſit ille *Exercitationes Philoſophicas, quibus univerſa ferè diſcutitur Philoſophia Theoretica, & plurima ac præcipua Peripateticorum dogmata evertuntur*, ita enim tit. habet. Exiguus liber eſt, ſed tamen cum aliquo ingenio ſcriptus. Incipit à Philoſophia in genere, hincque ad Metaphyſica & Logica pergens, multa illic ſtatuit à Peripateticis diſcrepantia. Procedit deinde ad Phyſica, in quibus ſuas ſequitur Hypotheſes, Ariſtotelicasque impugnat. Quarum præcipuæ ſunt illæ: cœlum nihil aliud eſſe quàm extenſionem aëris; Duo facit mixtorum elementa, terram & aquam; Ignem e numero elementorum excludit, merumque facit accidens, quod etiam primarium Carteſianorum dogmatum eſt. Editus eſt ille liber Lugdun. Batav., poſt mortem Auctoris, anno 1620. 5

HENRICUS ERNSTIUS. Etiam ille Philoſophorum Ordini Cenſor intervenit, ipſe Philologus potius quàm Philoſophus, ſed non adeò quicquam in Philoſophia tentavit, quàm quod Ariſtotelem in judicium vocaverit plurimosque adverſus illum Teſtes produxerit. Tit. eſt libri *σόφος ἄσοφος, ſive Diſſertatio de re ſummè omniumque difficillima, nempe de vera Philoſophia, Vocisque ejus abuſu, profanis Philoſophis non ſine gravi conſilio oppoſita.* Diligentiſſimè Autor hic collegit, quicquid adverſus Ariſtotelem, tùm à Theologis & Patribus, tùm à Philoſophis recentioribus, ſcriptum eſt, quò major etiam liber colligi poterat. Satis autem oſtendit in eâ Autor, parum ſe Philoſophiæ ſacris imbutum. Prodiit Hamburgi, anno 1665., & 1668. *in 8.* 6

Poterant ſub hunc tit. plures revocari; ſunt enim multi, qui adverſus principia Ariſtotelica philoſophantur. Quoniam vero non adeò datâ operâ Ariſtotelem impugnant, & profeſſos ſe ejus hoſtes gerunt, ideo à nobis ad Novatores referentur in Philoſophia. Nam ad illam accuratius indagandam, cùm ſemper excitata fuerint Ingenia erectiora, non exiguo numero, hanc Philoſophiæ partem ingreſſi ſunt multi, qui aliam ab Ariſtotele viam ſecuti ſunt, quos ego minimè reprehendendos exiſtimo, ſi quid rectius Ariſtotele in medium afferre potuerunt, ut poſſunt ſane multa, licet 7

multi

multi nihilo meliorem doctrinam Phyſicam fecerint ſuis commentis. Ut penè ſatius ſit, ab Ariſtotelis latere non diſcedere, viâ ſcilicet illi cummuni, quàm aliorum manuductione in, neſcio quas, ſylvas inconditas & horrida teſqua dilabi. Sed de illís, ubi ad Phyſicam perveniemus.

CAP. XIII.

DE DOCTORIBUS SCHOLASTICIS IN GENERE, ET NOMINALIBUS IN SPECIE.

§. 1. *Ariſtotelis illi Philoſophiam, ob Linguæ Græcæ imperitiam, corruperunt, &, neglectis partibus præcipuis, circa ſolas Notiones fuere occupati. Commentati de illis ſunt hiſtorice Joh. Henr. Alſtedius, Joh. Ad. Oſiander, G. Hornius, Joh. Lud. Vives, cæterisque præferendus Ad. Tribbechovius. 2. Primus illorum fuit, non Lanfrancus, ſed Joh. Rucelinus,* Nominalium *Autor, quorum, nec inter ſemetipſos concordium, de Univerſalium Exiſtentia Diſceptationis cum Realibus, Hiſtoria exponitur, & inter Platonicos, Stoicos & Ariſtotelicos, eandem jam olim viguiſſe oſtenditur. Gabr. Naudæi de Philoſ. Scholaſticæ Ortu Digreſſio allegata. Nominalium Sectæ, a Guilhelmo Occam A. 1320. inſtauratæ, & A. 1673. ab Anonymo Anglo reſuſcitatæ, præcipui recenſentur ac celebrantur Doctores. 3. Guilh. ſcil. Occam. 4. Rich. Suiſſet, ab Hier. Cardano & J. C. Scaligero, ſummopere commendatus, a Joh. Pico autem (contra quem* h. l. *defenditur,) & Joh. Lud. Vive, ob ſubtilitates ineptas, exagitatus. 5. Greg. de Arimino. 6 Gabr. Biel. 7. Pet. de Alliaco. 8 Joh. Gerſon. 9. Joh. Major. Mart. de Magiſtris, Joh. Celaya, Hier. ab Hangeſto. 10. Joh. Raulinus, Jac. Almainus, Georg. & Pet. de Bruxellis, Joh. Dullard, Joh. Buridanus, Marſilius de Inghen, Thom. Bricot, Casp. Lachs, Ant. Coronell, Henr. & Joh. Altenſteigii. 11. Alii ejusd. ævi complures, è recentioribus Rod. Arriaga & Joh. Salabertus. 12. Eraſmi de Nominalibus, cæterisque Scholaſticis, Judicia. Nominalium, & Ducis horum, Guilh. Occami, Pontificem Imperatori ſubjicientium, cum Realibus, Oxoniæ, alibique locorum, Contentiones. Ludovici XI., Regis Galliæ, Edictum contra Nominales, A. 1473. promulgatum. 13. Nominalibus perperam accenſentur Marius Nizolius (de cujus novaturiendi in Philoſophia libidine, hoſtilique in Ariſtotelem animo, plura adduntur) & Thom. Hobbeſius. 14. Georg. Calixti de Scholaſticis Judicium benignius.*

1 PRocedimus nunc ad Philoſophorum genus, neque Ariſtotelicum planè, nec ab Ariſtotele omnio diverſum. Scil. hi Ariſtotelis quidem Philoſophiam profeſſi, parum ex ipſo, & Interpretibus ejus Græcis, ſapere potuerunt: cum ipſi Græcæ linguæ ignari fuerint. Quicquid è Boëtio, Latino Ariſtotelis Commen-

Commentatore, ac ſordidis quibusdam Ariſtotelicorum librorum ex Arabico Verſionibus Latinis, haurire potuerunt, illud, pro ingenii ſui acumine, & ſeculi iſtius genio, exornarunt, & quoddam Philoſophiæ corpus nobis inde fecerunt, quod inſtar ſimiæ illius Claudianeæ, *claro deforme* eſſet *amictu.* Parum ab illis præſtitum eſt in Phyſicis & Mathematicis; In illis enim accuratior omninò indagatio inſtituenda erat. In ſolo notionum regno triumpharunt mirificis perplexisque ſubtilitatibus omnia implicantes, in quibus extricandis licet cerebrum quis ruperit, nihilo tamen in re ipſa ſapientior erit. Hiſtoria ſi accuratior eſſet à quopiam inſtituta ortus progreſſusque dogmatum illorum, non parum illud faceret ad Theologiam & Philoſophiam. Sed, ut ipſi confuſum aliquod Philoſophiæ Chaos proponunt, ita & hiſtoria eorum tota tenebroſa eſt. Chronologiam ſcholaſticorum Doctorum dedit Joh. Henr. Alstedius *in Chronologiâ*, ubi in tres ætates diſtinguit; primam à Lanfranco ad Albertum M.; ſecundam ab Alberto M. usque ad Durandum; tertiam à Durando ad Lutherum. Prodeſſe etiam huic inſtituto poterit Catalogus Scholaſticorum, propoſitus à Joh. Adamo Osiandro *in Chronotaxi* ſua *Hiſtorica*, ubi & ſcholaſticos per ſucceſſionem temporum in tabula diſpoſuit, per ſex ſcil. latera. In primo eſt nomen Autoris; in ſecundo nationis; in tertio Ordinis, quem profeſſi; in quarto dignitas; in quinto tempus, quo floruerunt; in ſexto Scripta illorum recenſentur. Videatur quoque Hornius *l. 6. Hiſt. Philoſophicæ.* Legi etiam poteſt Joh. Lud. Vives *in libro de cauſis corruptarum diſciplinarum*, &, præ ceteris omnibus, qui argumentum hoc cum curâ tractavit, Ad. Tribbechovius, *in libro de Doctoribus ſcholaſticis, & corrupta per eos divinarum humanarumque rerum ſcientia.* (rr)

Primus Doctorum Scholaſticorum, quantum conſtat, fuit Joh. Rucelinus, Britannus (Angli enim in his ſubtilitatibus valde ſolliciti fuerunt,) quem inter Scholaſticos non video numerari ab Oſiandro, neque ab Alſtedio, qui quidem altius Origines Scholaſticorum incipit, ordiendo à Lanfranco, Archiepiſcopo Cantuarienſi, qui vixit anno 1050. Sed illi, quos nominant, non videntur ad Scholaſticos eſſe referendi. Quæ enim illi ſcripſerunt, Theologica ſunt, neque ex illa ſchola, quæ poſtea prodiit. Fuerunt autem primò Doctores ſcholaſtici Philpſophi, quos ſecuta eſt poſtea Theologia ſcholaſtica. Neque enim Theologia ordinari poterat, antequam ejus principia eſſent à Philoſophis determinata. Refert & Alſtedius Gratianum, Monachum Benedictinum, inter illos, qui collegit Canones ſacros, quò tamen non referri debere videbatur. Sola enim illa Collectio in Scholaſticorum numero non ponit. Primæ itaque debentur Joh. Rucelino, Nominalis Sectæ primo Autori propagatorique. Notum enim eſt, Scholaſticos fuiſſe diſtinctos in Nominales & Reales, & ex utriusque ſectæ placitis acerrima inter illos fuiſſe orta bella, ac nonnun- 2

(K) quam

(rr) Ad. Tribbechovii *de Doctoribus Scholaſticis Libro*, Gieſſæ an. 1566. *in 4.* edito, jungi merentur, quæ primas Doctrinæ Scholaſticorum Origines accuratius aliis veſtigant, Jac. Thomaſii *de Doctoribus Scholaſticis Latinis* Diſſertatiuncula, Lipſiæ an. 1676. *in 4.* excuſa, ac *Oratio XII. de Secta Nominalium.*

quam etiam inter diſcipulos cruenta. Campus autem harum velitationum erat Dialectica: hanc quoniam habebant à Boëtio Latino ſermone traditam, in illam omnem operam impenderunt. Atque hæc diſſidia in reliquas diſciplinas, imò ipſam Theologiam, poſtea penetrabant, cùm illi, qui ſe Reales appellabant, Nominales, velut hæreticos, averſarentur. Anshelmus certè appellavit hæreticos Dialecticos. Tota res verſabatur in doctrina de exiſtentia Univerſalium, quæ ad Metaphyſicos potius, quàm Logicos, referenda. Alii non exiſtere Univerſalia autumabant, alii habere in re ipſa fundamentum, adeoque illi Nominales, hi Reales, vocabantur. Non fuit verò hæc doctrina primùm in iſtorum cerebellis nata, ſed jam tum in Veterum Philoſophorum ſcholis agitata. Qui ante Platonem erant Philoſophi, negabant quid in rebus univerſale eſſe, ſed omnia fluere, ac nihil eſſe ſtabile. Plato Ideas ſuas in ſcenam produxit, velut eorum, quæ ſenſu percipimus, exemplaria alterna, quæ eſſent tanquam univerſalia ante res. Has impugnavit poſtea Ariſtoteles, ac ipſa Univerſalia, quaſi rebus immerſa, tradidit. Stoici autem putabant, tum demum exiſtere, cùm cogitatio illa fingeret. Triplex ita hoc Univerſalium genus, *Ante multa*, *In multis*, *& Poſt multa*; ac fuit, ob hanc diſtinctionem, in ipſis etiam Scholaſticis Nominalibus differentia. Reales Scholaſtici Nominales incuſabant Stoiciſmi, cùm viciſſim Nominales Reales arguerent, quòd Platonica ſomnia propagarent. Ac erant inter utroſque, tàm Nominales, quàm Reales, qui ſententias ſuas utrique, tàm Platoni, quàm Ariſtoteli, accommodabant, ut fuerunt, qui Ariſtotelem & Platonem inter ſe non diſſentire integris libris docuerunt. Convenientiam concordiamque Nominalium cum Platonis dogmatibus aliqui quoque obſervarunt. Inter Reales quoque erant, qui Platonem habebant in deliciis. Poſtea verò, cùm univerſa Realium natio Thomiſtarum præcipuè ac Scotiſtarum factionibus cenſeretur, aboliti penè toti fuerunt Nominales, quorum usque ad hæc tempora quaſi tres erant familiæ. Aliqui, ut Rucelinus, Univerſalia meras eſſe voces docuerunt. Alii iterum in ſolo intellectu poſuerunt, atque meros animi conceptus eſſe autumarunt, quos Conceptuales aliqui vocant, & à Nominalibus diſtingvunt, quanquam alii etiam confundant. Alii fuerunt, qui Univerſalia quæſiverunt, non tàm in vocibus, quàm in ſermonibus integris, quod Joh. Sariſberienſis adſcribit Pet. Abelardo; quo quid intelligat ille, mihi non ſatis liquet. Vocati ſunt præterea Nominales illi Verbales, Terminiſtæ, Connotatiſtæ; vocati ſunt etiam ab aliquibus Tyrones, nam Reales ſe pro Veteranis habebant. Nominalibus hoc in ore erat Axioma: *non eſſe multiplicanda entia præter neceſſitatem.* Reales viciſſim Nominales reprehendebant, ob miram illam Entium avaritiam, quam tamen natura non amet. Objiciebant illis, quòd multas veritates interemiſſent. Atque hæc inter illos contentio perpetua fuit, quæ inter ſtudioſos Pariſienſes (nam Pariſiis & Oxoniæ qſ. regnum erat illorum) in cruenta prælia prorupit, de quibus non verum erat illud Heſiodi: Ἀγαθὴ δ᾽ ἔρις ἥδε βροτοῖσι. Eſt enim illa pulchra præcipuè inter ſtudioſos, modo non ſit cruenta. De origine progreſſuque Scholaſticæ Philoſophiæ & Theologiæ legi poteſt Gabriel Naudæus

in

in Additionibus ad Hiſtoriam Ludovici XI. p. 151-164. qui refert primam hujus originem ad tempora Joh. Damaſceni, Græci ſcriptoris, unde poſtea ad Latinos etiam pervenit, Petrum Abelardum, ejusque diſcipulum Petrum Lombardum, qui Theologica dogmata his ſophiſmatibus incruſtarunt, de quibus Joh. Sarisberienſis *lib. 1. metalogici, cap. 3.* conqueritur. Nominalium tamen ſchola, à Rucelino primùm orta, cujus mentionem nullam facit Oſiander *in Chronotaxi* ſua, primas tum partes habuit, quæ poſtea anno 1320. in Guilhelmo Occamo revixit, quem ideo primum nonnulli Autorem Nominalium faciunt. Docuit verò ille Oxonii circa tempus illud, plurimaque ſcripſit, tàm in Theologicis, quàm in Philoſophicis. Quare omnem hanc Nominalium doctrinam Angli ſibi tribuunt, utpote ab Anglis primùm introductam, & ab Occamo reſtauratam. Prodiit Oxonii libellus anno 1673., *in 12mo*, ſub tit. *Ars rationis, ad mentem Nominalium.* Autor non eſt additus, quantum tamen videtur, reſuſcitare nunc in Anglia Nominalem doctrinam conatur, quam vehementer illic laudat, ac ſubtilitate & perſpicuitate reliquas omnes ſuperare gloriatur. Sed labor illius viri vel in Logicis ipſis valdè imperfectus eſt, & in Hiſtoriâ Nominalium, quam præmiſit, deficit. Nulla enim apud ipſum Rucelini mentio, qui tamen primus Nominalium eſt, & ipſe Britannus, & aliquot ſeculis ante Occanum vixerat. Tum & alios omiſit poſteriorum temporum, qui tamen maximæ celebritatis erant, atque inter illos Rich. Sviſſetum, Calculatorem, cui tam mirifica elogia ſuſpendunt Cardanus & Scaliger, uti poſtea videbimus. Breviter itaque recenſebimus Nominales Scholaſticos, quantum de iis expiſcari poſſumus. Primi illi à Rucelino ſcriptores obſcuri ſunt, neque indagari poſſunt. Qui poſt D. Thomam vixerunt, quorum Princeps eſt Gvilhelmus Occamus, Realibus quidem Philoſophis poſteriores ſunt, ſed tamen Rucelini, tanquam Anteceſſoris, doctrinam propagarunt; quanquam & in ipſum Thomam, qui ad Nominalium Sectam non pertinet, Commentarios plerique ſcripſerint, cujus in ſuos ſenſus pleraque detorſerunt, ut hodieque ſunt multi, qui ipſum Ariſtotelem in ſuos ſenſus cogunt.

GVILHELMUS de OCCAM, ſive OCCAMUS. Vixit circa annum Chriſti 1320. 3
dictus *Doctor Invincibilis*; ſcripſit Theologica multa: Lib. *de ſacramento altaris*, editum Pariſiis *in 12.*, anno 1513.; *Annotationes in 4tum librum ſententiarum D. Thomæ*, & *Centiloquium Theologicum, in fol.*, editum Lugd. Gall. anno 1594. Scripſit & quædam ad Jurisdictionem Imperialem & Eccleſiaſticam ſpectantia, quæ reperiuntur in Collectaneis Goldaſti, quæ *de Monarchiâ Imperii* collegit. Ejus Opera edidit Marcus de Benevento, qui in *præfatione* teſtatur, quòd *ſi apud Deos nexus Logicæ invenirentur, nullius, niſi Occami, viri doctiſſimi, ſolutione uti dignarentur.*

RICHARDUS SVISSET. Hic quanti nominis fuerit, vix credi poteſt, atque 4
adeò tamen ignoratur, ut vix in Bibliothecâ aliquâ ejus nomen ſuperſit, ut teſtatur Gabriel Naudæus in *Diſſertatione* ſuâ *de inſtruendâ Bibliothecâ pag. 86.*, ubi miratur ille, in nullâ Bibliothecâ viſa ſibi eſſe ejus Opera, quæ tamen adeò commendat Scaliger. Nomen ejus vocatur à Scaligero Richardus Sviſſet, cum cognomine *Calcu-*

 latoris.

latoris. Gabriel Naudæus, qui, *in Diſſ. de inſtr. Bibliothec.*, illum Richardum vocaverat, in *Additionibus ad hiſtoriam Ludovici XI. p. 214.*, vocat Rogerium Sviſſetum, qui Monachus Ciſtertienſis ſalutatur in Edicto quodam Regis Galliæ. Vocatus autem fuit vero nomine, Anglicâ linguâ, *Swinshead*, i. e. *caput Porcinum*, ſive *os porci*, quod poſtea nomen in Sviſſetum converterunt. Mentionem quoque ejus fecit Voſſius *in libro de ſcientiis Mathematicis c. 18. p. 78.*, qui Johannem Sviſſetum vocat, quod prænomen ipſi quoque tribuit Gaddius *in lib. de ſcriptoribus.* Sed erravit hic Voſſius, qui, Calculatoris nomine inductus, ipſum ad Mathematicos retulit. Dicit enim, quod Logiſtices agrum excoluerit, & ab eximiâ artis hujus peritiâ dictus fuerit calculator, præterea ne unicum quidem ejus librum citat, quem ſuper hoc argumento ſcripſerit, ſed ſolummodo ex Cardani *lib. 16. de ſubtilitate* ejus Elogium recenſet. Unde patet, ex ſuâ conjecturâ eum hoc ipſi tribuiſſe: præterea nec Annum, quo vixit, addidit, ut mirum ſit, adeò ignorari celebratum Scaligero nomen. Calculator vocatus eſt, ob ſubtilitates ſuas; ita enim Ludovicus Vives *l. 5. de corruptis artibus: Invectæ ſunt cavillationes ſtultarum ſubtilitatum, quas ipſi Calculationes vocant.* Scaliger *Exerc. 324.* de hoc Sviſſeto ait, illum *exceſſiſſe modum humani ingenii*, & Exercit. 340. ita de illo ſcribit: *Hic vir tam acutè ſcripſit, ut à paucis plenè & pro meritis intelligatur, dignus profectò, quem neque ſenium ſenem faceret, neque naturæ lex privaret vitâ. Illi viro maximo multa debeo, plura debiturus, ſi per ingenii mei imbecillitatem licuiſſet, non enim leviter in ejus campo nos exercuimus.* Et hic tamen Sviſſetus adeò ignoratus fuit, ut fruſtrà illum in omnibus Bibliothecis quæſiverit Naudæus. Sed mirari meritò debemus varietatem ſententiarum & judiciorum. Quem enim adeò in cœlum evehit laudibus Scaliger, illum, ut ſummum Nugatorem, elevant Joh. Picus & Ludovicus Vives, hic *libro 5. de corruptarum artium cauſis* (ubi illi Rogerii nomen tribuit), ille autem ſubtilitates ejus vocat *quisquilias Sviſſeticas, quæ nihil ad ſciendum, vel ad uſum, conferunt.* Prolixior ejus locus adducitur à Gaddio *de ſcriptoribus Tom. 2. pag. 326.* Ejus an quicquam editum ſit, diu inquiſivi, ſed inveni tandem *de reactione Tractatum*, quem vellicare videtur Joh. Picus *dicto loco*, editus eſt ille liber hoc tit: *Richardi Sviſſet quæſtio de reactione, Venet. apud Octavianum Scotum, anno 1520. in fol.* Plura de illius ſcriptis expiſcari non licuit. Ceterum Picus exagitat infinitas ejus ſubtilitates, de motu uniformi, difformi, uniformiter difformi, difformiter difformi, de infinite raris aut denſis, de hora ſecta in partes proportionales hoc aut illo proportionis genere. Picus illa inventa eſſe dicit *ab otioſis hominibus, aliarum rerum omnium inſcientibus, ad exercendum in ſcholis guttur, ne tacendo obducetur ſitu.* Hæc Picus, Vir utique non obeſæ naris, adverſus Scaligerum, tot Autorum Hypercriticum, judicare non eſt veritus. Sed, ſi meam hic ſententiam dicere licet, judico, quantum ex titulo hujus libri colligere poſſum, rem illam non contemni debere. Motus enim doctrina infinitis modificationibus conſtat, in quibus ſi idoneè ingenium exercuit Sviſſetus, profectò condemnandus non eſt. Quid diceret

ceret Picus, ſi hodiè videret ſubtiliſſimas illas ſpeculationes Carteſianorum, Boylii, atque aliorum, circa varios motus particularum? Et hæc tamen ingenii profectò mera commenta non ſunt, ſed re ipſa fundata.

GREGORIUS de ARIMINO. Etiam ille inter Nominales celebratur, ipſi 5
Occamo ſubtilitate non cedens. Hoc enim Elogium illi tribuit Editor *Logicæ Nominalium*, Anonymus Anglus. Edidit *Theologica* & *Philoſophica* varii argumenti, quæ rarò in Bibliothecis comparent.

GABRIEL BIEL. Vixit circa annum Chriſti 1470. Scripſit Theologica & 6
Philoſophica, Occami *libros in ſententias* in *Epitomen* redegit, & ubi ipſe vel nimis obſcurus, vel brevis, de ſuo addidit, ac interpretatus eſt mentem ejus. Commentarius ejus in Sententiarum libros editus eſt *in 4.*, Brixiæ, anno 1574., tribus Voluminibus. Edidit & in Theologicis *Expoſitionem Canonis Miſſæ, in fol.*, Pariſiis. Prodiit quoque eodem Autore *liber de monetis*, cum Notis Marquardi Freheri, Lugd. anno 1605. Fuit autem natione Germanus.

PETRUS de ALLIACO, Cardinalis Cameracenſis, ſuo ſeculo doctiſſimus ha- 7
bitus, vixit anno 1404., qui tamen aliquid elegantius ſapere videtur. Nam & in Mathematicis ſe exercuit, ſcripſitque *librum de ſphæra mundi*, qui editus eſt *in fol.* Pariſiis. Edidit *Commentarios* in varios Ariſtotelis libros. *Comment. in libros Meteorum*, qui prodiit Venet., anno 1509., *in fol.* Scripſit & Theologicos Tractatus, *Meditationes ſc. in 7. Pſalmos Pœnitentiales*, quæ prodierunt Pariſiis *in 12.*, anno 1545. *Lib. de reformatione Eccleſiæ, & de ſqualoribus Eccleſiæ Romanæ*, editum Baſileæ, anno 1551. *Commentarium ſuper libros ſententiarum, unà cum laudibus Theologiæ*, editum *in 4to.* anno 1505. *Lugd.* ac *Tractatum exponibilium de anima, in 4to*, Pariſ. 1494.

JOHANNES GERSON, Cancellarius Pariſienſis, cujus extant varia Opera, 8
tàm Theologica, quàm Philoſophica. Eraſmus de eo *l. 19. Ep. 95: Gerſonis quædam Opuſcula legi juvenis, nec omnino diſplicuit.* Ejus Opera edita ſunt *in fol.* Pariſ. 4tuor Voluminibus primum, & deinde auctiora atque caſtigatiora, anno 1606. *in fol.* Scripſit *de probatione ſpirituum Tractatum*, (*ss*) qui reperitur in Jacobi Sprengeri *Malleo maleficarum*; *Regulas morales, quæ editæ ſunt Pariſiis in 12.*; *Lib. de Valore Excommunicationis* (Latinè & Italicè); *de Imitatione Chriſti Tractatum*, qui editus eſt Venet. *in 8tavo.*, anno 1540. Edidit & alia quædam Opuſcula Politica, quæ collecta ſunt à Goldaſto *in Monarchia Imperii.*

JOHANNES MAJOR. Scripſit & ille Opuſcula quædam, quæ edi ſolent cum Ope- 9
ribus Gerſonis, partim Philoſophica, partim Theologica. Neſcio an idem ſit, (*tt*) qui ſcripſit *Hiſto-*

(*ss*) Joh. Gerſonis Opuſcula *de diſcernendis veris Viſionibus à falſis, & probatione Spirituum*, occaſione Controverſiæ de Revelationibus Aſſeburgianis, auſpiciis Rud. Auguſti, Ducis Brunſvic. Helmſtadii an. 1692. *in 8.* ab Hermanno ab Hardt, Profeſſore celeberrimo, denuò ſunt edita.

(*tt*) Joh. Major, Hadingtonienſis Scotus, Th. D. Pariſiis an. 1528. ſuperſtes & *Commentarii*

Hiſtoriam Majoris Britanniæ, quæ edita eſt Pariſ., anno 1521. Edidit *Comm. in 4tum ſententiarum*, Pariſiis anno 1616. *in fol.* De illo vide Gaddium *Tom. 2do de ſcriptoribus p. 55.* Recenſebo nunc, quaſi per lancem ſaturam, illos, qui ſequntur. Quis enim in turba ordinem obſervet? Eſt MARTINUS de MAGISTRIS, Ludovico XI. à confeſſionibus & Eleemoſynis, qui præter Theologica, ſcripſit librum *de conſequentiis in vera divinaque Nominalium Via*, quem laudat Naudæus *in Additionibus ad hiſtoriam Ludovici XI.* Ejus Opera, duobus Voluminibus *in fol.*, *ſuper 4. virtutes cardinales*, impreſſa ſunt Pariſ., anno 1491. Scripſit & *Commentarium ſuper ſalve Regina, Orationem S. Bernhardi.* Vocatus fuit è ſchola Pariſienſi à Rege Ludovico, ut hiſtoriam ſcriberet. Vide de eo Epiſtolas Trithemii. JOH. CELAYA, Doct. Pariſienſis dictus fuit, quoniam Pariſiis ad inſtituendam Univerſitatem Valentinam in Hiſpaniam evocatus eſt. Scripſit *Commentarium in libros Ariſtotelis de natura, unà cum quæſtionibus*, qui editus eſt Pariſ. *in fol.*, anno 1507. apud Emundum Febreum. Sequuntur jam multi, nomine ſolo mihi noti, uti HIERON. AB HANGESTO, cujus aliquot Opuſcula memorat Iſraël Spachius, ſine loco & tempore impreſſionis, quare dubito, an ipſe viderit. *De cauſis* ille ſcripſiſſe dicitur, & *de proportionibus*, *p. 345. & 354.* Ejus quoque extant *Moralia*, Pariſ. edita, apud Joh. Parvum, anno 1519. *in folio.*

10 JOHANNIS RAULINI aliqua etiam prodierunt in Philoſophicis & Theologicis, cujus *Sermones* impreſſi ſunt Pariſ. *in 8tavo*, anno 1642., duobus Voluminibus. Solebant autem illi ſermonibus ſuis miſcere ſcholaſticas ſubtilitates, quem morem reprehendit Eraſmus *l. 5. Epiſtola 27. p. 322. Editionis Londinenſis.* JACOBUS ALMAIN Opuſcula quoque ſcripſit, tàm Theologica, quàm Philoſophica, quæ cum Gerſonis, Majoris & Petri de Alliaco, *Opuſculis*, junctim eduntur. Extant ejus *Tractatus de Autoritate Eccleſiæ contra Thomam; Expoſitio circa deciſiones quæſtionum Guilhelmi Occam ſuper poteſtate Papæ*, *in 8.* Pariſ., anno 1537. Nam hæc controverſia tum maximè agitata fuit à Nominalibus, de poteſtate Civili adverſus Papam, & contradicebant illis Reales, de qua re in ſequentibus plura. GEORGIUS & PETRUS BRUXELLENSES ad hanc quoque familiam pertinent. Scripſerunt aliqua in Ariſtotelem & Petrum Hiſpanum; & quidem Georgius *in Petri Hiſpani tractatus Logicos quæſtiones*, Lugd. editas, unà cum Petro Hiſpano, anno 1509. apud Jannotium de Campis; *Expoſitionem in Logicam Ariſtotelis per omnes Organi partes*, quæ prodiit Lugd., anno 1504. ap. Stephanum Gryad. Fuit aliàs dictus Crocard teſte Spachio *in Nomenclatore pag. 629.* Petrus de Bruxellis quæſtiones in Phyſica Ariſtotelis ſcripſit, editas Pariſiis ap. Joh. Parvum, anno 1521. Scripſit & *in libros Ariſtotelis de anima Commentarium*, qui prodiit, unà cum ejus *quæſtionibus in Phyſicam*, ibid. anno 1521. *in fol.* JOH. DULLARD, cujus extant *quæſtiones in libros Ariſtotelis de cælo*, Pariſiis editæ

tarii in Lib. Sentent. & *Hiſtoriæ Britannicæ*, Autor eſt. V. Simleri *Biblioth. p. 393.* Bellarm. *de Scr. Eccl. p. 307.* Labbeum *de iisdem*, *T. I. p. 591.* Voſſii *L. 3. de Hiſt. Lat. P. I. c. 13. p. 687.*

editæ *in fol.* JOH. BURIDANI *in Politica Ariſtotelis Commentarius* prodiit *in 4to*, Oxonii anno 1640. Scripſit & *Logicam, & in Ariſtotelis Ethica quæſtiones.* MARSILIUS DE INGHEN, cujus an quicquam editum ſit, ignoro; quæ ſcripſit Opera Philoſophica, habebantur manu ipſius Autoris ſcripta in Bibliotheca Heidelbergenſi, teſte Iſraële Spachio *in Nomenclatore, pag. 31. & 241.* THOMÆ BRICOT, Franciſco I. Regi Galliæ à Concionibus, Commentaria juncta ſunt Georgii Bruxellenſis *quæſtionibus*, & quidem ad Petri Hiſpani *Tractatum Logicum* & ad *Organon* Ariſtotelis. Eſt & ejusdem *Epitome Phyſices*, cujus meminit Spachius in *Nomenclatore Philoſophico, pag. 608.* CASP. LACHS ſcripſit nonnulla de *Syllogiſmo*, Pariſiis edita, & in Arithmeticis quædam, niſi forte fallitur Spachius, qui illuc retulit ipſum, ductus *ſuppotationum* titulo, quo nomine tum temporis non numerorum doctrina, ſed Scholaſticorum Nominalium ſubtilitates, veniebant. ANTONIUS CORONEL ſcripſit *in 12. capita libri primi poſter. Analyticorum, qui Commentarius* prodiit Pariſ. *in fol.* HENRICUS ALTENSTEIG cujas fuerit, equidem dicere non poſſum, quidve ſcripſerit, novi tamen illum feciſſe *Indicem in Thomam*, &, ſi rectè memini, alios quoque Scholaſticos, qui uſui eſſe poſſunt illis, qui in hoc ſterquilinio aurum quærunt. Eſt & alius quidam JOH. ALTENSTEIG, qui *Artem Epiſtolandi* ſcripſit, è cujus libri titulo ſatis apparet, quale hîc elegantiarum Cornu copiæ lateat. Idem ſcripſit *de vocabulis barbaris*, ipſe barbarus. Editus eſt liber ille anno 1512., Hagenoæ *in 4to.*, per circumſpectum Virum Rinnemannum.

Superſunt alii, quorum ego libros nunc quidem enumerare non poſſum, Al- 11
bertus de Saxonia, Guilhelmus de Rubione, Adamus Godſam, Robertus Holcot, Gervaſius Wain Svevus, Caſpar Hentesberg, quibus omnibus quoque accenſet Editor ille *Logicæ Nominalium* RODERICUM ARRIAGAM, de quo dicit, illum profiteri ſe quidem Nominalem, ſed eorum fundamenta non intellexiſſe. Facit & mentionem cujusdam JOH. SALABERTI, qui defenſionem Nominalium nuper ſuſceperit, & *Logicam in Nominalium via* linguâ Gallicâ ediderit, quem tamen ego hactenus non vidi. Ceterum Autor ille Logicæ Anglus, quisquis eſt, toties à nobis citatus, in terminis, & eorum formalitatibus, mirè ſe fatigat. In quibus tamen, meo quidem judicio, ſatis ſubtilium tricarum eſt, quarum uſus aliquis in negotio Eriſtico eſſe poſſit.

Atque hæc de nominalibus Scholaſticis dicta ſunto, quorum Secta magnâ olim 12
in celebritate fuit. Suo tempore illam floruiſſe teſtatur Eraſmus *in Epiſtolis l. 19. ep. 9. p. 920. B.* cujus ſunt varia de toto Scholaſticorum genere judicia, qui tamen non adeò adverſo ab illis animo eſt. Non enim explodit illos, ſed corrigi optat, & totam hanc Theologiam & Philoſophiam acceſſione veteris veræque literaturæ locupletiorem & caſtigatiorem reddi cupit. Videatur ille *l. 1. ep. 22. p. 14. C. l. 11. ep. 15. p. 564. D. l. 19. ep. 38. p. 859. E. & l. 28. ep. 8. p. 1647. F.* Origo Nominalium, quæ Rucelino à quibusdam tribuitur, ab aliis ad Petrum Abelardum refertur. Sed parum quidem hæc ad nos. Sunt enim illa vetera & obſoleta. Occamus alter ille, ſi non primus, eſt, ſed qui hodie inter primos tamen habetur, uti Johannes Duns, Scotus,

Rea-

Realium ſuo tempore Anteſignamus fuit, inter quos duos, Occanum & Dunſium Scotum, acerbæ fuerunt lites & controverſiæ, quarum tempus incidit in Annum 1343., quo illæ diſſenſiones, in Oxonienſi Academia ortæ, totam illam Univerſitatem in duas factiones diſtraxerunt, Aquilonarium & Auſtralium, quæ nomina jam olim factioſa, accedente novæ factionis titulo, vehementius recruduerunt. Auſtrales Occamo, Septentrionales Dunſio favebant. Neque ſubſtitit intra pulveres ſcholaſticos illa diſceptatio, ac intra Angliæ fines, ſed & in Galliam propagata eſt. Nam Occamus, in gratiam Ludovici Bavari, adverſus Pontificem Rom. ſententiam hanc publicè defendebat, quòd jurisdictio Eccleſiaſtica civili debeat ſubjacere, quod argumentum illo tempore diſcutere, erat ulcus tangere. Deſignatur tamen Avenione in Gallia huic palæſtræ ſcholaſticæ campus, rem acriter adverſus Occamum agentibus, tum Gallis, tum popularibus etiam Anglicis, qui ſtabant à Pontificiorum ſententia. Illis tamen omnibus ſuperior Occamus *Doctoris Invincibilis* titulum reportavit, quaſi in præmium illi è titulis Cæſareis ceſſerit. Ac magnam Pontificiæ tyrannidi plagam intulit, cùm hoc dogma à ſcholæ ejus ſectatoribus propagaretur amplius, & Imperatoribus Rom. cederet in magnum beneficium. Plebs enim, his Doctorum diſputationibus commota, in dubium cœpit vocare jura Pontificis, & Imperatorum adhærere partibus. Hæc diſputatio nonnunquam in cruentos conflictus abiit, & in Academia Oxonienſi Boreales ſibi alium, alium Auſtrales, Cancellarium petiverunt, qui & dati ſunt utrique parti. Atque ita divortio illo ſciſſa fuit Academia, ſed res tamen iterum conciliata fuit, uti plenius deſcribit Antonius Wood *in Hiſtoria & Antiqq. Univerſitatis Oxonienſis, ad annum ſuprà dictum 1343.* Atque hanc ob cauſam credo in odium iſtud incurrit Nominalium ſecta, dum paſſim adverſus illos concitarentur primùm Scotiſtæ, & qui Scotiſtarum partibus favebant, Magnates & Principes. Eò tandem res deducta eſt, ut anno 1473. Rex Galliæ, Ludovicus XI, edicto publico damnaverit omnium Nominalium doctrinam, in quo diſertis verbis referuntur Guilhelmus Occam, Monachus Ciſtertienſis, quem Sviſſetum Naudæus interpretatut, de Arimino, Buridanus, Petrus de Alliaco, Marſilius Inghen, Adamus Dorp, Albertus de Saxoniâ, quorum ſcripta rejiciuntur, commendantur verò & permittuntur D. Thomas, Albertus Magnus, Ægidius de Roma, Alexander de Hallis, quem alii *Ales* vocant. Copia iſtius edicti, ex Archivo Academiæ Pariſienſis producitur a Gabriele Naudæo, *in Additionibus ad Hiſtoriam Ludovici XI. à p. 203. usque ad p. 224.* Omnes etiam nomen Nominalium & doctrinam eorum ejurare juſſi ſunt, tàm Doctores, quàm Magiſtri & Cives Academiæ. Confiſcati quoque ſunt omnes Nominalium libri. Quam ob cauſam puto factum eſt, ut nunc tàm pauci illorum Autorum libri exſtent, ac difficulter etiam in inſtructiſſimis Bibliothecis reperiantur.

23 Antequam verò ad Reales accedam, unum adhuc monendum duxi de Mario Nizolio, quem inter Nominales refert Godfr. Gvilh. Leibnitzius, qui ejus librum *de veris principiis & vera ratione philoſophandi, contra Pſeudophiloſophos*, recudi fecit Francofurt., anno 1670., in 4., in *Diſſertatione præliminari* operis illius. Tum & ipſe

ipſe Autor, *in fine capitis 6. l. 1.* diſertè ſe ipſum Nominalibus annumerat. Dicit enim, ſe Occami doctrinam & opinionem de Univerſalibus eſſe defenſurum, non tamen tanquam Ariſtotelicam & Peripateticam, quod Ariſtoteles ſine ullâ dubitatione exiſtimavit, & poſuerit Univerſalia Realia, ſed tanquam veram & communi omnium, tàm Græcorum, quàm Latinorum, rectè loquentium, ſermoni conſentaneam. Sed ille quidem ad Nominalem referri non poteſt, quippe qui Ariſtotelem ſemper & in omnibus impugnat, quod non faciunt Nominales, qui Ariſtotelem in partes ſuas pertrahunt. Nam, quod Nizolius ait, Ariſtotelem Univerſalia Realia facere, id diſertè ex ipſo nunquam probabit. Quod verò Nizolium attinet, cujus ſunt acerbæ adverſus omnes ſui temporis Philoſophos declamationes: irritatus fuit ille à M. Ant. Majoragio, cùm ab ipſo rerum philoſophicarum planè rudis haberetur; ideoque ut famam ſuam vindicaret, aggreſſus eſt omnes iſtius ætatis Philoſophos, & Ariſtotelis profeſſum hoſtem ſe conteſtatus, totam & Ariſtotelis & Ariſtotelicorum doctrinam, ut ſophiſticam, traducens. Voluit verò ille omnem Philoſophiam ad Oratoriam, Phyſicam & Logicam, reducere, cui fini immanem apparatum argumentorum ſtruit. In Univerſalium doctrinâ ipſe adeò à Nominalibus diſcrepat, ut planè aliam ſententiam proponat; Univerſalia enim tantum habet pro collectione ſingularium, ſeu inductione, quod non dicunt Nominales. Multa ſanè tricatur adverſus doctrinam Ariſtotelicam, de quibus ipſe videri poteſt. Olim rarior erat ipſius liber, nunc à Leibnitzio editus parabilior eſt, qui breves notulas interſperſit, quibus ejus doctrinam nonnunquam ſub cenſuram vocat. Addidit ille utiliſſimam præfationem, de inſtituto operis & optimâ Philoſophi dictione, & Epiſtolam de Ariſtotele Recentioribus conciliabili, brevem quidem, ſed doctam; ſpectat verò præcipuè ad Phyſica. Summum, ſed ineptiſſimum, Nizolii argumentum quaſi Achillæum hoc eſt, nullam eſſe Dialecticam, ſi univerſalia non ſint realia, cùm tamen ipſi Nominales Dialectica Ariſtotelis uſi ſint. Et rectè quidem; nam, licet in nominibus ſaltem, ſecundum illorum ſententiam vera hæc ſint, nihilominus tamen ſeorſim ita tractanda, quoniam nominibus iſtis in explicandis rebus utimur. Accenſet Nominalibus Leibnitzius in eadem præfatione Thomam Hobbesium, quem ille ipſo Occamo Nominaliorem, & plus quàm Nominalem vocat, qui non contentus cum Nominalibus Univerſalia ad nomina reducere, ipſam rerum veritatem ait in nominibus conſiſtere, ac, quod majus eſt, pendere ab arbitrio humano. Quæ bella ejus ſententia, quanquam laudat eam Leibnitzius, monſtri aliquid alit, ac planè nequam eſt. Immania enim ex unô ſummô paradoxô fluunt abſurda. Logica certè, quam tractat Hobbeſius, à vocibus & terminis incipit, nec communi illâ methodo procedit.

Hæc de Nominalibus ſufficiant. Quod doctrinam ſcholaſticorum in univerſum attinet, legendus omnino de illis eſt Georg. Calixtus in *Apparatu Theologico, cap. de ſtatu, ſtudiis & Doctoribus Eccleſiæ, pag. 139. & ſeqq.*, ubi ſecundum ſeriem Ordinum ſacrorum, ὡς ἐν ἐπιτομῇ, recenſet Doctores ſcholaſticos, & utiliſſima quædam de eorum ſcriptis & uſu affert, illud inprimis in ipſis laudans, quod, in

Capitalibus iſtis diſſidiis ſuis, & in maximo ſua tuendi ſtudio, non niſi rationibus & argumentis pugnent, omnibus convitiis & maledictis abſtineant, quod non faciant noſtrorum temporum Theologi. Sed reſponderi poterit Calixto, non usque adeò profeciſſe hos homines in caninæ Eloquentiæ apparatu, quo inſtructius eſt noſtrum ſeculum. Quia enim benè dicere non poterant barbari homines, nec malè dicere didicerunt; niſi enim elegantia ingenii & ſtyli ornet cavillos, frigida omnia erunt & inſulſa. Ejus tamen doctrinæ ſtudium magnoperè illic commendat, monſtratque, quid in illa fugere, quid amplecti, debeamus.

CAP. XIV.

DE SCHOLASTICIS REALIBUS.

§. 1. *PRinceps horum eſt Pet. Lombardus, de cujus Vita,* Libris Sententiarum, *& Scriptis aliis, plura afferuntur, Scholaſticosque ſimul Antiquiores & Recentiores Intermediis multo eſſe ſaniores, monetur. Sequuntur Alex. ab Hales, primus in* Sententias *Commentator, Pet. Comeſtor. 2. Albertus Magnus, de cujus Vita, Rerum Naturalium peritia, ob quam Magiæ eſt inſimulatus, inferiori,* πολυγραφίᾳ, *Scriptis genuinis ac ſuppoſititiis, diſcipulisque, pluribus diſſeritur. 3. Thom. Aquinas. 4. Bonaventura. 5. Matth. Aquarius, D. Thomæ Interpres Recentior. 6. Durandus a S. Portiano, a Guilh. Duranto, Speculatore, diſtinguendus. 7. Æg. Romanus. 8. Joh. Duns Scotus, à quo Scotiſtæ orti, quorum lites cum Thomiſtis obiter tanguntur. 9. Hier. de Ferrariis, LL. CC. in Scoti Opera Scriptor. 10. Ant. Sirectus & Franc. Aretinus,* Formalitatum *Scoti Collectores. 11. Joh. Ponzius,* Curriculi Philoſophiæ Scotiſtici *Compilator. 12. Claud. Fraſſen, Philoſophiæ Scotiſticæ Illuſtrator, Paulus Leonhardus, Jeſuitarum Thomam ſectantium Encomiaſtes. 13. Barthol. Maſtrius & Bonav. Bellutus, Doctrinæ Scoti Vindices. Joh. Ponzius plagii à Maſtrio accuſatur. 14. Joh. de Rada, Thomæ ac Scoti Conciliator. 15. Joh. Lalemandet, Controverſiarum inter Thomiſtas & Scotiſtas, Nominales & Reales, Arbiter. Judicium ejus de Doctrinæ Nominalium & Relium Differentia, uti & de Arte Lulliana. 16. Mart. Meuriſſe, Metaphyſicus Scotiſta. 17. Petrus Hiſpanus, ejusque* Summularum Logicarum *Commentatores, Joh. Verſorius & Pet. Tartaretus. 18. Domin. de Flandria, Thomiſta. 19. Joh. à S. Thoma, Thomiſta. 20. Mich. Zanardus, Thomiſta. 21. Domin. Bannez, Thomiſta. 22. Nicol. de Orbellis, Scotiſta. 23. Barthol. à Medina, & quem is valdè extollit, Franc. Victoria, Thomiſta. 24. Joh. Paulus Nazarius, Thomiſta. 25. Did. Nugnocabezudo, Thomiſta. 26. Domin. à Soto, Thomiſta. 27. Jac. Granadus, Thomiſta. 28. Collegium Complutenſe Thomiſticum. 29. Franc. Murcias, hujus Epitomator. 30. Paulus Vallius, Thomiſta. 31. Euſtach.*

à S.

à S. Paulo. 32. Bernh. Moriſanus. 33. Paulinus Soncinas. 34. Rob. de Sorbona, Sorbonæ Pariſienſis Conditor. 35. Sylv. Prierias, Thomiſta. 36. Balth. Tellez, Thomiſta. 37. Franc. Mayro, Scotiſta. 38. Franc. Sylveſter. 39. Matt. Borull. & Paulus Leonhardus, de Scientia Media *commentati. 40. Pet. Hurtadus de Mendoza. 41. Franc. à Victoria. 42. Gabr. Vaſquez, Thomiſta. 43. Franc. Svarez. 44. Ant. Ruvio, Thomiſta, à Cognomine Eraſmi Adverſario diſtinguendus. 45. Greg. de Valentia, Thomiſta. 46. Franc. de Oviedo, Thomiſta. 47. Rodericus de Arriaga. 48. Ant. Polus, Novator in Doctrina de Anima, & Sententiæ Ariſtotelis de Via Lactea Defenſor ineptus. 49. Phil. à Sanctiſſ. Trinitate, Thomiſta. 50. Chriſt. Javellus, Thomiſta. 51. Jac. Fournenc, Novator in Doctrina de Anima, quam materialem eſſe, & ſe ipſam multiplicare, conjicit. Qua occaſione Cl. Salmaſii Digreſſio Hiſtorica de Doctrina Pſychologica commendatur. 52. Pet. à S. Joſeph, Thomiſta. 53. Did. Maſius. 54. Melch. Cornæus. 55. Joh. Schulerus, SemiScholaſticus Carteſianus. 56. Did. Alvarez. 57. Greg. Sayrus, Caſuiſta. 58. 59. 60. Lud. Molina, Joh. de Lugo & Leonh. Leſſius, Jeſuitæ,* de Juſtitia & Jure *commentati. 61. Joh. Azorius, Caſuiſta. 62. Ang. à Clauſio, Caſuiſta Thomiſticus. 63. Jac. Zabarella, à Joach. Jungio impugnatus. 64. Franc. Titelmannus. 65. Ant. Scaynus, qui Alex. Aphrodiſæi* Comm. in Metaph. Ariſtotelis *judicat eſſe ſuppoſititium. 66. Joh. Bapt. Monlorius. 67. Rob. Balfoureus. 68. Joh. Cottunius, non Interpres ſolum Ariſtotelis, ſed Epigrammatographus inſignis. 69. Jul. Pacius. 70. Hub. Giſanius. 71. Ant. Roccus (de cujus* Tr. de Immortalitate Animæ, *materialitatem ejus aſtruente, fertur Judicium,) Interpretibus Ariſtotelis potius, quàm Scholaſticis, una cum VI. præcedentibus, §. 65-70. celebratis, accenſendus. 72. Chriſtoph. Binderus, Doctrinæ Scholaſticorum Cenſor. 73. Plerique Scholaſticorum Angli aut Hiſpani fuere, quod à Guilh. Cambdeno Gallis eſt exprobratum.*

AD REALES SCHOLASTICOS accedimus, quorum Princeps PETRUS LOMBARDUS habetur, peculiari nomine Magiſter ſententiarum dictus: Scripſit enim *Sententias.* Fuit Epiſcopus Pariſienſis, & anno 1140. vixiſſe creditur. Frater Gratiani & Petri Comeſtoris, è cujus ipſo nomine quis crediderit non fuiſſe jejunum Philoſophum. Hos ex adulterio quidam natos volunt, quanquam dubiâ planè fide; planè enim diverſæ nationis fuiſſe quidam opinantur. De Pet. Lombardo dubitatur, an genuinus fuerit *Sententiarum* Autor; putatur enim à Pet. Abelardo confectum fuiſſe hoc Opus, cui ille per plagium ſurripuerit. Refertur quoque ad quendam Bandinum; ſed obſcura illa omnia ſunt. Sunt in iſto Lombardo multa ſana, quibus Pontificiorum doctrina impugnari poteſt. Eraſmus quoque, *l. 28. ep. 8. p. 1634. B.*, opus illud genuinum eſſe Lombardi in dubium vocat. Frid. Spanheimius, *in Epitome Iſagoges ad Hiſtoriam N. T. p. 685.*, Lombardum Damaſcenum 1

L 2 imita-

imitatum fuiſſe exiſtimat. Fuit autem Joh. Damaſcenus Græcus, Græceque ſcripſit, anno C. 730. Ad ejus imitationem Lombardus, pari arte ac methodô, parique inſtituto, in compendium redegit Theologiam ejus temporis, collatis ſententiis Patrum; quem inter Latinos ſecuti poſteà fuerunt Lanfrancus, Anſelmus, & Hugo de Sancto Victore. Prodierunt Petri Lombardi *Sententiæ*, Lovanii, anno 1576. *in 4.*, & Pariſ. *in 8.*, anno 1577. Scripſit itidem *in Pſalmos Commentarium*, qui prodiit Pariſ. *in fol.*, anno 1541., & alium *in Paulum*, qui itidem prodiit *in fol.*, anno 1537. Hæc prima Scholaſticorum ætas multò tamen ſanior fuit mediâ illâ ætate: Prima enim rerum harum tractatio non tantum ſordium admiſtum habuit, utpote quæ fonti erat propior. Ariſtotelis enim vel parca eſt, vel nulla, in Theologicis mentio. Poſtea verò Dogmata Theologica adeò intricata & implexa fuerunt Ariſtotelis ſententiis, ut penè nullus eſſet ſcripturæ locus. Recentior illa Scholaſticorum ætas, cum ſeculo cultiori, cultior quoque ipſa facta eſt, & nunc quidem, in Commentariis ſuper Thomam, Scotum, Pet. Hiſpanum, ſcriptis, plus doctrinæ oſtentat, & plus ſcripturæ, quod olim adeò in votis habebat Eraſmus, ut politior literatura accederet his Ingenii commentis, non omnino vanis & rejiciendis, ſi ſaniore via docerentur. Primus in Lombardum commentatus eſt ALEX. HALENSIS, vel DE HALES, qui vixit ſeculo ſequenti, anno 1245., dictus *Doctor Irrefragabilis* & *Fons vitæ*, qui & præterea librum ſcripſit de autoritate Verbi Dei, editum Pariſ. *in 8.*, anno 1542. PETRUS COMESTOR, ſive *Manducator*, Gallis *Le Mangeur* dictus, Magiſter Philoſophiæ Scholaſticæ, & ideò Comeſtor dictus, quòd omnes Scholaſticos devoraverit, quem elegantius Latinâ linguâ helluonem librorum dicemus. (*uu*) Scripſit verò *Hiſtoriam V. & N. T.*, additis multis traditionibus & fabulis. *Hiſtoria* hæc *Scholaſtica* prodiit in 8vo., Lugd. anno 1543.

2 ALBERTUS MAGNUS. Prodeat nunc Germanicæ gentis decus ALBERTUS meritò *Magnus* dictus, omnium illorum argutiorum Scholaſticorum Princeps & Pater, Thomæ Aquinatis præceptor, è cujus fonte omnes penè rivulos ſuos derivarunt, ut ille ex Alberti M. Oceano. Fuit ille genere illuſtris, ortum trahens è Sveviæ Regulis, docuit Pariſiis & Coloniæ Agrippinæ, ac unus penè Biblothecam ſcripſit, cujus omnes Tomi 200. marcarum pretio conſtant. Fuit ille Vir argutus, nec in nudis ſpecu-

(*uu*) De Petro Comeſtore nonnulla hîc minus accuratè traduntur. Non ſolet is *Philoſophiæ*, ſed *Hiſtoriæ Scholaſticæ*, *Magiſter* ſalutari, nec agnomen obtinuit *Comeſtoris, quod omnes devoraverit Scholaſticos*, ſed potius (quæ verba ſunt Joh. Trithemii, à Georg. Calixto, *in Tr. de Autorit. S. Scripturæ P. II. §. 78. p. 142.* aliisque repetita), *quòd Scriptorum autoritates, in ſuis Sermonibus & Opuſculis, crebrius allegaret, quas in ventrem memoriæ manducando repoſuiſſet.* Aliter ad agnomen hoc alluditur in Epitaphio ejus ſequenti, quod teſte Franc. Svvertio *in Deliciis Orbis Chriſtiani p. 789.* in Æde S. Victoris Pariſienſi legitur:

Petrus eram, quem petra tegit, dictusque Comeſtor,
Nunc comedor. Vivus docui, nec ceſſo docere
Mortuus, ut dicat, qui me videt incineratum:
Quod ſumus, iſte fuit, erimus quandoque, quod hic eſt.

ſpeculationibus ſubſtitiit, ut ceteri faciunt Scholaſtici, ſed multa impendit in res Naturales & Mathematicas, quarum ad miraculum fuit peritus, adeò ut pro Mago ab imperitis haberetur; in quam ſuſpicionem facilè apud ineruditos ingenioſior quis incurrit. Scripſit de Arithmetica, Muſica, Gemeotria, Aſtrologia, de quibus omnibus parum ſolliciti fuerunt ceteri. Formatio illius capitis ænei Mechanica, quod loqui potuit, arguit interiorem Mechanices & Anatomes peritiam, iſto ſeculo planè inuſitatam. A magiæ ſuſpicione ſtrenuè ipſum defendit Naudæus, *in Apologiâ Virorum doctorum, magiæ inſimulatorum.* Ad illum ſolet referri ſecunda Scholaſticorum ætas. Opera ejus, quæ ſcripſit, recenſentur à Joh. Jac. Boiſſardo in *Iconibus Virorum illuſtrium.* Præter Commentarios in libros ſacros, & philoſophica, ſcripſit *Commentarium ſuper ſententias Lombardi* & *Summam Theologiæ. Liber de ſecretis mulierum,* & nonnulla alia, creduntur ipſi affingi. Publicata quoque ſunt Chymica ſcripta ſub ejus nomine, quæ ſuppoſititia putat Naudæus, cui hâc quidem in re fidem non habeo. Nam ille Chymicorum hoſtis eſt: ac fuit tùm temporis apud multos arcanior rerum naturalium ſcientia, quàm nunc in aprico ſepoſitam habere putant Lyncei noſtri. Fuit Epiſcopus Ratisbonenſis. Diſcipulos, ut diximus, habuit Thomam Aquinatem & Bonaventuram, qui ſcholaſticam illam doctrinam ſuo tempore authenticam fecerunt, de cujus uſu in Theologiâ, ut obiter hoc memorem, elegantiſſimam Orationem ſcripſit Franc. Vavaſſor, è S. I., quæ eſt inter reliquas ejus *Orationes decima.*

D. THOMAS AQVINAS. Alpha Scholaſticorum, cui horribilia paſſim elogia ſuſpenduntur à ſuis. Nam ex hominum ordine ſemotum plane Angelum faciunt, & penè Deum. Familiaris enim ejus titulus, ut omnibus quaſi quidam Character tunc temporis imprimebatur, eſt, quòd vocetur *Doctor Angelicus.* In ipſis Pontificum Decretis maxima ejus leguntur Elogia. Vocatur *plus quàm Salomon, Interpres divinæ voluntatis, matutinus Lucifer, quaſi Luna ſapientia & moribus, & veluti Sol oriens mundo.* Solis autem Elogium mirificè placuit cuidam Aettelbergero Rettenbachenſi, qui Panegyricum in ipſum ſcripſit, in quo, ut Solem oſtenderet eſſe Thomam ſuum, per duodecim cœli domos deduxit pro ingenii ſui acumine, quidque, in ſingulis illis ſignis, hoc ſigno dignum præſtiterit Hercules ille, oſtendit, cujus itidem feruntur 12. labores. Panegyricus ille editus eſt Patavii, anno 1642. *in 4.*, typis Pauli Frambotti. Ejus Vita extat à Monacho quôdam deſcripta, in Bibliothecâ noſtrâ Kilonienſi, in quâ mirificæ ſunt fabulæ de miraculis Ejus. Opera, quæ ſcripſit, & magna & multa ſunt, quæ 18. Tomis *in fol.* compinguntur. Librorum illorum titulos recenſet Autor *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Gothan. pag. 648.* Edita autem ſunt Opera illa omnia Romæ *in fol.*, anno 1570. Partes illorum Operum, & libri ſingulares, diverſis locis plurimi editi ſunt, & quidem charactere Gothico. *Summa* ejus *Theologiæ*, Lovanienſium & Duacenſium Theologorum operâ caſtigatior, & à falſis S. Patrum citationibus repurgata, prodiit Lugd., anno 1655. *in fol.*, apud Johann. Baptiſtam Devenet, cum 5. Indicibus, primo locorum ſcripturæ, ſecundo locorum Communium, tertio rerum aliarum, quarto Refutatorio Hæreticorum,

 quin-

quinto Practico ad Evangelia & Epiſtolas. Atque hæc ſunt Theologiæ ſcholaſticæ quaſi altera Biblia.

4 BONAVENTURA. Fuit & ille diſcipulus Alberti M. & tandem Cardinalis, cujus extant *Commentarii in Lombardi libros ſententiarum*, in quos ipſe etiam Thomas, & multi alii, ſequentibus temporibus ſcripſerunt. Scripſit varia Opera Theologica, quæ recenſentur *in Compendio Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Gothano, pag. 648.*, & edita ſunt 4. *in fol.* voluminibus, vel *8. Tomis*, è Typographeo Vaticano, Romæ anno 1588. Prodierunt & Opuſcula quædam ſeorſim per Henricum Sedulium, Antwerpiæ *in 4.*, anno 1660., in quibus & liber ejus *de vita S. Franciſci. Commentarius in libros ſententiarum* Norimbergæ prodiit, apud Anton. Coberger, anno 1500., charactere Gothico.

5 MATTHÆUS AQVARIUS. Longè quidem ab his diſtat ille in Gymnaſio Neapolitano Metaphyſices Profeſſor, ſed tamen nunc nobis recitatur, tanquam Index quidam & Interpres D. Thomæ. Scripſit enim utiliſſimum in hoc genere librum, cui titulus eſt: *Formalitates juxta Doctrinam Doctoris Angelici.* Quo in libro agit de terminis Thomæ uſitatis. Prodiit ille, cura Alphonſi de Marcho, Averſani, Neapoli anno 1605. *in fol.*

6 DURANDUS à SANCTO PORTIANO. Etiam ille inter antiquos Heroas ſcholaſticos eſt, vixitque anno 1320. Scripſit *Commentariorum libros 4. in Petri Lombardi ſententias Theologicas*, primum per Nicolaum à Martumbos, & poſtea per alios quoſdam Doctores, emendatos, qui prodierunt Antwerpiæ, anno 1567. *in fol.* Ejus meminit Trithemius *in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum.* Fuit Ordinis prædicantium, & Anicienſis Eccleſiæ Epiſcopus, quem *magnum Declamatorem ſermonum* ille facit. Solent cum illo quidam confundere Speculatorem, cui Guilhelmi Durantii nomen eſt. *(xx)* Ille Speculum Juridicum ſcripſit, quam ob cauſam *ſpeculator* vocatur, quo continentur, quæ ad proceſſum & fori obſervantiam ſpectant.

7 ÆGIDIUS ROMANUS, Ordinis S. Auguſtini, & illuſtris generis. Vixit anno 1290. Fuit Thomæ Auditor, ejus defenſor accerrimus, multaque in illius dogmata ſcripſit, ſed tamen illa Commentariis ſuis ſuper Ariſtotelis quoſdam libros immiſcuit. Ejus extat *Commentarius in libb. 8. Phyſicorum, de cœlo, de generatione & corruptione, in libros Meteororum, de anima, parva Naturalia*, editus *in 8.*, Urſellis anno 1604. *Quæſtiones* illius *Metaphyſicales* Venet. prodierunt anno 1501., d. 7. Octobris. *Commentarius in Rhetorica verò Ariſtotelis*, unà cùm Alpharabii *Compendioſa Declaratione*; addita quoque Ariſtotelis *Poëtica*, cùm Averrois in eandem *ſumma.* In his tamen ſordibus aliqua invenias ſæpè, quæ non ſpernas, inprimis in argumento illo, ubi de moribus & affectibus agit Ariſtoteles. Editus eſt *Commentarius* ille anno 1515., Venetiis *in fol.*, charactere Gothico. Scripſit & *Quodlibetum variarum quæſtionum*, editum

(xx) De Durandi à S. Portiano confuſione cùm Guilh. Duranto, aliisque Ὁμωνύμοις, plura invenies in *Homonymoſcopia* noſtra, *P. II. c. 6. §. 33. p. 556. 557.*

editum Venetiis anno 1502., *in fol.* Adduntur Operi *Theoremata* ejusdem *de corpore Chriſti*, & Gulhelmi Occami *Tractatus de Sacramento Altaris.* Peculiare illi Elogium tribuitur, quòd appelletur Doctor fundatiſſimus. Habent enim omnes Scholaſtici ſuos titulos. *(yy)* Bonaventura, cujus ſupra mentionem fecimus, vocabatur *Seraphicus*, an fortè in invidiam Thomæ, qui *Angelicus*, & hujus Seraphici præceptor.

JOHANNES DUNS, SCOTUS. Vixit ille eodem tempore, cognomenque 8
habuit *Doctoris & Magiſtri ſubtilis*, à quo orta eſt peculiaris Scotiſtarum Secta, uti à Thomâ Thomiſtarum. Perpetuus fuit Thomæ Impugnator, habuitque ſuos Aſſeclas & cùm Thoma conciliatores. Legi poteſt ejus ſingulare Elogium inter inſcriptiones Petri Labbe, uti & alia aliorum, Alberti ſcilicet, Thomæ & Bonaventuræ, argutiora, quàm merebatur horum hominum barbaries. Ejus ſunt *Commentarii in Lombardi ſententias*, editi charactere Gothico *in 4to.*, quatuor Voluminibus, Venet. anno 1481. De ceteris ejus Operibus vid. Abr. Bzovii *Annales*, *Tomo 15. p. 765.*, ubi habetur Apologia pro Bzovio, contra Editorem Operum Scoti. *Recentior Commentariorum in ſententias*, ceterorumque operum Scoti, Editio procurata eſt ab Hugone Cavello. Atque ille eſt, quem impugnavit Bzovius; pro *Cavello verò & Scoto Apologiam* iis præfixit Hugo Magneſius, ejusdem Ordinis Minor; prodiit hæc noviſſima Editio Coloniæ anno 1635. Cauſæ, ob quas impugnata fuit Doctrina Scoti, multæ ſunt, inprimis Aſſertio illa de immaculatâ Virginis conceptione, impugnatâ præprimis à Janſenio. Hiſtoria illarum litium habetur in *præfatione ad lectorem*, quam præmiſit *Apologiæ* ſuæ Hugo Magneſius, in quâ potiſſima, quæ ad has controverſias ſpectant, recenſentur.

MAGISTER HIERONYMUS de FERRARIIS. Utiliſſimus ejus Viri liber 9
eſt, & Indicem præſtat in Joh. Scoti Opera, cujus titulus: *Loci Communes ex libris ſententiarum, & Quodlibeticis Johann. Duns, Scoti, diligentiſſimè collecti*, in quibus non ſolum omnia, quæ ſunt ſcitu digna, per modum Repertorii indicantur, ſed etiam ſententiæ, ad dogmata, & Caſuum deciſiones, pertinentes, continentur, adjectis propoſitionibus à Scoto contra D. Thomam aſſumtis, quas Johann. Capreolus confutavit, aſteriſco demonſtratis. Opus hoc uſui futurum eſt non ſolùm illis, qui Scoti, ſed & qui Thomæ doctrinam profitentur. Singulis lemmatibus, vel ſententiis adjiciuntur Notæ quædam. Ita SP. ſignificat Scoti propriam opinionem, T. ſignificat Thomæ ſententiam; per P. H. notatur Ariſtotelis opinio; per A. U. Avicennæ ſententia; per C. O. M. Commentator Averrois, per O. P. vel, O. P. I. N. notantur aliorum Opiniones, quæ à Scoto reprobantur. Literæ D. U. B. notant dubitationes, opinionibus inſertas. Denique hoc Opus ita comparatum eſt, ut omnibus Scoti editionibus adaptari poſſit. Autor eſt Mag. Hieron. de Ferrariis Fontanus, Viglevenenſis, Ordinis prædicantium, excuſusque eſt liber Venet. anno 1597., *in 4to.*, apud Joh. Baptiſtam & Joh. Bernhardum Seſſam. Errores typographici multi admiſſi ſunt;

(yy) De Scholaſticorum Titulis, ſive Agnominibus Hyperbolicis, plura congeſſimus in Homonymoſcopia, *P. III. cap. V.* §. 10. 11. 12. *p. 878-884.* Conferatur de iisdem Adr. Bailetus, *T. I. des Jugemens des Sçavans*, *P. I. cap. 5. p. 204-217.* in rationes etiam Agnominum, Scholaſticis potioribus impoſitorum, inquirens.

ſunt, ob Typothetarum incuriam, quos excuſat Typographus. Præmiſſa eſt huic libro præfatio erudita Gaſcalini Regiſelmi, quâ Thologiam ſcholaſticam adverſus hæreticos, ut vocat, defendit. Docta eſt, & multa habentur in illa ad hiſtoriam Philoſophiæ ſcholaſticæ illuſtrandam utilia.

10 FRANCISCUS ARETINUS. Produximus ſupra Autorem, qui *Formalitates D. Thomæ* ſcripſerat, i.e. Expoſitionem de terminis Thomæ uſurpatis. Ad eundem modum *de Formalitatibus* Scoti ſcripſit quidam Mag. Antonius Sirectus, in quem *librum Commentarium* alium edidit Franciſus Aretinus, Ordinis Minorum de Obſervantia Generalis Definitor, ac Hetruriæ Ducis Theologus ac Confeſſionarius, *in quo,* ut tit. habet, *difficultates quamplurimæ & controverſiæ, quæ inter Scotiſtas verſantur, facillimè reſolutiſſimeque explicantur*; prodiit ille liber Venet., ap. Joh. Antonium & Jac. de Franciſcis, anno 1606. *in 4to.*

11 JOHANNES PONZIUS. Ut Thomas habuit Dogmatum ſuorum Epitomatores, de quibus in ſeqq. plura, ita & Scotus. Nam, poſt multorum Commentarios in Scotum, & conciliationes cum Thoma, de quibus in ſeqq. agemus, Joh. Ponzius, Corcagia Hybernus, Ordinis fratrum Minorum, S. Theologiæ Lector jubilatus, & olim in Collegio Romano vel Iſidori primarius Prof., *Curriculum Philoſophicum ex doctrina Scoti* concinnavit, cui tit: *Philoſophiæ ad mentem Scoti Curſus integer, primùm editus in Collegio Rom. fratrum Minorum Hibernorum*, poſteà *ab ipſo Autore, in conventu magno Pariſienſi, recognitus, inſuperque morali Philoſophia, variisque Editionibus, locupletatus*; prodiit Lugd. ap. Joh. Antonium Huguetanum, & Marcum Anton. Ravau, an. 1559. *in fol.* Proponit autem in iſto libro non tantùm doctrinam & theſin Scoti, ſed & adverſus adverſarios defendit.

12 CLAUDIUS FRASSEN. Perſequemur nunc Autores aliquos præcipuos, qui doctrinam Scoti dogmaticè propoſuerunt. Inter eos eſt Cl. Fraſſen, Minorita Peronenſis, & in majori conventu Pariſienſi Philoſophiæ Prof. Is librum edidit, cui tit. *Philoſophia Academica, quam ex ſelectiſſimis Ariſtotelicis & Scotiſtis, rationibus ac ſententiis, brevi ac perſpicua methodo, adornavit.* Liber ille editus eſt Pariſ. ſumtibus Dionyſii Therri, *in 4.*, anno 1657. Laborat in illo Autor iſte, ut ſtrictam brevitatem cum ſolida claritate connectat, omiſſis Autorum prolixis allegationibus, quæ apud Scholaſticos iſtius temporis penè ita in morem abierunt, ut nunc apud JCtos. Breviter quoque defendit Scotum ſuum, vindicatque ab impugnationibus aliorum. Thomiſtæ & Scotiſtæ pertinaces inter ſe habuerunt controverſias, de quibus, earumque hiſtoria, videatur paſſim Antonius Wood *in Hiſtoria Univerſitatis Oxonienſis.* Jeſuitæ tamen præcipuè Thomæ doctrinam ſecuti ſunt, quos ob eam cauſam vehementer commendat Paulus Leonardus, Hibernus, Prof. Theologiæ Menapienſis, *in libro Reſponſionum ad Expoſtolationes recentium quorundam Theologorum, contra ſcientiam mediam* (qui prodiit anno 1644. *in 4.* Lugd.) *Parte 2da, ſect. 12*; ubi omnem Jeſuitarum Thomiſtarum familiam, Svarezium, Molinam, Vasquezium, Gregorium de Valentia, Fonſecam, aliosque Thomæ Commentatores, plenis buccis laudat.

IdemAutor, *part.3. ſect.5. n.23. & part.2. ſect.12. n.29.* plura habet de veteribus Thomæ adverſariis, & *ib. n.54. & 58.* de Thomiſtarum recentiorũ Heterodoxia, & à veteribus diſcrepantia, quæ omnia ad hiſtoriam horum hominum accuratius pernoſcendam pertinent.

BARTHOLOMÆUS MASTRIUS. Barth. Maſtrius de Meldula, & 13
Bonaventura Bellutus de Catana, ille Ordinis Minorum, hic Siciliæ provincialis ejusdem Ordinis, ediderunt junctim *Diſputationes in Organon Ariſtotelis, quibus ab adverſariis veteribus Scoti Logica vindicatur*, quarum altera Editio prodiit Venet., ap. Marcum Ginammum, anno 1646. *in 4.* Præmiſſa eſt huic libro præliminaris quædam Diſſertatiuncula de doctrinâ Scotiſticâ, cœlitus & humanitus approbatâ & commendatâ, in quâ recenſentur omnes miraculoſæ apparitiones & monitiones de doctrinâ illâ, de quibus ipſi Autores viderint. Allegantur multa Virorum doctorum & illuſtrium Elogia, quæ omnia ad hiſtoriam hujus doctrinæ conducere poſſunt. Ejusdem Maſtrii, ſed non cum fratre ſuo juncti, extant *Diſputationes in 12. libb. Ariſtotelis Metaphyſicorum*, in quibus Scoti Metaphyſica doctrina vindicatur, editæ Venetiis anno 1646., *in 4.* In præfatione ad Lectorem de Pontio Scotiſta, de quo ſupra vidimus, queritur, quòd in *curſu* ſuo *Philoſophico*, nomine ſuo ſuppreſſo, ſua quædam deſcripſerit, & in quibusdam ſe nominatim inſectatus fuerit. *Tomus poſterior Metaphyſicorum* anno ſequenti 1647. eſt editus. Ejusdem extant *Diſputationes in libros de cœlo & Meteoris*, quibus itidem Scotum defendit, cujus laboris ille ſocium habet Bonaventuram Bellutum. Editæ ſunt illæ Venet., ap. Marcum Givanium, anno 1640.

JOHANNES de RADA, Arragonius, Epiſcopus Pactenſis, & in Salmanti- 14
cenſi Academiâ Theol. Prof., Conciliatorem agit inter Thomam & Scotum, in controverſiis Theologicis; Tit. eſt: *Controverſiæ Theologicæ inter S. Thomam & Scotum ſuper 4. libb. ſententiarum, in quibus pugnantes ſententiæ referuntur, potiores difficultates elucidantur, & reſponſiones & argumenta Scoti rejiciuntur.* Autoris hujus conſilium expoſitum vide in præfatione hujus libri, cujus partes ſunt 4., prodierunt autem Coloniæ Agripp., anno 1620., *in 4.*, ap. Joh. Crithium. Liber utiliſſimus eſt, & in hoc argumento palmarius.

JOHANNES LALEMANDET. Etiam ille conciliator inter Thomiſtas & 15
Scotiſtas eſt, qui tamen eâ libertate utitur, ut neutri ſe ſectæ interdum applicet, ſuasque ſententias proponat ac ſtabiliat, deſtructis communium opinionum fundamentis. Fuit ille Burgundus Sequanus, & Ordinis Minorum S. Franciſci de Paula per Germaniam, Bohemiam & Moraviam Provincialis. Ejus extant *Deciſiones Philoſophicæ*; ita enim inſcribit. Earum partes ſunt tres, prima *de Logica*, ſecunda *de Phyſica*, tertia *de Metaphyſica. Logica & Phyſica* prodiit Monachii *in fol.*, apud hæredes Cornelii Leyſerii, anno 1644.; *Metaphyſica* ibidem anno 1645. Liber ille utiliſſimus eſt, nam quaſi per compendium proponit omnem doctrinam Thomiſtarum, Scotiſtarum & Nominalium. Quod Nominales attinet, diſtinctiſſimè illorum propoſuit ſententias, earumque differentias à ceteris, ſuo interpoſito ubique judicio, ut equidem non meminerim, ab alio quodam Autore ſimile quid factum. Parti ejus primæ, *Logicæ*,

ſc., adjicitur *Examen Dialecticæ Ariſtotelicæ, Nominalium, Realium, Ramææ, & Lullianæ*, de quibus ſingulis ille utiliſſima attulit. De initio Nominalium, & de ejus doctrinæ differentia à Realibus, agit prolixè. Nominales ſc. ait diſputare de rerum conceptibus, terminis & nominibus; de rebus ipſis Reales, E. g. cùm de homine diſputatur, Nominales intelligunt conceptum naturæ humanæ, vel nomen & terminum *homo*: Reales verò naturam humanam ipſam. Comparat itaque Reales & Nominales illis, qui vel abſolutè ſummam ſupputant, vel calculis utuntur. Nominales, ait, terminis pro rebus ipſis uti, ut ſi Arithmeticus velit uti calculis ad ſummam Aureorum eliciendam: Reales verò ipſos aureos nummos numerare & ſubducere. Mentionem hic facit de Veteribus quibusdam Sectis Scholaſticorum, nunc abolitis, quæ apud ipſum prolixius legantur. Adducit deinde omnia illa capita ſententiarum per partes, in quibus Nominales à Realibus diſcrepant, & in quibus conſentiunt. Hæc ubi recenſuit, ſingulis ſuum judicium ſubnectit. De doctrina Rami & Lullii omnia in utramque partem argumenta adducit, &, quod Lullium attinet, non quidem è diametro Ariſtoteli contrarium, ſed generaliores quosdam terminos commentum, rectè judicat, illam doctrinam potius inſervire extemporali & tumultuario ſermoni, quàm accaratæ & philoſophicæ diſputationi. In Phyſicis & Metaphyſicis ſubjicit ſemper quoque Nominalium doctrinam Thomiſticæ ac Scotiſticæ, ut hic Autor inſtar omnium eſſe poſſit. In Nominalium Sectæ dogmatibus, ut & in ceteris, qui junxerit Sectarum illarum dogmata, nemo hactenus fuit.

16 M. MEURISSE. Frater Martinus Meuriſſe, Royenſis, Ordinis Minorum, Doctor & Prof. Theologus Pariſienſis, *Metaphyſicam* ſcripſit *ad mentem Doctoris ſubtilis*; Tit. libri eſt: *Rerum Metaphyſicarum libri 3.* Prodiit Pariſ. ap. Dion. Moreau *in 4to.*, anno 1623. Cui Operi magnifica Elogia ſuſpenduntur ab Encomiaſtis, Poëtis nonnullis non contemnendis.

17 PETRUS HISPANUS. Inter antiquiores ille eſt, ac neſcio quomodo prætervíſus, tàm Oſiandro, quàm Alſtedio, in Scholaſticorum Chronologiâ. Floruit anno 1272. Epiſcopus Tuſculanus à nonnullis habetur. Helvicus illum poſtea Pontificem factum eſſe ait, de quo tamen, certò quod pronunciem, non habeo; Gaddius certè dignitatis ejus non meminit, qui talia tamen diligenter annotare ſolet. (zz) Celebris eſt *libro ſummularum*, quo nomine innuitur Commpendium aliquod Summæ. Suis enim libris Compendium Dialectices proponit, cùm alii integra opera *ſummas* vocent. Hinc ſolet Summulator dici. In eum extant diverſorum Commentarii, Joh. Verſorii, Prof. Colonienſis, & Petri Tartareti, Pariſienſis. Petri Hiſpani *Summulæ Logicales*, cum Verſorii *Expoſitione*, & *Parva Logicalia*, eidem adſcripta, prodierunt Colon. ap.

(zz) Petrum hunc Hiſpanum, Ulyſſipponenſem, ex Epiſcopo Tuſculano an. 1276. Romanum eſſe factum Pontificem, & Johannis XIX. (XXI. Vel. XXII. juxta alios) nomen aſſumpſiſſe, octimeſtri autem ſpatio ab electione vix elapſo obiiſſe, extra dubitationis aleam eſt poſitum, & Hiſtoriæ Pontificum Scriptores univerſi teſtantur. E quibus ſolum jam allego Lud. Jacobum à S. Carolo *Lib. I. Biblioth. Pontificiæ p. 137.* quod de Scriptis ejus plura, quàm alii, congeſſerit.

ap. Anton. Hieradt, anno 1622. *in 4.* Petrus Tartaretus, qui fuit Scotiſta, *Commentarium* in hujus *Summulas* ſcripſit, qui, uti & reliqua ejusdem Tartareti Opera Philophica, Phyſica, Metaphyſica, ſeu *Commentarius in libb. Ariſtotelis naturales, Metaphyſicos, & morales*, prodierunt Venet. *in 8vo.*, anno 1621. apud Jac. Sanſinam. *Moralia* ejusdem publicavit Jodocus Badius Aſcenſius. De univerſis Petri Hiſpani Operibus vid. Gaddium *p. 265.*

DOMINICUS de FLANDRIA. Inter acerrimos D. Thomæ propugnatores 18
hic fuit, qui, quo tempore vixerit, certò definire non poſſum. Veroſimile eſt, illum Johanni Capreolo fuiſſe æqualem, (*aaa*) oriundo ex inferiore Germania, qui anno 1410. vixit. In Lombardia Ordinis fuit prædicatorum, & ibidem factus eſt Regens Bononienſis. Docuit multis in locis, ac ſcripſit in Ariſtotelis libb. pene omnes, ut & in Thomam, multos Commentarios, qui injuriâ temporum perierunt. Certè non eſt ex minimis in Thomam Commentatoribus, neque adeò ſordidus, ut alii iſtius temporis ſcriptores. Ariſtotelem, Albertum M. & Thomam, unicè ſequitur, quem adverſus Scotum & Scotiſtas acerrimè defendit, & in Pſeudo-Thomiſtas ubique inſurgit. Catalogus omnium eorum, quæ ſcripſit, non exſtat. In illis tamen, quæ ſervata ſunt, deprehenduntur *Tractatus, vel Commentarii in Ariſtotelis libros Logicos omnes, libros Phyſicos, de cœlo, de generatione & animâ, parva naturalia, Ethica & Politica.* Compoſuit quoque *quæſtiones quodlibeticas*, & Commentatores etiam Vett. Ariſtotelis ſedulò volvit, & contulit. In Alberto M. multus eſt, quem diligenter legit, ubique ejus auctoritate fultus. Quæ ſuperſunt ejus Metaphyſica, *Commentarios* ſcil. *in XII. libr. Ariſtotelis Metaphyſicorum*, in lucem edidit F. Coſmos Morelles, Theologus Colonienſis, & per illas terras Generalis Apoſtolicus Inquiſitor, magnâ curâ & diligentiâ, unà cum *quæſtionibus* ejus. Falſas citationes locorum Thomæ, & Ariſtotelis, aliorumque, expungit, genuinas ſubſtituit. In Ariſtotelem & Thomam juravit iſte Autor. Nam Scoto, ac omnibus Anti-Thomiſtis, acerrimè ſe oppoſuit. Editus eſt liber ille Coloniæ Agrippinæ, Typis Arnoldi Kempenſis, & Francof. apud Anton. Hierath, anno 1621. *in fol.* Vel ideo in pretio debet haberi hic Autor, quòd Germanus ſit.

JOHANNES à S. THOMA. Fuit ille Olyſſipponenſis, Ordinis prædicantium, 19
Profeſſor in Complutenſi olim Univerſitate, poſtea in Salmaticenſi, Theologicus. Scripſit *Curſum Philoſophicum Thomiſticum, ad exactam veram, & genuinam Ariſtotelis & Doct. Angelici mentem.* Partes ejus 3. ſunt. Primâ continentur Dialecticæ Diſpp., omiſſis alienis & prolixis citationibus; ſecundâ parte agit de phyſicis; de Metaphyſicis verò & animâ, in 3tiâ parte. Librum illum emendatiorem in lucem edidit Thomas de Sarria, Compellanus, Ordinis prædicantium, Colon. Agripp. apud Mynchium, anno 1638., *in* 4., qui maximis illum elogiis ornat in libri præfatione. Ac ſanè non contemnendam operam poſuiſſe in hoc opere Autor ille videtur.

(*aaa*) Dominicus de Flandria, teſte Simlero *in Biblioth. p. 173.* circa A. C. 1512. floruit, nec proinde Joh. Capreoli, quem A. 1415. vixiſſe ex eodem (*p. 352.*) & Trithemio conſtat, fuit æqualis, ſed integro fermè ſeculo recentior.

Nam ſecundum hujus ſcholæ propria ordinatè procedit, & multa in illâ brevitate complectitur.

20 MICHAEL ZANARDUS Bergomenſis ex Urgnano, SS. Theologiæ Lector, ac Ordinis prædicantium, inter Commentatores Thomæ laudatur, in cujus libros non pauca ſcripſit, teſtibus illis, qui Cenſuram ejus *Phyſicæ* & *Metaphyſicæ* præpoſuerunt. Ad meam notitiam pervenerunt *Commentarius* ejus, *cum quæſtionibus ac dubiis, in 8. libb. Phyſicorum Ariſtot.*, ubi diligens eſt in dubiis movendis, iisque reſolvendis, quibus uti poſſunt, qui in hoc ſcientiæ genere diſputaturi ſunt ex principiis Ariſtotelicis. Eidem methodo inſiſtit in *Metaphyſicis*, in quibus Principia Thomæ, ab antiquis & recentt. Impugnatoribus, defendit. Liber editus eſt Colon. Agripp. apud Woetzerum, anno 1622., *in 4to.*

21 DOMINICUS BANNEZ. Fuit & hic Ordinis Prædicantium, Profeſſor Theologiæ primarius, in Salmaticenſi Academia, patria Mondragonenſis. Scripſit in nonnulla Theologiæ Thomæ, & quidem *in primam partem ſummæ* ejus, *usque ad 64. quæſtionem.* Scripſit item *in ſecundam ſecundæ, de fide, ſpe, & charitate Commentaria*, quæ ad *quæſtionem 46.* pertingunt. Uterque liber prodiit Lugd. apud Stephanum Michaelem, anno 1588., *in fol.* Inter celebres aliàs habetur Commentatores, ac fit magni à ſuis. Ejusdem exſtant *Inſtitutiones minores Dialecticæ*, quas *ſummulas* vocant, quæ editæ ſunt Coloniæ anno 1617., *in 4to.*

22 NICOLAUS DE ORBELLIS, Ordinis Minorum, vixit anno 1455. Fuit Scotiſta. Scoti enim doctrinam defendit, & in meliorem ordinem redegit. Scripſit *Compendium ſuper ſententias*, elegantiora Doct. ſubtilis dicta ſummatim complectens. Edidit *Compendium* illud in lucem Lodoicus Hunnonius, Nerdius, qui non ſine Elogio illius meminit, addito etiam Epigrammate non omninò inepto. Si ipſius judicio accedimus, illa, quæ à Scoto confuſo quodam ordine digeſta ſunt, hic adeò ſuccincte, ordinatè, & lepidè, in ordinem redegit, ut ſingula verba ſingulis ferè quadrare videantur ſententiis. Editum eſt *Compendium* hoc Pariſiis, apud Johann. Petit, anno 1511. *in 8tavo.*

23 BARTHOLOM. à MEDINA, Ord. Prædicantium, in Salmaticenſi Academ. Theologus primarius, *Expoſitiones in Thomam* ſcripſit. Et quidem exſtat ejus *Expoſitio in primam ſecundæ*, quæ edita eſt Venetiis anno 1550., *in fol.* Præfatio ejus præfixa Encomium Thomæ continet, & illorum, qui ex Hiſpanis Thomiſticam doctrinam illuſtrarunt, in quibus ille celebrat Franciſcum Victoriam, in Salmaticenſi Academia Profeſſorem, *qui præclarus eruditione, ingenio, eloquentia, abdita Thomæ arcana diſcipulis patefecerit, ut ſe ipſum ſuperaſſe videatur*, imo qui *Hiſpaniam primus Theologizare docuerit.* Nolo recenſere omnia, quæ ille prolixè in laudem ejus adducit. Quibus etiam hoc accedere poteſt, quòd primus in his libris Grotio viam aperuerit, *de pace & bello* Opus ſuum ſuſcipienti. Laudat præterea Dominicum de Soto, hujus Franciſci Victoriæ diſcipulum primarium, Melch. Canum, Epiſcopum Canarienſem, Soto majorem, Pennam, Mantium, qui multa quidem in Thomam

mam reliquerunt, ſed inedita. *Expoſitio* Ejus *in Tertiam D. Thomæ partem*, usque ad *quæſtionem LX*, complectens *tertium librum ſententiarum*, edita eſt Venet., anno 1582., *in fol.*

JOHANNES PAULUS NAZARIUS, Cremonenſis, Ord. Prædicat., itidem inter Commentatores eſt Thomæ. Ejus exſtant *Commentarii & controverſiæ in partem primam. D. Thomæ.* Fuit Theologiæ D., Bononiæ Collegiatus, & tum, cùm *Commentaria* hæc ſcriberet, in Academia Bononienſi tertiùm Regens. Multa ſuper Thomam ſcripſit, ut teſtatur ejus præfatio. Non enim tantùm Theologica, ſed & Philoſophica, prælegit. Diligens eſt in Autorum ſententiis citandis, pro Thoma facientibus, & in Thomiſticis defendendis. Prodiit Bononiæ, anno 1619., *in fol.* 19

DIDACUS NUGNO-CABEZUDO, Hiſpanus, Ord. Prædicator., SS. Theologiæ Magiſter, & in Collegio D. Gregorii Valliſolitano Regens primarius, *Commentaria ſcholaſtica* ſcripſit *in tertiam S. Thomæ de Sacramentis Eccleſiæ*, duobus Tomis comprehenſa, cum aliis 4. Tractatibus, primò *de auctoritate Pontificis & Conciliorum*, ſecundo *de indulgentiis*, tertio *de auxiliis divinæ gratiæ* (de quo argumento vetitum poſtea fuit aliquid ſcribere ab ipſis Pontificibus) quarto *de bullis Pontificiis, quas vocant Cruciatas.* Adjiciuntur 3. indices; Editus eſt lib. Colon. Agrippinæ, *in fol.*, apud Petrum Cholinum, anno 1630. 20

DOMINICUS à Soto, Segovienſis, prædicat. familiæ Theologus, cujus ſupra §. 23. mentionem fecimus, & quem adeo in præfatione ſua commendabat Barthol. de Medina, vocans ejus commentarios *divinos.* Ejus extant multa, tàm Philoſophica & Moralia quàm Theologica: *Commentarii in Porphorii Iſagogen, Ariſtotelis Categorias, & libb. de demonſtratione, unà cum quæſtionibus* editi ſunt Venet. ex officina Dominici Guerrei, & Joh. Baptiſtæ fratrum, anno 1587., *in 4to.* Scripſit præterea *Commentarium in libb. 4. ſententiarum, cum quæſt.* editum Venetiis, anno 1569., *in 4to.*, & Lovan. anno 1573.; item *quæſtiones in Ariſtotelis libb. phyſicorum*, Venetiis, anno 1582., *in 4to.*; *Commentarium in Epiſtolam Pauli ad Romanos, & libb. 3. de natura & gratia*, editos Venetiis, anno 1547., *in 4to.*, & Lugdini *in fol.*, anno 1581.; nec non *libb. X. commentariorum de juſtitia & jure*, omnibus notiſſimos, quibus acceſſerunt *libri de juratione & adjuratione.* Prodierunt Venet. anno 1600. *in fol.* 21

JACOBUS GRANADUS, Gaditanus, è Societate Jeſu, Theologiæ Prof., ſcripſit *Commentarios in ſummam S. Thomæ*, multum æſtimatos. *In primam* ejus *partem*, exſtant 3. Tomi, editi à Cramoiſio Muſſiponti *in 4to.*, anno 1624., & Hiſpali, apud Franc. à Lyra, anno 1623. *in fol.* (*bbb*) 22

COLLEGIUM COMPLUTENSE. Celeberrima illus *Commentaria in Thomæ* 23

 doctri-

(*bbb*) Jac. Granadi in *Summam* Thomæ *Tomi Quartus & Quintus, Primam Secundæ* abſolventes, & *Sextus ad Secundam Secundæ de Virtutibus Theologicis*, Hiſpali an. 1631. *in fol.* prodierunt. Secuti ſunt hos Septimus & Octavus in *Partem Tertiam.* V. Nathan. Sothvvelli *Biblioth. Jeſuiticam p. 367.368.*

doctrinam Philoſophicam prodierunt ſub Tit: *Diſputationum in Ariſtotelis Dialecticam, Philoſophiam naturalem, 3. libb. de anima & Metaphpyſica. Diſputationes in Dialecticam & Philoſophiam naturalem* prodierunt Lugduni anno 1650., *in fol. Metaphyſica* quaſi in ſupplementum totius Curſus Philoſophici addita videntur. Autor præfigitur Blaſius à S. Conceptione, Carmelita Excalceatus, Lugd., anno 1651., *in fol.*

29 FRANC. MURCIAS DE LA LIANA. Franc. Murcias de Liana ſcripſit *Curſum Philoſophicum, ſive Diſputationes circa curſum Ariſtotelis Philoſophicum, ſelectas ex ſubtiliore doctrinâ Academiæ Complutenſis.* In partes 3. illum diſpeſcuit Curſum, ut plerique, Epitomator majoris iſtius Operis, quanquam ipſe non pauca adjecerit. Prodiit Colon. Agripp., *in 4to.* A. 1641., apud Wilhelmum Frieſen.

30 PAULUS VALLIUS. Romanus ille fuit, & è Soc. Jeſu. Scripſit *Philoſophiam ſecundum Ariſtotelem & Scholaſticos, Thomam præcipue, in X. diſtinctam Tomos.* Logica prodiit duobus Tomis, Lugd. ap. Ludovicum Proſt., A. 1622., *in fol.* Vaſtiſſimum eſt Opus, in quod conjecit omnia pene Scholaſticorum dogmata; diligentiſſime enim conferuntur & congeruntur. Ceteri Tomi in univerſam Philoſophiam, an & quando prodierint, nunc equidem dicere non poſſum. (*ccc*)

31 EUSTACHIUS à S. PAULO, Ex Congregatione Fulienſi Ordinis Ciſtertienſis. Scripſit *Summam Philoſophiæ quadripartitam,* quæ agit de Dialecticis, Phyſicis, Moralibus & Metaphyſicis. Singulis partibus ſingulos Tomos tribuit. Eſt hæc quaſi Breviarium & Epitome Philoſophiæ Scholaſticæ. Editus liber eſt Pariſ. apud Carolum Caſtellanum, anno 1614., *in 8vo.* Joh. Ad. Scherzerus in Compendium redegit, *in Breviario Euſtachiano Philoſophico,* Lipſiæ A. 1663., in 12., excuſo.

32 BERNHARDUS MORISANUS, Derenſis Hybernus, ſcripſit *in Ariſtotelis Phyſicam, Logicam, & Ethicam Apoteleſma;* quo Controverſiæ, tàm veteres, quàm novæ, ex mente Ariſtotelis & Scholaſticorum, deciduntur. Editus liber ille eſt Francofurti, apud Petrum Mareſchallum, A. 1625. *in 4to.*

33 PAULUS SONCINAS, Ordinis Prædicatorum, *Quæſtiones Metaphyſicas* acutiſſimas ſcripſit, quibus Thomæ diluuntur Scotique pleraque dubia. Editæ ſunt Urſellis, in Archi-Epiſcopatu Moguntino, ap. Antonium Hieratum, A. 1622. *in 4to.*

34 ROBERTUS de SORBONA. Ejus mentionem *h. l.* facio, non quòd ipſe quicquam ſcripſerit, (*ddd*) ſed quòd inſtituerit pro Scholaſticis, qui Theologiæ vacarent,

(*ccc*) Pauli Vallii *Tomos VIII.* reliquos in univerſam Philoſophiam, mors illius, Peruſii eodem, quo priores duo prodierunt, an. 1622. defuncti, intervertit. V. Nathan. Sothvvelli *Biblioth. Jeſuit. p. 654. 655.*

(*ddd*) Rob. de Sorbona, Canonicus Sveſſionenſis & Pariſienſis, Ludovicoque IX, R. Gall. à Confeſſionibus, Sorbonæ Pariſienſis medio Sec. XIII. Fundator, ipſe etiam nonnulla (quæ Autorem noſtrum latuiſſe videntur) ſcripſit, *Opuſcula* ſc. duo de *Conſcientia & Confeſſione,* nec non *Iter ad Paradiſum, Bibliothecæ Patrum Pariſienſis,* à Marg. Bignæo an. 1589. denuò publicatæ, *Tom. V.* noviſſimæ autem *Lugdunenſis Tomo XXV.* obvia.

carent, Pariſiis Collegium, quod hodie vocatur Collegium Sorbonæ. Iſta enim ejus liberalitas etiam cauſa fuit, ut Theologia Scholaſtica propagata fuerit præ ceteris. Vide ejus Elogium apud *Gaddium p. 329.*

SYLVESTER PRIERIAS, Pedemontanus fuit, & ibidem docuit, ſcripſitque 35
multa, tàm Theologica, quàm Philoſophica, nonnulla quoque Juridica. Scoto inprimis infenſus, *Malleum Scotiſtarum* ſcripſit, & *Defenſionem doctrinæ* D. Thomæ. Fuit Antagoniſta Lutheri, unà cum Cajetano. Idem Profeſſor Patavinus, & poſteà Romanus eſt factus.

BALTHASAR TELLEZ, Luſitanus Ulyſſipponenſis, è Soc. Jeſu, primarius 36
Ulyſſippone Theologiæ Profeſſor. Ejus exſtat *ſumma Philoſophiæ univerſæ*, Cancellario Franciæ, Petro Seguierio, inſcripta ab Antonio Bertierio, qui librum illum in lucem edidit. Docuerat olim in Conimbricenſi Academia. Commendari is liber debet, quod præcipuè ſpectat ad uſum Philoſophiæ in Theologia. Immiſcet enim quæſtiones Theologicas, quæ & illo tempore inter Philoſophos agitabantur. In omnibus Thomam ſequens, ſed ita tamen, ut Scholaſticorum quoque jungat ſententias, & aliquid ex elegantiore etiam literaturâ. In doctrinâ enim Phyſicâ, quicquid è veteribus Poëtis, Virgilio & Lucretio, ad ſuum pertrahere argumentum potuit, non omiſit. Partes ejus *Summæ* 4. ſunt, editaque eſt Pariſiis anno 1644., *in 8vo.*

FRANCISCUS MAYRO, Natione Gallus, Scoti diſcipulus, è Franciſcano- 37
rum familia ſuo tempore celebris. Joh. Picus enim in Apologia ſua, judicat illum *Magiſtri ſui, Scoti, famam & ingenium æmulari.* Trithemius quoque appellat *doctiſſimum*, & majori ornat elogio, quàm ipſum Occamum. Peculiare cognomen *Doctoris illuminati* accepit. Vixit Anno 1320. *De primo principio* ſcripſit, & *de Univocatione, formalitate ac Quodlibeta.* Vide de eo Gadd. *p. 38. de Scriptoribus.*

FRANCISCUS SYLVESTER, Ferrarienſis, Ord. Prædicat. Generalis, Theo- 38
logus, ac Philoſophus, inter alia *quæſtiones* ſcripſit *in 3. libb. Ariſtotelis de anima*, quas *additionibus* ſuis, aliisque *quæſtionibus philoſophicis*, illuſtravit Matthæus Aquarius, in Neapolitano Gymnaſio Prof., cujus ſupra §. 5. mentionem fecimus. Editus eſt liber Venet. A. 1629. ap. Scotum.

MATTHIAS BORRUL, Valentinus, è Societate Jeſu, *de divina ſcientia fu-* 39
turorum contingentium, præcipuè media, ſcripſit, quod opus prodiit Lugd., A. 1656., *in 4to.* Reſpondet hic aliorum dubitationibus & controverſiis; eſt enim hoc argumentum præcipuè difficultatibus plurimis implexum. De conſilio hujus Operis vid. præfatio ejus ad lectorem. Jungi illi poteſt Pauli Leonhardi ſcriptum *de Scientia Media*, qui Hybernus fuit, in quo reſpondet explicationibus recentt. Theologorum, contra ſcientiam mediam. Qui liber prodiit Lugduni, Anno 1644., *in 4to.* Sententiam ejus litis dabit præfatio ad Lectorem, & pars prima ipſius Operis.

PETRUS HURTADUS DE MENDOZA, E Societate Jeſu, magni nomi- 40
nis Scholaſticus è Recentt., ſcripſit *Curſum Philoſophicum*, qui rarior eſt, de quo

nunc

nunc dicere non poſſum, quando editus ſit, (*eee*) Ejus ſententiæ & opiniones citantur paſſim ab aliis. In Theologicis exſtant ejus *Diſputationes de Deo-Homine, ſive de Incarnatione Filii Dei*, magnâ diligentiâ conſcriptæ, in quibus omnes illæ controverſiæ, à Scholaſticis agitatæ, vel ab Hæreticis motæ, operosè excutiuntur. Opus illud eſt excuſum Antvverpiæ, apud Martinum Nuthium, *in fol.* A. 1634. Fuit ille Salmanticenſis Academiæ Profeſſor Theologus primarius.

41 FRANCISCUS à VICTORIA. Ejus ſupra §. 23. mentionem fecimus. Fuit Hiſpanus, Ordinis S. Dominici, cujus exſtant multa, tàm Theologica, quàm Philoſophica ſcripta. In Theologicis ſcripſit *Summam Sacrorum Eccleſiæ*, quæ edita eſt Antvverpiæ, anno 1562. *in 12mo*, nec non Venetiis, additis multis quæſtionibus & Conciliorum Decretis, præſertim Tridentini, ſtudio Thomæ Choves, & Antvverpiæ, apud Petrum Bellutum, anno 1558. *in 12.* Scripſit & *Prælectionum Tomos duos*, qui prodierunt Antvverpiæ *in 8vo*, Ingolſtadiæ A. 1580. *in 8vo.*, & Lugdini A. 1557., & 1586. *in 8vo.* Illi rariſſimi ſunt, & magno, quod ſcio, pretio venditi. Magna illi Elogia tribuuntur à Medina. Sunt, qui eô uſum fuiſſe Grotium in multis autumant, quanquam raro ille allegetur. Niſi me fallit memoria, ejus mentio eſt facta *in prolegomenis librorum de Jure Belli ac Pacis*, Editionis noviſſimæ, quæ cum Gronovii notis nuperrimè in lucem prodiit.

42 GABRIEL VASQUEZ, Bellomontanus, præcipui inter Theologos Scholaſticos nominis, ſcripſit *in Summam Thomæ*, & quidem, ſi rectè memini, in pleraſque ejus partes. Niſi me fallit memoria, deficit *ſecunda ſecundæ.* (*fff*) Quatuor vaſta ſunt hæc Volumina, in fol. compacta, plures autem Tomi. Edita ſunt Antvverp. anno 1621., ſed priores Editiones imperfectæ prodierunt Colon., *in fol.*, ap. Anton. Hieratum, anno 1599., & 1600. Scripſit item *de cultu adorationis libb. 3.*, qui editi ſunt Moguntiæ, apud Anton. Albinum, Anno 1660. *in 8vo.* Exſtant quoque Ejusdem *Diſputat. Metaphyſicæ, deſumptæ ex variis locis Operum ejus*, quæ prodierunt Antvverpiæ, A. 1618. *in 8vo.* Continentur illo libro pleræque Diſpp. Metaphyſicæ, quæ uſum ſuum habent in Theologia, ſed quæ tamen argumenta ex Philoſophicis ducunt, quales ſunt Controverſiæ de Communicatione Idiomatum, de unione naturarum humanæ & divinæ, de Perſonarum diſtinctione, de Dei exiſtentia adverſus Atheos, & demonſtratione exiſtentiæ ejus adverſus ipſos nonnullos Scholaſticos, ſimiliaque alia, cujus Operis nullam facit mentionem Valerius Andreæ Taxander *in Catalogo Clarorum Hiſp. Scriptorum*, uti nec ceterorum ejus Operum. Collegit enim tantùm ex *Catalogis nundinarum Francof.* Scriptores ſuos, quorum illic parca ſeges

(*eee*) Pet. Hurtadi de Mendoza *Commentarios in univerſam Philoſophiam*, ſexto minimum recuſos, poſterioribus Editionibus, ab an. 1624. auctiores & correctiores prodiiſſe, tradit Sothvvellus *in Biblioth. Jeſuit. p. 677.*

(*fff*) Inter *Opera* Gabr. Vasquezii, *Tomis X.* Lugduni an. 1620. *in fol.* alibique junctim edita, VII. etiam occurrunt *Opuſcula Moralia, ad Secundam Secundæ D. Thomæ ſpectantia.* V. Sothvvelli *Biblioth. Jeſuit. p. 272.*

ſeges eſt. Accuratior de Hiſpanicis illis Scholaſticis notitia habetur in accuratiſſimo Opere *Hiſpanicæ Bibliothecæ*, quam Romæ publicavit Nicolaus Antonius.

FRANCISCUS SVARETZ, Magnus Doctor, & Sacra anchora Pontificio- 43
rum, qui & noſtræ religionis hominibus magno uſui eſſe poteſt in omni Theologiâ controversâ, cujus ille quaſi quidam Oceanus eſt. Vaſta ab illo ſcripta ſunt Opera, quæ Tomis XVI. conſtant. De quibus hoc notandum, poſteriores Tomos anticipare annos Editionis priorum, quod hanc ob cauſam factum eſt. Cum Cenſuræ rigidæ tales libri apud Pontificios committuntur, incidunt nonnunquam dubia, de quibus ipſis inter ſe diutius aliquandò eſt diſputandum. Hinc factum eſt, ut poſteriores libri interdum citiùs ex ipſorum cenſurâ lucem aſpexerint. Scripſit autem in omnes penè libros Thomæ Theologicos, certè in Summæ partes omnes. Prodierunt Mogunt. *in fol.*, ab anno 1619. usque ad 1629. Ordo autem Tomorum, ut dixi, plane interverſus eſt. Tertius anno 1619., primus anno 1622. prodiit. *Metaphyſicæ* ejus *Diſputationes* editæ ſunt Tomis duobus, Mogunt. A. 1614., *in fol.* Fuit Granatenſis, & Theologiæ Profeſſor in Academia Conimbric. Magna illi Elogia ſuſpendunt ejus Ordinis homines. Jam enim vocant *Oculum populi Catholici*, jam *univerſi orbis Magiſtrum.* Præter hæc *in Thomam Commentaria*, ſcripſit & alios libros egregios, inter quos eſt *liber de legibus, & legis-latione*, JCtis utilis, *in fol.*, ſcripſit & *de auxiliis divinæ gratiæ*, & *Defenſionem fidei Catholicæ adverſus Jacobum*, *Angliæ Regem*, *& adverſus Anglicanæ Sectæ errores, cum Reſponſione ad Apologiam pro juramento fidelitatis*; quod Opus prodiit *in fol.*, Col. A. 1614. Plura de ejus libris videantur apud Alegambium *in Bibliotheca Patrum Soc. Jeſu*, ubi Scholaſticorum Jeſuitarum familia Opera ſatis accuratè recenſentur.

ANTONIUS RUBIUS, vel RUBIO, Rhodenſis, Theologiæ D., è Soc. Jeſ., 44
docuit in Mexicanâ Indiæ Occidentalis Academia, tàm Philoſophiam, quàm Theologiam, Annos amplius XX., unde novus Orbis Veterem beavit aliqua *Logica* quæ *Mexicana* dicitur. Complutique eſt ędita, & dehinc Colon. Agripp. recuſa, apud Arnoldum Mylium, anno 1605. *in 4to.* Satis ille prolixus Commentarius in Logicam eſt, ubi coacervat penè omnium Doctorum ſententias, tum quæ pro ſua faciunt, tum quas prolixis Diſpp. refutat. Editi ſunt poſteà alii ab illo libri, in omnes Philoſophiæ partes, ſed modo quodam compendiario. Nam Dialectica in quæſtiones breves contracta, ad quas breviter reſpondetur, omiſſis prolixis illis Diſpp., quæ in *Logica* illa *Mexicana* apparent, *ſive Commentarii in Univerſam Ariſtotelis Dialecticam* (ita enim titulus habet), editi ſunt Colon. Agripp., anno 1624., apud Johannis Critii hæredes, *in 4to. Commentarii in 8. libb. Ariſtotelis de Phyſico auditu una cum dubiis, & quæſtionibus*, Col. Agripp. apud eosd., anno 1624., *in 4. Commentarii in libb. Ariſtotelis de cœlo & mundo*, itidem *cum quæſtionibus, & dubiis*, Coloniæ anno 1626., *in 4to. Commentarii in lib. Ariſtotelis de ortu & interitu*, ead. methodo ſcripti, ibidem anno 1634., *in 4to. Commentarii in lib. Ariſtotelis de anima,* Colon. 1644., *in 4to.*, apud Johannem Critium. Sequitur autem in omni-

bus ſententiam Thomæ. Alius eſt ab hoc Antonius Rubio, ſeu Antonius Ruvius, Legionenſis, Ordinis S. Franciſci, qui ſcripſit *Aſſertiones Catholicas, adverſus Eraſmi in operibus paſſim occurrentes errores, libris IX.*, editas Salmanticæ, apud Canovam. anno 1568. *in fol.*

45 GREGORIUS DE VALENTIA. Etiam ille inter Heroes Scholaſticos eſt, cujus celebratiſſimum Nomen tùm apud Pontificios, tum apud noſtros, eſt. Fuit Jeſuita Hiſpanus, ſcripſitque vaſtos *Commentarios in Thomæ ſummam*, qui Tomis conſtant 4., & primò quidem Ingolſtadii prodierunt, ſed poſtea Lugduni, anno 1619. Scripſit & *controverſiarum Libb. adverſus Lutheranos & Calvinianos*, magno junctim Volumine editos, & alia minuta quædam Opera, quæ Lugduni junctim ſunt excuſa; ſcripſit *Analyſin fidei Catholicæ* (ubi agit de Eccleſiâ Pontificiâ, traditionibus &c.) *de verâ Majeſtate Chriſti, de S. Trinitate, & aliquos libros de Idololatria*, optimum ſanè ſcriptum. De illo ampliùs videri poteſt Alegambius, *in Scriptoribus Societat. Jeſu.*

46 FRANCISCUS DE OVIEDO, Madritanus, è Societate Jeſu, *Curſum Philoſophicum* conſcripſit, qui aliquoties editus eſt. Prima Editio prodiit Lugduni anno 1651., *in fol.*, altera ibidem, anno 1663., quæ & melior eſt, & auctior. Nam reſpondet in illâ ad nonnullas Roderici Arriagæ vellicationes, inter quem & ipſum perpetua videtur eſſe æmulatio. Sed ſunt tamen illi Scholaſticorum optimi habendi, quippe qui non auctoritatibus veterum unicè nituntur, ſed Recentt. quoque Auctorum doctrinam, & experientiam, ſuis principiis accommodant. Scripſit Oviedus tamen *in ſummam D. Thomæ, in primam* ſc. ejus *partem, primam ſecundæ, & ſecundam ſecundæ*, quæ Tomis tribuis prodierunt. *Commentarius in primam ſecundæ* editus eſt Lugduni anno 1646., *in fol.*, *Comment. in ſecundam ſecundæ* Lugd. 1651., *in fol.* Fuit Theologiæ Prof. in Collegio Complutenſi, vir certè laude ſuâ digniſſimus, & qui Compendium penè eſſe poſſit omnium ante ſe Scholaſticorum.

47 RODERICUS DE ARRIAGA, Hiſpanus Lucronienſis, è Soc. Jeſu, Prof. in Pragenſi Univerſitate, cujus Viri Laudes à multis & meritò quidem, celebrantur, arguitque eas ipſa Operum Philoſophicorum editio, quæ quater prodierunt, ſcripſit *Curſum Philoſophicum*, cujus 5ta Editio prodiit Lugd., anno 1653., apud Claudium Proſt, *in folio.* Hoc ejus Opus curioſius elegantiusque videtur ſcriptum eſſe, quàm ceterorum in hoc genere, præſertim, cum ad obſervata Recentt. ſæpe reſpiciat, quod & ipſe ſe facturum *in præfat* pollicetur, exemplo Franc. Svarezii, quem *hujus ſeculi Gigantem inter Scholaſticos* appellat. Sequitur & ſuas quaſdam ſententias, à reliquis ſcholaſticis diſcrepantes, ſed magis in Compendium ſua trahit, quam Oviedus, qui prolixior eſt. Ejus exſtant *Diſputationes Theologicæ in ſummam Thomæ*, 8. Tomis, qui prodierunt Antverpiæ, ab anno 1643. ad annum 1655, quo ultimus *in folio* eſt editus.

48 ANTONIUS POLUS, Venetus, ſcripſit, ut tit. habet, *Novum veritatis lumen in libb. Ariſtotelis de anima, à nullo unquam Peripatetico ita perfectè cognitum*, quod prodiit Venet., apud Sim. Galignanum de Carera, anno 1588., *in 4to*, &

toti

toti Cardinalium Collegio inſcriptum eſt. Videtur hic eſſe Novator, & quidem ſatis argutus, qui ubique Ariſtotelem, ejusque Interpretes, cum Scholaſticis confert, & ſingulis penè paginis, jam in Thomâ, jam in Interpretationibus, aliisque Scholaſticis, aliquid reprehendit, ac quaſi interdum eos contemptui habet. Scripſit item *Abbreviationem veritatis animæ rationalis*, *7. libris explicatam*, quæ prodiit apud eundem, Venet. anno 1588., inſcriptaque eſt Gregorio XIII, Pontifici, ubi multæ ventilantur controverſiæ de origine animæ, ejusque immortalitate, & ſimiles, in quibus profunda opus eſt ſpeculatione. Scripſit *Dilucidationem veritatis, in Proœmium Phyſicorum Ariſtotelis, à nullo unquam peripatetico* (ut titulus habet) *explicatum*, in qua habentur nonnulla de methodo & cognoſcendi principiis. Scripſit etiam *Digreſſionem de Circulo lacteo, in defenſionem Ariſtotelis, adverſus omnes Peripateticos.* Quo certè, neſcio, quid ſibi velit ille, qui Ariſtotelem hac quidem in parte defendit, qua maximè falſus eſt. Quis enim unquam Mathematicorum concedet, illi in meteoris locum eſſe? Qui ab Ariſtotele hic diſſentiunt, vel Scholaſtici, vel Interpretes, vera dicunt, quique adverſus illos pro Ariſtotele pugnant, hac quidem in parte delirant. Fruſtrà itaque ab illo reſpondetur Scholaſticorum opinionibus, cum omnes cœci ſint, qui Ariſtotelis ſententiæ ſuppetias ferre argutiunculis ſuis volunt.

PHILIPPUS à Sanctiſſima Trinitate, Carmelitarum Diſcalceatorum Provinciæ 49
ſanctæ Thereſiæ in Gallia Provincialis, ſcripſit *Summam Philoſophicam ex mera Ariſtotelis & Thomæ doctrina, juxta legitimam Scholæ Thomiſticæ intelligentiam*, quæ edita eſt Colon. Agripp., apud Wilhelmum Frieſen, anno 1665. *in 8.* Et ille quidem ita ſequitur Thomæ veſtigia, ut & *Philoſophicam* ſuam *ſummam*, ad methodum & rationem *ſummæ Theologicæ* Thomiſticæ dividere voluerit. Uti enim ille *ſummam Theologicam* in 3. partes, ita hic Philoſophicam in totidem diviſit. Quomodo etiam Thomas ſecundam partem, ob prolixitatem, diviſit in *primam*, & *ſecundam ſecundæ*, ita hic quoque ſecutus eſt ordinem Thomæ in proponendis quæſtionibus & Articulis, à quo ſe ne latum quidem unguem diſceſſurum pollicetur.

CHRYSOSTOMUS JAVELLUS Canapitius, Ordinis Prædicatorum, varios 50
libb. ſcripſit in Philoſophiam Ariſtotelis, quàm penè totam ſuis illuſtravit commentariis. Frequens ejus apud Scholaſticos nomen eſt. Scripſit *Commentarios in Logicam Ariſtotelis*, qui prodierunt Venet., anno 1650., *in fol.* Comm. *in libb. Ariſtotelis Phyſicos ac Metaphyſicos*, Venet., anno 1555., *in 8tavo*; *in libros Ariſtotelis de anima quæſtiones*, ibidem *in 8vo*; nec non *in Ariſtotelis libros phyſicos quæſtiones*, in quibus reſolvuntur Dubia Ariſtotelis, & Commentatoris ejus Averrois, ac deciduntur juxta Thomiſticum dogma, Venet. anno 1555., *in 8tavo.* Scripſit & *Inſtitutiones divinas & Chriſtianas moralis Philoſophiæ*, in partes 8. diviſas, Venet. 1566., *in 8vo.* Omnium illorum librorum, ſi rectè memini, Collectio inſtituta eſt, ac uno Volumine edita, *in folio.* Sed non ſuccurrit jam, ubi prodierit. Vidi in Bibliothecâ Academiæ Roſtochienſis.

JACOBUS FOURNENC, Presbyter congregationis Oratoriæ Dni Jeſu, Doct. 51
Theo-

Theologus, ſcripſit *Univerſæ Philoſophiæ Synopſin accuratiſſimam*, ut titulus habet, *in quâ ſinceriorem Ariſtotelis doctrinam, cum mente Platonis, paſſim explicat & illuſtrat, & cum Orthodoxis Doctorum ſententiis concinnat.* Edita eſt Pariſiis, Anno 1655., *in 4*, continetque *Logicam, Phyſicam* & *libb. de anima.* Jungit ille Veteribus Scholaſticis recentt., atque ex horum doctrina non pauca aſſumit ad Operis ſui complementum. In doctrina de animæ origine diligenter recenſet, atque examinat, omnium ſententias, ac ſuam quoque timidè ſubindicat, quæ nova eſt, vel ſaltem innovata. Nam *cap. §. 3.* ubi refutat doctrinam illorum, qui animas propagari ſtatuunt, aliquam ſententiam proponit, quæ in eo conſiſtit, quod putet eſſe etiam quandam materialitatem Spirituum, ſecundum quam dici poſſint principium aliquod ſeminale habere, propter quod in illis requiri poſſit multiplicatio individuorum ſub eadem ſpecie. Terminis rem involvit, ſed illud vult dicere, Spiritus ſuâ quadam ratione ex ſe producere poſſe Spiritus, atque ita Animam humanam producere poſſe aliam. Quare addit; *qui ſic ſentiunt, haud ſcio, an efficaciter à quoquam refelli poſſint; quia tamen ſingularis ſententia eſt, paucosque patronos habet, nolo illam, tanquam certam, aſſerere; ſua cuique ſententia ſedeat.* Hæc ille, qui plures ibi coacervat profundæ ſpeculationis quæſtiones de anima, in quibus, præ ceteris, audiri Scholaſtici debent. Cum enim res illa conſiſtat in meris ſpeculationibus, in quo regno illi triumphant, illorum judiciis aliquid eſt tribuendum. Non eſt ulla homine dignior meditatio, cujus quantum ſciri poteſt, perquirendum nobis merito eſt, tum quoad dogmaticam partem, tum quoad Hiſtoricam. Hanc omnium optimè tradidit Cl. Salmaſius *in Commentario in Epictetum, & Simplicium*, ubi magnâ cum induſtriâ Veterum Philoſophorum, Ariſtotelis, Pythagoræ, Platonis, Epicuri, ſententias de anima, ejus partibus, potentiis, origine, μετεμψυχώσει, immortalitate, congeſſit, prætereaque, ut hoc obiter moneam, de differentia Exotericorum & Acroamatericorum Ariſtotelis librorum diſſeruit, *à pag. 226. usque ad p. 244.* multa monens de libris & Interpret. præcipuis Ariſtotelis, aliis non animadverſa.

52 PETRUS à SANCTO JOSEPHO, Fulienſis, Compendiator eſt Philoſophiæ, & Theologiæ Scholaſticæ, non contemnendus. Quantum in ſe fuit, in ſuccinctam & perſpicuam brevitatem conferre laboravit omnem illam doctrinam, cui tamen ex ingenio ſuo nova quædam ſubtilia cogitata addidit. Ejus libelli Pariſiis primùm prodierunt, poſtea recuſi ſunt in Germania aliquot Tomis, *in 12mo.* Scripſit *Ideam Logicæ & Metaphyſicæ,* quæ prodiit Colon. Agripp., anno 1655., *in 12.*; *Ideam Philoſophiæ naturalis, ſive Phyſicam,* Coloniæ itidem editam, anno eodem. *Idea Philoſophiæ Moralis* prodiit ibidem eodem anno. De anima ſeparata, ejus cognitione, modo exiſtendi, communicatione cum Angelis, aliisque animabus, quæ ſcripſit, arguta ſanè ſunt, & lectu digna. In Ethicis, ad propria actionum, quæ pertinent, ad bonitatem vel malitiam actionum humanarum, & ſuccinctè & eleganter, è Scholaſticis ſunt diſputata, Thoma præprimis, quem ſequi præ ceteris videtur. Nam & exſtat

ab

ab illo ſcripta *Defenſio S. Thomæ, adverſus recentiores quosd. Scholaſticos, qui prædeterminationem phyſicam ad actus liberos illi falſo affingunt*, edita Lugduni, anno 1633., *in 8vo.*

DIDACUS MASIUS, Ordinis Prædicatorum, Philoſophiæ & Theologiæ D. 53
ejusdemque Profeſſor, ac D. Thomæ Interpres (his enim titulis ſe ipſum inſignit,) edidit *Commentarios in univerſam Ariſtotelis Philoſophiam, unà cum quæſtionibus, quæ à Philoſophis agitantur.* Sed in illo libro, cui generalem iſtum fecerat titulum, nihil aliud præter Phyſicam, duobus Tomis, tractat. Ariſtotelem, ejusque Interpretes, Græcos & Latinos, diligenter ſe legiſſe oſtendit, illorum diſſidia accuratè recenſens, quibus addidit Thomam, & recentt. Ariſtotelis Commentatores, ac Paraphraſtos. Methodi ſuæ rationes uberiùs in præfatione ad Lectorem exponit. Editus ille liber eſt Col. Agripp., A. 1628., *in 4to.*

MELCHIOR CORNÆUS, Theologiæ Prof. in Univerſitate Herbipolenſi, è 54
Societate Jeſu, ſcripſit *Curriculum Philoſophiæ Peripateticæ, uti hoc tempore in Scholis decurri ſolet, multis figuris & curioſitatibus, è Matheſi petitis, & ad Phyſicam reductis, illuſtratum*; Sic enim titulus libri habet. Eſt verò illud quaſi aliquid miſtum è Philoſophia Scholaſtica & Matheſi, non corpus, ſed σκέλετον; verè enim etiam in iſto ſuo *Curriculo* omnia percurrit. Quæ enim ſpectant ad Logicam & Metaphyſicam, in brevia quædam Axiomata ac quæſtiones redegit. Non multum ſcilicet ipſis rebus, quas tractat, ſe immergens, ſed velut littus tantùm legens, novitatem operi conciliare voluit, additis quibusdam è Matheſi demonſtrationibus, ſed levibus illis, & vulgò obviis. Nam penè omnes Matheſeos partes percurrit, & ad Phyſicam trahit, quantum ex illis, vel applicare, vel capere, poteſt. Cum enim ad Planetas pervenit in Curriculo illo ſuo Phyſico, ubicunque poteſt, excurrit, & ferè extra oleas vagatur, in ipſo ſuo curriculo in viam & ordinem redigendus. Quam enim inconcinnè tota Horologiorum Sciatericorum doctrina ad materiam de elementis, & de aſtris, refertur? Cetera, ex Matheſeos fundo in Phyſices agrum translata, non aptam illic coloniam inveniunt. Quicquid tamen ſit, ſi non alia re, certè nova quidem Operis forma ſe commendare voluit, ut ſolent nova veſte induti, qui aliorum oculos in ſe convertere volunt. Prodiit Herbipoli, A. 1657., *in 4to.*

JHANNES SCHÜLLERUS. An hunc Scholaſticis accenſeam, ignoro. 55
Seipſum inter Scholaſticos reponit, ac fuit Anti-Peripateticus, & quidem Carteſianus: Quoniam verò more tractandi ſingulari uſus eſt, & ubique Scholaſticos, in quibus illi à Carteſio non diſſentiunt, ſequitur, quaſi Semi-Scholaſticus nobis ſit Carteſianus. Fuit ille Philoſophiæ Prof. in Gymnaſio Bredano, ibidemque Paſtor Eccleſiæ. Scripſit *Philoſophiam novâ Methodo explicatam*, cujus pars prior continet libris ſex Metaphyſicam, Theologiam naturalem, Angelographiam, Pſychologiam, Logicam, Ethicam; Pars poſterior continet Phyſicam. Uti in parte prima Scholaſticos quosdam Autores in medium adducit, ſuæ ſententiæ ſuffragantes, ita in Phyſicis quoque omni ſæpè conatu hoc agit, ut inveniat in illis ſententias ſibi adſtipulantes. Utilis

iſte liber erit illis, qui utramque, tàm Ariſtotelicam, quàm Carteſianam Philoſophiam, jungere volunt, & cognoſcere. Ubique etiam uſum in Theologia oſtendere laborat. Editus eſt liber Hagæ Com., apud Adrianum Vlacquium, anno 1663.

56 DIDACUS ALVAREZ, Medinenſis, Archiepiſcopus Tranenſis & Salpenſis, ex Ordine Prædicatorum. Scripſit *de Auxiliis divinæ gratiæ, & humani arbitrii viribus & libertate, ac legitima ejus cum efficacia eorundem auxiliorum concordia.* Editus eſt liber Lugduni, ap. Horatium Cardonum, anno 1611., *in 4to.* Argumentum hujus libri eſt difficile & intricatiſſimum, dubiisque plenum. Ex D. Auguſtino, & Thoma, præcipua ſolent afferri ad has Controverſias, in quibus timidè tamen, & magna cum cautione, procedendum. Inhibita eſt illa diſputandi libertas ab ipſo Pontifice, nec ſcil. illæ Diſpp. in hæreſin aliquam erumperent. Paulus Leonhardus, quem ſuprà §. 39. citavimus, in ejusd. argumenti ſcripto, doctrinam controverſiarum illarum recenſuit diligenter.

57 GREGORIUS SAYRUS, Anglus, Ordinis D. Benedicti Congregationis Caſſinenſis, Cœnobiique S. Juſtinæ de Padua Monachus, ſcripſit librum, cui titulus: *Clavis Regia Sacerdotum, Caſuum Conſcientiæ, S. Theologiæ Moralis Theſauri, locos omnes aperiens, in quibus præcipuè Canoniſtarum & Summiſtarum difficultates, ad communem praxin pertinentes, deciduntur & explicantur.* Operoſus ille eſt in præceptis ac regulis ponendis, ſecundum quas conſcientiæ Caſus examinari debeant, quo in argumento diligenter ſatis verſatur. Prima ejus libri pars illa potiſſimum tractat, quæ ad Theologicam disquiſitionem pertinent, quanquam & de homicidio, & Autocheiria, quædam ventilentur, quæ ad forum pertinent, & in illo uſum habent. Altera ejus Pars potiſſimum ad Jurisprudentiæ uſum facit. Agit enim ibi de Dominio, poſſeſſione, furto, rapinâ, reſtitutione in genere & in particulari, de Judicibus, Advocatis & Notariis. Circa quæ multa argumenta profert, quæ ad circumſtantias fori pertinent, poteſtque velut Indicis loco in multis haberi. Diligentiſſimus enim eſt in Autorum locis cumulandis. Adjecit porrò Indicem quintuplicem, quo commodè uti poſſumus. Liber prodiit *in folio*, Venetiis, A. 1605., ap. Baretium.

58 LUDOVICUS MOLINA. Qui eſt dictus Hylas? Is eſt, qui omnes JCtorum paginas complet, & velut Oraculum à multis conſulitur. Fuit quondam primarius in Academia Eborenſi Profeſſ. Theologiæ, è Soc. Jeſu. Scripſit *de juſtitia & jure Tomos VI.*, qui prodierunt noviſſimè Moguntiæ, ap. Schönwetterum, A. 1659. Ediderat olim etiam *in Partem primam D. Thomæ Commentarios.* Complexus eſt his libris *de juſtitia* penè omnia, quæ ſpectant ad jurisprudentiam, ex Thoma, & Scholaſticis, plena manu adducens, quæ ad illuſtrationem jurium ex principiis moralibus pertinent. Nemo eſt qui horum librorum Utilitatem ignorat.

59 JOHANNES de LUGO, Hiſpalenſis, è Societate Jeſu, in Collegio Rom. olim Theologiæ Profeſſ., & idem Cardinalis, *de juſtitia & jure* operoſos quoque Commentarios ſcripſit. Initium fecit ille Commentationum ſuarum à *Tertia ſummæ Theologicæ Thomiſticæ parte*, ac proceſſit ad *Secundam ſecundæ*, ex qua parte, qua Tho-

Thomas virtutes pertractat, unicam tantùm, juſtitiam, ſibi pertractandam aſſumpſit. Procedit per omnia jurisprudentiæ capita, &, poſt Molinam & Leſſium, ſcripſit, ſed ita tamen rem ſuam inſtituit, ut magis è Theologorum & Scholaſticorum fontibus ſua hauriat, quam è Jurisprudentiæ fundo, ac tamen ad Conciliorum Canones, & Capitula Juris Canonici, ſe referat. Ubi occaſio fert, ex Jure Civili Romanorum quædam aſſumpſit, ſed ita tamen, ut magis Interpretes ejus audiat, quàm leges ipſas è fontibus ſuis interpretetur. Prodiit Editio noviſſima Lugduni, A. 1652., *in fol.* Idem ſcripſit *de Incarnatione Domini Diſpp. Scholaſticas*, quæ prodierunt Lugduni, A. 1623., *in fol.*

LEONHARDUS LESSIUS E Soc. Jeſu, Theologiæ in Academia Lovanienſi Prof., ſcripſit *de juſtitia & jure, cæterisque Virtutibus Cardinalibus libb. quatuor, ad ſecundam ſecundæ D. Thomæ, à quæſtione 47. usque ad 171.* Prior verò prodiit ſeparatus Tractatus *de juſtitiâ & jure*, cui etiam accuratiorem operam impendiſſe videtur. Ultima Editio prodiit Lugduni, A. 1653., *in fol.* Acceſsêre Tractationes duæ ad defenſionem hujus Operis; Unâ, *de monte pietatis*, quæ ab ipſo Leſſio ſcripta, defendit quandam ſuam ſententiam, occurrentem in libris de *juſtitia*, de monte pietatis; cujus occaſionem peperit Controverſia à Moraliſtis inſtituta. Altera tractatio militat pro defenſione quarundam theſium Leſſii, quæ *libro 2. cap. XI. dubio 20. & cap. 49., dubio 9.*, occurrunt, de licito uſu æquivocationum, & mentalium reſtrictionum, quæ à Johanne Barneſio impugnatæ, propugnantur à Theophilo Raynaudo. Titulus Diſſertationis eſt: *Splendor Veritatis moralis, collatus cum tenebris mendacii, ac nubilo æquivocationis ac mentalis reſtrictionis.* Multa in illa Diſſertatione utilia occurrunt, ad illuſtrandam hanc doctrinam, quam Jeſuitarum, ſi Diis placet, ſolertia nobis perperit, de qua alibi pluribus dicemus. 60

JOHANNES AZORIUS. Etiam ille inter Principes moralis doctrinæ eſt recenſendus, cujus exſtant *Inſtitutionum Moralium partes 3.*, in quibus univerſæ quæſtiones, ad conſcientiam rectè aut pravè factorum pertinentes, tractantur. Fuit Lorcitanus, è Soc. Jeſu, & hoc Opus magna diligentia conſcripſit, non è principiis Ariſtotelicis & Thomiſticis tantum (Thomæ enim, ut omnes, methodum ſequitur,) ſed adhibitis in conſilium Juris Canonici ac Civilis Interpretibus, & Scripturâ ipsâ. Prodiit liber ille Brixiæ, A. 1617., ap. Franciſcum Thebaldinum, *in fol.* Altera pars autem Mediolani, eod. anno, ap. hæredes Pacifici Pontii & Johannem Baptiſtam Picalium. Tertia denique eod. anno, ap. Thebaldinum. 61

SUMMA ANGELICA de CASIBUS CONSCIENTIÆ. Angelus de Clavaſio, Ordinis Minorum Vicarius Generalis, compilavit ex Operibus Thomæ Indicem aliquem generalem Caſuum, qui occurrunt, & deciſi ſunt, in Thomæ Operibus, ſub titulis *Locorum CC.* Utiliſſimus ſanè liber eſt, ac operæ pretium profectò faceret, quod his adjiceret omnes Thomæ Commentatores, atque ex illis Locos Univerſales Caſuales efficeret. Prodeſſe hic liber & Theologis & JCtis poteſt. Quod ſi in Jure tales LL. CC. Practicos Caſuum civilium haberemus, magni profectò uſus res eſſet. 62

Sed

Sed tanta eſt Objecti illius vaſtitas, ut facilè deterreat eum, qui hunc laborem ſuſcipere velit. Editus eſt liber ille Argentinæ, anno 1502., *in 4to.*, majori charactere Gothico.

63 JACOBUS ZABARELLA Patavinus, nemini ignotus Autor, de quo prolixè verba facere opus non eſt. Scripſit in Logicis & Phyſicis, & de animâ, multâ, omnibus celebratâ Peripateticis. Edidit illius Opera integra Johannes Ludov. Havenreuterus, Medicus & Philoſophus in Academiâ Argentorat., Francofurt. ap. hæredes Lazari Reſneri, anno 1623., *in 4to.* Adverſus illum Joach. Jungius, Rector Hamburg. Gymnaſii, in Phyſicis aliquot Diſpp. ſcripſit, in quibus doctrinam ejus, & ſub ejus nomine omnem Peripateticam, exagitat. Aggreſſus autem eſt ille, quæ de principiis corporis naturalis, & de miſtionis natura, apud illum habentur. Cum ingenium Jungius haberet mechanicum, & Mathematicum, accuratius phyſicas illas res eſt contemplatus, quam fecerunt Homines ſcholaſtici.

64 FRANCISCUS TITELMANNUS, Ordinis Fratr. Minorum, Theologiæ apud Lovanienſes Profeſſor, ſcripſit *Summam Ariſtotelici Organi cum Scholaſticis collati*, editam Lugd., A. 1480., ſub titulo *Dialecticarum conſiderationum.*

65 ANTONIUS SCAYNUS. Autor ille non eſt ex Scholaſticis, ſed ex Ariſtotelis Interpret. optimis, cujus ſupra obiter *Cap. XI. §. 27.* mentionem fecimus. Subjungo tamen hic, & miſceo Scholaſticis, cum aliis nonnullis, ob argumenti affinitatem, cum ſupra omiſerim. Edidit is *Paraphraſin in XIV. Libb. Metaphyſ. Ariſtotelis*, Romæ, apud Barthol. Gaſſum, anno 1581., *in fol.* Præmiſit Operi luculentam præfationem, in qua multa continentur, quæ pertinent ad doctrinam *Libb.* Ariſtotelis *Metaphyſ.* Inter alia capite VII. occurrit ejus Obſervatio de Alexandri Aphrodiſienſis *Commentario in libb. Metaphyſ. Ariſtotelis*, quem ait perperam ipſi adſcribi, atque hanc ſuam ſententiam adſtruit adverſus Sepulvedam. Cenſet itaque alterius cujusdam Alexandri, aut forte Mich. Epheſii, librum eſſe.

66 JOH. BAPTISTA MONLORIUS, Valentinus Bokayrentanus, Canonicus Oriolanus, non ignobilis Ariſtotelis Interpres Latinus, ſcripſit in Ariſtotelis *Analytica priora*, quæ latinitate donavit, ac *paraphraſin* & *Scholia* addidit. Quibus Coronidis loco adjecti ſunt ejusd. Autoris Libri duo, unus de Ἐντελεχέιᾳ, alter de *Univerſis*, vel, ut alii vocant, *Univerſalibus*, in quo præcipuè docet Univerſalia eſſe in rebus, ſine mentis operatione, adverſus Nominales. Alioquin perſpicuè, eleganterque, pro argumenti conditione, ſcribit. Prodiit Francof. *in 4to.*, A. 1593., ap. Joh. Wechelium.

67 ROBERTUS BALFOUREUS. Præclarus ille Ariſtotelis Interpres eſt, cujus exſtant *Commentarii in libb. Ariſtotelis Philoſophicos*, è quibus notiores ſunt illi, quos in *libb. Ethicorum* ſcripſit. Scotus eſt natione, planamque viam inſiſtit, & Ariſtotelem ex ſeipſo explicat, non pauca elegantioris literaturæ adſpergens. Scripſit & *Commentarium in Organum Logicum. Commentarius in Ethicâ Ariſtotelis* editus eſt Burdigalæ, A. 1620., *in 4to.*

JOHAN-

JOHANNES COTTUNIUS in Patavina Academia Philoſophus, ſcripſit varia, 68
interque illa *Commentar.* luculentiſſimum *in Ariſtotelis libb. Phyſicorum.* Præmiſit *quæſtiones Proœmiales* utiliſſimas huic Operi ſuo, quarum primaria eſt Hiſtorica de Ariſtotele, ex ipſo illo libro. Omnia hic adducit in Ariſtotelis laudem argumenta, additis etiam iis, quæ in contrarium afferuntur, & quidem non pauca Franciſci Patricii refutat, quæ ipſe Ariſtoteli objecerat. Sanè diligens adeò fuit in deſcribendo à capite ad calcem Ariſtotele, ut ne quidem crura ejus omiſerit. Certè diligentiſſimus ille Autor eſt in omnibus Ariſtotelicis examinandis, & cum Ariſtotelicis, præcipuè Græcis Interprett. conferendis. Nam Græcæ linguæ peritiſſimus fuit, ut teſtantur ejus *Epigrammata Græca lingua conſcripta*, quæ Patavii edita ſunt in lucem *in 4to*, anno 1653. Inter quæ exſtant varia Encomiaſtica in Viros Europæ eruditos, unumque in laudes Herm. Conringii. Ceterùm & *de Ariſtotele univerſa Epigrammatica* integrum ſcripſit librum, quem aliquoties à Viris doctis laudatum inveni, & in Catalogis Bibliothecarum nominatum. *Commentarius in libb. Ariſtotelis phyſicos* prodiit Patavii, apud Paulum Frambottum, *in fol.*, A. 1648.

JVLIVS PACIVS. Ille inter JCtos Philoſophus, nec è vulgo, quod rarum in 69
illis eſt. Scripſit in libb. Ariſtotelis nonnullos, eosque è Græco in Latinam vertit linguam, elegantioribusque Notis illuſtravit. Scripſit in Ariſtotelis *libb. Logicos* omnes, quos è libris MStis emendavit, ac vertit, ac perpetuis notis, tabulisque Synopticis illuſtravit. Inſigniter fuit Dialecticæ peritus, quod ſatis eruditis illis in jure ſcriptis oſtendit. Scripſit quoque Notas in *libb. Phyſicorum* Ariſtotelis, quæ ſi rectè memini, Francof. editæ ſunt. *Commentarius in Logicos libb.* prodiit Francof., ap. Hæredes Wechelii, *in 4to.*, anno 1597.

HUBERTUS GIFANIUS. Jungimus Pacio Gifanium, in Philoſophia Practica 70
parem, in Philologia, Criticisque, ſuperiorem. Par certè nobile JCtorum, qui accuratiora ad Jurisprudentiam ſtudia attulerunt, quàm nunc vulgò fit, cùm planè illotis ad illam acceditur manibus. Scripſit elegantiſſimos *Commentarios in Ethica & Politica* Ariſtotelis, *in 8tavo.* editos, in quibus textum Ariſtotelis emendat, paraphraſi illuſtrat, & ſimul Diſpp. ad argumentum accommodatis, è Philoſophorum Veterum Recentiorumque Scholis.

ANTONIUS ROCCUS. Etiam hic inter interpretes Ariſtotelis ſupra omiſſus, 71
meritò ſibi hunc locum vindicat, in primis numerandus, quanquam poſtremô hic loco ponitur. Pauca ejus cognita ſunt, ac rariora, quæ ſcripſit. *In libros Phyſicorum Ariſtotelis* Commentarium edidit, quem nondum vidi, ſed ſi ex altero quodam ejus Tractatu *de immortalitate animæ* eſt æſtimandus, nihil illi deeſſe credo acuminis, ad rem illam, quam tractat. Pro ratione tamen, & Genio iſtius Philoſophiæ. Tractatus ille ultimus, quem nominavi, hoc titulo prodiit: *Animæ Rationalis Immortalitas, ſimul cum ipſius verâ propagatione ex ſemine, via quadam ſublimi peripatetica, non hactenus per Ariſtotelem ſignata veſtigiis.* Hæc enim elogia ipſe Operi ſuo ſuſpendit, & in præfatione ad Lectorem, regiam hanc viam unicamque

rectè circa animæ rationalis immortalitatem philoſophandi vocat. Ipſe hæc de ſuo Opere prædicat, ſpondetque, lectorem non diſceſſurum, quin in partes ſuas pertrahatur. Equidem fateor, nihil deeſſe ipſi argutarum ratiocinationum, è principiis peripateticis deductarum, ſed, quantum mihi videtur, preſſius urget, & ſubminiſtrat argumenta, quæ materialitatem quandam animæ inferre poſſint, dum ſua quadam ratione illam è materia productionem aſſerit. Quæ vero concluſiones hæc præſuppoſita ſequantur, facilè per ſe quivis intelligit; Nam quæ ad Spiritualitatem animæ probandam vulgò habentur argumenta, tum ex revelatione, tum ex natura, petita, frigidè ab ipſo tractantur. Hypotheſes autem ipſius omnes paradoxologiam & à communi peripateticorum ac Philoſophorum ſententia heterodoxiam, ſapiunt. Liber prodiit Francof., apud Fridericum Hertz, anno 1644., Petro Mauroceno, Senatori Veneto, ab Aut. inſcriptus. Qui ſi extra Germaniam non prodiit, videtur ob cenſuræ rigorem imprimi non potuiſſe; nec tamen ejus quicquam refertur in illa Editione.

72 CHRISTOPHORUS BINDERUS. Subjungimus hunc omnibus noſtris Scholaſticis Scriptoribus. Nam de *Scholaſtica Theologia* in univerſum ſcripſit, egitque de ejus cauſis, origine, progreſſu, ac methodo legendi ſcholaſticos, deque corruptelis Theologiæ, ab illis inſtitutis. Fuit Theologiæ D., & Eccleſiaſtes Aulæ Würtembergicæ. Prodiit liber Tubingæ, anno 1614., *in 4to.*

Atque hæc de Scholaſticis DD. dixiſſe ſufficiat, quorum plurimi fuerunt Hiſpani & Angli, exceptis Alberto & Thoma, aliiſque nonnullis. Sed numero tamen hæ nationes videntur vincere. Certè magnam Gentis Anglicæ gloriam hanc judicat patriæ ſuæ Panegyriſtes, Guilielmus Cambdenus, qui in libro rariſſimo, Anglicaque lingua ſcripto, cui titulus: *Remaines concerning Britain*, edito Londini, anno 1657., *in 4to.*, *p.14.*, enarrat omnes illos Terræ ſuæ filios, & in invidiam Gallorum monſtrat, jam ab omni ævo Anglos fuiſſe Gallorum Pædagogos. Cum tamen hi ſe penè totius Orbis magiſtros venditent. Nam Joh. Piccartus, *in Celtopædia* ſua, datâ operâ id egit, ut omnium artium ſcientiam, ipſaſque literas, à Gallis in univerſum genus humanum profectas, oſtendat. Nimirum omnes gentes πατριδομανίᾳ laborant, ut difficile ſit inter illas ſedere arbitrum.

CAP. XV.

DE NOVATORIBUS IN PHILOSOPHIA.

§ 1. *Plerique illorum Ariſtotelicæ ſe oppoſuere Tyrannidi, & in Phyſicis præcipue fuere occupati, diverſo licet ſcopo atque genio. 2. Celebriores aliis ſunt Bernh. Teleſius, &, qui hujus nonnulla ſua fecit, Franc. Patricius. Illius Scripta & Dogmata Phyſica recenſentur: Hujus autem Ineptiæ exploduntur. 3. Hier. Cardanus, de cujus πολυγραφίᾳ, Ingenio ob ſtultitiæ cum Sapientia mixturam vario, Certamine cum Jul. Cæſ. Scaligero, Scriptis Phyſicis, Opinionibuſque illorum Paradoxis, Phyſiognomia ei ſuppoſita, Genio Familiari,*

Arca-

Arcanis Prudentiæ Civilis, *Avaritia, & Atheiſmo ei imputato, diſſeritur.* 4. *Carpentarius Anglus*, Philoſophiæ Liberæ *Scriptor.* 5. *Renatus Carteſius, cujus Vitæ Sectæque Hiſtoriam, ſed haud plene ſatis, Johan. Tepelius & Joh. Chriſtoph. Sturmius ſunt perſecuti.* 6. *Epicurum in nonnullis ſequitur, Atheiſmi tamen immerito accuſatur, licet Ben. Spinoſa, aliique Athei, Dogmatis ejus ſint abuſi. Lites ei à Gisb. Voetio, aliisque Theologis motæ. Sam. Mareſii Scriptum de abuſu Philoſophiæ ejus.* 7. *Fundamentum Philoſophiæ ejus, cujus vitia, illorumque cauſæ, è Joh. Bapt. Hamelio & Henr. Moro, notantur.* 8. *Scripta quædam Carteſii potiora commendantur*, Dioptrica, *&c.*, Lib. de Paſſionibus Animæ, Epiſtolæ, Tr. de Homine, Mechanica, & Chorea *in Natalem Chriſtinæ Auguſtæ Poëtica.* 9. *Epitomatores Philoſophiæ Carteſii, Henr. Regius, Tattinghoſius, Franc. Bayle, Ant. le Grand (de cujus Scriptis plura afferuntur) ac Jac. Rohault.* 10. *Commentatores in eum Joh. de Raey, Dan. Lipſtorpius (Doctrinam de motu, unà cum Joh. Alph. Borello & Chriſt. Hugenio, accuratius perſecutus) & Dn. de Cordemoy.* 11. *Carteſii Principia cum Ariſtotelicis miſcuerunt & conciliarunt Honor. Faber & Adr. Heerebord, cum Moſaicis autem, labore vano ac inutili, Joh. Amerpoel & Dn. des Fourneilles. Bruta ſenſu carere, Gomezius Pereira ante eum docuit.* 12. *Franc. Wilh. Lib. Baro de Nüland, Novator in Phyſica Anti-Carteſianus.* 13. *Thom. Hobbeſius, Novator in omni Philoſophia, ac Epicureiſmi Inſtaurator, doctus quidem, ſed in Literas pariter atque Religionem injurius. A Joh. Walliſio Errorum in Matheſi puerilium eſt convictus. Phyſicam ſuam Epicuream (de qua Honor. Fabri additur Judicium) è Doctrina de Motu, nec tamen primus, derivat.* 14. Elementorum ejus Philoſophiæ *ac* Leviathanis, *Tyrannidi ac Atheiſmo viam ſternentium, Hiſtoria & Recenſus.* 15. Problemata *ipſius* Phyſica *à Rob. Boylio confutata. Indoles ejus moroſa & contentioſa. Politica ejus à Gallis avidè excepta. Adverſarii Angli & Belgæ. Vitæ ipſius Hiſtoria* ἀδέσποτος. *Ex ipſo Atheiſmi ſui Principia hauſit Bened. Spinoſa. Thomæ Nomen pleriſque Novatoribus proprium.* 16. *Theophraſtus Paracelſus, Homo illiteratus, ſed ingenioſus, Philoſophiæ, Medicinæ, ipſiusque Theologiæ, Reformator, Magiæ ſuſpectus, Enthuſiaſtarum Recc. Parens.* Comm. *ejus MSS.* in IV. Evangelia. *Sam. Siderocratis LL. CC. Sententia ejus.* 17. *Joh. Eſpagnetus, Chymicus ingenioſus, de cujus* κρύψει *Nominis Anagrammatica, Scriptis Chymicis, Paradoxisque illorum Phyſicis, & in his Pluralitate Mundorum, breviter agitur.* 18. *Joh. Amoſus Comenius, Novator in univerſa Panſophia, Enthuſiaſmo affinis, cujus* Janua L. Lat., *aliaque Scripta Didactica, tanquam Barbara & minus Latina, rejiciuntur.* 19. Phyſicæ *ipſius* ad Lumen Divinum ex Gen. c. I. reformatæ, *nova Principia & Dogmata, unà cum* Libello de Frigore *frigido, itidem exploduntur. Recocta illa ſunt à Joh. Bayero, Comenio paulò accuratiore.*

1 POſt abſolutos Scholaſticos, hos in medium adducimus, Veteris Scholæ novaturientes diſcipulos. Horum aliquam partem jam ſupra Cap. XII. adduximus, ubi agebamus de Scriptoribus Antiperipateticis. Plerique enim, occaſione affectatæ Tyrannidis Peripateticæ, rebellionem in hoc regno tentarunt, ut ſolent in Republ. res novas moliri, qui faſtidioſo premuntur imperio. Ceterum Novatorum illorum non eſt unus idemque genius; aliqui illorum cum ratione inſaniunt, quidam toti ſunt inepti, nec quicquam novi, præter terminorum varietates, in Philoſphiam intulerunt, qui rectius feciſſent, ſi domi compreſſis ſediſſent manibus, aut pinxiſſent cucurbitas, quàm ut tam inficetas turbas excitarent. Gloriolæ venatio multos abripuit, paucos veritatis ſtudium inſtigavit. Factum vero fuit à rebus naturalibus initium. Nam, cum illæ in ſenſus incurrerent, ac in notionibus plerique & ſpeculationibus ſubſiſterent Scholaſticorum, ad ſenſus viam reducere demonſtrationes ſuas laborarunt, & in ſingularibus exercere ingenium, ut expeditior eſſet Univerſalium doctrina.

2 Primus itaque, qui laudem aliquam hoc conatu quæſivit, eſt BERNHARDINUS TELESIUS. Conſentinus is fuit ex Oppido Calabriæ, ſcripſitque Opus *de Rer. natura*, juxta propria principia, quod in *libb. IX.* diſpeſcuit, editos Neapoli, apud Horatium Sardianum, anno 1587., *in fol.* Thuanus tradit, eum à Patruo ſuo, Antonio, Philoſophiæ ſuæ dogmata accepiſſe, qui, ſi rectè memini, Opuſculum aliquod ſcripſit *de Coronis*, aliaque nonnulla Phyſici argumenti. Scripſit & idem Bernhardinus Teleſius alia quædam Opuſcula, librum ſc. unicum *de his, quæ in aëre fiunt, de terræ motibus*, qui prodiit Neapoli, anno 1570., *in 4to.* item *de Colorum* (quos omnes è Principiis Caloris & Frigoris deducit) *generatone*, qui eodem anno Neapoli editus eſt *in 4to*, tum *de natura maris librum unicum*, (falſum illud eſſe naturâ contra Ariſtotelem diſputantem, Aquam vero Elementorum numero ejicientem) ibidem anno 1570., *in 4to.* Autor hic, ut præ ſe fert, in *proœmio libri de natura rerum*, ad ſenſum reducere vult dogmata ſua. Primo libro demonſtrat, Solem à calore, terram à frigore conſtitutam, omnemque operandi facultatem illis inde provenire. Calorem, frigus, & materiam, tria principia eſſe ait, in quibus omnia conſiſtant, variasque fieri diverſasque operationes ratione locorum, in quibus illæ fiunt, ac temperie & moderatione frigoris. Hinc ſiccitatem, & humiditatem, deducit, & Mare Solis calore è terra produci oſtendit. Lib. 2. contra Ariſtotelem diſputat de communi materia, de cœlo, an igneæ ſit naturæ, an calor & frigus ſint ſubſtantiæ. Tertio libro impugnat qualitates Elementares, ſiccitatem à calore provenire negat, quia calor liquefacit, humiditatem à frigore, quia frigus exſiccat. Rationibus etiam oſtendere vult, omnem aquam ſua natura eſſe calidam, ignem ſummè humidum; 4. humores in corporibus negat, ignem etiam & aërem à miſtione corporum excludit. Quarto libro multa de Calore Solis diſputat, multa de motu cœlorum, & primo motore. Quinto Ariſtotelis de anima humana ſententiam impugnat, ejusque potentias & facultates ſcrutatur. In ſexto de generationibus animalium & plantarum agit, in

in quo non adeò multa reperiuntur, à communibus ſententiis diſſentientia. In Octavo de ſenſibus interioribus, paſſionibus animi, virtutibus & vitiis, multa adverſus Ariſtotelem philoſophatur. Hæc ferè ſunt præcipua ejus Philoſophiæ capp., in quibus eum ſtudio novaturire quis non videt? Hujus quædam principia ſua fecit Franc. Patricius. Calorem enim & frigus operandi principia retinet, addidit verò ſpatium, lucem & fluorem. Sed is magis intricavit ſua dogmata, quàm ipſe Teleſius, & pro rerum veritate nebulas aliquas Platonicas captat, quibus & ſibi, & Lectoribus, tenebras offundit. Nullam enim veræ methodi, & artis Analyticæ, lucem illic deprehendes. Vid. quæ de Patricio *Cap. VIII. §. 3. & 4.* fuſius ſunt expoſita.

HIERONYMUS CARDANUS, Mediolanenſis, Portentum ingenii inſigne, intuitu miſtæ cum ſapientia ſtultitiæ. Novator in multis & Polygraphus, ſi quis alius. Tot enim libb. ſcripſit, ut & de *ſuis libris* ipſe librum conſcripſerit, quo recenſet tempora & occaſiones librorum, à ſe ſcriptorum. Tria ſtatuit Elementa, Aerem, aquam & terram: Ignem ſublunarem videt, aſtra calida magis & minus ſtatuit; quæ in libris ſuis *de ſubtilitate & varietate* fusè deduxit. In quibus multa continentur egregia, multa immiſcentur ridicula, ut fuit ejus hominis ingenium per dilucida intervalla ſummè ſtultum, ſummeque intelligens. Scripſit præterea vaſtos libb. in omni philoſophiæ genere, Philologicos, Logicos, Morales, Phyſicos, Politicos, Aſtrologicos, quos X. Voluminibus *in fol.* collectos, atque hactenus magnam partem ineditos, edidit Carolus Sponius, moderante Gabr. Naudæo, Lugdun., anno 1663. Phyſici ſunt ejus libri, quos modo nominavimus, quibus eſt addenda *Actio prima in Calumniatorem librorum de ſubtilitate.* Hos Julius Cæſar Scaliger, Vir alioquin Summus, impugnaverat contradicendi pruritu magis, & vana gloria, ductus, quàm rei ipſius veritate. In multis enim potius Sophiſtam & Cavillatorem egit, quàm Philoſophum, ac defendit Cardanum in non paucis Joh. Sperlingius *in Meditatt. in Scalig. de ſubtilitate,* quæ prodierunt Wittebergæ, anno 1656., *in 8vo.* Sunt porrò inter Opera ejus Phyſica *libri de ſecretis, de gemmis,* & *de coloribus, de vitali aqua ſive æthere, de fulgure, de natura liber,* hactenus ineditus, *de immortalitate animarum, θεογνώστων liber primus, ſive de tranquillitate,* itidem hactenus ineditus *θεογνώστων liber ſecundus, ſive dialogus de vitâ producenda; θεογνώστων lib. 3. ſive de animæ immortalitate, θεογνωστῶν lib. 4. ſeu de Contemplatione, θεογνώστων lib. 5. ſive hyperboreorum,* de quibus multas illic ſpeculationes habet. Magna enim paſſim prædicatio eſt apud Vett. hyperboreorum, per quos Svecos eſſe intelligendos, nuper nos docere voluit Olaus Rudbeckius in *Atlantica* ſua. Ceterum & tres illi *θεογνώστων* libri tum primum ſunt editi. Scripſit porrò *de aceti natura, Problematum ſectiones VII., Diſcorſo di Vacuo,* Italica lingua, *Diſcorſo, Si la qualita púo trapaſſade, de ſubjecto in ſubjecto,* qui quatuor tantùm hactenus fuerant MSSti. Prodiit ejus *Phyſiognomia* ſeorſim Gallico ſermone, in quam ex Italico eſt converſa. Sed vix mihi videtur genuinum eſſe Opus, quanquam ejus nomen mentiatur; nam lucri potiùs cauſa à Bibliopolis id

fictum crediderim. Valde enim adſtrictus & brevis, præter morem ſuum, in illo eſt, neque omiſiſſent, credo, hoc Opus inter cetera ejus edere, ſi pro genuino habuiſſent. Sed miror tamen, nullam ejus mentionem fieri in *Vita Cardani*, à Naudæo ſcripta, ubi diligenter omnia recenſet, quæ ad Operum ejus Hiſtoriam pertinent. Multa in illo ibi excuſat, multa etiam reprehendit. Quæ de genio ſuo, in *Phyſiogn.* iſtâ alibique paſſim, recenſet Cardanus, pro confictis habet Naudæus, & ad inanem oſtentationem comparatis. Putavit enim hoc figmento ſe gratiam plebis aucupaturum, vel doctrinæ ſuæ autoritatem conciliaturum, ut videretur quaſi per Enthuſiaſmum ſcripſiſſe, quæ ſcripſit. Fuit, ſicut miri ac variabilis ingenii, ita miræ quoque fortunæ. Multas cum Medicis conflictationes habuit, ipſe Medicus, quorum fraudibus, artibus, calumniis pleni ſunt ejusdem libb. omnes. Habuit etiam non contemnendam Rerum civilium ſapientiam, quod mireris in homine perpetuis Speculationibus, & Scholaſticis rebus, addicto, tum in plerisque actionibus ſuis infelice, nec rerum ſuarum provido. Scilicet cùm tempus ſibi non ſumeret de rebus ſuis cogitandi, majus aliena curandi otium habuit; ac ſunt ſæpè homines, qui, cum ſibi non ſapiant, aliis tamen ſapiunt. Edidit *lib. de Arcanis prudentiæ civilis*, Lugd. anno 1635., *in 12mo.*, excuſum, & Helmſtadii recuſum, cui *Proxonetæ* dedit titulum, qui ſanè in ſocietate Civili verſantibus eſt utiliſſimus, & nihil pene non habet fraudium, artium, technarum, quibus uti vulgò inter homines ſolemus, & ob quas adeò commendatur ab hominibus profanis. *Homo* ille *Politicus*, à quodam Pacifico à Lapide, & poſtea à Chriſtoph. Pellero ſub *Politici ſcelerati* titulo, editus. Laudatur Cardanus ab his, culpatur ab illis. Sunt, qui Atheiſmi illum crimine onerant, quod quidem non adeò è ſcriptis ejus elucet, quorum indicio quis interdum illum fanaticum, & Enthuſiaſtam, habuerit, quanquam & Enthuſiaſticus quidam Atheiſmus ſit. Immitius item de illo judicium tulit Franciſcus Sanchez in *Commentario ad Ariſtotelem de divinatione per ſomnium, p. 139. & 257.* Ridicula quoque de illo habetur Hiſtoria. Cum Bilib. Pirkhaimerus honoris cauſa illum in Italia inviſeret, hunc ille excipiens ſtatim rogavit, an ſecum ferret pecuniam, cum verò is, miratus quæſiti abſurditatem, nihil præter neceſſaria ſibi itineris eſſe ſubſidia reſponderet, regeſſit ipſi Cardanus, ſe non curare Transalpinos, niſi pecuniam ſibi adferrent. Et, *ex illo tempore*, inquit Pirkheimerus, *non Cardanum, ſed κερδαῖνον, appellabam. De vita ſua librisque propriis* ipſe ſcripſit.

4 CARPENTARIUS, Anglus ille fuit, ſcripſitque librum, cui tit. *Philoſophia libera*, qua ſingulares & paradoxas ſententias proponit, qualia e. g. illa ſunt: Non dari naturales notitias, locum eſſe nihil, omnes res ex nihilo fieri, ſenſus non poſſe errare, ignem eſſe humidum, omnia Elementa eſſe gravia, & ſimilia. Non memini, ubi & quando editus ille liber. (*ggg*)

RENA-

(*ggg*) Nathanaelis Carpentarii *Philoſophia Libera, triplici Exercitationum Decade propoſita, in qua, adverſus hujus temporis Philoſophos, Dogmata quædam nova diſcutiuntur,* prodiit Londini an. 1672. *in 8.*

RENATUS des CARTES, ſeu CARTESIUS, ſi quis alius, præcipuum inter Novatores nomen meretur. Neque enim ipſe ſibi tantùm ſapere voluit, ſed & Sectam ſui nominis condidit, quæ per totum Belgium, Angliam, Galliamque, & multas Germaniæ partes, ſe propagavit. Qui hujus Viri Vitam (*hhh*) deſcripſerit, ſecundum omnes circumſtantias, non eſt. Exigua tamen hinc illinc habentur ejusd. monumenta. Neque omnes pari conſilio de ipſo ſcripſêre. Quidam enim ejus hoſtes multa de ipſo perperam retulerunt, inprimis quod ſpectat dogmata ejus. Philoſophia ſimul & Vita illius aliquo modo adumbrata eſt à M. Joh. Tepelio, cujus exſtat ſuper hoc argumento libellus, Noribergæ *in 12.* editus, anno 1674. Agit verò in illo Opuſculo primùm de Aut. ipſo, & occaſione, quâ inductus ad Philoſophiam ſe applicuerit. Agit deinde de ſcriptis Carteſii, tum & de principiis Philoſophiæ Carteſianæ. Hinc de adjunctis ejus Philoſophiæ, poſtea de oppugnatoribus, & propugnatoribus ejus, Item de judiciis Virorum doctorum ſuper Secta Carteſiana. Exſtat quoque Joh. Chriſtophori Sturmii, Profeſſ. Altorfini, brevis *Diſſertatio de Carteſianis & Carteſianiſmo*, Altorfii A. 1677., in 4to excuſa. Sed & in illa de Aut., & Hiſtoria ejus Vitæ, parum habetur, ſed potius quædam de ejus doctrinâ tractantur. 5

Longa eſſet mihi enarranda Hiſtoria, ſi omnia, quæ huc ſpectant, in medium proferre velim. Ex Epicuri & Jordani Bruni Dogmatibus quædam reaſſumpſiſſe videtur, quæ tamen ita perpoliit meditationibus ſuis, ut nova eſſe videantur. Primam illi litem movere cœperunt Theologi, (*iii*) quibus nova plerumque hæreſeos ſuſpicione 6

(*hhh*) Deſideriis Morhofii, de Vitæ Carteſii Hiſtoria fuſius atque accuratius exponenda, ſatisfactum jam eſt ab Adr. Baileto, Biblioth. Lamoignianæ Pariſienſis præfecto, cujus Opus de iſta Gallicum prolixum, ſub Tit: *La Vie de Mr. des Cartes*, Lutetiæ an. 1691. *in 4.* Tomis duobus, prodiit. Σκιαγραφίαν ejus Encomiaſticam, præter alios Ephemeridum Anni 1692. Literariarum Scriptores Lipſienſes, *in Actis Erud. A. 1692. M. Jun. p. 281-291.* exhibuerunt. Publicata eſt, biennio pòſt, ab eodem Autore, Pariſiis an. 1693. *in 12.* Operis hujus ſui majoris Epitome, Compendiariam Vitæ Carteſii ſiſtens Hiſtoriam, & hoc inſignita Titulo: *La Vie de Mr. des Cartes, contenant l'Hiſtoire de ſa Philoſophie, & de ſes autres Ouvrages, & auſſi ce qui luy eſt arrivé de plus remarquable, pendant le cours de ſa Vie.*

(*iii*) Præter Theologos Reformatos, quorum plurimi, contra Carteſium & Carteſianos, ſuos ſtrinxere calamos, è Lutheranis eos impugnarunt Valent. Alberti, Theologus Lipſienſis, *in Diſſ. Inaugural. de Carteſianiſmo & Coccejaniſmo, Belgio moleſtis, quæ* Διπλοῦν Κάππα inſcribitur, Lipſiæ an. 1678. *in 4.* edita, & Joh. Ad. Oſiander, Acad. Tubing. Cancellarius, *in conſiderationum in Dogmata Carteſianorum Theologica Collegio*, Tubingæ an. 1684. *in 8.* publicato. E Pontificiis autem contra eosdem inſurrexit Pet. Dan. Huetius, Epiſc. Abrincenſis in Gallia, *in Cenſura Philoſophiæ Carteſianæ*, Pariſiis an. 1689. *in 12.* publicata, & an. ſequ. 1690. Helmſtadii *in 4.* curante Henr. Meibomio Jun. recuſa. Cui tamen, è Carteſianis modernis, D. Andr. Petermannus, Med. Prof. Lipſ. *Vindicationem Philoſophiæ Carteſianæ*, & Joh. Eberh. Schwelingius, Prof. Bremenſis, *Exercitationes Cathedrarias*, an. 1690. Joh. Schotanus autem, Philo-

cione laborare videntur: ac ſunt in Belgio, qui Atheum, & pene ipſi Vanino ſimilem, faciunt. Doceri certe illic Philoſophia ejus primum prohibita, ac Ariſtotelica prælegi juſſa. Sed ita Carteſiani Ariſtotelem prælegerunt, ut totum ad Carteſii mentem reformarent. Reſuſcitata illa lis nupperrimè fuit, & magna in Academia Leidenſi diſſidia etiam inter ipſos Theologos inde enata, quòd, Carteſianiſmi prætextu, ipſe Atheiſmus novam ſpeciem ſumpſiſſet. Prodierunt infames illi Ben. Spinoſæ, aliorumque libri, qui omnes impingebant Carteſio ſuas ſententias. Hinc ille in invidiam incurrit, qua facilè, ut puto, ſe vivus expediviſſet. Nam, poſt mortem ejus, quidvis in illum rejicere poterant ejus diſcipuli. Habemus, qui ex Ariſtotele, & Peripatetica Philoſophia, nefanda dogmata produxerunt; neque tamen ob eam cauſam everſa eſt Peripatetica Philoſophia. Facillimum enim eſt, aliò detorquere ſententias, & è principiis, malè applicatis, educere concluſiones, Autori iſtorum inficiandas. In arenam cum ipſo primus deſcendit Gisb. Voëtius, huic impar aggreſſor Achilli, adverſus quem Philoſophiam ſuam maſculè defendit. Irrepſerunt tamen in hanc Philoſophiam, ut dixi, abuſus, de quibus peculiari libro Samuel Mareſius monuit Theol. ac Philoſophiæ ſtudioſos. Titulus ejus eſt: *De abuſu Philoſophiæ Carteſianæ ſubrepente, & evitando in rebus Theologicis, ac fidei.*

7 Primus, quem in lucem edidit, Liber *de Methodo* fuit, quo viam ſternebat dogmatibus ſuis, quem poſtea ſubſecuti ſunt libri Phyſici. Tota illa Doctrina fundata eſt ſuper figuris corporum, & motu, in quibus admirabilis ejus ſolertia eſt. Omnes illas recenſere hypotheſes, res eſt ab inſtituto noſtro aliena. Vid. Joh. Bapt. du Hamel *lib. 1. de conſenſu Vet. & Novæ Philoſophiæ, nono capite*, ubi prolixe recenſet, quæ pro veris ipſe habet, & quæ videantur aliena; ac Principia Carteſii ita ait cum rebus ipſis cohærere, corporumque omnium vires, tum occultas, tum magis obvias, ita explicare, ut, alia non eſſe naturæ primordia, vel doctiſſimus quisque facile dejeraret. Henricus Moor, Anglus, Vir Ingenioſus, aliquantulum ad Platoniſmum inclinans, cuique frequens fuit cum Carteſio Epiſtolarum commercium (quæ adhuc leguntur inter *Opera* ejus *Philoſophica*,) ſingularem quandam Epiſtolam inter illas habet, quæ quàm diligentiſſimè hypotheſes Carteſianas recenſet, ſimulque ea, in quibus ingenio ſuo nimis indulſiſſe Carteſium credidit. Quos ejus Errores ille ad 3. capita reducit, nimirum (1.) ad ſimplicem, nudamque inadvertentiam, (2.) ad nimium, ſeu prudentiæ, ſeu honeſtæ aſtutiæ, ſtudium, & denique (3.) ad enormem quandam Mathematicæ certitudinis, ac neceſſitatis, in ſingulis ſuis concluſionibus, affectationem. Ad 2dum caput refert illud de brutis animantibus, quæ inanimatas machinas, & inſenſata Automata fingit Carteſius; quod comminiſci debuit, ne brutorum animas, pariter ac noſtras, è ſua philoſophandi ratione, concluderet immortales. Carteſianam hanc ſententiam nuper ſingulari libro propugnavit Anton. de Grand, *in lib. de Carentia ſenſus*

Philoſophus Franequeranus, *Exetaſin Cenſuræ Huetianæ*, an. 1691. editam, repoſuerunt. V. *Acta Erud. Lipſ. M. Jan. an. 1690. p. 8-17. & M. Sept. an. 1691. p. 431-435.* Gallico eidem Scripto reſpondit Pet. Silvanus Regis Paris. an. 1691. *in 12.*

ſenſus brutorum. Pertinet & huc illud, de non inveſtigandis finibus earum rerum, quas in naturæ complexu videmus, quo præcavit ſpinoſas quasdam quæſtiones, quæ circa eam rem ſolent formari. Ad 3. caput refert, quod rarefactionem, & condenſationem, fieri ad modum ſpongiæ crederet, nempe diſtantiam, ſive ſpatium, & Corpus idem eſſe realiter, nec ullam ullibi fingi poſſe extenſionem, quæ non ſit realis alicujus corporis affectio. Cui fundamento totam doctrinam de immenſis, numero, & magnitudine, Vorticibus, deque particulis primi elementi in infinitum diviſis, ſuperſtruit. Refert & huc Commentum illud de formatione particularum ſtriatarum, earumque motu, qui non ſit plus minusve motus in natura uno tempore, quàm alio. Sed illa, cum refutatione operoſa, apud Morum legi poſſunt, qui quidem Vacuum illud, Carteſio negatum, ideò impugnat, quòd in hypotheſibus ſuis extenſionem ne quidem à natura ſpirituali excludat, ut videre eſt in libris ejus *de immortalitate animæ*, ubi ſpiritui finito, & animæ ſeparatæ, figuram ovalem adſcribit, & *in libris Metaphyſicis*, ubi omne illud, quod arte ſolet fieri, Vacuum, aere non repletum, quod materiam tamen ſubtilem eſſe vult Carteſius, pro immateriali principio agnoſcit, & penè ipſum Deum facit.

Carteſii Opera prodierunt aliquoties junctim & ſeorſim in Belgio, ut omnibus 8
notum eſt. *Dioptrice* ejus accuratiſſimum eſt Opus, & magno ingenio conſcriptum, ubi doctrina de meteoris ſolidiſſime explicatur. Libellus ejus *de paſſionibus animæ*, qui, & junctim, & ſeorſim, prodiit, in affectuum doctrinâ egregia multa docet, quatenus moralia principia cum Phyſicis conveniunt. Poſt mortem prodierunt quoque nonnulla ejus, (*kkk*) ut *Epiſtolæ*, in quibus multa ſpecialia principiorum ſuorum explicat, & alia multa occurrunt, quæ ad Hiſtoriam Philoſophiæ ipſius ſpectant. Editus eſt quoque *lib. de Homine* à quodam Florentio Schylio, ex Gallico in latinum converſus. Sed hunc librum poſtea pleniorem edidit, & accuratius converſum, Dn. de Clerſilier. Voluit huic libro Carteſius addere *Tractatum de mente humana*, verùm non eò pervenit. Quare hanc operam in ſe ſuſcepit Ludov. de la Forge, cujus liber Bremæ prodiit *in 4to.* Ceterum de totâ ſummâ Philoſophiæ Carteſianæ multa habentur cognitu digna, in præfatione libri iſtius *de homine*, Editus Clerſilerianæ. Reliquit & *Tractatum de Machanica*, Gallicâ linguâ ſcriptum, quem in linguam Latinam convertit D. Joh. Dan. Major. Ceterum nec Poëticæ artis rudis fuit. Habeo enim, inter Schediaſmata mea, Choream, Gallicè *Ballet* dictam ſuper Natalem Reginæ Chriſtinæ, *La Naiſſance de la paix*, quàm in Germanicam linguam convertit Joh. Freinshemius.

(P) 9 Fuere

(*kkk*) Quæ noviſſime Amſtelod. an. 1701. *in* 4. prodiit. Collectio *Opuſculorum* Carteſii *Poſthumorum*, Phyſicorum & Mathematicorum, partim Gallice, partim Latine, ſcriptorum, præter *Diſſ. de Lumine, & aliis Objectis ſenſuum Primariis* (Fragmentum *Tractatus de Mundo*, ab Autore ſuppreſſi) & *Explicationem Machinarum Mechanicam*, jam ante editas, *Regulas ad directionem Ingenii*, *Inquiſitionem Veritatis per Lumen Naturale, Primas cogitationes circa Generationem Animalium, & de Saporibus*, *Excerptaque è MSS. Algebraicis*, hactenus ἀνέκδοτα, uno faſce complectitur. De ſingulis V. Recenſum hujus Sylloges, *in Actis Erud. Lipſ. M. Dec. an. 1701. p. 532-543.*

9 Fuere multi, qui ejus doctrinam, vel in compendium redegerunt, vel Commentariis illuſtrarunt, vel ſuis dogmatibus miſcuerunt. E primo genere eſt HENRICUS REGIUS, cujus exſtant *Fundamenta Phyſices*, in quibus doctrinam Carteſianam propoſuit, ſed non ſatis rectè perceptam, & Additionibus quibusdam, quas Carteſio ſublegerat, auctam. Queritur de illo paſſim Carteſius *in Epiſtolis*. Edita ſunt Amſtel., A. 1646., *in 4to*. Eſt & quidam JOH. TATTINUS SOFIUS, qui *Clavem Philoſophiæ Carteſianæ* ſcripſit. FRANC. BAYLE Gallicâ linguâ complexus eſt ejus doctrinam, libro, qui inſcribitur; *le Syſteme general de la Philoſophie*, (*lll*) edito Anno 1669., Toloſæ *in fol.* XI. Capitibus pertractat Metaphyſicam, Logicam, Principia naturalis Philoſophiæ, doctrinam productorum in viſceribus terræ, Meteororum, Senſibilium qualitatum, plantarum, Animalium, hominum, humanarum paſſionum, & denique Ethicam. ANTONIUS LE GRAND *Philoſophiam Veterum è mente Renati des Cartes, more Scholaſtico, breviter digeſtam*, ſcripſit, quæ Londini edita eſt A. 1671., *in 12mo*. Scripſit idem Autor *Inſtitutionem Philoſophicam* uberiorem, qua omnes partes Philoſophiæ ex mente Carteſii explicat, & methodo Didactica tradit, & Stylo perſpicuo. Liber ille ante annos X., *in 8vo.*, prodiit Londini, A. 1672., & nuperrimè anno elapſo auctior ibidem *in 4.*, poſtquam Norimbergæ recudi cœperat Anno 1679., *in 8vo*. Ejus quoque exſtat *Hiſtoria naturalis*, quæ quaſi pars ſpecialis eſt *Inſtitutionum Phyſicarum*, in quâ experimentis agit, & ratiociniis. Prodiit illa Lond., anno 1673., *in 8vo.*, & Norimbergæ recuſa eſt. Credo illam auctiorem aliquando prodituram. Nam argumentum illud infinitis modis augeri poteſt. Scripſit & *Vindicationem pro Philoſophia Carteſiana contra Sam. Parkerum*, quæ hoc Anno 1682. prodiit Londini, *in 8vo.*, & tangit præcipuas ejus cum Theologis & Philoſophis controverſias. Ante non fuit Carteſianæ Philoſophiæ addictus Autor ille; ſcripſit enim Gallicâ linguâ librum, cui titulus: *L'Homme ſans paſſion*, quo Veterem illum Stoiciſmnm defendit, & ſeriò quidem. Quam ſuam doctrinam ipſe poſtea refutavit, poſtquam Carteſianæ Philoſophiæ addictus eſſe cœpit. Carteſius enim hanc doctrinam accuratius, quàm ullus Vett. Philoſophorum, è principiis ſuis eruit, uti liber ejus *de Paſſionibus animæ* oſtendit. Scripſit & JACOBUS ROHAULT *Tractatum Phyſicum*, Gallicâ linguâ Pariſ. A. 1671. excuſum, Amſtelodami v. A. 1672. recuſum, *in 12mo*. Autor ille, poſtea in linguam Latinam à Theophilo Boneto converſus, prodiit, adjectis Antonii le Grand Animadverſionibus in eum, Londin., *in 8vo*. A. 1682.

10 Qui Commentariis Carteſium ſuis illuſtrarunt, non pauci fuere apud Batavos. Eſt illic JOH. DE RAEY, Prof. Phyſicæ, primum Leydenſis, nunc Amſtelodamenſis, qui perpetuas in illum *Diſpp.* edidit. Seorſim, ſub ejus nomine, prodiit *Clavis Philoſophiæ Naturalis Ariſtotelicæ Carteſiana*, liber ad Intelligentiam principiorum Carteſianorum neceſ-

(*lll*) Præter *Syſtema Philoſophicum Generale* Gallicum, Franc. Bayle, Med. D. & Prof. Toloſanus, Latinè, triennio abhinc, Toloſæ an. 1700. *in 4.* Tomis Tribus, *Inſtitutiones Phyſicas, ad Uſum Scholarum*, publicavit, de quarum Methodo, Hypotheſibus & Dogmatis, tum alii Ephemeridum Literariarum Scriptores moderni, tum Lipſienſes, *in Actis Erud. an. 1702. M. Sept. p. 387-391. & M. Oct. p. 452-457. poſſunt conſuli.*

neceſſarius, Lugd. Batav. 1677., editus altera vice auctior, *in 4to.* Ceteris omnibus illum ego prætulerim. Fuit enim Diſcipulus Carteſii aſſiduus, & præterea ſingularis ingenii & judicii. DANIEL LIPSTORPIUS edidit quoque *Specimina Philoſophiæ Carteſianæ*, (Lugd. Batav. A. 1653., *in 4to.*) in quibus præcipuè Doctrinam de motu enucleatam proponit, & ad certas regulas reducere laborat. Quod argumentum multorum jam ingenia ſollicita habet, inprimis JOH. ALPHONSUM BORELLUM, Italum, Virum ſingularis & acutiſſimi ingenii, qui *de motu, & vi percuſſionis, librum* edidit, & noviſſimè alios *de motu animali*, in quibus omnium motuum in animalibus cauſas oſtendit, & quidem è principiis Mathematicis & Mechanicis. Sunt, qui Carteſii iſtas Regulas de motu non parùm ſollicitant, easque maximam partem falſas pronunciant, quod Carteſius potius hic Mathematicas rationes motus abſtracti ſpectavit, quàm motum ipſum corporibus concretum. Ideoque hoc negotium præ ceteris magnâ diligentiâ excoluit CHRISTIANUS HUGENIUS, qui, globis è varia materia confectis, atque inter ſe colliſis, motus & impulſus doctrinam novis Axiomatibus propoſuit, uti *in Actis Anglicis Societ. Regiæ* legitur. Aliqua etiam hujus argumenti habet FRANC. WILH. BARO DE NÜLAND, in *Phyſicæ ſuæ Elementis*. Eſt quidam CORDEMOY, qui Gallicâ linguâ libros ſcripſit, alterum *de Diſcrimine Corporis & animæ*, (*Le Diſcernement du Cors & de l'Ame.* V. Oldenb. *Transact. p. 306. & T. II. Ephem. Gall. p. 258.*) in quo corporis & animæ proprietates & Operationes, quatenus inter ſe communicant, oſtendere laborat; alterum *de Verbo*, in quo de natura omnis loquelæ prolixè agit. Uterque libellus, converſus in Latinam linguam, prodiit Genevæ, *in 12mo.*

Qui Carteſiana tandem principia ſuis miſcuerunt, multi ſunt, præcipuè in Anglia. 11 HONORATUS FABER, qui noſtro tempore è Soc. Jeſu Philoſophiæ Curſum ſcripſit, in Phyſicis omnia, quæ poteſt, novorum Dogmatum confert cum Veteribus. Ariſtotelem certè, novâ aliquâ, & inuſitatâ inter ſuos methodo, ſecutus eſt, quam ob cauſam etiam malè audivit ſuis, quaſi Carteſianiſmum ſectaretur. A quo tamen crimine ſe defendit in *tribus de hypotheſi ſuâ Philoſophicâ Epiſtolis*, Moguntiæ *in 12mo.* editis, anno 1674. Per omnia enim Phyſicæ capp. procedens, oſtendit, in quibus à Carteſio differat, & in quibus conſentiat. Certè in doctrina de formis non adeò ab ipſo diverſus eſt, ut qui oſtendat, jam tum Ariſtotelem in eadem fuiſſe ſententia. Nusquam enim Ariſtoteles formas dixit ſubſtantias, quanquam οὐσιώδεις appellet i. e. ſubſtantiales, quæ ſubſtantiam perficiant. Paralleliſmum, & diſſenſum Ariſtotelicæ & Carteſianæ Philoſophiæ oſtendit ADRIANUS HEERBORD in *Philoſophia* ſua *naturali*, quæ edita eſt Lugd. Bat., anno 1643., *in 8vo*, cujus & plures exſtant libri. Sed hoc potiſſimum Philoſophiam naturalem propoſuit. Fuit quidam JOH. AB AMERPOEL, qui Carteſiana principia cum Moſaicis contulit, in *Carteſio* ſuo *Moſaizante*, Leovardiæ edito, anno 1669., *in 12mo.* Similis argumenti liber Gallicâ eſt linguâ ſcriptus à quodam DES FOURNEILLES, quo Syſtematis Carteſiani cum Moſaico convenientiam, ejusque opinionem de Anima Brutorum nihil periculoſi habere, oſtendit. Sed ſolent interdum homines ſuo ſenſu ita abundare, ut de illo aliis etiam largiantur, quod & hic factum eſſe crediderim.

Neque enim puto, Carteſium, cum primum in Meditationes principiorum ſuorum incideret, Moſen antea evolviſſe atque ex eo concluſiones formaſſe. Poſtquam ſemel illæ formatæ erant, ingenio facile erat viam comminiſci, qua utraque jungeretur. Perpetuus autem ille, qui inter res ipſas Analogiſmus eſt, in Opinionibus etiam conciliandis valere poteſt. Quod attinet Carteſii doctrinam de Anima brutorum, quod ipſa planè non ſentiant, fuit jam dudum ante ipſum GOMEZIUS PEREIRA, Philoſophus ac Medicus Hiſpanus, qui librum edidit, cui titulus: *Antoniana Margarita*, quem ipſe ſic vocavit à nominibus Parentum ſuorùm. In illo eadem doctrina proponitur de carentia ſenſus brutorum. Plura de ipſo videri poſſunt apud Nicolaum Antonium *in Bibliotheca Hiſpanica*, & apud Voſſium *libro Tertio de Idololatria Gentili, c. 41. p. 939. 940. Ed. Francof.*

12 Carteſianas Hypotheſes non pauci ſunt, qui ventilant, è quibus tamen illi, qui doctrinæ ejus fundum non attingunt, infeliciter verſantur. Niſi enim quis omnis rei Mathematicæ gnarus ſit, & mentem Carteſii ex ipſius ſcriptis aſſecutus fuerit, nihil planè agit. Eſt quidam FRANC. WILHELMUS, LIBER BARO DE NŨLAND, qui *Elementa Phyſica* ſcripſit, ſive *nova Philoſophiæ principia, in quibus*, ut titulus habet: *Carteſianorum principiorum falſitas oſtenditur, ipſiusque errores, ac paralogiſmi ad oculum demonſtrantur.* Lib. editus eſt *in 12mo.*, Hagæ Com., anno 1669. Promittit plura adverſus Catteſium, etiam Metaphyſica, quæ an ex illo tempore prodierint, mihi non liquet. Exiguus libellus eſt, quo Carteſium refutat, vix 4. foliorum. Is non à corpore, Carteſianæ Phyſicæ principio, ſed ipſo adeò nihilo, incipit, ac oſtendere vult demonſtrationes, quibus evinci poſſit, mundum eſſe è nihilo creatum, atque hoc ſuum nihilum ille infinito æquivalere contendit. Finitum ens medium proportionale inter nihil & infinitum ipſi eſt, cujus ille Mathematicas demonſtrationes vult reddere. Vacuum contra Carteſium admittit in natura, Corporis Phyſici rationem formalem, non in extenſione, aut doctrina dimenſione, ſed in denſitate, ac raritate, conſtituit. Hinc ad motum unicum Dei, Supremi Entis, in productione corporum inſtrumentum, procedit, cujus regulas etiam à Carteſio diverſas habet.

13 THOM. HOBBESIUS, Malmesburienſis Anglus, Regis Britanniæ hodierni quondam Præceptor, magnus in Philoſophiâ omni Novator, tantoque pejor, quo propius fidem & religionem affligit. Nullus hoc ſeculo exſtitit craſſior crudiorque Epicureiſmi propogator, doctus quidem, & rei Mathematicæ intelligens, unde pleraque principiis ſuis accommodavit. Scholaſticam doctrinam omnem contempſit: paſſim enim traducit DD. Academicos. Omnium ſcientiarum reformator videri voluit, ſed infeliciter in multis eſt verſatus. Quod enim Mathematica attinet, in quibus ille ſibi triumphare aliisque viſus eſt, in hoc ſuo velut fundo, adortus eſt ipſum JOH. WALLISIUS, Profeſſor Mathem. Oxonienſis, Vir celeberrimus, ac pueriles errores ipſi oſtendit. Honoratus Fabri, in *ſecundâ Epiſtolarum*, quas modo laudavimus, *n. 16.* de ejus Philoſophia ita judicat, eum vix quicquam addidiſſe de ſuo rei phyſicæ, niſi quantum ex Epicureiſmo deſumpſerit, nihil, niſi corpus, & corporis modum, concipi à nobis poſſe, credens,

dens, uno motu, poſitu, figurâ, ac mole, omnia perfici. Inane, dixit, eſſe incorpereum, & ipſam cognitionem merum eſſe motum, animamque corpoream. Hæc tam bella principia, quàm infamibus paradoxis feneſtram pandant, dici non poteſt. Quod Phyſica attinet, è doctrina de motu omnia demonſtrare allaborat, atque, *in Epiſtola ad Sorbierium, libro de natura aëris præfixa*, primum ſe jactat, qui ita in phyſicis philoſophari docuerit. De quo vereor, ne litem illi Carteſius, aliique, moveant, ne quid de Veteribus dicam, Epicuro & Ariſtotele. Uterque certè in motu rationem operationum naturalium poſuit. Ariſtoteli natura ipſa principium motus definitur. Hobbeſii Opera omnia prodierunt Amſtelod., anno 1668.

Elementa Philoſophiæ ſcripſit, atque in III. Sectiones diviſit, *primam de corpore, ſecundam de homine, tertiam de cive.* PRIORIS SECTIONIS partes ille facit IV. Prima illi dicitur *Computatio*, ſeu *Logica*, ubi de Philoſophia in genere agit & de nominibus. Pars ſecunda eſt ipſi Philoſophia prima, ubi agit de loco & tempore, Corpore & Accidente, cauſa & effectu, potentia & actu. Pars tertia agit de rationibus magnitudinum & motuum, ubi integra Geometria & Statica tractatur. Pars quarta agit de naturæ Phœnomenis, (1.) de ſenſu & animali motu, (2.) de univerſo & ſideribus, (3.) de Luce, calore, & coloribus (4) de frigore, vento, glacie, &c. (5.) de ſono, ſapore & tactu (6.) de gravitate. SECTIONE SECUNDA de homine, pauca admodum affert de ejus conſtitutione & naturâ; in argumentum enim de natura viſionis incidens totam penè Opticam proponit, quæ doctrina bene ab ipſo eſt exculta. In TERTIA SECTIONE de Cive, novam ſibi viam inveniſſe viſus eſt, qua demonſtraret Monarchiam. Liber ille paradoxis ſententiis eſt pleniſſimus, & velut quidam earum promicondus. Alter ille, qui ipſi ſubjunctus eſt, ſub *Leviathanis* nomine prodiit, ipſoque titulo arguente monſtri aliquid alere videtur. Continentur in illis libb. principia Tyrannidis, & Atheiſmi. Ex ejus ſchola certè BENED. SPINOSA prodiit, & quicunque ejus in Batavia partes ſequuntur. Editus etiam fuit *Leviathan* ejus Belgicâ linguâ, & ex Anglica in illam converſus eſt ab Abr. Berkelio, Viro docto, & editis in aliquot Autt. Græcos Commentariis celebri, quâ in Editione aliqua habentur, quæ non ſunt in Latina. Belgica Editio prodiit Amſtelodami, anno 1667. *in 8vo.* 14

Scripſit præterea *Problemata* quædam *Phyſica*, per modum Dialogi, in quibus pleraque ſuarum hypotheſium Phyſicarum proponit: ſed ita quidem exceptus eſt in nonnullis à ROBERTO BOYLIO, ut gloriari amplius de his hypotheſibus ſuis non poſſit. Fuit illi continua cum Philoſophis ceteris contentio. Vivebat, ſapiebatque ſibi quaſi extra ſocietatem conſtitutus, moroſus homo, omnia carpens & reprehendens, in exilium aliquando miſſus, urgente Clero, poſtea tamen revocatus. Conatus Regiæ Societatis contempſit, ideoque adverſus illum ſæpè conclamatum eſt. Boylius certè & Walliſius ipſi oſtenderunt, ſatis *modicè* apud illum *habitare philoſophiam*, quod ille lemmatis inſtar imagini ſuæ adſcribi curaverat: *En quam modicè habitat Philoſophia!* Acerbiores in ipſum popularium, quam ceterorum, cenſuræ fuerunt. In Gallia ejus Philoſophia Civilis magno cum applauſu eſt excepta, ac libri, illuc ſpectantes, in linguam 15

Gallicam converſi, curante Sam. Sorbierio, Hiſtoriographo Regio. Vernaculâ linguâ multi ſunt, qui adverſus ipſum ſcripſerunt integra Volumina. E Latinis cogniti nobis ſunt SETHUS WARDUS, qui *Exercitationem in Thomæ Hobbeſii Philoſophiam* ſcripſit, quæ ſtrictim ejus Paradoxa recenſet, & refutat. Prodiit Liber Oxonii A. 1656., *in 8vo.*; ſcripſit adverſus ipſum RICH. CUMBERLAND, in argumento de jure naturæ, librum ſatis operosè, & cum diligentia, conſcriptum. Deinde JOH. TEMPLERUS Theologica ejus dogmata præcipuè exagitavit, Theſes & Antitheſes diſtincta methodo ſibi ſubordinans, ex quo vel uno ſummaria dogmatum ejus cognitio haberi poteſt. Eſt & quidam GISBERTUS COCQUIUS, qui librum ſcripſit, cui titulus: *Hobbes Elenchomenus, ſeu Vindiciæ pro lege, imperio, & religione*, excuſum Ultrajecti, A. 1668., *in 12mo.* (*mmm*) *Vita* Hobbeſii nuper prodiit, qua continentur pleraque, quæ ad hiſtoriam ejus ſpectant. Recenſentur ejus libri; additur Carmen aliquod elumbe, cujus ipſe Autor eſt, quo Vitam ſuam deſcribit variis fortunæ viciſſitudinibus fluctuantem. Ex Hobbeſii fontibus BENED. SPINOSA hauſit, cujus *Ethica* aliique libelli, ab ipſo ſcripti, veſtigia ejus Philoſophiæ fuerunt, ita tamen diſcrepant, quòd, quæ Hobbeſius in arcanis habuit, ille profiteatur palam, atque ita planè non tegat Atheiſmum. Exſtat *Epiſtola* apud Spinoſam, qua ipſe exponit differentiam ſuorum & Hobbeſianorum dogmatum. Atque hæc de Thoma Hobbeſio dicta ſunto, de quo etiam hoc, quod ridiculum eſſe poſſit, obſervo, pleriſque illis Novatoribus Thomæ nomen eſſe.

16 PHIL. AUREOLUS THEOPHRASTUS PARACELSUS von Hohenheim. Mirabile huic homini, ut nomen, ita Ingenium fuit, novus quaſi literati Orbis Cometa, Novator in Theologia, & Philoſophia, ipſe penè illiteratus, i. e. nulla Scholaſtica doctrina imbutus. Mira huic animi, ſed planè ſylveſtris, fertilitas, tot nova peperit dogmata, perpetua Theologorum & Philoſophorum, offendicula. Magna tamen in ipſo mentis vis fuit, magna Arcanorum naturæ cognitio, quo factum eſt, ut Medicinam in novam aliquam ſpeciem transfunderet. Gloriari tamen Germani hoc nomine poſſunt. Hujus enim artibus penè tota Schola Medicorum Galenica de ſuâ dejecta eſt dignitate. Quòd ſi Viro illi contigiſſet in juventute literarum cultura, quibus ornaſſet ſuam doctrinam, non majus habuiſſet Germania Nomen. Quanquam nec αὐτοδίδακτος fuit Paracelſus, ſed præcipua doctrinæ ſuæ Iſaaci Hollandi ſcriptis ineditis, unde multa eum deſcripſiſſe quidam volunt, & Doctoris cujusdam Chymici Informationi, debuit. Nunc ſordes illæ monſtroſorum terminorum, quorum eſt ipſe Autor, infamant ejus doctrinam, & magiæ etiam ſuſpectam reddunt. Nam Magorum ſacra delibaſſe ipſum apparet, à qua ſuſpicione bona tamen fide illum liberat Gabr. Naudæus. Æquius quoque de illo judicabunt, qui, ſcripta ejus omnia eſſe poſthuma, nec à vivo quicquam literis com-

(*mmm*) *Vita Thomæ Hobbeſii* ἀνωνύμως prodiit *Carolopoli, apud Eleutherium Anglicum, ſub ſigno Veritatis,* an. 1681. *in 12.* Autorem, qui Nominis ſui Literas initiales R. B. præfationi ſubjecit, non alium eſſe credo, quam Radulphum Bathurſt, Collegii Trinit. Oxonienſis Socium, cujus in laudem Hobbeſii, ac Libelli ejus *de Natura Hominis,* Jambi elegantes, una cum Abrah. Covvlæi carmine ſimili Anglico, *Vita* huic ſunt præfixi.

comprehenſum, conſideraverint. Quòd ſi manus à Theologia abſtinuiſſet, minus in ſe derivaſſet invidiæ. Nam exſtant non ſolum inter Opera ejus edita, multa Theologica, ſed inter inedita etiam. Et adhuc ſuperſunt *in IV. Evangeliſtas Commentaria*, quæ linguâ Germanicâ ſcripta, in Bibliotheca Iſaaci Voſſii latitant, in qua ipſe ego vidi. Eſt quaſi pater Enthuſiaſtarum Recentt., qui è Theologiâ & Philoſophiâ quaſi mixtum ailquod chaos confecerunt, unde VAL. WEIGELIUS multa hauſit, & qui ex ejus Schola prodierunt. Quo nomine ipſe quoque JOH. ARNDIUS in ſuſpicionem eſt tractus, qui alicubi in libris ſuis vom Wahren Chriſtenthum / honorificam Paracelſi mentionem facit, ſed defenſus eſt peculiari ſcripto ab Henr. Varenio, Auguſti Parente. De Paracelſi Operibus, omnique Çhymicorum illa doctrina, prolixius ago in *Epiſtola de Transmutatione Metallorum*, ubi tota hiſtoria Autt. Chymicorum proponitur. Exſtat libellus quidam Germanicus, cui titulus: *Cyclopædia Paracelſica Chriſtiana*, à quodam SAMUELE SIDEROCRATE collectus, qui ſub titulis Locorum collocat ſententias Paracelſi, easque cum dictis S. Scripturæ conjungit. Impreſſus eſt liber ille Nirgendshemii, anno 1583., *in 4to.*

JOHANNES ESPAGNET. Autor hic totus quantus Chymicus eſt, ſed ex illis, qui 17
ſubtilitatem aliquam & ingenium attulerunt ad hanc doctrinam. Fuit Præſes Parlamenti Burdigalenſis. Nomen ſuum non præfigit, niſi Anagrammate involutum: *ſpes mea eſt in Agno*; & item alio: *Penes nos unda Tagi.* Libros ſcripſit duos, quorum alter titulum habet: *Enchiridion Phyſices reſtitutæ*; alter: *Arcanum Hermeticæ Philoſophiæ.* Primus liber per theſes conſcriptus eſt, proponitque dogmata magni momenti & ponderis. Ignem & Aërem, è numero Elementorum excludit. Mundos innumerabiles agnoſcere quoque videtur, quod fecerunt ante ipſum Jordanus Brunus, & Thom. Campanella, eamque ſententiam cum Scriptura S. conciliare nititur. Ceterum plana eſt ſcribendi ejus ratio, inque dogmatibus admodum perſpicua, & in hoc primo libro quaſi viam ſternit, & principia ordinat ad Opus *Arcani Hermetici.* Altero Lib. Chymicorum doctrinam, quantum per ipſa artis myſteria licet, diſtinctè, enucleateque proponit, ſine tricis, ut ante ipſum multi. Liber prodiit aliquoties recuſus, nunc autem rarior; nihil verò in omnibus exemplaribus illius mutatur. Unum ex illis prodiit Rhotomagi, anno 1647., *in 16mo.*

JOHANNES AMOS COMENIUS. Notiſſimus ille eſt vel pueris, qui non- 18
dum ære lavantur. Nam variis ſuis ſcriptis aliquam oſtendit novaturiendi pruriginem. Inſtituit novum philoſophandi genus, atque omnem doctrinam & Philoſophiam, à capite ad calcem, reformare voluit. *Panſophiam* enim molitus eſt, ac bene ad umbilicum perduxerat, cum ipſi, in patriæ ſuæ everſione, ſcriptum illud periret. Prodromum tamen ejus in lucem edidit, quem ſecuta ſunt nonnulla alia Philoſophici argumenti, quæ Amſtelodami edita ſunt, *in fol.* In Theologia ad Enthuſiaſmum accedere eſt viſus, ac lites cum Calvinianis habuit in argumento Viſionum Propheticarum, & millenarii Apocalyptici. In re Scholaſtica varias excogitavit methodos, diverſus à ſe ipſo interdum, & conſiliis ſuis diſtractus, quæ ego neque damnaverim, neque probaverim penitus. In aliquibus ipſe errores ſuos deprehendit. Quod Grammatica præcepta attinet, & Grammaticam

maticam Latinæ linguæ culturam, ejus aliqua ratio habetur, puræ & ſolidæ latinitatis nulla. Scatet barbariſmis ipſius *Janua*, fruſtra ab ipſo defenſa. Nam & ipſa *Aopologia* ejus, alterâ Apologiâ indigeret. *Grammatica* ejus *elegans* adeò non meretur illud nomen, ut plus turbet puram latinitatem. *Janua* ejus, utut compendium linguæ haberi poſſit, & nominum ac verborum ſimul junctorum, ſanæ tamen ſtructuræ, quæ conſiſtit in connexione verborum, uſu particularum, & forma periodorum, nulla illic haberi poteſt Idea. Quare jejunum ac macilentum ſermonem pueris, à prima ætate, inſtillavit, cum ſucciplenus magis, & nervoſus, ſermo hauriri poſſit ex integro aliquo ſermone, juſtis ſuis membris & commatibus concinnato, qui typus plus imprimit animo, quàm illa rerum multitudo, quanquam diſtinctiſſima.

19 Exſtat ejus *Phyſica ad lumen divinum reformata*, in qua Philoſophiæ naturalis principia è *cap. Gen. Imo* deducit. Laudo pietatem Viri, quæ tamen una non conficiet rem omnem. Neque enim ex illis principiis deducere omnia poſſumus, ac fuere forte alia principia totius ſyſtematis, cum crearetur, ac è quibusdam creatis producerentur nova, quàm nunc, cum per viam generationis philoſophandum eſt. Lucem primævam, materiam, & ſpiritum, tria ſtatuit Mundi principia, ſecutus autoritatem Sacri Codicis, ſed nunc de principiis alia dicenda erant: Quanquam, quod lucem attinet, audiendum ego illum eſſe exiſtimem. Nihil enim illa mirabilius, ac dedit illa fortè certis quibusdam corporibus ſua principia, an omnibus, incertum. An itaque ſtatui poſſit principium, non facilè Comenius evincet. His ſuis principiis confiſus, ſecurô pede procedit, & ex motu & qualitatibus quibusdam rerum affectiones deducit. Sub quibus tamen omnibus nil adeò ſolidi eſt, ut pectus ſaturare vera aliqua demonſtratione poſſit. Refert etiam huc doctrinam de Angelis, quæ ad Phyſicam propriè non ſpectat. Non ipſi tres tribuit partes, corpus, Spiritum, & Animam, auctoritate Apoſt. *1. ad Theſſ. V. 23.* Spiritum illum autem in homine habet, quaſi colonum aliquem ex illo mundi Spiritu, quem è Sacris agnoſcit, pro quo etiam Apologiam ſcripſit ſingularem. Scripſit & *Tractatum de frigore*, ſed ſatis quidem frigidè; nihil enim accuratioris demonſtrationis illi ineſt, quàm apud Boylium invenias, qui de eodem argumento lingua Anglica ſcripſit, Ejus hypotheſes ſecutus eſt magna ex parte Joh. Bayerus, in *lib.* illo, quem inſcribit *Oſtium & Atrium naturæ* editum Caſſoviæ in Hungaria, Anno 1662., *in 8avo.* Ille quidem operoſior eſt ipſo Comenio, & magna cum diligentia maſſas & formas diſtinxit ſuas, ſed ſi rem rectè perpenderis, nihil præter terminos, & nomina, ſed planè nova, inveneris, quibus nihil ſubeſt demonſtrationis. Poterant hîc plures adduci Novatores, ſed conſultius viſum eſt, illos ad Autores Phyſicos remitti. Illam enim Philoſophiæ partem præcipuè aggreſſi ſunt. Autores verò, qui Encyclopædias ſcripſerunt, & Veterem Philoſophiam nova Methodo propoſuerunt, *Tomi I. Lib. 2. c. 5. & 7.* jam enumeravimus, nec iſtic allata huc denuò tranſcribemus.

D. G. MOR-

D. G. MORHOFI
POLYHISTORIS
TOMUS II.
PHILOSOPHICI,
LIB. II.
SIVE
POLYHISTOR PHYSICUS,
in PARTES II. diviſus.

PARTIS PRIMÆ
CAP. I.
QUOMODO HISTORIA NATURALIS SIT INSTITUENDA, E MENTE FRANC. BACONIS VERULAMII, ET EJUS SEQVENTIUM VESTIGIA.

§. 1. *IN Naturæ Scrutinio duplici potiſſimum ratione peccatur, vel ſenſibus nimium tribuendo, vel nimiam argumentandi ſubtilitatem ſectando. Hâc ratione peccatum eſt ab Ariſtotele, à Democrito autem corpora in atomos ſcindendo, & his ſolis inhærendo. 2. Franc. Baconis Verulamii, cui tanquam Hodego, magnam partem debetur, quicquid ab Anglis, aliisque, in Philoſophiâ Experimentali hactenus eſt præſtitum, Diviſio Hiſtoriæ Naturalis in Narrativam, quæ ſola hactenus eſt exculta, & Inductivam, ab omnibus ferme neglectam, deque iſta diligentius excolenda Conſilium. 3. Conſilium hoc ſecuta Societas Regia Anglicana ſtudium Hiſtoriæ illius Inductivæ non infeliciter cœpit excolere. 4. Partitio Verulamiana Hiſtoriæ Nat. Inductivæ in Hiſtoriam: 1. Generationum*

2. Prætergenerationum, ſive Monſtrorum (quibus etiam Veneficia, Divinationesque, poſſunt adjungi,) 3. Immutationem per Artem, qua occaſione prolixe de Artibus Mechanicis, Cognitione illarum accuratiori Philoſopho neceſſaria, hujusque parandæ modis, & Scriptis eò facientibus (inter quæ Thevenatii Opus affectum eminet,) diſſeritur, & quanto Artes vel ſordidiſſimæ Philoſopho poſſint eſſe uſui, exemplo Libri de Fermentatione, *à Thoma Williſio ſcripti, oſtenditur. 5. Hiſtoriæ Immutationum Mechanicæ Pars etiam eſt Hiſtoria Falſationum. 6. Artium Mechanicarum ſummus in Phyſica Uſus Exemplis & Experimentis variis demonſtratur. Transmutatio Ferri in Cuprum poſſibilis. Cupri cum Ferro, Stanni cum Argento, Aquæ Frigidæ & Glaciei cum Stanno Fuſo, Inſociabilitas. Aurum admodum extenſibile. Frumentum Siliginis pro Fundi diverſitate nobilius, vel ignobilius. Panes igne, ſeu lentiori, ſeu fortiori, cocti, majus, & idem quidem ſemper, pondus acquirunt. Sebaldi Mülleri* de Fraudibus Piſtorum *Libellus. Baſ. Valentinus curioſus Cocturæ Salium Obſervator. 7. Hiſtoria Naturalis, ex Inductiva & Narrativa mixta, commendatur. Quanti uſus ſint aliorum in Converſatione Erudita Relationes, exemplo Rob. Boylii, plus juſto licet creduli, oſtenditur. 8. Appendices Hiſtoriæ Naturalis ſunt Problemata Phyſica (qualia Ariſtoteles & Alex. Taſſonus ſcripſere,) & Placita Philoſophorum, quorum Cognitionis Utilitas extollitur, & Veterum Inventa, Operaque Naturalia, hodiernis præferenda, ſuffragio Merici Caſauboni confirmatur. 9. Inquirendum etiam in Errores Vulgares eorumque Cauſas, de quibus Thom. Browne, Jac. Primeroſius & Mericus Caſaubonus ſcripſere. 10. Notanda ſunt Inventa atque Experimenta certa, Res item deperditæ, & pro Impoſſibilibus, hisque proximis, vulgo habitæ. 11. Utilitas Muſæorum Naturalium & Hiſtoriæ illorum, à quorum Collectoribus, in Herbariis Vivis conficiendis, aliisque Minutiis congerendis, Vitio aliarum etiam Scientiarum Cultoribus familiari, ſæpe peccatur. 12. Joh. Dan. Majoris Opus de Muſæis hiſce Hiſtoricum affectum. Conſilium Autoris de Hiſtoria Muſæorum Univerſali, accurate obſervato Rerum Naturalium, in iis latentium, ordine, conſcribenda. Laus Muſæi Metallici Ulyſſis Aldrovandi. Conſilium Verulamii Crypticum de Gazophylaciis rerum Naturalium diſtinctis adornandis, & per Homines idoneos augendis & dirigendis, ex* Atlantide Nova *prolixe repetitum. 13. Secuta eſt iſtud magna ex parte Societas Regia Anglicana, cujus Hiſtoriam edidit Thom. Spraat, in Verulamium, Gentes alias, quibus Anglos, & Tempora Antiquiora, quibus noſtram Ætatem, palmam in Studio Phyſico excolendo præripuiſſe jactat, iniquior. Ambitio Anglorum Literaria inanis, in Joſ. Glanvilio quoque, Soc. Regiæ Encomiaſte, notata. Opponuntur utrique Mer. Caſaubonus & Henr. Stubbe, Angli, Antiquorum contra Societatem hanc, quam Plagii etiam accuſant, Vindices. 14. Ars à nativitate ſurdos ac mutos informandi, quam Angli, tanquam à Joh. Walliſio & Wilh. Holdero inventam,*

ſibi

ſibi vindicant, jam ante à Johan. Paulo Bonetto, Rud. Agricola, aliisque, eſt propoſita. 15. *Societatis Regiæ Anglicanæ Ortus, Progreſſus, Conſtitutio, & Methodus in res Naturales inquirendi. Abr. Cowteji Poëma, quo ei præluſit.* 16. *Alibi etiam Gentium Collegia iſtiusmodi Phyſica inſtituta, à quibus Relationes de Rebus Naturalibus Medicisve quotannis eduntur. Tales ſunt Romanæ, Florentinæ, Gallicæ J.Bapt. Dionyſii (Gentibus aliis pleraque debentes.) Anglicæ Henr. Oldenburgii, Hafnienſes, & Germanicæ tandem (de quibus durius fertur judicium) Academiæ Naturæ Curioſorum. Germaniæ Chymici alios omnes ſuperant, ac proinde, ut ſuas edant Obſerv., optatur. Germanorum Indoles Inquiſitiva à Th. Spraato celebrata.* 17. *Commendatur Magni Pegelii* Theſaurus Rerum Selectarum, *A. 1604. editus, in quo multa noſtræ ætatis Inventa jam propoſuit, & ad ſtudium Philoſophiæ Experimentalis alios excitare eſt conatus.* 18. *Proceditur ad Methodum Experimenta indagandi, ingensque in iſta Artis Analyticæ, & Locorum Dialecticorum, Uſus, contra Thom. Spraatium aſſeritur. Sed Analytica iſta, cum propagine ſua, Arte Inventiva, inter deſiderata refertur. Commendantur Scriptores ei inſervientes, Verulamius, Autor* Artis cogitandi, *& Rob. Boylius.* 19. *Verulamii Partitio Artis Experimentalis, & Septem Modi Experimenta capiendi, cum variis illorum Exemplis.* 20. *Reducuntur iſti ad Locos Dialecticos Generales, & in alios viciſſim Locos Specialiores ſubdividuntur.* 21. *Quibus inveniendis & ordinandis mire inſervit Index Categoricus.* 22. *Modus Inartificialis Experimenta capiendi, ex ſolo caſu pendens, & Chymicis familiaris. Huc perperam à Verulamio refertur Ignis in Corpora operatio. Cujus occaſione complura adduntur de Præſtantia ſtupendisque Effectibus Deſtillationis Clauſæ, quâ Natura etiam ipſa utitur in Generatione Animalium & Metallorum. Hanc, ſecretiori Chymiæ propriam, à nemine adhuc tentatam eſſe falsò credit Verulamius.* 23. *Verulamii Partitio Philoſophiæ Naturalis.* 24. *Doctrina de Fabrica Univerſi parum hactenus eſt exculta, & Humano Ingenio vix comprehenſibilis. Ad eam ſpectat Rob. Boylii* Lib. de Coſmicis Rerum Affectionibus. *Ob hujus Ignorantiam Cauſæ latent multorum* φαινομένων *Naturalium, qualia Aſtrologia divinatrix haud parcè ſuppeditat.* 25. *Phyſicæ Sparſæ, ſive Specialis, Subdiviſio Verulamiana, cujus occaſione, quàm inſufficientes ſint Hypotheſes Modernorum, ex Materia ſive Corpuſculorum Schematiſmis, vel Motu etiam, omnia deducentium, inculcatur.* 26. Metaphyſica Phyſica *Verulamii Cauſas Rerum Formales (de quarum cognoſcendarum ratione Autor diſſerit, addito Nivis exemplo,) & Finales ſcrutatur.* 27. *Phyſicæ Operativæ Partes illi ſunt Mechanica & Magia Naturalis.* 28. *Appendix autem & Miniſtra Philoſophiæ Naturalis Matheſis, cui dum Moderni, præeuntibus Democrito & Pythagora, Imperium in iſtam vindicant, non minus peccant, quàm Peripatetici, Logicæ idem aſſerentes.* 29. *Elogium Verulamii, & Scriptorum ejus Phyſicorum.*

1 CUm nihil ſit inter omnia Objecta inquiſitione dignius, quàm univerſa hæc rerum natura, omni ope laborandum eſt, ut ejus cognitionem habeamus, quàm fieri poteſt, perfectiſſimam. In illa â tot jam ſeculis laboratum eſt, laborant etiam nunc viri Eruditi & Illuſtres. Quandoquidem verò varia hominum præjudicia varietatem ſententiarum induxerunt, ideoque in tot ſententiarum fluctuationibus incerti ſumus, quid ſequamur, quid fugiamus, inque omnibus illis pene, quot capita, tot ſenſus, habemus. Senſus quidem, quo maxime duci debebamus, deſerit ſæpè nos & fallit. Deſerit, nam ſenſus interdum ſtupent in apprehenſione rerum, quæ, vel exilitate ſuâ, vel vaſtitate, captum excedunt. Fallit ſæpè ſenſus in ipsâ illâ apprehenſione: unde obſervatio indiligens & inæqualis eſt, ſiſtiturque intellectui materia aliqua vitioſa, cui, tanquam fundamento, ſuperſtruuntur falſa Axiomata & principia. Alterâ parte peccat argumentandi nimia ſubtilitas, quæ potius perplexiora reddet omnia, quàm expediet, Naturâ enim ferimur ad aſſenſum, ut tædia inquiſitionum circa individua ſubterfugiamus: hinc ex qualicunque apprehenſione argumentari ſtatim incipimus â particularibus, qui communis eſt Elenchus, quo vulgò peccatur. Oriuntur hinc meræ notiones, & aliquod in Phyſicâ Sophiſticum philoſophandi genus, dum cupimus potius conceptus noſtros in naturam inferre, quàm illos ipſos ex naturâ formare. Suo vitio laborat Ariſtotelis Phyſica, qui è principiis Logicis Phyſicam potius nobis dedit, quàm ex ipſis principiis Phyſicis. Intellectus humanus per naturam ſuam fertur ad abſtracta, atque ea, quæ fluxa ſunt, fingit eſſe conſtantia. Sed abſtractio tamen illa, dum figit animum in iſtâ Contemplatione, quam ſibi ex naturâ imperfectâ formavit, ſimul ab ipſis principiis naturæ abducit. Quo modo laudandus præ Ariſtotele eſt Democritus, qui, ut in materia maneret, maluit ſecare naturam, quàm inde abſtrahere. Ariſtoteles verò ad generaliores formarum conceptus quoſdam dilabitur, dimiſsâ è manibus materiâ. Sed & ipſe Democritus non minus peccavit, dum in Atomos ſcindebat materiam: non enim reſpiciebat ad maſſas Corporum naturalium, & ad fabricam illorum mutuam, unde tot oriuntur in naturâ φαινόμενα, per ſimplices iſtos particularum Conceptus non explicabilia.

2 Hos aliosque defectus ſentimus in indagatione Cauſarum naturalium, quos ſub nomine Idolorum, in *Novo* ſuo *Organo*, proponit BACO VERULAMIUS, & prolixe explicat, quam ob cauſam de remedio his hominum morbis quærendo, quoad ejus fieri potuit, fuerit ſollicitiſſimus. Ac commentus eſt viam aliquam maximè planam & naturalem, quâ per Inductiones, ſibi ſubordinatas, ad principia deveniret. Hanc ille Hiſtoriam naturalem Inductivam vocat, cujus ille Rudimenta aliquot Exemplis, in *Hiſtoriâ Ventorum*, & in *Hiſtoriâ vitæ & mortis*, magnâ cum curâ, proponit. Ubi non ſatis mirari poſſumus profunditatem iſtius ingenii, in Methodo indagandæ Veritatis, ac Experimentorum inveniendorum. Unde certè, qui hodiè tot libros implent, quam plurimum hauſere ſuarum cogitationum. Id enim facile expeditum dabo, nihil nunc præclari ab Anglis iſto in argumento ſcribi, & pro ſingularibus cogitationibus vendi-

venditari, cujus veſtigia non inveniantur apud Verulamium, paſſim in ſcriptis ejus. Ille enim, aliis negotiis impeditus, digito quaſi oſtendit vias, quas agmine facto jam occupant multi, ac ſibi inventionis gloriam tribuunt. Longè certè vaſtius ingenium hujus viri eſt, quàm eorum, qui in leviculo experimento tot triumphos canunt. Hic enim promptuaria ſunt & fodinæ, ut ita dicam, præclararum cogitationum, illi ab uno quodam & exiguo experimento ſtatim plerumque univerſam rerum naturam ſuſpendunt, quod jam præviderat ante Baconus futurum *lib. 1. novi Organi, Aphoriſmo 64.* Ex mente itaque Baconis Hiſtoria Naturæ, reſpectu uſus & intentionis, dividitur in *Narrativam* & *Inductivam.* *Narrativam* illam vocant, quæ non certis fundamentis ſuperſtructa eſt, ſed hinc inde vagatur, omnia conſignans, quâcunque ratione accepta & tradita, ſaltem ut aliquid ſciatur, quó animus oblectetur & ſuaves offuciæ menti illinantur. Quo etiam argumento penè omnes, quotquot nunc Hiſtorias naturales ſcribunt, verſantur. Nulla enim in illis vera eſt inductio, aut Topica aliqua ſpecialis inquiſitio, ſed omnia ſine diſcrimine, vera, falſa, ficta, in cenſum & ordinem referunt. Sed hi longè abſunt â Philoſophiæ naturalis penetralibus, niſi quod Chaos aliquod forment, cui lumen mentis infuſum ordinatius aliquod Syſtema conficere poteſt, rejectis illis, quæ falſa ſunt & inania. De his *cap. 2.* plura dicemus. *Inductiva hiſtoria* meritò inter deſiderata Verulamio ponitur. Nullus enim ante illum fuit, cui vel in mentem venit tale quid comminiſci, & revera tamen absque iſtâ viâ, utut laborioſâ, vix quicquam præclari præſtatur in doctrinâ Phyſicâ. Et quanquam ante Verulamium fuerint Viri ſolertiſſimi, qui novis quibusdam rationibus explicare tentarunt naturam; illis tamen vel naturæ ductus hanc viam inveſtigationis aperuit, vel ipſi, in imperfectione ſuâ ſubſiſtentes, Theatricam Philoſophiam, more majorum, nobis conſtruxerunt ceu talem, quæ ad autoritatem opinionibus faciendam, & ſectas inſtituendas, fuit adornata. Quanquam etiam ipſe Baconus ad optatum finem cogitata ſua perducere non potuerit, immenſitate argumenti victus. Nam unius illud opus eſſe ipſe pernegat; ſed multorum tantum eſſe, qui uno conſilio ducuntur, & qui ſumtus, tanto operi pares, ſufficere poſſunt. Fruſtrà itaque dicit tentari, niſi Regiis auſpiciis res procedat. Fatendum tamen eſt, lineamenta ab illo ducta anſam dediſſe poſteris, ut colores illis adderent. Colores dico: nam ſanè non parum mihi videtur à via iſta regia deflecti, quam præſcripſerat Verulamius.

3 Conſilio hujus viri debemus tamen, quicquid hactenus præſtitum eſt in Societate Anglicâ. Ideam enim iſtam ſibi propoſuerunt, quam in libris duxerat Verulamius. Hinc videmus, in *Hiſtoria Societatis Regiæ*, primùm in inſtitutione ipſa Verulamianam iſtam methodum indagandi Experimenta luculentius propoſitam. Adduntur certi quidam inquiſitionum Articuli, circa Subjecta quædam naturalia, more Baconiano concepti, quales ſunt Inquiſitiones circa gemmas Orientales (quæ tamen non ex natura ipſa, ſed ex relationibus artificum petitæ,) Inquiſitiones circa variationes tempeſtatum, Inquiſitiones circa confectionem vinorum, circa ponderum diverſitatem, circa cocturam nitri, circa confectionem pulveris pyrii, circa praxin artis tin-

ſtoriæ, circa generationem Oſtreorum, quomodo apud Verulamium Inquiſitiones de ventis, de duratione rerum, vitâ & morte, de naturâ gravis & levis, duri & mollis, ſonorum, corporum metallicorum, &c. reperiuntur. Quod ſi hâc ratione à viris iſtis circa omnia naturæ Subjecta laboretur, poſſet aliquando univerſaliſſimum Opus Hiſtoriæ naturalis confici, ut ab initio ſibi propoſuerunt, niſi in illa obſtacula inciderint, quæ vel à communi ingenii humani labe oriuntur, aut in particularitate Experimentorum, quæ præjudicare ſolet axiomatibus univerſalibus, ſubſtiterint, omnia ad unius vel alterius Subjecti normam redigentes, quæ ſedulò caveri jubebat Verulamius.

4 Hiſtoriam ſuam Inductivam ita partitur Verulamius. Primùm Hiſtoriam generationum Hiſtoriæ ſuæ primam partem conſtituit, cui partes ſubordinatas ſubjungit: 1. Hiſtoriam cœleſtium, quorſum Cœli φαινόμενα pertinent, 2. Meteororum, 3. Terræ & maris, quæ ſunt Univerſi partes integrales, 4. Maſſarum materiæ communium, ſive Collegiorum majorum, ut vocat, quæ vulgò Elementa dicuntur, ratione ſuæ totalitatis, ut ita loquar, communiumque earum affectionum, ſeu ſpecierum minorum. Speciales Titulos, ſingulis capitibus generalibus ſubordinatos, ipſe dedit in *Paraſceve ad hiſtoriam naturalem*, quæ ſubjungitur *Novo* ejus *Organo*. Huic generationum hiſtoriæ addit alteram prætergenerationum; Nam tripliciter naturam conſiderat, ſecundum quam conſiderationem hiſtoriam etiam partitur. *Imo* in Libertate ſuâ, quò pertinet hiſtoria generationum, *IIdò* in Erroribus ſuis, quò ſpectat hiſtoria prætergenerationum, ſive monſtrorum, qualem hactenus nos habere negat: nam qui hac de re libri conſcripti ſunt, multa fabuloſa continent, & ſine ordine ac methodo res ſuas proponunt. Oportebat verò omnes prætergenerationum modos generationibus conjungi, ut inde melius innoteſceret naturæ operatio, ejusque vel uniformitas, vel diverſitas. Non referendæ tamen ad hanc claſſem ſunt ſuperſtitioſarum narrationum hiſtoriæ, quæ ſine fide vulgò circumferuntur. Si quæ tamen certò conſtent de maleficiis, faſcinationibus, incantationibus, ſomniis, divinationibus, non planè ab hoc ordine excludit, in quantum à cauſis naturalibus errantibus propagata videntur. *IIItiò* in immutatione ſua, quæ fit per artem. Facit itaque tertiam partem Hiſtoriæ naturalis, Hiſtoriam Artium Mechanicarum, optimo profectò & præclaro conſilio. Peſſimus enim illorum error eſt, qui indignam Philoſopho putant artium mechanicarum conſiderationem, tùm quòd ſecundum eorum opinionem, magna diverſitas inter opera naturæ & artis ſit, quæ tamen nulla eſt, cùm nihil fieri poſſit per artem, quod non mediante naturâ fiat, tùm quod Philoſopho circa ſubjecta ſpecialia verſari indecorum putant. Hinc verò omnis fundi philoſophici calamitas eſt, dum de rerum naturâ ſecuri, ſecundum rationis perverſæ εἴδωλα philoſophamur, ac nihil in communem utilitatem afferre poſſumus ex inanibus ingenii ſpeculationibus. Ea parte ſolidari debet naturæ cognitio ac ſtabiliri; quicquid enim experimentis quotidianis diſci poterit, in lucro deputandum eſt. Unde fit ſæpè, ut ruſtici, nautæ, metallifoſſores ac Mechanici artifices, promtius rerum cauſas ſubminiſtrent, quas ſubminiſtrare nequeunt theatrici & cathedrarii Philoſophi.

Indi-

Indignum verò eſt Philoſopho, eâ parte ſuperari à viliſſimis hominibus. Quare omni ope nitendum eſt, ut habeamus, quàm fieri poteſt, accuratiſſimam artium mechanicarum cognitionem, quæ nihil aliud ſunt, quàm Phyſica vel Matheſis operativa, & in praxin deducta. Benè hoc intelligebat Ariſtoteles, qui ad hiſtoriam ſuam naturalem artifices conſulebat. Sed ſolæ relationes nondum rem omnem abſolvunt: multa enim aliter accipimus interdum, quàm ſunt res ipſæ, ideoque penitior quædam ſcientia eſt habenda, non tantùm nuda hiſtoria. Nec in hiſtoriâ naturali tantùm, ſed in perfectione intellectus ad omnia etiam vitæ genera iſta prodeſt notitia. Quare ſemper ſuadere ego ſoleo, ut pueris, quamdiu uti ratione diſcunt, exhibeantur artium mechanicarum artificia, ut modos operandi videant, & inſtrumentorum nomina diſcant. Incredibile dictu eſt, quàm perficiat hoc intellectum in apprehenſione rerum. Omnium enim rerum quaſi præſentes ſe ſiſtunt ideæ, eoque ingenium paulatim præparatur ad analogiam aut concluſiones ex univerſali illa notitia faciendas: unde & ſtabiliuntur axiomata generalia, & via ſternitur ad inventiones rerum maximarum, quæ magno eſſe commodo in vitâ humanâ poſſunt. Nam illa plerumque tenuibus orta ſunt principiis. Hîc verò nolim ſuperficiariam aliquam & leviſſimam ſcientiam, qualem nobis proponit Alſtedius in ſua *Encyclopædia*. Illa enim vulgarior tantum & ſuperficietenus doctos faciet. Seligendi illi, ſi qui haberi poſſunt, qui artes mechanicas libris integris perſecuti ſunt, ut habemus nonnullos, qui inferius datâ occaſione recenſebuntur: ipſi, quod præcipuum eſt, artifices conſulendi ſunt; etiam eorum ſecretiora inquirenda, quæ diligentiſſimè notanda ſunt. E veteribus ſcriptis nihil horum habemus, vel certè admodum jejuna, cujus cauſa veteri illi morbo imputanda eſt, quòd ſcil. Philoſophi infra dignationem ſuam poſita hæc crediderint. Habemus aliqua de Agricultura, Horticultura, Piſcatione: de metallicis Operationibus nihil, quæ tamen circa nobiliſſima Subjecta, Corpora ſcil. perfectè mixta, & globi hujus terraquei medullas, verſantur. Hodie non pauci ſunt, qui in iſto argumento ſollicitiores ſunt. Ne quid enim dicam de Societatis Anglicæ conatibus, cujus induſtriâ effectum eſt, ut permulta prodierint, ſcripta ſermone Anglico, ad artes Mechanicas ſpectantia. Unicè hunc fundum occupaturus eſt, quod ex relationibus amicorum ſcio, Vir illuſtris, THEVENOTIUS, Gallus, qui hiſtoriam aliquam univerſalem Mechanicam molitur, & præterea, ſi rectè memini, Corpus aliquod ſcriptorum Mechanicorum Veterum & Recentiorum editurus eſt. Inter artes verò Mechanicas præferendæ ſunt illæ, quæ corpora naturalia & rerum materialia exhibent, alterant & præparant, ut Agricultura, Coquinaria, Chymica, Tinctoria, Vitrificatoria, Confectoria, Sacchari, pulveris pyrii, Ignium artificialium, papyri, &c. Illæ verò tenuioris ſunt usûs, quæ in ſubtili uſu manuum & inſtrumentorum conſiſtunt, ut Ars textoria, Architectura, &c. Sed ne ſordida quidem artificia hìc ſunt excipienda, & maximè vulgaria, unde ſæpè plus diſcitur, quod ad Rem Phyſices facit, quàm ex ſubtiliſſimis Artibus Mathematicis. Cùm pulcherrimum ſuum *de fermentatione* Tractatum ſcriberet THOM. WILLISIUS, plus didicit è cellis vinariis & cereviſiariis, quàm è Scri-

è ſcriptis Philoſophorum. Vulgare enim opus fermentationis eſt, & tamen tanti usûs, ut hoc principio corpora naturæ fingere & refingere pro lubitu poſſimus, & hac in re experimenta Muliercularum ac Coquorum, magno nobis uſui erunt. Nemo enim inter illos eſt, qui non ſingulare aliquid obſervaverit circa artem ſuam, vel caſu, vel aliquâ etiam ratione. Unde ſagacior Philoſophus depromere poteſt, quæ ſunt in rem ſuam, univerſalia ſcil. axiomata formare, è quibus deducat ſimilia experimenta.

5 Ad Hiſtoriam Artium Mechanicarum ego etiam retulerim, quod omiſit Verulamius, *Hiſtoriam falſationum*, quibus uti ſolent, tùm artifices, tùm mercatores. Si quis enim curioſius eas inquirere velit, facili negotio, magnum aliquod volumen conſcripturus ſit, quarum rerum cognitio, præterquam quod acuat intellectum, & experientiam phyſicam locupletet, Oeconomicam etiam prudentiam magnâ ex parte perficit. Quòd ſi enim noverimus falſationes rerum, eò dilucidiorem habebimus notitiam artium ipſarum. Oppoſita verò inter ſe illuſtrantur. Utrumque cognitionem naturalem juvat.

6 Si Exemplis probare ſententiam noſtram velimus, integrum volumen facilè conficeremus de uſu artium Mechanicarum in Philoſophiâ Naturali. Sed pauca tamen tangemus hoc loco, inque medium afferemus. Disquiritur inter Phyſicos, an transmutatio ferri in Cuprum fieri poſſit? ajunt multi, multi negant. Et videmus tamen in Hungariâ, aliisque locis, per aquas vitriolicas ferri ſubſtantiam in ſubſtantiam Cupri tranſire. Ferrum ſcilicet rubiginoſum, & uſu jam tritum, imponunt aquæ vitriolicæ; illud certô aliquô temporis ſpatiò in pulverem rubiginoſum convertitur. Pulvis ille, igne fuſorio vexatus, in optimum Cuprum funditur, quod jam ante confuſionem erat, remanentibus tantùm paucis quibusdam fæcibus metallicæ naturæ & ductibilitatis expertibus. Quantum enim partium Mercuralium in ferro latet, tantum ſulphuris Cuprei recipit, atque ita revera mutatio in Cuprum accidit. Kircherus verò aliique transmutationum Metallicarum impugnatores, ajunt, è vitriolo præcipitari latens Cuprum. Quod falſum eſſe, paucitas ſcoriarum remanentium evincit. Quo enim tantum ferri pondus receſſit? Refutat tandem experientia fabrilis. Notum enim eſt omnibus fabris ferrariis, minimam Cupri portionem, maſſæ ferreæ inſertam, ubi illa candet ab igne & cuditur, id efficere, ut ferrum undique diſſiliat, & hinc illinc ſpargatur, non ſine adſtantium periculo. Quod ſi itaque per præcipitationem cuprum paratum eſt, quomodo â fabro tractabitur? Jam diſquirant Philoſophi Naturales de transmutatione ipsâ, & de ratione difficilis ſociationis cupri & ferri. Mirabile enim eſt, ab exiguâ particulâ cupri tantam ferro candenti fragilitatem communicari. Similiter, ſi multæ argenti libræ fundantur, iisque exiguam quantitatem ſtanni injiciant, impoſſibile eſt argentum naturalem retinere ductibilitatem; fingat, refingat faber, ut volet, nunquam obſequetur malleo. Quare ſedulò cavent Aurifabri, ne illud miſceatur argento, cùm cetera metalla miſceri facilè poſſint. Hîc jam labor eſt Philoſophi, ut inquirat de natura ſtanni, diffuſione ſcilicet exiguæ particulæ per

tantam

tantam argenti molem, & fragilitate ſtanni argento communicata. Similiter ſtanno liquato aqua frigida, vel minima particula glaciei, non eſt immittenda, niſi velimus ſtannum fuſum hinc illinc ſpargi. Huic ſi pinguia & oleoſa immittas, ferrumque madidum inſeras, non diſſipabitur ſtannum, ſed cum ipsô ferrô unietur. Ex hoc artificio diſcimus, quæ ſit convenientia oleoſi cum ſtanno fuſo, aquæ verò disconvenientia. Videndum itaque eſt, quâ in re diverſitas illa conſiſtat. Bracteatores artificia multa docebunt Philoſophum naturalem de auri & argenti naturâ. Aurum duplâ proportione excedit penè naturam argenti. Quâ ex diſtenſione (nam incredibile penè eſt, in quot folia unus aureus poſſit extendi) probari etiam poteſt poſſibilitas transmutationis metalli ignobilioris in aurum. Piſtoriæ artes vulgares ſunt, & cuique obviæ: Interim, ſi omnia animadvertas, fermentationis naturam præcipuè, multa ex vulgari illo artificio diſces. Frumenta, ſiligo præcipuè, ratione fundi, in quo creſcat, ſingulares habent virtutes. Præcipuum & ponderoſiſſimum frumentum ſiliginis eſt, quod in fundo arenoſo creſcit. Secundum locum obtinet, quod in fundo lutoſo, Tertium locum, quod in fundo humido. Primum illud nobiliſſimum eſt, adeò, ut modius menſuræ Pruſſicæ C. libras ponderet. Quód frumentum, ubi molâ bis comminutum eſt, XV. libræ furfuris remanent. V. libræ farinæ puræ, ſi coquantur igne, poſt fermentationem debitam panem efficiunt VII. librarum: duas enim libras addit portio aquæ, maſſæ iſti quaſi incorporata. Quæ maſſa V. librarum, ſive lentiori, ſive fortiori igne, coquatur, idem tamen pondus retinet, quæ res inquiſitione Philoſophi digna eſt. Nam certè videretur fortiori igne plus aquæ expulſum. Deprehendere ergò vel in illo Exemplo licet naturam fixionis, quâ per ignem majus pondus corpora acquirunt. Præterea hôc in artificiô, ſi quis illud rectè exploratum habeat, detegere facilè technas & fraudes piſtorum poteſt, ut detexit aliquis Sebaldus Müller/ ipſe piſtor, in Opuſculo Germanico, cui titulus: Becker-und Müller-Ordnung Qui ſales coquunt, multa ſubminiſtrare poſſunt ad arcanam & interiorem Phyſicam ſpectantia. Nam, penè quot genera ſalium ſunt (quorum magna, tùm ratione naturæ, tùm ratione fundi, eſt diverſitas), tot ſunt præparandi modi. Nemo autem curioſius inveſtigavit, quàm Basilius Valentinus, ſive verum illud Autoris nomen, ſive fictum ſit, in ſuâ *Haligraphiâ*, quam edidit Joh. Toldenius. Sed pauca iſta nobis ſufficiant. Nam ſi ſingula diſcutere velimus, magni voluminis illa res eſſet. Titulos ſpeciales artium Mechanicarum, quorum ſingularis in Philoſophiâ naturali uſus eſt, vide concinnatos apud Verulamium *in Paraſceve ad Hiſtoriam naturalem.*

Hoc itaque modo, ſecundum mentem Baconis inſtrui debet Hiſtoria naturalis Inductiva. Cùm verò Opus illud non unius hominis ſit, aditus tamen tentandus eſt, &, quatenus noſtrâ operâ res produci poteſt, producenda. Quòd ſi itaque Hiſtoriam ex omni parte Inductivam habere non poſſumus, conficiamus aliquam ex Inductivâ & Narrativâ quaſi mixtam, ita ut ſub ordine corporum naturalium colligamus, quicquid vel experientiâ noſtrâ inquiſivimus, vel relatione fide dignâ accepimus, vel cogitatione noſtra ſuſpicamur; proderunt tamen iſta omnia, quanquam imperfecta. 7

Quam rationem tenent Viri Eruditi, qui præclari aliquid conantur in Operibus naturæ. Ex omnibus Roberti Boylii libris patet, diligentiſſimum illum eſſe conquiſitorem hiſtoriæ Naturalis, tum ex experimentis propriis, tum alienis, tum ex Amicorum relationibus. Quâ in parte credulus nimis videtur vir alioquin ſagaciſſimus. Si quis librum ejus legat, quem Anglicâ linguâ ſcripſit *de Uſu Philoſophiæ naturalis,* mera hîc inveniet experimenta, per hiſtoriam quandam, ſed confuſam, congeſta, ſuper quibus, ut habet fœcundum ingenium, philoſophemata ſua inſtituit. Magna illorum pars in relationibus conſiſtit, quarum fides, ſi non ſit dubia, multum commodi afferre poteſt in re naturali. Si quis accuratiùs agere velit, relationes de rebus naturalibus ſingulari libro ſeponere poſſit, & ad ulteriorem dijudicationem reſervare. Boylio certè converſatio illa cum tot Viris Eruditis, popularibus & peregrinis, magnam rerum naturalium lucem accendit, ac ſolemus interdum expeditiore viâ duci per relationes, quàm per lectiones. Boylii domus commune quaſi Oraculum eſt Gallorum, Belgarum, Germanorum, Italorum, qui ejus nominis famâ moti adeunt illum, ac ſermones ſuos miſcent, cogitata & experimenta ſæpè promunt. Ex variis illis relationibus, meditationibus, cogitationibus, ſi inter ſe ab ingenio profundo conferantur, multa analogiſmo quodam deprehendi poſſunt, etiam arcaniſſima, de quibus fortaſſe non cogitaſſemus, niſi hæc ſubminiſtrata fuiſſet occaſio.

8 Adjungit Baco Verulamius ipſi Doctrinæ Phyſicæ Appendiculas aliquas, quæ potiùs ad ipſam Hiſtoriam Naturalem referendæ videntur. Suntque *primò* Problemata Naturalia, quibus de effectibus naturæ inquiritur & cauſæ multiplices aſſignantur. Quale Problematum Specimen, Comm. Lud. Septalic. illuſtratum abſoluto, inter Ariſtotelis ſcripta habemus. Suntque non pauci etiam inter Recentiores, qui problematicè de multis Naturalis philoſophiæ capitibus egerunt, inter quos nunc ſuccurrunt *Alexander Taſſonus*, qui librum ſub Titulo *Cogitationum diverſarum*, linguâ Italicâ edidit. Et Arn. Sengverdius, cujus *Exercc. Phyſicæ* de Miſcellaneis quibusdam Phyſicæ Specialis, Amſt. anno 1658., *in 8vo.*, editæ, non contemnendæ ſunt, ac multa habent alicujus frugis. *Secundò* Placita Philoſophorum, quibus complectitur Dubitationes generales circa principia & fabricam hujus Univerſi, quæ res magni uſus eſt. Quanquam enim ſcientiam per ſe non pariat, tamen à præjudiciis abſtinet, ac libertatem nobis quidvis ſentiendi relinquit. Dubitatio, quæ principium eſt ſcientiæ, intellectum ad ſtatum inquiſitionis reducit, neque enim in dubitationibus ſubſiſtendum eſt, ſed eum ob finem dubitationes ſciendæ, ut in ipſam ſcientiam ducamur. Perducimur autem ſæpè, ſi, collatis tot ſententiis, naturâ Duce, tandem in aliquam dilabamur, quæ vero ſit conſentanea. Antequam verò dubitatio ſcientiam pariat, ſedulò cavendum eſt, ne dubitationem ipſam in ſcientiam convertamus, quæ deinde, accedente authoritate, ſectas parit. Quare nos rectè feciſſe arbitramur, quòd Hiſtoriæ noſtræ Naturalis primam partem conſtituerimus Hiſtoriam illam placitorum, quam inter Deſiderata refert Baco Verulamius. Eo enim fine id fecimus, ut tùm ipſi Hiſtoriæ naturali ſatisfaciamus, cujus maxima pars in eâ re conſiſtit, tùm ut

ex collatione mutuâ aliquam veritatem eliciamus. Id enim deprehendere licet, in tot ſententiarum divortiis, aliqua eſſe, quæ teſtentur, notiones Philoſophorum generaliſſimas aliquam inter ſe convenientiam habere, ut ſtudio naturali idem penè accidere videatur, quod accidit Aſtronomiæ, quæ ex diverſis hypotheſibus & Syſtematibus eadem effecta producit. Ac mirum certè eſt, olim, cum regnaret Notitionalis illa Phyſica, non defuiſſe tamen naturæ Artifices, qui, iſtis principiis nixi, ſtupenda tamen opera perfecerint, de quibus fruſtra laborant ſubtiles iſti & Lyncei Atomorum ſpectatores, qui adeò in numerato ſe habere omnes naturæ poteſtates exiſtimant, ſi quippiam ex habitu corporum exteriore deducant. Memorabilis illam in rem eſt Epiſtola Merici Caſauboni, Iſaaci filii, quam ad Petrum Molinæum de Studio Societatis Regiæ in Angliâ Anglico ſermone ſcripſit, in quâ veterum Inventa & artificia cum hodiernis conferens, antiqua iſta adeò præfert novis, ut omnes novorum conatus in iis indagandis per ſua principia ſint fruſtranei. Ad Hiſtoriam illam placitorum pertinent, non antiquorum tantùm Philoſophorum ſententiæ, quæ ex Hiſtoriis philoſophicis depromi poſſunt, aut ex iis, qui ſparſim earum mentionem faciunt, ut faſciculo illo Plutarchi *de placitis Philoſophorum*, ex citationibus Platonicis, ex confutationibus Ariſtotelis, aliis item, qui incidenter talia tractant, & rebus ſuis immiſcent, ſed nec excludendi hîc ſunt Recentiores, qui vel antiquorum Philoſophorum dogmata reſuſcitarunt, novisque argumentis confirmarunt, vel quorundam Philoſophorum principia confuderunt. Vix enim hodiè quis principia comminiſcatur, à Philoſophorum Veterum Scholis planè diſcrepantia.

Quarto addenda eſt Hiſtoriæ naturali Hiſtoria Errorum popularium. Quemadmodum enim per Errores ſapere vulgò ſolemus, ita & in re naturali magnum ſcientiæ promovendæ præſidium eſt, noſſe illa, quæ falſa ſunt, & ſub ſpecie veri Intellectui imponunt. Hoc in argumento nemo plenius inter Recentiores verſatus eſt, quàm THOMAS BROWNE, Anglus, Autor illius libri, qui inſcribitur: *Religio Medici.* Is patriâ linguâ librum ſcripſit hoc Titulô: *Pſeudodoxia Epidemica;* doctum ſanè & elegantem, quem in linguam Belgicam notiorem convertit aliquis Johannes Grůndahl/ Amſtelodami, anno 1668., *in 8vo.*, editum, & poſtea etiam alius in Germanicam. Hic primo libro doctè diſquirit de cauſis errorum in rebus naturalibus & particularibus. Neque enim ſolùm errores in Philoſophia naturali oſtendit, ſed & in ſententiis quibusdam Hiſtoricis, Theologicis, ac in Artibus quoque Mechanicis, quin & in Medicis; quanquam de hoc argumento peculiarem librum ſcripſerit JAC. PRIMEROSIUS. Legi etiam in illam rem, & conferri cum hoc Inſtituto poteſt MERICUS CASAUBONUS, Iſaaci filius, in doctiſſimo libro *de fide rebus naturalibus, civilibus & divinis, habendâ, vel non habendâ*, quo, Anglicâ linguâ conſcripto, ex omni Hiſtoria diligenter inquirit in operationes naturæ prodigioſas & ſingulares; qui liber prodeſſe magnoperè poteſt hoc negotium tractaturo. Diligenter quoque hâc in parte inquirendum eſt in ipſam errorum cauſam & originem, ubi enim illa innotuerit, ſtatim ceſſabit admiratio, & monſtra illa opinionum evertentur, quæ ficto alicuì prodigio 9

ſuperſtruuntur. Eorum maximus eſt in re naturali numerus. Si quis enim ſecretorum naturalium Scriptores, qui de occultis Qualitatibus, Sympathia, Antipathia, Faſcinis, Magnetiſmo, tractarunt, diligenter perſpexerit, infinitam talium rerum ſylvam invenit. Quorum errores facilè detegentur, ſi in cauſas eorum inquiratur, quia vel ſuper ſignaturâ aliquâ externa, vel influxu aliquo aſtrorum, aut aliquâ aliâ nugaci Sympathia, ſunt fundati.

10 Quemadmodum Errorum & Dubitationum ſylva ad ſcientiam confert, ita earum rerum, quæ jam tum inventæ ſunt, & certorum experimentorum, ſingularis ratio habenda eſt. Nolim enim hæc miſceri cum ceteris. Baco Verulamius Appendicem facit Phyſices operativæ, ad quam pertinet hæc doctrina, cùm conſideratur in ordine ad operandum. Referri tamen etiam poteſt ad hiſtoriam naturalem, ſive partem aliquam ſeorſim conſtituat, ſive addatur ipſi hiſtoriæ naturali generali. Baco vocat Inventarium opum humanarum, quo enumerentur omnium hominum Bona & fortunæ, ſive ſint ex fructibus naturæ, ſive proventibus artis, quæ jam habentur, & quibus homines fruuntur, adjectis illis, quæ olim fuiſſe conſtat, nunc autem perierunt. De quibus integri libri conſcripti ſunt, à Gvid. Pancirollo, *de rebus Inventis & Perditis* commentato, aliiſque. Addi etiam huic Inventario jubet illa, quæ communi hominum opinione judicantur impoſſibilia. Illis jubet jungere impoſſibilibus proxima, ut alterum humanam inventionem acuat, alterum quadantenus dirigat, ut ex his optativis & potentialibus activa promtius deducantur. Jubet quoque ſeorſim poni exempla experimentorum, quæ maximè πολύχρηστα ſunt, & ad aliorum Inventionem manuducunt. Sed de hoc experimentorum genere plura dicemus, ubi de indagatione experimentorum per certa quædam Dialectices principia diſſeremus.

11 Vidimus hactenus de ſubſidiis Hiſtoriæ Naturalis è Bacone Verulamio, quibus ſi uſi fuerimus, deveniemus tandem in accuratiorem Scientiæ naturalis cognitionem. Cujus Objectum eſt Univerſum illud Syſtema Mundanum, proximum verò, quod ſenſibus noſtris ſubjicitur, globus terraqueus, & è globo terraqueo producta, unde peti hiſtoria illa debet. Objectum autem hoc proximum etiam adeò eſt diffuſum, ut perluſtrari unius ingenii oculo nequeat. Compendium cognitionis habebimus, ſi, quæ in majore hoc mundo diſperſa reperiuntur, ſubjecta rariora in unum aliquem locum congeramus. Quare ad hiſtoriam naturalem officina aliqua vel theſaurus rerum naturalium requiritur, qui promtuarii inſtar eſſe poſſit, unde Subjecta naturalia depromamus, & in examen deducamus. Sed ex parte tantum prodeſt ille labor. Cùm enim hæc tantùm ſint quaſi fragmenta naturæ, & à matrice ſua avulſa, perfectam ex illis cognitionem habere non poſſumus, quanquam iis juvari conatus noſtri poſſint. Quemadmodum in ſcientiis addiſcendis libris opus habemus, ita in ſcientiâ naturali experimentali uno hoc Volumine opus habemus, cujus Epitomen exhibere nobis poteſt inſtructum aliquod rerum naturalium Muſæum. In iis adornandis, tàm Viri docti, quàm integra Collegia ſollicita fuerunt, ac exſtant non pauca in variis locis, quæ non exiguo labore congeſta ſunt. Horum Deſcriptiones aliquot habemus,

inte-

integris Voluminibus traditas, Muſæum ſc. Calceolarianum, Muſæum Wormianum, Aldrovandinum, &c., quibus Icones rerum naturalium exhibentur, & Diſſertationes ſuper rebus naturalibus inſtituuntur. Hi libri Indicum inſtar eſſe poſſunt, ac Muſæa ipſa ſunt quaſi Loci quidam Communes naturæ, ſi benè ordinata ſint, & in Claſſes ſuas diſtincta. Sed & in illis ſuperſtitioſior quorundam diligentia eſſe ſolet, in quibusdam naturæ inanibus nimis occupatorum. Tales enim reduvias potius & ungues, ut proverbio dicitur, quam caput, curant. Quid enim prodeſt ad rerum naturam cognoſcendam, adeò accuratè depictas habere omnes plantarum ſpecies: ut ſunt multi, qui Herbaria viva magno ſumtu adornant, nullo alio fine, quam ut ſpeculentur varios materiæ ſchematiſmos, quos natura in ejus ſuperficie duxit. Parum enim adjumenti ad rem Phyſicam ex minutâ illâ curâ confertur, tempus autem inutiliter conſumitur, quod poterat utilius impendi aliis laboribus. Nimirum omnibus diſciplinis accidit, aliquâ in parte nugari, ac minutiæ quædam in ſingulis occurrunt, quibus ſæpè nos ac alios, maximo temporis & ſcientiæ ipſius damno, detinemus. Qualis ingenii noſtri abuſus tot ſuperflua peperit in omni ſcientiarum genere, de quibus eliminandis, ne dum augendis, ſollicitiſſimos nos eſſe oportet.

Muſæorum Hiſtoriam generalem magnâ diligentiâ per Compendium dedit 12
Clariſſimus Collega noſter, J. DAN. MAJOR, in ſcripto illo Germanico, cui titulus: **Seefahrt nach der neuen Welt** / *num. 49.* Integrum autem de iis Opus jam præ manibus habet. *(a)* Deſiderarem verò alium quendam laborem circa Muſæa, nim. ut

(a) Operis de Muſæorum Naturalium Hiſtoria Germanica a D. Joh. Dan. Majore promiſſi, & Tractatus plures quam 30. complexuri, Tractatus quatuor tantum priores Kilonii an. 1674. & 1675. *in fol.* prodierunt, Primus ſc. Generalis (**Unvorgreiffliches Bedencken von Kunſt- und Naturalien-Kammern ingemein**) / Mich. Bernh. Valentini *Muſæo Muſæorum*, mox laudando, nuper etiam adjectus, & tres ſpeciales de Muſæis, 1. Americanis & Aſiaticis, 2. Africanis, Conſtantinopolitanis, Melitenſibus ac Siculis, 3. Neapolitanis, & Antiquioribus Romanis. Reliquos, a Gunth. Chr. Schelhammero *(in Additt. ad Conringii Introduct. in Art. Med. p. 294)*, aliisque, publice, ſed fruſtra hactenus, efflagitatos, an Autor abſolverit, dubito. Extant & Ejusdem *Bibliotheca ſine Libris*, Schediaſma aliquot quaternionum exiguum, ἀνωνύμως, ſine Loci Temporisque mentione, editum, in quo itidem de Rerum Naturalium Muſæis, eorumque uſu multiplici, diſſerit, nec non Poëma ejusdem Argumenti vernaculum, Kilonii an. 1679. *in fol.* (ſub Tit. **Groſſer Reichthum / zuſammen gebracht aus den meiſten Theilen der Welt / oder** Poëtiſcher Interims-Diſcurs **von Kunſt- und Naturalien-Kammern**) editum, & Dav. Schelhammero, Biblioth. poſtea Hamburgenſis Præfecto, inſcriptum. Moliebatur Schelhammerus ille Opus, quale a Morhofio *h. l.* deſideratur, de Subjectis Naturæ rarioribus, in Muſæis, alibique, obviis, Phyſico-Hiſtoricum Germanicum, cujus ὕλην MStam, e variis Muſæorum Deſcriptionibus & Itinerariis congeſtam, J. Dan. Major, modò allegatus, multis quidem & Hyperbolicis, *in Præfat.* ſua, extollit laudibus, Amico forte, a quo Muſæum ſuum haud parum eſſe locupletum fatetur, hoc pacto gratiam relaturus, ego autem, qui eandem ſæpius inſpexi, curioſo hujus Seculi

ex jam editis Muſæorum Deſcriptionibus unum aliquod conficiamus, ut ſub uno intuitu ſiſti poſſint ſubjecta naturæ, hinc illinc congeſta, eorumque diverſitates & convenientiæ notari. Sed oporteret exquiſitum obſervari ordinem, qualis labor prodeſſe maximoperè poſſet in inquiſitione rerum naturalium. Si e. g. ſolum Regnum minerale per Claſſes ita diſtributum, ſecundum ſpecies illas, quæ in Muſæis ſervantur, haberemus; magnæ certe utilitatis res eſſet. Nam perreptare omnes terræ ſinus unius hominis opus non eſt, ac ea eſt, rerum mineralium infinitas, ut vel multi homines tanto operi pares non ſint. Quare in lucro deputare poſſemus, ſi, quæ jam ab aliis ſunt congeſta, conferantur & expendantur. In hoc argumento præire nobis poterit Ulyssis Aldrovandi *Muſæum Metallicum*, quod poſt mortem ejus editum eſt. Longe inſtructiora haberemus naturæ Gazophylacia, vel potius ipſum naturæ & mundi ſimulachrum, ſi rerum naturalium ſubjecta per certas domos haberemus diſpoſita, & vivas quasdam operationum naturalium imitationes. Cujus Gazophylacii inſtruendi rationem dedit Baco Verulamius in elegantiſſima illa fabula *Novæ Atlantidis.* Ubi, quemadmodum Thom. Morus *Utopiam* ſuam, ita ille Civitatem aliquam ſapientum deſcribit, ubi ſit & regimen Politicum perfectiſſimum, & omnium ſcientiarum ſumma perfectio. Eo certè fine fabulam hanc ſcripſit, ut doceret nos, quemadmodum inſtitui illa omnia poſſint. Fingit hîc certa conclavia, certasque domos, certis naturæ operationibus adaptatas: (1) Cavernas amplas & profundas diverſæ profunditatis, quibus utantur novi illi cives ad mineras naturales imitandas, & ad prolongandam vitam, pro Eremitis, qui illic habitare cupiant; (2) Sepulturas corporum naturalium, ubi Cæmenta conduntur, quemadmodum Chinenſes condunt porcellanam ſuam: alias item cavernas pro variis ſtercorationibus & fimis; (3) Turres præaltas diverſæ altitudinis pro ſpeculatione Meteororum & habitationibus Eremitarum, qui vitam producere cupiunt; (4) Lacus magnos & ſalſos, in quibus piſces varii generis generentur, ac opera quædam maritima peragantur; (5) Puteos artificiales, ad imitationem naturalium, vitriolo, ſulphure, nitro, aliisque mineralibus tinctos; (6) Ædificia pro imitamentis & repræſentationibus variorum Meteororum; (7) Cubicula vario aëre impleta, qui ad libitum ſtringitur & temperatur, pro curationibus morborum; (8) Balnea varia, ex diverſis tincturis præparata; (9) Pomaria & hortos, qui arbores & fructus ferant artificiis certis variatos; (10) Septa & vivaria pro Beſtiis & Avibus, in quibus novæ Animalium ſpecies per mutuas admiſſiones producantur; (11) Loca generationi inſectorum deſtinata; (12) Domos pro conficiendis variis potionum generibus, ex variis vegetabilium ſpeciebus, certo temporis ſpacio & modo fermentatis; Potibus etiam

Medi-

genio ſatisfacturam eſſe, præſertim cum Autor ejus judicio haud admodum valeret, perſuadere mihi vix potui. Noviſſimè, hoc ipſo Anno 1704. ſimile Opus, Lingua Germanica, Francofurti *in fol.* a Mich. Bernh. Valentino, Prof. Acad. Gieſſenſis Medico, eſt publicatum, ſub Tit. *Muſæi Muſæorum* ſive der vollſtändigen Schaubühne aller *Materialien* und *Speccreyen*. Cujus, mihi donum viſi, Recenſum exhibent *Acta Eruditorum Lipſienſia*, *M. Aug.* an. 1704. *p.* 363. 364.

Medicatis inveniendis ex variis vegetabilium infuſionibus; Panibus quoque ex variis granis, radicibus, nucibus, glandibus, carnibus & piſcibus, conficiendis (13) Diſpenſatoria & officinas pharmacorum; (14) Officinas varias Artium Mechanicarum; (15) Fornaces varias, quibus opera generationis & vegetationis perficiantur, & pulli excludantur; (16) Domus perſpectivas, ubi exhibeantur varia Artificia Optica, demonſtrationes umbrarum & imaginum, Irides Artificiales, &c. (17) Domos ſonorum, ubi omnis generis Inſtrumenta Muſica recondantur, ſoni varii repercutiantur, augeantur, deferantur; (18) Domos ſuffituum & odorum ac ſaporum, ubi odores naturales imitatione ex rebus variis exprimuntur, ſaporum quoque artificiales miſturæ parantur; (19) Domus Machinarum, pro motuum variis operibus in natura imitandis, ut ſunt motus animalium, ratione volatus, ratione actionum naturalium, ac denique omnes alii motus, quibus commoditati & neceſſitati ſubvenitur; (20) Domum Mathematicam, pro Inſtrumentis Mathematicis & Aſtronomicis; (21) Domum præſtigiarum, ubi exhibentur variæ eluſiones & fallaciæ ſenſuum. Hæc ille prolixè illic enumerat, ſvaviterque pro ingenio ſuo expendit, non quòd eo modo putet à privato quopiam inſtrui poſſe naturæ opes, ſed, quòd à Magnatibus aut Regibus, (quanquam nec unus Rex, nec unum regnum ſuffecerit,) tàm vaſtum naturæ Gazophylacium inſtitui poſſe putet, quo in effectum dentur, quæ ille jucundiſſimâ hâc ideâ præſcripſit. Subjungit porrò varias functiones & munera Sociorum, qui in Collegio hoc naturæ operationes exercent. Aliqui illi nominantur, qui ad exteros navigent, qui quæcunque rariora importent, qui illi vocantur Mercatores lucis. Tres facit Deprædatores, qui experimenta, quæ in libris inveniuntur, colligant. Tres, qui nova experimenta inveniant, quos vocat foſſores. Tres, qui experimenta in ordinem redigant, ut inde eliciantur Obſervationes & Axiomata, quos Diviſores vocat. Tres, qui ex experimentis ſociorum nova Inventa comminiſcantur, ad uſum vitæ ſpectantia, ac naturales divinationes eliciant; hos Evergetas vocat. Tres alios, qui ex experimentis novis naturam quandam altiorem indagent; Hos Lampades vocat. Tres, qui experimenta perſequantur, ac eorum ſucceſſus referant; Hos Inſitores vocat. Tres, qui ex experimentis Obſervationes & Axiomata, præviâ conſultatione, forment, hos Interpretes naturæ appellat. Multa præterea affert de Ornamentis iſtius Societatis, moribus atque legibus, quæ illic prolixe legi poſſunt.

Ex hac imaginariâ ſapientum Civitate, quam ille ex ingenio ſuo finxit, ortum tamen poſtmodum eſt Conſilium iſtud apud Anglos, inſtituendi Societatem aliquam, certis quibusdam Legibus, Regiiſque auſpiciis, ad inquirendum in opera naturæ, & certitudinem Hiſtoriæ naturalis in ſolido locandam. De ejus ortu ac progreſſu aliquid nobis dicendum, ac repetenda quædam breviter ſunt ex *Hiſtoriâ* iſtius Societatis, quam peculiari libro, Anglicâ linguâ, deſcripſit Lond. A. 1667., in 4to, Thomas Spraat, (*b*) poſtea 13

(*b*) Thomæ Sprathii, Epiſcopi jam ab A. 1684. Roffenſis, *Hiſtoria Societatis Regiæ*, ante bienniuni, Anglice, ſed nulla ſui parte auctior, Londini an. 1702. *in 4.* eſt recuſa. Σκιαγραφίαν ejus etiam invenies in Henr. Oldenburgii *Transact. Philoſ. M. Jul. A. 1667.*

poſtea in linguam Gallicam converſo, ac Genevæ A. 1669., in 8vo., recuſo. Agit primum is prolixè de veterum defectibus in Philoſophia Naturali, cum quibus hodierni ſeculi felicitatem confert, initium faciens à Bacone Verulamio, quem laudibus maximis, ut decebat, ornat, aliqua tamen in illo deſiderat, quod ſcil. ipſam Hiſtoriam naturalem attinet. De quo tamen ita ego exiſtimo, nullum inter hodiernos eſſe, qui ad tanti viri ingenium accedat. Primos Anglos eſſe jactat, qui in Studio naturali tale quid tentârint, quâ in re tamen nimium genti ſuæ indulget. Nam & in Italiâ ante ea tempora, Collegia fuerunt, quorum inter alia etiam hoc Inſtitutum fuit, ut excolerent naturam. Quâ de re plenius aliquando nos docebit liber, quem de *Phyſicis Italis* ſub manu habet MARTINUS FOGELIUS, Profeſſor Gymnaſii Hamburgenſis, ipſe Hiſtoriæ naturalis indagator acerrimus. In eo verò nimius ille Autor eſt, & non ferendus, quod ſuorum temporum ſtudia præferat aliis gentibus antiquioribus. Quot enim ſunt, & quàm magna, Veterum Inventa, tum in Natura, tum in artibus Mechanicis, de quibus vix per nebulam, nobis conſtat? Quare meritò virgulâ criticâ notantur ſocii iſti à Merico Caſaubono, qui in *Epiſtolâ* ſupra citatâ modeſtè illis objicit veterum ſolertiam, totque inventa alia, quibus illi ſimilia nondum dederint. Sed familiare hoc in illâ gente eſt, invidere alienæ gloriæ, ſibi omnia tribuere, aliarum gentium, præcipuè Germanorum, ſtudia elevare & contemnere, unde tamen ſæpè illi multa depromunt, quibus libri illorum turgent, quod facile vel integro Volumine demonſtrari poſſit. Ac aliquâ ex parte demonſtravit HENRICUS STUBBE, ipſe Anglus, qui libros contra Societatem Anglicam ſcripſit, in quibus, multa aliis ſubrepta, multa jam tum ab antiquis tradita, oſtendit, quorum illi Authores ſe gerunt. Scripſit verò is, motus Thraſoniſmo cujusdam Joſephi Glanvil, qui Tractatum ſcripſerat, cui titulus: *Plus Ultra*, quo omnem antiquitatem præ novis illis Philoſophis deſpectui habuit. Huic Stubbius oppoſuit alium Tractatum, cui titulus: *The plus ultra reduced to non plus*; ubi multa novorum Inventorum examinat, eaque cum Veterum doctrinis confert. Negari tamen nequit, illum in quibusdam affectibus indulgere & præjudiciis, quanquam multa etiam ſint, quæ ille jure perſtringit.

14 Exemplum evidens nos etiam daturi ſumus. (c) Vindicarunt Angli ſibi inventionem

A. 1667. p. 407-411. Edit. Lipſ. Actis Erud. Lipſ. M. Mart. A. 1703. p. 104-109. & Chr. Junckeri *Tr. de Diariis Erud. p. 17. 18.* Oppoſuit illi Henr. Stubbe *Specimen of ſome Animadverſions upon the Hiſtory of the Royal Society*, editum Lond. a. 1670. *in 4to.*

(c) De Arte hac ſurdos informandi, ejusque Scriptoribus, fuſius diſſeruit Morhofius *in Diſſ. de Paradoxis Senſuum, c. 3. p. 19. 20. & L. 2. Polyhiſt. Lit. c. 3. §. 13. ſeqq.* Addendus eſt iſtis Scriptoribus Joh. Conr. Ammannus, Schafshuſia Helvetius, Med. D. qui non ſolùm *Surdum Loquentem, ſeu Methodum, qua, qui ſurdus natus eſt, loqui diſcere poſſit*, Amſtelodam. 1692. *in 12.* Latinè, ac Harlemi Belgice, edidit, in Chr. Thomaſii *Hiſtoria Sapientiæ & Stultitiæ, M. Nov.* A. 1693. *p. 180-224.* Latinè recuſam, ſed & in Eſtera Kolartia, Petri Kolarti, Mercatoris Harlemenſis (cui Opuſculum ejus eſt inſcriptum,) Filia à Nativitate ſurda, legere pariter atque loqui à ſe edocta, Methodum iſtam in praxin feliciter deduxit. V. Pet. Rabi *Biblioth. Europæam*, Belgice editam, *M. Sept. & Octob. a. 1692.* & Wilh. Ern. Tenzelii *Dialogos Menſtruos, M. Jan.* A. 1693. *p. 37-56.*

tionem cujusdam artis, quâ aliquis à nativitate ſurdus, & per conſequens mutus, informarì poſſit per viſum, ut ſic ſatis expeditè loqui diſcat, & ex motu labiorum ipſum vocum ſonum intelligat. Scripſit ſuper hac re prolixam Epiſtolam JOH. WALLISIUS, quæ in *Transactionibus Anglicis* extat. Scripſit & aliquis WILH. HOLDERUS Anglico ſermone librum, cui Titulus: *Elementa Sermonis*, quo idem argumentum tractat. Illi in cœlum extolluntur in *Transactionibus*, & Editor illarum libellum Walliſii *de ratione ſermonis & pronunciationis*, *quem Grammaticæ Anglicæ* ſuæ addidit, quique fundamentum ſternit huic arti, vehementer laudat, quaſi ante illum nemo extiterit, qui naturam & poteſtatem literarum deſcripſerit. Cùm tamen Hieronymus Fabricius ab Aquapendente id ſingulari libro longè curioſius exſequutus fuerit, & PETRUS MONTANUS, Sacerdos Batavus, in libro, cui titulus, de Spreke-Kunſt. De arte verò ipsâ informandi mutos liber ſatis prolixus conſcriptus eſt, linguâ Hiſpanicâ, à JOHANNE PAULO BONETTO, quo omnis illa Methodus perſpicuè proponitur, & in rem ipſam ab illo deducta eſt. Imò antiquior illa ars eſſe videtur, ſi conferas, quæ habet Rudolphus Agricola *lib. 3. de inventione, cap. ultimo.* Hujus tamen hominis ille ne unico quidem verbo mentionem facit. Sed hæc quaſi obiter hîc dicta ſunto. Plura fortaſſis dabimus, ubi ad ipſam Tractationem veniemus.

Origo Societatis Regiæ Anglicæ primùm ex eo extitit, quòd in Academia Oxo- 15
nienſi Viri quidam ingenioſi privatum tale aliquod Experimentale Studium inſtituerint, inter quos fuêre *Sethus Wardus*, *Rob. Boylius*, *Joh. Wilkius*, *Thom. Willis*, *Johan. Walliſius*, *Chriſtophorus & Matthæus Wrenii*, ingenio & ſcriptis omnes celebres. Illorum fama cum perveniret ad Gallos, ipſi Academiam Pariſienſem, quæ in linguæ Gallicæ culturam inſtituta erat, ad Studium Rerum naturalium tranſtulerunt, ut refert Thomas Spraat. Oxoniô Londinum Studium rerum naturalium deductum eſt cum viris iſtis, Londinum abeuntibus, ad quorum numerum acceſſio facta à multis Londinenſibus, tàm Proceribus, quàm Philoſophis, usque dum Regiis auſpiciis Anno 1660, illa Societas inſtituta eſt, teſte Diplomate illo, quod inſerit *Hiſtoriæ* ſuæ THOMAS SPRAATUS, quod privilegia Collegii, inſignia, ſceptra, ſigillum, illis tribuit. Antequam illa omnia adornabantur, prodierat Scriptum ab ABRAHAMO COWLEJO, Poëtâ inſigni, & in ceteris Medicinæ & Philoſophiæ partibus inſigniter erudito, quod ſuppeditabat conſilia pro Studio Experimentali propagandô. (Reperitur inter *Poëmata* ejus *Anglica*, Lond. A. 1669., in fol. publicata, p. 43.) Benè hic quidem omnia diſpoſita, ſecundum officia Præſidis, Præfectorum ſeu Profeſſorum, Artificum &c. Munia quoque ſingulorum certis legibus eleganter definita, unde poſteà, teſte Thomâ Spraato, Societatis Regiæ membra aliqua in rem Collegii ſui verterunt. Sed quoniam is ſumptus nimios impendi volebat in ſingulos Officiales, eorumque numerum nimium auxerat, inconveniens illi putabant, & quadantenus etiam impoſſibile, ejus conſilium ſequi. Neque enim certos reditus habet illa Societas, niſi aliqua donaria, ex liberalitate Procerum, & quæ à ſingulis Sociis, cùm primum admittuntur, & deinde in ſingulas hebdomadas, contribuuntur. Qui fundus quoniam in incerto locatus eſt, mihi qui-

dem non adeò diuturnus videtur, nec ſuffecturus omnibus impenſis, præſertim, ſi ſtudia ab initio fervida, pro more hominum, paulatim refrixerint. Quod enim hic Thomas Spraatus philoſophatur de experimentis in natura, per modica etiam ſubſidia capiendis, mihi credibile non videtur. Admittuntur ad iſtam ſocietatem cujusque profeſſionis, nationis, religionis homines, vel Mercatores etiam & Mechanici, ſi curioſiores ſint, & rem naturalem juvare experimentis poſſint. Conſilium eorum eſt, his experimentis hiſtoriæ naturalis certitudinem in ſolido locare. Methodus inquirendi iſta eſt, ut non multis, ſed uni, hoc ſubjectum, aliis aliud, examinandum proponatur, quæ poſteà in medium conferuntur. Inquiſitio in remotiora ſubjecta naturæ inſtituitur per Commercium Epiſtolare cum hominibus, qui illis in locis vivunt, vel Reſidentibus Anglicis, qui & ipſi penè omnes in Membris Societatis ſunt, vel aliis viris eruditis. Semel in hebdomade conveniunt, cujus Conventus Præſes aliquis temporarius eſt conſtitutus. Aſſeſſores illi ſunt viginti & unus, qui ex numero Sociorum per ſortem eliguntur. Sociorum indefinitus numerus, Secretarii duo ſunt, qui literas prælegant, aut exponant exponenda, aut proponant certa deliberationis capita, de quibus ſinguli ſententias ſuas pronunciant, dirigente ita Præſide. Nulla certa principia Philoſophica illis præſcribuntur. De principiis enim omnibus ſecuri inveſtigari tantùm naturam ipſam jubent. Experientia enim ſimplex eſt & una, quæ, ut in facto conſiſtit, ita refertur ab Inquiſitoribus & Curatoribus experimentorum, ad id ſpeciatim conſtitutis. De principiis differtur omnis contemplatio, usque dum ita ſit exculta Hiſtoria experimentalis, ut certi rerum ſuarum eſſe poſſint. Commercia literaria circa nogotia naturalia perpetua habent cum Gallis, cum Italis & Florentinis. Nam & apud illos, auſpiciis magni Ducis Hetruriæ, inſtitutum eſt tale aliquod Collegium naturale, unde liber etiam, *Ducalium Experimentorum* Titulo, prodiit. Artes Mechanicas adeò in ſocietatem hujus ſtudii receperunt, ut & Profeſſorem artium Mechanicarum conſtitueritRex, qui ſtatis temporibus publicas lectiones de iis haberet, quod Conſilium vehementer laudat Thomas Spraat. Cetera hujus Societatis Statuta legi apud illum Autorem poſſunt, cum Exemplis variorum capitum, quæ in conſilium deducta ſunt, & ſuper quibus inquiſitiones ſuas formarunt hujus Collegii Aſſeſſores. Enarrantur illic etiam varia inſtrumenta, quæ in uſum hujus Studii comparata ſunt, vel, eo tempore, cum ſcriberet, inventa conſiliis & ope Sociorum. (*d*)

Poſt-

(*d*) Cùm iis, quæ *h. l.* & *ſeq.* §. *16.* de Societatibus Eruditorum afferuntur, in Naturæ occupatis ſcrutinio, conferri poſſunt, quæ *T. I. Polyhiſt. L. I. c. 14.* de iisdem jam ſunt obſervata, de Actis & Obſervationibus illarum, quæ ejusdem Libri *c. 16.* §. *34. ſqq.* breviter ſunt monita, & Supplementum longe uberrimum, cui capiendo Hypomnemata noſtra non ſufficiunt, è Chr. Junckeri *Schediaſmate de Ephemeridibus ſive Diariis Eruditorum Hiſtorico*, Lipſiæ a. 1692. *in 12.* publicato, aliisque Scriptoribus nuperis, deſiderant. Fallitur verò Autor, dum *h. l.* Thomæ Sprathii ſecutis Autoritatem, Academiam Francicam, ad Gallicæ Linguæ culturam, Card. Richelii auſpiciis erectam, ad ſtudium rerum naturalium, à Gallis, Anglos æmulantibus, translatam eſſe perhibet.

Fran-

Poſtquam ab Anglis Conſilia naturalis hiſtoriæ reſtaurandæ ſuſcepta, & primo 16
ſtatim tempore res non infeliciter cederet, viam patefecerunt ceteris etiam nationibus ſimilia factitandi. Quanquam jam tùm apud Italos, antequam Angli id cogitarent, talia conſilia ſuſcepta. Longè tamen acrius in id incubuerunt, poſtquam viam hanc tentarunt Angli, qui commercio iſto literario eorum induſtriam primùm excitarunt. Prodeunt Romæ ſingulis menſibus Relationes de rebus naturalibus, ut fit in Angliâ. Sed rarius eæ ad nos exportantur. Quæ Florentiæ, circa naturam præſertim aëris & vacui, Magni Ducis auſpiciis, ingenioſa experimenta tentata ſunt, ſingulari libro illic prodierunt Anno 1668., (*in fol.*) cui Titulus: *Diſcorſus Saggi Academici, di Naturali Experienze fatti nell' Academia del Cimento.* In Gallia ſimiliter talia Collegia ſunt inſtituta. Poſtquam enim *Ephemerides Eruditorum*, quas ediderant, in deſvetudinem abiêre, loco earum meræ Relationes Phyſicæ, quæ conſtant experimentis, tàm in Gallia, quàm extra Galliam, inventis, itidem ſtatis temporibus prodeunt, ſcribente illas *J. Bapt. Dionyſio*, Regio Medico, quibus Titulus *Memoires concernant les Arts & les Sciences.* Sed pleraque in illis ſunt peregrina; niſi enim haberent, quod ab Italis vel Anglis transſcriberent, vix momenti alicujus eſſet, quod in lucem proferunt. Anglicæ Relationes ſingulis menſibus eduntur, in quibus multa etiam peregrina, ſed plura tamen, quàm in Gallicis, domeſtica. Addi etiam illis ſolent Recenſiones librorum, qui circa argumenta naturalia ſcribuntur. Sed in iis tamen non ille delectus adhibetur, qui adhiberi debebat. Multa enim omittunt, quæ affectu aliquo ducti, credo, omittunt adverſus Germanos, multa referunt in cenſum illum, quæ nullius pretii ſunt. Editor illarum Relationum non tamen vult contineri illis Acta Societatis Regiæ, ſed Opus aliquod privatum, à ſua tamen induſtria profectum, vocari cupit. Quam ob cauſam ſuccenſet illis, qui in Latinam linguam transferentes Titulum libro dedere: *Acta Societatis Regiæ.* Societas enim Regia, quæ in Collegio ipſo obſervata ſunt, hactenus celat. Verſiones harum *Transactionum* planè non ſunt accuratæ, inprimis, quæ à Joh. Sterpino editæ ſunt. Melior aliquantulum illa eſt, quæ à Chriſtophoro Sandio nuper continuata eſt; Utriusque Defectus & Errores monſtravit ipſe Autor Anglicarum Relationum, Henr. Oldenburgius, Verſionem novam Latinam Operis proprii, ſi diutius vixiſſet, daturus. *Hafnienſes Medici*, ad imitationem Germanorum & Anglorum, ſingulis annis *Acta* quædam edunt, quibus Rerum Medicarum & Phyſicarum Hiſtoriæ ſingulares continentur. In Germaniâ *Collegium Naturæ Curioſorum* ſingulis annis magnam Obſervationum ſylvam edit, quæ hinc illinc corroduntur, quibus tamen molitionibus ſcopus iſte non obtinetur, qui quærebatur, accurata ſcil. aliqua Hiſtoria Naturalis. Subleſtum enim Relationum &

Francica enim iſta, etiamnum ſuperſtes, nunquam alia, quàm Linguæ Gallicæ & Literarum elegantiorum ſtudia, excoluit. Quæ verò circa res Naturales occupatur, Academica Scientiarum & Artium Regia, à Ludov. XIV. Rege a. 1666. excitata, ab iſta planè eſt diverſa. De Scriptoribus Hiſtoriæ illius, Joh. Baptiſt. Hamelio & Fontenellio, ad *T. I. L. I. c. 14.* ad §. 42. jam nonnulla attulimus.

Obſervationum fundamentum eſt, quod ab alienâ manu habemus. Quemadmodum enim in Grammaticis prurigo quædam eſt, Regulas conficiendi, & in Dialecticis diſtinctiones inveniendi & terminos; ita in Phyſicis etiam morbus quidam invaluit, novas ſemper Obſervationes cudendi, quæ non raro prodeunt ex libidine aliquâ paradoxologiæ, & novaturiendi ſtudio magis quàm veritatis, à quibus niſi temperetur, veteris morbi recidivam patiemur, ut pro hiſtoriis fabulas habeamus. Neque dicam de Obſervationibus ipſis, quæ ſic ſparſim comparatæ ſunt, è quibus nulla certitudo Axiomatum formari poteſt. In Germanis verò deſidero præprimis temperantiam aliquam in Commentariis & in opinionum Locis Communibus, quibus illi Annales ſuos inſpiſſant, quibus potius lumini officitur, quàm lux aliqua accenditur. Id ego ſeriò optarem, ut uno ſenſu aliquo ducerentur omnes in experimentorum methodo. Latitant enim certè in Germania apud Operarios Chymicos, qui cerè ſunt inſignes, & quibus ſimiles in nulla gente reperiuntur, experimenta, quæ ſi in lucem protraherentur, multis modis ſuperare poſſent aliarum Gentium conatus. Ac ſolent tales homines ſolertiores eſſe, quàm qui ſcholas nimis ſapiunt, præjudiciisque aſſueti, intentatam experimentorum viam habent. Quòd ſi quis ſagacior Philoſophus eorum arcana perreptaverit, mirum in modum poſſet locupletare doctrinam Phyſicam. Candidus ſane eâ parte videtur Scriptor *Hiſtoriæ Societatis Anglicæ*, Thomas Spraat, qui indolem illam inquiſitivam Germanorum præ ceteris Gentibus laudat, ut gloriæ ducat genti ſuæ ex Germanica natione eſſe propagatam, atque ex illius origine illam indolem transfuſam; ob quod ingenuum certè teſtimonium ceteris popularibus ſuis anteferendus eſt.

17 Atque hæc hactenus de Inſtitutione certorum Collegiorum, ad Philoſophiam Experimentalem propagandam. De quo conſilio ſerò nunc demum, ante hos quindecim annos, (utinam ſerio!) cogitatum eſt. Quanquam non defuerint, etiam ſub initium hujus Seculi, qui iſta conſilia animo agitârint, ſed tamen, ut ſunt homines ſuæ ſalutis ſæpe negligentiſſimi, non auditi fuerunt. *Magnus Pegelius, Profeſſor Roſtochienſis*, Anno 1604., libellum in lucem edidit, cui Titulum fecit: *Theſaurum rerum ſelectarum, magnarum, dignarum, utilium, ſuavium, pro generis humani ſalute oblatum.* Quo in libello Autor ille varia, tàm in ſtudio naturali, quàm in ceteris diſciplinis & omnibus artibus mechanicis, Inventa proponit, à ſe excogitata, & cum iis communicanda, qui ſumtus in illa impendere, & labori ſuo mercedem ſtatuere, non detrectaverint. Multa in his invenio, de quibus vir ille cogitavit, jam tum ſuo tempore, de quibus hodie nunc disquiritur, ac inventa magno triumpho à nonnullis ducuntur. Hic inter cetera pollicitus eſt, conſilia ſe ſubminiſtraturum, quomodo à Magiſtratu, Magnatibus, Communitatibus, Urbibus, deputandi & ſuſtentandi nonnulli, qui utiliſſimas res inveniant, & inventa præclare ulterius experiantur; quod ſic fieri poſſit, ut etiam homo unus, & diebus paucis, & domi quidem, longè utiliora experiatur & exequatur, quàm Alexander M., dum animalibus indagandis pro arte impendiſſe ſcribitur 400000. Coronatorum, & ablegaſſe per terrarum orbem

ter

ter mille homines. De quo labore rectè judicat idem Autor, non mereri iſtam laudem, quæ vulgò illi tribuitur, & tanto ſumptu plane indignum eſſe, quo longè perfectior haberi hiſtoria poterat. Atque ita, vel in mediis tenebris ſæpè inveniuntur ingenia, quæ nonnunquam lucem per nebulam videant, ipſa verò à caligine invidiæ, paupertatis & avaritiæ opprimantur.

Hactenus de Hiſtoriæ Naturalis propagatione, ex mente Baconis Verulamii, fu- 18
ſius diximus; reliquum jam eſt, ut de Methodo inveniendi experimenta, adeoque novâ aliquâ Dialecticâ Phyſicâ, quædam in medium afferamus, tàm ex Baconis, quàm aliorum Recentiorum Philoſophorum, ſententiâ.

Quemadmodum rerum inventio conſiſtit in conjunctione rerum ſimilium, & ſeparatione diſſimilium, quæ certos quosdam Locos habet in Logicis, Generales ſc. Titulos, quorum indicio mens dirigatur in combinationibus rerum; Ita ſimiliter procedere in omni negotio poſſumus. Quomodo in Logicis Loci iſti ad Argumentorum inventionem ducunt, ita deducere etiam nos poſſunt ad inventionem rerum. Atque in eo præcipuè uſus Logices conſiſtit, vulgò ignoratus, cujus miniſterio non in argumentis tantùm, ſed etiam in quibuscunque negotiis, uti poſſumus, modò rem non intra generales illos terminos concludamus, ſed ad ſpecialiora nos diffundamus. Quod negotium noſtrum attinet, Artem ſc. Experimenta indagandi, illa certè fundamentum in Locis iſtis habet, quanquam Thomas Spraat, *Hiſtoriæ Societatis Anglicæ* Scriptor *pag. 89.*, impoſſibile exiſtimet, ad Artis regulas revocare Experientiam, propter infinitas, quæ rem variant, circumſtantias. Quem tamen ego audiendum eſſe non exiſtimo. Utut enim verum ſit, multis modis variari rerum circumſtantias poſſe, dari tamen certi quidam conceptus poſſunt, ſecundum quos mentis operationes dirigantur. Si ſingularia & infinita illa velimus reſpicere, eadem in ceteris quoque ſcientiis deprehendemus, in quibus tamen à generalioribus principiis & Axiomatibus formandis ab iſtâ rerum multitudine non deterremur. Magnus certè artis Analyticæ, ſive Combinatoriæ, ut quidam vocant, per omnes diſciplinas, omniaque negotia humana, uſus eſt, ſi modò illam certâ methodo definitam ac præceptionibus deſcriptam haberemus. Sed hactenus inter deſiderata illa referri debet, optandumque eſſet, ut de ea diſpicerent Eruditi. Hujus certè propago Ars inventiva eſt, quam deſiderari queritur Verulamius; vel potius illa ipſa eſt. Sub hac Arte inventivâ multò maxima comprehenduntur. Et Verulamius quidem, *lib. 5. de ſcientiarum augmentis, cap. 2.*, primô locô ponit Artem inventivam ipſarum artium, ſeu mechanicarum, ſeu liberalium: Quæcunque enim de artibus habemus, caſu potius & neceſſitate, quàm conſilio, inventa ſunt. Et erat tamen in Arte illa rationis fundata methodus, quâ Artes ipſas invenire poteramus, ut prolixè demonſtrat Verulamius. Qui hîc verò mentis errores evitandi ſint, prolixè diſquirunt idem Verulamius in ſuo *Novo Organo*, & Autor ille Gallus Anonymus, qui linguâ vernaculâ novam aliquam Logicam, quam *artem cogitandi* vocat, ſcripſit, *part. I. cap. 8. 9. 10. 11.* Ubi de Idearum claritate & diſtinctione, ac earundem obſcuritate & confuſione, ejusque confuſionis remediis,

agit. (Liber ille in Latinam verſus linguam prodiit Lugdun. Batav., anno 1674. *in 8vo.*) Legi etiam in illam rem poteſt, animusque eo præmuniri contra errores, libellus doctiſſimus Roberti Boylii *de infido Experimentorum ſucceſſu*, ubi in cauſas errorum inquirit, ac, propoſitâ multorum exemplorum farragine, oſtendit, quàm ſæpè minima circumſtantia, ac vix interdum vel ſagaciſſimo animadverſa, experimenti eventum vel dubium fecerit, vel planè nullum.

19 Ars iſta experimenta indagandi Verulamio vocatur ars judicii & directionis, cujus ille duas partes conſtituit. Nam vel procedere dicit ab experimentis ad experimenta, vel ab experimentis ad Axiomata, quæ & ipſa nova experimenta deſignent. Priorem harum partium experientiam literatam nominat. Poſteriorem verò interpretationem naturæ, quam ille Hermeneuticam Phyſicam, ut peculiarem aliquam diſciplinam, libello, cui titulus *Novum Organum*, proponit, quæ in univerſalibus formandis ſollicita eſt, cùm prior illa circa ſingularia occupetur, non minori etiam artificio, quanquam poſteriorem priori huic præferat Verulamius. Modos ipſe præſcribit experimenta capiendi, non quidem ſecundum ordinem Dialecticæ inſtructos, ſed qui facilè ad illum reduci poſſunt; ſpecialiores enim locos oſtendit, omiſſis generalibus illis, quibus tamen hi ſubſternuntur. Primus modus experimenta indagandi illi eſt experimenti variatio. Illam inſtituit (1) in materia, ſi ſc. in materia ſimili idem experimentum ſuſcipiatur. E. g. Confectio papyri ex linteo uſitata eſt, idem in ſerico tentandum, uti papyrum conficiunt Chinenſes. Inſitio in arboribus fructiferis in uſu eſt, quid ſi idem tentetur in arboribus Sylveſtribus, in floribus? Hûc etiam pertinet, quando in ſubjecto variatio inſtituitur, ut ſi, ad Exemplum ſurculi, trunco arboris inſiti, ſemen cepæ capiti alterius cepæ viridi indatur. (2) Variatio Experimenti fit ratione cauſæ efficientis. E. g. Radii ſolares, per vitrum miſſi, calorem augent, an idem præſtent radii lunares, tentandum? Item an fumus calefactus? quod tentarunt nonnulli, & ſimilem eventum ſenſerunt, teſte Honorato Fabri. Variatio Experimenti fit (3) in quanto: multiplicatâ enim quantitate creditur augeri virtus. E. g. Globus plumbeus unius libræ decem pulſuum ſpatio ad terram deſcendit, quot pulſuum ſpatio globus centum librarum? Secundus modus ipſi eſt productio experimenti, quæ duplex eſt, ratione quantitatis continuæ, vel diſcretæ. Ratione hujus eſt repetitio, ratione illius extenſio. E. g. Spiritus vini, unicâ diſtillatione vires acquirit, annon majores acquirat pluribus diſtillationibus? Magnes ferrum integrum trahit; num etiam fruſtum Magnetis in diſſolutione ferri immerſum ferrum ad ſe alliciat? Tertius modus eſt illi Translatio Experimenti, uberrimus ſanè & penè princeps. Eſt verò ille triplex: aut à natura vel caſu in artem, aut ab arte vel practicâ aliâ in aliam, aut à parte alicujus artis in partem diverſam ejusdem. Primæ translationi pleræque artes mechanicæ originem debent. Exemplum eſſe poteſt Iridum artificioſarum ad exemplum naturalis imitatio, modus diſtillandi ad imbrium imitationem inſtitutus, tonitrua & fulgura ad imitationem naturalium inſtituta, per miniſterium ſingularis illius caſûs, qui Monacho Cimbro, Barth. Schwartzio, acciderat.

Plura

Plura artificialium imitationum in natura exempla vide apud Sorellum *in Scientia Univerſali*, libro Gallicè ſcripto, *variis Capitibus*. Secundæ translationis exempla hæc: Specillis ſenſus viſus juvari poteſt, an & ſenſus auditus inſtrumento aliquo ἀκουστικῷ, quale experimentum hodiè detectum eſt, ac deſcripſit Kircherus in ſua *Phonurgia*, qui ſe autorem inventionis contra Anglos aſſerit. Cadavera per Balſamationes conſervantur, annon & corpora viva? Sigillorum impreſſio arti Typographicæ viam oſtendit. Tertiæ translationis, quæ parùm à ſecunda differt, exempla multa in Medicina dari poſſunt. E. e. Si experimenta Partis Medicinæ de curationibus morborum ad partes de tuenda ſanitate & prolongatione vitæ, transferantur. Quartus modus illi eſt inverſio experimenti, cùm ſc. contrarium ejus, quod experimento conſtat, probatur: E. g. calidum per ſpecula intenditur, num etiam frigidum? Per ignem diſtillationes inſtitui poſſunt, num etiam per res frigidas, nivem, glaciem, &c.? quale experimentum Magni Ducis Hertruriæ refert *du Hamel in libro de affectionibus*. Quintus modus illi eſt compulſio experimenti, quam vocat, ubi urgetur & producitur experimentum ad annihilationem, vel privationem virtutis. Quomodo nihil novi indagatur, ſed natura rei per negationem & contrarium deprehenditur. E. g. Magnes ferrum trahit. Vexentur jam ferrum & magnes, ut amplius non fiat attractio, unde quodammodo deprehendetur, in quo natura magnetiſmi conſiſtat. Ac deprehenderunt ſanè, qui de magnete inquiſitiones inſtituerunt. Sextus illi modus eſt applicatio experimenti, quæ illi eſt ingenioſa experimenti traductio ad experimentum aliud quoddam utile. E. g. Aurum plus ponderis, & minus dimenſionis habet, quàm argentum, aqua quàm vinum; ab hoc traducitur experimentum Archimedis, ut ex menſura impleta, & pondere excepto, poſſis dignoſcere, quantum argenti auro fuerit admixtum, quantum aquæ vino. Thermometra pro menſura aëris calidi vel frigidi inventa ſunt, an etiam pro menſura liquorum talia inveniri poſſunt? Septimus illi modus eſt copulatio experimenti, quæ eſt experimentorum, applicationum potius experimenti, nexus & catena, ut cùm ſingula profutura non fuiſſent, ad aliquem uſum connexa valeant. E. e. Si roſas aut fructus ſerotinos habere cupis, fiet hoc, ſi gemmas præcociores avellas. Idem fiet, ſi radices usque ad ver adultum denudes, & aëri exponas: at multò magis, ſi jungas utrumque. Refrigerant glacies & nitrum, juncta magis refrigerant. Spiritus vini vegetabilia facilè recludit; idem Spiritus ſalis Tartari facit; ſi jungas utrumque, fortius habebis vegetabilium ſolutivum.

Hos Baco Verulamius modos proponit, quos ſi rectè conſideraverimus, omnes 20
è generalibus illis locis Dialecticis petitos inveniemus. Ex loco cauſarum procedit variatio experimenti, ratione materiæ & efficientis. Ex loco effectuum productio experimenti. E loco ſimilium translatio experimenti. E loco contrariorum compulſio experimenti, ejusque inverſio. Ex loco cognatorum eſt applicatio experimenti & copula. Ex his ille fontibus modos particulares producit, qui generales tamen dicendi ſunt, ſi reſpiciamus Topica ejus particularia, quæ nihil aliud ſunt, quàm loca quædam inventionis & inquiſitionis particularibus ſubjectis appropriata,

ſive miſturæ quædam è Logica & materia ipſa. Illa autem omnia eſſe disjunctiſſima certum eſt. Particulares enim loci iſti ratione ſubjecti valde variant, nec ſimul & ſemel excogitari poſſunt. Quemadmodum enim cum ipſis inventis comparatum eſt, ut cum ætate creſcant, ac dies diem doceat, ita etiam cum inveniendi arte; ſemper enim aliqua cogitata incidunt, quæ prima vel illuſtrant, vel interdum etiam tollunt. Quæ omnia quidem generales quosdam locos habere poſſunt. Sed quoniam ſubjectorum, ut ita dicam, quædam infinitas eſt, multis modis particulares iſti conceptus, generalibus ſobordinati, variari poſſunt.

21 Atque hic ego præter vulgares iſtos Locos Dialecticos, Indicem quendam categoricum commendarem, de cujus infinitate in inveniendis argutiis plura alibi dixi. *Cùm enim inventio rerum requirat magnam rerum ſylvam & farraginem, optimè nobis cognitam, iſta verò confuſiſſima ſit, niſi quadam filo Ariadnæo ducamur, ejus inſtar eſſe poſſe* puto Locos iſtos decem, ut vocant, Prædicamentorum, non, quòd illam rerum omnium partitionem habeam omnium accuratiſſimam, ſed quòd tamen melius ſit, aliquas habere rerum claſſes & ſeries, quæ Indicis loco fungantur, ſecundum quem cogitata noſtra dirigamus. Index itaque categoricus ὕλην aliquam ſive ſylvam rerum nobis ſuggerit, Dialectica argumentandi modum præſcribit, ut ſic utriusque miniſteriô in cognitionem rerum deveniamus, quæ facilitari, ſupra quàm credat aliquis, hâc methodo poteſt. Quanquam enim Index ille Categoricus inveniendis Enthymematibus argutis propoſitus ſit, adeoque ad artem dicendi ſpectet, tamen nihil prohibet, eundem etiam ad artem meditandi referre. Nam & in ipſis Interrogationibus & Inquiſitionibus, quæ ſunt meditationum noſtrarum conſectaria, elucet iſta vis animi & rerum combinatio. Nam, ut Plato ait, qui aliquid quærit, id ipſum, quod quærit, generali quâdam notione comprehendit. Exempli hic inſtar eſſe poſſunt *Topica* illa *particularia*, ſive articuli inquiſitionis, quos de variis naturæ ſubjectis propoſuit Baco Verulamius, ut: de gravi & levi, *lib. de ſcientiarum augmentis 5. cap. 3.*, de ventis, peculiari libro, cui titulus: *Hiſtoria Ventorum*, de vita & morte, libro, cui titulus: *Hiſtoria Vitæ & Mortis*, de denſo & raro, de Sympathia & Antipathia rerum, de Sale, Sulphure & Mercurio: ſuper quibus ſubjectis generalia quædam meditata ac imperfecta reliquit, quæ adduntur *Hiſtoriæ* ejus *ventorum*. Illorum Topicorum particularium inventio è Categoriis mihi quidem deſumi poſſe videtur, ut facilè demonſtrari poſſet, ſi ulterius huic rei inſiſtere vellemus. De Indice verò illo Categorico legi poſſunt, quæ in Lectionibus ſupra citatis, *de Arguta Dictione cap. 6. p. 108.* diximus, unde facilius patebit, qui ejus uſus in præſenti negotio conſtitui debeat. Cujus ſubſidio ſi inſtructi ſumus, non opus erit ad artem Lullianam, aut Combinatoriam, de quibus magnifica adeò promittunt nonnulli, recurrere. Omnia enim faciliori negotio, per notiores illas vias, expediri poſſunt.

22 Eſt etiam alius quidam modus experimenta capiendi inartificialis, vel irrationalis, quem ſortes experimenti vocat Verulamius, cum aliquid experiri velle animum ſubit, non, quia aut ratio, aut aliud experimentum, te ad illud deducat, ſed quia ſimilis res nondum tentata fuit. Qui modus, quanquam abſurdus videatur, tamen etiam

hic

hic, ut in practicis fieri ſolet, etiam audaces fortuna juvat, & ſæpè occaſio datur novis rebus inveniendis. Hunc in ordinem referas illos, qui circa Chryſopëiam laborant: Illi, quando nullis principiis fulti ſunt, neque artem per traditionem acceperunt, cùm ex ingenio ſuo aliquid tentare audent, caſu nonnunquam in aliqua experimenta incidunt, quæ fruſtra omni ſtudio & operâ indagaſſent. Exemplum hujus ponit Verulamius in operatione ignis ſuper aliquod corpus naturale, in quâ alterum horum ſemper evenit, ut aut aliquid evolet, aut ſaltem fiat ſeparatio partium localis, & ad nonnullam diſtantiam, ut in diſtillatione, ubi fæces ſubſident, vapores in receptacula congregantur. Huic opponit diſtillationem clauſam, quam neminem mortalium adhuc tentaſſe ait. Sed & exemplum hoc non quadrat, nam certè inter maximè rationales modos ille poni debet, & ipſa illa diſtillatio clauſa jamdudum ab hominibus tentata eſt. Id autem verum eſt, minimè eſſe vulgarem hanc operationem, & omnium artificioſiſſimam, atque unicè ſecretam Chymiam, quâ perpetrari in re naturali ſtupenda opera poſſunt, ad ipſius naturæ imitationem, quæ h.m. in generationibus rerum omnium operatur. Nec certè fallitur Verulamius, quando ait, vim caloris, ſi intra clauſtra corporis ſua in alterando facinora edat, cùm nec fiat jactura corporis, nec liberatio, tunc demum hunc materiæ Proteum, velut manicis detentum, ad complures transformationes adacturam, ſi modò calor ita temperetur & alternetur, ut non fiat vaſorum confractio. Rectè etiam Verulamius hanc rem matrici naturali aſſimilat, ubi calor operatur. Has operationes inſtituit natura in generationibus omnium rerum. In generationibus animalium diſtillatio clauſa eſt, vel in utero, vel in ovo, quô poſteriori exemplo ad oculum demonſtrari poteſt, & demonſtrata eſt à nonnullis. In generationibus Metallicis idem proceſſus eſt: in carceribus enim terræ ſurſum deorſum moventur Spiritus metallici, ſi vapores Mercuriales & ſulphurei, quos Witterung coruſcationum nomine appellant Metallici. Eorum continuo aſcenſu & deſcenſu fit illa metallica miſtio, & metallorum generatio, vel puriorum, vel impuriorum, prout, vel munditia, vel immunditia loci genitalis, vel ſolis abſentia & propinquitas, vel concurrerunt ad operationes naturæ, vel eas deſeruerunt. Receptacula illa venarum, quæ vitrorum inſtar ſunt, montibus ſuperinjectis hermeticè, ut ita loquar, ſigillata ſunt. Qui Metallorum imitationem intendunt Chymici, ac productionem eorum per artem, ſimilem diſtillationem clauſam principiorum metallicorum præſcribunt, ut videre eſt in ſcriptis illis, quæ genuina eſſe, vel ex hiſtoriâ, vel ex collatione mutuâ, deprehendimus. Illic omnes operationes occluſo vaſe inſtituuntur, vaporibus diverſorum principiorum metallicorum continuo aſcenſu deſcenſuque operationes mutuas edentibus. Similes operationes in rebus vegetabilibus inſtitui poſſunt, & qui plantarum reſuſcitationes in vitro exhibere volunt, clauſo vitro prius operationes illas inſtituerunt. Neque dicam de diuturnis digeſtionibus, quæ itidem clauſo vaſe fiunt, quibus magnæ parantur medicinæ. Quare immeritò Verulamius, ut rem inſolitam inducit, & intentatam diſtillationem hanc clauſam, quæ certè eſt Chymia illa ſecretior, à vulgari iſta diſtans, quantum

cœlum à terra. Vulgaris enim illa ad deſtruendas res, aut depravandas, inventa eſt, hæc verò ad generandas, meliorandas & transformandas res conducit. Prior illa violento igne, vel exterminat ſubtiles ſpiritus, vel empyreumate inficit, & peregrinitatem quandam ſulphuris impuri admiſcet, quâ plus nocetur, quàm commodum infertur Medicinæ: Hæc verò blando igne & diuturno intima miſti corporis invadit, vincula unionis miſtionis ſolvit, ac reformare & refingere apta nata eſt. His experimenta indagandi modis Baconianis jungenda ſunt, quæ ab eodem Autore proponuntur in *Novo Organo*, quô id agit, ut ex naturæ experimentis formare doceat Axiomata Univerſalia, per aliquam artem Hermeneuticam, cujus principia, è Dialecticis quidem deſumta, ſuam autem quandam formam & limites ſortiuntur à ſubjectis, circa quæ verſantur. De quâ naturæ interpretatione, ut vocat, legi poteſt liber ille, neque enim noſtrum eſt, omnia iſta huc adducere.

23 Præmiſſis igitur jam omnibus illis, quæ aditum parare ad Phyſicam Univerſalem poſſunt, videamus, quâ ratione ſcientiam Phyſices partiatur Verulamius, quâque Methodo, in illa docenda diſcendâque uti nos velit. Primùm Naturalem Philoſophiam dividit in Speculativam & Practicam, quas geminas ejus partes conſtituit. In primâ docet inquiſitionem cauſarum, in alterâ productionem effectuum; alterâ naturæ viſcera ſcrutatur; alterâ naturam veluti ſuper incudem efformat. Ulterius partem ſpeculativam de naturâ dividit in Phyſicam Specialem & Metaphyſicam. Ubi illud notandum, Metaphyſicæ acceptionem illi aliô ſenſu venire, quàm vulgò nos capimus. Per Metaphyſica enim in Phyſicis intelligit, quæ abſtracta magis & conſtantia ſunt. Per Phyſica, quæ materiæ immerſa ſunt & mobilia. Phyſica illi ſupponunt exiſtentiam tantùm & motum, & naturalem neceſſitatem: Metaphyſica etiam Mentem & Ideam. Phyſica eſt illi, quæ inquirit de efficiente & materia: Metaphyſica, quæ de forma & fine. Phyſicam iterum partitur in doctrinas tres, in naturam in unum collectam, aut fuſam, aut ſparſam. Colligitur verò in unum natura, aut propter communia rerum omnium principia, aut propter unicam integralem univerſi fabricam, quæ naturæ unio duas parit Phyſicæ partes, unam de principiis rerum, alteram de fabrica Univerſi, ſive de Mundo. Tres itaque partes hæ ſunt (1) de principiis rerum (2) de mundo, ſive de fabricâ rerum, (3) de Natura multiplici ſive ſparſa.

24 De ſingulis quædam tractantur communiter apud Phyſicos, ſed quantâ accuratione, judicare facilè omnes poſſunt. Certè doctrina illa de fabricâ rerum parùm fuit exculta, quæ tamen noſtri eſt uſus in doctrina phyſica: quanquam & obſiſtat imbecillitas ſenſuum humanorum, qui ideas ejus diſtinctas & accuratas animo ſiſtere non poſſunt, ob vaſtitatem objecti, ejusque occultationem. Suſpicione tamen aliquâ attingere poſſumus, & dedit hæc Verulamii ſpeculatio (quanquam ipſe diſſimulet) Roberto Boylio occaſionem ſcribendi *de Coſmicis rerum qualitatibus*, ſeu de iis affectionibus naturalibus, quæ corporibus ratione Syſtematis mundani, & nexus competunt, ſive in Globo hoc terraqueo ſolo eæ affectiones fundentur, in maſſis ſc. illis majoribus, ut vocat Verulamius, aquâ, aëre &c., ſive ad Globum hunc Terrenum,

vel

vel ejus partes, pertineant, ex operationibus ceterorum corporum mundanorum in hunc terræ Globum perductæ. Quæ pars Phyſicæ cùm pateat latiſſimè, cùm ſit à ſenſibus remotiſſima, niſi fortè ex effectu quædam divinemus, mirum non eſt, à nobis non poſſe apprehendi effectus ex his cauſis propagatas, ut fortaſſis plurimi ſunt in naturâ. Et videmus quodammodo in influxibus corporum Planetariorum in hunc globum terraqueum, quorum effectus paſſim deprehendunt illi opifices, quorum operationes vel circa maſſam aqueam, vel circa maſſam terræ verſantur, e. g. Nautæ, Agricolæ, metallifoſſores, quibus obſervationes interdum aliquæ è re ipsâ naſcuntur, quarum tamen adeò determinata veritas non eſt, ut nec falli interdum poſſint. Referenda etiam huc eſt Aſtrologia illa divinatoria Naturalis, quæ adeò incerta & fallax eſt; & eſſe tamen aliquam, in natura fundatam, tàm ratio ipſa dictitat, quàm eventus confirmat. Accedit etiam huic naturalis quædam hominum circa univerſalia ſocordia. Plurimi enim, in minutiis & particulis rerum occupati, non adeò ſimul reſpiciunt ad hujus univerſi machinam, cujus intuitu, ſi cogitationes extolleremus, aliam interdum naturæ faciem videremus, & quædam in certiora è conſiderationibus illis formaremus, quàm nunc quidem novimus. Hinc poſſemus certiores tempeſtatum regulas formare, cometas prædicere, frigidam vel calidam aëris temperiem prænoſcere, ſi ad habitudinem aëris, aquarum, terræ, ſemper reſpiceremus, & collationibus mutuis, ac obſervationibus, in locis diverſis habitis à plurimis, anguſtiæ unius ingenii ſubveniremus. Quod quidem inſtituerunt ſocii Angli, ſed an effectum daturi ſint, dies docebit. Ratione Aſtrologiæ cogitationes quasdam proponit Verulamius, *de augmentis Scientiarum lib. 3. cap. 4.*, quæ legi illic poſſunt.

Phyſicam Sparſam, ſive de varietate rerum, rurſus in duas partes dividit, Phy- 25
ſicam ſc. de concretis, & Phyſicam de naturis. Altera inquirit de ſubſtantiis, cum omni varietate ſuorum accidentium; altera de Accidentium; altera de Accidentibus per omnem varietatem ſubſtantiarum. E. g. Si inquiratur de leone, quercu, &c. illa plura & diverſa accidentia ſuffulciunt. Contra ſi inquiratur de calore & gravitate, illa plurimis diſtinctis ſubſtantiis inſunt. Quandoquidem verò omnis Phyſica quaſi media eſt inter Hiſtoriam naturalem & Metaphyſicam, prior pars hiſtoriæ naturali propior eſt, poſterior Metaphyſicæ. Phyſica autem concreta eandem ſubit diviſionem, quàm Hiſtoria naturalis; Ut enim Hiſtoria naturalis factum ipſum perſcrutatur; ita Phyſica concreta cauſas inquirit, adeoque circa omnes illas rerum claſſes verſatur, circa quas verſari hiſtoriam naturalem jam tùm ſuprà diximus. Phyſica verò de Naturis, ſive abſtracta, in duas partes dividitur, in doctrinam de Schematiſmis materiæ, & in doctrinam de motibus. Schematiſmi materiæ ſunt denſum, rarum, grave, leve &c. Motuum verò genera multa ſunt; ſunt enim vel ſimplices, vel compoſiti, & ratione ſchematiſmorum materiæ varii. De quorum ſpeciebus ſingulis nolumus repetere, quæ prolixè Verulamius loco habet jam ſuprâ citatô. Id verò mirabile eſt, Verulamium ea jam animo complexum eſſe, quorum particulas excolendas ſibi ſumſerunt Recentiores, & his, velut principiis & fundamentis, doctrinam Phyſicam inædificarunt.

 ficarunt.

ficarunt. Sunt hodiè, qui in Schematiſmis materiæ omnia ponunt Phyſices principia, omnesque ex iis rerum formas educunt. Sunt, qui in motu ſimiliter univerſam Philoſophiæ naturalis doctrinam fundant, atque ex illo omnium Φαινομένων naturalium rationes reddere laborant. Quo in argumento verſantur illi, qui corpuſcularem Phyſicam profitentur, omniaque è particulis deducunt, G. G. Leibnitzius, in *nova* Motus *Theoria*, & J. Alph. Borellus in *lib. de vi percuſſionis*, & in alio, quem promiſit *de motu Animali*. Hi, quanquam eleganter, ac planè Mathematicè demonſtrare velint Effecta naturæ, quo quidem nomine laudandi ſunt, mihi tamen partem tantùm aliquam Philoſophiæ naturalis comprehendere videntur, nec Univerſalia aliqua ſtatuere principia. Externa illi naturalium operationum veſtigia legunt, regulis Mathematicis adjuti; ſed interiora rerum illis modis demonſtrari, à vero valdè alienum eſt. Rectiùs itaque Verulamius hanc tantùm partem conſtituit magnæ & univerſalis iſtius ſcientiæ Phyſicæ, quâ tamen nondum omnis naturæ fundus exhauſtus eſt, eritque, ubi non minus illi Lyncei laborabunt particularum & motuum ſuorum determinationibus, quàm Peripatetici formis ſuis & Qualitatibus, de quibus in progreſſu noſtri Operis plura dicenda erunt. Interim videmus Verulamium jamdudum præcepiſſe animo illa, in quibus novi illi Scriptores triumphant.

26 Metaphyſicæ aſſignavit Baco inquiſitionem Cauſarum formalium & Finalium. Cauſas formales quod attinet, de iis vulgò invaluit opinio, nullâ eas humana diligentia inveniri poſſe. Plato eas à materia abſtractas ſpeculabatur, non in materia determinatas. Unde factum, quòd ad ſpeculationes Theologicas diverteret, quibus naturalem ſuam Philoſophiam corrupit. Subſtantiarum quoque formæ perplexæ ſunt & intricatæ, quas ad tempus ſeponi jubet Baco, explicatis prius ſimplicioris naturæ formis. Ita formæ Schematiſmorum materiæ & motuum, quas primæ Claſſis appellat Baco, citius inveniri poſſunt, quòd, velut literæ Alphabeti, eſſentias & formas omnium Subſtantiarum conficiant. Inquiratur itaque de formâ hujus vel illius ſoni, de formâ denſi, rari, calidi, frigidi, &c. & deprehendemus eâ ratione ſubſtantiarum ipſarum formas. E. g. Si inquiratur in cauſam albedinis in nive, redditur illa, quòd ſit ſubtilis intermiſtio aëris cum aqua; hæc autem non eſt forma albedinis, cùm aër etiam pulveri, vitro aut cryſtallo, intermixtus albedinem ſimiliter procreet, non minus, quàm ſi admiſceatur aquæ. Verùm cauſa illa efficiens tantùm eſt. At verò forma illa, corpora duo diaphora intermixta, portionibus eorum opticis ſimplici ordine, ſive æqualiter, collocatis, conſtituere albedinem. Pars ſecunda Metaphyſicæ Verulamio (cujus hanc diſtinctionem immerito ridet H. Conringius *Diſp. Phyſ. 1. Th. 3.*) eſt finalium cauſarum inquiſitio, quæ interdum in Phyſicis pro cauſis Phyſicis à nonnullis venditantur. In quem lapidem Plato, Ariſtoteles & Galenus ſæpè offendunt.

27 Doctrina operativa naturalis in Mechanicam & Magiam dividitur, quæ reſpondent partibus Speculativæ, Phyſicæ Mechanica, Metaphyſicæ Magia. Mechanices uſus eſt quàm latiſſimus; ſed ars illa non ita tradita, ut tradi quidem poterat & deberet.

De

De eâ ſuperiùs quædam diximus. Magia verò naturalis eſt, quæ cognitionem formarum abditarum ad opera admiranda deducit. Quæ pars itidem non eſt pro dignitate exculta, niſi velimus ſuperſtitioſas aliquas traditiones & obſervationes eô nomine ſalutare.

Utrique, tàm Speculativæ, quàm Operativæ Phyſicæ, magnam Appendicem Ma- 28
thematicam ſtatuit Verulamius, eamque inter Appendices potiùs poni debere putat, quàm inter ſcientias ſubſtantivas, magis tamen Metaphyſicæ Philoſophiæ naturali ſubordinat, quàm Phyſicæ. Quantitas enim, quæ ſubjectum eſt Mathematicæ, materiæ applicata, velut doſis naturæ eſt, & plurimorum effectuum in rebus naturalibus productrix. Ideoque inter formas Eſſentiales eam ponit Verulamius, quarum doctrinam ille ad Phyſicam Metaphyſicam rejecit. Appendicem autem facit eam, hanc ob cauſam, ut delitiæ & faſtus Mathematicorum retundantur, qui Matheſin Phyſicæ ferè imperare cupiunt. Quo morbo, ſi verum fateri velimus, laborant hodiè Recentiorum illa dogmata Phyſica: Hodiè enim penè omnis Phyſices ſcientia Mathematica eſt, ſubtilis quidem in iis affectionibus demonſtrandis, quæ ad Matheſeos miniſterium referri præ ceteris poſſunt. At in cauſis internis indagandis æquè laborant ut Peripatetici, quorum contrarius quidem morbus eſt. Nam, ut hi Mathematicam Phyſicæ Dominam conſtituunt, ita illi Logicam: Hi naturam externè conſiderant, ratione ſolius quanti, unius tantùm formæ; illi conceptibus notionalibus omnia metiuntur. Media hîc via tenenda eſt, &, quid natura ipſa velit, diſpiciendum potius. Propiorem tamen ad naturæ clauſtra aditum habent, qui Mathematicâ, velut Indice aliquo, utuntur, in quâ tamen iis non ſubſiſtendum eſt, & ipſa penetralia perreptanda. Veteres iſti, qui vixerunt ante Platonis & Ariſtotelis tempora, eadem principia ſecuti ſunt. Nam de Democrito notum eſt, in figuris Atomorum illum principia varietatis rerum collocaſſe. Pythagoras naturam rerum ex numeris conſtitui aſſerebat. Non itaque novus ille modus philoſophandi eſt, ſed jamdudum ab antiquis traditus.

Hæ Franc. Baconis Verulamii, Viri Illuſtris & maximi ingenii, de amplianda cogni- 29
tione Philoſophiæ Naturalis, ſunt meditationes. Qui, ſicut in *Libris de Augmentis Scientiarum, Novo Organo & Atlantide retecta,* Methodum illam primus detexit, ita in *Hiſtoria Ventorum, Hiſtoria Vitæ & Mortis, Hiſtoria denſi & rari, Hiſtoria de ſono & auditu, Articulis Quæſtionum circa Mineralia,* & *Topica Inquiſitione de Magnete,* ipſa Praxi viam oſtendit, Methodique iſtius dedit ſpecimina. *Hiſtoria Gravitatis & Levitatis* periit. *Sylva Sylvarum* Farrago eſt Experimentorum Naturalium, quæ, tàm ipſe, quàm alii, inſtituerunt, quibus tamen in omnibus fides haberi nequit. Nulla enim in illis ἀκρίβεια eſt, & poſt mortem ejus, ſi rectè memini, Anglice primùm prodierunt: Hujus Viri Ingenium magnæ mihi ſemper admirationi fuit. Profundum enim, expeditum & diffuſum eſt per omnia. Ariſtotelis ſententias in multis ſequitur. Neque enim novaturit, niſi cum neceſſitas, demonſtrationis ratio, & experientia, illud poſtulant. Neque tamen in autoritatibus inſanit. Plura de illo vid. in *Ephemeridibus Gallicis A. 1666. p. 225-228. Ed. Lat.*

CAP. II.

DE LOCORUM COMMUNIUM IN PHILOSOPHIA NATURALI SCRIPTORIBUS.

§. 1. Pleni Autores hi ſunt narrationibus falſis atque incertis, & à tyronibus proinde non legendi. 2. Pertinent ad hanc Claſſem C. Plinius Major, qui ob diligentiam commendatur, & contra Recentiorum criminationes defenditur. 3. Solinus, in quem Cl. Salmaſii exſtant Exercitationes *Eruditiſſimæ, ſed feſtinanter nimis, ac ſine delectu, ſcriptæ. Similes in Plinium ab eodem ſunt promiſſæ. 4. Vinc. Bellovacenſis & Gerh. Joh. Voſſius, ille exigui, hic ſummi pretii Scriptor. 5. Ferrantes Imperatus, cui Nic. Anton. Stelliola Labores ſuos 100. Scutatis vendidit ac tranſcripſit; Georg. Hornius, Scriptor Proletarius. J. E. Nierembergius fabuloſus. 6. Epiſtolographi Phyſici, Paulus Sarpius, Nic. Fabricius Peireſcius, Fort. Licetus, Thom. Bartholinus & Sam. Sorbierius. 7. Dialogorum Phyſicorum, & Itinerariorum quorundam, Scriptores, præſertim Cl. Berirgardus, Joh. Bodinus, Monconiſius & Thevenotius. 8. Obſervationum (in quibus opus eſſe delectu monetur) Scriptores, Pet. Bellonius (Pet. Gyllio, Domino ſuo, eas ſuffuratus) Joh. Rud. Camerarius, aliique. 9. Obſervationes integrarum Societatum Phyſicarum, inpirimis Collegii Naturæ Curioſorum Germanici, de quibus denuo ſequius fertur judicium. Inſperguntur nonnulla de Acad. Lynceorum Romana, & Fundatore ejus Ang. Cæſio. 10. Polygraphi Phyſici, Hier. Cardanus, Ul. Aldrovandus, Athan. Kircherus, Fort. Licetus, P. Gaſſendus &c. 11. Scriptores Phyſici Miſcellanei variorum generum, Hier. Cardani & J. C. Scaligeri Scripta contraria.*

1 AD LOCORUM COMMUNIUM *Scriptores* accedimus, ſeu Autores illos, qui farragines aliquas rerum naturalium congeſſerunt, quorum notitia aliqua habenda, non quòd ex iis multum profecturi ſimus (plauſtra enim mendaciorum, ſuperſtitionum, falſarum relationum, ac anilium fabularum, illic reperiemus,) ſed quoniam argumenta naturæ tractaverunt, & varietate ſuâ occaſionem aliis cogitationibus ſubminiſtrare poſſunt. Nam hìc primum eſto principium, dubitare, ſi non de omnibus, ſaltem de plurimis. Et prodeſſe tamen nonnunquam ipſa dubitatio poteſt, quâ in veram rei naturam ſæpè deducimur, caſu aliquo, vel errore, vel ſorte: Nolim tamen admittatur ad illorum Autorum lectionem Tyro, cui nulla adhuc via ſtrata eſt ad Philoſophiam naturalem; miris enim modis dementabit ingenium ac falſis implebit præjudiciis. Verùm, ſi jam Mathematices ſit peritior, & notitiam habeat Phyſicorum principiorum, tàm veterum, quàm recentiorum, cautius in illis verſabitur. Quanquam enim nondum exactam habeat Philoſophiæ naturalis ſcientiam, & fortaſſis nunquam, ob rei vaſtitatem, habiturus ſit, aliquod tamen illi apparebit veritatis crepuſculum, ut melius certiusque mentis oculos ad varias

varias illas narratiunculas reflectat, & accuratius de rerum veritate judicium formet.

Inter Veteres habemus, poſt Ariſtotelem, cujus exſtat *Hiſtoria Animalium*, & *liber mirabilium Auſcultationum*, PLINII *Hiſtoriam Naturalem*, qui mirabilii brevitate, ac *ſtylo* ad ſumma rerum capita recenſenda *facto*, res vaſtas, & penè infinitas, complexus eſt. Quam ob cauſam Rol. Mareſius *Lib. 2. Ep. 26.*, Plinii paucos de Animalibus libros pluris facit, quàm Geſneri & Aldrovandi de iis infinitos, quòd Plinius omnia egregio ordine complexus ſit, & ſingula in ſuas claſſes aptè diſtribuerit, quæ verò ex aliis decerpſit, digeſta, & ſtylo quaſi concocta, ſua quodammodo fecerit. Ei licentius nonnulli è Recentioribus inſultant, quàm æquum eſt. Nam certè magna illi gratia habenda eſt, quòd conſervaverit nobis memoriam multarum rerum, quæ aliàs intercidiſſent. Apud illum enim conſignata invenimus multa veterum Philoſophorum, tùm placita, tùm inventa, de quibus profundum apud alios ſilentium eſt. Nec eſt, quod de fabuloſis quibusdam traditionibus nonnulli conquerantur, nam certè ego puto, in illis hodiernis Obſervationum Scriptoribus plus fabularum eſſe, quàm in Plinio. Ex ingenio autem iſte nihil finxit, ſed, fidem veterum ſcriptorum ſecutus, ad poſteros propagavit eâ fide, quâ à majoribus acceperat. At hodierni illi noſtri Obſervatores ſæpè mentiuntur, ut novam aliquam obſervationem cudant, ſæpè rerum circumſtantias non rectè penſitant, &, ut mancum de rebus formant judicium, ita incertum nobis gignunt experimentum. Sed & multa fabuloſa habentur in Plinio, quæ non ſunt. Sæpè enim ipſi, laborantes ignorantiâ, alios incuſamus malæ fidei, cùm nos ipſi potiùs culpandi eramus; quod probari in Plinio non paucis in locis poterat, ſi noſtri res eſſet inſtituti. Utinam nobis fata *non invidiſſent Claudii Salmaſii Exercitationem de ſcriptis Plinianis*, quam editurus fuiſſet, niſi morte immaturâ ſubreptus fuiſſet, cujusque mentio extat in Catalogo Operum ejus, quem nobis reliquit *Laurentius Craſſius Tomo 2. Elogiorum.* 2

Plinii Epitomator SOLINUS *eſt*, cujus extat *Polyhiſtor*, quem *Salmaſius* uberrimis vaſtiſſimisque Commentariis explicavit, qui liber Locorum Communium inſtar eſſe poteſt. Omnia enim Vir ille doctiſſimus, quæ apud Veteres de ſimilibus Argumentis tradita erant, collegit, ſuo ubique interſperſo judicio. Sed, quoniam ille feſtinanter plerumque ſcribebat, ut uberrimo ingenio nulla ſufficeret manus, nec vel verborum, vel rerum, modum noſſet, multa illi exciderunt, quæ & ipſe noverat meliùs, & rectiùs alio die tradebat, quæquè facilè evitaſſet, ſi paululum modò attendiſſet animum. Quod Gronovii judicium de hoc Viro, *lib. 1. de pecunia Veteri, c. 41.*, ut in Philologicis, ita etiam in his rerum eſt. Nam multa etiam hîc miſcuit, quæ poterat opportunius alio tempore & loco dixiſſe. Sed quoniam hîc vaſtitatem & multitudinem habebat objectorum, ſpontè ingenium ejus in tàm varia excurrit. *Exercitationes* ejus *Plinianæ*, quas paſſim in hoc Commentario promittit, lucem non conſpexerunt, mors enim iſtas molientem prævenit. Multa in illis de herbis & plantis dicturus fuiſſet, & aliquantò plenius accuratiusque, quàm fecerant ante illum Scriptores illarum rerum, ac ipſe Jul. Cæſ. Scaliger *in Comment. de Plantis* eruditiſſimo. 3

E Re-

4 E Recentioribus naturalium rerum Collectoribus habemus VINCENTII BELLOVACENSIS *Speculum naturale*, partem Quadripartiti operis unam, quem in *Morali Speculo*, velut exſcriptorem Divi Thomæ, accuſat Jac. Thomaſius, *in libro de plagio literario §. 574.* In *Speculo* etiam *Naturali* totum fere Plinium exſcripſit, aliqua tamen è ſuorum temporum Scriptoribus addidit. Sed parum in illo Autore eſt doctrinæ elegantioris. Longè luculentius Opus eſt GERH. JOH. VOSSII, quod *Phyſiologiam Chriſtianam* inſcribit, ac addi ſolet ejus libris *de Idololatria*, quod ego quidem quàm pleniſſimum habeo inter illa, quæ hiſtoriam naturalem Narrativam complectuntur. Omnes enim rerum claſſes perambulat, & quæ ad illas pertinent, diligenter ex Autoribus colligit.

5 Editus quoque Italicâ linguâ Neapoli, A. 1599., in fol., liber eſt FERRANTIS IMPERATI, *Neapolitani*, cui titulus: *Hiſtoria naturalis*, qui, antequam Venetiis, anno 1672. eſt recuſus, magno pretio ſæpè redemptus eſt ob raritatem. Liber eſt multâ diligentiâ ſcriptus, ideoque præ ceteris commendandus, quòd partem operativam Phyſicæ plenius, quàm ceteri, dederit; quâ ratione prodeſſe plurimum poteſt. Quanquam tamen & ille, quod res metallicas inprimis attinet, è Germanis, Georg. Agricolâ præcipuè, pleraque exſcripſerit. Adjutus fuit in Opere ſuo à præſtantiſſimis ſui temporis Viris, Joh. Vincentio Pinello inprimis, maximi ingenii & multarum literarum, Viro, cujus in rebus naturalibus peritiam ex *Vita* ejus, à Paulo Gualdo ſcriptâ, diſcere poſſumus. Habuit & alios laboris ſocios, aut Conſultores potiùs, Petrum Andream Matthiolum, Melchiorem Guilandinum, Bartholomæum Marantam, Jacobum Antonium Cortuſium, Ulyſſem Aldrovandum, Carolum Cluſium, Caſparum Bauhinum, Fabium Columnam & Nicolaum Antonium Stelliolam, quos ipſe Autores in præfatione libri ſui nominat, ut conſultores ſuos. Sed ſunt, qui hunc poſtremum ſcriptorem verum hujus libri Autorem vocant; Is enim 100. ſcutatos accepit ab Imperato, ut nomen illi ſuum præfigere permitteret, quod prodidit Typographus in libelli Stelliolæ, quem *de Teleſcopio* ſcripſerat, præfatione, vid. *Nicolaum Guibertum de murrhinis c. 1. in fine.* Plura de eo dicet MARTINUS VOGELIUS *in Hiſtoria Lynceorum*, quam typis paratam habet. Sed quicquid ſit de vero autore, liber tamen ipſe bonus eſt, vehementer etiam commendatus *Antonio Nardo*, qui & ipſe multa ſcripſit in Hiſtoria naturali, ac in quodam lib. Italico inedito, qui in Ducis Florentini Bibliothecâ aſſervatur, cui titulus: *Scene Toſcane*, magnificum Ferranti Imperato Elogium ſuſpendit, in eo laudans veritatem experimentorum. MICH. NEANDRI, Rect. Ilfeld., Viri docti, *Phyſica* ſive *Sylloge Phyſicarum rerum eruditarum*, Lipſiæ A. 1591. *in 8vo* prodiit. Multa in ea habentur erudita, Phyſica & Medica, ſed mera tantùm Collectanea. JOH. EUSEB. NIEREMBERGII *Hiſt. Naturalis in fol.* edita, multa habet de variis rebus, inprimis orbis alterius Exoticis. Sed ſunt, qui Autorem in multis fabuloſum exiſtimant. GEORGII HORNII *Hiſtoria naturalis*, Leidæ A. 1670., *in 12mo* edita, magnifico iſto titulo jejunus admodum 17. foliorum liber eſt, qui facilè ſomnianti alicui, & aliud agenti, excidere poſſit. Ne quid dicam de iis, quæ hìc falſa recenſentur.

Scrip-

6 Scripsêrunt etiam non pauci ſub Epiſtolarum formâ res varias naturales, qui primum locum inter Miſcellaneos ſcriptores obtinent. Priores enim, quos nominavi, Ordinem naturæ ſequuntur, & per ſingulas rerum Claſſes naturæ hiſtorica colligunt. Inter EPISTOLOGRAPHOS PHYSICOS primo loco recenſebo *Pauli Sarpii*, Autoris illius, qui *Hiſtoriam Concilii Tridentini* ſcripſit, *Epiſtolas* de rebus Phyſicis, quæ tamen lucem nunquam aſpexerunt, magno Philoſophorum malo. Non enim facilè ingenium fuit, quod magis penetraret in arcana, tàm Politica, quàm naturalia. Primus certè circulationis ſanguinis Autor fuit, & experimenta iſta publicè Venetiis oſtendit. Falsò proinde jactant Angli, ſe ejus eſſe Inventores, quibus id Anglus ipſe, Henricus Stubbe, objicit, in libro illo, quem contra Societatem Regiam ſcripſit. Refert autem id *in Vita Patris Pauli* Fulgentius, in quâ etiam de ſummo ejus ingenio in rebus Mathematicis, & de his ipſis Epiſtolis Phyſicis, *p. 232. & 233. verſ. Gallicæ* agit. Similiter EPISTOLÆ PEYRESCIANÆ (*e*) de variis rebus Phyſicis magnum nobis lumen in Hiſtoria naturali accendere poſſent, ſi aliquando ederentur, quas in Bibliotheca ſua diligentiſſimè ſervavit Petrus Puteanus, Conſiliarius Regis Galliæ, teſte Nicolao Rigaltio, *in Vita ejus p. 500.*, ubi de illis iſta habet: *Præterea ſervavit Nicolai Fabri Peyreſcii, Senatoris Aquenſis, Epiſtolarum ad ſe atque Jacobum fratrem volumina duo grandia, quibus continentur ad naturalis hiſtoriæ, totiusque literaturæ notitiam, obſervationes elegantiſſimæ.* Quis autem Vir Peyreſcius fuerit, conſtat ex *Vita*, quam Petr. Gaſſendus ſcripſit. Ubi, inter cetera Opera & ſtudia, multum eum rebus naturalibus impendiſſe & operæ & temporis, deprehendimus. Jungi his poſſunt FORTUNII LICETI *Quæſita per Epiſtolas*, vaſtiſſimo Viri ingenio, cujus extant magna volumina, tàm in Medicina, quàm in Philoſophia Naturali, de rebus Philoſophicis ſcripta. Et quanquam ille Peripateticæ Philoſophiæ ſit addictus, adeò quidem, ut vel integrum librum *de pietate Ariſtotelis* ſcripſerit, ejusque ſententias, quanquam falſas, cum Recentiorum Hypotheſibus conciliare conatus fuerit, multa tamen apud illum reperiuntur curioſiſſima, & magno ſtudio conquiſita & elaborata. Noſtris temporibus diligentiſſimus fuit, in Epiſtolis Phyſicis & Medicis conſcribendis, THOMAS BARTHOLINUS, Vir in augenda ſcientia naturali ſagaciſſimus, cujus prodierunt *IV. illarum Centuriæ*, Hafniæ *in 8vo*, duæ quidem priores A. 1663., totidem verò poſteriores A. 1667. Scripſit & Autor Gallus, SAM. DE SORBIERE *Epiſtolas Phyſicas*, quæ tamen non tantæ accurationis mihi videntur. Levius enim de rebus & Autoribus format judicium. Quo nomine vapulat Anglis, qui *Itinerarium* ejus *Anglicum*, Gallicâ linguâ ſcriptum, non ſatis benignè, ut æquum etiam erat, exceperunt, & paſſim illi ignorantiam & incogitantiam objecerunt.

7 Epiſtolographis accenſendi ſunt, qui DIALOGOS ſcripſere, quibus complexi ſunt *res naturales*, quorum aliqui ſunt inter Scriptores Exoticos, Italos, Gallos, Hiſpa-

(*e*) Nicol. Fabr. Peyreſcii *Epiſtolarum* Editionem Galli propediem à ſe jubent expectari, uti è Novis Literariis, vel Jac. Bernhardi, vel Jeſuitarum Trevorienſium, haud ita pridem ſum edoctus.

nos. Sic SIM. MAJOLI *Dies Caniculares* de variis naturæ ſubjectis, per modum Dialogi, agunt. Sic CLAUD. BERIRGARDUS, Philoſ. Patavinus doctiſſimus, profundiſſimi Vir Ingenii & Judicii, in *Circulo Piſano*, qui Patavii A. 1661., *in 4to* prodiit, è Vett. & Recentt. Philoſophis, perpetuo Dialogo inter Charilæum, Philoſophiæ Peripat. defenſorem, & Ariſtæum, Anaximandri principia proponentem, omnis Philoſophiæ Naturalis penetralia rimatur. JOH. quoque BODINUS, ſicut in omnibus, ita & in Phyſicis, Navator, *in Theatro Univerſæ Naturæ*, Lugd. A. 1596., *in 8vo* edito, de variis naturæ Argumentis ſub forma Dialogi diſſerit, & hac Styli forma eò commodius Paradoxas monſtroſasque Opiniones ſuas, ope Objectionum, proponit, in quibus plus ſæpè theſeos eſt, quàm ubi veram Theſin ſuam oſtendit. Inter Hiſpanos habemus TORQUEMADÆ *Dialogos*, qui poſtea in linguam Germanicam ſunt converſi. ITINERARIORUM SCRIPTORES nonnulli etiam non ſunt negligendi, inter quos excellit MONCONISIUS, (*f*) cujus extant Gallica lingua *Itineraria* per Orientem, totamque Europam: in quibus diligenter notavit, quicquid rerum naturalium apud omnes gentes obſervavit, quicquid mechanicarum rerum à peritis artificibus obtinere potuit, quos omes in itinere ſuo compellavit, nec omiſit colloquia cum viris doctis & Philoſophis naturalibus inſtituta. Medica etiam multa & Chymica immiſcet, quorum tamen certa adeò non ſunt experimenta. Ipſe enim omnia, prout tradita ſunt, velut per lancem ſaturam, congeſſit, ſuis poſteà experimentis exploranda. Sed, quoniam morte præmaturâ præreptus eſt, omnia ſine diſcrimine, quæ in ſcriniis ejus reperta fuêre, edita ſunt, quorum ſi ipſe vivus arbiter fuiſſet, majore fortaſſis curâ ſcriptum haberemus opus. Interim laudanda vehementer eſt hujus viri induſtria, qui vel ſic prodeſſe non parum ſtudio naturali poteſt. Laudari etiam, ob diligentiam in naturalibus, merentur Pet. de la Valle *Itinerarium*, Anonymi *Hiſtoria Inſularum Antillenſium*, Guilh. Piſonis *de Indiæ utriusque Re Naturali & Medica Libri XIV.*, & vaſtiſſima Er. Franciſci Volumina Germanica, Norib. *in fol.* edita, in quibus, labore utiliſſimo, ex Itinerariis variis, Sinenſibus inprimis & Indicis, omnia naturalia & artificialia collegit, ac ſub unum conſpectum produxit. *Thevenotius* in *Itinerariis* ſuis curioſior eſt. Ipſe enim ſua edidit obſervata, ac cum judicio omnia digeſſit, à quo, ut jam ſupra dixi, ſperanda nobis eſt aliquando accuratior rerum Mechanicarum Hiſtoria.

8 Tandem & OBSERVATIONUM *Scriptores* huc pertinent, qui præ ceteris magni faciendi ſunt, ſi fidem illam, quam debebant, adhibuerint rebus ſuis. Et hodiernum quidem ſeculum, quod in experimentis capiendis deliciari nunc quodammodo videtur, ſupra modum fœcundum eſt iſtis Scriptoribus, ſed in his oportet magno cum delectu verſari. Non enim temerè admittenda eorum experimenta, aut Hiſtoricis eorum fides habenda, niſi natura etiam nos fecerit certiores. Habuimus & ſuperiori ſeculo, qui Obſervationes ſcripſerunt, inprimis in Medicinalibus, quibus naturalia nonnunquam ſunt miſta. Sed in illis non eſt ἀκρίβεια illa obſervata, quam obſer-

vare

(*f*) Germanicam Hodoeporicorum Monconyſii Verſionem dedit M. Chriſt. Junckerus, Gymn. Schleuſing. Conrector, excuſam Auguſtæ a. 1696. *in 4to.*

vare debent, qui talia ſcribunt. Ideoque, velut narratiunculæ quædam ſub certa fide traditæ, ſunt accipiendæ, in quorum enarratione nos tempus terere nolumus. Mihi præ omnibus aliis arrident GEORG. HIER. WELSCHII Scripta hujus generis, ob delectum pariter atque doctrinam accuratiſſimam. Quibus addi merentur, quæ ROB. BOYLIUS in Lib. Anglico: *The Uſu fulneſſe of the Natural Philoſophie* (Ox. 1664. *in 4to*), & altero *Occaſional Reflexions*, de variis Rebus Naturalibus obſervavit. Extant PETRI BELLONII *Obſervationes de rebus naturalibus Exoticis*, quas è Gallicis Latinas fecit Carolus Cluſius, ediditque Antwerpiæ, anno 1586., ſed quas ſubreptas ab illo Domino ſuo fuiſſe, cujus peregrinationum comes erat, fama eſt, de quâ videri poſſunt Scævola Sammarthanus *Lib. 1. Elogiorum pag. 24.*, & Thuanus *lib. 16. Hiſt. fol. 333.* In quibus nonnulla ſunt fide digna, meræ enim ſunt Hiſtoriæ ab illo, vel Domino ejus, Petro Gyllio, congeſtæ. JOH. RUDOLPHUS CAMERARIUS *Centurias 17. Memorabilium Medicinæ, & mirabilium naturæ Arcanorum*, collegit, in quibus etiam occurrunt multa non ſpernenda. Longè tamen plurima ſunt è lacunis ſuperſtitionum & traditionum hauſta, aut ex trivio deprompta.

Hodie huic fini *tota* COLLEGIA inſtituta ſunt in Italia, Anglia & Germania, in 9
quibus in medium conſulitur de re naturali per experimenta augendâ. Habuerunt priora etiam tempora, apud Italos, talia Collegia, in quibus laudari præ ceteris meretur *Academia Lynceorum*, (g) à Principe Angelo Cæſio, acerrimo rerum naturalium & Mathematicarum Indagatore, inſtituta, in quâ tamen potius ſcribendis libris, quàm novis Inventis, opera dabatur. Paſſim enim collegit homines doctos, inopiâ oppreſſos, ſumtusque iis liberaliter ſuppeditavit, ut aliquid ſcriberent. Ipſe Nardi Antonii Recchi librum *rerum novæ Hiſpaniæ*, ſuis ſumptibus, in lucem edidit, de quo videri poſſunt amplius Erythræus *Pinacotheca tertiâ, num. 23.*, & Joh. Baptiſta Porta in præfatione *libri*, quem *de diſtillatione* conſcripſit. De eodem Angelo Cæſio, ejusque Academia, liberalitate & ſcriptis vide Collegæ noſtri Clariſſ. D. J. Dan. Majoris *Annot. I. ad Fabii Columnæ Opuſculum de Purpura.* Qui Columna ipſe membrum hujus Collegii fuit. Scripſit ipſe Cæſius volumen ingens, quod *Naturæ Theatrum* inſcribit, & multa alia, de quibus eôdem locô videri Erythræus poteſt. Sunt & hodiè Romæ & Florentiæ Collegia quædam inſtituta, unde Obſervationes prodierunt libris ſingularibus. Et Florentini quidem Aërem & vacuum variis tentaminibus explorarunt, nec legi facilè quicquam curioſius poteſt circa hoc argumentum, quanquam & Angli, Robertus Boylius præprimis, multa in illa re præſtiterint. De Gallicis & Anglicis Collegiis, unde hodieque Obſervationes, vel menſtruæ, vel annuæ, prodeunt, jam ſupra dictum eſt. Germanorum Societas magna parit ſingulis annis Obſervationum volumina, è quibus

(g) De Academia Lynceorum, & Principe Cæſio, ejus Fundatore, fuſius jam diſſeruit Noſter *T. I. Polyhiſt. Lib. I. c. 14. §. 18. ſeqq.* Ubi rectè monuit, incertum eſſe, an Fundatio ejus Federico Cæſio Parenti, pro quo Aug. Favoritus & Joh. Dan. Major, an verò Angelo Filio, pro quo Erythræus, ipſeque & Henn. Wittenius, hunc ſecuti, militant, debeatur. Conferri quoque poſſunt, quæ nos hac de lite obſervavimus *in Homonymoſcopia. P. III. c. 7. §. 22. p. 657. 658. 659.*

ſi quis in Compendium traxerit nova illa, & quorum illi ſe primos Inventores, vel Obſervatores venditare poſſunt, exiguum quis libellum ex iſta Scriptorum mole facilè confecerit. Apud Danos quotannis quoque *Acta Hafnienſia* prodeunt, in quibus non pauca etiam curioſa, ſed & non immeritò delectum aliquem deſideres. Et habet ſanè illa Collectio, è locis tàm diverſis, Autorum cujuscunque generis aliquid incerti. Inter eos enim ſæpè ſunt homines aliquâ tantùm prurigine famæ laborantes, qui, cùm & ipſi Principum miſceri Archivis percupiant, aliquid corradunt Obſervatiuncularum, quibus interdum plus mendacii ſubeſſe deprehendas, quàm veritatis.

10 Autores POLYGRAPHI in hunc etiam cenſum referendi ſunt, ſuntque illi, qui penè in omnibus Naturalis Philoſophiæ argumentis ſcripſerunt. Inter quos referendus eſt HIERONYMUS CARDANUS, magni ingenii Autor, in quo, mirabili viciſſitudine, ſummam ſapientiam dementiæ miſtam invenies. Nullum penè tàm naturalis, quàm moralis Philoſophiæ, caput eſt, nulla Medicinæ & Mathematicæ pars, quam ille non Commentariis ſuis attigerit, doctis utique & laborioſis. Sed mira eſt hominis illius ſæpè vanitas in ſomniis, oſtentis, prodigiis, præſagiis aſtrorum ac geniorum, fingendis: Ejus Opera omnia, decem *in folio* Voluminibus, edita ſunt à Gabr. Naudæo in Gallia. ULYSSES ALDROVANDUS quidam in ſcribendis libris Hercules fuit, nullum enim naturalis Philoſophiæ Caput eſt, quod non Commentario proſecutus fuerit. Vaſtum Operum ejus Catalogum vide apud Joh. Imperialem in *Muſæo* ſuo, & Laurentium Craſſum *in Elogiis Hominum literatorum.* ATHAN. KIRCHERUM etiam Herculem (qui unius noctis concubitu cum 50. fœminis totidem genuiſſe filios dicitur) inter Scriptores; ſi Librorum numerum videas, vocaveris. Non tamen omnes, qua debebant, accuratione ſunt ſcripti. *Mundus Subterr.* non pauca habet Experimenta, non tamen accuratè ſemper propoſita. Multa in illis falſa, multa ex aliis transſcripta, denique multi ligna ſua in hanc ſylvam contulerunt. FORTUNIUS LICETUS referendus etiam inter illos eſt, cujus Operum Catalogum apud Craſſum habemus, *part. 1. pag. 294. & 295.* Similiter & PET. GASSENDUS multos ſcripſit in Philoſophia naturali libros, cujus Opera aliquot Voluminibus congeſta ſunt, quorum Titulos vide apud eundem Craſſum, *Part. 1. pag. 300.* De Caroli Cluſii Operibus verò *Part. 11. pag. 40.*

11 PROBLEMATUM PHYSICORUM *Scriptores* huc quoque pertinent, de quibus jam tum dictum *priori Capite.* Quibus nunc addo librum CASPARI DE REIES, quem ſcripſit ſub Titulo, *Campus Elyſius jucundarum quæſtionum.* Extant quoque Germanicâ linguâ GOTHOFREDI VOGTII Problemata quædam Phyſica, non contemnenda. Legenda etiam eſt PET. MEXIÆ *Sylva*, Hiſpanico quidem ſermone ſcripta, ſed nunc in Germanicum converſa. ERASMUS BARTHOLINUS, qui pauca quidem ſcripſit, ſed docta & ſelecta, nec vulgari modo tractata, ſed Orationis flore veſtita, in *Librum Qq. XIII. Academicarum de Naturæ Mirabilibus*, Hafn. A. 1674. *in 4to* excuſum, congeſſit, quas ſeorſim ediderat, Diſſertatiunculas *de Figura & Poris Corporum, Figura Nivis, vi conſuetudinis*, aliasque lectu digniſſimas. E Placitorum Philoſophicorum

Scriptoribus ſpectat huc etiam *Doxoſcopia Phyſica* JOACH. JUNGII, varias Antiquorum & Recentiorum de rebus Naturalibus exhibens atque examinans Sententias, quam poſt Autoris mortem edidit Mart. Fogelius, Hamb. A. 1662. *in 4to.* MARCI FRID. WENDELINI, Viri diligentiſſimi, *Contemplationum Phyſicarum Libri*, Phyſicam generalem, &, ex ſpeciali, Tractationem de Mundo & Stellis, continentes, qui Francofurti, A. 1649., *in 8vo*, prodierunt, utiles itidem ſunt ad cognoſcendas variorum Autorum, & Scholaſticorum quoque, ſententias, quorum Argumenta diligenter Autor collegit, & in ſe contulit. HENR. KIPPINGII *Inſtitutiones Phyſicæ* titulum iſtum non merentur, cum LL. CC. tantùm coacervent. Uti tamen Libro illo cum fructu poſſumus, cùm non pauca notatu digna ſubminiſtret, & ſententias aliorum diligenter colligat. GEORG. HORNII *Arca Moſis* generalem quandam rerum σκιαγραφίαν, ſub VII. dierum Operibus, delineat, additis nonnullis è Chymia, Phyſica, reliquisque Scientiis, inter ſe miſtis. Reperiuntur in illis quædam, verbotenus ex aliis Autoribus Compendiariis (qualis etiam Hornius in omnibus eſt) deſcripta. Qui Memorabilia & Magica naturalia ſcripſere, quoque huc referendi, uti Levinus Lemnius, J. Jac. Weckerus, Antonius Mizaldus, Wolfg. Hildebrandus, Mart. Schmuckius, J. Bapt. Porta, Caſp. Schottus, (Scriptorum Kircheri Promus Condus, & ex iſtis pleraque compilans,) *in Thaumaturgo Mathematico & Phyſico, Jocoſeriisque Artis & Naturæ*, Joh. Jonſtonus (Autor in Collectaneis Rer. Nat. non contemnendus,) *in Θαυματογραφίᾳ Naturali*, de quibus quid ſit ſentiendum, peti è ſuperiori poteſt capite. Spectant & huc, qui de varietatibus & ſubtilitatibus naturæ ſcripſerunt, Hier. Cardanus, & Jul. Cæſ. Scaliger, qui adverſus Cardanum inſurrexit, refutatus tamen poſteà à Cardano, in quem certè injurius in multis fuit. Vindicat Cardanum in nonnullis Joh. Sperlingius, *in Meditationibus ſuper Subtilitates Scaligeri.* Scaligerum multa hauſiſſe ex aliis, præcipuè ex Joh. Leone, Autor eſt Voſſius *de origine Idololatriæ*; Vid. Thomaſium *de plagio literariô*, §. 536. De Muſæorum Scriptoribus ſuperiori cap. actum eſt, & de illis, qui Errores vulgi refutarunt. Multa quoque ad Hiſtoriam Medicam & Phyſicam ſpectantia Manuſcripta Volumina recenſentur *libro 6. Commentariorum de Bibliotheca Vindobonenſi, Part. 11.* à Pet. Lambecio, quæ hìc referre nimis eſſet operoſum &c.

CAP. III.

DE PHYSICA MOSAICA, EJUSQUE INTERPRETIBUS, VETERIBUS ET RECENTIORIBUS.

§. 1. Invectiva in pietatem ſcientiarum omnium principia in S. Scriptura veſtigantium ineptam, & hinc orta Fanaticorum Somnia. 2. Hiſtoria Creationis Moſaica fabricam quidem Univerſi illuſtrat, ſed certa ac adæquata Phyſicæ Principia non proponit. Diverſæ Spiritus, qui Aquis incubuit, Interpretationes. 3. Veſtigia Hiſtoriæ Creationis in Philoſophis Gentilium, maxime Platonicis. 4. Ex Philoſophis modernis, Moſis Narrationes Phyſicas Carteſianis applicarunt

Principiis Joh. Amerpoel. Lud. de Beaufort & Henr. Morus, ſuis Rob. Fluddius, Ariſtotelicis Phyſicæ Chriſtianæ Scriptores. 5. Novum autem ex iisdem Syſtema Phyſicum effinxerunt Johan. Amoſus Comenius & Joh. Bayerus, quorum Tria Principia (Maſſa ſc. Moſaica, Spiritus & Lux) *reliquaque Philoſophemata παράδοξα, prolixè recenſentur ac confutantur. 6. Joh. Henr. Hottingeri, Bened. Pererii & Claud. Berirgardi in Hiſtoriam Creationis Commentationes, Johannisque Eſpagneti* Enchiridion Phyſicæ Reſtitutæ, *Moſaica legens veſtigia, commendantur. 7. Cabaliſtarum, Franc. Georgii, Henr. Mori, &c. Interpretationes Paradoxæ. 8. Enthuſiaſticæ Æg. Gutmanni, Jac. Böhmii (de quo, & Aſſecla ejus, Quir. Kühlmanno, fuſius diſſeritur,) Joh. Heydoni, Joh. Sophr. Kozackii. 9. Scriptores alii in Hiſtoriam Creationis Miſcellanei.*

1 ACcedimus nunc ad principia Philoſophiæ naturalis exhibenda, ex variis variarum gentium ſententiis. Quandoquidem verò inter illas primatum jure tenent Hebræi, & qui Theſaurum illum poſſident librorum divinitus inſpiratorum, libros Moſis præcipue, Scriptoris antiquiſſimi, unde ſua hauſiſſe videntur, qui propius abſunt ab ejus ætate, Philoſophi, meritò jam primo loco diſſerimus *de* PHYSICA iſta MOSAICA, disquiſituri, an in Hiſtoria illa Creationis, à Moſe ſcripta, tradantur principia adæquata & ſufficientia, quibus ſuperſtrui Philoſophia naturalis poſſit. Ac primo hîc ſancta quorundam ſimplicitas notanda eſt, qui, ineptâ pietate, ac ſuperſtitione potiùs, quàm ingenio, ducti, omnium ſcientiarum principia in ſacra Scriptura putant eſſe recondita, quâ opinione quidam imbuti integras Encyclopædias Biblicas nobis pepererunt. Sed ſatis quidem patet, homines illos non diſtinctas habere rerum ideas, nec ingenium illis eſſe aptum natum ad conceptus de rebus formandos. Neque enim eum in finem tradita eſt Scriptura ſacra, ut ſcientias inde diſcamus. Quàm enim ridiculum eſt, ex aliquot locis, ubi, datâ occaſione, mentio fit nonnullarum rerum ad ſcientias pertinentium, principia quædam Methodica educere. Cui viæ ſi quis inſiſtere velit, eâdem ratione è Corpore Juris & Phyſicam, & Ethicam, & Politicam, & neſcio quid non, concinnabit; ut ſunt ſanè, qui magno ac inepto conatu magnas iſtas nugas egerunt. Quidam enim in Jurisprudentia tradenda principia Grammatica, Rhetorica, Phyſica, Medica, Theologica, adeoque omnium diſciplinarum, indagarunt, quæ illi utcunque educunt è locis quibusdam, eorum argumentorum quædam fortè attingentibus. Idem alii fortè in Hippocrate, vel etiam aliis Autoribus, præſtiterunt. Multæ hinc certè ortæ ſunt Ineptiæ, non Judæorum ac Rabbinorum tantùm, quibus ſolenne eſt, in ſingulis apicibus myſteria quærere, ſed & Fanaticorum Hominum, qui priori ſeculo mira ſomnia excogitarunt, quibus infecerunt Philoſophiam naturalem, vel è verbis Scripturæ Sacræ, malè intellectis, vel ſenſibus quibusdam, in ipſam Scripturam Sacram illatis. Ac ſunt plerique illorum hominum artis Analyticæ ignariſſimi, cumque deſtituantur verâ interpretandi ſcientiâ, ea, quæ interdum populari ſenſu, in libris ſacris dicuntur,

vel

vel etiam Metaphorico, illi alieno capiunt. Quare cavendum eſt, ne dum in ſacris literis quippiam rerum naturalium quærimus, ſomnia noſtra potius inferamus.

Quod jam attinet *Hiſtoriam Creationis*, pertinet illa quidem ad contemplatio- 2
nem Phyſicam, ita tamen, ut Theologicæ potius conſiderationis, quàm Philoſophicæ, ſit. Nam certè, qui hîc vera, adæquata & ſufficientia Phyſices principia quærunt, fruſtrà quidem laborare mihi videntur. Quoniam enim natura, nunc in iſtum ordinem redacta, aliâ, generationis ſcil., viâ incedit, ad quam principia naturalia dirigenda etiam ſunt, ex ſola Creationis hiſtoria rem omnem non conficiemus, quanquam negari id non poſſit, quoad σύνταξιν hujus Univerſi inde deſumi multa poſſe. Specialia verò Corpora naturalia quomodo miſta vel compoſita ſint, nunquam inde diſcemus. Fueruntque alia certè principia mundi creandi, quàm nunc ſunt Corporum naturalium creatorum. Deus enim ex nihilo creaverat univerſi hujus principia, unde poſteà producta eſſe omnia corpora apud Moſen quidem legimus, ſed quomodo, ac quâ ratione, producta, illic non traditur. Præterea magna hîc eſt in Interpretatione ambiguitas. Quando enim *Spiritum* dicit Moſes *incubuiſſe aquis*, aliqui Spiritum Sanctum, aliqui principium aliquod naturale Activum & Univerſi hujus Conſtitutivum ſimul ac Digeſtivum, aliqui ventum, intelligunt. Qui Phyſicam Moſaicam ſtrictè ſequuntur, generale hoc Spiritus vel Animæ mundi principium, quaſi certum & θεόπνευςον, admittunt, de quo nunc diſſerendi locus non eſt.

Philoſophi Gentiles, Moſi viciniores, non obſcura habent Moſaicarum traditio- 3
num veſtigia, quorum loca Parallela diligentiſſimè congeſſit in *Commentario* ad hæc loca doctiſſimo *Auguſtinus Steuchus*. Legi & Hugo Grotius poteſt in *libris de Veritate Religionis*, ac *Notis in eosdem*, ubi ex Scriptis aliorum Orientalium populorum, Gentilium dogmata oſtendit, cum Moſe convenientia. Et videtur hinc Platonicorum & Pythagoreorum Schola exhauſta, qui ad cauſas externas in Phyſicis pleraque referunt, quemadmodum & Moſes facit, qui non tam internas rerum cauſas proponit, quàm externas, earumque externum ordinem & Diſpoſitionem. Hinc apud Platonicos tàm multa eſt diſputatio de Deo, de Ideis, & ſimilibus rebus, quæ ad Theologiam potius naturalem, quàm ad Phyſicam, pertinere videntur.

Fuerunt tamen nonnulli è Recentioribus, qui ex Hiſtoriâ illâ Creationis do- 4
ctrinam Phyſicam fabricari conati ſunt, qui quidem principia aliqua generalia ex Hiſtoriâ Creationis aſſumunt, ſuo tamen modo quodam explicata, & ad ſuos ſenſus traducta. In ſpecialibus tantùm abeſt, ut proponant ſententiam aut mentem priorum Capitum Geneſeos, ut novas etiam ſententias ſuas ad illa generalia principia reducere moliantur. Hinc penè omnes Phyſicorum ſectæ reducere principia ſua ad Moſaica illa, ſi id velint, poſſunt. *Carteſius* certè, quem ego Philoſophiam nunquam ad mentem Moſis inſtituiſſe credo, aut cum illam ſcriberet, illuc reſpexiſſe (requirit enim animum præjudiciis omninò liberum,) in eas tamen cogitationes devenit, ut Moſen ſecundum Philoſophiam ſuam explicare voluerit, quod patet ex Epiſtolis ejus, *Tomo 2. Ep. 24. & 53. ad Merſennum.* Idem poſteà integro libro, Leo-

vard.

vard. 1669., in 12., tentavit Johannes Amerpoel, Groninga Friſius, quem inſcribit *Carteſium Moſaizantem*, quo in libello, velit nolit, Carteſius moſaizat. Ludovicus etiam de Beaufort, Pariſ. Med. D., in *Coſmopœia* ſua *divina*, ſive *fabrica mundi explicata*, Leidæ A. 1656., in 12., edita, Carteſium non inconcinne in multis conciliat cum iis, quæ apud Moyſen dicuntur. *Henr. Moor*, Anglus, Philoſophus Platonico-Carteſianus, *in Defenſione ſuæ Cabalæ Philoſophicæ*, quam Anglicâ linguâ ſcripſit, principia illa gemina, quæ ponuntur à Moſe, Cœlum & Terram, ad mentem Carteſii explicat: Vocem enim שמים interpretatur ſecundum principium Carteſianum, *ætherem*, quia vox illa *Schamajim*, ſecundum Rabbinos, compoſita ex אש ignis & מים aqua, quæ Etymologia, vel alluſio vocis, occultiore quâdam Cabalâ exprimere principium iſtud Carteſianum videtur. Terram ex Textu Hebraico Planetam facit, ab uſtione, vel extinctione, dictum, quod ſententiam Carteſii ſtabilire poſſit, terram noſtram aliquando fuiſſe ſolem, qui, igne extincto, degeneraverit in Planetam, de quo infrà fortaſſis plura. Qui dogmaticâ methodo complexus fuerit principia Moſaica, neminem novi, quàm Comenium, &, qui ejus principia ſecutus eſt, Johan. Baierum. Rob. enim Fluddius, in *Philoſophia Moſaica* ſua, confuſus eſt, & cœlum terræ miſcet, omnia pervagando. Lamb. Danæus, Conr. Aslacus, Joh. Henr. Alſtedius (*in Triumpho ſeu Encyclopædia Biblica*, ed. Francof., 1625. *in 8., c. 9.*), ac alii, qui *Phyſicam Chriſtianam* ſcripſerunt, nulla certa principia ſequuntur, ſed vel Interpretes ſunt priorum Capitum Geneſeos, vel Phyſicam Ariſtotelicam & vulgarem ad Moſaica illa reducunt.

5 JOHANNES AMOSUS COMENIUS, (*b*) quantum memini, primus eſt, qui, *in Phyſicâ ad lumen divinum reformatâ*, Amſtelod., An. 1643., in 12., publicatâ, principia quædam diſtinxerit. Ad ſenſum enim Moyſis rectè ſe ſtatuere putat tria principia, *Materiam*, *Spiritum* & *Lucem*, quorum fundamentum in primi capitis Geneſ. verbis quærit. Sed unde ille novit, primam mundi materiam, ſive Chaos, fuiſſe fumum vel vaporem? quidve opus eſt, peculiare aliquod principium ſtatuere lucem? Neque enim vel ullo apice indicatum eſt, Lucem principium eſſe Corporum naturalium. De Spiritu ſeu anima mundi, quanquam concedamus, quomodo omnium corporum formæ ex uno hoc Spiritu reſultant? Hominem non ad animalium ſed ad Spirituum claſſem reducit, nullâ quidem, ut ego capio, causâ. Sed quæ in Comenio obſcura ſunt, aut non ſatis expedita, illa à Joh. Bayero, in lib., quem inſcribit *Oſtium ſeu Atrium Naturæ*, Caſſoviæ in Hungaria, A. 1662. *in 8vo*, edito, prolixius explicantur. Primum principium, quod vocat maſſam Moſaicam, *Cap. 1.* exponit, cujus facit ſtatum duplicem, ſtatum Creationis primæ, reſpectu cujus univerſalis dicitur: alium Creationis ſecundæ, ſecundum quem particularis dicitur. Primus ille ſtatus diem primum duravit, hodieque nullus eſt; alter ille ſtatus eſt Conſtitutio Maſſæ ſub peculiaribus formarum diſtinctarum characteribus, poſterioribus Creationis

diebus

(*b*) Confer cum *h. l.* quæ, de Comenii & Bayeri Principiis & Dogmatis Phyſicis, *lib. praced. I. c. 15. §. 18. & 19.* jam ſunt allata.

diebus introductus, qui ſtatus hodieque durat, unde in maſſas illas particulares aquæ, terræ, mineralium, &c. diſtincta eſt. Ejus varietatem proponit ex varietate corporum principalium. Unde ſicut corpora vel primordialia ſunt, vel ſeminalia, ita maſſam corporum, vel primordialem, vel ſeminalem, facit; Ratione corporis, cui competit, facit vel nativam, vel adventitiam, vel permanentem, vel fluxam. Pergit deinde Axiomata ſtatuendo, quibus demonſtrat, maſſam in unione Spiritus & Lucis conſtituere corpus. Maſſam illam informem fingit: ſed tamen inſtar fumi & vaporis discontinuam, cum Comenio, *Axiomate 14. cap. 1.* & tamen *Axiom. 16.* maſſam mundi partibus ſuis cohærentem undique facit, quam tamen ſtatim *Axiom. 6.* poroſam ſtatuit; quæ quomodo conſiſtere ſimul poſſint, ego quidem non video. Et illa cetera, quæ de maſsâ proponit, potius ex ſuo ingenio finxit, quàm ex verbis Moyſis accepit. Namque illa omnia & de materia ſua dicere poſſunt Peripatetici & Carteſiani, & quicunque alii Philoſophi, qui principium aliquod paſſivum, ut ſtatuere debent, ſtatuent, quod ſive maſſam Moſaicam voces, ſive naturam ſubjacentem, ut Bayerus, ſive Materiam, ut Peripatetici, ſive Atomos, ut Democritus, omnia in idem recidunt. Alterum Bayero principium eſt Natura fabricans, ſub quâ comprehendit Deum, Spiritum vitalem, Moſaicum Plaſmatorem, & extrinſecos patratores. Ita enim ſollicitè illos diſtinguit, non Moyſis ſed ſuis inſiſtens veſtigiis. Neque enim video, quæ ratio ſit diſtinguendi patratores extrinſecos ab ipſo Spiritu vitali. Ex illis enim facit alium patratorem extrinſecum cujusque Individui in ſpecie certa. Hunc facit, vel ſolitarium, vel totalem, qui ſine concurſu alterius concauſæ ſufficiens ſit ad ſemetipſum ſeminaliter per novorum Individuorum generationem propagandum & multiplicandum, vel ſocium; vel partialem, qui ſine concurſu alterius cauſæ id præſtare non poteſt. Spiritum vitalem ex incubatione Spiritûs S. ſuper màteriam Moſaicam trahere originem aſſerit, quod adeò novum eſt ipſius commentum. Nam de uno tantùm Spiritu mentio fit in verbis Moyſis, ſive intelligendus ſit ille Spiritus Sanctus, ſive Spiritus mundi, qui, quòd incubatione productus fuerit, cum revelatione non conſtet, neque nos capere poſſumus, nec Bayerus definire poteſt. Spiritus vitæ univerſalis conſtituitur agens creatum & finitum ab illo, quod naturas corporeas, ſecundum aſſignatas ideas, efformet. Tale verò agens in naturâ eſſe, multis adhuc diſputationibus obnoxium eſt. Quis vero Ideas illas formet, ſecundum quas operetur illud agens, ſcire velim? An Deus id facit? ita ad omnium rerum generationem ſpeciali Dei concurſu opus eſt, ac ipſius formæ vicem Deus ſubit. Si ab agente ipſo Ideæ formantur, intelligentiam illud faciat neceſſe eſt. Quæ ſententia Arabum & Judæorum etiam fuit, quam inducere nobis religio eſt; maximis enim & periculoſis difficultatibus ſubjacet iſta doctrina, quique Magiam profitentur, perpetuum in illo dogmate patrocinium ſibi quærunt. Hanc naturam fabricantem particularem, quam Spiritum vitalem vocat, facit, vel internam & immediatam, vel externam & mediatam. Internam ac immediatam vocat Auram illam vitalem, ſeu Spiritum vitæ (quem Sapientem etiam appellat, unde intelligentiam illum hunc facere certum eſt) actuoſum

ac penetrantem, quique omnia exequatur in particularibus corporibus formandis, omnia penetret, ordinet, formet. Hunc Spiritum vitalem etiam Plaſticum vocat, quem ratione ſubjectorum variè dividit, ut itaque entia præter neceſſitatem multiplicare videatur, cùm alios accerſat patratores Spiritus. Nam cùm internus ille Spiritus eâ jam tùm poteſtate ſit præditus, & plaſticus diſertis verbis ab illo vocetur; quid opus eſt ad alias cauſas hîc recurrere? Spiritus illi vitæ eſt vel univerſalis, vel particularis, ſpecificus ſcil. & individualis, alius Spiritus vitalis illi eſt nativus & perennis, qui cum corpore incipit & perdurat, alius adventitius & fluxus, qui extrinſecus advenit corpori & nativo Spiritui ſeſe commiſcet, alius primordialis, qui eadem in ſtatu, quem in creatione acceperunt, conſervat. Alius eſt illi Spiritus vitæ ſupra-cœleſtis, Aquarum ſcil. ſupra cœlos poſitarum, de quibus an certi quid ille definire poſſit, non video. Primùm enim de ipſis aquis ſupra-cœleſtibus magna ſunt ſententiarum divortia, dum aliqui per illas nubes intelligunt, aliqui aquarum molem, ſupra omne cœlum ſidereum conſtitutam, ex verbis Moyſis arbitrantur; quæ tamen ſententia maximis urgetur difficultatibus, cùm nec cœli nec ſiderum, iſta ſit figura & vicinitas, ut putant fortè illi, qui huic ſententiæ adſtipulantur. Alius illi Spiritus vitæ ſidereus eſt, per quem intelligit Spiritum aſtri cujusvis, per univerſam maſſam ſideream diffuſum; alius illi eſt Spiritus Elementaris ſubſtantificus, qui in Elementis habitat & agit; alius Spiritus Elementaris modificativus, qui in principiis Chymicis reſideat, & modificationem corporum faciat, cùm adhuc tamen ipſa 4. Elementorum doctrina, & trium principiorum Chymicorum, non ſit adeò in tuto poſita, ut certiſſimæ ac æternæ veritatis ſit. Multa poſſunt contra quaternionem iſtum dici. Tria Chymicorum principia impugnavit integro libro *Robertus Boylius*, cui titulum fecit: *Chymiſta Scepticus*. Alius illi eſt Spiritus vitæ ſeminalis. Atque hinc per omnia naturæ ſubjecta Spiritum vitalem ſuum diſcerpſit, eaque omnia de hoc Spiritu affirmat, quæ de formis ſuis Peripatetici, quanquam contra illas diſputet, quæ tamen, excepto ſolo nomine, omnia habent communia. Nam quanquam ille, *cap. 2. Axiom. 21.*, prolixè oſtendere laboret, in quibus doctrina Peripateticorum à ſuâ differat, pauca tamen illa ſunt, & vix attendenda, niſi quòd ille Spiritus ſuos corpora eſſe negat, ſed verè Spiritus ait eſſe, ab Angelis & mente humanâ ſecundum gradus diſtinctos, quâ in opinione nova quædam habet, & hactenus in Phyſicorum ſcholis inaudita. Reliquæ ejus differentiæ potius in opinionibus illis fundantur, quas ipſe in verba Moyſis induxit. Huic Spiritui porrò omnes operationes in corporibus adſcribit, & inter eas fermentationem, de cujus efficaciâ, ſecundum principia ſua, pluribus agit. Tertium principium, Lucem ſcil., conſtituit naturam miniſtrantem, quam facit inter Maſſam & Spiritum mediam, inſtrumentum univerſale naturæ ad omnes ſpirituum functiones & maſſæ adoptationes. Hanc lucem, ratione ſtatus ſui, dividit in primogeniam ſive univerſalem, & ortam ſive characterizatam. Hujus munia & miniſterium conſtituit in motu, agitatione & vibratione, quam alii Spiritui potius adſcriberent, quippe cui tales ipſe operationes tribuit, quæ abſque motu eſſe nequeunt. Lucem hanc facit, vel evibratricem,

tricem, ſeu quæ ex interioribus corporis ſeſe agitat verſus peripheriam, quam evibrationem colorem dicit, vel introvibratricem, ſive quæ corpus ingreſſa agat ſe verſus interiora, ſive centrum corporis, unde frigus in corporibus oriri aſſerit. Quæ diſtinctio vereor ne à multis impugnetur, inprimis Recentioribus illis, qui Lucis naturam omnem in motu corporum certò conſtituunt, ac nihil illi ſubſtantiæ ſubeſſe exiſtimant. Eandem lucem iterum, ratione ſubjectorum, dividit penè eodem modo, quo maſſam & ſpiritum diviſerat; quæ omnia, an non Spiritui naturam impellenti & moventi tribui poſſint, diſpiciant alii. Nam certè inter principia corporum conſtitutiva ut numeremus, nulla nos neceſſitas cogit, atque omnes iſtas operationes ſpeciales jam tum tribuerat ſpiritui Bayerus. Nam *Axiom. ult. cap. 3.*, à luce provenire dicit Diſpoſitionem & Ordinem totius mundi, quod ipſe jam de Spiritu vitali affirmaverat, in prioribus *capp. 4. 5. 6. 7. 8. 9.* Varia etiam ponit, quæ vel principiorum eſſe loco vult, vel Inſtrumenti vice fungi. *Cap. 4.* naturam dirigentem proponit, ſeu Ideam dotes naturarum fabricantem, quæ omnia præſupponere intelligentiam in Spiritu vitæ videntur, & Metaphyſicum potius quid ſapere, quàm verè Phyſicum. Sunt enim quidam rerum modi aut affectiones univerſaliſſimæ, quæ potius in conceptu hominum fundantur, quàm veræ affectiones Phyſicæ ſunt, quæ de corpore naturali, ut naturali, prædicari poſſunt. *Cap. 5.* proponit naturam ſigillatam, ſeu charecterem corporum diſcretivum ac determinativum, ubi agit de ſchematiſmis materiæ, & de configurationibus corporum naturalium. Atque hæc neceſſariò conſequuntur ipſam corporis naturalis conſtitutionem, quæ per formam ſupervenientem, ut ait ille, determinatur. Quod cùm ait, aliud quoddam principium conſtituit, præter tria illa: Maſſam, Spiritum & Lucem, quibus, inter ſe operantibus, potius illa configuratio totius & partium tribuenda eſt, quàm ulli alteri formæ. Video tamen formam illi eſſe potius configurationem ſive diſpoſitionem certæ portionis trium principiorum, nempe configurationem Maſſæ, concentrationem Spirituum, & temperamentum Lucis, in unione ac penetratione mutuâ. Quare nihil aliud eſt illi forma, quàm notio quædam & conceptus de rebus, qui nihil realitatis involvit. Quorſum ergò opus eſt tàm anxiè diſtinguere formas earumque proprietates, conſtituendo aliam genericam, aliam ſpecificam & individualem, aliam totalem, aliam partialem; quales conceptus tantùm confundunt notitias rerum naturalium, ut in his velut in cauſis ſæpè acquieſcamus, nec interiora rerum perſcrutemur? Quid opus eſt, tot formas partiales ſubordinatas, graduales, accidentales, ſecundarias ac miniſtrantes diſtinguere, cùm tamen omnes nihil aliud eſſe arbitretur, quàm configurationem maſſæ, concentrationem Spirituum & temperamentum lucis? quæ cùm explicare ipſe non queat, multò minus eorum varietates diſtinguere, quid opus eſt in his formis, nulli uſui futuris, tempus perdere? *Cap. 6.* agit de dotibus, ſeu naturis ornantibus ac inſtruentibus, ſub quibus nominibus intelligit proprietates, & conſtitutiones, nec non facultates, tùm receptivas, tùm impreſſivas, corporum univerſales unitas. Unitas vocat, quia ab omnibus principiis, ſimul ſumtis, oriuntur, quo intelligimus, alias eſſe

disjunctas, quæ ratione principiorum ſingulorum competunt. Dotes corporum, quæ à maſſa proveniunt, ſunt ipſi extenſio, exporrectio, terminus, figura, continuitas, contiguitas, ſitus; & hinc facultates receptivas totidem conſtituit, extenſibilitatem, exporrigibilitatem, terminabilitatem, figurabilitatem, continuabilitatem, contiguabilitatem, ſituabilitatem, quo quidem conatu magno magnæ mihi nugæ agi videntur. Cùm enim Maſſa ſit natura ſubjacens ſecundum ipſum, habeatque ſe merè paſſivè; quæ eſt hìc ſubtilitas, invenire qualitates impreſſivas & receptivas, cùm materia per ſe nihil agat, omnis verò actio ſit à Spiritu, ſive à luce, aut ab utrisque. Denique nihil reale involvunt iſtæ facultates receptivæ, ac mera tantùm ſunt nomina inerti quodam mentis conceptu progenerata. Cur etiam ſoli maſſæ tribuantur extenſio, terminus, figura, nec ſimul etiam luci, ego quidem non capere poſſum, cùm & lux, ſecundum ipſum, ſit ſubſtantia, nec tamen Spiritus, ergo corpus, quoniam in ſenſus incurrere & ipſe concedit, & natura teſtatur; ideoque tribui etiam illi poſſunt iſtæ dotes vel qualitates, quas ille maſſæ tantùm proprias facit. Proprietates ab altero principio, Spiritu, provenientes, facit vitam, cognitionem, cupiditatem, vim, nixum ſive conatum, operationem, de quibus ſingulis diſſerere prolixum nimis foret. Abſurditatem interim rei iſtius vel ex eo videmus, quòd generalem hunc Canonem formet: *Omne Corpus gaudet vitâ, cognitione & ſapientiâ, appetitu, vi & nixu, & operatione.* Qui ſi verus eſt, omnia corpora naturalia intelligentiam habebunt; quod quàm abſurdum ſit ſtatuere, quilibet videt, & longè quidem abſurdiùs, quàm iſtam Campanellæ ſententiam, qui animam ſenſitivam omnibus tribuebat corporibus. Sed iſta conſectaria fluunt ex iſto principio Spiritus univerſalis, quem ſemel intelligentem fecerat Autor noſter. Ideoque dato uno abſurdo plura ſequi neceſſe erat. Per illum itaque bruta non tantùm intelligunt, quod παράδοξον aliis ſtatuebatur, ſed & omnia corpora naturalia. De reliquis dotibus, ſcil. lucis, aliisque unitis affectionibus principiorum junctorum, quas facit Entitatem ac Subſiſtentiam, numerum, locum, &c. dicere nihil attinet, cùm quilibet videat, illas potius ad Dialecticam & Metaphyſicam, quàm ad Philoſophiam naturalem, pertinere. Dum *Cap. 8vo* de Naturis ſtimulantibus ac moventibus agit, nimirum Amore & Averſatione, cupiditatibus & fugâ, illæ quoque præſupponere Spiritum ſuum intelligentem videntur. Hactenus enim locutiones iſtæ in Phyſicis, fuga vacui, Antipathia & Sympathia, Magnetiſmus, nuda nomina ſanioribus habita ſunt, & potius quædam ignorantiæ velamenta, quàm naturales cauſæ. Poëtis potius, qui fingere & Metaphoris uti gaudent, iſtæ locutionum formulæ ſunt transſcribendæ. Longum eſſet, recenſere ſpeciales iſtas diſtinctiones amorum & averſationum, quæ dicis tantùm cauſâ omnes adductæ ſunt. Quando *Cap. 9.* de Naturis conſociatis, ſive conſpirationibus & hoſtilitatibus naturæ agit, in iis etiam ἀλληγορεῖν videtur Phyſicus noſter, quanquam in aliquâ contemperatione corporum, ratione effluviorum, quædam fortaſsè ſint recondita, quorum nos accuratam adeò ſcientiam non habemus, quæ tamen omnia in motu aliquo ſingulari, nobis incognito, conſiſtunt, de quibus in ſequentibus fortè plura dicemus.

Atque

Atque hæc ſunt pleraque illa Capita ſumma, quæ ex Bayero recenſuimus, de 6
quibus judicium facilè ferri poteſt. Si quis jam ulterius velit noſſe, quæ à Commentatoribus in Capita illa Geneſeos adferuntur, adeat eos ipſos, ut ſunt ſanè eorum permulti, tàm Judæi, quàm Chriſtiani. Judæorum ſententias circa ſingula penè verba magnâ curâ adduxit ſingulari libro *Hiſtoriæ Creationis* J. HENR. HOTTINGERUS, qui uſui eſſe poteſt in ſententiis Judæorum, circa multa Philoſophiæ naturalis Capita, noſcendis. Adhiberi etiam BEN. PERERIUS *in Geneſin* poteſt, doctus ſanè liber, quique Phyſica plurima perſequitur. Legatur etiam CLAUDII BERIRGARDI *Diſſertatio de Literarum Sacrarum autoritate circa mundi Originem*, & altera *de Origine mundi ex Literis Sacris*, quæ habentur in *Circulo* ejus *Piſano*, libro eruditiſſimo, in quo perpetuo Dialogo Veterum Recentiorumque principia confert, atque expendit. Autor ille Anonymus, (JOH. ESPAGNETUS) qui *Enchiridion Phyſicæ reſtitutæ*, Rhotomag. A. 1647., *in 16to* editum, ſcripſit, libellum ſplendidi Tituli, Moſen in plerisque ſequitur ita, ut ubi commodè fieri poteſt, quicquid ab illo traditum eſt, inter principia reponat, ita tamen moderetur, ut doctrinam Chymicam ex iisdem ſimul principiis deducat. Quo fine adjungit libellum, quem vocat *Arcanum Hermeticum*, quô confectionem magni Arcani Phyſici docet. Ac ratio quidem ejus ſcribendi diſtincta admodum & plana eſt, & longè explicatior, quàm eorum, qui vulgò in hoc argumento verſantur.

Quod ſi etiam Enthuſiaſtas quæramus, certè nulla fertilior ſeges fuit, in quâ 7
Enthuſiaſticas illas ſuas contemplationes figerent nonnulli, quam Caput I. Geneſeos. Fuerunt in noſtris, qui Rabbinorum nonnulla ſomnia reſuſcitarunt. Et ſunt integris libris congeſti Cabaliſtici Scriptores Recentiores, qui mira hîc circa Hexaëmeron comminiſcuntur, è quibus nomino nunc FRANCISCUM GEORGIUM, Venetum, qui *Harmoniam mundi* ſcripſit, mundumque in certos Tomos diſtinxit, Veteres illas Pythagoreorum & Platonicorum fabulas de mundi Syſtemate repetens, & ſacris Scripturæ locis paſſim abutens. Pertinent etiam hûc PAULI RICCI *Agricultura Cœleſtis*, & Joh. Pici Mirandulani nonnulla. HENRICUS MOOR, quem ſuprà nominavimus, *Cabalam* Anglicâ linguâ ſcripſit *literalem*, *Phyſicam & Moralem*, ubi pro lubitu ſuo explicat Scripturæ loca, varieque interpretatur. Quam rationem ſequi ſi velimus, nihil certè dici ſcribique poſſet, in quod non inferre poſſemus cogitata quædam noſtra. Ut enim perpetua quædam eſt rerum Analogia, ita nunquam deſunt occaſiones, quibus reducere ad hæc vel illa cogitata certa verba ac rerum argumenta poſſimus.

Superiore Seculo fratres Roſeæ Crucis plurimos ejus farinæ libros pepererunt, 8
è quibus integram penè Bibliothecam quis confecerit. Unum nominabo ÆGIDIUM GUTHMANNUM, cujus exſtat liber, Germanicâ linguâ ſcriptus, & A. 1619., *in 4to* primùm editus, cui Titulus: Offenbahrung göttlicher Majeſtät. In illo, ex ſingulis verbis primi Capitis Geneſeos, ſingulos libros exſtruit, in quibus mirabilia format problemata, ſed ad nullum penè directè reſpondit, ut neſcias, quid ſibi velit. Tanto ſanè in pretio habitus olim fuit hic Liber, ut Centenis Uncialibus venderetur. Contra illum Autorem video ſcripſiſſe aliquem Chriſtianum Fabricium, ut ex *Catalogo*

nupero Francofurtenſi obſervavi. Extat & alius quidam liber JACOBI Böhmen / hominis plebeji, ſed miro interdum Enthuſiaſmo rapti, ut ſcriberet libros, non omninò ſenſu omni deſtitutos, ſed tamen tenebricoſos, & qui vix intelligi poſſint ab aliquo. Is in Geneſin Commentatus eſt linguâ Germaniâ, ac librum iſtum cum Titulo *Myſterii Magni* edidit, quo miſcentur Theologica, Phyſica & Chymica, quæ inter ſe omnia mirè componit, atque ex iis Enthuſiaſticam quandam Philoſophiam, velut Chaos quoddam, condidit. Principia tamen ejus farraginem quaſi quandam Veterum hæreſium exhibent, quæ faſciculo quodam Collecta recenſet Thom. Gatakerus, in *præfatione Miſcellaneorum ſuorum.* Judicium de hoc homine inſtituere difficile eſt. (*i*) Pium enim fuiſſe conſtat, & Idiotam, & libri tamen, quos ſcribit, non omninò rudem illum eſſe, oſtendunt, quanquam pleni ſint fanaticorum ſenſuum. Unde ſuſpicio nonnullorum eſt, ſub ejus nomine ſcripta fuiſſe edita, ab aliis verò ſcripta, quod tamen probari ſatis non poteſt. Inſtinctu numinis ſe ſcripſiſſe ipſe fatetur, ac fuerunt multi, qui ejus Philoſophiam & Theologiam, ut cœlo lapſam, venerarentur, Enthuſiaſtæ, quorum hominum gregi nuper acceſſit QUIRINUS KÜHLMANNUS, ſingularis certè homo ingenii; nam quæ penè in ipsâ pueritiâ ſcripſit, arguunt magnam ingenii ejus capacitatem. *Tum Prodromus iſte quinquennii ſui mirabilis*, ut vocat, quo recenſet libros aliquando à ſe edendos, oſtendit, illum omni literaturæ genere non mediocriter eſſe imbutum. Is tamen, cùm incideret in ſcripta *Böhmii*, adeò iſtorum lectione fuit quaſi intoxicatus, ut continuò nomen Sectæ Enthuſiaſtarum *addiceret*, convitiis omnem Philoſophiam ac Theologiam noſtratium proſcindens. Quem tamen in errorem hunc inductum exiſtimo, quòd cùm juvenis eſſet, nec maturum haberet de rebus judicium, ſcientiam autem variam ac non contemnendam, fauſtu aliquo iſtas opiniones, communi hominum judicio adverſas, defendendas ſibi ſumſerit. Contra Böhmium ſcripſiſſe video etiam Chriſtianum Fabricium. Ceterùm Hiſtoriam ejus Viri vellem quis accuratius conſignaret. Extat Anglicâ linguâ cujusdam *Johannis Heydon Harmonia mundi*, ubi Moſaica principia ſuis fanaticis accommodat, homo, vel ſtultus, vel majus, ut facilè ex ceteris ejus libris quis colligat, illo præſertim, quo, ex doctrinâ numerorum & characterum, tradere voluit infallibiles regulas cognoſcendi præterita, præſentia & futura. JOH. SOPHRONII KOZACKII *Micæ Philoſophicæ*, Bremæ A. 1662., *in 8vo* excuſæ, vix micam aliquam ſalis habent; nam & illæ fanatica multa miſta habent. Germanicâ linguâ ſcriptæ ſunt, & in Hiſtoria Geneſeos aliquid, more fanatico, argutantur.

9 Legi quoque poteſt Tractatus *de Cabala Hebræorum* Kircheri *in Oedipo Ægyptiaco*, *Tom. 2. Claſſe 4.* ubi omnia illa Phyſica, quæ, ex mente Hebræorum, in libris eorum Cabaliſticis, inveniunter, ex aliis Autoribus, compendio quodam congerit, ac cum Ægyptiorum Hieroglyphicis utcunque componit. Eſt & Anglus aliquis, qui vernaculâ linguâ Hiſtoriam Creationis, ante aliquot annos, deſcripſit cujus ſcripti

Argù-

(*i*) De Jac. Böhmio confer judicium Autoris *T. I. L. I. c. 10.* §. *28.* & ad locum iſtum annotata.

Argumenta recenſentur in *Actis Societatis Regiæ*. Nomen ipſius Autoris jam non ſuccurrit. Scripſit & aliquis Joh. de Meyen, Sacerdos Middelburgenſis, *Phyſicam divinam*. Qui tamen Autores locos Communes quosdam potius congerunt, ac nihil propemodum ſingulare habent, niſi quòd ordinem illum Creationis, à Moyſe deſcriptum, ſequantur.

CAP. IV.

DE PHILOSOPHIA NATURALI ÆGYPTIORUM.

§. 1. DE Ægyptiorum Doctrina & Philoſophia ſcripſere Herm. Conringius (in Libb. de Medicina Hermetica, *Chymiæ odio, plus juſto eam extenuans,*) *Athan. Kircherus (de cujus* Oedipo Ægyptiaco *ſequius fertur judicium,) & Ol. Borrichius, Conringii Antagoniſta. 2. Principia eorum Phyſica latent, quòd Sacerdotes Philoſophiam ſuam occultarent, & per ſola docerent Hieroglyphica. Multum tamen illis Græci debuerunt. Jamblichi* Lib. de Myſteriis Ægyptiorum. *3. Variæ Hieroglyphicorum Interpretationes Laur. Pignorii (Tab. Iſiacæ Illuſtratoris) Joh. Georg. Herwarti (ad Magnetem, & Pyxidem Nauticam, omnia detorquentis) Athan. Kircheri. 4. Mich. Majeri, Pet. Joh. Fabri & Blaſii Vigenerii Chymicæ. Alii de Hieroglyhicis Scriptores. 5. De Hermete Triſmegiſto, & Scriptis ejus Suppoſititiis, nonnulla. 6. Nihil ex omnibus his certi de Ægytiorum Philoſophia colligi poteſt. Franc. Patricius, Phyſicus Hermetico-Platonicus.*

POſt Judæos nulla gens eſt, quæ majorem Philoſophiæ, ac omni adeò ſtudio literarum, operam impenderit, quàm ÆGYPTII. Non certè iſto pretio ac loco habendi, quo habet illos Herm. Conringius in libris II. *de Hermetica Medicina*, (*k*) in quibus illos omnis Philoſophiæ rudes, aut valdè mediocriter eâ imbutos, fuiſſe contendit, nullo certè idoneo argumento niſus. Mihi quidem pleraque iſtius libri cum affectu ſcripſiſſe videtur, odioque Hermeticæ Medicinæ ductus, quam Ægyptiis vulgo deberi opinantur. Et poſteriori quidem Editione agnoſcere illud ipſe videtur, cùm Athan. Kircheri *Oedipum Ægyptiacum* ad manus ſibi tum non fuiſſe queritur, ex quo fortaſſis aliqua cepiſſet, inſtituto ſuo profutura. Quan- 1

quam

(*k*) Herm. Conringii *Libris II. de Medicina Hermetica*, Helmſtadii a. 1648. *in 4to* primùm editis, quibus Chymicorum Doctrina, rigidiori ſubjecta examini, una cum Ægyptiorum Medicina & Sapientia omni, tantùm non explodebatur, Olaus Borrichius, Chymicorum noſtræ ætatis doctiſſimus, juſſu Frideric. III Daniæ Regis, *Diſſ.* oppoſuit *de Ortu & Progreſſu Chymiæ*, Hafniæ anno 1668. *in 4to* excuſam. Ad quam cùm Conringius *in Apologetico* brevi, iteratæ Operis ſui Editioni, quæ Helmſtadii anno 1669. *in 4to* auctior pariter atque emendatior prodiit, adjecto, reſpondiſſet, Borrichius, quinquennio pòſt, *Hermetis, Æpyptiorum & Chymicorum, Sapientiam, ab Herm. Conringii Animadverſionibus vindicatam*, prolixiori Opere, Hafniæ anno 1674. *in 4to* impreſſo, & in duos itidem libros diviſo, juris fecit publici.

quam nec iſtius, vel fidem, vel judicium, hìc magnopere quis exiſtimare poſſit, qui præter illa, quæ ex Veterum monumentis in omnium manibus ſunt, nihil magnopere adfert, niſi quod tamen diligenter ex omnibus Autoribus collegerit, quæ ad rem Ægyptiacam ſpectant. Ingenio tamen ipſe ſuo quin indulgeat in Hieroglyphicorum explicatione, nullus dubito. Facilè enim, ex Analogiâ & Combinatione rerum, & perpetuâ Schematiſmorum comparatione, per conjecturam quædam explicari poſſunt; qui an revera ſenſus Ægyptiorum fuerint, non equidem temerè dixerim. Ingenium tamen ejus στοχαστικὸν in figurarum illarum Compoſitione & Dijudicatione laudem ſuam meretur. Digreſſiones quoque plurimæ ejus ſunt, quibus molem libri auget, ſed quæ ad rem Literariam Ægyptiorum non niſi ex accidenti, aut aliquâ ſimilitudine, reductæ videntur. Iis verò maxima libri pars occupatur. Ceterùm in ſingulis ſcientiis, ſecundum quas partitus eſt libros ſuos, eos excelluiſſe oſtendit, locis non paucis, quæ plenâ manu ſerit. Legi, poſt Kircherum, Ol. Borrichii ſcripta poſſunt, quibus Conringii *Hermeticam Medicinam* impugnat, primum & alterum, ubi, ex omnibus Veteribus Autoribus, loca, quæ pro Ægyptiorum doctrina faciunt, adducit.

2 Ceterum ipſa illorum principia in obſcuro latent, quoniam nullos habemus libros, vel pauciſſimos, qui aliquid ejus rei tangant; niſi fortè ex Jamblichi ſcriptis, cujus extat *de Myſteriis Ægyptiorum liber*, aliquid conjiciendo aſſequamur, aut ex fragmentis Philoſophiæ Pythagoricæ & Platonicæ quædam colligamus, de quibus ſingularibus capitibus agetur. Nec fieri etiam facilè potuit, ut publicaretur eorum Philoſophia, cùm ejus myſteria ſolis ſibi ſervarent Sacerdotes, æternâ fide celanda, nec niſi literis ænigmaticis quicquam ejus proderent, quarum ſingularis & ipſa erat diſciplina, nec ab aliis, quàm à Sacerdotibus, intelligebatur. Quare quicquam hìc certi definire non poſſumus. Magno ſemper illam in pretio fuiſſe Ægyptiorum doctrinam, abundè teſtantur Itinera Græcorum Philophorum in Ægyptum ſuſcepta. Unde & plurimam ſuorum partem depromptam ipſi non diffitentur Græci. Quos Ægyptius quidam Sacerdos, ut eſt apud Platonem, præ gente ſua ſemper pueros vocabat.

3 Imaginum illarum Veterum reliquias habemus in figuris Menſæ Iſiacæ, quas expoſuit ſingulari *Libro* Laurentius Pignorius, cujus Commentarii altera Editio prodiit Amſtelodami, A. 1670. in 4to, curante Andreâ Friſio. Joh. Georg. Herwartus, in libro ſuo *de admirandis Theologiæ Gentilis*, de pyxide nauticâ & Magnete illas (Imagines) interpretatur; quæ, ut res ſacræ, tamdiu cuſtoditæ fuerint ab Ægyptiis. Sed nulla probabilis cauſa eſt, quare quis ita ſentiat; meritoque ille exploditur à Reineſio *in Var. Lectt. & Hiſtorumenis Linguæ Punicæ.* Kircherus aliam eorum Interpretationem adducit, quæ cum reliquis ſuis conſentiat, quas in Obeliſcis ipſe indagaverat, quorum rudera adhuc in Ægypto ſuperſunt nonnulla, Romam magnis ſumptibus transportata.

4 Ceterùm variæ eorum Interpretationes ſunt, dum ſenſus ſuos fingunt, quicunque illos explicare intendunt. Sunt, qui doctrinam Chymicam illis occultari exiſti-

exiſtimant, inter quos *Mich. Majerus*, qui *Arcana Arcanorum* ſcripſit. (*l*) Talem enim Titulum libro dedit, quo omnia illa Myſtica Ægyptiaca ad Philoſophiam Chymicam, & ſingulares quosdam ſenſus judicioſè ſatis, nec more vulgarium Chymicorum, traducit. Qui etſi omninò videtur improbandus, in quibusdam tamen plura ingenio ſuo tribuit, quàm revera invenias in illis Hieroglyphicis. Etiam PET. JOH. FABER *in Panchymico* ſuo, Gentilium fabulas ſenſu chymico explicavit, quâ in re abundare quemque ſuo ſenſu patiamur. BLASIUS VIGENERIUS quoque *in Commentario in Philoſtrati tabulas*, diſertè ſatis & prolixè idem Argumentum tractat. De Hieroglyphicis Ægyptiacis Gallicâ linguâ Diſcurſum ſcripſit PETRUS l'ANGLOIT DE BELESTAD. Prodeſſe etiam ad eorum cognitionem poteſt *Pyramidologia* JOH. GRAVII, quæ Anglicâ, Gallicâ & Italicâ linguâ prodiit. Penè omiſeram Horapollinem, Autorem vetuſtum, ſed brevem & obſcurum, nominare, cujus hodie quæ reliqua habemus de Hieroglyphicis agunt Ægyptiacis, edita, curante Dav. Hœſchelio.

Inter Philoſophos Ægyptiorum HERMES (*m*) nomine celebratiſſimo eſt, cujus 5
ſcripta doctrinam Ægyptiacam continere putantur. Sed, an illa genuina, & quænam inter illa genuina ſint, multum quæritur. Conringius penè in dubium vocat, vixiſſe aliquando Hermetem, quod tamen temerè equidem non negarem; & evicit non contemnendis rationibus Olaus Borrichius in libro iſto, quem contra Herm. Conringium ſcripſit pro Medicina Hermetica. JOH. HENR. URSINUS quoque *in Exercitationibus de Zoroaſtre & Hermete*, non multum abeſſe à ſententia Conringii videtur, ipſe quoque refutatus ab eodem Borrichio. Quæ ejus nomine circumferuntur, & quæ FRANCISCUS PATRICIUS *novæ* ſuæ *de Univerſis Philoſophiæ* adjecit, ab alio quodam videntur ſuppoſita, niſi fortè fragmenta aliqua hinc inde illinc ſparſa lateant. Ejus *Pimander*, cum Commentario horribili & vaſto Hannib. Roſſelii Pariſiis *in fol.* prodiit, ſed nugatorio & inepto.

Legi etiam poteſt Plutarchus *in libro de Iſide & Oſiride*, in quo aliqua de Phi- 6
loſophia Ægyptiaca tangit. OTTO HEURNIUS quoque *in libro de Philoſophiæ Barbaricæ Antiquitatibus*, fragmenta quædam hujus Philoſophiæ inter ceterea collegit. Sed de iis omnibus nullum formari ſolidum judicium poteſt, quandoquidem certis principiis illa comprehendi non poſſunt, cùm omnia fabularum tenebris ſint involuta,

(*l*) Mich. Majeri, Holſati, Archiatri Cæſarei & Haſſici, *Arcana Arcanorum, h. e. Hieroglyphica Ægyptio-Græca, VI. Libris expoſita*, ſine loci & anni (quem tamen 1614. fuiſſe e *Nundinali* ejus didici *Catalogo*) mentione, *in 4to* prodierunt. Qui & idem Argumentum, diverſâ licet Methodo, denuo partractavit, *in Tr. de Theoſophia Ægyptiorum ut antiquiſſima, ſic abdita & Sacra*, cujus MStum αὐτόγραφον in Bibliothec. Acad. Lipſ. Paulina ſupereſſe, Actorum Orbis Eruditi Lipſienſium Collectores, plura de eodem referentes, *M. Jul. A.* 1687. *p.* 393. 394. nos edocuerunt, Editionem etiam, Morhofii hortatu, uti ipſemet mihi retulit, moliti.

(*m*) De Hermete complura jam olim a nobis ſunt monita, ſimulque Index Autorum aliorum, de illo conſulendorum, exhibitus, *in Homonymoſcopia, P. II. cap.* 2. §. 16. *pag.* 255-259.

luta, & Imagines illæ nullam nobis lucem per ſe affundant. Ideoque potius ad ſuperſtitiones Philoſophicas referam, quàm ad veram rerum naturalium ſcientiam, quæ è certis principiis deducenda eſt, non fabulis, aut imaginum coloribus, delineanda. Inter Recentiores FRANCISCUS PATRICIUS, in *nova* ſua *de Univerſis Philoſophia*, aliquâ ex parte Hermetica illa dogmata ſequitur, vel potius Phyſicam Hermetico-Platonicam ex vetuſtis fragmentorum ruderibus concinnat. Sed de his poſteà dicemus, ubi de Pythagorâ & Platone agetur, & de Novatoribus illis, qui Ariſtotelica dogmata ſingularibus libris inſectantur.

CAP. V.

DE PHILOSOPHIA NATURALI CHINENSIUM ET INDORUM.

§. 1. Populi Chinenſis, aliis cultioris & antiquioris, Doctrina Moſaicæ Hiſtoriæ veſtigia, & aliquid Pythagoricis dogmatibus ſimile, oſtendit. 2. Cognitio ejus è Mart. Martinio, Athan. Kirchero, aliisque rerum Sinenſium Scriptoribus, inprimis tamen è Theoph. Spizelio de re *illorum* Literaria *ſcripto, eſt haurienda. 3. Summa Theologiæ illorum Naturalis & Phyſicæ Capita, ratioque per Imagines & Numeros philoſophandi, cum Pythagoræis ipſis communis. 4. In hujus Originem inquiritur, addito de eadem judicio. 5. Doctrina Chinenſium de quinque Elementis, ſeu Rerum Principiis (Aqua, Terra, Igne, Metallo & Ligno,) cum commodâ ejusdem Explicatione. 6. Indorum dogmata Philoſophica (inter quæ μετεμψύχωσις eminet.) Pythagoricis affinia, è Palladio & Abr. Rogerio ſunt haurienda. 7. Phœnicum & Perſarum doctrina Phyſica haud ſatis eſt cognita.*

1 NUlla, inter reliquas, gens adeò culta fuit, quam SINICA, cujus tamen monumenta non niſi ſerò ad nos pervenerunt, & quidem à Jeſuitis, qui, hoc & priori ſeculo, peregrinationibus ſuis in hanc terræ partem factis, eorum inſtituta & doctrinas nobis aperuerunt. Quòd ſi illorum relationibus credendum eſt, nulla gens antiquior eſt, aut ex Annalibus ſuis & faſtis certiorem computum habet, quàm iſta. Ceterùm & peregrinitas opinionum, ac omnia alia facilè oſtendunt, Gentem illam à ceteris fuiſſe ſejunctam, niſi quòd Hiſtoriæ Moſaicæ obſcura quædam ſuperſunt veſtigia, & aliquid Pythagoricis ænigmatibus, numeris, Ideis, ſimile, in eorum opinionibus poſſit deprehendi. Quanquam, dudum ante Pythagoræ tempora, iſtæ opiniones obtinuerunt apud Chinenſes.

Fuerunt ſuperiori ſeculo aliqui Scriptores, qui inſtituta illius Gentis Politica conſignarunt literis; ſed de Philoſophia eorum pauca ab illis fuerunt memorata, niſi quod MARTINUS MARTINIUS, in *Decade* ſua *prima Sinicæ Hiſtoriæ*, cujus continuationem fruſtrà fortè expectamus, quædam cœpit preſſius enarrare de Philoſophia

eorum

eorum naturali, Matheſi, ac Scientia morali. Quæ tria doctrinæ genera unicè illi æſtimant, ſpretis vel ignoratis aliis. Ex illo, ceterisque Scriptoribus, in compendium traxit omnem rem literariam & Philoſophiam Chinenſium Theoph. Spizelius libro ſingulari *de re literariâ Chinenſium*, Lugd. Batav., A. 1660., in 12. edito. Poſt illum ſcripsêre etiam alii, Joh. Neuhofius *in Legatione ad Chinenſes*, Joh. Adamus Schallius, in *Relatione de ortu & progreſſu fidei Orthodoxæ in Regno Sinenſi*, (Viennæ 1665., & Ratisb. 1672. *in 8.*), qui tamen Sacram Hiſtoriam potiſſimum tractat, & Athan. Kircherus, qui *in Chinâ Illuſtratâ* colligit paſſim, quæ ſecum communicata ſunt à ſui Ordinis Sociis.

De Deo & Angelis aliquam, quanquam ſubobſcuram, habent cognitionem. Spi- 3
ritus etiam tutelares agnoſcunt, iis urbes dedicant, templa extruunt. Diluvii aliqua apud illos mentio. Cauſa nulla additur. Primum aliquem hominem nominant, quem è Chao, tanquam ex ovo, natum dicunt, illiusque teſtam, ſive corticem in Cœlum, albumen in aërem, Vitellum in terram abiiſſe. Quâ cum Phœnicum doctrinâ quippiam ſimile habet, à quibus Oyum, ut imago mundi religioſiſſimè in Orgiis Bacchi colebatur. (*n*) De horis mira comminiſcuntur, & extat quidam liber Sinicus *de naturâ*, in quo plena atque perfecta dies, quam naturalem dicimus, tribuitur in horas duodecim, ex quibus Orbis univerſi ortum & interitum ita conficiunt, ut horis ſingulis aſſignentur anni decies mille & octingenti. Quâ opinione ducti etiam mundo finem ſuum decernunt. De ſingulis horis ſingula habent ſomnia. Horâ nonâ, quæ nobis à meridie ſexta, in Orbe univerſo magnam rerum atque Ordinum omnium perturbationem, ingentia bella, regnorum ſeditiones, & hinc publicas calamitates, fore opinantur, donec tandem omnia ad ſuum Chaos, unde exierant, revertantur. Noſtrum hoc, quod agitamus, ævum, ajunt, horam poſt meridiem primam eſſe, vel paulò quid amplius. Ceterùm Philoſophia illorum naturalis non usque adeò abſurda eſt. Chaos initium rerum omnium faciunt & principium. Ex quo materiæ expers, ſive ſpirituale ſummum, procreavit id, quod materiâ conſtat. Hoc ipſum adſtruunt in duas diviſum eſſe qualitates, quas *Yn* & *Yang* vocant. *Yn* occultum ſive imperfectum ſonat, *Yang* verò patens ſeu perfectum. Hæc duo quaſi illis principia ſunt. Ex his autem, in ſe ductis, imagines ſive ſigna quatuor, inde octo formas aut Symbola, prodiiſſe. Per imagines illas quatuor Martinius quatuor Elementa, vel quatuor principes Qualitates, notari putat. Illi verò patens aliud perfectum, aliud imperfectum, occultum itidem aliud perfectum, imperfectum aliud, nominant. Ex octo formis quælibet peculiarem modum habet, quo pingitur, & generales quasdam res ſignificat, ex quibus omnium ſingularium generatio pendet atque corruptio. Earum picturam exhibet Martinius *lib. 1.* ſtatim ab initio. Ubi quatuor & ſexaginta Symbola, ſive Imagines, adducit, quarum ſingulæ nomen habent ſingulare, quæ tamen non recenſet. Multa myſteria Chinenſes venantur in his imaginibus, & memorat

(*n*) Veterum *de Ovo Mundano* ſententias Diſſ. peculiari, Præſide Joh. Andr. Schmidio Jenæ a. 1693. habita, erudite expoſuit M. Gottfr. Tenzelius, Arnſtadienſis.

Martinius multos in eo libro ſermones eſſe de generatione & corruptione, de fato, de Aſtrologiâ judiciariâ, quæ tamen jejunè diſputantur, absque cauſis atque definitione rerum. Transferunt etiam eosdem numeros & figuras ad divinationes & ſortilegia, item ad adminiſtrationem & morum diſciplinam. Imaginibus certè his & numeris Pythagorίζειν videntur, ante ipſum Pythagoram, qui in Ideis & numeris, & figuris, fundamenta Philoſophiæ ſuæ ponebat. Sinenſes quoque easdem Imagines per numeros explicant, & res ſignificatas ſuis numeris exprimunt, vel paribus, vel imparibus, quomodo Pythagoras etiam omnes rerum formas numeris certis exponebat.

4 Hæc quaſi myſtica fuit Chinenſium Philoſophia, &, ut ita dicam, Cabaliſtica, qualem ferè in omni gente obſerves, quando ſcil. rerum cauſas indagant. Indagatione autem illâ ducuntur ad neſcio quæ abſtracta, quæ vel per figuras, vel per numeros, exprimunt utcunque. Cùm enim videt mens humana, eſſe quædam illis corporalibus altiora, & poteſtates quasdam, hæc inferiora ſub ſe continentes, cùm nihil in natura novit magis abſtractum à rebus, Spirituum verò nullam notionem habet, ad numeros & figuras delabitur, easque vel ut cauſas, vel ut ſigna quædam rerum archetypa, pro veris quibusdam cauſis venditat. In quibus omnibus non quidem adeò certi quid deprehendas, ut pectus ſaturare poſſis, aut aliqua ſuper hoc fundamento extruere, ſed arguunt tamen illud, ferri naturâ ſuâ omnes gentes ad generales quosdam conceptus, & naturas rerum ſpirituales ſive æternas, quas quanquam explicare conceptibus idoneis non poſſumus, ſufficit tamen eorum conceptuum quaſi umbras inhærere menti. Laudari certè ex eo etiam Chinenſium Ingenia debent, qui, dudum ante Pathagoram & Platonem, neſcio quid illi Philoſophiæ ſimile animo ſpeculati ſunt. Pythagorici enim & Platonici, ab Æpyptiis credo edocti, è Græcis ad efficientem cauſam potiſſimum reſpiciunt, & Phyſicam quandam Metaphyſicam, ut Verulamius vocabat, profeſſi ſunt. Quâ in re laudandi præ ceteris, Epicuro, Ariſtotele, qui quidem naturam rerum ratione materiæ potius, cauſarumque internarum, indagare laborarunt, cetera autem omnia, quaſi res nihili, & vana quædam ſomnia, eliminare. Unde pleraque orta eſt Ariſtotelis contra Platonem Diſputatio, malè certè inſtituta, cùm aliò reſpiceret Plato, aliò Ariſtoteles, hic tamen, ut ſibi contrarium, refutaret, cùm non eſſet. Quâ in re profani aliquid Ariſtoteles, divinum aliquid ſapiebat Plato. Sed de his in Capite de Philoſophia Platonica agemus.

5 Jam, ut ad Sinenſes noſtros redeamus, alia etiam illi principia ſcientiæ naturalis habent, quæ Elementa vocant, à noſtris quidem diſcrepantia, non verò usque adeò abſurda. Ii verò quinque Elementa conſtituunt, Metallum, Lignum, Aquam, Terram & Ignem. Rideat fortaſſis aliquis, Sinenſes metallum & lignum inter Elementa numerare, ſed ejus rationes illi habent, quas recenſet Martinius. Aqua dicunt, irrigat & deſcendit, Ignis ſiccat & aſcendit, Lignum erectum & diſtortum vocatur, Metallum ductile levitatisque patiens, Terra Semina capit, affertque fructus. Irrigans illi & deſcendens, ajunt, dat ſalſum, ſiccum & aſcendens dat amarum, rectum & diſtortum facit acidum, ductile & potituræ idoneum mordax facit ſive acre, accipiens

ſemina

ſemina & fructus dans dulce gignit. Has illi faciunt quinque Elementorum Qualitates ſeu Sapores; in quibus principia rerum naturalium conſtituunt, atque illa principia denominant ex iis ſaltem ſubjectis, in quibus qualitates illæ dominantur. Quod an accurate factum ſit, nunc quidem non diſputo. Interim non magis illi ridendi ſunt, quàm qui hodie magno apparatu omnis naturæ principia ſtatuunt acidum & Alcali (ſalſum,) & integris libris hoc argumentum defendunt, quorum tamen principiorum inſufficientiam nuper Epiſtolâ quâdam demonſtravit *Joh. Bohnius*, Profeſſor Lipſienſis. Ceterum, ſi noſtrorum Phyſicorum opiniones excutias, invenias in illis, qui multò abſurdiora docuerunt. Id tamen videmus ex eo, Practicæ Phyſicæ fuiſſe ſcientiſſimos Chinenſes. Quod enim ajunt de natura ſalſi & amari, acidi & acris, illud ſanè è Chymicis operationibus hauſiſſe videntur, neque dubito, illa, ſi quis in Sinenſium libris legerit, aliter proponi, quàm recenſentur ab hominibus peregrinis, nec linguæ Chinenſes adeò gnaris, & Philoſophia tantùm Scholaſtica imbutis, ut ſunt Jeſuitæ. Non vacat ſingula excutere, alioquin Lynceus aliquis etiam obſervare hîc poſſet aliquam corpuſcularis Philoſophiæ apud Chinenſes notitiam. Si quis communi ſenſu interpretaretur hæc Elementa, tria Naturæ conſtituentia Elementa hìc obſervet, Aquam, Ignem & Terram, qualia etiam hodiè tantùm à quibusdam ſtatuuntur, excluſo Aëre, quem illi vix inter corpora ſpecifica, nedum inter Elementa numerant, ut qui tantùm conſtet vaporibus terraqueis, & extrinſecus rei adſit, non inſit. Quod metallum & lignum attinet, ea quis dixerit elementa artificialia illis eſſe, tam latè ſumtis vocabulis, ut ſub metalli nomine omnia mineralia capiantur, ſub vegetabilium nomine omnia excreta Terræ. Unde certè omnia fiunt opera, quæ artifices moliuntnr. Metallum itaque comprehendet omnia naturæ compoſita ſubterranea, Lignum omnia compoſita naturæ ſupraterranea, è quibus certè omnia fiunt artefacta ad uſus humanos. Et, ſi quis ita explicuerit, nihil apud Chinenſes novi & abſurdi in iſta doctrina invenerit.

Chinenſibus adjungi poſſent *Veteres Indi*, (*o*) quorum peculiares quædam fuerunt circa ſcientiam naturalem ſententiæ; ſed de illis adeò confuſa omnia, ut nihil quippiam diſtincti colligi inde poſſit; Niſi etiam quæ è quorundam Autorum laciniis colliguntur. Id tamen conſtat, quantum ex hodiernis Itinerariis patet, aliquid Pythagoricæ doctrinæ ſimile illas habere. 6
Μετεμψύχωσιν enim ſtatuunt, eamque ſibi habent perſuaſiſſimam, adeò ut nulla fermè inter illos ſecta ſit (ſunt autem plurimæ) quæ non pro principio eam ponat. Eſt quidam Græcus Scriptor, *Palladius*, qui de gentibus Indiæ & Brachmanibus (ita Philoſophi apud illos vocantur) libellum aliquem ſcripſit, quem ex Regiâ Bibliothecâ edidit *Eduardus Biſſæus*, Eques Auratus, *in 4to.*, Londini, anno 1665. Cui additur S. Ambroſii Scriptum de moribus Brachmanum. Plura eorum dogmatum qui ſcire velit, legat Abrahami Rogerii eröffnete Thür zum Heydenthum; qui liber primùm Belgico ſermone ab eo conſcriptus, poſteà in Germanicum à Christophoro Arnoldo, Profeſſore Noriber-

 genſi,

(*o*) De Indorum Philoſophiâ, ejusque Scriptoribus, conferantur, quæ ab Autore *Lib. præced. I. c. I. §. 10. 11.* ſunt dicta, & a nobis ad locum iſtum monita.

genſi, converſus, Norimbergæ prodiit, A. 1663., in 8vo, cum Additamentis, ex aliis Autoribus. Hoc libro continentur omnia iſta, quæ ſpectant, tàm ad Theologiam, quàm ad Philoſophiam Indorum; Miræ ibi occurrunt fabulæ, hîc non repetendæ. Ceterùm liber eſt jucundus admodum lectu, quo quidem nullus adhuc accuratior prodiit in hoc argumento.

7 De PHOENICUM ſententiis, penè doctrinæ Moſaicæ affinibus, videri poteſt Grotius *in Notis ad Libb. ſuos de veritate Religionis Chriſtianæ*; De PERSARUM autem Dogmatis *Pet. de la Valle* in ſuo *Itinerario*, Italice edito, quod in Belgica J. H. Glaſemakeri Editione eſt mutilatum, multaque, & optima ferè, omiſſa. Habet & BARN. BRISSONIUS *in Lib. de regno Perſarum* nonnulla, ex aliis collecta. Sed Liber iſte exiguo eſt ſcriptus judicio, ac multa falſa continet. Sed his, obſcuris admodum, ac vix notis, non immorabimur.

CAP. VI.

DE PHILOSOPHIA PYTHAGORICA, EJUSQUE PRINCIPIIS NATURALIBUS.

§. 1. Auctores antiqui, è quibus Philoſophiæ Pythagoricæ notitia haurienda, recenſentur, Johanniſque Schefferi de ejus Natura ac Conſtitutione Libellus, *Scriptaque de eadem alia promiſſa & affecta, commendantur. 2. Mater illa eſt reliquarum omnium Sectarum, cognitioque illius, non ſummopere ſolum utilis, ſed & neceſſaria. 3. Scriptores de Dogmatibus Pythagoræis Veteres, Philolaus, Didymus, Moderatus Gaditanus, Ariſtoteles, Jamblichus, aliique una cum Antiphane Comico iſtorum deriſore, dudum deperditi. 4. Pythagoras Pherecydis & Moſchi fuit Diſcipulus, dogmataque ſua variis, ad quas excurrit, gentibus, Numerorum autem doctrinam Ægyptiis, debuit. 5. Doctrina de Numeris Pythagorica, ad Platonicos propagata, γενικῶς exponitur. 6. Pythagoræ Sententia de* Μετεμψυχώσει, *Magiæque & Artium divinandi peritia. Brutorum Voces ſermoni humuno ab Iſ. Voſſio prælatæ. Phyſiognomiæ Naturalis commendatio. 7. Philoſophiæ Pythagoricæ Finis* (Similitudo Dei,) *duplexque diviſio.*

1 INter Philoſophos Veteres, quorum nobis ſupereſt aliqua notitia, antiquitate ceteris facilè ſuperior eſt PYTHAGORAS, (*p*) Cujus nihil habemus, niſi, quod longo pòſt tempore per alios traditum eſt. Ideoque, quæ de ejus dogmatibus apud illos ſuperſunt, obſcura, ænigmatica, confuſa, omnia ſunt, quibus non dubito aliena multa acceſſiſſe, ab Interpretatione eorum hominum, qui eorum dogmatum aliqua collegerunt. Peti autam debent laciniæ iſtæ è Jamblichi Operibus, qui *vitam Pythagoræ* ſcripſit, è Demophili, Democratis & Secundi opuſculis, editis à *Lu-*

(*p*) Conferendum eſt cum hoc Capite *Secundum Libri I. præcedentis*, de Philoſophia itidem agens Pythagorica.

à *Luca Holſtenio*, *& Ocelli Lucani libro de natura Univerſi* (quem Lat. vertit, emendavit, & cum Commentario edidit *Carolus Emanuel Vizanius*, Amſtelodami, anno 1661. *in 4to*,) *è Porphyrii libro de Abſtinentia*, Græcè Latineque edito, cum Notis à Luca Holſtenio. Habet & *Laërtius* aliqua. Laudabilem operam præſtitit Vir Clariſſimus, Johannes Schefferus, in *libro* ſingulari, quem *de natura & conſtitutione Philoſophiæ Italicæ*, ſive *Pythagoricæ*, juſſu Chriſtinæ, Sveonum Reginæ, conſcripſit. Quo in libello, Upſaliæ A. 1664. *in 8vo* edito, ea, quæ ad hiſtoriam aliquam generalem hujus Philoſophiæ pertinent, doctè proponuntur, & è Veterum Scriptis eliciuntur. Sed dogmata ipſa illic non continentur, quæ majoris laboris ſunt, *& ut Schefferus in præfatione* ait, ejus, qui nullis aliis occupetur curis, & unum hoc agat, qui tamen ipſe negotii plus ſatis habiturus ſit. *Secernere enim à veris germanisque ejus Philoſophiæ dogmatibus, neque inſarcire aliena, diligentiæ*, inquit ille, *non eſt ſuperficiariæ, aut ſubitanei laboris.* Utinam ab ejus Viri ſummâ Eruditione impetrare poſſimus eos, quos promiſit, libros, unum ſcil. *de vita Pythagoræ*, & alterum *de Claris Pythagoricis.* De dogmatibus verò ipſis, adeoque integrâ Pythagoræ Philoſophiâ, ab ipſo aliquando opus perfectum, vix eſt ut ſperemus.

Rectè verò is Pythagoricam ante omnes laudat, ut reliquæ Philoſophiæ omnis 2
Gentilis matrem & fontem. *Sic perſuaſum habemus*, inquit ille, *non plus intereſſe publico, bonisque literis, ut, quid Plato, quid Ariſtoteles, quid Stoici, quid Epicuræi, cenſuerint de Philoſophiâ, ſit perſpectum, quàm quid Pythagoras. Non modo, quia diligenter iſthæc reputanti apparebit, pleraque originem ſuam habere è Sacris literis, ſive benè, ſive perperam, intellectis, vel quòd ipſe illas habuit Pythagoras, vel quòd habuerunt ii, quorum diſciplinâ ipſe fuit imbutus ac doctrina: Sed & quia Plato, Ariſtotelesque, Capita & quaſi Coriphæi quidam omnis Sapientiæ inter Paganos atque Eruditionis, ſua habuerunt à Pythagora, atque ita tandem ſcietur, quibus debeantur initiis, quæ à gentibus benè, Sanctisque doctrinis convenienter, tradita, tantoperè apud eas admiramur & extollimus.*

Extiterunt quidem in Philoſophia Pythagoræa non pauci Scriptores, qui dogmata 3
iſta congeſſerunt, quorum tamen nihil ad nos pervenit. Et Euſebio quidem nominatur hujus Philoſophiæ Scriptor Philolaus, Clementi Alexandrino Didymus, de quo ille ait, quod *librum de Philoſophia Pythagorica* ſcripſerit. Qui Didymus, tamen alius fortè eſt, quàm iſte, cujus Hieronymus mentionem facit, qui περί αἱρέσεων ſcripſit. Is enim Chriſtianus fuit. Philolaus ſcripſit *Diſſertationes Pythagoræ*, Euſebio teſte, qui Philoſophiam Pythagoricam fortè eo modo tradidit, quo Arrianus in *Diſſertationibus Epicteti.* Quales Pythagoræ *Diſſertationes* ſcripſit quoque Moderatus Gaditanus, & quidem *libris quinque*, quas *Scholas* vocat, teſte Stephano, *in voce γάδειρα.* Ariſtoteles quoque *libros de Pythagorica Philoſophia* ſcripſit, teſte Jamblicho, qui an Stagirita ille fuerit, dubitari adhuc poteſt. Quanquam Laërtius, inter libros Stagiritæ, memoret unum πρὸς τὰς πυθαγορείους, & alium τῶν πυθαγορείων, niſi

niſi quis poſteriorem librum eum eſſe putet, quem citarit Jamblichus. Prior enim ille fuit contra Pythagoreos ſcriptus. Theon Smyrnæus Ariſtotelem quoque citat ἐν τῷ πυθαγορικῷ. Stobæus etiam, *in Eclogis Phyſicis, cap. 22.*, Ariſtotelis *primum de Philoſophia Pythagoræ librum* citat, ut, ſi non plures, duos ſaltem fuiſſe hinc perſpiciamus; cùm ceteri unius tantùm libri mentioem faciant. Quod tamen an ſufficiens ſit argumentum, ut alterum quendam Ariſtotelem hujus libri Autorem faciamus, quod facit Schefferus, meritò dubium mihi videtur. Simplicius quoque *libro 1.* ἀκροαμάτων *Phyſicorum*, cujusdam Eudori meminit. Jamblichus *de Secta Pythagoræ* ſcripſiſſe *libros tres* dicitur Geſnero, ex quo hoc Simlerus *ſcripſit de Pythagorica Secta libros tres, qui, cum Simplicii Commentariis, Romæ, in Bibliotheca Vaticana, habentur.* Hos tamen libros aliqui eosdem eſſe putant, quos *de vitâ Pythagoræ* ſcripſit Jamblichus, & tamen Simlerus diſtinguere videtur. Voſſius *in libro de Philoſophorum Sectis*, præter illos, quos enumeravimus, Androcyden, Antiphanem & Alexandrum, nominat, quos tamen ad *Symbola* Pythagoræ tantùm ſcripſiſſe, ex Jamblicho & Clemente diſcimus. Antiphanes verò Poëta fuit, & Comico ſale Inſtituta ejus perfricuit, ut ex Athenæi *lib. 6. cap. 16.* apparet. Ut extant multa Comicorum veterum Græcorum ejus Argumenti. Cronium, Numenium, Thraſyllum, quædam de hac Philoſophia ſcripſiſſe, ex Porphyrio diſcimus. Meminit quoque Laërtius cujusdam Zenonis, quòd ſcripſerit *Pythagorica*; Et Clemens cujusdam Hipparchi; qui tamen omnes Scriptores jamdudum perierunt. Fortaſſis aliqua habuiſſemus è Bibliotheca Vaticana, ſi ſupervixiſſet Lucas Holſtenius, qui aliqua Jamblichii inedita de Philoſophia Pythagorica editurus erat.

4 Doctrina hæc Pythagoræ ITALICA vocatur, quòd Autor ejus, Pythagoras, illam in Italia docuerit. Cujus Autorem tamen Laërtius Pherecyden facit. Quem ſequuntur alii, & ad illum initia hæc referunt, quòd is Pythagoræ Præceptor fuerit. Sed Laërtius tamen, ipſe ſibi contrarius, alibi Italicæ Philoſophiæ principem Pythagoram facit. Neque enim Pherecydis & Pythagoræ dogmata adeo conveniebant, quanquam ille Præceptor Pythagoræ fuerit. Ideò Pythagoras non receſſit ab ejus opinionibus, qui non unius hominis dogmata eſt ſecutus, ſed ab Ægyptiis, Chaldæis, Perſis, Indis, quæ hauſerat, poſteà in unum cinnum redegit, & pro ſuo ingenio interpolavit. Non pauca etiam ab ipſis Judæis, & fortè plurima, habuit. Arabes quoque & Phœnices præceptores habuit, de quibus vide Schefferum *libro citato, cap. 4. & 5.* Quibus ſingulatim recenſet, quæ dogmata quibus gentibus debeat. Arithmetica & Phyſica nonnulla didicit à Phœnicibus, ſpeciatim verò à Moſcho aliquo, non Moſe, ut legi vult Arcerius, ſed vetuſto quodam Philoſopho, & in rebus naturalibus exercitato, qui primus doctrinam de Atomis adinvenit, cujus mentionem faciet Strabo *lib. 16.* Meminit ejusdem & *Sextus* in *Opere adverſus Mathematicos.* Ab Ægyptiis accepit myſtica ſacra, & notitiam de Deo uno, & Geometriam, & arcana numerorum. Theodoretus Ægyptiis jungit Hebræos, quorum aliqui haud dubie tùm erant apud Ægyptios. De Numeris teſtis eſt Joſephus, &, præter illum, Apulejus *lib. II. Floridorum*, ubi

ubi ait, quòd ab Ægyptiis acceperit *numerorum admirandas vices.* Scheſferus legit *vires*, quanquam ego cauſam non video, cur aliquid mutari debeat. Intelliguntur enim per illas proportiones certæ. Ægyptii verò occultas quasdam numerorum facultates habebant, quæ ſecretiſſimam eorum continebant Philoſophiam. Quam philoſophandi rationem à Mercurio inventam Triſmegiſto apud Ægyptios, ſcribit Stobæus in *Eclogis Phyſicis, cap.2.* Adeoque certum jam eſt, ab nulla alia gente, quàm Ægyptiis, myſticam illam numerorum doctrinam habuiſſe, quibus poſtea Philoſophiam ipſe ſuam ſuperſtruxit. Phœnicum enim Arithmetica longè fuit alia, vulgaris nempe iſta & mercatoria; Ægyptiorum verò Philoſophica & ad res naturales ac divinas accommodata. Quam, poſtquam jam alteram à Phœnicibus hauſiſſet, ab Ægyptiis didicit.

Hanc de numeris doctrinam poſtea ad ſucceſſores ſuos propagavit Pythagoras. Atque hinc Plato, ejusque Aſſeclæ, tam multa de numeris ſuis paſſim inculcant. Quorſum etiam referenda eſt doctrina de Ideis. Socrates, cujus omnem Philoſophiam libris ſuis complexus eſt Plato, ex Pythagoreis hauſit illam, ut judicat rectè Joh. Bapt. Hamelius *Lib. I. de Conſenſu vet. & novæ Philoſophiæ, c.3.* Secundum enim Pythagoreos unitas & numerus prima rerum exordia ſtatuuntur. Neque numerorum verbo aliud quiddam ab iis diverſum intellexêre, ex iis quippe ordo, ſpecies, modus, diſtinctio denique omnis repetitur. Per varios numerorum gradus, ab ipsâ unitate, quâ omnia continentur, usque ad formas rerum ſenſibiles, deſcendit. Quas itidem deinceps numeris quibusdam mutabilibus diſtinguit. Unde patet, Platonicos numeris ſuis uti, non aliter, quàm vulgus Philoſophorum ſuis Terminis & notionibus, quarum certè quædam eſſe debent, quæ verò inter illas rebus ipſis ſint adæquatæ, aut eſſentias earum exprimant, de eo tam acriter diſputatur. Porrò Platonici ut corporales res figuris deſignare ſolent, ita res ſpirituales numeris quoque deſignant. Quod autem, præter numeros Intellectuales, vel Ideas, alios in ipſo Bono, vel Deo, numeros ſupereſſentiales plerique Platonici admittant, easque unitates ut primi Boni Effectus quosdam, cum à ſua cauſa, tùm inter ſe, diſtinctos velint, & quaſi innumerabiles quosdam, ut vocant, Deos ſubſiſtere, iſtud per ſe abſurdum eſt. Chambræus, in opuſculo *de Philoſophia Platonica*, quod nondum publici juris fecit, laudat a. *citato loco* Hamelius: *Eſt*, inquit, *in Deo numerus quidam ex unitatibus divinis conſtans, cùm cæteri numeri magis ex rebus, quæ unitatis ſunt participes, quàm ex ipſis unitatibus ſint compoſiti. Sunt verò divini numeri non abſoluti, ſed relativi. Nam ad res, quæ fieri poſſunt, ſingulæ unitates, aut Ideæ divinæ, habitudine quâdam rationis referuntur, nec iſtæ unitates plus quàm ratione, ſive cogitatione, differunt. Non enim ex ipſa unitatis Summa, quæ Deus eſt, fit ſtatim progreſſus ad numerum abſolutum, ſed prius neceſſe eſt mente concipere relativum quendam numerum, qui ſuo fonti, ut propior, ita ſimilior, eſt. Cujus velut partes non ſeorſim à ſuo principio disjunctæ, ſed in ipſo uno, aut Deo, ſubſiſtunt.* Hæc Chambræus ex mente Platonicorum diſſerit, ænigmata ænigmatibus cumulans, ut ſunt pleraque iſta Platonicorum, qui mira potius ſtudent dicere, quàm vera. Et

certè illi numeris ſuis & Ideis eandem fabulam ludunt, quam intricatiſſimis ſuis conceptibus & notionibus Scholaſtici, aliâ ſaltem ſcenâ inſtitutâ.

6 Ab iisdem Ægyptiis Pythagoras doctrinam illam de μετεμψυχώσει animarum habuit, de quibus Herodotus *lib. 2.* & Porphyrius; quam ſententiam etiam apud Indos, aliasque Gentes Orientales, hodieque obtinere videmus. De ea animarum μετεμψυχώσει libellum ſingularem conſcripſit *Ambroſius Rhodius*, qui editus eſt Hafniæ, anno 1638. *in 8vo;* quo in libello mentem Pythagoræ explicare laborat, & ad ſaniorem aliquam ſententiam reducere, fortaſſis magis ex ingenio ſuo, quàm ex rei veritate. Ceterùm, & alios quoque Philoſophos ab hac ſententia non abhorruiſſe videmus. Rerum Magicarum doctrinam, quæ in Sacrificiis, Conſecrationibus, & ſimilibus, conſiſtebat, elegantiſſimè & diligentiſſimè præ ceteris excoluit Pythagoras, divinationum etiam varia genera à variis Gentibus accepit, ὀνειροκριτικὰ ab Hebræis didicit, ſcientiam auguralem & divinationem ex Thure ab Arabibus habuit. Arabes enim, & Phryges, primi ſunt, qui excogitarunt Aruſpicinam, ut Theodoretus teſtatur. Fortè & intellectum ſermonum, quibus beſtiæ creduntur uti, atque aves. Apollonius enim, Pythagoræ ſimia, ab iis artem hanc ſe hauſiſſe gloriatur, ut teſtatur Philoſtratus *lib. 1. cap. 14.* Quam artem, credo, hodiè etiam callet Vir doctus, (Is. Voſsius) qui *de cantu Poëmatum, & viribus Rythmi*, libellum nuper ſcripſit; in quo non veritus eſt aſſerere, animalibus plus ſolertiæ ineſſe, in exprimendis affectibus vel deſideriis, quàm ipſi homini; quod inter cetera ejus libri παράδοξα (ſunt enim non pauca) reponendum eſt. Ab Indis Pythagoras habuit Phyſiognomiam, cujus ſingularis propagator fuit, adeò ut diſcipulos ſuos, ad artis iſtius regulas, primùm explorarit, an idonei eſſent ad diſciplinam, an minus. Videatur Philoſtratus *lib. 3. cap. 5. in vita Apollonii.* Atque certè illa doctrina non eſt de nihilo, quatenus Phyſicis principiis ſuperſtructa eſt, non Planetariis, ac mirabilem planè uſum habet in vita civili, ſi quis ex converſatione crebrâ cum hominibus majorem ſibi acquiſivit ſolertiam. De ejus utilitate legantur, *præfatio* Conringii in opus Scipionis Claramontii *de conjectandis latentibus animi affectibus*, librum ejusdem argumenti inſignem ſanè, & CHAMBRÆUS in libro Gallico *de arte cognoſcendi homines*. *Symbola* Pythagoræ, à Phil. Beroaldo, Ang. Politiano, aliisque explicata, non Moralia ſolùm, ſed & Magica quædam, celare mihi videntur. Qualia ſunt de corde non edendo (quæ adhuc nefaria inter Orientales Magiæ ſpecies eſt, à Pet. de la Vale, *P. V. Itinerar. c. 1.* deſcripta,) unguibus ante aram non incidendis, ſpeculo noctu non intuendo, igne gladio non fodiendo, &c. quorum multa à Thom. Berounio, in *Pſeudodoxia Epidemicâ*, exploduntur.

7 Finis Pythagoricæ Philoſophiæ omnis, quam eo etiam definiebat, erat ὁμοίωσις Θεῦ, ſive ſimilitudo Dei, quæ divina ejus ſententia eſt, à Platone aſſumpta, & paſſim inculcata. Hanc Stoici, Cynici, Epicuræi, quoque arripuerunt, qui virum bonum & ſapientem definiebant Deo ſimilem. Ad hunc finem obtinendum media præſcribebat, nôſſe ſemetipſum, & purgare ſe ac liberare à ſordibus corporis, ut animus ferretur

tur ad cœleſtia & divina, atque tum verè Philoſophum fieri. Quare & Philoſophiæ partes duas faciebat, καθαρτικὴν ſive purgativam, τελικὴν ſive perfectivam. Dividebat etiam Philoſophiam in ἐξωτερικὴν & ἐσωτερικὴν. In Exotericis tradebantur omnia, quæ ad communem vitam pertinebant, practica; In Eſotericis, quæ ad naturam & divina pertinebant, de quorum omnium ordine legatur Schefferus *Cap. 10. integro;* ubi ſummâ cum diligentiâ omnia illa illuſtrat, & de modo quoque docendi per Symbola, deque ipſis Symbolis Pythagoræorum, pluribus agit.

CAP. VII.

DE PRINCIPIIS PHYSICIS SECUNDUM GRÆCOS, VARIOSQVE EJUS GENTIS PHILOSCPHOS:

AC PRIMUM DE PHILOSOPHIA NATURALI DEMOCRITI ET EPICURI.

§. 1. Pythagoras omnium Græciæ Philoſophorum Parens fuit. Ab Apulejo tamen quidam illo antiquiores celebrantur. Diverſa Græcorum in philoſophando Inſtituta. 2. Philoſophia Græcorum nec præ Barbarica plane eſt contemnenda, nec, cum Conringio, in Ægyptios injurio, ſupra illam nimis extollenda. Methodica ejus Tractatio Græcis debetur, inprimis Ariſtoteli, cujus tamen in Philoſophos ſe priores Tyrannis, Sophiſticaque contra illos diſputandi ratio, culpantur. Platonem contrà longè fuiſſe modeſtiorem, allato utriusque de Parmenide judicio, oſtenditur. 3. De Philoſophia Poëtarum, Orphei (de qua Lib. promiſit J. Franc. Grandis,) Homeri &c. quid ſentiendum. Nulla hic certa Principia, omnia fabulis involuta, quas nec ipſi intellexere. Orpheo & Zoroaſtri ſuppoſita ad Platonis doctrinam proximè accedunt. 4. Democritus, more veterum, abſtractionibus in Phyſica abſtinuit, & ad ea, quæ ſub ſenſum cadunt, omnia reduxit. Magni ejus Philoſophia etiam apud Romanos fuit habita. Principia ejus Phyſica, Atomos & Vacuum, ſua fecit Epicurus. 5. Utriusque Philoſophiam Naturalem, in Poëmate de Rerum Natura, *propoſuit Lucretius, & nuper inſtaurarunt Pet. Gaſſendus (in multis licet diſſentiens) ac Gvalth. Charletonus. 6. Democriti Scriptorum nihil ſupereſt, & proinde, quid verè ſenſerit, incertum. De MSStorum, quæ ſub ejus nomine ſuperſunt, Chymicorum γνησιότητι in utramque partem disquiritur. 7. Doctrina de Atomis & Vacuo Epicurea, intermixtis ſubinde animadverſionibus, proponitur. 8. Eadem, ex Joh. Franc. Grandis peculiari* Diſſ. *contra illam, refutatur, & Democrito ipſi (qui per Infinitum Inane Deum intellexit) adverſa eſſe oſtenditur. 9.* Παρέκβασις *ad Mediam Henr. Mori, Vacuum in Naturam ſpiritualem transformantis, eandemque Democrito ac Epicuro mentem affingentis, ſententiam. 10. Doctrinæ Epicuri Phyſicæ, inprimis de motu Atomorum, confutatio ex J. Franc. Grandi, Cicerone, ipſoque*

Lucretio, continuatur. 11. Ex hac Epicuri doctrinâ Fatalitas rerum omnium, aliaque profana Atheorum dogmata, profluunt. Falſo jactatur, eam eſſe evidentiſſimam ac ſenſibus ſuperſtructam, cùm imaginaria potius ſit & abſurda. 12. Degeneravit à principiis Democriti. Methodus ejus philoſophandi corpuſcularis utiliſſima quidem eſt in rerum naturalium ſcrutinio, ſed à dogmatis profanis, ab ipſo confutatis Gaſſendo, repurganda; nec tamen ſine principiis aliis ſufficit, cùm & Atomi minutiſſimæ ex aliis coaluerint Elementis. 13. Methodo hac utuntur Carteſius, Rob. Boylius (inſigni hic ornatus Elogio,) moderni que Angliæ Philoſopihi. Agnoſcendum tamen iis aliquod in Natura θεῖον, ſibi incognitum, ob cujus in Philoſ. Epicurea neglectum Verulamius Ariſtotelica ſequi maluit Principia.

1 PRodierunt è PYTHAGORÆ ſchola integræ Philoſophorum familiæ, atque adeò, quicquid GRÆCIA ſapientiæ habuit, huic viro natales ſuos debet. Quanquam & ante ipſum fuerint nonnulli inter Græcos Philoſophi, iique etiam Præceptores Pythagoræ. Sed, quandoquidem etiam illi ex Oriente, & ex Ægypto, doctrinam ſuam habuerunt, ac fama illorum obſcura eſt, hunc Autorem Philoſophiæ apud Græcos, præ ceteris, laudare poſſumus. *Apulejus* quidem, *in Floridis*, Pherecydem Syrum, Anaximandrum Mileſium, Epimenidem Cretenſem, Leodamantem, Creophili diſcipulum, memorat, quorum omnium admodum exigua eſt notitia apud veteres Scriptores; fortaſſis & ipſe non accuratam ejus rei notitiam dare potuit, tanto ab illis temporis intervallo disjunctus. Quod enim inter illos etiam Platonem numerat, vel ingens mendum eſt, vel magnus Anachroniſmus. Quanquam Lipſius huic Textui ſubveniat, *in Philoſophia Stoica, lib. 1. Diſſertat. 6.* pro *Platone* legens *Piatorem*; quæ emendatio quo fundamento nitatur, non video, niſi ſolo ingenio Lipſiano. Quoniam verò Pythagoræ Philoſophia, ob numeros illos, eſt obſcurior, ac nulla certa habet principia, quòd ipſe nihil ſcripſerit, à diſcipulis verò ejus omnia vel interpolata ſint, vel negligenter tradita; ſectabimur jam ceteros è Græca natione Philoſophos, quorum diſtinctiora ad poſteros principia pervenerunt; & quidem ita, ut non magnoperè de ordine ſimus ſolliciti, ſed potius ipſum principiorum, ab ipſis poſitorum, ordinem ſequamur. In quibus tamen ipſis dijudicandis non parùm difficultatis eſt; aliqui enim principia quædam cum aliis habent communia, alii, præter familiaria ſua, adhuc quædam prima ſupponunt, quidam ænigmaticis lucutionibus iſta involvunt. Videbimus tamen, ut, quàm fieri poteſt, diſtinctiſſimè ea proponamus. Ac ſunt ſæpè inter illos, qui non re ipsâ, ſed nominibus, ſeu terminis, tantùm diſcrepant. Quidam ſecunda principia pro primis arripiunt, & vice versâ: Quidam cauſas externas cum internis confundunt, de quibus omnibus diſpiciendum eſt.

2 Quod attinet in univerſum *Philoſophiam Græcam*, ut non probo, qui nimium illi tribuunt, ita nec audiendi ſunt, qui nihil, adeò ut Græcam illam Philoſophiam mancam, ſophiſticam & puerilem exiſtiment, præ occulta illa Orientalium Philoſophia

phia & Ægyptiorum; à quibus hauſiſſe Græcos doctrinam ſuam certum eſt. Neque enim temerè credo, quod vult Clariſſimus Vir, Conringius, Ægyptiorum iſtam fuiſſe ignorantiam in omni diſciplinarum genere, ut Græcis præ illis palma debeatur. Quâ in re meliora docuit Olaus Borrichius, in nupero illo ſcripto, quod Conringio oppoſuit; ubi prolixè per partes examinat, quàm fuerit Ægyptiorum in omni doctrinâ perfecta ſapientia. Apud Platonem certè ab Ægyptio Sacerdote Græcis objectum ſcimus, illos *in Philoſophia ſemper eſſe pueros*, ſive ſemper diſcere, nunquam perfectos eſſe. In eo tamen laudem ſummam merentur Græci, quod ordinem induxerint in Philoſophiam & Methodum; ceterorum enim libri vel ad poſteros non pervenerunt, vel planè ſcripti non fuerunt, ac vivâ tantùm voce præcepta Philoſophiæ tradita. Quemadmodum & in Græcia, ante Platonis & Ariſtotelis tempora, nihil quoque libris & præceptis diſtinctis comprehenſum fuit. Ariſtoteles verò primus methodum aliquam juſtam diſciplinis circumpoſuit, veterum Libros, ſi qui fuerunt, deprædatus, ut gloriam ſibi ſoli pararet, aut ſæpè pugnans contra illos, cùm tamen eorum ſenſus non rectè intelligat. Hinc Verulamius Ariſtotelem comparat Ottomannis, qui, ut tranquillum habeant regnum, & ſoli, fratres ſuos trucidare ſolent. Quare veterum ſententiæ, non ex Ariſtotelis tantùm verbis perpendendæ ſunt, qui, propriæ laudi velificans, illas impugnat, vel ex plebis opinione, quam tamen ab his ſacris arcebant veteres illi Philoſophiæ anteſignani, vel Sophiſticâ quâdam cavillatione. Sed tamen, inquiat aliquis, Ariſtoteli facilè fuit, reconditos antiquorum ſenſus ſcrutari. Id ſuſpicari quidem licet, ſed is fortè loquendi genere minimè proprio offendebatur, quod multis errandi præbuit occaſionem, cumque Autor novæ doctrinæ haberi vellet, eâ ambiguitate ad cavillationes abuſus eſt, ſuamque potius ſententiam ſtabilire voluit, quàm veterum obſcuritatem illuſtrare. Plato hoc longè modeſtior fuit, qui *in Theateto* de Meliſſi ſententiâ & Parmenidis agens, tantùm abeſt, ut exagitet, ut ignorantiam ſuam fateri malit, ac de obſcuritate illorum conqueri: *Parmenides*, inquit, *acer mihi videtur ac venerandus; olim peradoleſcens loquutus ſum cum illo Sene, & mihi viſus eſt ſapientiâ præditus profundâ ac generoſâ; itaque vereor, ut ſatis ejus verba capiamus. Quod autem ſub verbis tegitur, multò magis nos latet.* Unde videmus, ea, quæ Plato non intellexit, Ariſtotelem ut curâ ſuâ indigna rejeciſſe. Eum Ariſtotelis animum circa Parmenidis doctrinam obſervavit *Bened. Pererius*, Vir diligentiſſimus, *lib. 4. Phyſicorum cap. 16. Parmenidem*, inquit ille, *impugnavit, non ſecundum reconditum ſenſum, ſive iniquum erga eum ſe præbuerit, cùm tamen ejus mentem calleret, ſive rectè id fecerit, ut vulgo errandi occaſionem præcideret.* Sed de Parmenidis Philoſophiâ in ſequentibus plura dicemus.

Lipſius inter Græcanicæ Philoſophiæ partes etiam recenſet *Poëticam*, quam ille 3
vetuſtiſſimam facit, in qua Muſæus, Linus, Orpheus, Heſiodus, Homerus, quos ſapientiæ ſtudia coluiſſe certum ſit. De Orphei antiquiſſima Philoſophia & Theologia Johan. Franciſcus Grandis, vir eruditiſſimus Gallus, integrum Tractatum conſcripſit, quo accuratiſſimè Veterum illam doctrinam complexum ſe eſſe dicit. Franciſcum

ciſcum Patricium & Auguſtinum Steuchum primoribus tantùm labris deguſtaſſe ait, in *præfatione Diſſertationum ſuarum Philoſophicarum.* Sed vereor, ne liber ille non ſit editus. Hactenus enim nunquam videre licuit. De HOMERO Lipſius Democriti Elogium laudat, qui tamen in illo, præter elegantiam Carminum, nil miratur, & Platonis teſtimonium *in Alcibiade*, ubi ait: *Non debere, qui initiati nondum ſapientiæ incidere in Homerica Poëmata, ne fabellas cenſeant Heroëm illum ſcribere.* Sed ut mihi quidem videtur, non opus eſt, Sectam peculiarem hìc conſtituere; quæcunque enim Poëtæ iſti prodiderunt literis de rebus Philoſophicis, ex accidenti tantùm prodita ſunt. Nulla enim certa hìc ſunt principia, nullus Sectæ Autor, ſed pleraque fabulis ſunt involuta, quas fortaſſis ipſi non ſatis intellexerunt Poëtæ, ſi quæ abſtruſiora ſub iis fuerunt recondita. Uti non intellexit Ovidius, qui tamen totam illam fabularum telam ordine pertexuit, Græcos imitatus; Græci verò ipſi etiam aliunde, non ex ingenio ſuo, depromſerunt. Quæ ſuperſunt ex Orphei carminibus, aut ex Zoroaſtris *Oraculis*, illa, ſi genuina ſunt, recondita quædam, fateor, habent, quæ tamen Theologica potius ſunt, & de Deo, divinis mentibus, animisque, Oracula potius aliqua, quàm Philoſophiæ naturalis certa principia, loquuntur. Phyſica tamen quædam de mundo, ejusque ordine, illis inſperguntur, non admodum à principiis Platonicis aliena. Vid. Franciſcum Patricium in *nova de univerſis Philoſophiâ, Panaugias lib. 10.* Quibus in libris myſtica quoque Ægyptiorum ex Platone & Ariſtotele collegit. Legi etiam poſſunt ejus *Diſcuſſiones Peripateticæ*, in quibus paſſim de veteris illius Philoſophiæ, præ Ariſtotelicâ, præſtantiâ agit.

4 Nos primo loco, miſſis ambagibus illis & ænigmatibus, DEMOCRITI *Philoſophiam proponemus.* (q) Atque hìc ſtatim initio notandum eſt, veteres illos Philoſophos non auſos eſſe ad materias & formas abſtractas rerum naturalium cauſas reducere, ſed ad talia principia, quæ ſub ſenſus cadunt. Maluerunt ſcil. illi manere intra carceres naturæ, nec evagari ingenio ad vanas notiones, quemadmodum fecerunt Plato & Ariſtoteles, qui poſterior Diſputationibus ſuis veram iſtam & ſolidam ſcientiam naturalem corrupit. Ideoque vel ignem, vel aquam, vel aërem, vel particulas inter principia repoſuerunt, quòd in ſenſus illa incidere viderent; quanquam etiam in modo & applicatione erratum ab illis fuit. Democriti nomen maximum fuit apud veteres, nam non ſuo tantùm tempore ſummo in honore habebatur, ſed &, ipſis Ariſtotelis & Platonis ſcholâ vigente apud Sapientiores Democriti Philoſophia obtinuit, ac Romæ cum maximo plauſu exceptam fuiſſe Cicero nos docet, qui ejus ubique ſummâ cum laude mentionem facit. Quare exiſtimavit Verulamius, *in fabula de Cupidine*, non Ariſtotelem & Platonem, ſed Genſericum & Attilam, & barbaros, hanc Philoſophiam perdidiſſe. *Poſtquam enim,* inquit, *doctrina humana naufragium perpeſſa eſſet, tabulæ iſtæ Ariſtotelicæ & Platonicæ Philoſophiæ, tanquam materiæ cujusdam levioris & magis inflatæ, ſervatæ ſunt, & ad nos pervenerunt, dum magis*

(q) De Philoſophia Democriti & Epicuri dictum etiam jam eſt *Libri I. praced. Cap. Vto,* cum hoc præſenti conferendo.

magis ſolida mergerentur, & in oblivionem fortè venirent. Hæc Verulamii ſententia eſt de Democrito. Quod jam Philoſophiam ipſius attinet, Democritus omnium principia pleno & vacuo, ſive Atomis & inani, contineri ſtatuit, cujus ſententiam ſuam poſteà fecit Epicurus, qui diligentius expendens motus & formas Atomorum, ex eorum complexione, connexione & occurſu mutuo, omnia formari credidit in hoc univerſo corpore, omnia φαινόμενα hinc oriri.

Eam doctrinam inter Latinos erudito carmine comprehendit *Lucretius*, Philo- 5
ſophus potius quàm Poëta, ſed qui, ob Latinitatis puritatem, magnoperè æſtimandus eſt, quemque Virgilius in multis eſt imitatus. Eum à Phyſices Profeſſore in Academia Argentinenſi publicis Lectionibus prælegendum Statuta ejus Academiæ volunt, teſte *Bœclero in lib. de Scriptoribus Græcis & Latinis;* quod mirum tamen videri poſſit, cùm ſic crude admiſſa illa principia Epicurea, quemadmodum ea Lucretius proponit, profanum aliquid ſapiant. Noſtro tempore Philoſophiam illam ſepultam pene reduxit *Pet. Gaſſendus* atque diffuſo *Commentario* Lugd. A. 1649. in fol. edito, explicuit, cui addendus eſt alter ejus *liber de vita & moribus Epicuri*, qui hiſtoriam Epicuream complectitur. In ceteris verò dogmatica tractat ſub ſpecie *Commentarii in Diogenis Laërtii librum decimum*, quo ille dogmata Epicurea complexus eſt, collatis ſemper verbis & rationibus à Lucretio petitis. Scripſit & Baptista Guarinus *de Secta Epicurea*, teſte Gaddio in *libro* ſuo *de Scriptoribus p. 219.* Sed eum nunquam videre memini, nec fortaſſis cum Gaſſendi ſcripto comparari poteſt, qui iſtâ diligentiâ omnia inquiſivit, ut nemini fortaſſis alteras curas reliquerit. Gaſſendus tamen non in omnibus amplectitur Epicuream doctrinam, aut probat, ſed in multis contra ipſam diſputat. Scripſit idem Gaſſendus libros Phyſicos, qui inter reliqua ejus Opera aliquot Tomis prodierunt, & iſtis principiis ſuperſtructi ſunt. Poſtea Gualterus Charleton Anglicâ linguâ edidit librum, quem inſcribit *Phyſiologiam Epicuro-Gaſſendo-Charletonianam, ſive Fabricam ſcientiæ naturalis, ex hypotheſi Atomorum, fundata per Epicurum, reparatam per Gaſſendum, auctam per Charletonum*, quo in libro, Lond. A. 1654., in fol., excuſo totum Syſtema Phyſicum, ad mentem Epicuri, adornat, cùm Gaſſendus ordinem Diogenis ſequutus fuerit. Sed prima tantùm ejus *Phyſicæ* pars Generalis, cui ſpecialia interdum nonnulla immiſcuit, in lucem prodiit; an altera prodierit, vel proditura ſit, equidem ignoro. Et fortè non prodibit, cùm, parte iſta generali ſufficienter explicatâ, in ſpecialibus rationes facilè accommodari poſſint ſubjectis. *Democritum Reviviſcentem* edidit Joh. Chrysost. Magnenus, Philoſophiam autem Epicuri cum Democritica & Theophraſtea contulit Nic. Hillius, libro peculiari, Pariſiis edito.

De Democriti ſcriptis nihil hodiè reliquum eſt, quamvis multa illum ſcripſiſſe, 6
ex Ariſtotele, Plinio, aliiſque Scriptoribus, conſtet. Quare adeò ſecuri eſſe poſſumus de ejus principiis, nec determinare nobis licet, an illa cum Epicureis omni ex parte conveniant. Nos, ex aliorum tantùm traditionibus, Democriti mentem & ſententiam colligimus, qui fortaſſis non rectè ceperunt illam, aut non ſatis bonâ fide interpretati

pretati ſunt. Uni certè Ariſtoteli, qui aliquoties contra ipſum diſputat, fidem habere nolim. Ejus enim fides, ut in ceteris Autorum antiquorum cenſuris, etiam hîc ſuſpecta eſſe debet. Extant tamen in Bibliothecâ Regis Galliæ, & aliis quoque, quædam MSS., quæ Democriti nomen in fronte ſcriptum habent, & de arte χρυσοποιητικῇ agunt. Quædam eorum, Latinè à ſe verſa, Domin. Pizimentius Patavii *in 8vo* edidit. Quædam etiam Ant. Mizaldi *Centuriis Secretorum* ſunt adjecta. Sed illa ſuſpecta habent plerique, inprimis Salmaſius *ad Solinum*, in *Exercitationibus* ſuis *Plinianis*, qui, datâ occaſione, aliquot ex illis loca deſcripſit. Titulos librorum recenſent Phil. Labbæus *in Bibliothecâ MSStorum Regis Galliæ*, & Thom. Reinesius, aliquam iis fidem habens, in *variis* ſuis *Lectionibus*, tùm & Ol. Borrichius in *Hermetica Ægyptiorum Sapientiâ*, libro, quem nuper adverſus Conringium ſcripſit, qui genuinos eſſe Democriti libros non veretur aſſerere *pag. 68. 69. 70. 71. 72. 73.* Cujus argumenta illic legi poſſunt. Multa etiam ille collegit ex antiquis Scriptoribus de Democriti experimentis, quæ non obſcurè innuunt, hujus argumenti Democritum nonnulla ſcripſiſſe. Operationibus Phyſicis illum incubuiſſe ex multis Autorum locis patet. Sunt & mihi nonnulla Democriti, quæ inſcribuntur *Phyſica & Myſtica*, ſive *Arcana*, ex Codice Bibliothecæ Altenburgenſis deſcripta, ſed ea admodum mendoſa ſunt, ac multa omiſſa, præ ceteris illa Unionum artificialium præparatio, cujus meminit Salmaſius *in Exercitationibus ad Solinum*, quæ formula in iſto Exemplari non reperitur.

7 Jam, ut ad principia Philoſophiæ Democriticæ redeamus, ea conſtant Atomis & Inani. *Atomi* autem ſunt Democrito & Epicuro corpora individua, quæ ita feruntur in infinito inani, ut concurſionibus inter ſe cohæreſcant & efficiant, quæ gignuntur, omnia. Sunt autem Atomi non ita inſectiles, ut omnis omninò extenſionis ſint expertes, non ſunt puncta Mathematica, ſed Phyſica, & tota illa Diſputatio inepta eſt & Sophiſtica, quæ ſolet à Peripateticis contra exiſtentiam Atomorum adduci. Illa enim diviſio in infinitum, quam illi concipiunt, & Atomis opponunt, cum rerum naturâ pugnat, quæ neceſſariò in minimo aliquo ſubſiſtit. Quare & inepta eſt altera illa quæſtio: *Utrum Atomi ex punctis conſtent Mathematicis?* quam ſolidè refutat J. Bapt. du Hamel *de conſenſu vet. & nov. Philoſophiæ, lib. 1. c. 8.* Quicquid ſit, res tandem in inanes & Mathematicas ſpeculationes deducitur, quibus ſua illa relinquenda ſunt principia, ad demonſtrandas rerum quantitates, at illæ non pertinent ad minima Phyſica, quæ ſi tu minora adhuc animo concipere poſſis, ulteriusque dividere, nullâ ratione hoc ad Phyſicum pertinebit. Ut jam explicent, quomodo inter ſe vinciantur Atomi, varias earum figuras, ſitum, ordinem, magnitudinem, motus, comminiſcuntur. Carteſius autem planè depingit & delineat, quasdam enim rotundas, quasdam quadratas, quasdam alterius figuræ, facit, quod non omninò à rei veritate abhorret, & probare penè licet in minimis corpuſculis ſalium variorum. Ut jam demonſtrent, quibus vinculis connectantur, multa comminiſcuntur, quæ nullâ adeò demonſtratione, ſed quibusdam conjecturis nituntur, leves Atomi aliarum angulis implicantur, ramoſæ particulæ firmius cohærent, quibus conſtare faciunt corpora

ſolida.

ſolida. In quibus ſingulis explicandis multa quidem ſubtilitas eſt, quæ tamen non uſque videtur rem omnem conficere. Nam certè alia debent quædam latere, quæ non expediri poſſunt ſolà iſtâ Atomorum compoſitione: Generationes rerum fieri transpoſitionibus partium, additionibus & detractionibus, docent, quæ ex ſemine prodeunt. Sic plantas additione formari arbitrantur, cùm parva ſeminis moles, quicquid invenit ſibi ſimile, ſibi conciliat, & fermentationis beneficio in ſuam commutat naturam. Quæ omnia dici quidem ita poſſunt, ſed profectò nondum ſatis explicari. Omnes porrò qualitates non niſi Atomorum quædam effluvia ſunt Epicuro. Illud verò neſcio quomodo fatuum eſt & profanum, omnia illa corpora produci ex fortuito quodam Atomorum motu, cùm ubivis neceſſitatem ſummam videamus. Alterum Democriti principium eſt *Inane*, vel Vacuum, idque eſt, vel patens illud infinitum, vel diſperſum, & quodammodo in rebus diſſeminatum. Vacuum admitti debere in naturâ exiſtimant hujus Hypotheſeos aſſertores, quoniam motus corporum ceſſaret, ſi omnia plena corporibus eſſent. Probant iidem vacuum ex rarefactione & condenſatione, de quibus *in Cap. de Vacuo* pluribus agemus. Principia itaque hujus Philoſophiæ ſunt infinitæ Atomi, & infinitum Inane. Atomi, ſecundum Epicureorum ſententiam, compingi in unum corpus non poſſunt, niſi virtute illius Inanis infiniti.

Adverſus has Epicureæ Philoſophiæ Hypotheſes pereruditam Diſſertationem ſcripſit JOHANNES FRANCISCUS GRANDIS, ipſique hujus Philoſophiæ propugnatori, Gaſſendo, inſcripſit, inter *varias* ejus *Diſſertatt. Philoſ. & Criticas*, Pariſ. A. 1658., *in 4to* editas, primo loco obviam. Atque primus is oſtendit, infinitatem Atomorum & vacuitatis à Lucretio, non citra inſignem paralogiſmum, conſtitui, & contra mentem Democriti, qui per infinitum illud ipſum Deum intellexerit, non verò, quemadmodum recentiores Epicurei, ſpatium aliquod inane, in quo moveri & compingi corpora naturalia poſſint, atque adeò majora corporum naturalium Syſtemata, ſive Mundi. Tale verò infinitum Inane per ipſam rationem & naturam dari non poſſe, ex intimiore Philoſophiâ illic diſputat, & concipi tale quid non poſſe ſtatuit, imò pugnare ejus conceptum cum mente oſtendit. Multò minus hæc infinitas locum habebit, ſi & Atomorum infinitas accedat. Nam illa infinitas quomodo adæquabit infinitatem ſpatii, cumque utrobique principia ſua ſint & fines, quæ repugnant infinito, quomodo iſta infinitas fingi aut concipi poteſt? Nullus itaque motus fieret, quoniam motus omnis terminos habet, tùm à quo, tùm ad quem. Principium verò hîc ubi, vel in quo, ponendum eſt, ſi vacuum hoc & inane ſtatuatur. Namque in ipſo, ut planè nihilo, nulla cauſa eſſe poteſt, quæ moveat, atque ita illud Inane corpus eſſe deberet, in vacuo verò quies potius perpetua eſſet, quàm motus. Nulla enim illic actio, nullus impulſus, atque ita iners & otioſa eſſet tota rerum natura. Inane enim, quà Inane, nec gravitatem habet, nec levitatem, neque ſurſum, neque deorſum importat, atque adeò ab omni locorum differentiâ alienum eſt: ac proindè motûs, qui omnis localis eſt, cauſa exiſtere nequit. Quòd verò exiſtimant illi, absque vacuo

motum nullum eſſe, ejus planè contrarium verum eſt. Nam, quando corpus loco movetur, illud proximum expellit; hoc rurſum aliud protrudit, donec motu quodam circulari locus à primo corpore derelictus, ab altero occupetur. Rem illam eleganter demonſtrat Carteſius exemplis Globorum in orbem diſpoſitorum, & explicatius, ad mentem Carteſii, proponit DAN. LIPSTORPIUS in *Speciminibus* Philoſophiæ Carteſianæ. Quod attinet Vacuum, rebus interſperſum, ſuis etiam difficultatibus laborat. Nam ſolent afferri hîc quædam ſpecimina, quibus ſuam ſententiam ſtabilitum eunt Vacui propugnatores; de quibus inferius pluribus agemus; nam hîc iſta alieno loco proponentur; in ipsâ autem Tractatione affectionum naturalium convenientius in medium adducentur. Ex rarefactione & condenſatione iidem Vacui experimenta ſumunt; quæ res majori difficultati ſubjacet. Oportet enim in rarefactione & condenſatione attingere ſe particulas propius & rurſus diſcedere; in iſtâ verò receſſione admittenda ſunt quædam ſpatia, quæ non ſint plena particulis iſtius corporis, quod dilatatur. Atque hodie machinam aliquam invenit ROBERTUS BOYLIUS, quâ aërem pro lubitu rarefacere poteſt; atque adeò ad numerum, menſuram & proportionem. Sed de his inferius agemus. Quod infinitum illud inane attinet, hoc, uti diximus, impugnat Joh. Franciſcus Grandis, atque à Democrito ait longè aliud quid denotatum fuiſſe, ipſum ſcil. Deum; quâ ratione mentem æthercam illam & Spiritum, de quo adeò multa Platonici, per hoc intelligendum, aſſerit. Id multis Philoſophorum teſtimoniis confirmat, ipſius præcipuè Democriti, ex Clemente, juxta Euſebium *de præparatione Evangelicâ lib. 13.* Quocum eadem ſenſit Hippocrates, coætaneus Democriti. Ipſum Lucretium ſibi contrarium adducit, qui ultra Atomos & Inane, tandem tertiam aliquam naturam, ipſius veritatis neceſſitate coactus, ſtatuit, lib. 2. ſcribens:

Denique cæleſti ſumus omnes ſemine oriundi:
Omnibus ille idem pater eſt, unde alma liquentes
Humorum guttas mater cum Terra recepit.
Fœta parit lætas ſegetes, arbuſtaque læta,
Et genus humanum, &c.

9 Atque ita Autor ille de hoc Inani Epicureo judicat; à quo tamen abire videtur HENRICUS MOHRUS, in *Enchiridio* ſuo *Metaphyſico, part. 1. c. 8. num. 3., ſive de rebus incorporeis ſuccinctâ & luculentâ Diſſertatione*, qui quaſi mediam ſententiam amplectitur. Is ſcil. toto illo libro hoc agit, ut demonſtret experimentis naturalibus, è totâ rerum naturâ petitis, eſſe aliquid Extenſum immobile, à mobili materiâ diſtinctum, non imaginarium quiddam, ſed reale ſaltem, quod ſcil. non ſit corpus, ſed tamen reale aliquid & extenſum, quod ille ſpiritalis naturæ vel divinæ etiam eſſe aſſerere non veretur, inque hunc ſuum ſenſum Democriti ſententiam rapit, qui principia duo vera ac realia ſtatuat, Atomos & Inane, reliqua verò omnia non res eſſe, ſed apparentias tantùm in ſenſibus noſtris excitatas. Rurſum ex Diogene Laërtio adducit locum, ubi Epicurus vacuum & locum vocat naturam intangibilem, vel ut ille interpretatur,

pretatur, incorpoream; ideoque ſecundum Epicureorum ſenſum, per illud inane intelligit naturam aliquam ſpiritalem. Quæ tamen iſte ſecundum ſenſum interpretatur. Omnes enim principium illud alterum Epicureum non aliter, quàm ſub ratione privationis alicujus, aut nihili, concipiunt, eſtque in eâdem ſententiâ Lucretius, cujus manifeſta adduci poſſunt teſtimonia. Adducit quoque teſtimonium Pythagoræorum ex Ariſtotele, qui ſpatium tale vacuum deſcribunt, quod ex infinito eſt ſpiritu, totumque univerſum permeat, ſic ut reſpirare mundus dicatur in hoc ſpatio. Verùm, cùm, nec librum, nec caput, apud Ariſtotelem, nominet, non habemus, quod de illo judicemus. Si ejus ſenſum ſequeremur, facilè cum ceteris conciliare hanc doctrinam Epicuream poſſemus.

Pergit Joh. Franciſcus Grandis, atque, ultra tertiam hanc naturam, à Lucretio conceſſam, quartam adhuc ab eodem concedi oſtendit contra Gaſſendum, qui iſta Lucretii loca, ſtudio an caſu, in *Philoſophiâ* ſuâ *Epicurea* omiſit, *lib. 3.*

Quarta quoque his igitur quædam natura neceſſe eſt
Attribuatur, ea eſt omninò nominis expers,
Quâ neque mobilius quicquam, neque tenuius, exſtat.
Inde calor, motus, & venti cæca poteſtas
Accipit inde aër, inde omnia mobilitantur.

Quibus ex verbis patet, absque naturâ aliquâ impellente & movente nihil fieri in naturâ, quo tamen principio communis illa Epicurea Philoſophia deſtituitur, quæ præter Inane & Atomos nihil agnoſcit. Illas Atomos dicunt eſſe æternas & increatas, quas creatas tamen eſſe, ex conceſsâ Atomorum figurâ probatum it Grandis. Harum Atomorum motus fortuitus eſſe ſtatuitur ab Epicureis, unde omnia proveniant corpora, eorùmque viciſſitudines & alterationes. Sed nec fortuitus motus poteſt eſſe à ſe ipſo, aut ab Inani illo, ac ſi eſſet, res ſtatas & definitas omnibus ſuis numeris perficere non poſſet. Atomos iſtas, non ſpecie, ſed figurâ duntaxat, poſitione, motu & pondere inter ſe differre ſtatuunt, quod rerum varietati & generationi explicandæ non ſufficere, rectè ait Hamelius *de conſenſu veteris & novæ Philoſophiæ, lib. 1. c. 8.* Porrò illa Atomorum ab Epicureis ſtatuta *συμπάθεια*, vel nihil dicit, vel aliquam Atomorum, ratione actionis & paſſionis, differentiam arguit, quod à diverſis eſſe principiis patet. Joannes Alphonsus Borellus, in *libro ſuo de motu corporum*, cùm in varias partes verſaſſet doctrinam de motu, ſuper particularum principiis fundatam, quò ſe vertat, neſcit, niſi ſtatuat, inter particulas inertes & materiales alias particulas vividas, ſpiritales, impellentes, & vi movendi præditas. Ideoque tandem omnibus iſtis, qui ex corpuſculari Philoſophiâ omnia ſe naturæ miracula explanata dare poſſe credunt, ad naturam aliquam ſuperiorem, principium ſpiritale, confugiendum eſt, ſine quo humano intellectui actiones naturæ concipere impoſſibile plane eſt. Quod palmarium itidem argumentum eſt Johannis Franciſci Grandis, qui toto illo libro ſuo demonſtrare laborat, illum ab Epicureis confictum Atomorum motum per rerum naturam nullum eſſe poſſe. Primò enim, propter infinitatem & ſolidatem Atomorum,

ab Epicureis ſtatutam, nullum poſſe eorum motum fieri aſſerit. Ex naturâ enim infinitatis & ſoliditatis Atomorum concurſionem nullam, nullum earum fluorem, nullum pondus, poſituram nullam, dari poſſe evincit, adeoque contra Epicureos non contemnendis rationibus, & quæ Mathematicam ſapiunt demonſtrationem, probat, ex ipſis eorum hypotheſibus ſequi immobilitatem potius Atomorum, quàm mobilitatem. Ulterius illud, ex diſcuſſione ſpecierum motus, quas Atomis ſuis tribuunt Epicurei, elicitur. Alias deorſum moveri dicunt, & ad perpendiculum, alias per declinationem, alias ſurſum per motum impulſionis. Primus ille motus ratione ponderis eſt, alter per compulſum alterutrius Atomorum, & tertius quaſi inter illos medius. Ex iſtis motuum ſpeciebus varios iterum ſpecialiorum motuum modulos comminiſcuntur. Motui deorſum ſubjiciunt transpoſitionem, acceſſum, ablationem, inceſſum, detritionem. Atque iſta princeps motuum ſpecies eſt Epicuro, quâ motum corporibus impertiri ſtatuit, & Lucretius hinc ait:

Quod vacuum per inane deorſum cuncta ferantur.

Motui ſurſum, qui à percuſſione fit, ſubjiciunt contrarium concurſum, receſſum, refluxum, ſive reflexionem, compulſionem, appoſitionem, permutationem, ſupraadjectionem. Ex utriusque hujus motûs ſurſum & deorſum ſpeciebus fieri mundum autumant. Heraclitici apud Laërtium ſimilitudinem ducunt à corpuſculis illis minimis, quæ in ſole obſervamus, ſurſum deorſum motis, quod puerile admodum ad rem illam confirmandam argumentum eſt. Tertio motui mixto & obliquo ſubjiciunt concretionem, condenſationem, Synodon Atomorum, complexionem, affixionem, colliſionem, coacervationem, cum ſc. caſu Atomi ſunt compactæ in has, quas cernimus, formas. Cùm verò plus aut minus ſpatiolorum intercipitur, oriuntur illæ qualitates Atomorum. Cùm verò parùm, & citra magnam inclinationem, coaleſcunt, hinc oritur poſitio & fixio; ſi major ſit inclinatio, tumores & configurationes oriuntur. Atque hunc declinationis motum omnium compoſitionum naturalium, ſive generationum, principium ſtatuit Epicurus. Lucretius perplexas atomos vocat. Contra totam hanc philoſophandi rationem elegantiſſimè, &, ut puto, ſolidiſſimè, diſputat Cic. *lib. 1. de finibus*, qui locus, quoniam prolixior eſt, illic legi poteſt. Rectè Cicero rem totam pueriliter fictam judicat, &, ſi verum fateri velimus, multum illis dogmatibus fortè ſubtilitatis ineſt, parùm veritatis. Et, quanquam tales Atomorum motus, minimarumque particularum fluxus dentur in rerum naturâ, (ut ſecundum principia Epicurea dari non poſſunt, dari autem poſſe in naturâ, ſeu mundo, jam conſtituto, nihil repugnat,) ex iſtis tamen Atomorum fluxibus & repercuſſionibus univerſum hoc conſtituere ineptum eſt, & nullâ veri ſpecie demonſtrabile. Velim enim concipiat mihi aliquis iſtud Inane Epicureum infinitum, ſeu longitudinum, altitudinum & latitudinum, infinitatem quandam, quanquam nec ita loqui liceat, cum illæ Quantitatum finitarum affectiones ſint, quem in illo finget mihi motum ſpontaneum Atomorum primò deorſum, cùm in infinito iſto ſpatio nihil ſit, quod ſurſum & deorſum dici poſſit, ac Termini iſti relativi ſint, ac modi rerum, ex ſitu, tantùm reſpectu

noſtri,

noſtri, rebus impoſiti. Quomodo reflectent ac reſilient, cùm quælibet Atomus ex ipsâ doctrinâ Epicureâ vi propriâ *non poſſit ſurſum ferri*, *ſurſumque meare*, quæ verba ſunt Lucretii ? Quomodo itaque impellet retrò, ſi vis nulla eſt ſurſum meandi. Illa enim ſurſum-motio fieri debet per impulſum rei, ſe non ſurſum ferentis ; quæ quomodo inter ſe conſtare poſſint, demonſtrari nullatenus poteſt. Vim hujus ratiocinii eleganter ob oculos ponit Cicero *in lib. de fato*, qui locus legi præ ceteris meretur.

Magis ridicula eſt, quæ ex ipſis principiis deducitur, feralis rerum aliqua neceſſitas & fatum, cujus cauſa omnis in Atomis Epicuro ponitur. Hinc animi etiam eſſentiam & virtutes omnes compingit, & artes in homine, quâ inſaniâ temerè majorem eſſe non dixerim. Triumphant tamen apud multos perniciosa hæc dogmata, vanâ ſubtilitatis ſpecie imponentia hominum animis, quæ lubentes accipiunt novaturientes, & qui in parte gloriæ ponunt, divina omnia ſpeciosè in dubium vocare, immortalitatem animæ impugnare, dæmones pro ludibriis ſenſuum habere, quales ſententiarum rivuli ex Epicurea hac Camarinâ promanant. Et hæc tamen Philoſophia, ut evidentiſſimam, ſe jactat, quia ſenſibus ſuperſtructa eſt; cùm tamen, ſi rem perpendamus, ex ipſis illis Epicuri principiis pateat, non tàm in ſenſu, quàm in vanis & quibusdam imaginariis hypotheſibus, eam Philoſophiam poſitam eſſe. Quando enim de naturâ Atomorum diſſerunt, nullas Atomis ſuis qualitates aſſignant; neque enim ignis ſcintillis, neque aquæ guttis, neque auræ bullis, &c. ſimiles ſunt, neque calidæ aut frigidæ, aut denſæ vel raræ, ſed omnes ejusdem ſpeciei: quod certè, ſi imaginarium non eſt, non video, quid ita vocandum ſit; & magis certè eſt, quàm materiæ & formæ reliquorum Philoſophorum. Res certè ipſa inexplicabilis & abſurda eſt, quod & Hamelius *loco ſuprà citato* ait. 11

Atque hæc penè ſunt iſtius Philoſophiæ dogmata, quæ tamen degeneraſſe à veteri iſta Democritea etiam ego dixerim. Non enim usque adeò tota illa abſurda eſt, quin magnam obtineat vim in demonſtrandis affectionibus quibusdam naturalibus, quarum ratio ad ſenſum manifeſtiùs patet ex doctrinâ corpuſculari. Retinere itaque corpuſcularem hanc Philoſophiam poſſumus, & cum utilitate maximâ in explicandis rebus, modò abſcindamus ſtultas illas & profanas Epicuri ſententias. Quomodo tractavit eam Gaſſendus in *Phyſicis* ſuis, ubi proponit quidem Epicuri ſententiam, ac, quæ defendi poſſunt, defendit, ſed ita, ut refutet Epicuri profana dogmata: *primò*, quòd non detur alia natura incorporea, præter inane, (*Phyſices Sect. 3. memb. 2. lib. 14. c. 3. & ſect. 1. lib. 4. c. 34.*) 2. quòd infinitos mundos ſtatuat (*Sect. 1. lib. 1. c. 2.*) 3. quòd Mundus ſit æternus, (*ibid. lib. 4. c. 5. & 6.*) 4. quòd Deum faciat naturæ corporeæ, nec curare res humanas ſtatuat, *ſect. 1. phyſices*, *lib. 4. c. 2. 3. 4. 5. 6.* 5. quod ex nihilo nihil fieri, vi etiam divinâ, neget, *ſect. 1. lib. 3. c. 1. & lib. 4. c. 5.* Si quis dogmata Epicuri in compendium contracta velit, legat *Syntagma Philoſophiæ Epicureæ*, à Gaſſendo ſcriptum. Nobis, ut dixi, utilis eſſe doctrina illa poteſt in explicationibus multis phænomenorum naturalium; nec tamen in Atomis, velut in principiis, conſiſtere poſſumus, cùm & ipſa illa minima naturalia Elementa ſua habeant. Si enim e. g. in 12

minutiſſimas partes aurum quis diſſolveret per artificium chymicum, minutiſſima tamen ejus particula adhuc compoſita erit, & ex diverſis quibusdam principiis combinata. Similiter in minutiſſimâ lactis particulâ ſerum erit & coagulum. Atque ita certè in omnibus corporibus naturalibus minutiſſimis diverſitas quædam principiorum adhuc dari poterit, ut in ſimplicibus iſtis particulis minimè ſubſiſtere poſſimus, ac pro veris principiis illas agnoſcere. Illas verò fingere ad ingenium Epicuri, meræ notionis res eſt, non naturæ.

13 Aſſumunt hodiè, qui philoſophantur circa res naturales, è Democriti & Epicuri ſchola, particularum principia. Accepit ea etiam Carteſius, non tamen, ut unicè ſuper his Philoſophiam ſuam fundaret; quanquam & in multis conveniat. Nemo tamen hanc doctrinam ſubtilius & plenius executus eſt illo, de cujus principiis ſingulari capite infra videbimus. Angli in Experimentis ſuis ubique iſtam Atomorum doctrinam profitentur, quanquam incertum adhuc ſit, quæ ſtatuant principia, neque unum omnes ſentiant; ſed obſervant tamen hanc ſenſûs in rationibus naturæ methodum, & φαινόμενα naturæ, quâ poſſunt, perſpicuitate ob oculos ponere laborant. Sed ut hæc ſe belle habeant omnia, unico iſto deficiunt omnes, obſcuro iſto, incognito iſto, quorſum non penetrant Lyncei iſti oculi; Ideale dico illud, formale illud, τὸ θεῖον, quod in naturâ eſt, quod ſupponendum tamen neceſſariò. Nam in nudis particulis omnium rerum cauſas ſufficientes nunquam daturi ſumus; quod benè perſpexit Verulamius, ſagaciſſimus rerum naturalium ſcrutator, qui in particulis illis Philoſophiæ naturalis principia non poſuit, & præ illis Peripatetica potius amplecti voluit. Satis intelligens, quâ erat mentis perſpicacitate, animum tamen ſaturari non poſſe his rationum quaſi nebulis quibusdam; quanquam & in vulgaribus illis non diſtinctas etiam principiorum notiones habeamus. Interim tamen ſubtiliſſima utiliſſimaque illa eſt de corpuſculis doctrina, cui, velut naturæ cortici, inhærere tantiſper poſſumus, donec interiora rerum doceamur. Præ ceteris legi ſuper hoc argumento poſſunt, quæ ſingulari nuper libro propoſuit inſignis ille per ἐμπειρίαν Philoſophus Robertus Boylius, in *Exercitationibus ſuis de Athmo-Sphæris corporum conſiſtentium, deque mirâ ſubtilitate, determinatâ naturâ & inſigni vi effluviorum*, aliaque ejus viri ſcripta, quæ in manibus omnium verſantur. Is enim præ omnibus ita contemplationem experimentis junxit, illam ſuper his fundavit, hæc ex illâ confirmavit, ut meritò ſociorum ſuorum Antesignanus habeatur.

CAP. VIII.

DE PRINCIPIIS SECTÆ STOICÆ PHYSICIS.

§. 1. Philoſophiæ Stoicorum Moralis Scriptores, Epictetus, ejusque Commentatores, Arrianus & Simplicius, à Cl. Salmaſio, & M. Antonius Imp., à Thoma Gatakero, inſigniter illuſtrati, Caſp. Scioppius, Ant. le Grand, Univerſæ autem illorum

rum Philoſophiæ, ac Naturalis inprimis, Juſtus Lipſius. 2. *Philoſophemata Stoicorum de Rerum Principiis (Deo ac Materia,) Corporum Mutationibus & Motu, Vacuo, Mundo, ejusque ἐκπυρώσει.* 3. *De Sole Igneo, Aſtris, Igne, Aëre, Oceano, Terrâ, Ventis, Mundo, ejusque Interitu.* 4. *De Homine Μικροκόσμῳ, Meteoris, Animâ, Intellectu Tabulæ raſæ ſimili, Senſibus, Voce, Diſcrimine inter Animas Stultorum & Sapientum poſthumo, Animæ, quod ignea ſit, in Undis Interitu (de quo Jac. Thomaſius & Pet. Laſena ſcripſere,) Sextoque Senſu, titillatione ſcil. venerea (de qua idem Thomaſius.) Pietas doctrinæ illorum de Deo commendatur.*

STOICÆ *Philoſophiæ* (r) nihil reſtat, niſi quæ ex Plutarcho, Stobæo, Senecâ, 1
Scriptoribus de vitis Philoſophorum, ut lacera Hippolyti membra, in unum corpus colligimus. Plura tamen ejus Philoſophiæ, quantum ad moralia ſpectant, reſtant, quæ ſuperſunt in Epicteto, cujus *Enchiridion* optimis notis expoſuit ARRIANUS, Græcè Latinèque editum Genevæ, A. 1594., *in octavo*, & Romæ à Lucâ Holſtenio, nec non SIMPLICIUS, in quem, & Epictetum ipſum, extant uberrimi Commentarii Salmaſiani. Idem Salmaſius *Exercitationum de Philoſophiâ Stoica, in Simplicium & Epictetum, partem alteram*, cum *Prolegomenis* uberrimis de manuductione ad eandem Philoſophiam, affectam habuit, teſte Craſſo, in *Elogiis hominum literatorum*, *in Elogio Salmaſii*, *Tomo 2. p. 211.* Extat & MARCI ANTONINI, Imperatoris liber *de rebus ſuis*, (τῶν εἰς ἑαυτὸν) ad ſe ipſum Græcè ſcriptus, plenus morali doctrina Stoicorum, ſcriptum planè aureum, inque eum aureus planè *Commentarius* THOMÆ GATAKERI, Cantabr. A. 1652. in 4to excuſus, quem ego promptuarium veteris doctrinæ moralis non immeritò appellare poſſum, adeò diligenter ſententias Antonini, è Stoicorum ſcriniis depromptas, cum ceteris Philoſophis contulit, non quidem, ut longas de iis diſputationes inſtitueret, ſed breviter tantùm teſtimonia adduceret, quæ hunc fundum occupaturo mirificè prodeſſe poſſunt. Præmiſit *Diſſ. de diſciplina Stoica, cum ceteris Sectis collata*, & var. LL. in margine notavit. In eundem poſt Gatakerum & Mericum Caſaubonum (cujus Editio, cum Notis adjectis, *in 8vo* prodiit,) Salmaſius quoque *Commentarium* editurus erat, referente eodem Craſſo, *loco citato*. Idem quoque, ſub Elogio Dan. Heinſii, *Tom. 2. p. 219.*, eum de Stoica Philoſophia ſcripſiſſe teſtatur, quem tamen librum non vidi. Scripſit & CASPARUS SCIOPPIUS *Elementa Philoſophiæ Stoicæ Moralis*, exiguum libellum, qui editus eſt in 8vo A. 1606. Moguntiæ, de quo multa jactitaverat apud Patrem Paulum Servitam, ut habetur in *vitâ ejus*, à Fulgentio ſcriptâ *Editionis Gallicæ p. 193.* Sed is moralia tantùm attingit, & Juſti Lipſii eſt Epitomator. Legi etiam poſſunt, quæ circa doctrinam de affectibus ſcripſit, è mente Stoicorum, ANTONIUS LE GRAND, in libro Gallico: *l'Homme ſans Paſſions (Homo absque affectibus.)* Sed iſta, quoniam noſtri fori non ſunt, omittimus. Præ ceteris Philoſophiam omnem Stoicam, ac totam Phyſio-

(r) Confer cum hoc præcedentis *Libri I. Caput IV. de Philoſophia Stoica.*

Phyſiologiam, duobus libris complexus eſt, *Manuductione* ſc. *ad Stoicam Philoſophiam*, & *Phyſiologiâ Stoicâ*, Justus Lipsius, qui ordinatâ methodo ex Autoribus collegit omnia, atque in juſtum ſyſtema compegit. Qui labor valdè utilis eſt ad hujus Sectæ dogmata, ortum eorum & progreſſum, & quicquid eò pertinet, intelligendum.

8 Conveniunt verò dogmata Phyſica Stoicorum in quibusdam cum Platonis ſententiis. *Duo* ſtatuunt *principia*, *Deum* & *materiam*; Utrumque mundum vocant, illum intelligibilem & incorporeum, hunc corporeum, illum cauſam efficientem, hunc patientem. Illum naturam etiam vocant, & quidem potiſſimùm, quæ continet mundum omnem, eumque tuetur ſummâ ratione. Hunc Animam etiam mundi dicunt, mentem ſapientiamque divinam corporibus omnibus immerſam. Solet & ipſe mundus Deus Stoicis vocari. Breviter: id ſtatuerunt, Deum eſſe omnia, & in omnibus, unde & animam noſtram *divinæ auræ particulam* vocarunt, quaſi Dei, ſeu mundi intelligibilis, vel animæ hujus mundi (ea enim illis ſunt Synonyma) ἀποτομὴν; quam ob cauſam Voſſius monet, Chriſtianis non licere eâ uti deſcriptione Animæ rationalis, ut quæ principia hæc Stoica præſupponat. Alterum principium ſtatuebant *materiam*; eamque æternam, quæ nec augeatur, nec minuatur, cujus ſectio in infinitum fit, nec tamen ipſa infinita, ſitque continua. Tertium quoque principium Idearum eos agnoviſſe Lipſius negat, contra eos, qui id exiſtimant. Cùm enim Deum ponant, quid opus ideas ponere, quæ ſunt in Deo? Mutationes & alterationes corporum continuis converſionibus fieri exiſtimant; ita ut primum Elementa vulgaria illa inter ſe transmutentur; Reliqua corpora miſta ajunt per generalem transmutationem Elementorum & corporum fieri. Converſio rerum vel æqualis eſt, vel inæqualis, vel perpetua. Quare diſtinctionem faciebant inter compoſitionem, miſturam, temperamentum & confuſionem, quas omnes ſpecies ſecundum certos gradus, ac materiarum naturas diſtinguebant. De motu corporum eadem penè ſentiebant, quæ Epicurei; primos motus faciebant, rectum & obliquum, unde reliqui generentur. Motus verſus centrum eſt, quem illi omnibus corporibus, inprimis ponderoſis, adſcribunt, levia etiam corpuſcula ad ſuum centrum properare ajebant: Mundum in vacuo librari exiſtimabant, animal eſſe ſtutuebant, ſenſu & ratione præditum. Mundum ab univerſo diſtinguebant, univerſum enim eſſe cum vacuo infinitum putabant, totum ſine vacuo mundum. Unde eorum effatum hoc à Plutarcho exagitatum eſt, *univerſum corpus non eſſe*. Ideoque illi per univerſum intelligunt id, quod inane vocant Epicurei. Epicurei quidem laxè & ubique rebus mixtum aſſeruere; Stoici verò reſtrictius, in mundo nihil eſſe vacui, extra verò eum infinitum illud eſſe. Cauſa illa ſtatuendi hæc illis fuit, quòd mundus in vacuum reſolveretur per ἐκπύρωσιν, ſive conflagrationem. Imò & Pythagoras ipſe, tantum vacui eſſe extra mundum ajebat ut reſpirare cœlum poſſit, eſſe enim ipſum igneum. Sed hæ fortè rationes à Plutarcho non rectè intellectæ ſunt, ſunt enim abſurdæ. Quod verò ἐκπύρωσιν illam attinet, ſciendum eſt, Stoicos magnam mundi æſtatem & hyemem ſtatuere;

hanc

hanc fieri exiſtimant per generale aliquod diluvium, illam per generalem aliquam mundi conflagrationem, quam cauſam Lipſius facit, quare univerſum illud infinitum vacuum extra mundum ſtatuerent, ut ſcil. eſſet locus, quorſum concederent particulæ mundi per conflagrationem reſolutæ.

Solem faciunt præſtantiſſimam ætheris partem, & mundanæ animæ ἡγεμονικὸν, 3
eſſe etiam igneum credunt, quoniam omnia, quæ ignis, præſtat. Ignem autem duplicem ſtatuunt: Ignem artificialem, & inartificialem. Artificialem eum vocant, qui auget res & conſervat, qualis in plantis eſt, & in animalibus, cujus generis ſolem eſſe exiſtimant. Vide, quæ nos in *Diſſertatione noſtrâ de Sole igneo* diximus, ubi, ignem illum nihil, vel parùm, differre ab ipſo igne Elementari, probatum ivimus. Nec Stoicorum alia ſententia videtur, quanquam aliqui eos ita interpretentur. Nam de aſtris ipſi fatentur, teſte Laërtio, nutriri atque ali, ſolem quidem è magno mari, Lunam ex aquis dulcibus. Sed iſta ſomnia ſunt, & judicia eorum, qui rerum Aſtronomicarum ignari ſunt. Errorem hunc refutavimus in dictâ Diſſertatione. Aërem primò frigidum vocant Stoici, contra Ariſtotelem, qui calidum eum facit. Oceanum duplicem faciunt, priorem vocant ipſum rerum magnum originalem Oceanum, qui terram ab ortu ad occaſum mediam dividit ſub ipſa Zonâ torridâ ſive æquatore: alterum, qui, ab illo ortus, eandem terræ partem mediam ſecat, ab Auſtro in Septentriones. Itaque, ſecundum illos, duplici hoc Oceano tota terra ſcinditur in partes quatuor, ſeu totidem Inſulas. Terram matrem vocant, inde generationem ajunt cœpiſſe, tanquam à centro, eam etiam animal faciunt. Seneca *quæſtionum naturalium lib. 6. c.14.*, Ventos animam terræ vocat. Hippocrates, *lib. de flatibus*, Spiritum Lunæ fundamentum, & Terræ vehiculum, vocat; an ad mentem Stoicorum, non facilè patet. Suſpicio etiam quædam eſt, alterum Orbem eis fuiſſe cognitum. Mundum, uti dixi, duplicem faciunt, quare aliquis æternus dicitur, aliquis corruptibilis; per alterum enim mundum, nihil aliud, quàm ipſum Deum, intelligere videntur. Id verò notabile eſt, duplicem eos interitum corruptibilis mundi ſtatuere, alterum per diluvium, alterum per ignem. Quâ ſententiâ ſuâ convenire cum Oraculis Scripturæ videntur. Legi poteſt *Hier. Magii* liber, quem *de conflagratione mundi* conſcripſit, quo omnes Gentilium ſententias in hoc argumento collegit. Heraclitum quoque & Epicureos eandem fovere ſententiam demonſtrat Lipſius *Phyſiologiæ Stoicæ, Diſſertatione 23.*

Hominem μικρόκοσμον primi, quod ſciam, fecerunt, quare non adeò exſibi- 4
landa eſt iſta doctrina à nonnullis, qui illam comparationem, ut futilem, rident. De Meteoris Seneca prolixè admodum egit, ſecundum Stoicorum mentem, qui ipſe potius eâ de re legatur. Animæ ſedem in corde, vel in præcordiis, ſtatuunt; animæ principem partem, Intellectum, tabulæ raſæ adſimilant, quæ omnium formarum & characterum ſit capax. Animam non in facultates, ſed in partes, dividunt, quinque ſenſus principes quinque partes vocant. Viſum vocant Spirituum, qui tendit à ſede rationis ad oculos. Auditus eſt Spiritus, qui tendit ad aures; Odoratus, qui ad

nares; Guſtus, qui ad linguam; Tactus, qui ad ſuperficies ſenſibiles rerum tendit. Sextam partem animæ conſtituunt in ſemine, ſeptimam in voce, in quâ etiam illi ideale & ſpiritale quid agnoſcunt, quod format accentus, depreſſiones & elevationes, ſimilesque figuras vocum, imò quod perſuadet. Nulla enim fit perſuaſio, niſi talis character animi & affectuum imprimatur omnibus ſermonis apicibus, mediante linguâ, quæ eundem characterem ſibi ſimilem imprimat animo audientis, ſpiritusque animales eodem motu vellicet, qui fuit inſitus iſti, qui primum pronunciavit. Legi ſuper hoc argumento poteſt CORDEMOY in libro, Gallicâ linguâ ſcripto, *de la parole* (*de verbo*). Animarum diſparem conditionem faciunt. Quemadmodum enim Terentius: *Dii boni, homo homini quid præſtat?* ita illi, animam animæ præſtare, ſentiunt. Stultorum animas non eſſe perpetuas credunt, & cum corpore interire exiſtimant. Plutarchus tamen aliter interpretatur eorum mentem; ille enim dicit, animas ſtultorum & timidorum durare quidem aliquantum temporis, ſed vagari circa corpora, & ad occurſum præſtantium & fortium animarum paveſcere, ac metuere, ne ab illis abſorbeantur, vel in aërem evaneſcant, cùm animæ hominum magnanimorum ſuâ vi ſubſiſtant. Atque iſto ſapientes præ ſtultis gaudent privilegio, quod animas habeant validas, poſt mortem ſuperſtites, non quidem æternùm, ſed per magnas mundi ætates, & vel ad univerſi hujus usque interitum, ſi animæ ad iſtum ſublimitatis gradum fuerint evectæ. Easdem animas, ut ut maximè ſint ſublimes, quoniam igneæ, ſecundum illos, ſunt naturæ, aquis perire poſſe crediderunt. Unde nihil miſerabilius Heroibus habitum fuit, quàm ſi naufragio ipſis pereundum. Ideoque maluerunt, ſub inſtans naufragii periculum, gladio perire, ut ſcil. cum ſanguine exiret anima in auras, quàm aquis ſuffocari. Qua de re integram vide *Diſputat.* Clariſſimi Viri, JACOBI THOMASII, *de morte in undis.* Sed ante illum ſcripſerat, quod fortaſſis non advertit, PETRUS LASENA, Jureconſultus Neapolitanus, *de iis, qui aquis pereunt*, integrum librum, quem laudat Craſſus *in Elogiis hominum literatorum, part. 1. p. 233.* Idem Thomaſius *de Senſu ſexto, Titillatione ſcil. venereâ, integram Diſputationem*, ſcripſit, quem Stoicis etiam ſtatui, ſupra diximus. Quod doctrinam de Deo attinet, ſi abſtrahas inde iſtam eorum ſententiam, quâ materiæ immerſum illum ſtatuunt, inter Gentiles nemo piè magis de Deo ſenſit, quod teſtari multa loca apud Senecam poſſunt. Mortalitas & interitus animarum hodieque à Socinianis ſtatuitur, quâ parte ſi rectiora ſcripſiſſent, nulla inter gentiles Philoſophiæ Secta ſpecioſior futura fuiſſet.

CAP. IX.

DE PRINCIPIIS PYRRHONIORUM ET SCEPTICORUM PHYSICIS.

§. 1. SCepticiſmum Scriptis propugnavit Sex. Empiricus, impugnarunt verò Nic. Cabaſilas & Cl. Ptolomæus. Sceptici fuere Lucianus & Academici, Socrates vero tantùm εἰρωνικῶς. Origo hujus Sectæ fuit inanis jactantia, Oratoresque illi

illi inprimis addicti. Abſolvuntur à Scepticiſmo, qui ſcientiarum imperfectionem & ineptias detexerunt, Henr. Corn. Agrippa, Nic. Cuſanus, Franc. Sanchez. 2. Abſolvuntur etiam Ren. Carteſius, Societas Regia Anglicana, aliique Moderni, dubitationem de rebus omnibus profeſſi philoſophicam, de cujus, à Joſepho Glanvil etiam defenſæ, neceſſitate diſſeritur. 3. Scepticiſmus antiquus via fuit ad Atheiſmum, nec Philoſophia, ſed Sophiſtica, ipſos ſenſus abſurde ejurans. Thom. Hobbeſius ab illo haud immunis. 4. Argumenta Scepticorum pro Rerum omnium Incertitudine, & contra Demonſtrationem, Cauſas ac Motum. 5. Senſuum παροράματα certitudini rerum non obeſſe oſtenditur, & Mar. Merſenni Tr. de Veritate Scientiarum *commendatur.*

PRocedimus ad *Philoſophiam* SCEPTICAM (*s*) veterum, cujus principia adhuc ſuperſunt in SEXTO EMPIRICO, cujus tres elegantiſſimi & acutiſſimi extant libelli, quibus omnia Philoſophorum placita in dubium vocantur, & nihil omninò certi in rebus relinquitur. Ejus Opera Græcè Latinèque edita ſunt Pariſ. A. 1601., & Genevæ A. 1621., ab Henrico Stephano. STOBÆUS quoque è veteribus Philoſophis ea, quæ huc ſpectant, collegit. Contra illos extant veterum nonnullorum Patrum Declamationes, ut teſtatur Lambecius *Commentariorum de Bibliothecâ Vindobonenſi, lib. 5. p. 212. Cod. 267.* ubi de MSS. Græcis agit. Reperitur in Bibliotheca illa NICOLAI CABASILÆ, Archi-Epiſcopi Theſſalonicenſis, Diſſertatio de *κριτηρίῳ Veritatis*, ſive de facultate & Inſtrumento judicandi, quid ſit verum, contra Pyrrhonem, Scepticorum Principem. Eſt & Claudii Ptolomæi peculiaris Tractatus *περὶ κριτηρίου καὶ ἡγεμονικοῦ, de judicandi facultate & animi principatu*, ab Iſmaële Bulialdo Græcè & Latinè editus, Pariſiis, apud Cramoyſios, *in 4to*, anno 1663., qui liber penè Titulo priori iſti reſpondet. Sed quia neutrum vidi librum, quid de iis pronunciari debeat, non liquet. In eodem illo *Codice MSto* extat ejusdem Cabaſilæ *ſolutio argumentorum quinque contra Rhetoricam, ſive artem dicendi*, quæ à Scepticis proponuntur. Fuit & LUCIANUS iſti Sectæ addictus. Accedunt etiam penè eorum dogmatibus Academici, quanquam nonnulli exiſtiment, Socratem, Academicorum principem, cùm ſcientiæ certitudinem à ſe amoveret, per ironiam tantùm hoc feciſſe, & ſcientiam diſſimulando ſimulaſſe, renunciando ſcil. iis, quæ manifeſtò ſciebat, ut eo modo, quæ neſciebat, ſcire etiam putaretur. Hanc ego Sectam à vanitate & jactantiâ originem ſumſiſſe crediderim, & notat Verulamius, *lib. 5. de augmentis ſcientiarum, cap. 2.*, eos, qui eloquentiâ floruerunt, hanc ferè Sectam ſibi ſumſiſſe, ut in utramque partem copiosè diſſerendo gloriam aſſequerentur. Unde à viâ illâ rectâ, per quam ad veritatem pergere debuiſſent, tanquam ad deambulationes quasdam amœnas, animi causâ inſtitutas, deflexum ſit. Cujus commatis etiam illa ſunt, quæ HENR. CORNELIUS AGRIPPA *de Vanitate ſcientiarum* Libro docto & laborioſo ſcripſit, quem ad Scepticos eam ob cauſam non retulerim, cùm declamationis atque oſten-

(*s*) De Scriptis, & illorum Philoſophiâ, conferatur præcedentis *Libri I. Caput VI.*

tationis gratiâ liber ille ſcriptus tantùm videatur, atque ut vitia Doctorum & imperfectionem ſcientiarum oſtendat, quod ipſe non diffitetur Agrippa. Neque etiam in recentiore Academia, quam Cicero amplexus eſt, illa incertitudo ſcientiarum pro univerſali, atque adeò ſolidâ & verâ, habita fuit, Et eo quidem ſenſu non improbandus eſt conatus illorum, qui, ad oſtendendam ſcientiarum Imperfectionem, ſimilia quædam ſcripsêre. Qui enim imperfectas dicunt ſcientias, non ideò ſtatim negant illas, ſed admonent homines de ulteriori indagatione. Extat Nicol. Cusani, Cardinalis, doctiſſimus *de doctâ ignorantiâ* liber, qui inter cetera ejus Opera, junctim edita, reperitur, quô Imperfectionem humanæ ſapientiæ, præ divina & occulta illa, demonſtrare laborat. Extat & Francisci Sanchez *Tractatus de eo, quòd nihil ſcitur*, quo Scholaſticorum ineptias exagitare voluit.

2 Similiter & Scepticis accenſendi non ſunt, qui ideò Dogmaticam veterum Philoſophiam rejiciunt, quod ipſi nolint admittere, niſi quæ ſuâ Experientiâ habeant comprobata. Scripſit Josephus Glanvil Anglicâ linguâ σκέψιν *ſcientificam*, Londini A. 1665. *in 4to* excuſam, quâ omnem doctrinam dogmaticam impugnat, eamque vanam eſſe & ignorantiæ matrem, oſtendit. Idem & conſilium Societatis Regiæ Anglicæ, nulla principia Phyſica agnoſcentis, niſi quæ Experientia comprobavit; quod vel Symbolo illo ſuo: *Nullius in verba*, oſtendit. Idem Carteſius propoſitum habuit, quam ob cauſam hæc ejus poſtulata ſunt: Omnia præjudicia exuenda eſſe, de omnibus aliquando dubitandum, quæ ejus aſſertiones inviſæ multis fuerint Theologis, præcipuè, qui Regulam iſtam, de omnibus dubitandum, ut impietatis plenam, incusârunt. Sed fruſtrà quidem illi contra Carteſium eo pugnant, quod ſenſum ejus non rectè capiant, vel capere nolint. Neque enim dubitat Carteſius, aut dubitari vult de omnibus, ut ſit in dubitatione iſtâ perſiſtendum, ſed ut ſciat, & certas concluſiones demonſtret. Nulla enim ſcientia certa eſt, niſi dubitatio præceſſerit, quæ animum in utramque partem verſat, usque dum ad certas concluſiones feratur. Quare cùm vult probare exiſtentiam Dei Carteſius, primùm dubitat de Deo. Neque enim rationes & argugumenta ejus exiſtentiæ invenientur, niſi tollamus illa, quæ dubiam faciunt ſententiam; illa autem quomodo tolli poſſunt, niſi iſta dubitatio animo concipiatur? quod certè faciendum eſt omnibus illis, velint, nolint, qui contra Atheos diſputant. Cùm enim eorum argumenta refutaturi ſunt, animô illa habere debent præmeditata. Dum igitur cogitat iſta animus, nihil determinat, ſeu dubitat, usque dum per collationes rationum certam concluſionem eliciat. Idem fatum habuit Societas Regia Anglica, non ſemel à Theologis impugnata, quòd crederent, iſta accuratiore rerum naturalium indagine detrahi aliquid myſteriis divinis, aut dubitationibus iſtis, atque incertis principiis, aliqua etiam in Theologiam derivari, quo certe falſi fuere homines, doctrinam omnem non niſi ſanctâ quâdam ſimplicitate metientes. Eos tamen, ut ad ſaniorem mentem reduceret, idem Jos. Glanvil librum ſingularem ſcripſit Titulô *Philoſophiæ piæ*, (Lond. 1671. *in 8vo.*) quo oſtendit, non adverſari religioni novam iſtam Philoſophiam Experimentalem. Sed de iſtis dubitationibus *capite primo* etiam dixi.

Sce-

Scepticorum veterum Philoſophia longè fuit alia, & revera Atheiſmum pro ſcopo habuit. Ii enim omnium, tàm naturalium, quàm moralium rerum incertitudinem profeſſi, quid aliud animo volvere potuerunt, quàm omnis religionis & virtutis contemtum; quæ perniciosiſſima dogmata etiam hoc tempore in multorum animis hærent, qui, ſub ſpecioſo libertatis cujusdam in philoſophando titulo, omnia divina humanaque pervertunt. Ex profeſſo tamen, nemo eſt, qui Philoſophiam Scepticam profiteatur. Si modò Philoſophia vocanda eſt, quæ potiùs eſt opinio aliqua inconſtans, nata ab hominibus vagis, vanis ac malitioſis. Aliqua certè ex illis principia aſſumſiſſe videtur Hobbeſius, de quibus nunc prolixius agendi locus non eſt. Si dogmata eorum excutere velimus, omnia Sophiſmatibus plena inveniemus, quibus animis imbecillis imponunt. Quæ major poteſt eſſe dementia, quàm ipſos ſenſus ſuos ejurare? Omnes enim ſenſuum perceptiones calumniabantur, unde & ſcientias ſimul evellebant, quæ ab iis pendent, cùm debuiſſent potius ſenſuum defectus corrigere, qui oriuntur, vel ex erroribus mentis, vel contumaciâ, vel pravis demonſtrationibus & modis ratiocinandi, ex perceptione ſenſuum perperam inſtitutis. 3

Rationes, quæ Scepticos movebant, ut nihil certi in rebus eſſe crederent, eæ præcipuè erant, quod multæ eſſent ambiguitates in cognitione rerum, quarum decem faciebant genera. Primum illis erat magna illa ſenſuum diverſitas in animalibus, tum quà voluptatem, tum quà dolorem, quodque non habeant æqualem omnium apprehenſionem, quod impedimentum adferat conſenſui noſtro, quem vel huic, vel alteri parti, applicamus. Homines aliqua in deliciis habent, quæ animalia averſantur; Cicuta in alimentum cedit pecori, venenum eſt homini. Secundum genus ambiguitatis illis petitur à diverſitate naturarum in homine, pro variis ejus complexionibus; unde, quod alii nocet, alii commodat; ideoque & in eo ſe conſentire ſensûs judicio non poſſe exiſtimant. Tertium genus illis ducitur à differentia Organorum ſenſoriorum. Quibusdam dulce eſt, quod aliis amarum, benè olet quibusdam, quod aliis malè; alii ex hoc loco meliùs vident, quàm ex illo. Quartum genus ducitur illis à viciſſitudine affectuum humanorum, qui mutantur ſecundum ætates, conditiones, ſtatum ſanum vel morbidum. Quintum genus illis petitur à legum & conſuetudinum diverſitate, ſecundum perſuaſiones fabuloſas, aut Philoſophorum quorundam authoritates, quod principium ſe ad moralia præcipuè extendit, honeſtum & inhoneſtum, ſummumque Bonum, de quibus ſunt variis nationibus variæ ſententiæ; quod principium utinam nec hodie multorum animos inſideret. Inſidet ſaltem magnâ parte illos, qui præclaram illam Hobbeſii Moralem & Civilem Philoſophiam profitentur. Sextum genus eſt quibusdam à diverſitate, quæ eſt inter objecta & media ſenſuum, unde iterum incertitudo. Ita Aër, vel craſſus, vel tenebroſus, vel ſubtilis, vel luminoſus, vel calidus, vel frigidus, mutat & colores & odores. Septimum genus pertinet ad diverſitatem Locorum & Situum, quam habent objecta, eorum approximationem & elongationem, quæ faciunt apparere res vel nimis grandes, vel nimis parvas, jam quadratas, jam rotundas, jam rectas & obliquas. Unde illi colli- 4

gunt, nihil etiam accuratè de illis ſenſu judicari poſſe. Octavum genus illis deſumitur à diverſâ quantitate & qualitate omnium rerum vel in defectu, vel in exceſſu, conſideratarum, unde variæ ejus ſunt operationes. Nonum genus petitur ab iis rebus, quæ accidunt contra ordinarium naturæ curſum, ut prodigia & monſtra. Unde ea dubitatio ſuboriri poſſit, annon potius eô modô ſe res habere debeant, non verò modo communi, quia illud, quod perfectum eſt, non adeò commune eſt, quàm quod imperfectum. Decimum genus illis à relationibus rerum ſumitur, quæ, quoniam ſint in rerum naturâ variæ ac penè infinitæ, impediant veram rerum apprehenſionem, adeò, ut qualitates illæ, quæ attribuntur rebus, nonniſi comparatè tales ſint, & ſaltem in modo aliquo relationis ſubſiſtant, ipſæ verò nihil Eſſentiale & Subſtantiale habeant, quæ eorum dubitatio aliquid etiam ex vero habet. In vulgari enim Philoſophia quæ de formis & qualitatibus rerum referuntur, parùm realitatis habent, ac multa inter illas nonniſi modi aliqui exiſtendi ſunt, aut Termini relativi, qui nullam in nobis ſcientiam fundamentalem, præter conceptum illum notionalem, gignunt, de quibus prolixè videatur Rob. Boylius in *libro* ſuo *de origine formarum*. Hæc penè generalia illorum ſunt dubia circa rerum apprehenſiones, unde certi nihil ſciri poſſe colligunt. Quibus accedunt etiam iſtæ perpetuæ Philoſophorum diſcordiæ in quæſtionibus & ſententiis, pro quibus tamen illi ſuo ſeculo acerrimè pugnabant, quæque interdum ab omnibus excipiebantur, quaſi extrà omnem controverſiam poſitæ, ut: Doctrina de motu ſolis, terræ, mundi æternitas, & ſimilia. Multas præterea formant ambiguitates in progreſſu quæſtionum ac ſententiarum ab unâ ad aliam, quarum non ſit finis, cùm incertum probetur per æquè incertum, ac omnia ſe invicem ſuſtineant, quorum uno negato, vel in dubium vocato, collabantur omnia. Omnia præterea Axiomata dogmatica in dubium vocant, ut adeò nullam concluſioni & demonſtrationi firmitatem concedant. In iſto verò rerum circulo & rationum reciprocatione, quarum tamen nulla certa ſit, non ſibi, quod pectus ſaturet, invenire videntur, ipſam illam adeò decantatam demonſtrationem, ejusque neceſſitatem, non agnoſcunt. Nam dicunt: Demonſtratio fit de rebus demonſtratis ad demonſtrandum, quod ſi illa fiat de rebus demonſtratis, una demonſtratio opus habet aliâ, atque ita progreſſus erit ad infinitum; ſed ſi demonſtratio fiat de rebus ad demonſtrandum, atque inter illas unum vel plura inveniantur, quæ repugnant primis, demonſtratio nulla tota erit. Denique dicunt: qui vult comprehendere demonſtrationem, neceſſarium illi eſſe, ut poſſit judicare & ſcire, quid ſit judicium. Et ut ſciatur, quid ſit judicium, ſcire debet, quid ſit demonſtratio, eaque comprehendi, ita ut unum ſe referens ad aliud, alterumque ſe ipſum non comprehendat, ideoque nulla ſit demonſtratio. Amplius dicunt, quod non poſſimus comprehendere res ſenſibiles per ſenſibiles, quoniam illæ æqualiter ſubjectæ ſunt ſenſui, neque intelligibiles per intelligibiles, quoniam illæ æqualiter ſubjectæ ſunt intellectui, quòdque h. m. non poſſit diſcerni verum à falſo. Abolent porrò etiam cauſas argutantes, quòd ſi cauſa exiſtentiam habeat, effectus quoque cauſæ habeat ſuam eſſentiam, vel ante vel poſt generationem aut corruptionem,

nem, vel durante illâ, quoque res ex eo, ſive cauſa ſit, ſ. effectus, non plus realitatis acquirat, ideoque nullam cauſam, neque effectum. Motum rebus ineſſe negant, quoniam, ſi eſſet, neceſſe eſſet rem motam ſe movere in loco, in quo eſt, vel in illo, in quo non eſt: Utrumque verò eſſe impoſſibile, quoniam res nulla ſimul poſſit moveri & quieſcere in loco, ubi eſt, quoniam eſſe in loco eſt, illic ſubſiſtere & commorari. Quòd itaque non moveatur, vel in loco, ubi ſit, vel in loco, ubi non ſit, atque ita nullus ſit motus.

Sed non opus eſt omnia iſta Sophiſmata diligentius inquirere, quæ facili negotio refutantur. Quod enim *παροράματα* ſenſuum attinet, non ea ſunt tanti, ut propterea ſenſus omnes ſint ejurandi, quandoquidem errores facilè ad regulas revocari poſſunt, ut fieri ſolet ab iis, qui circa diſciplinas, ſenſibus certis dicatas, verſantur. Qui visûs naturam explicant, abundè errores oculorum demonſtrant, ut ab illis nihil falſi metuendum ſit. Quæ circa ſonos verſatur diſciplina, proponit etiam & emendat circa illum ſenſum errata. Similiter & in reliquis ſenſibus, ſi accedat ratiocinatio, non eſt metus, cuiquam facilè ab erroribus illis imponi. Legatur Marinus Merſennus in Tractatu Gallicè ſcripto *de veritate Scientiarum*, ubi prolixè Sophiſmata iſta refutat.

CAP. X.

DE SECTÆ JONICÆ PRINCIPIIS, CUJUS AUTOR THALES MILESIUS.

§. 1. *AQuam omnium rerum Principium eſſe ſtatuêre Thales ac Jonici, & ante iſtos, uti quibusdam placet, Poëtæ ac Ægyptii, quibus Nilus terram fœcundans hujus ſententiæ præbuiſſe fertur occaſionem. Fœcunditas Ægypti non à ſolâ Nili aquâ, ſed particulis nitroſis, iſti mixtis, derivanda. Rabbinorum Commentum de Aquâ Maſculinâ & Fœmininâ, Guttaque Maſculinæ Nilum fœcundante, è Chambræi Relatione de Nubeculis Nilo incubantibus illuſtratur. Oculus Tauri (Nubecula) in Inſula S. Helenæ Tempeſtatis Prodromus. 2. Argumenta Thaletis pro ſua de Aquâ, unico rerum omnium principio, ſententiâ. Iſtam ſolam non ſufficere monetur. Reſuſcitarunt noſtris temporibus eandem opinionem Joh. Bapt. Helmontius, falſo de Chimærico ſuo liquore* Alcaheſt, *omnia in aquam inſipidam reducente, gloriatus. 3. Bernh. Paliſſy (contra quem pro alio præter Aquam principio κατ᾽ ἄνθρωπον diſputatur,) nec non Rob. Boylius & Nic. Steno, primam Gemmarum Metallorumque Subſtantiam liquidam eſſe ſtatuentes. 4. In Scrutinio Principiorum naturæ Pythagoræi & Platonici Intellectum, Ariſtotelici & Epicurei Phantaſiam, Thales autem aquam, Anaximenes aërem, & Heraclitus ignem, principium conſtituentes unicum, ſenſum ducem ſunt ſecuti. De ſingulis judicium Autoris additur.*

THA-

1 THALES MILESIUS, Jonicæ Sectæ Coryphæus, *Aquam* rerum principium (*t*) ſtatuit, Deum autem eſſe eam mentem, quæ ex aquis cuncta fingeret, ut ait Cic. *lib. 1. de natura Deorum c. 25.* Thaletem poſteà ſequuti ſunt HIPPON & HIPPIAS, ſimulque dixerunt, mundum fuiſſe à Deo conditum non ex nihilo, ſed ex illa materiâ, informi quidem, ſed æternâ. Quod etiam Moſi tribuere videtur Marſilius Ficinus. Cur verò Tales materiam univerſi dixerit aquam, rationem affert Ariſtoteles *lib. 1. Metaph. c. 3.*, quia nutrimentum omnium videtur humidum, atque *ideò* (inquit) *quidam exiſtimant, Veteres Theologos ita ſenſiſſe, qui Oceanum & Thetyn generationis parentes eſſe cecinerunt, Deos quoque per aquam jurare ſolitos.* Johannes Picus hanc opinionem ortum ab Ægyptiis habuiſſe exiſtimat, dum ex Nilo inundante fœcunditatem augurabantur. Proinde neque Hebræos, neque Thaletem, hujus fuiſſe ſententiæ Autores primos. Quoniam enim Ægyptii, ſtatis anni temporibus, Nilum terram inundare videbant, ex iſta verò inundatione proveniebant ex terrâ omnia, atque generabantur, ideò aquam hanc principium rerum crediderunt. Sed tamen ejus rei non ſunt adeò cera documenta, neque à Veteribus quicqam traditum eſt de hâc Ægyptiorum doctrinâ. Non poterant certè ex eo magis illud conjicere, quàm è pluviis ceteræ gentes, quarum beneficio propagantur omnia vegetabilia. Sed non ab ſolâ tamen aquâ generationem iſtam fieri facilè quidem ipſi potuiſſent deprehendere, ſi rem accuratius intueri voluiſſent. Illa enim fœcunditas agri Ægyptiaci, non ab aquâ ſolâ eſt, ſed à quibusdam particulis nitroſis, aquæ iſti miſtis; unde obſervatum eſt hodiè fœcunditatem illam nitro potius deberi, quàm ipſi aquæ. Elegans illud eſt, nec adeò abſque fundamento, Cabaliſtarum commentum, qui duplicem faciunt aquam, maſculinam & fœmininam. Fœmininas vocant aquas inferiores, Maſculinas ſuperiores, quo nomine pluviam & rorem, appellant. Quam ob cauſam *Baad Tobh Haarez fol. 28. Colum. 4.* citante Wagenſeilio *in Comment. in Sotam p. 308.* problema illud inſtituit, unde Nilo iſta fœcunditas, cùm ſit ſaltem aqua fœminina, non maſculina, atque reſpondet ex Rabbinis ſuis, Deum annis ſingulis, circa Solſtitium, M. Junio, dejicere guttam unam pilæ magnitudine ex aquis maſculinis in medium Nilum, quæ gutta ita ſe habeat ad Nilum, ut fermentum ad maſſam, unde omnes aquæ Nili efficiantur maſculæ, quam guttam annuam Abrahamum precibus à Deo impetraſſe exiſtimant. Quod commentum quanquam lepidum ſit, & pro more iſtius gentis confictum videatur, non fruſtrà tamen conficta eſt illa aquarum maſculinarum & fœminarum, ſuperiorum & inferiorum, diſtinctio. Ab aquis enim pluvialibus, particulis ſalinis imprægnatis, exiſtit illa fœcunditas. Quod verò Rabbini ſomniant de guttâ aquæ maſculæ, ſingulis annis, Solſtitii tempore Nilo immiſsâ, etiam id commentum

ali-

(*t*) Hiſtoriam & Examen Sententiæ de Aquâ rerum omnium Principio nov-antiquæ invenies etiam in Ad. Rechenbergii *Philoſophemate, an Aqua tantùm ſit omnium Corporum Materia & Principium primum?* Lipſiæ anno 1676. *in 4to* edito, & in Morhofii ipſius *Epiſt. de Transmut. Metallorum p. 12-28.*

aliquid ex vero habere videtur, ſi vera ſunt, quæ obſervat DE LA CHAMBRE *in libro* ſuo Gallicè ſcripto *de Incremento Nili.* Eo ſcil. anni tempore, quo inundationes fiunt, quod in Solſtitium incidit, aliquibus locis obſervatas fuiſſe nubeculas aliquas incubantes Nilo, quibus ille cauſam illam efferveſcentiæ in Nilo adſcribit. Et notum eſt, unius in nubeculæ exiguæ ſpatium ſpiritoſæ materiæ vim magnam concentrari poſſe, ut patet ex eâ nubeculâ, quam *Oculum Tauri* vocant nautæ, quæ in ſummo faſtigio montis, quem à planitie Taffel-Berg vocant, in Inſula Helenæ, primùm exhibere ſe ſolet ſereno cœlo, Oculi Taurini magnitudine vel figurâ, ad cujus conſpectum trepidant ſtatim nautæ, velut ad ſignum furioſiſſimæ tempeſtatis, quam *Orcan* ſolent appellare. Eſſet itaque iſta nubecula velut fermentum aliquod aëris, quemadmodum nubeculæ circa Nilum ejus aquæ fermentum eſſe videntutur. Sed iſta obiter.

Undecunque ergò prodierit hæc doctrina, Thales tamen eam ſententiam inter Philoſophos primus propogavit, cujus amplectendæ rationes fortè illas habuit, quia rerum generationes fiunt in humido, ac alimenta ſunt ab humido. Quas rationes prolixè adducit & exponit Verulamius in *fabulâ* ſua *de Cupidine*, quâ Parmenidis, Thaletis & Democriti dogmata examinat. Junxerat verò Thales aquæ mentem, quæ ex aquâ fecerat omnia. Sed quomodo omnia ex aquâ fiant, ſecundum ejus mentem, non eſt adeò manifeſtum. Nam oportuit, ut mens ex illâ aquâ ſecerneret omnes ſubſtantias, ad hujus mundi conſtructionem. Non enim quicquam ex nihilo fieri putavit, neque transmutationem ex materiâ ſtatuit, quam ante Platonem nemo ſententiam amplexus eſt. Quâ ratione itaque ſola aqua poſſit eſſe principium corporum miſtorum, non ſatis patet. Repugnare enim naturæ miſtionis videtur ſimplicitas, at miſtio omnis diverſa principia præſupponit. Craſſior itaque hæc & ad rudes ſenſus excogitata Philoſophia videtur, quam tamen noſtro tempore reſuſcitarunt nonnulli è Chymicorum ordine, J. Bapt. Helmontius præ ceteris, qui, in libris ſuis Medicis & Phyſicis, doctrinam illam de aquâ, omnium rerum principio, tàm rationibus philoſophicis, quàm ex Experimentali Philoſophiâ petitis, confirmare laborat. Rationes verò ejus & Experimenta incerta admodum ſunt; nam quod de Salice affert, nihil planè probat. Liquor autem ille primævus, quem *Alcaheſt* vocat, per quem omnes res materiales in aquam inſipidam reduci poſſint, tantis laudibus apud illum decantatus, quoniam nemini mortalium, qui cognitus quidem ſit, fuit oſtenſus, imo ne ipſi quidem Filio, Franc. Mercurio Helmontio, uti ab ipſo in Angliâ accepi, unquam viſus, nihil probare certi potuit. Ne quid dicam de Helmontio ſibi ipſi contrario, qui fæces è corporibus remanere aliquo in loco dicit, alibi omnem ſubſtantiam in aquam abire pronunciat. De eo prolixiùs egi in *Diſſertatione meâ de Metallorum transmutatione.* Veterum Scholæ Chymicæ inauditus ille liquor fuit, primumque à Paracelſo, Chymico novitio, ac prioribus longè inferiori, memoratus, &, ſi rem ipſam conſideres, repugnare omninò rerum naturæ videtur. Accedo certè illorum ſententiæ, qui hoc Sophiſma putant Medicum, quo novæ ſuæ doctrinæ, & gratiam aliquam, conciliare

ciliare voluerit, tàm Paracelſus, quàm Helmontius, longè iſto ſpecioſior in aſtruendis Liquoris ſui Alcaheſtici dotibus. Me quidem judice, diſtinctæ ſunt liquidarum & conſiſtentium rerum naturæ, ac, licet hæ nonnunquam per illas vinculis, quibus cohærent, exſolvantur, ut diſſipatæ oculorum aciem effugiant, nunquam tamen inter ſe commutantur, nec ab illis principia & originem trahunt.

3 BERNH. PALISSY Gallus, Figulus illiteratus, ſed ingenioſus tamen, patriâ linguâ libros conſcripſit *de natura fontium*, *metallis*, *gemmis*, ubi ex aquis omnia vult produci, aquas tamen duas ſtatuit, alteram materialem, alteram congelantem. Quæ ſi quis rectè perpendat, diverſitatem hinc principiorum agnoſcet. Quando enim duplicis generis aquas facit, neceſſe eſt, alteram illam aquam diverſum quid eſſe à priori, atque adeò non ratione aquæ, ſed ratione alterius cujusdam principii, differre à priori. Aqua enim, per ſe conſiderata, Elementum eſt, ſimplicisque naturæ. Ergo vel non eſt propria hæc locutio, ſi aqua ſtatuitur primum omnium rerum principium, vel involvuntur ſub aquâ iſtâ diverſa principia, quæ expedita tamen atque inter ſe diſtincta haberi oportebat. Non repugnabo, ſi quis aquam vehiculum omnium miſtorum corporum ſtatuat, & quaſi gluten aliquod, mediumque, quo uniuntur miſcibilia. Sed ex eâ ſolâ fieri aliquid poſſe non credo: fiet enim ex illâ vel per transmutationem materiæ, quæ ſi concederetur, quæreret alius, in quo principium commutationis conſiſteret? neque enim per ſe materia aquæ in materiam alteram abit. Si confugiant ad aliam particularum diſpoſitionem, quæram ulterius, unde iſta diſpoſitio variata? Atomi enim & minutiſſimæ particulæ corporis ſimplicis & ſingularis omnes ſibi ſunt ſimiles; ergò aliud quid accedere debet ad aliam materiam producendam. Qui nuper *de Gemmis* libellum edidit *Robertus Boylius*, gemmarum ſubſtantiam primam liquidam eſſe ſtatuit. De Cryſtallis, metallis idem ſtatuit ſubtiliſſimus *Nicol. Steno* in *Prodromo libri ſui de ſolido intra ſolidum naturaliter contento*, cujus ego ſententiam in citatâ Diſſertatione meâ prolixius impugno, *à p. 17. ad 20.* quæ huc transſcribere nolo.

4 Quemadmodum Aquam Thales omnium rerum principium, ita *Aërem* ANAXIMENES (*u*) delegit, eâdem, quà ille, ratione ductus. Nam & ipſe principium Subſtantiarum unicum ſtatuere voluit, quod eò certius eſſe putavit, quo illud univerſalius eſt, latiusque ſe extendit. Subtilius illud quidem principium Thaletis, ſed quod æquè ſenſum habet pro fundamento, atque adeò certiorem viam eligere voluit præ imaginariâ illâ ceterorum. Scil. ita cum iſtis variantibus Philoſophorum principiis comparatum eſt, quemadmodum pro varietate facultatum illarum in homine, quæ perci-

(*u*) De Anaximene, ejusque Philoſophiâ, Diſſ. ni fallor, peculiari, Ienæ edita, fusè diſſeruit celeberrimus Philoſophus pariter atque Theologus, Joh. Andr. Schmidius. Heracliti Dogmata Phyſica proponunt, & eleganter illuſtrant, Gottfr. Olearii, L. Gr. Prof. Lipſ. Diſſertt. duæ, altera *de Principio rerum Naturalium ex mente Heracliti*, anno 1697. altera verò *de Rerum Naturalium Geneſi, ex mente ejusdem*, anno 1702. Lipſiæ publicata.

percipiunt rerum naturam, habemus in nobis intelligentiam, habemus phantaſiam, habemus denique ſenſum. Qui principia naturæ ex fonte intellectûs deducunt, ad cauſas æternas, invariabiles, animum intendunt, nec tàm in internis rerum cauſis, quàm in externis, contemplationes figunt, quorum ex ordine ſunt Pythagorei & Platonici. Alter ille Ordo, qui Phantaſiam Ducem ſequitur, quaſi medius inter illos eſt, qui intellectum, & qui ſenſum ſequuntur. Cùm enim vident, eſſe in naturâ ſubtiliora quædam principia, quàm ut in ſenſus incurrant, ideò ad notiones aliquas generales, confugiunt, materiam ſc. & formam, quæ demonſtrari in naturâ nequeunt, concipi autem animo poſſunt, vel ad minutas aliquas & inſenſiles particulas, earumque figuras & motus, quæ æquè ſenſu quidem non poſſunt percipi, niſi per longinquas aliquas concluſiones & conſequentias, magis tamen ipſi fundare in re ipſa principia ſua cupiunt, quàm ii, qui generales iſtas materiæ & formarum notiones ſequuntur, quibus penè nihil aliud dicitur, quàm prædicamentis Logicis, quæ per ſe nihil realitatis habent, ſed velut Indices quidam ſunt, & rerum receptacula. Pari modo in formâ & materiâ nihil aliud eſt, quàm generalis quidam conceptus, qui fundamentum quidem in naturâ habet, nihil verò demonſtrat, neque ſcientiam aliquam in nobis gignit. Nihil enim aliud iis vocibus innuitur, quàm eſſe aliquod in naturâ principium paſſivum, quod vocatur materia, & activum, quod vocatur forma; qualia verò iſta ſint, aut quo nomine vocentur, quomodo ſe habeant ad ſe invicem, nihil per hæc principia intelligo. Qui ſenſum ducem ſequuntur, ii quatuor illas corporum maſſas præ oculis habent, quæ cùm maximam univerſi hujus partem complere vident, vel unum ex iis eligunt rerum principium, vel etiam diverſa aſſumunt, unde miſceantur. Atque ita Thales Aquam, quod maximam Globi hujus terreni partem implere videret, generarique omnia ejus operâ animadverteret, principium rerum ſtatuebat. Ita Anaximenes Aërem, Heraclitus Ignem, aliqui Terram ſtatuebant. Qui ita ponunt principia, tribus videntur ordinibus diſtingui, aliqui infinita, vel innumerabilia ſaltem conſtituunt principia, jam tùm ſpecificata, & ad ſua corpora deſtinata, quibus proinde non opus eſt alio quodam commento ad corporum diſtinctionem. Habent enim naturam, jam tùm in ipſis principiis disgregatam, quâ in ſententiâ Epicurus & Democritus, cum ſuis Aſſeclis ſunt, qui tamen magis phantaſmata ſpeculantur, ſed quæ in ſenſibus tantùm ſunt magnâ parte fundata. Secundus Ordo illorum eſt, qui plura conſtituunt rerum principia, ſenſibus obvia, corporumque diverſitatem ponunt in temperamento & miſtione, quorum ſententia quidem ceteris videtur anteferenda. Tertius Ordo eorum eſt, qui unum idemque invariabile ponunt principium, corporum tamen naturalium diſtinctionem deducunt à variatione hujus principii, figurâ, poſituque diverſo. Quâ in ſententia Thales fuit, quam tamen ſententiam, ut veritati conſentaneam amplecti non poſſumus, ob rationes, quas jam ſuprà allegavimus, præferentes opinionem illam, quæ diverſitates principiorum ſenſibilium ſtatuit. Quæ an in Elementis illis quatuor reponenda ſint, dicemus, cùm de iis ſermo nobis erit. Quod Anaximenem attinet, habuit ille validiores etiam cauſas, quàm

Thales, quas fuſius deducit Verulamius *in fab. de Cupidine pag. 656.* Ejus principia Carmine complexus eſt Scipio Capitius.

CAP. XI.

DE PLATONICÆ PHILOSOPHIÆ PRINCIPIIS, EJUS ILLUSTRATORIBUS VETERIBUS ET NOVIS, CONSENSUQUE VEL DISSENSU AB ARISTOTELE.

§. 1. *PHiloſophiam ſuam Plato à Socrate Præceptore hauſit, ſed Barbaricæ mixturâ adulteravit. Socrates Phyſica parum excoluit. Scriptores de Philoſophia Socratica, Hier. Cardanus, Joh. Lud. Balzacus & Aug. Maſcardus. Phyſica Socratica Scepticiſmo fuit affinis, non item Platonica, licet* ἀκαταληψίαν *aliquam ſtatuat. 2. Miſtura Philoſophiæ Platonicæ ex Heracliticâ, Pythagoræâ & Socraticâ, Differentia autem ab Ariſtotelicâ, ſi Ideas ſeponas, ferme tantùm Verbalis. Conciliatores utriusque Jac. Mazonius, Bernh. Donatus, Seb. Foxius, & his antiquior Georg. Gemiſtus. Platonis Apologetæ Beſſarion & Pet. Bembus. Plagium in Timæum ac Moſen falsò ei objicitur. 3. Dialogi quidam Platoni ſuppoſiti. Editiones operum ejus potiores. Commentatorum Notitia è J. Bapt. Bernhardi* Seminario Philoſophiæ Platonicæ *haurienda. Præcipui inter eos ſunt Plotinus (Numenii Plagiarius,) Proclus, Maximus Tyrius, Alcinous, Salluſtius, Mich. Pſellus, Chalcidius, Paulus Benius. 4. Platonis Eloquentia, ob feſtivitatem pariter atque magnificentiam, commendatur. 5. Phyſica ejus parum ab Ariſtotelicâ differt, ac Naturalem Theologiam ſibi ſubſternit atque immiſcet. 6. Philoſophemata Platonica nimis ſubtilia de Rerum Principiis (Deo, Idea & Materia,) Cauſisque, ac Mundis totidem. 7. Doctrina de Animâ Mundi, quæ ſenſu Platonico rejicitur, ſaniori autem admittitur ac defenditur. Trahitur huc à Paulo Sarpio, eam ob cauſam periclitato, aliisque, Locus Gen. I. 2. Moſaicus. Cavendus ejus abuſus multiplex in ignorantiâ cauſarum palliandâ, in Diis duobus fingendis (quod Platoni à Sam. Parkero immeritò objicitur,) & Phyſica Enthuſiaſtica, Aſtrologia Divinatrice, Magia, Medicinaque ſuperſtitioſa, defendendis. 8. Platonis* ἀμεθοδεία *notatur. Convenientiam doctrinæ ipſius cum Moſe, S. Literis & Chriſtianorum dogmatis, ab Henr. Moro defenſam, Sam. Parkerus,* in Cenſurâ Philoſophiæ Platonicæ, ac Diſſ. de Trinitate Platonicâ, *impugnavit, ſed incaſſum. 9. Sententia Platonis de Elementis. 10. Doctrina de Animarum præexiſtentia, à Chriſtoph. Sandio & Henrico Moro reſuſcitata, à Jac. v. Thomaſio & Parkero confutata. 11. Philoſophia Platonica Speculationibus Metaphyſicis nimis indulget. Illuſtrant eam Dan. Heinſii* Poëma de Contemptu Mortis, *& Henr. Mori Scripta plurima, etiam Theologicus Platoniſmus Patrum, & Origenis præſertim Heterodoxus, Caſp. Barthii Lib. affectus* de Chriſtianiſmo Epicteti.

A Se-

(x) A Sectæ Jonicæ Conditore Thalete promanavit SOCRATICA, cujus Socrates Autor fuit: quæ tamen Philoſophia hinc in varias Sectas abiit, cùm ſcil. diſcipuli Socratis ipſi diverſa ſentirent, atque incertum eſſet, quænam genuina Socratis principia. Nihil enim literis ipſe mandavit, ſed omnia apud diſcipulos ejus ex ore ejus prolata aſſervabantur. PLATO certè, qui diſcipulus Socratis erat præcipuus, malè audiit nonnullis, qui Socrate uno contenti erant, quòd miſcellâ ſuâ Philoſophiâ corruperit genuinam, quam à Socrate acceperat, maximeque Barbarica, Ægyptiaca, & Pythagoræa, quæ ab alio fonte profluxerant. Hanc mixturam Xenophon ipſe, Socratis auditor, exprobrat Platoni, in *Epiſtolâ* quâdam *ad Æſchinem Socraticum* ſcriptâ, quæ legi poteſt apud Euſebium, *in præparatione Evangelicâ lib. 24.*, & Stobæum *in Sermone de Diis.* Phyſices tamen negligentior fuiſſe videtur, cujus quidem junior adhuc incredibili cupiditate ductus fuit, ſenior verò factus, ut dubiam, incertam atque inutilem, repudiavit. vid. Euſeb. *lib. 1. præparat. c.5.*, Lactant. *lib. 3. c. 21.* Quare morali ſtudio præ ceteris ſe dedit. Ceterùm de Philoſophiâ Socraticâ legi poteſt Hier. Cardani *liber de Studio Socratis*, qui reperitur in *primo* ejus *Operum Tomo.* Legi etiam poteſt JOH. LUD. BALZACUS in libro, quem *de vita Socratis* Gallicâ linguâ ſcripſit. Et in alio, quem *Socratem Chriſtianum* inſcribit, ubi dogmata ejus moralia cum Chriſtianâ fide confert. Eſt & quoddam AUGUSTINI MASCARDI Manuſcriptum, hactenus ineditum, *Il' genio de Socrate per la Corte*, cujus meminit Craſſus *in Elogiis hominum Literatorum, part. 1. p. 257.* Sed illa ad nos non pertinent, qui Phyſica tantùm quærimus. In quibus eum quidpiam è Sceptiſmo traxiſſe jam ſuprà innuimus, quem Scepticiſmum Media Academia in multis amplexa eſt. vid. Voſſium *de Sectis Philoſophorum cap. 20.*, ubi de variis Scepticorum differentiis agit. Quare non crediderim ego, in Phyſicis præ ceteris ſecutum, fuiſſe Platonem Præceptorem, ſuum, Socratem. Longè enim à Scepticiſmo abeſt, quanquam ejus quædam ἀκαταληψία & inquiſitio vaga ſit, quam Verulamius, *in novo Organo, lib. 1. Aphoriſmo 67.*, eum primò credit introduxiſſe, tanquam per jocum & Ironiam, in odium veterum Sophiſtarum, qui nihil tàm verebantur, quàm ne dubitare de re aliquâ viderentur, bonô quidem inſtitutô, non ut in iſta ἀκαταληψία ſubſiſteret, ut fecit nova Academia. Atque ita ille exiſtimat, vel eam ob cauſam, quòd per ambages longas rem ipſam dicat, nec modo aliquo dogmatico proponat. Certè Verulamius, Socratem non aliam ob cauſam dubitaſſe, ait, quàm ut eò ſapientior haberetur, atque eò occultiora ſcire videretur, quòd etiam illa, quæ manifeſta ſunt, ſcire ſe negaret. 1

Si Laërtium audimus in *vitâ Platonis*, & Heſychium Illuſtrium, Philoſophia Platonis ex Heracliticâ, Pythagoricâ & Socraticâ miſta fuit. In iis, quæ ſenſibus percipiuntur, Heracliti partes ſecutus eſt; in iis, quæ mente comprehenduntur, Pythagoram; in rebus civilibus, Socratem. Patet itaque indè, in Philoſophiâ naturali Stoicorum ſententias eum præ ceteris amplexum, quanquam ita Philoſophiam ſuam na- 2

(x) Cùm hoc Capite conferatur præcedentis *Libri I. Septimum, de Philoſophiâ Platonicâ.*

turalem inſtituerit, ut ſubinde commiſceret abſtractas illas animi notiones & ænigmatica Pythagoreorum commenta, atque ex iis unum quaſi cinnum conficeret.

2 Ipſe Ariſtoteles, *I. Metaph. c. 7.* Philoſophiam Platonicam partim ſimilem Pythagoricæ agnoſcit, & Claudius Berirgardus, *in Circulo ſuo Piſano, Circ. 3. part. 1.*, Platonicam Philoſophiam partim Pythagoricæ, partim Peripateticæ, ſimilem facit. *Sublatis enim Ideis*, inquit, *quas impugnat Ariſtoteles, ferè in ceteris videntur differre verbis, & ratione conſiderandi.* Arguit Ariſtoteles Platonem, quòd putârit, materiam non diſtingui à privatione & eſſe non Ens, unde ſequatur, omnia fieri ex non Ente, & præterea materiam eſſe ex ſe, poſteà verò dicit, eum vocaſſe materiam matrem & cauſam eorum, quæ fiunt, privationem verò neglexiſſe, ut maleficam & non Ens, quod intelligi, niſi diverſo ſenſu, nequit. Ita, *lib 2. Metaph.* principia rerum apud Platonem ait eſſe numeros & figuras, alio verò loco *magnum* & *parvum* eſſe materiam, *Unum* autem ideam ſive formam, quæ arguunt, litem hanc in verbis tantùm eſſe poſitam. Materia diſſenſus pars inter Ariſtotelem & Platonem ſita eſt in illâ de Ideis doctrinâ, quàm ex Pythagoreorum ſcholis hauſiſſe videtur. Et fuerunt ſanè tàm Pythagoræ, quàm Platonis, dogmata pro iisdem habita, *vid.* Barth. *Adverſar. lib. 53. c. 13.* Sed injuriam in Idearum doctrinâ factam fuiſſe Platoni, jam dudum ab aliis oſtenſum eſt, ac legi poteſt ſuper hoc argumento, Liber, quem Scipio Agnellus *de Ideis* conſcripſit. Alioquin negotium hoc conciliationis inter Platonem & Ariſtotelem multi tractârunt. Integrum librum *de conſenſu Ariſtotelicæ & Platonicæ Philoſophiæ* conſcripſit Jacobus Mazonius, Bernhardinus Donatus librum *de Platonicæ & Ariſtotelicæ Philoſophiæ differentia*, Sebaſtianus Foxius *Tr. de Platonis & Ariſtotelis conſenſione in Philoſ. Naturali*, Witeb. A. 1589. in 8vo editum. Hubertus Folieta quoque *de nonnullis, in quibus Plato ab Ariſtotele reprehenditur*, Diſſertationem edidit Romæ, anno 1574. *in 4to.* Seb. Baſſo, *in Libb. 12. Philoſ. Naturalis adverſus Ariſtotelem*, in quibus abſtruſa Veterum Phyſiologia reſtauratur, & Ariſtotelis errores ſolidis rationibus refelluntur, dogmata quoque Platonis nonnulla, inprimis iſtud de Anima Mundi, contra Peripateticos defendit. Et, quem primo loco debuiſſem nominare, iis, quos recenſui, longè antiquior, Georg. Gemiſthus, *in Opuſculo de differentiâ Philoſophiæ Platonicæ & Ariſtotelicæ.* Non defuerunt etiam ex antiquioribus, qui Platonis dogmata impugnârunt. Atque contra unum eorum (Georg Trapezuntium, qui *comparationem Platonis & Ariſtotelis*, in Platonem injuriam, ediderat, Venetiis A. 1523., *in 8vo*, excuſam) Bessarion Cardinalis eruditum illum librum *in Calumniatorem Platonis* ſcripſit, Venetiis ap. Aldum A. 1503., *in fol.*, impreſſum. De quo Beſſarione, ejusque Operibus, ad Philoſophiam Platonicam ſpectantibus, legi poteſt Gaddius *in libro de Scriptoribus, ſub Tit. Beſſarionis.* Scripſerat & Pet. Bembus *Apologiam Platonis*, & *Diſſertationes in ejus Opera*, quæ tamen hactenus ſunt inedita, eodem referente Gaddio. De ordine in legendis libris Platonicis adhibendo ſcripſerunt Marſilius Ficinus, Johannes Serranus, Franciſcus Patricius, Paulus Benius. Qui Platonem plagii incuſant, injuriam illi faciunt. Nam quòd à Timæo doctrinam de Anima mundi habuiſſe

habuiſſe exiſtimant, verum id quidem eſt, ſed apertè nomen Autoris laudat in *Dia-
logi* ſui fronte, quem totum ex ejus ſententiâ concinnavit. Neque ſtatim eam ob cau-
ſam plagiarii dicendi ſunt, qui ſententias cum aliis habent communes. Quòd Moyſi
multa ſurripuerit, pernegat Paulus Benius *lib. X. Commentarii in Timæum Platonis.*
Nihil unquam inveni, inquit ille, *apud Platonem, quod deprehendere potuerim ex
unâ Moyſis Hiſtoriâ fuiſſe expreſſum, in multa verò incidi, ob quæ exiſtimem eam le-
giſſe nunquam.* Legi quoque Hier. Cardanus poteſt, in eo libro, quem *de clarorum
hominum vitâ, & de illuſtrium Antiquorum judicio* ſcripſit, ubi agit de Platone.
Reperitur autem liber ille in Operum ejus *Tomo X.*

Reperiuntur inter Opera ejus Suppoſititii aliquot *Dialogi*, è quibus, qui inſcribi- 3
tur Axiochus, Æſchynis Socrotici eſſe ſcribitur à Suida *in vocibus Axiochus & Æſchynes.*
Habentur & plures alii, qui in fine Operum ejus ſolent poni. Fuerunt & alii adulterini
ejus *Dialogi*, quos recenſet Diogenes Laërtius, ſed qui amplius non extant. Opera
Platonis quàm emendatiſſima prodierunt Baſileæ, cum Procli Commentario in Ti-
mæum, A. 1534., ſed Græcè tantùm. Latinè unà cum Græco Textu edita ſunt ab
Henrico Stephano, & cum *Commentariis* Joh. Serrani A. 1578. quod optima eſt
Editio. Ceteroquin & Lugdini A. 1590. prodiit, cum argumentis perpetuis & *Com-
mentariis* Marſilii Ficini, cujus etiam ſeorſim extant Opera, aliquot Voluminibus *in
folio* edita, quibus Philoſophiam Platonicam per partes illuſtravit. Interpretum verò
& Commentatorum Veterum & Recentiorum magnus eſt numerus, quos omnes re-
cenſere operoſum nimis eſſet. Legi poteſt Nomenclator iſtorum Autorum Johan-
nem Baptiſtam Bernhardum *in Seminario Philoſophiæ Platonicæ*, ut vocat, libro uti-
liſſimo, quo è Platone & Platonicis omnibus, Græcis & Latinis, Arabicis, Veteribus &
Recentioribus, Interpretibus & Commentatoribus, doctrinas Platonis collegit, utinam
meliori ordine & diſtinctione, nam quaſi choas aliquod confectum eſt. Utiliter ta-
men liber iſte, & ad varios uſus, adhiberi poteſt, neque enim plenius aliquod Opus
& ordinatius hactenus exſtat, & in multis Indicis loco eſſe poteſt. Præcipui tamen
ex Interpretibus ejus ſequentes ſunt. PLOTINUS, cujus *Enneades* Græcè & Latinè Ba-
ſileæ excudit Henricus Petri; quem tamen plagium in Numenium commiſiſſe aliqui
putârunt. Quod crimen ut refelleret AMELIUS, itidem Platonicus Commentator &
Philoſophus, librum ſcripſit de differentiâ doctrinæ Plotoni & Numenii, teſte Jonſio
lib. 3. de Scriptoribus Hiſtoriæ Philoſophicæ, c. 10. p. 264. Procli *Elementa Theologiæ &
Phyſicæ* idem Petri edidit, *libros autem ſex in Platonis Philoſophiam* Græcè latinèque
Æmilius Portus. Quæ Editio Hamburgi prodiit, ſumtus ſuppeditante Sereniſſimo Fri-
derico, Holſatiæ Principe, glorioſæ memoriæ. MAXIMUS TYRIUS & ALCINOUS, Græcè
& Latinè editi à Daniele Heinſio *in octavo*, Leidæ A. 1607., unà cum *notis* ejus.
SALLUSTIUS à Leone Allatio Græcè Latinèque editus Lugduni Batavorum; in quem
etiam extant *Notæ* Lucæ Holſtenii. MICH. PSELLI opuſcula *de Dæmonibus & Magiâ*,
& APULEJI quædam hûc etiam ſpectant; nam & is Platonicus fuit. Ceterùm Com-
mentatores in libros Platonis ſingulares, *Timæum* præcipuè, quo Phyſica ejus principia
potiſſi-

potiſſimum continentur, multi ſunt, tàm Veteres, quàm Recentiores, quorum Catalogum ſatis copioſum videas licet in *Nomenclatore Philoſophico* Iſr. Spachii *p. 32. 33. 34.* Paulus Benius in Platonis *Timæum* legi meretur. Commendat eum Craſſus *in Elogiis hominum literatorum, part. 2. pag. 83.* Chalcidii in eum *Commentarium* edidit Joh. Meurſius, Magnificum ejus Viri Elogium vid. ap. Barth. *Adverſ. lib. 48. c. 8. Nemo*, inquit, *melius profuiſſe ſeculo noſtro videtur, quàm Chalcidius fecit, homo ita Chriſtianus, ut alium non potuiſſe eum eſſe evincatur, ita Philoſophus, ut videri velit ſeſe rationibus ſolis niti velle.* Legi etiam poteſt Plutarchus in *Timæo Platonis*, & *in quæſtionibus Platonicis.* Jungi etiam huic poſſunt nonnulli Commentatores in Ciceronis *Timæum.* Legi & in eam rem merentur Petri Rami *Adverſaria de Platonis Philoſophiâ;* Carpentarii *Commentaria*, Johannis Pici & Joh. Franciſci Mirandulanorum *Opera*, qui Platonica dogmata itidem illuſtrarunt.

4 Quod Eloquentiam ejus attinet, eam multis laudibus extollunt nonnulli, aliqui etiam habent, quæ in eâ deſiderent. Plato, Sacratis diſcipulus, ejus quoque in dicendo feſtivitatem & elegantiam retinuit, quod nec ipſe diſſimulat. Quam ut accuratiùs diretineret, Dialogo ſua proponere maluit, ut eſſet huic feſtivitati & elegantiæ in dicendo commodior locus. Sed & magnificentia quædam ſuaviloquentiæ juncta fuit, quarum virtutum commendationem prolixam, omnemque, quæ ſuper hoc argumento inſtituitur, Diſputationem, vid. apud Franc. Vavaſſorem *in lib. de ludicrâ Dictione p. 41.*, ubi de Socratis quoque libris diſſerit. Quæ aliqui in illo deſiderant, examinat & refutat Leo Allatius *in lib. de Erroribus magnorum virorum in dicendo, cap. 4. p. 41. & ſeqq.*

5 Sed illa ad nos nunc non pertinent, qui Phyſica tantùm ſectamur, in quibus, ſi excipiantur, quæ Pythagoricis debet, non adeò differre ejus Philoſophiam à Peripateticâ, Claudius Berirgardus dicebat, quod quidem non usque adeò improbabile eſt. Plato rem omnem à primâ & principe causâ orditur, quam illi Deum vel Mundum intellectualem vocant. Theologiam itaque naturalem, vel Metaphyſicam, eo ſcil. ſenſu, quo Veteres eam acceperunt, cum illâ diſciplinâ, quæ rerum naturalium affectiones docet, vel confundit, vel ab eâ non ſeparat. Quoniam itaque Deus, mens illa ſuprema, principium naturæ eſt, ideò præſupponere voluit Plato hanc cauſam, ut, cognito iſto naturæ principio, in rerum naturalium cauſas inquireret. Platonis ergò Philoſophia conſiderari debet, tanquam complexus aliquis ſcientiarum, quarum omnium initium Theologia eſt, atque adeò primum illud, unde dependent omnia. Hanc itaque Philoſophiæ partem, ut fundamentalem, ceteris ſubſternit, atque ita innectit, ut diſcrimen vix deprehendi queat. Quam ob cauſam Platonici divinè ſtatuunt, Philoſophiæ rationem omnem contemplatione Dei comprehendi, atque hominis finem ponunt in ἐξομοιώσει τῦ Θεῦ, *in ſimilitudine Dei.* Alterum Theoreticæ Philoſophiæ & principium & finis eſt, alterum Practicæ. Omnis itaque ejus Philoſophia hûc dirigitur, piè quidem & rectè, ſed poſſunt tamen ceteræ ſcientiarum partes diſtingui & ſeorſim tractari, absque conſideratione cauſæ primæ, quæ extra corpora naturalia conſtituenda eſt, niſi velimus,

mus, cum Stoicis, Deum formam eſſe corporibus naturalibus immerſam. Quomodo ipſi, teſte Senecâ *Ep.54.*, duo principia agnoſcunt, cauſam & materiam, cauſæ nomine accepto pro eo, quod operatur cum ratione in naturâ. A quâ tamen ſententiâ alienos nos eſſe oportet, ut quam multa abſurda in Theologia ſequantur.

Duplicia itaque apud Platonem obſervare licet principia Phyſica, ſecundum 6
variam naturæ conſiderationem. Conſideratur enim natura, vel ut creanda eſt univerſa à Deo, vel ut illa, quæ jam creata eſt, alteratur per generatioes, corruptiones, aliasque affectiones, quæ poſterior acceptio à Peripateticis, aliisque Philoſophis, attenditur; ac principia Phyſica ſecundum eam acceptionem diriguntur. Apud Platonem verò diſtinguuntur quidem illa principia naturæ, vario hoc modo conſiderata; ita tamen temperat iſta, ut poſteriora illa prioribus innectat ſemper & committat. Priori conſideratione naturæ, quantum ex Platone ipſo & è Platonicis patet, tria illi ſunt principia, Deus, Idea & materia. Deus ſcil. Effectrix illa cauſa eſt univerſalis. Idea eſſentiam & ſpeciem largitur, quam materia contrahit & ſingularem efficit. Eſt verò Idea à Deo ipſo, non re, ſed ratione diſtincta. Ubi non adeò liquet, an Plato materiam Deo coævam faciat, an verò ab ipſo creatam. Poſterius non videtur, quoniam inter principia ponit; ſed iſta, ſi ita ſentit, condonanda ipſi ſunt. Cauſas Platonici quinque ſtatuunt, & Proclus ita diſcriminat. *Effectrix*, inquit, *cauſa eſt id, à quo, Exemplaris id, ad quod, finalis id, propter quod, formalis id, quo, materia id, ex quo, vel in quo, res fiunt.* Effectrix verò & Exemplaris cauſa, quanquam nonnullis confunduntur, aliis tamen diſtinguuntur, quoniam ad efficientem executionem, ad Exemplarem directionem, quemadmodum ad finalem intentionem, referunt. Sed hæc ſubtilius paululum dicuntur, & ad Metaphyſicos rejicienda ſunt. Platonici enim in illis cauſis ſuis hìc Metaphyſicos potius agunt, quàm Phyſicos. Porrò Platonici gradibus quibusdam ad Deum conſcendunt, Deum ſupra omnia locant, cui ſubſternunt Intellectualem mundum, huic ſubjiciunt rationalem, huic iterum mundum ſeminarium ſive naturam, infimum faciunt mundum ſenſibilem. In Deo omnia ſunt illis, mundus intelligibilis plenus eſt Ideis, quem certè cur ab iſto, Deo, diſtinxerint, cauſa nulla eſt, Realis mundus plenus eſt rationibus, vel Idearum formulis, Natura ſeminibus, materia ſimulachris & imaginibus rerum, quô nomine illi formas ſenſibiles deſignant. Tres itaque cauſæ principes ſunt illis rerum omnium, Deus, à quo unitas, mens ex quâ ordo & pulchritudo, Anima, quæ motu & vitâ omnia continet, quæ certè ſingula majorem ſubtilitatem, quàm erat neceſſum, præ ſe ferunt, ac Entia etiam præter neceſſitatem multiplicant. Cur enim mundus intellectualis, ſive mens, à Deo diſtinguatur, non video, neque etiam Ideæ ab ipſo Deo differunt. Licet Dion. Petavius diverſum aliquid à Deo illas ſtatui à Platonicis longâ Diſputatione contendat, *T. I. Dogm. Theol. Lib. 4. c. 9.* Rationalis Mundus ex intelligibili illis procedit, velut lumen à luce, Natura fœta ſeminibus ex rationali, ut calor ex ſplendore, dimanat. Senſibilis ex naturali & ſeminario mundo non aliter atque è calore vitali generatio proficiſcitur. Hæc omnia ita illis ordinata ſunt, & per quasdam quaſi

(Dd) tribus

tribus & claſſes diſpoſita, ſive ab ipſo Platone hæc inventa ſint, ſive à majoribus ita hauſerat. In iis quidem non ſunt, quæ adeò quis improbet, ſed tamen iſta partitio naturæ an ita ſe habeat, nec potius imaginaria multa comprehendat, definiri non poteſt. Quorſum etiam pertinet, tot diſtinctiones, quaſi quorundam Orbium, facere, ubi neceſſe eſt, multas concipere ſubſtantias, quaſi ſeparatas, quæ an exiſtant in rerum naturâ, incertum eſt. Nolo hîc coacervare, quæ de primo, uno & bono, diſſerunt Platonici, quæ de Ideis, quas percipi exiſtimavit Plato, eâ ratione ductus, quòd incertam de rebus ſcientiam habeamus, niſi ſpecies quædam perfectæ animo cernantur. Quæ de numeris, de pulchritudine, amore, in quibus planè θεολογεῖν videtur, pulchra quidem ac ſpecioſa proponit, ita ſunt à vulgaribus ſenſibus ſeparata, ita è peregrinis ratiocinationibus collecta, & tricis quibusdam complicata, ut non adeò quid diſtincte inde concipi poſſit.

7 Mundum Animalem Plato vocat totum iſtud Univerſum, quod ut animal conſiderat, eique animam quandam per omnes partes infuſam affingit. Ex quo iterum patet, nimium laboraſſe Platonem in corporibus naturalibus ad univerſales illas Idearum claſſes, mente conceptarum, reducendis. Abſurdum illi ſcil. viſum eſt, partem aliquam mundi vivere, non verò totum, cùm mundus generet animantes, neque illud, quod expers animi ſit, generare poſſit animalia. Atque hæc Platonis vera ſententia eſt, in *Timæo*, Univerſum hoc animal vocantis, quod contineret reliquas animantes, quibus comprehendebat etiam omnes orbes cœleſtes; quæ verò magnas abſurditates implicat. Quid enim eſt abſurdius, quàm fingere animal, ex aliis infinitis compoſitum? quo idoneo argumento probari poterit, eſſe aliquam mundi animam intelligentem rationalem, à Deo diverſam, quæ tamen nec eſſet Angelus? nullâ certè id ratione evinci poteſt, nec revelatione; quæ omnia portentis potius, quàm rationi ſunt ſimilia. Stoici quidem Animam mundi etiam agnoverunt, ſed eâ ipsâ Deum notabant, quem tamen alium ab animâ mundi facit Plato. Fortaſſis & Pythagoreorum illa ſententia eſt. Sed de illorum Philoſophia nihil adeò diſtinctè doceri poteſt. Quòd ſi Plato per iſtam mundi animam (y) intelligere velit Spiritum quendam æthereum, rationibus ſeminariis fœtum, per partes univerſi diſperſum, non eſſet adeò ob iſtam ſententiam reprehendendus, quique illum rejiciunt, nihil poſſunt nobis reponere, quod notius ſit, animoque diſtinctius concipi poſſit. Præterea omnes ii, qui nobis principia Phyſica poſuerunt, ac ipſi quoque Peripatetici aliud quoddam comminiſcuntur commune principium, quò confugiunt, quando per quatuor Elementa

(y) Quæ pro Animæ Mundi exiſtentiâ Autor Chymiæ ſecretioris, tantoperè ſibi dilectæ, Myſtas ſecutus, & ab iſtis in devia ſubinde abductus, fuſè, licet aliis modeſtius, diſſerit, pauciſſimis haud dubie probabuntur, & maximam partem dudum a multis ſunt confutata. E quibus ſolùm indicaſſe jam ſufficiat Ad. Rechenbergium, Theologum Lipſienſium, Argumentum iſtud ex profeſſo, in *Diſſ. de Anima Mundi*, Lipſiæ anno 1678. editâ, perſecutum. De Animâ Mundi Stoicorum, Deo ipſo, ejusque differentiâ a Platonicâ, *Diatribe* legatur Jacob. Thomaſii accuratiſſima, *in Diſſertatt. Stoicis, num.* 14. *pag.* 177-227.

menta rem non poſſunt expedire. Quare quintum aliquod, ſive quintam eſſentiam, ut vulgò vocant, comminiſcuntur, quæ inter quatuor illa Elementa quaſi dominetur; illisque præſideat, eorum verò temperamentum quoddam excellentius comprehendat. Carteſiani quoque, cùm fingunt ſubtilem iſtam materiam, per omnes mundi partes diffuſam, quæque ex Sole potiſſimum profluat, non videntur multum ab hâc ſententiâ diſſidere. Nam & Platonicis Sol quaſi Regina iſtius animæ habetur, ut multis probat Johannes Franciſcus Grandis *in Diſſertatione* ſua *de Epicuri Philoſophiâ.* Quare imperitè faciunt, qui hanc doctrinam de Spiritu mundi, non Platonico, ſed ſaniori ſenſu, acceptam, ut rem inanem, vel impiam, rident & rejiciunt, quam aliqui etiam ipſo in Moyſe fundatam volunt, & per Spiritum illum, qui aquis incubabat, hunc Spiritum æthereum intelligunt. In quorum etiam numero ſancti Patres ſunt, & multi quoque Theologorum, quanquam aliqui locum hunc de Spiritu S. explicent. Periculoſa ex eo lis aliquando mota fuit Patri PAULO SARPIO, doctiſſimo illi *Hiſtoriæ Concilii Tridentini* Scriptori, à neſcio quo Inquiſitore, qui negaverit Sacram Trinitatem ex *I. Geneſ. cap.* poſſe probari. Qua de re legi poteſt Fulgentius in ejus *vitâ*, in Gallicum ſermonem converſâ, *p. 31.* Et oritur ſanè ex coagmentatione illa partium Univerſi quædam contemperatio, ac qualitates quædam univerſales, quarum effectus interdum videmus, cauſas verò animo comprehendere non poſſumus. Vid. quæ in eam rem diſſerit Rob. Boylius in lib. de Coſmicis qualitatibus. Atque in iſtarum rerum cauſas cùm inquiritur, ad tale aliquod univerſale principium confugiendum eſt. Quorſum enim etiam ſe vertant omnes illi, qui ſingularia Phyſices principia commenti ſunt, vident tamen, ſe rem non poſſe expedire, niſi ad naturam aliquam communem operatricem in operibus confugiant, ut ſupra ex Lucretio vidimus, qui ex Atomis ſuis expedire ſe non poteſt, niſi θεὸν ἀπὸ μηχανῆς arceſſat, naturam ſcil. aliquam æthereum, ſubtilem, quam agnoſcere neceſſitas interdum nos jubet, cùm in rationibus ſpecialibus dandis deficimus. Quô tamen nolim probare, quorundam vel ſuperſtitionem, vel ſocordiam, qui, Tragœdos imitati, ut illi ad componendas turbas Deum è machinâ evocant; ita ad communem aliquam cauſam confugiunt. Quanquam etiam peccare fortè imbecillitas noſtri intellectus poteſt, cum oculis Lynceis rerum viſcera nos penetraturos confidimus, ſpecialiſſimas illis cauſas indagaturi. Nos certè enim circa particulam aliquam & portiunculam Philoſophi ſumus, & exiguis animi noſtri Cancellis non includimus Univerſum illud, nec penetrare poſſumus ingenii acie, quòd tot vaſta corpora inter ſe cohæreant; annon quædam eorum inter ſe ſit conciliatio, mutuaque operatio, quæ in occultis ſe exerat aliquando, nonnunquam in ſecula extendatur. Multis certè ex illâ Platonicorum doctrinâ ſententia hæc de anima mundi inhæſit, unde fortaſſis non de nihilo eſt, quod obſervat Samuel Parkerus, gentilium idololatriam penè omnem ad iſtam mundi animam reſpexiſſe. Vid. ejus *Tentamina Phyſio-Theologica* contra Atheos & Epicuræos, *lib. 2. c. 1. & 2.* Ex eodem etiam principio ἡλιολατρείαν ortam eſſe, illic prabat, quandoquidem Sol ſedes iſtius animæ à Philoſophis ſit habitus. Non tamen credi-

derim, quod iſte putat, à Platone geminum Numen ſtatui, ut geminum mundum fingit, viſibilem & intellectualem, niſi fortè ita interpreteris, ut per ſecundarium illum Deum intelligat genium, vel mentem aliquam: Ita enim in Timæo: *Deus intellectualis & potens Deum ſibi ſufficientem & perfectiſſimum genuit*, *ſ. mundum.* Et Origines, *contra Celſum lib. 5.* ita Platonis mentem interpretatur; dicit enim, Stoicos facere mundum Deum primarium, Platonicos verò ſecundarium. Platonem autem ſupremum Deum extra pomœria mundi abegiſſe, Juſtinus, *in Cohortatione ad Græcos*, ait. Sed illis omnibus vel ſanior ſenſus, vel perverſior, à variâ interpretatione accedere poteſt. Plato enim ea omnia ſermonibus ſuis implicuit, ut interdum mens ejus non rectè deprehendi poſſit. Et quoniam elegantiam ſermonis ſectatus eſt, non fortaſsè ita expreſſit animi ſenſa, ut Philoſophus in illis pedem figere tutò poſſit. Ab Interpretum verò commentis toti etiam pendere non poſſumus; nam & vetus illud hîc obtinet: *Quot capita, tot ſenſus;* raroque Philoſophia adeò illibata & incorrupta ſervatur. Solet enim ab Interpretibus, novarum rerum cupidis, & vanâ gloriâ ſe jactantibus, illis aliquid affingi, aut per conſequentias, non rectè inſtitutas, aliquid colligi, quod fortè Doctori ipſi & Anteſignano in mentem non venit, ut abundè ex Ariſtotele, & ejus Interpretibus patet. Id verò negari nequit, ſuper iſtâ mundi animâ, ſi ea intellectu prædita ſtatuatur, fundatam fuiſſe, & adhuc fundari, illam Enthuſiaſtarum Phyſicam, quæ ſe plerumque in iſta principia reſolvit. Ex hoc fonte fluunt actiones in naturâ magneticæ, Sympatheticæ, Aſtrologia divinatrix, etiam circa actiones morales & contingentes, Oracula, Imagines Taliſmanicæ, & omnis denique Magia. Nullæ ſunt adeò nefandæ præſtigiæ, nulla tàm ſuperſtitioſa & ſtulta doctrina eſt, cui patrocinium ex hac opinione peti non poſſit. Ex eâ magnam partem etiam oritur ſuperſtitioſa Medicina, tàm quæ olim ex incubationibus originem traxit, quàm quæ hodiè, per transplantationes, irrorationes, inſeminationes, ac ſimiles operationes incertas ac fallaces, conficitur. De quibus videri poſſunt, quæ ejus Medicinæ propugnator Anglus, Samuel Boulton, ſuâ linguâ *de Medicina Magico-Phyſica* ſcripſit. Sed iſta omnia hìc alieno loco excutere non eſt neceſſarium.

8 Nos Platonis tantùm ſententias breviter recenſemus, quantum ad Phyſicam ſpectant; nam de ceteris non ſumus jam ſolliciti, quanquam ipſe omnia commiſcuerit, & continuo ſermone implicuerit, nullâ uſus legitimâ methodo, aut argumentis demonſtrativis, quam ejus ἀμεθόδειαν taxat, ac compluribus Exemplis probat, Johannes Baptista Crispus, *in Quinario ſuo primo de Ethnicis Philoſophis cautè legendis.* Quem librum vehementer commendat in eo negotio Samuel Parkerus *in* ſuâ *Philoſophiæ Platonicæ Cenſurâ*, libro Anglicè ſcripto, & Oxoniæ A. 1667. edito, eleganti ſane & lectu digno, quo doctrinam Platonis Ethicam, Logicam, Theologicam, breviter complexus eſt, in Phyſicâ verò recenſendâ non eam adhibuit diligentiam, quam poterat. Egit etiam illic de convenientiâ Platonis & Moyſis, ubi examinat, an iſta ſit revera talis, qualis habetur vulgò, atque ad partes negantium concedit; quo tacitè etiam tangere videtur Henricum Mohr, qui in *Cabala* ſuâ *Philoſophicâ*

phicâ ſuper Cap. I. Geneſ. conſenſum illum Platonis & Moyſis ſæpè urget. Sed mittamus iſtam Platonis Phyſicam, ut ita loquamur, Metaphyſicam, quæ tamen vel ideô laudem meretur, quòd nemo majori ſtudio in eâ verſatus fuerit, Ariſtoteles verò eam contemſiſſe videatur, cùm Plato tamen ita in illâ verſatus fuerit, ut multa in eo ſint, quæ conſonare cum ſacris literis & dogmatibus Chriſtianis videntur, utut Samuel Parkerus *in Tentaminibus* ſuis *Phyſico-Theologicis, lib. 2. c. 3.* exiſtimet, Gentilium Philoſophiam & Hiſtoriam plerumque Sacræ Hiſtoriæ perperam accommodari; rerum verò Græcanicarum & Hebræarum precariam & commentitiam exiſtimet analogiam, quòd vel fortuita illa eſſe potuerit, in iſtâ varietate hiſtoriarum & ſententiarum, ut fieri non poſſit, quin analogiam interdum inter ſe habeant; quam tamen ſæpè admodum exiguam arripiant, tùm *Aug. Steuchus in libro de perenni Philoſophiâ*, quo Trinitatis myſterium è Platonicis oſtendere laborat (vid. *Diſſertatio* Parkeri Anglica *de Trinitate Platonicâ,*) tùm Voſſius & Bochartus. Qui tamen rem ipſam ſine affectibus conſideraturus eſt, is interdum identitatem aliquam conceptuum mirabitur.

Quod jam ipſam illam ſtrictè ita dictam Phyſicam attinet, quæ verſatur circa 9
naturam hanc inferiorem, quatenus illa generationibus & alterationibus eſt ſubjecta, Platonicorum doctrina non adeò differt à Peripateticâ. Nam, & materiam, & formam, mundi ſenſibilis principia cum Ariſtotele agnoſcit. Ex materiâ & formâ producit quatuor Elementa, quorum ſingulis proprias figuras aſſignat, pyramidalem igni, figuram octaëdram aëri, figuram icoſaëdram, ex viginti triangulis, aquæ, terræ denique figuram cubicam, cœlo autem dedecaëdram. Quæ philoſophandi ratio per figuras iſtas non omninò omni ratione deſtituta eſt, & fundamentum aliquod videtur habere in ipsâ naturâ eorum corporum. Quanquam iſt ὡς ἐν πλάτει tantùm dicantur, neque adeò quicquam definiat Plato circa figuras illas in minimis particulis, quò reducendi eſſent illi conceptus, ſi vellemus aliquam iis ineſſe firmitatem.

Ex iſtâ figurarum variatione, credo, Elementorum etiam varias vires & actiones deducit. Elementa enim facit, vel ſubtilia, vel craſſa, vel acuta, vel obtuſa, mobilia vel immobilia. Ignis illi ſubtilis eſt & mobilis, terra è contrario craſſa, obtuſa & immobilis, aër ſubtilis, obtuſus & mobilis, aqua craſſa, obtuſa, mobilis.

De naturâ animæ multa quoque philoſophatus eſt Plato, quæ non ſunt reliquis 10
Philoſophis conformia, quanquam hic Platonicorum Interpretationes & commentaria longius abeant, quàm ipſe Plato. Doctrina de præexiſtentiâ animæ Platoni quoque imputatur, & à Platonicis commentatoribus multis argumentis propugnatur, quam etiam hodiè defendendam ſuſceperunt nonnulli. Ac fuit inprimis circa illud argumentum diligens Christophorus Sandius, qui, in libello ſuo *de origine animæ*, non ita pridem omnia illa loca, è Platonicis, Patribus, imò ipsâ etiam Scripturâ Sacrâ, quæ huc trahi poſſe videntur, cumulavit, atque objectionibus nonnullis reſpondit; in quo tamen ille nimium ſibi nonnunquam indulget, nec ſatis bonâ fide in locis illis verſatur. Legi poſſunt, quæ nuper animadvertit in illum Autorem in *Oratione* ſuâ *de præexiſtentiâ animæ* Clariſſ. Jac. Thomasius. Inter Anglos multi ſunt hu-

jus doctrinæ patrocinatores, & HENRICUS quidem MOHR, in Tractatu, Anglicâ linguâ ſcripto, *de Immortalitate animæ*, multis argumentis eam probare doctrinam laborat, & in reliquis quoque Platonica illa de naturâ animæ dogmata amplectitur. Legi etiam poſſunt, quæ Samuel Parkerus, in *lib. citato*, contra illam animæ præexiſtentiam affert.

11 Ceterùm longè plura ſunt ſpecialiora dogmata Platonis, quæ omnia docere nimis operoſa res eſſet, omnia autem eò tendunt, ut mira potius videatur ejus doctrina, quàm vera, ſeu quæ demonſtrata ſit rectè, & percipi diſtinctè poſſit. Omnia enim Allegoriis ſuis, ſuisque de amore, pulchro & bono notionibus, implicat, quæ aptæ potius ſunt, animum in exceſſum quendam evocare, quàm rebus ipſis applicare. Quare eum, cùm ita phantaſmata ſpeculetur potius, quàm ſenſum ſequatur, vel Poëtam, vel Metaphyſicum, appellaverim potius, quàm Phyſicum. Qui Philoſophiam illam Metaphyſicam Platonicam carmine comprehenſam velit, legat elegantiſſimos Dan. Heinſii libros *de contemptu mortis*, ubi in Synopſi quâdam exhibetur ejus doctrina de animâ, adeoque tota ejus Philoſophia contemplativa & practica. Quos libros ſtylo Virgiliano ſcriptos rectè judicavit Buchnerus, in *lib. de commutatâ dictione*. Verſibus Anglicis eam propoſuit Henricus Mohr, is ſcil. cujus exſtant tot libri de Philoſophiâ Platonicâ ſcripti. Idem quoque Autor libros Theologici argumenti non paucos ſcripſit, nempe *Inquiſitionem in myſterium Iniquitatis, continentem veram Ideam Antichriſtianiſmi*; item *Explanationem grandis myſterii Trinitatis*, quibus itidem Platonica ſua dogmata paſſim immiſcet; *Dialogos* item *de Deo*. In quibus Operibus totus in eo eſt, ut Philoſophiam Platonicam repræſentet, velut Chriſtianiſmo maximè accommodatam. Ac eſt revera in multis non exigua convenientia, quæ impulit etiam ſanctos Patres, ut Philoſophiam Platonicam præ ceteris ſequerentur. Quanquam & anſam dederit multis Heterodoxa ſentiendi, uti Samuel Parkerus *in Examine Theologiæ Platonicæ* pluribus annotat. Origenes certè documento eſt, quanto in pretio olim iſta Philoſophia fuerit, qui, ejus principiis imbutus, ad Theologiæ myſteria multa attulit, quæ etiam pro Heterodoxis habentur. Tale quid ex Philoſophiâ Stoicâ promiſerat Caſp. Barthius *Adverſar. lib. 3. c. 10.* ubi *de Chriſtianiſmo Epicteti* librum ſe ſcripturum pollicetur, quo plurima Epicteti dicta & ſcripta ex doctrinâ Apoſtolorum oriunda demonſtraturus erat. Sed nos, miſsâ Platonis ſcholâ, ad Peripateticam nos convertimus.

CAP. XII.

DE PRINCIPIIS PHYSICIS ARISTOTELIS, VARIISQUE EJUS TAM PROPUGNATORIBUS, QUAM IMPUGNATORIBUS.

§. 1. *Ariſtotelicæ Philoſophiæ fata varia à Joh. Launoyo expoſita. Operum Ariſtotelis Editio optima eſt Caſauboniana. Plagii reus eſt. Scripta de ipſo, libriſque ejus ac Philoſophiâ, Hiſtorico-Iſagogica Ammonii, Pet. Joh. Nunneſii, Oct.*

Oct. Ferrarii, Phil. Labbei, Andr. Schotti, Paſch. Galli, &c. 2. *Præ ceteris commendantur Franc. Patricii* Diſcuſſiones Peripateticæ. *De Libris Ariſtotelis ſuppoſititiis, nec non Metaphyſicis, nonnulla. Interpretibus ejus haud ſecurè nimis fidendum. Joh. Cratonis prudens de novâ Operum illius Editione conſilium. Commendantur Joach. Jungii* Notæ *in Ariſtot. inedita, Paulique Sarpii in eundem, ac Philoſophos alios, affecta.* 3. *Præ ceteris Phyſicæ Ariſtotelicæ Illuſtratoribus, commendatur Honoratus Fabri, ob Methodum philoſophandi ex ipſo Ariſtotele, neglectis Interpretibus, accuratam, eundemque cum Recentiorum Inventis & Experimentis ſolerter conciliantem.* 4. *Commentatores alii in Libb. Phyſicos à Spachio enumerantur.* 5. *De Theophraſti, qui Ariſtotelis fuit Succeſſor, Scriptis, horumque Exegetis, nonnulla. Honor. Fabri denuo commendatur, & de corruptelis Philoſophiæ Ariſtotelicæ per Interpretes indoctos, Scholaſticosque, diſſeritur.* 6. *Confirmantur illæ Teſtimoniis Rogerii Baconi, ob interiorem Phyſices ac Matheſeos peritiam, eximiaque Inventa, celebris, ſimulque de primis Interpretibus Ariſtotelis Latinis, Scriptorumque ejus in Scholas reductione, agitur. Inſperguntur quædam de Teleſcopiis Bacono ante 5. jam ſecula, imo, teſte illo, C. Julio Cæſari etiam, cognitis.* 7. *Impugnatores Ariſtotelis moderni, Pet. Ramus in primis & Pet. Gaſſendus, cenſurâ acriori perſtringuntur, ac criminationes illorum γενικῶς confutantur, adjectis judiciis Hon. Fabri de Gaſſendo, ac Joh. Riolani de Ramo, parum benignis.* 8. *Ariſtoteles, contra Veteres, qui vel unum tantùm (cum Parmenide,) vel infinita ſtatuerunt rerum Naturalium Principia, inſurgens, ſophiſticè diſputat & incaſſum.* 9. *Rejiciuntur tria Ariſtotelis Principia, Materia prima, Forma & Privatio, ſpinoſæque inprimis ipſius & Scholaſticorum ſublimitates ac diſceptationes perplexæ de materiâ primâ (per quam Deum non intellexit) recenſentur, &, unà cum Henr. Mohri materiâ primâ ſpirituali, ex Atomis conflatâ, exploduntur.* 10. *Scriptores de Ariſtotelis & Platonis conſenſu vel diſſenſu. Antiquiſſimus inter Chriſtianos Ariſtotelis Antagoniſta fuit Juſtinus Martyr, cujus Libelli argumentum enarratur.*

(z) VEnimus nunc ad ARISTOTELICAM *Philoſophiam*, quæ, poſtquam diu Platonica etiam in Chriſtianiſmo regnaverat, ita tandem invaſit omnium animos & ſcholas, ut religioni penè duceretur, vel latum unguem ab illâ diſcedere. Fata verò habuit varia, variasque viciſſitudines, quas erudito ſuo libro *de variâ Ariſtotelis fortunâ in Academiâ Pariſienſi*, Hagæ A. 1650. *in 4to* excuſo, prolixè recenſet JOH. LAUNOYUS, quem ſuper hoc argumento legiſſe non erit inconſultum. De eo, ejusque Interpretibus generatim quædam prænotabimus, antequam 1

(z) Cum hoc Capite conferenda ſunt *Libr. præced. Primi* Capita ſex integra, VIII. ſcil. *de Philoſophiâ Ariſtotelicâ*, IX. X. & XI. *de Ariſtotelis Interpretibus*, XII. *de ejusdem Impugnatoribus*, & XIII. ac XIV. *de Doctoribus Scholaſticis.*

quam ad ipſa ejus principia Phyſica perveniamus. Ariſtotelis Opera Iſ. Caſauboni induſtriâ quàm optimè ſunt edita, cum ſuis, Adr. Turnebi Juliique Pacii Verſionibus, *Volum. II.*, Pariſiis anno 1639., *in fol.*, eſtque ſine dubio illa editio, de cujus publicatione conſuluerat Joſ. Scaligerum Henricus Stephanus, Socer Caſauboni, Epiſtolâ Gallicâ, quæ reperitur inter *Epiſtolas Gallicas*, *ad Joſephum Scaligerum ſcriptas*, ac uno volumine in Belgio editas. De ipſo Ariſtotele gravis ſolet eſſe diſputatio, an ſua pleraque ſurripuerit, de quâ imputatione videatur Thomaſius, *in libro ſuo de plagio*, *§. 364.* Egit verò diffuſo libro de hoc argumento FRANCISCUS PATRICIUS, quem *Diſcuſſiones Peripateticas* inſcribit, acerbior, ut videtur, aliquanto quidem in Ariſtotelem, ſed tamen in multis à vero fortè non diſcendens. *Vitam* Ariſtotelis Ammonius, ſeu JOH. PHILOPONUS, Interpres ejus, deſcripſit, quem, cum eruditis Scholiis, edidit Petrus Johannes Nunneſius, qui etiam in *libro de ſtudio Philoſophico, ſeu de rectè conficiendo curriculô Peripateticæ Philoſophiæ*, multa habet, quæ pertinent ad Hiſtoriam librorum Ariſtotelicorum. Lugduni is Batavorum anno 1621. *in octavo* prodiit. Jungi etiam huic poteſt liber Octaviani Ferrarii *de Sermonibus Exotericis*, in quo & multa de libris Ariſtotelis, & ejus Interpretibus, occurrunt, Venetiis A. 1575. *in 4to* editus, & à Melch. Goldaſto Francof., A. 1606., denuò publicatus, cum *præfat. de Diſciplinâ Veterum Philoſophorum Crypticâ.* Promiſit & *Philippus Labbæus*, *in Bibliothecâ Bibliothecarum pag. 7. Syntagma Philologicum de Græcis Ariſtotelis Interpretibus*, cui additurus eſt Andreæ Schotti *Judicium de variis Ariſtotelicorum Operum Interpretibus Græcis Latinisque.* Pertinet & huc Index geminus, alter Autorum, qui ſuis laboribus & lucubrationibus Ariſtotelis libros illuſtrare conati ſunt, alter, quo declaratur, quid ſit à quoque ex Interpretibus in ſingulos Ariſtotelicæ Philoſophiæ partes ſcriptum, collectus à Paſchali Gallo è *Bibliothecâ* Geſneri, ac ſubjunctus Editioni Operum Ariſtotelis Caſaubonianæ. Conſuli quoque poteſt Jacobus Gaddius *in libro* ſuo *de Scriptoribus*, *Tomo I. p. 46.*, ubi prolixius agit de ejus Interpretibus, de Averroë *pag. 50.*, de Avicennâ *pag. 55.*, de Boëtio *pag. 72.*, de Johanne Grammatico Philopono *p. 203. 204. 205.* Legantur quoque Cardanus de *Virorum Clarorum vitâ & libris*, *Operum Tomo 10.* Conringius *in Antiquitatum ſuarum Academic. ſupplemento p 233. 238.*

2 Præ ceteris legi poſſunt FRANCISCI PATRICII *Diſcuſſiones*, ubi de Ariſtotelicorum librorum ordine, γνησιότητι, omnibusque, quæ eò pertinent, prolixè diſſeritur, tùm de Interpretibus etiam, Sectis, Principiis, luculenter agitur, quæ cum Veterum principiis conferuntur. Nemo enim temerè eſt, qui accuratiorem diligentiam eô in argumento præſtiterit, niſi quis fortè ſuſpectum Autorem habeat ex eo, quòd Ariſtotelicæ Philoſophiæ paululum infenſior ſit. Sed ſunt tamen, hoc non obſtante, multa erudita, ad hiſtoriam univerſæ Philoſophiæ Peripateticæ facientia, quæ legi illic & conferri poſſunt. Nam ſi omnia, quæ ad Ariſtotelem & Ariſtotelicos pertinent, vel in compendium contrahere velimus, non pagellarum aliquot, ſed integri voluminis res eſſet. An verò tot libri, quot ille vult, ſuppoſiti ſint, nec ipſius Ariſtotelis, de eo adhuc diſpiciendum eſt. Multæ enim circa eam rem Diſputationes

ſunt,

ſunt, nondum ſatis dijudicatæ & compoſitæ. Recenſet PHIL. JAC. MAUSSACUS, in *Diſſertatione Criticâ ad Harpocrationis Lexicon pag. 382.*, aliquos libros Ariſtotelis controverſos, de quibus tamen ille nihil definit. De *libris Metaphyſicis* Ariſtotelis publicè combuſtis, velut aliquo hæreſium fomite, legi poteſt Naudæus *in Additionibus ad hiſtoriam Ludovici Undecimi, pag. 155.* Ex Academiâ Svecicâ etiam publicâ lege exulare juſſi ſunt. Qui Ariſtotelis Philoſophiam, ejusque ſententias, perdiſcere cupiunt, eos linguâ Græcâ non vulgariter oportet eſſe inſtructos; nam qui ex Interpretibus tantùm ſapiunt, non poſſunt veram Ariſtotelis mentem indagare. Ii enim & ſibi ſapere plerumque volunt, cùm interpretantur Ariſtotelem, & ſuam mentem in illum inferunt. Quare rectè Medicus doctiſſimus, JOHANNES CRATO à CRAFTHEIM, in Epiſtolâ ad Fridericum Sylburgium ſcriptâ ſuper Editione Ariſtotelis, quæ eſt in *Centuriâ Epiſtolarum Philologicarum*, quas Goldaſtus unô volumine edidit, octogeſima prima, judicat: *Qui Ariſtotelem ita in lucem emiſerit, ut in eo clarè perſpiciantur, quæcunque ſcripſit, vel conjecturâ eorum, à quibus ipſe Ariſtoteles didicit, aſſequantur, vel eorum, quos ipſe docuit: Præterea intelligatur, quô locô quidque docuerit, quoties, ad quod propoſitum, uſus ſit eodem verbo & phraſi: Iſte, inquam, ea præſtabit, quæ hactenus à nullo præſtita ſunt.* Sequitur in eâdem Epiſtola porrò conſilium ejus Autoris, quâ ratione edi vellet Ariſtotelis ſcripta. Quod, quoniam prolixius eſt, illic legi poteſt. Eſt verò omnium pulcherrimum, &, ſi hâc methodo Ariſtoteles ederetur, longè profectò minore cum tædio legerentur ejus libri, atque diſtinctius omnia collocata haberemus. Qualem Editionem ſi habuerint Ariſtotelis Studioſi, facilè carere Interpretibus poſſent, *atque ſic,* ait Crato, *occaſio reſpondendi daretur ſcripto Patricii, quô Ariſtotelem privat poſſeſſione multorum librorum, de quibus hactenus Schola Græca, Arabica & Latina eum cognoverunt poſſeſſorem.* Quod de Indicibus ait, præclarum eſt; in primo enim Indice materias omnes ſelectas annotari vult, ſecundum tria illa capita, *quid, quotuplex* & *quale.* Secundo Indice vellet colligi omnes locos ſimiles & contradicentes in Ariſtotele. Tertius colligat, quibus locis Ariſtoteles eſſet uſus iisdem verbis & phraſi, præſertim obſcurioribus, ut ita per collationem eliciatur eorum ſenſus; quod ſi fieret, carere poteramus *Lexico* Henrici Stephani, qui non omnia ſatis obſervavit. Concordantiæ etiam, ut ita dicam, Ariſtotelis & Platonis, quas ad marginem vult apponi, magno uſui eſſe poſſunt. Notari etiam hic poteſt, ſupereſſe Hamburgi ap. Virum Clariſſ. MARTINUM FOGELIUM, *Notas* MSS. marginales Joachimi Jungii in Ariſtotelem, doctas atque eruditionis pleniſſimas, ut fuit ille naturalis ſcientiæ præprimis ac Mathematum acerrimus indagator, ſed qui in plurimis ab Ariſtotele diſſentit. Sed pleraque in Ariſtotele loca quàm diligentiſſimè contulit & examinavit. Edentur eæ, ſi Typographus erit, qui impenſas erogabit. Utinam etiam edita illa fuiſſent, quæ PAULUS SARPIUS, doctiſſimus Vir, non tantùm in Ariſtotelem, ſed & in Platonem, ceterarumque Sectarum fragmenta, ſcripſit, quæ Autor *vitæ* ejus prolixè commendat *p. 130. & 131.*

E Recentioribus Phyſicis, qui guſtum aliquem habent elegantioris in Phyſicis 3

 doctri-

doctrinæ, & Experimentorum in hoc negotio non ſunt ignari, uncè commendari poteſt, HONORATUS FABRI, Jeſuita, qui Hypotheſes ſuas Philoſophicas principiis Ariſtotelis inædificavit, non ad mentem Arabum & Scholaſticorum, ſed ad nativum & proprium literæ, textûs & verborum ſenſum, ut ipſe ait in *Epiſtolâ ſecundâ ad Pardeſium ſcripta, num. 4. Sect. 4. Contendo*, inquit ille, *ac denuncio palàm, meam hypotheſin verè Ariſtotelicam, & me ferè in omnibus Peripateticum eſſe, de quo certè nemo ambiget, qui rem intellexerit ac ſeriò ponderaverit; nihil enim alios moror, qui nec me, nec Ariſtotelem, norunt.* Erat verò viro iſti eâ proteſtatione opus, quandoquidem, ut Novator & Epicureus, vel Carteſianus, à ſui Ordinis hominibus accuſabatur, quam ut à ſe ſuſpicionem averteret, tres ſcripſit Epiſtolas ad Pardeſium, ejusdem ſocietatis hominem, quibus ſe purum Ariſtotelicum, non tamen ex mente Arabum & Scholaſticorum, eſſe oſtendit. Excipit tamen, quæ ad religionem, quæ ad corpora cœleſtia, quæ ad nova quædam Experimenta pertinent, in quibus liberum ſe eſſe profitetur, & veritatem ubique diligere, ſive illam in Ariſtotele, ſive in Epicuro, exploret. Cujus viri ſcripta ſi quis legerit, mirabitur, ſi adeò diſcrepantes à Peripateticorum vulgo ſententias invenerit. Nam & in ipſis principiis planè alia interdum ex Ariſtotelis textu educit, quàm vulgò Interpretes, modô verò tractandi utitur Mathematicô, & per propoſitiones incedit. Cauſa certè non eſt, quare Ariſtotelem deſeramus, ſi hoc modo in Phyſicis philoſophemur. Decantatas illas Peripateticorum formas rerum ſubſtantiales in Ariſtotele non invenit, ideòque nec illam ſententiam approbat. Ceterùm perſpicuitas ejus in docendo, & peritia in omnis generis Experimentis, quæ ſemper immiſcet ſuis propoſitionibus, mihi præ ceteris vehementer placent, quicquid etiam ſit de principiis, quibus adeò accommodat noviſſima illa Inventa, ut non nimium moroſus acquieſcere illis poſſit, præſertim cùm & in primis illis principiis vix habeant, quare glorientur præ Ariſtotele ceteri. Omnes enim hîc in tenebris palpitant. *Operis* ejus *Phyſici Tomi IV. priores* editi ſunt Lugd. Gall. A. 1670. *in 4to. Quintus* autem, ſive *Ultimus*, ante iſtos ibid. A. 1666. *in 4to.* Jungenda autem iis eſt *Metaphyſica* ipſius, Principia Phyſices explicans, & de Extenſione, Motu, Figurâ, Tempore, ſimilibusque, in abſtracto agens, quoniam ſine hac Phyſica ejus non poſſunt intelligi. Scripſit idem *Dialogos* quoque *Phyſicos*, quibus id præcipue agit, ut novorum Phyſicorum Inventa cum Ariſtotele conciliet, quam ob cauſam illi ſingulariter commendandi ſunt. Scripſit etiam *Opticam*, planâ & perſpicuâ methodo traditam.

4 De ceteris Ariſtotelis libris, præter Phyſicos, nunc non ſumus ſolliciti. In libros Phyſici argumenti Commentatores Veteres ac Recentiores videri poſſunt ap. Iſr. Spachium, *in Nomenclatore Philoſophico, à pag. 605. ad 608. In libros de Generatione, corruptione, mixtione, mundo, cœlo, mari, meteoris, animâ, ſenſibus, animalium hiſtoriâ, commentatores* vide *à p. 617. ad 636.*, in *problemata p. 707.*, in quæ etiam extat operoſus Commentarius Ludovici Septalii, *in fol.*

5 E Scholâ Peripateticâ veteri etiam THEOPHRASTUS eſt, cujus *Opera* Græcè, Lati-

Latinèque, adornata ſunt à Daniele Heinſio. Edidit verò cum *Commentario* multos ejus libros Daniel Furlanus, cujus *Commentarii* ex Bibliothecâ J. Vinc. Pinelli prodierunt. In *libros* ejus *de ſomniis & plantis* ſeorſim extat Comment. Julii Cæſaris Scaligeri. Ceterùm magnam librorum copiam ſcripſit Autor iſte. Suntque in Ariſtotelis Operibus multi libri, qui huic Theophraſto adſcribi ſolent. De ejus *libris* integram *Diſſertationem* conſcripſit Johannes Meurſius, quâ ex Autoribus veteribus collegit tantùm titulos librorum, quos Theophraſtus ſcripſit. *Libros* ejus *de Odoribus* notis ſuis auxit Adr. Turnebus. De ceteris Ariſtotelis Interpretibus, tàm Veteribus, quàm Recentioribus, legantur libri, quos ſupra laudavimus. In Phyſicis verò omnibus aliis, qui ejus doctrinam ſequuntur, præpono Honorati Fabri *Opera*, qui Ariſtotelem ex ipſo fonte interpretatur ejusque Philoſophiam, non ex verſionibus Arabum, vel Latinorum, ſed ex ipſo ejus textu, proponit. Quam adeò diſcrepare inter ſe nemini mirum eſſe debet, ſiquidem ex hiſtoriâ obſervaverit, quàm ſerò in lucem protracta fuerint Ariſtotelis ſcripta, quàm ſegniter, quàm inficetè, quàm barbarè, converſa fuerint à Monachis, linguæ Græcæ & Latinæ imperitis. Quos tamen Scholaſtici ſequuti ſunt, qui ſubleſto fundamento ſuperſtruentes firma non potuerunt ſuperimponere faſtigia, cùm aliter ſenſus caperent, quàm ſentiret Ariſtoteles, ex alieno ſenſu verò diverſa orirentur abſurda. Sic, accedentibus monſtroſis illis ſententiis, quas ipſi excogitarunt, & in Ariſtotelem intulerant, non potuerunt hinc niſi multa abſurda conſequi.

Sed fortaſſis operæ pretium fuerit, illi rei aliquantulum inhærere, ut pateat ortus 6
& progreſſus iſtius Philoſophiæ Scholaſticæ, quæ cùm vulgò Peripatetica habeatur, nihilominus eſt quàm Peripatetica ſæpè, ſed longè in diverſas vias abit. Ejus rei teſtem poſſumus fide dignum appellare Rogerum Baconium, qui circa annum Chriſti 1270. vixit, & in MStis libris *Compendii Studii Theologiæ*, in *libris Communium naturalium*, *in Epiſtolâ ad Clementem IV. Papam*, & in *opere de utilitate Scientiarum*, aliquam Philoſophiæ iſtorum temporum hiſtoriam recenſet. Hi libelli in Bibliothecâ Oxonienſi aſſervantur, à viro illo conſcripti, qui ſuo tempore, in ipsâ illâ craſſiſſimâ barbarie, ſummus fuit rerum naturalium & Mathematicarum, imò omnium penè diſciplinarum, Doctor, ut hodieque in Phyſicis & Mathematicis, præ Lynceis illis Recentioribus, palmam ferat, quippe qui illa ſciverit, illa inventa jam tùm poſſederit vel excogitârit ipſe, quæ ſuo tempore, ob ignorantiam humanam pro Magicis habebantur, noſtrâ verò ætate vel primùm inventa ſunt, & magno in pretiô habentur, vel inter deſiderata adhuc reponuntur. In *Compendio ſuæ Theologiæ* Baconus ait: *Tardè venit aliquid de Philoſophiâ Ariſtotelis in uſum Latinorum, quia naturalis Philoſophia ejus & Metaphyſica, & Commentaria Averrois, & aliorum, his temporibus noſtris translata ſunt, & Pariſiis excommunicabantur anno Domini 1237. propter æternitatem mundi & temporis, & propter librum de Divinatione ſomniorum, qui eſt tertius de ſomno & vigilia, & propter multa erronea translata.* In *libro de utilitate Scientiarum*: *Una eſt*, inquit (cauſa ſcil. imperfectionis in Philoſophiâ,) *quia Opera*

Ariſtotelis non fuerunt translata in linguam Latinam, nec ab aliquo Latinorum compoſita, & ideò non fuit mirum, ſi eorum non æſtimabant valorem. Platonis enim libros Doctores omnes aſſumebant in manibus, quoniam translati fuerunt, nec inveniebantur in Græco. Sed libri Ariſtotelis non fuerunt tùm temporis translati. Nam Auguſtinus primus fuit translator & expoſitor Ariſtotelis. Sed in minore & primo libellorum ſuorum, videlicet prædicamentorum. Nec fuit Philoſophia Ariſtotelis tunc temporis Græcis nota, nec Arabibus, ſicut prius factum eſt, & ideò ſancti, ſicut alii, ignoraverunt Philoſophiam Ariſtotelis, cujus uſum non habebant, laudabant tamen Platonem, & quoniam intellexerunt, quòd Ariſtoteles perſequutus eſt Platonicas ſententias, Ariſtotelem in multis reprobant, & dicunt, ipſum hæreſes congregaſſe, ſicut Auguſtinus dicit. Reperiuntur hæc Baconi loca apud Antonium à Wood *in Hiſtoriâ & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis, lib. 1. ad annum 1272.* Ubi Autor ille recenſet primos ejus temporis Ariſtotelis Interpretes, Guilielmum de Morbeck, natione Brabantinum, fratrem primo Prædicatorem, & inde Pœnitentiarium Pontificis, Cancellarium, & Epiſcopum in Græcia Corinthiacum, qui, inſtante S. Thomâ Aquinate, Philoſophiam Ariſtotelicam Latinè reddidit, circa annum 1271. *Analytica* ſcil. Ariſtotelica, reliquasque *Organi* partes. Ante annum ab illo, quem modò nominavi, quadrageſimum, perpauci Interpretes fuêre, qui in Academiâ Oxonienſi Logicæ Peripateticæ partem aliquam explicuêre, S. Edmundus, Archiepiſcopus Cantuarienſis, Magiſter Hugo, Johannes Blond, qui anno 1227. & 1232. vixerunt. Ante tamen illa tempora Johannes Scotus, tempore Alfredi, Robertus Pulleinus circa annum 1146. Simeon Dunelmenſis A. 1164. Johannes Sariſberienſis, Johannes Hantwillus, ſive Architrenius, vel commentarios ſcripsêre Philoſophiæ Ariſtotelicæ, vel in Philoſophiâ Ariſtotelicâ gradus & honores ambierunt in Academiâ Oxonienſi, qui tamen etiam Ariſtotelis verſiones nullas, niſi aliquas corruptiſſimas habuerunt. Poſtquam verò jus Cæſareum anno 1149. doceri, tàm Oxoniæ, quàm Pariſiis, cœpit, adeò deferbuit omne Philoſophiæ ſtudium, & Theologiæ quoque, ut unicè legibus Romanis incumberent, unde divitias & honores expectabant omnes. Quam cauſam præcipuam ponit Baconus deſertæ Philoſophiæ, & corruptarum artium, atque in eam paſſim in Commentariis ſuis MStis acerbè declamat. Hinc quaſi poſtliminio reſtituebatur Philoſophia Ariſtotelica, adeò ut hominibus iſtius temporis quaſi novus videretur Ariſtoteles, ac tùm primum in notitiam hominum perductus. Qui tamen, præterquam quòd omnia per verſiones erant corrupta, ſuſpicione gravatus eſt, quaſi Chriſtianiſmo obeſſet ejus ſtudium, de quo queritur idem Baconus *in opere antea citato.* Qui erant ignorantiores, etiam Magiam ſubeſſe ſuſpicabantur. Qui doctiores erant, & Exemplaria Ariſtotelis poſſidebant, vel ob invidiam ſupprimebant, vel ipſi ignorabant theſauros ſuos. Quæ Exemplarium penuria etiam cauſa fuit minus cultæ Philoſophiæ Ariſtotelicæ, & ab ætate Michaëlis Scoti, h. e. anno 1230. ingens fuit. Dogmata autem Philoſophiæ verè arcana erant, &, omiſſis tàm artis, quàm naturæ admirandis, viliſſima quævis, eaque ſegniter, & per partes, convertebantur in latinum ſermonem, ut integra capita, imò integri ſæpè libri, in *Phyſicis*, *Metaphyſi-*

cis

cis & *Logicis*, deeſſent. Hujus autem generis peccata in materiâ potiſſimum Phyſicâ frequentiora fuerunt, partim quòd non intelligerent linguam Græcam, partim quòd nec rem ipſam, quæ intelligi abſque perfectâ Græcæ linguæ cognitione non poterat. Bacono enim recenſente, in *Epiſtolâ ad Clementem Papam*, vix quatuor illo tempore viri fuerunt, qui linguæ Græcæ aliquam notitiam habuerint. Quæ erant latinè reddita, ut erant admodum pauca, illa ad literatorum plebem haud devenerant; quæ erant jampridem factæ verſiones, vulgo etiam non innotuerant. Qui verò eô tempore vertendis, vel potius corrumpendis, bonis Autoribus operam commodarunt, recenſente Bacono, fuerunt Gerhardus Cremonenſis, Michaël Scotus, Alfredus Anglicus ſive Philoſophus, Hermannus Alemannus, Guilielmus Flemming, Magiſter Paraficius, de quibus ſingulis prolixius agit *eo in loco* Antonius à Wood. Rei Mathematicæ profundiſſima erat ignorantia, aitque Baconus *de Perſpectiva*, neminem ante annum 1267. aliquid præſtitiſſe, Pariſiis verò nihil eâ de re usque ad illud tempus innotuiſſe, imò Latinos omnes diſciplinam hanc penitus ignorare, ſi tres in Angliâ excipias. Addit quoque, *in opere de perſpectivis*, Julium Cæſarem Teleſcopii ope à Gallicano littore portus Angliæ urbesque maritimas ſpectaſſe, cùm bellum in eam meditaretur, quod certè ſcire vellem, quo argumento probaret. Nam hiſtoriæ omnes ſilent, & vulgo Teleſcopiorum inventio admodum recens habetur, quæ tamen non eſt. Nam Baco jam tùm Teleſcopium habuit, atque eo uſus eſt, nec tamen ſe ejus Inventorem jactat, ideoque jam ante tempora Baconis Tubum Opticum fuiſſe inventum neceſſe eſt, cujus tamen notitia nulla habetur. Illi certè antiqua viſa eſt ejus origo, cùm ad Julii Cæſaris etiam tempora reducat. Latent ſanè interdum aliqua arcana apud unum alterumve, quæ quia in publicum non proferuntur, vel non eſſe, vel periiſſe, putantur. Baconi uſus Tubi Optici Magiæ crimen peperit. Is verò, ut Opticam ſuam tueretur, non modò θαυματȣργίαν illis, quæ ad viſum pertinent, ſtatuit, ſed, in *Opere minori ad Clementem IV.* ait, *omnia ſciri per Perſpectiva, quoniam omnes rerum actiones fiunt ſecundum ſpecierum & virtutum multiplicationem, ab agentibus hujus mundi in materias patientes & leges hujusmodi multiplicationem non ſciuntur, niſi à Perſpectiva, nec alibi ſunt traditæ adhuc; cùm tamen non ſolùm ſint communes actioni in viſum, ſed in omnem ſenſum, & in totam mundi machinam, & in cæleſtibus, & inferioribus.* Quæ verba Baconis aliquid in receſſu habere videntur, & principia quædam ponere artibus quibusdam arcanioribus, aut curioſioribus; ſed tamen nihil ſiniſterius ſuſpicandum eſt, cùm, quæ illic habeantur, ulterius non ſint ad manus. Quæ autem ex eo hîc affert Antonius à Wood, illa ſatis ſanè explicari poſſunt. Sed iſta obiter omnia, quæ tamen non inutiliter hîc adducta ſunt. Ad Ariſtotelem noſtrum redimus, ejusque Philoſophiam, quæ ſequentibus temporibus majores vires ſumſit, cùm libri ejus è Græco in Latinum converterentur à Viris doctiſſimis, unde poſteà ſenſus Ariſtotelici melius potuerunt indagari. Poſtquam Conſtantinopolis capta eſt, ex iſta ruinâ ædificatæ ſunt literæ in Occidente, adeoque Græciæ calamitati debemus renatas bonas literas. Græci enim homines eruditi in

Italiam conceſſerunt, & bonorum Autorum copiam ſecum adduxerunt. Unde poſteà & correctiora fuerunt Exemplaria, & verſiones datæ accuratiores: Quod & rectè notat Gabriel Naudæus *in Additionibus ad hiſtoriam Ludovici Undecimi.*

7 Paſſim itaque per Scholas regnavit tùm Ariſtoteles, niſi quòd ſubinde etiam quidam exſtiterint, qui ejus doctrinam impugnarent, non omnes æquè docti. Quod Phyſicam ejus ſpectat, illam quidem adeò non omnibus placuiſſe, facilè credi poteſt, cùm multa in illâ contineantur, quæ ſe omnibus commendare non poſſunt. Sed qui omnia in Ariſtotele rejicere & carpere voluerunt, ii homines vel arrogantes mihi nimium videntur, ac parùm obſervantes majorum, vel etiam imperiti. Quò enim imperitiores ſunt homines, præſertim ingenioſi, quòd non omnia perreptarunt hujus Philoſophiæ latibula, eò promtiores illi ſunt ad dicam aliis, etiam ſummis nominibus, ſcribendam. Non erat, quare Petrus Ramus adeò in omnibus ſuggillaret Ariſtotelem, qui ipſe non meliora, imò longe minora, dedit. Quanquam *in Sholis Phyſicis*, quæ contra Ariſtotelem diſſeruit, fidem aliquam merentur. Legi illæ poſſunt, nam continetur in illis exacta disquiſitio eorum, in quibus à veteribus divortium fecit Ariſtoteles. Cujus ſtatus Controverſiæ diſputandi methodum, argumenta producta, ſecundum omnes partes ampliter examinat. Contra verò ejus principia ubique pugnat, adeoque veterum ſententias ab iſtis imputationibus abſolvit, quibus eas oneraverat Ariſtotoles. De ceteris diſciplinis, præter Phyſicam, nihil nunc dicemus, quandoquidem ad nos jam non ſpectant. In iis verò facile quidem primatum, ut ego puto, Ariſtoleli concedere poteramus, præſertim, quod Practicas diſciplinas & Dialecticam attinet, quam immeritò quidem, ut mihi videtur, adortus eſt Pet. Gassendus in *Exercitationibus* ſuis, ut vocat, *adverſus Ariſtotelicos*, in quibus tamen acerba & plena injuriarum omnia. Omnia enim impugnat, nihil ſani ab Ariſtotele dictum eſſe vult, totam Ariſtotelicam Philoſophiam ſpuriam eſſe, Sophiſticam, pejorem hiſtrionicâ, rixoſam duntaxat & altercationibus horridam, chimæricam, barbaram, tyrannicam, ignavam, nullâ autoritate, incertam, obſcuram, multis defectibus, inſufficientem, ſuperfluis & alienis ſcatentem, falſitatibus, impietatibus, calumniis & contradictionibus, plenam, toto *libro I. Exercitationum Anti-Peripateticarum* deducit. *Secundo libro* Analyticam Ariſtotelis aggreditur, ut quæ nihil, niſi frivola commenta & deliria contineat, ineptè rerum claſſes in decem categorias diſtinguat, futiliter, ſuperfluè & ridiculè multa de propoſitionibus, & de utrâque Analyſi, tradat. Addit, nullam dari poſſe demonſtrationem, vel definitionem Ariſtotelicam, nullamque ſcientiam, concluditque Pyrrhonios, qui nihil ſciri poſſe profitentur, naturæ non eſſe injurios. Reliquos 5. libros, nimirum in ἀκρόασιν *Phyſicam*, in *libros de corpore ſimplici*, in vulgares *Tractatus de mixtis*, in *Metaphyſicam* & *moralem Philoſophiam*, omiſit de amicorum conſiliô, eò quòd, propter prioris libri editionem, Peripatetici non parùm ſtomacharentur, quorum patientiâ abuti veritus eſt, teſtè Honorato Fabri, in *Epiſtolâ ad Pardeſium ſecundâ.* Qui eô in locô, ita de iſto Gaſſendi ſcripto judicat: *Ex hâc provincia Gaſſendus multam laudem non retulit. Non tamen deſunt,*

qui

qui velint, nec ego ipſe abnuerim, juvenilis ætatis ardore ac genio, & averſo animo, quo ſemper in Stagiritam fuit, hoc indulgendum eſſe. Omitto aliam cauſam Gymnaſticam, noſtris Gallo-Provincialibus ſatis compertam, quâ factum ſit Aquis ſextiis, ſicuti Bajonæ, & etiam alibi, ut alienus à novis Magiſtris animus in eam doctrinam, quàm ipſi tradebant, refunderetur. Idem ſuperius: *Nihil moror,* inquit, *Semiſciolos quosdam, qui, cùm ſint levioris armaturæ homines; Stagiritam, ejusque organum, ut futile & inutile quicquam, vellicare non ceſſant. Sed ne ſutor ultra crepidam; quanquam fortè acerbius illud melius quadraret; Sus Minervam. Nihil unquam ſolidius, nihil felicius, nihil præſtantius, excogitatum & ab hominis ingenio partum eſt; nihil ibi falſum & futile, nulla ibi contradictio vel ineptia, ut perperam Gaſſendus exprobrat.* Quod Viri iſtius judicium potiùs amplecti velim, quàm Gaſſendi ſententiam, qui, cavillatorem tantùm agens, meliora nos non docuit, quod facillimum eſſe quis neſcit? Inprimis in veterum illorum Autorum Scriptis, qui, cum unâ illâ contextus ſerie ſcribant, nec Methodo Scholaſticâ, per theſes & regulas, ſententias ſuas proponant, facilè ἀμεθοδείας cujusdam argui poſſunt, quod tantis viris exprobrare velle, leve nimis eſt, & futile, cùm iis gratiæ potius agendæ eſſent, quòd tantarum rerum theſauros nobis conſervaverint. Quis enim ante Ariſtotelem unquam de Dialecticis præceptis in ordinem redigendis cogitavit? & is tamen ita ordinavit omnia, ut, qui ingenium iſtius non miretur, aut beneficium æſtimet, improbus profectò & ingratus ſit. Absque enim illo fuiſſet, nemo fortaſſis extitiſſet, qui Dialectices præcepta, ac artem iſtam Analyticam, vel primoribus rudimentis delineaſſet. Quod ſi tam pulchro operi nævi quidam inhærent, non ideò exclamare ſtatim debemus, librum eſſe ineptum & inſulſum. Qui boni viri, ſi absque Ariſtotele eſſent, quem nunquam attentè legerunt, in re iſtâ magis muti eſſent, quàm piſces. Nunc, cùm primus is nobis fontem aperuit, anteà ignoratum, novi quidam Dialectici in rivulis ſuis, quos ab iſto fonte derivârunt, ſoli triumphare volunt. De Ramo rectè judicat Joh. Riolanus *in præfatione Tractatus de Principiis Phyſicis: Petrus Ramus*, inquit, *Phyſicis Sacris vix initiatus, Phyſicus videri vult, gradumque ſibi munit ad gloriam, cum ejus ruinâ, cujus umbram referre, vel ſi ſe ruperit, non poſſit.* De Phyſicis quanquam non adeò nunc dicam, in ceteris tamen tam acerbè tractari à Ramo Ariſtotelem, res eſt intolerabilis. Et in ipſis tamen Phyſicis habemus præclara multa, præcipuè *hiſtoriam* ejus *animalium*, quibus certè, velut theſauro quodam parato, uti nunc poſſumus. Quòd in generalibus Principiis ſint, quæ deſiderent nonnulli, res profectò tanti non eſt, ut conjurationem aliquam inſtituamus contra Ariſtotelem, aut exſcindere eum omnibus armis cupiamus. Nemo enim iſta, vel Veterum, vel Recentiorum Philoſophorum, ita firmaverit, ut nulli diſputationi ſint obnoxia. Urget iſta fatalis quædam obſcuritas, humano ingenio vix perveſtigabilis, quòd in aliquibus notionum aut conceptuum generalium umbris conquieſcet, lucem verò ipſam veritatis non aſſequetur. Sufficit illi, quædam ejus ſentire crepuſcula, & ſub creperâ iſta luce prominentes veritatis radios: interim in Empiricâ illâ ſpeciali exerceat ſe quantum poteſt. Qui Ariſtoteli ob ἀμεθόδειαν

indignantur, tanta non iſta eſt, quàm iſti putant; iis reſponſum velim, quod Salmaſius, *in præfatione funeris Helleniſtici*, reprehenſoribus ſuis objiciebat, *pretioſiora eſſe auri fruſta, temerè per acervum congeſta, quàm plumbi laminas ſpecioſo quodam artificio fabrefactas & expolitas.*

8 Nos, miſsâ hiſtoriâ Peripateticâ, ad principia Phyſicæ Ariſtotelicæ pedem movemus, cujus commodum eſſe poteſt Compendium FRIDEMANNI BECHMANNI *Syſtema Phyſicum*, in uſum Gymnaſii Gothani conſcriptum, & Jenæ A. 1664., *in 8vo*, non addito Autoris nomine, impreſſum. Succinctè enim omnia comprehendit, & paſſim nova Inventa, ſententiaſque Recentiorum, immiſcet. Principia Phyſicæ poſiturus Ariſtoteles, prolixè primùm diſputat contra veteres, inprimis ideò eos reprehendens, quòd nulla ſtatuerint adæquata Phyſices principia. In quo parùm ſincerè eum egiſſe, non rectè proponendo illorum ſententias, aut peregrinas illis ſententias affingendo, etiam ii ſuſpicantur, qui ceteroquin Peripateticæ Philoſophiæ ſunt addicti. Veteres autem Philoſophi ab Ariſtotele in eo reprehenduntur, quod vel unum ſtatuerint omnium principium, vel infinita. Unum principium *Parmenides* ex ſententiâ Ariſtotelis ſtatuebat, idemque immobile; ſed tamen vel ex ipſo Ariſtotele patet, eum principia inter ſe contraria definiviſſe, calidum & frigidum: E quô patet, non adeò abſurdum fuiſſe Parmenidem, ut nec fuerunt omnes illi, quos reprehendit Ariſtoteles, ut unum ſtatuerent principium, unde omnia conſtituerentur; niſi per unum illud principium fortè intellexerunt cauſam efficientem, vel materiam naturantem, ut Scholaſtici loquuntur. Aut, ſi unum aliquod ſtatuerunt, ſtatuerunt vel univerſum aliquid, aërem, aquam, quòd in ſe contineret contraria, aut quòd principiis rerum conſtitutivis eſſet pro vehiculo. Qui infinita ſtatuerunt principia, non tamen excluſiſſe putandi ſunt univerſaliora quædam corpora, aut maſſas corporum, ex Atomis conformibus compoſitorum, quæ miſti partes principaliores facerent. Argumenta Ariſtotelis, quibus pugnat contra unitatem principiorum & infinitatem principiorum, ſunt iſta: Si unum eſſet principium, nihil eſſet in naturâ contrarium, nulla corporum miſtio aut generatio, quæ tamen omnia procedant ex principiis contrariis. Cùm enim principia ſint, quæ non fiant ex ſe invicem, neque ex aliis, ſed ex iis omnia, neceſſe igitur eſt, ut omnia, quæ in naturâ fiant, ſint contraria. Quando verò conſideramus rationem, in quâ ponit fundamentum contrarietatis Ariſtoteles, ea admodum eſt imbecilla. Forma enim & privatio illi ſtatuuntur duo contraria principia, quæ quâ ratione contraria dici poſſint, niſi conceptu tantùm, non video. Nam ſanè privatio nullo modo locum meretur inter principia, ut purum aliquod non-Ens, cujus nullæ ſunt affectiones. Et ſanè, ſi in eo conſtitiſſet ratio contrarietatis principiorum, quàm facilè fuiſſet veteribus, etiam privationem ſuis principiis ſubſternere. Nam & ipſe dicere poſſum, privationem eſſe principium eorum etiam, quæ fiunt ſolâ primorum corporum congregatione. Ut enim partes alicujus miſti diſſimilaris adunentur, oportet prius non eſſe congregatas. An veriſimile eſt, aliquem tàm hebetem futurum, qui neſciat, veſtem non eſſe conſutam, ut conſuatur, lucernam non eſſe accen-

accenſam, ut accendatur ? Quare privationem rectè deſpexit Plato. Nec Veteribus iſta ſubtilitas in mentem venit, quibus illa oppoſitio principiorum conſiſtebat in ſubſtantiarum conſenſu atque diſſenſu, qui tantùm ratione diſtinguebatur à rebus ipſis. Propriè tamen ille conſenſus, vel diſſenſus, inter principia non reponebatur, quæ illa potius ſunt, quæ verè, realiter & intrinſecè conſtituunt corpus. Unde patet, malè diſputare Ariſtotelem contra Veteres, tùm quòd pervertat illorum ſententias, tùm quòd ratio illa, quâ pugnat, minus ſententiam ſuam ſtabiliat, quàm Veterum illorum ſententiæ ipſius Ariſtotelis opinionem confirmant, qui clariùs, meâ ſententiâ, & rectiùs viderunt, in quo conſiſteret principiorum contrarietas, quam adeò exaggerat Ariſtoteles, &, velut telum ab ipſo hoſte petitum, longè minori robore retorquet. Contra illos, qui infinita ſtatuunt principia, hoc argumento pugnat: Quoniam infiniti nulla ſit ſcientia, ac proinde nulla Phyſica, utpote cujus principia neſciantur. Quod argumentum quidem, ſi eo ſenſu capiant veteres, quo proponit Ariſtoteles, ſatis ſtringit. Quid verò, ſi illi negent, infinita ſe ſtatuiſſe? Quid ſi illi infinitas ſubſtantias, ad unum infinitum diſſimilare reductas, ſciri poſſe contendant, quod vel ipſe Ariſtoteles conceſſit, qui nec ipſe omnes rerum formas mente comprehendit, ſed ad unam reducit. Deinde & quærere hîc poſſet nonnemo: An natura, quaſi conciliabunda, in univerſi hujus molitione, hoc ſibi propoſuerit, nihil ſibi eſſe efficiendum, quod ſuperaret humanam intelligentiam, deliberanſque ſecum, an principiis finitis, an infinitis, uteretur, tandem ſtatuerit, infinitum eſſe amovendum, propterea, quod ſciri non poſſit. Infinita autem fortè etiam ipſi non ſtatuerent, quæ nullo comprehenſa eſſent numero, ſed, quæ magno & vaſto eſſent numero, quæ propriè non dicenda eſſent infinita, eſſent enim terminabilia. Dubitarent etiam aliqui, an abſolutè ad iſta principia redigenda ſint corpora naturalia, quæ generaliter prædicabit Ariſtoteles, an non quoque ſpecialiora ſint principia certarum ſpecierum & miſtorum corporum. Quæ infinita ſi quis dixerit, habito ad multitudinem rerum creatarum, & corporum miſtorum, reſpectu, non abſurdus adeò eſſet. Quô fortè ſenſu aliqui inter Veteres acceptum voluerunt, cùm infinita ſtatuerent principia, quæ quanquam ad generalem illam materiæ & formæ notionem reduci omnia poſſunt, atque adeò iſtis conceptis terminis iſta infinitas deſcribi, nihil tamen veri huic ſcientiæ ſubeſt, neque eſt accurata quædam rei cognitio, ut meritò uſurpes hîc illud Poëtæ:

Pergula pictorum ; veri nihil, omnia ficta.

Quòd ſi etiam ad quaternarium Elementorum omnia reduxeris, nihilo eris ſapientior. Nam & hîc omnia perplexa & obſcura. Neque enim certi eſſe poſſumus, quâ ratione ad hujus vel illius miſti compoſitionem Elementa, aut quâ proportione, miſceantur, neque veroſimile eſt, ſi naturam rerum conſulamus, ex Elementorum corpuſculis (quorum & numerus ipſe diſputationi ſubjacet) πρώτως compoſita eſſe miſta. Quid enim vetat, naturam in miſtione rerum uti propioribus quibuſdam principiis, quàm Elementis, in quorum indagatione præ ceteris verſari induſtria Philoſophi debebat, neque iſta conſideratio adeò eliminari, ut quæ vel non deceret Philoſophum, vel ob

infinitatem ſuam excederet intellectum ejus. Si quis in ſubterraneis corporibus conſideret mineralium ſpecies penè infinitas, non eſt veroſimile, illas ex Elementis compoſitas eſſe à naturâ, ſed à corporibus quibusdam propinquioribus, quæ tamen ad hujus vel illius mineralis compoſitionem principii ſe inſtar habent. Hinc rectè à Phyſicis Recentioribus quibusdam, corpora quædam compoſita habentur, quædam decompoſita, id eſt, quæ è compoſitis iterum ſunt compoſita, quemadmodum beneficio ignis, per artem, interdum conficere poſſumus nova aliqua corpora, quæ & ipsâ externâ facie & modo operandi ab iis differunt, è quibus ſunt compoſita. Ita eodem modo in naturâ fieri, atque in regno iſto ſubterraneo, valdè eſt veroſimile. Quare, qui iſta omnia indagare volet, non quidem omnia explorabit, ſed tamen fortaſſis aliqua, atque ex hoc ſuo examine diſcet, ad intelligentiam ſpecialiſſimam Phyſicam opus ſibi eſſe infinitis, ut ita dicamus, principiis, quæ in ordinem tamen, per Analogiſmum ingenii inſtitutum, reduci poſſunt. Atque iſta cauſa eſt, quòd rerum naturam in ipſo fundo ſuo occupare nonnulli maluerint, ferro & igne eam aggreſſi, quàm, generalibus quibusdam conceptibus freti, à præconceptis quibusdam opinionibus rerum naturalium veritate fraudari.

9 Ariſtoteli principia generationis tria conſtituuntur, *materia*, *forma* & *privato*, de quibus omnia confuſa ſunt & intricatiſſima, totque hìc ſunt ſpinoſæ Scholaſticorum difficultates, ut cerebrum prius ruperis, quàm monſtroſos iſtos animo conceptus comprehendas, quos ubi omnes ad vivum ſecueris, & in omnes partes verſaveris, nihil adeò colliges, quod ſatisfacere animo poſſit. De primâ materiâ, Dî boni, quàm ſunt mirabiles ſententiæ, *quas non ſani eſſe hominis, non ſanus juret Oreſtes*, quod è fluctuatione Interpretum facilè deprehendas. Materia prima Ariſtoteli eſt & non eſt, Entis larva & ſimulachrum, nihil actu, omnia poteſtate, formarum omnium avida, nullius tenax, generationis & corruptionis ſubjectum, cùm ipſa ſit ingenerabilis & incorruptibilis. Atque iſtæ materiæ primæ deſcriptiones, velut lacera quædam Hippolyti membra, undique ex Ariſtotelis textibus colliguntur, nullo enim in loco integram ejus definitionem propoſuit, quàm fortaſſis nec ipſe dare potuit, nec alii daturi ſunt. Aliquando eam definit primum potentia corpus ſenſibile, interdum illam non omnimodò formâ deſtitutam, ſed etiam nullo Entis genere concluſam exhibet, adeò, ut neque ſit quid, hoc eſt ſubſtantia, neque quantum, neque quale, neque quicquam eorum, quibus Ens determinatur. In Phyſicis ita definit: *Subjectum uniuscujusque, ex quo ſit aliquid, cùm inſit, non ſecundum accidens*; quæ verba *cùm inſit*, quid ſibi velint, non ſatis patet, niſi fortè eam ob cauſam ſunt adjecta, ut diſtingueret à materiâ transeunte, ut eſt vinum reſpectu aceti. Addit, *non ſecundum accidens*, ut oſtendat, ex materiâ & formâ unum per ſe, hoc eſt unius Eſſentiæ corpus, non aggregatum quoddam per accidens, conflatum. Interpretes Ariſtotelici novos hìc nodos nectunt, & Thomiſtæ quidem materiam ita eſſe puram potentiam exiſtimant, ut omnis omninò actus & exiſtentiæ ſit expers. Alii negant materiam omni actu, ſaltem Metaphyſico, ſive Exiſtentiâ, eſſe deſtitutam. Quæ omnia ſi quis inter ſe contulerit, nihil

tot

tot ſubtilitatibus ſubeſſe deprehendet, quàm conceptum aliquem materiæ, qui merum ſit aliquod Ens rationis, nec amplius quicquam inferat, quàm ſumma illa rerum genera, quæ Dialecticis ſtatuuntur, quæ non ſunt niſi conceptus de rebus, eum in finem adornati, ut ſub eorum claſſibus res diſtingui, & in ordinem redigi, poſſint. Quæ ſi quis pro principiis rerum habiturus eſſet, is certè nihil diceret, ut ſanè ex tot ſubtilibus de materiâ & formâ diſputationibus nihil firmi ſolidique poſſit demonſtrari. Ex hac perplexâ Ariſtotelis, de materiâ primâ, ſententiâ aliqui exiſtimarunt, Ariſtotelem per materiam primam intelligere Deum. Scholaſtici quidem perſuadere nobis volunt, quòd Ariſtoteles materiæ primæ creationem ex nihilo agnoverit. Sed certum eſt, Ariſtotelem illam, non coæternam tantùm Deo, ſed increatam etam ſtatuiſſe; ac Scholaſtici quidem ex Ariſtotele voluerunt reddere Chriſtianum. Ex Ariſtotele tamen non patet, illum materiam primam pro Deo habuiſſe. Quanquam enim de illâ occurrant apud Ariſtotelem prædicata ingenerabilitatis & incorruptibilitatis: tamen alterum ille agnoſcit principium incorporeum, activum, formoſum, conſilii plenum, fontem boni, atque ita duo ſtatuit principia æterna, quorum unum, quod modò nominavi, Dei nomine vocatur, alterum illa materia prima eſt, principium ſcil. corporeum, paſſivum, informe, brutum. Satis itaque ex eo patet, non eam fuiſſe mentem Ariſtotelis; quanquam etiam non determinet, quid ſit iſta materia ſua prima. Nam, ſi materiam chaoticam intelligat, non certè conveniunt illi prædicata iſta, aliàs ſibi contraria. Nec video, quâ ratione tunc Subjectum generationis dici poſſit. Qui *Metaphyſicas contemplationes* ſcripſit, Henricus Mohr, Anglus, totus illo libro in eo eſt, ut demonſtret, eſſe aliquod in naturâ immobile, quod non corpus ſit, & tamen extenſum, quoniam extenſio ejus animadverti poſſit, ſaltem in iis partibus, quibus non continentur ab eo diſtinctæ. Illud à materiâ mobili diſtinguit, atque adeò putat, rem eſſe ſpiritalem, ſi non ipſum Deum. Hanc tamen non eſſe materiam primam Ariſtotelicam, nec ſubtilem Carteſianam, contendit, ſed aliquod à materiâ diſtinctum principium immateriale, imò ipſum Deum, quod neſcio, quomodo auribus Chriſtianorum inſolens eſt & durum. Id autem miror, quòd corporis notionem hîc excludat, cùm tamen extenſum agnoſcat. Sed is, ut ex libro ejus *de immortalitate animæ* patet, nec extenſionem Spiritibus negat, quos eâdem ratione etiam corpora, cum Tertulliano, poterat dixiſſe, & cum populari ſuo, Hobbeſio. Ille verò materiam primam deſcribit per Phyſicarum Monadum, (i. e. particularum, adeò minutarum, ut ulterius dividi non poſſint, vel in partes diſcerpi) congeries homogeneas, quæ ſe invicem penetrare non poſſunt, nec ſuâpte naturâ cohærere, quæque quantumvis contiguæ ſint, ſint tamen actu ſolutæ, & quanquam moveri queunt, quieſcentes ſunt nihilominus & immotæ. Hæc ejus materia prima nihil differt ab Atomis Epicureis, & quodammodo etiam cùm Ariſtotelicâ convenit, quam licet ille genus generaliſſimum omnium rerum corporearum potius, quàm veram ac realem materiam, exiſtimet, non malè tamen poſſunt prædicata illa Ariſtotelis etiam in hanc conferri. Eo tamen maximè differunt, quod materiam ſuam primam mobilem faciat,

cùm contrà faciat Ariſtoteles. Illud infinitum verò extenſum immobile facit, unde jam velim explicet nobis, à quo principio motus communicetur materiæ; illud enim infinitum extenſum immobile eſt, ac proinde movendi vim non habet. Meâ quidem ſententiâ materia prima Peripatetica, ut nudum aliquod figmentum & chimæra, ejiciatur è Phyſicis. Quæ enim neceſſitas nos cogit, aliam fingere materiam primam, quàm Elementa, ut ſi quæ ſint alia corpora ſimplicia, in qua ultimò mixta reſolvuntur, cùm ex iis cuncta prodierint. Nam, ſi quis de corporibus ſimplicibus quærere velit, è quâ materiâ illa ſint compoſita, inutiliter quæret. In mixto corpore tantùm quæritur illa proportio materiæ & formæ, in ſimplici vero Elemento nihil materiæ aut formæ locum obtinebit, cùm illius partes omnes homogeneæ. Quis in materiam & formam eas ſecabit? quis demonſtrabit? cogitatione cum Ariſtotele quidem complecti poſſumus materiam aliquam communem, Protei inſtar in omnes naturas verſatilem, ſed illa nullo modo explicari poteſt aut concipi. Et quid opus eſt, materiam iſtam communem fingere, cùm Elementa poſſint eſſe prima corpora, ac primò ita creata, ut non ſtatim ad materiam aliquam, vel formam generaliorem, nobis abeundum ſit, ac debet ſanè terminus quidam eſſe inter conceptus & res. Iſte eſt ingenii humani morbus, ut nunquam poſſit ſubſiſtere. Ubi in prima incidit, priora illis, ſi non invenit, fingit, cùm neceſſariò in aliquo ſubſiſtendum ſit, niſi velimus abire extra naturam ſenſilem, ſuper quam tamen fundanda ſunt naturæ principia. Ex hâc tamen communitate & univerſitate materiæ, quæ in naturâ non reperitur, ſed in ingenio tantùm Ariſtotelis ſita eſt, multa ſequuta ſunt per totam Philoſophiam Ariſtotelis paradoxa, quæ, ſi abſque hac materiâ primâ eſſent, facilè ruerent, ac ruunt etiam facilè, quandoquidem ejus nulla certa eſt demonſtratio. Huic doctrinæ ſuperſtructa eſt illa Elementorum transmutatio, magnum doctrinæ Peripateticæ principium, ſuper quo multa etiam alia fundantur. At iſta Elementorum transmutatio, nec re ipsâ demonſtrabilis eſt, nec habet in naturâ fundamentum, ideoque omnia illa, quæ huic doctrinæ ſuperſtruuntur, ſubleſta ſunt & infirma. De quibus omnibus hoc in loco, ubi generalia tantùm perſequimur, diſſerendi locus non eſt.

10 Qui diverſitatem doctrinæ Peripateticæ & Platonicæ quaſi compendio noſſe cupit, legat Autores, quos ſuprà nominavimus, qui de differentiâ Philoſophiæ Ariſtotelicæ & Platonicæ ſcripſerunt, aut conciliare utriusque ſententiam laborarunt. Gabr. Buratellus, *in conciliatione plurimarum Controverſiarum Ariſtotelis cùm Platone*, potiſſimas ejus controverſias, per theſes & antitheſes proponit. Indiculum eorum, in quibus differunt Ariſtoteles & Plato, texuit etiam Sorellus in *Scientiâ* ſuâ *Univerſali, capite de iis, qui contra Ariſtotelem ſcripſerunt.* Inter eos, qui contra Ariſtotelem ſcripſerunt, ex Eccleſiæ Patribus antiquis, eſt S. Juſtinus, Philoſophus & Martyr, qui ex *Apologiâ pro Chriſtianis* ſcriptâ ſatis celebris & notus eſt. Is ſcil. partem aliquam religionis interpretatus eſt, impugnare Philoſophiam Ariſtotelis, quam, ut profanam, & errorum ac hæreſium promicondam, à Chriſtianis hominibus rejiciendam eſſe vult. Ac primò quidem incertitudinem principiorum Phyſicorum, non Ariſtotelis tantùm, ſed

ſed & reliquorum Philoſophorum, ob oculos ponit. Quo argumento perſuadere vult, ut potius amplectamur, quæ de re Phyſicâ in S. literis docemur, quàm quæ à Philoſophis, ac inprimis ab Ariſtotele, docentur, ſibi repugnantia, falſa & ſophiſtica. Pergit & inde ad reliqua ejus principia & dogmata, eaque doctè ſatis, & philoſophicis etiam argumentis, refutat, ut proinde, qui nuper admodum contra Ariſtotelem ſcripſerunt, falsò ſibi gloriam novationis illius vindicent. Apud Juſtinum enim jam tùm potiſſimum philoſophica illa dogmata examinata ſunt, ac prolixè diſputata. E Recentioribus multi extiterunt, qui Ariſtotelis doctrinam facto agmine impugnârunt, de quibus *Capp. ſeqq.* videbimus.

CAP. XIII.

DE RECENTIORIBUS IN DOCTRINA PHYSICA NOVATORIBUS, QUI AB ARISTOTELE DIVORTIUM FECERUNT, ET PRIMO QUIDEM DE BERNHARDINO TELESIO, EJUSQUE PRINCIPIIS.

§. 1. *Philoſophiæ Ariſtotelicæ Naturalis Ævo ſequiori Monarchia, & per Æg. Romanum, aliosque Scholaſticos, corruptelæ. 2. Primus eam inter Recentiores impugnavit, ac Parmenidis viciſſim Phyſicam, duoque principia, ignem & Terram, in lucem revocavit, Bernhardinus Teleſius, modeſtè tamen imperfectionem ſpeculationum ſuarum confeſſus. Verulamii de illo, ejusque nævis, judicium. 3. Antagoniſtam Teleſius habuit Martam, Hyperaſpiſten autem adverſus hunc Thom. Campanellam. 4. Dogmatum Teleſii de duobus principiis, Calore, ſive Igne, Cœlo, & Frigore, Terræ proprio, Materiaque, quam, velut tertium, his adjungit, Qualitatibus item horum ac Miſtionibus, indeque derivandis omnibus Naturæ Operationibus ac Phænomenis, recenſus prolixior, cui ſubinde Verulamii ac Autoris de iis judicia inſperguntur. 5. Cenſura Generalis de Principiorum Naturalium Fabricatoribus, defectibus illorum ac Vitiis, horumque cauſis, & Principiorum verorum Inventionis difficultate penè inſuperabili. 6. Cenſura & refutatio ſpecialis principiorum Phyſicorum Teleſii, cui laus ejus & nævorum excuſatio ſubjungitur, adjectis Ariſtotelis & Carteſii de verorum naturæ principiorum imperveſtigabilitate confeſſionibus.*

Ecepta fuit Peripatetica Philoſophia, penè ſola & unica, per univerſi orbis Academias, tantâ quidem ſuperſtitione, ut piaculo ſimile haberetur, vel latum unguem ab illâ diſceſſiſſe. Quanquam tamen & illi, qui ſe Peripateticos jactabant, ipſi neſciebant interdum veras Ariſtotelis ſententias, aut, velut ænigmata aliqua, ex ſuo ingenio explicabant, omniaque incruſtabant ineptis quæſtiunculis & vitilitigiis, quæ plenâ manu ſpargebant Scholaſtici, ſubtiles quidem rerum notionalium ſpeculatores, ſed revera ſolidæ Philoſophiæ, præcipuè naturalis, corruptores. 1

ruptores. Non potui ſæpè ſine riſu legere, quæ Ægidius Romanus, inter Scholaſticos illos non è poſtremis, in doctrinâ phyſicâ ſuâ molitur: Deus bone! quot hic de materiâ primâ, formis & privatione futiles & inanes leguntur controverſiæ, in quibus adeò ſudat ille homo, *diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis*, ut, in iſtâ rerum & cogitationum perplexitate, quid ſibi velit, non capias. Illi tamen homines tùm temporis triumphos ducebant, & mirè ſibi placebant Philoſophiâ hâc imaginariâ. Quare cùm literarum lux affulgeret, paulatim imminuta eſt horum hominum autoritas, atque iſto opinionum regno ſunt dejecti, quanquam Ariſtotelis tamen nomen venerabile ſemper fuit.

2 Tandem etiam ejus doctrina à nonnullis in dubium vocata eſt, atque inter illos, qui Philoſophiam ejus naturalem impugnarunt, primo loco memorandus eſt BERNHARDINUS TELESIUS, (*aa*) Conſentinus Italus, cujus extat *de rerum naturâ, juxta principia propria, Commentarius*, diſtinctus, qui prodiit Neapoli *in folio*, anno 1587. Laudari hic Autor vel eam ob cauſam poteſt, quòd primus auſus fuerit lacertos erigere adverſus homines illos, qui uni Ariſtoteli omnia tribuebant, atque nihil alios ſapere credebant. Sequutus eſt verò, ut omnes Novatores, ſententiam aliquam veterem, quam aſſumpſit, & ratiociniis ſuis firmavit quaſi & fundavit adverſus Ariſtotelem. Nihil enim ab iſtis Novatoribus dictum eſt, aut operoſis etiam Commentariis inculcatum, quod non alicui Veterum in mentem venerit, quorum licet Syſtemata integra non habeamus, quæ ab iis ſuô tempore concepta fuiſſe, & in Scholis inculcata, credibile eſt, fragmenta tamen aliqua nobis ſervârunt, tùm Laërtius, tùm Plutarchus, è quibus ſagacitas ingenii, per combinationes rerum, & progreſſum mentis ab univerſalibus ad ſpecialia, facilè potuit novum aliquod Syſtema conficere. Noſter Teleſius Parmenidis ſententiam ſequutus eſt. Is ſcil. duo principia rerum ſtatuebat, ignem ſive cœlum, & terram. Solem & ſidera verum ignem eſſe aſſerebat, eumque purum & limpidum, non degenerem iſtum, qualis apud nos eſt. Ceterùm principiorum ejus perexigua eſt memoria, niſi fortè in libello illo, quem Plutarchus *de primo frigido* conſcripſit, aliqua Philoſophiæ ejus continentur, quæ fortè ab homine Scholæ Parmenidis addicto exſcripſit Plutarchus. Nam, ut rectè judicat Verulamius, acutiora in iſto libro & firmiora habentur, quàm ſolent eſſe iſtius Autoris, qui ea vulgavit, atque iis excitatum putat idem Autor Teleſium, ut ea ſtudioſè arriperet, & ſtrenuè perſequeretur, in ſuis *de naturâ rerum* Commentariis. Eum tamen Autorem, judicat, deſtruendo, quàm aſtruendo, eſſe meliorem. Multis enim dubiis adeò ſe involvit, ut expedire ſeſe non poſſit. Eſtque inter illos, judice Verulamio, qui, cùm prius opinantur, quàm experiuntur, ubi ad res particulares ventum eſt, ingenio & rebus abutuntur, atque tàm ingenium, quàm res, miſerè lacerant & torquent. Quare & ipſe Teleſius, quaſi deſperabundus, hanc imperfectionem ſuorum principiorum teſtatur, ac voto prætereà ulteriorem culturam expetit. In modis rerum, & gene-

(*aa*) De Bernhardino Teleſio, ejusque Hypotheſibus Phyſicis confer *Tomi hujus Secundi Lib. I. cap. 15. §. 2.*

generationibus earum, & miſtionibus, multa eſſe obſcura, fatetur, ac minimè inquirenda, quæque homini nullâ innoteſcere queant ratione. *Utinam*, inquit, *id otio fruentes, & perſpicaciori ingenio præditi, & quibus in ſummâ tranquillitate rerum naturam perſcrutari licuerit, aſſequantur, ut homines non omnium modò ſcientes, ſed omnium ferè potentes, fiant.* Quâ ingenuâ ſuâ confeſſione laudandus eſt Vir doctiſſimus, præ illis, qui omninò impoſſibile ſtatuunt, ut id aſſequantur homines, quod ipſi principiis ſuis aſſequi non potuerunt.

Adverſus illum ſcripſit librum, undecim annorum labore confectum, *Martha*, teſte Frythræo, *Pinacothecâ I. Imagine 21.* Quem undecim menſium ſcripto refutavit Thomas Campanella, acerrimus Teleſii propugnator, ut teſtatur Erythræus, *eod. loco. Teleſii*, inquit *ille, nomine audito, ejus Philoſophi librum, intra paucos dies decoravit, ejusque philoſophandi rationem penitus perſpexit atque probavit. Nec mora, undecim menſibus ad Marthæ librum, undecim annorum labore ſtudioque contra Teleſium exaratum, reſcripſit.* Qui libri an lucem publicam aſpexerint, me equidem latet. Neque enim quicquam ejus rei mihi cognitum eſt. Si in lucem prodiiſſent, multa utique præclara ex eâ velitatione diſcere poteramus. Subtile enim admodum eſt Campanellæ ingenium, atque ampliſſimè per omnia ſcientiarum latibula extenſum, de quo ſpeciatim nobis dicendum erit. 3

Nunc ad Teleſium redimus, ejusque principia breviter atque ſummatim recenſebimus. Primas conſtituit formas & ſubſtantias, quæ tamen incorporeæ ſint, calorem & frigus, quibus corpus tamen largiatur materia, quæ utriusque naturæ ex æquô ſit ſuſceptiva, ac omnis actionis expers. Lucem vocat calorem diſſipatum, quæ iterum poſſit per conſtipationem ſui fieri ſenſibilis, opacitatem vocat deſtitutionem & confuſionem naturæ radiantis ex frigore. Rarum & denſum quaſi caloris & frigoris texturæ illi ſunt, à calore raritas, à frigore denſitas. Hinc vel proclivitas ad motum, vel ad quietem. Duobus itaque his principiis ſociat quaſi quasdam naturas, priori calidum, lucidum, rarum, mobile, alteri oppoſitas, frigidum, opacum, denſum, immobile. Naturas primi ordinis (caloris ſcil.,) eminenter tales, ponit in ſole, cœlo & ſideribus. Naturas alterius principii in terrâ. Cœlum enim eſt è ſummo calore, materia rariſſima & lucidiſſima, illi confectum: Terra ex frigore quaſi conſtipata atque condenſata. In cœlo dominari caloris naturam ait integram, & ab omni inſultu principii contrarii liberam; quanquam ſecundum magis & minus variat: Corpora enim ſtellata intenſius calere, inter ſtellaria remiſſius; ipſas etiam ſtellas aliis alias eſſe ardentiores, citra tamen frigidi receptionem; recipere enim diverſitatem naturæ, non contrarietatem, de quo judicium ferri non poſſit ex igne noſtro communi. Cœlo competere quoque luciditatem, itidem ſecundum magis & minus, alias enim cœli partes lucidiores eſſe aliis; etiam ſtellas, quod viæ lacteæ exemplo confirmat. Cœlum quoque habere ſubſtantiam tenuem & raram, ſed tamen aliâ parte materiæ magis explicatam, aliâ minus explicatam, ſortiri. Cœlo motum eſſe proprium, circularem naturâ quidem ſuâ, ſed qui tamen etiam ab iſto ordine nonnunquam divertat. 4

Nam

Nam vel latione, vel incitatione, vel obliquitate, differre, ut ſit vel celerior, vel tardior, vel ſpiralis, ex quo motu poſteà, acceſſionis ſcil. ſolis & receſſionis, cauſas generationis & corruptionis deducit. Ex oppoſito terræ quoque portionem illam frigidi intemeratam atque integram adſcribit, quæ nunquam penetret ad ſedem caloris cœlum; in ejus verò ſuperficie, quæ quaſi cortex vel cruſta terræ eſt, generationis illum fundum ponit, in quo velut extremo, concurrant quaſi & confligant geminæ iſtæ naturæ, unde ex ſubactione materiæ fiant iſta corpora, quæ fieri videmus, ita, ut ſingula, ſive illa ſint vegetabilia, ſive mineralia, aliquid in ſe cœli vel caloris, recipiant, cœlum contrà aliquid frigidi, è quorum ſubactione mutuâ tandem corpus aliquod concreſcat; cùm pura iſta elementa caloris in ſummâ cœli parte, frigidi in ipſo centro terræ, conſerventur. Atque ſic quaſi in regni ſui inferioribus ſecurâ pace fruuntur, cùm circa fines perpetuum bellum ſit, atque ex eo, prout victoria ceſſerit, corpora fiunt, in quibus vel frigus dominatur, vel calor. Ex pacto enim, & æquali aliquo fœdere, nihil fieri ſtatuit. Sed imbellius principium neceſſariò ſervit, validius prædominatur. Ubi tamen aliquid etiam dotis & facultatis tribuere materiæ videtur Teleſius, quanquam titubanter id faciat, & cum hæſitatione. Ulterius modum tradit Teleſius, quomodo ex iſtâ luctâ tam fœcunda generatio fieri poſſit; quem ut definiat, primùm cauſas ponit, quare terra jamdudum à ſole deſtructa non ſit, vel deſtrui non poſſit, cùm unumquodque principium ſemper ſibi ſimile laboret reddere alterum, ſol, quantum in ſe eſt, terram laboret convertere in ſolem; ac terra vice versâ ſolem in terram. Cauſas itaque impedientes hujus mutationis reponit, 1. in diſtantiâ. 2. declinatione radiorum ſolis à perpendiculo. 3. Obliquitate motûs ſolis per zodiacum. 4. Celeritate motûs ſolaris. 5. Contiguitate corporum inter ſolem & terram, quibus intermediantibus quaſi franguntur & fatigantur caloris vires. Ex iſtis cauſis varias ſortitur operationes calor, vehementer inæquales, & diverſas, & perplexas. Fit autem iſta operatio, vel per vim caloris, vel per diſpoſitionem materiæ, vel per modum ſubactionis, quæ tria, inter ſe connexa, ſibi ipſis quaſi concauſæ ſunt. Calor differt vi, copiâ, morâ, medio, ſucceſſione. Succeſſio variatur accedentiâ, recedentiâ, intentione, remiſſione, ſaltu, gradu, reditu, vel repetitione, per majora aut minora intervalla. Prout itaque calores variant, ita etiam operantur. Ipſi quoque calores inter ſe, prout gradu differunt, majores minores abſorbent; qui aliquid cum frigore commune habere videntur, aut cum ipſo conſpirare. Copia caloris demonſtrari poteſt, vel in multiplicatione radiorum ſolis, vel in perpendicularitate. Mora quoque caloris quantum efficiat, diverſitas climatum oſtendit, in quibus mora rependit calorem, quem aliâ parte perpendicularitas efficiebat. Medii ſingularis efficacia eſt in deferendo calore, unde tot tempeſtates oriuntur, tot aëris diſpoſitiones ſunt, vel ſalubres, vel noxiæ. Ipſa caloris ſucceſſio, per motum ſolis, tot generationum cauſa eſt illi. Abſque eâ enim ſi eſſet, non poſſet tanta eſſe rerum varietas & viciſſitudo. Per eam enim corpus ſolis ſe omnibus terræ partibus accommodat, & viciſſitudine illâ efficit, ut nulla ejus pars calore careat, quod Ariſtoteles

quo-

quoque vidit, qui generationem & corruptionem rerum viæ obliquæ ſolis tribuit. In eo tamen reprehenditur à Teleſio, quòd generationem ſeorſim accedentiæ, corruptionem recedentiæ tribuat, cùm utramque utrique conjunctim tribuere debuiſſet. Nam, ut accedentia ſolis quædam generat, ita viciſſim quædam corrumpit, quemadmodum & recedentia ſolis facit.

Hujus effigiem quandam & imaginem in igne noſtro habemus, inter quos calores nulla ἑτερογένεια eſt, niſi quòd miniſterio noſtro gradus illi produci non poſſint, aut caloris iſtius viciſſitudines ita temperari, quemadmodum ſolaris calor circa terræ corpus diſpenſatur. Contraria principii, frigidi ſcil., nulla eſt accurata apud hunc Autorem diſpenſatio, niſi fortè ea, quæ de materiæ diſpoſitione dixerat, eò referri velit. Sed tamen diſtincta hæc conſiderandi ratio eſt. Diſtincta enim eſt natura materiæ, & illi, quaſi tertium aliquod principium, prioribus additur. Quare in eo ſupplet hic Verulamius Autoris Philoſophiam, & oſtendit, quid de frigidi naturâ dicere ſpeciatim potuiſſet, atque ex eâ principiis ſuis accommodare. De materiâ verò non ſatis certum eſt, an non dotes aliquas Autor illi adſcribat. Quantum enim ex ejus aſſertis patet, non merè paſſivè ſe habet materia, ſed aliquid confert ad conſtitutionem corporis operandam. Qualitates verò generales materiæ Teleſio in eo conſiſtunt, ut actionem caloris promoveat, impediat, mutet. Differentias autem conſtituit quadruplices. Prima eſt ex calore præinexiſtente, aut non præinexiſtente. Exiſtimat enim Teleſius, nullum eſſe corpus, cui non inſit aliquid caloris, qui ab adventitio calore ad actiones ſuas peragandas excitetur ſuo iſto modulo; quare quemadmodum, vel major, vel minor, ille calor eſt, eò tardior vel celerior eſt caloris externi conceptus. Secunda differentia eſt ex copiâ vel paucitate materiæ; ſi enim denſa fuerit, caloris vires augentur & intenduntur, ſi laxior, diſperguntur. Tertia differentia ſumitur ex ſubactione materiæ, quæ ſecundum gradus ſuos multiplex eſt. Hos gradus conſtituit: Primò lentorem, quem vocat materiæ diſpoſitionem, quâ illa compreſſionis & extenſionis patiens, fluxibilis ac ductibilis eſt, ac majorem violentiam ſuſtinere apta. Secundus illi gradus eſt mollities, cùm corpus levi etiam impulſioni cedit. Tertius illi gradus eſt viſcoſitas, ſ. tenacitas, quæ principium quoddam fluoris eſt. Quartus gradus eſt ipſe fluor, quando facilè movetur corpus, atque ægrè definitur & conſiſtit. Quintus gradus eſt vapor, cùm corpus attenuatur in intactile. Sextus gradus eſt halitus, qui vapor magis eſt attenuatus. Septimus aër ipſe eſt, quem calore nativo præditum eſſe ſtatuit Teleſius. Quarta differentiæ ratio eſt ex clauſurâ vel aperturâ corporis ſubacti; aliter enim calor in compacta, aliter in poroſa corpora, operatur. Hic verò ſatagit Teleſius, ut omnia principiis ſuis accommodet, ut expediat modum divortii & ſeparationis qualitatum ſuarum primarum connaturalium, caloris, lucis, tenuitatis & mobilitatis, & quaternionis oppoſitæ, prout corporibus accidunt. Aliqua enim corpora ſunt calida, & tamen denſa, quieta, nigra. Aliqua ita permutant has naturas, ut, quomodo expediri iſta poſſint, non facilè invenias. Hac in parte infelices fuiſſe Teleſii conatus, tùm Verulamius ait, tùm ipſe

Autor fatetur iis verbis, quæ ſuprà adduximus. Porrò ſubactionis modus triplici dogmate Teleſii abſolvitur. Primum eſt, quod omnis effectus in corpore naturali victoriâ & prædominantiâ conſtituatur, non verò æquali potentiâ. Secundum eſt quod calor actione propriâ corpora ſemper vertat in Ens humidum. Calori enim non ſiccitatem adſcribit Teleſius, ſed humiditatem, quare per illum flamma eſt omnium humidiſſima, quod facillimè cedat, & ægrè conſiſtat. Itaque, ait, calorem humidum perpetuò allicere, depaſcere, extendere: contra frigus agere omnia in ſiccitatem, concretionem, duritiem. Quam ob cauſam ſuccenſet Ariſtoteli, quod non rectè ſiccitatem cum calore copulaverit. Quòd verò interdum deſiccentur corpora per calorem, id fieri dicit Teleſius per accidens, in corpore ſcil. diſſimilari, partibus, partim tenuibus, partim craſſis, conſtante, eliciendo per attenuationem primò partes tenuiores, unde craſſiores ſe conſtringant, quæ tamen & ipſæ in humidum cedant, ſi violentiori igne urgeantur, quod exemplo laterum probat, quorum partes tenuiores primùm per ignem attenuentur & ejiciantur; ſi verò fortior calor acceſſerit, lateritia ſubſtantia in vitrum tandem abeat, quod absque fluore confici non poteſt. Tertium dogma perſpicuè diſtinguit ſubactionis modum, qui duplex eſt, vel rejiciendo, vel vertendo, quando ſcil. calidum & frigidum magnâ mole concurrunt, tùm ſequitur ejectio (Entia enim loco moventur & impelluntur,) ubi verò minori quantitate res geritur, tùm ſequitur verſio: tùm enim interimuntur Entia, & naturam potiùs, quàm locum, mutant. Hujus rei exemplum exhibet in regionibus aëris ſuperioribus, qui frigidiores reperiuntur, quàm ſunt illæ, quæ terræ propiores. In illis enim locis, ubi ad ſedem primi calidi propius perventum eſt, calorem, ſe colligentem, univerſam frigoris vim ſimul ejicere & detrudere, ait, unde & ſimiliter vice verſâ in terrâ fieri poſſit, quod calores vehementiores in profundo ejus ſint, quàm in ſuperficie. Alter ejus canon eſt, quòd in aperto ſequitur ejectio, in clauſo verſio, quod probat exemplo vaſorum occluſorum, in quibus emiſſio corporis attenuati, ſive Spiritus, impedita, isque retruſus, corpora per fermentationem alterat. Quod idem etiam fit, ſi corpus adeò compactum eſt, ut egredi Spiritus non poſſit. Atque iſta ferè ſunt, quæ Teleſio circa rerum principia viſa ſunt, quæ cum Parmenidis principiis fortaſſè conveniunt, niſi quòd Teleſius illis materiam addidit, in quâ quanquam Verulamius eum Peripateticis notionibus depravatum eſſe oſtendit, tamen, ut mihi videtur, rem aliter expedire non potuit. Nec enim video, quomodo ſe explicaret Teleſius ſuis principiis, niſi & materiam agnoſceret, quæ quidem frigido ſuo adeò implicata eſt, ut ſeparari ab invicem non poſſint. Neque enim, quid frigidum ſit, extra materiam demonſtrare poteſt Teleſius, neque etiam ipſam materiam ita diſtinctam explicare novit, niſi ex illis affectionibus, quæ conſequuntur materiam, lentore, viſcoſitate, duritie, mollitie, & ſimilibus.

5 Quod Verulamii judicium attinet, is quidem magnifacit ingenium hujus viri, ut certè absque ingenio confici non poteſt, quæ de objecto aliquo quaſi recens formatur diſciplina, ita enim rectè vocari poteſt. Nam à tot ſeculis regnaverat Philo-

ſophia,

ſophia, vel Peripatetica, vel Platonica, à cujus principiis cum diverſum Syſtema meditaretur Teleſius, in omnes partes verſare debuit oculos, ne principia ſemel ab ipſo poſita fallerent. Sed & in eundem is lapidem impegit, in quem penè omnes. Plerique enim primò ponunt principia, atque ut illorum principiorum jacturam non faciant, eaque vera eſſe oſtendant, non ingenium rebus, ſed res ingenio, acommodant, cùm potius contrariâ ratione agendum eſſet. Id verò, ut rectè fiat, præſtari humano ingenio, ob infinitatem rerum, vix poteſt. Quanquam proficere aliquo modo poſſimus, ſi illa experiundi cura inter multos dividatur, quæ & ipſa res non pauca habet obſtacula. Præterea cùm dupliciter conſiderari univerſa rerum natura poſſit, vel quatenus Syſtemate aliquo eſt ordinata, ſuisque connexa globis ex orbibus, tanquam partibus, & hujus globi terraquei maſſis majoribus, vel quatenus ſpecies aliquæ corporum naturalium producuntur, in quibus tam penè Phyſicorum opera verſatur, cùm conſideratio hujus univerſi Syſtematica, & affectiones iſtæ, quæ univerſo huic, ob Syſtematicam compoſitionem, inſunt, comprehendi humano ingenio ægrè poſſint, omnis eorum induſtria circa minuta iſta occupatur. Et, ſi vel maximè eorum aliquam habeamus notitiam, particularis illa tantùm erit, ac nullis adeò certis principiis fundata, quæ tamen nemo non eſt, qui jactet, ideòque ingenio noſtro ſuccurrimus imbecillitati noſtræ, & hoc quaſi fuco & palpo nobis blandimur, quaſi certa quædam & univerſalia principia in ſolido locaverimus, cùm illa ſpeciem quidem veri habeant, ſolâ tamen humani ingenii, ac notionum inde dependentium, normâ exigantur. Quam mirum non eſt falli, cùm & ipſi ſenſus noſtri ſæpè fallantur. Sed de his fruſtrà fortè inſtituitur querela, cùm veteres iſtæ næniæ ſint, & ab omnibus decantatæ. Eſt tamen earum ratio habenda iis, qui adeò glorioſo animo Mathematicam totius Phyſices certitudinem jactant. Quare, ut penè omnes, ita & Teleſius, in hoc vitium incidit. Omnes, qui ſecundum ſenſum ſolum philoſophantur, materiæ æternitatem aſſerunt. Tria videntur eſſe dogmata, quæ ex fide nobis conſtant: Primum, materia creata ex nihilo; hìc ſtupet & horret omnis ſenſus & intellectus: Secundum, eductio Syſtematis per verbum omnipotentiæ. Qui enim ſecundum ſenſum philoſophantur, ſtatuunt ex potentiâ materiæ omnia fuiſſe in Schematiſmos illos reducta; Tertium, quòd Schematiſmus ille, ante lapſum Adami, fuerit optimus. Sed Philoſophiæ illæ vulgares ad nullum horum aſcendunt. Hæc quoniam magna fundamenta ſunt, neceſsè eſt illum, qui iſtuc non reſpicit, in multis aliter ſentire. Et, ſi vel extra revelationis principium conſideretur hoc univerſum, quis animo comprehendere poteſt, quinam poſt multos ſeculorum decurſus futuri ſint univerſi hujus Schematiſmi. Aliqua Platonicorum & Stoicorum eâ in re cura fuit, ſed omnia mirâ caligne ſunt involuta, & potius conceptibus quibusdam inanibus hic indulgetur, cùm certi nihil determinari poſſit. In principiis Philoſophiæ naturalis id cavendum inprimis eſt, ne ex non Entibus Entia faciamus, aut ex non principiis principia. Abſtracta itaque, & univerſales quidam conceptus non ſunt Entia, ac proinde non ſunt principia. Tùm & Entia corruptibilia non poſſunt principii locum obtinere; quare

cùm tot ſint rerum corruptiones & alterationes, neceſſarium eſt, ut unum aliquod ſit immutabile & immobile, ac velut centrum aliquod, quod vel potentiale aliquid eſt, vel minimum. At potentiale eſſe non poteſt, id enim actu ipſo non eſt, nec poteſt eſſe unum reſpectu omnium illorum corporum, quæ in actum deducuntur. Præterea etiam nihil ponit realitatis, ut principii locum tenere poſſit, cui quis ſecurè poſſit ſuperſtruere. Ergò natura ipſa nos compellit ad minimum, quod revera eſſe in naturâ videmus, cùm cetera tantùm ſint ingenio confictæ, atque illud potentiale, de quo loquebamur, idem ſit abſtractum, ut quod actum omnem negat, potentiam omnem continet. In minimo itaque ſenſui acquieſcendum eſt, niſi quis fortè nulla principia velit, ſed unum corpus alteri principium eſſe ſtatuat, legem verò atque ordinem mutationis tantùm conſtantia eſſe & æterna. Quam ſententiam Verulamius meliorem dicit, quàm eam, quæ principiis abſtractis nititur, quæ æterna ſtatuunt homines, cùm ſint tantùm Phantaſtica, & ab ingenio humano conficta. Eo enim modo dicit exitum tamen aliquem earum rerum eſſe, ut res ita ferantur in circulum, atque in orbem mutentur. Cùm in principiis notionalibus, tanquam in perpetuo labyrintho, ſemper occaſio nos aliosque vexandi & fallendi ſubminiſtretur. Quæ ſententia Verulamii, quanquam non ſpernenda ſit, vereor tamen, ne illâ abutantur Sceptici, qui fortuitam omnium rerum generationem & conſtitutionem, ut fundamentum, ſubſternere ſolent nefariis hypotheſibus; facilè enim ex ſuppoſitâ iſtâ ſententiâ, etiam conſtans ille ordo, quem huic principiorum permutatio ſociaverat Verulaminus, labefactaretur.

6 Sed ad Teleſium noſtrum redeamus. Is certamen principiorum ſuorum tot varietati rerum procreandæ inſtituit, quæ quidem concertatio non æquis partibus videtur eſſe diſpoſita. Nam certè inter cœlum & terram non eſt iſta proportio æqualis, quanquam terra compactum corpus ſit, cœlum extenſum. Illa extenſio infinitis modis ſuperat maſſam terræ compactam, quæ ne punctum quidem implet comparata immenſis cœlorum orbibus. Quis etiam certâ nobis fide tradet, omnem materiam ſolidam fuiſſe in unicum corpus terræ compactam. Nam, quæ nobis vicina eſt, luna, quaſi altera quædam terra eſt, & corpus opacum, ut oculis perſpicillo armatis deprehendi poteſt. Quid jam de ceteris cœli orbibus pronunciandum eſt, qui, ut à viſu noſtro diſtant longiſſimè, ita eorum vel tenuitas, vel opacitas, dijudicari nequit. Neque dicam, eſſe multos in hoc expanſo globos, qui videri nequeunt, & generari interdum novos, non in ſublunari tantùm regione, ſed etiam extra orbem Planetarium. Ut itaque ex eo ſatis pateat, fruſtrà eſſe Teleſium, in unicum terræ corpus omnem maſſam ſolidam conpingentem; ne dicam de ipſo ſole, διάφανον eſſe nobis nemo temerè affirmabit, ſuntque hodie, qui ſeriò iſtam ſententiam tuentur, corpus ſolare conſtare materiâ tenaciſſimâ & compactiſſimâ, à perpetuo igne ſubactâ, &, ut Chymicorum more loquar, fixâ. Adduxerunt Teleſium in has ſententias præconceptæ opiniones, è Peripateticis, vel aliis, hauſtæ, de mirâ cœleſtium corporum ſubtilitate, calore & quintâ quâdam eſſentiâ, à corporum miſtorum, elementarium naturâ exaltata & abſtractâ; quod tamen non niſi ex ingenio noſtro dependet, qui

omnia

omnia alia nobis imaginamur, quàm illic revera ſunt. Quid enim de naturâ horum corporum pronunciemus, qui neque motum, neque ordinationem mutuam apprehendimus, quod tamen oculorum eſt, ut teſtantur varia illa à multis conficta Syſtemata. Prætereà, ſi, ex Teleſii ſententiâ, totum cœlum, cum omnibus illis ſideribus, igneum eſſet, mirum, quod ex tot ignium conſtipatione jamdudum hæc terra flammis non ſit abſumpta, & in iſtud humidum ſuum, flammam ſcil. redacta, ad quod, quantum in ſe eſt, ignis reducere laborat contrarium principium. Niſi Teleſio his hypotheſibus, ſuccurramus Jordani Bruni ſententiæ, quæ etiam nonnullis aliis placuit, multos ſoles, multas terras, ſtatuentis, ita, ut iſta concertatio calidi & frigidi, & corporum exinde reſultantium productio, intra orbem planetarium compingatur. Sed tùm in heterodoxas facilè ſententias delabemur, neque tamen ſecurè & certè ſatis de eo quicquam definiri poteſt. Neque rectè menſuram iniiſſe videtur Teleſius, cùm poneret frontibus adverſis pugnantia principia, cœlum & terram: illud πρῶτον δεκτικὸν caloris, vel ipſum potius ignem; hoc πρῶτον δεκτικὸν frigidi, ratione ipſius pugnæ mutuæ, unde illa corporum diverſitas oritur. Oporteret enim tela utrinque pertingere & ferire ſcopos ſuos; quod de ſole quidem verum eſt, ac reliquis corporibus cœleſtibus, quorum efficacitas ad intima terræ penetrat; quanquam etiam multi ſint, qui præfactè id negent. An verò terra vires ſuas usque ad ſolem & reliqua corpora cœleſtia pertendat, de eo magna dubitandi ratio eſt. Videre itaque hinc licet, quàm inæqualibus armis, è Teleſii ſententiâ, in hoc naturæ campo, pugnetur, imò ne quidem pugnetur, cùm arma ipſa eminus ſubſiſtant.. At verò in ipſis etiam principiis calidi & frigidi quomodo acquieſcere quis poſſit, non video, cùm & illa ſola non ſufficiant; ſunt enim in naturâ nonnullæ actiones & effectus, quæ ad calorem & frigus reduci non poſſunt. Nam quod Teleſius ait de materiâ, quòd ſervet ſe & ſuſtineat, & potiùs ad rationem quanti, quam ad formam & actionem pertineat, atque adeò eam neque calori, neque frigori, deputet, eô oſtendit, aliquid etiam virtutis ineſſe materiæ, quâ ejus deſtruibilitas impeditur, quâque renititur operationi caloris contrariæ. Ut igitur immeritò ex agentium numero excludatur, utque plus penè agat, quàm ipſa ejus agentia, atque, ut Verulamius loquitur ex hypotheſi Teleſianâ, merum fatum & neceſſitatem inferre videatur. Sunt etiam naturæ nonnullæ, quarum calor & frigus effectus ſunt & conſectaria, neque per excitationem caloris præinexiſtentis, aut caloris adventitii, ſed, prorſus in ipſo iſto puncto, generantur, ut ex Chymicis operationibus conſtat. Quorſum referre etiam poſſis, quod obſervatur in *Actis Hafnienſibus*, *Tom. I. obſerv. 71.*, duos Spiritus frigidos, invicem confuſos, flammam edere. Deinde multa ſunt, quæ à calore & frigore originem ducunt, ac procedunt ab illis, tanquam ab efficiente & organo, non tanquam à causâ propriâ & internâ. Denique conjugatio illa quatuor connaturalium, quam inſtituit Teleſius, omninò permiſcetur & confunditur. De quibus omnibus ſingulatim dicere nunc non poſſumus. Laudandus tamen eſt Teleſius, ut vir amans veritatis, & nonnullorum placitorum Emendator, atque adeò ut primus inter

eos, qui brutæ autoritati & opinionum regno ſe oppoſuerunt. Neque vitio vertendum ei eſt, quòd, cum in multis ſatis benè ſe habeant dogmata ejus, & argutus ſit & ſubtilis, inprimis cùm redarguit Peripateticorum argumentationes, in quibusdam deficiat: quæ ſors omnibus illis Novatoribus communis eſt. Utut enim ſe torqueant in cognitione rerum, aliqua fortè, minutiora ſcil. & particularia, ſic ſatis interdum cognoſcent, cùm verò ad rerum ſummam perventum eſt, & univerſalia principia, magnâ ſæpe ſpe decidunt, adeòque multa ſunt, quæ certitudini iſti opponi poſſunt. Perplacet nobis ingenua ſummorum Philoſophorum confeſſio, alterius principis veterum, alterius recentiorum Anteſignani, Ariſtotelis & Carteſii. Ariſtoteles enim, *in Meteorolog. lib. 1. cap. 7.*, evidenter oſtendit, de iis, quæ ſenſui pervia non ſunt, ſatis eſſe juxta rationem demonſtratum, ſi ad id, quod fieri poſſit, ea reducantur. Unde patet, Ariſtotelem maluiſſe in rebus ſenſum excedentibus opinari, cùm ſcire non liceret. Sed tamen inſignis ille paralogiſmus erat, à poſſibilitate ad exiſtentiam rei argumentari. Similiter & Carteſius, ingenioſisſimus ille principiorum ex abdito exſtructor, hoc Philoſophiam ſuam Corollario claudit: *Quamvis fortè hoc pacto intelligatur, quomodo omnes res naturales fieri potuerint, non tamen ideò concludi debet, ipſas revera ſic factas eſſe, & ſatis à me præſtitum eſſe putabo, ſi tantùm ea, quæ ſcripſi, talia ſint, ut omnibus naturæ phænomenis accuratè reſpondeant; hoc enim ad uſum vitæ ſufficiet.* Quam ingenuam viri illius ſubtiliſſimi confeſſionem, vellem conſiderarent iſti è Scholâ ejus diſcipuli, qui mordicus adeò defendunt Carteſii ſententias, & in præjudicium ſæpè fidei Chriſtianæ eas ulterius tendunt, quàm ipſe voluit extenſas, ac meras in naturalibus demonſtrationes jactant, præ quibus diſſentientes contemnunt, quaſi rectâ ratione non uterentur, niſi Carteſianâ utantur. Ipſe enim longè modeſtior fuit ſuarum ſententiarum æſtimator.

CAP. XIV.

DE FRANC. PATRITII, THOMÆ CAMPANELLÆ ET HIERON. CARDANI, PRINCIPIIS PHYSICIS.

§. 1. *FRanc. Patritii eruditio & Scripta varii generis plurima. Juſti Lipſii in* Parallelos *ejus* Militares *Plagium. In Phyſicis Ariſtoteli ſe oppoſuit, & Bernh. Teleſii Principia duo, Frigus & Calorem, amplexus, Lucem his, Spatium & Fluorem, ſuperaddidit. Philoſophandi ratione utitur intricatâ & ἀμεθόδῳ. Adverſarios habuit Theod. Angelutium & Jac. Mazonium.* 2. *Hier. Cardani Ingenium portentoſum, mixtaque doctrinæ ac ſapientiæ ſtultitia. Dæmon familiaris falſo ab eo jactatus. Controverſia cum J. C. Scaligero, ſophiſticè ipſum aggreſſo. Dogmata Phyſica ſingularia. Scripta Phyſica.* Metopoſcopia *illi ſuppoſita. Jactantia ejus de Inventis ſuis contra Plagiarios. Thema Chriſti Natalitium aliis ab eo ſubreptum.* Liber de Vitâ propriâ. *Laus* Proxenetæ *ejus* de Arcanis Politicis. 3. *Thomæ Campanellæ Ingenium mirabile ſuſpicione*

Magiæ

Magiæ oneratum à Theologis Adverſariis. Diſſ. *ejus* de Libris propriis. *Paradoxon de ſenſu rerum omnium, Lib. peculiari ab illo defenſum, fuſiùs refutatur, & artibus Magicis patrocinari perhibetur. Scripta ejus reliqua potiora recenſentur, opiniones que Phyſicæ & Aſtrologicæ ſingulares obelo notantur.*

QUædam Teleſii principia ſua fecit FRANCISCUS PATRICIUS, (*bb*) Philoſophus utique non contemnendus, humaniorum quoque artium peritiſſimus, &, quod mirandum eſt, negotiis plurimis diſtrictus & occupatiſſimus, tot ac tàm varia ſcripſit. Præter Philoſophica, in Rhetoricis, Poëticis, arte militari, multa ſcripſit Italicâ linguâ. *Paralleli* ejus *Militares*, ut vocat, magnam eruditionem continent. Confert enim militiam veterem cum novâ. Quô librô magnum fundum ſubminiſtravit Juſto Lipſio, qui illum in aliam orationis faciem convertens, penè totum exſcripſit, quod & Joſephus Scaliger alicubi in *ſuis Epiſtolis* obſervat, eſtque eâdem de re aliquid inter *Excerpta* ejus conſignatum. Magnum certè ingenium oſtendit in *Diſcuſſionibus Peripateticis*, in quibus, vel integros libros Ariſtoteli falsò adſcriptos monſtrat, vel omnia aliis Philoſophis erepta. Quas Ariſtotelis ſententias cùm convulſiſſet primum, ſubſtituit deinde *novam* ſuam *de univerſo Philoſophiam*, in quâ principia caloris & frigoris retinet ex Teleſio, ſed lucem, ſpatium & fluorem, addit, ut principia oberrantia. In luce verò, ut principio primo viſibilium, copioſus admodum eſt & prolixus, quam unà cum tenebris faciem caloris & frigoris conſtituit, ut loquitur, eorum verò operationes, motum & quietem. Cœli rotunditatem & orbes, eorumque denſitatem, vel tenuitatem, contra Ariſtotelem negat. Ignem ſublunarem explodit, & IV. corporum Qualitates. Sed is magis intricavit ſua dogmata, quàm ipſe Teleſius, & interdum nebulas aliquas Platonicas potius captat, quàm rei veritatem ſectatur. Ad Autoritatem tamen veterum omnium Philoſophorum provocat, illisque Philoſophiam ſuam conſentaneam, atque adeò veram illam & unicam, aſſerit, ac Pontifici Gregorio XIV. & futuris omnibus Pontificibus Maximis, eam ob cauſam inſcribit, ut, ejecto è ſcholis Ariſtotele, veram illam veterem Philoſophiam ac divinam, ſe illam tradente, introducerent. Nihil tamen effecit, neque enim Ariſtotelis autoritatem convellere potuit, quæ altius radices egerat, & Patronos tunc temporis habebat maximos. Neque ſanè cauſa erat, quare, relictâ Ariſtotelicâ, Patritianam illam Philoſophiam amplecterentur, quæ diſcurſibus quibusdam conſtabat, non verò in iſtam Methodum redacta erat, quam tamen proterat jactare Ariſtotelica Philoſophia. Perpetuas habuit cùm *Theodoro Angelutio*, Philoſopho ac Medico Patavino, de naturali Philoſophiâ, & cum *Jacobo Mazonio* de morali, controverſias, ſuntque ab illis libri Eriſtici conſcripti, qui in Bibliothecis paſſim latent, neque adeò ad multorum conſpectum veniunt. In Rhetoricis, Poëticis ac Mathematicis, multa nova meditatus eſt; *de Hiſtoriâ ſcribendâ* etiam Dialogos ſcripſit, & *Commentarium in Polybium de Militiâ Romanorum.* Protulit è tenebris antiquitatis *Com-* 1

(*bb*) De Patritio Confer *T. II. L. I. c. 8.* §. *3. & 4. ac c. 15.* §. *2.*

Commentarium Græcum Joh. Philoponi *Metaphyſicam Ariſtotelis*, quem etiam in latinam converſum à ſe emiſit. Unde videri ſatis poteſt, magnum fuiſſe hujus viri & vaſtum ingenium, per reconditas etiam ſcientias diffuſum, quod tamen in Phyſicis contemplationibus ſagacitate multum concederet Teleſio. Vix enim fieri poteſt, ut actionibus, per tam vaſtas meditationes diſtractus, ac ubique habitans, uno in fundo habitare totus poſſit.

HIERONYMUS CARDANUS, *(cc)* inter lumina ſeculi meritò numerandus,
2 Philoſophiæ naturalis ſuô tempore magiſter fuit, vir prodigioſus in omnibus omninò ſcientiis, Medicus, Mathematicus, Theologus, Philoſophus, quod oſtendunt vaſta ejus volumina, curante Gabr. Naudæo, decem Tomis *in folio*, congeſta, in quibus ut multa ſanè ſunt acutiſſima, ac profundi judicii ſpecimina, ita non pauca valdè ſtulta & inepta. Quoniam enim Melancholici ingenii homo erat Cardanus, multa divinationibus, ſomniis, oſtentis, auguriis, tribuebat, in quæ ad anilem usque ſuperſtitionem pronus fuit, ut in ſuſpicionem Magiæ veniret nonnullis, quod adeò ſæpè in ſcriptis ſuis Dæmonium illud ſuum nominet, velut monitorem aliquem & Doctorem ſuum. Quâ imputatione tamen eum liberat Naudæus, tùm in *Apologiâ ſuâ omnium Magiæ accuſatorum*, tùm in *vitâ ipſius Cardani*. Ac res ſanè ipſa oſtendit, vel ridiculam fuiſſe Viri iſtius perſuaſionem, vel ſtultam iſtum gloriam affectaſſe, ſi perſuadere poſſet hominibus, à genio ſe quodam, atque adeo divinitus, doceri. Ubi foris crepuit, ubi tumultus aliqui nocturno tempore in ædibus auditi, ubi ſomnium aliquod habuit emphaticum, omne id genio ſuo monitori tribuit Cardanus. Quòd ſi ſemel aliquis memorabilis eventus iſta præſagia ſua erat ſubſecutus, quod tamen caſu contingere poterat, ſtatim genium ſuum appellabat, atque ab eo hæc omnia proficiſci credebat. Quòd ſi ridicula hæc quis ſuo loco habeat, in ceteris admodum cordatus, eruditus & ſagax eſt. Nam certè, quæ Jul. Cæſ. Scaliger contra illum adducit, meris ſunt ſophiſmatibus & cavillationibus plena, quanquam arguta & docta. Iis tamen reſpondit adhuc, cum viveret, Cardanus, quanquam eloquentiâ & ingenii acumine Scaligero inferior, libro, cui Titulum fecit: *Actio prima in calumniatorem librorum de Subtilitate.* Ceterùm, ut quædam de principiis ejus attingamus, de iis obiter tantùm notitia haberi poteſt, cùm Syſtema Phyſicum integrum non adornarit, ac potius in argumentis quibusdam ſpecialibus occupatus fuerit. Quantum tamen ex iſtis ejus libris colligitur, hæc præcipua ſunt ejus dogmata. Tria tantùm Elementa conſtituit, aërem, aquam & terram: Ignem ſublunarem ridet, aſtra minus magisque calida ſtatuit. De quibus ſententiis in *libris* ſuis *de Subtilitate ac varietate rerum*, pluribus agit. Nam in iis *pleraque naturalis doctrinæ capita* attingit. Phyſici argumenti libros permultos ſcripſit, præter dictos *de ſubtilitate & varietate rerum*, quorum maxima pars hactenus inedita fuit, edita verò à Gabr. Naudæo in voluminibus omnium Operum; ſuntque inter eos *liber de Secretis*, *de aquâ vitali*, *ſive æthere*, ϑεογνώςων libri *de tranquillitate*, *vitâ producendâ & animæ immortalitate* &c. *de aceti naturâ*, *de vacuo*. *Meto-*

(cc) De Cardano Conf. *T. II. Lib. I. c. 15.* § 3.

Metopoſcopia, quæ ſeorſim prodiit Gallicâ linguâ, Cardani non videtur eſſe, & ab alio potius conficta, titulusque Cardani operi præfixus, ut eò vendibilius eſſet. Ceterùm magnificè admodum de ſe ſenſit Cardanus *Lib. 7. de rer. variet. c. 33.* Negat, ſe quicquam, ab aliis inventum, ſibi aſſcribere, cùm ſufficiant ſibi propria; conqueritur potius *lib. 1. de ſubtil. fol. 14.* eſſe, qui Cardani nomine ſuppreſſo, inventa ipſius ſibi vindicent, atque hos *amentes* vocat, qui neſcirent, inventa Cardani talia eſſe, ut à nullo inveniri potuerint, qui non jam famâ egregiâ cognitus eſſet. Id quoque Naudæus de eo judicat, in vitâ ejus. Thema natalitium Chriſti Salvatoris ab eo confectum, quod tamen dudum ante illum ab aliis jam confectum erat, quod tenaciter diſſimulavit; quanquam à cenſurâ Eccleſiaſticâ vehementer vexatus, ut ſolus haberet inventi hujus vel gloriam, vel audaciam. Ignem quoque ſublunarem ante illum jam impugnârat Laurent. Valla *lib. 1. Dialect. c. 11.* Sed id fortaſſis fugere potuit Cardanum. Si rectè memini, etiam Teleſius de eo quid monuerat. Legi poteſt ipſius Cardani liber, quem *de vitâ propriâ & libris ſuis* ſcripſit, quô multa continentur ejus viri conſilia, multa machinamenta in rebus naturalibus, multa etiam ſtulta & inepta. In Politicis & moralibus divina profectò ſunt, quæ ſcripſit, nec crediſſet aliquis, hominem Scholaſticum in tam profundas ſpeculationes de rebus practicis ſe immerſiſſe. Liber ejus *de Arcanis prudentiæ civilis*, quem *Proxenetam* inſcribit, aureus eſt, & multa continet dolorum & ſtratagematum, quorum uſus eſt in vitâ civili.

THOMAS CAMPANELLA, *(dd)* Ordinis Prædicatorum, mirabilis ingenii & 3
fortunæ homo, omnium penè ſcientiarum ad ſuos ſenſus reformator, acerrimi tamen ingenii, ut multorum invidiam & calumnias in ſe provocârit. Occaſionem, quâ inclaruit primò ejus fama, oſtendit Janus Nicius Erythræus *Pinacothecâ primâ, Imagine 21.*; ſcilicet in diſputationem cum Theologis inciderat, qui cùm ægrè ferrent, ignorantiam ſuam à Campanella taxari, & argumentis convinci, magnas illi turbas concitarunt apud Quæſitores fidei, illum Magiæ incuſantes, quaſi ope Dæmonis ſciret, quòd ſciret ea, quæ ignorarent Theologi. De libris ejus extat integra Diſſertatio, quæ edita eſt inter varios illos Autores, qui *de ſtudiis inſtituendis* ſcripſerunt, ac uno Volumine Amſtelod. anno 1645. *in 12.* prodierunt. Scripſit *de ſenſu rerum librum*, in quo omnibus omninò rebus ſenſum tribuit, & iis, quæ inanimatæ vulgò habentur. Cujus paradoxæ opinionis palmarium argumentum eſt, quod, quoniam effectus ſentiunt, ideò & cauſæ, ac propterea Elementa ac mundus ſentiunt. Cui quidem reſponderi facilè poteſt; neque enim animalia ideò ſentiunt, quia ex Elementis compoſita ſunt, ſed quia Spiritus ille ſentiens per traducem, mediante ſemine, propagatus eſt. Quòd ſi ad primum animalis ortum reſpicit tempore creationis, neque ſic efficiet, ex Elementis compoſita eſſe animalia; quæ & ipſa à multis in dubium vocantur, &, ſi vel maximè eſſent, tamen neque tùm primum animalibus principium dediſſe, credibile eſt. Potuit enim idea aliqua, vel ſpiritus quidam corporeus, per omnipotentiam divinam, ex nihilo productus, cauſam primis animalibus dediſſe. Neque ſanè

(dd) De Campanella Conf. *T. II. Lib. I. c. 12. §. 4.*

à Philoſpho expediri poteſt aut debet, quomodo corpora per creationem facta fuerint; id enim ad aliud forum pertinet. Neque hic canon perpetuæ veritatis eſt: *Illud, quod eſt in effectibus, eſſe etiam in cauſis*, præcipuè cauſis, corpus aliquod conſtituentibus intrinſecè. Namque ex ignobilioribus, inter ſe miſtis, interdum nobilius aliquid exſurgit. Sic e. g. ex variis nutrimentis animalium, fœno, frumentis, &c. ſanguis generatur & Spiritus animales longè nobilioris naturæ, quàm illud erat corpus, unde ſunt fabricati: In iis enim apud animalia ſenſus conſiſtit. Prolixè evincit Gaſſendus in *Philoſophiâ* ſua *Epicureâ*, ex rebus inſenſilibus poſſe fieri ſenſiles, quod immeritò refutat Antonius le Grand *in libro de carentiâ ſenſuum & cognitionis in brutis, pag. 49.* Senſum quoque ita definit, ut nec diſcurſum à ſenſu excludat; quomodo totum mundum animal facit, omnesque ejus partes. Hinc aërem quoque ſentire ſtatuit. Quô fundamento poſito, nihil tam abſurdum eſt, quod non patrocinium ex iſtâ hypotheſi inveniat. Prædicere itaque futura, videre abſentia poſſumus, quoniam ſentit & intelligit aër, qui noſtro ſenſui illa communicat. Jam itaque Specula magica, & quicquid eſt divinationum, hâc hypotheſi ſalvantur. Cui fini etiam videtur hunc Tractatum ſcripſiſſe, ut patet ex *libro* ejus *ultimo*, qui eſt de Magiâ. Porrò etiam illi, qui occultas interdum cauſas, vel ob ſtuporem non aſſequuntur, vel ob ignaviam aſſequi nolunt, pulcherrimum hìc ignorantiæ aſylum inveniunt, ſi ad ſenſum communem vel aëris, vel alterius Elementi, referant, quod ipſi explicare non poſſunt. Illos ridet Campanella, qui propterea ſentire corpora negant, quod non habent ſentiendi organa. Quod quidem argumentum, non, ut ille putat, adeò abſurdum eſt. Senſus enim referunt ſe ad ſenſoria organa: atque ubi illa non ſunt, neſcio quomodo ſenſus ipſi concedi poſſint. Quod enim audimus, quod videmus, id mediantibus organis noſtris dijudicamus, quare de corporibus, iis organis deſtitutis, dicere non poſſumus, ea audire, videre aut ſentire. Nec video, quomodo ex motu aliquo corporum vel interno, vel externo, ſenſus illis tribui poſſit, cujus formalem rationem in contactu ſtatuebat Campanella. *Non propterea*, inquit ille, *vento negandus eſt motus, quòd careat pedibus, non igni manducatio, quod careat dentibus.* Quæ argumentationes admodum elumbes ſunt. Non enim omnis motus à ſenſu dependet. Qui igni manducationem tribueret, inſanus eſſet, niſi poëticè loquatur ac tropicè. Ignis enim movet tantùm particulas congeneres; quod quomodo manducationi comparari debeat, non video. Plantis quoque ſenſum adſcribit, eam etiam ob cauſam, quòd habeant organa ſentiendi, fibras, nervos, ſuccum nutritium. Cui etiam ſententiæ adſtipulatum fuiſſe nuper Franciſcum Redum *in lib. de generatione inſectorum pag. 258*, apparet; Scripſit item Campanella *Diſquiſitiones Phyſiologicas*, magnum volumen, Pariſiis *in folio* editum, in quo multa continentur rara ac curioſa. Scripſit in *Philoſophiam realem Epilogiſticam*, ut vocat, conſtantem partibus quatuor, quarum prima eſt *Phyſiologia.* Hic locum & materiam inter principia ponit, calorem & frigus principia activa ſtatuit, in quo Teleſium ſequitur. Vanitatibus Aſtrologicis ſupra modum fuit deditus, & ipſe nova quædam principia in illis

exco-

excogitavit: Non enim ſatis antè nugarum erat. Scripſit & ſingularem *de fato Aſtrologico evitando* librum, quod argumentum nemini hactenus Aſtrologorum in mentem venerat. Sed vitare illud, per ipſas ſuas hypotheſes Aſtrologicas, docuit, adeoque fatum fato eluſit. Referente Erythræo, ſcripſit *ingens Opus de reformatione ſcientiarum*, decem in codices diviſum; quorum ſinguli plures in partes diſtribuuntur. Non memini verò, illud opus eâ ſerie prodiiſſe. Quæ ab illo edita ſunt, carptim & per partes prodiere, non illo, ſed Tobiâ quodam Adamo curante. Aliqua etiam à Jac. Gaffarello edita ſunt Medicinalia ejus, in quibus multa nova, uti in omnibus ejus, occurrunt. *Grammatica* ejus, *Logica*, *Ethica*, *Politica*, ſeorſim prodierunt, quæ plena ſunt variis novitatibus. In *Ethicis* quoque ſenſu ſuo abundat, ubi, neſcio, quâ intemperie abreptus, de morbis, & omnium febrium familiâ, tractare inſtituit, quem ego quidem non exiguum ejus morbum exiſtimo. De *Politicis* ejus vide judicium apud Bœclerum *in Comment. ad Taciti Annales, pag. 101.*

CAP. XV.

DE JORDANI BRUNI, ALIORUMQUE RECENTIORUM, PRINCIPIIS.

§. 1. *JOrdanus Brunus, multitudinis Mundorum & Solium innumeræ aſſertor, ſententiam hanc vivicomburio luit. Pluralitatem Mundorum, ac Lunæ, aliorumque Planetarum, cum terrâ ὁμογένειαν, ante illum Nic. Cuſanus & Nic. Copernicus, poſt ipſum autem Galilæus à Galilæis (palodiam canere coactus,) Joh. Keplerus, Athan. Kircherus, Thom. Campanella, aliique Mathematici, itidem defenderunt. 2. 3. David Gorlæus & Carpentarius, Novatores Phyſici, quorum Paradoxa recenſentur. 4. Thom. Hobbeſius, Novator, tum in ſcientiis aliis, tum in Phyſicâ, in quâ omnia à motu, non tamen primus, uti jactat, derivavit. Dogmata Paradoxa & profana plurima, ipſumque Scepticiſmum Moralem, propugnat.* Elementorum *ejus* Philoſophicorum *recenſus Summarius. 5. Rob. Fluddius, cujus Philoſophia eſt Enthuſiaſtica. Somnia ejus picturæque nugaces de cauſis Morborum, Principia illius Catholica Medico-Phyſica ſunt virtus Septentrionalis & virtus Auſtralis, ſive rarefactio & condenſatio, quæ Ken. Digbæo etiam arriſerunt. Magicarum rerum in eo ſtudium. Cogitationes à Genitalibus cerebri credit produci, eadem ratione, quâ Morhoſius in* Carm. de Ente Rationis *jocosè finxerat. Ridicula diviſio Morborum. De Principiis ipſius Naturalibus, confusè admodum expoſitis, judicium. Adverſarii ejus, Pet. Gaſſendus, Mar. Merſennus & Euſeb. à S. Juſto. 6. Henr. de Rochaz, Gallus, Phyſicæ è Chymiâ Reformator, cui aqua eſt omnium corporum materia. Alia ejus Paradoxa. 7. Gvilh. Gilbertus, Anglus, Dan. Sennertus & Joh. Sperlingius.*

JORDANUS BRUNUS, (*ee*) Nolanus, ſub ſuperioris ſeculi exitum, partim proſâ, partim carmine, explicuit ſua principia, Lucretium eô imitatus, qui carmine Phyſicam ſuam doctrinam propoſuerat, quanquam à Lucretiano ſtylo, quem imitatur, multùm diſcrepet. Ejus doctrina, *in libro de immenſis & innumerabilibus, ſeu de Univerſo & Mundis*, propoſita, toto libro (carmine ſcripto, Scholiis autem ſolutâ oratione illuſtrato, & Francofurt. A. 1591, *in 8vo* edito) id agit, multos eſſe mundos, imò innumerabiles, quos in duos tamen claſſes diſtribuit, aliquos Soles vocans, aliquos Terras. Stellas fixas ait meros eſſe ſoles, ſuâ congenitâ luce radiantes. Reliqua corpora, quæ alienâ luce ſplendent, ſive illa videri poſſint oculis, ſive ob diſtantiam non videri, terras vocat. Singulis ſolibus ſuas eſſe vult Lunas, unde ſingulare aliquod Syſtema conficiatur. Ita Sol, ſtella fixa, plures ſibi adjunctas habet lunas, ſive terras: Venerem, Lunam in ſpecie dictam, Martem; qui Planetæ omnes ſecundum phaſes variantur; unde conſtat, corpora eſſe lunari ſimilia. Atque iſtorum Syſtematum infinita eſſe pronunciat; in quibus ut primaria illa corpora, ſolis & terræ, ſe habent, ut principia activa & paſſiva, ita & partes illorum corporum varias ex illo conflictu alterationes ſubire exiſtimat. Non ſunt ejus fundamenta & rationes omninò nihili aut ridiculæ. Subtiliter enim ubique diſputat, & verſantur in iſtâ ſententiâ Galilæus, aliique Mathematici, qui, quanquam non ita diſertis verbis omnia pronuncient, tacitè tamen cum illo conſpirant. Sed ille miſer vivicomburio ſententiarum ſuarum audaciam luit; in quo magnam ei factam injuriam eſſe credo; neque enim Atheiſmi crimine ſuſpectum eum ſcripta ejus faciunt. Orti circa ea tempora ſunt Mathematici, qui totum Orbis Syſtema reformârunt, Nic. Copernicus & Galilæus. Et Copernicus quidem, jam ante Brunum, quippiam de Syſtemate ſuo publicaverat, quo poſteriorem ſe alicubi conqueritur Brunus, cùm prior ipſe in cogitationes iſtas devenerit. Sed tamen ante Nicolaus Cuſanus, Cardinalis, ſimilibus quibusdam cogitationibus anſam dederat. Neuter tamen ex illis ad Mathematicas demonſtrationes rem deduxit, ut eô quidem nomine Copernico gloria ſua ſalva ſit. Qua de re ulterius legi poteſt Petrus Gaſſendus *in deſcriptione vitæ ejus*, uberrimè inſtitutâ. Copernicus terræ motum diurnum circa axem, annuum in orbem, ac tertium libratorium, attribuit ſoli in centro mundi conſtituto. Galilæus poſtea, in *Dialogis ſuis*, rationibus hanc ſententiam probatum ivit, qui orbem terræ à corpore lunari nihil differre vult, omnesque objectiones refutat. Scripſit & Joh. Keplerus opuſcula aliqua pro motu terræ, inter quæ illud eſt, quod inſcribitur *Somnium* Kepleri, ſive *Opus poſthumum de Aſtronomiâ lunari*, in quo habetur deſcriptio cujusdam fabuloſi itineris verſus lunam, & multa dicuntur de facie terræ, quomodo apparere poſſit in lunâ verſantibus, quæque illic animalia habitare poſſint. Ad ejus imitationem Athan. Kircherum *Iter* ſuum *Ecſtaticum* confeciſſe veroſimile eſt, Librorum ſuorum omnium, me

(*ee*) De Jordano Bruno, & modernis Pluralitatis Mundorum Defenſoribus, Conf. *Tom. II. Lib. I. c. 5.* §. *6.* & iſtic annotat.

me judice, optimum, in quô à Genio Coſmiele ad varios orbes cœleſtes ſe deductum ſcribit, ac multa illic notaſſe & vidiſſe incredibilia. Quo ex figmento tamen apparet, eam quoque Kirchero eſſe ſententiam, quòd corpora illa cœleſtia non ſint ita ſimplicia, ut vulgò creditur, ſed ſuis quoque ex Elementis compoſita. Varios paſſi ſunt inſultus omnes à Theologis, ac Galilæus quidem adactus fuit, ut Palinodiam caneret. Cujus *Apologiam* tamen Thom. Campanella ſcripſit, & Sebaſtianus Montanus, Carmelita. Ac Campanella quidem ex ſacris literis novos illos lunares vel lunaticos homines probare contendit. Sed iſta ad principia Phyſica propriè non ſpectant. Incurrit etiam Kircherus Religioſorum quorundam cenſuram, adverſus quos *Apologiam pro Itinere Ecſtatico* edidit Caſp. Schottus, Herbip. 1668., *in 4to.* Joci tantùm gratiâ ſcriptus eſt liber Luſitanicus de homine lunari, in alias etiam linguas translatus (de Mann in de Man) Belgiceque excuſus Amſt. A. 1651. *in 12.* Autor tamen figmento illo, habitari poſſe lunam, oſtendere voluit.

DAVID GORLÆUS, *(ff)* Ultrajectinus, *Exercitationes Philoſophicas* ſcripſit, 2
quæ editæ ſunt poſt mortem ejus, Lugduni Batavorum, Anno 1620. *in 8vo*, in *quibus plurima*, ut Titulus habet, *Peripateticorum dogmata evertit.* Poſtquam de Metaphyſicis egit, ad Phyſica procedit, agitque de proprietatibus corporum ſecundum variorum ſententias, partim novas, partim innovatas. Formas Subſtantiales Peripateticorum negat, duo tamen Elementa, terram & aquam, conſtituit, Ignem, è ſubſtantiarum claſſe extruſum, accidentibus adſcribit, cœlum nihil, niſi aërem expanſum, eſſe vult.

NATHANEEL CARPENTARIUS, *(gg)* Anglus, ut quidam volunt, *Philo-* 3
ſophiam liberam, uti vocat, ſcripſit, in quâ multa Paradoxa adſtruuntur, quæ revera iſtud nomen merentur. Notitias naturales negat, locum nihil eſſe ait, omnes res ex nihilo fieri contendit, ignem humidum facit, Teleſium in eo ſecutus, omnibusque Elementis gravitatem tribuit. In quibus, ut multa Paradoxa ſunt, ita non pauca vero conſentanea.

THOMAS HOBBESIUS, *(hh)* Anglus, in Phyſicis, Mathematicis, Moralibus 4
ac Politicis, nova dogmata multa invenit. Quod Phyſica attinet, è doctrinâ de motu omnia demonſtrare laborat, atque, in *Epiſtolâ ad Sam. Sorbierium, Tractatui de naturâ aëris præfixâ*, primùm ſe jactat, qui ita in Phyſicis philoſophari docuerit, de quo vereor, ne illi litem Carteſius, aliique, moveant. Ceterùm de hoc Autore in univerſum tenendum, mirabilem eſſe ingenii ejus ad paradoxologias propenſionem, quanquam ab illo non pauca ſint argutè ſatis excogitata & inventa, in Mathematicis præcipuè, in quibus tamen Joh. Walliſio, Matheſeos Profeſſori Oxonienſi, ſæpè vapulat. Longè tamen plura in illo ſunt erronea, profana, & quædam neſcio quomodo fanatica. Ejus Opera omnia prodierunt Amſtelodami apud Blauwinum, anno 1668.,

(Hh) 3 in

(ff) De Dav. Gorlæo Conf. *T. II. L. I. c. 12.* §. 5.
(gg) De Nathan. Carpentario Conf. *T. II. L. I. c. 15.* §. 4.
(hh) De Hobbeſio Confer *T. II. Lib. I. c. 15.* §. 13. 14. 15.

in 4to. Indicem in ea debemus Achilli Epſteinio. *Elementa Philoſophiæ* ſcripſit, atque in III. Sectiones diviſit, *primam de Corpore*, *ſecundam de Homine*, *tertiam de Cive.* Prioris Sectionis partes facit quatuor. Prima illi dicitur computatio ſive Logica, ubi de Philoſophiâ agit in genere (cujus planè ineptam ſuppeditat definitionem,) de vocabulis (quorſum refert Notionum doctrinam, prædicabilia ac prædicamenta,) de Propoſitione (ubi de Enunciationibus, Æquipollentiâ &c.), de Syllogiſmo, de Methodo. Pars II. Philoſophiæ illi prima eſt, quam in locum ſecundum conjecit, eam fortè ob cauſam, quòd partem primam, velut Vocabularium aliquod & Lexicon Philoſophiæ haberet. Hic agit primò de loco & tempore, uno, numero, toto, parte, infinito, minimo; Secundò de corpore & accidente, ubi de magnitudine, loco, pleno, vacuo, continuo, contiguo, motu & ſpeciebus quantitatis; Tertiò de cauſâ & effectu, ubi de actione, paſſione & principio; Quartò de potentia & actu; Quintò de eodem & diverſo; Sextò de quantitate; Septimò de Analogiſmo, ubi de proportionibus Arithmeticis & Geometricis Mathematico modo agit; Octavò de recto, curvo, angulo & figurâ. Pars Tertia de rationibus motuum & magnitudinum agit, ubi integra Geometria & Statica tractatur; Pars quarta de naturâ & ejus phænominis, ubi primo de ſenſione & motu animali; Secundo de univerſo & ſideribus; Tertio de luce & calore, & coloribus; Quarto de frigore, vento, glacie, &c.; Quinto de ſono, odore, ſapore & tactu; Sexto de gravitate. Sectione ſecundâ de homine pauca admodum habet, de ipſius conſtitutione & naturâ, plura toto libro de naturâ viſionis affert, & planè ἀμεθόδως integram Optices doctrinam proponit, quanquam negari non poſſit, doctrinam illam benè ab ipſo eſſe excultam. In Tertiâ Sectione de cive, novam ſibi viam inveniſſe viſus eſt, quâ demonſtraret Monarchiam. Liber ille paradoxis ſententiis pleniſſimus eſt, uti & alter, qui illi ſubjungitur ſub Titulo *Leviathanis*, in quo monſtroſa proponuntur dogmata, tàm Theologica, quàm Phyſica & civilia. Si verò verum fateri velimus, ille Scepticiſmi Moralis propagator eſt, quô pernicioſior doctrina in ſocietatem civilem inferri non poteſt. Multos habuit è popularibus ſuis Antagoniſtas, de quibus hîc diſſerendi locus non eſt.

5 Fuerunt etiam ex Anglis alii Novatores, tùm etiam è Gallis, quorum adeò celebre nomen non eſt; neque adeò nova quædam principia invenerunt, quàm è Veteribus quædam recoxerint, aut aliâ formâ propoſuerint. Quidam etiam confusè omnia tractarunt, & partem tantùm aliquam doctrinæ naturalis attigerunt. Fuit penè Enthuſiaſta in Philoſophiâ naturali ROBERTUS FLUDDIUS, Vir cetera magni & profundi ingenii, qui multa veterum Rabbinorum & Cabaliſtarum dogmata reſuſcitavit, multa ipſe commentus eſt, ut habebat ingenium phantaſmatum valdè fœcundum, quod vel mirabiles illæ picturæ, quibus cùm ordinem creationis rerum repræſentat, tùm alias operationes naturales, innuunt. Inprimis ridiculus eſt, quomodo de cauſis morborum philoſophatur, ubi aliquod ſanitatis fortalitium depingit, atque circa quemlibet fortalitii angulum angelos cuſtodes diſponit, & morborum quaſi averruncos, quorum etiam nomina novit, *ceu digitos unguesque ſuos*, in magnam

cre-

credo eorum familiaritatem admiſſus; His opponit è Dæmonum grege Genios illos morbificos, qui à partibus ventorum cardinalium morbos ſingularum plagarum genio familiares immittunt, omnes nigro ore ſqualentes & larvatos, & *neſcio quos vultus imitantia ſigna ferarum.* Illic vermiculi quidam barbati apparent, vel locuſtæ, vel crabrones, atque hìc ſinguli penè morbi ſuas figuras habent; tanti eſt ſapere. In omnibus his commentis non tamen nihil planè eſt, quod laudari mereatur. Fuit enim in illo ingenium *μηχανικώτατον*. In omni Matheſeos parte quædam ſcripſit, ac nova etiam non pauca invenit, quæ poſtea Kirchero, aliisque, in prædam ceſſerunt. Duo principia illi ſunt quaſi Catholica, in quibus univerſam Phyſicam ſuam & Medicinam fundat, virtus Septentrionalis & Auſtralis, ſecundum quas omnia diſponit. Virtus Septentrionalis eſt illi principium condenſans, virtus Auſtralis principium rarefaciens. Quod idem eſt, ac ſi quis rarefactionem & condenſationem principia Phyſices ſtatuat, quod fecit Kenelmus Digbæus, qui paulum alirer hoc in argumento verſatus eſt, & pulchrius principia iſta ornavit, atque omnia Phyſices φαινόμενα ad ea reduxit, *in Demonſtratione immortalitatis animæ rationalis*, Anglice ſcripta, & Latine etiam Pariſ. A. 1651. *in fol.*, ac Francof. *in 8vo*, cum gemina *Præfat. Metaphyſica* Thomæ Angli, Digbæo ὁμοψύφῳ, edita, *Tractatu priori.* Cui *Demonſtrationi Libros V. Inſtitutionum Peripateticarum* addidit, ut manifeſtiorem redderet ſuæ Philoſophiæ (quam ad mentem veteris Peripateticæ inſtitutam vult eſſe) cum Ariſtotelicâ convenientiam. Ac ſunt profecto, in quibus Digbæo, quàm Carteſio, malim ſubſcribere, etſi hic in aliis oculatior fuerit. Idem eſt, ac ſi quis calorem & frigus principia naturæ ſtatuat, vel ignem & terram ſecundum Teleſium, adeòque hîc non niſi terminis variatur. Unde videmus, etiam in naturali Philoſophiâ cramben eandem ſæpius recoqui, ac easdem carnes opponi, variatis juſculis. Roberti Fluddii *Opera* aliquot Voluminibus collecta ſunt, ac edita Londini, ſed rariores ſunt quidam ejus *Operum Tomi*, quòd Magica quædam in illis contineantur, quibus vehementer addictus fuit Fluddius, quô nomine etiam malè apud populares ſuos audivit. Primæ quoque illorum Editiones ſunt optimæ, quòd in poſterioribus multa ſint omiſſa. *Philoſophia Moſaica*, Goudæ A. 1638., *in fol.*, impreſſa, rarior eſt, & inter Pontificios prohibita. Nullum non divinationis genus attingit, ac non parum iis tribuit. In Aſtrologicis, in diebus Electitiis, in furtis inquirendis, & ſimilibus variis vetitisque artibus, ſua quædam præcepta ponit. Cogitandi modum in nobis & ſpeculationes illas rationum, mirificè quodam in loco, videlicet in libro *de myſticâ cerebri Anatome*, ob oculos ponit. Solent ab Anatomicis illic delineari genitalia membra utriusque ſexûs, quòd proceſſus quidam & ſinus, eum in modum, figurati ſint. Hic Fluddius invenit, non quod pueri in fabâ, illic dicit generari cogitationes; quod mihi mirum viſum eſt, cùm ego aliquando *joculare carmen de Ente rationis* ſcriberem, &, ferente ita genio carminis, joci gratiâ finxiſſem, illic generari Entia rationis, poſteà, cùm incidi in iſtum Fluddii librum, quod ne ſomniando quidem cogitaveram, inveniſſe me

me, ſeriò hæc aſſeri à Fluddio. Tota ejus Medicina mirabilibus referta eſt Paradoxis, mirabiles habet morborum definitiones & diviſiones. Legatur liber ejus *de morbi eſſentiâ.* Ratione totius Macrocoſmi dividit morbos in Empyreos, æthereos, Elementares, tenebroſos in plagâ Septentrionali procreatos, tenebroſos ex plagâ occidentali ortos, præternaturales æſtuoſos ad plagam meridionalem ſpectantes. Ergò Sphæricâ nunc opus habemus, ut intelligamus morborum naturam. Fundat verò omnem hanc Philoſophiam ſuam ſupra Septentrionalem & Auſtralem potentiam in naturâ, ut jam dixi, cujus menſuram quaſi ob oculos ponit Thermoſcopium. Ex eo omnium rerum penè cauſas deducere laborat. Urinarum ac pulſuum myſterium ex eodem Thermoſcopio demonſtrat. Vera autem & ordinata ejus principia iſta ſunt. Principia illi ſunt vel primaria, vel ſecundaria. Primaria ſunt tenebræ, ſive materia prima. Materia omnium rerum ſecunda ſunt aquæ. Lux divina illi eſt eſſentia centraliſſima omnia creans, informans, vivificans & movens. Secundaria illi principia ſunt, vel activa, ut calor & frigus, vel paſſiva, ut humiditas & ſiccitas. Sympathiam lucis, Antipathiam tenebrarum ſobolem facit, Spiritum quoque atque animam mundi ſtatuit. Quæ omnia, quàm ſint confuſa, quivis videt. Neque enim ordinata illa inter ſe ſunt, aut ſatis cohærent, neque ullam demonſtrandi vim habent. Quid enim cauſæ ſubeſt, quare tenebras inter principia ponat, quæ mera ſunt privatio, ut adeò ineptum ſit, materiam illas facere. Quando principia activa frigus & calorem facit, in eo ὁμόψηφος eſt Teleſio, qui tamen multò elegantius principia iſta ſua deducit. Paſſiva principia, humiditas & ſiccitas, non ſeparata ſunt à prioribus, qualitates enim ſunt, quæ calorem & frigus conſequuntur. Porrò Sympathiæ & Antipathiæ nomina non ſunt niſi nomina, atque nihil poſitivi in naturâ notant, quare ineptè, vel ad lucem, vel ad tenebras, referuntur. Non defuêre, qui ejus Philoſophiam oppugnârunt, Pet. Gaſſendus & Marinus Merſennus, Galli, multò illo quidem in Diſputationibus præſtantiores. Euſebius de Sancto Juſto, ut ſe vocat ficto nomine, librum itidem contra illum ſcripſit, quo hæreſeos, impietatis, ignorantiæ, illum accuſat. Fraternitati Roſeæ Crucis etiam ſe immiſcuit Fluddius, pro quâ *Apologiam*, ſub ficto nomine *Rudolphi Otreb*, ſcripſit.

6 Inter Gallos etiam fuit aliquis HENRICUS de ROCHAZ, in Phyſicis Novator, ſed è Chymicorum familiâ, qui aliqua ex Bernh. Paliſſio, aliqua ex Nuyſementii principiis de Sale univerſali, deſumpſiſſe videtur. Scripſit quædam *de Aquis Metallicis, ac ſecretis fodinarum Metallicarum*, quibus docuit rationem acidulas artificiales conficiendi. Librum edidit Gallicâ linguâ ſub *Phyſicæ Reformatæ* Titulô, cujus in principio refutat errores vulgares circa Elementa. Neminem eſſe ſtatuit, qui primam omnium rerum compoſitionem noſſe poſſit, niſi Deo creanti adfuerit. omniumque teſtis αὐτόπτης exſtiterit. Soli itaque Deo perfectam omnium rerum cognitionem eſſe ait. Nobis tantùm à poſteriori, ſcil. per ἀνάλυσιν, res noſſe datum eſſe, quæ ſcil. ſecundum principia Chymica inſtituenda. Porrò demonſtrat illa, quæ vulgò haben-

habentur Elementa, præcipuè verò ignem & aërem, non ingredi conſtitutionem miſti. Deinde de principiis uberiùs agit; ſalem facit principium corpora conſolidans, quod in vegetabilibus oleum, pinguedinem in animalibus, ſulphur in metallis, ſtatuit. Quod Mercurius illi in metallis, aqua & humor eſt in reliquis corporibus. Aqua illi omnis nutritionis principium. Nec opus eſſe putat, ut terra illi immiſceatur, neque immiſceri poris poſſe, quam opinionem tamen falſam eſſe exiſtimo. Aquam verò ſe corporificare per ſpiritum aliquem vitæ inſitum. Ulterius totam terram ex aquâ confectam eſſe autumat, neque Deum duplicem, ſed ſimplicem tantùm materiam creaſſe, quæ aqua fuerit. Cumque dicatur *Geneſ. I.*, Spiritum, incubantem aquis, diviſionem feciſſe inter aquas & aquas, ex eo aquam omnia fuiſſe probare contendit; quâ tamen interpretatione falſus eſſe mihi videtur, cùm dicatur illic à Deo non ſola tantùm aqua, ſed terra & aqua, creata. Corporum poſitivas qualitates facit calorem & humiditatem, ſiccitatem & frigus privationes ſtatuit. In alterâ parte operis ſui morborum cauſas, è tribus Chymicorum principiis, deducit, & quomodo ſecundum eadem fieri in illis Medicina poſſit, tradit.

GVILH. GILBERTUS, Gloceſtrienſis Anglus, Medicus Regius, *in Philoſophiâ novâ de Mundo noſtro ſublunari*, Amſtelod. ap. Elzevirium, anno 1654. *in 4to.*, editâ, etiam Novator eſt in Phyſicis, ab Ariſtotele diſſentiens. 7 Impugnat enim Elementorum Quaternarium, transmutationem & mixturam, vacuumque ſtatuit duplex, ſeparabile & inſeparabile. Ad doctrinam Magneticam, quam (uti *P. II. c. 32. §. 2.* dicetur) primus cum curâ excoluit, ſpecialia multa in Phyſicis reduxit ſpeculationibus. Ita enim ſolet fieri à multis, immoderatius in unâ affectione demonſtrandâ verſantibus, ut eam deindè ad omnia referant, ſimiles illi Philoſopho Muſico, qui animam per harmoniam definiebat, taxatus ideò à Cicerone, quòd nollet ab arte ſuâ diſcedere. In cœlo & ſideribus Gilbertus non agnoſcit quintam aliquam naturam & eſſentiam immutabilem, ſed generari illic & mutari ſtatuit corpora. De fluxu quoque & refluxu maris multa habet non ſpernenda. *Dan. Sennerti* Phyſica ab Ariſtotelicâ non adeò differt, niſi quòd materiam primam, mutationem Elementorum, & ſimilia ſpecialia dogmata, impugnet. Eam *Joh. Sperlingius* Wittebergæ profeſſus eſt non ſine applauſu. Sed potius ille declamat, quàm demonſtrat, nec ad ἀκρίβειαν Carteſianorum, methodumque demonſtrandi Mathematicam, accedit, ſed ſemper formas, qualitates occultas, ſympathias, & ſimilia ignorantiæ vocabula, pro rationibus affert.

CAP. XVI.

DE PARACELSO, EJUSQUE SECTÆ PRINCIPIIS.

§. 1. PHil. Aureolus Theopraſtus Paracelſus Magiæ falsò accuſatus. Dotes ingenii ejus, & in Medicinam merita. Πολυπραγμοσύνη *in Theologicis excu-*

ſatur. 2. Doctrina ejus ac Chymicorum de tribus corporum miſtorum, in quæ reſolvi eadem iterum poſſunt, Principiis, Sulphure, Mercurio, & , quem ipſe primus ſuperaddidit, Sale, Metallorumque ſpeciatim ab his productione, explicatur & defenditur. 3. Illuſtrantur hactenus dicta exemplo ſpiritus vini, de quo, an in priorem vini ſtatum reduci poſſit, disquiritur. 4. Continuatur defenſio principiorum Chymicorum contra horum Adverſarios, & Rob. præſertim Boylii Chymiſtam Scepticum. 5. Hiſtoria Chymiæ è Conringii & Borrichii Scriptis contrariis, Autorisque de Transmut. metall. Epiſtola, *haurienda eſſe monetur, & de Chymicis Græcis ἀνεκδότοις, Thomæque Reineſii in illos* Notis, *quædam adduntur.*

1 PEnultimus ille, quem nominavimus, *Henricus de Rochaz*, è PARACELSI *(ii)* Scholâ fuit, qui circa id tempus mirabilem aliquam Philoſophiam & Theologiam inſtituit, ad cujus exortum, velut ad novi cujusdam ſideris exortum, omnes ſunt excitati. De vitâ ejus viri, moribus & ſtudiis, multa traduntur ab aliis, integris libris. Laudatur enim ab his, culpatur ab illis, nec defuêre, qui Magiæ crimen illi imputarunt, à quo tamen illum liberat Gabr. Naudæus *in Apologiâ hominum eruditorum, pro Magis habitorum;* ac ſolet eſſe hoc familiare convitium in viros ſingulari doctrinâ & inventis illuſtres. Ipſi Chymiæ Veteris Profeſſores, Andr. Libavius *(in Exam. Philoſophiæ recentis,)* aliique, ipſum, tanquam Sophiſtam, excluſum ivere. H. Conringius, *in Libb. de Med. Hermet.* parum æquè de illo judicat, ſed, ut fieri nonnunquam ſolet, ſtudio partium abrepti, ne quidem virtutes laudare poſſumus. Recenſuit is quidem, è Melch. Adami *vitis Med.* nonnulla in ignominiam Paracelſi ab aliis dicta, ſed ea ſubticuit, quæ erant in laudem. Fuiſſe in Paracelſo maximum ingenium, ac perſpicaciſſimum ad res naturales contemplandas, nemo certè negare poterit, qui quidem ſine affectu judicaturus eſt. Magnam quoque lucem arti Medicæ intuliſſe certum eſt, quanquam ringantur & fremant ſectæ adverſariorum. Si manus à Theologia abſtinuiſſet, neque dogmata ſua ad fanaticam aliquam & Enthuſiaſticam Philoſophiam extendiſſet, plus ſibi laudis, invidiæ minus, paraſſet. Sed ferenda ſunt in homine, in exemplum certè ſeculi nato, levia illa vitia, & grato animo accipienda, quæ ille in genus humanum contulit beneficia. De mirabilibus ejus remediis in morbis deſperatis plurima ſunt Experimenta, quorum aliquot conſignavit Melchior Adami *in lib. de vitis Medicorum Germanorum.*

Phyſicam doctrinam ad tria illa vulgò decantata principia redegit, Salem, Sulphur & Mercurium, quibus omnia miſta corpora, velut Elementis quibusdam, conſtare credit, in quæ etiam arte reſolvi poſſint. Quod certè non ineptè, aut imperitè admodum dictum eſt. Primus tamen ille fuit, qui veterum illa principia Metallica ad corpora omnia miſta extendit, addito inſuper principio ſalis. Et quidem vetus illa Chymicorum Schola duo agnoſcebat principia, quibus Metalla conſtabant, Sulphur

(ii) De Paracelſo, ejusque Philoſophiâ & Medicinâ, Confer *Tom. II. Lib. I. c. 15. §. 16.*

phur & Mercurium, quorum inter ſe miſturâ efficerentur corpora iſta, quæ Metalla vocamus. Sunt verò illis Sulphur & Mercurius non niſi vapores diverſi, quorum mutuo complexu oritur primum Metallum aliquod immaturum & volatile, quod deinde, pro ratione caloris, à quo excoquitur, pro puritate vel impuritate loci, in quo producitur, varias aliquas ſpecies ſubit. Nam, ubi vapores illi puriſſimi ſunt, citra aliquam peregrinorum ſalium, vel terrarum impurarum acceſſionem, aurum fit & argentum, ubi verò accedunt impura Sulphura, & externa corpora metallica, conficiuntur impuriora, qualia ſunt cetera illa præter aurum & argentum. Eſt verò illis unus idemque in omnibus Metallis Mercurius, ſeu aqua quædam metallica, aquæ elementari toto genere diſſimilis, quæque nomen aquæ non niſi impropriè habet, & ob quandam Analogiam, quoniam ſcil. reſpectu ſuorum compoſitorum ſe habet, ut aqua, quæ in illo diſſolvuntur, quemadmodum corpora cetera in aquam, unde compoſita ſunt, paulatim diſſolvi poſſunt, quia ea quaſi glutinis cujusdam inſtar eſt, quô compinguntur corpora illa ſupraterranea, debilius miſta, quàm corpora metallica. At verò metalla, quæ ſingularem aliquam claſſem rerum naturalium conſtituunt, & quaſi radices ſunt, vel medulla & nucleus hujus maſſæ terraqueæ, propiora quædam & ſibi vernacula habent principia, Mercurium ſcil., aquam illam metallicam, ſive viſcoſitatem illam mineralem, quæ quaſi materia communis eſt omnium metallorum. Sulphur verò, alterum illud principium, eſt pinguedo aliqua mineralis, vel oleaginoſitas metallica, non combuſtibilis, qualis eſt in corporibus ſupraterraneis, debilius miſtis, & facilè reſolubilibus, ſed incombuſtibilis, & quaſi ipſe ignis corporalis, nullo alio igne combuſtibilis & ſuperabilis. Illud puriſſimum in auro eſt, impuritates quasdam habet in argento, ſummam verò fœculentiam in ceteris metallis, quibus parum ſulphuris incorrupti & incombuſtibilis ineſt, & pleraque aduri & comburi poſſunt ſulphure illo impuro combuſtibili. Hæc principia nemo è veteribus omni corpori naturali, præter Paracelſum, attribuit, qui tertium aliquod principium, Salem, addidit, quod neſciebat Chymicorum veterum Schola. In metallis enim, quanquam ſalis etiam termino nonnunquam utantur, nullus propriè ſal eſt, qui non ſimul ſit ſulphur vel Mercurius. Paracelſus tria hæc principia primus, uti dixi, ad omnia corpora naturalia refert, illa ſcil., quæ miſta ſunt. In quô certè non eſt adeò reprehendendus. Eſt enim quidam Analogiſmus corporum naturalium, ac reperitur in ceteris corporibus ſuâ quâdam ratione, quod reperitur in Metallis. Quanquam in animalium & vegetabilium ordine aliis illa nominibus ſint appellanda. Quare Mercurii nomine ſignificatur illud, quod humidum eſt in corporibus, præcipuè verò illud, quod volatile, ut in plantis & animalibus ſpiritus, atque in fermentatis liquoribus cereviſiâ & vino, qui omnium primi diſtillatione ſeparantur. Hunc aliqui cum ſulphure confundunt, quod ſcil. utrique & calor, & motus, & volatilitas, conveniat. Sed eſt tamen omninò inter Sulphur & Mercurium diſtinctio. Quanquam enim Mercurius & Sulphur in ſpiritibus ſæpè conjungantur, differunt tamen partes iſtius ſpiritus. Partes enim oleaginoſæ & pingues ſubtiliores, quæ Sulphuris nomine veniunt, unà

cum ſpiritu propelluntur. In Mercurio itaque humor eſt, in ſulphure pinguedo, in ſale fixitas quædam & ſoliditas. Tria hæc fermè demonſtrari poſſunt in uno quoque corpore miſto, ſi analyſis per ignem inſtituatur, quæ diſtincta illa miſta principia nobis producit. Quæ principia inter ſe poſſunt miſceri quaſi & confundi, nam nulla pars ſpiritualis ſive Mercurialis adeò ſolitaria eſt, quin habeat ſibi adjunctas partes aliquas ſulphureas, imò etiam ſalinas. Raro enim ita ſeparantur partes iſtæ, ut non vicinas etiam abradant. Sic in oleis etiam ſales volatiles habemus aut in ſpiritibus, ut exinde pateat, ita diviſa eſſe & confuſa inter ſe iſta principia, ut non omnia ſimul ſolvantur, ſed conjuncta etiam remaneant. Ideoque ſingula illa tria principia partes habent volatiles & fixas, particulas ſcil. magis vel minus mobiles. Quæ autem inter omnes quàm maximè ſunt mobiles, illæ omnium ſunt puriſſimæ & præſtantiſſimæ.

3 Diſtingui ergò eum in modum corpora miſta poſſe, ipſa ἀνάλυσις per ignem docet, quæ certè non videtur novas ſpecies producere, quæ quorundam ſententia eſt, ſed illa, quæ latitabant, in conſpectum proferre, ſeparatis illis, quæ fœculenta erant & non niſi craſſam aliquam molem & materiam exhibent. Quis enim exiſtimet, e.g. ſpiritum vini eſſe ſpeciem ab ipſo vino diverſam, vel per ignem demum productam. Quod enim nobis objiciebat aliquando homo iſtius ſententiæ Patronus, poſſe ſcil. ex ſpiritu vini & aquâ iterum vinum fieri, ſi miſceantur, quandoquidem novam ſpeciem non velimus admittere, id ridiculum eſt. Vinum enim, cùm liquor ſit fermentatus & fermentationis beneficio ita miſtus, vinculo hoc ſoluto per ſolam miſturam in priorem ſtatum reduci non poteſt. Eſt enim hæc confuſio tantùm liquorum inter ſe, fermentatio verò minimarum particularum inter ſe translocatio, interno aliquo motu excitata, quæ ſi reddi poſſet per artificium ſpiritui vini & phlegmati, inter ſe miſtis, ac illæ etiam particulæ reponi, quæ in auras evolarunt, novâ iterum fermentatione vinum produci poſſe non dubito. Quanquam proportio illarum partium deprehenſu difficilis foret. Atque rem non omninò impoſſibilem eſſe, vel ex eo patet, quòd, ſi liquori, ex uvis expreſſo, aliqua ſpiritûs vini nobiliſſimi pars additur, vinum multò generoſius evadat, auctis ſcil. iſtis ſpiritibus internis, in liquore contentis, per acceſſionem externorum. Quomodo in vino præparando multa ſunt arcana, magnum profectò habitura momentum in re naturali, ſi ea omnia ſcirentur. Multa adhuc latitare exiſtimo, quæ deprehenſa magno commodo eſſe poſſent.

4 Argutias itaque tantùm captare mihi videntur & ſophiſmata, qui tria iſta corporis miſti principia impugnant, quæ quanquam per ſe prima non ſint, ſunt tamen prima ratione miſtionis; ex iis enim proximè conſtant corpora, atque in illa proximè reſolvi poſſunt, ut novas hic ſpecies produci non ſit credendum. Nam, cum leni igne, eô ſcil., quô natura in compoſitionibus & generationibus rerum utitur, miſta illa diſſolvuntur, nihil aliud infertur partibus miſti corporis, quàm motus, ideoque ſimul ac calor incipit, incipiunt moveri in miſto corpore particulæ maximè mobiles, quarum motus ſenſim continuatur calore continuato, ideoque diviſio fit

inter

inter partes, quæ conſtituebant totum illud, quarum partium diſtinctionem ex ipſâ ſpecie externâ, & proprietatibus ejus, deprehendere poſſumus, ideoque nihil novi hìc generatur, ſed, quod ignotum erat, detegitur. Quòd ſi verò ignis inſtituatur ultrà modum, violentus ſit & deſtructivus, tùm partes maximè mobiles, vel avolant, vel, ſi clauſæ ſunt, inficiuntur miſturâ reliquarum partium magis fixarum, per illam vim contra naturam ſuam propulſarum. Neque dicam de fuliginibus ligni vel carbonum, ex intenſo illo igne particulis propulſis pro minima commiſtis, unde ἐμπύρευμα aliquod peregrinum infertur partibus deſtillatis. Atque tùm certè, cùm omnes inter ſe partes confunduntur, quaſi nova aliqua ſpecies videtur produci. Atque in iſtis principiis nobis ſubſiſtendum eſt, naturam corporum miſtorum indagaturis. Nam, ſi ad remotiora aliqua tranſimus, quibus etiam iſta principia conſtant, nihil amplius ſenſu deprehendimus, ſed ex intelligentiâ rerum nobis fingimus, ſive ab Atomis illa arceſſamus, ſive à quibusdam formis, quæ omnia dubitationis & fictionum plena ſunt. Principiorum Chymicorum inſufficientiam integrô librô, cui titulum *Chymiſtæ Sceptici* facit, demonſtrare voluit ROBERTUS BOYLE, argutus quidem ille & ingenioſus, ſed à quo tamen ego diſſentire malo. Nam, niſi aliquis finis modusque argutiarum ſtatuitur, pro rebus tandem ipſis umbras captabimus, & inania quædam ſimulchra. Subſiſtere autem nos poſſe, in miſtorum naturâ deprehendendâ, his in principiis, arbitror. Quanquam non negem, eſſe φαινόμενα naturalia, in quibus ulterius progrediendum eſt. Sed in iis, cùm poſſimus quædam vi ingenii, non falſo examine, deprehendere; multa tamen ſunt, in quibus ingenio tantùm locus relictus eſt, cujus fiduciâ freti cauſas, vel damus, vel rejicimus.

Nolo nunc quicquam de veterum illâ doctrinâ chymicâ prolixius diſſerere, cùm 5
id abundè à nobis præſtitum ſit in Epiſtola, quam *de transmutatione Metallorum* ſcripſimus. Legi poſſunt in illo argumento libri in utramque partem ſcripti, Hermannus Conringius *in Medicinâ Hermeticâ*, qui aliquanto iniquior eſt in Chymiam Veterum & Recentiorum, & Olaus Borrichius in doctiſſimo libro, quem de *ortu & progreſſu Chymiæ* edidit, ac alio, quem adverſus Conringium ſcripſit *de ſapientiâ Ægyptiorum*, in quibus operoſus eſt in refutandis Conringii ſententiis. Hic prolixè disquiritur de primis in iſtâ doctrinâ Scriptoribus, quando illi vixerint, quosque libros ediderint. (*kk*) Ii Autores Græcâ linguâ in Bibliothecis Regiâ Pariſienſi & Auguſtanâ aſſervati fuerunt, atque eo fortè tempore in Italiam & Galliam importati ſunt, cum Anno Chriſti 1453., everſo Imperio Conſtantinopolitano, Græci exules, Beſſarion, Chryſoloras, Laſcaris, Argyropulus, in Italiam & Galliam confugerunt. Ex codice Auguſtano codex Bibliothecæ Altenburgenſis deſcriptus eſt, quem ex iſtâ Bibliothecâ, per amicum, ſumus adepti, multis in partibus mutilum. Nam in eo non inveniuntur, quæ Salmaſius in codice Pariſienſi legerat de artificiali unionum confe-

(*kk*) De MSStis Chymicis Græcis vetuſtis, etiamnum reliquis, Autor *Tom. I. Lib. I. cap. XI.* prolixius diſſeruit. De Herm. Conringii & Ol. Borrichii Scriptis de Chymia contrariis paulo antè, *ad Lib. hujus Cap. IV.* §. 1. quædam ſunt annotata.

ctione. Notas Thomas Reineſius margini adjecit, ac multa loca emendavit, addita quoque eſt ejusdem de ætate horum Autorum Diſſertatio. Vetuſtiſſimi Autores in Annum Chriſti 400. incidunt. Nam, quæ ſub Democriti nomine prodiêre, ſuppoſititia habent omnes; quanquam Borrichius non omninò ſuppoſititia eſſe velit, ſed extitiſſe quædam ejus generis ſcripta, Veterum quorundam autoritatibus probare contendit. De recentioribus hujus Studii cultoribus legi amplius poteſt Epiſtola noſtra.

CAP. XVII.

DE PHILOSOPHIA NATURALI RENATI CARTESII, ET ASSECLARUM.

§. 1. *Laus Carteſii. Philoſophia ejus immeritò Theologis ſuſpecta, & Atheiſmi, cui Ariſtotelica potius viam ſternit, inſimulata. Aſſeclarum ejus dogmata impia Carteſio non imputanda. Judicium de Gisb. Voëtio.* 2. *Carteſii quatuor de philoſophandi ratione Regulæ, è* Libro de Methodo, *& Philoſophemata ejusdem Phyſica, Generalia & Specialia,* è Principiis Philoſophiæ, *breviter recenſentur.* 3. *Scripta illius reliqua enumerantur, illorumque Editores.* 4. *Philoſophiæ item illius Epitomatores & Scriptores Syſtematici, Henr. Regius, Jac. Rohault, Joh. Tattinghof, Franc. Bayle, Ant. le Grand.* 5. *Commentatores in eandem, Joh. Claubergius, Dan. Lipſtorpius, Jac. Rohault, Cordemœus, Thom. Cornelius, Joh. de Raey.* 6. *Carteſiana Principia ſuis miſcuerunt Rob. Boylius & G. G. Leibnitius.* 7. *Adverſarii potiores Philoſophiæ Carteſianæ, præter Scholaſticos, Franc. Wilh. Baro de Nyland, & in Motus præſertim doctrina, Gallus Anonymus, Joh. Alph. Borellus & Henr. Morus, ad Enthſiaſmum proclivis.* 8. *Carteſianæ Phyſices mira ſubtilitas laudatur, ſed & incertitudo ſimul agnoſcitur.* 9. *Henr. Mori judicium de nævis illius, vel à ſimplici inadvertentiâ, vel ab aſtutiæ honeſtæ ſtudio, vel à nimiâ Mathematicæ certitudinis affectatione, ortis, exemplis, dogmatum de Brutis Automatis inſenſatis, Cauſis finalibus non inveſtigandis, Motus Cauſa efficiente & menſurâ, aliisque, illuſtratum.*

1 ACcedimus jam ad decantatiſſimam noſtri ſeculi Philoſophiam, cujus Autor RENATUS CARTESIUS, *(ll)* Gallus, perſpicaciſſimi vir ingenii, & Mathematicorum ſtudiorum peritiſſimus, quorum miniſteriô in omnibus Phyſices hypotheſibus uſus eſt. Variis agitata fuit fatis, cùm primùm oriretur, laudata ab his, culpata ab illis, adverſarios tamen nacta eſt plurimos, inprimis Theologos, qui, neſcio quas, inſidias ſibi ab illâ metuebant, in quo tamen falſos eos fuiſſe res ipſa docet. Quod enim illi maximè impugnant, adeò planum & perſpicuum eſt, ut

(ll) De Renato Carteſio, ejusque Doctrinâ & Sectâ Philoſophicâ, Confer *T. II. Lib. I. c. 15. §. 5-12.*

ut ſenſus ſuos negent, qui adverſum iſta loquuntur. Quanquam non negem, quosdam è Carteſii Diſcipulis latiùs extendere illa, quàm ipſe olim Carteſius, ſatis quidem in ſententiis ſuis modeſtus. Quod tantùm abeſt ut Carteſio imputari poſſit, ut penè hoc cum omnibus commune habeat. Nihil enim à quoquam dici poteſt, quod non in ſenſus pravos poſſit corrumpi, ubi malum ingenium acceſſerit. Sanè ex ipſis Peripateticorum principiis fuêre, qui Atheiſmum, qui animæ mortalitatem, propugnarent, cùm alii tamen, & ipſi quidem Theologi, ex iisdem principiis, diverſa doceant. Non poſſunt certè Carteſius & Aſſeclæ præſtare, quod infamis ille Diſſertator *de Philoſophiâ Scripturæ Interprete* (Eleutheropoli A. 1666. *in 4.*) Carteſiana principia ad dogmata ſua Theologica Paradoxa detorqueat. Cui Ludov. Wolzogenius, Prof. Traject., Libello eximio *de Scripturarum Interprete* maſculè reſpondit, ac paucis pagellis Nicol. Arnoldi *in Theologiâ Philoſophiæ Dominâ*, Franeq. 1667. *in 12.* Prudens eſt & neceſſaria circa abuſum Philoſ. Carteſianæ *Admonitio* Balth. Beckeri, Doct. Theologi, Veſaliæ 1668. *in 12.* edita. Qua cum conferri poſſunt, quæ de vero ejusd. uſu Sam. Mareſius, Brunius & Pet. ab Andlo ſcripſerunt. Fuit verò iſta Carteſii Philoſopha magis iſtis criminationibus ſubjecta, quòd ad ſenſum magis doctrinam ſuam reduxerit, atque eum normam hypotheſεων ſuarum conſtituerit. In quo quidem ille nihil perperam facit; nam qui aliâ ratione naturam ſpeculatur, in multa fanatica & inania incidat neceſſe eſt. Sed qui illud, per imperitiam ſuam, non aſſequebantur, miros ſtatim clamores excitabant de perverſis quibusdam & hæreticis ſententiis. Id certè ex omnibus conſtat Carteſii ſcriptis, neminem majori ſtudio & conatu in id incubuiſſe, ut demonſtraret animæ humanæ immaterialitatem, & per conſequens immortalitatem, & exiſtentiam Dei; quæ duo certè capita oſtendunt, longè illum abfuiſſe ab iſto crimine, quod illi imputabant adverſarii. Nemo enim è veteribus illis, nec Ariſtoteles ipſe, cujus paſſim principia in Scholis recepta ſunt, id datâ operâ egit. Omnia enim apud illum ſuper hoc argumento ſunt tenebricoſa, ſuſpecta, ambigua, & jam in hunc, jam in illum ſenſum, flecti poſſunt. Unde non deſunt, qui expreſſis verbis aſſerant, Ariſtotelem ſtatuiſſe animam hominis mortalem. Magis fortè pius eſt Carteſius, quàm illi, qui Carteſianam Dei in nobis Ideam ſcriptis impugnarunt. Quorſum ſpectat Lib. cujusd. Steph. Ezeckii, qui, in *primâ ſuâ veritate defenſâ* (Traj. 1666. *in 12.*) acerbè iſtoc nomine Carteſium, ejusque Aſſeclas, perſtringit. Quod hiſtoriam vitæ & Operum Carteſii attinet, prodiit non ita pridem libellus aliquis ſingularis de hoc argumento ſcriptus à M. Joh. Tepelio. In quô ſimul exponuntur variæ ejus conflictationes cum Theologis, è quibus præ ceteris habuit Antagoniſtam Gisbertum Voetium, hominem magnæ quidem doctrinæ & variæ, ſed nullâ perſpicacitate animi præditum.

Primum Opus, quod Carteſius ſcripſit, *liber* fuit *de Methodo*, quo IV. Regulis 2
omnem philoſophandi rationem complexus eſt. Prima eſt, ut nihil unquam veri admittatur, niſi quod quis certò & evidenter verum eſſe cognoſcat. Secunda, ut difficultates, quas eſſet examinaturus, in tot partes divideret, quot expediret, ad illas com-

commodius reſolvendas: Tertia, ut cogitationes ordine promoveret, incipiendo à rebus ſimpliciſſimis, & paulatim ad difficiliorum & magis compoſitorum cognitionem aſcendendo; Quarta, ut perfectè ſingula enumeraret, & ad omnia circumſpiceret, in mediis quærendis, & difficultatibus percurrendis. Primum ex eo, quod dubitet & cogitet, demonſtrat, quod ſit, unde exiſtentiâ ſui, & dubitatione de rerum eſſentiis, ad demonſtrationem excellentioris naturæ, divinæ ſcil. procedit, naturalium rationem ex arte factis explicat, cùm formas illas ſubſtantiales non agnoſcat. Potiſſima verò naturæ phænomena è ſolo motu, & habitudine partium, explicari poſſe demonſtrat. Natura nihil illi aliud eſt, quàm corpus, quod trinam dimenſionem habet, ſequeſtratâ omni ratione duritiei, aſperitatis, gravitatis, &c. cùm ſola trina dimenſio illi corpus conſtituat. Hinc vacuum, ut impoſſibile, in naturâ dari negat, formam in ſolo homine ſubſtantialem agnoſcit, cùm anima humana ſola ſit actionum humanarum conſcia atque per ſe operetur. Ceterarum rerum formæ nihil aliud illi ſunt, quàm accidentium congeries. Inter accidentia principem locum tenet motus, tum quies, figura, ſitus, magnitudo. Tria illi ſunt Elementa. Primum Elementum eſt materia quædam ſubtiliſſima, perniciſſimè agitata, fluida, nullius figuræ tenax, ſed quæ facilè corporum adjacentium figuras induat. Illud in ſole, ſtellis, igne & lucidis corporibus, potiſſimum regnare ait, & meatus corporum occluſiſſimos pervadere. Secundum Elementum ipſi ex globulis minutiſſimis componitur, quod æthercam ſubſtantiam efficit. Tertium, ex materiâ denſiori, & particulis ramoſis, aut aliter figuratis, componitur. E quibus partibus craſſioribus terra, aqua, aër, omniaque mixta corpora, componuntur. Ex primo illo & ſecundo Elemento vortices ſuos efformat. Cœleſtis enim materia, quæ globulis ſecundi Elementi conſtat, circa centrum commune tota in orbem vertitur, & quantum poteſt, à centro removeri nititur, &, niſi proximi vortices obſiſterent, hinc magis ac magis recederet. Unaquæque autem ſtella proprium ſibi vorticem & cœlum vindicat, in cujus medio celerrimè agitatur. Unicuique vortici ſui ſunt poli & cardines. Vortex, in quo nos ſumus, quique Planetas omnes complectitur, ſex aut pluribus vorticibus ita circumdatur, ut motum ſibi impreſſum, quàm poteſt maximè, tueatur. Ex vorticibus illis, qui duobus iſtis Elementis conſtant, primo ſcil. illo, materiâ ſubtiliſſimâ & globulis illis æthereis, tertium prodit Elementum, quod ſolares maculas, cometas, & errantes ſtellas, efficit. Id, ex angulis, & velut ſcobe, ſecundi Elementi conciſum, partes non habet æquabiles, ſed aliæ aliis ſunt craſſiores. Singula prolixius ab ipſo Autore explicantur, quomodo maculæ in ſole fiant, quomodo cometæ generentur, Planetæ facti ſint. Hinc Planetas novos novos Soles generare poſſe ſucceſſu temporis probare contendit. Quæ an ita ſe habeant, definire certò non poſſumus, quanquam ſint ſummâ ſubtiltate & veriſimilitudine omnia excogitata. Ex iis principiis Mathematicâ ratione naturalia effecta deducere laborat, & quas occultas Phyſici habent affectiones corporum, magnetiſmos, ſympathias, antipathias. Eam doctrinam præcipuè in *libro Principiorum Philoſophiæ* complexus eſt.

Scripſit

Scripſit præterea *de Geometricis*, *de Opticis*, libros elegantiſſimos, libros etiam *de Meteoris.* Ejus *de Paſſionibus animæ* aureus liber eſt, Amſtel. A. 1650., *in 12.*, editus. Prodierunt itidem variæ ejus *Epiſtolæ*, tùm Gallicæ, tùm in Latinam linguam converſæ, quibus controverſiæ, tàm Phyſicæ, quàm Mathematicæ & Morales, discutiuntur. De quibus Oldenburgius *in Transact. p. 392. 810.* & *T. III. Ephem. Gall. p. 26.*, conſulantur. Tractatus ejus *de homine*, multa continet, à vulgatis Anatomicorum opinionibus diſcrepantia, qui primùm Gallicâ linguâ prodiit, & in Latinam poſteà converſus à Florentio Schuylio, cujus præfatio (in Edit. Leidenſi A. 1664. *in 4to*) multa de rebus Carteſianis monet. Quoniam verò morte præventus abſolvere non potuit, Ludovicus Forgius, Med. Pariſienſis, addidit alteram partem libro Gallicâ linguâ ſcripto, *de animâ hominis*, in quo ſecundum eadem principia doctrinam de animâ explicat, cuique longam præfationem de Carteſii doctrinâ, non novâ, ſed cum antiquis Autoribus, ipſoque Auguſtino, conveniente, præmittit.

Fuerunt hinc multi, qui ejus doctrinam, vel in Compendium redegerunt, vel Commentariis illuſtrarunt, vel cum ſuis dogmatibus miſcuerunt. E primo genere ſunt Henricus Regius *in fundamentis Phyſices ſuæ*, Jacobus de Rohault, Joh. Tattinghof *in Clave Philoſophiæ Carteſianæ*, Franciſcus Bayle in lib. Gallico, qui inſcribitur *Syſtema Generale Philoſophiæ*, excuſus Toloſæ *in fol.*, anno 1669. Qui undecim capitibus pertractat Metaphyſica, Logica, principia naturalis Philoſophiæ, doctrinam productorum in viſceribus terræ, meteororum, ſenſibilium qualitatum, plantarum, animalium, hominis, humanarum paſſionum, & denique Ethica. Antonius le Grand *Philoſophiam veterum, è mente Renati de Cartes, more ſcholaſtico breviter digeſtam*, ſcripſit, quæ Londini edita eſt Anno 1671. Sed ſuperiori anno elegans & luculentum Syſtema totius Philoſophiæ Carteſianæ in lucem dedit, quod præ ceteris commendo, ut quod ſummâ diligentiâ & perſpicuitate dogmata Carteſiana proponit. Cui jungi poteſt *Hiſtoria* ejus *naturalis*, in quâ, per ſingula Phyſices capita, phœnomenorum Phyſicorum rationes è Carteſii Philoſophiâ deducit. Scripſit & idem *de carentiâ ſenſus & cognitionis in brutis*, ad mentem & ſententiam Carteſii. 4

Qui Commentariis illuſtrârunt, multi ſunt, præcipuè Joh. Claubergius *in Meditationibus, paraphraſi, Ontoſophia, Phyſica, Logica*, Gilbertus (*mm*) *in Phyſiologiâ, ſeu Philoſophiâ novâ*, (Amſtel. A. 1651. in 4to edita) Dan. Lipſtorpius *in Speciminibus Philoſophiæ Carteſianæ*, in quibus doctrinam motûs præcipuè tradit. Jacobus Rohault in *Tractatu ſuo Gallico-Phyſico*, Pariſiis anno 1674. edito, & poſtea etiam Batavis recuſo, Carteſiana principia pluribus deducit, & primâ in parte contra Peripateticos & Scholaſticos defendit: Cordemæus, doctiſſimus autor Gallus, populari linguâ Tractatum edidit *de differentiâ animæ & corporis*, ex mente Carteſii, elegantiſſimum & ſubtiliſſimum Opus, quemadmodum & alterum, quod *de verbo* ſcripſit. 5

(*mm*) Quo jure Gvilh. Gilbertus, *Cap. XV.* §. 7. inter Novatores relatus, Commentatoribus Carteſii accenſeatur, annò 1596. demum nati, cùm diu ante hunc inclaruerit, & Opus ſuum, *de Magnete*, anno jam 1600. Londini ediderit, non video.

Scripſit & Thomas Cornelius, Conſentinus, *Progymnaſmata Phyſica*, ad mentem Carteſii, *de ratione philoſophandi, de rerum initiis, de univerſitate, de ſole, de generatione hominis, de nutritione & vitâ*, Francof., A. 1665., *in 12.*, recuſa. Adverſus Ariſtotelem ſæpè diſputat, interdum quoque adv. Carteſium, quem ex Jordani Bruni hypotheſibus quædam deſumpſiſſe, *Progymn. III. de Univerſitate*, oſtendit. Longè verò plures ſunt, quos omnes enumerare opus non eſt. In Belgiâ olim Lugduni, nunc Amſtelodami, Joh. de Raey celebratiſſimus Philoſophiæ Carteſianæ Doctor eſt, cujus multa extant, quæ doctrinam Carteſi illuſtrant, ſcripta.

6 Qui Carteſiana principia ſuis, vel aliorum principiis miſcuerunt, non pauci ſunt. Inter Anglos præcipuus eſt Robertus Boyle, qui, in libris ſuis *de origine formarum, formis ſubordinatis, qualitatibus Coſmicis, coloribus*, &c. Carteſianas ſententias, quod doctrinam corpuſcularem attinet, & Phænomena naturalia è motu procedentia, amplectitur, cùm interim multa ejus Autoris rejiciat. Motum, è quo Carteſius multam deducit doctrinam, quatenus phænomena naturalia inde dependent, diligenter evolvit Godfr. Gvilh. Leibnitius in *hypotheſi ſuâ Phyſicâ novâ*, quâ Phænomenorum naturalium plerorumque cauſas ab unico quodam univerſali motu, in globo noſtro ſuppoſito, repetit, & in *Theoria motûs abſtracti, ſive rationibus motuum univerſalibus, à ſenſu, & phænomenis inde dependentibus.* Quos duos libellos *Societati Regiæ Anglicæ, & Acad. Regiæ Francicæ*, inſcripſit, Moguntiæ A. 1671., in 12., editos, & in Angliâ, juſſu Societatis Regiæ, recuſos.

7 Carteſiana principia impugnant Scholaſtici quidem multi, ſed, cum è ſuis hypotheſibus contra Carteſianos diſputant, nec Carteſium ſatis capiunt, nec ſolidè refellunt. Eidem viæ demonſtrativæ inſiſtere oportet, ſi quis contra Carteſium agere velit. Quare illos ne nominabimus quidem. Qui ſolidiora demonſtrationibus Carteſianis opponere volunt, pauci ſunt. Sunt tamen, qui, contra ſpecialia ejus dogmata, aliqua comminiſcuntur. Eſt quidam Franciſcus Wilhelmus, liber Baro de Nyland, qui *Elementa Phyſica* ſcripſit, ſeu *nova Philoſophiæ principia, quibus Carteſii principiorum falſitas oſtenditur, ipſiusque errores ac paralogiſmi ad oculum demonſtrantur & refutantur* (ita titulus ſcil. jactitat:) Liber editus eſt Hagæ Comitis anno 1669., & digna, quæ de illo conſulatur, cenſura Tſchirnhauſii *in Medicinâ mentis, pag. 131.* Is non à corpore, Carteſianæ Phyſicæ principio, ſed ipſo nihilo, incipit, quod Infinito æquipollere contendit, & mundi ex nihilo creationem demonſtrare laborat: quod certè eſt ἄτοπον, & ante ipſum nemo tentavit. Ariſtotelico principio, *nihil ex nihilo fieri*, adverſâ fronte repugnat. Finitum Ens medium proportionale inter nihil & infinitum facit, quod Mathematicâ demonſtratione ponere ob oculos annititur. Vacuum contra Carteſium admittit in naturâ, corporis phyſici rationem formalem in denſitate & duritie conſtituit, contrà quàm Carteſius, qui trinam dimenſionem formalem corporis rationem eſſe vult; hinc ad motum, unicum Dei, ſupremi Entis, in productione corporum Inſtrumentum, procedit. Cujus regulas habet à Carteſio diverſas, quæ recenſentur *in Actis ſocietatis Regiæ Anglicæ p. 2167.* Quid de ſententiâ

ejus

ejus ſentiat Chriſtianus Hugenius, legi poteſt in *Epiſtolâ* libello ejus præfixâ. Quod motûs verò regulas attinet, à Carteſio præſcriptas, eas etiam alii impugnârunt. Gallus quidam Anonymus *de Motu locali Diſſertationem*, Anno 1670., ſcripſit, qui regulas tradidit à Carteſianis diſcrepantes, de quibus videantur *Acta Societatis Anglicæ p. 2110.* Scripſit & Johannes Alphonſus Borellus, Italus, *de vi percuſſionis* Tractatum, in quo occurrunt regulæ, à Carteſianis diverſæ, convenientes verò cum Franciſci Wilhelmi hypotheſibus, quod & ipſe fatetur, quanquam librum antè à ſe viſum neget. Eſt & Henricus Mohre, Cantabrigienſis, qui *Enchiridion Metaphyſicum*, ſive *Diſſertationem de rebus incorporeis*, conſcripſit, ſub literis nominis initialibus, H. M., editam Londini, Anno 1671. *in 4to.* In quô Φαινόμενα naturalia à Mechanicis cauſis, ut vult Carteſius, produci negat, ſed neceſſarias exiſtimat eſſe quasdam immateriales eſſentias, ſ. Spiritus, ad motum in naturâ producendum. Carteſium reprehendit, quòd Definitionem motûs non philoſophicam dederit, quæ omni ſenſui & facultati rationali repugnat. Demonſtrat, quòd ſit aliquod extenſum immobile, non apparenter tantùm, ſed & verè, exiſtens, diſtinctum ab omni materiâ mobili, quod ſpirituale & immateriale facit, totum univerſum omnemque materiam penetrans & ſuſtentans, quodque, ab omni cogitatione noſtrâ independens ſit, & quodammodo divinum. Ergo ſpatium illud, quod vulgò vacuum poſſit vocari, Carteſio verò corpus, ſive materia eſt, ob extenſionem, ille reverâ diſtinctum ab omni materiâ facit, & ſpiritum incorporeum, affirmans ſe eâ viâ, quâ Carteſius Deum è mundo excluſerit, introduxiſſe iterum. Quæ ſententia ejus neſcio quomodo peregrina & inſolita eſt. Neque verum eſt, excluſiſſe Carteſium Deum è mundo, quando illum non ſub extenſione concepit. Eam enim differentiam faciebat inter ſpiritum & corpus, in quo etiam conſentit cum omnibus Philoſophis ſanioribus. Henricus Mohre verô extenſionem etiam ſpiritui competere ait, qui in *libro ſuo de immortalitate animæ* prolixè eâ de re agit, multisque capitibus oſtendit, ſpiritus non eſſe extenſione omni deſtitutos, adeò quidem, ut animæ humanæ., ſeparatæ à corpore ſuo, figuram ovalem vel rotundam tribuat, quod certè neſcio quid Enthuſiaſticum ſapit, neque ullâ ratione à quoquam demonſtrari poteſt.

Atque hæc de Philoſophiâ Carteſianâ dixiſſe ſufficiat, de quâ, ſi meum qualecunque judicium eſſet interponendum, ita quidem exiſtimo, nullam unquam ſubtiliorem à quoquam eſſe Philoſophiam traditam, quæque magis conetur naturam in ipſis ſuis principiis deprehendere, quæ miniſterio ſenſuum ita altè ſunt excitata, ut profundius quidem mens humana penetrare non poſſit. Quàm enim ſubtilia ſunt, quæ de materiâ ſubtili, de vorticibus hujus univerſi, excogitavit Carteſius veriſimillimè? è quibus hypotheſibus occulta illa naturæ Φαινόμενα, inter quæ præcipuum eſt motus Magneticus, demonſtrare contendit. Quanquam iſta non adeò certa ſint, ut nullus dubitationi amplius locus relictus ſit, puto tamen, generales iſtos conceptus ſatis benè ſe habere, & veriſſimos eſſe, licet in omnibus illis fortaſſis natura ipſa non reſpondeat. Quæ enim inde deducit de Solium generationibus, eorumque com- 8

 muta-

mutationibus in terras, quæ de cometis habet, illa quidem omnia admirabiliter excogitata ſunt, & fortaſſis ita ſe habent, ſed fides tamen earum rerum indubitata non eſt, ut quæ humano ingenio deprehendi non poteſt, ob vaſtitatem objecti, ob diuturnitatem temporum, ob diſtantiam locorum, ob imbecillitatem ipſius naturæ & mentis noſtræ humanæ, quæ, incluſa hoc corpore, miniſterio ſenſuum tantùm apprehendit, & vel ſeparata fortaſſis non omnes illos univerſi receſſus capit.

9 HENRICUS MOHRE peculiarem ſcripſit *Epiſtolam*, quæ reperitur inter *Opera* ejus *Philoſophica, de Philoſophiâ Carteſianâ*, in quâ vehementer eam laudat quidem, & adverſus ſtolidos & imperitos cenſores defendit, ſed tamen aliqua deprehendere ſibi viſus eſt, in quibus diſſentire malit à Carteſianis hypotheſibus, vel iis diffidere, quæ ad tria genera reducit, nimirum vel ad ſimplicem nudamque inadvertentiam, qualis in omnes ferè mortales cadere ſolet, vel ad nimium, ſive prudentiæ, ſive honeſtæ cujusdam aſtutiæ, ſtudium, vel denique ad enormem quandam Mathematicæ certitudinis ac neceſſitatis in ſingulis ſuis concluſionibus affectationem. Singulorum capitum exempla fusè illic recenſet. Ad ſecundum genus refert exemplum illud de brutis animantibus, quæ inanimes machinas, inſenſataque αὐτόματα Carteſius eſſe fingit, quod illi lepidum commentum neceſſe fuit comminiſci, ne brutorum animas, pariter ac noſtras, ex ſuâ philoſophandi ratione, concluderet immortales. Cùm enim firmiter teneret, & ut principium indubitatæ fidei poneret, ne viliſſimum quidem cogitandi actum in materiam cadere, qualitercunque etiam modificatam, ſi agnoviſſet ſenſum ineſſe brutis, debuiſſet etiam concedere, ineſſe illis ſubſtantiam realiter à materiâ diſtinctam, h. e. animam immortalem. Maluit itaque ſenſu privare bruta, quam turbari quæſtiunculis odioſis hominum captioſorum de animarum brutorum ſtatu poſt mortem. Igitur putat Morus, illi potius hoc velut κρησφύγετον fuiſſe aſſumendum, non autem veram ejus aut ſeriam fuiſſe ſententiam; quod conjicere etiam liceat ex verbis Epiſtolæ alicujus ad Henricum Mohrum ſcriptæ, ubi ait Carteſius: *Quamvis pro demonſtrato habeam, probari non poſſe, aliquam eſſe in Brutis cogitationem, non ideò puto poſſe demonſtrari, nullam eſſe, quia mens humana illorum corda non pervadit.* Similiter etiam huc pertinet illud, *Principiorum part. 3. Articulo 2.*, de non inveſtigandis finibus earum rerum, quas in naturæ complexu videmus. Quo monito ſibi præcavit ab importunis ſciſcitationibus, quas de corporibus cœleſtibus urgere nonnulli poſſent, e. g. cur Deus tot ſoles creârit, quibus luceant, annon in Planetis omnibus bruta animantia eſſent, ſive homines? Ad tertium genus permulta Carteſianæ Philoſophiæ deduci poſſunt & refert Henricus Morus illam Carteſii magnificam pollicitationem de concluſionibus ex mechanicâ motus neceſſitate, per univerſam ſuam Philoſophiam deducendis. Neque enim putavit ſe ſatis ſecurum Carteſius de certitudine eorum modorum, quibus naturæ φαινόμενα fieri aſſerit, ſi divina conſilia, (quæ variis modis eadem φαινόμενα exhibere poſſunt) cum materiæ motusque legibus miſcerentur. Ad rotationem illam vorticum tàm arti-

artificialem, quamque ille expediri putat poſſe ſolius materiæ & motûs conditionibus, altior cauſa & divinior requiri debere videtur. Nam, ut rectè notat Henricus Morus, nunquam eſſet motus adeò exactus & ordinarius, ſi ad ſolum principium Mechanicum illa referantur. Refert etiam huc ſcrupuloſum illud, ut vocat, principium, quòd ne tantillo quidem plus minusve motûs ſit in rerum univerſitate, unô tempore, quàm alio. Cujus dogmatis ratio certa dari non poteſt, neque aliter illud conſiderari, quàm hypotheſis aliqua Mathematica, quæ aſſumenda eſt, ut affectiones corporum cœleſtium demonſtrentur. Ita Carteſio aſſumendum fuit hoc principium, quoniam ex motu omnia naturæ φαινόμενα deducturus erat, quod tamen an ſit in rerum naturâ fundatum, vehementur dubitari poteſt. Quod enim ait Carteſius, nec genios, nec animam humanam, materiam poſſe movere, ſed motus ejus duntaxat verſus hanc vel illam partem determinare, credi non facilè poteſt, cùm certè, ſi vim habeant ſiſtendi ac dirigendi motum, etiam movendi potentiâ privandi non videantur. Interim tamen nihil vetat, ex motûs iſto principio pulcherrimè plurimorum Phænomenorum naturam explicari; fieri enim pleraque motu in naturâ videmus, quicquid etiam de cauſis moventibus ſit. Quòd ſi cum his reliquorum Philoſophorum dogmata conferamus, nihil planè iſti dicunt, talium phænomenorum cauſas rogati, quas tamen ſuppeditat Carteſius. De ceteris videatur ipſa Henrici Mori Epiſtola, ubi prolixè recenſet, quid in Carteſianâ Philoſophiâ proponatur, pietati & religioni maximè conveniens, adeò ut Platonicum etiam videri poſſit, quibus dogmatibus in Phyſicis nihil religioſius eſt.

CAP. XVIII.

DE CONSENSU ET DISSENSU VETERUM ET RECENTIORUM, EORUMQUE CONCILIATIONE.

§. 1. Philoſophi, circa principia Phyſica diſſentientes, vel ſenſum ſequuntur Ducem, vel Intellectum. 2. Senſum cognitione confuſâ ſecuti ſunt Veteres qui vel totum hoc univerſum (teſte haud ſatis tutæ fidei Ariſtotele,) vel unum ex 4. Elementis, principium rerum eſſe unicum ſtatuerunt, quorum ſententiæ, dextrè contra detorſiones Ariſtotelis explicantur, & facilè conciliari poſſe oſtenduntur. 3. Senſum, accuratiori tamen indagatione præviâ, ſecuti ſunt Democritei & Epicurei, Atomorum Patroni, quibus tamen, ſi ſe tricis omnibus expediri velint, mentem aliquam, vel naturam Æthercam, Architecti vice fungentem, cum Democrito & Lucretio, adjungere coguntur, quo pacto ab aliis eos parum diſſentire, & Philoſophiam hanc corpuſcularem magno uſui eſſe, docetur, admiſtis tamen de ejus imperfectione, & modo legitimè utendi, monitis. 4. Intellectum Ducem ſecuti ſunt Pythagorici, Numeris, Platonici Ideis ac Animæ Mundi, Ariſtotelici Formis ac Notionibus, omnia, ſed perperam, tribuentes. 5. Conciliabuntur hi cum ſenſualibus, ſi ſenſus deficiens intellectus ſubſidio

 utatur.

utatur. Quamvis nec hoc pacto perfecta rerum naturalium notitia unquam ſit ſperanda. Elogium Joh. Bapt. Hamelii.

1 ENarravimus hactenus varias Phyſicorum Veterum & Recentiorum ſententias, quæ inter ſe diſcrepare maximè videntur, ut difficillimum ſit in illâ fluctuatione animorum veritatem indagare. Ajunt hi, illi negant, alii deliberandum cenſent, atque ita nulla certitudo eſt, nulla veritas. Aliqui ſibi conſpirare faciunt alienas ſententias, & hypotheſes ex ſuo ingenio interpretantur, vel etiam vi quâdam in ſenſus ſuos detorquent. Quoniam enim Analogiſmus rerum perpetuus eſt, ideò facilè tali interpretationi locus relinquitur, quoniam item conceptus nonnullorum generales ſunt, facilè applicari poſſunt aliis quibusdam ſpecialioribus. Nos jam in ſuperioribus capitibus, non pauca adduximus, quæ ad præſentis Diſſertationis argumentum pertinent. Quæ legi poſſunt, ne hic otiosè repetantur. Hoc verò loco quaſi ſummam eorum inibimus, ac rationes, ut ita dicam, omnium ſententiarum ſubducemus. Quod nunc expeditiùs fieri poteſt, poſtquam variorum ſententiæ jam tùm propoſitæ ſunt. Quantum itaque è collectione omnium illorum, quæ diximus, patet, duplici primùm in ordine collocandi ſunt Autores, qui Philoſophiæ naturalis principia tradiderunt. Vel enim ſenſum ſequuntur ducem, vel intellectum. Quæ duo quanquam ſejungi à ſe non poſſint, nam intellectûs beneficio etiam illa argumenta cuduntur, quæ ad ſenſum ſpectant; eam tamen ob cauſam hanc diſtinctionem facimus, quòd aliqui magis ſenſum, aliqui magis intellectum, ſequantur.

2 Qui *ſenſum* ſequuntur, vel ea principia agnoſcunt, quæ cognitione confusâ prima eſſe vident; vel determinatiore indagatione, non ſine opificio aliquo externo, in illa inquirunt. Qui id, quod ante pedes eſt, tantùm vident, & confusâ tantùm præmeditatione ducuntur, ea, quæ oculis patent, ad principiorum claſſem redigunt. Quorum in numero collocare quis illos poſſit è Veteribus, qui unum rerum principium ſtatuebant, idque infinitum, aut hoc Univerſum, quod oculis apparet. Quo nomine aliquos è Veteribus reprehendit Ariſtoteles, qui tamen falſam potius ſententiam affingere judicandus eſt, cùm ex iis neminem tàm abſurdum fuiſſe credibile ſit, qui non diſtinctius & determinatiùs de principiis locutus ſit. Nam, ut ſuprà jam diximus, qui unum principium ſtatuebant, vel intelligebant cauſam efficientem, mentem aliquam, ſive Deum ipſum, vel unum aliquod diſſimilare, quod haberet tamen in ſe ſubſtantias aliquas primas & ſimplices ceterorum mixtorum corporum cauſas. Quod dum ajebant, diverſitatem agnoſcebant principiorum, quanquam ordinem & numerum eorum non inibant, quem fortè inire, dictante ipsâ rerum naturâ, non poterant. Multa quidem ſubtiliter Ariſtoteles de principiis in univerſum diſſerit. Ea enim eſſe vel unum, vel plura. dicit. Si unum, vel finitum, vel infinitum, utrumque vel mobile, vel immobile. Si plura, vel finita, vel infinita. Si finita, vel binariò vel quaternariò numerò comprehenſa. Si infinita, vel eſſentiâ inter ſe diſtincta, vel figuris tantùm. De quâ ejus argumentatione non eſt, ut magnoperè ſolliciti ſimus, ſaltem illud ex eo,

ut verum, agnoſcendum eſt, principia debere eſſe plura, non unum. In quo non tàm diſſentientes, quàm conſentientes habet Veteres, ut itaque malè contra illos diſputet. Nam qui unum aliquod agnoverunt principium è Veteribus, conſiderarunt illud potius, tanquam ſubjectum aliquod miſtionis primarium, non tanquam cauſam aliquam internam, quanquam nihil vetat, etiam cauſis internis accedere poſſe. Ita aliqui aquam, aliqui aërem, aliqui terram, aliqui etiam ignem, univerſale hoc ſtatuebant principium, non quod unicè conſtituere corpus credebant, neque enim aliud ex eodem fieri poterat; ſed quod vel vehiculi locô erat, & pars etiam ejus aliqua cederet in materiam, ut terra & aqua; vel quòd princeps operationum & motûs cauſa eſſet in quolibet mixto, ut ignis & aër: quandoquidem has ſubſtantias maximè ſimplices, & motu præditas, ſenſu deprehendimus. Qui omnes, quanquam ſententiis diſcrepare videantur, re ipsâ tamen unum idemque ſentiunt, cùm pateat ex eorum ſententiâ, duobus debere conſtare principiis corpus quodlibet, unô, quod materiam ſubſterneret, ſive illud aqua, ſive terra ſit, (nam facilè ita ſentientes in gratiam redigemus, cùm terra beneficio aquæ id obtinere videatur, ut miſtionem ſubire poſſit, perpetuum certè terræ & aquæ ſit conjugium:) alterô, quòd ſit ſubſtantia aliqua efficax, movens & mobilis, omnium operationum in miſto cauſa, ſive id ab aëre, ſive ab igne, petant, quorum corporum naturæ ſunt affines, & mutuis vicibus ſuſtentantur.

Quandoquidem verò id ſenſu comprehendi non poteſt, ſed intellectu colligi- 3
tur, quæ tamen collectio fundamentum in re ipsâ habet, non contenti eo alii alia indagârunt principia, quibus illa miſtorum diverſitas magis probari poſſit. Nam, quanquam ſenſu deprehendere poſſumus, eſſe aliquod in miſtis principium craſſius, ſolidius, quietum, iners, ſtupidum; aliud verò maximè movens & mobile, efficax, operans: non poſſumus tamen illa niſi nominibus communibus ſignare materiæ & formæ, principiique paſſivi & activi. Sed, quid in unoquoque miſto corpore ſit illud, quod materiam vocamus, atque illud, quod formam, demonſtrare non poſſumus. Quare aliam viam ingreſſi ſunt nonnulli, quodque ſe non poſſe explicare videbant, ob rerum infinitatem, ex aliâ iterum infinitate remedium huic ſuæ ignorantiæ petierunt. Statuebant enim infinitas illas numero Atomos, easque omnes uniformes & congeneres, omnium miſtorum corporum cauſas, itidem à ſenſu ſuo ducti dicam, an ſeducti. Nam, cùm deprehendere poterant etiam ſenſu ſuô, naturam rerum eſſe quaſi in continuo flexu, creſcere corpora atque decreſcere, videbantque id inſenſibilium particularum, vel acceſſione, vel receſſu, fieri, in eas cogitationes adducti ſunt, ut corpora omnia miſta non alio modo generari, aut interire, exiſtimarent. Igitur varias fingebant motûs ſpecies, qui ex Epicuri ſcholâ erant, quibus expediri orbium omnium, omniumque miſtorum corporum, compoſitionem poſſe credebant, accedentibus & recedentibus, per inania ſua ſpatia corpuſculis illis minutis. Atque ita quidem certos hâc ſuâ ſententiâ ſe putabant, ut quæ alii ad ſpiritus reducebant & mentis operationes, illi è fluxu corpuſculorum ſuorum determinare magno conatu

nite-

niterentur. Sed de iis plenius actum eſt in *Cap. de Epicureis*, quô dubia non pauca in medium adduximus, quæ iſtarum hypotheſium rationes infringant, hîc non repetenda. Id certum eſt, expedire ſe Atomorum ſuarum tricis non poſſe Epicureos, niſi æthercam etiam aliquam naturam in ſubſidium vocent, principium ſcilicet, quod ſenſu noſtro comprehendi non poteſt; cujus rei veritas vel invito Lucretio iſtam ſententiam expreſſit. Quique ante Epicurum Democritus hanc philoſophandi rationem inſtituerat, mentem non excluſit, & ſpiritum aliquem rerum architectum. Idem & Borello videbatur, de quo *loco ſuprà citato*. Qui jam corpuſcularem hanc doctrinam amplectuntur, non adeò diſſident à ceteris, ut componi cum illis nequeant, quanquam Epicurus aliquantò longius recedat, qui tamen vel invitus etiam in aliorum caſtra compellitur. Neque enim, quia corpora miſta reſolvi poſſunt in minimas particulas, certô modô figuratas, atque è talibus iterum componi, ideò negandum eſt, è propioribus principiis, quatuor ſcilicet Elementis, aut principiis chymicis, ea componi poſſe. Reſolutio enim corporum in minima non impedit illam è principiis propioribus combinationem, ſed ſubſtantia tantùm corporum imminuitur per alterationem quantitatis, ac poſſunt etiam in minimis particulis vel diverſa eſſe genera corpuſculorum ad corporis compoſitionem deſtinatorum, vel ſingula iſta corpuſcula adhuc ſibi adjuncta habent alia, quorum commiſtione componitur totum corpus. Quocunque jam modo conſideremus particulas minimas, videmus quidem in illas reſolvi corpora poſſe, ſed ſolo ſenſu eorum etiam corpuſculorum inter ſe differentias non deprehendemus, niſi eas ſenſu examinemus, cùm in eo ſtatu ſunt, ut ob conglobationem ſuam cadere ſub ſenſum poſſint. Quemadmodum illas detegit nonnunquam ars Chymica, in quô tamen non usque adeò etiam conquieſcere poſſumus, cùm raró, vel nunquam, ita puræ ſint partes illæ, quas ignis ſecernit, quin ex aliis etiam participent. Sed ex eo, quod præcipuum eſt & præponderat, facilè colligimus diverſitatem. Ideoque non contradicunt aliis, qui corpuſcularem doctrinam ſequuntur, qui tamen in eo peccant, quod è ſolis corpuſculis omnium corporum miſtiones, & rerum cauſas, deducant. Sed tenenda eſt tamen firmiter corpuſculorum illa doctrina, ſine quâ multa neſcirentur in Phyſicis, inprimis operationes iſtæ, quæ è minimorum corporum figuris dependent. Hinc enim varias affectiones ſortiuntur corpora, ſi vel è particulis globoſis, vel hamatis, vel oblongis, conſtent; quarum affectionum ratio pulcherrimè ob oculos poni poteſt illâ particularum figuratione. Sed an eâ ſolâ omnia expediri poſſint, ego non dixerim. Quanquam enim minima certô modô ſint figurata, non tamen determinabimus, an omnia corporis alicujus minima pari modo ſint figurata, annon è diverſis particulis conſtent corpora? annon aliud quid adſit ſenſu non perceptibile, quod hanc vel illam qualitatem impertiat, quanquam mediante certâ aliquâ figurâ corpuſculari operetur? Quieſcendum itaque eſt in hâc particularum ſententiâ, ubi ſenſus ſubſiſtunt. Subſiſtunt autem ſenſus, cùm nullâ demonſtratione, quæ ſub ſenſum cadat, ac neceſſariâ aliquâ conſequentiâ, concluſio evinci poteſt. Quare tùm ſuſpicionibus & conjecturis locus

eſt,

eſt, quarum iterum certi quidam gradus ſunt. Aliquæ enim, quò propius ad ſenſus accedunt, aut probabilioribus argumentis colliguntur, reliquis præferendæ. Ac ſunt interdum phœnomena naturalia, ubi ſenſus noſtri hebetiores ſunt, quare ad eorum menſuram non ſunt exigenda. Ita canes odorari poſſunt veſtigia fugientis leporis ad dies etiam aliquot interdum, quod hominibus negatum eſt. Fieri tamen hoc beneficio particularum minimarum, è corpore animalis exeuntium, veroſimillimum eſt, cùm aliter id accidere non poſſe videamus. Multa ſunt in orbibus cœleſtibus phœnomena, de quibus, non niſi per ſuſpiciones & conjecturas, philoſophari poſſumus, quoniam objectum vaſtitate ſuâ excedit ſenſuum facultates, ideoque hic à partibus ad partes, vel ad univerſum argumentandum eſt, & ex analogiſmô rerum deducenda ſunt, ſi non omni ex parte vera, tamen veroſimillima. Quorſum etiam referenda ſunt iſta in naturâ phœnomena, fluxus & refluxus maris, converſio Magnetis ad polos, &c. quæ ex univerſalioribus cauſis dependent, quàm nos comprehendere poſſumus. Converſionem Magnetis ad polos Carteſius ingenioſiſſimè explicuit è vorticum ſuorum cœleſtium naturâ: & Boylius quoque *in libro ſuo de ſuſpicionibus Coſmicis*, qui ad certum effluviorum fluxum cauſam illam refert.

Succedat jam altera Philoſophorum familia, qui plus ad *intellectum*, quàm ad ſenſum, referunt. Nam, cùm viderent à ſenſibus ſuis ſe deſtitui, nec ſine causâ ſuſpicarentur, ſubeſſe aliquod altius & ſublimius principium, quod in ſenſus non niſi à poſteriori incurreret, eò deducti ſunt, ut ſubſtantias aliquas ſpirituales, vel ex ingenio ſuo fingerent, vel nudis quibusdam conceptibus & notionibus quocunque modo hanc ſolarentur ignorantiam. Et Plato quidem hìc mundum ſuum intellectualem & ideas, & animam mundi, confingit. Stoici ipſi materiæ Deum immerſerunt. Plato, undecunque hauſerit iſta ſua myſteria, magis ad cauſam efficientem, quàm ad compoſitionem corporum reſpexit, & Theologum potius in Phyſicis, quàm Philoſophum agere videtur. Nihil tamen ex eo certi colligitur, ac omnia tantùm conjecturis ſunt & ſuſpicionibus plena. Ideas quod attinet, quas è recentioribus Joh. Marcus Marci *in Philoſophiâ ſuâ veteri reſtitutâ* amplexus eſt, & ad rerum cauſas explicandas adduxit, eæ certè ſunt veluti nebulæ pictæ in pariete, & mera quædam phantaſmata, ad ſolandam ignorantiam noſtram, inventa. Pythagorici numeris exprimebant rerum eſſentias, velut quibusdam terminis & conceptibus, ut fecit Ariſtoteles. Neque enim numeri poſſunt eſſe rerum principia, ſed quaſi veſtigia aliqua & indices. Peripatetici formas ſuas invenerunt, de quibus mira illi comminiſcuntur, quæ credo Ariſtoteli ipſi in mentem non venerunt. Sunt verò illa inexplicabilia & tricarum plena. Non negaverim equidem eſſe aliquid in corporibus miſtis ſubſtantiale, activum, movens, ſed quòd tales conceptus, quales Peripatetici de iis paſſim habent, fundati in rerum naturâ ſint, nemo facilè crediderit: quales ſunt formarum tàm accuratæ diviſiones & ſubordinationes, & canones illi, vulgaria Scholæ Cymbala, qui officinam Metaphyſicam potius, quàm Phyſicam, ſpirant, ac in demonſtrationibus effectuum Phyſicorum nihil planè efficiunt. 4

Ex his itaque patet, duplici ordine tantùm eſſe diſtinctas Philoſophorum ſectas, atque ad eos reduci etiam poſſe: ipſos verò ordines inter ſe etiam conciliari poſſe, modò deſiſtant ab exceſſu illo ſuo in ſententiis. Ubi deficit ſenſus, recurrendum quidem ad intellectum eſt, ita tamen, ut illo ſolô non ſimus contenti. Mutua debent eſſe miniſteria, nec in ſolo ſenſu ſubſiſtendum eſt; quanquam intellectus interdum nos fallat. Quocunque tamen modo rem inſtituamus, nunquam tamen deerit, quod explicari humano ingenio non poteſt, & ad materiæ opificem, ejusque arcanam hujus univerſi Oeconomiam, referendum eſt. Ceterum legi in hoc argumento meretur *liber de conſenſu veteris & novæ Philoſophiæ*, Oxoniæ Anno 1668., *in 8vo.*, editus à Joh. Bapt. du Hamel, Gallo, Viro doctiſſimo, qui magnâ cum curâ ſua tractat, & ex optimis ſeligit optima, pulchro quoque Orationis flore doctrinam ſuam veſtiens.

CAP. XIX.

DE RECTA PRINCIPIORUM PHYSICORUM CONSTITUTIONE.

§. 1. *Methodus Philoſophandi Eclectica in Phyſicis commendatur. 2. Omnium Phænomenorum Naturalium non poſſunt dari demonſtrationes, ob defectum principii cujusdam ſpiritualis incogniti. 3. Circa corporum cœleſtium naturam, ſolis veſtigandam conjecturis, Carteſii, vel aliorum, ſententiæ maximè probabiles ceteris præferendæ. 4. Principii ſpiritualis Operativi (Animæ mundi, ſivè geniorum, ſivè cujuscunque alterius) neceſſitas inculcatur. Principia Ariſtotelica, dextrè ab Honor. Fabri explicata, in Diſputationibus Scholaſticis poſſunt retineri. 5. Ad mixtorum naturam indagandam utilis eſt Atomorum doctrina, nec tamen ſola ſufficit. Addendæ ſunt, principiorum inſtar, maſſæ Globi terreni majores, ſivè IV. Elementa (de quorum ſingulis diſſeritur, & ignem aëremque Elementornm numero excludi non poſſe demonſtratur,) nec non tria principia Chymica, licet nec horum ope omnia poſſint expediri. 6. Plura miſtorum principia, per Analyſin illorum, & experientiam, ſunt indaganda. Cognitio Phyſices manca ſemper erit & imperfecta.*

1 QUòd ſi jam recta principiorum Phyſicorum ratio ineunda eſt, id primæ hypotheſeos loco aſſumendum nobis eſt, in nullius ſectæ placita abſolutè jurandum eſſe, nec illa omnia ejuranda; quandoquidem ita comparatæ ſunt res humanæ, ut non omnia omnes videant, ideò quaſi ſucenturiandæ ſunt ſententiis ſententiæ, atque, ubi una deficit, reponendum ex alterâ.

Secundò ſupponendum eſt, impoſſibile eſſe omnium phænomenorum naturalium Mathematicas dare demonſtrationes, quanquam allaborandum ſit ut eas, quoad ejus fieri poſſit, habeamus. Si omnium inter ſe ſectarum principia conferamus in

uno

uno aliquo, incognito ſcil. principio deficiunt, quod naturæ plus quàm corporeæ & ſpiritualis eſſe probabilibus argumentis colligitur, non verò ita demonſtratur, ut ſatisfacere plenæ cognitioni poſſit.

Tertiò, Philoſophia circa corporum cœleſtium conſtitutionem, & naturam ſtellarum fixarum Solis, Planetarum ceterorum, Cometarum, novarum ſtellarum, cùm nonniſi ex ſuſpicionibus & conjuncturis hauriri poſſit, præferendæ ſunt ſententiæ, quæ omnium ſunt veroſimillimæ. Quare hâc in parte quidem audiendum putarem Carteſium cum iſtis ſuis vorticibus & orbium converſionibus; quanquam non omnia, quæ ille de tribus ſuis Elementis, licet ingenioſè, præſupponit, probem. Materia quidem ſubtilis agnoſci poteſt: non enim puto eam quicquam differre ab æthere, vel quinto illo elemento Peripateticorum. Secundum ejus & tertium Elementum redigi etiam ad communia principia poteſt. 2

Quartò, cùm intellectualia principia ponenda etiam ſint in naturâ, poni poteſt principium aliquod ſpirituale Operativum, quod tamen cum Stoicis Deum, immerſum materiæ, & operantem, non audebimus appellare, quanquam fortaſſis, cum concurſu divino generali omnia fiant, etiam ſpeciale aliquid accidere in natura poſſit, quod fieri nos non exiſtimamus, ſemper ad alias cauſas reducentes, ne videamur veteri aliquo & univerſali principio ignorantiæ effugium quærere. Nec ſatis quidem ſcimus, an cum Platonicis animam mundi ſtatuamus. aut cum aliis genios quosdam & intelligentias, vel totius mundi, vel orbium cœleſtium, præſides: id enim, ſi ita eſt, vel revelatione debet eſſe cognitum, vel ſuſpicione aliquâ conjicitur. Abſtracta illa Ariſtotelis principia, quæ Metaphyſica potius ſunt, quàm phyſica, ſeu univerſalia quædam de rebus formata, qualia ſunt materia & forma, cùm regulæ Lesbiæ inſtar applicari omni hypotheſi poſſint in gratiam eorum qui diſputationes ſcholaſticas æſtimant, retineri poſſunt, modò commodè ex mente Ariſtotelis, non ejus interpretum, explicentur, atque ita applicentur ad rerum naturam, ne planè omni reali fundamento deſtituantur: quomodo doctrina de formis, earumque ſpeciebus, harumque eductio è materiâ & ſubordinatio, ſatis commodè explicari poteſt. Uti fecit illud Honoratus Fabri in *Phyſicis*, ubi eleganter demonſtrat, quomodo ſint ſubſtantiales, quanquam non ſint ſubſtantiæ: quâ interpretatione ſuâ veram Ariſtotelis mentem ſe putat aſſecutum. Legi etiam poteſt Hamelius *de conſenſu veteris & novæ Philoſophiæ, lib. 1. cap. 7.* 3

Verum, cùm præcipua Phyſicæ ſcientiæ pars ſit corporum miſtorum naturam & rationem cognoſcere, ea enim ſenſibus propiora ſunt, eas Philoſophorum ſectas perluſtremus, qui ad ſenſuum ductum philoſophantur. Atque hic quidam ſenſuum ſummam quam poſſunt ſubtilitatem ſequuntur in particulis, quare omnis illa particularum doctrina, è mente Democriti, Epicuri, Carteſii, conferenda & examinanda eſt. Cùm enim miſtio fiat inter res diverſas per minima, videndum nobis eſt, ut deprehendamus, in quo diverſitas illa materiarum conſiſtat, & quomodo illa mixtio per minima fiat, explicandum, quæ quaſi divina quædam manus eſt. Non tamen in il- 4

lis ſubſiſtendum eſſe putem, aut hærendum in Epicuri Scholâ, qui nullam aliam miſtionem agnoſcit, quàm minimorum corpuſcurorum compaginationem. Ea quidem concedenda eſt, ſed non ſola explet rationem mixtionis. Nam ad mixtionem diverſa corpora requiruntur, non particulæ multæ congeneres. In minima corpuſcula reſolvi accidit corpori: neque ex eo ſtatim inferendum, eſt: igitur ex iiè πρώτως & immediatè componitur. Poſſunt enim minima corpuſcula in diverſas partes coire, atque hæ partes demum ad miſtionem corporis referendæ ſunt. Illa verò corporis in minima corpuſcula reſolutio continua, effluviorum illam doctrinam illuſtrat atque unicè determinat, quæ qualitatum nomine vulgò efferunt Peripatetici, unde omnes ſenſationes contingunt, ac multæ etiam aliæ in naturâ operationes. Ex hac itaque doctrinâ novimus odoratum, ſaporem, &c. fieri per effluvia corpuſculorum è corporibus, quanquam tamen, licet illa jam ſciamus, nondum ſatis nobis cognitum ſit, quid in iis particulis talem motum imprimat ſenſorium; an ſola illa particularum figura acuminibus ſuis pungens papillas nerveas acicularum inſtar, vel an aliud quippiam reconditum ſit. Hîc enim ſubſiſtere nos rerum natura jubet. Quandoquidem ergò, ut vidimus, è particularum hypotheſi, non tàm ratio formalis miſtionis radicalis dependet, quàm aliquis tantùm miſtionis modus exterior, ideò ſupereſt inquirendum Phyſico, quænam occurrant in rerum univerſitate corpora prima, unde veroſimile ſit cetera naſci & miſceri. Circumferenti itaque ſenſus ſuos per hunc, qui ante pedes eſt, terræ globum, magnæ aliquæ maſſæ congeneris materiæ videntur, & inter ſe commiſtæ, & ſeorſim collectæ, quas collegia majora vocat Verulamius. Iis velut matricibus quibusdam inhærent, atque ex earum fundo educuntur corpora illa miſta, ſive illa ſubterranea, ſive ſuperterranea, ſive maritima ſint, atque eæ maſſæ, quæ in oculos incurrunt, ſunt terra & aqua. Nam duas illas naturas vehementer eſſe inter ſe diverſas, vel ruditer inſpicienti oculo patet; quanquam illæ ſint ratione aliarum rerum, quas qualitates nonnulli falsò vocant, vel potius corporum illis immiſtorum, licet accidentaliter, diverſiſſimæ. Sic aquæ ſunt vel ſalſæ, vel amaræ, vel acidæ, &c. Terræ quoque vehementer diſcrepant. Sed, ſi puræ ſint utriusque corporis maſſæ, eas tamen diverſas eſſe, & maximè ſimplices, ratio nos credere jubet, quanquam difficillima ſit corporum illorum depuratio, ob minimorum corpuſculorum admixtionem. Sed his alii duo adhuc addiderunt alia corpora ſimplicia, aërem nim. atque ignem. Et quidem maſſa aëris etiam ſub ſenſum, quanquam ſubtiliorem, cadit, quæ globum hunc terraqueum circumveſtit, & variis experimentis deprehendi poteſt eſſentia diſtincta à reliquis. Ut itaque falſi ſint, qui exiſtimant, aërem nihil eſſe aliud, quàm congeriem effluviorum terreorum atque aqueorum, quibus quidem refertus eſt aër ille circumterraneus impurior, ſed eſſentiam ejus totam non abſolvit. Oportebat enim illis ſubeſſe quaſi ſolum quoddam, cui inhærerent, maſſam ſcil. aliquam pro ſuâ naturâ etiam ſolidam & ſucci plenam, quàm deprehendere poſſumus ex ejus preſſione ſive renitentiâ, quæ certè non eſſet, niſi maſſa illa tota ſibi eſſet ſimilis; quemadmodum aqua, quanquam

multis

multis modis tenuior. Quod ignem attinet, ejus maſſas ſingulares non adeò animadvertimus, niſi quis pro illis haberi velit ignes illos ſubterraneos, aut ejus maſſam in corpore ſolari reponat, quod omnis caloris in naturâ cauſam principem eſſe videmus, unde participet globus ille terrenus, ac reliqui Planetæ. Sed de igne, cùm ſemper in materiâ ſit, determinari nihil poteſt, utrum detur aliqua ſubſtantia pura ſimplex, quam ignis nomine vocare poſſumus. Nunquam enim abſque materiâ eſt, quam movet, & ſunt, qui in ipſo ſole materiam aliquam liquefacto auro ſimilem ſupponant. Quare ne quidem inter ſubſtantias aliqui numerant, ſed motus aliquam ſpeciem faciunt, à quibus tamen ego diſſidere malo. Nullam ego cauſam video, quare ab antiquis diſſidendum ſit. Nam licet demonſtrare non poſſim purum ignis corpus, quid tum poſtea? Poteſt lux ignis eſſe depuratus non urens, e. g. radius ſolaris, qui tamen, ſi per refractiones multiplicetur, in ignem abit & comburere incipit: Non enim comburit ignis tenuior, ſed craſſior, & tùm comburit propriè, quando in corpus incurrit, quod habet particulas congeneres, facilè mobiles, quomodo in ſingulis corporibus, tùm animalibus, tùm vegetabilibus, vel matallis, ineſt aliquid vel lucis, vel pinguis atque olei, quod ignem inſpiſſatum dicas, quod, ubi extenuatur per motum, ſuâ ſponte lucere incipit, atque ita de præſentiâ ſuâ teſtatur. Mea itaque ſententia hæc eſt, nullam nos habere cauſam, quare veterem illam doctrinam de quatuor Elementis immutatam velimus, cùm certè meliora non poſſint dare, qui eam doctrinam impugnant. Ignem ineſſe omnibus corporibus, ex omni miſtorum corporum genere videmus, quanquam aliis magis, aliis minus. In animalibus ignem eſſe, nemo negabit, qui calidum eſſe ſanguinem novit. Ex vegetabilibus præcipuis ſpiritus vel olea produci poſſunt, quæ flammam concipiunt, ubi igni admoveas. Similiter & metallis ſua ſunt ſulphura. Aërem aliqui excluſerunt ex elementorum numero, quòd non aptus ſit miſtioni, quia poros pervadit, & corpori tantùm adeſt, non ineſt. Quæ verò falſa ſunt. Multa enim ſunt corpora, quæ aëri non patent, cùm pertranſeant etiam liquores certi. Sunt in quibuſdam corporibus ſpiritus volatiles, qui tamen in corporibus tenentur, & aëreæ planè ſunt naturæ. Terram & aquam puto omnes in corporibus agnoſcere. Qui tria principia chymica propiora ſtatuunt, illi parùm differunt ſententiâ. Nam in iſtis eadem elementa dominantur, ignis ſcil. & aër in ſpiritu & oleo: Aqua in phlegmate, terra in ſale, quanquam videamus hic aliqua corpora propiora miſtioni. Sed qui ex iis principiis plus ſe demonſtraturos credunt de operationibus naturæ, quàm è quatuor Elementis, falluntur. Si quis enim quærat, unde virtus magnetis, quæ ſe ad ſeptentrionem convertit, unde vita in plantis, ſenſus in animalibus? nullam mihi aliquis cauſam, vel è quatuor Elementis, vel è tribus principiis chymicis, dabit. Neque enim omnium naturæ operationum cauſæ è cauſis corpora conſtituentibus deduci ſemper poſſunt, aliqua enim extus adveniunt.

Sextò demum & ultimo corpora ipſa miſta per experientiam, ſecundùm naturæ methodum inſtituendam, reſolvenda ſunt, atque quid ſingulis inſit, indagandum, 6

quod ſi fecerimus, inveniemus primordia corporum miſtorum non eſſe quidem numero infinita, ſed longè plura quàm numerantur. Neque enim, ſi aliqua è quatuor Elementis, eorumque miſtione, dependeant, omnia inde dependere prædicanda ſunt. Neque enim explicabit mihi Phyſicus, quomodo ſapores, odores, aliæque qualitates, ex iis poſſint educi, quæ tamen è tribus chymicis principiis commodè deduci poſſunt. Longè plures ſunt qualitates nobis incognitæ, quæ non magis è principiis chymicis, quàm è quatuor Elementis, deducuntur. Unde non eſt abſurdum, nova illis principia adjicere. Fortaſſis etiam in quatuor Elementis, vel tribus principiis Chymicorum, velut in capſulis quibuſdam latent illa corporum ſemina, quæ humanâ induſtriâ tota inveſtigari nequeunt. Ideoque, cùm omnia tentavimus, & plura noſtro ingenio in lucem dedimus, ſemper nobis ſupererunt aliqua, in quibus neceſſariò nobis hærendum eſt, deficiente in nobis ſenſu, ac fallente, & quaſi oculis noſtris ſe ſubducente, quæ in latibulis ſuis deliteſcere amat, natura.

LIBRI SECUNDI, SIVE POLYHISTORIS PHYSICI, PARTIS SECUNDÆ

CAP. I.

DE PRINCIPIIS CORPORIS NATURALIS, SECUNDUM ARISTOTELEM ET RECENTIORES.

§. 1. *Principia Phyſica Veteres ante Ariſtotelem ex ſenſu rerum ipſo formabant. Ariſtoteles verò ex ſolo intellectu, tria ſc. Notionalia, Materiam, Formam & Privationem. 2. Ariſtotelis ſpinoſæ ſubtilitates, & Interpretum ejus nugæ difficiles, de Materia prima, quibus ignorantia creationis anſam præbuit. Nonnullis Materia prima eſt ipſe Deus, quem per Vacuum etiam Henr. Morus intelligit. 3. Impugnarunt Ariſtotelis Materiam primam, & principia reliqua, Patres Eccleſiaſtici, Thom. Campanella, Franc. Patritius, Pet. Ramus, FF. Botii, Adr. Herebordus, & Dav. Gorlæus, omnia ex nihilo generari, & in nihilum denuò reſolvi, abſurdè arbitratus. 4. De materiâ primâ creationis Autoris judicium, & Rabbinorum ſomnia, tricis Ariſtotelicis ſimilia. 5. Joh. Amoſi Comenii & Theophr. Paracelſi opiniones de eadem ineptæ. 6. Carteſii, corpus ſive extenſum Materiam primam conſtituentis, ſententia, à Franc.*

à Franc. Wilhelmo, Barone de Nüland, parum feliciter impugnata. 7. De Formis ſubſtantialibus in utramque partem, & contra Ariſtotelicos, earum Patronos, & contra Philoſophos corpuſculares, qui meras accidentales ſubſtituunt, diſputatur, Liberque Rob. Boylii de Formarum origine *laudatur. 8. Joh. Amoſi Comenii de Luce primævâ, fonte formarum, & Joh. Marci Marci de Ideis Subſtantialibus, opiniones. Ejusdem Marci* παράδοξον *de animâ poſt mortem in corpore ſuperſtite, illiusque conſectaria magis adhuc abſurda. Vera de formis tàm hominum, quàm animalium brutorum, & corporum reliquorum, doctrina. 9. De variis formarum diviſionibus & ſubſidiviſionibus judicium. Privatio, tertium Ariſtotelis principium, exploditur. Scriptores quidam de Principiis.*

Poſtquam abſolvimus varias Dd. ſententias, & ſectarum, tàm veterum, quàm recentiorum, hypotheſes omnes recenſuimus, ſuper quibus illi Philoſophiam naturalem exſtruunt, deveniemus jam ad ſpecialia Philoſophiæ naturalis capita, inter quæ primum eſt DE PRINCIPIIS CORPORIS NATURALIS. 1

Principia corporum naturalium, ut vidimus, veteres Philoſophi, ante Ariſtotelem, non ex intellectu ſuo formabant, ſed ex ipſo ſenſu rerum. Scilicet, ut judicat rectè Verulamius *in Diſſert. de principiis atque originibus*, illâ ætate regnum nondum prædicamenta acceperant, ut potuiſſet principium illud materiæ abſtractæ latere ſub fide & tutelâ prædicamenti ſubſtantiæ. Itaque nemo auſus eſt confingere materiam aliquam planè phantaſticam, ſed principium ſtatuerunt ſecundum ſenſum aliquod Ens verum, modum autem ejus diſpenſandi phantaſticum. Ariſtoteles defectum quidem notans aliquem Anteceſſorum ſuorum in principiis naturæ ponendis, non enim ſenſu expediri omnia poſſe videbat, ad alterum extremum prolapſus eſt, & principia corporis naturalis penè in ratione ſolâ conſtituit. Meliori certè jure Logica illa vel Metaphyſica poſſunt dici principia, quàm Phyſica, nihil enim aliud ſunt, quàm Termini & Notiones quædam abſtractæ, in quibus intelligendis primum eſt magna difficultas, major in applicatione ad res ipſas. Statuuntur autem illi tria: *Materia, forma & privatio.*

Materiam dividit in primam & ſecundam. De materiâ primâ, quàm abſtruſus eſt & reconditus ejus intellectus? Sanè, ſi Ariſtotelis loca conſulas, non videntur tàm abſurda, ut ſunt Interpretum nonnullorum commentarios. Nam illorum quot capita ſunt, tot ſenſus. *Lib. 1. Phyſ. c. 19.* inquit: *Materiam voco primam uniuscujusque ſubjectum, ex quo inexiſtente fit :* & *7. Metaph. c. 3. Dico autem materiam, quæ per ſe ipſam neque quid, neque quantum, neque aliud quippiam dicitur, quibus Ens determinatur. Lib. 4. Phyſ. c. 2.* vocat materiam διάστημα τοῦ μεγέθους, *extenſionem ſeu dimenſionem magnitudinis*, dicitque eam à forma contineri & à ſuperficie determinari. Hæc ejus de materiâ effata ſano quodam ſenſu explicari poſſunt, 2

ſed

ſed mirum eſt, quàm varient hîc Interpretes, quibus nos recenſendis non immorabimur. Vid. Joh. Bapt. du Hamel *de Cnnſenſu vet. & novæ Philoſophiæ, lib. 1. c. 6. n. 6. 7. & 8.*, & Claudius Berirgardus *in Circulo Piſano, Circ. 4.*, ubi principia ſecundum Ariſtotelem, ex ipſo & Interpretibus exponit. In hoc tamen conveniunt Ariſtoteles & Interpretes, quòd materia prima ſit pura potentia, non habeat propriam exiſtentiam, non ſit Ens propriè loquendo, non ſit propriè nihil, nec tamen aliquid, quæ certè omnia effata mirabiliter cerebrum vexant. Conciliationem inter illa tentaturi Conimbricenſes ſe eleganter munere ſuo functos eſſet arbitrantur, ſi dicant, materiæ primæ naturam eam eſſe, ut non poſſit ſciri. Quaſi fortè Articulus fidei, aut myſterium aliquod ſit. Honoratus Fabri, ſolertiſſimus aliàs Ariſtotelis Interpres & Conciliator cum Recentioribus, commentis Arabum & reliquorum Interpretum rejectis, ſolis verbis Ariſtotelis inſiſtit, quanquam in multis, dicis, ut videtur, potius gratiâ, ne ſcil. à regulis ſuæ ſocietatis abeat, quàm ut verè ita ſentiat. Defenduntur tamen illi propoſitiones iſtæ de materiâ primâ, *Tom. III. Phyſ. tr. 5. lib. 1. propoſ. 19. & ſeqq.* Sed cautior tamen is mavult Metaphyſicæ eſſe conſiderationis, quàm Phyſicæ. Nam id, *in Epiſtolâ ad Pardeſium ſcriptâ*, alicubi fatetur, cùm illi objiceretur, quòd negaret materiam primam.

Cauſa, quòd Ariſtoteles ita fluctuet in materiâ primâ, nulla alia eſt, quam quòd creationis ignarus æternitatem mundi ſtatuerit. Hinc neceſſum erat, illum dilabi ad vaga quædam & inexplicabilia principia, ignorato primo illo principio. Imò ſunt è gentilium Philoſophis, qui, cùm neſcirent rerum primordia, eò tandem devenêre, ut materiam primam ſtatuerent eſſe Deum, quod Alex. Epicureus, teſte Alberto Magno, *lib. 1. Phyſ. tract.*, *3. c. 13.* ſtatuit. Fuit quoque inter hæreticos Dynantius quidam, cujus eadem fuit ſententia, in Conciliis damnata. Compendio explicuit illud dogma ſing. Diſſert. Jacobus Thomaſius.

Non melior certè iſtis videtur eſſe *Henricus Mohr*, Anglus, qui vacuum illud in naturâ ſpatium, quod dari credit & probat, ipſum eſſe Deum contendit, ſpiſſo ſuper hoc negotio libro ſcripto, qui *Enchiridion Metaphyſicum, ſeu de rebus corporeis luculenta Diſſertatio*, inſcribitur.

Ut ad Ariſtotelem redeamus, is materiam primam, ut vidimus, tanquam puram
3 potentiam conſiderat, quæ non ſit Ens actu, tribuit illi prædicata ἀσύστατα, quæ explicari nullo modo poſſunt, niſi tricas ex tricis velis nectere, & rem explicatione ipsâ perplicatiorem reddere. Hinc Ariſtotelis ſententiæ magno agmine ſe oppoſuerunt multi, tùm ex Patribus antiquis, tùm recentioribus Philoſophis. Patres antiquos, eorumque ſententias de materiâ Ariſtotelicâ fusè adducit Thom. Campanella *in Diſquiſitionibus Phyſiologicis*, cui id propoſitum fuit, ut ſententiarum ſuarum novitati, quam ſuſpectam ſuæ religionis hominibus ſciebat, auctoritatem à S. Patribus conciliaret. Eos enim ſemper dogmatibus ſuis prætexit, callido ſatis conſilio. Franciſcus Patritius, *in Diſcuſſ. Peripatt.* & in *novâ ſuâ Philoſophiâ*, magno conatu impugnavit hæc dogmata. Pet. Ramus *in ſcholis Phyſicis* ſatis argutis argumentis contra ea militat.

Botio-

Botiorum quoque Fratrum Gerhardi & Arnoldi, Hollandorum, *Philoſophia Naturalis reformata*, toto illo libro, Dublin. A. 1641. edito in 4to, nihil aliud agit, quàm ut principia Ariſtotelica impugnet, & accuratè quidem in hoc argumento verſatur, Ariſtotelem cùm ſuis Interpretibus & Scholaſticis conferens, cùm alii plurimi, qui Ariſtotelem refutârunt, non tàm ipſum Ariſtotelem, quàm ejus Commentatores, ſint aggreſſi. E noviſſimis Adrianus Herebord, *in Philoſophiâ naturali capitibus prioribus*, ſollicitè argumenta omnia congeſſit, unde depromere poſſunt, qui doctrinam hanc Ariſtotelis impugnare volunt, Carteſianâ ſententiâ ſemper ſubjectâ. David Gorlæus quoque *Exercit. Phyſic. 14.* ita Ariſtotelis principia de materiâ & formâ, impugnat, ut planè è Phyſicorum ſcholâ rejiciat illos terminos, nullamque materiam & formam, qualiscunque illa ſit, agnoſcat. Ait enim, omnia corpora naturalia eſſe ſimplicia, nullum componi, proinde neque materiâ, neque formâ, opus eſſe, imò neque generationem iis principiis indigere. Novum enim planè & inauditum dogma proponit *Exerc. 5. ſect. 1.* Quæcunque fiunt, ex nihilo fieri, quæ intereunt, in nihilum interire, imò eò devenit, ut ſtatuat, creaturam poſſe aliquid ex nihilo facere. Miror certè, à Theologis illi dicam non fuiſſe ſcriptam, homini Philoſopho quidem ſatis arguto, ſed in hoc παραδοξογέρῳ, quàm æquum erat. Laudem certè meretur, quod ante Carteſium iſta viderit, quæ poſtea Carteſius dogmata ſua eſſe voluit. Ignem enim accidentibus adſcribit, ſubſtantiarum claſſe excluſum. Sed in eo, quòd ex nihilo fieri omnia, quæ generantur, exiſtimat, magis Sophiſtam agere videtur, quàm Ariſtoteles & Scholaſtici, qui materiam primam defenduut. Operæ pretium eſt, ea argumenta legere & conferre. Nobis hic prolixioribus eſſe non licet.

Ut noſtram ſententiam tandem explicemus: Materia & forma generales conceptus ſunt duorum principiorum inter ſe contrariorum, quæ exiſtere in naturâ neceſſe eſt, illisque nominibus poſſunt appellari, quanquam rei natura nihilo clarius iis terminis exponatur, quàm ſi termino Entis, vel Subſtantiæ exprimamus. Materiam primam quod attinet, illam aliquam fuiſſe & extitiſſe veriſſimum eſt, non autem ſenſu Ariſtotelico. Fuit enim mundi univerſalis quædam materia, unde poſtea corpora naturalia formata ſunt, quæ aut qualis fuerit, explicare nobis non licet. Rabbini penè Ariſtoteli ſimilia comminiſcuntur: putant enim, illam eſſe non tàm corpus, quàm umbram immenſam, non tàm rem, quàm rei imaginem opaciſſimam, aut Entis larvam quandam fuliginoſam: Ex remotiſſimo illo principio, abyſſum quandam caliginoſam informem ac indigeſtam, proximam elementorum & mundi materiam, Deum eduxiſſe, quæ omnia fanatica ſunt, & Enthuſiaſmi plena. Nam certè ſi Cabaliſtas conſulamus, mira hìc quidem deprehendemus ſomnia, ſed rei parùm. Compendio quodam illa contraxerunt Hottingerus *in Hexaëmero ſuo*, & Henricus Mohr in *conjecturâ Cabaliſticâ*, Rabbinis nihil ſanior.

Joh. Amoſus Comenius, in *Phyſicâ ſuâ*, materiam ſtatuit triplicem, tres ſc. maſſas 5
rudes materiæ, ſpiritûs & lucis, ſed primam tamen materiam facit vaporem ſive fumum, quem ait fuiſſe diſperſarum Atomorum chaos; ſed tamen antea dicit, abyſſum

fuiſſe à Deo creatam; tantum enim materiæ Deus produxit, quantum ad explendam abyſſum ſufficiebat. Si jam interrogemus illum, quidnam ſit illa abyſſus, dicet nobis ſpatium eſſe; quæro jam iterum, corpus ſit, an nihil? Corpus eſſe debebat, quia eſt extenſum, & quoniam Deus creavit. Subſtantia enim terminus creationis. Ergò materia prima eſt ante materiam primam, quod certè implicat. Si abyſſum vult materiam primam eſſe, ſpatium illud ſcil. extenſum, cum Carteſio illi convenit; nam qui *Carteſium Moſaizantem* ſcripſit, Joh. Amerpoel, in eo Carteſium Moſi ὁμόψηφον (conſentaneum) facit. Mira hìc quoque comminiſcitur pro more ſuo Paracelſus, qui myſterium hoc magnum vocat, nihil aliud tamen nominare novit, quàm materiam aliquam ſeu principium, in quo concluſæ ſunt omnes creaturæ intra cœlum comprehenſæ; qui forſan Orphei aliquod ovum ſomniavit.

6 Carteſio materia prima nihil aliud eſt, quàm corpus, ſeu extenſum aliquod, extenſionem enim facit formalem rationem corporis. Antequam Deus mundum creavit, ſecundum eum nihil erat, quod quomodo ſe habuerit, cogitando aſſequi non poſſumus. Igitur ſpatium quoque & expanſum nullum fuit, ſed id ſpatium vel expanſum poſtea à Deo factum, idque oppoſitum eſt nihilo illi, quod erat ante mundum conditum. Solum hoc ſpatium ſubſtantiam materialem, materiam, quantum & corpus appellat. Deinde Deum hoc ſpatium variis in locis variis proprietatibus exornâſſe, ut totum quidem hoc expanſum ſit mobile, diviſibile, figurabile; certum aut motum, duritiem, levitatem, aſperitatem, figuram, non niſi certæ hujus expanſi portioni, quæ ſpecies deinde conformes conſtituit, indidiſſe, extra has proprietates materiam informem eſſe. Hæc Carteſii ſententia, laudata ab his, culpata ab illis fuit. Non ita pridem aliquis Franciſcus Wilhelmus, Liber Baro de Nüland, Ord. Johannæi Eques, Commendatorque Rotwilenſis, Inſulæ Gaditanæ Proprinceps, ac Regis Hiſpaniæ, Electorisque Brandeb. Vicetribunus, in libello abs ſe Hagæ A. 1669. edito, cui titulus: *Elementa Phyſica*, Carteſianorum principiorum falſitatem, ipſiusque paralogiſmos, ut vocat, oſtendere laboravit, in quibus, contra Carteſium, formalem rationem corporis in pondere & duritie ponit, quam ponebat in extenſione Carteſius. Illud autem, quod extra corpus eſt, extenſum, non materiam, ſed nihilum, ipſe vocat, idque vacuum eſſe & extitiſſe ante mundum. Non vacat, ejus argumenta recenſere, quæ multum, vel vacui, vel nihili, habere videntur; certè ἀσύςατα illa ſunt, & neſcio quid paradoxi involvunt.

7 E tenebris materiæ emergentes ad jucundiorem de *formâ* doctrinam venimus. Illa vulgo alterum corporis principium conſtitutivum ponitur. Mira de eâ Ariſtoteles, mirabiliora Interpretes, produnt. Dicunt eſſe ſubſtantiam, ſed nemini perſpectam, unum aliquod per ſe eſſe, cujus eſſe in puncto hæreat, eſſe principium activum, quod per ſe ſit cauſa actionum & operationum, quasdam earum eſſe partiales, quasdam totius, &c. Tota illa res multis difficultatibus plena eſt. Nam quanquam non probem omnia illa commenta Peripateticorum de formis, Metaphyſica potius

quàm

quàm Phyſica, non pauca tamen ſunt, quæ negotium faceſſant, argumenta iis, qui formas merè accidentales, ſecundum Philoſophos corpuſculares, ſtatuunt. Quàm diligentiſſimè omnia Peripateticorum Argumenta pro his collegerunt Fratres Botii in *Philoſophiâ Naturali reformatâ, c.1. ſect.3.* Generatio tamen animalium ac vegetatio aliunde videntur ortum, quàm ex motu materiæ, habere. Nam certè veniendum eſt ad aliquod principium movens in naturâ, ſive id commune ſit, ſive certis corporibus proprium. Quare neceſſariò tandem omnes corpuſculares Philoſophi ad aliquam ſubſtantiam ſubtilem & ſpiritalem confugere debent, tanquam θεὸν ἀπὸ μηχανῆς, quâ difficultatibus ſuis ſe expediant. In corporibus miſcibilibus veroſimile eſt, multa fieri ſolâ proportione, vicinitate, & quâcunque compoſitione materiarum, quæ à formis ſubſtantialibus deducere ſumma eſſet ſtultitia. Quod ad oculum nobis monſtrat Chymia, quæ in tot formas fingit & refingit corpora, nullo alio, quàm ignis, miniſterio, & variarum inter ſe materiarum applicatione, quod doctiſſimô librô ad oculum demonſtravit celeberrimus Boylius, quem de *origine formarum & qualitatum* inſcribit, Anglicè editum Oxoniæ A. 1667. *in 8vo*, qui ſecundum corpuſcularium mentem ſolidiſſimè ſcriptus, magnam accendere lucem poterit formarum naturam ſcrutaturo, & omnia experimentis confirmat. Sententiam de Accidentalitate formarum breviſſimè, cum dubiis contra illam, complexus eſt Gvilh. Pembelius, Oxoniæ 1669. *in 12.* Conf. Joh. Bapt. du Hamel *in Lib. de manifeſtis & occultis corporum affectionibus*, in quo, Boylium ſecutus, omnem Qualitatum familiam, à formis Subſtantialibus reſultantium, perpulchrè ad doctrinam corpuſcularem trahit. Adde Boylii Lib. *de Coſmicis qualitatibus*, cum præmiſsâ *Introd. ad Hiſt. qualitatum Particularium.* Ceterùm in animalium generatione, & plantarum productione, ſubſtantiale aliquod principium videtur agnoſcendum, & in aliis quoque miſcibilibus diverſæ portiones particularum ſunt, quarum aliquæ agiles, mobiles, activæ, quaſi formæ imaginem, aliæ immobiles, quietæ & inertes, quaſi materiam exhibent, ut videre eſt in nonnullis corporibus, in quibus arte chymicâ poſſunt ſeparari diverſæ illæ materiæ portiones. In generatione & vegetatione ſubſtantia impellens & movens, & ad certam rationem & menſuram operans, debet agnoſci. Fernelius formas omnes à cœlo exiſtimat proficiſci, eâ potiſſimum ratione motus, quòd animantes, ex putredine ortæ aliunde formari non poſſint, quæ ſententia non admodum diſcordare à Carteſianâ videtur, quæ materiæ cœleſti ſuæ, vel ſubtili, omnia adſcribit, quæ formis ſuis tribuunt alii. Aliqui putant, demonſtrari formarum ſubſtantiam poſſe ex eo, quòd è plantis incineratis reſuſcitari idea quædam, vel vapor poſſit, formam plantæ repræſentans, quod certè non contemnendum eſſet argumentum, ſi experimenti fides certa eſt. Joh. Marcus Marci certè multum illi tribuit, qui in libris *de veteri Philoſophiâ & de Ideis Operatricibus* formis iſtis vehementer patrocinatur. Sed ille, Ideis ſuis nimis fortè confidens, plus inanium ſpeculationum & notionum habet, quàm fortè ipſe credit. Honoratus Fabri, Peripateticus Autor, hâc tamen in doctrinâ quodammodo cum Carteſio facere videtur; diſertè enim dicit, formam potius ſubſtantialem

eſſe dicendam, quàm ſubſtantiam. Neque enim Ariſtoteles diſertis verbis ſubſtantiam appellat, & in *libro de plantis* nullam formam vegetativam ſubſtantiam agnoſcit.

8 Joh. Amos. Comenius, & alii quidam Recentiores, lucem primævam fontem formarum faciunt, atque ex eâ derivant principium illud conſtitutivum & operativum in naturâ. Atque hi certè dicunt, ſe eas habere pro ſubſtantiis ſolidioribus, quàm ipſe habet Ariſtoteles. *Joh. Marcus Marci* ſanè in eâ eſt ſententiâ, quòd formæ rerum ſubſtantiæ ſint, à Deo creatæ, quæ etiam extra materiam & ſubjectum ſuum ſubſiſtere poſſint, imò quæ adeò tenaciter inhæreant ſubjecto, ut, quanquam corpus organicum conturbatum omninò ſit, ipſi tamen pulviſculo ejus adhuc junctæ ſint, & has auguſtiore Idearum nomine ſalutat, ſed tamen à Deo creatarum, cùm Platonici facerent ſuas Deo coæternas. Quo principio ſemel poſito, neceſſe eſt, multa ſequi paradoxa, quanquam is nonnulla in naturâ phænomena, quæ ſupernaturalia habemus, ſi ſatis certa eorum fides eſt, ita explicat, ut è ſuis principiis ultrò fluere videantur. Nam cùm præſupponit, poſſe animam in animalis demortui corpore ſuperſtitem eſſe, mira hinc ſequuntur conſectaria. Hinc enim ſpectra illa, mortuorum imagines præ ſe ferentia, hinc multas operationes magicas, quas operationes naturales appellat, defendit. Sed ſibi ipſi objicit, an patrocinium ergò magiæ in ſe ſuſcipere velit. Reſpondet negando, quòd quamvis naturaliter tantùm agant etiam magi, tamen intentio eorum dirigatur ad ſupernaturalia illicitô modô facienda. Nihil ergo obſtat, quo minus ferro, igni, &c. puniri poſſint. Hinc transplantationes, magnetiſmos, & ſimilia, deducit, ac ex hoc princicipio ſalvat mirabiles illas Pontificiorum hiſtorias, de quibusdam per aliquot annos ecſtaticis, iterumque ad ſe redeuntibus. Hinc defendit, cadavera hominum ad ſpeciem poſſe tamen intus vivere, (quod demonſtrare conatur per illos, qui in ſepulchro inventi induſia, veſtimenta, digitos, &c. vorarunt) imò eſſe aliquos poſt longam temporis & annorum moram reſuſcitatos. Hinc aliquos inediam ad aliquot annos toleràſſe, quæ miraculis omnia, quàm naturalibus effectis, ſimiliora ſunt: quinimò tota magia omnesque præſtigiæ, hâc doctrinâ ſalvari poſſunt. Ex hoc ſuo principio explicat *celebre illud phasma, quod Morgana* (*a*) *dicitur*, de quo Kircherus *in arte lucis & umbræ*, à quo tamen Marci diſſentit, putans, eſſe ibi ideas quorundam animalium demortuorum. Vid. Marci *Philoſophia vetus reſtituta*, Pragæ A. 1662. edita *P. 3. Sect. 6. ſubſect. 3. & P. 4. ſubſect. 1.* Nos hîc malumus ἐπέχειν; nam in re dubiâ, obſcurâ & reconditâ, definire nihil poſſumus. Certiora nos malumus ſequi principia, ea ſcil. quæ ſenſus implent, & pectus ſaturant: Eſſe in corporibus,

(*a*) De *Morgana*, Phaſmate æſtivo, quod ad Fretum Siculum, prope Rhegium, Calabriæ Oppidum, mediâ æſtate crebrò ſpectatur, & Theatrum quoddam rerum plurimarum atque diverſiſſimarum, mirâ varietate ac viciſſitudine ſibi invicem ſuccedentium, in aëre vaporoſo exhibet, conſulantur Athan. Kircherus (in repercuſſionem umbraticam illorum, quæ in terris exſtant aut geruntur, cauſam ejus referens) *in Arte Magnâ Lucis & Umbræ, Lib. X.* P. II. *c. 1.* &, qui hunc allegat, Joh. Chriſtoph. Becmannus *in Hiſtoria Orbis Terrarum Parte 1.* Geo*graphica, c. 3. p. 34.*

bus, præcipuè, quæ animata dicimus, ſubſtantiam vegetantem, moventem, impellentem, ſive illa communis ſit materiæ cujusdam cœleſtis propago, ſive ſubjecto alicui propria, quæ tamen, compage corporis ſolutâ, redeat ad ſuum integrum. In homine mens ſemper eximia eſt, nec ad ceterorum corporum leges & modos componenda. In reliquis corporibus vel perfectè, vel imperfectè miſtis, partes quasdam materiæ volatiles agnoſcimus eſſe, formæ ſpeciem præ ſe ferentes, & ſemper particulas quietas impellentes & vellicantes, multa tamen in illis fieri ſolius particularum translocationis beneficio, alterius materiæ combinatioe. Quis neſcit, quàm varia ſint naturæ per artem producta in officinis chymicis, inprimis in ſalibus, mineralibus mediis & metallis? Ea in officina globi hujus terraquei ſubterranea pari ratione fieri poſſe, nullum eſt dubium. Ex iis autem ſpecies ſingulares conſtituere, & ſubſtantiales aliquas formas illis tribuere, ineptum eſſet. Imò multa, quæ fieri videmus in corporibus viventibus, & nos vulgò peculiari cuidam formæ adſcribimus, ſolâ translocatione & commutatione particularum effici poſſunt, quod dilucidis rationibus ob oculos ponit Boylius, in ſuô *de origine form.* libellô.

Sunt porrò nonnulli tam anxiè in hac formarum doctrinâ ſeduli, ut formas, 9
iterum in alias formas particulares, has iterum in novas, dividant, & ſubdividant, quaſi familiam aliquam & exercitum inſtructuri. Nemo in iis diligentior eſt, quàm Joh. Beierus in *Atrio ſuo naturæ.* Si terminorum tantùm res agitur, diſtinctionis gratia quædam diviſio agnoſcenda eſt, prout in corporibus miſtis variarum particularum congeries eſt, jam hoc, jam illo modo, motarum, quas ſub imagine alicujus formæ notiones noſtræ concipere poſſunt.

Tertium principium ab Ariſtotele ſtatuitur *privatio*, quam ad generationem refert. De eâ nihil omninò dicturi ſumus. Principium enim planè nugatorium eſt, & ſubtilitate ſuâ ineptum. Refutatus in eo Ariſtoteles eſt ab ipſis diſcipulis ſuis. Legantur Botii Fratres in *Philoſophiâ Naturali reformatâ, cap. 1. ſect. 4.* Ceterùm *de Principiis corporis naturalis*, ſecundum Ariſtotelis mentem, præ ceteris legendum commendo lib. Bened. Pererii *de communibus rerum naturalium principiis & affectionibus.* Neque enim adeò ineptus eſt, ut multi Peripatetici, variæque doctrinæ ſtudiis imbutus, veterum Philoſophorum opiniones cum Peripateticis conjungit, quæque apud Scholaſticos ſunt bona, in unum quaſi cogit, & ea omnia inter ſe conciliat. Prodiit is Coloniæ A. 1585. *in 8vo.* Joh. Sperlingius, in Libello *de Principiis Corporum*, doctrinam Ariſtotelicam impugnat, & ſpeciatim Materiæ primæ exiſtentiam. Quod & dudum ante eum fecerunt Franc. Patritius *T. IV. Diſcuſſ. Peripat. Lib. 3.* Phil. Melanchton *L. 2. Rudim. Phyſ. pag. 175.* P. Ramus *L. 1. Schol. Phyſ. c. 9.* ac Nicol. Taurellus *L. 2. Alpium Cæſarum, p. 286. 592.* & *P. II. de rer. æternitate p. 420.* *De Principiis mixtorum naturalium* Dn. du Clos, Conſil. & Med. R. Galliæ, Diſſ. edidit Gallicam ingenioſam, & brevi nervoſitate conſpicuam, Amſtelod. A. 1680. *in 12.* Librum verò Anglicum elegantem Nehem. Grew. Londini A. 1675. *in 12.*

CAP. II.

DE CAUSIS EXTERNIS, ET DE IIS, QUÆ ILLUC PERTINENT, NEC NON DE MONSTRIS.

§. 1. De Causâ Naturæ efficiente, Deo, in Phyſicâ non agendum, uti à Platone eſt factum, ſed in Theologiâ. Eadem eſt ratio cauſæ finalis. 2. Fati item, Caſus & Fortunæ. 3. De Monſtris in Phyſicâ, ſed ſpeciali, omninò agendum, cùm magna ſit hujus doctrinæ utilitas. Cauſæ illorum, & de his Joh. Marci Marci ſpeculationes Mathematicæ. 4. Judicium de Præſagiis Monſtrorum, de quibus Corn. Gemma & Mericus Caſaubonus ſunt commentati. Alii de Monſtris Scriptores. 5. Monſtra humana, Pygmæi, Virunculi ſubterranei, Homunculi metallici, &c. Scriptores de iis. 6. Gigantum priſcorum exiſtentia conceditur, Gentes autem illorum integras fuiſſe negatur. Fabulæ quædam & Scriptores de iis. 7. Hermaphroditi, qualis Adamus fuiſſe falsò creditur. Hirci Lactiferi. 8. Centauri & Satyri fictitii. Homines marini ſunt Animalia aquatica.

1 Multi hìc operoſi ſunt in *causâ efficiente* & *finali*, quarum tamen tractatio, ad Phyſicam planè non pertinet, ſed ad Theologiam potius. Quod enim efficientem cauſam attinet, quæ Deus eſt, de eo Phyſicus, quà Phyſicus, nihil, quod agat, habet, niſi fortè cum quibusdam Deum in partes etiam corporum naturalium vocare velit, ex nonnullorum Philoſophorum placito. Quales ſunt, qui Deum à rebus creatis non differre ſtatuebant, vel ipſam materiam primam Deum faciebant, vel Deum formam omnium rerum ſtatuebant, quorum ſententiæ è Chriſtianorum Scholis meritò ſunt rejectæ. Inter veteres Plato in Philoſophiâ naturali Theologus eſt; in Deo enim & Ideis ſuis operoſiſſimus eſt, de quo cum parte priori prolixius diſſeruerimus, nihil hìc repetemus. Cauſa finalis itidem refertur ad Deum, ad cujus gloriam univerſum hoc conditum eſt, ob quem finem homo naturam cognoſcit.

2 De *Fortunâ*, *caſu* & *fato* impertinens planè eſt in Phyſicis doctrina, quæ cauſas Phyſicas, non morales, conſiderat. Quæ caſu fiunt, fortuita ſunt, nec ad ſcientiam ſpectant, quæ res æternas & neceſſarias pro objecto habet, niſi fortè circa caſus accidant aliqua, quæ contemplationi phyſicæ anſam præbere poſſunt. Quemadmodum multa inventa caſu ſunt, quæ magnâ meditatione non potuiſſent excogitari, ſed id hoc modo fit, ut aliquid ignoranti accidat, cujus poſtea cauſas veras deprehendit. Nihil itaque imputandum eſt caſui, qui eo modo ſcientiam parere poteſt, quemadmodum apud JCtos error jus facit, & ineptus eſſet, qui errorem inter principia juris poneret. Idem dicendum eſt de Phyſicis, qui quæſtiunculis ſuis ſe diſcipulosque ſuos hìc fatigant. Fortuna per ſe nihil aliud eſt, & ad phyſicam pariter non pertinet. Si enim omnium rerum cauſa dari poſſet, eſſet fortuna. Ad morales Autores

tores releganda eſt, ſi qua eſt ejus tractatio. Quare inutiles ſunt quæſtiunculæ de fortunâ Medici, quas hîc nonnullos congeſſiſſe video. Generalis enim & vulgo nota eſt regula: *Fortunam ſtultorum eſſe*, quod & maximâ ſui parte verum eſt.

De *Monſtris* tamen aliud videtur dicendum, quæ per errores cauſarum natu- 3
ralium facta ſunt, quanquam vulgo præter naturæ intentionem eſſe dicant, atque adeò natura cauſa per accidens monſtrorum ſit. Sed in eo tamen errrre illi videntur, neceſſarias enim cauſas præſupponunt, quibus poſitis, non potuerunt alia naſci corpora. Nam vel in animalibus imaginationis idea aliter determinavit ſpiritus plaſticos, aut materia deficiens ſpirituum influxui ſe ſubduxit, aut ejus copia inutili pondere gravavit, ut itaque omni ex parte neceſſaria ſit cauſa, neceſſariusque effectus, ac fruſtrà ſint illi, & rhetoricari potius videantur, qui hîc de intentione naturæ multum philoſophantur. Conimbricenſes *in Comm. Phyſ. p. 438.*, & Joh. Bodinus *L. 1. Theatri Naturæ p. 32.*, Monſtra facere ajunt ad pulchritudinem univerſi. Quod ego non facilè dixerim, cùm error potius naturæ ſint. Locus autem monſtris in phyſicis debetur, ſed ad ſpecialiſſimam Phyſices partem illa rejicienda ſunt, non, quod alii faciunt, ad generalem, & cauſarum tractationem, ac puto eorum naturam majore curâ perluſtrandam, quàm corporum, quæ legitimo naturæ ordine facta ſunt. Nam in exceſſibus illis naturæ ſæpè rimari poſſumus occultos illos proceſſus operantis naturæ. In animalium corporibus, per accuratam Anatomen, multa poſſunt deprehendi in monſtris, unde judicium fieri poſſit confirmatius de uſu partium adæquato in corporibus ordinatè ſtructis. Joh. Marcus Marci ſingularem hîc diligentiam exhibuit *cap. 4. Libri de Ideis operatricibus*, ubi pictis quibusdam ſchematiſmis, & Mathematicâ quâdam ratione, ob oculos ponere voluit, quomodo radii plaſtici monſtrorum generationi cauſam dent, ſi ſcilicet ſpecies, vel propter obſtaculum, aut defectum materiæ, non poſſint expeditè evolvi, aut inæquales faciant progreſſus, analogiſmo quodam refractionum radiorum lucidorum, per reflexiones & refractiones varias obliquatorum, in vi ſpiritûs plaſtica adumbrandâ uſus. Quod quanquam ingenioſum ſit, nihil enim magis ad animæ naturam accedit, aut ejus ſpeciem nobis exhibet, quàm lux, ſpeciesque ejus (propaginem certè lucis animas omnes facit Gvalth. Charletonus *in Tract. de orig. animarum*,) eſt tamen æquè obſcurum, nec ideò clariorem habemus ideam generationis.

Magna monſtrorum familia eſt, ad omnia enim corpora ſe extendunt, ſunt- 4
que hîc, qui pietatem potius, quàm Philoſophicas rationes oſtendunt; multi etiam monſtrorum cauſam ad extraordinaria opera divina referunt, quos ego quidem ſenſu ſuo abundare patior. Aliqui eò devenêre, ut, tanquam ad artis quædam principia, revocârint præſagia ex monſtris. Id agit Cornelius Gemma, Prof. Med. Lovan. *in libro Artis Coſmo-Criticæ, ſeu de naturæ divinis characteriſmis*, quô in Opere, Antverpiæ A. 1575. *in 8vo.* edito, multis de præſignificationibus monſtrorum agit, illa, tanquam opera à Deo extra ordinem facta, conſiderans. Idem argumentum tractavit ex parte Mericus Caſaubonus, Iſaaci filius, in librô Anglicè ſcriptô *de fide*

rebus

rebus naturalibus, civilibus & divinis, vel habendâ vel non habendâ, ubi monſtrorum quoque doctrinam & prodigiorum *Lib. I.* hujus tractationis partem facit. Cornelius Gemma ex Analogiâ mundanarum partium modum oſtendere laborat, quô de præſagiis ex monſtris capiendis judicium iniri poſſit. Peculiares *de monſtris* libros ſcripsêre *Ulyſſes Aldrovandus*, *Mart. Weinrichius*, *Fortunius Licetus*, *Fridericus Bonaventura*, *Joh. Schenckius*, *Andr. Laurentius*, *Car. Stengelius*, qui circa ſpecialia verſantur, & monſtrorum varia genera, cum Schematiſmis, exhibent.

5 In hominum genere ſolet de *Gigantibus* & *Pygmæis* quæri, an inter monſtra referri debeant. De Pygmæis plurima fabuloſa narrantur, quorum integram gentem aliqui memorant, quos falſos tamen eſſe, dubium non eſt. Vid. Caſp. Schottus in *Phyſicâ curioſâ lib. 3. c. 7.* Johannes Euſebius Nierembergius *in Hiſt. naturali, lib. 5. c. 16. 17. 18.* Weinrichius *de Monſtris c. 21.* Licetus *de Monſtr. lib. 2. c. 23.* Joh. Caſſanio *in Lib. de Monſtris c. 12.* Caſp. Bartholinus (qui eos ex Ezech. XXVII. 11. adſtruere voluit) libello peculiari, & Conimbricenſis *Lib. 2. Comm. Phyſ. cap. 9. Qu. 5. Art. 3.* Ii quidem, integras gentes ex iis conſtitiſſe, fruſtra nobis perſuadere laborant. Caſu quidem naſcuntur exiguæ ſtaturæ homines, qui inter monſtra referendi, non tamen totæ gentes, uti rectè judicavit Hier. Cardanus *in Lib. de Variet. Rerum c. 40*, & Steph. Theupolus *L. 6. Contemplatt. Acad. p. 224.* *Homunculi ſubterranei* in eorum claſſem non referendi, quos nonnulli fingunt, & de quibus miræ ſolent ab aniculis hiſtoriæ narrari. Solent illis habitacula ſubterranea aſſignare, quorſum infantes nonnunquam abducant. Notiſſima eſt hiſtoria de pueris Hamelenſibus, quam fabulam tamen eſſe oſtendit, Groningæ A. 1662. *in 12.* *Martinus Schockius*, peculiari Disquiſit. Hiſtoricâ, quam tamen alium iterum refutâſſe fama eſt. (*b*) Eſſe verò dæmones & ſpiritus in fodinis verſantes, negari non poteſt. Nam conſtans eſt illa omnium metallifoſſorum relatio. De iis integrum librum ſcripſit *Georg. Agricola*, & habuere quoque Diſſertationes *Caſpar Poſnerus* Jenæ, & *Joh. Henr. Rumpelius* quidam Lipſiæ, ac vellem hiſtorias ejus generis omnes accuratè, cum omnibus circumſtantiis, notari. Nam ſolent metallifoſſores ſecretiſſima iſta habere, ſuperſtitione illâ inducti, malè mulctari nimiam curioſitatem ſuam. Valdè autem faceret ad exiſtentiam & naturam ſpirituum cognoſcendam & convincendos illos homines, qui omnia

(*b*) Mart. Schockii *Fabulæ Hamelenſi* (ita enim is librum ſuum appellat, M. Sam. Erichii, Scholæ Hamelenſis Rectoris, *Exodo Hamelenſi*, Germanicè, ad Narrationis vulgatæ veritatem aſſerendam, anno 1655. Hannoveræ *in 8vo* editæ, Groningæ anno 1662. oppoſitum) M. Theod. Kirchmayerus, Ord. Philoſ. Witeb. Adjunctus, *Hiſtoriam* Witebergæ an. 1671. (*in 4to*) repoſuit *Hamelenſem*, ſeu *Diſſ. de Inauſpicato liberorum Hamelenſium egreſſu*, nec multò pòſt Franc. Wörgerus, Eccleſiaſtes Lubec. *Hiſtoriam Hamelenſem contra M. Schokii fabulam Hamelenſem defenſam*, Hamb. an. 1683. *in 12.* De Homunculis Scotiæ, ſive Angliæ Occidentalis, Subterraneis Guilh. Neubrigenſis (*Lib. I. Hiſt. Angl. c. 27.*) Narrationem, addito judicio ſuo, recitat Athan. Kircherus, *in Mundo Subterr. L. 8. c. 3.* & ex iſto repetit J. Chriſtoph. Becmannus *in Hiſt. Orbis Terr. P. I. Geographica c. 9. p. 207-212.*

omnia de ſpiritibus ſine diſcrimine pro fabulis habent. Mira paſſim in fodinis Norwegiæ accidere hominibus per iſtos homunculos, fama conſtans eſt, & narravit quædam de iis, *in Actis Hafnienſibus*, Ol. Borrichius. Aliter judicandum de iis hominibus, quos ſub terrâ educatos victitâſſe referunt Hiſtoriæ Scoticæ, & ex iis Athan. Kircherus *in Mundo ſubterraneo*. De omnibus his, quæ ad monſtrorum claſſem referri poſſe videntur, aut ſub phantaſmatis alicujus ſpecie pro monſtris habentur, videri poteſt Joh. Prætorius *in ſuo Anthropodemo Plutonico*; qui liber, etſi ineptè ſcriptus, magnam tamen farraginem hiſtoriarum ex omnibus Scriptoribus colligit. Editus eſt Magdeburgi A. 1666. *in 8vo.* Magna in Autore ejus fuit miſtura ſcientiæ & dementiæ.

De Gigantibus multæ ſunt itidem veterum hiſtoriæ, plurimam partem, ut arbitror, falſæ, de quibus Joh. Chaſſanio in *Lib. de Gigantibus, illorumque Reliquiis*, conſulendus. Eos fuiſſe negant Joh. Goropius Becanus in *Gigantomachiâ* ſuâ, & Kircherus *in Mundo ſubterraneo*, *ſect. 2. qu. 2.* At teſtes habemus ejus rei ſacras literas. Gentes Gigantum integras fuiſſe, non facilè dixerim, quanquam id multi velint. Ratione Climatis variare tamen ſtaturam hominum, cognitum eſt, ſed ad immanem Gigantum proceritatem gentes integras excreviſſe, veroſimile non eſt. Errant etiam, qui exiſtimant, homines primorum temporum fuiſſe Gigantes, & Rabbini quidem ita delirant, ut Adamum fuiſſe credant ejus ſtaturæ, quæ ab unâ terræ plagâ ſe extenderet ad alteram. Succeſſu ſeculorum cum decreſcente naturâ decreviſſe etiam homines arbitrantur, refutati à Joh. Jonſtono, *in Lib. de Conſtantiâ Naturæ*, nullam antediluvianæ ætati, in corporibus valentioribus generandi, concedente prærogativam. Quod ſi verum eſt, non homines tantùm, ſed & cetera animalia majora eſſe debebant. Si homo 60. cubitos longus erat, equus elephantis inſtar eſſe debuit; ſed meritò ridetur iſta ſententia à Joh. Marco Marci *l. c.* Ubi exiſtimat, veteres arte quâdam imaginativâ effeciſſe, ut procerioris eſſent ſtaturæ homines, quam ſententiam ſuo loco relinquimus. De Gigantibus Nephilim antediluvianis elegans extat Diſſertatio J. Henr. Heideggeri, *Exercitat. 11. Hiſtor. Patriarch.* ubi prolixè, adductis argumentis, pro Gigantum exiſtentiâ pugnat, & ſecus ſentientium argumenta refutat. De iisdem Nephilim conf. Jac. Boulduci *Lib. de Eccleſiâ Dei ante Legem*, & Th. Bangii *Cœlum Orientis; de Gigantibus* autem *qui gemunt ſub aquis, Job. XXV. 6.* Zach. Bogani *Diſſ.* accuratam *Epiſtolarem*, præfixam Edmundi Dickinſoni *Delphis Phœniciſſantibus*, Francofurt. A. 1669. *in 8vo.* Fuiſſe inter Germanos veteres Giganteæ proceritatis homines probant J. Jac. Chiffletius *part. 1. Veſontionis, c. 17.*, & Herm. Conringius *in libro de habitus corporum Germanic. cauſis.* 6

Porrò etiam *Hermaphroditi* inter monſtra cenſendi ſunt, de quibus prolixè agit Joh. Ben. Sinibaldus in *γενεανθρωπεία, ſeu de hominis generatione Decateucho, lib. 2. tr. 1. c. 5. & 6.* Monſtroſa itaque eorum eſt ſententia, imò ipſi monſtra ſunt, qui Adamum nobis Androgynum (*c*) fecerunt, quam ſententiam Rabbinicam reſuſcitatam 7

(*c*) Adamum Androgynum fuiſſe, & facultate absque conjuge generandi præditum, noviſſime docuit

cuidam videmus. Curioſam Hermaphroditi deſcriptionem *V. Transact. Philoſ. 32. pag. 624.* Similia quoque exempla Hermaphroditorum in brutorum genere occurrunt. Sed iis accenſenda non ſunt exempla illa de Hircis, quorum teſtibus adnata fuerunt ubera, lac copioſum ſtillantia. Joh. Sophronius Kozackius, *cap. 8. lib. 5. Horologii*, ſe Dresdæ hircum vidiſſe talem, teſtatur, cui fidem non dediſſem, niſi fide dignus Vir mihi narrâſſet, fuiſſe quendam Regni Suecici Senatorem, qui convivis ſuis caſeum hircinum apponere conſueverit, è lacte hirci confectum. Inquiſivit ille Vir apud ruſticos, an ſimile quid unquam viderint, qui reſponderunt, ſolere hircis in ſenectute mammulam ſub ſcroto naſci, quæ primùm ſerum, poſteà lac funderet, ſi crebò mulgeretur. Incidi poſteà in Sinibaldum, qui, *Geneanthropiæ libr. 4. tr. 2. c. 6. p. 566.* refert, ex Ariſtotele & Peucero, de hircis lactiferis. Exemplum quoque extat in Schotti *Phyſicâ Curiosâ.* Quæ ſi vera ſunt, falsò Virgilio inter operas fruſtraneas poſitum eſt: *mulgere hircos & jungere vulpes.*

8 Specialium monſtrorum humanorum exempla per Anatomen explorata, paſſim extant *in Actis Societatis Anglicæ.* De *Centauris* & *Satyris* res omninò ficta videtur. De *Nymphis*, *Syrenibus*, *Trytonibus*, multæ extant hiſtoriæ, quæ ſi veræ ſunt, inter monſtra referendi non ſunt, ſed ad animalia aquatica referendi. Theophraſtus Paracelſus mira hìc ſomnia comminiſcitur, & Gallicus aliquis Auctor Anonymus, qui non ita pridem prodiit. Sed illa exempla ad luſus dæmonum referenda ſunt. Nam quòd ajunt, homines ſubmaritimos tandem eò deductos, ut loquerentur, imò artem textoriam diſcerent, ejus rei fides certè mihi dubia eſt. Si artes edocti ſunt, nihil novum eſt, nam & ſimiæ poſſunt doceri. Quod loquelam attinet, fortè & ipſa ad pſittacorum modum fuit inſtituta. Syrenis alicujus Anatomen dedit Franciſcus Rhedus *in Experimentis naturalibus.*

CAP. III.

DE AFFECTIONIBUS CORPORUM COMMUNIBUS, ET PRIMO QVIDEM DE QVANTITATE.

§. 1. PEripateticorum de his altercationes. 2. Quantitatis corporum conſideratio accuratior ſummè neceſſaria, ſed à Peripateticis neglecta. Matheſeos uſus in illâ maximus. 3. Quantitatis diviſio. 4. Mundi infinitas, de quâ variorum allegantur ſententiæ, rejicitur. Jordani Bruni dogma de Mundis pluribus, imò infinitis. 5. Corporum diviſibilitas, etiam in Atomos, pro quibus

docuit (*in præf. libri de Novo Cœlo & Novâ terrâ Gallici,* A. 1679. editi), & Viſione id ſibi cœlicâ revelatum eſſe jactavit, Antonia Bourignonia, notata, ob fanaticum hoc delirium, à Pet. Bælio *T. I. Dictionarii Hiſtorico-Critici, P. I. p. 94. 95.* Et aliis Adverſariis, Jacobum etiam Böhmium, tanquam illi (*in Myſt. Magno, c. 18. & in Lib. de triplici Vitâ c. 6.*) ὁμόψηφον culpantibus.

quibus contra Ariſtotelem pugnatur, & inter Scriptores de iis, præcipuè commendatur Carteſius. Minimis iſtis conſiderandis inſerviunt microſcopia, & microſcopiæ, tùm aliorum, tùm inprimis Rob. Hookii, obſervationes. Uſus doctrinæ de particulis iſtis minimis inſignis. 6. Judicium de Kenelmi Digbæi diviſione quantitatis, & à ſubſtantiâ diſtinctione Methaphyſicâ. 7. Corporum impenetrabilitas miſtionem particularum non prohibet.

POſtquam cauſas conſideravimus, ad AFFECTIONES CORPORUM COMMUNES deſcendimus, quales ſunt, quantitas, motus certus, cui quies opponitur, qualitas, tàm elementaris, quàm quæcunque alia, quibus juxta rei conſtitutionem & naturam accedunt locus & tempus. De quibus in Peripateticorum ſcholis inſanæ ſunt & Cimmeriis tenebris tenebricoſiores altercationes, in quibus parum ſolidi quis invenit. 1

Quod *quantitatem* attinet, ea ita corpori inhæret, ut non ſit ab illo diſtincta, certè ſemper cum corpore eſt, ac primùm illud, quod animus noſter cognoſcit, mediante ſenſu. Quare magna eſt opera impendenda hujus contemplationi, & paulò accuratior, quàm vulgò in Peripateticorum ſcholis fit, qui penè piaculum ducunt, ſi quippiam è Mathematicorum ſcholis in hanc doctrinam transferant, ſolis imaginariis contemplationibus & notionibus contenti; cùm tamen ſine exactâ Matheſeos cognitione nunquam ſolida hujus affectionis notitia haberi poſſit, imò multa contingant in naturâ phænomena, quæ cùm alii ex ſuperficiariis quibusdam ſpeculationibus explicare fruſtrà laborent, tota poſſunt è Mathematicâ doctrinâ explicari. Cui certè in acceptis ferenda ſunt, quæ hactenus accuratius in Philoſophiâ naturali indagata habemus. Cujus exemplum inſigne nobis dedit Carteſius, qui, quod hanc partem ſpectat, inter omnes Phyſicos familiam ducit. 2

Quantias eſt prima materiæ affectio, imò ipſa materia; non enim niſi ratione differunt. Quantitas eſt, vel continua, vel diſcreta. Illius formalis ratio conſiſtit in extenſione, hujus in numero. Quæ quantitatis ſpecies tantùm æquivoca eſt: In extenſione enim quantitas omnis conſiſtit. 3

Quantitas conſideratur primò ratione univerſi totius, ſcil. mundani corporis, & quæri tùm ſolet, quousque illa extenſio corporum pertendat. Ubi *de Infinito* magna eſt Phyſicorum diſputatio, de quo Carteſius libellum ſcripſit, *de maximo & minimo* autem Opuſculum perelegans Nicolaus, Card. Cuſanus, è quo multa Kircherus *in Oed. Ægypt.* exſcripſit. Vetus illa controverſia eſt, & magnâ rationum ſubtilitate agitata, quarum compendium è Veteribus & Recentioribus exhibet Claud. Berirgardus, *Circ. 7. P. 1.* Ab Ariſtotele infinitum impugnatum fuit, ab aliis ſtatutum: ſed repugnat aliud præter Deum ſtatui. Carteſius in has controverſias ſe non immittit, & extra Phyſices objectum eſſe exiſtimat, & verè quidem. Stantibus enim Theologiæ principiis, infinitum aliquod in naturâ admitti non poteſt, niſi naturam ipſam Deam facere velimus. Franc. Wilh. Liber Baro de Nüland hîc nihilum 4

 ſuum

ſuum nobis obtrudit, quod cum infinito ipſi pari paſſu ambulat, in eo non novam fovens ſententiam, ſed Epicuri ſcholam ſapiens. Is enim ex corpore & inani mundum compingebat, inane verò illud ipſum erat illi nihilum, de quo vid. prolixè Gaſſendus in *Phyſicâ Epicureâ*. Liber Baro de Nüland *p. 12. Elem. ſuor. Phyſic.* Mathematicâ aliquâ demonſtratione, τȣ̃ Nihili ad infinitum proportionem oſtendere laborat, in quâ illum ſuo ſenſu abundare permittamus. Nos quidem nulla neceſſitas cogit, ut pro demonſtratione accipiamus. Alii quantitatem corporum mundanorum diſcretam etiam infinitam faciunt, ut *Jordanus Brunus*, qui innumerabiles mundos ſtatuit, de quo ſuo loco agemus. De quantitate corporum principalium, globorum cœleſtium, maſſæ terreſtris & aqueæ, hîc dici quidem aliqua poterant, ſed remittimus ad Mathematicos, ubi illa plenius demonſtrantur.

(Hic Jordanus Brunus ſtatuit, plures eſſe mundos, & quidem infinitos, ſi non actu, tamen potentiâ, & ſtellas in viâ lacteâ ſoles eſſe putat, quod & ipſe Carteſius facit. Crematus propterea eſt Brunus, quamvis Atheiſmi accuſari non potuerit.)

5 Quantitatem ſequitur *diviſibilitas:* quod enim extenſum eſt corpus, in partes quoque diviſibile eſt. Eæ ſunt, vel ſenſibiles, vel inſenſibiles. De ſenſibilibus nulla controverſia eſt, de inſenſibilibus magna. Nam Ariſtoteles Atomos negat, & Peripatetici, ſed ſophiſticis potiùs, quàm veris argumentis, quæ inter ſe conferunt & examinant vulgares etiam Phyſici, tamen naturâ ſanè oportet aliquod ultimum eſſe, quod non amplius ſit diviſibile. Quid animo vel notionibus fiat, non curat Phyſica, quà Phyſica. Tota igitur *de Atomis & particulis* doctrina huc ſpectat, de quibus ſingulari libro egit Joh. Chryſoſt. Magnenus, nec non *de poris corporum*, de quibus Er. Bartholini extat Tractatus, excuſus Hafniæ *in 8.* Nemo autem ſubtilius & explicatius omnem particularum doctrinam propoſuit, quàm Carteſius. Cui jungi velim etiam è Peripateticis Honoratum Fabri, *Tom. I. Phyſic.*, quo de ſtatu corporum ex ratione quantitatis agit. Omnes illæ affectiones, durities, fluor, viſcoſitas, lævor, varietas, denſitas, &c à nemine melius explicantur, quàm à Carteſio, qui in particularum conditione ſive figurâ omnem illarum affectionum rationem quærit. Et ipſe, cùm de iis agit, Ariſtoteles neceſſe habet, ad illas confugere, ut aliquot exemplis demonſtrare poſſem. Legatur Ant. Grandis *in Inſtitutione Philoſophiæ Carteſianæ, part. 4.* qui facilitate inſigni Carteſiana principia explicat. Quanta Atomorum & minimorum effluviorum vis ſit, & quàm multæ operationes naturales ex iis dependeant, nemo plenius exequitur, quàm Rob. Boylius *in libro de mirâ ſubtilitate & inſigni vi effluviorum*, Londini 1673. *in 12.* Pertinet huc minimorum ſpeculatio per microſcopia inſtituta, quæ multa detegit in corporibus, quæ ad varias ſpectant affectiones, ſive conformationem totius, ſive rationem ſuperficiei, colores, &c. Italus quidam Fontana primus Microſcopiorum fuit Inventor, poſt hunc Pet. Borellus *de minimorum phænomenis Microſcopicas* aliquot *obſervationes*, Hagæ A. 1656. editas, ſcripſit. Poſt illos abſolutiſſimam Rob. Hooke, Vir maximi ingenii, & in rebus natu-

naturalibus tàm acutum, quàm Aquila cernens, *Micrographiam* dedit, Londini A. 1667. *in fol.* Anglicè hic liber eſt conſcriptus, multisque ornatus figuris æneis & Diſſertt. Phyſicis elegantibus. Henrici Poweri exſtant quoque *Microſcopicæ* (quæ Figurarum tamen delineatione carent) *Obſervationes*, Lond. 1664. in 4to. Commendat quoque Georg. Hieronymus Welſchius *in Addendis ad Hecatoſthcam ſecundam* Germani cujusdam Microſcopicas obſervationes, quas ille admirabiles vocat. Ceterùm doctrinæ hujus maximus uſus eſt in Phyſicis: in omnibus enim naturæ operationibus quaſi deprehendi veſtigia ejus poſſunt in minimarum particularum figuris obſervatis, ut ex Opere illo Hokiano abundè patet. Ne quid nunc dicam de admirabili illâ proportione, quam deprehendere etiam in minimis corpuſculis poſſumus. Unde Boylius, in *libro Anglico de utilitate naturalis Philoſophiæ p.38. & ſeqq.*, eleganti diſcurſu proportionem illam vermiculi, qui *Acari* vocatur, quo eſſe nihil poteſt minutius, confert proportioni, quæ eſt in Elephante, atque illum huic præferre non veretur. Comparat ibidem vaſtitatem balænæ cum vermiculis in aceto detectis.

Edv. Digbæus aliam habet quantitatis diviſionem, quam ipſe Metaphyſicam appellat. Diſtinguit enim inter ſubſtantiam & quantitatem. Subſtantiam dicit unam eademque, quantitatem autem variari, unde fiat, ut corpus aliquod varias ſubeat alterationes, jamque ſe majus, jam minus, fiat. Atque hæc principia ſubſternit raritati & denſitati, quibus affectionibus generalibus omnem doctrinam phyſicam ſuperſtruit. *Non poſſumus intelligere*, inquit, *Tr.1. c.3. quo pacto major ſit proportio quantitatis quàm ſubſtantiæ, vel contrà, ſubſtantiæ quàm quantitatis, niſi realis inter utramque diviſibilitas intercedat, multoque adhuc difficilius eſt intellectu, quomodo res eadem nunc majorem, alias minorem quantitatis proportionem habeat, niſi major minorve proportio ab eâ ſeparari poſſit, ſeu niſi vera ſit diviſibilitas inter quantitatem & ſubſtantiam, quod ut principiis, cauſæ huic principiis, oſtenderem, neceſſarium foret, altius adhuc, & ipſa, ut ſic dicam, Metaphyſicæ viſcera penetrare.* Hæc Digbæus, quem tamen nihil novi hîc docuiſſe video, quàm, quòd vulgò diſtinguat inter corpus, & inter effluvia corporum, quod extra illas Metaphyſicas ſpeculationes concipi rectius poſſunt, ut ad eorum intellectum iis non ſit opus. Nec video, quomodo diſtinctio inter ſubſtantiam & quantitatem hîc commodè locum habeat, cum & ſubſtantia corporis, quam vocat, ipſa per ſe quanta ſit, effluvia verò particularum, vel corporis rarefacti majores portiones, non deſinant ſubſtantiæ eſſe, & ſuas habere ſingulæ quantitates. Nihil itaque, ut mihi quidem videtur, hâc ſubtilitate demonſtratum eſt. 6

Aliud quoque quantitatis conſequens eſt impenetrabilitas; Canon enim eſt, *non dari penetrationem dimenſionum.* Ille autem non prohibet particularum inter ſe miſtionem: alia enim miſtio eſt, alio penetratio. Sunt autem quædam ita apta nata miſceri, ut penè penetrare ſe videantur. Circa quæ multæ conſiderationis ſunt naturalia phænomena, de quibus *Cap. de miſtione* pluribus agemus. 7

CAP. IV.

DE LOCO, UBI ET DE VACUO, VARIISQUE CIRCA VACUUM EXPERIMENTIS.

§. 1. DE Loco doctrina Ariſtotelis (quæ exploditur,) Carteſii & Pet. Gaſſendi, Epicurum ſecuti. Nihil aliud eſt locus, quàm mera relatio. Theoriæ ejus utilitas in Phyſicis. 2. Vacuum in naturâ defendunt Epicurei, Gaſſendus, Valerianus Magnus, & alii Recentt., impugnant autem, poſt Ariſtotelicos, Carteſiani (& hos inter inprimis Ant. le Grand,) Th. Hobbeſius, & plerique Philoſophi ceteri. 3. Spatium Aëre vacuum poſſe dari, conſtat è Scriptis & Experimentis Rob. Boylii, Ott. Gverikii & Florentinorum, de hoc argumento, de quibus Judicium additur. 4. Franc. Lanæ Ars ope Globorum Metallicorum, aëre evacuatorum, per aërem volandi & navigandi, à G. G. Leibnitio commendata & emendata, à Phil. Lohmeiero autem, Plagiario Lanæ, pro ſuo venditata invento, examinatur, & in Praxin deduci haud poſſe oſtenditur.

1 QUoniam corpus naturale quantitatem habet finitam, LOCUS illi competit, quem affectionem corporum externam faciunt. Non opus eſt, ut hîc tempus teramus inutilibus Peripateticorum diſputationibus, quorum ſunt ad ſpeciem quidem ſubtiles controverſiæ, ſed revera nihil habentes ſolidi. Vid. Berirgardus *Circ. Piſan. 8.*, ubi Ariſtotelis doctrina in utramque partem excutitur. Tota res tandem in prædicamentales quosdam conceptus abit. Nuda itaque relatio eſt, refertur enim ad aliud; jam verò relatio nihil aliud eſt, quàm modus aliquis Entis; ex eo ſcil. quòd corpus habeat reſpectum ad aliorum corporum ſitum, ex eo locum habere dicitur, & inde denominamus terminis localibus corpora naturalia, quæ nos non in univerſum, ſed comparatè, ratione ſenſuum & aliorum corporum, conſideramus. Ariſtoteles quidem locum definit per ſuperficiem immobilem, ut ſignificetur, locum non ſimul moveri cum corpore locato, quô ſanè quid dicatur, non conſtat. Nam certè locus alicujus rei, ſi eſt ſuperficies corporis adhærentis, oportet illam ſuperficiem moveri, moto corpore. Carteſius locum duplicem facit, primò internum, per quem vocat ſpatium trinâ ſuâ demenſione conſtans, ſecundò externum, per quem intelligit ſuperficiem, vel corporis ambientis terminum. Gaſſendus concedit, locum eſſe quantitatem, ſeu ſpatium trinâ dimenſione conſtans, illud tamen facit incorporeum. Dimenſiones enim ille facit alias corporeas, alias ſpatiales, illas verorum corporum trinam dimenſionem habentium, has iſtius ſpatii, cujus aliqua dimenſio à terminis corporum, vel adjacentium, vel circajacentium, nobis concipitur, revera autem nihil eſt. Atque in eo ſententiam Epicuri ſequitur, qui totam mundi compagem ex corpore & vacuo fabricatur, quorum aliquod extra corpora eſt, aliquod ipſis corporibus interſperſum, atque huic vacuo, rebus interſperſo, locabilitatem corporum & motum adſcribit, id ſcil. eſſe, in quo corpora quieſcant & moveantur.

Neque enim motum in naturâ fieri poſſe exiſtimat, niſi per vacuum ; *omnia enim*, inquit, *quieſcerent, quoniam, ſi vacuum non eſſet, corpus corpori obſtaret*, de quo poſteà dicemus. Quòd ſi plenitudo mundi ſtatuitur, ut à plerisque Philoſophis fit, nihil certè locus eſt, niſi mera σχέσις. Si enim locus definitur per ſpatium, quæro, quid ſit ſpatium. Dicit Carteſius & omnes, eſſe extenſum, quare locus eſſe non poteſt, ipſum enim corpus eſt, & habet locum. Quoniam ergò corpus non poteſt eſſe in corpore, quia non datur penetratio dimenſionum, nullum corpus in ſpatio, vel in ſe ipſo, contineri poteſt. Aut itaque locus, cum Epicureis, per vacuum ſpatium definiri debet, aut nihil eſt, niſi mera relatio, quod poſtremum verum ego eſſe exiſtimo. Magnæ tamen utilitatis eſt hæc doctrina in Phyſicis, quoniam reſpectiva illa corporum locatio magnum ad operationes naturales momentum habet. Magna enim eſt corporum naturalium conſenſio & diſſenſio ratione ſitûs, quem habent. Magna ſolis virtus in terram eſt, quoniam eo in loco conſiſtit, quam non haberet, ſi eſſet remotior. Si Sirius ſtaret in loco Solis, fortaſſis easdem operationes ſentiremus, quas nunc ſentimus à Sole ; certè Sirii & Solis conjunctio duplicare illorum virtutem videtur. Ita vicinitas vel remotio agentium in naturâ magnos præſtant effectus. De loco totius mundi more ſuo philoſophatur Val. Weigelius, in Lib. Germ. vom Orte der Welt / Halæ Sax. *in 4to* edito, ſed nihil demonſtrat.

Offert hîc ſe de VACUO agendi occaſio, de quo variè ſentiunt Philoſophi. Plerique illud non admittunt in naturâ. Contrà ſunt alii, qui naturam ſalvam eſſe non poſſe putant, niſi illud admittatur. Quid Epicuræi ſtatuerint, jam diximus, quorum dubiis reſpondet Ant. Grandis *in Hiſtoria naturali corporum*, *Art. 2. & 3.* Demonſtrat illic, non opus eſſe inani ſpatio, ut corpora quieſcant aut moveantur, nam in omni motu integrum corporum circulum ſimul moveri docet, Mathematicâ planè demonſtratione. Ut itaque non opus ſit, ad Vacuum aliquod recurrere. Reſpondet quoque Experimentis illis, quæ Gaſſendus adducit ad vacuitates in corporibus demonſtrandas. Ad quem lectores remitto ; perſpicuè enim & diſt n\`tè dubia illa proponit & ſolvit. Nam affert Gaſſendus inter alia experimenta & hoc, quod, ſi quis accipiat vas quoddam aquâ fermè repletum, & tantum ſalis communis addat, ut planè ſit repletum, tunc adhuc varii alii ſales, alumen, nitrum, &c. addi poſſint, ex quo Vacuum vult demonſtrare. Carteſiani Peripateticorum exemplo, nullum item Vacuum in naturâ agnoſcunt ; illi enim materiâ ſuâ ſubtili omnia complent. Hobbeſius *in lib. de Aëre*, ne aërem quidem excludi è ſpatio aliquo poſſe concedit, quanquam Experimentis, ut ego quidem arbitror, contrariis convictus. Valerianus Magnus (in *Philoſophiâ* etiam ſuâ Ariſtoteli, in Logicis pariter atque Phyſicis, contrarius,) peculiari libro, Varſaviæ A. 1648. *in 8vo* edito, Vacuum adſtruit, rationibus è thermometro petitis, quæ ulterius à Marino Merſenno Experimentis illuſtrantur, Victorio item Torricello, Iſ. Voſſio (*Lib. de Naturâ Lucis c. 9. ac 10.*) & aliis. Defendunt quoque Vacuum Joach. Jungius *in Doxoſcopiâ, P. 2. ſect. 1. c. 5. diſtinct. 6.* David Derodon in *Phyſicâ* ſua *Contractâ*, *P. 1. c. 7.* Lud. de Beaufort *in Coſmopœiâ*, Joh. Phocyl. Holwarda 2

warda *in Phyſicâ Novantiquâ, c. 2.* Liber Baro Nűland in *novis Phyſicæ Elementis.*

3 Robertus Boylius, in variis libris *de aëris vi Elaſticâ*, *de ejus rarefactione & condenſatione*, ac in *novis Experimentis de aëre*, Anglicè ſcriptis, quæ *Actis Philoſophicis Anglicis* inſerta ſunt, non quidem ſimpliciter Vacuum agnoſcere vult, dari tamen in naturâ poſſe ſpatium aëre vacuum contendit; imò eò devenit, ut certô inſtrumentô gradus iſtius rarefactionis ad menſuram vocârit. Experimenta alia multa monſtravit Otto Guerickius, Conſul Magdeb., magnus affectionum naturalium per principia Mechanica demonſtrandarum Artifex, qui pleniſſimos *de Vacuo* Commentarios *in folio* ſcripſit, quô in librô multa complexus eſt, illuc non pertinentia. Nam totum penè mundi Syſtema illic exponit, & ſuper ſuis demonſtrationibus fundare voluit, quæ tamen pertinent tantùm ad ſingulares quasdam corporum naturalium affectiones, præcipuè Vacuum & rerum Magnetiſmum. Certum eſt autem, Virum illum in Germaniâ cogitaſſe de iſtis inventis diu, antequam alibi iſtarum Demonſtrationum quicquam inſtitutum fuit. Liber quidem ejus A. 1672. demum prodiit, ſed Caſp. Schottus *in Technicâ Curioſâ*, præcipuam ejus partem, velut per Epitomen, A. 1664. in prægustum jam dederat. Varia ſunt & curioſa Experimenta circa eam materiam, *in Diſcurſibus Florentinis, Saggi Academici* dictis. Magni ſunt momenti omnia hæc Experimenta, ac inprimis Boyliana, quia inter omnes majorem operam contemplationi huic Boylius impendit. Is ſcil. varia ſpeculatus eſt naturæ phænomena, corporumque locatorum in tali aliquô vacuô, ratione omnium qualitatum, varios effectus inde expertus, quorum cauſas accuratas nec ipſe dare poteſt. Adeò latent nos, quæ in profundo naturæ ſunt. Quòd ſi accuratiùs illa omnia indagari poſſent, mirabiles poſſent inde effectus deduci. Vacuum aliquod ſpatium dari, tale ſc. in quô non ſit aër, certis Experimentis demonſtrari poteſt, niſi fortè quis exiſtimaverit, aërem adeò rarefieri poſſe, & tamen implere idem ſpatium, quod cum rerum naturâ pugnat. Neque enim corpus minus fieri poteſt ſe ipſo, aut majus, niſi per alterius corporis vel expulſum, vel inſinuationem. Si aër craſſior eſt atque conſtipatur, ut in ſclopetis πνευματικοῖς, debet id fieri per approximationem partium, à ſe diſtantium, quarum diſtantia concipi non poteſt, niſi quòd vacua quædam illis fuêre interſperſa, tale, quod aëre ſubtilius ipſi cederet, compreſſione factâ. Quemadmodum in ſpongiâ fieri videmus, cujus partes ad ſe accedunt in compreſſione, aëre expulſo, qui antea foraminula illa complebat, è latere tamen ſuperſtite, ſeu conatu reſiſtendi, & in priorem ſtatum reponendi, ſi libertas detur. Eadem ratio eſt thermometrorum, baroſcopiorum, &c. de quibus *in Cap. de aëre* prolixius dicemus. Nihilominus tamen Franc. Linus, *in Tr. de Corporum inſeparabilitate*, poſt Ant. Deuſingium & Honor. Fabrum (*in Tr. de Vacuo,*) Experimenta iſta pro Vacuo, tàm Torricelliana, quàm Magdeburgica & Boyliana, impugnavit, aliisque illorum cauſis detectis Vacuum naturaliter dari poſſe negavit, Ariſtotelicam autem de Rarefactione ſententiam, tàm contra vacuitatum, quàm corpuſculorum, aſſertores, ſibi viſus eſt demonſtrâſſe. Sed huic à Rob. Boylio eſt reſponſum. Exſtat & Gilb. Klerckii *Lib. de plenitudine mundi*,

mundi, quô Philoſophia Carteſiana, eâ etiam in parte, defenditur. Joh. Marcus Marci, *in Lib. de Irid. p. 54.*, Vacuum quinto Elemento compleri contendit. Quomodo hinc de levitate quoque & gravitate aëris judicium inſtitui poſſit, *Cap. de aëre* videbimus.

Occaſione tamen hujus doctrinæ incidit, quòd aliquis, hoc fundamento fretus, machinam aliquam meditatus fuerit, quæ, ſublevata in aërem proportionatum, aliquod onus ſecum trahere poſſet, quod pro lubitu navicula eſſe poſſit, vel corporibus aliis, vel hominibus, referta, ſervatâ tamen ponderum proportione. Eſt is Franciscus Lana, Italus, cujus liber Italicâ linguâ ſcriptus, *Prodromo al' arte maeſtra* (Brixiæ A. 1670. in fol.) c. 2. 3. varia à ſe experimenta excogitata proponit, ſed pleraque inania, ac in inanibus ſpeculationibus fundata, nec ad praxin deducta. Inter ea habetur illud quoque *c. 6. quomodo poſſit fabricari navis, quæ per aërem eat, cum remis & velis.* Fundamentum ejus hoc eſt præcipuum: quòd ſupponat, dari poſſe globum aliquem, è laminis metallicis confectum, cujus contentus aër ipſo globo gravior ſit, quod ille calculo Euclideo, ex proportione Diametri ad peripheriam ducto, evincere laborat. Præſupponit porrò, aërem, in tali globo contentum, graviorem ipſo globo, ſi inde extrahatur per artificia nunc nota, effecturum, ut globus ille ſurſum feratur, quemadmodum, ſi intra aquam globum talem quis haberet, aquâ vacuum, globus ille aſcenſurus ſit in ſuperficiem aquæ. Globus illos multiplicat pro ratione ponderis appendendi. Hæc ejus Viri ſententia eſt, quæ tamen graviſſimis dubiis urgetur. Ne quid enim dicam de calculo iſto Euclideo, valdè vereor, ne ille, in abſtracto ita formatus, in materiâ deficiat, præſertim in tantâ metalli & ipſius aëris proportionis & ponderis incertitudine. Neque enim laminæ metallicæ adeò exactè proportionem ponderis ſervare poſſunt, & ipſa craſſities metallica obſtare videtur. Quòd ſi nimis tenuis illa lamina eſſet, difficile exhauriri aër poſſet, qui eſt conatus omnium maximus, adeò ut laminæ non niſi exactè rotundæ, & aliquo modo etiam craſſæ, hanc vim ſuſtinere poſſint. Quadrata forma laminæ etiam craſſæ hoc conatu, velut pannus, complicatur. Denique & ipſa adunitio laminarum multum difficultatis habet, nam non ita illa exactè fieri poteſt, ut non rimula aliqua ſuperſit, quâ ſuperſtite tota res in nihilum recideret. Præterea etiam illud Lanæ præſuppoſitum, de aſcenſione talis globi, nondum probatum mihi videtur hoc fundamento; longè enim alia ratio eſt corporis inter aquam concluſi, quàm ejus, quod in aëre eſt. Illud enim terminum ſuum facilè aſſequitur, ſuperficiem ſcil. aquæ, quem verò in aëre terminum aſſequi poſſit globus talis, non video, &, niſi me omnia fallunt, preſſio ipſa Athmoſphæræ impediret ejus aſcenſionem: illa enim, æqualiter omnibus lateribus incubans, non admitteret ejus aſcenſionem. Plura de hoc Navigio volatili J. Chr. Sturmius *in Collegio ſuo Curioſo.* Vocârunt quoque Angli ſub examen. Sed fruſtra, ut mihi quidem videtur, omnes illi conatus erunt. Miror Gotfr. Wilh. Leibnitium, Virum ingenioſum Germanum, *in Hypotheſi ſuâ novâ Phyſicâ*, probaſſe hæc fundamenta Lanæ. Diſertè enim ille *p. 25.* ait, ſi quid arte humanâ parari queat aëre levius, ſpem eſſe, perveniri ad artem volandi poſſe; ubi & recenſet Lanæ ſententiam, quam & Iſ. Voſſii eſſe

aït: Si detur vas concavum, tàm grande, ut aër intus concluſus continenti, ſeu vaſi, per ſe ſumpto, præponderet, aëre tùm exantlato aſcenſurum illud vas in aërem. Calculos tamen Lanæ non rectè ductos ait, aliumque ſubſtituit, quem rectius proceſſurum putat. Cautè tamen addit tandem: *Sed an bullæ* (ita vocat vaſa illa) *tantæ magnitudinis commodè fieri, & penitus, & ſine rupturâ, exhauriri & durare poſſint, ego in me non ſuſceperim.* Illud Lanæ Commentum nuper nonnemo ſibi tribuere auſus eſt, manifeſti plagii facilè arguendus, Philippus Lohmeier ſc. Prof. Rintel. *in Diſſertatione* non ita pridem, *de arte volandi per aërem*, editâ. Omnia enim penè verba ex Lanâ deſcripſit, nullâ ejus mentione factâ, ſeque Autorem tanti arcani jactat, ac Principes ad elaborationem ejus machinæ invitat. Apud Ott. Guerikium, quodam in loco, legere memini paratum ſibi fuiſſe recipientem vitreum, cujus peripheriam aëre contento leviorem fuiſſe aït, neſcio quo calculo ſuo & menſurâ uſus. Nulla verò illic mentio eſt, in aërem aſcendiſſe globum iſtum.

CAP. V.

DE TEMPORE.

§. 1. *Tempus ad Phyſicam non pertinet, niſi quatenus durationem rerum deſignat. Durationis hujus cognitio uſum habet in Phyſicâ & Medicinâ multiplicem. Franc. Baconis Verulamii* Hiſtoria Vitæ & Mortis, *& Joh. Grauntii* Bils of the mortality, *in hoc argumento commendantur.* 2. *Quæſtio de Interitu Orbium & Globorum integrorum affirmativè deciditur. Stoicorum hac de re doctrina. Scriptores de interitu mundi gentilibus credito.* 3. *Diluvii univerſitatis ab Iſ. Voſſio Mathematicè impugnata, à Nicol. autem Stenonio demonſtrata. Poſſibilitas conflagrationis Globi Terraquei ex Phyſicâ itidem oſtenditur. Summa difficultas in corporum, non ſolùm maximorum, ſed etiam minimorum, temporibus inveſtigandis.* 4. *Scriptores varii de vitæ termino & prorogatione, uti & longævitate.* 5. *De Cadaverum corruptionis tempore, vita in iis è Joh. Marci Marci ſententiâ ſuperſtite, quorundam item incorruptibilitate & cruentatione miraculoſâ, monita. Th. Kerkringii præſervatio cadaverum per ſuccinum.*

1 INter externas corporum affectiones TEMPUS quoque refertur, quod quidem per ſe ad Phyſicam non pertinet, niſi in quantum ex duratione rerum judicium aliquod de conſtitutione corporum iniri poſſit. Ariſtoteli definitur tempus *numerus motus ſecundum prius & poſterius*; ſed ea Mathematica potius definitio eſt. Neque ſolùm ad motum refertur tempus phyſicè conſideratum, ſed mathematicè, quando ſcil. ex ratione motûs ſolaris, vel aliorum corporum cœleſtium, menſura temporis initur. Ideoque temporis conſideratio, quatenus menſura eſt, ad Phyſicam non pertinet, niſi in quantum nobis deſignat durationem rerum. Sola enim

rerum duratio ſpectatur Phyſico. Quæſtiones hinc ſolent formari: *An tempus fuerit ante ſidera & mundum conditum?* quod ſuo modo concedi poteſt. *Quomodo differat æternitas à tempore Phyſico?* quæ inutilis quæſtio eſt, à nobis non expedienda. Habemus & in Mathematicis Menſuræ Menſuras, Horologia ſcil. ſecundum quæ computari tempora poſſunt, de quibus Mathematici conſulantur. Ad durationem rerum perveſtigandam non eſt nobis opus illis minutiis, ſufficit hic latior calculus. Eſt verò illa durationum hiſtoria in naturâ maximi uſus, unde judicium de mixturâ & texturâ corporum fieri poteſt, quomodo ſc. illa inter ſe compacta ſint, quô ordine, quâ proportione. Nam eorum omnium aliqua ſigna apparent in duratione eorum. Judicium hinc quoque de corruptione corporum inſtitui poteſt. Inprimis obſervari poſſunt fatales illæ corporum periodi & termini, quos Deus ipſis præſcripſit, ipſaque non excedunt. Multum quoque cognitionis inde accreſcet doctrinæ Medicæ, ſi hiſtoria quædam inſtituatur durationum vitæ & mortis diſtinctorum hominum, ſub vario cœli climate poſitorum, in montibus, ſylvis, locis paludoſis, arenoſis, metallicis, calidis, frigidis, habitantium. Præivit in hoc labore Magnus Verulamius, cujus extat *Hiſtoria vitæ & mortis*, magno ingenii conatu ſcripta. Utile quoque erit hiſtorias ipſas in aliquâ ſocietate vitâ functorum notare, quô ſcil. genere morbi, quâ ætate, perierint. Id fecit ex Anglis, libro cui tit. *Bils of the mortality* (i. e. *Naturales & Politicæ Obſervationes ſuper ſchedulas mortalitatis Anglicas, ſive Catalogos hebdomadales natorum & mortuorum*) Johannes Graunt, qui perpetuum catalogum texuit omnium hominum certo morbi mortisque genere mortuorum & natornm, unde educit multa conſectaria, tàm Politicis & Statui, quàm Medicis & Phyſicis, utilia. Prodiit Liber iſte (cujus Argumenta *Tomo II. Ephem. Gall. p. 352. & ſeqq.* enarrantur) Oxoniæ A. 1665. *in 8vo.* Similiter in omnibus corporibus naturalibus procedere licet à ſummis ad ima, ad methodum illam à Verulamio præſcriptam.

Pertinet huc quoque quæſtio *de interitu & corruptione integrorum orbium & globorum*, cujus eſſe viciſſitudines veteres quoque ſenſêre, qui idem illis fatum eſſe voluerunt, quod partibus eorum. Et ſanè generationes illæ novarum ſtellarum & cometarum non obſcurum argumentum præbent, nova quædam corpora, in vaſto hoc aëris vel ætheris Oceano, vel vorticibus, ut appellat Carteſius, naſci poſſe, quemadmodum in mari Inſulæ naſcuntur per materiæ cujusdam congeriem, in unum aliquem locum compactæ. Non omnia etiam in orbibus æthereis eſſe æterna & conſtantia, nunc credere incipimus, poſtquam Mathematici demonſtrationibus ſuis fidem fecerunt. Stoici olim mundi interitum etiam ſtatuebant, ſive generalem quandam ἐκπύρωσιν & κατακλυσμὸν, æſtatem ſcil. atque hyemem univerſalem, quæ per vices redirent, ut ita mundus ſecundum externam ſui compoſitionem tantùm interiret, non ratione ſubſtantiæ. De hac Stoicâ mundi exuſtione quid ſentiendum ſit, legi poteſt Jac. Thomaſius in pecul. *Diſſert.* quâ Epicriſin & collationem inſtituit cum Chriſtianorum doctrinâ, mundi interitum ſtatuente. Vid. quoque Hier. Magius, qui de *exuſtione mundi* ſingularem librum ſcripſit, & quæ Alphonſus Pandulphus ex omni-

bus, tàm Gentilibus, quàm Chriſtianis Scriptoribus, *libro de fine mundi*, congeſſit.

3 Ceterùm, quod globum terraqueum attinet, impoſſibile non eſt, illum has vices ſubire. Quomodo diluvium toti huic globo accidere potuerit, ſubtiliſſimâ methodo demonſtravit Nicolaus Stenonis, *in Prodromo Diſſertationis ſuæ de ſolido intra ſolidum naturaliter contento.* Quâ ratione illorum argutatiunculæ retundi poſſunt, qui Mathematicis rationibus univerſalitatem diluvii impugnant. Quod fecit ſingulari libro Iſaacus Voſſius, quanquam nomen Diſſertationi non propoſuerit. Ita quoque igne conflagrare poſſe globum terrenum ſimili ratione non eſt impoſſibile, ſi æſtuaria illa ſubterranea vires acquiſiverint, & vicinas partes, maximè inflammabiles, corripiendo totum tandem globum incendant. Cùm enim maxima terræ pars metallica ſit, imò ea, quæ centro propiora ſunt, ipſiſſimum metallum fuſum exiſtimem, impoſſibile non eſt, colliquatione partium metallicarum factâ, corticem hunc externum, quem terram vocamus, cum appendicibus ſuis, facilè in cineres abiturum. Fuit quoque Carteſius in illâ ſententiâ, terram ſucceſſu temporis mutari in ſolem poſſe, quod fieret fortè hâc conflagratione; ſolem verò mutari in terram vel planetam poſſe, ubi maculæ, quas ſenſim attrahit, prævaluerint, ut corpus ſolare cruſtam aliquam terream ſibi obducat. Illa hîc obiter de corruptionibus corporum & maſſarum univerſi dicta ſunto, in quibus ſenſu ſuo quemcunque abundare patimur, ab experientiâ nihil adjuti, ſolâ enim ſuſpicione tantùm quædam divinamus, cùm unius hominis, & multorum millium, ætates non ſufficiant ad has obſervationes. Objecti enim vaſtitas, & infinitas, & longinquitas, & diuturnitas, magna ſunt philoſophantium obſtacula, qui in particulis tantùm ſæpè laborant, & vix ſapiunt, quoniam univerſi hujus connexio illos latet. Unde multæ dependent operationes, multa phænomena naturæ, in quorum cauſis inveniendis ætatem & vitam conſumimus, oleumque & operam perdimus. Quæ difficultas magnorum corporum, eadam minimorum eſt, nam & in horum temporibus obſervandis maximus profectò labor eſt. Quis fungi unius noctis propaginem ſatis mihi explicet, & texturam ejus aliquot horis elaboratam, ut penè viſui petere poſſet, niſi cognitioni noſtræ quaſi ſpontè ſubduceret natura. In vitâ Ephemeri inſecti, quam Joh. Schwammerdammius Belgicè deſcripſit, quæ non miracula obſerves?

4 Pertinet quoque hùc doctrina de Termino vitæ humanæ & de vitâ prorogandâ, & longævitate Patriarcharum, circa quæ argumenta plurimæ occurrunt difficultates, integris Diſputationibus & Libris à quibusdam deductæ. *De Vita & Morte* Matth. Flacius Jun. Librum ſcripſit non contemnendum.

De Termino vitæ Joh. Beverovicius Viros doctiſſimos ſui temporis exercuit, quà Theo-

NB. Subſequens Hypomn. referatur ad pag. præced. lin. 20. ad vocem *Graunt*.

(d) Grauntii Exemplum, laudabili inſtituto, in Germaniâ imitati ſunt Collegæ Academiæ Naturæ Curioſorum Uratislavienſes, qui *Hiſtoriam Morborum*, in Civitate ſuâ ſingulis annis graſſatorum; Ægrorumque iſtis correptorum ac mortuorum, an. 1699. inchoatam, ad præſentem usque, quotannis continuârunt.

Theologos, quà Medicos, quorum Reſponſa ſingulari volumine (Leidæ A. 1636. *in 4to*) ſunt congeſta, & lectu digna ob varia dubia, omni ex parte mota. (*e*)

Quod *longævitatem Patriarcharum* attinet, aliorumque hominum, legendi ſunt Verulamius in ſuâ *Hiſtoria vitæ & mortis*, Joh. Henr. Heideggerus peculiari *Diſſertatione*, quæ habetur in ejus *Patriarcharum hiſtoriâ*, & Henr. Meibomius Jun. in ſingulari *Epiſtolâ de longævis*.

Quod *vitam prorogandam* attinet, Medicos habemus, qui ex artis ſuæ principiis integros libros eo de argumento ſcripsêre. Phyſicis quoque rationibus & Medicis uſus eſt, in libro ſæpius laudato, Verulamius, cujus liber multarum aliarum cogitationum ſemina tradere videtur. Ita enim omnia complexus eſt generali ſuâ contemplatione, ut ſingula ejus libri viam ſternant ulterioribus cogitationibus. Hier. Cardanus quoque *libro* 2. *θεογνώςων*, qui occurrit in *Operum* ejus *Tomo* 2. argumentum hoc de vitâ prorogandâ tractat. Legi quoque poſſunt *Acta Anglicana Regiæ Societatis p.1179.* ubi de eodem argumento diſſeritur.

Poteſt hic quoque disquiſitio inſtitui *de tempore, quo cadavera vel hominum, vel brutorum corrumpi ſolent.* Joh. Marcus Marci quidem vitam etiam cadaveribus reliquam facit, ac per tempus aliquod ſatis longum incorruptibilia ea manere poſſe credit, quoniam exiſtimat, ecſtaſin pati poſſe homines, quæ annos plures durare poſſit, unde corpora hominum cadaveribus ſimilia quidem videantur, revera autem vivant, vid. *Philoſophiæ vet. Reſtit. P. 4. ſubſect. 1. & 2.* Multa hinc deducit paradoxa, quæ ſuo loco relinquimus. Videatur quoque Chriſt. Frid. Germannus in *libro de Miraculis mortuorum*, Lipſ. A. 1670. edito. Quod corpus totum, vel corporis partes aliquas, incorruptibiles, attinet, ego multa hîc ſuperſtitioſa & fabuloſa ſubeſſe exiſtimo. Ceterùm exiſtimantur cadavera violentâ morte peremtorum inconſumpta manere, cujus rei exemplum memorabile extat apud Melchiorem Adamum, *in vitis JCtorum in vitâ Hutteni p.17.* Ipſe Huttenus ad Arnoldum de Glauberg, JCtum Francofurdienſem, ſcribit: *Rem admirandam, & cujus propè nullius fides capax ſit, vidiſſes, quartum jam annum defoſſum corpus non conſumptum, non putrefactum, totam adhuc faciem cognoſcibilem, quin etiam ſanguine commaduit attactum. En igitur innocentiæ teſtimonium.* Fuit ille Joh. Huttenus è familia Uldarici in prælio quodam occiſus, de quo prolixior ibi narratur hiſtoria. Quid arte fieri poſſit, non jam moramur. *Theod. Kerckringius* hodiè ſuccinum ita temperat, & coquit, ut tota cadavera, quanta quanta ſunt, ejus circumfuſione à corruptione præſervet.

Habet infantem undiquaque ſuccino circumfuſum, quem adhuc integrum & ſine corruptione ſervat, fœtum item bimeſtrem.

(Oo) 3 CAP.

(*e*) Præter Beverovicianam Schediasmatum *de Termino Vitæ* Syllogen, alia etiam Lipſiæ an. 1691. *in 8.* curante Hieron. Dicelio, Prof. Publ. prodiit, in quâ Dan. Henrici, Theologi Lipſienſis, Liber de Argumento iſto integer, aliorumque Theologorum Lutheranorum, Æg. Hunnii, Joſ. Majoris, Balth. Menzeri, Juſti Feurbornii & Joh. Guilh. Bajeri, de odem Diſſertationes, junctim exhibentur.

CAP. VI.

DE MOTU CORPORUM, ET PARTICULARUM IN CORPORIBUS.

§. 1. Motûs doctrinam Recentiores Mathematicè explicant, & ex eâ, poſt Epicureos, omnia fermè Phænomena naturalia deducunt. Sed Principium hoc eſt inſufficiens. 2. Ariſtoteles intricatiſſimè de eo philoſophatur, diſtinctiùs autem & luculentiùs Carteſiani, quorum doctrina, ex ipſo Carteſio & Dan. Lipſtorpio, fusè proponitur. 3. Subjungitur ejusdem cenſura, quædam dubia, quædam falſa in eâ eſſe, oſtendens. 4. Motûs variæ ſubdiviſiones. 5. G.G. Leibnitii theoria Motûs abſtracti, & hypotheſis Phyſica, huic ſuperſtructa, commendantur. 6. Nec non Scripta de Motu Joh. Alph. Borelli, quocum Franc. Wilh. L. B. de Nüland, ferme eadem docet. Wilh. item Petti nova hypotheſis, & Joach. Jungii de Motu MStum. 7. E ſolâ Motûs doctrînâ omnia naturæ Phœnomena non poſſunt explicari. 8. Pauca de Quiete, & Inteſtinis motibus particularum in ſolidis quieſcentibus, è Rob. Boylii de his Scripto, adduntur. 9. Doctrinæ de fermentatione in Phyſicis & Medicis utilitas, ac Scriptores præcipui.

1 AD affectiones externas MOTUM & Quietem referunt vulgò Phyſici. Affectio enim externa corporis naturalis eſt moveri & quieſcere. De motu hoc multa dici poſſunt, & ſunt, qui omnes naturæ operationes in eo fundant. Recentiores methodo Mathematicâ planè hîc procedunt, ut, poſitis definitionibus, petita aliqua ſive poſtulata tradant, his impetratis regulas certas, vel axiomata, conficiant, quibus, ut certis & indubitatis, explicari poſſe putant ea, quæ habemus in naturâ phænomena, omnesque naturæ operationes. Hinc formam, & formales actiones & vitales, deducunt, & quicquid præterea in corporibus activum eſt. Epicurei è veteribus primi ſunt, qui motum particularum horſum, vorſum, ſurſum, deorſum, motum concurrentiæ, &c. animo concipiebant, ut inde corporum rationem demonſtrarent. Subtiliter illi quidem multa de hoc motu diſſeruêre, & quæ uſum aliquem obtinere poſſunt in demonſtratione rerum, ſolo tamen illo principio fruſtra confidimus, ut *Cap. de Sectâ Epicureorum* pluribus diximus. Videri quoque Joh. Franciſcus Grandis poteſt, in ſingulari *Diatribe adverſus Epicureos*, ad Gaſſendum, eorum defenſorem, ſcripta.

2 Ariſtoteles quoque multa de motu tradit, imò naturam per principium motûs definit. In toto verò hoc argumento, quod in Mathematicorum ſcholis tractandum erat, Metaphyſicis ſpeculationibus omnia involvit, ut certè, quid velit ſibi, expeditu admodum ſit difficile. Quis enim Oedipus ſatis mihi explicet illam motus definitionem: *Motus eſt actus Entis in potentiâ, quatenus in potentiâ?* Infinitæ ſunt hîc Interpretum ſpeculationes, ipſis verbis Ariſtotelicis intricatiores. Nihil attinet in re inani

inani tempus & operam perdere. Longè diſtinctius Carteſius motum nobis definit: *Motus eſt translatio unius partis materiæ, ſive unius corporis, ex viciniâ eorum corporum, quæ illud immediatè contingunt, & tanquam quieſcentia ſpectantur, in viciniam aliorum.* Vid. ejus *part. 2. principiorum Philoſophicorum*, §. 25. Hinc *quies*, motui contraria exiſtens, nihil aliud eſt, quàm *ejus abſentia, ibid. p. 27. & 37. Determinatio motus eſt, quâ mobile à termino à quo, ad certum terminum ad quem, promittitur. Communicatio vel propagatio motûs eſt actio, quâ motus ex unâ parte materiæ in aliam, vel quieſcentem, vel tardius aut aliter motam, transfertur.* Atque hæ definitiones ſunt expéditi ſenſus, quas capere quilibet poteſt; explicant enim naturam motûs localis, extra quem nullus alius datur, quanquam Ariſtoteles motum localem ab aliis quibusdam ſpeciebus diſtinxerit, quales ſunt augmentatio & diminutio, generatio, corruptio, &c. Quæ ipſæ ſpecies tamen motu locali peraguntur, &, ſi recentiores audimus, omnis ejus formalis ratio in particularum motu, ejusque determinatione conſiſtit, quod tamen ſuo loco nunc relinquimus. Nos quidem, materiæ generationem & compactionem mediante motu tali fieri, agnoſcimus, ſed determinationem iſtius motûs à ſublimiori principio dependere exiſtimamus. Poſtquam has definitiones motûs in ſolido collocavit Carteſius, poſtulata hinc aliqua & axiomata format, quæ diſtinctius ordinat Dan. Lipstorpius *in ſpeciminibus Philoſophiæ Carteſianæ.* Petit enim, ut (1) concipiamus vacuum ſpatium, ſeu corpus, quod motus aliorum corporúm nullâ ratione impediret, nec juvaret. (2) petit, ut duo corpora perfectè dura, & à reliquis omnibus ſic diviſa, concipiantur, ut eorum motus à nullis aliis circumjacentibus impediretur, nec juvaretur; (3) petit, ut duo illa corpora perfectè dura, & à reliquis omnibus diviſa, inter ſe indirectim, à ſiniſtrâ verſus dextram, committantur. (4) petit, ut in iis magnitudo & velocitas accuratè examinentur & ſeorſim ſpectentur; (5) petit, ut, depoſitis ſenſuum præjudiciis, purâ mente conſideretur, quid futurum ſit in eorum mutuo concurſu. (6) petit denique, ut, veritate diſtinctè perceptâ, Philoſophi conſiderent, eſſe à ratione planè alienum, propter ſola ſenſuum præjudicia & experientias, in medio heterogeneo, & ope corporum non exactè durorum, nec perfectè ſolidorum, factas, ea, quæ à puro intellectu clarè & diſtinctè percipiuntur, in dubium revocare.

Hinc Axiomata & regulas communes deducit: (1) Deus omnium eſt motuum, qui ſunt eruntque in mundo, cauſa generalis. (2) Deus in principio mundi materiam creavit, & tantum motûs illi impreſſit, quanto illi opus fuit ad rerum productionem, quam hactenus conſervat. (3) Hinc eſſe, quod omne corpus, quantum in ſe eſt, in eodem ſtatu maneat ſimplex & indiviſum, nec unquam niſi à cauſis externis mutetur. (4) Et ſic id, quod quieſcit, perſeveraturum ſemper in quiete ſuâ, niſi externo impetu loco pulſum fuerit. (5) Ubi verò corpus aliquod moveri cœpit, tamdiu moveri eâdem celeritate, quamdiu nihil occurrit, quod vel imminuit, vel ſiſtit, ejus impetum. (6) Ex eo porrò educit, omnem naturam eſſe conſervatricem ſui, & nihil tendere ad ſui ipſius deſtructionem. (7) Omnem motum ex ſe ipſo eſſe rectum,

rectum, & ideò circulariter mota tendere ſemper, ut recedant à centro circuli, quem deſcribunt. (8) Corpus motum, alteri occurrens, ſi minorem vim habeat ad pergendum ſecundum lineam rectam, quàm hoc alterum ad ei reſiſtendum, nihil amiſſurum de ſuo motu, ſed ſolam motûs determinationem perditurum. (9) Si occurrat corpori minus forti ad reſiſtendum, quàm ipſum ſit ad movendum, tùm illud ſe commoturum, & tantum de ſuo motu amiſſurum, quantum in alterum corpus transfert. (10) Si occurrat corpori æquali, & æquè velociter mobili, ſolam motûs determinationem amiſſurum. (11) Si verò occurrat corpori planè æquali, ſed quieſcenti, utrumque ſui effectus partem ſortiturum dimidiam, h. e. partem ſui motûs communicaturum cum reſiduo reflectendam.

3 Hæc ex mente Carteſii Lipſtorpius prolixè proponit in libro à nobis laudato, quod pleraque Mathematicæ veritatati inniti videntur. An verò in Phyſicis pro abſolutè veris & demonſtrativis habenda ſint, non parum dubitationis eſt. Nam aliqua vel ex hypotheſi tantùm dicuntur, e. g. nullum motum ceſſare ſemel inceptum, niſi propagetur eâdem quantitate, omnem materiam ſubtilem recedere à ſuâ Sphærâ per lineam rectam, quod circa nos vacuum nullum ſit, in quo moveri poſſunt corpora, ut proinde difficilis ejus probatio ſit. Quædam ex iis falſa omninò eſſe videntur, e. g. motus certâ quantitate mundo inditus, ut nullus novus oriatur, ſed tantùm tranſeat de uno corpore in aliud, & quantum uni accedit, tantum alteri decedat. Inſtantias plurimas dedit Ludovicus Beaufort *in Coſmopœiâ divinâ pag. 65.* Unicus ille animalium ſpontaneus motus falſitatis arguit hanc hypotheſin. Cùm enim animalia, antea quieſcentia, incipiunt ſubitò vehementer moveri, quæritur, à quo talis motus iis communicetur, & cui decedat. Denique quis neget, corpus aliquod immediatè moveri poſſe ab aliquo Spiritu, Angelo vel Dæmone? Homo quoque, immediatè à mentè excitatus, ſe liberè determinat ad motum, vel quietem. Hæ poſtremæ ſunt, ſed validiſſimæ objectiones Beaufortii: Nam ad ceteras regeri non pauca poſſunt. Ideoque ex his ſpeculationibus, planè Mathematicis, & à materiâ abſtractis, tantum afferendum eſt ad naturæ phænomena demonſtranda, quantum ipſa natura admittit. Multa quidem notionibus noſtris præſupponere poſſumus, quæ ſatis quidem expedita nobis videantur, multum tamen difficultatis habeant, ubi rei ipſi applicueris. Certè, quæ de propagatione motûs ſemel incepti, Carteſiani tradunt, inſignem & apertiſſimum habent in naturâ uſum; ſtatuendum tamen eſt, eum aliquando etiam ceſſare poſſe. Omnis enim motus propagatur cum gradu aliquo deficientiæ ad quietem.

4 Motus variè ſubdividi poſſunt, & ſecundum varios reſpectus conſiderari. Nam ſecundum gradus alius eſt, vel celer, vel tardus, vel mediocris. Secundum cauſas eſt vel ſpontaneus, vel violentus, vel inſitus, vel propagatus. Secundum terminos alius eſt vel rectus, vel circularis, vel mixtus. Rectus iterum eſt vel horizontalis, vel perpendicularis, vel obliquus. Ex his variæ aliæ ſpecies oriuntur, tractatio, vectio, ſuctio, frictio, pulſio, truſio, curſus, volatus, natatus, reptatio, preſſio, volutatio, rotatio,

refra-

refractio, diſtillatio ſive evaporatio, diſcombinatio, ſerratio, terebratio, & ſi quæ ſunt his cognatæ ſpecies aliæ.

5 Non ita pridem GODFR. GVILH. LEIBNITIUS *Theoriam motus abſtracti, ſeu rationes motuum univerſales, à ſenſu & Phænomenis independentes*, edidit, qui exiguus libellus magnâ induſtriâ omnem motus rationem, ſecundùm omnes figuras, poſitus, modos, explicat, ut profectò plus ille perfecerit exiguis iſtis foliis, quàm alii vaſtis libris. Huic *Theoriæ* ſuperſtruit *Hypotheſin Phyſicam novam*, in quâ Phænomenorum naturæ plerorumque cauſas ab unico quodam univerſali motu, in globo noſtro ſuppoſito, neque Tychonicis, neque Copernicanis aſpernando, repetit. Plena ſunt omnia ſubtili ingenio, & in multis quaſi ex abdito eruit nonnulla, de quibus non cogitârunt alii. Hanc ſuam doctrinam Societati Anglicæ dedicavit, quæ in pretio quoque habuit, & recudi à Typographo ſuo fecit. In *Actis Societatis* quædam habentur Joh. Walliſii ad ejus *Hypotheſin* monita, quæ illic legi poſſunt.

6 Non ita pridem etiam JOHANNES ALPHONSUS BORELLUS, (*f*) Prof. Piſanus, Mathematices Phyſicesque peritiſſimus Vir, ac ſingulari judicii & ingenii acumine in naturalibus pollens, *de vi percuſſionis* vaſtum librum edidit in 4. acutum & laborioſum, in quo omnem illam motûs doctrinam ad certas quaſdam regulas revocavit, in multis cum Carteſianis convenientes. Quibus regulis ſemel poſitis, procedit deinde ad demonſtrationem multorum in naturâ phænomenorum, ac ſpecialibus exemplis illuſtrat, quæ generalibus regulis conceperat. Dignus ſanè eſt liber ille, qui cum Carteſio Leibnitioque jungatur, ut ita collatis omnium ſententiis videamus, in quibus conveniant, in quibus differant. Omnibus certè in illo genere Scriptoribus palmam præripit, & nil fermè addi poteſt ejus ſubtilitati. Poſt Borelli Tractatum editum Franciſcus Wilhelmus, Liber Baro de Nüland, in *Elementis* ſuis *Phyſicis*, vel *novæ Philoſophiæ principiis*, in multis Carteſio contradixit. Nam Carteſium motus naturam non intellexiſſe ait, per ſe nullum motum circularem dari, corpora circulariter mota non conari recedere à centro, regulas quoque motus habet cum Borellianis in multis convenientes, quod ſe inſcio tamen contigiſſe memorat, Borellum tamen ipſum para-

(*f*) Joh. Alph. Borelli, Neopolitani, Acad. Piſanæ Mathematici, *Tractatum de Vi Percuſſionis*, Bononiæ an. 1667. *in* 4. editum, &, cum *Reſponſionibus ad animadverſiones Stephani de Angelis*, auctiorem Leidæ an. 1686. *in* 4. recuſum, *Librumque de Motionibus Naturalibus, à gravitate pendentibus*, Regiojulii an. 1670. & Leidæ an. 1686. *in* 4. impreſſum, excepit tandem *Opus de Animalium Motu poſthumum* Bibartitum, Romæ An. 1680. & 1681. *in* 4. publicatum. Recenſus ſingulorum prolixiores quære in Ephemeridibus iſtorum, quibus lucem aſpexere, temporum Literariis, quarum Loca Corn. à Beüghem, *in Conſp. I. Apparatus ad Hiſt. Liter. Noviſſ. p. 60. 61.* ſuggeret. Joach. Jungii *Phoranomica*, ſeu *Doctrina de Motu Locali*, cujus, etiamnum ineditæ, honorifica etiam mentio, in Henr. Oldenburgii *Transact. Philoſ. Soc. Angl. M. Apr. A. 1669. p. m. 148.* & G.G. Leibnitii *Theoria Motus abſtracti p. 33.* eſt injecta, Hamburgi an. 1688. ni fallor, *in* 4. curante Henr. Sivero, Prof. Gymnaſii Mathematico, & Autoris diſcipulo, prodiit, à Siveri autem ſucceſſore, Balth. Menzero, ibid. an. 1699. *in* 4. denuo eſt recenſita, & Joh. Ad. Taſſii *IV. Opuſculis Mathematicis* adjecta.

logiſmorum nonnulloruum accuſat in motûs demonſtrationibus. Ceterùm & ipſe Borellus de *motu animali* librum, quem editum nunc eſſe audio, promiſit, quo fortè non minus ſubtilia & curioſa continebuntur. Quæ in naturâ contingunt generationes & fermentationes, ex hypotheſibus ſuis ſatis concinnè explicat. Supereſt & Joach. Jungii *Lib. de Motu* poſthumus, quem diſcipulorum aliquis Editioni paratum ſervat. Urgent hanc vehementer Angli, à quibus magni Jungius æſtimatur. Et fuit ſanè Vir ſublimis ingenii, quique naturalium rerum cauſas, accuratiori, quàm vulgo hactenus factum, oculo inſpexerat, ac multa ad Mathematicas leges revocaverat. *Novam Hypotheſin Motus Elaſtici* Wilh. Pettus è Soc. Reg. Angl. adjecit Libello ſuo *de Uſu duplicatæ proportionis in ſingularibus quibusdam*, Londini A. 1674. *in 12.* excuſo. Multa is habet curioſa, quæ ſpectant ad doctrinam Motûs, cujus varia proponit Experimenta ſpecialia, duplicando Motuum propoſitiones. Quæ de primo motore apud Peripateticos ſunt controverſiæ, legi poſſunt apud Berirgardum in *Circulo Piſano*, ubi & de motu projectorum prolixè agitur.

7 Mihi quidem non videntur omnia illa indiſtinctè poſſe ad motûs doctrinam referri naturæ Phænomena. Utut enim ſubtiliter iſta ſint excogitata, non tamen omnes abſolvunt rationum numeros. Eſt præterea aliquod in naturâ ſuper illos motus conſtitutum principium determinans, quod qui non obſervat, in ſpecialibus nonnullis exemplis, is nihil videt. Borellus iſtis ſuis Regulis explicare ſe tamen non poteſt, niſi concedat eſſe particulas quasdam in naturâ, quæ per ſe ipſas moveantur, & moveant alias. Ad id extremum demum deveniendum eſt, ſive ſit illud materia ſubtilis, ſive aliud quod in naturâ ſpiritale principium.

8 Reſtat nunc, ut etiam de QUIETE aliqua dicamus. *Quies nihil aliud eſt, quàm abſentia motûs, in quo ſtatu corpora per ſe ſunt, motus verò illis accidit.* Atque hic, ſi argumentùm hoc preſſius conſideremus, profunda ſanè illa inquiſitio eſt, quæ corpora quieſcant, & quatenus quieſcant, an, cum tota quieſcant, etiam partes eorum moveantur. Quòd ſi rem rectè conſideraverimus, nullum corpus tàm denſum & ponderoſum inveniemus, in cujus, ut ita dicam, viſceribus, & abſtruſis receſſibus, non dentur inteſtini quidam particularum motus. Nemo rem illam attentius conſideravit, quàm Rob. Boylius *in Diſſertatione de inteſtinis motibus particularum in ſolidis quieſcentibus*, ubi exemplis gemmarum, vitri, lapidum, marmorum, lignorum oſtendit, tot affectionibus iſta corpora eſſe obnoxia, ob inobſervatum quendam motum particularum, in illis deliteſcentium, quæ, cùm in motù ſunt, vel provocantur à vicinis corporibus, particulas ſibi connexas iterum movere incipiunt. Illuſtria ſunt exempla illa, quæ de maculis in gemmis notat ad ſolis motum mobilibus.

9 Pertinet huc etiam doctrina *Fermentationis*, quæ maximi in Phyſicis uſus eſt, cujusque veram indolem ac naturam quisquis accuratè ſciverit, eum perfectiſſimum rerum Naturalium habebo Indagatorem. Omnes enim naturæ mutationes, alterationes, generationes, corruptiones, non niſi fermentatione fiunt. Ejus artifex ſola atque unica eſt Chymia illa ſublimior, quæ flammis agentibus, modo naturæ æmulo,

par-

particulas corporum quieſcentes novit excitare, ut in alium ſtatum deducantur, ipſamque ſpeciem naturalem, vel corpus, in aliud transmutent. Fermentatio, ſive à cauſis externis, ſive ab internis, oriatur, unica eſt & fœcundiſſima morborum genitrix. Ratio ejus planè abſtruſa eſt. Pauca de illâ habent Veteres, quæ Herm. Conringius & Mart. Schookius, in Diſſertt. de eâ adferunt. Thom. Williſius, magno labore, in cellis vinariis & cereviſiariis, variis Opificum officinis, Experimenta, Fermentationis doctrinam illuſtrantia, collegit, ſed, quia principia quinque, ab omnibus aliis Phyſicis diverſa, ſtatuit, ſententiam ſuam impugnari vidit, tùm ab Anglis, tùm à Mart. Kergero, Germano, cujus libellus, Witeb. 1663. *in 4to* editus, non eſt omninò contemnendus, & multa attulit Williſio prætermiſſa. Febres totæ in fermentatione conſiſtunt, quam ſi quis compeſcere nôrit, his facile medebitur. Quâ de re diligentiſſime actum à Williſio *in Diatribis II. de Ferment. & Febribus.* Ziegleri Scriptum, *de Fermentatione rerum omnium Germanicum*, Titulo, magnifica multa pollicenti, haud reſpondet. Non res enim dat, ſed verba, obſura ſæpè & ænigmatica, nec experimentis ſua confirmat, quæ tamen unicè hîc deſiderabantur.

CAP. VII.
DE QUALITATIBUS.

§. 1. Motus Qualitas eſt, non tantùm externa, ſed etiam interna. 2. Peripateticorum doctrina de Qualitatibus exploditur. 3. Pleræque Qualitates à ſitu, figurâ, motu & miſtione, oriuntur, quod diverſis oſtenditur exemplis. 4. Diviſiones Qualitatum Peripateticæ. 5. In ſpecie agitur de Raritate & Denſitate. 6. De Humiditate, Siccitate, Fluiditate, Firmitate, Mollitie, Viſcoſitate, Flexilitate, Rigiditate, Lævitate, Aſperitate.

VIdimus de motu, quæ quidem præcipua eſt inter qualitates corporum naturalium, quoniam, ut vidimus, recentiores nonnulli ſuper ejus hypotheſi 1
omnem doctrinam Phyſicam exſtruunt. Maluimus tamen nos diſtinguere, methodum vulgatam ſequentes eorum, qui motum affectionem externam faciunt corporum, & diſtinguunt à qualitatibus reliquis, quas internas vocant, à formâ illâ ſubſtantiali ſuâ procedentes, quanquam & motus poſſit eſſe internus, atque adeò inteſtinus, ut quieſcente ſolido, vel toto corpore, quædam tamen particulæ ejus in continuo motu ſint, ut *cap. priori diximus.* Quod ſi obſervaſſent ii, qui motum affectionem externam faciunt, cautius puto diſtinxiſſent ſpecies motûs. Accedit, quòd qualitates omnes illæ, quas obſervamus in corporibus, non ſine motu fiant. Fiunt enim pleræque ſolâ partium translocatione, quæ nihil aliud eſt, quàm motus, ideoque nunc cum meris larvis & chimæris res eſt, fictis ſcil. illis Entitatibus, quas Schola Peripateticorum introduxit, formæ ſuæ ſubſtantialis prolem, ut ii quidem putant, non degenerem.

Quòd ſi Ariſtotelicos jam rogamus, quid ſit Qualitas, perbellam nobis definitionem moliuntur; *qualitas ſc. eſt, quâ res qualis dicitur.* Multùm ſanè hâc defini-

tione profecimus. Idem eſt, ac ſi quis interrogatus: quid eſt humor, calor, frigus? reſponderet: eſt id, quo quid humidum, calidum, frigidum eſt. Multæ in Peripateticorum Scholis ſunt diſputationes de qualitatibus illis: Disquiritur ſcil. an ſubſtantiæ ſolâ ratione diſtinguantur, an qualitates primæ ſint, an ſecundæ? an qualitas qualitatem producere poſſit; quæ omnia cùm dicuntur, nuda aliqua vocabula & notiones audimus, nihil rei. D. Thomas qualitatem melius tamen definivit per *modum ſeu determinationem ſubſtantiæ*, quod propius ad recentiorum doctrinam accedit. Ii enim ſatis demonſtrarunt, qualitates illas omnes eſſe relativas & reſpectivas, & referre ſe, vel ad alia corpora, vel ad noſtros ſenſus, quod innumerabilibus exemplis illa illuſtravit Rob. Boylius *in libr. de orig. form. & qualitatum*, ut cornea illi fibra ſit, qui diſſentire ab eo velit. Nugatoria itaque omnia illa ſunt, omnes illæ diſputatiunculæ Peripateticorum; an educantur è ſubjecto qualitates? an ex uno in aliud migrent, an qualitates intendi poſſint & remitti? Hinc, cùm de cauſis alicujus proprii vel inſoliti affectus quæritur, ſpecifica vel occulta qualitas ſolet prætexi, quarum prima nihilo ſumus doctiores, altera nihil dicitur. Ideò enim quærebatur, quod occulta qualitas inter cauſas allegari poteſt, ut *ſequenti Cap.* videbimus.

3 Natura itaque Qualitatum in eo conſiſtit, quòd ex diverſo materiæ, ejus particularum, motu, quiete, quantitate, ſitu, figurâ formentur: nihil enim tàm abſtruſum eſt, quod eorum ope non eruatur. Clavis ſeram penetrat & aperit ob figuram illam, ſine aliquâ peculiari formâ. Ita particulæ penetrant interdum ſolâ figurâ ſuâ, atque hâc ratione agunt, quod nos adſcribimus certæ formæ Mercurii ſublimati particulæ interimunt hominem, non ob qualitatem aliquam venenatam, ut quidam autumant, ſed quòd particulæ ejus ſummè acutæ compungant tenerrimas viſcerum partes, undè ex infinitis vulnuſculis tandem inflammationes ſequnntur, & ipſa mors; crudus verò Mercurius nihil horum efficit, cùm alia ſit partium figuratio, nec aciem ſalinam habeat. Videmus, quàm ſolo motu ſæpè mutentur res, ſolâ applicatione diverſorum corporum. Aqua marina ſolâ partium agitatione colorem mutat. Videmus liquores limpidiſſimos, unà miſtos, in momento alios colores acquirere, vel nigreſcere, vel rubeſcere, vel inter ſe exæſtuare. Sic cyathus, aquâ tepidâ ſi impleatur, & foliorum ſenæ manipulus immergatur, mox, mixtione peractâ, aliquot olei tartari guttulæ infundantur, tota illicò aqua rubeſcet, cùm nullus inſit aquæ, foliis, aut oleo rubor. Pomum, quâ parte percuſſum eſt, ſapore & colore immutatur. Fructus halicacabi digitis tactus amareſcit, antea dulcis, ubi certè nemo ſomniare poterit de novâ qualitate, vel immiſſâ, vel emiſſâ. Fuit non ita pridem inter Anglos, qui duo ſicca eâ proportione miſcere novit, ut, quâ velit horâ, in incendium apertum erumpant & flammam concipiant, quod factum ſolâ particularum miſtione fuit. (*) Hæc & ſimilia exempla magno numero apud Boylium, in eo, quem laudavimus, libro, legi poſſunt, &, qui ejus Diſſertationes in Compendium traxit, J. Bapt. du Hamel *in libro de corporum affectionibus, c. 1. & 2.*

(*) Hanc artem etiam calluit Morhofius, ſibi tamen ſub fide ſilentii concreditam.

Qui

Qui Regi Angliæ eam aperuit, præmium magnum reportavit, &c, ut nunquam divulgaret, ſub pœnâ Capitali ei injunctum eſt.

Deſcendendum jam nobis eſſet ad qualitatum illas ſpecies, quas vulgò faciunt Peripatetici, & alii Philoſophi. Quoniam verò inter illas quædam ſolent ad elementa referri, quæ *primæ* ob eam cauſam dicuntur & *Elementares*, aliquæ ſecundum ſenſus diſtinguuntur, undè qualitates etiam *ſenſiles* dicuntur, reſervabimus earum uberiorem tractationem iſtis capitibus. Hic tantùm eas recenſebimus qualitates, quas ex materiâ dependere præcipuè volunt, & ad ſenſum tactus aliàs referre. Inter eas eſt *gravitas* & *levitas*, de quibus agemus *cap de aëre, & terrâ*; *calor* & *frigus*, de quibus agemus, quando ad *caput de igne* perveniemus. 4

Supereſt primò *Raritas*, quæ eſt qualitas tactilis, per quam inter alicujus corporis particulas multum materiæ heterogeneæ intercedit, ſive illa ſit aqua, aër, ſive materia ſubtilis. Talia corpora ſunt ſpongia, vapores, tophus, &c. Hic ſimplex eſt iſtius qualitatis conceptus & rei conformis. Contra *Denſitas* eſt, quâ corporis particulæ ita ſunt ſibi junctæ, ut parùm materiæ heterogeneæ iis intercedat, ut aurum, Mercurius, marmor. Hinc eſt, quòd valvæ aridâ tempeſtate facilè claudantur, ægrè humidâ & pluviosâ, quòd clavis ferrea candefacta foramen ſuum non ſubeat, quod frigida ſubit; quòd multum materiæ heterogeneæ intercedat. Ita quoque in Thermometris aër condenſatur & rareſcit, materiâ ſubtili ſubeunte per poros vitri. Digbæus ſubtilius philoſophatur in hâc affectione corporum, quàm neceſſe eſt, quæ ipſi tanti fuit, ut totam doctrinam Phyſicam illi ſuperſtrueret. Sed de ejus ſententiâ in ſuperioribus diximus. 5

Inter has qualitates porrò eſt *Humiditas*, per quam corporis alicujus particulæ facilè alterius corporis ſuperficiei manifeſtè adhæreſcunt, & in poros ejus leniter penetrant, ut aqua, vinum & oleum. Cui contraria *Siccitas* eſt, cujus particulæ non facilè adhæreſcunt, ut ſabulum, Mercurius, qui tamen ratione auri qualitatem hanc deponere videtur. Illi enim adhæret, illud penetrat. Referenda huc eſt *Fluiditas* & *Firmitas*, de quibus integrum librum ſcripſit Rob. Boylius, cui tit. *Hiſtoria fluiditatis & firmitatis.* Quô librô omnia corpora ad examen vocantur, quæ vel naturâ ſunt fluida & firma, vel per artem fieri talia poſſunt. Chymici enim eas qualitates pro arbitrio ſuo poſſunt exigere & reducere. In naturâ maximum illud, & miraculo ſimile eſt, aquam fluidam in momento ſiſti poſſe & firmitatem acquirere, de quo pluribus dicemus, cùm *de Calore & Frigore* agemus. *Mollities* cum flore coincidit, eſtque qualitas, per quam particulæ alicujus corporis ita ſibi adhærent, ut facilè ſuo loco dimoveri, tactuique undiquaque cedentes in omnem dimenſionem & figuram variari, poſſint. Huic affinis eſt *Viſcoſitas*, per quam mobile eſt corpus & molle, non verò cum fluore. *Flexilitas* eſt, per quam corporis alicujus particulæ, ſalvo inter ſe ſitu, cohæſione & viciniâ, multæ ſimul in aliam plagam, poris variatis, converti poſſunt. Qualia ſunt fila metallica, vimina recentia, membranæ, &c. *Rigiditas* eſt, per quam corporis alicujus particulæ ita ſibi adhærent, ut poros ſuos variari, niſi 6

per partium quarundam rupturam & ſeparationem, non admittant, ut chalybs induratiſſimus, teſta ovorum, &c. *Lævitas* eſt, per quam corporis alicujus ſuperficies ita eſt conformata, ut particulæ ejus æquali protuberantiâ, ſine ſenſibilibus poris ac anfractibus, conſiſtant, tactumque nihil remorentur. Talia ſunt ſpeculum, metallum politum, glacies &c. *Aſperitas* eſt, per quam corporis alicujus ſuperficies ita eſt comparata, ut particulæ ejus inæquali protuberantiâ emineant, porosque & anfractus, quibus tactum ſenſibiliter remoratur, admittat, ut ſunt cortices arborum &c. Notandum tamen eſt, illas qualitates omnes ſecundum ſenſus noſtros ſe ita habere: nam ſi microſcopium quis inſpiciat, illa, quæ læviſſima oculis videntur, tamen per ſpecilla ſcabra apparent & inæqualis ſuperficiei. Ratio eſt, in iis, quæ poliuntur, polituram illam fieri per pulveres duriſſimos, quorum grana ita duci nequeunt, quin ſulcos quosdam poſt ſe relinquant. Videri id ex puncto acûs poteſt, quam depinxit nobis, ſecundum apparentiam in *ſuô Microſcopiô* Rob. Hookius. Et hæc aſperitas ſuperficiei, quanquam ſenſibus noſtris non appareat, negari tamen non debet. Non enim ſenſus noſtri ſufficiunt ad corporum affectiones detegendas, & in iis ſæpè hallucinantur. Polita corpora fortius, quàm aſpera, agere & reſiſtere putat Ant. le Grand *in hiſtoriâ naturali*, exemplô cultrorum & enſium, qui, ærugine obducti, minus ſcindunt aut penetrant, quàm dum politi nitent, quod ratione aciei verum non eſt. Nam hæc, utut tenuiſſima & rectiſſima ad viſum, habet tamen quandam ſcabritiem ac ſuperficiem ſerratam, cujus beneficio ſectio perficitur.

Harum Qualitatum & ſimilium cognitio, multum prodeſt ad phænomenorum naturalium rationes inveniendas. De quibus in progreſſu pluribus agendi locus erit. Miſſis itaque Qualitatibus manifeſtis, ad occultas progredimur.

CAP. VIII.

DE QUALITATIBUS OCCULTIS.

§. 1. Doctrina de Qualitatibus occultis è Phyſicis eſt eliminanda, etſi certiſſimum ſit, plurimas dari qualitates Phyſicas, omnibus Naturæ ſcrutatoribus occultas & imperveſtigabiles. 2. Alb. Kyperi ineptæ illarum diviſiones exploduntur. Omnes ad ſenſus referri nequeunt. Judicium de exemplis illarum generale. 3. De Sympathiis & Antipathiis, & Curationibus, quæ his innituntur, Morborum Medicis, Theatro *item Scriptorum hujus Argumenti* Sympathetico, *ac* Medicinâ Magicâ *Sam. Boultoni, cenſura. 4. De Transplantationibus Morborum, ungvento Armario, pulvere Sympathetico. Ken. Digbæi, & Franc. Joſ. Burrhi artificio humorum oculis reſtituendorum. 5. De Transfuſione ſanguinis, & J. Bapt. Dionyſii infaûſtis circa hanc conatibus. 6. De Curationibus per tactum Regum Galliæ & Angliæ, Enſalmadorum Hiſpaniæ, Prolis ſeptimæ Maſculæ, Americanorum, Valentini Greatreak Hyberni, &c. it. de Flagellatione, actus Venerei Incentivo. 7. De Induratione & Invulnerabilitate*

tate corporum, magicâ potius, quàm naturali, à Joh. Ern. Burggravio ineptè defensâ, à Gabr. Naudæo autem perperam negatâ, nec non de Imaginibus Taliſmanicis, illarumque Hyperaſpiſte Jac. Gaffarello, & gladiis, (qualem Guſt. Adolph. R. Svec. habuiſſe fingitur) ſub certâ conſtellatione confectis. 8. De Faſcino, quod argumentum J. C. Frommannus illuſtravit. 9. De Virgulâ divinâ, Metallorum Indice. 10. De Antipathiis generalia quædam, & ſpecialia de Caſei Averſatione, Cadaverumque cruentatione. 11. Veræ Qualitates occultæ ſunt, quæ humano ingenio ſunt imperveſtigabiles.

VEnimus ad QUALITATES OCCULTAS, vexatiſſimum Phyſicorum argumentum, de quibus multa dici poſſunt: Eæ verò per ſe è Phyſicis eliminandæ ſunt: quid enim rei cum qualitatibus occultis eſt ſcientiæ, quæ docet rem per cauſas cognoſcere. Aut itaque non eſt ſcientia Phyſica, aut non docet rem per cauſas cognoſcere, ſi qualitatibus occultis locus eſt. Phyſices ſcil. negotium eſt, ut demonſtret, ineſſe affectiones rebus, idque per cauſas debet facere. Jam autem qualitates occultæ ſunt non-Entia, nihil enim illô terminô dicitur; quare ridiculi profectò ſunt, qui cauſam alicujus affectionis rogati, qualitate occultâ nos abſolvunt, quod idem eſt, ac ſi dicant, ignorare ſe ejus rei cauſam. Terminus ille itaque eſt, cum multis aliis ejusdem farinæ, Magnetiſmis, Antipathiis, Sympathiis, &c. modeſtum ignorantiæ obvelamentum. Quod cùm dico, ſaltem eos reprehendo, qui pro cauſis hos terminos allegant, illos verò planè non reprehendo, qui ineſſe ajunt corporibus qualitates, quas perfectè cognoſcere non poſſumus, atque ideò revera occultas, quas negare velle ſummæ eſſet impudentiæ & arrogantiæ. Et ego quidem hunc magiſtrum viderim, qui omnium cauſas manifeſtas dare ſe poſſe confidat. Fortaſſis nobis ſunt plures qualitates occultæ, quàm credant aliqui Lyncei naturæ Speculatores, qui in extremo tandem deficiunt, & univerſali aliquâ cauſâ ignorantiam ſuam ſalvant. Carteſiani in materiâ ſubtili vexatiſſimarum quæſtionum effugium inveniunt, aliqui in Archæo quodam univerſali aut ſpiritu mundi, aliqui ad Deum ipſum recurrunt, quem vel formam rerum informantem faciunt, vel aliquas primas indidiſſe materiæ creatæ proprietates, exiſtimant, quæ adhuc dum durant. Ita profectò eſt, ut omnes fermè qualitates ultimò in occultas nobis deſinant: nam etiamſi ab Elementorum qualitatibus (ſi tot eſſent, quot vulgò volunt) manifeſtæ deduci poſſent, res tamen æquè dubia eſſet, unde Elementa iſtas ſuas qualitates poſſiderent. Qualitates, quæ ex diverſô materiæ ejusque particularum motu oriuntur, & manifeſtæ nobis dicuntur, ſi attentius ſpeculatus fueris, aliquâ ſui parte erunt occultæ; quædam enim ex illis, vel ad certam motûs ſpeciem, nobis cognitam, deduci non poſſunt, vel occultum eſt, quid particulas moveat, cur aliæ aliæque ſpecies alium atque alium particularum motum ament, ac aliter aliterque determinentur. Ideoque in plurimis ad ordinationem Dei in primævâ creatione recurrendum eſt, quòd, ejus ſc. directione, ſpecies variæ hoc vel illo modo formentur. Præterea multæ quoque 1

qua-

qualitates ſunt in naturâ, quæ ſenſûs noſtri menſuram excedunt, ob objecti vaſtitatem vel infinitatem. Veroſimile enim eſt, multas corporum, à nobis remotorum, eſſe operationes, quarum effectum interdum percipimus, cauſas verò indagare non poſſumus. Poſſunt quoque in maſſis corporum, quatenus ſcil. maſſæ ſunt, eſſe peculiaria quædam, quæ intelligere nos non poſſumus, qualis in mari eſt fluxus & refluxus, & multa alia, quæ jure poſſunt inter qualitates occultas referri. Quantum itaque eſt, quod ſcimus de rebus, in ſuperficie & cortice rerum hæremus, & ne quidem hunc totum pernoſcimus.

2 Producamus tamen hîc aliquas qualitatum occultarum, quæ vulgò eo nomine ſalutantur, & monſtremus, eas vel non eſſe occultas, ac ad manifeſtas poſſe reduci, vel eſſe ſuperſtitioſas & falſas, vel eſſe occultas. Quomodo ſubdividi qualitates occultæ debeant, aliqui ſunt ſolliciti, interque eos *Alb. Kyperus*. Sed quæ poſſunt eſſe ſpecies rei, quæ per ſe occulta eſt? Ille tamen dividit à ſubjectis qualitatum propriis, ut alias faciat mineralium, alias plantarum, alias animalium, quæ rurſus ſubdividuntur; ſed ita penè totam Phyſicam ad qualitatum occutarum titulum revocabimus. Aliter dividit ex Adjunctis, undè facit alias Sympathicas, alias Antipathicas, illas ob convenientiam & ſimilitudinem, unionem præſtantes, has ob diſconvenientiam & contrarietatem, à ſe invicem ſecedentes. Sed ad has claſſes omnes tamen referri non poſſunt. Aliam diviſionis rationem ſumit ab effectis, ubi alia occulta qualitas eſt attractiva ferri, alia cathartica ſive purgans in medicamentis, alia deleteria in venenis, alia aliud quid præſtans. Quam diviſionis rationem ſi ſequimur, quot erunt qualitates occultæ, tot erunt ſpecies qualitatum occultarum; nam in qualitatibus occultis nihil, præter effectum, videmus, & ex hoc, causâ non cognita, qualitatem occultam eſſe judicamus. Superſtitioſa hæc & inutilis diligentia eſt, ac parùm refert, quô ordine illa proponantur. Rectiùs fortè quis faceret, ſi ad ſenſus noſtros referrentur qualitates occultæ, ad quos tamen omnes referri non poſſunt: quædam enim corpora mutuas inter ſe invicem affectiones habent, quæ ad ſenſus noſtros non referuntur, quales ſunt e. g. tractio ferri à magnete, converſio acus magneticæ ad polum. Hæc enim quanquam viſu percipiamus, non tamen ad viſum propriè referuntur, ceu partem aliquam ſuæ operationis. Præſtat itaque ſine diſcrimine illas enarrare.

Exempla Qualitatum occultarum, uti dixi, magnam partem fabuloſa ſunt, magnam partem fundatas etiam in naturâ rationes habent, quædam etiam reverâ titulum iſtum merentur. Eorum Syllogen aliquando collegit Mich. Watſonius *in Unione Sapientiæ, P. II. ſect. 3. c. 1.* quorum vel rationes ipſe dat, quanquam non ſemper adæquatas, vel, ut ridicula & falſa explodit. Sed minuta illa miſſa faciemus, ac notioribus tantùm inſiſtemus.

3 Primô locô ponemus *Sympatheticas* & *Antipatheticas* operationes. Sympathia & Antipathia Termini generales ſunt, & nihil aliud, quàm Termini, ſi iis cauſam aliquam ſufficientem exprimere volumus. Alioquin negari non debet eſſe in naturâ rerum

rerum fundatam aliquam corporum convenientiam & diſconvenientiam, ſecundum quam multa fieri phænomena in naturâ poſſunt, ut ita revera cauſa illa poſſit aſſignari, ſi modò conſtet modus ille, quô corpora illa ſibi conveniant vel non conveniant. Nam quanquam Termini illi purè relativi videntur, termini tamen ejus relationis reales ſunt & fundamenta. Ut itaque hâc ratione aliquid realitatis agnoſci debeat, cùm omnes ceteræ qualitates penè in ſolâ relatione & modo conſiſtant. Nihil itaque diximus, niſi modum illum ſimul demonſtramus, & digitum eò intendimus, ut percipere illum poſſimus. Innumera ſunt, quæ ad has claſſes univerſales pertinent Sympathiarum & Antipathiarum, ut vaſtis etiam libris ea proponantur. Nam, ſub *Theatri Sympathetici* titulô, Norimbergæ A. 1662. *in 4to* prodierunt, edentibus Endteris, omnes illi Auctores, qui de Antipathiis & Sympathiis ſcripſerunt, unô librô collecti. Et verſatur quoque eo in argumento Athan. Kircheri liber, Amſt. 1667. excuſus *in 12*, cui titulus: *Magneticum naturæ Regnum.* Sed in *Theatro* illo infinita ſunt mendacia & aniles ſuperſtitiones, quam Camarinam aliquis nolim moveat. Sylveſtri Rattray *Aditus ad occultas Sympathiæ & Antipathiæ cauſas inveniendas, per principia Philoſophiæ naturalis, ex fermentorum artificioſâ Anatomiâ hauſta, patefactus*, qui in *Theatro* hoc occurrit, nil omninò habet, quod Titulo iſti ſatisfaciat. Exhibetur illic Catalogus rerum & Actionum Syn- & Antipatheticarum, temerè è ſecretorum Scriptoribus congeſtus. Nihil cauſæ innititur, quanquam Titulus promittat, cujus pollicitationem ex fermentorum doctrinâ falſam & abſurdam eſſe, res ipſa oſtendit. Nulla autem fœcundior his nugis eſt, quàm Ars Medica. Illa enim, ut imperitis hominibus, mulierculis & olitoribus, ſomniis & incubationibus, primam ſuam originem debet, ita factum eſt, ut multa immigraverint in illam, quibus ſola patrocinatur ſuperſtitio, cujus præſidiô multa interdum feliciter effectum ſortiuntur, ſupplente perſuaſione noſtrâ, vel naturâ, quæ expectabantur à nugaciſſimis remediis. Interdum caſu fit, ut in iis veri aliquid deprehendatur. Spectant ad hanc Claſſem curationes Sympatheticæ & Magneticæ, per transplantationes, inſitiones, irrorationes, quas deſcribit Samuel Boulton in libro Anglico, cui titulus: *Medicina Magica, ſed tamen Phyſica*, quô in librô rationes adducere laborat, & principia, unde tales vulgò creditæ operationes oriantur. In quibus tamen principiis ponendis magna nobis dubitatio eſt. Nam, quæ ille pro principiis & Axiomatibus habet, illa non minus dubia ſunt, ac ipſæ operationes. Multa ſanè poſſunt adverſus illa adferri magni ponderis dubia. Quæ enim ille pro veris & indubitatis ſupponit, illa non ſunt extra omnem controverſiam poſita, aut ita demonſtrabilia, ut pro principiis haberi debeant. Quis enim demonſtrabit nobis, inter ſanguinem, ſudorem & excrementa, corporaque, unde illa depromta ſunt, eſſe quandam mutuam paſſionem & actionem. Certè ad Experimenta provocare, ex iis fidem his principiis aſſerere, non poſſumus, ob ſummam operationum inconſtantiam & incertitudinem, cùm certi interdum eſſe non poſſumus, an non caſu interdum aliqua eveniant, quæ illi ex principiis his deducunt.

Transplantationes quod attinet, ſunt multi, qui mirabiles earum effectus pollicentur, ſed revera, quid præſtitum ſit à multis, non apparet. Febricularum curatio- 4

nes ajunt interdum feliciter iis factas, ſed earum facilis eſt etiam per naturam curatio, ſolamque abſtinentiam & perſuaſionem, ſi leves illæ ſint, nec inveteratæ. Ut falsò itaque transplantationi adſcribatur, quod ſuâ ſponte evenit; neque illa cauſarum hic eſt connexio. Vid. Andr. Tenzelii *Medicina Diaſtatica* & Jac. Lupii liber, cui tit. Schatzkammer der Natur; qui Autores mutuò ſe exſcribunt, & in quibus magna talium rerum farrago continetur. Pleni ſunt omnes ſecretorum & arcanorum Scriptores; ſed in iis penè, quot lineæ, tot ſunt mendacia. Ad hanc Claſſem unguentum Armarium & pulvis Sympatheticus Digbæanus, è vitriolo confectus, quoque pertinet. Id unguentum Armarium etiam veteribus in uſu fuiſſe, cognoſcas ex Barthio, *Adverſ. colum. 1770.* A plerisque habitum ſemper fuit pro re diabolicâ & magicâ, vel ſaltem impoſtoriâ, donec tandem Kenelmus Digbæus, in libro ſuo *de pulvere Sympathetico* naturales rationes in medium attulit, quibus qualitercunque ſalvat illas operationes, adductâ magnâ exemplorum farragine, quorum non omnis certa fides eſt. Extiterunt & alii Autores, qui eâ de re Diſſertationes ſcripſerunt. Pulveris tamen illius vires Ant. Deuſingius, Medicus Groninganus, in dubium vocavit, ſcripto ſuper hoc argumento peculiari libro. Sed infeliciter contra illum militant, & ille, & Joh. Frid. Helvetius (Homo exigui judicii, & circumforaneæ tantùm doctrinæ) *in Theatridio Herculis triumphantis*, Hagæ A. 1663. *in 8vo* Belgicè edito. Mihi quidem ſi ſententia promenda eſſet, dubia admodum res tota videtur. Quod Digbæum enim attinet, ſcio, admodum credulum fuiſſe illum, nec experimentorum fides mihi adeò certa eſt, ut qui noverim, aliquos nullo cum fructu eo uſos. Quòd ſi ſucceſſus aliquis interdum apparuit, potuiſſet naturæ id beneficio fieri, quæ ſuâ ſponte ad vulnerum conſolidationem properat, ut in animalibus fieri videmus, modò ab injuria externi aëris cuſtodiantur, quod & hîc faciendum eſt. In brutis certè videmus parum turbare externi aëris injurias vulnerum, etiam gravium interdum, curationem. Idem certè hîc fieri mihi videtur, quod in reſtitutione oculorum, quorum humores digitis expreſſi erant. Eos ſe reſtituiſſe per ſingularem aquam Chelidoniæ, gloriabatur Franciſcus Joſephus Burrhus, cujus extat ſuper hoc argumento *Epiſtola*, quod alii poſtmodum ſimplici aquâ fecere, reſtituente naturâ eos humores, non arte.

5 Neſcio, an huc referam eam, quæ fit per *tranſfuſionem ſanguinis*, curationem; (g) ea enim per priores operationes extendere ſe poteſt. Alius enim ſanguis iterum ſuccedit, qui ſanguis, ſi purior eſt, neceſſariò immutationem aliquam facit in corpore. Non pauca ejus rei ſpecimina cepit Joh. Bapt. Dionysius, Medicus Regius Gallus

(g) De Transfuſoriâ Medicinâ diu noſtrâ ætate eſſe diſceptatum, & ſcripta in utramque partem prodiiſſe plurima, nemo ignorat. Quæ cùm omnia recenſeri Inſtituti ratio haud permittat, ſolam jam commendamus, quæ ceterorum nucleum, in folia pauciſſima contractum, exhibet, Joh. Chriſtoph. Sturmii, Philoſophi Acad. Altorfinæ eximii, *Diſſertationem de Transfuſi Sanguinis Hiſtoriâ, Methodo ac Artificio, Effectis item & Phænomenis*, Academicam, Altorfii an. 1676. *in 4.* excuſam. Cujus judicium de illâ cum Morhofiano penè congruit.

Gallus, quæ extant *in Actis Philoſophicis Anglicis*, ſed, poſtquam triſtior eventus bonam ſpem deſtituit, communi quaſi ſuffragio receſſum ab iſto arcano eſt, & bono Dionyſio ab aliis Medicis lis mota de homicidio, à quo tamen is abſolvere ſe omnibus argumentis laborat. Ceterùm res illa vetuſtior eſt, quàm vulgò creditur, nam, ſub initium hujus ſeculi, anno 1618. jam tùm Andr. Libavius ejus mentionem fecit, &, ſi rectè memini, apud Marſilium Ficinum, *in libro de vitâ cœlitùs comparandâ*, aliqua legi ejus generis. Sed deſerenda tamen non eſſet res meo judicio, nec ſpernenda, & in maleficis, aut morti damnatis, capienda ſpecimina ; non enim deſtituitur veriſimilitudine, ſed, in experimentorum defectu, quilibet in ſe periculum fieri grave exiſtimat. Sine fermentatione miſtio illa ſanguinis diverſi non erit ; ubi enim diverſi generis humores conveniunt, ſanguis corruptus miſcetur cum ſano, aut cum reſiduis illis humoribus parata erit fermentatio, ut ſolent alias diverſi humores facilè in fermentationem abire, & per eam tandem uniri. Id fortè etiam fieri poſſet in hac mixturâ. Verendum tamen eſſet, ne nimiâ illâ fermentatione tota vita ſimul expellatur.

Referri etiam hùc debet ea, quæ fit per *tactum manuum*. Curatio, qualis, à 6
Regibus Angliæ & Galliæ facta, certas morborum ſpecies curare perhibentur. In cauſis ejus inquirendum meritò eſt, num verè id fiat, an verò Sophiſma aliquod politicum intercedat ; ſolet enim Aulicorum fucus in Axiomate Regio exaggerando non eſſe infrequens. Quod à Veſpaſiano factum eſt, Grotius *lib. de Verit. Relig.* ſpeciali gratiæ divinæ adſcribere non dubitat. Adrianum ſimulatò egiſſe, ipſe Spartianus fatetur. De Regibus Galliæ & Angliæ prolixè egi in Diſputatione meâ, cui titulus : *Princeps Medicus.* (*h*) In Gallis (quorum curationis hiſtoriam Andr. Laurentius peculiari *de Strumis* Libello deſcribit) certè rem non eſſe abſque fucô, facilè oſtendunt fabulæ illæ de Ampullâ cœlitus miſſâ, cujus efficaciæ illam potentiam adſcribunt, in Regibus. Pro Angliæ Reginâ, Eliſabetha, Guilielmus Tooker ſingularem librum ſcripſit, quo idem chariſma ipſi adſcribere, & conquiſitis undecunque argumentis

 aſſe-

(*h*) Sententiam Morhofii, *in Principe Medico*, Roſtochii an. 1665. edito, & in *Volumine Diſſert.* Hamburgi an. 1699. recuſo, miraculoſas eſſe Regum Angliæ & Galliæ curationes arbitrati, refutandam ſibi ſumpſit D. Joh. Joach. Zentgrafius, Prof. Acad. Argent. Theologus, *in Bigâ Diſſertat. de Tactu Strumoſorum Regis Franciæ*, Witteb. A. 1669. habitarum, *Diſſ. II.* §. 2. *& ſeqq.* Ipſum etiam Autorem eandem mutaſſe, ex *h. l.* facile perſpicies. Narrationem de Valentino Greatreate, aliisque Medicis ſeculi elapſi Θαυματούργοις, prolixiorem & accuratiorem, judicio de iisdem cordato illuſtratam, Joh. Nicol. Pechlini, Conſiliarii & Archiatri Holſatici, nobis amiciſſimi, *Obſervationum Phyſico-Medicarum Liber III. n. 31. & 32. p. 476-493.* exhibet. Commendatur inter iſtos, nomine licet ſuppreſſo, & Joh. Thamſenius, Ripenſis Cimber, Mercator in viciniâ noſtra Huſenſis, ac dein Fridrichſtadienſis, qui Miraculis hujusmodi Medicis quamplurimis, circa an. 1681. inclaruit. Vir pius & honeſtus, cujus Hiſtoriam, Libello peculiari Vernaculo, Lipſiæ an. 1691. *in 12.* impreſſo, traditam, fuſius quoque repetiit Gottfr. Arnoldus, *in Opere Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & Hæreſeologicæ* Germanico, *T. III. c. 24. p. 242. 243. & T. IV. Sect. III. n. 18. p. 775. 776.* nec non in *Vitis Fidelium* Vernaculis, Halæ an. 1701. editis, *p. 1091-1103.*

aſſerere laborat, exagitatus eam ob cauſam à Delrio, *lib. 1. c. 3. quæſt. 4. Disqq. Mag.* & Balzacio, *in Principe ſuo, §. 63.* Sunt hodiè in Hiſpania *Enſalmadori*, vel *Salvadori*, vel *Salutatores*, qui vi orationum, ſalivâ, halitu, tactu, ſuctione, morbis mendentur, de quibus peculiari libro *de Enſalmis* egit Emanuel de Valle de Moura, Hiſpanicè ſcripto, & conferri quoque poſſunt Mart. Delrius *L. 1. Disquiſ. Mag. c. 3. qv. 4.* Theoph. Raynaudus *de Stigmatibus ſacr. & prof. Sect. II. c. 4. p. 317.* & Pet. Pomponatius *in Lib. de Incantat. c. 4.* Idem ajunt de prole ſeptimâ maſculâ, citra interruptionem natâ, ſtrumas curandi facultate ſc. eam præditam, cujus rei veritatem teſtatur Vir aliàs minimè vanus, Thomas Williſius, *in Anatome cerebri c. 20. p. 159.*, ſed omnem rem ad perſuaſionem refert. Apud Americanos talem per ſuctionem & tactum curandi modum frequentem eſſe, teſtatur Barlæus *in Deſcriptione rerum ſub Mauritio geſtarum in Braſiliâ p. 204.* Fuit non ita pridem apud Anglos Nobilis quidam Hybernus, Valentinus Greatreak, qui multas curationes inſtituit morborum graviſſimorum ſolo tactu & compreſſione, quarum hiſtoria peculiari libello edita eſt Londini anno 1666. *in 4to*, ac inſcripta Rob. Boylio, qui aliquod tamen eis pretium ſtatuit. Addita ſunt prætereà multa teſtimonia, tàm ægrotorum, quàm Virorum Illuſtrium. Sed is Londino excedere juſſus eſt autoritate Regiâ, fortè, quòd invidioſa illa Regi curatio eſſet, qui ipſe tactu curat. Memorat etiam notabiles quasdam obſervationes, de morbis tactu & frictione curatis, Henricus Oldenburgius *in Actis Societatis Philoſophiæ p. 206. & ſeqq.* ex communicatione Boylii, quem vide *in lib. de Utilitate Experimentalis Philoſophiæ, Sect. 2. c. 15.* ubi rationes ejus rei fusè proponit. Omnes ſcil. motus animales, vectionem, lationem, ſuccuſſionem deducit. Refertur & ibi de quodam fabro ferrario, qui manu ſuâ ventrem mulcens vomitionem parare poterat, ſi nates mulceret, laxiorem alvum, ſi pedes, levamen à podagrâ. Henr. Morus, in *Diſcurſu Anglico de Enthuſiaſmo*, Ethuſiaſtas naturaliter tactu curare poſſe credit, ſuasque rationes *p. 42.* recitat. Fortè & huc referri poſſit, quòd aliqui actum venereum exercere non poſſint, niſi probè fuſtigati, cui tamen rei rationes Phyſicæ ſubſunt, quas legere poſſumus in ſingulari Joh. Henr. Meibomii de hoc argumento *Epiſtolâ*, cui additæ ſunt Henr. Meibomii filii *Obſervationes quædam*, uti & Thomæ Bartholini, in Editione tertiâ Hafnienſi A. 1670. *in 8vo.*

7 Ad occultas qualitates aliqui etiam referunt, quòd corpora animalium vel herbis, vel rebus arte factis, aut imaginibus Aſtrologicis, muniri poſſint contra vim externam, gladiorum ſectiones, aut globulorum ictus, de quâ re multæ circumferuntur hiſtoriæ, quas aliqui pro veris habent, aliqui in dubium vocant. Poſſibilitatem ejus rei voluit oſtendere Joh. Ern. Burggravius in ſuo *Achille Panoplo redivivo, ſive Panopliâ Phyſico-Vulcaniâ, quâ in prælio Philoplos in hoſtem educitur ſacer & inviolabilis.* Raritas argumenti facilè invitet Lectorem, qui tamen admiſſus mirè ſe ludi videbit ineptis & alienis digreſſionibus, paralogiſmis perpetuis, quique nihil minus, quàm id, probant, cujus gratiâ liber ille ſcriptus erat. Meâ quidem ſententiâ operæ pretium non tulit Gabriel Naudæus, qui *in libro ſuo de ſtudio militari, lib. 1. ſect. 32.*

cum

eum (non à Burggravio, ſed ab alio, huic gratificaturo, uti oſtendit, ſcriptum) refutat; habet tamen multum doctrinæ iſta Diſſertatio, quæ ab ovo repetit originem hujus opinionis, quâ poſſibile habetur, invulnerabiles aliquos fieri poſſe. In eo autem diſplicet, quod rem totam neget, quam factam tamen fuiſſe veriſimile eſt, niſi velimus omnium hiſtoriarum fidem in dubium vocare. Et ego quidem, non niſi ope Dæmonum, hoc factum fuiſſe, crediderim, in quam ſententiam difficulter deſcendit Naudæus, non magnus rerum, quas omnes pro vanis & fictis habet, Dæmoniacarum æſtimator. Prolixè illic de ſigillis, characteribus, & Taliſmanicis imaginibus, agit, quibus obtinere aliqui voluêre hanc corporum ſuorum ſoliditatem. De Taliſmanicis imaginibus multa aliàs fabulantur nonnulli, tanquam iis magna effici poſſint miracula, ſemperque illæ fuere inter ſuperſtitionum ſupellectilem ab Orientalibus ad nos propagatæ. Tota earum ratio & operatio ex influxu ſtellarum deducitur, aut ſpiritus cujusdam mundani informatione. Integri ſunt ſuper hôc argumentô Libri conſcripti; præ ceteris verò legi hîc poteſt Jac. Gaffarelli liber Gall. cui tit. *Curioſitates Inauditæ*, A. 1650. in 8. editus, qui omnia corraſit, indigna relatu, quæ ad patrocinium illis præſtandum pertinent. Nuper ille in linguam Latinam converſus eſt, & Notis variis, etiam Elenchticis, auctus à Greg. Michaelis. Sed & jam antè in Galliâ à nonnemine, teſte Sorello *in Bibliothecâ Gallicâ*, erat refutatus. Extat etiam Jul. Reichelti *de Amuletis* liber. Fabulantur quoque de gladiis, ſub certis conſtellationibus fabricatis, quibus miracula præſtari aliqui poſſe credunt. In vitâ Joh. Bapt. Morini Aſtrologi, quæ *Aſtrologiæ* ejus *Gallicæ* præfixa eſt, refertur, talem habuiſſe gladium Guſtavum Adolphum, Regem Sveciæ, quem Morinus ab aliquo ſibi venditum emerit; quæ ego tamen mendacia eſſe exiſtimo. Ceterùm, quod ſolidationem corporum attinet, illa quibusdam naturalibus etiam mediis fieri poſſe creditur, quorum ego ſimplicitatem ſatis mirari non poſſum, qui in corporis cujusdem naturalis poteſtate credunt eſſe poſitum, ut textura cutis & carnis noſtræ immutetur, quæ immutatio ſi fieret, corneam totam & calloſam cutem iis eſſe oporteret, qui hoc præſidio utuntur, quod tamen factum fuiſſe non audivimus, neque poſſet iſta immutatio tàm ſubitò, & tàm brevi tempore fieri, ac poſtea cutis redire in priorem ſtatum. Abſurdi itaque omninò ſunt, qui id fieri putant poſſe, vel Ægagropila, vel aliis quibusdam herbis, quarum omnium diligentiſſimam mentionem fecit Frommannus, *in libro de faſcinatione*. Legi quoque poteſt Georg. Hier. Welſchii *liber de Ægagropila*, qui fortaſſis eâ de re plenius tractat, nam mihi tantùm aliqua pars iſtius libri lecta eſt. Sigillis & Imaginibus per ſe nihil efficitur, niſi majore aliquâ potentiâ armatis. Valdè itaque vereor, ne Dæmon aliquis ſub iſtis larvis lateat. Si principia Campanellæ, aut Joh. Marci Marci ſequeremur, facilè talia ſalvari poſſent, vel per ſenſum illum Univerſalem Campanellæ, vel per Ideas Marcianas; ego tamen ab illis opinionibus manum potius amoverim, veritus *ignes ſuppoſitos cineri doloſo*. Noſtri inſtituti non eſt, pluribus de iis hîc agere, alioqui integri voluminis res eſſet. Vid. Chiffletii *Commentarius in Macarii Abraxas*, ubi multa de iis ſigillis, aliisque magicis

 ineptiis.

ineptiis. Pleni ſunt talium etiam nugarum libri Henr. Corn. Agrippæ *de occultâ Philoſophiâ*, Coſtaben Arabis, *Tr. de Ligaturis Phyſicis*, ab *Arn. Villanovano Lat. verſus*, Bernh. Penoti *Denarius Medicus*, & Conſtant. Albini, Villanovenſis, *Magia Aſtrologica, ſeu Clavis Sympathiæ VII. Metallorum, & VII. Selectorum Lapidum, ad Planetas*, Pariſiis A. 1611. edita, quâ ratio conficiendi ſigilla, ad varios effectus obtinendos, unà cum precibus, characteribus, ſimilibusque ineptiis, recenſetur. Impugnavit iſtam characterum efficaciam Ol. Borrichius in Diſſ. peculiari *de Cabala Characterali*, Hafn. A. 1649. *in 12.* excuſa.

8 Doctrina *de Faſcino* ad hanc quoque claſſem pertinet, de quâ peculiaribus libris agunt Leonh. Vairius & Gutierrus, ac noviſſimè poſt illos, J. Chriſt. Frommannus, Med. D. & Prof. Coburg., vaſtiſſimo libro, Norib. A. 1675. *in 4to* edito, quem omnium ſuperſtitionum anilium Pandectas dixeris; non facilè enim quicquam prætermiſit. Et ille quidem faſcinum, ſecundum omnes ſenſus, pertractavit. Hîc aliqua verè naturalia ſubeſſe exiſtimem, uti oculorum faſcino, multa tamen in illis ſuperſtitioſa, multa Dæmoniaca ſunt. Non audiendi certè, qui ad Operationes naturales omnia iſta referunt, cùm Morini, Aſtrologi Galli, Filius, qui totum Orientem peragravit, ut omne genus artium Magicarum addiſceret, hasque naturales eſſe, Libris editis ſe demonſtraturum promittit.

9 De *virgulâ divinâ* etiam hîc agendi locus eſt, de quâ multa dubia ſunt, an naturalis illa ſit operatio, an Dæmoniaca. Mihi quidem, ut verum fatear, non liquet. Nam cùm de rei ipſius veritate nondum ſim certus, fruſtrà in cauſas inquiritur. Eſt verò virgula illa bifurcata, unius anni proles; hanc exſcindunt aliqui, non ſine magicis incantationibus & ceremoniis, ex Corylo aliqui, aliqui ex aliis arboribus, illas decerpunt, aliqui indiſtinctè è quibusvis arboribus. Georg. Agricola, diligentiſſimus rerum metallicarum Scriptor, rem non ſine concurſu Dæmonis peragi putat. Solent quoque diem ſolſtitialem ſectioni huic deligere, quod equidem ſuperſtitioſum non eſt; nam & in aliis, vel herbis, vel arboribus, tale tempus cum fructu obſervatur. Conſiſtit enim tùm in vigore ſuo rerum natura, calore ſolis & rectis ejus radiis excitata. Figuram ejus exhibet Pet. Molinæus, *Phyſicorum lib. 5. c. 7.* ubi modum quoque deſcribit, quomodo teneri debeat, & admoveri locis illis, quibus ſuſpicio eſt, latere venas metallicas. Quòd ſi arbores tales, è quibus exſcindi debet ſurculus iſte bifurcatus, excreverint in fundo metallico, rei aliqua veriſimilitudo eſſet, verti poſſe ad vapores virgam. Sed ad metalla, extra ſuas venas conſtituta, verti virgulam, res mira ſanè, ſi vera eſt. Miror, non plus experientiæ hîc dari, & adeò latere iſtius rei fidem. Extant *Diſputatiunculæ* aliquæ Joh. Sperlingii & Theod. Kirchmaieri *de hâc virgulâ*, quæ tamen nihil novi nos docent, & pactum cum Dæmone implicitum ſubeſſe, cum Georg. Agricolâ, agnoſcunt.

10 *Antipathiarum* etiam multa ſunt exempla, quorum aliqua fabuloſa ſunt, aliqua naturalibus cauſis expediri poſſunt, aliqua inter veras occultas qualitates referenda. Fabuloſa ſunt, quæ de pelle lupi & ovis referunt, fabuloſa quoque multa alia. Medici

inter-

interdum multa talia obſervant in ægrotis, aut in iis ſubjectis, quibus Medicinam adhibent. Mirabilia enim earum Antipathiarum exempla paſſim invenimus. Sunt, qui ad campanæ ſonitum deliquium patiuntur, ad gladium evaginatum animo concidunt. Fuit apud Anglos fœmina, quæ, tonitru audito, vomebat, & alvo laxabatur, quod fieri fortè ob conſternationem potuit, & accidere talia potuere, ſi mater, in utero geſtans, iſtis quondam rebus perterrefacta, earum ideas fœtui impreſſit; unde plurimas antipathiarum ſpecies ortas ego crediderim. De averſatione caſei in quibusdam mira quoque eſt ratio, conatus tamen ad cauſas naturales eſt reducere Mart. Schookius, ſingulari libellô *de averſatione caſei*, Groningæ A. 1668. *in 12.* edito. Solet quoque hæmorrhagia cadaverum inter ſingularia Antipathiæ ſpecimina referri, quæ opinio adeò firmas radices egit, ut inter ſigna judicialia quoque nonnullis admiſſa fuerit, & quædam judicii divini ſpecies habita, quibus ego temerè non acceſſerim; facilis eſt enim cadaverum, violentâ morte percuſſorum, cruentatio ſpontanea. Recens enim ſanguis eſt, & nullô morbô correptus. Tuetur tamen hanc ſententiam Joh. Marcus Marci *in Philoſophiâ vet. Reſtitutâ*, *toto cap. de hæmorrhagiâ cadaverum.* Olim in judiciis majorum noſtrorum magni æſtimata fuit illa probatio, ut patet ex iis, quæ ſuperſunt nobis, legibus vetuſtis.

Ad occultas Qualitates, quæ verè tales ſunt, referri debent omnes illæ, quæ pro- 11
veniunt ex objecto, quod ſenſibus capi non poteſt, vel ob vaſtitatem ſuam, vel ob remotionem nimiam. Non enim eſt credibile, cùm videamus, minutis etiam corporibus, imò corporum partibus, ineſſe affectiones, non ineſſe illas totis maſſis & globis, e. g. toti maſſæ aqueæ, toti maſſæ aëreæ, globis hujus univerſi, quorum corporum omnium operationes deprehendi à nobis non poſſunt, quibus fortaſsè multa adſcribi debent, quæ fieri in naturâ videmus, nec tamen ad certas cauſas reduci poſſunt. Poſſunt quoque in magno hoc aëris Oceano diſſeminatæ eſſe multæ corporum particulæ, quæ, hoc vel illo motu accedente, varias mutationes faciant, vel in aliis corporibus, vel in noſtris quoque, quorum cauſæ deprehendi non poſſunt. Unde ego exiſtimo, accidere ſæpè animalibus, hominibusque morbos quosdam inauditos & inſolitos, quibus curandis Medici omnia fruſtrà adhibent conſilia. Quam vim vaſta illa corpora, per aërem diſperſa, vel in terrenum hunc globum totum, vel in aliquas ejus partes, aut certas quasdam ejus maſſas, terram videlicet & aquam, aërem, animalia & homines, habeant, definire non poſſumus, fallente nos experientiâ & obſervationibus, quas longinquitas temporum facilè eludit. Nam de Aſtrologicis dogmatibus non omnia credere poſſumus, quanquam nec omnia rejicere. Fortaſſis enim aliquà per revelationem, majoribus noſtris factam, pervenere ad poſteros, aut hodiè innoteſcunt, vel bonorum, vel malorum ſpirituum, proditione. Nam quæ Salmaſius, in *Diatribe* ſuâ *adverſus Aſtrologiam*, contra naturales etiam effectus aſtrorum affert, inepta ſunt, & nullius ponderis. De his plenius agit, & primus eſt, cui de argumento hoc dicere in mentem venit Rob. Boylius in libro *de Syſtematicis vel Coſ-*

micis

micis rerum qualitatibus, & in altero, *de ſuſpicionibus Coſmicis*, quibus plura continentur, hanc doctrinam illuſtrantia. (*i*)

CAP. IX.

DE MAGIA.

§. 1. Magiæ Naturalis exiſtentia oſtenditur. Diſcrimen veræ à falsâ. Illa nihil aliud eſt, quàm Phyſica ſecretior operativa, & naturæ imitatrix. 2. Thom. Campanella & Joh. Marcus Marci Magiæ Naturalis nomine, ad vetitæ patrocinium, abutuntur. Scriptorum Cabaliſticorum & Chymicorum lectio diſſvadetur, obſcuritasque culpatur. Magiæ diviſio.

1 VIdimus priori Capite aliqua de Qualitatibus occultis, reſtat, ut jam aliquid etiam de MAGIA dicamus, quam dari naturalem nemo negare auſit, niſi qui in Phyſicis omnia ita explorata eſſe putat, ut nihil ſit occultæ Qualitatis. Quod cùm falſum eſſe priori capite viderimus, & plus ſit qualitatum occultarum, quàm fortè credimus; omninò quædam Phyſices etiam pars erit, quæ circa illas verſabitur. Verulamius, *lib.3. de augmentis ſcientiarum*, quandam Phyſices Metaphyſicam conſtituit, quæ occupata ſit in contemplatione formarum, atque in relatione ad illas. Magiam ille eſſe Phyſices partem exiſtimat. Metaphyſicæ enim Phyſicæ Magiam ſubordinat, eſtque, illo definiente, *Magia ſcientia, quæ cognitionem formarum abditarum ad opera admiranda deducat, atque, quod dici ſolet, activa cum paſſivis compingendo, magnalia naturæ manifeſtat.* Eſt itaque Magia nihil aliud, quàm Phyſica abſcondita, quam qui agnoſcunt, certè potiſſimam Phyſices partem in abſconditis verſari concedere debent. Talis itaque Philoſophia cùm detur, & paucis, quos æquus amavit Jupiter, cognita ſit, iis ſc., qui admirabilibus inventis humanum genus locupletârunt, non putandum eſt, omnes illos, qui naturalis magiæ nomen mentiuntur in libris, magnâ pompâ conſcriptis, eſſe ex eorum hominum familiâ. Multi enim Thyrſigeri ſunt, pauci Bacchi. Superſtitioſæ enim obſervationes de Sympathiis & Antipathiis rerum, atque de occultis & ſpecificis proprietatibus, & frivola utplurimum experimenta, potiùs occultandi artificio ac larvâ, quàm reipſa, admiranda, ut loquitur Verulamius, non abſolvunt ſplendidum Magiæ nomen; ac tantùm diſtare Verulamio videntur à verâ Magiæ ſcientiâ, quàm libri Rerum geſtarum Arthuri ex Britanniâ, & hujusmodi Heroum umbratilium, à Commentariis Julii Cæſaris. Manifeſtum enim eſt, Cæſarem majora revera patrâſſe, quàm illi de Heroibus ſuis

(*i*) Rob. Boylii Scripta *de Coſmicis rerum Qualitatibus, & Coſmicis Suſpicionibus*, h. l. commendata, nec non *de Temperie Subterranearum & Submarinarum Regionum, Fundoque Maris*, Schediaſmata, *Introductioni ad Hiſtoriam Qualitatum Particularium* annexa, Anglicè prodierunt Oxoniæ an. 1670. *in 8vo*, Latinè autem (Interprete Morhofio noſtro, qui Nomen tamen ſuum in Verſione iſtâ, uti, in *Prolegomenis Polyhiſtoris* hujus, à nobis jam eſt monitum, profiteri noluit) Hamburgi an. 1671. *in 12.*

ſuis confingere auſi ſunt, ſed modis faciendi minimè fabuloſis. Hujusmodi doctrinas eleganter comparat fabulæ de Ixione, eamque levem & degenerem Magiam naturalem ſimilem facit ſoporiferis quibusdam Medicamentis, quæ ſomnum conciliant, atque inter dormiendum læta & placentia ſomnia immittunt. Cùm enim ſpectra quædam objiciant & larvas proprietatum ſpecificarum, velut cœlo lapſarum, his occupati homines à veris cauſis indagandis abſtinent. Eſſe quædam, ut in omnibus ſcientiis, ita & in Phyſicâ, recondita, colligere multis indiciis poſſumus, ac ita mihi ſemper viſum eſt: aliqua poſſe ſciri in naturâ, eam tamen ſcientiam non omnibus eſſe utilem; Ideoque Deum, qui providentiâ omnes res humanas tractat, etiam in eo proſpexiſſe hominum ſaluti, quòd non omnibus ingeniis velit etiam obvia occultiora quædam naturæ miracula, quibus illa abuti poſſint, ſi ſibi relinquerentur. Fabrica divina & univerſi hujus conſtructio, ut ubivis operantis Dei veſtigia perſentiſcere poſſimus. Videmus in naturâ multa mirabili & occulto modo fieri, omniaque illa opera generationum omnium corporum, in quibus indagandis utut vexemus cerebrum, utut ſæpè nobis blandiamur ſpecie aliquâ conceptûs, obſervabimus denique nobis, quò plus progreſſi ſumus, plus reſtare vitæ. Sollicitanda tamen interim natura eſt oculis emiſſitiis, omnia venenda, omnes perquirendi ſinus, an alicubi deprehendere poſſimus naturæ proportiones in mixturis corporum, prima corporum elementa, & rationem conſtitutionis eorum. Idque non ſolâ inani ſpeculatione efficitur, ſed manus injicienda operi eſt, & ad naturæ methodum, quàm diligentiſſimè nobis obſervandam, inſtituenda imitatio. Quare rectè Verulamius partem alteram operativæ Phyſicæ facit, cum alteram feciſſet Mechanicam, ſapienti ſanè in eo uſus conſilio. Ubi itaque continuâ operatione mirabiles quosdam in naturâ effectus produximus, perſiſtendum iſto incœpto eſt, ut fabricare nobis certa principia poſſimus. Neque enim principia prius nobis præſupponenda ſunt, antequam de effectis ipſis nobis conſtat. Vehementer enim falli poſſumus, &, uno poſito abſurdo, ſequentur infinita.

Thomas Campanella, ſagaciſſimi quidem ingenii Vir, ſed qui ultra ſpecula- 2
tiones in naturâ non proceſſerat, ut occulti aliquid ſapere videretur, viam commentus eſt, quâ mirabilibus & inauditis arcanis fidem faceret. Ut ergò, quicquid magicarum rerum eſt, ſalvaret, etiam earum, quæ non ſine ſpirituum & dæmonum interventu agi creduntur, *de ſenſu rerum libros tres* præmiſit quarto, qui *de Magiâ* inſcribitur. In quô mirabilia multa proponit, ultrò jam ex iſtis, quæ poſuerat, principiis, fluentia. In quibus tamen omnibus, cùm quantivis pretii eſſe quis credat, nihil ſolidi & veri ineſt. Quàm multis enim mirabilibus concluſionibus principia illa occaſionem ſuppeditant; aëri ineſſe ſenſum, aërem affici rebus præſentibus futurisque, atque nobis eas communicare; aërem eſſe vehiculum ſcientiarum, quæ animalibus ſunt incluſæ? Quo uno principio poſito, omnibus prædictionibus, faſcinationibus, omnibusque præſtigiis, fundamentum ſuppoſitum eſt. Imò ex hac Magiâ, multa fieri poſſe miracula & transmutationes corporum, exiſtimat. Sed illum tan-

tùm in imaginariis rebus verſari, facilè videas ex illo exemplorum apparatu, quæ paſſim adducit: Sunt enim omnia illa multam partem ficta & fabuloſa & ex lacunis traditionum anilium, aut ſcriptorum de ſecretis, petita. Multa poſſunt ad longè alias cauſas referri, quàm ipſe retulit, quoniam effectus ipſos & rationes operandi non ſatis exploratas habuit. Joh. Marcus Marci cum eo ſanè in multis conſpirat, & quicquid Campanella è ſenſu ſuo rerum educit, hic ex Ideis ſuis exſtruit. Sed rectius ſanè faciemus, ſi imaginaria illa relinquamus, præoccupant enim animum præjudiciis, & rectioribus contemplationibus, ſuper ipsâ operatione fundatis, eum ſubtrahunt. Eâdem ex causâ ſuaſerim, ut à Cabaliſticis Scriptoribus manum abſtineamus, de quibus magna quidem fama eſt, inprimis *de libris MSS. Esdræ*, quos Judæi adhuc poſſidere dicuntur. Utut enim fortè aliquid iis ſubſit, non tamen omnes in ſenſibus occultis perveſtigandis ſunt Oedipi. Ideoque relinquenda ſunt ænigmata Scriptoribus ſuis, & non legantur, quia nolunt intelligi. Quod ſi quis exactum & multis laboribus exercitatum habeat ingenium, diſcere fortaſſis aliquid ex iſtis libris poſſet, ſed magnô, ut puto, temporis diſpendiô, magnâque animi afflictione. Quod idem dictum velim de Autoribus Chymicis; quanquam enim transmutatio metallorum inter ſumma Magiæ ſecreta ſit, à quibusdam indubiis poſſeſſoribus ejus arcani, multis ænigmatibus & verborum ſenſuumque ambagibus, deſcripta, oleum tamen & operam perdes, ſi vel totam ætatem huic ſtudio inſumſeris, & tamen internecinis vigiliis & laboribus tandem nihil profeceris. Ideoque intemperantiæ ſpecies quædam eſt, plus ſcire velle, quàm poſſis ſcire. Nolo hîc quicquam dicere de Magiæ diviſionibus in *cœleſtem, ceremonialem, naturalem, dæmoniacam*, & exempla, quæ à vulgaribus Phyſicis etiam referuntur, hîc cumulare. Integri ſuper hoc argumento libri conſcripti ſunt. Videantur Mart. Delrii *Disquiſitiones Magicæ*, Mericus Caſaubonus *de fide rebus naturalibus & civilibus, vel habendâ, vel non habendâ*, Henr. Kippingius *in Inſtit. Phyſic. l. 2. c. 7.*

CAP. X.

DE PRINCIPIIS IN NATURA MECHANICIS.

§. 1. Qualitates Corporum, à Motu & Figurâ orientes, è Principiis Mechanicis ſunt explicandæ. 2. Factum id à Joh. Walliſio in Controverſiâ, cur Aqua in loco naturali non gravet? à Carteſio in Operationibus Brutorum explicandis.

1 Cum viderimus maximam partem Qualitatum in corporibus fugere ſenſum, & intellectum, ideò ſinamus eousque tectam hanc naturæ faciem, usque dum ſolertiâ noſtrâ aliquid ex eâ detegamus, & contemplemur alterâ ex parte naturam, quam ſc. ſenſibus patet, per affectionem aliquam externam. Summa & princeps omnium affectionum eſt motus. Figura quoque operationibus in naturâ multis dat originem. Ideoque veriſimile eſt, ex figurâ & motu maximam par-

partem qualitatum manifeſtarum, in quantum manifeſtæ ſunt, demonſtrari poſſe. In quo tamen etiam magnos ingenio noſtro limites poſitos eſſe videmus. Eousque enim iſta noſtra procedit ſpeculatio, quousque ſenſum non excedunt corpora. Ideoque oculi ipſi, utut ignei, & ſpecillis armati, in minimis corporum deprehendendis vacillant, & ſuſpicaci ingenio ſupplent, in quibus minima non reſpondent ſenſui. Atque hæc principia verè ſunt principia mechanica. Mechanica enim conſiſtit in motu & figurâ. Ex utriusque enim combinatione diversâ tot pulcherrima artis ſpectacula naſci videmus, ut negari non debeat, naturam ſimili motu procedere in corporum ſuorum formationibus, & in effectibus ſuis producendis. Nemo hoc luculentius depinxit nobis, quàm Leibnitius in *Theoriâ* ſuâ *Motus abſtracti*, in quâ mirâ brevitate recenſet, quàm varia fieri poſſint in naturâ per combinationem figuræ & motus; & Borellus, *in libro de vi percuſſionis*, eò proceſſit, ut in ipſis minimis etiam particulis agnoſceret diverſitatem harum figurarum, ut quasdam vectis habere figuram diceret, quasdam cuneorum, & ex variâ figurarum iſtarum miſturâ inexſpectatos ſæpè effectus ſubſequi. Sic quòd vitrum rotundæ formæ rumpi poſſit tono conſono, imputandum eſt minimis vitri particulis, quæ tenues quædam ſunt armillulæ inflexiles, quæ motu totius corporis, vel potiùs materiæ ſubtilis aut æthereæ, quæ in ſpatiis vitri habitat, conſtringuntur, usque dum frangantur. Vid. pluribus Borellus *in lib. citato*. Sed ſubtilior eſt illa Philoſophia, quàm ut demonſtratio ejus Mechanica in ſenſus incurrere poſſit. Nihilominus tamen intentata ejus conſideratio facit, ut ſuſpicionibus etiam ſcopum noſtrum feriamus, quæ interdum multis magnisque inventis occaſionem præbuerunt. Sic multi ſunt in naturâ mirabiles effectus, de quorum cauſis acerrima diſputatio eſt, diſtractis in varias ſententias Scholaſticis & Phyſicis naturæ Practicis, quæ tamen ſæpè ſolo Mechanico quodam principio, aut neceſſitate diſpoſitionis cujusdam, vel ſuperficiei, vel totius corporis, feliciter expediri poſſunt.

Magna controverſia fuit, *cur aqua non gravet illum, qui ſub aquis ambulat,* 2
cùm tamen magni ponderis moles illi incumbat. Hìc varia cómmenti ſunt nonnulli, aliqui cauſam dedere, quòd aqua in naturali ſuo loco non gravet. Nunc litem illam ſolidè & eleganter decidit Joh. Walliſius in *Diſcurſu* ſuo Anglico *de gravitate & gravatione*, in quo ex principiis Mechanicis demonſtrat, non poſſe aliter rem ſe habere. Carteſius operationes animalium omnis generis ſoli diſpoſitioni organicæ adſcribit, quæ tamen omnia formis ſuis Peripatetici. Hinc omnia illi admirabilia brutorum opera deducunt. Vid. Anton. le Grand *in libro de cognitione Brutorum*. Et aliquam ejus rei veriſimilitudinem eſſe oſtendunt ſtatuæ illæ à quibusdam confectæ, quæ vocem humanam imitari potuerunt, qualem Albert. Magnus confeciſſe dicitur.

CAP. XI.

DE MUNDO.

§. 1. DE Mundo in Phyſicâ ſpeciali agendum. 2. Mundi triplex acceptio. De Materiâ ejus, & conſtituendi (Nihilo ſcil. vel Chao,) & conſtituti, ſententia-

 rum

rum varietas. 3. Æternitas ejus à Philoſophis Ethnicis, & Hæreticis quibusdam, credita. Argumenti pro iſtâ Ariſtotelici, è Motus doctrina deprompti, Refutatio. 4. Sententiæ Platonicorum, Ariſtotelicorum, Stoicorum & Epicureorum, de coæternitate Dei & Materiæ, Mundique ex hac ortu, recenſentur & conferuntur, addito de ſingulis judicio. 5. Mundorum Infinitas & Pluralitas, ab Epicuro, Metrodoro, & aliis Veteribus, propugnata, ab Ariſtotele futilibus impugnatur Argumentis. Favent illi etiam Origenes, Cabaliſtæ Judæi, Nic. Cuſanus, Card. & è Recentioribus, Nic. Copernicus, Gvilb. Poſtellus, Thom. Campanella, Gal. à Galilæis, Carteſius, aliique Philoſophi, omnes Stellas fixas Soles, Planetas vero Terras, eſſe, perſvaſi. Ex profeſſo eam defendit Jord. Brunus, vivicomburio eam ob cauſam affectus. Obſtant illi dubia Theologica, quibus Campanella ſatisfacere conatur. In utramque partem complura hic ab Autore, ab illâ haud admodum alieno, afferuntur. 6. Argumenta, quibus nonnulli, ſepoſitâ revelatione, è rationis lumine, novitatem mundi evincere conantur, ab Hiſtoriæ Antiquioris defectu, & artium novitate, petita, uti & aliud, quo, Interitum ejusdem eſſe poſſibilem è Naturæ ſenio ac defectibus oſtendere allaborant, juſto infirmiora eſſe monetur. 7. Commendantur Scriptores varii de Mundi Origine & Conformatione, quos inter de Ocello Lucano, Pythagorico, fuſius agitur. 8. Carteſianorum de Fabricâ Mundi, ejusque ratione, ſententia recenſetur, addito judicio. 9. Scriptores de variis Mundi Syſtematis Aſtronomici. Ath. Kircheri *Iter per Orbes Cœleſtes* Ecſtaticum. *Mundi diviſiones ſupervacaneæ. 10. Controverſia de Aquis Supracœleſtibus non eſt fori Theologici. Propriè ſic dictæ non dantur, ſed intelliguntur per eas Aquæ nubium.*

1 POſtquam conſideravimus generalia Philoſophiæ naturalis, perveniendum jam nobis eſt ad ſpecialia corpora. Et, quoniam de principiis & affectionibus corporum in communi egimus, nunc inter corporum ſpecies primum ponemus MUNDUM, cujus tractationem quidam ſolent ad extremum reſervare, cùm in Phyſicâ ſpeciali non niſi de Specialibus agi velint. Sed, cùm omnes ſpecies, ſimul ſumtæ, ſint mundus, ac omnes illæ ſpecies, quatenus uno aliquo Syſtemate ſunt concinnatæ, aliquid habeant ab ipſis ſingulis ſpeciebus diverſum, ſc. affectiones quasdam ex ipſâ Syſtematicâ coordinatione emanantes, neceſſarium eſt, ſeorſim de eo agi, ac parùm refert, ſive id primô, ſive poſtremô locô, fiat.

2 *Mundum* cùm dicimus, controverſum eſt, quid eo Termino denotemus: nam vulgari acceptione, non eſt unus hujus Termini ſenſus. Aliqui globum hunc terraqueum intelligunt tantùm, excluſis reliquis partibus; aliqui Syſtema totum Planetarium, eſtque illis mundus, qui terminatur planetis, inter quos & terra eſt, circumvolutus circa centrum ſuum, Solem. Aliqui complexum omnium corporum telluris hujus, planetarum, omniumque Stellarum fixarum, dicunt, cùm mundum dicunt. Nos ultimo ſenſu accipiemus, & primùm enarrabimus ſententias veterum Philoſophorum,

rum, de hujus Univerſi, quatenus in illo ordine apparet, cauſis. Et quidem etiam hîc, quemadmodum in reliquis corporibus, conſiderare poſſumus materiam & formam. Quod Materiam attinet, alia erat mundi conſtituendi, ſcil. *nihil negativum.* Quamvis quidam hîc chaos ſubſtituant, dicantque, mundum mediatè ex nihilo conditum eſſe. Quæ ſententia, cùm contradictionem invehat, dicunt tandem, mundum ex nihilo per indiſpoſitionem factum. Quod *nihil*, an non ſit *aliquid*, expendendum eſt. Alia eſt materia Mundi conſtituti, quæ ſecundum Carteſium magnum illud ſpatium extenſum eſt, omnibus ſpeciebus ſubſtans. Ceterùm multæ hîc ſunt veterum recentiorumque controverſiæ, de iſtâ primâ mundi materiâ, & vidimus jam tùm in *primo cap.* varias Auctorum ſententias. Ex revelatione nobis conſtat, mundum quidem conditum eſſe, ac habere principium; ſed de materiâ primâ nihil conſtat, ideoque vel ratione ipsâ percipienda eſt, vel videndum, quid è veterum Philoſophorum ſententiis, à fide & ratione non alienum, exſculpi poſſit.

Hîc verò ſe Oceanus aperit infinitarum diſputationum. Quoniam enim illi 3
ſpeculationibus ſuis relicti erant, ac nihil illis revelatum, ubi pedem figerent, non invenerunt. Id tamen ratione ſibi aſſequi viſi ſunt, quòd æternum aliquod agnoſcant in mundo. Deum enim & materiam omnes æternam agnoverunt, è quacunque demum Philoſophorum familiâ fuerint. Ac fuere inter Chriſtianos etiam Hæretici, qui idem dixêre, eô freti argumentô, quod nusquam apud Moyſen dicatur, Deum creaſſe cœlum & terram ex nihilo. In eo autem fuit magna ſententiarum diverſitas, *quando* & *quomodo* aſpectabilis ille mundus ortus fuerit. ARISTOTELES totum hunc, quantus eſt, æternum facit, & ſemper cum Deo exiſtentem, unico hoc & palmario, ut ſibi videtur, innixus argumento, quòd ſc. motus non poſſit eſſe, niſi æternus. *Motus*, inquit, *eſt actus mobilis, qui requirit movens & mobile exiſtens. Vel igitur motus ſemper fuit, vel incepit aliquando.* Si ſemper fuit, habet, quod vult, Ariſtoteles, ſemper enim movens & mobile ſimul naturâ fuerunt cum motu. Si aliquando incepit, antequam inciperet, mobile & movens, vel erant, vel non erant. Si non erant, ergò facta ſunt aliquo motu præcedente primo, & ſic dabitur motus prior primô; quod eſt abſurdum. Si erant, & tamen unum non movebatur, & alterum non movebat, vel utrumque erat proximè potens, vel non erat. Si erat, nulla videtur ratio, cur movens non moveret, & mobile non moveretur; ſi non erat, ergò redacta ſunt ad potentiam proximam aliquo motu, & ſic iterum dabitur motus prior primo. Dicendum eſt ergo ſecundum Ariſtotelem, motum eſſe æternum, ſimulque primum motorem, & mobile ipſum, i. e. cœlum. Hoc quidem Ariſtotelis argumentum ſatis ſubtile eſt, ſed tamen non conficiet eô hujus univerſi æternitatem. Facilè enim reſponderi poteſt Ariſtoteli quærenti: *cùm nullus exiſteret motus, unde ſit, ut extiterit aliquando, & quæ ejus cauſa eſſe potuit?* Conceſsâ enim ejus hypotheſi, quòd motus requirat movens & mobile, dicendum eſt, motum non ſemper fuiſſe, ſed aliquando incepiſſe; & ante primum motum fuiſſe quidem primum motorem, non autem mobile. Ad id, quod quæritur, *an utrumque, priusquam daretur motus, eſſet proximè*

potens? reſpondendum eſt: Mobile, cùm nullo modo exiſteret, non fuiſſe proximè potens; Potentem verò fuiſſe motorem, qui omnia habuit ad movendum requiſita. Non ſequitur tamen ex hoc, motum ſemper fuiſſe. Tale enim argumentum nihil concludit in agentibus liberis, quæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis, poſſunt non agere. Neque demonſtratur hoc argumento Ariſtotelico unus numero motus æternus & continuus, ſed probatur fuiſſe ſemper aliquem motum in infinitâ corporum multitudine, neque fieri potuiſſe, ut omnia ſimul quieſcerent. Atque ita Ariſtoteles de mundi hujus conſtitutione judicabat.

4 PLATO itidem Deum & Materiam ſtatuebat æternam, quorum neutrum ſit alterius procreatrix cauſa. Materiæ neceſſitatem maximam omnes ſectæ dabant, Deo libertatem tanto minorem quisque ex iis ſectis, quantò arctius cum materiâ connecteret aut ei immergeret. Plato credidit, mundum ex libero Dei cum materiæ congreſſu extitiſſe. Platoni itaque maximè, inter Philoſophos Gentiles, liberrimum agens Deus eſt; cùm Ariſtoteles & Stoici fatalem aliquam neceſſitatem hujus nexûs inter Deum & materiam ſtatuerent. Platonicis itaque Deus fabro ſimilis eſt, à ſylvâ ſuâ per vaſta ſpatia diſtracto; hic, quamdiu volet, quieſcet, ubi cupido veniet exercendæ artis, movebit ſe ad ſylvam, & inſtrumentis ſuis tantum ejus fabricabit, quantum aptum eſt recipere Ideas ſuas. STOICI Deum planè mundo immergebant, & faciebant eum formam mundi informantem, cùm Ariſtoteles faceret formam aſſiſtentem. Illi autem ita immerſum putant omni materiæ, ut nulla planè illi libertas competat; fati enim vinculis irretitus eſt, ut naſsâ piſces. Solus inter eos Plato rectiùs quid ſenſit, quanquam ipſe & materiam æternam faceret, & pervicaciorem, quàm ut in omnibus pro lubitu Deus operari potuerit, & mundum, ſemel conditum, nunquam interiturum ſtatuerit. Stoici mundum quidem interiturum credebant, ſed per vices tamen iterum exoriturum. Quanquam enim & Cataclyſmum & Ecpyroſin ſtatuebant, negabant tamen unquam à mundo ſeparari ejus animam, priſtinum illud ſyſtema ſuum iterum elaboraturam. Imò Ariſtoteles ipſe, *lib. 1. de cœlo c. 10.* eos, qui jam ipſius tempore, per vices diſſolvi mundum & redintegrari diſputabant, revera mundi æternitatem adſtruere judicat, ætatibus tanquam per circulum redeuntibus. Eorum ſententiam Jac. Thomaſius ſub figurâ Ovi & Gallinæ, in circulo poſitorum, repræſentat. EPICURUS planè in alia ſeceſſit, & mundum credidit ortum à ſe ipſo, luctantibus ab æterno tamdiu Atomis, donec ad extremum illa, quantumvis temeraria, libratio, formam exprimeret mundi. Atque hæc materia mundi à Deo illi deſerta habetur, quem, à materia æterno privilegio abjunctum, ſuâ ſolum beatitudine frui jubet. Inter hos globos, fortuitâ Atomorum libratione congeſtos, fortunam quaſi intermediam ſtatuit Epicurus, i. e. neceſſitatem quandam materiæ, omnem rationem excludentem. Et hæc quidem abſurdiſſima ex omnibus Sectis ſententia eſt, & omnium impiiſſima, quæ quidem ſubtilitatis aliquid habere videtur, in iſto Atomorum motu curioſiùs explicando; ſed, cùm in ipſis principiis impingat, non poſſunt hinc niſi infinita abſurda ſequi, quanquam is in quibusdam ſatis ſit argutus. De variarum Sectarum,

rum, circa originem mundi, ſententiis, vid. Berirgardum *part. 3. Circ. Piſano 2. & 3.* & Jac. Thomaſium *in Exercitationibus ſuis de Stoicâ mundi exuſtione, Diſſ. 2. 3. 4. 14. 16. 17.* In quibus agit de Ariſtotelicâ, Platonicâ, Stoicâ, mundi æternitate, & de Deo Stoico, formâ mundi informante. Et illæ quidem ſunt ſententiæ præcipuorum Philoſophorum de origine mundi & conſtitutione ejus primâ, è quibus tantum capere poſſumus, quantum revelationi non repugnat, modò in eo nobis temperemus, ne quid ſtatuamus temerè, quod ſacris literis adverſari ullâ ratione poſſit. Nam de æternitate materiæ nihil nobis affirmandum eſt, de modo ipſius conditions hujus univerſi tantum ex Platoniſmo capiemus, quantum non contrariatur ſacris literis. Liberrimam ſcil. voluntatem divinam ex eo retinere poſſumus, abjicere verò iſtam materiæ æternitatem & pervicaciam. Stoicorum Hypotheſes in eo rejiciendæ, quod Deum ita adſtringant ad materiam, ut omnia in illâ agat. Epicuri ſententia de Atomis non omninò abſurda eſt, imò multùm ſubtilitatis habet, ſed tamen in eâ conquieſcere non poſſumus. Fortuitus ille particularum concurſus totus profanus eſt, & contra rationem introductus.

Illud Epicuri dogma, quod non unum, ſed infinitos mundos ſtatueret, preſſius 5
à nobis conſiderandum eſt, cùm, ad hanc ſuam ſententiam ſtabiliendam, non vulgaribus utatur rationibus. Quando verò is plures mundos ſtatuit, non putandum eſt, eum intelligere mundos eo ſignificatu, quo ſc. illo termino denotatur complexus omnium orbium cœleſtium, ſed intelligere illum tantùm ſingulares illos globos, quos mundos vocat, & infinitos ait per vaſtum hoc ſpatium ſparſos. Etiam Metrodorus olim dicebat, tàm eſſe abſurdum, dari mundum unum in infinito, quàm in latifundiis unicam ſpicam reperiri. Cui ſententiæ, extra Epicuri ſcholam, eò vetuſtiores fuere addicti, ut proinde exiſtimandum non ſit, primum Epicurum ejus ſententiæ autorem eſſe. Contra illos diſputat Ariſtoteles, ſed futilibus argumentis. Nam & oſtendere nititur, mundum ita eſſe unum, ut eo plures eſſe non poſſint, quam ſententiam ne Chriſtiani quidem philoſophi approbant. Quid enim prohibeat, Deum poſſe plures mundos creare, ſi velit? Quàm leve illud argumentum eſt: ſi dantur, inquit, plures mundi, terra unius feretur ad terram alterius naturaliter vel violenter. Non primum, alioquin violenter in perpetuo centro detineretur: violentus eſt enim ille terminus, unde fit motus naturalis: non ſecundum, quia, ſi movetur violenter, ibi etiam quieſceret violenter, quod falſum eſſet, ſiquidem ibi eſſet in centro. Præſupponit hic Ariſtoteles unum commune toti univerſo centrum, illi verò, qui pluralitatem mundorum tuentur, tot centra agnoſcunt, quot mundos. Nec ulla ratio eſt, quare, ſi plures terræ eſſent, mutuus inter ſe collapſus fieret. Terræ enim, extra orbem ſuum poſitæ, vel ut Carteſius loquitur, verticem, intra ſe cohibent ſui materiam, nec evagari illam patiuntur, ut nullus itaque ejus metus ſit, quod metuit Ariſtoteles, qui rationem gravitatis rectè penetrâſſe non videtur. Nam vel ex ejus ſolâ ratione perſpectâ refutabitur argumentum. Non enim eſt inſita quædam qualitas & virtus gravitas, aut ad terram ſolam debet reſtringi, ita ut virtus illi inſit magnetica, quæ pura

Chi-

Chimæra eſt. Propriè enim nihil grave, nihil leve eſt in naturâ, ſed prout, vel magis, vel minus, cedit prementi athmoſphæræ, ita diverſitas aliqua in pondere obſervatur, quod extra hunc locum aliter ſe haberet. Hæc Ariſtotelis argumenta, ut inania ſunt, & nihil probant, nollem tamen contrariam ſententiam meam facere, ut quæ multas involvit difficultates adverſus ſacræ Scripturæ authoritatem. Quòd ſi per mundos intelligamus corpora diverſa, quæ in hoc univerſo occurrunt, non eſt, quòd magnoperè ſententiam illam reprobemus. At Ariſtoteles, cùm mundum unum dicit, totum hunc complexum omnium ſtellarum & telluris intelligit, tellure pro centro univerſi ſuppoſita, cujus ſententiæ abſurditas jam ſatis ſolidè demonſtrata à Mathematicis eſt. Et fortè ſic unitatem mundi ſtatuere poſſumus, etiam cùm plures ſtatuimus. Ariſtoteles eò magis pronus in ſuam ſententiam fuit, quòd putaret, aſtra habere quintam quandam Eſſentiam, ſubtilioremque, quàm ut materia eorum terræ eſſe ſimilis poſſit. Sed & hoc in dubium vocârunt Mathematici, & accedunt iis quoque è Phyſicis nonnulli, qui aſtra, præcipuè Planetas, ſole excepto, corpora eſſe putant, terreno corpori non adeò diſſimilia. Id Galilæus dixit, quanquam timidiùs, & ex parte quoque Carteſius, qui tamen plus materiæ æthereæ & ſubtilis illic agnoſcere videtur. Sed, utut ſit, qui in illâ ſententiâ ſunt, à pluralitate mundorum videntur non alieni ; multos enim ſoles & terras ſtatuunt, quod dum faciunt, plures mundos agnoſcunt. Galilæus & Carteſius omnes ſtellas fixas habent pro ſolibus, qui circumpoſitas habeant terras ſuas, ſive planetas, ob nimiam longinquitatem, & mutuatitium lumen, nobis non ſpectabiles. Quemadmodum enim Sol noſter circumpoſitos ſibi habeat Planetas, cum quibus unum Syſtema, vel mundum planetarium, conficit, ita veriſimile illi dicunt eſſe, omnes Stellas fixas, ceu Soles quosdam, ſua habere peculiaria Syſtemata, quod qui dicunt, neceſſariò debent multos mundos agnoſcere, rem ſanè demonſtratu & creditu facilem, ſi cum Scripturâ res tranſigi poſſet. Ea ſola difficultas ergò eſt, *an illic homines habitent*, *an pro illis Chriſtus ſatisfecerit*, ſi illic exiſtant. Quibus dubiis obviam ire laborat Thomas Campanella in *Disquiſitionibus Phyſiolog.* adeò in hanc ſententiam proclivis, ut & è quibusdam Scripturæ locis ſtabilire tentet theſin ſuam & ex ſanctis Patribus. Ad Theologica illa argumenta reſpondet, Deum cum terræ incolis fœdus pepigiſſe, ejusque ſolùm memoriam voluiſſe extare, de ceteris nos ſecuros eſſe poſſe. Fortaſſis & illìc homines ſanctos innocentesque, & in ſtatu incorrupto, remanſiſſe quis dixerit, ut ſatisfactione Chriſti non indigeant, quanquam Origenes, acris plurium mundorum propugnator, Chriſtum per orbes ſucceſſivè natum paſſumque fuiſſe, dixerit. Is enim mundos innumerabiles, æternis ſibi ſeculis ſuccedentes, credidit, ex veteri Gentilium, vel antiquiori Philoſophiâ illud dogma mutuatus. A quô neque Judæorum Cabaliſtæ abhorrent, ut judaizare hâc in parte etiam videatur Gvilh. Poſtellus, *in lib. de nativitate Salvatoris ultimâ.* Superiori Seculô Jordanus Brunus, Nolanus, ſingulari libro illud dogma reſuſcitavit, plauſibilibus ſatis argumentis in medium adductis, qui tamen ſcripti ſui audaciam miſer vivicomburio luit. In quo injuriam illi factam exiſtimo, quia apertè

ex

ex eo quidem libro Atheiſmi convici non poteſt, idque dixit, quod ante eum Cardinalis Nicol. Cuſanus docuerat, & Copernicus, ejusdem ſententiæ Patronus, à quo ſibi ereptam quæritur ſuæ opinionis prærogativam. Is enim ſententiam ſuam prior edidit, cùm differret adhuc Jordanus Brunus. Argumenta ejus libri hæc ſunt præcipua: cœlos non eſſe, ſed æthereum unum ſpatium circa omnia aſtra, ſicut circa tellurem & ſolem, duo item eſſe aſtrorum genera, ſoles & tellures, nullam eſſe Univerſi finitatem aut ultimam mundi ſuperficiem, neque tellurem, neque ullum quippiam corpus, eſſe in medio, cometas eſſe planetas omninò & tellures, ſeu mundos, eſſe ex perfectionis hujus mundi pluralitatem mundorum, omnes mundos eſſe diſſolubiles, eſſe plura ſpecie diſtincta infinita in infinito univerſo, in infinito ſpatio infinita eſſe finitè mobilia, infinitos eſſe ſoles, ſeu infinitas fixas Stellas, & Tellures ſeu Planetas, & non eſſe compertum Planetarum numerum circa hunc Solem, neque ſpectabilem circa alios, univerſum eſſe infiguratum, mundos verò neceſſariò figuratos & finitos, tellurem ita eſſe aſtrum maculoſum, & in cœlo poſitum reſpectu lunæ, quemadmodum luna reſpectu telluris, tellurem totam habitabilem eſſe, intus & extra, & innumerabilia animantium complecti, tùm nobis ſenſibilium, tùm occultorum, genera. Hæc ille prolixè eô in librô argumentis ſuis deducit, de quibus liberum eſto omnibus judicium. Certè multa ſunt in illo homine arguta & ſubtilia.

De Mundi exordio aliqui etiam ex ſignis argumentantur, quibus tamen non 6
ineſt magna probandi ratio. Certè fabricatorem mundi hæc machina, ſummo ordine diſpoſita, præſupponit, quo tempore autem ille ortus ſit, natura ipſa nos docere non poteſt. Aliqui argumentantur de novitate mundi ex defectu hiſtoriæ. *Si mundus æternus eſt*, inquiunt, *omnique principio caruit, cur non hiſtoriæ ſuperſunt? Cur artes omnes tàm noviter ſunt inventæ?* nam earum omnium inventarum tempora & Autores conſtant nobis ex hiſtoriis, quæ certè conſtare non deberent, ſi tàm antiquus eſſet mundus. Quibusdam reſponderi poteſt, etiam eſſe aliquot gentes, Chaldæos & Chinenſes, qui longiorem annorum memoriam, in faſtis ſuis, conſignatam habent, quàm ex ſacrarum literarum computo cogi poſſunt. Quod Chinenſes attinet, Martinus Martinius, ſagaciſſimus rerum Chinenſium indagator, adeò ſe hìc torquet, ut, quomodo nodum ſolvere hunc poſſit, neſciat. Ab alterâ parte ſtat ſumma Hiſtoricorum Chinenſium & accurata fides, quâ accuratiorem nulla gens hiſtoriis ſuis adhibuit, ab alterâ S. Scripturæ Auctoritas. Martinius certè rem intricatam & perplexam relinquit. Sunt porrò multa obſtacula, quæ Hiſtoriæ defectum efficiunt. Nam potuêre diluvii eruptione, velut aquis letheis, multa mergi. Artium quoque ſunt periodi per intervalla redeuntes, neque credendum eſt, quod nunc inventum eſt, olim, vel non eſſe inventum, vel non potuiſſe inveniri. Migrationes gentium, bella, peſtes, incendia, multa confundunt & tollunt, ut vix aliquarum rerum memoria ſuperſit. Non eſt itaque hoc ſatis idoneum argumentum pro novitate mundi. Id quoque non firmum argumentum eſt, cùm, ut interitum mundi oſtendant poſſibilem, è naturæ defectibus argumentantur, & miror, hoc argumentum Antonio Grandi placere po-

tuiſſe, quod ſingulari & erudito libro oppugnavit Joh. Jonſtonius *de naturæ conſtantiâ*, Amſtelod. A. 1634. *in 12.* excuſo, ubi omnia defectuum naturalium argumenta ſingulatim explicat, ſingulaque refutat.

7 Quæ porrò ſpectant ad doctrinam de Mundo, ejus origine, totâque coordinatione, ea prolixè explicantur à Berirgardo, *part. 2. Circ. Piſ. 1. 2. 3. 4.* ubi digreſſio ſingularis inſtituitur de literarum S. autoritate, circa mundi originem, quæ magno uſui eſſe poteſt in hoc argumento. Quod argumentum de æternitate mundi ſpectat, legantur Caroli Emanuelis Vizzanii *Commentarii in Ocellum Lucanum de Univerſi Naturâ*, qui Ocellus Lucanus, Pythagoræ diſcipulus, ante Ariſtotelem, hoc ipſum ſcripſerat, quanquam & ſuſpicio eſt quorundam, hanc doctrinam fuiſſe ab Ariſtotele deſumtam, & ab invido deindè ſubjectam, ficto nomine Ocelli Pythagorici. Fieri enim non potuiſſe arbitrantur, ut ille liber Ariſtoteli non lectus fuerit, aut inſpectus, qui tamen opinionem illam de mundo æterno non ſibi adſcribit. Citatur tamen Ocellus à Philone *lib. de mundo non interituro.* Legi poteſt & Beaufortius *in libro de Coſmopœiâ divinâ*, ubi ad mentem Carteſii c. 1. Geneſ. explicat. In Scriptoribus Rabbinicis, Cabaliſticis, & ejus farinæ hominibus, multa habentur ſomnia, & ineptæ de mundi hujus concinnatione & conformatione opiniones, quas hîc legere aut congerere non eſt neceſſum. Videantur Auctores Cabaliſtici, uno volumine comprehenſi, interque eos Franciſci Georgii *liber de Harmoniâ mundi.* Vid. & Henricum Morum *in Conjecturis ſuis Cabaliſticis.* Multa ſunt quoque Fratrum Roſeæ Crucis ſomnia, quæ libro ſingulari explicuit Ægidius Gutmann, cui tit. Offenbahrung Göttlicher Majeſtät.

8 Carteſiani, in mundi Syſtemate ordinando, aliâ quadam ratione procedunt. Illis, in primâ mundi creatione, Deus dicitur univerſam corporis molem ex nihilo produxiſſe. In ſecundâ (nam illi duas quaſi creationes faciunt) communem illam & informem materiam diviſit in plures velut provincias, variis eam formis & figuris ornavit, diverſasque facultates ei conceſſit, non ſine materiæ motu. Communis omnium materia, in mundi origine, vehementi motu fuit agitata, qui hodiè cum materiâ perdurat. Partes ejus materiæ minutiſſimæ & magis concitatæ primum fecerunt Elementum, quod, inſtar pulveris aut ſcobis tenuiſſimæ, ex aliarum partium abraſione, profectum eſt. Cùm exilia iſta corpora motus impreſſioni non obſtent, neque alia aliis ſint implicita, ſed omninò diviſa, quàm citiſſimè ea moveri neceſſum eſt. Secundum elementum prodiit ex infinitis ferè & minutiſſimis globulis, qui minus perniciter cientur, & primâ agitatione quaſi tornati fuêre, ac mutuô contactu ſpatiola quædam reliquêre non omninò vacua, ſed primi Elementi velut polline completa. Tertium Elementum continet communis materiæ partes craſſiores & ramoſas, alias aliis implicatas, quæ conceſsêre in terram, Planetas, & Elementa vulgariter ita vocata, quæ ex tertio illo elemento conſtant. Jam illis primum elementum, in centro cujuspiam mundi, ſeu vorticis, inquieto motu agitatum, globulos æthereos in rectas lineas protrudit, qui, cùm viſus organum feriunt, luminis & caloris ſen-

ſenſum procreant. Illos globulos majores eſſe ajunt, quò longius à ſole, ſeu centro mundi, diſtant. Cœleſtis materia, quæ globulis ſecundi elementi conſtat, circa centrum commune tota in orbem vertitur, &, quantum poteſt, à centro abire nititur, &, niſi proximi vortices obſiſterent, magis magisque recederet. Globuli illi cœleſtes, colliſione mutuâ attriti, minus, quàm antè, loci occupant, cumque jam aliquantum à centro ſui vorticis receſſerint, primum elementum; ut mole minimum, ſic raptiſſimè incitatum, medium locum, ab æthereâ ſubſtantiâ relictum, implet, major enim eſt & uberior primi elementi copia, quàm globulorum anfractibus vel interſtitiis complendis ſufficiat. Quod igitur reliquum eſt hujus tenuiſſimæ ſcobis, in medium vorticis confluit, & ſolem efficit, cujus partes tenuiſſimæ & diviſæ ſeorſim inſtar flammæ moventur, atque ætheream ſubſtantiam in rectas lineas undiquaque premunt, in quâ preſſione luminis natura illis conſiſtit. Iſta flamma, in medio noſtri vorticis, aut cœli, accenſa, pabulò non eget, neque enim alieno ſubjecto, ut ignis noſter, inſidet, neque in vicinum aëra diſſipatur, ſed tamen hæc materia ex aliis in alios vortices commeat. Jam unaquæque ſtella ſibi proprium vorticem, aut cœlum, vindicat, & in illius medio celerrimè agitur. Unicuique vortici ſui ſunt poli aut cardines, circa quos vertitur, ſua eſt Ecliptica, ſeu maximus circulus, quem motu ſuo deſcribit. Alii vortices aliis ſunt majores, atque ita diſpoſiti, ut quàm minimè ſe impediant. Is itaque vortex, in quô ſumus, quique planetas complectitur, ſex aut pluribus vorticibus ita circumdatur, ut motum, ſibi impreſſum, quàm poteſt maximè, tueatur. Primum elementum, per interſtitia globorum recta propulſum, &, qua celerrimus eſt motus, nempe ab Eclipticâ unius vorticis, emiſſum, facilè ſubibit alium vorticem per eas partes, quæ ſunt polis proximæ, ubi minor eſt reſiſtentia, hinc ad centrum illius vorticis confluit, ut vortex id, quod deperditum eſt, reſarciat, Itaque per polos hujus cœli, ex aliis vorticibus, materia primi elementi continenter elabitur, & ad polum oppoſitum properaret, niſi materia ſecundi elementi obſtaret. Secundi elementi materia in orbem quidem agitur, ſed in alios vortices non prorumpit. Hæc ſunt Carteſianorum de Syſtemate mundi cogitata, è quibus compendio quodam propoſuit eorum doctrinam J. Bapt. du Hamel *de Conſenſu V. & N. Philoſophiæ lib. 1. c. ult.* Et ſanè plena quidem ſubtilitatis eſt hæc ſententia, ſed habet tamen & permulta dubia, neque ita demonſtrata eſt à Carteſio, ut res ita ſe habere poſſit, quæ tota ſuſpicionibus ingenioſis nititur. Interim ille phænomena nonnulla cœleſtia ſatis feliciter his hypotheſibus ſuis explicat.

Quod varia mundi Syſtemata attinet, notiſſimum eſt, differre in eo, tùm Aſtrologos, tùm Phyſicos. Et Phyſici quidem eam rem ad ſe pertinere non putant, quo 9
ordine, quâve ſerie corpora mundana ſe exhibeant. Aliter Syſtema ſuum diſponit Prolomæus, aliter Copernicus, aliter Tycho, de quibus videantur libri Hypotheſeon Aſtronomicarum, Galilæus Galilæi *in Dialogo de mundi Syſtemate*, Dan. Lipſtorpius *in Vero Mundi Syſtemate*, Petrus Gaſſendus *in Aſtronomiâ ſuâ*, Anton. Deuſingius *in vero mundi Syſtamate*; præ omnibus v. J. Bapt. Ricciolus *in Almageſto ſuo novo*,

quod Opus rei Aſtronomicæ Pandectas dixeris. Nobis enim hîc extra inſtitutum noſtrum poſita eſt hujus rei tractatio. Qui imaginarias ſpeculationes velit ſuper naturâ & conſtitutione omnium orbium cœleſtium, is legat Athan. Kircheri librum, cui tit. *Iter Ecſtaticum*, in quo, ſub ficto quodam itinere per cœli orbes, Duce Angelo Coſmiele facto, narrat, quæ ſibi illic viſa ſint. Et hunc ego librum optimum è Kircherianis eſſe, nec ſine ingenio ſcriptum, exiſtimo. Apologiam pro illo, contra Religioſorum quorundam cenſuras, Caſp. Schottus, Jeſuita, edidit. Quantum ad uſum Phyſicum, mundum ſolent dividere (1) in ſpecies generabiles & ingenerabiles, ſive perpetuas & mutabiles; (2) in ſupralunares & ſublunares; (3) in cœlos & ſtellas; (4) in tria elementa, ut diſtinguunt Carteſiani. Sed, me judice, ſupervacaneum eſt, hic nimis eſſe ſollicitum: quomodo enim ſatis accuratè diſtinguemus, quorum conditionis & naturæ ignari ſumus.

10 Eſt & hîc locus quæſtioni *de aquis ſupracœleſtibus*, de quibus magna controverſia eſt, magna opinionum ſunt divortia, quæ enarrata legere poſſumus apud Bened. Pererium *in Comment. ad cap. I. Gen.* Lud. Beaufortium *in Coſmopœiâ divinâ, ſect. 2. c. 1.* Sunt, qui partem Heterodoxias hodie faciunt, ſi quis negare auſit, aquas dari ſupracœleſtes, eo ſenſu, quo ipſi accipiunt. Adeò Theologi hanc litem etiam ad ſe pertinere putârunt, quos ſatiùs eſſet manus abſtinere ab iis doctrinis, quæ per ſe è ſacris literis principia ſua & auctoritatem non habent. Certè res inexplicabilis eſt, fingere aliquas aquas, extimam cœli ſuperficiem circumdantes, quæ illic nulli uſui eſſent, & ratione nullâ ibi concipi poſſunt. Cùm enim figura mundi extrema non uno aliquo termino contineatur, & Mathematici ad oculum demonſtrent, ſtellas eſſe corpora, non cœlo, ut plano alicui, infixa, ſed diverſis altitudinibus à ſe remota, & inter ea minima viſu altiſſima, concipi non poteſt, quomodo aqua hîc quaſi ſuperfundi poſſit, atque omnes orbes circumdare. Malim itaque cum illis facere, qui aquas ſupracœleſtes interpretantur eas, quæ ſupra eam cœli partem ſunt, quam regionem aëris vulgò dicunt, eas ſcil. quæ nubibus continentur. Notum enim eſt, vocem *cœli* apud Hebræos etiam aëris regiones denotare, cùm vocant *pluviam cœli*, *aves cœli*. Quales aquæ etiam aliis corporibus poſſunt circumdari, ut ita, reſpectu terræ noſtræ, etiam illæ aquæ, quæ in Athmoſphæris orbium cœleſtium continentur, aquæ ſupracœleſtes ſuo modo dici poſſint.

CAP. XII.

DE COELO ET STELLIS.

§. 1. ARiſtotelis de Cœlo commenta exploduntur. Cœlum viſibile eſt ſubſtantia Aëris tenuiſſima, Empyreum merum figmentum, locus autem beatorum humano ingenio imperveſtigabilis. 2. Stellæ ſunt, vel Planetæ, vel Fixæ (quibus etiam Sol accenſendus.) Planetæ, uti in lunâ obſervatum, corpora ſunt compoſita ter-

terreno ſimillima. 3. Stellarum Fixarum natura parum explorata. Veteres eas cum ſole igneas eſſe credebant. Stoici ac Pet. Bourdin vapores maris pabulum illis aſſignârunt. Non ſunt corpora ſimplicia. Sol Honorato Fabri aurum liquidum. 4. Variæ de Stellis novis & Cometis ſententiæ. De Stanisl. Lubienicii Theatro Cometico *ſequiùs, de Joh. Hevelii autem* Cometographiâ *præclarè, judicatur. Cometæ ab Ott. Gverikio, & aliis, prædicti. Effectus illorum naturales. Solis & Lunæ maculæ. 5. Planetæ plures quàm ſeptem. Saturni & Jovis ſatellites. 6. Nec Aſtrorum omnium (uti contrariæ de Sole, Saturno, Marte & Lunâ, docent obſervationes) Figura eſt Sphærica, nec omnia moventur. Motus duo contrarii abſurdè iis affecti. 7. Luna lucem tantùm mutuatitiam habet, forte & Venus. 8. Via Lactea, Ariſtoteli falsò Meteorum credita, innumeram continet ſtellarum multitudinem. Fort. Liceti figmentum duplicis Viæ Lacteæ. Cometæ multi illic orti. 9. Aſtrorum, & Lunæ præſertim, in terreſtria influxus aſtruitur. Ant. Mizaldi de hoc ſcripta, parum accurata. De Artis Aſtrologicæ principiis, certitudine controverſâ, Adverſariis (inprimis Cl. Salmaſio,) & Patronis Phyſicis, Placido de Titis, J. Bapt. Morino & Thoma Campanella, judicium.*

DE COELO apud Ariſtotelem mirabilia ſunt commenta, quorum fides, nec per revelationem, nec per argumenta demonſtrata eſt, ut itaque mirum ſit, ſupereſſe hodiè, qui velint ejus ſententiis applicare animum. Cœlum ei eſt ſubſtantia æterna & ſimplex; tribuit etiam illi ſoliditatem plus quàm adamantinam; facit memorabile & incorruptibile. Soliditatem in cœlis probat, quoniam, attrito aëre ab eorum latione, calor & lumen generatur, & his orbibus ait infixas eſſe ſtellas, claves aliquos, & eorum motu moveri, quo certè quid ineptius dici poſſit, non video. Ac miror *J. Bapt. Morinum*, Aſtronomum è recentioribus Gallum, in eo aſſentiri Ariſtoteli, & nunc in tantâ rei Mathematicæ luce voluiſſe defendere, quaſi verò Deus, ad Archimedis inſtar, vitream aliquam Sphæram conficere neceſſe habeat. Hinc opus ille habuit motoribus ſuis, quos ad machinas ſuas alligaret, ut canes nos ſolemus machinæ verſatili, quâ veru circumducitur. Nolo ejus argumentis, aut refutationibus illorum, immorari. Non enim operæ pretium facturi ſumus. Legantur, quæ in utramque partem diſceptantur ap. Berirgardum *Circ. Piſ. 5. P. 2.* Nobis *cœlum nihil aliud eſt, quàm ſubſtantia aëris tenuiſſima, ſeu illa ſit ſpecie diſtincta ab illo aëre, qui terram ambit, ſeu ejusdem cum illo naturæ.* Quantum ratiociniis probabilibus colligitur, non niſi gradu aliquo differt ab hoc aëre, qui terram ambit. Puerile itaque eſt, imaginari ſibi hîc certum aliquem orbem, vel ſphæram, vel concavum aliquod, cui aſtra ſint infixa. Ubique cœlum eſt, &, tàm illud, quod terram circumdat, quàm quod reliquos corporum cœleſtium globos. Cœlum, quod vulgò *Empyreum* vocamus, eſt itidem inter ſuavia ingenii noſtri commenta; locum autem determinare velle, ubi *ſedes beatorum* ſit, noſtræ non eſt res 1

ſapientiæ. Non enim determinato tali loco indiget Deus, ſed, ubicunque vult, cœlum ſuum facit. Ubi Deus, ibi cœlum, ſedes illa beatorum. Quomodo enim in manu Domini ſint animæ piorum, id à ſenſibus & ſpeculationibus noſtris longè eſt remotum. Vid. Gisb. Voëtii de hoc argumento Tractatus, Gorichemi A. 1666. *in 8vo* editus.

2 STELLAS quod attinet, quas Ariſtoteles definiebat partes denſiores ſui orbis, de iis etiam pronunciare nihil nos certi poſſumus, quamvis tamen diſcrimen manifeſtum ſentiamus inter Planetas & Stellas fixas, in quarum numerum recentiores Mathematici etiam Solem referunt. Planetæ enim, quorum naturam ex vicinâ nobis Lunâ perdiſcere poſſumus, non videntur differre à corpore hoc telluris, & ex ſuis quibusdam elementis compacti, his telluris elementis non diſſimilibus. Ideoque ſuavia illa ſomnia ſunt, quæ nonnulli ſibi imaginantur, de ſimplici aſtrorum indiſtinctè omnium naturâ, & compoſitionis omnis experte. Id enim in lunâ oculis tubo armatis, manifeſtè perſpicere poſſumus, eſſe illîc partes quasdam ſolidas & fluidas, quod jam ad compoſitionem demonſtrandam ſufficere poteſt. Quanquam fabulis accenſeam, quod refert Gaſſendus, *in vitâ Peireſcii*, de Cornelio Drebelio, qui tubum parare potuerit, quo oppida & fortalitia lunaria potuerit conſpicere.

3 De Stellis fixis major eſt dubitatio, an illæ adeò ſint ſimplicis naturæ, ut quidam volunt. Carteſius in eo penè cum Ariſtotele ſentit, quòd faciat Solis & Stellarum fixarum partes ſimpliciſſimas. Veterum Philoſophorum ſchola aſtra omnia faciebat ignea, aliqui Solem ferro vel lapidi candenti aſſimilabant. Epicurus quoque in eâ ſententiâ erat, in quâ explicandâ Gaſſendus operam ſuam impendit. Idem Stoici quoque dicebant, qui tamen illis pabulum conficiebant ex vaporibus maritimis. Quâ in ſententiâ ſatis quidem illi abſurdi. Vid Jac. Thomaſii *Disquiſ. ſing. de vaporibus nutrimento ſiderum*, quæ inter *Exercitationes* ejus *Stoicas* una eſt. Eandem quoque ſententiam defendit peculiari libro Pariſ. A. 1646. *in 8vo* edito, Autor Anonymus (Petrus Bourdin,) cui tit. *Sol flamma, ſeu de Sole, ut flamma eſt, ejusque pabulo*, in quo mirâ, ſed ineptâ, diligentiâ, pabulum Solis, ſecundum zonas & regiones aëris, diſtinguit. An verò Solis, & ceterarum Stellarum fixarum, ſubſtantia adeò ſimplex ſit, res disquiſitione digna eſt. Sanè non veteres tantùm, ſed & recentiorum nonnulli, miſtum corpus eſſe fatentur, quod certè heterogeneas partes ſibi habeat additas, ut è maculis videre licet, ac videtur ignis illis eſſe cum viſcidâ ſubſtantiâ quâdam miſtus. Quam ob cauſam Honoratus Fabri, Solem, ſi aliquid è mixtis ſublunaribus, hactenus cognitis, non niſi aurum liquidum, pronunciat. De eâ re prolixius agimus in *Diſſertatione* noſtrâ *de Sole igneo*. Videatur etiam Franciſcus Patritius in *novâ* ſua *de Univerſis Philoſophiâ*, *lib. 15. an ſidera ſint ignes & lib. 19. de Sole*, ubi prolixius de eo argumento agitur.

De cetero, quod ſtellas attinet, non niſi per conjecturas dicere poſſumus. Supervacaneum itaque eſt, hîc quærere de materiâ vel formâ ſtellarum, cùm nihil eâ de re determinare poſſimus.

4 Ariſtotelicorum ſententia erat, nihil generari, nihil corrumpi poſſe in cœlo.

Sed

Sed illa fabula eſt jamdudum exploſa, cùm aliud arguant Cometæ & novæ Stellæ, niſi forte cum Ariſtotele omnes Cometas velimus habere pro ſublunaribus. Quod novas ſtellas attinet, ex ſententiâ Carteſianâ earum origo à macularum diſſolutione pendet, quæ ita aliquando ſideri ſuperinducuntur, ut omnes illius radios ſuâ denſitate aut duritie impediant, ſi verò ſtella liberetur iis maculis, novæ ſtellæ imago apparet, quæ fortè ante multa ſecula non viſa fuerat. Alii exiſtimant, viciniorem poſitum in causâ eſſe, ut ſtellæ appareant, olim non conſpicuæ. De Geminiani Montanari, Mathematici Patavini, Obſervationibus, de duabus ſecundi fulgoris ſtellis in Argo Navi, Bayero B. & V. ſignatis, quæ A. 1667. penitus evanuerunt, atque, ne veſtigio quidem relicto, è cœlo deceſſerunt, paucis pòſt annis evulgatis, v. Car. Patini *Lycæum Patavinum p. 111. in vitâ Montanari.* Qui & pluribus circa alias ſtellas obſervationibus, in Opere, quod molitus eſt, Italico, *de l'Inſtabilita del Firmamento*, confirmare id voluiſſe perhibetur. Secundum Carteſii ſententiam ſtellæ nonnunquam in planetam & cometam degenerant, quod quomodo accidere poſſit, perſpicuè Ant. le Grand *in Hiſtoriâ ſuâ naturali, part. 3. art. 7. n. 5. & art. 11.* docet, ubi de Cometarum generatione agit. Sed ea omnia ſolis in contemplationibus conſiſtunt, nec certis argumentis demonſtrari poſſunt, ideoque incertum eſt omne, quicquid de hoc negotio docetur, diſputatur, ſcribitur. Quæ ad rem Cometicam pertinent, & varias eruditorum ſuper Cometarum ortu ſententias, vaſtiſſimo libro congeſſit STANISLAUS LUBIENICIUS, cui tit. *Theatri Cometici* fecit. Sed liber ille naturam ſubjecti ſui imitatur. Uti enim Cometæ compacti ſunt ex vaporibus & fumis, ita liber ille multa habet inutilia, & ab argumento aliena, cui caudam tàm longam fecêre Epiſtolæ variorum præter rem accumulatæ & inſertæ. Habemus & JOH. HEVELII (qui unus hôc ſeculô omnium Anteceſſorum diligentiam in laboribus vicit cœleſtibus, imò cœlum & ſtellas in accuratiorem redegit ordinem, Mathematicis ac Mechanicis principiis omnia ſua ſuperſtruens) tùm *Prodromum Cometicum*, tùm *Cometographiam*, ſive ingenioſum de Cometis Opus. Ejus ſententiam, quoniam liber ad manus non eſt, exponere hìc nequeo. Niſi fallor, cauſam ortus Cometarum refert ad Planetarum effluvia, extra ſuam Athmoſphæram, inque unum corpus, conglobata, è quibus Cometæ Lunares, Solares, Joviales, naſcantur. (*k*) Ex quo principio aliqui Cometarum ortus etiam prædicere auſi ſunt, & quidem non infelici conatu, cujus rei exemplum de *Auzuto* Gallo, qui ex Obſervationibus ſuis motum, tàm primi, quàm ſecundi Cometæ, præ-

(*k*) Sententiam Joh. Hevelii de Ortu Cometarum ex Planetarum Effluviis, & perſpicuè propoſuit, & adverſus Pet. Petitum (Cometas ſidera eſſe ſemilucida, ſtellis reliquis Ὁμοιέσια & coævâ, ſed, certâ demum Annorum Periodo abſoluta, viſui noſtro iterum iterumque obvia, ſtatuentem) egregie aſtruxit, Joh. Chriſtoph. Sturmius in *Diſſ. Cometarum Naturam, Motum & Originem, ſecundum duas hodie Celebriores Joh. Hevelii & P. Petiti Hypotheſes, declarante*, Altorfii an. 1681. *in 4to* edita. Quo Anno ibidem & altera Mathematici ejuſdem Celeberrimi, &, in immenſâ iſtâ Scriptorum de Come-

prædixit, & in paucis fefellit, extat *in Actis Regiæ Societ. Anglicæ,* cui Schematiſmum is ſuum transmiſerat. De Ottone Gverikio, Conſule Magdeb. referunt, eum ex thermoſcopio prædixiſſe ortum alicujus Cometæ. Generantur autem Cometæ, non in orbe ſublunari, ut voluit Ariſtoteles, ſed inter ipſas ſtellas fixas, unde falsò ab Ariſtotele inter Meteora referuntur. De Cometarum præſignificationibus non eſt hìc diſſerendi locus. Aſtrologi antiquum ſuum obtinent, & in omnibus arcana quædam venantur. Mutationes quasdam naturales per eos contingere, non eſt omninò improbabile. Non enim ſine impreſſione magnâ eſſe poteſt, ſi tàm vaſtum corpus extra ſuos vortices feratur. Editæ ſunt ſuper hâc controverſiâ variæ à variis Diſſertationes, quas in *Theatro* ſuo *Cometico* congeſſit Lubienicius. Virorum Doctorum contra Aſtrologorum, de Cometis non niſi infauſta portendentibus, ineptias Diſſertationes collegit, & junctim edidit, J. Andr. Boſius. Eodem ſpectant J. Georg. Grævii *Or. Cometis, contra Vulgi Opinionem, eos eſſe malorum nuncios*, Trajecti A. 1665. *in 4to*, cum Andr. Dudithii Libello ejusd. argumenti, excuſa, Gotfr. Wendelini *Teratologia Cometica*, & Vinc. Gviniſii, Jeſuitæ, *Or. de Cometæ Felicitate*, quæ in *Allocutionibus* ejus legitur. De Solis maculis & Lunæ legendus eſt Hevelius in ſuâ *Selenographiâ*. Carteſii ſententiam perſpicuè exponit Ant. le Grand *loco citato, art. 9.*

5 Planetarum numerus ad ſeptenarium vulgò reducitur, in quo tamen falli nos oſtendunt Teleſcopia; habent enim inter Planetas nonnulli ſatellites quosdam, ut vocant, qui quaſi Planetarum Planetæ ſunt. Saturnus ex tribus ſtellis compoſitus videtur, ut ex variâ ejus facie colligi poteſt, jam enim rotundus eſt, jam ovalis ſeu cum angulis, quæ ſunt lunulæ quaſi duæ, quibus utrinque ſtipatur. In hoc Syſtemate Saturni explorando Chriſtianus Hugenius multum temporis impendit, qui *Ephemeridas* certas eorum motuum conſignare laboravit. Etiam Jupiter habet Satellites, quas Circum-Joviales vocant, quanquam alii novem ſibi detexiſſe viſi ſunt. De iis videantur Galilæus in *Nuncio* ſuo *Sidereo*, & Simon Marius *in Mundo Joviali*. Fortè & plures in viciniâ ſunt Planetæ, nobis hactenus inobſervati.

6 Peripateticorum ſchola omnibus aſtris figuram Sphæricam ineſſe exiſtimabat, ſed falſum id eſſe hodiernorum Aſtrologorum experientia docet. Vidit enim Galilæus Galilæi, &, poſt ipſum innumeri alii perſpicaces ac lyncei Viri, teleſcopio invento, id in Planetis jam fefelliſſe, atque inde incertum quoque in ipſis ſtellis fixis factum. Sol namque ſpectatus fuit ovali figurâ, de qua videatur Chriſtoph. Scheinerus *in Sole Elliptico*. Saturnus duabus lunulis vel anſis ſtipatus apparet, quanquam id ſphalma viſûs

Cometis multitudine, unicè à nobis jam commendandi, prodiit, huic jungenda, *an & quæ mala Cometa nuperus Terris, aut illaturus ipſemet influxu Phyſico, aut aliunde juſto Dei judicio inferenda portendere ſaltem & præſignificare credendus ſit, eâ, quæ Chriſtianum decet Philoſophum, libertate decernens, &* Κωμητομαντείας vanitatem luculenter oſtendens. Quæ &, ex ipſis Theologis, Joh. Olearium, S. Lit. in Acad. Lipſ. Profeſſorem, eodem Anno, in *Diſſ. de Mantice Cometicâ*, lectu digniſſimâ, Antagoniſtam invenit dexterrimum.

viſûs eſſe poteſt, ob vicinitatem Satellitum, quos adeò diſtinctè, ob nimiam diſtantiam, videre non poſſumus. Mars inſtar montis turbinatâ figurâ ac pyramidali conſpicitur. Luna anfractuoſa tota eſt, partibusque eminentioribus ac depreſſioribus tumet ac ſubſidet, de quâ antea egimus, & legi poteſt Hevelius, &, qui ante illum ſcripſit, Galilæus *in Nuntio ſuo Sidereo.* De ſingulis vide Matthæum Hitzgarten in *detectione dioptricâ corporum Planetariorum*, & Lipſtorpium *in Copernico Redivivo, c.3.* Stellas omnes moveri, Peripateticorum Schola ait, recentiores autem vehementer dubitant. De Planetis dubium quidem non eſt, ſed de ſtellis fixis magna eſt diſputatio inter Copernicæos & alios, quorum illi terram moveri aſſerunt, ſtellis fixis in extremâ ſphærâ, ac Sole in centro univerſi, jugiter quieſcentibus. De quâ ſententiâ videbimus *cap. de Terrâ.* Quod ſingulorum Planetarum motus attinet, docent nos libri Aſtronomici, qui hypotheſes ſuas prolixè ſatis proponunt. Ab externo principio illos, & omnes ſtellas, moveri Ariſtoteles credebat, & quidem ab intelligentiis, quæ orbibus ſuis, veluti rotæ cuidam, affixæ, ſemper illos volverent, ut Diogenes dolium ſuum. Sed inepta ſunt argumenta, quibus illa confirmantur. Id quoque falſum eſt, quòd duos contrarios motus aſtris tribuerint. Seriò enim id defendere velle, non eſt fide dignum, ac aliquâ ratione veriſimile. Ex hypotheſi Mathematicâ, ad intellectum quarundam demonſtrationum, talia fingere licitum eſt. Id verò ad Phyſicas veritates transferri non debet. Sicut enim nullum corpus ſimul ad dextram & lævam moveri poteſt ſine motu interrupto, aut ipſo corpore rupto, ita de ſtellis illud ne cogitando quidem concipi poteſt, ſolique tarditati corporis, cujus motus ad aliud comparatur, adſcribendum eſt. Huic figmento originem dat fabula de raptu Sphærarum, ſe mutuò ambientium, ubi exteriores tyrannidem exercent in ſubditas ſeu inferiores, cum potiùs omnes ſtellæ libero gaudeant motu, ita tamen, ne ordinatis ſuis ſemitis excidant.

Dubitari etiam de Stellis ſolet, *an omnes lucem habeant propriam.* Ac de Sole 7
quidem, & Stellis fixis, res expedita eſt: de Planetis dubitari ſolet, quoniam, quæ proxima nobis luna eſt, ſub Eclipſi, ubi nimirum præpeditur terræ interceſſione, quò minus Sol apertos in eam radios derivare poſſit, obſcuram & ſubruffam lucem retinet, quæ tamen ipſa lunæ non vernacula eſſe, ſed per reflexionem peregrinæ lucis excitari creditur. Nimium ſimplices ſunt, qui ex eo credunt, lunæ lumen ineſſe proprium, quòd Scriptura ſacra illam *lumen minus* vocet. Nam ea appellatio lunæ etiam competere poteſt, quatenus mutuatitio lumine ſplendet. Quomodo res ſe cum aliis Planetis habeat, definiri humano ingenio non poteſt, num illis inſita quædam lux ſit, aut omnis mutuatitia. Certè Venus æquè phaſes ſuas monſtrat, ac luna, ut itaque veriſimile ſit, non aliam eſſe corporis ejus conſtitutionem, quàm quæ eſt corporis lunaris. De cetero verum ego exiſtimo, quod Rob. Boylius, *in libro de Coſm. qualit.* ait, in motibus corporum cœleſtium nimium nos eſſe credulos, & rectiorem nobis ordinem atque accuratiorem imaginari, quàm is reverà eſt. Neque enim hypotheſes Aſtronomicæ adeò fallere non poſſunt, ut, quæ extra Syſtema Planetarium ſunt, certitudine Mathematicâ determinent.

8 *Galaxia*, ſeu *via lactea*, Ariſtoteli olim inter meteora recenſebatur, & vapor aliquis credebatur, cùm tamen obſervationes hodiernorum Aſtrologorum doceant, eſſe numeroſam fixarum ſtellarum multitudinem, quæ ita ſibi ſint vicinæ parvæque, ut incertam ac quaſi nebuloſam lucem aſpectui relinquant, quas immenſo ſpatio à nobis, & à ſe invicem, remotas rationes opticæ ſatis docent. Certè ſola illa via lactea probabilitatem faciat eorum ſententiæ, qui multa & infinita Syſtemata Planetaria ſtatuunt. Humanum enim ingenium ſuccumbit cogitationi iſti, ſi ad tàm vaſta corpora dirigitur, & in eorum utilitatem & neceſſitatem inquirit, cui fini tàm vaſta corpora, tàm innumerabilia, ſi illa vacua, & non niſi ad ornamentum cœli inventa. Vid. Schemata viæ lacteæ apud Galilæum *in Nuncio Sidereo.* Id verò lepidum eſt de Fort. Liceto, Ariſtotelis magno defenſore, qui, ut ſalvaret ejus ſententiam, quam de viâ lacteâ habet, duplicem facit viam lacteam: aliam aëream, aliam ætheream. Ne ſcil. Ariſtoteles mendacii argueretur, tàm monſtroſam ſententiam comminiſci voluit, quæ ne minimâ quidem rei veritate probabilis poteſt reddi. Unde enim orirentur vapores adeò conſtantes hyberno tempore, ubi maximè ſerenus aër eſt, & quid opus eſt duplicem illam ſtatuere, cùm nullus inter æthercam & aëream illam Galaxiam nexus eſſe poſſit. Veterum ſententia erat, animos Heroum ſedes ſuas illîc capere, quâ de re prolixè Manilius & Scaliger *in Comment. in Manilium.* Obſervatum eſt, Cometarum multorum natales circa hanc Galaxiam fuiſſe, quod argumento eſt, multa illic quaſi conſtipata eſſe corpora, quæ, ob nimiam illam vicinitatem, extra orbitas ſuas interdum ferantur. Sententias varias *de viâ lacteâ* uno libello congeſſit Ludolph. Georg. Lundenius, Helmſtadii A. 1665. *in 4to* excuſo.

9 Locus hìc quoque eſſet, de effectibus Aſtrorum diſſerendi, an eorum aliquis in terreum globum ſit influxus. Eum eſſe naturæ non repugnat, & ratio ſana ſuadet, & aliqua etiam experientia teſtatur. Una luna indicio eſſe poteſt, magnam eſſe vim ſuam in aëris alterationibus & aquæ, fruſtra hoc negante Iſ. Voſſio *in Libro de Motu marium & ventorum*, quem vel ruſtici & nautæ refutent. Marium enim motus & aëris, vel dirigente, vel miniſtrante illa, fiunt, modô nobis non ſatis intelligibili. Unde accidit, ut, quæ vulgò obſervata habentur, non ſint tàm certæ veritatis, ut fallere aliquando non poſſint. Poſſunt enim aliæ æquè potentes cauſæ intercedere, quæ effectum interdum ſuſpendunt, quem alioquin, poſitis iisdem principiis conſecutum fuiſſe vidimus. De Sympathiâ lunæ cum corporibus terreſtribus Anton. Mizaldus ſcripſit ſingularem librum Gallicum, (*Secret de la Lune*, Pariſ. 1571. *in 8vo.*) De Planetarum ceterorum viribus in *Planetologiâ* ſuâ (Lugd. Gall. 1551. *in 4to*) idem ſcripſit; ſed ſunt illa ex vulgaribus fabulis collecta & corraſa. Idem quoque *Aëromantiam* ſcripſit, in quâ de Tempeſtatum præſagiis agit: qui liber digna indignaque miſcet. Et pleraque certè ejus viri inanibus potius opinionibus, quàm ſolidæ demonſtrationi, innituntur. Quid ſtellis in animos hominum, in mores & in fortunas eorum liceat, res eſt perplexa, & non ſatis dijudicata. Principia certè artis Aſtrologicæ, undè nata primùm ſint, dici non poteſt. Eorum veriſimilitudinem re-

futare

futare non eſt res operoſa, ut illi, qui integris libris hoc fecerunt, parum gloriæ hinc, me quidem judice, habeant. Sunt Joh. Picus Mirandula, Tob. Wagnerus, Frid. Spanhemius *in Dubiis Evangelicis* (quanquam is tamen argumentis eruditioribus pugnat,) Claud. Salmaſius *in Diatribe de Aſtrologiâ antiquâ*, qui totus in ratiociniis ſuis ineptus eſt, & Grammaticis potius, quàm Philoſophicis argumentis, pugnat. Aliquid tamen iis ſubeſſe veri experientia teſtatur, ut facilè perſpiciet, qui rem ipſam tentabit. De principiis res ſe, ut velit, habeat, quæ ego exiſtimarim per revelationem aliquam hominibus fuiſſe communicata. Temperamenta moresque hominum ab interno dependent principio. Ideòque facilè fieri poteſt, ut à Planetâ aliquo concitetur in homine illa vis, quæ ad tale temperamentum, talesque mores diſponat, & iſta quidem aſtra non operantur, per ſe & primariò, ſed per conſequentiam. De Fortunis hominum multa puto eſſe incerta, ut illa, quæ ad naturam pertinent, aliquam veri ſpeciem habeant, quod in morbis ad oculum videre poſſumus, qui ex lunæ poſitione & configuratione, vel augeri, vel decreſcere, ſolent. Fuit quidem Placidus de Titis, qui, *in Aſtrologiâ ſuâ*, (in quâ ſatis eſt ſubtilitatis, parùm ſolidæ demonſtrationis,) influxus ſtellarum rationibus Phyſicis voluit demonſtrare; is enim ex luce ſtellarum, variisque radiorum configurationibus & temperaturis, voluit quasdam concluſiones deducere, pro determinatione quorundam effectuum. Joh. Bapt. Morinus quoque, *in Aſtrologiâ Gallicâ* ſuâ, penè iisdem principiis inſiſtit, & vehementer ſe torquet in diſtinctione domorum cœleſtium, dignitatibusque & debilitatibus Planetarum ex Phyſicâ vel Mathematicâ demonſtrandis. Sed omnis illa res in meris hariolationibus conſiſtit, & eò majus operæ pretium fecit, qui ingenioſius ſuſpicatus eſt. Thom. Campanella, ingenioſus aliàs talium diſciplinarum rimator, *libros 7. Aſtrologicorum* ſcripſit, quibus ſe Aſtrologiam, omni ſuperſtitione Arabum & Judæorum eliminata, phyſicè tractâſſe ait, ſingularemque librum addidit *de Siderali fato vitando*, quo ſanè fatum fato eluſiſſe videtur, ſed ſolertiam tamen ſuam eâ in re prodidit.

CAP. XIII.
DE ELEMENTIS.

§. 1. *Cognitio noſtra globi Terraquei ſuperficiaria tantùm eſt. Terra & Aqua prima miſtorum ſunt Elementa.* 2. *Errant, & qui Elementum unicum ſtatuerunt, veteres (quoque Ariſtotelem ſententiam hanc illis affinxiſſe credit Pet. Ramus,) & Philoſophi corpuſculares, qui infinita. Minimorum miſtionis ratio inexplicabilis.* 3. *Veſtiganda ſunt Elementa corporum, non remota, quorum ingens eſt obſcuritas, ſed proxima. De principiis Chymicis, & Rob. Boylii* Chymiſtâ Sceptico, *judicium.* 4. *Nec non de tribus Elementis Carteſii.* 5. *Examen doctrinæ, de 4. Elementis, ac 4. primis eorum Qualitatibus, Ariſtotelicæ, Honoratique Fabri pro hac Argumentorum.* 6. *Ad Miſtionem duo Elementa requiruntur contraria, ſiccum & humidum.* 7. *Scrutinii Miſtio-*

nis neceſſitas. Tricæ de illâ Ariſtotelicâ Veterum doctrinâ ſanior. Mixtionis Chymicæ cum Naturali collatio. 8. Mixtionis variæ ſpecies & diviſiones. 9. J. Bapt. Helmontii & aliorum, opinio de Aquâ, Elemento unico, rejicitur. 10. Scriptores de Elementis legendi.

1 A Cœlo in terram deſcendimus, tanquam orbem noſtrum, omnium parentem & matricem, circa quem tantùm hæret Philoſophia naturalis, imò circa cujus corticem tantùm occupata eſt. Quantum enim phænomenorum naturalium apparet, vel circa ſuperficiem terræ, vel in regione illâ aëris, ſuperficiei terræ proximâ, vel in corporibus animalium, vel in plantis; id tantùm qualecunque objectum eſt noſtræ Philoſophiæ. Ceterùm circa interiora hujus globi, & ſpecierum illic in abdito latentium, profunda nobis eſt ignorantia ac inſuperabilis, cùm nemo, vel oculis, vel ingenio, pertingere eò queat. Quantum enim rerum metallicarum ſcimus, id vel alienæ fidei debemus, vel incertis quibusdam experimentis, inſtitutis circa illa corpora, è matrice ſuâ eruta, & artis acceſſione, & peregrinorum agentium applicatione quaſi in novam formam redacta, ut mirum non ſit, ſi in iſtorum corporum natalibus adeò cœcutiamus, &, neſcio, quâ imaginariâ Elementorum miſturâ qualitercunque ignorantiæ noſtræ ſubveniamus. Quando jam itaque ſpecierum, vel corporum, ad hunc terreſtrem globum pertinentium, conſtitutio inquirenda eſt; ſolemus primò de principiis illorum eſſe ſolliciti, internis ſc. illis, quæ in conſtitutionem eorum ingrediuntur. Jam ergò, cum globum hunc conſideramus, duas in illo invenimus maſſas præcipuas, & conformitate quâdam naturæ ſuæ collectas, *Terram* ſc. & *Aquam*. Iſta duo corpora, ut univerſalia, intuemur, ac ſenſu comprehendimus. Quare veriſimile eſt, primas eſſe materias eorum, quæ ex terrâ, producta ſunt, & ſumma quædam elementa, quæ ad mixtionem ex ipsâ texturæ ſuæ ratione apta videntur. Satis ergò, ut arbitror demonſtrari poteſt, remotiſſima corporum principia eſſe ſalutanda.

2 Non enim audiendi ſunt, qui unum aliquod principium ſtatuerunt, quod fecerunt è veteribus Philoſophis aliqui; ſunt enim, qui aquam, ſunt, qui terram, ſunt, qui ignem, ſunt, qui aërem faciunt principium corporum. Contra eos argumentis ſatis ſtringentibus pugnavit Ariſtoteles, rectè demonſtrans, contrarietatem debere ineſſe principiis. Unitatem verò nihil habere in ſe contrarii. Quanquam Petrus Ramus, *in prælectionibus ſuis Phyſicis*, Ariſtoteli imputet cavillationem aliquam, ut qui noluerit intelligere ſententiam veterum. Demonſtrat enim illic, non ſtatuiſſe veteres unum aliquod homogeneum principium, ſed partibus diſſimilaribus ſcatens. Ideoque, cùm Aquam dixêre unum elementum, id agnoverunt quaſi principium aliquod & gluten partium, ſed tamen & alias partes & principia agnoverunt. Idem de iis dicendum, qui reliqua, aërem, ignem & terram, unicum elementum habuerunt. Fuerunt & alii, qui infinita corporum principia ſtatuebant. In eâ ſententiâ fuêre Corpuſculares Philoſophi, qui non aliam corporum miſtionem agnoſcebant, quàm ex

Ato-

Atomis diverſâ inter ſe figurâ & formâ præditis. Contra quos etiam pugnat Ariſtoteles, quos & ego ab hac doctrinâ eliminandos eſſe cenſeo. Naturam enim ultra ſuos terminos producunt, & principia in iis ſedibus quærunt, in quibus ſenſui ſunt imperveſtigabilia. Quanquam enim non diffitear, multa corporum phænomena dependere à minimarum particularum conditionibus: tamen id affirmare non poſſumus, miſtionem corporum talem vel talem eſſe, ob minimas particulas, ita inter ſe comparatas. Et quanquam corpora per extremam reſolutionem in ejus naturæ particulas abire poſſint, non ſequetur tamen ex eo, ab initio ſtatim adfuiſſe tales particulas, quæ corpus iſtud conficerent. Poſſunt enim diverſa quædam corpora, velut principia, eſſe in tertiâ quadam ſpecie conſtituenda, ubi non eſt tàm de particulis inquirendum, quàm de ipſis corporibus diverſis, quibus accidit in tales vel tales particulas reſolvi, vel ita per minima ſua miſceri. Quòd ſi itaque cognoverim duo illa principia, ultra contemplationem eſt noſtram & ſenſuum apprehenſionem, quomodo minima iſtorum corporum ſeſe complectantur. Id enim ſponte ſuâ evenit, & eſt quidam nexus & relatio corporum quorundam inter ſe, nullo nobis ingenio explorabilis, quam permittere naturæ debemus, ſatis docti, modò principia ipſa cognoverimus.

Quò magis ergo à ſenſibus receſſerimus in doctrinâ Elementorum, eò minus certitudinis ſe nobis offert. Animus enim, à materiâ abſtractus, ſpeculatione quâdam, in ſe reflexâ, multa concipiet, quæ tamen adeò abſolutæ veritatis non ſunt, ut in his acquieſcere poſſimus. Et id fortè poſitum eſt extra ingenii noſtri conditionem, ut Elementa rerum πρώτως prima definire ullâ cogitatione poſſimus. Abeundum enim eſt ad aliquas notiones abſtractas communes, univerſales, quibus tamen nihil effectum eſt, quàm ut ingenioſâ aliquâ veriſimilitudine exprimamus ea, quorum veras rationes aſſequi non poſſumus. Nihil itaque nimium, aut à re ipsâ alienum, dixero, ſi hunc Phyſicorum laborem Siſypheum dixerim, & in ſe redeuntem, ac incertum. Sufficit nobis, ſi in mixtionibus corporum ea indagere poſſimus principia, quæ illa immediatè conſtituunt, & tùm, ut puto, officio noſtro egregiè functi fuerimus, relictâ imaginariis & Cathedrariis Philoſophis illâ, quæ viget in ſcholis, infructuoſâ comtemplatione & altercatione. Sic multa ſunt è corporibus naturalibus, imò pleraque, quæ ex principiis iſtis communibus Elementaribus quomodo compacta ſint, nullâ ratione perſpexeris. Ac poſſunt fortè aliqua propiora corpora dari, ex quibus proximè componitur corpus aliquod, quæ rectius quis Elementa dixerit, quanquam non ſint iſtius ſimplicitatis, quam vulgò tribuunt Elementis. Certè Chymicorum principia in quibusdam propius ferire ſcopum videntur, quàm quæ vulgò habentur de Elementis dogmata: ſed tamen & in illis multa ſpeculationibus incertis ſunt ſuffulta, & generali aliquâ notione nos æquè in obſcuro retinent. De iis *Parte I.* egi aliquantò prolixiùs, unde repeti poſſunt, in quantum ad præſens negotium pertinent. Nolim tamen facilè omnia probare, quæ adverſus tria illa principia affert Boylius *in Chymiſtâ ſuo Sceptico*, cujus ſcripti ſcopus omnis in eo verſatur, ut monſtret, non eſ-

ſe adæquata illa principia, & eſſe iis aliqua priora, quod poſterius equidem non negaverim, ut qui exiſtimem, nobis in cognitione rerum naturalium non opus eſſe ſubtilibus illis principiis, quæ ſenſu dijudicari non poſſunt, quanquam illa fortè revera dentur, ſed philoſopho naturæ Practico conſideranda potius eſſe principia in ordine ad miſtionem, quâ parte quò ſagaciores erimus, magis in viſcera naturæ penetrabimus, quàm ſi extra eam abducti, ad ſubtiliora quædam & altiora animum extollamus, de proximis ſecuri. Hinc nihilo doctiores ſumus in Phyſicis his ſpeculationibus, & vincimur interdum operariorum experientiâ.

4 Tria illa Carteſii Elementa ſatis ſunt ſubtiliter excogitata, quanquam 3. illa ex uno reſultare videantur. Vult enim, mundi initio totum Univerſi ſpatium à materiâ creatâ, ex cubis conſtante, fuiſſe occupatum, quorum ſinguli cùm circa axem conveterentur, ita ſuperficies tornata fuit, ut pars in globos abierit, pars in quædam ramenta, pars denique in ſtriata quædam corpuſcula, ex hujusmodi ramentorum plexu contexta. In quibus ſingulis magnis dubiis locus relinquitur. Nam à quo motus ille turbinationis eſt? cur potius in unam, quàm in aliam partem? denique videndum, an non motus unius cubi motum alterius impediat, & an ramenta deciſa ita convenire poſſint, ut nullas vacuitates relinquant, quas Carteſius tamen penitus rejicit. Prætereà omnia hæc hypothetica ſunt, & nullis neceſſariis rationibus ita demonſtrari poſſunt, ut aſſenſum nobis extorqueant.

5 Quod vulgatam illam doctrinam de Elementis attinet, ſciendum eſt, illam non eſſe adeò antiquam, ut quidam exiſtimant, cùm Ariſtotele antiquiores longè alia ſenſerint, quibus aliqua ex iis in Elementa aſſumta ſunt, non autem eo ordine quatuor illa, quæ quidem ſatis ſollicitè ab Ariſtotele diſpoſita ſunt, & fermè ad numerum & pondus omnia revocata, ne quid ſc. periret è principibus illis 4. qualitatibus, quas velut ſatellites adjungit ſuis Elementis; cùm tamen & ipſa Elementa, quatenus Elementa, & Qualitates iſtæ Elementares multum habeant difficultatis. E recentioribus hanc Ariſtotelis doctrinam magno molimine & apparatu, & doctiùs, quàm ceteri ejus Interpretes, propoſuit Honoratus Fabri, *Tom. 2. Phyſ. Tr. 5. lib. 2.* cujus tamen argumenta eodem labore & ingenio, quo adſtruuntur, deſtrui poſſunt. Ut quaternarium Elementorum nobis probet, argumentum ducit à primis 4. qualitatibus, &, ut primas qualitates probet, argumentum ducit à primis 4. Elementis, harum 4. qualitatum receptaculis. Ut itaque demonſtratio hæc in circulum abeat, & principium ſuum petat. Neque enim ulla ratio nos cogit, has qualitates abſolutè primas facere, cùm & aliæ eſſe poſſint non minùs primæ, atque iſtæ, quas ſi quis negare velit ineſſe πρώτως corporibus ſuis, non difficilis illi labor futurus ſit. Quam enim ob cauſam debet eſſe aqua frigidum in ſummo, terra elementum ſiccum in ſummo, cùm certè demonſtrari ſatis poſſit, aquam, cùm ſummè frigida eſt, quaſi in aliam ſpeciem abire, & formam ſuam deponere, quando ſc. in glaciem abit, quod fieri interventu alterius corporis veroſimile eſt. Ut itaque ſummum frigus per ſe non inſit aquæ, ſed fortaſſis terræ, ut quibusdam placuit, inprimis Bernhardino Teleſio, qui calorem &

frigus

ſrigus duo Elementa ſtatuit, quorum ille cœlo, & corporibus cœleſtibus, competit, hoc terræ, quæ duo mutuo inter ſe concurſu, actione & reactione, conficiant nobis corpora naturalia. Ne quid nunc dicam de qualitatibus ipſis, in ſe conſideratis, quarum natura omnis in relatione ad noſtros ſenſus ſubſiſtit, & in modo aliquo materiæ, unde nulla probatio deſumi poteſt ad quaternarium Elementorum numerum conſtituendum. Si enim illæ Qualitates nec ſimpliciter primæ ſunt, ſi multæ aliæ ſunt Qualitates, quæ æquè primæ poſſunt ſalutari, (nam ideò hæ primæ dicuntur, quoniam primò inſunt Elementis,) nullâ ratione ex iis probari poteſt quaternarius numerus Elementorum, ſine manifeſtâ petitione principii. Ubi negavero quaternarium Elementorum, negavi etiam primas illas qualitates, quatenus primas; ubi has negavero, ſimul negabo quaternarium Elementorum. Eandem firmitatem habent reliqua illa argumenta, ab Honorato Fabri adducta, ſc. ex illarum primarum qualitatum conjugatione, vel combinatione. His enim negatis eo ordine, quo ſtatuuntur, fruſtrà ſumus ſolliciti de earum conjugatione vel combinatione. Neque triplex ille corporum ſtatus quaternarium nobis probabit. Sunt, inquit Honoratus Fabri, duo ſtatus oppoſiti, tertius medius; oppoſiti, ſunt ſpirabilis & durus, medius verò liquidus. Spirabilis ineſt aëri, durus terræ, liquidus aquæ. En tria Elementa. Ut autem hæc inter ſe uniantur, communi ac primævâ fibulâ indigent, quam facit ignem. Ergò jam per illum ſic demonſtrata habemus 4. Elementa; cùm tamen illi reſponderi poſſit, non eſſe nobis opus ſtatibus illis ad quaternarium Elementorum demonſtrandum. Quæ enim dura ſunt, ſunt dura per ſe, quæ liquida, liquida, neque eſt illorum oppoſitio hîc in examen vocanda. Spirabilitas aëri planè accidit, nec ad corporum compoſitionem quicquam facit, quibus aër vel in ſuperficie hæret, vel poros pervadit, corpori per partes adhærens, non autem commiſtus. Quòd autem igne fibulatore illi tres ſtatus opus habeant, neque id ſatis apparet, cùm, ad diverſas partes conglutinandas, ſufficere humor poſſit, vel aqua. Ignis autem, quem aliqui ne ſubſtantiam quidem eſſe volunt, nullâ manifeſtâ ratione dici poteſt ingredi in ſubſtantiam corporis, ut qui corpora potius deſtruat, ſi vehemens ſit, niſi in quantum motu ſuo movere primùm particulas diverſarum partium poteſt, usque dum intra ſe recedant & comprimantur, atque ita uniantur, quam unionem ignis, ut inſtrumentum parare poteſt, non ut Elementum. Prætereà multa ſunt corpora, quæ mediante frigore miſcentur, nec fibulatore igne indigent.

Hæc, uti dixi, omnia problematica ſunt, & in utramque partem diſputari poſ- 6
ſunt, in quibus cuivis liberam ſententiam relinquendam eſſe exiſtimo, ut qui unâ hypotheſi non plus proficiet, quàm alterâ, modò id ſciverimus, principia eſſe diverſa & contraria, quorum miſtio nobis corpus aliquod conſtituat. Illa enim neceſſariò ſupponenda ſunt, ſi miſtionem in naturâ admittamus. Eam autem eſſe, ſenſus noſtri nos convincunt, & ſevera illa ignis anatome. Illa elementa naturæ ſunt ſiccæ & humidæ; Non facilè enim miſtio inſtitui poteſt, niſi habeamus corpora ejus naturæ. Sicca ſunt discontinua; humida partes habet continuas & contiguas, quæ quaſi glu-

tine

tine quodam colligant particulas discontinuas ſicci, iisque ſibi aſſociatis maſſam unam conficiunt, quemadmodum e. g. videre eſt in gypſo pulveriſato, cui aqua affuſa in lapidis ſoliditatem partes adunat.

7 In hujus miſtionis naturâ benè cognoſcendâ pars magna, imò unica, Phyſices ſita eſt, huic explorandæ omnis impendenda opera eſt. Nam, quantum illius ſcimus, tantum etiam de naturâ ſcimus. Quòd ſi Peripateticorum ſcholam conſulimus, Deus bone! quantæ hîc ſunt tricæ, quàm varii, ſed inanes, conceptus de alteratione & commutatione elementorum? quanta hîc eſt qualitatum primarum, ut vocant, & quàm ſollicitè quæſita diſtributio & proportio? quæ cùm ad unguem omnia perdidiceris, nihilo doctior meliorque, in cognoſcendâ rerum naturâ, evades. Cùm Ariſtotelici omne negotium in qualitatibus ſuis ponerent, veteres tamen ante Ariſtotelem Philoſophi rectius ſenſere. Statuebant illi primas aliquas ſubſtantias ſimplices, liquidas omnes, alias magis, alias minus, pro naturali partium adhæſione. Ex portionibus ſimplicium ſubſtantiarum, aliarum cum aliis copulatione, mutuoque complexu, fabricabantur ſemina ſpecierum compoſitarum, quæ, ſuſcepto paulatim incremento, perficiuntur. In ſubſidium ſuæ miſtionis demonſtrandæ vocârunt etiam particularum figuras, quæ omnia arguunt, oculatiores illos fuiſſe, quàm Ariſtotelicos. De miſtione, ſecundum Ariſtotelem & antiquos, vid. Berirgardum *Circ. Piſano 25. P. 3.* ubi prolixè admodum, & allatis exemplis, doctrinam eorum explicat, inprimis è Chymicorum operationibus. Chymia enim vera miſtionis addiſcendæ ſchola eſt, ſive reſolvamus corpora in ſua principia, ſive commiſtione & conjunctione diverſorum corporum nova quædam producta efficiamus, quæ quanquam ſpecies nolint appellare Phyſici, ſunt tamen ab ipſis non magnoperè diſtinctæ, cùm videamus, naturam eodem modo procedere, ut nos procedimus in artificialibus productis, in quibus tamen omnia naturalia ſunt, quoniam agentia ad patientia applicantur, eorumque operationes mutuæ ſoli naturæ relinquuntur. In eo verò natura artem ſuperat, quòd perfectiori & lentiori modo agat, quem ſi imitari arte poſſemus, eadem ratione, eodem gradu, miſcere corpora poſſemus.

8 Miſtio illa corporum fieri variis rationibus poteſt. Fieri enim mixtio poteſt vel reſpectu corporum mixtorum, vel ratione modi, quo miſcentur. Reſpectu corporum mixtorum, miſtio diſtingui duplici viâ poteſt, ſcilicet in eam, quæ fit per conjugationem, vel quæ fit per proportionem. Per conjugationem intelligitur certa mixtura quorundam principiorum talium, quæ iterum triplici ratione variat, (1) ratione numeri, ut cum unum corpus componitur duobus, aliud tribus, aliud 4. aliud 5. principiis; (2) ratione ſpeciei, ubi quanquam ſit conjunctio ejusdem numeri, non ſit tamen ejusdem ſpeciei; (3) cùm differunt inter ſe, & ratione numeri, & ratione ſpeciei. Solis his miſtionibus, absque concurſu imaginariæ cujusdam formæ, produci poſſunt varia illa corpora naturalis mundi, cùm ſemel natura præparatas habet varias illas materias, quibus mixturæ illæ fiunt. (2) Mixtura principiorum etiam proportione variare poteſt, ſeu diverſis quantitatibus diverſorum principiorum, vel

par-

partium, inter ſe miſtarum. E.g. ſi quantitas unius ſe habeat, ut quinque ad decem, alterius, ut quinque ad quindecim, & iterum alterius, ut quinque ad viginti &c. vel ſi in uno ſit proportio quinque ad ſex, in ſecundo ſex ad 7. in tertio 7. ad 8. per quas proportiones mixtura innumerabiliter variari poteſt.

Ratione modi conjunctionis omnia corpora miſceri poſſunt, vel per mediationem, vel per contactum. Omnis contactus, ſive compoſitorum, ſive Atomorum, non aliâ ratione fieri poteſt, quàm quâ reſpondet illarum figuris, cujus tres modos concipere poſſumus, (1) per contactum in puncto, ut cùm duæ particulæ globulares, vel alio modo gibboſæ, ſibi occurrunt. (2) ſi per contactum in plano, ut in conjunctione triangularium, vel quadrangularium laterum particularum; (3) per contactum in concavo, ut quando particula admittitur in concavo, vel in foramine, particulæ alterius. Primus modus vocari poteſt oppoſitio, ſecundus applicatio, tertius receptio, vel intruſio, qui ultimus modus exprimit nobis miſturam per mediationem. His generalibus quibusdam notionibus Mathematicis concipi ratio miſturæ poteſt: in quibus tamen ita acquieſcere non poſſumus, ut jam interiorem miſtionis naturam rectè percipiamus. Nam latitiant in principiis & corporibus ipſis occultæ quædam conſenſiones & diſſenſiones, quibus fit, ut aliqua miſceantur, aliqua miſceri repugnent, quæ humano ingenio explorari non poſſunt, ſolâ autem experientiâ diſci.

Qui unum Elementum ſtatuunt, rationem miſtionis non intelligere videntur, 9
aut ſi illud unum videtur, revera habet in ſe partes heterogeneas & diverſas, ad miſtionem aptas. Quidam è veteribus aquam ſtatuebant Elementum commune omnium, quam doctrinam reaſſumſêre Joh. Bapt. Helmontius, Henr. de Rochaz, ac alii nonnulli. Helmontius ad experimenta provocat, quo falli tamen ipſum certum eſt. Quod enim oſtendit, ſalicem omne ſuum incrementum ex aquâ habuiſſe, falſum ego puto. Aquæ enim, quæ ad rigandum adhibebatur, immiſtæ erant particulæ heterogeneæ, ab aquâ diverſæ, quæ non minus, quàm aqua, ſalici aliquid contulerunt.

Quod ceteras illas de Elementis controverſias attinet, quas nulla dies compo- 10
net; de iis præcipuè legi velim J. Bapt. du Hamel *de conſenſu veteris & novæ Philoſophiæ*, Berirgardum *part. 2. & 3. Circ. Piſ.* & Honoratum Fabri *loco ſuperius citato*, qui, ſepoſitâ ſcabritie illâ Scholaſticâ, & illâ terminorum ſtribligine, elegantiùs, ſecundum Ariſtotelis & veterum Philoſophorum mentem, philoſophantur, eorumque rationes & momenta inter ſe componunt. Caſp. Contareni, Cardinalis cetera doctiſſimi, *Libri V. de Elementis, & eorum miſtionibus*, Peripateticis & Platonicis principiis potiſſimum indulgent, ſed parùm habent, quod ſapiat interiorem aliquam ἀκρίβειαν. Prodierunt Leidæ A. 1633. *in 12.* Sperlingiani, vel Sennertiani, quaternarium quidem Elementorum numerum retinent, ſed diverſa tamen ab Ariſtotele in nonnullis ſentiunt. Eorum de Elementis doctrinam Henr. Schævius ſcripto peculiari, adhuc ἀνεκδότῳ, impugnavit. Exſtat & Corn. Drebbelii *de Elementis liber*, in Lingu. Germ. quoque converſus, Magiſtri rerum naturalium & artificialium inſignis, quique multis magni Arcani Philoſophici poſſeſſor fuit habitus. In eo multa arcana

innuit rariſſima, quæ ex Elementis poſſint confieri, mirabilesque in naturâ effectus habeant. Multa habet de naturâ ventorum, pluviarum, aliorumque meteororum, inprimis autem laudat Quintam ſuam aëris Eſſentiam, miræ, in refocillandis ægris, & reſpirationibus ſub mari ſublevandis, efficaciæ. Deſcriptionem ejus quandam vid. in Monconiſii *Itinerario, P. II. p. 33.* ubi, uti & *p. 40.*, plura de Drebbelio, ejusque genero, D. Kauffero, omnium Arcanorum Soceri, poſt mortem illius reliquorum (longe enim plura cum ipſo expirarunt,) poſſeſſore, leguntur.

CAP. XIV.

DE LUCE.

§. 1. Lux in Principiorum & Elementorum naturalium numerum à Franc. Patritio, aliisque, relata. 2. Controverſia, an lux ſit ſubſtantia vel accidens, adductis partis utriusque Autoribus & argumentis, prolixè ventilatur. Autor ſubſtantiam credentibus favet, & J. Bapt. Hamelii ſimul de pabulo ſolis ſententiam rejicit. 3. Pergitur in aſtruendâ, contra Carteſium, Iſ. Voſſium, aliosque, lucis & radiorum ſolarium ſubſtantialitate, diluendisque illorum objectionibus. Obiter quædam de vermiculo Acari adduntur. 4. Lucis Natura imperveſtigabilis. Nihil tamen ineſt divini. Malè prætexitur Irradiationibus, Curationibus, Prædictionibus, aliisque Actionibus & Præſtigiis ſuperſtitioſis aut Magicis. 5. Inquiſitio in cauſas Luminis lapidis Bononienſis, lignorum putridorum, carnis agninæ, aliorumque corporum in tenebris lucentium. Thomæ Bartholini Lib. de Luce Animalium *commendatur. 6. Cauſæ viſus acutioris Noctuarum, hominum quorundam, aliorumque animalium, noctu videntium. 7. Adamas Regis Angliæ mirabiliter lucens & ſcintillans.*

1 POſtquam de Elementis generatim egimus, veniamus nunc ad corpora illa, quæ Elementa vulgò habentur. Et in eorum ordine primum meritò ponimus LUCEM, quâ nihil eſt in totâ naturâ admirabilius, &, quò magis ſenſibus noſtris patet, eò magis natura ejus obſcura eſt. Quidam, ſequuti doctrinam Moſaicam, lucem illam primigeniam, quam Deus condidiſſe primò dicitur, vel ut quintum aliquod Ens, quatuor Elementis ſuperadditum, atque ea in ordinem redigens & miſcens, habent, vel inter ipſa Elementa referunt. Ac fuêre inter Philoſophos veteres ejusdem aliqui ſententiæ, quam omni conatu reſuſcitare laborat Franc. Patritius *in Novâ de univerſis Philoſophiâ*, quô in librô, ut ipſe titulus innuit, per lucem & lumina ad primam cauſam aſcendere laborat. Idem quoque pro principio præcipuo agnoſcit Auctor ille, qui ſcripſit *Enchiridion Phyſicæ reſtitutæ.* Joh. Amoſus Comenius quoque inter principia ſua recenſet. Quorum ſententiæ equidem non omninò refragabor, ut quæ ſatis eſt veriſimilis, & autoritate etiam ſacrarum literarum fundata.

Multa

Multa tamen paſſim adferuntur dubia, & integris libris agitantur, de naturâ lucis, an ſc. illa ſubſtantiis, an accidentibus, accenſenda; quod ultimum ſi verum eſſet, non rectè inter principia referretur. Si omnia ea argumenta, quæ ab utraqne parte referuntur, recenſere velimus, non exigui certè laboris res eſſet; ſunt enim & numerô multa, & ſubtilia. Ariſtoteles inter qualitates refert, & Carteſius, è recentioribus Philoſophis, nullam vult eſſe ejus diſtinctam naturam, niſi quòd ſolo motu fiat, ideoque, ſecundum illum, inter accidentia numeranda eſt. Illi enim lux eſt motus, quo corpora luminoſa materiam ſubtilem quaqua-verſum, ſecundum lineas rectas, à ſe propellunt, quo conatu globulos ſecundi elementi circumjacentes premit, è quibus inferiores in ſuperiores impingunt, ac ultimi demum, qui corporis lucidi ſuperficiei incumbunt, materiam ſubtilem, omnia ſpatia inter partes aquæ, aëris, terræ, replentem, propellunt. Alii contra ſubſtantiam eſſe volunt lucem, inter qos è Recentioribus nominandus Kenelmus Digbæus, qui, *Tract. 1. de naturâ Corporum, c. 6. 7.* prolixè de hoc argumento agit, lucemque ignem rarefactum eſſe, imò generari, corrumpi, & in pulverem præcipitari, poſſe aſſerit. Quod non credo. Potuerunt enim alia corpuſcula adventitia iſto igne illuc attrahi & calcinari. Præcipuum ejus argumentum eſt ejus cum igne convenientia. Controverſiam hanc vaſtiſſimô librô in utramque partem exſecutus eſt Franc. Maria Grimaldus *in Phyſico-Matheſi de lumine, coloribus & iride*, Bononiæ A. 1665. in 4. excuſa. Ubi *lib. 1.* afferuntur experimenta & rationes pro ſubſtantialite luminis, *lib. 2.* diſſolvuntur argumenta in primô adducta, & probabiliter ſuſtineri poſſe docetur ſententia Peripatetica de accidentalitate luminis. Pro ſubſtantialitate luminis præcipua ſunt argumenta; quòd reflectatur, quòd fieri non poſſet, ſi non corpus eſſet, quòd radii ſolares concentrari in ardentiſſimum ignem poſſint. Ut ſunt in Galliâ artifices, qui ſpecula parare poſſunt, quibus ſolis, etiam hyberni radii ita per refractiones multiplicari poſſint, ut ignem pariant, qui metalla & lapides in momento liquare poſſit, cujus rei teſtis eſt du Hamel, *lib. de Affect. c. 11.* Quod certè fieri ſine corporeitate radiorum nequit. Idem procedere etiam in radiis è calente furno ſpeculo uſtorio exceptis, teſtatur Honoratus Fabri. Qui in contrariâ ſententiâ ſunt, ea potiſſimùm argumenta afferunt, pro accidentalitate luminis, quòd, ſi lumen corpus ſit, impoſſibile ſit, ut mittatur per poros compactorum corporum, quale vitrum eſt, ut momento temporis diffundatur; ſic etiam eventurum, ut venti diſſlarent corpuſcula illa lucida, ut ſol non ſufficeret infinitorum illorum corpuſculorum expulſioni: Impoſſibile eſſe, ut per unum aliquod punctum poſſint transmitti tàm diſtincti & varii variorum corporum colores, quod præ ceteris urget Iſ. Voſſius, ſubſtantialitatis luminis Impugnator. Nam inter illum, Pet. Petitum, & Joh. Brunium integris libris illæ controverſiæ agitatæ ſunt. Sed tamen eorum argumenta non ſunt ejus certudinis, ut alteram illam ſententiam planè evertant, quanquam, ut verum fatear, turbare poſſint non nihil. J. Bapt. Hamelius, præſtantiſſimus ſanè Philoſophus, & qui omnium Auctorum recentiorum ſententias benè inter ſe contulit, poſtquam in *Aſtronomiâ ſuâ Phyſicâ,* 2

illam de accidentalitate luminis ſententiam ſecutus erat, in *libro de Affectionibus c. 11.* ita immutat ſententiam, ut ſubſtantiale quoddam effluvium, cum perpetuâ motione conjunctum, exiſtimet. In *libro de Aſtron. Phyſicâ* mediam ſecutum opinionem ſe dicit, quæ inter ſubſtantiam & motionem eſt; ſed illa nihil aliud eſt, quàm qualitas, atque adeò merum accidens. In poſterioribus autem cogitationibus ſubſtantiam eſſe lumen agnovit, quod ſuâ mole donetur, quòd cum diſpendio atque imminutione corporis lucidi fluat, quod omnes corporum affectiones ſubeat, & iisdem legibus ac cetera corporum moveatur, quod ejusdem cum igne originis ſit. In quo quidem rectè illum ſentire exiſtimo, ſed, quod exiſtimet, lucem, cum diſpendio atque imminutione corporis lucidi, fluere, id probari mihi non poteſt. Nihili enim mihi videtur iſta contra ſubſtantialitatem luminis objectio, quòd impoſſibile ſit, corpus lucidum indeſinenter corpora lucida ſpargere, absque ſuâ conſumtione, cùm iſta actio evibrationis radiorum, in Sole præcipuè, ſemper perpetua ſit & conſtans, atque intra certum ambitum finiatur, extra quem corpuſcula illa lucida non divagentur; ideoque continua eſt illa radiorum expulſio, qui eâdem viâ, quâ expelluntur, recipi poſſunt, ut nihil tandem de ſubſtantiâ Solis pereat. Quare mirum mihi viſum fuit, potuiſſe in illam ſententiam incidere virum doctiſſimum, ut aliquo pabulo Solem indigere credat, quo reficeretur ignis deperditus, in eo ſequens Stoicorum ſententiam. Putat ille, non ex terrâ ſolùm, ſed ex planetariis etiam corporibus egredi pingues quosdam halitus, quos in ignis ſui pabulum attrahat Sol, unde macularum ortum in Sole eſſe exiſtimat, quod mihi certè contra ordinem naturæ factum videretur, qui neutiquam credere poſſum, aliquod vicinorum illorum corporum, & quidem craſſiores fæces, in Solis globum poſſe recidere. Neque certè illo figmento opus eſt, cùm ſibi poſſit conſtare per ſe lux, per eosdem canales revertens, quibus emittebatur. Eſt enim Sol quaſi fomes & receptaculum omnis lucis Syſtematis hujus Planetarii, in quo vivimus, &, quemadmodum è mari procedunt fluvii & vapores, qui in pluvias reſolvuntur, iterumque ad mare tendunt, eodem modo à Solis corpore emittitur lux, & intra illud iterum recipitur. Nihil itaque obſtaculi eſt ab hac objectione.

3 Cùm Carteſius lucis naturam in ſolâ motuum pulſione conſiſtere dicit, certè non ita expedita res eſt, ut quidem Ant. Grandis exiſtimat, qui neminem è Philoſophis, tàm veteribus, quàm recentioribus, melius lucis naturam, quàm Carteſium, explicuiſſe contendit. Nam quanquam dici illa & animo fingi poſſunt, tamen, ſi quis urgeat motum ipſum, & rationem motûs, non pauca inveniet dubia, quibus, quomodo extricare ſe poſſit, non video. Si enim corpus lucidum pellit globulos circumſtantes, quæritur, quomodo pulſio iſta fieri poſſit, aut quomodo ſola iſta pulſio lucem nobis facere poſſit, absque emanatione ſubſtantiæ alicujus. Fieri id modo quodam repræſentativo, ut in ſpeculis fieri ſolet, nihil eſt dicere, cùm quæri amplius poſſit, quomodo repræſentatio illa corporis lucidi concipi poſſit, absque communicatione ſubſtantialis effluvii: Igitur non eſt adeò perſpicuum Carteſianum illud de luce

luce dogma. Reliqua dubia contra ſubſtantialitatem lucis allata, non ſunt iſtius firmitatis, ut illi quidem putant. Quod enim ajunt, radios ventis debere diſſlari, ſi eſſent corpora; Reſp. vel deficere ſenſum noſtri viſus in eo, vel obſtare pulſionem illam radiorum continuam, quanquam illa non ſit adeò fortis, ut variato medio reſiſtere poſſit. Hinc videmus, radios, per vapores & craſſiorem aërem cadentes, infringi, prohibente tranſitum illum rectum craſſitudine materiæ, unde parallaxes oriuntur. Videmus id quoque in vitro, reflecti radios, ut tandem in centrum concurrant, qui per aërem paralleli iviſſent, ex quo ſubſtantialitas radiorum, ut puto, ſatis demonſtrari poteſt. Venti enim, qui in infimâ aëris regione plerumque verſantur, non poſſunt inhibere vim tantæ pulſionis, quæ ultra hanc athmoſphæram in Sole potentiſſima eſt, ex quo æqualiter omni ex parte propelluntur radii. Quanquam tamen neque dicere nos poſſimus, annon in eâ regione, in quâ venti dominantur, inflectatur ille radiorum curſus rectus, quos projicere in alios locos venti non poſſunt, cùm æqualis ſit lucis circumfuſio, &, ſicubi radii alicubi intercepti ſunt, illi ne pelli loco poſſint, obſtat univerſalis illa & conſtans pulſio. Quod per vitrum radii tranſire poſſint, non eſt argumentum eorum accidentalitatis. Nullum enim eſt vitrum tàm compactum, ut poros non habeat, quicquid etiam neget Voſſius; licet illi craſſiori aëri fortè non ſint penetrabiles, luci tamen non obſiſtent. Imo experimento demonſtratum eſt, etiam liquores aliquos transſudare vitrum poſſe, ut alìquo in loco obſervat Borrichius. Quòd in inſtanti moveantur radii, non eſt quoque ad argumenta accidentalitatis referendum; non enim puto, ſenſum viſus adæquatam eſſe motionis lucidæ menſuram, cui quanquam in inſtanti moveri videatur, tamen falli ille poteſt, & in ipsâ illâ celeritate tamen ſucceſſiva aliqua ratio movendi concipi. Atque id colligi poteſt è corporibus lucidis, non juſtâ diſtantiâ à viſu noſtro remotis; ab iis enim radii evibrati tandem deficiunt, usque dum corpus ipſum lucidum in nebuloſam aliquam ſubſtantiam converti videatur. Ex eo itaque, quòd terminum hujus motus videamus, colligere licet, non eſſe motum purè ſimultaneum, ſed ſucceſſivum. Quod enim per gradus diſtinctæ lucis viſioni eripitur, per gradus motum fuiſſe concipi poteſt. Ut itaque graduale illud lucis incrementum & decrementum iſtam motus ſucceſſionem ſatis exprimat. Solum illud Voſſii argumentum ſubtile eſt, & magnæ difficultatis, cùm ait, impoſſibile eſſe, ut corpora lucida, è vaſtis corporibus, ſpatio magno interjecto, effluentia, in uno aliquo puncto Mathematico cameræ obſcuræ, vel oculi noſtri, ſubſiſtere poſſint. Cui reſp. ideò ſubſtantiam lucis omnium eſſe mirabiliſſimam, quæ ad naturam ſpiritalem proximè accedere videtur, unde adductæ gentes divinitatis characterem in illâ quæſiverunt, & omnium ſagaciſſimæ Heliolatriam pro cultu religioſo habuêre, quæ certe inter omnes minimè abſurdæ ſunt, & vix aliam viam, ſibi relictæ, ſequi potuerunt. vid. Joh. Franc. Grandis *Diſſertatio* elegans *de divinis nominibus ſoli attributis.* Cùm itaque, poſt ſpiritalem ſubſtantiam, nihil ſit in naturâ excellentius luce, nemo mirari debet, eam in tàm arctum locum compingi poſſe, quod certiſſimum ſummæ ſubtilitatis argumentum eſt.

Quòd ſi ſenſus noſtros hîc in judicium ducimus, certè ſuccumbere illi tantæ ſubtilitati videntur, qui in minimis vermiculis tàm mirabilem ſtructuram, adeòque perfectam & concinnam, videre per ſpecillum poſſunt, cùm non videant, extra ejus adminiculum. Si quis *Acari* vermiculum conſideret, punctum nudô oculô videbit, & motum ægrè deprehendet; at per ſpecillum mirificam videbit variorum membrorum ſtructuram, adeò elegantem & concinnam, ut mirari quis ſatis non poſſit, cùmque anteà punctum tantùm videret, nunc videt partes tot extra partes. Quòd ſi itaque, in corpore tàm exili ea tamen varietas & diſtinctio eſt, ac minima hujus corpuſculi pars tamen ſubſtantia, mirum profectò non eſt, in uno aliquo puncto lucido (quod ego tamen non Mathematicum dixerim) poſſe tot corporum colores contineri. Qui per pulſionem & motionem naturam lucis exponunt, illi profectò habebunt, quod agant, ſi ad hypotheſes ſuas phænomenon hoc explicare debeant; quæ enim confuſio uno in puncto oriretur, ſi ſola pulſio propagare lucem, & cum luce colores, deberet?

4 Atque hæc quidem de Luce, velut in tenebris palpitantes, philoſopamur. Ultra humanum ingenium eſt ejus vera ſolidaque demonſtratio. Metiri quidem radios ars nos docet, & ex eorum combinatione, vel refractione, mirabilia phænomena producere, quæ omnia certa ſunt & ſatis explorata, ac Mathematicorum regulis definiuntur. At, in naturâ lucis explorandâ, vel omnes Argi & Lyncei cæci ſunt. Non poſſum tamen illorum ſententiæ accedere, qui divini aliquid luci omnino ſubeſſe exiſtimant, atque hinc operationes ſuas, quas fieri per irradiationem ajunt, ſalvant. Ita ſunt, qui credunt, radios ſtellarum certarum quaſi figi arte poſſe in certis metallis & lapidibus, qui item irradiatione ſuâ medeantur morbis, & vim illam ſtellarum, quæ in luce conſiſtit, ſuo miniſterio in homines transfundant. Hinc infinita ſunt figmenta Talismanicarum Imaginum, Amuletorum, Periaptorum, hinc tot virtutes tribuntur gemmis nonnullis, in quibus nihil niſi ſuperſtitionem deprehendere poſſumus, quantocunque conatu defendat hanc doctrinam Joh. Marcus Marci, in gratiam Paracelſi & Helmontii. Eidem principio ſuperſtruuntur tot artesarioſæ & prædictiones nonnullarum rerum. Sunt, qui in cryſtallis, ſpeculis, unguibus, oſtendunt imagines certas, vel perſonarum, vel certarum rerum aut actionum, quales præſtigias nonnulli audent excuſare, & naturam lucis diviniorem & præſciam eventuum, ac conſciam, omnium eorum, quæ aguntur, effectricem, prætexere, quos facilè nos ſibi ſapere patimur. Nobis ſecurior & certior ſapientiæ via placet.

5 Pertinent doctrina quoque huc de Luce variorum corporum. Sunt enim in naturâ corpora quædam, quæ apta nata ſunt per ſe lucere, præcipuè in tenebris, e. g. *Lapis Bononienſis*, qui Soli expoſitus ad tempus aliquod ita lumine imbuitur, ut in tenebris luceat, de quo videantur *Acta Soc. Anglicæ p. 375. & 362.* ubi & de aliis corporibus lucidis examina inſtituuntur. De Lapide, qui *Oculus Mundi* dicitur, &, prout magis vel minus aquâ imbuitur, transparens fit, ſimulac verò humor evaporat, priori calori reſtituitur, experimenta, ratione variationis ponderum, varia vid. in *Hiſt. Soc.*

Soc. Regiæ p. 230. Edit. Angl. De vermiculis lucentibus in oſtreis agitur *in Act. Angl. p. 203.* De Muſcis lucentibus in Jamaica *ib. p. 706.* In iisdem *p. 611.* multa de ligno, de piſcibus lucentibus, uti & *p. 581.* ubi demonſtratur, lumen iſtis demi poſſe ab exhauſto aëre. Scil. in vaſe vitreo, cui aër ſubtrahi poteſt, lignum putridum, ſubducto aëre, non lucet, aëre iterum admiſſo lucet. Cauſam hujus ſi quis indagare velit, mirè certè vexabit ingenium. Quod Lapidem Bononienſem attinet, is à Sole, vel igne, lucem illam accipit, ut vel ex eo appareat, aliquid ſubſtantiæ ineſſe lumini, neque ſolo motu rem expediri. Habet enim lapis Bononienſis fortè talem ſuperficiei texturam, ut diu ſervet lucem, ſed in quo res iſta propriè conſiſtat, nemo fortaſſis accuratè determinabit. Quòd ligna putrida, ſquamæque piſcium, luceant, id adſcribunt Carteſiani iidem partibus celeri & inteſtino motu agitatis. Id enim fieri ajunt in putredine, quæ fermentationem novam præſupponit. Fermentatio verò nulla absque aliquo calore eſt, magis vel minus ſenſibili, unde lucem ſequi poſſe veroſimile ſit. Carnis agninæ, in tenebris lucentis, cauſa non ſatis indagari poteſt, quanquam illa anſam dederit Thomæ Bartholino, ut integrum librum *de luce animalium* conſcriberet, ſatis curioſum & doctum. Plurima enim illic habet ſingularia lucis animalium exempla, ſed, in cauſis ejus indagandis, nec per illum, nec per alios, multum profecimus. Additus illi libro eſt Conr. Geſneri rariſſimus quondam libellus *de raris & admirandis herbis lunariis & rebus noctu lucentibus.*

Hinc eſt, quòd aliqua etiam animalia noctu videant, & homines nonnulli noctu 6
in mediis tenebris diſtinctè legere poſſint characteres ſcriptos, ob lucem aliquam oculis inſitam. Et ii quidem ita videre videntur, quòd ſc. luce oculorum ſuorum illuſtrent ſimul, & medium, & objectum, ad certam quandam diſtantiam. Quoniam enim viſio fit, non ſolùm per receptionem radiorum objecti lucidi & colorati, ſed & per emiſſionem radiorum, ex oculis evibratorum, veroſimile eſt, quibusdam hominibus & animalibus validiores eſſe radiorum evibrationes, quàm ſunt corpum lucidorum vel coloratorum, ut ex eo fieri poſſit, illos in tenebris nonnunquam videre, cùm ex ſomno experrectis collecti vapores moveri derepentè incipiunt, quod & in quodam, cum febri malignâ laboraret, factum fuiſſe notat Boylius. Animalia, quæ noctu vident, ut noctuæ, validam habent ex oculis evibrationem, unde fit, ut de die minùs videant, quoniam ſolis lux turbat radios oculorum, quemadmodum majus lumen obfuſcat minus.

De corporibus lucidis, per artem factis, quæ idem præſtant, quod lapis Bono- 7
nienſis, infra pluribus agendi locus erit. De Adamante ſingulari, qui nunc penes Magnæ Britanniæ Regem eſt, multa adfert, ratione lucis ejus, ſingularia experimenta Robertus Boyle *in lib. de coloribus.* E quibus illud memorabile eſt, quòd duro corpore, ut tegulâ aut ferrei ſtyli acie, aut digitis ipſis, arctius preſſus radiet, & ſcintillas emittat, igni admotus, aut accenſæ candelæ, tenuem, ſed debilem admodum & momentaneam, lucem ſpargat. Quod exemplum illuſtrat illam noctuarum viſionem debiliorem de die, fortiorem de nocte. Idem Adamas, affrictus panno, fere

ut

ut lignum putridum lucebat, at terreno aut duro corpori, cum motu celeri & reciproco, affrictus, vegetiorem multò lucem vibrabat, quam etiam aquæ immerſus diu retinuit.

CAP. XV.

DE COLORIBUS.

§. 1. Colores propago lucis. Diſtinguuntur in Reales & Emphaticos. Reales certo quodam ſenſu dari, contra Carteſianos, oſtenditur. 2. Ariſtotelici ab Elementorum mixtione, & Chymici à ſulphure ſuo, colores omnes derivantes, refutantur. Scriptores de coloribus, Franc. Maria Grimaldus, Iſ. Neutonus, Rob. Boylius. 3. Ratio albedinis, nivis exemplo illuſtrata. Cenſura de Gotfr. Vogtii Diſſ. contra nivis albedinem. *4. Ratio nigredinis & Calorum mediorum.*

1 DE COLORIBUS hôc locô agere malui, quoniam lucis propago ſunt, quàm alio quodam minùs conveniente. Vulgò ad titulum Qualitatum ſenſibilium referunt etiam colores; ſed rectiùs, me judice, ad lucem illi referentur, quanquam alii ipſam lucem ad qualitates ſenſibiles referant. Colores vulgò diſtinguuntur in *Reales* & *Emphaticos*, quam diſtinctionem aliqui exſibilant, inprimis Carteſiani, qui nullos putant eſſe Reales colores, rei ſc. inſitos, ſed omnes habent Emphaticos, ſc. qui formentur tantùm in ſuperficiebus corporum per refractionem radiorum lucidorum, eorumque in ſuperficie modificationem. Ita nullum putant ineſſe corpori colorem, ſed lucis appulſu tantùm apparere. Quod quanquam negari non poſſit, exiſtimo tamen, diſtinctionem illam non eſſe rejiciendam, ut exprimamus colorum gradus, quos in corporibus obſervamus. Nam certè negari nequit, ineſſe quibusdam corporibus peculiarem illam & perpetuam ſuperficiei diſpoſitionem pro hoc vel illo colore, qui ad diſtinctionem alterius, qui vel adventitius eſt, aut momentaneus, aut facilè ſeparabilis, realis dici poteſt. Ita e. g. aurum fuſum perpetuò, quamdiu in ſtatu illo manet, flavum colorem habet, per ſpiritum ſalis in minimas particulas ſolutum nigrorubicundum colorem obtinet, ſed igni iterum ſubjectum fuſorio priſtinum colorem recuperat. Unde apparet, colorem illum perpetuò eſſe auro naturalem atque realem. Emphatici verò colores illi poſſunt appellari, qui non perpetuò inſunt rei, ſed ex certo poſitu & motu varias ſortiuntur radiorum in ſuperficie corporum reflexiones & refractiones, ut in collis columbarum & anatum fit, aliisque corporibus naturalibus. Illud interim certum verumque manet, colores omnes formari pro ratione diſpoſitionis ſuperficierum, ita, ut quædam corpora vix unquam mutent ſpeciem coloris, quamvis ſubinde gradus admittant, ut in pannis e. g. rubris apparet, aliisque tinctis, quædam omnes colores pro diverſâ vel viſûs, vel lucis, applicatione, recipiant, quod in priſmate potiſſimùm videre eſt.

Peri-

Peripatetici, cùm colorum naturam nobis demonſtrari petimus, ad Elementa 2
ſua nos ablegant. Ex eorum ſc. miſtionibus putant illi varietatem colorum oriri. Sed Apollo nobis ex iis erit, & Phyllida ſolus habebit, qui modum nobis monſtrare poterit, quomodo iſta Elementorum miſtio gignere nobis varietatem colorum poſſit. Chymici quoque nonnulli indiſtinctè ſulphuri ſuo originem & naturam colorum adſcribunt, non felicius ſanè, quàm Peripatetici. Satis enim habebunt, quod agant, ſi explicatiùs proponere ſententiam ſuam jubebuntur. Nam imaginario aliquo conceptu non patiuntur ſe abſolvi, qui accuratè in rerum cauſas inquirunt. Ne quid enim dicam de incertitudine ipſorum trium principiorum, de quâ prolixè egit in *Chymiſtâ ſuo Sceptico* Boylius, vellem aliquis rationem doceat, quomodo omnes colores ex principio ſulphuris, vel oleaginoſitatis, oriri poſſint, cùm & cetera duo principia non ſint ſine colore, aut certè colorem habere poſſint. Id quidem concedi poteſt, quosdam colores eſſe cum quibusdam rebus connexos, ut ex eo facilè induci poſſimus, quò credamus, eas eſſe cauſas talium colorum, cùm ſint potiùs ſubjecta. Ita ſulphurea & oleoſa in rubrum colorem facilè abeunt, imò omnia olea chymica vi ignis expreſſa rubent, aut, ſi non rubent ab initio, tractu temporis rubeſcere incipiunt. Omnis diuturna quoque digeſtio rubrum ſolet colorem inducere, quod non à ſulphure, aut oleaginoſo principio, per ſe evenit, ſed ab agitatione partium per ignem, qui in illo figere aliquas ſui particulas videtur, & colore iſto flavo vel ſubrubro tingere, ut videmus in oleis ac ſpiritu etiam vini, qui per magnam ignis violentiam pelluntur, fortius aliquod & rubicundius Empyreuma induci, ſeu hoc fiat à partibus ſpirituoſis vehementius agitatis per ignem, ſeu à fæcibus forti illo ignis pulſu ſimul ſubvectis, & aduſtione quâdam ſpiritus ſubtiliores inficientibus, cùm contra, quæ leni igne ſolent evaporari, Chryſtallinum planè & album colorem ſoleant acquirere. Videmus ſpiritus varios miſtos, & olea, per ſe nullius coloris, ex miſtione certum aliquem colorem in momento acquirere, ut hinc pateat, non ſoli ſulphuri adſcribendam eſſe tincturam corporum, quanquam pati nos poſſimus, ut vel Elementis, vel propriis Chymicis, aliquid in hac parte imputetur, quod tamen inter cauſas colorum veras adæquatas poni non poteſt, quorum primi natales à luce, ejusque variâ reflexione, repetendi ſunt. Quâ in re fortè prodeſſe poſſunt, quæ Franc. Maria Grimaldus, *in ſuâ Phyſico-Matheſi de coloribus* habet. Longè verò ſubtiliora ſunt, quæ Is. Newtonus, Medicus Anglus, non ita pridem circa colorum phænomena obſervavit, qui ſingulorum rationem accuratam, è principiis Opticis, deducere laboravit, cujus tentamina referuntur *in Actis Soc. Angl. noviſſimis.* De cetero, quæ ad colorum doctrinam pertinent, tàm in abſtracto, quàm in concreto, toto libro *de Coloribus* diligenter explicuit Robertus Boylius, in quo de coloribus, non tàm de naturalibus, corporalibusque principiis, quàm de artificialibus, & ex miſturâ certorum liquorum comparatis, magnâ induſtriâ agit. Quæ compendio complexus eſt Hamelius *lib. de Affectionibus, c. 12. & 13.* Initia quidem tantùm Hiſtoriæ de coloribus naturalis Boylius exhibuit, ſed plura tamen docuit, quàm qui vaſtos de eo argumento libros ſcripſerunt, omnibusque aliis eſt accuratior.

3 Quod album colorem attinet, oritur ille ex continuitate corporis diaphani interruptâ. Sic aqua in ſpumam agitatur, vitrum cryſtallinum, ignis vi calefactum, & aquâ reſtinctum, tot fiſſuris ſolvitur, ut candidum appareat, vitrum contuſum in partes minutiſſimas candidum apparet. Unde ratio albedinis patet; alba enim quæ ſunt, innumeris particulis conſtant, quæ cùm ſint pellucidæ, tamen, ob figuram aut exiguitatem, lumen, ceu quædam ſpecula, regerunt. Duo ſc., Boylio judice, ſunt, quæ corpori albedinem concilant, primum, ut parvas habeat & innumeras ſuperficies, quæ ſic lucem excipiant, ut illam, velut totidem ſpecula, reflectant, adeò ut, nec refractione, nec umbrarum permiſtione, ut in aliis coloribus fit, lux ipſa diluatur; alterum eſt, ut lux penè tota, quæ in corpus incidit, reflectatur, nulla intus ſubeat, aut intra poros coërceatur; ſic enim alba corpora confuſam velut lucis imaginem exhibent. Exemplum primi modi manifeſtum in nive videmus. Illæ, quæ prius erant, guttulæ aquæ diaphanæ, in ſummâ iſtâ tenuitate congelaſcunt, & ſunt per ſe ſingula nivium fragmenta perſpicua, ſed compactæ & turbatæ inter ſe, ob varias minimorum figuras ſpeculares, candidæ apparent, cùm lux in ſingulis ſuperficieculis terminatur & reflectitur. Hanc ob cauſam Gotofr. Voigtius, *in Diſſert. de nivis albedine*, nivem albam eſſe negat, quòd non ſit realis in illâ color, ſed emphaticus, qui tamen eo oſtendit, ſe interiorem colorum naturam non ſatis habere exploratam.

4 Ex naturâ albedinis patet & ratio nigredinis. Nam, ſi alba corpora partes ſic habent aptatas, ut incidentes radios magnâ copiâ extrorsùm regerant, nigra vel pauciores reflectent, vel multò plures intra cœcos meatus recondent, aut propter partium aſperitatem, in quâ Democritus rationem nigredinis ponebat, radii, repetitis intra partes corporis reflexionibus, fracti, & variis umbris diluti, ita langueſcent, ut visûs organo nullum motum imprimant. Quæcunque certè nigredinis cauſa ſit, id manifeſtò obſervare poſſimus, nullos vel pauciſſimos à nigro corpore radios reflecti. Nam in crepuſculo corpora nigra conclavis alicujus planè non videmus, alba autem videmus, quoniam lucem, etiam tenuem, reflectunt. Eam ob cauſam dici poteſt, nigrum colorem propriè non videri, niſi per accidens, quoniam radios nullos ſpargit, per quos fit viſio. De ceteris coloribus, eorumque generatione, hîc fuſius non diſſeremus, quoniam vulgares etiam libelli ad nauſeam talia inculcant. Qui accuratiùs de iis judicare velit, pictorum tabernas adeat, ac ex iis colorum miſtiones diſcat. Omnes enim ab albedine, nigredini permixtâ, oriuntur, quanquam & inde ſubmiſtiones aliquæ ſint, quæ varios poſſunt ſine nomine colores producere.

CAP. XVI.

DE IGNE.

§. 1. Ignis à Luce denſitate tantùm differt. 2. Ignem corpus eſſe contra Carteſium, Dav. Gorlæum & Iſ. Voſſium, inter accidentia referentes, docetur, veterumque & recentiorum conſenſus allegatur. Rob. Boylii Tr. MS. de Igne *eo* *con-*

conſumptus. 3. Ignis Sublunaris fictitius. Ignes ſubterranei. Ignes potentiales. Incendia ſpontanea. Arcana Incendiariorum inveſtiganda. 4. Joh. Mayow de eſſentiâ Ignis Nitro-aëreâ, ejusque per miſtionem cum particulis ſulphureis propogatione, opinio proponitur & confirmatur.

PRæmiſsâ de Luce doctrinâ, ad IGNEM venio, quem inter Elementa numerari penè coquis ipſis notum eſt, licet ex horum claſſe Hier. Cardanus, Clem. Timplerus, Franc. Patritius, Adr. Heerebordus, Lamb. Danæus, Caſp. Bartholinus, Henr. Nollius, Dav. Gorlæus, Ath. Kircherus, Joach. Jungius, Thom. Williſius, aliique Philoſophi, illum ejiciant. A luce differre non videtur, niſi denſitate aliquâ, ut ſit luce quaſi ſolidius quoddam corpus, & quaſi ſuſtentaculum aliquod & fomes lucis. Qui lucem corpus eſſe ſtatuunt, neceſſariò etiam ſtatuere debent, ignem eſſe corpus. Eam enim ob cauſam lucem inter corpora referunt, quòd habeant ignem rarefactum. Qui Cabalæ aliquam autoritatem agnoſcunt, non fortaſſis, quod pueri in fabâ, reperiſſe ſe credere poſſint, ſi obſervaverint, apud Hebræos lucem & ignem eâdem voce efferri. Lux enim illis אוֹר, Ignis אוּר vocatur. In altero punctum illud diſtinctivum quaſi ventri vocis immerſum eſt, in altero voci ſuperius apponitur, quo innui poſſit, illic materialem magis eſſe ignem, in altero magis abſtractum. 1

Carteſianis, quoniam lux nihil niſi motus eſt, ignis quoque nihil aliud, quàm motus eſt, atque ideò non inter ſubſtantias, ſed inter accidentia, refertur. Hæc ſententia jam ante Carteſium Davidi Gorlæo, *in Exerc. Philoſoph.* defenſa fuit, qui, *Exerc. 17. Sect. 3.* multis argumentis probare illud laborat. Carteſii quidem argumenta non ſunt alia, quòd ſc. præter motum, nihil in igne concipi poſſit. Nam, cùm particulæ alicujus corporis variè agitantur, & mutuò atteruntur, tactui noſtro propter diſcontinuationem dolor accidit. In ligno, aliisque cremabilibus, propagato & continuato motu, qui in ſcintillam per affrictionem validam introductus eſt, exturbantur humida, atteruntur reliqua ad cineres usque ad calcem, qui ad talem motum ſunt inhabiles. Similiter in aliis corporibus motum talem aliquem excitari poſſe ajunt, quem ignem vocant. Hinc calorem etiam ab igne non diſtinguunt. Illum in animalibus non niſi à pulſu cordis derivant. Ignis culinaris ex ſilice per motum excitatur, & propagatur in materiam habilem, ita ut in pinguibus ac humidis flamma ac lux in vapore tali accendatur. Ita ſcil. illi de igne philoſophantur, quos ego ſenſu ſuo abundare facilè patior, modò non exiſtiment, ſe ita ſententiam ſuam demonſtrare, ut ab illâ abire piaculum ſit. Ego quidem malim inſiſtere veteri ſententiæ, & inter corpora referre ignem, ex quorum claſſe ſolus ille motus eum non emovebit. Neque enim ſtatim inferendum eſt, cùm nos nihil præter motum videmus, non ſubeſſe aliud quoddam hujus motûs ſubjectum. Vetuſti Philoſophi omnes ignem inter corpora retulerunt, eumque primum elementum fecerunt. Pythagoras ab igne primum factum eſſe mundum cenſebat. Empedocles in factione mundi dicebat, 2

 cebat,

cebat, primum ſecretum fuiſſe ætherem, deindè ignem, poſt terram, ſolem ex igne, reliqua circa terram, quæ ſunt condenſata, coiiſſe ex reliquis. Plato igni peculiarem etiam figuram adſcribit, ut omnibus elementis. Bernhardinus Teleſius, inter recentiores, adeò ignem corpus eſſe vult, ut inter duo elementa ignem cum frigore ponat. Propendere etiam in hanc ſententiam videtur ſagaciſſimus naturæ indagator, Robertus Boylius, *qui Experimentis quibusdam novis* oſtendit, poſſe partes ignis & flammæ reddi ſtabiles ponderabileſque. Vidit ille & obſervavit corpora aliqua pondere aucta fuiſſe, quibus nihil præter torturam ignis acceſſerat. Unde probabiliter colligi poteſt, aliquam acceſſionem ex ipſo igne corporibus factam fuiſſe, niſi quis dicere velit, compactiora corpora beneficio ignis reddita per propiorem partium ad ſe acceſſionem, & eam ob cauſam ponderoſiora facta. Ut videmus corpus interdum gravius fieri poſſe ſe ipſo, exemplo pumicis, qui integer levior eſt, quàm in pulverem contritus. Vid. ſuper hac controverſiâ de accidentalitate vel ſubſtantialitate ignis Iſ. Voſſius *in libro de naturâ & proprietate lucis, c. 2.* qui inter accidentia refert, & adverſus illum Pet. Petitus, qui in contrariâ eſt ſententiâ. Argumenta utrinque ſubtiliſſima adferuntur. Vellem ſupereſſet *Tractatus* Rob. Boylii *de igne*, qui igne conſumtus eſt in incendio Londinenſi. Is fortaſſis multa nos docere poſſet, quæ aliis in mentem non veniſſent.

Ignis ſublunaris Peripateticorum figmentum eſt, cujus ſi aliquis locus aſſignan-
3 dus eſt, ut ceterorum elementorum, circa ſolem, vel in ſole potius ipſo, quærendus eſt, quanquam & ſubterranea habeamus æſtuaria, & integra ignita maria, ut in incendiis montium ſæpè videmus, de quibus infrà pluribus agemus. De variis ignis operationibus multa dici poſſunt, in quibus ingenii ſolertiam paſſim exercent Philoſophi naturales, ſed nobis illa non omnia poſſunt excuti. Præ ceteris commendo hîc Honoratum Fabri *lib. 2. Tract. 5.* ubi propoſitionibus doctis, & Mathematicâ methodo concinnatis, ignis operationes explicat, & inprimis, quæ ad corpoream ignis naturam demonſtrandam pertinent, ſollicitè conquiſivit. De ignibus potentialibus, quos vocant, multa ſunt ſubtiliſſima, tùm ab aliis inventa, tùm multa ſuperſunt ab aliis invenienda, è quibus, & damno & commodo hominum, multa extundi poſſunt. Opportunum eſt hîc monere, fuiſſe aliquem apud Anglos, qui duo ficca corpora, ſed pulveriſata, ita miſcere potuerit, ut, quô punctô temporis ipſe vellet, in flammam manifeſtam erumperent. Ita enim proportiones Corporum illorum temperare noverat. Quare non eſt impoſſibile, oriri ſæpè poſſe incendia ex cauſis occultis, nobiſque incognitis, nullâ noſtrâ culpâ, quorum aliqua proferuntur exempla ab Autore aliquo Gallo, qui ſuper incendio quodam, quod in Galliis contigit, Disquiſitionem edidit, cujus Summa recenſetur in noviſſimis *Ephemeridibus*. Veriſimile eſt, doctrinam hanc multum illuſtrari poſſe, ſi quis omnia Incendiariorum arcana penetrare poſſet. Sunt enim homines, qui naturæ beneficia in infames ſæpè uſus convertunt, abominabiles quidem, & ſuppliciis digni, quorum tamen periculo poſſit augeri res Phyſica, ſi ab Inquiſitoribus eorum ſufficiens adhibeatur diligentia. Ita Athan. Kircherus, *in lib.*

de

de peſte, fatetur, ſe, inquiſitioni veneficorum præfectum, magna didiciſſe ſceleſtæ hujus artis arcana, nunquam à ſe in lucem edenda, ſed quæ tamen ſibi magno in rerum naturalium cognitione ſubſidio fuerint.

De ratione, quâ ignis propagetur, ſingularis eſt ſententia JOHANNIS MAYOW, 4
Angli, J. U. & Med. Doct. Is, ut eſſentiam ignis conſtituit in ſpiritu nitro-aëreo, ita etiam, propagationem flammæ ejus beneficio fieri, ait. Spiritus nitro-aëreus illi ſummum eſt & ſubtiliſſimum in naturâ, quod præcipuè ſedem ſuam habet in corpore ſolari. Illîc particulæ nitro-aëreæ, motu velociſſimo exagitatæ, corpus ſolare igneumque choas illi conſtituunt, hinc illas particulas ſummè volatiles ſuperiori aëris regioni incumbere ait, ibidemque, pro diverſo earum ſtatu, diſtincta, ſeu ignis, ſeu frigoris, elementa conſtituere. In lumine verò ſolari rem haud multò ſecus habere ſe exiſtimat, ac in illius radiis, ope ſpeculi uſtorii collectis. His particulis nitro-aëreis ubi obviant particulæ ſulphureæ, accenſio fit, ideoque, ad ignem ſublunarem conflandum, particularum ſulphurearum & nitro-aërearum affluxum perpetuum eſſe debere contendit, atque id pabulum vocat ignis. In ignibus autem cœleſtibus rem aliter ſe habere putat; illos enim motus ſuos, ſemel inſtitutos, ſine particularum ſulphurearum ope, in æternum continuare, unde & ignis, in ſpeculo uſtorio collectus, ſine ſulphurearum conſortio ipſi eſſe creditur. Quanquam ego exiſtimem, etiam ex aëre illas poſſe particulis nitro-aëris copulari. Hinc facilè propagationem ignis demonſtrat; nam particulæ nitro-aëreæ ſulphureæque, in motu igneo conſtitutæ, quamplurimas alias, atque iſtæ inſuper alias ejusdem molis eâdem velocitate, exagitant. Hæ particulæ accenſæ, ut motus ſuos augeant, corpus aliquod aliud, in motu conſtitutum, ſociant, quod earum motum promovet & intendit. Scil. particulæ ſulphureæ, ab igne in partes minutiſſimas diviſæ, in particulas nitro-aëreas, particulis aëris inſitas, impingunt, easque in ſpatiola ea impellunt, in quibus materia ſubtilis motu velociſſimo circumgyratur. Particulæ autem nitro-aëreæ ſulphureæque intra ſphærulas, quæ à materiâ eâ circumrotatâ deſcribuntur, impulſæ, ab eâdem protinùs impelluntur, motuque ſuo aucto foras protruduntur. Hæc, ut verum fatear, ſubtiliſſimè ſunt excogitata ab illo, quorum veritas pulvere pyrio amplius poſſet demonſtrari. Hic enim particulæ ſulphureæ particulis nitroſis immediatè, & per minima, miſtæ ſunt, ideoque ſubitanea ejus eſt deflagratio. Cui ſi humidi aliquid miſcueris, ob partes discontinuatas, lentior erit deflagratio, cum ſtrepitus aliquâ continuatione. In reliquis corporibus, in quibus rariores ſunt particulæ ſulphureæ, aut heterogeneis multis permiſtæ, lentius erit incendium. Hinc ligna viridia difficulter incenduntur, arida verò ſubitò flammam concipiunt & deflagrant, quoniam vicinior illîc eſt particularum ſulphurearum & nitroſarum poſitus, nec cum heterogeneis iis multum luctandum.

CAP. XVII.

DE FRIGORE.

§. 1. Calor & Frigus ad omnes naturæ operationes concurrunt. 2. Frigus non ſolùm ut qualitas & privatio, ex mente Ariſtotelis, Cardani & Carteſii, eſt conſiderandum, ſed etiam ut poſitivum aliquid. 3. Joh. Mayow frigus à particularum Nitro-aërearum motu langvidiori, J. Bapt. Hamelius & Seb. Wirdigius à Spiritibus frigorificis, derivant. Experimentum de congelatione Boylianum. Congelatio per pulveres certos artificialis. Vera cauſa Frigoris ſunt corpuſcula ſalina. 4. Thom. Hobbeſii ſententia, frigoris & congelationis cauſam ventis tribuens, refutatur, liberque Rob. Boylii de Frigore *commendatur. 5. Frigoris effectus varii, præſertim aquæ attenuatio. Cenſura de J. Am. Comenii* Lib. de Frigore. *Frigus & Glacies arte poſſunt produci. Inſecta, hirundines, ciconiæ, imò & homines nonnulli, poſt diuturnam congelationem, reviviſcunt. J. Nic. Pechlini Lib. hujus argumenti commendatur.*

1 COntrarium calori FRIGUS eſt, & ſecundas ab illo partes meritò ſibi vindicat, utpote, quorum miniſterio utitur, in omnibus penè operationibus ſuis, natura. Quare non ſine cauſâ Magnus Baco Verulamius frigus & calorem vocat dextram & ſiniſtram naturæ, neque omninò abſurdus eſt Bernhardinus Teleſius, qui calorem & frigus duo ponit in naturâ principia activa, de quorum pugnâ inter ſe & victoriâ naſcantur corpora, & plurima naturæ phænomena; quæ enim ex illis pars palmam obtinuerit, alteram partem ſibi ſubjugat, atque ita, vel corpus aliquod conſtituit, vel aliud quoddam naturæ phænomenon.

2 Eorum, quæ ad frigoris naturam pertinent demonſtrandam, ſubtiliſſima planè & recondita ratio eſt. Poteſt autem variè conſiderari frigus, primò quatenus qualitas aliqua eſt, tùm meram relationem denotat, & ratione ſenſûs noſtri determinatur. Prout enim tactus noſter incurrit in corpora, quorum minima vel non moventur, vel tardius moventur, quàm particulæ noſtri corporis, è diverſitate illâ motus judicamus, rem eſſe frigidam, quæ tamen per ſe nihil aliud agit, quàm quod ex lege motûs agere debet. Ideoque frigus, quatenus qualitas eſt, Ens eſt merè reſpectivum. Conſiderari poteſt ſecundò frigus, ut privatio caloris, & tùm nihil aliud denotat, quàm abſentiam iſtius motus minimorum in aliquo corpore, qui ineſt corpori, quod calidum vocamus. Sunt nonnulli, qui omne frigus habeant pro ſolâ privatione, ut ſit nihil aliud, quàm caloris abſentia, quâ etiam ſententiâ Hier. Cardanus eſt, qui putat, ſolo caloris diſceſſu corpora refrigeſcere, non minus ac aër redditur obſcurus, ſolo corpore luminoſo abeunte. Ariſtoteles inter qualitates ſuas hæret, cùmque definitionem illum rogamus, illam audimus, quòd ſit qualitas, quæ congreget homogenea & heterogenea; quâ definitione quid dicere velit, obſcurum admodum eſt. Ille enim congregationis actus, ut vocat, quomodo frigori adſcribi poteſt? Quòd ſi qualitas eſt ſola, quæ actio ejus erit in congregatione homogeneorum & heterogeneorum?

neorum ? Carteſium ſi audimus, is nobis ex materiâ ſubtili ſuâ ſubveniet, quaſi ex inſidiis quibusdam, vel ut θεὸς ἀπὸ μηχανῆς. Is enim ſtatuit ſubtilis materiæ, ſive ætheris, partes majuſculas, & validioris motus opifices, calorem procreare, minuſculas & debiliores frigus efficere, ut per illum frigus nil aliud ſit, quàm inſenſibilium partium, vel quies, vel tardior motus. Ideoque & illi non niſi privationem frigus eſſe videmus. Verior eſt illorum ſententia, qui poſitivum aliquid intercedere in frigore exiſtimant, ita, ut, præter abſentiam môtus, accedat novum aliquod, vel novæ quædam particulæ, quarum miſtione tàm mirabiles mutationes fieri videmus. Quis enim exiſtimet, ſolâ privatione pluvias in nives & grandines mutari, aquam in glaciem, niſi nova aliqua cauſa accedat, vera & realis? Quàm ſunt varii & admirabiles frigoris effectus, quomodo rumperentur vaſa metallica, ſi ſola motûs ceſſatio ſufficeret ad frigus determinandum? Eſt itaque frigus, variâ conſideratione, aut qualitas, ſive Ens reſpectivum, aut privatio, aut poſitivum aliquid.

Joh. Mayow, cujus ſuperiori capite mentionem fecimus, ut de naturâ caloris 3
ſubtiliter admodum, ita & de naturâ frigoris, diſſerit. Spiritus enim ejus nitro-aëreus, è ſolari corpore recedens, motu paulò remiſſiori commovetur in mediâ aëris regione, cùm à ſole remotiſſimus eſt prope polos, veroſimiliter à motu circumgyrationis prorſus ceſſat, & tùm alterum illud frigoris elementum (ita vocat, penè Teleſio in eo ὁμόψηφος) conſtituit. Hic ait hoſpitari particulas nitro-aëreas copiâ ſatis amplâ, quæ congelationem vaporum & guttularum pluviarum efficiant. Hæ particulæ aëreæ, illic ob frigus imprægnatæ & graviores factæ, valdè rigidæ evadunt, ut jam, non inſtar telorum erectæ, ſed rotatim, moveri incipiant. Hæ particulæ cùm deſcendunt, probabile eſt, eas non recta deorſum, ſed obliquè verſus polos deferri, cùm continuus vaporum aſcenſus in regione meridionali, ob calorem ibi intenſum, aërisque rarefactionem, rectum deſcenſum impediat, à polis autem eas obliquè revertentes verſus meridiem iter tenere, usque dum ad terram deveniant. Unde rationem ait dari poſſe, cur ventus ſeptentrionalis maximè ſiccus frigidusque ſit, in quantum ſc. aërem, particulis nitro-aëreis gravidum, ſecum rapit; quanquam tamen & experientiâ notum ſit, non ſeptentrionalem tantùm ventum, ſed & contrarios, frigus inducere, quod ex poſitu regionum determinandum eſt. Nam quibus ad Auſtrum ſurgunt montes altisſimi, nivibus tecti, iis Auſter frigora inducit. Atque hanc aëris continuam eſſe circulationem Mayowius putat, ut particulæ aëreæ ſpiritu nitro-aëreo armatæ in altum tollantur, ibidemque eodem denuò imprægnatæ, inde ad inferiora revertantur. Quicquid jam ſit de hâc ſententiâ, ſeu ſpiritum illum nitro-aëreum ſtatuamus, ſive non, illud manifeſtum eſt, deportari per aërem corpuſcula, quorum interventu congelatio fit, & frigus oritur, idque poſitivum illud eſt, quod in frigore reperiri diximus. Neque abſurdum eſt, cum J. Bapt. Hamelio ſtatuere ſpiritus aliquos frigorificos. Non enim exiſtimandum eſt, illîc tantùm eſſe ſpiritus, ubi calor eſt; nam & frigida corpuſcula æquè celeriter moveri poſſe, vel paulò etiam tardiùs, nihil vetat, ſive per ſe illa moveantur, ſive ventorum, aut materiæ ſubtilis vehiculo.

Video

Video etiam Seb. Wirdigium, in ſuo *de ſpiritibus* libello, frigus quoque inter ſpiritus referre, quò referri meliori jure poteſt, quàm tenebræ. Talia corpuſcula revera ad frigefactionem requiri oſtendit luculento experimento Boylius. Is enim, aërem folle ventilans, nullam mutationem ſenſit in thermoſcopio, ſimul ac verò nivem & glaciem orificio appoſuit, ſtatim, ubi afflavit thermoſcopium, aër in illo fuit congelatus vel condenſatus. Imò ipſa artificialis congelatio id oſtendit, & arcanum illud Ducis Mantuæ, qui pulverem habet, certô modô præparatum, qui poſſit aquam mediâ æſtate vertere in glaciem. Cujus naturæ fortè is quoque pulvis fuerit, cujus mentionem facio *in Epiſtolâ de Scypho vitreo rupto*, qui aquam in tàm ſolidam ſubſtantiam convertere potuit, ut cryſtalli inde & gemmæ potuerint efformari, genuinis non multum diſſimiles. Id quidem difficulter dici poteſt, quanquam ipſam hiſtoriam ſatis veram putem, quippe quam ex ore Boylii ipſe habeo. Cauſa itaque frigoris & congelationis eſt corpus aliquod novum, & principium aliquod ſalinum, quod per minima miſcetur aliis corporibus, liquidis præcipuè, quæ minima illa corpuſcula facilè intra ſinus ſuos recipiunt; tùm liquidæ partes cujusvis miſti, vel humidi, quæ congelare itidem poſſunt, ita ut in nonnullis locis ligna quoque ipſa congelare ſoleant, imò lapides rumpi.

6 Apparet itaque ex eo, quàm inepta ſit & abſurda ſententia Thomæ Hobbeſii, qui, *in libro de corpore, cap. 28. art. 6. 7.*, omnem rationem frigoris & congelationis ponit in motu aëris directo, quem ventum vocat, à Sole productum, primum ſub ipsâ ſolis ſphærâ & lineâ, & hinc propagatum ad utrosque polos. Quam rem ut demonſtret, ſchema aliquod ob oculos pingit, quomodo ſc. per Solem moveatur aër, aëris motus, ſeu ventus, moveat deinde aquam, usque dum ſub locis polo vicinis in grumos quosdam condenſetur, atque ita congeletur. Quæ certè ſententia, utut ad ſpeciem ingenioſa videatur, tamen falſiſſima eſt, & in ipſius effectus demonſtratione planè inexplicabilis. Ne quid enim dicam, quàm non ſit illud ſatis certum, omnem ventum à Sole fieri, veritati planè repugnat, ad frigus & congelationem ventum requiri, ut cauſam, quanquam concomitans interdum eſſe poſſit, ut putem, Hobbeſium fallaciâ cauſæ hìc ſibi impoſuiſſe. Exemplum, quod affert de ſufflatione forti ex ore compreſſo, illam frigus efficere, cùm halitus ex ore aperto ſit calidus, nihil probat. Qualis enim aër externus eſt, qui ſemper frigidior eſt intra fauces concluſo, talis ille ſentitur pulſus à flatu oris exeunte. Eſſet verò calidus ille flatus, ſi aër eſſet calidus, ut obſervare in hypocauſtis & balneis poſſumus, ubi aër ore compreſſo protruſus non infrigidat, ſed magis calefacit. Jam verò explicet nobis Hobbeſius, quomodo venti à Sole producantur; certè non poſſunt aliter, quàm per calorem produci, & eô in locô, ubi producerentur, oporteret eſſe intenſiſſimum frigus, quod tamen eſt illis in locis, ubi motus iſtos oportet decreſcere, ut longius propagatos. Ergò debet aut aliud quid accedere ex iſto loco, quo appellunt, quod congelandi potentia illos imbuat. Miſerum quoque eſt reſponſum ad inſtantiam illam de artificiali congelatione, ubi dicit, ventum aliquem exire nive & contuſis ſalibus, qui

qui tranſiret vitrum vel metallum, & quidem inſenſibiliter. Quæ certè manifeſtò ſunt falſa, ut vel uno hoc experimento refutari poſſet tota ejus doctrina. Reclamat etiam experientia. Longè penetrantius frigus eſt aëre tranquillo, quàm turbulento & ventis commoto, imò congelaſcunt aquæ in ipſis penetralibus domûs, in ipſis vaſis vitreis, etiam hermeticè ſigillatis, quo ne tenuiſſimus quidem ventus poteſt accedere. Non immeritò itaque ſagaciſſimus Rob. Boylius exagitat illam Hobbeſii ſententiam *in Appendice libri* iſtius, quem *de frigore* conſcripſit, Londini A. 1665. *in 8vo* Anglice editi, & adeò accurati, ut parùm addi poſſe videatur. Multa, & plus quàm ducenta experimenta inſtituit circa varios liquores, quorum ſumma capita referuntur *in Actis Soc. Angl. Edit. Lipſ. latinæ p. 6. & 35.*

Frigoris effectus varii ſunt, aliqua corpora condenſat, aliqua attenuat, in aliqua 5
nullam planè efficaciam habet, quod accidere oportet, ob ſingularem corpuſculorum diſpoſitionem. Aër condenſatur, aqua attenuatur & diſtenditur, ut ex eo patet, quòd valida etiam vaſa lapidea & metallica rumpantur, ſi aqua iis infuſa congeletur. Imò notandum eſt, bombardas majores rumpi poſſe, ſi aqua, illis infuſa, in glaciem mutetur. Ex quo apparet, particulis, aquam ſubeuntibus, Elaterem ineſſe. Hinc etiam eſt, quod aqua glaciata levior ſit aquâ non congelatâ. Ceterùm omnia illa nimis prolixa ſunt, quàm ut hìc poſſint recenſeri. Vid. Boylius, &, qui in compendium eum traxit, du Hamel *in libr. de affect.* Scripſit & Joh. Amos Comenius *librum de frigore*, de quo operſè hìc nolumus diſſerere, non enim eſt iſtius ἀκριβείας, quam habet liber Boylii. Habetur *in Actis Societatis Angl. p. 195.*, experimentum novum, oſtendens, quomodo in momento notabilis frigoris gradus poſſit produci, ſine uſu nivis, glaciei, grandinis, venti, aut nitri, idque quovis anni tempore. Paratur id materiâ quâdam ex ſale Ammoniaco extractâ. Eorund. *Act. p. 313.* adferuntur quædam remedia contra frigus. Ubi mihi recordatio in mentem incidit cujusdam Artificis, qui jactabat, ſe corpora humana, vel contra Novæ-Zemblæ frigora munire velle. De glacie artificiali multa reperiuntur curioſa in *Experimentis Florentinis, à cap. 34. ad 42.*, quorum aliqua recenſentur *in Actis Angl. Societ.* recentioribus, nondum in latinam linguam converſis, p. 1020. De corporibus inſectorum illud memorabile eſt, illa non interire per frigus, ſed ad auram tepidiorem reviviſcere, quod & de hirundinibus & ciconiis memoriæ produnt. Sunt, qui hiſtoriis quibusdam, quas à fide dignis hominibus acceperunt, inducti, exiſtiment, ſimilia in hominibus aliquibus facta fuiſſe, qui non per horas, ſed per dies aliquàm multos, &, ſi rectè memini, menſes, aquâ ſuffocati & congelati, iterum in vitam revocati fuerint. De quibus Exemplis vid. clariſſimi Collegæ D. J. Nicol. Pechlini, *liber de Aëris atque Alimenti defectu.* Refert quoque Beckerus, ſub finem *Diſputationis de frigore*, anno 1618. Nobilem Matronam, Wenzelikiam, Treſtii in Moraviâ dominam, famulum, quarto poſt congelationem die repertum, ad vitam hoc modo revocaſſe. Primùm corpus gelidæ aquæ impoſuit, usque dum glacies è corpore evocata, corporique obducta fuit, poſteà in locum calidum transportavit, orique infudit calidum aromatibus conditum juſcu-

lum, ut ita reſpirare tandem cœperit, & ad vitam redire. Neſcio, an fide digna ſit hiſtoria, nam, nec unde habeat, refert Autor, neque ſatis circumſtantias alias examinat. Credo, illum ex Comenio *de frigore* cepiſſe.

CAP. XVIII.

DE AERE.

§. 1. Aër Diogeni Apolloniatæ Deus, & rerum omnium materia, Rob. Hookio, aliisque modernis, Tinctura tantùm aliqua particularum Terraquearum. Diſtinctio horum inter Aërem ſive Athmoſphæram & Ætherem, admitti poteſt, modò utrumque corpus eſſe concedant. Vacuum, abſolute tale, arte produci poſſe negatur. 2. Unde varia aëris conſtitutio, ſalubris præcipuè & inſalubris? 3. De Condenſatione & Rarefactione aëris Bernh. Varenii & Rob. Boylii obſervationes. 4. Thermometra, ad inquirendam iſtam, inventa, vel à Corn. Drebbelio, vel à Rob. Fluddio. Variæ horum ſpecies recenſentur. Fluddius omnem ſuam in iſtis fundat Philoſophiam. 5. Aër gravis eſt, etiam in loco naturali, non minus quàm aqua. Falſum eſt, Elementa in loco proprio non gravare. Cur aqua non gravet in fundo maris? 6. Modi aëris gravitatem explorandi. Baroſcopia ab Evang. Torricellio inventa. Variæ illorum ſpecies ac Phœnomena. Iſ. Voſſii Aëroſcopium, & Ott. Gverickii Virunculus, Baroſcopio incluſus (qui, an Cometam prædixerit, dubitatur,) ventos & tempeſtates præſagiverunt. Quod etiam herba Chinenſis Chifung, facere perhibetur. 7. Conſilium de Aëromantiâ iſtâ, per experimenta crebra, ad aliquam perducenda certitudinem. Laudantur Principis cujusdam Germani Tempeſtatum Ephemerides. *8. Nautarum, Ruſticorum, Metallicorum, præſagia tempeſtatum. Talia Ant. Mizaldus in* Aëromantiâ *colligit. 9. Hygroſcopia humiditatis ſiccitatisque aëris præſaga. Variæ illorum ſpecies. Cur idem præſtent cornua cervina in Aula Taurinenſi?*

1 AD AEREM accedimus, cui aliqui plus, quàm Elemento, aliqui minus, quàm Elemento, tribuunt, aliqui ne quidem inter ſpecies corporum locum relinquunt. E veteribus Diogenes Apolloniates aërem Deum fecit, ſi Ciceroni *lib. 1. de naturâ Deorum* credimus. Auguſtinus, *lib. 8. de C. D. c. 2.* vult, illum aërem agnoviſſe pro materiâ omnium rerum, & compotem divinæ rationis. Theodoretus quoque & Euſebius ajunt, illum ſtatuiſſe denſum aërem & rareſcentem mundos gignere. Sic autem ajunt feciſſe mundos, aut factos putaviſſe, univerſo motu huc atque illuc, & rarefacto, & condenſato, ubi coincidebat, quod denſum erat, feciſſe conſtipationem, & ſic reliqua ſecundum eandem rationem leviſſima ordine ſurſum ſumto feciſſe Solem. Quæ coincidunt penè cum Carteſii dogmatibus, cujus varii vortices videntur ad ejus imitationem confícti. Aliqui ne quidem inter certas ſpecies nume-

numerare voluerunt aërem, eſtque inter illos etiam Rob. Hookius, qui *in Micrographiâ ſuâ* ſtatuit, aërem nihil eſſe aliud, quàm tincturam & ſolutionem quandam particularum ex terrâ & aquâ prodeuntium, quæ in æthere exſolvuntur, & continenter moventur, ferè ut parum ſalis aut pigmenti multum aquæ inficit. Atque, ut hoc pigmenti arte poteſt ſeparari, ſic aër ab æthere ſecernitur, atque ita, ſecundum ejus ſententiam, aër nihil aliud eſſet, quàm particulæ aqueo-terreæ diffuſæ, quarum ſuſtentaculum eſſet æther. Quæ tamen ſententia vera eſſe non videtur. Nam hyemis tempore particulæ iſtæ, maximam partem aqueæ, in aquam concreſcerent; liquidæ enim particulæ, aliis junctæ, primum in guttas, hinc in glaciem, verterentur. Accedit, quòd continuitatem hujus corporis, & quendam fluxum ad menſuram revocare poſſimus, quod fieri non poſſet, ſi corpus eſſet non continuum, vel diſcontiguum. Qui aërem non habent, niſi pro effluviis aqueo-terreis, illi, athmoſphæræ nomine contenti, quicquid reliquum eſt, ætheris nomine complectuntur. A quâ ſententiâ nec Boylium alienum eſſe video, qui, fumum intra vas vitreum cogens, exhauſto prius aëre, ſubſidere fumum obſervavit inſtar aquæ undulantis, quique admoto igne in Cylindrum ſe erexit, iterum recidentem igne ſubtracto. Alii ætherem ab aëre differre nolunt, niſi ratione puritatis, cum quibus nos non multum litigabimus, modò nobis concedant, eſſe aliquod corpus craſſius, aliquod rarius, quod globum hunc terraqueum ambit, ſeu jam ſpecie diſtincta ſint illa corpora, ſeu gradu tantùm differant. Nam planè vacuum eſſe, non facilè aſſerendum, neque ullis inſtrumentis id ita poteſt demonſtrari, ut nullus dubitationi locus ſit relictus. Vitro certe aërem excludi poſſe experientia nos docet, an æther verò excludi poſſit, vel alia quædam materia ſubtilis, dici non poteſt, cùm videamus, aliqua in illis ſpatiis fieri, quæ non poſſunt concipi fieri in vacuo, quanquam aliqua, quæ aërem videntur propiùs tangere, abeſſe poſſint. Ita aëris exhauſtio extinxit lumen in corporibus lucentibus, de quo videantur Experimenta Boylii *in Actis Societ. Regiæ p. 474. Edit. Lipſ.* Ceterum, quod abſolutè vacuum dici poſſit, nec aëre, nec æthere, plenum, dari non poteſt, niſi fortè velimus illud agnoſcere in lacrymis vitreis, ſeu vitro ſtillatitio (Springgläſern/) quarum accuratiorem examinationem inſtituère paſſim Autores Anglici, Merettus *in notis ſuper Anton. Nerum de Arte vitriariâ*, præcipuè verò Hookius *in Micrographiâ* ſuâ, è quibus collegit, ſuis Obſervationibus additis, Collega noſter clariſſimus, D. Sam. Reyherus in *libro ſuo de Aëre.*

Ex heterogenearum particularum mixturâ oritur varia aëris conſtitutio, hinc ille vel ſalubris eſt, vel noxius, vel gravior, vel levior, vel ſalſior, vel nitroſior, vel ſulphuratus magis, prout illa loca, quibus imminet, ſe habent. Unde & corpora, eum aërem ſpirantia, variis mutationibus ſunt ſubjecta, prout ſc. ille ratione loci, acceſſus & receſſus ſolis, mutatur. Hinc obſervat Baco Verulamius, *in Hiſtor. vitæ & mortis*, eos, qui in montanis habitant, quoniam aërem ſpirant puriorem, vivaciores eſſe iis, qui in vallibus habitant, aut in locis paludoſis. 2

Aër rarefieri & condenſari poteſt. Cùm enim ſpongioſus ſit, habeatque vacua ſpatia, ut per compreſſionem demonſtrari poteſt, poteſt aliquando minus, aliquando 3

majus ſpatium occupare. Condenſatur vel per frigus, vel per compreſſionem violentam. De condenſatione per frigus ſuperiori cap. egimus. Condenſationis per compreſſionem exemplum habemus in ſclopeto pneumatico, in quo aër, referente Bernh. Varenio, *Geograph. general. lib. 12. c. 19.* adeò condenſari poteſt, ut ſexageſimam tantùm partem prioris ſpatii occupet. Rarefactio aëris fit vel per calorem, vel per certas aliquas machinas. Si Varenio credimus, dilatari poteſt aër, ut ſpatium occupet ſeptuagies majus, quàm anteà, quanquam Boylius, *lib. de vi Elasticâ Aëris, Experim. 36.* affirmet, ſe ad dimidium tantùm iſtius gradus pervenire potuiſſe, cujus fides exploratior eſt, quàm omnium aliorum, quia in aëris gravitate, vel levitate explorandâ multum temporis conſumſit, & ad eam ſubtilitatem rem redegit, ut menſuram proportionis inſtituere potuerit, ſecundum quam aër, vel condenſetur, vel rarefiat.

Ad hanc rarefactionem vel condenſationem aëris inquirendam, inventa ſunt
4 ſingularia quædam inſtrumenta, quæ *Thermometra* appellantur, quorum inventionem aliqui Corn. Drebbelio, Batavo, magno in Phyſicis & Mathematicis Artifici, aliqui Roberto Fluddio, tribuunt, qui ſanè illorum inventor videri vult, & in iis quaſi omnem Philoſophiam ſuam fundat. Nam in ſingulis paginis penè apud illum occurrunt eorum imagines, commodè incommodè adductæ. Is in potentiâ condenſante & rarefaciente, Septentrionali vel Auſtrali, ut loquitur, cauſam omnium naturalium operationum collocat, atque hoc velut inſtrumentum habuit rarefactionis & condenſationis demonſtrandæ, imò totam quaſi ſphæram, cum omnibus ſuis circulis, in hoc inſtrumento ob oculos poſitam eſſe voluit. Sed, ut multa in illo autore Enthuſiaſmum potiùs, quàm demonſtrationes, ſapiunt, ita & in hoc ignoſcendum illi eſt, ſi genio ſuo paulò liberius indulſerit. Thermometrorum variæ ſunt ſpecies. Simpliciſſima ſunt, quibus Fluddius utitur, & ruditer diſtincta. Subtiliores modos Recentiores invenerunt, & ex iis Boylius, cujus deſcriptionem communicavit nobiſcum J. Bapt. du Hamel *de corporum affectionibus lib. 1. c. 4. n. 14.* Nam in vulgaribus illis Thermoſcopiis multus errori locus relictus eſt. Simplicia thermometra conſtituunt phialæ vitreæ, quarum extremitas aquæ immerſa eſt, in quibus externus aër, aquæ incumbens, alterationes ſuas aëri interno communicare poteſt. Prout enim aër externus, vel gravior fit, vel levior, & per conſequens, vel rarior, vel denſior, ita aquam ſibi ſubjectam pellit, atque hæc iterum aërem incluſum aquæ. Alia thermoſcopia ſunt utrinque clauſa, in quæ externus aër non tantùm impreſſionis habet, quanquam aliqui exiſtiment, certiora in iis ſumi poſſe caloris & frigoris documenta, quæ non ita accuratè obſervari poſſint in iis thermometris, quorum extremitas vaſi aquâ pleno immerſa eſt. In iis enim aër externus, pondere ſuo gravans aquam, ſibi ſubjectam, pondere ſuo turbat ſubtiliora caloris & frigoris indicia, ad quæ cognoſcenda aër, intra vitreos canales incluſus, ſufficere poſſit, cùm frigoris & caloris externi tanta vis ſit, quæ penetrare ſtatim vitrum poſſit, ut exigua iſta aëris portiuncula eôdem modô afficiatur, quo exterior aër, quanquam ipſe in

ſua

ſuâ ſubſtantiâ penetrare vitrum non poſſit. Materia enim ſubtilis, aëris quaſi vehiculum, iſtarum alterationum & motuum propagatrix quædam eſt, cui nihil penè claudi poteſt. De Termoſcopiis illis refert Monconiſius, *in ſuo Itinerario*, Robert. Boylium integrum Tractatum ſcripſiſſe, ſed quem ego hactenus non inveni, nec in Indicibus librorum, ab eo conſcriptorum, conſignatum memini. Eſſet ſanè operæ pretium, ſi quis talem in ſe laborem ſuſcipere velit, quem Boylio nemo poſſet melius in ſe ſuſcipere. Utut enim multum vulgò confidant Phyſici in iſtis inſtrumentis, non pauca tamen urgent eas demonſtrationes dubia, in quæ ulterius inquirendum eſſet. Habentur paſſim aliqua apud Boylium, in ejus ſcriptis *de vi aëris Elaſticâ*, & *in Actis Soc. Angl.* Hamelius, *lib. 1. de affection. corpor. c. 4.* ex Boylii ſcriptis collegit, quæ ad hanc doctrinam pertinent, adjectis ſimul iconibus. Legatur & Sam. Reyheri *Diſſ. de aëre*, *cap. 2.* ubi de aliquot eorum ſpeciebus agit. Vid. porrò J. Chr. Sturmius *in Collegio ſuo Curioſo*, *Tentamine 9. & in Auctario ad illud Tentamen*; Franciſcus Lana quoque *in Prodromo all' Arte Maeſtra*, *c. 7. & 8.* ubi novas aliquas thermoſcopii inventiones habet.

Aër vulgò levis habetur, ſed is gravis eſt, & æquè gravat corpora ſibi ſubjecta, 5
ac aqua. Qui enim ſtatuunt, elementa in ſuo loco non gravare, falluntur. Et in toto, & per partes, elementa gravant. De Aquâ vulgò creditur, non gravare illam corpora, ſibi ſubjecta, vel potius corpora in aquâ verſantia, ut ſi quis Urinator, in fundo maris ſtans, non obſervat aquam ſuperincumbentem ſibi eſſe gravem, quanquam moles aquarum à capite, ſeu ad ſuperficiem aquæ, extans longè ſuperet pondere ipſum corpus. Hinc ſolent ad illud confugere: *Elementa non gravare in locis propriis, in aliis verò non naturalibus gravare*; quod falſum eſt. Nam, ſi vaſtum aliquod vas ſit aquâ plenum, in illius fundo homo jacens non gravabitur, nec tamen eſt aqua in loco proprio, ſi quis verò in utre, vel vaſe, portaverit aquam, ſatis ſentiet ejus pondus. Cauſa verò, quòd in fundo maris non gravet aqua, eſt partium fluentium continuitas. Illæ enim, ſibi junctæ, & ſe mutuò ſuſtinentes, quaſi fornicem faciunt, & pondus illud intra ſe quaſi reflectunt, quod ſatis ſentiretur, ſi locus in aquâ dari poſſet aquâ vacuus, vas fortè aliquod, cui per foramen aliquod immitteretur aqua. Eodem modo res ſe habet cum aëre; nam & ille gravis eſt, & quaſdam gravitatis ſuæ vices habet, ut levior alio tempore ſit, alio gravior.

Iſta gravitas aëris variis modis exploratur. Aliqui per lances explorant, ut 6
veſicas ſuillas, nunc inflatas, & aère multo confertas, nunc flaccidas, ad bilancem examinent. Excogitatum quoque ſingulare quoddam inſtrumentum, quod *Baroſcopium* vocant, cujus inventio prima tribuitur Evangelistæ Torricellio, Magni Ducis Hetruriæ Mathematico, qui ſingularem de eo invento *Epiſtolam* divulgavit. Hinc ad alios quoque dimanavit idem inventum, & à multis tentatum eſt, cujus hiſtoriam accuratè deſcribit Sturmius *in Colleg. Curioſo*, *in Auctario tertii Tentaminis*. Solet, in hoc Baroſcopio, pro aquâ argentum vivum adhiberi. Illud orificio, quod apertum eſt, infunditur, & hinc inverſum vitrum vaſculo, quod argento vivo im-

pletum eſt, immergitur, clauſo prius orificio, ne aër ingrediatur, dum immergitur. Solent aliqui tubum vitreum, non vaſculo alicui immergere, ſed ab altera parte incurvatum ita liberum relinquere, quomodo Hookius, in *Micrographiâ ſuâ*, Baroſcopium ſuum efformavit, addito quodam indice, qui gradus levitatis & gravitatis oſtendat, pondere aliquo ductus. Schematiſmum ejus Baroſcopii, qui Hookium non habet, videat apud Reyherum *in Tract. de aëre, c. 11.* vid. quoque Sturmius *in Collegio curioſo Tentam. 3.* ubi plures habet Baroſcopiorum Schematiſmos. Obſervatum eſt in Baroſcopio, quantò altius illud in aërem evehitur, conſcenſis altiſſimis montibus turribusque, tantò magis deprimi Mercurium intra tubulum, & contra tantò altius aſcendere, quantò id profundiori loco conſtitutum eſt, item, cùm ſerenior aër eſt, & purgatior, depreſſiorem eſſe, cùm pluvioſus, aut nubilus, & tempeſtates minatur, altius evehi in tubulum Mercurium. Hujus Baroſcopii beneficio aliqui tempeſtates præcognoſci poſſe exiſtimant, & Is. Vossius *lib. de motu marium, c. 29. Aëroſcopium* conſtruere docet, quod à nemine, ut inquit, hactenus obſervatum eſt. Certè idem hydrargyro fiſtulas illius impleri innuit, ut ex eo pateat, à Baroſcopio illud non eſſe diverſum. Obſervaſſe is ſe dicit, quando procella, vel ventus, in mari oritur, deprimi altitudinem hydrargyri, idque exactè ad menſuram ingruentis tempeſtatis, ventis verò à tellure venientibus aſcendere denuò obſervavit. Hoc inſtrumentum tantæ utilitatis eſſe exiſtimat, ut neſciat, an ullum magis idoneum ad prævidendas tempeſtates poſſit excogitari. Voſſius certè, ut à plurimis accepi, vatem quendam ventorum ſe geſſit, ac aliquoties à nautis conſultus non fefellit. Tale aliquod Baroſcopii genus inveniſſe dicitur Otto Gverikius, Conſul Magdeb. qui in vitro, in quo humor abſconditus erat, *virunculum* aliquem formavit, tempeſtatum ſignificatorem, quem etiam cometam inde prædixiſſe volunt; quod caſu ego potius factum exiſtimo, cum ſententia ejus de cometis, quæ illos avulſas tempeſtates facit, non videatur probabilis. Naturale aliquod Aëro-ſcopium exhibet nobis, ſi verum eſt, quod referunt Scriptores, herba *Chfung*, quæ reperitur in provinciâ Chinenſi Quangton; ea enim nautis oſtendere perhibetur, quô menſe, & quot totô annô ſint futuræ tempeſtates; idque colligunt ex nodulis, ſive geniculis. Quò enim nodi pauciores ſunt, eò pauciores illo anno tempeſtates eſſe dicunt; ex diſtantiâ autem nodorum à radice ſcire aut colligere ſe poſſe autumant, quo menſe quælibet accidere tempeſtas debeat. Digna certè inquiſitione res illa eſſet, &, ſi veritas ejus conſtaret, in cauſas inquirendum. Sed fortaſſis aliquid etiam indulgendum ſuperſtitionibus vulgi, in quas proni ſunt Chinenſes.

7 Magna alioquin res eſſet, ſi præſciri iſtæ mutationes aëris accuratè poſſent, & redigi fortaſſis res ad aliquas regulas poſſet, ſi tentamina talia multiplicarentur, ratione inſtrumentorum. Nam omnibus Thermometrorum, Baroſcopiorum & Hygroſcopiorum, ſpeciebus res ſimul tentanda eſſet. Tùm ratione locorum; deberent enim tentamina inſtitui à multis, ſub eodem & diverſis climatibus, jam in locis montanis, jam in campis apertis, jam in vallibus, & locis ſubterraneis, jam in mari, jam

in locis paludoſis, arenoſis & ſimilibus. Tum ratione temporũ experimenta capi deberent, alia ſole oriente, alia culminante, alia occidente, alia noctu, ſilente luna vel lucente, alia verno tempore, alia æſtivo, alia hyberno, alia pluvio, alia ſereno aëre. Ex iis ſinguli Obſervatores diligenter variationes graduum in inſtrumentis obſervent & conſignent. Inde collatio fiat ſingulorum, & regulæ hinc conſtituantur. Methodum aliquam indagandæ prænotionis talis in tempeſtatibus præſcripſerunt Angli, cujus ſpecimen vide *in Hiſtoriâ Soc. Regiæ p. 1073.* Notantur illîc ſemper variationes thermoſcopiorum ad συζυγίας lunares, quas multum poſſe in tempeſtatibus veroſimile eſt. Hoc pacto ſi res inſtituatur, credibile eſt, aliquid nos profecturos, niſi tædia objectorum tàm variorum conatum illum ſuperarint. Fuit & aliquis, ſi rectè memini, Princeps Germanus, qui Ephemerides tempeſtatum, per annos aliquot, germanicâ linguâ ſcripſit, quæ ſub *Hiſtoriæ Uranologicæ Uranophili Cyriandri* titulo editæ ſunt *in 4.* Qui labor quanquam tædioſus, non tamen inutilis eſt. Nam ex multâ & variâ obſervatione aliquid interdum diſcimus. Si modò ventorum omnium cauſas & ortus haberemus ſatis exploratos, felicius etiam judicare in præſagiis illis poſſemus.

Nautis præcipuè & Agricolis ſolent aliqua obſervari, & nautæ magnas tempeſtates, vel ſubitaneas & graves, plerumque indicio aliquo prænoſcunt; Ex monte, qui Tapffelberg dicitur, in Inſulâ Helenæ, cùm exiguus aliquis vapor primum è longinquo oriri videtur, ſtatim nautæ ſciunt, eo tempeſtatem præſignificari atrociſſimam. Ea enim nubes ſemper in majores ſphæras ſe volutat, tandemque maximo impetu aërem & aquam concutit. Legatur de iis tempeſtatibus, & quibusdam earum prænotionibus, Bernhardus Varenius *in Geograph. Gen.* Solent, qui in fodinis laborant, multis horis præſcire venturam tempeſtatem, pluvias, tonitrua, idque ex aëris ſubterranei gravitate. Cùm enim omnes aëris mutationes principium ſuum in vaporibus terreis habeant, neceſſum eſt, tales primos deprehendi ab iis, qui ſub terrâ vivunt. Hujus rei eadem eſt, quæ thermoſcopiorum, ratio. Aer enim montibus incluſus, easdem variationes ſubit, quas in thermoſcopio. Et ſunt montes quidam, qui diverſis temporibus aërem internum exſpirant, & externum abſorbent, ut in Italiâ mons Cæſiorum, quod à rarefactione & condenſatione aëris, per acceſſum & receſſum ſolis, fieri oportet. Vulgares illas prænoſcendarum tempeſtatum regulas, ruſticis & nautis familiares, junctis ſimul Aſtrologicis Obſervationibus, edidit ANTONIUS MIZALDUS, ſub tit. *Aëromantiæ*, Francof. A. 1613. *in 12.* recuſæ. In quibus quanquam fabuloſa multa reperiantur & ſuperſtitioſa, non tamen inutilis labor eſt; nam ſeligi ex iis poſſunt, quæ vero videntur ſimiliora. 8

Eſt & alia Inſtrumenti ſpecies, quo aëris natura explicari ſolet & inde dependentes aëris mutationes, quod vocatur *Hygroſcopium*, quo humiditas vel ſiccitas aëris exploratur. Eorum Hygroſcopiorum variæ ſunt formæ, & ſolent ad explorationem adhiberi corpora imbibendis humoribus apta, ut ſunt funiculi, chordæ, ſpicæ avenaceæ. In aulâ Taurinenſi ſuſpenſa cornua cervina certum futuræ tempeſtatis aut mutationis in aëre indicium dedêre, prout in hunc vel iſtum mundi angulum 9

con-

converterentur, cujus rei meminit Sturmius *in Colleg. Curioſo*, *Tentam. 14.* Sed illud non cornibus, verùm funiculo potius, adſcribendum fuit, ipſeque autor circello ligneo, chorda tenui ſuſpenſo, idem expertus eſt, vid. eundem *ibid. Phænom. 3* Franc. Lana, *c. 7. libri ſui*, illud bilance tentat, vid. eund. *Phænom. 3. & 4.* & Lanam ipſum *c. 8.* Cujus tamen ſal nitratum calcinatum non videtur idoneum eſſe explorandæ humiditatis inſtrumentum, quoniam totum illud corpus ſucceſſu temporis in liquorem abit, atque ita, ratione maſſæ ſuæ, ejusque conformationis, pondus acquirere videtur. Habet & Lana aliud explorandæ humiditatis Inſtrumentum. Unam enim chordam inter verticillos tendit, alteram protendit pondere appenſo, ut ejusdem ſoni ſint, unde differentiam humiditatis aëreæ ex diverſitate ſoni judicat. Sed dubium & incertum illud eſſe rectè monet Sturmius *eodem in loco.* Eſt & aliud Hygroſcopiorum genus, Georgio Sinclaro (Scoto,) *in libro de hygroſcopio*, *Dial. 1.* vehementer celebratum, qui in ejus rei cauſis indagandis vehementer ſollicitus eſt. Fuſius hîc deſcribere illud nolo, quoniam Sturmius, *eod. loco*, *Phænom. 6. 7. & in Auctario*, ſatis prolixè iſtud deſcripſit. Vid. & Kircherus *lib. 3. Artis Magneticæ*, *cap. 3. p. 2.* & Schottus *in Mechanico-Hydraulico-Pneumatica P. 2. Cl. 1. c. 3. Mach. 4.* Paratur illud ex ſpicâ avenaceâ, quod experimentum eandem cauſam habere videtur cum virgâ ex corylo, quæ igni admota intra foramina ſpontè volvitur. Idem Sturmius aliud quoddam inſtrumentum Hygroſcopicum invenit, quod deſcribit *phæn. 8.* Sed idem variatur tantùm ratione aliquorum accidentium, æquè enim, ut cætera, chordâ dirigitur.

CAP. XIX.

DE AQUA.

§. 1. Aqua verum eſt Elementum. Affectiones ejus, fluiditas, humiditas, figura minimorum (quam falſo cubicam Hon. Fabri facit.) 2. Frigus, cujus tamen non eſt πρῶτον δεκτικὸν. *3. Aquæ vulgares impuræ. Puræ an dentur, dubium. Salubres fore, non lethales, ſi dentur, contra Hon. Fabri, oſtenditur. 4. Miſtio cum corporibus imperveſtigabilis, gravitatio, motus internus. Aqua Tameſis ſpiritum ardentem emittit.*

1 VEnimus ad AQUAM, corpus magnæ extenſionis in globo hoc terraqueo, patetque ſanè ex ipſo aſpectu, eſſe hoc inter prima corpora numerandum, cùm maſſam aliquam univerſalem conſtituat. Inter Elementa refertur, & à veteribus nonnullis unicum ſtatuitur Elementum, de quo ſupra pluribus egimus. Aqua, ratione texturæ ſuæ, has qualitates habet: Eſt fluida, habet enim partes facilè mobiles, quam qualitatem aliqui in eminenti gradu aëri tribuunt; humida eſt, quoniam poris & vacuitatibus facilè adhæret. Puncta ejus minima, ſublatâ omni determinatione extrinſecâ, cubica facit Honoratus Fabri, quod quanquam prolixo ratiocinio Geometrico probare nitatur *lib. 2. tr. 5. prop. 210.* non video tamen

adeò

adeò neceſſarias hujus aſſerti rationes. Crediderim enim, terræ potius particulis cubicam figuram eſſe aptam, nec video, quomodo cum mollitie & fluiditate conſiſtere cubica figura poſſit: De ratione enim formali fluiditatis eſt, ut protendatur materia.

Conſtituunt aliqui Aquam πρῶτον δεκτικὸν frigoris, putant ſc., aquam frigidam eſſe in ſummo, & nullum aliud dari in naturâ corpus, quod magis frigidum ſit, quàm aqua. Unde etiam concludunt, ea, quæ habent plus frigoris, corpora, plus habere in ſe aquæ; quod ſanè abſurdum eſt, ſequens ex primo illo abſurdo poſito. Cùm enim frigus non ſit per ſe ſubſiſtens aliquod, aut corpori alicui inſit verè, ineptum eſt, facere aliquam rem ſummum frigoris receptaculum, cùm frigus qualitas reſpectiva ſit ad ſenſus tantùm relata. Nam quanquam in congelationibus intercedat ſubſtantia quædam, tamen non poſſumus verè dicere, illam ſubſtantiam eſſe frigus, quamvis faciat, ut, miſta corporibus liquidis, quietem aliquam iis inducat ſummam, ad cujus tactum cùm motum nullum ſentimus, frigidam rem dicimus. Deinde, quis dicere auſit, cryſtallos, lapides, metalla, ad tactum ſatis frigida, plus aquæ habere in ſe, quia frigida nobis per tactum exiſtimantur. Nullius momenti ſunt, quæ Peripatetici, aliique Philoſophi, ſuper hoc aſſerto prolixè contendunt, quæ luculentâ Diſſertatione diſcuſſit Rob. Boylius *in Hiſtoriâ Experimentali de Frigore, tit. 17.* 2

Aqua, in naturali ſuo ſtatu, parum vel nihil contrahi poteſt. Poteſt autem facilè & valdè rarefieri. Differunt Aquæ elementares ab aquis illis vulgaribus impuris; nollem tamen dicere cum Honorato Fabri, ſpecie illas differre. An verò aquæ tales puræ dari poſſint, non facilè dixerim. Nulla enim aqua adeò pura eſt, quæ non aliquid uliginis admixtum habet. Aqua verò pura nullo ſapore & odore debet eſſe prædita, qualem, ſi detur, nollem ego, cum Honor. Fabri, *loc. citato prop. 221.* præſentiſſimum venenum dicere, cujus aſſerti ratio fundatur in iſtâ aquæ falſò creditâ frigoris prærogativâ. Putat enim, ſuo frigore calorem vitalem extincturam, ſanguinem congelaturam, ſuâque ſubtilitate totum corporis complexum, atque adeò intimas medullas, penetraturam ope rarefactionis. Hinc dubitat, an aqua illa ſtygis, cujus hauſtu Alexandrum M. extinctum dicunt, ad puram aquam propius acceſſerit, cùm ſaltem in hoc aquæ puræ ſimilis fuerit. Quo ego quidem metu bonum Honoratum facilè abſolverim, ut qui exiſtimem, aquam talem, ſi detur, potius Medicinæ loco futuram, quàm veneni. Nam videmus vulgò, aquas, quò limpidiores, eò ſaniores haberi, quò magis fæculentas, eò magis noxias. Exiſtimem ego, magnam refocillandi potentiam habituram aquam talem, quippe cui ineſſet purior aliquis ſpiritus nitro-aëreus, ſi Mayowii principiis ſtandum. Sunt ceteroquin aquæ omnes, etiam quæ limpidæ nobis habentur inviſibilibus fæcibus occupatæ, quas putrefactio detegit, poſt putrefactionem verò ſi deſtilletur aqua, non facilè iterum corrumpetur, ſi vaſe benè clauſo ſervetur. Rorem, ſi putrefiat, videmus producere omnis generis vermiculos & inſecta. 3

4 Hæc nobis dicta ſunto de Aquâ, quatenus Elementum habetur. Quomodo enim ingrediatur in miſtionem corporum, altiùs reconditum eſt, quàm humanâ ſolertiâ indagari poſſit. Quod aquam ſpectat, quatenus maſſa integra eſt, varias habet affectiones, tàm cognitas nobis, quàm incognitas. Inter eas eſt gravidatio aquæ, de quâ nobis ſuperiori capite aliqua dicta ſunt. Legatur de eâ ſcriptum luculentisſimum *Joh. Walliſii*, qui Mathematicis rationibus eam demonſtratum ivit. Altera affectio nobis in oculos incurrens eſt motus, qui quò manifeſtior eſt, eò magis perplexas & abſconditas cauſas habet. Intelligo autem internos motus marium, quorſum ſpectat præcipuus fluxus & refluxus, ne quid dicam de aliis incognitis & inobſervatis. Quòd ſi aquæ, ſecundum proprietates ſuas & miſtiones cum heterogeneis corpuſculis, conſiderari deberent, res infinita eſſet, ſed tamen magnæ utilitatis. Singulis enim fontibus ineſt nativa quædam indoles à fundo, vel aëre in illos propagata. Cujus notitiam, quanquam confuſam, proponit Leonh. Thurnheuſerus *in lib. germ. de aquis.* Notat Boylius de aquâ Tameſinâ, illam, diu clauſam ſervatam, ſi aperiatur, ſpiritum ardentem emittere, ſeu qui tenuem aliquam flammam ab admotâ lucernâ rapiat. Fortè id adſcribendum eſt fundo ejus fluvii cretaceo.

CAP. XX.
DE MARI, EJUSQVE INPRIMIS FLUXU ET REFLUXU, FONTIBUS ITEM, FLUVIIS ET THERMIS.

§. 1. *Mare à ceteris aquis ſpecie diverſum perperam facit Honor. Fabri. 2. Scriptores de Mari. Ejus affectiones quædam, ſalſedo inprimis & facultas nauſeam excitandi. Remedium nauſeæ. 3. Maris Fluxus & Refluxus. De cauſâ ejus variæ ſententiæ, cùm veterum, tùm recentiorum, Scaligeri, Seb. Baſſonis, Verulamii, Gal. Galilei, Joh. Walliſii, Theod. Moreti, addito de iis, & præcipuis argumenti hujus Scriptoribus, judicio. 4. Veriſimillima judicatur illorum opinio, qui ad lunæ preſſionem, ac ſimul motum terræ, eam referunt. Carteſii, Joh. Walliſii & Honor. Fabri, diverſæ circa hanc hypotheſes. Iſ. Voſſii ſententia de ſole Æſtus marini cauſâ, à Thomâ Campanellâ hauſta, exploditur. Obſervationes circa illum diligenter inſtituendæ, quales Angli & Bernh. Varenius jam dederunt. Pauli Sarpii de eodem Epiſtolæ jactura. 5. Cauſæ inundationum, tùm Maris, tùm Nili, & Scriptores de iis. Diluvii univerſalis, ab Iſ. Voſſio impugnati, poſſibilitas Phyſicis rationibus a Nic. Stenone eſt oſtenſa. 6.* De Fundo Maris (*qui æque ſalſam & frigidam habet aquam ac ſuperficies*) *Lib. Rob. Boylii. Ejusd.* Hiſtoria Naturalis Maris *affecta. 7. De Maris, & aquarum, pondere, colore, aliisque proprietatibus, Monconiſii, Anglorum & Bernh. Varenii, obſervationes. 8. Fontium origo e vaporibus, pluviis*

viis & mari. Originem marinam Iſ. Voſſius impugnat, Joach. Burſerus defendit. Salſedo ab aquâ marinâ ſeparari poteſt. Fontes Artificiales. 9. Scriptores de fluviis ſingularibus, & inprimis de Nili origine. 10. De Aquis ſubterraneis. 11. Miſcellanea de aquis, & ſpeciatim de Thermis, earumque ortu.

MARE Honoratus Fabri facit mixtum imperfectum aqueum, in quo Elementum aquæ aliis ſenſibiliter prævalere videatur, ideoque ſpecie diverſum à ceteris aquis; quod mihi non ſatis aptum videtur. Si enim ita velimus diſtinguere corpora, penè, quot fontes, tot aquæ ſpecies haberemus. Omnes enim fontes ſingularem habent naturam quandam dependentem ab heterogeneis commixtis, & ſi aquas ita velimus diſtinguere, certè aërem etiam ita diſtinguere deberemus. Quod enim mare ſalſum eſt, illud à ſolis admiſtione eſt, quem extrahi inde poſſe per artificium, & per naturam, videmus. Salem tamen illum ſtatim ab initio creationis illi miſtum fuiſſe dici debet. Quòd ſi ſtatim aqua ſpecie diverſa eſſet, facilè ipſi ſpecies novas facere poſſemus & multiplicare Entia. Si communi ſale aquam communem imprægnamus, videmus ſtatim nova aliqua Phænomena, quæ in communi aquâ non deprehendas. Ova in communi aquâ merguntur, in aquâ ſalsâ natant, unde ratio patet, quare majores naves non adeò per flumina navigare poſſint, quàm per maria. Nolim tamen idcircò dicere, aquam, ſale imprægnatam, ſpecie eſſe diverſam à ceteris aquis. 1

Generales quasdam *Diſſertationes* de mari edidit Franequeræ A. 1651. *in 8vo*, 2
NIC. AMAMA, Sixtini Fil., quibus tit. fecit *Decadis Diſſertationum marinarum*, ſed in iis pleræque Scholaſticæ ſunt & proletariæ diſputationes. De ſalſedine maris prolixè agit HONORATUS FABRI, *Tract. 6. lib. 3.* ubi & de aliis quibusdam ejus affectionibus, quales ſunt, æſtate, fervente æſtu, mare ſalſius eſſe, unde ſub Æquatore, & Zonâ torridâ, mare ſalſius eſſe dicit, (cujus ratio hæc eſt, quòd calor ſolis vapores aqueos attollat, & partes facilè mobiles volatiles reddat, relictâ materiâ craſſiori ſalinâ,) marinam aquam ad ignem extinguendum minus aptam eſſe, aquam marinam pinguiorem eſſe, aquam ſalſam vino dulci ſupernatare, aquam maris ad nauſeam provocare. Cujus cauſæ motui, & fœtori navis & auræ marinæ, adſcribi debent, illæ enim junctæ poſſunt concurrere ad nauſeam excitandam, quanquam & ſingulæ interdum nauſeam excitare poſſunt. (Conf. Ad Olearii *Itin. Perſ. lib. 1. c. 2. p. 6.* qui id ſoli motui tribuit, & Jac. Pontanum, *in Bellar. Att. p. 124.* fœtori maris id tribuentem, refutat.) Hujus nauſeæ remedium arcanum ſuppeditat Alexander de Rhodes *in Hiſtor. Tunchinenſi:* ſi ſcil. quis piſciculum, ab alio piſce devoratum, torreat, atque edat. Cujus periculum facere poteſt, qui velit. Ego fidejuſſorem boni effectus me non præſtiterim: mihi enim vel ipſe piſciculus ſatis nauſeæ faceret.

Princeps maris phænomenon eſt fluxus & refluxus ejus, cui immergitur, quo 3
abſorbetur omnis humani ingenii ſolertia. Vid. *Diſſ.* Belmontis Cagnoli *de fluxu & refluxu maris*, Romæ habitam, & Diatr. elegantem *in cogitatis & viſis* Verulamii,

nec non aliam Sorelli *in ſcientiâ univerſali.* Quicquid hîc dicimus, per conjecturas tantùm colligimus, quarum eæ ſunt meliores, quæ veroſimiliores. Antiqui variè ſe torſerunt in indagatione hujus phænomeni, & Pythagorei ac Stoici ſpiritum quendam terreſtrem excogitarunt, hujus fluxus cauſam. Eadem Platonis opinio fuit, qui aquam è tartaro, vi ſpiritus, emitti & recipi dixit. Nimirum terram, velut animal aliquod, conceperunt, quod ſpiritum emitteret & reciperet. Ariſtoteles quoque ſpiritum aliquem æſtus cauſam agnovit: ait enim, à ſole & igne ſubterraneo multum in terrâ generari ſpiritum, cujus vim immenſam ait æſtimandam, non tantùm ex iis, quæ fiunt in magno mundo, ſed & in parvo, h. e. in corpore animalium, *lib. 2. de meteor. cap. de Terræ motu.* Jul. Cæſ. Scaliger, in hâc de fluxu maris doctrinâ, totus fluctuat, nec, quam in partem ſe vertat, novit, aliquam tamen cauſam aſſignat dominio illi, quod luna habet in aquas, externum tamen principium agnoſcit potius, quàm internum. Ita enim argumentatur: Si ab interno principio motus procedat, mare animal eſſe, quæ argumentatio non ſatis procedit. Tandem eo tota ejus ſpeculatio finitur, ut ignorantiam ſuam fateatur. Qui ignibus ſubterraneis adſcribunt cauſam illius, inconſideratè id faciunt. Non enim ab agentibus dubiis, & non perpetuis, motus tam conſtans poſſet propagari, qui, vel ipſo oculo judice, magis videtur per pulſionem fieri, quàm per rarefactionem, à quâ ſi procederet motus ille, tumultuarius eſſet, interruptus, nec ſibi per certa intervalla ac menſuras conſtans. Seb. Baſſo tribuit ſpiritibus quibusdam mari contentis, quorum concitatione effervescant aquæ, perinde, ut in animali accendi febrilem materiam videmus. Qui etiam neſcio quam animalis Ideam, de terrâ ſibi impreſſam, habet, ut omnes illi, qui hanc maris circumvolutionem circulationi ſanguinis in corpore humano comparant, vid. Phil. Jac. Sachſius *in Oceano Macromicrocoſmico, ſeu Diſſ. de analogo motu Aquarum ex & ad Oceanum, & ſanguinis ex & ad cor* (Uratisl. 1664. *in 8vo*,) & Franciſcus Follius à Puppio *in Recreatione Phyſicâ de ſanguinis ac omnium viventium univerſali analogicâ circulatione.* (ed. Florent. 1665. *in 8vo.*) Verulamius, acerrimus alioquin rerum naturalium indagator, vehementer hôc in argumentô fluctuat; nam primùm longa eſt illi diſputatio de variis motibus marium, & hinc examinat Analogiſmum cum lunæ motu, quem tamen ipſe in cauſâ hujus motus eſſe agnoſcere non vult, ad internos potius aquæ motus, & generales totius orbis, quàm ad ſpecialem lunæ pulſionem, confugiens. Unde de motibus maris ſexhorario, menſtruo, ſemimenſtruo, ſemeſtri, variè judicat, nec ad unum illos principium, ſed ad varias cauſas, refert, cùm tamen iſta varietas hic potius turbet, quàm expediat. Ut itaque longè incertiores ſimus, quàm pridem. Primus Galilæus Galilæi, Vir ſummi ingenii & judicii, aliquid majus animo concepit; is enim ad motum terræ retulit fluxum maris. Quoniam enim terræ globus, ſecundum ejus hypotheſes, motum habet annuum diurnum, ex eo pendere ait inæqualem illum maris motum. Aſſertionis principium vulgari experimento comprobat, quòd videamus lineam rectam, ſi ab æquali

motu

motu tranſit ad incitatiorem aut repreſſiorem, aut ad repentinam quietem, illicò totam concitari in unam partem, & relabi in contrariam. Hanc hypotheſin Galilæi Joh. Walliſius, acutiſſimus Mathematicus, *in Diſſ. de fluxu & refluxu maris*, quæ habetur *in Actis Anglicis p. 204.* ſummè rationalem cauſam vocat, non excludendos tamen putat motus lunares, ad determinandas periodos æſtus marini. Quid verò contra illam Galilæi ſententiam inferri poſſit, prolixâ diſputatione recenſetur apud Berirgardum *P. 5. Circ. Piſ.*, ita tamen ut magnificis Elogiis ſemper eum ornet Theodorus Moretus *in Tr. Phyſico-Mathematico de æſtu maris*, Antwerpiæ A. 1665. *in 4to* excuſo, ad virtutem lunæ magneticam, & luminoſam iſtam aquarum elevationem, refert, quod nihil eſt dicere. Sonoræ enim voces illæ ſunt, quibus nihil cauſæ ſubeſt.

Id certè veroſimilius conjecturis apprehendere poſſumus, cùm videamus globum hunc terreum maximâ ſuæ maſſæ parte aquâ circumdari & interfundi, motum maris eſſe aliquem, quia corpus fluidum eſt. Diſtinguimus etiam facilè motum ſuperficialem à motu totius, qui à ventis procedit. In hoc verò motu, quando videmus, totam maris maſſam moveri, nullâ deprehenſibili externâ vi compulſam, qualis eſt ventorum, rectè & firmiter inde colligimus, motum hunc debere procedere, vel per inclinationem totius globi, vel per pulſionem corporis, quod corpori terreo mole ſuâ penè reſpondet. Per inclinationem ſi fit, ejus ratio petenda eſt ex motu terræ; per pulſionem ſi fit, à nullo alio corpore, quàm à luna, fieri talis motus poteſt: quoniam vicinus ille planeta eſt, & breviore circulo circa terram volvitur. Vid. Federici Delphini Lib. integrum, Patavii A. 1559. *in 4to*, editum, quô fluxus & refluxus maris cum lunâ convenientiam demonſtravit. Movet verò tale corpus omnia corpora, ſibi obſtantia, facile mobilia. Obſtat autem primò materia cœleſtis vel æther, motu ſuo perveniens etiam ad lunam, hinc aër gravior, quem excipit aqua ſphæricâ figurâ ſuâ terram ambiens. Moto itaque corpore lunari, movetur æther, movetur aër, & omnium ultimò aqua, terminus illius motionis, & quaſi ultimis in rotâ iſtâ circulus. Accedit motus illius tenor quidam & æqualitas, quam non ab alio quàm à continuo movente, vel premente, poſſe procedere ratio dictitat. Quæ in iſto motu inæqualitas eſt, poteſt & determinari obſervatione accuratâ. Nam, quod in fluviis, vel maribus, per inſulas interfuſis, aut inter anguſta littora coarctatis, inæqualitas quædam ſentiatur, ab alterâ illâ inæqualitate decedens, id tribuendum eſt littoribus aut obicibus, ad quos alliduntur marini fluctus. Hæc omnia cùm conſideraret Carteſius, commentus eſt facilem aliquam methodum, quâ reciprocationem illam maris nobis demonſtraret. A preſſione enim lunæ, & motu cœleſtis materiæ aſcenſum & deſcenſum maris deducit. Quoniam enim vaſtum corpus luna eſt, omniaque loca corporibus repleta ſunt, igitur nova corpora non aliter admittuntur, quàm ut priora ſitu ſuo detrudant, cogantque aliò ſe extendere. Hypotheſin illam Carteſianam perſpicuè ob oculos poſuit Anton. le Grand, *in Inſtit. Philoſ. P. 6. Art. 12.* & *Hiſtoriâ ſuâ naturali*, ubi de ſpecialibus æſtuum phænomenis 4

pluribus agit, quæ nos, cùm prolixiora ſunt, hic excutere omnia non poſſumus. Ex iſtâ preſſione lunæ per ſe patet, & ex ſchematismo depicto, cur maris æſtus bis in die fiat. Luna enim verticalis alicui puncto preſſione ſuâ pellit aquas, quæ in extremo preſſionis ſuæ, quod quadrantem circiter globi implet, altiſſimæ, atque ita, in gyrum acta luna, per vices aqua deprimitur & tollitur. In his Carteſius ſatis, ut puto, explicuit rem totam, niſi fortè è motu terræ, quem Galilæus in cauſâ æſtuum eſſe dicebat, quædam aſſumenda ſint ad inæqualitates æſtuum determinandas. Satisfacere tamen non potuit Iſaaco Voſſio Carteſius, qui, *in libro de motu marium & ventorum*, (Hagæ A. 1663. *in 4to* edito,) in omnia alia dilabitur. Is enim omnes, etiam maximas intumeſcentias marium, vel à tantillâ caloris aquæ intenſione produci poſſe putat, qui ſoli potiùs, quàm lunæ, adſcribendus ſit. Videatur is *cap. 11. 12. & 13.* præcipuè, ubi rem iſtam prolixè proponit, ratiociniis inſuper quibusdam è Stathmicâ petitis, quæ tamen impingere ait Walliſius in principia iſtius artis, loco ſæpius citato. Non enim ſe conſentire huic hypotheſi poſſe ait, quòd inter maximum minimumque maris tumorem vix unius pedis perpendicularis intercedat diſcrimen. Walliſius itaque judicat, ſe nihil in totô librô invenire, quod ſuam ſibi ſententiam mutare poſſit. Quod hiſtorica atiinet, de iis ſuſpicatur Walliſius, ea ad propoſitum ſuum torſiſſe eum potius, quàm ut ſecuri eſſe poſſimus de eorum veritate. Manet itaque in illâ ſententiâ, eſſe lunæ adſcribendam cauſam fluxus & refluxus maris, non ſoli, ideoque commune quoddam centrum gravitatis terræ & lunæ poſuit pro explicandis phænomenis illis. Scil. terra & luna corpora illi ſunt adeò connexa, ut unius motus motum alterius analogicè ſequatur, lunâ obſervante terram, ut centrum periodici ſui motûs. Ideoque conſiderari poſſe putat, ut unum corpus, vel potius ut unum aggregatum corporum, habentium unum commune centrum gravitatis, quod centrum eſt in rectâ lineâ, connectente illorum reſpectivè centra, ita diviſa, ut ejus partes ſe habeant in reciprocâ proportione ad gravitates duorum corporum. Supponit Walliſius, terram & lunam, ſimul junctas, ut unum corpus circumvolvi circa ſolem, in magno orbe motus annui, & ex hâc ſuppoſitione motum æſtimat illum motu communis centri gravitatis utrorumque corporum. In Stathmicis enim, ait, æſtimari corpus, aut aggregatum corporum, moveri deorſum, ſurſum, aut quôvis aliô modô, quo ejus commune centrum gravitatis illo motu movetur, quomodocunque etiam partes inter ſe loca mutent. Linea itaque motus annui deſcribitur non centro terræ, ut ii exiſtimant, qui conſtituunt terram primarium, & lunam ſecundarium planetam, nec centro lunæ, ut ii, qui lunam primarium & terram ſecundarium planetam, faciunt, ſed communi centro gravitatis corporum terræ & lunæ, ut unius aggregati. Ex hac hypotheſi varietatem ille æſtuum deducere prolixis & quodammodo perplexis ratiociniis laborat, in quibus tamen non ſibi ipſi omni ex parte ſatisfacit, cùm hiſtorica æſtuum cognitione ſe non ſatis inſtructum eſſe fateatur. Ideoque, ut conjecturam tantùm ſuam proponit, & virorum eruditorum dubitationes ultrò provocat, quarum aliquæ *in Actis* referuntur *Anglicis*,

glicis, unà cum Reſponſionibus ad illas. *Vid. p. 219. 234 235. 518.* Honoratus Fabri, *Tom. 3. Phyſices*, *Tr. 6. lib. 3.* magnâ induſtriâ totam hanc doctrinam proponit. Ad lunam tamen cauſam non refert intumeſcentiæ maris, ſed eam occaſionem tantùm appellat, quæ certè ſubtilitas hîc non eſt magnoperè attendenda. Situm lunæ in cauſâ eſſe dicit, ut aëris, ſuperficiem rerræ ambientis, niſus ſit inæqualis. Scil. lunæ globus ſphæram gravitationis habet: Habet & terra, quarum utrarumque ſphæras gravitationis communi tangente gaudere dicit; unde inæqualitas aëris, & eum ſequentis aquæ, ſequatur. Quæ opinio non multum à Walliſianâ differre videtur. Ceterùm ſpeciales circa æſtus marinos obſervationes, earumque cauſas, centenis propoſitionibus, & multis ſchematiſmis, perſequitur, ut non credam, facilè quenquam majore induſtriâ rem iſtam examinaſſe. Pro fundamentô tamen hîc ſubſternendæ ſunt obſervationes à variis, in variis locis, magnâ cum attentione, inſtitutæ. Quomodo æſtus ſecundum tabulas obſervandi, præſcribitur *in Actis Angl. Socict. p. 18.* De varietate æſtuum in Inſulis Occidentalibus Scotiæ vid. eadem *Acta p. 40.* De varietate eorum in Bermudis, (in Scotia) *p. 460. & 664.*. De æſtuum verò tempore extat Epiſtola Henrici Philippi ad Walliſium *in Actis p. 540.* E quibus videmus, multum adhuc ſupereſſe in inquiſitione ipſius rei, antequam definitivam de verâ æſtuum cauſâ ſententiam dicere poſſimus. Jungi etiam iis obſervationibus poſſunt, quæ Bernh. Varenius notavit *in Geographiâ generali*, cujus nullam mentionem fieri ab iſtis Inquiſitoribus miror. Subſiſtemus itaque in generali illâ ſententiâ lunam vel ſolam, vel terræ junctam, & cum eâ in motu communicantem, horum æſtuum cauſam eſſe, ſecuri interim de ſpecialibus illis, usque dum longa dies, & perfectior cognitio eorum, accuratas demonſtrationes manifeſtaverint. Nam, vel illis, ut manifeſtis cauſis, adſcribendum eſt hoc phænomenon, vel ad qualitates quasdam Coſmicas, nobis incognitas, recurrendum. Utinam ſupereſſet Epiſtola, quam ſuper hoc argumento ſcripſit Pater Paulus Sarpius, & adeò deſiderat Scriptor *vitæ ejus p. 132. 133 Edit. Gall.* Quod Voſſii ſententiam attinet, qui in Sole cauſam æſtuum ponit, ea non eſt nova ejus opinio, ſed ante illum prolixè Thom. Campanella, *in Disquiſitionibus Phyſiologicis, quæſt. 20. Art. 3.* pro ſole pugnavit, ac Galilæi objectionibus reſpondit.

Sunt & alii motus maris, à Septentrione ad Auſtrum, ab Auſtro ad Septentrionem, ab Ortu in Occaſum, ab Occaſu in Ortum, de quibus Voſſius pluribus agit, & Honor. Fabri *loco citato, propoſ. 101.*

E motibus marium, ſi ſolito fuerint majores, inundationes oriuntur, quas Verulamius pocula lethea humani generis vocat. Eas obtingere nonnunquam videmus, an caſu, an ſucceſſione aliquâ periodicâ, non facilè definiri poteſt; nam non ſunt omnium inundationum accuratæ hiſtoriæ obſervatæ, nec obſervari rectè poſſunt ab hominibus, in extremô periculô conſtitutis, quare in illis nihil definire poſſumus. Veroſimile eſt, illas interdum, ſi non ſint admodum magnæ, oriri ex nimiâ pluviarum & nivium mole, tempeſtatibus & procellis inſolitis, nonnunquam à vi a- 5

liquâ internâ, cùm ſc. aliqua quaſi fermentatio aquarum eſt. Neque enim adeò abſurdum eſt, ut putat quidem Iſ. Voſſius, *in libro de Nili, & aliorum fluminum origine* contra Chambræum diſputans, à fermentô aliquô nitrosô intumeſcere Nilum. Id enim fit eô tempore, quô ſpiritus ille nitro-aëreus agitare totam naturam ſolet. Voſſius verò omnem illam inundationem à continuis illo tempore in Æthiopiâ pluviis oriri putat, ut omnes omninò fontes. Dignum ſanè eſt, accuratius inquirere, & in ortum Nili, & in inundationem iſtam. Nitroſitatis indicium eô tempore manifeſtum argumentum eſt, ex glebis terræ, eo tempore ponderoſioribus, quàm ante, adeò ut incolæ exinde menſuram inundationis capere poſſint. Vide in *Act. Angl. p. 192. 193.* rationes & argumenta ſummatim enarrata, quibus Chambræus ſententiam ſuam (*in diſcurſu Gallico de cauſis Inundationis Nili*) ſtabilire conatur, quam & examinat Th. Campanella *Disquiſ Phyſiol. quæſt. 20. art. 5. in Appendice.* Ceterùm, quod ad Nilum, ejusque inundationes, ſpectat, legi poteſt Marcus Frid. Wendelinus *in Admirandis Nili*, & Joh. Bapt. Scortiæ *lib. de naturâ & incremento Nili*, Lugd. Gall. A. 1617. *in 8vo* editus. Videantur & obſervationes de incremento Nili in *Itinerario* Monconiſii, *P. I. p. 158. 197. & 268.* & Anonymi Lib. Anglicus, Lond. A. 1669. *in 8vo* editus, ſub Tit. *A short Relation of the River Nile.* De Diluvio univerſali naturalibus rationibus poſſibili ſupra quædam diximus, & Nic. Stenonis *prodromum libri de ſolido intra ſolidum naturaliter contento* laudavimus, qui novâ quâdam ratione argumenta pro demonſtrandâ univerſalitate illâ invenit, quæ illic legantur. Sufficit nobis veroſimilitudo demonſtrata, ut habeamus, quæ opponere poſſimus temerariis ſacrarum literarum impugnatoribus. Iſaaci Voſſii certè, quanquam ſe non nominet, argumenta contra univerſalitatem diluvii non ſunt tàm invicta, imò plus abſurditatis in ſe habent, quàm ipſe forſitan exiſtimet. Conf. *Tr. de Diluvii univerſalitate*, Genevæ A. 1667. *in 12.* editum, cum *lib. de origine Animalium* Abr. Mylii, cujus an & ille fœtus ſit, incertum eſt, cùm nomen Autoris non addatur. Quibus ex cauſis inundationes particulares contingere poſſint, & quæ olim fuerint in Belgio inundationes, ſingulari libello deducit Mart. Schokius, Groningæ A. 1652. *in 12.* excuſo.

6 Proprietates maris, vel in genere conſiderati, vel ſpecialium quorundam, ſi omnes, quæ referri poſſunt, tractare hîc velimus, non paginæ aliquot, ſed volumina, nobis eſſent ſcribenda. Quomodo mare comparatum ſit in fundo ratione frigoris, Rob. Boyle oſtendit, è relationibus Urinatorum peritiſſimorum, in libello *de fundo maris, & temperie ſubmaritimarum regionum*, ubi notat, falſum eſſe, quod vulgò dicitur, & à Georg. etiam Fournerio, *L. 9. Hydrograph. c. 26.* acriter multisque rationibus, ſed incaſſum, defenditur, *minus eſſe frigidum & ſalſum mare in fundo,* (*l*) cùm

(*l*) Maris hyberno tempore congelati, & glaciem, & aquam glaciei proximam, dulcem eſſe, mediam modice tantùm ſalſam, infimam autem, & fundo propiorem, adeò ſalſam, ut unus Cantharus, ſive IV. Libræ Romanæ iſtius aquæ, igni appoſitæ, & in vapo-

cùm contrarium verum ſit. Illud autem verum eſt, non eſſe tàm rapidum aquæ motum in medio maris, & in fundo, quàm eſt in ſuperficie. Ceterùm præ manibus habuit Boylius abſolutam aliquam hiſtoriam naturalem maris, cujus ſumma capita recenſentur *in Actis Angl. p. 255.*

7 De diverſarum aquarum proprietatibus, ratione ponderum, videantur obſervata Monconiſii *in Itinerario p. 227. 449. 278. 282. part. 2.* De pondere aquæ congelatæ vid. *eund. p. 278. part. 2.* De ponderibus aliorum liquorum *p. 449.* Quomodo aqua ponderanda ſit, methodus præſcribitur apud eundem *p. 27. & 28.* De diverſo pondere aquæ marinæ vid. *in Actis Anglicis Transactionem 4. p. 442. edit. Angl.* Ibid. plura habentur de diſcriminibus aquæ marinæ & fontanæ *p. 565. & 701.* De varietate colorum in maribus diverſis vid. *ead. Act. Angl. p. 496.* Multa alia, quæ ad doctrinam de mari ſpectant, tàm Geographica, quàm Phyſica, habentur *in Geographiâ generali* Bernh. Varenii *c. 12. 13. 14.* quæ omnia hîc ſpeciatim enarrare non licet.

8 De fontibus, & eorum ortu, peculiariter quoque hîc agi debebat, de quo variantes ſunt Phyſicorum ſententiæ, tàm Veterum, quàm Recentiorum. Ariſtoteles fontes oriri putat ex aëre incluſo & vaporibus à ſole elevatis, inque aquam converſis. Alii ex concurſu pluviarum, vel aquarum nivalium, fontes generari putant; quam ſententiam Iſ. Voſſius integro libro demonſtrandam reaſſumpſit, eorumque ſententiam refutavit, qui è mari oriri flumina volunt, per percolationem, ita ut ſalſugo in terrâ remaneat, & purior aquæ ſubſtantia ſcaturiat. Eam enim ſententiam legibus naturæ adverſam putat, & contra principia hydraulica eſſe, imò totos illos tubos ſubterraneos fictos & imaginarios habet. Percolari per terram ſalſedinem poſſe experimento aliàs probatum eſt, quanquam & alii modi ſint ſalſedinem illam ſeparandi. Fuit enim Gallus aliquis nobilis, qui coram Rege experimentum ejus fecit per deſtillationem. Modus deſcribitur *in Act. Angl. recentioribus p. 2048.* Ut proinde impoſſibile non ſit, ex mari poſſe oriri fontes dulces. Honoratus Fabri *Tom. 2. tr. 6. lib. 3. Phyſ. ſuæ, propoſ. 105.* ægrè etiam adducitur, ut ex mari pervenire fontes putet, cujus rationes illic legantur, quanquam, ut mihi quidem videtur, non usque adeô iis rem conficiat. Quanquam enim verum non ſit, eſſe intra terræ viſcera tales quosdam tubos, aut machinas aliquas hydraulicas, tamen ita præfractè negari non poteſt, potuiſſe aliquos ductus ſubterraneos caſu fieri intra terræ viſcera, per quos pellatur aqua. Quod autem fontium ſcaturigines attinet, quæ è

vaporem redactæ, Salis Marini Unciam unam, cum ſesquiſcrupulo, reliquerint, d. 6. Februar. A. CIↃ IↃCIIIC. in portu Kilonenſi, deprehendit Sam. Reyherus, Acad. Kilon. JCtus & Mathematicus. Vid. ejus Hiſtoriam elegantem *Novi ſui Experimenti de Aquæ Marinæ Dulcedine*, in quâ cauſam hujus dulcedinis ab aquæ compreſſione, & ſalis gravitate, repetit, novasque rationes ſalis coquendi, & aquæ marinæ edulcorandæ, è Phænomeno hoc derivari poſſe oſtendit.

montibus oriuntur, illæ cum mari continuæ eſſe non poſſunt, alioquin aqua, quæ gravis eſt, aſcenderet, absque ullo exteriori impulſu. Fieri tamen id per accidens poteſt, ſi ſuperficies maris ſit altior quopiam terræ tractu, quo poſito fieri poteſt, ut aqua maris, per laxiores ſpongioſæ terræ partes ſe inſinuans, in ſcaturigines alicubi erumpat. Mihi hâc in re probaretur illa ſententia, non omnium fontium eſſe easdem origenes. Aliqui oriuntur è pluviis, aliqui fortè ex vaporibus liqueſcentibus, quod quomodo fieri poſſit, non abſurdè exponit Fabri *l. cit. propoſ. 104.* Et memini ipſe tale exemplum, cùm flueret in ſuperficie montis rivulus quidam, in effoſſione terræ nullam ſe aquam exhibuiſſe, ſed tantùm vapores quosdam. Aliquos Honoratus Fabri ex aëre liqueſcente oriri putat, cui tamen aſſentiri non poſſum, niſi per aërem liqueſcentem velit intelligere pluviam. Aër enim per ſe non mutatur in aquam, aut meros vapores & effluvia aquea, niſi in pluvias omnes condenſentur, ad fontes producendos aptos eſſe non credo. Qui ad Angelos motores recurrunt, aut ad influxum ſiderum, illi certè præter neceſſitatem ſuperſtitioſi ſunt in naturâ. Quomodo per artificium fieri fons poſſit, docet nos Joh. Majow *lib. de Salenitro c. 15. p. 256.* Quo experimento evincere vult, ab aquis pluviis oriri poſſe fontes. Argumentum *de origine fontium integrô libellô*, (Hafniæ A. 1639. *in 8.*) pertractavit JOACHIMUS BURSERUS, quô omnium ſententias examinat, & dubia circa ſingulas ſententias operosè diſcutit, qui tamen fontium ex mari ortum magno conatu propugnat & inprimis *c. 22.* maximæ illi difficultati ſatisfacere laborat, quomodo aqua marina ad fontium orificia adſcendere poſſit, quæ an hydraulicis legibus ſatisfaciant, Mathematici viderint. Jungi Burſero poteſt ſcriptor Gallus Anonymus Libelli *de origine fontium*, Pariſ. anno 1674. *in 12.* editi, qui utiliſſimus eſt, & Phyſicorum omnium opinionibus recenſitis & examinatis, ſuam tandem de origine illorum à nivibus & pluviis addit. De Aquis Mineralibus vid. *obſervations ſur les eaux minerales de pluſieurs provinces de France, faites en l'Academie Royale des ſciences, en l'année 1670. & 1671.* per le Sieur de Clos, A. 1675. *in 12.* editas.

Spectat huc conſideratio fontium ſpecialium, Nili, Danubii, Rheni &c. tàm
9 ratione ortûs illorum, quàm ratione ceterarum proprietatum. De Tiberi And. Baccius tres libros Italicâ linguâ ſcripſit. (*m*) De origine Nili, hactenus abſtruſa omnia & recondita. Marcus Frid. Wendelinus, *in Admirandis Nili*, Francof. A. 1623. *in 8vo* editis, multorum ſententias recenſet. Vide tamen, quæ affert ex nonnullis Orien-

(*m*) Veros Nili Natales, in Regno Habeſſiniæ Gojam, Petrus Pays, Jeſuita, Teſtis αὐτόπτης, an. 1618. detexit, Gregorii autem Habeſſini, ac aliorum, ſuffragiis fuſius confirmavit Iobus Ludolphus in *Hiſtoriâ Æthiopicâ*, Francof. an. 1681. editâ, *Lib. I. c. 7. & 8.* nec non in *Commentario* ad hanc *Hiſtoriam*, anno 1691. ibidem publicato. Charta ejus Æthiopiæ Chorographica, ab Arnoldo promiſſa, *Lib. I. Hiſt. Æthiopicæ*, modò memoratæ, *Cap. IV.* eſt inſerta. Conf. de Nili, in regno Gojam, Fontibus brevius diſſerentem Joh. Chriſtoph. Beemannum *in Hiſtoriâ Orbis Terrarum Geographicâ, cap. 3. p. 4. §. 16. p. 59. 66.*

Orientalibus Scriptoribus Joh. Chriſtoph. Wagenſeilius *Comment. in Sotan. p. 306. 307. 308* & Chriſtophorus Arnoldi *in notis ad eum Commentarium*, ſub finem additis, *p. 1179.* ubi promittit D. Hiobi Ludolphi Chartam Æthiopiæ, inque eâ veram Nili originem. *De Rheni Alveis* videatur Phil. Cluverii ſcriptum. Sunt & multi alii, qui ſingulorum quorundam fontium hiſtoriam ſcripſêre, ſed ea cura magis ad Geographos pertinet: in quantum tamen ex iis quid capi poteſt de ortu eorum, variis mutationibus, inundationibus, occluſionibus, referri poteſt ad doctrinam Phyſicam.

Multa hîc etiam de aquis ſubterraneis dici poſſent, quarum magna eſt copia 10 per viſcera terræ diffuſa, quæ multum negotii faceſſere ſolent foſſoribus, qui peculiaribus Machinis eas ab uno in alium locum transferre norunt. De earum utilitate videndus Auguſtus Hauptmann in Tract. Germ. cui tit. Waſſer-Schatz / quo demonſtrat, quantum illæ conferant ad mineralium productionem, ac Lib. alius Germ. Leonh. Thurnheuſeri, rerum metall. maximè gnari, adeoque præ aliis commendandi. Cloſii, Scriptoris Galli, paulò ante jam facta eſt mentio.

Poſſent hîc multa de puteis, de ſitu fontium, de æſtibus fontium, de proprie- 11 tatibus quibusdam aquarum, quatenus illæ corpori humano proſint, vel obſint, de ſignis aquæ latentis, de miraculoſis quibusdam & ſingularibus fontium proprietatibus, quarum multæ fabuloſæ ſunt, de fontibus & aquis tempeſtuoſis, de fluminum curſu, & ſimilibus, dici, de quibus omnibus legi velim Honorat. Fabri, qui ſingulari brevitate complexus eſt omnia. De aquis tempeſtuoſis videatur Kircherus *in Mundo ſubterraneo*. De Thermis multa etiam hîc dici poſſent. De iis ſcripſit integrum librum Andr. Baccius, & de ſpecialibus nonnullis varii Autores egêre, qui legi poſſunt omnes & examinari. Bernh. Varenius quoque admodum diligens fuit in aquarum mineralium ſpeciebus & proprietatibus enarrandis *Geogr. Generalis c. 17. toto, poſtquam c. 16. & 15.* multis de fluviis, lacubus, ſtagnis & paludibus, egerat. Multa is, in *Geographiâ* hac *Generali*, de terris ac maribus plenè atque eleganter tradidit. Optandumque eſſet, ut ſimili labore Geographiam ſpecialem potuiſſet perſequi. Sed morte immaturâ præventus perficere opus inſtitutum non potuit. Thermarum ortum aliqui tribuunt ignibus ſubterraneis; ſed rectior eſſe videtur ſententia Johannis Mayowii, qui Jordanum, popularem ſuum, ſequutus, Thermarum incaleſcentiam à fermentatione, in terræ viſceribus alicubi excitatâ, provenire exiſtimat, ita ſc. ut particulæ aëreæ, unà cum aquis pluvialibus (cum quibus illæ magnâ copiâ miſcentur,) in altam tellurem deſcendentes, ibidem mineræ ſalino-ſulphureæ occurrentes, æſtum admodum intenſum in eadem excitent, & demum aquarum ſcaturigines, è minerâ, eo modo exæſtuante, profluentes, thermas conſtituant. Vide *Tractatum* ejus *de Sale - nitro, cap. 15.* ubi de Thermis Bathonienſibus agit.

CAP. XXI.

DE TERRA.

§. 1. TErra, imo Sabulum quoque, non eſt Elementum, ſed corpus compoſitum. Cinis reſiduus pars ejus eſt purior, & maximè Elementaris. 2. Terram & cineres omninò in aquam poſſe abire, darique liquorem omnia in hanc reſolventem, contra J. Bapt. Helmontium, & alios, aquam rerum omnium materiam ſtatuentes, negatur. 3. Mathematicæ affectiones Terræ recenſentur, & pro motu terræ Copernicano, contra quietis ejus Patronos, nonnulla congeruntur. 4. Joſ. Ant. Gonzalezii opinio de duplici terrâ. 5. Terræ vis magnetica & variatio quoad Climata. Speluncæ ſubterraneæ. Fabulæ de terrâ Septentrionali, de quâ Diſſ. promittitur. 6. Variæ terrarum ſpecies, ceſpites, Porcellanæ Chinenſes è terrâ Cretaceâ confectæ. 7. Terræ cultura. De illâ conſulendi Scriptores Geoponici veteres & Joh. Evelinus. Joſ. Lucatelli nova Machina, ſimul arans & ſeminans. 8. E guſtu & odore terræ loca à nonnullis, ubi degebant, explorata.

1 ACcedimus ad TERRAM, quam quartum Elementum faciunt. Quomodo verò comparata eſſe illa debeat, ut Elementum nobis conficiat, certè tàm eſt ambiguum, ut oſtendi illud facilè non poſſit; quod enim nos terræ nomine ſalutamus, tantùm abeſt, ut elementum ſit, ut ipſum potiùs elementatum & compoſitum. Nulla enim eſt terræ ſpecies inter omnes illas, quam ſimplicis corporis titulo honorare poſſimus, niſi quis fortè ſabulum Elementum terræ nobis exprimere putet. Ajunt enim, eò puriorem eſſe terram, quò propior centro ſit, exteriorem verò hanc cruſtam eſſe metallis ſuccisque mineralium permiſtam, unde variæ ejus proprietates oriantur, quo profundius verò foſſores terram ſcrutentur, eò plus ſabuli illos invenire. Quod ego univerſaliter verum eſſe non exiſtimo, neque enim, quod unô fortè in locô obſervatum eſt, perpetuam nobis regulam facit. Crediderim enim ego, plus metallici ineſſe terræ, quò magis ad centrum terræ accedimus. Quicquid verò ſcil. eſto, ſabulum illic reperiri, falluntur illi, qui id pro terreo Elemento accipiunt. Sabulum enim eſt corpus aliquod compoſitum, habetque in ſe materiam lapideam, quale ſabulum, utut in minutiſſimas partes ſit conciſum, non tamen corporis ſimplicis nomine poteſt ſalutari. Quod ſi aliquod tale corpus datur, ut certè dari debet, ſubſtantia quædam prima arida, nunquam fortè id oculis exhiberi poteſt, niſi quis cineres, poſt calcinationem fortem & validam reſiduos, hoc nomine appellare velit. Quanquam & hîc aliqui erunt, qui cinerem productum aliquod ignis potius, quàm corpus naturale, habebunt, quibus tamen ego non accedo. Ineſſe enim revera tales particulas corporibus, nec ab igne produci, manifeſtis ſanè rationibus deprehendere poſſumus. Ignis enim nihil novi producit, ſed ſeparat tantùm corpuſcula heterogenea, variè inter ſe miſta, reſiduo illo, in quod imperium ſuum exercere non poteſt, quod vel cinerem, vel ſalem fixum, appellare poſſu-

poſſumus. Alius terram appellaret elementarem illam; dari enim terra pura debet, quia datur impura. Si ceſpites bituminoſos quis combuſſerit, cineres remanent, anteà terra erat impura, particulis ſulphureis plena; illæ, ubi per ignem deflagrarunt, illud, quod aridum eſt, remanet, igne inſuperabile. Terram enim puram non eſſe inflammabilem velunt Phyſici, non eſſe exhalabilem, non poſſe comprimi, non poſſe liquari, qualia omnia dici poſſunt de cineribus reſiduis. Certè terræ puræ elementaris ideam non aliâ notione concepêre. Sed illa nunc miſſa faciamus. De reliquis, quæ ad terram, quatenus Elementum eſt, ſpectant, videatur Honoratus Fabri, *Tom. 2. Tr. 5. lib. 2.* ubi de punctis minimis terræ, aliisque proprietatibus, prolixè agit.

Qui terram ex Elementorum ordine eliminant, quod ii faciunt, qui aquam omnium rerum principium ponunt, ut inter veteres Thales, inter recentiores Helmontius & alii, ii inepto argumento utuntur: putant enim, quoniam terra & cineres in aquam tandem abeant, terram pro Elemento non habendam eſſe, ſed potius aquam. In quo tamen eos falli exiſtimo. Falsâ enim hypotheſi nituntur, quaſi cineres & terra quævis in aquas abeant reali immutatione; quanquam enim diſpergi poſſint minima eorum per ſubſtantiam aquæ, tamen dicendum non eſt, mutari particulas illas in aquam. Quò magis mirum mihi videtur, poſſe dari menſtruum aliquod univerſale, quòd omnia in aquam inſipidam vertat & ſolvat, cùm naturæ ipſi repugnet, tale quid dari. In tantâ enim diverſitate ſtructuræ partium in corporibus naturalibus (aliter enim vegetabilia, aliter mineralia, aliter animalia, & hîc iterum aliæ ſpecies aliter texturam ſuam ſortiuntur,) unum dari poſſe liquorem, omnibus corporibus ſolvendis aptum, res monſtro ſimilis videtur, niſi fortè dicere velimus, eſſe aliquod quaſi gluten univerſale in omnium corporum particulis, quod liquoris hujus affuſione ſolvatur, reſiduis ceteris portionibus. Sed iidem ajunt, omnia abire in aquam, quod magis mirum videtur, & ſibi ipſi contrariantur hujus liquoris Patroni. Helmontius enim alicubi nihil remanere dicit, alicubi fæces aliquas remanere ait. Sed iis tandem fœcibus quid fiet? E. illæ generali hujus liquoris imperio non continebuntur. Ego mera hæc ſophiſmata habeo, vel ad oſtentandam doctrinam, vel ad ſuſpicionem ſecretorum artificiorum fovendam, inventa. Nunquam enim vel fando accepimus, aliquem oculis ſuis vidiſſe experimentum, quod tamen de aliis dicere poſſumus. 2

Terra, quatenus globum cum aquâ efficit, Mathematicæ conſiderationis eſt, & tùm affectiones ejus à Mathematicis excutiuntur, quibus nos non immorabimur: ſunt enim extra inſtitutum noſtrum, quanquam aliquatenus eæ etiam pertineant ad Phyſicam conſiderationem, Disquiri poteſt de Telluris figurâ in univerſum, de loco telluris in mundi Syſtemate, de dimenſione & magnitudine telluris, de ſubſtantiâ ejus & conſtitutione, de motu telluris, de quibus ſingulis magno ſtudio egit Bernh. Varenius, qui Mathematicis Phyſica miſcet. Quod Terræ motum ſpectat, is magno conatu olim defenſus eſt, & Nicol. Copernico reductus, poſtquam per tot ſecula ſententia illa quaſi obdormiverat. Eſt tamen illa veroſimillima, iisque rationibus 3

fundatur, quæ per è demonſtrandi aliquam vim habent. Honoratus Fabri, præter Eccleſiaſticam autoritatem, vix aliquid opponere novit huic ſententiæ, quæ olim maximis etiam Mathematicis obſtitit, ne ex animi ſententiâ loquerentur, multis etiam periculoſa fuit. De motu ipſo, ejusque varietate, in vulgaribus etiam compendiis Phyſicis legitur. Triplex illius motus ſtatuitur: 1. diurnus, 2. annuus, 3. inclinationis, à Copernico. Singulorum motuum rationes explicatè propoſuit Petrus Gaſſendus *Inſtitutionum Aſtronomic. lib. 3. c. 1. & 2.* Ex quo in Phyſicam ſuam excerpſit illa Fridem. Bechmannus. Rationes, tàm pro motu, quàm pro quiete terræ, variæ à variis afferuntur, de quibus ſingulis agere nos hîc non poſſumus. Quæ pro quiete terræ à ſenſu afferuntur argumenta, ridicula ſunt & inepta. Ad ſcripturæ teſtimonia reſpondet Dan. Lipſtorpius *in Copernico ſuo Redivivo*, qui hanc litem reaſſumſit, & argumenta inter ſe contulit. Aliqua pro quiete terræ congeſſit Henr. Kippingius *lib. 4. c. 7. Inſtit. Phyſic.* ſed nullius momenti. Motum terræ diurnum, ante aliquot annos, Franc. Travaginus (Italus,) è quibusdam obſervationibus, à ſe factis, in terræ motu Raguſiano, demonſtrare voluit, de quo, capite de terræ motu, agemus. Robertus Hookius non ita pridem aliam motus terræ probandi rationem inſtituit ex obſervationibus quibusdam parallaxeos, de quibus legi ipſe Auctor poteſt, *in Conamine ſuo*, Latinè Anno 1679. *in 4to* Lipſiæ recuſo. Terræ editiora montes vocantur, de quibus Varenius videri poteſt.

4 An terra iſta, quam calcamus, eadem ſit cum antediluvianâ, video dubitare autorem quendam Hiſpanum, Joſephum Antonium Gonzalez de Salas, *in Diſſertatione paradoxâ de duplici viventium terrâ*, Amſt. A. 1650. *in 4to* editâ, quam ipſe *mirabilem* appellat. Putat enim, terram antediluvianam, vel planè aliam eſſe ab hac noſtrâ, vel ſaltem novam eſſe ſuperficiem, quæ ante diluvium non erat. Argumenta ejus excuſſit J. Henr. Heideggerus *in hiſtoriâ Patriarcharum*, *Exerc. de diluvio.* Micrælius *de Præadamitis p. 70.* ita de eo judicat: *Gonzalez de Salas hanc ſuam opinionem jactat, tanquam novum repertum, cùm noſtris Eccleſiis, ſi nonnulla excipias, in quibus ſua ſibi habeat, hæc ipſa ſententia jam à Luthero ſit probata in Gen. c. 2.* De Terrâ, & Terreſtrium corporum texturâ, de diverſis corporum terræ ſtratis, de productione montium, ſimilibusque, ſubtiliter admodum diſſerit Nic. Steno *de ſolido intra ſolidum naturaliter contento.*

5 Inter affectiones, quæ terræ competunt, ut globo alicui, eſt verticitas, ſive vis ad polos converſiva, vel vis magnetica. Nihil enim aliud terram, quàm magnetem magnum, eſſe, dudum demonſtrare laboravit Gvilh. Gilbertus in ſuo *de Magnete* libro, ut taceam aliorum experimenta. Ratione ſitûs ad plagas cœli, prout ſc. pars aliqua terræ ſoli, vel magis, vel minus, vicina eſt, variæ ſunt terræ affectiones, ipſe quoque aër & effluvia, è terra emanantia, variationes ſuas ſortiuntur. Quicquid itaque variationis in terrâ obſervari poteſt ratione climatum, huc pertinet, cui fini inſtituuntur obſervationes in variis orbis locis, ac methodus ejus rei paſſim præſcribitur *in ſocietat. Regiæ hiſtoriâ.* Qui Itineraria curioſiora ſcripſêre, non etiam ſunt ſpernendi, è quibus Monconiſianum ceteris præſtat. Pertinet etiam huc conſideratio

tio locorum ſubterraneorum, cryptarum, ſpecuum, inter quas referri debet ſpecus Baumanniana, de quâ M. Henr. Eckſtormius librum ſcripſit, & D. Joh. Dan. Major alium pollicetur. Vid. & Kirch. *in Mundo ſubterraneo*, ubi plurium talium cryptarum meminit. De conſtitutione metalli-fodinarum & venarum, per quas ducuntur metalla, operæ pretium eſt accuratiorem notitiam habere. Vid. Steno, *in libro citato*, prolixè omnes illas terræ facies examinans. Aliqua ſunt terræ ſeptentrionali propria, aliqua Auſtrali. *De ſeptentrionali terrâ* mirificæ ſunt multorum fabulæ, de quibus aliquando *peculiari Diſſertatione* agam. (*n*) Volunt Septentrionem primùm eſſe creatum, inde ignem oriturum, qui mundum deſtruet, ibi appariturum Chriſtum in judicio, ſub ipſô polô, vel circiter, eſſe paradiſum, magnam illic eſſe auri copiam, ſedem eſſe illîc ignis infernalis, habitari à Dæmonibus, in terram deturbatis.

Dicenda etiam hic quædam eſſent de variis terræ ſpeciebus. Variæ enim illæ 6
ſunt, ſed earum diſtinctio in vulgaribus etiam Phyſices Compendiis ſolet haberi, ubi de mineralibus agunt. Nemo diligentius omnes congeſſit Ferrante Imperato, *in Hiſtoriâ ſuâ naturali*. Varia etiam dici poſſent de uſibus talium terrarum, qui ſunt, vel Medici, vel Oeconomici. De ceſpitibus bituminoſis, (Torff/) Mariſcis antiquitus appellatis, vid. Barth. *in Adverſ. 2215*. Martinus Schokius, (Vir diligentiſſimus, doctiſſimus, & multæ lectionis, ſed cujus pleraque curâ extemporali ſunt ſcripta) integro libro egit de hoc argumento, Groningæ anno 1658. *in 12*. excuſo, ubi multa curioſa, tàm Phyſica, quàm Oeconomica, continentur. Gallicum de iisdem ceſpitibus Tractatum Car. Patinus edidit Pariſ. A. 1663. *in 4to*. Porcellanæ Chinenſium ex terrâ ſingulari cretaceâ vel albâ, per vitrificationem, conficiuntur, & falſa eſt opinio eorum, qui ex excrementis humanis, vel oſſibus, aut aliâ materiâ, fieri putarunt. Modum parandi porcellanas tradunt Kircherus *in Chinâ Illuſtr.* & Joh. Neuhoffius *in Itinerario Chinenſi*.

Add. Salmuth *Tom. 2. Rer. mem. ad Panciroll. lib. 2.* & Andr. Müllerus *in Cathajâ p. 76.*

Poteſt etiam terra conſiderari, ut vegetationis & agriculturæ ſubjectum, &, ra- 7
tione ejus, variis ſignis & qualitatibus, ejus vel bonitas, vel ineptitudo, cognoſcitur, de quibus prolixè agunt *Geoponici Auctores* veteres, quorum accuratior editio optanda eſſet, quàm moliri dicuntur Angli. In Gudianâ Bibliothecâ Exemplar eſt collatum cum MSS. Codicibus, quod integras periodos habet, quæ in vulgatis Editionibus non reperiuntur. Jungendi ſunt illis Latini Auctores, Columella, Varro, Palladius, & ſi qui fortè è Recentioribus hoc argumentum tractant. Superiori anno in

(*n*) Ejusdem cum Diſſert. à Morhofio promiſſâ, ſed non abſolutâ, Argumenti Tractatum Phyſico-Hiſtoricum, ſub *Boreæ* Titulo edendum, expectari nunc à ſe jubet D. Otto Sperlingius Jun., Auguſtiſſimi Regis Daniæ Conſiliarius. VII. ejus Capitum argumenta V. *in Novis Literariis Lubecenſibus, M. Majo A. 1703. p. 113.*

in Angliâ prodiit linguâ Anglicâ Joh. Evelini *Diſcurſus Philoſophicus de Terrâ, quatenus refertur ad vegetationem & propagationem plantarum*, quo de omnis generis ſtercorationibus agitur. Inventa quoque, ut hoc obiter moneam, eſt nova quædam machina, quæ ſimul arare, ſerere & ſulcos componere poſſit, Londinique in Collegio Greshamienſi aſſervatur. Ejus deſcriptio habetur in ejusdem Joh. Evelini literis, quæ habentur *in Actis Angl. p. 1056. & ſeqq.* Ejus inſtrumenti Inventor eſt Eques Hiſpanus, Don Joſeph Lucatello.

8 Ceterum de terræ variis qualitatibus, quæ illi ex permiſtione heterogeneorum corporum inſunt, multa dici poſſunt, quibus ſpecialibus non immorabimur. Id ſaltem, quod memorabile videri poteſt, hîc notari velim, fuiſſe homines, qui guſtu diſtinguere terras potuerint, & odore, atque ex iis certò prædicere, quo in loco verſarentur. Vid. *Diſſertationem* noſtram *de paradoxis Senſuum*, c. 4. ed. Kil. A. 1676.

CAP. XXII.

DE USU PRIMORUM CORPORUM, SEU ELEMENTORUM.

§. 1. Accommedatio Elementorum ad uſus humanos, per mutuam applicationem. 2. Aeris Exercitatio. Artificium Aëronauticum. Franc. Lanæ, J. Chr. Sturmii, Honor. Fabri, Rog. Baconis, Magni Pegelii, circa illud Experimenta & conſilia, & judicium de praxi ejus periculoſâ. Pegelii Conſilium de conclavi Medico, vario aëre replendo. 3. Aquæ uſus Mechanicus. Scriptores Hydraulici. Statuæ ſonantes, aliaque Inſtrumenta Muſica, aquâ animata. Scriptores de Artificio liquores varios evomendi, artibusque Natatoriâ & Urinatoriâ. 4. Terræ uſus non tàm multiplex, ac aëris & aquæ. 5. Ignis uſus ingens, inprimis in Chymiâ, cujus laudes decantantur. Artificia veterum Chymicorum, ignis ope parata, præſertim Lampades ſepulchrales perpetuæ, in quarum cauſam inquiritur. Phosphori Modernorum (Chr. Ad. Balduini, Joh. Kunckelii, &c.) Artificiales, & Scriptores de iis.

1 QUoniam in hoc globo terreo habitamus, & circumpoſita habemus varia illa corporum naturalium genera, inque iis quotidiè mutuâ actione paſſioneque multâ fieri videmus, in eo quoque laborare nos debemus, ut & nos, applicatione mutuâ corporum, uſum vitæ civilis perficiamus, ſive id per principia Mechanica, ſive per naturalia, efficiatur. Primùm itaque ad maſſas corporum univerſales reſpiciamus, aërem, aquam & terram, quæ tria corpora variâ ratione uſibus noſtris accommodari poſſunt.

2 Quod aërem primò attinet, de ejus quibusdam utilitatibus jam ſuprà aliqua diximus. Nunc, ut de quibusdam ſpecialibus dicamus, id inprimis conſideratione dignum eſt, quòd aër extrahi poſſit certis quibusdam ſpatiis, & beneficio hujus vacuitatis

cuitatis multæ mirabiles operationes fieri. Multa dependent ex gravitate & levitate aëris, quæ ſi exactè ſcirentur, mirabiles poſſent ex iis effectus produci. Huic certè principio Franc. Lana ſuperſtruit illam inventionem artificii Aëronautici, de quo ſuprà pluribus egimus: nunc autem addimus, idem fuiſſe artificium examinatum à Joh. Chriſtophoro Sturmio, *Colleg. Curioſ. Tentam. 10.* qui hujus rei poſſibilitatem aliquam agnoſcere videtur, alioque quodam experimento illi ſubvenit. Quod enim Franc. Lana in aëre experiri voluit, id ille in aquâ tentavit, eoque modo naviculam formavit è plumbo tantæ gravitatis, ut mergeretur in aquâ, huic naviculæ, per funiculum duplicem, æquali longitudine propendentem, ſphæras vitreas connexuit, aëre quidem plenas, ſed aquâ vacuas, à quibus Sphæris pendula navicula liberè intra aquam natavit. Hujus rei rationem ex eo deducit, quòd utriusque ſphærulæ vitreæ tota ſubſtantia notabiliter eſſet levior eâ aquæ mole, quæ ſingulas adimpleret, unde abſente aquâ, & ſphærularum cavo ab aëre occupato, totum compoſitum è vitro & aëre, intus concluſo, levius fuit aquâ, atque ideô necesſariò ſupra aquam natavit. Cum jam ſimili ratione talem navem aëream commentus fuerit Lana, putat, non impoſſibile eſſe, ut res illa procedat, modò ſphæræ illæ ita comparari poſſint, ut aër illis extrahatur. Honoratus Fabri, *Phyſices Tract. 1. lib. 2. propoſ. 246.* per tubos amplos, aëre copioſo & compreſſo refertos, obtineri poſſe ſperat, quod Lana per evacuatos globos confectum vult. Is, occaſione illâ, quâ tradit, modum parandi jacula, quæ ſurſum inſtar pyriorum miſſilium ferantur, non ſulphureô pulvere, ſed aëre compreſſo fœta, inter varia alia artificia, tandem ſubjungit: *Ut autem aliquid mirabilius addam, poteſt eſſe tanta vis aëris, intra tubum majorem compreſſi, ut magnum pondus, tubo conjunctum, ſecum attollat. Hinc, ſi affigatur paulò major clavus & ſedes penſilis, in quâ homo ſedeat, cùm clavum ipſum ad libitum regere, & quoquo verſum torquere poſſit, ſedens impunè volabit per aërem, &, quod majus eſt, aëra rurſum, intruſo Embolo, operâ organi mechanici, comprimere poſſet, dum ſc. prioris impetus vi ſurſum ferretur. Hinc diu per multas horas per medium aëra ambulabit, quô nihil ferè mirabilius eſſe poteſt.* Hæc Honor. Fabri ita proponit, ut invidere videatur, ſi parabile eſſet tantum arcanum: non enim explicatè innuit, quomodo machina talis conſtrui poſſit. Rogero Bacono, homini ad miraculum in Phyſicis & Mathematicis perito, in *Epiſtolâ* illâ *de operibus ſecretis artis & naturæ, atque nullitate Magiæ*, ſimile aliquod inſtrumentum indicatum fuit, ſed quod in arficiali aliquo motu fundatum eſt: *Poſſunt*, inquit, *fieri inſtrumenta volandi, ut homo ſedens in medio inſtrumenti revolvens aliquod ingenium (machinam) quo alæ artificialiter compoſitæ aërem verberent, ad modum avis volantis.* Plura illîc habentur ab illo indicata artificia, ab uſu aëris provenientia. In his tamen aliquid moliri admodum grave eſt. Nam, ubi nullus rei ſucceſſus eſt, Inventor pro gloriâ reportabit riſum & contemtum. Excidere autem ille fine ſuo poteſt, ſi vel minima aliqua circumſtantia rem vitiaverit, imò praxis ipſa difficultates oſtendet, de quibus non cogitatum eſt, cùm ſpeculationi indulgeremus. Quare & Honor. Fabri monitum

ſuæ propoſitioni addit, ſe, licet theoreticè loquendo hæc veriſſima ſint, nemini auctorem eſſe velle, ut periculum faciat, & veniat aliquando ad praxin. Varii ſunt alii uſus aëris in organis pneumaticis, ſtatuis loquentibus, in ſonorum directione, de quibus ſingulis dicere non poſſumus. Videantur multa de iis in Sam. Reyheri *Diſſertatione de aëre.* Unicum adhuc meminiſſe operæ pretium eſt, de conclavi aliquo parando, quod repleri poſſet, quo velis, aëre, fumo, halitibus juvenum vigentium, variis item liquorum, certis morbis medentium, odoribus, ut peregrini aëris nihil accedat, quibus corpus ægrum, dum reſpiratione perpetuâ quaſi in ſpirituum ſuorum familiam adoptat ſalutares odores, ſanitati reſtituatur. Propoſuit illud Magnus Pegelius *in Theſaur. rer. ſelect. p. 108.* qui & *p. 123.* cujusdam navigii aërei meminit.

3 Aquæ uſus, tùm mechanicus, tùm naturalis, multiplex eſt. De naturali uſu non erimus hic ſolliciti. Quod Mechanicum attinet, varius ille eſt, pro ratione aquæ, vel compreſſæ vel attenuatæ, unde mirabiles operationes poſſunt in naturâ fieri, Eſt verò huic uſui dicata peculiaris ars hydraulica, quam hodie magnoperè excultam habemus. Caſpar Schottus ſingulari libro potiſſima artificia collegit. Legi etiam poſſunt Rob. Boylii *Paradoxa Hydroſtatica.* Statuæ ſonantes antiquitùs etiam factæ ſunt, mediante aquâ, & docet Kircherus, *in arte ſuâ Muſicâ*, talem ſtatuam conficere, quæ ad ſolis ortum incipiat cantillare, veteri illi Memnoniæ ſimilis. Fabricârunt etiam veteres alia inſtrumenta muſica, aquâ, quemadmodum noſtra aëre, animata. Talis organi meminêre Vitruvius & Hero, è quibus, ſecundum illorum mentem, Syſtema hoc deſcripſit Iſaacus Voſſius *in libro de poëmatum cantu & viribus Rythmi p. 100.* quod apud illum prolixè explicatum videatur. Magnificè ſanè illud deprædicat Voſſius, illudque Organis aëreis longè præſtantius eſſe contendit. Artificium hydraulicum eſt fortè & illud, quo quis, epotâ prius aquâ, omnis generis vina & liquores potuit evomere, de quo, ſi rectè memini, aliqua prodidit Scottus *in Joco-ſeriis artis & naturæ.* Simile tamen huic videtur fuiſſe illud, quod Magnus Pegelius *pag. 125. Theſauri ſui præpoſuit;* ex eodem certè principio deductum. Pertinet & huc ars Natatoria & Urinàtoria, cujus ſingularia notare accuratè conveniret. Etmundus Digbæus *de arte natandi & urinandi* librum ſcripſiſſe dicitur, ſed nunquam mihi videre hunc licuit. Erycius Puteanus etiam *de natatu* ſcripſit teſte Craſſo *in Elog. hom. literatorum, P. 1. p. 328.* Sed & illum nunquam vidi, & fortasſis ille, quæ artem ipſam ſpectant, non attigit. De Thermis per artem faciendis pasſim tradunt recentiores Scriptores.

4 Quod Terram ſpectat, quantus ejus uſus ſit, ſatis in propatulo eſt, inprimis in iis, in quibus ratione ponderis operationes inſtituendæ ſunt. Non tamen tàm variis uſibus illa patet, quàm aër, vel aqua, corpora ſubtiliora, quæ fluore ſuo omnes in partes verſari poſſunt, & eam ob cauſam multis mechanicis operationibus occaſionem dare.

5 Quod Ignem attinet, ejus uſus tantus eſt in naturâ, ut major eſſe non poſſit. Ille promus condus eſt omnium Secretorum, ille ſolvit corpora & componit, ne quid

dicam

dicam de vulgaribus uſibus. Tota Chymia, cum omni apparatu ſuo, ad illum pertinet, quâ arte divinius & præſtantius nihil excogitatum eſt: illa enim quaſi imitari opera Dei & naturæ videtur, *deſtruit, ædificat, mutat quadrata rotundis*, fingit & refingit omnia. Ignium variæ origines & formæ, & modi producendi tàm varii ſunt & multi, ut magno volumine quis non ſatis explicet. Utinam Rob. Boylii haberemus eo de argumento ſcriptum, quod flammis periit, multa ab illo doceremur. Antiquis accuratiorem fuiſſe ignium cognitionem hiſtoriæ demonſtrant, multa enim admiranda ſecretorum ignium cognitione efficere potuerunt, quæ nos imitari non poſſumus; quod manifeſtum argumentum eſt, plus illos operationibus practicis chymicis dediſſe, quàm nos fortè credimus. Imò lampades illæ ardentes & lucentes, in ſepulchris repertæ, teſtari eâ de re poſſunt, de quibus variè à nonnullis diſſeritur, nemo autem inter illos expromere veram eorum ignium rationem potuit. Videantur omnes ſententiæ congeſtæ apud Sorellum in ſuâ *ſcientiâ Univerſali*, *Tom. 3. p. 68.* Hermolaus Barbarus certè inter ſecreta chymica eos ignes retulit, & ex auro paratum fuiſſe liquorem oleoſum exiſtimat, qui potuerit intra vitrum concluſus & incenſus ardere & lucere, admiſſo autem aëre ſtatim extinctus fuerit, quod quidem temerè dici non poteſt. Vid. Claudii Guichardi diſcurſus in libro ſuo, Gallicè ſcripto, *de Ritibus funeralibus Græcorum & Romanorum*, de his lampadibus ſepulchralibus & ſubterraneis. Non crediderim ego, quod aliqui putant, illuſum fuiſſe illis phaſmate aliquo; nam certè conſtans eſt multorum de eâ re traditio. Chymicæ arti adſcribendum certè eſt tale artificium, quanquam non æquè in auro illud quærendum crediderim. Plura ſunt fortaſſis naturæ ſubjecta, quæ, debito modo præparata, lucem ſpargere poſſunt. Suntque variorum ſuper hâc re cogitationes, quibus tamen omnibus nihil certi ineſt, niſi quod nuper admodum ab artificibus quibusdam productum in lucem fuerit per artem chymicam tale aliquod naturæ phænomenon, quod poſſibilitatem talium ignium oſtendat. Materia haud dubie nitrum eſt, è quo præparari poſſunt, quæ lucida ſunt, quanquam non adeò clarè & diſtinctè. Quâ in ſententiâ confirmor à Joh. Mayovio, qui lucem omnem particulis ſuis nitro-aëries adſcribere non veretur. Et quidem Chr. Ad. Balduinus Phosphorum Hermeticum produxit, ſive magnetem aliquem luminarem, præparatum aliquod chymicum, quod ex aëre illuminato lumen ſuum mutuatur. Nuperrimè autem alia quædam materia præparata per artem eſt, quæ, illita corpori, illud in tenebris radiare facit. Eſt & alia materia inventa, quæ, vitro hermeticè ſigillato incluſa, per vices & intervalla lumen emittit, quæ propter eà Phosphori fulgurantis nomine ſalutatur. Experimentum hoc oſtendit Electori Brandenburgenſi Daniel Craftig, cujus notitiam dedit Joh. Sig. Elsholtzius in ſchediaſmate quodam *de Phosphoris quatuor*. Ejus verò inventorem Joh. Kunckelium, Sereniſſ. Sax. Electori à laboribus Chymicis, laudat Georg. Caſp. Kirchmaierus in ſuâ *Noctilucâ conſtante*, in quâ hujus inventi occaſione, multa alia de perennibus lucernis affert.

CAP. XXIII.

DE METEORIS AEREIS, PRÆCIPUE DE VENTIS.

§. 1. Meteororum nomen inadæquatum eſt, & terræ motibus perperam tribuitur. 2. Meteororum aëreorum origo, extra aërem, a ſole & ignibus ſubterraneis. Foſſilium & Chymiæ cognitio ad tractationem de iis neceſſaria. J. Bapt. Hamelii Tr. de utriſque laudatur. 3 De ventis legendæ Verulamii (ob merita ſimul in ſcientiam naturalem commendati) Hiſtoria Ventorum, *& Hon. Fabri de iisdem Tractatio. 4. Pila Æolia ventorum generationem adumbrat. Aqua ſubterranea præſentiæ illorum index. 5. Ventorum variæ diviſiones & affectiones. Directe Borealis, à nautis haud obſervatus, finem mundo, uti credunt, afferet. Angeli ventorum præſides, juxta Rob. Fluddium. Vortices aërei. Anemometri inventum. Car. Malapertii de ventis Poëma laudatur.*

1 Vidimus maſſas univerſales globi hujus, aërem, aquam & terram, prima illa corpora, quæ univerſim collecta habemus. Iis, quâ talibus, quatenus ſc. integræ corporum maſſæ ſunt, ſuæ ſunt quædam paſſiones, variis à cauſis excitatæ, certæ ſunt figurationes, debileſque miſturæ. Unde phaſmata nonnunquam aliqua apparent, motuſque excitantur, quibus omnibus Meteororum nomen imponere placuit Ariſtoteli, an adæquatum, an minus, (uti ipſi Honorato Fabri eſt viſum, mixta imperfecta vocare illa malenti) nunc non diſputo; facilè enim in Terminis convenire poſſumus. Quanquam abſurdum videatur, ea meteororum nomine vocare, quæ non ſuprà, ſed infra nos ſunt, ut terræ motus, qui inter meteora tamen referuntur.

2 Nos primùm de AERIS METEORIS agemus: quanquam non ita diſtincta ſit ſingulorum meteororum natura, ut ab uno ſimpliciter Elemento dependeant. Quæ enim in aëre fiunt, non ex ſolo aëre proveniunt, ſed originem ſuam, partim ignibus ſubterraneis, partim exhalationibus maritimis adſcribunt. Meteora itaque aërea potius à ſubjecto, in quo ſentiuntur, vocanda ſunt. Aër per ſe quietus eſſet, niſi laceſſeretur, vel ſole, vel ignibus ſubterraneis, qui iis in locis potentiores ſunt, in quibus multæ ſunt metallifodinæ. Ideóque in illis locis longè eſt frequentior apparitio cujuſcunque generis meteororum, plura ſunt illic fulgura, venti, dracones volantes, & ſimilia, velut quædam producta naturalis officinæ chymicæ. Quare meteororum talium natura intelligi accuratè non poteſt, niſi cognitâ foſſilium & metallorum naturâ, & laboribus chymicis, qui circa ea inſtitui ſolent. Natura enim, in magnis illis montium furnis, idem agit, quod artifex in ſuis. Quare rectè fecit præſtantiſſimus Vir J. Bapt. du Hamel, Philoſophus & diligentiſſimus, & acutiſſimus, qui meteororum & foſſilium naturam conjunctim explicuit in ſuo *de meteoris*

meteoris & foſſilibus libro, Pariſ. *in 4.* edito, qui ad meteororum naturam probè pernoſcendam adeò aptus eſt, ut nullus liber majorem lucem accendat.

Quod ad meteora aërea attinet, principem in illis locum tenet VENTUS, 3
commotio aëris violenta, ſenſibus facilè percepta, ſed originis admodum obſcuræ, niſi quantum conjecturis aſſequimur. Nemo in eum majori diligentiâ & ſollicitudine, non tàm inquiſivit, quàm inquirere docuit, ac Magnus BACO VERULAMIUS in ſuâ *ventorum Hiſtoriâ*, quanquam tamen in multis hiſtorica ſuppeditet, quibus an ſecurè ſatis credere poſſimus, non equidem dixerim. Fuit iſti Viro vaſtum & capaciſſimum ingenium, quod credo univerſæ naturæ perveſtigandæ ſuffeciſſe, niſi negotiis civilibus fuiſſet impeditus; eam tamen tradidit inquirendi methodum, ut multis ad inquirendum ſit campus uberrimus patefactus. Unica illa *ventorum Hiſtoria* incredibilem ejus ſagacitatem & diligentiam ſatis oſtendit, ad cujus ductum infinita notari & obſervari poſſunt, ad hoc argumentum pertinentia. Non eſt noſtri inſtituti, ſingula, quæ ad ſingulorum ventorum indolem pertinent, exponere, id enim tùm à Verulamio, tùm à Bernh. Varenio *in Geographiâ generali*, abundè præſtitum eſt, quibus addatur Honor. Fabri *in Phyſices Tract. 6. lib. 4. integro*, ubi, quæ ad cauſas ventorum ſpectant, & proprietates eorum, dilucidè exponit. Tota origo ventorum dependet à rarefactione, condenſatione & compreſſione aëris, quæ generales cauſæ ſunt, quibus occaſio ab aliis corporibus ſuppeditatur. Nemo, quàm Honor. Fabri, magis planâ viâ procedit, minusque in hâc doctrinâ extra viam rapitur.

Generationem ventorum oſtendunt aliqui per machinam, fabris ac artificibus 4
quibusdam haud ignotam, quam *pilam Æoliam* dicunt, eſtque globus æneus, undiquaque clauſus, unô ſaltem patente foramine perexiguo. Hic ad ignem probè caleſit, & immergitur frigidæ, ubi paulatim inſugit nonnihil aquæ, deinde cùm operatio inſtitui debet, apponitur globus igni, ut calefiat modicè, tunc aqua reſoluta exhalat, fitque ventus, qui inſtar follis, per multas horas, ignem exſuſcitare poteſt. Similiter & in naturâ fieri credibile eſt, aquâ vel aëre, aut utrâque ſimul, in anguſtias contruſis, & per exiguos hiatus exitum molientibus. Sanè obſervatio illa, quæ reperitur *in Actis Anglicis p. 387. Edit. Lipſ.* idem oſtendit. Vicennali Experientiâ quis didicerat, quotiescunque deprehenſa in foſſione locorum ſubterraneorum aqua fuerit, nunquam fuiſſe deſtitutam aëre vel vento, aqua autem non inventa vix tantùm aëris illis ſuperfuiſſe, quantum ad reſpirationem & ventilationem candelæ ardentis ſufficeret. Quando verò magna copia aquæ inventa fuerit, operariis de eâ derivanda ſollicitis, ſimul ac ad illum horizontis paralleliſmum perventum fuerit, ut aqua inceperit devolvi, incluſum aërem, ſeu ventum, in aquâ ſtagnante fragore adeò horribili erupiſſe, ut crederes diſplodi tormentum, tantaque violentiâ, ut omnia ſecum abriperet, ipſas diſſolvendo rupes, vel aliquam multum diſtantes. Ex quâ obſervatione patet, aëri incluſo & compreſſo magnam eſſe violentiam, qui, ſi per

tenues vias montium exeat, durare in iſto ventoſitatis ſtatu eousque poteſt, dum, è latere aëris compreſſi remiſſo, in æqualem ſtatum ille ſe compoſuerit.

5 Venti quidam ſunt ordinarii & perpetui, quidam periodici, quidam ad certos cœli cardines diviſi, quidam ex imis terræ cavernis prorumpunt, quidam deſuper irruunt, ut venti ſeptentrionales. De quibus omnibus legantur Verulamius, Varenius, Honoratus Fabri, & Iſaacus Voſſius *in libro de motu marium & ventorum.* Id fortaſſis, ut ſuperfluum aliquod, memorare poſſum, quod narraſſe mihi nautas memini, nunquam ſe ventum directè ſeptentrionalem inveniſſe, ſed ſemper uno gradu, vel ad Orientem, vel ad Occidentem, inclinantem. Eſtque quædam illis perſuaſio, finem mundi futurum, cùm ex ſeptentrionis angulo ſpiret. Robertus Fluddius, ut in multis aliis, ita & in his, vel fanaticus, vel ſuperſtitioſus eſt. Nam Angelos, vel bonos, vel malos, facit ventorum præſides & diribitores. Illos ſcil. quaſi in fortalitio collocat, ventos jaculantes in orbem; cum ventis veniunt omnia larvarum & morborum genera. Quod ad vortices illos aëreos attinet, qui Anglis *Spoul* dicuntur, eos nemo accuratius, iconibus etiam additis, deſcripſit quàm Joh. Mayow *in Tract. de Sale-nitro cap. 11.* Quantitas ventorum ſingulari inſtrumento menſurari poteſt, quod repræſentatur *in Actis Philoſophicis Anglicis p. 358.* ubi Iconiſmus ejus ſimul habetur; ſed non eſt adeò accuratè deſcriptum, ut ſatis ejus ſtructura pateat. Si quis utile dulci miſcere velit, is legat Caroli Malapertii poëma eruditum *de ventis, Lib. II.* conſtans, quod reperitur in poëmatibus Jeſuitarum, uno volumine congeſtis, ſive *Parnaſſo Poëtico Soc. Jeſu*, Antwerpiæ A. 1616. *in 12.* excuſo. In eo etiam ſimul Tempeſtas anni 1606. Belgica deſcribitur. Plures de ventis Autores vid. in Iſr. Spachii *Nomenclat. Philoſ p. 624-626.* Quibus addi poſſunt Joh. Placentini & Chriſtoph. Notnagelii *de ventis inſolitis anni 1660. Diſſertationes Phyſico-Mathematicæ.*

CAP. XXIV.

DE METEORIS IGNEIS.

§. 1. *Origo illorum è terrâ exhalationibus accenſis. 2. Ignes fatui, lambentes, iſtisque ſimiles, & incendia ab his improviſa. 3 Cometæ, juxta Ariſtotelem & Claramontium, ſunt Meteora, juxta Anonymum mali genii, juxta Th. Bartholinum abſceſſus univerſi. Stan. Lubienicii & J. Ad. Oſiandri ſcripta de iis. 4. Ariſtotelis, de fulguris per Antiperiſtaſin accenſione, ſententia contra Honoratum Fabri defenditur. 5 Carteſius & Joh. Mayovius, fulgur & tonitru à nubium conglaciatarum lapſu derivantes, refutantur, veraque illorum origo è vaporibus ſulphureo-nitroſis aſtruitur. 6. Vulgi circa illa ſuperſtitiones, unà cum ſententiâ Bodini, Helmontii & Lutheri, de Diabolo illorum Autore, improbatæ. Miſcellæ de iisdem, ac effectibus illorum, nec non lapidibus fulminaribus, Scriptoribusque hujus argumenti, obſervationes. 7. Scriptores de Meteoris in genere, præcipue igneis.*

METEO-

METEORA IGNEA, quæ ita vocantur, originem ſuam debent exhalationibus pinguibus, è terra elevatis, ſeu per vim ignium ſubterraneorum, ſeu per calorem Solis. Tales exhalationes æſtatis præſertim tempore admodum frequentes ſunt, &, cum accenduntur, vel à ſitu, vel à figurâ ſuâ, peculiare aliquod nomen ſortiuntur, quanquam fortè nihil inter ſe differant. 1

Exhalationes viſcoſæ, quæ non procul à terrâ incenduntur, ignes fatui ſolent 2
appellari, Germanis Irrwiſche / de quibus mira fabulatur vulgus, quod ſc. inſequentes fugiant, fugientes inſequantur, in præcipitia deducant, quæ tamen magnam partem ſuperſtitioſa & fabuloſa ſunt. Et ſunt illi ignibus lambentibus quaſi ſimiles, quo nomine appellantur exhalationes corporum animalium accenſæ, ut fit nonnunquam in hominibus & equis, quanquam & his ſuperſtitio miſceatur. Sunt & multæ aliæ talium ignium ſpecies, in quibus operoſum eſſe non neceſſe eſt, cùm eorum accenſio ſit fortuita, & penè non differant cauſis. Sulphureæ enim exhalationes, ubi paulò vehementius motæ ſunt, ſtatim flammam concipiunt, & hi ignes noctu magis, quàm die, ſunt viſibiles, quod lumen majus minus obfuſcet, quanquam & in die æquè deflagrare poſſint tales vapores. Unde videmus, quàm parata ſit ſæpè incendiis cauſa, præcipuè æſtatis tempore; ſæpè enim in aëre, ubi minimè credas, aliquid talium exhalationum deliteſcit, ſæpè incorrunt illæ in alia corpora, unde mutuo tritu ignes educuntur. Novi, nocte ſerenâ, tempore æſtatis, incenſum fuiſſe fœni aggerem per vapores quoſdam ſulphureos, noctu in aëre vagantes, & vicinas ex eo domos conflagraſſe. Scripſit Gallus aliquis Obſervationem *de incendiis ex improviſo ortis*, quorum nulla manifeſta cauſa eſſet. Ejus in *noviſſimis Gall. Ephemeridibus* fit mentio.

Ariſtoteles Meteoris etiam *Cometas*, accenſet, de quibus ſuprà egimus. Is enim ſublunares omnes habuit Cometas, quod falſum tamen eſt; quanquam Scipio 3
Claramontius, Mathematicus excellentiſſimus, Ariſtotelis partes tueri non veritus fuerit *in libro de Univerſo*, adverſus præſtantiſſimos Mathematicos, domeſticis pugnans principiis. Varias de Cometarum ortu ſententias congeſſit is, quem ſuprà laudavi, Stanisl. Lubienitius *in Theatro Cometico*, omnia ad doctrinam Cometicam ſpectantia corradens. Malim ego legere Joh. Ad. Oſiandri *Diſſ.* brevem *de Stellâ Magorum*, in quâ breviſſimè omnes de Cometis ſententias recenſet. Non tamen abſunt hîc ſuperſtitiones nonnullorum. Nam Anonymus aliquis, qui ſe *Mercurium Platonizantem* (o) vocat, in libello, A. 1662. *in 12.* edito, cui tit. *Cometæ malus Genius*, demonſtrare vult, Cometas malos eſſe angelos, quemadmodum ſtellæ boni ſint angeli. Thom. Bartholinus, è ſcholâ Medicâ, naturam Cometarum explicuit ſatis quidem inge-

(o) Sub *Mercurii Platonizantis* nomine delituit Mich. Praunius, J. U. D. Com. Pal. Cæſ. & Marchionis Durlaco-Badenſis Conſil. Aulicus, qui eandem *Diſſ. de Cometa Malo Genio*, tùm aliis Obſervationibus, tùm judicio de Cometâ Anni 1680. auctiorem, Nomine ſuo præfixo, Francof. A. 1682. *in 12o*, curavit recudi.

ingenioſè; Cometas enim comparat abſceſſibus ulcerum, *in Conſilio Medico de Cometâ*, Hafniæ A. 1665. edito, in quo tamen magis ingenio indulgere voluiſſe, quàm veritati, videtur.

4 Inter omnia Meteora ignea omnium mirabiliſſimum eſt *Fulgur*, (de quo Lib. exſtat Hier. Cardani) & *Tonitru*, in cujus cauſis explicandis, multæ ſunt Philoſophorum fluctuationes. Id quidem manifeſtum eſt, accendi aliquos vapores ſulphureos, occultum verò, quomodo fiat iſte impetus. Peripatetici volunt, accendi fulgur per aliquam Antiperiſtaſin, quod Honor. Fabri rejicit, quanquam id ſuo tamen modo tolerari poſſit. Non ſimplicem hîc accenſionem eſſe, omnes circumſtantiæ nos docent; illa enim celeritas & vibratio oculis apparens, illi mirabiles effectus, innuunt, exploſionem aliquam eſſe cum iſtâ accenſione conjunctam. Quod quidem negat fieri poſſe Hon. Fabri, mihi autem non adeò abſurdum videtur, qui exiſtimo, in nubibus fieri poſſe ſeparationem quandam partium, ita ut particulæ quædam ſulphureæ, vel ſulphureæ ac nitroſæ ſimul, uno aliquo loco junctim conſiſtant, circumdatæ craſſis quibusdam nubibus aqueis, quæ ſatis quidem molis circumponere poſſunt particulis incluſis, atque illas premere, ut non aliter hìc teneantur, atque in tubo quodam metallico. Illæ ut accendantur, facilè fieri poteſt; motu enim interno agitari poſſunt, vel extrinſecus advenire ſulphureæ quædam exhalationes, maſſam illam particularum ſulphureo-nitroſarum accendentes, quæ ſtatim cum impetu diſploduntur.

5 Joh. Mayow violentam quandam concuſſionem hujus flammæ cauſam agnoſcit, ſed tamen illam procedentem à nubium ſuperiorum, condenſatarum & conglaciatarum, lapſu. In quo ille Carteſium ſequitur, qui hanc cauſam in tonitru aſſignavit. Simile illud, quod dat, planè mihi non exprimere fulguris naturam videtur; ſi ſilicum minutiſſimarum congeries immenſâ concuſſione adeò validè exagitaretur, ut ex particulis ejusdem innumeris, invicem alliſis, ignis ſcintillulæ penè infinitæ excuterentur, ita flamma quædam levior, per totam ſilicum congeriem propagata, ſubitò accenderentur. Ita exiſtimat ille particulas nitro-aëreas, inter particulas aëreas diſſeminatas, ob violentam atmoſphæræ concusſionem, in motum talem concitari poſſe, qui ad lucem excitandam requiritur. Sed, ut verum fatear, in his ſpeculationibus plus mihi ſubtilitatis, quàm veritatis ineſſe videtur. Ex lapſu certè nubium tàm inſolitas operationes deducere, res mihi incredibilis videtur, qui illum lapſum nubium planè imaginarium eſſe exiſtimo: Quanquam enim in nubibus congelari poſſunt aquæ, non ſunt tamen illæ molis continuæ, ſed per minutisſimas partes ſparſæ, & in aëre libratæ, unde cadere non poſſunt à ſe invicem avulſæ, quemadmodum corpora contigua, ſed continuâ quâdam inclinatione deorſum ferentur, ſine aliquo ſtrepitu notabili, undè non poteſt cauſa tonitrûs deduci prima (quanquam non negem, ad propagationem ſoni poſſe contribuere,) multò minus fulgur, quod quomodo ex conglaciatorum corporum colliſione oriri posſit, nec ſenſibus, nec ratione, percipio. Videmus ſanè, & ſentimus, aërem tempore tonitrûs calidum

dum ad ſqualorem usque, quod arguit certè, particulas eſſe ſulphureas in aëre. Videmus, ſpiritus nitri & tartari, in vitro miſtos, adeò exæſtuare, ut cum diſruptione vitri diſplodantur. Cur idem non fieri poteſt in vaporibus ejusdem naturæ, qui nihil aliud ſunt, quàm ſpiritus ſulphurei & nitroſi rarefacti? quid prohibet, illos in unum locum compingi poſſe intra cavum aliquod nubis denſioris, cùm ipſi tùm gravitatem aëris ſatis ſentiamus? videmus ipſi, quòd fulgura in terram ipſam penetrent, cùm quibus tamen conjunctas eſſe non videmus nubes quasdam glaciales. Si vel ſenſus noſtros conſulamus, non aliter apprehendere poſſumus naturam fulguris & tonitrus, quàm ut ſtatuamus, primùm materiam aliquam ſulphureo-nitroſam explodi, ſecundò ab hâc exploſione ſubitaneâ impetum primum fieri in nubes denſas, & in omnem, quaqua patet, aërem, per quem prima illa concuſſio, multiplicatis circulis, ut in omnibus ſonis fieri ſolet, propagatur. Hinc alliſio frequens eſt, & repercuſſio ſoni ad montes & ædificia editiora, quæ multiplicata repercuſſio efficit nobis continuitatem iſtius ſoni. Ac fuit fortaſſis prima illa aëris ſub exploſione concuſſio non adeò valida, quæ dehinc ex repercuſſione ſonum tàm formidabilem parit. Illuſtrat rem hanc experimentum, à Varenio, *Geograph. Gen. lib.1. p. 358.* allatum, è Davidis Frölichii obſervatione quâdam, de Hungariæ monte Carpatho. Is, in ſummitate rupis editiſſimæ, quæ etiam Alpes vinceret altitudine, tranquillum planè & ſubtilem aërem offendit, ut ne pili quidem motum ſentiret, cùm tamen in depreſſioribus montibus ventum vehementem expertus fuiſſet. Exploſit illic ſclopetum, quod non majorem ſonitum primùm præ ſe tulit, quàm ſi tigillum, vel bacillum, confregiſſet, poſt intervallum autem temporis murmur prolixum invaluit, inferioresque montis partes, convalles & ſylvas, opplevit. Deſcendendo intra convalles, cùm iterum ſclopetum exoneraret, major & horribilior fragor, quàm ex tormento capaciſſimo, ortus fuit, veritusque ille eſt, ne totus mons concuſſus ſecum corrueret, & duravit hic ſonus per ſemiquadrantem horæ, usque dum abſtruſiſſimas cavernas penetraſſet, ad quas aër undique multiplicatus reſiliit. Ex iſtâ obſervatione ſatis patet, ſonum illum in tonitru poſſe è non adeò forti exploſione oriri, & repercuſſione tantùm ita intendi. Non itaque confugiendum eſt ad imaginarios illos nubium lapſus, quos in tonitru fingit Carteſius, inductus analogiâ iſtius ſoni, quem nives, è ſummis montibus deciduæ, efficiunt tonitrui ſimilem, è cujus tamen nivis lapſu nubium lapſum fingere non poſſumus.

Nullum eſt in totâ naturâ phænomenon, quod magis attonitos reddat animos 6
vulgi, in rerum cauſis indagandis ignari, multa quoque ſuperſtitionibus data ſunt. Quid in mentem venerit, neſcio, certè à ſuperſtitione parùm abeſt, quòd Diabolum faciat cauſam tonitrus, quod & Helmontius fecit. Bodinus tamen Dæmones elementares fingit, quibus, unà cum Strozza, tonitrua, & meteora reliqua, adſcribit in ſuo *Theatro naturæ.* Etiam Lutherus, *in Comm. in Gen.* (ſi rectè memini,) omnia Meteora, præter Iridem & Cometam, à Diabolo eſſe dicit. Eſt & nonnullorum ſuperſtitio, per incantationes ſagarum poſſe excitari tonitrua & grandines, aliasque

 tempe-

tempeſtates, ad quas avertendas ſuperſtitio alia remedia invenit. Contra quam hominum opinionem profanam inſurgit S. Agobardus ſingulari quâdam Diſſertatiunculâ, quæ reperitur inter opera ejus, à Stephano Baluzio edita, *Tom. I p. 145.* Legi poteſt circa naturam fulminis Gvalth. Charletoni *Inquiſitio Anatomico-Phyſica prima*, quâ Anatomen pueri cœlo tacti inſtituit, Londini A. 1665. *in 8vo* edita, in quâ multa curioſa. Solet & hîc de lapidibus fulminaribus quæri, quales extare aliqui credunt, aliqui planè pro fabulâ habent. Sanè Charletonus rem totam habet pro fictâ, quæ, ſi naturam ipſam conſiderare velimus, ejusque operandi methodum, non potuit generari in nubibus. Qui vulgò oſtendi ſolent, è terrâ plerumque effodiuntur, unde ſuſpicio eſt, radios fulminares, terram penetrantes, arenam, quam fortè offendunt, in talem aliquam maſſam lapideam, per vitrificationem quandam, colliquare. Hiſtorica de fulmine multa videantur ap. Voſſium *lib. 3. de ortu & progreſſu Idololatriæ, c. 7.* De variis fulminum generibus, & mirabilibus operationibus, legatur prolixiùs is, quem laudavi, Charletonus, & Honor. Fabri *Tr. 6. lib. 5. prop. 4.* Videantur & variæ obſervationes *in Actis ſocietatis Anglicæ p. 446.* de quadam fœminâ, quæ tonitru audito, in choleram incidebat, perſeverans in vomitu & profluvio ventris, quoad durabat tempeſtas. Nec indigna lectu eſt relatio de miris fulguris effectibus Stralſundiæ *ib. p 2084.* Artificialia etiam fulmina, ex nitro & tartaro, arte excitari poſſunt Chymica. Tale eſt auri fulminantis Phænomenon, cujus per tartarum fit præparatio. Sed & abſque tartaro hoc poteſt parari.

7 De reliquis Meteoris ignitis non attinet multa dicere. Illa enim ab aliis Phyſicis prolixè ſatis tractantur, & ſunt eorum cauſæ ſatis manifeſtæ. Legi poſſunt, qui de Meteoris in univerſum ſcripſerunt, Libertus Fromondus, &, qui illo longè accuratior eſt, Nicol. Cabæus, &, poſt illos omnes, J. Bapt. du Hamel *in loco ſuperius citato.* De Meteororum cauſis Theod. Oſius, *in Sylvâ ſuâ novarum Opinionum*, (Francof. 1669. *in 12.*) *cap. 9.* more ſuo quædam philoſophatur, quibus non eſt, ut immoremur.

CAP. XXV.

DE IRIDE, AC RELIQUIS METEORIS EMPHATICIS.

§. 1. Iris, & colores ejus, è radiorum ſolarium refractione orti, conſiderationis ſunt Opticæ. Scripta Joh. Marci Marci & Franc. Mariæ Grimaldi de eâ commendantur. 2. Figura ejus circularis. Iris ſecundaria. Irides artificiales in aquæ guttis & priſmate. 3 Parhelii, & reliqua Meteora emphatica.

1 INter Meteora emphatica IRIS præcipuum locum tenet, pulcherrimum aëris phænomenon. Circa cujus conſiderationem tota doctrina Optica impendenda eſt, tota refractionum & reflexionum doctrina huc pertinet. Mirabilis enim illa

la radiorum ſolis in guttis ſingulis nubis rorantis refractio & reflexio omnem colorum familiam parit, nigredine & albedine exceptâ. Tota itaque hujus Phænomeni conſideratio videtur ad Opticam eſſe remittenda. Nam, cum ipſo intuitu Iridis colorum iſta generatio fiat per radiorum illas reflexiones, tota ad illam doctrinam pertinet. Quæ ſpeculationes tàm ſunt ingenioſæ & multæ, ut integrorum librorum materiam quibusdam ſuppeditaverint. Præcipuè magnâ induſtriâ ſingula ejus argumenti delineata ſunt à Joh. Marco Marci in libro Pragæ A. 1648. edito, cui titulus: *Thaumantias, ſeu de arcu cœleſti;* ubi de Iridum poſitu, concentricitate, variis coloribus, variis apparitionibus, de Iridibus lunaribus, halonibus, ſimilibusque phænomenis, prolixè admodum agit, & penè omnem Opticæ doctrinam, omnem de naturâ lucis & colorum contemplationem, exhaurit. Poſt illum nuper Franc. Maria Grimaldus, in ſuâ *Phyſico-Matheſi de lumine, coloribus & iridæ*, Bononiæ A. 1665. *in 4to* editâ, poſt præmiſſam generalem de luce tractationem, totum librum inſumit in explicatione iridis, velut cujusdam complementi totius hujus doctrinæ, quæ omnia, ſi hîc enarrare vellemus ſpecialiùs, multum nobis temporis inſumendum eſſet.

Duo ſunt in Iride conſideranda: Circularis illa figura, colores, & ordo colorum. 2 Figura illa circularis & arcuata nobis apparet, & quidem ſemicirculum æquans. Quod ſi quis eſſet in ſupremo aëre, & oculus inter ſolem & roridam nubem ſtatueretur, integrum orbem videret. Certum autem eſt, unicuique ſuam iridem videri. Iris etiam ſecundaria eſt, quando radii, infimo guttarum quadranti incidentes, poſt duas refractiones, & totidem reflexiones, ſub iisdem conjugationibus, ſub majore tamen elevationis angulo, emergunt, atque oculo incidunt. Igitur eosdem colores, ordine tamen inverſo, exhibent. Videatur quoque Honor. Fabri *tr. 3. Phyſic. lib. 1. de coloribus, propoſ. 210. 207. 208. & tr. 6. lib. 4. prop. 12.* Ubi ſpeciales quasdam quæſtiones adducit & reſolvit, abſurdas autem quorundam opiniones de iride inverſâ, & aliis, rejicit. Poſſunt iridis colores exprimi per artem hydraulicam, ubi eâdem ratione in guttis ſingulis ſolis imago ſe conſpiciendam præbet, & colores iidem apparent. Eadem ratio vitri eſt, quod Priſma vocatur; prout enim illud variè vertitur & invertitur, colores variegati apparent, quorum productionem idem Honoratus Fabri locis laudatis docet.

Quod attinet alia *Meteora*, quæ EMPHATICA dici ſolent, qualia ſunt Parelii, virgæ, corona ſeu halo, aurora Borealis, vorago vel hiatus, de iis omnibus non 3 poſſunt adeò multa dici, quæ non jam pridem ſint ab aliis dicta. Et ſatis eorum natura patet, ſi naturam Iridis habeamus ſatis exploratam, aut reflexionum ac refractionum doctrinam ex Opticis probè teneamus. De Pareliis vide Obſervationes *in Actis Soc. Angl. p. 953. Edit. Angl. & p. 1065.* ubi ſchematiſmus etiam additur. Videatur quoque de his omnibus Honor. Fabri *Tr. 6. lib. 4. prop. 8. 9. 10. 11.*

CAP. XXVI.

DE IGNIBUS SUBTERRANEIS ET TERRÆ MOTU.

§. 1. *Ignium ſubterraneorum exiſtentia & cauſæ diverſæ. Scriptores varii de montium ignivomorum incendiis.* 2. *Terræ motuum cauſæ (quarum præcipua eſt ignis ſubterraneus,) differentiæ, ſonus mugitui ſimilis, effectus & præſagia.* 3. *Franc. Travagini obſervationes de terræ motu Raguſiano, quibus motum terræ diurnum aſtruere conatur.*

1 SOlent aliqui IGNES SUBTERRANEOS, quanquam impropriè, ad Meteora revocare, uti & TERRÆ MOTUM, de quibus hoc loco nobis quædam dicenda ſunt. Eſſe ignem ſubterraneum experientia teſtatur, paſſim enim ille graſſatur per totum terrarum orbem, ut ex montibus ignivomis videre poſſumus, & ex integris quibusdam torrentibus igneis, quos nuper in Ætnæ incendio obſervatos fuiſſe, fama eſt. Sunt tales ignes ſubterranei vel caſu aliquo accenſi per ignem fodinæ alicui injectum, uti à paſtoribus aliquando fodinis carbonum ignis admovetur, qui, ſemel accenſus, cùm pabulum nonnunquam deficiat, inextinctus deinde manet, & per intervalla, prout major minorque accedit ventilatio, vel increſcit, vel decreſcit, vel etiam fulminis afflatu ignis excitari potuit, vel ex aliquâ colliſione, aut efferveſcentiâ corporum, vel potuit ille ab initio mundi perduraſſe. Id certum eſt, magna eſſe in terrâ ignium receptacula, quæ æſtuaria vocat Kircherus in *Mundo ſubterraneo*, ubi nobis ea ad oculum depingit, quæ tamen ipſe non viderat, niſi quantum vidit in Ætnæo illo incendio noviſſimo, illo ſcil. de quo Paulus Bocco, in libro, cui tit. *Recherches Curieuſes*, magnâ diligentiâ egit. Vide & *Acta Soc. Angl. p. 967. Ed. Angl.* De incendio Veſuviano ſcripſit Joh. Baptiſta Maſculus, teſte Craſſo *in Elog. hom. Erud. P. I. p. 353.* & Antonius Santorellus, teſte eod. *p. 295.* Vinc. Alſarii *Veſuvius Ardens* Romæ anno 1632. Jul. Cæſ. Braccini autem *Trattato dell' Incendio, fatto nel Veſuvio*, Neapoli eod. A. *in 4to* prodiit. Scripſit &, occaſione incendii Veſuviani Petrus Caſtellus, Medicus Romanus, librum, cui tit. *Incendio del Monte Veſuvio*, Romæ Anno 1632. *in 4.* editum, de omnibus locis ardentibus, differentiis ignium eorum, ſignis, prognoſticis, remediis. Scripſit & nuper THOMAS ITTIGIUS *Lucubrationes* aliquas *de Montium Incendiis* Lipſiæ anno 1671. *in 8vo* excuſas, in quibus omnium terrarum montes ignivomos recenſet, & quicquid ab Autoribus de iis traditum eſt, colligit, tàm hiſtoriarum, quàm cauſarum. Qui tamen, ut apparet, Caſtellum non legit, nimisque prolixus eſt in digreſſionibus & citationibus, parum interdum ad rem facientibus. Conferri quoque poſſunt Mart. Schokii *de Veſuvio ardente* Diſputationes.

2 Ex incendiis ignium ſubterraneorum *terræ motus* oriri ſolet, quanquam non ex ſolis

ſolis, nam ex aliis etiam cauſis terræ motus oriri poſſunt. Habent tamen & illæ pro cauſâ remotâ, ſi non proximâ, ignem ſubterraneum. Quando enim halitus comprimuntur uno in loco, quando venti in ſubterraneos ſpecus intruduntur, unde exitum invenire non poſſunt, quando aquæ cavernarum capacitatem occupant totam, poſtea rarefactæ exitum quærentes; id fieri tamen non poteſt absque ope ignis ſubterranei, absque quo ſi eſſet, omnia quieſcerent. Principi itaque huic cauſæ imputandus eſt terræ motus, ceteris quaſi ſecundariis. Scripſit aliquis homo militaris, Alex. Achilles Tr. germanicum von den Grunduhrſachen der Erdbebungen / in quo cauſam illorum verè ad ſpirituum mineralium mutuum inter ſe refert conflictum. Nam qui, cum Bodino, ad Genios motores confugiunt, citra neceſſitatem ſuperſtitioſi ſunt. Sunt & multæ aliæ ſuper hac re fabulæ, quibus non eſt, ut immoremur. Terræ motuum genera ſecundum cauſas differunt. Qui à ſolo igne excitantur, omnium ſunt validiſſimi, qui ab aquâ aut halitu procedunt, eundem quidem ignem præſupponunt, ſed non tàm potentem & copioſum, ideoque remiſſior in illis motus eſt. Aliqui terræ motus diſtinguunt ex varietate ipſius motûs, cum vel terra tremit, vel diverſi terrarum tractus invicem arietant, vel quando movetur terra navigii inſtar. Sed inutilis eſt illa diviſio, & ex accidente deſumta, quæ nullam facit veram & ſpecificam differentiam, & ſolet motus determinationem ſuam ab ipſâ locorum conditione adipiſci. Solet terræ motum fragor quidam & mugitus comitari, qui ſonus eodem modo formatur, quemadmodum tonitru in nubibus, niſi, quòd concluſio aëris lentiùs trahat ſonum, & in ſe reflectat, unde mugitui ſimilis fit, qui in tonitru per novos impetus ſemper videtur frangi. Terribilior autem ſonus omnis videtur in loco occluſo, unde fieri credo, ut lapillus, fontibus injectus, ſpecu quodam concluſis, tantos tumultus excitet, de quo tàm mira vel fabulantur, vel memorant, nonnulli. Effectus terræ motui varii tribui ſolent. Ædificia evertit, facit, ut terræ tractus aliquando ſitum mutet, ut tecta inter ſe arietare videantur, ut integræ civitates abſorbeantur, ut novi lacus, vel nova flumina, prodeant, ut montes aſſurgant, ut peſtilens aliquis halitus aërem inficiat. Sunt & certa ſigna vel præſagia terræ motuum, de quibus prolixè agit Petrus Caſtellus, *in libro ſupra laudato*, è quo inCompendium traxiſſe videtur Honor. Fabri *tr. 6. lib. 2. propoſ. 22. & ſeqq.* qui & de terræ motu artificiali *prop. 30.* agit, ejusque rationes cum naturali comparat.

Ex hoc terræ motu Franc. Travaginus argumentum nuper petiit, quo motum terræ diurnum probare voluit. Is ſc. in terræ motu Raguſiano, maximo illo & memorabili, ſingularia quædam obſervavit Phænomena, quæ ille contingere non potuiſſe putat, niſi ſtatuatur terræ motus diurnus: Obſervavit ille, (1) terram motam fuiſſe ab occidente ad orientem, & reciprocè ab oriente in occidentem, ita tamen ut ſuccuſſionem non ſenſerit. (2) Obſervavit, canales omnes, ab oriente ad occidentem rectâ lineâ deductos, undas ſuas ſecundum eandem lineam refluas ac reciprocas habuiſſe, in canalibus verò, qui à ſeptentrione ad meridiem ducuntur, easdem undas fuiſſe laterales ab unâ ripâ ad aliam, ſeu ab oriente ad occidentem. (3) Ob- 3

ſervavit, quod Campanilia, atquæ aliæ fabricæ erectiores, eodem modo vibratæ fuerint, & quicquid ex domorum laquearibus aliquo fune ligatum pependit. Id obſervavit ille Venetiis in Muſæo ſuo, cum Raguſæ terræ motus vis eſſet maxima, eo verò in loco duplicem illi motum obſervarunt, unum motum ſuccuſſionis, quo terra ab imo in altum ſuccutiebatur, & alterum motum lateralem, quo terra videbatur deferri ab occidente in orientem. Et hunc terræ motum lateralem, ut appellat is, accipit in argumentum probandi motûs diurni terræ. Ab ipſo enim terræ motu, qui per ſuccuſſionem fit, illum non procedere, argumentis è Mechanicâ petitis demonſtrare laborat, ideoque exiſtimat, motâ per ſuccuſſionem tàm vaſtâ terræ portione, vorticem, in quo terra defertur, tumori huic obvium terræ ultra centrum motæ occurrere velut obici cuidam, & illum motum ab oriente ad occidentem efficere, quem durante terræ globo in ſtatu quieto, obſervare non poſſumus, quemadmodum is, qui in cymbâ quadam dormiens ſecundo flumine defertur, ubi verò obex objicitur cymbæ, tùm demum obſervat, ex variato motu vel impedito, illum, quo antea deferebatur, qui in iſtâ cymbâ quietus aderat. Hæc fundamenta ſunt, quibus illam ſententiam ſuam ſuperſtruit, quam ut probet, varias, ex Mechanicâ demonſtrationes adducit, quæ quidem ipſæ in ſe aliquo loco haberi merentur, ſed quoniam ipſius obſervationis non adeò certi eſſe poſſumus, ne quod fortaſſis Autorem fefellerit, ideò inter conjecturas referenda eſt illa obſervatio.

CAP. XXVII.

DE METEORIS AQUEIS.

§. 1. Natura & Phænomena nubium. 2. Nebulæ & pluviæ, inprimis prodigioſæ. 3. Speciatim pluviæ ranarum fictitiæ. 4. Roris, de quo Joh. Nardii Lib. commendatur, & Rabbinorum commentum de aquâ maſculinâ Nilum fœcundante explicatur. 5. Cujus occaſione digreſſio inſtituitur de plantarum florumque reſuſcitatione, ope roris, aut artificiis aliis, imaginaria, & Franc. Lanæ productione illorum absque ſemine, quæ in dubium vocantur, nec non anguillarum beneficio roris procreatione. 6. Natura & hiſtoria productorum roris, mellis ſcil. 7. Sacchari. 8. & Mannæ, de quo Magnenus & Salmaſius ſcripſere. 9. Nivis origo, figuræ variæ, Hexagoniſmus, uſus Medicus a Thoma Bartholino expoſitus, albedo emphatica, a Gotfr. Vogtio illuſtrata, fœcundandi. Sal nivis liquida ſubito coagulans. Glacies ex nive artificialis. Spiritus vini ope nivis, absque igne, deſtillatus. 10. Grandinis formatio, portentoſa ſæpè magnitudo, figura ovalis, liquefactio ſubita, harumque cauſæ. 11. Pruina e rore concreto formatio. 12. Judicia de Scriptoribus Meteorologicis, præſertim Nic. Cabæo, Lib. Fromondo, Rob. Fluddio, Ren. Carteſio, J. Bapt. Hamelio, & Mich. Watſono.

AD

AD METEORA AQUEA pertinet primò *nubes*, quæ *nihil eſt aliud*, *quàm congeries halituum cum aliquo denſitatis gradu*, *quam aëris frigus in illâ producit.* Tamdiu ſurſum tendit, quamdiu frigori occurrenti non ſiſtitur, libratur tamen in aëre, nec deorſum cadit, quoniam gravior eſt aër, ut inepti ſint, qui nubes vel à Deo vel ab Angelo, vel ab aliquâ magneticâ vi, ſuſtineri putant. Nubium altitudo varia eſt, prout ipſæ graviores vel leviores ſunt. Pluvioſæ enim nubes terræ ſunt viciniores, quàm ſiccæ. Varii ſunt earum colores, vel prout ſoli objectæ ſunt, vel ut aquæ, nivis, grandinis multum admiſtum habent, ſed de iis vulgares etiam Phyſici. I

Pertinet & huc *nebula*, craſſior ſcil. nubes, quæ terræ incubat. Quas nebulas præcipuè habent loca illa, quæ magnam roris vim habere ſolent, ut paluſtria & fluviatilia. Pluvia ex vapore concreſcit, cujus analogiam in aquis deſtillatis habemus. Eôdem enim modô vapores aſcendentes reſolvuntur. Totus ſcil. globus terreus magnum æſtuarium eſt, unde vapores humidi ſurſum lati tandem frigore cohibente colliqueſcunt, & in guttulas conglomerati decidunt in terram, quod intra ipſa terræ viſcera fieri nonnunquam ſolet, teſtibus metallifoſſoribus. Circa ipſam pluviam, & ejus rationem non admodum multa ſunt conſideranda, res enim manifeſta eſt, & per ſe patet. Quod verò nonnulla adjuncta ejus attinet, præſagia pluviæ, ſalutiferos vel peſtiferos effectus, ventos, eas vel efficientes, vel impedientes, de iis Honor. Fabri videatur, *tr. 6. lib. 3. propoſ. 118.* Differt verò pluvia à communi aquâ multis modis. Nam prout ſolum ſe habet, unde educti fuere vapores, ſi illud paluſtre vel uliginoſum, foetebit interdum pluvia, ſi arenoſum, purior erit illa, ſemper tamen plus habet admixtum ſalis nitroſi, vel alterius etiam ſalis, ſi tellus ſubjecta illo abundet. Videmus etiam in quibusdam terræ partibus pluvias maculare veſtes & corpora, ubi fortaſſis nimius ſolis æſtus plus ſalinarum particularum illis miſcuerit. Veroſimile quoque eſt, multa per aërem vagantia minima inſecta, vel eorum ova ac ſemina, miſceri cum aquâ pluviâ, unde fortè eſt, quòd in papiliones mutatæ fuerint pluviæ guttæ. De quibus habetur *in Actis ſociet. Angl. p. 402. Edit. Angl.* Idem in rore obſervatum fuiſſe monſtrant Thomæ Henshaw obſervationes, quæ referuntur *in Actis Angl. p. 25.* De prodigioſis pluviis (*p*) multa à multis ſolent dici, ſed plurima in iis fabuloſa ſunt & ſuperſtitioſa. Quod lacte, ſanguine, pluerit, id coloris tantùm ſpecie fucum aliquibus fecit; poſſunt enim pluviæ multa miſceri, ſi ex terrâ evehatur, poſſunt contrarii nonnunquam ſpiritus ſalini, quales multi habentur in nubibus, tales colores producere, quos vulgus ex coloris ſimilitudine judicat vel lacteos, 2

vel

(*p*) De *Pluviâ Prodigioſâ* vide Diſſert. peculiarem D. Val. Alberti, Lipſiæ an. 1667. & 1674. editam; de Pluviâ ſanguineâ Joh. Chriſtoph. Becmannum, *in Diſſ. de Prodigiis ſanguinis* in Acad. ad Viadrum Francofurtanâ an. 1676. habitâ, *Cap. I.* Phœnomena ejus à Cauſis Naturalibus ſolerter derivantem; de rubris Papilionum Excrementis, an. 1608. in Galliâ pro pluviâ habitis ſanguineâ, Pet. Gaſſendi *Lib. II. de vitâ Peireſcii, p. m. 66. 67.*

vel ſanguinolentos. Quòd lapidibus, frumentis, muribus, piſcibus, imò vitulis etiam, pluerit, narrationes ſunt, quæ fidem ſuperant, ideoque ad aniles fabulas relegandæ. Vulgo enim facilè fucus fit, in cauſæ Elenchis frequenti.

3 Pertinet & huc illa opinio quorundam, quod ranis pluat, ſuntque, qui ſe αὐτόπτας teſtes profiteantur, quos tamen & ego falli credo. Joh. Marcus Marci hîc iterum in Ideis ſuis præſidium quærit: putat enim, ideas, per pluviam delatas, ſtatim ut in terram cadunt, corpus ſibi quoddam ex limo fabricari. Quod certè nimis Metaphyſicum eſt, ne dicam ſuperſtitioſum. Franciſcus Rhedi, Patritius Aretinus, *in libro* doctiſſimo *de inſectis*, idem argumentum etiam tractat, cujus hæc ſententia eſt: Ranæ illæ, quas, decidente pluviâ, videmus, diebus aliquot ante lapſum pluviæ, natæ ſunt, & in ſicco morantes inter dumeta & ſaxa, vel terræ cavitates deliteſcunt, &, quia terræ concolores ſunt, ſubſidentes & immotæ à pulvere haud facilè diſcernuntur. Cujus ille evidens argumentum adducit, quòd ſtomachum plenum cibi, & inteſtina plena excrementorum, eo ipſo, quo natæ creduntur, momento habent. Adducit & hujus ſuæ ſententiæ confirmatorem Theophraſtum Ereſium, Ariſtotelis diſcipulum, cujus libelli titulus & argumentum in Bibliothecâ Photianâ refertur, περὶ τῶν ἀθρόως φαινομένων ζώων, *de animalibus ſubitò apparentibus*. Mihi videtur illa valdè veroſimilis ratio, cui addi hoc poteſt, odore pluviæ & roris evocari plerumque iſta animalcula, uti & lumbricos; iſtis enim ſuccis, veluti lacte aliquo, nutriuntur. Honor. Fabri *Tract. 6. lib. 3, propoſ. 118. §. 17.* ſtatuit, non quidem cum pluviâ decidere ranas, ſed tamen poſt lapſum guttarum generari; quod mihi certè veroſimile nullâ ratione videtur. Non enim video, quâ ratione penè in inſtanti corpus aliquod generari poſſit, quod habet partes ſuas organicas, & non eſt minimæ quantitatis, ut certè ſucceſſione aliquâ temporis opus ſit, dum partes tot producantur. Remittit nos ad librum ſuum *de animalibus*, qui nunc non eſt ad manus.

4 Inter Meteora aquea *Ros* quoque eſt, qui parùm differt à pluviâ, niſi quòd videatur magis imprægnatus ſpiritibus ſalinis & nitroſis. Ejus vis frequentior autumno & verno tempore, quia major tunc humor in aëre regnat, ſolis verò calor temperatior eſt, ut non ſtatim conſumat. Nubilo & ventoſo cœlo non apparet, tùm quòd venti vapores diſſipent, tùm quod unà cum nubibus elevetur. Si acrimoniam nimiam admixtam habet, nocet interdum frugibus. Tempore plenilunii major eſt roris copia, ſtatim poſt occaſum ſolis cadit. De illo elegantem *Diſquiſitionem phyſicam* peculiarem ſcripſit Johan. Nardius, Florentinus, Florentiæ Anno 1642. *in 4to* juris factam publici, in quo libello multa curioſa, ad rorem ſpectantia, diſquiruntur. Multum autem facit ad vegetationem plantarum, & ad fœcundationem illarum, quoniam multum ſalis nitroſi admixtum habet. Hinc Cabaliſtæ rorem & pluviam vocant aquas ſuperiores & maſculinas, aquas verò inferiores, ut flumina, aquas fœmininas. Quare *Baal Tobh Haarez fol. 28. Col. 4.* de Nilo fluvio ita, vel fabulatur, vel argutatur: Deum ſingulis annis, circa ſolſtitium, M. Junio, dejicere

guttam

guttam unam, pilæ magnitudine ex aquis maſculis in medium Nilum, quæ gutta ſe habeat, ut fermentum ad maſſam. Omnes enim aquas Nili efficit maſculas, ut proinde Ægyptus non egeat pluviis. Hanc guttam dicit Abrahamum precibus ſuis impetraſſe. Fabuloſum ſanè illud & ſuperſtitioſum apparet, nullibi enim fœcundius eſt, quàm apud Rabbinos, nugarum promptuarium. Mirè tamen convenit cum illis, qui obſervant, circa ſolſtitium nubeculam aliquam primùm incubare exiguam Nilo fluvio, unde efferveſcere ille incipiat. Quoniam tàm multa heterogeneorum corpuſculorum admixta ſunt rori, reſolutione artificioſa, & ſalia, & ſpiritus inde elici poſſunt, ad nitri naturam accedentes, atque inde vis tanta vegetandi in rore eſt, ob ſummam nitri volatiliſationem, quod principium fœcundans eſt terræ, atque ita penitiſſimè ſe inſinuat fibrillis plantarum. Ex ſale roris menſtruum aliqui conficere laborant, quod aurum ſolvere poſſit. Vid. Henr. Nollius *in Hermeticâ Medicinâ*, & Nardius *in dicto libro.*

Rori etiam adſcribenda eſt, ſi qua eſt, *Plantarum reſuſcitatio:* (*q*) Notum enim eſt, celebrari à Chymicis quandam plantæ è cineribus reproductionem, de quâ multis dubitatum fuit, & dubia adhuc ſuperſunt de verâ & reali productione, quam nemo, quod quidem cognitum ſit hactenus, præſtare potuit, niſi quòd hiſtoriolæ quædam circumferantur, quibus fides haberi nequit. Poteſt tamen beneficiô roris bona quantitas ſeminis herbæ vel floris alicujus, per infuſionem continuam & calcinationem, ad ſolem, in vitro clauſo, ita præparari, ut, admoto poſtea igne cineri, idea floris vel herbæ, per vapores repræſentetur in vitro, quæ tamen ſpecies, remoto calore, iterum concidit. Modum illum Jac. Gaffarellus deſcripſit quodam in libro, ac inde Kircherus *in Mundo ſubterraneo, lib. 12. ſect. 4. pag. 414.* & Harsdörfferus

(*q*) De Reſuſcitatione plantarum Jac. Gaffarellus egit *P. II. Curioſitatum Inauditarum, Cap. V.* §. *9. p. 97. 98. 99.* ſed ſolam Medici Poloni Hiſtoriam, è Quercetano, in patrocinium ejus, allegavit. Plura de eadem Collectanea exhibet Commentator Gaffarelli, Greg. Michaelis, *in Notis ad h. l. num. 55. p. 249-253.* Phænomenon Nemoris Lavendulæ, e Salibus ſuis reſuſcitati, D. Joh. Dan. Major, Morhofii Collega, Kilonii M. Aug. an. 1676. in Vitris duobus, Experimento ſpectavit fortuito, & eodem Anno, *in Diſſ. de Ærumnis Gigantum, c. 4.* §. *47. 48. 49.* fuſius deſcripſit, adjectis ejusdem Schematiſmo, ac Tetraſticho ſequenti:

En redit ex gemino nemoroſa Lavendula Vitro,
Quæ prius in terram verſa ſalemque fuit.
Pulverulenta olim ſic Corpora noſtra redibunt:
Et Salia arcanæ quid Deitatis habent.

Gottfr. Vogtio, Reſuſcitationem hanc impugnanti, reſponſum eſt ab Ol. Borrichio *in Sapientiâ Hermetis & Ægyptiorum Vindicatâ, Lib. II. c. 5.* §. *9. p. 359-368.* Ubi fuſius ejus veritatem aſtruit, ſed plantarum tamen imagines tantùm, non veras plantas, hoc Artificio Chemico exhiberi fatetur. Conferri de hoc etiam Argumento meretur Henr. Meibomii Jun. *Epiſtola* erudita ad Theoph. Spizelium, *de Chemicorum Artificiis, quæ à nonnullis Phænomenis Naturalibus, Reſurrectionem Mortuorum illuſtrantibus, adduntur,* Spizelii *Conſiderationi Corporis Glorioſi,* Noribergæ an. 1662. *in 8.* excuſæ, præfixa.

in den Mathematiſchen Erquickſtunden. Paracelſus quoque, *lib. 6. de naturâ rerum*, ex ligni combuſti cineribus plantam excitare docet, & modum aliquem præſcribit confuſè admodum, quô certè quid effici poſſit, dici non poteſt, nec credo ab ipſo Paracelſo fuiſſe tentatum. *Joſ. Quercetanus* refert de Medico Cracovienſi, qui pulverem habuerit ex plantæ cujusvis partibus, pluribus quam 30. vitris contentum, admotâ lucerna plantam, omnibus partibus abſolutam, ſuccreſcentem exhibentem. Refert & *Pet. Borellus Cent. 3. obſ. 71.* fuiſſe peregrinum quendam Pariſiis, qui in vaſibus ſigillatis roſæ, tulipæ, & aliorum florum, aquâ ſemiplenis, reſuſcitationes, quinque aſſium pretio, admoto igne, oſtenderit. Habet & idem exempla alia. *Petr. Servius*, Urbani VIII. Medicus, conſpexit roſam ex cineribus uſtis, ſolerti & ingenioſo artificio excultis & elaboratis, 24. horis natam, adultam profectamque. Vid. *Tract. de Naturæ & Artis Miraculis.* His illi exemplis probant ejus rei poſſibilitatem, quam, niſi ipſi mihi aſpiciendi copia detur, non poſſum facilè mihi perſuadere.

Sanè, quod fumos & vapores, ideam floris repræſentantes, attinet, non præfractè equidem negaverim, poſſe talem ſpeciem exhiberi, ſed ſcio tamen, quàm nobis ipſis ſæpè imponamus, ut videre nos credamus, quæ videre cupimus. Quàm enim facilè eſt, in fumo volubili, aſcendente, deſcendente, aliquas ſpecies ſibi imaginari, ut in nubibus ſolemus. Quod Borellus, *Cent. 3. Obſerv. p. 279.* refert, pomorum ſuccum congelatum mali figuram exhibuiſſe, id certè novum non eſt, & nihil miraculi habet. Novimus enim congelationes omnes virgatas eſſe & ſtriatas, ut videmus in vaporibus feneſtræ congelatis, quas figuras Borellus, obſervator aliàs non ſatis Lynceus, pro mali quâdam figurâ potuit accipere. Simile & illud eſt, quod in conditurâ fructûs Ribium, ſaccharo confectâ, vidit multas figuras, folia ejus arboris optimè referentes. Oleaginoſa enim omnia facilè in tales formas abeunt, in circulos multos & globulos, quos etiam circumſpectus obſervator pro foliis arborum veneratur. Incidit hìc mihi in memoriam aliud artificium Franc. Lanæ, Jeſuitæ, *in lib. ſæpius citato*, de floribus & fructibus ſine ſemine productis. Is ſc. bonam quantitatem florum de pomis aurantiis indidit dimidiæ libræ olei amygdalarum dulcium, cum exiguo alumine, qui vitro benè cuſtodito & obſervato, Soli per menſem ſunt oppoſiti, usque dum putrefierent. Poſt menſem oleum imprægnatum in alia vaſa vitrea effudit, & ſepoſuit, ubi proximô vere vidit enatos flores, & poſtea mediâ æſtate fructus, poma ſcil. minutula ejusdem coloris & odoris cum pomis aurantiis. Mira certè illa eſſet metamorphoſis, quæ planè mihi non ſit veroſimilis, ut multa alia ejus Autoris.

De Plantæ reſuſcitatione ex cineribus legi poteſt. Athan. Kircherus *L. 12. Mundi Subterr. Sect. 4. p. 414.* qui ipſe teſtatur, exhibuiſſe ſe Reginæ Chriſtinæ phænomenon illud, illam verò incurioſam, cùm è manibus dimitteret, vitrum illud fregiſſe, & ſimul artificium perdidiſſe. Kircherus de eo integrum librum pollicitus eſt. De cetero, quæ pertinent ad hujus experimenti vel veritatem, vel falſitatem, & alia ſimilia, congeſſit ſingulari *Diſſertatione de reſurrectione plantarum* Gotfr. Voigtius,

quæ

quæ reperitur in *Curioſitatibus* ejus *Phyſicis.* Notari etiam debet ſingulare illud arcanum *producendi anguillas* M. Majo, beneficio roris, quod agriculas, duobus ceſpitibus graminoſis ac rorulentis, ſibi in margine piſcinæ ſuperimpoſitis, in Belgio efficere, in itinere meo didici, referentibus id nonnullis, quibus non crediddiſſem, niſi poſtea, in Abrahami Mylii ſcriptum *de origine animalium* incidens, idem illîc experimentum legiſſem *pag. 101.* quod hactenus nemini è Scriptoribus naturalibus obſervatum eſt; ſi J. Bapt. Portam exceperis. Verba Mylii *in Ep. de Transmutat. Metall. p. 38. 39.* recitavi. Veroſimile hoc experimentum videtur, quod nullum in anguillis reperiatur ſemen, nulla organa generationis, ac multa proinde de illarum origine Scriptoribus Hiſtoriæ Naturalis fuerit Diſputatio, quæ jam ſublata eſſet, ſi veritatis ſua huic experimento conſtaret.

Habet & Ros ſua quædam producta, de quibus etiam hic agendum. Eſt verò 6
inter illa primum *mel*, quod ex rore conſtare, vel in rore contineri, ſenſibus aſſequi poſſumus, ſi ſcil. vapore abeunte, obſervaverimus, ſubſidere in vaſis fundo materiam mellei penitus coloris, odoris atque ſaporis. Eſt ſcil. aliqua oleaginoſitas, ex terrâ per calorem elevata, & partim ex aëre decidit in caliculas florum, partim etiam per caules florum, è terrâ percolatur. Utrumque ſcil. aliquid ad generationem mellis, caulis floris, & ros decidens in florem, unde etiam fit, quòd mella tàm varia habeamus. E thymo, cityſo, ac rore marino, parantur optima mella. Mel ab apibus colligitur tantùm, ut plurimis videtur, non formatur per concoctionem aliquam in earum utriculis, quod aliis placet. Mel enim, extra apum operam, à naturâ generari ſatis conſtat, imò & alia ſunt animalcula mellilega. Tradidit olim *Eudoxus Gnidius*, in Africâ quandam eſſe gentem, quæ ſupra Syrtes & Carthaginem incolat, *Gyzanteres* vocatam, quæ hanc exerceat artem, ut flores colligat, melque copioſè ex iis conficiat. De Medicamentis ex melle, aliisque ex melle comparatis liquoribus, de melle roſcido & aëreo, quod in Indiæ quibusdam locis pluit, multa vide utiliter collecta apud Nardium, à *cap. 25. usque ad 75.*

Inter producta Roris etiam *Saccharum* eſt, quod non aliud eſt, quàm mel In- 7
dicum, humanâ operâ paratum, quanquam & ſponte ſuâ in cannis naſci ſoleat, &, ubi planè maturuerint cannæ, liquidum inde exſtillet. Sed ſolent plerumque non expectare illud tempus, & cannis exprimere ſuccum illum dulcem, quem igne coquunt, ſaccharumque vocant barbarâ voce. De hujus ſacchareæ cannæ culturâ, omnique apparatu ad confectionem ſacchari ſpectante, multa vide memorantem Caſp. Barlæum *in Deſcriptione rerum ſub Mauritio in Braſiliâ geſtarum.*

Manna itidem productum Roris eſt, quanquam alii potius reſinam arborum 8
velint. Non ubique enim reperitur, ſed vel in certô aliquô gramine, vel in certis quibusdam arborum foliis. Varias habet illud diſtinctiones ſecundum loca, in quibus colligitur, ſecundum arbores, in quibus apparet.

Manna Calabricum inter optima cenſetur. De variis ejus ſpeciebus legatur Jo. Chryſoſt. Magnenus ſingulari libro, & Jo. Nardius *de rore, c. 36. & ſeqq.* Scripturus

quoque erat *Tractatum de Saccharo & Manna* Cl. Salmaſius, teſte Laur. Craſſo *in Elogiis hominum Literatorum, Tom. 2. part. III.* Qui nuper demum Ultrajecti A. 1689. *in fol.* editus eſt in Appendice Soliniani Commentarii noviſſimæ editionis. Scripſit etiam *de Manna & Saccharo* Libellos peculiares Ant. Deuſingius, ſed is, more ſuo, Locos Communes potius coacervat, quàm experimenta, aut aliquid de ſuo, afſert. *De Sacchari & auri convenientiâ* Tr. edidit Joh. Tackius, Prof. Med. Gieſſenus.

9 Inter aquea Meteora etiam *Nix* referenda eſt. Eſt autem illa vaporis, non, ut Honor. Fabri vult, quædam ſpuma, ſed potius ipſe vapor congelatus. Namque nubes rorans, ſubitaneô frigore correpta, eô modô congelatur, ut in nive videmus. Quoniam enim particulæ humoris non ſunt unitæ, ſed ita diſperſæ, ut ſolent eſſe in vaporibus, ideò ſtatim frigus, occupans particulas, in multos globulos glaciales eas convertit, quæ deindè ſibi appoſitæ varias figuras ſortiuntur, vel ſtellarum, ita ut ſinguli radii quaſi arboreſcere videantur, vel ſphærularum, inter quas ſunt aliquæ ſemiſphærulæ, coni, cylindri, quæ omnia à diverſis turbinationibus oriri Honoratus Fabri ait, quas vel admixtus halitus, vel ventus, imprimit. Totum enim caſui tribuendum eſſe hoc exiſtimat. Spicula autem rigida in nive, quemadmodum & in pruinâ, & radii illi arboreſcentes, eandem cauſam habent cum qualibet congelatione; ſemper enim, ubi humor rarior eſt, vel ſuperficiei affuſus, ut in feneſtris, videmus in varios radios abiiſſe materiam. Cùm enim fluxus ille aquæ ſiſtitur, partes abs ſe diſcedunt, quarum contiguitas de naturâ fluxus erat. Abſcedentibus à ſe partibus, cùm tamen humor omnis rectis conſtet particulis, ſibi junctis, in rectos quosdam ramos & radios humor videtur diſcedere. Sæpe etiam ventus, pro ratione pulſus ſui & fluxus ſibi coëxtendit humorem, & in ipſâ coëxtenſione illum figit in glaciem. Hæc omnia explicari ſatis commodè poſſunt. Quod verò hexagonam illam figuram attinet, quæ in nive conſpicitur, mirabili illâ varietate ludentem, id tanti non eſſe putat Honor. Fabri, cùm tamen ego maximi rem habeam momenti. Veroſimillima illa ratio eſt, quòd, cùm quælibet gutta ſphæricam figuram repræſentet, in omni autem congelatione fiat diſcontiguitas partium, illa autem ſubitò contingat, & æqualiter premat globulos, neceſſariò ſphærica illa figura diſcontinuata abit in ramos aliquos figuræ ſphæricæ proportionales. Primùm enim ex globulo fit planities rotunda, preſſione enim corpuſculorum glacialium complanatur ſphæra in orbem rotundum. Eô complanatô, cùm partes à ſe divelluntur æqualiter, ita ut à centro verſus peripheriam ſignentur illi ramuli. Eſt tamen res magnæ multæque ſpeculationis mira illa formarum varietas & figura præciſe ſexangularis: nam ex ratione allatâ poterat in plures lineas diſpeſci globulus ille. Vid. Eraſmus Bartholinus in *ſing. Diſſert. de figurâ nivis*, (quæ ſecunda eſt in *Qq. Acad. de Naturæ mirabilibus*,) & diligentiſſimus minutarum naturæ rerum ſcrutator, Rob. Hookius, *in Micrographiâ pag. 88.* ubi eleganti præthereà diſcurſu, & planè Mathematico, illuſtrat ſexangularem illam congelandi rationem, quæ certè adeò accurata eſt, tamque affabrè facta, ut

nulla

nulla ars illam ſolertiam in minimis aſſequatur, quam in naturâ majorem eſſe fateamur neceſſe eſt, quàm ingenium apprehendere poteſt. Videmus tamen ſexangularem illam figuram naturæ familiarem in multis operationibus. Ita apis format ſibi domicilia hexagona, in cryſtallis & ſalibus easdem figuras nonnunquam deprehendimus, quas ſoli caſui adſcribere non poſſumus, cùm videamus tàm conſtantem naturæ proceſſum. Hæc, in genere de formatione nivis dicta, ſatis illuſtrant cognitionem ejus, in quantum illa haberi poteſt. Sunt verò multa alia, quæ circa nivem quæri ſolent, quæ integrô librô proponuntur à Thoma Bartholino *in Tractatu de Uſu Medico nivis*, ubi Medica præprimis ab illo diſquiruntur, in quibus ut nos detineamur, non eſt opus. Primum, quod accidit nivi, *candor* eſt, qui nivi quidem per ſe non competit, ſed quatenus ſuperficieculæ variæ floccorum ſibi ſuperimpoſitæ, ex variæ lucis reflexione candorem aliquem oculis repræſentant, tantæ quidem efficaciæ, ut excœcare animalia hominesque poſſit, ſi frequentius in nivis conſpectu verſentur. Hinc Gotfr. Voigtius in *Curioſitatibus* ſuis *Phyſicis* problema de albedine nivis propoſuit, quam non realem ineſſe nivi ex adductâ ratione exiſtimat, ſed emphaticam, cùm tamen emphatici colores eò magis colores ſint, quo propiùs ad naturam lucis perveniant, & ex primâ radiorum lucidorum miſtione oriantur. (*r*) Quanquam non negem, differre illos colores ab iis, qui conſtantius inhærere materiæ videntur, eſſentiæ tamen ratione nihil inter ſe differunt. Nivem agros fœcundare obſervant Agricolæ, & ratio ejus in promtu eſt, quoniam multum nitroſi ſalis ineſt nivi, ut & ſeparari illud per artem Chymicam poſſit. Nihil autem nitro præſtantius eſt ad fœcundandos agros. Refert Thomas Bartholinus de Sale quodam ex nive confecto, qui in momento poſſit coagulare res liquidas, qualem ſe vidiſſe teſtatur Hamelius *in libro de affectionibus corporum*. Nos quidem non vidimus, ſed rem à vero alienam eſſe non putamus, cùm videamus, beneficio nivis vel in mediâ æſtate, cum additione ſalis, vel ſine eo, artificialem glaciem parari poſſe, quod aliqui etiam glacie ipſâ efficiunt, ſed majorem tamen particularum glacialium copiam nivi ineſſe exiſtimarim. De pulvere coagulatorio, quo gemmæ formatæ fuerunt, vide *Epiſtolam* noſtram *de Scypho vitreo per ſonum rupto*, quæ ſi vera eſt hiſtoria, alterius originis pulvis ille eſſe videtur. Notari etiam illud cuilibet de nive poteſt, poſſe ſpiritum vini beneficio nivis deſtillari, absque igne, ſolâ nive alembico ſuperimpoſitâ, idque feciſſe Magnum Hetruriæ Ducem teſtatur J. Bapt. du Hamel, *lib. de affect. corporum, cap. de frigore.*

(*r*) Gothofr. Vogtius, Scholarum olim Güſtrovienſis & Hamburgenſis Rector, Albedinem Nivis realem non impugnavit, *in Curioſitatibus*, uti *h. l.* traditur, *Phyſicis*, Güſtrovii an. 1668. *in 8.* & Lipſiæ an. 1698. *in 12.* excuſis, ſed *Diſſertatione Philoſophicâ* contra illam peculiari & ſatis prolixâ, quæ Roſtochii an. 1669. *in 8.* ſeorſim prodiit. De *Figurâ Nivis Sexangulâ* conferri etiam poteſt Joh. Kepleri, Mathematici Cæſarei, *Strena*, ſive *Diſſertatiuncula* ad Joh. Matth. Wackerum, in Caſp. Dornavii *Amphitheatro Sapientiæ Socraticæ Jocoſeriæ, Tom. I. p. 751-757.* recuſa.

10 *Grando* à nive in eo differt, quòd primum quidem in guttulâ inſenſibili congeletur, novarum deinde partium acceſſione creſcat. Primùm enim ſubtiles globuli concreti, quando decidunt, ex humore, cui in deſcenſu occurrunt, ſemper novam acceſſionem habent, & quaſi novis quibusdam tunicis induuntur, ut in candelarum formatione fieri ſolet, quæ repetitâ immerſione novam ſemper craſſitiem acquirunt. Vulgò ſolent infimæ aëris regioni generationem grandinis adſcribere, ex eo argumento, quoniam in altiſſimis montibus nives quidem inveniantur, nunquam verò grando, quod quidem aliquâ ratione verum eſt. Nam quanquam grando nivi ab initio non ſit multum diſſimilis, in deſcenſu ex occurſu particularum humidarum in ſphæricam illam figuram convertitur, quæ ſemper increſcit, prout terræ vicinior eſt. Hinc in diſſectione grandinis varias invenire licet cruſtulas, & quaſi tunicas glaciales, per intervalla ſibi circumpoſitas, pari modo, ut in candelis abſcedere ſolent tunicæ illæ ſebaceæ, è multis immerſionibus coagmentatæ, in centro autem grandinis invenire licet ſubſtantiam molliorem nivi propemodum ſimilem, quæ ſubſtantia primum principium grandini dedit. Solet interdum portentoſæ magnitudinis grando decidere, quod vel ita fit, ut ventus, cum nivem è ſublimi in inferiora præcipitat, plurimos ejus floccos ſimul compellat, & gelu in unam maſſam conſtringat, vel etiam in ipſis nubibus portiones quædam aquarum congelentur, atque ita decidant, niſi velimus ſtatuere integras nubes poſſe eſſe congelatas, & in unam maſſam per frigus conſtrictas, quarum interdum ruptura & caſus fiat; ſed rarior eſt talium fruſtorum de cœlo lapſus. Alioquin omnis grando, etiam molis majoris, ſphæricæ figuræ eſſe ſolet, vel ovalis, quod argumento eſt, non aliô modô, quàm communem grandinem, formari, ſed vel altiùs cecidiſſe, vel plus humoris obvium habuiſſe, unde craſſitiem iſtam acquiſierit. Nam ventis illud adſcribendum, quod Antonius Grandis facit, vix videtur veroſimile, tùm enim hyeme frequentiores ſpectaremus grandines & majores, cùm æſtate magis ſpectemus. Solet facilè liqueſcere grando, quoniam humidiorem aërem inferiorem offendit, & certum eſſe argumentum frigoris ceſſaturi, ſi hyeme grando cadat poſt intenſum frigus. Indicat enim, aërem circumterraneum magis eſſe humidum, quàm frigidum.

11 *Pruina* nihil aliud eſt, quàm ros concretus, ut enim è pluviâ grando, è vapore nix, ita è rore pruina fit. Niſi enim ex rore fieret, ex aëre cadentem videremus, quod nunquam fit, ſed quando vapor è terrâ ſurgit, corporum ſuperficiebus adhæret, & occurſu aëris frigidi in ſtriolas aliquas, vel ſpicula glacialia, abit, quorum baſes ſint latiores ob liquationem humoris deſcendentis. Quando enim aſſurgit vapor, cum partibus ſuperioribus allinitur, quod reſtat humoris nondum concreti, defluit in baſin.

12 Atque hæc de Meteoris in univerſum dixiſſe ſufficiat, quorum naturam putaverim ſatis eſſe declaratam, ut non opus ſit diutiùs his inhærere. Specialia enim omnia tangere noſtri non eſt inſtituti, & ſatis illa per ſe intelliguntur, benè cognitis generalibus. Integri quidem libri de hoc argumento conſcripti, ſed plus ſemper in

illis

illis nugarum eſt, quàm veræ rationis. Nic. Cabæus, *in Comm. in Ariſtotelis Lib. de Meteoris*, inter Scholaſticos & Peripateticos diligentiſſimus optimusque eſt, Libertus Fromondus, *in Libris VI. Meteorologicis*, Antwerpiæ A. 1627. *in 4to* excuſis, mirus nugator, quem paſſim exagitat, datâ occaſione, Honor. Fabri. Robertus Fluddius etiam *Meteorologiam Coſmicam* ſcripſit, ſed is more ſuo nubes & inania captat, παραδοξολογεῖν potius amat, quàm veras rerum cauſas dare. Subtiliſſimus in iis Cartesius eſt, cujus judicio, quòd Optices peritiſſimus fuerit, multum tribuitur, & unicè poſt illum legendus, qui magnâ diligentiâ totam illam doctrinam excuſſit, Joh. Bapt. du Hamel *in libro de Meteoris & foſſilibus*. Eſt enim meteororum & foſſilium magna inter ſe cognatio. Multi ad meteora referunt, quæ illuc non ſpectant. Sic Mich. Watsonius *in unione ſapientiæ pag. 371.*, eò refert heterogenea illa, quæ in humano corpore ſolent generari: lucem carnis ovillæ in obſcuro cubiculi angulo, aliaque prodigioſa. Sed eâ ratione omnia naturæ phænomena ad meteora poſſunt referri.

CAP. XXIIX.

DE ALTERATIONE, GENERATIONE ET CORRUPTIONE CORPORUM.

§. 1. *Cenſura doctrinæ Ariſtotelicæ intricatiſſimæ de iſtis. 2. Inprimis ſubtilitatum inutilium de Alteratione. 3. Nec non de Generatione.*

Quod hoc capite nobis tractatur, id non hoc loco videbatur demum tractandum, ſed potiùs eô in locô, ubi de elementis, & elementorum qualitatibus, agebamus. Sed quoniam illic de miſtione à nobis actum eſt, non videbatur admodum neceſſarium, multa de hoc argumento verba perdere. Nam, quæ hactenus è corporibus phyſicis tractavimus, illa ſolâ miſtione abſolvi poſſunt, ut & cetera illa corpora, ut non ſit neceſſum, inutilibus iſtis & perplexis liticulis Peripateticorum nos immittere, quas illi ſuper hoc argumento mirâ fœcunditate pariunt. Quoniam enim, velut exercitus, qualitates ſuas diſponunt, adverſus ſe pugnantes, ex variâ illâ qualitatum combinatione & reactione multa invenerunt ſingularia commenta, quæ ubi quis omnia magnâ cum moleſtiâ devoraverit, non inveniet tamen, quod pectus ſaturet. Quare non malè fecit Joh. Sperlingius, quòd ex *Inſtitutionibus ſuis Phyſicis* rejecerit alterationem illam peripateticam. 1

Mediâ viâ procedit Honor. Fabri, qui ſemper Ariſtotelem cum recentioribus Philoſophis conciliare tentat. Nam, quæ apud illum egregia ſunt, ex corpuſculari Philoſophiâ ad hanc doctrinam ſunt deſumta. Diſtinguit enim alterationes corporum ratione ſtatuum ſenſibilium, ut ex raritate & denſitate, ex mutatione ordinis & ſitus partium, ut cum partium poſitus diverſus, vel opacitatem, vel perſpicuitatem adfert corporibus, atque ideò illa alterat, ex figuræ mutatione in corpuſculis ſive particulis, 2

ticulis, ex quibus corpora conſtant; id, quod probat ex Ariſtotele *lib. 1. de Generat. c. 4. text. 23.* Ex motu item & agitatione, ex compreſſione & tenſione. Atque hæc omnia ſatis benè, neque opus erat ad alias qualitates confugere alterationis quaſi directrices. Ut tamen etiam Peripateticæ doctrinæ ſatisfaciat, multa circa qualitatum ipſarum potentias philoſophatur, quæ Metaphyſicis ſpeculationibus, quàm Phyſicis demonſtrationibus videntur propiora, ingenioſa tamen, & ad ſententiam Ariſtotelis ſtabiliendam argutè & ſubtiliter inventa. Hinc non adeò opus erat iſtis Axiomatibus: *Qualitas alterativa non agit in proprium ſubjectum: Agens poteſt eſſe magis vel minus alterativum. Ubi agens repatitur ſecundum aliam qualitatem, contrariam illi, ſecundum quam agit, illa forma eſt capax intenſionis, cujus effectus formalis major vel minor eſſe poteſt; intenſio cauſæ effectum auget ad intra & ad extra; extenſio cauſæ non auget effectum ad intra ſc. intenſivè, ſecus ad extra.* Hæc omnia arguunt, neſcio quam ſuperſtitioſam ſollicitudinem, quâ in demonſtrationibus Phyſicis nihil proficimus, ſunt enim vel notiones quædam generales, quas nemo in dubium vocat, vel termini quidam inutiliter multiplicati, in quorum multiplicatione admodum ſollicita eſt hæc Peripateticorum Philoſophia. Quid enim opus eſt, tàm ſollicitè diſtinguere principia alterationis, ne dicam ineptè? Tria enim principia intrinſeca alterationis faciunt, quæ ſunt 1. *privatio.* 2. *forma accidentalis vel alterativa.* 3. *Subjectum commune.* Nam abſque illis terminis res tamen expediri poteſt. Privatio & forma alterativa nuda ſunt nomina, ne quid dicam de privatione, quæ nihil eſt in ſe, & ineptè inter principia refertur: Communitas ſubjecti per ſe patet, quanquam & hîc de ſubjecto, & varietate iſtius ſubjecti, multa eſt & intricata diſputatio. Ideoque rectiùs, meô judiciô, faciunt, qui inconditam hanc terminorum ſylvam relinquunt, & in *figurâ*, *motu*, *ordine partium*, acquieſcunt. Ea enim ſub ſenſus referri poſſunt, cum cetera ſint otioſorum hominum vitilitigia.

3 De *Generatione* in communi agi etiam ſolet à Peripateticis, quæ illis definitur mutatio à privatione formæ ſubſtantialis ad formam ſubſtantialem in materiâ. Sed quoniam formarum ſubſtantialium exiſtentia nondum ſatis eſt demonſtrata, illis ſublatis, de totâ hac definitione actum erit, ideoque non opus eſt, ut omnes illas controverſias Peripateticorum de principiis generationis, de eductione formæ è materiâ, de privatione, & plura alia recenſeamus. Commodior nobis de generatione agendi locus erit, ubi de *animalibus* agemus. Nam in reliquis corporibus generatione opus non habemus, quam ita generaliter accipiunt Peripatetici. Cùm docent, quomodo miſtio fiat, qualitates ſuas elementares in ordinem redigunt, ex illâ temperie diverſum aliquid ab elementis generari ajunt, vel elementa converti in naturam vincentis, eum in modum, quo materia combuſtibilis in ignem convertitur. Quæ tamen omnia otioſè ſunt concepta, & nullâ idoneâ ratione demonſtrari poſſunt. Nos miſſa faciemus ſterilia illa commenta, &, poſtquam de corporibus imperfectè mixtis egimus, quæ non tàm miſta, quàm alterata, magnam partem dici debent, ad corpora, quæ vocant, perfectè mixta deſcendemus.

CAP.

CAP. XXIX.

DE MINERALIBUS IN GENERE, ET AUTORIBUS, QUI ILLORUM HISTORIAM SCRIPSERUNT.

§. 1. Metallorum & Mineralium miſtionis ratio, ejusque inveſtigandæ difficultas. 2. Illorum præ aliis corporibus prærogativa, & gradus diverſi. 3. Judicium generale de hiſtoriæ illorum Scriptoribus, & Germanorum in hanc meritis. 4. Joh. Webſteri Metallographia *commendatur, & Metallographi præcipui, in tres claſſes Speculatorum, Chymicorum & Obſervatorum, diſtributi, ex iſtâ recenſentur.*

A Corporibus, quæ imperfectè mixta vocantur, progredimur ad illa, quæ perfectè mixta, quorum in claſſe primum ſibi locum vendicant METALLA & MINERALIA. Quoniam enim illa materiæ maximè conſiſtentis ſunt, & durabilitatem aliquam ipſâ particularum ſuarum texturâ præ ſe ferunt, arctius compacta & particulis ſuis inter ſe connexa videntur, neque tàm facilè deſtrui poſſunt, quàm alia naturæ corpora ſubterranea. Ipſe certè locus natalis eorum arguit, plus illa ex Elemento ſuo, in quo nata ſunt, trahere, quàm reliqua corpora. Maſſa enim terreſtris in eis præcipua videtur, præ reliquorum, ſi qua fortè ſunt, Elementorum portionibus. Quoniam itaque rerum craſſioris ſubſtantiæ difficilior & diuturnior approximatio eſt, ideoque miſtura particularum in iis corporibus multò eſt difficilior & arcanior, quàm in ceteris corporibus, quorum miſtiones deprehendi aliquâ ratione poſſunt per reſolutionem vel naturæ, vel artis. At in his longè abſtruſior eſt omnis illarum miſtura, & ſicut à ſenſibus noſtris quàm longiſſimè corpora illa ſunt remota, in locis tenebricoſis abdita, quorſum paucis hominibus, iisque plerumque operariis & idiotis, penetrare datum eſt, ductusque & canales naturæ, per quas colliguntur eorum primogeniæ partes, tàm altè ſunt radicati, mirum non eſt, ſi cœcutiat hîc intellectus noſter, in obviis etiam quibuscunque ſuperficiariâ contentus cognitione. Eam ob cauſam perfectè mixta, nec malè ſanè, vocantur, quanquam perfectæ iſtius miſtionis cognitio longè ſit imperfectiſſima, maximi tamen uſus, ſi haberi vel aliquâ ex parte poſſit. Ut vel eam ſolam ob cauſam impoſſibile ego exiſtimem, ignoratâ mineralium naturâ, reliquorum corporum perfectam adipiſci cognitionem, ne quid de aſtris dicam. Illa locus ipſe ſenſui noſtro ſubduxit, reliqua corpora omnia à maſſâ hâc terraqueâ origines ſuas habent, & intra athmoſphæram globi terreni propaginem viciſſitudinis ſuæ ſortiuntur; Meteora ortum ſuum in globo terreno habent, &, ut in ſuperioribus vidimus, ſine foſſilium ſcientiâ non rectè pernoſcuntur. Cetera omnia, quæ accidunt plantis, arboribus, animalibus, quin ex terrâ varias vices ſubeant, dubium non eſt. Nam & ſemina, pro ratione terrarum, quandam creſcendi promtitudinem habent, & indolem ſuam ſuſtentant, vel per-

perdunt. Etiam in animalibus magna eſt, reſpectu terrarum, variatio, adeò ut ſpiritus huic parti terræ familiares aliter aliterque afficiant eorum corpora, ſeu propagetur ea vis per cibos, ſeu per aërem, quem ſpirando ſpiritibus ſuis ſociant. Medici certè experiuntur, magnam eſſe corporum diverſitatem, pro genio iſtius ſoli, in quo homines ſunt nutriti, vel cui per aſſuefactionem quaſi incorporati.

2 Sed nos fortè in hac conſideratione nimii ſumus, & ad mineralia noſtra redimus, quæ ego *medullam naturæ* auſim dicere. In iis enim radices quaſi fixit natura compacta, inque ſolidum & in nucleum redacta, cùm cetera corpora, quaſi ſcoriæ ejus ſint, aut quædam appendices, aut quidam velut flores. Certè nullibi firmior & conſtantior eſt, quàm in metallis, natura, in ceteris corporibus ambulatoria. Sunt tamen & mineralium certi gradus, neque una omnibus eſt perfectio. Aliqua enim debilius miſta ſunt, aliqua fortius & majori partium temperie, ut aurum & gemmæ, præ vilioribus metallis, mineralibus & lapidibus. In iis enim ſubtiliſſimarum particularum quaſi cribratio peracta videtur, & in tàm nobilem maſſam conſolidatio arctiſſima, quæ excellentiæ iſtorum corporum optimus character eſt.

3 De iis antequam alia ſpeciatim dicamus, recenſebimus primùm Autores, qui Hiſtoriam mineralem deſcripſerunt. Tanta eſt vulgò illorum Scriptorum farrago, ut omnia quis excuſſa crederet, ſi numerum aut pondus librorum ſpectaret. Sed plerique inter illos ſunt Locorum Communium Scriptores, & pauca quædam & manuaria experimenta proferunt, quæ ad noſtram mineralium intelligentiam parum conferunt. Quicquid verò eâ in re præſtitum eſt, *Germanis* potiſſimum debetur, qui, occaſione multarum fodinarum, quarum ferax eſt Germania, ad opera illa invitantur.

4 Poſt omnes mineralium Scriptores JOHANNES WEBSTERUS, Anglus, *in Metallographiâ* ſuâ, libro Anglicè ſcripto, magnâ diligentiâ collegit unô librô, non adeò ſpiſſô, quicquid apud Auctores veteres & recentiores invenire potuit, quod ad Hiſtoriam metallicam pertineret. Eo itaque velut indice uti poſſumus in Autoribus his evolvendis. Is, *cap.* 2. ejus libri, ubi de Autoribus Metallographis agit, triplicem eorum facit claſſem, commodam ſanè & concinnam. Ad primam refert *Speculatores*; inter quos recenſet Ariſtotelem, Platonem, Hippocratem, Dioſcoridem, apud quos paucula quædam inveniuntur de metallis & mineralibus; Plinium ſecundum, Andream Cæſalpinum, Bernhardum Cæſium, Jeſuitam, qui collectanea vaſta, & magna volumina ſcripſerunt, nullius uſus, ad cognoſcendam mineralium naturam, vel admodum pauci. Refert & inter illos Athanaſium Kircherum, de quô (*univerſalem* illum vocans *conſcribillatorem & rhapſodiſtam*, in cujus *Mundo ſubterraneo*, mendaciis contra Chymicos pleno, nihil, præter titulum, ſit, quod promiſſa impleat) verum perhibet judicium; non enim implet expectationem illam, quam fecerat promiſſis ſuis. Magnô quidem hiatu magnifica multa in *Mundo ſubterraneo* promiſit, ſed quadrat in eum illud Horatianum: *Amphora cœpit inſtitui, currente rotâ vix urceus exit.* Quanquam enim vaſtus liber ſit, rerum tamen inops eſt, & neceſſaria non-

nonnunquam omittit, ſuperflua multa coacervat, cramben coctam multoties recoquit, nova parcâ manu ſerit, multa ex aliis Autoribus deſcribit, in multis impingit, ac ipſis ciniflonibus deridendum ſe præbet. Referendi etiam huc ſunt Muſæorum ſcriptores, ut Olaus Wurmius & Ulyſſes Aldrovandus, quorum ille in *Muſæo* ſuo metallicas quasdam ſpecies adduxit, hic integrum *Muſæum metallicum* ſcripſit. Sed ſunt ii Auctores non aliô quàm Nomenclatorum nomine vocandi, ut qui indicant tantùm res metallicas, parùm de iis judicant, plus tamen conferunt utilitatis ad metallorum cognitionem, quàm ſoli Speculatores. Webſterus ad tertiam claſſem Nomenclatores quidem refert metallicos, qui tamen potius ad primam eſſent referendi, quanquam Aldrovandi nullam mentionem fecerit, quem puto illi fuiſſe incognitum. In ſecundâ claſſe ponit *Scriptores Myſticos* ſeu *Chymicos*, quorum iterum duas claſſes facit, primam illorum, qui de vulgari Chymiâ ſcripſêre, quos enumerat, Joſ. Quercetanum, J. Dan. Mylium, Joh. Beguinum, Ang. Salam. Joh. Pet. Fabrum, Henr. Nollium, And. Libavium, è tam vaſto numero, cùm longè plures nominare potuiſſet, imò ſexcentos. Sed tamen illi ad Myſticos Scriptores non pertinebant. Ad illos, qui de Myſticâ Chymiæ parte, transmutatione ſc. metallicâ, ſcripſerunt, refert Morienem Romanum, Arnoldum de villa nova, Albertum M., Raymundum Lullium, Rogerum Baconem, Thomam Northonum, Georgium Riplæum, Auctores *Roſarii Philoſophorum* & *Muſæi Hermetici*, Mich. Sendivogium, Bernhardum Treviſanum, Baſilium Valentinum, Theophr. Paracelſum, J. Bapt. Helmontium. Sed hi longè pauciſſimi ſunt ex vaſto illorum numero. Plura nos de his Auctoribus diximus *in Epiſtolâ* noſtrâ *de metallorum transmutatione*. In tertiâ claſſe ponit *Obſervatores experimentales*, qui ipſi acceſſerunt fodinas, & hiſtoriam omnium operum metallicorum ſcribunt, quorum princeps eſt GEORGIUS AGRICOLA, Vir doctiſſimus, qui maximâ diligentiâ omnem rem metallicam, omnesque operationes, perſecutus eſt, primusque inter Germanos in opere *de re metallicâ* (Baſil. 1561. *in fol.*) & *Lib. de ortu ac cauſis ſubterraneorum* (Witteb. 1612. *in 8vo*,) cum curâ hoc argumentum tractavit. Secundas tribuit JOH. MATTHESIO, qui, in *Sarepta ſua*, Concionibus quædam immiſcuit metallica. Tertias JOHANNI KENTMANNO, qui ſcripſit *Nomenclaturam foſſilium inventorum in Miſniâ, aut aliis regionibus*. Hinc CASPARUM SCHWENCKFELD nominat, qui ſcripſit *Catalogum foſſilium Sileſiæ*, CHRISTOPHORUM ENCELIUM, qui librum reliquit *de re metallicâ*, vehementer ipſi laudatum, & ANDREAM SOLEAM, à Meiero commendatum, cujus eſt liber germanicus vom Uhrſprung der Metallen / qui ſub Baſ. Valentini nomine prodiit. Ceteri, quos nominat, huc non pertinent. In hac tamen claſſe, præcipuos aliquos omiſit, nempe LAZARI ERKERI, (omnium optimi & fideliſſimi obſervatoris) Probier-Buch / quo nemo luculentius ἐγχειρήσεις metallicas deſcripſit, CHRISTOPHORUM LÖHNEISEN, qui Germanicâ linguâ von Bergwercken ſcripſit, ipſe artifex metallarius, & prolixus in eo argumento, PET. ALBINI Meyßniſche Berg-Chronicke / quo in libro recenſetur foſſilium Miſnicorum hiſtoria, quam diligentiſſimè, à primâ origine per annos ſuos

deducta, ZACHARIÆ THEOBALDI *Arcana naturæ.* Scripſit & MODESTINUS FACHSIUS Germ. linguâ librum, cui titulus; Probierbüchlein. Addi poterant alii quoque Scriptores, quos, vel non vidit, vel incuriâ quadam prætermiſit.

CAP. XXX.

DE VARIIS TERRARUM GENERIBUS.

§. 1. De terris hîc agitur minerali ſucco imbutis, ad quarum cognitionem commendatur Ferr. Imperati Hiſtoria Naturalis. *2. Argillæ in ferum transmutatio, a Joh. Joach. Becchero credita, impugnatur. 3. Unde vires terrarum. Haud tantæ illæ ſunt, quantæ vulgò creduntur.*

1 TErram Elementum eſſe corporum, pleriſque Philoſophis ſupponitur. Ideoque, quatenus Elementum eſt, ad mineralia & metalla non poteſt referri. Solet tamen ad mineralium claſſem referri terra, ſed, quatenus ſucco aliquo minerali imbuta eſt. Inter corpora enim ſolidioris naturæ cùm primùm ſe offerat terra, matrix mineralium, ea primo loco inter mineralia referenda eſt. Imbuitur autem illa variis ſuccis mineralibus, ſuntque talis TERRÆ VARIÆ SPECIES, de quibus etiam in vulgaribus Compendiis operoſè ſanè à multis agitur. Vid. *Syſtema Phyſicum Gothanum.* Præcipuè verò magnâ diligentiâ collegit, ex omnibus Scriptoribus metallicis, varias terrarum ſpecies, easque luculenter deſcripſit FERRANTES IMPERATUS, Scriptor Italus, *in Hiſtoriâ naturali*, linguâ Italicâ conſcripta, cujus eâ in re labor ita omnia abſolvit, ut vix addi aliqua poſſe videantur, niſi quæ fortè in *Ephemeridibus Anglicis* habentur de quibusdam terris relationes. Et nos quoque ſupra aliqua de hoc argumento diximus, ut non ſit neceſſum, hîc illa repetere,

2 Vulgatiſſima terrarum ſpecies eſt *Argilla*, unde figulina conficiuntur opera, cujus nuper *Jo. Joachimus Becherus* voluit oſtendere in ferrum transmutationem, edito ſuper hoc argumento libro ſatis prolixo, quem ego tamen falli ſuâ obſervatione exiſtimo. (*s*) Nam fortè ſeparavit ex argillâ aliquas ferri particulas argillæ interſperſas. Solet enim ferrum omni argillæ, & omnibus vulgaribus etiam lapidibus, ineſſe, uti obſervavit dudum Guilh. Gilbertus *in libro de Magnete*, & præterea ipſe color flavus oſtendit, ochræ vitriolicæ teſtis, quæ ferro plerumque adeſſe ſolet, & ex Martis vitriolo quàm copioſiſſimè conficitur.

Eſa-

(*s*) Ad ea, quæ Autor, non *h. l.* ſolùm, ſed & *in epiſt. de Transmutatione Metallorum*, an. 1673. edita, *p. 82. 83.* adverſus Joh. Joach. Becheri de Argillæ in Ferrum Transmutatione ſententiam, diſputavit, nonnulla, niſi memoria me fallit, regeſta ſunt à Bechero *in Suplemento Phyſicæ ſubterraneæ Secundo*, an. 1678. publicato, & nuper cum ipſa *Phyſ. Subterr.* Halæ Sax. recuſa.

E ſalibus metallicis, & præcipuè vitriolô, plerumque terræ iſtæ præcipuas ſuas qualitates habent, & vel ſolum vitriolum varii coloris mirè ludit in tingendis terris, 3 quanquam & quibusdam Mercuriales quædam qualitates, aut ſulphureæ, ineſſe poſſint, de quibus ſingulis hîc agere nimis foret prolixum, cùm, præter vulgata, & ab aliis notata, vix afferre quicquam poſſimus. Legi poteſt Gerh. Joh. Vossius *in Phyſiologiâ Chriſtianâ*, qui, ut pleraque Philoſophiæ naturalis capita complexus eſt, ita & hôc in argumentô collegit, quæ, vel apud veteres, vel apud Scriptores ſui temporis, inveniebat rariora. Medici quibusdam earum ſpeciebus magnam vim tribuunt, quam quidem in dubium vocare nolim; certum tamen eſt, plus ſæpè ineſſe iis rebus ſuperſtitionis, quàm veræ experientiæ. Quot non de gemmis circumferuntur ſuperſtitiones, quibus tamen Viros etiam doctiſſimos paſſim implere libros videas?

CAP. XXXI.

DE LAPIDIBUS, EORUMQUE GENERATIONE, PETREFACTIONE ET CORPORIBUS PETREFACTIS.

§. 1. *Methodus detegendæ conſtitutionis corporum, præcipuè ſubterraneorum, per Analyſin, commendata.* 2. *Obſervata illa eſt à Nicolao Stenonis* in Prodromo Diſſertationis de ſolido intra ſolidum naturaliter contento, *cujus prolixus exhibetur recenſus.* 3. *Stenonis, Bernh. Paliſſii, Henr. de Rochaz & Thomæ Schirlæi, de cryſtallis & lapidibus ex aquâ concretis, ſententia.* 4. *Refutatur ea, &, ad generationem lapidum, cryſtallorum, metallorum, præter aquam, ſuccum etiam viſcoſum requiri, oſtenditur.* 5. *Quid de corporibus petrefactis judicandum, dubiis magnam partem, & non genuinis.*

Quandoquidem Mineralia terræ producta ſunt, ideò conſiderandum nobis 1 primò erit; *an illa terræ producta dicantur, vel ratione loci, vel ratione cauſæ.* Terram autem locum præbere mineralibus in confeſſo eſt, cauſam an præbeat, incertum, ita ut ab eâ ſolâ dependeat. Ex ejus tamen conſideratione in aliquam cauſæ cognitionem deduci poſſumus per viam ἀναλύσεως, quâ quàm tutiſſimè proceditur in corporum conſtitutionibus detegendis. Aliquam certè cognationem cum loco, cui connexa ſunt, habent corpora, aut aliquod facere indicium poſſunt primæ illius compactionis, minimum illud, an ex ſolido, an ex liquido, concreverint corpora, eô in ſtatu reperta; ubi figura ſuperficierum & ratio contiguitatis in corporibus in conſilium adhiberi debent, atque ex iis judicium inſtitui de primâ partium illarum coagmentatione. Non memini, iſtam methodum ab ullo Phyſicorum fuiſſe tentatam, cùm tamen ſimpliciſſima ſit, & maximè naturalis, ac demonſtrativa. Iis enim quaſi veſtigiis quibusdam, à naturâ impreſſis, inceden-

dum eſt, cùm alioquin diffuſa difficilisque ſit earum rerum comprehenſio. Quemadmodum ſc. in animalis naturæ cognitione procedimus, ut per anatomen indagemus primas humorum ſecretiones, liquidorum à conſiſtentibus intervalla, ichnographias ramulorum, quas natura delineavit quaſi quædam ſtamina texturæ totius corporis, poſteà novâ occaſione materiæ vel conſolidandâ, vel extendendâ, vel novis corporibus incruſtandâ; ſimili modo in productis ſubterraneis procedi poſſe nullum eſt dubium, ſi modò ita ſemel ſimulque objici oculis poſſint tàm vaſtæ corporaturæ, quæ ſeculis ſolent demum elaborari, & intra terræ carceres formantur, ingenio humano non perſpiciendos, & fortè non aliâ intelligentiâ cognoſcibiles, quàm quæ ipſa hæc ordinavit, & primum illum motum impertita eſt.

2 Devenit tamen ad illas cogitationes non ita pridem ſubtiliſſimus Vir, Nicol. Stenonis, acutiſſimi homo ingenii, qui multa vidit in rerum naturâ, in quibus alii cœcutiunt. Is, occaſione quæſtionis, à Magno Hetruriæ Duce ſibi propoſitæ, de conchyliis & rebus maritimis, in locis mediterraneis repertis, Diſſertationem inſtituit *de ſolido intra ſolidum naturaliter contento*, cujus ille *prodromum* edidit, ex quo, velut ex ungue, leonem judicare poſſumus. In totâ illâ Diſſertatione id præcipuè agit & tractat, quomodo corpora illa varia, quæ ſub terrâ reperiuntur, concreverint. Id ut explicet, magnâ diligentiâ conſiderat locum eorum, in quo reperiuntur, quomodo ſcil. iſte corpora includat, quibus ſuperficiebus illa contingat, an planis & lævigatis, an aſperis, an totis, an quibusdam earum partibus, è quorum omnium accuratâ collectione Mathematicis ratiociniis demonſtrare laborat, quomodo hæc corpora, ſecundum has vel illas ſuperficies, ita figurata in hoc loco potuerint coagmentari. Atque in iis omnibus ita procedit, ut, poſitis quibusdam propoſitionibus, quaſi Mathematicis, ſententiæ ſuæ, velut quædam concluſiones, ex iis ſequantur. Illud problema Univerſale ejus eſt, quod totâ *ſecundâ parte Diſſertationis ſuæ* pertractat, cujusque *in Prodromo ſuo* tantûm, velut lemmatis alicujus, meminit: *Dato corpore, certâ figurâ prædito, & juxta leges naturæ producto, in ipſo corpore argumenta invenire, locum & modum productionis detegentia.* Propoſitiones ejus ſimpliciſſimæ ſunt, ex quibus concluſiones ſuas educit. Prima eſt: Si corpus ſolidum alio corpore ſolido undique ambitur, illud ex iis primò induruit, quod, in mutuo contactu, ſua ſuperficie alterius ſuperficiei proprietates exprimit. Hinc conſectaria ſua educit: (1) In illis terris, vel ſaxis, quæ undique circumdant & continent cryſtallos, marcaſitas, teſtas animalium, & alia corpora, levi ſuperficie prædita, jam tùm induruiſſe illa corpora, quo tempore terrarum ſaxorumque, illa continentium, materia etiamnum fluida erat, adeoque ex illis colligi poſſe, non terras vel ſaxa produxiſſe contenta in illis corpora, imo ne quidem extitiſſe, quo tempore eadem corpora ibidem producta fuerunt. Colligit (2): Si cryſtallus cryſtallo, marcaſita marcaſitæ, includitur, jam tùm induruiſſe contenta illa corpora, quando corporum continentium pars etiamnum fluida erat. Colligit (3), in illis terris & ſaxis, quibus teſtæ cryſtallinæ, argenti, antimonii, &c. continentur, continentia corpora jam tùm induruiſſe, quo tempore con-

contentorum corporum materia etiamnum fluida erat, adeoque marcaſitas primùm productos eſſe, inde lapides, quibus includuntur marcaſitæ, tandem venas mineralium, quæ lapidum fiſſuras replent. Tertia ejus propoſitio hæc eſt; ſi corpus ſolidum ſecundum naturæ leges productum eſt, è fluido productum eſt. Creſcit illud, dum particulis ejus novæ apponuntur particulæ, ab externo fluido ſecretæ. Fieri autem appoſitionem hanc, vel à fluido externo immediatè, ait, vel mediante fluido interno, uno vel pluribus, quæ omnia eleganter illuſtrat comparatione corporis humani cum productis terræ inſtitutâ. In omnibus locum productionis accuratè inſpiciendum docet, i. e. corpora vicina, quæ ad incluſorum productorum figuras componenda.

De *cryſtalli productione* multa ſubtiliter diſquirit Steno, an inter fluidum & fluidum, vel inter fluidum & ſolidum, an verò in ipſo fluido, producatur. Nam è fluido productam eſſe, dubium illi nullum eſt, frigore tamen concretam, at è cineribus, ignis vi, in vitrum exuſtam negat. Putat enim, etiam absque ignis violentiâ fieri vitrum poſſe, etiam humano artificio, modò quis inſtituat accuratam analyſin ſaxorum, in quorum cavitatibus optimæ cryſtalli formantur. Certum enim eſſe putat, ut ex fluido concrevit Cryſtallus, ſic in fluidum eandem poſſe reſolvi, modò quis verum naturæ menſtruum imitari norit; fluidum autem, in quo cryſtallus creſcit, eodem modo ſe habere ad cryſtallum, quomodo aqua communis ſe habet ad ſalem. Ejusdem ſententiæ plures alii quoque ſunt. Nam Bernhardus Paliſſy, Gallus, libro patriâ linguâ ſcripto *de naturâ fontium, metallis*, &c. ex aquis metalla & lapides produci vult: aquas autem duas ſtatuit, alteram materialem, alteram congelantem. Henricus de Rochaz, popularis ejus, qui de eodem argumento etiam aliqua ſcripſit, aquam quidem materiale rerum principium facit, ſed ſalem illi adjungit, principium conſolidans corpora. Thomas Schirley, in peculiari *libro de cauſis lapidum*, eos oriri putat ex aquâ & ſeminibus ſuis, quod certè eſt nihil dicere. Nam illa ſemina nos quærebamus. 3

Ut ſententiam meam aperiam, nec lapides, nec metalla, è ſolâ aquâ ſimplici poſſe produci credo. Metalla, quia corpora habeo ſecundum miſta, quæ decompoſita alii vocant, in partibus ſuis conſtituentibus, primò miſtis, agnoſcunt fortaſſis liquorem primogenium, ſed qui in ipſâ ſpecificâ metallorum productione non apparet. Quod ad cryſtallorum ex aquâ concretionem ſpectat, nondum ita illa expedita eſt, ut putabat Stenonius, non pauca enim ſuperſunt dubia. Ipſa earum fragilitas teſtatur, minus ineſſe iis humoris, quàm ipſis metallis. Bernhardus Paliſſy per aquam congelantem nihil aliud quàm ſalem intelligit, ut explicat Sorellus, aut aliquam ſubſtantiam lapidificam & incruſtantem, quæ ab aquæ naturâ diverſa eſt, ut vel inde pateat, cryſtallum non eſſe corpus ὁμοιομερὲς, ſeu ſimilium partium. Peireſcius, teſte Gaſſendo *in ejus vitâ*, craſſam ſatis communium lapidum miſturam invenit, quando ex aquâ limum viſcoſum eruit, ad contactum aëris in lapidem abeuntem. Ita poterant & in metallis diverſi ſucci, vel terræ, ſed naturæ purioris, miſceri. Si aquarum veſtigia in cryſtallorum incunabulis invenit Stenonius, non ſequitur 4

tamen,

tamen, inde fuiſſe productas cryſtallos. Nam poterant aquæ vehiculorum vice fungi, quæ materias earum conſtitutivas ad loca illa deferrent, extra autem corpus ipſum conſiſtebant. Tùm & illa aſſertio, cryſtallos poſſe per liquorem ſolvi, quia ex liquore productæ ſunt, admodum incerta eſt, cùm non perpetuum ſit, ex ſolventibus rem aliquam eſſe productam, & non ſatis certum, cryſtallos ſolvi poſſe. Neceſſariò itaque materia lapidum nobis reponenda eſt in ſucco aliquo ſpecifico, & per naturam ita præparato. Quod certò cum dicimus, profiteri non erubeſcimus, non ſatisfacere illam rationem curioſis ingeniis; ſed ſervanda illa eſt, usque dum meliorem doceant alii. Nam ex ſubtilitatibus illis, quas affert Stenonius, utut ſatis argutæ ſint, & mathematico planè ordine procedant, nondum tamen res confecta eſt. Quanquam id libenter concedamus, inter prima lapidum elementa aquæ eſſe præcipuam partem, ſed, cùm in naturâ miſtionis multa conſiſtant, ideò oportet, ex ſolido aliquo principio, & ex aquâ, primò materiam mediæ naturæ, inſtar ſucci eſſe inſpiſſatam, quæ poſteà in lapidis duritiem abiit, humore arctius cum particulis arcuatis unito. Aliquam certè ideam talis miſtionis in operibus gypſatis deprehendere poſſumus, quæ, ſola affuſa aqua, in duritiem aliquam abeunt, non tamen ſatis conſtantem, quoniam abeſt viſcoſitas illa, quæ magis continet partes. Unde videmus, cùm oleo imbuitur iſta materia, vel aquâ glutinoſâ, eam duritiem lapideam acquirere. In ceteris verò lapidibus durities illa & tenacitas, non ab aquâ ſolâ, non à particulis terreis, ſed à quadam viſcoſitate eſt, in quam multis, vel circulationibus, vel aliis miſturis nobis incognitis, aquam illam natura inſpiſſavit, vel multo tritu particulas magis illi uniens, vel tertium etiam aliquod unctuoſæ naturæ, nobis incognitum, illi addens. Ut itaque ex eo appareat, nihil veroſimilius dici, quàm ſi ſuccum lapideſcentem proximam lapidis materiam faciamus. Proceſſus iſte, quomodo veroſimiliter ſuccus ille producatur à naturâ, ſatis ingenioſe deſcribitur ab Honor. Fabri *tr. 7. prop. 7.* qui & in ceteris rariorum lapidum, communium, ut marmorum, lapidis Lydii, ſilicum, cotis, pumicis, tophi, calculi in corpore humano, texturam magnâ induſtriâ explicat.

5 Quod petrificata corpora attinet, certum eſt, eſſe quosdam fontes, qui lapideam naturam videantur induere rebus non lapideis, & oſtenduntur multa in Muſæis paſſim corpora petrefacta, quæ omnia tamen ego non genuina eſſe exiſtimo. Nam & raritatem aliquam, aut novitatem, fraudibus doctis interdum venari ſolemus, ut veritatem Theologi interdum fraudibus piis. In illa omnia ſpecialiùs inquirendum eſt. Utut enim non negem, incruſtari quædam corpora poſſe cruſtâ aliquâ lapideâ, tota tamen quanta quanta ſunt, mutari in lapides poſſe, res eſt creditu admodum difficilis, niſi fortè tanta ſit copia particularum lapideſcentium, ut ita penetrent minimos etiam corporum receſſus, & ſingulis particulis ſe circumponant. Sed, neque tùm tamen concipere poſſumus, quomodo ſubſtantia nova, & ſatis ponderoſa & multa, eidem corpori miſceri poſſit, ſalvâ manente ejus figurâ, niſi fortè novæ illæ particulæ adve-

advenientes ſimul conſtringant molliores quasdam corporum immutandorum particulas. Vid. D. Joh. Dan. Majoris *Epiſtola de Corporibus petrefactis.* (t)

CAP. XXXII.

DE MAGNETE.

§. 1. Virium ejus cauſam reddere arduum, quæ nec ad internam virtutem, cum J. C. Scaligero, nec ad ſimilitudinem ejus ac ferri, eſt referenda. 2. Guilh. Gilberti Lib. de Magnete, *ac Obſervatt. de virtute totius globi terreſtris Magneticâ, indeque enatâ magneticâ recentiorum Philoſophiâ, à Nic. Cabæo, Nic. Zucchio, Jac. Grandamico & Athan. Kirchero, excultâ. 3. Ren. Carteſii & Hon. Fabri, vires Magnetis ad effluvia externa referentium, ſententia recenſetur & approbatur. 4. Disquiritur, an magnes, igne candefactus, vim ferri attractivam amittat. Variatio declinationum acûs magneticæ. 5. Judicium de Vinc. Leotaudii* Magnetologiâ. *Alii de Magnete Scriptores, Henr. Nicolai, Laur. Reael, Verulamius, Petitus, Joh. Frid. Herwarti de eodem ineptiæ.*

INter reliqua lapidum genera facilè palmam, ob mirabilem ſuam virtutem, reportat MAGNES. 1 Occaſionem certè præbuit vaſtis voluminibus, quibus quidem operoſè ſatis inquiritur de iis, quæ circa illum notanda ſunt, e. g. de *converſione ad ſeptentrionem*, *declinatione*, aliisque mechanicis artificiis, quæ ſuper virtute magnetis fundantur. In veris autem cauſis earum rerum indagandis, præter occultas aliquas qualitates, nihil magnoperè ſcitu neceſſarium nos docuêre. Jul. Cæſ. Scaliger, mirum quantum ſubtilis, adeò acutum non cernit, ut verам virium magneticarum cauſam nos docere poſſit. Nihil enim aliud ab illo accepimus, quàm, quòd ab internâ potiùs virtute, quàm externâ, exiſtimet, motum illum procedere, veluti movetur catulus ad mammillam, & anima noſtra ad beatitudinem, ab intimo principio, quod ſummi boni appetit fruitionem. Qualis Philoſophia, & quidem tàm ſancta, mirum, quomodo in lapides jam ſit propagata. Tantum ſc. abeſt, ut ab internâ virtute procedat, ut ab externâ potiùs illud provenire longè ſit verius, ut è ſequentibus videbimus. Aliqui ſolam ſimilitudinem, in Sympathiâ, quæ inter magnetem eſt & ferrum, pro cauſâ nobis venditârunt, quod certè nihil eſt dicere, cùm ſic in ceteris etiam corporibus ſimilitudo eosdem effectus parere debeat.

Primus in hoc argumento diligenter excolendo fuit Anglus, WILHELMUS GILBER- 2

(t) D. Joh. Dan. Majoris, Prof. Medici Kilonienſis, *Diſſ.* quæ *h. l.* allegatur, *De Cancris & ſerpentibus petrefactis, ad D. Phil. Jac. Sachſium, Epiſtolica*, unà cum Sachſii Reſponſoriâ *de Mirandâ Lapidum Naturâ*, Jenæ 1664. *in 8.* prodiit. Pollicetur in eâ, & breviter *p. 13. ac ſeqq.* delineat *Lithologiam*, ſive *Tr. de Corporibus Petrefactis* integrum, quem tamen abſolutum ab illo eſſe vix credo.

rus, qui in experimenta ſuper uno hoc ſubjecto mirè accurata quinquaginta nummorum millia, ut Harvæus refert, impendit, edito in lucem libro, (cui Tit. *Philoſophia nova de Magnete, Magneticisque Corporibus, & de magno Magnete Tellure* Amſtel. 1600. *in fol.*) quo primus demonſtravit, virtutem magneticam terreſtri globo à naturâ inſitam, atque adeò terram magnum eſſe magnetem, ut magnes eſt parva terrella. Quæ obſervatio, quanquam integram magnetis naturam non demonſtret, viam tamen pandit ad cogitationes quasdam ſecretiores, & latiùs patentes. Nam èx eo id ſequitur, virtutem illam latiùs diffuſam eſſe, quàm in ſolo illo lapide, ut fides amplius non habeatur fabulis illis veterum, neſcio quas magneticas rupes fingentium, aut cœli cujusdam plagam, & ſideris cujusdam influxum in rei hujus cauſam vocantium. Quos inter Rogerius Baconus quoque eſt, qui, in *Ep. de virtutibus Magneticis*, cœlum terræ miſcet, à cœlo virtutes iſtas derivando, cùm poſſet à Terrâ. Statim ergò, poſt Gilbertum, quaſi nova quædam de magneticis Philoſophia cudi cœpit, ut ſunt hodieque multi homines ita animati, qui unâ ſuper obſervatione tota ſæpè Phyſices Syſtemata fundant. Gilbertus nihil aſſeruit, niſi quæ experimentis comprobata fuerunt. Poſtea illum tamen inſecuti ſunt Nic. Cabæus, Nic. Zucchius, Jac. Grandamicus, Athan. Kircherus, Jeſuitæ, qui vaſta de re magneticâ Opera ediderunt, id præcipuè agentes, inprimis Cabæus & Zucchius, ut ad principia, juxta Philoſophiæ leges, reducerent Gilbertiana experimenta. Grandamicus ſingulari Opuſculo terræ immobilitatem ex virtute magneticâ demonſtrare conatus eſt. Quod ſcriptum ejus Henr. Power refutavit *Parte III. Philoſophiæ Specialis*, Lond. A. 1664. *in 4.* editæ. Kircherus, ſicut ſolet, per omnia hujus tractationis cognata ſe diffudit, nam non ſolùm anteriorum ſcriptorum ratiocinia collegit, ſed & omnia, quæ in naturâ analogiam quandam magneticam præ ſe ferunt, eò retulit, additis variis laboribus mechanicis, ex operationibus magnetiſmi erutis.

2 Poſt tot tamen labores non ſatis inquiſita fuit magnetis natura, & nihilominus obſcura relicta fuerunt earum operationum principia. E modernis, Kenelmus Digbæus magnetem credidit ex atomis generari, ab utroque polo fluentibus, ac per emanationem operari, quæ ſententia mihi haud probatur. Præ ceteris aliquid ſapere hîc viſus eſt *Carteſius*, latiùs vibrans mentis ſagaciſſimæ oculos, quàm alii ante ipſum Scriptores. Obſervavit ille ſc. virtutem illam, quâ ferrum attrahit magnes, aut in polum convertitur, non in ipſo eſſe magnete, niſi ſolummodò paſſivè: Principium autem dirigens, & motum illum exercens, extra ipſum, vel lapidem, vel ferrum, eſſe conſtitutum. Per illum itaque pro certo poſitum eſt, externam aliquam naturam fluidam eâ viâ ferri ab auſtro ſcil. ad ſeptentrionem, eamque poris magnetis, vel ferri, ita ſe inſinuare, ut ſimul ſecum in eandem viam dirigat, quæ poſteà etiam remanet in minimis particulis magnetis, quæ ferro affricantur. Ex eodem principio cenſenda eſt provenire virtus illa attractrix. Materia enim fluida, per magnetis poros tranſiens, dum ferrum offendit, ſimili ratione per ferri poros tranſire laborans, dum non rectè ſibi oppoſitos incurrit, eos ita dirigit, ut accedere ad magnetem ferrum

rum

rum videatur, & accedente ſubindè novâ particularum copiâ, & poris rectâ viâ oppoſitis, particulæ illæ ſtriatæ quaſi ferrum induant, atque ita firmiter magneti ipſi apponant. Id enim certum eſt, magnetis & ferri eſſe penè eandem ſubſtantiam, unde *Honor. Fabri* magnetem facit corpus mixtum ex materiâ lapideâ & metallicâ. Et hic doctiſſ. utique & ſagaciſſ. Vir eandem hypotheſin Carteſianam ſequitur, quamvis aliter proponat. Id autem ita exactè & mathematicâ planè ratione facit, ut in dubium vocari non poſſit, *Tract. 7. lib. 1. propoſ. 34.* Poſtquam multis aliis viam muniverat ſuæ aſſertioni, hâc analogiâ rem demonſtrat. *Cogita*, inquit, *ſuberis fruſtum innumeris ferè acubus ferreis, magneticâ vi inſtructis, in parallelis, quanquam inſenſibilibus, confixum, illud haud dubiè ſuos polos, ſuosque aſpectus, habebit*, &c. Quo certè exemplo elegantiſſimè illuſtrare totam hanc materiam videtur, quamvis in materiam ſtriatam Carteſianam propendere non videatur. Interim tamen ſimile aliquid principium agnoſcere videtur. Sed tamen non tàm generale ac univerſale, quale Carteſius. Proponit autem totam hanc doctrinam admodum luculenter & perſpicuè, & planè methodo mathematicâ, ut ſanè rectiore viâ & planiore nemo facilè hîc procedere poſſit.

Cetera, quæ ſpectant ad magnetem, declinationes ejus, diviſiones ſecundum polos, & alia, mathematica planè ſunt, vel mechanica, & ſollicitè jam tùm ab aliis notata. Multa præterea fabuloſa referri ſolent de magnete. Solent & illud inter obſervata referre, vim omnem ſuam deponere magnetem, ſi igne candefiat, quod tamen non usque adeò verum eſſe, produnt *Acta Philoſophica Anglica p. 406. Edit. Lipſ.* Quanquam Honor. Fabri rem extra controverſiam eſſe exiſtimat. Eatenus tamen veritas conſtat huic obſervato, quòd ſcil. virtus illa attrahendi in magnete aliquâ ex parte fuerit imminuta, ac potuit fortaſſis magnes ille fuiſſe validior, quàm iſti, in quibus alii experimenta fecère, qui totam hanc vim omninò depoſuerunt. Nam inter magnetes magnam eſſe differentiam, multi Autores notant. Ceterùm in declinationibus acus magneticæ mira eſt varietas, ut eam ſæpè notavit Rob. Boylius, in exiguis milliaribus notabiliter variaſſe, cujus ille cauſam adæquatam dare non potuit. In *Actis Philoſophicis Anglicis* multæ, quæ variationem illam ſpectant, paſſim ſunt Obſervationes. 4

Scripſit & Vincentius Leotaudius *Magnetologiam*, Lugd. Gall. A. 1668. *in 4to* editam, *in quâ*, ut titulus habet, *exponitur nova de magneticis Philoſophia*, quæ tamen mihi quidem non multùm adferre videtur novi, ſed doctrinam hanc intricatiorem, quàm antè fuit, relinquere. Accuratè tamen omnia illa artificia magnetica exponit, & *lib. 1. cap. 4.* prolixè agit de vi magneticâ ferro communicandâ absque magnete, unde probat ille totius terræ virtutem eſſe magneticam. Congeſſit quoque *Henr. Nicolai*, in exiguâ *Diſſ.* (Dant. 1641. *in 4to*,) varias de hoc argumento quæſtiones. *Laur. Reael*, celebris Batavorum Navarchus, Amſtelod. A. 1651. *in 8vo* edidit, Onderſinding van de Magneetſteen/ en de magnetiſche Kracht der Aarden/ Libellum quidem exiguum, ſed in quo experimenta non contemnenda, notisque 5

latinis à Caſp. Barlæo illuſtratum, ab erroribus tamen ſuis haud immunem. Inter poſthuma Verulamii peculiaris reperitur *Inquiſitio de Magnete*, in quâ cogitata ſua profert, & Qq. exponit, ad quas inſtitui Experimenta Magnetica poſſint, quales etiam in *Transact. Angl.* paſſim leguntur. Dn. *Petiti*, bellicis in Galliâ munitionibus præfecti, *Diſſ. de Magneticâ declinatione, ejusque variatione*, *Aſtronomiæ Phyſicæ* J. Bapt. Hamelii eſt addita. Legi etiam merentur, quæ de motu in naturâ magnetico *J. Alph. Borellus*, ſub finem Operis *de vi Percuſſionis*, philoſophatur. Ingenioſè ſtultus fuit Joh. Frid. Herwartus, qui *in Admirandis Ethnicæ Theologiæ myſteriis propalatis*, Ingolſtad. A. 1623. *in 4to* editis, Magnetem olim pro Deo cultum, Philoſophiamque Magneticam, & Myſterium Pyxidis Nauticæ, ſub omnibus Gentilium fabulis à ſacerdotibus fuiſſe occultata, operoſè evincere eſt conatus. Quo quidem nihil poterat excogitari ſtultius, cùm ne minimum quidem apud Autt. veteres Pyxidis iſtius notetur veſtigium.

CAP. XXXIII.

DE LAPIDIBUS PRETIOSIS.

§. 1. Gemmarum præſtantia & prærogativa præ lapidibus. Varii de illis Scriptores 2. Ceteris præfertur Rob. Boylius, cujus ſententia de Gemmarum generatione, conſtitutione & ſolutione, cum Nic. Stenonio ipſi fermè communis, recenſetur. 3. Quid de Gemmarum viribus & motu inteſtino judicandum? 4. De Adamantibus, ceterisque Gemmarum ſpeciebus, nonnulla. 5. De Margaritis item, 6. Ac Coralliis, Lignoque foſſili.

1 Vidimus plebejos lapides, veniamus ad Regios, & ob raritatem præ ceteris æſtimandos. Sunt enim ſanè nobilioris naturæ & compoſitionis, neque à ſolo pretio & æſtimatione dignitatem ſuam accipiunt. Miſtio enim longè perfectior eſt, & ſingularis eorum textura arguit longinquitatem productionis, & eam ob cauſam naturam nobiliorem. Niſi enim particulæ ſubtiliores eſſent, & longo tempore longisque circulationibus naturæ excoctæ, & in talem maſſam ſubactæ, non tàm ſplendidâ formâ & durabili corpore apparerent; nulla enim alia corpora his virtutibus prædita videmus. De iis Scriptores ſunt multi, ſed innumeris fabulis referti, ut vix liqueat, quid in illis ſincerum ſit, aut pro vero & demonſtrato debeat haberi. Anshelmus Boëtius à Boot, Marbodæus, Franc. Ruæus, Hier. Cardanus, Joh. de Laet, Albertus M., integros de illis libros ſcripſerunt, inter quos Boëtii à Boot liber optimus videtur; reliqui enim miris ſunt fabulis & ſuperſtitionibus referti. Nuper etiam aliquis Thom. Nicolotius, Anglus, de eo argumento ſcripſit, qui liber in Germanicam quoque linguam converſus eſt. Ul. Aldrovandus quoque *in Muſæo Metallico* varias earum ſpecies, cum Iconibus, repræſentat, ſed is de formis & figuris earum magis ſollicitus. Prodiit ante aliquot annos liber Gallicâ

linguâ,

linguâ, exiguus quidem, ſed magnæ utilitatis, ſub Tit. *Hiſtoire des Joyaux, & des Principales Richeſſes de l' Orient & de l' Occident, par le Sr. Chappuzeau*, cujus argumentum *Transactt. Angl. p. 429. & ſeqq.* recenſent. Ex eo enim benè perdiſci poteſt res gemmaria, quoad notas loci natalitii, & rationem valoris.

Poſt illos omnes Rob. Boylius, ſagaciſſimus naturæ Indagator, ſingularem libellum ſcripſit *de origine & virtutibus gemmarum*, elegantem ſatis & curioſum, cujus hæc ſententia eſt; Gemmas pellucidas aliquando ſubſtantias liquidas fuiſſe ait, quæ ſi tincturis quibusdam mineralibus, dum fluidæ vel molles ſunt, imbuantur, colores, pro ratione mineralis obvii, acquirant. In opacis gemmis, cujus generis ſunt Hæmatitæ, Jaſpides Onyches, ſimileſque lapilli, terram, metallicis ſuccis impragnatam, acceſſione liquoris petreſcentis, ſeu ſpiritus petrifici, in lapidis formam coagulari putat, & hos ſpiritus petrificos opinatur aliquando aſcendere in formâ vaporum. Unde probabiliter deducit, non tantùm diverſas virtutes medicinales talium lapidum, ſed & alias quasdam illorum qualitates, ut colorem, gravitatem. Hinc evenire exiſtimat in lapidibus alterius generis, vel Marcaſitis, vel ipſis vegetabilibus & animalibus ſubſtantiis, repertos fuiſſe alios lapides. Quandoquidem ſubſtantiæ illæ facilè concipi poſſunt terræ incluſæ, dum adhuc eſſent terra mineralis vel limus, & poſteà thecæ quaſi inditæ, acceſſione petrificorum agentium, quæ eas pervaſerint. Atque hanc ſuam ſententiam Boylius, iſtô in librô, prolixius explicat, in quo in plurimis convenit cum aſſertionibus Nic. Stenonis. Sed fuit ille, in *præfatione* ejus libri admodum ſollicitus, ut præcaveret ſuſpicionem plagii; nam, cùm imprimeretur libellus, Stenoniana ſe nondum vidiſſe multis documentis probare illic laboravit. Sunt verò in illô librô ſingulares Obſervationes, & magis quidem ſolidæ, ut mihi videtur, quàm Stenonianæ, quæ meris Mathematicis ratiociniis niti videntur, cùm hic in ſubſidium vocet experimenta artis Chymicæ. Illa præcipuè elegans ejus meditatio eſt, quâ ſtatuit, terram plenam eſſe menſtruis, aliiſque liquoribus variorum generum, è fodinis, per quas vagantur, variè impragnatis, qui in quibusdam caſibus vice menſtrui fungi, alio verò modo concurrere ad productionem corporum mineralium, poſſint. Quin ipſam aquam communem variis mineralium effluviis infectam, ut eſt plerumque (quod Leonh. Thurnheuſerus peculiari *libro de aquis mineralibus* docet,) id præſtare poſſe credit. Refert quoque, ſe caſu aliquando incidiſſe in liquorem, qui gemmas ſolvere potuerit, quod certè mihi, neſcio quomodo, à vero alienum videtur. Putaverim enim ego, rem arduam fore, & magni in naturâ prodigii, ſi quis id præſtare poſſet, & longè illo Alcaheſto Helmontiano pretioſiorem. Quæ circa figuras gemmarum philoſophatur, pulchrè illuſtrata Chymicis experimentis ſunt. 2

Quod vires gemmarum attinet, illæ cùm ſint in abdito poſitæ, erui non facilè 3
poſſunt. Joh. Bapt. Helmontius, & ejus Hyperaſpiſtes Joh. Marcus Marci, magnam vim ipſi irradiationi tribuunt, in quâ tamen tantum latere arcani, ut illi quidem volunt, vix mihi perſuadeo. Eſſe verò in illis incognitas quasdam vires, & non fa-

cilè deprehendendas, vel ex iis Obſervationibus conjicere licet, quas recenſet Boylius *in libro ſuô de Quiete abſolutâ corporum.* Obſervavit enim, in ipſis duriſſimis corporibus eſſe particulas quaſdam, quæ moveant ſe à centro ad ſuperficiem. In *Tractatus ſui de Coloribus Appendice* refert de quadam Turcoide, in quâ macula fuerit, quæ motum habuerit menſtruum, ad phaſes ſc. lunæ comparatum.

4 De ſingulis gemmarum ſpeciebus ſi agere nobis animus eſſet, toto Volumine rem non expediremus, & habemus, quos de iis libros legere poſſumus, à me ſuprà indicatos. De valore earum, & ordine, omnium optimè Auctor ille Gallicus egit, ut non neceſſum ſit, ex eo quædam repetere. Adamantes præ omnibus pretium habent, magis ob raritatem, quàm ob naturam ceteris præſtantiorem. Nam & ceteræ illæ gemmæ ejusdem miſturæ ſunt, & pulcherrimi præterea coloris. Quænam illis ſuccedant, ambiguum eſt, quibusdam pro Smaragdis, aliquibus pro Saphiris, certantibus. Earum omnium natura, ſpecies & diſtinctiones, vel vulgares etiam Auctores Phyſici & Compendiarii recenſent, quibus innumeræ fabulæ & ſuperſtitiones ſunt permiſtæ.

5 De Margaritis, earumque piſcatione, conſulenda ſunt Itineraria Indiæ Orientalis. Habuit & Britannia quondam margaritas, multùm olim æſtimatas, ſed nunc illæ ibi non comparent. Quæritur hîc à multis ars majores efficiendi uniones è minutioribus, ſed vix puto illud effectum dabitur, cùm ſplendor ille ſuperficiei externæ nullâ poſſit arte conciliari, licet forte maſſa aliqua major inde confingi poſſit. Refert Cl. Salmaſius, in *Exercitationibus ſuis Plinianis ad Solini Polyhiſtora*, in libris illis Græcis MSS. qui de Chymiâ, & Metallorum transmutatione, in Bibliothecâ Regis Galliæ aſſervantur, recenſeri artem aliquam conficiendi uniones artificiales. Sed illa non comparet in Cod. Altenburgenſi, cujus inſpiciendi mihi copia data eſt.

6 Coralliorum hiſtoriam Johannes Ludovicus Ganſius peculiari opuſculo pertexuit. Eorum etiam mirabilis productio eſt, & ſunt, qui obſervarunt, ea ſub aquis mollia, quod argumento eſt, ex ſucco quodam coaluiſſe. Sed in his omnibus cœca omnis philoſophandi induſtria eſt, & penè meris conjecturis abſolvuntur, quæ circa illa diſquirimus. *De Ligno Foſſili* Lib. Italicum ſcripſit Franc. Stellutus, quem ſe, cum notis ſuis, denuo editurum J. Dan. Major eſt pollicitus.

CAP. XXXIV.

DE VITRO ET GEMMIS ARTIFICIALIBUS.

§. 1. *De vitro varia, inprimis, an flexibile & ductile confici poſſit.* 2. *Gemmæ è vitro artificiales.* *Ant. Neri* Ars Vitriaria, & *Autoris* Epiſtola de Scypho vitreo, per ſonum vocis humanæ rupto, *laudantur.*

VITRUM

VITRUM quodammodo ad gemmas etiam referri videtur, ob denſitatem & compactionem ſuam, licet arte factum ſit, quanquam & natura habeat vitra quædam foſſilia. Quod arte paratum eſt, fragile eſt. Aliqui per artem flexibile & ductile fieri poſſe credunt, & adfertur ejus rei hiſtoria quædam apud Plinium & Petronium, de artificie quodam, qui Tiberio obtulerit phialam, ex vitro tali ductili paratam. Cujus hiſtoriæ fidem aliqui in dubium, cum Chriſtoph. Meretto, vitrum ductile per artem confici poſſe negante, vocant, ſed immeritò, ut opinor. Nam certè non repugnat naturæ, talia vitra confieri per additionem materiæ cujusdam viſcoſioris metallicæ, quæ tamen perſpicua ſit, ac maneat. Ol. Borrichius certè, in *libro ſuo de ortu & progreſſu Chymiæ*, pro exemplo allegat talcum illud Muſcoviticum pellucidum, quod non ita fragile eſt, ut vitra noſtra, per vim ignis parata. Chymici vitri flexibilis præparationem magno ſuo Elixiri ſolent tribuere, quod naturæ ſit viſcoſæ, incombuſtibilis & ſummè perſpicuæ, vitroque admiſtum talem ei naturam conciliet. Vixit, uti à Virô fide dignô accepi, in aulo *Joh. Caſimiri*, Regis Poloniæ, Nobilis Italus, qui certô quodam ſpiritu chymicô vitrum frigidum ita emollire potuit, ut illi ſigilla, tanquam ceræ, imprimerentur, manuque imagines in eodem formari potuerint. Nummos aliquot, ex eo vitro confectos, Magnatibus donavit Aulicis, quod tamen poſtea ad naturam ſuam fragilem rediit. Idem artificium in Angliâ etiam quibusdam nunc innotuiſſe, retulit mihi Henr. Oldenburgius. Nicol. etiam Stenonis, absque ignis operâ ut vitra conficiantur, non putat eſſe impoſſibile, quod ſi verum eſſet, talia vitra ad gemmarum naturam accederent propiùs, ac gemmæ nihil aliud eſſent, quàm vitra metallica. Noſtrum autem vitrum, quod, vi ignis, aërem, ſalem & cineres, in maſſam aliquam viſcoſam & lentam fundit, non poteſt, niſi fragile eſſe, ut omnia corpora ſunt, ſubitanea aliquâ operatione fabrefacta. Non etiam miſceri ita particulæ poſſunt, ſed violentâ fuſione ſtatum quaſi violentum ſortiuntur, à quo diſcedunt interdum. Levi enim aëris rarefactioni & condenſationi, vel ſono vocis etiam, videmus ad rupturam patere. Borrichius putat, ſi ſalem poſſimus habere flexilem aliquem, ductibilitatem inde acquiſiturum vitrum. Nam ſal ad fuſionem maximè confert, & ad continendas inter ſe minimas particulas. Sed, quoniam ſalis communis particulæ rigidæ ſunt, dum in igne ſunt, fluunt illæ quidem, ſed frigefactæ veteri ſuo rigori reſtituuntur, ideò non poteſt aliter evenire, quàm ut fragile vitrum ſit. Quòd ſi pro ſale illo communi ſal aliquis metallicæ naturæ poſſit ſubſtitui, aut ipſum illud metallum in ſalis formam redactum, non dubito, quin res ſucceſſura ſit. 1

Sed hactenus quidem fruſtrà in eo negotio laboratum eſt: quod ſi perfici poſſet, parùm abeſſet, quin gemmas ipſis nativis reſpondentes perficere operâ noſtrâ poſſemus, cùm videamus in vulgari etiam vitro puriori, ſed tamen fragili, & non tàm ponderoſo, quàm gemmæ ſunt, adeò per artem, naturæ æmulam, poſſe effigiari gemmarum ſpecies, ſecundum colores ſuos diſtinctas, ut fallere interdum ipſos gemmarios negotiatores poſſint, ſi non ad omnia examinum genera revocent. Species ſanè 2

&

& fulgor ſummus conciliari illis poteſt, non tamen durities. Et hanc quidem artem parandi gemmas fictitias tradidit (*u*) Antonius Nerus, Florentinus, in elegantiſſimis ſuis 7. libris *de arte vitriariâ*, Italicâ linguâ ſcriptis, quos in latinam linguam vertit Andreas Friſius, ediditque Amſt. A. 1668. *in 12.* cum *notis*, quas Chriſtoph. Merettus, Medicus Anglus, in illos ſcripſerat. Ubi ordine omnia illa legi poſſunt, quomodo Cryſtalli, Saphiri, Ametiſti, Granati, & ſimiles, effici poſſint. Illîc enim & inſtrumenta ejus artis, & omnes apparatus, prolixè deſcribuntur. Plura, quæ ad vitri naturam ſpectant, recenſuimus in *Epiſtolâ* noſtrâ *de Scypho vitreo rupto per certum vocis humanæ ſonum*, ubi memorabiles quædam occurrunt hiſtoriæ de gemmis quibusdam artificialibus, ex aquâ factis, & prætereà alia ſcitu digna.

CAP. XXXV.

DE METALLORUM GENERATIONE.

§. 1. Materiam Metallorum proximam non eſſe aquam, aut ſalia, oſtenditur. 2. Nec argentum vivum vulgare, ſed longè probabilius Chymicorum Mercurium (cujus ab iſto differentia explicatur) ac ſulphur. Generationis metallorum diverſorum ex hiſce ratio. 3. Quænam ſit inter ſulphura auri, argenti, & metallorum impurorum, ſicut & vulgare, differentia?

1 A Lapidibus ad METALLA venimus, quæ alterius planè texturæ eſſe, ipſa exterior forma arguit, plus enim viſcidi & lentoris habent, quàm lapides. Quanquam enim ſunt duriſſima, fragilitatem tamen aliquam habere violentam, pondus eorum arguit, & ad metallicam naturam propius, quàm ad vegetabilem accedere. Jam, *quæ metallorum origo* ſit, *quibusque rebus conſtituantur*, vexatiſſima quæſtio eſt, cùm eorum natales vix humanâ induſtriâ videatur poſſe rimari. Qui aquam omnium rerum Elementum ſtatuunt, etiam metallis aſſignant, non quidem falſò, fuiſſe enim aquam remotum primum & prædominans illorum Elementum concedo, jam tamen per alterationes in naturam propiorem, materiam ſcil. viſcidam & lentam, inſpiſſatam, veroſimile eſt, quæ propinquiore cognatione metallicam naturam attingeret. Nihil itaque prodeſt nobis, ſi ſciamus vel credamus, ex aquâ eſſe metalla compoſita; id enim demonſtrari ægrè poteſt, ac fortaſſis fieri potuit,

(*u*) Antonii Neri Artem Vitriariam, poſt Chriſtoph. Merettum, illuſtravit, novisque Inventis ſolerter auxit, Joh. Kunckelius, Chymicus haud ita pridem Germaniæ & Sveciæ, coævis plerisque ſuperior, è Cimbriâ noſtrâ oriundus, cujus *Ars Vitriaria Experimentalis* (vollkommene Glaßmacher-Kunſt) Germanico Idiomate Lipſiæ an. 1679. *in 4.* edita, *Parte I.* Commentarium in Ant. Neri Libros, & Meretti *Notas*, Experimentalem luculentiſſimum, Parte II. duas experimentorum, ad Artem hanc, aliasque cognatas, ſpectantium, Centurias, in Appendice autem Hiſtoriam Gemmarum Naturalium, & quarundam Artificialium, nec non Margaritarum aliorumque ſimilium Naturæ Cimeliorum Phyſicam exhibet.

potuit, ut talis materia, lenta & viſcoſa, ſimul cum ipſâ tellure creata ſit, ut neceſſum non ſit, altiùs procedere. Nam & nimiâ ſubtilitate ſæpè obſiſtimus veritati. Aliqui ſunt, qui metallorum originem à ſale petunt, argumento illo ducti, quòd videant corpora metallica à ſalibus poſſe diſcerpi & corrodi, aut, quòd nonnulla cognatos habeant ſales vitriolicos, ac inter ſe per vices commutentur, quod tamen neutiquam eorum ſententiam confirmat. Non enim valet iſta conſequentia: quod corrodere poteſt aliquid, ex eo id componitur. Et vitriola nil aliud ſunt, quàm corpora metallica & ſalina miſta temperato contubernio, non perpetuo aut radicali. Non vacat quidem res illa admiratione, quòd ita corpora ſecari poſſint à ſalibus, ac patet inde magna ſalium cum mineralibus cognatio, non tamen intima, ſemper enim divelli poſſunt levi negotio, cùm partes ceteræ eſſentiales cohæreant. Quæſiverunt multi in vitriolo, aliqui in nitro, cujus ſalis potentia magna eſt in fixiſſimis quoque metallis vexandis. Quare ſpiritu roris auri tinctura elici ſolet, quoniam in illo eſt ſpiritus nitri ſubtiliſſimus. Sed hìc tantùm abraſio eſt particularum minimarum, ipſæ verò, vel minimæ, eſſentialem ſuam miſturam retinent.

A ſalium familiâ ad metalla itur, inter quæ primum omnium appellari ſolet *argentum vivum*, mirabilis profectò ſubſtantiæ, quæ mille ſe in formas fingit & refingit, quibuscunque in artibus & experimentis tractata. Id in illo præcipuè conſideratione dignum eſt, nullam aliam ſubſtantiam inter metalla tantô amore complecti aurum, cui etiam pondere æqualis eſt, ſtatim enim auro unitur, idque in illo mergitur, cùm cetera omnia metalla ſupernatent, id quod ex amalgamate Mercurii luculenter patet. Qui hanc ſubſtantiam inter principia metallorum ponunt, propiùs abſunt à vero, non tamen verum eſſe principium, uno ore omnes illi dicunt, qui Chymiam iſtam ſecretiorem profitentur, atque inter illos Lullius, qui argentum vivum inter principia metalli ponendum eſſe judicat, ſed à vulgari argentô vivô diſtinguit, ut ovũ fœcundum ab ovô ſubventaneô. Illi ſc. quando argentum vivum ſuum, ceu principiũ metallicũ, requirunt, ajunt eſſe illud corpus metallicũ ſummè ductile, lentum & viſcoſum, ponderoſum, ita ut auri pondus æquet, non currens, ut vulgare argentum vivum, ſed tamẽ in igne ſummè volatile, &, ut unô verbô dicam, talem materiam, quæ nondum aurum & argentum, aut aliud metallum, eſt, ſed rudimentum quaſi & embryo metallicus, aurum & argentum immaturum, quod pondere ſuo dignoſci facilè poſſit, ſummô autem ſtudiô ab illis celatur. Hoc primum illis eſt & materiale principium, quod certè cùm ponunt, nihil abſurdi comminiſcuntur. Ipſa enim compoſitio & textura metalli arguit, ex tali quadam ſubſtantiâ componi debere metallum. Alterum principium componens metalla *ſulphur* vocant, illudque geminum faciunt, *album* & *rubrum*, prout de albore & rubore metalla participant, vel copioſius, vel purius, vel parcius, vel impurius, admiſtum. Atquæ hæc perfecta metallica ſubſtantia, vel illud argentum, vel aurum immaturum, jam tùm in primâ ſuâ miſturâ ſulphur commiſtum habet, ab eoque leviter digeſtum eſt, quæ ſubſtantia ſi naturæ Operario permittitur, tandem in aliquod metallum fixum abit per longas digeſtiones, vel perfectum,

ut aurum & argentum, vel imperfectum & impurum, ſi ſulphura ſordes aliquas à loco natali contrahant, atque tùm ſtannum, cuprum, ferrum, &c. naſcitur. Quæ metalla plus ſulphuris impuri, & quàm minimum argenti vivi, ſeu mercurii, habent, non ita ſunt ductilia, ut aurum & argentum, aurum præcipuè, quod infinitè penè dixerim extendi poteſt. Ab unâ ergò radice omnia metalla deſcendunt, tali ſcil. ſubſtantiâ, quæ ex binis principiis conſtitutivis leviter commiſta eſt.

3 Aurum omnium optimum eſt, & primum, antequam exaltaretur ſulphur, illud candidum fuit, ſuntque, qui putant, flavum illum auri colorem exui auro poſſe. Hujus naturam omnes inquirunt, nemo capit. Chymici inprimis, in natalibus ejus inveſtigandis, laborant, verùm ſcientes ſilent, verba dant ignavi. Exſtant Abrahami è Porta Leonis, Medici Hebræi, *Dialogi III. de Auro*, in quibus non ſolùm de auri facultate Medicâ, ſed & ſpecificâ ejus ac ceterarum rerum formâ, duplicique poteſtate, quâ in mixtis illa operatur omnibus, operoſè diſputatur, Venet. A. 1584. *in 4to* editi. Nec ſpernendi Joh. Franc. Pici Mirandulani *Libri III. de Auro*, in quibus multa recenſentur transmutationum exempla. Argentum ejusdem cum auro naturæ eſt, & eodem ſulphure gaudet, ſed nondum ad ruborem excoctum. Et iſta quidem ſulphura, quæ ita vocantur, incombuſtibilia ſunt & eſſe debent, quoniam naturæ metallicæ ſunt, perfectioris ſc. & fixæ, quæ deſtrui non poſſunt & diſſipari, ut cetera ſulphura vegetabilia vel animalia, quæ in fumum abire, atque diſſipari poſſe, flamma ipſa facilè teſtatur. Combuſtibile autem ſulphur ad compoſitionem perfectorum metallorum nihil facit: impura quidem metalla ex eo habent plurimum, quare deſtrui etiam facilè per ſulphur vulgare poſſunt. Imò ipſum argentum poteſt deſtrui, quod indicio eſt, non tàm purum, vel ſatem minus fixum eſſe in argento ſulphur, quàm eſt in auro. An verò natura, diuturnâ coctione, ex vulgari ſulphure poſſit fixum facere & incombuſtibile, res eſt nobis non determinanda.

CAP. XXXVI.

DE METALLORUM TRANSMUTATIONE.

§. 1. Plumbi in ſtannum, ferri in cuprum, transmutatio. 2. Metallorum imperfectorum in aurum transmutatio propugnatur, Chymicique Græci MSti, à Thom. Reineſio emendati, & Ol. Borrichii atque Autoris de χρυσοποιΐας *hiſtoria ſcripta, commendantur.*

1 De Transmutatione Metallorum in univerſum agere noſtri non eſt inſtituti. Multa enim circumferuntur experimenta de plumbi in ſtannum, ferri in cuprum, converſione, de quibus tamen dubiorum plena ſunt omnia. Quod plumbum attinet, id depurari coctione in ſtannum poſſe, non equidem inficias iverim, quanquam tamen ſtanni natura admodum ſit à reliquis metallis diſtin-

diſtincta. Nam planè illi non convenit cum argento, cùm plumbo tamen maximè cum illo conveniat, omnisque maſſa plumbea aliquam portiunculam argenti habeat. De ferri in cuprum mutatione, de quâ *P. I. c. 1. §. 6.* plura in medium à nobis jam ſunt allata, ajunt aliqui, aliqui negant. Lazarus Erckerus, diligentiſſimus metallurgus, id pro certiſſimo habet. Sed mittamus illa, ut vulgaria.

Hic quæſtio erit; *an imperfecta metalla in aurum & argentum mutari poſ-* 2
ſint? Id factum fuiſſe, tot hiſtoriæ teſtantur, quas in dubium vocare non poſſumus, totque libri fatentur, ut vel mirè impudentes eſſe oporteat, qui orbi ita impoſuerunt, vel homines planè pertinaces, qui fidem iis denegare velint, cùm naturæ rerum planè non repugnet, quam veroſimilitudinem nos in *Diſſertatione de metallorum transmutatione* prolixè oſtendimus, nec hîc denuò inculcabimus. Quod argumenta inartificialia attinet, autoritatem ſcil., ſuperſunt Manuſcripti libri Græci variorum Autorum, qui, ſub ænigmatibus multis, hanc artem proponunt, habeoque apud me codicem Altenburgenſem, Thomæ Reineſii manu notatum & emendatum, cum ejus Epiſtolâ de ætate & ſcriptis illorum Auctorum. Cetera, quæ ſpectant ad hiſtoriam hujus rei, prolixè executus eſt Olaus Borrichius in *libro de ortu & progreſſu Chymiæ*, & in altero *Sapientiæ Hermetis, Ægyptiorum & Chymicorum vindicatæ*, quo reſpondit objectionibus Herm. Conringii. Quibus addi poſſunt ſelecta quædam, & cum omnibus circumſtantiis enumerata, in noſtrâ *de Metallorum transmutatione, Epiſtolâ.* Quibus longè plura addere poſſemus, ſi res eſſet noſtri inſtituti. Athan. Kircheri adverſus probabilitatem transmutationis metallicæ argumenta, tàm hiſtorica, quàm philoſophica, diligentiſſimè examinavit, & operoſè ſolidèque refutavit, Valer. Bonvicinus, *in Lance peripateticâ adv. Kircherum*, Patav. A. 1676. *in 8vo* editâ.

CAP. XXXVII.

DE MEDIIS MINERALIBUS.

§. 1. Quænam iſta, & cur ita dicantur? 2. Antimonium, ejus conſtitutio, uſusque Chymicus & Medicus. Controverſia de illo forenſis in Galliâ. Baſ. Valentini Currus Triumphalis Antimonii, *à Th. Kerkringio illuſtratus, commendatur. 3. Succinum, cujus natales controverſi terræ vindicantur, ſolutioque à Theod. Kerkringio, ad conditurам cadaverum, facta eſſe perhibetur. Succinum Chinenſium artificiale. 4. Ambra, de cujus ortu variæ recenſentur ſententiæ.*

MEDIA MINERALIA vocantur, quod mediam obtineant naturam inter 1
metalla & lapides, referuntque illuc quidam & terras, & ſalia, & ſuccos foſſiles; ſed rectiùs referuntur huc illæ Mineralium ſpecies, quæ nec perfecta metalla, neque lapides, ſunt, & aliquid quidem metallici habent, ſed parùm Mercurii. Sales & ſucci à naturâ metallicâ paulò longius abeunt, ideoque in ulteriorem locum rejiciendi.

2 Præcipuum inter media mineralia locum habere videtur *Antimonium*, fragilis omnino naturæ, quia parum Mercurii habet, & malleari non poteſt, quanquam liquari, ut cetera metalla, poſſit. Quare rectè ſemimetallum vocat Honor. Fabri, qui *Tract. 7. Phyſ. lib. 2. propoſ. 60.* ut ceterorum metallorum, ita & hujus, proprietates luculentâ brevitate explicuit. Chymici, in ejus naturâ indagandâ, multum operæ inſumunt. Aliqui enim neſcio quæ arcana transmutationum in eo quærunt, quæ tamen in illo fruſtrà quæruntur, quoniam corpus eſt Mercurio penè deſtitutum, aut admodum exiguum habens, (*x*) quod tamen materiale principium ſummum illis & unicum eſt. Magnæ tamen ejus vires ſunt, & multus uſus. Varias ejus formas, variaque experimenta, magno labore congeſſit Baſilius Valentinus in libro germanicè ſcripto, cui tit. Triumph-Wagen des Antimonii, quem in Latinam linguam convertit Theodorus Kerkringius, & Commentariis utilibus illuſtravit, quibus Baſiliana illa Experimenta partim confirmavit, partim etiam nova adjecit. Prodiit is Amſtelod. A. 1671. *in 12.* Mirificâ vi purgante pollet, tùm per alvum, tùm per vomitum, ad chirurgicas etiam operas mirificè prodeſt. Medicamenta & panaceæ paſſim circumferuntur, ex eo confectæ. In Galliâ aliquando ad Tribunal Regis vocatum eſt, ejusque ſententiâ damnatum, cùm illud verò Medici defenderent, iterum admiſſum fuit, ac extant ſuper hac re in utramque partem ſcripta, Gallicâ linguâ edita. Reliqua, quæ ad illud ſpectant, ex officinis Pharmacopæorum petantur. Plura ſunt talia Mineralia, partim ſalutaria, partim venenoſa, Biſmutum, Tucia, Zincum, Arſenicum, de quibus ſingulis legi poſſunt officinales Scriptores.

3 E ſuccis, qui varii ſunt, præ ceteris commendabile eſt *ſuccinum*, (*y*) de quo lectu digna eſt Phil. Jac. Hartmanni, Prof. Med. Regiom. *hiſtoria Succini Pruſſici Phyſica & Civilis*, Francof. A. 1677. *in 8vo* edita, & varia de illô adducens Experimenta. Ejus locus natalis valdè adhuc dubius. Autor libri *l' Europe vivante*, neſcio quô experimento in medium producto, ex melle oriri putat, & per quandam compoſitionem, ex tartaro & ſpiritu vini factam, poſſe diſſolvi, quod planè mihi veroſimile non videtur. Non enim diſſolvuntur corpora, niſi à ſimilibus. Quare cum gummi aliquod ſit, oportet à viſcoſitate quadam congeneri ſuccinum diſſolvi. Aliqui ex mari productum exiſtimant, quidam ex terrâ, quæ ſententia veroſimilior videtur, & confirmant illam animalia & inſecta terreſtria, paſſim in ſuccino reperta. Id quod D. Joh. Dan. Major, *Libro* integro *de Natalibus Succini non maritimis*, fuſiùs

(*x*) Celare hîc Lectores nolo, Autorem, qui *h. l.* Antimonium *Corpus eſſe Mercurio pene deſtitutum, aut admodum exiguum habere*, pronunciavit, ſententiam hanc ſuam poſtmodum retractaſſe, Verbis, quæ Codici, quo ipſemet, uſus eſt, MSto αὐτόχειρι. ab eo in margine adjecta inveni, ſequentibus: *Hæc falſa ſunt; Copioſiſſimus in eo eſt Mercurius.* Utra è duabus hiſce Contradictoriis vera ſit, Chymici diſpiciant.

(*y*) Uberius ſuam de Succino, ejusque Natalibus, Sententiam A. 1673. Autor expoſuit *in Ep. de Tranſmut. Metallorum, p. 49-53.* à Phil. Jac. Hartmanno, *Libro II. Hiſtoriæ Succini*, diverſis in locis, partim calculo ſuo approbatam, partim vero impugnatam.

ſius oſtenſurum ſe eſſe, promiſit. Naſcitur verò frequenter in locis, ubi pinus & terebinthi creſcunt, quod argumento eſſe poſſit, à ſimili quâdam viſcoſitate, per terram diſperſâ, naſci, & à particulis maris ſalinis coagulari. Multum in eo laboratum eſt, an ſolvi poſſit, atque iterum coagulari, quod ſi fieret, res admodum lucroſa eſſet. Theodorus Kerckringius hanc ſibi artem vindicat, & integra cadavera ſuccino circumfuſo condivit, quam ſolutionem ſuccini ille ſolo regimine ignis fieri aſſeverabat, quod perſuadere tamen hactenus mihi non potui. Chinenſes, per artem Chymicam, ex pice & reſinâ arborum, ſubſtantiam conficiunt, ſuccino ſimillimam, teſte Martino Martinio *in Atlante Sinico.*

Inter ſuccos quoque terreſtres nobiliores eſt *Ambra*, quæ gryſia eſt, de cujus 4
natalibus variè diſputatur. Aliqui enim excrementum avium quarundam exiſtimanr, alii evomi à balænis crediderunt. Videatur *Hiſtoria Ambræ*, à Juſto Fido Klobio edita. Nunc verò Angli invenerunt Ambram, ipſis rupibus in mari adnatam, unde apparet, ex ipſis lapidibus transſudare, vel è terra gigni.

CAP. XXXIIX.

DE SALIBUS, ET PRIMUM QUIDEM DE NITRO.

§. 1. *Nitri vis terram fœcundandi. Cenſuræ de Joh. Rud. Glauberi* Novo Mundi Miraculo *& Guilh. Clarckii* Hiſtoria Nitri. 2. *Joh. Mayow* Lib. de Nitro *commendatur, ejusque Philoſophemata & Experimenta quædam afferuntur.* 3. *Nitrum vitam prolongandi facultate pollet. Pulvis Pyrius è Nitro. Quis ejus inventor, Barth. Schwartz, an Rog. Baconus?*

SAles ad metallorum familiam è longinquo etiam pertinent, de quibus nunc 1
agemus. Eſtque inter illos meritò numerandum NITRUM, quo nullus magis eſt per terram & aërem diffuſus, ut aliquibus rectè ſal terræ, aliquibus ſal aëreum dicatur. Hoc certè ſale tota terra fœcundatur, & certâ quâdam præparatione ita aptari poteſt, ut unum frumenti granum, illo imbutum, viginti & amplius ſpicas producat. Hinc commotus JOH. RUD. GLAUBERUS, Chymicus, in librô ſuô, quem inſcribit *Novum mundi Miraculum*, ſubjectum aliquod ac menſtruum univerſale in eo quærit, unde, neſcio quos, aureos montes pollicitus eſt. Ceterùm multa ſunt in iſtô librô utilia, quanquam plura ſuavia ſomnia, quibus ille ſibi & aliis impoſuit. Sed mutavit ipſe poſtmodum ſententiam. Scripſit *de Nitro* Anglicâ linguâ GUILH. CLARCKIUS, (z) Medicus Regius, Libellum, in quo recenſet varios

 ejus

(z) Guilh. Clarckii *Hiſtoria Naturalis Nitri, ſive Diſcurſus Philoſophicus de Naturâ, Generatione, Loco, Artificiali Extractione, Virtutibus & Uſibus Nitri,* qui Anglice Londini an. 1670. *in 8.* prodierat, Latine etiam poſtea eſt tranſlatus, Hamburgi an. 1675. in 8. editus.

ejus productionis, tàm à natura, quàm ártis miniſterio, modos, verùm parùm præſtitit pro dignitate hujus ſubjecti, nam in naturâ ejus indagandâ exilis admodum ipſius opera eſt.

2 Longè doctius, & magno molimine, nuper in ejus materiam inquiſivit toto libro JOHANNES MAYOW, qui oſtendit, per totam terram & aërem ſpiritum quendam, quem nitro-aëreum vocat, eſſe diſperſum, unde omnium rerum fermentationes & germinationes deducit. Ille verò nitrum ita deſcribit, quòd conſtet è ſale acido, maximè igneo, & inſuper Alcali, ſeu ſalis Alcali vicem ſubeunte ſale volatili, purè ſalſo. Nam, ſi nitri Analyſis inſtituitur, ſpiritus acidus hinc primùm deſtillatur, relictô in retorta nitrô fixô, quòd ſi ſpiritus acidus ſali cuique Alcali affundatur, ex mutuâ congredientium luctâ generabitur, quod igni injectum promtè deflagrat. Nitri ergo partes duas ſtatuit; alteram fixam, alteram volatilem, vel potiùs, ut rectiùs loquar, ſpecies, quanquam revera ſunt eadem corpora; quatenus in terrâ radicatur, ſal fixum eſt, quatenus in aëre circumfertur, ſal volatile eſt. Cùm itaque in terrâ radices ſuas habeat (omnium enim ſalium fixorum ſemina in terrâ reſidere ait,) ab aëre promtè augetur terra, quæ fixum nitrum habuit, vel ejus ſemen adhuc habet. Terra enim, ex quâ omne nitrum extractum eſt, ſi aëri exponatur, per aliquod tempus, tota iterum nitroſa evadit, quod indicat ex aëre propagari nitrum, partibus volatilibus ſe iterum fixis applicantibus. Hæc ille prolixè iſto in libro exponit, ubi, quem ex nitroſis effluviis format, ſpiritum nitro-aëreum, magno labore & diligentiâ per operationes naturales, fermentationes, vegetationes, reſpirationes animalium, &c. circumducit.

3 Notandum & hîc, quod Franciſcus Baconus obſervat *in hiſtoriâ vitæ & mortis*, quotidiano uſu nitri vitam poſſe propagari, quare ipſe ſemper cibis admiſcuit. Ratio ejus hæc fuit, quod inordinatos ſpirituum motus ſiſtat ac figat, à quibus tot oriuntur in corpore humano incommoda. Ex nitro, ſulphure & carbonibus, pulvis pyrius conficitur, cujus patrocinium ſuſcepit Mich. Maierus *in veris inventis Germaniæ*, ubi Germanis ejus inventionem aſſerit. Quam nec ego iis inviderem, niſi in Rog. Baconis, Angli, qui diu ante Barth. Schwartzium vixit, *Epiſtolâ de Operibus ſecretis artis & naturæ*, jam tum ejus mentio fieret. Quare miror, Guilh. Cambdenum, *in Reliquis Hiſtoriæ Anglicæ*, Anglice ſcriptis, iſtam gloriam popularis ſui in dubium vocare, & Germanis adſcribere.

CAP. XXXIX.

DE SALE COMMUNI, VITRIOLO, CETERISQUE SALIUM SPECIEBUS.

§. 1. Salis communis variæ ſpecies. Salis uſus Phyſicus & Chymicus. Judicia de Joh. Sophr. Kozackii & Bernh. Gomeſii Scriptis de illo. 2. Vitriolum latè in variis corporibus diffuſum. Uſus ejus Chymicus. Scripta de illo J. G. Trumphii

phii & J. J. Becheri. 3. Salis Ammoniaci, naturalis pariter atque factitii, deſcriptio & uſus medicus.

POſſent & hîc de SALE COMMUNI multa dici, quod vel foſſile eſt, vel arte productum. Solet & ipſe ſol excoquere è mari ſalem, qui per artem ſolet facilitari. De modo, quo id fieri conſuevit in Galliâ, videantur *Acta Anglica p.1025*. Præſtantiſſimum aliàs illud naturæ ſubjectum eſt, ac præ ceteris contemplatione dignum, cùm permultum faciat ad corporum compoſitionem, quibus continuitatem tenui & inexplorabili inſinuatione conciliat, tàm ob figuras ſuas perpetuas diſtinctas & ſingulares, quàm ob alias virtutes. Quare in ipſo aëre, in ipſis etiam dulciſſimis fontibus, imò in ipſo rore ac aquâ pluviâ, & vegetabilibus, habitant inſenſiles ſalinæ particulæ, quæ manifeſtari per artem Chymicam poſſunt. Chymicorum multus in hoc ſale labor eſt. Nam, qui ex eo parantur per artem liquores, mirabilia præſtant in metallorum operationibus. Extat cujusdam Johannis Sophronii Kozackii *de Sale* liber, ſed oppidò inſulſus, uti vere Kippingius judicat; pauca enim in illo ſunt alicujus frugis. Scripſit & Bernhardinus Gomeſius Miedal *Halographiam* quandam ſive *Diaſcepſeon de Sale libros quatuor*, Urſellis A. 1600. *in 8vo* editos, quorum I. de Sale Phyſico, II. de Medico, III. de Geniali, ſeu Jocoſo, IV. de Myſtico agit; ſed in quibus multa ſunt aliena & peregrina. Habet tamen etiam quædam ſic ſatis bona, quæ ad naturam ſalis explicandam pertinent. Ceterùm non eſt ejusdem bonitatis ſal, & magna inter ſpecies ejus differentia. Marinum enim ceteris eſt craſſius, quemadmodum & foſſile, illud verò, quod è fluviis ſalinis excoquitur, omnibus ceteris melius. 1

Vitriolum ſal eſt metallico generi propior, cupri enim & ferri mineris connaſcitur. Sed & illud longè lateque diffuſum eſt, &, quemadmodum nitrum, ita & hoc per aërem oberrat, imò & in vegetabilibus ipſis latet. Monſtravit mihi *Theodorus Kerkringius* quantitatem non exiguam veri & genuini vitrioli, ſed admodum impuri, quod ex aëre Amſtelodamenſi inſalubri, multis aquarum ſalſarum, & ſoli paludoſi, effluviis imprægnato, machinæ cujusdam beneficio, extraxerat. E corticibus juglandis diu coctis, & in locum frigidum ſepoſitis, verum & genuinum vitriolum poteſt excoqui, quod & arguit nigredo iſta, quam ſuccus eorum contrahit. Quercus etiam multùm habere vitrioli, vel ipſe ſapor prodit, & præterea, tùm ex aceto, quod inde conficitur, tùm ex ſale volatili in fumis ligni quercini ſupra modum mordace, poteſt colligi. E quibus exemplis videmus, quàm ſint naturæ rerum inter ſe communicabiles, & quantâ affinitate ſe mutuò complectantur. Ceterùm magna latent in illo arcana Chymica, varia enim ex eo medicamenta parari poſſunt, multa item, quæ ad corrodenda metalla inſervire poſſunt, oleum præterea ferventiſſimum, de quibus omnibus conſulantur libri officinales. *De naturâ vitrioli* librum ſingularem edidit Joh. Georg. Trumphius aliquis, Anglis quoque *in Actis ſuis* laudatus. Scripſit & J. Joach. Becherus, ſi rectè memini, *vitrioli* quandam *Anatomen*. Fuere quoque multi, qui in eo quæſiverunt arcanum metallorum transmutatorium, & 2

circum-

circumferuntur eam in rem integri proceſſus, ſed fabuloſa illa ſunt omnia & conficta.

3 *Sal Ammoniacus*, ſeu Armeniacus, naturalis item eſt & factitius, quique naturalis eſt, ſub arenâ invenitur, in laminas concretus, & quidem in regione Cyrenaicâ, colore nigricans & ſapore ingratus. Sal eſt ſummè volatilis, & maximæ in medicinâ utilitatis, ſi per artem chymicam tractetur. Solet etiam per artem fieri ex quinque partibus urinæ humanæ, parte unâ ſalis communis, ac parte dimidiâ fuliginis lignorum, ſimul coctis ad conſumtionem humiditatis. Odoris eſt gravis, qui admodum percellat nares, imô ſuffocare poſſet, ſi naribus imprudenter hauriatur. Magna enim vis ejus Elaſtica eſt, & magnoperè ſe diffundit, ideoque in ſpiritibus ad ſe revocandis optimo cum ſucceſſu adhibetur. Si quod menſtruum ex eo paretur ſubtilius, eique jungantur vegetabilium olea vel ſucci, momento penè temporis per totum corpus diffundere vim ſuam poteſt, & mira nonnunquam in morbis præſtare. Sunt & ejus in metallorum præparationibus vires magnæ. Nos, miſſis ſalibus, & totâ mineralium doctrinâ, ad vegetabilia nos convertemus.

CAP. XL.

DE PLANTIS ET VEGETATIONE.

§. 1. *Anima Vegetativa Ariſtotelicorum exploditur. 2. Vera vegetationis & fructificationis plantarum ratio, ex Ken. Digbæi Diſſ. de illâ, quæ ſimul commendatur, expoſita, & vitis exemplo illuſtrata. 3. Experimenta de Succi arborum nutritii circulatione. Laus* Anatomes Plantarum *Marcelli Malpighii. 4. Scriptores de plantis & arboribus varii, præſertim Hiſtorici. 5. Scriptores de Plantis Aſiaticis & Americanis. Abraham. Cowlæi Poëma de plantis. 6. Oſw. Crollius & J. Bapt. Porta de figuris & ſignaturis Plantarum, Jac. Böhm* de Signaturis rerum.

1 E Tellure tandem eluctati, ea, quæ circa tellurem ſunt, ac in ſuperficie ejus hærent, videamus, corpora ſc. illa, quæ è ſeminibus ſuis continuâ appoſitione exreſcunt, quam VEGETATIONEM dicimus, quemque actum Peripatetici non abſque ſingulari aliquâ animâ abſolvunt. Ab illâ enim procedere putant, quod nos nutriri, creſcere, florere, fructus ferre, dicimus, &, ſecundum illas varias alterationes partium in plantis, varias huic animæ vegetativæ facultates adſcribunt, facultatem ſc. nutritivam, auctricem & generatricem. Talem animam vegetativam ſingulis plantis & arboribus eſſe ſpecificam volunt. Sed non opus eſt ad animas hîc recurrere, cùm demonſtrari nullâ ratione tales formæ poſſint. Sufficit hîc organica corporum compoſitio, quæ ſuccum nutritium hoc vel illô modô admittit. Hinc rectè Honoratus Fabri, ſingulari libro, eleganti & curioſo, *de plantis*, Pariſ. A. 1666. *in 4to* edito, *lib. 1. prop. 18.* ait, quòd forma plantæ nulla ſit entitas abſoluta, quòd illa extra plantam ſubſiſtere non poſſit, & quòd propriè non producatur.

Magnam

Magnam huic vegetationi lucem affert liber KENELMI DIGBÆI *de vegetatione plantarum*, è Linguâ Angl. in Lat. converſus, quô eleganter proceſſum nutritionis & accretionis è ſemine demonſtrat, cujus Diſſertationis argumentum *libro ſuo de immortalitate* animæ inſeruit. Tota illa Diſſertatio ſubtiliſſima eſt, & cum accuratione legi meretur. Mathematicâ demonſtratione enim ob oculos ponit, quomodo à primo ſeminali puncto partes extra partes procedant, partim ſalibus aëris aut terreſtribus evocatæ, partim preſſione aëris & humoris externi, partim calore ſubterraneo, quæ omnia hîc ſingulatim explicare, nimis eſſet operoſum. Videatur Auctor ille, & cum ipſô conferatur Honor. Fabri, qui partes plantarum, quæ ſucceſſione excreſcunt, optimè delineavit, &, ut exiſtimo, maximè ad mentem Digbæi. Sive itaque ex ſemine, ſive ex bulbo, ſive ex radice, procedat germen, ita creſcit, ut ſuccus terreſtris primum ſe inſinuet poris ſeminum & radicum. Primæ partes madefactæ è latere quôdam intumeſcunt, & vicinas pellunt, atque ita primum fit ruptura tunicæ, quæ ſemen includit, & tenues quidam proceſſus, in centro ſeminis delineati, incipiunt ſe exerere, atque ita, ſuppeditatô ſemper novô ſuccô, continua ſemper eſt particularum pulſio, hincque rami novi ſuccedunt, & folia, & tandem ipſi fructus vel ſemina, quæ quaſi novæ iterum planæ ſunt, novo quodam umbilico, matrici ſuæ, innatæ. Totum autem corpus plantæ materiam ſuam debet ſucco illi terreſtri, ſalibus quibusdam imprægnato, aut particulis etiam ſulphureis. Unde demum fructus naſcuntur tàm varii ſaporis. Poſtquam enim humores inſipidi, per truncum & ramulos delati tandem, ubi ad ſecundam concoctionem veniunt, incipiũnt quaſi in ſe ipſis fermentari, &, continuâ illâ circulatione in pulpis ſuis motum promovente, ardore ſolis particulæ ſulphureæ tandem ſubigunt aqueas, & cum illis novum aliquem liquorem ſapidum conſtituunt. Quod in vite manifeſtè videre poſſumus, in quâ ſuccus ille nutritius inſipidus, ſed tamen jam tùm aliquas ſulphureas particulas admixtas habens, per fungoſam vitis medullam percolatur, ut fieri in laciniis illis ſolet, quibus herbæ rigantur. Tandem in globulis aut uvulis ſuis quieſcit, atque illic diuturnâ ſolis coctione, ſaliumque & ſulphurum novâ ſemper acceſſione, ſaporem illum acquirit. 2

Quod jam ſuccum illum nutritium attinet, ejus ſingularem aliquam eſſe circulationem, quemadmodum ſanguinis in corporibus humanis, aliqui ſtatuunt, & habetur ejus experimentum de Aloë Americanâ Serratifolia, à Chr. Merretto prolatum & deſcriptum, *in Actis Philoſophicis Anglicis p. 455. Edit. Angl.* Specimina quædam Obſervationum de circulatione ſucci hujus nutritii legantur *in Actis Philoſophicis Angl. p. 680. 681. & 809. Edit. Lat.* quô poſtremô locô elegans exemplum de ſucco betulæ proponitur. Primus fortè de eâ cogitavit D. Joh. Dan. Major, *(aa)* cujus collectanea 3

(Hhh) ea

(aa) Primitias ſuarum de Circulatione Succi in Plantis Nutritii Meditationum D. Joh. Dan. Major, Med. Prof. Kilon. Anno jam 1665. Academiæ iſtius Natali, publicæ Eruditorum Cenſuræ ſubjecit, *in Diſſ. Botanicâ de Plantâ Monſtroſâ Gottorpienſi*, Sleſvigæ *in 4to* excuſa, *p. 20-27.* ubi, novam iſtam doctrinam à nemine ante ſe ex profeſſo eſſe traditam, ſimul aſſerit.

eâ de re ante aliquot annos vidi, quique non pauca habet experimenta, illuc ſpectantia. Legi etiam de hoc argumento poteſt Marcellus Malpigius in ſolertiſſimo opere *Anatomes plantarum*, ubi, quæ ad ſucci hujus circulationem pertinent, ſummâ diligentiâ exponit, & ceteroquin omnem plantarum familiam, earumque partium ſtructuram, admirabili magis, quàm utili ſubtilitate, exponit, additis ſimul iconibus.

4 Tenendi hic ſunt Autores, qui de generatione, de arboribus, plantis, earumque culturâ, ſcripſerunt. Sunt verò hîc multi, qui hiſtoricè magis, quàm phyſicè, illud argumentum tractant. Præ ceteris veteres hîc Autores commendandi ſunt, qui de plantis ſcripſerunt, *Theophraſtus* ac *Dioſcorides*. Extat in Theophraſtum doctiſſimus Jul. Cæſ. Scaligeri *Commentarius*. Quæ apud Dioſcoridem & Plinium occurrunt, ea magnam partem explicantur in Opere Salmaſiano *in Solinum* ſcripto, ubi, quod nomina plantarum attinet, & earum ſpecies, eruditiſſimæ ſunt Diſſertationes. Inſervire huic uſui, præter Medicum, etiam poteſt liber Caſp. Hoffmanni de *Officinalibus*. Ceteros Scriptores Botanicos nunc non recenſebimus. Legatur Conringius *Introductionis in Medicinam cap. X.* ubi omnium Botanicorum familiam, in quantum tunc temporis patuit, cum curâ recenſet, interſperſo accurato ubique judicio. Fortaſſis & Simonis Pauli *Opus quadripartitum* aliqua docebit; ſed multa illîc ſunt inutilia & aliena. Æg. Menagius quoque ſcripſiſſe ſe *Botanica* teſtatur *in obſervationibus in Malherbæ poëmata p. 395*. Gerh. Joh. Voſſius, *in Phyſiologiâ ſuâ Chriſtianâ*, quanquam etiam medicâ, magis tamen hiſtoricâ, ſectatur. Ulyſſes Aldrovandus in *Dendrologiâ ſua*, Joh. Meurſius *in Arboreto* (quo Arbores, Diis Gentilibus olim conſecratas, tantùm conſideravit) *ſacro*, Joh. Henr. Urſinus *in Arboreto Biblico*, Sam. Bochartus (cujus Opus peculiare *de Plantis S. Script.* expectatur poſthumum) *in Appendice Hierozoici*, hiſtorica tantùm & philologica perſequuntur.

5 Videri etiam poſſunt Itineraria varia verſus Indias, in quibus ſi diligentiores fuerint Auctores in rebus peregrinis annotandis, multa ex illis capi poſſent de herbis, iis in locis creſcentibus. De Plantis Chinenſium multa Athan. Kircherus *in Chinâ illuſtratâ*, Joh. Neuhoff *in Itinerario Chinenſi*, & Mich. Boym *in Florâ Chinenſi*. Braſilienſes plantas Gvilh. Piſo ſingulari Opere recenſet. Thevenotius, variis in *Itinerariis*, Gallicè ſcriptis, diligens quoque eſt earum rerum notator. Auctor quoque Gallus, qui *Inſulas Antillas* deſcripſit, cujus liber Francof. A. 1668. *in 12.* etiam in Germ. linguam converſus eſt, diligenter plantarum hiſtoriam enarravit. *Plantarum hiſtoriam*, *earumque vires*, elegantibus carminibus, Lond. A. 1668. *in 8vo* editis, deſcripſit Abrahamus Cowlæus, Anglus.

6 Solent & hîc aliqui eſſe occupati circa externas plantarum figuras, è quibus judicium de viribus plantæ ferunt. Oſwaldus Crollius, è Chymicorum familiâ, ſingularem *de ſignaturâ illarum* librum ſcripſit, Joh. Baptiſta Porta autem primus, quantum memini, pleniùs paulò hoc argumentum, & magis philoſophicè, perſecutus eſt in *Phytognomicis ſuis*, libro doctiſſimo, Francof. anno 1591. *in 8vo* excuſo. Jac. Böhmius quoque *de Signaturâ rerum* Tractatum emiſit Germanicum, ſed mirè, ut

omnia ejus ſunt, fanaticum, & in quo, non tàm de plantis, quàm de aliis rebus, agit.

CAP. XLI.
DE PROPAGATIONE ET MELIORATIONE PLANTARUM.

§. 1. *Artificia, ope nitri, plantas, arbores frugesque, fertiliores reddendi.* 2. *Progerminationem item illarum è ſemine & incrementum accelerandi.* 3. *Agrum ipſum fœcundandi.* 4. *Varia propagationis plantarum & arborum genera. Rob. Scharrockii, Auſtenii, Joh. Evelini, ſcripta huc ſpectantia.*

Vidimus ſuperiori capite, quomodo vegetatio in plantis fiat, & quidem beneficio ſucci nutritii, cujus circulatione, lignique inde intumeſcentiâ, è certis quibusdam partibus fungoſioribus, gemmæ primùm protruduntur, &, velut novæ aliquæ plantæ, prioribus innaſcuntur. Ideoque, quò magis ſuccus ille promovetur, vel ut ſit copioſior, vel ut eò vehementius propellatur, eò magis fœcunda fit arbor, vel tempus maturitatis præoccupat. Quòd ſi ergò ſecreta quis quædam artificia noverit, iſtum ſuccum augendi, vel vehementius propellendi, is nova quidem opera & arcana præſtare poteſt in re vegetabili. Cùm enim ſuccus ille nutritius multum habeat in ſe ſalis volatilis nitroſi, veroſimile eſt, certâ quâdam iſtorum ſalium præparatione, ita diſponi ſemina, vel radices, poſſe, ut fœcundiores ſint, vel in ramis, vel in fructibus proferendis. Experimentum ejus rei ſatis notum eſt, quoniam, præparatione quâdam ſalis nitri & calcis vivæ, liquor aliquis parari poteſt, qui, ſi grano e. g. tritici imbuatur, ut in eo intumeſcat, ita auctam in eo videbimus vim particularum Elaſticam, particulis ſalinis turgentium, ut ex uno grano plus quàm viginti interdum ſpicæ prodeant, ſingulæ granis ſuis conſtantes. Et fieri illud ſolet nonnunquam in agris, multo ſale nitroſo præditis, ut, citra artificium aliquod, prodeant ex uno grano plures ſpicæ. 1

Solent etiam jactari quædam artificia de herbis & leguminibus quibusdam, intra tres quatuorve horas è ſemine producendis. Honor. Fabri tribuit vim illam ſeminibus aceto maceratis, quod an fieri poſſit, ambigo. Exiſtimaverim enim, acetum tardare magis potentiam illam vegetativam, quàm promovere. Claud. Sorellus, in ſuâ *Scientiâ Univerſali*, *cap. de uſu & perfectione plantarum*, methodum quoque præſcripſit, ſed admodum difficilem, quam bonâ fide communicabo; experiatur, cui otium eſt ad talia. Recipiatur terra perfectè miſta cum bono fimo, & addantur cineres moſci; illam maſſam oportet irrigare ſucco fimoſo multis vicibus, & ſemper iterum ſiccare ad ſolem. Iſta terra curioſe ſervetur, poſtea immittatur vaſi cuidam figulino, manibus probè ſubigatur, & per vices ſemper ſucco fimoſo irrigetur. Vas illud ponatur ſuper ignem, qui convenienter ſecundum gradus poſſit 2

dirigi; huic terræ immittantur ſemina lactucæ, per noctem ſuccô fimoſô, vel aliô liquore, macerata, cumque terra ſiccescit, ſemper irriganda eſt aquâ pluviâ tepidâ, & exiguô temporis ſpatiô videbimus prodire herbas, & ad viſum oculi creſcere, cum magnâ admiratione ſpectatorum. Hæc experiatur, qui volet. Quod verò intra trium quatuorve horarum ſpatium fieri poſſit plantæ productio, id niſi αὐτόπτης, non facilè crediderim. Certè Robertus Scharrockius, qui de *propagatione vegetabilium per concurſum artis & naturæ* ſingularem librum Anglicum, nec inelegantem, ſcripſit, Londini A. 1660. *in 8vo* editum, teſtatur, multis experimentis nihil ſe effeciſſe, ideoque inter fabulas referre videtur omne id, quod eâ de re à quibusdam dicitur.

3 Ad meliorationem plantarum & fructuum pertinet cultura ipſius agri. Eodem enim res recidit, ſive liquore aliquô ſemen extra terram præparetur, ſive terra ipſa admiſtione variorum fermentorum & ſalium ita præparetur, ut agere in ſemina poſſit; mediantibus enim ſalibus iſtis fit fœcundatio.

4 Propagatio plantarum varia eſt è ſemine, radicibus, bulbis, cineribus, è ramis abſciſſis & terræ inſertis, ac è gemmis. Et ſunt in ſingulis ſuæ quædam obſervationes, de quibus plenâ manu rei hortenſis Scriptores agunt. Vel ex inoculationibus & inſitionibus apparet, ramos & gemmas novas eſſe plantas, ut volebat Honor. Fabri; quâ enim parte compinguntur, ſive rami, ſive gemmæ, quaſi incorporatur novo ſtemmati ſurculus & gemma, & ſucco nutritio communi paſci incipit. Videantur de modis meliorandi & propagandi arbores, & plantas, & flores, Scharrockius in eo, quem modò laudavi, libro, & Auſtenius, itidem Anglus, *in Tractatu de arboribus frugiferis*, ubi & omnes illas propagationis ſpecies examinat, & ad experimenta Baconiana, quæ in *Sylvâ Sylvarum* occurrunt, notas quasdam, non inutiles, adjecit. Hic liber ejus triginta ſeptem annorum experientiâ ab eo excultus eſt, editusque Anglicè Oxon. anno 1665. *in 8*. Eſt & nobilis cujusdam Angli, Johannis Evelini, liber, cui titulus *Sylva & Pomona*, Londini *in folio* editus, quô multa continentur curioſa de plantatione Sylvarum arborumque, ad architecturam præcipuè neceſſariarum, & de culturâ arborum frugiferarum. Ejus libri, in latinam linguam converſi, titulus occurrit in *quodam Francofurtenſi Catalogo*, ſed nunquam impreſſum me videre memini.

CAP. XLII.

DE AGRI-VITI-ET HORTI-CULTURA, VINO, ET VARIIS POTUUM GENERIBUS.

§. 1. Scriptores aliquot Agriculturæ & Horticulturæ veteres ac recentiores. 2. Scriptores varii, de vite, viticulturâ & vino. 3. De Cereviſiâ, & potu ex pomis

pomis piriſque confecto. 4. De re cibariâ, calidæ & frigidæ potu, Tabaco ac herbâ Thee.

DE Agri & Horti culturâ hoc in loco non inconvenienter agi poſſet, quandoquidem ad plantarum propagationem, & arborum, Agricultura magnum adfert ſubſidium. Ob fruges præcipuè, quibus veſcitur humanum genus, terræ melioratio & cultus conſiderari debet. Verùm, quoniam ſupra, *Cap. de Terrâ*, aliqua dixi de hoc argumento, nolo operoſus hîc eſſe. Saltem Autores aliquos nominabo, quibus feliciter hoc in genere uti poſſumus. Sunt *Autores* vetuſti *Græci Geoponici*, qui de argumento hoc ſingularibus libris agunt, quorum plenam & emaculatam editionem admodum deſiderant Angli. Sunt & latini Autores, Palladius, Columella, Varro, qui *de re ruſticâ* ſingulares Commentarios ſcripſêre, nec omittendus eſt Virgilius. Inter recentiores commendari debet Caroli Stephani *Prædium, ſive de parando & inſtruendo prædiô Lib. utiliſſimus*, in quo omnia continentur, quæ ſpectant ad agri & horti-culturam. Ceteros enumeratos vid. in Wolfii Helmhardi, Baronis ab Hohberg, Præfat. *Georgicæ Curioſæ*, Germanicè Norib. A. 1682. *in fol.* editæ. Horticulturam, præter Scriptores rei Ruſticæ veteres, qui tamen leviter ſaltem attingunt, aliqui è recentioribus pleniùs tradidêre. Optimus omnium, tàm ratione culturæ ſoli, quàm ornamentorum, videtur Joh. Sig. Elsholtzius, in Lib. Germ. *de Horticulturâ*, *in 4to* editus. Renatus Rapinus, Jeſuita, carmine omnium elegantiſſimo, & planè Virgiliano, de eadem eſt commentatus, additâ *Diſſ.* brevi *de curâ hortorum.* Sed nec contemnendus eſt Pet. Laurembergii *de Horticulturâ Liber.* Antonii Mizaldi *liber de ſecretis hortorum* multa quidem immiſcet digna indigna relatu, fabuloſa & ſuperſtitioſa. Sed verum tamen de illo iſtud Horatii: *Cùm flueret lutulentus, erat, quod tollere velles.* 1

Vitis-cultura præ ceteris commendabilis eſt, cujus hiſtoriam prolixô librô deſcripſit Phil. Jac. Sachſius in ſuâ *Ampelographiâ*, quò refert omnia, tàm Medica, quàm Oeconomica. *De inſignibus viticulturæ erroribus* Auguſtus Hauptmannus librum ſcripſit; eſtque, qui, nuper, publicato libello, vineas in Angliâ plantari poſſe, oſtendere voluit, Johannes ſcil. Roſa, Hortulanus Regius, lib. cui titulus: *The Engliſch. Vinegard vindicated.* Liquor, qui ex uvis exprimitur, vinum vocatur, cujus laudes in omnium ore, ut ipſum in omnium appetitu eſt. *Hiſtoriam natalem vinorum* ſcripſit Andreas Baccius, *deque vino Italico, conviviis antiquorum & cereviſiis*, Romæ anno 1596. editam. Potum ejus diſſuaſit eleganti libello Hadrianus Turnebus, qui, vereor, ne ſurdis narret fabulas; paucis enim placet tàm ſobria Philoſophia. Additur is libro J. Henr. Meibomii *de cereviſiis.* De modo vina conſervandi, ac perdita recuperandi, ante aliquot annos, autor quidam Anglus ſcripſit, cujus libri, Lond. A. 1669. *in 8vo* editi, titulus eſt: *The myſtery of Winthners.* 2

Æmulus vini potus *cereviſia* eſt, Poëtarum Aſinus, ut quidam jocabatur, quemadmodum vinum Poëtarum equus. De hujus præſtantiâ præ vino extat elegans concertatio *Franciſci Guieti*, Galli, & *Hugonis Grotii*, Belgæ, quorum ille pro vino, 3

alter pro cereviſiâ ſcripſit, quanquam ille inficetè, hic eleganter. De variis cereviſias parandi modis vellem hiſtoria aliqua conderetur, publicè enim utilis eſſet. *De cereviſiâ* librum conſcripſit Mart. Schookius, doctiùs vero pleniùsque illud argumentum tractavit *Johannes Henricus Meibomius*, (Vir, tàm in Medicinâ, quàm Hiſtoriâ, doctiſſimus, qui pauca quidem ſcripſit, ſed eximia) libro ſingulari, quem filius ejus nuper Helmſt. A. 1668. *in 4to* edidit, in quô accuratè de variis veterum recentiorumque potibus & ebriaminibus, extra vinum, diſſeritur. Habent & cereviſiæ ſuos morbos, de quorum remediis aliquis Juſtus Stengel Erfurti A. 1626. edidit die bewehrte Bier-Künſte / *in 8vo.* Fuit Anglus nonnemo, qui, unicâ guttâ præparati liquoris rubri, in momento vina & cereviſias corruptas, per fermentationem inſtantaneam, reſtituere potuit. Potus vini etiam æmulus ille eſt, qui ex pomis & piris conficitur, cujus parandi rationem optimam integro libello nuper deſcripſit Anglus quidam. Titulus libri eſt: *Vinetum Britannicum.* Addit quoque inſtrumenti aut molæ alicujus deſcriptionem, cujus beneficio facilè comminui poſſint poma, aliique fructus, & ſuccus inde commodè extrahi. Diſſertationes ſuper hôc argumentô inſtitutæ admodum utiles ſunt. Omnes enim fructuum ſpecies recenſet, & de eorum aptitudine, vel ineptitudine, ad potus tales conficiendos, judicat.

4 Quantum è plantis ad rem cibariam pertinet, argumentum hoc tractant Johannes Bryerinus, Franc. I. Reg. Gall. Medicus, *Libb. 4.5.6.7.8.9.10.11. de re cibariâ*, & Ludovicus Nonius *in Diætetico.* *De potu calidæ* Jo. Freinshemius diſſertatiunculam ſcripſit, ubi de herbis Indorum quibusdam, earumque decoctis, quæ calida bibuntur, etiam agit. Apud Orientales enim frequens calidæ potus eſt. *De gelidi potûs abuſu* Nic. Maſinus ſcripſit. Veteribus etiam incognitum fuit monſtroſum ebrietatis genus, quo fumo Tabaci paſcimur, ſive veſcamur eo, ſive bibamus. Mirabiles ejus virtutes aliqui in cœlum extollunt, aliqui ad tartara illum deprimunt. *Panegyricum* Tabaco ſcripſit elegantiſſimum, & quidem poëticum, ſive *Hymnum Tabaci*, (nam & tabacus Poëtas facit, non vinum tantùm,) Raphaël Thorius, Medicus Londinenſis, *libris duobus*; *Orationem* verò *de eo* Jac. Tappius, Profeſſor Helmſtadienſis; Rex autem contrà Britanniæ, Jacobus I. *integram Declamationem adverſus Tabacum*, quæ reperitur inter *Opera* ejus, *in folio* edita. Extat & Satyra Poëtica lepidiſſima Jac. Baldæi, Germ. verſa, contra abuſum Tabaci; Die truckene Trunckenheit. Joh. Tarter fabulam *de origine tabaci* verſibus Belgicis expoſuit elegantiſſimis. Scripſit & Joh. Neander *Tabacologiam*, & Æg. Eberhardus *de Herbâ Panacæâ, ſeu Tabaco.* Quæ omnia, cum *Luſu* Jacobi Regis, & *Hymno* Thorii, junctim Ultrajecti A. 1664. *in 12.* prodierunt. *De abuſu Tabaci & herbæ Thee* D. Sim. Pauli, Archiater Danicus, Argent. A. 1665. & 1681. *in 4to Commentarium* publicavit.

CAP. XLIII.

MISCELLA, QUÆDAM DE HERBIS, PLANTIS ET ARBORIBUS, EXHIBENS.

§. 1. De Plantarum viribus Medicis, illarumque cauſis, Honor. Fabri conſulendus. 2. Scriptores de plantis quibusdam ſingularibus, Malo aureo & Citreo, Tabaco, Moro, Opio, Mandragorâ, Tulipis, &c. 3. De Nepenthe, it. Homerico, Urticâ & Roſâ. Verulamii Sylva Sylvarum *commendatur. 4. Vires plantarum quarundam Magicæ exploduntur.*

Quòd ſi omnia illa, quæ de plantis habentur, recenſere hîc velimus, voluminis illa res eſſet. Et ſunt multa in iis admodum fabuloſa, qualia paſſim in ſecretorum libris occurrunt, aut in anilibus comitiis ſolent frequentari. Generatim quod attinet virtutes plantarum, eæ ſunt vel medicæ, vel fluunt è proprietatibus earum. Quòd nonnullæ vi purgante polleant, quòd ad vomitum provocent, urinam, ſudorem excitent, ſanguinem ſiſtant, lac generent, coagulent, abortum provocent, vermes necent atque expellant, ebrietatem concilient, venerem excitent, venenoſæ ſint, aut venena pellant, id omne provenit ex variâ earum temperie, ſæpè etiam pendet ex partium diſpoſitione. De his quoniam ad rem medicam pertinent, non eſt opus, ut multa diſſeramus, quandoquidem illa omnia utili compendio complexus eſt Honoratus Fabri *libro ſecundo de plantis*, ubi rationes illorum phyſicas ſuccinctè recenſet. 1

2 Nos, quaſi per lancem ſaturam, aliqua enarrabimus de ſingularibus, earumq; Scriptoribus. *De culturâ pomorum aureorum, & mali Citrei*, Joh. Baptiſta Ferrarius integrum volumen *in folio* ſcripſit; cujus Epitomen dedit Herm. Grubius *in Analyſi mali Citrei*, carmine, cui titulus: *Horti Heſperidum*, eandem deſcripſit Joh. Jovianus Pontanus. De inoculatione arborum mali citrei & aurantii, unde fructus oritur inter geminas ſpecie quaſi medius, vid. *Acta Philoſophica Anglica pag. 553. Editionis Anglicæ. Culturam Tabaci* Johannes Neander ſingulari libro deſcripſit cum Iconibus, cui additus eſt *hymnus* Raphaëlis Thorii. *De abuſu Tabaci* & *herbæ Thee* Simon Pauli egit. *De Moro*, quomodo præparari debeat pro alendis bombycibus, *de ceraſorum melioratione*, *de Aloë Americanâ*, (ad cujus hiſtoriam ſpectantia D. Joh. Dan. Major in Scripto *de Aloë Gottorpienſi* diligenter congeſſit) de variis vegetabilibus Orientalium, paſſim *Acta Philoſophica Anglicana* egerunt. *De Aromatibus* Tractatum editurus erat Salmaſius, teſte Craſſo *in Elogiis hominum literatorum, Tom. 2. p. 211.* De *Abſinthio* & *Croco* ſingulares libri à quibusdam naturæ curioſis editi ſunt. (*bb*) *De Opio* Joh. Freitagius ſcripſerunt & Georg. Wolfg. Wedelius. Singularem

(*bb*) De Abſinthio, ex Academiæ Naturæ Curioſorum Germaniæ Collegis, hujus Præſes, D. Joh. Mich. Fehrius, Poliater Svinfurtenſis, edidit *Hierapicram Curioſam, ſive Abſinthii*

gularem quoque librum *de eo* parat Ol. Borrichius, & ſcripturus quoque fuiſſet rariora quædam Martinus Fogelius, ſi vixiſſet. *De Mandragoræ radice* multæ ſunt hominum ſuperſtitioſorum fabulæ, & Diſſertationem ſcripſit Jac. Thomaſius, ſatis curioſe hiſtoriam ejus recenſentem, ſcripſerat quoque ante illum Sam. Bochartus, ut ipſe refert in Hierozoico ſuo. *De Tulipis* egit peculiari Diſſertatione Martinus Schookius.

3 *De Nepenthe Homeri* peculiarem librum ſcripſit Petrus Laſena, Juriſconſultus Neapolitanus, teſte Craſſo *in Elogiis pag. 234. part. 1.* (cc) *De Nardo & Epithymo* exſtat Joh. Fabri, Medici Romani, *Diſp.* adverſus Joſ. Scaligerum, addita *Scaligero Hypobolimæo* Scioppii, quâ arguit Scaligerum, malè de Croco explicantem verſum Propertii *L. 4. El. 31. Terque lavet noſtras Spica Ciliſſa comas.* *Urticam* eleganter delineavit Rob. Hookius *in Micrographiâ ſuâ p. 142.* repræſentat enim aculeos pungentes, qui efficiunt uſtulationem illam, ſimulque & de aculeis aliarum venenatarum plantarum agit, nec non de ſucco urticæ, in quo etiam aculeos deprehendit, quos comparavit cum aculeis inſectorum quorundam & crabronum. In *centuriâ ſextâ Sylvæ Sylvarum* Verulamii, & paſſim per totum librum, experimenta multa circa fructus & plantas occurrunt, circa earum degenerationem, transmutationem, durationem, excreſcentias, ſupervegetationes, amplificationes, diminutiones, figurarum variationes. De magnâ quadam eſſentiâ vegetabili, quâ aſſumtâ plumæ & ungulæ animalibus, pili & ungues hominibus excidant, videatur Rob. Boylius *in libro de uſu naturalis Philoſophiæ.* *De Roſâ* Joh. Car. Roſenbergius quidam egit *in Rhodologiâ*, Argent. A. 1628. *in 8vo* editâ. Sed Panegyrica Phyſicis miſcet, phyſica verò parcè & jejunè tractat.

4 Multæ quoque referri ſolent herbarum vires ſecretæ & magicæ, quales paſſim in libris ſecretorum occurrunt. Ita referunt de quâdam plantâ latronibus cognitâ, quæ ferrum ſecet, ſerasque aperiat. Referunt de foliis quibusdam ambulantibus. Referunt de plantis, quæ dæmones fugent. Sed in iis, uti dixi, fabuloſa multa occurrunt & ſuperſtitioſa, multa etiam planè ſunt nugatoria, quibus non opus eſt, ut immoremur.

CAP.

ſinthii Hiſtoriam Medico-Chymicam, Lipſiæ an. 1668. *in 8.* de Croco autem D. Joh. Ferd. Hertodius, Medicus in Moraviâ Brünnenſis, *Crocologiam, ſeu Curioſam Croci, Regis Vegetabilium, Enucleationem,* Jenæ 1671. *in 8.*

(cc) Exſtat etiam recentior Pet. Petiti *Diſſ. de Nepenthe Homeri, ſive de Medicamento Helenæ, luctum omnemque animi ægritudinem abolente, & aliis quibusdam, eadem facultate præditis,* Trajecti an. 1689. *in 8.* editâ à Joh. Georg. Grævio, cui ab autore illa eſt inſcripta. Conjicit autem ille, per Nepenthes eſſe intelligendam radicem Oenopiam ſive Oenotheram, & de Pet. Laſenæ Libro exiliter judicat. V. *Acta Erud. Lipſ. M. Nov. A. 1689. p. 575-578.*

CAP. XLIV.

DE ZOOPHYTIS, UBI ET DE SENSU PLANTARUM.

§. 1. Zoophyta deſcribuntur. 2. Thom. Campanellæ & Franc. Rhedi pro ſenſu plantarum argumenta proponuntur ſimul & rejiciuntur. 3. Ex Zoophytis ſenſu carere oſtenditur fungum quendam marinum, herbam atque arborem pudicam. 4 Agnumque vegetabilem Boranez. *5. Anſeres autem Schoticos, quos* Bernaclas *vocant, veras eſſe aves, ex ovis prognatas.*

EST quoddam plantarum genus, quod mediæ naturæ inter plantas & animalia eſſe perhibetur, ZOOPHYTA ſc. ſive Plantanimalia. Dicuntur verò ideò Zoophyta, quòd figura & conformatione corporis ad plantas, motu & tactu vero ad animalia accedant, ac potentiam ſe dilatandi & contrahendi habeant. 1

Atque hîc primò in genere tenendum eſt, fuiſſe aliquos, qui omnibus indiſtinctè plantis ſenſus adſcriberent, putarentque, ideò ſenſum etiam plantis competere, quòd in animalibus ſentiendi potentiam propagarent, quô argumentô præcipuè uſus eſt Thom. Campanella in *libris* ſuis *de ſenſu rerum.* Franciſcus quoque Rhedus, *in libro de generatione inſectorum*, ideò plantis ſenſum adſcripſit, quòd inde naſcantur animalcula, atque hinc novum aliquod paradoxon conſtituit, plantas, præter vitam vegetativam, etiam ſenſitivâ gaudere, quâ mediante habiles fiant ad generanda iſta animalcula, quæ à ſe producuntur. Habet & hoc pro argumento ſentientis naturæ, quòd plantæ inſtar animalium nutriantur, creſcant, ſemenque pariter & fructum producant, & anxiè ſolem ac apertum aërem quærant. Addit præterea: *quis ſcit? ſi non usque adeò altè in terrâ radicatæ eſſent, & pedes organaque vocis haberent, annon vitaturæ eſſent lædentem, & læſæ lamentis & verſibus dolorem ſuum teſtaturæ.* Quæ certè argumenta omnia magis Poëticâ licentiâ conficta videntur, quàm aliquid è vero trahere. Nutritio enim & incrementum non ſtatim ſenſum infert. Quòd ſi organa vocis haberent, ut ille argumentatur, non jam plantæ amplius eſſent, ſed animalia, idemque valet, ac ſi argumentarer: Si aſinus volat, habet pennas. 2

Quod verò hiſtoriam iſtius fungi marini attinet, qui ad cultrum admotum ſe contraxerit & corrugaverit, res eſt amplius indaganda. Sunt interdum motus quidam in plantis tenerioribus & fungoſioribus, qui ſpontanei videntur, & à facultate quadam ſentiendi procedere, cùm tamen, ſi rectè rem conſideres, motus ille ab externo agente imprimatur. Cujus naturæ ſunt illæ, quæ in exemplum adferri ſolent, plantæ, ut herba viva, quæ ab Arabibus & Perſis *Suive* vocatur, & cui Philoſophi *pudicæ* vocabulum indidêre. Illa, ſi levi manu attingatur, illicò refugit, contrahiturque, mox, ſubductâ tangentis manu, paulatim erigitur, & priorem ſitum repetit. Cujus rei cauſam nemo melius oſtendit, quàm Henricus Regius, *lib. 4. philoſophiæ* 3

naturalis,

naturalis, è quo transſumſit illam Antonius Grandis *in hiſtoriâ naturali pag. 305.* Ubi penè mathematicâ demonſtratione oſtendere laborat, quomodo res illa procedat. Supponit (1) magnam hujus plantæ teneritudinem, quæ levi contactu quodammodo ulceretur & contundatur; (2) nervos quosdam interiores eſſe exterioribus ampliores, quò fiat, ut halitus ex terrâ majori copiâ in ſuperiores foliorum fibras transmittantur, quàm inferiores; undè, manu ſuperioribus foliorum partibus admotâ, ſpiritus in illis partibus contenti per nervos interiores deorſùm ferantur. Ex quo poſteà inſequatur illa foliorum contractio & explicatio. Quam rationem prolixius, & ſecundum omnes particulas, illic explicat. Eſt & pudiferana arbor, ut appellatur, quæ non hominis tantùm manum, ſed & afflatum ejus, odiſſe dicitur, atque ad ejus acceſſum refugere. Quâ in re non opus eſt, ad ſenſum aliquem confugere. Poteſt enim variatio aëris, plantam circumſiſtentis, & cum ſuperficie ejus ſingulari quadam ratione connexi, quæ fieri per halitus admixtos poteſt, ut ipſe expanditur vel contrahitur, ſuperficiem plantæ immutare, ut, contractione quâdam ab externo aëre illi incuſſâ, moveri ſponte videatur.

4 Referunt quoque de vegetabili quodam Tartariæ, quod agno perquam ſimile ſit, *Boranez* linguâ Tartarorum vocatum, de quo Andr. Libavius Diſſ. egit peculiari. Olearius *in Itinerario Perſ. lib. 3. c. 2.* facit ſpeciem aliquam peponum, figurâ externâ referentem agnum. Caulis umbilico affigitur, quò convertitur, gramen exareſcit, quod illi vocant depaſcere. Ubi maturuit, lanugine quâdam, agninæ ſimili, veſtitur. Scaliger addit, etiam pedes illi eſſe, ungulas, caput & carnem, ſaporem cancris ſimilem, ex vulnere fluere ſanguinem, lupos quoque illi inſidiari. Sed non placet mihi, ſenſum huic vegetabili attribuere. Similitudo enim animalis non ſtatim facit animal, ut radices quædam, humanam ſpeciem habentes, non ſtatim hominem. Qui ſanguis aliquibus viſus eſt, ſuccus fortè ruber eſt, huic fructui, quemadmodum Betis, proprius. Lanuginem etiam alii fructus habent. Gramina exareſcunt fortaſſis, quòd ſuccus nutritius illis ſubducatur.

5 Referuntur etiam multa de *anſeribus Scoticis*, quos in arboribus creſcere aliqui exiſtimant, quâ opinione Viri etiam docti ſibi placuêre. Michael Mayerus, Vir ſanè doctiſſimus, ſingulari *libro de volucri arboreâ* ſcripto, & Franc. A. 1619. *in 8vo* edito, hujus rei veritatem oſtendere voluit, ac multis aliis exemplis in naturâ confirmare; ſed falſus ille eſt. Nam hodierna experientia docuit nautas, anſerculos illos generari more naturali, & quemadmodum aliæ aves generari ſolent, per excluſionem ex ovis. Nidulantur enim illi in rupibus & deſertis ſeptentrionis locis, ubi infinito numero excluduntur anſerculi illi, ſive anates, quæ *Bernaclæ* dicuntur. Quod cùm ignorarent homines, quâ ex regione provenirent, neſcii, finxerunt tàm ſtulta & abſurda, ut vel ex ſpumâ maris, quemadmodum Poëtæ Venerem, natos crederent, vel ex conchyliis oſtreisque marinis in aves mutatos, imò alii in arboribus creſcere putarent, inducti quibusdam indiciis, quibus id evincere ſe poſſe videbantur. Anatomen earum avium inſtituit Sengverdius, qui *Exercitationum Phyſicarum ſuarum 44.* teſtatur,

teſtatur, plurima ſe ova in illis ſæpè obſervaſſe. Sunt enim fœcundiſſimæ, ut jam nullum amplius dubium ſuperſit, eas, pari ratione cum ceteris avibus, ex ovis eſſe excluſas.

CAP. XLV.

DE GENERATIONE ANIMALIUM, ET PRIMUM QUIDEM DE INSECTIS.

§. 1. *IN Generationis animalium ſcrutinio perdifficili, rejectis Ariſtotelicorum tricis, Anatomicorum obſervationes his ſunt præferendæ.* 2. *Commendatur inprimis diligentia Guilh. Harvei, qui ſeminis maſculini nihil in utero deprehendi, obſervans, nihil iſtud ad generationem conferre ſtatuit, impugnatus idcircò, ſed incaſſum, à Jano Orchamo, ſive Joh. Vorſtio.* 3. *Animalia omnia, juxta obſervationes Harvei, imo & homines, uti Theod. Kerckringius detexit, ex ovis generari oſtenditur.* 4. *Cenſura de doctrinâ, cùm Peripateticorum de animâ brutorum ſenſitivâ, ejusque facultatibus, tùm Carteſianorum, iſtam negantium, omnesque brutorum, quæ automata ipſis ſunt, actiones à ſolo motu derivantium.* 5. *Admiranda inſectorum ſtructura. Hiſtoriæ illorum Scriptores, quos inter recentiorum, Rob. Hookii, J. Bapt. hodiernæ (qui* oculi muſcæ *dedit* anatomen,*) Joh. Gœdarti, Joh. Swammerdammii (qui apum regem fœminam eſſe obſervavit,) Franc. Rhedi (generationem negantis dari æquivocam) & Joach. Jungii, ſolertia inprimis laudatur.* 6. *Unde vermiculorum in caſeis multitudo?* 7. *Judicium de Wilh. Ramſey* libro de vermibus corporis humani. *Aug. Hauptmanni* Mors viva, *in vermem eam transformans.* 8. *Scriptores varii de inſectis ſpecialibus; bombycibus, apibus, curculionibus, formicis (quarum ſpiritus medicamentum eſt Mnemonicum,) tarantulis, araneis, pulicibus, & locuſtis, quas comedit Joh. Baptiſta.*

PErvenimus nunc ad materiam omnium difficillimam, ANIMALIUM ſcil. GENERATIONEM; quæ quanquam ſit vulgò obvia, quanquam ab Anatomicis ita examinata, ut nihil addi à quoquam poſſe videatur, quò tamen illa explicatior videtur, eò magis, cùm ad principia perveniendum, intricata eſt, & ubique ſpeculatores ſuos detinet. Non eſt opus, ut è Peripateticorum ſcholis anxiè repetamus illa, quæ ipſi habent, de ſubordinatis animarum vegetativæ & ſenſitivæ miniſteriis, quæ illi, quaſi diribitores quidam & metatores, ita diſpertiuntur, ac ſi ipſi functionibus iſtis teſtes ſint propiùs admiſſi. Nolumus, quas illi de materiâ & formâ habent, inutiles planè & deſperatiſſimas tricas magno conatu hîc recenſere. Excutiamus potiùs Anatomicorum ſagaciorum obſervationes, atque illîc veſtigia generantis naturæ ſequamur, quæ ſuos ſecundum ſubjecta certos terminos & modos habet. De quibus in univerſum diſſeri non poteſt. 1

2 Nemo majorem hîc adhibuit diligentiam, quàm diligentiſſimus GVILH. HARVEUS, qui incredibili labore generationis vias, per incubationes ovorum ſucceſſivas, ita inquiſivit, ut addi nihil poſſe videretur: additis etiam aliis obſervationibus, quas in gravidis animalibus inſtituit. Nihilominus tamen, poſt tot ejus labores, ſecuti ſunt alii, qui acutiùs quædam viderunt. Demonſtravit verò Harveus, adeò nihil ſeminis maſculini in utero fuiſſe animadverſum poſt ipſam conceptionem, ut ſtatueret, nihil omnino contribuere ſemen ad generationem animantis. Quæ ſententia cùm videatur παϱάδοξος, aliquibus non eſt ad palatum, impugnaturque à multis, quanquam plurimi ſint, qui illam ſequantur. Ideoque Janus Orchamus, vel, qui ſub eo ficto nomine latet, JOHANNES VORSTIUS, *conjecturam de generatione animantium* propoſuit, obſervationi iſti Harveanæ ſubmiſſam, & Col. Brandeb. A. 1667. *in 12.* editam, quâ in dubium quidem non vult vocare experientiam Harveanam, ſed aliqua tamen comminiſcitur, quò inter Harveanam & vulgatam ſententiam conciliationem quandam inſtituat, eâ ratione motus, ne vetus pervulgataque omnium gentium opinio per ſententiam Harveanam concidat. Operoſè is primùm adducit varia ſcripturæ loca, varia item Hippocratis teſtimonia, aliorumque Medicorum & Philoſophorum, quibus innuitur, ſemen animantium in ipſum uterum penetrare, atque inde, velut ex materiâ, fœtum fieri. Ideoque, ut ſalvet & Harvei, & veterem illam ſententiam, exiſtimat, materiam ſeminalem, in uterum delatam, vi caloris in minimas particulas reſolvi, ut conſpici nequeat, idque ſtatim à tempore congreſſus, quô Harveus ſectiones ſuas inſtituit, aliquantò autem pòſt minimas illas particulas rurſus colligi, & primò manticæ, inque illa contento liquori; deinde ipſi fœtui, materiam præbere. Quam ſententiam ſuam etiam ex eo firmat, quod Harveus teſtetur, uteros damarum ac cervarum, primis poſt coitum temporibus, majores ac craſſiores fieri, quod ille fieri exiſtimat ab illâ liquoris ſeminalis rarefactione & diſperſione. Hæc ille Autor operoſè ſatis diſquirit, quô tamen, ut puto, labore ſuperſedere poterat. Utut enim Harveus non ſtatuat, pertingere ſemen in uterum, tamen ſpiritum quendam ejus, aut odorem, eò pertingere poſſe non negat. Ideò tamen aliquid ſeminis illuc transfertur. Nec itaque concidit, per ejus obſervationes, vetus illa & pervulgata Gentium opinio.

3 Debet verò obſervatio ejus, circa ova inſtituta, nobis eſſe in pretio, cùm ovorum illa contemplatio unicè illuſtret doctrinam generationis. Legatur itaque illa diligenter apud Harveum hiſtoria, & quicquid ex eo in Epitomen redegit Honoratus Fabri, *in libro de generatione animalium.* Nunc enim ſolertia recentium Anatomicorum obſervavit, omne animantium gènus ex ovis prodire, & ipſos quoque homines, uti Theodorus Kerckringius, in *Anthropogeniæ ſuæ Ichnographiâ*, demonſtravit. Reperiuntur ea in teſticulis, non fœminarum tantùm, conjugio adſuetarum, ſed etiam virginum, non ſecus ac fit in gallinis, quæ ova ponunt, etſi ignorent galli conſuetudinem. Sunt hæc ova piſi viridis magnitudine. Intus latet humor, qui, ſicut aliorum ovorum albumen & vitellus, dum coquitur, indureſcit. Fuerunt & ab aliis, ante

Kerck-

Kerckringium, iſta ova obſervata, ſed neminem ſuſpicio eò deduxit, ut ex iis formari fœtum crederet. Iſtud ovum, odore ſeminis maſculi fœcundatum, ad uterum tranſit, &, intra ſpatium duorum vel trium dierum, ad magnitudinem ceraſi majoris nigri excreſcit. Quod directè impugnat Harvei obſervationem, qui exiſtimat, in cavitate uteri, per aliquot dies, poſt coitum, nihil deprehendi. Et hæc ova, non à conjugatis tantùm, ſed & à virginibus, ſæpiſſimè excerni, præſertim cum ſanguinis menſtrui fluxu, aut ſtimulante libidine, ex relationibus nonnullarum notavit Kerkringius. Multùm exercuerunt Kerkringianæ iſtæ obſervationes Viros doctos, & ſtatim ſunt translatæ in linguam Gallicam à Joh. Bapt. Dionyſio, Medico Regio, *in memoriis ſuis ſpectantibus ad artes & ſcientias.* Cujus extant ſuper hoc argumentum quædam, ut vocat, *Reflexiones*, quibus aliqua dubia proponit, ita tamen, ut propendere magis in illam ſententiam videatur. Nunc verò illa opinio ita obtinuit, ut penè pro demonſtratâ habeatur à plurimis, quanquam non deſint, qui aliqua ſuper hâc doctrinâ dubia habeant.

Animantibus ſenſitivam animam tribuunt vulgò Peripatetici, de quâ, cujus naturæ ſit, obſcurè determinant, in eô tamen conveniunt, naturæ eſſe corporeæ, quanquam Joh. Marcus Marci, in quibusdam à Peripateticorum ſententiis diſcedens, eam ſuperſtitem velit corpori. Carteſius, aliique recentiores, qui formalem rationem animæ humanæ conſtituunt in cogitatione, animam ſenſitivam purum putum figmentum habent, eamque ſentiendi facultatem in ſolo motu putant conſiſtere, & à mechanicâ corporis diſpoſitione dependere, quæ tamen ſententia, an vero ſit conſentanea, non auſim ego determinare. Actiones ſcil. illæ brutorum, quæ in nonnullis reperiuntur, penè humanis ſimiles, videntur teſtari de aliquâ diſtinctâ ab ipſo corpore eſſentiâ, in quam tales actiones cadant. Quanquam enim non deſint Carteſianis, quæ ad illa reſpondeant, ea tamen non videntur usque adeò rem omnem conficere. Studioſè omnia illa congeſſit Anton. le Grand, *in Diſſertatione de carentiâ ſenſus & cognitionis in brutis.* Legatur & Henrici Mohri *Epiſtola*, quam ad Carteſium ſuper hoc argumento ſcripſit, quæ reperitur *in Operibus* ejus *Philoſophicis Latino-Anglicis*, nec non ejusdem *Enchiridion Metaphyſicum*, ex ſolâ mechanicâ materiæ diſpoſitione omnes operationes deducentibus oppoſitum, inprimis *cap. 24.* Peripatetici fortasſis nimium ſapiunt circa animam brutorum inveſtigandam, quando in tot facultates & potentias diſtinguunt, quæ tamen nihil ſunt, quàm nuda nomina. Carteſiani (quorum ſententiam etiam Honor. Fabri, Ariſtotelicus, *in lib. de plantis ac generatione animalium*, fermè ſequitur) nimium hîc videntur paradoxi, cùm animal non aliter, quàm Automaton, conſiderant, cujus motus interior, quem ſenſationem dicimus, ab objecto aliquo proveniat. Sed illa lis fortaſſis in æternum non decidetur; utrique enim parti ſua ſunt argumenta, è domeſticis principiis formata, quæ cùm non demonſtrari poſſint, an vera vel falſa ſint, aut eam certitudinem habeant, ut ſtatim aſſenſum eliciant, non eſt, ut aliquam in ſententiis iſtis certitudinem expectemus. Subtilitas enim rei intellectus noſtri anguſtias excedit. Non eſt veroſimile, cum 4

videamus in vegetabilibus, aut in animalibus ipſis, mirabiles iſtas partium conformationes, & ex eo occultum aliquod principium movens ſpiritale agnoſcamus, illud in motu animalium tàm ſubtili, qualis eſt in ſenſatione, non ſubeſſe.

5 Ideoque, miſſis his, veniemus ad animantium genera, & primò de *inſectis* videbimus, quorum conſideratio, pro ſubtilitate objectorum, ſubtilior eſt. Nusquam enim majora naturæ miracula, quàm in minimis, conſpiciuntur, ut rectè dixerit Boylius, magis eſſe admirandam proportionem illam inſecti, quod vocatur *Acarus*, quàm Elephanti. *Hiſtoriam inſectorum* ſingularibus quidem libris habemus traditam à *Conr. Geſnero*, *Ul. Aldrovando*, *Sam. Bocharto*, qui, ut de omnibus animantibus, ita & de inſectis, quanquam non omnibus, agunt. Speciali libro de iis egit *Thom. Mouffetus*, Londinenſis. Nuperrimè verò magis exculta eſt iſta de inſectis Philoſophia, Microſcopiis etiam in ſubſidium vocatis, quorum ope minutiſſimorum animalculorum partes ſunt detectæ, & quàm accuratiſſimè delineatæ. Quod videre licet in Rob. Hookii *Micrographiâ*, ubi pulicem, pediculum, vermiculos in caſeo natos, ſchematis ampliſſimis depingit. Johannes Baptiſta Hodierna Italicâ linguâ ſcripſit *Anatomiam oculi Muſcæ*, ubi diligenter examinat, atque delineat, omnes iſtius oculi nervulos & muſculos, & quicquid illi adhæret. Deſcripſit & *inſectorum hiſtoriam* Belgicâ linguâ, additis iconibus, ad vivum expreſſis, Joh. Goedartus, Pictor Middelburgenſis, quæ in Latinam linguam converſa eſt & notis illuſtrata à Joh. de Mey. Sed in eâ tamen multa deſideranda ſunt, non enim iſtâ accuratione examinavit omnia, ut qui poſt ipſum hoc argumentum occupârunt. In multis illum refutat Johannes Schwammerdammius, Vir admirabilis in iſtâ re doctrinæ *P. I. Hiſtoriæ generalis inſectorum*, Ultraj. A. 1669. *in 4to* editæ. Quô in librô ille nullam Metamorphoſin agnoſcit inſectorum, ut Goedartus, ſed graduale aliquod incrementum. Non credo, vivere nunc virum, qui curioſiùs omnium inſectorum naturam & ortus inquiſiverit. Nam ex omnibus terrarum partibus collegit omnia inſectorum genera, quorum familiam & ſpecies, ſuis quaslibet ſcriniis diſtinctas, non ſine admiratione ego vidi. Liquore verô quôdam Balſamicô corpora inſectorum tinxit, ut à corruptione ſervaret. Mentio ejus, non ſine laude, *in Transact. Philoſ. Angl. p. 2078.* occurrit. Ac affirmavit mihi ille, vel centenis hominibus ſe negotii ſatis daturum, ſi adſiſtere ſibi, in univerſali aliquô Opere concinnandô, velint. Hiſtoriam inſecti, quod *Ephemeron* vocatur, nuper ſcripſit. *De apibus* quoque ſingularem lib. paravit, in quô multa proponet ſingularia, inter quæ etiam hoc, quòd apes, quas vulgò *ductores* & *reges* vocant, & *mares* exiſtimant, *fœminæ* ſint. Quod ſi verum eſt, perit Politicis præclarum ſtabiliendæ Monarchiæ virilis è naturâ exemplum, & naturalis aliqua γυναικοκρατία demonſtratur. Obiit Swammerdammius cum magnô rei naturalis damnô, qui ſi ſeculum vixiſſet integrum, & ſingulis annis librum aliquem de inſectis edidiſſet, argumentum tamen totum non exhauſiſſet. Sunt & Francisci Rhedi, Patritii Aretini, *Experimenta circa generationem inſectorum*, primùm Italicâ linguâ publicata, deinde ab Andrea Friſio in latinam converſa, & Am-

ſtel.

ſtel. A. 1671. *in 12.* edita. Quô in librô ſuſtulit omnem æquivocam illam generationem, vulgò creditam, ac nulla vult inſecta ex carne naſci, niſi in quantum ſemina vel ova ab aliis animalculis illîc poſita ſint. Statuit & illîc, ſuccum nutritium plantarum, tàm plantæ generationi, quàm animalculis è plantâ producendis, eſſe aptum. Quâ in re, ſi rectè memini, diſſentientes habet Swammerdammium, Joach. Jungium, ſagaciſſimum hiſtoriæ inſectorum exploratorem (cujus aliqua, niſi fallor, obſervata de iis ſuperſunt ἀνέκδοτα,) (dd) & alios, nec valdè illud probabile eſt.

De *vermiculis in caſeo natis* res mira videtur, eos ex ovo progeneratos, cùm 6
videamus totam caſei maſſam, quanta quanta eſt, in vermes abire, niſi velimus dicere, productis aliquot vermiculis, ſemper per propagationem novos generari, & caſei ſubſtantiam paulatim abſumere corrodendo, ut tandem ſoli vermes remaneant.

De *vermibus*, præcipuè verò illis, *qui in corpore humano generantur*, peculia- 7
rem librum ſcripſit Anglicâ linguâ Wilhelmus Ramsey, qui editus Londini eſt anno 1668. *in octavo;* ubi multa de vermiculis aëreis in morbis epidemiis, & de vermiculis in ſanguine exiſtentibus. Omnes ſcil. ille corporis partes perluſtrat, demonſtraturus, quomodo vermium cauſæ ſint, nutrimenta etiam, cibos & potus, examinat, quomodo originem vermibus ſubminiſtrare poſſint. Sunt tamen in illo multa aliena, & magno apparatu adducta, quæ ad hoc argumentum non adeò pertinent. Voluit libellô peculiari editô, cui titulus: *Mors viva*, (ee) Augustus Hauptmannus demonſtrare, morbos omnes, imò mortem ipſam, à vermibus eſſe, depinxitque ibi vermiculi mortiferi imaginem. Adverſus eum neſcio quis ſcripſit *Mortem mortuam*, ejus hypotheſin, Chriſt. Langio, Prof. Medico Lipſienſi, etiam approbatam, refutans.

Bombycum hiſtoriam curioſa inquiſitione, multisque Anatomicis bombycum 8
obſervationibus, explicavit Marcellus Malpighius, ſagaciſſimi Vir ingenii, Italus, cujus

(dd) Joach. Jungii de Inſectis Obſervationes, quæ *h. l.* tanquam ἀνέκδοτοι allegantur, prodierunt, ſed ab igne, in ædium Vagetianarum incendio, mutilatæ, Hamburgi an. 1691. *in 4.* ſub titulo *Hiſtoriæ Vermium, è Schedis Autoris MStis à Joh. Vagetio, aliisque Viris præclaris, fideliter erutæ, & Erudito Orbi, quantum per obvenientem calamitatem licuit, à Joh. Garmero communicatæ.* Confuſum illa exhibet Chaos Obſervationum, Excerptorum & Experimentorum Jungii, relatu partim dignorum, partim indignorum, & ab Autore Editioni magnam partem haud deſtinatorum, ſed, poſt obitum ejus, è Schedis, ſine ſelectu & ordine congruo, coacervatorum, ac in lucem protruſorum.

(ee) An Aug. Hauptmanni, Medici Dresdenſis, *Libellus de Vivâ mortis imagine*, Francofurti an. 1650. uti ferunt, editus, & à Morhofio (*h. l.*) Kirchero, aliisque allegatus, revera unquam prodierit, imo an ab illo ſit perfectus, dubitat, & negativam ferme, cum Georg. Wolfg. Wedelio (*in Pathol. Medicâ p. 242.*) amplectitur Chr. Franc. Paulinus, Poliater Iſenacenſis, *in Diſquiſit. Curioſâ, an Mors Naturalis plerumque ſit ſubſtantia Verminoſa.* Quo in Scripto in Italiâ primùm, A. circiter 1672. per Athan. Kircherum edito, & nuper Francof. an. 1703. *in 8.* ab Autore ipſo denuo recenſito, eandem cum Hauptmanno Theſin, poſt Kircherum (*in Scrutinio Peſtis*) & Chriſt. Langium, Prof. Lipſ. (*in Animadverſionibus in Pet. Joh. Fabri Pathologiam Spagyricam,*) defendit, ſed parum firmis, uti mihi videtur, argumentis.

jus liber, curante Societate Regiâ, editus eſt Londini *in 4to.* De methodo alendi bombyces, deque negotio ſerica conficiendi in Galliâ, hiſtorica extat relatio in *Actis Anglicis pag. 87-91.* M. Hier. Vidæ, Cremonenſis, Poëma de iisdem legitur Heroicum, Libris II. comprehenſum. Microſcopicas obſervationes circa bombyces, ac ova bombycum, habet Rob. Hookius *in ſuâ Micrographiâ.* Quæ apud veteres de illis & ſerico occurrunt, in Ad. Tribbechovii *Diſſ. de Bombycibus*, Gieſſæ A. 1665. *in 4to* editâ, exhibentur. *Anatomen apis* ſcripſit Franciſcus Stellutus. Extant & de culturâ apum, præter quartum Georg. Virgilii, libri integri. Ortum earum ex bovinis excrementis fabuloſum putat Franc. Rhedus, verum autem Athan. Kircherus, *in Obiliſco* etiam *Pamphilio*, capitis bovini in apibus eſſe ſimulacrum, obſervans. De *Curculionibus*, qui frumenta corrumpunt, extat Tractatus germanicus, Berolini anno 1665. *in 12.* editus, Conradi Tyburtii Rangonis, ubi etiam reperitur remedium eos pellendi. De generatione formicarum, earum ovis, productione, ſpeciebus, uſu, plenam ſatis deſcriptionem vide *in Transactionibus Anglicis pag. 524.* Solet ex illis oleum aliquod & ſpiritus præparari, qui maximè corroborare ſpiritus creditur, atque memoriam præcipuè juvare. Unde adhuc in uſu eſt medicamentum Mnemonicum Petri Laurembergii, quod illo pro memoriæ ſubſidio commendare ſolitus eſt. *De Tarantulis* Athan. Kircherus multa *in arte* ſuâ habet *magneticâ* ac Wolferdus Sengwerdius in peculiari de iſto argumento Scripto, quod Lugd. A. 1668. *in 12.* excuſum, cur Angli inter Acta ſua retulerint, cauſam nullam video, non enim magnæ rei eſt. Mart. Liſteri *Tr. de Araneis & cochleis* prodiit Londini A. 1678. *in 4to.* De araneis in aëre, unde telæ oriuntur aëreæ, videantur *Transactiones Anglicæ p. 1014.* *De Pulice* Venet. A. 1625. *in 12.* ſcriptum prodiit peculiare Italicum Johannis Antonii Moſchetti. *De locuſtis*, quas comedit Johannes Baptiſta, variè ſentiunt Autores. Videatur Sam. Bochartus *in Hierozoico*, & Joh. Dan. Majoris *Diſſertatio* peculiaris *de myrrhâ & locuſtis*, quâ ſententias omnium congeſſit. Videatur & Alexander Roſſæus *in Arcanis Microcoſmi*, *in Appendice*, ubi occurrit refutatio nonnullorum locorum, quæ habentur *in Pſeudodoxiâ Epidemicâ* Thom. Brounii *L. 2. c. 1.* putatque herbas fuiſſe, quas comederit Johannes Baptiſta. In eôdem librô & de aliis inſectis agitur.

CAP. XLVI.
MISCELLA QUÆDAM DE ANIMALIBUS CETERIS EXHIBENS.

§. 1. Judicia de quibusdam hiſtoriæ animalium univerſalis Scriptoribus, Ariſtotele, Ul. Aldrovando, Sam. Bocharto, &c. 2. Scriptores varii de piſcibus in genere, Balænis, Harengo, Quadrupedibus item quibusdam, Viperis, Cervis, Muribus Norwagicis, Equis. 3 De venenatione, avibus venaticis, canibus. 4. Scriptores quidam de variis animalibus Miſcellanei ac Anatomici. 5. Artificium oculos reſtituendi, à Franc. Joſ. Burrho tantoperè jactatum, antiquum & vulgare eſſe oſtenditur.

Obſer-

OBſervationum circa animalia tantus eſt numerus, ut integro volumini præbere materiam poſſit. Nam primùm ipſorum animalium vaſtus eſt numerus, & obſervationum deinde, quæ circa illa inſtitui poſſunt, longè major. *Hiſtoriam animalium* inter veteres, præter Ælianum, ſcripſit *Ariſtoteles*, quod ejus præſtantiſſimum Opus eſſe credunt multi; magnam certè pecuniæ vim Alexander M. in illam impendit. Sed in illâ tamen multa ſunt incerta, multa relationibus non ſatis ſecuris ad Ariſtotelem pervenêre, ut fieri plerumque in promiſcuis illis Annotationibus ſolet. Quæ habemus vaſta Opera nonnullorum Autorum ſuperiùs à nobis enarrata, illa in alienis & peregrinis plerumque verſantur, & inutilibus interdum narratiunculis & paginam utramque implent. *Ulyſſis Aldrovandi*, poſt Conr. Geſnerum, maxima fuit diligentia, in variâ eruditione circa omnes animalium ſpecies congerendâ. Sam. Bochartus, *in Hierozoico*, animalia S. Script. eorumque nomina & differentias, collatione cum veteribus recentioribusque Hiſtoricis factâ, recenſet. *Hiſtoriam Medicam animalium*, quatenus ex iis medicamenta parantur, ſcripſit *Guilh. van den Boſche*, Bruxellis A. 1669. *in 4to.* Nos quaſi per lancem ſaturam, & Autores nonnullos notabimus, &, ſi quid prætereà notatu dignum nobis occurret. 1

Piſcium, ut inde incipiamus, hiſtoriam perſecutus eſt Guilh. Rondeletius, uti & Hippolytus Salvianus, *in aquatilium animalium hiſtoriâ*, quæ Romæ anno 1554. prodiit. Scripſit & Paulus Jovius *de piſcibus Romanis Tractatum*, qui rarus eſt. Habemus etiam è veteribus fragmenta Ovidii. Sed pleraque veterum in hiſtoriâ piſcium obſcura ſunt. Autores omnes de piſcatione, veteres & recentiores, Herm. Conringius nuper ſingulari volumine collegit. De *Balænis* earumque capturâ, obſervationes leguntur *in Actis Anglicis pag. 232.* ac meminêre paſſim piſcationis iſtius itinerariorum ſeptentrionalium Scriptores. De *Harengo* commentatus eſt Paulus Neucrantzius, Medicus Lubec. De *Viperis* peculiares libros ſcripſêre Moſes Charras & Marcus Aurelius Severinus, qui de virtute ſalis viperini multa attulit. Edidit, & Franciſcus Rhedus *Experimenta de viperis.* De *Cervo* extant Tractatus Germanicus Joh. Agricolæ, Latinusque Joh. Andr. Grabii, ex Academiâ curioſorum. (*ff*) De *Muribus Norwagicis* Thomas Bartholinus ſcripſit. De *Equis*, eorum naturâ & indole, prolixè agunt Autores, qui rem equeſtrem deſcribunt, ac artem domandi caballos tradunt, qualis eſt Ant. Ferrarius in Lib. Italico: *Cavallo Frenato*, Venet. A. 1620. *in fol.* excuſo. 2

De *Arte venandi*, miniſtris avibus, extant integri veterum libri, qui collecti uno volumine prodierunt Lutetiæ A. 1612. *in 4to* ſub titulo Ἱερακοσοφικὸν, ſive *Rei accipitrariæ ſcriptores.* Acceſſit & κυνοσοφικὸν, ſive *liber de curâ canum*, uti & 3

(*ff*) Perperam *h. l.* Olai Wormii, Prof. Medici Hafnienſis, *Hiſtoria Muris in Norwagiam depluentis*, Hafniæ an. 1653. *in 4.* edita, Thomæ tribuitur Bartholino, Autoris Collegæ, qui de Muribus iſtis peculiare Scriptum haud publicavit.

Jac. Aug. Thuani carmina *de re accipitrariâ*, & prætereà alia quædam de generibus falconum. Extant prætereà Friderici Secundi Imperatoris *Reliquiæ*, ubi multa de artificio venandi per falcones. De *omni venationum genere Tractatum*, non minus curioſum, quàm utilem, ſcripſit Belgicâ linguâ Paulus Merula *in folio*, qui additur quibusdam Conſtitutionibus Juris Belgici, & in ipſâ Bataviâ rariſſimus eſt, ac magno pretio vendi ſolet. Sunt & Gallicâ linguâ de arte venandi multi libri conſcripti, quos inter accuratiſſimum eſt ſcriptum recens: *La Venerie Royale.* Ad venationem canes pertinent, quorum naturæ ac laudes integris decantatæ libris ſunt. Habemus è Græcis veteribus Oppiani *Cynegetica*, Græco carmine ſcripta, in quæ extat doctiſſimus Conr. Rittershuſiii Commentarius. Sunt & in Latinis, qui rem venaticam deſcribunt, ac cum Commentario Jani Vlitii Leidæ A. 1653. prodierunt. Eſt & inter recentiores Pet. Angelius Bargæus, qui *Carmina Cynegetica* ſcripſit, quæ Gratii carminibus Cynegeticis præferre non dubitat Manutius. Penè prætermiſeram Arriani *Cynegeticum*, quem Lucas Holſtenius Pariſiis A. 1644. edidit, & in latinam convertit. Extat & Johannis Caji *liber*, ſeorſim initio, & poſtea in Caſp. Dornavii *Amphith.* excuſus, *de canibus Britannicis, eorumque indole.*

4 *De Elephantis*, Pet. Gillius peculiarem librum conſcripſit. Extat & laudatio eorum apud Lipſium *in Epiſtolis.* De eorum capturâ & pugnis videantur *Acta Anglicana pag. 328.* De *Chamæleonte, de partu & congreſſu viperarum, de lachrymis Crocodili, animalium reſuſcitatione*, Gotfr. Vogtius peculiaribus Diſſertationibus egit. (gg) Variæ Anatomicæ obſervationes circa canes, leones, piſces, animalia monſtroſa, partes animalium, occurrunt tàm *in Transactionibus Anglicis*, quàm *in Ephemeridibus Gallicis*, aliisque Medicorum libris obſervatoriis, Thomæ Bartholini inprimis *Centuriis*, *Epiſtolis*, & *Miſcellaneis Ephemeridibus Germanicis & Danicis.* In *Actis Anglicis*, ſub *Anatomes* titulo, in Indice inveniuntur ordine enumerata, quæ circa Anatomen quorundam animalium obſervata ſunt. *De Cygni cantu* egit Thom. Bartholinus, peculiari libro. Videatur & Æg. Menagius *in Tractatu ſuper Poëmata Malherbæ pag. 314.*

5 De *reſtitutione oculorum* in animalibus per liquorem chelidoniæ multa magnaque commentatus eſt Franciſcus Joſephus Burrhus, *in Epiſtolis ſuis ad Thomam Bartholinum ſcriptis*, cùm tamen experientia teſtetur, id fieri quâcunque aquâ purâ & limpidâ poſſe. Ariſtoteles, *lib. 2. de hiſtoriâ animalium cap. 17.* evenire ſerpentibus idem ait, quod pullis hirundinum, oculis enim ſerpentum laceratis, ſubnaſci alios referunt. Wagenſeilius *in Sota pag. 155.* illa in dubium vocat, ab Ariſtotele tradita, ſed immeritò. Nam idem hoc experimentum fuit, quod hodiè obſervatum eſt

(gg) Gotfr. Vogtii Diatribæ *de Chamæleonte, Congreſſu & partu Viperarum & Brutorum ex Mortuis reſuſcitatione*, unà cum duabus aliis *de reſuſcitatione Plantarum & Cantione Cygneâ*, junctim *in Curioſitatibus Phyſicis* Güſtrovii an. 1668. *in 8.* & Lipſiæ an. 1698. *in 12.* ſunt recuſæ, *Diſſ.* autem *de Lacrymis Crocodili*, cum pluribus aliis Zoologicis, *Deliciis* ejusdem *Phyſicis* Roſtochii an. 1671. *in 8.* editis, inſerta.

eſt in anſeribus & canibus, aliisque animalibus, quibus oculi non quidem renaſcuntur, ſed reſtaurantur, ſuppeditante ipſâ naturâ humores oculorum deperditos vel expreſſos. Ceterùm in ſingulis illis recenſendis infinita eſſet opera. Animalium diſtributiones & claſſes certas vulgares etiam Phyſici tradunt, è quibus illæ capi posſunt. De ceteris videndi ſpeciales Obſervatores.

CAP. XLVII.

DE HOMINE.

§. 1. HOminis præ ceteris animalibus prærogativa, & tractationis de illo amplitudo. 2. Scriptores præcipui de homine integro, ejusque generatione, nutritione & longævitate. 3. De Partibus ejusdem ac Membris, Cerebro, Oculis, Viſceribus, Medullâ Spinali, Muſculis, Linguâ & Guſtu, Membris genitalibus, Pulmonibus. 4. De Sanguine, ſanguificatione inter cor & hepar controverſâ, ſanguinis transfuſioné, ac medicinâ infuſoriâ, cujus inventum plures ſibi vindicant. 5. De Pilis, barbâ, ſtercore, crepitu ventris & unguibus. 6. Scriptores de Animâ humanâ, ejusque immortalitate (quam an Ariſtoteles, ab Ant. Rocco fruſtra defenſus, ſtatuerit, dubitatur,) Lud. la Forge, Cordemoæus, Lud. Vives, Ken. Digbæus (ab Amando Vero impugnatus,) Aon. Palearius, &c. Controverſia de origine animæ. Judicium de Traducis Patronis. Præexiſtentiam Animarum defendunt Henr. Mohrus, & præcipue Chriſtoph. Sandius.

ANimal omnium digniſſimum HOMO eſt, qui Microcoſmus à quibusdam dicitur, non quidem adeò adæquatô nomine, ſed quod tamen ſenſu poſſit tolerari. Nullum enim eſt corpus humanô elaboratius, quod præterà mentem habet ſibi junctam, & mirabili modô unitam. Eo enim differre à reliquis animalibus homines in confeſſo eſt, quòd ſcil. mente præ ceteris animantibus præditi ſint. Ceterùm unum illud objectum ampliſſimum eſt, & magnis voluminibus argumentum ſuppeditare poteſt. De animo nihil dicimus, nam is extra Phyſices conſiderationem eſt. Solum corpus humanum integram doctrinam Medicam ſibi vindicat, cujus maxima pars, Anatome, in analyſi hujus corporis verſatur, de quâ extant vaſtiſſima Volumina, totque Obſervationes ſingulares, præter generales iſtas Bartholini *Inſtitutiones*, ut vel index earum parere integrum volumen poſſit. Summarias illas partium corporis delineationes Phyſici Autores omnes Anthropologici, præter Anatomicos, qui illud ex profeſſo agunt, operoſè ſatis exponunt. Nos perſequemur ſumma quædam & Autorum & rerum capita. 1

Pulcherrimus eſt Carteſii liber poſthumus, è Gallicâ in latinam verſus, *de Homine*, cum Ludovici de la Forge *Commentario* Amſtelodami A. 1677. *in 4to* editus, à *Claud. Clerſelerio*, in quô multa occurrunt nova & notabilia. Prior Editio, à Flor. Schuylio curata, non erat perfecta. Honorati quoque Fabri *Tractatus de homine* non pauca, magnâ diligentiâ, nec vulgari modô, compendioſe perſequitur. Quæ 2

ad naturam ſexûs maſculini & fœminini, conſtitutionem partium genitalium, rationem generationis, pertinent, J. Bened. Sinibaldus, *in Geneanthropiâ* ſuâ (Romæ A. 1642. *in fol.*) magnâ cum curâ, exponit. De pulchræ prolis habendæ ratione extat elegans carmen Calvidii Læti, *Callipædia, ſive de pulchræ prolis habendæ ratione.* Similis argumenti eſt Jani Huarti, Hiſpani, *Scrutinii ingeniorum Appendix, quomodo generari ingenioſi & ſapientes Liberi poſſint*, ab Æſchacio Majore, cum ipſo *Scrutinio*, Lat. verſa, Lipſ. A. 1662. *in 8vo.* De *prole nutriendâ* Poëma Scævolæ Sammarthani inter *Delicias Poëtarum Gallorum* invenitur. De *Signaturis fœtûs* egit Martinus Schookius Diſſertatione peculiari, de *hominibus longævis* Epiſtolâ prolixâ Henr. Meibomius.

De partibus animalium, & earum uſu, Galenus egit ſingulari libro, in quem
3 extat doctiſſimus *Commentarius* Caſp. Hoffmanni, ubi quàm pleniſſimè & diſertiſſimè de omnium partium conformatione ac uſu, junctis politioris Literaturæ ſubſidiis, diſſeruit. Diverſô inſtitutô Allegoricè de membris humanis egit Mich. Mayerus *in civitate corporis humani*, joculare autem de iisdem Poëma, lectuque haud injucundum, Pet. Baart, ſub tit. Leedeſtemmung/ Belgicè edidit. De *partibus humani corporis* multa contra Guilh. Harveum diſputat Alex. Roſſæus, *in Arcanis Microcoſmi*, Anglicè ſcriptis. Sed is non felicior in Phyſicis cenſor, quàm in Poëticis, videtur, in quibus ne ſenſus quidem Poëtarum capit. *Anatomen cerebri* Marcellus Malpighius, Italus dedit. Extat & Thomæ Williſii liber curioſiſſimus, *Pathologia cerebri*, ſummâ diligentiâ conſcripta; *De cerebri vero humani proprietatibus* Gvalth. Charletoni Diſſertatio, quæ unà cum *inquiſitione de fulmine tactis* Lond. A. 1665. *in 8vo* edita eſt. *Oculorum fabricam* accuratè deſcribunt Optici, & extat de eâ ſingularis Mart. Hortenſii *Diſſertatio.* De *Cerebro* pariter atque oculis egit Franc. Joſ. Burrhus, *in Epiſtolis ad Thom. Bartholinum*, quarum *conſiderationem* dedit D. J. Dan. Major, & non pauca hujus hominis vana conſilia cogitataque vellicavit. *De Coloribus oculorum* Sim. Portii liber prodiit Florentiæ A. 1550. *in 4to. De Nervis opticis* ſcripſit Malpighius, cujus omnia præclara ſunt, & accuratiſſimis obſervationibus eruta. *Viſcerum ſtructuram* Malpighius, idem explicatam dedit. *Medullæ ſpinalis Anatomen* Gerh. Blaſius. *De Muſculis* nemo eruditiùs ſcripſit, quàm Nicolaus Stenonis *in Myologiâ* ſuâ, in quâ, è Geometricis principiis, eorum motus demonſtrare laborat. *Guſtus* organon Laur. Bellinus & Marcellus Malpighius accuratè examinârunt, demonſtraruntque, in quo ratio guſtûs conſiſtat, videl. in papillis nerveis, per totam linguam diſperſis, ex quarum contactu illa perceptio ſenſilis, quam guſtum dicimus. *De organis virorum genitalibus* Regnerus Graſius ſcripſit, qui accuratiſſimam teſticulorum anatomen inſtituit, innumerabili plexu nervulorum conſtantium. Publicavit & Joh. de Horne *obſervationum circa genitalia prodromum*, ſed morte præventus totum opus perficere non potuit. *De pulmonibus* extat Thomæ Bartholini peculiaris Tractatus, Hafn. A. 1663. *in 8vo* editus, in quo demonſtravit, omnem pulmonum ſubſtantiam conſtare veſiculis, quibus aër continetur, cujus beneficio quomodo re-

ſpiratio

ſpiratio fiat, peculiaribus libris oſtenderunt Joh. Schwammerdammius, Joh. Mayow,
& Malach. Thruſton.

De ſanguine, ejusque generatione, & generationis locô, diverſæ ſunt ſententiæ; 4
Antiqui hepati adſcribunt, recentiores cordi, quorum Anteſignanus Guilh. Harveus,
qui circulationem ſanguinis primus in medium adduxit. Unde varia ſcripta edita
ſunt, tàm pro hepate, quàm corde, à Thomâ Bartholino, Lud. Bilſio, & tàm pro,
quàm contra circulationem, quorum hiſtoriam ſic ſatis diligenter recenſet Mich.
Watſonius *in unione ſapientiæ*. *De ſanguine* Joh. Betti quoque Tractatus exſtat,
multa habens circa ejus generationem notabilia, multa quoque de lacte, qui non
multum ab antiquis abire videtur. Plurima circa ſanguinem hominum fuerunt ex-
perimenta, ratione transfuſionis ejus ex uno animalis corpore in aliud, & ratione e-
tiam infuſionis, quâ liquor aliquis medicamentoſus venæ injicitur, de cujus artis in-
ventione lites variæ moventur. Sibi illam vindicat D. Joh. Dan. Major, cujus ex-
tat *de Chirurgiâ infuſoriâ* ſingularis liber. Joh. Sig. Elsholzius contra, edita *Clyſ-
maticâ novâ*, ſibi tribuit, contra quem Major inventum ſuum vindicavit. Sed &
Galli de eâdem Anglis, & hi viciſſim illis, litem moverunt. Contra transfuſionem
ſanguinis prodiit Tractatus Ant. Santinelli, cui titulus: *Confuſio transfuſionis*; ubi
multis argumentis eam impugnat, quæ tamen non omnia æquè ſtringunt. Eſt verò
transfuſionis inventio antiquior, ac jam tùm Andr. Libavii tempore fuit cognita,
qui ejus per jocum mentionem facit *in actione contra Henn. Scheunemannum.* De
variis corporis partibus extant erudita opuſcula Hieronymi Fabricii ab Aquapenden-
te, de quibus, aliisque Anatomicis antiquioribus, in Herm. Conringii *introductione ad
artem Medicam* plenior eſt relatio.

De pilis extat Joh. Tardini liber in Caſp. Dornavii *Amphitheatro* recuſus. De 5
barbâ Marci Antonii Ulmi vaſtum volumen, Bononiæ A. 1602. *in fol.* impreſſum,
ſub Tit. *Barbæ humanæ Phyſiologia, ſeu de fine ejus Philoſophico & Medico.* Ant.
Hotomanni *de Barbâ Dialogus*, & Joh. Pierii Valeriani *Apologia pro Barbis Sacer-
dotum*, Philologica tantum ſectantur. Scripſit & alius, neſcio quis, *Medicinam Ster-
corum*, *(hh)* qui fortaſſis, ut Virgilius, ex Stercore Ennii, aurum conquiſivit. Ge-
org. Segerus, Med. Thorunienſis, *de Crepitu ventris* Tractatum ineditum ſervat,
& ſummâ diligentiâ omnem ejus naturam rimatus eſt, non ſine perpetuis experimen-
tis. Sed is, ob ignobilitatem argumenti premit librum, nec audet in publicum
proferre. De *ungue* ipſe librum ſub manibus olim habui. *De affectionibus Capil-
lorum & Unguium* Vopiſcus Fortunatus Plempius peculiari ſcriptô eſt commentatus.

De *Animâ* tractatio ad Phyſicam per ſe quidem non pertinet, ſed quatenus à 6

(hh) Quis ille ſit *Medicinæ Stercorum* Scriptor, à Morhofio *h. l.* memoratus, ignoro. Luſtro poſt obitum Morhofii elapſo, ſimile Scriptum, Francof. an. 1696. *in 8.* Germanico edidit Idiomate, Chriſtianus Franc. Paulinus, Medicus Iſenacenſis, ſub Titulo *Pharmacopolii Stercorei* ſive Heilſame Dreck-Apothek / wie nemblich mit Koth und Urin / faſt alle / ja auch die ſchwerſte giftige Kranckheiten und bezauberte Schaden / vom Haupt biß zu den Füſſen / inn- und euſſerlich / glücklich ſind curiret worden / *&c.*

corpore diſtinguenda eſt. Ut clarior corporis Idea ſit, notitia ejus aliqua habenda eſt, quam ſuppeditat Lud. de la Forge, Carteſianus, *in libro de mente humanâ*, è Gallicâ in latinam linguam converſo. Præ ceteris legendus eſt liber Cordemoæi Galli, quem *de differentiâ corporis & ſpiritûs* gallicè, elegantem conſcripſit. Lectu etiam dignus eſt Lud. Vivis *de Animâ liber*, non quidem intima Philoſophiæ argumenta penitus excutiens, ſed eleganter tamen, ut omnia ejus viri, ſcriptus. Lib. Fromondus *de Animâ*, Fort. Licetus *de Ortu animæ humanæ, & cum corpore coëxtenſione*, ac Sim. Portius *de Mente humanâ*, bonorum Collectorum vice funguntur. Ceterùm *de origine animæ, ejusque immortalitate*, ut eſt plena difficultatis diſputatio, ita à Phyſicis componi & decidi tota non poteſt. De Ariſtotele non pauci dubitant, & quidem non absque fundamento credunt, mortalitatem potiùs animæ ſtatuiſſe eum, quàm immortalitatem, quæ mihi, ex Ariſtotelicis principiis, eâdem facilitate, ac fortè majori, deſtrui, quàm aſtrui, poſſe videtur. Ant. Roccus, autor ſublimis ingenii, vaſto quidem libro contrarium ex Ariſtotele oſtendere voluit, ſed tamen ita diſputat, ut cauſam ſuam potiùs deſtituat, quàm juvet. Refutationes certe ejus argumentorum, contra immortalitatem animæ ex Ariſtotele prolatorum, debiliores ſunt, quàm ut omnem illorum vim elidant. Prodiit is liber Francofurti A. 1644. *in 4to*, ſub Tit. *Animæ rationalis immortalitas, ſimul cum ipſius verâ propagatione ex ſemine, viâ quadam ſublimi peripateticâ, hactenus poſt Ariſtotelem non ſignata veſtigiis, Exercitationis Philoſophicæ illibatæque veritatis gratiâ, indagata.* Kenelmus quoque Digbæus hoc argumentum tractavit *in Demonſtrat. immortalitatis animæ rationalis*, Anglicè ſcripta. & Lat. quoque Pariſ. A. 1651. *in fol.* & Francof. *in 8.* edita, qui, perpetuâ à naturâ corporum, eorumque qualitatibus, quarum præcipuas facit raritatem & denſitatem, progreſſione, functiones animæ, ejusque immortalitatem, monſtrare laborat. De principiis ejus primum transacta oportet eſſe omnia, quæ an omnibus ad palatum futura ſint, dubito. Alioquin, qui illa impugnat, nexum illum tollit. Refutat illum, ſed non ſatis judicioſè, ſingulari libro, A. 1661. *in 12.* edito, Jeſuita quidam, qui ſe Amandum Verum nominat (genuinum nomen eſt *Eggefeld*,) ſub tit. *Anima triumphans.* Aonius Palearius in *Poëm. de Immort. animæ*, ad Lucretii imitationem ſcripto, Platonicorum ſententias præ ceteris ſequitur. *De ortu animæ per traducem, de præexiſtentiâ animarum, de creatione*, multæ ſunt controverſiæ, ſuique ſingulis ſententiis patroni. Sententia de traduce apud plures aſſenſum obtinuit, quanquam & illa ſuis difficultatibus urgeatur, ſi mordicus tenere velimus nonnullas aſſertiones, quas de ſpirituum naturâ nobis perſuaſimus. Præexiſtentiam Angli nonnulli præ ceteris defenderunt, ſuntque libri Henrici Mohri, Philoſophi Platonico-Carteſiani, & aliorum, integri ſuper hôc argumentô conſcripti. Vid. præſertim Mohri *Lib. de immortalitate animæ*, & Sam. Parkeri *Tentamina Theologico-Phyſica*, in quibus contra præexiſtentiam diſputat. Eam quoque ſententiam Chriſtophorus Sandius ſingulari libro *de origine animæ* defendit, *Coſmopoli ap. Libertum Pacificum*, A. 1671. *in 8vo* edito, qui meris teſtimoniis conſtat, nihilque aliud agit,

quàm

quàm ut probet, præexiſtentiam animarum ſacris literis eſſe conſentaneam, & plerorumque Patrum ac Philoſophorum ſententiis comprobatam. Platonicorum enim ſuffragia frequentiſſima habet. Totus in eo eſt, ut, non niſi ſolâ hâc ratione, difficultates circa animæ originem monſtret poſſe expediri, quas omnes recenſet, & argumentis Adverſariorum reſpondet. Ceterum S. literis & Patribus perverſos ſæpè ſenſus impingit, & non rarò Hæreſeos ſuæ ſpargit ſemina.

CAP. XLVIII.
DE SENSIBUS ANIMALIUM.

§. 1. Carteſii ſententia, bruta ſenſibus ſpolians, improbatur. Motus ſenſationis celerrimus vix perveſtigabilis. Joh. Alph. Borelli Scripta de motu commendantur. 2. Viſum, & cognatas de coloribus, oculis, ſpeculis, lumine, doctrinas, ſibi vindicat Optica. 3. Auditum Acuſtica. Inſtrumenta eum adjuvantia. Soni natura & diverſitas. Autores huc ſpectantes. 4. Odoris & odoratûs natura. Cur plus eo valeant bruta, quàm homines? Doctrina ejus neglecta. 5. Guſtus & ſaporis ratio atque origo à papillis linguæ nerveis. Scriptores de inediâ quorundam prodigioſâ. 6. Tactûs natura. 7. De ſenſibus internis rectius Carteſiani docent, quàm Ariſtotelici. Scriptores de imaginatione, quâ Pet. Pomponatius & Jul. Cæſ. Vaninus contra religionem ſunt abuſi.

Nihil eſt vulgatius ſenſatione; ſed ita tamen altè abdita ejus principia, ut in 1
ſenſationis cauſis dandis ſufficientibus deficiamus. In animalibus ſenſationem nihil eſſe, præter motum, Carteſiani ajunt, in homine verò concurrere mentis operationes, ideoque ſenſum ab intellectu non ſejungit Carteſius. Cetera animantia ne ſentire quidem exiſtimat, quam ſententiam ſuô locô nos relinquimus. Res quidem ipſa ſatis innuit, ſentire illa non ſolùm, ſed & percipere ipſum ſenſum, quod tamen negabat Carteſius, qui, perceptionem ſenſus intellectûs opus eſſe, putavit. Secundum enim tres gradus naturam ſenſionis diſtinxit, ex mente Carteſii, Antonius le Grand, è quibus gradibus tertium ſoli homini tribuit. Interim, ſi externas reſpiciamus circumſtantias, motum quidem omninò deprehendimus ſubtiliſſimum, celerrimum, inſtantaneum, qualis motus quibus principiis dirigatur, res profectò non eſt adeò expedita, ut quidam exiſtimant. Non dependent omnes illi motus ab objecto externo. Quemadmodum Henr. Regius, *in Philoſophiâ naturali, lib. 4. c. 16.* ex mente Carteſii, ſatis quidem accuratè, deſcripſit. Sunt enim in brutis quoque animantibus aliqui ſpontanei motus, à nullo principio determinati. Examinandi tamen interim nobis ſunt iſti motus, & quantum de eorum naturâ apprehendere poſſumus, tantum ad illuſtrationem hujus doctrinæ conferendum. Ken. Digbæus (*in Demonſtr. Immort. Animæ,*) & Gvalth. Charletonus (*in Phyſiol. ſuâ*) ſenſum, & qualitates ſenſiles, corpora eſſe ſtatuunt, ſed falſò. Eſto enim, qualitates illas particulas eſſe minimas, è ſubjecto expulſas; ſenſum tamen per ſe non faciunt, ſed quatenus nervos ſenſorios feriunt. In quâ applicatione illorum ad nervos, quæ acci-

accidentalis omninò eſt, ratio formalis ſenſus conſiſtit. Si in lucem prodiiſſet Johannis Alphonſi Borelli liber *de Motibus animalium (ii)* multa ex eo haurire poſſemus, ad perfectam ſenſationis declarationem; ſatis enim ex libro ejus *de motu projectorum* ſingularis hujus Viri ſagacitas patet. Quæ ad ſenſum requirantur, tradunt omnes etiam compendiarii Autores. Requiruntur ſc. *objecta*, *media & organa*, de quibus cumulatiſſimè agunt omnes, ideoque non eſt neceſſum illa hîc repetere.

2 Omnium ſenſuum nobiliſſimus eſt *viſus*, cui excolendo integra diſciplina inventa eſt, Optica ſcil. vaſtiſſimis voluminibus exculta. Hîc acres ſunt diſputationes de ratione viſionis, an fiat per emiſſionem, an receptionem radiorum, fieri autem per utramque veroſimile eſt. Pertinet huc tota de coloribus doctrina, quæ ad ſpecies ſenſiles aliis refertur. Pertinet huc tota ſpeculorum doctrina, doctrina de oculo item, ejusque partibus, quæ omnia plenâ manu Optici Autores ferunt. Pertinet etiam huc doctrina de lumine. Ut enim viſio fiat, medium illuminatum neceſſarium eſt.

3 *Auditus* alter ſenſus externus eſt, cujus itidem peculiaris diſciplina datur, quam ἀκουστικὴν vocare poſſis, quô generali titulô non muſica tantùm, quæ verſatur circa ſonos harmonicos, ſed omnes ſoni, comprehenduntur. Pertinet huc mirabilis illa auris ſtructura, quam Anatomici nobis depingunt. Cæcilius præſertim Folius, Eqv. Venetus, cujus extat *Nova internæ auris delineatio*, *ex ratione ſtructuræ modum Auditus demonſtrans*, Venetiis anno 1645. *in 4to* edita. Cujus organi potentia arte etiam juvari poteſt. Quale inſtrumentum habent Hiſpani, qui, præter perſpicilla, ſibi familiaria, ſemper ſecum portant inſtrumentum tale, quod auribus apponunt, ut eò diſtinctius ſonum percipiant. Ceterum objectum Auditûs, ſonus eſt; oritur verò ſonus ex concuſſione aëris vel aquæ. Variat autem ſonus ratione ſubjectorum, & ratione mediorum. Obtuſius enim in aquâ ſonat corpus, quàm in aëre, acutius ſonant metalla, quàm ligna, quæ omnia explicare velle magni Voluminis res eſſet. Nemo eſt, qui naturam ſonorum ſagacius explicuit, per multas corporum ſpecies, quàm Honoratus Fabri, qui ſingularem *de ſonis* Tractatum Phyſicis ſuis inſeruit. Cui addi meretur Franc. Baconis Verulamii *de Sono & audibilibus hiſtoria*, licet exigua. Multa Kircherus *in arte ſuâ magnâ conſoni & diſſoni* habet, quæ ad naturam Echûs ſpectant. Ea omnia, quia totis diſciplinis pertractantur, ab inſtituto noſtro nunc ſunt aliena. Pertinet huc etiam omnis illa doctrina *de voce & pronuntiatione*, de quibus legantur Cordemoæi *lib. de verbo*, & Petrus Montanus in libro, cui titulus: De nie Spreek-Konſt. Multa poſſent etiam hîc afferri de *ſurdorum informatione*; ſed de iis omnibus dictum eſt in *Diſſertatione* noſtrâ *de Paradoxis ſenſuum*, quæ cùm in omnium manibus ſit, nolumus illa hîc repetere.

4 *Odoratus* ſenſus eſt; quo diſtinguimus res ſecundum odorem. Eſt odor nihil aliud, quàm effluvia ſubtiliſſima corporis odorati, per canales narium ad proceſſus mamillares delata, qui præcipuè organon conſtituunt hujus ſenſionis. Medium eſt, vel aër, vel aqua, per quod transfunduntur corpuſcula illa volatilia. Et hâc quidem ſenſationis parte brutis animan-

(ii) Joh. Alph. Borelli *Opus de Animalium Motu Poſthumum* in duas partes diviſum, Romæ an. 1680. & 81. *in 4.* revera prodiiſſe, ſupra *ad Cap. VI.* §. 6. jam eſt monitum.

animantibus inferiores ſunt homines; longè enim felicius illa diſtinguunt & dijudicant per odores, quàm homines. Cujus diverſitatis cauſa eſt, quòd ſimpliciori cibo vivant animalia, quàm homines, quibus peregrini vapores & halitus ſemper obſident nares. Hinc fit, ut jejuni magis olfactu polleant. Eſtque ſingulare illud exemplum hominis, cujus Digbæus meminit, qui diu in ſylvis vivens, ac radicibus & oleribus victitans, canes ſagacitate odorandi æquavit. Ceterùm illa de odoribus doctrina minus eſt ceteris ſenſuũ objectis exculta, adeò ut & ipſa odorum formalis ratio nondum ſit ſatis expedita. Aliqui enim ſalibus velut volatilibus, aliqui ſulphuri adſcribunt, de quibus vide Joh. Bapt. Hamelium in *libro de affectionibus corporum, integro capite.* Quod miſtionem odorum attinet, illa ita non eſt explorata, ut natura colorum. Colores enim ex miſturâ variâ produci, & quomodo illi produci debeant, notum eſt omnibus, at odorum diſtinctio nulla talis eſt. Pet. Servius, *in Lib. de Odoribus*, Romæ anno 1641. *in 8vo* edito, plenius quidem hoc argumentum aliis tractat, ſed non recentiorum Philoſophorum principiis eſt imbutus, quæ qui non deguſtavit, in odorum ſcrutinio non ſatis emunctæ naris eſt. Joh. Bravi *Lib. de odorum & ſaporum differentiâ* Ven. A. 1592. *in 8vo* prodiit.

Guſtus organon lingua eſt, cujus ſuperficies ita comparata eſt, ut aliorum corpuſculorum ſuperficiebus tacta, vel gratum ſibi motum, vel ingratum, perſentiſcat, qui ſapor dicitur. Sunt autem in ſuperficie linguæ variæ papillæ nerveæ, quas Marcellus Malpighius & Laur. Bellinus primùm detexêre, quæ prout afficiuntur, à tactu corpuſculorum minimorum, ita ſapor, vel gratus, vel ingratus, illi objicitur. Horum ſaporum certi quidam gradus ſunt & claſſes, ſuntque eorum nomina rectius diſtincta, quàm odorum. Conſiſtit omnis illa diverſitas ſaporum in particularum conditione, quæ papillis nerveis illiduntur. Nam Peripatetici, qui ex elementis illam diverſitatem deducunt, longinqua nimis ſapiunt. *De ſapore dulci & amaro* Laur. Gryllus Tr. edidit, Pragæ A. 1566. impreſſum. *De iis, quæ ſine alimento vivunt*, exſtat Liber Fortunii Liceti, cum quo conferri poteſt Phil. Sechtlenii *lapis Lydius prodigioſarum inediarum*, Paderbornæ A. 1614. *in 12.* editus. 5

Tactus ignobiliſſimus omnium ſenſus habetur, cujus tamen interventu ſenſus omnes conſtant. Objectum Tactûs ſunt qualitates illæ ſenſiles, quas manibus præcipuè, vel toto corpore, deprehendimus, calidum ſc., frigidum, humidum, ſiccum, &c. Medium tactus caro, vel cutis, habetur, organa conſtituuntur nervi. Quæ per tactum fieri poſſunt mirabilia, in *citatâ Diſſertatione* prolixiùs expoſuimus, è quâ ſuppleri posſunt, quæ hîc omittimus. 6

Habentur & apud Peripateticos *ſenſus interni*, de quibus illi magnâ cum curâ philoſophantur. Sed, ſi rem rectè intuearis, omnia terminorum plena invenies, & parum rei in iis. Magis Carteſiani placent, ac legi poteſt, quem ſuprà laudavimus, Ludov. de la Forge *in libro de mente humanâ*, ſicut & Cordemoæus *in libro de differentiâ corporis & animæ*. Addatur Carteſius ipſe *in libro de paſſionibus animæ*, quô nihil eſt elegantius & conſummatius. *De Imaginatione* Thom. Fienus Libellum ſcripſit, ac multa habet Pet. Pomponatius in libro profano *de Incantatione*, qui omni magiæ viam ſtruit, & hanc di- 7

vinis immiſcet miraculis. Unde non ſine horrore legas, quæ ſceleſti Præceptoris nequam diſcipulus, Jul. Cæſ. Vaninus, in *Dialogis* ſuis, ex eo in religionem infert.

CAP. XLIX.

DE SEDE ANIMÆ RATIONALIS.

§. 1. Variæ de illâ ſententiæ. 2. Ceteris probabiliores judicantur opiniones Carteſii de glandulâ pineali, & Nic. Hobokenii de medullâ cerebri. 3. Concluſio de difficultate cognitionis ſui ipſius, ſive Pſychologiæ.

1 Nulla eſt difficilior inquiſitio, quàm nexus illius, quem cum corpore ANIMA habet. Tanto enim conatu inquirimus in animam, nec illam, in quâ ſede invenire debeamus, ſatis conſtat. Magna hìc diſputatio eſt veterum & recentiorum. Aliqui cùm nullam certam ſedem agnoſcunt, per totum corpus peregrinantur, eamque totam in toto humano corpore, totamque in partibus, ponunt. Mirabili fingendi licentiâ, hinc aliqui faciunt animam toti corpori coëxtenſam, & extat, *de animâ corpori coëxtenſâ* elegantiſſimus & doctiſſimus liber Pet. Petiti, Pariſiis *in 8vo* editus A. 1665. Aliqui animam in ſanguine ponunt, aliqui in ſpiritibus animalibus. Sed illæ omnes ſententiæ vagæ ſunt & indeterminatæ. Alii, qui particularem magis ſedem quærunt, cor regiam animæ faciunt, in quam ſententiam loca quædam Scripturæ afferunt.

2 Corde tamen rejecto rectiùs alii in capite ſedem animæ collocant. Sed & hîc iterum quæritur, in quâ parte capitis ea quærenda ſit; variæ enim hîc ſententiæ ſunt. Aliqui eam reponunt in ventriculis cerebri, aliqui, uti Carteſius, in glandulâ pineali. Hanc glandulam pinealem cùm primum detexit Carteſius, non ſe reperiſſe exiſtimavit, quod pueri in fabâ. Ex hujus enim glandulæ motu & percuſſione omnem putabat cogitandi rationem procedere, quoniam nullum alium ejus uſum poterat deprehendere. Sed oſtenderunt alium ejus uſum Anatomici, interque eos Nic. Hobokenius ſingulari libro *de ſede animæ in corpore humano, cap. 5. Art. 6.* Quam ſententiam cùm refutaviſſet, cerebri ſubſtantiam medullarem tandem illam animæ ſedem conſtituit, poſtquam omnes aliorum opiniones prolixis diſſertationibus excuſſerat.

3 Tanti ſcil. eſt, ſe ipſum deprehendere, tàm operoſum, illud congnoſcere, per quod ſumus illud, quod ſumus, quæ tamen notitia debebat eſſe omnium ſuprema. Nos hic pedem figimus, & in hoc, velut culmine naturalis cognitionis conſiſtimus. Mens humana ſcil. ſpeculatrix illa eſt, omnibus ſuperſtes, cui ſoli excolendæ adhibetur omne illud, quod curâ noſtrâ diſcitur, & illam tamen ipſam, non niſi per nebulam, videmus, imò non videmus illam, niſi ipſa, quæ ſemet in ſe ipſâ, contemplatur.

D. G.

D. G. MORHOFI POLYHISTORIS TOMI II.

SIVE

POLYHISTORIS PHILOSOPHICI, LIBER III.

ΜΑΤΑΙΟΤΕΧΝΟΣ,

DE ARTIBUS DIVINATORIIS ET MAGIA.

§. 1. Scriptores de Divinatione in genere. 2. De Divinatione naturali eventuum naturalium. Aſtrologorum, & in his Comitis de Fliſco, temeritas culpata. Prædictiones Ecſtaticorum. 3. Commendatur Divinatio morum & affectuum animi è ſignis externis, velut Politico utiliſſima, unà cum Scriptoribus de illâ præcipuis, Jano Huarto, Scip. Claramontio, Aug. Maſcardo, Chambræo, Ariſtotele, Theophraſto, &c. Divinationem hujusmodi è voce Lud. Creſollius, è riſu Profp. Aldoriſius, è temperamento, unguibus & ſcripturâ, Camillus Baldus inſtituere docuit. 4. Scriptores Phyſiognomiæ naturalis de membrorum configuratione, Hon. Nicquetius, Joh. Bapt. Porta, Andr. Otto; De illorum proportione Joh. Sig. Elsholtzius, de Nævis idem, Lud. Septalius & Chambræus, de Pede Joh. d' Arty. 5. Judicium de Metopoſcopiæ & Chiromantiæ antiquitate. Divinatio veterum ex Saliſſatione, ſive trepidatione membrorum. Hermetis Triſmegiſti Melemantia. Melampus περὶ παλμῶν. Artemidorus de Manuum inſpectione. Jul. Cæſ. Bulengerus de ominibus & divinationibus.

6. Scriptores Metopoſcopiæ & Chiromantiæ varii recentiores. Metopoſcopia *Hier. Cardani an eum Autorem agnoſcat, dubitatur. Magiſtri Chiromantiæ olim creati. 7. Judicia prolixiora de Joh. Belotti & Philippi May Scriptis Chiromanticis. Hier. Cardani circa omina & divinationes ſuperſtitio. Finellus de Maculis unguium. 8. Scriptores Onirocritici de Somniis interpretandis, Artemidorus, Syneſius ab H. Cardano illuſtratus, Apomaſar, &c. 9. Aſtrologiæ judiciariæ Impugnatores, è quibus præſertim Cl. Salmaſii rigor nimius notatur. Judicium de principiis illius benignius. 10. Defenſores ejusdem, Joh. Bapt. Morinus, Joh. Heydon (cujus ineptiæ notantur) & Placidus de Titis. 11. Henr. Ranzovii Scripta Aſtrologica commendantur. Artis Aſtrologicæ Scriptores antiqui, Petoſiris, Ptolomæus, Arabes, Proclus Diadochus, Manilius, & recentiores nonnulli. 12. Aſtrologia Genethliaca mater plerarumque artium divinatricium, & ſpeciatim quidem doctrinæ imaginum Taliſmanicarum, quam tradiderunt & defenderunt Conſt. Albinus, Henr. Corn. Agrippa, Jac. Gaffarellus, impugnavit verò Gabr. Naudæus. Fabula de Guſtavi Adolphi, Regis Sveciæ, gladio Taliſmanico. 13. Ex Aſtrologiâ profluxit etiam omnis doctrina Magica, inprimis Geomantia, cujus Scriptores aliquot, Gvilh. de Morbeca, & duo Anonymi, recenſentur. Divinatio è jactu cuborum. Chinenſium Geomantia Phyſica, è terræ figurâ & conſtitutione de incolarum judicans ingenio. 14 Scriptores Magici de ſpirituum conjuratione, divinatione & magiâ numerorum, ac arte Genium ſuum familiarem cognoſcendi. 15. Scriptores varii de Magiâ Dæmoniacâ. Notantur moderni quidam, ejus exiſtentiam negari auſi, Reginaldus Scotus, Abr. Palingius, & alii. Commendantur, qui iſtos refutarunt, Henric. Morus, Mericus Caſaubonus, Ericus Mauritius. 16. Probatio ſagarum per aquam, ſpecies judiciorum Dei vetuſtorum. Herm. Conringius illam defendit. Indorum ſimiles modi perjuria explorandi. 17. Medicina magica, & curationes per eam. Varii de his Scriptores. Enſalmadores Hiſpani. Incantatio ſerpentum magica, Judæorum curationes cabaliſticæ. 18. Dæmones ſive Genii familiares. An Socrates & Hier. Cardanus verè tales jactarint. Gabr. Naudæi* Apologia pro Viris eruditis, Magiæ ſuſpectis, *commendatur, Pet. autem Borelli* lib. de Vanitate Magiæ *promiſſus contemnitur.*

1 POſtquam PHYSICA abſolvimus, ad ea progrediemur, quæ naturam excedere videntur. In eorum numerum ARTES DIVINATORIÆ referendæ ſunt, quarum objectum eſt futura & incognita ſcire, cùm Phyſici circa res ſenſui ſubjectas & manifeſtas verſentur. Sunt verò variæ divinationum ſpecies, *naturales* aliæ, aliæ *magicæ*, aliæ *licitæ*, aliæ *illicitæ*. De divinationibus generatim, tàm licitis, quàm illicitis, ſcripſit, inter veteres, Cicero, in quam exſtant multi Commentatores, quos vide in *Nomenclatore Philoſ.* Spachii. E Recentioribus de iisdem ſcripſère Caſparus Peucerus, Joh. Jac. Boiſſardus, & Raguſæus, qui, in *Epiſtolis in 8vo*

8vo de divinatione editis, nitidô ſtylô, contra omnem Aſtrologiam divinatricem, Chiromantiam, Phyſiognomiam, Geomantiam, &c. pugnat.

De naturali divinatione primùm dicemus, quæ conſiſtit in animis hominum, 2 per ſigna externa naturalia cognoſcendis, vel in prædicendis eventibus è cauſis naturalibus, vel ſiderum, vel aliorum corporum, qualem paſſim ab imperitis etiam fieri videmus. Ad alteram hanc ſpeciem pertinent, quæ, ex certo Planetarum concurſu ac configuratione, de tempeſtatibus & morbis Epidemicis, prædicuntur. Quô in argumentô verſantur Cornelius Gemma, *in libro de naturæ divinis characteriſmis*, Antonius Mizaldus in *Aëromantiâ*, Paulus Minerva (de quo conſulendus eſt Jul. Cæſ. Capaccius *Lib. 2. Elog. pag. 342.*) *in libro de præſagiendis temporum mutationibus*, & alii, quorum ſuprà mentionem fecimus. Pertinent & huc, quæ, ex avium volatu & garritu, ruſtici obſervant, non quidem omnia contemnenda. Veterum ſuperſtitio latius ſe extendit, quàm magnam partem ab aliquibus etiam hodiè probatam invenias, ac defenſam. Videatur Auguſtinus Niphus *de auguriis.* Spectant & huc Aſtrologi, qui de periodis Regnorum, ac converſionibus gentium, ex aſtris philoſophantur, qui plerumque certant inter ſe mendaciis, ac nil, niſi canoras nugas, proferunt. Quo in genere Comitis de Fliſco *liber de fato* verſatur, in quo magna ſe propalare credit myſteria, ſed futilia omnia ſunt, & nugarum plena. Naturales divinationes de rebus etiam futuris fieri poſſe ab animo, extra ſe quaſi conſtituto, non diffiteor, ſuntque mirabilia ejus rei exempla. Videndus Joh. Franc. Picus Mirandula in *libris de prænotionibus*, & Martinus Schookius in *libro de Ecſtaſi.*

Majorem habent certitudinem, quæ de animis hominum è ſignis externis capiuntur; 3 & hîc quidem præcipuè circa affectus & paſſiones animi indagandas præcipua cura eſſe debet. Quæ quidem doctrina Politico multis modis eſſe uſui poteſt, qui ex animorum inclinationibus judicare de omni actione & commodo poteſt, quid ſibi, vel Reipublicæ, è converſatione exſpectandum. Cujus rei elegans exemplum habemus in *Relatione* Legati cujusdam Veneti *de aulâ Romanâ*, ubi Pontificis, omniumque Cardinalium, inclinationes ac temperamenta, ſtudioſè perſequitur, & perpetuâ collatione, quæ uſui eſſe poſſint Reipublicæ Venetæ, quidve ſingulis exſpectandum, colligit. Hîc inſerviunt libri non pauci, ingenioſè ac eruditè ſcripti, qualis eſt *Examen des ingenios para las ſcientias*; liber Hiſpanicus, ſcriptus à Jano Huarto, in linguam latinam autem converſus ab Æſchatio Majore, ſub titulo: *Scrutinium ingeniorum.* Sed verſio illa vehementer diſcrepat ab Hiſpanico, multa addita ſunt, multa omiſſa. Eſt & egregium Opus Scipionis Claramontii *de conjectandis cujusque moribus & latitantibus animi affectibus*, quod iteratâ editione publicavit Herm. Conringius, qui *incomparabile Opus* vocat, atque in *præfatione* multa utilia in Phyſiognomiæ commendationem diſſerit. Sunt & Auguſtini Maſcardi, Viri elegantiſſimi ingenii, ac Urbani Octavi Cubicularii, *Diſſertationes Romanæ de affectibus, ſive perturbationibus animi, earumque characteribus*, plenæ reconditæ eruditionis, & Ant. Zaræ, Aquilegienſis, *Anatomia Ingeniorum & Scientiarum*, Venet. A. 1615.

in 4. edita. Sunt & à Domino de la Chambre libri de eo argumento conſcripti, *les Characteres des paſſions*, & *l' Art de connoitre les hommes*; qui poſterior liber in linguam Germanicam eſt converſus. Nec ſpernendus eſt Tract. Anglicus Anonymi *off the different wills of men*, id eſt, *de varietate ingeniorum*, excuſus Londini anno 1669. *in 8vo.* De *voce* egit, quæque ex eâ ſigna animi colligi poſſint, prolixô & doctiſſimô librô expoſuit Ludovicus Creſollius, *in vacationibus autumnalibus, ſive de perfectâ oratoris actione & pronunciatione*, Lutetiæ editis A. 1620. *in 4to. Gelotoſcopiam*, ſive *divinationem ex riſu*, Proſp. Aldoriſius, Italus, ſcripſit, à Naudæo *in Bibliogr. Polit.* allegatus, quocum idem fortè tractavit argumentum Ludov. Septalius *in librô de riſu* ineditô. E Veteribus habemus *Phyſiognomica* Ariſtotelis, in quæ elegantem *Commentarium* ſcripſit Camillus Baldus, Italus, qui & alios libellos reliquit *de humanarum propenſionum ex temperamento prænotionibus*, item *de naturalibus ex unguium inſpectione præſagiis*, & *de ratione cognoſcendi mores & qualitates ſcribendis ex ipſius Epiſtolâ, ſive divinatione Epiſtolari*, qui tres Tractatus prodiere Bononiæ A. 1664. *in 4to.* Poſtremus eorum omnium eſt curioſiſſimus, ac jactant, ſi rectè memini, etiam Rabbini quidam talem artem, quâ, ex manu ſcribentis de ingenio hominis præſagia formantur. Quò forte etiam ſpectat M. Aur. Severini *Vaticinator, ſeu Tr. de Divinatione litterali* ineditus, quem, unà cum *Phyſiognomiæ Medicinalis Ideâ*, ei tribuit Laur. Craſſus *P. I Elog. p. 377.* Eſt & inter Veteres aureus liber, Theophraſti *Characteres*, cum aureo Iſaaci Caſauboni *Commetario* editus, quem præcipuè Politicis commendaverim, quorum hominum ingenia noſſe intereſt.

4 Ad naturalem divinationem ſpectat illa etiam Phyſiognomia, quæ, ex membrorum configuratione, de ingenio hominis judicat. De planetariâ poſtmodùm dicemus. Eam eleganter tradidit Honoratus Nicquetius *libris quatuor*, ubi omnia Phyſica congerit, ſeparatis nugis planetariis. Eſt & elegans *Opus Phyſiognomicum* Johannis Baptiſtæ Portæ, in quo præcipuè curioſa eſt vultuum humanorum cum animalium vultibus collatio, quorum aliquam harmoniam deprehendet facilè, qui diligentiùs examinabit. Id verò notandum eſt, editionem Italicam longè eſſe locupletiorem, quàm eſt Latina, Hanoviæ A. 1593. *in 8vo* impreſſa. Ex proportione membrorum oritur etiam quædam divinatio, de quâ libellum eruditum conſcripſit Joh. Sigism. Elsholtzius, cui titulum fecit *Anthropometriæ*, ubi & ſimul de nævis agit, quomodo ſc. ex nævis vultuum, de nævis latentibus in reliquo corpore ferri judicium poſſit. De illo argumento etiam Ludovicus Septalius libellum ſcripſit, uti & Dominus de la Chambre. Elsholtzius ideam ſeu harmoniam nævorum peculiari picturâ ob oculos poſuit. *Anthropoſcopiam Compendiariam* ſcripſit aliquis Andreas Otto, ubi judicia de homine colligit, tàm naturalia, quàm planetaria. Non deſunt, qui etiam divinationes peculiares ex reliquis membris formant, uti ex pectore, ac plantis pedum. *Podoſcopiam* appellant. Ac fuit, qui Anno 19. hujus ſeculi, Pariſiis opuſculum edidit, Cardinali Rupefucaltio dedicatum, *de pedis admirandis*, in quô pedem divinitatis habere notam demonſtrat, cognitionem ejus neceſſariam eſſe, totum eſſe

homi-

hominem, totam hominis animam, rem eſſe ſacram, regulam religionis & nobilitatis, totiusque vitæ noſtræ, proinde valde honorandum, nec quicquam dignitati illius derogare podagram. Autor vocatur Johannes de Artis, teſte Thoma Bartholino *in Epiſtolis Medicis, Centuriâ 3. Epiſtolâ 76. p. 321.*

Perſequemur nunc ceteras Phyſiognomiæ partes, quatenùs principiis naturalibus miſcent ineptias planetarias. Occurrit hîc primò ars divinatrix de *fronte*, quæ μετωποσκοπία vocatur, ac ſolet cum Chiromantiâ, quæ ex manuum inſpectione vaticinatur, conjungi, eademque principia habere. Sunt verò iſtæ artes non planè deſtitutæ veteri aliquâ autoritate, quanquam illa non tanti eſt, ut movere aliquem debeat. Artemidorus, qui *de Inſomniis* eſt commentatus, *de Auguriis* etiam & *Manuum inſpectione* ſcripſit, quos libros Græcè Aldus edidit, Latinè autem à Jano Cornario redditos Frobenius, ex officinâ ſuâ Baſileenſi. Vid. Jacobi Gaddii *Tomum I. de Scriptoribus non Eccleſiaſt. p. 49.* Exſtat inter Hermetis Triſmegiſti ſuppoſititia opuſcula unum, quod agit *de Melomantiâ, ſeu divinatione ex membris humanis*, ubi de Saliſſationibus. Vide Lambec. *lib. 6. Bibliothec. Vindobon. Codice Medico MSto Græco quinquageſimo.* De lineis in manu, certis planetis dicatis, veſtigia ſunt in librô Melampodis, Græci Autoris, περὶ παλμῶν πρὸς Πτολεμαῖον βασιλέα, in quo de *ſaliſſationibus* agit, quomodo vocantur trepidationes membrorum, quod genus peculiare divinationis apud veteres fuit. Illic enim meminit digiti Jovis, Saturni, &c. ſi in illis fortaſſis ſaliſſatio contigerit. De quo genere divinationis vide & Jul. Cæſ. Bulengerum *de Omnibus libro 4. cap. 2.* cujus hîc Autoris mentionem facio, quòd veterum deliria circa omina ſtudioſè colligat, quæ & magna pars divinationis apud antiquos fuit. Ceterùm idem *de totâ divinationis ratione libros VI.* ſcripſit, qui Spicilegia ſunt poſt aliorum accuratiores labores. *Opuſcula* ejus *in fol.* Tomis II. collecta ſunt, ac Lugd. Gall. A. 1621. edita. 5

6 Ut ad Μετωποσκοπίαν redeam, Autores ejus multi ſunt. Edita eſt Gallicâ linguâ Hieron. Cardani Μετωποσκοπία, quam mihi genuinam eſſe vix perſuadeo. Nec edita eſt inter Cardani Opera omnia, à Gabriele Naudæo promulgata. Fuerunt & plures alii ſuperioris ac hujus ſeculi Autores, qui ſimul & *Chiromantias* ſcripſerunt, & Appendicis loco Metopoſcopiam tractarunt. Liber Italicus Spontani *della Metopoſcopia* accuratiùs has nugas tractare videtur. *De Chiromantiâ & Metopoſcopiâ* librum *in folio* conſcripſit Johannes Taiſnierius, quem ſingularem in eâ arte Magiſtrum eſſe dicunt, Naudæus autem, *in Bibliogr. Polit p. 106. 107.* integrum Opus Bartholom. Coclitis plagio ſibi tradit vindicaſſe enormi, de quo etiam Thomaſius, *in Tr. de Plag. Lit. §. 553* poteſt conferri. Quin ea fuit priorum temporum veſania, ut peculiares ejus artis Magiſtri crearentur, ceu videre licet in quibusdam Monachorum eâ de re libris. Exſtat inter vetuſtiores Autores Doctoris Andreæ Henrici *Chyromantia* (uti ipſe Autor inſcribit.) Anno 1538. *in 8vo* edita eſt Johannis Digandri *Chyromantia* (ſimili inſcriptioue per y,) qui ſingularia eâ in arte principia jactat. Rud. Goclenius, Profeſſor Marpurgenſis, itidem edidit *Chiromantiam*, unà cum *Obſer-*

Obſervationibus, per aliquot annos factis. Ex Italis Alex. Achillinus, Bononienſis, Prof. Patavinus, teſte Jac. Gaddio (*T. I. de Script. non Eccleſ. p. 18.*) libro peculiari Chiromantiæ & Phyſiognomiæ probavit principia. Varios Autores prioris & noſtri ſeculi Chiromanticos uno Volumine collegit quidam Joh. Prætorius, quod inſcribit *Theatrum Chiromanticum*, quibus ipſe etiam ſuas adjecit nugas, qui & chartulas luſorias Chiromanticas publicavit. Eſt & aliquis Johannes Kohlmannus, qui Chiromantiæ cum Genethliacâ arte conſenſum ob oculos ponere voluit ſingulari libro, ubi Themata Genethliaca ſemper cum manuum lineis confert.

7 Gallus quidam, M. Johannes Belott, qui ſe Magiſtrum vocat ſcientiarum divinarum & cœleſtium, *Chiromantiam & Phyſiognomiam* ſcripſit, in quibus peculiaria quædam ſunt principia; ſed ille etiam Magicas artes immiſcet, Geomantiam, Onychomantiam, & artem genium familiarem ſibi conciliandi. Liber profanus & impius eſt, nam Onychomantiam ſuam ex Judæorum Urim & Thumim deducit. Unde & Geomantiam Gentilium natam fuiſſe putat Gvilh. Schickardus *in libro de Jure Regio Hebræorum.* Nuper aliquis Philippus May *Chiromantiam Medicam* ſcripſit, quæ Gallicâ Hagæ anno 1665. & Germanicâ linguâ Dresdæ anno 1670. *in 8vo* edita eſt. Is ſingularem jactat ejus artis experientiam, quæ multorum hiſtoriis & relationibus firmatur, quæ ſi veræ ſunt, certè aliud quippiam ſubeſſe videtur, quàm communia iſta principia. Eam verò *Chiromantiam* ad morbos, vulnera & mortem prænunciandam, direxit. Reliqua & *Curioſa*, quam promiſit, quâ illa, quæ ad fortunas hominum ſpectant, tractabit. Multa circa maculas unguium tradit, quarum ſingularem doctrinam inveniſſe vult videri. Quæ de morbis è coloribus oculorum præſagiendis habet, non omninò ſpernenda ſunt. Phyſicas enim rationes habent. Habeo & ejus *Chiromantiam* manuſcriptam Germanicam, quæ ab editâ in multis diſcrepat. *De Unguium maculis* Finellus Italus libellum ſcripſit peculiarem. Quæ ad Omina, Phyſiognomiam & Chiromantiam ſpectant, in Operibus ſuis paſſim tractat Hier. Cardanus, qui mirus fuit talium ineptiarum æſtimator, atque ut ingenio fuit ſummè melancholico, ita finxit ſibi, neſcio, quæ præſagia è vocibus, crepitu januarum atque iſtis minutiis, quibus nonnunquam integras implet paginas.

8 Ad naturalia vaticinia aliquâ etiam ex parte pertinent *ſomnia*, quorum interpretandorum peculiaris inventa ars eſt, quæ ὀνειροκριτικὴ vocatur. Ejus veteres aliquot Autores habemus, inter quos præcipuus eſt Artemidorus, qui linguâ Græcâ doctiſſimè *de Somniis* ſcripſit, additis ubique rationibus, & cum notis Nicol. Rigaltii editus eſt. Scripſit & Syneſius *librum de Somniis Græcè*, quem *Commentario* illuſtravit Hier. Cardanus, in quo adeò diligenter, & cum anxietate quadam conquiſitis rationibus, hanc tradit doctrinam, ac ſi res maximi momenti ageret, & ſubtiliſſimam Philoſophiæ partem tractaret. Qui liber & in Germanicam linguam eſt converſus. De Apomaſare, ſive Achmeto potius, Onirocrita Arabe, vid. Barthium *lib. 31. Adverſ. c. 14.* & ex eo Placcium *de Scr. Pſeudon. p. 150. 151.*

9 Extra hominem omnium artium curioſarum & divinatricium fons & origo eſt Aſtro-

Aſtrologia, Judiciaria ſcilicet, cujus principia à multis ſunt ex profeſſo impugnata Johanne Pico Mirandulâ (cui reſponſum eſt à quodam Lucio Bellantio, de quo, ejusque libro, lege Gaddium *T. I. pag. 91.*) Hieronymo Savanarolâ, Tobiâ Wagnero, Pet. Gaſſendo (*in Philoſophiâ Epicuri*,) carptim verò à plurimis aliis. Illa verò non omnis improbanda eſt, ut faciunt aliqui, quorum rigor mihi non placet. Cl. Salmaſius, *in libro de annis Climactericis, etiam antiquâ Aſtrologiâ*, nugatoriis argumentis omnium aſtrorum vim Phyſicam etiam tollit. Multi offenduntur principiis, nec autoritate, nec ratione, demonſtratis, diviſione ſc. domuum cœleſtium, de quibus ego ita ſentio: rejici illa non poſſe, ſi experientia confirmet, (ut confirmat ſæpe in effectis naturalibus,) ſed accipienda eſſe, ſive à primi ſeculi hominibus, experientiâ notata, ſive revelatione excepta, ad poſteros per traditionem longævam devenerunt. Eſſe enim quosdam influxus, præcipuè ſolis & lunæ, ratione morborum & vitæ, deprehendere manifeſtò poſſumus, & eſſet profectò homo ineptiſſimus, qui tàm vaſtis corporibus aliquod effluviorum commercium negare vellet. Quare, cùm vitæ noſtræ & ingenii anguſtia, & corporum iſtorum diſtantia, prohibeant, quò minùs obſervare effectus illos poſſimus, ſaltem accipiamus tantiſper, quæ nobis tradita ſunt à majoribus, hominibus non tàm abſurdis, exploremusque per experientiam earum veritatem, quæ ſi conſpiret, de principiis diſputare res erit inutilis.

Aſtrologiam, non ſolùm *naturalem*, ſed & *Genethliacam* quæ circa fortunas 10
hominum verſatur, diffuſò librô vindicare eſt molitus Joh. Bapt. Morinus, Gallus, qui ſpeciatim contra Gaſſendum eam defendit, & quidem omnium doctiſſimè & philoſophicè (quantum tamen res ipſa permittit,) de principiis hujus artis eſt commentatus. Eſt & Anglus aliquis, *Johannes Heydon*, inſignis nugator, qui rationibus philoſophicis, ſed plurimam partèm vanis & Cabaliſticis, planetarum & fixarum ſtellarum influxum probare voluit. Placidus de Titis quoque *Diſſertationem Phyſico-Mathematicam de Aſtrologiâ* ſcripſit, in quâ omnes influxus ad lucem refert, multisque argumentis probare nititur, effectus tales in corporibus naturalibus provenire poſſe à luce in corporibus cœleſtibus, affectionibus iſtorum imprægnata.

Ceterùm librorum, qui ad Aſtrologiam Genethliacam pertinent, magnus eſt 11
numerus, quos omnes recenſere non licet. Judicia de Aſtrologis & Aſtrologiâ judiciariâ congeſſit peculiari libro *Henricus Ranzovius*, qui & aliô ſcriptô omnem illam artem divinatricem in compendium redegit, è variis Autoribus, tàm antiquis, quàm recentioribus. Inter Antiquiores præter Petoſiris, Philoſophi Ægyptii, *Epiſt. Aſtrologicam ad Nechepſin Regem* (de quâ Lambecius *L. 6. Comm. de Biblioth. Vindob. p. 94.* & Otto Heurnius, *in Chaldaicis pag. 47.* conſulendi,) Ptolomæi ſunt ſcripta, quem paſſim omnes Arabes ſequuntur, qui in iſto divinationis genere admodùm fuere curioſi & ſuperſtitioſi. Complura talia Manuſcripta Arabica recenſet Chriſt. Ravius *in ſpolio orientis*, ſuntque etiam nonnulla in latinam linguam converſa. Exſtat & Procli Diadochi *Paraphraſis in quadripartitum Ptolomæi de ſiderum affectionibus*, à Leone Allatio in Latinam linguam converſa, Lugdunique Bat. A. 1635. *in 8.* edita. Inter Latinos Poëtas Manilius *Aſtronomica* ſcripſit, in quem exſtant luculenta Joſ. Scaligeri

ligeri *Commentaria.* Inter Recentiores Johannes Schonerus, Cypr. Leovitius, Dav. Origamus, præcepta iſta divinatoria prolixè congeſſerunt, præter multos alios, quorum nomina recitare ſuperſedeo.

12 Ex iſtâ doctrinâ influxuum cœleſtium, tanquam fertiliſſimâ ſegete, orta ſunt pleraque omnium artium divinatricium genera, inter quas prima eſt vaticinandi ex imaginibus ſculptis, iisque in Medicinâ utendi ad profligandos morbos, ad animalia abigenda, vel congreganda, ſecuritatem loco præſtandam, corpus contra ictus muniendum, & victoriam obtinendam. Tales imagines vocatæ fuerunt *Talisman*, & inſculptæ potiſſimum gemmis vel metallis, quorum occultam aliquam cum aſtris fingunt ſympathiam, cujus rationem tradit Conſtantinus Albinus *in Magiâ Aſtrologicâ*, libro Pariſiis A. 1611. impreſſo, ubi & illa ſigilla ac imagines deſcribit. Henr. Cornelius Agrippa, in profano Opere *de occultâ Philoſophiâ*, præcipua, quæ ad illam rem ſpectant, complexus eſt. Præ ceteris verò, & ex profeſſo doctrinam illam Talismanicam defendendam ſuſcepit Jac. Gaffarellus *in curioſitatibus* ſuis *inauditis*, libro gallicè ſcripto, ubi ex ipſis etiam S. literis, Rabbinorum Commentariis, omniumque gentium conſenſu, earum adſtruere veritatem laborat, in eamque rem abutitur *Urim & Thumim*, quorum in Sacris mentio fit, de quibus elegantem Diſſertationem conſcripſit Joh. Spencerus Anglus, Cantabrigiæ A. 1669. *in 8.* editam. Ex Gaffarello pleraque transſcripſit Athan. Kircherus in *Oedipum* ſuum *Ægyptiacum.* Multa contra Talismanicas illas imagines diſputat Gabriel Naudæus, *in librô de ſtudio militari*, occaſione artis iſtius, quâ corpus humanum adverſus ictus munitur, quam ille totam negat, &, ut vaniſſimorum hominum commentum, explodit. Refertur & in *vitâ* Joh. Bapt. Morini, quæ *Aſtrologiæ* ejus *Gallicæ* præmittitur, de *gladio Guſtavi Adolphi*, R. Sveciæ, quod iisdem ſignis Talismanicis fuerit inſignitus, qui demum in manus Morini inciderit, cui ille tàm fortia facta adſcribere non veretur. Quod ego quidem credere non auſim; puto enim, potiùs ſubornatum eſſe aliquem, qui id venditaret, ut invidiam aliquam Guſtaphi Adolphi nomini contraheret.

13 Ex iſtâ doctrinâ derivandi influxus cœleſtes in corpora naturalia & artificialia prodiit fœcundo agmine omnis doctrina Magica. Præſuppoſito enim iſto principio, nihil jam poterat fingi, vel concipi, quod non ex eo regulas aliquas haberet. Hinc nata primùm eſt *Geomantia*, in qua è certo punctorum numero, convenienti loco poſitorum, divinatio quædam de rebus contingentibus inſtituitur. Fuerunt, qui artem hanc probârunt, Viri aliàs non omninò contemnendi, inter quos Rob. Fluddius, Henr. Corn. Agrippa, ac alii nonnulli. Gvilhelmi de Morbeca, Clementis IV. Papæ, Pœnitentiarii, Monachi Dominicani, qui Procli Inſtitutiones Theologiæ Platonicæ Latinè vertit, *liber de Arte Geomanticâ* in Biblioth. Cæſareâ MStus reperitur. Vid. Lambecii *Lib. 3. de Biblioth. Vindob. in Append. Additam 7.* Eſt quidam, qui Gallicâ linguâ plenum Opus eô de argumentô conſcripſit, cujus nomen jam non ſuccurrit. Latinè prodiit *Opus Geomantiæ completum* in tres libros diſtinctum, quorum primus Geomantiam Theoreticam, ſecundus Praxin, tertius varias è diverſis Autoribus decerptas quæſtiones, continet, à *Medico quodam Neoterico* Anonymo (ita enim

ſe

ſe vocat,) conſcriptum. Ex eo principio ſunt Quæſtiones illæ, ad quas reſponſio per jactum cuberum expeti ſolet. Solent verò illi confici ex omnibus metallis, variè inter ſe miſtis, ac numeri ad certas conſtellationes inſculpi. Chinenſes aliam habent Geomantiæ ſpeciem, quæ Phyſica eſt, ac quodammodò defendi poteſt. Quemadmodum enim è lineamentis externis de ingenio hominis judicatur, ita illi, ex figurâ terræ, de ingenio atque naturâ regionis, omniumque incolarum, judicant, quâ de re vide Kircherum *in China illuſtrata.* Illud verò habet aliquid de vero. Facit enim ad temperamentum hominis loci conſtitutio, ſive is montanus ſit, ſive in planitie, ſive in locis paludoſis, ſive arenoſis ac metalliferis. Ex qualitate enim ſoli variat natura ciborum, ex naturâ cibi temperamenta, è temperamentis inclinationes hominum. Hinc in locis montanis ſolent habitare homines aſperi, in locis paludoſis homines ſtupidi, in locis arenoſis & calidis ingenioſi.

Alia divinationum genera ſunt, quæ recenſere nihil attinet, cùm apertam Ma- 14
giam præ ſe ferant. Hinc conjuratio ſpirituum per Imagines & numeros, de quâ Henr. Corn. Agrippa *in libris de Occultâ Philoſophiâ*, & Johannes Heydon in libro, cui titulus: *The Roſie Crucian infallible Axiomata.* Numerorum doctrinam, ac Magiam, quæ per eos exerceri ſolet, deſcripſit Petrus Bungus peculiari *libro in 4to de Myſterio Numerorum.* Huc quoque ſpectat ars cognoſcendi Genium ſuum familiarem è Themate Natalitio, de quâ nonnemo ſcripſit, cujus nomen mihi nunc excidit. Alias divinationum ſpecies, earumque principia, tradidit Rob. Fluddius in *Operibus* ſuis.

Dicenda etiam quædam ſunt *de Magiâ Illicitâ*, ſive *Dæmoniacâ*, quæ exercetur 15
per pactum cum Dæmone & ſpiritibus, idque vel explicitum, vel implicitum. Ad noſcendum itaque omne genus iſtarum nequitiarum conferent *Diſquiſitiones Magicæ* Mart. Delrii, *Dæmonologia* Franc. de Torreblanca, ac Joh. Wieri *Lib. VI. de Præſtigiis Dæmonum.* Ac eſt profectò diligentiùs inquirendum in omne illud commercium Dæmoniacum, quia nunc ſunt homines adeò perfrictæ frontis, ut negent omne illud, & ipſos etiam ſpiritus malignos. Exſtant certè ejus generis libri quidam, qui multis argumentis ea omnia in dubium vocant. Talis eſt liber *in folio* ſcriptus Anglicâ linguâ à *Reginaldo Scoto*, in quo plurima occurrunt contra Magiæ exiſtentiam argumenta. Eſt ille etiam in Belgicam linguam converſus, ſub titulo: Ondecking van Tóvery. Sed plenior Editio eſt ultima Anglica. Eſt & quidam *Abrahamus Paling*, qui librum ſimilem Belgicâ linguâ conſcripſit, Amſtelodami anno 1659. *in 8vo* editum. Anglus inſuper aliquis Anonymus exiguo libello, quæcunque impugnare veritatem Magiæ poſſunt, collegit, omneque negotium conventionis cum Dæmone pro ficto habet, cui ab alio itidem Anonymo, reſponſum eſt. Scripſit contra hos Novatores Henricus Morus (is enim Autor eſſe videtur,) libellum Anglicâ linguâ, cui titulus: *Philoſophical Conſiderations about Witchrafft*, in quô omnia argumenta, quæ ab iis in medium produci ſolent, refutat doctiſſimè, adjectâ ſimul hiſtoriâ de Dæmonis apparitionibus, alicubi in Angliâ factis. In eodem argumento verſatur etiam Mericus Caſaubonus, Iſaaci Filius, qui in libro: *Off credulity and incretulity in things divine & ſpiritual*, operoſè congerit omnia, quæ de ſagis & incan-

tationibus habentur, adductis paſſim hiſtoriis, undique excerptis & collectis. Edidit item Autor *Diarium colloquii*, inter aliquos ſpiritus, & Edv. Kelleum ac Johannem Deê, inſtituti, *in folio*, eum in finem, ut convinceret Atheos, converſationem iſtam Dæmoniacam ducentes pro nihilo. Denique quàm diligentiſſime, quicquid ad hoc argumentum pertinet, congeſſit Ericus Mauritius *in Diſſertatione* ſuâ de *Denunciatione Sagarum*, Gallicis etiam Ephemeridum Scriptoribus, *Ephem. XLI. A 1666. p. 557. & ſeqq.* eam ob cauſam, laudata. *De Conventibus Sagarum* videatur Diſſertatio Gotfr. Vogtii *in Deliciis ſuis, Phyſicis.* Videantur etiam JCti; qui Tractatus de Sagis ſcripſerunt, ubi multæ ſolent occurrere de hôc negotiô hiſtoriæ Addantur & illi Autores, qui de Spiritibus, Praſtigiis Dæmonum & Lamiis, ſcripſerunt. Ioh. Wierus, Georgius Pictorius, Pet Thyreus, Nicol. Remigius, Franc. de Torre-Blanca, & Petrus de Lirres, qui Gallicâ linguâ quàm pleniſſimè de Spectris, viſionibus, Sagarum transformationibus, agit.

16 Commodè hîc incidit divinatio, quæ circa ſagas inſtituitur per aquam, quæ ſolet admitti, deficientibus aliis mediis & probationibus, ſed quàm multi tamen rejiciunt, ac, ut ſuperſtitioſam, damnant. Eſt verò iſta ratio probandi admodùm antiqua, ſoletque *judicium divinum* vocari. *Ordalium*, à Germanicâ voce Orde-Herr/ Seculi Barbari Scriptores appellant. Talis quoque fuit probatio per ferrum candens per prunas, per panem vel caſeum conſecratum, quod Chorſchund dicitur. De his judiciis Dei, contra quæ S. Agobardus Tractatum ſcripſit, multa notarunt eruditiſſima Henricus Spelmannus *in Archælogiâ* ſuâ, ſeu *Gloſſario*, & Iohannes Seldenus *in Notis ad Chronicon aliquod antiquum Anglicum.* Res verò illa mirabilis eſt, nec deſunt multæ hiſtoriæ veritatis his modis exploratæ apud antiquos Chriſtianos, ac videtur vel in ipſis ſacris literis ſimile quid injungi de adulterâ, per aquæ amaræ potum dignoſcendâ. Non eſt dubium, hinc quoque originem eſſe probationis per aquam in ſagis, quam cùm penè omnes, tàm ICti, quàm Theologi, ut rem temerariam, damnent, probat tamen Herm. Conringius *in Diſputatione de Judiciis*, argumentis quidem non usque adeò ſtringentibus, & à generali Dei circa judicia & veritatem providentiâ petitis, uti & ab hiſtoriis ejuſmodi probationum. Ac dicitur ille ſingularem librum, pro defenſione hujus probationis, eſſe molitus. Sunt & apud Indos Orientales ſimiles modi explorandi, *an quis rectè juraverit, an verò perjurium fecerit*, quos notavit Phil. Baldæus *in libro* van de Indianiſche Affgôdery; qui additur *Deſcriptioni Zeilaniæ* & *Malabariæ.* Ollam ſcilicet habent butyro ferventem plenam (butyrum enim illis, ut omnia, quæ à vaccâ proveniunt, res ſacra eſt,) cui ſi quis impunè digitos immiſerit, rectè juraſſe cenſetur. Alius etiam illis modus eſt: Condunt ſerpentes, unà cum pomis aureis in vaſe aliquo, unde ſi quis pomum extraxerit à ſerpente illæſus, rectè itidem jurâſſe cenſetur.

17 Ad Magiam iſtam Diabolicam, quæ exercetur per pactum cum Dæmone, pertinet etiam, cùm per certos characteres, ſymbola & ſigna, quæ vel expliciti, vel impliciti argumenta ſunt pacti, mirabiles effectus producuntur in naturâ, quanquam etiam hîc peccetur nonnunquam ex ſuperſtitione potiùs, quàm malitiâ. Huc pertinent curationes iſtæ

ſtæ per tactus, inſufflationes, carmina, inſputationes, quibus interdum aliquid etiam naturale ſubeſſe poteſt. Noti eo nomine ſunt in Hiſpaniâ, qui dicuntur *Enſalmadores*, à canendo ita dicti, vel ut *Salutatores*, de quibus integrum aliquis Tractatum ſcripſit. Vide & Theoph. Raynaudum *in libro de Stigmatiſmo ſacro & profano* (ubi, ut hoc obiter addam, curioſa exſtat diſquiſitio de ſtigmatibus magicis, ſive à Dæmone impreſſis, quæ ſolent, inter argumenta pacti, cum Dæmone initi, recenſeri,) Joh. Jac. Boiſſardum *in libro de divinatione & Magicis præſtigiis, cap. 11.* & Caſp. de Reyes *in Campo Elyſio jucundarum Quæſtionum, quæſt. 24.* Simile quid refert Antonius Bietus *in Itinerario verſus Franciam Æquinoctialem lib. 3. c. 12.* de morbis per inſufflationem curatis; Caſp. Barlæus autem *in Deſcriptione rerum, ſub Mauritio geſtarum in Braſiliâ pag. 204.* de morbis per ſuctionem à Braſilianis ſublatis. De Curatione per Carmina jam apud Homerum mentio fit, unde & *Homerica curatio* dicitur, de quâ integrum libellum Galenus ſcripſit. Quam ſtultitiam doctiſſimè refutavit Gabriel Naudæus *in libro de Studio Militari.* Videatur & Ol. Borrichius *in Diſſertatione de Cabalâ Characterali.* Solent & certæ quædam voces adhiberi, pro veneno ſerpentum mitigando, pro morſibus eorum ſanandis, aut iis in unum locum convocandis, quâ de re vide Bochartum *in Hierozoico, parte 2. libro 3. cap. 6.* ubi prolixè de omni iſtâ incantatione ſerpentum agit, & Joh. Pet. Lotichium *in Commentario in Petronium.* Sed illud fortè ſibilo adſcribi poteſt, quo utuntur iſti incantatores. Talis Codex MS. antiquus *de Viperarum generibus, & modis incantandi variis*, in Biblioth. Cæſareâ Vindobonenſi reperitur, teſte Lambecio *T. 6. Comm. de illâ p. 145.* Confer etiam Caramuelem *in Apparatu Philoſophico*, in quô multa de Magiâ verbali, multa etiam de aliis divinationum ſpeciebus, accuratè ſunt conquiſita. Solent & Judæi hîc eſſe ſagaces, qui, neſcio, quæ miracula à Cabalâ ſuâ exſpectant, de quâ vide Joh. Reuchlinum peculiari *libro*, & Claudium Duretum *in Hiſtoriâ Univerſali omnium linguarum*, Gallicè ſcriptâ, in quâ multa habentur de divinationibus per nomina, &c.

Spectant & huc Dæmones illi Familiares, quibus utuntur nequam homines, ut opibus, ſcientiâ vel dignitate, ceteros antecellant, ſuntque, qui nequitiæ iſtius præcepta tradere non verentur, quomodo ſcilicet talis ſpiritus advocandus ſit. Exemplum quoque Socratis ſequi ſe in illâ re putant, qui de Dæmoniô ſuô multa jactavit. Jactavit id ipſum *Hieronymus Cardanus*, quod Gabriel Naudæus, *in vitâ ipſius*, Melancholico ejus ingenio tribuit. Fuit enim homo, mirè deditus ominibus ac oſtentis. Cùm crepuêre fores, cùm audita vox aliqua eſt, ſtatim illud Genio ſuo adſcripſit. Fuerunt & alii, qui, ut gloriam aliquam ſingularis ſcientiæ ſibi quærerent, tale quid finxerunt. Fuerunt etiam, quos ſingularis quædam excellentia ingenii in Magiæ ſuſpicionem apud imperitos homines adduxit, quos defendit eruditiſſimo libro, Gallicè ſcripto, Gabriel Naudæus. *De vanitate Magiæ* Petrus Borellus librum ſe parare dicit, *in Obſervationibus* ſuis, in quo omnia illa, quæ vulgò oſtenta credi ſolent, ad naturales cauſas ſit reducturus. Sed ab iſto homine, ut apparet, exigui judicii nihil adeò præclari exſpectari poteſt. 18

D. G. MORHOFI
POLYHISTORIS
TOMI II.
SIVE
POLYHISTORIS
PHILOSOPHICI,
LIBER IV.
SIVE
POLYHISTOR MATHEMATICUS.

§. 1. PHyſicæ & Matheſeos cognatio. Hiſtoriæ Mathematicorum Literariæ Scriptores, Joſ. Blancanus, Hugo Sempilius, Gerh. Joh. Voſſius, Joh. Bapt. Ricciolus. 2. Nomenclatores Hiſtorici, Geographorum, Chronologorum, Muſicorum, Dan. Pauli Catal. Mapparum Geographicarum. 3. Scriptores Encyclopædiarum, curſuum & Miſcellaneorum Mathematicorum. 4. Hier. Vitalis Lexicon Mathematicum, *& Joh. Micrælii* Philoſophicum. *Cenſura de Lexicis diſciplinarum. 5. Scriptores Arithmeticæ, Pythagoreorum myſticæ, vulgaris, & ſubtilioris Logarithmicæ, Algebræ item à Carteſianis præcipuè excultæ, computationumque (de quibus cenſura additur) Joh. Neperi per Bacillos, & Boulweri per digitos, ac practicæ tandem Italicæ. 6. Inter Geometras veteres excellit Euclides, inter Commentatores ejus Chr. Clavius, Joh. Dee & J. Alph. Borellus, inter modernos Angli, & Joh. præſertim Walliſius, à Thom. Hobbeſio infeliciter impugnatus. Compendiorum & Problematum Geometr. Scriptores præcipui. 7. Geodæſia à Germanis, Ars Fortificatoria* ab

ab iiſdem, Belgis, Italis, Galliſque, exculta. 8. In Aſtronomiâ Joh. Bapt. Riccioli Almageſtum *commendatur. Scriptores de Syſtematis Aſtronomicis, Dan. Lipſtorpius, Ant. Deuſingius &c. novorumque Inventores, Nauta quidam Batavus & Otto à Gvericke. Laus Joh. Hevelii, operumque ejus Aſtronomicorum, nec non Compendiorum Joh. Kepleri, Gulh. Blaeu & Æg. Strauchii. Poetæ Aſtronomi Manilius & Georg. Buchananus. Chr. Hugenii* Syſtema Saturninum. *Gnomonica à Joh. Caramuele à Lobkowiz tradita. 9. Scriptores Optici potiores, tùm Generales (inter quos Rog. Baco, Ath. Kircherus, Joh. Chriſtoph. Kolhanſius, Hon. Fabri, Ambr. Rhodius & Ren. Carteſius, commendantur,) tùm Speciales de refractionibus, obſervatt. Microſcopicis & Perſpectiva. 10. Scriptores Muſici, tùm veteres, à Marco Meibomio editi, tùm è recenti. Ath. Kircherus, Mar. Merſennus, Hon. Fabri. Acuſtica Pars eſt Muſicæ. 11. Geographiæ diviſio, & à Coſmographiâ differentia. In generali ſufficit Bernh. Varenius. Geographi Univerſales, è quibus Sanſonius præcipue commendatur. Geographi veteres, Ptolomæus, Stephanus (cujus editores & commentatores recenſentur,) Pomp. Mela. Lucæ Holſtenii Affectum Geographorum Græcorum Syntagma. 12. Scriptores de Mappis Geographicis conficiendis. Artificia inepta Geographiam per chartulas Luſorias, aleamque Konigii, addiſcendi, exploduntur. Scriptores Chorographici, Topographici & Hydropraphici potiores, judiciaque de iis, ac Georg. Hornii* Geographiâ Antiquâ. *13. Commendantur Itineraria (quorum recenſum Autor deſiderat hiſtoricum,) præcipue ἐξοχώτερα illa Petri della Valle, Monconyſii, Thom. Herberti, & volumina ex iis ab Arn. Montano, Eraſmo Franciſci, & J. Chr. Becmanno, congeſta. 14. Ad Tabulas Geographicas, illarumque errores, reditur, ac Sanſonianæ, Blavianæ & Wittianæ, cæteris præferuntur. 15. Staticæ (quam Medicinæ applicuit Sanctor Sanctorius,) eique cognatæ doctrinæ de Motu Mechanicæ (cui Principia modernorum Phyſica innituntur, Horologiographiæ item, Pnevmaticæ & Hydraulicæ, Scriptores præcipui, antiqui & recentiores. 16. Artium Gymnaſticarum, Luctatoriæ, Funambulatoriæ, Gladiatoriæ, Natatoriæ, &c. uti & Mechanicarum, Scriptores. 17. Ars volandi à Rog. Bacone, Beſnerio, Franc. Lana, & Paulo Gvidotto Burgheſio, propoſita aut jactata.*

SUbjungimus Phyſicis MATHEMATICOS. Vehementer enim inter ſe conſpirant Phyſica & Matheſis, alteraque alterius opem poſcit. Nunc quidem prout exculta eſt Philoſophia naturalis, cœcus eſt, qui ſine Matheſi in illâ quicquam ſuſcepturus ſit. Quandoquidem verò de Scriptoribus Mathematicis, integri ſunt libri conſcripti, qui illorum Catalogum Operaque exhibent, inutilis labor eſſet, ſingulis diſciplinis & Auctoribus immorari, atque adeò ab ovo omnia repetere. Nam, ſi Autores, qui ſic ſatis diligenter verſati ſunt in hoc argumento, ad manus ſint, 1

ſint, non opus eſt novâ recenſione, niſi quod prioribus ſubnecti poſſint, qui poſt Veteres illos quicquam in hoc argumento tractarunt. Scripſit Joſephus Blancanus, *Mathematicorum Chronologiam*, ab orbe conditô, usque ad ſua tempora, Bononiæ anno 1625. *in 4to* editam, additamque *Explicationi locorum Mathematicorum Ariſtotelis, ex univerſis ipſius Operibus collectorum.* Meminit Labbæus *in Bibliothecâ Bibliothecarum* Hugonis Sempilii, & Andr. Stiborii, qui de eôdem argumento *libros* ſcripſere, quos hactenus non vidi. Quàm luculentiſſimè tractavit, ad ſua usque tempora, hoc argumentum Gerh. Joh. Vossius *in libro de univerſæ Matheſeos naturâ & conſtitutione*, quem à primis usque temporibus ad ſua deduxit, elegans ſane Opus, & quod perfectam ſuppeditat hiſtoriam ortæ & auctæ, per temporum intervalla, Matheſeos. Deſinit autem ille circa annum hujus ſeculi 50. circiter, ideoque, qui poſt illud tempus quædam in lucem ediderunt, illis ſubjungendi ſunt. Ac ſuppleri hiſtoria illa quadantenus poteſt ex Joh. Bapt. Ricciolo, qui in pleniſſimo illo Aſtronomico opere, quod *Almageſtum* inſcribit, duplex habet *Chronicon Aſtronomorum, ſive Aſtrologorum, Coſmographorum ac Polyhiſtorum, qui Aſtronomica, vel Coſmographica, propiùs attigerunt.* Hujus prior pars, ordine temporum conſtructa, ſuccinctè Auctores enumerat, poſterior autem, ordine exhibet Alphabeticô pleniorem Autorum cognitionem, tàm ratione doctrinæ, quàm ratione vitæ. Quanquam etiam non omnes Mathematicos, ut titulus habet, hic recenſeat, maximam tamen eorum enumerat partem, ut inter generales Scriptores meritò illi locus concedatur, qui præter Mathematicos etiam Phyſicorum recentiorum Catalogos ſuppeditat. Abſoluta certè hîc Aſtronomorum & Aſtrologorum hiſtoria legitur, ut facilè carere poſſimus laboribus Henr. Brucæi, Henr. Ranzovii & Jac. Ryffii, qui itidem in Aſtrologis commemorandis occupati fuerunt.

2 Scriptæ ſunt & Bibliothecæ ſpecialiorum diſciplinarum Mathematicarum. *Geographicam* edidit Antonius de Leone Pinello linguâ Hiſpanicâ, quâ rei nauticæ Scriptores diligenter recenſentur. Ejus meminit Labbæus *in Bibliothecâ Bibliothecarum.* Martinus Zeilerus *Chronologorum & Geographorum hiſtoriam* totam ferè è Voſſio exſcripſit, ſed addidit tamen recentiores nonnullos Autores. De antiquis Geographis videndus eſt Joh. Wouwerius, *Polymath. c. 13.* Ad generalem Geographiæ cognitionem pertinet quoque Tabularum Geographicarum notitia, cui non contemnendam, quanquam imperfectam operam, impendit Simon Pauli, Bibliopola, *in Catalogo Mapparum* ſecundum terras & regiones diſpoſitarum, ſpatio vacuo relicto, quo referri poſſint, ſi quæ ſunt ab illo neglectæ, ut ſunt ſanè plurimæ. Rectius verò ſe haberet res, ſi ab eximiô quodam Mathematicô & Geographô labor ille ſuſceptus fuiſſet, qui accuratiorem inſtituere potuiſſet delectum, ac rectius de ſingulis formaſſet judicium. De Muſicis veteribus aliqua ſcripſit Joh. Meurſius *in Prolegomenis Notarum ſuper antiquos Muſicæ Scriptores.* Legi quoque de iis poteſt Marcus Meibomius *in præfatione Muſicorum*, abs ſe editorum. Gallicos rerum Mathematicarum Scriptores recenſet Sorellus *in Bibliothecâ* ſuâ *Gallicâ.*

Ad

Ad generales Mathematum Scriptores pertinent etiam, qui Encyclopædias Mathematicas ſcripſerunt, quales habemus plurimos. Notiſſimus eſt Ioh. Henr. Alſtedii libellus, qui inſcribitur: *Admiranda Mathematica*, ſed qui ſumma tantùm tradit principia. Joh. Jac. Heinlini *Synopſis Mathematica* non contemnenda eſt. Plenior autem eſt Caſparis Schotti *Curſus Mathematicus*, *in fol.* editus Herbipoli anno 1661. Spectant hùc omnes illi Autores, qui Miſcellanea Mathematica ſcripſerunt, Marius Bettinus *in Apiario Mathematico*, Bononiæ *in fol.* (cui multa ſublegit Kircherus in Opticis præcipuè) Dan. Sventerus *in Deliciis Mathematicis*, Georg. Phil. Harsdörfferus, *in Continuatione earum*, ac ſimiles Autores, quorum non pauci tùm Gallicâ, tùm Belgicâ linguâ, prodierunt. 3

Referendi quoque hùc ſunt Lexicorum Scriptores, quale eſt Hieron. Vitalis *Lexicon Mathematicum*, *in 8vo maj.* Bononiæ editum, quô terminos omnes Mathematicos, quâcunque in diſciplinâ occurrentes, explicat. Fecit & illud ſic ſatis diligenter Joh. Micrælius *in Lexico ſuo Philoſophico.* Sed diſplicet mihi, neſcio quomodo, omnis illa in diſciplinis *Lexicographia*, niſi fortè memoriæ cauſâ talis labor commendandus ſit. Tyronibus enim eâ Methodo ſcientias proponere non eſt conſultum, ac planè ἀμέθοδον, ſcientibus vero inutile. De Geographicis Lexicis agemus, ubi de Geographis. 4

Arithmetica primum locum occupant in Matheſi. De iis inter veteres ſcripſerunt Nicomachus, in quem extat *Commentarius* Jamblichi, Arnhemiæ anno 1668. *in 4to* editus, cum *Notis* Samuelis Tennulii: ſed ille perſequitur multa de numeris ex Pythagoricâ doctrinâ, multa abſtruſa continente, quæ non tàm ſpectant ad Mathematica, quàm ad neſcio quos reconditos magicoſque ſenſus. Quam doctrinam J. Meurſius *in Denario ſuo Pythagorico*, & Petrus Bungius *in libro de myſteriis numerorum*, tradiderunt quadantenus. E veteribus perſequutus eſt Arithmeticam vulgarem Euclides; inter recentiores Pet. Ramus, Pet. Laurembergius, Gerh. Neuville, *Inſtitutiones* ſcripſère. Nec ſpernenda eſt Joh. Micrælii *Arithmetica methodo Erotematicâ digeſta.* Subtiliores Arithmeticæ ſpecies, ut *Logiſticam* & *Logarithmicam*, Petrus Crügerus, & alii, ſingularibus libris tradiderunt. Verſantur illæ circa ſtellarum computationes, praxinque earum Joh. Placentinus *in Uranotomiâ ſuâ* demonſtrabit. Conferri quoque poteſt Caſp. Schottus *in Curſu Mathematico*, & Autores, qui Tabulas Sinuum tangentium & ſecantium ediderunt. *Algebram*, Arabici inventi doctrinam, noſtro tempore illuſtrarunt Viri doctiſſimi, quos inter ap. Germanos Mich. Stifelius præ ceteris commendatur. *Iſagogen in artem Analyticam*, *ſive Algebram novam*, ſcripſit Franciſcus Vieta. Franciſcus quoque à Schoten & Florimundus de Beaune commentati in illam doctrinam ſunt, quatenus Geometriæ inſervit. Carteſius enim *Geometriam* Gallicè edidit, ſuper principiis Algebraicis fundatam, quam in linguam Latinam converſam, ediderunt illi, cum Commentariis ſuis Lugd. Batavorum anno 1649. *in 4to.* Excogitati à nonnullis ſunt peculiares computandi modi, quibus compendium aliquod laborioſæ ſupputationis inire voluerunt, cùm tamen illis, 5

quanquam ingenioſis, difficilior hæc doctrina reddatur. Fuit *Joh. Nepperus*, Scotus, qui modum invenit computandi per Bacillos, qui *virgulæ Nepperianæ* vulgò dicuntur. Ejus rei rationem ipſe ſingulari libro, *in fol.* ſcripto, operosè propoſuit, ex quo Epitomen confecit *Benjamin Urſinus*, Mathematicus Electoris Brandenburgici, Germanicâ linguâ Berolini anno 1623. *in 4to* editam: ſed tanti illa res non eſt, ut iſtô cum apparatu tradi mereatur: Facilè carere virgulis iſtis poteſt, qui ipſius artis principia rectè perdidicit. Rectius talia è manibus ejicientur juventutis, cui impedimenta ſunt exercendi ingenii, quod expeditius labore ſuo fungetur, ſi naturali methodo ac ductui relinquatur. Similis eſt ratio ſupputandi *per digitos*, libro ſingulari à *Boulwero* Anglo tradita, è quo aliqua Georg. Phil. Harsdörferus *in Secretario Germanico*, & *Deliciis* quoque, ni fallor, *Mathematicis*, exſcripſit. Longè eſt felicius Practicæ Italicæ ſubſidium, de quo apud Italos & Germanos nonnullos Scriptores plenius agitur. Compendium ejus videri poterit ap. Caſp. Schottum *in Curſu ſuo Mathematico.*

6 In *Geometricis* habemus ex antiquioribus Euclidem, cujus variæ prodierunt editiones, ſed quæ cum Chriſtophori Clavii *Commentarus* prodiit, optima hactenus eſt; nam luculentæ illic habentur demonſtrationes. Edita eſt Coloniæ *in 8vo Maj.* & cum ceteris ejus Operibus *in fol.* Scripſit & Anglus aliquis, Johannes Deê, *Commentarium* in illum, qui magnô in pretiô eſt apud Anglos ipſos. Apud Italos Joſ. Alphonſus Borellus, Vir doctiſſimus, ſcripſit *Euclidem reſtitutum*, qui ipſum in ordinem redigit, & novas quasdam demonſtrationes meliori methodo, quàm Euclides ipſe fecerat, ſuppeditat. Autor in magno pretio eſt apud Viros doctos, ob varia ſcripta Phyſica, quæ Mathematicis principiis pleraque fundantur. Nunc ap. Anglos ſtudium illud præ ceteris floret, & quidem *Joh. Walliſius* non pauca invenit ipſe nova, quæ magno faſtu primùm refutare conatus eſt Thom. Hobbeſius. Verum ita is vindicavit nominis ſui famam, ut Hobbeſium quidem errorum ſuorum pudere debeat. Compendii Geometriæ non contemnendi vice fungi poſſunt Joh. à Felden *Elementa*, in quibus Problemata Geometrica, ſed absque figuris, propoſuit, nec non Joach. Jungii *Geometria Empirica.* Varii ſunt Autores miſcellanei, qui problemata Geometrica ſcripſêre, ut Dan. Sventerus, Wilib. Schnellius, Marius Bettinus, Caſp. Schottus in variis ſcriptis ſuis, præprimis in *Technicâ curioſâ*, Athan. Kircherus itidem in multis.

7 *Geodæſiam*, Geometriæ propaginem, in Germanicâ gente multi excoluerunt præ ceteris, quo ſpectat etiam *Ars Fortificatoria*, Italicis, Belgicis, & Germanicis Scriptoribus præcipuè illuſtrata, quorum nomina hîc congerere non eſt noſtri inſtituti. Multi, inprimis Germani, nimis operosè in hoc argumento verſantur. Apud Gallos, ut in omnibus rebus, nova nunc inveniuntur, ita multa ſunt bellicis his temporibus circa hanc doctrinam ab illis innovata. Nam, ut uſus artificem facit, & dies diem docet, ita hâc quoque in re factum eſt. Paulatim enim ab antiquâ ruditate, per ſecula, ars iſta incrementa ſua acquiſivit.

Aſtro-

Aſtronomia à tot ſeculis eſt exculta, maximosque ſemper habuit Autores, Græcos, Ægyptios, Arabes, de quibus videndus præcipuè eſt Voſſius in Opere ſuo. Quod verò doctrinam attinet, præ ceteris omnibus laudandus Joh. Bapt. Ricciolus *in Almageſto Novo*, quo quaſi Pandectis quibusdam, omnem doctrinam Aſtronomicam, ad ſua usque tempora, complexus, unus Bibliothecæ inſtar eſſe poteſt. Omnia enim tàm vetera, quàm nova, recenſet & expendit. De variis mundi Syſtematibus illic omnia videas, ſecundum Autorum variorum ſententias, collecta. Sunt plures alii Autores, qui de orbibus variisque Syſtematibus integros libros, in utramque partem, & pro Copernicano, & pro Tychoniano, ſcripſerunt. Copernicanum Dan. Lipſtorpius diſſertationibus quibusdam defendit, neque dubito, poſſe plura Syſtemata à multis fingi. Erat, ante 20. circiter annos, *Nauta* quidam *Batavus*, qui novum Syſtema invenerat, multosque ſtrepitus hoc ſuo invento excitàrat. Sed refutatus eſt plurimis ſcriptis contrariis, ut tandem Syſtema hoc cum autore ſuo interierit. Scripſit & *Antonius Deuſingius* librum *de Syſtematibus variis*, ſed is more ſuo ſcribit, plurima recitans, rarò judicium ſuum interponens, ac, ubi interponit, plerumque ineptè judicat. Quæ ſuperiori ſeculo agitatæ fuerint controverſiæ circa Syſtematum varietatem, ſcriptique libri, de iis videri poteſt. Voſſius, & poſt omnes is, quem dixi, Ricciolus. Referendus ad hos quoque Scriptores eſt Otto Guericke, qui in libro ſuo *de Vacuo*, vaſtos facit excurſus de variis Syſtematibus, ac inter alia novam de maculis ſolaribus doctrinam proponit, habens illas pro Planetis circumſolaribus adverſus plerorumque omnium Mathematicorum ſententias. In plerisque ſequitur Nic. Cuſani & Jord. Bruni (qui Soles & Terras facit infinitas) principia. Summam in Aſtronomiâ gloriam occupavit jam *Joh. Hevelius*, Vir obſtinatis laboribus, & magnô ſumtu, in hoc ſtudium excolendum ductus. Ejus *Selenographia* jamdudum prodiit, quâ orbem lunarem ita detexit, ut, ſi non corpore, ſaltem oculis, in mappâ ejus peregrinari poſſimus. Tanta enim accuratione maculas ille diſtinxit, ut ſuperaverit omnium diligentiam. Prodiit ejus *Machina Cœleſtis*, *in fol.* in quâ de inſtrumentis Obſervatoriis, & de variâ obſervandi ratione, agit, promittitque magnum illud Opus ſuum totius cœli reformationem. Omnia enim fixarum ſtellarum vera loca, de quibus tàm anxiè hactenus laboratum, diligentiſſimâ obſervatione, ac tædioſiſſimâ calculatione, inveſtigare conatus eſt. Quem librum lucem aſpexiſſe audio, ſed pleraque exemplaria incendio conſumta, duobus vel tribus ſuperſtitibus, incomparabili rei Mathematicæ damno. Si quis compendia velit artis Aſtronomicæ, uti poteſt Joh. Kepleri *Inſtitutionibus*. Ratione diverſarum hypotheſium *Inſtitutiones Aſtronomicas* ſcripſit Gvil. Blaeu. Nam primâ parte ſecundum hypotheſin Ptolomæi per terram quieſcentem, alterâ, ſecundum Copernici hypotheſin, per terram mobilem, philoſophatur. Liber ille editus primùm eſt Belgicâ linguâ, in Latinam vero converſus à Marth. Hortenſio, Matheſeos Prof. in Amſtelodamenſi Gymnaſio. Fuit verò Vir ille magnorum etiam in Geographiam & Aſtronomiam meritorum, machinasque & tabulas multas ipſe confecit. Legenda eſt ejus libri Præfatio, qui prodiit anno 1640. Amſtelod. *in 8vo*. Neque Æg. Strauchii *Aſtrognoſia* 8

contemnenda eſt, qui & *Aſtrologiam* in breves Canones redegit. Ad hiſtoriam Aſtronomicam penitius noſcendam utiliſſimæ ſunt *vitæ Tych. Brahei*, *Nic. Copernici*, *Joh. Regiomontani & Georg. Purbachii*, à Pet. Gaſſendo editæ. Poëtas quoque Aſtronomos habemus, inter Veteres Manilium, inſigni *Comm.* Ioſ. Scaligeri illuſtratum, inter Recentiores Georg. Buchananum, qui *de Sphærâ Libros V.* eleganti ſcripſit Carmine. Aſtronomicas Obſervationes ſpeciales habemus *in Actis Societatis Regiæ Anglicæ* plurimas, inprimis à Chriſtiano Hugenio inſtitutas, qui noſtrô tempore *Syſtema Saturninum* perfectum dedit. Appendix Aſtronomiæ eſt *Gnomonica*, ſive Ars Scioter icorum formandorum, quam ſingulari libro magnâ cum curâ tradidit Ioh. Caramuel à Lobkowiz, *in fol.* Romæ edito, ut taceam Clavii & aliorum labores.

9 *Optice* multa in Aſtronomiâ detexit, cujus varios Autores habemus, tùm antiquos tùm novos. Inter antiquos ſunt Euclides, Archimedes, Alhazen Arabs, Vitellio, Rogerus Baco, cujus *libri de perſpectivâ* editi ſunt Francofurti anno 1671. *in 4to.* Fuit ille Vir incomparabilis ſuo tempore artifex, & multa præſtitit in illâ arte admiranda, ob quæ in Magiæ ſuſpicionem apud imperitos monachos incurrit. Qui fuſius de hoc argumento ſcripſerunt, noſtro tempore plurimi ſunt. Athan. Kircherus, *in libro de arte lucis & umbræ* omnia collegit penè ex omnibus quæ ad hoc argumentum ſpectant. Compendium omnium eorum practicum, quæ ad artem Catoptricam & Perſpectivam pertinent, utiliſſimum dedit Joh. Chriſtoph. Kolhanſius, *in Tractatu Optico* Lipſiæ anno 1663. *in 8vo*, qui & non ita pridem Germanicâ linguâ *Curioſorum problematum Opticorum librum* publicavit. Honoratus Fabri *in Opticâ ſuâ*, & in parte *Phyſices*, quâ de perſpicuo agit, rem omnem Opticam mirificè illuſtrat rationibus, tùm Phyſicis, tùm Mathematicis. Nec ſpernendum compendium præbet *Optica* Ambr. Rhodii. Nemo verò ſubtilior in hac doctrinâ eſt, quàm Carteſius, qui, in *Dioptricis ſuis*, peculiaribus contemplationibus hanc artem illuſtravit. Specialia hujus artis varii ſunt Autores, qui deſcribunt. Ita doctrinam refractionum magnô ſtudio explicatam dedit Joh. Marcus Marci *libro de Iride*, & Franc. Maria Grimaldus *libro peculiari de luce.* Microſcopicæ ſpeculationes vehementer conducunt ad rem phyſicam. Primus, quantum ſcitur, eſt Franciſcus Fontana, (de quo Laur. Craſſus *T. II. Elog. p. 200.* conſulendus) ſcripſit *novas cæleſtium terreſtriumque obſervationes.* Poſt illum Pet. Borellus, Rob. Hokius, aliique, hoc argumentum tractarunt. Spectat huc quoque *ars perſpectiva*, quam vulgo vocant, ſive Scenographica, de quâ, tùm Gallicè, tùm Germanicè, multi ſcripſerunt; Marlois, Lautenſack, Joſ. Furtenbach / & alii.

10 *Muſica* metitur ſonum, ut Optica radium. Alii novam hic doctrinam effingunt Acuſticam. Sed non ſunt multiplicanda Entia præter neceſſitatem, cum utraque doctrina ſub voce Muſices generali poſſit contineri. Omnem illam doctrinam, quæ ad artem Muſicam ſpectat, collegit Athan. Kircherus *in Muſurgiâ ſuâ Univerſali, ſive arte magnâ diſſoni & conſoni*, ex quâ *Epitomen* quandam confecit linguâ Germanicâ, non contemnendam, Andr. Hirſch. Kircherum in multis reprehendit Mar-

cus Meibomius *veterum Muſicorum* editor, qui tamen non omnes edidit. Nam Ptolomæi *Harmonica* apud illum non comparent, quorum tamen ſuperſunt in Bibliothecis Virorum doctorum, Gudiana aliisque, MScripta. Marinus Merſennus *libros Harmonicorum*, (kk) tàm Latinè, quàm Gallicè, Pariſ. anno 1648. *in fol.* edita, in quibus multa, quæ ſpectant ad Organorum Muſicorum fabricam. Legendus quoque eſt Honoratus Fabri in Tractatu *Phyſicæ* ſuæ, ubi de ſonis corporum agit. Multa enim ſubtiliter diſputat. Ceterum Muſici Scriptores, tàm Theoretici, quàm Practici, inter Recentiores plurimi ſunt, quos omnes recenſere res eſſet infinita. Nobis ſufficiunt illi, qui artem ipſam, ejusque principia, tradunt.

Geographia utiliſſima eſt Politico, quare, præ ceteris Mathematicis diſciplinis, 11
opera illi danda eſt. Partibus abſolvitur generali & ſpeciali. Generalis principia Geometrica, Aſtronomica, Arithmetica &c. aſſumit, quam nemo diligentius exſequutus eſt, quàm Bernh. Varenius *in Geographiâ ſuâ Generali*, qui unus eſſe inſtar omnium poteſt. Ubi ſimul & artem navigatoriam proponit, ejusque principia ordine recenſet, uſui futura in Mappis Hydrographicis. A Geographiâ differt Coſmographia, quæ latior eſt diſciplina; cœlum enim cum terrâ conſiderat. Speciales Geographiæ partes ſunt Chorographia, quæ certas orbis partes, Topographia, quæ Regiones & urbes, Hydrographia, quæ aquas deſcribit. Geographos univerſales & particulares habemus, Abr. Ortelium, Paulum Merulam (tribus tomis in 12.) Pet. Bertium, Autores *Atlantis Majoris & Minoris.* Epitomes vice fungitur Phil. Cluverus, in quem extant Joh. Bunonis *notæ* eruditæ, unà cum *Tabulis*. Nicol. Sanſon de Abbeville totam Geographiam *Tabulis* æri inciſis publicavit anno 1644. ita quidem, ut Gallicâ linguâ proponeret novam, Latinâ antiquam Geographiam. Nunc verò *Compendium* ejus *Geographicum*, cum mappis nitidè pictis, prodiit in Germanicam linguam converſum, in quo illud præcipuè laudandum, quòd accuratus ſit in latitudinibus longitudinibusque locorum aſſignandis, & in Mapparum diſcrepantiis notandis. Inter veteres Geographos habemus Ptolomæum, cujus *Geographiæ libri octo* Græco-Latini, cum *Tabulis* Gerh. Mercatoris, & *caſtigationibus* Petri Montani, prodierunt, excudente Jodoco Hondio, Francofurti & Amſtelodami in fol. Cujus Viri labor niſi ſervatus nobis fuiſſet, in magnis tenebris verſaretur antiqua hiſtoria. Eſt & Stephani liber Græcus *de Urbibus*, qui Græcè editus eſt, ni fallor, ap. Aldum in fol. Prodiit

(kk) Cl. Ptolomæi *Harmonicorum Libri III.* MStis ineditis non amplius jam poſſunt accenſeri, cum à Joh. Walliſio, Mathematico Oxonienſi, ex XI. Codicibus MSS. Græcè, cum Verſione ſuâ Latinâ, ac Notis Oxoniæ an. 1682. *in 4.* ſint publicati. Latinam eorundem Verſionem Seculo jam XVI. concinnavit Ant. Hermannus Gogava, Gravienſis Belga, Medicus Italus. An in lucem illa prodierit, Joſ. Simlerus *Biblioth. p. 51.131.* & Val. Andr. Deſſelius *in Biblioth. Belg. p. 67.* dubitarunt. Certum tamen eſt, Venetiis an. 1562. unà cum Ariſtoxeni *Harmonicis*, itidem à Gogava Latinitate donatis, eſſe editam. Græcum Textum, à Meibomio, eum pollicito, fruſtra expectatum, primus dedit Walliſius, de cujus editione *Acta Erud. Lipſ. M. Febr. A. 1683. p. 77-80.* merentur conſuli.

diit non ita pridem cum operoſo *Commentario* Thom. Pinedæ, (*ll*) Judæi Hiſpani, ſed qui multa peregrina immiſcet. Verſatur adhuc ſub prælo altera Stephani Editio, cum *Notis* Abrahami Berkelii, quæ per integrum decennium Amſtelodami apud Gaesbekios hæſit, illam ob cauſam, quòd aliam ejus Editionem minetur Jac. Gronovius, ex MScriptis nonnullarum Bibliothecarum auctiorem. Parabat quoque Commentarium in Stephanum Salmaſius, teſte Craſſo, *T. II. Elog pag. 211.* Promiſerant etiam Elzevirii Editionem novam hujus Stephani, cum notis Lucæ Holſtenii, Viri in re Geographicâ verſatiſſimi, quod oſtendunt Notæ ejus poſthumæ in Ortelium, Cluverium, &c. quæ Romæ editæ ſunt in 8vo anno 1666. An verò Stephanus ille lucem viderit, hactenus neſcio. Habebat Luc. Holſtenius in animo juſtum *Opus Geographorum Græcorum*, cujus Syllabum dedit Lambecius *lib. 1. Biblioth Vindob. p. 113.* quorum maxima pars nondum edita eſt in lucem. Pomponium Melam eruditiſſimis notis illuſtravit Iſaacus Voſſius.

12 Pertinet huc doctrina conficiendi Mappas Geographicas, quæ ſingulari libro tradita eſt à Wilh. Schickardo. Eſt & quidam Caſparus Dauthendey, qui Germanicâ linguâ librum ſcripſit, cui titulus: *Fundamentum Geographicum*, editum Brunſvigæ anno 1639. *in 8vo.* Videndus & Caſp. Schottus *in curſu ſuo Mathematico.* Qui chartulas luſorias Geographicas confecerunt, inepti ſunt: De illis, jam tùm ſuo tempore, Matth. Berneggerus *in Oratione de illegitimis ſcientiæ parandæ modis.* Eſt & quidam Königius, cujus exſtat ſingularis *Methodus per aleam luſoriam locorum cognitionem alicui infigendi*, quod ille inventum Imperatori inſcripſit. Sed omnes illa res majori cum operâ & difficultate agitur, quàm ſi ex mappis quis addiſcat, quæ ſi elegantes ſint, & benè coloribus diſtinctæ, per ſe artificium Mnemonicum exhibent. Chorographicas & Topographicas deſcriptiones habemus plurimas, præcipuè Europæ partium, quales ſunt *Topographiæ* Matth. Meriani. *Holſatiæ* habemus accuratiſſimam *Chorographiam*, accurantibus Joh. Meyero & Caſp. Dancwerthio, nec alia facilè

(*ll*) Thomæ de Pineda Editio Stephani *de Urbibus*, Vers. Lat. & Comm. prolixo inſtructa, prodiit Amſt. A. 1678. *in fol.* Lucæ Holſtenii *Notæ & Caſtigationes in Stephanum poſthumæ*, edente, cum Scymni Chii *Fragmentis*, & ſuis aliquot Appendicibus. Theodor. Ryckio, Prof. Leidenſi, Lugd. Bat. A. 1684. *in fol.* Editio autem noviſſima ipſius Stephani, *è Codd. Palatinis, per Cl. Salmaſium collatis, è MSto Voſſiano, curâ Abr. Berckelii, reſtituta, ſuppleta, & Verſione Latinâ, integroque Commentario illuſtrata, unà cum Jac. Gronovii Notis, ac Variis Cod. Peruſini Lectionibus*, Ibid. An. 1688. *in fol.* *Fragmenta* aliquot Abr. Berckelius Lugd. Bat. A. 1674. *in 8.* & Jac. Gronovius ibid. A. 1681. *in 4.* cum Verſionibus ſuis & Animadverſionibus Speciminum inſtar, Editioni huic. poſtmortem Berckelii à Gronovio curatæ, jam præmiſerant. Pomponii Melæ Editionem Voſſianam, Hagæ A. 1658. *in 4.* excuſam, exceperunt, & acerbè ſimul caſtigarunt, duæ Jac. Gronovii, Lugd. Bat. A. 1685. & 1696. *in 8.* publicatæ. Quarum priori Ἀνωνύμῳ Iſ. Voſſius, *in Appendice Obſervationum ad Melam*, Londini A. 1686. *in 4.* edita, pari ſtyli acerbitate reſpondit, non minori à Gronovio iterum, in Edit. ſuâ poſteriori (præter Notas Nummis etiam illuſtrata,) exceptus.

cilè erit ullius Provinciæ adeò accurata delineatio. Non ita pridem omnium Gallicarum urbium *Topographia* prodiit, ſed adeò generalis, ut de particularibus nihil doceat. Eſt & *Theatrum Britannicum* Joh. Spedi, quo Regionum Britanniæ mappæ generales & ſpeciales accuratiſſimè recenſentur, unà cum deſcriptione. *Orbem Maritimum* deſcribit Claud. Barthol. Moriſottus, qui liber plura promittit, quàm præſtat. *Hydrographiam* Georg. Fournerius ſcripſit. *Germaniam* & *Italiam* magnis Voluminibus explicuit Phil. Cluverius, qui & ſpecialem *de Rheno* librum ſcripſit. Thomas Dempſterus, Scotus, ſeptem elegantiſſimos libros *de Hetruriâ regali* ſcriptos reliquit, qui nondum editi, ſummâ Magni Hetruriæ Ducis curâ aſſervantur, teſte Erythræo *in Pinacothecâ I. n. 9. pag. 25. 26.* *Geographiam antiquam* optimis pulcherrimiſque tabulis illuſtravit Georgius Hornius, editis Amſtelod. anno 1657. *in fol.* Liber ille ad intelligentiam Hiſtoriæ, tàm ſacræ, quàm profanæ, eſt utiliſſimus.

Itineraria magnam etiam Geographiæ partem conficiunt, & quidem *Indicarum* 13 *Navigationum* Tomos habemus integros, quos non jucundum ſolùm, ſed & utile, eſt legere. *Americam* Arnoldus Montanus ex Itinerariis deſcriptam uno Volumine dedit, cum pulcherrimis Iconibus, Amſtel. 1671. *in fol.* Suntque, qui hodiè in reliquis orbis partibus ſimilia faciunt, ſed non pari omnes judicio in hoc argumento verſantur. Talium Itinerariorum perfectam conficere hiſtoriam ſummè eſſet utile. Inter Anglos aliquis eſt HERBERTUS, qui populari linguâ potiſſima recenſet itineraria, præcipuè tamen ea, quæ in Anglicam linguam ſunt converſa, ſed non accuratum illorum init numerum. Valdè enim imperfectus labor eſt. Sorellus *in Bibliothecâ Gallicâ* ea recenſet, quæ Gallicâ linguâ ſcripta ſunt, ut ſanè plurima: ſed accuratus labor hactenus planè deſideratur. Monconyſii, Galli, & Petri de la Valle, *Itineraria* magnâ ſunt cum curâ conſcripta. Apud illum multa colliguntur rerum naturalium & artificialium, quas in itinere ſuo deprehendit. Sed opus poſthumum eſt, fuiſſetque majori curâ elaboratum, ſi ſupervixiſſet Autor. Prodiit Lugd. Gall. anno 1665. *in 4to.* Petrus de la Valle diligentiſſimè deſcripſit, quæ ad ſtatum civilem & Eccleſiaſticum, præſertim Aſiaticum, ſpectant, qui in Germ. linguam nunc eſt converſus. Thomæ Herberti *Hodoeporici* editio paranda eſt Anglica. Nam verſio Belgica integras portiones omiſit, quibus tamen optima continentur. Dies me deficeret, ſi omnes recenſere Itinerariorum Scriptores, mihi tantùm cognitos, velim. Eorum uſus poteſt eſſe maximus ad res varias, ſi excerpantur illa, quæ uſui noſtro inſervire poſſunt. Habentur illic Geographica, Politica, Naturalia, Oeconomica, & quæ ad commercia ſpectant, de quibus omnibus nos doceri conſultum eſt. Hunc in finem Eraſmus Franciſci libros aliquos ſcripſit, quibus, ex Itinerariis præcipuis, pleraque talia colligit. Et expedit profectò tales inſtituere Locos Communes, tàm ex antiquis, quàm recentioribus Geographis, & Itinerariorum Scriptoribus, uti fecit Ioh. Chriſtoph. Becmannus *in Hiſtoriâ ſuâ orbis terrarum geographicâ & civili.*

Tabulas Geographicas quod attinet, earum magna eſt varietas, multæque hallu- 14
cina-

cinationes. Nunc reliquis præferuntur Sanſonianæ, quanquam in illis tamen non paucos errores mihi deprehendere viſus ſim. Vix ſperari labor aliquis accuratus in omnibus ab uno poteſt. Rectius ſe res haberet, ſi uni Viro, Mathematices peritisſimo, quique peregrinando partes illas perluſtraverit, quas deſcripſit, fides haberetur, & ſecundum ejus delineationem, omnes chartæ inſtituerentur. Batavi, atque apud illos Blavii & Wittii, præ ceteris famam optimarum delineationum occuparunt. Sanè Lucas Holſtenius, in *Epiſtolâ* quâdam *ad Lambecium*, quæ eſt *libro 6. Commentariorum de Biblioth. Vindobonenſi p. 241.* monet Lambecium, ut præcipuè Amſtelodami Pinacographiam & Hydrographiam addiſcat, i. e. rationem delineandi tabulas, tàm geographicas, quàm nauticas. *Ceteræ enim ſcientiæ*, ait, *ubivis locorum, hæ Amſterodami tantùm, percipi poſſunt.* Verſatus etiam eſt Joh. Baptiſta Ricciolus, *in Geographiâ & Hydrographiâ ſuâ Reformatâ*, Bononiæ A. 1661. *in fol.* editâ, ſimili in argumento. Delineationes enim locorum accuratiores quomodo haberi poſſint, tradit. Circumferuntur multæ delineationes urbium, per varias provincias, quarum aliquæ ſecundum provincias, aliquæ ſine ullo accurato ordine, ſunt diſpoſitæ; ſed tales libri potius ſcripti ſunt, ut oculos oblectent, quàm ut accurati cenſeri poſſint. Hæc omnia ſecundum provincias recenſere res infinita eſſet.

15 Utiliſſima Mathematices diſciplina *Statica* eſt, quæ circa pondera rerum verſatur, cujus magnus eſt pèr omnem Phyſicam uſus. Ejus principia, tradita ab ipſo Archimede, impreſſa *in fol.* in Italiâ quôdam in loco prodierunt. Tranſtulit hanc doctrinam ad Medicinam pulcherrimô inventô *Sanctor Sanctorius*, cujus *Obſervationes*, quanquam exiguô libello propoſitæ, à quadraginta tamen annis magnâ diligentiâ inſtitutæ ſunt. Scripſit etiam Carteſius ſuper hoc argumento quædam Gall. linguâ, quæ in Latinam convertit D. Joh. Dan. Major (*de Mechanicâ.*) Placuit etiam aliis comminiſci diſciplinam Mathematicam, quam *Kineticam*, ſive Motivam, vocant, quæ tamen ſub Staticâ facilè poteſt comprehendi, quanquam, ſi vocem videas, generalius objectum habere videatur. Omnes enim motus huc ſpectarent, atque ſuper hanc motus doctrinam Phyſices principia nunc ferè omnes fundant recentiores, qui accuratius volunt indagare cauſas naturales, ut fecerunt Gotfr. Gvilh. Leibnizius in *Methodo ſuâ novâ*, Joh. Alphonſus Borellus *in Tractatu de vi percuſſionis*, Dan. Lipſtorpius *in Specimine Philoſophiæ Carteſianæ.* Ap. Anglos nunc Joh. Walliſius totus eſt in his rebus. E veteribus conſulantur quoque Ariſtotelis *Mechanica*, quæ, *Commentariis* illuſtrata ab Henrico Monantholio, prodierunt *in 4to* Pariſiis anno 1599. & cum Johannis de Gvevarra *Commentariis* Romæ *in 4to* anno 1627. Veteribus Ægyptiis maximam fuiſſe hujus artis peritiam, docent Obeliſci, ab illis erecti, ac ſcripſit de hac Ægyptiorum arte ſingularem Diſſertationem Athan. Kircherus, quæ reperitur *in Oedipo* ejus *Ægyptiaco.* De quâ Italicâ quoque linguâ ſingularem librum ſcripſit Dominicus Fontana, qui editus eſt Ro-

mæ

mæ *in fol.* anno 1590. Inter veteres alioquin *de motu* ſcripſit Proclus Diadochus, Græcè & Latinè à Juſto Velſiô editus Baſileæ anno 1545. *in 8vo.* Galilæus Galilæi Italicâ linguâ ſcripſit librum *de demonſtrationibus Mathematicis, ad Mechanicam pertinentibus, & motu locali, cum Appendice de centro gravitatis ſolidorum,* qui editus eſt *in 4to* Lugd. Batav. anno 1638. Extant Petri Gaſſendi hujus etiam argumenti ſcripta, *de motu perpendiculorum, de motu impreſſo à motore translato, de proportione, quâ gravia decidentia accelerantur,* quæ ſeorſim edita ſunt Pariſiis, tùm *in 8vo,* tùm *in 4to,* ap. Cramoiſios anno 1643. & 46. & unà cum ceteris ejus Operibus. Scripſit & Gvidus Ubaldus *Scholia in duos Archimedis Æquiponderantium libros,* Piſauri *in fol.* anno 1588. editos. Eſt & ab eodem *liber Mechanicorum* ibid. anno 1577. *in fol.* editus. Marinus Ghetaldus, quem magni fecit Paulus Sarpius, teſte *Vita ejus p. 90. & 91.* ſcripſit librum, cui titulus: *Promotus Archimedes, ſive de variis corporum generibus, gravitate & magnitudine comparatis.* Prodiit *in 4to* anno 1605. Spectat huc quoque liber Jordani *de ponderibus,* Norimb. *in 4to* anno 1533. editus, cujus correctior eſt Editio, quæ per Nicolaum Tartaleam procurata eſt Venetiis *in 4to* anno 1565. De Horologiorum motu multæ nunc inſtituuntur Diſquiſitiones, ac plena ſunt Anglorum *Acta Societatis* de hoc negotio. Nuper Joh. Joach. Becherus publicavit Londini ſua *de Horologiis* cogitata. Motus aëris & aquæ ſingulares quoque peperit artes, Pneumaticam & Hydraulicam. Illam proponit inter veteres Hero Alexandrinus, cujus *ſpiritalia* Latinè *cum notis* prodierunt à Friderico Commandino, *in 4to* Urbini anno 1575. & Amſtelod. A. 1680. Hujus Heronis *Geometrica,* nunquam hactenus edita, latitant in Bibliothecâ Gudianâ. Scripſit & Ioh. Baptiſta Porta *Pneumaticorum librum,* editum *in 4to* Neapoli A. 1601. Qui compendium iſtarum operationum in utrâ arte velit, legat Caſparis Schotti *Technicam Curioſam & Hydraulicam.*

Referri huc poſſunt multæ artes particulares Gymnaſticæ, quæ motu perficiun- 16
tur, atque in eo ſolo conſiſtunt, ut *Luctatoria*, die Ringekunſt / quæ conſiſtunt in motu muſculorum, & in libramento corporis, quam, è principiis ſuis erutam, ſingulari libro Belgico tradit Nic. Petter, Civis & Oenopola Amſtelodamenſis, ille ſc. qui ſcyphos vitreos vocis ſono frangere poterat. Editus eſt Amſtel. 1674. *in 4to.* Spectat huc quoque *ars verſoria*, die Lufftſpringkunſt / & *Funambulatoria*, de quâ curioſum librum conſcripſit Angelus Tuſcanus, linguâ Gallicâ Anno 1599. *in 4to* editum Pariſiis. Referri huc poteſt etiam *ars Gladiatoria*, quæ pariter in ſitu & libramento corporis, ac motu brachiorum, conſiſtit. Fuêre jampridem, qui è circulo, ejusque dimenſionibus, totam hanc artem tradere voluerunt, cujus hiſtoriam tradit Henricus à Günterrot *in Tractatu de veris principiis artis dimicatoriæ*, Witteb. anno 1579. *in 4to* edito. Poſtea vero Gerhardus Thibautius operoſiſſimô librô fundamenta hujus artis, ex circulo demonſtratæ, perſecutus eſt, edito Gallicè *in fol.* anno 1650. Amſtelod. ap. Elzevirios, cum Caſparis Barlæi carmine Enco-

miaſtico. Referendæ etiam huc ſunt *Ars Natatoria*, de quâ Eduardus Digbæus peculiarem tractatum ſcripſit, *Ars Saltatoria*, & *Ars Torneatoria* (Turnierkunſt.) Ex his principiis deſcendunt pleræque artes Mechanicæ, quarum Sciagraphiam dedit *in Encyclopædiâ* J. Henr. Alſtedius, plenius Syſtema pollicitus eſt Nicol. Melch. Thevenotius. Aliqua hujus argumenti per lancem ſaturam congeſſit Ioh. Dan. Major in der Seefart nach der neuen Welt ohne Schiff und Segel.

17 Ut verbo mentionem faciam *Artis volandi*, fuerunt olim & hodieque, qui illam tentârunt, & quidem Rogerus Baco, *in Epiſtolâ de Secretis Artis & Naturæ*, machinas tales fieri contendit, quibus ſublevetur corpus humanum. Nuper quoque in Galliâ quidam *Beſnier* rationem volandi commentus eſt, cujus machinæ deſcriptionem videre poſſumus ap. Scriptorem *Philoſophicarum Collectionum Anglicarum*, *N. 1. Obſ. 4.* Franciſcus quoque Lana ſimile quid commentus eſt, cujus methodum fuſius explicat J. C. Sturmius *in Collegio Curioſo* : Examen fundamentorum illorum vide *in collectionib. Philoſ. N. 1. Obſ. 5.* Memorabile eſt, quod refert J. Nicius Erythræus *Pinac. 1. N. 68.* de *Paulo Guidoto Burgheſio*, homine mirifico, qui dicebat, 14. ſe eſſe artibus præditum, atque inter illas arte quoque volandi, ſed fame penè enectus nullum ab omnibus auxilium habuit.

D. G.

D. G. MORHOFI
POLYHISTORIS
TOMI II.
SIVE
POLYHISTORIS
PHILOSOPHICI,
LIBER V.
SEU
POLYHISTOR LOGICO-METAPHYSICUS.
DE LOGICIS ET METAPHYSICIS SCRIPTORIBUS.

§. 1. Metaphyſica & Logica à Scholaſticis præcipuè excultæ, ſed & ineptis ſuis ſubtilitatibus corruptæ. Ariſtotelis in his Primatus fruſtrà impugnatur. 2. *Commendantur Barth. Keckermanni* Præcognita Logica, *& G. J. Voſſii* Lib. de Naturâ Logices. *3. Judicium de Scripto Anonymo Novatoris in Logicâ Carteſiani* (L'Art de Penſer) *honorificum. Carteſii primum cognoſcendi principium, ex Ideâ mentis deductum, impugnavit Chr. Dreierus. Ant. le Grand & Joh. Schulerus, Novatores itidem in Logicâ Carteſiani. 4. Scriptores varii de Methodo, Interpretatione, Inventione, Demonſtratione, & Syllogismo, ſeorſim commentati, additis ſubindè judiciis, recenſentur. 5. Doctrinam de Sophiſmatis è Logicâ non eſſe eliminandam, contra Pet. Ramum, aſſeritur. Loci Communes*

illorum à Diſputatoribus contentioſis conficiendi. 6. Axiomatum, Terminorum & Diſtinctionum, Scriptores, deque iis, uti & Raym. Lullii Arte Magnâ & Parvâ, *& Stanislai Mingkii* Imaginibus Logico-Mnemonicis, *judicia ſequiora. 7. Logicæ & Metaphyſicæ cognatio. Metaphyſica Veterum Theologia Naturalis. Thomæ Campanellæ Metaphyſicorum, paradoxis ſcatentium, recenſus. 8. Metaphyſicæ modernæ ſubtilitas perplexa & inutilis. E Dan. Stahlio & Pet. Muſæo eſt addiſcenda. Reformatores ejus, Ren. Carteſius & Honor. Fabri. De Henr. Mori* Enchiridio Metaphyſico, *Thomæ Angli* Euclide Metaphyſico, *aliorumque Gnoſtologiâ, Noologiâ, Hexologiâ, diſciplinis noviter effictis, nec non de Cabaliſtarum dogmatis, cenſuræ. Lud. Vivis* Libb. de primâ Philoſophiâ *commendantur.*

1 ACcedimus nunc ad LOGICOS ET METAPHYSICOS SCRIPTORES, & in iis quidem parciùs verſabimur, quia ſupra, ubi de *Philoſophiâ ſcholaſticâ* egimus, uberrimam iſtorum Autorum meſſem dedimus. Omnis verò campus ille eſt, quem decurrunt cum ſtudio conatuque Scholaſtici. In hoc illi, velut ſuo regno, triumpharunt, & plus, quàm fortè opus erat, ingenio ſuo indulſerunt. Horum enim beneficio magna meſſis inutilium ſpeculationum in hôc fundô nata eſt, quâ de re exſtant multæ doctiſſimorum Virorum querelæ, & hos inter Lud. Vivis, in libro, quem contra *Pſeudo-Dialecticos* ſcripſit, & in altero *de cauſis corruptarum artium.* Intemperans ſane diſciplinarum iſtarum tractatio doctrinæ plus officit, quàm prodeſt. Refert Nicolaus Antonius, *in Bibliothecâ Hiſpanicâ*, ſub nomine Caſpari de Laz, ex Alphonſi Matamori, Hiſpalenſis, *Apologiâ de Academiis & doctis Hiſpaniæ viris*, ortam fuiſſe iſto tempore nugatoriam quandam Dialecticam, cujus beneficio velut præſtigias miſcere poterant ejus Doctores, quibus tandem Galliæ Rex, Franciſcus I. interdicere cathedris debuit. Paulus Sarpius, Vir alioquin doctiſſimus, non magni illorum hominum fecit doctrinam, teſte Fulgentio *in ejus vitâ, p. 153. & 154. editionis Gallicæ.* ARISTOTELES hîc primas obtinet, & non ſolùm primus, ſed & omnium optimè, Artem Logicam tradidit, quicquid etiam iis videatur, qui Ariſtotelem impugnarunt. Niſi enim Ariſtoteles ſcripſiſſet, non fuiſſent domi illis tela, quibus impugnare ipſum potuiſſent. Pet. Gaſſendus, Pet. Ramus, Mar. Nizolius, & quivis alii, quorum jam ſupra eſt mentio facta *in libri 1. capite de Novatoribus*, cavillatores potius agunt, quàm veros Diſputatores & Dialecticos.

2 Succeſſionem Philoſophorum, tàm antiquorum, quàm recentiorum, qui Logices doctrinam excoluerunt, usque ad ſua tempora, prolixè ſatis deduxit Barthol. Keckermannus, *in Præcognitis ſuis Logicis*, naturam verò & conſtitutionem Logices, ex mente Ariſtotelis & Interpp. optimè ſingulari libro exhibuit Gerh. Joh. Voſſius, *de Logices & Rhetorices naturâ*, Hagæ Com. A. 1658. *in 4to* edito, ubi ordine recenſet veteres Ariſtotelis Logicorum Commentatores. Utiliſſimus ille liber eſt, & quaſi in prægustum Ariſtotelis legi poteſt.

Inter

Inter recentiſſimos Novatores Logicos ille eſt, qui Gallicâ linguâ ſcripſit librum, cui tit. *L' Art. de penſer*, ſive *Artem cogitandi*, (*mm*) quæ olim latinè reddita quidem fuit, ſed imperfectè & mutilè, nunc verò denique, è tertiâ ap. Gallos editione recognita & aucta, latinè à quopiam translata. Carteſianus ille Autor eſt, & pasſim aliqua miſcet, ex hypotheſibus Carteſianis deprompta, exemplisque Mathematicis frequenter utitur, ad demonſtrationis naturam indagandam peridoneis. Diſſertationes duas præmittit, quibus conſilium hujus novæ ſuæ Logicæ exponit, & defectus Logicorum vulgarium recenſet. In *Diſſertatione prælıminari ſecundâ* objectionibus quibusdam occurrit, quæ contra hanc Logicam ſunt factæ. Multa habet circa apprehenſionem novè excogitata, & illam Idearum doctrinam, de earum claritate, confuſione, ejusque cauſis. In eo enim Carteſii ſententia diſcrepat à Peripateticâ, & omnibus penè antiquis Philoſophis, quòd principium primum cognitionis non à ſenſu deducat, ſed ab ideâ mentis. Nam principium illi primum eſt: *Cogito, ergo ſum.* Quam ejus ſententiam eleganti Diſſertatione impugnavit CHRISTIANUS DREYERUS, Prof. Theol. Regiom. adjectâ *Dialecticæ Regiomontanæ, ſive Compendio Topicorum Ariſtotelis*, eleganti ſanè libro, & ad Rhetoricam benè accommodando, quem edidit nuper Helmſtadii Joh. Eberh. Buſmannus, qui & antea Hartw. Wichelmanni *Tractatum de Demonſtratione* ediderat. Circa doctrinam Syllogiſticam Gallicus ille Autor quædam citra neceſſitatem innovavit, in doctrinâ de methodo & demonſtratione prolixior eſt, & Mathematicam quandam accurationem quærit. Quisquis ille ſit, Vir ſanè doctiſſimus fuit, plusque ingenii & judicii ad hanc rem attulit, quàm ceteri Novatores omnes. Verſio latina eſt edita Lond. anno 1674. *in 8.* Ex mente quidem Carteſii etiam Ant. le Grand, *in Inſtitutione ſuâ Philoſophicâ*, Logicam propoſuit, ſed ſterilior eſt illa tractatio. Carteſius verò ipſe, *in libro de Methodo* diffuſior eſt, nec ita ad regulas ſe alligat, velut AUTOR ille *Artis cogitandi.* Eſt & quidam Joh. Schülerus, qui Carteſianæ Ariſtotelicæque Logices velut cinnum quendam fecit ſingulari in libro, qui reperitur inter ejus *Philoſophicas Exercitationes*, Hagæ Com. anno 1663. *in4.* editas, *libro* illarum *5.* 3

Doctrinam de Methodo ſeorſim excoluêre multi, quos commemoratos vide apud Iſr. Spachium *in Nomenclatore Philoſophico p. 247.* De Interpretatione pauca habemus, & apud Vett. & Recc. tractata. Vid. id. Spachius *p. 232.* Eam doctrinam quàm pleniſſimè ſe daturum, promiſit Herm. Conringius, ſed hactenus nihil ejus comparuit. Doctrina de Inventione magni uſus eſt, tùm in Oratoriis, tùm in ceteris diſciplinis, ac reverà latiùs patet Logices uſus, quàm quis credat. Nam inventio non ſolùm ſe extendit ad terminos aliquos inveniendos, ſed ad res, imò ipſas ſcientias inveniendas, ut pulchrè oſtendit Verulamius *in libro de augmentis ſcientiarum*, & in *præfa-* 4

 tione

(*mm*) De Anonymi *L' Art de Penſer* Judicium conferatur honorificum Vinc. Placcii in *Tr. de Scriptoribus Anonymis detectis, c. 14. p. 110.* ubi à nonnullis eam Domino de Trigny (*Grammaticæ Generalis & Rationabilis vero Autori*) ſed incertâ conjecturâ, vindicari teſtatur.

tione omnium Operum ſuorum. E recentioribus doctrinam hanc tractavit Rudolphus Agricola doctè & diſertè, ſed heterodoxus eſt, & ab Ariſtotelis abit ſententiâ. Cui jungendus eſt Gerh. Bucholdianus, *in libris 3. de amplificationibus & inventionibus*, Lugd. Gall. *in 4to* apud Sebaſtianum Gryphium, an. 1534. impreſſis. Sunt certè, qui ex Rudolpho Agricolâ doctrinæ ſuæ fundamenta Pet. Ramum hauſiſſe exiſtimant. Pars Logices, de demonſtratione agens, magni quoque eſt uſus, de quâ Barthol. Viottus edidit *5. libros*, ab Andr. Frölingio Helmſtadii recenſitos, cum præfatione Conringii. Scripſit & Erh. Weigelius *Analyſin Ariſtotelicam ex Euclide reſtitutam*, in quâ Mathematicâ methodo doctrinam demonſtrationis tradit, Jenæ 1658. *in 4.* Melch. Zeidlerus quoque in hoc argumento quædam ſcripſit. De Wichelmanno ſuprà dixi. Commendari etiam debent Oweni Güntheri *Methodorum Tractatus duo, continentes totius Artis Logicæ medullam, facultatem nempè omnium ſcientiarum ac demonſtrationum principia inveniendi, dijudicandique.* Erat verò is Profeſſor Academiæ Juliæ, liberque editus eſt Helmſtadii anno 1586. *in 8vo.* Doctrina de Syllogiſmo ſeorſim à quibusdam eſt tradita; quò ſpectant Jacob. Honoldi *Conſideratio Syllogiſtica*, & Georg. Stengelii *liber de Syllogiſmo bono & malo.* Vid. Spachius *in Nomenclatore p. 253.*

5 Spectant & huc Autores, qui de Sophiſmatibus in ſpecie egerunt, quorum multa eſt ſeges, tàm Vett. quàm Recentt. Vid. Spach. *pag. 288.* Ramus hanc doctrinam planè eliminavit ex Inſtitutionibus ſuis Logicis, ſed minus rectè, cùm non ſemper, ex generalibus figurarum modorumque regulis, de ſophiſmate judicium ferri poſſit. Probè eſt tenenda hæc doctrina inprimis diſputantibus, præcipuè cùm hac maximè ſibi placere ſoleant Eriſtici, qui inveniſſe ſe putant in his ſæpè, non quod pueri in fabâ. Conſilium itaque dederim, ut, qui paulò ſtudioſius his in rebus verſaturus eſt, Locos communes Sophiſmatum ſibi conficiat, ſecundum regulas generales & ſpeciales figurarum, & capita Elenchorum, ſub quibus congerat, quicquid ubique invenerit Sophiſmatum argutiorum; ſic ipſe non imparatus erit, cùm talia objicientur, ac alios exagitare poterit, qui iſtis deliciis delectantur. Præire poterit Mellinghauſen in *Sylvulâ Sophiſticationum*, & alii Scriptorculi, quos recenſere non eſt operæ pretium.

6 Ad doctrinam Logicam ſpectant & Regulæ ac Axiomata, in quibus Dan. Stahlius omne punctum tulit: Jac. Honoldus idem quoque argumentum tractavit, verùm Stahlius illo eſt ingenioſior, & accuratius in iis verſatur. Honoldus tamen, uti ſimplicior, ita magis perſpicuus. Solent & termini & diſtinctiones ſingularibus libris, quaſi Lexicis, colligi, *formalitates* vocant Scholaſtici, è quibus unum, alterumque ſuprà nominavimus. Nec deſunt è Recentioribus, qui hôc in argumentô operam aliquam poſuerunt. Aliquot terminorum & diſtinctionum iſtiusmodi Collectores uno volumine congeſſit Joh. Ad. Scherzerus. Quod quidem ſtudium mihi planè diſplicet, cùm malim, terminos ex ipſis fontibus, ſeu diſciplinis, ubi naſcuntur, hauriri, quàm ordine tumultuario, vel etiam Alphabetico, extra eas, addiſci. Diſpli-

ſplicent etiam, qui beneficio Mnemonices imaginariæ artem rationis tradunt. Qualis eſt Stanisl. Mingk à Weinsheim, cujus libellus Halæ Sax. A. 1659. *in 12.* prodiit, ac jam ſuprà eſt memoratus. De Novatoribus ſupra dixi, inter quos præcipuus eſt Lullius, cujus exſtat *Ars magna & parva*, quoddam è Logicis & Metaphyſicis miſtum chaos. De eo judicium ſuprà tulimus.

Logicæ jungenda eſt Metaphyſica, ſeu Prima Philoſophia, quæ diſciplinæ mu- 7
tuas ſibi operas tradunt, licet hæc vulgò princeps, illa famula omnium, habeatur. Conſpirant tamen illæ inter ſe, nec rectè intelligentur Logices principia, niſi Metaphyſicam probè cognitam habueris. Quanquam negari nequit, veteres Philoſophos pleraque Metaphyſicæ capita ad τὰ λογικὰ revocâſſe, nec iſtâ quidem Methodo, ac apparatu, quo nunc ſolet fieri, illis tradita. Ad Metaphyſicam enim Theologiam naturalem referebant, quâ de cauſâ nomen quoque illud invenit. Plato ad Dialecticam omnem revocavit Metaphyſicam, quâ etiam methodo conſcripſit *Dialecticam Platonicam* Ludov. de Morenvillier de Orgeville, qui liber eſt editus Anno 1650. Maclovii, ſub tit. *Examen Philoſophiæ Platonicæ.* Ariſtotelis Interpp. & Commentatores Scholaſticos ſuprà laudavimus: Scriptores recentiores, qui Scholaſticam Metaphyſicam ab Ariſtotelis, ceterorumque Philoſophorum, mente diverſam, tradidêre, magno ſunt numero, de quorum aliquibus, jam ſuprà egimus. Thomæ Campanellæ verò mentionem illic omiſimus, cujus exſtat *Metaphyſicorum* ingens *in folio* opus, Lugduni, ſi rectè memini, in Galliâ excuſum. Mirus ille, ſicut in omnibus, Novator eſt, & principia aliqua ponit, è quibus mira fluunt conſectaria, ad paradoxas ſententias formandas facilè accommodanda. Habet ſanè mirificas opiniones circa doctrinam de origine mundi, ejus æternitate, diſtributione orbium cœleſtium, eorum potentiis, de ſucceſſione ſeculorum, de ſtatu animarum, de everſionibus orbium, influxibus aſtrorum, quæ partim arguta ſunt, partim periculoſa, & vel hæreſin aliquam ſapiunt, vel magiam, vel denique ſtultitiam. Generales affectiones Entis ipſi ſunt Potentia, Sapientia & Amor. Per hæc itaque principia ex quolibet per potentiam fit quidlibet, omnia ſuo modo ſapiunt & ſentiunt, & intellectu quodam corporeo, ut ita loquar, gaudent, omnia motu ſuo quodam inſito feruntur ad ſibi ſimile per amorem. E quibus ſequitur *ſenſus* ille *rerum*, de quo integrum ipſe librum conſcripſit, omnis magiæ fundamentum.

Si verum fatendum eſt, quædam in illis ſtudiis intemperantia fatigavit Acade- 8
mias; nam, omiſſis ſolidioribus ſtudiis, & quæ à ſenſu magis dependent, multi ad notionalia illa dilabuntur, atque tricas è tricis nectunt inexhauſto labore, quibus tantum abeſt, ut juventur cetera ſtudia, ut perplexiora potius reddantur. De Ente, ejusque affectionibus, perplexæ multæ ſunt quæſtiunculæ, dediſcendæ, ſi ſcires. Quæ omnia ad rem Philoſophicam non multum adjumenti afferunt, nihil ad Matheſin, parum ad Phyſica, ad moralem verò diſciplinam & Theologiam alicujus ſunt uſûs, præſertim quoniam nunc hujus fundamenta doctrinis iſtis penè ſunt ſuperſtructa. E noſtris Dan. Stahlius & Pet. Musæus præ ceteris commendandi. Non deſunt, qui

&

& hîc viam Scholaſticis tritam relinquentes, ad Ariſtotelis methodum ſtrictiorem illam doctrinam revocant, quomodo Carteſius *Meditationes ſuas de primâ Philoſophiâ* ſcripſit, diſceptationibus inter viros claros reciprocis confirmatas. Fecit idem Honor. Fabri, qui veſtigiis Ariſtotelicis preſſius inſiſtit, nec Phyſices doctrinam intelligi poſſe exiſtimat, ſine accuratâ Metaphyſices cognitione. Quare generales quosdam terminos Phyſicos, qui explicari in Phyſicis debebant, ad Metaphyſicam remiſit, deque iis quaſi in abſtracto egit, in Phyſicis verò illos materiæ & rebus ipſis applicuit, atque affectiones eas in corpore naturali prolixius demonſtravit. Henricus Moore *Enchiridion Metaphyſicæ* ſcripſit, Londini anno 1671. *in 4.* editum, & nunc cum ceteris ejus operibus recuſum, cujus unum hoc opus eſt, demonſtrare, ex rebus corporeis incorporearum exiſtentiam. In poſtremâ editione additamenta quædam adjecit, quibus illuſtrat hypotheſes ſuas, easque adverſus nonnullorum objectiones defendit. Sed ille ab erroribus ſuis non eſt immunis, & cum principio ſuo hylarchico multas difficultates incurret, ipſi non prævisas. Fuit & nonnemo ex Gente Anglicâ, qui ſe vocat Thom. Anglum ex Albiis Eaſt-Saxonem, qui Phyſica & Metaphyſica principia ad demonſtrationes Mathematicas revocare voluit, in libro, cui titulus: *Euclides Metaphyſicus*, ſive *de principiis ſapientiæ*, edito An. 1658. Lond. *in 12.* Is quoque ſuas quasdam rationes ſequitur, & Metaphyſicam modô Mathematicô, per propoſitiones ſuas & conſectaria, tractat, cùm tamen natura rei hoc refugere videatur. Verùm facilè eſt materiam ab illis propoſitam, pro lubitu fingere, vel refingere. Gnoſtologias, Noologias, Hexologias, & neſcio quos aliorum Logicorum Logos, hîc non attingemus, cùm inepta ſit diſciplinarum aut partium ex iis inſigniorum, alibi tractatarum, inutilis repetitio. Quòd ſi, pro diverſo conſiderandi modo, novas ſtatim cudere velimus diſciplinas, immanis profectò earum erit numerus. Si quis Platonicos Scriptores, Cabaliſtas, & ſimiles, velit (nam & illi quodammodo, ad Metaphyſicam referri poſſunt,) multa in Joh. Pici Miranduli *Libris*, & *Cabaliſticis* inveniet, in unum corpus collectis, ſed illi homines mirabilia potius, quàm vera, ſcribunt, ac ſibi potius, quàm aliis ſapiunt, ſi tamen ſapere ſibi poſſunt, qui vix ipſi ænigmata ſua intelligunt. Legi etiam poteſt elegans Ludov. Vivis de *primâ Philoſophiâ* libellus, ubi totam illam diſciplinam, ex mente veterum Philoſophorum, pertractat.

POLY-

POLYHISTORIS
TOMI TERTII,
SIVE
POLYHISTORIS PRACTICI,
LIBER I. ETHICUS.
DE PHILOSOPHIÆ MORALIS SCRIPTORIBUS.

§. 1. *Neglectus Philoſophiæ Moralis. Fragmenta ejus apud Veteres. Barbarica ab Ad. Tribbechovio exhibita, Poëtica à Theod. Zwingero, Hiſtorica (Exempla colligens) à Val. Max. & aliis. Henr. Stephani Lib. de harum Differentiâ.* 2. *Bibliographi Morales, Henr. Jul. Scheurlius & Sam. Rachelius. Ariſtotelis inter Moralium Scriptores primatus. Eman. Theſauri, Lud. Septalii & M. Ant. Mureti, in eum Commentaria.* 3. *Ethicæ Chriſtianæ Scriptores, Joh. Cirellus, ſeu Crellius, Lamb. Danæus, M. F. Wendelinus, Henr. Morus.* 4. *Novatores Ethici, quoad Methodum, Adoardus Gvalandus, Ren. Carteſius & Thom. Campanella. Corruptores hujus doctrinæ, & Atheismi Doctores, Thom. Hobbeſius & Bened. Spinoſa.* 5. *Ad Ethicam quoque ſpectant Fabulæ Morales Poëtarum Veterum (à Verulamio explicatæ,) Dan. item Bartoli, Mercurij Britannici, Thom. Mori, Thom. Campanellæ, Verulamii, Jani Nicii Erythræi & Jac. Bidermanni, Apologi Morales Æſopi, Er. Mich. Læti, Howelli, & Vulpeculæ Saxonicæ Scriptoris, Fabulæ Romanenſes, inprimis Euphyes, Satyræ, præſertim Horatianæ, & Elogiorum, Vitarum Characterumque, Scriptores.* 6. *Princeps Ethicorum Ariſtoteles. Interpretes ejus à Jac. Thomaſio recenſiti. Syſtematum, Compendiorumque, Scriptores præcipui, ac de iis Judicia.* 7. *Scriptores de Officiis, Cicero, cum Commentatoribus in eum Moralibus, Ambroſius, Rob. Scharrockius, & Rob. Sanderſonius.* 8. *Scriptores de Officiis Principum, Amicorum, Conjugum, Aulicorum, ſpecialibus.* 9. *De Virtutibus Homileticis, civitate, ac Ritibus Aulicis, quorum accurata obſervatio Politicis inculcatur, commendato ſimul J. C. Wagenſeilii de iis Collegio.* 10. *Scriptores de Virtutibus & Vitiis, Principiis Actionum Humanarum & Summo Bono.* 11. *de Argumentis Moralibus*

variis ac miſcellis, inter quos Aug. Maſcardus inprimis commendatur, unà cum Ant. le Grand, Dn. de la Chambre & Scip. Claramontii, Scriptis de Affectibus. Doctrinæ de Officiis, Librique Sam. Puffendorfii de illis, imperfectio. 12. Caſuum Conſcientiæ Scriptores præcipui, Joh. Azorius, Rob. Sanderſonius. Deteſtatio doctrinæ de Æquivocationibus Jeſuiticæ. 13. Neceſſitas Philoſophiæ Moralis, cujus neglectus denuò deploratur.

1 DOctrina de moribus negligentius eſt exculta, quàm par eſt. Diſputationum quidem multùm eſt, ſed vivæ validæque doctrinæ parùm. Non erimus hìc nimis operoſi, cùm jam tum ſupra Autores, qui ex Scholaſticis huc pertinent, adduxerimus. Ideoque illos prætermittimus. Apud veteres, ante Platonem, non erant niſi tenuia quædam fragmenta ſententiarum vel dogmatum, quæ adducunt, re ita ferente, Vitarum Scriptores. Philoſophia moralis, ad placita diverſarum gentium varia eſt, & fabulis interdum ac ineptiis multis referta. Operæ tamen pretium eſt illa colligere, ut fecit quâdam ex parte Ad. Tribbechovius, cujus prodiit hoc in loco *Diſſertatio de Philoſophiâ morali inter Barbaros*, ſed non abſolvit hoc argumentum. (*a*) Multa quoque Poëmatibus fuerunt comprehenſa & Carminibus, quorum nonnulla *Stobæus in Eclogis* ſuis collegit. Fuit & hoc Theodori Zwingeri inſtitutum, qui *Philoſophiam Moralem Poëticam*, è Poëtarum Græcorum & Latinorum Scriptis congeſtam, edidit. Sunt quoque Hiſtoriæ ad illuſtrandam illam ſcriptæ, ut *Exempla Virtutum & vitiorum* à Val. Maximo, & de Chriſtianis *Valerius Maximus Chriſtianus Balth. Exneri.* Svecorum Exempla collegit *Joh. Schefferus* ſingulari libro. Quibus cùm diverſis modis virtutes doceantur, differentiam iſtius doctrinæ oſtendere voluit Henricus Stephanus *libro de Ariſtotelicæ Ethices ab Hiſtoricâ & Poëticâ differentiâ*, qui additur libro ejus, cujus titulus, *Principum Monitrix Muſa.* Quâ in Diſſertatione multorum locorum Ariſtotelis fidelior interpretatio, & quorundam emendatio, ut titulus habet, promittitur, Baſileæ 1590. *in 8vo.*

2 Multa hìc dicere poſſemus de Platonis ac Ariſtotelis Scriptis, ad Philoſophiam moralem pertinentibus, aliiſque Veteribus, ut Senecâ, Cicerone, Plutarcho, Boëthio, niſi iſto nos labore ſublevaſſent Viri Clariſſimi, Henr. Julius Scheurlius, Mo-

ralium

(*a*) Moliebatur Ad. Tribbechovius, Vir Doctiſſimus, cum Ethicâ adhuc in Acad. Kilonienſi Profeſſione fungeretur, Opus de Philoſophiâ Gentium omnium, Barbararum pariter atque Cultiorum, nec Paganarum minus, quàm Judaicæ ac Chriſtianarum, Morali Hiſtorico-Dogmaticum. Sed prima tantum hujus A. 1666. *(in 4to)* prodiit Diſſertatio *de Philoſophiâ Morum inter Barbaros Orientales, Sabios ſc., Chaldæos, Perſas, Indos, Sinenſes, Japonenſes, Peguanos & Siamenſes*, cui venuſtam Morhofius noſter, in laudem Sapientiæ Barbaricæ, præfixit Elegiam, *in Avtoſchediasmatis Poëticis p. 15. 16. 17., & in Operibus Poëticis p. 636. 637. 638.*, recuſam. Reliquæ Partes Operis eximii an ab Autore, ad Ephoriam in Aulâ Saxo-Gothanâ Eccleſiaſticam aliquot poſt annos avocato, abſolutæ ſint, dubito.

rálium quondam ac Civilium Profeſſor Helmſtadii, in *Bibliographiâ ſuâ Morali*, ad modum *Bibliographiæ Politicæ* Naudeanæ conſcripta, A. 1660. *in 4to.* (*b*) & Sam. Rachelius *in Introductione ad Philoſophiam Moralem.* In his libris quoniam multa ejus argumenti tractantur, ſupervacaneus labor eſſet, illa repetere. Ariſtoteles in Ethicis τὸ Πάνυ eſt, cujus elegantem *commentariolum*, Italicâ linguâ ab Emanuele Theſauro ſcriptum, non poſſum hìc præterire. Editus eſt ſub tit. *la Filoſophia morale derivata del alto fonte del grande Ariſtotele.* Optima ejus editio prodiit Taurini 1671., & alia, ſed mendoſior, Venetiis 1674., utraque *in 12mo.* Libros Ethicos Ariſtotelis Paraphraſi illuſtrârunt non pauci, inter quos M. Ant. Muretus ceteris videtur præferendus *Comm. Italici*, à Lud. Septalio in eos ſcripti, mentio occurrit apud Craſſum *P. II. Elog. p. 284.*

Non deſunt, qui Ethices præcepta ad Theologiæ dogmata reformarunt. E 3
Socinianis aliquis, qui ſe *Cirellum* vocat (ſub quo Joh. Crellius per Anagr. latet) *Ethicam Chriſtianam* ſcripſit, aliâ methodo, quàm vulgò fieri ſolet, inſtitutam, ſed in quâ paſſim virus ſuum propinat. Præmittitur *Ariſtotelis Ethica ad ſacrarum literarum normam emendata*, & aliâ Diſſertatione præliminari *de Ethnicæ, Hebrææ ac Chriſtianæ Virtutis comparatione* agitur. Liber *in 4to* editus eſt Selenoburgi, ſumtibus Aſteriorum, typis Venetis, quæ omnia ficta ſunt. Videtur tamen in Belgio impreſſus, annus non additur. Similiter & Lamb. Danæus *Ethicam Chriſtianam* ſcripſit; Marcus Frid. Wendelinus quoque *in Philoſophiâ ſuâ Morali*, è Theologiâ multa in Ethicam intulit. Henr. Morus, Anglus, inter alia Scripta Philoſophica, *Enchiridion Ethicum* quoque publicavit, Londini *in 8vo* ſeorſim, cum ceteris Operibus Londini *in fol.* editum A. 1679. Et Vir quidem ille inſigniter pius, ut vehementer laboravit in Atheiſmi fundamentis eradicandis, ita in Ethicis ad pietatem pleraque refert; Sententias habet in multis ſingulares, Editioni ultimæ in fol. adjecta ſunt Scholia, quæ non reperiuntur in Editione illâ *ſub formâ 8va.*

Sunt, quibus Peculiaris quædam Methodus in tradendâ hac diſciplinâ placet. 4
Extat Adoardi Gvalandi, Piſani, Epiſcopi Cæſenatis, liber, cui tit. *Moralis Philoſophiæ, ac totius Facultatis Civilis, vera & abſoluta Methodus*, Romæ editus A. 1604. *in fol.* Miſcetur hìc cum Morali Civilis doctrina, ac velut unum in conſpectum producuntur. Nam ad Societatum ſpecies, ac jura in Rep. omnem Philoſophiam hanc extendit. Carteſius quoque nova multa è Phyſicis principiis in Moralem doctrinam invexit, ut poſſunt ſanè multa, debentque ex illis fontibus in hanc doctrinam derivari. Non modicas etiam turbas excitavit Thomas Hobbes, *in libro de Cive*, & *Leviathane* ſuo, (quem monſtri aliquid alere vel ipſe Titulus arguit) cujus ſunt multæ profanæ theſes, quæ viam Atheiſmo pandunt, omnique nequitiæ in Republicâ.

 De

(*b*) Recuſa eſt Henr. Julii Scheurlii *Bibliographia Moralis*, Helmſtadii A. 1686. *in 8vo.* Sam. Rachelii *Introductio in univerſam Ariſtotelis Philoſophiam Moralem* ſeorſim non prodiit, ſed Edicioni ejus *Ethicorum Ariſtotelis Nicomachicorum* Græco-Latinæ, Helmſt. A. 1660, *in 4to* publicatæ, eſt præfixa.

De Libertate, & principiis actionum humanarum multa ejus ſunt Paradoxa, quæ tùm à Setho Wardo, tùm à Joh. Bramhall, peculiari Tractatu, Anglico ſermone ſcripto, cui tit: *A defence of true liberty* (Londini 1655. *in 8vo.*) tùm à Gisb. Cocquio, & aliis, refutantur. Herm. Conringius, magnus profectò rerum Civilium Cenſor, Dogmata ejus *Deliramenta* vocat. Thomas Campanella, *in Moralibus*, ſuo quoque ſenſu abundat, aliumque principiorum ordinem ſtruit, qui in Ethicis etiam morbos, febriumque omnium familiam, tractare non veretur, quem quidem inſignem ejus morbum ego exiſtimo. Prodiit Liber Francof. A. 1623. *in 4to.* Et hi quidem omnes, extra Hobbeſium, novitatis quadam prurigine laborant. Qui verò Atheiſmo fundamentum ſubſternunt, in his quaſi principiis veneni ſemina abſcondunt, ut fecit ſceleſtiſſimus ille BENED. SPINOSA, qui ſingulari quâdam methodi ratione, & quidem Mathematicâ, Ethicam propoſuit, &, cùm ad evertendam divinam naturam omnia argumenta inſtrueret, à Deo tamen principium Ethices ſuæ ſumſit. Continetur autem illâ *Ethicâ* ſimul etiam Phyſica, ſubdolèque Autor ille ſub hac perſonâ nequitiam ſuam abſcondit. Tollit ille è naturâ cauſas omnes finales, illasque nihil niſi humana eſſe figmenta aſſerit, quod unum eſt nefariorum ejus dogmatum, quo poſito multa ſequuntur abſurda. Operæ pretium eſſet, refutari hunc librum ordine illo, quo ipſe ſcripſit, ut refutari ſanè poteſt facilè, ſi duo vel tria ejus ſumma principia, quibus tanquam Orci galeâ ſe abſcondit, elidantur.

5 Sunt, qui *Poëtico modo*, per FICTIONES & FABULAS, Ethicam doctrinam tradiderunt. Fr. Baco Verulamius quàm elegantiſſimè & acutiſſimè Veterum Poëtarum fabulas ad Moralem & Civilem doctrinam applicat *in libro de Sapientiâ Veterum*. Ita Daniel Bartoli, Italus, libro patriâ linguâ ſcripto, & Romæ A. 1665. *in 12mo* edito, ſub Tit. *Geographiæ ad Senſum Moralem reductæ*, eleganter, ſub Regionum nominibus, & quadam quaſi peregrinatione, rem omnem moralem deſcribit. Eodem modo is, qui ſe *Mercurium Britann.* vocat, orbem quendam Vitiorum deſcripſit, ſub tit. *Mundus alter & Idem, ſive Terra Auſtralis ſemper incognita*, Ultrajecti 1643. *in 12mo.* Similis ſunt argumenti *Utopia* Thomæ Mori, Thom. Campanellæ *Civitas Solis*, Verulamii *Nova Atlantis*, quibus quaſi quædam Idea hominum, in Rep. viventium, ſecundum virtutem, depingitur. Ita Janus Nicius Erytræus, ſub *Eudemiæ* fabulâ, flagitioſos Aulæ Romanæ mores deſcribit. Bernardinus (Bidermannus) in *Utopiâ* ſuâ ſimile argumentum tractat, Coloniæ editâ A. 1649. *in 12mo.* Multum quoque Æſopici & alii reconditi habent Apologi. Quò etiam ſpectant Eraſmi Michaelii Læti *Colloquia Moralia* carmine deſcripta, quibus Animalia & Arbores inter ſe de rebus moralibus ſermocinantes introducuntur, Baſileæ 1573. *in 4to.* Adde his Howelli, Angli, *Synodum Avium & Remp. Arborum*, Anglicè pariter atque Gallicè publicatas, in quibus mirô lepore Seculi ſui Vitia, eorumque, qui in Rep. adminiſtrandâ, nequitias commiſere, mores deſcribit. Adde Fabulam *de Vulpeculâ* Saxonicam, ſub Apologis iſtis multum Moralis & Civilis rei complectentem. Nec oblivisci hic fas eſt Fabularum (de quarum Origine Pet. Dan. Huetii exſtat Diſſ., Fa-

bulæ

bulæ Hiſpanicæ *Zayde*, Gallicè Pariſ. A. 1671. *in 8vo* editæ, præmiſſa) Romanenſium. E quibus præ ceteris commendanda Fabula *Euphyes*, è Linguâ Anglicâ in Belgicam converſa. Poſſunt denique huc referri omnes illæ Satyræ, quibus publica vitia perſtringuntur, & ſunt, qui integros illarum libros ſcripſère, ut Petrus Firmianus *in Gyge Gallo*, & in *Seculi Genio*. Omnes autem ſuperant Satyræ Horatianæ, in quibus tàm præclara morum Philoſophia recondita eſt, ut felicius ex illis, quàm ex ipſis præceptis, diſci poſſit. Feliciorem enim diſciplinam habet Satyra & ſuaviorem: quod enim eſt χαρακτηριστικὸν in hominum animis & negotiis luculenter, & ad minutias usque, depingitur, quod non obſervant, nec obſervare poſſunt, qui præcepta ſcribunt.

Elogiorum denique Scriptores etiam hîc omittendi non ſunt, illorum præprimis, qui Vitas Philoſophorum, aliorumque Virorum Illuſtrium, deſcribunt. In Plutarcho infinita talium ſeges eſt; ne quid de ceteris dicam. *Characterum Scriptores*, ut inter Veteres Theophraſtus, inter recentiores Lud. Molinæus, qui tamen illum planè non æquat, ad hanc claſſem etiam referendi.

Ut ad Doctrinam Ethices, ſtrictè ita dictam, revertamur, Ariſtoteles cum Interpretibus princeps habendus, de quibus videatur Jac. Thomaſius in *Appendice Orationis*, quæ *Breviario* ejus *Ethico* affixa eſt. *Inſtitutiones Ethicas*, omnium optimas, Conradus dedit Hornejus, quas cum Ariſtotelis Textu legendas & conferendas ſvaſerim. Si quis Erotematicâ Methodo delectetur, non contemnendus eſt Theoph. Golius: *Breviaria* & *Tabulas* Balth. Cellarius & Jac. Thomaſius dederunt. Henr. Kippingius, ut ſolet, diligens eſt in ſententiis & quæſtionibus coacervandis, remittendo ſemper ad Autores. Ejus *Inſtitutiones Ethicæ*, ut vocat, Bremæ editæ ſunt *in 4to*, ac poterit in illâ quoque re prodeſſe Marc. Frid. Wendelini *Philoſophia moralis*, A. 1647. Francofurti edita *in 8vo*. Joh. Chriſtophori Becmanni *Lineæ Doctrinæ Moralis* multa habent non ſpernenda. Hamburgi illam doctrinam præ ceteris excolere laborat Vincentius Placcius, cujus exſtat elegans liber *de fructu præcipuo doctrinæ moralis*, & alter, cujus tit. eſt: *Noſologia & Medicina moralis*, cujus laboris velut Sciagraphiam quandam tantum dedit. Johannes Franciſcus Bonomi ſcripſit *Democritum*, *ſive Riſus morales*, & Lib. alterum, cui tit. *Heraclitus, ſeu fletus morales*, teſte Craſſo *in Elog. hominum Lit.*, *Tom. 2. p. 315.* Sed illi ad Ethicam Satyricam & poëticam pertinent. 6

Ad generales libros morales pertinent illi, qui De Officiis ſcripſerunt, ut inter Gentiles Cicero, inter Chriſtianos Ambroſius. In illum Commentariorum magna ſylva eſt, ſed *moralis* in illum *Commentarius* exſtat noſtri Sam. Rachelii. Promiſerant in ipſum ſuos quoque J. H. Bœclerus & Joh. Schefferus Commentarios, qui an unquam lucem adſpecturi ſint, ambigo: Refertur tamen in Catalogo Scriptorum Schefferianorum, qui habetur in ejus *Sveciâ Literatâ*, *ſive Commentario de Scriptoribus Svecicis*, poſt ejus mortem Holmiæ A. 1680. *in 8vo* edito, tanquam qui ultimam manum deſideret. Eſt & Roberti Scharrokii liber *de Officiis ſecundum naturæ jus*, 7

in quo ea tractat, quæ ad Juriſprudentiam naturalem pertinent. Quanquam multa aliena & impertinentia admiſceat, cujus argumenti liber etiam eſt de *Obligatione & Conſcientiâ* Rob. Sanderſonii, Oxoniæ A. 1660. *in 8vo* editus. Magnificum Ciceroni Elogium ex merito ſuſpendit Hier. Cardanus *in lib. de Utilitate ex adverſis capiendâ p. 449.*

8 Specialiores hîc ſunt libri, qui ARGUMENTA MORALIA SPECIALIA tractant, ut qui de *de Officio Principis erga ſubditos, & vice verſâ*, ſcripſerunt. *De officiis inter Potentiores & tenuiores amicos* extat elegans Diſſertatio Joh. Caſæ, quæ reperitur inter *Monumenta* ejus *Latina. De officio mariti & fœminæ* præclarus liber eſt Joh. Lud. Vivis. *De Officiis Conſiliarii, Senatoris, Aulici*, variorum extant Tractatus. Pertinet huc liber, cujus Tit. *Inſtitutio Viri privati, Politici & Aulici*, è linguis Hiſpanicâ, Gall. & Ital. in Latinam converſa, Francofurti 1647. *in 8vo.* Joach. Paſtorii *Inſtitutiones Aulicæ* è Gallico ſcripto totæ ſunt converſæ.

9 Ad hanc doctrinam referre poſſis, qui de VIRTUTIBUS tractant HOMILETICIS. Elegans exſtat Diſſertatio J. Henr. Bœcleri de hoc argumento, inter *Diſſertationes* ejus *Academicas, de elegantiâ moris civilis & aulici.* Joh. *it.* Caſæ *Galateus*, ſeu *de moribus liber*, & Steph. Guazzii, *de civili converſatione: Aulicus Balthaſaris Caſtalionei* in latinam lingvam eſt converſus ab Hieron. Turlero, Witteb. 1569. *in 8vo.* Apud Gallos magna exſtat talium Scriptorum copia, quos recenſet Sorellus *in Bibliothecâ Gallicâ*, ſub tit: *Des livres pour la conduite de la vie dans le monde.* Quod ad gentem Gallicam, ejusque mores, attinet, exſtat libellus Gallicâ lingvâ ſcriptus, ſub tit: *De la civilité, qui ſe pratique en France.* Viro Civili inprimis minutiæ illæ uſui eſſe poſſunt, ac conſtruendi ſunt talium rerum curioſo velut Loci Communes quidam, tùm ſecundum gentes, tùm ſecundum varietatem actionum, in Republicâ, in Comitiis, Legationibus, Inaugurationibus, aliisque ſolennitatibus feſtivis, Conviviis publicis, & privatis audientiis. Ac memini tales libros collectaneos Viris in Republ. verſantibus concinnatos, ſummâque diligentiâ, velut Arcanum aliquod, cuſtoditos. Plus enim ſæpè in his ineptiis latet, & in illo aulico, ut ita loquar, Pedantismo, quàm in ſeriâ & profundâ rerum Civilium intelligentiâ. Tale aliquod *Collegium Rituum ac Civilitatis apud varias gentes* J. Chriſtoph. Wagenſeilius, Profeſſor Juriſpubl. Altorfinus, Vir eleganter doctus, habuit.

10 Ad Generales Ethicos Scriptores pertinent & illi, qui de VIRTUTIBUS & VITIIS ſcripſerunt. Tali titulo liber adſcriptus eſt Ariſtoteli. Inter Recentiores eſt Caroli Paſchalii *liber de Virtutibus & Vitiis*, Genevæ 1620. *in 8vo.* Exſtat & Joach. Paſtorii *liber de Characteribus Virtutum & Vitiorum*, eleganter ſcriptus. *De principio Actionum humanarum* peculares Diſſertationes Sam. Rachelius ſcripſit, Helmſtadii editas, atque ex eo doctrinæ fonte in Theologiam & Jurisprudentiam multi ducuntur rivuli. Quoad Theologiam huc ſpectat Eilh. Lubini *Phosphorus de primâ cauſâ & Naturâ mali.* Nec contemnendus eſt J. Joach. Beccheri Tr. German. von den eigentlichen Urſachen des Glücks und Unglücks. Pertinent huc, qui de *ſummo Bono* ſeorſim

ſeorſim ſcripſerunt, uti Bernhardus à Mallincrot, qui peculiari Diſſertatione ſenten-
tias Veterum congeſſit, additâ *Paralipomenis Hiſtoriæ Græcæ*. Lev. Nicol. Moltke-
nii *Conſolatio Socratis* varia habet ejus argumenti.

Hieronymus Cardanus, *in libro de Utilitate ex adverſis capiendâ*, & aliis qui- 11
busdam, moralia argumenta diligentiſſimè illuſtravit. Conſcripſit & Franciſcus Pe-
trarcha ſimilis argumenti libellos. *De Nobilitate* Simon Simonius librum ſcripſit;
De abuſu mendacii Albericus Gentilis elegantem Diſſertationem, iis oppoſitam, qui
omne mendacium, quod vulgò jocoſum & officioſum dicitur, illicitum atque adeò
peccatum putant. De *Affectibus & perturbationibus animi* Auguſtinus Maſcardus
Diſſertationes dedit, quæ ſub *Proluſionum Ethicarum* titulo prodierunt Pariſiis An.
1639. *in 4to*, item ſub alio *Diſſertationum Romanarum* titulo, ibid., 1639. *in 4to*,
quarumque Pars IIda MSta reſtat, teſte Craſſo *P. I. Elog. p. 257*. Hujus viri in Mo-
rali Philoſophiâ excolendâ ſingulare fuit ſtudium. Nam exſtant etiam Italicâ linguâ
ſcriptæ commentationes ejus *ſuper Tabulam Cebetis*, quæ nunc in Germanicam ſunt
converſæ. Scripſit & Antonius le Grand, cùm nondum eſſet Carteſianæ Philoſophiæ
addictus, librum Gallicâ linguâ, cui titulus: *L' Homme ſans paſſions*, *Homo ſine af-
fectibus*, Hagæ Comitis 1662. *in 12mo*, quo Stoicorum doctrinam propugnavit; ſed
poſtea, cum Carteſii ſententias ſequeretur, Stoicismum hunc abdicavit, quem Lipſius
quoque *in libro ſuo de Conſtantiâ* aſſertum ivit, uti & in Phyſiologiâ ſuâ *Stoicâ*.
Cenſuram animi ingrati Carolus Paſchalius ſcripſit. Exſtat etiam elegans J. Henr.
Bœcleri Diſſertatio, *de Actione legibus proditâ, aut non proditâ, adverſus ingratos*.
Multa ſunt talia Scripta ſpecialia Joh. Jov. Pontani, Cardani, Petrarchæ, aliorum-
que linguâ latinâ ſcripta, longe plura Gallicâ, Italicâ, & Hiſpanicâ, quæ omnia re-
citare Voluminis integri res eſſet. Commendo tamen illa maxime, vehementer ad
morale ſtudium profutura. Si quis enim diligentius illa legerit, rationemque omni-
um accuratam inierit, multa ex illis hauriret, ad univerſalem aliquam moralem no-
titiam parandam, & illam de officiis doctrinam diligentius excolendam, quæ cre-
retur ſub diſciplinæ alicujus formâ proponi, & quidem ordinatius, quàm hactenus
factum. Qui enim ſcripſerunt hactenus de hoc argumento, imperfecte tantum, &
per partes id tractarunt. Nuper *Samuel Puffendorfius* hanc doctrinam ſingulari li-
bro propoſuit, ante aliquot annos edito. Verùm ille ad actiones in Republ. juſtas
doctrinam tantùm ſuam reſtringit; qui verò de officiis in univerſum vellet agere,
non has tantùm officii partes, ſed omnes, quarum in ſocietate uſus eſt, pertractare
deberet, non ejus tantùm, quod ex virtute deſcendit, ſed & ejus, quod ex decoro. In-
ter Auctores de Affectibus omiſi Dominum de la Chambre, Medicum Regium, qui
Gallicâ linguâ elegantem librum ſcripſit, cui titulus: *Les characteres des Paſſions*,
Amſtelod. 1658. *in 12mo*. Facundè admodum & prolixè hic agit de affectibus, è
Phyſices quoque fontibus Characteres eorum clarè delineat, poteritque liber ille tri-
bus diſciplinis inſervire, Phyſicæ, Ethicæ & Rhetoricæ. Mentio etiam hîc facienda
eſt Scipionis Claramontii, cujus exſtat aureus planè liber *de Conjectandis latentibus*
animi

Animi Affectibus, olim in Italiâ impreſſus, nunc Helmſtadii, curâ Conringii, recuſus, cum hujus luculentâ in illum Auctorem præfatione. Sed is non tàm ad Ethicos, quàm ad Phyſiognomos, pertinet, ad converſationem tamen civilem eſt accommodatiſſimus.

12 Pertinent & huc, qui Casus Conscientiæ ſcripſerunt, quorum multi ſunt; & quidem è Scholaſticis ſuprà nominavimus nonnullos, qui in his negotiis ſcrupuloſi admodum ſunt inſpectores. Operæ pretium eſſet, hujus rei aliquam ſcribi regulam. Nam Caſuum eſt infinitas, & tamen methodica illorum Diſquiſitio inſtituenda. Facem hîc præferet is, quem ſupra commendavi, Joh. Azorius, ac prodeſſe quadantenus liber Rob. Sanderſonii *de Obligatione ex Conſcientiâ*, ſupra nobis laudatus, poteſt. Penè omiſeram Æquivocationis doctrinam, quæ moralem Philoſophiam nuper ad modum peſtis infeſtare cœpit, tot antè ſeculis incognita, & tàm præclaris Philoſophis non perſpecta. Iſtam ſcil., è divino illo ingenio ſuo, excuderunt nobis Jeſuitæ, verum nequitiæ ludum, imò integris Commentariis & libris propugnarunt. Operæ pretium fecit Clar. noſter Sam. Rachelius, qui illorum Auctorum aliquos collegit uno libro, ac refutavit, Helmſtadii *in 4to* edito. (*c*)

13 Spectaret & huc Jurisprudentiæ Universalis Disciplina, morali Philoſophiæ ſubordinata, de quâ, cùm agere plenius conſtituerimus, ubi ad Scriptores Juris perveniemus, hîc illos omittimus, & Philoſophiæ moralis Scriptoribus finem imponimus. Cujus ſtudium non poſſumus, quin ſeriò commendemus. Jejuna eſt hujus ſtudii in plerisque Academiis tractatio, plurimis circa notionalem Philoſophiam conſeneſcentibus, cùm hæc tamen faciat ad viros bonos formandos. Scilicet ſunt, quæ inflant, ſcientiæ, ut quæ circa notiones intemperantius verſantur, quædam pectus etiam ſaturant, ut rerum naturalium cognitio; ut boni verè ſimus, uni huic diſciplinæ, & poſt illam Theologiæ, debemus. Conqueritur de hoc defectu non immeritò J. Henr. Bœclerus in eleganti *Diſſertatiunculâ de fatis literariis noſtri temporis*, & meliora tempora exoptat. Nos jam ad Politicos properamus.

FINIS LIBRI PRIMI.

POLY-

(*c*) Doctrinam Jeſuitarum de Æquivocatione Sam. Rachelius peculiari Scripto non impugnavit, ſed *Probabilitatis, quam Jeſuitæ, noviique Caſuiſtæ, præcipuum Theologiæ ſuæ Moralis fundamentum, conſtituerunt, Examen*, Ludov. Montaltii (ſive Blaſii Paſchalis, ſub larvâ hac abſconditi) *Literis de Morali & Politicâ Jeſuitarum Diſciplinâ Provincialibus*, per Wilh. Wendrockium Latinè verſis, *Notisque Theologicis* illuſtratis, a ſe autem Helmſtadii A. 1664. *in 4to* denuò editis, ſubjunxit. Video tamen Herm. Conringium, in Epiſtolâ Syllogæ huic præfixâ, Rachelium ſeriò eſſe hortatum, ut *Jeſuitarum* etiam *Æquivocationes, Reſtrictiones Mentales, ceteraque monſtroſa doctrinæ Moralis capita, Stylo ſuo pariter confoderet, Herculis* Ἀλεξικάκου *nomen & laudes, eo facto, à gratâ poſteritate meriturus.* Sed monito iſti Rachelius, aliis haud dubiè Occupationibus deinceps impeditus, haud optemperavit.

POLYHISTORIS TOMI III.

SIVE

POLYHISTORIS PRACTICI, LIBER II. POLITICUS.

DE PRUDENTIÆ CIVILIS SCRIPTORIBUS.

§. 1. *Nomenclatores horum & Critici, Gabr. Naudæus, Chriſtoph. Colerus, Herm. Conringius. 2. Syſtemata Politica omnia imperfecta. Platonis Politica* ἀμέθοδος. *Ariſtotelica* εὐμέθοδος. *Generalia Politices Præcognita à Joh. Caſelio, Caſp. Scioppio, Herm. Conringio, Scriptis tradita peculiaribus. Optimi Politicorum Ariſtotelis Commentatores Mich. Piccartus, Hub. Giphanius & Dan. Heinſius. 3. Judicia de Inſtitutionibus & Compendiis Politicis Henr. Kippingii, Henn. Arniſæi, M. Z. Boxhornii, Georg. Schönborneri, M. F. Wendelini, Joach. Stephani, Er. Puteani, Franc. Burgersdicii, & Georg. Hornii Notis in hujus Ideam. 4. Cenſuræ de Novatoribus Politicis Anti-Ariſtotelicis, Joh. Bodino ac Pet. Greg. Tholaſano, Pſeudo-Politicis item modernis, Nicol. Machiavello (per Caſp. Scioppium defenſo,) Thoma Hobbeſio, & Politici Scelerati Autore. Technæ Pſeudo-Politicorum, ab Ariſtotele jam & Hier. Cardano (in Arcanis Prud. Civ.) obſervatæ. 5. Scriptores de Republicâ Dogmatici, quos inter Andr. Fricius commendatur. Cyr. Strozzæ Supplem. Politicorum Ariſtotelis. 6. Neceſſarii Politico ſunt Hiſtorici, ſed prudentiâ Civili conſpicui, quales ſunt Polybius, Jac. Aug. Thuanus, & Victorius Siri, Rerump. item Deſcriptores Generales, è quibus Ariſtoteles, aliique Veteres, periêre. Judicia de hujus Argumenti Laboribus affectis atque ineditis Herm. Conringii, J. H. Bœcleri, J. Andr. Boſii & Bernh. Varenii, nec non de editis Lucæ de Linda, Georg. Hornii & Chriſt. Funccii. 7. Specialium Rerump. Deſcriptores. In Sueciâ, alibique, Scripta hujusmodi de Patriæ Rebus vetita. Legatorum de Rebusp. Relationes, à Phil. Honorio, Caſp. Enſio & Nicol. Bello (Plagiario,) publicatæ. 8. Vitarum Scriptores & Epiſtolographi Politici, quales ſunt Hugo Grotius, Foxius & Arn. Oſſatus. 9. Memoriarum de rebus propriis, aut aliorum Virorum Illuſtrium, & Actorum Publicorum, Collectores. 10. Scriptores de Rebus Politicis Satyrici, & Libelli Famoſi. Pasquillorum Romanorum Tomi. Joh. Barclaji Euphormio. Scriptores de eo, quod Principum & Rerump. intereſt. Cenſuræ de Anoynmi Europe Vivante, & Ducis Rohanæi Trutina Statuum Europæ. 11. Itineraria Politica. Judicium de Phil.*

Andr. Oldenburgeri Itinerario Germanico. 12. Ex Obſervationum in Autt. Antiquos Politicarum Scriptoribus commendantur Chr. Forſtnerus, J.H. Bœclerus & Traj. Boccalinus in Tacitum, Nic. Machiavellus, J. Schefferus, Caſp. Facius & J. Gruterus in Livium, Bœclerus & Jac. Zevecotius in Svetonium, Zevecotius & Chr. Ad. Rupertus in Florum, Rupertus in Salluſtium & Vellejum. Conſilium de Locis Communibus ex iis concinnandis. 13. Diſſertationes Politicæ J.H. Bœcleri, Diſquiſitt. M.Z. Boxhornii, Orationes Demoſthenis, Iſocratis, Ciceronis, & Thomæ Lanſii, Cenſuræ de Lanſii Conſultatione, & Georg. Hornii Diſſertationibus. 14. Judicia de Georg. Richteri Aphoriſmis, Joh. Chokieri Theſauro Politico, & Politicis Juſti Lipſii, quæ Mart. Berneggerus, J. H. Bœclerus, Herc. Catus & J. Lud. Praſchius, illuſtrârunt. Aphoriſmi Variorum ex Tacito & Floro. Mich. Fetteri Succus Curtianus exſuccus. Juſti Lipſii Monita Politica, Joh. Boteri Scripta hujus generis varia. 15. Scriptores de Ratione Status (Lud. Septalius, &c.) de Arcanis Dominationis (Arn. Clapmarius, Cyr. Lentulus, hisque præferendi Gabr. Naudæus & Hier. Cardanus,) ac de Inſtitutione Principis (quos inter Svecus Anonymus, à Joh. Scheffero editus, commendatur.) 16. Scriptores Nomotheticæ, ſive Doctrinæ de Legibus Gentium, vulgò neglectæ, it. de Moribus gentium, quò ſpectat Joh. Barclaji Icon Animorum. 17. Scriptores de Miniſtris Principum (Silhonius, V. L. à Seckendorf, &c.), de Migrationibus Gentium & Rerump. Excidiis (Joh. Biſſelius, Mart. Schookius & Wolfg. Lazius, Hiſtorici potius quàm Politici, Dn. item de la Cour, & Joh. Schildius), de Periodis Rerump. (Joh. Loccenius,) & de Seditionibus (Mart. Schookius, aliique.) 18. Non negligenda Politica Sacra, Pontificum inprimis. Cognoſcendæ huic inſerviunt Lud. Maimburgii Hiſtoria Lutheraniſmi, Baſil. Hyperetæ Libellus de Aulæ Romanæ Artibus, & Pauli Sarpii Hiſtoria Concilii Tridentini. 19. Politicæ Biblicæ Scriptores, Hiſpanus nonnemo, Theod. Reinkingius, & Eggefeldius Jeſuita, Amandi Veri larvâ indutus. 20. Diſſertt. Politicæ Miſcellæ Georg. Obrechti, Joh. Henr. Bœcleri, Jac. Thomaſii, M. Berneggeri & Sam. Puffendorfii, Conclavia Pontificum, Scripta it. alia Joh. Calderini, R. H. Schelii, Joh. Gen. Sepulvedæ & Alb. Gentilis, commendantur. 21. Politica quædam in omnibus occurrunt Scriptoribus, etiam in Poëtis Heroicis ac Comicis, Virgilio præſertim & Terentio (quem Hugo Grotius magni æſtimavit,) ac ipſis quoque Fabulis.

1 POLITICA Architectonica vocatur ſcientia ab Ariſtotele, quoniam Reipublicæ regendæ præcepta præſcribit. SCRIPTORES ejus recenſeri ſpeciatim omnes non poſſunt, nec opus eſt, cùm jam tum operâ illâ ſublevârint nos Viri doctiſſimi. (a) Exſtat Gabrielis Naudæi *Bibliographia Politica*, præclarus liber,

(a) Gabr. Naudæi *Bibliographia Politica*, Jac. Gaffarello, Th. & J. Can. Doctori, Priori ad D. Ægid. Pariſino, & Protonot. Apoſtolico, inſcripta, ſeorſim initio prodiit Venet. A. 1633. in

ber, quem in Germaniâ recudi fecit Aug. Buchnerus; ac habetur quoque inter Auctores illos, qui Methodos variarum diſciplinarum propoſuerunt, ac in Belgio junctim prodierunt. Plus juſto diligentior videtur Conringio, eaque notaſſe, quæ præteriri ſilentio commodè poterant. Eſt & Chriſtoph. Coleri *Epiſtola de ſtudio Politico*, ejusdem argumenti, quam Diſſertationi Naudæanæ addidit Buchnerus, quæ tamen & inter Auctores *de ſtudiis inſtituendis* reperitur. Additur Hug. Grotii Conſilium aliquod, in Epiſtolâ ad Legatum Regis Galliæ, Benj. Auberium Maurerium, perſcriptum, quod pauca tantùm ad Politicam ſpectantia, quanquam utilia, attingit. Poſt illos diligentiſſimè hoc argumentum tractavit Hermannus Conringius, in *libro de Civili prudentiâ*, edito Helmſt. 1662. *in 4to*, *c. 14.*, quo recenſet Scripta, ad parandam prudentiam Civilem maximè neceſſaria, ſupplens, quæ à Naudæo omiſſa, addens, quæ doctrinæ civili ſunt affinia, ut vix aliquid ſupereſſe videatur, niſi Scripta quædam ſpecialia, & quæ poſt editum hunc librum demum prodierunt, argumenti Politici.

Auctores, qui prudentiam Civilem Methodo Dogmatica ſunt complexi, pauci ſunt, qui laudari mereantur, imò pene nulli. Perfectas enim Politicas Inſtitutiones hactenus non habemus, quæque titulum illum tueri poſſint. Hugo Grotius, de optimo Politices Auctore rogatus, conſilium dedit, ut quis Volumen chartæ puræ ſibi conficeret, & viſa auditaque in illo notaret. Sed illa de ſpecialibus dicta ſunt. Oportet verò omnino generalia tenere præcepta. Inter Veteres, ante Platonem, non niſi fragmenta habemus. Plato Socraticam Politicam *libris de Republicâ*, aliisque *Dialogis*, complexus eſt, ſed methodo abſtruſiore. Ariſtoteles tandem omnium optime principia Politica digeſſit, atque ad Reſpublicas in Ideâ conſideratas, ſed quales dari poſſunt, applicavit, cujus utinam ſpecialia haberemus Scripta *de Rebuspublicis*, magnus utique ſupereſſet Veterum Rerumpubl., tùm quà Hiſtoriam, tùm quà Civilem prudentiam, theſaurus. Generalia iſtius doctrinæ tractarunt Joh. Caſelius in *Propolitico*, Caſp. Scioppius in *παιδείᾳ Politices* (quem optimum ejus & ſaniſſimum librum nominat Naudæus,) Herm. Conringius in libro *de Civili prudentiâ & Propoliticis ſuis*, qui parum inter ſe diſcrepant, ac eadem ferme repetunt. Videtur pene Caſelii veſtigia in illis legere, quod & Capitum lemmata oſtendunt. Jungi his debet Caſelii *πολιτευσόμενος*, quo in libro diſſerit, quemadmodum primarius aliquis 2

 ado-

in 12mo. Recuſa deinde eſt, cum aliis ſimilis argumenti Opuſculis, Witteb. A. 1640. *in 16to* (curante Aug. Buchnero,) Lugd. Bat. A. 1642. *in 32mo.* Et Amſtelod. (inter Scriptores *de Studiis inſtituendis*,) A. 1645. *in 12mo.* Quatuor hiſce Editionibus, unà cum Verſione Gallicâ Challinii, Advocati Regii Carnutenſis, Pariſiis A. 1642. *in 8vo* excuſâ, à Phil. Labbeo (*in Biblioth. Bibliothecarum p. m. 99. 100.*) jam memoratis, addenda eſt Noviſſima Francofurtenſis Anni 1673. *in 12mo.* ab Herm. Conringio curata, quæ ſimul etiam Hug. Grotii, Ignat. Hannielis, Joh. Henr. Alſtedii, Ægidii à Lancken & Chriſtoph. Coleri, *de Studio Politico* Conſilia & Epiſtolas, Caſpariſque Scioppii *Pædiam Politices*, Conringii illuſtratam *Animadverſionibus*, eodem faſce complectitur.

adoleſcens maturè & rectè educetur ad Rempublicam, Francof. 1631. *in 8.* De Interpretibus & Verſionibus *Politicorum* Ariſtotelis Conringius agit peculiari libro, *Introductione in Politica* Ariſtotelis. Inter Interpretes & Commentatores Recentiores Michael Piccartus optimus habetur; Hubertus Giphanius verborum ſenſus accuratiùs inveſtigat. Paraphraſis Heinſiana ad intelligentiam textus præ ceteris commendari debet.

3 INSTITUTIONES POLITICAS, ut dixi, perfectas hactenus non habemus. Prodiit quidem eo titulo liber HENRICI KIPPINGII, Bremæ A. 1667. *in 4to*, ſed non implet hujus tituli menſuram. Neque enim omnia Politices capita juſto & ſcientifico ordine tractavit. Multa immiſcentur à ſcopo aliena, digreſſionesque prolixiores, non tamen inutiles, ad Phyſicam doctrinam. Solus Henn. Arniſæus, ſi à Jurisconſultorum controverſiis ſibi temperaſſet, aliquod operæ pretium feciſſet. Habemus interim Compendia non omninò ſpernenda, imo ipſis Inſtitutionibus, quales hactenus exſtant, meliora. Tale eſt Marci Zuerii Boxhornii, cui jungat aliquis Balth. Cellarium licet. Georg. Schönbornerus, ejusque Epitomator Marcus Frid. Wendelinus, mirificum aliquod Chaos conſtituunt miſtæ cum Jurisprudentiâ Politices. Joachimi Stephani *Demonſtratio Politicorum* Roſtochii excuſa *in 8.* A. 1576. & deindè Gryphiswaldiæ A. 1599. recuſa, non omninò contemnenda eſt, ſed Juridica itidem multa immiſcet. Scripſit & *Compendiolum* aliquod Erycius Puteanus ex Ariſtotele, ſed breve admodum, & more iſto Laconico excerptum, ac præterea imperfectum. Prodiit illud ſub Titulo *Linearum Doctrinæ Civilis*, & tres tantùm Ariſtotelis Libros abſolvit. Eſt & Franconis Burgersdicii *Idea Politica*, cum *Notis* Georgii Hornii, Lugd. Bat. A. 1668. *in 12.* edita, ſed Hornii *Notæ* extemporales, ut omnia illius Viri, ac exiguo conſcriptæ judicio, de quibus tamen Horatianum illud uſurpes: *Cum flueret lutulentus, erat, quod tollere velles.* In Burgersdicio denique mediocria omnia, nec illa, quæ eſſe debebat, accuratio.

4 Qui heterodoxa, & ab Ariſtotele DIVERSA METHODO, Politicam doctrinam tractârunt, vel ratione ordinis tantùm, vel ratione principiorum, differunt. J. Bodinus, quem Naudæus ubiquè magnum & acutum Politicum crepat, totus diverſus eſt ab Ariſtotele, de induſtriâ ſæpe in plano quærens lapides, in quos impingat, & in ſcirpo nodos. Magnificè etiam ipſe de ſe ſentit, & præ ſe Ariſtotelem contemnit, in quo tamen, & illum, & alios, vehementer falli certum eſt. Plus ſæpè in unâ lineâ Ariſtotelis prudentiæ politicæ reconditur, quàm in integris aliorum diſſertationibus. Quin ipſi, qui nunc ſceleratæ Politices Architecti ſunt, legere illa omnia apud Ariſtotelem poſſunt, qui artes, tàm tyrannicas, quàm oligarchicas, non diſſimulavit, quibus omnis ille nequitiæ ludus ſuperſtruitur. Falluntur itaque, qui Nicol. Machiavellum ex ſuo ingenio tàm bellam doctrinam depromſiſſe autumant, quam de Principe proponit, in quem tot exſtant Declamationes doctorum, indoctorum, ſed tamen defendit peculiari Apologiâ, quâ erat pietate & probitate ſcil. inſignis, Caſpar Scioppius. Defendit & aliquâ ex parte Herm. Conringius *in præf. & Notis ad Machiavelli Principem*

pem ſcriptis, quæ Editio optima eſt, prodiitque Helmſtadii anno 1660. *in 4.* Petrus Gregorius Tholoſanus aliâ quoque ab Ariſtotele incedit viâ, prolixior in rebus non neceſſariis, unde in vaſtum opus liber ejus *de Republ.* excrevit, editus Francof. 1609. *in 4to.* Thom. Hobbeſius in libris *de Cive*, à ſe ſcriptis, ineptè gloriatur, neminem ante ſe quidquam Politicæ rei demonſtraſſe, quæ hominis ſuperbia ab ipſorum dogmatum ſtultitiâ non eſt aliena. Neminem enim ita delirâſſe puto ante illum. Quanquam non pauci ſunt, qui cum iſto flagitiosè ſapere malunt, quàm cum aliis rectè ſentire. Præcipuum & palmarium ejus dogma eſt: *Naturâ inter homines, non ſocietatem, ſed diſcordiam, eſſe inſtitutam, vel*, ut ille loquitur, *omnium eſſe in omnes bellum*; ex quâ Camarinâ quàm fœtidi fluant rivuli, facilè ſubolfaciet, qui non eſt naris obeſæ. Prodierunt quædam Axiomata Politica (revera Scopæ tantum diſſolutæ, & promiſcuæ quædam Obſervationes) ſub tit. *Politici ſcelerati*, quæ Chriſtoph. Pellerus refutare voluit, ſatis ipſa turpitudine ſuâ infamia. Prodierunt eadem ſingulari libro, ſub tit. *Homo Politicus*, auctiora, à quodam Pacifico à Lapide conſcripta. Sed non ſunt tàm rara ejus libri præcepta. Longè enim plura jam tùm ab aliis obſervata videas, præſertim ab Hier. Cardano *in Arcanis prudentiæ Civilis*, libro profectò aureo Helmſtadii recuſo, in quo multæ occurrunt technæ & fraudes, ab ipſo notatæ, quas ſcire etiam homini probo interdum expedit, ne technis talibus decipiatur.

Multi ſunt alii Auctores, qui de Republica in Universum ſcripſerunt, ſcil. de eâ, vel inſtituendâ, vel emendandâ, è quibus præ ceteris commendo librum inſigne Andr. Fricii *de Republ. emendendâ*, editum *in fol.* Baſileæ A. 1559. Quo in libro ad Statum Eccleſiaſticum ſe quoque demittit Autor, pluribusque de ejus emendatione agit. Scripſit Cyriacus Strozza *de Republ. Librum* Græcè & Latinè, quaſi in ſupplementum Ariſtotelis, qui prodiit etiam unà cum Ariſtotelis Operibus, Pariſiis editis. In *Bodinum*, quod ſuprà omiſi, *Animadverſiones* à nonnullis ſcriptæ ſunt. Ferrierus Gallicâ linguâ tales ſcripſit, Pariſiis A. 1580. editas, Apologiam verò, pro Bodino Renatus Herpinus, itidem Gallicam, quæ & converſa eſt in linguam latinam. Celebratur & Italicus *Aldi Manutii* liber *de excellentiâ Rerumpublicarum.* Joh. Ferrarius Montanus *de Republ. bene inſtituendâ* librum *in folio*, Baſileæ A. 1556. publicavit. 5

Pertinent ad Auctores Politicos etiam Historici; illi enim manus inter ſe jungunt, eſtque Hiſtoria quaſi altera Politices manus. Vid. Juſti Lipſii *Ep. 61. Centur. Miſcell.*, de Hiſtoricis legendis & excerpendis. Non ſpectant huc Hiſtorici illi Compendiarii, qui Hiſtoriam Imperiorum & Monarchiarum ſcripſerunt, pauca enim ex adeò rudi labore depromi poſſunt. Nam ad Politica ſola, & ad rerum cauſas & eventus, hîc reſpiciendum eſt. Hiſtoria talis Univerſalis haberi non poteſt, ſed haberi tantùm poteſt illa certorum temporum, quales ſunt *Jac. Aug. Thuani*, (ab Anno 1546. ad 1607., è quâ expuncta ſeorſim poſtea prodierunt) & *Victorii Siri* (ab Anno 1635. ad 1647., Italicè, ſub *Mercurii* titulo, pari induſtriâ pertexta,) certarumque Rerumpublicarum. Quale Opus ſcripſit Ariſtoteles, & ante Ariſtotelem alii Græci Au- 6

ctores, quorum quædam ſuperſunt hodiè fragmenta, ſed exigua. *Polybius* Hiſtoriam Univerſalem in animo habebat, ſed exiguam ejus partem tentavit. Videantur Bœclerus *in Diſſert. de utilitate ex Hiſtoriâ univerſali capiendâ*, & Iſ. Caſaubonus *in Comment.* ſuper auream illam Polybii *præfationem* aureo, ſeorſim edito. Reſpublicas in univerſum deſcribendas noſtro tempore ſibi ſumſerunt aliqui; ſed omnis imperfecta opera eſt. De ſcriptoribus illarum veteribus & novis vide J. Andr. Boſium in *Introductione in notitiam Rerumpubl. c. 4. period. 5. 6. 7. 8. 9.* Decurrit nunc illud ſtadium HERMANNUS CONRINGIUS, qui privatis lectionibus, ſed tamen extemporalibus, pleraſque omnes Reſpublicas enarravit. (*b*) Publicavit illos Commentarios, hactenus Manuſcriptos, *Phil. Andr. Oldenburgerus*, invito & reclamante C. nringio. Incidit verò in Exemplar, ipſo Conringio teſte, vitioſum, & nullâ cum curâ exceptum. Ipſe Manuſcriptum exemplar habeo, illo longè plenius. Addidit Oldenburgerus quædam pro more ſuo, ex Hornio aliiſque excerpta. Sed, cùm alia haberi editio non poſſit, præſtat tamen aliquam habere, quàm nullam. Incepit quidem ipſe Conringius hunc laborem (jam enim aliquot folia excuſa ſunt,) ſed non credo, illum tàm prolixum Opus abſoluturum, aut tantum ilii otii eſſe, ut apponat manum ultimam. Creſcit enim cum tempore talis labor, & librorum Exoticorum, Linguis Gallicâ, Italicâ, aliiſque editorum, quorum tamen uſus hîc neceſſarius eſt, rarior videtur fuiſſe apud Conringium lectio. Et nunc, poſt illud Opus, multi novi prodierunt hujus argumenti libri. Audio & *Joh. Henr. Bœclerum* privatis lectionibus quædam fuiſſe de hoc argumento commentatum, quæ lucem fortè nunquam adſpicient. Suſcepit & *Joh. Andr. Boſius*, Prof. Jenenſis, laborem ſimilem, ſub Titulo *Notitiæ Orbis*, ſed telam ſuam non pertexuit. Habuit & tale aliquid in animo Bernh. Varenius *in Geographiâ Speciali*, in *Præf. Generalis* promiſſa, & fortaſſis quàm accuratiſſimè rem iſtam pertractaſſet. Sed mors improviſa conatum illum intervertit. Et poterant illi principes in his ſtudiis Viri, præ ceteris, diligentius in hoc labore deſudare; ſed facilè animadverterunt etiam illi, quàm non ſit unus homo par iſti labori, propemodum infinito, totieſque repullulanti, & in orbem redeunti. Huc quoque ſpectant Archontologia Coſmica, Joh. Boteri Imperiorum Mundi Catalogus & Deſcriptio (Col. 1613. *in 8vo.*,) ac Lucæ de Linda *Deſcriptio Orbis*, quam Juvenile eſſe Opus facilè apparet, licet non inutile. Scripſit & GEORG. HORNIUS Opuſcula quædam *Orbis Politici & Imperantis*, non quidem contemnenda: ſunt enim memoriales, libelli,

(*b*) Quid *in Theſauro Rerumpublicarum totius Orbis Quadripartito*, Textum ſui de iis Collegii, Notis Excerptiſque Politicis illuſtratum, exhibente, ac per Phil. Andr. Oldenburgerum Genevæ A. 1675. *in fol.* publicato, deſideret, quaſque ob cauſas ſuis illum fœtibus accenſere non poſſit, ipſe Conringius, *in Admonitione* peculiari, Helmſtadii eod. A. 1675. *in 4to* editâ, fuſius expoſuit. Sicut Georg. Hornii *Orbem Politicum* Otto Menckenius illuſtravit ac repurgavit, ita *Orbi Imperanti* eandem impendit operam Menckenii Collega, Joach. Fellerus, Poëſ. Prof. Lipſienſis, cum cujus ille *Animadverſionibus* noviſſimè Lipſiæ A. 1693. *in 12mo* eſt recuſus.

libelli, nec malè ordinati. Non reſpondent tamen titulo, cùm multa, imo potiſſima, ſint omiſſa, nec pauci illic occurrant errores. A ſphalmatibus ergò debent repurgari, ut repurgavit *Orbem* ejus *Politicum* Otto Menkenius, Profeſſor Lipſienſis, Vir doctus, & rerum iſtarum peritus. Chriſt. Funccius *Breviarium* ex omnibus contraxit, cui ea debetur laus, quæ omnibus Epitomatoribus.

Inter Speciales Rerumpubl. Historias quænam præcipuè ſint laudandæ, longa poſſet inſtitui Diſſertatio. Sed occupârunt jam tum hoc argumentum Conringius *in Prolegomenis Collegii ſui*, & Boſius *in Introductione ſuâ*. Accuratiores collegerunt, & formâ miniſculâ ediderunt, Elzevirii. Eduntur alioquin variarum Rerumpubl. Hiſtoriæ, veteribus illis perfectiores, quas annotare cum prioribus debemus. Ut enim variat Status Civilis per tempora, ita Deſcriptiones quoque illæ variant. Utriusque verò temporis tàm elapſi quàm præſentis, ratio habenda. Unde etiam de futuro ſtatu prudens Politicus conjicere poteſt. Sed multa iſti Autores diſſimulant, quæ non expedit publicari. Eſt enim Reip. pernicioſa omnium Arcanorum Status publicatio, adeò ut in quibusdam regionibus capitali pœnâ prohibitum ſit, quicquam de ſtatu, reditibus, & ſimilibus, ſcribere, unde notitia poſſit eſſe accurata Hoſti, vel Vicino. (c) Memini, cùm apud Suecos aliquis *Epitomen Deſcriptionis Sueciæ* ſcriberet, publicè prohibitam fuiſſe vendi, & lege ſimul edictum, ne quid tale in poſterum fieret. Unde Liber rarus eſt, Aboæ, in Acad. Finlandorum, A. 1650. *in 8vo.* impreſſus. Solent quoque circumferri Relationes de Rebuspublicis, quales à Legatis conſcribi Venetis ſolent præcipuè & Romanis, quarum Tomi illic in Bibliothecis aſſervantur. Operæ pretium eſſet, ſi illæ è tenebris extraherentur, ſed rarò in lucem prodeunt. Earum tamen aliquas publicavit Philippus Honorius *in Theſauro Politico*, quem Caſparus Enſius eodem tit. Latinè edidit, junctimque exhibuit Relationes iſtas, in linguam Latinam ex Italicâ à ſe converſas. Edidit & Nicolaus Bellus varias *Diſſertationes*, in quibus nihil mutatum eſt, præter ordinem. Eadem enim in his omnibus libris leguntur. Nicolai Belli Opus editum eſt Coloniæ A. 1610. *in 8vo.* Vide de his Autoribus Jac. Thomaſium, *in libro de plagio*, *§. 238. in notis.* In his relationibus adeò exercitatus erat Paulus Sarpius, ut ſtatim divinare potuerit de Relatione, an vera, an ficta eſſet. Vid. P. Fulgentii *Vitam ejus p. 84.* Exemplum accuratæ Relationis ſuppeditare poteſt Agathi Securi *Relatio notabilis de Aulâ Romanâ*, vere notabilis. 7

Vitarum Scriptores in hoc argumento præcipuum aliquid habent. Prout enim conditio eſt perſonæ, quæ in functione publicâ conſtituta eſt, ita ex ejus Vitâ capere poſſumus, quod ex uſu noſtro ſit. Diligenter itaque colligendi ſunt Auctores, qui Vitas Miniſtriſſimorum, Regum, Imperatorum, Conſiliariorum accuratè, & 8

(c) Autor *Deſcriptionis Sveciæ*, vendi in Sveciâ prohibitæ, cujus nomen à Morhofio eſt ſuppreſſum, fuit Mich. Vexionius Güldenſtolpe, Smalandus, J. U. D. & Prof. tunc Aboënſis, poſteà autem Tribunalis Sveciæ Regii Aſſeſſor, de quo Joh. Schefferi *Svecia Literata p. 151. 152. 330.*, & noſtra ad illam *Hypomnemata p. 394*, poſſunt conſuli.

& ſecundum omnes circumſtantias, deſcribunt. Sic è Vitis Borgiæ Ducis Valentini Caſtruccii, Cromwelli, Wallenſteinii (cujus Mortis & Rebellionis Hiſtoriam, ſub ficto *Gneji Falcidii Donaleri* nomine, edidit Italicè Joh. Franc. Lauredanus, teſte J. Rhodio *in Catal. Scr. Suppoſ. p. 23.*,) multa diſcas, quæ ad rem Politicam faciant. De quibus jam *T. I.*, *Lib. 1.*, *c. 19. p. 215. ſeqq.* quædam diximus. Jungendi illis ſunt Epiſtolarum Politicarum Scriptores, Principum ad Principes, Conſiliariorum ad Conſiliarios & Principes. Tales Epiſtolas Grotius multas ſcripſit, quæ nondum ſunt editæ, & quarum multæ adhuc ſupereſſe dicuntur apud Blavium, qui illarum Editionem parat, (*d*) cujus mentionem facit Iſaacus Gruterus *in præfat. Cogitatorum* Baconis Verulamii, *p. 578.* Nic. Rigaltius ſanè, *in Vitâ* Pet. Puteani, *p. 49.* refert de Puteano, illum magnâ cum curâ congeſſiſſe Epiſtolas Foxii & Arn. Oſſati, de quibus hoc prædicat Rigaltius, poſt illam Pauli Sarpii *Tridentinam Hiſtoriam* nihil exſtare, unde queant Aulæ Romanæ artes clarius certiusque pernoſci. Conf. de Epiſtolis Oſſati Cardinalis Vitam ejus, in Laur. Craſſi *Elogiis*, *T. II.*, *p. 202.* Tales etiam ſunt Epiſtolæ Italicæ *Principum ad Principes*, & Latinæ *Virorum Illuſtrium* in Belgio publicatæ, nec non Aug. Busbequii, Er. Roterodami, Chr. Forſtneri, Pet. Martyris, Ferd. de Pulgar, &c., de quibus *T. I.*, *L. 1. c. 23 & 24. dictum.*

9 Similes Relationibus ſunt Memoriæ illæ Gallorum, quas latinè *Commentarios* dicas. Ut enim Cæſar Commentarios appellat, quos ipſe de rebus ſuis ſcripſit, ita hi *les Memoires*, quòd ipſi rerum ſuarum quaſi Annales in illis conficiant. Legendus eſt de illis Sorellus *in Bibl. Gallicâ c. 7.* Magnam in illis congerendis curam adhibuit Petrus Puteanus, teſte Rigaltio in *ejus Vitâ*, *p. 51.* De Card. Bentivoglii *Relationibus* Vid. Craſſum *l. c.*, *T. I.*, *p. 262.*, & Gaddium *de Script. non Eccleſ. p. 77.* Exſtant Richelii & Mazarini, Cardinalium, *Memoriæ*, quibus continetur omnis illorum temporum arcanior Hiſtoria, ſed non tamen adeò magno ſcriptæ Judicio. Elegantior eſt, quæ Gallicè prodiit, *Hiſtoria Ducis Monckii*, Conſilia & Succeſſum Reſtitutionis Caroli II., Regis Angliæ, continens. De Legatorum Venetorum Relationibus hoc memoriæ prodidit Lambecius, *Comment. de Vindobonenſi Biblioth. lib. 1. p. 55.* Hugonem Blotium omnes Venetorum Legatorum Relationibus in unum Volumen collegiſſe. Spectant huc Frid. Hortlederi & Mich. Caſp. Londorpii *Acta Publica*, Pacificationes, ſimiliaque publici argumenti Scripta.

10 Nec omittendi hîc ſunt libri Satyrici & Apologetici, de publicis argumentis ſcripti, imò libelli etiam famoſi. In his veritas ſæpè nuda & acerba proponitur, in illis aliqua interdum diſſimulantur. Solent talia Scripta multa publicari, cùm bella inter-

(*d*) *Epiſtolæ* Hug. Grotii, quæ *h. l.* tanquam ἀνέκδοτοι allegantur, Amſtelod. A. 1680. *in fol.* uno jam prodierunt Volumine. Cujus Editionis ab ipſo etiam Autore, *T. I. Lib. 1. c. 24.*, §. *21. ſqq.* jam facta eſt mentio. Arnoldi Oſſati, Cardinalis, *Epiſtolæ Gallicæ*, ex Aulâ Romanâ in Regiam Pariſienſem miſſæ, itidem jam ſunt editæ, & noviſſimè quidem longè auctiores ac emendatiores, Notisque Hiſtorico-Politicis à Dn. Amelot de Houſſaye illuſtratæ, Pariſiis A. 1697. *in 4to maj.*

intercedunt inter Principes, raroque illa colliguntur. Eriſtica quidem Scripta patent omnibus, non autem adeò ſcripta famoſa. Itali in his valdè ingenioſi ſunt. Suntque de rebus Romanis Vetuſtioribus publicati *Paſquillorum Tomi duo*, editi Baſil. 1544. *in 8.* Recentiores audio etiam in unum Volumen congeſtos, ſed nondum editos, quod tanquam Manuſcriptum hactenus inter illarum rerum curioſos verſatur. Joh. Barclaji *Euphormio* talis quoque liber eſt, in quo multa ſub fictis nominibus tanguntur Magnatum Vitia. Sunt & Auctores, qui de Utilitatibus (*Intereſſe*) Regnorum & Rerumpublicarum ſingulares libros ſcripſerunt, ſed totus illorum labor imperfectus eſt, & mutilus. Anonymus ille Gallus, qui Gallicâ linguâ ſcripſit, turpiſſimè ſæpe labitur. Sed & Auctor libri, cui titulus *L' Europe vivant*, proletaria tantùm tangit, & quæ nullius momenti. Omnium optima eſt Ducis de Rohan *Statuum Europæ trutina*, quæ è Gallicâ in Latinam converſa eſt. *Notas* in illam ſcripſit Joſua Arndius, Güſtrovii *in 8.* recuſam. Non quidem is omnia plenè & perfectè perquirit, ſed tamen, cùm ſenſus in illis rebus Viro in publicis exercitatiſſimo profundior eſſet, de non paucis præclarè judicat.

Nec Itineraria hîc omninò ſunt excludenda, præcipuè, quæ Statum Civilem accuratius deſcribunt, qualia rariſſima ſunt: Plerique enim in aliis rebus verſantur. Gallicorum Itinerariorum hac in re defectum incuſat Popelliniere *in Epiſt.* quadam Gallicâ, ad Scaligerum ſcriptâ, *lib. 2. Epiſt. 70.* Hujus commatis Itinerarium ſcribere volebat Phil. Andr. Oldenburgerus, & titulum *Itinerarii Germanici* libro ſuo dedit, in quo multa eſt rerum ineptiſſimarum farrago, quibus nonnunquam immiſcentur aliqua notatu non indigna; ſed Lectore prudente opus eſt, qui cum judicio illa legere poſſit. (e) 11

Non omittendi hîc ſunt Auctores, qui Observationum Singularium libros, vel in Hiſtoricos, vel ſeorſim aliquos, ediderunt. Nihil eſt abſolutius Chriſtoph. Forſtneri *in Tacitum Obſervationibus*; quanquam etiam alii multi ſunt, ut Scipio Amiratus, Cauriana, Hannibal Scotus, Matth. Berneggerus, Mich. Virdungus, tàm Latini, quàm Italici. Omnes tamen Vir ille ſuperat accuratâ exemplorum veterum recentiorumque collatione. Joh. Henr. Bœcleri *Diſſertationes in Tacitum & Svetonium* rei Politicæ pleniſſimæ ſunt, ac magno judicio ſcriptæ. Nicol. Machiavelli *in Livium Diſſertationes* profundiſſimi ſunt ingenii & judicii. Exſtant quoque Joh. Schefferi in priores libros *Diſſertationes*, ſub tit. *Regni Romani.* Caſp. Facii *in Livium Diſſertationes*, Altenburgi, 1617., *in 4to*, prodierunt, non contemnendæ, quanquam prioribus longe inferiores. Jani Gruteri *in Livium & Tacitum Diſſertationes* Locos Communes ſapiunt, & in parallelis ſententiis coacervandis laborant. 12

(e) Phil. Andr. Oldenburgeri *Itinerarium Germaniæ Politicum, modernam præcipuarum Aularum Imperii faciem repræſentans*, ſub larvâ *Conſtantini Germanici*, ab illo Coſmopoli *in 12mo*, ſine anni mentione, eſt publicatum, & ob licentiam quoque, in Vitiis Principum ac Magnatum Aulicorum, notandis, hoc ſeculo rariorem, multorum Cenſuras incurrit.

In actionum autem circumſtantiis dijudicandis & expendendis Autor non eſt usque adeò ſagax. Jac. Zevecotius *in Florum & Svetonium* non omninò privandus eſt acutioris judicii laude, in rerum momentis perquirendis. Etiam Chriſtoph. Ad Rupertus, in *Commentariis* ſuis *in Florum*, *Vellejum*, & *Salluſtium* nonnunquam Politica tangit, ſed rariùs, in Hiſtoricis & Philologicis occupatior. Quid Trajanus Boccalinus in *Comment.* ſuo *ſuper Tacitum*, Italicâ linguâ ſcripto, præſtiterit, cùm nondum legerim, pronunciare nequeo. Olim, tanquam Κειμήλιον ſervabatur in Eruditorum Bibliothecis, nunc à Blavio editus eſt, qui è Bibliothecâ Gudianâ ipſum accepit. Legi de illo poſſunt Erythræus *in Pinacotheca I. p. 272.*, & Craſſus *in Elogiis hominum literatorum P. I. p. 159.* Si meo quis uti hîc conſilio velit, ſvaſerim, ut quis conficiat generales Locos Communes ex his omnibus Commentatoribus, diligenter Auctorum loca notando; qualis labor ſi in publicum prodiret, non tàm impunè furari poſſent Scriptorculi ceteri, qui de chartâ in Papyrum ſcribunt, & ex unius loci parallelismo omnes, quos inveniunt apud Commentatores annotatos, redituro ſemper in orbem labore, coacervant.

13 Singulares Dissertationes multi ſcripſêre: Elegantes ſunt Joh. Henr. Bœcleri *Diſſertaiones Academicæ*, uno Volumine Argent. 1658. *in 8vo.* comprehenſæ. *(f)* Si quis Diſſertationes in utramque partem velit, vel Conſultationes potius in cauſis quibusdam ſpecialibus, in ſingularis Reipublicæ argumentis verſantes, earum elegans ſpecimen exhibet Marcus Zuerius Boxhornius, in *Diſquiſitionibus Politicis*, quibus proponuntur ac deciduntur Caſus Politici, annotato ſemper eventu. Liber editus eſt Amſtelodami A. 1663. *in 12.* Orationes quoque Politici argumenti huc ſpectant, quales apud Demoſthenem, Iſocratem & Ciceronem, ſunt multæ, & circa generalia & ſpecialia Antiquarum Rerump. occupatæ, magnaque Prudentiæ Civilis arcana, cum à ſummis Politicis ſint conſcriptæ, continentes. Inter Recentiores Thom. Lanſius ad hanc claſſem referendus videri poſſet, ſed nihil præter Locos Communes ſcribit, nec accurato Judicio Rerump. penitiora inveſtigat, & parum cultus eſt ſtylus. Mich. Piccartus, Matth. Berneggerus, ſcripſêre itidem *Diſſertationes*, & Georgius quoque Hornius aliquas, quæ junctim editæ ſunt Lugd. Batav. 1668. *in 12.* Repeteriuntur hîc nonnulla interdum non contemnenda, inprimis, quæ habet de quibusdam Belgii Ducatibus & Urbibus, quanquam hoc argumentum accuratius tractârit Boxhornius, & Martinus Schookius *de ſtatu fœderati Belgii.* Habet & illic Diſſertationes *de Æquivocationibus Jeſuitarum*, *de Sejaniſmo*, *de Saracenorum Origine*, *de Academiarum Origine*, *&c.* Jejunitatem tamen illæ ſuam ſatis probant, ſuntque, neſcio quod, Chaos ex Hiſtoriâ, Politicâ, Geographiâ, miſtum.

Huc

(f) Recuſæ ſunt Joh. Henr. Bœcleri *Diſſertationes Academicæ*, *Commentationibus in Plinii Panegyricum*, ac XIII. Exercitationibus in priori Editione Anni 1658. haud obviis (quas enumeratas *Vid. in Actis Erud. Lipſ., M. Mart. A. 1702., p. 126.,*) auctiores redditæ, Argentinæ 1791. *in 4to.* Quod Volumen Novus aliarum *Diſſertationum*, nec non *Orationum* ac *Programmatum*, Tomus ſequetur.

Huc quoque referre poſſis Aphorismorum *Scriptores*, quorum Rhapſodias a- 14
liquas conſcripſêre Greg. Richterus & Joh. Chokierus (*in Theſauro Politico*,) qui Richtero melior eſt Ac viſus eſt Lipſium ille imitari voluiſſe in *Politicis*, qui, quantum ad principatum ſpectat, ex optimis Auctoribus, eorumque Aphorismis, concinnare doctrinam ſuam voluit, uti fecerunt, ad ejus imitationem, poſtea in Ethicis Janus Gruterus & Gvilh. Mechovius in ſuâ *Parænetice.* Optima Juſti Lipſii *Politicorum* Editio eſt, quæ cum *Notis* Matthiæ Berneggeri, Argentorati prodiit A. 1658. *in 12.* Exſtat quoque in illâ J. Henr. Bœcleri ſingularis *Diſſertatio*, excuſa A. 1642. *in 12.*, & nunc, ſi rectè memini, nova Editio prodiit, cum Commentariis Matth. Berneggeri, & Bœclerianâ Diſſertatione. Exſtat & in Italicam linguam converſus Lipſii liber, *cum Commentariis exemplorum antiquorum*, & *recentium Notulis*, Herculis Cati, Ferrarienſis Venet. 1618. *in 4to.* Legi etiam poſſunt *Notæ* Joh. Lud. Praſchii, Viri eruditi, Senatoris Ratisbonenſis, in Lipſii *Politica*, Norimb. editæ A. 1666. *in 12.* Super Tacitum multi ſunt, qui Aphoriſmos ſcripſêre. Ex illo enim, tanquam è quadam Aurifodinâ, omnem ſapientiam civilem eruere ſe poſſe putant nonnulli. Exſtant Itali cujusdam Aphoriſmi, præter illos Annibalis Scoti, cujus nomen mihi excidit. Sunt & Hiſpanicâ linguâ *Aphoriſmi ex Tacito* ſub certis titulis collecti, hac inſcriptione: *Anima Taciti.* Eſt & Joh. Theod. Sprengeri *Tacitus Axiomaticus*, *in 12*, ex aliis quaſi in Epitomen redactus. Ex *Floro Axiomata* confecit quidam Anonymus, qui Rupetti *Commentario* additur. Scripſit & *Succum Curtianum* Mich. Fetterus, ſed qui admodum macilentus eſt, exſuccus & jejunus. Magnæ eſt prudentiæ, regulas è circumſtantiis actionum deducere, neque hoc in Ingenium aliquod Pœdagogicum cadit, ſed ab ipſis Viris prudentibus, atque in actionibus civilibus exercitatis, demum rectè curabitur. Spectant & huc *Monita* & *Exempla Politica*, à quibusdam conſcripta, inter quæ eſt Juſti Lipſii Opuſculum præcipuum, quod *Monitorum Politicorum* titulo evulgavit. Non omittendus etiam hîc eſt Joh. Boterus, Italus, cujus exſtant varii libri Italicâ linguâ ſcripti, inprimis ille, quem *de Politicâ Illuſtrium* ſcripſit, à Conringio in latinam linguam converſus, ac Helmſtadii editus, quô continentur variæ Diſſertationes de Incrementis Decrementisque Rerumpubl. Scripſit & ille alia nonnulla, uti *de Urbibus*, & *Relationes Univerſales de toto terrarum Orbe*, editas Venetiis A. 1605. *in 4to*, quæ, ſi recte memini, etiam in Latinam linguam ſunt converſæ, ac Helmſtadii editæ.

Sunt nonnulli Auctores, qui de Argumentis Politicis Specialibus tractant, 15
quæ ſe per univerſam prudentiam Civilem diffunduut; quales ſunt, qui de *ratione Status* ſcripſêre, inter quos optimus videtur Ludovicus Septalius, ex Italicâ linguâ in Latinam converſus à Joh. Garmero, Hamb. A. 1659. *in 8vo.*; & plures alii, de quibus vid. Conring. in *Lib. de Prud. Civili.* His affines ſunt Autores, qui de *Arcanis Dominationis* ſcripſerunt, quod argumentum nemo hactenus dignè tractavit, atque ex Hiſtoriis omnium nationum expeditum dedit. Eſt quidem Arn. Clapmarii *Opus* de eo argumento ſcriptum, ac aliquoties editum, in quod etiam *notæ* à Joh. Chriſt-

frido Sagittario conſcriptæ, Jenæ 1665., *in 4to.* Præterea etiam à Martino Schookio editus eſt in illum *Commentarius*, unà cum ſuis *Appendicibus*, Francof. ad Oder. *in 8.* A. 1668. Sed non reſpondent, tàm Autor ipſe, quàm Commentatores, votis omnium & deſideriis. Non enim, niſi communia ac ordinaria Rerumpubl. acquirendarum tuendarumque media ſectantur, à quibus omninò differunt Dominationis Arcana. Nec Cyriaci Lentuli *Arcana Regnorum & Rerumpubl.* illum titulum merentur, cùm non niſi vulgarem contineant Locorum Communium farraginem. Accuratius aliquid de eo argumento commentari incepit Gabriel Naudæus, libro Gallicè ſcripto, ſub tit. *conſiderations politiques ſur les coups d' Eſtat*, Romæ, 1667. *in 12.* Ejus Opuſculi primùm non niſi duodecim exemplaria impreſſa ſunt, atque inter rariſſima habitum fuit, usque dum in Belgio eſt recuſum. Poſtea in Germaniâ editum eſt cum *Commentario* Gallico cujusdam Lud. Du May A. 1673. *in 8.*, in quo, quanquam non usque adeò abſtruſa habeantur, occurrunt tamen nonnulla, ad elucidationem ejus libri non parum facientia. Non pauca in hoc Naudæi libro docentur, quæ Politico prodeſſe poſſunt, quanquam multa illius Vir honeſtus non immeritò damnet. Quis enim adeò perfrictæ frontis, ut lanienam illam Pariſienſem, tanquam ſingularem artem Politicam, laudet, quod ille facit, inque eâ nihil reprehendit, niſi executionem non ſatis expeditam. Laudat ibidem Hier. Cardani *Proxenetam*, ac *librum de utilitate ex rebus adverſis capiendâ*, quibus contineantur multæ technæ, tàm Politicæ, quàm Oeconomicæ, quod & verum eſt. Fuit enim is Autor, ut ingenio ſummè melancholico & ſuſpicaci, ita in omnibus etiam rebus perſpicaci, & quodammodò divinatorio, quanquam miris etiam nugis & ſuperſtitionibus ſua ubique incruſtet. Qui de *Principis inſtitutione* ſcripſerunt Auctores, huc quoque ſpectant, de quo argumento, & Veteres, & Recentiores, habemus plurimos, de quibus videantur Nomenclatores Philoſophici. Ante aliquot annos linguâ Suecicâ editus eſt de hoc argumento liber, ante ducentos plus minus annos conſcriptus, curante Regni Sueciæ Cancellario, *Magno Gabr. de la Gardie*, cujus exſtat ad Car. XI. Regem præfatio libro præmiſſa. Adduntur & Notæ Joh. Schefferi, eruditæ & multum Politici ſucci habentes. Pleraque ſunt è Veteribus Auctoribus excerpta. Editus eſt liber Holmiæ A. 1669. *in folio.* (g)

16 Refert Conringius inter Generales Politicos Scriptores etiam eos, qui LEGES VARIARUM GENTIUM collegerunt, quæ uſui eſſe poſſunt Politico, cùm in doctrinâ Legum variis Rerumpublicarum formis applicandarum verſatur. Pauciſſimi ſunt inter Politicos, qui hoc argumentum tractàrunt, imò nulli. Nomothetice enim ſegniter tractata eſt à Politicis, & illa tamen maximam conſtituit Reipublicæ partem. Quomodò enim leges, quibus Rerumpublicarum formis applicandæ, quibus illæ conveniant,

(g) De Sveci Anonymi, qui Sec. XIV. vixit, *Inſtitutione Regiâ*, ſive *Regimine Regum* Vernaculo, Holmiæ A. 1669., cum Joh. Schefferi *Verſione Latinâ & Notis*, publicato, vid. plura in Schefferi *Sveciâ Literatâ p.9.*, noſtrisque ad illam *Hypomnematis p.351.* Morhofius Autorem Seculo integro juniorem, quàm, Scheffero teſte, fuit, credidiſſe videtur.

veniant, vel minus, de eo altum eſt apud Politicos plerumque ſilentium. Et hæc quidem ita deberet ab illis tractari, ut JCti his fundamentis ſuperſtruere poſſent. Illi vero nunc in ſolis Romanis legibus cuicunque formæ applicandis, omnem operam ponunt, cùm ſpecialia illa Gentium jura, ſecundum principia Politica examinanda, longè accuratiorem operam requirant. Plerumque enim tumultuarium hoc eſt, & ratiociniis, ex legibus Romanis utcunque petitis, leviter incruſtatum. Specimen aliquod talis ἀναλύσεως legum dedit Herm. Conringius in *Explicatione Legis Unicæ de ſtudiis urbis Romæ & Conſtantinopolitanæ.* Referri huc etiam poſſunt Auctores, qui de Moribus Gentium ſcripſerunt. Nam & illi multum conferunt ad prudentiam Civilem, vel Legati, vel Hominis in Magiſtratum conſtituti. Quo in genere nihil novi, quod magnoperè commendari debeat, præter Joh. Barclaji *Animorum Iconem.* Meminit Gabr. Naudæus *in Bibliographiâ Politicâ*, quorundam Auctorum, qui Hiſpanorum, Gallorum ac Italorum, ingenia quàm minutiſſimè delineârunt, ſed incognita illa vulgò ſunt. Qui curioſiùs noſſe mores variarum gentium velit, ſedulò inquirat in omnes ritus, tàm privatos, quàm publicos, eosque ad certa capita moralium actionum deducat, atque inter ſe conferat. Unde prudens aliquis facilè perſpiciet, quæ illis forma regiminis apta, quæ leges commodæ, quid excitare inter illas tumultus poſſit, &c. Sed ejus rei peculiaris quædam quaſi ars eſt, à Politicâ diſtincta, & fundamenta quædam artis Phyſiognomicæ ſupponit.

Referri huc poſſunt etiam illi Auctores, qui de Ministris Principum in genere agunt, quales ſunt in Gallicâ linguâ multi. 17 Præ ceteris laudo Auctoris Anonymi librum, cujus tit. *le Conſeiller d' Eſtat*, Pariſiis A. 1633. *in 4to.*, & Domini de Silhon librum, cui tit. *le Miniſtre d' Eſtat*, in quo ſimul integra proponitur Politica, variaque afferuntur memorabilia, editum Amſt. 1661. *in 12.*, *tribus Tomis.* Elegans quoque liber eſt German. linguâ ſcriptus Viti Ludov. Seckendorffii, cui tit. Teutſcher Fürſten-Staat / cujus aliquot Editiones prodierunt, Francof. 1665. *in 8.* De *Migrationibus gentium, & excidiis Rerumpubl.* Hiſtoricos quidem Scriptores habemus, paucos verò, quod mallem, Politicos, qui cauſas mutationum & excidiorum è politicis rationibus deducant. Sunt quidem Joh. Biſſelii *Illuſtres Ruinæ Rerumpubl. & Familiarum*, ac Martini Schoockii *Fatum Reipublicæ Achæorum & Vejentium*, quo libro cauſas deducit interitûs illorum. De Migrationibus gentium omnia ſunt imperfecta. Nam *Wolfg. Lazius*, qui hoc argumentum ſibi ſumpſit, planè à ſcopo Politices dilabitur. Multa verò ſunt in Migrationibus gentium conſideratu digna, quibus è cauſis proveniant, item doctrina *de Coloniis*, quæ ex illâ pendet; de quo argumento neminem dignè egiſſe memini. Pauca quædam habentur, ſed eximia, *in Diſſertatt. Belgicis de la Cour*, eleganti libro, in quo multa occurrunt ex intimâ Civili prudentiâ depromta. Scriptus autem ille fuit, unà cum ceteris ejus, (quales ſunt *Conſideratien* van Staat / offte Politiſche Waagſchale / Amſt. Anno 1662. *in 12.* & alter *de Intereſſe Reipubl Belgicæ*,) inſtinctu Joh. de Witten, Reipubl. cauſam agit adverſus Principem Auriacum, ac fortaſſè ipſe (Wittius) magnam illorum par-

 tem

tem confecit. Nam ille, ſub cujus nomine prodierunt, van dem Hofe / ſ. de la Cour Mercator fuit. Obiter hîc moneo, librum illum Germanicum, cui tit. Itziger Welt Regierende Schaubühne / qui prodiit ſub nomine Leuthoffs à Franckenberg / maximam partem ex Belgico illo, & Conringianis *Rebuspublicis* eſſe deſcriptum. Verſatur & in eôdem argumentô, quanquam non totô, Joh. Schildius, in *lib. de Coalitione Populorum ac Rerumpubl. in 4to. De Periodis & Converſionibus Rerumpubl.* Joh. Loccenius paucula quædam ſcripſit, & fortaſſis nos aliquando, in *libro de Fato Civili*, agemus. *De Seditionibus*, quæ vehementer faciunt ad Rerumpubl. mutationes & everſiones, ſingulari libro egit Martinus Schookius, poſt Conr. Brunum, Claudium Modain, Ludov. Foſſerium, (*in Lib. de Remediis opportunis Seditioſorum*) Bernhard. Graſſiam, (*in Lib. de Turbulentiâ Civium*) & Matth. Drurium (*in Lib. de Militum audaciâ reprimendâ.*) Optimus liber eſt, prodiitque Groningæ, A. 1664. *in 8.*

18 Non diſſimulandi hîc quoque ſunt Scriptores, qui de REPUBL. & POLITIA SACRA tàm Hiſtoricè, quàm Politicè, ſcripſêre. Maxima enim rerum Civilium momenta pendent à ſacrorum cultu, cui eo ſtudioſius invigilandum, quo tectior eſt omnis Politica, quam cucullus & infula velant. Certè Hierarchiæ Pontificiæ maxima ſunt arcana, cujus per omne ævum ſe extendunt inſidiæ. Merentur illa ab ovo recenſeri omnia, ut factum eſt à noſtratium nonnullis, imò & ab ipſis Pontificiis, qui inter illos præ ceteris ſinceri ſunt. Certè qui ſuperiori anno *Lutheraniſmi Hiſtoriam* deſcripſit Gallicâ linguâ Ludov. Maimbourg, Jeſuita, jam aliquoties editam Pariſiis, ringente Pontifice, non diſſimulat Pontificiorum technas, & errores, quanquam & eandem ſcabiem Lutheraniſmo affricet, (Pariſiis anno 1682. *in 12.*) Præclarum Opuſculum eſt, quod Germanicâ linguâ edidit, qui ſe nominat *Baſilium Hyperetam, in 12.* In quo, utut brevi, plures habentur Politicæ annotationes ſuper religionis negotio, quàm in diffuſis aliorum Scriptis. Magnam hîc quoque lucem accendit Paulus Sarpius, *in Hiſt. Concil. Trid.*, qui ſe Petrum Suavem Polanum vocat. Hujus Editionem debemus Marco Antonio de Dominis, magno Viro, cujus labores, non quidem abſoluti, ad hoc quoque augumentum referri poſſunt. Suavem illum Polanum, ſive Paulum Sarpium, quidam *Scipio Henricus*, libro Dillingæ impreſſo, & *Sfortia Pallavicinus*, Cardinalis, ſub Cenſuram vocarunt, atque in illum acerbius ſunt invecti. Sed poſtea aliquis Cæſar Aquilinius *Diſſertatiunculam* ſcripſit *de tribus Hiſtoricis Concilii Tridentini*, Amſtelod. 1662. *in 8.* editam, qua ille, quisquis tandem eſt, Suavem Polanum adverſus Cenſores illos defendit.

19 Non defuerunt, qui ipſas ſacras literas ad argumentum Politicum traxerunt, cujus generis liber eſt Hiſpanicâ linguâ ſcriptus *in folio*, ex libris Regum, & Hiſtoriâ Davidicâ, præcipuè concinnatus, fuitque poſtea etiam à Theod. Reinkingio (quem Hiſpano iſti multa debere, qui vidit, aſſeverabit) idem argumentum tractatum, & à quodam Jeſuita Eggefeldio, qui ſe *Amandum Verum* vocat, in lib. cui tit. *Imperium Politicum, ex ſacrâ Regum Hiſtoriâ deſcriptum, ad normam hodiernæ Politicæ adminiſtrationis, & exemplis utriusque Imperii illuſtratum.* Liber editus eſt *in 12.*

12. An. 1661., non adjecto impreſſionis loco, ſed parum videtur reconditæ doctrinæ habere.

Quod ſi jam omnia Specialia Politices Argumenta percenſere velimus, quantus ſe nobis objiceret Librorum & Diſſertationum cumulus? Certè integri Voluminis res eſſet. Enarremus velut per lancem ſaturam quædam. Georg. Obrechti *Secreta Politica*, liberque Germanice ſcriptus von Anſtellung guter Policey, und von billiger Erhöhung der Jährlichen Gefällen/ multa habent Reipublicæ utilia monita, Argent. 1644. *in 4to.* Quot non ſunt J. Henr. Bœcleri *Diſſertationes*, quæ recenſeri non omnes poſſunt, junctim, ſeorſim editæ? Quot non ſunt Jac. Thomaſii *de Ratione Status*, *de Latrocinio gentis in gentem*, aliæque? Matth. Berneggeri exſtant *Vita Veſpaſiani*, ſ. *Speculum boni Principis*, ejusdemque in Svetonii *Cæſarem & Auguſtum Diatribæ.* Sam. Puffendorffii variæ ſunt *Diſſertationes*, nunc junctim editæ, inter quas una eſt *de Obligatione adverſus Patriam.* Joh. Lud. Praſchii *de Caritate Patriæ* exſtat liber Norimb. 1662, *in 4to.* Conclavia Pontificum, Italicâ linguâ ſubindè publicata, magna continent Pontificum arcana. Joh. Calderini *Diſcurſus in regulas Status Joh. Boteri*, Germanicâ linguâ Francof. A. 1657. *in 12.* editi, non pauca utilia monent. Radbodi Herm. Schelii *Libertas Publica* aureolus liber eſt, pro ſtatu populari defendendo. Scripſit & Joh. Geneſius Sepulveda ſpeciales nonnullas *Diſſertatiunculas*, quæ habentur inter ejus *Opera*, junctim edita. Alberici Gentilis exſtant non paucæ Diſſertationes, *de poteſtate Regis abſolutâ*, *de Vi Civium in Regem ſemper injuſtâ*; ſed paucula illa ſunt, neque omnia recenſeri poſſunt. 20

Illud, quaſi Corallarium, hîc adjiciemus, *ineſſe omnium ſcriptorum generi aliquid Politici*, quod notari poteſt, atque ad uſus noſtros ſeponi, adeò, ut ne *Poëtæ* quidem & *Fabulatores* ſint prætermittendi. Epici ac Panegyrici Poëtæ, quales Virgilius & Claudianus, cùm Heroas ſuos deſcribunt, multa ex Politicis principiis deſumunt. Ac fuit aliquis Jeſuita, qui integro libro, & magno apparatu, *Ethicam & Politicam Virgilianam* propoſuit. Qui quanquam ineptè verſetur in hoc Argumentô, verum tamen eſt, multum latitare in Æneide Civilis Prudentiæ, atque ſub uno interdum verbo recondi. Non prætereundi etiam hîc ſunt *Comici*, qui, cùm integrum Vitæ humanæ Theatrum repræſentent, Actionesque tàm civiles, quàm domeſticas, quilibet videt, magnum eorum eſſe uſum poſſe in Characteribus hominum deſcribendis. Certè *Comœdia ſchola populi eſt.* Hugo Grotius non verebatur in maximis etiam ſuis negotiis Terentii legere fabulas, &c, rogatus à quopiam, cur id faceret, reſpondit: *Alia in illis legere Pueros, alia Viros.* Fabularum Politicas Interpretationes dedit Franc. Baco Verulamius, Vir profundi Ingenii, *in Lib. de Sapientiâ Veterum.* 21

FINIS LIBRI SECUNDI.

POLY-

POLYHISTORIS TOMI III. SIVE POLYHISTORIS PRACTICI, LIBER III. OECONOMICUS.

§. 1. DOctrina Oeconomica negligenter tractata. Arcana ejus celantur. 2. Scriptores ejus Antiqui, Xenophon, Ariſtoteles, & Autores Geoponici, Recentiores Lud. Septalius, & pauci alii. Diſcrimen Oeconomiæ Imperantium (â V. L. Seckendorfio & Georg. Obrechto illuſtratæ,) ac Privatorum. 3. Conſilium de Hiſtoriâ Commerciorum ſcribendâ. Scriptores de Commerciis Anglicis ac Belgicis. J. Joach. Becheri Lib. de Rerump. Incrementis & Decrementis commendatur, uti & Gerh. Niveri ac Joh. Marquardi de Mercaturâ Commentarii. 4. Fraudes & Adulterationes Mercatorum Oeconomorumque notandæ, Defectusque ſimul Commerciorum. Regis Galliæ Prudentia Oeconomica. Auri Malleatio, inter Defectus Pecuniæ apud Germanos cauſas relata præcipuas. 5. Oeconomo Phyſices & Matheſeos Studium commendatur. Caſp. Barlæi Mercator Sapiens. Cenſura de Georg. Richteri Axiomatis Oeconomicis.

1 POliticis ſubjungimus aliqua de OECONOMICIS. Nam & illa pertinent ad Practicam Philoſophiam; eſtque ſanè dolendum, adeò jacere hanc partem, & frigidè tractari, quæ tamen fundamentum ſternit omni Reip., & nervum rerum gerendarum ſuppeditat. Tradita ſunt hujus diſciplinæ principia tantùm generaliſſima, ſpecialia nemo diligenter ſatis detexit. Cùm enim ſecretiora hujus doctrinæ Viris illiteratis magis, quàm literatis, cognita ſint, illi verò tantum abeſt, ut publicata hæc velint, ut potius omni ſtudio celent, pauca ſunt, quæ de iis in vulgus dimanant. Ac quemadmodum in Politicis arcana quædam Status ſunt, ita in Oeconomicâ, ac in Commerciis, occulta quædam ſunt, quæ ab ipſis gentibus nonnunquam ſummo ſtudio celantur, ſi ſint talia, quæ ad amplificandas Uuniverſitatis opes ſpectant. Privati etiam non facilè alios ſcire patiuntur, è quibus lucrum captare poſſunt.

2 Ex antiquis itaque nihil, quàm *Oeconomicon* Xenophontis, ac duos Ariſtotelis *libros* habemus, quibus aliqua addidit Leonardus Aretinus, *Commentarios* autem adjecêre exiguos Joh. Caſus, Jacob. Ludovicus Strebæus, & Jac. Faber. Neque enim memini, ullos eſſe alios Commentatores hujus doctrinæ, cujus tamen dignitas tanta eſt, ut ejus Profeſſorem in Academiis conſtituendum ego quidem arbitrer. Artem Chrematiſticam & Cteticam jejunis quibusdam libellis Recentiores aliqui tradiderunt,

runt, ſed vix operæ pretium fecerunt. Poterant his addi Geoponici Auctores, Cato, Varro, Columella, Palladius, Conſtantinus; ſed iſti tantùm partem attigêre doctrinæ domeſticæ, quatenus ex agris proventus haberi poſſunt: Deindè rem iſtam potius Phyſicè, quàm Politicè tractant. Inter Recentiores neminem novit Gabriel Naudæus, Vir talium rerum peritiſſimus, *in Bibliographiâ Politicâ*, quàm Ludov. Septalium, quem *librum de re familiari* ſcripſiſſe ait, in quo omnia minutè & diligenter perſecutus ſit, quem ego hactenus non vidi. Addidit alterum, Hieron. Cardanum in *Proxeneta* & in *libro de utilitate ex adverſis capiendâ*: ſed iſta tantùm pauca ſunt, & quædam ſpecialia. Si quis omnem illam artem Oeconomicam omnibus numeris abſolutam tradere velit, primùm omnes Reipubl. Status ſub examen vocare debet, ac modos oſtendere, quibus divitiæ domeſticæ poſſint conſervari & augeri. Nam conſervatio domeſticarum opum per prudentem adminiſtrationem, fundamentum eſt omnis artis Oeconomicæ & Chrematiſticæ. Ejus aliquam partem attigêre Vitus Lud. à Seckendorff/ im Teutſchen Fürſten-Staat/ & Georg. Obrechtus in *ſecretis ſuis Politicis*. Sed hæc potius ad Oeconomiam Principum & Statûs pertinent, cujus alia ratio ineunda eſt, quàm privatorum, quanquam & hæc illis ſubveniat, illique defraudentur ſæpè, ſi ærarium omnia ad ſe rapiat. Potior illa ars erit, quæ privatorum Oeconomiam emendare docet. Nam ærarii augendi artes ſatis per ſe notæ ſunt, nec poteſt illud laborare, ſi divites ſunt cives.

Quoad *reditus Provinciarum* in genere conſideratos, omnia debent circumſpici, ſitus loci, cœli Clima, maria, terræ fertilitas, artificum peritia & copia. Deberet Hiſtoria, tàm generalis, quàm ſpecialis, omnium commerciorum diligenter conſignari. In generali notandi eſſent ortus, progreſſus, & interitus Commerciorum, migrationes item & fata. In ſpeciali Hiſtoriâ ſingularum mercium, variis in regionibus provenientium, notitia conſignari deberet. Ac eſſent quidam libri Collectanei faciendi, in quibus colligenda omnia, tùm ex Itinerariis noviſſimis, in quibus nonnunquam multa hujus artis produntur, tùm ex relationibus, vel publicis, vel ſecretis, unde proſpicere quis poſſit, quid in rem ſuam vertere queat. Denique omnia Commerciorm genera curioſius perveſtigari debent, quæ ſcil. ex Commerciis rerum naturalium vel artificialium commoda, vel integræ alicui nationi, vel privatis, exſpectanda, quid conferant in Rempublicam Societates, ſi inſtituantur, quarum commoda nunc aliæ etiam, præter Batavos, gentes perſentiſcunt, Galli inprimis, qui novas Societates erexerunt; de quarum Inſtitutione ſingularis *Diſſertatio* Germanicâ linguâ prodiit, à Joh. Chriſtoph. Wagenſeilio ſcripta. Suadet Baco Verulamius populo alicui, ad opes parandas, ut ſolers ſit in inveniendis novis pannorum generibus variorum colorum, variæque texturæ; quod egregiè nunc nôrunt Galli & Belgæ, quibus magnæ inde parantur divitiæ. Eorum, qui Hiſtoriam ſpecialem Commerciorum gentis alicujus ſcripſerunt, neminem novi. Anglicâ linguâ quidem ſcriptus eſt liber, cui titulus: *Englands Treaſure*, in quo pauca quædam habentur de Anglorum Commerciis. Belgæ admodum celant artes ſuas, præter illas, quas celare 3

non poſſunt. Non pauca commerciorum Belgicorum ſecreta publicavit Anonymus in Lib. Belgicè ſcripto, & pòſt in L. Germ. converſo, cui Tit. Anweiſung der Heilſamen Politiſchen Gründe und Maximen der Republique in Holland/ (A. 1671. *in 8.*) A Primate quodam Status Belgici ſcriptus eſſe perhibetur, &, cùm imprimeretur, publicô edictò vendi prohibitus, quòd quædam publicaret non publicanda. Conſulendus & de illis eſt Leo ab Aizema, cujus vaſtiſſimi libri de *negotiis hujus Reipublicæ civilibus* prodierunt. Multa illic traduntur de Commerciis illorum, deque artibus, quas non diſſimulant, quibus ad ſe pertraxerunt ceterarum nationum commercia. Martinus quoque Schookius, in *Belgio ſuo fœderato*, hoc argumentum tangit, & multâ diligentiâ plurima minuta perſequitur. Scripſit & Germanicâ linguâ Joh. Joachimus Beccherus Diſcurſum Politicum, von den eigentlichen Urſachen des Auf- und Abnehmens der Städte/ Länder und Republiquen, in ſpecie, wie ein Land volckreich und nahrhafftig zu machen/ und in eine rechte Societatem civilem zubringen/ qui prodiit Francof. A. 1673. *in 8.* Multa continentur in libro illo, tùm de Commerciis in genere, tùm in ſpecie de quibusdam Commerciorum generibus, neque hactenus ullus fuit, qui pleniora aliqua de hoc argumento ſcripſerit. Molitur libri hujus partem alteram, quâ varia conſilia proponit locupletandi ærarii & Commerciorum augendorum; ſed premit hactenus librum illum, præmium aliquod à Magnatibus laboris ſui ſperans. Sunt præterea Gerhardi Niveri *libri duo de utilitate mercaturæ*, cum Epiſtolis intermiſtis eò ſpectantibus. Utile quoque hîc eſſe poteſt Joh. Marquardi *Opus de jure mercaturæ*, præcipuè *pars* ejus *ſecunda*, quâ continentur Acta, Inſtrumenta, Privilegia, Imperatorum, Regum & Principum, quæ ad publica commercia, inter gentes agitata, ſpectant.

Utile quoque eſſet notatas habere, quæ à Mercatoribus ſolent adhiberi, merci-
4 um adulterationes, quarum integram Hiſtoriam pertexere quis poſſet, ſi diligenter inquirat. De Fraudibus Præfectorum & Oeconomorum (quas ipſi non facilè produnt) conſuli poteſt Joh. Wilh. Wundſchii *Memoriale Oeconomicum*, Germanicè editum, von den Ambtſchreibern/ in quô non pauca habentur de illorum officio & artibus, tàm licitis, quàm illicitis. Utinam & haberemus publicâ auctoritate conſtitutos Cenſores, qui in unoquoque Regno talia ſub examen vocent, qui defectus notent Reipubl., unde fiat, quòd opes diſſipentur, vel ad alias gentes deriventur commercia. Huic fini conſtituti ſunt à nonnullis Statibus Commerciorum Conſiliarii. Omnes verò nunc ſuperat Galliæ Rex, qui immenſas opes, ex prudenti adminiſtratione Regni ſui, & ex prudentiâ Oeconomicâ, colligit. Publicavit aliquis Anglicâ linguâ librum, quo demonſtrare voluit, Rempubl., Religionem, Commercia, extrema agere, atque iisdem ſubjecta eſſe periculis, A. 1671. *in 8.* Londini. Ante aliquot annos nonnemo ſingulari quodam libro in Comitiis Ratisbonenſibus exhibito detegere voluit cauſas defectus pecuniæ in Germaniâ, atque inter illas hanc tanquam præcipuam affert, quòd auri malleatores tantum quotannis abſumant, cujus nullus

eſſet fructus, & incredibilem pecuniæ vim ſervari poſſe oſtendit, ſi iſta auri malleatio prohibeatur.

Summum erit hoc in Republ arcanum, ut cives ſint, quantum fieri poteſt, re- 5
rum naturalium ſcientes, ac Matheſin Mechanicamque non perfunctoriè tractârint. Ex iis, velut duobus quibusdam fontibus, omnes reditus, omnesque artes, opes congerendi, profluunt. Quod fuſius proſequi noſtri non eſt inſtituti. Videatur Caſp. Barlæi elegans Oratio: *Mercatur ſapiens*, quâ illud thema prolixè, additis Exemplis & rationibus, deducit. Sunt etiam Auctores, qui *Axiomata Oeconomica* collegerunt, ut Georg. Richterus, quique de *arte diteſcendi* ſcripſerunt; ſed parum ab iis quidem exſpectes. Facile enim eſt, generales quasdam ſententias colligere.

FINIS LIBRI TERTII.

POLYHISTORIS
TOMI III.
SIVE
POLYHISTORIS PRACTICI,
LIBER IV. HISTORICUS,
DE HISTORIÆ SCRIPTORIBUS.

§. 1. *Auctoris Prælectiones de Scriptoribus Hiſtoricis ineditæ. Alii illorum Nomenclatores. Gallorum in Hiſtoricos Veteres, Patresque, Merita. 2. Autores, qui de Hiſtoricis ſcripſère, potiores, Degoreus Whear, Paulus Bolduanus, ac complures alii, deque his, ac Lexicographis Hiſtoricis, Car. Stephano & Joh. Jac. Hoffmanno, judicia. 3 Scriptores Artis Hiſtoricæ, G. J. Voſſius, Aug. Maſcardus, Franc. Balduinus, Rein. Reineccius, Joh. Bodinus, Frid. Tilemannus, J. H. Bœclerus, &c. C. Scioppius de Stylo Hiſtorico. 4. Judicia de Compendiis Hiſtoricis Joh. Cluveri, J. Micrælii, Chriſtoph. Heidmanni, M. Z. Boxhornii, Jani Gruteri, Joh. Sleidani, &c. 5. Chronologorum Diſſenſus. Opera Chronologica Joſ. Scaligeri, Dion. Petavii, Sethi Calviſii, &c. Compendia Chr. Helvici, J. Henr. Alſtedi & Æg. Strauchii. Chr. Ad. Ruperti Obſervatt. ad Chr. Beſoldi Synopſin Hiſtoricam commendantur. 6. Chronicorum ævi medii ſive ſequioris, Monaſticorum Nævi ac Utilitates. Verſatiſſimi in illis fuère Herm. Conringius & Pet. Caſanova. 7. Chronica*

nica Regionum & Urbium Particularia, è quibus Spirenſe Chriſtoph. Lehmanni inprimis commendatur. Chronica privatorum Manuſcripta publicis interdum præferenda. Joh. Barclaji Hiſtoria Europæ affecta. 8. Vitarum Scriptores. Ant. du Verdier Proſopographia. 9. Hiſtoriæ de Argumentis Specialibus Politicæ. Hiſtoria Commerciorum à J. H. Bœclero deſiderata. Ad. Tribbechovii circa illam, R. H. Schelii & Cl. Salmaſii circa Militarem, Th. Rivii, J. Schefferi & J. H. Bæcleri, circa Navalem, Conatus & Labores. 10. Scriptores Genealogici, è quibus Hier. Henningius, & Hiſtorici de Familiis Illuſtribus Nobilibusque, è quibus Tob. Pfannerus præcipuè commendatur. 11. Conſilium de Locis Communibus & Excerptis Hiſtoricis. Judicium de Chronologiâ J. H. Alſtedii. 12. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Univerſalis Scriptores, Centuriatores Magdeburgenſes, & Cæſ. Baronius, eorum Compilator. Baronii Continuatores, Epitomatores, Adverſarii (Iſ. Caſaubonus, Dav. Blondellus, &c.) & Hyperaſpiſtæ. Iſ. Caſauboni Lib. de Libertate Eccleſiaſticâ editus, cur imperfectus? 13. Compendia Hiſt. Eccl. præſtantiora, Gothanum V. L. Seckendorfii, Frid. Spanhemii Jun. (cujus etiam introductio ad Geographiam Sacram, & Aub. Miræi Lib. de Statu Orbis Chriſtiani, commendantur,) & Ant. de Godeau. Alex. Taſſoni Opus ineditum contra Baronium. J. H. Hottingeri Hiſt. Eccleſiaſtica. 14. Hiſtoria Eccleſiaſtica Sec. XVI. & XVII. recentior nondum ſatis exculta. Judicium de Scriptis Ludov. Maimburgii. Epiſtolæ Theologorum à J. H. Hottingero collectæ. 15. Chriſtoph. Sandii Nucleus & Syſtema Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Arianiſmum ſapiunt. Jac. Ben. Boſſveti Diſcurſus in Hiſtoriam Univerſalem. 16. Lexicographi Eccleſiaſtici, Joh. Lud. de la Cerda, Car. du Freſne, Joſua Arndius, Domin. Macer, J. Caſp. Svicerus. 17. Scriptores Patrologici. Cenſura de Phil. Labbeo. 18. Scriptores de Epiſcopis, Sanctis, Martyribus, Ordinibus Monaſticis, Hæreticis, Conciliis, aliisque Argumentis Specialioribus vel Miſcellaneis, de quibus Joh. Andr. Boſii Schediasma de Notitiâ Scriptorum Eccleſiaſticorum jubetur conſuli.

1 MAgna hîc ſe nobis aperit differendi campus, nam vel integri Voluminis res eſſet, ſi, quæ huc pertinent, complecti recenſendo velimus. Habuimus olim Lectiones publicas *de Hiſtoriæ Scriptoribus*, *ejusque varietate*, quas hîc recoquere animus non eſt. Hîc paucula tantùm delibabimus, ad utramque HISTORIAM, tàm CIVILEM, quàm ECCLESIASTICAM, ſpectantia, & quidem libros compendiarios, nam ipſos Hiſtoricos ut curioſius perſequamur, ſupervacanea opera eſt, cùm jamdudum in hoc argumento verſati ſint G. J. Voſſius, in Opere *de Scriptoribus Hiſtoricis*, (a) & qui ſupplementa in illum ſcripſère, Joh. Hallervordius,

(a) Gerh. Joh. Voſſii *Libri IV. de Hiſtoricis Græcis* Lugd. Bat. A. 1623. *in 4to*, *Libri III. de Hiſtoricis Latinis* ibidem A. 1627. *in 4to*, primâ vice prodierunt. Utrumque deinde Opus in

vordius, Bernh. à Mallincrot, ac Chriſtophorus Sandius; In Eccleſiaſticis verò Rob. Bellarminus, ejusque novus Editor, cum inſignibus Auctariis, Phil. Labbeus. Quibus ſpecilegia fortè non pauca addi poſſent per ſingulos Auctores, prout vel dies diem

 docet,

in iſto argumento hactenus incomparabile, longè & emendatius, & auctius, ac poſterius quidem tantùm non dimidiâ parte locupletatum, ibidem A. 1651. *in 4to* lucem denuò adſpexit, Francof. A. 1677. *in 4to* (ſed admodum mendoſè) recuſum, ac nuper tandem *Tomo Operum* Autoris ſui *Omnium Quarto*, Amſtelod. A. 1699. *in fol.* excuſo, inſertum. *Paralipomenon ad Libros de Hiſtoricis Græcis Centurias V.*, *Diſcurſui* ſuo *de Summo Bono* ſubjunxit, & Coloniæ A. 1656. *in 4to* edidit, Bernh. à Mallincrot, Decanus Monaſterienſis, perperam à Theod. Janſonio (*in Biblioth. promiſſ. p. 30.*) inter Ἀνέκδοτα relatas. Plurima tamen ex hiſce in alterâ Operis Voſſiani Editione, A. 1651. ab Iſaaco Filio curatâ, itidem comparuerunt, ignaro Mallincrotio, qui priori tantùm uſus fuerat, uti à Morhofio T. I. Polyhiſt., L. 1., c. 18., §. 60., jam eſt obſervatum. *Annotationes ad Hiſtoricos Græcos à Voſſio recenſitos*, à *Paralipomenis* hiſce diverſas, quas prælo ſe jam ante biennium paratas habuiſſe, *ſub finem Paralip.* ſignificat, nondum prodierunt, & forſitan interciderunt. Quale fatum iniquius, vereor, ne Orbi Literato, jacturâ irreparabili, itidem ſubduxerit Thomæ Reineſii *Supplementum eorundem Voſſii de Hiſtoricis Græcis Librorum*, ſeu integrum potius in iſtos *Commentarium*, in quo ſe *omiſſa ſuppleviſſe, ἀγνοήματα indicaſſe, & cuivis ætatem, quâ liceret, ſuam aſſignâſſe*, ipſemet, *Ep. 15. & 16. ad Caſp. Hofmannum p. 33. 34.*, eſt teſtatus. Nam & iſtud ad finem ab Autore eſſe perductum, & prælum jam provocaſſe (licet Celeb. Tenzelius *in Dial. A. 1692. Menſtr., M. Jul. p. 608.*, in dubium hoc vocet,) A. 1657. ipſemet *Ep. 21. ad Joh. Vorſtium* (in Belgio excudi illud curaturum eſſe Gronovium, addente,) A. 1656. Joh. Andr. Boſius, *Ep. 90. ad Reineſium, p. 347.*, imò A. jam 1649. Joh. Chriſt. Baro à Boyneburg, *Ep. 20. ad Joh. Conr. Dietericum p. 92.*, ſignificarunt. Ad *Latinos* Voſſii *Hiſtoricos* eundem Supplementum itidem parâſſe, Boyneburgius (ad Reineſii provocans Epiſtolam) *l. c.*, & Henn. Wittenius *Dec. VIII. Memor. Philoſ. p. 468.*, teſtantur. Pari inſtituto Ludov. etiam Jacobus à S. Carolo, Cabilonenſis, Carmelita Gallus *Paralipomena* ad Voſſii *Hiſtoricos Græcos* pariter atque *Latinos* affecta, & tantùm non prælo parata, habuit. Vid. Labbei *Biblioth. Bibliothecarum*, *p. m. 249. 254.*, & Cl. Sarravii (à Morhofio *l. c.* allegati) *Epiſtolas p. 267.* In ſolos *de Hiſtoricis Latinis Libros* Joh. Hallervordius, Regiomontanus, *Spicilegium* dedit, *majori Supplementorum Operi præmiſſum*, Jenæ A. 1672. *in 8vo*; Chriſtoph. Sandius autem, Neo-Arianorum Promachus, itidem Regiomontanus, *Notas & Animadverſiones*, Amſtelod. A. 1677. *in 12.* excuſas. Continuationis illarum, ſive *Auctarii* in Libros Voſſianos, Partis Secundæ inſtar, iis adjiciendi, quod *in Præf.* pollicitus eſt, Fragmentum ſolum inter Schedas defuncti comparuit. Vid. *Biblioth.* ejus *Anti-Trinitariorum poſthumam p. 172.* Henr. Meibomii Jun. in Errores Voſſianos Animadverſiones, quarum Ipſe, *in Additt. ad Val. Henr. Vogleri Introd. in Notit. Bon. Aut. p. 184.* ſpem injecit, à Filio patriſſante, Herm. Diet. Meibomio, Orbis Literatus, ut jacturam Sandiani Laboris ſoletur, cupidè efflagitat. Balth. Bonifacii, Rhodigini, Epiſc. Tarviſini, *de XL. Romanæ Hiſtoriæ Scriptoribus, ab U. C. ad Car. M. ætatem, è Bodino, Voſſio, aliisque, Excerpta* (quæ, ſibi licet non viſa, Voſſius, *L. 3. de Hiſt. Lat. p. 815. Edit. Sec.*, inſigni dignatus eſt Elogio,) unà cum Car. Sigonii de iisdem *Judicio*, & Andr. Politi *Ordine Hiſtoriæ Romanæ legendæ*, Venetiis A. 1627. *in 4to* ſunt edita, à Joh. Eberh. Busmanno Helmſtadii A. 1674. *in 4to* denuò recenſita, & à Gaudentio quoque Roberto *Tomo III. Miſcellaneorum Italicorum*, Parmæ A. 1692. *in 4to* excuſo, inſerta.

docet, vel Auctores novi Editionibus antiquis emendandis operam ſuam impendunt. Succeſſu enim temporum perfectiſſimæ procurantur Editiones, & nunquam edita è Manuſcriptis in vitam quaſi revocantur. Olim quidem Germani, nunc verò Galli, & aliquâ ex parte etiam Britanni, in Hiſtoricis ac Patribus emendandis, nec ſumptui parcunt, nec labori. Quot non prodierunt in Galliâ magnifica Patrum & Hiſtoricorum Opera? Habemus *Hiſtoriæ Byzantinæ Corpus*, Auguſtum planè & Regium. Habemus in Collectionibus Conciliorum, ceterarumque antiquitatum Eccleſiaſticarum Herculeos labores, & profectò eam ob cauſam Gallis univerſus literatus Orbis obſtrictus eſt, quòd fontes ſapientiæ & Hiſtoriæ, tàm divinæ, quàm humanæ, recludere laborent, eosque, quoad ejus fieri poteſt, ſinceros nobis ſuppeditent.

2 Veniamus primùm ad Historiam Civilem, cujus Scriptores quâ Methodo legendi, quove ordine, à pluribus dictum eſt. Mihi non diſplicet exiguus libellus Degorei Whear, Angli, qui *Relectiones Hyemales*, ut vocat, ſcripſit, *de Ratione & methodo legendi Hiſtoriam Civilem & Eccleſiaſticam.* Scripſit & Thom. Dempſterus accurata de unoquoque ætatis cujusvis Hiſtorico judicia, teſte Erythræo, in ejus Vitâ, *Pinac. I. p. 26.* Scripſit & Carolus Sigonius de *Romanis Hiſtoricis Judicium*, ac Franc. Mottæus Vayerus in libro Gallico de *Veteribus ac præcipuis Hiſtoricis, Græcis & Latinis*, agit. Exſtant etiam Balth. Bonifacii *de Romanæ Hiſtoriæ Scriptoribus, ab U. C. ad Caroli M. ætatem, Excerpta* è Bodino, Voſſio, ac aliis. Mart. Zeileri *Catalogus Hiſtoricorum* totus penè è Voſſio eſt exſcriptus. Promiſerat quoque Lud. Jacobus à S. Carolo *Paralipomena* quædam *ad Voſſium de Hiſtoricis Græcis & Latinis*, teſte Labbeo *in Bibl. Bibl. p. 118.*, quæ equidem edita eſſe non credo. Præ ceteris commendanda eſt Pauli Bolduani *Bibliotheca Hiſtorica*, ſanè locupletiſſima, in quâ Hiſtoricos & Geographos, tàm univerſales, quàm particulares. Vitarum item & Genealogiarum Scriptores, eâ recenſet Methodo, ut vix accuratior Catalogus dari poſſit. Addi huic poteſt *Catalogus Bibliothecæ Cordeſianæ*, à Gabr. Naudæo editus, in quo ſelecti comparent Hiſtorici. Sunt & alii quidam de hoc argumento minuti Auctores, quibus non eſt opus immorari. Ad generales Hiſtoriarum Scriptores referendi etiam Lexicographi Hiſtorici, quos quidem hîc deſideramus. Omnia enim ſunt imperfecta & manca. Quod Carolus Stephanus *Dictionarium* ſcripſit, tempore omnibus quidem prius eſt, ſed ne nunc quidem, ut à Nicol. Lovdo interpolatum eſt & auctum, omnibus numeris eſt abſolutum. Idem eſto Judicium de J. Jac. Hoffmanno, quanquam is *Lexico* ſuo, tanquam Voragine quadam, omnia abſorpſerit Geographica, Poëtica, Hiſtorica, Genealogica. Utinam prodirent *Thom.* Reineſii in *Carolum Stephanum* labores, accuratior fortaſſis tunc illa cura eſſet. (*b*)

Ad

(*b*) Inter Lexica Hiſtorica Morhofius, ſi ſuperſtiti illa inſpicere licuiſſet, non omiſiſſet mentionem *Dictionarii Magni Hiſtorici* Ludov. Morerii, poſt tot Editiones alias, à Joh. Clerico à numeroſis repurgati erroribus, plurimisque Articulis & Obſervationibus novis locupletati, ac Ultrajecti A. 1691 *in fol. IV. Tomis* publicati. Cujus præ noviſſimâ Editione Pariſienſi

Ad Artem Historicam pertinet *Gerh. Joh. Voſſii* liber hujus argumenti, qui 3
Lugd. Bat. prodiit A. 1653. *in 4. Jacobus Mazonius* quoque ſingulari libro de hoc argumento egit. Omnium verò diligentiſſimè & maximâ cum curâ Auguſtinus Maſcardus, in Libro Italicè ſcripto, *dell' Arte Hiſtorica*, Venetiis edito A. 1655. *in 12.* Erat verò ille Urbani VIII. Cubicularius, Poëta, Oratorque præſtantiſſimus. *Appendicem* ad illam Artem Hiſtoricam Maſcardi ſcripſit Paulus Pirani da Peſaro, *in 4to.* editam, Venet. A. 1646. Non contemnenda etiam eſt Franc. Balduini JCti *Inſtitutio Hiſtorica*, *in 12.* edita, ubi illa præcipuè tanguntur, quæ ſunt Juridici argumenti. Addantur his Joh. Jov. Pontani *Dialogus de Hiſtoriâ*, Franciſcus Robortellus *de Hiſtoricâ Facultate*, Florent. *in 8.* 1548. Ant. Riccoboni *de Hiſtoriâ Commentarius*, Venet. 1568. *in 8.* & Paulus Benius, Eugubinus, qui *de Hiſtoriâ librum* ſcripſit, editum Venet. 1622. *in folio.* Elegans eſt Reineri Reineccii liber, cui tit. *Methodus legendi Hiſtoriam ſacram & profanam*, editus *in folio*, Helmſtadii A. 1583. Ejus editio ſecunda prodiit *in 4to.* ibid. anno 1660. Erat Vir ille in ſtudiis verſatiſſimus, magnique ſuo tempore nominis. Joh. Bodinum penè omiſeram, qui primo loco poni debebat. Ejus *Methodus Hiſtoriarum*, & ſeorſim, & cum aliis, edita eſt: ſeorſim Argentor. A. 1627. & multis in locis aliis, *in 12.* cum ceteris verò ejusdem argumenti Scriptoribus, Franc. Patricio, J. Jov. Pontano, Huberto Folieta, Franc. Balduino, Joh. Ant. Viperano, Dav. Chytræo, Cælio Secundo Curione, Simone Grynæo, aliquot Tomis, *in 8.* Baſileæ editis, & ob argumenti conformitatem junctis, prodiit. Neque omninò contemnendus Frid. Tilemanni *Diſcurſus Philologicus de Hiſtoricorum delectu*, Wittebergæ A. 1597. *in 8.* editus, qui Bodini tamen in plerisque legit veſtigia. Ad Generales Scriptores quoque referendus omninò eſt antè nobis laudatus Joh. Henr. Bœclerus *de Utilitate ex Hiſtoriæ Univerſalis Scriptoribus capiendâ.* Quod Stylum Hiſtoricum attinet, legenda eſt Diſſertatio Caſp. Scioppii *de ſtylo Hiſtorico*, quæ jungitur ejus *Infamiæ Famiani.*

Historiæ Universalis multa circumferetur Compendia, de quibus non eſt ut 4
multum ſolliciti ſimus. Joh. Clüveri, qui ipſis Hiſtoricorum Verbis, quaſi per Centonem concinnatis, omnia proponit, *Epitomen Hiſtoriæ* ego ceteris prætulerim, quanquam

ſienſi Anni 1699., totidem Tomis conſtante, & ab Advocato quodam Pariſienſi (Gauterio, ni fallor) curata Prærogativas ipſe Clericus, in Pariſinæ (multa ſuæ debentis) Cenſura, Jac. Bernhardi *Novellis Reip. Lit. M. Febr. A. 1700., Art. 7.* inſerta, abunde oſtendit. Sed nec oblitus eſſet Noſter *Dictionarii Hiſtorico - Critici* accuratiſſimi, quod Polyhiſtor Κριτικώτατος, Pet. Bælius, poſt σκιαγραφίαν ejus ac Specimina, A. 1692. *in 4to* præmiſſa, *Tomi II. in fol.*, Roterodami A. 1696., &, in Editione ſecundâ, emendatione pariter atque locupletiore, Tertii acceſſione auctum, ibidem A. 1702., ingenti cum Eruditorum applauſu, edidit. Utroque, & Moreriano & Bæliano, Gallico ſermone exaratis, haud inferius futurum ſperamus, & majori præterea Rerum Germanicarum atque Arctoarum copiâ noſtratibus ſe commendaturum, Germanicum iſtud, cui Joh. Franc. Buddæus, Profeſſor Acad. Hallenſis πολυμαθέςατος, ab aliquot jam annis, ſedulò inſudat.

quam & alii habeant, quo ſint commendandi. (c) Nam Joh. Micrælii *Lexicon*, quod vocat *Hiſtoricum*, elegans eſt, & multa in iſtâ brevitate complectitur, modo corrigantur errores, qui in illo habentur, Chronologici & Genealogici. Chriſtoph. Heidmanni *Epitome Hiſtorica*, quousque pervenit, diligenter ex Hiſtoriis omnia recenſet. Marci Zuerii Boxhornii, quæ vocatur *Chronolgia*, non tàm Chronologiæ nomen meretur, quàm Hiſtoriæ Civilis & Eccleſiaſticæ quidam Index eſt, ad temporum qualemcunque terminum alligatus. Non enim accuratus in Chronoligicis eſt, admodum præterea imperfectus. Optimum ſanè eſt rerum Civilium compendium, nam pleraque Hiſtoriæ capita, & quæ dependent ex mutationibus Politicis momenta, attingit. Exſtat & Joh. Gualtheri *Chronicon Chronicorum*, aliquot *Tomis in 8.* adornatum, cujus Autor perhibetur eſſe Janus Gruterus, qui nomen ſuum diſſimulavit, quòd multa in illo Chronico poneret, non usque adeò ſecurè ponenda. *Joh. Sleidanus*, ejusque continuatores, Æg. Strauchius & Conr. Sam. Schurtzfleiſchius, exigui compendii loco eſſe poſſunt, ſed poſteriorum illorum labor accuratior eſt, quàm ipſius Sleidani.

5 Hiſtoria ſecundum temporum Calculum inſtituta, CHRONOLOGIA dicitur, in quâ tot penè diverſæ ſunt ſententiæ, quot capita. Deſperatus hactenus labor fuit Conciliatio Chronologorum, vehementer enim à ſe ipſis diſſident. Joſ. Scaligerum habemus, qui Herculeo planè conatu, auſus eſt *emendare tempora;* ſed habuit multos in hoc negotio adverſarios, quorum doctiſſimus eſt Jeſuita Dion. Petavius, cujus exſtat *Doctrina temporum, in folio, Tomis duobus* concinnata, quâ fundamenta ſua Chronologica, Scaligerianis Hypotheſibus adverſa, proponit. Non defuerunt etiam alii, ſed minorum gentium Adverſarii, qui paſſim inſultârunt Scaligero. Nactus tamen ille eſt rationum ſuarum propugnatorem *Sethum Calviſium*, qui ſuper Eclypſium fundamento, conſiliô propemodum divinô, ex Aſtronomiâ, per Scaligerum

(c) Joh. Cluveri noſtratis, Theologi pariter atque Hiſtorici eximii, *Epitomæ* meritò locum inter Compendia Hiſtorica principem Morhofius vindicavit, Judicio hoc ſuo ὁμόψηφος J. C. Danhauero, J. H. Hottingero, Joh. Hornbeckio, Gisb. Voetio, Chr. Ad. Ruperto, V. L. Seckendorfio, Henr. Ernſtio, Joh. Henr. Urſino, Balth. Bebelio, J. Conr. Durrio, Chr. Schradero, J. Andr. Boſio, Abr. Calovio, Joach. Paſtorio, Sam. Rachelio, Theoph. Spizelio, aliisque Viris celeberrimis, diligentiam ejus, accurationem, fidem, ἀπάθειαν, Styli nervoſi elegantiam, aliasque dotes egregias, certatim deprædicantibus, quorum Judicia in *Cimbriâ* exhibebuntur *Literatâ.* Non digni igitur ſunt, quos moremur, duo inter Rhapſodos modernos Hiſtoricos Cenſores muſtei, quorum alter nimiam in illâ notat brevitatem alter verò, Joh. Jonſtoni *Hiſtoriam Univerſalem*, ac *Polyhiſtorem*, à ſe, ſi Bibliopolam ſumptuum prodigum offendat, continuandum, illi præferens, neſcio quam ἀταξίαν, imperfectionem, Politicesque imperitiam, deprehendiſſe ſibi videtur. Cui hoc Jonſtoni ipſius de Scripto Cluveriano judicium eſt inculcandum, *in Tr. de Naturæ Conſtantiâ p. 74. 75.* obvium: *Si de Univerſali Hiſtoriâ loquamur, deduxit eam egregie Joh. Cluverus, Prof. Soranus. Vincere tamen in quibusdam videtur Clariſſ. Conr. Graſerus, Præceptor noſter obſervandus. Qui iſtos duos, tanquam Pollucem & Caſtorem, conjunxerit, ei ſecuritatem in turbido alias Hiſtoriarum Oceano auſim ſpondere.*

rum ſuggeſto, *Chronologicum Opus* exſtruxit, quod Scaliger ſummis in cœlum effert laudibus. Succeſſerunt ſequentibus temporibus plurimi alii, qui novas miſcuerunt cum Scaligerianis Hypotheſes. Quidam planè in diverſas partes abiêre, ut Jac. Gordonus, Rob. Boylius, Thom. Lydiât, aliique. Aliqui myſticas temporum rationes è ſacris eruere laborarunt, uti fecit Joh. Jac. Heinlinus, nec non Hieron. Vecchiettus, in vaſtiſſimo & ſumtuoſiſſimo *Chronologiæ* ſuæ Opere, de quo ille multa mira magnaque promittit. De illo judicium vide Erythræi, *Pinac. I. p. 114.* Sed immorari his non eſt opus, quos ſomniis ſuis, doctiorumque ludibriis, relinquimus. Vid. de Scriptoribus Chronologicis Voſſius *in lib. de Hiſtor. & Mathematicis;* nam hæc doctrina tàm ad hos, quàm ad illos, pertinet. Uſui accommodatiſſimum eſt Chriſtoph. Helvici *Theatrum,* qui Scaligeri & Calviſii calculum ſequitur. J. Henr. Alſtedii *Chronologia,* quanquam eleganti methodo adornata, ut Locorum Communium Chronol. inſtar eſſe poſſit, multa habet in tempore errata. Ceterum & Æg. Strauchius *Breviarium Chronologicum* ſcripſit, in quo proponuntur variæ quæſtiones de argumentis Chronologicis. Omiſi inter Hiſtoriæ Generalis Compendiarios Scriptores Chriſtoph. Ad. Rupertum, cujus exſtant *Obſervationes in Synopſin Hiſtoricam Chriſtoph. Beſoldi,* elegans Opus, in quo invenias nonnunquam reconditiores ad Hiſtoriam notas.

Vocantur & Chronica, quæ certorum temporum, & certarum Regionum aut Urbium, Hiſtoriam tractant, ad perpetuam temporum ſeriem alligatam. Multa illorum habemus in Hiſtoriâ mediæ ætatis, à Monachis plerumque ſcripta, ſtylo quidem inculto & barbaro, ac mirificis præterea fabulis referta; quorum tamen cognitio non eſt ſpernenda. Ex hoc enim ſterquilinio eruenda altis immerſa tenebris veritas, ac fuerunt noſtro tempore Viri, qui maximum ſibi nomen illorum cognitione pepererunt, & ad Hiſtoriam illius temporis illuſtrandam feliciſſimè iis uſi ſunt. Multa paſſim in cœnobiis talium Manuſcriptorum Chronicorum latent, è quibus ingens Volumen, Gallicam continens Hiſtoriam, concinnavit Phil. Labbeus, ac Pariſiis edidit *in folio.* Eorum nomina & ſcripta apud Voſſium, ejusque Suppletores, videre licet. Hoc tempore, in Academiâ Juliâ, multa illorum Scriptorum publicarunt, tùm Henr. Meibomius, tùm Herm. Conringius ac Joh. Joach. Maderus. Et Conringius quidem ex illis magnam juris publici, tàm Germanici, quàm aliarum gentium, hauſit notitiam. Fuit & ſingulari iſtius Hiſtoriæ Mediæ notitiâ præditus Petrus Caſanova, Gallicus Scriptor, de quo Medonius hæc habet in vitâ ejus: *Quòd eâ ſagacitate illam perſcrutatus ſit, ut nihil eorum temporum adeò tenebris obductum fuerit, quod non illuſtrarit, inque illum ordinem omnia redegerit, ut luculento aliquo Opere, ſed perfecto, omne ejus Hiſtoriæ latifundium exhaurire voluerit.* Sed Fata intercesserunt tàm præclaro operi, & nobis illud inviderunt. Ceterum & illorum temporum Chronica, aliaque Opera Chronologica, non levi curâ enarrantur *in Bibliothecâ Thuanâ, p. 265, 266, & ſeq.* 6

Variarum Gentium Historicos, qui & ſtatum Rerumpubl. & res geſtas de- 7

ſcribunt, diligenter recenſet Conringius *in Collegio Manuſcripto Rerumpubl.* Debent & notari Hiſtoriæ CERTARUM URBIUM, quæ vernaculis linguis ſcriptæ ſunt; Et in Germanicâ quidem linguâ tam amplum earum habemus numerum, ut vel integram ex iis Bibliothecam exſtruere poſſimus. Nec facilè credat aliquis, quàm ſint illi Auctores ad juris publici cognitionem utiles. Unum illud Chriſtoph. Lehmanni *Spirenſe Chronicon*, magnâ diligentiâ conſcriptum, quid non habet rerum, ad ſtatum Germaniæ perdiſcendum, utilium? Solent & latitare paſſim in Archivis, Scriniisque publicis, vel in privatorum Bibliothecis Chronica, à privatis conſcripta, quæ fidem interdum merentur præ publicis; Solet enim veritas magis nuda in illis proponi. Nam quæ illo fine ſcribuntur, ut edantur, multa diſſimulare neceſſe habent. Si quis populorum urbiumque Hiſtoricos, ordinatè collectos velit, & ſecundum ſeriem locorum, is utatur Bolduani *Bibliothecâ Hiſtoricâ*, & illâ, quam ſupra laudavimus, *Bibliothecâ Thuanâ*, ubi, ſecundum regiones & urbes, Auctores diſponuntur. *Hiſtoriam Europæ* totius Italicâ linguâ orſus erat Joh. Barclajus, qui tamen illud Opus non complevit. Manuſcriptus ille liber adhuc hodiè ſupereſt, teſte Craſſo, in ejus Vitâ, *P. I. p. 205.*

8 Ad Hiſtoricos Scriptores pertinent etiam BIOGRAPHI, ſive Proſopographi, qui ſcripſerunt Illuſtrium Virorum Vitas vel univerſales, vel particulares. Univerſales voco, qui multorum Vitas ſcripſerunt, particulares, qui Viri unius Hiſtoriam ſcribunt. Gallicà linguâ ſcripſit Ant. du Verdier tria Volumina *in folio*, ſub tit. *Proſopographiæ Univerſalis*, in quâ ſtricte Vitas & res geſtas, quà Veterum, quà Recentiorum Virorum Illuſtrium deſcribit. De ceteris Vitarum Scriptoribus in ſuperioribus, (*Tomi ſc. I., Lib. I., c. 19*) multa monuimus, quæ hîc non repetemus.

9 Extendit ſe Hiſtoria non tantùm ad civiles actiones, aut bellicas, ſed & ad res omnes. Sed poſterior acceptio nimis lata eſt, neque ad nos ſpectat. Hiſtoria enim literaria ac naturalis huc non pertinet. Sola rerum civilium Hiſtoria hujus argumenti eſt. Sed magis ad Politicam ipſam ſpectat Hiſtoria PARTIUM ad REMPUBL. PERTINENTIUM, ut ſi quis Hiſtoriam militiæ navalis, commerciorum, bellorum, &c. ſcripſerit: Ii Autores mirificè juvant rem Hiſtoricam. Niſi enim ob uſum Civilem diſcatur, fruſtra eſt Hiſtoriæ omnis lectio. Optat Bœclerus *in Diſſertatione de Utilitate ex Univerſblis Hiſtoriæ cognitione capiendâ*, ut quis integram Commerciorum Hiſtoriam concinnare velit, quam intactam hactenus ille eſſe ait, cùm tamen ſit Reipubl. utiliſſima. Ideam quandam ejus ſingulari Diſſ. dedit *Ad. Tribbechovius. Hiſtoria Militaris* antiqua & nova magnam lucem adfert Hiſtoricis, quale Opus parabat Radbodus Hermannus Schelius, ut videmus *in notis* ejus *ad Caſtra Polybiana.* Idem in animo habuit Cl. Salmaſius, à Principe Arauſionenſi ad tale Opus ſcribendum incitatus, cujus nunc fragmentum ſupereſt. *Hiſtoriam Navalem*, præter Joh. Schefferum, *in Lib. IV. de Militiâ Veterum Navali*, Thomas Rivius aliquatenus deduxit, *in Hiſtoriâ ſuâ Navali antiqui, medii, & novi Seculi: Hiſtoriam medii ſeculi* ego tantùm vidi, ceteræ an & quando prodierunt, equidem ignoro. Operæ ſane

pretium

pretiũ fecerit, ſi quis perfectum abſolutumque hunc laborem dederit. Quod ad veterem Hiſtoriam navalem attinet, ejus ſummariam delineationem dedit J. Henr. Bœclerus, in Diſſertat., quæ inſcribitur: *Argo Nova*. Sed reconditum hoc argumentum eſt, & quoniam deſtituimur fide dignis monumentis, vix quicquam feliciter efficietur. Dependet alioquin ex hoc labore magnam partem doctrina *de Coloniis gentium, de Commerciis antiqui orbis*, & ſimilia.

Genealogiarum Scriptores ad Hiſtoricos ſpecialiſſimos etiam referendi ſunt. 10
Habemus autem & hîc Scriptores, tàm *generales*, quàm *ſpeciales*. De *Romanis Familiis* Joh. Glandorpius *Onomaſticon* ſcripſit, ut ſuprà vidimus, ſed eſt tantùm Onomaſticon aut Lexicon, non vera Genealogia. Opus optimum, quod hoc in argumento prodiit, eſt Hieron. Henningii *Theatrum Genealogicum*, præclarum Opus & rarum, præcipue Francorum Regum Hiſtoria Geneologica cum curâ & diligentiâ deducta eſt. (*d*) Illum ſecuti ſunt poſteà Scriptores multi alii, Ant. Albizius, Nicol. Rittershuſius (in quo tamen non pauci ſunt errores,) & noviſſimè Phil. Jac. Spenerus. Sunt & Hiſpanis, Gallis, Italis, ſui Scriptores Genealogici, quos non opus eſt adeò morari, cùm illorum uſus non ſit tanti, niſi fortè, quod illuſtriores Principum familias attinet, qui cum Principibus Germanicis aliquâ affinitate juncti ſunt. Eos magno numero videre licet in *Bibliothecâ Thuanâ*, Specialium Familiarum Scriptores non pauci ſunt, ſunt & qui Nobilitatem certæ cujusdam gentis per Genealogias deduxerunt: Qui labor non omninò inutilis eſt. Quoniam enim è Nobilibus deligi ſolent Viri ad adminiſtrationem, tàm Civilem, quàm Militarem, ideò ſpecialiſſima hæc Hiſtoria etiam hâc in parte juvare doctrinam Politicam poteſt. Omninò expediret in Germaniâ hiſtoriam certorum Principum, Comitum, accuratius deſcribi, ne tantùm jejuno illo modo, quo Genealogiæ per tabellas proponuntur, ſed methodo quâdã pleniore, ut & Hiſtoria quædam ſtrictior Genealogiæ adjiciatur. Non contemnendum hujus rei Specimen præbuit Tobias Pfannerus in libello *de præcipuis Principum Germaniæ Familiis*. Poſſent & Genealogicæ recenſioni adjici Pacta Illuſtrium illarum familiarum, & ſimilia, unde optima eſſe poſſit Juris publici cognitio. Hiſtoria enim Germaniæ Germanorumque Principum accurata unicam illam præcipuamque Juri publico lucem accendit, hinc dependent omnia. 11

Loci Communes Historici & Chronologici vel ſecundum claſſes rerum, vel ſecundum claſſes Rerumpubl., vel ſecundum ſeriem temporum, inſtitui poſſunt, pro ſcopo cujusvis. Primus ille modus nihil aliud pro fine habet, quàm ipſam temporum notitiam in certis quibusdam rebus. Eo modo adornavit *Chronologiam* ſuam *Alſtedius*, quæ & ſeorſim, & junctim cum ejus Operibus, prodiit. Vehementer labor ille prodeſt ad accuratam omnium rerum hiſtoriam, per tempora ſua deductam,

 quem

(*d*) Hier. Henningii, Eccleſiaſtæ Lüneburgenſis, *Theatrum* (cui Bœclerus etiam, Boſius, aliique primas in hoc ſtudio decernunt) *Genealogicum* recenſere, emendare, ſupplere & augere, Conr. Balth. Behrens, Medicus Saxoniæ Inferioris eruditus, niſi fallor, ab aliquo jam tempore, hortatu Illuſtris Leibnitii, eſt aggreſſus.

quem ſi quis ab ineunte ætate inſtitutum continuaverit, magnum ſibi theſaurum ſucceſſu temporis comparabit. Opus illud Alſtedianum mancum multilumque eſt, & indicis tantùm loco: multis modis in immenſum talia augeri poſſunt. Immiſcuit quidem & Gentium Rerumpublicarumque Hiſtoriam Alſtedius, ſed illis ſingularem ego librum deſtinarem. Prolixius enim tale Opus eſt, quàm ut ſimul cum ceteris miſceri poſſit. Cùm enim ad uſum in doctrinâ civili inſtituantur talia Excerpta, ſeparatim illa colligenda ſunt. Denique qui præcipua rerum momenta ad certum ordinem temporum colligunt, ſine ſeparatis rerum claſſibus, illi Chronologiam tantùm reſpiciunt, atque his inſervire poterit *Chronologia* M. Z. Boxhornii, quæ ad uſum Civilem & Eccleſiaſticum accommodata eſt, ad cujus ductum iſta quoque notari poſſunt, quæ illic non continentur.

12 Veniamus ad HISTORIAM ECCLESIASTICAM, de quâ paucula delibanda ſunt. Eſt verò illa vel *totalis*, vel *partialis*. Univerſalis eſt vel *diffuſa*, vel *compendiaria*. Centuriatores Magdeburgenſes primum Univerſale aliquod Opus inſtituerunt, quibus ut paria facerent Pontificii, (e) Cæſar Baronius *Annales* ſuos contexuit, qui, Scaligero Judice, pleraque ſumſit è Centuriatoribus. *Annales* Baronii continuarunt Abr. Bzovius & Odericus Rainaldus, cujus Tomi 14. editi ſunt Romæ *in folio*. Henr. Spondanus *Epitomen Annalium Baronii* ſcripſit Pariſiis A. 1639. editam *in folio*. Aug. Torniellus verò *Annales ſacros & profanos ab Orbe condito ad Paſſionem Chriſti*, Opus quaſi prævium Annalibus Baronianis, Francofurti 1611. *in folio*, editum. In Baronii exiguam Annalium partem extant Js. Caſauboni *Exercitationes*, quem laborem continuavit per aliquot annos Dn. Ad. Tribbechovius. Quædam Theologicorum in illis Dogmatum, in quibus Pontificii à nobis diverſum ſentiunt, refutavit Dn.

(e) De Cæſ. Baronii *Annalium Eccleſiaſticorum* Hiſtoriâ, illorumque Epitomatoribus, Metaphraſtis, Continuatoribus, Antagoniſtis, & Hyperaſpiſtis, Caſp. Sagittarius, *in Introd. in Hiſt. Eccl. toto Cap. XIV., p. 282-323.*, Joh. Frid. Mayerus, *in Eclogis de Fide Baronii & Bellarmini ipſis Pontificiis ambiguâ, ad Gerh. à Maſtricht, Syndicum Bremenſem* (qui itidem in Baronium aliquid molitur,) Amſtelod. An. 1697. *in 12o.* editis, Joh. Chriſtoph. Rumetſchius *in Schediaſm. de Univerſali Theologorum Evangelicorum Hiſtoriâ p. 36-41.* & Ad. Tribbechovius *in Prolegomenis V. Exercitationum Anti Baroniarum*, Kilonii An. 1669. *in 4to* editarum, merentur conſuli. Tribbechovius telam, ab Is. Caſaubono inchoatam, ab A. C. XXXIV. Num. 222., ad ejusdem *Anni num. 287.*, tantùm continuavit, deinde verò, in Aulam Gothanam Kilonio evocatus, abrupit. Quæ in eadem Academiâ Cimbricâ A. 1677, prodierunt, Chriſt. Kortholti, Prof. Theologi, *VII. Disquiſitiones Anti Baronianæ, de Domo Nazarethico-Lauretanâ, ſuffragiis pro Defunctis, Purgatorio, Confirmationis, Ordinis & Extremæ Unctionis Sacramentis, Traditionibusque nonſcriptis*, ſicut & Octava *de Cultu Reliquiarum*, ſeorſim A. 1680. edita, Loca Baronii de hiſce Argumentis, hinc inde decerpta & collecta, impugnat. De Dav. Blondelli *Animadverſionibus* pauculis, ab Andr. Magendeo, Eccleſiaſte Benearnenſi, in *AntiBaronio* ſuo (ad *Tomi I. Annum 34.* tantùm perducto) Leidæ A. 1679. *in fol.* publicatis, & Joh. Henr. Ottii, Prof. Tigurini, *Examine Annalium Baronii perpetuo.* A. eod. 1679. inchoato, & per tres Centurias (*in 4to impreſſas*) continuato, vid. Sagittarium *l. c. p. 318. 319.*

Dn. D. Kortholtus. Parabat *Animadverſiones in Baronii Annales* Cl. Salmaſius, teſte Craſſo in *Elogiis Hominum Litt. T. 2. p. 211.* Idem memorat, à Paulo Benio ſcriptas eſſe *Diſputationes de Annalibus Baronianis, Part. II. p. 83.* In eosdem *Annales* Dav. Blondellus integrum Opus affectum habuiſſe dicebatur, quæ fama commovit Magiſtratum Amſtelodamenſem, ut ex Bibliothecâ ejus pararet ſibi *Annales* Baronianos magno ære, quibus notæ ab ipſo marginales adſcriptæ erant, ſed tentata tantùm ab illo res fuit, neque amplius quicquam ſub illius nomine comparuit. Non ita pridem editas illas notas vidi ſingulari quodam, *in folio*, libro, ſed tenui. Si Caſaubonus ſupervixiſſet, palmam ab hac palæſtrâ referre potuiſſet. Ille enim tanto labori erat par, qui ad manus habebat Bibliothecam Regis Galliæ, & ipſe cognitione Antiquitatis Eccleſiaſticæ inſtructiſſimus erat. Nam quanquam ingenio inter noſtros etiam multi non deſtituuntur, deeſt tamen apparatus librorum huic rei neceſſarius. Multa à Baronio in ſubſidium vocantur, quæ vix alibi, quàm in Bibliothecâ Vaticanâ, reperias. Poſt Caſaubonum Blondellus huic rei poterat adhiberi, quem ego præ Salmaſio ad tale Opus ſcribendum aptum fuiſſe crediderim. Qui adverſus Caſaubonum Vindicias pararunt, J. Cæſ. Bulengerus & Herib. Rosweidus, nihil habent, in quo cum ipſo conferri poſſunt, & ſatis illum adverſus hos Inſultatores defendit Richarchardus Montacutius. Idem Caſaubonus ſcripſit librum *de Libertate Eccleſiaſticâ*, ab ipſo Galliæ Regæ incitatus, adverſus Pontificem, cujus mentionem facit Colomeſius *in Opuſculis ſuis p. 127*, quod ſc. viderit apud Marquardum Gudium, impreſſum A. 1607. *in 8.* Nomen Caſauboni notaverat in Frontiſpicio libri Joſias Mercerus, Socer Salmaſii, ſuâ manu, & ſub finem paginarum, quæ procedunt usque ad *numerum 264.*, iterum notavit Mercerus: *cetera, rebus mutatis, non ſunt edita*. Compoſitis enim Venetorum cum Pontifice litibus, Henricus IV., Rex Galliæ, librum juſſit ſupprimi. Addit ulterius Colomeſius Illuſtrationem horum verborum ex Jac. Capello, quæ illic legatur; Fragmentum hujus libri notat Placcius, *in Libro de Anonymis c. 2. p. 22.*, Melch. Goldaſtum inſeruiſſe *Monarchiæ* ſuæ *Imperii Tom. I. p. 674. ſeqq.*

Compendiariam *Hiſtoriam Eccleſiaſticam* à nullo habemus ita tractatum, ut illo acquieſcere poſſimus. Non contemnendum eſt *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Compendium Gothanum*, quod à Vito Lud. Seckendorfio & J. Henr. Bœclero concinnatum creditur. Apud Reformatos Frid. Spanhemius operam illam ſuſcepit, qui Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ prima lineamenta duxit, edita A. 1675 Lugd. Batav. *in 12.* ſub titulo *Introductionis ad Hiſtoriam, & Antiquitates ſacras*, cum *Appendicibus, Chorographica, & Critica.* (*f*) Eſt vero liber ille Epitome tantùm & prodromus Operis majoris, 13

(*f*) Frid. Spanhemii Jun. *Brevis Introductio ad Hiſtoriam Sacram utriusque Teſtamenti, ac præcipuè, Chriſtianam, ad A. usque Chr. 1518. perducta*, auctior atque emendatior denuò prodiit Leidæ A. 1694. *in 4to*, Operis autem majoris ſive *Introductionis ad Chronologiam & Hiſtoriam Sacram, ac præcipuè Chriſtianam, ad Tempora usque Reformationi proxima*, cui

joris, ſed optimè ad inſtituendam juventutem comparatus, nam per ſecula Hiſtoriam deducit, ſub certis ejus capp. adeò ut ſtatim pateat, quidnam ſingulis ſeculis contigerit. E Recentioribus Scriptoribus non pauca adducit, non diſſimulans ipſorum, vel ſcripta, vel ſcriptorum argumenta. Utiliſſimus aliquando liber ille major erit, quando prodibit. Idem quoque Autor ſcripſit *Introductionem ad Geographiam Sacram, Patriarchalem, Iſraëliticam, & Chriſtianam*, hancque per Romanum omne Imperium, ante & poſt Conſtantinum M., & per Provincias Barbaricas, deduxit. Liber ille quaſi manus jungit cum Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ, cujus non eſt accurata ſine Geographiâ cognitio. Sumpſerat, quod religionem Chriſtianam ſpectat, & Aubertus Miræus ſibi hoc argumentum tractandum, *in libro de Statu univerſi Chriſtiani orbis*, ubi Pontificiæ religionis per totum terrarum orbem diſſeminationem hiſtoricè proponit. Qui liber utilis eſt ad Pontificiæ religionis Politiam accuratius pernoſcendam. Quod Indicas Gentes attinet, Joh. Hornbeckius videri poteſt ſingulari lib. *de converſione Barbarorum*, Lugd. Batav. *in 4.* edito. E Pontificiis recentioribus præſtantiorem non habemus, qui per ſecula *Hiſtoriam Eccleſiaſticam* deduxerit, quàm Antonium de Godeau, Virum doctiſſimum & Epiſcopum, eum ſc. qui Pſalmos Davidicos in verſus elegantiſſimos Gallicos convertit. Prodiit Gallicâ Linguâ Opus ejus aliquot Tomis *in folio*, nunc verò recuſum eſt in Bataviâ minutiore Charactere. Præfatio ejus libri eſt luculenta, multaque habet de defectibus Scriptorum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Ingenue enim ſcribit, ut ſolent omnes Galli, neque ipſius Baronii errores diſſimulat. Solent in illo Itali eſſe parciores; memini tamen Alexandrum Taſſonum, Virum doctiſſimum Italum, ſed tamen & dicaciſſimum, editioni paratum habuiſſe librum *della Hiſtoria Eccleſiaſtica & Secolare*, in quo Baronii *Annales* examinat majori libertate, quàm aliqui factum vellent, ut ajunt Joh. Bapt. Laurus & Leo Allatius *in Apibus Urbanis*. Plura alia circumferuntur Compendia recentiorum Scriptorum, & plures ſunt Antiquæ Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptores, quos ſecundum ordinem, ſeriemque ſuam, recenſent Nomenclatores Scriptores Bibliothecarii. Illorum nomina recenſere ſupervacaneum eſt; quid enim attinet circa lacunas operoſum eſſe, cùm habeamus fontes? Exſcribunt illi ſe mutuò. Non prætereundus tamen eſt Joh. Henr. Hottingerus, cujus *Hiſtoria Eccleſiaſtica* ſatis quoque diligenter ſcripta eſt, inprimis recentior, ubi in tempora Reformationis incidit.

14 Recentioris hujus Temporis pleniorem Historiam in Proteſtantium Eccleſiâ meritò deſideramus. (*g*) Nam licet Joh. Sleidanus initia benè ſatis complexus fuerit,

cui perpetuæ etiam Cæſ. Baronii, & Recentiorum Galliæ Pontificiæ Scriptorum (Lud. Maimburgii, Nat. Alexandri, &c.,) Caſtigationes ſunt immixtæ, Tomus I. ab O.C. ad Sec. usque VII. Æræ Chr., Ibid. A. 1683. *in 4to*, Tomusque II., Secula quatuor, Septimum, Octavum, Nonum & Decimum, complectens, Ibid. 1687. in 4to. *Tomus III.*, ni fallor, duobus prioribus, in Editionis Operum Spanhemii omnium *Tomo I.*, Lugd. Bat. A. 1701. *in fol.* publicato, eſt adjunctus.

(*g*) Primorum Reformationis Temporum Hiſtoriam Sleidano longè plenius atque accuratius expoſuit

rit, & Georg. Cœleſtinus *Hiſtoriam Auguſtan. Conf.* ſcripſerit, Henr. Höpfnerus quoque *Saxoniam Evangelicam*, multa tamen ſpecialius poterant diduci. Sed neque hîc omnia impunè ſcribuntur. Nam, ad ſubterfugiendam invidiam, non eſt conſultum omnia attingere. E Pontificiis Ludov. Maimbourg hoc tempore omnium Sectarum Hiſtoriam ſcribere aggreſſus eſt, & candorem aliquem præ ſe fert; multa tamen in illo deſiderantur. Scripſit is *Hiſtoriam Lutheraniſmi*, *Hiſtoriam Calviniamiſmi* (cujus cenſuram nuper Theologus Reformatus dedit,) *Hiſtoriam Arrianiſmi*, qui libri ad hæc tempora cognoſcenda utiles ſunt, modò cum judicio legantur; neque enim homini Pontificio per omnia tutò poteſt credi. Hottingerus *in Bibliothecario quadripartito* refert, habere ſe omnium iſtorum temporum Theologorum MSStas Epiſtolas, tàm Proteſtantium, quàm Reformatorum, quem ille non immeritò Theſaurum incomparabilem vocat. Ex his monumentis multa poterant ad talem Hiſtoriam illuſtrandam afferri, ſed perierunt omnia hæc molimina in aquis, cum ipſo Autore.

Sunt & alia Compendia *Hiſtoriæ Eccl.*, Hæreticorum ſcil., à quibus cavendum 15
eſt. Hos inter præ ceteris nomino Chriſtoph. Sandium, cujus exiit olim *Nucleus*, & poſtea integrum *Syſtema Hiſtoriæ*, præcipuè primorum ſeculorum. Operæ pretium faceret, ſi quis ex Orthodoxis Theologis hujus libri inſidias detegeret. Prodiit & nuperrimè A. 1681. Lugd. *in 4to.* & Amſtelod. *in 12.* à Jacobo Beſigno Boſſueto, Epiſcopo Condomenſi, *Diſcurſus ſuper Hiſtoriam Univerſalem*, Gallicâ Linguâ, ad Delphinum, in quo, præter mutationes Imperiorum, Succeſſio religionum etiam proponitur, ſed tantùm usque ad tempora Caroli M. Non vidi ipſe hunc librum, ſed Lipſienſes in *Actis ſuis A. 1682. p. 215.*, elogium aliquod illi ſuſpendunt.

Ut in Hiſtoriâ Civili, ita & Eccleſiaſticâ, quædam ſunt conſcripta Lexica, fa- 16
cientia ad intellectum Patrum & Conciliorum, in quibus occurrunt ſæpè termini, ac voces vulgò ignotæ. Sunt Joh. Ludov. de la Cerda *Adverſaria* in hunc finem ſcripta, nunc verò, poſtquam Caroli du Freſne *Gloſſarium* prodiit, omnia puto *illi* transſumpta. Et illa quidem Lexica voces tantùm ſpectant. Sunt verò, qui Ritus & Antiqui-

expoſuit Vitus Ludov. à Seckendorf, Conſil. Int. Saxon. & Brandeb., Heros Literatiſſimus, *in Comm. Hiſtorico & Apologetico de Lutheraniſmo, ſeu de Reformatione Religionis*, Lud. Maimburgii *Hiſtoriæ Lutheranismi* (cujus *Libri III. priores* Latinè ſimul verſi exhibentur) oppoſito, Librisque III. ab A. 1517. ad 1546., Luthero emortualem, perducto, qui Lipſiæ A. 1692. *in fol.* prodiit. Henr. Höpfneri, Theologi Lipſ., *Saxonia Evangelica*, juſſu Joh. Georgii I., Electoris, Pet. Cutſemii *Saxoniæ Catholicæ* oppoſita, ac Lipſiæ A. 1625. & 1672. *in 4to* excuſa, in Hiſtoricis eſt parcior, & dogmatica præcipue perſequitur. Nuperrimi Hiſtoriæ Seculi XVII. Eccleſiaſticæ Scriptores, Joh. Wolfg. Jägerus, Prof. Tubing., qui tria tantùm Decennia priora A. 1692. & 93. exhibuit, & And. Carolus, Abbas Sangeorgianus in Duc. Würtemberg., totum emenſus Seculum, cùm, præter Collectanea, ex aliis coacervata, eaque maximam partem vulgaria, vix quicquam attulerint, judicio haud ſatis accurato in argumento iſto ſint verſati, præjudiciis autem ſuis plus juſto indulſerint, parum ex illo labore gloriæ reportarunt.

tiquitates ſimul congerunt per Indicem, ut fecit Joſua Arndius, cujus exſtat *Lexicon Antiquitatum Eccleſiaſticarum, in 4to.* Subjunxit Autor ille etiam Catalogum de præcipuis Scriptoribus Eccleſiaſticis, ad Bernhardum usque, *à p. 685. ad p. 1086.* Eſt & Italicâ linguâ ſcriptus liber, cui tit. *Notitia de Vocaboli Eccleſiaſtici, Con la dichiaratione delle Ceremonie, & Origine delle riti ſacri, voci barbare, è fraſi uſitatè de ſancti Padri, Concilii ê Scrittore Eccleſiaſtici, raccolta da Dominico Magri, Malteſe*, in Venetiâ A. 1675. *in 4to.* Superiori Anno Joh. Casp. Svicerus, Canonicus & SS. LL. Profeſſor Tigurinus, *Theſaurum Eccleſiaſticum* ſcripſit, è Patt. Græcis ordine Alphabetico concinnatum. XX. Annorum labor eſt, & colliguntur in illo non Voces ſolùm, ſed & varii Ritus Eccleſiaſtici, dogmata Orthodoxorum & hæreſes conferuntur, hodierna item dogmata cum antiquis. Subjicitur Index triplex, unus Autorum, ex quibus ille *Theſaurus* collectus, alter Locorum Scripturæ explicatorum, Tertius rerum & verborum, in toto hoc *Theſauro* occurrentium. Promiſit idem Autor in *præfatione Lexicon Græcum minus, & Lexicon Græcum majus, duobus Tomis in fol.*, quod à ſe magno labore collectum eſſe teſtatur.

17 Quòd ſi jam ad ipſos Scriptores Eccleiasticos deſcendere velimus, ratione argumentorum illi eſſent diſpeſcendi, ac comprehenderentur ſic ſub nomine Eccleſiaſticorum Scriptorum Patres univerſi, de quibus poſſent multa dici, tùm ratione Editionum, tùm ratione mutilationum, tùm ratione adulterationum, quod poſtremum argumentum Joh. Dallæus præ ceteris inſigniter tractavit. De Scriptis Patrum *Phil. Labbeus*, poſt Bellarminum, prolixè egit. (*h*) Ille enim Bellarminum *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* ſupplevit, quo carere in hoc argumento non poſſumus, quanquam Scriptore maledicentiſſimo, & in Proteſtantes admodum furioſo. Vocetur & in ſubſidium *Thuana Bibliotheca*, ubi ſecundum ordinem annorum, recenſentur, optimæque Editiones habentur, exceptis iis, quæ poſt illa demum tempora lucem aſpexerunt. Inter quas eſt Origines, eleganter latinè redditus, & cum Comment. editus, à Pet. Dan. Huetio.

18 Huc pertinent Notitiæ *Epiſcoporum* & *Epiſcopatuum*, de quibus per ſingulas gentes exſtant libri. Adde Autores, qui ſcripſerunt *Vitas Patrum, Sanctorum* & *Martyrum*, varia illa *Martyrologia*, & qui de *Ordinibus Religioſis* ſcripſêre, deque horũ *Cœnobiis* & *Collegiis*. Habemus pene ſingulorum Ordinum Annales, à certis Autoribus ſcriptos. Franciſcanæ familiæ Annales Franc. Gonzaga dedit, Annales Capucinorum Zach. Boverius, teſte

(*h*) Phil. Labbei de *Scriptoribus Eccleſiaſticis* Opere carere jam facilius poſſumus, poſtquam alii Argumentum idem majori, quàm ille, & dexteritate, & candore, pertractarunt, è Pontificiis ſcilicet Ludov. Ellies de Pin & Caſim. Oudin (ad Reformatos deinde transgreſſus,) Theologi Pariſienſes, è Reformatis autem Angliæ Guilh. Cave, Canon. Windſorienſenſis, cujus *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum*, qui XIII. prioribus Æræ Chr. ſeculis floruerunt, *Literaria*, Opus eximium, Lond. A. 1688. *in fol.* prodiit, & Henr. Whartonus, qui luculentam de Seculorum XIV. & XV. Scriptoribus *Appendicem* iſti A. ſeqv. 1689. ſubjunxit.

ſte Craſſo *in Elogiis Hom. litt. P. I., p. 242.* (*i*) Editum & eſt ſingulare *Monaſticon Anglicum.* Claud. Robertus *Galliam Chriſtianam* ſcripſit, in quâ agit de Officialibus ſacris Galliæ, Ferd. Ughellus *Italiam Sacram*, Opus vaſtiſſimum, & novem *in folio* Tomis comprehenſum, in quo agit de omnibus Epiſcopatibus Italiæ. Opus laborioſum ſanè eſt & doctum. Spectant huc omnes Autores, qui *Hæreticorum* & *Conciliorum hiſtoriam* tradiderunt, item qui *hiſtoriam dogmatum Eccleſiaſticorum*, *Pontificum & regiminis Eccleſiaſtici*, conſignarunt. Sunt & ſpecialiores Scriptores certorum argumentorum, qui Scriptoribus Univerſalibus facem quaſi accendunt, v. g. qui de *perſecutionibus Eccleſiæ* ſcripſerunt, D. Chr. Kortholtus ſcil. & Joh. Bapt. Maſculus (de quo vide Craſſum *in Elogiis Hom. Litt., P. I. p. 355.*) qui de *Cruciatibus Martyrum Chriſtianorum* egerunt, de quibus librum ſingularem Ant. Gallonius ſcripſit, & multa reperias *in Româ ſubterraneâ* Pauli Aringhi, optimo libro, & in quo multa ſunt, ad Eccleſiaſticas Antiquitates ſpectantia, loco ſæpè alieno adducta. Sunt deindè Miſcellanei Scriptores variorum *rituum Eccleſiaſticorum*, quales ſunt Aloyſ. Novarinus in ſuis *Selectis*, & *Schediasmatibus*, J. Bapt. Caſalius, J. Steph. Durantius, &c. Sed de his omnibus ſpeciatim agere noſtri non eſt inſtituti, in univerſum autem plura de illis disquirere ſupervacaneum, poſtquam Joh. Andr. Boſius eruditum *Schediaſma de comparandâ notitiâ Scriptorum Eccleſiaſticorum*, publicavit, Jenæ A. 1673. *in 4to*, in quo multa habentur, quæ lucem inferre Scriptorum Eccleſiaſticorum lectioni poſſunt.

FINIS LIBRI QUARTI.

POLYHISTORIS
TOMI III,
SIVE
POLYHISTORIS PRACTICI,
LIBER V. THEOLOGICUS,
DE THEOLOGICIS SCRIPTORIBUS.

§. 1. *Amplitudo Studii Theologici. In Hiſt. & Antiqq. Eccl. Pontificii & Reformati,*

(Uuu)

(*i*) *Monaſticon Anglicanum*, ſeu Opus de Coenobiis Angliæ Hiſtoricum, quod *h. l.* absque Autorum laudatur indicio, à Gvilh. Bugdale & Rogerio Dodſvvorth eſt congeſtum, tribusque Voluminibus Londini A. 1655. & 1673. *in fol.* publicatum.

ti, in Theol. Dogmaticâ Lutherani, præcellunt. 2. Theologia Naturalis Priſcorum fuit Metaphyſica, à Platonicis præcipuè exculta. Plato multa à Judæis & Ægyptiis hauſit. Jamblichi Lib. de Myſteriis Ægyptiorum commendatur. 3. Laudantur, qui Theol. Naturalem è Philoſophis & Poëtis congeſſerunt, Marſ. Ficinus, Mocenicus, Franc. Patricius, Sibyllinis Oraculis (de quibus quinam ſcripſerint, obiter monetur) addictior. 4. Aug. Steuchus, cujus Operis de perenni Philoſophiâ, & κοσμοποιΐας, inſignia adduntur Encomia, Mutius Panſa, Steuchi ſecutus veſtigia (cujus occaſione de Nicol. Cuſani Scriptis etiam judicatur,) Joh. Owenus & Sam. Parckerus, qui diſcrimen Theol. Naturalis & Revelatæ oſtenderunt. 5. Relationes & Judicia de Iſ. Voſſii lib. de Oraculis Sibyllinis, in Textum V.T. Hebræum injurio, & Adverſarii ejus, Rich. Simonis, Hiſtoria V. T. Critica. 6. Scriptores Theologiæ Naturalis Methodici potiores, Raym. de Sebonde, Dan. Claſenius, Pet. Muſæus, Renatusque Carteſius, Atheiſmi falſò accuſatus. 7. Recenſus Criticus Librorum pro Veritate Relig. Chriſtianæ à Marſ. Ficino, Lud. Vive, Er. Roterodamo, Pet. Ramo, Phil. Mornæo, Hug. Grotio & Pet. Dan. Huetio, editorum, Scripta Patrum contra Gentiles, Hier. autem Magii & Alph. Pandulphi de Conflagratione Mundi. Judicium de Guilh. Poſtelli Lib. de Orbis Terrarum Concordiâ. 8. Inter Naturaliſtas eminent. Edv. Herbertus, Thom. Hobbeſius & Bened. Spinoſa, quorum Adverſarii recenſentur. 9. Scriptores contra Atheos, Gisb. Voëtius, Thom. Campanella, Paulus Sarpius, Henr. Morus, Theoph. Spizelius, Ant. Reiſerus, Franc. Cuperus, Sam. Parckerus, Chr. Joach. Janus, Joh. Lud. Fabricius (Gentium Atheiſmi accuſatarum, Patronus,) ac de ſingulis Judicia. Fruſtrà contra Atheos è S. Script. diſputatur. 10. Thom. Browne falſò Atheiſmi accuſatur. Ejus Religionis Medici, ac Pſeudodoxiæ Epidemicæ, variæ Editiones, Verſiones ac Cenſores. 11. Philoſophia S. Scripturæ Interpres, quæ Ben. Spinoſæ tribuitur, dextrè à Lud. Wolzogenio, minus dextre à Pet. Serario refutata. Gotfr. à Valle Ars nihil credendi, Bonav. de Periers Cymbalum Mundi, aliique Libri Athei. Marini Merſenni Comm. in Geneſin commendatur. 12. Argumentum contra Atheos è Scriptis Gentilium Hiſtoricum, ab Aug. Steucho, Anonymo Italo, Chr. Hofmanno & Tob. Pfannero, illuſtratum. 13. Bibliothecarum Theologicarum Scriptores, Sixtus Senenſis, Ant. Poſſevinus, Paulus Bolduanus, Georg. Draudius, Gisb. Voëtius, Gerh. Meierus, Georg. Calixtus, Sev. Walth. Sluterus, Joh. Dallæus, Th. Spizelius, & J. H. Hottingerus (cujus Bibliothecarius Quadripartitus, cum G. Calixti Apparatu Theologico, ceteris præfertur.) De ſingulis Judicia. 14. Inter Bibliorum Editiones eminet πολύγλωττος Anglicana Briani Waltoni, apparatu etiam inſigni inſtructa. Hottingeri de Bibliis El. Hutteri Hebræis Cenſura. De Verſionibus Biblicis P. D. Huetii Libri de Interpretatione legendi. Ejusd. Demonſtr. Evangelica, & Chr. Kortholti de Canone ac Verſionibus Scripturæ Tractatus, commendantur. Verſio Evangeliſtarum Gothi-

ca.

ca. 15. Commentatores S. Scripturæ Critici. Laudantur præ ceteris Hugo Grotius (in quem Esdras Edzardi ſcripſit Animadv.) & Matth. Polus, reliquorum Epitomator. Lexica, Concordantiæ, Encyclopædiæ Biblicæ. 16. Commentatores Exegetici. Paraphraſes Er. Roteradami in N. T., ab Edv. Leo, aliisque, impugnatæ. Paraphraſes Chaldaicæ. Interpretationes Cabaliſticæ Henr. Mori, & aliorum. Origenis Comm. in Joh. 17. E Locor. Commun. Theol. Scriptoribus Lutheranis, commendantur Phil. Melanchton (cujus Opus, uti & Mart. Buceri Comm. in Pſalmos, ſub fictis Nominibus, etiam in Italiâ prodière,) Mart. Chemnitius, Joh. Gerhardus & Joh. Muſæus. 18. E Pontificiis autem Dion. Petavius, de cujus non Dogmatis ſolùm Theologicis, ſed & Scriptis aliis diſſeritur. 19. Hæreſium Cognitio ex Epiphanio, Philaſtrio, aliisque Recentioribus, Scriptorum verò cujusvis Sectæ Symbolicorum ex Hottingero, haurienda. 20. Scriptores de Religionibus Sectisque variis, Joh. Hoornbeckius, Frid. Spanhemius Jun. (cujus in Carteſianos odium notatur,) Edv. Brerewoodus, J. Andr. Boſius, Alex. Roſſæus, Edv. Sandys, &c., cautè, vel ob incuriam, vel partium ſtudium, legendi. 21. E Scriptoribus Anti-Judaicis commendantur Raym. Martini, J. Chr. Wagenſeilius & Wilh. Schickardus. 22. Ex Anti-Muhamedanis J. H. Hottingerus. Alcorani Verſiones pleræque futiles. Libri Arabum præſtantes. Hugo Grotius (in Lib. de Ver. Rel. Chr.) & Jac. Gaffarellus plagii in hos à Jac. Sponio accuſati, contra quem Grotius defenditur. Joh. Seldeni de Rebus Judæorum Scripta. 23. Scriptores de Græcorum Religione. Conſenſum ejus cum Pontificiâ falſò jactat Leo Allatius. Major ille eſt cum Doctrinâ Proteſtantium. Vita illorum corruptiſſima. Biblioth. Jeſuitarum Cochinenſis, MStis Orientalibus referta, Batavis in prædam ceſſit. Moſcovitarum Religio Græca corruptior. Notitia ejus ex Itinerariis Auguſtini, Bar. à Mayerberg, aliorumque, haurienda. Hiſtoriæ Schismatis inter Græcos ac Latinos Scriptores. 24 Eccleſiæ Pontificiæ Promachus præcipuus Rob. Bellarminus. Hujus Antagoniſtæ, inter quos Dan. Chamierus eminet. 25. Scripta alia contra Pontificios infinita. Laus Pet. Molinæi. 26. Scriptores de Primatu Papæ & Regionibus Suburbicariis. Judicia de Cl. Salmaſio, Jac. Perronio, Dav. Blondello, Lud. Molinæo, Jac. Gretſero, Jacobo I., Rege Britanniæ (ſub cujus larvâ Iſ. Caſaubonus latere credebatur,) M. Antonio de Dominis, &c. 27. Scriptores de Jure Magiſtratus circa Sacra, Regimine Eccleſiaſtico, Epiſcopisque & illorum poteſtate, alii item Primatus Pontificii, & Impugnatores, & Propugnatores. Gisb. Voëtii Lis Canonicis mota Ultrajectinis. Elogium Codicis Theodoſiani Jac. Gothofredi. 28. Fraudes Pontificiæ circa Patrum Opera, Bellarmini inprimis & Cæſ. Baronii. A quibusnam illæ detectæ. Scripta Rob. Coci, Joh. Dallæi, Abr. Sculteti & And. Riveti, de Patribus commendantur, nec non J. G. Dorſchei Thomas Aquinas Confeſſor, & Matth. Flacii Catalogus Teſtium Veritatis. Simile Opus ex Jure Can. Dorſcheus meditabatur. 29. Commendantur Scripta contra Pontificios generalia Joh. Meisneri (in-

ſigniter laudati,) Joh. Forbeſii & Sedanenſium, ſpecialia item de Juſtificatione Henr. Höpfneri, de S. Cœnâ & Transſubſtantiatione Edm. Albertini, Dav. Blondelli, Phil. Mornæi, de Imaginibus Joh. Dallæi & Lamb. Velthuſii (ob moderationem à Reformatis durioribus impugnati,) de Sacramentis Joh. Dallæi. 30. Pugnandum contra Pontificios ex Antiqq. Eccl. Factum id à Reformatis, qui Lutheranis proponuntur imitandi. Elogium J.G. Dorſchei. 31. De Certaminibus inter Pontificios inteſtinis, Janſeniano & Anti-Jeſuitico, nonnulla. Scripta varia contra illos Satyrica. 32. Miſcella quædam de Reformatis, & Schismaticis inter eos, Amyraldiſtis, Anglicis ac Arminianis. Judicia de Marco Frid. Wendelino & Nicol. Vedelio. 33. Miſcella de Socinianis & Neo-Arianis (Chriſtoph. Sandio inprimis ac Mart. Ruaro,) illorumque Antagoniſtis. 34. Anabaptiſtarum Annales J. Henr. Ottius publicavit. 35. Chiliaſtæ quidam (Pet. Serarius, Dan. Brenius, Jul. Sperberus, Andr. ab Hobernfeld,) illorumque Adverſarii. 36. Monita de Enthuſiaſtis, ac ſpeciatim Val. Weigelio, Roſæcrucianis, Æg. Gutmanno, Jac. Böhmio, Quir. Kuhlmanno, Dav. Georgio, & Indifferentiſtis, illorumque Impugnatoribus.

1 QUoniam Philoſophiam, ejusque partes præcipuas, jam recenſuimus, ad Facultates ipſas, quas vocant, nos convertimus, & primò quidem ad earum Principem, THEOLOGIAM. Magnus eſt ille campus, ad quem decurrendum integris opus eſſet annis, librorum ſeges infinita eſt, ſcribuntur & deſcribuntur toties libri, nec opus eſt, farraginem illam minutorum omnium conquirere, nec Profeſſionis noſtræ. Deindè tenerrima eſt Theologia, in cujus Libb. dijudicandis facilè offendimus, prout ſtudio partium hi vel illi ducuntur. Quare conſultius fortè eſt, manus ab his abſtinere, ne ulcera quorundam tangantur. Non deſunt Virorum doctorum Labores, qui ad Παιδείαν Theologicam luculentas præferunt faces, quorum judiciis facilè acquieſcere poſſumus. Habemus, tàm quoad univerſam Theologiam, quàm ad ejus partes ſingulas, Autores quaſi Hodegetas, modò illos ſequamur, qui nos in devia non abripiunt, ſeu ad ſectarum ſtudia non impellunt. Et negari non poteſt, è Pontificiis, ac Reformatis multos accuratiora quædam indicâſſe veſtigia in Hiſtoriâ & Antiquitate Eccleſiaſticâ, quàm factum eſt à noſtris, qui Theologiam Dogmaticam præ ceteris excolendam ſibi ſumpſerunt. Nos, digitum intendiſſe contenti, ad ſpecialiora non deſcendemus.

2 Quod attinet igitur præliminaria Theologiæ, agemus de THEOLOGIA NATURALI Autoribusque eam impenſius excolentibus. Non pertinet quidem illa ad Theologiam ſtrictè dictam, ſed Philoſophiæ quaſi ſurculus eſt, & ſi rem rectè putes, vera illa priſcorum Philoſophorum Methaphyſica, doctrinam de Deo Spiritibusque complexa. Illam præ ceteris excoluit Plato, Platonicique penè omnes. Diſperſa quidem apud Platonem omnia, ſed Sectatores ejus, Proclus, Numenius, aliique, ſub Theologiæ nomine, Libb. ex mente Platonis ſcriptos publicarunt. Seu illam ex ſe, ſive aliundè, habue-

habuerit Plato, multa ſunt illic mirificè cum ipſis S. Literis convenientia. Et vero eſt ſimillimum, illum à Judæis accepiſſe plurima, uti oſtendit Galeus prolixè in libro Anglicè ſcripto, *Aula Gentilium* (*Court of gentils*,) cujus poſtrema Editio *in 4to.* Anglica locupletior eſt, quàm Latina, anteà edita. Sed illo ſolidius pleniusque hoc opus agit Pet. Dan. Huetius *in Demonſtratione ſuâ Evangelicâ*, libro multijugâ eruditione referto, de quo infrà plura. Veroſimile eſt, & ab Ægyptiis quædam habuiſſe Platonem, uti videre eſt è præclaro Jamblichi libro *de myſteriis Ægyptiorum*, quem in Linguam Lat. converſum, cum notis ſuis edidit Thom. Galeus Oxon. An. 1678. *in folio.* Multa illic de Dæmonibus, eorum Evocatione, familiaritate, cultu, quæ profani aliquid & idololatrici præ ſe ferunt. Sed ſunt tamen quædam è limpidioribus fontibus hauſta. Nam ad unum Deum omnia tandem reducit Jamblichus, & Dæmonum cultum nihili eſſe concedit, ſi apud illum ſimus in gratiâ, quod tamen pauciſſimis contingat. Denique multa ſunt adeò ſincera, & pia, ut oblectare lectores poſſint. Lege *Sect. V. c. XXII.*

Orti fuere deindè quidam è Recentioribus, qui ſemina hujus Theologiæ, per Philoſophos, Poëtasque hinc indè diſperſæ, velut hylen aliquam, collegêre, & ex iis quaſi Systemata fabricati ſunt totius hujus Theologiæ. Atque illi quidem, è ſententiis placitisque Philoſophorum, jam tum deprehenſis, tale quoddam concinnârunt Opus, uti alii, rationis ſuæ ſenſus & dictata ſequentes, illam vel è Philoſophiâ Peripateticâ, vel ſuis principiis, exædificarunt. Qui Veterum ſententias uno Syſtemate collegerunt, illos equidem laudo, ut qui utiliſſimam operam poſuerunt. Sed indulſerunt fortè illi aliquid præjudicio ſuo, & harmoniam Chriſtianæ religionis cupidius quæſiverunt, quàm veritas ipſa admittebat. Non referam nunc Platonicos Commentatores Latinos recentiores, Marſilium Ficinum, Mocenicum, Franc. Patritium, aliosque. Nam Ficinus, in Operibus ſuis paſſim, & ſeparato quoque *de Theologia* libro, ſed brevius, & ex ingenio ſuo paulò liberius, recenſet. Mocenicus, *in libro de Tranſitu Hominis ad Deum*, Venet. A. 1558. *in fol.* edito, præclara multa & ingenioſa affert, quibus ipſa pietatis exercitia, & unionem cum Deo, ex Platone & Ariſtotele oſtendere laborat. Patritius multa ex Scriptis Mercurii, & Oraculis Sibyllinis, arripit pro veris, quæ tamen ſuppoſita eſſe multi demonſtrant, & inter illos præcipuè David Blondellus in libro Gallicè ſcripto *de Sibyllis*, Opere, non illâ tantùm linguâ, ſed Latinâ etiam digniſſimo. A quo tamen mirum eſt diverſa nunc ſentire Iſaacum Voſſium *in libro de Sibyllis*, nuper edito. Edidit & Gallicâ Linguâ Joh. Craſſetius, Jeſuita, quædam pro veritate Carminum Sibyllinorum, quem laudat Huetius *in Demonſtratione Evangelicâ*, quanquam cum Blondello potius faciens, ſed noviſſimè Joh. Marckius *XII. ſuis de Sibyllinis Carminibus Diſputationibus Spicilegium* adjecit, quo Craſſetii ſententiam refutavit. (*a*) 3

(*a*) Scriptorum de Sibyllis variorum recenſum, *Oraculorum*, quæ illis tribuuntur, editiones, aliaque de iisdem ἀξιομνημόνευτα, vid. *in Homonymoſcopiâ* noſtrâ, *P. II. c. 2., §. 20., p. 271-277.*

4 Augustinus Steuchus, Eugubinus, præ ceteris omnibus hoc illuſtravit argumentum, in Libro aureo *de Perenni Philoſophiâ*, cujus ille ſcopus eſt, ut oſtendat, eſſe perpetuam Theologiæ Chriſtianæ & Philoſophiæ Gentilium concordiam. Hunc librum tanti fecit Julius Cæſar Scaliger, at quanti judicii Vir! ut ſecundas ipſi à Sacro Codice partes dederit. Ac memorabilis eſt Hiſtoria, quam refert Joſ. Scaliger in *primâ* ſuâ *Epiſtolâ* de hoc ipſo libro, *p. 41. Editionis Francofurtenſis*, quòd ſcil. Pater ſuus hominem, deſperatiſſimo Atheiſmi morbo laborantem, ſolâ hujus libri lectione, non ad ſaniorem tantùm mentem revocârit, ſed etiam acerrimum fidei Chriſtianæ propugnatorem effecerit. Liber ille prodiit ſeorſim *in 4.* Baſileæ, & cum ceteris ejus Operibus Baſil. *in folio*, A. 1587. editis, in quibus plura continentur ejusdem argumenti. Præ ceteris præclarum Opus eſt, quod inſcripſit de Κοσμοπιΐα, quod prolixus eſt Commentarius in prima Geneſeos capp., ubi diligentiſſimè ex omnibus, tàm Philoſophis, quàm Poëtis, colligit, quæ ſpectant ad Hiſtoriam creationis mundi, ac nemo, poſt illum, accuratiorem laborem hac in re præſtitit. Laudatus omnibus eſt, niſi, quòd errores pauculos notârit Dionyſius Petavius, *in Doctrinâ ſuâ Theologicâ*, ubi de omnipræſentiâ Dei agit. De illo plura vide apud Jac. Gaddium *Tom. II. p. 325.* Notavit & in illo Ben. Pererius quædam in *Commentario in Geneſin.* Geſnerus *in Biliothecâ* teſtatur, multa illum ſcripſiſſe, quæ deſiderentur. Poſt illum Mutius Pansa, Philoſophus & Medicus, librum ſcripſit, cui Tit. *de Oſculo & Conſenſu Ethnicæ & Chriſtianæ Philoſophiæ*, editum Marpurgi, A. 1605. *in 8.* cui facilè fuit, poſt Steuchum hoc in argumento verſari. Conſpirat enim argumentum per omnia, licet non videam, ipſi Steuchum laudatum fuiſſe, quem tamen eum non legiſſe vix vero eſt ſimile. Unus tamen, quantum memini, locus eſt *in Admonitione ad lectorem*, ubi Eugubini meminit, jungitque eum cum Cuſano, Beſſarione & Gemiſtho, quorum dicit ſe veſtigia ſecutum, & multa noviter addidiſſe. At verò jungendus non erat cum ceteris Eugubinus, ut qui plus in hoc argumento præſtitit, quàm ante illum, vel Cuſanus, vel Beſſarion. Nicol. Cuſanus quidem, qui totus Cabaliſticæ doctrinæ eſt immerſus, Germanus Cardinalis, Opera multa ſcripſit, quæ ex Matheſi, Theologiâ, & Philoſophiâ Platonicâ, quaſi cinnum faciunt. Abſtruſa quidem multa proponit, verùm longè abeſt ab illâ veterum Philoſophorum & Poëtarum lectione, quam pro fundamento habuit Steuchus. Hoc ſanè verùm eſt, qui in his argumentis verſantur, pleraque ex Steucho depromere. Quibus ego quidem multa addi poſſe credo. Prima tamen ab illo lineamenta ſunt ducta. Poſt illum laudarem Joh. Oweni, Angli, Libb. *de naturâ, ortu progreſſu & ſtudio veræ Theologiæ*, Oxon. A. 1661. *in 4.* editos. Multa illic erudita ſunt, ac primò quidem in ipſâ præfatione monſtrat, quàm differat illa, quæ è Paganorum veterum libris hauritur Theologia, à verâ & revelatâ, & quàm fuerit Platonis Philoſophia ſæpe impedimento priſcis Patribus in rebus fidei, adeò ut illius errores in ipſam Theologiam intulerint. *Toto Primo Libro* agit de Theologiæ naturalis corruptione & amiſſione, & deinde *Libb. ſeqq.* de Theologiâ antediluvianâ (quod argumentum Jac. Boulducus,

Capu-

Capucinus, *in Lib. de Eccleſiâ ante legem*, mirificis fabulis referto, tractavit,) de Theologiâ Noachicâ, ortu & progreſſu Idololatriæ, Theologiâ Abrahamicâ & Moſaicâ, de Theologiæ Moſaicæ corruptione & reparatione ſolenni, & de ejus abolitione ac de Theologiâ Evangelicâ. Adde huic Sam. Parkerum, cujus edita ſunt *Tentamina Phyſico-Theologica*. Multa illic tractantur de Theologiæ Platonicæ diverſitate à revelatâ. Singulares tamen illic Diſſertationes contra Atheos inſtituit, item contra Epicureos de Providentiâ. Idem Anglicè librum ſcripſit hujus argumenti, cui Tit. *The Unraiſonableneſſe of Atheiſme*, in quo argumenta Atheorum breviter examinantur, & ad illa reſpondetur.

Prodeſt & ſcopo huic noviſſimus Isaaci Vossii liber, ſupra nobis memoratus, 5
qui *de Sibyllinis, aliisque, quæ Chriſti natalem præceſſerunt, Oraculis* agit, A. 1680. Lugd. Bat. *in 12* editus. Primarium enim illud argumentum, quo, tùm veteres Chriſtiani Patres, tùm recentiores Scriptores, utuntur, pro ſtabiliendâ Chriſtianâ religione, nempe *Sibyllina Oracula*, ipſe denuò, contra tot Viros doctos, Caſaubonum & Blondellum, aſſerit, &, velut invincibile Teſtimonium veritatis Chriſtianæ, laudat. Notum eſt, quæ ſint de eis Virorum Doctorum judicia. Scripti ſunt de Oraculis Sibyllinis integri libri à Viris doctis, inter quos Danielis Claſenii liber quoque eſt, ſed tantam illorum prærogativam nemo hactenus aſſeruit. Voſſius non dubitat, illa Judæis aſſerere, & ſingulari Oratione protrepticâ, ad illos formatâ, hortatur, ut tandem Chriſtianam fidem amplectantur, tot teſtimoniis convicti. Sed ita ille diſputat pro religione Chriſtianâ ex hoc argumento, ut fraudi ſit illis, qui textûs Hebraici Authentiam ſuſtinent. Omnia enim ejus illuc tendunt, ut monſtret, Verſionem τῶν *LXX.* ipſo Hebraico textu eſſe potiorem; de quâ lite inter ipſum, & alios, magnâ contentione eſt diſputatum. Huic ſc. textûs Hebræi nimiæ æſtimationi imputat ille, quòd non poſſint converti Judæi, & Lutheranos præcipuè ipſos notat, ceu Lutherum hæreſeos damnantes, quòd cuncta Hebraica floccifecerit, & pro Commento Rabbinico habuerit. Sed de hac lite illi viderint, ad quos illa pertinet. Adjungit huic Diſſertationi ſuæ *Reſponſionem ad Objectiones nuperæ Criticæ ſacræ* Richardi Simonis, cujus prodiit Gallicè liber hoc titulo: *Hiſtoire Critique ſur le vieux Teſtament*, ante aliquot annos editus Pariſiis. (*b*) Eſt verò hic liber ad rogum damnatus

(*b*) An veritati ſit congrua Autoris narratio de Rich. Simonis *Hiſtoriâ V. T. Criticâ* Pontificis juſſu combuſtâ, & Exemplo ejus unico flammis vix ſubducto, admodum me dubitare non diffiteor. Nec in præfatione enim Editionis Amſtelodamenſis, nec alibi, tale quicquam legiſſe recordor. Sed & Eruditorum nemo, quàm parum Galli fulmina hodiè morentur Romana, ignorat. Ceterùm *Hiſtoriam* hanc *V. T. Criticam*, cujus Editio Gallica Septima An. jam 1685. Roterodami prodiit, & Verſio præterea exſtat Latina Natalis Alberti de Verſe aliquot poſt luſtris (ſecus ac Noſter eſt ominatus) exceperunt, *Hiſtoria Critica Textus N. T.* A. 1689. *Hiſtoria Critica Verſionum N. T.* A. 1690. *Hiſtoria Critica Commentatorum N. T. præcipuorum* A. 1693. & *Novella in Textum & Verſiones N. T. Obſervationes* A. 1695. Quæ

tus à Pontifice, & ægrè unum exemplum ſalvatum, quod in Elzevirii manus incidit, ſtatimque Amſtelodami recuſum eſt, ſine Impreſſionis loco, & Typographi nomine. Multa illic habentur curioſius inquiſita circa Hiſtoriam Libb. V. T., quæ multos injicere ſcrupulos apta ſunt. Taxârat ille Autor multa in Voſſianis, ad quæ Voſſius in Appendice reſpondet. Habebat in animo idem Autor Hiſtoriam *N. T.* ſed illa nunc æterno fortè premetur ſilentio. Hæc de Autore hoc obiter dicta ſunto, cujus mentio potius ſpectaret ad Commentatores Biblicos.

6 Nos in Theologiâ naturali pergimus, & porrò Autores illos recenſemus, qui illam è Gentilium placitis illuſtrant. Hîc offerunt ſe primùm illi, qui Philoſophicâ methodo totam hanc doctrinam tractant, inter quos præcipuè laudandus RAYMUNDUS *de* SEBONDE, Philoſophiæ ac Medicinæ D., & Theologiæ Profeſſ. cujus lib. prodiit hoc tit. *Theologia naturalis*, *ſeu liber Creaturarum*, *ſive de homine*, *& de naturâ ejus*, *in quantum eſt homo*, *de his*, *quæ ſunt ei neceſſaria ad cognoſcendam Deum & ſeipſum*, *& omne debitum*, *ad quod homo tenetur*, *& obligatur*, *tàm Deo*, *quàm Proximo*, Francofurti A. 1635. *in 8.* Non parum æſtimatur à Grotio, qui ejus aliquot in locis meminit. Non deſunt alii è Scholaſticis, qui, vel totam hanc doctrinam, vel ex parte, tractant, de quibus partim aliqua ſupra diximus, partim aliis dicenda relinquimus. Adhiberi tamen in ſubſidium hîc poteſt DAN. CLASENII *Theologia Naturalis*, qui Aut. diligentiſſimus è Scholaſticis pleraque collegit, ad hoc argumentum ſpectantia, ac poterit hic Locorum CC. inſtar eſſe. Exſtat & D. PETRI MUSÆI *Theologia Naturalis*, hactenus MSta, & inter Auditorum manus vagatur. Sunt & ex Recentioribus, hanc qui doctrinam methodo à vulgari Scholaſticâ diverſâ, & ſecundum ſua principia, proponunt, uti facit Carteſius in *Meditationibus ſuis de Primâ Philoſophiâ*, cujus omnis illuc tendit ingenii ſubtilitas, ut è naturâ demonſtret Dei exiſtentiam animæque immortalitatem. Magnam ſanè injuriam illi faciunt, qui Atheiſmi principia illum ſtabilitum iviſſe credunt.

7 Sequantur hos, qui vocatâ in ſubſidium naturali Theologiâ, religionis Chriſtianæ veritatem demonſtrare laborarunt. E quibus fortè eſt primus MARSILIUS FICINUS, qui *de veritate Religionis Chriſtianæ* libellum ſcripſit, & ſeorſim, & cum ceteris ejus *Operibus*, editum, ſed tenuem admodùm, nec magnæ rei. Quantum enim ex Platonicis capere poteſt, tantum inſtituto ſuo accommodat. LUDOV. VIVES dehinc idem argumentum ſingulari libro tractavit *de veritate fidei Chriſtianæ*, qui Baſileæ editus eſt Anno 1544. *in 12mo*, & recuſus Lugd. Batav. Anno 1639. Reperitur & inter cetera ejus *Opera*, junctim edita. Scripſit & Eraſmus de hoc argumento, ſed parvum librum, uti & PET. RAMUS aliquem *de Religione Chriſtianâ*, *in 8vo*, Francofurti 1577. editum. Vives autem elegantius pleniusque rem illam tractat,

Quæ ſcripta omnia Gallico Idiomate, tria quidem priora Roterodami, poſtremum autem Pariſiis, prodierunt. Taceo Apologetica, quæ Criticæ ſuæ Sacræ Anti-Criticis, Iſ. Voſſio, Joh. Clerico, aliiſque compluribus, repoſuit, Schediaſmata.

ctat, contra Ethnicos, Judæos, Mahumedanos, & perverſos Chriſtianos. Poſt illos plenius Phil. Mornæus *de Pleſſis*, Nobilis Gallus, in *libro de veritate Religionis Chriſtianæ*, Galiicè ſcripto, hunc fundum occupavit, Lugd. Bat. Latinè reddito A. 1607. *in 8vo.* Liber optimus eſt, qui argumenta priorum, quantâ potuit diligentiâ, conjunxit, uberius tamen teſtimoniis indulgens, quorum mihi videor in Steuchi libro deprehendere veſtigia. Poſt hos omnes Hugo Grotius eleganti libello rem iſtam tractavit, exiguo quidem, ſed pondere argumentorum pleno. Primò quidem Belgicâ Linguâ ſcripſit, in uſum popularium, ſed poſtea, à Viris magnis rogatus, auxit, & Latinè reddidit, additis notis, ad intelligendum textum, neceſſariis. Non quidem multa ab ipſo afferuntur nova, ab aliis nondum tacta, ſed plenius tamen nitidiusq; omnem argumentorum vim, quaſi in arctum, compegit, eaque elegit, quibus vis aliqua ineſſet, omnibus denique limatiſſimum ſuum judicium addidit. Noviſſimè tandem prodiit Viri Celeberrimi, Pet. Dan. Huetii *Demonſtratio Evangelica*, Pariſ. *in fol.*, & eo ipſo anno recuſa eſt in Batavis. Liber inſcriptus eſt Delphino, ut illum averteret ab illorum judiciis, qui Chriſtianam religionem plerumque in aulis traducunt. Procedit Autor methodo Mathematicâ, per definitiones, & propoſitiones, putatque ſe veris uti demonſtrativis argumentis, ſed qualia rei natura eſſe permittit, iisque religionis Chriſtianæ capp. confirmat. Pugnat contra Judæos præcipuè & Atheos. Poſtquam capp. fidei Chriſtianæ recenſuit, ad hiſtoriam Chriſti, & Libb. Veteris & N. T. certitudinem, ab omnibus dubiis vindicandam procedit, quod argumentum maximam iſtius libri partem occupat. Nam ad γνησιότητα illorum demonſtrandam omne ſtudium impendit, examinat omnia V. T. de Chriſto Oracula omniumque accuratiſſimum paralleliſmum inſtituit, Bened. Spinoſæ quoque argumenta & argumentatiunculas ſubindè vellicat & refutat, eas ſcil. quæ habentur in *Tractatu* ejus *Theologico-Politico.* Nam poſthuma Spinoſiana, cùm ille ſcriberet, nondum prodierant. (*c*) Crediderim ego, poſt aliquot annos novam ejus libri Editionem moliturum Autorem. Spectant hùc qui contra Gentiles è Patribus libros ſcripſerunt, uti fecerunt Origenes contra *Celſum* (quem in Angliâ edidit Cantabr. Ann. 1658., pulcherrimoque *Commentario* illuſtravit Gvilh. Spencerus,) Juſtinus Martyr *in Apologiâ*, Arnobius, Minutius Felix. Argumentum de ultimo judicio, & conflagratione mundi ſingulari libro, *in fol.* edito, è Philoſophis, ceterisque gentilibus Scriptoribus, illuſtravit Hier. Magius, Vir doctiſſimus, Baſil. A. 1562. *in fol.* edito, & quidem antè Steuchum. Non argumentum hoc Steuchus ex parte tantùm attigit. Eſt & alius quidam Alphonsus Pandulphus, Epiſcopus Comaclenſis, qui *Diſputationes de fine mundi* ſcripſit, in quibus, quæ à variis Philoſophorum Sectis hoc in Argumento

(*c*) Rectè conjectavit Morhofius, Pet. Dan. Huetium, Epiſc. Abrincenſem, novam *Demonſtrationis* ſuæ *Evangelicæ* moliturum eſſe Editionem. Prodiit enim illa Pariſiis A. 1690. *in fol.* ab Autore non ſolum recognita & caſtigata, ſed duabus etiam prioribus (Pariſiis A. 1679. *in fol.*, & Amſtelod. A. 1688. *in 8vo*, excuſis) multis in locis auctior reddita, & Apologeticâ inſuper adverſus quorundam de Opere hoc cenſuras Præfatione inſtructa.

to naturali lumine ſunt conjecta, revelantur, & Evangelica Propheticaque doctrina unà recipitur & propugnatur, Bonon. 1658. *in fol.* Scripſit & *de veritate Religionis Chriſtianæ* GEORG. CALIXTUS. Contra Mahumedanos & Judæos integra Autorum ſylva eſt. Contra illos ſuo tempore ſcripturus erat GUILH. POSTELLUS, ac ſcripſit *in libro de Orbis terrarum Concordiâ*, ipſe in Orientem profectus Capp. doctrinæ Alcorani diligenter conquiſivit, ſed, ut erat Viro illi turbidum ingenium, ita parum dextrè hoc in argumento verſatus eſt, in errores ſæpe incidens, & in diverticula multa excurrens. Adverſus Judæos Raymundi Martini *Pugio fidei* præ ceteris placet. Sed de his ſuo in loco plura.

8 Chriſtianæ Religionis inſidiatores peſſimi ſunt illi, quos à naturali religione NATURALISTAS vocamus. Horum ſe noſtro tempore major numerus oſtendit. Sunt enim ex illis, qui religioni Chriſtianæ colorem ex his rebus quærunt, ſunt qui directè everſum eunt. Nota ſunt de Vanino ejusque Sectatoribus omnia. Edv. Herbertus in ſuis *Libb.* mirè lubricus eſt, & qui ex eodem fonte hauriunt, Thom. Hobbeſius, & Ben. Spinoſa. Contra Herbertum pauca ſcripta ſunt. Petri Muſæi adverſus illum exſtat docta Diſſertatio. Scripſit & quædam adverſus illum Joh. Muſæus. Hobbeſii doctrinam è popularibus magno numero refutârunt Viri non docti solùm, ſed & pii. Nemo autem Spinoſâ nequior eſt, ut patet ex ejus *Tractatu Theologico-Politico*, & *Scriptis poſthumis*, inprimis *Ethicâ*, in quâ omne reconditum hominis virus eſt. Illic enim quaſi artem exædificat, & è fundamentis excitat, quæ antea tantùm ruditer delineata erant *in Tractatu Theologico-Politico.* In hoc ad evertendam authentiam Sacri Textus argumenta undique congeruntur; in *Ethicâ* vera Atheiſmi fundamenta ſternuntur. Optandum eſſet, ut aliquis eâdem hanc refutet methodo, quam ille Mathematicam jactat, & quâ uſus eſt in adſtruendo Atheiſmo. Sed hactenus leviter tantùm contra illum pugnatum eſt, niſi quòd Lambertus à Velthuſen ſingularem contra illum Diſſertationem ſcripſit, brevem quidem, ſed tamen argutam. Henricus Morus quidem illud tentavit, non autem datâ operâ egit. In Belgio Ultrajectinus Prof., Regnerus à Mansfeld, *Tractatum* ejus *Theologico-Politicum* aggreſſus eſt, quem tamen, ut Hominem ſuarum rationum & argumentorũ ignarum, ridet exſibilatque Spinoſa. Neque omittendum eſt, quod ſuprà diximus, Huetium datâ occaſione in illum *in Demonſtratione Evangelicâ* incurrere. Noviſſimè operam illam ſuſcepit Guilielmus à Blyenburg, qui *Ethicam* ejus eâdem methodo refutavit.

9 Spectant & huc, qui de ATHEISMO, vel hiſtoricè, vel dogmaticè, vel Elenchticè, ſcripſerunt. Exſtant in GISB. VOETII *Diſſertationibus* quædam de Atheiſmo, in quibus varia coacervavit, ad hoc argumentum ſpectantia, ſed legendus eſt cum judicio, quo ipſe non adeò utitur. In Scriptis enim ſuis coacervat ſine diſcrimine digna, indigna, laudat Autores, eorumque loca, ſibi interdum non viſa, & libb. nunquam editos. Utilis tamen ejus eſt labor, ob varia Collectanea, quibus interdum feliciter uti poſſumus. Ejus certè *Diſputationes de Atheiſmo* anſam dederunt aliis, ut de ſimili argumento ſcriberent, qui penè omnia illinc cepêre, aliâ tantùm formâ

formâ Operi additâ. De Thom. Campanellæ *Atheiſmo Triumphato* ſuprà diximus, in quo objectiones Atheorum adducit, & è regione illarum ponit reſponſiones, quæ tamen ipſis objectionibus frigidiores ſunt. Et ſunt, qui compertum ſe habere putant, cùm moliretur hunc librum Campanella, voluiſſe illum inſcribere *Atheiſmum Triumphantem*, ſed auſum non fuiſſe, ne rem malam ſuo ſibi jumento accerſeret. Utinam prodiiſſet in lucem, quem Paulus Sarpius molitus fuit, liber hujus argumenti, *quòd Atheismus repugnet naturæ humanæ*, teſte Fulgentio *p. 134. in Vitâ ejus.* Sine dubio enim argutiſſima produxiſſet argumenta ad Atheismum exſtirpandum. Quantum enim titulus libri arguit, vel ex geneſi hominis, vel ex partium ejus conſtitutione, argumenta ad Dei exiſtentiam probandam elicere voluit, uti ex ſanè in hoc maximum ad Atheos convincendos præſidium. Certè Henr. Morus, qui *Antidotum adverſus Atheismum* ſcripſit, non aliis uti argumentis voluit. Qui Atheiſmum propagarunt, & libri horum tàm editi, quàm inediti, ſub exordium hujus Operis, *T. I., Lib. I., c. 8.* producti ſunt. Feci illic mentionem *Jul. Cæſ. Vanini* & *Joh. Bodini*. Uterque *Dialogos* ſcripſit. Illius quidem editi ſunt, ſed rarò ſolent vendi, niſi in Auctionibus, & quidem magno pretio. Hujus Dialogi non ſunt editi, ſed manuſcripti latent. (*d*) Theoph. Spitzelius aliquot libellos ſcripſit ad hiſtoriam Atheiſmi ſpectantes, exſcriptos è Voëtii *Diſſertatione*. Tum & Antonius Reiserus *Diſſertationem Epiſtolarem* ſcripſit *de Origine*, *Progreſſu*, *& Incremento Atheiſmi*, ubi multa ſcitu digna occurrunt, Auguſtæ Vindel. A. 1669. *in 8.* editam. Franciscus Cuperus librum ſcripſit, cui tit. *Arcana Atheiſmi revelata*, Roterodami An. 1676. *in 4to.* editum. Sed Autor ille non adeò ſincerus mihi viſus eſt. Promittit, ſe multa arcana argumenta propoſiturum, quibus Athei uti ſoleant, & quæ ex converſatione cum illis didicerit. Non video tamen plura eſſe ab illo prolata, quàm ab aliis in hoc nequitiæ ludo anteſignanis, &, ſi quædam ejus loca rectè ponderentur, leviter tractare rem ſæpe videtur, & cauſæ bonitatem prodere. Scio, multos eſſe, qui hocce tractant argumentum, & quidem ſpiſſis libris, ſed plerique non ſatis ad hanc cauſam inſtructi, nec iis utentes armis, quibus, ad hanc hydram conficiendam, uti debebant. Solent enim pro fundamento uti locis Scripturæ, quæ non admittunt adverſarii; illam enim ipſi in controverſiam vocant. Sam. Parckeri ſupra mentio eſt facta, cujus *Liber contra Atheiſmum* Anglicè editus eſt Lond. A. 1669. *in 8.* Spectantque huc etiam Ejusdem *Tentamina Phyſico-Theologica*, Londini A. 1665. *in 4to.*

(Xxx) 2 edita,

(*d*) Joh. Bodini *Dialogorum de Abditis rerum ſublimium Arcanis* MStorum, & Hiſtoriam elegantem, & Cenſuram accuratam, Theologus dedit πολυμαθέϛατος, Joh. Diecmannus *in Schediasmate de Joh. Bodini Naturalismo Inaugurali*, Kilonii A. 1683. *in 4to* publicato. Theophili Spizelii, Eccleſiaſtæ in patriâ Auguſtani, tria adverſus Atheos prodierunt Opuſcula: 1. *Scrutinium Atheiſmi Hiſtorico-Æthiologicum*, Auguſtæ A. 1663. *in 8vo*; 2. *Epiſtola de Radice Atheiſmi, ad D. Henr. Meibomium Juniorem*, Ibid. A. 1666. *in 8vo*; 3. *Epiſt. de Atheiſmo eradicando, ad Ant. Reiſerum, cui acceſſit Pius Literati Hominis Seceſſus*, ibid. 1669. *in 8vo.* Conferri etiam poteſt ejusdem *Felix Literatus ex Infelicium Periculis & Caſibus, ſive de Vitiis Literatorum Tractatus*, Auguſtæ A. 1676. *in 8vo* editus, cujus *Commentatio I. (p. 89-202.) de Literatorum quorundam Impietate, ſive Atheiſmo*, diſſerit.

edita, in quibus de Mundi æternitate vel origine, Generis humani ortu, Corporis humani ſtructurâ, Animâ Mundi, & ſimilibus Argumentis, contra Atheos, ex principiis Phyſicis, diſputatur. Nec omitti debet hoc in loco Domini D. CHRISTOPH. FRANCKII Diſſertatio, cui tit. *Atheus convictus*, in quâ Atheorum & Epicureorum argumenta conquiruntur diligentiſſimè, & ad ea reſpondetur. CHRISTOPHORI JOACH. JANI *Atheus refutatus, & ad veram Religionem converſus* quoque exſtat, in quo agitur de Atheis, & eorum ſectis variis, ac quomodo illi rationibus refutari, & ad veram Chriſtianæ Religionis agnitionem adduci poſſint. Editus eſt Jenæ A. 1668. *in 4.* Verum non ea argumenta adducit, quæ rem omninò conficiant. Procedit per Oppoſitiones, & Reſponſiones, & S. Scripturæ loca, cum Reſponſionibus, ſimul adducit. Pleraque tamen collegit è Scholaſticis, quæ apud illos ſolent diſputari hoc ſuper argumento. Scripſit & JOH. LUD. FABRICIUS, Prof. Heidelbergenſis, *Apologeticum pro genere humano, contra Atheiſmi calumniam*, quo demonſtrare laborat, nullam eſſe gentem, quæ Atheiſmi convitio traduci poſſit, atque adeò omnes adducit, quæ vulgò ejus inſimulantur apud Itinerariorum Scriptores & Hiſtoricos, demonſtratque illas non poſſe Atheas dici. Additus eſt iſte *Meditationibus* ejus, Ann. 1663. Heidelb. *in 4.* editis.

10 Sunt & qui Atheismi crimine infamare volunt Autorem *Religionis Medici*, cui nomen THOMAS BROWNE. Erat is Medicus Londinenſis, & malè audiebat apud ſuos de non optimâ religione, quâ calumniâ inductus, ut vindicaret nominis ſui exiſtimationem, librum ſcripſit hujus tituli. Scripſerat & anteà alios quoſdam Libb. Theologici argumenti. *Religio* autem *Medici* Anglicè edita fuit, & poſtea Latinè reddita à Joh. Meryweather. In Librum hunc *notas* ſcripſit Levinus Nicol. Moltkenius, non contemnendas, præfationemque addidit, quâ de occaſione Scripti, & Autore ipſo, plenius agit. Latina editio eſt publicata Argentorati A. 1665. *in 8vo.* Antè XII. circiter annos prodiit Liber ille Anglicè, auctior ab ipſo Autore, & erant quorundam additi Diſcurſus ſuper libri hujus nonnullis argumentis, inter quos præcipuè ſunt Kenelmi Digbæi *Obſervationes in Religionem Medici*, quæ etiam ſeorſim editæ ſunt Londini A. 1643. *in 8.* Quod ejus ſententiam & dogmata attinet, quanquam liberius fortè judicet de nonnullis religionis Articulis, pro Atheo tamen habere nolim, quod mihi videor ex ejus multis ſententiis, quæ ſeriò prolatæ ſunt, deprehendere. Scripſit & *Cenſuram* in eam Alex. Roſſæus, præcipuè tamen in alterum ejus librum, quem Anglicè ſcripſit *de vulgaribus erroribus*, quæ Cenſura reperitur in libro Roſſæi, cui tit. *Arcana Microcoſmi*, A. 1652. Lond. *in 8.* edito. Quod verò attinet hunc Brownii Librum, editus ille olim eſt Lond. *in folio*, Anglicè ſub Titulo *Pſeudo-doxiæ Epidemicæ*, & poſtea, Belgicè redditus à Joh. Grundal, Amſtelodam. A. 1668. *in 8.* ſub Tit. Beſchriving van verſcheden allgemeene Dwalinge des Volcks. Continentur hoc in libro quidem pleraque Phyſica, ſunt tamen & aliqua, quæ ad Theologiam poſſunt referri.

11 Feci ſupra mentionem BENED. SPINOSÆ, & libri ab illo ſcripti cui titulus: *Tra-*

ctatus

ctatus Theologico-Politicus. Librum hunc præceſſerat alius quidam, hâc inſcriptione: *Philoſophia Scripturæ S. interpres.* Illum huic Autori tribuunt quoque, nam in eo quaſi fundamenta ponuntur paradoxarum ſententiarum. Liber à multis refutatus eſt per Belgium, è quibus tamen præ ceteris laudandus eſt Ludov. Wolzogenius. Liber Spinoſæ editus eſt Eleutheropoli, loco ficto, A. 1666. *in 4.* Reſpondit huic quidem ſingulari libro *Petrus Serrarius*, Amſtelod. A. 1664. *in 4.* edito; ſed ille non ſatis philoſophicâ methodo procedit, Vir quidem pius, ſed ad convellendas Hæreticorum & adverſariorum ſententias parum argutus, pronior etiam quodammodo ad Enthuſiasmum. Scripſit enim Gallicâ Linguâ librum, quo defendit ſatis operoſè Mille Annos Apocalypticos. Circumfertur & *Ars nihil credendi*, cujus mentio fit apud Voëtium *in Diſputatione de Atheiſmo*, & apud Spizelium *in Scrutinio Atheiſmi.* Tribuitur cuidam Gothofredo à Valle. Eſt & alius Lib., cui tit. *Cymbalum mundi.* Hujus meminerunt, tùm Voëtius, tùm Spizelius, & Autorem ejus faciunt Bonaventuram de Periers. Henricus Stephani ejus quoque meminit *in Apologiâ Herodoti, cap. 26. p. 364.* Marinus Merſennus *in Geneſin p. 669.* vocat eum de Perez. Qui & ipſe Merſennus, in illo *Commentario*, ſatis curioſus eſt, in rimandis illis, quæ videntur adverſus autoritatem textus ſacri adduci poſſe. Magnâ certè diligentiâ conquiſitæ apud illum ſunt Objectiones, quæ à profanis hominibus adferri ſæpè ſolent. Neque tantùm ſubſiſtit in iis, quæ Geneſi Moſaicâ continentur, ſed per tota Biblia ſe diffundit. Argumentum iſtius libri, qui *Cymbalum Mundi* vocatur, refertur apud Spizelium. Idem & alterius meminit libri, cujus argumentum, & Tit. *De eo, cur receptum ſit Evangelium.* Exſecrabilem eſſe hunc librum ajunt qui vidêre.

Adverſus peſtifera horum nebulonum dogmata, quoniam ſacras literas contemnunt, nullum eſt efficacius argumentum, quàm quod è Philoſophicis, & Hiſtoricis gentilibus, contra illos ſumitur, quo in genere ſupra laudatus Steuchus palmam fert. Eſt & alius liber cujusdam Anonymi, cujus meminit Gaddius *in Lib. de Scriptoribus Non Eccleſiaſticis, Tom. I., ſub voce Anonymi, p. 30.* quo is teſtimonia de Chriſto collegerit, loca ſc. integra Veterum librorum Græca, Perſica, Thracica, Ægyptiaca, Babylonica, Chaldaica, & Italica. De Trinitate etiam, de Verbi in carnem adventu, ſignis divinis, reſurrectione, aſcenſione, de S. Spiritus ignitis linguis, de Judicio, de Paradiſo, Græcos, cetorosque populos, jam tùm philoſophatos eſſe, oſtendere ille conatur. Exſtat & Diſputatio Christiani Hofmanni, cui tit. *Umbra in luce, ſeu Conſenſus & Diſſenſus religionum profanarum cum veritate Chriſtianâ*, Jenæ edita A. 1677. *in 4.* quæ iſtud argumentum tractat. Velut ſpicilegium, poſt aliorum meſſes, ſuperiore Anno Tobias Pfannerus integrum *Syſtema Theologiæ* edidit, ſecundum omnes Locos Theologicos è Gentilium Philoſophorum Scriptis adornatum, qui quamvis Duces habuerit eâ in re Steuchum, aliosque, eleganti tamen methodo & delectu rem omnem inſtituit. *(e)* 12

(e) Ad hanc quoque claſſem pertinent Pet. Dan. Huetii *Quæſtiones Alnetanæ* (ab Agro, in quo ſcriptæ

Venimus jam ad Autores Philologicos BIBLIOTHECARIOS, quorum præmitti no-
13 titia debet. Habemus verò perpaucos, imò penè nullos, qui pro dignitate rei hoc argumentum tractârunt. De Sixto Senenſi, & Ant. Poſſevino ſuprà diximus. Paulus Bolduanus & Georg. Draudius nudi ſunt Nomenclatores, imò vix illud nomen merentur. Multi enim in illis ſunt errores & ſphalmata. E Reformatis habemus quosdam, qui Ideam aliquam ejus Operis animo conceperunt. Et GISBERTUS quidem VOETIUS librum ſcripſit, cui tit. *Exercitia & Bibliotheca Studioſi Theologiæ*, ſed ille, in alienis occupatior, ne ſuum quidem negotium rectè curat. (*f*) Bibliothecam enim

ſcriptæ ſunt, Alnetano ita dictæ,) ſive *de Concordiâ Rationis & Fidei Libri III.*, Cadomi A. 1690. *in 4to* editi, &, curante Frid. Bened. Carpzovio, Lipſiæ A. 1692. *in 4to* recuſi. Cujus Operis eximii, Dialogo inter Autorem & Joh. Bapt. Hamelium, Philoſophum Galliæ Celebrrimum, perpetuo concinnati, *Liber I.* Conſenſum Religionis Chriſtianæ & Sanæ Rationis generatim aſſerit, ſuisque Limitibus circumſcribit, *IIdus* autem in Credendis, ſive Doctrinæ Chriſtianæ Articulis, ac *IIItius* in Agendis, ſeu Vitæ Morumque præceptis, eundem è Paganorum Philoſophiâ, Hiſtoriâ & Mythologiâ, Scriptorumque varii generis Ethnicorum Monumentis, ſpeciatim oſtendunt. Idem Argumentum pertractare voluit Adamus Tribbechovius, in *Collatione Theologiæ Gentilis cum Divinâ*, quam, *non tam affectam, quàm confectam*, eſſe, Anno jam 1667. *in Hiſtoriâ Chiliaſmi c. 1. §. 1.* eſt teſtatus, cujusque *Specimen de Statu Animarum poſt mortem, Fine Seculorum, & Poenis Præmiisque æternis*, biennio antè, *in Catalogo Nundinarum Anni 1665. Vernalium,* publice promiſerat. Sed & *Collationem* præterea *Hiſtoriarum S. Codicis cum Fabulis Gentilium* idem à ſe juſſit expectari, cujus prægustum exhibet *Diſſert.* elegans, *Veritatem Creationis Mundi, prout à Moſe eſt deſcripta, in Traditionibus Gentium, & Vetuſtiſſimis Antiquitatis profanæ Monumentis, ad convincendos Atheos, oſtendens,* Kilonii A. 1668. *in 4to* edita, & in Thomæ Crenii *Faſciculo I. Diſſertationum Hiſtorico-Philologicarum* Roterod. A. 1691. recuſa. In hac ſequentia *p. 18.* de toto offendes Opere, ſalivam tibi haud dubiè motura. *Quod ſi & tenuis noſtra hîc allegari Opella mereatur, affirmare certè auſim, ne unicam quidem alicujus momenti Hiſtoriam, ſunt autem omnes permagni, in S. Scripturis occurrere, cujus transſcriptum exemplum, in profanis Gentium Scriptis, non deprehenderim.* Utinam illud, unà cum Val. Henr. Vogleri, Prof. Medici Helmſtad. Doctiſſimi, *Mythologicis* (quæ in ſimili verſata eſſe argumento, Caſp. Sagittarius, ſpem Editionis illorum ſimul injiciens, A. 1675., *in Exerc. ad Juſtini Hiſtorici Lib. II. c. 1. §. 6.. p. 9.*, ſignificavit,) in lucem propediem, ſi vel maximè lima haud acceſſerit ultima, protrahatur publicam!

(*f*) Gisb. Voëtii *Bibliotheca Studioſi Theologiæ* Editio Tertia, quæ Francofurti A. 1685. *in 12mo* prodiit, ac in Titulo, ceu prioribus auctior atque emendatior, falſò commendatur, harum menda, crebrosque Autoris errores, novis cumulavit ſphalmatis. Severini Waltheri Sluteri *Propylæum Hiſtoriæ Chriſtianæ* multo quidem auctius Lüneburgi A. 1696. *in 4to* eſt recuſum, ſed nihilo tamen minus valdè adhuc mancum ac imperfectum. Palmam certè illi extorquet, quæ biennio antè, A. 1694. ſcil., Jenæ *in 4to* prodierat, Caſp. Sagittarii, eximiæ eruditionis Theologi atque Hiſtorici, *Introductio in Hiſt. Eccl. & ſingulas ejus Partes, ſive Notitiâ Scriptorum illius Veterum atque Recentium,* cujus *Tomum Alterum poſthumum,* à Joh. Andr. Schmidio, Theologo Helmſtadienſi ἱςορικωτάτῳ, recognitum & luculentis auctum Acceſſionibus, cupidè Eruditi expectant, &, ut promiſſis Vir doctiſſimus quamprimum ſatisfaciat, efflagitant.

enim Studioſi Theologiæ deſcripturus, omnem, non ſolum Encyclopædiam Philoſophicam, ſed & omnia alia, rebus ſuis immiſcet. Præcipuè illic obvii craſſiſſimi ſunt errores. Venditantur Autores nunquam editi, &, qui de argumentis alienis ſcripſêre, ille ad ſui argumenti Scriptores refert. Editus eſt ille Lib. Ultraject. A. 1651, *in 12.* Edidit & Gerh. Meierus, Bremenſis, *Bibliothecam Theologicam*, methodo quidem ſatis concinnâ, ſed admodum conciſam, nec ſatis perfectam. E noſtris quem nominare poſſim, neſcio, niſi quis Georg. Calixti *Apparatum Theologicum* hunc in cenſum referat. Sed ille vaſtius argumentum animo complexus erat, nec tantùm de Scriptoribus Theologicis agere in animo habuit, ſed de omni Apparatu Theologico in univerſum. Magnam certè fecimus jacturam in hujus libri defectu, paucula enim tantùm attigit, ſed profectò eruditiſſima, & profundam antiquitatis & Hiſtoriæ, tàm Sactæ, quàm Civilis, cognitionem ſpirantia. Nuper Severinus Waltherus Sluterus *Propylæum Hiſtoriæ Chriſtianæ, ſeu enarrationem methodicam Scriptorum ad Hiſtoriam Eccleſiæ Chriſtianæ facientium*, Francofurti A. 1680. *in 12.* edidit; ſed pauca ſunt illa, ac multis modis ampliari poſſunt, uti fortè faciet Autor, cùm ad curas ſecundas deſcendet. Faciunt huc quodammodo *Autores, qui de Uſu Patrum* quædam commentantur è variis religionibus, inter quos merito ſuo commendari debet præſtantiſſimus Joh. Dallæus, cujus *de Uſu Patrum, & Pſeudonymis & ſuppoſititiis* illorum Libri exſtant; magnâ Antiquitatis Eccleſiaſticæ cognitione referti. MSStos libros Eccleſiaſticos, & Theologicos nonnullos, Theoph. Spizelius dedit in libro, cujus titulus: *Illuſtrium Bibliothecarum Arcana retecta*, de quo ſuprà egimus. Spectat huc quoque liber Joh. Henr. Hottingeri, quem inſcribit *Bibliothecarium Quadripartitum.* Nam in toto Opere hoc ſibi præfixit, ut oſtenderet, quomodo Bibliotheca Theologica adornanda ſit. Hujus argumenti occaſione ad ſingulas Theologiæ partes procedit, accuratè omnia dividens, & potiſſimos in ſingulis Autores indicans. Liber eſt utiliſſimus Theologiæ Studioſo. Nam, ut erat Vir πολυμαθέστατος, ita magnâ curâ conquiſivit, quæ quomodocunque ad argumentum, quod tractat, ſpectant. Penè optimus eſt in hoc argumento: nam, & methodo concinnâ utitur, & ubique judicia ſua interſpergit non contemnenda.

Nunc procedimus ad fontem ipſum Theologicorum dogmatum, Biblia ſcil. 14
codicemque ſanctum. Ejus libri quomodo dividantur, notum eſt omnibus. Multa hîc notari poſſent de variis Bibliorum Editionibus, tùm V., tùm N. T. variisque Verſionibus in linguas varias. Quod Editiones attinet, variæ proſtant V. T. vel ſine verſione, vel cum verſionibus, quas enumeratas vide *in Bibliothecâ Thuanâ*, ubi penè omnes illæ Editiones comparent, præter recentiorem Anglicam, à Briano Walthono procuratam, cum verſionibus omnibus Orientalibus, Græcis & Latinis. Quod magnificum ſanè Opus Complutenſem Codicem, alioſque omnes, longô poſt ſe intervallô relinquit, quanquam tamen non deſunt, qui & in illâ Editione non pauca deſiderant. Præmiſit Walthonus Tomum integrum, quem vocat *Apparatum*, quô expenduntur omnia illa præliminaria circa textum Hebraicum & Verſiones ac controver-

troverſiæ circâ authentiam Hebraici textus, quod argumentum antè illum inter Lud. Capellum & Joh. Buxtorfium diſputatum eſt, & antè aliquot annos à Domino D. Matthiâ Waſmutho. *Apparatus* ille in Epitomen à nonnemine redactus eſt, ac *in duodec.* editus, uſui futurus illis, qui vaſtum iſtud Opus parare ſibi, vel nolunt, vel non poſſunt. De ceteris conſulendus eſt HOTTINGERUS, in ſuâ *Bibliothecâ Theologicâ*, *Lib. I., c. 1.*, quo agit de Bibliorum exemplaribus Authenticis, Hebræis Veteris, & Græcis N. T. tàm MSStis, quàm impreſſis, & *cap. ſequente ſecundo*, quo agit de Editionibus Polyglottis, *(g)* omnesque ad examen vocat, judicio de ſingulis inſtituto. Judicat & ibi de Opere Eliæ Hutteri Biblico, quòd ſcil. diſtinctio Literarum ſervilium & radicalium, in Textu Hebraico Hutteriano, diſcentium conatui plus obſit, quàm proſit. Idem refert, Biblia illa (quæ vulgo Tetraglotta ſunt) Noribergæ excuſa eſſe XII. linguis. Multa hîc poſſent de variis Bibliorum translationibus dici, de quibus peculiari *cap. 3.* agit Hottingerus, ubi omnium gentium verſiones recenſet. Qui hoc argumentum plenius tractavit, laudari debet PETRUS DAN. HUETIUS, Vir omnium literarum peritiſſimus, cujus exſtant *de Interpretatione libri duo*, quorum *primus* agit *de optimo interpretandi genere*, *alter de claris Interpp.* Quanquam autem liber iſte in genere, de omni interpretandi & transferendi ratione, agat, de quâ nil hactenus erat præceptum, ſe tamen per omnes diſciplinas diffundit, & quidem in ſingulis, quâ curâ quid converſum ſit, diſquirit, addito ubique limatiſſimo judicio. Occaſione itaque illâ de Bibliorum verſionibus etiam plerisque egit, magno hoc in argumento uſui futurus. Cui tamen Autori hoc vitio vertere poſſis, quòd iniquior paulò videatur in Germanos. Liber ille, olim Pariſiis editus *in 4to*, erat admodum rarus, ſed nunc Stadæ recuſus eſt A. 1680. *in 8.* Jungi poteſt huic libro ejusd. Autoris *Demonſtratio Evangelica*, cujus ſuprâ mentionem fecimus, in quâ γνησιότης omnium Scripturæ librorum ordine oſtenditur. De his libris non paucæ intercedunt nobis cum Pontificiis controverſiæ, de quibus libros ſingulares ſcripſit Dominus D. Chriſt. Kortholtus, alterum *de Canone Scripturæ S.*, alterum *de variis verſionibus*, hîc Kilonii editos. *(gg)* De variis verſionibus Germanicis antiquiſſimis egit Hottingerus. Eſt & in Gothicam Linguam converſa bona Evangeliorum Pars, quæ à Franciſco

(g) De Bibliis Polyglottis, poſt Hottingerum, fuſius commentati ſunt, & conferri cum illo merentur, Chr. Kortholtus *in Tr. de Variis S. Script. Editionibus, Cap. XXI.*, & Wilh. Ern. Tenzelius in peculiari de iis *Diatribâ*, Witeb. A. 1686. *in 4to.* editâ.

(gg) De Verſionibus Bibliorum Germanicis, ante Lutheri Translationem, concinnatis atque evulgatis, præter eundem Hottingerum *(Lib. II. Biblioth. Quadrip., c. 3., §. 2., p. 146-154.)*, conſulendi C. Kortholtus in Edit. poſteriore atque auctiore Tractatus modo laudati, *c. 25.*, Joh. Frid. Mayerus in *IV. Diſſertationibus*, *Hiſtoriæ Verſionis Bibl. Germanicæ Lutheri*, Hamburgi A. 1701. excuſæ, ſubjunctis, Joh. Reiskius *in Diſſ. Epiſtolicâ ad Mayerum*, eidem additâ, & Georg. Frid. Magnus, Gymnaſii Auguſtani Rector, *in Diſp. de Antiquis S. Scripturæ Verſionibus Germanicis*, *Auguſtæ excuſis*, A. 1690. publicatâ, cujus recenſum Dn. Tenzelius, *in Dial. Menſtr. Germ.*, *M. Aug.* A. 1692. *p. 676-698.*, exhibuit.

ciſco Junio edita ſunt cum Commentariis, quorum & ſupra mentionem fecimus. *(ggg)*

Sequuntur Commentatores Biblici, qui vel *Critici* ſunt vel *Exegetici*. Cri- 15
ticorum magnus eſt numerus, tàm illorum, qui in Biblia univerſa, quàm qui in libb. ſingulares ſunt commentati, tùm qui de argumentis peculiaribus egerunt. Horum Autorum Syllabum, quaſi per lancem ſaturam, dedit Hottingerus *Lib. I. cap. 5.*, ubi agit *de Criticis Biblicis*. Quidam illorum contulerunt inter ſe Exemplaria MSSta, quidam Verſiones, uti Ludov. de Dieu, Arnoldus Botius, Johannes Viccars. In univerſa Biblia exſtant *Commentaria Critica* Hugonis Grotii, quæ noviſſimè edita ſunt *4. Tomis in folio*, ap. Blavium, cum abſolutiſſimis Indicibus Autorum, rerum, Locorum Scripturæ, quorum maximus in exegeſi uſus eſſe poteſt, exceptis Locis Socinianiſmum ſpirantibus. Hoc enim morbo Grotius laboráſſe dicitur. Prima horum *Commentariorum* Editio ſine Indicibus eſt, ideoque ad uſum non ita accommodata. Alteri Editioni, præter Indices, acceſſère novæ quædam Autoris notæ, & peculiares quidam libri. De his Commentariis hoc notandum eſt, in Rabbinorum locis citandis, & explicandis, non raró eos fallere. Secutus enim plerumque aliorum fidem eſt Grotius, linguarum Orientalium non adeò gnarus. Plurima horum errorum ſpecimina notavit harum literarum peritiſſimus Dominus *Esdras Edzardi*, quæ ipſe mihi aliquandò oſtendit. Ceteri Commentatores Critici, nec legi ab omnibus, nec enarrari à nobis, omnes poſſunt. Quare non inutilem laborem ſuſcepit Matthæus Polus, qui ex omnibus Criticis Scriptoribus extraxit illa, quæ faciunt ad intelligentiam locorum Scripturæ, illaque Bibliis, juxta ordinem librorum, capitum & verſiculorum, diſpoſitis, inſeruit, annotatis ſemper Autorum locis. Quanquam Ep[illegible]narum, & Compendiorum, inglorius ſæpè & noxius labor ſit. Vix enim ſemper ita aſſequitur mentem Autoris Epitomator. Laudanda tamen illa eſt opera, quæ multis modis utilis eſſe poteſt, ob ſeriem illam librorum, & ob laboris compendium. Liber ille olim impreſſus in Angliâ, magno conſtabat pretio, & vix haberi poterat, cujus Exemplaria incendio Londinenſi erant abſumpta. In Germaniâ itaque recuſus eſt, ac vendi ſolet XX. circiter Imperialibus. Ad Commentarios Criticos refert Hottingerus & Lexica Biblica, Concordantias & Encyclopædias Sacras, quæ tamen huc non adeò ſpectare videntur. Concordantiæ enim, etſi utiliſſimæ ſunt ad explicationem Locorum Parallelorum, ad inventiones argumentorum in Homileticis, pro ſe tamen nihil explicant, ſed purum putum Indicem præſtant. Encyclopædia

(*ggg*) De Gothicâ IV. Evangeliorum Verſione, & recentiori illius Editione, poſt Junianam, à Georg. Stiernhelmio Upſaliæ An. 1671. *in 4to* curatâ, & Translationibus eorundem Vulgata Latina, Svecica & Islandica, παραλλήλως adjectis, aucta, vid. Joh. Schefferi *Sveciam Literatam p. 180.*, *Hypomnemata* ad illam noſtra *p. 401. 402.*, M. Georg. Frid. Heüpelii, Argentinenſis, *Diſſ. de Ulphila, ſeu Verſione illius IV. Evangeliorum Gothica*, Witteb. A. 1693. editam, aliosque Autores *in Hypomn. l. c.* allegatos,

pædia tantum abeſt, ut ad Criticam pertineat, ut inutiliter quæri videatur. De quibus Encyclopædiis quid ſentiam, ſupra aliquoties dixi.

16 EXEGETICI Autores alterum ab his locum occupant, ſuntque illi, qui in vero Scripturæ ſenſu indagando occupantur. Horum magnus eſt ab omni ævo numerus, quibus recenſendis integro libro opus eſſet. Exegetæ primò ſunt, qui Paraphraſin librorum Scripturæ dederunt, qualem laborem in N. T. ſuſcepit ERASMUS, qui cum ceteris ejus Operibus editus eſt *in fol.*, & *in 4to* recuſus. Multos Vir ille his ſuis Scriptis contra ſe provocavit, qui paſſim quid in interpretationibus ejus deſiderabant. Nominátim contra illum inſurrexit Edvardus Leus, qui *Annotationes in N.T. Eraſmi* ſcripſit, ad quas *Annotationes Reſponſiones* ſuas edidit, & *Apologiam paraphraſeos principij Evangelici Johannis: In principio erat ſermo;* in quâ Paraphraſi deprehendere aliquid ſibi viſi ſunt nonnulli, quod Arianiſmum ſaperet. Additæ ſunt literæ doctorum Virorum, & ipſius Eraſmi, de hoc negotio. Editi ſunt hi libri Baſileæ, apud Frobenium, A. 1520. *in 4to.* Scripſit & Alphonſus Henriquez *Defenſionem pro Eraſmo, contra Edvardum Leum, & Univerſitatem Pariſienſem*, quæ *in Claſſe ſecundâ Indicis Expurgatorij Hiſpanici* perhibetur. Fuerunt Paraphraſes illæ diu uſitatæ, jamque olim in Synagogâ Judaicâ, eſtque ille modus interpretandi ſimplicisſimus. Prætereo illas, quas habemus, Orientalium V. T. paraphraſes, aliasque interlineares ac Germanicas, qui omnibus ſunt notiſſimæ, & de quibus pleniſſimè agitur apud Scriptores hujus argumenti Bibliothecarios. De Paraphraſibus Chaldaicis, præter alios, ſingulari libro egit Auguſtus Pfeifferus, Witteb. A. 1665. *in 4.* edito. Legi & Walthonus *in Apparatu* prolixè poteſt. Exſtant & Paraphraſes & Interpretationes quorundam Cabaliſticæ & Myſticæ, quæ tantum abeſt ut ſint Exegeſes, ut novas potius Exegeſes ſuorū ænigmatum requirant. Nemo in iis fœcundior eſt Judæis, qui miras ſunt commenti inprimis ſuper Moſis libb. fabulas, & qui è Chriſtianis Enthuſiasmo quodam Judaico ſunt afflati. Multus in his Interpretationibus myſticis eſt Henricus Morus, Theologus Anglus, cujus *triplex ſuper Geneſin Cabala* exſtat, *literalis*, *naturalis*, *moralis*, mirum è Philoſophiâ Platonicâ, Carteſianâ, & Rabbinorum traditionibus Chaos. Poſſunt Exegetæ diſtingui ſecundum ætates & religiones. Quod ætates ſpectat, primò ponendi ſunt Patres, qui in Biblia ſunt commentati. Hos, ſecundum ordinem temporum, & ſeculorum, ſatis diligenter collocavit Autor *Bibliothecæ Thuanæ*, ſed illic non habentur alii, quàm qui in Bibliothecâ Thuanâ continebantur. Reperiuntur & in MSStis Codicibus, *Thuanæ Bibliothecæ* ſubjunctis, Commentatores è Patt. Græci & Latini inediti. Multa talium olim Origenes ſcripſerat, Καλκέντερος hac de cauſâ dictus, quæ pleraque perierunt. (*h*) Ejus tamen *Commentarium ſuper Job. Evange-*

(*h*) Editus quidem eſt Origenis *Comm. in Johannem*, tùm Latine, ex Verſione Joach. Perionii, in Antiquioribus Operum ejus Editionibus, tùm Græce, *in Exegeticorum, quæ Græcè reperiri potuerunt*, Editione Anni 1668. Rhotomagenſi Græco-Latinâ, à Pet. Dan. Huetio, cum Notis & Obſervationibus ſuis publicata. Sed utrobique mutilus eſt & imperfectus, quippe

vangelium refert ſe vidiſſe MStum & integrum, apud Arſenium Calutum, Hieromonachum Græcum in urbe Corfa, Jac. Sponius *in Itinerario ſuo, P. II. p. 27. Editionis Germanicæ*, ubi habentur multa obſervatu digniſſima. Recentiorum temporum Exegetas, ſecundum religiones varias, ſatis diligenter recenſet Hottingerus *in Bibliothecario quadripartito, lib. I. c. 6.*, ubi de illis plura poſſunt legi.

Tranſimus ad *Locorum Communium* Theologicorum *Scriptores*, quorum prima lineamenta duxit *Phil. Melanchton*, communis divinæ ac humanæ doctrinæ reſtaurator. Quanto olim in pretio illi habiti fuerint, inde videre eſt, quòd, cum primò ederentur Venetiis, ſub nomine *Philippi de Terra Nigra* impreſſi, ſtatim diſtracti fuerint apud ipſos Pontificios, ignaros à Phil. Melanchtone hoc Opus eſſe profectum. Quod idem quoque obtigiſſe Martini Buceri *in Pſalmos Commentariis*, notat Vir doctus Anonymus, *in notis in Scaligeriana Excerpta*, à Tanaqv. Fabro edita. Nam, ſub Nomine Aretii Telini *Commentarii* ille vendebatur Cardinalibus & Epiſcopis, magni facientibus illum, ſed, cùm audiviſſent, Bucerum ejus verum eſſe Autorem, ſtatim ſuppreſſerunt librum, & inter damnatos rejecerunt, qui antea ſub fucato nomine mirificè placebat. Poſt Melanchtonem, Locos Communes majore diligentiâ excoluit Martinus Chemnitius, Vir Eccleſiæ noſtræ maximus, cujus Opera Pontificios valdè ſollicitos habuêre. Magnam enim Antiquitatis & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cognitionem Theologico ſtudio junxerat, ut eô nomine facilè adverſariis ſuperior eſſet, accedente ad inſignem peritiam cauſæ bonitate. Variæ ſunt *Locorum* illius Editiones, non bonæ notæ omnes. Quæ *in 8.* prodiit, ceteris eſt correctior, & altera quoque, quæ Francofurti *in 4.* Mendoſiſſima eſt Wittebergenſis *in folio*, & vel recuſa mendis ſuis non deſtituitur. Scripſit & alia Vir ille, quæ religionis noſtræ Cultoribus in deliciis eſſe debent, *Harmoniam Evangelicam*, cujus Editio optima prodiit Francofurti *in folio*, it. *Examen Concilii Tridentini*, Opus præclarum, & quod maximi faciunt Theologi noſtri, crux verò Pontificiorum, qui in ejus Operibus facilè genuinum frangunt. Laudatiſſimam quoque operam in Locis poſuit Joh. Gerhardus, Vir multorum laborum, & meritorum. Meditatus & olim Locos Communes fuiſſe dicitur Joh. Musæus, Theologus Jenenſis, imò maximam partem confecit, fuitque ante aliquot annos, qui, ipſô invitô, illorum Editionem parabat, Bibliopola, cujus tamen conatui ipſe, cùm viveret, interceſſit. An nunc habituri ſimus ſcriptum hoc ejus poſthumum, eſt incertum. 17

E Pontificiis maximis ornari laudibus debet Dionysius Petavius, Jeſuita, Vir ſummi laboris & judicii, quem unum è Jeſuitis ſapere judicabat Scaliger, utut ab illo ſcriptis Eriſticis laceſſitus. Scripſit ille *Libros Dogmatum Theologicorum*, quos ad Locos Communes Theologicos certâ ratione referre poſſimus, etſi ulterius ſe labor 18

quippe in quo, è 32. Tractatibus, quos olim continuit, novem tantum ſuperſunt, uti Huetius è MSto Biblioth. Regiæ oſtendit, *Vid. Ephem. Vir. Erud. Gall. A. 1668., p. 857. Edit. Lat.*

ejus extendat. Nam & controverſias, & quicquid ad doctrinam Theologicam ſpectat, addidit. Opus hoc ejus *Dogmatum Theologicorum 4. Tomis in fol.* prodiit Pariſiis A. 1610. & ſeqq. (*i*) Liber tamen imperfectus eſt, ſed quæ tractavit, ſi exceperis, in quibus nobis cum Pontificiis controverſia eſt, ſolida ſunt, docta & expolita, ac magno uſui futura in argumentis Theologicis. Locus de Trinitate integrum illi *in fol.* Tomum complet, unde perſpicias, quanto molimine & curâ rem ſuam egerit. Dolendum eſt, non abſoluta fuiſſe omnia, ſed perveniſſe tantùm ipſum ad Locum de Libero Arbitrio. Culta illi elegansque eſt tractandi ratio, variâ eruditione undique aſperſa, non horrida illa & Scholaſtica, frequens antiquorum lectio, in quibus evolvendis & emaculandis multum temporis conſumpſit. Edidit enim multos cum notis ſuis, nempe Epiphanium Pariſ. 2. *volum. in fol.* A. 1622. *Appendicemque ad ſuas notas*, Syneſium *cum notis* A. 1632. *in folio. Notas in* Juliani Apoſtatæ *Opera*, edita A. 1634. item *Tr. de poteſtate conſecrandi, Sacerdotibus à Deo conceſſâ, in 8.* Pariſ. A. 1639. & *Diſſertationes Eccleſiaſticas de Epiſcoporum dignitate, & aliis argumentis* Pariſ. An. 1641. *in 8.* In Chronologiam ſcripſit *Opus de doctrinâ temporum, 2. volum. in fol.* editum Pariſ. A. 1627. apud Cramoyſios, quod poſtea in Epitomen contraxit ſub tit. *Rationarii temporum*, & Scaligero oppoſuit, cui multum faceſſebat negotii, edidit & *Uranologium, ſive Syſtema variorum Autorum, qui de Sphærâ, ac Sideribus, commentati ſunt, Græcè, cum Latinâ Interpretatione, & variarum Diſſertationum Libb. 7.*, Pariſ. *in folio*, A. 1630. Unde patet, quantæ doctrinæ Vir fuerit. De Locorum Communium Scriptoribus, tàm apud Proteſtantes, quàm Pontificios & Reformatos, vide Hotting. *in Bibliothecâ Theologicâ, lib. 3., c. 2. 3. 4., ſub ſingulorum capp. initium.*

19 Theologiæ Polemicæ Scriptores ſunt permulti, ratione Sectarum, quorum tangemus celeberrimos. Spectant huc omnes, qui de Hæreticis ſcripſerunt, licet non omnes hæreſes ad noſtra tempora ſe extendant. Prodeſt tamen illarum habere, quoad fieri poteſt, notitiam accuratiſſimam. Solent enim plerumque reviviſcere hæreſes illæ, & à Novatoribus reſuſcitari. De Epiphanii *Opere de Hæreſibus*, & Petavii *notis* in illud, ſuprà diximus. Philaſtrius *Catalogum Hæreticorum* ſcripſit, fœcundum ſanè & locupletem. At illi in more poſitum eſt, facilè hæreſeos condemnare, ex levibus & innoxiis quibusdam opinionibus. Catalogos Hæreticorum poſt illos dedêre Centuriatores, ſub ſingulis ſeculis, & plures alii ſingularibus libb., uti Joh. Gualtherus, (Janus Gruterus) *in Chronico Chronicorum*, Joh Pontanus *in Catalogo Hære-*

(*i*) Pariſinæ *Dogmatum* Dionyſ. Petavii *Theologicorum* Editioni palmam præripuit nupera, quæ A. 1700. *in fol.* prodiit, Antvverpienſis, ſive potius Amſtelodamenſis, à Theophilo Alethino (ſub cujus larvâ Joh. Clericus deliteſcit) Præfatione pro Petavio, adverſus Chriſtoph. Sandium, Arianiſmi eum convincere conatum, alioſque Cenſores, Apologeticâ, ac Notulis, Exegeticis partim, partim Elenchticis, aucta, ceterorumque inſuper Tractatuum Petavii, qui ſeorſim anteà prodierant, Theologicorum acceſſione locupletata. Σκιαγραφίαν ejus *vid. in Actis Erud. Lipſ., M. Majo A. 1700., p. 230. 231. 232.*

Hæreticorum. Florimondus Ræmundus *in libro de ortu, progreſſu, & ruinâ hæreſium hujus ſeculi* (qui è Gallicâ in Latin. Linguam eſt converſus A. 1614. Colon. *in 4.*) Conradus Schlüſſelburgius *Catalogum* quoque *Hæreticorum* ſcripſit. Expedit hîc noſſe ſingulorum, in quacunque, vel Sectâ, vel Religione, Doctorum Symbola, Confeſſiones, Catecheſes, quorum libb. copiam inſignem in unaquaque habemus religione. Illos autem omnes prætermittemus, cum operam hîc laudabilem poſuerit Hottingerus *lib. 3. c. 1. Bibliothecæ Theologicæ*, ubi diligentiſſimè agit de Scriptis Symbolicis præcipuarum religionum.

Prænoſci hîc debent ſumma Controversiarum capita, quæ præcipuè in Eccleſiis 20 noſtrorum temporum, & variis ſectis, agitantur. Earum *Controverſiarum ſummam* è Reformatis Joh. Hornbeckius dedit libello aliquoties recuſo, Præſtitit & heic operam compendiariam non ita pridem Frid. Spanhemius *in Introduct. ad controverſias ſelectiores*, Lugd. Batav. A. 1677. *in 12.* edita, cui libello acceſſerunt, quæ recenter motæ fuerunt à Naturaliſtis quibusdam & Atheis in Belgio, controverſiæ. Quorſum & refert Carteſianos, Hobbeſianos, & Spinoſianos. Ut de poſterioribus nihil dicam, in Carteſium aliquantò iniquior fuit Vir ille, cujus conſiliis & impulſu ejecta Belgio fuit Carteſii Philoſophia. Etſi non negem, recentiores Carteſianos, Carteſii auctoritate & ſententiis abuſos, multa deduxiſſe ad religionem, de quibus ne quidem cogitârat Carteſius. Illi nempè reprimendi erant, non omnis Philoſophia Crteſiana exſtirpanda. Proderit etiam hîc Edv. Brerewoodi *Scrutinium Religionum*, breve tamen admodum, ubi omnia controverſiarum capp. reperias. Nec omittendus eſt J. Andr. Bosius *in Diſſertatione ſuâ III. de Religionis, & rei literariæ, in Europâ, ejusque imperiis, ſtatu præſenti*, quæ ſubjuncta eſt ejus *Introductioni in Notitiam Rerumpublicarum.* Sunt & Anglicâ Linguâ libri quidam ſcripti hoc in negotio utiles, uti Alex. Rossæi liber *de Religionibus Orbis*, qui in omnes penè linguas converſus eſt, Gallicam, Italicam, & Germanicam, & in hanc quidem ab Alberto Reimaro, Lubecenſi, ſub tit. der gantzen Welt Religionen. Prodiit Amſtelod. A. 1668. cum figuris, *in 8.* Scripſit & *Edvinus Sandys* Anglicè de eod. argumento Tr., qui itidem Germanicè redditus eſt *in 12.*, ſed plenius hoc argumentum tractatur à Roſſæo. Fuit & olim editus Liber Italicâ linguâ hoc Titulo: *Mare Oceano di Tutti le religioni*: ſed hunc non vidi. Titulus ejus comparet *in Bibliothecâ Cordeſianâ.* Sed de his Autoribus tenendum eſt, fuiſſe interdum incautè, & non ſatis accuratè, hoc in argumento, verſatos. Quidam enim aliorum fidem ſequuntur, & in ipſis interdum peregrinationibus non ſatis accuratæ obſervationes inſtituuntur. Omnium optimæ relationes haberi poſſunt è propriis cujusque ſectæ Libb. fundamentalibus, & iis, quæ à Theologis notata ſunt, quanquam & hi interdum partium ſtudio aliquid diſſimulant. Nos breviſſimè per ſingulas Sectas nunc cognitas, & Eccleſiæ noſtræ Cultoribus perſpiciendas, Autores præcipuos oſtendemus, eòque remittemus, ubi plenior illorum haberi copia poſſit.

De Antiquioribus jam ſupra eſt dictum, Judæis ſcil. & Mahumedanis. Contra 21

Judæos commendavimus Martini Raymundi *Pugionem fidei, in fol.* (k) in quem exſtat elegantiſſimus *Commentarius* Joſephi de Voyſin.. Illic habentur tela contra Judæos ex ipſorum armamentario deſumpta. Liber eſt utiliſſimus illis, quibus cum Judæis res eſt. Nuper & Vir Clar. Joh. Christoph. Wagenseilius Judæorum Libros adverſus Chriſtianam fidem, hactenus ineditos, vaſto Volumine publicavit ac refutavit, cui Tit. *Tela Ignea Satanæ.* Multi è noſtris ſunt Scriptoribus, qui è Rabbinis contra Judæos doctrinam Chriſtianam propugnarunt. Guilh. Schickardus magni nominis, cùm viveret, fuit majoris verò apud Exteros, quàm apud ſuos populares, cujus Bibliothecam & MSSta poſthuma Rex Galliæ ære ſuo redemit, Regiæque Bibliothecæ addidit.

22 Mahumedanorum Religio, ejusque notitia, eſt petenda ex J. Henr. Hottingeri *Bibiothecâ Orientali.* (l) Alcoranus, quo continentur Religionis Mahumedanæ capp. ex Arabico à nonnullis verſus eſt, ſed periti illarum rerum adeò diſcrepare Verſiones ab Authenticis Exemplaribus dicunt, ut multa deſint, multa mutilatè ac ineptè ſint converſa. Editus eſt Gallicâ etiam Linguâ, ſed nec ille eſt plenus, & fide dignus. Magnâ cum difficultate impetrantur ejus exemplaria authentica, ſed ſunt tamen à Chriſtianis furtim exportata, ac reperiuntur in quorundam Bibliothecis. Multi ſunt Arabicâ Linguâ ſcripti libri de negotio religionis, unde cepiſſe multa nonnullos noſtrorum opinantur aliqui. Acutiſſimi ſunt Diſputatores, ut patet è Libris Philoſophicis, qui Latinè ſunt redditi. Teſtis eſt Jac. Sponius, Medicus, *in Itinerario per Græciam ac Dalmatiam*, didiciſſe ſe è relatione cujusdam popularis ſui, eſſe Arabicâ Linguâ Librum quendam ſcriptum adverſos Mahumedanos & Judæos, pro veritate religionis Chriſtianæ, unde potiſſima Argumenta ſua ceperit Grotius, quod mihi tamen non ſit veroſimile. Non enim crediderim, Grotio tàm fuiſſe familiarem Arabicæ Linguæ uſum, ut abuti illâ in rem ſuam potuerit. Solent ſæpè talia fingi ab

(k) Raymundi Martini, Barcinonenſis, Monachi Sec. XIII. Dominicani Eruditiſſimi, *Pugionem Fidei adverſus Mauros & Judæos*, è MSto Toloſano, Ord. Prædicatorum auſpiciis ac ſumtibus, à Franc. Boſqueto, Epiſc. Lodevenſi, & Phil. Jac. Mauſſaco, Præſide Toloſano, cum Notis Joſephi de Voyſin, Presbyteri & Exſenatoris Burdigalenſis, luculentis, Lutetiæ A. 1651. *in fol.* editum, Joh. Bened. Carpzovius Jun., Acad. Lipſienſis Theologus, Lipſiæ A. 1687. *in fol.*, non ſolùm cum iisdem Obſervationibus Voyſinianis curavit recudi, ſed ſuam etiam *in Theologiam Judaicam Introductionem*, lectu ſanè digniſſimam, eidem præmiſit. Plura de Raymundo, ejusque Opere, & Plagio in iſtud, cujus Pet. Galatinus accuſatur, immani, *in Homonymoſcopiâ* noſtrâ. *P. II., c. 6., §. 84., p. 612-615.*, congeſta invenies.

(l) De Alcorani Editionibus (quas inter Hamburgenſis Arabica, ad Codd. optimorum fidem, A. 1694. *in 4to*, per Abrah. Hinckelmannum, Antiſtitem Catharinæum, publicata, ſed Verſione deſtitutâ, eminet) & Translationibus variis conſulendæ ſunt, quas hoc ipſo A. 1704., in Acad. Altòrfinâ, Joh. Mich. Langius, Prof. illius Theologicus, propoſuit, *Diſſertationes duæ Hiſtorico-Philologico-Theologicæ*, Prior ſc. *de Speciminibus, Conatibus variis atque noviſſimis ſucceſſibus, doctorum quorundam Virorum, in edendo Alcorano Arabico*, ac Poſterior *de Alcorani Verſionibus variis, tàm Orientalibus quàm Occidentalibus, impreſſis pariter atque ἀνεκδότοις.*

ab hominibus rerum peregrinarum ſtudioſis, ut pretium ac deſiderium peregrinæ mercis accendant. Idem, ut obiter hoc memorem, addidit, Jac. Gaffarellum, *in Curioſitatibus ſuis inauditis*, pleraque ex libro transſcripſiſſe Arabico ejusdem Argumenti. De ſectis Judæorum videndus Joh. Seldenus *in Diſſertatione de Anno Civili, & Calendario Veteris Eccleſiæ, cap. 2.*, & paſſim *in Opere de jure naturæ & gentium ſecundum diſciplinam Hebræorum*, uti & in alio libro *de Synedriis*.

Christiani in Orientales *Græcos*, & Occidentales *Latinos*, dividuntur. 23 *Græcorum* religio ad nos nunc adeò non ſpectat. Operæ tamen pretium eſt, noſſe ejus doctrinæ capita. Magnum inter Eccleſias, Latinam & Græcam, eſſe diſſenſum, (*m*) ex Hiſtoricis notiſſimum eſt, quod vel ex unâ illâ *de Imaginum cultu* controverſiâ patet, quæ miras in Oriente Tragœdias excitavit. Hodierni Græci multum diſſident à priſcâ religione. Fucum itaque fecit, fumosque Eccleſiæ vendidit Latinæ, Leo Allatius, Græcus, Romæ vivens, qui ſingularem librum ſcripſit *de Græcæ & Latinæ Eccleſiæ conſenſu perpetuo in 4.* Quis Græcæ Eccleſiæ ſub Turcis ſit ſtatus, videri poteſt ex Martini Cruſii *Turco Græciâ*, cujus *libri octo* Baſileæ *in fol.* A. 1584. prodierunt. Vide & *Acta & Scripta Theologorum Würtenbergenſium & Patriarchæ Conſtantinopolitani, ab A. 1576. ad annum 1581. ſibi mutuò transmiſſa, in negotio Auguſtanæ Confeſſionis* Lib. prodiit Witteb. A. 1584. *in fol.* Unde diſci poteſt, magnam eſſe Religionis illorum, cum Proteſtantium religione, convenientiam. Sed Vita illorum malè reſpondet doctrinæ. Nam, uti Viatores omnes teſtantur, corruptiſſimè vivunt. Videantur noviſſimi peregrinatores, Joh. Bapt. de Tavernier, & Jac. Sponius. Qui poſtremus mentionem facit Conſulis cujusdam Gallici, Athenis reſidentis, qui vaſtum Opus ſub manibus habuit de omni religionis hodierno ſtatu, apud quem multa quoque Veterum MStorum è Theologis Græcis deliteſcere ait. Multa etiam talium delituiſſe in Bibliothecâ Jeſuitarum Cochinenſium, teſtis eſt Tavernier *in Itinerariis ſuis*, eo loco, ubi agit de Belgarum in Aſiâ actionibus. Ubi Belgas, & inprimis Gubernatorem Gour, ut hominem ferocem & ruſticanum, incuſat, qui ſc. in cauſâ fuerit, quòd, Jeſuitis inde ejectis, præſtantiſſima illa Bibliotheca, in quâ Theſaurus Græcorum Orientalium, Arabicorum Copticorumque MStorum continebatur, militibus & nautis in prædam ceſſerit, cum irreparabili rei Literariæ damno. Hinc ſe toto illo tempore, quo verſatus fuit in his terris, ſemper deprehendiſſe aliquem librum MStum, vel apud milites & nautas, vel inſtitores, integros paucos, plurimos verò laceratos & mutilos, eorumque aliquam partem ſibi comparaſſe. Exſtant, de

(*m*) Diſſidii inter Græcos & Latinos Hiſtoriam Frid. Spanhemius Jun., non obiter tantùm *in Introd. ad H. E.*, *h. l.* allegata, ſed fuſius etiam, & ex profeſſo, eſt perſecutus, in *Exerc. Hiſtorico-Theologicâ de Eccleſiâ Græcâ & Orientali à Romanâ & Papali perpetuâ in hunc diem diſſenſione*, in V. partes diſtributa, &, cùm aliis Pontificiis, tùm præcipuè Leonis Allatii Operi, contrarii planè Tituli, *de perpetuo Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ Conſenſu*, h. l. memorato, oppoſita. Prodiit illa ſeorſim Lugd. Bat. A. 1694. *in 4to*, nuperque ibidem *Tomo II. Operum* Spanhemii, *in fol.* editorum, A. 1703. eſt recuſa.

de hodiernæ Græcæ religionis ſub Turcis ſtatu, *Epiſtolæ*, à Thoma Smith, Anglo, ſcriptæ, quæ ante annos ſex vel ſeptem Londini *in 12.* ſunt editæ. Græcæ religionis, ſecundum gentes varias, diverſa in quibusdam dogmata ſunt. Ex mixturâ enim populorum, variis interdum acceſſionibus doctrina purior incruſtata fuit. Notum eſt, Moſcovitas etiam Græcam religionem jactitare, ſed in multis admodum deformem. De ejus religionis ſtatu conſulendi Itinerariorum Scriptores. Vix enim alios habemus idoneos ejus teſtes. Nuperrimè aliquot prodiêre Itineraria, in quibus & de religione agitur. Vir Illuſtris AUGUST. BARO à MAYERSBERG *Itinerarium* ſcripſit *Moſcoviticum*, A. 1661. *in fol. edium*, cui multa ſunt de rebus Moſcoviticis, tàm Politicis, quàm Eccleſiaſticis, inſerta. Addit & Leges Ruſſicas, Latinè redditas, quibus multa continentur ex Jure Romano deſumpta. Prodiit & in Italiâ Patavii, ante 3. circiter annos, *Itinerarium Moſcoviticum*, ſine nomine Autoris *in 8.* Crediderim tamen, librum hunc eſſe potius è Scriptoribus ceteris congeſtum à quopiam, in Bibliopolæ gratiam. Ceterùm de iis, quæ ad Theologiam Græcorum ſpectant dogmatica, à Græcis ipſis tractata, Leo Allatius paſſim in ſuis ſcriptis quædam memorat, & maxima eorum pars exhibita eſt *in Bibliothecâ Thuanâ à p. 21. ad p. 46.* ubi ſecundum ſucceſſionem ſeculorum, Autorum Græcorum ſcriptores recenſentur, in quibus repeтiuntur multi, qui de Controverſiis, inter Eccleſiam Latinam & Græcam agitatis, v. g. de cultu Imaginum, de proceſſione Spiritus S. à Filio, ſingulares libros ſcripſêre, & immiſcentur etiam Scriptores Homiletici. Ceterùm & Jeſuita Ludov. Maymburgius *Hiſtoriam* illam *Schismatis Græcæ Eccleſiæ*, ut vocat, ſingulari libro pertractavit. Quæ ſeculis 8vo, 9 & 10, inter Orientalem & Occidentalem Eccleſiam lites fuerint, vide Georg. Calixtum *in Diſſertatione ſingulari*, *de ſtatu rerum in Eccleſiâ Occidentali*, quæ addita eſt *Apparatui* ejus *Theologico.* Jungi huic poteſt J. Henr. Boeclerus *in Hiſtoriâ ſeculi IXi & Xmi.* Legi etiam, velut in Compendio, poteſt Frid. Spanhemius in *Epitome Iſagogicâ ad Hiſtoriam N. T.*, ubi agit de Eccleſiæ Græcæ ſtatu & diſſenſione à Latinâ, *ſecul. V. p. 465., ſecul. VI. p. 492., ſecul. VII. p. 526., ſecul. VIII. p. 548., ſecul. IX. p. 581., ſecul. X. p. 605., ſecul. XI. p. 638., ſecul. XII. p. 680.* Nonnunquam quidem tentata eſt unio inter utramque Eccleſiam, ſed fruſtrà, ut ex tot ſeculorum conſenſu & ſucceſſione ſatis refutetur Leonis Allatii *liber de perpetuo Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ conſenſu*, de cujus libri cauſis, & Autoris conſiliis, vide Spanhemium *à pag. 628. ad pag. 685.*

24 Pergimus ad PONTIFICIOS, quorum capita doctrinæ breviter à J. Andr. Boſio proponuntur *in Diſſertatione* ſuprà laudatâ *p. 9.* Alii è noſtris ſunt, qui doctrinam eorum integris libris proponunt; ſed veræ illorum ſententiæ ex ipſis Pontificiis habendæ ſunt. Eſt inter Pontificios, quaſi Hercules quidam, ROBERTUS BELLARMINUS, quo Atlante cœlum ſuum fulciunt, Vir pius, quod negari nequit, cujus exſtant aliquot Libri argumenti Moralis & Homiletici, *de aſcenſione mentis ad Deum*, & *de gemitu columbæ*, qui oſtendunt animum devotum, ſed doctrina ejus eſt erronea. Fuit patriâ Politianus, primùmque Archi-Epiſcopus, indè Cardinalis factus, & ut perhibetur,

betur, invitus ad illam dignitatem pertractus eſt. Opus *Controverſiarum Theologicarum*, quod ſcripſit, per 40. annos ipſi elimatum traditur. Hoc Opus ejus aggreſſi, & è Reformatis, & è Lutheranis, ſunt multi. E Reformatis præcipuus eſt. *Dan. Chamierus*, qui *in Panſtratiâ* ſuâ Opus hoc ſub Examen vocat. Pars una prodiit Argentorati, altera Francofurti. Sed dolendum eſt, non potuiſſe eum totum Opus perficere, *quintum* enim *Tomum* Joh. Henr. Alſtedius adjecit. Si Calvini dogmata exceperis, magnus eſt hujus libri in noſtrâ quoque uſus Eccleſiâ. Sed totum Opus rarius eſt, cujus *Epitome* etiam ſcripta eſt, quæ in uſu eſſe ſolet. Poſt illum, quem meritò primo loco ponimus, Bellarminum ſunt aggreſſi multi, ſed carptim tantùm, & per partes, Guilh. ſcil. Ameſius *in Bellarmino Enervato*, Conr. Vorſtius *in Anti-Bellarmino*, (n) Mart. Chemnitius *in Exam. Concilii Tridentini*, Guilh. Wittackerus, Anglus, *in Locis de Verbo DEI*, & *Eccleſiâ*. Verſantur & in manibus Domini D. Chriſt. Kortholti *Diſputationes*, Kilonii habitæ, & excuſæ. Colonienſis Editio Bellarmini omnium habetur optima, quæ prodiit A. 1665. *in fol.*

Ceterùm Doctrinam Pontificiorum *in genere* multi impugnârunt, uti Phi- 25
lippus Mornæus, *in Myſterio Iniquitatis*, ſive Hiſtoriâ Papatus (quæ prodiit Salmurii A. 1611. *in fol.* & contra quam Caſp. Scioppius ſcripſit *Alexipharmacum Regium* A. 1612. *in 4.*) Gisb. Voëtius *in Deſperatâ Cauſâ Papatûs*, (quæ alicujus pretii eſt) Abr. Calovius *in Mæteologiâ Papiſticâ*, & Pet. Molinæus *in Novitate Papiſmi* (o)

(n) Perperam *h. l.* Mart. Chemnitii *Examen Concilii Tridentini*, aliquoties jam ante Annum 1580., tum *in fol.*, tum *in 8vo*, impreſſum, ſcriptis annumeratur Rob. Bellarmini *Controverſiarum Operi* oppoſitis, cujus (Chemnitianum potius *Examen* paſſim impugnantis) *Tomus I.* Anno demum 1581., *IIdus* A. 1583., IIIius autem A. 1592., primâ Editione, teſte Nathan. Sothvvello, *in Biblioth. Jeſuiticâ p. 722.*, prodiit. Chriſt. Kortholtus, Theologus Kilonienſis, Diſputationes ſuas Anti-Bellarminianas, ſimul etiam Jac. Gretſeri *Defenſioni Bellarmini*, & Viti Ebermanni *Bellarmino Vindicato*, oppoſitas, tribus incluſit Tractatibus, quorum Primus *de Canone S. Scripturæ* Roſtochii A. 1665. & Kilonii A. 1669., Alter *de Variis S. Scripturæ Editionibus* Kilonii A. 1668. & 1686., Tertius denique *de Lectione Bibliorum in Linguis vulgò cognitis* ibidem A. 1670., & Plönæ A. 1692., *in 4to* prodiit. Solam autem Primam *Tomi Primi* Bellarminiani *de Verbo Dei* Controverſiam, & ne quidem totam, abſolvit, nec ad ſequentes perrexit. De ipſo Bellarmino, ac Opere illius, conſulantur, è Pontificiis Jac. Fuligattus, & Dan. Bartolus, *Vitæ* ejus Scriptores, & Nathan. Sothvvellus *l. c. p. 720. 721. 722. 723. 724.*, è Lutheranis autem Chr. Kortholtus *in Præf. Tr. de Canone S. Scripturæ*, & Joh. Frid. Mayerus *in Eclogis de Fide Baronii & Bellarmini ipſis Pontificiis ambiguâ*, Amſtelod. A. 1697. *in 12o.* editis.

(o) Pet. Molinæi Senioris Operi *de Novitate Papiſmi*, contra Card. Perronium, Gallicè, Genevæ A. 1627. & 1633., Germanicè (ex Verſione Mart. Stutzingii, Secretarii Electoralis Brandeburgici) Veſaliæ A. 1632., & Belgicè Ultraj. A. 1657., *in 4to* edito, *Antiquitatem Papatûs* (das Alt-hergekommene Pabſtuhm) Sermone Germanico oppoſuit, & Dillingæ A. 1644. 1645. 1646. *in 4to* IV. Voluminibus evulgavit, Laur. Forerus, Jeſuita, Acad. Dillinganæ Cancellarius. De utroque Opere, & Molinæano, & Foreriano, minus benigne judicavit Thom. Reineſius, *Ep. 45. ad Caſp. Hofmannum*, *p. 379.*, ita ſcribens: Στωμύλματα *ſunt, & ferocium Ingeniorum, cum Veritatis & Caritatis detrimento, infelicia Certamina.*

(cui nonnemo è Pontificiis librum oppoſuiſſe dicitur, *de Antiquitate Papiſmi*, quo commotus Dux fertur Turennius, ut, ejuratâ Religione Reformatorum, Pontificiæ ſe addiceret.) Ceterùm præclarus Vir Molinæus fuit, Sedanenſis Eccleſiæ Paſtor, & Academiæ ejus Profeſſor. Plurima ejus alia exſtant ſcripta, tàm Philoſophica, quàm Moralia, & Theologica. Quòd ſi jam deſcendere velimus ad omnia ſpecialia doctrinæ Pontificiæ capita, Bibliotheca ſcribenda nobis eſſet. Tot enim ſunt, tùm Dogmatici ab ipſis Pontificiis libri ſcripti, tùm Eriſtici à Noſtris & Reformatis, contra Pontificios, & à Pontificiis contra Noſtros, ut integro Opere enarrari debeant. Quod ut fiat aliquando, optandum eſt. Hactenus enim tantùm fragmenta quædam, & lacinias, talis Operis habemus.

26 Princeps caput eſt, quod de PAPÆ PRIMATU agit, tot controverſiis & libris, ab utraque parte & ſatis quidem acerbè, diſputatum. Ulcus enim eſt, quod ſine dolore nequit tangi. Manum huic argumento admovit CLAUD. SALMASIUS ſingulari quodam libro *de Papæ Primatu*, cui, quod ſciam, nemo alium oppoſuit, ſed, me Judìce, non adeò ſubtilis hoc in argumento diſputator eſt, niſi quantum ex Hiſtoriâ adducit, & ex vetuſtis monumentis, quæ ipſæ perreptaverat. Inprimis controverſia de ſuburbicariis regionibus, quæ libris ſingularibus & propugnata, & impugnata eſt, plenè copioſeque ab illo eſt pertractata, uti & ab Hieron. Alexandro, qui doctiſſimè illas defenderat. Ni fallor, & Jacobus Gothofredus de illis quædam commentatus eſt. De ſuburbicariis regionibus Jac. Syrmondus quoque ſcripſit, eruditiſſimus Jeſuita Gallus, ſed nomen non addidit, & Joh. Dartes, qui & Salmaſium *de Primatu Papæ* refutare cœpit. Sed ineptus labor eſt, & ejus Autor impar congreſſus Achilli. Idem argumentum, *de Primatu in Eccleſiâ*, DAV. BLONDELLUS tractavit, & quidem contra Cardinalem Jac. Perronium, illum ſcil., cujus habemus à Fratribus Puteanis Collecta Excerpta, Virum in omni literarum genere exercitatum, ſed liber Gallicè ſcriptus, pleriſque noſtrorum hominum eſt ignotus. Quantus verò Vir Blondellus fuerit, omnibus notum eſt. Scripſit & NICOL. VEDELIUS, è Reformatis *librum de Cathedrâ Petri Antiochenâ*, quô illa diſquiritur Controverſia, *An Romæ fuerit Petrus*, quod eruditis in medium allatis argumentis negat. Ejus plura alia ſunt ingenii monumenta laudatiſſima, inter quæ eminet *liber de prudentiâ Veteris Eccleſiæ*, meritò commendandus Eccleſiaſticis; ſed Opus hoc totum non eſt abſolutum. Tractavit & hoc de primatu Papali Argumentum LUDOV. MOLINÆUS, Petri filius, verùm Patre ingenio & judicio inferior. Tit. Libri eſt: *Nova detectio Myſterii iniquitatis*, Hagæque ante XX, ni fallor, annos is eſt editus. Acerbè hic invehitur in Jurisdictionem Eccleſiaſticam, eamque eſſe exiſtimat, quæ in Sacris Myſterium iniquitatis dicitur. Scripſit idem *Characteres morales*, ſed non eſt magnæ rei liber. Phil. Mornæum, cujus ſupra mentio facta eſt, adortus eſt è Pontificiis Jac. Gretſerus, Jeſuita, ut doctiſſimus, ita maledicentiſſimus, in libro, cui tit. *Myſta Salmurienſis*. Multa vir ille ſcripſit, quorum vaſtum Catalogum exhibet Phil. Alegambe *in Catalogo Bibliothecæ Soc. Jeſu*. Fuit idem Bellarmini Hyperaſpiſtes, exſtant-

ſtantque contra illum Diſpp. D. Kortholti. Venit & Jacobus, Angliæ Rex, in Cenſum Diſputatorum Anti-Pontificiorum, cujus exſtat Opus *de Controverſiis fidei*, quod quidam Iſaaco Caſaubono, qui tunc vivebat in Angliâ, tribuunt, cùm tamen ipſe Caſaubonus hoc perneget. Occaſio tamen hinc data eſt quibusdam, quâ lacerarent nomen Regium, inprimis Caſp. Scioppio, qui *Collyrio* illum *Regio*, Scripto injurioſiſſimo, beare voluit. Scripſit & Bellarminus contra Jacobum. Vivebat tùm in Angliâ Vir maximæ doctrinæ & nominis, Marcus Anton. *de* Dominis, Epiſcopus antea Spalatenſis, cujus exſtat laborioſiſſimum & doctiſſimum Opus *de Republ. Eccleſiaſticâ*, contra Pontificios, quod primùm in Angliâ eſt editum, inde verò Heidelbergæ recuſum, promtuarium rerum Theologicarum, ex ipſis viſceribus antiquitatis & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, erutarum, ſed deſunt duo libri, uti creditur, ipſius Regis Angliæ Juſſu ſuppreſſi, quòd multa illic invenirentur, quæ Papiſmum ſapere viderentur. Sed miſerum hujus Viri fatum fuit, de quo Erythræus *in Pinacothecâ III. n. 17.* Nactus etiam eſt Vir ille Adverſarios, & inter eos Nic. Coffetellum, ſed defendit M. Antonium de Dominis Petrus Molinæus, libro Gallicè ſcripto, cui titulus: *Defenſio fidei Catholicæ*, qui hactenus Latinè non eſt redditus. Scripſit & M. Antonius de Dominis *librum de Primatu Pontificis*, contra Pontificios, qui Gallicè editus eſt *in folio*, Genevæ, ſed rarior eſt, nec adhuc, nî fallor, Latinè translatus. Scripſit & contra Jacobum, Angliæ Regem, Jac. Perronius Gallicâ Linguâ. De Guilh. Barclaji libro *de primatu Papæ* vide Erythræum *in Pinacothecâ ſuâ.* Scripſit & Dan. Lipſtorpius de *Monarchia Papali* librum *in 4.*

Ad hoc argumentum illi ſpectant Autores, qui de Jure Magistratus Circa Sacra, & de *Politicis Eccleſiaſticis* in genere agunt. Nam & hoc argumentum de primatu Papæ, ejusque dominatu, omninò tangendum eſt illis. Multi ſunt hîc Autores, qui rem illam in utramque partem tractant, ac fuêre inter ipſos Pontificios jam olim, qui immenſam Pontificum potentiam infregerunt, etiam è Scholaſticis, juratis alioquin Pontificum Paraſtatis. *De Imperio Poteſtatum ſummarum* circa *Sacra*, elegantem libellum ſcripſit Hugo Grotius, qui prodiit Hagæ Com. A. 1661. *in 8.* Adduntur illi Dav. Blondelli *Diſſertatio de jure plebis in regimine Eccleſiaſtico*, & alia nonnulla. Legendus & in hoc argumento eſt Petrus de Marca *de Concordiâ Sacerdotii & Imperii*, *ſive de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ.* Sed ille magis circa ſpecialia occupatus eſt, & circa Galliæ conſuetudines & jura. Liber ille prodiit Pariſ. *in folio*, A. 1663., Poſthuma quædam verò hujus Viri ante annos aliquot *in 12mo.* Veteres hujus argumenti Scriptores, Guilhelmi ſcil. Occami Opera hujus argumenti varia, Johannem Pariſienſem *de Poteſtate Regiâ ac Papali*, & Antonii de Roſellis *Monarchiam*, *ſive de Poteſtate Imperatoris & Papæ librum*, videre eſt apud Melch. Goldaſtum *in Monarchiâ S. Rom. Imperii*, ubi collegit hæc, ſimiliaque Opera, utiliſſimo ſanè labore. Facilè enim talia perire ſolent. Marquardus quoque Freherus, *in Collectione Rerum Germanicarum*, quædam habet. Multa duobus his libris continentur præterea ſcripta ſpecialia, ſpectantia ad controverſias ſuper Jurisdictione, 27

inter Pontifices & Imperatores agitatas. *De Politiâ Civitatis DEI Hierarchiæ Romanæ* Theophilus Banco, vel Banoſius, ut aliis audit, ſingularem librum ſcripſit *in 4to*, Francofurti A. 1592. Aliquoties hunc citatum inveni, ſed non vidi. *De Primatu Petri* Onuphrius Panvinius librum edidit Venet. *in 4to* A. 1591. de *primatu Papæ* Ulricus Velenus. Marcus Antonius Capellus duas edidit *Diſputationes*, *primam de ſummo Pontificatu Divi Petri*, *ſecundam de ſucceſſione Epiſcopi Romani*, uti & materiam de ſuburbicariis Regionibus explicat, Colon. *in 4to* A. 1621. Spectant huc Autores, qui *de Epiſcoporum authoritate & juribus* agunt, inprimis Joh. Fileſacius in libro *in octavo* Pariſ. A. 1606 edito. Legi & poſſunt Dionyſii Petavii *Diſſertationes de Epiſcoporum dignitate*, Pariſ. A. 1641. *in 8*. Nemo autem, quod attinet hiſtoriam, luculentius hoc argumentum tractavit, quàm Herm. Conringius *in Diſſertatione Epiſcoporum Germaniæ*, quæ, inter ejus *Juris publici Diſputationes*, quadruplo penè auctior, quàm olim edita erat, legitur. E Reformatis Rob. Parkerus, Theologus Anglus, *de Politiâ Eccleſiaſticâ* librum ſcripſit, quem aliquot libris poſtea continuavit Gisbertus Voëtius, acerrimus Hierarchiæ Pontificiæ Inſectator, adeò ut vix quicquam jurisdictioni Papali ſimile pati potuerit in Reformatorum Eccleſiâ. Magna illi lis cum Canonicis Ultrajectinis fuit, quibus ille controverſiam Status movit, bona Eccleſiaſtica iſtis uſibus non eſſe impendenda, clamitans. Contra illum Canonici, de quorum fortunis agebatur, in aciem produxerunt Martinum Sckokium, Voëtii diſcipulum, qui in *libro de Bonis Eccleſiaſticis*, Ultrajecti *in 4to* edito, controverſiam illam pro Canonicis decidit. Commendari ad hæc argumenta, quæ de Jurisdictione Eccleſiaſticâ diſputari ſolent, debet *Codex Theodoſianus* cum inſignibus *notis* Jacobi Gothofredi, JCti & Hiſtorici conſummatiſſimi, qui liber & Theologis & Juriſconſultis prodeſſe poteſt. Quæ enim illic occurrunt Conſtitutiones de rebus ſacris & Magiſtratibus ſacris, uti occurrunt ſanè plurimæ, magnam poſſunt lucem accendere in rebus Eccleſiaſticis, quæ illo tempore agitabantur.

28 Et hæc quidem de Primatu, & Jurisdictione Pontificiâ. Quòd ſi jam porrò ad ſpecialia capita deſcendere vellemus, magnus aperiretur campus. Solent Pontificii præcipua dogmata in Traditione ex PATRIBUS fundare, & his quidem omnem operam impendunt, ac non raro ſuppoſititiis, confictis, & mutatis, in rem ſuam utuntur, præcipuè Rob. Bellarminus, cujus *lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis* legi tutò non poteſt, niſi ſimul adhibeantur Roberti Coci *Cenſura*, Andr. Riveti *Criticus Sacer*, ac Joh. Dallæi *liber de Pſeudepigraphis*, utiliſſimus ad cognoſcenda ſcripta Patrum primi temporis, quibus multa tribuuntur ſuppoſititia & ficta. Idem agit Cæſ. Baronius in magno *Annalium* Opere, qui paſſim, ubi id commodè fieri poteſt, ex hiſtoriarum curſu, ad ipſa dogmata Pontificia digreditur, plerumque auctoritatibus Patrum ſeu Locis, vel malè adductis, vel confictis, ſuperſtructa. Ceterùm, Patres quod attinet, uſum in Theologiâ eorum Joh. Dallæus, Vir doctiſſimus, Blondelli diſcipulus, & deindè Collega, ſingulari libro oſtendit. Eſt & inter Reformatos ABRAHAMUS SCULTETUS, Theologus Heidelbergenſis, qui Friderici, Electoris Palatini,

creati

creati Bohemiæ Regis, Comes fuit, & '*Medullam Patrum* ſcripſit, ſed non niſi 4. priora ſecula abſolvit. Hoc in libro id agit, ut demonſtret, Patres non ſtare à Pontificiorum partibus, ſed omnem Proteſtantium & Reformatorum doctrinam in illis magis eſſe fundatam. Laudandus eſt & in hac parte Andr. Rivetus, cujus ſupra mentio eſt facta, qui ſex priora ſecula abſolvit. *Criticus* ejus *Sacer* ſeorſim eſt editus, & junctim cum *Operibus* ceteris. Vir fuit doctiſſimus, & judicii præclari. Quod illi in Patribus fecerunt, hoc in Scholaſticis, & eorum Principe, J. Georg. Dorscheus fecit, cujus exſtat *Thomas Confeſſor*, ubi oſtendit, doctrinam Proteſtantium è Thomæ Aquinatis Scriptis poſſe probari. Idem in animo habuit ſimile Opus è Jure Canonico, quod credo affectum apud Hæredes latet, ſed lucem non vidit, illo præmortuo. Non omittendus hîc Matthiæ Flacii *Catalogus Teſtium veritatis*, ubi colliguntur Teſtimonia dogmatum fidei. Aliquoties editus eſt Baſileæ & Francofurti. Auctaria, & quædam Notæ ſuper illum ſunt ſcriptæ à J. Conrado Dieterico, Prof. Gieſſeno, Francof. A. 1666. *in 4to.* Eſt quidam è Pontificiis Guilh. Eiſengreinius, qui huic *Catalogo* alium oppoſuit, quo conatur illa Teſtimonia, ad Pontificiorum dogmata ſtabilienda, reducere, ſed nullius eſt pretii, ſi cum Flacii *Catalogo* conferatur. Sed tamen eſt eo laudandus liber ille, quòd multa illic occurrant è non editis Scriptoribus excerpta.

Controversiarum cum Pontificiis *Synopſin* Joh. Meiſnerus ſcripſit, cujus Viri pauca ſunt ſcripta, eximia tamen, & multâ eruditione referta, quod teſtantur omnia, quæ ab illo hactenus ſunt edita. Idem ſcripſit *de Perſecutionibus & Martyriis veteris Eccleſiæ, de jure eligendi Pontificem Romanum, de Tyrannicidio*, & aliis quibusdam argumentis. Joh. Forbeſius, Theologus Scotus, *Inſtructiones Hiſtorico-Theologicas* edidit, doctum Opus, quò continentur Controverſiæ Pontificiæ non ſolùm, ſed & aliæ, Amſtelod. A. 1645. *in folio*, eſtque inde Epitome quædam concinnata *in 8vo.* *Sedanenſium Diſputationum* Volumen etiam hic memorandum eſt, quo continentur Controverſiæ præcipuæ, quæ Reformatis cum Pontificiis intercedunt. Quod ſpecialia dogmata attinet, multi ſunt Autores, qui ea ſingularibus libris impugnârunt. Doctrinam *de Juſtificatione* Henr. Höpfnerus, Theologus Lipſienſis, Vir doctiſſimus, pertractavit, cujus ſcriptorum, antehac editorum, maxima pars nuper eſt recuſa. Doctrinam de *Transſubſtantiatione* impugnavit è Reformatis Edmundus Albertinus ſingulari Opere, Daventriæ excuſo. Valdè exagitantur Pontificii hoc Opere, nec facilè invenient, quod opponant. Idem Argumentum contra Pontificios Claudius Salmaſius, ſub ficto Simplicii Verini nomine tractavit, ac nemo facilè eſt inter noſtros, qui non idem datâ occaſione faciat. Salmaſii *Epiſtola, ad Juſtum Pacium ſcripta, de Libro Hug. Grotii poſthumo, de Euchariſtiâ*, prodiit *in 8vo*, Hagiopoli A. 1646. & alter ejus *lib. de Transſubſtantiatione*, contra Grotium A. 1646, eod. in loco, *in 8vo* Sed illi quidem ita tractant hanc controverſiam, ut ſimul Doctrinam Lutheranorum infringere conentur. Facit hoc Edmundus Albertinus, cui hactenus non ſcio à quo-

quam eſſe reſponſum. (*p*) Idem & Salmaſius facit, & argumentorum Philoſophicorum & Theologicorum non magnus Declarator. Occupatus quoque in illo eſt David Blondellus in libro Gallicè ſcripto, cui Tit. *Eſclairriſſement familiaire de l' Euchariſtie*, A. 1641. *in 8vo*. Pariſiis edito. Phil. Mornæus etiam magnum Opus *de Euchariſtiâ* ſcripſit. Doctrina de Imaginum cultu doctiſſimè diſcuſſa eſt à Joh. Dallæo, Viro antiquitatum peritiſſimo, cujus prodiit *de Imaginum cultu lib.*, & ex intimâ antiquitate Eccleſiaſticâ productis argumentis, ſimulque à ratione & naturâ deſumptis, pugnat. Laudandus hìc eſt etiam Lambertus Veldhuſius, qui *de Idololatriâ, & ſuperſtitione* ſcripſit *libellum*, qui reperitur inter cetera ejus Opera, junctim edita. Solent autem hoc in argumento Reformati præ ceteris eſſe moroſiores, & omnium acerrimè contra Pontificios diſputant, à quo rigore paululum remittere videtur Veldhuſius, unde Synedrium Belgicum Ultrajectinum habuit quædam, quæ in hunc ejus Tractatum animadverteret. Sed reſpondit illis Autor peculiari Apologiâ, quæ *Tractatui de Idololatriâ* eſt addita. Doctrinam Pontificiorum *de Sacramentis*, in quibus fingendis illi admodum liberales ſunt, Joh. Dallæus quoque adortus eſt *in lib. de, Confirmatione, & extremâ Unctione.*

30 Et his quidem Autoribus felicius uti poſſumus, quàm aliis, qui non iſtam afferunt ad ſua argumenta doctrinam. Promptius contra Pontificios quis pugnat, ſi quis illos in domo ſuâ adoriatur, in illâ ipſâ ſc. Hiſtoriâ de ANTIQUITATE ECCLESIASTICA. Illâ enim præ ceteris turgent, & triumphos ſibi ducere videntur. Sed fuêre his temporibus è Reformatis (neque enim denegari illis laus iſta poteſt,) qui faſtum illorum valde retuderunt libris editis doctiſſimis. Optandum eſſet, ut & noſtri Doctores antiquitates illas majori curâ tractarent. Certè quicquid Caſaubonus, Blondellus, Dallæus, aliique his ſimiles, ediderunt, in lucem omnium poni meretur. Poterant hìc multò plura adferri, ſed pleraque notiſſima ſunt, quæ communiter ſcribi diſputarique ſolent. Habuimus, ante XX circiter annos, J. GEORG. DORSCHEUM inter noſtros, Virum ſanè omni armaturæ genere inſtructum, quô inſtrui debent, qui ſacra

hæc

(*p*) Edmundi Albertini, Eccleſiæ Pariſienſis Reformatæ Paſtoris, *Opus de Euchariſtiâ, Libris III.* (quorum Primus Reformatorum ſententiam argumentis aſtruit, contrariam ſimul, tàm Pontificiorum, quàm Lutheranorum, doctrinas impugnans, Secundus Patrum omnis ævi teſtimoniis eandem confirmare laborat, ac Tertius tandem Certaminum Euchariſticorum exponit Hiſtoriam) comprehenſum, Daventriæ A. 1654. *in fol.* edidit Joh. Frid. Gronovius, Criticus & Philologus excellens, tranſitum ſuum à Lutheranis ad Reformatos hac ratione, ni fallor, ſignificaturus pariter atque defenſurus. Lutheranorum doctrinæ Hyperaſpiſtes adverſus Albertinum mihi etiam nullus hactenùs innotuit, præter Fridemannum Bechmannum, Theologum Jenenſem, cujus brevis *Diſputatio de Verbis Inſtitutionis Cœnæ Dominicæ, contra Edm. Albertinum, Inauguralis,* Præſide D. Seb. Niemanno propoſita, Jenæ 1668. *in 4to* prodiit, A. 1697. ibid. recuſa. De Claud. Salmaſii Schediasmatis duobus Anti-Grotianis, ad Juſtum Pacium, ſub larva *Simplicii Verini,* Hagiopoli (ſive Leidæ) A. 1646. editis, Confer Vinc. Placcii *Tr. de Scr. Anon. & Pſeudon. p. 257. 258.* Priori reſponſum eſt, ſub *Juſti Pacii* nomine, à Scriptore quodam Pontificio, *in Reviſione Judicii, ſive Reſponſoria ad Epiſtolam Simplicii Verini de Libro Hug. Grotii poſthumo,* Dicæarchiæ A. 1647. *in 8vo* impreſſa.

hæc bella meditantur. Ejus Opera edita penè Bibliothecam efficiunt. Totus eorum Catalogus recenſetur in ejus *Programmate funerali*, unde excerpſit, & ſuum in *Templum Honoris* repoſuit Theoph. Spizelius, qui Vitas Theologorum Proteſtantium congeſſit, uti & Henningius Witte in *Theologorum Memoriis*. Multa Dorſcheus ſcripſit contra Pontificios, *in Anti-Cornæo ſuo*, & aliis ſpecialibus libris, contra Calvinianos verò *in lib. de Gratiâ*. Scripſit & *in Articulos A. C. nonnullos*, quæ omnia ſunt ſeleɛtiſſima, ac doctiſſima.

Apud Pontificios Sectæ quoque ortæ fuêre Janseniſtarum & Anti-Jeſuiticarum. 31
Janſeniſtæ ab Epiſcopo Iprenſi, *Cornel. Janſenio*, dicuntur, qui, in libro ſuo poſthumo, qui *Auguſtinus* inſcribitur, occaſionem huic liti dedit, ex lectione aſſiduâ Auguſtini. Aliquot Articulos de gratiâ & prædeſtinatione, Calvinianum aliquid ſpirantes, defendit. Res in aperta diſſidia erupit, fueruntque ab utraque parte libri atroces ſcripti. Defendebant Janſenii partes Sorboniſtæ Pariſienſes, quibus non adeò religioſa fuit Pontificis veneratio. Janſeniſtæ Scholaſticam Jeſuitarum Theologiam Pelagianiſmi, hi Janſeniſtas Prædeſtinatianiſmi & Calvinianiſmi accuſabant. (q) Cauſam Janſeniſtarum inter alios Dion. Petavius egit. *Anti-Jeſuitas* voco, qui Jeſuitarum Doctrinam Moralem, & Theologiam Caſualem, ut impiam, blaſphemam, legibusque divinis & humanis adverſam, damnabant, quibus ipſe poſtea Pontifex aſſenſit, cujus juſſu magnus iſtarum quisquiliarum cumulus confixus, publiceque damnatus eſt. Scripta Satyrica in Pontificios multa ſunt. Ingenioſum eſt, quod Germanicè editum eſt, (r) der Römiſche Bienenkorb / ut & aliud von der Eſel-Monarchie. Eſt & Gallicè ſcriptus liber à quodam, qui ſe vocat Frangidelphum, cui Tit. *Hiſtoire de la mappe-monde Papiſtique*, ubi ſub formâ provinciarum & Itinerarii deſcribuntur & exagitantur Pontificia dogmata, Anno 1567. Sunt & Bernhardini Ochini *Apologi*, quibus valdè exagitantur Pontifices, Clerici, & Monachi. Sed firmiora ſolidioraque tela nobis ſunt, quàm ut tàm imbellibus, & minus honeſtis, contra illos pugnemus.

Procedimus hinc ad Calvinianos, quorum doctrinæ capita in Epitome propo- 32
nit J. Andr. Boſius, *in Diſſertatione ſupra laudatâ p 14*. Eorum non eſt unum idemque genus. Nam eodem tempore, quo Janſeniſtica eſt controverſia orta, inter Moſen-

(q) Falſò hîc traditur, Dion. Petavium cauſam egiſſe Janſeniſtarum, cùm illam potius, tùm in *Dogmatis Theologicis* (diſſimulato licet Janſenii nomine,) tùm in Scriptis aliis, præſertim *Diſſertationibus de Concilii Tridentini Interpretatione è mente S. Auguſtini*, acriter impugnaverit, & inter Jeſuitas, quorum tota Societas hoſtili in Janſeniſtas ſemper hactenus fuit animo, eminuerit. Nec de toto Sorboniſtarum Collegio rectè dicitur, eos Janſenii partes defendiſſe, cùm haud pauci, inde ab initio certaminis, diverſa ſenſerint, & moderni inprimis maximam partem cauſæ illius, vel adverſentur, vel patrocinium denegent.

(r) De *Apiario Romano*, per Phil. Marnixium, Nobilem Belgam, ſub *Jeſuwaldi Piccarti* nomine fictitio, Belgicè edito, deindè verò ab alio in Linguam Germ. converſo, & paſſim interpolato, Chriſlingæque A. 1586. *in 8vo* denuo publicato, vid. Vinc. Placcii *Tr. de Script. Anon. & Pſeudon. p. 240. 241.*

ſen Amyraldum, & Claudium Teſtardum, Fridericum item Spanhemium Sen., Andr. Rivetum & Petrum Molinæum, ſuper decreto prædeſtinationis, & decretorum divinorum naturâ ac immutabilitate, lis orta eſt. Differentiam dogmatum illorum, & partis utriusque Hyperaſpiſtas, recenſet Boſius, ut non opus ſit, quicquam à nobis addi. Ratione externorum rituum, ceremoniarum, & adminiſtrationis Eccleſiaſticæ, magnæ fuêre in Angliâ turbæ, ubi infelicia illa & fatalia diſſidia diffundebantur. Ipſis etiam Batavis & Gallis Theologis non ſatis inter ſe conveniebat, quibusdam pro Epiſcopalibus, aliis pro Presbyterariis, cauſam decidentibus. Ceterùm Statum Eccleſiæ Reformatorum in Angliâ, cunctaque diſſidia & dogmata, nemo luculentius ob oculos ponit, quàm *Honorius Reggius* (id eſt, Georgius Hornius) *de Statu Eccleſiæ Britannicæ hodierno*, Dantiſci A. 1648. Doctrinæ capita Calviniſtarum à *Marco Frid. Wendelino* breviter ſunt propoſita, ſed tamen non ſine judicio & acumine, quod in hoc libro magis, quàm in ceteris ejus libris Philoſophicis, apparet. Hactenus non niſi carptim tactus eſt à noſtratibus. (*s*) Dominus D. *Chriſtoph. Franckius*, ut audio, nunc ejus refutationem molitur, ſicut & Sam. Mareſii *Syſtematis Theologici.* E noſtris Juſtus Feuerbornius *Synopſin Errorum Calvinianorum* edidit. Qui è Reformatis contra Pontificios ſcripſêre, jam ſupra nobis indicati ſunt, qui & aliquâ ex parte rem noſtram tuentur. *Nicolaus Vedelius*, cujus ſupra mentionem fecimus, multa ſcripſit præclara, ſed in nonnullis à Reformatis recedit. Exorti etiam inter illos fuêre ARMINIANI, à *Jac. Arminio*, Theologo, ſic dicti, cui magnificum ſcripſit Epitaphium Hugo Grotius, quod reperitur inter ejus *Poëmata*. De eorum dogmatibus in Compendio agit Boſius *p. 24. Arcana Arminianiſmi* Nicol. Vedelius edidit, *Anatomen Arminianiſmi* Petrus Molinæus, *Conſiderationem Armi-*

[illegible] *nianiſmi*

(*s*) Prodierunt jam Kilonii A. 1687. *in 4to*, quarum Editionis ſpes *h. l.* eſt facta, D. Chriſtoph. Franckii, Theologi Kilonienſis cordatiſſimi, (hoc ipſo A. 1704. defuncti) *Exercitationes X. Anti-Wendelinianæ, de præcipuis inter Eccleſias Lutheranas & Reformatas Controverſiis, Marci Frid. Wendelini Theologiæ Chriſtianæ, & Exercitationibus Theologicis Vindicibus, pro illâ, adverſus D. Joh. Gerhardi Collegium Theologicum Anti-Wendelinianum ſcriptis, oppoſitæ.* Remonſtrantium Doctrinam idem impugnavit, non ſolùm in *Specimine*, quod *h. l.* allegatur, *Controverſiarum cum illis*, unicum tantùm de S. Scripturâ Articulum diſcutiente, & A. jam 1673. Kilonii *in 4to* edito, ſed & in *Exercitationibus* (quibus & *Specimen* iſtud Appendicis loco acceſſit) *Anti-Limburchianis, de præcipuis inter Lutheranos & Remonſtrantes Controverſiis*, Philippi à Limburg, Remonſtrantium modernorum apud Amſtelodamenſes Promachi, *Theologiæ Chriſtianæ* oppoſitis, Kiloniique A. 1694. *in 4to* excuſis. Quæ Scripta Elenchtica τοῦ μακαρίτου, Theologi non doctiſſimi ſolùm, ſed & judicioſiſſimi atque moderatiſſimi, πολλῶν ἄλλων ἀντάξια, vel ideò ſunt commendanda, quòd, ſequeſtratâ omni autoritate humanâ, tela contra Adverſarios, ex ſolo S. Codicis ſanæque rationis armamentario, nec ſine accurato delectu, deprompſerit, & hoc pacto, ſoli, quæ tractatur, rei arctiſſimè inhærens, omnibusque, & in Sectas, & in illarum Doctores, conviciis & ſcommatis abſtinens, planiſſimam Controverſias Sacras decidendi ac terminandi viam oſtenderit.

nianiſmi Abr. Calovius, Witeb. 1657. Edidit & Dominus D. Chriſtoph. Franckius *Specimen Controverſiarum, quæ Lutheranis cum Remonſtrantibus intercedunt.*

Socinianorum, & Novorum Arrianorum, uti ſolent dici, ſeu Neophotinia- 33
norum, dogmata propoſita vide apud Boſium. *Diſputationem de Ortu & Progreſſu* Arrianismi Joh. Meiſnerus ſcripſit, *Hiſtoriam* item *Arrianiſmi* Joh. Frid. Königius, Gryphisw. A. 1654. Notandum hîc, exſtare in Gudianâ Bibliothecâ *Apologiam* Photini, Græcâ Linguâ ſcriptam, quæ nunquam edita fuit. *Socinianiſmum profligatum* Joh. Hornbeckius ſcripſit, Samuel verò Mareſius edidit *Anti-Volkelium*, ubi contra Joh. Volkelium defendit Religionem Reformatorum. Noſtro tempore Chriſtoph. Sandius, cujus exſtat *H. E. nucleus, & Paradoxicæ Explicationes in Evangelia*, paſſim hæreſin ſuam inculcavit. (*t*) *Corpus omnium Socinianorum Scriptorum* editum eſt aliquot Tomis *in fol.*, Amſtelodami, diſſimulato licet loco, quo continentur omnia Socinianorum hactenus edita Scripta, quibus tamen poſt hoc tempus alia acceſſerunt. Noviſſimè prodierunt *Chriſt. Liberii cujusd. Epiſtolæ*, quibus doctrina Socinianorum paſſim proponitur, & propugnatur, de quo & *T. I. Lib. I.* egimus. Abſolutiſſimum Scriptorum Socinianorum Catalogum dedit Sev. Walth. Sluterus *in Propylæo Hiſtoriæ Chriſtianæ*, à *p. 186. ad pag. 207.*, quem ipſi conſignaverat Chriſtoph. Sandius, ſatis illorum notitiâ inſtructus. Plerique illorum libri ſunt Belgicè redditi, ac vidi ego Amſtelod. Bibliopolium totum Socinianum, merisque Socinianorum libris, in Linguam Belgicam converſis, conſtans. Hugo Grotius ſub extremum vitæ ſuæ Socinianismo infectus eſſe creditur à Martino Ruaro, Dithmarſo, cetera Viro docto. (*u*) Ejus Ruari *Epiſtolarum Centuria* Amſtelod. A. 1677. *in 8vo.* edita eſt, ubi habentur Epiſtolæ multæ, tàm Socinianorum, quàm noſtrorum quoque Theologorum. Multæ etiam ſunt illic Epiſtolæ Grotianæ, & plurima, ad Hiſtoriam Socinianiſmi ſpectantia.

(*t*) *Bibliotheca Fratrum Polonorum, quos Unitarios vocant,* Irenopoli (ſive Amſtelodami) A. 1668. Tomis compluribus *in fol.* publicata, non continet, uti Morhofius credidit, ſcripta Socinianorum omnia, ad id usque tempus edita, ſed ſola Fauſti Socini, Joh. Crellii, Jonæ Schlichtingii, Joh. Ludov. Wolzogenii & Andr. Wiſſovvatii, Opera, & Schlichtingii quidem ac Wiſſovvatii non niſi Exegetica. Seriem illorum ac Ordinem, ſub Autorum ſingulorum nominibus exhibet, Chriſtoph. Sandii Junioris *Bibliotheca Anti-Trinitariorum poſthuma,* ſive Catalogus ſingulorum hujus Sectæ Scriptorum Vitas ac Opera recenſens, Freiſtadii (h. e. Amſtelodami) A. 1684. *in 8vo* à B. W. (Benedicto, ni fallor, Wiſſovvatio, per quem auctus eſt atque interpolatus) in lucem editus, longè certè locupletior & accuratior Indice ejusdem Sandii compendiario, per Sev. Wath. Sluterum publicato, quem Morhofius *h. l.* ceu *abſolutiſſimum*, perperam commendavit.

(*u*) Mart. Ruarus (de cujus vitâ ac ſcriptis *in Cimbriâ Literatâ* fuſius commentabimur) non Dithmarſus fuit, velut ab Autore, & *h. l.*, & *T. I. Polyhiſt., L. I., c. 24. §. 102.* eſt traditum, ſed Crempenſis Stormarſus, ac Petri, Scholæ Oppidi iſtius Rectoris, Filius. *Centuriam Epiſtolorum* ejus *priorem*, A. 1677. editam, quæ Morhofio ſola innotuit, quadriennio pòſt ſecuta eſt *poſterior*, à Davide Filio Amſtelodami A. 1681. *in 8vo* publicata.

34 Anabaptistarum diſcrimina, & dogmata, vide apud *Boſium*. Ceterùm quicquid illorum ſpectat Hiſtoriam, *Joh. Henr. Ottius, in Annalibus Anabaptiſticis*, A. 1672. editis *in 4to.*, pleniſſimè propoſuit, ubi ſimul omnem Enthuſiaſtarum progeniem recenſet. Ille ſanè Liber ad Hiſtoriam iſtorum hominum unicè commendandus eſt. Dogmata Anabaptiſtica qui refutârunt, vide apud *Boſium*.

35 Chiliastarum non tàm peculiaris eſt Secta, quàm opinio certa, per omnes penè Religiones, de mille Annis Apocalypticis, diffuſa. Ejus *Hiſtoria* copioſe propoſita in Diſputatione quadam Ad. Tribbechovii. Scripſit & Samuel Mareſius *Chiliaſmum enervatum.* Qui verò Chiliaſmum defendunt, plurimi ſanè ſunt. Pro illo Gallicè Pet. Serarius ſcripſit librum contra Moſen Amyraldum, A. 1657. *in 8vo.* Singularem etiam Tractatum pro illo ſcripſit Dan. Brenius, Socinianus, cujus etiam exſtant *Commentarii*, vel potius *Notæ in Biblia univerſa.* Julius Sperberus, in libro Germanico von den dreyen Seculis, idem defendit argumentum, & ultimum illud ſeculum Spiritus S. ſeculum vocat. Scripſit jam tùm A. 1622. Andr. ab Hobernfeld *Hieroſolyma reſtituta, ſeu ſeculum Spiritus S. igneum, ſub præſentis magnæ tribulationis quaternarii finem magno lumine ſuum accepturum initium, quo etiam minæ interitus beſtiæ Romanæ, & Mahumetiſmi, ad annum futurum 1624 ex Scripturâ S. recenſentur, ac deducuntur.* Verùm vana hæc ſunt & inania ſomnia.

36 Enthusiastæ varii ſunt generis, quibus an accenſeri Valentinus Weigelius debeat, aliqui dubitant. Verum tamen eſt, multos illum habuiſſe errores, licet Vir cetera pius fuerit. Ejus errores Nicolaus Hunnius ſingulari libro refutat. Summam ejus dogmatum Boſius *à p. 318. ad 323.* recenſet. Scripſit & Theodorus Thummius librum, cui Tit. *Impietas Weigeliana*, Tubingæ 1650. *in 4to.* Multos occupavit illorum hominum doctrina pietatis ſpecie, & affines ipſis ſunt Fratres Roseæ Crucis, de quibus libro peculiari egit Andr. Libavius. Defendit illos Michael Mayerus multis libris. Unus ex illis, Ægidius Gutmann, librum ſcripſit Germ., cui Tit: Offenbahrung der Göttl. Majeſtät / *in 4to.* ubi multa habentur paradoxa. Succeſſu temporis plures propullulârunt hujus farinæ homines. (*x*) Exortus eſt Jacobus Böhme, homo plebejus, ſed miri ac ſingularis ingenii, cujus exſtant tàm Theologica, quàm Philo-

(*x*) De Jac. Böhmio Autor, & *h. l.*, & alibi (*Tomo ſc. I, L. I. c. 10. §. 27. 28., & T. II., Lib. II., P. I., c. 3. §. 8.,*) benignius, quàm Theologi plerique, judicavit, Chymicorum, Scriptores hujus farinæ μυςικωτέρȣς obſcuriores adamantium atque exeuſantium, morem ſecutus. Operum Böhmii Germanicorum Editionem noviſſimam, ab Henrico Ammersbachio, niſi memoria fallit, *in 4to* curatam, in Germaniâ, non in Belgio, prodiiſſe, Typi oſtendunt. Sam. Pomarius, ex profeſſo, libroque peculiari, doctrinam ejus non refutavit, ſed in ſcripto tamen Anti-Gutmanniano vernaculo bipartito, publico Eccleſiaſtarum Lubecenſium, Hamburgenſium & Lüneburgenſium, nomine A. 1677. & 1679. edito (Abgenöhtige Lehr- und Schutzſchrifft gegen den Gutmanniſchen Offenbahrungs-Patron,) paſſim vellicavit. De Dav. Georgio, Joh. Labadio & Antonetta Bourignonia, horumque Sectis & Adverſariis, *Iſagoge* mea *ad Hiſt. Cimbr. P. II., Cap. V. & VI.*, Autoresque alii, iſtic allegati, poſſunt conſuli.

Philoſophica, plena abſtruſorum ſenſuumque Cabaliſticorum, de quibus quid dici debeat, non liquet. Lutheranæ Eccleſiæ membrum fuit, totiesque à Theologis noſtris in Examen vocatus ſic reſpondit, ut illum damnare non auſi ſint. Quæcunque ab illo ſunt ſcripta, videntur quaſi per Enthuſiaſmum ſcripta, nec diſſimulavit ipſe viſiones & ſomnia ſibi divinitus, ut dicebat, oblata. Cetera Vir erat pius, pacificus, nemini moleſtus, & quotidiano ſuo labore victitans. Scripſit *prophetias de temporibus ultimis* ineditas, de quibus mira dixerunt, qui eas legerunt. Attingit quæſtiones, tàm Theologicas, quàm Philoſophicas utiliſſimas. Synopſin doctrinæ ejus recenſet Henr. Morus in Operibus ſuis Philoſophicis, Latinè editis, qui damnare non audet Virum hunc. Scripſit inter alia *Reſponſiones ad 40. quæſtiones de animâ*, quas ipſi propoſuerat Medicus aliquis, qui ſe plus ab ipſo didiciſſe profitebatur, uno alteroque Colloquio, quàm longis per Orientem peregrinationibus. Dignæ illæ ſunt viſæ Joh. Angelio Werdenhagen, JCto, ut Latinè redderet, & notas ſuas adjiceret, qui liber eſt editus Amſtelod. A. 1632. *in 24.* ſub Tit. *Pſychologiæ veræ.* Nuper incidit in ejus ſcripta quidam Quirinus Kuhlmannus, Uratislavienſis, Juvenis ingenioſus, adeò iſtorum lectione ineſcatus, ut ſe totum Enthuſiaſmo tradiderit, ac ipſe librum ſcripſerit, cui Tit. Neu-begeiſterter Böhm. Scripſerat antea *Epiſtolas duas*, unam de arte Combinatoria, alteram de admirabilibus quibusdam inventis, ad Athan. Kircherum, qui ipſi etiam reſpondit, literæque ſunt ſimul editæ Lugd. Batav. A. 1674. *in 8.* Edidit & *Prodromum quinquennii mirabilis* Lugd. Batav. Ann. 1674. *in 8vo.* Ubi proponit nova ſua in re literariâ inventa. Nunc ille per terrarum orbem errat, ſuique ingenii homines ubique compellat. Scripſit & *Epiſtolas Londinenſes*, quarum Nona edita eſt, in quâ multa habentur prophetica de ultimis temporibus, Roterod. A. 1679. *in 12.* Doctrinam Böhmii, ejusque Clientum, nuperrimè refutandam ſuſcepit *Samuel Pomarius*, Superintend. Lubecenſis. Nunc Opera Böhmii junctim recuſa prodiiſſe in Bataviâ dicuntur. De David Joritis ſingulari libro D. Friedericus Jeſſenius, Paſtor Primarius Kilonienſis, egit, qui & Hiſtoriam Dav. Georgii deduxit, & doctrinam refutavit. Contra Indifferentes Moſes Amyraldus ſingularem librum ſcripſit, qui è Gallicâ Linguâ in Germanicam converſus prodiit Lipſ. A. 1667. *in 12.* Orientalium Chriſtianorum differentias & dogmata propoſuit Boſius *Diſſ. III. de Statu Europæ, Introductioni adjecta.* Multa poſſent huc alia referri. Noviſſimis enim his temporibus novi ſunt orti Errores, novæ Sectæ, uti *Labadiſtarum*, & eorum, qui *Antonettam de Bourignon* ſequuntur, de quibus libri editi omnibus ſunt cogniti. Nos hîc Autores Theologicos ſeponimus, & ad JCtos progredimur.

FINIS LIBRI QUINTI.

POLYHISTORIS TOMI III.

SIVE

POLYHISTORIS PRACTICI, LIBER VI. JURIDICUS, DE SCRIPTORIBUS JURIS.

SECT. I.

De Jurisprudentiæ Univerſalis Scriptoribus.

§. 1. Commendantur Juris Cultori Ethicæ & Politicæ Doctrina, & quidem Ariſtotelica, & Scriptorum de Juſtitiâ & Jure Scholaſticorum Lectio cum ſelectu inſtituenda. 2. Franc. Baconis Verulamii Cogitatorum de Jurisprudentiâ Univerſali imperfectio. Deſcriptio ejus. Judicia de Adoardi Gualandi Methodo Philoſophiæ Moralis ac Civilis, & Vinc. Turturetti Parallelis Ethico-Legalibus. 3. Nec non de Rob. Scharrockii & Sam. Pufendorffii Scriptis de Officiis 4. Thom. Hobbeſius, Novator in J. Nat., à Rich. Cumberlando dextrè confutatus. Julii Cæſaris Conatus de Jure in Artem redigendo fruſtranei. Juſtinianus malè de Jurisprudentiâ meritus. 5. Elogium Librorum Hug. Grotii de Jure Belli & Pacis. Judicia de Illuſtratoribus illorum, J. Frid. Gronovio, J. Henr. Bœclero, Caſp. Zieglero, Joh. Ad. Oſiandro, Joh. Feldeno, Th. Graswinckelio, Henr. Henningio, J. G. Simone, Sam. Rachelio, nec non de Guilh. Grotii, Mart. Schookii & Jani Klenkii, Libellis de Jure Naturali. 6. de Alberici item Gentilis Scriptis de Jure Belli, Joh. Seldeni verò, Joach. Hopperi, Sam. Pufendorffii, Dav. Mevii, Rich. Zouchei, Er. Mauritii, Franc. Jul. Chopii & Joh. Feldeni, de Jure Nat. & Gentium. 7. Commendantur Diod. Thuldeni & Chriſtoph. Ehemii de Principiis Juris Tractatus. 8. Lanx ſatura Scriptorum de Juræ Naturæ, argumentisque ejus Specialibus, Miſcellaneorum.

1 CUm Jurisprudentia propago ſit Ethices ac Politices, neceſſariò earum illi principia ſunt præmittenda; atque in his diſciplinis quaſi ſolum & fundus eſt hujus doctrinæ. Ut hîc principia jacta fuerint, ita omne erit, quod illis ſuperſtruetur. Genuini hîc & limpidiſſimi fontes turbidiſſimis lacunis ſunt præferendi. Quicquid Ariſtoteles, ejusque Interpretes, tradiderunt, pro fundamento ſubſterni

ſubſterni debet. Si quis enim ad heterodoxa nonnullorum Novatorum ſtatim in limine digreſſus fuerit, in errores infinitos paulatim prolabetur. Nolo hic repetere, quæ de doctrinâ morali ſupra nobis dicta ſunt, quorum non exigua pars Jurisprudentiæ etiam applicari poteſt. Dixi etiam de iis, qui è Scholaſticis argumentum *de Juſtitiâ & Jure* uberrimis Commentariis exſecuti ſunt Leonh. Leſſio, Ludov. Molina, Dominico Soto, aliisque, de quorum uſu ad Jurisprudentiam Univerſalem legi præterea etiam Grotius poteſt, & Commentator ejus, J. Henr. Bœclerus, ille *in Prolegomenis Operis de Jure Belli & Pacis*, hic *in Prolegomenis Commentarii ſuper illud Opus.* In iſtâ tamen librorum mole excutiendâ ita eſt verſandum, ut ea tantùm ſeponamus ex illis, quæ ſpectant ad officia hominum in ſocietate aliquâ civili conſtitutorum, & *ſpeciatim*, quæ ad Jurisprudentiam pertinent. Nam multa in iis pertractantur, quæ ſunt fori Theologici, aut quæ ſunt, ad oſtentandum ingenium, ſubtilius potius excogitata, quàm ut uſum aliquem in vitâ, & doctrinâ Civili, habeant.

Franc. Baco Verulamius, in ſuo *de Augmentis Scientiarum* Opere, inter deſiderata ponebat *Juſtitiæ Univerſalis doctrinam*, quam *lib. 8.* ejus *Operis* quibusdam Aphorismis proponit. Sed in iis nihil aliud invenimus, quàm cogitata quædam de Legibus ad certas Reipubl. formas attemperandis, non quidem illa contemnenda, ſed quæ tamen tàm vaſtum objectum non exhauriunt. Pertinent illa tantùm ad prudentiam Nomotheticam, quæ particula tantùm Jurisprudentiæ Univerſalis dici poteſt ac debet. Eſt itaque Jurisprudentia Univerſalis mixta quædam è Principiis Ethicis & Politicis diſciplina, è quibus deindè deducuntur illa, quæ ſpecialioris objecti ſunt. Neſcio, an tale quid in animo habuerit Adoardus Gualandus, Piſanus, Epiſcopus Cæſenas, qui librum ſcripſit, cui tit. *Moralis Philoſophiæ, ac totius facultatis Civilis, vera & abſoluta Methodus*, Romæ editum A. 1604. *in fol.* Latius ſanè extendit ſua objecta, quàm fit vulgò ab iis, qui diſciplinas has ſeorſim tractant. Non diffuſus eſt in illis, quæ ad juſtitiam pertinent, & ſe in quæſtiones ac theſes demittit Jurisprudentiæ, quæ practicæ diſciplinæ, ſeu Philoſophiæ, ſunt propiores. *Libri* ejus *octavus & nonus* de Juſtitiâ, Jure & Legibus agunt, in quibus confuſiora paululum videntur eſſe nonnulla & μικρόλογα. Qui *Parallela Ethica & Legalia* ſcripſit, *Vincentius Turturettus*, inter Locor. Comm. Scriptores potius eſt referendus, quàm eos, qui juſtâ methodo deducunt dogmata. 2

Lucem etiam Jurisprudentiæ Univerſali commendant *Scriptores* de *principiis Actionum Humanarum*, item qui de Officiis egerunt, de quibus ſupra diximus. Ad argumenta Juridica accommodatius illa tractavit Robertus Scharrockius, Anglus, qui ad Jus Naturæ totam hanc retulit doctrinam, quem in Germaniâ, cum *notis* ſuis recudi fecit Dominus D. Sam. Reyherus *in 12.* Sed ego quidem in Scharrockio non videor mihi deprehendere hoc argumento dignam ἀκρίβειαν. Multa enim miſcet digna indigna relatu, adeò ut & jejunam illam liticulam Theologorum Batavorum de *Capillorum habitu* non omiſerit, operoſè ab utraque parte adductis argumentis. Multa generalibus quibusdam Locis Comm. abſolvuntur. Adverſus Hobbeſium non 3

rarò diſputat. Accuratius paululum hoc in argumento verſatus eſt SAM. PUFFENDORFIUS, cujus exſtat libellus *de Officio Hominis & Civis, juxta legem naturalem*. Sed communiora illa ſunt omnia, unde quidem jurisprudentiæ lux accedere poteſt. Plurima tamen ex illis in actibus internis terminantur, aut ad eos externos actus referuntur, qui non æquè ad juſtas in civitate actiones pertinent. Accenſeri quoque illis poteſt ROB. SANDERSONIUS, cujus libellus *de obligatione in conſcientiâ* in Germaniâ eſt recuſus.

4 Si NOVATORES veſtigemus, THOM. HOBBESIUM habemus, qui, in libris ſuis civilis argumenti, profana & paradoxa principia poſuit, unde, quod deducit Naturæ jus, planè aliter formatum eſt, quàm quod ex ſanioris Philoſophiæ principiis extructum eſt. Hunc ſingulari refutavit Richardus Cumberlandus *Diſquiſ. de LL. Naturæ*, Lond. A. 1672. edita, diligenter legendus. Illud enim, quod eſt in Hobbeſio præcipuè ulcus, tangit, quo detecto, non eſt tantus à gangrænâ iſtâ in progreſſu juris metus. Neque enim dicam nunc de ceteris ejus, vel Antagoniſtis, vel Hyperaſpiſtis. Non enim facit ad noſtrum inſtitutum. De Jure in artem reducendo jam tùm Ciceronis tempore actum fuit, & hoc opus, quaſi triumphorum ſuorum appendicem, Jul. Cæſar affectabat, ſed nihil illo tempore actum eſt, neque quidem perfici tàm exiguo tempore poterat, & in tàm vaſtis JCtorum Voluminibus. Neque fuit poſt illa tempora, qui opus hoc aggredi auſus fuerit, quanquam varii fuerint Juris Juſtinianei Compilatores. Ne quid dicam de Juſtiniano ipſo, quem de totâ Jurisprudentiâ malè meritum eſſe, non è vulgo JCti autumant, quòd in Compendium, aut velut ad Locos Comm. redegerit JCtorum ſententias. De quâ re infra videbimus.

5 HUGO GROTIUS præcipuam Jurisprudentiæ partem, & quidem Univerſalis, attigit *in libris ſuis de Jure B. & P.*, ſed eam partem tàm præclarè nobis depinxit, ut nulli ſint poſt hunc Appellem, qui hanc tabulam ſe abſolvere poſſe confidant. Ac ſanè iſtâ in parte, de pace ac bello quæ agit, omnia poterat civitatis tempora & jura complecti. Frater ejus, *Guilielmus*, generalem de *principiis Juris naturalis* libellum ſcripſit, non quidem fratris Operi comparandum, ſed tamen non omninò ſpernendum, cùm hactenus neminem habeamus, qui doctrinam illam iſtâ brevitate complexus fuerit, cujus ille lineamenta duxit, licet ad expoliendum minus ingenii habuerit. In Hug. Grotii Opus certatim prodierunt Virorum doctorum Commentarii, ac nuper ipſius nova editio in Belgio data in lucem eſt, cum quibusdam *Diſſertt. & notis* Joh. Frid. Gronovii, quæ extemporales eſſe videntur, neque à Gronovio hunc in finem concinnatæ, ut lucem aliquandò adſpicerent. Poſt mortem ejus, ut ſolet fieri, conquiſitum eſt, tàm ab Hæredibus, quàm à Typographis, quicquid ejus nomen præfixum habet. Non pauca ſunt, in quibus ipſe diſſentit à Grotio, argumenta adverſus ipſum velut in aciem producens, ac tangit difficillimas nonnunquam quæſtiones, quorum omnium uſus eſſe poteſt non contemnendus in his argumentis verſanti. Cœpit in libros Grotii Commentarios edere J. Henr. Bœclerus, Vir ad

hæc ſtudia natus, ſed pervenit tantùm usque *ad VIImum Caput lib. II.* Aliqua iſtius Commentarii latitare apud Hæredes dicuntur, ſed, ut ego puto, inelaborata, quorum editionem, credo, omittent Hæredes, *ne turpiter atrum deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne.* Quoniam enim ipſe ultimam manum illis non addidit, vix ſperanda eſt tanta illorum ἀκρίβεια. Poſt illum plures hoc Opus ſunt adorti. Caſp. Ziegleri *notæ* breves ſunt quidem, ſed utilia tamen afferunt, præcipuè illa, in quibus vel illuſtratur Jus Commune, vel ab Autore diſceditur. In Theologorum etiam cenſuras incurrit, Joh. Ad. Oſiandri præprimis, qui ſingularem librum conſcripſit, quo impugnat illa, quæ heterodoxa videntur. Sed facilè eſt in illum lapidem impingere, cùm in alienæ religionis Scriptoribus ſemper inſidias metuamus. Scripſit & in Grotium *ſtricturas* Joh. Feldenus, quas datâ occaſione edidit olim Boeclerus. Refutavit has Theod. Graswinckelius, non dignus tamen tanti Viri Hyperaſpiſtes. Exſtat & Henr. Henningii *Commentarius* in Grotium, qui impetus magnos ad illam rem attulit. J. Georg. Simon eò utilis eſt, quòd coacervet Autorum vel conſentientium, vel diſſentientium, loca. Exſtat etiam Val. Velthemii in illum *Commentarius.* Promiſerat quoque *Martinus Schokius* quædam in illum, quæ tamen non viderunt lucem, ſed morte ejus ſunt intercepta. Dubito autem, an operæ pretium facturus fuiſſet, nam, quantum ex *Diſſertatione* ejus *de Jure naturali* colligere licet, operoſè quidem ſatis in hoc argumento, ſed non tanto cum delectu, verſatur. Erat enim illi plerumque extemporalis librorum ſcriptio, qualis profectò in tàm gravi argumento eſſe non debet. Videbimus etiam aliquando fortaſſis Domini Sam. Rachelii labores in Grotium. E Grotii Opere Epitomen aliquam confecit Janus Klenckius, qui libello exiguo titulum ſuſpendit magnificum, *Inſtitutionum J. naturalis & gentium*, nihil verò aliud agit in illo, quàm ut Grotii Pediſſequus methodo Erotematicâ, ſententias ejus in Compendium redactas, in uſum tyronum proponat. In Batavis primùm editus eſt liber, poſtea in Germaniâ recuſus Jenæ A. 1666. *in 12.*

Scripſerat ante Grotium Albericus Gentilis *libros tres de Jure belli*, duosque *de Jure Romanorum armorum*, doctos equidem & eruditos, nec è jure civili ſolùm, ſed & morali, & prudentiâ Civili, illuſtratos. Subtilius verò diſputavit, & altioribus è principiis eruit ſua Grotius, explicatius quoque omnia propoſuit, ut meritò illi palma præ Alberico debeatur. Æmulatus eſt Grotium Joh. Seldenus, cujus exſtat *de Jure naturæ & gentium, ex mente Hebræorum*, liber, in Germaniâ recuſus, in quo Jus naturale ad Juris Noachidarum capita reduxit. Specialius itaque, & ex unius gentis ſenſu, de Jure Naturæ Gentiumque hunc ſcripſit, cui addi debent ejusdem *de Synedriis Hebræorum*, & *de Uxore Hebraicâ* Libri. Joachimi Hopperi *Seduardus*, quem Herm. Conringius edidit, ceterique ejus libri, officinam hujus juris ſapere videntur. Philoſophicè certè tractat Jura Juſtinianea, non contemnendus quidem, ſed qui methodo Dialogiſticâ involvit & abſcondit ſententias, & neſcio quid interdum platoniſare mihi videtur. Samuel Puffendorffius denique hoc argumentum de jure Naturæ & Gentium ſpeciatim ſibi tractandum ſumſit. Ediderat

is antea *Elementa Jurisprudentiæ*, in quibus multa ſubtiliter diſputantur. Plurima ex illis mutata videas in ampliore *de jure naturæ & gentium* Commentario, in quo attentius rem ſuam agit, & in ipſa Jurisprudentiæ penetralia intimius ſe demittit, methodo quoque aliâ utitur. Sunt, qui illum Hobbeſii ſententias plus æquo ſequi opinantur; ſed tamen & ipſe ab Hobbeſio in plurimis diſſentit, ac profanas nonnullas ejus ſententias maſculè ſatis impugnat, inter quas & illa eſt de ſtatu naturæ ex lege. Sunt & è Theologis nonnulli, qui in illo Heterodoxa nonnulla reprehendunt, fuitque ipſi acris cum quibusdam decertatio. Primus certè eſt, qui hujus tituli librum in lucem edidit. Deſtinaverat quoque hoc argumentum curis ſuis DAV. MEVIUS. Affectum enim Opus habuit, cui titulum erat daturus *Jurisprudentiæ gentium*, ſed ultimam illi manum non admovit. Prodüt poſt obitum ejus liber, cui titulus: *Prodromus Jurisprudentiæ gentium Civilis* & *Communis*. Sunt quædam hîc generales Diſputt. de Origene & progreſſu Juris gentium primævo & ſecundario, de præceptis naturalibus ex naturâ derivatis, quibus Jurisprudentiæ hujus latifundium ſe exhauriri poſſe putat, & quædam alia de Juſtitiâ & Jurisprudentiâ, poteſtate Imperantium circa leges &c. Erat vir ille Legum Romanarum, atque hodierni Juris, peritiſſimus, adeoque huc potiſſimum reſpexit, neque ex tam ſublimibus principiis rem totam eruit. *De jure gentium miſcellaneas aliquas quæſtiones* ſcripſit RICHARDUS ZOUCHEUS, Anglus, in quibus methodus eſt nulla. Hiſtoriam juris naturalis, & præcipuorum ejus capitum, ad mentem Orientalium & Græcorum, brevi Specimine, ſed docto & ſpecioſo, delineavit ERICUS MAURITIUS, qui tamen, cum hîc viveret, *de jure naturæ* Commentarium pleniorem ſub manu habebat. FRANCISCUS JULIUS CHOPIUS ad duo Juris Capita, *Poteſtatem* ac *Obligationem*, omne jus deduxit, exemplis è Jure Rom. petitis, atque hunc ſuum conatum titulo *Philoſophiæ juris veræ* ornavit. Liber editus eſt Lipſiæ A. 1650. *in 4to.* Referendus tamen potius eſt ad illos, qui Jus Juſtinianeum novâ methodo propoſuerunt. JOH. FELDENI *Elementa Juris univerſi* ex jure ſpeciali Juſtinianeo exſtruunt Jurisprudentiam Univerſalem, quæ illuc propriè non ſpectat. Quorſum enim pertinet illa tàm prolixa tractatio de ſtatu Romanæ Reipubl., de Imperatoribus Romanis? ſi hæc ita miſcere velimus, omnia confundemus.

7 DIODORUS THULDENUS, Prof. Lovanienſis, *de principiis Jurisprudentiæ libros IV.* ſcripſit, in quibus, ex jure Juſtinianeo, generalia quædam de Juſtitiâ, Jurisprudentiâ, æquitate, ſummo Jure, Legibus XII. Tabularum, aliisque Juris Romani ſpeciebus, commentatur, potius ad Hiſtoricos juris, quàm ad hanc claſſem referendus. prodierunt Lovanii A. 1655. *in 8.* Omiſeram penè CHRISTOPH. EHEMII elegantem librum *de principiis Juris*, in quo ille multa copioſè de Jure ordinando diſputat, & conſilia potius ſuppeditat, quomodo Jurisprudentiæ Syſtema poſſit adornari.

8 Sunt & quidam *Autores*, qui in *univerſum* quædam de JURE NATURÆ & GENTIUM commentantur, non tamen ut Syſtematicè tractent, ſed ad ſpecialia deſcendant. Spectant huc Joh. Fridericus Hornius *de ſubjecto juris naturæ*; Hugo de Roy *de eo, quod juſtum eſt*; Samuelis Rachelii *Diſputt. variæ de jure naturæ & gentium.* Ne quid

quid dicam hîc de Theologis, qui ſuâ quadam ratione jus Naturæ proponunt, uti Joh. Ad. Oſiander in *Typo juris naturæ.* Legendus quoque eſt Joh. Ludov. Praſchius, Senator Ratisbonenſis, *in JCto vero & perſonato*, ubi multa de Jure univerſali hoc & Juſtinianeo. Si ad argumenta ſpecialia, quæ ex Jure hoc univerſali deducta ſunt, deſcendere velimus, magnum hîc poſſemus Catalogum illorum texere. Pertinent huc *Tractatus de dominio maris* Joh. Seldeni, Hug. Grotii, Theod. Graswinckelii, Palatii, Jacobi Gothofredi, Mart. Schookii, H. Grotii *Tractatus de Æquitate*, noviſſimæ Editioni Operis de J. B. & P. ſubnexus, Rich. Zoucheus *de Legati delinquentis Judice competente*, J. Henr. Bœcleri & Sam. Puffendorffii Diſſertationes de variis argumentis, Rob. Scharockius *de variis Incontinentiæ Speciebus*, H. Grotius *de Imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra*, Paulus Sarpius *de jure Aſylorum*, Radbodus Herm. Schelius *de Pace*, Petrus Muſæus *de Pœnis*, Jac. Thomaſii varia *de Latrocinio gentis ingentem, de Duellorum moralitate, de Juſtitiâ Belli Punici, de Statu ex lege naturali*, Albericus Gentilis *de Vi Civium in Principem ſemper injuſtâ*, Radbodi Herm. Schelii *Tractatus de jure Imperii*, ejusdem *Libertas publica, & de Tyrannicidio*, Caſp. Ziegleri *Exercitationes circa Regicidium Anglorum*, Joachimi Stephani *Demonſtrationes Politicæ*, Joh. Phil. Slevogt *de jure Retorſionis*, Jac. Thomaſius *de Oſtraciſmo*, Lamberti Veldhuſii *Tractatus de juſtitiâ divinâ & humanâ*, ejusdem *Tractatus de naturali pudore & dignitate hominis*, in quo agitur de Inceſtu, Scortatione, Conjugio, Adulterio, Polygamiâ, ac *Diſſertatione de principiis juſti & decori* (quæ omnia reperiuntur in *Operibus* ejus, Roterod. A. 1680. junctim editis,) Henr. Uffelmann *de ſermone, quo homo homini* obligatur, Cl. Salmaſii & Ioh. Cloppenburgii Controverſiæ *de re uſurariâ.* Hæc, & ſimilia, notatu digna ſunt, nam illuſtrant ſpeciales materias hujus argumenti,

Sect. II.

De Scriptoribus Juris Specialibus, & quidem certarum gentium.

§. 1. *Jus Hebræorum propoſuerunt & illuſtrarunt Moſes Maimonides, Joh. Seldenus, Guilh. Schickardus (à Cl. Salmaſio plagium paſſus,) J. C. Wagenſeilius, & Scriptores de Rep. Hebr., inter quos Pet. Cunæus eminet. 2. Anonymi Collatio Antiqua Legum Moſaicarum & Romanarum, & Joſuæ Arndii Manuale Legum Moſaicarum. 3. Jus Ægyptiorum Diod. Siculus, Joh. Lud. Praſchius & Athan. Kircherus. Leges variarum Gentium Hellanicus. 4. Jus Spartanorum (ab Ægyptiis derivatum) Nicol. Kragius. Jus Athenienſium Sam. Petitus, Cl. Salmaſius, Deſid. Heraldus, Ant. Thyſius, illuſtrarunt.*

1 INter gentes, quæ jus & leges certo ordine conſcripſerunt, primi procul dubio ſunt HEBRÆI. Hebraicum autem jus libris Moſis potiſſimum continetur. Ejus juris partitio variè, tùm à Chriſtianis, tùm Rabbinis, inſtituitur. Ioh. Seldenus occupavit hoc argumentum *in libro de jure naturæ & gentium, juxta diſciplinam Hebræorum*, cujus præterea alii quoque exſtant libri, v. g. *Uxor Hebræa, Tr. de ſucceſſionibus, &c.* (*a*) Inter Rabbinos fertur à Moſe Maimonide (qui primus ineptire deſiit inter Rabbinos) collectum eſſe totum Iuris Hebræi Corpus, quod nondum in Linguam Lat. converſum poſſedit I. Henr. Hottingerus, teſte Mauritio *de principiis Juris publici, c. 3. n. 24.* Quæ ad leges forenſes Hebræorum pertinent, illa Ioh. Seldenus *in libb. de Synedriis* potiſſimum tractavit. (*α*) *Jus Hebræorum Regium* ſingulari libro perſecutus eſt præſtantiſſimus Guilh. Schickardus, unde multa cepit Salmaſius, cùm adverſus Ioh. Miltonum diſputaret, licet illud altè diſſimulet. Vir ille fuit in Hebræarum antiquitatum cognitione verſatiſſimus, ut oſtendunt Scripta ejus edita, inedita verò tranſiiſſe in Regis Galliæ Bibliothecam dicuntur. Politiam Iudaicam ſingularibus libb. deſcribunt, Car. Sigonius, Ioh. Steph. Menochius, Bonav. Corn. Bertramus, Pet. Cunæus, qui & ICtus, rei literaturæque Hebraicæ peritiſſimus fuit. Plurima autem, ut ipſe fatetur, ex Moſe Maimonide deſumſit, ac fuit ſanè libellus ille multis adjumento, argumentum hoc magno cum apparatu tractantibus. Jura Pontificum & Sacerdotum Hebræorum Joh. Seldenus ſingulari quoque libro deduxit. Quæ ad jus repudii & matrimonii ſpectant, Joh. Seldenus attigit *in Uxore Hebræâ*; Joh. Chriſtoph. Wagenſeilius verò Prof. Altorfienſis, plenius hoc argumentum deduxit *in Commentario ſuo ſuper librum Sota de Uxore adulterâ*, cui fortaſſis plura adhuc in Judaicis rebus aliquando debebimus.

2 LEGES ipſæ JUDÆORUM à Moſe traditæ ſunt in SS. Literis, unde rivulos ſuos pleræque gentes derivarunt, apud quas exſtant harum legum aliqua veſtigia. Suntque

(*a*) Corpus Juris Hebræi, Moſis Maimonidis, quod J. Henr. Hottingerum poſſediſſe Er. Mauritius teſtatur, eſt celebre illud Opus Quadripartitum, Venetiis A. 1574. *in fol.* excuſum, יד חוקה (*Manus Fortis,*) cujus Partium, Librorum & Sectionum ſingularum, Argumenta, cum Commentatoribus ejusdem Judaicis, Joh. Buxtorfius *in Biblioth. Rabbinicâ, p. 345-349.*, enumerat, laudes autem Mart. Geierus, *in Ep. Dedic. & Præf. Tr. de Luctu Hebr. nec non ipſo Tr. p. 3.*, Pet. Cunæus *L. I. de Rep. Hebr. c. 2. p. 11. 12.*, aliique decantant. Totum Latinè nondum prodiit; Librorum tamen aliquot & Sectionum Verſiones Ludov. Compeigne de Veil, Humphridus Prideaux, aliique, dederunt. Ex hoc Opere, aliisque Scriptoribus Rabbinicis, Hottingerus ipſe haud parum ſubſidii habuit, cùm *Juris Hebræorum Leges CCLXI., juxta νομοθεσίας Moſaicæ Ordinem atque Seriem digeſtas & ad Judæorum mentem, ductu R. Levi Barcelonitæ, propoſitas,* Tiguri A. 1655. *in 4to* publicaret; cujus Libri, nec à Mauritio, nec à Morhofio, ullam miror eſſe factam mentionem. Vid. de illo J. Henr. Heideggeri *Vitam Hottingeri, ad A. 1655.*

(*α*) Wilh. Schickardi *Jus Regium Hebræorum,* Argentinæ antehac A. 1625. *in 4to* editum, Notis ac Animadverſionibus prolixis & luculentis à ſe illuſtratum, Lipſiæ A. 1674. *in 4to* recudi curavit Joh. Bened. Carpzovius Jun. Theologus Lipſienſis.

que in ipſis Romanis Legibus non pauca inde deſumpta. (b) Exſtat *Moſaicarum & Romanarum Legum Collatio antiqua*, ex integris Vett. JCtorum Libris, ante tempora Juſtiniani, deſumpta. Incerti quidem Autoris, ſed magni pretii liber, quòd multa in illo inveniamus fragmenta Vett. JCtorum, quæ in *Corpore Juris* non reperiuntur. Edidit illam è Biblioth. ſuâ Pet. Pithæus cum *notis* ſuis, Heidelb. A. 1603. *in fol.* Similis argumenti Scriptum eſt *Manuale Legum Moſaicarum*, à Joſua Arndio ſcriptum, in quo Catalogum Legum recenſet 1. ex partitione Judæorum, 2. ex par-
titione Chriſtianorum. Parallela è Pentateucho loca adjicit. Specialia quædam ju- 31
rium Hebræorum nonnunquam attigerant Joh. Buxtorfius, Henr. Hottingerus, Aug. Varenius, Joh. Friſchmutius in variis Scriptis.

Ab Hebræis ad Ægyptios progredimur, gentem olim cultiſſimam, nam ab Hebræis ad illos veniſſe Leges veriſimile eſt, quanquam Joh. Marshamus, Eques Auratus Anglus, *in Canone ſuo Chronologico*, ab Ægyptiis ad Hebræos leges & ritus multos perveniſſe, exiſtimet, quæ ſententia neſcio quid profani habet. Ægyptiarum legum Diodorus Siculus *in Bibliothecâ* non paucas recenſet. Si ſupereſſent, quæ Hellanicus *περὶ νομικῶν βαρβαρικῶν, de legibus & moribus Barbarorum* ſcripſit, fortaſſis & plura de aliis gentibus teneremus. Leges Ægyptiorum, ex Diodoro Siculo, peculiari Diſſertatione explicuit, & earum rationes prolixè inquiſivit, Joh. Ludov. Praſchius, Argentor. A. 1657. Legi etiam poteſt Athan. Kircherus *in Oedipo Ægyptiaco, parte illâ, quæ de Rep. agit.*

Ab Ægyptiis ad Græcos, ut omnis pervenit ſapientia, ita & Prudentia civilis, & uberrimi ejus fructus, bonæ leges, quas ab illis petiêre Legislatores Græcorum, uti multa indicia ſunt tàm in Spartanæ, quàm Atticæ gentis legibus. Nam ex illis habemus aliqua fragmenta, unde poſtea Gens Romana non pauca mutuata eſt, in jure gentis ſuæ conſtituendo. Spartanorum quidem leges comprehenſæ certo libro non ſunt, ſed earum tamen lacinias aliquas collegit Nicolaus Kragius *in Rep. Lacedæmoniorum.* Si quis conferat leges illas cum Ægyptiis, exactè ſibi reſpondere ani-
madvertet. Celebre inter Græcos Athenienſium Jus eſt, cujus plura adhuc ſuperſunt 32
fragmenta, tùm in Hiſtoricis Græcorum, tùm in Oratoribus. Jus verò Athenienſium Civile è Legibus & Plebiſcitis maximam partem conſtabat. Senatus-Conſulta, niſi accederet Populi auctoritas, annua tantùm erant, quamdiu ſcil. harum Legum Latores Reipubl. præeſſent. Eas Leges, ex Hiſtoricis & Oratoribus, ſub titulis ſuis, peculiari Corpore collegit Samuel Petitus, & *Commentario* doctiſſimo illuſtravit, quod Opus Pariſ. A. 1635. *in fol.* prodiit, *in 8.* libb. diſtinctum. Poſt illum Juris

(b) *Collationis Legum Moſaicarum & Romanarum* Antiquæ Autor fuiſſe perhibetur Licinius Rufinus, non JCtus ille Alex. Severo, Imperatori, coævus (quocum Noſter à Joh. Bertrando, *Lib. I. de Juriſperitis p. 180. 181. 182.*, confunditur,) ſed alter hujus nominis, duobus illo ſeculis Junior, incertum an JCtus, extra Controverſiam verò Chriſtianus. Vid. Jac. Gothofredi *Manule Juris, P. II., c. 2., §. 10., p. 59. 60. 61.*, Æg. Menagii *Amœnitates Jur. Civ. c. 7.*, & *Homonymoſcopiam* noſtram, *P. II. c. 4. §. 56., p. 402. 403.*

hujus capita nonnulla illuſtravit peculiaribus quibusdam libris Claud. Salmaſius, cui cum Deſiderio Heraldo lites multæ interceſſerunt circa nonnulla juris hujus capita. Ejus *Obſervationes ad jus Atticum, & Romanum*, & *miſcellæ defenſiones pro ſuis obſervationibus*, prodiêre Lugd. Bat. A. 1644. & 45. *in 4.*, Heraldi verò *Jus Atticum cum Romano collatum in fol.* Pariſiis. Conferri poſſent cum his Scriptoribus illi, qui Remp. Atticam deſcripſerunt, Guilh. Poſtellus & Ant. Thyſius, qui brevem aliquam & compendiariam *Juris Attici & Romani comparationem* inſtituit.

SECT. III.

De Libris & Scriptoribus Juris Romani, & quidem illis, qui in Veterem Jurisprudentiam ſunt commentati.

§. 1. Legum Regiarum Fragmenta, à variis Viris doctis collecta & illuſtrata. Laudatur Diſſ. Joh. Seldeni ad Fletam. 2. Leges XII. Tabularum. Editores illarum & Commentatores, inter quos Conr. Rittershuſius & Jac. Gothofredus præſertim extolluntur, hujusque Fontes quatuor Juris Civ. commendantur. 3. Fori Veteris Romani Proceſſum ac Solennia Guilh. Budæus, Formulas Barn. Briſſonius, expoſuit. 4. Leges poſt. XII. Tabb. latæ ac receptæ. Hiſtoriæ Legum Romanarum Scriptores. Collectores earundem, Ludov. Charondas, & hoc accuratior Ant. Auguſtinus. 5. J. Wolfg. Freymonii Symphoniæ Jur Utr. Chronologicæ, Joh. Bertrandi Libri de JCtis Vett., & Jac. Labitti Indicis Legum Rom., Encomia. 6. Laus Cod. Theodoſiani à Jac. Gothofredo editi ac illuſtrati. 7. Autores, qui, vel unius JCti Leges omnes, vel ex illuſtrioribus ſingulas, ſeorſim explanarunt. Laus Frid. Brummeri. Nummorum, Inſcriptionum, & Autorum Criticorum, in Legibus explicandis uſus. 8. Edicta Prætorum Romanorum annua. Edictum perpetuum Salvii Juliani. Fragmenta hujus collecta & illuſtrata ab Egvin. Barone, Franc. Ranchino, ac præſertim Jac. Gothofredo. Ejusd. Gothofredi Comm. in Regulas Juris laudatur. 9. Rubricæ Legum probè attendendæ. Pauli Sarpii Peritia Juris Canonici. Dav. Blondelli Pſeudo-Iſidorus, Juri Can. oppoſitus, ἐν παρόδῳ laudatur. 10. Sectæ Veterum JCtorum. Scripta de iſtis edita Chr. Ott. à Böckeln & Pet Veleſci, affectum Chriſtoph. Ehemii. 11. Jac. Gothofredi Corpus Antiqq. Rom., è Libris Juris promiſſum.

1 Sub initium Reip. Romanæ, cùm *Reges* rerum potirentur, variæ *leges* ſunt latæ, quæ à Sexto Papirio in unum corpus olim collectæ fuerunt. Illæ verò ad noſtra tempora non pervenêre. Superſunt tamen aliqua fragmenta, quæ Antonius Auguſtinus, Ant. Contius, Franc. Balduinus, Fulvius Urſinus, Pandulphus Pratejus, Franc. Modius, Paulus Manutius, Juſtus Lipſius, collegerunt. E quibus

bus diligentiæ laudem præcipuam Urſino adſcribit Joh. Seldenus in *Diſſertatione ad Fletam* (Fleta eſt jus Anglicum, liber paucis admodum notus,) libro elegantiſſimo, quo Juris Romani Juſtinianei Hiſtoriam breviter & doctè proponit. Balduinus XVIII. Romuli Leges ſe habere, ex columnâ quadam, Romæ in Capitolio olim erectâ, affirmat, quod an vero conſentaneum ſit, dubitârunt Eruditi. Exſtant Romuli, Numæ, & Servii Tulli Leges cum aliis quibusdam, quarum capita recenſet Dionyſ. Halicarnaſſæus, *l. 3. c. 5. in fine*, & ex illo fuſius explicat Chriſtoph. Adamus Rupertus in doctiſſimo illo *Commentario*, quem in *Enchiridion* Pomponii *de Origine Juris* ſcripſit *cap. 3.*

Sequuntur has Leges XII. Tabb., quibus continentur omnia Iurisprudentiæ Romanæ ſemina. Diligenter itaque omnis earum hiſtoria tenenda eſt. Hiſtoriam Legum iſtarum, atque Leges ipſas certo ordine diſpoſitas, ediderunt permulti, ſed in quibus ſinguli ingenio ſuo indulgent. Interpretationes in illas edidit Joh. Oldendorpius, quem bonâ, vel potius malâ fide, exſcripſit Valentinus Forſterus. Dedit & Franc. Balduinus uberrimos in eas *Commentarios*, Franc. item Hotomannus & Jac. Rævardus. Sunt porrò & alii, tùm JCti, tùm Critici, qui in illas Leges aliquid ſunt commentati, & ſe invicem ſolent exſcribere. Poſt illos omnes prodiit Conradus Rittershusius, qui abſolutiſſimum in has Leges dedit Commentarium, cui tit. *Dodecadeltos*, qui magnis Elogiis in ipſo titulo à filiis Editoribus ornatur. Laudabilis ſanè eſt Viri iſtius diligentia, qui in ſuis *Commentariis progreſſum juris recepti*, ex illo jure antiquo, proponit. Prodiit Liber A. 1616. Argentinæ *in 4to.* Sed defuêre, in tanto Interpretum & Commentatorum numero, qui juſtam Tabularum iſtarum hiſtoriam, ſeriem, diſtinctionem, ac collationem accuratam, exhibuerint, ideoque poſt omnes palmam hanc meritus eſt Jacobus Gothofredus, Dionyſii filius, JCtus conſummatiſſimus, qui hiſtoriam illarum Legum accuratiſſimam, in quantum haberi poteſt, nobis dedit. Legi poteſt *præfatio* ejus libri, quâ exhibetur ratio & conſilium, quo uſus eſt in indagando harum Legum ordine, quem ſagaciſſima Critica, tùm ex Hiſtoricorum locis, tùm è Legibus Juris Juſtinianei, quæ mentionem earum Tabularum, vel diſertis verbis, vel obſcurè, faciunt, eduxit, hunc ordinem Legum per tabulas verba ipſis legum ſubjiciens, exprimit, additâ è regione paraphraſi. Singulis Legibus probationes ſuas ſubjungit, & breves notas atque explicationes verborum antiquorum. Editus verò eſt cum tribus aliis hic liber ſub titulo: *Fontes 4. Juris Civilis.* Nam *Legibus XII. Tabularum* addidit *Legum Juliæ & Papiæ fragmenta*, *Edicti perpetui & Sabinianorum Librorum ordinem.* Lib. editus eſt Genevæ Anno 1653. *in 4to.* 2

Poſt Legg. XII. Tabb., acceſſit *Interpretatio Prudentum*, & *diſputatio fori.* Compoſitæ etiam Actiones; quibus inter ſe homines diſputarent, quarum formulas certas conſtituerant, earumque Interpretatio ad Collegium Pontificum pertinebat. His formulis magna inerat ſubtilitas, atque ideò multis fraudibus & technis actiones illæ forenſes patebant. Interveniebant certa negotiis ſolennia, & actus quidam Imagina- 3

rii, de quorum Origine non eſſet injucunda diſquiſitio. A Græcis ad Romanos illa fluxiſſe veroſimile eſt; Nam & in Jure Attico multa talia deprehendas, & in antiquiſſimis quoque barbararum gentium Legibus, ut in Vetuſtiſſimis illis Gothicis, (de quibus Joh. Olai Stierenhöeck, *in libro de Jure antiquo Sveo-Gothico*,) & in ceteris quoque juribus. Quod proceſſum veterem ſpectat, illum doctè, pro more ſuo, executus eſt Gvilh. Budæus ſingulari libro, qui non parum lucis huic negotio accendit. Ac confert ſanè ad ipſam Veteris juris Theoriam, noſſe veterem illum agendi morem, judiciorum formam, actionum formulas, quæ omnia per univerſum jus diffunduntur, ac tenebras ſæpè offundunt. Barnabæ Briſſonii *liber de formulis* quadam ex parte etiam hîc prodeſſe poteſt. Reliquias illarum formularum collegit Joh. Calvinus, *in Lexico ſuo Juridico, ſub finem.*

4 Quoniam verò illæ Diſputationes non exhauriebant caſuum ambages, & lubrica erat illa conſtituendi juris ratio, ideò quædam Leges tandem ſunt latæ, quæ Jura Certa ſancirent, *XII. Tabularum legibus* non comprehenſa. Pertinet itaque huc primò omnis illa Legum conſtituendarum hiſtoria, quæ prodeſſe poteſt multis modis in Legum ſenſus & fines inquirenti. Generalis Legum hiſtoria pertractatur à Paulo Manutio *in Lib. de Legibus*, & à Nicol. Grucchio *in lib. de Comitiis.* Earum Legum copia ſubinde creſcebat, quarum nomina, & ſumma capita, recenſentur à nonnullis, Franc. Hotomanno & Fulvio Urſino, qui de Legibus aliqua ſcripſerunt, è quibus excerpſit Legum nomina Joh. Calvinus, & ſub finem *Lexici* ſui propoſuit ordine Alphabetico. Harum Legum accurata eſt habenda Chronologia, undè dependet notitia, quo tempore, quam ob rationem & cauſam illæ ſint conſtitutæ. Veteres Romanas Leges Ludov. Charondas collegit, in quo tamen multi ſunt errores. Nam fumos, ſibi non ſatis cauto & attento venditos, lectori rurſus vendidit, & multa addidit ſuppoſititia. Nam, ut in ceteris Inſcriptionibus, ita & in Legibus antiquis, non paucæ fuerunt doctorum Virorum fraudes. Multa poſtea ipſe correxit Charondas in Editione recentiore, quæ An. 1575. Pariſiis eſt excuſa. Prodiit poſtea Antonii Augustini liber doctiſſimus *de Legibus & ſingulis Juris Conſultis*, in quem exſtant Fulvii Urſini *notæ*, in quibus ſæpe à Charondæ ſententiis diſceditur. Ejusdem etiam exſtant *Obſervationes & Emendationes*, quibus varia Iuris Iuſtinianei loca illuſtrantur.

5 Prodeſſe hîc poteſt, quod *Chronologiam* attinet, lib. Ioh. Wolfgangi Freymonii, quem inſcripſit *Symphoniam Juris utriusque Chronologicam*, in quâ, perpetuâ ſerie, primò numeri Olympiadum; ſecundò Imperatorum, tertiò Anni ab U. C. quartò Conſules, quintò Anni à natò Chriſto, ſextò ICti, ſeptimò Pontifices, hinc anni Pontificiales, menſes, & dies, collateraliter ponuntur. Sub Imperatoribus ponuntur Leges, quæ ab illis conſtitutæ, & loca *Pandectarum* & *Codicis*, ubi earum fit mentio, ſub ICtis Libri, quos ſcripſerunt, & Leges, quæ ex illis libris ſub diverſis habentur titulis, ex Iacobo Labitto excerptæ. Sed non perduxit hanc Chronologiam ſuam ultra tempora Iuſtiniani. Lib. Francofurti A. 1584. *in fol.* eſt editus. Hoc

Frey-

Freymonii Opus utiliſſimum eſt ad Hiſtoriam Legum tenendam, ut eò pleniorem habeamus, jungi poteſt illi Ioh. Bertrandus, qui *de JCtis* ſcripſit, & ICtis ſingulis Commentarios, ab iis ſcriptos, ſubjecit. Liber olim rariſſimus, nunc eſt recuſus Lugd. Batav. A. 1675. *in 8*. Sed imperfectus tamen hactenus ille labor eſt, & alium quendam deſiderat Virum doctum, qui plenius hoc argumentum pertractet. (*c*) Promiſit certè Ægidius Menagius *Hiſtoriam JCtorum Veterum*, an unquam edenda in lucem ſit, dies docebit. Interim Bertrandi liber commendari debet, ob defectum melioris. Ad Hiſtoriam Legum deindè Iacobi Labitti liber facit, qui compilavit *Indicem Legum omnium, quæ in Pandectis continentur*, in quo ſingulæ ad ſingulos ICtorum libros, ex quibus deſumptæ ſunt, referuntur, loca item omnia, quibus ICti in *Pandectis*, & *Juſtinianeo Codice*, & *Inſtitutionibus*, & *Novellis*, citantur. Adjicitur *Diſſertatio* de uſu Indicis, quâ repræſentatur, quomodo, in conciliandis Legibus & interpretandis, magno cum fructu illo uti poſſimus. Exempla afferuntur non pauca, è quibus de ceteris judicium poteſt fieri. Præclarus profectò eſt labor, qui plus utilitatis habet in receſſu, quàm in fronte promittit. Liber ille olim rarior fuit, nunc recuſus eſt Lugd. Bat. A. 1674. *in 8*.

Longè pleniorem viam monſtravit nobis Iac. Gothofredus in abſolutiſſimo ſuo 6
Codicis Theodoſiani Opere, cui præmiſit accuratam illam *Codicis Theodoſiani Chronologiam*, unde ſtatim inſtitui poſſunt Collationes temporum. Chronologiæ ſubjecit *Hiſtoriam*, vel *Chronicon Hiſtoricum* circa ſingulas Leges, quô notantur omnia memorabilia, quæ circa illud tempus geſta ſunt in Rep. Unde ſtatim ratio poteſt iniri de lege ipſâ, & inquiri in ejus cauſas per prudentiam Nomotheticam, præſertim ſi in ſubſidium adhibeantur ceteri ejus Indices, uti *Notitia dignitatum Codicis Theodoſiani*, *Proſopographia Cod. Theod.*, *Topographia Cod. Theod.*, quæ omnia ſi quis junxerit, in omnes angulos & receſſus Legum penetrare poteſt. Qualem laborem ſi *in Digeſtis* haberemus, infinita hæc eſſet utilitas. Lib. editus eſt Lugd. Gall. A. 1665. *in fol. VI. Tomis*.

Sunt, qui Certas quaſdam Leges, vel certi cujusdam ICti Leges omnes, in u- 7
num Corpus collegerunt. Ita Iac. Cujacius Papiniani & Modeſtini Leges unum in corpus collegit, quod & alii fecerunt, Franc. Balduinus, Ant. Contius, &c. in aliis ICtis. Separatas quoque Leges explicârunt nonnulli ICti. Ita *ad Legem Juliam Majeſtatis* ſcripſit Ant. Contius, *ad Legem Juliam de Adulteriis*, Barn. Briſſonius, *ad Legem Vellejam* Antonius Auguſtinus. Franc. Balduinus *Legum Falcidiæ, Iuliæ, Papiæ, Poppeiæ, Rhodiæ, Aquiliæ*, capita collegit, quæ Baſil. A. 1559. *in 8*. ſunt edita. Iac. quoque Gothofredus ſpeciales Leges explicandas ſibi ſumſit, quæ ſub *Opuſculo-*

(*c*) Deſiderio Morhofii, de Vitis JCtorum, poſt Joh. Bertrandum, ab alio Viro docto plenius & accuratius conſcribendis, ſatisfactum jam aliquatenus videtur, poſtquam Gvilh. Grotii (Hugonis fratris germani) *Vitæ JCtorum, quorum in Pandectis exſtant nomina, poſthumæ*, Bertrandi, aliorumque, in eodem argumento verſatorum, errores ſæpiſſimè caſtigantes, Lugd. Bat. A. 1690. *in 4to* prodierunt.

puſculorum nomine ſeorſim ſunt edita. Iohannes Fichardus *Indicem Autorum, qui in Leges ſpeciales ſcripſerunt*, collegit, qui pandectis Florentinis præmittitur. Frid. Brummerus *Commentarium ad Legem Cinciam* ſcripſit, Iuvenis magnæ ſpei, ſed cùm in Galliâ peregrinaretur, infelici fato aquis ſubmerſus. Editus ille eſt Pariſiis, ac Ioh. Bapt. Colberto inſcriptus. Exſtat & Hermanni Conringii Comment. *in Legem primam Unicam Codicis de ſtudiis Urbis Conſtantinopolitanæ & Romæ.* Non parum illuſtrant Legum notitiam Nummi & Inſcriptiones. Nam in nummis illuſtrium familiarum Romanarum legi ſolent nomina legum ab ipſis latarum, ut prolixè oſtendit Ezech. Spanhemius, *in libro de præſtantiâ & uſu Numismatum antiquorum, diſſertatione 6ta.* Similiter & ex Inſcriptionibus antiquis multa poſſumus colligere, quæ ad cognitionem Legum antiquarum pertinent. Hujus rei multa veſtigia deprehendere poſſumus *in Inſcriptionibus Gruterianis*, ac ſuaſerim ego, ut quis ex illis Autoribus conficiat Excerpta quædam, ad Leges certas pertinentia. Critici quoque Scriptores & Antiquarii, ac Philologi, quorum exſtant Commentarii in Hiſtoricos Veteres Romanos, magnam ſuppeditare poſſunt huic rei lucem, quos ſi quis legat diligenter, atque ex iis colligat, quæ de ſingulis Legibus obſervârunt, præclaram habebit ſylvam, unde cogitata non vulgaria exprimat.

8 Quoniam Legibus in Rep. Romanâ decidi omnia non poterant, Prætores inter Cives jus dicebant. Illi Edictum, ſive Juris formulam, è Legibus Romanis conſtituebant initio magiſtratûs. Illa Edicta erant annua, quæ neceſſitas & uſus in Republicâ tandem fecit perpetua. Collectum itaque ex omnibus Edictis eſt *Edictum Perpetuum*, quod licet ante Hadrianum obtinuerit, tamen ſub illo Salvius Julianus majori diligentiâ collegit ſub ſuis titulis, idque interpretatus eſt. Atque illud quaſi fundus quidam eſt, unde iſtæ Pandectarum Laciniæ à Compilatoribus ſunt deſumptæ. Si id hodiè ſuperſtes eſſet, multum lucis haberemus in intellectu Legum multarum. Quoniam verò iniquitate Compilatorum Iuris Iuſtinianei ſurreptum nobis eſt illud Opus, proderit tamen non leviter, ſi è ſparſis illis fragmentis ordinem Edicti Perpetui recolligamus, quoad ejus fieri poteſt. Quod quidem tentavit Eguinarius Baro *in libris Manualium*, & poſtea Franc. Guilielmus Ranchinus, qui tamen ſecundum Iuſtinianeum ordinem capita *Edicti* diſpoſuit, cùm diſponere debuiſſet ſecundum verum illum & genuinum ordinem. Ideò hanc operam quoque ſuſcepit Iac. Gothofredus, mirabili Stochaſmo (conjecturâ) uſus in ordine illo ſolerter eruendo è Veterum ICtorum Commentariis, ad Edictum Iulianum Ulpiani, Pauli, Caji, Calliſtrati, Pomponii, & ceterorum, unde fragmenta plurima in Pandectas ſunt depromta. Quam ſeriem, à ſe erutam & concinnatam, aliquot tabulis propoſuit, quæ habentur inter *fontes* ejus 4. *Iuris civilis.* Quis ejus rei uſus ſit, exemplis illic plurimis docet Autor, & perpetuis exemplis *in Commentario ſuo* doctiſſimo *ſuper Tit. de ff. Regulis Iuris*, in quo communes Regulas proponit, quæ ſunt floſculi, ex omni Iurisprudentiæ fundo excerpti, ſecundum ordinem Edicti Perpetui, è cujus Interpretationibus deſumptæ ſunt. Infinita enim ſunt vulgò doctorum in interpretatione Regularum illarum paroramata.

Summa

Summa omnis interpretationis Regula etiam jure judicanda eſt, reſpiciamus ſemper ad Titt. & Rubricas, unde Leges deſumptæ ſunt, quanquam Ad. Riccius *in Tractatu ſuo Rhapſodico p. 49.* illos reprehendat, & ſpeciatim Jac. Cujacium, quòd nimis ſuperſtitioſè inhæreat Rubricis, ſub quibus olim Leges collocatæ fuerunt. Cujus ego quidem judicium hac in parte parum æſtimo. Laudabo potius Pauli Sarpii exemplum, illius ſcil., qui *Concilii Tridentini Hiſtoriam* ſcripſit, de quo Fulgentius, *in vitâ* ejus Ital. Linguâ ſcriptâ, hæc memorat: Miraculo ſimile fuiſſe, quòd ſciret accuratiſſimè ſingulorum Canonum tempora, nomina, unde ea petita, errores, vel rationes, quibus impulſi ſcripſerunt eos Pontifices. Quod in Jure Canonico eò magis neceſſarium eſt, quòd multa illic habeantur ſuppoſititia & per fraudem invecta, ut demonſtravit Opere ſuo doctiſſimo, quod *Pſeudo-Iſidorum* inſcripſit Dav. Blondellus, Vir iſtarum rerum peritiſſimus. Qui liber, ad lectionem Juris Canonici ſummè utilis, ſed rarus eſt, ac optandum, ut recuderetur. Nam Pontificias technas ita detegit, ut ne ipſi quidem Pontificii adverſus ipſum hiſcere auſint. 9

De Sectis ICtorum Veterum & eorum *diverſis opinionibus*, qui ſingulari libro ſcripſerit, neminem hactenus habemus. Quod ad hoc argumentum ſpectat, colligendum eſt *ex Tit. de Origine juris, & ſucceſſione Prudentum*, & Commentatoribus ſuper illum Tit., tùm & è Bertrando *de JCtorum vitis*. Ex iis omnibus, quæ ſpectant ad hoc argumentum, collegit, & doctiſſimis Diſſertationibus illuſtravit Chriſt. Otto à Böckeln, in ſingulari *Diſputatione de diverſis JCtorum Sectis*, quæ cum aliis ejus *Opuſculis* eſt recuſa in Bataviâ *in 12.* Habuerat in animo illud argumentum Chriſtoph. Ehemius, Vir doctiſſimus, Conſiliarius Palatinus, qui *librum* ſcripſit *de principiis juris*. Promittit enim ille ibi, ſe de *Sectis ICtorum, eorumque opinionibus*, aliquando librorum editurum. Sed ille non prodiit in lucem. Ex Hiſpanis eſt nonnemo, qui ſe vocat Don Pedro de Velaſco & Medivilla, qui *Caji & Proculi, aliorumque Iuris veteris Autorum apertas rixas, & implacabiles concertationes* (ita inſcribitur liber) edidit Salmanticæ, A. 1625. *in 4to.* Sed ipſe hunc non vidi, à Nicolao Antonio *in Bibliothecâ Hiſpanicâ* notatum. 10

Ad veterem Iurisprudentiam pertineret etiam ille labor, ſi, quæ in Iure ſunt obſoleta, & ad antiquitatem potius, quàm Iurisprudentiam, pertinent, ſingulari libro colligerentur. Habuit in animo Iacobus Gothofredus ſingulare *Corpus Antiquitatum Romanorum*, è libris Iuris concinnandum, cujus ille ideam, & diſpoſitionem, dedit *in præfatione Tractatus de 4. Iuris Civilis fontibus*. 11

Sect. IV.

De Scriptoribus ad Juris Hiſtoriam pertinentibus.

§. 1. Quantum huc conferant Hiſtorici Veteres, qui tempore latarum legum vixerunt. 2. Procopii Hiſtoria Juſtiniani Imp. Arcana. Hyperaſpiſtæ Iuſtiniani contra

 eam,

eam, Ioh. Eichelius, Thom. Rivius & Gabr. Trivorius. Hiſtoriæ Iuſtiniani Scriptores Moderni, Hub. Giphanius, Franc. Gvyetus & Franc. Balduinus. Triboniani in Iure compilando Errores. I. Iac. Wiſſenbachii Emblemata illius. Ioh. Chifletii Apol. pro Juris Utr. Architectis. 3. Scriptores de libris Juris, Joh. Seldenus, Ad. Riccius, Arth. Duck, Herm. Conringius, Alb. Gentilis, &c. 4. Hiſtoriam Juris Rom tradunt Tit. 2. L. 1. Pandect. de Orig. Juris, ejusque Commentatores, Chr. Al. Rupertus (omnium optimus,) Val Forſterus (Plagiarius J. Oldendorpii,) M. A. Muretus, Vent. Cæcus, Rein. Bachovius, Ant. Garro, Joh. Sithmannus, Arn. Vinnius, Sim. Leewius. Iudicia de ſingulis. Iac. Gothofredi Manualis Iuris Elogium. Fragmenta Inſtitutt. Caji Hier. Aleander & Iac. Oiſelius (hujus Plagiarius,) Autores verò de Finibus regundis, Adr. Turnebus, Nic. Rigaltius & Wilh. Goeſius, illuſtrârunt. 5. Conſtitutionum Imperatoriarum Codices, Hermogenianus, Gregorianus (quorum nonniſi Fragmenta reſtant,) & Theodoſianus, etiamnum, unà cum Aniani Breviario illius, ſuperſtes. Theodoſiani, poſt alios à Iac. Gothofredo editi, Autoritas controverſa. Congeſtus ex iſtis eſt Codex Iuſtinianeus, de quo, ac 50. Deciſionibus ei adjectis, breviter diſſeritur. 6. Sicut & de Pandectis. 7. De Inſtitutionibus, & Theophili Græcâ illarum Paraphraſi. 8. De Novellis item ac Authenticis, quarum hæ Irnerio falſò tribuuntur. I. Strauchii & I. Iac. Wiſſenbachii Diſſertationes de iis contrariæ. 9. Autores quidam de Libris Corporis Iuris Iuſtinianei. Hujus Editiones optimæ à Dion. Gothofredo & Sim. Leewio curatæ. 10. Iurisprudentiæ Græco-Romanæ Monumenta. Libri Iuris Iuſtinianei Græcè redditi. 11. Baſilicorum Libri LX. Horum, uti & Editionum eorundem, à Gentiano Herveto & Car. Hann. Fabrotto curatarum, Hiſtoria. Iac. Cujacii Verſio Lat. affecta, Gloſſæ in illa Græcæ, à Ioh. Leunclavio & Car. Labbeo publicatæ. Ioſ. Mariæ Suareſii Notitia Baſilicorum.

1 Libri ad Hiſtoriam Juris pertinentes ſunt vel illi, qui viam ad Hiſtoriam Juris ſternunt, vel qui ipſam Hiſtoriam Juris tradunt. Ad Historiam itaque Juris rectè intelligendam commendandi ſunt Autores Hiſtorici, qui illo tempore vixerunt, quo leges latæ fuerunt. Ad *Codicis & Novellarum* jura, *Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores*, & reliquorum Cæſarum res geſtæ debent eſſe cognitæ. Ad *Ius Feudale* confert ſubſidium hiſtoria mediorum temporum, quæque à Barbaris, & Semi-Latinis Scriptoribus monumenta nobis relicta ſunt. Ad *Ius Pontificium* conferunt Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores. Qui ad Hiſtoriam liberæ Reip. Romanæ Scriptores ſpectant, in recenſendis iis non eſt opus, ut tempus teramus, cùm abundè de illis conſtet.

2 Ipſius Justiniani Hiſtoria accuratior eſt habenda, cùm ex Hiſtoricis aliis iſtius temporis, tùm inprimis Procopii *Hiſtoria Arcana*, quam edidit Nicol. Alemannus, & Helmſtadii recudi fecit Joh. Eichelius. Quo in libro multa recenſentur de ambitione & avaritiâ iſtius Imperatoris, deque occaſionibus nonnullarum Legum. Scripſit

pſit *Animadverſiones* in iſtam *Hiſtoriam arcanam Eichelius*, quibus mendacia nonnulla contra Juſtinianum detegit, & refellit. Scripſit & Thom. Rivius, JCtus Anglus, *Iuſtiniani defenſionem adverſus Alemannum*, & Gabriel Trivorius *Obſervationem Apologeticam ad Inſcriptionem Orationis ad Anteceſſores*, *ff.* Juſtiniani præpoſitæ. Scripſit & Hub. Gifanius *de Iuſtiniano Imperatore Commentarium*, quo hiſtoriam omnem Juſtiniani, tàm rerum geſtarum, quàm Legum conditarum, compendio complexus eſt. Quibus addi poteſt Franc. Gvyeti *Iuſtinianus Magnus*. Utrumque hunc librum junctim edidit Chriſtoph. Arnoldus, Norimb. 1660. *in 12.* Spectat huc quoque Franc. Balduini *Iuſtinianus*, *ſeu libri 4. Commentariorum de jure novo*, quo libro pertexitur Hiſtoria omnium illarum Conſtitutionum, quæ à Juſtiniano ſunt conceptæ. Liber impreſſus eſt Genev. An. 1596. *in 8vo.* Scripſit idem Autor alium librum, cui titulus *Conſtantini M.*, quo antiquum jus eſt perſecutus, cetera ejusdem Autoris, ut *Commentarius de Iuriſprudentiâ Mutianâ*, ac ſimiles, multum conferunt ad inſtitutum præſens. Præfatio ejus in *Iuſtinianum* non paucas habet de Triboniano querelas, cujus errata non pauca fuêre in Jure compilando, quam ob cauſam vehementer exagitatur à nonnullis JCtis. Ejus *Emblemata*, ſeu Laciniæ, quas inſeruit textui Juris, ſingulari libro ſunt collectæ à Ioh. Iac. Wiſſenbachio, ſub tit. *Emblemata Triboniani*. Ioh. Chifletius *Apologeticam Diſſertationem* ſcripſit *pro juris utriusque Architectis*, *Iuſtiniano*, *Triboniano*, *Gratiano*, *& ſancto Raymundo*, quæ edita eſt Antwerp. A. 1651. Sed mera ſunt excerpta ex Autoribus, qui ab utraque parte rem illam ventilârunt, nihilque omninò ſingulare illi ineſt. Quod Hiſtoriam Iuſtiniani attinet, meretur quoque legi Chriſtoph. Adamus Rupertus *in Synopſi Hiſtoriæ univerſalis Beſoldianâ*, *cap. XV.*

De Libris Iuris, *in univerſum* etiam aliqui ſcripſère. Præ ceteris hîc commendandus eſt Ioh. Seldenus *in Diſſertatione ad Fletam*. Multa in illâ de ortu & progreſſu Iuris Iuſtinianei, deque uſu ejus, tàm antiquo quàm recenti, in foro Anglico, A. 1647. *in 4.* Londini illa prodiit. Iungi poſſunt huic Erici Mauritii *Diſſertatio de libris Iuris*, Ioach. Hagemeyer de eodem argumento, Adamus Riccius in *Tractatu Rhapſodico de libris Iuris Rom., tàm Civilis, quàm Canonici, tàm Orientalis, quàm Occidentalis, nec non præcipuorum Municipalium in Germaniâ receptorum jurium quantitate, & qualitate.* Qui hoc argumentum utcunque tractavit longè majoris apparatus, ſi titulum ſpectes. Habet & non pauca Anton. Wood, *in Antiquitatibus ſuis Oxonienſibus*, de propagatione Iuris, tàm Civilis, quàm Canonici, per Europæum Orbem, cùm in iſta tempora incidit, quæ illi Hiſtoriæ reſpondent. Denique elegans eſt liber Arthuri Duck *de Auctoritate Iuris Civilis*, in quo de tempore receptionis, & progreſſu juris Iuſtinianei apud Europæas gentes, plenius agitur. Tractavit & ex parte argumentum hoc Herm. Conringius *in libro de Origine Iuris Germanici*, cujus occaſione in controverſias cum Ioh. Ott. Tabore incidit. Legi etiam debet, quem penè omiſeram, Albericus Gentilis *in Diſſertatione de libris juris Civilis.* 3

4 Hiſtoria Iuris penè tota deſerta eſt, paucula enim illa, quæ habemus *in Tit. 2. libri prim. Pandectarum*, quanquam tot Commentariis incruſtata, nihil perfecti habent. Plerique leves quasdam obſervatiunculas, undique corraſas, congerunt, quidam cramben, toties ab aliis recoctam, recoquunt, ut moris eſt apud ICtos. Optimus inter Commentatores illos eſt Chriſtoph. Ad. Rupertus, non ex JCtorum, ſed è Philologorum familiâ, atque adeò hoſpes in hoc regno, qui plus præſtitit, quàm ante eum tot JCti. Ejus exſtat elegans *Commentatio in Enchiridion Pomponii*. JCtorum Commentarii plurimi quidem ſunt, ſed de illis verum eſt Comicum illud: *Unum nôris, omnes nôris*, niſi quòd poſteriores ſint præferendi prioribus, quia plura legerunt, atque adeò plura collegerunt. Val. Forſterus inter præcipuos eſt, cui plagii crimen intendit Conradus Rittershuſius, quòd pleraque ex Joh. Oldendorpii libro ſimilis argumenti ceperit. (*d*) M. Ant. Mureti & Venturæ Cæci ſolent conjungi *Commentarioli*, quos in *legem ſecundam ff. de Origine Juris* ſcripſerunt. Mureti extemporales videntur lectiones eſſe. Ventura Cæcus multa immiſcet aliena. Reinerus Bachovius, dum reliquis argutior videri & eſſe vult, ea ſæpè ex ingenio ſuo comminiſcitur, quæ non ſunt veritati hiſtoriæ conſentanea. Nam in Pomponio interdum reprehendit aliqua, quæ eruditè vindicavit Rupertus. Antonius Garro ſtrictas etiam *notas* in hunc *Tit.* ſcripſit. Joh. Sithmannus, *in Speculo Imperii Rom.* (ita enim vocat *Comm. in leg. ſecundum de origine juris*,) in Hiſtoriam Rom. excurrit fræno laxiori, quàm hiſtoriæ ratio poſtulat. Arn. Vinnius *notas* in hunc *Titulum* ſcripſit, quas, unà cum ceteris Autoribus & *fragmentis Veterum JCtorum de Origine & progreſſu Juris Civilis Rom.*, collegit Simon Leewius, JCtus Lugdunenſis, Lugd. Batavorum A. 1671. *in 8.* Elegans pro Hiſtoriâ Juris Compendium eſt *Manuale* illud, quod publicavit Jac. Gothofredus. Vide illic *cap. 2.* iſtius partis, quam inſcribit *Bibliothecam Juris Civilis*, ubi agit de Jurisprudentiâ Juſtinianeâ. Quæ pleraque in libro illo proſtant, & collecta ſunt, quem edidit Simon Leewius, cujus modò fecimus mentionem. Inter illas Reliquias habentur Caji *fragmenta Inſtitutionum*, unde Juſtinianus Inſtitutiones ſuas formavit. In illas Commentarium ſcripſerunt Hier. Aleander (Romæ *in 4to.*,) & Jacobus Oiſelius, JCtus Batavus, qui pleraque Hieronymo Aleandro ſurripuit, uti conferenti patebit. Inde breves quædam notulæ ſunt excerptæ, & unà cum Caji *Inſtitutionibus* editæ in Opere iſto Leewiano. Facit & Gothofredus mentionem Autorum illorum, *qui de finibus regundis* ſcripſêre, quos Adr. Turnebus primùm, poſteaque Nic. Rigaltius edidit, notisque illuſtra-

(*d*) Val. Forſterus, JCtus Acad. Juliæ, plagii à Conr. Rittershuſio (*in Prolegom. Comm. ad LL. XII. Tabb., c. 6., p. 14.*) eam tantùm ob cauſam inſimulatur, quòd, quæcunque de LL. XII. Tabb. *L. I. Hiſt. Juris Rom. c. 22.*, habet, è Joh. Oldendorpii *Expoſitione in LL. XII. Tabb.* nomine illius diſſimulato, ad verbum deſcripſerit, neutiquam vero, quòd pleraque totius Operis ſui ex Oldendorpii Libro ſimilis argumenti ceperit. Vid. de hoc Plagio Jac. Thomaſii *Tr. de Plag. Liter.* §. 433.

illuſtravit, Pariſ. A. 1614. Sed luculentiſſimam illis operam, poſt illud tempus, impendit Gvilielmus Goeſius, JCtus Batavus, qui Autores illos denuò, cum uberrimis *notis* & *Emendationibus* ſuis, publicavit *in 4to.*, ſi rectè memini, Lugd. Batavorum. De ceteris legatur ipſe Gothofredus.

Imperatoriarum Conſtitutionum, ante Juſtinianum promulgatarum, Reliquiæ à Jac. Gothofredo memorantur *Cap. 3.*, quas ille Codicibus aliquot comprehendit, *Codice* nimirum *Hermogeniano, Gregoriano & Theodoſiano. Gregoriani & Hermogeniani Codicis* fragmenta exſtare aliqui negant, exſtare tamen aït Jac. Gothofredus in *Prolegomenis Commentarii ſuper Codicem Theodoſianum, c. 1.*, ac integris illis uſum fuiſſe probat Auguſtinum, *lib. 2. ad Polentiam de adulterio, c. 8.* Auctor *Collationis Legum Moſaicarum* ſæpè ex illis fragmenta quædam citat. Ad horum Codicum exemplum *Codex* poſteà *Theodoſianus* eſt editus, in quem conjectæ fuerunt Chriſtianorum Imperatorum Conſtitutiones. De iis, quæ pertinent ad Hiſtoriam hujus Codicis, agit Seldenus *in Diſſertatione ad Fletam c. 5. §. 2.* & omnium uberrimè Jac. Gothofredus in *Prolegomenis in Codicem Theodoſianum*, quem ille cum optimis *Commentariis* in lucem edidit. Hujus Codicis uſus & autoritas per Orientem & Occidentem magnus etiam fuit. In Italiâ ſub Oſtro-Gothis, & ſub Vandalis in Africâ, auctoritatem ſuam habuiſſe, è Caſſiodoro præcipuè patet. *Breviarium Codicis Theodoſiani* poſtea factum fuit per Arcianum jubente Alarico, in quo multa fuerunt interpolata, quanquam non tantam *Codicis Theodoſiani* diſcrepantiam, & *Breviarii* fuiſſe Gothofredus autumet. Quid de *Codice* illo *Theodoſiano*, quem habemus, ſentiendum ſit, dubitant Eruditi: vid. Seldenum *in Diſſ. ſua c. 5.* & Er. Mauritium *in Diſput. de libris juris, Theſi 5.* Miror tamen, ejus Controverſiæ nullum exſtare veſtigium apud Gothofredum, *in Comm. ſuper Cod. hunc.* Nam certè *in Prolegomenis*, ubi de hujus *Codicis* editionibus variis, earumque vel probatione, vel rejectione, deberet inſtitui diſputatio, nihil apparet ejus rei. In *Manuali* ſuo à Joh. Fichardo publicatum eſſe ait *Breviarium* illud Anianeum. Poſtea Joh. Tilius *Libros VIII. poſteriores* integros, non jam ab Aniano decurtatos, poſtremo libro mutilo, edidit. Deindè Jac. Cujacius *librum 7mum & 8vum* integros eruit, *quinque priores, & initium ſexti*, ſibi eruendos adhuc eſſe ait, quorum *Breviarium* Anianeum hactenus tantùm habemus. An verò illi integri ſint & incorrupti in hoc *Codice Theodoſiano*, dicere non poſſum. Antonius quidem Marvillius, ejus *Commentarii* Editor, *in Præfatione* monet, contineri hoc Codice certiſſimas & incorruptas ſeptem Imperatorum Conſtitutiones, ſed Autor ipſe paſſim à Barbarorum manu mutilatas eſſe agnoſcit. De ipſo *Codice Theodoſiano* nolo eſſe prolixior, cùm abundè de illo differant, tùm ipſe Gothofredus, tùm Anton. Marvillius, *Codicis* ejus Editor. *Codex Juſtinianeus* è *Codice Theodoſiano* potiſſimum, *Gregoriano*, & *Hermogeniano*, collectus, ac alterâ vice editus eſt, ac promulgatus, cum Tit. *repetitæ prælectionis*, qui eſt ille, quem hodie habemus. In iſto *Codice* multa eſſe Compilatorum errata oſtendit Gothofredus *in Prolegomenis Commentar. ſuper Codicem Theodoſianum, c. 4.* Additæ

ſunt *Codici Juſtinianeo repetitæ prælectionis 50. Deciſiones*, in quas exſtant *Commentarii* eruditi Edmundi Merillii & Joh. Strauchii. Quod controverſiam ſpectat de Prærogativa *Codicis* & *ff.* videantur Mauritius *in Diſſertatione de libris juris*, *Theſ. XIV.*, & multi alii.

6 Pandectæ è Reſponſis Juris-Conſultorum Veterum ſunt collectæ. Illarum Editio aliis duplex, aliis triplex eſt. Vide Riccium *in libro Rhapſodico*, *num. 36.* & Joachimum Hagemeyerum *de auctoritate Juris Civil. c. 4.* Haſce tamen præceſſiſſe alias notat Mauritius, quem de iis pluribus vide. *Pandectas* Florentinas non dubitat Politianus ſcriptas eſſe ætate Juſtiniani, mutata autem non pauca fuiſſe in editionibus ad Autographum Florentinum (*e*) procuratis, notant multi, quæ in aliis editionibus lineolis ſunt incluſa. Vid. Albericus Gentilis *Diſſert. de libris juris cap. 4.* Optandum ſanè eſſet, ut Critici, qui tamen & JCti, ſeriò in iſtum laborem incumberent, & omnia iſta variantia loca diligenter conferrent, unde profectò non exigua redundaret in Jurisprudentiam utilitas. Joh. Leuwenclavius memorat, *Pandectas* in Turcicam quoque Linguam eſſe converſas.

7 Dum Pandectæ conficiuntur, Institutiones quoque juſſu Juſtiniani ſcriptæ ſunt. Illæ *Inſtitutiones* è Caji JCti *Inſtitutionibus* ſunt confectæ, ut ſupra vidimus. *Inſtitutionum* exſtat Græca Theophili *paraphraſis*, qui utiliter interdum explicat quædam Inſtitutionum loca, ſed in multis tamen fallit. *Inſtitutionum* Caji etiam 4. olim libri fuêre, cùm hodie duos tantum habeamus Theophili. Editio optima eſt illa, quam Carolus Hannibal Fabrottus, Anteceſſor Aquiſextienſis, è tribus MSStis Codicibus Bibliothecæ Regiæ Pariſienſis, recenſuit, ac Scholiis Græcis auxit, qui & Jac. Curtii Latinam interpretationem emendavit, *& notas* adjecit, A. 1638. *in 4to.*

8 Noviſſimum Jus Iuſtinianeum eſt, quod Novellis continetur. Fuerunt autem illæ Græcè ſcriptæ, easque Græcâ Linguâ edidit Gregorius Haleander, Norimb. A. 1531., quam inſecutæ ſunt plurimæ Editiones. Vid. de illis Gothofredus *in Manuali* & Mauritius *in Diſſertatione ſæpius citatâ.* Ceterum è Novellis illis Epitomæ quædam, ſub *Authenticarum* nomine Titt. Codicis accenſentur, quæ fidem non merentur, niſi Novellis ſuis conſpirent. Eæ *Authenticæ* vulgò Irnerio tribuuntur. Quod falsò tamen fieri docuit eruditâ Diſſertatione Ioh. Strauchius, cui tit. fecit: *Irnerius non errans.* Edidit & Ioh. Iac. Wiſſenbachius *Syllogen errorum Irnerianorum*, quâ fidem Irnerii, ut non integram ſemper, arguit; ſed & ille hac hypotheſi nititur, quaſi Irnerius harum Authenticarum Autor fuerit.

Reli-

(*e*) *Emendationum in Pandectas, juxta Florentinum Exemplar examinatarum*, Specimen Criticum, in tribus Juſtiniani Præfationibus, & Indice Juriſconſultorum Veterum, *Pandectarum* Operi præmiſſis, Lugd. Batav. A. 1685. *in 8vo* dedit Laur. Theod. Gronovius, Joh. Friderici Filius natu minor, qui, in Itinere Italico Florentiæ, per integrum Quadrimeſtre, MStum iſtud pervolverat, & cum Editionibus impreſſis contulerat, inque ipſas *Pandectas* ſimilem laborem eſt pollicitus. Laudes & ſimul Cenſuram *Speciminis* iſtius vid. *in Actis Erud. Lipſ., M. Nov. A. 1688., p. 531. 532.*

Reliqua, quæ pertinent ad auctoritatem & progreſſum Juris Juſtinianei, diſputata uberius ſunt apud Arthurum Duck peculiari libro, Joh. Seldenum *in Diſſert. ad Fletam*, & *in notis ſuper librum* Joh. Forteſcue *de laudibus Legum Angliæ*, in quibus prolixè inquiritur, quando & quousque Jus Juſtinianeum valorem acquiſierit in Regno Angliæ. Adde his Hermannum Conringium *in libro de Origine Juris Germanici.* Atque hoc Jus Juſtinianeum vulgò ſub nomine *Corporis Juris Civilis* venit, cujus Editiones variæ olim fuêre, & nunc ſunt, cum notis, & ſine notis. Dionyſii Gothofredi elegantes ſuper textum ejus Juris *notæ* ſunt, ad paralleliſmum, & Antitheſin Legum valdè utiles. Ac certè laudem meritus hoc labore eſt Vir ille, quanquam tenuiter admodum de eo judicet Baudius *alicubi in Epiſtolis.* Optima eſt editio noviſſima, quam procurârunt Elzevirii, Simonis Lewii aliorumque, *notis* aucta. *Corpus Juris Gloſſatum* ad practicos uſus eſt accommodatius, quod quinque *in fol.* Tomis conſtat. 9

Sequitur *Jurisprudentia* Græco-Romana, quandoquidem Conſtantinus M., univerſâ Græciâ potitus, eam Romanorum Legibus imbuit, ut Imperii ſedes, & totius Orientis Caput eodem jure regeretur, quo Civitas gentium doctrina. Opus itaque erat, ut Jure uteretur in Græcam Linguam translato. Hinc Græcâ Linguâ pleræque Conſtitutiones compoſitæ, *Pandectarum libris 50.* comprehenſæ, Græcè redditæ etiam Juſtiniani ætate à Thalelæo, è cujus interpretatione multa in Baſilicis ſupereſſe obſervant Anton. Auguſtinus & Jac. Cujacius. De *Codice Juſtinianeo* idem alii dicunt. De Novellarum verſionibus prolixè agit Joſ. Maria Svareſius *in Notitiâ Baſilicorum.* 10

Poſt Juſtinianum Basilius Macedo Opus novum Jurisprudentiæ eſt meditatus, 11
& cum filiis, Conſtantino & Leone Philoſopho, rem aggreſſus, unde Libri *βασιλικῶν* à Baſilio dicti ſunt, in 6. Volumina diſtincti, & libros 60. Diu latuêre illi libri, ſed, cum ad Cujacii manus pervenirent, ille feliciter in emendandis Juris textibus iis uſus eſt, adeò, ut quidam æſtimarent, contra bonam fidem eum fuiſſe verſatum in illis. Quam ab illo ſuſpicionem avertit Fabrottus in *Editionis Baſilicorum præfatione ad Lectorem*, ubi prolixè de eâ re agit. *Baſilicorum libros* primùm indicavit Viglius Zwichemus, edidit verò Latinè Gentianus Hervetus, Pariſ. A. 1557. *in fol.* Tomos eorum duos, quos ab Antonio Auguſtino acceperat. Jac. Cujacius deindè librorum aliquorum verſionem promiſit, qui tamen promiſſa, ob mortem intervenientem, non implevit, multum dolente eam ob rem Fabrotto. Nam Gentianus Hervetus multa ſphalmata admiſit in verſione, quia non erat ICtus. Prodierunt tamen utcunque libri X. in lucem. Poſtea Rex Galliæ, qui è Cujacianâ Bibliothecâ integrum ſibi Opus comparaverat, id negotii dedit Cancellario, Petro Seguierio, ut in lucem produceret omnes *βασιλικῶν* libros. Quare, curante illo, in Lat. Linguam convertit Car. Hann. Fabrottus, JCtorum Aquiſextienſium Decanus. Prodiit Opus integrum Pariſiis A. 1640. apud Cramoiſios. Eſt verò Opus non in ſex, ut olim, ſed 7. ab illo Tomos diviſum. Verùm è *60. Libris* ſuperſunt ſolùm 41.,

perie-

perierunt 19. & 31. 38. 43. 44. 49. usque ad 60. Quod pulcherrimi Operis vulnus ſanavit Fabrottus, vel è Synopſi βασιλικῶν, tantùm edita, vel ex Theodoro Hieropolita nondum publicâ luce donato, vel ex Conſtantino Harmenopulo, cum Regis Codicibus collato. Sunt verò *Baſilica* compilata è Juſtiniani Cod. ff. *Inſtit. Nov.* & Edictis, quæ ſuperſunt, è Juſtini Junioris, Tiberii, Zenonis, & aliorum Imperatorum, atque ipſius Macedonis, Novellis, è *Paratitulis* ac *Gloſſis*, quas Veteres JCti ſcripſerunt, quarum 3. *libros* edidit Joh. Lewenclavius, & ex aliis nonnullorum JCtorum ejus temporis & priorum Scriptis. Cauſa autem, cur Opus βασιλικῶν ſuſceptum fuerit, illa eſt, ut quæ in Operibus Iuſtiniani, in variis libris *Inſtitutionum, ff. Cod. & Nov.* diſperſa habentur, in unum Corpus & Syſtema colligerentur, quanquam & vanæ cujusdam gloriolæ cupiditas Baſilium incitavit, à quo primum inſtitutum fuit Opus, teſte Cedreno. Filius verò Leo Philoſophus perfecit, ac poſtea Conſtantinus Porphyrogenetus, Leonis filius, prælectione repetitâ edidit. In Opus illud variorum ICtorum Commentarii & Gloſſæ exſtant, circa eadem tempora ſcriptæ, de quibus legi poteſt Ioſephus Maria Suareſius in *Notitiâ* βασιλικῶν ad Urbanum VIII, Pontificem, ſcriptâ, quæ præfixa eſt editioni βασιλικῶν Fabrottianæ. In quâ ille relationes inſtituit non ſolùm de libris βασιλικῶν, ſed & aliis Græcis Scriptis Iuridicis, quæ vel in Vaticanâ, vel aliis Bibliothecis, latent. Cum quâ conferri poteſt Lambecius *in Comm. ſuo de Bibliothecâ Vindobonenſi, Tomo VI.*, qui de ICtis agit. De reliquis libris Græcæ Iurisprudentiæ (ſunt enim multa Compendia & Manualia ſcripta) vid. Iacobus Gothofredus *in Manuali* ſuo, & Suareſius *l. c.* Edidit Car. Labbeus *Gloſſarium Juris Græci*, Pariſ. A. 1606. *in 8vo.*, quibus in Gloſſis illa habentur verba & termini Græci, qui *in Baſilicis* reperiuntur. Sed pleniores eas exſtare apud Iac. Sirmondum teſtis eſt Iacobus Gothofredus *lib. 2.*

SECT. V.

De Commentatoribus Juris Juſtinianei, qui nova illud Methodo proponunt.

§. 1. Judicium de Juris Juſtinianei ἀμεθοδείᾳ, & Novatoribus, hanc emendare aggreſſis, in genere. 2. Speciatim verò de Franc. Connano. 3. Nicol. Vigelio, in Praxi etiam Novatore, variisque illius Scriptis. 4. De Joh. Coraſio & Petro Gregorio Tholoſano. 5. De Henn. Rennemanno, Joh. Kleinſchmidio, & aliis. 6. De Novatoribus, Corpus Juris reconcinnare aggreſſis.

1 Quandoquidem Ius Iuſtinianeum ἀμεθοδείᾳ laborare multis viſum eſt, Novatores non pauci orti ſunt, qui *ſingulari* METHODO illud tradere voluerunt, & tamen iſto conatu ſuo nihil aliud efficiunt, quàm ut ſoli in ſcholis

lis relinquantur. Eſt quidem ſua Iurisprudentiæ, ut Scriptoribus Legum Romanarum, cùm circa Speciale aliquod Ius verſentur, methodus, illud autem cùm methodo iſtâ comprehendi non poſſit, conſultius eſt viam, quæ eſt præſcripta, ſequi, quàm novâ aliquâ viâ erroribus anſam dare. Methodica tractatio potius ad illam univerſalem & naturalem Iurisprudentiam pertinet.

Franc. Connanus, libellorum ſupplicum Magiſter in regno Galliæ, Ius Civile Romanum *X. Libris* propoſuit, ſuâ quidem methodo, & ordine, ſed retinet triplicem illam objectorum juris diſtinctionem. Elegans illud Opus eſt, nam diffuſè explicat Leges, rationibus è fontibus Iuris Naturæ deductis, & contraria ſæpè ſolvit. Specialem enim Syllabum Legum contrariarum, quæ in Opere illo conciliantur, *Commentariis* ſuis ſubjunxit. Vehementer commendat illum librum Franc. Hotomannus. 2

Nic. Vigelius, ICtus Haſſus, ſingularem aliquam methodum excogitavit, quæ omnia complecteretur, *Jus Civile*, *Pontificium*, *Controverſum*, eô modô, ut Ius omne primò in generales Libros diſpeſcat, Libros in Titulos, Titulos in certas quasdam Sectiones, Sectiones in Regulas ſuas, Regulas in Exceptiones, Exceptiones iterum in Replicationes, quæ omnia per brevia axiomata & enunciata proponit, additâ ſemper Lege, quo remittat Lectorem. Feliciter quidem uti poſſumus his, tanquam Locis Communibus, in Iure interpretando, & in cauſis fori agendis; ſed excidit tamen illo conſilio Vigelius, quòd vellet Libros ſuos à Statibus Imperii approbari, ut Iura, ſecundum ordinem illum reciperentur, docerentur, adminiſtrarentur. In Praxi novam itidem methodum inſtituit, cui fini edidit Tr. Germanicum Richterbüchlein/ in quo certam præſcribit judicandi methodum. Scripſit & *Practicam forenſem*, methodo ſuæ novæ adaptatam. Sed ut fieri ſolet in rebus novis, adverſus illum eſt conclamatum ab Advocatis, eum, tanquam praxeos imperitum & proceſſus, traducentibus. Quibus ut reſponderet, & Praxeos etiam ſcientiam oſtenderet, *Reſponſorum Iuris Centurias 4.* edidit, ubi, ratione methodi ſuæ, Caſum proponit, deindè ſubjungit diſputationem, & ultimò ſententiam, ſemper ſe referens ad ſuam *Methodum* vel *juris Civilis*, vel *Pontificii*, vel *Controverſi*. Ad hunc modum etiam publicavit librum utiliſſimum, quem inſcribit *Iuris Repertorium*, quo in libro velut indicem proponit, vel directorium aliquod inſtituit, ſecundum quod rationes, certis Caſibus competentes, inveſtigari, inſtituique poſſint. Addidit Opuſculo huic *Diſputationes XX. Cauſarum*, quibus illuſtrat ſuum conſilium. *Mihi* quidem vehementer placuit illa methodus; mira in illo eſt brevitas, ſemper ſe in textibus Iuris fundat, Diſpp. & Diſſentientes Autores addit, quin habet Caſum in terminis deciſum, neque, more aliorum ICtorum evagatur per generalia illa Iuris Brocardica, quibus vulgò ita obruuntur Conſilia & Reſponſa, ut, ſi aliena ab iis, quæ ad rem pertinent, ſeparaveris, aliquot interdum Lineis comprehendi totum negotium poſſit. 3

Ioh. Corasius, ICtus Gallus, *de Jure Codicis in artem redigendo* Commentarium etiam ſcripſerat, ſed in quo generalia tantùm continentur. Neque enim certam methodum præſcribit, ſed tantùm in genere diſſerit de definitione & diviſione 4

 Iuris,

Iuris, de bono & æquo, Iuſtitiæ diviſione, tribus Iuris præceptis, & ſimilibus argumentis. Exſtat & PETRI GREGORII THOLOSANI *Syntagma Juris Univerſi, atque Legum omnium penè gentium ac Rerumpubl.*, uti tit. habet, *in quo divini & humani juris totius naturali ac novâ methodo, ordineque, materiam univerſalium & ſingularium rerum, ſimulque judicia, explicat.* Quo magnifico & ſplendido titulo quis non rem magnam agi credat? ſed, ſi verum dicere velimus, nihil aliud hac methodo eſt effectum, quàm ut ordo ſit turbatior. Tria illa Iuris principia & objecta retinet, ſed in illa res perſonis anteponit, futili quadam ratione ductus, quoniam voluerit ſequi naturam rerum, Res autem Corporales, & Incorporales, in Opere ſex dierum, primùm ſint productæ, poſtea verò homo primùm creatus. Quæ certè admodum ridicula eſt ratio, quaſi ICtus Phyſicam aliquam proponeret, vel ſecundum Claſſes, aut Scalam Prædicamentalem, diſponi valdè ad Leges pertineret.

5 HENN. RENNEMANNUS ſimili penè modo *Jurisprudentiam ſuam Romano-Germanicam* inſtituit. Nam, cùm ipſe ex ex Ramiſtis fuerit, qui omnia diviſionibus & ſubdiviſionibus concinnare ſolent, in Iure, ſecundum ſingulas diſciplinas, principia ſtatuit Methaphyſica, Logica, Phyſica, Rhetorica, Grammatica, Mathematica, atque ad ea reducit, quæ quadam ratione eò perduci poſſunt; quod ſane nihil aliud eſt, quàm tempore & otio abuti. Hugo Donellus, Herm. Vultejus, Ioh. Althuſius, ſinguli novam aliquam Iurisprudentiæ Methodum faciunt. IOH. KLEINSCHMIT, *in præcognitis Jurisprudentiæ 6.* Tractatibus diſtinctis, in formâ diſciplinæ, propoſuit Iurisprudentiam, ſed ille potius προπαιδείαν aliquam ſcripſit, quàm Syſtema Iuris. Quid porrò Ioachimus Stephani *in Arte Juris*, Ioh. Rebhan *in ſuo Hodegeta*, aliique præſtiterint, ſingulatim dicere nimis operoſum foret. Supervacaneus ille eſt labor, ac poteſt ſufficere ordo, quem in Pandectis habemus. Si quis memoriæ cauſâ ordinem quendam requirat, eligat ſibi ex Autoribus, qui Ius totum Schematiſmis ſunt complexi, unum aliquem, quem ſequatur, ſive Henr. Hahnium, ſive I. Ottonem Taborem, perindè hoc erit.

6 Fruſtra quoque ſolliciti ſunt, qui *rationem Corporis Juris, reconcinnandi* (f) propo-

(f) *Rationem Corporis Juris reconcinnandi* Anonymus quidam, ſine loci temporisque indicio, *in 12.* edidit. Occaſionem hæc præbuit Viro Illuſtri, Gotfr. Gvilh. Leibnitio, ejusdem Tituli, ſed diverſæ ſententiæ, libellum, ſub *Veridici de Juſtiniano* larvâ, A. 1669. *in 12.* publicandi, ceu Prodromum *Corporis Juris*, quod tunc moliebatur, *Reconcinnati.* Septennio pòſt, A. 1676. *in 12.* prodiit Juſtini Nomici, τȣ̃ ψευδωνύμȣ, *Conſilium noviſſimum & facillimum de incertitudine & ambiguitate Juris tollendâ, ſeu novo Codice faciendo*, Hanoviæ A. 1679. *in 12.* cum W. B. R. C. H. *Examine* illius, recuſum. De ſingulis hiſce Scriptis, aliisque ſimilibus, longè benignius, quàm Morhofius, tulit judicium, ſimulque quæ in iis deſideraret, indicavit, & ſua, de reconcinnatione iſtâ ad Ordinem Inſtitutionum, conſilia expoſuit, Vinc. Placcius, breviter initio *in Tr. de Scr. Anon. & Pſeudon., P. I. c. 3., p. 34. 35.*, ac fuſius deindè *in Epiſtolâ Curioſâ ſuper Quæſtionibus eruditis variis de Tempore* ſub *Nicetæ Spilii* per Græcam proprii Metaphraſin efficto nomine, Veronæ An. 1681. *in 12.* publicata,

proponere voluerunt publicè, ut tale aliquod Corpus Iuris, quo illi ordine diſpoſuerint Leges, concinnaretur, idque publicè ab omnibus reciperetur. Sed caruit illud Conſilium ſucceſſu, ut facilè quis prudens conjicere potuit. Turbarentur, & Tribunalia, & Cathedræ, hujus rei novitate, quæ uſum, vel planè nullum, vel exiguum, habitura eſſet. Nam, quod Autores illi promittunt, ſe in Legibus ipſis facturos, id jam dudum à Commentatoribus in Legibus, & Paratitlorum Scriptoribus, eſt præſtitum.

Sect. VI.

De Libris ad Protheoriam Juris facientibus.

§. 1. Bibliothecarum Juridicarum Scriptores, Joh. Fichardus, Guido Pancirollus, Ioh. Bechtoldus, Mart. Lipenius, Caſp. Thurmannus, Corn. à Beüghem, ac de iis Judicia. 2. Commentatores in Tit. ff. de Verb. Signif., Lexicographi, Gloſſariorum in Leges Exoticas Scriptores, & Particularum Juris Explanatores. 3. Autores de Interpretatione Juris, & qui Dialecticas ſcripſêre Juridicas. 4. Regularum Juris Commentatores, quorum vitia deteguntur. Optimus hos inter Jac. Gothofredus. Collectores Brocardicorum. Horum Emendatio à G. G. Leibnitio promiſſa.

UT propius ad ipſos Autores Juridicos veniamus, notandi hîc ſunt primò *Scriptores* Juris Bibliothecarii, *qui vel generatim* de omnibus Scriptoribus, vel ſpeciatim de Juridicis, egêre. De illis abundè ſupra eſt dictum. De his pauca ſunt, quæ dici poſſunt. Joh. Fichardus, Guido Pancirollus, aliique nonnulli, jejunè totam hanc rem tractarunt. Paulo plenius, & cum majori fructu Joh. Bechtoldus *in Locis ſuis Comm. Juridicis*, nam ſecundum Titulos materiarum diſpoſuit Autores. Verùm nec hîc omnia ſatis accurata ſunt & ſincera. Parum quoque hoc argumentum ornavit Martinus Lipenius, cujus exſtat *Biblioth. Manualis Juridica*, qui liber non eſt illâ ἀκριβείᾳ conſcriptus, quâ ſcribi debebat. Non enim tale negotium ſuſcipi debet ab homine extra Jurisprudentiæ Sacra conſtituto. Putârim ego, perfectum talem laborem non niſi ab optimo JCto fieri poſſe. Accuratiora procul dubio erunt, quæ *Caſp. Thurmannus* promiſit, Bibliothecas Juris, ſecundum Jurisprudentiæ inſigniores partes partiturus. Edet enim *Bibliothecam Proceſſualem*, *Criminalem*, *Teſtamentariam*, & ſic deinceps. (*g*) 1

publicata, tota *Quæſt. I.* Nec multò pòſt ſpecimen ſuæ idem exhibuit Methodi, in *Juſtiniani Inſtitutionibus Reconcinnatis*, Francofurti A. 1682. *in 8vo* excuſis. Decidant Litem iſtam, ad quos ea ſpectat, Juriſconſulti, peritiâ Nomothetices accuratiore inſtructi.

(*g*) E Caſp. Thurmanni Bibliothecis Juridicis Specialibus Halæ Saxonum *in 4to* jam prodierunt, A. 1700., *Academica*, *Canonica* (de Canonicis, ac illorum Collegiis) & *Duellica*, A. 1701. *Statiſtica*, ac A. 1702. *Salinaria & Metallica*, laudatæ ab his, culpatæ ab illis.

Ante aliquot annos quidam CORNEL. à BEUGHEM ſcripſit *Bibliographiam Juridicam & Politicam*, quâ continentur libri, qui prodierunt ab An. 1651. ad Annum 1680. Amſterdami 1680. *in 12.* Idem Autor promittit *Bibliothecam materiarum nov-antiquam.*

2 Sequuntur Autores, qui circa VERBA & TERMINOS ſunt occupati. Quo pertinent primò omnes illi Autores, qui in *Tit. ff. de Verborum Significatione* ſunt commentati, Barth. Briſſonius præcipuè, & alii, uno Volumine junctim editi, deindè qui Lexica ſcripſerunt, qualia complura ſunt ſcripta. E quibus omnia collegit *Joh. Calvinus*, qui Lexicographorum ante ſe Annotationes plerumque integras, Operi ſuo inſeruit. Multa poſſent hìc ſuppleri, ſi à Viris rei Philologicæ & Jurisprudentiæ peritis negotium hoc tractaretur. Gloſſaria Legum Exoticarum, ubi illud Frid. Lindenbrogii, item Feudalium terminorum Lexica, Godfr. Wendelini *Gloſſarium Legis Salicæ*, ad Jus Codicis non pertinent, uſui tamen eſſe poſſint in Juribus Barbaris verſanti, uti & Joh. Loccenii *Lexicon Juris Sveo-Gothici in 8vo.* Pertinent huc Autores, qui particularum Juris uſum explicuerunt, uti *Chriſtoph. Phil. Richterus*, in *libro de ſignificatione Adverbiorum juris*, & Joh. *Strauchius* in libro *de Particulis juris* quarum uſus, cùm in theoriâ, tùm in praxi, permagnus eſt. Pertinent huc Chriſtoph. Beſoldus *in Theſauro Practico*, à Chr. Lud. Dietherro aucto, Paulus Matth. Wehnerus *in Practicis Obſervationibus*, Joh. Jac. Speidelius *in Speculo*, qui Autt. terminos Juris conſvetudinarii, ſtatutariique, & practicos, cumulant, ſed & multa aliena inferciunt.

3 Ad Protheoriam Juris pertinent Autores, qui de Interpretatione ſcripſerunt, & ſpectant huc primò, qui in genere de Interpretatione Legum agunt, Joh. Eichelius *in ſingulari libro de Interpretatione juris*, Nomicus Pacemutus (i. e. Vincentius Placcius) *in JCto perfecto*, Joh. Ludov. Praſchius *in JCto Vero & Perſonato.* Sunt deindè Autores, qui *Dialecticas Juris* ſcripſerunt, magno numero, Franc. Hotomannus, Mart. Schickardus, Joh. Thom. Freigius, Matthias Stephani, Nicol. Vigelius, Daniel Otto, Nicol. Everhardus (cujus *Synopſin* conſcripſit Georg. Adamus Brunnerus,) qui tamen iſtis laboribus ſuis nil minus docuerunt, quàm interpretationem Juris. Legendum de iis judicium Dav. Mevii in *præfatione in prodromum Juris N. & G.*

4 Huic interpretationi inſerviunt JURIS REGULÆ, quarum *in Pandectis* peculiaris titulus magnam habet Commentatorum ſylvam. E quibus omnium optimus eſt JAC. GOTHOFREDUS. Nam plerique omnes imperitè in explicatione Regularum verſantur. Sed Gothofredus oſtendit, è quibus fontibus illæ deſumptæ, & quomodo ex illis interpretandæ ſint. Sunt &, qui *Juris Regulas prætermiſſas* ſcripſerunt, ut Ryſewick, quorſum refert interdum, quæ apud JCtos reperiuntur indefinita effata. Prodiit *in 8.* paucis notus liber. Sed in his Axiomatibus cautè procedendum eſt, neque, ut univerſalia, accipienda, quæ reſpectu certo dicuntur. Ita enim à particulari argumentamur, quo ſophiſmate nihil eſt frequentius, abeſſe vero à Regulis

juris

juris debet, quantum fieri poteſt. Eſt enim omnis definitio (univerſale effatum) in jure periculoſa. Sunt præterea alii, qui nova illis Axiomata addiderunt è Doctoribus & Practicis, & penè tot Regulas & ſententias Juris confecerunt, ut mole ſuâ ipſum Jus exæquent, uti Aug. Barboſa *in Axiomatibus* à Joh. Ott. Tabore locupletatus. *Brocardica* appellant, ut dignum habeant elegantiis ipſis nomen, perpetua Cauſidicorum crepitacula. Eorum Brocardicorum reformationem promiſit Autor *Methodi novæ Jurisprudentiæ* Godfr. Gvilh. Leibnitius, ad perfectam univerſalitatem ſe omnia reducturum ſperans, qui ne ſpe ſuâ excidat, valdè vereor. Quæ enim verè univerſalia ſunt, pauca ſunt, neque cum tantâ turbâ & apparatu comparent.

Sect. VII.

De Singulorum Iuris Librorum Interpretibus.

§. 1. Judicium de Antiquis Corporis Juris Gloſſatoribus. 2. De notis in iſtud Dion. Gothofredi & Sim. Lewii. 3. Ad Inſtitutiones Notæ Marginales ſufficiunt. Prolixi in eas Commentatores vituperantur, uti & JCtorum ſe mutuò exſcribendi Cacoëthes. Judicia de Comm. Conr. Rittershuſii, J. Borcholti, Rein. Bachovii, & Arn. Vinnii (è Bachovio ſua mutuati.) 3. Commentatores in Pandectas perpetui Joh. Brunnemannus & J. Otto Tabor, in fragmenta quorundam JCtorum Jac. Cujacius, in Leges inſigniores Paulus Buſius. 4. Paratitla (cujus Vocis ſignificatio fuſius evolvitur) in Pand. Matth. Weſenbecii, ab Henr. Hahnio & R. Bachovio illuſtrata. 5. Commentatores ff. Critici, Guilh. Budæus Petrus Coſtalius, Paulus Buſius, Pet. Grævius, Princepsque omnium Jac. Cujacius. Joh. Steckii contra hos Liber. Judicium de Comm. Hug. Donelli, ejusque Epitomatore, Oſw. Hilligero. 6. Syſtemata Juridica, Pandectarum ordine diſpoſita, Bernh. Schotani & J. Jac. Wiſſenbachii, hisque addendum Collegium Argentoratenſe. 7. Diod. Thuldeni Comm. inſignis in ff. promiſſus, Scriptaque alia edita. Neceſſitas conjunctionis Theoriæ & Praxeos in Jure. Pet. Denaiſii de Advocatorum imperitorum multitudine Apophtegma. 8. Alii Syſtematum & Diſputationum Jurid., juxta Methodum Digeſtorum, Scriptores, Franc. Duarenus, Georg. Ad. Struvius, Joach. Schnobelius, & Hier. Treutlerus (Rein. Bachovium Cenſorem nactus.) M. Ant. Delrio & Pet. Broſſæi Miſcellanea Scriptorum Juris ſive Loci Communes ad Pandectas & Codicem. 9. Commentatores in Codicem præſtantiores, Jac. Gothofredus (in Cod. Theod. omnium optimus,) Azo, Rich. Malumbra, Hub. Giphanius (cujus Eruditio laudatur,) Diod. Thuldenus, Lud. Grempius, Ant. Perez, J. J. Wiſſenbachius, Matth. Weſenbecius, Joh. Brunnemannus. 10. Jac. Cujacii Paratitla in Cod. Ant. Matthæi Elogium illorum. 11. Ordinem Codicis ſequuntur Ant. Faber. (de quo, & Cenſore ejus importuno, Rein. Bachovio, obiter fertur judicium,) in Cod. Fabriano & Paulus Chriſtinæus in Deciſionibus. 12. Novellarum

Interpretes, Conr. Rittershuſius & Pet. Gudelinus. Lingua Græca ad illarum lectionem neceſſaria. 13. Jus Canonicum Orientale, Conciliorum conſtans Canonibus, Photii Nomocanon, & Chriſtoph. Juſtelli Biblioth. J. Can. complectuntur. 14. Nonnulla de J. Can. Occidentali, ſive Pontificio, ejusque Compilatoribus (Gratiano & Raymundo) & Illuſtratoribus. Decretum Gratiani juſſu Greg. XIII. emendatum. Pet. Ciacconii Caſtigationes deperditæ. Ant. Auguſtini de Emendatione illâ Dialogi. Dav. Blondelli Pſeudo-Iſidorus, Epiſtolis Decretalibus oppoſitus. Forma Proceſſus hodierni è J. Can. eſt derivata. 15. Juris Feudalis in Publico Neceſſitas. Vulgare Jus Feud. ἀμέθοδον. Complura de Ant. Mericutii novâ illius Collectione. Scriptores ejusdem alii complures, quos inter Conr. Rittershuſius & Thom. Craigius præcipuè commendantur, Stylus Jur. Feudalis Barbarus. Terminos ejus explicant Gloſſariorum Scriptores, quorum Princeps eſt Car. du Freſne. 17. Joh. Strauchii Amœnitates Juris Canonici, & Caſp. Ziegleri de eodem labor, commendantur.

1 DIcendum nunc aliquid de INTERPRETIBUS inſignioribus *librorum juris.* Et quidem Corpus illud Legum Romanarum nactum eſt plurimos Interpretes, cum quorum notis prodiit in lucem. *Gloſſatores* illi veteres multa quidem ad libros Juris notârunt, ſed quoniam nullâ hiſtoriâ ac philoſophiâ erant imbuti, & præterea artis Hermeneuticæ inſtrumentis deſtituti, multa protulerunt inepta, in quibus tamen reperiuntur utiliſſima quædam ad praxin ſpectantia. Occurrunt etiam aliqua, quæ ad ipſius Juris & Legum explicationem pertinent, & veluti conjectando proferuntur. Bartolus Cajus, *in præfatione Commentariorum Juris* Franc. Connani, eleganter comparat Gloſſatorum Iuris Volumina, & eorum lectores, iis, qui in metalli-fodinis operantur, quibus eſt magna opera inſumenda, ut, inter tot excrementa & ſcorias, aliquam auri particulam inveniant. Eorum tamen uſus non eſt contemnendus, ut profuerunt ſanè in multis Hug. Grotio, cùm Opus *de J.B. & P.* conficeret. Multi quoque, qui tot hodiè in Iure novos libros parturiunt, non exiguam partem illis debent. Multa quoque plenius & accuratius pertractare poſſent, ſi legiſſent Vett. illos libros. Veneremur itaque illos, ut ſolemus Opera vetuſta in pretio habere, non ob elegantiam, ſed quòd in ruditate illâ antiquâ lateat aliquid, quod uſui eſſe poſſit.

DIONYSII GOTHOFREDI Notulæ ſunt elegantes; nam è Cujacio, aliisque ejus
2 temporis Criticis & ICtis, textuum emendationes notat, locaque parallela, & contrarias Leges. Hodiè auctiores illæ notæ in Editione novâ Batavicâ occurrunt, quam Simon Lewius paravit, qui è Salmaſio, aliisque Criticis Autoribus, utiliſſimas prioribus notas adjecit.

In Libros Iuris ſpeciatim ſcripſerunt multi. Quot non ſunt in INSTITUTIONES
3 Commentarii? Atque hîc, ſi ullibi, mos eſt ICtis familiaris, ſe mutuò exſcribere. Iac. Cujacii quidem eſt ſententia, *Inſtitutiones vix Interprete indigere, niſi breviuſculo*

ſculo marginali. Quæ ſententia & mihi placet. Magnam enim confuſionem pariunt ſpiſſi iſti Commentarii, & fuſiores diſputationes Iuris, è ff. in Elementa Iuris illatæ. Quâ in re pravus nonnullorum mos eſt, qui ex omni Iure, Divino, Humano, Cæſareo, Canonico, Statutario, Praxi ipſâ, & Proceſſu, varia coacervant ad Inſtitutionum Textum, quales ſunt Joh. Schneidewini & Caſp. Manzii *Commentarii.* Quorſum enim attinet, in Elementa Juris iſta omnia congerere, atque ita multiplicare inutiliter labores, neceſſariò ſuo loco & tempore repetendos. Conr. Rittershuſiii *Commentarius* eruditus eſt, & ad interpretationem verborum & textûs multum confert commodi. Joh. Borcholti quoque planus eſt *Commentarius*, & è Cujacio, plurimisque optimis JCtis, congeſtus. Reinerus Bachovius in ſubtilitatibus Juris venandis curioſior, quàm eſſe oportet. In primâ illâ Juris inſtitutione tyronibus non eſt legendus, commendandusque præ illo Arn. Vinnius, quanquam Bachovium penè omnibus paginis exſcribat, in eo tamen laudandus, quòd quæ apud Bachovium ſunt obſcuriora, dilucidius & diſtinctius proponat. Infiniti denique ſunt in *Inſtitutiones* Commentarii, quos omnes recenſere, tempore eſſet abuti, cùm verum hic ſit vetus illud: *unum nôris, omnes nôris.* Si unum habeamus, eumque optimum, aut jungamus illi alterum ſubtiliorem diſputatorem, quid opus eſt de variis nominibus & titulis eſſe ſollicitum?

In Pandectas perpetuum *Commentarium* non habuimus, antequam *Joh. Brunnemannus* Opus ſuum publicavit; ſed neſcio, an perpetuos tales Commentarios ſcribere utile ſit, cùm poſſit res brevius expediri. Multa enim in legibus ipſis ſunt ſupervacanea, multa repetita, quibus veſtigiis, ſi Commentator inſiſtit, multa illum repetere neceſſe eſt, atque ita Commentarium inutiliter augere. *Jac. Cujacius* aliam quandam methodum inſtituit. Nam JCtorum Reſponſa, ut Pauli, Papiniani, Modeſtini, in unum Volumen collegit, atque ita in JCtorum ſingulorum fragmenta eſt commentatus. Quod ad Hiſtoriam quidem Juris egregiè conducit, ſed methodum turbat vulgatam. Inediti ſunt hactenus Joh. Ott. Taboris *perpetui Commentarii in Leges ſingulas*, qui ab hæredibus premuntur, usque dum Bibliopolam liberaliorem invenerint. In aliquas Leges inſigniores *Paulus Buſius* eſt commentatus. 3

Paratitlares *Scriptores* omnium in manu ſunt. Matth. Weſenbecii *Paratitla* utiliſſima ſunt, quæ poſtea Commentariis ſuis, tùm Rein. Bachovius, tùm Henr. Hahnius, illuſtrârunt. Eo tamen effecerunt, ut non amplius eſſent Paratitla, quæ propriè ſunt, uti Juſtinianus Imperator in *Præfatione de concept. ff.* ait, *Indices* tantummodò *Legum.* Dicuntur autem *Paratitla*, quòd ſint appendices titulorum; Alii vocant *ſupplementa titulorum*, notas ſcil., quibus ex reliquis titulis ſupplentur ea, quæ ad titulum præſentem pertinere videntur. Ut rectè dixerit Matthæus Monachus *in fragmento*, edito ab Antonio Auguſtino, *Paratitla eſſe repletiones titulorum, i. e. indices Legum, quæ ex ceteris titulis ad unum ſubtiliter revocari poſſint.* Idem & Car. Hannibal Fabrottus ait, *in notis ad Collectionem Conſtitutionum Eccle-* 4

ſiaſtica-

ſiaſticarum, ubi Cujacium reprehendit, quòd ignoraverit, quid eſſent Paratitla. Illi enim Paratitla non niſi ſummaria habentur, quod & ipſe ſuis Paratitlis, quæ in *ff.* & *Cod. Theodoſ.* ſcripſit, oſtendit. Iac. Gothofredus quoque *in Cod. Theodoſ.* multis monſtravit ſpeciminibus, quid ſint Paratitla. De Paratitlis vide ulterius Æg. Menagium *in Amoenitatibus Juris Civ. cap. 15.* Ceterùm Paratitla iſta, ſi rectè ſint inſtituta, optimi Commentarii inſtar eſſe poſſunt, ſi conſtet de ſenſu verborum. Nil enim melius explicatur, quàm ſi res cum re ipſâ conferatur.

5 *Commentatores ff.* CRITICI & PHILOLOGICI hic etiam magnum habent numerum & uſum. Guil. Budæi *Comment. in τὰ πρῶτα* utiliſſimus eſt ad intellectum Legum, quàm diligentiſſimè enim vetera illa explicat, quibus ſi deſtitueremur, in multis eſſet hallucinandum. Petrus Coſtalius *Adverſaria* ſcripſit, in quibus collegit ex *ff.* Leges notabiliores, & ad illas eſt commentatus. Optimus Autor & rarus, editus Colon. A. 1560. Idem fecerunt Paulus Buſius, cujus exſtant *Subtilitates in ff.*, quo in libro difficiliores Leges explicat, & Petrus Grævius, *in Exercitationibus ſuper difficiliores Leges*, Ultraj. *in 8vo.* editis. Criticorum in Legibus tractandis audaciam reprehendit Joh. Steckius *in Obſervationibus Anticriticis Juris, ſ. Vindicationibus Legum à Corruptelis Criticorum & Neotericorum Interpretum*, qui liber, Baſileæ editus A. 1627. *in 4to*, multa continet ſcitu digniſſima. *Jac. Cujacius* primus hanc viam emendandi Jura eſt ingreſſus, & æmulos ob illam cauſam eſt aliquos nactus, qui libris Eriſticis illum exceperunt. Sed ita ſe adverſus illos defendit Cujacius, ut facilè appareat diſcrimen. Hugo Donellus Jus Codicis luculentis *Comm.* illuſtravit, methodum tamen *ff.* paululum immutans. Hunc nimis prolixum enucleavit *Oſwaldus Hilligerus*, cujus liber ad uſum eſt expeditior. Ego tamen malim ipſius Donelli *Commentariis* uti.

6 Aliqui ſecundum ff. *methodum* omnes Libros Juris diſpoſuerunt, quo modo procedit Bernh. Schotanus *in Examine ſuo Juridico*, & *in Collegio*, quod tamen non eſt abſolutum. *In Examine* per Erotemata omnia proponit, quod liber eſt commodus pro informatione primâ. Joh. Jac. Wiſſenbachius, *in Diſp. ſuis ad ff. inſigniores Legg. & controv.* perſpicuè & breviſſimè omnia propoſuit, leges contrarias interdum feliciter conciliat, diligenter & cum curâ enumerando varias JCtorum ſententias & interpretationes. Additur his *Diſp. Comment. in titt. de V. S. & R. J.* Celebre quoque eſt *Collegium Juris Argentoratenſe*, quod ſecundum *ff.* concinnatum eſt methodum, per varios Autores, dirigente tamen Juſto Meyero, JCto doctiſſimo, uti patet ex *Endoxis* illis, quæ addidit *Collegio Argentoratenſi.* Adjecit etiam *notas* ſuas Joh. Otto Tabor. Opus certè locuples eſt, & magnâ curâ congeſtum. Pleraque omnia ex aliis Juris Libris, imò & nonnunquam ex Jure Publico, Feudali & Canonico, immiſcentur. Atque eo fine ſcriptum eſt, ut exhiberet velut Digeſta univerſalia Juris. Ex eo *Compendium* adornatum eſt à Greg. Biccio. Nam vaſtus ille liber exercitiis primis juventutis non adeò commodus eſſe videtur.

7 Promiſit & *Diodorus Thuldenus*, JCtus Lovanienſis, Vir, non in Jure ſolùm, ſed

ſed & in aliis doctrinis, eleganter doctus, *Comm. in ff. Juris Methodicum, Æthiologicum, Analogicum & Pragmaticum* (ita enim titulus habet.) Non crediderim tamen, lucem illum vidiſſe. Saltem Titulus ille apparet inter reliqua ejus Opera iſtis præfixus, quantum tamen ex illo apparet, optimâ methodo conceptus eſſe videtur. Nam & cauſas Legum, & Analogiſmum, & praxin, illo oſtendere voluit, quæ omnia ſi conjungantur, feliciſſimè res ſuccedet. Rari ſunt illi JCti, qui illa omnia ab ipſis fundamentis conjungunt. Sterilis eſt omnis Æthiologica, & Analogica cognitio, niſi accedat uſus & praxis, rurſusque praxis ſuo eſt fundamento deſtituta, ac infeliciſſimè tractatur, ſi cognitio methodica non præceſſerit. Hinc eſt, quòd *Petrus Denaiſius*, Aſſeſſor Cameræ Spirenſis, JCtus doctiſſimus, teſte Melch. Adamo *in ejus vitâ*, ſolitus eſt dicere, ſe vix tres quatuorve vidiſſe Advocatos, qui ſupra rabularum nomen fuerint, quique ſtatum controverſiarum probè intellexerint, & ex fundamentis Juris ſuorum Clientum cauſas agere nôrint. Ceterùm Thuldenus ille, quem modò laudavi, plures alios in Jure libros ſcripſit, in quibus eminent *libri* ejus *V. de Cauſis ac Remediis corruptorum judiciorum*, qui Coloniæ editi ſunt A. 1624. *in 4to.*, item *libri duo de Jurisprudentiâ extemporali, ſ. de Regulis Juris*, Lovanii primum editi *in 4.* A. 1629., qui deindè, tertiâ parte auctiores recuſi, ibidem prodierunt A. 1643.

Franc. Duareni *Diſputationes Juris* pleraque complectuntur, quæ ſpectant ad Jus univerſum. Vir fuit doctus, qui tamen Thuano ex Æmari Ranconetti ſchedis multa petiviſſe dicitur. Georg. Ad. Struvii *Jurisprudentia* notior eſt, quàm ut quicquam de eâ dici opus ſit. Hodiè plerumque pro libro compendiario univerſi Juris habetur. Solet enim ſic fieri, ut liber alicujus JCti, qui famam aliquam eſt promeritus, in uſus publicos adhibeatur. Joach. Schnobelii breves *Diſputatiunculæ*, non tamen cum curâ ſcriptæ, in Academiis Germaniæ plerumque Theſium loco inſervire ſolent, quibus Jus univerſum ὡς ἐν ἐπιτομῇ diſputandum proponitur. Ceterorum Scriptorum Compendiariorum, nec finis, nec modus eſt, quibus recenſendis ut immoremur, vix operæ eſt pretium. Unicum ut addam, Locorum Communium in Jure Exegeticorum ideam dedit *Marcus Antonius Delrio*, cui poſtea augmenta inſignia adjecit Petrus Broſſæus, JCtus, quæ prodierunt Lugd., apud Sam. Criſpinum, A. 1606. *in 4to*, ſub tit. *Miſcellanea Scriptorum univerſi Juris Civ., duobus Tomis diſtincta, ex optimis Autoribus & Interpretibus Juris, quæ ſparſim ab illis alieno loco notata, ſub ordinem Titulorum & Legum Digeſtorum & Cod., ad ſuas Leges relata.* Qualis labor ſi continuaretur ab aliis, res magnæ ſanè utilitatis foret. Illi Autores tantùm digitum intendunt, viamque oſtendunt. Hieron. Treutleri *Diſputationes* omiſimus, qui inter Compendiarios eſt referendus, ac frequentari ſolet paſſim in Academiis. Optimum eſt in illo, quod controverſias ad ſedes, & genera ſua, revocavit, quarum definitiones & diviſiones perpetuis JCtorum Autoritatibus confirmat, non diſſimulatis etiam illis, qui diſſentiunt. Laudari itaque Treutlerus debet, tanquam Locor. Commun. Collector. Illius Theſes enim non tantum habent pon-

deris aut curæ. Præcipuè ratio habenda eſt Autorum illorum, quos citat, quorum loca & legenda ſunt, & relegenda quoque, ac cum Autoris Theſibus conferenda, in quibus tamen multa ſunt improbanda, multa per errorem & incuriam admiſſa. Nactus eſt Hypercriticum & cenſorem ſatis rigidum, Reinerum Bachovium, cujus exſtant in illum *Commentaria*, non quòd Autor ipſi dignus viſus fuerit, quem *Commentario* illuſtraret, ſed quod hîc quaſi ſignentur loca, & veſtigia univerſæ Jurisprudentiæ ducantur.

9 In CODICEM exſtant multorum labores. Omnium anteſignanus eſt Jac. Gothofredus, qui Herculeum penè laborem in *Cod. Theodoſ.* inſumſit, è quo fonte *Juſtinianeus* profluxit. Tàm operoſa hujus Viri fuit induſtria, ut omnium conatus unus vinceret. Nemo *Codicis* textum in ipſis incunabilis ſuis intelligit, niſi ab hoc Autore monſtrata via ſit. Omnem enim ſingularum Legum hiſtoriam accuratiſſimè & uberrimè deduxit. Noti ſunt Veterum Autorum labores, Azonis & Richardi Malumbræ. Ille rudis adhuc, & impolitus, & hic non contemnendo *Commentario* quidem *Cod.* illuſtravit, ſed ſuperavit illum Recentiorum diligentia. Scripſit Hubertus Giphanius *Enarrationes & Commentarios in 8. Libros Cod.* non quidem in Leges omnes, ſed tamen in celebriores & difficiliores, in quibus non ſolùm abſtruſiores Antinomias & Controverſias, tàm Scholaſticas, quàm Forenſes, ſed legum etiam ipſarum ſenſus explicat: Liber editus eſt Francofurti ad Moenum A. 1631. *in 4.* Quantus autem Vir Giphanius fuerit, nemini eſt ignotum, Heros ſanè inter JCtos Germanos, qui doctrinam multiplicem, multarumque linguarum peritiam, ad juris ſcientiam attulit. Non immeritò Johannes Strauchius (ipſe JCtus Germaniæ doctiſſimus) *Germaniæ* illum *Cujacium* vocat *in Diſſ. ſuâ de Beryto.* Diodorus Thuldenus, in Academiâ Lovan. Anteceſſor, *Comment. ad Cod. Juſtinianeum* ſcripſit non ſpernendum, qui editus eſt A. 1651. Lovan. *in fol.*, in quo ſenſa legum cujusque tituli illuſtrantur, ac quæſtiones adjiciuntur, quæ in judiciis frequentiores occurrunt. Selecta ſunt, quæ illic habentur, quanquam non omnia ſint abſoluta & perfecta. Compendiarium laborem in *Cod.* ſcripſit Ludov. Grempius, cujus exſtat *Cod. Juſtinianei methodica tractatio*, Francofurti, A. 1593. curâ Jacobi Schegkii edita. Ille verò brevis tantùm eſt, & per Erotemata ſimplicia, atque in uſum juventutis formata, Jurisprudentiam *Cod.* proponit. Plenior eſt *Comm.* Antonii Perezii, qui poſt ceteros omnes illum edidit, adjectus & poſterioribus tribus Libris, qui vulgò alias omitti ſolent. Non enim adeò ad rem forenſem pertinent, ſed pleraque illa jam in uſu eſſe deſierunt, & ad Veterem Jurisdictionis Romanæ formam ſpectant (non tamen vetuſtiſſimam.) I. Jac. Wiſſenbachius ad *Cod.* etiam nonnulla ſcripſit, ſed, pro ſuo more, non ad ſingulas Leges commentatus eſt, ſed excerpta quædam difficiliorum Legum dedit, quarum ſententias & controverſa diligenti Autorum collatione ſic ſatis inveſtigavit. Quæ Matth. Weſenbecius *in Cod.* ſcripſit, mutila ſunt, & manca. Joh. Brunnemannus ad practicos uſus potiſſimum eſt referendus.

10 JAC. CUJACIUS Paratitla *Cod.* ſcripſit, Libellum exiguum, quem omnes JCti mirificè

rificè laudant. Anton. Matthæus, JCtus certè non obeſæ naris, in ſuâ *Oratione IV. p. 103.*, magnum illi ſuſpendit Elogium, cujus hæc ſunt verba: *Omnium lucubrationes, etiam, qui juſta Commentaria ſcripſerunt, Viri Excellentiſſimi, Jac. Cujacii, indefeſſa contentio ſupergreſſa eſt, cujus aureum Paratitlorum Opus apud ſapientes in tantâ eſt admiratione, ut in reliquis quidem ſcriptis alios, in Paratitlis autem Cod. ſe ipſum ſuperaſſe viſus ſit. Hotomannus certè, quanquam æmulus illi, ac propè inimicus, tamen ſine invidiâ ac ſimpliciter adverſarii vires æſtimans, tanti id Opus fecit, ut filium, Joh. Hotomannum, peregrè ob ſtudia profecturum, cum Davidis Pſalmis, Paratitla ejus perpetuò in itinere circumferre juſſerit.*

Fuerunt, qui ſecundum ordinem & ſeriem Titt. Cod., privatim aliqua ſibi promtuaria concinnârunt, quorum deindè ſpecimina publicè ediderunt, uti Paulus Chriſtinæus, & Anton. Faber, magni Vir nominis. Et hic quidem, cujus, tàm in Theoriâ, quàm in Praxi, ſuperiori ſeculo celebrata fuit ἀκρίβεια, *Codicem* publicavit, qui *Fabrianus* ab ejus nomine dicitur. Hunc adeò mihi quondam commendavit *Dav. Mevius*, ut hunc ſibi unicum ad praxin fuiſſe magiſtrum diceret. Claritas nominis ejus movit Rein. Bachovium, ut adverſus illum libros ſcriberet. Nam Opus aliquod adverſus ipſum edidit, in quo integram Chiliadem errorum ejus obſervavit. Sed fuerunt alii, qui ipſum adverſus Bachovium defenderunt. Erat enim Bachovio quodammodo Sophiſticum ingenium. Inſignis quidem fuit ejus eruditio, tàm in Hiſtoriâ, quàm in Jure, ſed importunus erat aliorum Cenſor, &, libidine contradicendi motus, ſæpè lites movit non neceſſarias, ſæpè etiam falſas planè ſententias ſectatus eſt, ſæpè loca Legum, ex ſuis conjecturis, pro corruptis habuit, ſæpè etiam in ipſos JCtos Veteres, ſæpè in Tribonianum, injurius. In praxi certè Juridicâ non magnopere eſt aliis æſtimatus. Sæpè enim Conſuetudines fori in alia omnia abeunt, quod cùm obſervant homines, in rem illam intenti, ſæpè excurſu illarum admittere aliqua debent, quæ manifeſtè contra Jura eſſe clamavit JCtus Scholæ tantùm aſſuetus. Pleræque ejus ſubtilitates, in erroribus Fabri notatis, in eo verſantur, ut notet actionem non rectè inſtitutam, vel alteri non rectè miſtam, quæ omnia, ſiquidem ex indole Romani Juris æſtimaveris, recte ſe habere poſſint, ſi verò ex uſu & obſervatione forenſi, nonnunquam alia ratio eſt ineunda. Paulus Chriſtinæus itidem *Deciſiones ſupremorum tribunalium*, non fortuitò & temerè confuſas, ſed juſto ordine *Codicis* diligenter & accuratè digeſtas, edidit, cujus Viri nomen inter Practicos ſatis eſt celebratum. 11

Ad Novellas Constitutionum pergimus. Earum optimum habemus Interpretem Rittershuſium, Virum, non in Juris ſcientiâ tantùm, ſed in omni elegantiori literaturâ verſatiſſimum. Huic jungendus Pet. Gudelinus in *Iure noviſſimo*, qui Jus illud Novellarum, inprimis, ubi diſcrepat à ceteris Juribus, diligenter collegit, ac ea inter ſe contulit. De *Novellis Conſtitutionum* quando illæ editæ, deque Imperatorum Novellis, quæ Juris autoritatem non habent, uti Leonis, aliorumque, legendus eſt Joſ. Maria Suareſius, *in Notitiâ βασιλικῶν*, præmiſſa Operi ipſi βασιλικῶν, 12

quod edidit in Galliâ Car. Hann. Fabrottus. Ceterùm quoniam omnes Novellæ Græcâ Linguâ ſunt conſcriptæ, vel inde videmus, quàm utilis ſit JCto Græcæ Linguæ notitia. Cùm enim noviſſima Iura his contineantur, & illa autoritatem ſuam in Græcâ Linguâ habeant, neceſſum eſt eos, qui è Verſione tantum ſapiunt, in multis titubare. Quinimò in ipſis Verſionibus plurimi ſunt errores paſſim à Viris doctis notati. De variis interpretationibus & Interpretibus Novellarum vid. Er. Mauritius *in Differt. de Libris Juris*, *Theſ. 16.*, ubi pluribus eâ de re agit.

13 CANONICI JURIS Hiſtoria & Interpp. probè quoque notandi ſunt. Et quidem Jus Canonicum quoque duplex eſt, illud, quod in *Oriente* obtinuit ſub Imperatoribus Græcis, & quod deindè *Pontificiâ autoritate à Compilatoribus* eſt collectum. Antiqui illius non fuit iſta autoritas, quæ Juris Canonici Pontificii, conſtititque Canonibus Conciliorum Græcâ Linguâ ſcriptis. Edidit Photius *Nomocanonem*, quô pleraque comprehenduntur, quem illuſtravit Græco *Commentario* ſuo Theodorus Balſamon. Poſtea autem *Chriſtoph. Juſtellus*, Vir doctiſſimus, quicquid nanciſci potuit Veterum Canonum, & hunc ipſum *Nomocanonem* Photii, uno libro *in fol.* collegit, ſub Tit. *Bibliothecæ Juris Canonici.* Liber rariſſimus eſt, & magno pretio venditur, ſed in quo multa continentur, quæ ſpectant ad diſciplinam Eccleſiaſticam Veterum, ut ita non ratione Juris tantùm, ſed & ratione Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, prodeſſe poſſit.

14 JURIS CANONICI *Pontificii* nullam habemus hactenus hiſtoriam (*b*) accuratè ſcriptam, præter paucula illa, quæ notarunt Albericus Gentilis *in Diſſertatione de libris J. Civ. & Can.*, Arthurus Duck *in Lib. de autoritate J. Can.*, & Conr. Rittershuſius *in lib. de Differ. J. Civ.* & *Can.*, qui liber utiliſſimus eſt Iuris Studioſis, præcipua enim capita tractat, in quibus abit Ius Canonicum à Civili. Ceteri, qui peculiares aliquas Diſſertatiunculas ſcripſêre, ut ſunt nonnulli, vix aliud afferunt, quàm quod è citatis modò libris concinnârunt. Compilatores hujus Iuris præcipui ſunt Gratianus Monachus, & Raymundus, Capellanus Gregorii Noni. Ille *Decretum* congeſſit, hic *Decretales.* Varia de his Compilatoribus Iudicia compilavit Ioh. Chifletius *in Apologeticâ Diſſertatione de Juris utriusque Architectis*; ſed nihil ab illo ſolidi affertur, quod facere poſſit ad defenſionem illorum, mera enim tantùm ex Autoribus Excerpta ſunt. Gratiani *Decretum*, cùm multis ſcateat mendis, inſtitutum fuit à Gregorio XIII. quoddam Virorum doctorum Concilium eum in finem, ut operam ſuam conferrent in emendandum Decretum. Illi Concilio adhibitus quoque fuit Pet. Ciacconius, Philologus magni nominis Hiſpanus, quem plura, quàm ceteros omnes, contuliſſe ad hanc emendationem ait Andreas Schottus, quæ tamen Caſti-

(*b*) *Hiſtoriam Juris Canonici* (quam inter Deſiderata Juriſprudentiæ refert Morhoſius,) ſive *de Progreſſu, Incrementis, Collectionibus Auctoribusque Juris Eccleſiaſtici & Pontificii, Tractationem*, Duisburgi A. 1677. *in 8vo* edidit Gerh. à Maſtricht, Reip. nunc Bremenſis Syndicus, de quâ, mihi licet non viſâ, ob doctrinam Autoris inſignem & multiplicem, optima quæque ominor.

Caſtigationes lucem non adſpexerunt, ipſo teſte. Diſciſſæ enim fuerunt iſtæ paginæ à Ciacconio, quorundam rumoribus offenſo, quaſi ad ſe rapere omnem Editionis laudem vellet. Exſtant & Antonii Auguſtini *Dialogi de Emendatione Gratiani*, Opus eximium, quodque ad Iuris Can. intelligentiam magnam afferre lucem poſſit, non ita pridem recuſum in Batavis. Multum quoque operæ poſuit, in ſuppoſititiis quibusdam Pontificum Epiſtolis configendis, Vir in Antiquitatis cognitione verſatiſſimus, *Dav. Blondelius*, cujus exſtat Pſeudo-Iſidorus, præclarum ſed rarum Opus. Hi ſunt præcipui Autores, quos ad hiſtoriam iſtius Iuris commendare poſſum. Commentatorum in Ius Pontificium integra eſt ſylva, cui me non immittam; neque enim neceſſe eſt, in iis nimis eſſe operoſum. Si enim capita illa, in quibus Ius Civile differt à Canonico, cognita habeamus, non eſt quòd moremur cetera. Forma tamen proceſſus hodierni tota ex Iure Can. eſt, quam ob cauſam Commentatores hujus argumenti ex Iure Can. benè delegiſſe non parum ad praxin ipſam confert. Ceterùm de Proceſſibus ipſis, eorumque Scriptoribus, integrum quis Volumen facilè conficere poſſit, ac promiſit inter ceteras Iuris Bibliothecas Bibliothecam quoque *Proceſſualem* Caſp. Thurmannus.

Ius Feudale non eſt perfunctoriè tractandum iis, qui Ius publicum accuratius 15
tractare volunt. Cùm enim cetera Iura pleraque ſint privata, hæc Feudalia ſe immiſcent rebus Principum, & altè ex hiſtoriâ ſunt repetenda, in quâ non vulgariter doctum eſſe oportet, & quidem usque ab ævo Caroli M., qui Iura Principum eſt tractaturus. Quod habemus in Corpore Iuris Ius Feudale, ſine methodo certâ & ordine conſcriptum eſt. Ejus collectio poſtrema ab *Antonio de Prato Veteri* facta fuit, quam & à Friderico III. Imperatore probatam aliqui volunt. (*i*) Multa ſunt JCtorum loca, quibus Autor ille deſideratur. Hoc Opus inciderat olim in manus Erici Mauritii, in hac quondam Academia Prof., nunc Cameræ Spirenſis Aſſeſſoris, quod ille, velut ſingularem Theſaurum, ſæpè mihi oſtendit, ac editioni deſtinavit, quæ an unquam ſit proditura, ambigo. Nomen integrum Autoris eſt *Antonius Mericutius de Prato Veteri*. Mentionem facit ejus Mauritius *in Diſputatione de Libris Juris, Theſi 24 & 25.*, ac oſtendit, quàm diſcrepent multa apud illum à vulgari textu. Quod verò attinet hujus Juris Interpretes, penè non ſunt pauciores illi, quàm ipſi juris Civilis Interpretes, diverſâ enim methodo omnes utuntur. Aliqui ſcripſerunt Epitomas, Compendia, Methodos, Analyſes, Synopſes. Aliqui celebriora & utiliora ejus Juris loca illuſtrârunt. Alii novum ordinem fabricati ſunt, relicta Librorum

 Feuda-

(*i*) Ant. Mericutii de Prato Veteri, JCti Bononienſis, *Collectio Nova Juris Feudalis*, A. 1428., juſſu Collegii Juridici Bononienſis, conſcripta, in Libros VI. digeſta, & à Frid. III. Imp., uti fertur, approbata, cujus Editionem tot JCti deſiderarunt, & Er. Mauritius è Codice ſuo pollicitus quidẽ eſt, ſed non exhibuit, poſt obitum tandem ejus, è Codice Regio Pariſienſi, curante Joh. Schiltero, JCto Argentinenſi, prodiit, & ſubjuncta ab hoc eſt *Codici Juris Alemannici Feudalis*, *Commentario* à ſe illuſtrato, & Argent, A. 1696. *in 4to* excuſo. Hiſtoriam ejus D. Sam. Reyherus, JCtus Kil. Diſſertatiunculâ peculiari, hoc ipſo A. 1704. editâ fuſius enarravit.

Feudalium ſerie. Aliqui Controverſias, & Quæſtiones inſigniores tractârunt, uti Hartmannus Piſtorius, & Andr. Fachinæus. Inter Compendiarios præcipuum locum meretur Conr. Rittershuſius, qui *Partitiones Iuris Feudalis* ſcripſit, in duos Libros diſtributas, & Marpurgi A. 1615. editas. Methodus, quâ utitur, eſt ſimplex, & ad Informandum aptiſſima. Proponit enim Erotematicè totum illud Jus, perpetuo inſtituto ſermone inter Diſcipulum & Magiſtrum. Autores aliquot præcipuos, qui de Feudis ſcripſêre, ſed Compendiarios tantùm & breviores, Guilh. ſcil. Fornerium, Ant. Contium, Marqu. Freherum, &c. Francof. A. 1668. *in 12.* collegit uno libello Magnus Wedderkopfius. Interpretum alioquin magnus eſt numerus. Rittershuſius è Veteribus celebrat Andream de Iſernia, Jac. Alvarottum, Jac. Ardixo, Jac. de Belviſo. E Recentioribus ceteris præferri ſolent Henr. Roſenthal *de Feudis*, & Ludolphus Schraderus. *De Regalibus* Henr. Bocerus ſcripſit, quod itidem argumentum eſt Juris Feudalis. Edidit & *Diſpp.* aliquas *Feudales* in lucem Joh. Borcholt, quem Rittershuſius Præceptorem ſuum laudat. Matthæus de Afflictis, Uldaricus Zaſius, Petrus Rebuffus, Joh. Schneidewinus, Matth. Weſenbecius, Nic. Vigelius, Hermannus Vultejus, ſuper Jus Feudale omnes ſcripſerunt, ſed hi poſtremi pro more ſuo methodum immutârunt. Conſilia Feudalia ceteris immiſcuêre multi, uti Joachimus Mynſingerus, & Andr. Gailius. Sunt & peregrini Autores, Galli, Itali, Hiſpani, qui Jura Feudalia ex Conſvetudine ſuæ gentis interpretantur, uti Carolus Molinæus *in ſuis Conſvetudinibus Pariſienſibus*, & *Caſanova*, Vir in omni antiquitate doctiſſimus, in ſingulari quodam Opere *de Galliæ Feudis*, à quo plura habuiſſemus, niſi improviſa mors ejus Conatus interrupiſſet. Anglicum Jus Feudale, quod continetur Jure illo Anglico, quod *Fleta* inſcribitur, totum, quatenus per Scotiam, Angliam, & partem Galliæ, obtinet, diffuſo libro explicuit *Thom. Craigius* de Riccartum, in lib., cui tit. *Jus Feudale, tribus libris comprehenſum.* Eruditus ille eſt liber, neque tàm Jura & Conſvetudines Scotiæ, quàm omne in univerſum Feudale Jus complexus, & locis non ſolùm Juris Civ. illuſtravit, ſed & Exemplis è variis gentibus petitis, antiquis & recentibus. Editus eſt Lond. in fol. A. 1655.

16 Ceterùm ad Juris Feudalis intelligentiam pleniorem novâ quaſi linguâ opus eſt. Nam Autores mediæ ætatis, de quorum fontibus petenda ſunt illa Iura Exotica, Anglica, Gallica, tùm & ipſum Ius Feudale, quod inter Iuris libros habetur, ſuos quosdam terminos habent, quos nemo intelligit, niſi qui lectioni Librorum iſtorum eſt aſſvetus. Excutienda itaque ſunt Gloſſaria Barbararum Vocum, quas collegerunt Frid. Lindebrogius, Henr. Spelmannus *in Archæologiâ ſuâ*, Gothofredus Wendelinus *in Gloſſario Vocum Legis Salicæ*, Gerh. Ioh. Voſſius in *Gloſſematis* ſuis, & qui inſtar omnium eſt, Carolus du Frêſne *in Gloſſario Scriptorum mediæ & infimæ ætatis*, qui liber quaſi Oceanus eſt omnium illorum Gloſſariorum minorum & particularium. Nam Autor ille, Herculeo planè labore, totum illud Augiæ ſtabulum, non repurgavit, ſed complevit, accuratè congeſto omni hoc Latinitatis Sterquilinio. Explicavit & *Franc. Hotomannus* voces Feudales quasdam notiores, quæ Explicationes addi ſolent Lexico Ioh. Calvini.

Non

Non pauca eorum, quæ ad Jus Feudale ſpectant, habentur in Iohannis Strauchii 17
Amoenitatibus Juris Canon., quas ille ad exemplum Æg. Menagii ſcripſit, qui *de Amoenitatibus Juris Civ.* librum ediderat. Ceterùm liber ille Strauchii multa quoque habet rariora, quæ ad Iuris Canonici interpretationem pertinent. Supra eum omiſimus, uti & *Caſp. Zieglerum*, qui *de Iure Canonico* ſcripſit, & multa erudita, ad hiſtoriam ejus pertinentia, notavit.

Sect. VIII.
De Controverſiarum, & Argumentorum Specialium, Scriptoribus.

§. 1. Multitudo hujus generis Scriptorum & Plagia frequentia. De Joh. Jac. Speidelio, Seb. Nævio & Dav. Döringio, Locorum Communium in hoc genere Collectoribus, Cenſuræ. 2. Legum, quæ ſibi contrariari videntur, Conciliatores, Nicol. de Paſſeribus, Jul. Pacius & Eberh. Bronchorſtius. Quænam ad Conciliationem hanc requirantur. Jac. Gothofredi Opus hujus argumenti promiſſum. 3. De Hier. Treutlero, Helfr. Ulr. Hunnio, Rein. Bachovio & Steph. Forcatulo, Controverſiarum Juridicarum Scriptoribus, Judicia. 4. Nec non de variis Lectionibus Juris Gvid. Pancirolli & Phil. Jac. Mauſſaci, de Antinomiis Hub. Giphanii & Ant. Matthæi, Diſſertationibus Bernh. Sutholti, Nic. Vigelii Methodo Juris Controverſi, Arn. Vinnii Quæſtionibus Selectis, Ferd. Vaſqvetz Qq. Illuſtribus, And. Fachinæi & Bachovii Junioris Controverſiis, ac Gerh. Noodti Probabilibus. 5. Inter Argumentorum Specialium Scriptores quidam Titulos rariores ridiculè affectant. Scriptores de Juribus Ægrotorum. Autoris Tr. affectus de Jure Silentii.

MAgnum mihi maris æquor arandum, ſi huic me Oceano immiſerim. Integra 1
iſtorum Autorum Bibliotheca poſſet concinnari, & Ioh. Iac. Speidelius ſanè librum vaſtum *in folio* concinnavit è ſolis quæſtionum controverſarum Titulis, qui utiliſſimus eſt, ſed ſolum ſe Nomenclatorem exhibet. Si quis eſſet, qui quæſtionibus illis ſubjiceret Autores, vel affirmantes, vel negantes, non malè mereretur de ſtudio Iuris. Neminem enim hactenus habemus, qui rem illam ſuſceperit, aut qui ad illam ſuſcipiendam aptus fuerit. Oportet enim aliquô judiciô eſſe inſtructum, qui illum laborem ſuſcipit, neque promiſcua debet allegare nomina & loca, quæ ſi excuſſeris, parum ſolidæ frugis illic invenias. Ita enim moris eſt vulgò apud JCtos, ut de chartâ in papyrum ſcribant inepta, futilia, ſupervacanea, theſin ipſam, vel parum, vel nil attingentia. Subſidio hîc quidem ſunt nonnulli Autores, uti Seb. Nævius in ſuo *Syſtemate*, diligens in Autorum variis ſententiis conglobandis ſuper ſingulas tàm ff., quàm *Cod.*, Leges & Inſtitt. §.§., non quidem contemnendus, & cujus non exiguus uſus eſſe poſſit. Sed tamen ille etiam laborat morbo confuſionis, quo plerique omnes. Dav. Döringius Collectanea quædam inſtituebat Iuridica ſub titulo

titulo *Bibliothecæ*, quæ non tàm Controverſias, quàm omnia ſine diſcrimine congerebat. Nondum verò abſolvit integram Literam A., cujus dimidia circiter pars, grandem *in folio* librum dedit, unde hariolari facile licet, quantum Chaos futurum fuiſſet, quod reſtabat.

2 Inter Controversiarum Scriptores primum locum ſibi vindicant, qui de contrariis Legibus ſcripſerunt, quâ in re penè omnes adeò ineptè verſantur, ut plus tenebrarum, quàm lucis afferant huic argumento. Eſt aliquis Nicol. de Paſſeribus, qui conſarcinavit *librum Antinomiarum*, indoctum & futiliſſimum. Nihil enim ſolidi affert ad conciliationem Legum, omnia ſunt cerebrina, & imaginaria commenta, quædam etiam ridenda. Iul. Pacius & Eb. Bronckhorſtius paulò accuratius hoc argumentum tractârunt, ſed multa aliis, imò plurima, excutienda reliquerunt. Digniſſimus certè labor eſſet, quem ſuſciperet non vulgaris ingenii ICtus. Requiritur enim ad rem illam perfecta Hiſtoriæ & Jur. Rom. cognitio, non ex Interpretibus, ſed ex ipſis fontibus, unde Leges iſtæ profluxerunt, quarum accurata analyſis ad methodum Hermeneuticam eſt inſtituenda. Jac. Gothofredus promiſerat in his ſuam operam, ſed morte præventus nihil præſtitit. Fuiſſet verò unus inter ceteros omnes par huic labori Hercules. Meminit ejus in *Mánuali ſuo Juridico*.

3 Hier. Treutlerus, cujus ſuprà fecimus mentionem, *Compendium* quondam concinnavit omnium illarum *Diſputationum*, quæ in Jus Civ. incidunt. Hunc quaſi Hodegetam conſtituerunt ſibi in Academiis, & exſtant nonnullorum vaſti & prolixi ſuper illum libri. Helfricus Ulricus Hunnius vaſtum in illud Opus ſcripſit, ſatis quidem perſpicuum, ſed tamen & in multis jejunum, & plane deſtitutum illâ ἀκριβείᾳ, quæ requirebatur in acuto Diſputatore. Coacervat argumenta futilia ſæpè & ſupervacanea, &, ne quid deſit verborum, formâ ſyllogiſticâ proponit, quaſi tàm ſtupidi eſſent homines, ut ab illo demum Syllogiſmum fabricare docendi ſint. Solet tyronibus eſſe in deliciis, qui inde cramben ſuam, toties coctam, recoquunt. Reinerus Bachovius ſubtilitate peccat, uti ille ſimplicitate, & nodos interdum in ſcirpo quærit & lapides in viâ planâ, ut in illos impingat. Omnia tamen ejus acumen Philoſophicum ſapiunt, & erectioribus ingeniis ſunt ſcripta. Penè omiſeram hîc Stephanum Forcatulum, JCtum Gallum non exigui nominis, qui inter ceteros *Necromantiam* ſcripſit, monſtroſi quidem tituli librum, ſed in quo tamen multæ Leges controverſæ deciduntur. Introducit autem Veteres JCtos perpetuâ Diſſertatione inter ſe ſermocinantes & Legum ſuarum cauſam dicentes, earumque argumenta in utramque partem ventilantes. Quæ cauſa eſt, quòd *Necromantiæ* Titulum libro huic donet, Umbras quaſi JCtorum è tumulis ſuis excitans. Autor non omninò hebetis ingenii, niſi quòd abripiatur nonnunquam, neſcio quibus Ecſtaticis cogitationibus, circa Legum interpretationem, ac librorum Juris diſtributionem, è quibus tamen ingenium elucet. Opera ejus junctim prodierunt Pariſiis *in fol.*

4 Qui *varias* Legum Lectiones in Jure ſcripſerunt, huc quoque referendi ſunt; faciunt enim ad ſenſus Legum veros indagandos. Guido Pancirollus *Theſaurum* talium

ſium *Lectionum* ſcripſit, ac negotium hoc utiliſſimum eſt, quanquam non adeò usque obvium. Editurus quoque erat Phil. Jac. Mauſſacus *Lectionum Juris libros*, in quibus Romanam Jurisprudentiam ex Athenienſi illuſtraturus erat, uti ejus rei Specimina quædam exhibuit in *Diſſertatione*, quæ additur *Dictionario Harpocrationis*, ab illo edito. Feliciter ſanè emendantur ſæpè ex illis ſubſidiis Leges Juris Civilis & Feudalis. *Antinomias* Hub. Giphanius ſcripſit, quæ tamen illum titulum non merentur. Cùm enim diverſa Jura illa ſint, à diverſis Compilatoribus congeſta, non eſt, quòd *Antinomias* in illis quæramus, quæ conciliari debeant. Antonius Matthæi, ut multos in ſcirpo nodos quæſivit, ita quoque varias in Jure Antinomias indagavit, à quibus ſuperſedere potuiſſet. Novator ille in methodo eſt, ac fundamenta Juris aliter locanda eſſe autumat. Scripſit enim ſingularem librum de fundamentis *Juris aliter jaciendis, quàm vulgò jacta ſunt.* Qui Tractatus ſeorſim editus eſt, prodiitque junctim cum aliis ejusdem libb., ſub tit. *Collegia Juris 6.* Vid. Foppius ab Aizema in ſuis *Diſſertationibus Juris lib. 1. c. 4. Diſſertationes* Bernh. Sutholti ſunt accuratæ & elegantes, ac dolendum eſt, Virum illum uon potuiſſe plus operæ impendere Juris ſtudio, immaturiori fato abreptum. Nunc & aliorum notæ in illum ſunt ſcriptæ. Nicolaus Vigelius ſcripſit *Methodum Juris Civ. Controverſi*, librum utiliſſimum, & praxi inprimis ſervientem. Summâ enim brevitate, & elegantiſſimo ordine, materias Juris adornavit, & controverſa non tàm Legum, quàm Doctorum, brevibus quaſi lemmatibus propoſuit, ſemper additis locis JCtorum. Magno profectò, ſi quicquam, uſui eſſe poteſt hic liber. Arnoldi Vinnii *Quæſtiones ſelectæ*, ſeorſim editæ, plenius & majori accuratione deductæ ſunt, quàm cetera ejus ſcripta, in quibus plerumque fucus aliena ad pabula eſt, ſcriniorum Bachovianorum præcipuè magnus Compilator. Sunt & Ferd. Vasquezii *Quæſtiones Illuſtres* magnâ diligentiâ & ἀκριβείᾳ diſcuſſæ, ut ſolent eſſe plerumque Hiſpanorum Scripta, ubi accuratius rem ſuam agunt. Hiſpanorum enim Ingenium profundum eſt, apud quos permulta experimenta ad Juris exercitium accedunt. Qui illi operam impendunt, certum habent annorum numerum præfinitum, antequam ad Doctoris titulum adſpirare audeant, neque ſtatim ad tribunalia admittuntur, niſi primùm probè perſpecta ſit illorum Juris peritia. Scripſit & Andr. Fachinæus *Controverſias Illuſtres*, quæ per totum Jus ſe diffundunt, ſuntque non pauci alii, qui in variis Juris argumentis ſe exercuerunt, quorum nos numerum inire non poſſumus. Eſt illa cura reſervanda Juridicæ Bibliothecæ integræ. *Bachovii* filius etiam aliqua ſcripſit *de variis Juris Interpretationibus*, ſed exigua illa ſunt, neque ad patris ἀκρίβειαν adſpirant. Prodiêre non ita pridem Gerh. Noodtii, Profeſſoris Neomagenſis, *Probabilia*, in quibus continentur multa rariora in Legibus explicata, emendata, & illuſtrata. Vir enim ille accuratiorem cognitionem ad Iuris intelligentiam affert, & Philologiæ præterea ſacris imbutus eſt.

De *ſpecialibus materiis* infiniti ſunt, qui ſcripſere. Sunt verò materiæ illæ vel directè Iuridicæ, ac ſedes ſuas habent in Titulis certis, vel Legibus, vel per totum Ius ſunt diffuſæ. Ubi explodenda & ridenda eſt obſcura quorundam diligentia, qui ſi themata aliqua adornari poſſint peregrini tituli, mirè ſibi plaudunt, ut ſunt aliqui, qui 5

de 4. Elementis ſcripſerunt, & ad 4. Elementa penè totum Ius referunt, quo labore nullus poteſt eſſe nugacior. Quis enim in objectis Iuris quærat diſpoſitionem rerum, quaſi Phyſicam aliquam ſcripturus. Hoc eſt, jura fori confundere, ut jura culinæ confundit coquus. Sunt tamen ſpeciales interdum materiæ, de quibus certæ Leges non ſunt conſtitutæ, de quibus tamen argumentis Iuris tractari aliquid poteſt. Illorum Autores probè ſunt notandi. Sic e. g. de *Juribus ægrotorum* non exſtant peculiares, vel tituli, vel Leges. De iis tamen integro Libro egit *Thomas Actius*, & poſtea *Paulus Zacchias in Quæſtionibus Medico-Legalibus.* Sic *de ſimulatis contractibus* nusquam in Iure expreſſè quid ponitur; de iis tamen integros libros ſcripſère ICti. Et talia ſanè occurrunt multa, de quibus incidere poſſunt Quæſtiones & Controverſiæ Iuridicæ. De *Jure ſilentii* nusquam expreſſè quid traditur; & tamen hæc materia per totum Ius eſt diffuſa, de quâ nos *Diſputationem Inauguralem* ſcripſimus, & fortaſſis aliquando integrum Tractatum ſumus ſcripturi. Materiæ vulgares, & ubivis obviæ, notatæ ſunt à Scriptoribus Bibliothecarum Iuridicarum, præprimis Ioh. Bechtoldo, quanquam is mutilus ſit, & multis modis augeri poſſit.

SECT. IX.

De Juris Publici Scriptoribus.

§. 1. Jus Publicum Vetus Romanum Scriptores de Magiſtratibus Romanis, & Cod. Theodoſianus Jac. Gothofredi, illuſtrant. 2. Modernum Germanicum Hiſtorici ævi medii, Scripta Imperii Romano-Germ Publica, Eriſtica de Controverſiis Illuſtribus, Jus Feudale, inprimis verò Car. IV. Imp. Aurea Bulla, Ordinationes Judiciorum Cameralis & Imperialis Aulici, Anonymi Grundfeſte des H. Röm. Reiches/ *Car. Sigonii Hiſtoria Imperii Occidentalis, & Chr. Lehmanni Chronicon Spirenſe. 3. Scriptores J. Publ. Univerſales, J. Limnæus, Dan. Otto, &c. Laus Notitiæ S. Rom. Imperii J. Henr. Böcleri. 4. Diſſertationes Speciales Herm. Conringii & Joh. Strauchii. 5. De Statu Imperii Romani Scripta Sev. à Monzambano & Hippolyti à Lapide. Diſputationes Er. Mauritii, & aliorum, de Argumentis J. Publ. ab Ahaſv. Fritſchio collectæ. 6. Iudicia de Scriptis Henn. Arniſæi & Chr. Beſoldi. Conſilium de ratione addiſcendi Iuris Publici Germanici. Perperam illud à ICtis ad normam Iuris Romani exigitur.*

1 AD PUBLICUM Ius accedimus. Illud verò duplex eſt, *Vetus Romanum & hodiernum Germanicum.* Utriusque fundus ſunt *Hiſtoria*, & *Conſtitutiones.* Hiſtoria Veteris Iuris Publici inprimis ad Magiſtratus eſt referenda. Debent itaque libri eſſe cogniti, qui agunt de Notitiâ Officiorum Domûs Auguſtæ, tàm Occidentalis, quàm Orientalis. De illis dixi quædam ſuperius, ubi agebam de Antiquitatibus Romanis, quæ hîc repetere non eſt opus. Ceterum ad Iurisprudentiam Iuſtinianeam Publicam illuſtrandam *Codex Theodoſianus*, à Iac. Gothofredo illuſtratus, tantam afferre lucem poteſt, ut non indigeamus multum aliorum operâ.

2 Eos potius ſpectabimus, qui magis in noſtrum uſum ſunt. Iuris Publici Germanici

manici Scriptorum fundus, uti dixi, petendus eſt ex Hiſtoriâ medii ævi, à Caroli M. usque temporibus. Quicquid eſt Germanicarum rerum collectum à variis Autoribus variis Tomis, à Beato ſc. Rhenano, Chr. Urſtiſio, Ioh. Piſtorio, Sim. Schardio, &c. id omne huc pertinet. Dehinc Autores, qui Conſtitutiones & Iura collegerunt, tàm Vetuſtiora, quàm Recentiora, uti *Melch. Goldaſtus in Conſtitutionibus Politicis*, *Receſſus Imperii* (de quibus legi poteſt Er. Mauritius ſingulari *Diſputatione*,) *Capitulationes Imperii*, *Inſtrumenta pacis*, *Negotiationes religioſæ*, & ſimilia. Pertinent huc Scripta ſuper controverſiis Principum in diverſis illorum familiis, quorum aliquod ſpecimen nuper exhibuit *Tobias Pfannerus*. Qui ad Hiſtoriam Germaniæ pertinent, ac ſingulorum Principatuum & Urbium, libri, collecti ſunt à Mich. Hertzio *in Biblioth. Germanicâ*. Fundamentum Iuris Publici Germanici ex parte conſtituit Ius Feudale, quatenus ſcil. ſpectat ad controverſias Principum ſuper terris & poſſeſſionibus eorum. (*k*) Quod attinet Iura Imperatorum & Principum, legem fundamentalem præbet *Aurea Bulla* Caroli IV., ſuper quam ſunt commentati Nicol. Mylerus, Domin. Arumæus, Gerlacus Buxtorfius. Eſt & elegans liber Germanicus, Grundfeſte des Heil. Römiſchen Reichs/ Liber optimus, & qui magnam lucem affert huic argumento. (*l*) Ad Iudicia publica pertinent Ordinatio Cameralis, in quam exſtant variorum Commentarii, Ordinatio Aulici Iudicii, de quo *Diſputationem* conſcripſit Er. Mauritius. Hæc, uti dixi, omnia fundamentum ſubſternunt Iuri Publico, de quibus plenius Sam. Rachelius *in Introductione ad Ius Publicum Germanicum*, *c. 8. 9. 10.* Duo optimi libri ſunt, quorum uſus ſe per omne Ius Publicum diffundit, Car. Sigonii *Hiſtoria Imperii Occidentalis*, & *Comm. de Statu Italiæ*, ac Chriſtoph. Lehmanni *Chronicon Spirenſe*, quibus aliqui feliciſſimè uſi ſunt in Iuris Publici argumentis pertractandis.

Scriptores Iuris Publici, tàm univerſales, quàm particulares, varii ſunt. Dif- 3
fuſum Opus dedit *Ioh. Limnæus*, ſed mera ſunt Collectanea, unde quis ædificium quaſi conſtruere poſſit ſatis concinnum, ſi ſubſidia omnia conjungat. Compendia habemus multa, ſed revera parum bonæ frugis in illis eſt. Notiſſimus eſt liber Danielis Ottonis, qui multa è Politicis admiſcuit, ſuper quem exſtant J. Henr. Böcleri quædam Commentatiunculæ. Sunt *Georgius Brautlacht*, *Wilh. Beckerus*, *Car. Scharſchmid*, *Herm. Hermes*, *1. Theod. Sprengerus*, ſed, uti dixi, non implent omnem illam, quam ſibi quis promiſerit, ἀκρίβειαν. Optimum laborem impendit I. Henr. Böclerus, qui *Notitiam Sacri Rom. Imperii* ſcripſit. Liber ille, Argentorati. A. 1678. *in 4to* editus, Indicem tantùm habet materiarum Iuris Publici, ſed utiliſſima tamen eſt illa delineatio, ſemper enim addit Autores, unde peti omnia poſſint. Quod ſi Böclero tempus ſuperfuiſſet, facili negotio ex illâ Ichnographiâ integrum Opus concinnâſſet. Qui nunc talem laborem fortè molirentur, ſubſidia abundè in hoc libro haberent. (Ffff) 2 Spe-

(*k*) *Bibliothecæ* ſuæ *Germanicæ*, Erfurti A. 1679. *in fol.* editæ, novam & longè auctiorem Mich. Hertzius, Hiſt. olim Prof. Erfurtenſis, promiſit Editionem, in Sciagraphiâ hujus peculiari, Lipſiæ A. 1693. *in 4to* excuſâ. Sed nondum illa prodiit.

(*l*) De Libro Vernaculo Grundfeſte des H. Röm. Reichs/ ſub fictitio nomine Eitelii Friderici ab Herden, Franc. A. 1663. *in 8vo* edito, quem nonnulli Joh. Schvvartzkopfio, Cancellario Aulæ Guelphicæ, alii Heidenreichio, Conſiliario Saxonico, alii aliis, vindicant, vid. Vinc. Placcii *Tr. de Scr. Anon. & Pſeud. p. 206.*, & Joh. Deckheri *Conjecturas de Scriptis Adeſpotis p. 123. 124.*

4 Speciales Diſſertationes varii argumenti ſcripſit HERM. CONRINGIUS, qui maximâ cum laude Iuris Publici Profeſſionem ſuſtinuit Helmſtadii. Continent verò illæ Diſſertationes pleraque Iuris Publici capita, ut proindè vera fundamenta ex his ſolidè ſterni queant. Idem Vir inſignem ſcripſit *Commentarium* in *Iac. Lampadii Ius Publicum*, quo in libro illa habentur ſuo loco poſita, quæ in *Diſſertationibus* fuſius ſunt deducta. Scripſit & JOHANNES STRAUCHIUS *Exercitationes Exotericas*, in quibus ille præcipua Juris Publici capita pertractat. Multa illic, quæ ad negotium religionis ſpectant, & controverſias ſuperiori ſeculo inter Principes agitatas, quarum hiſtoria ſummaria habetur apud Sleidanum, *in Commentariis de Statu religionis*, ſed hîc plenius deducuntur omnia, cumque omnibus fundamentis & argumentis partium.

5 Quod STATUM IMPERII ROM. attinet, varii de illo ſunt Libri ſcripti, in quibus non tàm magnificè de illo ſentitur, quàm ſentiunt JCti ipſi. *Sever. Monzambani Exercitationes* cuivis ſunt notæ, in quas multorum extant Obſervationes. (*m*) Ante illum multa ſcripſit in præjudicium Domûs Auſtriacæ nonnemo, qui ſe vocat *Hippolytum à Lapide*, & peculiari Libro eſt refutatus à *Joh. Schlütero*. De variis materiis ſpecialibus varii ſunt libri editi, v. g. de Regalibus, de Auſtregis, de Archi-Cancellariis Imperii (de quibus ſcripſit Bernh. Mallincrotius, Decanus Monaſterienſis,) de Judiciis Imperii, &c. Diſputationes ſparſim editas varii argumenti collegit Ahaſv. *Fritſchius*, in quibus penè omnes Erici Mauritii habentur, qui magnâ cum diligentiâ argumenta Iuris Publici perſecutus eſt, (*n*) ut teſtantur Diſpp. ejus *de Electoribus & Comitiis Electoralibus*, *de Matriculâ Imperii*, *de Receſſibus Imperii*, *de Judicio Aulico*, *de Judicio Rothvilenſi*, *de Seculariſatione* (quæ tamen non ab ipſo ſcripta eſt, ſed cui ille ſubſidia commodavit.) Cetera, quæ circumferuntur, non habent iſtum antiquitatis & eruditionis guſtum.

6 HENN. ARNISÆI penè oblitus ſum, cujus exſtant Scripta non pauca, ad Ius Publicum pertinentia. Fuit ille Vir doctiſſimus, & in Politicis non vulgariter verſatus, ſed evenit illi, quod vulgò ſolet ICtis, qui multa ſolent inter ſe miſcere & confundere, quod & unicè in illo reprehendit Conringius. Par alioquin erat futurus tàm Civili prudentiæ, quàm Iuri Publico. CHRISTOPH. BESOLDI multa quoque habemus ſcripta, ſed & ille lutulentus eſt, & digna, indigna relatu, prout ipſi viſum eſt, coagmentat. Nos quidem Iuris Publici Studioſo non ſvadebimus, ut in Scriptorculorum illorum lectione omne tempus perdat, & inanem operam impendat. A capite & fonte omnia arceſſat. Hiſtoria primùm medii temporis, deindè quæ à Caroli V. tempore procedit, & tandem

(*m*) De Severino Monzambano (quem non alium fuiſſe, quàm Sam. Pufendorfium, nemo hodiè dubitat, licet ipſe fœtum hunc pro ſuo agnoſcere aliquamdiu noluerit) vid. Placcium *de Anon. & Pſeudon. p. 228.*, & Joh. Deckheri *Conjecturas de Scr. Adeſp. p. 86.* Quis autem ſub Hippolyti à Lapide larvâ delituerit, Duumviri illi diſſenſu ſuo ex incerto reddidêre incertius. Ille *p. 268.* Joh. Joach. Rusdorfio, Elect. Palatini Conſiliario, hic autem, *p. 70-73.* Joach. Dranſeo, Legato in Aulâ Brandeb. Suecico, Scriptum Hippolyti vindicat.

(*n*) Erici Mauritii variæ de Argumentis Juris Publ. Diſſertationes, unà cum ceteris Juris Feudalis & Privati, junctim prodierunt in Syntagmate *Opuſculorum* ejus, à Joh. Nicol. Hertzio JCto Gieſſenſi, Francof. A. 1692. *in 4to* publicato.

tandem recentior, fundus ille eſt, ſuper quo ædificari debet omnis illa doctrina, junctis in ſubſidium Legibus illis, quæ ad Statum publicum pertinent, de quibus jam ſupra à nobis eſt dictum. Intemperies illa nonnullorum eſt, qui Iuris Publici Diſpp. ad Iuris Rom. normam exigunt, atque inde controverſias decidunt. Atque in illum lapidem plerique ICtorum offendunt, quòd nihil ſapiunt extra forum ſuum. At verò aliis legibus Iura Publica definienda ſunt, & illæ quidem ad ſtatum Imperii Germanici pertinent, de quo certè nil diſponit Ius Civile. Denique, quæ ſunt in Iure Civili Iuris Publici argumenta, ad longè aliam familiam pertinent. Vetus enim illud Ius Publicum Rom. nihil habet cum noſtro commercii. Quare non inutilis ſolùm illa eſt opera, ſed & damnoſa & noxia, cùm perverſi imprimantur Tyronibus conceptus.

Sect. X.
De Juris Statutarii Scriptoribus.

§. 1. Quid ſint Statuta. Ad Notitiam Juris Statutarii Germanici commendantur Frid. Lindebrogii Codex Legum Antiquarum, & Herm. Conringii Liber de Origine Juris Germ. 2. Scriptores alii de Conſvetudinibus & Statutis, tùm generales, tùm ſpeciales de Belgicis. 3. De Juribus item Germaniæ Statutariis potioribus, Bavarico, Saxonico, Lubecenſi (per Dav. Mevium præcipuè illuſtrato,) &c. Holſaticis quoque, Danicis & Svecicis. 4. Conſilium de Harmoniâ Statutorum, & Iudicium de Henr. Gieſeberti Iuſtiniano Harmonico.

PRæter Jus Civile, Jura Statutaria cuique ſua tenenda ſunt. Sunt verò Statuta Leges Rerumpublicarum ſpeciales, quæ à communi Jure abeunt, atque illis tum opera ſingularis danda eſt, cùm Jus Civilè probè habebimus cognitum. Jura iſta Statutaria multa ſunt, & fuerunt olim. Referri huc poſſunt omnes illæ Leges Gothorum, Burgundiorum, &c., quas uno Volumine comprehendit *Frid. Lindenbrogius*, qui & *Gloſſarium* in illas ſcripſit. De ſingulis illis Juribus magnâ curâ & induſtriâ egit *Herm. Conringius, in libro de Origine Iuris Germanici*, ubi inprimis Germanica Jura, eorumque Origines, diligentiſſimè excuſſit. 1

Sunt præterea, præter Statuta, ſuis quoque locis Consvetudines, i. e. *Iura non ſcripta*, quæ communi quoque Juri derogant. Scripſit Lud. Carbo *de Bello legali inter Legem & Conſvetudines*, ubi doctrina illa, quatenus conveniant, & diſcrepent à Legibus eleganter proponitur. De Statutis in genere qui ſcripſère, nonnulli ſunt, ut Paulus Voëtius *in Tractatu de Statutis, eorumque Concurſu*, qui & *Commentarium in Inſtitutiones* edidit, ubi perpetuò illuſtrat textum Statutis Batávicis. Quod Jus Batavicum ſi quis ſcire velit, legere poteſt huic fini utilem librum Hug. Grotii, Inleyding in dee Hollandſche Rechts Gelartheit. De *Statutis* in univerſum elegantem Diſſertationem ſcripſit Wolfg. Ad. Lauterbachius, *Tractatum* Buccius. Statuta variarum gentium qui velit omnia noſſe, multum laboris & operæ inſumere oportet. Gallica Statuta & Conſvetudines ſingularibus libris conſcripta ſunt, uti & Hiſpanica & Italica, de quibus non opus eſt ut ſolliciti ſimus. 2

3 Tantùm Germanica præſtantiora noſſe oportet, horumque à Jure Communi differentiam. Habemus in totâ Germaniâ penè, quot Urbes, tot *Iura ſingularia*, niſi quòd tamen illa præcipuè habeat unum aliquod Jus Statutarium, quod in multis locis receptum eſt. Ita *Ius* eſt *Bavaricum*, cujus *Inſtitutiones* ſcripſit Sebaſt. Khraiſerus, easque cum *Inſtitutionibus* Juris Rom. contulit, ita ut è latere ſibi reſpondentia poneret, hinc Jus Romanum, indè Bavaricum. Habemus *Ulmenſe*, *Svevicum*, *Magdeburgenſe*, &c. Præcipua verò ſunt, & quæ quàm latiſſimè dominantur, *Saxonicum* & *Lubecenſe*. *Saxonici* Juris diverſitatem à Civili ſingularibus libris oſtenderunt multi. Georgius Schultzius *Synopſin* confecit *Inſtitutionum Iuris Civilis*, & ſemper addidit diſcrepantiam Juris Saxonici. Bened. Carpzovius, tàm theoretica, quàm practica, Juris Saxonici, in libris ſuis, paſſim inculcat. Jus *Francofurtanum* ab aliquo Schultzio editum eſt. *Lubecenſe* latiſſimè dominatur, tàm intra, quàm extra Germaniam, & receptum eſt penè ab omnibus Balthici maris accolis. In illud inſignem *Commentarium* edidit *Dav. Mevius*, cujus præfatio de Origine hujus Iuris multa docet. *Commentarius* ipſe diſcrepantiam à Iure Communi paſſim & ubique inculcat, è quo in Compendium contraxit Frid. Movius exiguo libello. Doctrinam de differentiâ Iuris Lubec. & Civilis & Ant. Dan. Sonnemann (Præſide Sam. Stryckio) peculiari Diſſertatione, Andr. item Bilderbeckius & Paulus Kochius, Schediaſmatis brevioribus, expoſuerunt. (*o*) Habemus hîc in Holſatiâ Ius Dithmarſicum & Ius Provinciale, in Daniâ Statuta ſunt ſingularia (das Low-Buch/) ſuper quibus omnibus Practicorum multa ſunt obſervata. Habet & Svecia ſua Iura Statutaria, quæ cum *Commentario* edidit *Ioh. Loccenius*, qui & *Lexicon Iuris Sveo-Gothici* ſcripſit.

4 Horum Statutorum omnium ſi quis HARMONIAM velit, operoſa quidem res eſſet, ſed tamen utilis. Moliebatur hanc HENR. GISEBERTUS, (*p*) qui, poſtquam *Commentarium in Ius Dithmarſicum* ſcripſerat, *Iuſtinianum Harmonicum* edidit, Commentarium ſcil. in *Inſtitutiones Iuris*, additis Locis variorum Statutorum, quæ concordant, vel diſcrepant à communi Jure. Sed velim illam rem à quopiam tractari, qui ſit Nomotheticæ peritus, atque ex ejus principiis doctrinam illam Statutorum proponat. Nam Gieſeberti opera tantùm tumultuaria eſt, neque multum rem iſtam ornat. Quorſum enim facit, loca parallela tàm ſolicitè notâſſe? Rectius eſſet, ſi diſcrepantiæ cum majori curâ notarentur. Gieſebertus quidem majora animo movit, ſed hîc ipſi tamen ſubſiſtendum fuit.

(*o*) De Juris Lubecenſis Hiſtoriâ, Editionibus & Exegetis, fuſè diſſeruimus *in Iſagoge ad Hiſt. Cherſoneſi Cimbricæ, P. IV., cap. VI., p. 493-505.*, de Jure Dithmarſico *ibidem Cap. XII.*, §. *6. 7. p. 635. 636. 637.*, de Juribus autem ceteris Slesvigo-Holſaticis Provincialibus, tùm Antiquis, tùm Modernis, ac præſertim de Nomocanone Jutico (dem Jütiſchen Lowbuche/), & Conſtitutione Judiciariâ Slesvigo-Holſaticâ Provinciali (der Schleswig-Holſteiniſchen Landgerichts-Ordnung/) *h. l.* allegatis, *Parte ejusd. Iſag. Prima, toto Capit. XVto, p. 246-282*

(*p*) De Henr. Gieſeberti, JCti Dithmarſici, Scriptis, quibus jurium Statutariorum complurium Collationem qualemcunque exhibuit, diverſis, *Harmonia*, ſcil. *Statutorum Practicæ in Jus Dithmarſicum Periculis duobus*, Lubec. A. 1652. & Hamb. A. 1665. *Juſtiniani Harmonico* Lubec. A. 1670., & *Deuteronomio Harmonico* Françof. A. 1677., *in 4to* editis, nonnulla diximus *P. IV. Iſag. ad Hiſt. Cimbr., Cap. XII.* §. *7. p. 636. 637.*, plura in *Cimbriâ Literatâ* allaturi.

fuit. Ceterùm, qui juris eſt ſtudioſus, id operam dare debet, ne in Jure patrio ſit hoſpes, & diligenter notare parallelismos, & diſcrepantias ſui juris à communi, factis etiam ſuper hac re certis Locis Communibus. Diligenter in iſtis notentur quoque Præjudicia & Conſvetudines non ſcriptæ, qnorum uſus in praxi longe eſt maximus.

Sect. XI.

De Scriptoribus Juris Practicis.

§. 1. IN quo Praxis Juridica conſiſtat. Jac. Gothofredi Ars Cauſandi promiſſa. Defenſio Jac. Cujacii, & Theoreticorum, quibus Praxeos imperitia objicitur. 2. Praxis, & ex Experientiâ, & ex Libris, diſcenda. Scriptores de Proceſſu Judiciario, & Stylo Curiæ, Lexicorum item & Axiomatum Practicorum Collectores. 3. Autores, qui Praxin & Proceſſum Cameræ Imperialis docuerunt & illuſtrârunt, præcipui. 4. Diverſitas Praxeos Saxonicæ, Lubecenſis (è Dav. Mevii Deciſionibus haurienda) ac Holſato-Slesvicenſis. Scripta de Iure Obſtagii, Ratio Experientiæ in Praxi forenſi parandæ.

AD Scriptores tandem Practicos accedimus, qui veluti duces ſunt ad uſum fori. Eſt verò praxis iſta, quæ facto applicat generalia Juris præcepta, & Leges ac theſin ad hypotheſin transfert. Hanc artem ut rectè teneat, prænoſſe debet Juris Studioſus, quomodò Jus facto debeat applicari, i. e. quomodo caſus aliquis ex Legibus formandus. Hæc enim quaſi præexercitamenta ſunt tyronum, & in Theoriâ prius probè excutienda. Neque adeò nullâ ad hanc rem opus eſt peritiâ, ut quidam exiſtimant, ſed tenenda eſt quædam ratio, quomodo facta Legibus quaſi commenſurari debeant. Certè tanti fecit hanc rem Jac. Gothofredus, ut proponeret ſibi ſcribendum peculiarem *Cauſandi Artem*, ut vocat. Cui fini ſeponere jubet Leges ſingulares & practicabiies, ſeorſim locandas, & diligenter excutiendas. Sed non prodiit illius Liber, qui magnam certè lucem accendere Juris Studioſis potuiſſet. Credunt vulgò, Theoreticos Juris peſſimos fuiſſe Practicos, in quo tamen falluntur. Nam certè, quod *Jac. Cujacium* attinet, quem teſtatur Joſ. Scaliger in praxi planè fuiſſe imperitum, falſum apparet ex eo, quod reliquerit inter Opera ſua *Conſultationes*, magno cum ingenio & Judicio ſcriptas. 1

Praxin illam diſcendi duplex eſt ratio, una ex experientiâ, altera ex libris. Prior illa ſine dubio præferenda poſteriori; Poſterior verò non ſolùm utilis eſt ſed & neceſſaria. Cùm enim tædioſum ſit, & nimis prolixum, experientiâ ſolâ ſapere, ideò etiam ad libros eſt confugiendum. Illud verò, quod doceri poteſt, proceſſûs forma eſt. Jam verò quædam ejus ſunt generalia, quæ inculcant omnes proceſſûs Iudiciarii Scriptores, è quibus, inter Veteres, ceteris eſt præferendus Gvilielh. Durandus in ſuo *Speculo Juris*, è Recentioribus Gotfr. Fibigius, Ioh. Georg. Nicolai & Ioach. Chriſt. Kochius, quanquam & Ilico Ummius non ſit ſuâ laude privandus. Ioh. Oldendorpius *Actionum formulas*, omnemque proponendi & excipiendi Methodum propoſuit. Eſt & *Praxis aurea* Ioh. Petri Ferrarienſis, in quâ ſimilia habentur. Specialia proceſſuum continet Stylus Curiæ, qui conſtat 2

ſtat Juribus quibusdam non-ſcriptis, ex Actibus Judiciariis ortus, & ille quidem libris conſignari ſolet. Atque iſte eſt, qui diverſitatem in praxi efficit, quæ tàm multa, tamque varia eſt. Ille, ſi non experientiâ ipſâ, ex Obſervationibus Judiciorum, quas varii ſcripſerunt Autores, habendus eſt. Prodeſſe etiam hìc poſſunt illi, qui *Practica Lexica* ſcripſerunt, uti J. Jac. Speidelius, Chr. Beſoldus, Paul. Matth. Wehnerus, de quibus antè dictum eſt, tum & Axiomatum Scriptores, ut Aug. Barboſa, ejusque locupletator I. Otto Tabor, Arn. Reygerus *in Theſauro practico*, cum *Additt.* Ahasv. Fritſchii recuſo.

3 Praxis in Germaniâ florentiſſima eſt, in *Imperatoriâ Camerâ*, cujus primùm *Ordinatio* prænoſcenda eſt, variæque ejus Editiones, deindè præcipui ejus Obſervatores, And. Gailius, Ioach. Mynſingerus, & in Gailium ſcriptæ Eberhardi Fabricii *Repetitiones*, in Mynſingerum autem Weiperti Lud. Fabricii *Obſervationes*. Succedunt poſtea Scriptores, qui Obſervationes Practicas Camerales, Deciſiones, Symphoremata Supplicationum, Relationes, Vota, ſcripſerunt. De proceſſu Camerali ſingulares libros ſcripſêre Neumeierus, & Ioh. Forſterus. Exſtant Gvilhelmi Rodingii *Pandectæ Camerales*, Iacobi Blumii *Proceſſus Cameralis*, *Sententias Camerales* ſpiſſis *in fol.* Voluminibus collegit Chr. Barthius. *Chiliadem ſententiarum recentiorum* publicavit Iac. Blumius. Scripſit & Pet. Denaiſius *Methodum Cameralem*. De quibus ſingulis nolo eſſe prolixior, cùm doctiſſimè & prolixè de iis omnibus egerit Ericus Mauritius *in Conſiliorum Kilon. præfatione ad Lectorem*, ubi ille proponit *Introductionem* quandam *ad Praxin.* (q)

4 Praxis Saxonici Iuris & Lubecenſis itidem diverſa eſt, & ſua quædam habet obſervanda, de quibus idem *loco cit.* agit. Iuris Lubec. praxis doceri diſcique non poteſt plenius, quàm ex libris *Dav. Mevii*, præcipuè verò ex ejus *Deciſionibus*, quæ nunc junctim ſunt editæ, continentque plerumque Controverſias Iure Lubec. decidendas. Quoniam enim Ius hoc eſt receptum à pleriſque Civitatibus, quæ Svecico regimini ſubſunt, ideò argumenta litium talibus è cauſis plerumque oriuntur, quæ Iure Lubec. ſunt decidendæ. In Holſatiâ viventi, vel in Ducatu Slesvicenſi, alia praxeos ratio eſt obſervanda. Proceſſum hìc moderatur Ordinatio Provincialis (Landgerichts-Ordnung.) Sunt & hinc introducti conſvetudine certi quidam Proceſſus Ruſticorum, de quibus inter illos ſolos ratio conſtat. Eſt & Ius, quod continetur Libro dicto das Lowbuch / quod in Ducatu Slesvicenſi proceſſum moderatur. Multum quoque hìc variat praxin *Obſtagii Jus*, de quo exſtant *Conſtitutio Haderslebienſis*, utiliſſimus Ioh. Ottonis Taboris liber, & Frid. Reinbohtii *Diſſ. Inauguralis*. Longè verò plurima relinquuntur exercitio ipſi, quod omni doctrinæ prævalet. Quare in rem ipſam veniendum eſt, Iudicia frequentanda, audiendi Advocatorum ex utraque parte Receſſus, quos vocant, ponderandæ Iudicum ſententiæ, atque ex illorum omnium collatione haurienda eſt illa, quæ nobis uſui eſſe poteſt, Praxis, in quâ tandem ſubſiſtendum.

POLY-

(q) Erici Mauritii *Introductio in Praxin Forenſem*, præſertim Cimbricam, non ſolùm, Præfationis inſtar, *Specimini* ejus *Conſiliorum Kilonienſium*, Kilonii A. 1669. *in 4to* excuſo, eſt præmiſſa, ſed A. 1692. etiam Francofurti, in *Diſſertationum* illius Volumine (*p. 337-388.*) & A. 1696. Kilonii, ſub finem *Introductionis* Joh. Fuchſii *in Proceſſum Holſaticum*, recuſa.

POLYHISTORIS
TOMI III.
SIVE
POLYHISTORIS PRACTICI,
LIBER VII. MEDICUS,
DE SCRIPTORIBUS MEDICIS.

§. 1. Cauſæ Brevitatis ejus. Elogium inſigne Introductionis ad Artem Medicam Herm. Conringii. 2. Hippocratis Editiones optimæ. Caſp. Hoffmanni in Galenum, Thomæ Bartholini & Jac. Holſtii in Corn. Celſum, Joh. Rhodii in Scribonium Largum, Joſ. Scaligeri in Paulum Æginetam, Labores inediti commendantur. Veterum Medicorum Lectio Philiatris utiliſſima. 3. Bibliothecarum Medicarum Scriptores Paſch. Gallus, J. G. Schenckius, J. Ant. à Linden, Iſr. Spachius, Mart. Lipenius, Corn. à Beüghem. 4. Inter Autores Phyſiologicos, Honor. Fabri Lib. de Homine, & Thomæ Bartholini Anatome, præcipuè commendantur. 5. Scriptores aliquot Botanici potiores. Benj. Prioli vana in Hiſtoria Plantarum Promiſſa. 6. Moderna in Medicina Dogmatica novaturiendi Prurigo, & Sectarum Multitudo. 7. In Praxi Chymica Conr. Geſneri Evonymus, Joh. Zwelferi Pharmacopœa, & Joh. Joach. Beccheri Scripta commendantur.

REſtaret jam, ut de Medicis quædam afferremus. Quia verò & Tractatio 1
illa ſatis prolixa eſt, & pauci ſunt Medicinæ Cultores, ac plurima jam ab aliis dicta, remittam tantùm ad illos Autores, unde accuratior inſtructio haberi poteſt. Et quidem, quod attinet Manuductionem ad univerſum Medicum Studium, non pauci ſunt, qui Methodos varias præſcribunt. Varia quoque antiquitus fuit medendi ratio, unde variæ Medicorum ſectæ natæ ſunt, quarum hiſtoria integris eſt Voluminibus pertractata. Ut mittam alios, unus inſtar omnium eſſe poteſt Hermannus Conringius, cujus *Introductio ad artem Medicam* exſtat, ſub forma Diſputationis comprehenſa, & à Seb. Scheffero, jam Medico Francofurtano, publicè Helmſtadii defenſa; liber ſane aureus, quo continetur Hiſtoria & Veteris Medicinæ, & Sectarum, & Autorum, tàm veterum, quàm recentiorum, qui omnes Medicinæ partes illuſtrarunt. (*a*) Utinam VIR ille ultimam manum addidiſſet

(Gg gg) huic

(*a*) Supplementa Conringianæ *in Univerſam Artem Medicam, ſingulasq; ejus Partes, Introductionis*, Helmſtadii A. 1654. *in 4to* excuſæ, a Morhofio *h. l.* deſiderata, quæ Autori ipſi, per ſenectutem, & occupationes plurimas, dare non licuit, poſt obitum illius dedit Gener

huic ſcripto, & quæ ipſi deſunt, peregrinorum, & poſt illa tempora editorum Librorum, ſuppleviſſet, non poſſet labor utilior dari. Quare artis Medicæ Studioſus hunc Librum cum cura legat, Judicia de Autoribus perpendat, nova addat Autorum nomina, ſic facili negotio accuratam rei Medicæ hiſtoriam ſibi comparabit. De ſolis Chymicis iniquius ferre videtur Judicium.

Autores Medici potiores veteres ſunt *Hippocrates* & *Galenus*. (*b*) Hippocratis *in fol.* Editio Græco-Latina Francofurti, ni fallor, prodiit, & alia *in 8vo*, curante Joh. Ant. Lindano, Lugduni Batavorum. Galenus nondum prodiit accurata & emendata alicujus viri docti opera. Caſp. Hoffmannus, Altorffinus Profeſſor, promiſerat novam Editionem Galeni, cum accurato in Opera ejus *Commentario*, ſed non potuit vivus nanciſci Typographum, qui impendere ſumptus vellet; Latet adhuc in Bibliotheca Joh. Georgii Volckammeri, Medici Norimbergenſis, vixque erit, ut lucem olim videat. *Commentarius* ejus *in Galeni Librum de uſu partium* eruditiſſimus *in fol.* prodiit, ante multos jam annos. Cornelius Celſus Scriptor Latiniſſimus, Medicorum Cicero vulgò dictus, eleganti compendio rem medicam complexus eſt. Sed nulla hactenus ejus Editio prodiit, quæ Eruditis placet; Optima eſt, quæ Antwerpiæ, ex officina Plantiniana, *in 4to* prodiit. In illum Commentarium moliebatur Thomas Bartholinus, qui incendio Bibliothecæ ejus abſumtus eſt. Novam quoque ejus Editionem in animo habuit Jacobus Holſtius, Medicus Tönningenſis, nunc mortuus, Vir alioquin doctiſſimus. Hujus ego vidi *Emendationes*, & apud me vidit Joh. Georg. Grævius, qui Editionem valde urgebat Nam placebant illi, quanquam plerumque conjecturis ille ſuis niteretur, Manuſcriptis codicibus deſtitutus. Præter Emendationes illas adornatas habebat ſuper hunc Autorem *Commentarios Medicos*, *Grammaticos*, *Philologicos*, magnâ curâ confectos. Bene mererentur de ejus Viri fama, ſi ederent, hæredes. Scribonius Largus etiam inter veteres Latinos fuit, in quem *Commentarium* & *Indicem* Joh. Rhodius ſcripſit, qui, ut arbitror, incendio Bibliothecæ Bartholinianæ etiam conſumptus eſt. Paulus Ægineta, Græcus, itidem mendoſè eſt editus. Ejus exemplar eſt in Bibliotheca Gudiana, manu Joſ. Scaligeri correctum, & emendatum. Nolo jam de ceteris minoris famæ Medicis veteribus quicquam dicere, licet conſultum tamen ſit, aliquam etiam illis operam impendere. Plerique nunc alto ſupercilio hos contemnunt Autores, à ſola novitate & empeiria decus artis ſuæ exſpe-

Gener ejus Excellentiſſimus, tantoq; Socero digniſſimus, Güntherus Chriſtoph. Schellhammerus, Med. D. & antehac in Julia & Jenenſi, nunc autem in Kilonienſi Academia, Profeſſor Celeberrimus, qui illam, pari a ſe dexteritate *Additamentis neceſſariis*, & *Serie Scriptorum præcipuorum ad noſtra tempora continuata, auctam* A. 1688. denuo publicavit, & Joh. Rhodii inſuper, aliorumque; principum Medicorum, Commentationes ſimilis argumenti breviores; Appendicis inſtar, ei adjecit.

(*b*) Noviſſimam Editionem Operum Hippocratis pariter atque Galeni omnium, a ſe emendatorum, & magnam partem etiam tranſlatorum, Græco Latinam, in XIII. Tomos, ſecundum diverſas Medicinæ partes, digeſtam, Pariſiis A. 1680. *in fol.* publicavit Renatus Charterius, Vindocinenſis, Doctor Medicus Pariſienſis.

exſpectantes. Qui vero Doctorum Medicorum nomen tueri volunt, & hos debent jungere Recentioribus. Sæpe enim accidit, ut inveniamus aliqua in veteribus illis, quæ, ut nova, ab aliis venditantur, quoniam Veteres Autores nunquam illis lecti ſunt, aut cogniti.

Commentatorum in Hippocratem & Galenum magna ſylva eſt, quos recenſent 3
Autores Bibliothecarii hujus facultatis, Paſchalis Gallus, Joh. Georg. Schenckius *in Bibliothecis Medicis*, Iſrael Spachius *in Nomenclatore Medico*, & poſt illos Joh. Antonides Lindanus, qui noviſſimè *Scriptorum Medicorum ſyllabum* congeſſit, usque ad ſua tempora, ſic ſatis perfectum (c) Quanquam multa in illo deſiderat & reprehendit Val. Henr. Voglerus *in Introductione ad notitiam Autorum.* Poſt illos omnes telam hanc iterum orſus eſt, vel potius alio ordine retexuit, Martinus Lipenius, *in Bibliotheca Materiali Medica.* Sub titulis enim materiarum Autores digeſſit; ſed multa illic ſunt manca, multa & ſphalmata occurrunt. Optandum eſſet, ut à quodam Rei Medicæ non ſolùm, ſed & Philologicæ, perito talis labor ſuſciperetur. Qui in Medicina & Phyſicis noviſſimè prodierunt libri ab Anno 1650. ad præſentem, eorum Catalogum texuit Cornelius à Beughem, qui non ita pridem prodiit.

Quod jam attinet Medicinæ partes, princeps illarum eſt Physiologia. In Au- 4
toribus illius recenſendis, non eſt, quòd prolixi ſimus, cùm jam ſupra in Phyſicis bonam eorum partem attigerimus. Claſſes Phyſiologiæ variæ conſtitui poſſunt, pro ratione ſubjectorum. Primò hiſtoria animalium quatenus ad hiſtoriam Medicam ſpectat, ratione Anatomes, morborum & remediorum, probe notanda eſt, & Autores illi diligenter conquirendi ſunt, qui de his argumentis ſcripſerunt. Tùm hiſtoria Hominis, & Autores circa hominis Anatomen occupati, & doctrina plantarum, quæ omnia hoc tempore ita ſunt exculta, ut vix quicquam addi poſſe videatur. *De Homine, & Plantis*, in genere, Honor. Fabri libro peculiari egit, quô illa penè continentur omnia, quæ ad philoſophiam ſpectant, & Medica nonnunquam attinguntur. Circa *hominis Anatomen*, ejusque partium, tot ſunt operoſæ Recentiorum demonſtrationes, è quibus pleraque collegit, & in ſyſtema redegit, Thom. Bartholinus, additis & ſuis Obſervationibus, cujus Liber Anatomicus toties eſt recoctus & reformatus, ad experimenta recentiorum temporum.

Res Botanica ad ſuperſtitionem hodie exculta eſt. Nam Marcellus Malpighi- 5
us *novam Plantarum Anatomen* magnâ curâ publicavit, uti & Nehemias, Grewius, licet hic labor ad rem Medicam parum conducat. Uſus Plantarum Medicos qui ſcripſerunt,

(c) Joh. Antonidæ a Linden, Med. D. & in Acad. Lugduno-Batava Profeſſoris, *Libro de Scriptis Medicis duos*, quorum prior ſub Autorum ea ſuorum Nominibus, Alphabetica ſerie collocatis, Poſterior verò ſub Argumentorum, quæ tractant, titulis, diſpoſuit, Amſtelod. A. 1637. & 1651. *in 8vo* editos, tertiaq; vice ibidem A. 1662. *in 8vo maj.* longe auctiores ab ipſo Autore recenſitos, quarta Editione a ſe continuatos & dimidia penè parte amplificatos, Noribergæ A. 1686. *in 4to*, ſub *Lindenii Renovati* Titulo publicavit Georg. Abrah. Merclinus Med. D. & Reipublicæ Noribergenſis Poliater.

pſerunt, tot ſunt, tamque varii, ut recenſendis illis liber integer ſit impendendus. Notus eſt Jac. Theod. Tabernæ-Montani Liber, nec non Simonis Pauli *Quadripartitum Botanicum*, quod uſus Medicos diligenter notavit, varia etiam ad rem illam non pertinentia immiſcens. De veteribus Autoribus conſule Conringium. Multa obſervanda vetuſtaque circa plantas recenſet Jul. Cæſ. Scaliger *in Comment. in Theophraſtum, de Plantis*, qui prodiit repetita Editione, unà cum Joh. Bodæi à Stapel *Commentariis*. Legendus quoque Cl. Salmaſius eſt *in Commentario in Solini Polyhiſtorem*. Denique promiſerat & Benjamin Priolus in *Appendice Hiſtoriæ ſuæ Gallicæ, Opus abſolutum de re omni plantarum, Veterum, Recentiorum, Exoticarum, Patriarum*, & indignatur aliis, qui hanc ſibi operam præripuerint. Sed homo ille eſt ineptus, ut *Hiſtoria* ipſa, ab illo ſcripta, teſtatur. Vix crediderim, præclari aliquid ab illo exſpectandum. Subjecta naturalia, quæ in Officinis habentur, variis quoque Commentariis ſunt illuſtrata. Exſtat Caſp. Hofmanni ſingularis *de Officinalibus* Liber, præclarus & eruditus, & non multis cognitus. Vixiſſet utinam magnum Germaniæ Decus, Georg. Hieron. Welſchius, nullam non Medicinæ partem per illum habuiſſemus excultam.

6 Qui INSTITUTIONES ſcripſère, magno habemus numero. Olim Dan. Sennertus Princeps illorum habebatur, nunc, reformata novis Obſervationibus toties Medicina *ſcinditur incertum ſtudia in contraria vulgus*, variosque ſinguli ſibi duces eligunt, prout principia admiſerunt, vel certorum Doctorum elegerunt ſcholas. Nam penè quotannis vel nova Methodus prodit, vel principia cuduntur ſingularia. Aliqui J. Bapt. Helmontii adhærent doctrinæ, quæ è diametro ſæpe Veteribus adverſa eſt. Aliqui Chymicam ſequuntur Methodum, & in his multi quoque ſunt ſuis principiis & opinionibus diviſi. Sunt, qui inter hos amicitiam ſpondent, & gryphes jungere equis laborant, de quibus omnibus diſſerendi locus nunc non eſt.

7 PRACTICORUM Autorum immanis eſt numerus, eorum ſcil., qui Obſervationes, Conſilia, formulas Remediorum, ſcripſerunt, è quibus, qui diligens velit eſſe Medicus, magnam Excerptorum poteſt congerere ſylvam. Praxes Chymicæ ſunt inſtitutæ multæ, & habentur libri integri, qui præparare docent varii generis medicamenta modô Chymicô. Olim Conr. Geſnerus talem præſtitit operam in libro, qui inſcribitur *Euonymus*, quo collegit potiſſimas, quæ ſuo tempore circumferebantur, Operationum Chymicarum, tùm officinalium, tùm arcaniorum, formulas. Noſtro tempore Joh. Zwelfferus, in ſua *Pharmacopœa*, illas collegit, unde plura exſcripſit Febure, Gallus, in Chymico ſuo Opere, Gallicè ſcripto. Colligere autem talia infinita quis poteſt, è Relationibus & notitiis Chymicorum. Nuperrimè talis liber prodiit, curante J. Joach. Becchero, cui Tit. Chymiſcher Glückshaffen. Atquæ hæc de Medicina dixiſſe ſufficiant. Finem jam hîc Lectionibus noſtris *de Notitia Autorum* imponimus, Deoque, pro Opere ad iſtum perducto, gratias agimus.

F I N I S.

INDEX. I.
AUTORUM,

in quo

Primus Numerus major TOMUM, ſecundus minor LIBRUM *Tomi*, tertius CAPUT Libri, quartus PARAGRAPHOS denotat.

NB. Aſteriſcus (*) *Partem ſecundam* Libri ſecundi Tom. II. indicat.

ABelardus (*Petrus*) II,1,14,1.
Acciajolus (*Donatus*) II,1,11,24.
Accorombonus (*Felix*) II,1,11,24.
Achilles (*Alexander*) II,2*,26,2. II,3,1,6.
Actius (*Thomas*) III,6,8,5.
Adami (*Melchior*) I,1,17,11. I,1,18,51.
(*Tobias*) II,1,12,4. II,2,14,3.
Æmilius (*Antonius*) I,6,3,4.
Agnellus (*Scipio*) II,1,7,18. II,2,11,2.
Agricola (*Georgius*) I,1,22,14. & 15. II,2*,2,5. II,2*,8,9. II,2*,29,4.
(*Johannes*) II,2*,46,2.
(*Rudolphus*) I,1,23,39. I,2,2,14. I,2,3,16. II,1,12,1. II,2,1,14. II,5,1,4.
Agrippa (*Cornelius*) I,1,11,3. I,1,12,3. I,2,5,31. II,1,6,1. II,2,9,1. II,3,1,12. & 13 ſeq.
Aizema (*Leo ab*) III,3,1,3.
Alberti (*Johannes Baptiſta*) I,1,14,10.
(*Johannes Michael*) I,2,6,33.
Albertinus (*Edmundus*) III,5,1,29.
Albertis (*Albertus ab*) I,6,1,17.
Albertus Magnus II,1,14,2.
Albinus (*Conſtantinus*) II,3,1,12.
(*Petrus*) II,2*,29,4.
Alciatus (*Andreas*) I,2,25,21. I,5,27. I,7,3,5.
Alcyonius (*Petrus*) I,1,5,27.
Aldoriſius (*Proſp.*) II,3,1,3.
Aldrovandus (*Ulyſſes*) II,2,1,12. II,2,2,5. & 10. II,2*,2,4. II,2*,29,4. II,2*,40,4. II,2*,46,1.
Aleander (*Hieronymus*) III,6,4,4.
Alegambe (*Philippus*) I,1,18,54.
Alemannus (*Nicolaus*) I,5,2,6. III,6,4,2.
Allatius (*Leo*) I,1,16.26. I,1,9,4. I,1,11,54. I,6,1,30, III,5,1.23.
Alliaco (*Petrus de*) II,1,13,7.
Almainus (*Jacobus*) II,1,13,10.
Almelovenius (*Theodorus Iſaacus*) I,4,2,6. I,4,12,7.

Aloyſius

Aloyſius (*Petrus*) I,6,4,13,I,7,3,4.
Alſarius (*Vincentius*) II,2*,26,1.
Alſtedius (*Johannes Henricus*) I,2,5,27. I,2,5,55.I,26,34.I,2,7,74.ſeq. II,1,13,1. II,2,3,4. II,4,1,3, & 16.III,4,1,11.
Altenſteig (*Johannes*) II,1,13,10.
Althammerus (*Andreas*) I,4,4,4.
Althuſius (*Johannes*) III,6,5,5.
Alvarez (*Didacus*) II,1,14,56.
(*Emanuel*) I,4,10,3.
Amama (*Nicolaus*) II,2*,20,2.
Ambianenſis (*Georgius*) I,4,14,4.
Amelotius (*Jocobus*) I,1,3,19.
Amerpoel (*Johannes ab*) II,1,15,11,II,2, 3,4.II,2*,1,5.
Ameſius (*Guilhelmus*) III,5,1,24.
Amman (*Johannes Conradus*) I,4,1,6.
Amuſæus (*Romulus*) I,1,25,38.
Amyraldus (*Moſes*) III,5,1,32,&36.
Andreas (*Valerius*) I,1,18,36. ſeqq.
Andrelinus (*Fauſtus*) I,1,21,109.
Angelotus (*Angelus*) I,1,15,43.
Angelus (*Michael*) *de bona rota*, I,1,25,23.
Angelutius (*Theodorus*) II,1,8,4. II,2,14,1.
Angerianus (*Hieronymus*) I,7,3,4.
Anglerus (*Petrus Martyr*) I,1,24,48.
Anglus (*Thomas*) I,2,8,5.II,5,1,8.
Annius (*Viterbienſis*) I,1,6,33.
Antonio (*Carolus a S.*) I,7,1,12.
Antonius (*Marcus*) II,2*,47,5.
(*Nicolaus*) I,1,8,31.I,1,18,32. I,2,3,24.I,6,4,6.I,7,1,8. II,1,14,42.
Aphrodienſis (*Alexander*) I,1,1,10.I,1,2,10.
Aphrodiſæus (*Alexander*) II,1,9,3.
Apoſtolius (*Michaël*) I,1,21,87.
Aproſius (*Angelicus*) I,1,14,25. I,1,5,14.
Aquarius (*Matthæus*) II,1,14,5,&38.
Aquilinius (*Cæſar*) III,2.1,18.
Aquinas (*Thomas*) I,2,1,45.II,1,14,8.
Arcerius (*Johannes*) II,1,2,2.
Areſius (*Paulus*) I,6,4,7.
Aretinus (*Leonhardus*) I,1,23,29. I,1,7,16.III,3,1,2.
Arias (*Franciſcus*) I,6,4,27.
Arimino (*Gregorius de*) II,1,13,5.
Aringhus (*Paulus*) III,4,1,18.
Arminius (*Jacobus*) III,5,1,32.
Arndius (*Johannes*) II,1,15,16.
(*Joſua*) I,1,19,45,III,2,1,10. III,4,1,16,III,6,2,2.
Arniſæus (*Henningus*) III,2,1,3. III,6,9,6.
Arnoldi (*Chriſtophorus*) I,1,7,59. I,1,24,85,I,4,10,11.I,4,12,10. II,2*,20,9.
(*Nicolaus*) II,2,17,1.
Aretinus (*Franciſcus*) II,1,14,10.
Arriaga (*Rodericus*) II,1,13,11. II,1,14,47.
Artus (*Johannes de*) II,3,1,4.
Arumæus (*Dominicus*) III,6,9,2.
Aſchamus (*Rogerus*) I,2,23,62.I.2,13,17.
Aslacus (*Conradus*) II,2,3,4.
Aſulanus (*Andreas*) I,7,2,24.
Avancinus (*Nicolaus*) I,6,3,10.I,6,4,14.
Auguſtinus (*Antonius*) III,6,3,4,&7. III,6,7,14.
Avila (*Johannes de*) I,6,4,26.
Auratus (*Johannes*) I,1,10,33.I,7,3,6.
Auriſpa (*Johannes*) I,7,2,13.
Auſtenius ( ) II,2*,41,4.
Auſtriacus (*Johannes*) I,2,6,41.
Axenius (*Petrus*) I,1,19,9.I,1,25,5.
Azevedo (*Joh. Velaſquez de*) I,2,6,35.
Azorius (*Johannes*) II,1,14,61. III,1,1,12.

BAart (*Petrus*) II,2*,47,3.
Baccius (*Andreas*) II,2*,20,9.
II,2*,42,2.
Bachovius (*Reinerus*) III,6,4,4.
III,6,7,3,&4,8.& 11.III,6,8,3.
Backhuſius (*Arnoldus*) I,2,6,38.
Baco (*Franciſcus*) II,2*,38,3.
(*Rogerus*) I.1,2,12.I,2,6,67.I,1,5,26.
II,2,12,6.II,2*,22,2.II,2*,32,2.
II,2*,38,3.II,4,1,9,&17.
Bælius (*Petrus*) I,1,16,46.
Bailius (*Ludovicus*) I,6,4,9.
Bailletus (*Adrianus*) I,1,16,55.I,7,1,15.
Balbinus (*Bohuslaus*) I,7,1,19.
Baldæus (*Philippus*) II,3,1,16.
Balduinus (*Benedictus*) I,5,2,9.
(*Chriſt. Adamus*) II,2*,22,5.
(*Franciſcus*) I,4,14,9.III,4,1,3.
III,6,3,1,&2,7.III,6,4,2.
(*Fridericus*) I,6,4,23.
Baldus (*Bernhardus*) I,1,25,34.I,4,4,2.
I,7,3,4.
(*Camillus*) I,1,24,53.
(*Jacobus*) I,7,3,9.&10,16.
II,2*,42,4.
Baleus (*Johannes*) I,1,18,42.
Balfoureus (*Robertus*) II,1,14,67.
Balzacus (*Johannes Ludovicus*) I,1,24,24.
I,7,1,10.II,1,3,2.II,2,11,1.
Bangius (*Thomas*) I,4,10,8.I,4,1,10.
II,2*,2,6.
Bannez (*Dominicus*) II,1,14,21.
Banoſius (*Theophilus*) III,5,1,27.
Baptiſta (*Johannes*) II,1,4,15.
Barbarus (*Daniel*) II,1,11,11.
(*Hermolaus*) I,1,23,33.II,1,11,2.
II,2*,22,5.
Barboſa (*Auguſt.*) I,7,1,14.III,6,6,4.
III,6,11,2.
Barclajus (*Joh.*) II,1,11,30.III,2,1,10,&16.
Bargæus (*Petrus Angelus*) I,5,2,5.
II,2*,46,3.
Barlæus (*Caſpar*) I,1,24,54.I,1,15,12.
I,6,3,4.I,7,3,8.&9,12.
II,2*,27,7.II,3,1,17.III,3,1,5.
Barnes (*Joſua*) I,7,1,10.I,7,2,7.
Barneſius (*Johannes*) II,1,14,60.
Baro (*Egvinarius*) III,6,3,8.
Baronius (*Cæſar*) III,4,1,12.III,5,1,28.
Barthius (*Caſpar*) I,1,9,28.I,4,12,12.
I,4,13,9.I,7,1,6,&15.I,7,3,12.
Bartholinus (*Albertus*) I,1,18,46.
(*Bartolus*) I,5,2,9.I,6,3,6.
(*Caſpar*) I,5,2,8.II,2*,2,5.
(*Eraſmus*) I,1,2,20.I,2,3,12.
I,6,3,6.II,2,2,11.
II,2*,3,5.II,2*,27,9.
(*Thom.*) I,1,16,7.I,1,18,46.I,1,24,16.
I,3,13,49.I,1.5,28.I,4,12,7.
I,5,2,8,& 9,14.I,6,3,3.
I,7,3,17.II,2,2,6.II,2*,14,5.
II,2*,24,3.II,2*,27,9.
II,2*,46,2.II,2*,47,3.
III,7,1,2,&4.
Bartoli (*Daniel*) III,1,1,5.
Bartoloccius (*Julius*) I,1,6,29.I,4,5,5.
Bartolus (*Daniel*) I,1,16,67.I,6,4,15.
Bary (*Renatus*) I,6,1,31.
Baſſo (*Sebaſtianus*) II,2,11,2.
II,2*,20,3.
Batleſius (*Gvilielmus*) I,4,10,10.
I,1,19,20.
Baudius (*Dominicus*) I,1,24,86.I,6,3,4.
I,7,3,12.&19.
Baxius (*Nicaſius*) I,3,7,28.
Bayerus (*Johannes*) II,1,15,19.II,2,3,5.
Bayſius (*Lazarus*) I,5,2,9.&13.
Bayle (*Franciſcus*) II,2,15,9.II,2,17,4.
Beaufort (*Ludov. de*) II,2,3,4.II,2*,4,2.
II,2*,6,3.II,2*,11,7,& 10.

Beaune (*Florimundus de*) II,4,1,5.
Becanus (*Joh. Georgius*) I,4,3,4.
Beccherus (*Joh. Joachimus*) I,1,20,17. I,1,14,46. I,4,9,6. I,2,4,32. I,4,2,5. II,2*,30,2. II,2*,39,2 II,4,1,15. III,1,1,10. III,3,1,3. III,7,1,7.
Becchius (*Philippus*) II,1,9,9.
Bechmannus (*Fridemannus*) II,2,12,8. II,2*,21,3.
Bechtoldus (*Johannes*) III,6,6.1. III,6,8,5.
Beckerus (*Balthaſar*) II,2,17,1.
(*Wilhelmus*) III,6,9,3.
Becmannus (*Chriſtianus*) I,4,9,4. I,1,24,111.
(*Joh. Chriſtophorus*) II,4,1,13. III,1,1,6.
Beguinus (*Johannes*) II,2*,29,4.
Belingen (*Fleury de*) I,1,21,10.
Bellarminus (*Robertus*) III,4,1,1, III,5,1,24. & 28.
Bellinus (*Laurentius*) II,2*,47,3.
Bellonius (*Petrus*) II,2,2,8.
Bellovacenſis (*Vincentius*) Epiſcopus. I,1, 21,22.
Bellus (*Nicolaus*) III,2,1,7.
Bellatus (*Bonaventura*) II,1,14,3.
Belot (*Jean*) I,2,5,58. II,3,1,7.
Belurgerius (*Claudius*) I,7,2,2.
Bembus (*Petrus*) I,1,23,38. II,1,7,2. II,2,11,2.
Benius (*Paulus*) I,4,4,16. II,2,11,3. III,4,1,12.
Bentlejus (*Richardus*) I,4,7,6. I,7,2,17.
Benzius (*Johannes*) I,1,21,74. & 119. I,2,4,30. I,4,8,8. I,3,2,14. I,6,1,21.
Berchorius (*Petrus*) I,6,4,16.
Beringius (*Vitus*) I,6,3,6.
Berirgardus (*Claudius*) I,1,8,5. II,2,2,7. II,2,3,6. II,2,11,2.
Berlucius (*Johannes Anton.us*) I,1,21,72.
Benardus (*Johannes Baptiſta*) I,1,21,28. II,1,7,2. II,1,11,31.
Berneggerus (*Matthias*) I,1,24,83. I,4,13,3. I,6,3,3. II,4,1,12. III,2,1,14. & 20.
Beroaldus (*Philippus*) I,2,8,55.
Bersmannus (*Gregorius*) I,7,1,19.
Bertholdus (*Petrus*) I,5,2,6.
Bertilius (*Canutus*) I,1,24,67.
Bertius (*Petrus*) II,4,1,11.
Bertrandus (*Bernhardus*) I,7,2,22.
(*Johannes*) I,1,19,66. III,6,3,5.
Beſnier I,4,4,12. II,4.1,17.
Beſoldus (*Chriſtophorus*) III,6,6,2. III,6,9,6. III,6,11,2.
Betti (*Johannes*) II,2*,47,4.
Bettinus (*Marius*) II,4,1,3.
Bevérovitius (*Johannes*) II,2*,5,4.
Beughem (*Carolus à*) III,6,6,1.
(*Cornelius à*) I,1,16,45. I,1,18,65. III,6,1,3.
Beyerlingius (*Laurentius*) I,1,21,23.
Beza (*Theodorus*) I,7,3,5.
Bibliander (*Theodorus*) I,4,1,10. I,4,3,10. I,4,4,2.
Biccius (*Gregorius*) III,6,7,6.
Bidermannus (*Jocobus*) I,7,3,9. & 11. III,1,1,5.
Biel (*Gabriel*) II,1,13,6.
Bietus (*Antonius*) II,3,1,17.
Bilderbeckius (*Andreas*) III,6,10,3.
Billius (*Jacobus*) I,4,6,11.
Bilſius (*Ludovicus*) II,2*,47,4.
Binderus (*Chriſtophorus*) II,1,14,72.
Biſciola (*Lælius*) I,1,21,46.
Biſſæus (*Eduardus*) II,1,1,10.
Biſſelius (*Johannes*) I,7,3,9. III,2,1,17.

Biſter-

Biſterfeldius (*Johannes Henricus*) I,2,5. 39,& 61.
Blaeu (*Gvilhelmus*) II,4,1,8.
Blancanus (*Joſephus*) II,4,1,1.
Blancardus (*Nicolaus*) I,4,7,5.
Blanchot (*Petrus*) I,1,17,22.
Blaſius (*Gerbardus*) II,2*,47,3.
Blommertius (*Auguſt.*) I,6,3,6.
Blondellus (*David*) I,1,18,70. III,4,1,12. III,5,1,3,&26. III,5,1,27,&29. III,6,3,9. III,6,7,14.
(*Franciſcus*) I,7,2,10.
Blotius (*Hugo*) III,2,1,9.
Blumius (*Arnoldus*) I,1,25,10.
(*Jacobus*) III,6,11,3.
(*Reinboldus*) I,1,25,10.
Blyenburg (*Gvilielmus*) III,5,1,8.
Boccalinus (*Trajanus*) I,1,9,11. I,1,16,65. I,4,13,4. III,2,1,12.
Bocco (*Paulus*) II,2*,26,1.
Bocerus (*Henricus*) III,6,7,15.
Bochartus (*Samuel*) I,4,3,3. I,5,1,11. II,2*,40,4. II,2*,43,2. II,2*,45,8. II,2*,46,1. II,3,1,17.
Böckeln (*Chriſt. Otto à*) III,6,3,10.
Böclerus (*Johannes Henricus*) I,2,13,9. I,1,12,35. I,4,13,4. I,4,6,19. I,4,7,1. I,6,3,3. & 6. III,1,1,7. & 9,11. & 13. III,2,1,6. & 12. 13,14. & 20. III,4,1,3, & 9,13. III,5,1,23. III,6,1,5. & 8. III,6,9,3.
Bodinus (*Johannes*) I,1,8,7. II,2,2,7. III,2,1,4. III,4,1,3. III,5,1,9.
Boëthius (*Severinus*) II,1,11,1.
Boëtianus (*Stephanus*) I,2,8,55.
Bogamus (*Zacharias*) I,4,6,20. I,1,21,76. II,2*,2,6.
Bohlius (*Samuel*) I,4,5,3.
Böhmius (*Jacobus*) I,1,10,27. II,2,3,8. II,2*,40,6. III,5,1,36.
Bohoritzius (*Adamus*) I,4,3,3.
Boiſſardus (*Johannes Jacobus*) I,1,19,49. II,1,14,2. II,3,1,1. II,3,1,17.
Boldonus (*Octavius*) I,4,14,26. I,6,3,11.
Bolduanus (*Paulus*) I,1,18,22. III,4,1,2. III,5,1,13.
Bolius (*Jacobus*) I,4,6,19.
Bonamicus *Lazarus*) I,1,25,38.
Bonaventura II,1,14,4.
Boncampagnus (*Hironymus*) I,6,3,11.
Boncianus (*Antonius*) I,1,23,64.
Bonefonius (*Johannes*) I,7,3,11.
Bongarſius (*Jacobus*) I,1.24,90.
Bonifacius (*Balthaſar*) I,1,21,34. I,1,25,38. I,5,2,15. I,7,3,17. III,4,1,2.
Bonnæus (*Franciſcus*) I,1,1,10. I,2,5,2.
Bonnetus (*Johannes Paulus*) I,2,3,21.
Bonomi (*Johannes Franciſcus*) III,1,1,6.
Bonvicinus (*Valerius*) II,2*,36,2.
Borbonius (*Nicolaus*) I,2,8,55. I,7,3,3.
Borcholtus (*Johannes*) III,6,7,3. & 15.
Borellus (*Johannes Alphonſus*) II,1,15,10. II,2,1,25. II,2,7,10. II,2,17,7. II,4,1,6. II,4,1,15. II,2*,6,6. II,2*,48,1.
(*Petrus*) II,2*,3,5. II,3,1,18. II,4,1,9.
Borgias (*Cæſar*) Dux Valentinus, I,1,19,28.
Borri (*Franciſcus Joſephus*) II,1,7,13.
Borrichius (*Olaus*) I,3,13,49. I,4,3,7. I,7,1,16. I,7,2,1. I,4,9,15. II,1,1,12. II,2,4,1. &5. II,2,7,2. & 6. II,2,16,5. II,2*,2,5. II,2*,34,1. II,2*,36,2. II,2*, 43,2. II,3,1,17.

Borromæus (*Fridericus*) Cardinalis, I,1,14,34. I,6,4,9.
Borrul (*Matthias*) II,1,14,39.
Boſche (*Gvilielmus van den*) II,2*,46,1.
Boſcius (*Petrus*) I,6,4,29.
Boſius (*Antonius*) I,5,2,5.
(*Johannes Andreas*) I,1,7,44. II,2*,12,4. III,2,1,6.&7. III,4,1,18. III,5,1,20.&32.
Boſſu (*Renatus le*) I,7,1,13.
Boſſvetus (*Jacobus Benignus*) III,4,1,15.
Boterus (*Johannes*) III,2,1,14.&20.
Botius (*Arnoldus*) II,2*,1,3, III,5,1,15.
(*Gerhardus*) II,2*,1,3.
Bottifanga (*Julius Cæſar*) I,1,1,6.
Boverius (*Zacharias*) III,4,1,18.
Bouhors (*Dominicus*) I,6,1,13.
Boulay (*Cæſar Egaſſius du*) I,1,16,74.
Boulducus (*Jacobus*) II,2*,2,6. III,5,1,4.
Boultonus (*Samuel*) I,3,13,50. II,2,11,7. II,2*,8,3.
Bourdin (*Petrus*) II,2*,12,3.
Boxhornius (*M. Zuerius*) I,1,24,4.&95. I,4,3,3. I,6,1,25. I,6,3,4. III,2,1,3,&13. III,4,1,4.&11.
Boyle (*Robertus*) I,1,11,2. I,6,4,20. II,1,5,7. II,1,15,15. II,2,1,7.&15,18. II,2,2,8.&9. II,2,7,8.&13. II,2,10,3. II,2,16,4. II,2,17,6. II,2*,1,7. II,2*,2,5. II,2*,4,3. II,6,8. II,2*,8,11. II,2*,13,3. II,2*,15,2, II,2*,16,2. II,2*,17,4. II,2*,18,3. II,2*,20,6. II,2*,33,2. III,4,1,5.
Boym (*Michael*) II,2*,40,5.
Braccinus (*Julius Cæſar*) II,2*,26,1.
Bramhall (*Johannes*) III,1,1,4.
Braſſicanus (*Alexander*) I,1,17,36.
Brautlacht (*Georgius*) III,6,9,3.
Breiſſac (*Dn. de*) I,2,5,62.
Brenius (*Daniel*) III,5,1,35.
Brerewodus (*Eduardus*) I,4,3,10. III,5,1,20.
Bricot (*Thomas*) II,1,13,10.
Briſſonius (*Barnabas*) I,4,9,20. II,2,5,7. III,6,3,3.&7.
Bronchorſtius (*Eberhardus*) III,6,8,2.
Broſſæus (*Petrus*) III,6,7,8.
Browne (*Thomas*) II,2,1,9. III,5,1,10.
Brummerus (*Fridericus*) III,6,3,7.
Brun (*Laurentius le*) I,3,10,33. I,6,3,13. I,7,1,7. I,7,3,8.
Brunnemannus (*Johannes*) III,6,7,3,&9.
(*Samuel*) I,1,21,102,
Bruno (*Henricus*) I,7,3,4.
Brunus (*Jordanus*) I,2,5,29. I,1,8,22. I,2,6,12. II,1,5,5. II,2,15,1. II,2*,3,4. II,2*,11,5.
Bruſonius (*Lutius Domitius*) I,1,21,58.
Brutus (*Joh. Michael*) I,3,6,23. I,1,24,121.
Bruxellis (*Georgius de*) II,1,13,10.
(*Petrus de*) II,1,13,10.
Bruxius (*Adamus*) I,2,6,43.
Bucellenus (*Johannes*) I,7,1,19.
Bucerus (*Martinus*) III,5,1,17.
Buchananus (*Georgius*) I,7,3,8.&10. II,4,1,8.
Bucherius (*Ægidius*) I,5,2,6.
Buchnerus (*Auguſtus*) I,4,9,16. I,1,24,99. I,6,1,15. I,6,3,3. II,1,11,30. III,2,1,1.
Bucholdianus (*Gerhardus*) II,5,1,4.
Budæus (*Gvilielmus*) I,4,8,3. I,1,1,20. I,1,6,10. III,6,7,5.
Bulacherus (*Nicolaus*) I,2,6,56.
Bulengerus (*Julius Cæſar*) I,5,1,7, I,5,2,7,&12.14, II,3,1,5. III,4,1,12.

Bullart (*Iſaacus*) I,1,19.56. I,6,4,6.
Bulwer (*Johannes*) I,4,1,17.
Bungus (*Petrus*) II,1,2,4. II,3,1,14. II,4,1,5.
Buno (*Johannes*) I,2,6,53. II,4,1,11.
Buræus (*Johannes*) I,4,3,3.
Burana (*Johannes Franciſcus*) II,1,11,7.
Buratellus (*Gabriel*) II,1,7,2.& 17. II,2,12,10.
Burgersdicius (*Franco*) III,2,1,3.
Burggravius (*Johannes Erneſtus*) II,2*,8,7.
Burgheſius (*Paulus Gvidotus*) II,4,1,17.
Burgius (*Alexander*) I,1,15,25.
Buridanus (*Johannes*) II,1,13,10.
Burrhus (*Franciſcus Joſephus*) I,3,13,25. II,2*,8,4. II,2*,46,5. II,2*,47,3.
Burſerus (*Joachimus*) II,2*,20,8.
Burtonus (*Gvilhelmus*) I,4,5,9.
Bury (*Richardus de*) I,1,4,11. I,1,17,3.
Buſchius (*Hermannus*) I,1,23,19.
Buſius (*Paulus*) III,6,7,3.&5.
Buſſiere (*Johannes*) I,7,3,8.
Buxtorfius (*Gerlacus*) III,6,9,2.
(*Johannes*) I,4,5,5. III,6,2,2.
Bythnerus (*Johannes Erneſtus*) I,4,10,10.
Bzovius (*Abraham*) III,4,11,12.
CAbæus (*Nicolaus*) II,2*,47,7. II,2*,27,12. II*,32,2.
Cabaſila (*Nicolaus*) II,1,6,1. II,2,9,1.
Cabezudo (*Didacus Nugno*) II,1,14,25.
Cabillavius (*Balduinus*) I,7,3,9.
Cæcus (*Ventura*) III,6,4,4.
Cælius (*Johannes*) I,7,3,3.
Cæſalpinus (*Andreas*) II,1,11,25.
Cæſar (*Cajus Julius*) I,4,11,9.
Cæſius (*Angellus*) Dux aquæ Spartæ, I,1,14. 18. ſeq. II,2,2,9.
(*Philippus*) I,7,3,13.
Cæſonius (*Dominicus*) I,1,24,108.
Cagnolus (*Bilmontes*) I,1,15,25.
Caille (*Joh. de la*) I,4,2,6.
Cajus (*Johannes*) I,4,6,18.
Calcagninus (*Cælius*) I,1,24,105. I,4,11,7.
Calderinus (*Johannes*) III,2,1,20.
Calentius (*Eliſius*) I,7,3,8.
Catepinus (*Ambroſius*) I,4,9,9.
Calixtus (*Georgius*) I,5,2,14. II,1,13,14. III,5,1,7.&13,23.
Callimachus (*Cyrenæus*) I,1,6,4.
Calovius (*Abraham*) III,5,1,25.& 32.
Calvinus (*Johannes*) I,1,24,100. III,6,3,3. & 4. III,6,6,2.
Calviſius (*Sethus*) III,4,1,5.
Cambdenus (*Gvilielmus*) I,4,4,19. II,1,14,73. II,2*,38,3.
Camerarius (*Joachimus*) I,1,19,6.& 34. I,1,23,54. II,4,8,4.
(*Johannes Rudolphus*) II,2,2,8.
(*Philippus*) I,1,21,49.
Camers (*Varinus Phavorinus*) I,4,8,2.
Camillus (*Julius*) I,2,6,25, ſeqq. I,7,1,9.
Campanella (*Thomas*) I,1,19,44. I,1,22,31. I,1,11,2. II,1,12,4. II,2,14,3. II,2*,1,3. II,3*,9,2. II,11,5. II,2*,12,9. II,2*,20,4. II,2*,44. 2. II,5,1,7. III,1,1,4. & 5. III,5,1,9.
Caninius (*Angelus*) I,4,6,6.
Cantelius (*Petrus Joſephus*) I,5,2,4.
Canterus (*Gvilielmus*) I,1,18,10. I,5,1,8. I,7,2,22.
Cantoclatus (*Carolus*) I,6,2,18.
Canutus (*Bertilius*) I,1,24,67.

Capac-

Capaccius (*Julius Cæſar*) I,1,19,58.
Capella (*Martianus*) I,2,7,72.
Capellus (*Marcus Antonius*) III,5,1,27.
(*Jacobus*) I,4,6,20.
Caponus (*Johannes Baptiſta*) I,1,16,12. I,1,18,66.
Caramuel (*Johannes*) I,6,4,7. II,3,1,17.
Carbo (*Ludovicus*) I,6,4,7. III,6,10,2.
Cardanus (*Hieronymus*) I,1,25,36. II,1,7,22. II,1,15,3. II,2,2,10. & 11. II,2,11,1. II,2,14,2. II,2*,17,2. II,3,1,6,&7,8,&18. III,1,1,7, & 11. III,2,1,4. III,3,1,2.
Cardonas (*Johannes Baptiſta*) I,1,17,21.
Carettonius (*Franciſcus*) I,6,3,8.
Carpentarius (*Nathanael*) II,1,15,4. II,2,15,3.
Carpzovius (*Benedictus*) III,6,10,3.
Carrega (*Johannes Nicolaus Saulius*) I,1,24,93.
Carrion (*Emanuel Ramirerius de*) I,4,1,16.
(*Ludovicus*) I,4,14,2.
Carteſius (*Renatus*) I,1,24,31. I,2,7,22. II,1,6,1. II,1,15,5. II,2,3,4. II,2*,1,6. II,2*,40,4. II,2*,32,3. III,5,1,6.
Carvallo (*Ludovicus Alphonſus de*) I,7,1,7.
Caſa (*Johannes*) I,1,23,38, & 58. I,1,19,46. I,7,3,17. III,1,1,8. & 9.
Caſalius (*Johannes Baptiſta*) III,4,1,18.
Caſa nova (*M. Antonius*) I,1,18,20. I,7,3,4.
(*Petrus*) III,4,1,6. III,6,7,15.
Caſaubonus (*Iſaacus*) I,1,23,67. I,4,6,19. I,4,12,13. I,5,1,14. I,7,1,11. II,1,1,12. III,4,1,12. III,5,1,26.
(*Mericus*) I,4,1,5. I,4,3,9. I,4,12,13. II,1,1,1. II,2,1,8. & 9. II,2,1,13. II,2*,2,4. II,3,1,15.
Caſcales (*Franciſcus*) I,7,1,4.
Caſelius (*Johannes*) I,1,24,41. I,2,11,10. I,7,1,1. III,2,1,2.
Caſtalio (*Joſephus*) I,5,1,11.
Caſtellanus (*Petrus*) I,5,2,6. II,2*,26,1.
Caſtilioneus (*Balthaſar*) III,1,1,9.
Caſus (*Johannes*) III,3,1,2.
Cavalerius (*Johannes Baptiſta*) I,5,2,14.
Cauſinus (*Nicolaus*) I,4,2,1. I,6,1,17.
Celaya (*Johannes*) II,1,13,9.
Cellarius (*Balthaſar*) III,1,1,6. III,2,1,3.
(*Chriſtophorus*) I,4,9,16. I,4,12,14. I,4,13,2.
Celſus (*Cornelius*) III,7,1,2.
Cerda (*Ludovicus de la*) I,4,14,4. III,4,1,16.
(*Melchior*) I,6,1,25.
Chambre (*de la*) II,3,1,3. & 4. III,1,1,11.
Chamierus (*Daniel*) III,5,1,24.
Charleton (*Gvaltherus*) II,1,5,5. II,2,7,5. II,2*,24,6. II,2*,47,3.
Charondas (*Ludovicus*) III,6,3,4.
Chaſſanio (*Johannes*) II,2*,2,5. & 6.
Chekus (*Johannes*) I,4,6,18.
Chemnitius (*Martinus*) III,5,1,17. & 24.
Chêne ſ. Qvercetanus (*Andreas du*) I,1,18,24.
Chiffletius (*Henricus Thomas*) I,5,2,9. III,6,7,14.
(*Johannes Jacobus*) II,2*,2,6. III,6,4,2.
Chimentellius (*Valerius*) I,5,2,10. & 15.

Chœro-

Chœroboſcus (*Georgius*) I,7,1,18.
Chokierus (*Johannes*) III,2,1,6.
Chopius (*Franciſcus Julius*) III,6,1,6.
Choul (*Gvilielmus du*) I,5,2,6.
Chriſtinæus (*Paulus*) III,6,7,11.
Ciacconius (*Petrus*) I,4,11,9. I,5,2,11. III,6,7,14.
Ciampolus (*Johannes*) Florentinus, I,1,15,22.
Ciccræus (*Franciſcus*) I,1,25,38.
Cinellus (*Johannes*) I,1,18,74.
Cirvelo (*Petrus*) I,2,5,37.
Cittadinus (*Celſus*) I,4,9,2.
Clajus (*Johannes*) I,4,4,7.
Clapmarius (*Arnoldus*) III,2,1,15.
Claramontius (*Scipio*) I,1,15,55. II,2*,24,3. II,3,1,3. III,1,1,11.
Clarkius (*Johannes*) I,6,1,27.
(*Wilhelmus*) II,2*,38,1.
Claſenius (*Daniel*) III,5,1,5.&6.
Clavaſio (*Angelus à*) II,1,14,62.
Claubergius (*Johannes*) I,4,4,6. II,2,17,5.
Claudius (*Johannes*) I,6,4,29.
Claverus (*Jacobus*) I,1,15,25.
Clemens (*Claudius*) I,1,17,8. I,2,5,33.
Clenardus (*Nicolaus*) I,1,15,48 I,4,6,7.
Clericus (*Johannes*) I,1,16,48. I,4,1,4. I,4,12,14.
Cloppenburgius (*Johannes*) III,6,1,8.
Cloſen (*Caſpar*) I,2,6,61.
Cluſius (*Carolus*) II,2,2,5.
Clutinus (*Carolus*) I,6,2,8.
Cluverius (*Philippus*) I,4,3,3. II,2*,20,9. II,4,1,11.&12.
Cluverus (*Johannes*) III,4,1,4.
Cocquius (*Gisbertus*) II,1,15,15. III,1,1,4.
Cocus (*Robertus*) III,5,1,28.
Cœleſtinus (*Georgius*) III,4,1,14.
Coffetellus (*Nicolaus*) III,5,1,26.
Colerus (*Chriſtophorus*) III,2,1,1.
Colomeſius (*Paulus*) I,1,5,27. I,4,5,5. I,7,2,1.
Colornus (*Abraham*) I,4,2,4.
Columna (*Fabius*) II,2,2,5.
Comenius (*Johannes Amoſus*) I,4,10,10. II,1,15,18. II,2,3,5. II,2*,1,5, & 8. II,2*,14,1. II,2*,17,5.
Comeſtor (*Petrus*) II,1,14,1.
Comirius (*Johannes*) I,1,15,25.
Connanus (*Franciſcus*) III,6,5,2.
Conringius (*Hermannus*) I,1,2,28. I,1,16,6.&72. I,1,24,32. II,1, 11,28.&32. II,2,4,1.&5. II,2, 7,2. II,2,16,5. II,2*,2,6. II,2*, 6,9. II,2*,46,2. II,3,1,16. II,5, 1,4. III,1,1,4. III,2,1,1.& 2,6,7, &16. III,4,1,6.&7. III,5,1,27. III,6,3,7. III,6,4,3.& 9. III,6, 9,4. III,6,10,1. III,7,1,1.
Conſtantinus (*Robertus*) I,4,8,7. I,1,18,10.
Contarenus (*Caſpar*) II,2*,13,10.
Copernicus (*Nicolaus*) II,2,15,1.
Coppinus (*Aquilinus*) I,1,24,73.
Coraſius (*Johannes*) III,6,5,4.
Corderus (*Balthaſar*) I,1,17,36.
Cordeſius (*Johannes*) I,1,3,6. I,1,18,69.
Cordus (*Junius*) II,1,19,5.
Cornæus (*Melchior*) II,1,14,54.
Cornelius (*Petrus*) I,7,1,9.
(*Thomas*) II,2,17,5.
Coronel (*Antonius*) II,1,13,10.
Corradus (*Sebaſtianus*) I,1,25,28. I,4,11,7. I,4,9,3.
(*Quintus Marius*) I,4,10,7.
Correa (*Thomas*) I,7,1,4.&7,12,&13.

Cortuſius (*Jacobus Antonius*) II,2,2,5.
Coſtalius (*Petrus*) III,6,7,5.
Cotterius (*Matthæus*) I,4,6,19.
Cottunius (*Johannes*) II,1,14,68.
Cowleus (*Abrahamus*) I,1,14,45. I,2,1,32. I,7,3,8. II,2,1,15. II,2*,40,5.
Crafftheim (*Joh. Crato à*) I,1,25,39. ſeq. II,2,12,2.
Craftius (*Daniel*) II,2*,22,5.
Craigius (*Thomas*) III,6,7,15.
Craſſetius (*Johannes*) III,5,1,3.
Craſſus (*Laurentius*) I,1,19,52.
(*Nicolaus*) I,1,19,52.
Crauſerus (*Georgius*) I,4,9,20.
Crellius (*Johannes*) III,1,1,3.
Cremoninus (*Cæſar*) II,1,11,29.
Creſollius (*Ludovicus*) I,1,1,21. I,4,6,1. I,6,1,17. I,6,4,11. II,3,1,3.
Creſtonus (*Johannes*) I,4,8,1.
Crinitus (*Petrus*) I,7,2,1.
Croix de la Maine v. Crucimannus.
Crojus (*Johannes*) I,4,6,19. I,7,1,10. I,7,2,3.
Crollius (*Oſwaldus*) II,2*,40,6.
Crowæus (*Gvilhelmus*) I,6,4,22.
Cruciger (*Georgius*) I,4,3,8.
Crucimanius (*Franciſcus Grudæus*) I,1,18,22. I,1,4,8. I,1,5,2.
Crucius (*Jacobus*) I,6,3,5.
Crūgerus (*Petrus*) II,4,1,5.
Cruſius (*Martinus*) I,4,6,13. III,5,1,23.
Cruyce (*Joh. Baptiſt a van de*) I,6,3,10.
Cujacius (*Jacobus*) I,5,1,8. III,6,3,7. III,6,4,5. & 11. III,6,7,3. & 5. III,6,7,10.
Cuirot (*Adrian le*) I,2,6,40.
Cumberland (*Richardus*) II,1,15,15. III,6,1,4.
Cunæus (*Petrus*) I,6,2,17. I,6,3,4. III,6,2,1.
Cuperus (*Franciſcus*) III,5,1,9.
(*Gisbertus*) I,5,1,13.
Curterius (*Johannes*) I,7,2,13.
Cuſa (*Nicolaus de*) Cardinalis I,1,11,3. II,2,15,1. III,5,1,4.
Cygne (*Martinus du*) I,6,1,17.
Cynthius (*Aloyſius*) I,1,21,113.
Cypræus (*Paulus*) I,1,25,6.

DAceria (*Anna*) I,7,2,12. & 17.
Dacerius (*Andreas*) I,4,11,15. I,7,1,3.
Dairval (*Baudelotius de*) I,2,7,39. I,4,1,10.
Dalburg (*Joh. Camerarius de*) I,4,4,4.
Dalen (*Antonius van*) I,5,2,6.
Dalgarn (*Georgius*) I,2,6,83. I,4,2,5.
Dallæus (*Johannes*) I,1,9,9. I,6,4,29. III,4,1,17. III,5,1,13. & 28. ſeq.
Dangalieres (*Antonius*) I,4,6,17.
Danæus (*Lambertus*) II,2,3,4. III,1,1,3.
Daniel (*Petrus*) I,4,7,13.
Dartes (*Johannes*) III,5,1,26.
Daſſiliander (*Theophilus*) I,1,21,3.
Daſſovius (*Theodorus*) I,4,6,19.
Dati (*Carolus*) I,1,19,73.
Datus (*Auguſtinus*) I,4,10,11.
Daumius ((*Chriſtianus*) I,4,9,4. I,1,23,66. I,1,11,19. I,1,25,11.
Dausquius (*Claudius*) I,4,9,1.
Dauthendey (*Caſpar*) II,4,1,12.
Decimator (*Henricus*) I,4,9,13.
Deckherus (*Johannes*) I,1,16,71.
Delphinus (*Fridericus*) II,1,11,18. II,2*,20,4.
Delrio (*Martinus*) I,1,21,94. II,3,1,15.

Dempſte-

Dempſterus (*Thomas*) I,1,15,37. I,1,18,45. I,5,2,4. II,4,1,12. III,4,1,2.
Denaiſius (*Petrus*) III,6,7,7. III,6,11,3.
Denores (*Joſon*) I,7,1,9.
Derodon (*David*) II,2*,4,2.
Deſſelius (*Valerius Andreas*) I,1,18,36.
Devarius (*Matthæus*) I,4,6,9.
Deuſingius (*Antonius*) II,2*,4,3. II,2*,8,4. II,2*,27,8. II,4,1,8.
Diadochus (*Proclus*) II,4,1,15.
Dibuadius (*Chriſtophorus*) I,1,21,84.
Dickius (*Leopoldus*) I,2,2,26.
Dieckmannus (*Johannes*) I,1,8,9.
Dietericus (*Johannes Conradus*) I,3,10,12. I,4,6,3. & 15. I,4,8,6. I,6,4,23. III,5,1,28.
(*Joh. Theodorus*) I,2,6,60.
Dietherrus (*Chr. Ludovicus*) III,6,6,2.
Dieu (*Ludovicus de*) III,5,1,15.
Digander (*Johannes*) II,3,1,6.
Digbæus (*Edmundus*) II,2*,22,3.
(*Eduardus*) II,4,1,16.
(*Everhardus*) I,2,7,21.
(*Kenelmus*) II,2,15,5. II,2*,3,6. II,2*,8,4. II,2*,14,2. II,2*,32,3. II,2*,40,2. II,2*,47,6. II,2*,48,1. III,5,1,10.
Dinnerus (*Conradus*) I,7,1,19.
Dionyſius (*Joh. Baptiſta*) II,2,1,16. II,2*,8,5. II,2*,45,3.
Dodwellus (*Henricus*) I,4,12,5. I,4,13,3.
Doletus (*Stephanus*) I,4,9,11.
Dominis (*Marcus Antonius de*) III,5,1,26.
Donatus (*Alexander*) I,5,2,5.
(*Bernhardus*) II,2,11,2.
(*Hieronymus*) I,6,3,5.
Donellus (*Hugo*) III,6,5,5. III,6,7,5.
Donius (*Johannes Baptiſta*) I,5,2,9.
Donne (*Johannes*) I,1,9,14. I,1,24,128. I,6,4,18.
Döringius (*David*) III,6,8,1.
Dornavius (*Caſpar*) I,1,21,45.
Dörſchæus (*Joh. Georgius*) III,5,1,28. & 30.
Douſa (*Janus*) I,7,3,9. & 16.
Dransfeld (*Juſtus à*) I,1,24,45.
Draudius (*Georgius*) I,1,18,13. III,5,1,13.
Draxe (*Thomas*) I,1,21,112.
Drebelius (*Cornelius*) II,2*,12,2. II,2*,13,10. II,2*,8,4.
Dreſſerus (*Matthæus*) I,4,6,1.
Drexelius (*Hieremias*) I,6,4,15.
Dreyerus (*Chriſtianus*) II,5,1,3.
Drurius (*Matth.*) III,2,1,17.
Dryden (*Johannes*) I,4,4,19. I,7,1,10.
Duarenus (*Franciſcus*) III,6,7,8.
Duck (*Arthurus*) III,6,4,3.
Dudinck (*Jodocus à*) I,1,17,17.
Dudithius (*Andreas*) I,6,1,6. II,2*,12,4.
Dulcis (*Ludovicus*) I,2,6,33.
Dullard (*Johannes*) II,1,13,10.
Duns (*Johannes*) II,1,13,12.
Duportus (*Jacobus*) I,1,21,75. I,4,6,11. I,7,2,2.
Durandus (*Gvilielmus*) III,6,11,2.
Durantius (*Joh. Stephanus*) III,4,1,18.
Duretus (*Claudius*) I,4,3,10, II,3,1,17.

EBerhardus (*Ægidius*) II,2*,42,4.
Ebertus (*Adamus*) I,1,16,65.
Eberus (*Paulus*) I,2,2,26.
Eckſtormius (*Henricus*) II,2*,21,5.
Edzardi (*Eſdras*) III,5,1,15.
Eggefeldius ( ) III,2,1,19.
Ehemius (*Chriſtophorus*) III,6,1,7. III,6,3,10.
Eichelius (*Johannes*) III,6,4,2. III,6,6,3.

Eiſengreinius (*Guilielmus*) III,5,1,28.
Elichmannus (*Johannes*) I,4,3,3.I,4,5,6. & 9.II,1,1,3,3.
Elmenhorſtius (*Geverhardus*) I,4,14,3.
Elsholtzius (*JohannesSigismundus*) II,2*, 22,5.II,2*,42,1.II,2*,47,4. II,3,1,4.
Encelius (*Chriſtophorus*) II,2*,29,4.
Engelbrecht (*Jacobus*) I,4,9,6.
Enſius (*Caſpar*) III,2,1,7.
Eparchus (*Antonius*) I,4,6,4.
Eraſmus Roterodamus I,1,21,67.I,1,23. 15.ſeqq.&42.I,6,1,21.I,6,4,2. II,1,11,32.III,5,1,7.&16.
Ericus (*Johannes Petrus*) I,4,3,5.
Erkerus (*Lazarus*) II,2*,29,4. II,2*,36,1.
Ernſtius (*Henricus*) I,1,24,43.I,4,2,3. II,1,12,6.
Erpenius (*Thomas*) I,1,21,113.
Erythræus (*Janus Nicius*,) Nomen fictum, verum Joh. Victorius Roſſius. I,1,19,60.I,1,24,9.I,6,3,8. I,6,4,9.III,1,1,5.
Eſpagnetus (*Johannes*) II,1,15,17. II,2,3,6.
Eſpinel (*Vincentius de*) I,7,1,4.
Evelinus (*Johannes*) II,2*,21,7. II,2*,41,4.
Everhardus (*Nicolaus*) III,6,6,3.
Eybenius (*Chriſtianus Wilhelmus*) I,1,16,54.
Eycrinus (*Eucharius*) I,1,21,110.
Ezeckius (*Stephanus*) II,2,17,1.

FAber (*Antonius*) III,6,7,11.
(*Baſilius*) I,3,1,28.I,4,9,16.
(*Jacobus*) III,3,1,2.
(*Johannes*) II,2*,43,3.
(*Johannes Albertus*) I,4,7,1.
(*Johannes Petrus*) I,1,11,17.I,5,1,7. I,5,2,12.II,2,4,4.II,2*,29,4.
(*Tanaquil*) I,1,16,36.&58. I,1,24,36.I,5,1,13.I,6,1,6. I,7,1,1.II,1,5,2.
Fabrettus (*Raphael*) I,4,14,26.
Fabri (*Honoratus*) II,1,15,11.&13. II,2,12,3.&7.II,2,19,4.II,2*,1,7. II,2*,13,5.&10.II,2*,19,1.&3. II,2*,20,1.&4.&8.II,2*,22,2. II,2*,23,3.II,2*,24,4.II,2*,27,12. II,2*,28,2.II,2*,32,3.II,2*,40,1. II,2*,43,1.II,4,1,9.&10.II,5,1, 8.III,7,1,4.
Fabricius (*Chriſtianus*) II,2,3,8.
(*Franciſcus*) I,1,23,36.I,4,11,7.
(*Georgius*) I,4,14,17.I,5,2,5.
(*Hieronymus*) I,2,3,31.
(*Johannes Albertus*) I,7,2,21. I,4,11,1.
(*Johannes Ludovicus*) III,5,1,9.
(*Vincentius*) I,1,23,3.I,1,24,114. I,7,1,19.I,7,3,9.&10.
(*Weipertus Ludov.*) III,6,11,3.
Fabrottus (*Car.Hannibal*) III,6,4,7.&11. III,6,7,4.
Fachinæus (*Andreas*) III,6,8,4.
Fachſius (*Modeſtinus*) II,2*,29,4.
Facius (*Caſpar*) III,2,1,12.
Faes (*Johannes*) I,5,2,8.
Farnabius (*Thomas*) I,6,1,27.
Fauchetus (*Claudius*) I,1,18,19.
Faunus (*Lucius*) I,5,2,5.
Favoritus (*Auguſtinus*) I,1,14,20.
Feind (*Bartoldus*) I,3,4,17.
Felden (*Johannes*) II,4,1,6.III,6,1,5.&6.
Fellerus (*Joachimus*) I,3,10,43.I,7,1,14.
Ferrariis (*Hieronymus de*) II,1,14,9.
Ferrarius (*Antonius*) II,2*,46,2.
(*Franc.Bernardinus*) I,5,2,15.

Johannes

(*Johannes Baptiſta*) II,2*,43,2.
(*Octavius*) I,1,24,109.I,4,4,17.
I,5,2,9.I,6,3,6.& 11.II,1,8,6.
II,2,12,1.
Ferro (*Giovanni ſ. Johannes*) I,1,21,60.
I,1,14,14.& 37.
Fetterus (*Michael*) III,2,1,14.
Feurbornius (*Juſtus*) III,5,1,32.
Fibigius (*Gothofredus*) III,6,11,2.
Fichardus (*Johannes*) III,6,3,7.
III,6,6,1.
Fichetus (*Alexander*) I,1,15,28.
I,1,21,118.I,2,5,81.
Ficinus (*Marſilius*) I,1,23,40.I,1,11,3.
II,1,7,15 II,2,10,1.
III,5,1,3.& 7.
Figrelius (*Edmundus*) I,5,2,9.
Figulus (*Sebaſt.*) I,6,1,23.
Fileſacius (*Johannes*) III,5,1,27.
Firmianus (*Petrus*) III,1,1,5.
Flacius (*Matthias*) I,1,4,24.II,2*,5,4.
III,5,1,28.
Flaminius (*Marcus Antonius*) II,1,11,15.
Flandria (*Dominicus de*) II,1,1,18.
Fleury (*Claude*) I,2,7,86.
Fliſco (*Comes de*) II,3,1,2.
Florettus (*Benedictus*) I,4,4,17.
Floridus (*Franciſcus*) I,4,14,3.I,5,1,8.
Fluddius (*Robertus*) I,2,7,64.II,1,2,6.
II,2,3,4.II,2,15,5.II,2*,18,4.
II,2*,23,5. II,2*,27,12.
II,3,1,13.
Fogelius (*Martinus*) I,1,7,43.I,3,1,12.
II,1,9,1.II,2,1,13.II,2,12,2.
II,2*,43,2.
Folieta (*Hubertus*) II,2,11,2.
Folius (*Cæcilius*) II,2*,48,3.
Fontana (*Dominicus*) II,4,1,15.
(*Franciſcus*) II,4,1,9.
(*Publius*) I,7,3,8.
Fontius (*Barthol.*) I,4,12,13.
Forbeſius (*Johannes*) III,5,1,29.
Forcatulus (*Stephanus*) III,6,8,3.
Forge (*Ludovicus de la*) II,1,15,8.
II,2,17,3.II,2*,47,6.
Förſterus (*Johannes*) III,6,11,3.
(*Valentinus*) III,6,3,2.
III,6,4,4.
Forſtnerus (*Chriſtophorus*) I,1,19,42.
I,4,13,4.II,1,12,4.III,2,1,12.
Foſſerius (*Ludovicus*) III,2,1,17.
Foſſius (*Matthias*) I,6,3,6.
Fournenc (*Jacobus*) II,1,14,51.
Fournerius (*Georgius*) II,2*,20,6.
II,4,1,12.
Foxius (*Sebaſtianus*) II,1,7,2.
II,2,11,2.
Fracaſtorius (*Hieron.*) I,7,3,8.
Franciſci (*Eraſmus*) II,2,2,7.
II,4,1,13.
Francius (*Petrus*) I,7,3,9.
Franck (*Sebaſtianus*) I,1,21,110.
Franckius (*Chriſtophorus*) III,5,1,9.&32.
Francus (*Daniel*) I,1,8,27.
(*Georgius*) I,1,11,13.
(*Nicolaus*) I,4,2,6.
Fraſſen (*Claudius*) II,1,14,12.
Freherus (*Marquardus*) I,4,4,8.
III,5,1,27.
Freigius (*Johannes Thomas*) I,1,21,114.
II,1,12,1.III,6,6,3.
Freinshemius (*Johannes*) I,4,12,14.
I,4,13,4.I,6,3,3.II,2*,42,4.
Freitagius (*Johannes*) II,2*,43,2.
Frêſne (*Carolus du*) I,4,4,12.I,4,8,11.
& 12.I,4,9,18.III,4,1,16.
III,6,7,16.
(*Raphael*) I,1,18,69.
Frey (*Janus Cæcilius*) I,2,5,51.I,2,6,74.
I,1,13,33.I,6,1,18.

Freymonius (*Joh. Wolffgangus*) III,6,3,5.
Fricius (*Andreas*) III,2,1,5.
Friſchlinus (*Nicodemus*) I,2,10,25. I,4,6,13. I,4,10,10. I,7,3,15.
Friſchmuthius (*Johannes*) III,6,2,2.
Friſichius (*Joachimus*) I,2,6,84.
Friſius (*Johannes Jacobus*) I,1,18,10.
(*Johannes*) I,4,9,11.
Fritſchius (*Ahasverus*) III,6,9,5.
Frölichius (*David*) II,2*,24,5.
Frommannus (*J. Chriſt.*) II,2*,8,8.
Fromondus (*Libertus*) II,2*,24,7. II,2*,27,12.
Fruterius (*Lucas*) I,4,14,2.
Fuggerus (*Ulricus*) I,1,4,17. I,1,7,27.
Fulvius (*Andreas*) I,5,2,5.
Funccius (*Chriſt.*) III,2,1,6.
Fungerus (*Johannes*) I,4,9,4.
Fureterius (*Antonius*) I,4,4,13.
Furlanus (*Daniel*) II,1,11,13.
Fürſtenbergius (*Ferdinandus*) I,7,3,9.

GAddius (*Jacobus*) I,1,16,18. I,4,11,13. I,4,12,8. I,4,13,10. I,6,2,17. I,6,3,10. I,7,2,1. II,1,7,2.
Gaffarellus (*Jacobus*) I,4,1,10. II,2,14,3. II,2*,8,7. II,2*,27,5. II,3,1,12.
Gailius (*Andreas*) III,6,7,15. III,6,11,3.
Gaislerus (*Fridericus*) I,1,16,70.
Galeus (*Theophilus*) II,1,1,18. III,5,1,2.
Galilæis (*Galilæus à*) II,2,15,1. II,2*,20,3. II,4,1,15.
Gallandius (*Petrus*) II,2,12,1.
Gallonius (*Antonius*) I,5,2,14. III,4,1,18.
Gallucius (*Tarquinius*) I,1,1,12. II,1,11,16.
Gallus (*Paſchalius*) II,2,12,1. III,7,1,3.
(*Thomas*) I,4,7,9. II,1,2,2.
(*Vincentius*) I,7,1,12.
Gambarella (*Auguſtinus*) I,6,1,23.
Ganſius (*Joh. Ludovicus*) II,2*,33,6.
Garcæus (*Johannes*) I,2,2,26.
Gardie (*Magnus Gabriel de la*) III,2,1,15.
Garigli*a*nus (*Pompejus*) I,1,15,60.
Garmannus (*Chriſt. Fridericus*) II,2*,5,5.
Garro (*Antonius*) III,6,4,4.
Garzonius (*Thomas*) I,1,12,31.
Gaſſendus (*Petrus*) II,1,5,1. & 3. II,1,12,3. II, 2, 2, 10. II, 2,7,5. II, 2,12,7. II,2*,4,2. II,2*,21,3. II,4,1,15. II,5,1,1.
Gatakerus (*Thomas*) I,1,22,2. I,4,6,19. I,5,1,11. II,1,4,4. II,2,8,1.
Gaudentius (*Paganinus*) I,4,13,9.
Gauricus (*Pomponius*) I,7,2,1.
Gaza (*Theodorus*) I,4,6,4.
Gelenius (*Sigismundus*) I,4,3,9.
Gelida (*Johannes*) II,1,11,17.
Gemiſtus (*Georgius*) II,1,7,2. II,2,11,2.
Gemma (*Cornelius*) I,2,5,39. II,2*,2,4. II,3,1,2.
Gentilis (*Albericus*) I,2,9,3. III,1,1,11. III,2,1,20. III,6,1,6. & 8. III,6,4,3. III,6,4,6. III,6,7,14.
(*Robertus*) I,2,9,3. ſeqq.
Gentius (*Georgius*) I,4,5,1.
Georgius (*David*) III,5,1,36.
(*Franciſcus*) II,1,2,6. II,2,3,7. II,2*,11,7.
Gerhardus (*Johannes*) III,5,1,17.
Germain (*Michael*) I,2,7,40.
Germanicus (*Cæſar*) I,4,12,13.
Gerſon (*Johannes*) II,1,13,8.
Geſnerus (*Conradus*) I,1,18,5. I,4,3,9. I,4,4,5. II,2*,14,5. III,7,1,7.
Geſvaldus, (*Philippus*) I,2,6,35.
Ghetaldus (*Marinus*) II,4,1,15.
Ghilinus (*Hieronymus*) I,1,19,54.

Giſon (*Edmundus*) I,4,13,3.
Gieſebertus (*Henricus*) III,6,10,4.
Gifanius (*Hubertus*) I,4,11,12. I,4,14,2. & 14. I,4,9,20. II,1,5,2. II,1,14,70. III,2,1,2. III,6,4,2. III,6,7,9. III,6,8,4.
Gilbertus (*Gvilielmus*) II,2,15,7. II,2,17,5. II,2*,21,5. II,2*,32,2.
Gillius (*Petrus*) II,2*,46,4.
Glandorpius (*Johannes*) I,5,2,5. III,4,1,10.
Glanvil (*Joſephus*) II,1,6,1. II,2,1,13. II,2,9,2.
Glaſſius (*Salomon*) I,6,4,23.
Glauberus (*Joh. Rudolphus*) II,2*,38,1.
Glonerus (*Samuel*) I,7,1,16.
Goclenius (*Rudolphus*) I,5,21,81. I,4,4,5. II,3,1,6.
Godeau (*Antonius*) III,4,1,13.
Godeſchalcus (*Johannes*) I,4,9,20.
Goedartus (*Johannes*) II,2*,45,5.
Goeſius (*Wilhelmus*) I,2,1,35. III,6,4,4.
Goldaſtus (*Melchior*) I,1,23,56. I,4,1,3. I,4,4,8. III,6,9,2.
Golius (*Jacobus*) I,4,5,6.
Gomeſius (*Bernhardus*) II,2*,39,1.
Gonzaga (*Franciſcus*) III,4,1,18.
Gonzalez (*Joſephus Antonius*) II,2*,21,4.
Gordonus (*Jacobus*) III,4,1,5.
Gorlæus (*Abraham*) I,5,2,9.
(*David*) II,1,12,5. II,2,15,2. II,2*,1,3. II,2*,16,2.
Gothofredus (*Dionyſius*) I,4,10,2. III,6,4,9. III,6,7,2.
(*Jacobus*) I,1,21,41. I,6,2,19. III,5,1,26. III,6,1,8. III,6,3,2,6.7.8. & 11. III,4,4, & 5. III,6,6,4. III,6,7,9. III,6,8,2. III,6,9,1. III,6,11,1.
Grabius (*Joh. Andreas*) II,2*,46,2.
Gracianus (*Hieronymus*) I,6,4,27.
Grævius (*Joh. Georgius*) I,4,13,6. & 13. I,5,1,13. I,5,2,14. & 16. II,2*,12,4. III,7,1,2.
(*Petrus*) III,6,7,5.
(*Theodorus*) I,7,2,17.
Grafius (*Regnerus*) II,2*,47,3.
Gramigna (*Vincentius*) I,1,15,12. & 39.
Granadus (*Jacobus*) II,1,14,27.
Granatenſis (*Ludovicus*) I,16,4,25.
Grand (*Antonius le*) II,1,15,7. & 9. II,2,8,1. II,2,17,4. II,2*,20,4. II,2*,45,4. II,5,1,3. III,1,1,11.
Grandamicus (*Jacobus*) II,2*,32,2.
Grandis (*Joh. Franciſcus*) I,1,13,8. I,4,6,3. I,6,1,3. II,1,5,4. II,2,7,3.8. & 10. II,2,11,7.
Graſſia (*Bernhardus*) III,2,1,17.
Graswinckelius (*Theodorus*) III,6,1,5, & 8.
Gratianus (*Antonius Maria*) I,1,19,47. III,6,7,14.
Gravina (*Dominicus*) I,7,3,4.
(*Joh. Vincentius*) I,6,3,5.
(*Petrus*) I,6,3,5.
Gravius (*Johannes*) II,2,4,4.
Grauntius (*Johannes*) II,2*,5,1.
Greatreak (*Valentinus*) I,1,12,28. II,2*,8,6.
Gregorius (*Petrus*) vid. Tholoſanus.
Grempius (*Ludovicus*) III,6,7,9.
Gretſerus (*Jacobus*) I,5,2,8. & 14.
Grew (*Nehemias*) II,2*,1,9. III,7,1,5.
Grimaldus (*Franciſcus Maria*) II,2*,14,2. II,2*,15,2. II,2*,25,1. II,4,1,9.
Gronovius (*Jacobus*) I,4,7,5. I,4,12,8. & 11. I,4,14,12. I,5,1,13.
(*Johannes Fridericus*) I,4,13,4. I,4,14,19. & 22. I,5,1,12. I,6,3,6. III,6,1,5.

Grotius (*Gvilielmus*) III,6,1,5.
(*Hugo*) I,1,24,21.I,1,7,42. I,4,4,8. I,7,3,2. & 8. II,2,3,3. II,2*,42,3. III,2,1,1. & 2,8. & 21. III,5,1,7. III,5,1,15,27. & 33. III,6,1,5. & 8. III,6,10,2.
Grotus (*Aloyſius*) I,1,24,127.
Gruchius (*Nicolaus*) I,5,2,7. III,6,3,4.
Grunius (*Johannes*) I,2,2,26.
Gruterus (*Janus*) I,1,15,41.I,1,21,26. I,1,3,29. I,4,2,4. I,4,14,26. I,5,1,4. III,2,1,12. & 14.
(*Iſaacus*) I,1,24,21. III,2,1,8.
(*Petrus*) I,1,24,57.
Gvalandus (*Adoardus*) III,1,1,4. III,6,1,2.
Gvaldus (*Galeazius*) I,1,19,53.
(*Paulus*) I,1,19,19.
Gvaltherus (*Georgius*) I,4,14,26.
(*Johannes*) III,4,1,4. III,5,1,19.
Gvarinus (*Johannes Baptiſta*) I,4,12,9. I,7,1,9.
Gvazzus (*Stephanus*) III,1,1,9.
Gudelinus (*Petrus*) III,6,7,12.
Gudius (*Marquardus*) I,1,7,67.I,1,25,15. I,1,24,71.I,4,7,9.I,4,12,4. I,4,14,26.
Gverickius (*Otto*) II,2*,4,3. II,2*,12,4. II,2*,18,6.II,4,1,8.
Gvevarra (*Petrus de*) I,2,5,36.
Gvichardus (*Claudius*) I5,2,8. II,2*22,5.
Gvidiccionius (*Johannes*) I,7,2,1.
Gvietus (*Franciſcus*) I,1,24,29.I,4,6,3. II,2*,42,3.III,6,4,2.
Gvilandinus (*Melchior*) II,2,2,5.
Gvinifius (*Vincentius*) II,2*,12,4.
Gvionius (*Jacobus*) I,1,19,8. ſeq.
Güldebeck (*Sebaſtianus*) I,7,2,9.
Guilielmus (*Laurentius*) I,2,6,33.
Günterrot (*Henricus à*) II,4,1,16.
Güntherus (*Owenus*) II,5,1,4. I,2,7,4.
Gütherius (*Jacobus*) I,5,2,5.
Gutmannus (*Ægidius*) II,2,3,8.II,2*,11,7. III,5,1,36.
Guybertus (*Nicolaus*) I,5,2,13.
Gyraldus (*Lilius*) I,2,6,29.I,5,2,6. I,7,1,14 I,7,2,1.
(*Lilius Gregorius*) I,5,2,6. & 8. I,7,1,17.

Hagemeyer (*Joachimus*) III,6,43.
Hagius (*Johannes*) I,1,19,38.
Hahnius (*Henricus*) III,6,5,5. III,6,7,4.
Hales (*Alexander de*) II,1,14,1.
Hall (*Joſephus*) I,6,4,19.
Hallevordus (*Johannes*) I,1,18,10. III,4,1,1.
Hamelius (*Johannes Baptiſta*) II,1,15,7. II,2,18,5.II,2*,1,7.II,2*,13,10. II,2*,14,2.II,2*,17,3 II,2*23,2. II,2*,24,7.II,2*,27,12.
Hammondus (*Henricus*) I,6,4,21.
Hanckius (*Martinus*) I,1,19,50.
Hangeſto (*Hieronymus ab*) II,1,13,9.
Hanſenius (*Johannes Baptiſta*) I,5,2,15.
Harduinus (*Johannes*) I,4,13,1. I,6,2,21.
Harsdörfferus (*Georg. Philip.*) I,4,4,7. II,4,1,3. & 5.
Hartmannus (*Philippus Jacobus*) II,2*,37,3.
Hartnaccius (*Daniel*) II,1,6,3.
Hartungus (*Johannes*) I,7,2,18.
Harvæus (*Gvilhelmus*) II,2*,45,2. II,2*,47,4.

Haven-

Haventeuterus (*Johannes Ludovicus*) I,2,2,24.
Hauptmann (*Auguſtus*) II,2*,20,10. II,2*,42,2. II,2*,45,7.
Hauteville (*Nicolaus de*) I,2,5,38.
Hayne (*Thomas*) I,4,3,8.
Hebræus (*Leo*) II,1,7,20.
Heerbord (*Adrianus*) II,1,15,11.
Hegius (*Alexander*) I,2,2,16.
Heideggerus (*Johannes Henricus*) I,2,2,32. II,2*,2,6 II,2*,5,4. II,2*,21,4.
Heidmannus (*Chriſtophorus*) III,4,1,4.
Heinl (*Johannes*) I,2,6,61.
Heinlius (*Johannes Jacobus*) II,4,1,3. III,4,1,5.
Heinſius (*Daniel*) I,1,24,88. I,1,7,42. I,4,6,19. I,4,11,15. I,5,1,2. I,6,3,4 I,7,1,10. & 11. I,7,3,8. & 9,14. & 15. II,1,7,6. & 21. II,2,11,11.
(*Nicolaus*) I,1,24,115. I,4,11,16. I,4,12,10. I,4,13,8.
Heldt (*Balthaſar*) I,1,25,6.
Helmontius (*Johannes Baptiſta*) II,1,12,4. II,2,10,2. II,2*,13,9. II,2*,21,2. II,2*,33,3.
Helvetius (*Johannes Fridericus*) II,2*,8,4.
Helvicus (*Chriſtophorus*) III,4,1,5.
Heniſchius (*Georgius*) I,1,21,110. I,4,4,8.
Henkelius (*Balthaſar*) I,1,24,94.
Henningius (*Hieronymus*) III,4,1,10.
Henninius (*Henricus Chriſtianus*) I,4,6,17.
Henrici (*Andreas*) II,3,1,6.
Henricus (*Scipio*) III,2,1,18.
Henriquez (*Alphonſus*) III,5,1,16.
Heraldus (*Deſiderius*) I,5,1,13. III,6,2,4.
Herbertus (*Eduardus*) I,5,2,6. III,5,1,8.
(*Thomas*) II,4,1,13.
Herebort (*Adrianus*) II,2*,1,3.
Heresbachius (*Conradus*) I,2,12,4.
Hermes (*Hermannus*) III,6,9,3.
Hero (*Alexandrinus*) II,4,1,15.
Herpinus (*Renatus*) III,2,1,5.
Hertzius (*Michael*) III,6,9,2.
Hervetus (*Gentianus*) III,6,4,11.
Herwartus (*Joh. Fridericus*) I,5,2,6. II,2*,32,5.
(*Johannes Georgius*) II,2,4,3.
Heſſus (*Eobanus*) I,1,19,35. I,1,24,18.
Hevelius (*Johannes*) II,2*,12,4. II,4,1,8.
Heurnius (*Otto*) I,1,13,33. II,1,1,9.
Heydon (*Johannes*) II,1,2,4. II,2,3,8. II,3,1,10. & 14.
Hide (*Thomas*) I,1,17,31. I,1,16,70.
Hildebrandus (*Joachimus*) I,5,2,8.
(*Wolſgangus*) II,2,2,11.
Hilligerus (*Oſwaldus*) III,6,7,5.
Hillius (*Nicolaus*) II,2,7,5.
Hirſch (*Andreas*) II,4,1,10.
Hirtzgarten (*Matthæus*) II,2*,12,6.
Hiſpanus (*Petrus*) II,1,14,17.
Hobbeſius (*Thomas*) II,1,13,13. II,1,15,13. II,2,9,3. II,2,15,4. II,2*,4,2. II,2*,17,4. III,1,1,4. III,2,1,4. III,5,1,8. III,6,1,4.
Hobernfeld (*Andreas ab*) III,5,1,35.
Hobokenius (*Nicolaus*) II,2*,49,2.
Hodierna (*Johannes Baptiſta*) II,2*,45,5.
Hoeſchelius (*David*) I,1,7,25 I,4,2,1.
Hofmannus (*Caſpar*) I,1,24,85. I,5,1,9. II,2*,40,4. II,2*,47,3. III,7,1,2 & 5.
(*Chriſtianus*) III,5,1,12.
(*Fridericus*) I,7,3,3.
(*Joh. Jacobus*) III,4,1,2.
Hohberg (*Wolfius Helmhardus Baro ab*) II,2*,42,1.

Hokius (*Robertus*) II,2*,3,5.II2*,43,3.
II, 2*,45,5. & 8. II, 2*,3,5.
II,2*,18,1.II,2*,21,3.II,2*,27,
9.II,4,1,9.
Holderus (*William*) I,4,1,5.II,2,1,14.
Hollandus (*Iſaacus*) II,1,15,16.
Holſtenius (*Lucas*) I,1,7,66.I,4,7,7.
I,4,12,14.I,4,13,10.I,4,14,17.
II,1,2,2.II,4,1,11.&14.
Holſtius (*Jacobus*) I,4,12,7.III,7,1,2.
Höltzlin (*Jeremias*) I,2,10,9.I,2,10,14.
I,7,2,18.
Holwarda (*Johannes Phocyl.*) II,2*,4,2.
Honoldus (*Jacobus*) II,5,1,4.&6.
Honorius (*Philippus*) III,2,1,7.
Höpfnerus (*Henricus*)III,4,1,14.III,5,1,29
Hopperus (*Joachimus*) I,1,24,136.
III,6,1,6.
Hornbekius (*Johannes*) III,5,1,20.& 33.
Horne (*Johannes de*) II,2*,47,3.
Hornejus (*Conradus*) III,1,1,6.
Hornius (*Georgius*) I,4,14,20.II,1,1,5.
II,2,2,5.&11.II,4,1,12.III,2,
1,6.& 13.III,5,1,32.
(*Johannes Fridericus*) III,6,1,8.
Horrion (*Johannes*) I,4,11,11.
Hortenſius (*Martinus*) II,2*,47,3.
II,4,1,8.
Hortlederus (*Fridericus*) III,2,1,9.
Hoſchius (*Sidronius*) I,7,3,9.
Hoſpinianus (*Johannes*) I,2,5,61.
Hoſpitalius (*Michael*) I,4,11,3.
Hotomannus (*Antonius*) I,5,2,9.
(*Franciſcus*) I,5,2,7.III,6,3,2.
& 4. III,6,6,3.
(*Johannes*) III,6,7,10.
Höttingerus (*Johannes Henricus*)I,1,17,6.
I,4,5,5.II,2,3,6.II,2*,1,4. III,4.
1,13.III,4,1,13.III,5,1,13,&14.
15.&22.III,6,2,2.
Howel (*Jacobus*)I,1,21,107.I,1,24,&26,
97.I,4,4,14. III,1,1,5.
Huartus (*Janus*) II,2*,47,2 II,3,1,3.
Huetius (*Petrus Daniel*) I,1,9,29.
I,7,3,10.& 16.&20.III,1,1,5.
III,5,1,7.& 14.
Hugenius (*Chriſtianus*) I,1,24,71.II,1,
15,10.II,2*,12,5.II,4,1,8.
(*Conſtantinus*)I,1,21,105.I,7,3,3.
Hugo (*Hermannus*) I,4,1,9.I,5,2,10.
I,7,3,9.
(*Jacobus*) I,4,3,5.
Hugues (*Jacobus*) I,6,1,18.
Hunnius (*Helfricus Ulricus*) III,6,8,3.
(*Nicolaus*) III,5,1,36.
Huſſaye (*Arnelot de*) I,1,19,43.
Huttenus (*Uldaricus*) I,1,23,43.
II,2*,5,5.
Hutterus (*Elias*) III,5,1,14.
Hyginus (*C. Julius*) I,1,6,5.I,4,12,2.
Hypereta (*Baſilius*) III,2,1,18.
Hyperius (*Andreas*) I,6,4,6.

JAcobus (*Ludovicus*) I,1,3,9 I,1,6,14.
I,1,17,10. I,1,18,26.
Janſenius (*Cornelius*) III,5,1,31.
Januarius (*Janus*) I,2,5,37.
Janus (*Chriſtoph. Joachimus*) III,5,1,9.
Javellus (*Chryſoſtomus*) II,1,14,50.
Jeſſenius (*Fridericus*) III,5,1,36.
(*Johannes*) I,1,10,11.II,1,1,12.
Imbonatus (*Carolus Joſephus*) I,4,5,5.
Imperatus (*Ferrantes*) II,2,2,5.
II,2*,30,1.
Imperialis (*Johannes Vincentius*)I,1,19,51.
I,1,24,93.
Inchoferus (*Melchior*) I,4,9,3.
Ines (*Albertus ab*) I,6,3,11.I,7,3,4.& 10.
Ingen (*Marſilius de*) II,1,13,10.
Inghiramus (*Curtius*) I,1,9,4.

Jolius (*Jacobus*) I,7,3,3.
Jonſius (*Johannes*) I,1,9,5.II,1,1,6. II,1,8,1.
Jonſtonus (*Arturus*) I,7,3,9.
(*Johannes*) II,2,2,11.II,2*,2,6. II,2*,11,6.
Jordanus (*Hieronymus*) I,1,12,28. II,4,1,15.
Joris (*David*) III,5,1,36.
Joſeph (*Petrus à Sancto*) II,1,14,52.
Jovius (*Paulus*) II,2*,46,2.
Ittigius (*Thomas*) II,2*,26,1.
Juglaris (*Aloyſius*) I,6,3,11.
Julianus (*Salvius*) III,6,3,8.
Jungen (*Maximilianus zum*) I,1,7,49.
Jungius (*Joachimus*) II,1,9,1.II,1,14,63. II,2,2,11.II,2,12,2.II,2*,4,2. II,2*,6,6.II,2*,45,5.
Junius (*Adrianus*) I,4,6,5.I,4,9,6. I,7,2,2.
(*Franciſcus*) I,1,16,72.I,1,19,72. I,5,2,14.
(*Melchior*) I,1,24,121.I,3,9,40. I,6,3,5.
Juſtellus (*Chriſtophorus*) III,6,7,13.
Juſto (*Euſebius de Sancto*) II,2,15,5.
Izquierdo (*Sebaſtianus*) I,2,5,34.

Keckermannus (*Bartholomæus*) II,5,1,2
Kentmannus (*Johannes*) II,2*,29,4.
Keplerus (*Johannes*) II,2,15,1. II,4,1,8.
Kerckringius (*Theodorus*) II,2*,5,5. II,2*,37,2 II,2*,39,2. II,2*,45,3.
Kerger (*Martinus*) II,2*,6,9.
Kero ( ) I,4,4,4.
Keuchenius (*Robertus*) I,7,3,17.
Khraiſerus (*Sebaſtianus*) III,6,10,3.
Kilianus (*Cornelius*) I,4,4,8.
Kippingius (*Henricus*) I,5,2,4.II,2,2,11. II,2*,21,3. III,1,1,6.III,2,1,3.
Kircherus (*Athanaſius*) I,2,5,41.I,4,2,1, I,4,5,7.II,2,2,10.II,2,4,1.&3. II,2,5,2.II,2,15,1. II,2*,8,3. II,2*,11,9.II,2*,29,4.II,2*,32, 2.II,2*,40,5.II,4,1,9.&10,15.
Kirchmannus (*Johannes*) I,5,2,8 ſeq.
Kirchmayerus (*Georgius Caſpar*) II,1,11,30. II,2*,22,5.
Kleinſchmidius (*Johannes*) III,6,5,5.
Klenckius (*Janus*) III,6,1,5.
Klerckius (*Gilbertus*) II,2*,4,3.
Klobius (*Juſtus Fridericus*) II,2*,37,4.
Knittelius (*Caſpar*) I,2,5,43.
Knorrius (*Chriſtianus*) I,4,14,23.
Kochius (*Joach. Chriſt.*) III,6,11,2.
(*Paulus*) III,6,10,3.
Kohlhanſius (*J. Chriſtoph.*) II,4,1,9.
Kohlmannus (*Johannes*) II,3,1,6.
Königius (*Georgius Matthias*) I,1,18,15. I,4,9,15.I,7,1,19.
(*Johannes Fridericus*) III,5,1,33.
Kortholtus (*Chriſtianus*) III,4,1,12.&18. II,5,1,14.&24.
Kozaccius (*Johannes Sophr.*) II,2,3,8. II,2*,39,1.
Kragius (*Nicolaus*) III,6,2,4.
Kriegsmannus (*Chriſtianus*) I,2,5,39.
Kuhlmannus (*Quirinus*) I,1,20,5. I,2,5,63.II,2,38,III,5,1,36.
Kühnius (*Joachimus*) I,4,7,4.
Kunckelius (*Johannes*) II,2*,22,5.
Kyperus (*Albertus*) II,2*,8,2.

Labata (*Franciſcus*) I,6,4,12.
Labbæus (*Carolus*) I,4,7,13.III,6,4,11.
(*Petrus*) I,6,3,11.
(*Philippus*) I,1,18,3.&27.I,1,16, 20. I,4,6,17.I,5,2,2. II,1,

II,1,7,22. II,2,8,5. II,2,12,1. III,4,1,6,&17.
Labittus (*Jacobus*) III,6,3,5.
Labourerius (*Johannes*) I,4,4,10.
Lachs (*Caſpar*) II,1,13,10.
Lætus (*Calvidius*) II,2,47,2.
(*Eraſmus Michaelius*) I,7,3,17. III,1,1,5.
Lagus (*Matthæus*) I,4,12,12.
Lalemandet (*Johannes*) II,1,14,15.
Lambecius (*Petrus*) I,1,2,5 I,1,16,77. I,1,7,28. I,14,13,10. I,4,14,2. I,4,5,2.
Lamparterus (*Gregorius*) I,1,25,17.
Lamplugh (*Gvilielmus*) I,4,3,8.
Lana (*Franciſcus*) I,2,3,24 II,2*,4,4. II,2*,22,2. II,2*,27,5. II,4,1,17
Langen (*Rudolphus*) I,2,2,14.
Langius (*Joſephus*) I,1,21,25.&73.
Langſton (*Johannes*) I,1,21,111,
Lanſius (*Thomas*) I,6,3,3. III,2,1,13.
Lantinus (*Johannes Baptiſta*) I,5,2,9.
Lapide (*Hyppolitus à*) III,6,9,5.
Laſcaris (*Johannes*) I,4,6,4.
Laſena (*Petrus*) II,2,8,4 I,4,4,6,19. II,2*,43,3.
Latinus (*Latinius*) I,1,24,5 I,5,1,13.
Laud (*Gvilielmus*) I,1,8,9.
Lavinheta (*Bernhardus de*) I,2,5,27.
Launoy (*Johannes*) II,1,8,2. II,2,12,1.
Lauredanus (*Joh. Franciſcus*) III,2,1,8.
Laurenbergius (*Janus Wilhelmus*) I,4,9,5.
(*Petrus*) I,2,6,61. II,2*,42,1. II,2*,45,8. II,4,1,5.
Laurentius (*Andreas*) II,2*,2,4. II,2*,8,6.
(*Joſephus*) I,1,21,38. I,1,24,75. II,3,5,20.
Laurus (*Jacobus*) I,5,2,5.
(*Joh. Baptiſta*) I,1,24,59. I,1,9,21.
Lauterbachius (*Wolfgangus Adamus*) III,6,10,2.
Lauxmin (*Sigismundus*) I,6,1,18.
Lazius (*Wolfgangus*) I,4,12,5 I,5,2,7. III,2,1,17.
Lectius (*Jacobus*) I,2,6,7.
Ledebuhrius (*Caſpar*) I,4,5,3.
Leewius (*Simon*) III,6,4,4. III,6,7,2.
Lehmannus (*Chriſtophorus*) I,1,21,110. III,4,1,7. III,6,9,2.
Leibnitius (*Gothofredus Gvilielmus*) I,2,5,61. II,1,13,13. II,2,1,25. II,2,17,6. II,2*,4,4. II,2*,6,5. II,4,1,15. III,6,6,4.
Leichnerus (*Eckhardus*) I,2,7,92.
Leickherus (*Fridericus Jacobus*) I,1,19,67.
Leigh (*Eduardus*) I,1,18,42.
Lemnius (*Levinus*) II,2,2,11.
Lentulus (*Cyriacus*) III,2,1,15.
Leonardus (*Paulus*) II,1,14.12.&39 &56.
Leontinus (*Gorgias*) I,6,2,3.
Leotaudius (*Vincentius*) II,2*,32,5.
Lerkius (*Cornelius*) II,1,1,11.
Leſſius (*Leonhardus*) II,1,14,60.
Letus (*Gregorius*) I,1,14,14. I,1,18,30.
Leus (*Eduardus*) III,5,1,16.
Leuwenclavius (*Johannes*) III,6,4,6 & 11.
Libavius (*Andreas*) II,2,16,1. II,2,29,4. II,2*,44,4. II,2*,47,4. III,5,1,36.
Liberius (*Chriſt.*) III,5,1,33.
Licetus (*Fortunius*) I,1,24,6. I,1,22,7. I,5,2,9. II,2*,2,4. II,2*,12,8. II,2,2,6.&10.
Ligorius (*Pyrrhus*) I,1,25,33.
Lilius (*Georgius*) I,1,18,43.
(*Gvilielmus*) I,1,18,43.
Limnæus (*Johannes*) III,6,9,3.
Linacer (*Thomas*) I,4,10,10.
Lindemannus (*Laurentius*) I,2,2,26.
Linden (*J. Antonius à*) III,7,1,3.

Linden-

Lindenbrogius (*Fridericus*) I,1,24,28. I,1,25,10. I,4,4,8. III,6,6,2. III,6,7,16. III,6,10,1.
Lingelsheimius (*Georg. Michael*) I,1,24,90
Lingendius (*Claudius*) I,6,4,28.
Linus (*Franciſcus*) II,2*,4,3.
Lipenius (*Martinus*) I,1,18,16. III,6,6,1. III,7,1,3.
Lipſius (*Juſtus*) I,1,17,9. I,1,24,63. I,4,5,9. I,5,2,5. & 10. & 12. I,6,3,4. II,1,4,1. II,2,8,1. III,2,1,14.
Lipſtorpius (*Daniel*) II,1,15,10. I,2,7,8. I,2,17,5. II,2*,6,2. II,2*,11,9. II,2*,21,3. II,4,1,8. & 15. III,5,1,26.
Lirres (*Petrus de*) II,3,1,15.
Liſterus (*Martinus*) II,2*,45,8.
Lobkowitz (*Johannes Caramuel*) I,1,18,56. I,2,6,92. II,4,1,8.
Lobo (*Alphonſus*) I,6,4,27.
Loccenius (*Johannes*) III,2,1,17. III,6,6,2. III,6,10,3.
Löhneiſen (*Chriſtophorus*) II,2*,29,4.
Lombardus (*Petrus*) II,1,14,1.
Lomejerus (*Johannes*) I,1,17,14.
(*Philippus*) II,2*,4,4.
Londorpius (*Michael Caſpar*) III,2,1,9.
Longus (*Gegorius*) I,5,2,9.
Loredanus (*Joh. Franciſcus*) I,1,14,25.
Löſcherus (*Caſpar*) I,1,7,52.
Lotichius (*Johannes Petrus*) I,1,19,40. I,4,12,10. II,3,1,17.
(*Petrus*) I,7,3,9. I,1,19,38.
Lubienicius (*Stanislaus*) II,2*,12,4. II,2*,24,3.
Lubinus (*Eilhardus*) I,4,9,5 I,4,12,13. III,1,1,10.
Lucatellus (*Joſephus*) II,2*,21,7.
Ludolphus (*Hiob*) II,2*,20,9.
Ludovicus (*Laurentius*) I,2,2,26.
Lugo (*Johannes de*) II,1,14,59.
Lullius (*Raimundus*) I,2,5,4.
Lundenius (*Ludolph. Georgius*) II,2*,12,8.
Lundius (*Zacharias*) I,1,25,7. I,7,3,17.
Lupus (*Jacobus*) II,2*,8,4.
Lutherus (*Martinus*) I,4,4,5.
Lycoſthenes (*Conradus*) I,1,21,23. & 54. I,1,18,10.

MAbillon (*Johannes*) I,2,7,40.
Maccius (*Sebaſtianus*) I,4,14,26. I,6,1,29.
Macedus (*Franciſcus*) I,1,6,33. I,1,22,27. I,7,1,7.
Machiavellus (*Nicolaus*) I,7,1,9. III,2,1,4. III,2,1,12.
Macignus (*Matthæus*) I,1,25,30.
Maderus (*Johannes Joachimus*) I,5,2,8.
Madridius (*Alphonſus*) I,6,4,27.
Magirus (*Tobias*) I,1,16,54. I,1,21,27. I,4,9,16.
Magius (*Hieronymus*) I,5,1,13. II,2,8,3. II,2*,5,2. III,5,1,7.
Magnenus (*Johannes Chryſoſt.*) II,2,7,5. II,2*,3,5. II,2*,27,8.
Magnus (*Valerianus*) II,2*,4,2.
Maimbourg (*Ludovicus*) III,2,1,18. III,4,1,14. III,5,1,23.
Maimonides (*Moſes*) III,6,2,1.
Majolus (*Simon*) I,1,21,47.
Major (*Johannes*) II,1,13,9.
(*Johannes Daniel*) II,2,1,12. II,2,2,9. II,2*,21,5. II,2*,37,3. II,2*,40,3. II,2*,45,8. II,2*,47,3, & 4. II,4,1,16.
Majoragius (*M. Antonius*) I,4,11,7. I,6,3,1. II,1,11,5.
Majus (*Johannes Henricus*) I,1,19,37.
(*Thomas*) I,4,12,9.

 Malago-

Malagonellius (*Antonius*) I,6,3,5.
Malapertius (*Carolus*) II,2*,23,5.
Maliabeccus (*Antonius*) I,1,15,59.
Mallincrot (*Bernhardus à*) I,1,18,60. I,4,1,5.I,4,2,6. III,1,1,10. III,4,1,1.III,6,9,5.
Maloneſius (*Carolus*) I,6,1,6.
Malpighius (*Macellus*) II,2*,40,3. II,2*,45,8.II,2*,47,3.III,7,1,5.
Malumbra (*Richardus*) III,6,7,9.
Mancinus (*Johannes Baptiſta*) I,6,3,7.
(*Paulus*) I,1,14,17.
Manelphus (*Johannes*) I,5,2,11.
Manilius (*Marcus*) I,4,12,1.
Mansfeld (*Regnerus à*) III,5,1,8.
Manſus (*Johannes Baptiſta*) I,1,14,31.ſqq.
Manutius (*Aldus*) I,1,3,5.I,1,24,124. I,2,8,55.I,4,9,1. I,7,2,8. III,2,1,5.
(*Paulus*) I,1,24,124.I,1,25,39. I,1,23,57.I,5,2,7.III,6,3,4.
Manzius (*Caſpar*) III,6,7,3.
Marafiotus (*Hieronymus*) I,2,6,26.& 41.
Maranta (*Bartholomæus*) II,2,2,5.
Marca (*Petrus de*) III,5,1,27.
Marcheſius (*Marcellus*) I,1,15,30.
Marchina (*Marta*) I,2,8,53.
Marchiſettus (*Jacobus*) I,2,8,54.
Marci (*Joh. Marcus*) II,1,7,18.II,2*,1,7. & 8.II,2*,2,3.II,2*,4,3.II,2*,5,5. II,2*,19,2.II,2*,14,4.II,2*,25,1 II,2*,27,3.II,2*,33,3.II,2*,45,4. II,4,1,9.
Marcilius (*Theodorus*) I,5,2,10.
Mare (*Philibertus de la*) I,1,19,8.ſeq.
Mareſcottus (*Ageſilaus*) I,5,2,9.
Mareſius (*Rolandus*) I,1,1,13.I,1,3,4. I,1,143,8.I,1,16,10.I,1,23,10.
(*Samuel*) II,1,15,6. III,5,1,33.&35.
Margotius (*Lanfrancus*) I,1,24,51.
Marianus (*Andreas*) I,5,2,5.
Marinus (*Johannes Baptiſta*) I,1,14,17.
Markius (*Johannes*) III,5,1,3.
Marlianus (*Johannes Bartholomæus*) I,5,2,5.
Marquardus (*Johannes*) III,3,1,3.
Marshamus (*Johannes*) III,6,2,3.
Martinengus (*Aſcanius*) I,1,21,16.
Martini (*Cornelius*) II,1,12,1.
(*Raymundus*) III,5,1,7.III,5,1,21.
Martinius (*Martinus*) II,2,5,2.
(*Matth.*) I,4,9,4.
Martinus (*Franciſcus*) I,1,24,58.
Martius (*Galeottus*) I,1,21,42.
Marzal (*Franciſcus*) I,2,5,37.
Maſcardus (*Auguſtinus*) I,1,14,17. I, 1, 9, 20. I, 4,4,17. I,6,1,29. I,6,3,7.I,7,3,3.I,7,4,3,8.II,1,3,3. II,2,11,1.II,3,1,3. III,1,1,11. III,4,1,3.
Maſculus (*Johannes Baptiſta*) I,6,3,13. III,4,1,18.
Maſenius (*Jacobus*) I,5,2,4.I,6,1,17. I,6,3,3.&12.I,6,4,14.I,7,1,7. &17.I,7,3,15.
Maſinus (*Nicolaus*) II,2*,42,4.
Maſius (*Didacus*) II,1,14,53.
Maſſonius (*Johannes Papirius*) I,1,19,57.
Maſtrius (*Bartholomæus*) II,1,14,13.
Matina (*Leo*) I,6,3,11.
Matthæus (*Antonius*) III,6,7,10. III,6,8,4.
(*Johannes*) I,2,2,26.
Mattheſius (*Johannes*) II,2*,29,4.
Matthias (*Johannes*) I,4,10,9.
Matthiolus (*Petrus Andreas*) II,2,2,5.
Mauritius (*Ericus*) II,3,1,15.III,6,1,6. III,6,4,3.&5.III,6,7,15.III,6, 9,2.III,6,11,3.

Maurus (*Rabanus*) I,4,4,4.
Mauſſacus (*Philippus Jacobus*) I,4,1,2. I,4,7,1.& 5.I,5,1,2. III,6,8,4.
Maximus (*Valerius*) III,1,1,1.
Maxvellus (*Gvilhelmus*) I,1,11,13.
May (*Philippus*) II,3,1,7.
Mayfartus (*Johannes Matth.*) I,6,1,26.
Mayow (*Johannes*) II,2*,16,4.II,2*,17,3. II,2*,20,11.II,2*,23,5.II,2*, 24,5.II,2,38,2.II,2*,47,3.
Mayro (*Franciſcus*) II,1,14,37.
Mazonius (*Jacobus*) II,1,7,2.II,1,11,19. II,2,11,2.III,4,1,3.
Mazza (*Thomas*) I,1,6,33.
Mechovius (*Gvilielmus*) I,2,2,29. I,6,1,9.III,2,1,14. III,2,1,14.
Medina (*Bartholomæus à*) II,1,14,23.
Meibomius (*Henricus*) I,7,3,14.I,2,16,12. ſeq.III,4,1,6.
(*Jo. Henricus*) I,1,18,66.II,2*,42, 2.ſeq.
(*Marcus*) II,4,1,2.&10.
Meierus (*Gerhardus*) III,5,1,13.
(*Jacobus*) I,1,21,113.
(*Juſtus*) III,6,7,6.
(*Michael*) I,1,13,3.I,1,11,17. II,2,4,4.II,2*,38,3.II,2*,44, 5.II,2*,47,3.III,5,1,36.
Meiſnerus (*Johannes*) III,5,1,29.&33.
Mekerchus (*Adolphus*) I,4,6,18.
Melanchthon (*Philippus*) I,1,16,51. I,1,19,33.I,2,1,12.I,6,3,3. I,7,2,10.III,5,1,17.
Meliſſus (*Paulus*) I,7,3,10.
Mellinghauſen ( ) II,5,1,5.
Melſen (*Johannes de*) II,2,3,9.
Menagius (*Ægidius*) I,1,18,66.I,1,19,66 I,4,4,12.&17.I,4,6,3.I,5,1,14. I,7,1,10.&13,15.&21.I,7,3,9. & 20.II,1,1,1.II,2*,40,4. III,6,3,5.III,6,7,17.
Menckenius (*Otto*) I,1,16,43. III,2,1,6.
Mendoza (*Didacus*) I,1,4,22.
(*Petrus Hurtadus de*) II,1,14,40.
Menochius (*Johannes Stephanus*) I,1,21,49.
Menzinus (*Benedictus*) I,1,1,13. I,1,15,34.
Mercerus (*Joſias*) III,4,1,12.
(*Nicolaus*) I,7,1,12.
Mercurialis (*Hieronymus*) I,5,2,12.
Merettus (*Chriſtophorus*) II,2*,34,1. II,2*,40,3.
Merianus (*Matthias*) II,4,1,12,
Mericutius (*Antonius*) III,6,7,15.
Merillius (*Edmundus*) III,6,4,5.
Merryweather (*Johannes*) I,3,6,9.
Merſennus (*Marinus*) II,1,6,1.II,2,9,5. II,2,15,5.II,4,1,10. III,5,1,11.
Merula (*Paulus*) II,2*,46,3.II,4,1,11.
Meſſanenſis (*Thomas*) I,1,22,12.
Metochita (*Theodorus*) II,1,9,10.
Mevius (*David*) III,6,1,6.III,6,10,3. III,6,11,4.
Meuriſſe (*Martinus*) II,1,14,16.
Meurſius (*Johannes*) I,1,18,38.I,1,25,8. I,4,6,17.I,4,8,11.I,5,1,13. I,5,2,3.&7,8.&12.I,7,1,10. I,7,2,22.II,1,1,3.II,1,2,4. II,1,7,9.II,1,9,2.II,2,12,5. II,2*,40,4.II,4,1,2,&5.
Mexia (*Petrus*) II,2,2,10.
Meyersberg (*Auguſtus Baro à*) III,5,1,23.
Michaëlis (*Gregorius*) II,2*,8,7.
Micrælius (*Johannes*) II,4,1,4.&5. III,4,1,4.

Micyllus

Micyllus (*Jacobus*) I,7,1,10.
Miltonus (*Johannes*) I,1,24,80. I,4,4,19. I,7,3,17.
Minerva (*Paulus*) II,3,1,2.
Minsheu (*Johannes*) I,4,4,19.
Miræus (*Aubertus*) I,1,18,39. III,4,1,13.
Mirandula (*Johannes Picus*) I,1,15,54. I,1,23,41. I,2,6,8. II,1,2,6. II,2*,35,3. II,3,1,2. & 9.
Mirus (*Martinus*) I,2,2,26.
Mizaldus (*Antonius*) II,2,2,11. II,2,7,6. II,2*,12,9. II,2*,42,1. II,3,1,2.
Mocenicus ( ) III,5,1,3.
Modius (*Franciſcus*) I,5,2,15.
Modoneſius (*Jacobus Martinus*) I,2,8,53.
Molinæus (*Carolus*) III,6,7,15.
(*Ludovicus*) II,1,14,58. III,5,1,26
(*Petrus*) I,6,4,17. I,7,3,17. III,1,1,5. III,5,1,25. & 32.
Molinettus (*Claudius*) I,4,1,10. I,4,2,6.
Molinus (*Franciſcus*) I,2,6,9.
Mollerus (*Johannes*) I,1,18,47. I,1,25,9.
Mollnar (*Albertus*) I,2,2,31.
Moltkenius (*Levinus Nicolaus*) III,1,1,10. III,5,1,10.
Monachus (*Matthæus*) III,6,7,4.
Moncurtius (*Ægidius*) I,2,5,39.
Monleus (*Franciſcus*) I,2,6,33.
Monlorius (*Johannes Baptiſta*) II,1,14,66.
Monoſinius (*Angelus*) I,1,21,97.
Montacutius (*Richardus*) III,4,1,12.
Montalbanus (*Johannes Petrus*) I,7,1,8.
Montanarus (*Geminianus*) II,2*,12,4.
Montanus (*Arnoldus*) II,4,1,13.
(*Johannes Ferrarius*) III,2,1,5.
(*Petrus*) I,2,3,31 II,2*,48,3.
Montecatinus (*Antonius*) II,1,11,10.
Montuus (*Petrus*) I,2,5,6.
Monzambanus (*Severinus*) III,6,9,5.
Morainvillier (*Ludovicus de*) II,1,7,2.
Morales (*Ambroſius*) I,2,3,24.
Morbeca (*Gvilhelmus de*) II,3,1,13.
Morellus (*Fridericus*) I,6,2,19.
Moreſtellus (*Petrus*) I,2,5,39.
Moretus (*Theodorus*) II,2*,20,3.
Morinus (*Johannes Baptiſta*) II,2*,8,7. II,2*,12,9. II,3,1,10.
Moriſanus (*Bernhardus*) II,1,14,32.
Moriſottus (*Claudius*) I,1,24,15. II,4,1,12.
Mormius (*Petrus*) I,1,2,27. I,1,13,35. ſqq.
Mornæus (*Philippus*) III,5,1,7. & 25,29.
Morſinus (*Maximilianus*) I,2,2,26.
Morſius (*Joachimus*) I,1,23,71.
Morus (*Alexander*) I,1,24,2. I,6,3,6. I,6,4,29. I,7,3,8.
(*Henricus*) I,1,12,18. II,1,1,12. II,1,2,6. II,1,7,19. II,1,15,7. II,2,3,4. &7. II,2,7,9. II,2,11,8. &10. ſeq. II,2,12,9. II,2,17,7. & 9. II,2*,1,2. &4 II,2*,45,4. II,2*,47,6. II,3,1,5. II,5,1,8. III,1,1,3. &5. III,5,1,8. &9 16. & 36.
(*Johannes*) II,1,11,32.
(*Thomas*) I,1,23,42.
Moſchellus (*Joh. Antonius*) II,2*,45,8.
Mouffetus (*Thomas*) II,2*,45,5.
Movius (*Fridericus*) III,6,10,3.
Mucius (*Franciſcus*) II,1,8,4.
Muddendorpius (*Franciſcus Junius*) I,1,16,72.
Müllerus (*Andreas*) I,4,2,5.
(*Sebaldus*) II,2,1,6.
Murcias (*Franciſcus*) II,1,14,29.
Muretus (*M. Antonius*) I,4,11,3. III,6,4,4.
(*Thomas*)

Murnerus (*Thomas*) I,2,6,89.
Muſæus (*Johannes*) III,5,1,8.&17.
(*Petrus*) II,5,1,8.III,5,1,6.&8.
III,6,1,8.
Muſſus (*Cornelius*) I,6,4,6.
Mutius (*Macarius*) I,7,1,5.
Mylæus (*Chriſtophorus*) I,1,2,4.
I,2,4,26.
Mylerus (*Nicolaus*) III,6,9,2.
Mylius (*Abrahamus*) I,4,3,4.
II,2*,27,5.
(*Joh.Daniel*) II,2*,29,4.
Mynſingerus (*Joachimus*) III,6,7,15.
III,6,11,3.

NÆvius (*Sebaſtianus*) III,6,8,1.
Nancelius (*Nicolaus*) I,6,3,5.
II,1,12,1.
Nardius (*Johannes*) I,1,14,30.II,1,5,2.
II,2*,27,4.&8.
Nardus (*Antonius*) II,2,2,5.
Naudæus (*Gabriel*) I,1,27.I,1,16,78.
I,1,17,5.I,1,24,52.I,4,1,3.
I,4,2,6.I,5,2,10.II,1,13,2.
II,1,14,2.II,3,1,12.&17.ſq
III,2,1,1.&15.
Naugerius (*Andreas*) I,4,11,13.
Nazarius (*Franciſcus*) I,1,16,39.
(*Johannes Paulus*) II,1,14,24.
Neander (*Johannes*) II,2*,42,4.
II,2*,43,2.
(*Michael*) I,1,18,11.I,1,21,77.
I,2,10,12.I,4,4,4.I,4,5,2.
I,4,6,8.&11.II,2,2,5.II,2,
6,8.
Neldelius (*Johannes*) I,2,8,2.II,1,11,28.
Nepperus (*Johannes*) II,4,1,5.
Nerus (*Antonius*) II,2*,34,2.
Noucrantzius (*Paulus*) II,2*,46,2.
Neudorffius (*Ægidius*) I,2,6,63.
Neuhofius (*Johannes*) II,2,5,2.
II,2*,40,5.
Neuhuſius (*Rein.*) I,6,3,5.I,7,3,17.
Neutonus (*Iſaacus*) II,2*,15,2.
Nicolai (*Henricus*) II,2*,32,5.
(*Johannes Georgius*) III,6,11,2.
Nicolotius (*Thomas*) II,2*,33,1.
Nicquetius (*Honoratus*) II,3,1,4.
Niendalius (*Laurentius*) I,2,16,31.
Nierembergius (*Joh. Euſebius*) I,6,4,12.
II,2,2,5.
Nieſs (*Johannes*) I,4,9,3.
Nigronus (*Julius*) I,5,2,9.
Niphus (*Auguſtinus*) II,1,11,3.
Nirmuthanus (*Chriſtianus*) I,4,3,8.
Niverus (*Gerhardus*) III,3,1,3.
Nizolius (*Marius*) I,1,25,26.I,4,9,12.
I,4,11,7.II,1,13,3.II,5,1,1.
Nodotius (*Franciſcus*) I,4,12,10.
Nollius (*Henricus*) II,2,27,4.II,2*,29,4.
Nomeſſeus (*Nicolaus*) I,7,1,19.
Noodtius (*Gerhardus*) III,6,8,4.
Normannus (*Laurentius*) I,3,7,7.
Noſtradamus (*Michael*) I,1,10,32.
Notnagelius (*Chriſtophorus*) II,2*,23,5.
Novarinus (*Aloyſius*) I,1,21,95.I,6,4,12.
III,4,1,18.
Nucerienſis (*Johannes Ægidius*) I,1,21,101
Nunneſius (*Auguſtinus*) delgadillo.
I,2,5,36.
(*Ferdinandus*) I,1,21,103.
(*Petrus Johannes*) I,6,1,23 II.1,8.
1.II,1,11,17.&29.II,2,12,1.
Nyland (*Franciſcus Wilhelmus Baro de*)
II,1,15,10.&12. II,2,17,7.
II,2*,1,6.II,2*,2,4.II,2*,6,6.

OBrechtus (*Georgius*) III,2,1,20III,3,1,2
Occam (*Guilielmus*) II,2,1,13,2.&3.
III,5,1,27.

Ochinus (*Bernhardinus*) III,5,1,31.
Offredus (*Apollinaris*) II,1,11,5.
Ogerius (*Carolus*) I,1,20,18.
Oiſelius (*Jacobus*) I,4,14,9. III,6,4,4.
Oldenburg (*Henricus*) I,1,16,34. II,2,1,16. II,2*,8,6. II,2*,34,1.
Oldenburgerus (*Phil. Andr.*) III,2,1,6. & 11.
Oldendorpius (*Johannes*) III,6,3,2. III,6,11,2.
Olearius (*Adamus*) I,1,24,79.
Omphalius (*Jacobus*) I,1,24,111. I,6,1,21.
Orbellis (*Nicolaus de*) II,1,14,22.
Origamus (*David*) II,3,1,11.
Ortelius (*Abrahamus*) II,4,1,11.
Oſiander (*Johannes Adamus*) II,1,13,1. II,2*,24,3. III,6,1,5. & 8.
Oſius (*Theodotus*) I,2,7,50. II,2*,24,7.
Oſſolinskius (*Georgius*) I,6,3,6.
Oſtenfeldius (*Chriſtianus*) I,6,3,6.
Ottius (*Johannes Henricus*) I,4,4,14. III,5,1,34.
Otto (*Andreas*) II,3,1,4.
(*Daniel*) III,6,6,3. III,6,9,3.
Oudan (*Joachimus*) I,5,2,2.
Oviedo (*Franciſcus de*) II,1,14,46.
Owenus (*Johannes*) III,5,1,4.

PAchimerius (*Georgius*) II,1,9,9.
Pacius (*Julius*) I,2,5,32. II,1,14,69. III,6,8,2.
Pajot (*Carolus*) I,6,1,27.
Palafoxius (*Johannes*) I,6,4,27.
Palamedes (*Julius*) II,1,11,31.
Palearius (*Aonius*) I,1,23,55. I,1,25,36. I,3,9,13. II,1,5,2.
Palingius (*Abrahamus*) II,3,1,15.
Paliſſy (*Bernhardus*) II,2*,10,3. II,2*,31,3.
Palladius (*Andreas*) I,4,11,9.
Pallavicinus (*Sfortia*) III,2,1,18.
Palmerius (*Jacobus*) I,5,1,9.
Pancirollus (*Guido*) I,1,19,66. I,1,21,51. I,5,2,7. III,6,6,1. III,6,8,4.
Pandulffus (*Alphonſus*) II,2*,5,2. III,5,1,7.
Panicarola (*Franciſcus*) I,6,1,3. I,6,4,5.
Panſa (*Mutius*) I,1,17,18. & 25. III,5,1,4.
Panvinius (*Onuphrius*) I,1,17,36. I,5,2,5. & 8. & 15. III,5,1,27.
Paracelſus (*Theophraſtus*) I,1,10,26. II,1,15,16. II,2*,1,5. II,2*,27,5.
Paræus (*Daniel*) I,4,13,3. I,5,1,4. II,1,5,2.
(*Johannes Philippus*) I,4,6,11.
(*Philippus*) I,6,1,24.
Parckerus (*Robertus*) III,5,1,27.
(*Samuel*) II,1,7,22. II,2,11,7. & 8. III,5,1,4. & 9.
Parthaſius (*Janus*) I,1,25,37. I,1,22,7. I,1,24,8.
Parthenius (*Bernardinus*) I,2,16,20. & 35. I,7,1,14. & 15.
Paſchalius (*Carolus*) I,5,2,8. & 12. III,1,1,10. & 11.
(*Valentinus*) I,5,2,13.
Paſſeribus (*Nicolaus de*) III,6,8,2.
Paſtorius (*Joachimus*) I,6,3,6. I,7,3,17. III,1,1,8. & 10.
Patinus (*Carolus*) I,4,13,13. II,2*,21,6.
(*Guido*) I,1,15,23. I,1,24,96. I,1,5,18. I,1,9,6. I,1,19,64.
Patricius (*Franciſcus*) II,1,1,12. II,1,8,3. II,1,15,2. II,2,4,5. & 6. II,2,7,3. II,2,12,2. II,2,14,1. II,2*,1,3. & 9. II,2*,14,1. III,5,1,3.
Pauli (*Andreas*) I,4,9,6.

(*Simon*)

(*Simon*) II,2*,40,4.II,2*,42,4. II,4,1,2.III,7,1,5.
Paulo (*Euſtachius à S.*) II,1,14,31.
Pearſonius (*Johannes*) I,4,7,3.
Pechlinus (*Joh. Nicolaus*) II,2*,17,5.
Pegelius (*Magnus*) I,1,2,26.I,2,9,26. II,2,1,17.II,2*,22,2.
Peireſcius (*Nicolaus Fabricius*) I,4,5,6. I,4,12,4. II,2,2,6.
Peiskerus (*Georgius Chriſtophorus*) I,4,4,6.
Peliſſonius (*Paulus*) I,1,19,68.
Pellegrinus (*Camillus*) I,7,1,13.
Pellerus (*Chriſtophorus*) III,2,1,4.
Pellius (*Johannes*) I,1,20,21.
Peraldus (*Gvilielmus*) I,6,4,12.
Pereira (*Gomezius*) II,1,15,11.
Pererius (*Benedictus*) II,1,1,7. II,2,8,6.II,2,7,2.II,2*,1,9. II,2*,11,10.
Perezius (*Antonius*) I,1,24,134. III,6,7,9.
(*Didacus*) I,6,4,27.
Periers (*Bonaventura de*) I,1,8,16. III,5,1,11.
Perionius (*Joachimus*) I,4,4,11.I,5,2,7. II,1,12,1.
Pernumia (*Joh. Paulus*) II,1,11,8.
Perottus (*Nicolaus*) I,4,9,9.
Perronius (*Jacobus*) III,5,1,26.
Perus (*Johannes Dominicus*) I,1,12,13.
Peſquetus (*Orlandus*) I,1,21,100.
Petavius (*Dionyſius*) I,6,2,18.& 21. II,2,11,6. III,4,1,5. III,5,1,4. & 1. III,5,1,27.
Petitus (*Petrus*) I,4,12,10.I,7,1,14. II,2*,16,2. II,2*,32,5.
(*Samuel*) I,5,1,11. III,6,2,4.
Petra (*Gabriel à*) I,6,1,6.
Petramellarius (*Johannes Antonius*) I,6,3,13.
Petrarcha (*Franciſcus*) I,1,23,27.I,1,18,20 I,1,22,12.I,1,1,11.
Petri (*Fridericus*) I,1,21,110.
Petter (*Nicolaus*) II,4,1,16.
Peucerus (*Caſpar*) II,3,1,1.
Pfannerus (*Tobias*) I,5,2,6.III,4,1,10. III,5,1,12.III,6,9,2.
Pfeifferus (*Auguſtus*) III,5,1,16.
(*Joh. Philippus*) I,5,2,3.
Pfochenius (*Sebaſtianus*) I,4,6,19.
Phædrus (*Thomas*) I,1,25,35.
(*Titus*) I,4,12,4.
Phalereus (*Demetrius*) I,1,6,3.
Philaltheus (*Lucilius*) I,1,24,74. II,1,1,11,12.
Photius (*Patriarcha Conſtantinopolitanus*) I,1,16,13.III,6,7,13.
Piccardus (*Johannes*) I,4,4,11. II,1,14,73.
Piccartus (*Michael*) I,4,12,8.I,6,3,3. II,1,11,30.III,2,1,2.
Piccolominus (*Alexander*) I,2,8,45.
Pichon (*Julianus*) I,4,13,3.
Picinellus (*Philippus*) I,1,21,61.
Pictorius (*Georgius*) II,1,7,14. II,3,1,15.
Picus (*Johannes*) II,1,7,16.II,1,11,2. II,1,14,37.II,2,10,1.
(*Johannes Franciſcus*) I,1,11,3. II,1,7,16.
Pieruccius (*Joh. Michael*) I,1,7,41.
Pignorius (*Laurentius*) I,1,24,30. I,1,7,34.I,1,22,7.I,6,3,11. II,2,4,3.
Pinellus (*Johannes Vincentius*) I,1,1,8. I,1,3,19.I,1,19,19.I,1,15,51. II,2,2,5.
Piſo (*Gvilielmus*) II,2,2,7. II,2*,40,5.

Piſtorius (*Johannes*) I,1,25,5. III,6,9,2.
Pithæus (*Petrus*) I,4,13,3. I,6,1,9. III,6,2,2.
Pitiſcus (*Samuel*) I,4,12,1,4. I,4,13,13.
Pitſæus (*Johannes*) I,1,18,42.
Pizimentius (*Dominicus*) II,2,7,6.
Placcius (*Valentinus*) I,1,16,4.&70. I,2,5,99.
(*Vincentius*) III,1,1,6. III,6,6,3.
Placentinus (*Johannes*) II,2*,23,5. II,4,1,5.
Plantavitius (*Johannes*) I,4,5,5.
Pleurius (*Stephanus*) I,7,3,14.
Politianus (*Angelus*) I,1,23,30.
Pollux (*Julius*) I,4,7,4.
Polus (*Antonius*) II,1,14,48.
(*Matthæus*) III,5,1,15.
Pomarius (*Samuel*) III,5,1,36.
Pomey (*Franciſcus*) I,2,5,80. I,7,1,17.
Pomponatius (*Petrus*) II,1,11,4. II,2*,48,7.
Pona (*Franciſcus*) I,6,3,11.
Pontanus (*Jacobus*) I,1,21,35. I,7,1,7.
(*Johannes*) III,5,1,19.
(*Jovianus*) I,1,1,14. I,7,3,9.& 11. II,2*,43,2. III,4,13.
(*Ludovicus*) I,6,4,27.
Pontius (*Johannes*) II,1,14,11.
(*Petrus*) I,2,3,23. I,4,1,6.
Porcachius (*Thomas*) I,5,2,8.
Porta (*Johannes Baptiſta*) I,4,2,3. II,2,2,9.& 11. II,2*,40,6. II,3,1,4. II,4,1,15.
Portius (*Simon*) I,4,6,14. I,4,8,11.
Portnerus (*Johannes Albertus*) I,4,6,3.
Portus (*Æmilius*) I,4,8,10.
(*Franciſcus*) I,7,1,10.
Poſſardus (*Wilhelmus*) I,5,2,7.
Poſſelius (*Johannes*) I,4,6,11.
Poſſevinus (*Antonius*) I,1,16,14.&21. I,7,1,6.
Poſnerus (*Caſpar*) II,2*,2,5.
Poſtellus (*Gvilielmus*) I,1,8,11. I,1,6,18. I,4,1,9. I,4,5,1. II,1,12,2. II,2*,11,5. III,5,1,7.
Potterus (*Johannes*) I,7,2,22.
Powerus (*Henricus*) II,2*,3,5. II,2*,32,2.
Prætorius (*Godeſchalcus*) I,2,2,25.
(*Johannes*) II.2*,2,5. II,3,1,6.
(*Stephanus*) I,2,2,26.
Praſchius (*Johannes Ludovicus*) I,7,3,8. &15. III,2,1,14.&20. III,6,1,8. III,6,2,3. III,6,6,3.
Prato (*Antonius de*) III,6,7,15.
Priceus (*Johannes*) I,4,14,3. I,4,6,19.
Prierias (*Sylveſter*) II,1,14,35.
Primeroſius (*Jacobus*) II,2,1,9.
Priolus (*Benjamin*) I,1,16,11. I,3,13,41. III,7,1,5.
Probus (*Valerius*) I,4,2,3.
Pſellus (*Michael*) I,1,11,51. II,1,9,8. II,2,11,3.
Puffendorfius (*Samuel*) III,1,1,11. III,2,1,20. III,6,1,3.&6.&8.
Puhtherbeus (*Gabriel*) I,1,16,28.
Pulmannus (*Theodorus*) I,4,12,9.
Puppio (*Franciſcus Follius à*) II,2*,20,3.
Puteanus (*Ericius*) I,1,24,33. I,1,17,22. I,5,2,6.&11. I,6,3,4.&6. II,2*,22,3. III,2,1,3.
(*Petrus*) I,1,3,18. I,1,19,26. III,2,1,9.
Putſchius (*Elias*) I,4,10,2.
Pyrckhaimerus (*Hilarius*) I,1,15,40.

Quarræus

Quarræus (*Johannes*) I,1,19,9.
Quenſtedt (*Joh. Andreas*) II,1,18,17.
Quercetanus (*Andreas*) I,1,18,24.
(*Joſua*) II,2*,27,5. II,2*,29,4.
Quillet (*Claudius*) I,2,1,8.

Rabirius (*Junius*) I,5,2,15.
Rachelius (*Joachimus*) I,7,3,4.
(*Samuel*) II,1,9,7. III,1,1,2.
III,1,1,7. & 10. III,1,1,12.
III,6,1,5. & 8. III,6,9,2.
Rada (*Johannes de*) II,1,14,14.
Radau (*Michael*) I,6,1,18.
Raderus (*Matth.*) I,4,13,11.
Ræverdus (*Jacobus*) III,6,3,2.
Raguſæus ( ) II,3,1,1.
Rainaldus (*Odericus*) III,4,1,12.
Ramireſius (*Emanuel*) I,2,3,25.
(*Laurentius*) I,1,21,48. II,4,13,11.
I,5,1,13.
Ramſey (*Wilhelmus*) II,2*,45,7.
Ramus (*Petrus*) I,2,7,17. II,1,7,17.
II,1,12,1. II,2,12,7. II,2*,1,3.
II,2*,13,2. II,4,1,5. II,5,1,1.
II,5,1,5. III,5,1,7.
Ranchinus (*Franciſcus*) III,6,3,8.
Rango (*Conr. Tiburtius*) I,5,2,9. II,2*,45,8
Ranzovius (*Henricus*) II,3,1,11.
Rapichius (*Jovita*) I,6,1,21.
Rapinus (*Renatus*) I,4,11,14. I,4,13,3.
I,6,1,31. I,6,4,8. I,7,1,3. & 13.
I,7,3,8. II,1,7,22. II,2*,42,1.
Rappoltius (*Fridericus*) I,7,3,8.
Ratichius (*Wolfgangus*) I,2,10,28.
Rattray (*Sylveſter*) II,2*,8,3.
Ravelin (*Franciſcus Martinus*) I,2,6,33.
Ravennas (*Petrus*) I,2,6,33.
Raviſius (*Johannes*) I,1,21,37. I,7,1,19.
Raulinus (*Johannes*) II,1,13,10.
Ray (*Johannes*) I,1,21,3. II,1,15,10.
II,2,17,5.
Raymundus, *Cappelanus Gregorii Noni*,
III,6,7,14.
Raynaudus (*Theophilus*) I,1,16,28.
II,1,14,60. II,3,1,17.
Reael (*Laurentius*) II,2*,32,5.
Rebuffus (*Petrus*) III,6,7,15.
Recchus (*Nardus Antonius*) II,2,2,9.
Regius (*Henricus*) II,1,15,9, II,2,17,4.
II,2*,44,3.
Reicheltus (*Julius*) II,2*,8,7.
Rejes (*Caſpar de*) I,1,21,48. II,2,2,10.
II,3,1,17.
Reimarus (*Albertus*) III,5,1,20.
Reinbothius (*Fridericus*) III,6,11,4.
Reineccius (*Reinerus*) III,4,1,3.
Reineſius (*Thomas*) I,1,23,65. I,1,11,19.
I,4,14,26. I,4,4,9. I,4,5,8.
I,4,7,3. I,5,1,9. II,2,7,6.
II,2,16,5. II,2*,36,2. III,4,1,2
Reinkingius (*Theodorus*) III,2,1,19.
Reiſerus (*Antonius*) I,1,5,16. I,1,7,26.
III,5,1,9.
Reiskius (*Johannes*) II,1,8,1.
Remigius (*Nicolaus*) II,3,1,15.
Renaudotius (*Theophraſtus*) I,2,7,60.
Rennemannus (*Henningus*) II,1,12,1.
III,6,5,5.
Reſenius (*Petrus Johannes*) II,1,1,13.
Reuchlinus (*Johannes*) I,1,19,36.
II,3,1,17.
Revius (*Jacobus*) I,1,23,71.
Reygerus (*Arnoldus*) III,6,11,2.
Reyherus (*Samuel*) II,2*,18,1. II,2*,22,2.
III,6,1,3.
Rhedi (*Franciſcus*) II,2*,27,3. II,2*,44,2.
II,2*45,5. & 8.
Rhenanus (*Beatus*) I,1,22,14. III,6,9,2.

Rhenius

Rhenius (*Johannes*) I,2,10,38.
Rhodiginus (*Ludovicus Cœlius*) I,1,21,50. I,1,25,37. I,5,1,7.
Rhodius (*Ambroſius*) II,1,2,7. II,2,6,6. II,4,1,9.
(*Andronicus*) II,1,9,7.
(*Johannes*) I,4,12,7. I,4,14,13. I,5,2,13. III,7,1,2.
Rhodomannus (*Laurentius*) I,4,6,3. & 8.
Ribadeneira (*Petrus*) I,1,18,54.
Ricciolus (*Johannes Baptiſta*) II,4,1,1. & 8. & 14.
Riccius (*Adamus*) III,6,4,3.
(*Bartholomæus*) I,3,10,10.
(*Paulus*) II,2,3,7.
Riccobonus (*Antonius*) I,1,14,27. III,4,1,3.
Ricerius (*Mutius*) I,7,3,8.
Richerius (*Edmundus*) I,2,2,30. I,1,16,74. I,4,10,10. I,6,1,21
Richterus (*Chriſtophorus Philippus*) III,6,6,2.
(*Georgius*) I,1,16,51. I,1,24,84. I,1,7,58. III,3,1,5. III,2,1,14.
Ridderus (*Franciſcus*) I,1,16,69.
Riera (*Johannes de*) I,2,5,26.
Rieros (*Juan Soropan de*) I,1,21,105.
Rigaltius (*Nicolaus*) I,4,8,11. I,4,14,4 III,2,1,8. III,6,4,4.
Riguez (*Robertus*) I,4,12,5.
Ringelbergius (*Joachimus Fortius*) I,1,1,8. I,1,22,33. I,2,7,8. I,6,1,3.
Riolanus (*Johannes*) II,1,12,1. II,2,12,7.
Rittershuſius (*Conradus*) I,6,4,4. III,6,3,2. III,6,7,3. & 12. III,6,7,14. & 15.
(*Nicolaus*) III,4,1,10.
Rivetus (*Andreas*) III,5,1,28. & 32.
Rivinus (*Andreas*) I,5,1,9.
Rivius (*Johannes*) I,1,21,115. I,1,23,36. I,2,2,25. I,3,4,28. I,4,10,10.
(*Thomas*) III,4,1,9. III,6,4,2.
Robertſonus (*Gvilielmus*) I,4,8,7.
Robertus (*Claudius*) III,4,1,18.
Robortellus (*Franciſcus*) I,1,24,116. I,5,1,2. I,5,2,5. I,7,1,11. II,1,11,22. III,4,1,3.
Roccus (*Antonius*) II,1,14,71. II,2*,47,6.
Rocha (*Angelus*) I,1,17,26. I,5,2,13.
Rochaz (*Henricus de*) II,2,15,6. II,2*,31,3.
Rodericus (*Alphonſus*) I,6,4,27.
(*Stephanus*) I,2,3,24.
Rodingius (*Gvilhelmus*) III,6,11,3.
Rogerus (*Abrahamus*) II,1,1,11. II,2,5,6.
Rohault (*Jacobus*) II,1,15,9. II,2,17,4. & 5.
Romanus (*Ægidius*) II,1,14,7.
Rondeletius (*Gvilielmus*) II,2*,46,2.
Rorarius (*Hieronymus*) I,4,1,3. I,4,4,16.
Roſa (*Johannes*) II,2*,42,2.
Roſellis (*Antonius de*) III,5,1,27.
Roſenbergius (*Joh. Carolus*) II,2*,43,3.
Roſenthal (*Henricus*) III,6,7,15.
Roſinus (*Johannes*) I,5,2,4.
Roſſæus (*Alexander*) I,7,1,19. II,2*,45,8. II,2*,47,3. III,5,1,10. & 20.
Roſſelius (*Coſmus*) I,2,6,24.
Roſſius (*Joh. Victorius*) vid. Erythræus.
Roſweidus (*Herib.*) III,4,1,12.
Rotmarus (*Valentinus*) I,1,21,81.
Roxas (*Auguſtinus de*) I,7,1,8.
Ruarus (*Martinus*) I,1,24,104. III,5,1,33.
Rubenius (*Albertus*) I,5,2,9.

Rubius (*Antonius*) II,1,14,44.
Rucelinus (*Johannes*) II,1,13,2.
Rudbeckius (*Olaus*) I,4,3,3. II,1,1,13.
Rue (*Carolus de la*) I,2,16,22.
Rumpelius (*Joh.Henricus*) II,2*,2,5.
Rupertus (*Chriſtoph.Adamus*) I,1,23,65. I,4,12,6.I,6,3,5.II,1,11,30. III,2,1,12.III,4,1,5.III,6,3,1. III,6,4,2.&4.
Rutgerſius(*Janus*)I,2,9,37.I,4,7,13.I,5,1,11
Rycquius (*Juſtus*) I,1,24,107. I,5,2,5.
Rykius (*Theodorus*) I,4,7,7.I,4,13,4.

SAchinus(*Franciſcus*)I,3,1,4.&9.I,3,1,26
Sachſius(*Philippus Jacobus*)II,2*,20,3. II,2*,42,2.
Sacratus (*Paulus*) I,1,24,106.
Sadeler(*Ægidius*) I,5,2,5.
(*Rudolphus*) I,6,1,32.
Sævilius (*Henricus*) I,5,2,10.
Sagittarius(*Joh.Chriſtfried*) III,2,1,15.
Salabertus (*Johannes*) II,1,13,11.
Salas (*Johannes Antonius Gonzalez de*) I,7,1,8.
Saleſius (*Franciſcus*) I,6,4,14.
Salluſtius (*Criſpus*) I,4,11,8.
Salmaſius (*Claudius*) I,1,24,13.I,1,3,29. I,1,7,10.I,2,8,55.I,4,6,16&17.&19 I,5,1,12.I,5,2,10.I,7,1,10.II,1,14, 51.II,2,2,2.&3.II,2*,12,9. II,2*, 27,8. III,4,1,9.&22. III,5,1,26. III,5,1,29.III,6,2,1.&4.
Salvianus (*Gaſpar*) I,1,14,17.
Sambucus (*Johannes*) I,7,3,4.
Sammarthanus (*Abelius*) I,1,19,62.
(*Scævola ſ. Gaucherius*) I,1,19,62. I,7,3,8.
Sanchez (*Franciſcus*) II,1,6,3.II,2,9,1.
(*Petrus Hieronymus*) de Lizaraco I,2,5,35.
Sanctius (*Franciſcus*) I,4,6,14. I,4,10,3.
Sanctorius (*Sanctor.*) II,4,1,15.
Sanderus (*Antonius*) I,1,18,35. I,1,3,27.
Sanderſonius(*Robertus*) I,1,1,7.&12. III,6,1,3.
Sandius (*Chriſtophorus*) I,1,18,60. II,1,7,19. II,2,11,10. II,2*,47,6.III,4,1,1.&15. III,5,1,33.
Sandys (*Eduinus*) III,5,1,20.
Sannazarius(*Actius*) I,7,3,8.
Sanſon (*Nicolaus*) II,4,1,11,&14.
Santinellus (*Antonius*) II,2*,47,4.
Sarbievius (*Matth. Caſimirus*) I,7,3,3. &10.
Sarpius (*Paulus*) I,1,19,21.ſeq.I,1,24,19. I,1,15,53.I,3,1,23.II,1,7,22. II,2,2,6.II,2,11,7.II,2,12,2. II,2*,20,4.II,5,1,1.III,2,1,7. &18.III,5,1,9.III,6,3,9.
Sarravius (*Claudius*) I,1,24,2.I,1,16,57. I,4,6,1.
Savanarola (*Politianus*) I,1,15,54.
Saubertus (*Johannes*) I,5,2,6.
Sautel (*Petrus Juſtus*) I,7,3,4.
Sayrus (*Gregorius*) II,1,14,57.
Scalichius (*Paulus*) I,1,11,4. I,2,5,28.
Scaliger (*Joſephus*) I,1,21,113.I,1,23,71. I,4,1,9.I,7,2,1.I,7,2,22. III,4,1,5.III,7,1,2.
(*Julius Cæſar*) I,1,23,70.I,6,3,2. I,7,1,6.I,4,9,2.I,7,3,2.&12. II,1,15,3.II,2,2,11.II,2*,32,1. III,5,1,4.I,4,10,5.
Scapula (*Johannes*) I,4,8,6.

Scarrochia

Scarrochia (*Margarita*) I,1,14,22.
Scaynus(*Antonius*)II,1,11,27.II,1,14,65.
Schævius (*Henricus*) I,2,6,63.I,3,10,14. I,4,3,7.I,4,9,6. I,4,13,9. I,4,6,15.I,7,1,17.II,2*,13,10
Schallius(*Johannes Adamus*) II,2,5,2.
Schardius (*Simon*) III,6,9,2.
Scharrockius (*Robertus*) II,2*,41,2.& 8. III,1,1,7.III,6,1,3.&8.
Scharſchmid (*Carolus*) III,6,9,3.
Schefferus (*Johannes*) I,1,18,48. I,4,12,20.I,5,2,9,&10,13.& 14.I,6,1,8.&21.I,6,3,6.II,1, 2,1.III,1,1,1.& 7.III,4,1,9.
Schegkius (*Jacobus*) II,1,11,23.
Scheinerus (*Chriſtophorus*) II,2*,12,6.
Scheldonus (*Gilbertus*) I,1,4,16.
Schelius (*Radbodus Hermannus*)III,4,1,9. III,2,1,20.III,6,1,8.
Schelton (*Thomas*) I,4,2,4.
Schenckelius (*Lambertus*) I,2,6,38.
Schenckius (*J.G.*) III,7,1,3.
Scherbius (*Philippus*) I,2,8,2.II,1,11,30.
Scherley (*Thomas*) II, 2*,31,3.
Scherzerus (*Johannes Adamus*) II,1,14,31. II,5,1,6.
Scheurlius (*Henricus Julius*) III,1,1,2.
Schickardus (*Wilhelmus*) I,1,24,83. III,6,2,1.
Schildius (*Johannes*) III,2,1,17.
Schlüſſelbergius (*Conradus*) III,5,1,19.
Schlüterus (*Johannes*) III,6,9,5.
(*Severinus Waltherus*) III,5,1,13. & 33.
Schmidius (*Eraſmus*) I,4,6,9.I,7,2,10.
Schmuckius(*Martinus*) II,2,2,11.
Schneidewinus (*Johannes*)III,6,7,3.&15.
Schnobelius (*Joachimus*) III,6,7,8.
Schœnslederus (*Wolfgangus*) I,6,1,24. I,4,9,20.II,4,1,12.III,5,1,21.
Schonæus (*Cornelius*) I,7,3,15.
Schönbornerus (*Georgius*) III,2,1,3.
Schonerus(*Johannes*) II,3,1,11.
Schookius (*Martinus*) I,4,6,19.I,6,3,4. II,2*,2,5.II,2*,6,9.II,2*,8,10. II,2*,21,6. II,2*,43,2 II, 2*, 47,2. II,341,2. III,2,1,17. III,3,1,3.III,5,1,27 III,6,1,5.
Schorus (*Antonius*) I,4,6,11. I,4,9,12.&20.
Schotanus (*Bernhardus*) III,6,7,6.
Schöten (*Franciſcus à*) II,4,1,5.
Schottelius (*Juſtus Georgius*) I,4,4,7.
Schottus (*Andreas*) I,1,18,31.I,1,21,85. I,5,1,10.
(*Caſpar*) I,2,5,61.II,2,2,11. II,2*,4,3. II,2*,11,9. II,4,1,3.&5.&15.
Schraderus (*Chriſtophorus*) I,6,1,2. I,6,1,25.I,6,3,3. I,6,4,1.
(*Laurentius*) I,4,1,10.
Schrevelius (*Cornelius*) I,2,2,28. I,4,8,10.
Schrieckius (*Adrianus*) I,4,3,4.
Schrökius (*Lucas*) I,1,21,40.
Schülerus (*Johannes*) II,1,14,55. II,5,1,3.
Schulrzius (*Georgius*) III,6,10,3.
Schuppius (*Johannes Balthaſar*) I,6,3,3.
Schuren (*Gerhardus de*) I,4,4,4.
Schurtzfleiſchius (*Conradus Samuel*) III,4,1,4.
Schwammerdammius (*Johannes*) II,2*, 45,5. II,2*,47,4. II,2*,5,3.
Schwartzius (*Bartholomæus*) II,2*,38,3.
Schwartzkopfius (*Johannes*) I,1,7,49.
Schwenckfeld (*Caſpar*) II,2*,29,4.

Schvventerus (*Daniel*) I,4,2,4.
Scioppius (*Caſpar*) I,1,16,25.I,4,5,2. I,4,9,12. I,4,9,19. I,4,10,4.I,6,1,29. II,1,4,2. II,2,8,1. III,2,1,2.III,4,1,3. III,5,1,25.
(*Franciſcus*) I,1,17,36.
(*Johannes*) I,4,4,7.
Scotus (*Johannes Duns*) II,1,14,8.
Scriverius (*Petrus*) I,1,24,89. I,4,12,8.
Scultetus (*Abrahamus*) III,5,1,28.
Seberus(*Wolffgangus*) I,4,7,4. I,7,2,2.
Sebonde (*Raymundus de*) III,5,1,6.
Sechtlenius (*Philippus*) II,2*,48,5.
Seckendorfius(*Vitus Ludovicus*)III,2,1,17. III,3,1,2. III,4,1,13.
Secundus (*Johannes*) I,7,3,9.
Segerus (*Georgius*) II,2*,47,5.
Segvierius (*Petrus*) I,1,19,57.III,6,4,11.
Seldenus (*Johannes*) I,4,14,26. II,3,1,16. III,5,1,22. III,6,1,6.&8. III,6,2,1. III,6,3,1.III,6,4,3.&5. III,6,4,9.
Selenus(*Auguſtus*) I,4,2,4.
Sempilius (*Hugo*) II,4,1,1.
Sengverdius (*Arnoldus*) II,2,1,8.
(*Wolferdus*) II,2*,45,8.
Sennertus (*Daniel*) II,2,15,7.
Septalius (*Ludovicus*) II,1,11,14. II,3,1,3.&4. III,2,1,15. III,3,1,2.
Sepulveda (*Johannes Geneſius*)I,1,24,53. III,2,1,20.
Serre (*Petrus de la*) I,6,4,17.III,5,1, 11,&35.
Servius (*Petrus*) I,5,2,5. II,2*,48,4.
Severinus (*M. Aurelius*) II,3,1,3.
Seyboldus (*Johannes Georgius*)I,4,10,10.
Siberus (*Adamus*) I,1,16,63.I,1,24,116. I,4,9,13.I,6,3,3.
Sibſcota (*Georgius*) I,2,3,15.
Siderocrates (*Samuel*) II,1,15,16.
Sidonius (*Apollinaris*) I,1,23,25.
Sigonius (*Carolus*) I,4,11,3. I,5,2,7.I,6,1,28. III,4,1,2.
(*Fridericus*) I,1,16,58.
Silhon ( ) III,2,1,17.
Simlerus (*Joſias*) I,1,18,10.
Simon (*Johannes Georgius*) III,6,1,5.
Simonius (*Richardus*) I,4,1,4.I,4,6,19. III,5,1,5.
(*Simonius*) II,1,11,28. III,1,1,11.
Sinclarus (*Georgius*) II,2*,18,9.
Sinibaldus (*Johannes Benedictus*) II,2*,2, 7.II,2*,47,2.
Sirectus (*Antonius*) II,1,14,10.
Sirmondus (*Jacobus*) III,5,1,26.
Sithmannus (*Johannes*) III,6,4,4.
Skinnerus(*Stephanus*) I,4,3,9.
Sleidanus (*Johannes*) III,4,1,4.&14.
Slevogt (*Johannes Philippus*) III,6,1,8.
Smetius (*Johannes*) I,5,2,13.
Smidenſtaht (*Harvicus*) I,1,25,12. I,2,13,21.
Smith (*Thomas*) I,4,6,18. III,5,1,23.
Solea (*Andreas*) II,2*,29,4.
Somnerus (*Gvilielmus*) I,4,4,9.
Soncinas (*Paulus*) II,1,14,33.
Sonerus(*Erneſtus*) II,1,11,30.
Sonnemann(*Antonius Daniel*)III,6,10,3.

Sorbierius (*Samuel*) I,1,21,44. II,2,2,6.
Sorbona (*Robertus de*) II,1,14,34.
Sorellus (*Claudius*) I,1,28,25. II,2,1,19. II,2*,41,2.
Soto (*Dominicus à*) II,1,14,26.
Sotwellus (*Nathanael*) I,1,18,54.
Souſa (*Emanuel Faria de*) I,7,1,7.
Spachius (*Iſrael*) I,1,18,58. I,6,1,2. II,1,8,1. II,2*,23,5. II,5,1,4. III,7,1,3.
Spadius (*Johannes Baptiſta*) I,7,3,14.
Spangenbergius (*Johannes*) I,2,6,41.
Spanhemius (*Ezechiel*) I,4,5,2. I,5,2,2. & 9. I,6,2,18. I,6,3,6. I,7,1,11. & 17. III,6,3,7.
(*Fridericus*) II,1,14,1. II,2*,12,9. III,4,1,13. III,5,1,20. & 23. & 32.
Spedus (*Johannes*) II,4,1,12.
Speelmannus (*Henricus*) I,4,4,9. I,5,2,10. II,3,1,16. III,6,7,16.
Speidelius (*Johannes Jacobus*) III,6,6,2. III,6,8,1. III,6,11,2.
Spencerus (*Johannes*) II,3,1,12.
Spenerus (*Philippus Jacobus*) III,4,1,10.
Sperberus (*Julius*) III,5,1,35.
Sperlingius (*Johannes*) II,2,2,11. II,2,15,7. II,2*,1,9.
(*Otto*) I,1,19,59.
Speronius (*Spero*) I,7,1,15.
Spinoſa (*Benedictus*) I,1,8,15. I,1,6,24. II,1,15,15. III,1,1,4. III,5,1,8. & 11.
Spitzelius (*Theophilus*) I,1,16,68. I,1,17,20. I,1,7,21. II,2,5,2. III,5,1,9. III,5,1,13. & 30.
Spondanus (*Henricus*) I,1,16,14. III,4,1,12.
Sponius (*Jacobus*) I,4,14,26. III,5,1,16. & 22. & 23.
Spraat (*Thomas*) I,1,24,133. I,1,14,44. I,2,1,32. I,4,4,19. II,2,1,13. & 18.
Sprengerus (*Joh. Theodorus*) III,2,1,14. III,6,9,3.
Stahlius (*Daniel*) II,5,1,6. & 8.
Staravolſcius (*Simon*) I,1,18,49.
Starckius (*Johannes*) I,6,1,26.
Statius (*Achilles*) I,7,1,4.
Staudigl (*Uldaricus*) I,2,5,52.
Steckius (*Johannes*) III,6,7,5.
Stella (*Didacus*) I,6,4,10.
(*Julius Cæſar*) I,7,3,8. ſeq.
(*Ludovicus*) I,2,8,55.
Stelliola (*Nicolaus Antonius*) II,2,2,5.
Stellutus (*Franciſcus*) II,2*,33,6. II,2*,45,8.
Stengelius (*Carolus*) II,2*,2,4.
(*Georgius*) II,5,1,4.
(*Juſtus*) II,2*,42,3.
Steno (*Nicolaus*) II,2,10,3. II,2*,5,3. II,2*,20,5. II,2*,21,4. II,2*,31,2. & 3 II,2*,33,2. II,2*,34,1. II,2*,47,3.
Stephani (*Carolus*) I,7,1,17. II,2*,42,1. III,3,1,2.
(*Henricus*) I,1,21,114. I,1,22,34. I,1,7,27. I,4,4,11. I,4,6,16, & 19. I,4,14,2. I,4,

I,4,7,13.I,4,8,6.I,5,1,2.
I,7,1,10. I,7,2,12.& 8.
&25.I,7,3,14.II,1,1,1.
III,1,1,1.
(*Joachimus*) III,2,1,3.III,6,1,8.
(*Matthias*) III,6,6,3.
(*Robertus*) II,1,9,17.
I,7,2,21.
Steuchus (*Auguſtinus*) II,1,1,12.II,2,3,3.
II,2,7,3.II,2,11,8.III,5,1,4.
&12.
Stierenhoeck (*Johannes Olaus*) III,6,3,3.
Stiernhelm (*Georgius*) I,4,3,3.
II,1,1,13.
Stifelius (*Michael*) II,4,1,5.
Stöcken (*Gerhardus von*) I,1,16,52.
Stockfleth (*Henricus Arnoldus*) I,5,2,13.
Stolbergius (*Balthaſar*) I,4,6,19.
Stöſſelius (*Johannes*) I,2,2,26.
Strada (*Famianus*) I,6,3,13.
Stratius (*Antonius*) I,7,3,3.
Strauchius (*Ægidius*) II,4,1,8.
III,4,1,4.& 5.
(*Johannes*) III,6,4,5.&8.
III,6,6,2.III,6,7,17.
III,6,9,4.
Stræbæus (*JacobusLudovicus*) I,4,10,11.
I,6,1,21.III,3,1,2.
Strigelius (*Victorinus*) I,2,2,26.
Strobandius (*Henricus*) I,2,2,23.
Strozza (*Cyriacus*) III,2,1,5.
(*Johannes Baptiſta*) I,1,14,29.
Struvius (*Georgius Adamus*) III,6,7,8.
Stubbe (*Henricus*) II,2,1,13. II,2,2,6.
Stuckius (*Johannes Gvilielmus*) I,5,2,6.
& 11.
Sturla (*Snorro*) II,1,1,13.
Sturmius (*Johannes*) I,1,23,63.
I,1,24,35.I,2,2,19.I,2,
13,15.I,6,1,4.&12.II,1,15,5.
II,2*,18,9.
(*Joh.Chriſtophorus*) II,2*,22,2.
Svareſius (*Joſephus Maria*) I,1,6,14.
I,5,2,6.III,6,4,11.
Svarez (*Franciſcus*) II,1,14,43.
(*Johannes Baptiſta*) de Salazar,
I,1,11,17.
Sventerus (*Daniel*) II,4,1,3.
Svicerus (*Johannes Caſpar*) I,4,8,9.
III,4,1,16.
Sviſſet (*Richardus*) I,1,2,13.
II,1,13,4.
Sultholtus (*Bernhardus*) III,6,8,4.
Suſannæus (*Hobertus*) I,1,21,113.
I,6,1,23.
Suſius (*Nicolaus*) I,6,1,21.
Swertius (*Franciſcus*) I,1,18,37.
Sylveſter (*Franciſcus*) II,1,14,38.
Sylvius (*Franciſcus*) I,4,10,11.II,4,14,5.
Syneſius ( ) II,3,1,8.

TAbermontanus (*Jacobus Theodorus*)
III,7,1,5.
Tabor (*J. Otto*) III,6,5,5.III,6,7,3.
III,6,11,2.
Tackius (*Johannes*) II,2*,27,8.
Taffinus (*Petrus*) I,5,2,6.
Taiſnierius (*Johannes*) II,3,1,6.
Tangel (*Lucas*) I,2,2,26.
Tappius (*Jacobus*) II,2*,42,4.
Tardinus (*Johannes*) II,2*,47,5.
Tartaretus (*Petrus*) II,1,14,17.
Tarter (*Johannes*) II,2*,42,4.
Taſſonus (*Alexander*) I,1,21,32.
I,1,2,23. II,2,1,8.
III,4,1,13.
Taſſus (*Torquatus*) I,4,4,16.
I,7,1,13.

Tattinghofius (*Johannes*) II,1,15,9. II,2,17,4.
Taubmannus (*Fridericus*) I,7,3,11.
Tavernier (*Johannes Baptiſta de*) III,5,1,23.
Taurellus (*Nicolaus*) II,1,11,26.
Taxander (*Valerius Andreas*) I,1,18,31.
Teiſſierius (*Antonius*) I,1,16,53. I,1,18,4.
Teleſius (*Bernhardus*) II,1,12,4. II,1,15,2. II,2*,16,2.
Tellez (*Balthaſar*) II,1,14,17.
Templerus (*Johannes*) II,1,15,15
Tengnagelius (*Sebaſtianus*) I,4,5,4.
Tenzelius (*Andreas*) II,2*,8,4.
Tepelius (*Johannes*) II,1,15,5. II,2,17,1.
Teſmarus (*Johannes*) I,6,1,25.
Teſtardus (*Claudius*) III,5,1,32.
Theobaldus (*Zacharias*) II,2*,29,4.
Theſaurus (*Emanuel*) I,2,5,3. I,2,3,17. I,6,3,7. & 10. III,1,1,2.
Thevenotius ( ) I,1,1,7 II,2*,40,5. II,4,1,16.
Thevetus (*Andreas*) I,1,19,55.
Thibautius (*Gerhardus*) II,4,1,16.
Thilo (*Valentinus*) I,6,1,16. I,6,3,6.
Tholoſanus (*Petrus Gregorius*) I,2,5,30. III,2,1,4. III,6,5,4.
Thoma (*Johannes à S.*) II,1,14,19.
Thomaſinus (*Philippus Jacobus*) I,5,2,10. & 11. I,6,3,13.
Thomaſius (*Jacobus*) I,4,9,16. I,4,13,2. II,1,4,3. II,1,7,19. & 22. II,2,8,4. II,2,11,10. II,2*,5,2. II,2*,43,2. III,1,1,6. III,2,1'20. III,6,1,8.
(*Thomas*) I,1,19,28. I,4,4,19.
Thomſonus (*Richardus*) I,4,7,9.
Thorius (*Raphael*) I,7,3,16. II,2*,42,4.
Thruſton (*Malachias*) II,2*,47,3.
Thuanus (*Jacobus Auguſtus*) I,1,21,2. I,7,3,8. III,2,1,6.
Thuldenus (*Diodorus*) III,6,1,7.
Thummius (*Theodorus*) III,5,1,36.
Thurmannus (*Caſpar*) I,1,18,64. III,6,6,1. III,6,7,14.
Thurnheuſerus (*Leonhardus*) II,2*,19,4. II,2*,20,10.
Thyſius (*Antonius*) III,6,2,4.
Tilebomenius (*Johannes Cajus*) I,4,12,10.
Tilemannus (*Fridericus*) III,4,1,3.
Titelmannus (*Franciſcus*) II,1,14,64.
Titis (*Placidus de*) II,2*,12,9. II,3,1,10.
Titius (*Johannes Petrus*) I,7,3,17. I,4,0,17. & 19.
Toletus (*Franciſcus*) II,1,11,21.
Tollius (*Jacobus*) I,1,11,17. & 57. I,4,11,14. I,4,14,15.
Toocker (*Gvilielmus*) II,2*,8,6.
Toppius (*Nicolaus*) I,4,4,17.
Torniellus (*Auguſt.*) III,4,1,12.
Torreblanca (*Franciſcus de*) II,3,1,15.
Torrentius (*Levinus*) I,7,3,10.
Torricellius (*Evangeliſta*) II,2*,18,6.
Trapezuntius (*Georgius*) I,6,1,19. II,1,7,2. II,2,11,2.
Travaginus (*Franciſcus*) II,2*,21,3. II,2*,26,3.
Traulou (*Juſtinianus*) I,1,14,48.
Treutlerus (*Hieronymus*) III,6,7,8. III,6,8,3.
Tribbechovius (*Adamus*) II,1,13,1. II,2*,

II,2*,45,8.III,1,1,1. III,4,
1,9.&12. III,5,1,35.
Trivorius (*Gabriel*) III,6,4,2.
Trivultius (*Cæſar*) I,1,25,22.
Tronſarellus (*Octavius*) I,1,14,22.
Trumphius (*Johannes Georgius*) II,2*,39,2
Tſcherningius (*Andreas*) I,1,21,113.
Tſchirnhaus (*Ehrenfried Waltherus von*)
I,1,14,13.&49.I,2,7,25.
Tſchonderus (*Jeremias*) I,4,6,12.
Tudelenſis (*Benjamin*) I,1,6,25.
Tuldenus (*Diodorus*) I,2,1,36.
III,6,7,7.&9.
Tuningius (*Gerhardus*) I,2,9,37.
Turnebus (*Adrianus*) II,2*,42,2.
III,6,4,4.
Turnerus (*Robertus*) I,1,24,116.
Turturettus (*Vincentius*) III,6,1,2.
Tuſcanus (*Angelus*) II,4,1,16.
Twaites (*Eduardus*) I,7,2,21.
Tzetzes (*Johannes*) I,4,6,5.I,7,1,5.
(*Iſaacus*) I,7,1,5.
I,7,2,22.

VAldes (*Johannes de*) I,6,4,24.
Valdus (*Auguſtus*) I,1,25,24.
Valentia (*Gregorius de*) II,1,14,45.
Valentinus (*Baſilius*) I,1,9,25.
II,2,1,6. II,2*,37,2.
Valerianus (*Johannes Pierius*) I,4,2,1.
Valeſius (*Hadrianus*) I,4,14,12.
I,5,1,14.
(*Henricus*) I,4,14,12.I,5,1,14.
I,4,7,5.
Valla (*Laurentius*) I,4,10,6.
Valla (*Gothofredus à*) I,1,18,6.
III,5,1, 1.
(*Petrus de la*) I,4,5,9.II,2,2,7.
II,2,5,7.II,4,1,13.

Vallius (*Paulus*) II,1,14,30.
Vaninus (*Julius Cæſar*) I,1,8,17.II,1,11,4
III,5,1,9.
Varenius (*Auguſtus*) I,4,5,3.
III,6,2,2.
(*Bernhardus*) II,2*,18,3.
II,4,1,10.III,2,1,6.
(*Henricus*) II,1,15,16.
Varinus (*Julius*) I,1,21,98.
Vaſarus (*Georgius*) I,1,19,70.
Vasquez (*Ferdinandus*) III,6,8,4.
(*Gabriel*) II,1,14,42.
Vatablus (*Franciſcus*) II,1,11,20.
Vavaſſor (*Franciſcus*) I,1,23,18.I,4,9,19.
I,6,1,17.I,6,3,9.I,7,1,3.&12.
I,7,3,3.&8.
Vayerus (*Mottæus*) I,1,3,8.I,1,15,25.
I,2,9,28.III,4,1,2.
Ubaldus (*Gvidus*) II,4,1,15.
Ubelius (*Stephanus*) I,6,1,23.
Vecchiettus (*Hieronymus*) III,4,1,5.
Vechnerus (*Daniel*) I,3,10,47.
I,4,6,14.
Vectianus (*Jacobus*) I,1,24,91.
Vedelius (*Nicolaus*) III,5,1,26 &32.
Vega (*Lupus Felix de*) I,7,1,8.
Velaſcus (*Petrus*) III,6,3,10.
Veldhuſen (*Lambertus à*) III,5,1,8.&29.
III,6,1,8.
Velenus (*Ulricus*) III,5,1,27.
Velſchius *vid. Welſchius*
Velſerus (*Marcus*) I,1,7,25.
I,1,18,67.
Velthemius (*Valentinus*) III,6,1,5.
Verdierius (*Antonius*) I,1,16,23.
I,1,18,10.&21.I,4,4,10,15.&
17.I,4,7,11.III,4,1,8.
(*Claudius*) I,1,6,13.I,1,16,23.
I,4,14,3.I,7,3,20.

Verelius (*Olaus*) II,1,1,13.
Verulamius (*Franciſcus Baco*) I,1,2,3.
I,1,14,12. I,2,7,45.&93.
II,2,1,2,&18.II,2*,5,1.&4
II,2*,20,23,3.II,2*,32,3.
II,2*,32,5.III,1,1,5.III,2,1,
21.III,3,1,3.III,6,1,2.
Uffelmannus (*Henricus*) III,6,1,8.
Ughellus (*Ferdinandus*) III,4,1,18.
Vicomeratus (*Franciſcus*) II,1,11,6.
Victoria (*Franciſcus*) II,1,14,23.&41.
Vida (*M. Hieronymus*) I,7,3,8.
II,2*,45,8.
Vieta (*Franciſcus*) II,4,1,5.
Vigelius (*Nicolaus*) III,6,5,3.
III,6,6,3.III,6,7,15.
III,6,8,4.
Vigenerius (*Blaſius*) I,1,11,17.II,2,4,4.
Vigerus (*Franciſcus*) I,4,6,10.
Villafanus (*Stephanus Lambertus*) I,1,9,20.
I,6,3,11.I,7,3,3.
Villavincentio (*Laurentius à*) I,6,4,6.
Vincentius (*Petrus*) I,2,2,26.
Vindingius (*Eraſmus*) I,4,5,7.
Vineis (*Petrus de*) I,1,24,137.
Vinetus (*Elias*) I,1,14,15.
Vinnius (*Arnoldus*) III,6,4,4.
III,6,7,3.III,6,8,4.
Viottus (*Bartholomæus*) II,5,1,4.
Virdungus (*Michael*) I,6,3,3.
Vitalis (*Hieronymus*) II,4,1,4.
Viterbienſis (*Annius*) I,1,6,33
Vives (*Johannes Ludovicus*) I,6,1,20.
II,1,13,1.III,1,1,8.
(*Ludovicus*) I,1,2,10.I,2,2,34.
II,1,12,1.II,1,13,4.II,5,1,8.
III,5,1,7.
Vizzanius (*Carolus Emanuel*) II,2*,11,7.
Ulitius (*Johannes*) I,4,12,12.
Voetius (*Gisbertus*) I,1,21,30.
II,1,15,6. II,2,17,1.
II,2*,12,1. III,5,1,9.
&13,25.&27.
Vogelius (*Ezechiel*) I,2,10,33.
Voglerus (*Valentinus Henricus*) I,1,16,3.
I,2,2,35.III,7,1,3.
Vogtius (*Gothofredus*) II,2,2,10.
II,2*,15,3.II,2*,27,5.&9.
Volaterranus (*Raphael*) I,7,2,1.
Vollandus (*Johannes*) I,1,21,78.
Vorſtius (*Conradus*) III,5,1,24.
(*Johannes*) I,1,21,90.I,4,9,17.
II,2*,45,2.
Voſſius (*Dionyſius*) I,6,3,6.
(*Gerhardus Johannes*) I,1,18,59.
I,1,21,29.I,4,4,9.I,4,8,14.
I,4,9,4.&17. I,4,10,8.
I,6,1,22.I,7,1,17. I,7,2,1.
II,1,1,4.II,2*,30,3.II,4,1,1.
II,5,1,2. III,4,1,1.&3.
III,6,7,16.
(*Iſaacus*) I,1,7,65.I,1,9,10.
I,4,4,10.I,4,6,17.ſeqq.
I,4,12,11 I,7,1,14.II,2,6,6.
II,2*,5,3.II,2*,18,6.II,2*,20,
5.III,5,1,5.
Uppendorffius (*Johannes*) I,2,6,79.
Urbanus *Bellunenſis*, I,4,6,7.
Urſatus (*Sertorius*) I,4,2,3.
Urſinus (*Benjamin*) II,4,1,5.
(*Fulvius*) I,7,2,25.III,6,3,1.
(*Johannes Henricus*) II,1,1,12.
II,2,4,5.II,2*,40,4.
Urſtiſius (*Chr.*) III,6,9,2.
Urſus (*Aurelius*) I,7,3,4.
Vultejus (*Hermannus*) III,6,5,5.
III,6,7,15.

Wagenſei-

WAgenſeilius (*J.Chriſtophorus*) I,4,5,5 I,4,6,2. II,2*,20,9. III,1,1,9. III,3,1,3. III,5,1,21. III,6,2,1.
Wagnerus (*Tobias*) II,2*,12,9. II,3,1,9.
Walliſius (*Johannes*) I,4,1,5. I,4,4,19. II,1,13,13. II,2,1,14 &15. II,2,15,4. II,2*,10,2. II,2*,19,4. II,2*,20,3. &4. II,4,1,6. &15.
Wallius (*Jacobus*) I,2,16,21. I,7,3,9
Waltonus (*Brianus*) I,4,1,4. III,5,1,14.
Wardus (*Sethus*) II,1,15,15. II,2,1,15. III,1,1,4.
Warner (*Levinus*) I,1,21,113.
Waſmuthus (*Matthias*) I,2,6,65. I,4,5,3. III,5,1,14.
Watſonus (*Michael*) I,1,21,52. II,1,12,3. II,2*,27,12. II,2*,47,4.
Webbe (*Johannes*) I,4,3,2.
(*Joſias*) I,7,1,19.
Webſterus (*Johannes*) II,2*,29,4.
Weckerus (*Johannes Jacobus*) II,2,2,11.
Wedderknpff (*Gabriel*) II,1,6,3.
(*Magnus*) III,6,7,15.
Wedelius (*Georgius Wolffg.*) II,2*,43,2.
Wehnerus (*Paulus Matth.*) III,6,6,2. III,6,11,2.
Weigelius (*Erhardus*) I,2,7,11. II,5,1,4.
(*Valentinus*) II,1,15,16. III,5,1,36.
Weinrichius (*Martinus*) II,2*,2,4.
(*Melchior*) I,7,1,19.
Weinsheim (*Stanislaus Minck à*) II,5,1,6.
Weiſius (*Chriſtianus*) I,6,1,32. I,6,3,12.
Wellerus (*Jacobus*) I,4,6,14.
Welſchius (*Georgius Hieronymus*) I,1,6,38 I,1,21,39. I,1,21,64. I,3,5,16. II,2,2,8. II,2*,3,5. II,2*,8,7.
Wendelinus (*Marcus Fridericus*) I,2,10,41 I,4,9,10. II,2,2,11. II,2*,20,5 &9. III,1,1,3. & 6. III,2,1,3. III,5,1,32.
(*Gothofredus*) I,4,4,9. II,2*,12,4. III,6,6,2. III,6,7,16.
Werdenhagen (*Johannes Angelius*) I,1,10,28. III,5,1,36.
Weſenbecius (*Matth.*) III,6,7,4. &9. &15.
Wetſtenius (*Joh. Rudolphus*) I,4,6,18.
Whear (*Degoreus*) III,4,1,2.
Whitlock (*Richardus*) I,6,4,19.
Wichelmannus (*Hartwig*) II,5,1,3.
Widerbrancus (*Fridericus*) I,2,2,26.
Widlerus (*Marcus*) I,4,4,5.
Wierus (*Johannes*) II,3,1,15.
Wilckius (*Johannes*) I,4,2,4. & 5. II,2,1,15.
Willichius (*Jodocus*) I,2,2,26. I,3,2,4. I,4,4,4.
Williſius (*Thomas*) I,4,2,4. II,2,1,4. &15. II,2*,6,9. II,2*,8,6. II,2*,47,3.
Winckler (*Paulus*) I,1,21,110.
Winckelmannus ( ) I,2,6,48.
Winſemius (*Pierius*) I,6,3,6. I,7,3,8. &9. & 17.
Winſtanleus (*William*) I,1,19,68.
Wirdigius (*Sebaſtianus*) I,1,11,14. II,2*,17,3.
Wiſſenbachius (*Joh. Jacobus*) III,6,4,2. &8. III,6,7,6. &9.

Witta-

Wittackerus (*Guilhelmus*) III,5,1,24.
Witte (*Henningus*) I,1,18,52. III,5,1,30.
(*Johannes de*) III,2,1,17.
Wolfius (*Hieronymus*) I,2,2,25.
I,6,2,8.
Wolzogenius (*Ludovicus*) I,6,4,3.
II,2,17,1. III,5,1,11.
Wood (*Antonius*) I,1,4,15.
I,1,16,75. I,1,18,44.
II,1,8,1. II,1,13,12.
II,1,14,12. II,2,12,6.
III,6,4,3.
Wormius (*Olaus*) I,4,3,3. II,1,1,13.
II,2*,29,4.
Wouvverius (*Johannes*) I,1,1,18.
I,1,24,76. I,4,1,1.&2.
I,4,7,1. I,4,12,9. I,5,1,2.
I,6,3,6.
Wreen (*Chriſtophorus*) II,2,1,15.
(*Matthæus*) II,2,1,15.
Wundſchius (*Joh. Wilhelmus*) III,3,1,4.

XYlander (*Guilhelmus*) I,4,11,15.

ZAbarella (*Jacobus*) II,1,14,63.
Zacchias (*Paulus*) III,6,8,5.
Zanardus (*Michael*) II,1,14,20.
Zura (*Antonius*) II,3,1,3.
Zaratinus (*Johannes*) I,7,3,4.
Zaſius (*Uldaricus*) III,6,7,15.
Zehnerus (*Joachimus*) I,1,21,91.
Zeidlerus (*Melchior*) I,6,4,4.
II,5,1,4.
Zeilerus (*Martinus*) I,1,18,59.
I,1,24,72. II,4,1,2.
III,4,1,2.
Zevecotius (*Jacobus*) I,4,13,13.
III,2,1,12.
Zieglerus (*Caſpar*) III,6,1,5.&8.
III,6,7,17.
Zimmermannus (*Matthias*) I,1,6,37.
Zinzerlingius (*Joh. Bernhardus*) I,4,4,8.
Zoucheus (*Richardus*) III,6,1,6.&8.
Zucchi (*Bartholomæus*) I,1,24,125.
(*Nicolaus*) II,2*,32,2.
Zwelferus (*Johannes*) III,7,1,7.
Zwichemus (*Viglius*) I,1,24,136.
III,6,4,11.
Zwingerus (*Jacobus*) I,4,6,16.
(*Theodorus*) I,1,21,23.
III,1,1,1.

INDEX II. RERUM.

Primus Numerus major TOMUM, ſecundus minor LIBRUM TOMI, tertius CAPUT LIBRI, quartus PARAGRAPHOS denotat.

Aſteriſci Nota (*) partem ſecundam lib. II. Tom. II. indicat.

A.

ABrahami *è Porta Leonis Dialogi de Auro recenſentur* II,2*,35,3. *liber, Sepher jetzira. i. e. liber formationis apud Judæos circumfertur* I,1,10,23. *variis Commentariis illuſtratus, ib.*

Rogeri janua, vid. Rogeri.

ab Abrahamo *an libri ſcripti ſint & extent.* I,1,6,23.

cenſentur oriundi Bramines. vid. Bramines.

Academia *della Leſina, ſ. ſubula, Florentiæ* I,1,14,35. ſeqq.

Veneta, à quo inſtituta, II,1,11,18. *edidit Explanationem novam Topicorum Ariſtot. & librum de fluxu & refluxu maris,* ib.

Univerſalis Philadelphica. vid. Samaritanorum.

Academiæ *à Carolo M. primitus inſtitutæ* I,1,14,10.

Eruditorum ad priſcæ doctrinæ collapſæ reſtitutionem Romæ primùm inſtitutæ ſunt ſub Paulo II. Pontifice. I,1,14,15.

Italicæ, & quidem

Florentinæ, I,1,14,28. ſeqq.

Neapolitanæ, I,1,14,31. ſeqq. II,2,1,16.

Patavinæ, I,1,14,27.

Romanæ, I,1,14,16. ſeqq.

Venetæ, I,1,14,25. ſeqq.

& plures, I,1,14,34. *ex his multi prodierunt egregii libri, quorum exigua apud nos eſt notitia,* I,1,18,29. *de illis Hiſtorica quædam notantur,* II,1,11,18.

Naturæ Curioſorum durius Judicium experiuntur. II,2,1,16. II,2,2,9.

Oxonienſis hiſtoria ab Antonio Wood eſt deſcripta, I,1,16,75. ſeq. III,6,4,3.

Pariſienſes, vid. Gallorum

Academiarum *Cognomina & tituli varii inquiruntur à Joh. Ferro* I,1,14,37. *multis diſplicent & ridentur,* I,1,9,26. I,1,14,37. & 41. *inprimis Pinello.* I,1,9,26. I,1,14,37. *illarum Utilitas,* I,1,14,38. *Fata* I,1,14,39. *Forma, Leges, & Inſtitutio.* I,1,14,40. *de illarum optimo ſtatu ſcripſit Edm. Richerius.* I,1,16,74. *Pariſienſium fructus in augendis ſcientiis cur hactenus ſit exiguus.* I,1,14,43.

In Academias *mali mores & vitia è Scholis propagantur.* I,2,2,8. I,2,11,1, ſeq.

ad illas lento gradu feſtinandum. I,2,10,46. I,2,11,5. ſeqq.

in Academiis *cur hactenus parum in rerum naturalium ſtudiis & Mathematicis effectũ ſit.* I,1,14,11. ſeqq.

in Academiis *Scholaſtica ſtudia haud negligenda.* I,2,11,7. ſeqq.

de Academiis Galliæ *ſcripſit hiſtoriam du Boulay.* I,1,16,72. *qui liber utilisſimus*

liſſimus habetur ex judicio Bailleti. ibid.

de Academicis antiquitatibus *ſcripſit quædã Conringius.* vid. Conringius. *Sed in ſpecialioribus deficit, in quibus hiſtoria Academiarum manca & ſterilis.* I, 1, 16, 72. *quæ opera â Viro prudenti & docto ſuſcipienda eſſet.* I, 1, 16, 73.

Academicis ſtudiis *quæ fundamenta ſubſternenda,* I, 2, 11, 19.

Academicorum *honorum facilis collatio taxatur.* I, 2, 11, 22.

in mores cenſura quorundam acerbior, I, 2, 11, 2. ſeq.

Acarus II, 2*, 14, 3.

de Accentibus *Græcis Scriptores recenſentur,* I, 4, 6, 17.

Acciajoli (*Donati*) *in Ariſtot. libri, ceteraque ejus ſcripta adducuntur,* II, 1, 11, 24.

plagium notatur, II, 1, 11, 24.

Accorombonus *multa ſcripſit in Ariſtot.* II, 1, 11, 24.

Achillis (*Alexandri*) *liber Germ.* von den Grund-Urſachen der Erdbebungen *breviter recenſetur* II, 2*, 26, 2.

Acroamatica *methodus* I, 2, 7, 48. & 102.

Acta *Eruditorum Lipſienſium* I, 1, 16, 42.

Haſnienſia II, 2, 1, 16. II, 2, 2, 9.

Actorum publicorum *conſervatio & cuſtodia prima Bibliothecarum occaſio fuit,* I, 1, 3, 11. I, 1, 6, 8.

apud Chinenſes unica cura fuit. I, 1, 3, 12.

Collectio, Politices Studioſo magnopere proficua. I, 1, 19, 27.

Cuſtodes apud Romanos. I, 1, 6, 5. & 8.

MSStorum de Statu Germanico magnus in Bibliothecâ Guelferbytanâ numerus ſervatur, I, 1, 7, 49. I, 1, 3, 16.

Acuſtica *eſt pars Muſicæ* II, 4, 1, 10.

Adagia *Anglica* I, 1, 21, 106.

Arabica I, 1, 21, 113.

Belgica I, 1, 21, 102.

differunt à gnomis I, 1, 21, 63.

excerpta ex Horat. lib. 1. ſat. 1. I, 3, 6, 32.

ex Virgilii Eclog. 1. I, 3, 6, 29.

Gállica I, 1, 21. 101.

Germanica qui congeſſerint. I, 1, 2, 110.

Græco-Latina Mich. Apoſtolii I, 1, 21, 87.

Græcorum collecta publicavit Andr. Schottus cum notis I, 1, 21, 85.

Hebræa, argutæ & multæ ſapientiæ reconditæ I, 1, 21, 89.

Hiſpanica I, 1, 21, 103.

ex Homero collegit Jacobus Duportus I, 1, 21, 15. *è Virgilio Valentinus Rotmarus,* I, 1, 21, 81. *it. Barlandus & Hier. Clocius,* I, 1, 21, 82.

Italica argutiſſima I, 1, 21, 96. ſeq.

qui collegerint I, 1, 21, 97. ſeq.

ex Juvenali & Horatio utiliter quoque colligi poſſunt, I, 1, 21, 82.

Omnium gentium omnibus non conveniunt I, 1, 21, 86.

Perſica I, 1, 21, 113.

Ratione uſus & finis tantùm conveniunt. I, 1, 21, 65.

Sacra V. & N.T. nondum dignè ſatis excuſſa, I, 1, 21, 88. *qui ſcripſerint* I, 1, 21, 89. ſeq.

ex Adagiis *meris conſcriptæ Epiſtolæ & Oratiunculæ,* I, 1, 21, 109.

Adagiorum *Collectanea quomodo inſtituenda* I, 3, 6, 25.

Collector

Collector primus fuit Eraſmus Roterodamus. I, 1, 21, 67. *defenditur hic contra Cælium Rhodiginum & Verdierum.* I, 1, 21, 68. & 69.
Colligendorum ſtudium eſt neceſſarium, & maximi uſus, I, 1, 21, 62. & 66. & 99.
Corpus Harmonicum promiſit Kuhlmannus. I, 1, 21, 65. I, 2, 5, 64. & 70.
Opus Panglottum promiſit Welſchius. I, 1, 21, 64.
Scriptores plures referuntur. I, 1, 21, 113.
Adamas *Regis Angliæ mirabiliter lucens & ſcintillans* II, 2*, 14, 7. *ob raritatem pretioſus* II, 2*, 33, 4.
Adami (*Melch.*) *Vitæ Doctorum Germanorum,* I, 1, 18, 51. I, 1, 17, 11. I, 1, 19, 49.
Adamo *literarum inventionem quidam tribuunt.* I, 4, 1, 10.
ſtaturam ingentem tribuunt Rabbini, II, 2*, 2, 6.
Adamum *Androgynum fuiſſe quidam cenſuerunt,* II, 2*, 2, 7.
Adamus *an tabulis conſignârit Creationis initia, hominis lapſum, & promiſſionem Divinam,* I, 1, 6, 16.
Adſvefactione *corporis motus, affectus, &c. ad miraculum usque coërceri poſſunt,* I, 2, 3, 3. ſeqq.
de Adverbiis *quinam ſcripſerint.* I, 6, 1, 23.
Adverſaria *de omnibus, quæ legimus, audimus, videmus, cogitamus, ſunt paranda,* I, 3, 1, 22. I, 3, 13, 5. ſeqq.
magis ſunt neceſſaria quàm excerptorum libri. I, 3, 1, 27.
quaſi ephemeridem, excerpta, Calendarium, & codicem, more mercatorum, dixeris I, 3, 1, 26.
Adverſariorum *utilitas exemplis oſtenditur.* I, 3, 1, 23. ſeqq.
de Advocatis *effatum Denaiſii* III, 6, 7, 7.
Ægineta *à Scaligero correctus fuit in Biblioth. Gudianâ* III, 7, 1, 2.
de Ægrotorum *juribus quinam egerint,* III, 6, 8, 5.
Ægyptiæ *Bibliothecæ antiquæ & magnificæ* I, 1, 6, 30.
Ægypti *fœcunditas non à ſolâ Nili aquâ* II, 2, 10, 1.
Ægyptii *aquam omnium rerum principium eſſe ſtatuerunt* II, 2, 10, 1.
in Principibus ſuis erudiendis diligentiſſimi fuêre I, 2, 2, 2.
libros ſacros ſtudioſè occultabant. I, 1, 10, 8.
Sacerdotibus commiſerunt acta publica literis conſignanda I, 1, 3, 12.
etiam librorum curam I, 1, 6, 3. & 30.
ab Ægyptiis *ad Græcos multa naturæ arcana venerunt* I, 1, 6, 30. I, 1, 10, 6. II, 2, 4, 2.
Ægyptiorum *Doctrina Theurgica arcanis plurimis referta,* I, 1, 10, 6. & 8.
erat Hermetis ſ. Mercurii columnis conſignata. vid. Hermes.
Doctrinam & Philoſophiam quinam deſcripſerint. II, 2, 4, 1.
plus juſto extenuavit Conringius. II, 2, 4, 1.
Hieroglyphica. vid. Hieroglyphica & Literæ.
Leges recenſet Diodorus Siculus, & ex illo Praſchius. III, 6, 2, 3.
Principia Phyſica latent. II, 2, 4, 2.
Secreta Collegia I, 1, 13, 3. ſeqq.
de Ægyptiorum *Philoſophiâ nihil certi colligi poteſt.* II, 2, 4, 6.

Ælius Ariſtides *multas Orationes ſcripſit, libellos Rhetoricos, nec non Phyſicam.* I,6,2,16. *de illius arte dicendi judicium.* I,6,2,16.
Ælius Lampridius & Spartianus *Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores*, I,4,14,7.
Æquivocationum *doctrina Jeſuitica rejicitur.* III,1,1,12.
Aër *extrahi poteſt* II,2*,22,2.
gravis eſt II,2*,18,5.
de Aëre *diſcurſus* II,2*,19,5.
Aëre *vacuum ſpatium poteſt dari* II,2*,4,3.
Aërem *Deum, & omnium rerum materiam, ſtatuit Diogenes Apolloniates.* II,2*,18,1.
poſſe rarefieri & condenſari probant Obſervationes Varenii & Boylii II,2*,18,3.
pro tincturâ particularum terraquearum habet Hokius. II,2*,18,1.
Aëris *conſtitutio ſalubris & inſalubris unde.* II,2*,18,2.
& ætheris diſtinctio quomodo admitti poſſit. II,2*,18,1.
gravitas variis modis exploratur II, 2*, 18,6.
rarefactio & condenſatio quomodo fiant, docetur II,2*,18,3.
ſiccitatem & humiditatem præſagiunt Hygroſcopia II,2*,18,9.
utilitates quibusdam experimentis ſpecialibus demonſtrantur. II,2*,22,2.
Aëromantiam *ad certitudinem perducendi conſilium datur.* II,2*,18,7.
edidit Mizaldus, vid. Mizaldus.
Aëronauticum *artificium* II,2*,22,2.
de Aëronautico *artificio judicium fertur.* II,2*,22,2.
Aëroſcopium *Voſſii ventos & tempeſtates præſagivit.* II,2*,18,6.
Æſchines *Demoſthene in dicendo fuit inferior.* I,6,2,7.
Æſchinis *exilium unde* I,6,2,7.
Orationes laudantur, earumque editiones recenſentur. ib.
quarta Oratio, Deliacus inſcripta, falſò illi tribuitur, ib.
Æſchylus, *inter Tragicos Græcos primus, laudatur* I,7,2,5.
multas Tragœdias, quarum paucæ ſuperſunt, ſcripſit, earumque emendationes, & editiones recenſentur. I,7,2,5.
Æſopi *fabulæ* III,1,1,5.
Ætatis *aureæ Scriptores recenſentur.* I,4,11,4.ſeqq.
Æthereorum *Academia Patavii à Scipione Gonzaga inſtituta.* I,1,14,27.
Æthici *Coſmographia commemoratur.* I,411,18.
Æthiopica *Abyſſinorum bibliotheca 10000 librorũ, ficta & fabuloſa eſt.* I,1,6,26.
Affabililtas *& humanitas maximè animos allicit.* I,1,15,38.ſeq.
de Affectibus *animi latentibus conjectandis librum ſcripſit Scipio Claramontius.* I,1,15,55.
hominum doctrinam pleniſſimè tractavit Ariſtot. 2. Rhetor. c. 1. ſeqq. ibique Schraderius Comm. & alii, I,3,9,32. I,1,15,6. I,3,9,35.
Scriptores III,1,1,11.
Affectiones *Corporum, deque iis altercationes Peripateticorum* II,2*,3,1.
Affectus *& mores hominum varii recenſentur.* I,1,15,16.
exercitatione ad miraculum usque coërceri poſſunt. I,2,3,5.
Affectuum *& morum imitatio Poëtis ante omnia*

omnia convenit, I,3,10,29. *in hoc excellit Virgilius, & poſt hunc Ovidius.* I,3,10,30.
excerpta, vid. Excerpta.
noſtrorum cognitio, vid Characteriſmus.
Affirmandi *vel negandi formulæ* I,3,7,19.ſ.
Agnellus (*Scipio*) *Doctrinæ Platonis de Ideis contra Ariſtotelem, propugnator fuit eximius* II,1,7,18.
Agricola (*Rudolphus*) *ex Italiâ in Weſtphaliam deductus, ludos literarios ibidem inſtituit.* I,2,2,14.
in libris ſuis de Inventione quasdam hypotheſes ponit, Ramiſticis ſimiles. II,1,12,1.
Agricolæ (*Georgii*) *Scripta in Re Metallicâ laudantur.* II,2*,29,4.
de Agriculturâ *quinam ſcripſerint*, II,2*,2,7. II,2*,42,1.
Agri *fœcundatio quomodo fiat*, II,2*,41,3.
Agrippæ (*Henr. Cornelii*) *ſingularis ars ὠκυμαθείας*, I,1,12,3. I,2,7,55.
de Occultâ Philoſophiâ II,3,1,12.
de Vanitate ſcientiarum liber. II,1,16,1. I,2,9,1.
Aizema (*Leonis ab*) *lib. de Negotiis Belgii civilibus recenſetur* III,3,1,3.
Ἀκȣςικὸν *inſtrumentum Hiſpanorũ*. II,1,2,6.
Alberti *Magni vita rerum naturalium peritia, πολυγραφία, ſcripta genuina & diſcipuli recenſentur*. II,1,14,2.
Albertini *lib. de Transſubſtantiatione commendatur.* III,5,1,29.
Albertis (*Alberti ab*) *Theſaurus Eloquentiæ Sacræ & profanæ* I,6,1,17.
Albertus *Magnus iniquè Magiæ inſimulatur*, I,1,8,25. II,1,14,2.
Albini (*Conſtantini*) *Magia Aſtrologica recenſetur.* II,3,1,12.
(*Petri*) Meißniſche Berg-Chronick II,2*,29,4.
Alcæus *Staſiotica ſcripſit* I,7,2,12.
Alcaheſt, *liquor, Helmontio laudatur.* II,2,10,2.
Alciati *emblemata in magno pretio habita.* I,7,3,5. *illorum Interpretes & Commentatores.* I,7,3,5.
Alcinoi *Introductio in Philoſophiam Platonis* II,1,7,2.
Alcman, *Poëta Lyricus, commemoratur*, I,7,2,12. *morbo pediculari periit*, ib.
ejus fragmenta collegit & edidit Stephanus I,7,2,12.
Alcoranus *quid ſignificet* I,1,11,8. *ejus Verſiones pleræq; ſunt futiles*. III,5,1,22.
Aldrete (*Bernhardi*) *Origen, y Principio de la lengua Caſtillana recenſetur*, I,4,4,18.
Aldrovandus edidit *Dendrologiam* II,2*,40,4. *Hiſtoriam animalium* II,2*,46,1.
Muſæum metallicum, II,2*,29,4.
Polygraphus fuit II,2,2,10.
de Aleâ *Veterum quinam ſcripſerint*. I,5,2,12
Alexander *Severus, Imperator, in Larario privato coluiſſe dicitur, Chriſtum, Abrahamum, Orphea, Apollonium*, I,1,13,18.
Alexandri *VII, Papæ, Poëmata laudantur.* I,7,3,9.
Alexandrinum *Muſæum*, vid. Muſæum.
Alfarabius *de Intelligentiis ſcripſit*. II,1,10,3.
Algebræ *Doctrina à Carteſianis exculta*. II,4,1,5.
Scriptores II,4,1,5.
Alirunæ *Francorum, Gothorum & Septentrionis* I,1,10,18.

Alkindius *de gradibus rerum commentatus eſt.* II,1,10,3.
Allatii (*Leonis*) *Diſſ.Hiſt. de Erroribus magnorum Virorum in dicendo recenſetur.* I,6,1,30. vid. Leo Allatius.
Allegationum *abuſus reprehenditur, & plures alii.* I,1,22,10. & 13. *hoc nomine JCti malè audiunt.* I,1,22.11.
Alliaco (*Petri de*) *Scripta enumerantur.* II,1,13,7.
Almaini (*Iacobi*) *Scripta habentur.* II,1,13,10.
Aloë *Gottorpienſis à Majore deſcripta.* II,2*,43,2.
Aloyſiæ *Sygææ nomine Satyra Sotadica falſò circumfertur.* I,1,8,30. ſeqq. *virtutes & laudes* I,1,8,31.
Aloyſii (*Petri*) *Encomium* I,6,4,13. *Epigrammata commendantur.* I,7,3,4.
Alphabetorum *variorum Collectores.* I,4,1,10.
Alſtedii *admiranda Mathematica.* II,4,1,3. *Chronologia* I,3,13,31. III,4,1,5. & 11. *Clavis artis Lullianæ* I,2,5,40 *Harmoniæ Philoſophiæ Ariſtotelico-Lullianæ.* I,2,5,40. *Conſilium pro copiâ rerum & verborum per Alphabeta Lulliana recenſetur.* I,2,5,55. ſeqq. *commendatur* I,2,5,57. *diligentia in artibus mechanicis ad principia redigendis;* I,2,7,76. *Encyclopædia recenſetur.* I,2,7,74. ſq. *Encyclopædia Biblica.* I,2,7,79.
Alſtedius *magnus Raym. Lullii hyperaſpiſtes fuit,* I,2,5,40.
Altenburgenſis *Codex Chymicus*, vid. Chymia.
Altenſteig (*Johannes*) *ſcripſit artem Epiſtolandi, & de Vocabulis barbaris* II,1,13,10.
de Alteratione *Corporum multæ inutiles Peripateticorum ſunt ſubtilitates,* II,2*,28,2.
Althamerus *in Scholiis ad Tacitū, Germanos antiquos Græcæ linguæ non omninò ignaros fuiſſe oſtendit.* I,4,4,4.
Altorfinorum *Philoſophorum labores in Ariſtotelem laudantur.* II,1,11,30. *à quonam publicati* ibid.
Alvarez (*Didaci*) *lib. de auxiliis divinæ gratiæ, liberi arbitrii viribus & libertate recenſetur.* II,1,14,56.
Ambitioſi *& philavtiâ infecti deſcribuntur.* I,1,15,11. ſeq.
Ambræ *natales referuntur* II,2*,37,4.
Ambroſii *tr. de locis, doctrinâ ac moribus Brachmanum, à Biſſæo editus.* II,1,1,10.
Americani *Auſtrales ab Ægyptiis, Septentrionales à Chinenſibus & Japonenſibus deſcendiſſe videntur.* I,1,5,25.
Americanis *per tactum curandi modus frequens eſt.* II,2*,8,6.
Amerpoel (*Joh. ab*) *in Carteſio Moſaizante Carteſiana principia cum Moſaicis confert.* II,1,15,11. II,2,3,4.
de Amicorum *Officiis ſcripſit Caſa.* III,1,1,8.
de Amneſtia *Diſſ. Böckleri.* I,4,12,5.
Amplificatio *Orationis in quo conſiſtat,* I,3,7,6. ſeqq. *per exaggerationem* I,3,7,26. *per* πλαγιασμὸν, περιβολὴν *&* πρόσληψιν, I,3,7,24. *exemplo ex Oratione Cic. pro Marcello docetur,* I,3,7,25. & 30. *per Synonyma* I,3,7,7. ſeqq.

Ampli-

Amplificatoria *excerpta*, vid. Excerpta.
Amyraldi, *aliorumque Reformatorum lites* III,5,1,32.
Anabaptiſtarum *Annales Ottius publicavit.* III,5,1,34.
Anacreontis *fragmenta collegit & edidit Stephanus* I,7,2,12.
variæ editiones I,7,2,12.
virtutes & vitia I,7,2,12.
Ἀναγνώσεις *Chriſtianorum* I,1,6,2.
per Anagnoſtas *Loci Communes colligendi.* I,1,21,12. I,1,22,19.
Anagramma *ex nomine* Calepinus. I,4,9,9.
Anagrammata *primus ſcripſit Auratus.* I,7,3,6.
Anagrammatiſtarum *vulgus ineptiens exploſum.* I,7,3,6.
Analogica *ars Knittelii* I,2,5,45. *ad meditationum & rerum varietates maximè proficit.* I,2,5,82. *explicatius proponitur ab Uldarico* Staudigl I,2,5,52.
Anatomen *hominis deſcripſit Bartholini.* III,7,1,4.
Anatomici *Scriptores* II,2*,46,4.
Angeli *Cæſii, Ducis aquæ Spartæ Romani, egregia Scripta.* I,1,14,19.
Angelici *Aproſii Bibliotheca.* I,1,5,14. I,1,14,25.
de Angelutii *ſcriptis cenſura fertur* II,1,8,4.
Angelus *Angelotus ob nimiam loquacitatem in converſatione moleſtiſſimus,* I,1,15,43.
de Angeriani *Epigrammatibus judicium Gaddii.* I,7,3,4.
Angli *in aſcetico ſcribendi genere aliis ſunt ſuperiores.* I,6,4,18.
Angli (*Thomæ*) *Euclides Methaphyſicus* I,2,8,5. II,5,1,8.
Angliæ *Regum curationes per tactum* II,2*,8,6.
Anglica *adagia.* I,1,21,106.
gens in conſignandis ingeniorum monumentis negligens fuit. I,1,18,41. ſeqq.
Societas regia. vid. Societas.
Anglicæ *Relationes, an Acta Societatis regiæ contineant* II,2,1,16.
Anglicanæ *Eccleſiæ Schiſmata.* III,5,1,36.
ſtatum deſcripſit Hornius III,5,1,32.
Anglicorum *Scriptorum Compilatores Baleus, Pitſeus & Edu. Leigh.* I,1,18,42.
in Scripturam Compilatores Crowæus & Anonymus I,6,4,22.
Anglicum *Monaſticon* III,4,1,18.
Anglorum *ambitio literaria inanis jactatur* II,2,1,13.
Commercia III,3,1,3.
plagiarii an ſint Galli I,6,4,30.
Anguillarum *productio ope roris fieri poteſt* II,2*,27,5.
de Animâ *mundi doctrina ſenſu Platonico rejicitur, ſaniori autem admittitur* II,2,11,7.
Scriptores recenſentur II,2*,47,6.
Vegetativâ ſententia Ariſtotelicorum exploditur. II,2*,40,1.
Animæ *immortalitatem an crediderit Ariſtoteles, dubium eſt* II,2*,47,6.
præexiſtentiam ſtatuunt Angli II,2*,47,6.
propagationem per traducem defendere difficultate non caret. II,2*,47,6.
ſedes eſt controverſa II,2*,49,1.
probabiliter in glandulâ pineali, vel medullâ cerebri, ponitur. II,2*,49,2.

Animarum *poſt mortem in corpore exiſtentiam ſtatuit Marci* II,2*,1,8.
præexiſtentiam defendit Henr. Morus, II,1,7,19. II, 2, 11, 10. *hanc impugnavit Jac. Thomaſius.* II,1,7,19.II,2,11,10.
transmutatio, vid. μετεμψύχωσις.
Animas *materiales eſſe, & ſeipſas multiplicare, conjicit Fournenc.*II,1,14,51. *item Antonius Roccus* II,1,1471.
Animalia *in tenebris lucentia* II,2*,14,5.
in Animalium *Generatione ſcrutandâ Anatomicorum Obſervationes ſunt attendendæ.* vid. Generatio.
de Animalium *Hiſtoriæ univerſalis Scriptoribus quibusdam judicia habentur.* II,2*,46,1.
Animantibus *brutis rationem quidam tribuunt*, I,4,1,3.
de Animantium *brutorum animâ lites* II,2*,45,4.
Animi *facultates quibusdam adminiculis excitandæ ſunt.* I,2,3,1. ſeqq.
de Animis *ſententia Stoicorum* II,2,8,4. *ſtultorum & ſapientum* II,2,8,4.
Animoſorum *Academia Patavii ab Aſcanio Martinengo, Abbate, inſtituta* I,1,14,27.
Annianus *Breviarium Codicis Theodoſiani juſſu Alarici confecit.* III,6,4,5.
de Annis, *reliquisque temporibus, quinam ſcripſerint.* I,5,2,6.
Annius *Viterbienſis, Ordinis Prædicatorum, laudatur.* I,1,6,33. *edidit Beroſi libros, & Commentariis illuſtravit* I,1,6,33. *defenditur à Thomâ Mazzâ*, I,1,6,33. *à Poſtello lib. de Etruſcæ linguæ Origine* I,1,10,12.
de Anno *Novo gratulationes Poeticæ* I,3,12,19.ſeqq.&26.
de Annulis *quinam ſcripſerint* I,5,2,9.
Anonymi *autores*, I,1,9,27. *à Literatis indagandi commendantur.* I,1,92,8.
Anonymi Anglici liber the Holy Duty of men, recenſetur, I,6,4,21. *Index Scriptorum Anglicorum, præcipue Moraliū, ſuper V. & N.T.* I,6,4,22. *Lux Orientalis.* II,1,7,19. *de Varietate ingeniorum liber.* II,3,1,3. *Englands Treaſure* III,3,1,3. *Ars rationis ad mentem Nominalium* II,1,13,2.
Belgici Anweiſung der heilſamen Politiſchen Gründe und Maximen der *Republiqu* in Holland. III,3,1,3.
Certamen ludicrum Homeri & Heſiodi, I,7,1,5.
Cometa malus Genius II,2*,24,3.
Deſcriptio Latina de Brachmanis. II,1,1,10.
Gallici Grammatica Latina laudatur, I,4,10,9. *lib. de la connoiſſance des bons livres &c. recenſetur, & Sorello attribuitur.* I,1,16,8. & 9. *lib. le Comte de Gablis, refertur.* II,1,7,14. *it. Ars cogitandi* II,2,1,18. II,5,1,3. *de Origine fontium.* II,2*,20,8. *de arte Geomanticâ.* II,3,1,13. *Conſeiller d'Eſtat.* III,2,1,17.
Jeſuitæ Ethica & Politica Virgiliana III,2,1,21.
Indici, Theologia Indorum. II,1,1,11.
Itali, collectio teſtimoniorum Gentiliū de Chriſto, Trinitate &c. III,5,1,12.
Monumenta Regum Hungariæ I,6,3,13.
Politicus ſceleratus. III,2,1,4.
Suedici lib. de Inſtitutione Principis. III,2,1,15.
Anſeres *Scotici, Bernaclæ, veræ, ſunt aves.* II,2*,44,5.

Antediluviana *Monumenta & libri.* I,1,6,15.ſeq.
Antediluviani *Monarchæ Ægyptiorum & Arabum.* I,1,6,16.
de Antediluvianis *bibliothecis Diſſ.*I,1,17,9.
Antediluvianorum *Imperia Chaldæorum.* I,1,6,16.
Anthologia *Maximi Planudis* I,7,2,26.
Antimonii *Conſtitutio, Uſus Chymicus & Medicus.* II,2*,37,2.
Currus triumphalis Valentini illuſtratus à Kerckringio laudatur. II,2*,37,2.
de Antimonio *Controverſia forenſis fuit in Galliâ.* II,2*,37,2.
de Antipathiis *& Sympathiis cenſura fertur.* II, 2*, 8, 3. *Generalia quædam notantur.* II,2*,8,10.
Antiphon *præclarus fuit Orator.* I,6,2,4.
Antiquaria *excerpta*, vid. Excerpta.
Antiquarii *Scriptores recenſentur.*I,5,2,1.ſ.
ex Antiquitate *Eccleſiaſticâ contra Pontificios pugnandum* III,5.1,30.
Antiquitates *Convivales Stuckii* I,5,2,11.
de Antiquitatibus *Græcis Latinisq; Scriptores.* I,5,2,3,&6.
*Romanis quinam ſcripſerint.*I,5,2,4.
Antiquitatum *Idea Hieron. Welſchii laudatur.* I,1,21,40.
patriarum ſtudioſisſimi ſunt Sueci. II,1,1.13.
Romanorum Compendia ſcripſere Muſenius & Cantelius, I,5,2,4.
Antiquorum *Contemtores & Vindices.* II,2,1,13.
de Antithetis *quinam ſcripſerint.* I,6,1,23.
Antonii, *Imperatoris, Opus* τῶν εἰς ἑαυτὸν, *hujusque editio, à Gatakero, procurata valdè laudatur.* I,1,22,2.II,1,4,4.II,2,8,1.
Antonius (*Nicolaus*) *Bibliothecam Hiſpanicam magnâ diligentiâ ſcripſit.* I,1,8,31. *qui liber recenſetur & commendatur.* I,1,18,32.
Comœdiam Hiſpanicam ejusq; Inſtauratorem, Lupum Felicem de Vega, Græcis atq; Latinis Comicis Tragicisve Veteribus minus rectè prætulit. I,7,1,8.
Apes *Literariæ.* I,1,15,15.
Aphoriſmorum *Scriptores.* III,2,1,14.
Aphrodiſæi *Comm. in Ariſt. Metaphyſ. ſuppoſititium eſſe judicat Scaynus,* II,1,14,65.
Scripta in Ariſt. libb. recenſentur. II,1,9,3.
Aphthonii *Progymnaſmata, & de iis judicium.* I,6,1,8.
Apis *anatomen ſcripſit Stellatus.*II,2*,45,8. *de iis librum paravit Schwammerdammius* II,2*,45,5. *illarum cultura & ortus* II,2*,45,8. *earum reges, ſive ductores, ſunt fœminæ.* II,2*,45,5.
Apollinarii *Verſio Pſalterii laudatur.* I,7.2,27.
Apollodorus *antediluvianorum temporum Scriptor.* I,1,6,16.
Apollonii *Argonautica laudata ab his, culpata ab illis.* I,7,2,18. *ejus Scholiaſtes.* I,4,6,5.I,7,2,18. *variæ ejus editiones.* I,7,2,18.
*Thyanæi miracula, an magicâ arte patrata, an verò in Chriſtianorũ invidiam conficta ſint diſquiritur.*II,1,2,5. *Varia ejus miracula recenſentur.*ib.
Apollonius *Thyanæus cum Chaldæis & Braminibus Indis converſatus fuit.* I,1,13,15.ſeq. *ab his laudatur, culpatur ab illis.* I,1,13.17.ſeqq.

17.ſeqq. *an arte quædam uno tempore pluribus in locis videre potuerit.* I, 1, 13, 25. *Collegium Gymnoſophiſtarum in Æthiopiâ adiit.* I,1,13,28.
Aproſii (*Angelici*) *elogium inſigne.* I,1,5,14.
Apuleji *Cenſores benigni & rigidi.* I,4,14,3.
Commentatores & Editores. I,4,14,3. II,1,7,10.
ineptus ſermonis Character taxatur. I,4,14,3.
Aqua *cur non gravet ſub aquis ambulantem* II,2*,10,2. II,2*,18,5.
divina inter μυςικώτατα Chymicæ artis refertur. I,1,11,53.
eſt fluida & humida. II,2*,19,1.
eſt frigida. II,2*,19,2.
eſt verum elementum. II,2*,19,1.
& terra ſunt prima elementa miſtorum. II,2*,13,1.
marina ad ignem extinguendum minus apta. II.,2*,20,2
non eſt materia proxima metallorū. II,2*,35,1.
non eſt πρῶτον δεκτικὸν frigoris II,2*,19,2.
pura an detur, dubium eſt. II,2*,19,3.
pura ſi detur, ſalubris foret, non lethalis. II,2*,19,3.
ſola ad omnium rerum principium non ſufficit. II,2,10,2.
ſubterranea. II,2*,20,10.
ſubterranea præſentiæ Ventorum index, II,2*,23,4.
Vorticoſa. I,1,16,50.
Vulgaris impura. II,2*,19,3.
Aquæ *figuram falſò facit cubicam Hon. Fabri.* II,2*,19,1.
frigidæ & ſtanni fuſi inſociabilitas aſſeritur. II,2,1,6.
Maſculinæ guttam Nilum foecundare fingunt Rabbini. II,2,10,1. II,2*,27,4.
miſtio cum Corporibus eſt imperveſtigabilis. II,2*,19,4.
motus & gravidatio. II,2*,19,4.
ſupra-cœleſtes non dantur. II,2*11,10.
uſus mechanicus oſtēditur. II,2*,22,3.
Aquam *duplicem faciunt Rabbini.* II,2,10,1.
idem facit Paliſſy. II,2*,31,3.ſeq.
elementum unicum ſtatuit Helmontius. II,2*,13,9.
omnium rerum principium eſſe ſtatuêre Thales Mileſius, Jonici, &c. II,2,10,1.ſeq.
Aquarius (*Matthæus*) *ſcripſit Formalitates juxta doctrinam Doctoris Angelici* II,1,14,5.
de Aquarum *Colore, pondere, aliisq; proprietatibus Obſervationes inſtituerunt Angli aliiq;* II,2*,20,7.
per Aquas *abſque periculo ambulandi ars,* vid. Urinatoria
de Aquis *Miſcellanea.* II,2*,20,11.
ſupra-cæleſtibus controverſia non eſt fori Theologici. II,2*,11,10.
Aquinas (*Thomas*) vid. Thomas.
horribilibus à ſuis afficitur elogiis. II,1,14,3.
Aquinatis *Vita & Opera horumque editiones recenſentur.* II, 1,14,3.
de Ara *ſcripſit Bertholdus.* I,5,2,6.
Arabes *in Aſtrologiâ admodum curioſi fuerunt.* II,3,1,11.
Arabicæ *linguæ in vocibus eſt luxuries.* I,4,5,6. *Lexica.* I,4,5,6. *uſus multiplex.* I,4,5,6.
Arabicorum *MSStorum conquirendorum ſtudium laudatur.* I,4,5,6.
horum æſtimium, à Conringio impugna-

impugnatum, defenditur. ib.
Arabum *diligentia in Græcorum Scriptis, & ſpeciatim Ariſtotele, lingua ſua donandis, commendatur.* II,1,10,1. *quæ Verſiones plurimis tamen ſcatent* ψευδερμηνείαις, ibid.
libri ſunt præſtantes. III,5,1,22.
ſapientum collegia. I,1,13,30. ſeq.
Araneæ *aëreæ unde oriantur.* II,2*,45,8.
Aratus *Interpretes Græcos & Latinos habet.* I,7,2,20.
non omnibus Latinis vilipenſus I,7,2,20.
Phœnomena ſcripſit. I,7,2,20.
Arbores, *ope nitri, fertiliores reddi poſſunt.* II,2*,41,1.
quot modis propagari poſſint. II,2*,41,4
de Arboribus *Scriptores recenſentur.* II,2*,40,4.
Arcana *Gentiliũ theurgica*, vid. Gentilium.
interrogandi arte haud rarò deteguntur. I,1,15,55.
majora Roſii ſunt: Motus perpetuus, ars transmutatoria, Medicina univerſalis. I,1,13,37. ſeqq.
minora Roſiana recenſentur. I,1,13,44. ſeqq.
Naturæ non ſtatim pro præſtigiis habenda. I,1,13,21, ſeqq.
Roſiana plurima à Petro Mormio divulgata. I,1.13,35.
ſcientiarum ſummo olim ſtudio tecta. I,1,2,20.
ſtudiorum ſuorum ſibi quisq; ſervet, aliena autem, ſi poteſt, expiſcetur. I,1,15,29.
ob Arcana *ſecretiora, omnibus non propalanda, inter gentes moratiores Collegia fuêre ſecreta.* I,1,13,1, ſeqq.
omnia erant ænigmatibus, fabulis, hieroglyphicis, mythologiis, involuta, ib. §.2.
Arcanas *ſcientias Græci Philoſophi ab Ægyptiis Sacerdotibus hauſerunt.* I,1,6,30.
Arcani *ſummi Phyſici cognitio non omnibus à Deo promittitur.* I,1,12,27. I,1,13,25, ſeq.
in Arcanis *credendis, vel non credendis, mediâ viâ ſapientioribus incedendum.* I,1,10,3. I,1,13,16.
Archelaus, *vetus Philoſophus & Chymicus.* I,1,11,29.
de Archi-Cancellariis *Malincrot ſcripſit.* III,6,9,5.
Archiva *olim Chartaria, & Athenaica, vel Athenica dicebantur*, I,1,3,13. ſeq.
de Archivis *ſcripſit Bonifacius* I,5,2,15.
Ardeliones *qui vocentur.* I,2,8,10.
Areſii *Arte di predicar bene.* I,6,4,7.
Lezzioni, Sermoni è Orationi diverſe. I,6,4,7.
Aretini (*Laurentij*) *epiſtolæ multum de ſtatu Curiæ Romanæ habent.* I,1,23,29.
Argenti *& ſtanni inſociabilitas aſſeritur.* II,2,1,6.
Argentum *vivum vulgare non eſt materia proxima metallorum.* II,2*,35,2.
quomodo differat à Mercurio Chymicorum. ibid.
Argillæ *in ferrum transmutatio, à Becchero credita, impugnatur.* II,2*,30,2.
Argumenta *Moralia*, vid. Moralia.
Argutiarum *intempeſtivi aucupes à variis ſalſè perſtringuntur.* I,6,3,8.
Arianiſmi *hiſtoriam quinam ſcripſerint.* III,5,1,33.
Aringhi *Roma ſubterranea, laudatur.* III,4,1,18.
Ariſtides, vid. Ælius.

Ariſtophanes *primus προσωδίαν, accentus & Cola invenit.* I,1,7,10,&12.
Ariſtophanis *æſtimatores & contemtores.* I,7,2,8.
Comœdiarum editiones, emendationes & Scholia Græca. I,7,2,8.
Vitia & laudes. I,7,2,8.
in Ariſtotelem *notæ ineditæ Jungii commendantur.* II,1,9,1. II,2,12,2.
Ariſtoteles *antiquisſimus & præcipuus artis Poëticæ magiſter.* I,7,1,2.
defenditur contra Cenſores. I,7,1,2.
Ethicorum Princeps. III,1,1,6.
Logicam omnium optimè tradidit. II,5,1,1.
plagii reus eſt. II,2,12,1.
Rhetorum Græcorum Princeps I,6,1,2.
triginta duos numeravit Jonsſius. I,1,9,5.
Ariſtotelica *Axiomata lib. 2. Rhetor. pro indagandis affectibus & moribus hominum commendantur.* I,1,15,6. *cum delectu tamen ſunt adhibenda, ne in loquacitatem deflectant,* I,2,5,18.
Philoſophia ab Alexandro Aphrodiſienſi reſuſcitata. I,1,2,10. *hactenus Monarchicâ ferme gaviſa auctoritate.* II,1,8,1. II,2,13,1. *olim maximè abominoſa.* I,1,2,10 *variè ab interpp. interpolata.* ibid. *cauſa eſt corruptionis Theologiæ Scholaſticorum* ibid.
Principia in Diſpp. Scholaſticis retineri poſſunt. II,2,19,4.
Trinitas, vid. Trinitas.
Ariſtotelicæ *methodi Sectatores.* I,2,8,1. ſeq.
Philoſophiæ Corruptelæ unde. II,2,12,5, & 6. II,2,13,1. *illius termini in Academiis non temerè movendi.* I,2,11,28. *fata ejus varia Joh. Launoy expoſuit.* II,2,12,1
Ariſtotelicorum *doctrina de qualitatibus exploditur.* II,2*,7,2. *& aliorum ſententiæ de coæternitate Dei & materiæ recenſentur & conferuntur.* II,2*,11,4.
Ariſtotelis *Analiticam male impugnat Nizolius*, vid. Demonſtratio.
antagoniſta inter Chriſtianos antiquisſimus eſt Juſtinus Martyr. II,2,12,10.
Commenta de Cœlo exploduntur. II,2*,12,1.
Commentatores II,2,12,4. *inter quos præcipuos Hon. Fabri* II,2,12,3.
de pietate adverſus Deum & homines librum ſcripſit Fortunus Licetus. I,1,24,7.
Editiones Pariſienſes ſunt optimæ. II,1,8,1.
Fortunam variam peculiari libro deſcripſit Joh. Launoy. II,1,8,2.
Impugnatores recenſentur. II,1,12,1. II,2,12,6. *& confutantur.* II,2,12,7.
Interpretes Arabici. II,1,10,1. *Græci* II,1,9,3. ſeqq. *Latini.* II,1,11,1. ſeqq. II,2,12,6.
interpretibus haud ſecurè fidendum. II,2,12,2.
librorum ἐξωτερικῶν & ἀκροαματικῶν diſcrimen ex Ferrarii lib. de ſermonibus exotericis addiſcendum. II, 1, 8, 6. *Verſiones ineptæ Philoſophiam Scholaſticam ſunt enixæ.* II,1,8,1.
Mechanica, eorumque Commentatores. II,4,1,15.

nimius

nimius ſectator fuit Licetus. I,1,24,7.
Operum optima editio Caſauboniana. II,2,12,1,
Philoſophiam naturalem impugnavit Teleſius. II,2,13,2.
Poëtica, ejusque Commentatores, Editores & Interpretes, I,2,16,6. I,7,1,3. *de his judicia Rapini & Dacerii ſibi invicem contraria afferuntur.* I,7,1,3.
Politica συμέθοδος, III,2,1,2.
Politicorum Commentatores optimi III,2,1,2.
ſententia de æternitate mundi refutatur. II,2*,11,3.
ſententia de viâ lacteâ. II,2*,11,8.
tria rerum principia rejiciuntur. II,2,12,9.
Tyrannis in Philoſophos ſe priores, ſophiſticaq; contra illos diſputandi ratio. II,2,7,2. II,2,12,8.ſeq.
Vitæ Scriptores. II,2,12,1.
de Ariſtotelis *& Platonis Conciliatoribus judicium fertur* II,1,7,17. *conſenſu & diſſenſu Scriptores recenſentur* II,2,12,10.
Hiſtoria animalium judicium fertur. II,2*,46,1.
Interpretibus Græcis & Latinis cenſura generalis. II,1,9,1.
libris ac philoſophiâ Scriptores Hiſtorico-Iſagogici recenſentur. II,2,12,1.ſeq.
libris ſuppoſititiis ac metaphyſicis nonnullis Scriptis epiſtolam ſcripſit Eraſmus. II,1,11,32.
in Ariſtotelis *laudem Orationes Conringii.* II,1,11,32.
lectionem Iſagoge Piccarti laudatur. II,1,11,30.
libros Rhetoricos Comm. recenſentur. I,6,2,2.
Arithmeticæ *Scriptores.* II,4,1,5.
Arlenſis (*Petri*) *de Scudalupis Opus de Sympathiâ ſeptem metallorum, ſeptem lapidum, & ſeptem planetarum, plurima continet ſecreta.* I,1,11,11.
de Armillis *Veterum ſcripſit Bartholinus.* I,5,2,9.
contra Arminianos *quinam ſcripſerint.* III,5,1,32.
Arndius (*Johannes*) *à Paracelſiſmi ſuſpicione liberatur.* III,1,15,16.
(*Joſua*) *Lexicon Antiquitatum Eccleſiaſticarum ſcripſit.* III,4,1,16. *Manuale item Legum Moſaicarum.* III,6,2,2.
de Arniſæi *Scriptis judiciũ fertur.* III,6,9,6.
Arnobii *libri* X. *adverſus Gentes, eorumque editiones.* I,4,14,10.
ſtylus I,4,14,10.
Arnobius *Lucretii imitator.* I,4,14,10.
Arnoldi Aſiatiſches / Africaniſches / und Americaniſches Heydenthum *laudatur.* II,1,1,11.
Arretinus (*Franciſcus*) *formalitatum Scoti Collector.* II,1,14,10.
Arriaga (*Roderici de*) *Curſus Philoſophicus præ ceteris laudatur.* II,1,14,47 *Diſputationes Theologicæ in Summam Thomæ recenſentur.* ibid.
Ars *Analitica in methodo experimenta indagandi magnum uſum habet, ſed deſideratur.* II,2,1,18.
de ingenio hominum è ſcripturâ divinandi à Camillo Baldo tradita. I,4,1,10.
genium familiarem cognoſcendi ad Magiam pertinet. II,3,1,14.

inventiva deſideratur. II,2,1,18.
*liberos ſapientes gignẽdi,*vid.Liberos
nihil credendi. III,5,1,11.
transmutatoria Roſii. I,1,13,40.ſ.
ad Artes *liberales junctim excolendas naturâ duce incitamur.* I,1,1,8.
vid. Polymathia.
Artibus, *ceu hominibus & imperiis, ſuus eſt ortus, ſuusque occaſus.* I,1,2,21.
Artis *Criticæ cum Grammaticâ cognatio & multiplex uſus* I,5,1,1. *Scriptores Hiſtorici & Methodici recenſentur.* I,5,1,2.
eſt non ſemper artis, regulis inſiſtere. I,2,5,19.
& naturæ theatrum, vid. Naturæ.
Gymnaſticæ Scriptor eſt Mercurialis. I,5,2,12.
Poëticæ Scriptores enumerantur. I,7,1,12.ſeqq.
Artium *inventioni certæ revolutiones & periodi divinitus conſtituuntur* I,1,12,4.
liberalium inter ſe quædam eſt cognatio. I,1,1,3.
mechanicarum ſcientia an Philoſopho ſit neceſſaria. vid. Machanicæ.
ſcientiarum & literarum fortuna plerumq; à Regibus & Principibus dependet. I,1,2,17.I,1,14,1.
Artemidorus *de inſomniis, auguriis, & manuum inſpectione lib. edidit.* II,3,1,5.
Artificum, *architectorum, pictorum, &c. vitæ utiliter ſcribuntur,* I,1,19,69.ſ.
quod à Germanis malè negligitur I,1,19,71.
Arty *de pedis admirandis ſcripſit.* II,3,1,4
Aruſpicina *à quibus primùm excogitata.* II,2,6,6.
Aſcetici *Scriptores Hiſpanici recenſentur.* I,6,4,24.ſeqq.
Aſchamus (*Rogerus*) *Anglus, epiſtolas elegantes ſcripſit.* I,1,23,62.
Aſpaſii *Commentaria commemorantur* II,1,9,7.
Aſperitas *deſcribitur.* II,2*,7,6.
Aſtris *duo contrarii motus abſurdè affinguntur.* II,2*,12,6. *illorum omnium nec figura eſt ſphærica, nec motus datur,* ibid. *horum in terreſtria influxus adſtruitur* II,2*,12,9.
de Aſtris *ſententia Stoicorum.* II,2,8,3.
Aſtrologia *divinatrix phænomena naturalia haud parcè ſuppeditat.* II,2,1,24.
Genethliaca eſt mater plerarumq; artium divinatricium. II,2,1,12.
judiciaria à quibusdam impugnatur. II,3,1,9.
& quidem nimis rigidè à Salmaſio. II,3,1,9.
de principiis illius benignè judicatur, ibid. *à quibusdam defenditur, qui recenſentur.* II,3,1,10.
duxit doctrinam Magicam. II,3,1,13.
Aſtrologica *Scripta antiquorum commemorantur.* II,3,1,11.
Ranzovii commendantur. ibid.
Specula, in quibus futura cernant, an fabrefieri poſſint. I,1,10,34.
de Aſtrologicæ *artis principiis, certitudine controverſâ, adverſariis & Patronis Phyſicis judicium fertur.* II,2*,12,9.
Aſtrologorum *temeritas culpatur.* II,3,1,2.
Aſtronomiæ *peritiam ex Lucano hauriri poſſe, contra Inſulanum negat Scaliger.* I,4,12,9.
Scriptorum præcipuus eſt Ricciolus, II,4,1,8.
Aſtronomica *Compendia quinam ſcripſerint.* II,4,1,8.
Aſtronomicorum *Syſtematum Scriptores, & no-*

& *novorum inventores*.vid. Syſtema.
Athei *à converſatione ſunt removendi*.I,1,15, 18.*illorum Scripta primô locô inter damnatos libros numeranda* I, 1, 8, 2. *quorũ quædam minuta recenſentur*, I,1,8,16. III, 5, 1,11. *contra illos è Scripturâ S. fruſtra diſputatur*, III, 5, 1,9. *è Scriptis autem gentilium argumentum Hiſtoricum eſt efficaciſſimum*. III,5,1,12.
Atheiſmi *calumnia multis familiaris*. I,1,8,14.
falſò accuſatur Galenus. I,1,8,13. *Thom. Browne*. III,5,1,10. *Jordanus Brunus* I,1,8,22. *Carteſius* II,1,15,6.II,2,17,1.III,5,1,6. *in ſuſpicionem apud imperitos facilè incurritur*. I,1,8,12.
propugnator Spinoſa. vid. Spinoſa.
Scriptores recenſentur. III,5,1,9.
Atheiſmum *Triumphatum ſcripſit Campanella*. II,1.12,4. III,5,1,9.
Atheiſtæ, *Vaninus, Pomponatius, Porcius*, &c. I,1,8,17.ſeqq.II,1,11,4. *ut & Autor libri hiſtoriæ populorum Severambes*. I,1,8,23.
Athenæum, *celebre Romæ auditorium*. I,1,3,14.
Ἀθηναϊκὰ *feſta*. I,1,3,14.
Athenienſium *jus*. III, 6, 2, 4. *quinam illuſtrârint*. ibid.
Atomi *ex aliis coaluerunt elementis*. II,2,7,12.
per microſcopia conſiderari poſſunt. II,2*,3,5.
de Atomis *Doctrina Epicuri & Democriti*. II,2,7,7 II,2,18,3.*refutatur ex Franc. Joh. Grandis diſſertatione* II,2,7,8. & 10. *ex hac doctrinâ fatalitas rerum omnium, aliaq; profana Atheorum dogmata profluunt*. II, 2,7, 11. *utilis quidem ad Mixtorum naturam indagandam, non tamen ſola ſufficit*. II,2,19,5.
Doctrina inſignem habet uſum. II,2*,3,5. *quinam ſcripſerint*. II,2*,3,5.
Atomorum *doctrinam in Experimentis ſuis profitentur moderni Angli*. II,2,7,13. *Carteſius & Boylius*. ibid.
exiſtentia contra Ariſtot. defenditur. II,2*,3,5.
motus confutatur è Cicerone aliisq;. II,2,7,10.
Avancinus *edidit Orationes, nec non Collecta è* IV. *Evangeliſtis de Vitâ & Doctrinâ Dom. noſtri Jeſu Chriſti*. I,6,4,14.
in Poëſi Lyricâ interdum illatinus. I,7,3,10.
Avaux, *Comes Legatus Reg. Gall. Gronovio pro Dedicatione Livii* 1000. *Imperiales dedit*.I,1,25,20.*Daventriæ pedes ad Gronovium, tùm eloquentiam ibi docentem, ivit*.ib.
de Auctionum *Origine, ratione ac ſolennibus ſcripſit Rabirius*. I,5,2,15.
Auctores *finium regundorum cum Obſervationibus edidit Rigaltius*.I,4,14,25.
Græci cum delectu juventuti ſunt proponendi. I,4,8,13.
Homonymi. I,1.9,5.
illuſtrium Criticorum manu notati in pretio habentur.I,1,7,35.I,1,18,70.
Latini in certas ætates diſtinguuntur I,4,11,3.
de Auctoribus *judicia*. I, 1,6,37. *haud rarò ſunt varia & diverſa*.I,1,22,16.ſeqq. *ſcribere*

ſcribere periculoſa res eſt. I,1,16,10.
lingvæ Latinæ, eorumq́; optimis editionibus, quinã ſcripſerint. I,4,11,1.
non eſt Judiciis graſſandum. I,1,24,12
Auctorum *νοθείαν vel γνησιότητα, unde Critici judicent.* I,1,9,4.
notitia panglotta Welſchij. I,1,6,39.
quænam editiones optimæ. I,4,11,2.
de Auctorum *Veterum editionibus Gallicis judicium.* I,4,11,15.
in Auctorum *notitiam introductio.* I,1,16,1.ſ.
Auditus *arte juvari poteſt.* II,2*,47,3.
Avemanni (*Dan.*) *Hodegeta Horatianus.* I,4,11,15.
Averroës *omnia Ariſtotelis Opera ex Arabicâ in Latinam Lingvam convertit.* II,1,10,2. *ejusd. impietas notatur.* ibid.
Aves *venaticæ.* II,2*,46,3.
de Auguriis *ſcripſit Artemidorus.* vid. Artemidorus.
Auguſtini (*Antonii*) *Dialogi de emendatione Gratiani laudantur.* III,6,7,14. *Lib. de Legibus & ſingulis Juris Conſultis commendatur.* III,6,3,4.
Auguſtinus αὐτοδίδακτος. I,1,1,14.
Auguſtus, *Brunſvicenſis Dux, ob ſingularem βιβλιογραφίαν celebris.* I,1,3,22. *Bibliothecam locupletiſſimã inſtituit.* vid. Bibliotheca.
Avicennæ *Opera recenſentur.* II,1,10,3. *de eo ſiniſtrè judicat Rhodiginus.* ibid.
Avila (*Joh. de*) *inſignis in dicendo & ſcribendo efficacia laudatur.* I,6,4,26
Aulici *ritus.* vid. Ritus.
Aurea *bulla eſt fundamentum juris Imperatorum & Principum.* III,6,9,2. *ejus Commentatores.* ibid. *poma* vid. Ferrarius.
Aurelianenſis *parum feliciter Tacitum emendavit.* I,4,13,4.
Auri *naturam nemo capit.* II,2*,35,3. vid. χρυσοποιία.
Auris *ſtructura à Folio delineata.* II,2*,48,3.
de Auro *ſcriptores recenſentur.* II,2*,35,3.
Aurum *admodum extenſibile eſt.* II,2,1,6.
de Auſonii *Latinitate & Poeſi judicia varia.* I,4,14,15. *editionum optima Tollii.* ibid.
Auſpicii *vox quid denotet.* I,3,4,13.
Auſtenii *tr. de arboribus frugiferis recenſetur.* II,2*,41,4.
Auſtriacæ *domus Cimelion, annulus aureus victoriæ futuræ prænuncius.* I,1,12,33.
Αὐτοδίδακτα *ingenia quædam ſunt à naturâ* I,2,1,17.
Αὐτοδίδακτοι *plerumque ſunt Novatores.* I,1,1,15.
Αὐτοδιδάκτων *exempla.* I,1,1,14.
Αὐτοχειρίαν *certis caſibus licitam eſſe affirmavit Joh. Donne.* I,6,4,18.
Axiomata *Logica Stahlius & Honoldus ſcripſerunt.* II,5,1,6.
Axiomatum *Practicorũ Scriptores* III,6,11,2.
Azorii *Inſtitutiones Morales laudantur.* II,1,14,61.

B.

BAcchylides, *Poëta Lyricus, laudatur.* I,7,2,12. *exigua ejus fruſtula hodiè ſuperſunt.* ibid.
Baccius *Vinorum hiſtoriam natalem ſcripſit.* II,2*,42,2.
Bacharii *Flaviſſa Poëticæ.* I,7,1,19.
de Bachovio *judicium fertur.* III,6,4,4. III,6,7,3. & 11.
Bachovius *jun. de variis juris Interpretationibus ſcripſit.* III,6,8,4.
Baco (*Rogerus*) *artis mnemonicæ beneficio*

triduam informationem linguis addiſcendis præfixit. I,2,6,67.ſq.
de Perſpectiva libros edidit. II,4,1,9.
invětor pulveris pyrii fuit. II,2*,38,3.
teſtatur Philoſophiam Ariſtot. à Scholaſticis corruptam. II,2,12,6.
tradit artificium aëronauticum. II,2*,22,2.
Vir ſubtiliſſimi ingenii. I,1,2,12.
Baconis (*Rogeri*) *libri cum Franciſcanorum bibliothecâ in Angliâ perierunt.* I,1,5,26.
Bælii (*Petri*) *Novelles de la Republique des Lettres.* I,1,16,46.
Bailletus *bibliothecæ Lamonianæ Bibliothecarius* I,1,5,13. I,1,16,55.
in Germanos iniquior eſt. I,1,16,56.
Vaſtum Opus ſcripſit ſub tit. jugemens des Sçavans ſur les principaux ouvrages des Auteurs. I,1,16,55. *quod laudatur, & ejus Tom. Imus recenſetur.* I,1,16,56.
Bailii *liber, Sapientia foris prædicans, recenſetur.* I,6,4,9.
de Balænis, *earumque capturâ.* II,2*,46,2.
Baldei (*Jacobi*) *Odæ, libri de Vanitate mundi & de philomela.* I,7,3,10.
Balduini (*Franciſci*) *Inſtitutio Hiſtoric.* III,4,1,3.
Juſtinianus & Conſtantinus M. III,6,4,2.
(*Friderici*) *Adventus Chriſti Typicus & Paſſio Typica laudantur.* I,6,4,23
Baldus (*Bernhard.*) *laudatur à Gaddio.* I,4,11,17. *in omni genere carminum excelluit.* I,7,3,4.
(*Camillus*) *de Divinatione Epiſtolari lib. ſcripſit.* I,4,1,10.
Balfourei (*Robert.*) *libri enumerantur.* II,1,14,67.
Balzaci *epiſtolæ laudantur.* I,1,24,24.ſeqq.
liber de Socratis vitâ recenſetur. II,1,3,2.
lites cum Heinſio. I,7,1,10. *harum arbitrium ſibi ſumſit Salmaſius.* ibid. *de illis judicia.* ibid.
Socrates Chriſtianus. II,1,3,3.
de Balzaco *varia judicia.* I,1,24,27.ſeq.
Balzacus *adverſus Howelium, Anglum, defenditur.* I,1,24,26.
Bangii (*Thomæ*) *Cœlum Orientis alio titulo excuſum.* I,4,1,10.
Obſervationes Philologicæ laudantur. I,4,10,8.
Sententia de literarum origine. I,4,1,10
Bannez *in nonnulla Theologiæ Thomæ ſcripſit, atq; inſtitutiones minores Dialecticas edidit.* II,1,14,21.
Baptiſtæ (*Joſ.*) *epigrammata celebrantur.* I,7,3,4.
de Baptiſtæ *Poëmatibus cenſura fertur.* I,7,3,8.
de Barbâ *quinam ſcripſerint.* I,5,2,9. II,2*,47,5.
Barbara *ſecula priſtina quædam acuta ingenia tulerunt.* I,1,2,11.ſeqq. *ceſſaverunt tandem literis renaſcentibus.* I,1,2,15.ſeqq.
Barbari (*Dan.*) *Comment. in Porphyrii Iſagogen.* II,1,11,11.
Barbaries *Magnatum ſocordiâ & hominum pravâ indole hodie ferè reducitur* I,1,2,17.
Seculorum priſtinorum. I,1,2,10.
Barbarorum *hominum ſtribligïnem eleganter depinxit Uldar. Huttenus in Epiſt. Obſcur. Virorum.* I,1,23,43.
Barboſæ *Axiomata à Tabore ſunt locupletata* III,6,6,4.
liber de jure Eccleſiaſtico ab alio ſcriptus eſt. I,1,9,19.

Barclaji *Argenis & Euphormio.* I,7,3,20.
Argenida continuavit Mouchenbergius, I,7,3,20.
Hiſtoria Europæ tantùm eſt affecta. III,4,1,7.
Barlæi *Epiſtolæ ob argutias & urbanitatem lectu dignæ.* I,1,24,56.ſeq.
Genus dicendi. I,6,3,4.
Mercator ſapiens. III,3,1,5.
Barlæus *miſerè periit.* I,1,15,12 I,1,24,55.
Philoſophus & Poëta præſtantiſſimus fuit. I,1,24,55.
Poëta fuit Claudianæus. I,7,3,8.
Barlet ſervant *apud Hiſpanos quis* I,2,3,22.
Baronii (*Bonav.*) *Poëmata certâ lege laudantur.* I,7,3,8.
Stylus improbatur. I,6,3,2.
(*Cæſ.*) *Annales, eorumq́ Continuatores, Epitomatores, Adverſarÿ & Hyperaſpiſtæ,* III,4,1,12. *illos omnium optimè continuare potuiſſent Blondellus & Caſaubonus* ibid.
Fraudes circa Patrum Opera conſpiciuntur in ejus Annalibus. III,5,1,28.
Baroſcopia *à Torricellio ſunt inventa.* II,2*,18,6. *illorum variæ ſpecies ac phœnomena.* ibid.
Barthii *Adverſaria deq́ illis judiciũ.* I,5,1,10.
Sententia de plagio Scaligeri eſt falſa. I,7,1,6.
Stylus. I,1,23,46.
in Barthium (*Caſp.*) *horrendum mendaciũ.* I,1,15,56.
Bartholini (*Eraſmi*) *Diſſ. de arcanis ſcientiarum laudatur.* I,1,2,20.
Diſſ. de conſvetudine. I,2,3,12.
lib. quæſt. XIII. *Acad. de Naturæ Mirabilibus.* II,2,2,11.
panegyricus in Nuptias Chriſt. Alb. & Fridericæ Amaliæ. I,6,3,6.
tr. de pulmonibus recenſetur. II,2*,47,3.
(*Thomæ*) *Anatome.* III,7,1,4.
Carmina commendantur. I,7,3,17.
Catalogus Danorum Scriptorum imperfectus eſt. I,1,18,46.
Comm. de libris legendis recenſetur I,1,16,7.
Comm. in Celſum laudatur, I,4,12,7. III,7,1,2.
epiſtolæ. I,1,24,16. II,2,2,6.
liber de luce animaliũ. II,2*,14,5
Orationes. I,6,3,3.
Sententia de Cometis. II,2*,24,3.
Bartoli (*Dan.*) *Character hominis literati recenſetur.* I,1,16,67.
Geographia Moralis laudatur I,6,4,15. III,1,1.5.
Bartoloccii *Bibliotheca Rabbinica.* I,1,6,29. I,1,10,23. I,4,5,5.
Bary (*Renatus*) *edidit librum la Rhetorique Françoiſe.* I,6,1,31.
Baſilicorum *libri quinam,* III,6,4,11. *illorũ ut & editionũ eorum hiſtoria.* ib. *eorum Verſio Latina Cujacii tantùm eſt affecta.* ibid. *unde deſumti, & cur confecti.* ibid.
Baſilii (*Valent.*) *Chymici, nomen, verum an fictum ſit.* I,1,9,25. *liber de incremẽtis & decrementis metallorum.* ib. *Currus triumphalis Antimonÿ.* II,2*,37,2.
Baſſo (*Sebaſt.*) *Maris fluxum & refluxum tribuit ſpiritibus mari contentis.* II,2*,20,3.
Batavas *athenas ſcripſerunt Swertius & Meurſius.* I,1,18,37.ſeq.

Batavicum *jus* vid. Jus.
Batavorum *incurioſa notitia ſuorum ſcriptorum notatur.* I,1,18,34.
Batei *janua præ Januâ Comenii commendatur.* I,2,4,18.
Bavarici *Juris inſtitutiones ſcripſit Khraiſerus.* III,6,10,3.
Baudii (*Dom.*) *Amores ab Heinſio punguntur.* I,1,24,88.
ut & Scriverio. I,1,24,89.
Epiſtolæ coloremè Plauti argutiis trahunt. I,1,24,87.
Stylus. I,1,24,87. I,6,3,4.
Vitia. I,1,24,88.
Baudius (*Dom.*) *fuit poëta in Jambis feliciſſimus.* I,1,24,86. I,7,3,12.
Baumanniana *Specus.* vid. Specus.
Bayeri *Oſtium S. Atrium naturæ.* II,1,15,19. II,2,3,5.
Philoſophometa παράδοξα prolixè recenſentur ac confutantur. II,2,3,5.
Bayſius (*Lazarus*) *de vaſculis & poculis ſcripſit.* I,5,2,13.
Bayle (*Franciſci*) *Syſtema generale Philoſophiæ recenſetur.* II,1,15,9. II,2,17,4.
Beaufortius *de Coſmopœiâ divinâ ſcripſit.* II,2*,11,7.
Becani (*Joh.Georg.*) *de primatu linguæ Cimbricæ riſu digna ſententia* I,4,3,4.
Origines Antwerpianæ. I,4,3,4.
Beccheri *Characterographia univerſalis.* I,2,5,44. I,4,2,5.
Chymiſcher Glücks-Hafen. III,7,1,7.
lib. von den eigentlichen Urſachen des Glücks und Unglücks III,1,1,10. von den eigentlichen Urſachen des Auf- und Abnehmens der Städte/ Länder ꝛc. III,3,1,3.
Methodus didactica recenſetur. I,2,4,34. ſeq. *& laudatur.* I,2,4,37. I,4,9,6.
Methodus mechanica practica promiſſa. I,2,4,42.
Novum Organon pro verborum Copiâ &c. recenſetur. I,2,4,32, I,3,2,13. *hujus Organi uſus in Inventione oſtenditur.* I,2,4,33.
Stulta ſapientia & ſapiens ſtultitia I,1,20,17.
de Becchero *judicium.* I,4,2,5.
Beccherus *argillæ transmutationem in ferrum falſò credidit.* II,2*,30,2.
verſatili ingenio fuit præditus. I,2,4,37.
Becmanni *Lineæ Doctrinæ Moralis laudantur.* III,1,1,6.
Beenii (*Pauli*) *Rhetoricæ Controverſiæ.* I,6,1,12.
Bejerlingii *theatrum Vitæ humanæ.* I,1,21,23
Belgicæ *linguæ primatum peculiari libro aſſerit Mylius.* vid. Mylius.
de Belgicorum *Commerciorum Secretis libri recenſentur.* III,3,1,3.
Bellarmini *liber de Scriptoribus Eccleſiaſticis tutò legi non poteſt ſine cenſura Coci.* III,5,1,28.
patria, pietas, dignitas & ſcripta. III,5,1,24.
Bellarminus *adverſarium habuit Chamierum, aliosque.* III,5,1,24.
Pontificiorū eſt Promachus. III,5,1,24.
Bellonius (*Petrus*) *Obſervationes ſuas Domino ſuo ſuffuratus eſt.* II,2,2,8.
Bellovacenſis *Epiſcopi, Vincentii, ſpecula, doctrinale, naturale, morale & hiſtoriale, recenſentur.* I,1,21,22. II,2,2,4.
Bellunenſis (*Urbani*) *Inſtitutiones Grammaticæ.* I,4,6,7.

Bellutus (*Bonav.*) *doctrinam Scoti vindicavit.* II,1,14,13.
Beloti *l'Oeuvre des Oevres &c. recenſetur.* I,2,5,58.
Belotus (*Joh.*) *Artem ex Lullio memorativam producit, ſed mancam & mutilam.* I,2,6,22.
Chiromantiam & Phyſiognomiam ſcripſit. II,3,1,7.
Belurgerii *inſanus in Homerū amor.* I,7,2,2.
Bembi, *Card. ſtylus laudatur.* I,1,23,38.
Vita à Joh. Caſâ ſcripta. I,1,19,46.
Benzii (*Joh.*) *libri de figuris.* 1,6,1,21.
methodus colligendi. I,3,2,14. ſeqq.
cui utiliter jungitur Schönflederi Apparatus. I,3,2,25.
Theſaurus Elocutionis Oratoriæ Græco-Latinus recenſetur. I,4,8,8.
Berchorii (*Petri*) *Dictionarium Morale, & Reductorium Morale recenſentur* I,6,4,16.
Beringii *Oratio de Hiſtoriâ.* I,6,3,6.
Berirgardi (*Claudii*) *Circulus Piſanus.* II,2,2,7.
Berlucii (*Joh. Antonii*) *Adagia ſelecta.* I,1,21,72.
Bernaclæ, *Scotici anſeres, veræ ſunt aves.* II,2*,44,5.
Bernardi (*Joh. Bapt.*) *Seminarium totius Philoſophiæ Ariſtotelicæ & Platonicæ recenſetur.* I,1,21,28. II,1,11,31. II,2,11,3.
Berneggeri *Orationes laudantur.* I,6,3,3.
Berneggerus *quandoque plagii reus eſt.* I,2,5,10 I,2,6,98.
Beroaldus (*Phil.*) *præpoſterus Apuleji imitator.* I,4,14,3.
Beroſi *fragmenta ex Armeniâ allata, & ad Annium perveniſſe ſtatuit Poſtellus.* I,1,10,12.
Beroſus *antediluvianorum temporum Scriptor.* I,1,6,16.
fuit Sacerdos Chaldæus. I,1,6,32.
ſcripſit paulo ante Alexandri M. tempora libros tres rerum Chaldaico-Aſſyriacarum. I,1,6,32. *quos edidit & Comm. illuſtravit Annius Viterbienſis.* I,1,6,33. I,1,9,2.
Berſmanni (*Gregor.*) *Calligraphia Ovidiana* I,7,1,19.
Bertrandi *liber de Juris-Conſultis Veteribus laudatur.* III,6,3,5.
Beſnierius *de Reunione linguarum per Latinam librum ſcripſit.* I,4,3,6.
de Beſoldi *ſcriptis judiciū fertur.* III,6,9,6.
Beſſarionis, *Patriarchæ Conſtantinop. & Cardinalis legato, Bibliotheca Veneta inſigniter locupletata.* I,1,4,18. *quâ de re epiſtola ejus recenſetur.* I,1,17,4.
Beughem (*Cornelii*) *Bibliographia Juridica & politica.* III,6,6,1.
Bibliographia Phyſico-Medica. I,1,18,66
Bibliographias omnium Facultatum, & plura elegantia ſcripta promiſit. I,1,18,65. ſeq.
Catalogus libb. Phyſicorum & Medicorum. III,7,1,3.
Liber la France ſçavante recenſetur. I,1,16.45.
de Bezæ (*Theodori*) *Emblematibus Judicium fertur.* I,7,3,5.
Bibliander (*Theod.*) *ob peritiam plurium linguarum laudatur.* I,4,4,2.
de Bibliis, *eorumq; editionibus agit Hottingerus.* III,5,1,14.
in Bibliopolas *Batavos invectiva.* I,4,11,2.
cum Bibliopolis *converſatio Auguſtino Barboſæ maximè utilis fuit.* I,1,15,48. I,1,4,8.

Bibliorum *Commentatores Critici*. III,5,1,15.
Exegetici. III,5,1,16.
inter Editiones eminet πολύγλωττος Anglicana Walthoni. III,5,1,14.
cui præmiſit Apparatum, ibid.
Bibliotheca *Abyſſina 1000. librorum fabuloſa eſt.* I,1,6,26.
Aldi Manutii. I,1,3,5.
Angelici Aproſii. I,1,5,14.
Auguſti, Brunſvicenſiũ Ducis. I,1,3,22 *deſcripta eſt à Conringio, ſub tit. Bibliotheca Auguſta, in quâ ſeptẽ admiranda oſtendit*. I,1,17.34. I,1,3, 22. *ob acta publica MSSta Germanica celebratur*. I,1,7,49. I,1,3,16.
ejus ordo laudatur. I,1,5,10.
Budenſis, partim à Turcis diſtracta partim ad Vindobonẽſem & Guelferbytanam Biblioth. pervenit. I,1,4,20. I,1,7,56. I,1,17,34.
ἔμψυχος ſ. viva, & mortua. I,1,3,1.
Heidelbergenſis. I,1,4,17. *hujus ſpoliis Vaticana aucta dicitur*. ibid.
Jeſuitarum Cochinenſis, Batavis in prædam ceſſit. III,5,1,23.
Jeſuitici ordinis. I,1,18,54.
librorum centum Principi ſufficit. I,1,3,8. I,1,5, 18. *imo duorum, vel quatuor tantùm.* I,1,5,18.
Marquardi Gudii, vid. Gudii.
Matthiæ Hunniadis, incomparabilis. I,1,4,21.
Oxonienſis penè tota ex legatis & donationibus congeſta. I,1,4,15. ſeq. vid. Oxonienſis.
Proceſſualis à Thurmanno promiſſa. III,6,7,14.
Regis Galliæ è Bibliothecâ Mediceâ Florentinâ crevit. I,1,17,35. *crevit è biblioth. Raph. Tricheti du Freſne*. I,1,18,69. *nec non Thuani libr. pleniſſimo catalogo ſummâ induſtriâ deſcribetur,* I,1,17,35.
Scriptorum Sacri Ordinis Ciſtercienſis. I,1,18,55.
Thuana, à MSStorum vetuſtate, & pretio inſigni commendatur. I,1, 21,2. I,1,7,21. *magno prètio bibliothecæ Regiæ acceſſit.* I,1,18,69.
Vaticana à quibus autoribus ſit deſcripta. I,1,17,25. ſeqq. & 36. *non magnoperè æſtimatur à Joſepho Scaligero, qui illi Florentinam & Pariſinam Regiam præfert*. I,1,17 24. *ſpoliis Heidelbergenſis bibliothecæ aucta dicitur.* I,1,4,20. I,1,7,55. I,1,17,24.
Veneta, I,1,3,19. *aucta legato Cardinalis Beſſarionis.* I,1,4,18.
Vindobonenſis locupletiſſima I,1,2,6. I,1,7,28. *de illâ Comment. Lambecii*, vid. Lambecii.
Univerſalis Hiſtorica. I,1,16,48.
Volante Joh. Cinelli laudatur. I,1,18,74. I,1,21,31.
de Bibliothecâ *inſtruendâ liber Gabrielis Naudæi Gallicè ſcriptus*. I,1,2,7. I,1,17,5.
Bibliothecæ *actorum publicorum ſunt ſcrinia.* I,1,3,11. ſeqq. I,1,6,8.
artium ſunt quaſi promicondæ. I,1,2,24. I,1,3,28. ſeqq.
Collegii Pariſienſis Societatis Jeſu Syſtema laudatur. I,1,17,37.
Humphridiana fata. I,1,4,15.
librorum primi & ſecundi templi an extent. I,1,6,14. I,1,17,3, ſeqq.
magiſtri & bibliothecarii minores apud Gallos diſtincti ſunt. I,1,6,10

ordo certus eſt. I,1,5,1. *non tamen nimis anxius.* I,1,5,7.
Perſarum. I,1,6,34.
Philadelphi Alexandrinæ quinam præfuerint. I,1,6,3.ſeq.
Philoſophicæ & hiſtoricæ concinnandæ ſeries à Lambecio ſibi præfixa. vid. Lambecius.
πολύσημων eſt nomen. I,1,3,2.
publicæ ſunt, vel privatæ. I,1,3,3.
Syſtema Collegii Pariſienſis Soc. Jeſ. I,1,17,37.
Thuanæ Catalogus. I,1,18,69. *Ordo.* I,1,5,11.
veteres Ægyptiorum, Chaldæorum &c. I,1,6,30. ſeqq.
univerſalis ordo. I,1,5,15.ſeqq.
Bibliothecam *primus è Græcis Ariſtot. collegiſſe dicitur.* I,1,2,24.
Bibliothecaria *cognitio eſt polyhiſtori neceſſaria,* I,1,6,12. I,1,17,1. I,1,20,1. ſeq. *in quo conſiſtat.* I,1,6,12.ſeqq.
excerpta. vid. Excerpta.
furta. I,1,4,22.ſeqq.
notitia. I,1,6,12. I,1,20,3. *Locorum Communium quaſi imaginem exhibet.* I,1,21,1.
Bibliothecariæ *rei ſtudium ineptè à Claudio Verdiero improbatur.* I,1,6,13.
Bibliothecarii *Eccleſiæ Romanæ olim Cancellarii dicti.* I,1,6,7.ſeq. *fuêre etiam cum Epiſcopis pari dignitate* I,1,6,8.
Eccleſiarum Cathedralium. I,1,6,8.
Chartophylaces dicti. I,1,6,9.
Bibliothecariorum *ampliſſima olim dignitas.* I,1,6,1.
Bibliothecarum *Catalogi Reales.* vid. Catalogi.
deperditarum Scriptores. I,1,5,29.ſ. *erigendarum Cauſæ.* I,1,3,11.ſeq. *cura Principibus maximè incumbit,* I,1,3,10.& 21.& 31. *media.* I,1,4,1.ſeqq. *hæc ſunt vel legitima vel luctuoſa & inboneſta.* I,1,4,19.
everſio à furore militari. I,1,5,19.ſeq. I,1,4,21.ſeq. *à ſuperſtitione.* I,1,5,23 *à barbarie & ruditate hominum.* I,1,5,22. *à diſſidio religionis.* I,1,5,26 *ab incendio.* I,1,5,28.
Juridicarum Scriptores, & de iis judicia. III,6,6,1.
Medicarum Scriptores. III,7,1,3.
Ordo, à Croix de la Maine præſcriptus, confuſus eſt & inconcinnus I,1,5,2. I,1,18,22. *varius à variis traditur.* I,1,5,3.ſeqq. I,1,17,6. *à Naudæo datus eſt commodiſſimus.* I,1,5,7. *quaſi imaginem LL. CC. exhibere debet.* I,1,21,1.ſeqq.
Ornatus ne ſit nimius. I,1,4,26.& 31. *Optimus conſiſtit in ſculptis vel pictis imaginibus virorum doctorum.* I,1,4,27. *optimus eſt à chartâ & typis.* I,1,14,28.
Theologicarum Scriptores recenſentur. III,5,1,13.
uſus publicus. I,1,3,25.ſeqq.
Bibliothecas *duas Romæ Hilarius Papa omnium primus inſtituit.* I,1,3,15
Bibliothecis *apud Reges Franciæ quinam præfuerint.* I,1,6,6.
apud Romanos quinam. I,1,6,5.
de Bibliothecis *Pariſinis & Gallicis gloriatio Ludovici Jacobi* I,1,3,9. *refellitur* I,1,17,12. I,1,3,9.
variis qui ſparſim egerunt Autores recenſentur. I,1,17,36.
in Bibliothecis *MSStorum uſus difficulter conceditur.* I,1,3,27.

Βιβλο-

Βιβλομανία quorundam Privatorum reprehenditur. I,1,3,4.ſeq.
à Pinello quoque improbata.I,1,3,7.
excuſatur. I,1,3,23.ſeq.
Βιβλοφιλία Principum quorundam. I,1,3,21.ſeq.
Bidermanni Herodiados libri tres. I,7,3,9.
Sylvulæ Hendecaſyllaborum.I,7,3,11.
Biel(Gabr.)Scripta enumerantur.II,1,13,6.
Binderus (Chriſtoph.) de Theologiâ Scholaſticâ ſcripſit. II,1,14,72.
Biographicum Diarium Wittenii.I,1,18,52.
Biographi veteres & recentiores, vid. vitarum Scriptores.
Bion Poëta Bucolicus. I,7,2,16.
Biſciolæ (Laurentii) Horæ ſucciſivæ recenſentur. I,1,21,46.
Biſſelii(Joh.) Deliciæ Vernæ & æſtivæ.I,7,3,9.
illuſtres ruinæ Rerump.& Familiarum. III,2,1,17.
Blaëu Inſtitutiones Aſtronomicæ. II,4,1,8.
Blancanus (Joſeph.) Chronologiam Mathematicorum ſcripſit. II,4,1,1.
Blommertii Panegyricus in Ordines Hollandiæ. I,6,3,6.
Blondelli Notas in Baronii Annales magno ære paravit Magiſtratus Amſtel. III,4,1,12.
Pſeudo-Iſidorus Juri Canonico oppoſitus laudatur.III,6,3,9.III,6,7,14
Boccalini (Trajani) Relationes è Parnaſſo Cardinali Cajetano, ut vero autori, tribuuntur.I,1,9,11.I,1,16,65.
Relationes in Tacitum III,2,1,12.
Boccalino liber Relationum mortem violentam paravit. I,1,9,11.
Die Bockheiligen / gens prope Pruſſiam, Willigii ætate Græcâ linguâ corruptâ uſa eſt. I,4,4,4.
Bocharti(Sam.)Geographia S.Criticis Obſervationibus referta. I,5,1,11.
Hierozoicon. I,5,1,11.II,2*,46,1.
de Plantis S.Scripturæ Opus poſthumum expectatur. II,2*,40,2.
Böcleri Commentarii in Grotium. III,6,1,5.
Diſſ. de linguâ N. T. Originali laudatur. I,4,6,19.
Diſſertt. Academicæ. III,2,1,13.
Diſſertt. in Tacitum & Svetonium. III,2,1,12.
Editio Cornelii Nepotis eſt nitidiſſima I,4,11,10. cujus Index male à Vorſtio auctus. ib.
Minervæ tyrocinium, ſive praxis Böclerianæ Inſtitutionis examinatur. I,2,13,9.ſeqq.
Notitia S. R. Imperii. III,6,9,3.
Orationes. I,6,3,3.
Sceptrum Apollinis. I,6,3,6.
Bodini Dialogus de abditis rerum ſublimium arcanis reverà extat.I,1,8,8. I,3,3,53. impietatis arguitur. I,1,8,9. è Chartis Coronæi & Poſtelli, colloquium quorundam Venetorum de Religionibus, continentibus, originem traxit. I,1,8,10.
Plagium. I,7,2,24.
de Bodino Novatore Politico, judicium fertur. III,2,1,4.
Bodinus Methodum Hiſtoriarum edidit. III,4,1,3.
in Theatro univerſæ naturæ ſub formâ Dialogi ſcripſit. II,2,2,7.
Boëthii Elogium. I,4,14,23.II,1,11,1.
libellus de Conſolatione Philoſophiæ commendatur.I,4,14,23.II,1,11,1,
ejus editiones. ibid.
Operũ editores recenſentur.II,1,11,1.

Bohlii

Bohlii (*Sam.*) *de radicibus doctrina & Lexicon MSStum.* I,4,5,4.
Böhmii *Doctrinam refutavit Pomarius.* I,5,1,36.
Böhmii (*Jacobi*) *mirabile ingenium & varia ſcripta.* III,5,1,36. I,1,10,28.
Myſterium magnum. II,2,3,8.
Viſiones & vita. III,5,1,36.
de Böhmio *ejusque libris judicium.* I,1,10,28 II,2,3,8.
Böhmius *Philoſophus Teutonicus dictus.* I,1,13,27.
in Scriptis ſuis Pythagorica dogmata ſpirare videtur. I,1,19,28.
de ſignaturâ rerum ſcripſit. II,2*,4,6
Bohorizii (*Ad.*) *de Slavonicâ linguâ lib. commendatur.* I,4,3,3.
Boldonius (*Octavius*) *Epigraphicam ſcripſit, de quâ judicium fertur.* I,6,3,11.
Bolduani (*Pauli*) *Bibliotheca Hiſtorica recenſetur.* III,4,1,2.
illa laudatur inter ceteras. I,1,18,12. III,4,1,7.
de Bombycib9 *Scriptores quinam.* II,2*,14,5
Bonaventura *ſcripſit Commentarios in Lombardi libros Sententiarum, nec non alia Opera.* II,1,14,14.
Seraphicus unde dicatur. II,1,14,7.
Boncampagni *Seculum Momi.* I,6,3,11.
Bonciarius (*Antonius*) *Patrem ſuum 47. annos natum, latinis literis imbuit.* I,1,23,64 *Mureti diſcipulus fuit.* ib.
Bonefonii (*Joh.*) *Carmina laudantur à Scaligero.* I,7,3,11.
Bongarſii *Scripta commendantur.* I,1,24,90
Bonifacii (*Balthaſaris*) *Hiſtoria ludicra laudatur.* I,1,21,34.
Poëmata, I,7,3,17.
Scripta infinita ſola penè bibliothecã facere poſſunt. I,1,22,34.
Bonifacius *de Romaæ Hiſt. Scriptoribus ſcripſit.* III,4,1,2.
Bonnetus (*Joh. Paulus*) *artem, mutos & ſurdos à naturâ ad loquendum inſtituendi, publicâſſe dicitur.* I,2,3,21. ſeqq. II,2,1,14.
Bonomi *Democritus & Heraclitus.* III,1,1,6.
Bononienſis *lapidis luminis cauſa inquiritur.* II,2*,14,5.
de Bono *Summo Scriptores.* III,1,1,10.
Bonvicini *Lanx Peripatetica adverſus Kircherum ſcripta.* II,2*,36,2.
Boranez *herba agno ſimilis, non eſt verum animal.* II,2*,44,4.
Borbonii (*Nicolai*) *Epigrammata.* I,7,3,3.
Borcholti *Comment. laudatur.* III,6,7,3.
Borelli *lib. de vanitate Magiæ promiſſus rejicitur.* II,3,1,18.
Scripta de motu commendantur. II,2*,48,1.
Borellus (*J. Alph.*) *in lib. de Vi percuſſionis tradit de motu regulas, à Carteſio diverſas.* II,2,17,7. *hic liber laudatur.* II,2*,6,6.
Scripſit Euclidem reſtitutũ II,4,1,6.
Borgiæ (*Cæſaris*) *Ducis Valentini Vita à Thoma Thomaſio edita, officinam pandit ſcelerum & nequitiarum.* I,1,19,28.
Borri (*Franc. Joſephus*) *in doctrinâ de Dæmonibus* Πλατωνίζει. II,1,7,13.
de ejus vitâ & dogmatibus liber prodiit, qui recenſetur. ibid.
Borrichii (*Olai*) *Cogitationes de variis Latinæ Linguæ ætatibus.* I,4,9,15.
Diſſ. de Cauſis diverſitatis linguarum I,4,3,7. *de Cabalâ Characterali.* II,2*,8,7. *de Lexicorum Latinorum jejunitate.* I,4,9,7.
Lib. de Poëtis. I,7,2,1.

Libb.

Libb. de Ortu & progreſſu Chimiæ, nec non de ſapientiâ Ægyptiorum. II,2,16,5.
Lingua Pharmacopœorum. I,7,1,16.
Parnaſſus in nuce. I,7,1,16.
Borrichius *Conringii Antagoniſta fuit.* II,2,4,11.
Borromæus (*Frid.*) *ſcripſit lib. de Sacris noſtrorum temporum Oratoribus.* I,6,4,9.
Borrul(*Matthiæ*) *de divinâ ſcientiâ futurorum contingentium, præcipuè media, lib.* II,1,14,39.
Boſii *editio Cornelii eſt abſolutiſſima* I,4,11,10
lib. de notitiâ orbis affectus. III,2,1,6
Schediaſma de comparandâ notitiâ Scriptorum Eccleſiaſticorum laudatur. III,4,1,18.
Scripta varia inedita. I,1,7,44.
Boſveti *Diſcurſus ſuper hiſtoriam univerſalem laudatur* III,4,1,15.
Botanica *excerpta.* I,3,13,41.
Botanici *Scriptores.* II,2*,40,4. III,7,1,5.
Boteri *Scripta varia Politica.* III,2,1,14.
Botii *Philoſophia Naturalis reformata recenſetur.* II,2*,1,3.
Bottifanga (*Jul. Cæſar*) *præter artium liberalium peritiam etiam illiberalibus erat inſtructiſſimus.* I,1,1,6.
Bouhourſii *la maniere de bien penſer ſur les Ouvrages de l'esprit.* I,4,13,4. I,6,1,31.
de Boultoni *Medicinâ Magicâ judicium fertur.* II,2*,8,3.
Boulweri *ratio ſupputandi per digitos improbatur.* II,4,1,5.
Bourdin (*Petri*) *Solflamma.* II,2*,12,3.
Boxhornii *de Chronologiâ judicium fertur.* III,4,1,4.
dicendi genus. I,6,3,4.
Diſquiſitiones politicæ. III,2,1,13.
Diſſert. de Græcorum, Romanorum & Germanorum linguis, earumque Symphonia. I,4,3,3.
Epiſtolæ à Sarravio carpuntur. I,1,24,4. *venuſtate tamen non carent.* I,1,24,95.
Ideæ Orationum. I,6,1,25.
Origines Gallicæ. I,4,3,3.
Boylii (*Rob.*) *artificium oſſa emolliendi & in cibum convertendi.* II,2*,3,5.
Chimiſta Scepticus. II,2,16,4. *de hoc judicium fertur* II,2*,13,5.
experimentum de congelatione. II,2*,17,3.
hiſtoria fluiditatis & firmitatis. II,2*,7,6.
lib. de Coloribus. II.2*,15,2.
de formarum Origine. II,2,1,7.
de frigore commendatur. II,2*,17,4. *de igne, conſumtus eſt igne* II,2*,16,2. *de infido Experimentorum ſucceſſu.* II,2,1,18
maris hiſtoria naturalis affecta deſideratur. II,2*,20,7.
Of the Seraphic love, or motives and incentives to the love of God. I,6,4,20. *hujus libri occaſio.* ibid.
ſententia de gemmis recenſetur. II,2*,33,2.
de uſu Philoſophiæ naturalis. II,2,1,7. *in hoc libro nimiam ſuam credulitatem oſtendit.* ibid.
Boylius (*Rob.*) *doctrinæ Epicuri, de Atomis, inſtaurator fuit, multis de eâ libris evulgatis.* II,1,5,7. II,2,7,13 II,2*,3,5.
de fundo maris ſcripſit. II,2*,20,6.
de qualitatibus rerum Coſmicis. II,2,1,24.

Scriptis & experimentis demonſtravit, ſpatium aëre vacuum poſſe dari. II,2*,4,3.

de Brachmanibus *quinam ſcripſerint.* II,1,1,10.ſeq.

Brachmanum *colloquia cum Apollonio Thyanæo inſtituta.* I,1,13,27.

dolia ventorum & imbrium an fabuloſa ſint. I,1,13,20.ſeq.

Brachminum *ſ. Braminum collegium & arcana.* I,1,13,16.

Brachygraphica *ars.* I,4,2,4.I,2,6,87.

Brahæi (*Tichonis*) *vitam deſcripſit Gaſſendus.* I,1,19,18.

Bramines *Indorum, qſ. Abramines, ab Abrahamo dicti & oriundi cenſentur* I,1,10,13.I,1,13,16.I,1,6,23.

Breiſſaci *Rotæ pro experientiâ militari laudantur.* I,2,5,62.

Brerewoodus *Scrutinium religionum ſcripſit.* III,5,1,20.

Briſſonii *lib. de formulis & ſolennibus populi Romani verbis laudatur.* I,4,9,20.III,6,3,3.

de regno Perſarum. II,2,5,7.

Brocardica *quid ſint.* III,6,6,4. *eorum reformationem promiſit Leibnitius.* ib

Broun (*Thomas*) *Atheiſmi falſò accuſatur.* III,5,1,10.

pſeudodoxiam epidemicam edidit. I,2,7,98. II,2,1,9. III,5,1,10.

Brummeri *Commentarius ad Leg. Cinciam, & triſte fatum recenſentur.* III,6,3,7.

Brun (*Laurentii de*) *Eloquentia Poëtica.* I,7,1,7.

Inſcriptiones ſunt elegantes. I,6,3,13

Virgilius Chriſtianus. I,7,3,8.

Brunnemanni *Comm. perpetuus in Pandectas.* III, 6,7,3. *ad praxin referendus.* III,6,7,9.

Brunnerus (*Mart.*) *Thomæ Magiſtri librum novâ editione publicare voluit.* I,4,6,4.

Brunonis (*Henrici*) *epigrammata ſub titulo Mengel-moos prodierunt.* I,7,3,4.

Brunus (*Jordanus*) *ab atheiſmo excuſatur, ignis tamen ſupplicio affectus.* I,1,8,22.II,1,5,6. II,2,15,1.

libros obſcuros & ænigmaticos, ad memoriam artificialem pertinentes, ſcripſit. I,2,6,12.ſeqq.

magnus fuit artis Lullianæ propugnator. I,2,5,29.

ad normam Lullii ſcripſit artificium perorandi. I,2,5,54.

Ob doctrinam de pluralitate mundorum & ſolium, in libro de immenſo & innumerabilibus, defenſam, vivicomburio affectus. II,1,5,6. II,2,15,1. II,2*,3,4. II,2*,11,5. *argumenta præcipua libri de pluralitate mundorum recenſentur.* II,2*,11,5.

Bruſonii *facetiarum & exemplorum libri à Lycoſthene editi.* I,1,21,58.

Bruta *plus valent odore, quàm homines.* vid. Odor. *ſenſu carere, quinam docuerint.* II,1,15,11. II,2,17,9. II,2*,45,4. *hæc doctrina improbatur.* II,2*,48,1.

de Brutorum *animâ ſenſitivâ lites.* vid. Animantia.

Brutorum *Voces ſermoni humano præfert Iſaacus Voſſius.* II,2,6,6.

Bruxellenſes (*Georgius & Petrus*) *quidnam ſcripſerint.* II,1,13,10.

Bucellini *Officina epithetorum.* I,7,1,19.

Buceri *Comm. in Pſalmos ſub ficto nomine in Italiâ prodiit.* III,5,1,17.

Buchananus *laudatur.* I,7,3,8. *è recentioribus*

bus Poëtarum Lyricorum optimus. I,7,3,10.
Buchneri *Editores poſthumi, nullo uſi delectu, notantur.* II,1,11,30.
lib. de commutatâ dicendi ratione. I,6,1,15.
Orationes. I,6,3,3.
Stylus. I,2,24,99.
Buchnerus *epiſtolis & variis Scriptis celebris* I,1,24,99.
Poëta ſuo tempore inter Germanos princeps. I,1,24,99.
Budæi *Commentarii Græcæ Linguæ doctiſſimi.* I,4,8,3.
Commentarius in τὰ πρῶτα *commendatur.* III,6,7,5.
elogium ob eruditionem inſigne. I,4,8,3.
Budæus *in humanioribus literis* αὐτοδίδακτος. I,1,1,14.
proceſſum & ſolennia fori Romani veteris deſcripſit III,6,3,3.
Buiſardi *vitæ virorum illuſtrium cum Iconibus.* I,1,19,49.
Bulengerus *ſcripſit de ominibus & divinationibus.* II,3,1,5. *de picturâ plaſticâ & ſtatuariâ.* I,5,2,14.
Bulla *aurea* vid. aurea.
Bullart (*Iſaaci*) *Academia ſcientiarum.* I,1,19,56. I,6,4,6.
Bungi (*Petri*) *liber de myſteriis numerorum* II,1,2,4.
Bunonis (*Joh.*) *varii labores mnemonici laudantur.* I,2,6,53. ſeqq.
Buranæ (*Joh. Franciſci*) *in Ariſtot. Commentarii.* II,1,11,7.
Buratellus *ſcripſit Conciliationem præcipuarum Controverſiarum Ariſtot. & Platonis.* II,1,7,17. *de quo libro fertur judicium.* ibid.
de Burgersdicii *Ideâ Politicâ judicatur.* III,2,1,3.
Burggravius *indurationem & invulnerabilitatem corporum ut poſſibilem defendit.* II,2*,8,7.
Burgheſius *multis licet artibus præditus, ab omnibus tamen nullum habuit auxilium.* II,4,1,17.
Burgius (*Alexander*) *nimius famæ affectator.* I,1,15,25.
Buri (*Richardus de*) *ob autoritatem, quâ polluit, bibliothecam ſuam auxit.* I,1,4,11.
Philobiblion, librum elegantiſſimum & rariſſimum ſcripſit. I,1,17,3. ſq.
Burrhus (*Franc. Joſephus*) *magnoperè jactat artificium oculos reſtituendi.* II,2*,46,5.
Burſeri *lib. de Origine fontium recenſetur.* II,2*,20,8.
Buſii *Subtilitates in ff.* III,6,7,5.
Buſſiere *Scanderbegus.* I,7,3,8.
Bythneri (*Joh. Erneſti*) *Grammatica laudatur.* I,4,10,10.

C.

CAbala *judæorum Theologia Myſtica dicitur.* I,1,10,23.
Theo-Philoſophica recentiorum quorundam. I,2,7,63.
de Cabala *veterum qui ſcripſerint.* I,1,10,23 I,2,7,56.
Cabalæ *literariæ myſteria.* I,1,12,6.
de Cabaliſtarum *dogmatibus cenſura.* II,5,1,8.
Cabaliſtarum *linea viridis.* I,2,7,54.
methodus ænigmatica. I,2,7,55. *ad egregiè in literis proficiendum multis profuit.* I,2,7,58. *à Schalichio recocta.* I,2,7,57.
Cabaliſticæ *Paraphraſes.* III,5,1,16.

Cabaliſtici *Autores quaſi viam ſternunt magiæ naturali.* I,1,11,1.
libri fuêre Hebræorum theoſophici ſecreti. I,1,10,23. *multa rerum naturalium, & ſecretioris Metaphyſicæ myſteria continent.* I,1,6,28 I,1,7,61 *ab Esdra* LXX *ſcripti dicuntur.* I,1,6,28. I,1,10,23. *ex Abrahami libro, Sepher jetzira, hauſti perhibentur.* I,1,10,23.
Cabaliſticorum *Scriptorum lectio diſſuadetur & obſcuritas taxatur.* II,2*,9,2.
Cabaſilæ (*Nicolai*) *Diſſ. de Criterio veritatis.* II,1,6,1. II,2,9,1.
Cabezudo (*Didacus Nugno*) *Comm. Scholaſtica ſcripſit in tertiam partem S. Thomæ, aliosque tr.* II,1,14,25.
Cadavera *per ſuccinum præſervavit Kerckringius.* II,2*,5,5.
Cadaverum *Corruptionis tempus.* II,2*,5,5. *cruentatio ſ. hæmorrhagia non eſt ſignum judiciale.* II,2*,8,10. *quorundã incorruptibilitas* II,2*,5,5 *vitam aſſerit Marci.* II,2*,5,5.
Cætitatem *continuis lucubrationibus contraxit Schegkius.* II,1,11,23.
Cæcus *libros edidit.* II,1,11,23. *carmina, epiſtolas & Orationes ſcripſit.* I,1,24,127.
de Cœlii *Epigrammatibus judicium fertur.* I,7,3,3.
Cælii *Rhodigini liber.* Vid. Rhodiginus.
Cæſalpini *quinque libri quæſtionum Peripateticarum recenſentur.* II,1,11,25.
dogmata diſcuſſit Taurellus. II,1,11,26.
Cæſar *Germanicus Arati Phænomena latino carmine expreſſit.* I,4,12,3.
Cæſar (*Julius*) *jus in artem redigere fruſtrà conatus eſt.* III,6,1,4.
à Manutio Hiſtoricis Latinorum omnibus præfertur. I,4,11,9.
Librorum de Bello Gallico an ſit auctor. I,4,11,9.
horum ſtylus & fides vindicantur. ibid. *variæ editiones*, ibid.
Cæſii (*Angeli*) *Naturæ theatrum.* II,2,2,9.
Cagnoli, *Abbatis, faſtuoſa* δοξομανία *refertur.* I,1,15,25.
Cajetanus, *Cardinalis, autor Relationum Boccalini creditur.* I,1,9,11.
Caji *Inſtitutionum fragmenta quinam illuſtrârint.* III,6,4,4, & 7.
de Calceo *Bened. Balduinus ſcripſit.* I,5,2,9.
pro Calefaciendis *Conclavibus inventum novum.* I,1,20,20.
Calepinus *in Lexico ſuo eſt merus Perotti deſcriptor.* I,4,9,9.
de Calidæ *potu ſcripſit Freinsheimius.* II,2*,42,4.
Caliphæ, *Ægypti Dynaſtæ, doctos Viros è Judæis, Chriſtianis, omnibusque gentibus convocârunt, Græcosq; libros potiſſimos in Arab. Lingv. verti curârunt.* I,1,11,39.
Calixti (*Georg.*) *Apparatus Theologicus inter alia de Doctoribus Scholaſticis agit.* II,1,13,14. III,5,1,13.
judicium benignius de Scholaſticis. ibid.
Caligraphiâ *an puer neceſſario ſit inſtruendus.* I,2,9,45. I,2,10,14. & 23.
excellens an ad ſpeculativas ſcientias ſit inhabilis. I,2,1,29.
Callimachus *juxtà Svidam polygraphus.* I,7,2,17.
Quando vixerit. ibid.
Callipædia *Calvidii Læti.* I,2,1,8.

Calor

Calor & *frigus ad omnes naturæ operationes concurrant.* II,2*,17,1.
de Calore *dogma Teleſii recenſetur.* II,2,13,4
Calpurnii *Bucolica ad Nemeſianũ.* I,4,14,6.
Calvinianiſmi *exſtirpatio in Galliâ à Noſtradamo prædicta.* I,1,10,35.
Calviſii *Opꝰ Chronologicũ laudatur* III,4,1,5
Cameræ *Imperialis praxin & proceſſum quinam deſcripſerint.* III,6,11,3.
Camerarius (*Joach.*) *Commentarios utriusque linguæ edidit.* I,4,8,4.
inter Germaniæ Heroas literarios meritò recenſendus. I,1,23,54.
I,4,8,4.
Scripta multa limatiſſima, ut & epiſtolas edidit. I,1,23,54.
Vitam Melanchtonis egregiè deſcripſit. I,1,19,34.
Camerarius (*Joh. Rud.*) *collegit* XVII. *Centurias memorabilium medicinæ.* II,2,2,8.
Camilli *Idea Theatri.* I,7,1,9.
Camillus (*Julius*) *Theatrum Univerſitatis inſtituit.* I,2,6,27. *quod à Riccio laudatur.* I,2,6,28. *à Gyraldo contemnitur.* I,2,6,29. *& diſplicuiſſe ſibi Sturmius dicit,* I,2,6,31
Campenella *Aſtrologicorum libros ſcripſit.* II,2*,12,9.
Atheiſmum triumphatum edidit. III,5,1,9.
mirus in omnibus rebus, etiam in Rhetoricâ, novator. I,6,1,12.
nomine Magiæ naturalis abutitur ad vetita patrocinium. II,2*,9,2.
portentoſi ingenii homo. I,1,22,31. II,1,12,4. II,2,14,3.
tantus polygraphus, ut ipſe librum de libris ſuis ſcripſerit. I,1,22,31.
Campanellæ *Opiniones mirificæ recenſentur.* II,5,1,7. *refutantur.* II,2,14,13.
Opus Methaphyſicum laudatur. I,1,11,2. II,5,1,7.
Vaticinium de Chriſt. Förſtneri honoribus. I,1,19,44.
Vita, fata adverſa, doctrina multiplex, novaturiendi libido, ſcripta potiora, & opiniones paradoxæ recenſentur. II,1,12,4. II,2,14,3.
de Campanis *ac tintinnabulis quinam ſcripſerint.* I,5,2,13.
Cancellariorum *Origo, dignitatisque incrementum.* I,1,6,7. ſeq.
de Canibus *Scriptores in genere & in ſpecie.* II,2*,46,3.
Caninii (*Angeli*) *Helleniſmus laudatur.* I,4,6,6.
Canonicorum *Collegia nil niſi Scholæ fuerunt.* I,1,14,9.
Canonicum *Jus Orientale quinam collegerint, & ex quibus conſtiterit.* III,6,7,13.
Occidentale Pontificium. III,6,7,14.
hujus Juris Compilatores. ibid. & III,6,7,17.
Cantelii *Compendium Antiquitatum Romanarum laudatur.* I,5,2,4.
Canteri (*Gvilh.*) *libellus variarum lectionum.* I,5,1,8.
novæ lectiones. ibid.
Syntagma de ratione emendandi Græcos Autores. ibid.
Capaccii *elogia illuſtrium mulierum & virorum.* I,1,19,58.
Capella *Encyclopædiam ſcripſit.* I,4,14,22.
Capellæ *Commentatores & Editores.* I,4,14,22.
ſtylus taxatur. ibid.

de Capillamentis *ſcripſit Rango.* I,5,2,9.
Capricioſa *ingenia quæ dicantur.* I,2,1,41.
Capucinorum *annales dedit Boverius.* III,4,1,18.
Caramuelis (*Joh.*) *Encyclopædia Sacra.* I,6,4,7.
Carbo (*Ludov.*) *bellum legale inter legem & conſvetudines ſcripſit.* III,6,10,2
lib. cui tit. bonus Orator. I,6,4,7.
Cardani *adverſarius fuit Scaliger.* II,2,2,11 II,2,14,2.
Comm. in Syneſii lib. de Somniis. II,3,1,8.
dogmata Phyſica. II,2,14,2.
fortuna. II,1,15,3.
jactantia de inventis ſuis. II,2,14,2
ingenium portentoſum fuit. II,2,14,2. III,2,1,15.
liber de arcanis prudentiæ Civilis. II,2,15,3. III,2,1,4.
de ſtudio Socratis. II,2,11,1.
de vitâ propriâ. II,2,14,2.
Metopoſcopia ſcriptum ſuppoſititiū eſſe creditur. II,1,15,3. II,2,14,2 II,3,1,6.
plagium. II,2,2,11.
Proxeneta laudatur. II,2,14,2.
Scripta Phyſica recenſentur II,1,15,3 II,2,14,2.
Superſtitio circa omina & divinationes. II,3,1,7.
Cardanus *Atheiſmi reus cenſetur.* I,1,8,6. ſeq. I,1,12,7. II,1,15,3.
Dæmonem familiarem jactavit. II,2,14,2. II,3,1,18.
fuit polygraphus. II,1,15,3.
homo doctus, multa tamen ſtultitiæ ſpecimina dedit. I,1,15,40. II,1,15,3. II,2,2,10. II,2,14,2.
Ob lucri cupiditatem κερδαῖνος *dictus.* I,1,15,40. II,1,15,3.
ob πλυγραφίας *affectationem exagitatur à Scaligero.* I,1,22,29.
adverſus quem defenditur. I,1,22,30.
ſingulari moroſitatis, imo ſtultitiæ, exemplo notatur. I,1,15,40.
Cardonæ (*Joh. Bapt.*) *lib. de regiâ S. Laurentii bibliothecâ laudatur.* I,1,17,21.
Carettonius *ab Erythræo ridetur ob intempeſtivum argutiarū uſum.* I,6,3,8.
Carmelitarum *Londinenſis Bibliotheca, meris MSStis conſtans, periit.* I,1,5,26.
Carmina *aurea.* vid. Pythagoras.
Macaronica quænam. I,7,3,19.
Coccaji & Baudii. ibid.
Carminis *conſcribendi praxis.* I,2,16,35. ſqq.
Carminum ἐπιμίκτων *Scriptores recenſentur.* I,7,3,14.
Carnis *agninæ lucis cauſa indagari non poteſt.* II,2*,14,5.
Carpentarii *Philoſophia libera paradoxis ſententiis ſcatet.* II,1,15,4. II,2,15,3
Carrionis (*Ludov.*) *notas in Gellium perfectas imperfectas edidit Stephanus* I,4,14,2.
Carteſianæ *Philoſophiæ adverſarii potiores.* II,2,17,7. *fundamentum & vitia.* II,1,15,7.
Phyſices mira ſubtilitas atq; incertitudo. II,2,17,8. *de hujus nævis, ex diverſis cauſis ortis, judicium Mori, variis exemplis dogmatum, illuſtratum.* II,2,17,9.
Carteſiani *brutorum actiones à ſolo motu derivant.* II,2*,45,4. *improbantur.* II,2*,48,1.

Novatores in Logicâ. II,5,1,3.
Carteſianorum *ſententia de fabricâ mundi recenſetur, & de illâ judicium fertur.* II,2*,11,8.
in Carteſianos *odium Spanhemii.* III,5,1,20
Carteſii *aſſeclarum dogmata impia ipſi non imputanda.* II,2,17,1.
Commentatores. II,1,15,10. II,2,17,5
doctrina de Motu. II,2*,6,2. *de hac judicium fertur.* II*,2,6,3.
doctrina optimè ex epiſtolis ejus intelligi poteſt. I,1,24,31.
dubitatio philoſophica de rebus omnibus defenditur. II,2,9,2.
elogium. II,2,17,1.
epitomatores. II,1,15,9. II,2,17,4.
lib. de Homine commendatur & recenſetur. II,2*,47,2.
Meditationes de primâ Philoſophiâ III,5,1,6.
Philoſophemata Phyſica generalia & ſpecialia. II,2,7,2.
Philoſophia è vett. Philoſophorum fontibus profluxit. I,1,2,19 I,1,24,31.
Principia, quinam ſuis miſcuerit. II,1,15,11. II,3,17,6.
Principium primũ: cogito, ergo ſum, impugnatur à Dreyero. II,5,1,3.
quatuor regulæ de philoſophandi ratione recenſentur. II,2,7,2.
ſententia de fluxus & refluxus maris cauſâ. II,2*,20,4. *de igne.* II,2*,16,2. *de lucis naturâ adducitur & refellitur.* II,2*,14,3. *de materiâ primâ, à Barone de Nyland parum feliciter impugnatur.* II,2*,1,6.
Scripta potiora. II,1,15,8. II,2,17,2. & 3
Vitæ Sectæque hiſtoriam non ſatis plenè Tepelius & Sturmius perſecuti ſunt. II,2,17,1. II,1,15,5.
Carteſio *lites ſunt motæ à Voëtio, aliisque Theol. ſed immeritò.* II,2,17,1. II,1,15,6.
Carteſius *Atheiſmi immeritò accuſatur.* II,1,15,6. II,2,17,1. III,5,1,6.
in doctrinâ opticâ ſubtilis eſt. II,4,1,9.
Magnetis virtutem ad externa effluvia refert. II,2*,32,3.
Moſen ſecundum Philoſophiam ſuam explicare voluit. II,2,3,4.
Præcipuus ſcriptor de Atomis. II,2*,2,5.
Carvallo (*Alphonſi*) *lib. de dignitate & præſtantiâ Poëſeos.* I,7,1,7.
Caſa (*Joh.*) *an ſcripſerit de Sodomiæ laudibus.* I,6,3,1.
Caſæ (*Joh.*) *Carmina.* I,7,3,17.
monumenta latina ob ſtyli elegantiam laudantur. I,6,3,1.
Caſanova *de feudis Galliæ ſcripſit* III,6,7,15
Epigrammatum Scriptor. I,7,3,4.
maximam Chronicorum Monaſticorũ habuit notitiam. III,4,1,6.
Caſauboni *annotationes in Athenæi Dipnoſophiςῶν libros.* I,5,1,14.
Commentatio de quatuor lingg. Hebr. Græcâ, Lat. & Saxonicâ. I,4,3,9.
epiſtolæ recenſentur. I,1,23,67. ſqq. II,2,1,8.
error in deducendâ Linguâ Saxonicâ è Græcâ. I,4,3,9.
& Scaligeri commercium literarium I,1,15,58.
exercitationes in Baron. continuavit Tribbechovius. III,4,1,12.
liber de fide rebus naturalibus, civilibus

libus & divinis, habenda, vel non habenda, recenſetur. II,2,1,9. II,2*,2,4.
liber de libertate Eccleſiaſticâ, juſſu Reg. Galliæ ſcriptus, poſtea ſuppreſſus. III,4,1,12.
tr. de Satyricâ Græcorum Poëſi & Romanorum Satyrâ. I,7,1,11.
Caſaubono *Corona Regina, ſ. Panegyricus in Jacobum I. Britanniæ Regem falſò adſcribitur.* I,1,8,35.
Caſaubonus (*Iſaacus*) *laudatur.* I,5,1,14.
(*Mericus*) *contra Atheos exiſtentiam Magiæ defendit.* II,3,1,15.
de Caſei *averſatione ſcripſit Schockius.* II,2*,8,10. *ejus Vermiculi.* vid. Vermiculi.
Caſelianum *Opus epiſtolicum à Dransfeldio editum.* I,1,24,45.
Caſelii *elogium.* I,1,24.42.ſeqq.
epiſtolæ ineditæ. I,1,24,46.
liber de ludo literario rectè aperiendo recenſetur. I,2,10,22.ſeqq.
Orationes laudantur. I,6,3,3.
Caſelio *Academia Helmſtadienſis ſuos progreſſus in ſtudiis debet.* I,1,24,42
Caſelius πολιτευσόμενος III,2,1,2.
Caſſiodori *Opera edita & emendata.* I,4,14,24.
de Caſtalionis *variis lectionibus Meurſii verba notatu digna.* I,5,1,11.
Caſtillonius *ſingulari pollebat eloquentiâ.* I,6,4,28.
de Caſu *doctrina ad phyſicam non pertinet.* II,2*,2,2.
Caſus Conſcientiæ *Gregorii Sayri, aliorumquo recenſentur.* II,1,14,57.ſqq. III,1,1,12.
Catalogi *bibliothecæ Oxonienſis* I,1,17,30.ſ. I,1,18,44.
bibliothecarum quarundam publicarum. I,1,18,67.
librorum utiliter colliguntur. I,1,4,8.ſeq. I,1,18,1.
officinales. I,1,18,71.
privatorum. I,1,18,69.& 70.
reales bibliothecarum ſunt utiliſſimi. I,1,5,9.ſeqq. I,1,17,32.
univerſalis omnium Autorum Phyſicorum utilitas. I,1,20,11.
Catalogorum *diſpoſitio & forma.* I,1,18,2.
notitia Polybiſtori tàm neceſſaria, quàm peregrinaturo Mapparum Geographicarũ cognitio. I,1,18,1.
Scriptores recenſentur. I,1,18,3.ſq.
Catalogus *Bibliothecæ Cardeſianæ laudatur.* I,1,18,69.
omnium Autorum in ſingulis diſciplinis quomodo conficiendus. I,1,20,7.ſeqq.
Categoriarum *uſus in inveniendo & amplificando.* I,2,5,3. & 47. ſeqq.
Categoriarum *uſus.* vid. Prædicamenta.
Categoricus *Index Emanuelis Theſauri.* I,2,5,3. & 46.
Cato (*M. Porcius*) *libros Originum & de Re Ruſtica ſcripſit.* I,4,11,4.
à Moralium Diſtichorum autore differt, ibid.
Catullianis *manibus quotannis tria Martialis exemplaria immolavit Naugerius.* I,4,11,13.
Catulli *Cenſores iniquiſſimi.* I,4,11,13.
editiones variæ. ibid.
laudibus nimium ſtudet Muretus. ib.
Catullis, Tibullus, Propertius, *junctim editi.* I,4,11,13.
multis obſcoenitatibus ſcatent, ibid.
non accedunt ad venuſtatem Ovidianam. ibid.

Cavalerius (*Joh. Bapt.*) *Iconiſmos antiquarum ſtatuarum collegit.* I,5,2,14.
Cauſæ *efficientis & finalis tractatio ad Phyſicam non pertinet.* II,2*,2,1.
Cauſarum *formalium cognoſcendarum ratio proponitur.* II,2,1,26.
Cauſini (*Nicol.*) *lib. de eloquentia ſacra & profana.* I,6,1,17.
de Symbolica Ægyptiorum ſapientia. I,4,2,1.
Cebetis *Tabula ejusq; editiones & Commentarii.* II,1,3,3. *in illam Diſſer. Elichmanni & Miſchardi.* ibid.
Celſi *Opera à variis edita, & tamen mendis plena.* I,4,12,7.
in Celſum *Commentarii inediti recenſentur* I,4,12,7. III,7,1,2.
Celſus *ob caſtiſſimam latinitatem laudatur.* I,4,12,7. III,7,1,2.
Cenſorini *lib. de Die Natali.* I,4,14,5.
ejus Editiones. ibid.
Cenſuras *de Autoribus ſcribere periculoſum eſt.* I,1,16,10.
qui ſcripſerint. I,1,16,11. ſeqq.
Centones *è Poëtis congerendi modum quisnam invenerit.* I,7,3,14.
Centuriatores *Magdeburgenſes.* III,4,1,12.
Cerda (*Melch. de la*) *Campi eloquentiæ.* I,6,1,26.
de Cerebro *humano quinam ſcripſerint.* II,2*,47,3.
Cereviſiæ *Scriptores.* II,2*,42,2. & 3.
de Cereviſiæ *parandæ variis modis, hiſtoria optatur.* II,2*,42,3.
præſtantia præ vino certatum fuit inter Guietum & Grotium. I,1,24,29. II,2*,42,3.
Cereviſias *corruptas Anglus quidam in momento reſtituere potuit.* II,2*,42,3.
de Cervo *Scriptores.* II,2*,46,2.
de Ceſpitibus *bituminoſis* (Torff) *quinam ſcripſerint.* II,2*,21,6.
Chalcidii *Comm. in Timæum, & elogium.* II,1,7,9.
Chaldaicarum *rerum Scriptor Beroſus vetuſtiſſimus.* vid. Beroſus.
Chaldaicæ *Paraphraſes.* vid. Paraphraſes.
Chaldæorum *antiquitatum exigua apud nos eſt notitia.* I,1,10,12.
Collegia per multa ſecula Babyloniæ fuère. I,1,13,15.
Imperia antediluviana. I,1,6,16.
rei literariæ antiquiſſima monumenta. I,1,6,31.
de Chamæleonte *agit Voigtius.* II,2*,46,4.
de la Chambre *ſcripſit les Charactéres des paſſions, & l'Art de connoitre les hommes.* II,3,1,3. III,1,1,11.
Chamieri *Panſtratia, ut Opus utiliſſimum & rariſſimum, laudatur.* III,5,1,24.
Chappuzeau *liber Gallicus de Gemmis commendatur.* II,2*,33,1.
Character *animi etiam è minimis cognoſcitur.* I,1,19,5.
univerſalis, ſ. Lingua Philoſophica Dalgarnii. I,2,6,83.
Characteres Ἠθικὰς *virorum doctorum Erythræus magna cura expreſſit.* I,1,19,61.
hominum ex hiſtoricis, comœdiis, Satyris, magis noſcuntur, quàm ex omnibus Philoſophiæ moralis partibus. I,2,1,15. I,3,9,27.
hominum noſſe juventuti ſummè utile eſt. I,1,8,32.
hominum qua ratione diſtinguendi I,3,9,23.
de Characteribus *hominum ſcripſit Theophra-*

phraſtus, aliiq; I,1,15,6. I,3,9,25 II,3,1,3. I,5. III,1,1,5.
Characteriſmos *morum & affectuum Terentianorum è Terentii Comœdiis notavit Chytræus.* I,3,9,31.
Characteriſmus *ſ. cognitio affectuum & morum hominum unde peti debeat* I,1,15,6. I,1,9,23. II,3,1,3.
Politico utiliſſima eſt. II,3,1,3.
Characterum *& ſignorum uſus pro memoriâ juvandâ.* I,2,6,82. ſeq.
hominum uſus. I,3,13,15.
Charletoni (*Gualteri*) *Phyſiologia Epicuro-Gaſſendo-Charletoniana recenſetur.* II,1,5,5. II,2,7,5.
de Charondæ *lib. de legibus Rom. antiquis judicium fertur.* III,6,3,4.
Chartiludia *in Geographiâ parum utilitatis habent.* II,4,1,12.
mnemonica quibus in diſciplinis uſui eſſe poſſint. I,2,6,89. ſeqq.
Chemnitii (*Mart.*) *Loci Theologici laudantur.* III,5,1,17. *eorum editio quænam ſit optima,* ibid.
Scripta reliqua. ibid.
Chifletii *Diſſ. Apologetica pro Juris utriusq; Architectis.* III,6,4,2. III,6,7,14
Chiliaſmi *Hyperaſpiſtæ.* III,5,1,35.
Chiliaſtarum *deſcriptio.* III,5,1,35.
hiſtoriam tradit Tribbechovius. ibid.
Chinenſe *Itinerarium Nienhofii,* vid. Nienhof.
Chinenſes *per artem Chymicam ſuccinum conficiunt.* II,2*,37,3.
Philoſophiam naturalem, matheſin, & ſcientiam moralem, tantùm æſtimant. II,2,5,2.
verba & ſenſus uno aliquo Charactere exprimunt. I,2,6,81.
Chinenſium *acumen in occultâ Philoſophiâ.* I,2,7,53. ſeq.
doctrina de quinque elementis non adeò abſurda. II,2,5,5.
doctrina Moſaicæ hiſtoriæ veſtigia & Pythagoricis dogmatibus aliquid ſimile, oſtendit. II,2,5,1.
doctrinam quinam deſcripſerint. II,2,5,2.
gens aliis cultior & antiquior. II,2,5,1.
geomantia Phyſica ex terræ figurâ & conſtitutione de ingenio incolarum judicat. II,3,1,13.
Herba Chifung tempeſtates præſagire dicitur. II,2*,18,6.
induſtria in actis publicis conſervandis. I,1,3,12.
induſtria informandis moribus juventutis laudatur. I,2,2,4.
libri penè omnes à Tyranno Chio exuſti. I,1,5,21.
Methodus docendi per lineas. I,2,7,51.
Philoſophia juſſu Regis Galliæ è Confutii fontibus publicata recenſetur. I,2,7,52. I,2,12,27.
plantas quinam deſcripſerint. II,2*,40,5.
ratio per numeros & imagines philoſophandi. II,2,5,3. *ejus origo, & de eadem judicium.* II,2,5,4.
Reges aſtrologiæ cognitionem præ aliis affectant. I,2,12,26.
Theologiæ naturalis, & Phyſicæ ſumma capita. II,2,5,3.
vaſa cuprea futuros caſus tremore ſignificantia. I,1,10,31. I,1,12,33
univerſale principium LI, quid notaverit. I,2,7,54. *denotat idem, quod Cabaliſtarũ linea viridis,* ib.

Chiro-

Chiromantiæ *antiquitas.* II,3,1,5.
Magiſtri olim creati. II,3,1,6.
Chirurgia *infuſoria à Pegelio olim oſtenſa.* I,1,2,27.
de Chockieri *Theſauro Politico judicium fertur.* III,2,1,14.
Chopii *vera juris Philoſophia.* III,6,1,6.
Chrematiſticæ *artis fundamentum* III,3,1,2
Chriſtinæi (*Pauli*) *Deciſiones laudantur.* III,6,7,11.
Chronica *privata publicis interdum præferenda.* III,4,1,7.
Chronicon *Chronicorum à Grutero ſcriptum.* III,4,1,4.
Chronicorum *maximam notitiam habuere Conringius & Caſanova.* III,4,1,6.
Monaſticorum nævi & utilitates. III,4,1,6.
Regionum & urbium particulariũ maxima eſt utilitas. III,4,1,7.
Chronologica *excerpta.* I,3,13,31.
Opera Scaligeri, aliorumq; laudantur. III,4,1,5.
Chronologicæ *tabulæ Marcelli recenſentur* I,2,6,77.
Chronologorum *maximus eſt diſſenſus.* III,4,1,5.
Nomenclatores hiſtorici. II,3,1,2.
χρυσοποιΐα *defenditur.* II,2*,36,2. *ejus hiſtoriæ Scriptores commendantur,* ib.
Chimiæ *hiſtoria unde haurienda* II,2,16,5.
laudes. II,2*,22,5.
Scriptores ἀνέκδοτοι. II,2,16,5. *Vetuſti.* I,1,11,18. *reperiuntur in Codice Altenburgenſi, it. bibliothecâ Vindobonenſi.* I,1,11,19. *ſunt tamen valdè mutili & vitioſè ſcripti.* ib. *ſunt partim Ethnici, partim Chriſtiani,* I,1,11,20 *à Reineſio ordine recenſentur & de iſtis judicium interponitur* I,1,11,21. ſeqq.
Chimiam *Ægyptii Caliphæ præcipui, magnâ induſtriâ excoluerunt.* I,1,11,39.
miſeram artem vocat Reineſius, quæ ſancta & divina potius dicenda eſt. I,1,11,43.
Chimica *arcana continet gentilium mythologia.* I,1,11,17.
excerpta. I,3,13,42.
in arte magnus myſta fuit Trythemius. I,1,13,25.
Scientia vetuſta. I,1,11,16.
Scripta anonyma varia recenſentur I,1,11,53. *ut tandem uno volumine edantur, optandum eſſet.* I,1,11,54. ſeqq. ἀνέκδοτα *multa perierunt.* I,1,11,56.
ſtudia ſub ipſâ barbarie in Germaniâ, Galliâ, Italiâ diſſeminata fuere, inque Monaſteriis latuerunt. I,1,11,39.
in Chimica *praxi Geſneri Euonymus, aliiq; commendantur.* III,7,1,7.
Chimicæ *artis* Φαινόμενα *Manueli Imp., per ſomnium ſignificata.* I,1,11,44.
Chimicam *doctrinam Hieroglyphicis occultari nonnulli exiſtimant.* II,2,4,4.
Chimici *Germaniæ alios ſuperant.* II,2,1,6
in experimenta caſu nonnunquam incidunt. II,2,1,22.
in Chimicis *Operationibus magnâ cautelâ eſt opus.* I,3,13,44.
rebus magnum Rabbinorum antiquorum ſtudium fuit. I,1,11,57.
Chimicorum *arcanorum Scriptores plerumq;*

rumque fictis nominibus utuntur. I,1,9,24. I,1,11,16.
principia explicantur & defenduntur. II,2,16,2.ſeqq.
Scriptorum lectio diſſuadetur, & obſcuritas culpatur. II,2*,9,2.
tria principia ad miſtorum naturam indagandam non ſufficiunt II,2,19,5.

Ciacconii *Caſtigationes Decreti Gratiani deperditæ.* III,6,7,14.
ingenium depingitur. I,4,11,9.
notæ in Cæſarem per plagium à Fulv. Urſino editæ. I,4,11,9.
ſagacitas in emendandis Autoribus ibid.

Ciampoli *Florentini ſeipſum extollentis & alios contemnentis inſania.* I,1,15,22.

de Cibaria *re quinam ſcripſerint* II,2*,42,4

Cicero *de artificiali memoria ſcripſiſſe dicitur.* I,2,6,7.
græcæ linguæ non fuit ignarus. I,4,11,7.
in pangendis verſibus parum felix. I,4,11,7.
nonnulla juvenis ſcripſit, quæ ſenex improbavit. I,1,23,13.
omnis eloquentiæ, etiam ſacræ, fons eſt. I,2,11,11.I,4,11,7.

adverſus Ciceronem *antiparadoxa ſcripſit Majoragius.* I,1,25,27.

in Ciceronem *quædam licentius dixit Eraſmus.* I,1,23,15.

Ciceroni *malè præfert Plautus à Jeremiâ Höltzlin.* I,2,10,15.

Ciceroniana *Conſolatio à Sigonio ſuppoſita.* I,1,9,7.I,4,11,3.

Ciceroniani κακόζηλοι *ab Eraſmo notati.* I,1,23,14.
Theſauri. I,4,9,12.

Ciceronis *Cenſores varii.* I,1,23,18.I,4,11,7
& Demoſthenis comparatio. I,6,2,8.I,4,11,7.
Editores & Commentatores. I,4,11,7
epiſtolæ laudantur. I,1,23,12.&20.
epiſtolæ ad Atticum ob prudentiam politicam inprimis commendandæ. I,1,23,19.
epiſtolarum eloquentia defenditur à Pontano contra Novatores nonnullos. I,1,23,13.
epiſtolis à quibusdam Plinii jun. epiſtolæ anteponuntur, ſed malè. I,1,23,21.
imitator accuratiſſimus fuit Palearius. I,1,23,55.
libri Rhetorici, eorumque Commentatores. I,6,1,9.
magnus æſtimator fuit Buchnerus, I,1,24,99.
Officia. III,1,1,7.*laudantur à Cardano.* ibid.
Oratio pro Marcello reſolvitur. I,3,7,25.
Stylum optimè expreſſit Manutius. I,1,23,57.*it. Janus Nicius Erythræus.* I,1,24,9. ſeq.
Vitam quinam deſcripſerint. I,4,11,7.

in Ciceronis *Officia Diſquiſitiones ſcripſit Calcagninus; Ciceronēa. defendit Majoragius.* I,1,25,26.I,4,11,7.

Cimbriam *literatam meditatur Joh. Mollerus.* I,1,18,47.*quod Opus recenſetur.* ibid.

Cimbricæ *linguæ ridiculè primatū tribuunt Becanus & Schrieckius.* I,4,3,4.

Cimeliothecæ *bibliothecis addi ſolent.* I,1,6,11.

Cinelli

Cinelli *bibliotheca volante.* I,1,18,74. I,1,21,31.
Cineres *in aquam poſſe abire negatur.* II,2*,21,2.
Cinis *reſiduus pars terræ eſt purior, & maximè elementaris.* II, 2*,21,1.
Ciſtercienſis *Ordinis ſcriptorum bibliotheca.* I,1,18,55.
Civilitatis *ac rituum aulicorum obſervatio Politico eſt neceſſaria.* III,1,1,9.
Scriptores. ibid.
Civitas *eruditorum inſtituenda, ubi ſolo uſu & converſatione lingua Latina addiſcatur.* vid. Latina lingua.
Clapmarii *lib. de arcanis dominationis.* III,2,1,15.
Claramontius *de conjectandis cujusq; moribus & latitantibus animi affectibus ſcripſit.* II,3,1,3. III,1,1,11.
Clarckii *Hiſtoria nitri.* II,2*,38,1.
lib. de tranſitionum Rhetoricarum formulis rejicitur. I,6,1,27.
Claſenii *Theologia naturalis.* III,5,1,6.
Clavaſio (*Angeli à*) *Summa Angelica de Caſibus Conſcientiæ laudatur.* II,1,14,62.
Claudiani *Opera eorumque editiones.* I,4,14,16.
Poëſis & ſtylus. ibid.
Claudianus *gentilis fuit.* I,4,14,16.
Claveri (*Jacobi*) *inepta δοξομανία & gloriæ affectatio.* I,1,15,25
Clementis (*Claudii*) *Muſeum, ſ. inſtructio bibliothecæ tàm publicæ, quàm privatæ.* I,1,17,8.
Clenardi *informatio Grammatica per converſationem.* I,1,15,48.
inſtitutiones linguæ Græcæ memorantur. I,4,6,7.
ſententia de Curtio ex genuinorum Latinorum Autorum numero excludendo. I,4,12,4.
Cleopatræ & *Antonii, ut & Sorani medici, epiſtolæ mutuæ, an genuinæ ſint.* I,1,11,50.
Scripta Chymica incertæ fidei ſunt. I,1,11,49.
du Clos *de principiis mixtorum naturalium ſcripſit.* II,2*,1,9.
Cluniacenſis *Ordinis bibliotheca in Ducatu Burgundico, MSStis pleniſſima, per Calvinianos periit.* I,1,5,26.
de Cluveri *epitome Hiſtoriarum judicium fertur.* III,4,1,4.
Cochinenſis *bibliotheca Jeſuitarum Batavis in prædam ceſſit.* III,5,1,23.
Cocquius (*Gisbertus*) *ſcripſit Hobbeſium elenchomenum.* II,1,15,15.
Codex *juſtinianeus congeſtus eſt è Codice Theodoſiano.* III,6,4,5.
Theodoſianus cum notis Gothofredi laudatur. III,5,1,27. III,6,36. III,6,7,9.
in Codicem *Commentatores præſtantiores.* III,6,7,9.
Paratitla Cujacii Matthæus laudat III,6,7,10.
Codices *conſtitutionum Imperatoriarum recenſentur.* III,6,4,5.
Codicis *Theodoſiani autoritas eſt controverſa.* III,6,4,5.
Breviarum. ibid.
hiſtoria. ibid.
de Cœlo *Teleſii dogmata recenſentur.* II,2, 13,4. *refutantur.* ibid.
Ariſtotelis Commenta exploduntur. II,2*,12,1.
Cœlum *beatorum humano ingenio imperſcrutabile.* II,2*,12,1.
empyreum eſt figmentum. ibid.

viſibile eſt ſubſtantia aëris tenuiſſima. ibid.
Cogitata *ſunt notanda.* vid. Adverſaria.
Cogitationes *à genitalibus Cerebri produci credit Fluddius,* II,2,15,5.
Cointus *Smyrnæus de Trojæ excidio & reditu Græcorum ſcripſit.* I,7,2,23.
Collectanea, vid. Excerpta.
Collegia *Arabum.* I,1,13,30.
Ægyptiorum. I,1,13,3.ſeqq.
Brachmanum. I,1,13,16.
Eruditorum varia. vid. Academiæ.
Eumolpidarum. I,1,13,10.
Gentilium ſecreta varia recenſentur à Mejero. I,1,13,3.
Græcorum. I,1,13,3.ſeqq.
Magorum. I,1,13,13.
Maurorum. I,1,13,31.
Occulta naturæ arcanis indagandis dedita. I,1,13,51.
Pythagoræorum. I,1,13,29.
Samothracum. I,1,13,12.
Collegii *Roſiani hiſtoria.* I,1,13,35.ſeqq.
Collegiorum *quorundam cognomina inuſitata & ridicula multis diſplicent* I,1,9,26.I,1,14,37.ſeq. & 41.
Collegium *Druidum.* I,1,13,32.
Fraternitatis Roſeæ Crucis I,1,13,34
Gymnoſophiſtarum. I,1,13,28.
hieroſophicum Spizelii. I,1,14,47.
juridicum Argentoratenſe. III,6,7,6.
pro indagandâ veritate Tſchirnhauſii. I,1,14,49.
pſychoſophicum Beccheri. I,1,14,46.
Samaritanorum. I,1,14,48.
Colloquia *literatorum quomodo ſint inſtituenda ex conſilio Verulamii.* I,1,15,49. ſeqq. *exemplo Pinelli & Pauli Sarpii.* I,1,15,51.ſeqq.
è Colloquiis *cum eruditis nata ſunt Scaligeriana, Peronia, Thuanæa, Colomeſii opuſcula literaria* I,1,15,56
Colloquiorum *cum viris doctis in peregrinatione fructus.* I,1,14,54.
Colomeſii *Clavis epiſtolarum Scaligeri & Caſauboni.* I,1,23,7. & 69.
Gallia Orientalis. I,14,5,5.
Colores *diſtinguuntur in reales & emphaticos.* II,2*,15,1.
à mixtione elementorum falſò derivant Ariſtotelici, à ſulphure ſuo Chimici. II,2*,15,2.
propago lucis. II,2*,15,1.
quomodo formentur. ibid.
reales dari contra Carteſianos oſtenditur, ibid.
de Coloribus *Scriptores.* II,2*,15,2.
Coloris *albi origo demonſtratur.* II,2*,15,3.
ratio exemplo nivis illuſtratur. ib.
nigri ratio explicatur. II,2*,15,4.
Colorni (*Abr.*) *Scotographia Italica.* I,4,2,4
Colvius (*Petrus*) *calce mulæ ictus periit.* I,4,14,3.
Columnæ *à Setho poſitæ.* I,1,6,16.
Coluthus *de raptu Helenæ ſcripſit.* I,7,2,23.
de Coma *quinam ſcripſerint.* I,5,2,9.
Combinatoria *ars Kircheri.* I,2,5,41.
à Kuhlmanno imperfectionis arguitur. I,2,5,66.
Knittelii I,2,5,44. *peculiari diſſertatione à Leibnitio deſcripta.* I,2,5,61.
Combinatoria *ars in quamcunque partem verſetur, aliud nihil eſt, quàm Logices propago.* I,2,5,78.
tabula Knittelii. I,2,5,41.
è Combinatoriæ *artis fontibus procedit Franc. Pomey artificium Rhetorices.* I,2,5,80.

de

de Combinatoriis *rotis ſuis magna jactat Kuhlmannus.* I,2,5,68.& 72.
Comenianæ *Januæ loco commendatur Janua Batei.* I,2,4,18. I,4,10,10.
Comenii *Janua, utpote vocibus ac phraſibus barbaris ſcatens, è ſcholis eſt eliminanda.* I,2,4,19. I,4,10,10. II, 1,15,8. *& ne emendata quidem in Scholis admittenda.* I,2,10,32
Opinio de luce primævâ formarum fonte. II,2*,1,8.
Orbis ſenſualium pictus rerum cognitioni inſervire poteſt I,2,4,28 ſeqq. *etſi multa in eo improbat Beccherus.* I,2,4,37.& 42.
Philoſophemata παράδοξα *prolixè recenſentur ac confutantur.* II,2,3,5.
Phyſica ad lumen divinum reformata, nec non tr. de frigore exploduntur. II,2,15,9. II,2,3,5.
de Comenii *ludis Comicis quid ſit ſentiendum.* I,2,4,44.
Comenius *de frigore librum ſcripſit.* II,2*,17,5.
novator in univerſâ panſophiâ, & Enthuſiaſmo affinis fuit. II,1,15,18.
tria principia ad ſenſum Moſis ſe rectè ſtatuere putavit. II,2,3,5. II,2*,1,5.
Comeſtor *unde nomen habeat, & quid ſcripſerit.* II,1,14,1.
Cometæ *juxta Ariſtot. ſunt meteora; juxta anonymum mali genii; juxta Bartholinum abſceſſus univerſi.* II,2*,24,3.
Cometarum *effectus naturales.* II,2*,12,4.
multorum natalis circa viam lacteam fuit. II,2*,12,8.
Ortus prædicti. II,2*,12,4.
præſignificationes quinam deſcripſerint. II,2*,12,4.
Scriptores. II,2*,12,4.
Comicæ *actiones ad prudentiam formandam faciunt.* I,2,4,43.
commendantur à Verulamio. I,2, 4,45. *ut & Tanaquil Fabro.* I,2,9,48.
in juventute ſcholaſticâ non ſunt omittendæ. I,2,4,43.
Comici *Poëtæ.* I,7,2,8.
recentiores recenſentur. I,7,3,15.
vitæ humanæ ſpeculum repræſentant. I,3,9,18.& 24. *quod exemplo probatur è Terentii Adelph. Act. 1. Sc. 1.* I,3,9,26.
Cominii *oda elegans.* vid. Condæus.
Commentatores *Biblici Critici,* III,5,1,15.
Exegetici. III,5,1,16.
Commerciorum *Anglicorum & Belgicorum Scriptores.* III,3,1,3.
defectus ſunt notandi. III,3,1,4.
hiſtoria à Bœclero deſiderata. III,4,1,9.
quomodo ſcribenda. III,3,1,3
Complutenſis *Collegii Diſputationes in Ariſt. Dialecticam, Philoſoph. naturalem &c. recenſentur.* II,1,14,28.
Epitomator, Franc. Murcias. II,1,14,29.
Computatio *per bacillos ac digitos.* II,4,1,5.
le Comte *de Gablis liber incerti auctoris,* II,1,7,14.
de Conclavi *medico, vario aëre replendo, Pegelius conſilium dedit* II,2*,22,2.
Concordantiarum *biblicarum uſus.* III,5,1,15.
ad Condæum, *Principem, oda elegans Cominii uſu lactis.* I,2,16,43.

Confla-

Conflagrationis *globi terraquei poſſibilitas è Phyſica oſtenditur.* II,2*,5,3.
Congelatio *per certos pulveres artificialis datur.* II,2*,17,3. *ejus vera cauſa.* ibid.
de Congelatione *experimentum Boylianum* II,2*,17,3.
de Congelatis *in vitâ revocatis hiſtoriæ memorabiles.* II,2*,17,5. vid. Frigore.
Connani *lib. de jure Civili Romano laudatur* III,6,5,2.
Connexionum *artificium docuit Jac. Hugues.* I,6,1,18.
Conringii *antiquitates academicæ.* I,1,14,10. I,1,16,71.
Comment. in Lampadii jus publicum. III,6,9,4.
Diſſ. de conſtitutione Epiſcoporum Germaniæ. III,5,1,27.
Diſſ. juris publici pleraque Capp. continent. III,6,9,4.
elogium. I,1,16,31.
epiſtolæ & præfationes. I,1,24,32.
de eruditionis propagine liber. I,1,16,6.
Introductio ad artem Medicam laudatur. III,7,1,1.
lectiones privatæ de omnibus Rebuspubl. ipſo invito editæ. III,2,1,6.
lib. ἀνέκδοτος de Scriptoribus. I,1,2,28. I,1,16,5. ſeq.
lib. de Civili Prudentia. III,2,1,1.
lib. de Medicina Hermetica. II,2,16,5.
lib. de Origine juris Germanici. III,6,10,1.
notitia Chronicorum Monaſticorum fuit maxima. III,4,1,6.
Orationes in laudem Ariſtotelis. II,1,11,32.
Volumen auctores, de piſcibus agentes, complectentes. II,2*,46,2.
Conringius *Sagarum probationem per aquam defendit.* II,3,1,6.
de Conſiliariis *quinam ſcripſerint* III,2,1,17
Conſtantini *Porphyrogennetæ excerpta utiliſſima.* I,1,21,9. I,3,13,18.
(Roberti) Theſaurus Græcæ linguæ. I,4,8,7.
Conſtitutionum *Imperatoriarum Codices.* vid. Codices.
de Conſvetudinibus *quinam ſcripſerint.* III,6,10,2.
Contareni (*Caſp.*) *libb. V. de Elementis, eorumque miſtionibus taxantur.* II,2*,13,10.
Vita à Job. Caſa ſcripta. I,1,19,46.
Contemptum *quæ nobis parare poſſunt, ante omnia vitanda.* I,1,15,30.
Contentioſa *ingenia.* I,1,15,13. & 36. ſeq.
Contractus *ſimulati.* III,6,8,5.
Controverſiarum *Juridicarum Scriptores.* III,6,8,1.
Theologicarum Scriptores III,5,1,20.
Converſandi *ars & diſciplina tradi poteſt.* I,1,15,2. & 4.
latius patet, quàm doctrina de officiis. I,1,15,3.
ex quibus principiis formanda ſit. I,1,15,4.
de Converſandi *arte certæ regulæ traduntur.* I,1,15,18. ſeqq.
Converſatio *Civilis.* III,1,1,9.
cum eruditis magnum ad informationem ſubſidium eſt. I,1,15,47. I,2,7,39. I,2,8,24.
eruditorum mutua rem literariam auget. I,1,15,1. & 47.
eruditorum per epiſtolas I,1,15,57.
quâ & illi utuntur, qui ſe nunquam

quam viderunt, exemplo Scaligeri & Caſauboni. ibid. *in quâ & diligentiſſimus fuit Pinellus.* I,1,15,58. *ut & Ant. Maliabeccus.* I,1,15,59.
Converſatione *ſola an lingua addiſci poſſit.* vid. Latina.
ex Converſatione *ſola Grammaticam informationem inſtituit Clenardus.* I,1,15,48.
in Converſatione *obſcquioſus nec contentioſus eſto.* I,1,15,35. ſeqq. *exemplis docetur.* I,1,15,37.
quisq; ſuum ingenium noſcat. I,1,15,7. *ut & aliorum.* I,1,15,16.
ut homo eſt, ita morem geras. I,1,15,33. ſeq.
Converſationis *eruditæ ratio è vitis virorum doctorum formari quàm maxime poteſt.* I,1,19,1.
finis & utilitas. I,1,15,60.
Convivii *priſci reliquiæ Puteani.* I,5,2,11.
de Conviviis *quinam ſcripſerint.* I,5,2,11.
Copernici *dogma de motu terræ.* II,2,15,1.
Coppinus (*Aquilinus*) *in nubibus ſpeculandis mirè ingenioſus.* I,1,24,73.
Coralliorum *productio eſt mirabilis.* II,2*,33,6.
Coraſii, *de jure Codicis in artem redigendo Commentarius recenſetur.* III,6,5,4.
Cordemoy *Diſcurs phyſique de la parle laudatur.* I,4,1,5. II,1,15,10. II,2,17,5.
tr. de differentia animæ & corporis. II,2,17,5.
Cordeſii (*Joh.*) *ſtudium librorum colligendorum* I,1,3,6.
Cornæi (*Melchioris*) *Curriculum philoſophiæ Peripateticæ recenſetur, deq; eo judicium fertur.* II,1,14,54.
Cornelii *Poëſis Dramatica cenſuræ ſubjicitur.* I,7,1,9.
Progymnaſmata phyſica. II,2,17,5.
Cornelius *Nepos.* vid. Nepos.
Cornua *Cervina in aulâ Taurinenſi futuram tempeſtatem indicârunt.* II,2*,18,9.
Coronæi *Panthotheca deſcribitur* I,3,13,53
de Coronis *nuptialibus ſcripſit Maderus maximam partem è Paſchalio.* I,5,2,8.
Corpora *in tenebris lucentia.* II,2*,14,5.
miſta ex Sale, Sulphure & Mercurio conſtare defenditur II,2,16,2.
de Corporibus *petrefactis, magnam partem dubiis & non genuinis, quid judicandum.* II,2*,31,5.
ex Corporis *temperamento ingeniorum & animorum vis non rarò dependet.* vid. Ingenium.
Corporum *alterationes inutiliter variè dividuntur.* II,2*,28,2.
impenetrabilitas miſtionem particularum non prohibet. II,2*,3,7.
minimorum mixtionis ratio inexplicabilis eſt. II,2*,13,2.
mutationes quomodo fiant ſecundũ mentem Stoicorum. II,2,8,2.
ſubterraneorum conſtitutio per analyſin detegi poteſt. II,2*,31,1.
translatio momentanea de loco ad locum, an arte aliquâ fieri poſſit. I,1,13,25. ſeq.
circa Corporum *Cœleſtium naturam, ſolis veſtigandam conjecturis, Carteſii vel aliorum ſententiæ, veroſimilimæ, præferendæ.* II,2,19,3.
mixtorum naturam indagandam utilis quidem atomorum doctrina, non tamẽ ſola ſufficit. II,2,19,5

Corpus, *vocis variæ acceptiones.* I,3,4,12.
Corpus Juris *à veteribus Gloſſatoribus illuſtratum.* III,6,7,1.
judicium de iis. ibid.
in Corpus Juris *notæ Godofredi & Leuwii laudantur.* III,6,7,2
Corradi *copia latini ſermonis.* I,4,10,7.
Vita Ciceronis. I,4,11,7.
Correæ (*Thom.*) *de Elegiâ liber.* I,7,1,13.
Oratio de antiquitate dignitateque Poëſeos & Poëtarum differentiâ I,7,1,7.
Correctorio *munere quinam fungi debeant* I,4,2,6.
Coſtalii (*Petri*) *Adverſaria.* III,6,7,5.
Cottunius (*Joh.*) *interpres Ariſtot. & Epigrammatographus inſignis.* II,1,14,68.
Cour (*de la*) *Diſſertt. Belgicæ aliaq; Scripta laudantur.* III,2,1,17.
Cowley (*Abrah.*) *de Plantis poëmata Latina ſcripſit.* I,7,3,8. II,2*,40,5.
Crabrones *literarii.* I,1,15,15.
Craftheim (*Jo. Cratonis*) *conſilium de novâ Ariſtotelis editione.* II,2,12,2.
Craigii *jus feudale, tribus libris comprehenſum.* III,6,7,15.
Craſſii (*Laurentii*) *elogia hominum literatorum recenſentur & laudantur* I,1,19,52.
Crauſerus *Scintillas Julianas Schoro debet.* I,4,19,20.
Creationis hiſtoria *principia Phyſicæ certa ac adæquata non proponit.* II,2,3,2. *hujus veſtigia in Philoſophiâ gentilium, maximè Platonicis reperiuntur.* II,2,3,3.
ex Creationis hiſtoriâ *Phyſicam doctrinam fabricari quidã conati ſunt* II,2,3,4
in Creationis hiſtoriam *Commentationes Höttingeri aliorumq;* II,2,3,7. *Interpretationes Cabaliſtarum paradoxæ.* II,2,3,7. *Enthuſiaſticæ.* II,2,3,8. *Scriptores Miſcellanei.* II,2,3,9.
Crellii (*Joh.*) *Ethica Chriſtiana.* II,1,1,3.
Cremonini *pædia Ariſtotelica laudatur & recenſetur.* II,1,11,29.
de Crepitu *ventris Segerus ſcripſit.* II,2*,47,5.
Creſollii *Anthologia ſeu Decas de ſelectis piorum hominum virtutibus.* I,6,4,11.
Calumnia in Melanchthonem. vid. Melanchthonem.
myſtagogus, ſeu de ſacrorum hominum diſciplinâ. I,6,4,11.
Vacationes Autumnales de perfectâ Oratoris actione & pronunciatione. I,6,1,17. II,3,1,3.
Creſtonus (*Joh.*) *Lexicon Græco-Latinum edidit.* I,4,8,1.
Criniti (*Petri*) *libri de Poëtis Latinis.* I,7,2,1.
Critica *biblia.* I,3,5,12.
excerpta. vid. Excerpta.
pericula Piccarti laudantur II,1,11,30.
Socratica. vid. Sacrotes.
Criticæ *facis Gruterianæ indices laudantur* I,3,5,8, ſeq.
Criticam *artem qui deſcripſerint.* I,1,7,6. ſeqq.
Critices *maxima pars quâ in re conſiſtat.* I,3,6,12.
Critici *in Belgio præſtantiſſimi.* I,5,1,13.
in Critico ϛοχασμῷ *alii aliis oculatiores.* I,1,7,3.
Criticorum *diverſæ claſſes recenſentur.* I,5,1,5.
illuſtrium

illuſtrium manu notati libri in pretio habentur. I,1,7,35.
induſtriâ ex ſtylo & idiotiſmis νοθείαν *vel* γνησιότητα *autorum conjicere novit.* I,1,9,4.
miſcellaneorum Scriptores potiſſimi I,5,1,5. ſeqq.
quorundam intemperies à Mareſio notatur. I,3,5,21.
de Crocodili *lacrymis ſcripſit Voigtius.* II,2*,46,4.
Crollius *de ſignatura plantarum* II,2*,40,6
Crowæi *elenchus interpretum S. Scripturæ.* I,6,4,22.
de Cruce *quinam ſcripſerint.* I,5,2,14.
Crucigeri (*Georg.*) *Harmonia Græcæ, Latinæ, & Germanicæ Linguæ.* I,4,3,8.
Crucii *Orationes cur legendæ.* I,6,3,5.
Crucimanius (*Franc. Grudæus*) *ſ. Sieur de la Croix du Maine, multos libros bibliothecarios affectos habuit.* I,1,18,22 ſeq. *à primâ juventute hiſtoriæ bibliothecariæ Gallicæ ſe totum impendit.* I,1,18,23.
Crucis *roſeæ Fratres.* vid. Fratres.
Cruyce (*Joh. Bapt. van de*) *eſt plagiarius.* I,6,3,10.
Cryptographia *Auguſti Seleni.* vid. Selenus.
ad Cryſtallorum *generationem præter aquam etiam ſuccus viſcoſus requiritur.* II,2*,31,4.
de Cryſtallorum *productione ſententia Stenonis.* II,2*,31,3.
è Cuborum *jactu divinatio inſtituitur.* II,3,1,13.
Cujacii *adverſarii.* III,6,7,5.
eruditio laudatur. I,5,1,8.
methodus ſingularis in Commentario III,6,7,3.
Obſervationes ſuper textus juris. I,5,1,8.
Paratitla in Codicem. III,6,7,10.
Cujacius αὐτοδίδακτος *in juriſprudentiâ fuit.* I,1,1,14.
baſilicorum libros poſſedit III,6,4,11
contra imperitiam Praxeos ſibi objectam defenditur. III,6,11,1.
Cunæi *Orationes laudantur.* I,6,3,4.
Peritia in Hebrææ literaturâ. III,6,2,1.
de Cuperi *arcanis Atheiſmi revelatis judicium fertur.* III,5,1,9.
Cuperti *Apotheoſis Homeri & notæ in Lactantium de mortibus Perſecutorum.* I,5,1,13.
Obſervationum liber. I,5,1,13.
Cuprum *cum ferro ſociari nequit.* II,2,1,6
in ferrum an mutari queat. II,2*,36,1.
Curationes *Cabaliſticæ Judæorum.* II,3,1,17
per Magiam. II,3,1,17.
per tactum. II,2*,8,6.
per transfuſionem ſanguinis. II,2*,8,5.
per transplantationem, pulverem ſympatheticum, &c. II,2*,8,4.
de Curationibus *Sympatheticis & Magneticis cenſura.* II,2*,8,3.
de Curculionibus *libellum ſcripſit Rango.* II,2*,45,8.
Curioſus, *ultra quam decet; in converſatione ne eſto.* I,1,15,44.
de Curribus & *Re vehiculariâ quinam ſcripſerint.* I,5,2,13.
Curſum Philoſophicum *ſcripſerunt Joh. à S. Thomâ.* II, 1, 14, 9. *Franciſcus Murcias* II,1,14,29 *Petrus Hurtadus de Mendoza.* II,1,14,40. *Franc. de Oviedo.* II,1,14,46. *Rodericus*

dericus de Arriaga. II,1,14,47.
Curtii *dictio laudatur.* I,4,12,14.
editiones recenſentur. ibid.
hiſtoria falſò à nonnemine ſuppoſitionis arguitur. I,1,9,6.
de ſtylo judicia Barthii & Buchneri I,4,12,14.
Curtium *è genuinorum Latinorum Autorum numero excludere allaborat Clericus.* I,4,12,4.
Cuſani *de doctâ ignorantiâ liber.* II,2,9,1.
de Scriptis judicium. III,5,1,4.
Cygne (*Martini du*) *Explanatio Rhetorica* I,6,1,17.
de Cygni *cantu egit Bartholinus.* II,2,46,4.
Cymbalum *mundi, lib., tribuitur Bonaventuræ de Periers.* III,5,1,11.
Cyrilli *Alexandrini Lexicon ineditū* I,4,7,11

D.

DAcerii *Commentatio in Ariſtot. Poëticā omnibus præfertur.* I,7,1,3.
Verſio Gallica Horatii. I,4,11,15.
Dæmones *familiares.* vid. Genii.
Dairval (*Carol. Cæſ. Baudelotii de*) *liber de l' utile des Voyages, & de l' avantage que la recherche des antiquitez procure aux ſçavans.* I,4,1,9.
Dalburg (*Joh. Camerarii de*) *ſtudium in lingua Germanica inveſtiganda laudatur.* I,4,4,4.
Dargarni (*Georg.*) *ars ſignorum.* I,4,2,5.
lingua univerſalis affecta. vid. Lingua.
Dallæi *lib. de Confirmatione & extremâ unctione.* III,5,1,29.
de Imaginum cultu, III,5,1,29.
de uſu Patrum, & Pſeudonymis & ſuppoſititiis illorum. III,5,1,13. & 28.
Damaſcii *lib. ineditus* Περὶ ἀρχῶν. II,1,7,10
Danckwertii *Chorographia Holſatiæ eſt accuratiſſima.* II,4,1,12.
Dania *ſtatuta ſingularia habet.* III,6,10,3.
Danorum *Monumenta Wormii.* vid. Wormius.
Scriptorum catalogi, à Bartholinis fratribus editi, ſunt imperfecti. I,1,18,46.
Daretis *Phrygii libb. 6. de bello Trajano falſò creduntur à Cornelio translati.* I,4,11,10.
Daumii *Indices latinæ linguæ analogici promiſſi.* I,4,9,4.
Lexicon Vocum medii ævi. vid. Lexicon.
tr. de cauſis amiſſarum quarundam latinæ linguæ radicum. &c. I,4,9,4.
Dausquii (*Claudii*) *Orthographia antiqui novique Latii.* I,4,9,1.
Decifratoria *ars quænam.* I,4,2,4. *oppoſita Cryptographiæ,* ibid. *liber Gallicus in eam rem editus.* ibid.
de Decimatoris *Sylvâ Vocabulorum ſequius judicium fertur.* I,4,9,13.
Deckenii *Obſervationes Poëticæ* I,3,10,43. ſ.
Deckeri *liber de ſcriptis adeſpotis.* I,1,16,71
Declamandi *morem in Scholis Majoragius reduxit.* I,6,3,1.
Dedicatoriarum *epiſtolarum collectiones ſuadentur.* I,1,24,34.
Dedicatorii *Carminis exempla.* I,3,12,52.
Defectus *ſuos abſcondere prudentis eſt.* I,1,15,26.
Defectuum *occultandorum tres latebras tradit Verulamius.* I,1,15,27. *alias oſtendit Fichetus.* I,1,15,28.
Dei *manus & præſentia in omnibus naturæ operibus deprehenditur, & prædicanda eſt.* I,1,12,18.
&

& materiæ mundique coæternitatem nonnullæ ſectæ ſtatuerunt. II,2*,11,4.
Deiſtæ *Deum unum admittere contenti, cetera Chriſtiana myſteria pro fabulis habent.* I,1,8,11.
de Deliciis *Poëtarum Scotorum, Italorũ Gallorum & Germanorum judicia* I,7,3,8
Delphinus (*Freder.*) *fluxus & refluxus maris convenientiam cum lunâ integro libro demonſtravit.* II,2*,20,4.
Demetrii *Phaler. lib.* περὶ ἑρμηνείας *hodienum extat.* I,1,6,3. *qui malè illi adſcribitur.* I,1,6,3. *in hunc Commentatores.* ibid.
Opuſcula, quibus præcepta continẽtur de membris & inciſis, de periodis, &c. recenſentur. I,6,3,1.
Demetrius *Phalereus Alexandrinæ Philadelphi bibliothecæ præfuit.* I,1,6,3.
ab Athenienſibus malè habitus in Ægytum exul profugit. I,1,6,3.
Democriti *de Atomis & Vacuo doctrina.* II,2,7,7.
doctrina phyſica exponitur. II,2,7,4
hæc magni apud Romanos fuit habita. ibid.
elogium. II,1,5,1.
Ἐννεαγράμματον & τετρασύλλαβον *quid ſit.* I,1,11,32. ſeqq.
pharmacum fortunatos & ſapientes homines efficiendi. I,2,1,6.
principia phyſica ſua fecit Epicurus II,2,7,4.
ſcripta phyſica, myſtica ſ. arcana, an ſuppoſititia ſint. I,1,11,31. ſeqq. II,1,5,1.
Scriptorum nihil ſupereſt, & proinde incertum, quid verè ſenſerit. II,2,7,6.
ſub nomine, MSSta Chimica ſuperſunt, de quorum γνησιότητι *diſquiritur.* II,2,7,6.
Democritus *in Perſiam profectus dicitur, ut ab Oſtane artem Chimicã edoceretur.* I,1,11,29. & 35.
reviviſcens. II,2,7,5.
Demonſtrandi *omnem rationem, ab Ariſtotele luculenter traditam, è medio tollere auſus eſt Nizolius.* I,2,7,14. *ob quod reprehenditur.* I,2,7,15. *qui tamen in multis* ὁμόψηφον *habet Ramum.* I,2,7,17.
de Demonſtratione *quinam ſcripſerint.* II.5,1,4.
Demoſthenis *Comparationem cum Cicerone quidam inſtituerunt.* I,6,2,8.
Orationibus artis oratoriæ ſublimitas ineſt. I,6,2,8.
Orationibus Prudentia Civilis ineſt. III,2,1,13.
Orationum editores & Commentatores. I,6,28.
Dempſterus *à ferocitate & moroſitate notatur.* I,1,15,37. I,1,18,45.
in hiſtoriâ eccleſiaſticâ Scoticæ gentis non ſatis bonâ fide verſatus exiſtimatur. I,1,18,45.
Denaiſii *effatum de Advocatis.* III,6,7,7.
de Denſitate *agitur.* II,2*,7,5.
de Deo *ſententia Stoicorum.* II,2,8,2.
Deſſelii (*Valerii Andreæ*) *Bibliotheca Batava laudatur.* I,1,18,36. ſeq.
Deſtillatione *clauſa in generatione animalium & metallorum natura utitur.* II,2,1,22.
Deſtillationem *clauſam à nemine tentatam fuiſſe falſò credit Verulamius.* II,2,1,22.

Deſtillationis *clauſæ præſtantia ſtupendiq; effectus*, ibid.

Devarii (*Matth.*) *lib. de particulis græcæ linguæ laudatur.* I,4,6,9.

Deuſingius *de Syſtematibus variis librum ſcripſit.* II,4,1,8.

Dexippi *defenſio prædicamentorum adverſus Plotinum.* II,1,9,10.

Dialectica. vid. Logica.

de Dialectis *Græcorum Scriptores.* I,4,6,16.

de Dialecto *Helleniſticâ prolixior certaminum Literariorum hiſtoria recenſetur.* I,4.6,19

Dialogorum *Phyſicorum Scriptores* II,2,2,7

Dictionarium *Harmonicum Chriſtiani Nirmuthani.* I,4,3,8.

de Dictione *ludicrâ à Vavaſſore impugnatâ, judicium.* I,6,3,9.

modernorum in Inſcriptionibus aliisq; Orationibus, argutiarum plus juſto ſtudioſâ, cenſuræ. I,6.3,8.

Didactica *eſt propago doctrinæ de methodo.* I,2,4,12.

methodus Beccheri recenſetur. I,2,4,34.ſeqq. *laudatur.* I,2,4,37.

de Die *natali liber Cenſorini.* I,4,14,5.

Diecmanni *Diſſ. de Naturaliſmo Joh. Bodini.* I,1,8,9.

Dieterici (*Joh. Conr.*) *Analyſis Evangeliorum laudatur.* I,6,4,23.

Opus χρηστομαθείας *Græcæ affectû.* I,4.6,15.

Græcæ Linguæ peritia, I,4,8,6.

Digander (*Joh.*) *Chiromantiam ſcripſit.* II,3,1,6.

Digbæi (*Kenelmi*) *Demonſtratio immortalitatis animæ rationalis.* II,2,15,5 II,2*,47,6.

lib. de vegetatione plantarum laudatur. II,2*,40,2.

Digbæus (*Kenel.*) *magnetem ex atomis generari credit.* II,2*,32,3.

quantitatis diviſionem Metaphyſicam tradit. II,2*,3,6.

Dilatatio *Orationis.* vid. Amplificatio.

Dilatationis *enthymematicæ exemplum.* I,2,14,23.

periodicæ exemplum I,2,14,2.

Diluvii *Scriptores.* II,2*,20,5.

univerſalitatem mathematicè impugnavit Voſſius; Stenonius autem demonſtravit. II,2*,5,3. II,2*,20,5.

Dinarchi *Orationes & Vita.* I,6,2,10.

Diogenes *Laërtius inter Hiſtoriæ Philoſophicæ Scriptores primarius.* II,1,1,1. *multi ejus ſunt Commentatores, quos inter laudatur Menagius.* II,1,1,1. I,5,1,14.

Dionis *Pruſæenſis Orationes, earumq; editiones, & vita.* I,6,2,14.

Dionyſii *Areopagitæ ſcripta Theologica & myſtica.* I,1,10,25.

Halicarnaſſæi ars Rhetorica, aliaq; ſcripta. I,6,1,4.

Longini Caſſii liber περὶ ὕψους *laudatur, ejusq; editores, interpretes & illuſtratores recenſentur* I,6,1,6

Dionyſius *Longinus Caſſius quisnam fuerit.* I,6,1,6.I,6,2,17.

Periegetes unde cognomen habeat. I,7,2,21. *Latinos & Græcos interpretes nactus eſt.* ibid. *ejus editiones variæ.* ibid.

Diſciplinarum *Lexica.* vid. Lexica.

Diſcours *Phyſique de la parle Cordemoy.* I,4,1,5.

Diſpu-

Diſputacia *ingenia moleſtiſſima.* I,1,15,36. ſeqq.
Diſputandi *ratio vetus per interrogationes.* I,1,15,55.
Diſputationes *ſelectioris argumenti ſedulo colligendæ.* I,1,21,31.
tyronum facetè gruum & pygmæorum aciei comparantur à Caſelio I,2,10,48. I,2,11,16. *& mera peſtis juventutis ſunt.* I,2,11,15.
Diſſertationes *Politicæ miſcellæ.* III,2,1,20.
Diſtinctiones *Philoſophicas colligendi ſtudium improbatur.* II,5,1,6.
Dithmarſicum *jus.* III,6,10,3.
Divina *Spir. Sancti gratia divinam & verè Chriſtianam philoſophiam nos docet.* I,1,12,38.
Divinatio *è membris & nævis corporum.* II,3,1,4.
morum & affectuum animi è ſignis externis commendatur. II,3,1,3
naturalis in quo conſiſtat. II,3,1,2.
de Divinatione *in genere Scriptores* II,3,1,1.
naturali Scriptores in ſpecie. II,3 1,2.
Divinationis *variæ ſpecies recenſentur.* II,3,1,1.
Divinum *quid diſciplinæ & ſcientiæ omnes circumferunt.* I,1,12,1. ſeqq.
etiam in ipſâ diſcendi methodo deprehenditur. I,1,12,2.
quid in rebus civilibus & Rerumpubl. mutationibus reperitur. I,1,12,29.
Divitias *quomodo incolæ provinciarum & urbium acquirere poſſint.* III,3,1,3
Docendi *munus Academicis non negligendum.* I,2,11,24. *quod tamen cautelâ fieri traditur.* II,2,11,25.
Docendi *munus quomodo obeundum.* I,2,8,28.
Docendo *diſcere ſolemus.* I,2,8,27. & 29.
Doctorum *virorum famæ detrahere malitiæ & inſcitiæ ſignum eſt.* I,1,15,21. ſ.
Doletus *in Comm. ſuis Lat. Linguæ ſubtilis Stephani plagiarius.* I,4 9,11.
Dolia *ventorum & imbrium apud Brachmanes Indos.* I,1,13,20. ſeqq.
de Dominationis *arcanis quinam ſcripſerint.* III,2,1,15.
de Domino *maris agunt Seldenus, Grotius, aliique.* III,6,1,8.
Dominis (*Marc. Anton. de*) *lib. de primatu Papæ rarior eſt.* III,5,1,26.
Opus de Republ. Eccleſiaſticâ contra Pontificios laudatur. III,5,1,26
de Donariis & Strenis *Scriptores.* I,5,2,10.
Donati *Orationes.* I,6,3,5.
de Donelli *Commentariis eorumq́; Epitomatore judicium* III,6,7,5.
Donne (*Johannis*) *Sermones ſacri* I,6,4,18.
ſententia ſingularis de αὐτοχειρία. ibid.
Döringius *Collectaneorum ſuorum Juridicorum partem edidit.* III,6,8,1.
Dornavii (*Caſp.*) *amphiteatrum ſapientiæ Socraticæ jocoſeriæ laudatur.* I,1,21,45.
Dörſchei *ſcriptorumque ejus elogium.* III,5,1,30.
Thomas Confeſſor demonſtrat, è Thomæ Aquinatis ſcriptis Proteſtantium doctrinam probari poſſe. III,5,1,28.
de Douſæ (*Jani*) *Elegiis judicium fertur.* I,7,3,9.
Satyris cenſura habetur. I,7,3,16.
Δοξομανία *quorundam nimia reprehenditur.* I,1,15,25.

Dracontii

Dracontii *Poëtæ ætas & editiones* I,4,14,18.
Draudii(*Georgii*) *bibliotheca claſſica recenſetur.* I,1,18,13.ſeq. *de illâ judicium fertur.* III,5,1,13
Draxii(*Thomæ*) *bibliotheca ſcholaſtica laudatur.* I,1,21,112.
Drebbelii *de Elementis lib. breviter recenſetur.* II,2*,13,10.
Drebbelius *quibusdam eſt thermometrorum inventor.* II,2*,18,4.
Drexelii *libri laudantur.* I,6,4,15.
Dreyerus *primum principium Carteſii ex Ideâ mentis deductum impugnat* II,5,1,3.
Druides *Celtarum, Gallorum & Germanorum fuere Theologi & Philoſophi.* I,1,10,21.I,1,13,33. *eadem docuerunt, quæ veteres Ægyptii, Magi, Chaldæi.* I,1,13,33 *ſacrum cultum puriſſimum habuerunt.* I,1,13,33.
Dryden (*Joh.*) *An Eſſay of Dramatick Poëſy.* I,7,1,10.
Duarenus *in Diſp. ſuis juris multa Ranconetto debet.* III,6,7,8.
Dubitationis *utilitas extollitur.* II,2,1,8. II,2,9,2.
Duck (*Arthurus*) *de autoritate juris Civilis ſcripſit.* III,6,4,3.
Dudinck (*Jodoci à*) *Palladium Apollinis & Palladis.* I,1,17,17.
Duns (*Johannes*) *autor fuit ſectæ Scotiſtarum.* II,1,14,8.
Duporti (*Jacobi*) *Gnomologia Homeri.* I,1,21,75.I,4,6,11.I,7,2,2.
Durandus *à S. Portano libb. IV. Comment. ſcripſit, & à Durnnto, Speculatore, diſtinguendus.* II,1,14,6.
Durationis *rerum cognitio maximum uſum habet in Phyſicâ & Medicinâ* II,2*,5,1.
Duret(*Claudii*) *Threſor de l'Hiſtoire des langues de cet univerſ.* I,4,3,10.

E.

EBerhardus (*Ægid.*) *de herbâ panaceâ, ſ. tabaco, ſcripſit.* II,2*,42,4.
Eccleſiæ *Orientalis lites quinam deſcripſerint.* III,5,1,23.
Ecſtaticorum *prædictiones mirabiles.* II,3,1,2.
Edicta *Romanorum Prætorum annua erant* III,6,3,8.
Edicti *perpetui Salvii Juliani fragmenta quidam collegerunt.* III,6,3,8.
Editiones *Autorum quænam optimæ.* I,4,11,2.
Educatio *juventutis.* vid. juventus.
Eggefeldii *imperium Politicum, ex Sacrâ Regum hiſtoriâ deſcriptum.* III,2,1,19.
Ehemii *libb. de principiis juris.* III,6,1,7. *Opus affectum de Sectis Juris-Conſultorum.* III,6,3,10.
Eichelii *animadverſiones in Procopii hiſtoriam Juſtiniani arcanam* III,6,4,2 *liber de interpretatione Juris.* III,6,6,3.
Eiſengreinii *Catalogus Flacii Catalogo Teſtium Veritatis oppoſitus.* III,5,1,28.
Elegantiarum *expreſſiones in latinitate cum judicio adhibendæ.* I,3,6,4.ſeqq. *Scriptores.* I,4,10,11.
Elementa *corporũ proxima, non autem remota, ſunt veſtiganda.* II,2*,13,3 *duo ſtatuit Gorlæus.* II,2,15,2. *infinita Philoſophi Corpuſculares.* II,2*,13,2. *quinq; ſtatuunt Chinenſes.* II,2,5,5 *in ſuo loco gravant.* II,2*,18,5. *tria ponit Carteſius.* II,2,17,2.

ad uſus humanos accommodari poſſunt. II,2*,22,1.ſeqq.
de Elementis *quatuor, ac quatuor primis eorum qualitatibus doctrina Ariſtotelica, & pro hac Hon. Fabri argumenta examinantur.* II,2*,13,5
quinam Scriptores legendi. II,2*,13,10.
ſententia Platonis. II,2,11,9.
ſingulis diſſeritur. II,2,19,5.
tribus Carteſii judicium fertur. II,2*,13,4.
Elementorum *numero excludi non poſſunt ignis & aër.* II,2,19,5.
quatuor unum rerum principium ſtatuerunt Veteres. II,2,18,2.
Elementum *unicum ſtatuerunt Veteres.* II,2*,13,2. *aquam ſpeciatim Helmontius, quod rejicitur.* II,2*,13,9.
Eleuſinia *ſacra apud Athenienſes Erechteus Ægyptius inſtituit in honorem Cereris.* I,1,13,9.
Eleuſiniorum *ſacrorum Leges & arcana,* I,1,13,11.
præſides perpetui fuêre Eumolpidæ. I,1,13,10.
Elichmannus *Arabicum Lexicon ſcripſit.* I,4,5,6 *it. Diſſ. in Cebetis Tabulam, quæ commendatur.* II,1,3,3.
Perſicæ linguæ cum Germanâ convenientiam oſtendere voluit. I,4,5,9.
Elogiorum *Scriptores,* I,1,19,51. ſeqq. I,1,23,2. III,1,1,5. *à Vitarum ſcriptoribus differunt.* I,1,19,15. *& tam plenam fidem non merentur* I,1,19,51.
Eloquentia *ad juris prudentiam quàm maximè prodeſt.* I,2,1,36.
pollentes an rarò ſingulari intellectu ſint præditi. I,2,1,37.
Eloquentiæ *apparatus Schönslederi* I,6,1,24
novæ methodus rhetoricam Ariſtotelicam & Lullianam complectens anonymi. I,2,5,57.
Origo eſt vocum delectus. I,3,2,35. I,3,3,1.
ſtudium malè hodiè in Academiis negligitur. I,2,11,11.
virtus maxima eſt, non plus dicere, quàm decet. I,3,10,30.
ὕψος *è ſpiritu & impetu divino eſt* I,1,12,10. ſeq.
de Eloquentiæ *corruptæ cauſis Dialogus variis adſcribitur.* I,6,2,12.
Sacræ palma, certamen Hiſpanos inter & Italos. I,6,4,6.
Elzholtzii *anthropometria.* II,3,1,4.
Clyſmatica nova. II,2*,47,4.
lib. de Agriculturâ. II,2*,42,1.
Emblemata *ſunt ſimilia per picturam repræſentata.* I,1,21,59.
de Emblematibus *& emblematographis judicium.* I,6,4,7.
Emblematum *Collectanea proſunt ad Poëmatum inventiones, & quamcunque orationem.* I,1,21,59.
Scriptores. I,7,3,5.
Scriptores Italos collegit Giovanni Ferro in lib. cui tit. Teatro de impreſe, qui recenſetur. I,1,21,60. *& in alio lib. qui inſcribitur: Umbræ apparentes. ib. idem fecit Picinellus in mundo ſuo Symbolico* I,1,2,61.
Uſus nimius improbatur. I,6,4,7. I,7,3,5.
Encomiaſtici *Carminis exempla.* I,3,12,53.ſ.
Εγκύκλια μαθήματα. I,2,7,105.

Encyclopædia *Alſtedii.* vid. Alſtedii.
& cognatio artium liberalium datur. I,1,1,3.
ſ. ſcientia univerſalis an detur. I,2,7,70. ſeqq.
Welſchii. vid. Welſchii.
de Encyclopædiâ *Oratio elegans Tarquinii Gallucii laudatur.* I,1,1,12.
Encyclopædiæ *Biblicæ.* III,5,1,15.
Scriptores. I,2,7,70. ſeqq.
Scriptores à verâ πολυμαθείας gloriâ arcendi. I,1,1,22.
Encyclopædiarum *Mathematicarum Scriptores.* II,4,1,3.
Engelbrechti (*Jacobi*) *Complementum Latinæ Linguæ.* I,4,9,6.
Ἐννεαγράμματον *&* τετρασύλλαβον *Democriti quid ſit.* I,1,11,32. ſeqq.
non malè exponitur de arſenico. I,1,11,33.
Ennii *fragmenta tantùm ſuperſunt.* I,4,11,4.
de Ennio *judicia.* I,4,11,4.
Enochi *libri an extent.* I,1,6,17. ſeqq.
à Noacho in arcâ diluvii ſollicitè cuſtoditi traduntur. I,1,6,22.
Enſalmadorum *Hiſpaniæ curationes.* II,2*,8,6. II,3,1,17.
Ἐνθουσιασμὸς *Poëticus* vid. Poëta.
Enthuſiaſtæ *varii recenſentur, illorumque impugnatores.* III,5,1,36.
Enthymemata *Oratoria quodammodo differunt à Poëticis.* I,3,10,28.
Enthymematica *excerpta* vid. Excerpta.
Enthymematicæ *Dilatationis exemplum.* I,2,14,23.
Ephemerides *Amſtelodamenſes, quarum autor Joh. Clericus dicitur.* I,1,16,48.
Danorum. I,1,16,41.
Germanorum. I,1,16,41.
Hamburgenſes. I,1,16,50.
Lipſienſes. I,1,16,42.
Parmenſes. I,1,16,49.
Tempeſtatum. vid. Tempeſtatum.
Ephemeridum *Gallicarum primus autor fuit Hedovillius.* I,1,16,36.
alii hunc ſecuti. I,1,16,37. vid. Journals.
Italicarum ſcriptores. I,1,16,38. ſqq.
Literariarum ſcriptores I,1,16,32. ſ.
ſcopos diverſos ſibi propoſuerunt I,1,16,34. ſeqq.
Epheſius (*Mich.*) *ſcripſit in Ethica Ariſtot. ejusq; libb. 4. de partibus animalium.* II,1,9,7.
Epicedia I,3,12,37. ſeqq.
Epicheremata *Hermogenis è quibus locis deſumantur.* I,3,12,2. ſeqq.
de Epico *Carmine quinam ſcripſerint.* I,7,1,13.
Epicteti *Enchiridion, ejus Commentarii.* II,1,3,3. II,1,4,5. II,2,8,1.
Epicureorum *& aliorum ſententiæ de Coæternitate Dei & materiæ recenſentur & conferuntur.* II,2*,11,4.
Epicuri *doctrina de atomis & vacuo* II,2,7,7. II,2,18,3. *confutatur.* II,2,7,8 & 10. *origo eſt fatalitatis omnium rerum, aliorumq; Atheorum dogmatum.* II,2,7,11. *eſt imaginaria & abſurda* ibid. *degeneravit à principiis Democriti.* II,2,7,12.
Secta Stoicæ fuit inviſa. II,1,5,1.
Sententia de infinitate & pluralitate mundorum ab Ariſtot. futilibus argumentis impugnatur. II,2*,11,5.

Epicurus

Epicurus *in theoreticis Democritum eſt ſecutus.* II,1,5,1. II,2,7,4.
Epigrammata *Græca collegit Maximus Planudes.* I,7,2,26. *variæ illorum editiones.* ibid.
Epigrammaticæ *artis ſcriptores.* I,7,1,12.
Epigrammatum *Scriptores.* I,7,3,2.
Scriptor inſignis Cottunius. II,1,14,68
de Epiſcoporum *poteſtate & juribus quinam ſcripſerint.* III,5,1,27.
Epiſtola *adhortatoria.* I,2,15,12.
Commendatoria. I,2,15,1.ſeqq.
Conciliatoria. I,2,15,20.
Conſolatoria. I,2,15,22.ſeqq.
Conſultatoria. I,2,15,16.
eucharistica. I,2,15,30.
expoſtulatoria. I,2,15,34.
gratulatoria. I,2,15,26.ſeqq.
laudatoria. I,2,15,32.
nunciatoria. I,2,15,38.
Officioſa. I,2,15,18.
petitoria. I,2,15,8.ſeqq.
querula. I,2,15,36.
reprehenſoria. I,2,15,33.
ſuaſoria. I,2,15,14.
Epiſtolæ *Barlæi & Franciſci Martini facetiis & urbanitate refertæ.* I,1,24,56.ſeqq.
Bruti ab elegantia commendantur. I,3,6,23.
Ciceronis. vid. Cicero.
Eraſmi recenſentur & laudantur. I,1,23,48.
fœminarum eruditarum I,1,24,117.
Græcorum veterum. I,1,23,11.
Japponicæ & Indicæ. I,1,24,122.
cum Indice contentorum ſunt edendæ. I,1,23,8. I,1,24,21 & 23.
Ineditæ virorum doctorum. I,1,25,1.ſeqq.
MStæ Theologorum ab Hottingero collectæ. III,4,1,14.
MSStæ virorum doctorum celebrium cimelia ſunt quarundam Bibliothecarum. I,1,7,45.ſeqq. *quam plurimæ recenſentur.* I,1,25,1.ſeqq.
Manutii & Mureti inter ſe comparantur. I,1,23,57.&60.
Mathematicæ mutuæ Schikardi & Berneggeri. I,1,24,83.
Mutuæ Bongarſii & Lingelsheimii. I,1,24,90.
de Negotiis ſocietatis Jeſu. I,1,24,131.
Obſcurorum virorum ſcriptæ ab Uldarico Hutteno. I,1,23,43.
Patrum nonnullorum. I,1,23,24.
Peregrinatorum. I,1,24,132.
Phyſici argumenti laudantur. I,1,20,19.
Politici argumenti præcipuis commendantur. I,1,24,48.ſqq.
cum Reſponſoriis, & juxta ſeriem temporum ſunt edendæ. I,1,23,5.& 6. I,1,24,2.
Satyricæ du Sieur B. F. dit du jonquier. I,1,24,104.
Senecæ. vid. Seneca.
Sidonii Apollinaris recenſentur. I,1,23,25.
ſunt colloquia abſentium. I,1,23,2.
Theologorum variorum referuntur. I,1,24,100.ſeqq.
Variorum autorum. I,1,23,1.ſeqq. I,1,24,1.ſeqq.
Epiſtolarum *Commercium ad hiſtoriam literariam multum prodeſt.* I,1,23,3. I,1,25,3.ſq. *periculo & difficultate non carere docetur* I,1,25,4

Miſcellanearum collectanea. I,1,24,121. I,1,25,11.
Politicarum ſtylus & uſus. I,1,24,48. ſeqq. III,2,1,8.
Scriptores in quo differant à biographis. I,1,23,2.
in Epiſtolarum *commercio quâ methodo uſus ſit Pinellus.* I,1,15,58.
Epiſtolas *Eccleſiaſticas antiquorum qui ſcripſerint* I,1,24,130.
Medicas qui ſcripſerint. I,1,24,129.
per Epiſtolas *converſatio eruditorum.* I,1,23,2. I,1,15,57.
Epiſtolica *collectanea ſ. Excerpta.* I,3,9,38. ſeqq.
Epiſtolicæ *formulæ.* I,3,9,42, ſeqq.
de Epiſtolis *Balzaci & aliorum Gallorum iniquius judicat Jacob Howelius, Anglus.* I,1,24,26.
in Epiſtolis *familiaribus plurima latent rei literariæ arcana.* I,1,25,3. I,1,24,17.
Epiſtoliographi *Phyſici.* II,2,2,6.
Politici. III,2,1,8.
Præcipui recenſentur. I,1,23,1. ſqq. I,1,24,1. ſeqq.
Epithalamica *Carmina.* I,3,12,29. ſeqq.
Epithetorum *Collectores.* I,7,1,19.
Scriptores. I,6,1,23.
de Equis *quinam ſcripſerint.* II,2*,46,2.
Eraſmi *apophthegmatum liber per invidiã à Pontificiis Paulo Manutio tribuitur.* I,1,21,55.
Collectanea adagiorum contra Rhodiginum & Verdierum defenduntur. I,1,21,67. ſeqq.
elogium. I,1,23,48 ſeqq.
epiſtolæ ſunt elegantes. I,1,23,48.
induſtria in MStis indagandis. I,1,7,15.
lib. de Copiâ Verborum & rerum laudatur. I,4,10,11. I,6,1,21.
lib. de ratione concionandi recenſetur. I,6,4,2.
Panegyricus ad Burgund. Principem. I,6,3,6.
Paraphraſes in N. T. ab Ed. Leo, aliisq; impugnatæ. III,5,1,16.
de Scholaſticis judicia. II,1,13,12.
Stylus. vid. Stylus.
Eraſmus *barbariei feliciſſimus proſtrator fuit.* I,1,23,42.
in Ciceronem quædam inclementius dixit I,1,23,15. *acerbè ob id à J. C. Scaligero reprehenſus.* I,1,23,16. & 70. *cujus tamen acerbitatis eum poſtea pœnituit.* I,1,23,17.
ob Scholaſticos labores, μικρόλογος à Cavillatoribus nominatus. I,2,13,23.
utiliſſimos de inſtituendâ juventute libellos edidit. I,2,2,13.
ut Locorum Communium Collector à Scaligero traducitur. I,1,22,14
Eratoſthenes *à variâ doctrinâ πένταθλος & Philologus dictus.* I,1,6,4.
Eremitæ *Literarii quinam.* I,1,15,20.
Ericus (*Joh. Petrus*) *παράδοξος in eruendis literarum Adamicarum principiis.* I,4,1,10.
renatum è myſterio principium Philologicum ſcripſit I,4,1,10. I,4,3,5
Erkeri Probier-Buch *laudatur.* II,2*,29,4
Ernſtii *σόφος ἄσοφος illum in Philoſophiâ parum verſatum fuiſſe, oſtendit.* II,1,12,6.
Erotiani *Lexicon Dictionum Hippocratis.* I,4,7,8.
Errores *populares noſſe expedit.* II,2,1,9.

Eruditæ *Fœminæ.* vid. Fœminæ.
Eruditi *ob ſimplicitatem & ſtultitiam non rarò contemtui habentur.* I,1,15,30.
Eruditorum *Academiæ.* vid. Academia.
Acta Lipſienſia. I,1,16,42.
Amicitiam ambiens ipſe eruditus eſto. I,1,15,19.
Converſatione mutuâ res literaria augetur. vid. Converſatio.
Sermones familiares. vid. Sermones.
Erythræi *Epiſtolæ ſtylo cultiſſimo ſunt ſcriptæ.* I,1,24,9. ſeq.
Eudemiæ fabula. III,1,1,5
libri vel abſoluti, vel inchoati recenſentur à Sylburgio. I,4,11,12.
nomen fictum. I,1,19,60.
pinacothecæ Virorũ illuſtriũ. I,1,19,60.
de Sacris Documentis & reliquis Operibus judicium. I,6,4,13.
Erythræus *adverſus Mareſii iniquam cenſuram defenditur.* I,1,19,61. *it. adverſus Reineſii cenſurã* I,1,24,9. ſ.
Eſdræ *libri 70. de Cabaliſticis ſecretis an extent.* I,1,6,28. I,1,10,23.
Eſpagneti *Enchiridion Phyſicæ reſtitutæ recenſetur.* II,2,3,6.
libri duo commemorantur. II,1,15,17
Ethica *doctrina fabulis tradita.* III,1,1,5. *juris Cultori neceſſaria.* III,6,1,1.
Ethicæ *Chriſtianæ Scriptores.* III,1,1,3. *Novatores & Corruptores.* III,1,1,4.
Ethicorum *princeps eſt Ariſtoteles.* III,1,1,6.
Etruſcæ *antiquitates Proſperi, falſitatis & ſuppoſitionis à Leone Allatio arguuntur.* I,1,9,3. ſq. *à Curtio Inghiramo in lucem protractæ cenſentur.* I,1,9,4.
Etruſci *Haruſpices.* I,1,10,30.
Etymologiæ *ridiculæ Joh. Petri Erici.* I,4,3,5.
Etymologiam *Latinæ Linguæ tam Veteres quàm recentiores pertractarunt* I,4,9,2.
Etymologicum *Græcum Magnum laudatur, ejusq; Autor ignoratur.* I,4,7,2. *MStum ejus poſſedit Voſſius* ibid.
Evangeliorum *liber Ottfridi Weiſſenburgenſis à Flacio mendoſè editus ſub tit.* Evangelien-Buch in altfränckiſchen Reymen *&c.* I,4,4,3.
de Evangeliſtæ (*Joh. Bapt.*) *orationibus judicium fertur.* I,6,3,2.
de Euchariſtiâ *ſcripſerunt Blondellus & Mornæus.* III,5,1,29.
Euchariſtici *Carminis exempla.* I,3,12,49.
Euclides *Geometrarum veterum eſt optimus* II,4,1,6. *Commentatores ejus recenſentur.* ibid.
Evelini *Diſcurſus Philoſophicus de terrâ.* II,2*,21,7.
Sylva & Pomona. II,2*,41,4.
Εὐμαθία *in quibus conſiſtat.* I,2,1,16. & 52 *omnibus ingeniis non ineſt.* ibid. *variis adminiculis excitari poteſt.* I,2,2,2.
Ἐϕυΐα & εὐμάθία *an, & quomodo differant.* I,2,1,10. *ab ingenio differt.* I,2,1,11. *eſt duplex.* I,2,1,12.
Εὐϕυΐα *pro Conditione varia hominum dirigenda eſt.* I,2,1,15.
Eumolpidæ *cur ſacrorum Eleuſiniorum Præſides fuerint.* I,1,13,10.
Eunapius *ſcripſit vitas Philoſophorum & Sophiſtarum.* II,1,1,2.
Euripides *Poëta Græcorum Tragicus.* I,7,2,7
Euripidis *Tragœdiarum editiones, Verſiones emendationes & Scholia.* I,7,2,7

Europæ *totius Hiſtoria à Barclajo incepta, ſed non abſoluta.* III,4,1,7

Statuum trutina Ducis de Rohan. III,2,1,10.

*l'*Europe *vivant Anonymi Gallici.* III,2,1,10.

Euſtathius *in Homerum commentatus eſt.* I,4,6,5.

Euſtratius *malè cum Euſtathio confunditur* II,1,9,7. *Scripta ejus in Ariſtot.* ibid.

Exaggeratio *Orationis in quo conſiſtat.* I,3,7,26.

Excerpendi *methodum & conſilia qui Autores tradiderint.* I,3,1,8.ſeq.

ſtudium malè à nonnullis impugnatur. I,3,1,3.ſeq.

in Excerpendo *modus non adeò curioſus eſſe debet.* I,3,1,19. I,3,2,26.

Excerpta *Adagialia.* I,3,6,24.ſeq.

affectuum. I,3,9,33. *exemplo docentur.* I,3,9,34.

amplificatoria. I,3,7,4 ſeqq. vid. Amplificatio.

Antiquaria Criticis jungi poſſunt. I,3,5,17. *quid continere debeant.* I,3,5,18. *quomodo concinnanda.* I,3,5,19.

bibliothecaria utiliſſima. I,1,6,35. *quomodo inſtituenda.* I,1,6,36.

characterum ſ. morum. I,3,9,16.ſqq *exemplo è Terentii Adelphis docentur.* I,3,9,26.

Conſtantini Porphyrogennetæ. vid. Conſtantini.

Critica. I,3,5,1. ſeq. *cui uſui ſerviant.* ibid. *quomodo adornanda.* ibid.

Diſciplinarum. I,3,13,2.ſqq.

Exegetica. I,3,5,1. ſeqq. *quomodo adornanda.* ibid. *cui uſui ſerviant.* ibid.

Facultatum omnium. I,3,13,32.

Lexicorum & Obſervatoriorum exempla. I,3,4,5.ſqq.

Obſervatoria quænam verba, quasque formulas, continere debeant I,3,4,13.ſeqq.

Orationis copioſæ. I,3,7,1.ſeqq.

Orationis ornatæ. I,3,6,1.ſeqq.

Oratoria enthymemathica. I,3,9,1. ſqq. *non ſolum in civilibus ſed & in ſacris orationibus utilitatem habent.* I,3,9,3. *& quidem in omni cauſarum genere.* I,3,9,5. ſeqq. *probatur exemplo è Cicer. Orat. pro L. Murana.* I,3,9,11. *& pro Cæcinna.* I,3,9,12.

Oratoria ſyſtematica. I,3,8,1.ſeqq.

Perroniana. vid. Perronius.

Poëtica. I,3,10,1.ſeqq. *vel ſunt Poëtis peculiaria.* I,3,10,2.ſeqq. *vel cum Rhetoribus communia.* I,3,10,24.

Scaligeriana. vid. Scaliger.

Variis nominibus appellantur. I,1,21,20.

Verborum & Phraſeologica ante omnia paranda. I,3,2,1.ſqq. *quomodo adornanda.* I,3,2,3.ſeqq. *cujus rei varia variorum autorũ judicia traduntur & conſilia.* I,3,2,6.ſqq. *Quintiliani ſententia rejicitur.* I,3,2,32.ſeq. *Jul. Pollucis diligentia laudatur.* I,3,2,34.

Vocum ſingularum quomodo inſtituenda ex conſilio Thomaſii. I,3,3,3.ſqq *horum utilitas.* I,3,3,8 ſqq. *qui ſcripſerint.* I,3,4,1.ſeqq.

Excerptorum *antiquariorum liber.* I,1,21,40.

exegeti-

exegeticorum utilitas in Legibus Romanis. I,3,5,10. *in Medicis.* I,3,5,13. *in Theologicis.* I,3,5,12.
libris jungenda ſunt Adverſaria. vid. Adverſaria.
neceſſitas. I,3,1,1. ſeqq.
ſcriptores recentiores. I,1,21,21.
Veteres. I,1,21,20.
utilitas. I,3,1,7. I,3,13,13.
Exegetica *Excerpta.* vid. Excerpta. & Excerptorum.
Exegetici *Commentatores Bibliorum recenſentur.* III,5,1,16.
Exercitatione *ad ſtyli formationem maximè opus eſt.* I,2,13,1 ſeqq.
multa inſolita in motibus, affectibus & appetitu, addiſci poſſunt. I,2,3,3. ſeqq.
etiam facultates animi & intellectus excitari poſſunt. I,3,3,2. & 8
Exercitationis *& conſvetudinis vim incredibilem peculiari diſſ. deſcripſit Eraſm. Bartholini.* I,2,3,12.
Exoterica *methodus.* I,2,7,48. & 102.
Experimenta *ad hiſtoriam naturalem ſunt referenda.* II,2,1,10.
Experimentorum *capiendorum ſeptem modi à Verulamio propoſiti recenſentur.* II,2,1,19. ſq. *alius modus inartificialis commemoratur, Chymicis familiaris.* II,2,1,22.
indagandorum methodus. II,2,1,18 *hic inſignem uſum præſtant Loci Dialectici & Ars Analytica.* ibid.
Expurgatorii *Indices.* vid. Indices.
Extemporales *Cogitationes non negligendæ* I,2,8,39.
Extemporalis *Orationis formandæ artificia* I,2,6,74. ſeqq.
Eyeringii (*Eucharii*) *Copia proverbiorum.* I,1,21,110.
Ezechielis *Prophetæ ſepulcrum.* I,1,6,25.

F.

Faber (*Tanaquil*) *cum filia ſua Anna ad defectionem à Reformata ad Pontificiam Religionem tentati* I,7,2,2. *Anacreontis & Sapphûs Carmina emendavit, notisque illuſtravit, verſionem autem molitus eſt.* I,7,2,12. *in Græcis fuit.* αὐτοδίδακτος. I,1,1,14
Fabretti (*Raphaëlis*) *Supplementum Gruterianum ac Reineſianum.* I,4,14,26.
Fabri (*Antonii*) *adverſarius fuit Bachovius* III,6,7,11.
Codex Fabrianus commendatur. III,6,7,11.
(*Baſilii*) *loci obſervationum ex Epiſtolis Ciceronis recenſentur.* I,3,2,28. ſeqq.
Theſaurum eruditionis ſcholaſticæ imperfectum Buchnerus, aliique auxerunt. I,4,9,16.
(*Honorati*) *Argumenta pro Doctrinâ Ariſtot. de quatuor Elementis & quatuor illorum qualitatibus examinantur.* II,2*,13,5.
Conſilium circa artificium aëronauticum. II,2*,22,2.
Lib. de Homine. II,2*,47,2. III,7,1,4.
Lib. de Plantis. II,2*,40,1. II,2*,43,1.
Sententia de pluviâ ranarum. II,2*,27,3.
Sententia de vi magnetis recenſetur & approbatur. II,2*,32,3.

tr. de

tr. de Sonis. II,2*,48,3.
(*Tanaquilis*) *Audacia in corrigendis autoribus notatur.* I,1,24,38
II,1,5,2.
Elogium. I,1,24,36 ſeqq.
Epiſtolæ Criticæ, I,5,1,13. *Philologicæ.* I,1,24,36.
Filia patriſſans. I,1,24,40. I,2,9,51.
edidit Florum. I,4,13,6. *Ariſtophanem etiam in Gall. Ling. tranſtulit.* I,7,2,8.
Filius 14. annorum autorum optimorum lectione inſtructus. I,2,9,45. ſqq.
de Futilitate Poëtices liber laudatur. I,7,1,1.
Informandi methodus in Græcâ & Latinâ Linguâ. I,2,9,44. ſeq.
Journal du Journal. vid. Journal.
Lib. de Religionum unione nec Pontificiis nec Reformatis placuit. I,1,24,39.
Lib. de Vitis Græcorum Poëtarum. I,7,2,1.
Fabri (*Honoratus*) *Aquæ figuram falſò cubicam facit.* II,2*,19,1.
Mare diverſum ſpecie facit à ceteris aquis. II,2*,20,1.
Maris intumeſcentiæ cauſam non agnoſcit lunam. II,2*,20,4.
Metaphyſices Reformator. II,5,1,8.
Suſpicionem Carteſianiſmi à ſe amolitus eſt. II,1,15,11.
Fabricii *Apologeticum pro genere humano contra Atheiſmi calumniam.* III,5,1,9.
Hiſtoria Ciceronis. I,4,11,7.
Fabula *de Vulpeculâ.* III,1,1,5.
Fabulæ *Morales ad Ethicam ſpectant.* III,1,1,5.
Romanenſes III,1,1,5. *harum* (*vulgò Romans*) *Scriptores.* I,7,3,20.
Fachinæus *Controverſias illuſtres ſcripſit.* III,6,8,4.
Facii *Diſſertt. in Livium laudantur.* III,2,1,12.
Falſationum *hiſtoria integrum Volumen conficeret.* II,2,1,5.
Fama *ſapientiam & eruditionem ſemper comitatur.* I,1,15,60.
Famæ *doctorum virorum detrahere ſummæ malitiæ & inſcitiæ ſignum eſt.* I,1,15,21. ſeqq. I,1,17,27.
Famam *honeſtè aucupari, ut & oſtentare, viro erudito indecorum non eſt.* I,1,15,24.
Fames *prodigioſa.* II,2*,48,5.
Familiares *eruditorum ſermones, invitis autoribus, non temerè edendi.* I,1,16,61. ſeqq.
Familiarum *illuſtrium & nobilium Hiſtorici laudantur.* III,4,1,10.
Fancheti (*Claudii*) *Poëtarum Gallorum Hiſtoria.* I,1,18,19. *huic Franc. Petrarcha multum debet.* I,1,18,20 *ab Ant. Verdiero edita eſt.* I,1,18,21.
Farnabii *Index Rhetoricus.* I,6,1,27.
de Faſcino *doctrinam præcipuè illuſtravit Frommannus.* II,2*,8,8.
de Faſtis *Romanorum quinam ſcripſerint.* I,5,2,6.
Fata *ſua habent diſciplinæ & ſcientiæ.* I,1,22,25. *ut & libri.* I,1,22,26.
Fati *Theatrum ſcribere voluit Böcklerus, ſed non abſolvit.* I,1,12,35.
Vis in Regnorum Principumq; cauſis præcipuè deprehenditur I,1,12.35
Vis in terrarum & regionum cognitione ſe exſerit. I,1,12,36.

de

de Fato *doctrina non pertinet ad Phyſicam* II, 2*, 2, 2. *ſcripſit Fliſco*, vid. Fliſco.
de Fato Civili *ſcribere voluit Autor.* III, 2, 1, 17.
Febres *in fermentatione conſiſtunt* II, 2*, 6, 9 *quomodo curari poſſint.* II, 2*, 8, 4
Feind (*Bartholdus*) *Hortum Comicum edidit.* I, 3, 4, 17.
Feldeni *elementa juris univerſi.* III, 6, 1, 6. *ſtricturæ in Grotium.* III, 6, 1, 5.
Fermentationis *doctrina maximum in Phyſicis & Medicis uſum habet.* II, 2*, 6, 9. *de eâ Scriptores præcipui.* ibid.
Ferrarii (*Octavii*) *Inſcriptiones.* I, 6, 3, 11. *lib. de ſermonibus exotericis.* II, 1, 8, 6. II, 2, 12, 1. *Proluſiones.* I, 6, 3, 1.
Ferrariis (*Hieron. de*) *ſcripſit Locos Communes in Scoti Opera.* II, 1, 14, 9.
Ferrarius *de Acclamationibus Libb.* VIII. *edidit.* I, 5, 2, 15. *de Cultura pomorum aureorum & Mali Citrei.* II, 2*, 43, 2. *de Re Veſtiaria ſcripſit librum, quem continuavit Rubenius.* I, 5, 2, 9.
Ferri *ſociabilitas cum Cupro impoſſibilis.* II, 2, 1, 5. *transmutatio in cuprum poſſibilis* ib.
Ferro (*Giovanni*) *Teatro d' impreſe recenſetur.* I, 1, 21, 60.
Feſtinatio *nimia in ſtudiis ante omnia vitanda.* I, 2, 8, 50. ſeqq.
de Feſtis *quinam ſcripſerint.* I, 5, 2, 6.
Fetteri *ſuccus Curtianus eſt exſuccus* III, 2, 1, 14
Feudale *jus ad notitiam juris publici neceſſarium* III, 6, 7, 15. *eſt ἀμέθοδον* ibid. *collectionem illius inſtituit Mericutius, aliiq́ꝫ.* ibid. *ejus Interpretes.* ibid.
Feurbornius *Synopſin Errorum Calvinianorum edidit.* III, 5, 1, 32.
Ficini (*Marſilii*) *Scripta plurima recenſentur.* II, 1, 7, 15. *Theologia.* III, 5, 1, 3.
Ficinus (*Marſilius*) *Philoſophus Platonicus ad Magiam proclivior fuit* II, 1, 7, 15 *de Veritate Religionis Chriſtianæ ſcripſit.* III, 5, 1, 7.
Figrelius (*Edm.*) *quiſnam fuerit.* I, 5, 2, 14. *de Statuis & Statuariis ſcripſit* ib.
Figulus (*Seb.*) *de Epithetis.* I, 6, 1, 23.
Figuræ & *formulæ Orationis quomodo differant.* I, 3, 7, 14. ſeqq. *ſententiarum & affectuum* I, 3, 7, 14. ſ.
de Finibus *regundis Scriptores quinam illuſtrârint.* III, 6, 4, 4.
Finnicæ *gentis Scriptores.* I, 1, 18, 48.
de Firmitate *agitur.* II, 2*, 7, 6.
Flacci *Argonautica.* I, 4, 13, 8. *felicitas in Epico Carmine.* ibid.
Flacci (*Matth.*) *Catalogus Teſtium veritatis cum notis Dicterici.* III, 5, 1, 24. *furtum bibliothecarium.* I, 1, 4, 24.
Flagellatio *nonnullis actus Venerei incentivum.* II, 2*, 8, 6.
Flaminii (*Marci Ant.*) *Paraphraſis in Ariſt. libros de prima Philoſophia.* II, 1, 11, 15.
Flandria (*Dominicus de*) *D. Thomæ acerrimus fuit propugnator.* II, 1, 14, 18. *ejus ſcripta, quæ ſuperſunt, recenſentur.* ibid.
Fleta *eſt Jus Anglicum.* III, 6, 3, 1.
Flexilitas *quid ſit.* II, 2*, 7, 6.
Fliſco *librum de Fato ſcripſit, de quo judicium fertur.* II, 3, 1, 2.
Florentinæ *Academiæ.* I, 1, 14, 28. ſeqq. II, 2, 1, 15. *Relationes Phyſicæ.* II, 2, 1, 16.
Flori *de dictione judicium.* I, 4, 13, 6.

Editiones variæ. ibid.

Exſcriptor eſt Joſnandes, Gothus. ib.

Florus *Hiſtoriam Romanam in Compendium contraxit.* I,4,13,6.

Florum *reſuſcitatio ope roris, & productio ſine ſemine, in dubium vocatur.* II,2*,27,5

Fluddii (*Rob.*) *Adverſarii.* II,2,15,5.

Ingenium mirabile, ſcripta & inventa egregia Mathematica. I,2,7,64.ſeqq. II,2,15,5.

Magicarum rerum ſtudium. II,2,15,5.

Philoſophia eſt enthuſiaſtica. II,2,15,5.

Philoſophia Moſaica improbatur. II,2,3,4.

Somnia picturæque ridiculæ de cauſis morborum. II,2,15,5.

Fluddius (*Rob.*) *Angelos ventorum Præſides facit.* II,2*,23,5.

Cogitationes à Genitalibus cerebri produci credit. II,2,5,5.

Duo Principia Catholica Medico-Phyſica conſtituit. II,2,15,5. *de his judicium fertur.* ibid.

in Meteorologia Coſmica nubes captat. II,2*,27,12.

Morbos ridiculè dividit. II,2,15,5.

Thermometrorum inventor quibusdam creditur. II,2*,18,4.

in his omnem ſuam Philoſophiam fundat. ibid.

de Fluiditate *agitur.* II,2*,7,6.

in Fodinis *Spiritus ſ. Dæmones dari certum eſt.* II,2*,2,5.

Foemina *vomuit & alvo laxata eſt, tonitru audito.* II,2*,8,10.

Foeminæ *eruditæ academiis Italicis quoq; recipiuntur.* I,1,14,40.

Foeminarum *doctarum bibliothecam ſcribere capit Lud. Jacobus, an abſolverit, incertum.* I,1,17,13. *elogia qui ſcripſerint.* I,1,19,59. *exempla. Tanaqv. Fabri filia.* I,1,24,40. *Olympia Fulvia Morata.* I,1,24,117. *Eliſabetha Johanna Weſtonia, Laura Brixiana.* I,1,24,118. *Aloyſia Sygæa.* I,1,8,31 I,1,24,119.

Mediatorem ſe jactavit Poſtellus. II,1,12,2.

Fogelii (*Martini*) *lib. de Phyſicis Italis.* II,3,1,13.

Scripta varia ἀνέκδοτα. I,1,7,43. I,1,18,29.

Fontes *artificiales.* II,2*,20,8.

Fontium *Origo è Vaporibus, pluviis & mari,* II,2*,20,8.

Originem marinam, à Voſſio impugnatam, defendit Burſerus. II,2*,20,8.

Specialium Scriptores. II,2*,20,9.

de Fontium *Origine quinam ſcripſerint.* II,2*,20,8.

Forbeſii *Inſtructiones Hiſtorico-Theologicæ laudantur.* III,1,1,29.

Forcatuli *Necromantia recenſetur* III,6,8,3

Formarum *Diviſiones & ſubdiviſiones.* II,2*,1,9.

fontem, lucem primavam facit Comœnius. II,2*,1,8.

Formicarum *generatio &c.* II,2*,45,8 *ex illis Oleum & ſpiritus præparantur.* ibid.

Formis *omnia, ſed perperam, tribuerunt Ariſtotelici.* II,2*,18,4.

de Formis *ſubſtantialibus in utramque partem diſputatur.* II,2*,1.7.

tàm hominum, quàm animalium bruto-

brutorum, & corporum reliquorum vera doctrina. II,2*,1,8.
Formulæ *affirmandi vel negandi.* I,3,7,19.ſ.
Connexionum Periodicarum. I,3,4, 24. I,3,8,14.ſeqq. vid. Periodica
Dialogiſticæ. I,3,9,37.
Epiſtolicæ. I,3,9,24. ſeqq.
Orationis ſyſtematicæ ſunt vincula, quibus partes ejus cohærent. I,3,8,1.
Poëticæ. I,3,10,17.
Volendi, vel nolendi. I,3,7,22.ſeqq.
Formulas *fori Romani veteris collegit Briſſonius, & poſt illum Calvinus.* III,6,3,3.
Förſtero *plagii crimen intendit Rittershuſius.* III,6,4,4.
Förſtneri (*Chriſt.*) *Elogium à Böclero ſcriptum.* I,1,19,42. *iniqua cenſura ab Amelot de Huſſaje propoſita refellitur.* I,1,19,43.
de Förſtnero *& Thoma Campanella ſingularis hiſtoria.* I,1,19,44.
Fortificatoria *ars à Germanis, Belgis, Gallis & Italis exculta.* II,4,1,7.
Fortii (*Joach.*) *Conſilia paradoxa pro ſanitate corporis tuendâ.* I,2,8,40.ſqq *ſententia paradoxa de penuria præ opibus eligenda.* I,2,8,15. vid. Ringelbergius.
Fortius (*Joachimus*) *Polygraphias affectator.* I,1,22,33.
de Fortuna *doctrina ad Phyſicam non pertinet.* II,2*,2,2.
Fournenc (*Jacobi*) *Synopſis univerſæ Philoſophiæ recenſetur* II,1,14,51. *ſententia peculiaris de multiplicatione animæ.* ibid.
Fracaſtorius *optimus Poëta Epicus laudatur* I,7,3,8.
Francii (*Petri*) *Elegiæ de Candia ſunt nitidiſſimæ.* I,7,3,9.
Franciſcanorum *Annales Gonzaga dedit.* III,4,1,18.
Franciſci (*Eraſmi*) *Volumina Germanica laudantur.* II,2,2,7.
Franckenbergs jetziger Welt regierende Schaubühne. III,2,1,17.
Franckii (*Chriſtoph.*) *Diſſ. ſub tit. Atheus Convictus.* III,5,1,9.
Franckius (*Chriſt.*) *refutationem Wendelini & Mareſii molitus eſt.* III,5,1,32
Francofurtanum *Jus.* III,6,10,3.
Fraſſen (*Claudii*) *Philoſophia Academica, è ſelectiſſimis Ariſtotelicis & Scotiſtis adornata recenſetur.* II,1,14,12
Fratres *roſeæ crucis eorumque doctrina.* I,1, 13,34. III,5,1,36. *varia variorum judicia experti.* ibid. *quorum cauſam Mich. Meyerus publico ſcripto egit* I,1,13,34. III, 5,1,36. *ut & alii.* I,1,13,34.
Freigii (*Joh. Thomæ*) *Ciceronianus recenſetur.* I,1,21,114. *Loci Communes uberiores promiſſi & maximè profuturi, lucem non viderunt.* I,1,21,114.
Freigius (*Joh. Thomas*) *propugnator Rami acerrimus.* II,1,12,1.
Freinshemii *Diſſ de potu calidæ.* II,2*,42,4 *Labor in Tacitum non abſolutus.* I,4,13,4. *Orationes laudantur.* I,6,3,3 *Supplementa Liviana recenſentur.* I,4,11,11.
Freſne (*Carolus du*) *Gloſſarium ad ſcriptores mediæ & infimæ Græcitatis conſcripſit.* I,4,8,12. III,6,7,16. *quibus Lexicis in hoc Gloſſario conficiendo uſus ſit, docetur.* I,4,7,11.

Gloſſarium Latinitatis mediæ atq; infimæ ſcripſit. I,4,9,18
Frey (*Jani Cæcilii*) *artificia in extemporali Oratione, memoriter recitanda, recenſentur.* I,2,6,74. ſeq. I,2,5, 51. I,6,1,18.
Freymonii *Symphonia Juris utriusq; Chronologica.* III,6,3,5.
Fricius *de Republ. emendanda.* III,2,1,5.
de Frigidi *potus abuſu ſcripſit Maſinus.* II,2*,42,4.
Frigore *extincti, in vitam revocati* II,2*,17,5
de Frigore *ſcripſit Boylius.* II, 2*, 17, 4. *Comœnius.* II,2*,17,5.
Frigoris *cauſa ſunt corpuſcula ſalina.* II,2*, 17, 3. *non autem venti.* II,2*,17,4.
effectus ſunt varii. II,2*,17,5.
πρῶτον ψυκτικὸν non eſt aqua. II,2*,19,2.
Frigus *arte produci poteſt.* II,2*,17,5.
attenuat aquam. II,2*,17,5.
& Calor ad omnes naturæ Operationes concurrunt. II,2*,17,1.
non ſolum ut qualitas & privatio eſt conſiderandum, ſed etiam ut poſitivum aliquid. II,2*,17,2.
quidam derivant à particularum nitro-aërearum motu languidiori, quidam à Spiritibus frigorificis. II,2*,17,3.
Friſchlini *Syntaxis Lat. laudatur* I,4,10,10.
Fritſchius *Diſputationes variorum collegit.* III,6,9,5.
Frommannus *faſcini doctrinam illuſtravit* II,2*,8,8.
Fromondus *in libris ſuis Meteorologicis mirus eſt nugator.* II,2*,27,12.
ex Fronte *Ars divinatrix* vid. Metopoſcopia
Frontinus *ſcripſit de Stratagematibus, nec non libellos de Aquæductibus & Cloacis.* I,4,13,5.
Fruges *ope nitri fertiliores reddi poſſunt.* II,2*,41,1.
Fuci *literarii.* I,1,15,15.
Fuggerus (*Ulr.*) *Bibliothecam Heidelbergenſem auxit.* I,1,4,17.
Henr. Stephani annuo ſtipendio aluit, ut libros Græcos ederet. I,1,7,27.
Poſſeſſor ſummi arcani Phyſici fuiſſe creditur. I,1,4,18.
Fuldenſis *Bibliotheca, ad miraculum pleniſſima, furore militari periit.* I,1,5,20.
Fulgentius *vitam Pauli Sarpii ſcripſit.* I,1,15, I,1,19,21. ſeq.
Fulgur *à nubium conglaciatarum lapſu falsò derivant Mayovius & Carteſius.* II,2*,24,5.
Fulguris *accenſio per antiperiſtaſin contra Hon. Fabri defenditur* II,2*,24,4
Origo eſt è vaporibus ſulphureo-nitroſis. II,2*,24,5.
de Fulguris *miris effectibus Scriptores.* II,2*,24,6.
Fulmina *artificialia parari poſſunt.* II,2*,24,6.
Fulminares *Lapides.* vid. Lapides.
de Funambulatoria *Anglus Tuſcanus ſcripſit.* II,4,1,16.
Funccii *Breviarum.* III,2,1,6.
de Funerum *ritibus quinam ſcripſerint.* I,5,2,8.
Fungus *quidam marinus cur ſe ad cultrum admotum contraxerit & corrugaverit, diſquiritur.* II,2*,44,3.
Furfurariorum *Academia Florentina unde nomen traxerit.* I,1,14,28.

Furlani

Furlani (*Dan.*) *Commentarius in Ariſtot. lib. de animalibus.* II,1,11,13.
de Furore *Poët. qui nã ſcripſerint.* I,7,1,14.
Fürſtenbergii (*Ferd.*) *Poëmata laudantur.* I,7,3,9.
de Furtis *Poëtarum Aretades & Ægidius Menagius ſcripſerunt.* I,7,1,15. *de his judicia Longini & Autoris.* ibid. *in iis furtis ſingularis verſutia Speronii.* ibid.
Futurorum *prænotio divinum quid ſapit.* I,1,12,26.

G.

GAddius (*Jac.*) *Cenſor Autorum ſæpè eſt ineptus.* I,1,16,21.
montes parturiendo non niſi mures parit. I,1,18,6.
in Opere de ſcriptoribus non Eccleſiaſticis judicia de Autoribus futilia profert. I,1,16,19.&21.
à Philippo Labbæo Sciolus Florentinus vocatur. I,1,16,20.
ſcripſit penè Bibliothecam librorũ. ib.
Simia Photii dicitur. I,1,16,18.
Gaffarelli *Curioſitez inouies.* II,4,1,10. II,2*,8,7. II,3,1,12.
Galaxia. vid. Via lactea.
in Galenum *labores Hofmanni commendantur.* III,7,1,2.
Galenus *atheiſmi falsò incuſatur.* I,1,8,13.
Galei *Philoſophia Generalis.* II,1,1,8.
The Court of gentils. ib. & III,5,1,2.
Galilæi (*Galilæus*) *fluxum maris ad terram retulit.* II,2*,20,3.
librum ſcripſit de Demonſtrationibus Mathematicis, &c. II,4,1,15.
Galleſii *Traite de plus belles bibliotheques du monde.* I,1,17,19.
Galli *cujusdam hiſtoria, linguas omnes in ſomno loquentis.* I,2,9,28.
Galli *ab Italis in amicitia colenda differunt.* I,1,15,34.
an ſint plagiarii Anglorum, diſquiritur. I,6,4,30.
præ ceteris nationibus Poëtica gloria excellunt. I,1,18,19, ſeq.
Gallia *Chriſtiana.* III,4,1,18.
Galliæ *imperium orbis promittit Poſtellus.* I,1,10,36.
Regis prudentia Oeconomica. III,3,1,4.
Regum curationes per tactum. II,2*,8,6.
Gallica *Adagia.* I,1,21,101.
Grandiloquentia. I,1,24,27.
natio præ ceteris πολυμαθείας eſt ſtudioſa. I,1,1,20.
Gallicarum *urbium Topographia.* vid. Topographia.
Gallicorum *Scriptorum Memoriæ*, vid. Memoires.
Gallicum *Lexicon.* vid. Vocabularium.
Gallonii (*Ant.*) *tr. de Suppliciis & Torturis.* I,5,2,14.
Gallorum *Academiæ Pariſienſes recenſentur.* I,1,14,42.
Academie françoiſe à Card. Richelio inſtituta. I,1,14,41. *deſcripta à Dn. de Peliſſon.* ibid. *ad culturam & nitorem Gallicæ Linguæ inſtituta.* ibid. *& quidem ob famam Societatis Acad. Oxonienſis.* I,1,14,44. II,2,1,15. *ab Abbate de S. Germani publicè impugnata.* I,1,14,41.
Cura in libris ſuæ gentis conſignandis laudatur. I,1,18,18. ſeqq.
in Hiſtoricos veteres Patresq; magna ſunt merita. III,4,1,1.

Propheta, Noſtradamus, vid. Noſtradamus.
Galluccii (*Tarquin.*) *Comm. in Ethica Ariſt.* II,1,11,16.
Orationes ſunt elegantes. I,6,3,2. II,1,11,6.
Plagium. II,1,11,6.
Gambarellæ *Antithetorum amica ſimultas, arbitris Plauto, Terentio, Cicerone, Cæſare.* I,6,1,23.
Garruli *moleſti ſpecimen præbet Angelus Angelotus.* I,1,15,43.
mores deſcribit Horatius lib. I, *ſat.* 9. I,3,9,24.
Garrullitas *in Converſatione moleſtiſſima.* I,1,15,42.
Gaſſendi (*Petri*) *Biographiæ recenſentur.* I,1,19,18.
Comment. in X. Libb. Laertii. II,1,5,3.
Deſcriptio vitæ Peireſcianæ I,1,19,17.
Exercitationes Paradoxicæ adverſus Ariſtot. II,1,12,3. II,2,12,7
Lib. de Epicuri vita, moribus & doctrina. II,1,5,1.
Libb. de motu perpendiculorum. II,4,1,15.
Gaſſendus *Philoſophiam naturalem Democriti & Epicuri inſtauravit.* II,2,7,5.
Gatakeri *Adverſaria, & Animadverſionum variarum liber*, I,5,1,11, *de eo judicium.* ibid.
Comm. in M. Aur. Antonini τῶν εἰς ἑαυτὸν, *laudatur.* II,1,4,4.
Gaudentii *Diſſ. de Pythagorica animarum transmutatione.* II,1,2,9.
Feſtinatio extemporalis in ſcribendo notatur. ibid.
Inſtar Academicum. ibid.
Gazophylacia *nummorum bibliothecis addita ſolita.* I,1,6,11
Gelenii (*Sigiſm.*) *Lexicon Symphonicum commendatur.* I,4,3,9.
Gellii *defenſor fuit Stephanus.* I,4,14,2. *editiones variæ.* ibid.
Gellio *invigilatas noctes Pariſinas ſcripſit Stephanus.* I,4,14,2.
in Gellium *notas qui ſcripſerint.* I,4,14,2.
Gelotoſcopia *Aldorifi.* II,3,1,3.
Gemiſti (*Georg.*) *lib. de Platonicæ & Ariſtotelicæ Philoſophiæ differentia.* II,1,7,2.
Gemma (*Cornelius*) *de Arte Coſmo-Critica ſeu de naturæ divinis characteriſmis lib. edidit.* II,2*,2,4.
Gemmæ *artificiales è vitro.* II,2*,34,2. *has parandi artem tradit Nerus*, ib.
Gemmarum *Conſtitutio, generatio & ſolutio juxta Boylium.* II,2*,33,2.
Præſtantia & prærogativa oſtenditur. II,2*,33,1.
Scriptores recenſentur. II,2*,33,1.
Vires, & quid de his judicandum. II,2,33,3.
Subſtantiam primam, liquidam eſſe ſtatuit Boylius. II,2,10,3.
Genealogici *Scriptores.* III,4,1,10.
Generatio *animalium ex Anatomicorum Obſervationibus diſcenda* II,2*,45,1 *non fit è ſemine, ſed ex ovis.* II,2*,45,2. & 3.
de Generatione *multæ Ariſtotelicorum ſunt ſubtilitates.* II,2*,28,3.
Generationem *æquivocam dari negat Rhedi.* II,2*,45,5.
in Geneſin *Commentationes Pererii* II,1,1,7
Genethliaca *Carmina.* vid. Natalis.
Genii *familiares ad Magiam ſpectant.* II,3,1,17. *an illos Socrates & Cardanus*

nus verè jactârint. ibid.
de Genitalibus *Virorum quinam ſcripſerint* II,2*,47,3.
Genium *ſuum familiarem cognoſcendi ars ad Magiam ſpectat.* II,3,1,14.
contra Gentiles *Scripta Patrum.* III,5,1,7.
Gentilis (*Alberici*) *Diſſ. de abuſu mendacii.* III,1,1,11.
Diſſ. de Libris juris Civilis. III,6,4,3
Libb. de jure Belli & Romanorum armorum. III,6,1,6
de Gentiliſmo *non retinendo librum ſcripſit Campanella.* II,1,12,4.
Gentilium *Collegia ſecreta.* vid. Collegia.
de Diis & Religione Scriptores. I,5,2,6.
Libri Theologici, ſ. Theurgici, multa ſecretioris naturæ arcana continent. I,1,10,5. I,1,13,2.
Mythologia Chemica arcana continet. I,1,11,17.
Theologia initio ſatis ſincera, cur tractu temporis variis ſuperſtitionibus ſit incruſtata. I,1,10,22.
Theurgiæ arcana Jamblichius libro de Myſteriis Ægyptiorum latè proponit. I,1,10,6. ſeq.
Theurgiæ arcana compendio in Hermetis ſ. Mercurii Columnis conſignata. I,1,10,9. *à Chaldæis & Indorum Braminibus propagata* I,1,10,12. ſeq.
Gentium *Leges & mores quinam deſcripſerint.* III,2,1,16.
Migrationes. III,2,1,17.
Gentius (*Georg.*) *Linguarum Orientalium cognitionem itineribus ſuis in Orientem ſibi paravit.* I,4,1,5.
Geodeſia *à Germanis exculta.* II,4,1,7.
Geographiæ *diviſio & differentia à Coſmographia.* II,4,1,11.
Geographiam *per chartas luſorias & aleam addiſcendi artificium eſt ineptum.* II,4,1,12.
Geographica *mnemonica Königii per aleæ uſum rejicitur.* I,2,6,50.
Geographicus *Schematiſmus Uppendorffii, certis ſignis notatus, recenſetur.* I,2,6,79.
Geographorum *Nomenclatores Hiſtorici.* II,4,1,2, & 11.
Geomantia *Chinenſium Phyſica è terræ figura & conſtitutione de hominum ingenio judicat.* II,3,1,13. *deſcribitur* II,3,1,13. *ejus ſcriptores ib.*
Geometria *θεῖον quid ſpirat.* I,1,12,22.
Geometriæ *compendiorum Scriptores præcipui.* II,4,1,6.
ſtudium ingenia maximè excitat. I,2,11,17.
Geoponici *autores de agriculturâ ſcripſerunt.* II,2*,21,7. II,2*,42,1.
Georgii (*Davidis*) *hiſtoriam deſcripſit, erroresque refutavit Jeſſenius.* III,5,1,36.
(*Franciſci*) *Harmoniâ mundi anſam ſuggerente, Pythagoreorũ Harmonica Univerſi proportio impugnatur.* II,1,2,6. II,2,3,6. II,2*,11,7.
Gerhardi (*Johannis*) *Loci Theologici.* III,5,1,17.
Germanicæ *Linguæ Antiquitatis Scriptores.* I,4,4,3.
Barbariem ad Regulas Grammaticales reducere conatus eſt Carolus M., abſolvitque Ottfridus. ibid.
Cultura iis ſeculis, queis barbaries regnabat, non abjecta. I,4,4,4.

Excolendæ

Excolendæ ſtudium impendit Ottfridus aliiq;. ibid.
& Perſicæ affinitatem oſtendere voluit Elichmannus. II,1,3,3.
Prærogativa præ aliis aſſeritur. I,4,4,3.
Germanicorum *Adagiorum Scriptores.* I,1,21,110.
Germaniſmi *in Oratione Latina quomodo admittendi.* I,3,4,19.ſeqq.
de Germanorum *meritis in Rem Literariam Tractatus Autoris promiſſus* I,1,13,33.I,1,16,56.I,1,18,50.
Germanorum *Hiſtoria literaria deſideratur* I,1,18,50.
incuria in deſcribendis artificum vitis notatur. I,1,19,71.
indoles inquiſitiva laudatur à Spraato. II,2,1,16.
originem demonſtrare allaboravit Piccartus. II,1,11,30.
veterũ hymni & carmina I,1,3,11.
veterum libri rhythmici. I,1,7,32. I,1,3,11.
de vitis ſcripſit Melchior Adami, Wittenius & Spitzelius. I,1,18,51.ſeq.
in Germanos *convitia exterorum retunduntur* I,1,18,6.&50.I,1,22,14
Gerſonis (*Johannis*) *Scripta quædam enumerantur.* II,1,13,8.
Geſneri *Bibliotheca ſ. Catalogus univerſalis* I,1,18,10.*qui liber à variis variè auctus & editus eſt.* ibid.
Evonymus. III,7,1,7.
Mithridates. I,4,3,9.
Geſnerus (*Conradus*) *Vir diligentiſſimus laudatur, & contra nonnullorum exterorum cenſuram defenditur* I,1,18,5.ſq.I,1,22,14.ſq.*& excuſatur.* I,1,18,7. *& ab exteris quibusdam candidis magni æſtimatur.* I,1,18,7.ſqq.I,1,22,15.
circa nomina propria Germanorum Virorum æque & mulierum laborat in Catalogo Operum ſuorum. I,4,4,5.
Geſwaldus (*Philippus*) *Doctrinam de arte mnemonica omnium accuratiſſimè perſequitur.* I,2,6,45.
Ghetaldi *Archimedes promotus.* II,4,1,15.
Ghilini (*Hieron.*) *Theatrum hominum literatorum.* I,1,19,54.
Gieſebertus *Comm. in Jus Dithmarſicum ſcripſit.* III,6,10,4.*de ejus Juſtiniano Harmonico judicium fertur.* ibid.
Gifanii *Antinomiæ vituperantur.* III,6,8,4.
Comm. in Ethica & Politica Ariſt. II,1,14,70.
Comm. de Juſtiniano Imperatore. III,6,4,2.
de Gifanio *ejusque Commentariis judicium* III,6,7,9.
Gifanius *in emendando Lucretio plagii inſimulatur.* I,4,11,12.
impudentiæ accuſatur à Scaligero. I,4,11,12.
inſigni plagio Gellium editioni paratum Fruterio ſurripuit I,4,14,2
Gigantes *priſcis temporibus fuiſſe conceditur, gentes autem integras fuiſſe negatur.* II,2*,2,6.
de Gigantibus *fabulæ & ſcriptores* II,2*,2,6
Gignendi *liberos ſapientes an ars detur.* vid. Liberos.
Gilberti (*Gvilh.*) *dogmata recenſentur.* II,2,15,7.
Philoſophia nova de Magnete, Magneticisq; corporibus, & de magno Magnete Tellure II,2*,32,2.

in Phyſicis novatio. II,2,15,7.
Glacies *artificialis* II,2*,17,3&5 II,2*,27,9
Gladiotoriæ *Scriptores.* II,4,1,16.
de Gladiatoribus *& Amphitheatro Romano ſcripſit Lipſius.* I,5,2,12.
de Gladiis, *ſub certa conſtellatione confictis, quidam fabulantur* II,2*,8,7 *huc refertur gladius Guſt. Adolphi.* ib.
Gladius *Taliſmanicus Guſtavi Adolphi, Reg. Suec.* vid. Guſtavus.
Glandorpii *Onomaſticon Hiſtoriæ Romanæ* I,5,2,5. III,4,1,10.
Glanvil (*Joſephi*) *Lib. Plus ultra.* II,2,1,3.
Philoſophia pia. II,2,9,2.
Scepſis ſcientifica II,1,6,1. II,2,9,2.
Glaſſii (*Salom.*) *Explicationes Evang. & Epiſt, laudantur.* I,6,4,23.
de Glauberi *novo mundi miraculo cenſura fertur.* II,2*,38,1.
Globi *terraquei cognitio tantum ſuperficiaria eſt.* II,2*,13,1.
conflagrationis poſſibilitas è phyſica oſtenditur. II,2*,3,5.
de Globorum *& Orbium integrorum interitu, quæſtio affirmantivè deciditur.* II,2*,5,2.
Gloneri (*Sam.*) *Proſodia laudatur.* I,7,1,16.
Gloſſariorum *in Leges exotericas ſcriptores.* III,6,6,2.
à variis editorum hiſtoria. I,4,7,13.
apud veteres copia. I,4,7,12.
Gloſſarium *Juris Græci Car. Labbæi.* III,6,4,11.
Gloſſarum *diverſa acceptio.* I,4,7,12.
Gnomæ *morales animis puerorum firmius hærent.* I,2,9,57. *ſtylo tamen temere non immiſcendæ.* I,2,10,19
Gnomicam *Lobkowitz tradidit.* II,4,1,8.
Goclenii *Chiromantia.* II,3,1,6.
Lexicon Philoſophicum. I,4,4,5.
Godeau *Hiſtoria Eccleſiaſtica laudatur.* III,4,1,13.
Goedarti *Hiſtoria inſectorum recenſetur.* II,2*,45,5.
Goldaſti *Parænetici veteres.* I,4,4,3. *ei non adeò æquus eſt Scaliger.* ibid.
Gomeſii *Halographia recenſetur* II,2*,36,1
Gonzalezii *Opinio de duplici terra.* II,2*,21,4. *de eo judicium Micrælii.* ibid.
Gorlæi *Dactyliotheca.* I,5,2,9.
Exercitationes Philoſophicæ. II,1,12,5. II,2,15,2.
Sententia, omnia ex nihilo generari & in nihilum denuò reſolvi, eſt abſurda. II,2*,1,3.
Gothanum *Compendium Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.* III,4,1,13.
Gothoca *Evangeliſtarum verſio.* III,5,1,14.
Ulphilæ Evangelia ad veteris Linguæ Germanicæ monumenta referuntur. I,4,4,3.
Gothofredi (*Dionyſii*) *Notæ ſuper Corpus Juris Civilis laudantur.* III,6,4,9.
(*Jacobi*) *Ars cauſandi promiſſa.* III,6,11,1.
Commentarius in Regulas Juris. III,6,3,8. III,6,6,4.
Conciliatio Legum promiſſa. III,6,8,2.
Corpus antiquitatum Rom. è Libris Juris promiſſum. III,6,3,11.
Editio atque illuſtratio Codicis Theodoſiani commendatur. III,6,3,6 III,6,4,5.
Fontes IV. *Juris Civilis.* III,6,3,2. & 8.
Manuale Juris. III,6,4,4.

Notæ ad Corpus Juris. III,6,7,2.
Gottorpienſis *Aloë à Majore deſcripta.* vid. Aloë.
Bibliothecæ Manuſcripta. I,1,7,64. I,4,12,9.
Græcas *ad Literas olim nauſeabant omnes* I,1,2,10.
Græcæ *Linguæ pronuntiationis hiſtoria & ſcriptores.* I,4,6,18.
Græci *Exules, capta Conſtantinopoli, græcarum rerum notitiam in Occidente reſtaurarunt.* I,1,2,16. I,1,11,20. II,2,12,6.
Grammatici inediti recenſentur. I,4,6,4. ſqq. *moderni laudantur* I,4,6,14.
in Philoſophando diverſis inſtitutis utuntur, II,2,7,1.
Philoſophi veteres ab Ægyptiis ſacerdotibus arcaniores ſcientias hauſerunt. I,1,6,30. I,1,10,6.ſ.
Pythagoram agnoſcunt parentem. II,2,7,1.
Græcia *antiqua Jacobi Palmerii.* I,5,1,9.
in Græciam *Coloniæ Ægyptiorum ante Orpheum ſunt deductæ.* I,1,13,9
Myſteria ex Ægypto translata ſunt ab Orpheo. I,1,13,6.
Græcorum *Leges ab Ægyptiis ſunt derivatæ.* III,6,2,4.
de Magiſtratibus Scriptores recenſentur. I,5,2,7.
Muſea, vid. Muſea.
Philoſophia, nec planè contemnenda nec nimis extollenda II,2,7,2
Poëtarum Lyricorum Poëmata maximâ ex parte à Græcis Monachis ſuperſtitioſis ſunt combuſta. I,1,5,27. *quorum ob obſcænitatem facilis eſt jactura,* I,1,8,28.
Prytanea. vid. Prytanea.
Religio diſſidet à Romanâ, non ita à Proteſtantiũ religione. III,5,1,23.
Veterum epiſtolæ. vid. Epiſtolæ,
Vita eſt corruptiſſima. III,5,1,23.
in Græcos *autores exercitationes Palmerii.* I,5,1,9.
Grævius *in Theſauro Antiquitatum Romanarum potiores de his Scriptores collegit.* I,5,2,16.
Grammatica *in quonam propriè conſiſtat.* I,4,1,1.
Grammaticæ *Difficultas non minor eſt, quã Metaphyſices & Logices.* I,2,1,29. I,2,9,20. I,4,10,1.
Diviſio & partes. I,4,1,2.
Minutiis puerorum ingenia non ſunt torquenda. I,2,1,29. ſeqq. I,2,10,14.
Præceptis Principes non ſunt macerandi, I,2,12,12. ſeqq.
Vindiciæ contra ejus contemtores, I,4,1,1.
Grammaticam *Germanicam inchoavit Carolus M. Imp.* I,4,4,4.
nullam didicit Scioppius, ut & Cowlæus. I,2,1,32.
Grammaticarum *tricarum architecti notantur.* I,2,1,31. ſeqq.
Grammatici *Græci.* vid. Græci.
Latini veteres & recentiores. I,4,10,2. &3.
Grammaticorum *regulis non ſubjici debent boni autores.* I,3,4,32.
Granadus (*Jacobus*) *Comm. in Summam S. Thomæ ſcripſit.* II,1,14,27.
Granatenſis (*Lud.*) *inſignis Orator Eccleſiaſticus, laudatur.* I,6,4,25.
ſcripſit Conciones & Rhetoricam Eccleſiaſticam, nec non Locos Com-

Communes. ibid.

Grand (*Antonius*) *eſt Epitomator Carteſii.* II,1,15,9. *Diſſ. ſcripſit de carentiâ ſenſus & cognitionis in brutis* II,2*,45,4. *plura ejus ſcripta recenſentur.* II,1,15,9. II,2,8,1. II,2,17,4. *ſcripſit librum l'Homme ſans paſſions.* III,1,1,11.

Grandis (*Joh. Franc.*) *Conſilium latinas voces à græcis derivandi.* I,4,6,3. *Diſſertt. Philoſophicarum prima, Phyſicæ Epicureæ oppoſita, laudatur.* II,1,5,4. II,2,7,8.

Grandinis *figura eſt ovalis.* II,2*,27,10. *formatio quomodo & ubi fiat.* ibid. *portentoſa ſæpè eſt magnitudo.* ibid.

Grando *ſtatim liqueſcit.* II,2*,27,10.

de Gratiæ *divinæ auxiliis ſcripſit Cabezado.* II,1,14,25. *Franc. Svarez.* II,1,14 43. *Didacus Alvarez.* II,1,14,56.

Gratiani *decretum.* III,6,7,14. *juſſu Gregor.* XIII. *emendatum.* ibid.

Gratii *Cynegeticon ſ. de venatione liber mutilus ſupereſt.* I,4,12,12. *ejus Editores & Commentatores.* ibid.

Gratulatoriæ *inventiones de adventu.* I,3,12 51. *in epiniciis.* I,3,12,22. & 27. *in epithalamiis.* I,3,12,29. ſeqq. *de Doctoratu.* I,3,12,11. ſqq. & 23 *miſcellæ.* I,3,12,28. *de natali.* I,3, 12,21. & 24. *de novo anno.* I,3,12 19.1. *de Rectoratu academico.* I,3, 12,16. ſqq. *variant pro varietate dignitatum.* I,3,12,7. ſqq. & 23.

Gravinæ (*Petri*) *Epiſtolæ & Orationes.* I,6,3,5

Gravina (*Dominicus*) *Epigrammatum Scriptor.* I,7,3,4. (*Johan. Vinc.*) *ob dicendi ſcribendiq; facultatem laudatur.* I,6,3,5.

Grauntii (*Johannis*) *Bils of the mortalitaty commendatur.* II,2*,5,1.

Greatreack (*Valentinus*) *ob curationes per tactum factas Londino expulſus* II,2*,8,6.

Gregorii *Nazianzeni Poëmata recenſentur.* I,7,2,27.

de Grempii *tractatione Cod. Juſtinianei methodicâ judicium fertur* III,6,7,9.

Gretſeri (*Jacobi*) *Opus de Cruce.* I,5,2,14.

Grimaldi *Phyſico-Matheſis de lumine, coloribus & iride, recenſetur.* II,2*, 14,2. *laudatur.* II,2*,25,1.

Gronovii *Diſſertationes & notæ in Grotium* III,6,1,5.
Gratulatio ad Principem Arauſionum. I,6,3,6.
Libro de ſeſtertiis, ſeu de Pecuniâ Veteri Romanorum, iniquior fuit Salmaſius. I,5,1,12.
de Notis in Senecam judicium Sarravii recenſetur. I,4,12,8.
Obſervationum libri tres. I,5,1,12.

erga Gronovium *ſingularis liberalitas & humanitas Comitis Avauxij.* vid. Avaux.

Grotii (*Hugonis*) *Commentaria Critica in univerſa Biblia.* III,5,1,15.
Elogium. I,1,23,48.
Epigrammata. I,7,3,2.
Epiſtolæ Politicæ. III,2,1,8.
& Gvieti lis ſuper præſtantiâ vini & cereviſiæ. I,1,24,29.
Inleyding in de Hollandſche Rechts-Gelahrtheit. III,6,10,2.
Librorum de jure Belli & Pacis elogium & illuſtratores. III,6,1,5.
Opus epiſtolicum Πολιτικώτατον. I,1,24,21. ſeqq.
Stylus. I,1,23,46. I,1,24.22. & 51.
Tragœdia, Adamus exul. I,7,3,15.

de veritate Religionis Chriſtianæ liber. III,5,1,7. *hunc per plagium non deſcripſit ex Arabico libro ejus argumenti.* III,5,1,22.
(*Wilhelmi*) *de Principiis Juris naturalis judicium fertur.* III,6,1,5.
Grotius (*Hugo*) *in Carmine Heroico varius.* I,7,3,8.
Fabularum Romanenſium lectione delectatus eſt. I,7,3,20.
à Martino Ruaro in partes Socinianorum tractus eſſe creditur. I,1,24,102. III,5,1,33.
Phœnix noſtri ſeculi meritò dicendus. I,1,24,21.
Grotus (*Aloyſius*) *cæcus carmina, orationes & epiſtolas elegantes ſcripſit.* I,1,24,127.
Grundfeſt des Heil. Römiſchen Reichs. *lib. Germanicus laudantur.* III,6,9,2.
Gruteri (*Jani*) *Bibliotheca exulũ.* I,1,21,71.
Diſſertationes in Livium & Tacitum. III,2,1,12.
Florilegium ethico-politicum. I,1,21,70.
Humanitas ſumma. I,1,15,41.
Inſcriptiones. I,4,14,26. *his adjectæ ſunt notæ.* I,4,2,4.
Polyanthea recenſetur I,1,21,26.
Theſaurus Criticus. I,5,1,4.
Gualandi (*Adoardi*) *Moralis Philoſophiæ, ac totius Facultatis Civilis vera & abſoluta methodus.* III,1,1,14 *de illa judicium fertur.* III,6,1,2.
Gualtheri (*Johannis*) *Chronicon Chronicorum.* III,4,1,4.
Gudelini *jus noviſſimum laudatur.* III,6,7,12.
Gudii (*Marquardi*) *Bibliothecam privatarũ omnium Regina dici meretur* I,1,7,67. *refertiſſima MStis antiquiſſimis & rariſſimis*, ibid. *& Theſauro Epiſtolarum* αὐτογράφων *ineditarum.* I,1,25,15. ſeqq.
Elogium. I,1,7,67.
Volumen inſcriptionum ineditum. I,4,14,26.
Guerickius (*Ottho*) *Cometæ ortum prædixit* II,2*,12,4. II,2*,18,6.
Commentarios de Vacuo edidit. II,2*,4,3.
Maculas ſolares pro planetis circumſolaribus habet. II,4,1,8.
Virunculum formavit tempeſtatum ſignificatorem. II,2*,18,6.
Guidiccionii *Cenſura Poëtarum.* I,7,2,1.
Guiniſii (*Vincentii*) *Allocutiones Gymnaſticæ laudantur.* I,6,3,2.
Guntheri (*Oweni*) *tract. duo methodorum laudantur.* I,2,7,4. II,5,1,4.
Guſtavus Adolphus, *Rex Svec., non habuit gladiũ ſub certa conſtellatione confectum.* II,2*,8,7. II,3,1,12.
Guſtu *terras quidam diſtinguere potuerunt* II,2*,21,8. *de illo quinam ſcripſerint.* II,2*,47,3. II,2*,48,5.
Guſtus *in quo conſiſtat.* III,2*,47,3.
Origo à papillis linguæ nerveis. II,2*,48,5.
Guthmanni *lib.* Offenbahrung Göttlicher Majeſtät. II,2,3,8. III,5,1,36.
magno in pretio olim habitus. II,2,3,8.
Guyberti (*Nicolai*) *de Murhynis poculis Diſſ.* I,5,2,13.
Guyeti *Juſtinianus Magnus.* III,6,4,2.
Gymnoſophiſtarum *Collegium in Æthiopia* I,1,13,28.
Gyraldi *Dialogi de Poëtis Græcis & Latinis* I,7,2,1.

Fatum recenſetur. I,7,2,1.
Hiſtoria Deorum. I,7,1,17.

H.

HAbdarcahmani *Ægyptii, liber de proprietatibus ac virtutibus medicis animalium, plantarum & gemmarum.* I,3,13,46.
Hadrianus *librum de modis latine loquendi ſcripſit.* I,4,9,20.
Hæmorrhagia *cadaverum non eſt ſignum judiciale.* II,2*,8,10.
Hæreſium & *Hæreticorum Scriptores recenſentur.* III,5,1,19.
Hafnienſia *acta.* II,2,1,16.
Hales (*Alexander de*) *primus in ſententias Lombardi Commentator fuit, & lib. de autoritate Verbi Dei ſcripſit.* II,1,14,1.
Hall (*Joſephus*) *Biblicas viſiones aliaque opuſcula edidit.* I,6,4,19.
Hamburgenſes *Ephemerides literariæ.* I,1,16,50.
Hamel. (*Joh. Bapt. du*) *Lib. de Conſenſu Veteris & novæ Philoſophiæ.* II,2,18,5.
Lib. de Meteoris & foſſilibus. II,2*,23,2. I,2*,27,12
Sententia de luce recenſetur, de pabulo ſolis autem rejicitur. II,2*,14,2.
Hamelenſium *puerorum hiſtoria à quibus ventilata ſit.* II,2*,2,5.
Hammondi *Homiliæ laudantur.* I,6,1,21.
Hanckii *libri de Romanarum rerum Scriptoribus recenſentur* I,1,19,50.
de Harengo *ſcripſit Neucrantzius.* II,2*,46,2.
Harmonia *Græcæ, Latinæ & Germanicæ Linguæ Crucigeri.* vid. Cruciger.
Mundi Franciſci Georgii. II,1,2,6.
Harmoniam *linguarum quinam ſcripſerint.* I,4,3,8. & 9.
Harmonica *proportio Univerſi Pythagoræorum impugnatur.* II,1,2,6.
Harpocrationis *Lexicon emendatum notisque illuſtratum editum.* I,4,7,5.
Hartmanni *hiſtoria Succini Pruſſici Phyſica & Civilis laudatur.* II,2*,37,3.
Hartnaccii *Sanchez aliquid ſciens* II,1,6,3
Harvæi *ante tempora circulationem ſanguinis oſtendit Paulus Sarpius.* I,1,19,24.
juxta ſententiam, generatio non fit è ſemine maſculino, ſed ex ovis. II,2*,45,2, & 3.
Hauptmanni (*Auguſti*) *lib. Mors viva.* II,2*,45.7.
lib. Waſſer-Schatz. II,2*,20. 10.
Hayne (*Thomæ*) *lib. de Harmonia linguarum.* I,4,3,8.
Hebræam *Linguam primam omnium atque univerſalem nonnulli aſſerunt* I,4,3,1
Hebræi *Sacerdotibus librorum ſacrorum curam commiſerunt.* I,1,6,2.
Hebræorum *Cabaliſtici libri.* vid. Cabala.
Jus quinam propoſuerint & illuſtrarint. III,6,2,1.
Scholæ. vid. Scholæ.
ὑπηρέται. I,1,6,2.
Hebræus (*Leo*) *Doctrinæ Platonis de Amore exegetes.* II,1,7,20.
Hegingenſis *Latini proverbium undè ortum ſit.* I,1,25,17.
Hegius (*Alexander*) *Eraſmum docuit, & ad Belgas & Germanos bonas artes propagavit.* I,2,2,16.
Heidelbergenſis *Bibliotheca ab Ottone Henrico, Electore, dedicata fuit, aucta egregiè ab Ulrici Fuggeri liberalitate*

*litate.*I,1,4,17.*ejus ſpoliis Vaticana bibliotheca aucta dicitur.* I,1, 4,20. I,1,17,24.
Heidmanni *Epitome hiſtorica laudatur.* III,4,1,4.
Heinlini *Synopſis Mathematica.* II,4,1,3.
Heinſii *Epigrammata.* I,7,3,2.
Herodes infanticida. I,7,3,15.
Lib. de Romanorum Satyrâ. I,7,1,11
Libertas ſaucia. I,7,3,15.
Poëma de contemtu mortis. II,1,7, 21.*quod in ſynopſi quâdam Philoſophiam Platonicam exhibet.* II,2,11,11.
Stylus. I,6,3,4.
Heinſius, *Orator fuit optimus.* I,6,3,4.
Poëta Epicus. I,7,3,8.
Heinſium *inter & Balzacium lites.* I,7,1, 10. *harum arbitrium ſibi ſumſit Salmaſius in epiſtola ad Menagium ſcripta.* ibid.
Heliodorus, *Chymicæ artis peritus.* I,1,11,22 *an Poëma Græcum Chymicum Theodoſio M. Imperatori inſcripſerit.* I,1,11,22. & 24.
Helladii *Lexicon Græcum.* I,4,7,8.
Hellanici *Leges variarum gentium perditæ.* III,6,2,3.
Helmontii (*Franc. Mercurij*) *Alphabeti verè naturalis Hebraici delineatio recenſetur & refellitur.* I,4,3,1.
Helmontius (*Joh Bapt.*) *falſò gloriatur de liquore ſuo Alcaheſt.* II,2,10,2.
Helvici *Theatrum laudatur.* III,4,1,5.
Henckelii, *Conſiliarii Svecici, Carcerales epiſtolæ.* I,1,24,94.
Heniſchii *Theſaurus Linguæ Germanicæ non abſolutus.* I,1,21,110.
Henningii *Commentarius in Grotium.* III,6,1,5.
Theatrum Genealogicũ. III,4,1,10.
de Henochi *libro variant ſententiæ.* I,4,1,10.
Henrici *VIII. Reg. Angl. Vita à Verulamio deſcripta ad prudentiam civilem multum proficit.* I,1,19,31.
Henrici (*Andreæ*) *Chiromantia.* II,3,1,6.
Heraclius *Epheſius*, αὐτοδίδακτος. I,1,1,14
Heraldus (*Deſiderius*) *in Scriptis ſuis multa Critica habet.* I,5,1,13.
Herba *pudica, levi manu tacta, cur refugiat, diſquiritur.* II,2*,44,3.
Herbarum *in collectione veteres in laudem earum, vel numinis, cui ſacræ erant, hymnum recitare ſolebant.* I,1,11,9. I,1,13,33.
Herbas *brevi temporis ſpatio è ſemine producendi artificia.* II,2*,41,2.
Herbertus *in colligendis itinerariis minus accuratus.* II,4,1,13.
Herculis *labores & fata è Statio collecta.* I,3,10,15.
Herenni *Metaphyſica.* II,1,7,10.
Hermaphroditi *inter monſtra cenſendi ſunt* II,2*,2,7.
Hermathena *Mechovij recenſetur.* I,2,10, 43. ſeqq.
Hermeæ (*Ammonij*) *Comm. in Categorias Ariſtot.* II,1,9,10.
Hermenevticæ *artis ſumma utilitas.* I,2,11,13. ſeq.
Hermes *de Chymicâ arte ſcripſit.* I,1,11,18.
Hermetes *ſ. Mercurios duos celebrabant Ægyptij, quorum primus Thoth vocatus, columnas reliquit* I,1,10,7
Hermetis *columnis Ægyptiorum doctrina Theurgica conſignata* I,1,10,7. *ex illis Pythagoras & Plato Philoſophiam ſuam tranſtulerunt.* ibid.

ſ. Mer-

ſ. Mercurij libri Medici & aſtrologici. I,1,10,7.
Triſmegiſti vita & ſcripta I,1,10,7. *horũ* 36529. *nonnulli numerant.* I,1,22,28. *quorum 20. unà cum fragmentis publicavit Patricius* II,1,1,12. II,2,4,5. *de illis quinã Diſquiſitiones inſtituerint.* II,1 1,12. II,2,4,5. *lib. de magnetiſmis, ſympathiis &c.* I,1,11,5. *melomantia.* II,3,1,5. *de illius γνησιότητι controverſâ judicium ſuſpenditur.* II,1,1,12.
Hermiæ *in Phædonem Platonis ſcholiorum libri tres.* II,1,7,10.
Hermogenes *in juventute optimus fuit Rhetor, non verò in virili ætate & ſenectute.* I,6,1,5.
Hermogenis *Epenthymemata.* I,3,12,4.
Epicheremata. I,3,12,2. ſeq.
Libri varii, eorumq́ Commentatores. I,6,1,5.
Herodes *Sophiſta laudatur, & unica ejus Oratio recenſetur.* I,6,2,15.
Herodoti *Dictio commendatur.* I,6,2,2.
Heroes *Literarij.* vid. Literarii.
Heroica *Virtus divino impulſu excitatur.* I,1,12,30. ſeq.
Herwarti *ineptiæ de magnete recenſentur.* II,2*,32,5.
Heſſi (*Eobani*) *Epiſtolæ à Camerario collectæ laudantur.* I,1,24,48.
Vita à Camerario ſcripta I,1,19,35.
Hevelii *Cometographia.* II,2*,12,4.
Selenographia & Machina Cæleſtis. II,4,1,8.
Heürnii *libri duo, Chaldaicus & Indicus, antiquitatum Barbaricæ Philoſophiæ, recenſentur.* II,1,1,9.
Heydon (*Johannes*) *Aſtrologiam defendit.* II,3,1,10.
Doctrinam de numeris ad Necromantiam detorſit in libro ſuo, the Roſie Crucian &c. II,1,2,4.
Harmoniam mundi ſcripſit II,2,3,8
Hide (*Thomas*) *Catalogum Academiæ Oxonienſis edidit,* I,1,17,31. *qui recenſetur.* I,1,17,32.
Hieroglyphica *Ægyptiorum in arcaniorem aliquam ſcientiam tendunt.* I,1,12,18. I,1,13,4. ſeq.
ad Magnetem & Pyxidem nauticam detorquet Herwartus. II,2,4,3.
Valeriani. I,4,2,1.
Hieroglyphicæ *literæ Ægyptiorum.* vid. Literæ.
Hieroglyphicis *doctrinam Chymicam occultari nonnulli exiſtimant.* II,2,4,4.
Hieroglyphicorum *Interpretationes variæ Pignorij & aliorum.* II,2,4,3.
Scriptores. vid. Lit. Hieroglyphicæ.
Uſus ad Peruvianos, Mexicanos &c. I,1,5,25.
Hierothei *ſcripta Chimica.* II,1,11,25.
Himerii *Orationes laudantur.* I,6,2,20.
Vita & mors paucis deſcribitur. ibid.
Hippias *Philoſophus, omnium quoq́ opificiorum erat callentiſſimus.* I,1,1,5.
Hippocratis *Commentatores ab Autoribus Bibliothecariis proponuntur.* III,7,1,3.
Editiones optimæ. III,7,1,2.
Hirci *lactiferi reperiuntur.* II,2*,2,7.
Hirundines *poſt diuturnam congelationem reviviſcunt.* II,2*,17,5.
Hiſpani (*Petri*) *liber Summularum, hujusq́ libri Commentatores.* II,1,14,17
Hiſpani *libri laudantur.* I,4,4,18.
Hiſpanica *Bibliotheca Nicolai Antonii.* I,1,18,32.

Proverbia. I,1,21,103.ſeqq.
Hiſpanicorum *Scriptorũ Catalogi* I,1,18,31
Hiſtoria *aliud nihil eſt, quam philoſophia exemplis utens.* I,1,19,11.
bibliothecaria ſola univerſali ſcientiæ viam ſternere poteſt. I,1,20,3 *quibus præcipuè capitibus abſolvatur.* I,1,6,12.
commerciorum deſideratur à Bœclero. III,4,1,9. *ejus ideam dedit Tribbechovius.* ibid.
divinæ providentiæ ſpeculum eſt. I,1,12,37.
eccleſiaſtica Sec. XVI.&XVII. *recentior, nondum ſatis eſt exculta.* III,4,1,14 *ejus Compendia commemorantur.* III,4,1,13.
literaria à paucis hactenus tractata. I,1,2,1. ſeqq. *latius patet quam polymathia.* I,1,2,1. *à Bacone Verulamio quodammodo concepta.* I,1,2,3. *à Mylio.* I,1,2,4. *difficulter perficienda.* I,1,2,3, *non tamen deſperanda* I,1,20,2. ſeq. *dogmatum vices & incruſtationes oſtendit.* I,1,2,18. &22.ſeq.
militaris Schelii & Salmaſii. III,4,1,9.
navalis Rivii, Schefferi & Bœcleri. ibid.
univerſalis à Polybio affectа III,2,1,6
de Hiſtoria *Oratio Beringii.* I,6,3,6.
Hiſtoriæ *Auguſtæ Scriptores.* vid. Scriptores.
bibliothecariæ fructus & utilitas. I,1,20,1.ſeqq.
cognitio ſummè utilis I,2,11,18. *inprimis Principi neceſſaria.* I,2,12,16.ſ
eccleſiaſticæ univerſalis Scriptores. III,4,1,12 ſeqq.
literariæ à Verulamio conceptæ utilitas ſumma. I,1,2,9. *adornandæ conſilia proponuntur.* I,1,20,4 ſ. I,1,2,3. ſeqq. *cultura eruditis ἐμπειρία literaria inſtructis, commendatur.* I,1,2,28 ſeq. *idea juxta ordinem à Gabr. Naudæo proſcriptum concipi poteſt.* I,1,2,7. *ſumma delineatio juxta ſeriem à Petro Lambecio præfixã.* I,1,2,8 ſeq. *prodromus à Lambecio editus* I,1,2,5. *univerſale Compendium promiſſum à Placcio.* I,1,20,24.
magis continent hominum charactteres, quam omnia philoſophiæ moralis præcepta. I,3,9,27.
Philoſophicæ in genere Scriptores. II,1,1,2.
Scriptores, vid. Scriptores. & I,1,16,1.ſeqq. III,4,1,2.
univerſalis Compendia. III,4,1,4.
Hiſtoriam *Civilem & Eccleſiaſticam legendi methodum tradit Whear.* III,4,1,2. *& Reineccius.* III,4,1,3.
literarum varii autores deſcripſerunt. I,4,3,10.
Hiſtorica *bibliotheca Bolduani.* I,1,18,12. *Lambecii.* I,1,2,8.
excerpta quomodo adornanda. I,3,13,31
Hiſtoricæ *artis Scriptores recenſentur.* III,4,1,3.
Hiſtorici *veteres ad hiſtoriam juris multum proſunt.* III,6,4,1.
Hiſtoricis *veteribus edendis magnam Galli impendunt operam.* III,4,1,1.
Hiſtoricus *Stylus.* vid. Stylus.
Hobbeſii *adverſarii nominantur.* II,1,15,15. III,1,1,4.
de phyſica ſiniſtrè judicat Fabri. II,1,15,13
dogma

dogma primarium. III,2,1,4.
elementa Philoſophiæ & Leviathan. II,1,15,14. II,2,15,4. *hi libri tyrannidi ac atheiſmo viam ſternunt.* II,1,15,14.
indoles moroſa & contentioſa II,1,15,15
Philoſophia civilis à Gallis avidè excepta. ibid.
problemata phyſica à Boylio confutata. ibid.
Hobbeſius *è doctrina de motu omnia demonſtrare laborat.* II,2,15,4.
frigoris cauſam ventis tribuit, ſed malè. II,2*,17,4.
in Jure naturali eſt novator. III,6,1,4.
in Matheſi errorum eſt convictus, II,1,15,13.
novator in omni philoſophia, ac Epicureiſmi inſtaurator fuit. II,1,15,13.
in Politicis delirat. III,2,1,4.
Hobernfeld *ſcripſit tr. ſub tit. Hieroſolyma reſtituta.* III,5,1,35.
Hodiernæ (*Jo. Bapt.*) *anatome oculi muſcæ.* II,2*,45,5.
Hoffmanni (*Caſp.*) *Labores in Galenum. Lib. de officinalibus.* I,7,2,2.
Variæ lectiones. I,5,1,9. III,7,1,2.
(*Chriſt.*) *Diſſ. umbra in luce* III,5,1,12
(*Frid.*) *de epigrammatibus judicium* I,7,3,3.
(*Joh. Jacobi*) *Lexicon omnia corradit* III,4,1,2.
Hohberg (*Wolfii Helmhardi Baronis ab*) *Georgica curioſa.* II,2*,42,1.
Holderi (*William*) *de loquelæ elementis liber.* I,4,1,5. II,2,1,14.
Holſatica *Praxis.* vid. Praxis.
Holſtenii (*Lucæ*) *MStorum Codicum editio deſideratur.* II,1,2,2.
Holſtenius *morti vicinus hymnum ex Prudentio recitari voluit.* I,4,14,17.
Holſtii (*Jacobi*) *emendationes Celſi & Comm. laudantur.* III,7,1,2.
Höltzlini (*Jeremiæ*) *Hexaëtia Scholica.* I,2,10,9.
Homeri *adverſarii.* I,7,1,5.
editiones. I,7,2,2.
& Heſiodi certamen ludicrum ab anonymo fictum. I,7,1,5.
exegetæ veteres. I,7,2,2.
gnomologicam ſcripſit Jac. Duportus. I,1,21,75.
lectio cur puerili ætati præ ceteris conveniat. I,2,9,47.
paralipomena ſcripſit Quintus Calaber. I,7,2,23.
Patria. I,7,2,2.
poëmata quomodo in literas relata. I,7,1,5.
Homero *cur difficilior videatur Virgilius.* I,2,9,49.
in Homerum *inſanus Bulgerii amor.* I,7,2,2.
Homerus *Hebraizon à Bogano ſcriptus.* I,1,21,76.
Poëtarum Græcorum antiquiſſimus I,7,2,2.
Poëtarum, Hiſtoricorum, Philoſophorum & Oratorum fons. ibid.
Homiletica *erudita.* I,1,15,5.
de Homine *integro Scriptores præcipui.* II,2*,47,2.
ſententia Stoicorum. II,2,8,4.
Homines *ex ovis generari probatur.* II,2*,45,3.
marini ſunt animalia aquatica. II,2*,2,7.
quatuor quaſi perſonis induuntur juxta Stoicorum mentem. I,2,1,14.ſ.
quidã unde noctu videant II,2*,14,6.

Hominis εὐφυΐα & εὐμαθία vid. εὐμαθία,
generatio, nutritio & longævitas. II,2*,47,2.
intellectus judicii & imaginationis rectitudine æſtimatur. I,2,1,19.
partes & membra. II,2*,47,3.
præ ceteris animalibus eſt prærogativa. II,2*,47,1.
ad temperamentum facit loci conſtitutio. II,3,1,13.
Hominum *Characteres.* vid. Characteres.
inclinationes indagandi modus, I,1,15,51. *è rebus minutiſſimis quandoq; indagantur.* I,1,19,5.
Homo *ampliſſimæ conſiderationis* II,2*,47,1
non accuratè microcoſmus dicitur. ib.
Homonymi *Scriptores à Demetrio Magno, Laërtio & Meurſio recenſentur.* I,1,9,5.
Homunculi *ſub terra educati.* II,2*,2,5.
ſubterranei in monſtrorum claſſem non ſunt referendi. ibid.
Honeſtas *vultu, verbis & facto in converſatione exprimenda eſt.* I,1,15,18.
Hoockii (*Rob.*) *Micrographia laudatur.* II,2*,3,5. II,2*,45,5.
urticæ delineatio elegans. II,2*,43,3.
Höpfnerus *Locum de juſtificatione contra Pontificios vindicavit* III,5,1,29.
Hopperi *de libris judicium fertur* III,6,1,6
Horatianus *Comm. Parthenii rariſſimus recenſetur.* I,4,11,15.
Horatii *adagia ex l. I. ſat. I. excerpta* I,3,6,32
ars Poëtica reprehenditur à Scaligero, qui ob id ab aliis caſtigatus I,4,11,15. I,7,1,4.
Commentatores. I,4,11,15. I,7,1,4.
encomium. I,4,11,15. I,7,3,10.
epiſtola. IX. lib. I. in ſermonem ſolutum verſa. I,2,14,27.
epodæ ſecundæ paraphraſis ex Jacobo Wallio. I,2,16,21.
Imitatores. I,7,3,10.
Interpretes. I,7,1,4.
Odarum quarundam metraphraſes I,2,16,24. ſeqq.
Satyræ ineptè à Verderio reprehenduntur. I,1,16,27. I,4,11,15. *adverſus quem defenduntur.* ibid.
Satyræ, ut maximè ingenioſæ, celebrantur. I,3,6,30. vid. Satyræ.
Horatius *in epoda ſecunda imitatus eſt Virgilium.* I,2,16,20.
Hori *Niliaci Hieroglyphica.* I,4,2,1.
Horneji (*Conradi*) *Inſtitutiones Ethicæ laudantur.* III,1,1,6.
Hornii (*Georg.*) *Arca Moſis.* II,2,2,11.
Diſſertationes. III,2,1,13.
Geographia antiqua laudatur. II,4,1,12.
Hiſtoria naturalis, ſcriptum proletarium. II,2,2,5.
Hiſtoria Philoſophica recenſetur. II,1,1,5.
Orbis Politicus & Imperans, III,2,1,6
de ſcriptis omnibus judicium fertur II,1,1,5 III,2,1,3.
Status Eccleſiæ Britannicæ hodiernæ III,5,1,32.
de Horologiis *quinam ſcripſerint.* II,4,1,15
Horticulturæ *Scriptores veteres & recentiores.* vid. Agricultura.
de Hoſpitii *jure ſcripſit Thomaſinus* I,5,2,11
Hottingeri *Bibliothecarius quadripartitus* I,1,17,6. *laudatur.* III,5,1,13.
Catalogus Scriptorum Anglicorum I,6,4,18.
Hiſtoria eccleſiaſtica laudatur. III,4,1,13.
Indices pro Bibliothecis recenſentur. I,6,6,36.

Howelii (*Jacobi*) *epiſtolæ Anglicæ laudantur.* I, 1, 24, 97. ſeq. *digniſſimæ quæ in Latinam vel Germanicã linguam converterentur.* ibid. *judicium iniquius de Gallicis & Balzacianis literis.* I, 1, 24, 26.
Παροιμιογραφία Anglica I, 1, 21, 107.
Synodus avium & Respubl. arborum. III, 1, 1, 5.
Huartus (*Janus*) *edidit Scrutinium* II, 3, 1, 3
Huetii (*Petri Dan.*) *Demonſtratio Evangelica.* III, 5, 1, 7. III, 5, 1, 14.
de interpretatione libri duo III, 5, 1, 14
lib. de claris Interpretibus. I, 1, 9, 29.
Odæ laudantur. I, 7, 3, 10.
Satyræ. I, 7, 3, 16.
Hugenii *momenta deſultoria & poëmata ſub tit. Koren-blomen.* I, 7, 3, 3.
Hugonis (*Jacobi*) *Vera Hiſtoria Romana recenſetur & rejicitur.* I, 4, 3, 5.
Hugues (*Jacobi*) *artificium connexionum & tranſitionum.* I, 6, 1, 18.
Humanitas *ſumma prædicatur in Pinello & Grutero* I, 1, 15, 41.
ut & Anton. Maliabecco. I, 1, 15, 59.
Humiditas *quid ſit.* II, 2*, 7, 6.
Humoriſtarum *academia Romæ inſtituta.* I, 1, 14, 16. ſeq.
Hunnii (*Helfrici Ulrici*) *Opus in Compendiũ Treutleri vituperatur.* III, 6, 8, 3.
Huttenus (*Uldaricus*) *ſcripſit epiſtolas obſcurorum virorum.* I, 1, 23, 43.
Hydraulici *Scriptores.* II, 2*, 22, 3. II, 4, 1, 15.
Hydrographia *Amſtelodami præcipuè addiſci poteſt.* II, 4, 1, 14.
ejus Scriptores. II, 4, 1, 12.
Hygini (*C. Julii*) *Aſtronomicum Poëticum,* I, 4, 12, 2. *ejus editores.* ibid.
Tabularum liber, nec non de Caſtrametatione. I, 4, 12, 2.
Hyginus (*C. Julius*) *ob antiquitatis notitiam Polyhiſtor vocatus.* I, 1, 6, 5.
ab Auguſto Bibliothecæ Palatinæ fuit præfectus. ibid. I, 4, 12, 1.
Hygroſcopia *ſiccitatem & humiditatem aëris præſagiunt.* II, 2*, 18, 9
Hygroſcopiorum *variæ ſpecies recenſentur* II, 2*, 18, 9.
Hymni *Veterum in colligendis herbis.* vid. Herbarum.
Hyperetæ *lib. de Aulæ Romanæ Artibus laudatur.* III, 2, 1, 18.
Hyperidis *eloquentia.* I, 6, 2, 9.
Orationes pauciſſimæ ſuperſunt. I, 6, 2, 9.
Hyperii (*Andreæ*) *libros exſcripſit Villavincentius.* I, 6, 4, 6.

I.

JAcobi I. *Angliæ Regis Opus de Controverſiis fidei, falſò Caſaubono tribuitur* III, 5, 1, 26. *contra illum Scioppius Collyrium Regium dedit.* ib.
in Jacobum I. *Angl. Reg. Panegyricus virulẽtus perperam tribuitur Caſaubono, ut & Erycio Puteano* I, 1, 8, 35
Jacobi (*Ludov.*) *Bibliotheca Cardinalitia & Carmelitica.* I, 1, 17, 13. *Fœminarum affecta.* I, 1, 18, 26. *Gallica univerſalis affecta.* ibid. *indiligentia in bibliothecis Germanicis recenſendis.* I, 1, 17, 16. *Pariſina.* I, 1, 18, 26. *Pontificia.* I, 1, 17, 13. *Univerſalis.* I, 1, 18, 26.
Supplementa ad Opera Voſſii de Hiſtoricis. I, 1, 18, 60.
Tr. de bibliothecis. I, 1, 3, 9. I, 1, 6, 14 I, 1, 17, 10. ſeqq. *in quo tr. plures tàm publicas, quàm privatas bibliothecas prætermiſit.* I, 1, 17, 16.

Jambici *Poëtæ recenſentur.* I,7,3,12.
Jamblichi *Arithmetica ex ſenſu Pythagoricorum.* II,1,2,4.
Arithmetica Theologumena. ib.
de Myſtericâ Ægyptiorum liber. I,1,10,6.ſeqq. *recenſetur & laudatur.* I,1,10,22.
de Myſteriis Ægyptiorum Theologia liber. II,1,2,2.
de Vita Pythagoræ lib. cujus ineptus interpres eſt Arcerius. II,1,2,2. II,2,6,1.& 3.
Jani *Atheus refutatus, & ad veram religionẽ converſus, recenſetur.* III,5,1,9.
Janſeniſtarum *lites cum Jeſuitis* III,5,1,31
Javelli (*Chryſoſtomi*) *libri, ſeorſim & junctim editi, commemorantur* II,1,14,50.
Idearum *Operatricium Idea Marci recenſetur.* II,1,7,18.
Ideis *omnia tribuerunt Platonici* II,2,18,4.
Idololatria *ad populos gentiles ob ſacra arcana non intellecta derivata eſt.* I,1,13,2.
de Idololatria *gentilium ſcriptores recenſentur.* I,5,2,6.
Idolographiæ *poëticæ.* I,3,10,19.ſeqq.
Jeſuitici *ordinis bibliotheca.* I,1,18,55.
de Igne *ſententia Stoicorum proponitur.* II,2*,16,4.II,2,8,3. *recentiorum* II,2*,16,2. *Carteſianorum Veterum item & recentiornm.* ibid.
de illo diſſeritur. II,2,19,5.
Ignes *Lambentes deſcribuntur.* II,2*,24,2.
Potentiales. II,2*,16,3.
Sepulchrales perpetuos fuiſſe liquorem oleoſum ex auro paratum exiſtimat Hermoldus Barbarus. II,2*,22,5.
Subterranei dantur. II,2*,16,3. II,2*,26,1.
è Sulphureis exhalationibus orti, ſunt cauſa incendii. II,2*,24,2.
de Ignibus *fatuis vulgus quæ fabulatur, magnam partem ſunt fabuloſa.* II,2*,24,2.
montium ignivomorum Scriptores nominantur. II,2*,26,1.
Ignis *denſitate tantum differt a luce.* II,2*,16,1. *eſt corpus*, ib. §.2. *accidentalitatem defendit Voſſius, quem impugnat Petitus* II,2*,16,2. *ſublunaris & fictitius,* II,2*,16,3. *eſſentiã in Spiritu nitro-aëreo, & propagationẽ flammæ ejus beneficio fieri ſtatuit Mayow* II,2*,16,4
Uſus eſt ingens, inprimis in Chymia, II,2*,22,5. *accuratiorem cognitionem antiquis fuiſſe, probant artificia, ejus ope parata.* ibid.
Imagines *Taliſmanicæ.* vid. Taliſmanicæ.
Imagines *in Geographicis an utiliter adhibeantur.* I,2,6,50.
per Imagines *philoſophandi ratio Chinenſibus cum Pythagoræis communis,* II,2,5,3. *ejus origo & de eadem judicium.* ibid. §.4.
Imaginum *concipiendarum artificium potiſſima mnemonicæ artis pars eſt,* I,2,6,69.
Cultum impugnat Dallæus & Veldhuſius Reformati. III,5,1,29.
Uſus in linguis addiſcendis, I,2,6,62 ſeqq. *in Theologia, jurisprudentia &c.* I,2,6,57.ſeqq.
Imaginatio *& phantaſia intellectus ſine judicio inanis eſt.* I,2,1,1. *intellectus quid ſit.* ibid. §.21. *ejus operatio,* ib. §.22.
Imaginatio *gradus ſuos habet, nec in omnibus æqualis eſt.* I,2,1,25.

judicii habenis coërcenda, ne in ſtultitiam, vel tandem amentiã deflectat, ibid. §. 25. ſeqq. 38. ſeqq.
ab Imaginatione *præcipue pendet Oratoria & Poëſis* ib. §. 33.
de Imaginatione *quinam ſcripſerint*, II, 2*, 48, 7.
Imaginativa *vi pollens intellectu valere poteſt contra Huartum*, I, 2, 1, 28. *ea pollent ingenia inventiva*, ibid. §. 39. ſeqq.
Imbonati (*Caroli Joſephi*) *bibliotheca Latino-Rabbinica erroribus ſcatet*, I, 4, 5, 5
Imperati (*Ferrantis*) *Hiſtoria Naturalis laudatur*, II, 2, 2, 5. II, 2*, 30, 1. *verus hujus autor creditur Stelliola*, II, 2, 2, 5 *Plagium ejus narratur* ib.
Imperatoriarum *Conſtitutionum Codices.* III, 6, 4, 5.
Imperialis (*Joh.*) *Muſæum Hiſtoricum & Phyſicum*, I, 1, 19, 51.
de Imperii *Romani Statu quinam ſcripſerint.* III, 6, 9, 5.
Impetus *naturæ arti quandoque præponderat.* I, 2, 5, 19.
primi, plerumq; optimi, ibid. §. 21.
ſcripturis aliquid non negligendi, poſterioribus tamen cogitationibus expoliendi ſunt. I, 2, 1, 26. II, 2, 5, 21. ſeq.
de Impoſtoribus *tribus liber an revera extet* I, 1, 8, 3.
à quo autore ſcriptus ſit, I, 1, 8, 4. & 11. *eum quovis pretio ſibi comparandum vult Salvius, Legatus Svecicus.* I, 1, 25, 18.
Impoſturæ *Literariæ recenſentur*, I, 4, 11, 3.
Incantatio *ſerpentum*, II, 3, 1, 17.
Incendia *ex cauſis occultis oriri poſſunt.* II, 2*, 16, 3. II, 2*, 24, 2.
Incendiariorum *arcana ſunt inveſtiganda.* II, 2*, 16, 3.
Inchoferi *hiſtoria ſacræ latinitatis recenſetur.* I, 4, 9, 3.
Incognitorum *Academia apud Venetos à Joh. Franciſco Loredano inſtituta.* I, 1, 14, 25.
Incredulitas *hominum efficit, ut multa ignorentur.* I, 1, 10, 3. I, 1, 11, 54. I, 1, 13, 16.
Index *categoricus valdè laudatur.* II, 2, 1, 21.
Indi *μετεμψύχωσιν ſtatuunt.* II, 2, 5, 6.
Indices *Autorum, quinam commendandi.* I, 4, 9, 16.
Excerptorum. I, 3, 13, 1. ſeqq.
Expurgatorii Pontificiorum & catalogi librorum prohibitorum pleni affectibus ſunt & partium ſtudiis inſerviunt. I, 1, 8, 27.
Libris ſubjecti ſunt utiliſſimi. I, 1, 6, 36. I, 3, 5, 6.
Indicibus *expurgatoriis occupatus Raymundus ipſe cenſuram eccleſiaſticam incurrit.* I, 1, 16, 28.
Indicum *Scriptores ad Locorum Communium Collectores referuntur.* I, 1, 22, 9.
contra Indifferentiſtas *quinam ſcripſerint.* III, 5, 1, 36.
Indorum *philoſophi.* vid. Bramines.
Indorum *dogmata, ex quibus Scriptoribus haurienda.* II, 2, 5, 6.
modi perjuria probandi. II, 3, 1, 16.
Philoſophia a quibus Autoribus deſcripta. II, 1, 1, 11.
Theologia a Scriptore Indico deſcripta, ſed inedita. II, 2, 1, 10.
de Induratione *& invulnerabilitate corporũ quid ſtatuendum ſit.* II, 2*, 8, 7.

*ab*Ines(*Alb.*)*Centuria Lyricorum.*I,7,3,10.
*Elogia Regum Polonorum.*I,6,3,11.
Epigrammata. I,7,3,4.
Infans *quatuor annorum latinam linguam expeditè loquitur.*vid.Latina.
Infinitum *inane Democrito quid fuerit* II,2,7,8.*extra Deum non datur.*II,2*,3,4.
Ingenia *Agilia & celeria.* I,2,1,43.
Contentioſa. I,1,15,13.
Diſputacia. I,1,15,36.ſeq.
Heroica. I,2,1,48. *cum metallis comparantur* ibid.n.49.
juventiva vocantur ab Huarto capricioſa, ob ſimilitudinem, quam in inveſtigando cum capris habent. I,2,1,40.ſeq.
Mediocria & temperata ex utroque I,2,1,47.
Nugatoria. I,1,15,14.
Phantaſia uberiore pollentia natura quaſi ad inventionem variarum rerum feruntur I,2,1,39.ſ.
*Principum inſtituendorum præcipuè ſunt diſcernenda.*I,2,12,9.
Quædam absque doctrina proprio inſtinctu ad magna procedunt. I,2,1,17.&50.
quædam quaſi fulminea vi omnia perrumpunt. I,1,12,2.
*Studiis incumbentia ſunt vel fuci vel crabrones vel apes.*I,1,15,15
Ingenii *facultates adminiculis quibusdam excitandæ ſunt.* I,2,3,1.ſeqq.
partes præcipuæ ſunt judicium & memoria. I,2,4,1.
Ingeniis *omnibus* εὐμαθία *non ineſt.* vid. εὐμαθία.
prematuris ὀψιμαθεῖς *haud raro præpollent.* I,2,8,58.
Ingenio *magno convenit* ὁρμὴ πρὸς πάντα μαθήματα. I,1,1,9.I,1,12,2.
Ingenii *animorumque vis a corporis temperamento non raro dependet.* I,2,1,7. *à ſublimiori tamen principio arceſſenda eſt origo.*I,2,1,7.
Dijudicatio non tàm præceptis, quàm ipſo uſu diſcitur. I,2,1,53.
in Doctrinis præcipuis delectus inſtituendi. I,2,1,2.ſeqq.I,2,8,46. I,2,10,9.
Maturitas plerumque eſt infelix. I,2,8,54.ſeqq.
παρέκβασες *variæ recenſentur.* I,1,15,8.ſeqq.I,1,15,16
Præcocium exempla referuntur. I,2,8,53.& 55.
Præſtantium ſigna recenſentur. I,2,1,51.ſeqq. *de iis temere non judicandum.* I,2,1,50.
*Scopoli duo recenſentur.*I,2,10,13.ſ
*Scrutinium edidit Huartus.*II,3,1,3.
ut vultuum variæ ſunt figuræ, judicij cultura in ordinem redigendæ. I,1,15,7.I,2,1,50.
Ingenioſi *homines plerumq; ex improviſo impingunt.* I,1,15,8.
Ingenium *& mores hominum dijudicandi artem docuit Camillus Baldus.* I,4,1,10.II,3,1,3.
*ſuum noſcere res difficilis eſt.*I,2,1,4. ſeqq. *at neceſſaria præſertim in converſatione.* I,1,15,7.
Verſatile, ut Politico, ita Erudito eſſe debet. I,1,15,33.
Inſanus, *inſania*, *inſanire vocum variæ ſignificationes.* I,3,4,5.ſeq.
Inſcriptiones *antiquæ, Latinæ pariter & Græcæ.*I,4,14,26.*multis corruptelis in Lingua Latina anſam dede-*

dederunt. I,6,3,8. *quomodo ferendæ.* ibid. *per illas Panegyricas atq; Hiſtorias ſcribere ineptum.* ibid.
Inſcriptionum *collectores recenſentur.* I,4,14,26.
Origo à Jac. Gaddio, conjectura dubia, à Græcis derivatur. I,6,3,10
Præcepta quinam dederint. ib. ſeqq.
Uſus in Legibus explicandis III,6,3,7
de Inſectis *ſpecialibus Scriptores recenſentur.* II,2*,45,8.
Inſectorum *admiranda eſt ſtructura.* II,2*,45,5.
hiſtoriam quinam deſcripſerint. ib.
Inſomnia. vid. Somnia.
Inſtitutio *regia ſive Principum.* vid. Principium.
viri privati, Politici & Aulici III,1,1,8
Inſtitutiones *Morales Azorij laudantur.* II,1,14,61.
Inſtrumenta *Muſica aquâ animata dantur* II,2*,22,3.
Intelligentia *& exercitio omnes diſciplinæ continentur.* I,1,1,12.
Intellectus *homini judicij & imaginationis rectitudine æſtimatur.* I,2,1,19
de Intellectu *mens Stoicorum proponitur.* II,2,8,4.
Interpretationis *doctrinam quinam deſcripſerint.* II,5,1,4.
Interrogandi *arte haud raro arcana deteguntur.* I,1,15,55.
Interrogationum *argutarum ars vocatur Critica Socratis.* I,1,15,56.
Inventa *hodierna nova multa & antiquis incognita fuere, iterumq; deperdita.* I,1,2,25. I,1,20,13. II,2,1,8. *plurima magni Pegelij hodie incruſtata recenſetur.* I,1,2,27. I,1,20,13. *ſunt notanda, atq; experimenta certa, res item deperdita & pro impoſſibilibus habitæ.* II,2,1,10.
Inventio *gratulatoria.* vid. gratulatoria.
in carmine dedicatorio. I,3,12,52.
encomiaſtico. ibid. §.53.
epicediis. ibid. §.37. ſeqq.
euchariſtico. ibid. §.49.
propemtico. ibid. §.50.
ſoterio. ibid. §.48.
Inventiones *plerumque petuntur è locis* περισατικοῖς *qui continentur verſu vulgari: Quis, quid, ubi. &c.* I,3,12,3 & 9.
Inventionis *& ratiocinationis generalis regula traditur.* I,2,4,15.
Inventionum *poëticarum hyle traditur.* I,3,12,1. ſeqq. *loci communes quomodo concinnandi.* I,3,10,36. ſeqq. *magno uſui futuri.* ib §.38
de Inventis *quinam ſcripſerint ex antiquis.* I,1,20,16.
Inventiva *ars hactenus parum exculta.* I,2,4,13. ſeq.
a Cardano ex Logica deſumta. I,2,5,2.
Inventorum *arcanorum autores à Magiſtratibus præmiis dignis excitari debent.* I,1,20,15. *Novorum & Antiquorum collectio multum prodeſt* I,1,20,10. ſeq. *quorum hiſtoriam ſcripſit Beccherus libro, cui tit. Stulta Sapientia & ſapiens ſtultitia.* I,1,20,17. *variorum obſervationes peregrinando colligi poſſunt* I,1,20,18.
Inventum *ſingulare pro calefaciendis conclavibus.* I,1,20,20.
Inundationes *maris & Nili unde.* II,2*,20,5. *Scriptores de eis.* ibid.
de Jolii *epigrammatibus judicium.* I,7,3,3.

Jonicæ

Jonicæ *ſectæ principia enarrantur.* II,2,10, 1.ſeqq.

Jonſius (*Joh.*) *de Scriptoribus hiſtoriæ Philoſophicæ ſcripſit. Libb.* IV. II,1,1,6 *ejus in hiſtoria Peripatetica conatus.* II,1,8,1.

Jonſtonius (*Joh.*) *de naturæ conſtantia ſcripſit.* II,2*,11,6.

Joſeph (*Petri a S.*) *libelli recenſentur.* II,1,14.52.

Journals *des ſçavans.* I,1,16,37. *ob liberiora judicia & cenſuram illorum librorum Tanaqvil Faber ſingularem librum ſcripſit. tit. jour vel du journal ou cenſure de la cenſure.* I,1,16,36. I,1,24,38. *illarum ephemeridum Gallicarum exemplo tales quoq; Itali ſcribere cœperunt.* I,1,16,38.ſeq.

de Iride *ſcripta Marci & Grimaldi commendantur.* II,2*,25,1. II,4,1,9.

Irides *artificiales in aquæ guttis & priſmate exhiberi poſſunt.* II,2*,25,2.

Iridis *conſideratio ad Opticam pertinet.* II,2*,25,1. *figura eſt circularis.* ibid. §.2. *colores* ibid.

Iris *ſecundaria deſcribitur.* II,2*,25,2.

Irnerio *Authenticæ Novellæ falſò tribuuntur* III,6,4,8.

Iſæus *optimus in Græcia Orator.* I,6,2,5.

Iſocrates *longè clariſſimus fuit Orator.* I,6,2,6. *de ejus dictione judicium.* ibid. *Orationes ubinam prodierint* ib. *illis orationibus magna prudentia civilis ineſt.* III,2,1,13.

Iſodorus *Hiſpalenſis in originibus ſuis eſt merus rhapſodus.* I,4,9,2.

Itali *a Gallis in amicitia paranda & conſervanda differunt.* I,1,15,34.

Italia *ſacra.* III,4,1,18.

Italica *adagia.* I,1,21,96. *lingua argutiſſima eſt in explicandis animi ſenſibus.* ibid.

Italicæ *academiæ.* vid. Academia. *ephemerides.* I,1,16,38. ſeqq.

Italicis *de Scriptoribus collectanea Georgii Læti recenſentur.* I,1,18,30.

Italicum *vocabularium della Cruſca laudatur.* vid. Vocabularium.

Italicus *liber la famoſiſſima compagnia della Leſina, facetus & elegans.* I,1,14,36

Italorum *judicium de latinitate.* I,1,23,58. *opera in ſcripturis ſuis recenſendis imperfecta.* I,1,18,28.ſeq. *ſcripta raro ad nos deportantur.* I,1,16,39. I,1,24,92. *quorundam nimia curioſitas in Latina lingua.* I,2,9,7.ſeq.

Itineraria *commendantur, eorumq; recenſus hiſtoricus deſideratur.* II,4,1,13. *ob contenta phyſica laudantur* II,2,2,7. *politica.* III,2,1,11.

Itinerariorum *Scriptores.* II,4,1,13. *Uſus eſt maximus.* ibid.

Itinerarium *Moſcoviticum.* III,5,1,23.

Ittigij (*Thomæ*) *lucubrationes de montium incendiis recenſentur* II,2*,26,1

Judæis *Græcam linguam diſcere an licuerit, diſquiritur.* I,4,6,2.

Judæorum *curationes [illegible]æ.* II,3,1,17. *Synagogæ* vid. Synagoga.

Judæos *contra quinam ſcripſerint* III,5,1,21

in Judicando *præceps ne eſto.* I,1,15,45.

Judicio *dirigendo Logica ſubſidia miniſtrat.* I,2,4,6. *ſine eo nulla ars vel ſcientia recte diſcitur aut exercetur.* I,2,1,20.

Judicium *Diſciplinis omnibus ſummam imponit manum.* I,2,4,4.

intelle-

intellectus eſt vel theoreticum vel practicum. I,2,1,20. *illud* εὐσυνεσία *hoc prudentia virorum.* ibid.

Juglaris (*Aloyſii*) *Elogia ſacra cum theſauro.* I,6,3,11.

Juliani *Imperatoris opera, quorum editiones recenſentur.* I,6,2,18.

Julianus (*Salvius*) *Edictum Perpetuum collegit.* III,6,3,8.

Julius *Capitolinus Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptor.* I,4,14,7.

Jungii (*Joach.*) *Diſputationes Phyſicæ Zabarellæ oppoſitæ.* II,1,14,63.
Doxoſcopia Phyſica. II,2,2,11.
Liber ineditus de motu laudatur. II,2*,6,6.
Notæ ineditæ in Ariſtot. commendantur. II,1,9,1. II,2,12,2.

Junii (*Hadriani*) *Nomenclator laudatur.* I,4,9,6.
(*Melchioris*) *Orationes quare legendæ* I,6,3,5.
Scholæ rhetoricæ laudantur. I,3,9,40.

Junius (*Franciſcus*) *de pictura nec non aliud de pictoribus celebribus inſigne opus ſcripſit.* I,5,2,14.
(*Melchior*) *laudatur, & tyronibus aptior eſt.* I,6,1,14. *ſcripſit Methodũ eloquentiæ comparandæ, Scholas rhetoricas & Reſolutionem orationum Ciceronis, it. Rationem animorum conciliandorum ac movendorum.* ibid.

Jura *ſingularia recenſentur.* III,6,10,3.

Juridica *Praxis* vid. Praxis.

Juridica *Dialecticæ.* vid. Dialecticæ.

Juridicam *bibliographiam & politicam edidit Cornelius à Beüghem.* I,1,16,65 *quæ laudatur.* I,1,18,65.
bibliothecam univerſalem molitus Caſparus Thurmannus I,1,18,64.

Juridicarum *bibliothecarum Scriptores & de iis judicia.* III,6,6,1.
controverſiarum Scriptores ſunt multi. III,6,8,1.

Juridicorum *librorum Scriptores qui collegerint.* I,1,18,63.

Juris *Attici & Romani comparationem aliqui inſtituerunt.* III,6,2,4.
Civ. Corpus eſt jus Juſtinianeum. III,6,4,9.
ejus editiones quænam optimæ. ibid.
Cultori Ethica & Politica, imprimis Ariſtotelica eſt neceſſaria III,6,1,1
Feudalis Interpretes & Scriptores, III,6,7,15.
ſtylus eſt barbarus. III,6,7,16.
terminos explicant Gloſſariorum Scriptores. ibid. vid. Feudale.
Obſtagii Scriptores. III,6,11,4.
Particularũ explanatores III,6,6,2.
Publici fundamentum eſt ex parte jus Feudale III,6,9,2. *ratio addiſcendi illud* III,6,9,6. III,4,1,10.
Scriptores recenſentur III,6,9,3
Regularum Commentatores, eorumque vitia. III,6,6,4.
Romani hiſtoriam quinam ſcripſerint. III,6,4,4.

Juriſconſultorum *plagia frequentia.* III,6,8,1.
ſectas quinam deſcripſerint. III,6,6,2.
vitæ à quibus ſcriptæ. I,1,19,65. ſq.

Juriſdictio *Eccleſiaſtica, quinam de ea ſcripſerint.* III,5,1,27.

Juriſprudentia *an eloquentiæ ſit poſtponenda.* I,3,9,11. ſqq. *ad eam multum prodeſt eloquentia.* I,2,1,36. *de ea Juſtinianus male meritus* III,6,1,4

Græco-Romana temporibus Conſtantini M. cœpit. III,6,4,10.
Romano-Germ. à Rennemanno inſtituta, de qua cenſura fertur. III,6,5,5

Jurisprudentiæ *excerpta vel LL. CC.* I,3,13,35. ſeq.
Græcæ libri & compendia. III,6,4,11.
univerſalis Scriptores recenſentur. III,6,1,2. ſeqq.

Jurisprudentiam *contra Ciceronis oratione pro L. Muræna peculiari oratione defendit Aonius Palearius.* I,3,9,13.

Jus *Ægyptiorum.* III,6,2,3.
Batavicum è Grotio addiſci poteſt. III,6,10,2.
Bavaricum. III,6,10,3.
Canonicum. vid. Canonicum.
Danicum. III,6,10,3.
Feudale. vid. Feudale.
Græcorum. III,6,2,4.
Hebræorum, quinam propoſuerint & illuſtrarint. III,6,2,1.
Naturale, ejus Novator Hobbeſius. III,6,1,4. *quinam ſcripſerint de eo.* III,6,1,8.
Publicum eſt duplex. III,6,9,1.
modernum Germanorum ad quod quæ pertineant. ibid.
vetus Romanorum, quinam illuſtrent. ibid.
ad normam juris Romani à JCtis perperam exigitur. III,6,9,6.
Saxonicum. III,6,10,3.
Statutarium Germanicum deſcripſerunt Conringius & Lindenbrogius aliique. III,6,8,1. & 3
Suecicum. III,6,10,3.

Jus *in artem redigere fruſtra conatus eſt, Julius Cæſar.* III,6,1,4.

Jusjurandum *veterum, de eo ſcripſit Hanſenius.* I,5,2,15.

Juſtellus *Bibliothecam juris Canonici collegit.* III,6,7,13.

Juſtinianei *juris libri græcè ſunt redditi.* III,6,4,10.
ἀμεθοδεία contra Novatores defenditur. III,6,5,1.

Juſtinianeus *Codex.* vid. Codex.

Juſtiniani *Hiſtoria accuratior unde ſit habenda.* III,6,4,2.
Hyperaſpiſtæ ejus & Scriptores. ibid.
Inſtitutiones. III,6,4,4. & 7.

Juſtini *libros Hiſtoriarum Philippicarum XLIV. primus edidit Manutius.* I,4,14,1. *aliæ editiones recenſentur.* ibid.

Juſtinus *ferrea ætate ſcripſit, non argentea.* I,4,14,1.

Juſtinus *Martyr acerrimus Ariſtotelis antagoniſta.* II,2,12,10.

de Juſtitia *& jure commentati ſunt Molina &c.* II,2,14,58. ſeqq.

Juvenalis *varia ſubiit judicia,* I,4,13,10. *Optimus Poëta Satyricus.* ibid. *ejus editiones.* ibid.

Juventutis *educa*[illegible] *præcipua Magiſtratus curæ eſſe debet.* I,2,2,1. ſeqq. vid. Magiſtratus.
educa[illegible] *& præcepta.* vid. [illegible]
Inform[illegible] *& diſcipl*[illegible] *ſumma dili*[illegible] *ab Imp.* [illegible] *C. Theod. de ſtudiis liberal.* [illegible] *eſt.* I,2,2,9. *idque* [illegible] *Principibus & Magiſtratibus ſedulo* [illegible] *dum proponitur.* I,2,2,10.

K.

Keckermanni *præcognita Logica laudantur.* II,5,1,2.

Kentman-

Kentmannus *edidit Nomenclaturam foſſilium inventorum in Miſnia, aut aliis Regionibus.* II,2*,29,4.

Keplerus (*Joh.*) *opuſcula aliqua pro motu terræ ſcripſit.* II,2,15,1.

Kerckringius *artem ſuccinum ſolvendi ſibi vindicat.* II,2*,37,3.

Homines ex ovis generari detexit. II,2*,45,3.

de Keuckenij *Muſis juvenilibus judicium.* I,7,3,17.

Khraiſeri *Inſtitutiones juris Bavarici.* III,6,10,3.

Kippingii (*Henr.*) *Recenſus Antiquitatum Romanarum novus & methodicus.* I,5,2,4. *Inſtitutiones Phyſicæ cum cenſura commemorantur* II,2,2,11 *de ejus Inſtitutionibus Politicis judicium fertur.* III,2,1,3.

Kircheri (*Athan.*) *arca artium non inepto judicio à Kuhlmanno notatur.* I,2,5,67.

arcanum ſteganographicum rejicitur. I,2,5,69.

ars analogica laudatur. I,2,5,45.

[illegible] *ficium poëticũ taxatur.* I,2,5,71

de Hier[illegible]*glyp*[illegible] *Ægyptiorum varia* [illegible]*menta.* I,4,2,1.

[illegible] *r & defen*[illegible] I,[illegible],2*,11,9.

[illegible] *regnum im*[illegible] II,2*,8,3.

[illegible] *ſequiori judi*[illegible] II,2*,29,4.

turris B[illegible] I,4,3,7.

[illegible]ircherus (*Ath.*) [illegible] *Doctor artium appellatur.* I,2,5,41. *artem Lullianã reconcinnavit, quæ inde Kirchero-Lulliana dicitur.* ib. *Quæ commenta tamen futilia & inania ſunt.* I,2,5,42. *ſcripſit Muſarhyt'micam.* ib. *Polygraphicam univerſalem & varias artes.* I,2,5,44. II,4,2,5. *Polygraphus quidem eſt, ſed non in omnibus accuratus.* II,2,2,10. *Conſcribillator & Rhapſodiſta Webſtero dicitur.* II,2*,29,4. *rarò via ab aliis non trita ambulat.* I,2,5,42 *ſcripſit Oedipum Ægyptiacum, de quo ſequius fertur judicium.* II,2,4,1. I,4,2,1.

de Kleinſchmidii *Præcognitis juriſprudentiæ cenſura habetur.* III,6,5,5.

Klenckij *de libello inſtitutionum juris naturalis & gentium judicium fertur.* III,6,1,5.

Klerkius *de plenitudine mundi ſcripſit.* II,2*,4,3.

Knittelii (*Caſp.*) *compendium artis Lullio-Kircherianæ, ſive via Regia ad omnes ſcientias & artes, recenſetur.* I,2,5,43. ſeqq.

Königii *liber cui tit. bibliotheca vetus & recens, non præſtat id quod titulus promiſit.* I,1,18,15.

Gazophylacium latinitatis laudatur. I,4,9,15.

Tyrocinium Poëticum Græcum. I,7,1,19.

Kortholti *de Canone ac verſionibus Scripturæ Tractatus commendantur.* III,5,1,14.

Kozaccij *Micæ Philoſophicæ improbantur* II,2,3,8. *liber de ſale eſt inſulſus.* II,2,39,1.

Kuhlmanni *judicium de arca artium Kircheriana & aliis ejus ſcriptis refertur.* I,2,5,67. *jactatio de rotis ſuis combinatoriis.* I,2,5,68.

Kuhlmannus *lectione ſcriptorum Böhmij intoxicatus*

toxicatus fuit. II,2,3,8. III,5,1,36. *juvenis ingenioſus, ſed fanaticis opinionibus imbutus* I,1,20,5. I,2,5,63. *promiſit artes multas, magnas, mirificas quaſi Spiritu divino edoctus.* ibid. & I,2,5,63. ſeqq. *hactenus præter titulos nihil prodiit.* I,1,20,5. I,2,5,78. *de quibus judicium fertur.* I,2,5,78.

Kühnii (*Joach.*) *notæ in Onomaſticon Pollucis laudantur.* I,4,7,4.

Kyranni *ſ. Kyrannidarum liber Hermeti Triſmegiſto tribuitur.* I,1,11,6. *eſt antiquiſſimus.* I,1,11,8. *ſed mancus & mutilus.* I,1,11,9. *varie & Græca & Latina lingua editus.* I,1,11,7. *ejus titulus enucleatur.* I,1,11,9.

L.

LAbata (*Franc.*) *edidit Apparatum Concionatorium.* I,6,4,12.

Labbæi (*Phil.*) *Conſpectus Interpretum Platonis & Ariſtotelis Græcorum exhibetur cum cenſura.* II,1,8,5.

Labbæus (*Phil.*) *in texendis catalogis librorum totam pene vitam conſumſit.* I,1,18,3. *Bibliothecam Bibliothecarum ſcripſit, qui liber recenſetur* ibid. *auctior ille liber jam editus eſt ab Anton. Teiſſiero.* ibid. §. 4. *Fuit homo ad lexica & catalogos conficiendos a natura factus.* ibid. §. 27. *de ſcriptis Patrum prolixe egit.* III,4,1,17.

Labbe (*Petri*) *Elogia varii generis recenſentur, addita ſimul cenſura.* I,6,3,11.

Labitti *Index Legum Romanarum laudatur.* III,6,3,5.

Lac, *de uſu ejus oda elegans Cominii ad Principem Condæum.* I,2,16,43.

Lactantii *inter infinitas ejus editiones præcipuæ recenſentur.* I,4,14,11.
Liber de mortibus perſecutorum comparet in editione Oxonienſi. ib.
Poëmata, falſò adſcribuntur ei. ib.
Stylus laudatur. ibid.

Læti (*Eraſmi Mich.*) *Carminum libri* I,7,3,17
Colloquia Moralia. III,1,1,5.

Lævitas *deſcribitur.* II,2*,7,6.

Lalemandet (*Joh.*) *de arte Lulliana judicium.* I,1,14,5.
Deciſiones philoſophicæ recenſentur. ib.

Lambecii (*Petri*) *Commentariorum opus vaſtum de bibliotheca Vindobonenſi.* I,1,2,6. *quod recenſetur.* I,1,16,77. *& eſt fere bibliotheca de bibliotheca.* I,1,17,28.
Prodromus hiſtoriæ literariæ. I,1,2,5. I,1,16,77.
Series in bibliotheca philoſophica & hiſtorica concinnanda. I,1,2,8.
Syntagma hiſtoriæ literariæ promiſſum, ſed morte ejus interceptum I,1,2,6. I,1,16,77.

Lambini *plagium in explicando Horatio, a Mureto improbatum* [illegible] *propter male ab illo* [illegible] I,4,11,15.

in Lampadum *ſepulchralium perpetuarum* [illegible] *inquiritur.* II,2*,22,5.

Lamplugh (*G*[illegible]) *MSS.* [illegible] *quo vocabula latina, græca & anglica cum hebraicis vocibus* [illegible] *ſervatur in bibliotheca Oxonienſi.* I,4,3,8.

Lampridius *Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptor.* I,4,14,[illegible]

Lanæ (*Franc.*) *ars per aërem volandi & navigandi ope globorum metallicorum examinatur & rejicitur.* II,2*,4,4. II,2*,22,2. *producendi flores ſine ſemine*

mine in dubium vocatur II,2*,27,5

Langii (*Joſephi*) *adagia, in certos locos diſtributa.* I,1,23,73.ſeq.

Polyanthea. I,1,21,25 ſeq.

Langſtonis (*Joh.*) *liber: luſus poëtici latino-anglicani, extat.* I,1,21,111.

Medulla poëſeos græcæ laudatur ib.

Lanſii (*Thomæ*) *Conſultationes.* III,2,1,13.

Orationes laudantur. I,6,3,3.

Laocoontis *&* *liberorum ejus à Dracone interfectorum ſtatua.* I,1,25,22.

Lapide (*Hyppoliti à*) *Scripta in præjudicium domus Auſtriacæ à Schlütero refutata.* III,6,9,5.

Lapides *ex aqua produci ſtatuit Paliſſy.* II,2*,31,3.

ex aqua ſeminibusq́; ſuis oriri putat Schyrlæus. ibid.

fulminares pro fab. habendi II,2,24,6

lucidi. II,2,14,5.

pretioſi. II,2,33,1 ſeqq.

Lapidis *fulgidiſſimi & miraculoſi hiſtoria à Pipino narrata* I,1,13,26. *Illius qui oculo mundi dicitur natura* II,2*,14,5

ad Lapidum *generationem præter aquam [illegible] ſuccus viſcoſus requiritur.* II,2*,31,4.

Lappones *multas orientalis magiæ reliquias poſſident.* I,1,13,7.

Latina *civitas an inſtitui poſſit, ubi ſola lingua latina in uſu ſit.* I,2,9,22.ſqq.

Lingua beatos in cœlo uſuros ſtatuit Inchoferus. I,4,9,3. *Ex ſolo uſu & converſatione addiſci quomodo poſſit, ex conſilio Montaignei.* I,1,15, 48. I,2,9,2. ſqq. I,2,12,10. *qui Montaigne ſive Montanus adverſus Sorellum defenditur.* I,2,9,39.ſq. *in ea nimia Italorum quorundam induſtria.* I,2,9,7.ſqq.

Latinæ *Linguæ corruptionis cauſa.* I,4,9,3.

ephemerides Vogelii rejiciuntur. I,2,10,33.

etymologiam & origines veteres & recėtiores pertractarunt I,4,9,7

lexicon perfectum deeſt. I,4,9,7.

methodus diſcendæ intra paucorum menſium ſpatium. I,2,9,35.ſqq. I,2,10,30. *docendæ jocularis à Clenardo uſurpata.* I,2,10,34. ſeqq. *nova eam docendi.* I,2,9, 16.ſeqq. ibid. n. 44. *oſtenſa à Becchero non ſatis eſt commoda.* I,2,10,39. ſeqq. I,2,9,31. *à Tranquillo Fabro quædam tradita.* I,2,9,46. *it. à Wolfgango Ratichio.* I,2,10,28.ſeqq. *& defenſa.* ibid. §.30.

Latinam *Linguam loquentis infantis quatuor annorum hiſtoria.* I,2,9,11.ſqq.

Latinitas *è Januis & Portulis malè formatur.* I,2,10,31.

Juris Conſultorum in Pandectis. I, 4,14,25. *de ea judicium Sanctii* ibid.

Plauti & Terentii à Bartholdo Feind collecta. I,3,4,17.

Senecæ multis in locis claudicare dicitur. I,1,23,33. *à quibus è tenebris in lucem tandem ſit protracta.* ibid. n. 27. ſeqq.

ex Latinitate *obſoleta quidam orationem contexuerunt.* I,4,9,5.

Latinitatis *antiquatæ Collectores recenſentur.* I,4,9,5.

corruptæ Lexicographi. I,4,9,17.ſ.

impuræ quæ cauſa ſit. I,3,6,9.ſeq.

ſchola Gothæ edita à Bœclero commendatur, ſed accuratione[m] elabora-

elaborationem illa deſiderat. I,2,4,22.
Latinum (*Hegingenſe*) *pro barbaro & ſoloeco ſermone latino uſurpatur* I,1,25,17. *proverbium ejus unde ortum.* ibid.
Latinus (*Latinius*) *vir fuit magnæ peritiæ in conciliorum hiſtoriis & in canonibus veteris Eccleſiæ.* I,1,24,5 *Bibliotheca ejus Latina* I,5,1,13 *Epiſtolæ & Syllogæ variarum obſervationum recenſ.* I,1,24,5.
Laudes *variarum rerum poëticæ* I,3,12,54.
Laudis *affectatio in Studioſo haud reprehendenda.* I,2,8,16.
Launoy (*Joh.*) *liber de varia Ariſtotelis fortuna recenſetur* II,1,8,2. II,2,12,1.
Laurenbergii *lib. de agricultura* II,2*,42,1
Laurenbergius *Antiquarius.* I,4,9,5.
Laurentii (*Joſephi*) *Epiſtolæ.* I,1,24,75. *Polymathia ſive libri 6. variæ antiquæ eruditionis laudantur.* I,1,21,38. I,1,3,5.
Laurentius (*Job.*) *Simia Lipſiana eſt* I,1,24,75
Laurus (*Joh. Baptiſt.*) *Poëta elegans in plagij crimine deprehenſus, Paſſeratio carmen ſtrenæ de Nihilo ſurripiens.* I,1,9,21. I,1,24,61. *edidit poëma de fabricatione calcis ingenioſum.* I,1,1,21. *ſcripſit de annulo pronubo D. Mariæ Virginis, cujus miracula extollit* I,1,24,62
Lauxmin (*Sigiſm.*) *praxis oratoria recenſetur.* I,6,1,18.
Lectio *librorum quomodo inſtituenda.* I,2,8,18. ſeqq.
Lectiones *variæ Caſtalionis, Rutgerſii &c.* I,5,1,11.
Legatus *de Judice delinquentis competente Bœclerus & Puffendorffius ſcripſerunt.* III,6,1,8.
Relationes de Legatis. vid. Relationes.
Leges *XII. Tabularum, earumque Commentatores* III,6,3,2. *poſt illas aliæ latæ ac receptæ.* III,6,3,4. *Papiniani & Modeſtini in unum corpus collegit Cujacius* III,6,3,7. *Separatas quidam explicarunt.* ibid.
de Legibus *Gentium doctrina.* vid. Nomothetica.
Legum *contrariarum Conciliatores.* III,6,8,2. *Conciliatio quomodo inſtitui poſſit.* III,6,8,2. *Varias lectiones quinam ſcripſerint.* III,6,8,4. *Moſaicarum Minutiæ Arndij* III,6,2,2. *Moſaicarum & Romanarum collatio antiqua laudatur.* III,6,2,2. *Romanarum Collectores & hiſtoriæ, illarum Scriptores recenſentur.* III,6,3,4. *Interpretatio gemina deſideratur.* I,3,5,10. *Indicem ſcripſit Labittus.* III,6,3,5. *notitiam illarum illuſtrant nummi & inſcriptiones.* III,6,3,7. *Regiarum fragmenta tantum ſuperſunt.* III,6,3,1. *Rubricæ p[illegible] atte[illegible]* III,6,3,9
Lehmanni (*Chr[illegible].*) *C[illegible]ronicon Spirenſe.* III,4,1[illegible]. III,[illegible]. *Florilegium politi[illegible]* [illegible] 21,110
Leibnizij [illegible] *de arte com[illegible]ia recenſ[illegible] & laudatur.* I,2,5,[illegible]
Leibniziu[illegible] [illegible] II,2[illegible] 4,4. [illegible] *motus ab*[illegible] II,2*,6,5 [illegible] *hypotheſin phyſic*[illegible] *novam.* ibid. *Brocar*[illegible] *corum reformationem promiſit.* III,6,6,4.
Lentuli *Arcana Regnorum & Rerumpublicarum.* III,2,1,15.

Leo

Leo (*Allatius*) *de Græcæ & Latinæ Eccleſiæ conſenſu perpetuo ſcripſit* III,5,1,23.
Leonardus (*Pauli*) *Jeſuitarum Thomam ſectantium eſt Encomiaſtes* II,1,14,22
ſcripſit de ſcientia media. II,1,14,39.
Leonis (*Allatij*) *Lacinia e Verdiero* I,1,16,26
Liber, cui tit. apes urbanæ. I,1,1,72.
Refutatio antiquitatũ Etruſcarum Proſperi commendatur. I,1,9,4
Leotandij *Magnetologia recenſetur cum cenſura.* II,2*,32,5.
della Leſina *Academia Florentina.* I,1,14,35. ſeq. *ejus ſcriptum ridiculum* I,1,14,36.
Leſſii (*Leonhardi*) *de juſtitia & jure libri recenſentur.* II,1,14,60.
Lexica *Diſciplinarum improbantur.* II,4,1,4.
in certos autores incipientibus ſunt utiliſſima. I,4,8,10.
practica juridica. III,6,11,2.
Lexici *poëtici pro translatis ſive methaphoris idea proponitur una cum indice.* I,3,11. *per tot.* I,7,1,19
Statiani exemplum de Hercule. I,3,10,15.
Lexicographi *Eccleſiaſtici.* III,4,1,16.
Græci veteres editi enarrantur. I,4,7,2. ſeqq. *inediti habentur.* I,4,7,8. ſeqq.
Hiſtorici. III,4,1,2.
Juridici. III,6,6,2.
Latini [illegible] barbari rudiores recenſentur. I,4,9,8. *ævi medii proponuntur.* I,4,9,17.
Linguæ Græco-Barbaræ modernæ adducuntur. I,4,8,11.
Mathematici. II,4,1,4.
Recentiores recenſentur. I,4,8,1. ſqq.
Lexicon *Baſilienſe VII. Auctorum cum cenſura exhibetur.* I,4,8,5.
continens voces latinæ linguæ corruptas & medij ævi a Daumio promiſſum. I,1,23,66. I,4,9,4.
Grammatico-philoſophicum Dalgarni Angli. I,2,6,83.
Italicum. vid. Vocabularium.
perfectum Latinæ Linguæ deeſt. I,4,9,7. *qua ratione adornari poſſit.* I,4,9,16.
Philoſophicũ Goclenij. vid. Goclenius.
Poëticorum translatorum conficiendum multorum autoritatibus ſvadetur. I,3,10,6.
Poëticum univerſale molitus eſt Henricus Schævius. I,3,10,14.
Symphonicum Gelenij. I,4,3,9.
Univerſale harmonicum promittit Kuhlmannus. I,2,5,70.
Lexicorum *Græcorum hiſtoriæ Scriptores recenſentur.* I,4,7,1.
Libanii *aſſiduus translator fuit Morellius.* I,6,2,19.
epiſtolæ. ibid.
operum collectores & editores. ibid.
orationes cum judicio Eunapij atq; Photij. ibid.
vita. ibid.
Libanius *an pro Chriſtiano habendus.* I,6,2,19.
Libelli *famoſi veritatem ſæpe nudam & acerbam proponunt.* III,2,1,10.
quando præcipuè publicentur. ibid.
Liberos *ſapientes gignendi ars an detur.* I,2,1,6. *talem fruſtra tradit Huartus in ſcrutinio ingeniorum, ut & Quilletus in ſua Callipædia.* I,2,1,8. II,2*,47,2.
ad Librariam *rem pertinentes Scriptores recenſentur.* I,1,16, tot.

Libri

Libri ἀνέκδοτοι *Martini Fogelii enumerantur.* I,1,7,43. *Joh. Andr. Boſii.* I,1,7,44. & *aliorum doctorum virorum.* I,1,4,4. I,1,7,41. ſeqq.

Arabum ſunt præſtantes. III,5,1,22

Athei. III,5,1,11.

Cabaliſtici. vid. Cabaliſtici.

Criticorum illuſtrium manu notati in pretio habentur. I,1,7,35.

Damnati omnium oculis manibusq; haud exponendi. I,1,8,1. *tanto magis curioſorum cupiditatem provocant.* ib. *ſi ab omnibus legi poſſent, ex ipſis tela, quibus jugularentur, facilè depromerentur.* I,1,8,5.

Elogium elegans à Luca de Penna ſcriptum. I,1,3,24.

Eruditorum cum imperfectis in lucem protrahendi. I,1,7,42.

Magici. vid. Magici.

Myſtici. vid. Myſtici.

Obſcœni merito inter damnatos numerantur. I,1,8,28.

Suppoſititii. vid. Suppoſititii.

Libri *cum muribus & blattis certant, aut ad Salſamentarios relegantur.* I,1,7,38. I,1,4,5. *vel aliis in prædam cedunt* I,1,7,39. I,1,9,17. ſqq. I,1.20,8. I,1,4,4. *habent ſua fata & periodos.* I,1,22,25. ſeqq.

de Libris *juridicis quinam ſcripſerint.* III,6,4,3,

Librorum *cura, ut orbæ prolis, a Magiſtratu ſuſcipienda.* I,1,7,40.

in hiſtoricis & diſciplinis collectores I,1,22,41.

nitor nimius poſſeſſori pudorem excutit. I,1,4,30.

prohibitorum catalogi plerumq; ex affectu texuntur, multisq; ſcatent erroribus. I,1,8,27.

ridiculorum catalogus à Joh. Donne lepidè confictus. I,1,9,15.

ſacrorum cura apud Hebræos ſacerdotibus commiſſa. I,1,6,2

veterum caſtratores notantur I,1,8,32

uſu privari pœna maxima. I,1,3,24.

Liceti (*Fortunii*) *extant quæſita per epiſtolas* II,2,2,6. *Figmentum duplicis viæ lacteæ.* II,2*,12,8.

Licetus (*Fort.*) *inter Polygraphos numerandus.* I,1,24,6. *totus Ariſtotelicus fuit ad ſuperſtitionem usq;.* I,1,24,7. *ſcripſit librum de pietate Ariſtotelis adverſus Deum & homines.* ibid. & II,2,2,6. *a Gabriele Naudæo laudibus in cœlum extollitur, amore Peripaticiſmi* I,1,24,52.

Linacii (*Thomæ*) *libri VI. de emendata ſtructura Latini ſermonis laudantur* I,4,10,10.

Ligna *putrida unde luceant.* II,2*,14,5.

de Ligno *foſſili Stellutus ſcripſit* vid. Stellut9

Lindæ (*Lucæ de*) *Deſcriptio Orbis* III,2,1,16

Lindenbrogius *mirum in modum infenſus Jano Wouwerio.* vid. Wouwerius. *Codicem Legum antiquarum ſcripſit.* [illegible],6,10,1.

per Lineas *philoſophantur* [illegible]. II,1,2,4.

de Lineis *manuū Melampus ſcripſit.* II,3,[illegible]

Lingendii *eloquentia ſingularis notatur.* I,6,4,[illegible]8.

Lingu[illegible] *laudatur.* I,4,4,10.

Germana. vid. Germanic[illegible]

Græca JCto neceſſaria. III,6,7,12.

maxime Philoſopho. II,1,9,1.

Harmonica à Becchero tentata. I,2,6,85. ſeq.

Hebræa, eam veteres magni nominis viri

viri eſſe aſſerunt. I,4,3,1.
Ludovicea, a Joachimo Fritſchio tentata, morte ejꝰ interrupta I,2,6,84.
Philoſophica, qua homines diverſorum idiomatum ſe invicem intelligere poſſunt. I,2,6,83. *eam molitus, eſt Job. Wilckinſius & quidam Gallus.* I,4,2,5.
Vernacula potiſſimum polienda & exornanda. I,1,14,38.
Univerſalis, eam olim extitiſſe veteres crediderunt. I,4,3,1. *Qui eam moliuntur, in vanum laborant.* I,4,2,5. I,4,3,6.
Linguæ *exoticæ an ex converſatione ſola addiſci poſſint.* I,2,9,3.
Scientiarum ſunt vehicula I,2,9,1.
ſcribendi ratio ſingulis pene ſeculis mutatur. I,1,7,4.
Linguam *Græcam, Hebræam & Latinam docuit le Maire infantem 8. vel 9. annorum.* I,2,9,41. ſeqq.
Linguarum *addiſcendarum methodus.* I,2,9,1. ſeqq.
diverſitas divinũ quid arguit I,1,12,7
exoticarum peritiæ multiplex utilitas. I,4,4,1.
Harmoniæ Scriptores. I,4,3,8. &9.
Hiſtoriæ Scriptores. ibid. n. 10.
Originem & quædam earum attributa à Schævio philologicè propoſita. I,4,3,7.
peregrinarum uſus ab hominibus obſeſſis & maniacis unde oriatur. I,1,12,8. I,2,9,27. ſeq.
primus ortus à Deo. I,4,1,4.
quænam antiquiſſima, an Hebræa, an Sinenſis &c. I,4,3,1.
variarũ callentiſſimi. v. Polyglottia.
pro Linguis *addiſcendis conſilia Ficheti, Becheri &c.* I,2,9,30. ſqq. *Egregium in his exemplum dedit Tanaquil Faber.* I,2,9,44. ſeqq.
Linguas *omnes in ſomno loquens Gallus quidam.* I,2,9,28.
Linus (*Franc.*) *vacuum naturaliter dari poſſe negat.* II,2*,4,3.
Lipenii (*Mart.*) *Bibliotheca materialis juridica improbatur.* III,6,6,1. *it. medica.* III,7,1,3.
Catalogi librorum omnium Facultatum recenſentur I,1,18,16 &63
Lipſiani *Styli κακόζηλοι imitatores taxantur.* I,1,24,57. &65. ſqq. *Bertilius Canutus, Petrus Gruterus, Coclius.* I,1,24,67. ſqq *Benjamin Priolus.* I,1,16,11.
Lipſianus *κακόζηλος Joſephus Laurentius.* I,1,21,38 I,1,24,15. *Petrus Gruterus.* I,1,24,57.
Lipſienſium *Acta eruditorum laudantur.* I,1,16,42. ſeq,
Lipſii (*Juſti*) *Admiranda urbis Romæ.* I,5,2,5.
Liber de Cruce. I,5,2,14.
Manuductio ad philoſophiam Stoicam laudatur & ſimul de ea judicium fertur. II,1,4,1. II,2,8,1
Monita Politica laudantur III,2,1,14.
Opera critica variæ ſunt eruditionis I,5,1,7.
Opus Politices laudatur. I,2,12,20. I,1,22,20.
Orationes melioris ſtyli quam epiſtolæ. I,6,3,4.
Plagium non injuriâ taxatur I,5,1,7
in Fabritii parallelos militares notatur. II,2,14,1.
Politicorum editio optima & commentatores. III,2,1,14.
Stylus haud imitabilis I,1,24,66. *judicium*

*dicium de eo.*I,1,24,63.*infeliciter eum imitatus eſt Puteanus.* I,6,3,4.
*Syntagma de Bibliothecis.*I,1,17,9.
de Lipſio *judicium ingenuum.* I,5,1,7.
Lipſtorpii (*Dan.*) *Specimina Philoſophiæ Carteſianæ.* II,2,17,5.
Liquor αὐτοκίνητος *ſive aqua vorticoſa.* I,1,16,50.*omnia in aquam reſolvens non datur.* II,2*,21,2.
Liquores *omnis generis evomendi artificium à Schotto & Pegelio deſcriptum* II,2*,22,3.
Literæ *Hieroglyphicæ Ægyptiorum, earumq; Scriptores recenſentur* I,4,2,1.II,2,4,4.*Æthiopum aliorumq;.* I,4,2,2.
Literariæ *Ephemerides.* vid. Ephemerid.
Literaria *Ars quorum cura & induſtria creverit.* I,1,25,38.I,1,2,16.I,1,23,27.ſeqq.
Hiſtoria. vid. Hiſtoria.
Scientia & prudentia è vitis virorum eruditorum præcipuè hauritur. I,1,19,1.
Literarii *Eremitæ qui dicantur.*I,1,15,20.
*Heroës.*I,1,22,37.I,1,23,54.I,2,1,48. *qui ſint.* I,2,1,48.*tales vix multi uno ſeculo naſcuntur.*ib.
Literarum *Adamicarum, Angelicarum &c. propugnatores recenſentur & exploduntur.* I,4,1,10.
Alphabeticarum ductu, charactereſq; ſingulis gentibus familiares divinum quid ſapiunt. I,1,12,5.ſeq.
Elementa prima θεῖον *quid oſtendunt.* I,1,12,5.
Fortuna plerumque à Magnatibus dependet. vid. Artium.
Ortus & inventio, deq; iis ſententiæ variæ. I,4,1,9.
παλιγγενεσία. I,1,2,15.ſeq.*primos ſpiritus debet familiæ Mediceæ liberalitati & aliis.*I,1,2,16.*ut & divino typographiæ invento.* I,1,2,16.
de Literis *jonicis, Diſſert. Scaligeri.*vid.Scaliger. *qui ſcripſerint, recenſentur,* I,4,1,9.
*Scriptores citantur*I,4,1,9.I,4,9,1.
Livii *Hiſtoria cur difficilior ſit pro pueris.* I,2,9,50.*laudatur.*I,4,11,11.*ejus editiones, translationes & vitæ Scriptores recenſentur, annexo de pluribus judicio.*ib.*editionum optima eſt Doujatii*I,4,11,11.*Libri XLIII. initium ex vetuſto codice eruit Herrion* ibid.*Supplementa Freinſhemii recenſentur.* ibid.
Lobkowiz (*Joh.Caram.*)*ſcripta in omni ſcientiarum genere laudantur.* I,1,18,56.*interq; polygraphos numeratur.* I,1,22,36.
Loccenii *Comm. in jura Statutaria Sveciæ & Lexicon juris Sveco-Gothicum.* III,6,10,3.
Loci *Communes, per Amanuenſes non imperitos colligendi.*I,1,21,11.&12. I,1,22,19. *magno in illis colligendis judicio opus.* I,1,21,7.*& modus ſervandus.* I,1,21,11.
doctrinæ variæ, ſunt quaſi promicondi. I,1,21,4.
in hiſtoricis, politicis, moralibus magnum uſum habent, æque in in publicis. I,1,22,19.ſq.
quidam eos data opera in unum argumentum exhauriunt. I,1,22,14.ſeqq. *quod exemplis monſtratur.* ibid. & §.29.
Studium eorum male à quibusdam contemni-

contemnitur.I,1,21, 5.ſq.*quorū iniqua cenſura refellitur*. ibid.

Loci *conſtitutio ad hominis temperamentum aliquid facit*. II,3,1,13. *doctrina ab Ariſtotele, Carteſio & Petro Gaſſendo, Epicurum ſecuti propoſita recenſetur*. II,2*,4,1.

Locorum *Communium Abuſus merito rejiciendus*.I,1,21,10.*ſed uſus retinendus*. I,1,21,11.

Collectores Eraſmus, Melanchthon, Geſnerus male à Scaligero ſugillantur.I,1,22,14.*Dialecticorum ingens eſt uſus in methodo experimenta indagandi*. II,2,1,18.*juridicorum ideas Delrio & Broſſæus dederunt*. III,6,7,8. *Scriptor eſt Bechtoldus* III,6,6,1.*Scriptores Oratoriæ ſacræ*.I,6,4,10,ſeqq. *Philoſophiæ Naturalis*. II,2,2,1.ſeqq. *Theologicorum*. III,5,1,7. *plures referuntur*.I,1,21,20. ſqq.ibid.§. 115.ſeqq.I,1,22,1.ſeqq.vid.Collectores. *Titulis adſcititiis luxuriant*. I,1,21,48 I,1,22,8.

Locus *Relatio mera eſt*. II,2*,4,1.

Locuſtæ *Joh. Baptiſta quas commedit, de iis variæ ſententiæ ſunt*. II,2*,45,8.

Logica, *clavis reliquarum ſcientiarum eſt*. I,2,4,9. *judicium exercet, & inſtrumenta omni ſcientiarum generi apta ſuppeditat*. I,2,4,6. I,2,11,12. ſeqq. *non in notionum ſummis generibus & Syllogiſmi artificio ſolum, ſed uſus ejus latius diffundit*. I,2,4,7.ſeq.*præbet n. uſum meditandi differendi & amplificandi*.I,2,5,3. *ex ea petiit Cardanus artē inventivam*.I,2,5,52.*à Scholaſticis exculta, & ineptis ſubtilitatibus corrupta*. II,5,1,1. *ab Ariſtotele omnium optime tradita*. ibid.

Practica Uldarici Staudigl recenſetur. I,2,5,52.

Logicæ & *Metaphyſicæ cognatio*. II,5,1,7. *Novatores Carteſiani*. II,5,1,3.

Logicarum *artium quatuor Verulamius facit*.I,2,4,10.*quarū duæ poſteriores è prioribus fluunt*. I,2,4,11.

Löhneiſen (*Chriſtoph.*) *ſcripſit* von Bergwercken. II,2*,29,4.

Lombardi (*Petri*) *Vita, libri ſententiarum & ſcripta alia recenſentur*. II,1,14,1.

Lomeierus (*Joh.*) *de biblitohecis ſcripſit limatius ornatiusve quam Carmelita Jacobus*.I,1,17,14.*In vetuſtioribus tamen eſt diligentior, quam in recentioribus*. I,1,17.15

(*Philipp.*) *artem per aërem navigandi & volandi pro ſuo invento falſò jactat*. II,2*,4,4.

Longævitas, *Scriptores de ea recenſentur*. II,2*,5,3. II,2*,47,2.

Longinus. vid. Dionyſius Longius Caſſius.

de Loquelæ *elementis liber William Holderi*. I,4,1,5.

Lotichius (*Joh.*) *Magdeburgenſium expugnationem prædixit* I,1,19,41.*inter armorum ſtrepitus ipſe miles carmina ſcripſit*.ibid.*Poëtarum Germanicorum phönix*.I,1,19,39. *laudatur ab Heinſio* ibid. §. 40. *In ipſo ætatis flore ætatis anno 32. obiit* ibid.§.41. *feliciſſimè Ovidium expreſſit*.I,7,3,9. *Ejus commentarium in Petronium acriter perſtringit Goldaſtus*. I,4,12,10.

Lubecenſe *jus latiſſimè dominatur*. III,6,10,3.

10,3. *in illud Comm. Mevii* ibid. *ejus & Civilis diſcrepantiam quinam deſcripſerint.* ibid. *è Mevio optime diſci poteſt.* III,6,11,4.

Lubienicius *Theatrum Cometicum evulgavit, de quo ſequius judicium fertur.* II,2*,12,4.

Lubini *Antiquarius.* I,4,9,5.

Phoſphorus de prima cauſa & natura Mali. III,1,1,10.

Lucanus *Poëta varia & diverſa Doctorum judicia ſubiit, quæ recenſentur.* I,4,12,9. *ejus editiones commemorantur.* ibid. *Liber dell'Univerſi natura.* II,2,6,1.

Locatellus (*Joſeph.*) *novam machinam invenit, quæ ſimul arare & ſeminare poteſt.* II,2*,21,7.

Lucentia *animalia & corpora.* II,2*,14,5. &7.

Lucretius *libri ejus VI. de Rerum natura laudantur.* I,4,11,12. II,1,5,2. *ejus editiones variæ* ibid. *de editoribus & exegetis judicium.* II,1,5,2.

Philoſophiam naturalem Democriti & Epicuri carmine comprehēdit II,2,7,5. *in Academia Argentoratenſi publice prælegitur.* II,2,7,5.

Luctatoriam *artem ſingulari libro deſcripſit Petterus.* II,4,1,16.

Ludovici XI. *Regis Galliæ edictum contra Nominales Scholaſticos* II,1,13,12.

Lugo (*Joh. de*) *ſcripſit Commentarios de Juſtitia & jure.* II,1,14,59. *it. Diſpp. Scholaſticas de Incarnatione Domini.* ibid.

Lulliana *ars reprehenſa.* I,2,5,7. ſeqq. *quæ ei objiciantur.* I,2,5,13. *ad quæ reſpondetur.* I,2,15,16. ſqq. *de ea alij mitius judicant,* I,2,5,14. ſeq. *alij acerbius* I,2,5,8. ſqq. *poteſt dici Logica practica.* I,2,5,17. *qualem & edidit Uldaricus Staudigl.* I,2,5,52. *conſiſtit in circulis varie per rotas inter ſe converſis.* I,2,5,24. *in quācunque partem verſetur, aliud nihil eſt, quam Logices propagatio.* I,2,5,78. *de eadem judicium Lalemandet habetur.* II,1,14,15.

Lulliana *prædicata omnia ad prædicamenta Ariſtotelica reduci poſſunt.* I,2,5,53.

Lullianæ *artis clavem ſcripſit Alſtedius.* I,2,5,25. &40. *defectus ſeptem notavit Knittelius.* I,2,5,47. *typus recenſetur.* I,2,5,23.

Propago eſt ars mnemonica. I,2,6,11

Uſus moderatus non diſſvadetur I,2,5,79. *ex conſilio Alexandri Fichetti non ſpernendus.* I,2,5,81. I,3,2,12. *præcipuus uſus in docendo ſe exerit.* I,2,5,17.

Lullianam *artem multi commentariis illuſtraverunt & interpolaverunt.* I,2,5,25 ſqq. *quorum libri recenſentur.* ibid. n. 26. ſqq.

Lullianis *cum rotis conbinatoriis videtur circulatio illa Geſvaldi.* I,2,6,36.

de Lullio *magnificè ſentit Quirinus Kuhlmannus.* I,2,5,63.

Lullius (*Raimund.*) *indagationis rerum ſtudio ſedulo incubuit.* I,2,5,4. ſqq. *eo fine in eremum ſeceſſit.* ibid. §. 5. *artem ſuam ex Arabe Abuzebron plagio quodam ceperit* I,2,5,6. ſqq I,2,7,59. *quos libros ſcripſerit.* I,2,5,24.

Lullus (*Ant.*) *quos libros ſcripſerit.* I,6,1,10.

Lunæ *figura.* II,2*,12,6.

lux tantum mutuatitia. ibid. n. 7.

Influxus

Influxus in terreſtria adſtruitur. II,2*,12,9.
preſſio veroſimillima æſtus marini cauſa. II,2*,20,4.
de Lunari *homine liber tantum joci gratia ſcriptus eſt.* II,2,15,1.
Lundenius *varias ſententias de via lactea uno libello congeſſit.* II,2*,12,8.
Lundii *poëma.* I,7,3,17.
Luherani *in Theologia dogmatica præcellunt.* III,5,1,1.
Luheri (*Mart.*) *libellus de Nominibus propriis Germanorum ſæpius recuſus.* I,4,4,5. *circa illum inſigne plagium commiſit Rud. Goclenius.* ibid.
Lux *n principiorum & elementorum natu- alium numerum refertur.* II,2*,14,1. *n ſubſtantia vel accidens ſit, diſquiritur.* II,2,14,2. *Subſtantia defenditur.* iid & §.3. *nihil divini illi ſubeſt.* ibid. §. *Irradiationibus, curationibus, prædictionibus aliisq; actionibus & præſtigiis ſperſtitioſis aut magicis male prætexitu.* ibid. *Natura ejus eſt imperveſtigabi.* II,2*,14,4. *cauſa lapidis Bononiens inveſtigatur.* ibid. §.5. *ejus & ignis diferentia.* II,2*,16,1.
Lycophonis *poëma Alexandra ſeu Caſſandra, ejus interpretes antiqui & recentiores, & editiones annotantur.* I,7,2,22.
Lycoſthes (*Conradi*) *Apophthegmata virorum illuſtrium, opus poſthunum, Zwingerus ſub titulo Vi- Humanæ publicavit.* I,1,21,23, & 54.
Simi m collectanea laudantur, & al ejus Opera. I,1,21,56.ſq.
Lycurgi *Oratis a quibusnam editæ.* I,6,2,11.
Vita & ingenium paucis deſcribitur ibid.
Lyncei *in minutas partes ſingula roſolventes refelluntur.* I,1,12,18
Lynceorum *Academia Romæ ab Angelo Cæſio, Duce Aquæ Spartæ, inſtituta.* I,1,14,18.ſeqq. *vel a Patre ejus Federico.* ibid. n.20.
Hiſtoriam moliebatur Mart. Fogelius, ſed ineditam moriens reliquit. I,1,18,29.
Nomen unde ortum. I,1,14,18. II,2,2,9.
quibus Doctrinis & Studiis incubuerit. I,1,14,21.
Lyſias *Orator apud Græcos olim optimus.* I,6,2,4. *ejus Orationes.* I,6,2,5.

M.

MAccius *inſcriptionum veterum ſtudioſus fuit.* I,4,10,26.
libros tres de hiſtoria ſcribenda edidit. I,6,1,29.
Macedo (*Franc. à S. Auguſtino*) *Heros literarius.* I,1,22,37.ſeqq.
Poëta extemporaneus. I,1,12,13. I,1,22,40.
Polygraphus inſignis I,1,22,37.ſqq.
Vir incomparabilis ingenii & judicij I,1,6,33. *inter ſingularia ævi noſtri miracula recenſendus.* I,1,22,38.
ſcripſit libros quam plurimos, quorum catalogus refertur I,1,22,40.
It. artem poëticam. I,7,1,7.
Machiavelli (*Nicol.*) *Nicia, Comœdia, laudatur.* I,7,1,9.
liber de Principe quo fine ſcriptus. I,1,19,28.
de Machiavello *Pſeudo-Politico judicium fertur.* III,2,1,4.
judicium imprudens Anton. Poſſevini

 ni

ni oſtenditur. I,1,16,22.
Machina *urinatoria.* vid. Urinatoria.
Macrobii *Opera à quibusdam Commentario illuſtrata ſint.* I,4,14,19.
Macrobius *plagii crimine accuſari nequit.* ibid.
Magdeburgenſes *Centuriatores* III,4,1,12.
de Magia *& rerum ſenſu librum ſcripſit Campanella.* II,1,12,4.
Magiæ *criminis multi innocentiſſimi viri rei perhibentur.* I,1,8,25. *it. Campanella.* II,1,12,4. II,2,14,3. *it. Theophraſtus Paracelſus* II,2,16,1
Dæmoniacæ Scriptores. II,3,1,15.
Doctores, Albertus Magnus II,1,14,2
Pythagoras. II,2,6,6.
Naturalis veræ diſcrimen à falſa proponitur. II,2*,9,1. *diviſo additur* ibid. §. 2. *exiſtentia oſtenditur.* II,2*,9,1. *nomine ad vetitæ patrocinium abutuntur Campanella & Marci.* ibid. §. 2.
Magica *Medicina.* vid. Medicina.
Magici *libri quorundam referuntur.* I,1,11,3. ſeqq. *Si pactum cum Dæmone profiteantur, merito inter damnatos referuntur.* I,1,8,24 *multi falſò crediti.* I,1,8,25.
Magicis *libris naturalibus viam quaſi ſternunt Cabaliſtici autores.* I,1,11,1.
Magiri (*Tob.*) *Eponymologium criticum varie auctum.* I,1,16,54
Polymnemon laudatur I,1,21,27 I,3,9,12.
Magiſtratus *Græcorum & Romanorum, eorumq; Leges, Comitia & Jura quinam deſcripſerint, docetur* I,5,2,7 *cura præcipua circa educationem juventutis.* I,2,2,1. ſeqq.
de Magiſtratus *jure circa Sacra quinam ſcripſerint.* III,5,1,27.
Magnes *igne candefactus an vim attractivã amittat, diſquiritur.* II,2*,32,4.
de Magnete *Scriptt. recenſentur.* II,2*,32,5.
Magnetem *ex atomis generari minus recte credit Digbæus.* II,2*,32,3.
Magnetica *medicina Maxvelli Scoti.* I,1,11,13.
Magneticam *virtutem terreſtri globo inſitam ſtatuit Gilbertus, quem alii ſequuntur.* II,2*,32,2.
Magneticæ *acus in declinationibus miræ eſt varietas.* II,2*,32,4.
Magnetis *virium cauſa nec ad internam virtutem, nec ad ſimilitudinem ejꝰ & ferri eſt referenda.* II,2*,32,1. *ſed ad effluvia externa cum Corteſio & Honor. Fabri.* ibid. §. 3.
Magorum *in Perſia Collegium.* I,1,1,13.
contra Mahumedanos *ſcripſit Hottingerus,* III,51,22.
Maimburgii *Hiſtoria Lutheraniſmi pontificiorum errores & techas non diſſimulat.* III,2,1,18. *ſcriptis judicium.* III,1,14.
Maimonidis (*Moſis*) *juris Hebræi corpus.* I,6,2,1.
Majoli *Dies caniculares recenſent* I,2,2,7.
Majoragii *Antiparadoxa.* vid. Cicero.
Commentarij varij in Ariſtotelem & alia ſcripta inedita. II,11,9. *in Virgilij Georgica MSt.* I,25,32.
Liticula cum Nizolio. vid. Nizolio.
Orationes ob exquiſitam latinitatem laudantur. I,6,3,1. II,11,9. *Sua de laudibus auri, & apologetica contra Gaudentium Merulam.* I,1,25,31.
Majoris (*Joh. Dan.*) *Diſſ. de myrrha & locuſtis.* II,2*,45,8.
liber de natalibus ſuccini non maritimis eſt ineditus. II,2*,37,3.

le Maire *ſingulari methodo puerum octennẽ eodem tempore Hebræam, Græcam & Latinam linguam docuit* I,2,9,41.
Malagonellii *Orationes & Epiſtolæ teſtantur de ejus facundia.* I,6,3,5.
Malapertii *poëma de ventis laudatur.* II,2*,23,5.
Malchi *de vita Pythagoræ liber.* II,1,2,2.
Mallincrot (*Bernh. à*) *de artis Typographicæ ortu & progreſſu.* I,4,2,6.
Malorum *hominum vitas deſcribi an utile ſit.* I,1,19,29.
Malpighii *anatome plantarum laudatur.* II,2*,40,3. III,7,1,4.
Malumbræ *Comm. in Codicem laudatur.* III,6,7,9.
Mancini *Furori della Gioventa.* I,6,3,7.
de Mandragoræ *radice quinam ſcripſerint.* II,2*,43,2.
Manilii *Aſtronomicon mancum, difficile & obſcurum.* I,4,12,1. *bujus Editores.* ibid.
de ætate varia variorum opinio recenſetur. ibid.
Manilium *emendavit Scaliger, de qua emẽdatione judicium fertur* I,4,12,1.
Manna *eſt productum roris.* II,2*,27,8. *Calabricum eſt optimum.* ibid. *de illa quinam ſcripſerint.* ibid.
Manuſcripta *antiquiſſima, utut parte aliqua vitioſa in pretio habenda.* I,1,7,51.
bibliothecæ Auguſtanæ indicant Höſchelius & Reiſerus I,1,7,25. ſq.
Gottorpienſis. I,1,7,63. ſeq.
Gudianæ. I,1,25,30. I,1,7,67.
Lipſienſes enarrat Fellerus. I,1,7,31. ſeqq.
Noribergenſis. I,1,7,63. ſeq.
Thuanæ. I,1,21,2. I,1,7,61.
Vaticanæ. I,1,7,55.
Vindobonenſis à Lambecio narrata. I,1,7,28. & 56. I,1,17,28.
bibliothecarum Anglicarum I,1,7,59. I,1,17,33.
Gallicarum. I,1,7,60.
Italicarum. I,1,7,62.
colligenda in bibliothecis publicis. I,1,7.50. I,1,20,7.
Græca plurima è Lucæ Holſtenij bibliotheca narrantur. I,1,7,66.
non celanda, ſed publicis uſibus edenda. I,1,7,25. & 34.
Orientalium librorum I,1,7,33. & 63.
Politica ad ſtatum Reip. ſpectantia in bibliothecis publicis colligenda. I,1,7,48. vid. Pinelli.
Statum Venetum concernentia Pinellus congeſſit. I,1,3,19.
Virorum doctorum ſæpè aliis in prædam cedunt. vid. Lib ἀνέκδοτοι.
circa ea Magnatum incuria. I,1,2,17.
Manuſcriptæ *Epiſtolæ.* vid. Epiſtolæ.
Notæ Wouwerij in Senecam. I,4,12,9.
Manuſcripti *Codices bibliothecæ Oxonienſis numero penè æquare dicuntur impreſſos.* I,1,17,32.
Manuſcriptis *Codicibꝰ inſidiæ ſtruuntur per furta & mutilationes.* I,1,4,22. ſ.
Orientalibus bibliotheca Jeſuitarum Cochinenſis fuit referta III,5,1,23
Manuſcriptorum *antiquitatis notæ à Salmaſio traditæ* I,1,7,9. ſ. & 14. *colliguntur ex ductu Characterum.* I,1,7,4.
æſtimatio & pretium. I,1,4,7. I,1,7,2. ſ. I,1,7,51. ſeqq.
Catalogi à variis autoribus editi. I,1,7,19. ſeqq. I,1,18,67. I,4,7,11. vid.

Manuſcripta bibliothecæ, & bibliothecarum, *ad res eccleſiaſticas ſpectantes à Poſſevino deſcripti.* I,1,16,22.
copia in bibliothecis Anglicis laudatur. I,1,17,33.
cuſtodes olim erant Monachi I,1,7,17
uſus difficulter conceditur. I,1,3,27.
cujus cauſa inquiritur. I,1,7,54. *exempla præbent bibliotheca Hiſpanicæ.* I,1,7,57.
utilitas in librorum emendationibus I,1,7,2.ſeqq.&15.ſeq. *maxima eſt in Patrum mutilationibus detegendis.* I,1,7,52.
Manutii (*Aldi*) *bibliomania nimia.* I,1,3,3.
(*Pauli*) *epiſtola ad Cratonem à Crafftheim recenſetur.* I,1,25,39.ſqq. *quâ occaſione ſcripta ſit.* I,1,25,40. *vocatur regina epiſtolarum Manutianarum.* I,1,7,46. I,1,23,57.
epiſtolæ ſunt elegantiſſimæ. I,1,23,57. *inter quas una, manu ejus ſcripta à Gudio ſervatur.* ibid.
ſtylus laudatur. I,1,23,57.
de Manutio (*Paulo*) *varia judicia.* I,1,23,57.ſ
de Manuum *inſpectione ſcripſit Artemidorus.* II,3,1,5.
Mapparum *Geographicarum optimæ ſunt Sanſonianæ, Blavianæ, & Wittianæ.* II,4,1,14.
de Mappis *Geographicis Simonis Pauli judicium.* II,4,1,2. *de Sanſonianis.* II.4,1,11. *de iis conficiendis Scriptores.* II,4,1,12.
Marcelli *Tabulæ Chronologicæ recenſentur* I,2,6,77. *ut & alia ejus Opera inedita.* I,2,6,80.
Marcellini *Commentatores, Editiones & ſtylus.* I,4,14,12.
Marcellinus *hiſtoriam Romanorum Imperatorum optimâ fide deſcripſit.* I,4,14,12.
Marci (*Joh. Marcus*) *animam poſt mortem in corpore ſuperſtitem eſſe ſtatuit* II 2*,1,8.
de arcu cœleſti librum edidit, qui laudatur. II,2*,25,1.
doctrinæ Platonicæ de Ideis inſtaurator fuit. II,1,7,18.
magiæ naturalis nomine abutitur ad vetitæ patrocinium. II,2*,9,2.
Philoſophiam veterem reſtitutam ſcripſit. II,1,7,18.
ſententiam ſingularem fovet de Ideis ſubſtantialibus. II,2*,1,8.
Mare *à ceteris aquis ſpecie non differt.* II,2*,20,1.
in fundo æque ſalſam ac frigidam habet aquam, ac in ſuperficie. II,2*,20,6.
undè nauſeam excitet. II,2*,20,20.
undè ſit ſalſum. II,2*,20,1.&2. *de eo quinam ſcripſerint.* II,2*,20,20.
Mareſii *epiſtolæ Philologicæ.* I,1,23,10.
liber de abuſu Philoſophiæ Carteſianæ. II,1,15,6.
Margaritas *Britannia olim habuit.* II,2*,33,5.
majores artificiales conficiendi ars non datur. ibid.
Mariani (*Andr.*) *Epigrammata de Ruina urbis Romæ.* I,5,2,5.
D. Mariæ *Virginis annulus pronubus miraculoſus.* I,1,24,62.
à Marina *aqua ſalſedo ſeparari poteſt.* II,2*,20,8.
Marini *æſtus cauſa.* II,1,12,4.
Marini *homines.* vid. Homines.
Maris *fluxus & refluxus cauſa ad Lunæ preſſionem*

ſionem & motum terræ refertur II,2*,20,4. circa hanc cauſam diverſæ ſunt Carteſii, Walliſii & Fabri hypotheſes. ibid.
de Maris fluxu & refluxu ejusq; cauſa variæ variorum ſententiæ recenſentur cum cenſura. II,2*,20,3.
Natura ſcripſit Teleſius. II,1,15,2.
Obſervationes diligenter ſunt inſtituendæ, exemplo Anglorum & Varenii. II,2*,20,4.
Scriptores adducuntur. II,2*,20,4.
Venetæ Acad. ediderunt librum. I,1,11,18.
inundationis cauſa, ejusque Scriptoribus. II,2*,20,5.
proprietatibus, ut colore, pondere aliisq; variorum obſervationes. II,2*,20,7.
de Mariti & fœminæ officio. III,1,1,8.
Marshamus ab Ægyptiis ad Hebræos leges ac ritus perveniſſe putat. III,6,2,3.
Martialis acutiſſimus Epigrammatum Scriptor, adverſa Criticorum judicia expertus eſt. I,4,13,1.
Caſtratores & commentatores recenſentur. ibid.
Editio à Gronovio adornata eſt optima. ibid.
Martii (Galeotti) liber de doctrina promiſcua laudatur. I,1,21,42.
Libri tres de rebus vulgo incognitis perierunt. I,1,21,43.
Martis figura. II,2*,12,6.
Martini Pugio fidei laudatur. III,5,1,21.
(Franc.) epiſtolæ feſtivitatis plenæ. I,1,24,58.
de Martyrum cruciatibus egit Gallonius. III,4,1,18.
Maſcardi Diſſ. de affectibus, ſive perturbationibus animi, earumq; characteribus. II,3,1,3. III,1,1,11.
Diſſ. in Cebetis Tabulam. II,1,3,3. III,1,1,11.
de Epigrammatibus judicium. I,7,3,3.
liber della Arte Hiſtorica. I,6,1,29.
de Poëmatibus cenſura. I,7,3,8.
Proſe volgari. I,6,3,7.
Maſenii (Jac.) Ars nova Argutiarum tam Epigraphicarum, quam Epigrammaticarum laudatur. II,4,1,1.
Concionator recenſetur. I,6,4,14.
Exercitationes Oratoriæ laudantur I,6,3,3.
Mythologia. I,7,1,17.
Palæſtra Eloquentiæ ligatæ. I,7,1,7.
Oratoria recenſetur. I,6,1,17.
Styli Romani. ibid.
Maſius (Didacus) edidit Comment. in univerſam Ariſtotelis Philoſophiam II,1,14,53.
Maſſæ Globi terreni majores ſunt inſtar principiorum in mixtorum natura indaganda. II,2,19,5.
Maſſonis Elogia ſcripta. I,1,19,57.
Maſtrius (Barth.) doctrinam Scoti vindicavit. II,1,14,13.
Materia prima nonnullis eſt ipſe Deus. II,2*,1,2. à quibus impugnetur. ibid. §.3.
de Materia prima Creationis judicium. II,2*,1,4. nugæ difficilis interpp. Ariſtot. unde II,2*,1,2. Sententia Rabbinorum. ibid. §.4. Subtilitates ac diſceptationes perplexæ Ariſtotelis & Scholaſticorum recenſentur & exploduntur. II,2,12,9.
de Materiæ & Dei mundiq; coæternitate variæ variarũ Sectarum ſententiæ recenſentur & conferuntur II,2*,11,4.

Mathematica *ἀκριβεία, in omnibus incedere non licet.* I,2,7,106. I,2,8,4 ſ.
methodo, qua uſus Spinoſa, ab aliis quoq; refutatus eſt I,1,8,15. I,2,7,107
Mathematica *Excerpta.* I,3,13,10. ſeqq.
Mathematicæ *artes acuunt ingenium.* I,2,7,105.
diſciplinæ quædam puerili quoque ætate utiliter diſci poſſunt, I,2,10,48. *& merito inter ſtudia παρασκευαστικὰ referendæ.* I,2,11,17.
Mathematicarum *artium peritia viro militari neceſſaria.* I,2,12,35.
Pandectarum univerſalium conficiendarum methodus. I,1,20,21.
Mathematicorum *hiſtoriæ literariæ Scriptores.* II,4,1,1.
Lexicorum Autores. II,4,1,4.
Miſcellaneorum Scriptores II,4,1,3.
Matheſis *eſt appendix & miniſtra Philoſophiæ Naturalis.* II,2,1,28.
Matheſis *& Phyſica mutuas ſibi operas præſtant.* I,1,13,11. II,4,1,1.
Matheſeos *ſtudium Oeconomo commendatur.* III,3,1,5.
Uſus maximus eſt in quantitate corporum. II,2*,3,2.
Matina *ſcripſit librum ſub titulo: Unguis Elogiorum Leonis Matinæ, de quo iudicium fertur.* I,6,3,11.
de Matthæi (*Antonii*) *Antinomiis iudicium fertur.* III,6,8,4.
tr. de fundamentis iuris aliter iaciendis, quam vulgo iacta ſunt. ib.
Mattheſius (*Joh.*) *Concionibus Sareptanis quædam metallica immiſcuit* II,2*,29,4
Matthias (*Joh.*) *Grammaticam Regiam ſcripſit.* I,4,10,9.
Mauri (*Rabani*) *Gloſſarium Theodiſcum in tota Biblia V. & N. Teſtamenti MSS. refert Lambecius.* I,4,4,4. *alia ejus Scripta.* ibid. *Verſus quadrati.* I,7,3,7.
Mauricii *Diſſ. de libb. juris,* III,6,4,3. *aliæ Diſſertationes.* III,6,9,5.
Mauſſaci *Lectionum juris libri.* III,6,8,4.
Mauſſacus (*Phil. Jac.*) *perpetuus Wowerii inſectator.* I,4,1,2. *Morbo quodã notitiam Græcæ linguæ perdidit* I,4,7,5.
Maximi *Tyrii ſcripta cum eorum editione recenſentur.* II,1,7,6.
May (*Phil.*) *Chiromantia Medica recenſetur.* II,3,1,7.
Mayersbergii *Itinerarium Moſcoviticum.* III,5,1,23.
Mayow (*Joh.*) *liber de nitro recenſetur & laudatur.* II,2*,38,2.
Sententia de eſſentia ignis nitro aërea & ejus propagatione. II,2*,16,4.
de frigore, quod derivat à particularum nitro-aërearũ motu languidiori. II,2*,17,13.
de fulguris ortu, quæ refutatur. II,2*,24,5.
de thermarum incaleſcentia, quam tribuit fermentationi. II,2*,20,11.
Mayroi (*Franc.*) *Elogia & Scripta commemorantur.* II,1,14,37.
Mazarini *memoriæ.* III,2,1,9.
Mazonius (*Jac.*) *in Ariſtotelis & Platonis univerſam Philoſophiam præludia edidit.* II,1,11,19. *fuit homo indolis & memoriæ portentoſæ.* ib.
ſcripſit de conſenſu Ariſtotelicæ & Platonicæ Philoſophiæ. II,2,11,2.
Mazza (*Thom.*) *à Fr. Macedo defenditur.* I,1,6,33.

Mecha-

Mechaberoth *Lexicon Hebræum memoratur.* I,4,5,4.
Mechanicæ *artes ſunt propagines artium Mathematicarum.* I,1,1,7.
Mechanicæ *Kineticæ, ſive motivæ, principia modernorum Phyſica innituntur* II,4,1,15.
Mechanicarum *artium cognatio inter ſe nulla.* I,1,1,3.
Cognitionem parandi modus II,2,1,4.
Hiſtoria Philoſopho non eſt indigna. I,1,1,7. II,2,1,4.
Uſus in Phyſica demonſtratur II,2,1,6.
Mechanicas *artes Philoſophum quoque ſcire debere volunt Stoici.* I,1,1,4.
è Mechanicis *principiis qualitates corporum a motu & figura orientes, ſunt explicandæ.* II,2*,10,1.
Medica *ars tam in corporis ſtructura, quam in morbis & remediis θεῖον quid agnoſcat neceſſe eſt.* I,1,12,28.
Excerpta ſ. collectanea. I,3,13,38. ſqq.
Hiſtoria univerſalis a Joh. Bapt. Capono promiſſa recenſetur I,1,18,66
Praxis. I,3,13,47. ſqq. *pro varietate circumſtantiarum variat* I,3,13,51
Medicæ *artis origo.* II,2*,8,3.
Medicamenta *domeſtica & ruſtica plebejorum plus interdum efficiunt, quàm Medici omni ſua arte,* I,3,13,48. ſqq. I,1,12,28.
Medicas *epiſtolas qui ſcripſerint* I,1,24,129
Medicina *Magica & curationes per eam.* II,3,1,17. *quinam de ea ſcripſerint.* ibid.
Magnetica Maxvelli Scoti. I,1,11,13. I,3,13,50.
Spirituū Sebaſtiani Wirdigii I,1,11,14
Univerſalis Roſii. I,1,13,43.
in Medicina *Dogmatica moderni novaturiunt.* III,7,1,6.
Medicorum *Scriptorum catalogi* I,1,18,66
veterum lectio Philiatris eſt utiliſſima. III,7,1,2.
Medina (*Barth. à*) *expoſitiones in Thomam ſcripſit.* II,1,14,23.
Medullæ *ſpinalis anatomen dedit Blaſius.* II,2*,47,3.
Meibomius (*Henr.*) *Parodias fecit.* I,7,3,14. I,2,16,13. *Centones collegit.* I,2,16,12.
(*Joh. Henr.*) *de Cereviſia librum ſcripſit.* II,2*,42,3. *de Vitis antiquorum Medicorum librum ineditum ſcripſit.* I,1,18,66.
(*Marcus*) *Veterum muſicorum eſt editor.* II,4,1,10.
de Mejeri (*Gerh.*) *Bibliotheca Theologicâ judicium fertur.* III,5,1,13.
Meieri (*Mich.*) *liber, arcana arcanorum inſcriptus recenſetur.* II,2,4,4. *lib. de volucre aëreâ.* II,2*,44,5.
Meifarti *mellificium Oratorium improbatur* I,3,7,28. I,6,1,26.
Meiſneri (*Joh.*) *liber de perſecutionibus & martyriis veteris Eccleſiæ, aliaq; ſcripta laudantur.* III,5,1,29.
Mel *producitur à rore* II,2*,27,6. *optimum quodnam.* ib. *ab apibus tantum colligitur.* ibid.
Melanchton *adverſus impudentes Creſollii Jeſuitæ calumnias defenditur.* I,1,1,21. *erat ſuo tempore communis Germaniæ Præceptor.* I,1,16,51. *de omnibus per Germaniam ſcholis bene meritus* I,2,2,12. I,1,1,21.
Melanchtonianæ *Criſes de eligendis optimis quibuscunq; autoribus* I,1,16,51. I,1,19,34.
Melanchtonis *Epiſtolæ recenſentur* I,1,23,52

LL. CC. Theologici ſub ficto nomine in Italia prodiere. III,5,1,17.
Orationes laudantur. I,6,3,3.
Stylus. ibid. n. 53. I,1,19,6.& 33. III,2,1,9.
Verſio Pindari. I,7,2,10.
Vita à Joach. Camerario deſcripta. I,1,19,6.&34.
Meliſſi (*Pauli*) *Odæ.* I,7,3,10.
Melſen (*Joh. de*) *Phyſicam divinam ſcripſit.* II,2,3,9.
ex Membrorum *configuratione & proportione Phyſiognomiæ auctores quinam ſcripſerint.* II,3,1,4.
trepidatione divinarunt veteres II,3,1,5.
les Memoires *Gallicorum Scriptorum* I,3,13, 25. *à Dionyſio Medico ſcriptæ.* I,1,16,9. II,2,1,16.
Memoria *artificialis propago eſt artis Lullianæ.* I,2,4,11.
naturalis exercitatione quotidiana juvari poteſt. I,2,6,97. *non per imagines ſolum, ſed & per characteres, literas, verba & alia artificia juvatur.* I,2,6,70. ſeqq. *quo invento ſe jactat Winckelmannus* ibid. §. 73. *ſine judicio eſt mutila & manca.* I,2,4,3. ſeq.
portentoſa Mazonii fuit. II,1,11,19
Robortellum deſtituit. I,6,1,11.
ſubminiſtrat judicio materiam, quã ſubigat, diſpenſet, ordinet. I,2,6, 1. *eſt vel naturalis vel artificialis.* ibid. §. 6.
Memoriæ *artificialis Exempla memorabilia recenſentur.* I,2,4,8. ſeqq.
Natales Græcis debentur. I,2,4,6.
Principia & artem obſcuriſſimis & ænigmaticis libris oſtendit Jordanus Brunus. I,2,6,12. ſ. *quæ principia recenſentur.* ibid. §. 14. ſqq. *principia non niſi vivis Præceptoribus tradita ſunt, ne divulgarentur.* ib. §. 23. *hujus artis præcepta, qui tradiderint.* vid. Mnemonica.
Memoriæ *narrativæ maturè adſveſcendi ſunt pueri.* I,2,3,11.
Memoriam *morbo perdidit Mauſſacus.* I,4,7,5.
Memoriarum *de rebus propriis, Virorum illuſtrium & Actorum publicorum collectores.* III,2,1,9.
Menagii *Botanica commemorantur.* II,2*,40,4.
Commentarius in Diogenem. I,5,1,14.
Notæ in Malherbam laudantur. I,4,4,13.
Origines linguæ Gallicæ. I,4,4,12.
Menagius *Hiſtoriam JCtorum veterum promiſit.* III,6,3,5.
Lites cum Bailleto aluit. I,7,3,9.
Plagii inſimulatur à Bailleto I,7,1,15.
Menandri *Comœdiæ nuſpiam repertæ, minimum typis non impreſſæ.* I,7,2,9. *jacturam illarum magnificit Quintilianus.* ibid.
de Mendacii *abuſu ſcripſit Gentilis* III,1,1,11.
Mendoza (*Didacus*) *an rectè expilatæ bibliothecæ Venetæ inſimulari poſſit.* I,1,44,22. ſqq.
(*Pet. Hurt. de*) *curſum philoſophicum ſcripſit.* II,1,14,40. *ejus Diſpp. de Deo-Homine laudantur.* ibid.
Mercatorum *fraudes & adulterationes notandæ.* III,3,1,4.
de Mercatura *ſcripſerunt Niverus & Marquardus.* III,3,1,3.
Mercure *galant.* II,1,2,5.
Le Mercure *ſçavant.* I,1,16,47.
Mercurii *Ægyptiorum.* vid. Hermes.

*librarii.*I,1,16,44.I,1,18,40. *ad librorũ notitiam ſunt utiliſſimi*I,1,18,75
officinales. I,1,18,43.
Mercurius. vid. Hermes.
Mercurius *Britannicus.* III,1,1,5.
Mercurius *Chymicorum probabiliter proxima metallorum eſt materia cum ſulphure.* II,2*,35,2.
Mericutius. vid. Prato Veteri.
Merſenni *Comm. in Geneſin laudatur.* I,1,8,16.III,5,1,11.
liber de veritate ſcientiarum II,1,6,1 II,2,9,5.
libri harmonicorum. II,4,1,10.
Merulæ *liber rariſſimus de venatione laudatur.* II,2*,46,3.
Metallicorum *præſagia tempeſtatum,* II,2*,8,7.
Metallicos *homines dari certũ eſt*II,2*,2,5.
Metallographi *præcipui è Webſteri Metallographia recenſentur.* II,2*,29,4.
Metallorum *imperfectorum tranſmutatio in aurum propugnatur* II,2*,36,2.
*materia proxima non eſt aqua, aut ſal,*II,2*,35,1.*neq; argentum vivum vulgare, ſed Chymicorum Mercurius ac Sulphur*II,2*,35,2.
miſtionis ratio difficulter inveſtigari poteſt. II,2*,29,1.
productio unde fiat. II,2,16.
ſubſtantiam primam liquidam eſſe ſtatuit Steno. II,2,10,3.
Metaphora *fons eſt omnis ornatus & argutæ inventionis.* I,3,6,15. &33. *tamen cum judicio adſcribenda.* I,3,6,16.ſeqq.
Metaphoræ *ætatis aureæ autorum præprimis commendantur.* ib.§.19.ſq.
Poëticæ plerumque peculiares ſunt à ſolutis. I,3,10,3.
Metaphorarum *poëticarũ Lexicon aliquod diligenter colligendum.* I,3,10,3.ſeqq.*id quod multis autoritatibus probatur.* I,3,10,6.ſeqq.
ejus Lexici idea proponitur una cum indice. I,3,11,1.ſqq.
Metaphyſica *à Campanella ad mentem veterum inſtituta.* I,1,11,2.
moderna è Stahlio & Muſæo addiſcenda. II,5,1,8.
à Scholaſticis exculta & ineptis ſubtilitatibus corrupta. II,5,1,1.
ſecretior Judæorum Scriptorum. I,1,6,8.
Veterum. I,1,10,4. *erat Theologia naturalis.* II,5,1,7. III,5,1,2.
Metaphyſicæ *cognatio cum Logica*II,5,1,7.
Reformatores Carteſius & Fabri. II,5,1,8.
ſtudium oeconomo commendatur. III,3,1,5.
ſubtilitas moderna perplexa eſt & inutilis. II,5,1,8.
Μετεμψύχωσις *ab Ægyptiis & Indis credita.*II,1,2,7.II,2,5,6.II,2,6,6.*in ejus fontes, ſenſum & veritatem inquiritur.* II,1,2,7. *de eadem ſcripſit Rhodius.* II,2,6,6.
Meteora *emphatica enumerantur.* II,2*,25,1.ſqq.
de Meteoris *in genere, præcipue igneis, Scriptores recenſentur.* II,2*,24,7.
*de his judicia ferũtur*II,2*,27,12
Meteororum *aëreorum origo eſt a Sole & ignibus ſubterraneis*II,2*,23,2.
ad illorum tractationem foſſilium & Chymiæ cognitio eſt neceſſaria. ibid.
Igneorum origo è terræ exhalitionibus accenſis. II,2*,24,1.

Nomen perperam terræ motibus tribuitur. II,2*,23,1.
Methodi *ænigmaticæ finis & ſcopus* I,2,7,63.
de Methodiſtis *judicium Martini Schockii.* I,2,7,99.
Methodo *experimenta indagandi inſervit ars analytica.* II,2,1,18.
de Methodo *Ariſtotelica & Mathematica judicium.* II,2,8,1.ſqq.
Scriptores. II,5,1,5.
Methodorum *doctrina continetur libris τῶν ἀναλυτικῶν Ariſtotelis* I,2,7,5. *quã illuſtrare ex Platone & Galeno annixus eſt Owenus Guntherus.* I,2,7,6.ſeq. *eam & Erhardus Weigelius in analyſi Ariſtotelica ex Euclide reſtituta egregiè monſtravit.* I,2,7,11.ſeqq. *alias varii variè eam tradiderunt.* ibid. §.23. ſeqq. *Inter quos nervoſiſſimè Tſchirnhauſius.* ibid. §.5.ſeqq.
Methodum *Ariſtotelicam corrigere auſus eſt Ramus,* I,2,7,18. *quem refutavit Everh. Digbæus.* ibid. §.21.
Verulamius quomodo partitus ſit. II,2,1,9.
Methodus *Cabaliſtica.* Vid. Cabala.
Carteſii nova Ariſtotelicis præceptis continetur. I,2,7,22.
Chinenſium. Vid. Chinenſes.
Didactica Beccheri. vid. Didactica.
Eclectica in Phyſicis commendatur. II,2,19,1.
Mathematica. vid. Mathematica.
Mechanica, practica & gnoſtica à Becchero promiſſa, non autem prodiit in lucem. I,2,4,37.&42.
Nova latinam linguam docendi. vid. Latina.
Pythagorica per numeros. vid. Numeri.
Veterum vel acroamatica ſ. ænigmatica vel exotica I,2,7,48.ſ.I,2,7,102
Univerſalis omnium ſcientiarum an detur. I,2,7,68.ſqq. I,2,7,101.
Methodus *quid ſit.* I,2,7,2.ſqq. *ipſa diſcendi θεῖον quid declarat.* I,1,12,2.
Metochitæ *Theodori Paraphraſis in Ariſtotelis Phyſicam.* II,1,9,10.
Metopoſcopiæ *antiquitas.* II,3,1,5.
Scriptores. ibid.
in Metro, *errores magnorum Virorum à Barthio aliisq; notati.* I,7,1,16.
Metrodorus *unum mundum dari abſurdum ſtatuebat.* II,2*,11,5.
Mevii *Comment. in Jus Lubecenſe laudatur.* III,6,10,3.
Jurisprudentia gentium affectã. III,6,1,6.
Jurisprudentiæ gentium prodromus poſt obitum prodiit. ibid.
Meuriſſe (*Mart.*) *Bibliotheca Attica & Græca ineditæ deſiderantur.* I,4,6,17
Libri tres rerum Metaphyſicarum. II,2,14,16.
Meurſii (*Joh.*) *Æſchylus, Sophocles, Euripides.* I,7,1,10.
Arboretum. II,2*,40,4.
Denarius Pythagoricus. II,1,2,4.
Exercitationes Criticæ. I,5,1,13.
Græciæ ludibundæ. I,5,2,12.
Orcheſtra. ibid.
Micrælii *Arithmetica.* II,4,1,5.
Lexicon Hiſtoricum. III,4,1,4.
Microſcopicæ *obſervationes, tum aliorum, tum inprimis Hookii, laudantur* II,2*,3,5. II,4,1,9.
Microſcopiorum *inventor fuit Fontanã.* II,2*,3,5. II,4,1,9.
Militari *de ſtudio elegans ſyntagma edidit Gabriel*

Gabriel Naudæus. I,2,8,48.
Militaris *hiſtoria.* vid. Hiſtoria.
ſcientia an jurisprudentiæ ſit præferenda. I,3,9,11.&13.
Militiæ *navalis Scriptores.* I,5,2,10.
Romanæ aliarumq; gentium ſcriptores. I,5,2,10.
Miltonus *Salmaſio ſoloeciſmos & barbariſmos objicit, ipſe ſæpe σόλοικος & barbarus.* I,2,24,81. *ſcripſit poëmata Anglica ſine rythmis* ib. §. 82. I,7,3,17.
Mineralia *quænam ſint & cur ita dicantur, exponitur.* II,2*,37,1.
Mineralium *Excerpta ſ. collectanea.* I,3,13,43. ſeqq.
Hiſtoriam multi, quos inter Germani commendantur, deſcripſerunt II,2*,29,3. ſeq.
Gradus ſunt diverſi. ibid. §. 2.
Matrix eſt terra. II,2*,30,1.
Miſtio difficulter inveſtigari poteſt. II,2*,29,1.
Prærogativa præ aliis corporibus adſtruitur. ibid. §. 2.
Scriptores à Webſtero in tres claſſes diſtributi, recenſentur. ibid. §.4.
de Mingkii *Imaginibus Logico-Mnemonicis ſequius judicatur.* II,5,1,6.
de Miniſtris *Principum Silhonius & Seckendorff ſcripſerunt.* III,2,1,17.
Minutii (*Felicis*) *Dialogum per errorem cum octavo Arnobii libro prodiiſſe animadvertit Franc. Balduinus.* I,4,14,9.
Minutius (*Felix*) *Dialogum de vanitate Idololatriæ & veritate Religionis Chriſtianæ ſcripſit.* ibid. *a variis illuſtratus & editus.* ibid.
Miracula *Apollonij Thyanæi recenſ.* II,1,2,5.
Miræi *liber de ſtatu univerſi Chriſtiani orbis laudatur.* III,4,1,13.
Mirandulanorum *Comitum Joh. Pici & Joh. Franc. Pici Opera commemorantur.* II,1,7,16.
Miſtio *mineralium & metallorum difficulter inveſtigari poteſt.* II,2*,29,1.
de Miſtione *Ariſtotelis maximæ ſunt tricæ, veterum autem doctrina ſanior.* II,2*,13,7.
Miſtionem *particularum non prohibet corporum impenetrabilitas.* II,2*,3,7. *ad eam requiruntur humidum & ſiccum.* II,2*,13,6.
Miſtionis *Chymicæ cum naturali collatio inſtituitur.* II,2*,13,7.
Scrutinium maxime eſt neceſſarium. II,2*,13,7.
Variæ ſpecies & diviſiones adducuntur. ibid. §.8.
Mithridates *Geſneri recenſetur.* I,4,3,9.
Mixtorum *elementa prima ſunt terra & aqua.* II,2*,13,1.
principia per analyſin illorum & experientiam ſunt indaganda. II,2,19,6.
ad Mixtorum *naturam indagandam utilis atomorum doctrina.* II,2,19,5. *quidnam præterea requiratur* ibid.
Mizaldus *Aëromantiam ſcripſit.* II,2*,19,9 II,2*,18,7. *it. lib. de ſecretis hortorum* II,2*,42,1. *it. Secret de la Lune & Planetologiam* II,2*,12,9.
Mnemonica *ars Oratori Eccleſiaſtico & Civili vehementer prodeſt.* I,2,6,69. *optima eſt, cum in rem præſentem veniunt diſcipuli.* I,2,4,39. vid. Memoria. *In diſciplinis philoſophicis, in quibus ex connexis princi-*

plis omnia deducuntur, ſupervacanea eſt. I,2,6,47.ſqq. *ſecus in iis quæ in hiſtoria & facto conſiſtunt.* I,2,6,50.& 96.
qua in re conſiſtat. I,2,6,44.ſeqq.
Mnemonica *artificia in linguis utiliter adhibentur.* I,2,6,62.ſeqq.
ſubſidia in Theologica, Juridica, Medica Facultate qui tradiderint. I,2,6,51.ſeqq.
de Mnemonica *arte quinam aliqua commentati ſint.* I,2,6,24. ſeqq.
Mnemonicæ *artis eventus plerumq; fallax eſt.* I,2,6,92.ſq.
inventor Simonides. I,7,2,12.
Mnemonicam *artem haud probant Jac. Lectius & Berneggerus.* I,2,6,98.
Præceptis qui illuſtrarint. I,2,6,33.ſ.&45.
Mocenici *liber de tranſitu hominis ad Deum laudatur.* III,5,1,3.
Modii (*Fr.*) *Pandectæ triumphales* I,5,2,15.
Moleſtus *alteri nec verbis nec factis eſto.* I,1,15,31.ſeqq.
Molina (*Ludov.*) *de juſtitia & jure commentatus eſt.* II,1,14,58.
Molinæi (*Car.*) *Conſvetudines Pariſienſes.* III,6,7,15.
(*Ludov.*) *Nova detectio myſterii iniquitatis.* III,5,1,26.
(*Pet.*) *lib. de pace animæ & reliqua ejus Scripta Aſcetica laudantur.* I,6,4,17.
tr. de novitate Papiſmi. III,5,1,25.
Molinetti *Hiſtoria de fatis literarum Romanarum.* I,4,1,16. I,4,2,6.
Monconyſii *itineraria recenſentur* II,2,2,7. II,4,1,13.
Monkii *Ducis hiſtoria laudatur.* II,2,1,9.
Monlorii (*Joh. Bapt.*) *ſcripta enumerantur* II,1,14,66.
Monoſinii *Flores Italicæ linguæ laudantur.* I,1,21,97.
Monſtra *humana.* II,2*,2,5.
de Monſtris *in Phyſica ſpeciali agendum.* II,2*,2,3.
Scriptores recenſentur. II,2*,2,4.
Monſtrorum *cauſæ.* II,2*,2,3.
Doctrinæ magna utilitas. ibid.
de præſagiis judicium & commentatores adducuntur. II,2*,2,4.
Montalbani *famæ poſthumæ.* I,7,1,8.
Montani *Diſſertt. laudat Mareſius, contemnit Malebranche.* I,1,22,17.
Montanus (*Pet.*) *accurato libro belgico de arte pronunciationis ſcripſit* I,2,3,31. *recenſetur & laudatur* I,4,1,5.
Montecatini (*Ant.*) *Comm. in Ariſtotelem recenſentur.* II,1,11,10.
Montes *ignivomi.* II,2*,26,1.
de Montium *incendiis ſcripſerunt Hygius aliique.* II,2*,26,1.
Monzambani *Exercitationes.* III,6,9,5.
Morailluillier (*Lud. de*) *Examen Philoſophiæ Platonicæ ſcripſit,* II,1,7,2.
Moralia *argumenta quinam ſcripſerint.* III,1,1,11.
Excerpta. I,3,13,14.ſeqq.
in Moralibus *& civilibus, licet ab hominum arbitrio dependeant, divinus tamen ordo agnoſcendus eſt.* I,1,12,29.ſeqq.
Moralis *Philoſophia.* vid. Philoſophia.
Moralium *Scriptorum lectio commendatur* III,1,1,11.
Inter hos Ariſtoteles primatum tenet III,1,1,2.
Morbecæ (*Guil. de*) *liber de arte Geomantica ineditus.* II,3,1,13.
Morborum *Curationes.* vid. Curatio.
Morbos *ridiculè dividit Fluddius.* II,2,15,5.

Morellius

Morellius *Operum Libanii aſſiduus fuit translator.* I,6,2,19.
Morem *ita geras, ut homo eſt.* I,1,15,33.ſq.
Mores *hominum.* vid. Characteres.
Moretus (*Theod.*) *cauſam fluxus & refluxus maris lunæ vim magneticam facit.* II,2*,20,30.
Mori (*Alexandri*) *Oratio panegyrica ſuper Venetorum de Turcis victoria.* I,6,3,6.
Poëmata laudantur. I,7,3,8.
(*Henr.*) *Antidotum adverſus atheiſmum.* III,5,1,9.
Cabala literalis, phyſica & moralis. II,2,3,7. III,5,1,16.
Enchiridon Ethicum. III,1,1,3.
Metaphyſicæ, de quo judicium fertur. II,5,1,8.
Materia prima ſpiritualis ex atomis conflata, exploditur. II,2,12,9.
Morini *Aſtronomiæ Gallicæ brevis recenſus exhibetur.* II,2*,12,9.
Morinus *Aſtrologiam contra Gaſſendum defendit.* II,3,1,10.
Moriſani (*Bernh.*) *Apoteleſma in Ariſtotelis Logicam, Ethicam & Phyſicam recenſetur.* II,1,14,32.
Moriſotti (*Claudii*) *carmina & epiſtolæ trita & lutulenta.* I,1,24,15.
Orbis maritimus jejune ſatis eſt ſcriptus. ibid.
Mormii (*Pet.*) *arcana majora ſunt motus perpetuus, ars tranſmutatoria, medicina univerſalis.* I,1,13,35.ſqq. *mathematica.* I,1,13,45. ſqq. *minora recenſentur.* I,1,13,44. *plurima detecta è Collegio Roſiano.* I,1,13,35.ſqq.
Mornæi *liber de Veritate Religionis Chriſtianæ laudatur.* III,5,1,7.
de Morte *in undis ſcripſit Thomaſius.* II,2,8,4.
de Mortis *contemtu poëma Dan. Heinſii commendatur.* II,1,7,21.
Morum *Divinatio è ſignis externis Politico utiliſſima.* II,3,1,3. *Scriptores de ea.* ibid.
humanorum cognitio. vid. Charaſteriſmus.
Morus (*Henr.*) *in Enchiridio ſuo Metaphyſico Carteſio contrariatur* II,2,17,7 *it. in epiſtola de philoſophia Carteſiana.* ibid. §. 9.
Errores Carteſii ad tria capita reduxit. II,1,15,7.
Magiæ dæmoniacæ exiſtentiam negantes refutat. II,3,1,15.
Moſen ad mentem Carteſii explicat. II,2,3,4. II,2,11,10, II,2*,47,6.
Philoſophiam Platonicam aliquot ſuis libris immiſcuit. II,2,11,11.
Præexiſtentiam animarum defendit integro libro de immortalitate animæ. II,1,7,19.
Vacuum in naturam ſpiritualem transformat. II,2,7,9.
Moſaicos *ante libros an alii libri extiterint* I,1,6,23.ſqq.
Moſchi, *Bucolici Poëtæ, carmina à variis edita.* I,7,2,15.
Moſcovitarum *religio, Græca religione eſt corruptior.* III,5,1,23. *diſcenda ex itinerariis.* ibid.
Moſcoviticum *itinerarium.* III,5,1,23.
Moſis *convenientiam cum doctrina Platonis impugnavit Parkerus ſed in caſſum.* II,2,11,8.
Narrationes phyſicas Carteſianas applicarunt principiis Amerpol & alii. II,2,3,4.

Nomen Ericus ridicule deducit ἀπὸ τοῦ μόχου. I,4,3,5.
de Motibus *particularum inteſtinis in ſolidis quieſcentibus agit Boylius.* II,2*,6,8.
de Motu *Borelli, Nulandi aliorumq; ſcripta.* II,2*,6,6.
Intricatiſſime philoſophatur Ariſtoteles, Carteſius a. & aſſeclæ diſtinctius. II,2*,6,2. *de quorū doctrina cenſura habetur.* II,2*,6,3.
Qui nā ſcripſerint II,1,15,10.&13.
Sententia Stoicorum. II,2,8,2.
Motus *perpetuus à Roſio inventus.* I,1,13,38.ſq.
Motus *qualitas non tantum externa, ſed etiam interna.* II,2*,7,1.
Subdiviſiones variæ. II,2*,6,4.
ex Motus *doctrina æternitatem mundi demonſtrare voluit Ariſtoteles, qui refutatur.* II,2*,11,3.
Phœnomena naturalia fere omnia deducunt recentiores. II,2*,6,1. *Ex illa non poſſunt explicari.* II,2*,6,7.
de Mucii (*Franciſci*) *diſſert. cenſura* II,1,8,4.
Mulieres *eruditæ.* Vid. Fœminæ.
Mülleri (*Andr.*) *inventum Brandeburgicum* I,4,3,2.
Sinica clavis magno promiſſa ſtrepitu in fumum abiit. I,4,2,5. I,4,3,2.
Müllerus (*Sebald.*) *de fraudibus piſtorum ſcripſit.* II,2,1,6.
Mundi *acceptio triplex notatur.* II,2*,11,2.
Æternitas à Philoſophis ethnicis & hæreticis quibusdam credita. ib. §. 3.
Conflagratio à Stoicis credita II,2,8,1.
Diviſiones ſupervacaneæ. II,2*,11,9.
Infinitas rejicitur. II,2*,3,4.
de Mundi *anima doctrina certis regulis rejicitur & defenditur.* II,2,11,7.
Æternitate ſcripſit Taurellus II,1,11,26
Fabrica, doctrina parum exculta, & humano ingenio vix comprehenſibilis. II,2,1,24.
Interitu mens Stoicorum. II,2,8,3. II,2*,5,2.
Materiæ & Dei coæternitate variæ variarum ſententiæ una cum judicio de ſingulis. II,2*,11,4.
Origine & conformatione Scriptores commendantur. II,2*,11,7.
Sphæra librum edidit Petrus de Aliaco. II,1,13,7.
de Mundo *ſcripſit Taurellus.* II,1,11,26. *ſententia Stoicorum proponitur* II,2,8,2. *in Phyſica ſpeciali agendum.* II,2*,11,1.
Mundorum *pluralitas & infinitas ab Epicuro propugnata futilibus argumentis impugnatur ab Ariſtotele.* II,2*,11,5.
Et ſolium multitudinis aſſertores recenſentur. II,2,15,1. II,2*,3,4.
Mundos *quinq; ſtatuunt Platonici* II,2,11,6
Murciæ (*Franc.*) *curſus Philoſophicus recenſetur.* II,1,14,29.
Mureti *Comm. in leg. de origine juris.* III,6,4,4.
Impoſturæ literariæ. I,6,3,1. I,4,11,3.
Stylus elegantiſſimus. I,1,23,60.ſq.
Muretus *αὐτοδίδακτος in arte oratoria.* I,1,1,14.
Orator fuit exquiſitiſſimus. I,6,3,1.
Ut numeri ac periodorū ſingularis artifex celebratur. I,1,23,61. II,6,3,1.
de Muribus *ſcripſit Bartholinus.* II,2*,46,2.
Muſæa *Græcorum.* I,1,14,4.
vocantur hodie quibus naturæ rariora collecta cuſtodiuntur I,1,6,11.

Muſæi

Muſæi(*Joh.*) *Loci Theologici MSti* III,5,1,17
(Pet.) *Theologia Naturalis MSta.* III,5,1,6.
de Muſæis *naturalibus opus affectum Majoris commemoratur.* II,2,1,12.
Muſæo *Alexandrino recepti multo honore afficiebantur.* I,1,14,7. *& hi dicebantur Alexandrini, etiamſi alia gente oriundi.* ibid. §.8.
Muſæorum *naturalium Collectores ſæpe peccant.* II,2,1,11.
Hiſtoriæ maxima eſt utilitas II,2,1,11.
Hiſtoriam univerſalem conſcribendi conſilium. II,2,1,12.
Muſæum *Alexandrinum floruit jam tempore Philadelphi.* I,1,14,6.ſqq.
Scomma in illud apud Athæneum. I,1,14,8.
Græciæ dicebatur Athenæ. I,1,14,4.
Muſæus *& Orpheus quinam fuerint.* I,7,2,4. *In Anglicam linguam translatus.* ibid.
Muſcæ *oculi anatomen ſcripſit Hodierna.* II,2*,45,5.
de Muſculis *agit Steno.* II,2*,47,3.
Muſica θεῖον *quid continere oſtenditur.* I,1,12,14.
Muſica *Inſtrumenta.* Vid. Inſtrumenta.
Muſicæ *vis & efficacia.* II,1,2,6.
Muſſi (*Corn.*) *Elogium.* I,6,4,6.
Homiliæ lingua Italica ſcripta laudantur. ibid.
Muti *& ſurdi à natura arte quadam ad loquendum inſtitui poſſunt.* I,2,3,13.ſqq. *quæ ars à Paulo Boneto aliisq; deſcripta.* I,2,3,21.ſqq. II,2,11,14. *contra Ariſtotelem & Scaligerum defenditur* I,2,3,34.
Experimenta traduntur I,2,3,17.ſqq.
an ars iſta recens, inquiritur I,2,3,16.ſeqq.
Mylii(*Abrah.*) *liber de communitate linguæ Belgicæ cum aliis linguis* I,4,3,4.
Migratione populorum & origine animalium. ibid.
Mylæi(*Chriſtoph.*) *libb. de ſcribenda univerſitatis rerum hiſtoria.* I,1,2,4.
Methodus minus generalis eſt ac confuſa. ibid.
Myſticæ *Theologiæ cum arcaniori ſcientia naturali conſenſus à multis ſtatuitur.* I,1,11,43.ſq.
Myſtici *libri Chriſtianorum.* I,1,10,24.ſqq.
non temere omnes rejiciendi. I,1,10,2.ſq.
qui dicuntur. I,1,10,1.
ſunt vel theoſophici, prophetici vel magici. I,1,10,4.
variis judiciis ſubjacent I,1,10,1.ſ.
Mythologia *gentilium mera arcana chymica continet.* I,1,11,17.
Mythologiæ *Poëticæ Scriptores recenſentur.* I,7,1,17.

N.

de NÆvii *Syſtemate judicium fertur.* III,6,8,1.
Nancelii(*Joh.*) *Stylus in Declamationibus.* I,6,3,5.
de Natali *anniverſario gratulatio* I,3,12,25
Poëtica gratulatio. I,3,12,21.
primo gratulatio. I,3,12,24.
Natalis *Comitis Mythologia.* I,7,1,17.
de Natalitiis *& Die natali quinam ſcripſerint.* I,5,2,8.
Natatoriæ *artis Scriptores.* II,2*,22,3. II,4,1,16.
Natura *tota præſentem Dei manum ſentit, contra Atheos.* I,1,12,16. *etiam in minimo inſecto.* I,1,12,17.ſqq.
Naturæ *& artis theatrum utiliter inſtitui poſſet.* I,2,4,40. *præſertim in academiis*

demiis & Principum impenſis. I,2,4,41. *quid contineat.* I,2,4,39.
in ſcrutinio quot modis peccetur. II,2,1,1.
principia varii varia conſtituerunt II,2,10,4.
principiorum fabricatores &c. vid. Principiorum.
Naturalis Hiſtoria *à Bacone Verulamio in duas partes dividitur.* II,2,1,1. ſqq. &23.
ex inductiva & narrativa mixta commendatur. II,2,1,7.
quomodo ſit inſtituenda. II,2,1,1.ſqq.
Naturalis Hiſtoriæ *Scriptores multa falſa narrant atq; incerta, ideoq; tyronibus non legendi.* II,2,2,1.
Scriptores recenſentur II,2,2,2.ſqq.
Naturaliſmus *& Atheiſmus à Bodino & aliis propugnatus.* I,1,8,9.ſqq.
Naturaliſtæ *præcipui eorumq; adverſarii recenſentur.* III,5,1,8.
Naturalium *in rerum cognitione credulitate potius, quam nimia incredulitate peccandum.* I,1,10,3.
perfecta notitia nunquam ſperanda II,2,18,4.
Navalis *Hiſtoria.* vid. Hiſtoria.
Naudæi *Addition à l'Hiſtoire de Louis XI.* I,1,16,78.
apologia pro viris eruditis, magiæ ſuſpectis, commendatur II,3,1,18
bibliographia Politica laudatur. III,2,1,1.
conſiderations politiques ſur les coups d' Etat. III,2,1,15.
epiſtolæ recenſertur. I,1,24,52.
liber de bibliotheca inſtituenda Gallicè ſcriptus. I,1,2,7.&12. *qui recenſetur.* I,1,17,5.
ſyntagma de ſtudio militari laudatur. I,2,8,48. II,3,1,12. *plures alii libri.* I,1,16,79.
Naudæus *Bibliothecarius Cardinalis Mazarini & poſtmodum Reginæ Chriſtinæ fuit.* I,1,16,78. I,1,24,52.
inter Scriptores Hiſtoriæ Literariæ meritò recenſendus. I,1,16,78.
Taliſmanicas imagines impugnavit II,3,1,12.
Naugerus *in honorem Catulli, quotannis ſolenne inſtituit.* I,4,11,13.
Martialem quotannis publicè comburebat. I,4,13,11.
Navigandi *& volandi ars per aërem examinatur & rejicitur.* II,2*,4,4.
Navigium *Aëreum.* I,1,2,27.
plumbeum. II,2*,22,2.
ſubmaritimum à Pegelio excogitatum. I,1,2,27.
Nauſeæ *remedium arcanum.* II,2*,20,2.
Nautarum *præſagia tempeſtatũ* II,2*,18,7.
Nazarii *(Franciſci) elogium.* I,1,16,39.
(Joh. Pauli) Commentarii & Controverſiæ in partem primam D. Thomæ. II,1,14,24.
Nazianzenus *Gregorius.* vid. Gregorius.
Neander *(Michaël) communis Germaniæ Præceptor.* I,1,18,11.
Pandectas variornm autorum & ſcriptorum promiſit, quod Opus non eſt editum. ibid.
Neandri(~~Johannis~~)*Tabacologia* II,2*,42,4 II,2*,43,2.
(Michaëlis) Conſilium de informanda juventute. I,2,10,12.ſq.
Deſcriptio orbis terræ. I,4,4,4.
Erotemata Linguæ Hebrææ è Grammaticis commendantur I,4,5,2.
Opera varia laudantur. I,1,21,77.ſqq.

Opinio de ortu Germanicæ Linguæ è Græca, aliiq; errores. I,4,4,4.
Sylloge rerum Phyſicarum II,2,2,5.
Neapolitanorum *academiæ,* I,1,14,31.ſqq.
Nebula *deſcribitur.* II,2*,27,2.
Neldelii *Inſtitutio de uſu organi Ariſtotelici in diſciplinis omnibus* II,1,11,28
de Nepenthe *Homeri ſcripſit Laſena.* II,2*,43,3.
Nepos Cornelius *vulgò Æmilius Probus dicitur.* I,4,11,10.
Nepotis Cornel. *libri plurimi perierunt.* I,4,11,10.
variæ editiones, quas inter optima eſt Boſii. I,4,11,10.
Nepoti Cornelio *perperam olim adſcripta eſt Iſcani Hiſtoria Belli Trojani.* I,4,11,10
Nepperi *computandi modus per bacillos improbatur.* II,4,1,5,
Neri (*Antonii*) *de arte Vitriaria liber.* II,2*,34,2.
Neühuſii *Orationes cur legendæ.* I,6,3,5.
Poëmata. I,7,3,17.
Nicandri *elogia & ſcripta, Theriaca ſc. & Alexipharmaca, horumq; editiones variæ.* I,7,2,19.
cum Nicandro *Colophonio male confunditur Nicander, Mathematicus.* I,7,2,20.
Nicomachi *Arithmetica ex ſenſu Pythagoræorum.* II,1,2,4.
Nienhoſii *Itinerarium Chinenſe penè totum ex aliis autoribus eſt congeſtum.* I,1,24,123.
Nierenbergii *Hiſtoria Naturalis.* II,2,2,5.
Scripta & Vita recenſentur. I,6,4,12.
de Nigroni (*Julii*) *Orationibus Judicium fertur.* I,6,3,2.
de Nili *fœcunditate commentum Rabbinorum recenſetur & illuſtratur.* II,2,10,1.II,2*,27,4.
Inundationis cauſa. II,2*,20,5.
Origine ſcripſerunt Wagenſeilius, Wendelinus, & alii. II,2*,20,9.
Niphi (*Auguſtini*) *Comm. in Ariſtotelem recenſentur.* II,1,11,3.
Nirmuthani (*Chriſtiani*) *Dictionarium Harmonicum.* I,4,3,8.
Nitri *duæ ſunt ſpecies.* II,2*,38,2.
uſu vitam poſſe propagari ſtatuit Baconus. II,2*,38,3.
de Nitro *ſcripſerunt Clarckius & Mayovius.* II,2*,38,1.ſq.
ex Nitro *conficitur pulvis pyrius* II,2*,38,3.
Nitrum *habet vim terram fœcundandi.* II,2*,38,1.
Juxta Mayovium conſiſtit è ſale acido, maximè igneo, & Alcali. II,2*,38,2.
plantas, arbores, frugesq; fertiliores reddit. II,2*,41,1.
Nivis *albedinem negat Vogtius.* II,2*,15,3. II,2*,27,9.
figuram deſcripſerunt Bartholinus & Hookius. II,2*,27,9.
uſum medicum monſtravit Bartholinus. ibid.
Nix *agros fœcundat.* II,2*,27,9.
unde & quomodo formetur. ibid.
Nizolii *liber de veris principiis & verâ ratione philoſophandi contra Pſeudo-Philoſophos.* II,1,13,13.
lis cum Majoragio. I,1,25,26. *de hac epiſtola reprehenſoria ad Majoragium hujusque libri duo reprehenſionum adverſus Nizolium.* I,1,25,26. ſeq. I,4,11,7. *illa à Sebaſtiano Corrado compoſita.* I,1,25,26. *illius occaſione multa adverſus ipſam veritatis rationem*

tionem diſputavit Nizolius I,2,7,16 II,1,13,13.
novaturiendi in Philoſophia libido, hoſtilisq́ in Ariſtotelem animus notatur. II,1,13,13.
obſervationes in Ciceronem ſ. Theſaurus Ciceronianus. I,4,9,12.
Noachi *libros adhuc extare contendit Poſtellus.* I,1,6,18. & 23.
à Nuru, Sybillina Carmina deducit Poſtellus. I,1,10,18.
Noachus *in Italiam perveniſſe, & ſacros ritus inſtauraſſe traditur.* I,1,10,15.
Noctuæ *unde noctu videant.* II,2*,14,6.
Nomenclatorum *Scriptores recenſentur.* I,4,9,6.
Nomeſſei (*Nic.*) *Parnaſſus Poëticus.* I,7,1,19.
Nomina & *Verba ipſa divinum quid continent.* I,1,12,6.
ridicula quorundam Collegiorum. vid. Collegia.
de Nominibus *propriis Germanorum libellus Lutheri ſæpè recuſus.* vid. Lutherus.
Nominis *certi Scriptores à quibusdam collecti.* I,1,18,57.
Nominum *commutatio incongrua multum turbat.* I,1,9,26.
Nomothetica *à Politicis eſt neglecta.* III,2,1,16. *ejus Scriptores.* ibid.
Nonni *Dionyſiaca.* I,7,2,27.
Paraphraſis Evangelii Johannei, ejusq́ editiones præcipuæ. ibid.
Noodtii *Probabilia laudantur.* III,6,8,4.
Nores (*Jaſonis de,*) ſ. Noreſii
elogium, I,7,1,9.
liber: Trattato in torno, à quei principii, cauſe & accreſcimenti, che la Comedia &c. I,7,1,9.
lites cum Jo. Bapt. Guarino, ibid.
Noſtradami *vaticinia de Galliæ & ceterorum regnorum fatis.* I,1,10,32. ſ.
Vaticinia ſub forma tetraſtichorum ſunt edita, I,1,10,32 *integra tamen iſta tetraſticha non extant* I,1,10,33
Vaticinium de Calvinianiſmi extirpatione in Gallia proximis annis impletum, I,1,10,35.
Vaticinium de Incendio Londinenſi, & Caroli I. Regis ſupplicio. I,1,10,32.
Noſtradamus *ab Anonymo quodam Gallo integro libello apologetico defenditur.* I,1,10,33.
Gallorum Propheta & Poëta. I,1,10,32.
ſpeculis aſtrologicis ad prædictiones uſus eſſe dicitur. I,1,10,34.
variis variorum judiciis expoſitus eſt. I,1,10,33.
Notarii *Latinis quinam fuerint.* I,4,2,3.
Notatoria *ars apud Romanos in uſu fuit.* I,2,6,82. I,4,2,3.
apud Sinenſes viget. I,2,6,81.
quid ſit. ibid.
Notariæ ſ. Notatoriæ *artis inventores.* I,4,2,3.
Scriptores. ibid.
Notæ *M. Tullii Tyronis à Grutero ſunt editæ.* I,4,2,4.
Mathematicæ, Aſtronomicæ, Chymicæ, &c. ibid.
ſibi ſunt conſtituendæ. ibid.
Notis *Tullii & Cypriani exaratum Pſalterium Argentorati ſervatur.* I,4,2,4.
Notitia *ſui ipſius.* vid. Ingenium.
Nova *ſeculi noſtri inventa.* vid. Inventa.
Novarini (*Aloyſii*) *Scripta elegantia.* I,1,21,95. I,6,4,12.
Novatores *Ethici.* III,1,1,4.
Itali in arte Rhetorica. I,6,1,18.
in Logica ſunt Carteſiani. II,5,1,3.
in

in Philoſophia. II,1,15,2.ſqq.
Politici. III,2,1,4.
de Novatoribus *Philoſophicis judicium generale.* II,1,12,7. II,1,15,1.
Novellæ *authenticæ perperam Irnerio tribuuntur.* III,6,4,8. *earum Verſiones.* III,6,4,10.
Græcè ſcriptæ, ab Haleandro editæ. III,6,4,8.
Novellarum *interpretes recenſentur.* III,6,7,12.
ad Lectionem lingua Græca neceſſaria. ibid.
de Novo *anno gratulationes poëticæ.* I,3,12,19.ſqq. & 26.
Novus *orbis ex noſtri orbis partibus propagatus videtur.* I,1,5,25.
in Nubibus *ſpeculandis mirè ingenioſus & verboſus eſt Aquilinus Coppinus.* I,1,24,73.
Nubium *natura & phœnomena.* II,2*,27,1.
Nugas *meras in diſciplinis & ſtudiis quidam ſectantur.* I,1,15,14.
Numenii *Scripta philoſophica.* II,1,7,8.
Numeri *ſeptenarii virtutes.* I,1,12,20.ſq.
Numeris *multas occultas doctrinas complexus eſt Pythagoras.* I,2,7,49.
Numerorum doctrina *divina meritò vocanda.* I,1,12,19.
à Meurſio & Bungo illuſtrata. II,1,2,4.
à Pythagora inprimis culta. I,1,12,19.
Pythagorica, ad Platonicos propagata, γενικῶς exponitur. II,2,6,5. II,2,18,4.
à Theodoto Oſio reſtaurata. I,2,7,50.
per Numeros *Magia exerceri ſolet* II,3,1,14
philoſophandi ratio Chinenſibus cum Pythagoreis communis. I,2,7,51. II,2,5,3. *ejus origo, & de eadem judicium.* II,2,5,4. *eam Ægyptiis debuit Pythagoras.* II,2,6,4.
Nummariæ *rei Scriptorum, inprimis Ezech. Spanhemii, encomium.* I,5,2,2.
Nummorum *Gazophylacia bibliothecis addi ſolita.* I,1,6,11.
uſus in Legibus explicandis. III,6,3,7.
de Nundinis *Romanorum ſcripſit Puteanus.* I,5,2,6.
Nunneſii *Collectio epithetorum è Cicerone.* I,6,1,23.
lib. de curriculo Philoſophiæ Peripateticæ, nec non Oratio de cauſis obſcuritatis Ariſtot. &c. II,1,11,29.
de Studio Philoſophico liber II,1,8,1. II,2,12,1.
Nunneſius *omnium Hiſpanorum optimus fuit Rhetor.* I,6,1,23.
Nuptias *earumq; ritus quinam deſcripſerint* I,5,2,8. *in illas carmina gratulatorir.* I,3,12,29.ſqq.
Nutu *& digitis loquendi ars.* I,4,1,7. vid. Digitus.
Nyland (*Franc. Wilhelmus Baro de*) *Phyſica elementa ſcripſit.* II,1,15,10. & 12. II,2,17,7. II,2*,1,6.

O.

OBrechti *Secreta Politica, & liber* von Anſtellungen guter Policey *&c. laudantur.* III,2,1,20.
Obſcœni *libri inter damnatos meritò referuntur.* I,1,8,28.
inter Obſcœnos *boni autores non ſtatim numerandi.* I,1,8,32.
Obſequii *comitas in converſatione & amicitia paranda multum efficit.* I,1,15,35.ſq

Ob-

Obſervationes *integrarum Societatum Phyſicarum hodie extant.* II,2,2,9.
ex Obſervationibus *Locos Communes conficiendi conſilium.* III,2,1,12.
Obſervationum *Politicarum in antiquos autores Scriptores.* III,2,1,12.
Scriptores. II,2,2,8.
Obſoletarum *Vocum Collectores.* I,4,9,5.
de Obſtagii *Jure ſcripta.* III,6,11,4.
Occami *aliquot libri nominantur.* II,1,13,3.
contentiones cum Scholaſticis de Pontifice Romano. II,1,13,12.
de Oceano *ſententia Stoicorum.* II,2,8,3.
Ocelli *Lucani lib. de natura univerſi, hujusque Editores & Commentatores.* II,1,2,3. II,2*,11,7.
Ochini *vitam & mores deſcripſit Gratianus* I,1,8,4.
Oculis *humores reſtituendi artificium jactavit Burrhus.* II,2*,8,4.
de Oculis *Scriptores recenſentur.* II,2*,47,3.
Oculos *reſtituendi artificium antiquum eſt & vulgare.* II,2*,46,5.
Oculus Tauri (*nubecula*) *in inſula S. Helenæ tempeſtatis prodromus.* II,2,10,1.
Odarum *Germanicarum rhythmicarum in Latina Lingua imitatio à quo tentata & inventa.* I,7,3,13.
ad Odarum *Pindaricarum imitationem quinam ſcripſerint.* I,7,3,14.
Odore *cur plus valeant bruta quàm homines.* II,2*,48,4.
quidam terras diſtinguere potuerunt II,2*,21,8.
Odoris & Odoratus *doctrina neglecta.* II,2*,48,4.
natura exponitur. ibid.
Scriptores. ibid.
Oeconomiæ *imperantium & privatorum differentia.* III,3,1,2.
Scriptores antiqui & recentiores. ib.
Oeconomiam *imperantium illuſtraverunt Seckendorfius & Obrechtus.* III,3,1,2.
Oeconomica *doctrina negligenter tractatur, ejusq; arcana celantur* III,3,1,1.
quomodo inſtituenda. III,3,1,2.
Prudentia Regis Galliæ. III,3,1,4.
Oeconomo *Matheſeos & Phyſices ſtudium commendatur.* III,3,1,5.
Oeconomorum *fraudes & adulterationes ſunt notandæ.* III,3,1,4.
de Officiis *doctrina hactenus imperfecta, diligentius excolenda* III,1,1,11.
Scriptores. vid. Cicero.
Specialibus quinam ſcripſerint. III,1,1,8.
Offredi (*Apollinaris*) *familia & libri recenſentur.* II,1,11,5.
Olzelius *inſignis fuit plagiarius.* I,4,14,9.
ὠκυμαθείας *ars à Cornelio Agrippa propoſita an detur.* I,1,12,3.
de Oldenburgeri (*Phil. Andreæ*) *Itinerario Germanico judicium fertur.* III,2,1,11.
Oldendorpius *Actionum formulas deſcripſit* III,6,11,2.
Olympii *Nemeſiani Cynegetica.* I,4,14,6.
Olympiodori *Comm. in Phædonem Platonis de immortalitate animæ, & Comm. in Gorgiam Platonis.* II,1,7,10.
Olympiodorus, *qui in Zoſimi Scripta Chymica commentatus eſt, quis fuerit, & quo tempore vixerit* I,1,11,46. ſ.
Omphalii (*Jacobi*) *lib. de Elocutionis imitatione ac apparatu.* I,6,1,21.
Onirocritici *Scriptores.* vid. Somnia.
de Opificiis *omnibus tractatum moliebatur Thevcno-*

Thevenotius. I,1,1,7.
de Opio *quinam ſcripſerint.* II,2*,42,2.
Opinionum *variarum turbis immerſi nunquam ad rerum fundum penetrare poſſumus.* I,1,12,1.
Oppiani *Elogium.* I,7,2,24.
Halievtica, Cynegetica & Ixevtica. ibid.
Ixevtica an interierint. ibid.
Scriptorũ interpretes & editiones. ib.
Ὀψιμαθεῖς *ingeniis præcocibus haud rarò præpollent.* I,2,8,58.
Opticæ *mirabilis & propemodum divina vis eſt.* I,1,12,23.
Optici *Scriptores potiores, tum generales, tum ſpeciales.* II,4,1,9.
Orationes *Lyſiæ, Iſæi, Andocidis & Antiphontis junctim & ſeparatim editæ.* I,6,2,5.
ex obſoletis vocibꝰ concinnatæ I,4,9,5.
Orationis *copia & amplificatio in quo conſiſtat.* I,3,7,2.ſqq.
copioſæ excerpta, oratoria præcipue dicta. I,3,7,1.ſeqq.
ligatæ & ſolutæ diſcrimen. I,2,16,1.
ornatæ excerpta. I,3,6,1.ſqq.
ornatus & cultus in quo conſiſtat. I,3,6,2.ſqq.
Orator *extemporaneus Mich. Radau.* vid. Radau.
Oratores *antiqui, præcipuè Græci.* I,6,2,3.ſ.
Galliæ potiores. I,6,4,28.ſq.
Græci deperditi à Voſſio celebrati. I,6,2,1.
Hiſpaniæ potiores. I,6,4,24.
Lutherani in Germania. I,6,4,23.
Optimi intellectu bono quoque valere poſſunt, I,2,1,37.
quomodo legendi. I,7,1,15.
recentiores recenſentur I,6,3,1.ſqq.
Reformati. I,6,4,17.ſqq.
Sacri. I,6,4,1.ſqq.
Oratoria *artificia in Sacris literis, inprimis in Paulinis epiſtolis reperiuntur.* I,6,4,1.
facultate inſignes omnibus ſtudiis ſunt aptiſſimi. I,2,1,34 ſqq.
non ex Sophiſtarum palæſtris naſcitur, ſed divinũ quid habet I,1,12,9.
potiſſimum ab imaginatione pendet I,2,1,23.ſq.
praxis Lauxmin. I,6,1,18.
ſacra. I,3,13,34. *quomodo differat à Civili.* I,6,4,1.
Oratoriæ *Eccleſiaſticæ Scriptores recenſentur.* I,6,4,2.ſqq.
neceſſitas in concionibus. I,6,4,4.
Oratorum *Græcorum penuria unde?* I,6,2,13.
in cenſum non veniunt Herodotus & Thucydides. I,6,2,2.
ſacrorum cenſores. I,6,4,9.
hiſtoria Bailii. ibid.
varietas. ibid.
Orbellis (*Nicolai de*) *Compendium ſuper ſententias Scoti.* II,1,14,22.
Orbis *novus.* vid. Novus.
de Orbium *& globorum integrorum interitu quæſtio affirmativè deciditur.* II,2*,5,2.
Ordinatio *Cameralis & judicii Aulici.* III,6,9,2.
Ordinatorum *academia Romæ inſtituta.* I,1,14,22.
Origenes *Platonis ſectator fuit.* II,1,7,4.
Origenis *Commentarius ſuper Evang. Johannis MStus.* III,5,1,16.
Errores è Platoniſmo pullularunt. I,1,1,10.
Philoſophumena latitant inter MSta

volumina Holſtenii. II,1,2,2.
Originum *Antwerpianarum liber Becani.* I,4,3,4.
Gallicarum lib. Boxhornii. I,4,3,3.
Orphei *antiquiſſimæ ſapientiæ dogmata & ſcripta.* I,1,10,14.
de Philoſophia quid ſentiendum. II,2,7,3.
Philoſophiam & Theologiam Joh. Franc. Grandis integro tractatu conſcripſit. I,1,13,8.
Orpheus *& Muſæus quinam fuerint* I,7,2,4
ex Ægypto myſteria in Græciam intulit. I,1,13,6. I,1,10,14.
Orthographiæ *Scriptores.* I,4,9,1.
Oſiandri (*Jo. Ad.*) *Diſſ. de ſtella Magorum laudatur.* II,2*,24,3. *lib. contra Grotii lib. de Jure B. & P.* III,6,1,5.
Oſſa *emolliendi & in cibum convertendi artificium.* II,1,5,7.
Oſſolinskii *Orationes.* I,6,3,6.
Oſtanis *fragmentum Chymicum cujus autoris fuerit.* I,1,11,27. ſqq. *an à Chriſtiano quodam ſcriptum* I,1,11,30.
Oſtenfeldi *Laurus Würtembergica* I,6,3,6.
Oſtentatio *modeſta & decora haud reprehendenda.* I,1,15,24.
Oſtentationis *faſtuoſæ & ineptæ exempla in Jac. Clavero & Gagnolo* I,1,15,25.
Otioſorum *Academia Neapoli à Joh. Bapt. Manſo inſtituta.* I,1,14,31.
Ottfridi *Weiſſenburgenſis Evangeliorum liber rhythmo veteri deſcriptus, & à Flacio Illyrico mendoſe editus.* I,4,4,3. *ſoluta Pſalterii verſio aſſervatur in Bibliotheca Cæſarea.* ibid. *ob ſtudium ad Germanicam linguam excolendam laudatur.* ibid.
Ottius *Anabaptiſtarum annales publicavit.* III,5,1,34.
Otto (*Andr.*) *Anthropoſcopiam Compendiariam ſcripſit.* II,3,1,4.
(*Daniel*) *de jure publico.* III,6,9,3.
Oudaan (*Joachimi*) *lib.* Roomſche Mogenheit / *breviter recenſetur.* I,5,2,2.
Ovidii *Cenſores moroſi.* I,4,11,16.
Commentatores & Editores. ibid.
Elogium. I,4,11,16.
Epiſtolæ Heroidum abſolutum ſunt omnis elegantiæ Romanæ Opg I,3,10,7
Epiſtolæ poëticæ elegantia etiam cum Cicerone certant. I,2,14,26.
Imitatores. I,7,3,9.
Ovidius *à cultiſſimo ingenio in ornando carmine celebratur.* I,2,16,41.
phantaſiæ & ingenio ſæpè frena laxat, quæ Virgilius potius judicio moderatur. I,2,1,26. I,3,10,30. *quô ipſo tn. ſæpè placet.* I,3,10,30.
Oviedo (*Franc. de*) *Curſus Philoſophicus aliaq; ſcripta recenſentur.* II,1,14,46.
ex Ovis *omnia animalia, imo homines, generantur.* II,2*,45,3.
Oweni *epigrammata* I,7,3,2. *de illis memorabilia.* ibid.
libb. de Natura, ortu, progreſſu & ſtudio veræ Theologiæ. III,5,1,4.
Oxonienſis *academia Scheldoniano theatro ornata eſt.* I,1,4,16.
bibliotheca dicitur alias Bodlejana. I,1,17,29. I,1,4,15. *deſcripta eſt ab Ant. Wood.* ibid. *magnis acceſſionibus aucta & locupletata eſt.* I,1,4,15. ſqq. I,1,17,30.
bibliothecæ Catalogum geminum dedit Thomas Jameſius. I,1,17,30.
Manuſcripti Codices numero penè æquare dicuntur impreſſos. I,1,17,32.

Societas

Societas experimentalis ſtudii. I,1,14,44.
Univerſitas in duas factiones diſtincta. II,1,13,12.
Univerſitatis hiſtoria & antiquitates. vid. Wood.

P.

Pachymerius (*Georg.*) *fuit Epitomator Ariſtotelis.* II,1,9,9.
Pacii(*Julii*) *libb.in Ariſtotelem.* II,1,14,69.
Pactum *cum Dæmone.* vid. Magia.
Pædagogia *nobilium.* I,2,12,34.
regia quomodo inſtituenda. vid. Principum.
Pædagogiæ *bona præcepta ex antiquis qui tradiderint.* I,2,2,11. *è recentioribus ſuperioris ſeculi.* I,2,2,12. & 18. I,2,10,12. ſqq. vid. Sturmius. it. Scholaſtica.
novæ methodus commendatur. I,2,9,21.
ad Pædagogiam *quoq; ſpectat, defectus informationis & corruptelas ſtudiodiorum evitare.* I,2,2,23. *de quibus Lud. Vives ſcripſit.* I,2,2,34.
Παιδεία *quæ ſit Ferrario.* I,2,7,104.
Pædotrophia *Sammarthani.* I,2,1,8.
de Pænula *quinam ſcripſerint.* I,5,2,9.
Pajot (*Caroli*) *Tyrocinium eloquentiæ improbatur.* I,6,1,27.
Palafoxii *lites cum Jeſuitis.* I,6,4,27.
de ſtudiis ſingularia. ibid.
Palamedes *indicem ſcripſit in Ariſtotelis libros.* II,1,11,31.
Palearius(*Aonius*) *Imitator ſtyli Ciceroniani feliciſſimus.* I,1,23,55. I,6,3,1.
non Ciceroniani ſolum, ſed etiam Lucretiani. II,1,5,2.
Orationem in L. Muranam, Ciceroni contrariam ſcripſit. I,6,3,1.
Paliſſy(*Bernh.*) *primam gemmarum metallorumq; ſubſtantiam liquidam eſſe ſtatuit.* II,2,10.3. II,2*,31,3.
Palladii *lib. de gentibus Indiæ & Brachmanibus ab Eduardo Biſſæo editus.* II,1,1,10.
Palmerii(*Jac.*) *exercitationes in Græcos Auctores.* I,5,1,9.
Græcia antiqua, liber poſthumus. ibid.
Pancirolli (*Guidonis*) *memorabilium libri duo* I,1,21,51. *ſupplementum ad illos.* I,1,21,52.
theſauros variarum lectionum Legum. III,6,8,4.
Pandectæ *Florentinæ quando ſcriptæ.* III,6,4,6.
in Linguam Turcicam tranſlatæ. ibid.
quid ſint. ibid.
in Pandectas *Commentatores recenſentur.* III,6,7,3.
Pandulphi *Diſputationes de fine mundi.* III,5,1,7.
Panegyrici *Carminis exempla.* I,3,12,53.
de Panegyricis *Eraſmi, Wouwerii utriusq; & Thilonis judicia.* I,6,3,6.
Panegyricorum *recentiorum collectio Hanovienſis.* I,6,3,6. *ſparſim editorum index.* ibid.
Panicarola *Concionator eloquentiſſimus fuit* I,6,4,5.
Demetrii Phalerei librum edidit ſub tit. Il predicatore: overo parafraſe &c. ibid.
Panſæ (*Mutii*) *lib. de bibliotheca Vaticana.* I,1,17,18. *in quo pauca memoratu digna affert.* I,1,17,25.
Oſculum & conſenſus Ethnicæ & Chriſtianæ Philoſophiæ. III,5,1,4.
Πανσοφίαν *in Academiis qui hodie docent, indigni ſunt nomine* τῆς πολυμαθείας,

μαθήσεως, I,1,1,23. *& ad ſolidam doctrinam noxii.* I,2,11,20.
docentium noxia inſania meritò publicè coërcenda. I,1,1,24.
Pantographicum *inſtrumentum Pegelii & Scheineri.* I,1,2,27.
Pantotheca *Coronæi deſcribitur* I,3,13,53.
Panvinius (*Onuphrius*) *de Triumphis ſcripſit* I,5,2,14.
de Papia *ejusq́; Vocabulario judicium fertur* I,4,9,8.
Pappus *Alexandrinus*, *Mathematicus & Chymicus.* I,1,11,23.
Paracelſi *ſteganographicum arcanum, è ſanguine humano parandum, cujus ope amici ſejuncti animi ſenſa communicare poſſunt.* I,1,11,15.
Paracelſus vid. Theophraſtus.
Paraphraſes *Cabaliſticæ.* III,5,1,16.
Chaldaicæ. ibid.
Eraſmi ab Eduardo Leo impugnatæ ibid.
Sunt antiquiſſimæ. ibid.
Paratitlorum *Cujacii in Codicem elogium.* III,6,7,10.
Deſcriptio. III,6,7,4.
Scriptores. ibid.
Paræi (*Philippi*) *Calligraphia.* I,6,1,24.
Parænetici *Veteres Goldaſti.* I,4,4,3.
Parckeri *Cenſura Philoſophiæ Platonicæ.* II,2,11,8.
liber contra Atheiſmum. III,5,1,9.
librum de Politia Eccleſiaſtica continuavit Voëtius. III,5,1,27.
tentamina Phyſico-Theologica. III,5,1,4. & 9.
Parei (*Dan.*) *Lexicon Elegantiarum Lucretianarum è Giſanii indice compilatum.* I,4,11,12. II,1,5,2.
Pareus (*Dan.*) *plagiarius & Criticorum ſimius.* I,4,13,3.
de Parheliis *Scriptores memorantur.* II,2*,25,3.
Pariſienſes *academiæ recenſentur.* I,1,14,41. ſq. *à Galleſio deſcribuntur.* I,1,14,42.
Parodiarum *Scriptores.* I,7,3,14.
Parthenii *Commentarius Horatianus aliaq́; Scripta.* I,4,1,15.
de Imitatione Poëtica libri. I,7,1,15.
de Particularum *inteſtinis motibus in ſolidis quieſcentibus agit Boylæus.* II,2*,6,8.
Particularum *Juris explanatores.* III,6,6,2.
de Particulis *quinam ſcripſerint.* I,4,10,11.
Paſchalii (*Valentini*) *Carmen facetum de re Vehicularia.* I,5,2,13.
Paſchaſii *Poëſis artificioſa.* I,7,3,7.
Paſquillorum *Tomi duo Romani.* III,2,1,10.
de Paſſeratii *Orationibus judicium fertur.* I,6,3,2.
Paſſeribus (*Nicol. de*) *lib. Antinomiarum vituperatur.* III,6,8,2.
Paſtorii *Calendæ Regiæ.* I,6,3,6.
Carmina. I,7,3,17.
Inſtitutiones Aulicæ. III,1,1,8.
Orationes ad Angliæ Regem, & de præcipuis hiſtoriæ autoribus. I,6,3,6.
Patavinæ *academiæ recenſentur* I,1,14,27. I,1,9,26.
Paterculus *Hiſtoriam Romanam ſcripſit.* I,4,12,5.
quisnam fuerit. ibid.
Patini *elogia Gallica.* I,1,19,64.
epiſtolæ Gallicæ laudantur I,1,24,96.
quibus perpetua in Chymicos & Pharmacopolas cavilla continentur. ib.
Patino *ſingulis vicibus aureus* (*Louis d' Or*) *orbiculo ſupponendus oblatus, quoties*

ties cibum cum magnatibus quibusdam capere vellet. I,1,15,23.
Patinus *vir lepidiſſimus ſimul & doctiſſimus* I,1,5,18.
Patritii (*Franc.*) *adverſarii.* II,2,14,1.
diſcuſſiones Peripateticæ. II,1,1,12.
harum conſpectus compendiarius. II,1,8,3. *laudantur.* II,2,12,2. II,2,14,1.
eruditio & ſcripta varii generis plurima. II,2,14,1.
nova de univerſis philoſophia. II,1,1,12.
philoſophandi ratio eſt intricata & ἀμέθοδος. II,2,14,1.
principia phyſica. ibid.
Patritius (*Franciſcus*) *in Phyſicis Ariſtoteli ſe oppoſuit.* II,2,14,1.
mirus in omnibus fermè diſciplinis novator. I,6,1,12. *maxime in Philoſophia.* II,1,1,12.
Phyſicus Hermetico-Platonicus fuit II,2,4,6.
Patrologici *Scriptores.* III,4,1,17.
Patrum *eloquentia.* I,6,4,1.
ſcripta contra gentiles. III,5,1,7.
ſcripta multis in locis fraudulenter mutilata, aut corrupta I,1,7,52.
id è MStis codicibus oſtendi poteſt. ibid.
Pauli (*Andr.*) *Thematologia Novi Teſtamenti.* I,4,9,6.
(*Simonis*) *Catalogus Mapparum Geographicarum.* II,4,1,2.
lib. de abuſu tabaci & Herbæ Thee. II,2*,42,4. II,2*,43,2.
quadripartitum Botanicum. III,7,1,5.
de Pauli, *Apoſtoli, Rhetorica agit Rittershuſius.* I,6,4,4.
Paulo (*Euſtachii à S.*) *ſumma philoſophiæ quadripartitæ recenſetur.* II,1,14,31.
Pauſaniæ *Lexicon.* I,4,7,8.
de Pecunia *veteri Romanorum ſcripſit Gronovius.* I,5,1,12.
Pecuniæ *defectum auri malleatores afferre ſtatuit nonnemo* III,3,1,4.
Pedanterie *Cavallerie quid ſit.* I,1,9,13.
Gallis quid dicatur. I,1,15,25.
de Pedis *admirandis ſcripſit Joh. de Arty.* II,3,1,4.
Pegelius (*Magnus*) *arcana ſua Principibus & Rebuspublicis fruſtra obtulit.* I,1,20,13.
de arte mnemonica quædam propoſuit. I,2,6,37.
conſilium ſuppeditavit de Conclavi Medico, vario aëre replendo. II,2*,22,2.
ſcripſit Theſaurum rerum ſelectarum, magnarum, dignarum, utilium &c. I,1,2,26. II,2,1,17.
Peireſcii *epiſtolæ de rebus Phyſicis commendantur.* II,2,2,6.
vita à Gaſſendo conſcripta. I,1,19,17. II,2,2,6.
Pelagius *Chymicus quis fuerit.* I,1,11,25. ſeq.
Pentatevcho *an libri antiquiores extent.* I,1,6,24.
Peraldi (*Gvilh.*) *Virtutum vitiorumq; ſumma laudatur.* I,6,4,12.
Peregrinando *varia inventa obſervantur.* I,1,20,18.
Peregrinans *Viros doctos eorumq; Opera inquirat.* I,1,21,2,ſqq. I,2,7,40.
Peregrinationes *doctorum diligenter notandæ.* I,1,18,4.
Peregrinationis *fructus ex Colloquiis cum Viris doctis* I,1,15,54. I,1,19,4.
magnus eſt. I,2,7,38. ſq.

Pererii *Commentationes in Geneſin.* II,1,1,7.
Lib. de communibus rerum naturalium principiis & affectionibus. II,2*,1,9.
Perez (*Antonii de*) *Comm. ad Cod. Juſtinianeum.* III,6,7,9.
(*Didaci*) *lib. de ſacra concionandi ratione.* I,6,4,27.
Periodicæ *connexiones oratoriæ.* I,3,4,24. I,3,8,5.&14.ſq.
poëma dedecent. I,3,8,17. I,3,10,2.
dilatationis exemplum. I,2,14,2.
ad Periodicam *connexionem pueri maturè aſſvefaciendi.* I,2,4,20.I,2,9,56. I,2,10,31.I,2,13,5.
de Periodis *Scriptores quidam recenſentur.* I,6,1,3.
Periodorum *diſtinctiones antiquiſſima exemplaria nullas habent.* I,1,7,13.
apud Veteres quæ fuerint. I,1,7,12.
Perionii (*Joach.*) *pro Ariſtot. in Pet. Ramum orationes duæ.* II,1,12,1.
Peritiæ *linguarum exoticarum in quovis ſtudiorum genere maxima utilitas.* I,4,4,1.
ſingularia & miraculoſa exempla recenſentur. I,4,4,2.
Perjuria *explorandi modus Indorum.* II,3,1,17.
Pernumiæ (*Jo. Pauli*) *Ariſtotelis philoſophia naturalis ordine definitivo tradita.* II,1,11,8.
Perotti (*Nicolai*) *Cornucopiæ laudatur.* I,4,9,9. *multos plagiarios habet.* ib.
Perpiniani (*Petri Joh.*) *Orationes.* I,6,3,2.
Perpinianum *magni fecit Janus Nicius Erythræus.* I,6,3,2.
Perronia *excerpta è quotidianis ſermonibus Card. Perronii congeſta.* I,1,16,60.
Perſarum *doctrina Phyſica non ſatis eſt cognita.* II,2,5,7.
Lexica potiora inedita. I,4,5,9.
Perſecutiones *Eccleſiæ deſcripſerunt Kortholtus & Maſculus.* III,4,1,18.
Perſicæ *linguæ cum Germanica affinitas à nonnullis demonſtrata.* I,4,5,9.
Perſii *Satyrica dictio horrida eſt & obſcura* I,4,12,13. *à Commentatoribus tamen egregiè illuſtrata.* ibid.
de Perſonis *& Larvis ſcripſit Mareſcottus.* I,5,2,9.
de Perſpectivâ *quinam ſcripſerint.* II,4,1,9.
Peruviani *in America Auſtrali ab Ægyptiis vicinoribus deſcendiſſe videntur.* I,1,5,25.
Peruvianorum *monumenta vetuſtiſſima ab imperitis Monachis Hiſpanicis miſerè diſſipata.* I,1,5,24.
Petavii *doctrina temporum impugnat Scaligerum.* III,4,1,5.
encomium. III,5,1,18.
libri dogmatum. III,5,1,18.
lites cum Salmaſio. I,4,14,4.
orationes elegantiſſimæ. I,6,3,2.
ſcripta alia. III,5,1,18.
Petavius *homo moleſtus, diſputax & mordax* I,1,15,37.
Petiti (*Samuelis*) *Leges Atticæ.* III,6,2,4.
Obſervationes, variæ Lectiones, nec non Miſcellanea. I,5,1,11.
Petramellarii *elogia improbantur* I,6,3,13
Petrarcha *multum trahit ex rubigine ſuorum temporum.* I,1,23,27.
Petrefactis *de corporibus quid judicandum.* II,2*,31,5.
Petri *Arlenſis de Scudalupis lib. de Sympathia ſeptem metallorum &c. ſingularia continet ſecreta* I,1,11,11 *quorum aliquot recenſentur* I,1,11,12.

Petroniani *fragmenti Codex Dalmaticus an ſit ſuppoſititius.* I,4,12,10.
Petronii *vita & mors.* I,4,12,10.
Petronius *morti vicinus impuriſſimum Satyricum ſcripſit, ſæpius cum variis variorum notis excuſum.* I,4,12,10. *quod totum Albæ Regali inventum teſtatur Nodotius.* ibid.
Petterus (*Nicol.*) *Artem Luctatoriam tradidit.* II,4,1,16.
Petti (*Wilhelmi*) *nova hypotheſis motus elaſtici.* II,2*,6,6.
Pfanneri *libellus de præcipuis Principum Germaniæ familiis.* III,4,1,10.
Syſtema Theologiæ è Gentilium Philoſophorum ſcriptis adornatum. III,5,1,12.
Phalevcorum *Scriptores recenſentur.* I,7,3,11.
Phantaſia. vid. Imaginatio.
Phantaſiam *omnibus rebus adſcripſit Helmontius.* II,1,12,4.
Pharmacopæorum *lingua.* I,7,1,16.
Phædri (*Titi*) *fabulæ ſunt elegantiſſimæ Latinitatis.* I,4,12,4. *harum edit. & Comment. quos inter Marquardi Gudii Comm. promiſſus laudatur* ibid.
Phænomenorùm *naturalium ignorantia unde* II,2,1,24. *demonſtrationes non poſſunt dari.* II,2,19,2.
Philadelphica *academia univerſalis.* vid. Samaritanorum.
Philalthei (*Lucilii*) *Comm. in libb. Ariſtot. de Cælo.* II,1,11,12.
Philavti *in alios maledici ſunt, exemplo Ciamponi Florentini.* I,1,15,21. & 22. *plerumq; contentioſi.* I,1,15,13.
Philavtia *nobis inſita eſt.* I,2,1,5. *quædam honeſta eſt, quæ in ſui fiducia conſiſtit.* I,1,15,24. & 12.
Philavtiæ *nimia infelicitas.* I,1,15,12. *exemplis docetur.* ibid.
Philippi *à ſanctiſſimâ Trinitate ſumma Philoſophica ex mira Ariſtotelis & Thomæ doctrina recenſetur.* II,1,14,49.
Philo *Judæus ſi non Platonicus, tamen Platonizans.* II,1,7,11. *ejus opera junctim edita.* ibid.
Philologica *ſtudia in academiis hodiè malè negliguntur.* I,2,11,9. ſqq.
Philologicæ *eruditionis theſaurus eſt Salmaſii opus in Solinum* I,1,21,14.
φιλονεικία *in academiis noxia, & prohibenda.* I,2,11,26. ſq.
Philoponus *unde nomen habeat.* II,1,9,5. *ejus Scripta in Ariſtot.* ibid.
Philoſophandi *methodus eclectica in Phyſicis commendatur.* II,2,19,1.
Philoſophia *Carteſii è Veterum Philoſophia fluxit.* I,1,2,19.
Contemplativa θεῖον *quid ſapit, unde &* θεωρητικὴ *dicitur.* I,1,12,15. *malè à nauſeabundis recentioribus negligitur.* I,1,2,12. & 18.
moralis Barbarica ab Ad. Tribbechovio exhibita. III,1,1,1.
eſt neceſſaria. III,1,1,13.
eſt neglecta. III,1,1,1. & 13.
Hiſtorica à quibusnam tradita. III,1,1,1.
Poëtica à Zwingero collecta III,1,1,1.
naturalis Ægyptiorum. II,2,4,1.
Chinenſium & Indorum II,2,5,1. ſqq.
Pythagorica. II,2,6,1. ſqq.
Poëtarum. vid. Poëtarum.
rationalis à Campanella edita recenſetur. II,1,12,4.

S. Scri-

S. Scripturæ interpres, à Wolzogenio refutata. III,5,1,11.
ſecreta apud gentes moratiores ſuas ſibi res à profano vulgo ſeparatas habebat. I,1,13,2.
Philoſophiæ *Ægyptiacæ Scriptores.* II,1,1,12.
Barbaricæ hiſtoriam tradit Heürnius. II,1,1,9.
Chaldaicæ Scriptores. II,1,1,12.
Epicureæ hiſtoria. II,1,5,1.ſqq.
Indicæ Veteris & modernæ Scriptores. II,1,1,10.ſq.
Methodica tractatio Græcis debetur II,2,7,2.
Moralis fragmenta apud Veteres tantum erant. III,1,1,1.
Moralis Scriptores. III,1,1,2.
Novatores Campanella. II,1,12,4. *Patricius.* II,1,1,12.& alii. II,1,15,1.ſeqq.
Peripateticæ Scriptores Iſagogici & Hiſtorici. II,1,8,1.ſqq.
Platonicæ. II,1,6,1.ſqq.
Platonicæ & Ariſtotelicæ collationes. II,1,7,2.
Primas origines Svecis tribuit Olaus Rudbeckius. II,1,1,13.
Pythagoricæ hiſtoria & Scriptores. II,1,2,1.ſqq.
Septentrionalium populorum hiſtoria. II,1,1,13.
Socraticæ hiſtoria. II,1,3,1.ſqq.
Stoicæ hiſtoria. II,1,4,1.ſqq.
Univerſalis hiſtoriam quinam ſcripſerint. II,1,1,1.ſqq.
Philoſophica *bibliotheca Lambecii.* I,1,2,8.
Philoſophorum *veterum & recentiorum cenſenſus & diſſenſus, eorumq; conciliatio.* II,2,18,1.ſqq.
Philoſtratus *vitam Apollonii deſcripſit.* II,1,2,5.
Phocylidis *Carmen, non eſt veteris illius Phocylidis, ſed hominis vel Judæi, vel Chriſtiani.* I,7,2,14.
Phœnicum *doctrina phyſica haud ſatis eſt cognita.* II,2,5,7.
Phoſphori *artificiales.* II,2*,22,5.
Photii *Bibliotheca μυϱιόβιβλος.* I,1,16,13.
varia judicia ſubit. I,1,16,14. *quâ occaſione ſcripta.* I,1,16,15.
Gloſſarium græcum, hactenus ineditum. I,1,16,17. I,4,7,9. *editio ejus avide expectatur.* I,4,7,9.
Nomocanon I,1,16,16. III,6,7,13.
Simia, Jacobus Gaddius. I,1,16,18.
Photini *Apologiam ineditam græcâ linguâ exaratam, bibliotheca Gudiana habet.* III,5,1,33.
Photius *in recenſione Hiſtoriæ Zoſimi refellitur.* I,1,11,40.ſqq.
Phraſeologia *ex Scriptoribus aurei ſeculi ſtruenda.* I,3,6,2.
Phraſeologica *Excerpta.* vid. Excerpta.
Phraſes *ſimplices ab expreſſionibus quid differant.* I,3,6,4.ſqq. *quas libri phraſeologici malè confundunt* I,3,6,8.
Phraſin *Scripturæ cum Stylo Homeri quinam contulerint.* I,4,6,20.
Phraſium & *Epithetorum Poëticorum Collectores.* I,7,1,19.
Latinæ linguæ Collectores. I,4,9,20.
ſelectus inſtituendus. ibid.
Phrynichi *Lexicon eſt ineditum.* I,4,7,8.
Phyle *ſcripſit Verſus Jambicos de Animalium proprietate.* I,7,2,24.
Phyſica Vid. Naturalis Hiſtoria.
Phyſica *Collegia.* II,2,1,15.
Excerpta quomodo inſtituenda. I,3,13,2.ſqq.
& Matheſis mutuas ſibi operas præſtant. I,3,13,11.

Moſaica, ejusq; Interpretes Veteres & recentiores. II,2,3,1.ſqq.
Principia. vid. Principia.
in Phyſica *de quibus non agendũ* II,2*,2,1.ſ.
Phyſicæ *Chiſtianæ Scriptores Narrationes Moſis Phyſicas Ariſtotelicis principiis applicarunt.* II,2,3,4.
Cognatio cum Matheſi. II,4,1,1.
Cognitio manca ſemper & imperfecta. II,2,19,6.
Hiſtoriæ naturalis, & Metaphyſicæ differentia. II,2,1,25.
Sparſæ ſubdiviſio Verulamiana. II,2,1,25.
Studium Oeconomo commendatur. III,3,1,5.
Phyſici *Epiſtoliographi, & qui Dialogos Phyſicos ſcripſerunt.* II,2,2,6.ſq.
Phyſiognomia *ex membrorum configuratione & proportione de ingenio hominis judicat.* II,3,1,4.
naturalis commendatur. II,2,6,6.
Phyſiognomici *Scriptores.* I,1,15,4.II,3,1,4.
Phyſiologica *Excerpta.* I,3,13,40.&45.
Phyſiologicos *inter Autores Fabri & Bartholini commendantur.* III,7,1,4.
Piccarti (*Mich.*) *Orationes laudantur* I,6,3,3.
plura ſcripta recenſentur & commendantur. II,1,11,30.
Piccolomini (*Alexandri*) *lib. della Inſtitutione di tutta la vita de l' Huomo nato nobile, &c.* I,2,8,45.
Picinelli (*Philippi*) *Mundus Symbolicus.* I,1,21,61.
Pictorii (*Georg.*) *lib. de Dæmonum ſublunarium ortu, poteſtate, miraculis, & quomodo pellendi.* II,1,7,14.
de Pictura *& Pictoribus quinam ſcripſerint.* I,5,2,14.
Picus *epiſtola quãdam Scholaſticos Doctores defendit.* II,1,11,2.
libros Philoſophici & Cabaliſtici argumenti in lucem edidit. II,1,7,16.
notas ſibi conſtituit. I,4,2,4.
Richardum Suiſſet ob ineptas ſubtilitates exagitat. II,1,13,4.
Pignorii (*Laurentii*) *Miſcella Elogiorum, Allocutionum &c.* I,6,3,11.
Symbolæ epiſtolicæ laudantur. I,1,24,30.
Pila *Æolia ventorum generationem adumbrat.* II,2*,23,4.
de Pileo *quinam ſcripſerint.* I,5,2,9.
de Pilis *edidit librum Tardinus.* II,2*,47,5.
Pindari *Comparatio cum Horatio.* I,7,2,10.
Lexicon. ibid.
Verſiones, emẽdationes & editiones ib.
cum Pindaro *malè confunditur Pſeudo-Pindarus.* I,7,2,10.
Pinelli *humanitas ſumma commendatur.* I,1,15,41.
manuſcripta in bibliotheca Veneta peculiari conclavi repoſita. I,1,3,19.
methodus in commercio epiſtolico exercendo. I,1,15,58.
modus indagandi inclinationes hominum. I,1,15,51.
ſagacitas in libris conquirendis. I,1,4,5.ſeqq.
vita à Paulo Gualdo deſcripta. I,1,19,19.ſeq.
Pinellus *Patavii vivens an nulli academiæ in Italia nomen dederit.* I,1,9,26. I,1,14,37.
Piſcium *hiſtoriam quinam ſcripſerint.* II,2*,46,2.
Piſtorum *fraudes detexit Sebaldus Müller.* II,2,1,6.
Pitſeus (*Joh.*) *Compilator Joh. Balei dicitur* I,1,18,42.

Placcii *Compendium hiſtoriæ literariæ univerſale.* I,1,20,24.
excerpta rhetorica. I,2,5,59.
lib. de arte excerpendi. I,3,1,17. ſq. I,3,2,20. ſqq. I,3,3,15.
lib. de fructu præcipuo doctrinæ Moralis. III,1,1,6.
lib. de Scriptoribus anonymis & pſeudonymis. I,1,16,70.
noſologia & medicina moralis. III,1,1,6.
ſcrinium literatum. I,3,13,53.
Placitorum *Philoſophorum utilitas extollitur.* II,2,1,8.
Plagia *quædam minutiora notantur.* I,1,9,22. I,2,5,10.
Plagiarii *Hiſpanorum & Anglorum an ſint Galli.* I,6,4,30.
Plagiariorum *librariorum quorundam impudentia.* I,1,9,17.
Plagiarium *impudentem Pitſæum nominat Burtonus.* I,1,18,42.
Πλαγιασμὸς. I,3,7,15. *quatenus conveniat cum* Περιβολῇ. I,3,7,24.
Πλαγιασμῶν *exempla è Ciceronis Oratione pro M. Marcello.* I,3,7,25.
Plagii *incuſatur Ariſtoteles.* II,1,2,3. *à quo tamen abſolvitur.* II,1,8,3.
Förſterus à Rittershuſio. III,6,4,4.
Menagius. vid. Menagius.
Plato. II,1,7,1. II,2,11,2.
Ponzius. II,1,14,13.
Stephanus à Colomeſio. I,7,2,12.
Wouwerius. vid. Wouwerius.
ſine Plagii *ſuſpicione Locorum Communium Scripta adhiberi poſſunt.* I,1,21,10.
à Plagio *excuſatur certa in cauſa Berneggerus.* I,2,6,98. ſq.
de Plagio *literario librum ſcripſit Thomaſius* I,1,9,17.
Plagium *Acciajoli.* II,1,11,24.
Angeli Politiani. I,7,2,2.
Eorum, qui aliorum virorum doctorū ſcripta poſthuma ſuo nomine edunt I,1,9,17. ſqq. I,1,20,8.
qui è variis autoribus quædam furantur. I,1,9,20.
Gallutii. II,1,11,15.
Lambini. I,4,11,15.
Lipſii. I,5,1,7. II,2,14,1.
Scaligeri. I,1,9,23.
Scioppii inſigne. I,4,14,14.
Scioppii aliud notatur. I,4,5,2.
Villovani. I,7,3,3.
Planetæ *an moveantur.* II,2*,12,6.
an propriam lucem habeant. II,2*,12,7.
corpora ſunt compoſita, terreno ſimillima. II,2*,12,2.
plures ſunt quam ſeptem II,2*,12,7
Plantæ *an habeant ſenſum.* II,2*,44,2.
ope nitri fertiliores reddi poſſunt. II,2*,41,1.
quomodo creſcant. II,2*40,2.
Plantarum *Anatome Marcelli Malpighii laudatur.* II,2*,40,3.
Aſiaticarum & Americanarum Scriptores. II,2*,40,4. ſq.
progerminationem & incrementum accelerandi methodus II,2*,41,2.
propagationis varia ſunt genera. II,2*,41,4.
quarundam ſingularium Scriptores II,2*,43,2.
reſuſcitatio ope roris imaginaria eſt II,2*,27,5. *de hac ſcripſerunt Kircherus & Voigtius.* ibid.
ſignaturas quinam deſcripſerint. II,2*,40,6.

ſucci nutritii ſingularis eſt circulatio. II,2*,40,3.
vires magicæ. II,2*,43,4.
vires medicæ. II,2*,43,1.
Planudis (*Maximi*) *anthologia Græcorum Epigrammatum recenſetur.* I,7,2,26.
Plato *Ariſtotele fuit modeſtior.* II,2,7,2.
ejusq; Sectatores Theologiam Naturalem excoluerunt II,5,1,7. III,5,1,2
multa à Judæis & Ægyptiis hauſit. ib.
multos Patrum primæ Eccleſiæ ſectatores habuit. II,1,7,1.
piè philoſophatus eſt, Atheisq; contrarius. ibid.
à Scepticiſmo imputato excuſatur. ib.
Socraticam doctrinam cum Barbaricis & Pythagoricis miſcuit II,1,7,1. II,2,11,1.
Platoni *an imputanda ſit ſententia de duobus Diis.* II,2,11,7.
imputatur doctrina de præexiſtentia animarum. II,2,11,10.
Platonica *Philoſophia, cum Chriſtiana Religione commiſta, errores varios Theologicos invexit.* I,1,2,10.
Trinitas. vid. Trinitas.
Platonicæ *Philoſophiæ Collationes cum Ariſtotelica quinam ſcripſerint.* II,1,7,2. II,2,1,2.
conſpectus unde haberi poſſit. II,2,11,11.
convenientiam cum Moſe, ab Henr. Moro defenſam, impugnavit Parkerus. II,2,11,8.
differentia ab Ariſtotelica tantum verbalis. II,2,11,2.
illuſtratores veteres & novi. ibid.
miſtura ex quibus. II,2,11,2.
principia. ibid.
Platonici *Scriptores inediti & editi recenſentur.* II,1,7,10.
Platonicorum *doctrina de anima mundi.* II,2,11,7.
de Dæmonibus magiæ eſt affinis. II,1,7,12.
de numeris originem debet Pythagoricis. II,2,6,5.
& aliorum ſententiæ de coæternitate Dei & materiæ recenſentur & conferuntur. II,2*,11,4.
philoſophemata de rerum principiis & cauſis quinq; ac totidem mundis nimis ſunt ſubtilia. II,2,11,6.
Platonis *ἀμεθοδεία notatur.* II,2,11,8.
apologetæ quinam. II,2,11,2.
eloquentia commendatur II,2,11,4.
operum Editiones, Commentatores & Interpres. II,2,7,1. II,2,11,3.
philoſophia ſpeculationibus nimis indulget. II,2,11,11
in philoſophiam Iſagogas ſcripſere Bernhardus & Alcinous II,1,7,2.
phyſica parum ab Ariſtotelica differt. II,2,11,5.
plagium. vid. Plagii.
politica eſt ἀμέθοδος. III,2,1,2.
ſcripta ſuppoſititia recenſentur. II,1,7,1.
ſententia de Elementis. II,2,11,9.
de Platonis *dogmatibus ſpecialibus quinam egerint.* II,1,7,22.
& Ariſtotelis conciliatoribus fertur judicium. II,1,7,17.
Editores & Commentatores. I,4,11,5.
Plauti *fabulæ cur puerili ætati nondum conveniant.* I,2,9,59. I,4,11,5.
Plautina *latinitas haud temere uſurpanda.* I,3,4,17.

*lectio judicium ſubactum requirit.*ib.
Plautum *Terentio malè præfert Scioppius.* I,3,4,17.*item Lipſius.* I,4,11,5.
Plautus *male Ciceroni præfertur à Jeremia Höltzlin.* I,2,10,15.
Pleurius (*Stephanus*) *Acta Chriſti collecta è Centonibus Virgilianis conflavit* I,7,3,14.
Plinii *Commentatores, Emendatores & Editores.* I,4,13,1.
epiſtolæ laudantur. I,1,23,20.ſq.
male tamen à nonnullis ipſis epiſtolis Ciceronianis anteponuntur. ibid.
hiſtoria naturalis I,1,21,5.I,4,13,1.
commẽdatur & defenditur II,2,2,2.
libri XX. de Bellis Germanicis an reperiantur in Bibliotheca Auguſtana. I,4,13,1.
locus Hiſt. Nat. l. 8. c. 56. de literarum ortu, explicatur. I,4,1,9.
locus l. 36. c. 5. de ſtatua Laocoontis & liberorum ejus à Dracone interfectorũ, illuſtratur I,1,25,22.
Plinii *Cæcilii Secundi Epiſtolæ & Panegyricus, horumq; editiones & Comment.* I,4,13,2.
Præceptor fuit Quintilianus. I,4,13,3.
de Plinii *Stylo judicium.* vid. Stylus.
Plotinus *plagiarius Numenii.* II,2,11,3.
Sectator Platonis. II,1,7,4.
Plumbi *tranſmutatio in ſtannum* II,2*,36,1.
Plutarchi *liber περὶ τοῦ τὰ ἄλογα λόγῳ χρῆσθαι.* I,4,1,3.
Scripta philoſophica recenſentur. II,1,7,7.
Pluviæ & *imbres an per naturalia media induci poſſint.* I,1,13,20.ſqq.
natura & differentia. II,2*,27,2.
prodigioſæ multa fabuloſa continent II,2*,27,2.
ranarum, frumenti, &c. ſunt fictitiæ II,2*,27,2.ſq.
Pnevmaticæ *Scriptores.* II,4,1,15.
Poëmata *an rhythmis carere poſſint.* I,1,24,82.
quæq; ſingulares ſuas habent elegantias. I,2,16,3.I,2,10,8.&35.
de Poëmatibus *minutioribꝰ egregiis, ſeorſim editis, colligendis, conſiliũ.* I,7,3,18.
de Poëmatum *cantu & rhythmis ſcripſerunt Voſſius & Barboſa.* I,7,1,14.
Poëſeos *antiquitas, dignitas & utilitas.* I,7,1,1.
Dramaticæ Scriptores Angli, Galli ac Itali. I,7,1,9.ſq.
Germanicæ, Gallicæ, Hiſpanicæ & Italicæ Scriptores. I,7,1,20.
Vindiciæ. I,7,1,1.
Poëſis *Danorum priſca Wormii.* vid. Wormius.
potiſſimum ab Imaginatione pendet I,2,1,23.ſq.
Poëtarum *furor quidam divinus eſt, & ἐνθουσιασμός.* I,1,12,12.I,1,22,39. I,7,1,14.
Furta ſ. plagia peculiari diſſertatione à Menagio oſtenſa. I,1,9,22.I,7,1,15. *de his judicia Longini & Auctoris.* I,7,1,15.
Græcorum inter Chriſtianos fragmenta à Morello junctim edita. I,7,2,27.
Græcorum veterum abolitio à Monachis ſuperſtitioſis facta. I,7,2,11. vid. Græcorum.
Hiſtoriæ Scriptores antiqui & retiores recenſentur. I,7,2,1.
Illiteratorum, ut & extemporalium exempla.

exempla. I,1,12,13.I,1,22,39.
lectio ceteris autoribus cur præferenda. I,2,9,55.
Philavtia à Gaddio & Barthio notata, & à Menagio defenſa. I,7,1,21.
Philoſophorum fragmenta collegit atq; edidit Stephanus. I,7,2,25.
Scotorum, Italorum, Gallorum, & Germanorum deliciæ. I,7,3,8.
Septem illuſtrium poëmata. I,7,3,9.
de Poëtarum *Orphei, Homeri, &c. Philoſophia quid ſentiendum.* II,2,7,3.
Poëtæ *Comici.* I,7,2,8.
Comici recentiores. I,7,3,15.
Elegiaci veteres & recentiores. I,7,3,9.ſeqq.
Epici recentiores. I,7,3,8.
etiam Oratorum apparatu utuntur I,3,10,31.ſeq.
Latini recentiores. I,7,3,1.ſeqq.
Lyrici. I,7,2,10.ſeqq.
phantaſmata ſua judicio moderari debent. I,2,1,25.
quomodo verſari debeant in lectione Oratorum. I,7,1,15.
Tragici potiores. I,7,2,5.ſeqq.
Poëtica *ars non tam præceptis, quam lectione Poëtarum & exercitio addiſcenda eſt.* I,2,16,4.ſeqq.
facultate inſignes omnibus ſtudiis ſunt aptiſſimi. I,2,1,34.ſeq.
gloria Galli præ ceteris nationibus excellunt. I,1,18,19.
phraſeologia. I,3,10,16.
phraſis, imò Grammatica & genius, peculiaris eſt à ſoluta. I,3,10,2. &35.
translata. vid. Metaphora.
Poëticæ *Ariſtotelis Editores, Interpretes, & Commentatores, deq; his judicia Rapini & Dacerii ſibi contraria.* I,7,1,3.
artis Scriptores recenſentur. I,7,1,2.ſeqq. I,4,8,14.
formulæ. I,3,10,17.
idolographiæ & proſopographiæ. I,3,10,19.
inventiones. vid. Inventiones.
paraphraſeos exempla I,2,16,21.ſqq.
de Poëticis *Tropis ſcripſit Georgius Chœroboſcus.* I,7,1,18.
Poëticum *Lexicon.* vid. Lexicon.
Poëticus ἐνθουσιασμὸς *in Lotichio notatur* I,1,19,41.
Poëtis *affectuum & morum ratio inprimis habenda.* I,3,10.29.
de Poëtis *Græcis Scriptores.* I,4,8,14.
quibusdam mediocribus Latinis judicia. I,7,3,17.
Poëtriarum *novem Carmina collegit & publicavit Urſinus.* I,7,2,25.
Poëtriæ *fœminæ.* I,1,14,40.
Polemica *Theologia.* vid. Theologia.
Polemo *vivus ſepultus.* I,6,2,15.
Polemonis *Laodicenſis morbus vitaq; exitus.* I,6,2,15.
Orationes, ibid.
Politiam *Judaicam quinam deſcripſerint.* III,6,2,1.
Politiani *Stylus & epiſtolæ à multis laudantur.* I,1,23,30. *à Manutio & aliis culpantur.* I,1,23,32.&36.ſeq.
Politiano *plagii crimen objectum fuit.* I,4,9,9.
Politica *Biblica.* III,2,1,19.
excerpta quomodo adornanda. I,3,13,16.ſqq.
ſpecialiſſima. I,3,13,27.ſeqq.
quædam occurrunt in Virgilio, aliisque. III,2,1,21.

ſacra, inprimis Pontificum eſt tectior. III,2,1,18. vid. Pontificum.
Syſtemata ſunt imperfecta. III,2,1,2.
quædam tamen commendantur. III,2,1,3.
Politicæ *Diſſertationes miſcellæ.* III,2,1,20.
doctrina juris Cultori eſt neceſſaria. III,6,1,1.
Scriptores. III,2,1,1.&2.ſqq.
Politicarum *Obſervationum in Autores antiquos Scriptores.* III,2,1,12.
notitiarum excerpta. I,3,13,22.ſqq.
Politici *ſcelerati autor rejicitur.* III,2,1,4.
de Politicis *novatoribus Ariſtotelicis, nec non de Pſeudo - Politicis cenſuræ.* III,2,1,4.
Politico *neceſſarii ſunt Hiſtorici, prudentia Civili conſpicui.* III,2,1,6.
Obſervatio rituum Academicorum eſt neceſſaria. III,1,1,9.
Pollio (*Trebellius*) *Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptor* I,4,14,7.
Pollucis (*Julii*) *Onomaſticon recenſetur.* I,4,7,4.
de Polonorum *Scriptoribus centuriam edidit Staravolſcius.* I,1,18,49.
Polus (*Antonius*) *Novator fuit in doctrinâ de anima, & ſententiæ Ariſtot. de Via Lactea defenſor ineptus.* II,1,14,48.
novum veritatis lumen in libb. Ariſtotelis de anima, aliosq; libros ſcripſit. ibid.
(*Matthæus*) *Commentator Bibliorum Criticus.* III,5,1,15.
Polyanthearum *Scriptores.* I,1,21,24.ſqq.
Polyglottia *Bibliandri, Baldi, Scaligeri, aliorumq;.* I,4,4,2.
Galli dormientis. ibid.
Liburni peſte laborantis. ibid.
Polygraphi *multi, tàm veteres quam recentiores enumerantur.* I,1,22,28.ſqq.
Phyſici recenſentur. II,2,2,10.
Polygraphia *Kircheri.* I,4,2,5.
Trithemii Commentario illuſtrata ab Auguſto Seleno. I,4,2,4.
Polygraphiam *inter & Bradigraphiam mediavia incedendum eſt.* I,1,22,22.
Polygraphiæ *affectationem in Cardano reprehendit Scaliger.* I,1,22,29. *adverſus quem defenditur* I,1,22,30
Polygraphorum *vitia & defectus.* I,1,22, 35.ſq. I,1,16,20.
Polygraphus *fuit Balth. Bonifacius* I,1,21, 34. *unus multorum ſeculorum labores in compendium trahere poteſt.* I,1,22,23. *exemplo Hippocratis, Ariſtotelis, Galeni, &c.* I,1,22,24.
Polyhiſtori *cognitio hiſtoriæ bibliothecariæ neceſſaria eſt.* I,1,6,12.
Πολυμαθεῖς *an ἀκρισίας defectu laborent* I,1,1,10.
αὐτοδίδακτοι plerumque opinioſi. I,1,1,14.
potius id quod delectat, quam quod prodeſt, in diſciplinis quærunt. I,1,1,16.
Polymathia *adverſus calumnias quorundam defenditur.* I,1,1,17.
quidem ſectanda, una tamen ejus pars præ ceteris excolenda. I,1,1,11.ſeq. I,2,8,10.
tam latè non patet, quam hiſtoria literaria. I,1,2,1.
de Polymathia *librum ſcripſit Johannes Wowerius.* I,1,1,18.
ad Polymathiam *natura duce invitamur.* I, 1,1,8. *quod contra Huartum & Bonnæum aſſeritur.* I,1,1,10.

Poly-

Polymathiæ *abuſus.* I,1,1,13.ſqq.
capax eſt ingenium humanum. I,1,1,2.&10.
gloria indigni ſunt τ̃ ἐγκυκλοπαιδείας Scriptores. I,1,1,22. *qui in Academiis πανσοφίαν profitentur.* I,1,1,23.
hoſtis Melanchthon inſulſe fingitur à Creſollio. I,1,1,21.
ineptum quorundam ſtudium reprehenditur. I,1,15,9.
ſtudia ornanda & ſuſcipienda Regi Galliæ commendat Budæus. I,1,1,20.
ſtudioſus certum ſibi ſcopum præfigere debet. I,2,8,11.
ſtudium rebus gerendis haud eſt adverſum. I,1,1,2. *mediocribus ingeniis non congruum.* I,1,1,13.
ſtudium ſedulò tractandum I,1,1,1.
Pomey (*Franc.*) *novus Rhetoricæ Candidatus, altero ſe candidior.* I,6,1,18.
pantheon mythicum. I,7,1,17.
è Pomis *& piris potus confectus* II,2*,42,3.
de Pomponatio *memorabile quoddam habet Poſtellus.* II,1,12,2.
Pomponatius *Atheiſta, acutiſſimus Diſputator.* I,1,8,18. II,1,11,4.
Doctor Atheiſmi. II,1,11,4.
Magiæ viam ſtruit in lib. de Incantatione. II,2*,48,7.
quæ ſcripſerit. II,1,11,4.
Pomponii Melæ *tres libri de Situ Orbis.* I,4,12,11. *de his præclare meruit Voſſius, à Gronovio tamen caſtigatus.* ibid.
Ponæ (*Franc.*) *Elogia XII. Cæſarum* I,6,3,11 *lib. de Epitaphiis ad morem antiquum efformandis.* ibid.
Pontanus (*Jacobus*) *Attica bellaria & Progymnaſmata ſcripſit* I,1,21,35.ſ. *Inſtitutiones item Poeticas.* I,7,1,7.
(*Jovianus*) *ob Elegias ſuas elegantes commendatur.* I,7,3,9.
Phalevcos ſcripſit de quibus judicium fertur. I,7,3,11.
Poëta & Philoſophus αὐτοδίδακτος. I,1,1,14.
(*Ludovicus*) *ſanctitatis ſingularis affectator.* I,6,4,27.
Pontificem *Imperatori ſubjacere debere docuit Occamus.* II,1,13,12.
Pontificii *in Hiſt. & Antiqq. Eccleſiaſt. præcellunt.* III,5,1,1.
Pontificiorum *Certamina inteſtina Janſeniana & Anti-Jeſuitica.* III,5,1,31.
doctrinam multi impugnarunt. III,5,1,25.
fraudes circa Patrũ Opera III,5,1,28.
promachus eſt Bellarminus III,5,1,24.
contra Pontificios *ex Antiquitate Eccleſiaſtica pugnandum.* III,5,1,30.
in Pontificios *Scripta Satyrica.* III,5,1,31.
de Pontificis *autoritate ſcripſit Capezudo.* II,1,14,25.
bullis. ibid.
primatu Scriptores III,5,1,26.&27.
Pontificum *Conclavia.* III,2,1,20.
Hebræorum jura Seldenus deduxit. III,6,2,1.
Politica eſt rectior III,2,1,18. *cognoſcitur è Maimburgio aliisq;.* ibid.
Ponzius (*Johannes*) *Curriculum Philoſophicum ex doctrina Scoti concinnavit.* II,1,14,11.
plagii à Maſtrio incuſatur. II,1,14,13.
(*Petrus*) *artem mutos & ſurdos à naturâ ad loquelam inſtituendi*

inveniſſe creditur. I,2,3,23,ſq.

Porcellanæ *Chinenſium è terrâ Cretaceâ conficiuntur.* II,2*,21,6.

Porphyrii *de abſtinentia.* II,2,6,1.

Commentarius in Categorias Ariſtotelis. II,1,9,10.

lib. de Vita Pythagoræ ab Holſtenio editus. II,1,2,2.

Panegyricus. I,7,3,7.

Portæ *liber de Phytognomicis laudatur.* II,2*,40,6. II,3,1,4.

Portii (*Sim.*) *Lexicon Græco-Barbarum.* I,4,8,11.

Poſſelii (*Johannis*) *Syntaxis Græca & Calligraphia.* I,4,6,11.

Poſſevinus (*Anton.*) *duos libros ſcripſit: bibliothecam ſelectam, & apparatum ſacrum, qui recenſentur.* I,1,16,21.ſq.

in libro de Poëſi & Pictura Ethnica &c. Scaligerum hæreſeos accuſat I,7,1,6.

Poſtelli (*Guil.*) *de Concordia orbis terrarum judicium fertur.* III,5,1,7.

Jactantia inſana notatur. II,1,12,2.

Poſtellus *Ariſtoteli infenſior fuit.* II,1,12,2.

αὐτοδίδακτος in linguarum cognitione. I,1,1,14. *quarum callentiſſimus fuit.* I,4,5,1. *magnam ſibi illarum notitiam paravit itineribus ſuis in Orientem.* ibid.

Galliæ ſuæ Imperium Orbis vaticinando promiſit. I,1,10,36.

Heterodoxus in multis, & potius Hæreticus fuit. I,1,8,12.

in libro de Etruriæ Originibus multa capita pro veritate Relig. Chriſt. inſerta habet. I,1,8,12.

inter Deiſtas & atheos refertur, ſed ſine cauſa. I,1,8,11.

Judicio non valuit. II,1,12,2.

de Praſchli *Carminibus Heroicis judicium.* I,7,3,8.

Prato Veteri (*Antonii Moricutii de*) *Collectio juris Feudalis inedita.* III,6,7,15.

Praxeos *forenſis experientia quomodo parari poſſit.* III,6,11,4.

Praxis *Cameræ Imperialis à quibus deſcripta & illuſtrata.* III,6,11,3.

Holſato-Sleſvicenſis. III,6,11,4.

Juridica, in quonam conſiſtat. III,6,11,1. *unde diſcenda.* III,6,11,2.

Juris Saxonici & Lubecenſis eſt diverſa. III,6,11,4.

Præcocium *ingeniorum exempla.* vid. Ingenia.

è Prædicamentorum *fontibus omnis meditandi, differendi, amplificandi uſus hauriri poteſt.* I,2,5,3. *qui uſus non demum ab Emanuele Theſauro, in Indice Categorico, ſed ab ipſo Ariſtot. oſtenſus eſt.* ibid.

Prætorii *de Anthropodemo Plutonico judicium fertur.* II,2*,2,5.

Theatrum Chiromanticum. II,3,1,6.

Prætorum *Romanorum edicta erant annua* III,6,3,8.

Prieriæ (*Sylveſt.*) *defenſio doctrinæ D. Thomæ & malleus Scotiſtarum.* II,1,14,35.

in Principe *ante omnia judicium practicum excolendum.* I,2,12,5.ſqq.

maximè doctrina & diſciplinarum cognitio requiritur. I,2,12,3.

Principem *arcanorum naturalium ſcientia maximè ornat.* I,2,12,26.ſq.

Principes *eruditi eruditos quoq; venerantur* I,1,15,23.

novorum

novorum inventorum artifices inprimis præmiis excitare debent. I,1,20,15.
Principia *Ariſtotelica in Diſputationibus Scholaſticis retineri poſſunt.* II,2,19,4.
duo in lucem revocavit Teleſius. II,2,13,2.&4.
mechanica in natura. II,2*,10,1.ſq.
mixtorum per analyſin illorum & experientiam ſunt indaganda. vid. Mixtorum.
naturæ varia à variis conſtituta. II,2,10,4.II,2,18,1.ſqq.
phyſica ex ſenſu formarunt Veteres, ex intellectu Ariſtoteles. II,2*,1,1.II,2,18,1.ſqq.
Principibus *primario incumbit cura erigendæ bibliothecæ publicæ.* vid. Bibliotheca.
τὸ θεῖον ineſſe, fata eorum varia oſtendunt. I,1,12,34.ſq.
Principii *ſpiritualis operativi neceſſitas inculcatur.* II,2,19,4.
de Principiis *Chimicis judicium* II,2*,13,2.
Scriptores quidam recenſentur. II,2*,1,9.
de Principio *actionum humanarum ſcripſit Rachelius.* III,1,1,10.
Principiorum *imperveſtigabilitatem Ariſtot. & Carteſius confeſſi ſunt.* II,2,13,6.
verorum inventionis difficultas penè inſuperabilis eſt. II,2,13,5
de Principiorum *naturalium fabricatoribus, defectibus illorum ac vitiis, horumq; cauſis, cenſura generalis* II,2,13,5.
Principum *cura pro viris doctis.* vid. Regum.
de inſtitutione quinam ſcripſerint. I,2,12,4.III,2,1,15.
quomodo illa inſtituenda. I,2,12,1. ſeqq.
Magnatumq; cura & induſtria artes & literæ creſcunt. I,1,2,17. I,1,14,1.
Officia. III,1,1,8.
Prioli *hiſtoria Gallica ab exceſſu Ludovici XIII. recenſetur.* I,1,11,16.
de Opere botanico promiſſo judicium ſequius fertur. III,7,1,5.
Priolus *judicia de Scriptoribus Græcis & Latinis promiſit, ipſe judicio exiguo præditus.* I,6,16,11.
Privatio *tertium Ariſtotelis principium, rejicitur.* II,2*,1,9.
Proæreſius *inſignis fuit Orator.* I,6,2,17.
Probatio *antehac inſtituebatur per ferrum candens, per prunas, per panem, vel caſeum conſecratum.* II,3,1,16.
Problemata *phyſica ſunt appendices Hiſtoriæ Naturalis.* II,2,1,8.
Problematum *Phyſicorum cognitio utilis eſt.* II,2,1,8.
Scriptores recenſentur. II,2,2,10.
Proceſſum *fori Romani Veteris deſcripſit Budæus.* III,6,3,3.
Proceſſus *Cameræ Imperialis à quibus deſcripta.* III,6,11,3.
experientia quomodo parari poſſit. III,6,11,4.
hodierni forma è Jure Canonico eſt derivata. III,6,7,14.
judiciarii Scriptores. III,6,11,2.
de Procli *ſcriptis editis ac ineditis prolixè diſſeritur.* II,1,7,5.
Procopii *Hiſtoria Juſtiniani Imp. arcana.* III,6,4,2.

de Prodigiis, *quæ Romæ & in Viciniâ acciderunt, ſcripſit libros duos Julius Obſequens.* I,4,14,6.
Prognoſtica *Noſtradami, Galli* I,1,10,32.ſ.
Prolem *pulcram habendi rationem peculiari Carmine docuit Lætus.* II,2*,47,2.
ſeptimam maſculam ſtrumas curare poſſe tradunt. II,2*,8,6.
de Pronunciatione *Græcæ linguæ hiſtoria & Scriptores.* I,4,6,18.
quinam ſcripſerint. II,2*,48,3.
Propemtici *Carminis exempla.* I,3,12,50.
Prophetici *libri Gentium & Rerumpublicarum.* I,1,10,29.ſqq.
Proſodiarum *Scriptores recenſentur.* I,7,1,16.
Proverbia. vid. Adagia.
Prudentii *amator eximius fuit Holſtenius.* I,4,14,17.
Editores & Commentatores. ibid.
Pruina *è rore concreto formatur* II,2*,27,11
Prytanea, *in omnibus ferè Græciæ urbibus fuêre.* I,1,14,5.
Prytaneum *Athenienſe ſplendidiſſimum.* I,1,14,5.
in Pſalmos *Commentarius Lombardi.* II,1,14,1.
pœnitentiales Meditationes Petri de Alliaco. II,1,13,7.
Pſalterium *notis Tyronis & Cypriani Argentorati ſervatum, vidit Trithemius.* I,4,2,4.
Pſelli (*Mich.*) *Dialogus de Dæmonibus & eorum operatione.* II,1,7,12.
Doctrina magiæ eſt affinis. ibid.
Jambi in Vitia & virtutes. I,7,2,27.
Libri multi in Ariſtot. extant II,1,9,8.
Peritia in arte Chimica. I,1,11,51.
Pſeudo-Criticorum *nimium pruritum emendandi Autores, invectiva.* I,5,1,3.
Pſeudonymi *Autores.* I,1,9,1.ſqq.
à Joh. Donne, Anglo, lepido Catalogo recenſiti. I,1,9,14.ſq.
libri ridiculi à Thraſonibus literariis adhiberi ſoliti. I,1,9,12.ſqq.
non ſunt, qui cauſam legitimam celandi nominis habent. I,1,9,24.
Pſeudonymis *de Scriptoribus extat liber Val. Placcii.* I,1,16,70.
titulis libri haud rarò inſigniuntur, ut eò carius vendantur. I,1,11, 52. I,1,9,11.
de Pſeudo-Politicis *modernis cenſuræ.* III,2,1,4.
Pſeudo-Politicorum *technæ ab Ariſtotele jam & Cardano obſervatæ.* III,2,1,4.
Pſychoſophicum *Collegium Beccheri.* I,1,14,46.
Ptolomæi *Geographiæ libb. octo Græco-Latini laudantur.* II,4,1,11.
Tr. de judicandi facultate & animi principatu ineditus. II,1,6,1.
Puerorum *inſtitutio privata cur felicior quandoq; ſit, quàm publica.* I,2, 10,1.ſq. *in ſcholis ſecurior eſt.* I,2,10,2.
de inſtitutione conſilium Böcleri. I,2,13,9.ſqq.
de Puerperio *quinam ſcripſerint.* I,5,2,8.
Puffendorffii (*Sam.*) *Commentarius de jure Naturæ & Gentium præſtat Elementis Juriſprudentiæ.* III,6,1,6.
Tr. de Officiis eſt imperfectus. III,1, 1,11. *judicium de eo.* III,6,1,3.
de Pulice *Moſchettus ſcripſit.* II,2*,45,8.
de Pulmonibus *Scriptores recenſentur.* II,2*,47,3.

Pulſuum *medicina.* II,1,2,4.
Pulveris *pyrii inventor Schwartzius dicitur, verè autem fuit Baconus.* II,2*38,3.
Pulvis *pyrius è nitro, ſulphure & carbonibus conficitur.* II,2*,38,3.
Sympatheticus à Dygbæo defenditur, à Deuſingio a. rejicitur. II,2*,8,4.
de illo judicium confertur. ibid.
Punctatio. vid. Geomantia.
Puteani (*Erycii*) *auſpicia bibliothecæ Lovanienſis.* I,1,17,22.
Lineæ Doctrinæ Civilis rejiciuntur. III,2,1,3.
pompæ proſphoneticæ. I,1,24,33.
purpura Auſtriaca. I,6,3,6.
reliquiæ convivii priſci. I,5,2,11.
(*Petri*) *Collecta Gallica acta publica 40000. libris emta regio Archivo inſerta.* I,1,24,49.
Cura inſignis in colligendis actis publicis Gallicanis. I,1,19,27. I,1,24,49.ſqq. I,1,3,18.
Vita à Rigaltio ſcripta. I,1,19,26.
Puteanus (*Erycius*) *infelix ſtyli Lipſiani imitator.* I,6,3,4.
Pygmæi *integram gentem non conſtituunt.* II,2*,2,5.
Pyrius *pulvis tormentarius ſecretò* I,1,11,12 vid. Pulvis.
Pythagoras *diſcipulus fuit Zabrati* I,1,10,9.
Pherecydis & Moſchi. II,2,6,4.
Druidum. I,1,10,21.
dogmata ſua variis gentibus, doctrinam autem numerorum Ægyptiis debuit. II,2,6,4.
fictitius aurea ſcripſit Carmina. I,7,2,13.II,1,2,8.
omnium Græciæ Philoſophorum parens fuit. II,2,7,1.
Pythagoræ *aureum femur, quinquennale ſilentium, myſteria ſingularia, oſtendit.* I,1,13,29.
ſententia de μετεμψυχώσει, *magiæq; & artiū divinandi peritia* II,2,6,6.
Vitā deſcripſerunt Jamblichus & Malchus. I,1,13,29.II,1,2,2.II,2,6,1.
Pythagoræorum *Harmonica Univerſi proportio, & Chimærici orbium cæleſtium concentus impugnatur.* II,1,2,6.
Pythagorica *doctrina de Numeris, ad Platonicos propagata,* γενικῶς *exponitur.* II,2,6,5.
philoſophia, ejus principia naturalia, unde petenda. II,2,6,1. *mater eſt omnium reliquarum ſectarum.* II,2,6,2.
Pythagoricæ *doctrinæ MSta plurima extant in bibliotheca Holſtenii.* I,1,7,66. II,2,6,3.
philoſophiæ cognitio non ſolum utilis, ſed etiam neceſſaria. II,2,6,2. *hiſtoria & Scriptores* II,1,2,1.ſqq. II,2,6,1. & 3. *finis & diviſio duplex.* II,2,6,7.

Q.

Qualitates *occultæ, vere tales, quænam ſint.* II,2*,8,11.
omnes ad ſenſus referri nequeunt. II,2*,8,2.
phyſicæ plurimæ impervestigabiles dantur. II,2*,8,1.
de Qualitatibus *occultis doctrina è Phyſicis eſt eliminanda.* II,2*,8,1.
Peripateticorum doctrina exploditur II,2*,7,2.
Qualitatum *Diviſiones Peripateticæ.* II,2*,7,4.ſqq.
exempla magnā partē fabuloſa II,2*,8,2.

 occul-

occultarum ineptæ diviſiones Kyperi rejiciuntur. II,2*,8,2.
Origo. II,2*,7,3.
de Quantitate *Syllabarum errores magnorum virorum notati.* I,7,1,16.
quinam ſcripſerint. I,7,1,16.
in Quantitate *corporum Matheſeos uſus maximus.* II,2*,3,2.
Quantitatis *corporum conſideratio accuratior ſumme neceſſaria.* II,2*,3,2. *Diviſio habetur.* II,2*,3,3. *Digbæi diviſio.* II,2*,3,6.
de Quarræo *memorabilis hiſtoria recenſetur* I,1,19,9.
Quenſtedii (*Joh. And.*) *dialogus de patriis illuſtrium virorum &c. recenſetur* I,1,18,17.
Quercetani (*And.*) *ſ. du Cheſne bibliotheca autorum hiſtoricorum & topographicorum Franciæ.* I,1,18,24.
Quies *quid ſit.* II,2*,6,8.
Quillet(*Claudius*) *poëma ſcripſit, cui titulus: Gallipædia.* I,2,1,8. *quo liberos ſapientes gignendi artem docet, plus quam decet Abbatem, & ultra quam honeſtas patitur.* ibid.
Quintiliani *annales Henr. Dodwellus ſcripſit.* I,4,13,3.
elogium. I,4,13,3, I,6,1,9.
inſtitutiones oratoriæ in Conſtantienſi Concilio in ſalſamentarii officina repertæ, multoties poſtmodum editæ. I,4,13,3. I,6,1,9.
nomen declamationes multas, inprimis à Pithæo emendatas & evulgatas, mentiri docetur. I,4,13,3.
Quintus *Calaber paralipomena Homeri ſcripſit, quæ verterunt Vellaræus & Rhodomannus.* I,7,2,23.

R.

Rabbinica *Scripta.* I,1,6,29.
Rachelii (*Joach.*) *Panegyris Menippea ad rationes Apophoretorum Martialis inſtituta laudatur.* I,7,3,4.
(*Samuelis*) *Diſſertt. de principio actionum humanarum* III,1,1,10.
Introductio ad philoſophiam moralem. III,1,1,2.
Rada(*Joh. de*) *librum edidit ſub titulo: Controverſiæ Theologicæ inter Thomã & Scotum ſuper quatuor libris ſententiarum &c.* II,1,14,14.
Radau(*Mich.*) *Orator extemporaneus recenſetur.* I,6,1,18.
Radiorum *ſolarium ſubſtantialitas defenditur.* II,2*,14,3.
Raëy (*Joh. de*) *clavis philoſophiæ naturalis Ariſtotelicæ Carteſiana.* II,1,15,10.
Raguſianus *terræ motus & obſervationes Travagini ex illo.* II,*2,26,3.
Raimundi (*Lullii*) *ars.* Vid. Lullius.
Rami(*Petri*) *Bibliotheca in tumultu laniénæ Pariſienſis miſere diſſipata.* I,1,5,26.
liber de religione Chriſtiana III,5,1,7
de Rami *vita, ſcriptis, aſſeclis, adverſariis & hyperaſpiſtis plura habentur.* II,1,12,1.
Ramirez (*Laurentii*) *de Prado Commentarium in Martialem Sanctii eſſe credit Placcius.* I,4,13,11.
Pentecontarchus. I,1,21,48. *an ſit auctor ejus libri.* I,5,1,13.
Ramſey(*Wilhelmi*) *liber de Vermibus in corpore humano, recenſetur, addita cenſura.* II,2*,45,7.
Ramus (*Pet.*) *αὐτοδίδακτος in philoſophiæ ſtudio.* I,1,1,14.
cenſura

cenſura acriori perſtringitur. II,2,12,7.
defenſor Platonis contra Ariſtotelem. II,1,7,17.
doctrinam de Sophematibus è Logica eliminavit. II,5,1,5.
impugnator Ariſtotelis acerrimus. II,1,12,1.
judicium (Richteri) parum benignum expertus. II,2,12,7.
novator non ſolum magnus in Dialectica, ſed & omni philoſophiæ parte. I,2,7,17. II,1,12,1.
originem ſuorum philoſophematum in multis debet Agricolæ & Ludovico Vivi. I,2,7,20. II,1,12,1.
quæ bona habet, ex Ariſtot. transſcripſit. I,1,3,18.
Ranarum *pluviæ ſunt fictitiæ.* II,2*,27,3.
Rapicius (*Jovita*) *de numero oratorio libb. V. ſcripſit.* I,6,1,21.
Rapini *Comparaiſon d'Homere & de Virgile,* I,4,11,14.
comparatio Demoſthenis & Ciceronis. I,6,2,8.
judicium de Commentatoribus Poëticæ Ariſtotelis, cenſorem habet Franc. Vavaſſorem. I,7,1,3.
Reflexions ſur l'Eloquence. I,6,1,31.
Reflexions ſur l'Eloquence de la chaire. I,6,4,8.
Rapinus (*Renatus*) *de agri- & horticultura commentatus eſt.* II,2*,42,1.
optimus Poëta Epicus. I,7,3,8.
Rappolti (*Frid.*) *carmina laudantur* I,7,3,8.
Raritas *quid ſit, docetur.* II,2*,7,5.
Ratione *bruta melius uti quam homines demonſtrare annititur Hier. Rorarius.* Vid. Rorarius. it. Bruta.
de Ratione *Status Scriptores.* III,7,1,5.
Rattray *de aditu patefacto ad occultas ſympathiæ & antipathiæ cauſas inveniendas cenſura fertur.* II,2*,8,3.
Raviſii (*Joh*) *Officina laudatur* I,1,21,37. *à Conrado Lycoſthene aucta.* I,1,21,57.
Raymundus *Decretales congeſſit.* III,6,7,14.
Raynaudus (*Theoph.*) *Erotemata de bonis ac malis libris edidit.* I,1,16,28.
à Patino elogiis ornatur. I,1,16,30. *ſ in Symbolum Apoſtolorum impiam cenſuram ſcripſit.* I,1,16,29. *qua cenſura ipſe cenſuram Eccleſiaſticam incurrit.* I,1,16,28.
Razi *Hinui fuere ſecretorum & ſapientiæ propagatores.* I,1,10,15. *à Noacho in Italia conſtituti eſſe dicuntur.* ibid.
Reael (*Laur.*) *de vi Magnetis exiguum libellum ſcripſit.* II,2*,32,5.
Reformati *in Hiſtoria & Antiquitate præcellunt.* III,5,1,1. *ex illa contra Pontificios pugnant.* III,5,1,30.
de Reformatis *& Schiſmaticis miſcella quædam inter eos.* III,5,1,32.
de Refractionibus *Scriptores.* II,2,1,9.
Reges *& Principes eruditi eruditos amant.* I,1,15,23.
à Regibus *& Principibus plerumq; artium & literarum fortuna dependet.* Vid. Artium.
Regii (*Henrici*) *fundamenta Phyſices notantur.* II,1,15,9.
de Regimine *Eccleſiaſtico Scriptores.* III,5,1,27.
de Regionibus *Suburbicariis quinam ſcripſerint.* III,5,1,26.
Regularum *juris Commentatores, eorumq; vitia.* III,6,6,4.

Regum & *Principum cura eſſe debet, ut artes liberales earumq; cultores foveant.* I,1,14,1. *in bibliothecis erigendis.* Vid. Bibliotheca.
Liberalitas in doctos. I,1,14,7.
Reineſii (*Thomæ*) *cura in codice Altenburgenſi de Scriptoribus chimicis emendando.* I,1,11,19. ſqq. vid. Chimia.
Epiſtolæ recenſentur. I,1,23,65. I,5,1,9.
Hiſtorumena linguæ Punicæ I,4,5,8.
Lectiones variæ ab Andr. Rivino impugnatæ. I,5,1,9
Stylus. I,1,23,66.
Reineſius (*Thom.*) *inſcriptiones collegit.* I,4,14,26.
Reiſeri *Diſſert. Epiſtolaris de origine, progreſſu & incremento Atheiſmi.* III,5,1,9.
Reipublicæ *omnium arcanorum ſtatus publicatio non expedit, nec conceditur.* III,2,1,7.
Relationes *aliorum in converſatione erudita quanti uſus ſint, exemplo Boylii oſtenditur.* II,2,1,7.
Legatorum de Rebuspubl. publicatæ III,2,1,7.
de rebus naturalibus & medicis variarum gentium recenſentur. II,2,1,16.
Relationum *è Parnaſſo autor Trajanus Boccalinus eſſe non creditur.* I,1,16,65. I,1,9,11.
Religio *Græcorum a quibus deſcripta.* III,5,1,23.
Moſcovitarum. III,5,1,23.
de Religionibus *ſectisque variis Scriptores.* III,5,1,20. *judicium de iis.* ibid.
Religionis *Græcæ conſenſum cum Pontificia falſo jactat Allatius.* III,5,1,23. *majorem deprehendes cum doctrina Proteſtantium.* ibid.
de Religionis *Chriſtianæ veritate quinam ſcripſerint.* III,5,1,7.
de Rennemanni *jurisprudentia Romano-Germanica judicium fertur.* III,6,5,5.
de Republica *Hebræa Scriptores.* III,6,2,1.
de Republica *Scriptores dogmatici recenſentur.* III,2,1,5.
Rerum *cognitione pueri a prima ætate ſunt imbuendi.* I,2,4,16. ſqq. *qui autores ad id commode adhiberi poſſunt.* I,2,4,21. ſqq. *inprimis Comenii orbis ſenſualium pictus.* I,2,4,28.
duo principia ſtatuunt Stoici. II,2,8,2.
de Rerum *inventoribus tr. Joh. Matthæi Lunenſis.* I,4,1,10.
Rerumpublicarum *ἀνακυκλώσεις & fata divino conſilio arbitrioq; reguntur.* I,1,12,32. ſqq.
excidia, fata & periodos quinam deſcripſerint. III,2,1,17.
Scriptores dogmatici recenſentur. III,2,1,5.
ſpecialium Scriptores adducuntur. III,2,1,7.
utilitates quinam deſcripſerint. III,2,1,10.
Reuchlinus (*Joh.*) *Capnionem a fumo ſe vocavit, potius à luce phoſphorus dicendus.* I,1,19,36. *Vitam ejus varii inprimis Joh. Henr. Majus eleganter deſcripſit.* I,1,19,37.
Rhedi (*Franc.*) *Experimenta circa generationem inſectorum.* II,2*,45,5.
Sententia de pluvia ranarum ex libro

bro ejus de inſectis adducitur. II,2*,27,3.
Sententia de ſenſu plantarum. II,2*,44,2.
Rhenius (*Joh.*) *non male de re ſcholaſtica meritus.* I,2,10,38.
Rhetores *anonymi.* I,6,1,31.
antiqui a Pithæo collecti. I,6,1,9.
Galli vernaculi recenſentur I,6,1,31.
Germani vernaculi. I,6,1,32.
Græci ab Aldo & Leone Allatio junctim editi recenſentur. I,6,1,7.
recentiores. I,6,1,10.
Rhetorica *Grammaticæ & Critices cognitionem prærequirit.* I,6,1,1.
Trapezuntii laudatur. I,6,1,19.
Rhetorica *Excerpta Vincentii Placcii laudantur.* I,2,5,59. *dedit Bernhardus in Theſauro ſuo rhetorico.* I,3,13,9.
Rhetoricæ *Eccleſiaſticæ Scriptores recenſentur.* I,6,4,2.ſqq.
Rhetorici *Scriptores recenſentur.* I,6,1,2.ſ.
Rhodigini (*Lud. Cælii*) *liber lectionum antiquarum laudatur.* I,4,21,50.
Liticula cum Eraſmo Roterod. I,1,21,68.
Rhodiginus *fuit J. C. Scaligeri Præceptor.* I,4,21,50.
Rhodii (*Ambr.*) *Dialogus de tranſmigratione animarum Pythagorica recenſetur.* II,1,2,7. II,2,6,6.
(*Joh.*) *Comm. in Scribonium Largum commendatur.* III,7,1,2.
lib. de Acia. I,5,2,13. *it. de ponderibus & menſuris medicis.* ibid.
Rhodomannus *excellentiſſimus poëta.* I,4,6,8.
Rhythmi *an à carminibus germanicis & ſimilibus abeſſe poſſint* I,1,24,82.
Rhythmici *verſus.* I,7,3,19.
de Rhythmis *& cantu Scriptores.* I,7,1,14.
Riccii *tr. de libris juris Romani, tàm Civilis, quàm Canonici.* III,6,4,3.
Riccioli (*Joh. Bapt.*) *Almageſtum recenſetur.* II,4,1,1.& 7.
Richardi *de Bury Stratagema libros rariſſimos colligendi.* I,1,4,11.ſq.
Richèlii *Cardinalis conſilia omnia reprehendit Abbas de St. Germain.* I,1,14,41.
Richerii (*Emundi*) *liber: Obſtetrix animorum laudatur.* I,2,2,30. *de figurarum arte & cauſis eloquentiæ nec non de arte & cauſis Rhetoricæ.* I,6,1,21.
Richteri (*Georg.*) *Axiomata Oeconomica, de quibus cenſura fertur.* III,3,1,5.
epiſtolæ contra maledicentiam Patini defenduntur. I,1,24,84. *rarioribus argumentis ſunt refertæ.* I,1,24,85.
lib. de ſignificatione adverbiorum juris. III,6,6,2.
Ridderi (*Franc.*) *hiſtoria de eruditione, libris & bibliothecis.* I,1,16,69.
Ridiculorum *librorum catalogus à Joh. Donne lepide confictus.* I,1,9,15.
de Rieros *liber medicus è proverbiis Hiſpanicis concinnatus.* I,1,21,105.
Rigiditas *deſcribitur.* II,2*,7,6.
Ringelbergii (*Joach. Fortii*) *laus & mirabilis vitæ conditio.* I,2,7,81.ſq.
de Riſu *egit Septalius peculiari libro* II,3,1,3.
ex Riſu *divinationem ſcripſit Aldoriſius.* II,3,1,3.
Rittershuſii *Comm. in LL. XII. Tabb. laudatur.* III,6,3,2. III,6,7,3.
Lib. de differentia juris Civilis & Canonici laudatur. III,6,7,14.
Parti-

Partitiones juris feudalis commendantur. III,6,7,15.
Rittershuſius *optimus Novellarum interpres* III,6,7,12.
Rituum *Aulicorum obſervatio Politico inculcatur.* III,1,1,9.
Riveti *Criticus ſacer laudatur.* III,5,1,28.
Rivius (*Joh.*) *Grammaticæ VIII. libb. ſcripſit.* I,4,10,10.
LL. CC. philoſophicos paravit, ſed primus tantum tomus editus eſt. I,1,21,115. *è quibus excerpta in verbis recenſentur.* I,3,4,29. ſq.
(*Thomas*) *Defenſionem Juſtiniani adverſus Alemannum ſcripſit.* III,6,4,2.
Hiſtoriam Navalem. III,4,1,9.
Robortelli *ſcripta varia ad Rhetoricen ſpectantia recenſentur.* I,6,1,11.
Superbia taxatur. I,6,1,11.
Robortellum *oratione panegyrica Carolum V. Imp. laudantem, memoria deſtituit.* I,6,1,11.
Robortellus *de Arte Critica ſcripſit.* I,5,1,2. *it. de nominibus Romanorum, nec non de Victu & Vita populi Romani.* I,5,2,5.
contra Thuani cenſuram defenditur. II,2,11,22.
Robortſonus *an Theſaurum Græcæ Linguæ ſcripſerit, in dubium vocatur.* I,4,8,7.
Roccus (*Ant.*) *Comm. edidit in libb. Phyſicorum Ariſtotelis.* II,2,14,71.
Tr. de immortalitate animæ, de quo judicium fertur. ibid. II,2*,47,6.
Rochaz (*Henr. de*) *aquam cum ſale rerum principium ſtatuit.* II,2*,31,3.
Rogeri (*Abrah.*) *Janua ad gentiliſmum.* II,1,2,11. II,2,5,6. *eſt monſtroſis fabulis referta.* I,1,13,27.
Lib. lingua patria ſcriptus de philoſophia & Religione Brachmanum. II,1,1,11.
Rohan (*Ducis de*) *Trutina Statuum Europæ laudatur.* III,2,1,10.
Rohault (*Jac.*) *Tr. phyſicus commemoratur.* II,1,15,9.
Roma *nova & vetus Alex. Donati.* I,5,2,5.
Subterranea Boſii. I,5,2,5.
de Roma *urbe, ejusq; ædificiis, familiis, nominibus, ordinibus & cryptis ſubterraneis, ſcriptores.* I,5,2,5.
Romanæ *Academiæ recenſentur.* I,1,14,16. ſqq.
Relationes de rebus naturalibus. II,2,1,16.
Romanenſium *fabularum* (*vulgo Romans*) *Scriptores Græci, Latini veteres & recentiores.* I,7,3,20.
Romani (*Ægidii*) *Scripta commemorantur.* II,14,1,7.
Romani *fori veteris proceſſum & ſolennia deſcripſit Budæus.* III,6,3,3. *formulas expoſuit Briſſonius.* ib.
juris hiſtoriam quinam tradant. III,6,4,4.
de Romani *imperii Statu quinam ſcripſerint* III,6,9,5.
de Romanorum *Magiſtratu, comitiis, legibus & judiciis auctores recenſentur.* I,5,2,7.
Notis libri recenſentur. I,4,2,3.
Religione, ſacris, ſacrificiis, templis, faſtis, annis, reliquisq; temporibus, quinam ſcripſerint, docetur I,5,2,6.
Rorarius (*Hier.*) *demonſtrare annititur, quod animalia bruta ratione melius utantur homine.* I,4,1,3.

de

de Roſe *ſcripſit Nardius.* II,2*,27,4.
Roris *copia major tempore plenilunii.* II,2*,27,4.
differentia a pluvia. ibid.
effectus ſe oſtendit etiam in plantarum ſi qua eſt, reſuſcitatione. ibid. §. 5.
productum eſt manna. ibid. §. 8.
it, mel, ibid. §. 6. *& Saccharum.* ibid. §. 7.
vis frequentior autumno & verno tempore. II,2*,27.4.
Ros *nubilo tempore non apparet* II,2*,27,4.
Cabaliſtis vocatur aqua ſuperior ſive maſculina. ibid.
de Roſa *egit Roſenbergius.* II,2*,43,3.
Roſarum *reſuſcitationis poſſibilitatem quidam probare laborant.* II,2*,27,5.
Roſeæ *crucis fratres.* Vid. Fratres.
Roſiani *Collegii arcana.* Vid. Mormii. *hiſtoria.* I,1,13,35.
Roſini (*Joh.*) *Antiquitates Romanæ cum notis Dempſteri ſæpè prodierunt.* I,5,2,4.
Roſſæi *Arcana microcoſmi.* II,2*,45,8.
Enchiridion oratorium & poëticum. I,7,1,19.
lib. de religionibus orbis, in omnes pene linguas converſus, III,5,1,20.
Ruarus (*Mart.*) *vir doctiſſimus, ſed Socinianus.* I,1,24,102.
Grotium in partes Socinianorum traxiſſe creditur. ib. & III,5,1,33.
paterna hæreditate in Holſatia excidit, ob religionem legibus Imperii vetitam. I,1,24,102.
Rubenius *ſupplet & emendat Ferrarii Opus de re veſtiaria, quod hic indigne fert.* I,5,2,9.
Rubii (*Ant.*) *cognomen a cognomine adverſarii Eraſmi diſtinguendum.* II,1,14,44.
Logica Mexicana, aliiq; libri recenſentur. ibid.
Rubius (*Ant.*) *ſcripſit aſſertiones catholicas adverſus Eraſmi errores.* II,1,14,44.
Rubricæ *LL. probè ſunt attendendæ.* III,6,3,9.
Rudbeckius (*Olaus*) *in Atlantica ſua & Lexico ſuperavit Stiernhielmum.* I,4,3,3. *ſcripſit & Diſſ. de linguarum origine, & aliam de Scandia antiquorum Gothorũ.* ibid.
Runam *Svecicam Lexicon magnum univerſale meditatus Georgius Stiernhielm.* I,4,3,3.
Runica *literatura Wormii.* Vid. Wormius.
Ruperti (*Chriſt. Adami*) *Commentatio in Enchiridion Pomponii laudatur* III,6,4,4.
Diſſertt. & obſervationes ad Vellejum. III,2,1,12. I,4,12,6.
Obſervationes in Synopſin Hiſtoricam Beſoldi commendantur. III,4,1,5.
Orationes quare legendæ. I,6,3,5.
Ruſticorum *præſagia tempeſtatũ* II,2*,18,7
Rutgerſii (*Jani*) *variæ Lectiones.* I,5,1,11.
Rutilii *Numatiani itinerarium.* I,4,14,6.
Ryſewick *prætermiſſas juris regulas ſcripſit.* III,6,6,4.

S.

SAbulum *non eſt elementum.* II,2*,21,1.
de Saccharo *quinam ſcripſerint.* II,2*,27,7. & 8.
Saccharum *conficitur ex ſucco dulci cannis expreſſo.* II,2*,27,7.

eſt mel Indicum. ibid.
de Sacris, *Sacrificiis & Sacerdotibus quinã ſcripſerint, recenſetur.* I,5,2,6.
Sachſii *Ampelographiam edidit.* II,2*,42,2.
Sagarum *probatio per aquam.* II,3,1,16. *à Conringio defenditur.* ibid.
de Sagis *quinam ſcripſerint.* II,3,1,15.
Sadeler (*Rudolphi*) *Orthographia & Phraſeologia.* I,6,1,32.
Teutſche *Rhetorica.* ibid.
Sal *ex nive confici poteſt liquida in momento coagulans.* II,2*,27,9. *non eſt materia proxima metallorum.* II,2*,35,1. *communis varias habet ſpecies.* II,2*,39,1. *uſum habet phyſicum & chimicum.* ib. *quomodo coquatur curioſè obſervavit Valentinus* II,2,1,6. *ejus Scriptores recenſentur.* II,2*,39,1.
Sal *Ammoniacus naturalis deſcribitur, nec non factitius.* II,2*,39,3. *Factitii vis eſt maxima, præcipuè in morbis.* ibid.
Salas (*Joh. Ant. Gonzalez de*) *Viage entretenido.* I,7,1,8.
Saleſii (*Franc.*) *introductio ad vitam devotam ab Anglis in linguam vernaculam verſa.* I,6,4,14.
Meditationes laudantur. ibid.
Vitæ Scriptores. ibid.
ex Saliſſatione *divinarunt Veteres.* II,3,1,5.
Salluſtii *brevitas modo laudatur, modo vituperatur.* I,4,11,8.
Editiones variæ recenſentur. ibid.
Opera Græca. II,1,7,10.
Salluſtius *variis variorum judiciis obnoxius.* I,4,11,8.
Salmaſii *Comment. in Arnobium.* I,4,14,10.
Diatribe de aſtrologia antiqua. II,2*,12,9.
Digreſſio hiſtorica de doctrina pſychologica. II,1,14,51.
Exercitationes Plinianæ laudantur I,4,13,1. I,5,1,12. II,2,2,3.
Hyle jatrica commendatur I,3,5,15.
Lib. de primatu Papæ. III,5,1,26.
Lites cum Petavio. I,4,14,4.
Opus in Solinum, oceanus eruditionis philoſophicæ vocatur. I,1,21,14.
quod ſine delectu ſcriptum II,2,2,3.
Querela de maligno Gronovii animo. I,5,1,12.
Rigor nimius in aſtrologiam judiciariam notatur. II,3,1,9.
Salmaſius *bibliothecæ Heidelbergenſis uſu prima eruditionis fundamenta jecit.* I,1,3,29. I,1,7,54.
Criticus fuit inſignis. I,5,1,12.
extemporalis fuit, & omnia prout conceperat, in typographiam miſit. I,1,24,14.
In defenſione cauſæ Anglicanæ multa ex Scriptis Schickardi de jure Regio Hebræorum hauſit. I,1,24,83.
juris Attici nonnulla capita illuſtravit. III,6,2,4.
nulla ſtipendii ſpe adduci potuit, ut Richelii hiſtoriam ſcriberet. I,1,15,18.
quaſi viva MStorum bibliotheca videri poteſt. I,1,7,10.
rem veſtiariam deſcribere incepit, ſed non abſolvit. I,5,2,9. *de quo inſtituto Spanhemii judicium.* ibid.
Salomonis *Herbarium arabica lingua extare dicitur.* I,1,6,27.
de Salomonis *libris quidam an adhuc abſconditi ſint.* ibid.
Salſedo *aquæ, unde* II,2*,20,1. & 2. *ab aqua marina ſeparari poteſt,* ib. §. 8.

de Saltationibus *ſcripſit Meurſius.* I,5,2,12.
Samaritanorum *Collegium ſ. academia univerſalis philadelphica* I,1,14,48 *pro officiis charitatis erga pauperes & afflictos præſtandis, adornanda.* ibid.
Sammarthanorum *elogia edita laudantur.* II,4,1,11.
Sammarthanus *poëma elegans ſcripſit de pædotrophia.* I,2,1,8.
Samothracum *collegia & LL.* I,1,13,12. *collegio heroes veteres Jaſon, Caſtor, Pollux, Hercules &c. recepti olim ſunt.* ibid.
Sanchez (*Franc.*) *Scepticiſmum, etſi haud ſerio, defendit in libro de multum nobili, & prima univerſali ſcientia, quod nihil ſcitur.* II,1.6,3. II,2,9,1.
Sanctii (*Franc.*) *Minerva laudatur* I,4,10,3.
Sanctitatem *ſingularem jactavit Pontanus.* Vid. Pontanus.
Sanctorius *Staticam Medicinæ applicuit.* II,4,1,15.
Sanderus *de Scriptoribus Flandriæ, Gandavenſibus & Brugenſibus ſcripſit.* I,1,18,35.
Sanderſonius *de obligatione & conſcientia.* III,1,1,7.
Sandii (*Chriſtoph.*) *Nucleus & Syſtema Hiſt. Eccleſiaſt. Arianiſmum ſapiunt.* III,4,1,15. III,5,1,33.
Sandius (*Chr.*) *Præexiſtentiam animæ defendit.* II,1,7,19. II,2*,47,6. II,2,11,10.
Sangeneſii *Elegiæ laudantur, Satyræ non item.* I,7,3,9. & 16.
de Sanguine *ſcripſit Betti.* II,2*,47,4.
de Sanguinis *Circulatione ſcripſit Watſonius.* II,2*,47,4. *quam primus adduxit in medium Harveus.* ibid. *ſed ante eum oſtendit Paulus Sarpius* I,1,19,24. II,2,2,6. vid. Sarpius.
Generatione lites. II,2*,47,4.
Transfuſione. Vid. Transfuſio.
Sanitatis *corporis tuendæ conſilia paradoxa Fortii.* I,2,8,40.
Sannazarius *optimus Poëta Epicus.* I,7,3,8.
Sanſonii *Geographia tabulis æri inciſis comprehenſa laudatur.* II,4,1,11.
Santinelli *confuſio transfuſionis recenſetur.* II,2*,47,4.
Sapientes *liberos gignendi ars an detur.* vid. Liberos.
Sapientiæ *divinæ & humanæ ſtudium ſedulo tractandum.* I,1,1,1.
Sapor. vid. Guſtus.
Sappho *inſignis Poëtria fuit, ejusq; carmina laudantur.* I,7,2,12. *quæ conquiſivit Stephanus.* ibid.
de Sarbievii *Epigrammatibus judicium.* I,7,3,3.
Sarpii *epiſtolæ Italicæ laudantur.* I,1,19,25. II,1,24,19. II,2,2,6. *hiſtoria Concilii Tridentini ſub nomine Svavis Polani ſcripta celebratur.* I,1,19,22. III,2,1,18. *hæc hiſtoria oppugnata & defenſa.* III,2,1,18. *laus ab inſigni eruditione & prudentia.* I,1,19,24. *liber affectus, quod atheiſmus repugnet naturæ humanæ.* III,5,1,9. *notæ affectæ in Ariſt. & alios Philoſophos commendantur.* II,2,12,2. *peritia Juris Canonici planè admiranda.* III,6,3,9. *vita à Fulgentio deſcripta.* I,1,19, 21. ſq. I,1,15,5.

de Sarpio *iniquum Cardin. Perronii judicium refellitur.* I,1,24,20.
Sarpius *Circulationis ſanguinis primus autor.* II,2,2,6. vid. Sangvinis.
Valdè ob locum Gen. I, 2. *periclitatus.* II,2,11,7.
Sarravii (*Claud.*) *epiſtolæ commendantur.* I,1,24,2. *habent vero lacunas, quæ è bibliotheca Gudianâ ſuppleri poſſunt.* ibid. n. 3. *inedita multa de eruditorum liticulis judicia habent.* ibid. n. 4.
Satyra *ſotadica obſcœna, peſſimus & flammis dignus liber.* I,1,8,29. *falsò à nequam homine Aloyſiæ Sygææ & Meurſio adſcribitur.* I,1,8,30. ſq.
Satyræ *genium nemo felicius Horatio expreſſit.* I,1,16,27. I,3,6,30. ſeq. III,1,1,5.
imaginem humanæ vitæ repræſentant. I,3,9,24.
Satyrarum *indoles cum gravitate concionatoria inepte comparantur à Claudio Verdierio.* I,1,16,27.
Sylloge. I,3,12,56.
Satyri & *Centauri ſunt fictitii.* II,2*,2,7.
Satyrica *Scripta ad libellos famoſos nonnunquam referenda.* I,1,8,33.
Satyrici *recentiores recenſentur.* I,7,3,16.
inter eos nemo Baldo melior. I,3,12,56.
Scriptores de rebus Politicis. III,2,1,10.
à Satyricis *inſultibus nec Reges aut Principes immunes eſſe poſſunt.* I,1,8,34. *exemplo eſt Jacobus I. Britanniæ Rex.* I,1,8,35.
de Satyris *ſcripta Robortelli, Caſauboni, Heinſii, Spanhemii & Rigaltii.* I,7,1,11.
in Satyris *magis latent characteres hominum quam in omnibus philoſophiæ moralis præceptis.* I,3,9,27.
Saturni *figura.* II,2*,12,6.
Sautel *ſcripſit Annum ſacrum Poëticum, it. Luſus Poëticos allegoricos.* I,7,3,4.
Saxonici *juris diverſitatem à Civili oſtendit Schulzius.* III,6,3,10.
de illo ſcripſit Carpzovius. ibid.
Sayri (*Greg.*) *Caſuum conſcientiæ theſauri recenſentur.* II,1,14,57.
Scalichii (*Pauli*) *ſcripta varia enumerantur.* I,1,11,4. I,2,5,28. I,2,7,57. ſeqq.
Vita deſcribitur. I,1,11,4.
Scaliger (*Joſephus*) *vir maximi in rem literariam meriti.* I,1,23,71.
Scaliger (*Jul. Cæſ.*) *nonnunquam virulento ſcribendi genere uſus eſt.* I,1,23,16. & 70.
Scaliger *famæ aucupandæ gratia adortus eſt Titium.* I,5,1,8.
de fluxu & refluxu maris fluctuat. II,2*,20,3.
de Linguæ Latinæ cauſis ſcripſit. I,4,10,5.
Scaligeri (*Joſeph.*) *Diſſert. de literis Jönicis.* I,4,1,9.
Epiſtolæ. I,1,23,71.
(*Jul. Cæſ.*) *Epigrammata.* I,7,3,2.
Epiſtolæ & Orationes commendantur. I,1,23,70. I,6,3,2.
Libri de Re Poëtica ſæpiſſime editi. I,7,1,6.
Opus de Latinæ Linguæ originibus. I,4,9,2.
Plagium & crimen falſi ac hæreſeos. I,7,1,6.

Liber de emendatione temporum à Petavio impugnatus. III,4,1,5.
Scaligeri *Oratio de verbo inepti.* I,1,23,70.
Scaligeri *& Caſauboni commercium literarum.* I,1,15,57.
Scaligeriana *excerpta continent judicia ex converſatione notata.* I,1,6,37. *à Puteanis collecta dicuntur.* I,1,16,57. I,1,19,26. *quanquam à Joh. Vaſſano collecta dicat Patinus.* I,1,16,59. *ſunt vel Scaligeriana prima vel altera.* I,1,16,58.
Scaligeriani *libri ἀνέκδοτοι.* I,1,4,4.
Scapula *plagio quodam Henr. Stephani Theſaurum in aliam formam redegit.* I,1,9,17. I,4,8,6.
Scayni (*Ant.*) *Commentationes in quosdam Ariſtotelis libb.* II,1,11,27.
Paraphraſis in XIV. libb. Ariſt. Metaphyſ. II,1,14,65.
in Scazontibus *quisnam excellat.* I,7,3,12.
Sceptici *quinam fuerint.* II,2,9,1.
Scepticiſmi *Carteſius & Agrippa falſo accuſantur.* II,1,6,1. II,2,9,1. & 2.
Impugnatores. II,2,9,1.
Origo. II,2,9,1. II,1,6,1.
Patroni. II,1,6,2. & 3.
Propugnatores. II,2,9,1.
de Scepticiſmo *Veteri & Recentiori diſputavit Gabriel Wedderkopff.* II,1,6,3.
Scepticiſmus *antiqua via fuit ad Atheiſmum.* II,2,9,3. *non eſt philoſophia, ſed ſophiſtica ipſos ſenſus abſurde ejurans.* ibid.
Scepticorum *argumenta pro rerum omnium incertitudine recenſentur.* II,2,9,4.
Secta. II,1,6,1. *Scriptores contra illam.* ibid.
R. Schabtai *ben Joſeph Labia dormientium commendantur.* I,4,5,5.
Schævii (*Henr.*) *Diſſertt. Philologicæ de origine Lingg.* I,4,3,7.
Mythologia. I,7,1,17.
Nomenclator. I,4,9,6.
Paraphraſis & Lexicon Statianum periit. I,4,13,9.
Schallius *Relationem de ortu & progreſſu fidei orthodoxæ in regno Sinenſi ſcripſit.* II,2,5,2.
Scharrockius *de propagatione vegetabilium per concurſum artis & naturæ ſcripſit* II,2*,41,2. & 4. *it. de officiis ſecundum jus naturæ.* III,1,1,7. *de quo judicium.* III,6,1,3.
Schefferi *Graphice.* I,5,2,14.
Gymnaſium Styli. I,6,1,21.
Lib. de militia navali. I,5,2,10. *it. de re vehicularia.* ibid. n. 13.
Opus vaſtum de philoſophia Pythagorica, cujus prodromum tantum habemus. II,1,2,1. II,2,6,1.
Orationes duæ. I,6,3,6.
Schegkii (*Jac.*) *cæcitas.* II,1,11,23. *controverſia cum Simonio.* ib. §. 28. *ſcripta.* ibid. §. 23.
Scheldonianum *theatrum Oxoniæ.* I,1,4,16.
Schelii *Hiſtoria militaris affecta.* III,4,1,9.
Libertas publica laudatur III,2,1,10
Scheltoni (*Thomæ*) *Tachygraphy or Short-writing.* I,4,2,4.
in Schematiſmis *materiæ Phyſices principia inſufficienter ponuntur.* II,2,1,25.
Schenkelius *artem mnemonicam paſſim non ſine inſigni lucro docuit & exercuit.* I,2,6,38. ſqq.
Scherbii *Diſp. pro Philoſophia Peripatetica adver-*

adverſus Ramiſtas laudatur. II,1,11,30.
Editores poſthumi nullo uſi delectu. II,1,11,39.
de Scherbii *Comm. poſthumo in Ariſtotelis libb. de Republica, judicium fertur.* II,1,11,30.
Scheurlii *Bibliographia moralis.* III,1,1,2.
Scherzeri *Breviarium Euſtachiano-Philoſophicum commemoratur.* II,1,14,31.
Schickardi *Bibliothecam & MSta Rex Galliæ ære ſuo redemit.* III,5,1,21. III,6,2,1.
Jus Hebræorum. I,1,24,83. III,6,2,1.
Schickardus (*Wilh.*) *literis judaicis propemodum immerſus & innutritus* I,1,24,83.
à Salmaſio plagium paſſus. III,6,12,1.
Schmidii (*Eraſmi*) *ſtudium Pindaro impenſum laudatur.* I,7,2,10.
Schneidewini *Comm. in inſtitt. improbatur.* III,6,7,3.
de Schnobelii *Diſp. judicium.* III,6,7,8.
Schoenſlederi *apparatus eloquentiæ præ ceteris commendatur.* I,3,2,25. & 31. I,4,9,20. I,6,1.24.
Scholæ *apud Weſtphalos primum ſunt inſtitutæ per Rudolphum Agricolam.* I,2,2,14. ſqq.
Hebræorum à Prophetis inſtitutæ. I,1,14,2.
Publicæ quare privatis præferendæ. I,2,10,2. ſqq.
Scholarum *& doctrinarum ordinatio, defectuumq; correctio ſummam prudentiam requirit.* I,2,2,6.
Inſtitutio nova à Magno Pegelio propoſita. I,2,9,26.
Oeconomiam & inſtitutionem variis ſcriptis ornavit Joh. Sturmius & alii. I,2,2,26. ſqq.
Vitia & mali mores protruduntur in Academias. I,2,2,8. I,2,11,1. ſqq.
Scholaſtica *Curricula nec nimis amplis, nec nimis anguſtis ſpatiis includenda.* I,2,10,10. ſqq.
Munera cur boni plerique defugiant. I,2,2,8.
Studia nec in Academiis negligenda. I,2,11,7. ſqq.
Scholaſticæ *informationis commodius inſtituendæ regula.* I,2,10,48.
Philoſophiæ & Theologiæ originem & progreſſum deſcripſit Naudæus. II,1,13,2.
Scholaſticam *Philoſophiam ineptæ verſiones Ariſtotelis enixæ ſunt.* II,1,8,1. II,2,12,6.
Scholaſtici *Doctores antiquiores & recentiores, intermediis multo ſaniores fuerunt.* II,1,14,1. *Nominales quinam.* II,1,13,2. ſqq. *Reales.* II,1,14,1. ſqq.
Philoſophiam Ariſtotelis corruperunt II,1,13,1. II,2,12,6.
de Scholaſticis *judicium.* II,1,11,2. *benignius Georgii Calixti.* II,1,13,14.
Scholaſticorum *hiſtoriam quinam tradiderint.* II,1,13,1.
horridum dicendi genus taxatur. I,6,4,1.
nominalium & realium diſceptatio de univerſalium exiſtentia fuit. II,1,13,2.
nominalium ſectæ à Gvilielmo Occamo inſtauratæ præcipui celebrantur Doctores. II,1,13,2. *contra illam promulgavit edictum Ludovicus*

vicus XI. Galliæ Rex. II,1,13,12.
Scriptorum de jure & juſtitia lectio cum ſelectu inſtituenda. III,6,1,1.
Theologia labe Ariſtotelica infecta. I,1,2,10. Vid. Theologia.
Scholica *hexaëtia Jer. Holtzlini recenſentur.* I,2,10,14. ſeqq.
Scholis *Magiſtri & moderatores non imperiti, ſed judicio eximio præditi præficiendi.* I,2,2,7. I,2,10,48. *ut & idonei Ephori.* I,2,10,7. ſeqq.
de Scholis *earumq́ inſtitutione Scriptores.* I,2,2,18. ſeqq.
in Scholis *publicis quare tardiores ſunt ſtudiorum progreſſus, quam in privatis* I,2,1,54. I,2,10,1. ſeqq.
Schonæi *Terentius Chriſtianus.* I,7,3,15.
Schoockii (*Mart.*) *Orationes laudantur.* I,6,3,4. *de eo judicium.* II,2*,21,6. III,6,1,5. *Fatum Reipublicæ Achæorum & Vejentium.* III,2,1,17. *it. de notis ejus in Grotium promiſſis.* III,6,1,5.
Schorii *liber de ratione docendæ diſcendæq́ Græcæ & Latinæ linguæ laudatur.* I,4,6,11.
Phraſes Latinæ linguæ. I,4,9,20.
Theſaurus Ciceronianus laudatur. I,4,9,12.
Schotani *Examen juridicum & Collegium.* III,6,7,6.
Schotti (*And.*) *Adagia Græcorum.* I,1,21,85. ſq.
Obſervationes humanæ & Nodi Ciceroniani laudantur. I,5,1,10.
(*Caſpar.*) *Curſus Mathematicus.* II,4,1,3.
Schraderi *Orationes laudantur.* I,6,3,3.
Specimen orationum Livianarum & Sleidaniarum. I,1,1,25.
Schrevelii *Palæmon ſ. Diatribæ ſcholaſticæ recenſentur.* I,2,2,28.
Lexicon. I,4,8,10.
Schriekii (*Adr.*) *Monitoria.* I,4,3,4.
Origines Celticæ. ibid.
Schülleri (*Joh.*) *Philoſophia, nova methodo explicata recenſetur.* II,1,14,55.
Schultetus *in Medulla Patrum demonſtrat, hos non ſtare à Pontificiorum partibus.* III,5,1,28.
Schuppius (*Joh. Balth.*) *in Orationibus plagiarius eſt, inq́ iis nihil laude dignum habet.* I,6,3,3.
Schwammerdammius *laudatur.* II,2*,45,5. *hiſtoria ejus naturalis inſectorum recenſetur.* II,2*,45,5.
Schwarzius *non fuit inventor pulveris pyrii.* II,2*,38,3.
Schwenckfeld *ſcripſit Catalogum foſſilium Sileſiæ.* II,2*,29,4.
Schwenteri (*Dan.*) *Steganographia* I,4,2,4.
Schyrley *lapide ex aqua & ſeminibus ſuis oriri putat.* II,2*,31,3.
Scientia *univerſalis.* vid. Encyclopædia.
de Scientia *divina media commentati ſunt Matthias Borrul & Paulus Leonhardus.* II,1,14,39.
Scientiæ *& diſciplinæ, ut & libri, ſua habent fata.* I,1,2,21. I,1,22,25. ſqq.
Scientiarum *Arcana.* Vid. Arcana.
omnium principia in Script. S. ineptè inveſtigantur. II,2,3,1.
parallelisſmi è temporum ſerie inſtituendi. I,1,2,20.
Scioppii *Commentarii de Ling. Lat. abſolutiſſimi, ἀνέκδοτοι, ob præſtantiā à literatis ſumme deſiderantur.* I,1,7,41.
Diatribe de compendioſa & facili Linguam

guam Hebr. & Chald. addiſcendi ratione, per plagium Buxtorffio ablata. I,4,5,2.
Elementa philoſophiæ Stoicæ moralis, de quibꝰ judicium II,1,4,1. II,2,8,1.
Genius maledicus notatur. I,4,10,4.
Grammatica Philoſophica. I,4,10,4.
Judicium de Stylo hiſtorico. I,6,1,29.
quorundam aliorum. I,1,23,36.
Mercurius bilinguis. I,2,4,21. *trilinguis ἀνέκδοτος deſideratur.* I,4,9,14.
Plagium inſigne. I,4,14,14.
Scioppius *Priapejorum ſcriptum impurum edidit.* I,1,11,50.
Scoti *doctrina quare impugnata* II,1,14,8.
Opera recenſentur. ibid.
Scotiſtarum *malleum ſcripſit Prierias.* II,1,14,35.
Scotus *auctor ſectæ Scotiſtarum.* II,2,14,8.
exiſtentiam magiæ negavit II,3,1,15.
de Scribendi *ratione apud Veteres liber Hermanni Hugonis recenſetur.* I,4,1,9.
in Scribonium *Largum Comm. Rhodii commendatur.* III,7,1,2.
Scriptionis *occultæ ars.* I,4,2,4. *apud nullos magis quam apud Anglos floruit, eamq; peculiaribus libris expoſuerunt.* ibid.
ejus apud Anglos uſus. ibid.
Scriptores *Ævi medii, ob hiſtoriam non ſtylum, legendi.* I,4,14,25.
Anti judaici. III,5,1,21.
Antiquarii. I,4,2,1. ſqq.
Antiquitatum Græcarum & Romanarum notantur. I,5,2,1.
Critici. I,5,1,1. ſqq.
Hiſtoriæ Auguſtæ ſex. I,4,14,7.
Hiſtorici, Politici & Eccleſiaſtici quinam. III,4,1,1.
Phyſici Miſcellanei commemorantur II,2,2,11.
è Scriptura *divinatio.* II,3,1,3.
Scripturæ *neceſſitas & præſtantia.* I,4,1,8.
Scrutinium *linguarum & religionum Brerewoodi.* I,4,3,10.
Scythicam *linguam Gothicæ, Svecicæ &c. matrem eſſe credidit Salmaſius, Boxhornius & alii.* I,4,3,3.
Seberi *index in Homerum.* I,7,2,2.
Sebonde (*Raymundi de*) *Theologia naturalis laudatur.* III,5,1,6.
Seckendorffii Teutſche Fürſten-Staat. III,2,1,17.
Sedanenſium *Diſputt. Volumen.* III,5,1,29.
de Seditionibus *Scriptores.* III,2,1,17.
Sejugatio *illuſtris figura poëtica.* I,3,10,46.
Seldeni *Diſſert. ad Fletam laudatur.* III,6,3,1. II,6,4,3.
Scripta de jure naturæ & gentium ex mente Hebræorum. III,6,1,6. III,6,2,1. *de rebus judæorum.* III,5,1,22. III,6,1,6.
Seleni (*Aug.*) *Cryptographia.* I,4,2,4.
de Sellis *veterum ſcripſit Chimentellius.* I,5,2,13.
Senecæ *Epiſtolæ & Scripta laudantur.* I,1,23,22. *totam philoſophiam Stoicam exhibent.* ib. *in quibus LL. CC. ab ipſo ſcripti.* I,1,22,6. I,1,23,22.
Latinitas multis in locis claudicare dicitur. I,1,23,23.
Stylus. Vid. Stylus. *cujus imitationem diſſvadet Quintilianus* I,4,12,8.
circa Senecam *Tragicum diſſenſus Auctorum inprimis Lipſii & Scaligeri* I,4,12,8.
Senecarum *Opera laudantur.* I,4,12,8. *Editiones illorum variæ.* ibid.

Sengver-

Sengverdii *Exercitationes Phyſicæ laudantur.* II,2,1,8.
Sennerti *Phyſica in quibus ab Ariſtotele differat.* II,2,15,7.
Senſationis *motus eſt celerrimus* II,2*,48,1.
de Senſibus *internis rectius docent Carteſiani quam Ariſtotelici* II,2*,48,7.
ſententia Stoicorum. II,2,8,4.
Senſum *Ducem ſequuntur quidam Philoſophi circa principia phyſica.* I,2,18,1.ſqq.
omnibus rebus adſcripſit Campanella. II,1,12,4.
Senſus *brutorum.* Vid. Bruta.
non ſunt corpora. II,2*,47,1.
Senſuum παρορᾶματα *certitudini rerum non obſtant.* II,2,9,5.
Septalii (*Lud.*) *lib. de ratione Status, nec non Comm. in Ariſtot. Problemata.* II,1,11,14. *it. de re familiari.* III,3,1,2.
Septenarii *numeri Virtutes.* I,1,12,20.ſq.
è Septentrionali *terra multæ ſunt fabulæ.* II,2*,21,5.
Sepulvedæ *Epiſtolæ & Scripta.* I,1,24,53.
Serarius *Chiliaſta eſt.* III,5,1,11. *de quo judicium.* ibid. *pro Chiliaſmo librum ſcripſit.* III,5,1,35.
Sermones *Eruditorum familiares, invitis autoribus, non temere edendi.* I,1,16,61.ſqq.
Sermonis *origo à Deo eſt, non caſu aut conſenſu hominum fortuito* I,4,1,4.
uſus prærogativam hominum præ brutis oſtendit. I,4,1,3.
Serpentum *incantatio.* II,3,1,17.
de Serrani *ſ. de la Serre ſcriptis judicium fertur.* I,6,4.17.
de Seſtertiis *liber Gronovii.* I,5,1,12.
Sethi *Columnæ.* I,1,6,16.
de Severambes *populis liber hiſtoricus atheiſmum & naturaliſmum ſapit, ceterum doctus & magna cura ſcriptus.* I,1,8,23.
Severus *Sulpitius.* Vid. Sulpitius.
Sexti *Empirici, ſcepticiſmi patroni, opera ſunt rara.* II,1,6,2.
Sextus *Aurelius Victor ſcripſit libros de Origine gentis Romanæ, de Viris illuſtribus, & de Cæſaribus.* I,4,14,8.
de Seyboldi *Tyrociniis & Grammaticis ſequius judicatur.* I,4,10,10.
Siberi (*Ad. Th.*) *Orationes laudantur,* I,6,3,3.
Sibyllam *unam tantum fuiſſe dicit Petitus.* I,1,10,20.
Sibyllina *Oracula & Verſus de Chriſto an ſint ſuppoſititia* I,1,9,10. I,1,10,19.
Sibyllinam *doctrinam à Noachi nuru ortum habuiſſe credit Poſtellus.* I,1,10,18.
Sibyllinarum *origo & numerus incertus.* I,1,10,18.
Sibyllini *libri fuere Romanorum prophetici* I,1,10,30.
Sibyllinorum *Scriptorum magna fuit diverſitas.* I,1,10,19.
Siccitas *quid ſit.* II,2*,7,6.
Siderocrates *Cyclopædiam Paracelſicam Chriſtianam ſcripſit* II,1,15,16.
Sidonii *Apollinaris Commentatores & Editores.* I,4,14,21.
Epiſtolæ & Stylus. ibid.
Signorum *artem ſcripſit Georg. Dalgarn, Anglus.* I,2,6,83. I,4,2,5.
uſus pro memoria juvanda. I,2,6,77.ſeqq.
Sigonii *Hiſtoria Imperii occidentalis & Comm. de Statu Italiæ.* III,6,9,2.
libri alii recenſentur I,5,2,7. I,6,1,28

Sigonius *Ciceronianæ conſolationis verus autor.* I,1,9,7.
de Silentii *jure Diſſ. ſcripſit & Tract. promiſit Autor.* III,6,8,5.
Silentiarii *epigrammata.* I,7,2,27.
Silhonii *le Miniſtre d' Etat.* III,2,1,17.
Siliginis *frumentum, pro fundi diverſitate nobilius vel ignobilius eſt.* II,2,1,6.
Silii (*Italici*) *Commentatores.* I,4,13,7.
de Silio *Italico Judicia recenſentur* I,4,13,7.
Simile *repræſentatur emblematum pictura.* I,1,21,59.
Similia *ſunt quaſi metaphorarum evolutiones.* I,1,21,56.
Similitudo *Dei finis philoſophiæ Pythagoricæ.* II,2,6,7.
Similium *Collectanea edidit Conr. Lycoſthenes.* I,1,21,56.
Simmias *Rhodius Bucolicus Poëta.* I,7,2,16.
Simonides *Poëta Lyricus, ob varia inventa ſcripta & ſvavem characterem commendatur.* I,7,2,12. *de illo Gyraldus & Voſſius multa congeſſerunt, hujus tamen lapſus notatur.* ibid. *Fragmenta ejus collegit Stephanus.* ibid.
Simonii (*Simonis*) *Comm. in quosdam Ariſt. libb. enumerantur.* II,1,11,28. *Controverſia cum Schegkio.* ibid.
Simonis (*Richardi*) *Hiſtoria V. T. Critica multa in Voſſianis taxat* III,5,1,5
Simplicii *multa in Ariſtot. Commentaria.* II,1,9,6.
Sinenſium *linguæ primam antiquitatem tribuit Webbius.* I,4,3,2.
de Sinenſium *linguæ genio complura afferuntur.* ibid. *ut & de modo philoſophandi per lineas.* II,1,2,4.
Sinibaldi *Geneãthropia laudatur* II,2*,47,2
Sinica *Clavis Mülleri in fumum abiit.* Vid. Müllerus.
de Sithmanni *Speculi Romani judicium.* III,6,4,4.
Skinneri (*Stephani*) *Etymologicon Anglicanæ Linguæ recenſetur.* I,4,3,9.
Sleidanus *ejusq; Continuatores Strauchius & Schurzfleiſchius commendantur.* III,4,1,4.
Sleſvicenſis. *Praxis.* Vid. Praxis.
de Slüteri *Propylæo Hiſtoriæ Chriſtianæ judicium fertur.* III,5,1,13.
Smaragdi *tabula, quæ maximam magiæ partem abſolvit, in Ægypto cuſtodita.* I,1,11,30.
Smetii (*Joh.*) *Antiquitates Noviomagenſes* I,5,2,13.
Smetio (*Henr.*) *in Proſodia fides ſemper haberi non poteſt.* I,7,1,16.
Smidenſtadii *Opus in LL. CC. oratorios digeſtum, ſed ineditum laudatur.* I,1,25,13. *tr. de imitatione Ciceroniana, editus* ibid. §.14.
Snorronis (*Sturlæ*) *Edda Islandorum à Petro Joh. Rèſenio edita & notis aucta.* II,1,1,13.
Societas *Anglica Regia ab Abrahamo Cowleo antehac quodammodo concepta.* I,1,14,45. II,2,1,15. *ad culturam phyſiologiæ & matheſeos inſtituta* I,1,14,44. I,1,16,34. II,2,1,3. *originem quam habuerit.* I,1,14,44. II,2,1,13. & 14. *plagii accuſatur.* II,2,1,13. *à Scepticiſmo abſolvitur.* II,2,9,2.
Societatis *Anglicæ Regiæ Acta Oldenburgerus publicavit.* I,1,16,34. *fatum ſingulare.* II,2,9,2. *hiſtoria à Thoma Spraat deſcripta.* II,2,1,13. *ortus,*

ortus, progreſſus, conſtitutio & methodus in res naturales inquirendi I,1,16,34 II,2,1,15.
Socinianorum *Antagoniſtæ.* III,5,1,33.
dogmata quinam deſcripſerint. ib.
librorum catalogi. ibid.
Socrates *Atheiſmi immerito à Pet. Pomponatio accuſatur.* II,1,3,1.
Philoſophiæ practicæ, quam theoreticæ ſtudioſior fuit. II,1,3,1.
Phyſica parum excoluit. II,2,11,1.
Socrates *Chriſtianus Balzaci.* II,1,3,2. II,2,11,1.
Socratica *Critica quænam ſit.* I,1,15,56.
Socraticæ *philoſophiæ Scriptores recenſentur.* II,2,11,1.
Socratis *apologiæ a quibus ſcriptæ.* II,1,3,1.
epiſtolæ à Leone Allatio publicatæ. ib.
genius ſ. dæmonium quodnam fuerit. I,1,12,31.
phyſica ſcepticiſmo fuit affinis II,2,11,1
vitam deſcripſit Balzacus. II,1,3,2.
Sol *quare terram jam dudum non deſtruxerit, docet Teleſius.* II,2,13,4.
de Sole *ſententia Honorati Fabri habetur.* II,2*,12,3.
Stoicorum proponitur. II,2,8,3.
Teleſii refellitur. II,2,13,6.
Solea *ſcripſit* vom Urſprung der Metallen. II,2*,29,4.
Solem *æſtus marini cauſam ſtatuit Voſſius & ante eum Campanella.* II,2*,20,4.
Solini *Polyhiſtorem Commentariis nimis feſtinanter & ſine delectu ſcriptis explicavit Salmaſius.* II,2,2,3.
Solis *figura.* II,2*,12,6.
Solium *ac mundorum multitudinis innumeræ aſſertores recenſentur.* II,2,15,1.
Soloeciſmi *viris doctis haud raro excidunt.* I,1,24,81. I,1,23,46. *notantur à Scioppio.* I,4,9,19.
Soloeciſmos *in Scaligero & Caſaubono notatos Scioppius notavit cum titulo Herculis κοπροφόρȣ.* I,1,4,81.
Σόλοικα *multa indicat Ant. Matthæi, quæ talia non ſunt.* I,3,4,31. *exciderunt nonnunquam Salmaſio.* I,1,23,46.
Σολοικοφανῆ *Veterum.* I,3,4,31.
de Somniis *Scriptores recenſentur.* II,3,1,8.
Soncinas (*Paulus*) *quæſtiones metaphyſicas ſcripſit.* II,1,14,33.
Soni *Diverſitas & natura.* II,2*,48,3.
Scriptores. ibid.
de Sophiſtis *ſive Rhetoribus monitum generale.* I,6,1,7.
de Sophiſmatibus *doctrina è Logica non eſt eliminanda.* II,5,1,5.
Sophiſmatum *LL. CC. conficiendi conſilium.* II,5,1,5.
Sophocles, *antiquiſſimus Tragoediarum Scriptor, modo laudatur modo vituperatur.* I,7,2,6.
Sophoclis *Editiones, ſcholia & verſiones enumerantur.* ibid.
Scholiaſtes. I,4,6,5.
contra Sorbierium *ſingularem librum lingua Anglica ſcripſit Thomas Spraat.* I,1,24,133.
Sorbierius *Hiſtoriographus Galliæ Regis, epiſtolas eruditiſſimas varii argumenti ſcripſit.* I,1,21,44. *de quibus judicium fertur.* II,2,2,6.
Itinerarium Anglicum edidit II,2,2,6
Gallica lingua ſcriptum. I,1,24,133.
Sorbona *Pariſienſis à Roberto de Sorbona inſtituta.* II,1,14,34.
Sorelli *lib. la Bibliotheque Françoiſe recenſetur.* I,1,18,25.

Sorellus *autor libri anonymi, de la connoiſſance des bons livres, creditur.* I,1,16,9.
conſilium cepit de Encyclopædia Gallica concinnanda, quod vanum eſt I,1,18,25. I,2,7,70. ſqq.
libros multos alios edidit, Gallica lingua ſcriptos. I,1,18,25.
Sotadica *Satyra.* Vid. Satyra.
Soterii *Carminis exempla.* I,3,12,48.
Soto (*Dominici à*) *libri recenſentur.* II,1,14,26.
Spachius (*Iſraël*) *edidit Nomenclatorem Scriptorum philoſophicorum & philologicorum.* I,1,18,58. *item Nomenclatorem medicum.* ibid.
Spanhemii *Introductio ad hiſtoriam &c. laudatur, nec non introductio ad Geographiam ſacram* III,4,1,13. *it. ad controverſias ſelectiores.* III,5,1,20.
Orationes panegyricæ. I,6,3,6.
Spanhemius (*Frid.*) *in Carteſium aliquantum iniquior fuit.* III,5,1,20.
(*Ezech.*) *de Deorum veterum genealogia & hiſtoria ſcripſit.* I,7,1,19.
It. de numiſmatum uſu & præſtantia. I,5,2,2.
Spartanorum *leges cum Ægyptiis concordant.* III,6,2,4.
Spatium *aëre vacuum poſſe dari, conſtat è ſcriptis & experimentis Boylii, aliorumque.* II,2*,4,3.
de Specu *Baumanniana ſcripſit Eckſtormig.* II,2*,21,5.
Specula *Aſtrologica, in quibus futura cernuntur, an dentur.* I,1,10,34.
Spedi (*Joh.*) *Theatrum Britannicum laudatur.* II,4,1,12.
Speidelius *è quæſtionum jurid. controverſarum titulis librum concinnavit.* III,6,8,1.
Speluncæ *ſubterraneæ.* II,2*,21,5.
Sperlingii (*Joh.*) *Phyſica improbatur.* II,2,15,7.
Sperlingius *de Principiis corporum ſcripſit.* II,2*,1,9.
Speronii (*Speronis*) *in expilandis Scriptoribus obſcurioribus verſutia* I,7,1,15.
Speuſippi *Scripta recenſentur.* II,1,7,3.
Spinoſa (*Bened.*) *Atheiſmi infamis propugnator.* I,1,6,24. *pro eo ſtabiliendo peſſima ſcripta vulgavit.* I,1,8,15. III,5,1,8. *hujus principia ex Hobbeſio hauſit.* II,1,15,15. *Pentateuchum à Moſe conſcriptum eſſe negat.* I,1,6,24. *refutatus à diverſis, præcipue à Blyenbergio & Pojereto, eadem qua ipſe triumphos ducere voluit Mathematica methodo proſtratus.* I,1,18,15. III,5,1,8.
Ethicæ doctrinæ corruptor & atheiſmi doctor. III,1,1,4. *ei tribuitur philoſophia S. Scripturæ Interpres.* III,5,1,11.
Spiritus, *qui aquis incubuit, diverſæ ſunt interpretationes.* II,2,3,2. & 5. II,2,11,7.
Spiritus *vini an in priorem vini ſtatum reduci poſſit, diſquiritur.* II,2,16,3.
Spiritus *in fodinis verſantes dantur.* II,2*,2,5.
Spirituum *conjuratio ad Magiam pertinet.* II,3,1,14.
medicina Sebaſt. Wirdigii. I,1,11,14.
Spitzelii (*Theoph.*) *Diſſ. præliminaris laudatur.* I,1,17,20.
lib. de re literaria Chinenſiū. II,2,5,2.
literatus felix & infelix. I,1,16,68. III,5,1,13.

ſacra bibliothecarum illuſtrium arcana detecta. I,1,17,20.
Sponii (*Jac.*) *Miſcellanea eruditæ antiquitatis.* I,4,14,26.
Spraat (*Thom.*) *Experientiam ad artis regulam revocare, impoſſibile exiſtimat.* II,2,1,18.
Hiſtoriam Societatis Anglicæ Regiæ deſcripſit. II,2,1,13.
in Verulamium & alias gentes iniquior. ibid.
Stannum *cum argento, aqua frigida & glacie ſociari nequit.* II,2,1,6.
Statica *Laocoontis & liberorum ejus à Dracone interfectorum.* I,1,25,22.
Staticæ *Scriptores.* II,4,1,15.
Statii *carmen encomiaſticum in equum Domitiani reſolvitur.* I,2,16,40.
ſtyli audaciam peculiari Gaudentius deſcribit libro. I,4,13,9.
Statius *laudatur, lectio tamen ejus in prima ætate diſſvadetur.* I,4,13,9. *à variis cum notis editus,* ibid. *in Gallicam linguam translatus.* ibid.
Statuæ *mediante aqua ſonantes antiquitus etiam ſunt facta.* II,2*,22,3.
de Statuis *& ſtatuariis liber Figrelli* I,5,2,14.
Statuta *quid ſint.* III,6,10,1. *de iis quinam ſcripſerint.* III,6,10,1. ſqq.
Statutarium *Jus.* Vid. Jus.
de Statutorum *Harmonia conſilium.* III,6,10,4.
Staudigelii (*Udalrici*) *Logica Practica recenſetur.* I,2,5,52.
Staudii *oratio in Carol. Guſtavum.* I,6,3,6.
Steckii (*Joh.*) *Obſervationes anti-criticæ juris laudantur.* III,6,7,5.
Steganographia *Schwenteri.* Vid. Schwenterus.
Steganographica *Schola Schotti.* I,4,2,4.
Steganographicum *arcanum Kircheri & Beccheri improbatur à Kuhlmanno.* I,2,5,69. *Paracelſi.* Vid. Paracelſus.
Stellæ (*Did.*) *Comm. in Evang. Lucæ laudatur, ejusq; variæ editiones recenſentur.* I,6,4,10.
Rhetorica Eccleſiaſtica. ibid.
Stellæ *an moveantur.* II,2*,12,6.
non ſunt corpora ſimplicia II,2*,12,3.
ſunt vel planetæ, vel fixæ. II,2*,12,2.
Stellarum *fixarum natura parum explorata licet veteres aliter ſentiant.* II,2*,12,3.
Stellas *fixas Soles, Planetas vero terras eſſe, putat Carteſius aliiq;.* II,2*,11,5.
Stellatus *de ligno foſſili ſcripſit.* II,2*,33,6.
de Stellis *novis ſententiæ variæ recenſentur.* II,2*,12,4.
Stengelius (*Juſtus*) *ſcripſit* die bewehrte Bier-Künſte. II,2*,42,3.
Stenonis *Myologia laudatur.* II,2*,47,3.
Prodromus Diſſert. de Solido intra ſolidum contento prolixe recenſetur. II,2*,31,2.
Sententia de productione cryſtalli ex fluido ib. §.3. *quæ examinatur.* ib. §.4.
Stephani (*Alexandri*) *liber chimicus* περὶ τῆς μεγάλης καὶ ἱερᾶς τέχνης. I,1,11,21. *ex quo multa à variis ſunt transſcripta.* I,1,11,22. &25.
(*Bizantini*) *Lexicon, & Judicium de eo.* I,4,7,7.
(*Caroli*) *Dictionarium.* III,4,1,2.
(*Henrici*) *lib. de differentia Ethices Ariſtotelicæ ab Hiſtorica & Poëtica.* III,1,1,1.
lib. Græcus de Urbibus. II,4,1,11. *Polygraphia, & Judicium Vavaſſoris de ea.* I,1,22,35.

Theſaurus Græcæ linguæ laudatur. I,4,8,6. *quem in Epitomen contraxit Scapula, maximo Stephani malo.* ibid. *Cujus errores detegere voluit, Joh. Conr. Dietericus.* ibid.
(*Joachimi*) *Demonſtratio Politicorum laudatur.* III,2,1,3
(*Roberti*) *Dictionarium, ſ. Theſaurus Linguæ Latinæ.* I,4,9,10.
Elucidarium Poëticum. I,7,1,17.
Plagiarii multi. I,4,9,10. & 11.
Stephanum (*Henr.*) *Uldaricus Fuggerus publico ſtipendio aluit, ut libros græcos ederet.* I,1,7,27.
Stephanus (*Alexandrinus*) *univerſalis philoſophus eſt vocatus.* I,1,11,21.
(*Henr.*) *Lyricorum Poëtarū, Anacreontis, Alcæi & reliquorum fragmenta collegit & edidit.* I,7,2,12.
Stephonius (*Bernard.*) *Juxta Erythræum inſignis fuit Orator.* I,6,3,2.
Stercorum *medicinam quinam ſcripſerit.* II,2*,47,5.
Steſichorus *Lyricus Poëta laudatur.* I,7,2,12. *unde nomen habeat.* ibid. *fragmenta ejus collegit Stephanus.* ib.
Steuchi (*Aug.*) *κοσμοποιία commendatur.* III,5,1,4.
liber de perenni philoſophia laudatur ibid. *quem magnifecit Scaliger.* ib. *notabilis hiſtoria de illo.* ib.
Stiernhielmii (*Georgii*) *Gloſſarium Ulphila-Gothicum.* I,4,3,3.
Runa Svecica, ibid. *cui immortuus eſt.* II,1,1,13.
Stierenhoeckii *jus antiquum Sveo-Gothicum.* III,6,3,3.
Stifelii (*Mich.*) *liber ſub titulo:* Eine ſehr wunderbahre Wörter-Rechnung/ ſampt einigen Merck-Zahlen Danielis und der Offenbahrung Johannis / *recenſetur.* I,4,2,6.
Stockfleth (*Henr. Arnold.*) *de Campanarum uſu ſcripſit.* I,5,2,13.
Stoecken (*Gerh.* von) *Thuanum enucleatum edidit.* I,1,16,52.
Stoici, *Principes Romanorum & JCtos ferme omnes, ſectæ ſuæ habuerunt aſſeclas.* I,2,4,1.
Stoicorum *doctrina de Deo commendatur.* II,2,8,4.
Philoſophemata varia fuſius proponuntur. II,2,8,2. ſqq.
Philoſophiæ moralis Scriptores atque Commentatores II,2,8,1. *Naturalis Scriptor eſt Juſtus Lipſius.* ibid.
Sententia de coæternitate Dei & mundi recenſetur & rejicitur. II,2*,11,4. *juxta quorum ſententiam & Philoſophus artibus mechanicis inſtructus eſſe debet.* I,1,1,4. ſqq. & *homines qs. quatuor perſonis indui.* I,2,1,14.
Stolbergii (*Balth.*) *opus de puritate Styli N. T. MStum aſſervatum à Daſſovio.* I,4,6,19.
de Stratii *Epigrammatibus Judicium* I,7,3,3.
Strauchii (*Ægid.*) *Aſtrologia.* II,4,1,8.
Breviarium Chronologicum III,4,1,5
(*Joh.*) *Amoenitates Juris Canonici.* III,6,7,17.
Exercitationes exotericæ commendantur. III,6,9,4.
Tr. de Particulis Juris. III,6,6,2.
Strebæi *lib. de electione & oratoria verborum collatione.* I,6,1,21.
Strenæ *novi anni.* I,3,12,20. & 26.
Strenæ *loco Nihil carmine donatum.* Vid. Laurus.

de

de Strenis *ſcripſit Marcilius.* I,5,2,10.
Strozzæ (*Joh. Bapt.*) *Academia Florentiæ inſtituta.* I,1,14,29
Lib. de Republica. III,2,1,5.
Struvii *juriſprudentia laudatur.* III,6,7,8.
Stubbe (*Henr.*) *antiquorum vindex contra Joſephum Glanvil.* II,2,1,13.
Studia *cruda ſummo cum detrimento Eccleſiis, Reipublicæ & Scholis intruduntur.* I,2,11,21.ſq. I,2,2,20.
in Studiis *excolendis finis & perſonarum ratio eſt habenda.* I,2,1,15. I,2,8,44. I,2,12,1.
feſtinatio nimia præprimis vitanda. I,2,8,50.
Studiorum *inſtituendorum methodos & conſilia, qui ſcripſerint.* I,2,7,85.ſqq. ibid. §.92.ſqq. *de iis judicium.* I,2,7,91.& 99.
Præcepta & conſilia tradita à Jer. Höltzlin. I,2,10,14. *it. à Fortio & Ficheto.* I,2,8,9.ſqq.
ſuorum arcana ſibi quisq; ſervet, & aliorum expiſcetur. I,1,15,29.
de Studiorum *Corruptleis ſcripſerunt Lud. Vives & Val. Henr. Voglerus.* I,2,2,34.ſq. I,2,7,78.
de Studiorum *inſtituendorum ratione in ſingulis Diſciplinis editæ Diſſertt. in Belgio* I,2,2,27. I,2,7,85.ſqq. *varii autores referuntur.* I,2,2,32. I,2,7,85.ſqq.
Sturmii (*Joh.*) *Amicitia ſingularis cum Rogero Aſchamo.* I,1,23,62.
Diſſ. de Carteſianis & Carteſianiſmo II,1,15,5.
Elogium. I,6,1,13.
Libri ad oratoriam ſpectantes I,6,1,13.
Libri de exercitationibus rhetoricis laudantur. I,2,13,15.
Methodus excerpendi recenſetur. I,3,2,7.ſqq.
Præfationes, ſub tit. Prolegomenorũ collectæ laudantur. I,1,24,35.
Scripta ad ſcholaſticam rem pertinentia Henr. Strobandius ſuis ſumtibus uno volumine colligi & recudi fecit. I,2,2,23. *cui Tom. II. & III. acceſſerunt, varia variorum ſcripta inſtitutionis ſcholaſticæ continentes* I,2,2,25.ſq.
Scripta de Oeconomia ſcholarum recenſentur & laudantur. I,2,2,19. ſqq. I,2,10,18.ſqq.
à Sturmii *conſiliis & methodo docendi diſcendiq; haud exiguo Reipublicæ malo Germanicæ ſcholæ abierunt.* I,2,2,20.& 22.
Sturmius (*Joh.*) *Rhetor optimus in pretio habendus.* I,1,23,63.
Styli *Exercitamenta quâ ratione inſtituenda.* I,2,13,6.ſqq.
Formatio maxime conſiſtit in exercitio. I,2,13,1.ſqq.
de Stylo *Barthii judicium.* I,1,23,46.
Baudii. I,1,24,87.
Buchneri. I,1,24,99.
Budæi. I,1,23,47.
Caſauboni. I,1,23,68.
Eraſmi. I,1,23,45.
Grotii. I,1,23,46.
Lactantii. I,1,14,11.
Lipſii. I,1,24,63.ſqq.
Quorundam Scioppii judicium. I,1,23,36.
Statii, Gaudentii judicium. I,4,13,9.
Stylum *turbat autorum varii generis & ætatis miſtura.* I,2,13,11. I,1,23,45. I,9,58.

Stylus

Stylus *Autorum Veterum ratione ætatis diſcrepat.* I,4,11,3.
Batavorum plerorumq;. I,6,3,4.
Bembi. I,1,23,38.
Camerarii. I,1,23,69.
Caſauboni. I,1,23,69.
Caſelii. I,1,24,47.
Caſſiodori. I,1,23,26.
Curiæ. III,6,11,12.
Erythræi. I,1,24,9.ſq.
eſt vel Narratorius vel Enthymematicus. I,1,13,12.
Gallicus Balzaci. I,1,24,24.
Heinſii. I,6,3,4.
Hermolai Barbari. I,1,23,33.
Hiſtoricus deſcriptus à Scioppio. III,4,1,3.
Petrarchæ. I,1,23,27.
Plinianus expenditur. I,1,23,20. *à Mich. Neandro laudatur.* I,1,23,21. *deterior eſſe cenſetur ſtylo Senecæ.* I,1,23,23.
Politiani. I,1,23,30.ſqq.
Senecæ. I,1,23,23.
Sidonii Apollinaris. I,1,23,25.
Svareſii (*Franc.*) *Opera & Elogia.* II,1,14,43.
(*Joſeph. Mar.*) *Notitia Baſilicorum.* III,6,4,11.
de Subtilitatibus *ſcripſit Cardanus* II,2,2,11
Succi *nutritii circulatio experimentis demonſtratur.* II,2*,40,30.
Succini *Chinenſis artificialis præparatio.* II,2*,37,3.
Natales neq; melli, neq; mari, ſed terræ vindicantur. ibid.
Solutio à Kerckringio ad conditu-ram cadaverum facta. ibid.
Svecia *literata Schefferi laudatur.* I,1,18,48.
Sveciæ *jura Statutaria cum Comm. illuſtravit Loccenius.* III,6,10,3.
Svedicæ *linguæ primæva antiquitas aſſeritur.* I,4,3,3.
Svetonii *Editiones variæ cum variorum Comment. recenſentur.* I,4,13,13.
Sui *cognitio difficilis.* Vid. Ingenium.
Sviceri (*Joh. Caſp.*) *Lexicon nec non Theſaurus Eccleſiaſticus.* I,4,8,9. III,4,1,16.
de Svidæ *Etymologico judiciũ fertur* I,4,7,3.
Sviſſet (*Rich.*) *olim Calculator dictus, laudatur à Cardano & Scaligero.* I,1,2,13. ſq. II,1,13,4. *Calculatoris nomen unde habeat.* II,1,13,4. *Anglicâ linguâ vocatur Swinshead.* ib. *à Joh. Pico & Lud. Vive ob ſubtilitates ineptas exagitatur.* ibid.
Sulphur *Chimicorum probabiliter proxima metallorum eſt materia.* II,2*,35,2.
Sulphuris, *auri, argenti & metallorum differentia quænam.* II,2*,35,3.
Sulpitia, *Poëtria, Satyram ſcripſit* I,4,13,12.
Sulpitii *Opera à variis edita commentariisq; illuſtrata.* I,4,14,20.
Sulve Vid. Herba pudica.
de Summo *Bono quinã ſcripſerint.* III,1,1,10.
de Supellectile *varia Romanorum Scriptores.* I,5,2,13.
de Suppliciis *& Torturis quinam ſcripſerint* I,5,2,14.
Suppoſititiorum *librorum conjectura à Criticis ex ſtylo, phraſi &c. capitur.* I,1,9,4. *variæ cauſæ recenſentur.* I,1,9,1.ſqq. I,1,11,52.
Surdi *& muti à natura per aſſvefactionem & exercitationem ad loquendum inſtitui poſſunt.* I,2,3,13.ſqq. *exemplo probatur.* I,4,1,6. Vid. Muti.
Surdos *& mutos informandi ars à quibus inventa.* II,2,1,14.
Suſannæi (*Huberti*) *Connubium adverbiorũ Ciceronianorum.* I,6,1,23.

Suſii

Suſii (*Nic.*) *Lima Ciceroniana.* I,6,1,21.
Sutholti *Diſſertt. laudantur.* III,6,8,4.
Sybillina *Oracula veritatem Chriſtianam ſtabilire putat Voſſius, Judæisq; adſcribit.* III,5,1,5.
Sybillinorum *Oraculorum variæ Editiones.* I,7,2,25.
de Sybillis *quinam ſcripſerint* III,5,1,3.&5
Sygæa (*Aloyſia*) Vid Aloyſia.
de Syllogiſmo *quinam ſcripſerint.* II,5,1,4.
Sylveſter (*Franc.*) *quæſtiones ſcripſit in tres libb. Ariſtot. de Anima.* II,1,14,38.
de Sylvii (*Franc.*) *Elegantiis Ambianis Judicium fertur.* I,4,10,11.
Symbolicorum *libb. cognitio ex Hottingero haurienda.* III,5,1,19.
Symmachi *Epiſtola à quibusnam editæ.* I,4,14,14.
Symmachus *ſui ſeculi pene Cicero habitus eſt.* I,1,23,24.
Sympatheticæ *curationes,* Vid. Curationibus.
Sympatheticum *Theatrum.* Vid. Theatrum.
Sympatheticus *Pulvis.* Vid. Pulvis.
de Sympathiis *& antipathiis cenſura generalis fertur.* II,2*,8,3.
Synagogæ *Judæorum.* I,1,14,3.
Syneſii *in epiſtolis Chimicæ artis veſtigia deprehenduntur.* I,1,11,37.
lib. de ſomniis, Cardani Comm. illuſtratus. II,3,1,8.
ſcholia genuina eſſe adverſus Reineſium defenditur. I,1,11,36.ſq.
teſtimonium de Democrito an ſit genuinum. I,1,11,35 ſqq.
Synonima *Ciceroniana Ubelii.* I,6,1,23.
Syriani *Comm. in Metaphyſicam Platonis.* II,1,7,10.
Syſtema *novum aſtronomicum nauta quidam Batavus & Otto à Guericke invenerunt.* II,4,1,8. *de iis quinam ſcripſerint.* ibid.
Syſtemata *Juridica Schotani & aliorum.* III,6,7,6. & 8.
ſingularum diſciplinarum univerſalia. I,1,20,22.ſq.

T.

TAbacus *veteribus incognitus fuit* II,2*,42,4. *modo laudatur, modo culpatur, inſcriptis vel pro eo vel contra eum editis.* ibid.
Tabellæ *Alphabetariæ variorum characterum variis gentibus uſurpatorum* I,4,1,10.
Taboris *Commentarii in Pandectas ſunt editi.* III,6,7,3.
Tachygraphica *ars.* I,2,6,87. I,4,2,3.
Tachygraphicæ *artis inventores varii à variis perhibentur.* I,4,2,3.
Scriptores. ibid.
Taciti *emendationes ſibi à Lipſio ſurreptas, querebatur Muretus.* I,4,13,4.
ex Tacito *quinam Aphoriſmos excerpſerunt* III,2,1,14.
de Tacito *judicia ſaniora Ruperti, Boburſii, Renati, Rupini.* I,4,13,4.
ſiniſtra Scioppii, Alciati, Ferreti, cum refutatione Voſſii. ibid.
Tacitum *integrum, ſi interiret, è memoria ſua reſtituere non dubitavit Lipſius.* I,4,13,4.
in Tacitum *Commentaria Politica, notasq; criticas multi ſcripſerunt, quos inter Gronovius præcipue laudatur.* ibid.
Tacitus *in varias linguas translatus.* I,4,13,4. *laudatur.* ibid.
non eſt auctor dialogi de cauſis corruptæ eloquentiæ. ibid.
Tactu *factæ curationes Regum Angliæ & Galliæ, aliorumq;.* II,2*,8,6.
Tactus *natura explicatur.* II,2*,48,6.

Taiſnierii *liber de Chiromantia & Metopoſcopia laudatur.* II,3,1,6.

Taliſman *fuere imagines gemmis vel metallis inſculptæ.* II,3,1,12.

Taliſmanicæ *artis doctores & defenſores.* II,3,1,12.

Impugnator fuit Naudæus. ibid.

Taliſmanicis *imaginibus patrocinatur Gaffarellus.* II,2*,8,7. II,3,1,12.

Tameſis *aqua ſpiritum ardentem emittit.* II,2*,19,4.

de Tarantulis *quinā ſcripſerint.* II,2*,45,8.

Tarquitiani *libri.* I,1,10,16.

Tartareti (*Petri*) *libri recenſentur* II,1,14,17

Taſſi (*Torquati*) *lib. Diſcorſi del Poëma Heroico, laudatur.* I,7,1,13.

Taſſoni (*Alexandri*) *Hiſtoria Eccleſiaſtica & ſecularis contra Baronium inedita.* III,4,1,13.

lib. cui tit. Penſieri diverſi i.e. variæ cogitationes laudatur. II,1,21,32. II,2,1,8.

panegyricon carnificis reprehenditur I,1,21,33.

ſtudium quæcunq́ ſcripta, etiam optima, carpendi notatur. I,1,21,32.

varia ſcripta eriſtica extant I,1,21,33.

Tattinghofius *Clavem Philoſophiæ Carteſianæ ſcripſit.* II,1,15,9.

Taubmannus (*Frid.*) *in Phaleucis & Anacreontico carmine feſtivus eſt.* I,7,3,11.

Taurellus (*Nicolaus*) *adverſus Cæſalpinum & Piccolomineum ſcripſit, quæ ſcripta habentur.* II,1,11,26.

Teiſſierus (*Ant.*) *additamentis auxit Thuanæa elogia.* I,1,16,53.

Labbei Bibliothecam bibliothecarum edidit auctiorem. I,1,18,4.

Teleſcopia *quando inventa.* II,2,12,6.

Teleſii (*Bernh.*) *Antogoniſta fuit Marta, Hyperaſpiſtes autem adverſus hunc Thom. Campanella.* II,2,13,3.

Dogmata prolixe cum cenſura proponuntur. II,2,13,4.

Nævi, de quibus Verulamii judicium II,2,13,2.

Principia phyſica cum cenſura & refutatione, cui tn. laus ejus & nævorum excuſatio ſubjungitur. II,2,13,6.

Scripta & dogmata phyſica II,1,15,2. II,2,13,2.

Tellez (*Balth.*) *Summam Philoſophiæ univerſæ ſcripſit, quæ recenſetur.* II,1,14,36.

Tempeſtates *an per naturalia media induci poſſint.* I,1,13,20. ſqq.

Præſagiverunt Aëroſcopium Voſſii & Virunculus Gverikii baroſcopio incluſus II,2*,18,6 *præſagiunt nautæ, ruſtici, metallici.* ibid. n. 7. *idem præſtiterunt cornua cervina in aula Taurinenſi.* ibid. n. 9.

Tempeſtatum *Ephemerides Principis cujusdam Germani laudantur.* II,2*,18,7.

de Templis *& ædificiis publicis quinam ſcripſerint.* I,5,2,6.

Tempora *corporum maximorum & minimorum difficulter inveſtigari poſſunt.* II,2*,5,3.

Tempus *quatenus ad Phyſicam pertineat.* II,2*,5,1.

Tepelius (*Joh.*) *Carteſii Philoſophiam & vitam deſcripſit, ſed non plene.* II,1,15,5.

Terentii *Editiones ſunt plurimæ, quas inter Bœcleri eſt optima.* I,4,11,6.

Fabulas ſummo pretio æſtimavit Lutherus ut & Grotius. I,3,9,28. ſq. I,4,11,6. III,2,1,21.

Fabulæ & latinitas laudatur I,4,11,6.

Teren-

Terentius *ab incaſtitatis crimine vindicatur.* I,1,8,32.
Chriſtianus Schonæi. I,7,3,15.
de Terminis *juris quinam ſcripſerint.* III,6,6,2.
de Termino *vitæ Scriptores.* II,2*,5,4.
Terminorum *Philoſophicorum colligendorum ſtudium improbatur* II,5,1,6.
Terra *& aqua ſunt prima elementa miſtorum.* II,2*,13,1.
hæc an eadem cum Antediluviana. II,2*,21,4.
in aquam non poteſt abire. II,2*,21,2
non eſt elementum, ſed corpus compoſitum. II,2*,21,1.
quare à Sole jam dudum deſtructa non ſit. Vid. Sol.
quatenus ſucco minerali imbuta, ad mineralia pertinet. II,2*,30,1.
quod moveatur, eſt doctrina vero ſimillima. II,2*,21,3.
de Terra *ſententia Stoicorum.* II,2,8,3.
Teleſii. II,2,13,4.
Terræ *Immobilitatem ex virtute magnetica demonſtrare conatur Grandamicus.* II,2*,32,2.
Loca guſtu & odore à nonnullis explorata. II,2*,21,8.
Motus eſt triplex. II,2*,21,3.
Motuum cauſæ, differentia, effectus & præſagia recenſentur. II,2*,26,2.
Quies rejicitur. II,2*,21,3.
Species variæ ſunt. II,2*,21,6. II,2*,30,1.
Variatio quoad climata. II,2*,21,5.
Vires unde. II,2*,30,3.
Vis magnetica. II,2*,21,5.
Uſus non tam multiplex eſt quam aëris & aquæ. II,2*,22,4.
de Terræ *cultura, conſulendi ſunt Scriptores Geoponici & Evelinus* II,2*,21,7.
è Terræ *figura & conſtitutione de hominum ingenio judicari poteſt.* II,3,1,13.
in Terræ *corpus fruſtra omnem maſſam ſolidam compingit Teleſius.* II,2,13,6.
Tertulliani *Editiones variæ recenſentur.* I,4,14,4.
Elogium & vituperium. ibid.
Teſmari (*Joh.*) *Rhetoricarum Exercitt. libri. IIX.* I,6,1,25.
de Teſtamenti *Novi puritate Scriptores.* I,4,6,19.
Teſtamentum *Novum juventuti quidem proponendum, non tamen excludendi alii autores Græci.* I,4,8,13.
Tetractys *Pythagorica ab Eberh. Weigelio explicata.* II,1,2,4.
τρετραϭύλλαβον & ἐννεαγράμματον *Democriti quid ſit.* I,1,11,33.
Teutonicæ *linguæ cultores antiqui & recentiores.* I,1,4,4. ſqq.
Derivatio è Græca improbatur ibid. ſqq.
Teutoniſta *Gerhardi de Schuren.* I,4,4,4.
Thales *Mileſius aquam rerum omnium principium eſſe ſtatuit* II,2,10,1.
argumenta ejus adducuntur. II,2,10,2.
Theatricæ *Actiones.* Vid. Comicæ.
de Theatro *Liber Bulengeri.* I,5,2,12.
Theatrum *naturæ & artis.* Vid. Naturæ.
Sympatheticum Enterorum impenſis prodiit. II,2*,8,3.
de Thee, *herba, ſcripſit Pauli.* II,2*,42,4. II,2*,43,2.
Themiſtii *de dictione judicium.* I,6,2,21.
Favor erga Chriſtianos. ibid.
Opera in Ariſt. II,1,9,4.
Scripta eorumq; Editores & Comm. ib.
Vita. ibid.
Theocriti *Patria, carmina, editiones & ſcholia.* I,7,2,16.

Theodoſianus *Codex*. Vid. Codex.
Theognidis *Sententiæ*. I,7,2,15.
Theologia *cum Philoſophia Platonica miſta, errores vel ſingulares opiniones introduxit.* I,1,2,10.
Gentilium. Vid. Gentilium.
Naturalis Veterum Metaphyſica erat II,5,1,7. III,5,1,2.
Scholaſticorum ex affinitate Philoſophiæ Ariſtotelicæ labem contraxit. I,1,2,10.
Theologiæ *Chinenſiũ ſumma capita* II,2,5,3.
Ethnicæ admiranda myſteria deſcripta ab Herwarto. I,5,2,6.
Myſticæ cum arcaniori ſcientia naturali conſenſus. I,1,11,43.
Naturalis è Philoſophis & Poëtis Collectores laudantur III,5,1,3. *Scriptores potiores recenſentur.* III,5,1,6.
Naturalis & Revelatæ diſcrimẽ oſtendunt Owenus & Parckerus III,5,1,4.
Polemicæ Scriptores. III,5,1,19.
Theologica *Excerpta quomodo adornanda* I,3,13,32.ſqq.
Theologicorum *Scriptorum Bibliothecas qui ediderint.* I,1,18,62.
Theon, Sophiſta, *à Scheffero editus.* I,6,1,8.
Theophili *liber de arte colorandi & coquendi vitra.* I,1,7,32.
Theophraſti, *Ariſtotelis diſcipuli, ſcripta.* II,1,9,2. II,2,12,5.
Paracelſi doctrina de tribus corporum miſtorum principiis, metallorumq́; ab his productione explicatur & defenditur II,2,16,2. πολυπραγμωσύνη *in Theologicis excuſatur.* II,2,16,1. *ſcripta ſecretioris naturæ & Theologica.* I,1,10,26. *plura extant quam ſunt edita.* I,1,11,15. I,1,10,26. *Sententia inepta de materia prima.* II,2*,1,5.
Theophraſtus (*Paracelſus*) αὐτοδίδακτος *non fuit.* II,1,15,16.
Enthuſiaſtarum recentiorum parens. ibid.
illiteratus, ſed ingenioſus Philoſophiæ, Medicinæ, ipſiusq́; Theologiæ Reformator. II,1,15,16. II,2,16,1.
in IV. Evangeliſtas Commentaria inedita ſcripſit. II,1,15,16.
Magiæ ſuſpectus. ibid. *à qua liberatur.* II,2,16,1.
Theoſophici *libri qui ſint.* I,1,10,4. *apud gentiles dicuntur Theurgici.* ibid.
Thermarum *Ortus unde.* II,2*,20,11.
Thermometra *cur & à quibus inventa.* II,2*,18,4.
Thermometrorum *variæ ſpecies recenſentur.* II,2*,18,4.
Theſauri (*Eman.*) *lib. Italicus: il Canochiale Ariſtotelico laudatur.* I,6,3,10.
Index categoricus. I,2,5,3.
Inſcriptiones de Genealogia Chriſti & Patriarcharum, & infulatæ virtutes una cum Cæſaribus. I,6,3,10.
Panegyricorũ volumina I,6,3,7. & 10
Plagiarii quinam. I,6,3,10.
Theſaurus *Criticus Gruteri laudatur.* I,5,1,4.
Theſium *collectanea ſecundum tria cauſarum genera.* I,3,9. tot.
Thevenotii *itineraria laudantur.* II,2,2,7. II,2*,40,5.
Thevenotius *Gallus tractatum de opificiis omnibus moliebatur.* I,1,1,7. I,2,7,77. II,2,1,4.
Thevetus (*Andr.*) *ſcripſit imagines & vitas virorum illuſtrium Gallorum.* I,1,19,55.
Theurgia *Veterũ fuit Metaphyſica* I,1,10,4.
Theurgiæ *Gentilium libri, multa ſecretioris naturæ arcana continent* I,1,10,5.

Theurgica *Ægyptiorum doctrina.* Vid. Ægyptii.
Thilonis (*Valentini*) *libri in argumento Rhetorico ſcripti, recenſentur.* I,6,1,16.
Thomas *Aquinas initio tardo ingenio præditus, unde bovis nomine appellatus fuit.* I,2,1,45.
Thomaſii *Differtt. Stoicæ recenſentur.* II,1,4,3.
Methodus excerpendi recenſetur. I,3,3,3.ſqq.& 16.
Thomaſini *Inſcriptiones Patavinæ non confundendæ cum argutis inſcriptionibus.* I,6,3,13.
Thomaſius *de Mandragoræ radice Diſſ. ſcripſit.* II,2*,43.2.
Sententiam Mori, Sandii & Anonymi de præexiſtentia animarum impugnavit. II,7,1,19.
de Venerea titillatione. II,2,8,4.
Thomæ *nomen pleriſq; novatoribus proprium.* II,1,15,15.
Thorius (*Raphaël*) *Hymnum Tabaci ſcripſit* II,2*,42,4.II,2*,43,2.
le Threſor *des Harangues.* I,6,3,7.
Thuana *Bibliotheca commendatur.* I,1,21,2. Vid. Bibliotheca.
Thuanæa *Excerpta.* I,1,16,60.
Thuani *Judicia de Viris doctis.* I,1,16,52.
additamentis aucta à Teiſſiero. ibid. §.53.
libri de re accipitraria. I,7,3,8.
Thuanus *enucleatus Gerhardi* von Stöcken I,1,16,52.
hiſtoriam de vita ſua ſcripſit. I,1,19,12.
Thucydidem *decies ſua manu deſcripſit Demoſthenes.* I,6,2,2.
Thucydidis *dictio commendatur.* I,6,2,2.
Thuldeni *Comm. ad Codicem Juſtinianeum.* III,6,7,9. *it. in ff. juris promiſſus, aliaq; ſcripta laudantur.* III,6,7,7.
libri de Principiis jurisprudentiæ commendantur. III,6,1,7.
Thurmannus *Bibliothecam univerſalem juridicam molitus.* I,1,18,64. *proceſſualem promiſit.* III,6,7,14.
de Tiberi *ſcripſit And. Baccius.* II,2*,20,9.
Timæi *Locrenſis fragmentum de anima mundi & natura dubium eſt.* II,1,2,3.
Titelmannus *ſcripſit Dialecticas conſiderationes.* II,1,14,64.
de Titillatione *Venerea ſcripſit Thomaſius.* II,2,8,4.
Titis (*Placidus de*) *Aſtrologiam ſcripſit.* II,2*,12,9.II,3,1,10.
Tituli *ridiculi & incogniti quorundam Collegiorum merito diſplicent.* I,1,9,26.
Titulos *rariores quidam Scriptores ridicule affectant.* III,6,8,5.
de Toga, *tunica & tibiis veterum ſcripſit Aldus.* I,5,2,9.
Toletus *multa in Ariſt. ſcripſit, quæ recenſentur.* II,1,11,21.
Tollius (*Jac.*) *Comparationem Virgilii & Homeri inſtituit.* I,4,11,14.
de Toloſani *Syntagmate juris univerſi, atq; LL. omnium pene Gentium ac Rerumpublicarum judicium fertur.* III,6,5,4.
circa Tonitrua *vulgi ſuperſtitiones recenſentur.* II,2*,24,6.
Tonitruum *autor non eſt Diabolus juxta Bodinum aliosque, neq; Sagæ.* II,2*,24,6.
origo vera eſt è vaporibus ſulphureonitroſis. II,2*,24,5.
ſonus ex repercuſſione fit formidabilis idq; experimento confirmatur ibid.
vis mirabilis. II.2*,8,10. *quam à lapſu nubium*

nubium conglaciatarum derivant Carteſius & Mayovius. II,2*,45,5.
Topographia *Gallicarum urbium valde generalis extat.* II,4,1,12.
Toppii (*Nic.*) *Bibliotheca Neapolitana &c. recenſetur.* I,4,4,17.
Tormentarius *pulvis pyrius ſecretus & maxime noxius.* I,1,11,12.
Torquemada *Dialogos ſcripſit.* II,2,2,7.
de Torquibus *aureis ſcripſit Schefferus.* I,5,2,9.
Tragici *Græci potiores ſunt Æſchylus, Sophocles, & Euripides.* I,7,2,5.ſqq.
de Tragœdia *& Comœdia Scriptores Hiſpani recenſentur.* I,7,1,8.ſqq.
Tragœdiarum *Scriptores recentiores.* I,7,3,15.
Trajanus *Boccalinus.* Vid. Boccalinus.
Trapezuntii *Maledicentia in Platonem in libro de comparatione Platonis & Ariſtotelis à Beſſarione retunditur.* II,1,7,2.
Rhetorica laudatur. I,6,1,19.
Transferri *corpora ſubito de loco ad locum an arte aliqua poſſint.* I,1,13, 25.ſq.
Transfuſio *ſanguinis an curationibus morborum inſerviat.* II,2*,8,5. *illius inventionem varii ſibi tribuunt.* II,2*,47,4. *impugnatur autem* ibid. *circa eam infauſti conatus Dionyſii.* II,2*,8,5.
Tranſitionum *Rhetoricarum formulæ.* Vid. Clarkius.
Translatorum *uſus.* Vid. Metaphora.
Transmutatoria *ars Roſii.* I,1,13,40.ſqq.
de Treutleri *Diſp. Judicium fertur.* III,6, 7,8. III,6,8,3. *ejus rigidus Cenſor fuit Bachovius.* ibid.
Triboniani *Errores in jure compilando.* III,6,4,2.
de Triclinio *quinam ſcripſerint.* I,5,2,11.
Trinitas *Platonica & Ariſtotelica* II,1,1,12. *prioris collationem cum Myſterio Chriſtianorum inſtituit Steuchus.* ibid. & II,2,11,8. *poſterioris collationem vero cum Platonica Henr. Morus.* II,1,1,12.
Trinitate (*Phil. à Sanctiſſima*) Vid. Philippus.
Triſmegiſtus. Vid Hermes.
Trithemii *Polygraphia.* I,4,2,4. *in hanc Comm. ſcripſit Guſtavus Selenus.* ibid.
Trithemius *Abbas iniquè magiæ inſimulatur.* I,1,8,25.
magnus in Chimica arte fuit myſta. I,1,13,25.
multum ſibi gratulatus eſt de Tyronis Notis. I,4,2,4.
de Triumphis *quinam ſcripſerint.* I,5,2,15.
Trojæ *Excidium.* Vid. Tryphiodorus.
de Trojano *Bello carmen heroicum falſo Cornelio adſcribitur, cum verus ejus auctor ſit Iſcanius.* I,4,11,10.
libri VI. Daretis Phrygii falſò creduntur à Cornelio Nepote translati. ibid.
de Tropis *Poëticis ſcripſit Georg. Chœroboſcus.* I,7,1,18.
Tryphiodorus *de Excidio Trojæ ſcripſit.* I,7,2,23.
Tſchirnhauſii (*Ehrenfriedi Waltheri*) *Conſilium collegii pro indaganda veritate inſtituendi.* I,1,14,49.
Medicina mentis, liber elegans. I,1, 14,13. & 49. *qui recenſetur ex parte.* I,2,7,26. ſqq.
Tſchirnhauſius *Mathematicis ſtudiis totum*

ſe applicuit. I,2,7,27.

Tſchonderi (*Jer.*) *Syſtema Grammaticæ Græcæ laudatur.* I,4,6,12.

de Tulipis *egit Schokius.* II,2*,43,2.

Turnebi (*Adr.*) *Adverſaria aliaq; ejus ſcripta laudantur.* I,5,1,6.

Faciem aliquot noctes ſomniavit Thuanus. ibid.

Turnebus *adverſus vini potum diſſertatiunculam ſcripſit.* I,5,1,6.

de Turturetti *Parallelis Ethico-Legalibus judicium fertur.* III,6,1,2.

Tuſcanus (*Angelus*) *de arte funambulatoria ſcripſit.* II,4,1,16.

Typographi *potiores eruditi recenſentur.* I,4,2,6.

Typographiæ *Abuſus deploratur.* I,4,2,6.

Beneficio bibliothecæ redditæ ſunt auctiores. I,1,4,25.

Diſcrimen Europææ & Sinenſium ex Voſſio oſtenditur. ibid.

Elogium. ibid.

Inventio variis à variis tribuitur, Germanis tamen vindicatur. I,4,2,6.

Invento multum debet literarum in occidente παλιγγενεσία. I,1,2,16. *an ideo MStorum pretium imminutum ſit.* I,1,7,2.

Originem Batavis ſuis tribuit Boxhornius peculiari libello, cujus argumenta refutat Naudæus, Addition a l'hiſtoire de Louys XI. c 7. I,1,16,79 I,4,2,6. *idem agit Bernh. à Mallincrot.* ibid.

Typographorum *celebrium eadem notitia eſſe debet, quæ Virorum doctorum.* I,1,7,37.

Typorum *Elegantia multum facit ad commendationem libri.* I,1,4,28.

Superatur hodie Germania à Belgio & Italia. I,1,4,29.

Tyronis (*M. Tullii*) *Notæ rariſſimæ.* I,4,2,4.

iſtiusmodi notis exaratum Pſalterium ſervatur Argentorati. I,4,2,4.

Tzetzes (*Joh.*) *Politicorum verſuum Chiliades.* I,7,2,27.

V.

de Vacuo & *Atomis doctrina Democriti & Epicuri proponitur.* II,2,7,7.

refutatur. ibid. §. 8.

Sententia Stoicorum. II,2,8,2.

Vacuum *abſolute tale, arte produci poſſe negatur.* II,2*,18,1.

aëre ſpatium poteſt dari. II,2*,4,3.

in natura quidam defendunt, quidam impugnant. II,2*,4,2.

in naturam ſpiritualem transformat Henr. Morus. II,2,7,9.

ipſum Deum eſſe contendit Morus. II,2*,1,2.

Vadianum *commendat Scaliger, reprehendit Voſſius.* I,1,22,16.

Valdes (*Joh. de*) *decem divinæ conſiderationes laudantur.* I,6,4,24.

Valdus (*Aug.*) *cum notis ſuis in Plinium, ipſe à militibus Hiſpanis Germanisq; Romam aggreſſis, miſere cruciatus interiit.* I,1,25,25.

Valentia (*Gregorii de*) *libri enumerantur.* II,1,14,45.

Valentini *Ducis, Cæſaris Borgiæ, vita.* Vid. Borgiæ.

Valentinus (*Baſil.*) vid. Baſilius.

Valeriani (*Joh. Pierii*) *Hieroglyphica* I,4,2,1

Valerii *Maximi Editiones variæ recenſentur.* I,4,12,6.

Stylus improbatur. ibid.

Valerius *Flaccus.* vid. Flaccus.

Valeſiorum (*Hadriani atq; Henrici*) *ſcripta*

Criti-

Hiſtoria vitæ & mortis laudatur. II,2*,5,1.
Hiſtoria ventorum commendatur. II,2*,23,3.
Merita in Scientiam Naturalem. ibid.
Partitio Artis experimentalis, & modi experimenta capiendi. II,2,1,19.
Partitio Philoſophiæ Naturalis. II,2,1,23.
Phyſica Metaphyſica cauſas rerum formales & finales ſcrutatur II,2,1,26.
Sylva ſylvarū commendatur II,2*,43,3.
Verulamius *Angliæ R. Henrici VII. vitā prudentiſſime deſcripſit.* I,1,19,30.ſq.
Anglorum hodegus in philoſophia experimentali. II,2,1,2.
Hiſtoriam naturæ dividit in Narrativam & inductivam. II,2,1,2. *hanc quomodo partitus ſit.* ibid.n.4.
in doctrina de fluxu & refluxu maris fluctuat. II,2*,20,3.
Primus inter Anglos ſignum ſuſtulit ad amplificandos ſcientiarum terminos. I,2,7,93.
Vir πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων I,2,4,45.
de Veſtitu *ſ. re veſtiaria variorum Commentarii recenſentur.* I,5,2,9.
Via *lactea Ariſtoteli falsò Meteoron credita.* II,2*,12,8. *innumeram ſtellarum multitudinem continet.* ibid. *non eſt duplex juxta Licetum.* ibid. *circa hanc multorum cometarum natalis.* ibid.
Vicomercati (*Franc.*) *Commentarii in Ariſt. laudantur & enumerantur.* II,1,11,6.
Victor *ſcripſit librum de Origine Gentis Romanæ.* Vid. Sextus Aurelius Victor.
Victoria (*Franc.*) *valde laudatur à Barthol. à Medina.* II,1,14,23. *ſcripſit ſummam ſacrorum Eccleſiæ, nec non prælectionum tomos duos rariſſimos.* ibid. §.41.
Victorii (*Petri*) *Elogium.* I,5,1,5.
Lectiones variæ libris XXV. conſtantes ibid. *de quibus judicium Scaligeri.* ibid.
Vidæ (*Hier.*) *Poëma de bombycibus.* I,7,3,8.
Vigelii (*Nic.*) *methodus juris Civ. controverſi recenſetur.* III,6,8,4.
methodus ſingularis, in Jure vel Civili vel Pontificio, excogitata laudatur. III,6,5,3.
ſcripta varia citantur. III,6,5,3.
Vigeri (*Franc.*) *lib. de idiotiſmis præcipuis linguæ Græcæ commendatur.* I,4,6,10.
Villafanus *in poëmatibus ſuis manifeſti plagii convincitur* I,1,9,20. I,6,3,11.
Villavincentio (*Laur. à*) *plagium inſigne commiſit.* I,6,4,6.
ſcripſit de formandis ſacris Concionibus, & de Interpretatione S. Scripturarum populari. ibid.
Villomari (*Yvonis*) *Animadverſa in locos controverſos Titii.* I,5,1,8. *ſub hoc nomine latitat Joſ. Scaliger.* ibid.
Vindobonenſis *Bibliotheca.* vid. Bibliotheca
Vineas *in Anglia plantari poſſe oſtendit Roſa.* II,2*,42,2.
Vinetum *Britannicum, anonymi liber recenſetur.* II,2*,42,3.
Vini *hiſtoriam natalem ſcripſit Baccius.* Vid. Baccius.
potum diſſvaſit Turnebus. II,2*,42,2.
ſpiritus an in priorem vini ſtatum reduci poſſit, diſquiritur. II,2,16,3.
ope nivis, abſq; igne deſtillari poteſt. II,2*,27,9.

de

de Vini & *cerevisiæ præſtantia lis poëtica inter Gvietum & Grotium.* I,1,24,29.
de Vinnii *Comm. ad inſtitutiones judicium fertur.* III,6,7,3. *it. de quæſtionibus ſelectis.* III,6,8,4.
de Vino *varii Scriptores recenſentur.* II,2*,42,2.
de Viperis *quinam ſcripſerint* II,2*,46,2. *de illarum partu & congreſſu ſcripſit Voigtius.* ibid. §. 4.
Virdungi (*Mich.*) *Orationes laudantur.* I,6,3,3.
Virgilianæ *imitationis exemplum è Catullo.* I,2,16,17. ſqq.
Virgilianus *index Erythræi nudas tantum continet voces.* I,4,11,14.
Virgilii *Ecloga prima reſoluta in ſuas ſententias & ornamenta* I,2,16,39.
editiones variæ recenſentur I,4,11,14.
imitatores. I,7,3,8.
intempeſtivi cenſores refelluntur. I,4,11,14.
Virgilium *imitatus eſt Horatius in epoda 2da.* I,2,16,20.
Virgilius *artifex ſummus in exprimendis moribus & affectibus* I,3,10,30.
Ciceronem quandoq; imitatus eſt. I,3,10,32.
cum Græcis Auctoribus collatus à Fulvio Urſino. I,4,11,14.
imitatus eſt Græcos, ceteri Virgilium ſunt imitati. I,3,10,18.
numeri poëtici mirus obſervator. I,3,10,40.
phantaſiã judicio coërcet, cui Ovidius ſæpe frena laxat I,2,1,26. I,3,10,30.
præſtat Homero, ut judicant Scaliger, Rapinus & Tollius. I,4,11,14. *hoc Barthius modo concedit, modo negat.* ibid.
quos Poëtas imitatus ſit. I,2,16,15.
de Virgula *divina, metallorum indice, diſſeritur.* II,2*,8,9.
Virunculus *baroſcopio incluſus ventos & tempeſtates præſagiit* II,2*,18,6
Viſcerum *ſtructuram expoſuit Malpighius.* II,2*,47,3.
Viſcoſitas *quid ſit.* II,2*,7,6.
Viſio *quomodo fiat.* II,2*,48,2.
Viſus *acutioris noctuarum hominum quorundã aliorumq; animalium noctu videntium cauſæ.* II,2*,14,6.
doctrina ad Opticã pertinet. II,2*,48,2.
Vitæ *Architectorum, pictorum, ſtatuariorum colligendæ.* I,1,19,69. ſqq.
JCtorum. I,1,19,65. ſqq.
malorum hominum an deſcribendæ ſint. I,1,19,29.
ſuæ hiſtoriam qui ipſi ſcripſerint. I,1,19,13. ſq.
virorum doctorum etiã in minimis accuratæ deſcribendæ. I,1,19,2. *quod contra Mareſium aſſeritur.* ib. n. 4. ſqq.
virorum politicorum deſcriptæ ad cognitionem politicæ multum confert I,1,19,11. *id quod exemplis demonſtratur.* ibid. §. 12. & 30. ſq.
de Vitæ *termino & prorogatione quinam ſcripſerint.* II,2*,5,4.
Vitalis (*Hier.*) *Lexicon Mathematicum recenſetur.* II,4,1,4.
Vitarũ *Scriptores.* III,1,1,5. III,2,1,8. III,4,1,8. *antiqui* I,1,19,10. & 15. *recentiores.* I,1,19,16. ſqq. *majorem fidem merentur, quam elogiorum Scriptores.* I,1,19,51. *ab illis magna in hiſtoria literaria utilitas.* I,1,19,1.
de Vite & *Viticultura varii Scriptores recenſentur.* II,2*,42,2.

Vitem *nitro propagari poſſe Baconus ſtatuit* II,2*,38,3.

Viterbienſis. Vid. Annius.

de Vitiis *& Virtutibus Scriptores* III,1,1,10.

in Vitis *literatorum tria conſideranda proponuntur.* I,1,19,7.

Vitriaria *ars Antonij Neri laudatur.* II,2*,34,2.

Vitriolum *latet in aëre, corticibus juglandis & quercubus.* II,2*,39,2. *de illo Scriptores recenſentur.* ibid.

de Vitro *gemmæ artificiales.* II,2*,34,2.

Vitrum *ductile & flexibile confici poſſe conceditur contra Merettū.* II,2*,34,1.
foſſile datur. ibid.
frigidum nobilis quidam Italus ſpiritu chymico emollire potuit. ibid.
noſtrum, unde fragile. ibid.
ſtillatitium (*vulgo* Spring-Gläſer.) II,2*,18,1.

Vitruvii *de Architectura libri X. variis locis à variјs editi, & in varias linguas translati.* I,4,11,17.
Commentatores. ibid.
de Stylo judicium Barthij, Scioppij, aliorumq;. ibid.

Vivis (*Lud.*) *libelli de tradendis Diſciplinis, ut & de cauſis corruptarū diſciplinarum laudantur.* I,2,2,34. I,1,2,10.
libellus de prima philoſophia commendatur. II,5,1,8.
liber de officio mariti & fœminæ III,1,1,8.
liber de veritate fidei chriſtianæ III,5,1,7.
lucubrationes ejus plurimæ ad Rhetoricam ſpectantes recenſentur I,6,1,20.

Ulpianus *Græcus Demoſthenis explorator.* I,6,1,8.

Unguento *de armario judicium fertur.* II,2*,8,4.

de Ungvibus *Scriptores.* II,2*,47,5.

Ungvium *de maculis ſcripſit Finell9* II,3,1,7.

Univerſalem *doctrinam & ſcientiam promiſit Kuhlmannus, Lullius, Scalichius & alii.* I,1,20,5.ſq.

Univerſales *Pandectæ mathematicæ, quomodo confici poſſint.* I,1,20,21. *it. in aliis diſciplinis* ibid. §. 23. *& hoc cum ſumma utilitate.* ibid. §. 23.

Univerſitatis *rerum idea pueris à prima ætate inculcanda.* I,2,4,16.ſqq.

Univerſum *hoc rerum principium unicum ſtatuerunt veteres.* II,2,18,2.

Vocabularium *Gallicum.* I,1,14,41.
Italicū della Cruſca laudatur I,1,14,28.
quadrageſimo demum anno abſolutum eſt. ibid. §. 41.

Vocum *ſingularum excerpta.* vid. Excerpta.

de Voce *ſigna animi colligi poſſe docuit Creſollius.* II,3,1,3.

Vöetii *Diſp. de Atheiſmo.* III,5,1,9.
Diſp. ſelectæ. I,1,21,30.

de Vöetii *Bibliotheca ſtudioſi Theologiæ judicium fertur.* III,5,1,13.

Vöetius *litem movit Canonicis Ultrajectinis de bonis Eccleſiaſticis.* III,5,1,27.
tractatum edidit de Statutis eorumq; concurſu, nec non Comm. in inſtitt. III,6,10,2.
Vir fuit multæ lectionis potius quam judicii. I,1,21,30. I,1,22,18. II,2,17,1. III,5,1,9.

Vogler (*Val. Hen.*) *Diſſertt. de delectu ingeniorum & hodiernis ſtudiorum corruptelis laudantur* I,2,2,35.
Introductio univerſalis in notitiā cujusq; generis bonorum Scriptorum recenſetur. I,1,16,30. ſ. *ejus ſupplementum à Vincentio Placcio promittitur.* I,1,16,4.

Voigtius *in Diſſ. ſua de nivis albedine, nivem albam*

bam eſſe negat. II,2*,15,3. II,2*,27,9. *ſcripſit & Diſſ. de reſuſcitatione plantarum.* II,2*,27,5.
Volandi & *navigandi ars per aërem à Bacone, Beſnerio, aliisq; propoſita & jactata.* II,2,1,17. *examinatur & rejicitur.* II,2*,4,4.
Volendi *vel nolendi formulæ.* I,3,7,22 ſq.
Vopiſcus (*Flavius*) *Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptor* I,4,14,7.
Vorſtius (*Joh.*) *Conjecturam de generatione animantium edidit, qua impugnat Harveum.* II,2*,45,2.
Vortices *aëreos deſcripſit Mayow* II,2*,23,5
Voſſii (*Gerh. Joh.*) *diligentia in autoribus recenſendis indefeſſa laudatur.* I,1,18,59. ſqq.
etymologicum laudatur. I,4,9,4.
lib. de idololatria & phyſiologia laudatur I,1,21,29. II,2,2,4. II,2*,30,3.
de natura Logices. II,5,1,2.
de poëtis Græcis & Latinis. I,1,18,61. I,7,2,1.
de univerſæ Matheſeos natura & conſtitutione commendatur II,4,1,1.
libri de philoſophia & philoſophorum ſectis poſthumi imperfectio deploratur. II,1,1,4.
libri de vitiis latini ſermonis & gloſſematis latino-barbaris I,4,9,17.
Opus de arte Grammatica valde laudatur. I,4,10,8.
de Scriptoribus Hiſtoricis. III,4,1,1.
Scripta variis ſupplementis aucta. I,1,18,60.
Theologia gentilis. I,7,1,17.
(*Iſaaci*) *Aëroſcopium.* Vid. Aëroſcopium
liber de cantu poëmatũ & viribus rythmi. I,7,1,14. *qui multa paradoxa habet.* ibid.
Voſſius (*G. J.*) *Sybillina Oracula ut invincibile veritatis Chriſtianæ teſtimoniũ laudat.* III,5,1,5. *peculiarem enim librum de Sybillinis aliisque, quæ Chriſti natalem præceſſerunt, oraculis, edidit librum.* III,5,1,5.
(*Iſaacus*) *accidentalitatem ignis ſtatuit.* II,2*,16,2.
æſtus marini cauſam ponit Solem. II,2*,20,4.
lucis ſubſtantialitatem impugnavit. II,2*,14,2. *contra hunc illa defenditur.* ibid. §. 3.
Uranologicæ *hiſtoriæ Uranophili Cyliandri laudantur.* II,2*,18,7.
de Urbani VIII *Odis cenſura.* I,7,3,10.
Urinatoria *marina, cujus ope per aquas ambulare poſſumus à Wagenſeilio inventa.* I,1,20,12. *jam tum à Pegelio propoſita.* I,1,20,13. *ut & Mormio.* I,1,20,14.
Urinatoriæ *artis Scriptores recenſentur.* II,2*,22,3.
Urſini (*Fulv.*) *liber de Triclinio Romano.* I,5,2,11.
Urſus *mirus Epigrammatum Scriptor* I,7,3,4.
Urticam *eleganter delineavit Hookius.* II,2*,43,3.
Vulcatius (*Gallicanus*) *Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptor.* I,4,14,7.
de Vulpecula *fabula Saxonica.* III,1,1,5.
Vultus *honeſtas mirifice hominum favorem excitat.* I,1,15,18.

W.

WAesbergiorum *diligentia in edendis Mercuriis librorũ laudatur* I,1,18,40
Wagenſeilii *Commentarii in lib. Sota de uxore adultera.* III,6,2,1.
Tela ignea Satanæ. III,5,1,21.
Wagenſeilius *Collegium Rituum ac Civili-*

tatis apud varias gentes habuit. III,1,1,9.
in plagiarios literaturæ Rabbinicæ invehitur. I,4,5,5.
Wallenſteinii *vita à Gualdo ſcripta* I,1,19,45.
Walliſii (*Joh.*) *Diſcurſus de gravitate & gravatione.* II,2*,10,2.
Epiſtola de ratione ſermonis & pronunciationis. II,2,1,14.
Grammatica Anglicana eſt optima. I,4,4,19.
Teſtimonium de antiquitate linguæ Germanicæ. I,4,4,3.
Walliſius (*Joh.*) *cauſam fluxus & refluxus maris motus lunares & terræ facit* II,2*,20,3. & 4.
de literarum natura & pronunciatione egit. I,4,1,5.
multum valuit in arte Decifratoria. I,4,2,4.
Waltoni (*Briani*) *editio Bibliorũ Anglicana* πολύγλοττ@ *eſt optima* III,5,1,14. *apparatu inſigni inſtructa.* ib
Watſoni (*Mich.*) *Apologeticum pro Ariſtot. ineditum.* II,1,12,3.
Theatrum variarum rerum in ſupplementum Pancirolli ſcriptum I,1,21,53. ſq.
Unio ſapientiæ. ibid.
Webbe (*Joſiæ*) *carmen hexametrum & pentametrum.* I,7,1,19.
Webbii (*Joh.*) *lib. Hiſtorical Eſſay, that the Language of China is the primitive Language, recenſetur.* I,4,3,2.
Webſteri (*Joh.*) *Metallographia commendatur.* II,2*,29,4.
Wedelius *de Opio ſcripſit.* Vid. Opium.
Weigelii (*Erhardi*) *Analyſis Ariſtot. ex Euclide reſtituta, laudatur.* II,5,1,4.
Weigelius (*Valent.*) *Enthuſiaſta ab Hunnio & Thummio refutatus.* III,5,1,36.
Weinrichii *Ærarium Poëticum.* I,7,1,19.
Weiſii *liber de argutis inſcriptionibus laudatur.* I,6,3,12.
Politiſcher Redner. I,6,1,32.
Weitzii *lib. via regia ad linguam latinam, recenſetur.* I,2,4,31.
Welleri (*Jac.*) *Grammatica Græca commendatur.* I,4,6,14.
Welſchius (*Georg. Hier.*) *Medicus Auguſtanus, laudatur.* I,1,6,38. I,1,21,39.
multa opera præclara affecta habuit, quæ fata viri intercepêre. I,1,6,38. ſq. I,1,7,6. & 24. I,1,21,39. & 40. I,3,13,6. ſeqq. *pædiam in Cycliſco tradere cœpit, ſed opus imperfectum reliquit.* I,2,7,80.
Wendelini (*Gotfr.*) *Gloſſarium Legis Salicæ.* III,6,6,2.
Teratologia cometica. II,2*,12,4.
(*Marci Frid.*) *Admiranda Nili citantur.* II,2*,20,9.
Capita doctrinæ Calviniſtarũ III,5,1,32.
Contemplationes phyſicæ laudantur. II,2,2,11.
Medulla latinitatis ex Stephani Theſauro excerpta laudatur. I,4,9,10.
Wendelinus (*M. Fr.*) *de Ægagropila ſcripſit* II,2*,8,7.
Weſenbeccii *Comm. ad Codicem mutilus eſt* III,6,7,9.
Weſtphala *gens humaniorum literarum tropæa in Germania erexit.* I,2,2,17.
Weſtphali *primos elegantiorum literarum ludos inſtituerunt.* I,2,2,14. ſqq.
Whear (*Degoreo*) *ſcripſit Relectiones hyemales de ratione & methodo legẽdi hiſtoriã Civilem & Eccleſiaſticã* III,4,1,2.
Whitlok (*Rich.*) Ζωοτομία, *i. e. obſervationes,*

nes, quibus anatomen vivorum per mortuos tractavit. I,6,1,19.

Wilkinſii (*Joh.*) *lib. de lingua quadam philoſophica ſub hoc titulo: An Eſſay towards a real character, and a philoſophical language, recenſetur.* I,4,2,5.

Willeramus, *Monachus, ſcripſit Paraphraſin Cantici Canticorum.* I,4,4,3. *genuinum ejus exemplar aſſervatur in Bibliotheca Cæſarea.* ibid.

Willichii *methodus excerpendi juxta ordinem categoriarum reprobatur.* I,3,2,4.ſqq.

Willichius *Græcam linguam Germanis familiarem fuiſſe credidit.* I,4,4,4.

Willis (*Thomæ*) *the Schoolmaſter in the art of Stenography.* I,4,2,4.
tr. de fermentatione unde natus II,2,1,4.

Winckleri (*Pauli*) gute Gedancken *ſ. chiliades ſententiarum Germanicarum adagialium, laudantur.* I,1,21,110.

Winckelmanni *Logica mnemonica improbatur.* I,2,6,48.
Proteus. I,2,6,68.
varia opera mnemonica ab ipſo concinnata & edita. I,2,6,54.ſqq.

Winſemii (*Pierii*) *Carmina.* I,7,3,17.
Orationes panegyricæ in Guſtavum Adolphum & in exceſſum Henr. Naſſovii &c. I,6,3,6. *laudantur.* I,7,3,8.

Wirdigius (*Seb.*) *frigus inter ſpiritus refert* II,2*,17,3.

Wiſſenbachii *Comment. ad Cod. juſt. de quo judicium fertur.* III,6,7,9.
Diſp. ad ff. inſigniores Legg. & controv. III,6,7,6.
Emblemata Triboniana. III,6,4,2.

Witſenii *volumen de Architectura navali.* I,2,7,77.

Witte (*Henning.*) *Biographicum ſcribere conſtituit.* I,1,18,52.

Wolzogenius *ſcripſit Oratorem ſacrum, qui recenſetur.* I,6,4,3.

Wood (*Ant.*) *Hiſtoriam & antiquitates Univerſitatis Oxonienſis ſcripſit, cujus libri magnus uſus eſt.* I,1,16,75.ſq. II,1,13,12. III,6,4,3. *imperfectus tamen in quibusdam recenſendis eſt.* I,1,18,44.

Wormii (*Olai*) *Monumenta Danica & Literatura Runica, una cum Lexico ejus linguæ & adjecta diſſert. de priſca Danorum poëſi.* I,4,3,3. II,1,1,13.
Muſæum. II,2*,29,4.

Wormio (*O.*) *controverſiam movent Sueci.* I,4,3,3.

Wouwerii *duo fuerunt ejusdem nominis, unus Antwerpianus, alter Hamburgenſis.* I,1,1,18.

Wouwerii (*Jani*) *Epiſtolæ editæ* I,1,24,76.
ineditæ multæ extant in bibliotheca Gudiana & Hamburgenſi. ibid. n. 77.
lib. de Polymatia, Caſaubono ſurreptus, falſo plagii accuſatur à Mauſſaco, Gallo. I,1,1,19.
defenditur à Thomaſio & Schockio ib.
notæ in Senecam MSS. in bibliotheca Gottorpienſi adſervantur. I,4,12,9.
panegyricus in Chriſtianum IV. Daniæ Regem cum judicio Scaligeri I,6,3,6.

in Wouwerium *amarulenta Lindenbrogii epiſtola ad Pet. Puteanum ſcripta recenſetur.* I,1,25,10.

Wouwerius *Lindenbrogium ſemper infenſum habuit, à quo dicitur homo cum latrante nomine (à baubando)* I,1,24,78. *Plagii ab ipſo accuſatur ob tr. de umbra.* I,1,24,79. *it. in aliis ſcriptis.* I,1,28,10.

Wundſchii *Memoriale Oeconomicum.* III,3,1,4.

Z.

ZAbarellæ (*Jac.*) *opera integra Joh. Lut. Havenreuterus edidit* II,1,14,63. *quem impugnavit Jungius.* ibid.

Zabratus *Pythagoram docuit.* I,1,10,9.

Zanardi (*Mich.*) *Comm. in 8. libb. Phyſicorum Ariſt & Metaphyſica recenſetur.* II,1,14,20.

Zara *Anatomiam ingeniorum & ſcientiarum ſcripſit.* II,3,1,3.

Zaratini *Epigrammata laudantur.* I,7,3,4.

Zehnerus (*Joach.*) *Adagiorum ſacrorum centurias V. quæ parallelìſmis illuſtravit, ſcripſit.* I,1,21,91. *it. Similitudines biblicas, cum παραλειπομένοις.* ibid. §.92. ſq.

Zeidleri (*Melch.*) *Rhetorica Eccleſiaſtica recenſetur.* I,6,4,4.

Zeilerus (*Mart.*) *Catalogum hiſtoricorum è Voſſio exſcripſit.* III,4,1,2.

Compilator rerum multarum. I,1,24,72.

Epiſtolas & itineraria varia ſcripſit ibid.

Exſcriptor diligens G. J. Voſſii. I,1,18,59. I,1,24,72.

πολύγραφος noſtri ſeculi. I,1,24,72.

Ziegleri *Notæ in Grotium.* III,6,1,5.

lib. de jure Canonico laudatur. III,6,7,17.

ſcriptum de fermentatione improbatur. II,2*,6,9.

Zonaræ *Lexicon Scaliger magno deſiderio flagitavit.* I,4,7,10.

Zoophyta *deſcribuntur.* II,2*,44,1.

Zoroaſter *Magiæ occultæ autor perhibetur.* I,1,13,14.

Nomen hoc accepit ab aſtrorum contemplatione. ibid. §.51.

Zoroaſtrem *ab Abrahamo edoctum eſſe exiſtimat Joh Jeſſenius.* I,1,10,11.

Zoroaſtris *doctrina peculiari libro comprehenſa à Joh. Jeſſenio.* II,1,1,12.

logia ſ. oracula in quæ ſcripſit Syrianus Magnus & alii. I,1,10,11.

Chriſtianam pene fidem ſpirant. II,1,1,12.

ſcripta I,1,10,9. ſqq. *quorum aliquot Joh. Picus habuit.* I,1,10,10.

de Zoroaſtris *ætate, nomine & natione omnia ſunt incerta.* II,1,1,12.

Zoſimi *Scripta chymica eſſe γνήσια adverſo Reineſium defenditur.* I,1,11,38. ſ. *in quæ Olympiodorus commentatus eſt.* I,1,11,46.

Zoſimus *Oecumenici nomen obtinuit, quod ad varios artis chimicæ receſſus ſe diffuderit.* I,1,11,46. *an à Zoſimo Hiſtorico diverſus,* ibid.

Vetuſtus Chymicus. I,1,11,26.

Zouchei *de quæſtionibus & miſcellaneis ex jure Gentium judicium fertur.* III,6,1,6.

Zwelfferus *Pharmacopœā ſcripſit.* III,7,1,7

Zwingeri *Philoſophia moralis Poëtica.* III,1,1,1.

Theatrum vitæ humanæ recenſetur. I,1,21,23.

quod à Conrado Lycoſthene initia ſua accepit. ibid. & 54.

****
***